John Cranford,
M. D.

No.

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY
OF
MARYLAND.

PLATES.

FRIDERICI

# HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS [illegible]

ET ARCHIATRI,

PROFESSORIS MEDICINÆ [illegible]

# OPERA OMNIA PHYSICO-MEDICA

Denuo revisa, correcta & aucta,

*IN SEX TOMOS DISTRIBUTA,*

QUIBUS CONTINENTUR

DOCTRINÆ SOLIDIS PRINCIPIIS PHYSICO-MECHANICIS [illegible]

[illegible]

*METHODO FACILI AC DEMONSTRATIVA TRADITÆ*

*& [illegible] LVII [illegible]*

CUM VITA AUCTORIS

[illegible]

[illegible]

TOMUS [illegible]



GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC[illegible]

# FRIDERICI
# HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI, ET ARCHIATRI, PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

# OPERA OMNIA
## PHYSICO-MEDICA

Denuò reviſa, correcta & aucta,

*IN SEX TOMOS DISTRIBUTA*;

QUIBUS CONTINENTUR

DOCTRINÆ SOLIDIS PRINCIPIIS PHYSICO-MECHANICIS, & anatomicis, atque etiam obſervationibus clinico-practicis ſuperſtructæ.

*METHODO FACILI AC DEMONSTRATIVA DEDUCTÆ, & per experientiam LVII. annorum ſtabilitæ.*

CUM VITA AUCTORIS,

Et ejus PRÆFATIONE de differente medicinæ & medicorum ſtatu atque conditione, & criteriis boni ac periti medici.

TOMUS TERTIUS.




GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXL.

University of Maryland Library founded 1813 School of Medicine

14473

Digitized by the Internet Archive
in 2014

Crawford

https://archive.org/details/fridericihoffman34hoff

# CONSPECTUS

## TOMI TERTII.

Medicinæ Rationalis Syſtematicæ Tomi Quarti Pars Tertia.

*De Morbis ſpaſmodicis & convulſivis.*

Ejuſdem Tomi Quarti Pars Quarta.

*De Morbis ex viſcerum labe partiumque ſolidarum atonia provenientibus.*

Ejuſdem Tomi Quarti Pars Quinta.

*De Morbis ac vitiis externas potiſſimum partes adfligentibus; accedit Supplementum de Morbis Infantum, nunquam editum.*

# FRIDERICI
# HOFFMANNI
# MEDICINÆ
## RATIONALIS SYSTEMATICÆ,

*TOMI QUARTI,*

QUO

SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA,
& huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum
medendi methodo,

CAUTELIS CLINICIS, ET MORBORUM
ENARRATIONIBUS ADJUNCTA EPICRISI, EXHIBENTUR.

PARS TERTIA,

*DOCTRINAM SPASMODICORUM ET CONVULSIVORUM*
*morborum perſpicua & demonſtrativa methodo tradens.*

OMNIBUS ET SINGULIS
MEDENDI SCIENTIÆ DEDITIS
QUI
ARTEM
# HIPPOCRATICAM
EXPERIMENTO PERICULOSAM
ET JUDICIO DIFFICILEM
SECURA FACILI ET RATIONALI
CURANDI METHODO TRACTARE, ET CONTINUA
OBSERVATIONE AC SEDULA MEDITATIONE
ARTIS INCREMENTA
IN SALUTEM HUMANI GENERIS
PROMOVERE GESTIUNT,
HUNC TOMUM
DE LONGIS ET GRAVIBUS ADFECTIBUS
QUI AGIT
SACRATUM ET DICATUM VOLUIT
AUCTOR.

# PRÆFATIO.

EXHIBEO nunc candido & erudito Lectori tertium therapeutices tomum, qui ad medicinam ſyſtematicam rationalem pertinet. In hoc præcipue atroces convulſivi generis morbos, qui vel univerſum corpus occupant, vel certis tantum partibus graviter infeſti ſunt, explicandos & pertractandos ſumſi. Videtur quidem horum affectuum ætiologia & rationalis evolutio non adeo facilis, ſed valde ardua; eo, quod non ex cauſſis mechanicis, ut febres, hæmorrhagiæ, & ſpaſticæ affectiones, explicari poſſe videantur, ſed altius & eminentius quoddam principium ex parte pro cauſa agnoſcere: nempe animæ voluntatem, utpote in epilepſia, & univerſalibus iſtis motibus convulſivis partes voluntati, & animæ imperio ſubjectas graviter exerceri, atque in cerebro, quod & medicorum, & philoſophorum conſenſu pro ſede & domicilio animæ habetur, originem ſuam petere, conſtans & rata ab omni ævo medicorum eſt ſententia. At vero quam obſcura, abdita, & multis difficultatibus, atque diſſenſionibus natura animæ humanæ, ejuſque potentia, & operandi ratio in corpus ſit innexa & implicita; nemo facile inficiabitur: neque doctiores medicorum uſque eo inter ſe conveniunt, an anima immediato & incorporeo actu, membra moveat, & percipiat, an medio quodam materiali, fluido nimirum nerveo mobiliſſimo, quod veteres ſpirituum animalium nomine indigitarunt, ad hos actus opus habeat. Ut itaque ego in re difficili & non exigui momenti & conſiderationis meam, quatenus ad praxin medicam ſpectat ſententiam proferam; dico primum corpus humanum neutiquam eſſe puram machinam, ex diverſi generis partibus & organis, ſumma & divina ſapientia inter ſe connexis, ad motus, qui potiſſimum conſervationi ejus vitali inſerviunt, conſtructam; ſed cum altioris originis & naturæ, ſpirituali nempe principio, quod & percipiendi, & intelligendi, & res invicem diſcernendi, & certos quoſdam motus dirigendi potentiam habet, mutua & intimiori unione eſſe conjunctam. Num vero exquiſitior hujus principii incorporei & ſpiritualis cognitio Medico ut medico ſumme & abſolute ſcitu ſit neceſſaria, id eſt, de quo valde dubitamus. Neque aliud HIPPOCRATEM voluiſſe mihi perſuadeo, dum in principio libr. *de nat. hum.* qui genuinus ejus fœtus unanimi Criticorum conſenſu habetur, ita ſcribit: *Quicunque de natura humana amplius diſſerentes audire conſuevit, quam quod ad medicinam pertinet, huic non eſt commodum hunc meum ſermonem audire.* Jam vero in his, quæ ſequuntur, prolixe demonſtrat, corpus humanum ex certa & temperata elementorum & humorum proportione, qui pro differentia ætatum, temporum anni, regionum, victus, & aeris differunt, conſtare, & ad hanc medicum in morborum cauſſis inveſtigandis, & adpoſitis ad eas expugnandas inveniendis remediis unice reſpicere & attendere debere. Quibus certe clare innuit, verum medicinæ objectum eſſe corporis humani mechaniſmum, (neutiquam vero moraliſmum, ut nonnulli noſtri temporis medici opinantur) illum autem à cauſſis maxime externis & corporeis ſuſtineri, & mutari; & hinc ſanitatis, mortis, vitæ, morborum, & ſanationis originem & fontem eſſe. Equidem non negandum, animam ad movenda certa membra, imperium & directorium quoddam habere, uti in voluntariis id clare adparet motibus; neque negandum eſt, animam humanam motus & animales, & vitales, & naturales turbandi, & invertendi magnam poſſidere potentiam, ut in gravioribus animi adfectibus, & viribus corruptæ phantaſiæ adparet luculentiſſime. Quod autem ani-

ma

ma motuum vitalium, & animalium quoque proxima & efficiens cauſſa ſit, in quam medicina vim quandam ſanantem exſerere poſſit; ab hac ſententia utique me prorſus alienum eſſe profiteor. Nam rebus paullo altius perpenſis, clare intelligimus, animam ſine mediis & cauſſis phyſicis ac mechanicis nihil plane poſſe in humano corpore, nec intelligere, nec cogitare, nec ſentire, nec motus certos dirigere, vel etiam ordinatos immutare, aut inordinatos in ordinem revocare; multo minus motus vitales, cum quibus maxime medico negotium eſt, ut ſunt cordis, arteriarum, & omnium vaſorum fibrarumque efficere. Quod aſſertum, tanquam longe in medicina utiliſſimum, ut paullo firmioribus argumentis corroboretur; operæ fore pretium arbitror. Ecquis doctiorum medicorum ignorat, læſo & non integro organo ſenſorio, ut oculo, aure, vel etiam motorio, ut muſculo, animam nec movere, nec ſentire, nec videre, nec audire poſſe; eoque vitio per artem medicam reſtituto, integros rurſus evadere ſenſus. Videmus quoque organis & ſenſoriis & motoriis recte, & ſecundum naturam conſtitutis, beneque conformatis, animam nihil efficere poſſe; licet efficaciſſime velit, niſi affluxu ſanguinis arterioſi, vel liquidi nervoſi bene conſtituti illa robur & vigorem accipiant. Neque amplius obſcurum eſſe poteſt, tota cerebri ſtructura ſalva, ſalvis nervis & membranis, ſalvis etiam ſenſuum organis, ceſſante vero vel deficiente ſanguinis, ob cordis languidiorem ſyſtolen motu ad caput, omnem ſenſum, omnem memoriam, omnem cogitationem, & intellectum ſimul & ſemel perire. Simul ac vero hic motus per congrua remedia reſtituitur, ut videmus in ſyncopticis, illico animæ operationes rurſus obſervantur. Sanæ rationis in homine uſum à placido & temperato ſanguinis per cerebri vaſa progreſſu dependere, Divus Senex paſſim in ſcriptis ſuis docuit; adeo, ut L. de flat. aſſerat, ſapientiam homini per bonam diætam præſtari poſſe. In omni delirio, ſive aberratione mentis, vitium & cauſſam vel in ipſius cerebri ſubſtantia, aut ejus membranis, præſertim dura matre, vel in minus temperato vitioſi ſanguinis motu conſtare, ex eo ſatis recte colligitur, quod ſublato hoc, per remedia convenientia, vitio menti reſtituatur ſanitas. Surrexerunt noſtro tempore medici quidam, qui affirmare auſi ſunt, animam ſine ope & ſine medio fluidi cerebri & nervorum omnes motus & ſenſus in corpore efficere poſſe, hoc fundamento maxime innixi: quod tubuli & eorum cavitates in nervis non conſpici poſſint. Sed qualis hujus argumentationis ſit infirmitas, vel ex eo intelligi poteſt: quod teſticuli & hominis & animantium nil niſi congeries ſint minimorum, ſubtiliſſimum ſuccum vehentium & ſecernentium vaſculorum; licet eorum cavitates oculos viſumque plane effugiant. Plantarum folia & flores, & fructus quoque tenuiſſimo ſucco per minutiſſimos canales nutriri, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Qualis vero ſit uſus & cerebri & nervorum, ipſi hujus ſententiæ auctores ignorant. Quum autem in doctrina medica potiſſimum à poſteriori, & per effectus, in rerum & cauſſarum cognitionem pervenire liceat; & quotidiana doceat experientia, à tenuiſſimo fluido, quin à ſolis effluviis & exhalationibus, animales actiones plane interturbari, perverti & ſiſti poſſe, uti patet in ebrioſis, in iis, qui narcotica medicamina majori copia ſumſerunt, vel copioſum carbonum accenſorum fumum inſpiratione hauſerunt, diſſipatis hinc cunctis & animalibus, & vitalibus viribus, quæ tamen ſolo ſæpius analepticorum remediorum uſu, vel naturæ amico & ſuaveolenti odore protinus reſuſcitantur: ecquis igitur negare auſit, fluida ſummæ activitatis & virtutis motricis ad motus & ſenſus præſtandos concurrere debere. Hiſce ſatis ſolidis argumentis aliud majoris fere ponderis ſubjungendum eſſe puto, animam in corpore humano plane nihil poſſe efficere ſine motu vitali: cujus eſſentia & formalis ratio in alterna & reciproca cordis, arteriarum, ac vaſorum & fibrarum ſyſtole & diaſtole, & inde fluidorum ſanguiniſque pendente progreſſu & circuitu conſiſtit. Nunc vero celebris oritur quæſtio: unde hic vitalis motus cauſſam & originem ſuam trahat? Recentiores quidam animam, & quidem rationalem, hanc eſſe, omni modo & labore contendunt. Sed nullo unquam argumento id demonſtrarunt. Verum ego cum aliis ſolertioribus rerum naturalium ſcrutatoribus primam & veram virtutis motricis & ſyſtalticæ activæ vitalis, quæ in fibris, & tunicis muſculoſis, corde, arteriis, canalibuſque viget, cauſſam in parte ſubtiliori expanſiva, elaſtica ſpirituoſa atmoſphærici aëris, cum fluidis corporis noſtri intime permixta, rectiſſime quærendam eſſe duco. Nec hominem, nec ullum animal ſine reſpiratione, ſine aëris in pulmones vel ſanguinem ingreſſu vivere poſſe, nullus amplius dubitandi locus eſt; adeo, ut ſubtracto aëre, vel

vel eo non renovato, vita animantis mox pereat. Atque ſicut flamma candelæ incluſa vaſi aëre pleno mox extinguitur; ita etiam id accidit cum omnis generis animantibus: quoniam uti inteſtinus partium ſulphurearum, quæ flammam conſtituunt, motus eodem modo, inteſtinus partium ſulphurearum ſanguinis, ab aëris fluido ſuſtinetur. Ad flammam itaque pariter ac vitam conſervandam renovato ſemper opus eſt aëre, quo vaporibus qui refertus eſt, expellatur, atque recens & novus in ejus locum ſuccedat. Cauſſam vero reſpirationis, ad vitam neceſſariæ, ſi quis inde repetere velit, quod aëris ingreſſus in thoracem ad expanſionem vaſorum pulmonalium, & conſequenter ad liberiorem ſanguinis ex uno cordis ventriculo in alterum progreſſum, tantummodo ſummæ ſit neceſſitatis; eum valde errare exiſtimo: quia animantium, vel à ſubtracto aëre, vel ab eo vaporibus nimium referto mortuorum pulmones, aperto corpore valde inflati adparent. Ego multos homines, qui ſuffocatione mortui fuerunt, novi, in quibus poſt diſſectionem tota thoracis cavitas pulmonibus inflatis diſtenta fuit. In aëre itaque, catholico illo ſummæ activitatis fluido, elaſtico, vitam ſeu potius ejus pabulum, imo cauſſam quærendam eſſe, non ſine ratione & fundamento, veteres æque ac recentiores Philoſophi affirmarunt. Divus Senex paſſim in ſcriptis ſuis, L. de flat. de morb. ſacr. de diæta &c. aërem ſenſum & motum præſtare membris, & maximum in omnibus, quæ corpori accidunt, auctorem, dominum, & morborum quoque cauſſam eſſe, diſerte & expreſſis verbis aſſeverat: & hanc ob cauſſam etiam in libris ſuis Phyſicis de aëre, aquis, natura humana, de locis in homine &c. à natura regionum, locorum, à diverſa temporum anni & tempeſtatum conſtitutione, prout aëre plus vel minus ſalubri fruuntur, tantas mutationes in corpore humano ratione roboris, ſanitatis, morborum, viriumque derivat, & ut ad hæc attendant, medicos monet ſummopere: quin imo ob eandem cauſſam ſapientiſſimus ille & antiquiſſimus medicorum ad ſanandos longos morbos aëris & locorum mutationem commendat, quod aſſertum ipſa etiam experientia confirmavit. Vero itaque ſimillimum eſt, medicum in doctrina, quæ agit de vita, morbis, eorum cauſſis, iiſque ſanandis, ad cauſſas maxime phyſico-mechanicas, evidentes, & rationi ſenſibuſque obvias, ſine quibus etiam id, quod præeſt noſtræ machinæ, ſpirituale principium nihil agere vel operari poteſt, reſpicere, & inde demonſtrationes & explicationes ſuorum dogmatum mutuari debere: ſiquidem is recte ſuo fungitur munere, qui cauſſis morborum continentibus & proximis recte occurrere, & ſeſe opponere didicit, non ad valde remotas, multo minus obſcuras, abditas, & incomprehenſibiles, quas inter principem anima ſibi vindicat locum, attendendo. Et ut hæc exemplo illuſtremus: omnibus obvium eſt, à graviori quodam animi adfectu, v. g. ira, terrore &c. graviſſimas corpori noſtro induci adflictiones, cujus generis ſunt epilepſia, motuſque convulſivi ſpaſmodici, qui totam naturalem motuum evertunt œconomiam. Nihilo minus in cura, non ad ipſam hancce cauſſam remotam, ſed ad proximam, quæ effectus eſt perturbatæ animæ, ut videlicet motus irregulares & inordinati convenienti diæta & medicina in ordinem redigantur, humorum intemperies corrigatur, & quod vitiatum corruptumque inde fuit, ex ſphæra corporis convenienti modo, & per congruas vias eliminetur, reſpicere oportet rationalem medicum. Hac doctrina, quæ antiquiſſima & Hippocratica eſt, & quæ pure phyſicis mechaniciſque nititur principiis & rationibus, medicinam dogmaticam noſtram & ſyſtematicam tam docendo, quam ſcribendo, uſque eo pertractavimus, & ea etiam in conſcribendo ſicuti univerſo noſtro ſyſtemate, ita quoque hoc tertio Therapeutices Tomo uſi ſumus; in quo potiſſimum de morbis, qui actiones animales lædunt, & convulſivi dicuntur, egimus, eorumque cauſſas & modum, quo functiones ſecundum naturam pervertunt & turbant, clare & perſpicue demonſtravimus. Quos inter morbos principem fere epilepſia tuetur locum, cujus origo & geneſis, & mali ſedes ac cauſſa, ejuſque effectus in corpus uſque eo valde obſcura & perplexa latuit; & quidem ut puto, eam ob cauſſam, quod duræ matris mechanica ſtructura, & uſus ad functiones animales, & quæ fiunt in cerebro, & nervorum ſyſtemate, nec anatomice nec phyſice recte cognita perſpectaque fuit. Quod videlicet illa, ut Vieussens *in Nevrol. L. I. cap. II.* & Pacchionius *tr. de dura matre, & in epiſt. ad Doctorem Veſti*, Venetum medicum, probe annotarunt ex duplici ſerie fibrarum muſculoſo tendinoſarum, obliquo modo ſeſe interſecantium, & decuſſatim ſibi invicem intertextarum compoſita, muſculum ſui generis membranaceum conſtituat; qui dilatatione

tione ſua ſanguinis introitum in arterias cerebri adjuvat, & qui alternativa ſui conſtrictione, cerebrum ejuſque vaſa comprimendo, ſubtiliſſimum fluidum, è ſanguine ſecretum, in corticalem ejus ſubſtantiam, & ab hac in tubulos nervorum medullares exprimit & propellit, adeo, ut dura ſic dicta mater cerebrum & nervos involvens ſit primarium illud motus progreſſivi fluidi, quod in nervis eſt, inſtrumentum; ſicut cor ipſius ſanguinis, dum nimirum motu gaudens ſyſtaltico & diaſtaltico ſanguinem per totum corpus circumagit. In morbis itaque gravioribus capitis, cerebri & nervorum, hanc partem quam maxime præter naturam & quidem, vel à ſanguinis nimia ibidem congeſti mole, ſtagnatione, vel ejus intemperie ſtimulante ſalina, acri, cauſtica affici, certiſſimum eſt; unde illius actio & functio naturalis variis modis, ſive ab intenſione motuum, nimirum ſpaſmo, ſive ab atonia, aut remiſſiori & langueſcente motu læſa, graviſſimos univerſi corporis ſpaſmodicos ac convulſivos parit morbos. Neque ibimus inficias, graves illas animi perturbationes, ut eſt vehemens ira vel terror, immediate & proxime in principem hanc actionum animalium partem, duram nempe matrem, hoſtilem ſuum effectum & potentiam exſerere; unde graves generis nervoſi capitiſque morbi ſuam trahunt originem & ſicut per hos affectus ſyſtole ejus nimis augetur, ſeu ſpaſmus inducitur; ita diuturna animi triſtitia & angor hanc virtutem ſyſtalticam nimium imminuendo, & relaxando fibras, morbis producendis aptiſſima ſunt. Et hoc maxime obtinet in iis morbis cerebri gravioribus, nec non convulſivis, qui univerſam motuum œconomiam perturbant. Aliter ſe res habet in motibus convulſivis certarum partium v. g. cordis palpitatione, ſingultu, vomitu, aſthmate convulſivo, tuſſi &c. ubi ipſæ partes motu ſyſtoles & diaſtoles inſtructæ immediate à cauſſis materialibus præter naturam læduntur & afficiuntur; motus vero voluntarii ſalvi manent ac integri. Horum ſingulorum morborum & ſymptomatum geneſin & rationalem explicationem, ſumma facilitate & perſpicuitate, quantum in nobis fuit, in hoc Tomo perſequuti ſumus, & ſecundum cauſſarum & naturarum differentiam ex indicantibus, & contraindicantibus, genuinum medendi ordinem, ac convenientem remediorum adplicationem cum neceſſariis obſervationibus, & cautelis ſpecialiſſimis adjunximus: & denique clinicis morborum hiſtoriis, candide & ingenue adductis, doctrinam noſtram illuſtrare laboravimus. Quiſque hinc diligens & peritus Lector facile perſpiciet, quanta obſervatione, quanta attentione, quantoque judicio opus ſit, pro circumſtantiarum ratione ſalubre & appoſitum remedium invenire & recte adplicare, ne contra noſtram voluntatem, quod proh! dolor perſæpe evenit, plus noceamus, quam proſimus. Quemadmodum vero in doctrina medica, ita quoque in medendi methodo, antiquiſſimum medicinæ parentem ſequuti ſumus; quæ, ut rem in compendio proferam, in eo conſiſtit, ut cauſſis evidentibus atque proximis, quæ vel numero, ſive quantitate, vel menſura ſive qualitate, vel pondere ſive motu peccant, probe cognitis circumſpectiſque, juxta definitionem ab Hippocrate *L. de Flat.* traditam, ratione quantitatis, temperiei atque motus, quæ ſuperflua ſunt, auferamus, & quæ in his deficiunt, per congrua adjiciamus medicamina. Recte enim dixit gravis ille auctor, medicinam nihil eſſe, niſi adpoſitionem & ablationem, adpoſitionem quidem eorum, quæ deficiunt, ablationem, quæ excedunt; & addidit, illum, qui hoc optime facere poteſt, optimum cenſeri medicum; quantumque quiſpiam in eo deficiat, tantum ab ipſa arte deficere. Sicut igitur ſanitatem, ſive integritatem ac vigorem actionum humanarum, in eo potiſſimum ſitam eſſe obſervamus, ut novo ſemper aëre, noviſque reficiamur alimentis, atque ut excreta ingeſtis nunquam non reſpondeant: ita è contrario ab ingeſtis vitioſis, & eorum, quæ excerni debebant, retentione, materiales morborum cauſſas progigni tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quoties enim cunque ſagax medicus primam morborum originem inveſtigare geſtit; nullum eorum, niſi à retentis per alvum, per urinam, per tranſpirationem ſordibus excrementitiis, & ſuppreſſis inutilium atque ſuperfluorum, quin etiam ſanguinis excretionibus v. g. per vaſa uterina, hæmorrhoidalia, & in juvenili ætate per nares, aut ſordibus, quæ per cutim efflorueru nt, improvide repreſſis, oriri animadvertet. Præcipuum itaque ſicut naturæ, optimæ morborum medicatricis, ita & ſequacis artis opus eſt, ut debito modo, ordine, tempore, congruoque loco excrementitiæ morboſæque materiæ è corporis ſphæra per convenientes removeantur medicinas: cujus generis ſunt ſanguinis detractio per venas & cucurbitulas, aliarumque ſordium evacuatio per alvum, per vomitum, per urinas, per ſudorem, & tranſpirationem, per abſtinentiam,

per motum, per veſicatoria, fonticulos, ſetacea, & id genus plura: de quibus, eorumque uſu, antiquiſſimi medicorum, & in iis Hippocrates atque Celsus *Lib. II.* fuſius egerunt. Ad hanc ſalutarem materiæ pernicioſæ excretionem juvandam, permultum profecto ſic dicta alterantia, quæ mobilem & ad evacuationem opportunam reddunt materiam, viaſque ſimul reſpiciunt, & has obſtructas reſerant, contribuere deprehenduntur. Et cum motus denique ſolidarum pariter ac fluidarum partium, qui formale morborum conſtituunt, vel nimis aucti, vel nimium depreſſi ſunt, eoque ipſo curationis ſucceſſum mirum quantum ſæpius remorantur: præbuit quoque ea benigniſſimum Numen nobis remedia, quæ non modo vires motuſque languentes erigendi ac reſuſcitandi, verum etiam excedentes placide conſopiendi, reprimendique egregia pollent efficacia. Hac itaque ſimplici, facillima, antiquiſſima, naturali, & humanæ rationi ac experientiæ convenientiſſima phyſico-mechanica methodo, nos uſque eo, ut in omnibus morbis, ita quoque atrocibus illis & terribilibus generis nervoſi, de quibus præſens agit tomus, affectibus ſanandis, non ſine proſpero ſub divina gratia ſucceſſu uſos fuiſſe, attentus, ab omnibus præjudiciis vacuus, & qui veritatem ſine ambitione ſectatur, lector perſpiciet clariſſime. Vale, Lector benevole hiſque feliciter fruere; ſi Deus ſuppeditabit vitam, vireſque; hunc Tomum mox ſequetur quartus & ultimus.

# CONSPECTUS

## CAPITUM,

Quæ hoc Tomo continentur.

SECT. I. CAP. I. *De Epilepſia.*
II. *Motibus convulſivis.*
III. *Motibus ſpaſmodicis vagis.*
IV. *Catalepſi.*
V. *Malo Hyſterico.*
VI. *Malo Hypochondriaco.*
SECT. II. CAP. I. *Palpitatione cordis.*
II. *Aſthmate convulſivo.*
III. *Tuſſi rheumatico-convulſiva.*
IV. *Singultu.*
V. *Spaſmodicis œſophagi morbis.*
VI. *Vomitu.*
VII. *Dyſenteria.*
VIII. *Cholera & diarrhœa snbilioſa.*
IX. *Abortu.*

CAPUT I.

# CAPUT PRIMUM.

## De Epilepſia.

§. I.

*Ratio denominationis variæ epilepſiæ.* INTER tot calamitates & afflictiones, quibus genus humanum poſt triſtem & miſerum lapſum ſubinde infeſtatur, nulla mihi ferocior, nulla triſtior, nulla terribilior videtur, quam univerſalis illa externarum partium præter voluntatem concuſſio, & vehemens agitatio, cum ſenſuum tam internorum, quam externorum interceptione ſtipata, quam vocant epilepſiam. Non enim ſolum ſub hoc diro malo corpus variis, iiſque indignis plane deformatur modis; ſed etiam ipſa mens ac animus è ſede ſua quaſi dimovetur. Hic quoque horribilis ægrotantium aſpectus, & inſignis ſymptomatum vehementia cauſſam quærentibus offert, cur veteres hunc morbum κατ' ἐξοχὴν dixerint magnum, Herculeum, Divinum atque ſacrum. Dicitur enim magnus atque Herculeus ob ſuam vehementiam, & quoniam vix ſuperari arte humana poteſt; Divinus, quaſi à Diis in vindictam miſſus, & opem humanam eludens; & denique ſacer, quod ſacram corporis partem, mentiſque, quæ ſanctiſſima eſt, ſedem occupat.

§. II.

*Definitio epilepſiæ.* Sed ne in nominibus ſubſiſtamus, aggrediamur rem, & epilepſiam deſcribimus, quod ſit invita, præternaturalis ac ſumme violenta partium nerveo-membranoſarum, hinc muſculoſarum & totius corporis concuſſio convulſiva, cum ſenſuum abolitione ſtipata, à membranarum cerebrum, ſpinalem medullam, ac nervos cingentium ſpaſmodica ſtrictura, & hinc fluidi mobiliſſimi impetuoſiori in organa motoria, parciori in ſenſoria influxu, natales ſuos mutuans.

§. III.

*Morbi hiſtoria.* Progreſſus hujus morbi una cum ſymptomatibus ita ſe habet: interdum ſubito & præter omnium opinionem invadere ſolet; unde Græcis epilepſia dicitur; ſæpius vero illius acceſſionem præcedunt, atque ſignificant quædam ſymptomata. Horum potiſſima ſunt: totius corporis laſſitudo, capitis gravativus dolor cum quadam ſenſuum perturbatione, inquietus ſomnus, inſolitus pavor, viſus obtenebratio, aurium tinnitus: in quibuſdam cor incipit valde palpitare, præcordia inflantur, reſpiratio intercipitur, murmura ſentiuntur in ventre, alvus emittit fœtida; urina mingitur larga, artus refrigeſcunt: in quibuſdam à partibus extremis auræ frigidæ aſcenſus ad ſuperiora verſus cor & cerebrum percipitur. Tum quidam ſubito in terram concidunt (unde morbus caduci etiam nomine venit) pollices arctiſſime intra volas manuum includuntur, ut vix magna vi extrahi poſſint, oculi contorquentur, invertuntur, ut non niſi album conſpiciatur, perit omnis ſenſatio, ut nullo clamore, nullo odore, utut fortiori, nullo tactu acutiori excitari poſſint; ſpuma cum ſibilo ex ore provenit, lingua dentibus laceratur, artus vehementer tremunt, & ſuccutiuntur. Variantur vero & convulſiones, & ſenſuum læſiones tam gradu, quam ſpecie: nam interdum loco motuum convulſivorum ſpaſmus valde rigidus membra corporis totius prehendit, ut hæc diſtenta nec per vim explicare liceat, ac totum corpus ſubinde tam rigidum ſit, haud ſecus, ac ſi ligneam ſtatuam quis movere velit. Erigitur quoque penis in infantibus; in adoleſcentibus ſemen ejicitur, & ſæpius urina ad magnam diſtantiam prorumpit. Tandem horum ſymptomatum ſequitur remiſſio; ut longiori vel breviori intervallo ad ſe redeant; tum vero adhuc de dolore, torpore & gravedine capitis, omniumque artuum laſſitudine conquerantur. Qui ulteriorem ſymptomatum recenſionem cognoſcere cupit; adeat inter veteres COELIUM AURELIANUM *lib. I. Cap. IV.* & ARETÆUM *lib. I. Cap. V.*

§. IV.

Ipſi hujus mali paroxyſmi, qui pro cauſſarum ac corporum diverſitate vel crebriores aut rariores, vel longiores aut breviores ſunt, plerumque certa temporis periodo, certis diebus aut horis, vel etiam menſibus, circa lunæ mutationes & quadras, præſertim novilunium & plenilunium, maxime in ſequiori ſexu circa menſium tempus revertuntur; & quod maximum eſt, à levi ſæpe cauſſa & occaſione, e. g. à quavis ſubita animi perturbatione, terrore, iracundia, repentina lætitia, a ſeria animi contentione & meditatione, à potu inebriante, à nimio calore vel frigore, vel veneris exercitio, protinus recrudeſcunt. *Paroxyſmorum ratio.*

§. V.

Neque vero ignorari oportet, nullam eſſe ætatem, in quam frequentius epilepticum malum tyrannidem ſuam exerceat, quam infantilem, adeo, ut à nonnullis eandem ob rationem vocetur *Subjecta epilepſiæ.*

tur

tur morbus infantilis ac puerilis. Hinc crebrior atteſtatur experientia, maximum numerum, & dimidiam ferme infantum partem ſingulis annis in quavis urbe convulſionibus vel à dentitione difficili, vel à gravibus inteſtinorum torminibus, quæ meconium retentum aut lac corruptum produxerunt, ſubortis interire. Et omnes ferme infantum morbos, ſive fuerint chronici, ſive acuti, præſertim vermibus complicatos, plerumque cum epilepticis ac convulſivis ſtipari motibus, in propatulo eſt; ſicuti vel ſolo morbillorum aut variolarum exemplo luculenter patet. Præterea nec fugiet eos, qui in frequenti artis verſantur exercitio, feralem huncce morbum ſubjectis ſpongioſioris, mollioris ac ſucculentioris corporis habitus, texturæque tenerioris, & tam animi quam corporis ratione ſenſibilioris longe eſſe frequentiorem, quam iis, quæ robuſtiorem obtinent naturam. Teſtantur id ruſticorum liberi, qui ſub variolarum excluſione, a lacte per cibos animique pathemata corrupto, & ſub dentium eruptione non tam facile epilepſia corripiuntur, quam infantes ſenſibiliores, teneriores, in urbibus delicatius enutriti.

## §. VI.

*Quæ ſæpius eſt hæreditaria.*

Neque eſt ullus morbus magis gentilitius, & qui tam facile à parentibus in liberos devolvitur, quam epilepſia: cujus fundamentum in partium nervoſarum & membranacearum textura nimis ſenſibili & ad motus anomalos ſuſcipiendos admodum apta, hæreditario jure ad infantes propagata collocandum eſt. Neque porro minus ii, qui caput à natura vel errore in diæta commiſſo à primis annis valde debile & imbecille habent, atque coryza, oculorum ac aurium defluxionibus, glandularum colli tumoribus, achoribus & capitis tinea crebrius divexantur, vel in puerili ætate frequentes patiuntur narium hæmorrhagias, præ aliis inſignem ad epilepticas paſſiones obtinent proclivitatem.

## §. VII.

*Auctorum opiniones de cauſſa epilepſiæ.*

His prælibatis, ad cauſſam atque ſedem mali epileptici transgrediendum eſt. Hanc in cerebri læſione ſitam eſſe, nemo eſt, qui in dubium vocabit: in quo vero conſiſtat hæc læſio, & quomodo producatur, id hactenus minus diſtincte explicitum deprehendi. Quibus religionis ſemper placuit prætextus, illi τὸ θεῖον appellare haud verentur, quaſi ſatis eſſet in Deum rejicere, quæ intellectui claro ac diſtincto, vulgatiſque principiis haud adeo reſpondent: alii vero ad venenum inebrians, & narcoticum ſive ſtupefactivum; alii ad fermentum ſpecificum; alii ad materiam acrem nervos irritantem; alii ad violentam ſpirituum animalium vim exploſivam in fibris muſcularibus & nerveis exiſtentem confugiunt: quidam in furorem archei; alii in turbulentum & confuſum principii vitalis ſeu animæ rationalis motum cauſſam rejiciunt. Sed hi medici fere ſunt, qui non res, ſed nomina pro cauſſis habere ſueverunt, quorum in adplicatione & demonſtratione nullus omnino eſt uſus. Qui vero cauſſas ſenſibus manifeſtas præ commentitiis allegare amant; illi CAROLI PISONIS doctrinam ſequentes, colluviem ſeri vitioſi poros cerebri vel obſtruentem, vel æqualem fluidi nervei in partes influxum remorantem pro vera epilepſiæ agnoſcunt cauſſa.

## §. VIII.

*Vera mali epileptici cauſſa.*

Nos vero ex phyſico-mechanicis cauſſis graviſſimum hunc capitis affectum à fluidorum motu atque circulo per vaſa cerebri minus recte ſe habente derivamus. Quemadmodum enim, ſi ſanguinis temperati per cerebri vaſa liber & æquabilis progreſſus fuerit, & hinc debita lymphæ ſpirituoſæ ſecretio, & per nervos diſtributio, omnes utique functiones, quæ animæ imperio ſubjectæ, & animales vocantur, recto ſuccedunt ordine: ita è contrario in omni, eoque gravi capitis morbo, ubi ſenſationum & motuum voluntariorum ingens obſervatur læſio, ſicuti quam maxime fit in malo epileptico, ſanguinem per caput haud expedite progredi, rectiſſime colligitur. Atque hoc eſt, quod jam olim antiquiſſimus artis noſtræ auctor HIPPOCRATES notavit, dum *libro de flatibus* §. 21. ita ſcribit: *Sacer morbus fit, cum obſtructiones multis modis circa venas contingunt, & ſanguinis motus prohibetur, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius: qua ſane inæqualitate tranſitus ſanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates per omne contingunt corpus.* Quæ ſane graviſſimi ſenis ſententia ita eſt comparata, ut noſtro tempore, detecto ſanguinis circulo, tanquam ſcientifico totius medicinæ principio, ex eo non aptius epilepticus morbus, quoad ortum & cauſſam evolvi & explicari poſſit.

## §. IX.

*De circulo humorum per caput.*

Quum vero circulus humorum per caput atque cerebrum peculiarem præ reliquis partibus obtineat indolem: haud alienum erit, pauca de illo commemorare, ut ipſi innixa epilepſiæ ætiologia eo melius innoteſcat. Primum enim haud ignorari oportet, quod arteriæ, quando caput ingrediuntur, tunicam ſuam robuſtiorem deponant; & membrana duntaxat tenui, ſenſu & motu carente dotatæ, in intimam corticalem cerebri & cerebelli ſubſtantiam diſtribuantur, ut ſcilicet ſpirituoſam lympham ad motum edendum aptam & neceſſariam, quæ ad nervos & membranas nervoſas defertur, ſeparent; ſanguis vero relictus per ſinus venoſos in dura matre, mediantibus venis jugularibus, ad cor ceu motus circularis fontem revehatur. Deinde vero, notatu digna eſt ſingularis plane duræ ſic dictæ matris ſtructura; quæ ex peculiari fibrarum nervearum & muſcularium apparatu compoſita eſt: quarum hæ tam linea recta quam obliqua feruntur, & circa ſinus duos laterales magis arcuatæ & circulares deprehenduntur; illæ vero-nerveo carneæ inſtar columnarum ab uno pariete in tribus ſinubus majoribus diſſectis ad alterum abeunt, ubi cellulæ quoque ovales ſecundum venarum ſeriem, quæ illos ingrediuntur, diſpoſitæ conſpiciuntur: quæ fibræ non modo impediunt, quo minus ab irruente ſanguine ſinus plus juſto dilatentur; ſed & id efficiunt, ut, cum ſucceſſive ſeſe contrahant, ſanguinis progreſſus ad venas jugulares & cor promtior fiat, & expeditior. Columnarum autem officium eſt, ut ſanguis rediens paullo craſſior, & ſubtili lympha deſtitutus melius conquaſſetur: & cellulæ denique ſunt inſtar valvularum, quæ impediunt, quo minus elapſus cruor regredi, atque eadem vaſa rurſus intrare poſſit. Hæc plane peculiaris & artificioſiſſima ſinuum venoſorum fabrica clare ſatis demonſtrat, hos ipſos ad promovendum ſanguinis verſus cor circu-

circulum, eodem ferme ſyſtoles ac diaſtoles motu, haud ſecus ac arterias vel cordis auriculas omnino gaudere.

§. X.

*Dura mater gaudet motu ſyſtaltico ac diaſtaltico.*

Præter hunc ſingularem ſinuum venoſorum motum; inſignis quoque duræ matri motus tonicus, ſeu potius elaſticus adſcribendus eſt; qui in omnibus reliquis corporis noſtri nerveo-muſcularibus tunicis & membranis, quæ influxu liquidi nervei & arterioſi animantur, viget. Hujus etenim membranæ, quæ non ſolum cerebrum atque cerebellum, verum etiam medullam ſpinalem, & omnes machinæ noſtræ nervos tegit, ambit & cingit, motus dilatatorius & conſtrictorius haud tantum ad ſanguinis per caput circuitum, ſed quoque meliorem fluidi ſpirituoſi, in nervis undulantis ſecretionem promovendam, egregium ſane confert momentum. Nam quandocunque pulſu arteriarum cerebri hæc membrana elaſtica elevatur & expanditur; tubuli nervorum ad recipiendum ſubtilius fluidum magis redduntur idonei: quando vero poſt expanſionem, dum proprio ſuo elatere, qui per appulſum ſanguinis arterioſi, ex tribus inſignibus ramis, carotide nimirum interna, externa, atque vertebrali advecti non minus, ac influxu fluidi nervoſi adaugetur, rurſus ſeſe conſtringit, corticem cerebri quodammodo comprimit; tum fluidum tenuiſſimum ex eo in ſubſtantiam medullarem, & nervorum principia eo melius propellitur. Hi ergo tam duræ matris, quam ſinuum ejus majorum motus, ſyſtaltici & diaſtaltici reciproci, ubi ſunt æquales & convenienti fiunt modo, recte ſe habet circulus ſanguinis per caput, atque ab eo dependentes functiones optime peraguntur: cum contra ab hiſce motibus læſis graves capitis morbi propullulent. Quæ omnia apud BAGLIVUM, qui primus ſolidorum naturam & motum in pathologia introduxit, *Lib. I. de fibra motrice pag.* 295. fuſius declarantur.

§. XI.

*Cauſſa proxima mali epileptici.*

Quodſi ergo ſanguis craſſus vel etiam copioſus intra duræ matris ſinus ſtagnaverit; motus illius ſyſtalticus, & ab eo pendens regreſſus ad cor facile impeditur; & hinc major, quam par eſt, ſanguinis per arterias advecti copia ibidem congeritur, ut nunc non amplius ſubtiliſſimæ æthereæ particulæ, ſed rudiores, aqueæ & aëreo-elaſticæ magis expanſivæ indolis, ſenſus & motus omnino turbantes, in cerebri ac nervorum tubulos tranſeant. Ab hoc autem porro ſanguine in ſinubus duræ matris & venis jugularibus ſtagnante, vaſa nimium dilatantur, hinc nervoſæ fibræ comprimuntur, & inde ſtrictura ſpaſtica nervoſæ huic membranæ infertur, quæ proxima ac principalis mali epileptici cauſſa eſt. Nam hæc ipſa ejus eſt indolis, ut tenuiſſima piæ matris arterioſa vaſcula, & corticalem cerebri ſubſtantiam nimis comprimat: unde præter voluntatis imperium fluidum illud ſubtiliſſimum copioſius & majori impetu in cerebrum & nervorum tubulos influit. Quoniam autem dura mater, omnium fere Anatomicorum conſenſu, radix & principium eſt omnium membranarum: aliter fieri nequit, quin arctum cum ipſis foveat conſenſum, qui in mutua inordinatarum motionum communicatione conſiſtit. Quum autem ex hoc auctiore duræ matris ſpaſmo, nervi potiſſimum, qui ad ſenſoria abeunt, fortiter conſtringantur, ut omnis fere liquidi tenuiſſimi influxus intercipiatur: fit inde, ut in perfecta ac completa epilepſia omnes tam interni, quam externi ſenſus ceſſent. Contra vero, ad organa motoria major atque vehementior fluidi hujus mobiliſſimi fit impulſio atque influxus: & hinc terribilis illa artuum & muſculorum diſtenſio, contractio, ſuccuſſio & agitatio erit deducenda.

*Ratio ſymptomatum epilepticorum.*

Præterea certo conſtat, par nervorum octavum, quod & vagum dicunt, ex cerebro ad præcipua interna viſcera, parteſque nerveas, ad motum & ſenſum præſtandum aptas, ramos ſuos diſpergere: in quos dum fluidum nerveum majori niſu ac vehementiori impetu influit; partes quoque iſtæ ſub paroxyſmo in motuum præternaturalium ac violentorum conſenſum rapiuntur: hinc cor incipit palpitare, arteriæ celeri & inæquali cientur motu; reſpiratio fit ſuſpirioſa cum ſibilo, ſalivæ fluunt ex ore, vox perit, murmuraque & borborygmi in inteſtinis ſentiuntur.

§. XII.

*Differentia epilepſiæ idiopathicæ & ſymptomaticæ.*

Ex his adparebit, in omni epilepſia præſto eſſe membranæ cerebrum, medullam ſpinalem, ac nervos inveſtientis ſtricturam, ceu cauſſam illius proximam. Prout vero cauſſæ remotiores, quæ hanc ſtricturam inducunt, ac circulum humorum per cerebrum & caput inæqualem reddunt, admodum ſunt variæ: ita quoque diverſæ ſpecies ac denominationes motuum epilepticorum exſurgunt. Hinc innoteſcit differentia epilepſiæ in idiopathicam & ſymptomaticam: quando enim cauſſæ intra ipſum cerebrum exiſtunt, nec alіorſum proveniunt, dum dicitur idiopathica epilepſia; contra cujus cauſſæ ex aliarum partium vitio demum ad caput transferuntur, ea audit ſymptomatica.

§. XIII.

*Epilepſia idiopathica à violentia externa.*

Idiopathica naſcitur ſæpius ab externa violentia. Res enim apud medicos æque ac chirurgos notiſſima eſt, quod a gravioribus capitis & cranii per vulnerationem, fracturam, percuſſionem, depreſſionem, inductis læſionibus, frequentius graves, quin nonnunquam lethales proveniant epilepſiæ. Præcedunt tum plerumque capitis dolor, atque ſenſuum torpor: & poſt mortem vel ſanguis, vel ſerum corruptum ſtagnans inter duram & piam matrem, vel inter cranium & duram matrem, vel feſtucæ duræ matri inflictæ inveniuntur.

*Chronica idiopathica.*

Sæpius etiam fit, ut epilepſia chronica certa temporis periodo recurrens, à ſpinis acutis oſſeis interne in baſi cranii, interdum etiam in ſinu falciformi vel lateralibus enatis, quæ curari nequit, excitetur: interea tamen ars impedire poteſt, ne ex nimio motu ſanguinis, cerebrum ita diſponatur, ut preſſio ejus contra ſpinam ſit tam magna, ut inde oriatur inſultus epilepticus.

§. XIV.

*Ab obſtructionibus vaſorum, ac polypis.*

Ad cauſſas epilepſiæ idiopathicæ atque lethalis referri quoque meretur obſtructio venarum jugularium, vel etiam ſinuum duræ matris, præſertim falciformis, à ſanguine viſcido, aut polypoſis concrementis enata. Ejuſmodi tria mihi innotuerunt exempla, & plura apud BONETUM *in ſepulchreto anatomico* paſſim occurrunt. Huc etiam ſpectat obſervatio à SPONIO *in aphor. Lib. II. aph.* 19. allegata, qua quidam primum ſomnolentus, poſt epilepticus factus,

& hinc mortuus; aperto cranio monſtravit in variis venarum jugularium ramis obſtructiones à muco viſcido & tartareo tantas, ut gypſo infarcti viderentur; & præterea cruor in ventriculos cerebri fuit extravaſatus. Non minus, ſi capitis morbis vel acutis, ut phrenitidi, vel chronicis, veluti maniæ & melancholiæ jungitur epilepſia, tales vaſorum infarctus à ſanguine ſubſiſtente craſſo poſt mortem reperiuntur: qualis epilepſia, mea quidem ſententia, rectius refertur ad idiopathicam.

## §. XV.

*Ab animi affectibus.*

Porro inter cauſſas idiopathicæ epilepſiæ, animi affectus, maxime ira atque terror, haud ultimum ſibi vindicant locum. Hi enim proxime & immediate in nervoſas corporis partes & membranas, eas vel fortius conſtringendo, vel plus juſto dilatando agunt; & in univerſa machina vitalem motuum œconomiam invertunt. Sed id ſane mirabile eſt, quod à gravi animi affectu vitium in fluidas etiam tranſeat partes: quod nutrices ſuo atteſtantur exemplo, quæ ira vel terrore graviter commotæ, ſi ſtatim ubera præbuerint infantibus; hi ſæpius haud ita multo poſt epilepſia corripi obſervantur. Quin imo haud rarum eſt, quod infantes, ſi matres gravidæ ſævioribus indulſerint animi commotionibus, primis ætatis annis facillime fiant epileptici. Porro complures hinc inde apud auctores conſignatæ reperiuntur obſervationes, quoſdam ex ſolo aſpectu epilepticorum, qui graves paſſi fuerunt inſultus, tanto correptos fuiſſe terrore, ut mox in eundem inciderint morbum. Vehemens quoque rei venereæ deſiderium à ſemine copioſo obortum, ob caſtitatem tamen ſuppreſſum, gravem hunc epilepticum affectum provocandi potentiam habere, plurimis notatu dignis confirmari poteſt exemplis. Fœminas pariter, alias caſtiſſimas ab inſano amore in hoc malum incidiſſe, cujus optimum tam præſervatorium, quam curativum remedium conjugium fuit, res identidem per obſervationes certa atque confirmata eſt.

## §. XVI.

*Epilepſia ſymptomatica, ſeroſa, hypochondriaca atque cachectica.*

Sæpiſſime ortus mali epileptici eſt ſanguinis ſeroſi impurioris nimia & impetuoſa translatio ad caput in corporibus cachecticis, hypochondriacis, & ubi ventriculus & inteſtina ſpaſmis ac flatibus ſunt repleta, eorumque periſtalſis naturalis cum debitis ſe-& excretionibus valde læſa ac perverſa eſt. Quando enim cunque in antecedentes & epilepticæ, & aliarum cerebri graviorum ac inveteratarum paſſionum cauſſas inquirimus: plerumque ejuſmodi ægrotantes vel hypochondriacos, & hæmorrhoidarios vel melancholicos, vel cachecticos fuiſſe deprehendimus. Tum utplurimum ſanguineas excretiones, quæ in viris per hæmorrhoides, in fœminis per menſes fiunt, aut parciores, aut nimias huic diro malo viam ſtraviſſe, innumeræ auctorum obſervationes, & quotidiana experientia atteſtantur. Qualis epilepſia recte vocatur ſymptomatica, ſeroſa, hypochondriaca vel cachectica; quæ certis plerumque periodis, ſicuti ceterorum ex ſpaſmis primarum viarum oriundorum morborum mos fert, adoritur.

## §. XVII.

*Species epilepſiæ ſymptomaticæ.*

Ejuſmodi ſymptomatica vero epilepſia non tantum a ſanguine vel ſero tenaci, copioſo, in vaſis ſubſiſtente, ea obſtruente, & totum liquidorum circulum turbante oritur; ſed etiam à materia impura, acri, cauſtica ad duram matrem per ſanguinem arteriarum ſeroſum delata, fibras nerveas lancinante, & ad ſpaſmos proritante producitur. Hoc contingit in chronicis æque ac acutis ægritudinibus. Quem enim fugit, quod tale acre ac corruptum ſerum in febribus exanthematicis, petechialibus, variolis, morbillis, purpura, vel ante macularum ad cutim propulſionem, vel poſt earum retroceſſionem, firmius duræ meningi impactum, dirum illud, & in fine morbi funeſtum plerumque excitet malum epilepticum. Et idem denique fieri à conſolidatis antiquis ulceribus, retropulſa ſcabie, vel alia cutis defœdatione, achoribus & tinea capitis perperam curatis, intus nimirum acta vitioſa materia, innumeris exemplis confirmatum eſt.

## §. XVIII.

*Epilepſia ſympathica.*

Datur adhuc quædam epilepſiæ ſpecies, quæ vocatur ſympathica, & vehementioribus aliarum partium nervoſarum doloribus atque ſpaſmis, per conſenſum ad duram uſque matrem propagatis ſupervenit. Quid enim crebrius contingit, quam ut infantes ex dentitione difficili in epilepſiam incidant? quid frequentius, quam ut in perſonis ſenſibilioribus graviori odontalgiæ, aut atrociori otalgiæ superveniat epilepſia? ventriculi etiam ſævioribus ſpaſmis, præſertim, qui à venenis cauſticis, emeticis vel purgantibus improvide ſumtis, aut immoderatiori ira proficiſcuntur, tandem epilepſiam ut plurimum funeſtam ſubjungi notiſſimum eſt. Talis enim chronicæ ac periodicæ epilepſiæ ortus ſæpiſſime eſt in ventriculo, vel etiam inteſtino duodeno: in quibus partibus dum humor bilioſus, & ſalivalis peregrina fermentatione corruptus hoſpitatur; ille certa temporis periodo in motum actus, primum cardialgiam ſyncopticam, & demum ipſam epilepſiam, quæ tum plerumque habitualis eſt, per conſenſum excitat. *Epilepſia habitualis.* Neque minus gravioribus inteſtini ilei vel coli doloribus atque ſpaſmis aſſociari motus epilepticos, vel infantum lactentium exemplo patet; qui ejuſmodi atrox malum ex lacte acido, corrupto, inteſtinorum membranas arrodente, & fæces alvinas viridi afficiente colore ſæpenumero experiuntur. Porro haud exigua ſunt exempla, ubi à gravi dolore ex calculo in ureteribus, vel introitu in veſicam hærente, epilepſia in ætate etiam provectiori excitatur; quæ hinc vocari meretur nephritica. *Nephritica.* Non minus in puerperis ex vitio uteri, aut menſium vel lochiorum retentione, vehementes primum partium vicinarum ac inteſtinorum ſpaſmi, tum ipſa epilepſia accedere obſervatur; quæ hinc audit hyſterica. *Hyſterica.* Et nihil ferme eſt frequentius, quam quod ex lumbricis, tunicas inteſtinorum nerveas vel arrodentibus, vel dum mortui ſunt, vaporoſa ſua putrilagine vellicantibus, in pueris præſertim horrendis motibus complicata ſuboriatur epilepſia, verminoſæ nomine digna. *Verminoſa.* Talem denique ex morſu canis rabidi quoque concitari, plurimæ docent medicorum obſervationes.

## §. XIX.

*Cauſſæ epilepſiæ remotiores.*

Quod tandem cauſſas mali epileptici remotiores attinet; illæ erunt fere, quæ inſignem debilitatem & atoniam fibris membranaceis & nervoſis

voſis ingenerant, & tonum ac elaterem vaſorum labefactant. Quamvis enim epilepſiæ cauſſa proxima ac formalis in ſpaſmo magis, quam atonia conſiſtit; attamen quia leges motuum, qui fiunt in machina noſtra, ita ſunt comparatæ, ut nimiam fibrarum elaſticarum conſtrictionem & ſpaſmum, demum nimia atonia, & hanc humorum congeſtio ſequatur, congeſtionem vero ſpaſmus iterum excipiat: non mirum eſt, quod cauſſæ tonum & robur partium infringentes, ad ſpaſmodicas ſtricturas & acceſſionum frequentiores recurſus omnino contribuant. Ad haſce vero cauſſas ex claſſe rerum non naturalium pertinet, vappidi & præſertim noxioſiſſimo carbonum fumo repleti aëris uſus, aut ſi quis in locis declivioribus, humilioribus, minus tranſpirabilibus dormiat: inter cibos, qui inflant, caputque vaporibus replent, ut ſunt allii, ceparum, apii ſpecies, fructus horæi, item dulcia fermenteſcibilia: inter potulenta, immoderatior vini, præſertim vaporoſi & fumo ſulphuris infecti, aut cereviſiarum craſſiorum valde lupulatarum potatio, & inde orta frequens crapula & ebrietas; ex medicaminum autem penu, narcotica, opiata, item valde odorifera, generationi horum morborum mire velificantur. Huc etiam pertinent immoderatiores ſanguinis effuſiones, ſive per nares, ſive per venas uteri aut ſedis, quæ mire debilitant, & robur partibus ſubtrahunt, atque adeo corpus multis excrementitiis ſeroſis replent particulis. Ceterum immoderatior & intempeſtivus, primis in annis celebratæ veneris uſus, diuturnior quoque triſtitia, intemperantia in ſtudiis, ſeriiſque mentem fatigantibus cogitationibus, ob ſummam debilitatem, quam generi nervoſo inferunt, ad hoc malum mirifice diſponunt. Vidi juvenem, qui quoties attentius litterarum ſtudiis incumbendo, memoriam & ingenium fatigabat, toties momentanea quaſi epilepſia, cordis palpitatione, ſpirituum diſtractione ac ecſtaſi corripiebatur. Ad ſtudiorum vero remiſſionem placide ſemper ſe habebat.

§. XX.

*Prognoſis ſalutaris.* Miſſa vero ulteriori cauſſarum diſquiſitione; paucis proſequemur mali epileptici prognoſin. Et hinc per antiquiſſimam, & ipſius HIPPOCRATIS *Sect. III. aph.* 28. experientiam cognitum eſt, quod pueris hic morbus ſolvatur circa annum ſeptimum, decimum quartum aut ſeptimum, annos nimirum pubertatis; fœminis autem circa tempus menſtruæ eruptionis, quod eſt annus decimus quartus: quibus annis ingens in œconomia vitali deprehenditur mutatio. Non minus epilepſias chronicas non modo mutatione ætatis, ſed & locorum, diætæ & vitæ generis, ſine remediorum ac medicorum ope ſponte ſanatas fuiſſe, crebris conſtat obſervationibus. Perite ſcripſit HIPPOCRATES *Sect. II. Aphor.* 45. juvenibus comitialium liberationem, mutationes maxime ætatis & regionum & victuum inferre. Huc etiam ſpectat, quod ſuperveniente quartana febre ſicut aliæ graves paſſiones, ita etiam convulſivæ ac epilepticæ penitus tollantur; rectiſſime id obſervante HIPPOCRATE *Sect. IV. aph.* 70. *item lib. VI. epid.* §. 16. Intermittentes enim quando rite tractantur, corpus à colluvie vitioſorum humorum liberant & expurgant, & purius ac ſiccius efficiunt. Id quod etiam congrua medicamenta præſtare debent. Neque etiam ignotum eſt, prodeunte in extimam cutim ſcabie, vel exulceratione; vel aliis exanthematibus, veluti in variolis, morbillis, purpura ad ſummam cutim propulſis, hoc dirum ſymptoma remittere, vel plane ceſſare. Spes ergo ſanationis haud penitus eſt abjicienda, quando malum hoc non diu duravit, & ejus inſultus haud adeo longi ſunt; ipſum malum haud eſt hæreditarium, ætas potius puerilis; aut ſi ex vitio primarum viarum, vermibus, malo regimine, vel perperam curato ſubcutaneo morbo provenerit. Neque deſperandum eſt, ſi levior eſt epilepſiæ gradus, & æger imminentem acceſſionem præſentit per ſenſum auræ frigidæ, ex partibus extremis ad dorſum, præcordia, caput aſcendentis, quem anxietas, virium defectus & ſtomachi ad vomitum propenſio præcedunt: aut quando ſub paroxyſmo ſenſus non penitus aboliti, ſed ſaltem imminuti fuerunt; aut denique malum noctu invadit ſine pollicum incurvatione.



§. XXI.

*Signa prognoſtica mala & funeſta.* Contra vero per experientiam liquidum eſt, epilepſiam hæreditariam, licet optimis tractetur remediis, curatu eſſe difficillimam; nec leve ſanationis impedimentum deprehenditur in habituali atque chronica, quæ per multos annos duravit, ac crebrioribus, longioribuſque acceſſionibus corpus enervat; atque conformationem vaſorum & membranarum cerebri quaſi permutavit. Minus quoque auſpicati eventus ac ſanationis eſt ea, quæ non circa annos pubertatis, vel in fœminis ingruente menſium fluxu ſolvitur; ut &, quæ demum poſt hos annos, imo poſt vigeſimum primum accedit: tunc enim plerumque hæreditarium latet vitium, recte id advertente HIPPOCRATE *de morbo ſacro*, qui §. 13. ita ſcribit: *Poſtquam* 21. *anni præterierunt, non amplius ſacer morbus corripit, præterquam paucos aut nullum, niſi à puero connutritus fuerit.* Peſſimum porro ſignum eſt, quando acceſſiones magis frequentant, quam ſolebant: ſic enim functiones animales ſæpe deſtruuntur, ut non tantum memoriæ, ingenii, ac judicii imminutio, ſed & ſtupor & ſtultitia emergat. Epilepſiam autem in cœcitatem, ſtultitiam, ac memoriæ amiſſionem terminari, malum; eandem in paralyſin, aut plane apoplexiam tranſire, mortiferum eſt. Omnis enim epilepſia definit tandem in apoplexiam lethalem; & in defunctis iis morbis vel ſanguis, vel, quod frequentius evenit, ſerum in ventriculis aut baſi cerebri extravaſatum ac corruptum, teſte experientia, deprehenditur; quod falſo pro cauſſa epilepſiæ venditatur. Porro minor ſalutis ſpes eſt, quando in ſtatu febrium acutarum, phrenitidis, petechiarum, morbillorum, variolarum &c. ſuperveniunt epileptici motus; nec denique ſine periculo eſt infantilis epilepſia, quæ ex dentitione difficili, vel inteſtinorum torminibus accedit, & ſine intermiſſione adfligit. Neque novum eſt, congenitum, idiopathicum & inveteratum malum in melancholiam, maniam & denique fatuitatem degeneraſſe, accedente præſertim plane perverſo vitæ regimine & gravi animi paſſionum intemperantia.

## *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Curationem morbi comitialis aggreſſurum oportet primum cauſſas materiales remotiores è cor-

corpore proſcribere ac emendare: & deinceps vehementiorem duræ matris ac partium nervoſarum ſpaſmum mitigare atque conſopire. Hunc ultimum ſcopum binis potiſſimum remediorum generibus aſſequi licet, nimirum vel ſedativis, vel roborantibus: illa motus effrænes & impetuoſos componunt, & compeſcunt, hæc vero imbecillitatem & atoniam, ab atrocia ſpaſmorum relictam, quæ ad novos paroxyſmos anſam ſubminiſtrat, tollendam, ac elaterem naturalem reſtituendum plurimum conferunt.

§. II.

*Quæ ſint ſedativa & ſic dicta antepileptica.*

Sedativa ſunt, quæ blandæ & ſulphureæ indolis vapore & exhalatione nimium liquidi nervei motum refrænant. Huc ex regno vegetabilium pertinent herbæ & flores, qui temperatam habent fragrantiam, & ex his per deſtillationem eductæ aquæ, veluti ſunt aqua ulmariæ, meliſſæ, ſalviæ, baſilici, primulæ veris, liliorum convallium, alborum, roſarum, tiliæ, acaciæ, pœoniæ, florum aurantiorum, citri, radicis pœoniæ, valerianæ, nucleorum ceraſorum, perſicorum, prunorum &c. quo etiam ſpectant crocus, flores papaveris in forma extracti, ſemen lycopodii, papaveris albi, & ex aromatibus nux moſchata. Ex regno animali ſpecifica quaſi virtute antepileptica celebrantur, quæ vapore quodam ſulphureo ſubtili temperato nervoſis partibus admodum amico pollent: quorum claſſem conſtituunt ex durioribus raſura dentis hippopotami, eboris, cornu cervi, lapidis manati, unicornu veri, cranii humani, talorum leporis, ſed hæc recens eſſe debet; alias parum proficiet. Spectant huc quoque ex mollioribus animalium partibus & viſceribus deprompta, ſi leniter exſiccantur & in pollinem rediguntur, uti ſunt lumbrici terreſtres, caſtoreum, ſecundina humana, ſanguis humanus ſani hominis leniter ſiccatus, cor & hepar ranarum, talparum, pulvis exſiccatorum hirundinum, & potiſſimum leporis embryonis exciſi & exſiccati; quæ ſulphure magis vaporoſo ſuaveolenti nervoſas partes afficiunt, earumque effrænes motus compeſcunt. Ex chymicis medicaminibus præ aliis ſpiritum nitri dulcem bene præparatum, vel potius liquorem meum anodynum mineralem experientia edoctus commendo.

§. III.

*Quædam compoſita antepileptica.*

Hæc ſunt præcipua pulverum antepilepticorum ſpecificorum ingredientia, quæ cum abſorbentibus miſceri poſſunt. Inter ejuſmodi celeberrimæ famæ pulveres, draco figens, quem mille experimentis à ſe probatum eſſe ſcribit DOLÆUS *in encyclop. med. pag.* 156. dignus eſt, qui notetur. Illius hæc eſt formula: Recipe nucis moſchatæ drachmam unam ſemis, cinerum talparum drachmas duas, talorum leporis no. tres, pulveris herbæ cardui benedicti ſcrupulos quatuor, ungularum alcis, ſuccini albi, viſci quercini ana ſcrupulos duos & dimidium, margaritarum præparatarum drachmam unam, cornu cervi uſti drachmam ſemis, unicornu veri ſcrupulum, cranii humani drachmas tres, ſeminis pœoniæ drachmam unam & ſemis, ſacchari Canarienſis uncias duas, foliorum auri q. v. M. f. pulvis ſubtiliſſimus, cujus doſis eſt drachma dimidia vel ſcrupuli quatuor. Non minoris efficaciæ eſſe creditur pulvis epilepticus anodynus D. WEISMANNI, Phyſici Windsheimenſis, qui ſic ſe habet: Recipe cornu alcis ſine igne præparati, raſuræ ungulæ alcis, dentis hippopotami, unicornu veri, lapidis manati, coralliorum rubrorum, ſuccini albi, cryſtalli montanæ, lapidis ſmaragdini, pulveris lumbricorum terreſtrium, ſpinarum muſtelarum fluviatilium, ſulphuris vegetabilis corallini, vel ſeminis lycopodii, margaritarum orientalium ana drachmam, cinnabaris nativæ drachmas duas, theriacæ cœleſtis ſcrupulum, pulveris caſtorei ſcrupulum ſemis, m. f. pulvis, qui cum aqua florum tiliæ, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, pœoniæ, hirundinum cum caſtoreo, vel aqua epileptica Langii propinetur. Eſt mihi quoque familiari in uſu, ejuſmodi ſpecificum antepilepticum, quod in chronica epilepſia, ſi debito tempore & ordine uſurpetur, ſingulares plane effectus præſtitos interdum vidi.

§. IV.

*Quæ roborantia ad epilepſiam proſint.*

Inter roborantia vero, quæ præ aliis peculiari & ſpeciali virtute ſe uſque eo commendarunt, ex vegetantium claſſe ſunt flores lavendulæ, ſpicæ, herba meliſſæ, roriſmarini, rutæ, majoranæ, ſuccinum, lignum aloës, ſantalum citrinum, cardamomum, caryophylli, & ex iis varia deſtillata & præparata olea, eſſentiæ, decocta, balſama, linimenta: ex compoſitis aqua antepileptica Langii, hirundinum, balſamum meum vitæ, & id genus alia. Ambra vero gryſea in epilepticis morbis omnium antepilepticorum tum roborantium, tum ſedativorum vires ſuperat longiſſime. Miræ quoque efficaciæ ſunt ſpiritus cornu cervi, vel eboris ſimplex, aut ſuccinatus, ſpiritus Buſſii, oleum cornu cervi, vel eboris per crebram rectificationem in ſummam redactum ſubtilitatem. Neque decocta lignorum, maxime Guajaci, ſaſſafras, ſantalorum &c. ob principium, quo pollent, reſinoſum ſua laude carent; quorum uſus jam apud veteres celebratus eſt. Ita ALPHONSUS FERREUS, & JACHINUS ſe plurimos epilepticos ſimplici guajaci decocto, bis de die ad ſex vel octo uncias præſcripto, ejuſque decocto ſecundario, vice potus ordinarii aſſumto curaſſe affirmant; præſertim, ſi tali decocto radix pœoniæ, aliaque ſpecifica addita fuerint; quod vero per 30. vel 40. dies ut continuetur, ſinguliſque doſibus aliquot guttulæ ſpiritus vitrioli addantur, auctores ſunt.

§. V.

*Nervina externa.*

Habent vero etiam tonica ac nervina extrinſecus adplicata eximium uſum. Sic pulveris ex herba majoranæ, floribus liliorum convallium, ſpicæ, maro vero, ſuccino, pulvere caryophyllorum aromaticorum, benzoë & nuciſta compoſiti, & capiti crinibuſque inſperſi uſum in epilepſia, aliiſque gravioribus capitis morbis deprehendi præſtantiſſimum: quippe qui præter nervinam virtutem, etiam humores viſcidos & ſpiſſos incidentem poſſidet efficaciam; unde illius intra nares quoque ſuſceptio ad colliquandam tenacem pituitam egregie convenit. Hæc autem propoſita remedia in corporibus ſeroſioribus potiſſimum, & ad cachexiam proclivibus, inque epilepſia chronica, extra paroxyſmum pariter ac ad præſervationem, rite adhibita, inſigni efficacia ſeſe à longo jam commendarunt tempore.

§. VI.

*Epilepſia à*

Verum enim vero antequam adhibeantur com-

*Sanguinis vitio curatio.* commendata hactenus remedia, neceſſe eſt, ut cauſſæ materiales malum ſuſtentantes, quantum fieri poteſt, removeantur. Quare ſi ſanguinis, in vaſis ac membranis cerebri incarcerati atque ſtagnantis colluvies malo noſtro originem præbuerit; & hinc vaſa cruore turgeant, vel ipſe impetuoſius ad caput rapiatur, quod ſæpiſſime fit in hypochondriacis, melancholicis, fœminis gravidis vel hyſtericis &c.: tum ſanguinis miſſiones, detractiones ac revulſiones a capite ad inferiores partes, præſertim circa talum inſtitutæ, nec non hirudinum ad venas, quæ in anum explicantur, appoſitiones & utiliſſimæ, & ſumme neceſſariæ ſunt. Hoc in paſſu conſentiunt mecum peritiſſimi & noſtrorum & vetuſtorum temporum medici; quos inter conferri merentur GALENUS *tr. de curatione per ſanguinem*, MERCURIALIS *Tom. IV. conſil.* 45. ZACUTUS LUSITANUS *Lib.* 1. *de med. princip. hiſt. pag.* 45. CELSUS, RHASIS, SCHENCKIUS *Lib. I. pag.* 113. *obſ.* 3. RHODIUS *Cent. I. obſ.* 64. 65. nec non SYLVATICUS *Cent.* 1. *conſ.* 45. qui pro revulſione & derivatione commendat, ut ſanguis ſingulis menſibus bis ad quatuor uncias ex venis ſedalibus educatur. Interdum nec alienum eſt, venas jugulares externas aperire, & ſtagnanti in ſinubus duræ matris ſanguini liberiorem exitum & motum conciliare: hinc epilepſiæ ſectione venarum jugularium curatæ exemplum allegatur in *M. N. C. Dec.* 1. *anno.* 1. *obſ.* 244. Nec denique ſine fructu ipſæ cucurbitulæ cum ſcarificatione cervici & partibus capiti vicinis apponuntur; modo, ſi plethora ad vaſa nimium urgeat, ea prius per ſectionem venæ in inferioribus partibus fuerit imminuta.

§. VII.

*Curatio epilepſiæ à ſero acri, impuro ſubortæ.* Alia vero curandi ratio eſt, quando morbus ex ſero impuriori in capite, ejuſque membranis, & vaſis hærente ſuam traxerit originem; ſicuti in corporibus cachecticis, ſcorbuticis, ab improvide curatis tumoribus pedum œdematoſis, vel antiquis ulcerationibus, aut fonticulis præmature conſolidatis, vel retropulſa ſcabie, tinea capitis, aut imprudenter abſciſſa plica polonica &c. contingit: tum curatio ſeri impurioris diſcuſſione, evacuatione, & ad alias partes derivatione erit perficienda. Hoc ſcopo præter idonea ſerum per alvum educentia, ac humores impuros depurantia pharmaca, veteres æque ac recentiores ad educendam vitioſam materiam commendarunt ſetacea, fonticulos, cauteria atque veſicatoria. Conf. HIPPOCRATES *libro de morbo ſacro* §. 7. ſeqq. TULPIUS *Lib.* 1. *cap.* 8. *in fine.* Sic apud VICTOREM TRINCAVELIUM quinquagenarius per fœdum malignumque exanthema toto corpore exſudans ex caduco morbo convaluit; & apud WILLISIUM *Lib. de morbo convulſ. cap.* 3. puella in ignem præceps facta, totoque capite perusta, ac per accidens cauteriſata, tamdiu à morbo ſuo libera permanſit, quamdiu incurata ulcera fuderunt ſaniem; quibus conſolidatis epilepſia recruduit.

§. VIII.

*Curatio epilepſiæ à materia bilioſa ab animi affectibus commota inductæ.* Quandocunque ex gravioribus animi affectibus, præſertim vehementiori iracundia, acrimonia acris, bilioſa, cauſtica, volatilis, ex primis viis ad nervorum genus delata, produxerit epilepſiam: præter pulveres, qui bilioſam hancce acrimoniam attemperant, atque demulcent, ſerum lactis non minus ac temperatæ acidulæ per aliquot menſes cum debito regimine uſurpatæ, inſignem pollicentur fructum. Inter medicamina egregiæ ſunt virtutis acidula, ut ſpiritus vitrioli philoſophicus, vel ſpiritus nitri bene rectificatus, atque cum floribus papaveris rhæados & pœoniæ in tincturam redactus, ex aquis temperantibus, diluentibus & antiſpaſmodicis, largius exhibitis datus. Atque profecto in hujuſmodi capitis morbis peculiare quid habet aquæ frigidæ ſimplicis fontanæ, & pluvialis purioris potus paullo largior: quippe quæ præter vim temperantem, humorumque acrimoniam diluentem, partibus etiam relaxatis robur atque tonum reſtituendi, inſigni pollet facultate.



§. IX.

*Curatio epilepſiæ à doloribus productæ.* Quando epilepſia oritur ex dolorum vehementia, v. g. ex calculo in uretere hærente, vel gravi odontalgia, vel otalgia, vel ventriculi ac inteſtinorum ſpaſmo: tum ante omnia clyſteres ex meris oleis v. g. amygdalarum dulcium injiciendi ſunt: tum ſi plethora peccaverit, ſanguis mittendus; & interne exhibenda mixtura, quæ ex aquis antiſpaſmodicis, liquore anodyno minerali, pulvere marchionum, cinnabari, aliquot granis maſſæ pilularum Wildeganſii & ſyrupo papaveris albi compoſita eſt. In epilepſia porro infantum, quæ vel ex ventris torminibus, vel lacte corrupto proficiſcitur, vel à dentitione difficili producitur, nihil eſt præſtantius, quam idoneis ſubſidiis acrem ex primis viis ſaburram eliminare. Huic ſcopo egregie inſerviunt clyſteres ex lacte, in quo ſaponis veneti portio ſoluta eſt, ano crebrius infuſi; interne vero pulvis marchionum cum pauxillo cinnabaris, vel pulvis epilepticus quidam cum extracto rhabarbari, & ſyrupo cichorei cum rhabarbaro & manna in electuarium redactus, inſigne afferre ſolet levamen. Neque minus ſequens mixtura mirabilem ſæpius præſtitit opem: Recipe aquæ liliorum convallium, primulæ veris, florum tiliæ, ceraſorum nigrorum ana unciam, lapidum cancrorum, pulveris marchionum ana drachmam, ſpiritus Sylvii volatilis oleoſi, liquoris anodyni mineralis ana guttulas decem, moſchi orientalis cum ſaccharo probe ſubacti grana duo. m. d. Laudatiſſimam enim moſchi in compeſcendis infantum paſſionibus epilepticis virtutem plus vice ſimplici expertus ſum. *Curatio epilepſiæ vern. in ſe.* Quod ſi denique vermes, nerveas inteſtinorum tunicas arrodentes excitaverint epilepſiam: tunc antepilepticis & demulcentibus oleoſis præmiſſis, ſpecifica anthelmintica, & quæ ſimul facultate innoxia purgante pollent, adhibere oportet: inter quæ tanacetum, allium, camphora, aſa fœtida, ſemen ſantonici, mercurius dulcis, æthiops mineralis, extractum eſulæ primas tenent.

## *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

§. I.

*Ratio epilepſiæ periodicæ.* Quando certis periodis, vel lunæ quadris epilepſia recurrit; vitium & ſedes mali plerumque in ventriculo, vel potius duodeno, & vicinis partibus, ductibus nempe biliariis, aut ipſo pancreate quæri debet. Et tum aliquot dies ante ſtatum periodi tempus conſultum eſt, clyſterem in-



jicere,

jicere, & vacuationem vomitu tentare, quæ accommodata ſit his viis expurgandis. Eſt autem efficaciſſima & ſecuriſſima, quæ ex drachma dimidia radicis Ipecacuanhæ, recenter pulveriſatæ, in decocto paſſularum ſoluta conficitur. Poſtea ſubjuncta hiſce ſpecifica, longe præſtantioris erunt operationis.

§. II.

*Quæ nocent in paroxyſmo epileptico.*

Sub ipſis paroxyſmis probe cavendum eſt à nimis volatilium, ſpirituoſorum, ſuave ac grave olentium, quæ caput vaporibus replent, uſu: nec conſulta ſunt ea, quæ ſternutamentum, aut vomitum movent; quippe quæ humorum motus magis ad caput derivant, & ſæpius ipſos revocant paroxyſmos.

*Uſus frictionum, Veſicatoriorum ac cauteriorum.*

Præſtat potius ægrotantem in recto tenere ſitu, & pedes atque manus bene fricare: namque frictiones calidæ ac ſiccæ inſigniter proſunt in epilepſia ex ſpaſmo artuum proveniente. Veſicatoria, ſetacea, ac inuſtiones cervicis cum ferro candenti in puerorum epilepſia, à ſeri colluvie producta, licet non penitus uſu ſuo careant: attamen aliquando noxam inferunt, & corporis languorem relinquunt atque ſtuporem. Contra vero in contumaci chronica epilepſia, item ubi à lympha acri, ſcorbutica ſuboritur, veſicatoria vel fonticuli cruribus adplicati, auſpicatiorem ſpondent effectum. Hinc etiam Indi cum non exiguo fructu talum ad tendinem Achillis uſque adurunt, & ulcus per ſemeſtre ſervant apertum.

§. III.

*Qui potus conferat in epilepſia.*

In qualibet epilepſia præſtat ab omni vino, atque cereviſia abſtinere, ac pura potius aqua uti: de qua ſæpius obſervavi, quod contumacem, imo à parentibus derivatam epilepſiam inſigniter vel mitigaverit, vel penitus depulerit.

*Uſus venæ ſectionis.*

Circa venæ ſectionem notare convenit, quod ea in habitu corporis plethorico, & ubi paroxyſmi circa æquinoctia invadunt, vel ſolſtitia, maxime in hypochondriacis, hæmorrhoidariis, atque melancholicis in talo, præmiſſo clyſtere, viſcidos humores cum flatibus evacuante, inſtituenda ſit. Quando etiam hypochondriaca paſſio epilepticum ſuſtentat morbum: tum præmiſſa pro re nata venæ ſectione, potum aquarum temperatarum mineralium, minime vero balneum, acceſſiones mitigaſſe novi.

§. IV.

*Quid de antepilepticorum uſu ſtatuendum.*

Ante ſpecificorum antepilepticorum uſum, evacuantia, temperantia & alterantia exhibere oportet: alias enim plus damni inferunt, quam emolumenti. Quandocunque malum ab externe capiti illata violentia, & hinc ſuborta ſtagnatione vel extravaſatione humorum in capite originem traxit: tum cinnabarina rite præparata, id eſt in tenuiſſimum pollinem crebriori trituratione aut lævigatione in marmore redacta, quo ejus particulæ in maſſam ſanguinis abire queant, & interne largius cum aliis cephalicis ac diaphoreticis exhibita, vere ſpecifica ea pollent efficacia; quæ in hoc caſu qua gaudent virtute, lympham ſtagnantem reſolvente ac diſcutiente abſolvitur. Inter externa remedia ad compeſcendos motus effrænes inſervientia, nihil deprehendi præſtantius linimento ex axungiæ humanæ uncia una, olei nucis moſchatæ expreſſi uncia dimidia, olei roriſmarini, lavendulæ & rutæ ana drachma una compoſito, ac cervici & ſpinæ dorſi inuncto. Quando æger eo fruitur beneficio, ut imminentem prævideat acceſſionem: tunc operæ eſt pretium, malo occurrere clyſteribus, partium inferiorum frictionibus, ac recto vivendi ordine uti,

§. V.

*Opiatorum noxæ.*

Opiata & nimis vaporoſa infantibus & debilioribus cautiſſime præbenda ſunt, utpote quæ ingentem cerebro & nervoſis partibus imbecillitatem & atoniam inducunt. Ex crebro uſu ſyrupi diacodii in infante lethalem epilepſiam animadverti: vidi quoque mentis ſtuporem infantibus remanſiſſe, quibus pulveres anodyni & theriacalia frequentius fuerunt exhibita.

§. VI.

*Præſervatoria methodus.*

Quum denique morbi comitialis ea ſit indoles, ut à leviſſimis recidat cauſis, & à multis pharmacis magis exacerbetur: præſtat omnino, ab horum multitudine abſtinere, ac pertinaci victus obſervatione, gravem hunc præcavere morbum. Hanc paucis verbis, ſed ſatis egregie complectitur CORNELIUS CELSUS, dum *Lib. III. Cap.* 23. *pag.* 173. dicit: *Fugere oportet ſolem, balneum, ignem, omnia calefacientia, frigus, vinum, venerem, loci præcipitis conſpectum, omniumque terrentium, vomitum, laſſitudinem, ſolicitudines, negotia omnia, & ubi tertio die cibus datus eſt, intermittere quartum.* Vitanda quoque dulcia, fermenteſcibilia, fructus horæi, præſertim in infantibus: præterea adoleſcentibus maxime abſtinendum eſt à venere: veriſſime enim ſcribit MERCURIALIS *in prælect. patav. pag.* 372. *adoleſcentes Germanos plurimos à nimia venere fieri epilepticos.* Evitandæ porro ſunt nimiæ mentis fatigationes; ſiquidem, teſte CELSO, *quibus caput afficitur, ne cogitatio quidem tuta eſt.* Hujus memorabile exemplum allegat GALENUS *Lib. V. de loc. affect. c.* 5. dum *Grammaticus quidam juvenis*, ait, *quoties vel nimis vehementer doceret, vel cogitaret, aut eſuriret, comitiali morbo corripiebatur; & hoc ipſum ſane eſt, quod de Franciſco Petrarcha increbuit, eum poſt multas profundaſque meditationes tandem incidiſſe in epilepſiam.* Maxime omnium vero fugiendæ ſunt omnes ad terrorem, metum, & iram occaſiones; nam facillime malum inde revocatur.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

OBSERVATIO I.

*Epilepſia ex terrore, narium hæmorrhagiis ſublata.*

Puella duodecim annorum, habitus corporis ſtrictioris, valde plethorica, floridoque faciei colore conſpicua, largo adpetitu, maxime panis gaudens, & alvi pigritiæ obnoxia; incidit poſt vehementem terrorem in gravem epilepſiam, cum omnium ſenſuum abolitione, ac artuum violenta agitatione ſtipatam: cujus duo priores paroxyſmi ultra binas inhæſerant horas, cum inſigni vultus rubore, ac vaſorum eximia turgeſcentia. Acceſſitus quidam medicus, ſub ipſo tertio paroxyſmo ſtylum naribus intrudit: quæ cruentatæ ultra tres ſanguinis fuderunt uncias, cum momentanea paroxyſmi remiſſione. Tum & ego conſultus deprehendi pedes adhuc inſigniter frigidos; quare ut motum humorum ad partes inferiores derivarem; clyſteres injici, & puellam bis quotidie in temperata pediluvia, ex aqua ſimplici parata deſcendere juſſi. Poſthæc, exhibui infuſum theiforme ex floribus tiliæ, & herba meliſſæ confectum,

ctum, & quavis veſpera pulveris mei antepileptici doſin propinavi: quibus factum eſt, ut dirum hoc malum penitus omnino depelleretur.

*Epicriſis.*

Epilepſia hæc à nulla alia cauſſa originem traxit, quam a ſanguinis & humorum vehementi ad caput congeſtione, per inſignem terrorem excitata. Hujus enim ea eſt vis ac indoles, ut externas corporis partes fortius conſtringendo, ſuccos vitales majori copia ac impulſu ad interiora, & præcipue caput compellat. Et hanc eo facilius ac violentius terror exſerere obſervatur efficaciam in infantibus ac junioribus; qui gulæ nimis indulgent. Inde enim non ſolum primarum viarum ſordes acidæ producuntur, quæ fortioris appetitus tantum non ſemper cauſſæ exiſtunt: verum etiam ſanguis copioſus, ſimul tamen craſſus ac viſcidus generatur, qui ad caput raptus, membranas cerebri eo facilius ad violentas proritare valet ſtricturas. Hoc in noſtro caſu adparet ex vultus rubore & vaſorum turgeſcentia ſub paroxyſmo: hinc etiam non alienum fuit, ſanguinis fluxum per nares promovere, & ſic illius progreſſum per caput reddere liberiorem. Sed notari meretur, poſt ejuſmodi vacuationes ſanguinis, humorum motum protinus ad inferiora eſſe revocandum: alias enim facillime recrudeſcunt epilepticæ agitationes. Quod cum crebris pediluviis ac clyſteribus factum fuerit: tum operæ fuit pretium, pulveres epilepticos propinare.

OBSERVATIO II.

*Epilepſia à menſibus per terrorem ſuppreſſis orta.*

Puella Hebræa, quatuordecim annos nata, corporis ſtrictioris ſed vaſis capacioribus inſtructi, præviis hinc inde ſpaſmodicis ſtricturis, menſium fluorem primum incidit. His per biduum fluentibus, relatum ipſi fuit, patrem peregre factum ſubito fuiſſe mortuum. Inde puella, more hiſce gentibus conſueto, tanto perculſa fuit terrore, ut non ſolum menſes protinus ſupprimerentur, verum etiam extrema mox refrigeſcerent, cor palpitare cœperit, vehementes præcordia occuparent anxietates, & denique in ipſam incideret epilepſiam: ſub qua corpus violenter agitabatur, pollices contrahebantur, dentibus ſtridebat, eoſque adeo commordebat, ut vi effringi debuerint. Quidam mecum conſultus medicus ſuaſit iterum, ut ſtylo in nares protruſo, ſanguinis effluxus tentaretur: at ego, cum menſium ſuppreſſio malum foveret, ne major humorum ad caput fieret affluxus, eorumque per uterum fluor impediretur, diſſuaſi hoc remedii genus; & potius juſſi, ut ſub fine paroxyſmi, pedibus in aquam miſſis, ſanguis mitteretur. Quo facto ſtatim ad ſe rediit; & tum injectus fuit clyſter oleoſus ex floribus chamæmeli, ſambuci, malvæ, tiliæ, oleo lini &c. paratus. Recruduit quidem aliquoties paroxyſmus, ſed erat leviſſimus: hinc ægram potare juſſi infuſum calidum ex herba meliſſæ, floribus tiliæ, & ſemine cymini: & quavis veſpera dedi pulverem meum antepilepticum. Denique cum inſtaret menſtrua periodus, aliquot ante eruptionem dies propinavi pilulas meas balſamicas, & pulverem præcipitantem nitroſum: quibus factum eſt, ut redirent menſes, & ægra a malo ſuo perfecte liberaretur.

*Epicriſis.*

In tali caſu, ubi menſes ſunt ſuppreſſi, & motus ad ſuperiora vergunt, præſtat venam in pedibus incidere, ut motus deriventur ad uterum: neque ideo congrua fuit narium ad hæmorrhagias proritatio. Vocari meretur hæc epilepſia uterina, quoniam ab utero traxit originem. Eluceſcit ſimul ex hoc caſu, haud prius in uſum vocandos eſſe pulveres ſedativos ſpecificos, quam ubi inverſi humorum ad caput motus, qui à ſpaſmo & ſanguinis plenitudine fiunt, fuerint ſedati: tunc enim adhibiti tales pulveres ab ulteriori mali inſultu præſervant. Nec rari mihi occurrerunt caſus, fœminas octavo jam menſe gravidas, ab ira, mœrore, aliiſque animi affectibus in epilepſiam incidiſſe: largiori vero ſanguinis ex vena in pede fuſa miſſione, ac pulveribus cinnabarinis cum nitro ac ſuccino perfecte convaluiſſe.

OBSERVATIO III.

*Epilepſia infantilis à terrore nutricis.*

Infans tres anni quadrantes natus, corporis ſpongioſi ac obeſi, qui ſæpius ventris torminibus cruciari, & ſtercora viridia dejicere ſueverat, nutricis à ſpectro ſibi videri putato gravi terrore perculſæ ubera ſugens, protinus corripitur epilepſia. Neque vero ignorari oportet, nutricem hanc jam antea alii infanti ubera præbuiſſe, & ſic per ſeptem jam anni quadrantes muneri huic præfuiſſe: quod meo quidem arbitrio minus ſalubre lactantibus eſt, quoniam diuturna lactatione lac incipit aceſcere. Protinus ergo infanti injectus fuit clyſter emolliens oleoſus, & interne data mixtura ex aqua liliorum convallium, florum tiliæ, ceraſorum nigrorum, pulvere marchionis, ſyrupo de cichorio cum rhabarbaro, liquore anodyno minerali, & unico moſchi orientalis grano parata; nutrici vero propinavi pulveres bezoardicos cum aceto deſtillato, & infuſo theiformi cum regimine diapnoico; atque hinc protinus ceſſavit epilepſia. Verum enim vero aliquot poſt hebdomades, cum infans achoribus capitis corriperetur, & hi unguento illiti repellerentur: recruduit epilepſia, & alvus obſtructa non niſi virides reddere cœpit fæces. Hinc ablactato protinus infanti adplicabantur iterum clyſteres, & dabatur partim pulvis ex rhabarbaro, lapidibus cancrorum, & ſemine cymini compoſitus, partim mixtura ex aquis antepilepticis, ſpecifico cephalico Michaëlis, liquore anodyno minerali, ſpiritu eboris & ſyrupo pœoniæ parata. Effectum etiam his eſt, ut reſtituta alvi libertate, epilepſia remitteret: ſed hæc tamen ſingulis adhuc menſibus bis vel ter recruduit. Ordinatus igitur pulvis antepilepticus mitigavit quidem malum; illud tamen ſingulis tribus menſibus recidit, & hanc ad annum ætatis quartum egit ſcenam. Tum denique infans colli tumoribus inflammatoriis, inſtar carbunculorum infeſtabatur; quibus exulceratis, ab omni prorſus liber evaſit epilepſia.

*Epicriſis.*

Ex hoc caſu diſcimus: 1) epilepſiam infantum à matris terrore per lac illis communicato excitari poſſe. Namque ea eſt terroris indoles, ut non ſolum partes ſolidas afficiat, ſed etiam in humores agat, eos fortiter commovendo;

qui dum cum lacte ad primas infantum vias pertingunt, ibidem majorem ſubeunt acrimoniam, & hinc ad cerebrum delati epilepticos inducunt motus.

2) Nihil ad reprimendas capitis ulceroſas efflorеſcentias reperitur valentius, quam pinguia ac oleoſa. Ea enim, dum poris cutis ſe intime inſinuant, neque tam facile ex iis evocari poſſunt; ita ſalutarem impediunt transſpirationem, ut ideo ſerum acre impurum intra corpus remaneat, & membranis cerebri incumbens, eas graviter afficiat. Præſtat potius in tali caſu, primas vias blando laxante, vel clyſtere purgare; & externe caput aqua arquebuſadæ abluere; quæ egregie ſiccat, & labefactatas corroborat partes.

3) Epilepſia à conſolidatis ulceribus facillime recrudeſcit: quo caſu, præſertim in adultioribus, veſicatoriis vel cauterio nihil eſt præſtantius. Hinc etiam in confirmata epilepſia SEPTALIUS *Lib.6. animadv. p.* 173. veſicantium uſum per univerſum caput commendat, diutius ulcuſculis in cute capitis relictis: contumaciſſimos enim morbos capitis hac ratione curatos vidit.

### Observatio IV.

*Epilepſia ab externa capitis violentia.*

Epilepſiæ ab externa capitis violentia atque læſione admodum obnoxii ſunt metallorum foſſores; præſertim ubi mineras ac ſaxa metallica, accenſo pulvere pyrio diffringunt. Namque tale fruſtum capiti illiſum, tantam ipſi contuſionem inferre valet, quanta pro excitanda ſufficit epilepſia. Sed in eo caſu nihil vidi Clausthali præſtantius ac efficacius cinnabari, ſive ſit nativa, ſive antimonii largius exhibita; cujus nimirum ac ſuccini præparati ſcrupulus unus bis quotidie ex aquis cephalicis meliſſæ, liliorum convallium, florum tiliæ propinari, & per decem circiter dies continuari debet. Neque vero tum negligenda ſunt externa, quæ inter laudem merentur, primum epithema ex caryophyllis aromaticis, floribus chamaemeli Romanæ, herba rorifmarini, floribus lavendulæ cum vino decoctis paratum, & affecto loco appoſitum; deinceps cucupha ex caryophyllis, cardamomo, & cubebis toti capiti adplicata. Quibus denique eo majori fructu adjungitur infuſum theiforme ex carduo benedicto, ſummitatibus millefolii & floribus tiliæ. Hac quoque ratione priſtinæ ſanitati olim reſtitui virum ſexagenarium, qui à ſcala præceps in caput factus, primum omnibus privatus ſenſibus, mortuuſque habebatur; at inciſa vena, atrocem incidebat epilepſiam, quæ per octo dies, ſingulo vel decies invadendo inhærebat, tandemque recenſita methodo ſublata fuit.

*Epicriſis.*

Notabile eſt, cinnabarin magna, uti hactenus vulgo creditur, vi ſedativa ac anodyna non pollere: ſed potius, more mercurialibus conſueto, diſcutiendo, coagula humorum reſolvendo, ac diaphoreſin movendo virtutem ſuam exſerere. Hinc non ſecus ac æthiops mineralis, præſertim ex antimonio paratus, in omnibus contuſionibus ac ſanguinis ſtagnationibus mirificam præſtat opem; maxime quando ſi ſimul lapides cancrorum cum aceto ſaturati exhibeantur. Huc pertinent obſervationes paſſim in medicorum ſcriptis occurrentes, de epilepſia ſalivatione curata: qualem reperies in *M. N. C. cent.4. obſ.*136. ubi puella novem annorum, à parente, qui antea lue venerea laboravit, nata, inciderat in epilepſiam ſæpius recurrentem: quæ poſtquam trochiſcos ſcretæ, qui continent mercurium dulcem, maſticando devoraverat, alvum habuit ſexies ſolutam: & tum ſequuta ſalivatione, ab epilepſia facta fuit immunis.

### Observatio V.

*Epilepſia poſt male tractatam febrim.*

Virgo generoſa, XX. annorum, ſanguineaſucciplena, acidorum uſui nimium indulgens, & multis abhinc annis acetum vini larga copia quotidie ingurgitare ſolita, incidit forſan ante aliquot annos in febrem, ex medici ſententia ardentem; quæ bezoardicis, maxime volatilibus tractata fuit. Facta quidem hinc eſt quinto morbi die ſymptomatum remiſſio; at vero paroxyſmi erant valde irregulares, & mox ſingulis, mox alternis diebus, ſæpius bis uno die cum horrore & inſequente æſtu invadebant. Alvus ſubinde, quæ ante morbi invaſionem jam pigra fuit, per totum morbi decurſum manebat adſtrictiſſima; nec ſolvi poterat, licet varia eo fine aſſumſerit remedia: clyſterum enim infuſionem renuebat omnino. Tandem pulveres purgantes, ex ſalibus & jalappa confecti, quorum per ſeptem dies, ſingulis unum adſumebat, aliquantulum ducebant alvum; parum tamen proficiebant; ſiquidem febris cum ſymptomatibus perſiſtebat, nec ſomnus ullus, nec adpetentia ciborum per XV. ſeptimanas aderant. In tali rerum ſtatu præter omnium opinionem circa tempus menſtruum erumpebant convulſiones epilepticæ: ſub quibus facies adparebat rubicunda, membra hinc inde agitabantur, quandoque fortiter clamabat, & abſona loquebatur, ac male cohærentia. Ipſo quoque in paroxyſmo humidum adpetebat, & oblatam eo fine aquam frigidam copioſe bibebat. Hinc laxata alvo, mens ad ſe rediit; ſed poſthæc febricula cum languore corporis, adpetitu proſtrato, alvo ſegni, urina craſſa, obſcuri coloris ſemper perſiſtebat, & illa perpetuo mœrore & angore infeſtabatur. Ceterum epilepſia circa tempus menſium, quandoque extra illud, ſi ira excandeſceret, recruduit cum ſpuma oris, corporis elevatione, artuum agitatione, mentis alienatione, & magna vociferatione. Hæc aliquoties contingebant, & quod notabile eſt, cum toto morbi tempore nec ederet, nec dormiret ægra, tamen & ſucculenta manſit & rubicunda. In uſum ergo vocabantur omnis generis remedia antifebrilia, laxantia, ſalia aperitiva, caſtorina, antiſpaſmodica, venæ ſectiones; ſed nihilo minus & febricula & epilepſia per ſedecim inhærebant hebdomades. Tandem ſubiit ægra conjugii leges, & tum melius habere cœpit: cibum appetiit, vires collegit, menſes ordinem ſervarunt, ac paroxyſmi epileptici penitus remiſerunt.

*Epicriſis.*

Fœminæ, præſertim ſalaciores haud raro partim ob menſium defectum, partim etiam à lympha genitali ſtagnante & corrupta, atrociſſimos incurrunt motus epilepticos. Horum in noſtro caſu antecedens cauſſa fuit acidorum abuſus: hæc enim deſtruunt ventriculi ac inteſtinorum tonum, alvum conſtringunt, & menſium

fluo-

fluorem impediunt. Hinc ſanguis in venis accumulatur, & ſic circa menſtruam præcipue periodum, ubi ad evacuandum per uterum cruorem ſolennes ſpaſmi inſtitui ſolent, cum magno impetu partim ad caput, partim ad pectus compellitur: unde etiam facies rubicunda, ac ſanguine turgida, vociferatio, partium agitatio, atque delirium dependent.

Peſſime autem in noſtra ægrotante egerunt medici, qui ipſi dederunt ſalia volatilia: hiſce enim & alvi conſtrictio magis firmatur, & inteſtinorum tonus plus deſtruitur. Et perpetua ſane eſt regula, quod, quo conſtrictior eſt alvus, eo plus ſanguinis ad ſuperiora rapiatur, & vehementiores ibi fiant ſpaſmi. Hinc conſultius fuiſſet, clyſteribus oleoſis alvum moliri; qui præſentiſſimum adferre ſolent lenimen. Nec proficua fuerunt in noſtro caſu anodyna & antiſpaſmodica: quippe quæ, ſublata nondum cauſſa, malum reddere ſolent contumacius. Neque ſuffecerunt ſolæ venæ ſectiones; licet alias uſu ſuo haud deſtituantur; nec denique utiles fuerunt acidulæ, quibus uſa eſt ægra. Hae enim frigidæ nocent nervis; &, cum ob debilitatem inteſtinorum per alvum haud iterum excludantur, ſed in inteſtinis ſtagnant, ſpaſmos magis adaugent. Hinc præſtantiſſimum mali remedium fuit in conjugio: hoc enim, præſertim ſi frequentior celebretur concubitus, ſanguinis motus invertitur, ad uterum retrahitur; vaſa uteri, teſte HIPPOCRATE, diſtenduntur, incaleſcunt, menſium fluor procuratur, & ſic remota cauſſa, ipſum malum debellatur.

## Observatio VI.

*Epilepſia à lumbricis, aliisque cauſſis.*

Puer quatuordecim annorum, quinta jam à nativitate hora inſultu correptus fuit epileptico. Annum nati corpus, poſt vehementiſſimam nutricis iram, duris tuberculis undique obſidebatur: quæ medicus pro variolis ventoſis habens, lumbis inde valde adfectis adplicat emplaſtrum. Hinc protinus evaneſcebant omnia tubercula: at vero in eorum locum ſuccedebat epilepſia cum ſpuma oris, atque mirifica artuum tractione; & per aliquot ſeptimanas quotidie hora circiter pomeridiana prima recurrebat. Poſthæc remittebat, nec ſub variolis poſtea accedentibus recrudeſcebat; niſi forte ſemel ſub dentium eruptione. Verum enim vero ſexto ætatis anno, cum lumbricorum colluvies inteſtina occuparet, reſurgebant graves epileptici inſultus; & ad annum uſque decimum quartum ſæpius, maxime ventis impetuoſe flantibus, cœlo turbido ac pluvioſo, & tempeſtate autumnali invadebant. Præcedunt paroxyſmum maxima anxietas, pedes, manuſque refrigeſcunt, dentes dolere incipiunt: tum humum proſternitur, & poſt paroxyſmum capitis dolorem, & corporis totius retinet laſſitudinem. Neque minus ante paroxyſmum flatulentiis imi ventris exercetur; ſiti vexatur, & urinam reddit albam; ſub illo facies fit tumida bruni coloris. Olim quoque pigra fuit alvus, jam expeditior. Neque ulla hactenus profuerunt remediorum genera: quid? quod ſalivatione tractatus puer pejus habuit, ſanguis erat viſcidus, omnique colore deſtitutus.

### *Epicriſis.*

Epilepticam hancce affectionem ab inteſtinorum lumbricis ortam eſſe, certiſſimum quidem eſt. Cum autem nervorum genus jam à primis incunabulis; & deinceps à tuberculis retropulſis, hiſce motibus jam adſuetum fuit: non mirum, ſi ob hancce diſpoſitionem paroxyſmi jam fuerint atrociores & contumaciores. Notatu ſubinde dignum eſt, quod ab adplicato ad lumbos emplaſtro, procul dubio narcotico, tubercula illa protinus evanuerint. Locus enim hicce circa lumborum vertebras, ubi inſignes nervorum occurrunt plexus, valde eſt ſenſibilis; cui ſi admoventur narcotica, habitus corporis conſtringitur, humorum circuitus fit tardior, & noxia materia ad interiora repellitur. Quare magna cum cautione topica ad haſce regiones adplicanda ſunt: & nota mihi ſunt exempla, quod in fœminis ab emplaſtris, hoc in loco admotis, menſes adeo cohibiti fuerunt, ut nunquam redierint. Novi etiam plures caſus, ubi in viris poſt impoſitum ad refrænandam gonorrhœam, lumbis emplaſtrum ex ſpermate ranarum, alumine, ſaccharo ſaturni & oleo hyoſcyami, ingens teſticulorum tumor ſequutus fuit.

Neque minus notari meretur, quod malum ſub ventoſa aëris conſtitutione fuerit exacerbatum: mirifica enim eſt aëris in partes noſtri corporis ſolidas, maxime nerveas, & quæ ſenſibus atque motibus inſerviunt, potentia. Et quod denique ægrotans noſter ſanguinem exhibuerit mucidum, rubedine privatum; certo eſt indicio, ipſum fuiſſe cachecticum, qualia corpora epilepſiæ chronicæ admodum deprehenduntur obnoxia.

Anno demum ætatis decimo quarto ſublata fuit hæc epilepſia; poſtquam per ſemeſtre fere elixirium noſtrum balſamicum, & ſal volatile oleoſum ad XXX. guttas ſub epulis ſunt uſurpata. Hæc enim remedia blandam ſpirituaſcentiam chylo ac ſanguini reſtituunt, & ſolidas partes corroborant; ſed temporis beneficio ac diuturnitate opus eſt. Tandem vero hac curatione confirmatur aphoriſmus Hippocratis, quod epilepſiæ chronicæ non niſi ætatis, aëris, ac victus mutatione curentur.

## Observatio VII.

*Epilepſia puerperæ à cortice chinæ improvide in febre tertiana dato.*

Puerpera XX. annorum, ſanguineo-cholerica, conſtitutionis admodum ſenſibilis, & ob inordinatum victus regimen hyſtericis olim obnoxia paſſionibus, lochiis autem bene ſuccedentibus gaviſa, die à partu undecimo ex eſu anguillæ corripitur febre tertiana, ſub qua more ſueto alvi fuit adſtrictioris. Conſultus medicus dedit primum pulveres ex conchis præparatis, antimonio diaphoretico, nitro, & arcano duplicato confectos; hiſque circa quartum paroxyſmum corticem chinæ ſubjunxit. Tertio autem poſt hujus uſum die incidit ægra atrociſſimos convulſivos, & epilepticos motus, cum intercurrentibus animi deliquiis, & præcordiorum anxietatibus.

### *Epicriſis.*

Spaſmodicarum commotionum cauſſa ſæpius in primis viis, ſaburra acri, cauſtica refertis, reſidet, quæ, nervoſum genus afficiendo, fœminas præſertim in hyſtericos motus jam proclives, facillime in epileptico-convulſivos conjicere poteſt inſultus. Sic etiam noſtra ægrotans ex eſu anguillæ, quæ robuſtiorem ventriculi

digeſtionem expoſcit, collegit ſibimet primarum viarum cruditates, & ex his febrem incidit tertianam. Hunc vero febris fomitem, qui in puerperis magis adhuc variis ſordibus adaugeri ſolet, conſultus medicus ſtatim ab initio blando laxante expurgare debuiſſet. Sed cum partim fixioribus terreis, partim adſtringentibus hancce ſaburram magis compactam reddiderit, ac intus retinuerit: non mirandum, ſi ſpaſmi, qui ſemper in febrium principio junguntur, demum in ipſas abierint convulſiones.

Jam ergo eo intendere oportet curationis ſcopos; ut partim ſordes bilioſæ, acres corrigantur, & blande educantur; partim etiam motus perverſi conſopiantur, ne diutius perſeverent, & in habitum tranſeant. Quamobrem in ipſo paroxyſmo naribus admovere convenit mixturam ex ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, eſſentia caſtorei, & oleo rutæ paratam; cujus virtus in illo, quod nervis eſt inimicum, diſcutiendo egregia eſt.

Sordes primarum viarum optime educunt pilulæ meæ polychreſtæ, cum extracto chamæmeli, millefolii & croci mixtæ: cui quoque ſcopo clyſteres emollientes ac oleoſi inſerviunt, maxime ſi illis, ad diſcutiendos flatus, tantillum nitri & camphoræ fuerit additum.

Neque minus ad corrigendam humorum acrimoniam inſigniter proſunt pulveres ex lapidibus cancrorum, pulvere marchionis, nitro, cinnabari & arcano duplicato compoſiti; nec non aquæ antepilepticæ cum eſſentia corticum aurantiorum.

Diſcimus ceterum ex hac morbi hiſtoria, quam pernicioſum ſit, in puerperis nimis mature, præpoſtere & ante ſordium evacuationem cortice chinæ vel aliis adſtringentibus febriles motus ſupprimere, & noxiam materiam intus retinere. Hinc enim ſpaſmos febriles in epilepſiam degenerare poſſe animadvertimus: qui tamen alias ad reſolvendas viſcidas ſordes ac viſcerum obſtructiones, ideoque ad epilepſiam quoque curandam ac præſervandam admodum ſunt idonei. Quare recte ſcribit Hippocrates, quod quartana epilepſiæ ſuperveniens eam tollat.

## Observatio VIII.

*Epilepſia in viro a tertiana ſuppreſſa.*

Vir XX. annorum, conſtitutionis tenerioris, ante tres circiter annos febre tertiana correptus, & ab ea copioſo corticis chinæ uſu vindicatus eſt. Abhinc adpetitus languidior eſſe cœpit, præcordia ingens preſſit anxietas, & inſignis ſpirandi difficultas: febris quoque nonnunquam rediit, ſed valde irregularis. Poſthæc ex improviſo mentis abalienationem incidit, quæ cum omnium ſenſuum perturbatione, memoriæ defectu, artuum jactatione, & vultus rubore ſtipata, brevi quidem tempore tranſiit: acceſſionis autem hujus nulla fuit reminiſcentia. Hoc denique malum tandem excepit fortis epilepſiæ inſultus, qui cum ordinariis ſymptomatibus ſæpius, at incertis periodis rediit, & mentis abalienationem, paroxyſmi ſemper habuit prænunciam. Ceterum color faciei eſt pallidus, adpetitus mediocris, ventriculi inflatio, inteſtinorum murmura: ab epulis moleſtus ſæpe in ore percipitur ardor, ſitis ingens in jejunio, & magna ad ſudorem proclivitas. His denique duos ante menſes ſpontaneum, & per tres hebdomades inhærens acceſſit alvi profluvium, ſponte remittens. Ipſa epilepſia noviſſimo anno penitus evanuit; ſed eo frequentior eſt mentis abalienatio, quæ ſæpius paroxyſmos format, & nonnunquam ter in una recrudeſcit hora. Conſulti & clariſſimi medici, & adhibita præſtantiſſima remedia, nullam hactenus malo opem tulerunt.

### *Epicriſis.*

Adparet & ex hocce caſu, omnem febrium intermittentium, quæ in infimo ventre, ac infarctis primis officinis fomitem ſuum habent, adſtrictionem atque ſuppreſſionem, quæ ante viſcerum reſerationem, & ſordium ex primis viis eliminationem fit, eſſe nocentiſſimam. In noſtro nimirum ægrotante tertiana febris procul dubio ex viſcerum infarctu ortum traxit. Cum vero febriles illi motus, qui ad reſolvendum illum infarctum deſtinati ſunt, præpoſtere fuerunt ſuppreſſi: hinc factum omnino eſt, ut & lympha gaſtrica, quæ ex glandulis pancreatis atque duodeni aſſidue ſtillat, & bilis, quæ digeſtioni perficiendæ egregie inſervit, à naturali craſi receſſerint. Hinc autem turbata digeſtione, peſſimæ in primis viis cumulatæ ſunt cruditates; à quibus ſuborti flatus ac ſpaſmi inteſtinorum, horum non ſolum nerveas partes graviter affecerunt, verum etiam totum nervorum genus, capitiſque membranas in violentorum motuum rapuerunt conſenſum. Haud enim raro inſultuum epilepticorum origo ab inteſtinorum flatulentia, & ſpaſmodica criſpatura natales ſuos mutuatur.

Curatio vero hujus mali ſequentem in modum inſtituta eſt: primum ſingulis ſeptimanis datum fuit elixirium emeticum, quod placide & ſine violentia ventriculum ac ſuperiora inteſtina à vitioſis liberavit cruditatibus. Deinceps quotidie bis, mane nimirum ac veſperi ex aqua liliorum convallium ſequens pulvis ſumtus eſt: Recipe pulveris marchionis, cornu cervi ſine igne, matris perlarum, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, ſuccini præparati ana drachmam unam, cinnabaris drachmam dimidiam, eſſentiæ ambræ guttas XX. m. d. doſis eſt drachma dimidia.

Tum quoque ſub epulis adhibuit æger elixirium ſtomachicum, ex eſſentia corticum aurantiorum, tinctura tartari, oleo macis & cardamomi paratum; & pro potu ordinario decoctum ex radice pœoniæ, viſco querno, radice chinæ, ſcorzoneræ, herbæ meliſſæ, raſura ligni aloës & ſemine fœniculi confectum uſurpavit. Alvus ſegnis reſerata eſt clyſteribus emollientibus, oleoſis, qui ſimul herbas cephalicas nervinas, veluti abrotanum, majoranam, origanum, ſaturejam, rutam, rorem marinum, flores lavendulæ, & ſal commune habebant: & denique inuſtus fuit brachiis fonticulus. Ex quibus rite uſurpatis atrox hoc malum, quæ Dei eſt gratia, debellatum fuit.

## Observatio IX.

*Epilepſia à terrore, matrimonio demum ſublata.*

Fœmina XXX. annorum, conſtitutionis valde ſenſibilis, affectibus animi, præſertim iracundiæ dedita, à parentibus morbo melancholico affectis progenita, hactenus ſterilis, ex inopinato mariti morbo inſigni oppreſſa fuit mœrore. Quo tempore cum ipſi menſes fluerent,

&

& ſub eo fluore nuntius de ipſa mariti morte accederet triſtiſſimus; illa vehementi terrore perculſa, menſium ſuppreſſionem protinus incidit. Hinc anxia, inquieta, inſomnis reddita, nullum aſſumſit cibum; ſed verba ſine ordine loqui cœpit. Tum ſpaſmodica primum faciei tortura, quam cynicam vocant, correpta, denique graves, atroceſque toleravit convulſiones; quibus nec ſanguinis miſſiones, nec ulla remedia opem ferre volebant. Tandem purpura rubra malum quidem mitigavit; illud autem minime remiſit penitus; ſed circa tempus menſtruum pertinaciter recruduit, cum tanta mentis perturbatione, ut à multis furori vicina haberetur. Hinc in uſum vocavit thermas ac acidulas, cœlum ſæpius mutavit, multorumque medicorum conſilia imploravit: ſed rediit nihilo minus malum, licet minori atrocia. Verum cum denique ſecundas ſubiret nuptias; ab affectu ſuo prorſus fuit liberata; & tum nunciatum eſt, eam olim venereis ac libidinoſis cogitationibus nimium indulſiſſe, ac hinc violentos hoſce motus ſibimet contraxiſſe.

### *Epicriſis.*

In ſubjectis ſenſibilioribus ac imbecillioribus, quæ natura debile nervorum genus habent, & ad irregulares motus obnoxia deprehenduntur, veluti ſunt fœminæ, maxime ſalaciores præ viris, nihil magis ad graves cerebri affectus & epilepticos motus inducendos valet, ac ſi ſub ipſo hæmorrhagiarum, maxime menſium fluore vel animo compaveſcant, vel vehementi percellantur terrore. Eo magis hoc contingit, ſi diuturnus mœror præceſſerit, quo nervoſæ partes debilitantur, adeo, ut accedente terrore humoribus copioſius ſuſcipiendis, & hinc ſpaſmodicis ſtricturis ſubeundis magis reddantur idoneæ. Quo vero celerius hæ adſectiones ex allegatis propullulant cauſſis: eo etiam graviores, contumaciores, ac curatu ſunt difficiliores. Noſtra equidem ægrotans ab erumpente purpura omnino mali ſui aliquale percepit levamen. Hæc enim, ſicuti ex ſtagnante & corrupto ſero, vel lympha originem trahere, & ideo puerperis etiam, ſi lochia haud rite fluunt, familiaris eſſe ſolet: ita quoque eadem ad corporis ſuperficiem prorumpente, acrimonia nervis inimica expellitur, & ſic pabulum malo epileptico ſubtrahitur. Optimum autem auxilium ex matrimonio redundavit; quippe quo libido exſtinguitur, menſes ſuppreſſi revocantur, ærumnæ atque ſollicitudines depelluntur, & toti corpori ingens accedit mutatio.

## Observatio X.

*Notabilis epilepſia ab animi paſſionibus inducta.*

Tribus circiter abhinc annis ex vicina quadam urbe ad me acceſſit, meumque flagitavit auxilium, vir quidam rei venatoriæ addictus, quadraginta annos natus, conſtitutionis valde robuſtæ, atque muſculoſi & carnoſi admodum corporis habitus. Ille nimirum ante duos menſes prævia vertigine, atque ſenſuum abolitione, ſubito in terram ceciderat, & per integram horam paroxyſmum epilepticum ſatis gravem toleraverat: quo etiam percellebatur ſubinde, quoties ira excandeſcebat. Quod vitam ante actam, & cauſſas malum illud inducentes attinet: gaviſus erat æger vegeta olim ac illibata ſanitate, niſi quod per intervalla vertiginem inciderit, atque ſenſum gravitatis, & ponderis in nucha perceperit. Alvi autem erat ſegnioris; ad iram facillimus; pro potu ordinario utebatur cereviſia valde lupulata atque ſpirituoſa; & corpus ſuum validis ac fortioribus motionibus, in horrida etiam cœli tempeſtate vi officii ſubeundis, ſæpenumero inſigniter defatigabat. Acciderat vero, ut à Præfecto ipſius coram Principe criminum quorundam, falſo quidem imputatorum accuſaretur: unde ſubito tam graviter animo commotus fuit, ut totum fere corpus ad præcordia uſque præ frigore riguerit. Haud ita multo poſt, dejecta prorſus ciborum adpetentia, largam cereviſiæ conſuetæ hauſit quantitatem: poſtridie ruſticulas juſſu Principis perſequuturus, in locis humidis ac paludoſis ad genua uſque per octo horas obambulavit; & cum tertia die vehemens acceſſerit iracundia, repente incidit in dictum ſuperius paroxyſmum epilepticum, qui cum ſpuma oris, corporis vehementi concuſſione, & ſubſequente membrorum ſumma laſſitudine ſtipatus, quater circiter recruduit. Notatu vero dignum eſt momentum, quod ſingulas acceſſiones præceſſerit ſpaſmus, tremor ac frigus brachii dextri; quæ ſenſationes abhinc ad nucham adſpirantes, tandem in convulſivos deſierunt motus. Pulſus ceterum ſatis magnus, ac validus erat; & facies florida, tumidaque. Suaſi igitur ſectionem venæ, quæ primum ſingulis binis menſibus, deinceps autem quovis anni quadrante celebrata fuit. Ad alvum, quæ vix alternis diebus reſpondebat, aperiendam commendavi paſſulas Corinthiacas rhabarbarinas, brevi ante epulas ter in ſeptimana ſumendas. Pro potu ordinario loco cereviſiæ ordinavi decoctum ex radice ſcorzoneræ, graminis, cichorei, & raſura cornu cervi concinnatum: veſperi ante lecti introitum ex largo aquæ frigidæ hauſtu ſumendum præſcripſi pulverem, ex lapidum cancrorum, concharum præparatarum ana drachmis duabus, ſuccini præparati, nitri purificati ana drachma una cum dimidia, cinnabaris ſcrupulo uno confectum; cujus drachmam unam pro doſi, alternis diebus cum triginta liquoris mei anodyni guttulis mixtam adhibuit. Nec ſpem feſellit hæc curatio: ſiquidem ſatis longo tempore à paroxyſmo ſuo liber manſit. Quamobrem continuavit quidem medicinarum uſum, ſed rarius illas ſumſit, atque refractiori doſi: præterea mane infuſum theiforme ex herba meliſſæ ac floribus tiliæ ſorbillavit; decoctum commendatum ſub prandio, inter cœnam vero & veſperi cereviſiam potavit: ira percitus illico pulverem nitroſum cum rhabarbaro adhibuit; & ſic per illos annos nullum amplius paſſus eſt paroxyſmum. Quum vero nonnunquam vertiginoſo inſultu infeſtari ſoleat: avertere illum poteſt, ſi protinus, percepta quadam acceſſione balſamum meum vitæ, aliquot guttulis goſſypio exceptum naribus intruſerit.

### *Epicriſis.*

Docet nos hæc morbi hiſtoria: 1) quod homines etiam robuſti, ſuccis & ſanguine pleni per vehementes animi commotiones, terrorem, iram atque frigus externum repente, atque ſimul & ſemel in graviſſimos capitis affectus, ac epilepticos motus incidere queant: quos affectus iracundiæ facillime revocare poteſt. Illis

lis enim cauſis ſucci vitales ex ſuperficie corporis ad caput copioſius compelluntur, ibidemque nervoſas partes ad ſpaſmodicas proritant ſtricturas.

2) Deinceps res notatu digna eſt, præſens malum abſque uſu ſpecificorum, cephalicorum, ac antepilepticorum, ſolis venæ ſectionibus, alterantibus, diluentibus, laxantibus, & bilem acriorem demulcentibus expugnatum fuiſſe. Nec cognitu difficilis eſt ratio: ſiquidem his remediis humorum moles imminuitur, acrimonia attemperatur, æqualis circulatio reſtituitur, & ſic cauſſa mali removetur. Sed horum medicaminum, utut refractiori doſi poſtea ſumtorum continuatione per ſatis longum tempus opus eſt; quoniam motus ejuſmodi præternaturales facillime iterum recrudeſcunt. Quo etiam fine operæ fuit pretium, poſt animi commotionem, ac iracundiam, abſorbentia blandis evacuantibus juncta propinare.

### Observatio XI.

*Epilepſia ex primis viis orta.*

Virgo generoſa, viginti annorum, ſanguineo-melancholica, cujus mater ex infelici puerperio comitialem ſibimet contraxerat morbum, tribus abhinc annis ex mala victus obſervatione quartanam inciderat febrim; cujus ſingulæ acceſſiones nauſea, atque inani vomendi conatu erant ſtipatæ. Accivit igitur medicum, qui præmiſſis incidentibus, intercalari die lene dedit vomitorium: quod quidem egregium præſtiterat effectum; cum autem ægra vix finitis vomitibus, frigido nimium indulſiſſet potui, enormes primum anxietates præcordiorum, & brevi poſt ipſam paſſa eſt epilepſiam. Vocatus iterum medicus ſuaſit, ut hauſta largius tepidiori aqua vomitus cieretur: quo facto evanuit epilepſia, febris remiſit, & menſtrua rediit purgatio. Verum enim vero, longo tempore præterlapſo, nova ſolicitari cœpit affectione; qua ſæpius nauſeam, ac levem animi defectionem, cum ſenſatione auræ frigidæ ex infimo ventre per latus dextrum aſcendentis, ſpirandi difficultatem inferente, & demum in formicantem manuum ſenſum, quem vocant, *das Einſchlafen*, abeunte percipiebat. Hoc vitium verſus lunam plenam infeſtabat vehementius, cum ſenſuum abolitione, & ſomni defectu, nunquam vero turbabat adpetitum: ſed denique, fruſtra datis uterinis, ac epilepticis, fruſtra quoque ſanguine miſſo, quotidie recurrebat aliquoties. Tandem ex improviſo in horrendam repente incidebat epilepſiam; qua paululum conſopita, omnes undique ex veſtibus colligebat acus, eaſque incredibili celeritate ori intrudebat; ut ad illas eximendas magno opus fuerit labore. Abhinc de inſigni, atque tanta conquerebatur abdominis tenſione, ut cutim externam vix corrugare potuerit, menſibus ceterum rite fluentibus. Conſultus ego commendavi, ut præter exactam diætam, quavis ſeptimana vel vomitus emetico ex radice ipecacuanhæ, lapidibus cancrorum, & tartaro vitriolato confecto moveretur, vel alvus pulvere rhabarbarino ſubduceretur; porro ſingulis menſibus binæ cucurbitulæ cum ſcarificatione admoverentur: mane infuſum theiforme ex floribus tiliæ ac ſambuci ſorbillaretur, & ex illo liquor meus anodynus nonnunquam ſumeretur. Dedi quoque pulverem meum antepilepticum, pondere ſcrupulorum duorum ſæpius capiendum; & denique ventriculi regionem ac dorſi ſpinam, nervino inungi juſſi linimento. Horum remediorum uſum excepit tumor linguæ, gingivarum, & glandularum colli inflammatorius, cum copioſa ſalivatione, per quatuordecim inhærente dies. His autem ope gargariſmatum debellatis, ægrota à malo ſuo per aliquot dies libera vixit, ac incolumis. Quin licet etiam recrudeſcerent convulſivæ agitationes: illæ tamen priſtinis longe mitiores deprehendebantur, & notabile fuit, iis finitis ægram ingenti ſemper aviditate cibos, minus quidem maſticatos devoraſſe. Inde de acidis ructibus, ac amaro ſapore conqueſta, incidebat demum in tertianam febrem: cujus horridam acceſſionem epilepticus ſemper, utut levior, comitabatur inſultus, atque vomendi conatus, ſæpius vomitus materiæ mucidæ ac inſipidæ accidebat. Curata vero congruis ſubſidiis hacce febre, ægrota abſque ullo virium decremento bene habere cœpit.

### *Epicriſis.*

Affectum hunc ex ſolo primarum viarum vitio, nempe cruditatibus acido-viſcidis bilioſis, in duodeno ſtagnantibus, quæ etiam quartanam progenerarunt, ortum fuiſſe, nullum eſt dubium; eo magis, cum in noſtra ægrota hæreditario jure quædam generis nervoſi ad morbos ſpaſmodicos deprehendatur diſpoſitio. Hiſce remotioribus cauſſis cum denique accederet aquæ frigidæ poſt ſumtum emeticum potus; non mirum, ſi exinde ſpaſmus ventriculi exacerbatus, primum anxietates præcordiorum induxerit, ac in ipſam demum eruperit epilepſiam. Frequentius enim obſervavi, cardialgiam ſpaſmodicam, ſi fuerit vehementior, ſæpenumero in epilepticos tranſire motus; quoniam videlicet inſignis inter nervoſas ventriculi & capitis partes, vi octavi nervorum paris, intercedit conſenſus. Quemadmodum vero potus ille frigidus tam atrox malum procreavit: ita è contrario tepidior ipſi ſopiendo perquam fuit opportunus. Non enim ſolum calore ſuo partes nerveas, ſpaſmo tenſas iterum relaxavit; verum etiam largiori copia leviorem excitavit vomitum, quo reſtans adhuc ſaburra eliminata, atque ideo omnis morbi cauſſa remota fuit. Notatu ſubinde perquam dignum eſt, quod ſub præſenti malo, & præſertim tenſione illa abdominis, quæ ſpaſmorum eſt progenies, menſes rite fluxerint. Hunc autem fluorem minime ſecundum naturam fieri, ſed omnino præternaturalem eſſe credo, qui ex vehementi dolore atque ſtrictura partium in imo ventre ſitarum ſuos mutuatur natales: unde etiam factum eſt, ut ſub hac critica excretione, ſpaſmodica nihilo minus continuaverint ſymptomata. Tandem vero ex hac morbi hiſtoria adparet, quod quemadmodum epilepticum malum ex febre intermittente male tractata ſuboriri poſſit; ita illud etiam nova ſuperveniente febre iterum feliciſſime debelletur, uti in præſenti caſu tertianæ factum eſſe deprehendimus. Ratio in aprico eſt: hæ enim febres, dum obſtructionibus ac infarctibus viſcerum reſerandis convenientiſſimum ſint remedium; expugnando cauſſam ſpaſmodicorum motuum, ipſum quoque morbum tollunt.

### Observatio XII.

*Epilepſia ex intermiſſa venæ ſectione.*

Viginti annorum virgo, corpore ſtrictiori, venis amplioribus ac ſanguine plenis, animo autem ad iracundiam ac terrorem admodum proclivi prædita, per totum quidem vitæ ſuæ tempus lauto atque copioſo induiſit victui; ſed parciſſimo potu uſa fuit, & ab illo per tres ſæpenumero dies abſtinuit. Neque tamen minus juſto tempore menſes ſatis largi fluere cœperunt; & tanta inſuper humorum abundantia infeſtavit, ut à decimo ſeptimo anno bis quotannis venam in pede ſecandam præbere debuerit; nec ſine egregio fructu. Sanguis ex vena detractus ſemper admodum ater, atque exigua ſeri quantitate præditus adparuit. Sed cum binis abhinc annis ſolitam ſanguinis miſſionem neglexiſſet; accidit, ut medio autumno ex improviſo convulſionibus corriperetur epilepticis, cum pectoris, capitis, artuumque vehementiori agitatione, & accedentibus ſubinde lipothymiis, omniumque virium inſigni proſtratione ſtipatis. Verum enim vero aucta ſucceſſive diaphoreſi, citra aliorum remediorum uſum, hæ moleſtiæ remiſerunt. Interim cum nihilo ſecius priſtinæ vivendi rationi inhæreret, ſolidiores cibos magna cum adpetentia aſſumeret, potui parciſſimo indulgeret: factum eſt, elapſo biennio, ut, intermiſſa denuo circa autumnale æquinoctium venæ ſectione, poſt præviam animi vehementiorem excandeſcentiam, eodem ac olim menſe, atrocem rurſus inciderit epilepſiam. Namque per intervalla horarum aut dierum, mox mentis deliquia, cum pulſus ac ſenſationis ceſſatione; mox vehementiſſimæ thoracis & mammarum elevationes, præcordiorum anguſtiæ, furibundi artuum, maxime manuum, in abjiciendis corporis integumentis geſtus, cum pulſu celerrimo ac fortiſſimo, ſitique ferme inextinguibili, miſere diſcruciarunt ægram. His autem poſt aliquot dies, per congrua antepileptica, præſertim liquorem anodynum, eſſentiæ caſtorei nuptum, conſopitis ſymptomatibus, ſucceſſerunt capitis dolores, cum febrili pulſuum celeritate, æſtu atque ſiti ingenti; pectoris oppreſſione, tuſſi ſicca, & dolore hypochondrii ſiniſtri atrociſſimo juncti. Quamobrem ſanguinis ſex unciæ, ex vena in pede tuſa, detrahebantur; dabantur pulveres rhabarbarini, cum nitro & lapidibus cancrorum permixti; propinabatur poſt aliquot dies ſalis Sedlicenſis uncia una cum dimidia; purgabantur leniter primæ viæ, ſubjungebantur pulveres diaphoretici, & liquor anodynus, ac denique elixirium viſcerale ſub epulis exhibebatur. Quibus demum factum eſt, ut ægra priſtinæ ſanitati perfecte reſtitueretur.

#### *Epicriſis.*

Docemur ex hoc caſu, à ſola ſanguinis craſſi atque glutinoſi, ob defectum ſufficientis potus, ac motus cumulata mole, præſertim in fœminis, quando menſes non ſufficienter fluunt, venæ ſectio negligitur, & denique iræ affectus ſupervenit, epilepticum malum excitari poſſe, à qua cauſſa generatæ epilepſiæ longe facilior eſt curatio. Præterea in noſtro caſu ſpaſmus primarum viarum, non minus à ſtagnante ibidem ſanguine productus, febrilibus originem dedit commotionibus: quarum demum ope materia nervoſo generi inimica penitus diſſoluta, evacuata, & ægra denique a malo ſuo liberata fuit.

### Observatio XIII.

*Epilepſia infantilis ex vitiis nutricis.*

Uxor viri, cujus obſervatione X. mentio facta fuit, eo tempore, quo maritus primum epilepſia tentabatur, gravida, peperit quidem juſto tempore infantem per omnia ſanum; ſed poſtea crebrius vel ex lacte corrupto, vel dentitione epilepticos paſſum motus. Neque vero tantum illi metum incuſſerunt, ut mater medicos conſuleret; ſed ex dato pulvere marchionum, cum rhabarbaro maritato ſemper remiſerunt.

#### *Epicriſis.*

Hic caſus confirmat id, quod multoties obſervavi; infantes nimirum à matribus, quæ geſtationis tempore gravioribus animi paſſionibus indulſerunt, aut affectibus hyſtericis, arthriticis atque ſpaſmodicis nimium excruciatæ fuerunt, natos facillimos eſſe ad ſubeundos ex leviſſima cauſſa motus convulſivos. Simul ac enim lac ſugunt impurum, ac corruptum, protinus illos incurrunt: quo quidem in caſu nihil deprehendi præſtantius, quam pulveres ex rhabarbari, lapidum cancrorum ana drachma una, & ſeminis cymini granis duodecim paratos, ſi eorum octava circiter pars bis quotidie propinetur. Hoc loco monendum omnino duxi, ut nutricum recta habeatur ratio; quippe quarum culpa plerique infantum in hos atroces conjiciuntur morbos. Omnem nimirum curam impendere illas oportet, ut lac conſervent purum; nec illud, ſi jam inveteratum fuerit, aut nutrices diu mammas præbuerint, infantibus porrigant. Placent mihi verba, quæ de nutricum regimine habet ALEXANDER TRALLIANUS *Lib.* I. *pag.* 63. quæ cum totam ferme rem exhaurire videantur, hic allegare haud alienum credo: *Juvare nos*, inquit, *curamque habere oportet, ut lac nutricis benignum ſit, & recrementis liberum; fiet autem probi bonique ſucci, ſi nutrici animum adhibeas, ipſa mediocriter exerceatur, & cibis boni ſucci veſcatur. Si lac fuerit tenue, paullo craſſius efficere convenit: ſin craſſum, extenuare quibuſdam, quale eſt fœniculum, aut anethum, aut aniſum, aut erucam, aut rutam: omnia vero hæc, dum viridia ſunt, aſſumantur. Fugiantur cuncta, quæ menſes ciunt, his enim fluentibus, neceſſe eſt, lac imminui: quare etiam venus lactentibus eſt inimica, lac enim tenue & fœtidi odoris inde fit. Si contingat concipere, adhuc multo fit pernicioſius, ac cavendum eſt, ne illa nutrix alterius mammillam porrigat. Lac ſi fuerit craſſum ac caſeoſum, excitat infantibus convulſiones: quare opus eſt, ut nutrix ante cibum corpus moveat.*

Plures de hoc morbo caſus legi poſſunt in *Conſultationibus medicis*, nuper editis *Sect. I. caſibus* XXVIII. ad XXXII.

CAPUT

## CAPUT II.

### *De Motibus Convulſivis.*

§. I.

*Definitio Convulſionum.* SI ullum morbi genus eſt, quod immani ferocitate, ac horrendis viſu ſymptomatibus mortales excruciat, certe ſunt motus convulſivi. Hi vero, cum à convulſionibus non niſi nomine differunt, ſunt præternaturalis, ac ſumme violenta partium nerveo-membranoſarum & muſculoſarum, trunci potiſſimum, ac artuum externorum contractio, à membranarum, medullam ſpinalem, & inde prodeuntes nervos cingentium, ſpaſmodica ſtrictura, & impetuoſiori liquidi tenuiſſimi in organa motoria influxu excitata.

§. II.

*Differentia convulſionum ab epilepſia.* Hinc mox adparet differentia, quæ motus convulſivos ac epilepſiam intercedit. Quemadmodum enim hujus primaria cauſſa in nerveis illis, quæ cerebrum ac reliquas capitis partes ſub nomine duræ, piæque meningis inveſtiunt, membranis reſidet: ita è contrario convulſionum vera ſedes in illis membranis, quæ ſpinalem potiſſimum medullam, ac inde propullulantes nervos ambiunt, quærenda eſt. Differunt non minus utriuſque affectus ſymptomata; licet pleraque ob arctiſſimum, quo hæ nerveæ invicem gaudent membranæ, conſenſum, ferme eadem, ſaltem admodum convenire deprehendantur. Enim vero in ipſa epilepſia obſervantur mentis alienatio, ſenſuum tam internorum, quam externorum defectio, ſpuma oris, pollicum in manus compreſſio, & denique, ſi malum ceſſaverit, omnium geſtorum ignorantia. Sed hæc fere à convulſivis motibus aliena videntur: nam nec mentis error incidit, nec os ſpumam reddit, nec pollices in pugnum colliguntur: quæ ſi contigerint, hos cum epilepſia complicatos eſſe indicant, & malum conſtituunt convulſivo-epilepticum.

§. III.

*Objectum convulſionum.* Proprie malum convulſivum, more ſpaſmodicis motibus conſueto, in eas potiſſimum partes tyrannidem ſuam exercet, quæ nervoſæ, fibroſæ, ac membranaceæ ſunt. Sed cum hæ aliis muſculoſis, glanduloſis, cartilagineis, oſſeiſque copioſiſſime deprehenduntur intertextæ; illas quoque in ſæviſſimarum motionum rapiunt ſocietatem. Atque licet externas potiſſimum regiones, ac artus excrucient hi violenti motus; attamen ad interiora etiam viſcera penetrant, in iiſque ſontica mala machinari valent.

§. IV.

*Signa convulſiones antecedentia.* Variis modis hæc adfectio miſeros adoritur: quoſdam enim ſubito abſque ullis venturi mali notis prehendit; in aliis autem ſignis quibuſdam ſui adventum prænunciat. Horum potiſſima ſunt artuum externorum, maxime pedum refrigeratio, vel formicans ſenſus; qui etiam os coccygis occupat, & inſtar auræ frigidæ per ſpinam dorſi aſcendit. Accedunt hypochondrio ſiniſtro tenſivi inflativi dolores, & alvi tanta obſtipatio, ut nec flatus, nec excrementa exire queant, nec ſæpius tenuiſſima fiſtula anum intrare poſſit, aut etiam glandes ac enemata vi ſpaſmorum per vomitum cum ſtercore ejiciantur. Veſica conſtringitur arctiſſime, ut urinæ vel nullæ, vel tenues ac albæ reddantur. In aliis præcedunt oſcitationes, pandiculationes, totius corporis tremores; vel etiam præcordiorum anxietates, cum pulſu inæquali duro, contracto, cardialgiæ, nauſeæ, vomitus, cordis palpitationes, deglutitionis impedimentum, dolores capitis, dentium, tinnitus aurium, vertigo &c. & tum excipiunt convulſiones.

§. V.

*Paroxyſmorum deſcriptio.* In ipſo paroxyſmo artus potiſſimum externi mirum in modum agitantur, huc vel illuc trahuntur, retrahuntur, diſtenduntur, criſpantur, jactantur, contorquentur, & incurvantur. Mox brachia in tergum retorquentur, ut illis inſidere videantur; mox inanibus auram verberant ictibus; mox pedes in varias plagas abripiuntur; mox valide terram quatiunt & conculcant; mox ſpina dorſi incurvatur, & veluti arcum format, pectus attollitur; mox totum corpus obrigeſcit, & ſaxo magis immotum tenetur &c. Multos hæ agitationes in eo ſitu, quo ſunt, occupant, nec in terram proſternunt; alii more epilepticorum ſubito concidunt, flent, rident, dentes commordent, ore hiant, linguam exſerunt, oculos variis modis contorquent, & capite circumgyrantur. Quemadmodum vero geſtus ac motus partium, quos in hoc morbo deprehendimus, mira ac incredibili varietate triſtem ſcenam ludunt; cujus ſingulares recenſiones occurrunt in M. N.C. *anno VI. obſ.* 23. *Dec.* 1. *anno* 9. *obſ.* 64. *Dec. II. anno* 3. *obſ.* 77. *anno* 7. *obſ.* 135. HORSTII *epiſtol. pag.* 356. *&c.* ita longe majorem admirationem meretur, & portento videtur ſimillimum, tales ægros haud raro peregrinas, quas nunquam didicerunt, linguas ſtrepere, & inſtar vatidicorum futura præſagire. Unde quoque à veteribus pro dæmoniacis habiti fuerunt. Vid. FORESTUS *obſ. med. Lib. X. obſ. LVI. Schol. pag.* 486.

§. VI.

*Paroxyſmorum ſolutio.* Superatis acceſſionibus plurimi ineffabilem totius corporis pedumque languorem retinent; multi in animi deliquia, altumque ſoporem delabuntur; quibuſdam exploſione ructuum, flatuum, vomitu, copioſa lymphæ ex gula rejectione malum ſolvitur. Sæpius muci vel ſanguinis evacuatio per nares, uterum, hæmorrhoides &c. inſequitur: quidam clamore, aliiſque innumeris modis acceſſionem finiunt. Ceterum in his ægris ſomnus eſſe ſolet turbulentus, terroris, timoriſque plenus; adpetentia ciborum vaga; alvus plerumque ſegnis & pigra; ægroti ad ſudorem difficillimi, ad animi vero paſſiones, & præſertim *συμπάθειαν* admodum proni obſervantur. Acceſſiones modo longiores, modo breviores, per intervalla mox breviora, mox longiora recidunt: & lunæ mutationes ſæpe ſtrictiſſime obſervant; quid? quod nota mihi ſunt exempla, ubi certo anni tempore reverſæ, per aliquot duntaxat menſes ſævierunt, poſtea ex toto ſiluerunt. In ſexu ſequiori menſium eruptionem vel antecedunt, vel ipſum fluxum comitantur: ſumtis epulis frequentiores exiſtunt ac ſæviores; & à leviſſimis cauſis, præſertim animi affectibus facillime excitantur.

§. VII.

## §. VII.

*Convulſionum ſubjecta.*

Ferali huic malo præ aliis obnoxii deprehenduntur, qui genus nervoſum debile vel ex nativa conſtitutione, vel aliis cauſis obtinent; eo magis, ſi ſuccorum vitalium impura acceſſerit temperies. Hinc etiam morbus ille non ſolum per hæreditatem ad liberos tranſit, verum etiam per longam generis ſeriem, quaſi per manus poſteris traditur: maxime ſi parentes hypochondriaci, hyſterici, arthritici, hæmorrhoidarii fuerint, vel mater gravida ad graviores animi commotiones inclinaverit. Ex eodem fundamento pueri, adoleſcentuli, præ adultioribus; fœminæ præ viris huic affectui ſunt expoſiti: ad quem etiam proclives reperiuntur, qui animi ſenſibilioris & ingenii acutioris ſunt, veluti cholerico temperamento præditi.

## §. VIII.

*Cauſſa proxima motuum convulſivorum.*

Sed miſſa motuum convulſivorum hiſtoria, pathologiam aggreſſuri, cauſſam illorum proximam in membranarum medullam ſpinalem cingentium, & inde productarum partium nervoſarum valida ac violenta ſtrictura ponimus. Hinc patet, in convulſionibus illas duntaxat partes agitari, quæ ex ſpinali medulla nervos ſuos mutuantur: cum autem dictæ membranæ cum cerebri meningibus, cujus ſunt productiones, intima communione gaudeant; cognitu facillimum eſt, cur convulſivi cum epilepticis motibus frequentius complicentur; quin & in hos ſæpenumero tranſeant.

## §. IX.

*Structura medullæ ſpinalis.*

Hæc, ut eo clariora fiant, haud ignorari oportet, medullam ſpinalem eſſe cerebro ſimilem, ex parte alba ſeu medullari, & cinerea compoſitam, cerebro continuam: (*vid.* HIPPOCRATES *L. de carnibus Sectio III.* GALENUS *L. XII. de uſu partium Cap. XV.* VESLINGIUS *Anat. Cap. XIV. pag.* 224.) uno communi membranaceo involucro, quod ſpondylis vertebrarum adhæret, & tribus propriis membranis, intima ſecundaque à pia cerebri meninge productis, tertia ex dura matre propagata inveſtitam, & intra ſpecum vertebrarum reconditam. VIEUSSENS *Neurograph. Lib. II. cap.* 1. Gaudet illa vaſis ſanguiferis arterioſis pariter, ac venoſis, per ipſam illius ſubſtantiam diſſeminatis. Recipit nimirum arterioſos ramos ex arteriis vertebralibus, & trunco aortæ deſcendente: ex quibus refluus cruor per venulas primum in ſinus vertebrarum venoſos, in venas vertebrarum, venam ſine pari, aliaſque venulas, & tandem in venam cavam aſcendentem effunditur. *Vid.* VIEUSSENS *loc. cit. Tab. XVIII. fig. I. II. III.* Denique ea potiſſimum hujus medullæ videtur eſſe functio, ut varios è ſinu ſuo nervos emittat; quorum triginta ſunt paria, & duo nervi ſpinales, acceſſorii à WILLISIO dicti, qui ad par vagum tendunt. *Ibid. Tab. XIX. fig.* 11. Hi ergo nervi primum ad muſculos cervicis, colli, pectoris, dorſi, abdominis, artuum ſuperiorum & inferiorum tendunt, harumque partium motui inſerviunt; deinde per interna pectoris ac abdominis viſcera diſtribuuntur, membranas in iis obvias conſtituunt; & denique varios inſigneſque ramos ad muſculos externos faciei capitiſque dimittunt, & ad horum motum multum contribuunt.

## §. X.

*Differentia convulſionum in idiopathicas, & ſympathicas.*

Hanc allegatam cauſſam, quicunque cum omnibus morbi ſymptomatibus rite comparaverit: facile illorum nexum rationalem invenire, ac cauſſam mechanicam reddere poterit. Sed notandum eſt, hanc dictarum partium convulſivam irritationem duplici contingere poſſe ratione: namque vel ipſæ ſpinalis medullæ membranæ primario irritantur, convelluntur, & in hanc convulſionum ſocietatem alias ſibi connexas partes abripiunt; vel harum partium quædam prius ſpaſmodice afficiuntur, & hanc diſtentionem cum medulla ſpinali communicant; ex qua ad alias iterum defertur regiones. Hac ratione, quid obſtat, quo minus prioris generis convulſiones idiopathicas, poſterioris ſympathicas adpellemus.

## §. XI.

*Convulſiones ab animi affectibus.*

Inter cauſſas autem mediatas, quæ ad ſpaſmodicam hanc medullæ ſpinalis conſtrictionem diſponere valent, principem locum occupant graviores animi paſſiones: quibus ad inducendos non minus, quam fovendos hoſce diros motus nihil eſt efficacius, maxime ſi externum frigus, & diætæ errores acceſſerint. Memorabilem *de dira convulſione, ex ſubita animi conſternatione ob commiſſum antea ſtuprum excitata* caſum allegat HENRICUS AB HEER *obſ. XXIV*: & quid frequentius, quam homines, præſertim juniores ex gravi terrore ac iracundia vehementiſſime convelli? Eximia inprimis in hiſce morbis excitandis, nimiæ libidini, veneriſque præmaturo aut immodico exercitio vis eſt: unde quoque coitus parva epilepſia vocatur.

## §. XII.

*Convulſiones ex vitio humorum.*

Deinde inter horrendi hujus mali cauſſas materiales recte collocatur ſuccorum vitalium vitium; eorumque præſertim dyſcraſia quædam acris, ſalina, ſcorbutica. Hinc ſæpenumero enaſcuntur convulſiones ab arthritide, podagra, ſcabie, purpura &c. intra corpus retropulſis; & his iterum ad externum habitum, & artus erumpentibus, denuo mitigantur. Quum autem porro impuritati humorum inducendæ nihil magis faveat, quam ipſorum abundantia, vel ſpiſſitudo; maxime ſi excretiones naturales per ſudorem, vel alvum, vel etiam ſanguineæ hæmorrhoidales, ac uterinæ fuerint imminutæ aut ſuppreſſæ: facile patet, cur morbis hypochondriacis, hyſtericis, menſium ac hæmorrhoidum obſtructione tentati, hiſce convulſivis ſpaſmis præ aliis obſerventur obnoxii. Hinc quoque crebra obvium eſt experientia, quod virgines, menſtruam nondum paſſæ excretionem, ſævis convulſivis, ſpaſmodiciſque tententur agitationibus; quæ orto menſium fluxu ſæpenumero ceſſare deprehenduntur.

## §. XIII.

*Convulſiones ex vitio primarum viarum.*

Si ulterius inquiramus in eas nervoſas partes, ex quibus ſtricturæ convulſivæ ad ſpinalis medullæ membranas propagari ſolent: has inter principem locum ſibi vindicat membranaceus ventriculi ac inteſtinorum canalis, cujus vellicationes efficaciſſimam cauſſam univerſi generis nervoſi diſtentionibus ſuppeditant. Ipſæ enim hæ partes vi fabricæ earundem nerveo-mem-

branaceæ inſignem proclivitatem poſſident ad ſuſcipiendos motus irregulares, & à leviſſima cauſſa graviter adficiuntur. Cum autem ventriculus nervos ſuos primum ab octavi paris ramo externo tam dextro, quam ſiniſtro; deinde etiam à nervis ex prima, ſecundaque dorſi vertebra emergentibus, & in coſtalem ramum abeuntibus mutuetur; & inteſtina ramos nerveos à ramo octavi paris interno, cum intercoſtali concurrente, & plexum meſentericum formante adipiſcantur: ratio in aprico eſt, cur harum partium ſtricturæ ad membranas ſpinalis medullæ, & univerſum nervorum genus facillime propagentur.

§. XIV.

*In duodeno latet ſæpius fomes convulſionum.*

Tali ratione non frequentiores occurrunt convulſiones, quam quæ in duodeno potiſſimum inteſtino primariam agnoſcunt ſedem: in quo ſtabulantes cruditates acidæ, atque viſcidæ, ob concurſum bilioſi ac pancreatici ſucci, promtiſſime acrem, ac cauſticam fere indolem acquirunt. Sic notabilem caſum de catalepſi cum horrendis convulſionibus, cujus fomes in primis viis hæſit, recenſent M. N. C. *Dec. III. anno III. obſ.* 138. Hinc etiam remedia acria, cauſtica, atque venena, rodendo membranas inteſtinorum, convulſiones univerſales excitare valent. Sic has à vino lithargyrio dulcificato obortas referunt M. N. C. *Dec. III. anno IV. obſ. XXX. pag.* 81. Et quem fugit, purgantia acriora idem ſæpius excitaſſe malum? Conf. iterum M. N. C. *Dec. II. anno VII. obſ.* 162. Hæc omnia eo certius fiunt, faciliuſque, ſi ſcorbutica concurrat diatheſis: hinc *de convulſionibus epilepticis violentis ex clyſtere acriori in doloribus ventris ſcorbuticis incaute adplicato excitatis notabilem recenſent obſervationem M. N. C. obſ.* 77. *dec. II. anno* 3.

§. XV.

*Convulſiones à vermibus.*

Huc etiam pertinent obſervationes, quarum innumeræ à probatiſſimis auctoribus proditæ leguntur, de vermibus in inteſtinis ſtabulantibus, admirandas motuum convulſivorum ſpecies, ambulatorias, rotatorias &c. maxime in pueris excitantibus: quales notatu dignos caſus reperies apud GEORGIUM HORSTIUM *epiſt. medicin. Sect. III. pag.* 377. *M. N. C. Dec. I. anno VI. obſ.* 187. *item Dec. III. anno III. obſ. XCIX. &* FORESTUM *obſ. med. L. X. obſ.* 117. Si in cauſſas inquirimus, illæ non ſolum in roſionibus ac vellicationibus inteſtinorum, quæ quidem in infantibus locum obtinent, conſiſtunt; verum, ubi in adultioribus contingunt, magis mortuis in inteſtinis vermibus ſunt accenſendæ; qui putredinoſum vaporem ſpargunt, ac nervoſo generi inſinuant: unde in hiſce caſibus halitus oris ſæpius deprehenditur fœtidus, ac cadaveroſus.

§. XVI.

*Convulſiones ex læſione veſicæ & uteri.*

Quum porro veſica urinaria atque uterus ramos ſuos nerveos accipiunt ab interni octavi paris rami infimis ramulis pariter, ac quibuſdam oſſis ſacri propaginibus: facile judicari poteſt, cur harum etiam partium vellicationes, ſpaſmi, atque graviores læſiones in convulſiones abeant. Quot innumera ſunt exempla convulſionum epilepticarum ex ſuppreſſione urinæ productarum? teſte celeberrimo ETTMULLERO *Coll. Practic. P. II. Tom. I. pag.* 658. Ut omnia ſilentio prætereeam; haud rara ſunt exempla, quod peculiares artuum convulſivæ motiones in parturientibus obſerventur; quando nempe ſpaſmi uterini ſuperiora petunt, & nervos medullæ ſpinalis invadunt. Unde manus atque collum ſæpius hinc inde ex uno latere ad alterum agitantur, pectus valide attollitur, contremiſcunt membra, totumque corpus: & niſi conquieſcant, & ad fœtum expellendum rurſus deriventur, infanti non minus ac matri ſatis grave, ac ipſius vitæ minantur periculum. Quamvis enim notiſſimum ſit, nullum partum abſque motibus ſpaſmodico-convulſivis obtineri: probe tamen tenendum eſt, eorum ſedem in utero potiſſimum, oſſe ſacro, viciniſque muſculis naturaliter reſidere debere. Quando vero à variis cauſſis ſimul ad ſuperiores corporis regiones propagantur, medullæque ſpinalis ſuperiorem partem occupant; varias horrendas, triſteſque ludunt tragœdias.

§. XVII.

*Convulſiones ab externis læſionibus.*

Non minus externas ipſius medullæ ſpinalis pariter, ac aliarum remotiorum etiam nervoſarum partium læſiones inſequuntur horrendæ convulſiones. Fracturis atque luxationibus vertebrarum dorſi, ubi feſtucæ oſſeæ pungunt ſpinalem medullam, ſupervenire motus convulſivos; cuivis chirurgorum notum eſt. Et quem fugit, quod graviora nervoſarum partium vulnera, nervorum vel incauta venæ ſectione, vel aliis cauſſis inductas puncturas ac vellicationes, graviſſimæ excipiant convulſiones? Talem caſum de convulſionibus ex nervo in manu puncto ſubortis annotavit RHODIUS *obſ. cent. I. obſ.* 32. *&* 50. ex punctura nervi per venæ ſectionem male peractam FORESTUS *obſ. Lib. X. obſerv.* 118. *&* 119. ex vulnere obſ. 120. &c. quid? quod de motibus hiſce violentis ab unguibus incaute reſectis caſum adferat RHODIUS *loc. cit.* Hinc quoque puncturæ, vulnera, atque læſiones quarundam capitis exteriorum partium & muſculorum ſæpius in convulſivos motus abire deprehenduntur, & hos quidem à læſione muſculi temporalis excitatos vidi. Nec etiam mirum: nam ex nervo ſecundo verticali rami quidam ſurſum per aurem externam reflexi, varios ingrediuntur faciei muſculos, annotante VIEUSSENS *Neurograph. Tab. XXIV.*

§. XVIII.

*Convulſiones ab ictu & morſu animalium.*

Eidem fundamento innituntur convulſiones ab ictu variorum inſectorum productæ. Harum admirandam ſpeciem *à morſu muſcæ majoris* allegant A.N.C. *dec. I. anno IX. obſ.* 65. Has præprimis ſtupendas artuum, dorſique agitationes, incurvationes, jactationes cum turbata etiam phantaſia ſtipatas, ab ictibus morſibuſque ira percitorum inſectorum excitari, multæ à probatiſſimis medicis conſcriptæ atteſtantur hiſtoriæ: ex quibus etiam clariſſimum fit, valde exilem, & admodum pernicioſam eſſe illam materiem, quæ tantos tumultus, & irregulares motus in univerſo nervorum, nervoſarumque partium ſyſtemate ſuſcitare valet.

§. XIX.

*Prognoſis omnium convulſivorum.*

Quamvis horrendum, terroriſque plenum hoc malum adpareat: neutiquam tamen adeo funeſtum eſt, ut quos corripuit, ſubito occidat. Ubi recens eſt, ætas junior, ac reliqua corporis conſtitutio integrior acceſſerint: ſpes eſt facilioris ac brevioris curationis. Quod ſi ſanguinis

his naturales excretiones per uterum aut hæmorrhoides ſuppreſſæ hunc affectum foverint; hic illis iterum revocatis omnino mitigatur, ac prorſus depellitur. Contra vero, ſi humores ſpiſſi ac impuri ſunt, excretiones ſuppreſſæ manent, temperamentum accedit ſenſibilius, ætaſque provectior, ac ipſum malum vel hæreditarium, vel temporis diuturnitate in pertinacem habitum degeneratum eſt: perarduum omnino videtur, illi penitus mederi. Tum enim non ſolum fluidæ partes peccant; verum etiam ſolidæ nerveæ, in quas actis halituoſa materia veluti impacta, ac jus hoſpitii nacta eſt. Præterea nervi, dum ſub violentis concuſſionibus admodum extenduntur, loco fluidi tenuiſſimi ac ætherei vapore craſſiori aëreo adimplentur, & hinc difficillime in naturalem reducuntur ſtatum. Exinde quoque his morbis obnoxiorum hominum inſigne, quo ſub paroxyſmo pollent, robur derivandum eſt. Haud etiam raro, accedentibus præſertim mala victus obſervatione, aut perverſa medicatione, convulſiones abeunt in veram epilepſiam, vel etiam melancholiam hypochondriacam. Et denique quicunque iis pereunt, apoplexia abripiuntur: hinc in diſſectis cadaveribus in ipſo cerebro vel vaſorum à ſtagnante in iis ſanguine infarctus, ac diſtenſio; vel cruoris aut ſeri hinc inde in ventriculis cerebri, vel medulla oblongata extravaſatio in conſpectum veniunt.

## *CURATIO.*

### §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Convulſivos motus expugnaturo, tres occurrunt potiſſimum indicationes, quarum prima eſt, ut cauſſas materiales malum foventes corrigat, ad exitum præparet, & opportune è corpore ejiciat: deinde violentas & irregulares partium nervoſarum motiones demulceat; ac denique ne more ipſis conſueto iterum recrudeſcant, genus nervoſum corroboret. Ante omnia vero, maxime ſi paululum inveteratus fuerit affectus, monendus eſt æger, ut curationem ſumma patientia per aliquod tempus protrahat. Neque enim illam multis ac draſticis remediis perficere, ſed magis blandis, ac naturæ congruis inſtituere convenit præſidiis; quæ patientia, ac temporis diuturnitate adjutæ omne curationis momentum abſolvere poſſunt.

### §. II.

*Venæ ſectio ubi celebranda.*

Itaque, circa curandi rationem generatim ita tenere oportet. Quod ſi malum juxta Hippocratem à nimia humorum repletione ſubortum; aut ſanguinis juſto copioſior moles, aut ſpiſſitudo cum pulſu magno fuerit præſto, & præſertim temperamentum accedat ſanguineum: à ſanguinis detractione auſpicium curationis capiendum eſt, pertuſa vel in brachio, vel pede vena. Neque etiam minus pro ratione plethoræ venæ ſectiones bis vel ter in hoc morbo iterandæ; vel etiam ſcarificationes interponendæ ſunt. Præſtat vero paroxyſmo ſoluto, quam in ejus acceſſione ſanguinem mittere: non ſemel enim inde longe truculentiora, & diutius perſeverantia animadverti ſymptomata.

### §. III.

*Diætetica ac ſimpliciſſima præſidia.*

Deinde vero nunquam fere vidi debellatos motus convulſivos, niſi accedente recta victus ratione. Quamobrem inveteratis potiſſimum convulſionibus accommodatiſſimum eſt, aërem, locumque, præſertim ſi vappidus nimium ac humidus exſtiterit, permutare; atque ſub cœlo ſereno ac clementiori vivere, itineribus ac crebris exercitiis corpus ſedulo movere. Cibi etiam ſeligantur congrui, molliores, ac concoctu faciliores; omneſque potus calidiores, ſpirituoſi, vinoſi ac cereviſiarii evitentur: quorum in locum pro potu ordinario aſſumenda ſunt decocta ex radice ſcorzoneræ, raſura cornu cervi concinnata, aut ſerum lactis, aut acidulæ Selteranæ. Tum quoque in uſum vocanda ſunt pediluvia, quæ ex ſola aqua fluviatili, furfuribus triticeis, ac floribus chamæmeli parari poſſunt. His duntaxat tepidioribus circa lecti introitum pedes paullo profundius immittere, & tum in lecto leniter ſudare oportet: ſic enim humorum circuitum promovendi, & ſtricturas ſpaſmodicas conſopiendi, egregiam poſſident virtutem.

### §. IV.

*Laxantia, ubi ſint adhibenda.*

Inprimis vero nihil moliendum eſt, niſi alvus ſimul conſervetur aperta: quo quidem fine, ſi pigra eſt, & officio ſuo haud reſpondet, conducunt vel pilulæ balſamicæ, vel infuſa ac potiunculæ mannatæ, vel manna loco ſacchari ex infuſo calidiori ſumta, vel denique, ſi plane obſtructa fuerit, clyſteres emollientes, fortiter oleoſi etiam iterandi. Quando vero mali fomitem in primis viis reſidere, certa ſunt indicia; conſultum eſt, præſertim circa lunæ mutationes emeticum cum laxante jungere; & e. g. decocto mannato, quod recipit unam mannæ unciam, grana duo vel tria tartari emetici admiſcere: ut per ſuperiora pariter ac inferiora ſufficiens humorum vitioſorum fiat evacuatio.

### §. V.

*Aquæ ſimplicis uſus.*

Inter ſimpliciſſima, ac diætetica, quæ morbis convulſivis incredibilem ferre ſolent opem, remedia, præſtantiſſimum eſt aqua ſimplex, naturali frigiditate largius hauſta; qua ſola atrociſſimas convulſiones profligatas vidi. Ea namque levitate ac fluiditate ſua minima corporis noſtri vaſcula penetrat, cruorem magis fluxilem reddit, partes roborat, humores atque vapores acres ſulphureos involvit, ac leniorem excitando ſudorem, ſecum è corpore ducit. Idcirco etiam congruus, ac bene ordinatus acidularum, ac thermarum temperatiorum uſus inſignem in his morbis pollicetur utilitatem.

### §. VI.

*Curatio mali ab animi affectibus, vel nimia venere orti.*

Quod ſi ſpeciatim in pubertatis vel adoleſcentiæ annis à nimia vel intempeſtiva venere, aut ira, aliiſque animi commotionibus originem traxerit malum; cavendum eſt ab omnibus, quæ commotionem & orgaſmum in partibus fluidis concitant, vel ſolida impetuoſe movent, & ad graviores ſtricturas proritant; veluti ſunt aromatica, acria purgantia, emetica, calidiora omnia, ſpirituoſa, fortiores corporis & animi motus. Contra vero, major ſpes in diæteticis, emollientibus, demulcentibus, nutritivis collocanda eſt: quo fine cura lactis bubuli, vel aſinini, vel etiam ſeri lactis, nec non balnea ex aqua dulci, affuſo lacte, parata inſignem merentur commendationem. Non minus conferunt juſcula gelatinoſa, nutrientia, decocta ex radice ſcorzoneræ, hordeo, raſura cornu cervi, eboris, & carne viperarum parata, pro potu ordinario uſurpanda; decoctum ſuccoladæ tenuius, aliaque. Jungenda his denique motus ſpaſ-

ſpaſmodicos demulcentia remedia, anodyna & ſpecifica; quorum inferius fiet mentio.

§. VII.

*A vermibus & primarum viarum vitiis inducti.*

Quandocunque verminoſa colluvies anſam, cauſſamque præbuit convulſionibus; tunc ad hos expellendos atque enecandos intentio medendi debet ferri. At vero probe notandum, non omnia hic invenire locum anthelmintica ſpecifica, uti alliacea, vitriolacea, venerea, aloëtica, acriora purgantia, & mercurialia incaute adhibita; quippe quæ vermibus quidem adverſantur, ſimul vero partibus nervoſis inimica ſunt. Operæ magis erit pretium, externis pugnare remediis; quæ inter clyſteres ex lacte, ac dulcibus oleoſiſque parati; & linimenta purgante prædita virtute, veluti unguentum de arthanita, externe umbilico atque abdomini adplicata palmam obtinent. Quæ interne exhiberi poſſunt anthelmintica, ſimul roborantem ac nervinam poſſidere debent efficaciam, uti ſemen ſantonici, vel in pulverem, vel eſſentiam minus ſpirituoſam redactum; vel mercurius dulcis, ſi cum duabus cinnabaris medicinalis partibus miſcetur, & cum extracto tanaceti, rhabarbari atque centaurii minoris in formam pilularum redigitur. Aliis primarum viarum vitiis, ſordibus acidis, bilioſis, viſcidis opponenda ſunt incidentia, reſolventia, digeſtiva, abſorbentia, acrimoniam attemperantia, ac leviter evacuantia vel emetica, vel laxantia. Si acriora purgantia, cauſtica, venenoſa remedia malum introduxerint: eorum aculei remediis pinguibus, oleoſis, mucilaginoſis atque lacticiniis ſunt obtundendi.

§. VIII.

*Ab excretionum ſanguinearum ſuppreſſione ſuſtentati.*

Si menſium ſuppreſſio horrendum hocce malum ſuſtentaverit: probe cavendum, ne emmenagogis aliiſque calidioribus medicinis, & quæ vulgo ſolent adhiberi, eorum revocationem tentemus. Hoc in caſu præſtat balneorum naturalium, & aquarum thermalium uſu; venæ ſectionum prudenti adminiſtratione; pediluviis tepidioribus, pilulis balſamicis, infuſis calidis ex floribus meliſſæ atque tiliæ, pulveribusque temperantibus humorum æqualem circulum reſtituere: tum motus partium ſolidarum irregulares antiſpaſmodicis, ac anodynis, veluti eſt liquor meus anodynus, cum eſſentia caſtorei maritatus, quod præſtantiſſimum omnium eſt medicamentum, coërcere, ac his denique ſedatis imbecillas partes corroborare. Quod ſi vero hæmorrhoidum ſuppreſſio, vel imminutio malo dederit pabulum: præter commendatorum remediorum, & venæ ſectionum uſum, hirudines ad anum adplicatæ egregium ſpondent emolumentum.

§. IX.

*A ſuppreſſis ſudoribus, ſcabie, podagra.*

Haud raro contingit, ut ſudores retropulſi, excretiones ulceroſæ, ſcabioſæ, purpuraceæ repreſſæ, aut motus arthritici vel podagrici intra corpus acti, malum convulſivum inducant. Hoc in caſu acrimoniæ primarum viarum temperandæ, ſimulque ſpaſmodicis ſtricturis demulcendis egregie conveniunt pulveres abſorbentes ex lapidibus cancrorum, pulvere marchionum, ſuccino præparato, cinnabari, nitro, antimonio diaphoretico, & extracto croci, caſtorei confecti. Veſperi ſumi poteſt liquor meus anodynus cum refracta doſi ſpiritus bezoardici Buſſii & caſtorei remixtus; aut pilulæ antiſpaſmodicæ, quæ ex extracti millefolii, florum chamomillæ, herbæ cardui benedicti, ana drachma una, theriacæ, ſuccini, cinnabaris, ana drachma dimidia, croci granis duodecim, & olei chamæmeli veri guttis octo parantur: quibus crebra interponi debent laxantia. Tum denique cura lactis aſinini cum acidulis Selteranis remixti, aut etiam ſeri lactis in uſum vocanda, & per aliquot hebdomades, interpoſita quandoque manna, cremori tartari nupta, protrahenda eſt.

§. X.

*Specifica.*

Tali ratione remotis cauſſis materialibus, præſertim craſſioribus, ſi adhuc reſtiterint motus convulſivi: illis obviam eundum eſt remediis motus effrænes ſedantibus atque ſpecificis, quæ vapori ſubtili ſulphureo, nervis impacto, & mali genuino pabulo ſunt inimica. Ad eorum certum præprimis pertinent antiſpaſmodica ac antepileptica ſic dicta ſpecifica, quæ ex regno animali petuntur: horum enim fragrantia quædam, olfactu mox percipienda, revera halitibus iſtis graveolentibus, convulſionum nutricibus adverſatur, eoſque ſpecifica virtute infringit. Hoc nomine inſignem merentur laudem raſura dentis hippopotami, eboris, lapidis manati, ungulæ alcis, cranii humani, item ſecundina ac ſanguis humanus exſiccatus, viſcera viperarum & ſerpentum, eorumque cor, fel & hepar, tali leporum ſiccati atque pulveriſati, aqua hirundinum cum caſtoreo, maxime omnium pulvis lumbricorum terreſtrium majalium. Neque minus quædam medicamina ex regno vegetabili ac minerali deſumta ſunt efficaciſſima: quæ inter carbones tiliæ pulveriſati, extractum croci, flores & radix pœoniæ, papaveris rhœados, cinnabaris medicinalis &c. digna ſunt, ut commendentur. Huc quoque ſpectant, & ſingulari fructu adhibentur remedia ſedativa; ac ſic dicta anodyna; veluti ſunt liquor meus anodynus, cum eſſentia caſtorei mixtus: pillulæ de cynogloſſa ſi cum auro fulminante & cinnabari nativa commiſceantur, pillulæ Wildeganſii, quæ remota craſſiori materia, habituales motus inſigniter refrænant, ac conſopiunt. Quorum, ut & roborantium, tertiæ indicationi ſatisfacientium, amplior præcedente capite de epilepſia facta eſt mentio.

§. XI.

*Externa remedia.*

Neque vero negligenda ſunt externa remedia, quæ inter unguenta ac linimenta nuchæ & ſpinæ dorſi inungenda non carent ſua laude. Horum præcipua ingredientia ſunto axungiæ humana, taxi, urſi, muris alpini, pinguedo caſtorei, viperarum; quibus admiſceantur olea deſtillata v. g. rutæ, lavendulæ, majoranæ, roriſmarini, nuciſtæ &c. & ad meliorem penetrationem aliquot ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis guttulæ. Sed notandum eſt, olea deſtillata in ſubjectis, quæ illa perferre nequeunt, omittenda; & ſolis axungiis, ac mucilaginoſis utendum eſſe. Tum vero omnibus præferri merentur balnea aquæ dulcis circa tempus invaſionis uſurpata: à quorum uſu lenis provocetur ſudor, vel ipſa natura ſponte ad hunc inclinante, vel adjuta infuſo theiformi ex floribus tiliæ, quæ peculiaris ſunt virtutis, primulæ veris, hyperici & radice valerianæ parato: quibus ſæpius horrendæ acceſſiones anticipantur.

*CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Circa mercurialia in*

Quandocunque in convulſivis motibus, à vermium colluvie productis mercurius dulcis cum pur-

*convulſionibus verminoſis.* purgante exhibetur: probe obſervandum eſt, ut ante hujus, aliorumque anthelminticorum uſum demulcentia mucilaginoſa, ut oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia, vel lac ipſum ſumatur, vel etiam ſuperbibatur, quo ſtricturæ inteſtinorum hiſce demulceantur.

§. II.

*Circa venæ ſectionem.* Quanquam venæ ſectio ſæpiſſime locum habeat in hiſce adfectibus, maxime ſi plethora, aut humorum ſpiſſitudo, dyſcraſia, aut menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio præſto fuerint, vel etiam caput adficiatur graviter: probe tamen cavendum eſt, ne ſimul & ſemel larga cruoris detrahatur copia, nec temere ac promiſcue adhibeatur. Quum enim malum, ſi ſæpius revertitur, longe frequentius à benigni ſanguinis defectu, quam nimia illius mole proficiſcatur: facile fit, ut ab immoderata illius miſſione vires imminuantur, ſtomachus debilitetur, perſpiratio retardetur, & præſertim in corporibus haud manifeſto plethoricis majus damnum excitetur, quam emolumentum. Neque etiam in latere affecto eam inſtituere convenit, nec in ipſis æquinoctiis, ſed quatuordecim circiter ante, vel poſt illa diebus: quoniam hiſce temporibus mali acceſſiones plerumque ſunt graviores, in quibus nihil moliendum eſt.

§. III.

*Martialium uſus.* Ubi ſuppreſſæ hæmorrhoides foverint convulſiones, & jam lienis tumor, ac vaſorum obſtructiones concurrerint; præmiſſis præmittendis non præſtantius quicquam reperitur martialibus. Unde laudem mereatur ſequens infuſum vinoſum: Recipe radicis zedoariæ, cichorei ana unciam ſemis, ſummitatum centaurii minoris, florum hormini ana pugillos quatuor, corticum citri recentium unciam ſemis, paſſularum minorum uncias duas, vini Rhenani menſuram unam: mixta, lenique calore digeſta ad uſum reſerventur.

§. IV.

*Cautelæ circa volatilium uſum.* Nihil deterius eſt in hiſce morbis convulſivis, quam ea remedia exhibere, quæ humores in graviores rapiunt commotiones, utpote, qui ad haſce ſubeundas tum ſunt promtiſſimi. Quare cane pejus & angue fugienda ſunt omnia calidiora, ſpirituoſa, volatilia, tincturæ ac eſſentiæ calidiores, nec non crudiora adſtringentia, narcotica, opiata: quippe quæ non ſolum ipſas mali acceſſiones revocant, verum etiam malum reddunt deterius, ac pertinacius.

§. V.

*Circa balneorum ac lactis curam.* Ad balneorum uſum non temere ſtatim tranſeundum eſt; ſed bene providendum, ne repleto ſordibus duodeno, vel ſanguine nimis copioſo, impuroque exiſtente, hocce curationis genus ineamus. Verendum enim eſt, ne ubi quid ejuſmodi vitii in corpore hæreat, materiæ malignitas, remedii ope excitata per totum corpus diffundatur. Idem circa lactis curam, in cujus locum ſubjectis biliosioribus magis convenit ſerum lactis, præcipiendum eſt: ad quam non prius accedere oportet, quam ſi primæ viæ à ſordibus purgatæ, iiſque ac viſceribus ſua conſtet integritas. Talis curatio tutiſſime vel adulto, vel præcipiti vere inſtituatur.

§. VI.

*Circa laxantia atque linimenta.* Alvus in hiſce morbis ſemper exiſtat lubrica, eo magis neceſſe eſt, quo vehementius, illa exiſtente obſtructa, obſervatur malum. Huic vero ſcopo inſerviunt laxantia blanda, rhabarbarina, paſſulata, mannata, clyſteres, ac victus emolliens. Linimenta autem, licet in demulcendis ac relaxandis ſpaſmis eximiæ ſint efficaciæ: tamen conſultius remittente paroxyſmo, quam ſub ejus vigore inunguntur; maxime ſi corpus antea in balneum fuerit ingreſſum.

§. VII.

*Circa ſpecifica.* De ſpecificis antepilepticis pariter ac ſpirituoſis roborantibus probe tenendum eſt, ne in mali principio, ſed omni materiali atque craſſiori cauſa ſubducta demum exhibeantur. Hac enim remota ceſſant ſæpius convulſivi motus, abſque ſpecificorum ope. Et notabile eſt, horum efficaciſſimam eſſe virtutem in malo ab animi affectibus inducto atque ſuſtentato, & ſi viſcera adhuc fuerint integra: tali enim ratione juvenem, qui per ſedecim annos diris epilepticis laboraverat motibus, per datum, præmiſſo vomitorio, pulverem meum antepilepticum, feliciſſime reſtitutum vidi.

§. VIII.

*Methodus præſervatoria.* Quod denique mali præſervationem attinet, illa optime recto rerum non naturalium uſu impetrabitur. Æger nimirum aëre puro, ſereno, ac temperato utatur: & cum *Hippocrates Sect. II. aphor.* 45. juvenibus per cœli mutationem à convulſionibus liberationem promittat: igitur peregrinatio ex locis præſertim paludoſis, frigido-humidis, craſſo & denſo aëre ſtipatis, ad loca altiora, ſicca, ſalubriora plurimum ſuadenda erit. Vitandus quoque eſt decubitus in terra humidiori, diuturnior in aëre vitioſo, veſperi, & circa noctem obambulatio, item die ſole fervidiori exiſtente. Victus ſit facilis, potui inſerviant vel aqua frigida, vel medicata, vel infuſa calida; animi conſervetur hilaritas; venus ſit parciſſima, motus corporis exerceatur; ſomnus plenior capiatur; alvus ſervetur lubrica, ac ne cumuletur moles ſanguinis, congruis venæ ſectionibus, aut ſcarificationibus proſpiciatur.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Convulſiones ex ſcabie retropulſa.* Adoleſcens octodecim annorum, conſtitutionis tenerioris, bilioſæ, & valde ſenſibilis, horæis fructibus large indulgens, incidit autumno in ſcabiem: ad quam abigendam abſque proportionata evacuatione, ſtatim utitur externis unguentis ex ſulphure, oleo olivarum & nitro paratis: quibus quidem repellitur ſcabies, mox autem iterum effloreſcit. Paullo vero poſt, cum brumali tempore ſub gelu intenſiſſimo per aliquot horas verſaretur, protinus & penitus evanuit ſcabies, ac æger habuit optime. Tum accidit, ut hauſto ſub epulis vino Sect, elapſis aliquot horis de ſumma præcordiorum anxietate, ac atrociſſimis imi ventris torminibus conquereretur. Advocatus medicus ordinat clyſterem oleoſum, ac interne eſſentiam carminativam & antiſpaſmodica præſcribit: ſed paullo poſt invadunt ægrum violentiſſimæ convulſiones epilepticæ, cum ejulatu atque clamore maximo, pulſu

aucto ac artuum immani agitatione ſtipatæ. Adſtantes, venenum ſub vino Sect propinatum fuiſſe rati, medici opem denuo implorant: qui ob nimiam ingurgitati vini copiam, lene ex tribus tartari emetici granis concinnatum exhibet emeticum feliciſſimo ſucceſſu. Redibat quidem malum, ſed longe mitius, & tandem, adhibita convenienti medicatione penitus eſt debellatum.

*Epicriſis.*

Præſens malum à ſcabie repulſa originem traxiſſe, luculenter patet. Ad illam vero intra corpus repellendam nihil magis valet, quam frigus ac purgantia; quibus motus humorum, qui in ſcabioſis hiſce morbis in corporis potiſſimum ſuperficie vigent, ad centrum magis convertuntur, tranſpiratio impeditur, & ſic impura ſalia in maſſa remanent ſanguinea. Hæc naturæ ſunt acris, & fere cauſticæ, atque, ſi ad internas nervoſaſque partes cum ſuccis perveniant, illiſque firmius inhæreant; ſontica machinantur mala, atque graviſſimos motus ſpaſmodicos & convulſivos inducunt. Noxioſiſſimam hancce efficaciam eo magis exſerunt, ſi humores vitales vehementius commoveantur ac exagitentur; uti quidem in præſenti caſu nimio vini Sect potu factum eſt. Curatio igitur binis abſolvitur indicationibus, nimirum ut primum, aucta tranſpiratione, ſalinæ ſordes ad corporis propellantur habitum; deinceps motus convulſivi conſopiantur. Priori ſcopo ſatisfecimus pulvere, qui ex pulvere marchionum, nitro, cinnabari nativa, ſuccino, antimonio diaphoretico & aliquot theriacæ cœleſtis granis componitur; atque infuſo theiformi, quod habebat radicem chinæ, herbam veronicæ & flores ſambuci: alteram vero indicationem mixtura ex eſſentia caſtorei, & liquore meo anodyno concinnata impetravimus; & hiſce, ſubjunctis laxantibus, ægrum reſtituimus.

OBSERVATIO II.

*Convulſiones ab imminuto menſium fluore.*

Virgo generoſa, octodecim annorum, ſanguine ſucciſque plena, habitus corporis laxioris, ſpongioſioris, vitæ ſedentariæ addicta, atque cibis horæis, nimioque aceti uſu per plures annos delectata, vehementi aliquando brevi ante menſium eruptionem percellebatur terrore. Inſequutus uteri fluor erat parcior, atque vehementi præcordiorum anguſtia, dolore artuum tenſivo, ac oſcitationibus ſtipatus. Brevi poſt extrema frigebant; thorax horrendis convulſionibus attollebatur, cum moleſtiſſima præcordiorum conſtrictione; cor palpitabat vehementiſſime; dolor tenſivus, à cordis ſcrobiculo ad ſpinam uſque dorſi protenſus inſigniter adfligebat, atque præſertim in faucibus difficilis deglutitio cum ſenſu infixi pali percipiebatur. Præterea tuſſis aderat ſicca, nauſea, conatus vomendi, vaſorum capitis turgeſcentia, narium ſiccitas, atque ingens bibendi deſiderium; cum alvo pertinaciter obſtipata: quæ ſymptomata per intervalla recrudeſcebant, & circa menſtruam periodum pertinacius inhærebant. Præter venæ ſectionem varia remedia antiſpaſmodica tam fixa quam volatilia, nec non anodyna fuerunt adhibita: quæ quidem malum mitigabant, penitus vero exſtirpare non poterant. Tandem meæ ſe tradidit curationi; quare ipſam in balnea crebro deſcendere juſſi, & deinde pilulas meas balſamicas, ac pulverem antepilepticum propinavi: quorum ope perfectæ reſtituta fuit ſanitati.

*Epicriſis.*

Hic affectus ſpaſmodico-convulſivus ſedem ſuam potiſſimum habuit in ea medullæ ſpinalis parte, quæ intra ſpecum vertebrarum dorſi ac colli continetur. Namque haud ignorari oportet, convulſionum cauſam non ſemper in tota ſpinali medulla hærere; ſed ſæpius unam vel alteram illius partem duntaxat occupare; unde etiam particulares artuum ac corporis agitationes derivandæ ſunt. Cauſſam vero materialem ſævioris hujus affectus ſuppeditavit humorum vitium; qui per vitam ſedentariam, atque diætam craſſam acidamque accumulati, ſpiſſiores, quin & impuri fuerunt redditi: imprimis vero acidæ ac viſcidæ cruditates in inteſtino duodeno generatæ, anſam dederunt flatulentiis ac imi ventris ſpaſmis; quibus, accedente vehementi terrore ſanguis exitu ſuo per loca uterina deſtitutus, ad ſuperiores partes, maxime præcordia regurgitavit; ibidemque ſtagnans, nerveas membranas vellicavit, & ſic continuata ad membranas medullæ ſpinalis ſtrictura, convulſivum inductum fuit malum. Quare ea fuit medendi intentio, ut imminuta per venæ ſectionem ſanguinis mole, menſtrua reſtitueretur purgatio; humores ad peripheriam & inferiores corporis partes revocarentur; ac denique violenti motus conſopirentur. Quibus quidem ſcopis accommodatiſſima fuerunt balnea temperata; quæ tenſas partes relaxandi, ac æquabilem ſanguinis circuitum promovendi, egregiam obtinent virtutem; ut tum denique ad ſedandos violentos motus, pulvis antepilepticus cum fructu adhiberi potuerit.

OBSERVATIO III.

*Convulſiones cum vomitibus alternantes.*

Virgo annorum viginti, & quod excurrit, temperamenti ſanguineo-cholerici, annuo circiter abhinc tempore poſt cibum ab ira vehementi ſumtum, altero die vomitibus afficiebatur per ſex integras hebdomades, quibus omnia, quæ aſſumſerat, protinus ore reddebat, & inſuper aſſidua ventriculi preſſione, capitiſque doloribus infeſtabatur. Hiſce vero ſymptomatibus improvida curatione per opiata & martialia cum ſtomachicis elixiriis mixta conſopitis, ſucceſſerunt ſpaſmodico-convulſivæ motiones, pedum atque brachiorum, ac ſi ſerram duceret, aut malleo quid percuteret, conjuncta ſpiratione celerrima. Paroxyſmi ſæpius redibant quotidie, nec niſi per quædam minuta inhærebant: ac tandem vomitibus iterum complicabantur, & cum hiſce per aliquot hebdomades alternabant. Neque tamen minus alvus aperta erat, & menſes rite fluebant. In tali rerum ſtatu poſt remediorum quorundam calidiorum uſum, vena in pedibus ſecabatur: quo facto accedebat febris intermittens, admodum irregularis; ſub qua ceſſabant motus violenti, & datis ſubinde pilulis balſamicis remittebant quoque vomitus; ventriculi autem preſſio, & capitis dolores adfligebant. Verum enim vero uterque affectus brevi poſt recrudeſcebat denuo, & ludebat variam valde ſcenam: ſiquidem mox alter, mox uterque evaneſcebant, mox iterum redibant. Ego tandem conſultus, præmiſſis præmittendis, aci-

dulas

dulas Selteranas cum lacte potandas, ac balnea Hirſchbergenſia commendavi; quibus factum eſt, ut favente Dei gratia, ægrotans priſtinam recuperaret ſanitatem.

*Epicriſis.*

Dici vix poteſt, quam graviter ſpaſmodicis ſtricturis & preſſionibus poſt vehementiorem iram, ſi quis ſtatim capiat cibos, ventriculus affligatur. Vehemens enim hic animi affectus maxime in partes nervoſas, ipſumque ventriculum motu quodam ſtrictorio convulſivo agit. Hic ſi repletur alimentis, non modo ab eorum copia tunicæ nervoſæ cum nervis paris vagi magis diſtenduntur; ſed etiam turbata ſic digeſtione, cruditatum vitioſarum bile acriori permixtarum largior in inteſtino duodeno generatur colluvies, quæ veram continuis vomitionibus cauſſam præbet. Hinc optimum ab initio fuiſſet auxilium in blando & accommodato emetico; ut illius opeblioſa ſaburra ex fundo duodeni penitus expulſa fuerit. Quam diu enim quædam adhuc remanet ſentina; tam diu novum ex ventriculo affluentem chymum fermenti inſtar in ſuam permutat naturam: quare tali in caſu veteres juſſerunt vomitum curare. Et imprudenter ſane ejuſmodi violenti ventriculi motus, relicta cauſſa materiali, ſopientibus ſiſtuntur: namque licet exinde motus in ſtomacho conquieſcant; tamen acris illa ac impura materies, in maſſam ſanguinis atque lymphæ rapitur, & tali ratione univerſales in artubus muſculiſque corporis induxit convulſiones. Inde etiam factum fuit, ut reverſis propter collectam denuo impuritatum in primis viis molem vomitibus, ceſſaverint convulſivi motus; præſertim cum acceſſerit febris tertiana, quæ ordinario à bile impura in primis officinis ſubſiſtente, ſuam trahit originem. Hi enim febriles motus eam obtinent indolem, ut ſordes acres, ſpaſmorum nutrices, ex artubus, imo ipſis viſceribus optime diſcutiant, & ſic ſublato convulſionum pabulo, has etiam tollant. Verum enim vero cum in noſtro morbo, humorum maſſa, morbi diuturnitate, plane à naturali temperie receſſerit: mirum haud eſt, ſi & vomitus & convulſivi motus redierunt, donec tandem noſtro conſilio tota ſanguinis & humorum moles, ipſæque primæ viæ atque viſcera à pravis ſuccis per acidulas & balnea depurata fuerunt, & partes nervoſæ temperiem ſuam naturalem ac motum ordinarium recuperaverunt.

### Observatio IV.

*Convulſiones à ſpectro viſo.* Novemdecim annorum adoleſcens, melancholici temperamenti, à ſervitiis domini cujuſdam, ſcabie diu vexatus, tempore aliquando hiemali circa horam nonam veſpertinam in platea circa cuſtodiam, ex qua ante quatuor dies fur quidam in viridi veſte ad patibulum deductus erat, obambulans, huncce furem in ſpectri forma ſibi obſervari imaginabatur. Hinc incredibili timore, ac plus quam panico terrore perculſus; pondus ſpectri humeris ſuis inhæſiſſe credens, illudque à ſemet ad ædes uſque domini ſui deportatum fuiſſe, pertinaciter exiſtimavit. Domum ingreſſus inſigni horrore, ſudore frigido, ſummaque virium imbecillitate prehendebatur, & abhinc per quatuordecim fere dies, appetitu plane dejecto laborabat. Poſtea ipſi intra lectum decumbenti idem ſpectrum viſum fuit, quod pollicem dextri pedis quaſi extrahere moliebatur. Pollex etiam ſequenti die inſigni rubore affectus, in ipſam abiit ſuppurationem: ſequebantur brevi poſt immanes partium nervoſarum concuſſiones ac convulſiones, ita, ut nunc inſtar arcus inflexi corpus in ſublime attolleret, nunc inſtar globi incurvaret, linguam morſicaret, conjuncto calore partium præternaturali, pulſu citatiori, ſiti, & alvi contumaci obſtipatione. Mox lingua deficiebat, mox verba ſine ordine faciebat, quin etiam per feneſtram ſe præcipitaturum minabatur. Paroxyſmi per intervalla certis redibant temporibus, & æger eorum acceſſionem præſentiebat, dum aura quædam ex inferioribus per dorſum ad ſuperiora aſcendere videbatur. Remedia, quorum ope ſævum hoc malum fuit depulſum, erant venæ ſectio in pede adminiſtrata; alvi, quæ erat conſtricta, reſeratio per clyſteres emollientes & paregoricos; frequens pulveris uſus, qui ex antimonio diaphoretico, cornu cervi uſto, radice pœoniæ, cinnabari, ſuccino, ſingulorum æquis partibus confectus erat. Tibiæ affecti pedis emplaſtrum veſicatorium admotum fuit, veſicis diutius apertis ſervatis: pro potu ſumſit aquam frigidam; ac denique in capite geſſit epithema ex aqua majoranæ, aceto roſaceo, rutaceo, & aliquot camphoræ granis confectum: quorum ope intra menſis ſpatium feliciter fuit curatus.

*Epicriſis.*

Temperamentum hujus ægri fuiſſe melancholicum, & defectus lymphæ atque ſanguinis ſubtilioris, & tardior humorum ſpiſſiorum per caput circuitus indicant. Hoc temperamento præditi præ aliis ad recipiendas varias impreſſiones apti ſunt; hinc illos etiam ſæpius ſpectris terreri videmus: quæ ut plurimum nihil aliud ſunt, quam inſomnia vigilantium, ex corrupta phanthaſia inducta, præſertim quando tempore nocturno timore corripiuntur. Vidi plures, paſſione hypochondriaca flatulenta laborantes, adparentibus ſpectris, licet ſua mutaverint domicilia, diu multumque excruciatos; quos convenientibus remediis, venæ ſectione in pede, potu diluente, laxantibus, carminativis ac ſufficienti corporis labore, adjuvante divino auxilio reſtitui. Præterea ad præſentis mali generationem multum contribuit, quod æger diu antea ſcabioſa cutis defœdatione, quæ impurioris, ſalinæ, acris lymphæ ſoboles eſt, laboravit. Quum itaque vehementi ob ſpectrum viſum timore ac terrore cutis fuerit conſtricta, & materia ſeroſa corrupta ac impurior ad nervoſas medullæ ſpinalis membranas, cui firmiſſime inhæſit, delata fuerit; mirum ſane non videtur, tam gravem convulſivam paſſionem inde prognatam eſſe. Neque parum ad exacerbationem mali contulit ſtaſis ac corruptio lymphæ in pedis pollice per excitatum, ob iteratò adparens ſpectrum, terrorem inducta. Exigua enim ſæpius eſt portio materiæ corruptæ, & malignæ, quæ ſola exhalatione nervis & eorum fluido adverſa, mali convulſivi cauſſam præbere poteſt; dum aſcenſus auræ ex inferioribus ante paroxyſmum percipitur: uti obſervationes teſtatum faciunt, quæ exſtant apud ZACUTUM LUSITANUM *Lib. de praxi admiranda obſ.* 22. TULPIUM *Lib. IV. obſ.* 3. HOECHSTEDTERUM *in obſ. part.* 2. *cap.* 7. GALENUM *Lib. V. de locis* *affe-*

*affectis cap.6.* DOLÆUM *encyclop. medic. practic. pag.* 118. Quando igitur à lympha acriori corrupta volatili, nervos eorumque fluidum perturbante, malum originem traxit: tum utique diaphoretica ex regno minerali petita, uti cerusſa antimonii, bezoardicum minerale, cinnabaris, æthiops mineralis, cum aliis demulcentibus & antiſpaſmodicis ſociata, veſicatoria quoque, per quæ lymphæ impurioris exitus paratur, omne curationis punctum abſolvere ſolent.

### Observatio V.

*Convulſiones atroces per ſolam aquam frigidam curatæ.*

Puer Hebræus duodecim annorum, à terrore & frigore incidit in ingentes præcordiorum anxietates, cum tuſſi, virium lapſu, extremorum tremore, intercurrente horripilatione & interno æſtu. Tertia die poſt manus & pedes convulſivis motibus, & ſubſultibus, per horæ dimidium inſiſtentibus agitati ſunt. Inde magis magiſque increverunt convulſivi hi motus, ut dorſum & collum aſpectu horrendis incurvationibus & contractionibus aliquoties de die quaſſaretur. Sub paroxyſmo pedes frigebant, thorax elevabatur, reſpiratio erat crebra, pulſus celer & durus, ſenſus tamen conſtabant: poſt illum corpus languebat univerſum, adpetitus vero cum ſomno erat integer. Multi in conſilium adhibiti medici, exteri etiam, partim verminoſam progeniem ſubeſſe, partim per terrorem inductum eſſe malum reputarunt. Sed data, tam ex illorum ſententia anthelmintica, quam ex horum præſcripto antepileptica, adhibitis ſimul balneis, fuerunt prorſus fruſtranea. Malum potius perſtitit idem, quin ſubinde factum acerbius. Tandem miſer, aquam frigidam fontanam, ad unam vel dimidiam menſuram, quotidie cum doſi pulveris antiſpaſmodici bibere juſſus eſt: qua intra quatuordecim dies motus iſti convulſivi paullatim compoſiti, nec in hoc uſque tempus iterum infeſtarunt.

#### *Epicriſis.*

Quandocunque ſine ſingulari humorum vitio, aut dyſcraſia præcedente, ſalviſque viſceribus, à cauſſa plane immateriali, ut vehementiori terrore, timore, frigore præſertim ſuperveniente, partes nervoſæ & muſculoſæ in effrænes & impetuoſas exagitantur commotiones: quotidiana teſte experientia, fruſtra adhibentur evacuantia, alterantia, roborantia, nervina, cephalica, venæ ſectiones, fonticuli, veſicatoria &c. quorum uſu miſere plerumque ægrotos cruciare ſolent medici, & malum exacerbare. Potius ſpecifica, quæ blanda ſubtili exhalatione ſulphurea, membranis nervoſis ſeſe inſinuant, & motus hoſce vitioſos contemperant, omnium ſunt præſtantiſſima. Hæc vero potiſſimum ex regno animali deſumantur; utpote quæ natura ac mixtione ſua, ſolidis æque ac fluidis corporis noſtri partibus admodum amica, noxiis autem vaporibus plane adverſa ſunt. Notandum vero, ea omnia recentia, nec ultra aliquot menſes aſſervata eſſe debere: quoniam alias rancida fiunt, atque ſuam amittunt fragrantiam. Præter hæc, auxilium magis quærendum eſt in elementis, quam in ipſis pharmacis, præſertim ſi malum diutius inhæſerit. Quare noſter etiam æger, curatus eſt potu aquæ frigidæ & quidem fontanæ; cujus egregiam virtutem experientia comprobat. Ea namque, ſicuti in peculiari *diſſertatione de ſalubritate aquæ frigidæ* demonſtravi, non modo propter fluidum, verum etiam frigidum ſuum principium ad corrigenda tam fluidorum vitia, quam roborandas partes ſolidas eſt aptiſſima: modo ſub certis circumſtantiis, atque debito ordine adhibeatur. Maxime obſerventur hæ regulæ, ut primum non nimis copioſis atque largis hauſtibus, ſed ſucceſſive bibatur; & deinde externum corpus, maxime pedes atque ventriculi regio à frigore externo probe muniantur, ut hoc remedii genus auctior ſubſequatur perſpiratio.

### Observatio VI.

*Convulſiones, quarum fomes in inteſtino duodeno hæſit.*

Adoleſcens ſedecim annorum generoſus, conſtitutionis ſanguineæ, ac ſucculentæ, cibos præſertim acidos in deliciis habens, jam decem annorum puer colica convulſiva per duos fere integros menſes tam gravi adflictus erat, ut plures incantamentum ſubeſſe crediderint. Præterea præmaturam venerem exercere, corpus frigori ſæpius exponere, atque paſſionibus animi, præſertim iracundiæ magis tacitæ indulgere ſuevit. Hinc tandem ex improviſo inter prandium corripitur primum immani artuum tremore, quem ſubito excipiebat concuſſio pectoris convulſiva, cum brachiorum atque pedum agitatione, & omnium ſenſuum abolitione ſtipata. Inhæſerat jam per duas hebdomades hic gravis affectus; & paroxyſmus ad duas vel tres horas durans quotidie ter quaterve redierat. Cum ego ipſum accederem, edixit mihi, quod malum vehementiſſimis in epigaſtrio circa cordis ſcrobiculum doloribus conſtrictoriis invaderet, qui ſe extendentes ad ſiniſtrum latus, ubi ventriculi ſitus eſt, tandem per dorſum intra ſcapulas ad fauces aſcenderent. Sub ipſo paroxyſmo vehementiſſima erat pedum ac brachiorum jactatio, agitatio, tremor atque frigus; & alvus plerumque adſtricta, quandoque etiam nimis laxa.

Secata fuit vena, infuſi clyſteres, data antiſpaſmodica, caſtorina, cinnabarina, ſed in caſſum. Ordinavi infuſum milleſolii, & florum chamæmeli, cum cremore lactis miſcendum, & parciori, ſed ſæpius iterata doſi ſumendum: balneum aquæ dulcis; pulveres ex lapidibus cancrorum, cum pulvere marchionum & pauxillo ſuccini confectos; & denique veſicatorium etiam ſuris pedum curavi adplicandum. Sed omnium fruſtranea erat opera. Tandem commendatæ à me ſunt acidulæ Selteranæ cum lacte; & alvus alternis diebus, drachma una pilularum ex ſapone veneto paratarum purgata eſt: quo facto malum remiſit, & æger perfecte conſanuit.

#### *Epicriſis.*

Veneris nimius ac intempeſtivus uſus iis præſertim quam maxime nocet corporibus, quæ ſunt ſenſibilioris ac debilioris naturæ, aut quæ jam antea morbo ſpaſmodico vel alia læſione capitis, aut nervoſarum partium laborarunt. Sic ego ſæpius obſervavi, in capitis gravioribus à cauſſa violenta externa læſionibus, ſuper coitu funeſta acceſſiſſe ſymptomata: qua de re conferatur HILDANUS *Cent.* I. *obſ. XXII. & Cent. IV. obſ. XXVI.* Multo magis autem inimica eſt venus, ſi aliæ cauſſæ, quæ nervos debilitant, ſanguinem commovent, & cum ſpaſtica ſtrictura in partes ſolidas agunt, uti ſunt ira, exter-

externum frigus, & id genus alia, concurrant. Quare nullum eſt dubium, quin in præſenti caſu ira ſuppreſſa ad crebriores paroxyſmos multum contulerit: quod etiam teſtatur vehemens ille dolor cardialgicus, in epigaſtrio circa cordis ſcrobiculum ſe exſerens, & ad fauces aſcendens, qui plerumque corruptum & mordacem in duodeno hærentem bilioſum humorem pro cauſſa agnoſcit. Quamobrem inſigne levamen attulerunt acidulæ Selteranæ cum tertia lactis parte ad integram menſuram per aliquot ſeptimanas uſurpatæ; atque pilulæ ex ſapone veneto concinnatæ: utpote quibus acrimonia bilioſa non modo temperata, diluta & educta; ſed etiam læſio nervearum ventriculi membranarum emollita fuit. Alias in epilepſia & motibus convulſivis, qui à vehementi iracundia fuerunt excitati, non ſine ſingulari fructu uſum feri lactis aciduli; vel etiam ſolam aquam frigidam, tincturæ florum papaveris, quæ cum ſpiritu vitrioli rectificatiſſimo parata ſit, nuptam, per vices hauriendam ſuaſi.

## Observatio VII.

*Convulſiones ex nimio & præmaturo veneris uſu.*

Ante plures annos contigit, ut adoleſcens quidam octodecim annorum ſubito concideret ſemianimis, cum horrore & artuum tremore, facie tamen rubicunda & pulſu adhuc micante. Et licet elapſa hora, remediorum ope refocillaretur: ingentem tamen non ſolum totius corporis languorem perſenſit; ſed etiam haud ita multo poſt eodem paroxyſmo, poſt gravem præcordiorum anxietatem, & artuum laſſitudinem, correptus eſt; qui aliquoties intra hebdomadem repetens, ardentem intulit in dextri cubiti angulo dolorem, tumore & contractura demum brachii ſtipatum, & abhinc augmento ſuo & exacerbatione mali acceſſiones prænunciantem. Medici in conſilium vocati modo vermes, modo aliam ſonticam cauſſam ſubeſſe credentes; variis contra atrox hoc malum pugnabant præſidiis; ſed tantum aberat, ut illud debellarent, ut potius magis magiſque exacerbaretur. Ego tandem in auxilium vocatus, ſolo decocto ex antiſpaſmodicis, demulcentibus & nervino-anodynis parato, & mane aliquamdiu poto ægrum ab immani morbo liberavi; cujus cauſſa poſthæc in apricum producta fuit, dum ancilla gravida & partui vicina faſſa eſt; juvenem iſtum, antequam hoc morbo corriperetur, ſingula fere nocte cum ipſa concubuiſſe.

Ita quoque ante annum adoleſcens nobilis, *ein* Page in aula propinqua, ſatis alias incolumis, ſubito præter omnium expectationem & opinionem, horrendis prehendebatur convulſionibus, oculos vehementer contorquebat, vociferabatur, linguam exſerebat, caput ad parietes violenter allidebat, artuſque tam ſuperiores, quam inferiores tanta concutiebat agitatione, ut vix aliquot viri eum coercere valuerint; ſpuma vero ante os nulla erat, nec pollicum contractio, nec loquelæ impedimentum. Calefacto per impoſita ſtragula corpore, & data mixtura ex aquis analepticis & antiſpaſmodicis compoſita, remittebant convulſiones, noctem tranſigebat ſomno placido, & in toto corpore apparuit ſudor. Expergefactus non niſi de laſſitudine corporis conquerebatur. Cauſſam tam ſubiti & gravis affectus cum inquirerem, nullam aliam, quam præmaturum & nimium veneris uſum, atque deteſtandam manuſtuprationem explorare potui. Suaſi itaque, ægrum in lecto temperate calido ac blanda quiete ſervare, & non niſi juſculis ex carnibus, canceris contuſis & raſura eboris ac cornu cervi confectis uti. Pro potu ordinavi emulſionem amygdalinam tenuem; dato quoque pulvere Marchionum ex aqua liliorum convallium, florum tiliæ, primulæ veris &c. quorum remediorum ope ab ulterioribus mali inſultibus liber evaſit.

### *Epicriſis.*

Quemadmodum intempeſtiva & nimia venus in omni, etiam robuſto corpore, vires inſigniter frangit, atque debilitat: ita eo magis nocet, ætate imbecillibus, pueris, quin & ſenibus. Recte enim HIPPOCRATES *Lib. de genitura* §. 1. ſcribit: *Robuſtiſſimum per genituram ſecernitur, quia à veneris uſu tam pauca materia emiſſa imbecilles redduntur; & certe ſeminis diſpendium plus debilitat, quam larga vena ſectio.* Nihil itaque eſt, quod adoleſcentibus plus noceat, eoſque ad graves nervorum morbos, ac ventriculi debilitatem diſponat, quam prærmatura & intempeſtiva venus. Non enim ſolum vera ſunt, quæ Hippocrates Lib. VI. epidemior. effatur, quod quibuſdam, dum venere utuntur, infletur venter, & ſtrepitus inde fiant: verum etiam multiplici experientia annotavi, juvenes in academiis, Bacho & venere vires ſuas conſumentes, quando in morbum acutum, ut variolas & morbillos inciderunt, plerumque fuiſſe mortuos. Neque vero virium dejectiones ſolum, ac morbi ex atonia ſolidarum partium natales ſuos mutuantes, ex abuſu veneris inducuntur; ſed ſæpiſſime etiam ſpaſmodicæ atque convulſivæ, eæque graviſſimæ ſubnaſcuntur affectiones. Scilicet ſub ipſo congreſſu, ac fervidiori actu venereo, qui recte a Democrito parva vocatur epilepſia, ea animi habitudo, ac corporis conditio eſt, ut univerſum nervorum genus, & liquidum tenuiſſimum, in illis contentum, impetum faciens, gravius exagitetur, & in motum abripiatur præternaturalem. Hinc fit, ut ſub ipſo coitu pulſus valde citatus & vehemens manum vibret, cor palpitet, partes tremant, pedes poſt actum vacillent, & omnium humorum gravis præſto ſit ebullitio. Ceterum ſi in ullo morbi genere genuina cauſſa medico rationali exploranda eſt; id certe in affectionibus convulſivis ac epilepticis obſervare oportet. Quando igitur perſpicit ſagax medicus, quod motuum ejuſmodi inſolentium & inopinato accedentium inſultuum cauſſa nimiæ debilitati, ex exceſſiva venere inductæ, debeatur; non aliis certe, niſi nutrientibus, demulcentibus, vires & ſuccos laudabiles reſtaurantibus, & denique motus impetuoſos refrænantibus pugnandum eſt remediis.

## Observatio VIII.

*Convulſiones ex [illegible] niſtrum.*

Virgo generoſa, tredecim annorum, ingenii alacrioris, menſes nondum paſſa, cujus mater arthriticis atque cephalicis doloribus admodum obnoxia erat, maculis ſcabioſis per totum corpus efflorescentibus corripiebatur, quæ remediis, neſcio quibus, tractatæ evaneſcebant. Accedente autumno, cum veſpertino tempore ſub aëre valde humido & frigido in horto obambularet; poſtridie de languore corporis, dolore capitis,

præſertim in ſiniſtro latere, tuſſi atque coryza conqueri cœpit. Quæ ſymptomata, æſtu præternaturali ſtipata cum ſingula reverterentur veſpera: morbus pro catarrhali febre habitus, variiſque oppugnatus fuit medicinis. Sed tantum aberat, ut mitigarentur hæ adfectiones, ut potius quotidie invaleſcerent: namque dolor capitis hemicranicus ita increſcebat, ut omnem ſomnum, adpetentiam & vires ſuſtulerit. His malis ultra menſis ſpatium tentata, nulla nec medicamentorum, nec alimentorum, præter aquam frigidam atque lac aſſumere volebat. Tandem incidebat motus convulſivos, cum ſpaſmo, quem vocant cynico, labiorum oriſque diſtorſione, atque effuſo riſu junctos: accedebant brachiorum modo unius, modo alterius agitationes; collum variis modis mox antrorſum, mox retrorſum torquebatur; tanta quidem violentia, ut nemo adſtantium illam poſſet coercere, & ſi hoc fine omnes nervos intendebant, ægra animo delinquebat. Ceterum parum, & non niſi abſona loquebatur; aſſiduæ urgebant vigiliæ, & alvus non niſi globulis ſacharinis ſolicitata reſpondebat. Hiſce malis per duos infeſtata menſes, meum tandem implorabat auxilium. Exploratis ergo cunctis momentis, inſignem in ſiniſtro capitis latere, circa parotides glandulas tumorem, rubore ſtipatum annotabam; quem cum paullo fortius comprimerem, protinus cum ejulatu clamabat ægrota, atroceſque contorſiones incurrebat. Hinc facile judicare potui, ibidem mali ſedem hærere; & ideo, quoniam omnia interna medicamina reſpuebat, nihil præter cataplaſma ex mica panis ſimilaginei, croco, vitello ovi, cremore lactis, & floribus ſambuci concinnatum, repetitis vicibus curavi adplicandum. Quo factum eſt, ut interjectis paucis diebus, ingens liquoris viſcidi, flavi & ſanioſi ex meatu auditorio copia effluxerit; & brevi poſt non ſolum cuncta ſymptomata conquieverint; verum etiam, adhibitis tum congruis remediis temperantibus, integræ ſanitati ægra fuerit reſtituta.

*Epicriſis.*

Genuinam morbi ſedem, ejuſque originem ſæpenumero adeo abſconditam eſſe, ut etiam peritiſſimus non nunquam falli poſſit medicus; inter plures hiſtorias hæc quoque clariſſime docet. Haud enim raro ipſi ægrotantes, præſertim infantes, quando capite affecto mens quoque & functiones animales ſimul ſunt perturbatæ, nihil, ex quo certi quidpiam in dignoſcendo elicere poſſit medicus, edicere & declarare valent. Quamobrem in tali rerum ſtatu operæ eſt pretium, ut medicus ipſe tangendo, & aſpiciendo morbi ſedem explorare ſtudeat. Præterea ex noſtro caſu patet, convulſivas agitationes ex vellicatione remotarum partium ſuboriri poſſe, præſertim in ſubjectis conſtitutionis ſenſibilioris. Hic enim abſceſſus circa aurem occultatus, propter vehementes fibrillarum diſtenſiones & diſtractiones tam graves totius corporis excitavit convulſiones; quæ tamen non ultra caput, ejus integumenta, atque brachia ſe extenderunt; quia videlicet brachia & externæ capitis partes à nervis cervicalibus ſuos accipiunt ramulos.

Qui plures de motibus convulſivis ac epilepticis caſus, cum mea conſultatione legere cupit; eas inveniet *in Conſultationibus ac Reſponſis medicis Sect. III. caſibus CL. ad CLIX.*

## CAPUT III.

### *De Motibus Spaſmodicis vagis.*

§. I.

Eſt quoddam motuum ſpaſmodico-convulſivorum genus, quod cum totis ferme inhæreſcat corporibus, & mox caput, mox pectus, mox abdomen, mox externos artus moleſtiſſime detorquendo, mira volubilitate totam pervagetur machinam; nomen affectus ſpaſmodici vagi, quem vulgo *die Krübel-Kranckheit* dicunt, ſortitum eſt; nec incondite à TIMÆO à GULDENKLEE *epiſtol. IX. Lib.* 1. epilepſia mira nuncupatur. Re autem vera hoc malum nihil eſt, niſi violenta, involuntaria, plus minus vaga omnium totius corporis partium, maxime externorum artuum agitatio ac contractio; ex membranarum nervearum, juncturas potiſſimum inveſtientium vellicatione, per vaporem ſubtilem, acrem, volatilem facta, & vi conſenſus ad cerebri ac medullæ ſpinalis meninges ſæpiſſime propagata, originem trahens. *Definitio affectus ſpaſmodici vagi.*

§. II.

Patet ergo differentia, quæ motus ſpaſmodicos vagos ab epilepſia diſtinguit, & convulſionibus. Quemadmodum enim epilepſiæ ſedes in membranis cerebri, & convulſionum cauſſa in medullæ ſpinalis meningibus quærenda eſt: ita è contrario motus convulſivi vagi à ſtricturis earum membranarum potiſſimum, quæ juncturas partium cingunt, natales ſuos mutuantur; atque per conſenſum tantummodo in violentas meningum cerebri ac ſpinalis medullæ conſtrictiones tranſeunt. Quamobrem ſæpiſſime quidem cum ſymptomatibus convulſionum & epilepticis complicantur: attamen ab iis ita differunt, ut convulſiones ac epilepſiæ totum corpus aut partes quaſdam ſimul & ſemel invadant, eaſque in uno paroxyſmo ſolas pertinacius adfligant; contra vero ſpaſmi vagi incerta ſede per univerſum corpus errent, & ex una parte nervoſa ad alteram tranſeant, eam contractionibus, diſtentionibus, inflammatione, tumore, criſpatura mirifice exagitent, ejuſque functiones vehementer lædant, atque proſternant. *Differentia affectus ſpaſmodici vagi ab epilepſia & convulſionibus.*

§. III.

Neque porro minus noſter affectus inſigniter diſcrepat ab arthritide ſic dicta vaga ſcorbutica. Hæc nimirum incertis quidem locis per totum corpus vagatur, & juncturas artuum potiſſimum occupat. Sed nunquam eſt ſine doloribus, minime autem artuum concuſſionibus ac agitationibus ſic dictis clonicis ſtipata deprehenditur: contra vero affectus ſpaſmodicus vagus plerumque doloribus vacuus, at violentis partium vibrationibus, & admirandis geſticulationibus ſemper conſpicuus. Deinceps uterque affectus ratione cauſſarum differt; quæ in arthritide vaga ſcorbutica humor craſſior, acris, ſalinus exiſtit; in ſpaſmodico autem vago affectu non niſi ſubtiliſſimus ac halituoſus vapor, nervoſas partes repente laceſſens & deferens. *Ab affectu vago arthritico.*

§. IV.

Sciendum igitur eſt de noſtro morbo, quod *Hiſtoria* more

*morbi ſpaſmodici vagi.*

more convulſionibus ſolito, ſuas per intervalla modo longiora, modo breviora formet acceſſiones, viſu ſæpius horrendas; atque etiam tempeſtatum, lunæ mutationum, quin & menſtruæ purgationis in ſequiori ſexu habeat rationem. Expoſiti ſunt huic immani morbo fœminæ præ viris, juniores præ adultioribus, & qui habitu corporis laxo, ſpongioſo, ſuccorum ſanguiniſque pleno pollent. Deinde hic affectus hieme præſertim, menſibus Decembri atque Januario circa ſolſtitium hibernum invadere obſervatur; atque præterea etiam deprehenditur hæreditarius; ſic novi quandam in noſtra civitate haud incelebrem familiam, cui familiare admodum fuit, & in qua omnes liberos ſæviſſimis ac atrociſſimis miſere cruciavit ſymptomatibus.

## §. V.

*Paroxyſmorum deſcriptio.*

Ipſe paroxyſmus tot, tamque variis modis tyrannidem ſuam exercet, quot adoritur individua. Frequentiſſima ſymptomata hæc ſunt: ſentiunt ægri ſenſum formicationis in manibus, vel pedibus; ſequuntur oſcitationes, pandiculationes, præcordiorum anxietates: tum excipiunt ipſæ volutationes ac agitationes ſpaſmodico-convulſivæ, ab uno membro ad alterum ambulantes. Mox enim brachia manuſque attolluntur, trahuntur, retrahuntur, jactantur, variiſque modis agitantur, ac ſi tribularent; mox pedes in diverſas plagas extenduntur, dextrum crus antrorſum, ſiniſtrum retrorſum, aut viciſſim trahuntur, terram validiſſime quatiunt, conculcantque; genua ad corpus retrahuntur; mox totum corpus antrorſum, retrorſum, ad latera movetur, attollitur, circumgyratur, contremiſcit, ſpina dorſi incurvatur, arcum format; mox in terra inſectorum inſtar reptant, ac miſere quatiuntur; mox unguibus dilacerant veſtes, ſcalpunt parietes. Non minus caput afficitur, torquetur mirifice, in omnes plagas rotatur; oculi violenter aperiuntur, in gyrum moventur; os hiat; mox clauditur, huc vel illuc torquetur; linguam ore exſerunt, atque commordent. Sonitus edunt varios, mirificoſque, boatus, aliaſque animalium voces æmulantes, ut à dæmone videantur obſeſſi; flent, ridentque ſine ratione, & aliorum voces acutiſſimis auribus excipiunt. Neque vero internæ partes atque viſcera à ſævis ſpaſmis immunia ſunt: qui, quod notatu dignum eſt, cum externorum artuum ſtricturis alternant. Hinc reſpiratio eſt anguſtiſſima cum ſuffocationis metu; cardialgia vehemens, crudeliſſima imi ventris tormina; ſingultus, cordis palpitatio; alvus adſtrictiſſima; urinæ tenuis vel nullius mictio; & verbo: nulla in toto corpore pars eſt, quam non pervadat truculentum malum.

## §. VI.

*Paroxyſmi ſolutio.*

Finito tandem triſtiſſimo hocce ſpectaculo, remanent ineffabiles corporis languores, vel alti ſopores: haud raro truces articulorum agitationes terminantur in tumores inflammatorios: in quibuſdam cutis veluti bile ſuffuſa flaveſcit; in aliis puſtulæ fœdæ ulceroſæ, vel veſiculæ magnæ aqua repletæ corpus obſident. Quidam extra paroxyſmum bene habent, bene ingerunt, bene egerunt; fœminis nonnunquam menſes rite fluunt, interdum parcius. Poſt mortem in diſſectis cadaveribus inflammationes ventriculi, inteſtinorum, hepatis, lienis, pulmonum obſervantur; veſicula fellis admodum turgida, & ipſa bilis ad aliquot cochlearia in ventriculum effuſa adparet. Conf. BONETI *ſepulchretum anatomicum, & Oper. de motibus convulſivis pag.* 120.

## §. VII.

*Affectus ſpaſmodicus vagus graſſatur epidemice.*

Notatu ſubinde dignum eſt, quod affectus noſter ſpaſmodicus vagus, certo anni tempore, certiſque locis ac regionibus graſſatus fuerit populariter. Sic junctus aliquando fuit febribus epidemice adfligentibus; hinc HORSTIUS *in Operib. medicin. Tom. II. Lib. VIII. pag.* 105. refert *hiſtoriam febris epidemicæ olim per Haſſiam graſſantis, cui graviſſimæ junctæ fuerunt convulſiones.* Neque minus SENNERTUS deſcribit talem febrem epidemicam cum ſpaſmo ſtipatam, quæ annis 1596. & 1597. in epiſcopatu Colonienſi, Weſtphalia, ac comitatu Waldeck, ſub nomine *der Krübel-Kranckheit* popularem edidit ſtragem; de qua peculiare medicorum Marpurgenſium exſtat conſilium. Hoc quoque nomine memorabilis eſt ille ſpaſmodicus morbus, qui ſuperioribus annis incolas Miſniæ, Marchiæ atque Luſatiæ corripuit, & miris ſæviſque ſymptomatibus tragœdiam luſit; idemque ac prior nomen obtinuit. Deſcriptus eſt in ACTIS MEDICOR. BEROLINENS. *decad. II. vol. VI.* & à celebri Budiſſæ medico, D.D. BUDDEO tractatu peculiari.

## §. VIII.

*Cauſſa proxima formalis affectus ſpaſmodici vagi.*

Tranſeo autem ad ætiologiam affectus ſpaſmodici vagi; & illius cauſſam formalem proximam pono in ſtrictura ſpaſmodica earum potiſſimum membranarum, quæ juncturas & articulos noſtri corporis inveſtiunt: ex quibus vero vi conſenſus ad univerſum nervorum genus, hinc etiam membranas cerebri atque medullæ ſpinalis nerveas ſæpiſſime propagatur. Inde enim clariſſimum fit, cur frequentiſſime juncturæ, vel unum alterumque membrum ſolum afficiatur: non minus ratio patet, cur haud raro totum corpus ſucceſſive agitetur, atque motus convulſivi & epileptici ſimul complicentur. Et cum nervorum fere princeps intercoſtalis, ex variis nervoſis ramis non modo ex cerebro proficiſcentibus, verum etiam è medulla ſpinali oriundis, cervicalibus, dorſalibus, lumbaribuſque compoſitus, per omnia corporis viſcera, atque partes diſtribuatur: explicatu facillimum eſt, cur motus in noſtro affectu violenti, nulli ferme regioni parcant, ſed pro varia phantaſia, quæ tantum non ſemper in paroxyſmis læſa obſervatur, tam diverſas agitationes ac admirandas geſticulationes producant.

## §. IX.

*Cauſſæ vellicationum ſpaſmodicarum.*

Hujus vero vellicationis membranarum nervearum, & inſequentis convulſivi motus cauſſæ, vel materiales ſunt, vel, quod plerumque fit, in connata partium nervoſarum debilitate, atque proclivitate ad hos vagos motus reſident. Nimirum parentes hiſce morbis tentati tantum non ſemper generant infantes, quorum genus nervoſum ad eoſdem affectus valde diſpoſitum eſt. Hæcce vero diſpoſitio conſiſtit potiſſimum in ea particularum minimarum, quæ fibram ultimam conſtituunt, cohæſione, quæ ex leviſſimo ac vix naturali majori vel fluidorum impulſu, vel alio quodam per animi affectus inducto impetu, in præternaturalem ac violentam agitationem compellitur. Quæ ſi nativa ac hæreditaria præſto fuerit

diſpoſitio; tum accedentes cauſſæ occaſionales vel leviſſimæ tantos excitare valent tumultus, quantos in aliis ſanis ac robuſtis ſubjectis ne quidem graviſſimæ progenerare poſſunt. Et niſi eadem hæc nervoſi ſyſtematis imbecillitas nativa deprehendatur: tamen, in malo præſertim inveterato, per motuum diuturnitatem acquiritur, cauſſamque quærentibus offert, cur ii morbi tam difficilem admittant curationem.

§. X.

*Cauſſæ materiales.*

Ubicunque non adeſt hæreditaria ad motus ſpaſmodicos vagos diſpoſitio: hi ſemper pro materiali cauſſa agnoſcunt dyſcraſiam quandam ac impuritatem humorum. Sciendum vero eſt, eam minime in humore quodam acri, ſalſo, ſcorbutico craſſiori conſiſtere; ſed potius in volatili, ſubtili, ſulphureo, halituoſo humore, vel vapore, exigua ſæpenumero quantitate in maſſa ſanguinea oberrante, qui eo facilius ac intimius minimos partium nervoſarum poros ſubintrare poteſt, collocandam eſſe. Et tali ratione morbus noſter vagus ab arthritide vaga ſcorbutica eo melius diſtingui poterit; prout jam egregie oſtendit JOHANNES DRAWITZIUS *in tr. de ſcorbuto Tit. II. de affectu ſpaſmodico ſcorbutico pag.* 71. Conf. etiam de morbis ejuſmodi convulſivis ex ſcorbutica humorum diatheſi ſubortis SALOMON ALBERTI, WIERUS *de ſcabie*, & MOELLENBROECK *de arthritide ſcorbutica &c.* Talis halitus atque vapor ſubtiliſſimus inhæret potiſſimum lymphatico latici, qui ob ſuam viſcoſitatem ad eos recipiendos aptiſſimus eſt: cum quo etiam per totum corpus circulatur, & ad nerveas deponitur partes. Hinc propulſis ad habitum corporis puſtulis, vel maculis purpuraceis, ſcabioſis, vel ulceroſis, notabiliter vel imminutas, vel plane ſublatas fuiſſe haſce vagas nervoſi generis motiones; neque minus iiſdem veſicatoria vel cauteria inſignem tuliſſe opem, probatiſſimorum medicorum innumera teſtantur documenta. Quæſtio vero eſt, cur vapor iſte inimicus, cum lympha oberrans, juncturas partium potiſſimum occupet, non æque alias partes? Non difficilis ſane reſponſio. Cum enim in juncturis ac articulis, ad flexilitatem ligamentorum conſervandam, inſignis lymphaticæ ſubtiliſſimæ portionis, cui inhæret halitus noxius, ex glandulis volatilis acrimonia ſecernitur copia: neceſſe omnino eſt, ut in iſtis locis, ubi copioſior eſt proventus, major motuum violentorum deprehendatur frequentia.

§. XI.

*Cauſſa ſpaſmi epidemici ſita eſt in aëre.*

Quæ igitur cauſſæ vaporem ejuſmodi volatilem, cauſticum ferme ingenerare valent: illæ eminus contribuunt ad producendos motus ſpaſmodicos vagos, & audiunt antecedentes. Has inter ſe nobis primum offert aër exhalationibus malignis volatilibus repletus, qui etiam morbo noſtro, ante aliquot annos in Luſatia ac Marchia epidemice graſſanti ſuam dedit originem. Talis enim aër, ſuas exhalationes in forma rubiginis malignæ, vel frumentaceæ, vel mellitæ, in fruges campeſtres, maxime ſecale, eo, cum florerent, tempore depoſuit; & hinc non ſolum univerſum fere frumentum coinquinavit, verum etiam ad lolium præſertim frumentaceum, fatuum aut temulentum, quod Botanici vocant Zizanium, noſtri *das Mutter-Brandt-Korn, den tauben Rocken*, generandum multum contribuit. Fovet autem hoc lolium ſulphur quoddam narcoticum, vaporoſum, nervis admodum inimicum: hinc non ſolum antiquiſſimis temporibus cerebrum afficere, & oculorum caliginem inducere perhibebatur, atque ob hanc rationem lolio victitaſſe myopes atque coecutientes dicebantur; vid. PLAUTUS *mil. glorioſ. Act.* 2. *Scen.* 3. *v.* 80. verum etiam vertiginem, temulentiam, vomitum, cardialgiam, ſoporem, delirium & ſpaſmodicos affectus inde excitari jam annotarunt M. N. C. *anno* 3. *dec. II. obſerv.* 186. *& dec. II. anno* 8. *obſ.* 183. ACTA URATISLAV. *Tentam. XXIII. menſe Januario pag.* 38.

§. XII.

*In victu impuro.*

Non ergo dubitandum eſt, quin talis aër non ſolum per ſe inſpiratus, ſit noxioſiſſimus; hinc in ACT. MEDIC. BEROLIN. *Dec. II. vol. VI. pag.* 57. obſervatur, piſcatores, qui mane & ſero in navibus ſuis commorantur, primum omnium hoc morbo correptos fuiſſe: verum maxime lolium illud frumentaceum, pani piſto immixtum, atque comeſtum, dirum illud malum ſpaſmodicum progeneravit. Namque annotavit Celeberrimus BUDDEUS tract. de hoc morbo, pag. 24. quod homines, quibus fuit curta ſupellex, & qui hoc frumento veſci debuerunt, longe frequentius motibus ſpaſmodicis correpti fuerint, quam quidem opulentiores, qui fruges ſuas ab intermixto lolio depurandas curare potuerunt. Et ſane ſolus impurus ſordibuſque victus ſufficit omnino generandis malignis humoribus, & hinc inducendo atroci malo: quare etiam illud ea inſequi obſervatur tempora, quibus inſignis annonæ eſt caritas, annotante DRAWITZIO *tr. de Scorbuto Tit. II.* circa convulſiones epidemicas anno 1596. ex eadem cauſſa per Haſſiam graſſantes.

§. XIII.

*Affectus ſpaſmodicus vagus ex ſordibus primarum viarum.*

Quemadmodum vero affectus noſtri ſpaſmodici vagi, epidemice graſſantis origo ſubitanea eſt; ita è contrario illius ex aliis cauſſis producti generatio eo tardior, ſimulque contumacior duratio deprehenditur. Sordes primarum viarum, maxime in inteſtino duodeno ſtabulantes, acres, bilioſas, acidas, malum illud excitare poſſe, nemo negabit: ſed quomodo? Ex acrimonia primarum officinarum, præſertim ſi excretiones naturales per alvum, cutim ac urinam imminutæ, vel ſanguineæ ſuppreſſæ fuerint, ſalia ſcorbutica fixiora in maſſam ſanguineam tranſmigrare certum eſt. Sed hæc nondum ſunt ſpaſmorum vagorum cauſſæ: verum, ſi temporis diuturnitate, vehementioribus humorum commotionibus, aliiſque cauſſis, talia fixa ſalia ſenſim reſolvuntur, attenuantur, ac in vaporem tenuiſſimum volatilem commutantur; tum enaſcitur malum noſtrum ſcorbuticum. Inde patet, cur fœminæ hyſtericæ, viri hypochondriaci, aliique, quibus impuri ſunt humores, haud raro morbo noſtro afficiantur.

§. XIV.

*A verminoſa colluvie.*

Eundem porro à verminoſa colluvie generari poſſe, experientia comprobat. Hoc vero in caſu non ſolæ roſiones inteſtinorum, à vermibus vel vivis, vel eorundem acrimonia productæ ſufficiunt: ſed quandocunque vapores putres, cauſtici ex verminoſa ſentina mortua, corrupta ac putrefacta exhalantes, in maſſam humorum

*A retropulſis cutaneis morbis.*

morum abripiuntur, tunc demum efficiunt motus ſpaſmodicos vagos. Tali ratione hi quoque ſequuntur, purpuram, ſcabiem, achores, arthritidem, podagram, ulcera, & alias cutis effloreſcentias, vehementi frigore aut ex aliis cauſſis repreſſas, ac intra corpus actas: quando nimirum ſalia impura fixa, per recenſita vitia prius ad cutim depulſa, jam vero intus retenta, in volatilem, acrem, cauſticamque naturam commutantur. Et tum ſciendum eſt, ſæpius exiguam valde fermenti hujus acerrimi molem, tantos, tamque graves excitare poſſe tumultus.

## §. XV.

*Cauſſæ occaſionales.*

Quando igitur cunque vel nativa ad hoſce motus diſpoſitio, vel vapor ſulphureus in humoribus præſto fuerit: tunc facillimum eſt, ut cauſſæ occaſionales leviſſimæ deliteſcens malum excitent. Ad has vero referenda ſunt omnia ea, quæ ſuccos vitales in motum naturali majorem agere poſſunt; tum enim commovent & exaltant ſimul halitus inimicos, adeoque immanes paroxyſmos inducunt. Hæc inter principem locum obtinent graviora animi pathemata, terror, iracundia, mœror, triſtitia, libido, & immoderatum gaudium; quippe quæ in motus partium corporis noſtri & fluidarum & ſolidarum concitandos magnum habent imperium. Ob eandem rationem, alimenta, potulenta, quin & medicamenta acriora, draſtica, purgantia, volatilia, commoventia &c. efficaciſſimas ad revocandum malum præbent occaſiones. Et præſertim huc facit aër, ſi vel malignis & acrioribus exhalationibus repletus, vel juſto fervidiorem mox frigidior excipiat: hunc enim inſignem in excitandis machinæ motibus poſſidere efficaciam, neminem fugit. Ex hujus varia conſtitutione ratio quoque reddi poterit, cur affectus ſpaſmodicus vagus per certa temporis intervalla revertatur, & cur in locis potiſſimum paludoſis ac humidis graſſetur.

## §. XVI.

*Prognoſis.*

Quod denique attinet feralis hujus mali prognoſin: dolendum ſane eſt, eam plerumque non niſi inauſpicatam ſuppeditari poſſe. Quamvis enim illud non adeo pernicioſum ſit, ut protinus juguler homines; ſæpiſſime tamen tam pertinaciter inhæret, atque adeo firmam ſibi vindicat ſedem, ut cunctam medicationem eludens, per multorum annorum ſeriem perſiſtat, atque tandem in epilepſiam, aut apoplexiam, aut ipſam denique mortem deſinat. Ubicunque vero hæreditaria abeſt diſpoſitio, morbus recens, à cauſſa externa inductus, ætas junior: tempeſtiva medicatio felicem ſæpenumero ſortitur eventum. Verum quando vapores virulenti, nervoſas partes jam intimius penetrarunt, & altiores jam egerunt radices: difficillimum eſt, illos expellere, atque deſideratam reſtituere ſanitatem.

## *CURATIO.*

## §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Affectus ſpaſmodici vagi curatio quatuor potiſſimum abſolvitur indicationibus; quarum prima eſt, ut materiam ſubtilem venenatam, quæ tantos in ſyſtemate partium nervoſarum ac membranacearum excitat tumultus, corrigamus, ad exitum diſponamus, & è corpore proſcribamus: altera, ut impetuoſas partium ſolidarum motiones cohibeamus ac ſedemus; tertia, ut cauſſas, ac ſordes craſſiores, quæ malum ſuſtentant, perennemque fomitem ſubminiſtrant, removeamus ac eliminemus; ac denique ultima, ut debilitatas partes, ne affectus hi more ſolito recrudeſcant, corroboremus.

## §. II.

*Quotuplex ſit materia inimica, ſpaſmorum cauſſa.*

Quod priorem attinet indicationem; notandum eſt, materiam illam inimicam, quæ hos morbos producit, duplicis maxime deprehendi naturæ. Aut enim illa eſt vaporoſa, narcotica, ſulphurea, acris; aut magis ſalina, acris, volatilis. Prior occurrit in adfectu, à cauſa externa epidemica, frugibus impuris, lolio temulento, herbis ac ſeminibus venenatis hyoſcyami vel daturæ comeſtis inducto: poſterior obſervatur, ſi malum a diatheſi ſcorbutica, putrilagine primarum viarum verminoſa, vel alia quacunque, retropulſis exanthematibus &c. ſuos traxerit natales.

## §. III.

*Quomodo è corpore ſit proſcribenda.*

Quemadmodum vero hæc miaſmata maligna, cujuſcunque ſint generis, per cutis poros, vi remediorum diaphoreticorum mitiſſimorum, quam citiſſime proſcribere oportet: ita illis involvendis, invertendis ac obtundendis non præſtantiora ſunt, quam acidula leniora ac ſubtiliora. Hæc namque omni veneno narcotico adverſantur, ejuſque virtuti, & texturæ ſunt contraria: hinc notabilis eſt obſervatio, quam LONGOLIUS *in judicio medico de graſſante affectu ſpaſmodico* communicat, dum refert, plures à ſolo acido vini in principio morbi ſumto ſanatos, & à graviſſimis ſymptomatibus liberatos eſſe. Et præclara etiam eſt aceti vini, aut ſucci citri efficacia, ſi cum lapidibus cancrorum, & antimonio diaphoretico exhibeatur. Hoc nomine egregia porro virtus debetur mixturæ ſimplici, maxime ſi juxta Paracelſi mentem paretur. Ille nimirum ſpiritum vini rectificatiſſimum ſuper vitriolo calcinato deſtillavit, deſtillatum capiti mortuo iterum affudit, & ſic aliquoties reiterando, obtinuit ſpiritum vitrioli, quem vocat antepilepticum; cujus tres partes, cum ſpiritus tartari ac theriacalis camphorati ana una portione permixtæ, conſtituerunt mixturam ejus ſimplicem. Ex uſu mihi etiam eſt liquor meus anodynus, tribus partibus cum una ſpiritus vitrioli, bene præparati ac dimidia ſpiritus tartari volatilis, aut eboris maritatus: quibus remediis, mature datis, ſæpius venenum narcoticum involvitur, obtunditur, atque tum ſubjunctis diaphoreticis fixis è corpore depellitur. Hæc nimirum cum acidis iſtis alternatim propinare convenit; & inter ea non præſtantiora deprehendi pulveribus, qui ex lapidibus cancrorum, ſuccino præparato, pulvere marchionum, nitro depurato, antimonio diaphoretico, cinnabari, & aliquot theriacæ cœleſtis, quin & caſtorei, granis conficiuntur. Nec minorem laudem merentur decocta humectantia, infuſa theiformia diluentia, & quæcunque temperatam promovere valent tranſpirationem.

## §. IV.

*Mali epidemici curatio.*

Prius vero, quam ad horum remediorum uſum accedamus; reſpiciendæ ſunt cauſſæ materiales, acrimoniam illam inimiciſſimam generantes, & hæ, quantum fieri poteſt, removendæ, ut malo præſcindatur pabulum. Quare ſi morbus ſit populariter graſſans, & à victu impuro, aut externa cauſſa inductus: vim ejus inſigniter franget lene emeticum, mature, primis diebus, & ſub

ſub acceſſionum intermiſſione datum. Quo fine optimi & ſecuriſſimi effectus eſt radix hypecacuanhæ; de qua drachma dimidia, vel in robuſtioribus integra cum pauxillo nitri commixta, pro doſi exhibeatur. Eo magis & neceſſarius, & fructuoſus eſt emetici uſus, ſi morbus ſit recens, & ægri adhuc de nauſea, cardialgia, præcordiorum anxietate, atque vomendi conatu conquerantur; claro documento, morbi fomitem, maximam adhuc partem in ventriculo hærere. Conf. BUDDEI *tractatus ſupra citatus pag.* 44. Tum ſupra memoratis remediis diaphoreticis, acidis, temperantibus, antiſpaſmodicis, atque tandem anodynis & roborantibus inſiſtere convenit.

§. V.

*Curatio mali ex fomite primarum viarum ſuborti.* Quod ſi malum per periodos invadat; certum eſt indicium, fomitem illius in ſaburra acri inteſtinum duodenum occupante reſidere. Tum præſtat pulveribus rhabarbarinis, ac abſorbentibus eam acrimoniam exturbare. Quando vero putrilago verminoſa in inteſtinorum canale obhæſerit; huic obviam eundum laxantibus, cum extractis amaris, balſamicis, anthelminticis, uti eſt extractum tanaceti, cardui benedicti, centaurii minoris &c. maritatis; aut pulveribus laxantibus, qui habent ſemen ſantonici, corticem chinæ, cinnabarim, & tantillum jalappæ. Tum primis officinis à ſaburra omni liberis; humorum etiam maſſa à miaſmate ipſi inhærente, per bezoardica fixiora ac decocta diluentia cum regimine blando diaphoretico repurganda eſt.

§. VI.

*Curatio mali à ſuppreſſis exanthematibus producti.* Si motus ſpaſmodici vagi à retropulſis exanthematibus, ulceribus, arthritide, podagra &c. fuerint excitati: omnis primum curatio eo eſt dirigenda, ut lymphaticus latex, ab iis, quibus imbutus eſt, impuritatibus liberetur; & retropulſæ efflorescentiæ ad corporis ſuperficiem invitentur. Priori ſcopo inſerviunt pulveres diaphoretici, nitroſo-cinnabarini, cum extracto croci remixti: infuſa calida intra lectum cum regimine pota; mixtura ſimplex, liquor anodynus, & ſpiritu eboris maritatus; poſteriori ſatisfaciunt frictiones, fomentationes corporis externi, tepidiora pediluvia, balnea aquæ dulcis cum lacte, atque laxantia; quæ illum ſimul habent uſum, ut conſtrictas partes blande relaxent. Nec irrita ſæpius ſunt veſicatoria, fonticuli, & ſetacea.

§. VII.

*Curatio mali à dyſcraſia ſcorbutica ſuſtentati.* Quod ſi quidam, uti plerumque fit, ex prægreſſa perverſa diæta diu male habentes, ſucceſſive motibus ſpaſmodicis vagis corripiantur: indicium eſt, illos à dyſcraſia ſanguinis ac lymphæ ſcorbutica fuiſſe excitatos. Tum aliam curandi viam inire decet: ſiquidem ea remedia in uſum ſunt vocanda, quæ corruptam humorum maſſam emendant, impuros humores per congrua proſcribunt emunctoria, ac circulum humorum reddunt æquabilem. Hoc nomine præter congrua laxantia, & clyſteres præſtantiſſima ſunt antiſcorbutica, & ex his temperatiſſima, veluti ſunt beccabunga, acetoſa, radix chinæ, ſarſaparillæ, lapathi acuti &c. hæc vel in decocti forma, vel potius in ipſis ſuccis adhibeantur, maxime ſi illi cum lacte caprino, vel ſero lactis adſumantur. Ipſum etiam ſerum lactis dulce, ea ratione, quam in *Conſult. ac Reſponſ. Medicin. Tom. I. Sect. I. Caſu XIII.* aliiſque locis docui, paratum, aut loco aquæ ſimplicis, acidulis Selteranis, vel aquis deſtillatis herbarum antiſcorbuticarum, addito pauco nitro, nuptum, ingentem pollicetur fructum. Neque alienum erit, ipſis acidulis, cum lacte maritatis uti: & ſi in ullo morbo, certe in hoc excellentiſſima eſt virtus aquæ fontanæ, naturali frigiditate hauſtæ: quibus omnibus, ſi nimia ſanguinis moles fuerit præſto, congruæ venarum ſectiones conjungendæ ſunt.

§. VIII.

Quando itaque dicta ratione craſſiores ſordes atque etiam volatilis venenata acrimonia aliquantulum ſopita & expurgata fuerit: tum ea in uſum vocanda, quin & priori curationi ſunt interponenda, quæ effrænes motus ſedant ac compeſcunt. *Quomodo motus effrænes ſint compeſcendi.* Repetantur hoc nomine anodyna & antiſpaſmodica, quæ prioribus jam commendavi capitibus. Tali enim ratione & diaphoreticis interponuntur lenia ſedativa, v. g. pulveribus bezoardicis addi poteſt extractum croci; theriaca cœleſtis; mixturis ac ſpiritibus diaphoreticis cum fructu liquor anodynus & eſſentia caſtorei jungitur. Inprimis vero laudem in hoc morbo merentur lumbrici terreſtres recentiores, vel in pulvere, vel ſucco dati; quippe qui ſpecificam fere in ſopiendis motibus hiſce ſpaſmodicis vagis obtinent virtutem. Sæpius etiam mali vehementia requirit, ut externis linimentis anodynis atroces motus pauliſper conſopiamus; quo reliquorum remediorum vis eo melior evadat. Inter ea deprehendi præſtantiſſimum, quod ſic ſe habet: recipe axungiæ humanæ, olei nuciſtæ ana unciam ſemis, olei hyoſcyami drachmam unam, balſami Peruviani, croci, ana drachmam ſemis, olei ligni Rhodii, lavendulæ, rutæ, majoranæ, ana guttas decem. M. D. Hoc linimentum ad tempora, cervicem, ſpinam dorſi, adplicare convenit. Et ejuſmodi remediis, maxime ſi malum nondum fuerit valde inveteratum, illud ſæpius profligari poteſt.

§. IX.

*Curatio mali inveterati.* Verum enim vero, longe aliter res ſe habet, ſi affectus exiſtat inveteratus, miaſma malignum ſe intimius in partes ſolidas inſinuaverit, ac generis nervoſi imbecillitas vel connata, vel per alias cauſſas inducta præſto fuerit. Tali in caſu nihil eſt præſtantius ſubſidiis diæteticis, patienter, & per longum tempus uſurpandis. Quemadmodum ſcilicet rerum non naturalium uſus ita inſtitui debet, ne quid inde detrimenti in ſanitatem redundet: ita præſertim in aëris, cœlique mutatione magna curandi vis, & unicum fere ſolatium latet. Præparato enim corpore per venæ ſectionem, blanda laxantia, pulveres diaphoreticos ac temperantes, juvat peregrinationem inſtituere; & acidulas ad ſcatebram cum lacte, ſub mentis hilaritate, ac congrua vivendi ratione potare; ac eo præſertim reſpicere, ut inteſtinum duodenum ab acri bilioſa ſaburra ſemper maneat vacuum. Præterea, in hoc demum caſu ſpecifica antepileptica, cum lumbricis terreſtribus juncta, balnea quoque aquæ dulcis cum quarta lactis parte remixta egregium operæ faciunt pretium.

§. X.

*Roborantia.* Quod ſi autem conquieverint motus violenti ſpaſmodici; roborationi partium nervoſarum opera danda eſt; quoniam ſi hæ maneant debiles, non

non ſolum cruditates in primis viis facile colliguntur, verum etiam ipſum malum recidere ſolet. Quare haud luderetur opera, ſi in uſum vocentur balnea martialia, naturali frigiditate prædita, uti ſunt Lauchſtadienſia, vel Freyenwaldenſia; quæ ad roborandum & confortandum corpus egregiam obtinent virtutem. Sub horum uſu pariter ac eo abſoluto, adhibenda ſunt decocta diluentia, ex radice chinæ, ſcorzoneræ, viſco quercino, qui inſigne roborans conſtituit: quo etiam nomine excellentis virtutis eſt cortex Peruvianus, in pulvere ſubtiliſſimo, cum ſuccino, cinnabari, antimonio diaphoretico maritatus. Hic enim cortex blanda ſua balſamica vi, humores corruptos, acres, bilioſos in duodeno potiſſimum hærentes invertit, ac benignos reddit; atque ventriculum ac primas vias roborando, digeſtionem egregie adjuvat. Quo etiam ſcopo elixir noſtrum balſamicum viſcerale præſtantiſſimam pollicetur opem; præſertim, ſi pilulis balſamicis, quandoque devorandis, primæ officinæ ſemper a ſordibus liberæ conſerventur.

§. XI.

*Methodus præſervatoria.*

Præter hæc denique præſidia, ad noſtri affectus præſervationem, ſedula cauſſarum huc diſponentium evitatio, quam plurimum contribuit. Fugiantur nimirum loca uda, humida, paluſtria; & aër ſeligatur purus, ſerenus atque tenuis: hinc etiam in malo epidemice graſſante domicilia atque conclavia haud ſine fructu ſuffimigiis imbuuntur. Victus porro ſit facilis ac conveniens; ne cruditates in prima regione, novum ſpaſmorum pabulum generentur: quare SEVERINUS EUGALENUS *tract. de Scorbuto pag.* 119. caſum recenſet, de convulſionibus ſcorbuticis in infante, quæ nullis remediis curari prius potuerunt, quam donec nutrix ſana fuit quæſita. Inprimis cane pejus & angue fugiantur alimenta ac potulenta calidiora, commoventia; ut etiam animi pathemata, ira, terror, cura, triſtitia: utpote quibus in revocandis motibus ſpaſmodicis & convulſivis nihil eſt efficacius. Alvus nunquam ſit obſtructa, nec ſanguinis moles juſto major: idcirco hæc congruis venæ ſectionibus ac ſcarificationibus ventilando; illa victu emolliente, clyſteribus, ac pilulis balſamicis lubricanda. His denique omnibus præſertim verſus ſolſtitium brumale, quo plerumque hi adfectus recrudeſcere ſolent, utendum erit.

*CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautelæ circa remedia calidiora.*

Si ullus eſt morbus, qui delicatius, ac leviori quaſi brachio tractari debet; certe eſt noſter ſpaſmodicus vagus. Reſpuit ille valida, ac exacerbatur ab omnibus, utut leviſſimis ſpirituoſis, commoventibus, ac calidioribus, bezoardicis, alexipharmacis, volatilibus, eſſentiis, oleis deſtillatis &c. Materia enim ſalino-ſulphurea, quæ hos morbos fovet, tam ſubtilis exiſtit, tamque volatilis, ut ab ejuſmodi remediis admodum exaltetur & exagitetur. Cuncta, quæ exhiberi poſſunt, medicamina, ſint temperata; & in pulverum, mixturarum aquearum, decoctorum ac infuſorum forma propinentur.

§. II.

*Circa antiſcorbutica.*

Hanc etiam cautelam circa ipſa antiſcorbutica obſervare oportet: ex quibus non niſi temperatiſſima ſeliguntur, uti ſunt beccabunga, acetoſa; & ſuccus naſturtii aquatici, quod præter ſal volatile ſubamaræ & roborantis eſt virtutis. Optime enim in ſuccis exhibentur; maxime ſi illi aut ſero lactis, aut ipſi lacti nupti, purgatis antea primis viis, propinetur. Si decoctorum formulæ arrideant; illis addere convenit nitrum; quippe quod radicum, herbarumque paullo acriorum vim commoventem inſigniter hebetat.

§. III.

*Circa fortiora evacuantia ac narcotica.*

Fortiora purgantia adhibere, maxime, ubi ſcorbutica præſto eſt acrimonia; nihil eſt, niſi oleum camino addere. Narcotica, ſulphurea, opiata, adſtringentia &c. remota nondum materiali cauſſa, propinata veneni inſtar ſunt. Licet enim prima fronte malum allevare videantur; re tamen vera illud reddunt pertinacius, ac ſummam nervorum relinquunt debilitatem. Idem de aſa fœtida, naribus extrinſecus admota, tenendum eſt; cui ſubſtituere præſtat corium illud ex Ruſſia ad nos deportatum, quod vocant *Juchten-Leder*. Fonticulos, veſicatoria, ſetacea &c. non promiſcue adplicare decet; ſed in certis duntaxat ac reſervatis caſibus, ubi nimirum exanthemata, aut ulcera ad partes corporis interiores ſunt retroacta, & malum eſt pertinacius.

§. IV.

*Quid faciendum, ſi ſubſint affectus hyſterici.*

Ubi affectum ſpaſmodicum vagum, præter ſcorbuticam humorum dyſcraſiam, affectus hyſtericus, aut excretionum ſanguinearum ſuppreſſio ſuſtentaverit: haud temere ad ſpecifica, aut motus præternaturales ſopientia, interna pariter, ac externa confugiendum eſt; ſed antea bene providendum, ut adjuvetur ſucceſſus excretionum. Hoc fine venæ ſectiones convenienti tempore inſtitutæ; clyſteres, pulveres temperantes & antiſpaſmodici; pilulæ blande balſamicæ; tepidiora pediluvia, & bonum ab horum uſu regimen, quin & balnea temperata, ac denique recta aquarum mineralium potatio utramque paginam abſolvunt. Et generatim ſciendum eſt, nihil magis felicem curationis ſucceſſum adjuvare, quam ſi pori cutis aperti, & alvus libera fuerint.

§. V.

*Cautela circa ſcorbutum.*

Adhuc circa ſcorbutum, ſi malo noſtro pabulum dederit, tenendum eſt, quod in illo magis frigido, ut cum veteribus loquar, aut ubi ſimul pituita mucida, vappida, acida, in ſubjectis naturæ humidioris ac frigidioris peccat, magis è re ſint antiſcorbuticæ radices ac herbæ in decoctis adhibendæ. Contra vero, ubi ſubjecta fuerint ſtrictiora, calidiora, cholerica, & acrimonia magis bilioſa, ſulphurea, omnium remediorum virtutem antecellit ſerum lactis.

§. VI.

*Circa lacticinia.*

Generatim lac, & medicamina ex illo parata, ſi debito ordine, ac primis viis à bilioſa acri ſaburra repurgatis uſurpentur, ad infringendam & obtundendam miaſmatum malignorum, in his morbis peccantium, acrimoniam, præſtantiſſimi uſus eſt. Hoc inter alia patet, exemplo venenorum, ac draſticorum purgantium & emeticorum: nihil enim certius & efficacius, ad convulſiones, & alias atrociſſimas paſſiones ab illis excitatas deprehenditur, quam opportunus lactis uſus.

## §. VII.

*Circa remedia ſalina ac mercurialia.*

Pernitioſiſſimus in morbo noſtro ſpaſmodico, ubi jam ſalia acria, ſcorbutica præſto ſunt, eſt quorumcunque ſalium & fixiorum & volatilium frequens & largior uſus; quippe quæ materiam ac cauſſam morbi magis adaugent, & ſymptomata exacerbant. Quare nec cinnabarina, quæ alias cum diaphoreticis ac abſorbentibus mixta, ſecuri ſunt uſus, cum ſalibus irritantibus combinare decet. Maxime omnium à mercurialibus quibuſcunque ſedulo cavere expedit: quoniam illa, ſi cum ſalina acrimonia permiſceantur, cauſticam ac venenatam obtinent naturam.

## §. VIII.

*Circa linimenta.*

Sæpius tanta urget motuum violentorum vehementia, ut nulla fere reſtent intervalla, quibus convenientia propinari poſſint remedia. Tali in caſu nihil eſt præſtantius, quam remediis externis, ac linimentis, cum oleo hyoſcyami permixtis, ad tempora adplicandis, blandum conciliare ſomnum; quo ſævi tumultus placantur, ut deinde reliqua medicamina feliciori ſucceſſu adhibeantur. Ceterum etiam roborandi fine linimenta vertebris lumbaribus, ventriculi regioni, ac juncturis partium adplicari poſſunt; ubi loco olei hyoſcyami, oleum nervinum & lumbricorum terreſtrium ſubſtitui debet.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Motus convulſivi vagi ſcorbutici.*

Imploravit aliquando opem meam Comes illuſtriſſima, annorum XXXIV. undecim liberorum mater, gravibus curis ac terroribus obnoxia, quæ per ſeptem jam annos præter paſſiones hypochondriacas, convulſionibus vagis per intervalla tam admirandis infeſtabatur, ut à multis faſcino adſcriberentur, nec verbis ſatis potuerint exprimi. Extra paroxyſmum vaga erat adpetentia; at ſitis ut plurimum ardentior, ſub qua fauces & œſophagus plorabant lympham, ſaporem nunc meri piperis, nunc meri ſalis, nunc cupreum referentem. Præcordia diſtendebantur mirifice; venter reſonabat continuis murmuribus; inteſtinorum volumen poſt leviſſimum motum ſæpius occupabat colica convulſiva; alvus mox erat ſtrictiſſima, mox fluida, nunquam tamen abſque teneſmo vel inguinum ſpaſmo reddebatur. In hypochondriis perpetuo ſentiebatur inflammatoria quædam & quaſi ulceroſa exæſtuatio, quæ ſæpius ſternum invadebat cum ſenſatione animalculi ibidem oberrantis. Urgebant mentis deliquia, cordis palpitationes, & nocte præſertim tanta ſpirandi anguſtia, ut ſuffocari videretur. Caput crebra vertigine afficiebatur, cum dolore mox unius, mox alterius lateris ſpaſmodico; & tanto ſæpius æſtu intus & extus exardeſcebat, ut cerebrum quaſi prunis aſſari, facies mero igne afflari videretur. Somno utebatur turbulento; vigilans metu, triſtitia, pavoreque ſine cauſſa percellebatur frequenter; ac ipſæ mentis facultates imminui cœperunt. Ceterum partes externas nunc formicationis quidam ſenſus, nunc motus abolitio, nunc etiam tremor undulans, cum gravitate oppreſſoria occupabat: interdum tanta pedum urgebat elaſticitas, ut perpetuo ambulandi ac ſaliendi adficeretur deſiderio; mox ingens rigor totum corpus concutiebat, qui in frigidum deſinebat ſudorem, interioribus ferventibus. Facies mox ſaniſſima, mox ex nigro fuſci coloris adparebat; pedes nunc tumebant, nunc variis pingebantur maculis; nunc etiam veſiculis, quæ diſruptæ lympham ſtillabant acerrimam, obſidebantur.

Menſes rite fluunt; lochia, ſi fœtus enixa fuerit, bene ſuccedunt, & nonnunquam maſſulas purulentas ſimul fundunt, acrimonia aquam fortem ſuperantes. Diætæ eſt ægra ſtudioſiſſima; & pro potu ordinario nil niſi aquam ſimplicem adſumit. Ipſi paroxyſmi viſu ſunt horrendi: namque illuſtriſſima ægra horrendis motibus, nunc tetano, nunc epiſthotono, nunc emproſthotono convolvitur, tenditur, circumgyratur, in choreas nunc ambobus, nunc uno ſaltem pede ducendas cogitur, & in curſum nullis frænis ſufflaminandum rapitur. Nunc ſuper genua, nunc ſuper digitos pedum, nunc ſuper plantas obliquas volutatur, donec in terram concidat, linguam canum more cum ſono anhelantium motitat; dentes colliſis maxillis conterit; palmas manuum collidit; & tum attonito & quaſi moribundo ſitu detinetur. Senſus interni in convulſivo paroxyſmo omnes ſunt ſalvi, & ad unguem novit, quæ ſub illo fuerunt acta. At in poſteriori acceſſione veluti cataleptica, oculis licet clauſis, carmina concepta, propria manu in charta deſcribit; clauſis etiam oculis fila ſerica artificioſiſſime contexit; & ante fores ſtantes, utut ſibi ignotos, nullo indicante, ad ſe vocat. Hi paroxyſmi per intervalla redeunt, & prænunciantur ſomnolentia juſto profundiori, adpetitu & pulſu auctis: tum viſcida muci particula per ſcreatum ejicitur; aut globiformis ſepti tranſverſi contorſio ſentitur; & hinc ſubito ſuperveniunt artuum agitationes.

### *Epicriſis.*

Notabile hoc eſt exemplum motuum ſpaſmodicorum vagorum, cum catalepticis ſymptomatibus & inſigni humorum dyſcraſia ſcorbutica complicatorum. Hanc enim ſignificant lympha illa acerrima, ex faucibus ac œſophago ſtillans, varioſque ſapores referens, dolores rodentes, lancinantes, pungentes totius fere corporis; maculæ ac veſiculæ pedes occupantes, atque moleculæ illæ acerrimæ cum lochiis excretæ. Notabile vero in hoc caſu eſt, quod appetitus, qui extra paroxyſmum vagus erat, brevi ante ipſam acceſſionem admodum auctus fuerit. Namque excitari adpetitum à ſalibus acidis, tunicam ventriculi vellicantibus, neminem fugit: hæc vero ſalia, quamdiu motus ſpaſmodici ſilent, reliquis viſcidis humoribus immixta quaſi coercentur; at quando per incipientes violentos motus è ſuo contextu extricantur, iterum afficiunt nervoſas partes; ut adeo cauſſa pateat, cur imminentem paroxyſmum adpetitus antecedat auctior. Totum vero malum primum habet fundamentum in perverſo partium & fluidarum & ſolidarum motu: quod ex paſſionibus, quas toleravit hypochondriacis clarum fit. Complicati in his adfectibus inteſtinorum motus ſpaſmodici in cauſſa etiam ſunt, quod alvi negotium ſuccedat admodum inordinatum; & illa, conquieſcentibus ſpaſmis, lubrica, his vero recrudeſcentibus conſtrictiſſima fit. Teneſmus, ſingulis dejectionibus conjunctus ab humorum acrimonia dependet: & roſionis ille ac æſtuationis in hypochondrio dextro ſenſatio, à bile acriori, ſtagnante, & per poros veſiculæ felleæ tranſſudante, vicinaſque partes vellicante ſuos mutuatur natales.

Hujus

Hujus autem affectionis, quæ adeo inveterata ſolidas pariter ac fluidas partes prorſus deſtruxit, curatio difficillima fuit, ut adeo haud mirum, ſi omnium remediorum, utut præſtantiſſimorum efficacia fuerit irrita. Laxantia vero, diaphoretica, balnea, aquæ minerales, victus ac cœli mutatio inſigniſſimum in hoc ſpinoſo morbo levamen attulerunt.

### Observatio II.

*Spaſmi convulſivi vagi ex podagra retropulſa.*

Celebris vir, triginta annorum, decem abhinc annis menſe Martio podagrico corripiebatus inſultu, qui pedem ſiniſtrum occupabat, & intra tres hebdomades iterum evaneſcebat. Poſt elapſum exinde quinquennium, eodem menſe Martio ex improviſo doloribus vagis arthriticis omnium artuum, cum horrendis convulſionibus infeſtabatur: quibus intra ſex hebdomades debellatis, ſucceſſit tanta totius corporis imbecillitas, ut per tres integros menſes obambulare, ac pedibus inſiſtere nequiverit. Ante binos annos, iterum menſe Martio recruduerunt iidem motus vagi, ſpaſmodico-convulſivi & primum pollicem ſiniſtri, tum dextri pedis prehendebant, ac abhinc per calcaneum, pedes, genua, ſpinam dorſi, pectus, humeros, brachia, manus, digitos, cervicem & occiput protenſi, rationis uſum ſemper tollebant. Sedatæ atroces hæ affectiones, inſequente menſe Novembri, eadem vehementia, quin convulſionum majori violentia recidebant, & ſymptomatibus viſu horrendis ſæviebant. Tum accidit aliquando, ut in ipſa dolorum exacerbatione, illam dorſi regionem, ubi diaphragma vertebris adhæret, manu fortiter percutiendam præberet: quo facto, remittebant quidem artuum externorum tormenta, ſed atrociores inteſtina prehendebant dolores, ut arthritis retropulſa videretur. Vix autem una elapſa hora, alvus ſponte ſolvebatur; & tum clyſteribus adjuta, copioſas ſordes ac flatus reddebat: quibus excretis cuncta conquieſcebant ſymptomata, ſomnus & adpetitus redibant, & perfecta ſequebatur convaleſcentia.

#### *Epicriſis.*

Plane ſingularis, & attentione perquam digna eſt hæc obſervatio, quod forti facta percuſſione ejus dorſi regionis, ubi tendines diaphragmatis vertebris lumborum adhærent, externa artuum tormenta mox remiſerint, & ad inteſtina retroceſſerint; tumque ſecuta crebriori alvi dejectione, & copioſa ſordium eliminatione, vis morbi atque ſymptomatum mox conquieverit. Nam ſi ullus in univerſo corpore locus eſt notabilis; certe hic ipſe, cujus in hiſtoria morbi meminimus, attentionem meretur. Ibidem enim ſepti tranſverſi tendines vertebris lumbaribus firmiter junguntur, & orificium ventriculi ſiniſtrum, valde nervoſum atque ſenſibile; porro plexus major meſentericus, cum arteria & vena meſenterica, ac finis duodeni, in quo vitioſus morborum ſpaſmodicorum & periodicorum fomes eſt, ſitum ſuum habent. Hinc vero videtur ſimillimum, à paullo fortiori hujus loci externa percuſſione, ingentem tam motuum nervoſi generis ſpaſmodicorum, quam etiam cauſſarum, hoſce motus ſuſtentantium factam eſſe mutationem, eorumque ex uno in alterum locum translationem. Hujus externi remedii effectum in puerorum ſerina, atque ſuffocationem minante tuſſi, aliquoties vidi præſtantiſſimum: neque etiam minus in viro quodam honoratiſſimo, qui ſæpius cruciabatur graviori podagra, adnotavi, quod à partis affectæ per malleum facta, utut dolorifica percuſſione, inſigniſſimum dolorum perceperit allevamentum. Recte mechanica dici poteſt hæc curatio; quæ, ſi tempeſtive fiat, in certis circumſtantiis felici haud carere poteſt effectu.

Quod autem præſens morbus demum per alvi dejectionem fuerit curatus; certum præbet indicium, cauſſam illius materialem in prima latuiſſe regione. Hæc ergo idoneis foras ejicienda eſt ſubſidiis; cui quidem ſcopo fortiora purgantia, ſalina, & ſtimulantia minime inſerviunt; ſed quæ leniendo, demulcendo, ſimulque evacuando agunt, magis conveniunt. Ex horum cenſu, mea experientia, omnibus reliquis præferri meretur infuſum mannatum, rhabarbarinum, tartariſatum, pro re nata cum uno vel altero tartari emetici grano acuatum. Sic citra omnem noxam & tumultum tam per ſuperiora, quam per inferiora ſaburra primarum viarum, quantitate ſatis copioſa proſcribetur.

### Observatio III.

*Motus ſpaſmodici vagi cum corrupta phantaſia.*

Puer undecim annorum, ſtrictioris corporis habitus, à teneris vultu pallido ac lurido præditus, & ſæpius de imi ventris torminibus conqueſtus, parentibus tamen ſanis natus, obambulavit aliquando hiemali tempore in horto, ibidemque prævio gravativo in pectore ſenſu, & vomendi conatu, incidit in paroxyſmum fere epilepticum; in quo poſt aliquot horas ſemianimis, & oculis clauſis deprehendebatur. Abhinc malum magis invaleſcere cœpit, & aliquoties quotidie recurrit, cum tanto membrorum robore, ut vix à tribus viris coërcere potuerit. Paroxyſmum antecedebant anguſtiæ præcordiorum, palpitationes cordis, vertigo, tinnitus aurium, & capitis gravitas: tum ſpaſmodicæ agitationes ab umbilico primum ad caput aſcendunt, & ex hoc in externos artus diffunduntur. Quamdiu caput afficitur, omnes ceſſant ſenſus & rationis potentia heberatur; quando autem artus concutiuntur, rationis redit integritas. Ipſæ corporis agitationes variis quotidie modis triſtem ludunt ſcenam: mox enim inſtar galli cucurrit, mox boatum vaccarum æmulatur, mox ſonitum, quo venatores feras alliciunt, modulatur; mox peregrinas linguas ſtrepit; mox more muſicorum, modum cantus manibus moderatur; mox magis mutus eſt quam piſcis, & tum ſcribendo ſignificat, prohibitum jam ſermonem, ſe intra horæ ſpatium eſſe recuperaturum, uti etiam fit. Fingit præterea ſibimet non ſolum varias inanes ideas, ac terrificas imagines, ſeque ſpectra videre affirmat; verum etiam prædicit ſæpius in paroxyſmo res, quæ actu fiunt. Et notatu dignum eſt, ægrum aliquando, cum accitus verbi divini miniſter nomen Jeſu pronunciaſſet, ingentem edidiſſe clamorem; quo finito tranquillus preces fundere valuit. Ceterum extra paroxyſmum fervido fruitur adpetitu, ſomnoque placidiſſimo; & urinam mingit aquoſam. Ex emeticis lenioribus bene habet; ſed poſt inſtitutam pronuper venæ ſectionem, malum exacerbari videbatur.

*Epicriſis.*

Prodigioſa utique, & quæ omnem mentis captum ſuperare videtur, eſt illa vis, quæ in hominis phantaſia latet, & quæ in morbis cerebri, atque generis nervoſi atrocioribus, quam maxime ſeſe exſerit. Quare jam vetuſtiſſimi, & Hippocratis tempore viventes medici, loco naturalium cauſſarum, quas ignorarunt, τὸ θεῖον, ſive divinum quid in ſubſidium vocarunt: & ob eandem rationem epilepſiam nomine morbi ſacri inſigniverunt. Notabilis certe eſt locus, qui in Libro HIPPOCRATIS *de morbo ſacro* §. 11. exſtat, dum: *Qui primi*, inquit, *hunc morbum ſacrum eſſe pronunciarunt, tales homines mihi eſſe videntur, quales etiam nunc ſunt magi, & expiatores, & circulatores, & quidam arrogantes, qui ſe vehementer pios eſſe ſimulant, & amplius quid ſcire. Hi itaque conſilii & mentis inopiæ obvelantes, ac prætexentes divinitatem, quum nihil haberent, quod exhibitum prodeſſet, ut ne manifeſta fieret ipſorum ignorantia, ſacram hanc affectionem eſſe pronunciarunt, & relictis idoneis rationibus, curationem in expiamentis & incantamentis quæſiverunt.* Verum cum cauſſæ, quæ ad turbulentam ejuſmodi, ac plane perverſam contribuunt phantaſiam, omnino ſint phyſicæ atque mechanicæ, ſiquidem anima non niſi in mechaniſmo, per mechanicas cauſſas & cum materia apta agere & operari poteſt, quo immutato, illius quoque operatio mutatur: illæ ſane diligentius à medico ſunt corrigendæ, & è corpore proſcribendæ. Et ipſi jam veteres, præſertim Hippocrates, talium cum corrupta phantaſia complicatorum morborum curationem in remediis diæteticis, cibis accomodatis, ſalubri aëre, atque demum in helleboro dextre præparato quærentes invenerunt. Quemadmodum enim à cibis copioſis, flatulentis, & qui craſſos viſcidoſque ingenerant ſuccos, nec non aëre nimis denſo vappidoque, corpora per ſe jam imbecilla facillime ad graves generis nervoſi ægritudines diſponuntur: ita omnino ad has præcavendas pariter, ac ſanandas, convenienti vitæ regimine, & victu tenui, qui nec ſtomachum gravat, nec cruditates relinquit nervis inimicas, & benigno cocto nihil obſervatur præſtantius.

### Observatio IV.

*Morbus ſpaſmodico-convulſivus, ex nimiis aſcaridibus ſubortus.*

Puer ſeptem annorum, alacris antea, & vegetus, ex improviſo, capitis acuto corripiebatur dolore, qui cum æſtu præternaturali, atque pulſu celeri erat conjunctus. Brevi poſt ſuperveniebant ſæviſſima circa regionem umbilicalem tormina, crebri vomendi conatus, intolerabilis in ano pruritus, alvi obſtructio per triduum inhærens; & tandem excipiebant horrendæ manuum pedumque convulſiones, & agitationes, ex uno membro in alterum tranſeuntes: quibus ceſſantibus, abſque ſenſu & motu, intentis oculis, graviter reſpirans jacebat. Hæc ergo ſymptomata præter antiſpaſmodica, liquorem meum anodynum mineralem, cum tertia parte ſpiritus vitrioli junctum, & pulverem ex cinnabari, lumbricis terreſtribus, nitro, & pulvere Marchionis confectum, oppugnabantur laxante, quod ex manna, rhabarbaro, ſemine ſantonici, ac ſale Sedlicenſi erat compoſitum. Hoc excipiebant crebræ alvi dejectiones, & cum illis, mirum dictu! ultra millia aſcaridum tenuiſſimarum, glomeris inſtar invicem contortarum, excernebantur: quo facto cuncta protinus remittebant ſymptomata.

*Epicriſis.*

Vermes, inteſtinis tenuibus, vel ipſi ventriculo incarceratos, horrenda & portentoſa in partium nervoſarum ſyſtemate excitare ſymptomata, neminem fugit. Sed id non adeo obvium atque compertum eſt, aſcarides, quarum ſedes in recto, tanquam ultimo, & à capite remotiſſimo inteſtino eſt, convellendo univerſum nervorum genus, totam motuum vitalium, imo functionum animalium turbare poſſe œconomiam. Verum haud infrequenter non tantum in pueris, ſed etiam adultioribus, præſertim fœminis ob menſium vitium cachecticis, ex aſcaridibus varios & mirabiles capitis affectus, aphoniam, profundum ſoporem, epilepſiam, catalepſin, convulſiones artuum vagas, ac mentis alienationes obſervavi. Quando vero hi vermes per ſuppoſitoria, anthelmintica cum purgantibus juncta, ex quibus ſemen Santonici cum mercurio dulci ac jalappa mixtum palmam obtinet, non omiſſis balſamicis, foras pulſi fuerunt, remiſerunt omnes adfectiones. Cauſſam tam graviſſimarum paſſionum non in ſola inteſtini recti vellicatione collocandam eſſe arbitror; nam ſæpe nec ullus dolor, nec pruritus in ano ſentitur; ſed potius in putridis horum animalculorum effluviis ac exhalationibus, per poros in nervoſas ac membranaceas partes ſeſe inſinuantibus ponendam eſſe, certus credo.

### Observatio V.

*Spaſmi vagi ab acrimonia lymphæ & ſeri.*

Vir quidam ſexaginta quatuor annorum, laborabat affectu ſpaſmodico vago, qui ſic ſe habebat: ante invaſionem conquerebatur de pedum & crurum vehementi refrigeratione, ut calore hæ partes foveri debuerint. Ceſſante paullo frigore, tormina atrocia infeſtabant abdomen, quibus præſentibus nec flatus, nec fæces, nec urinæ mitti poterant. Tum excipiebat quædam contractio in medulla ſpinali circa lumborum vertebras; ſub qua venter magis occludebatur, ſpaſmodicus vero dolor ad ſuperiora ſimul aſcendebat, cum junctis ructibus; capitiſque doloribus tenſivis, gravativis, & quodam ſtupore. Tandem æſtus cum pruritu totum corpus perfundebat, & maxime regionem umbilicalem tanta occupabat ariditate, ut cutis veluti torrefacta, ac aduſta, adpareret. Non etiam minus extra paroxyſmum crura ſemper manebāt frigida; manus vero notabili languore, ſtupiditate, tremore, ſenſationiſque pariter ac motus quadam impotentia adficiebantur: quid? quod denique vera paralyſis pedes atque manus obſcderit: reliquis ſymptomatibus ſpaſmodicis in uno tenore perſeverantibus. In tali rerum ſtatu multa, ac varii generis medicamina, ſed fruſtra fuerant adhibita. Ego tandem conſultus, clyſteres emollientes ano infundi; & decoctum ex ſero lactis, floribus ſambuci, & naſturtio aquatico paratum potari juſſi; ex quorum uſu tormina & dolores abdominis admodum mitigabantur, & conjunctis tandem balneis aquæ dulcis, alvi libertas inſequebatur, ægerque habebat melius. Denique in faucibus & labiis, veſiculæ ſero aquoſo plenæ efflorefcebant; atque alvi profluvium ſatis copioſum accedebat, quo multæ ſordes excrementitiæ reddebantur. Et cum abhinc quotidie deco-

decoctum chinæ potaret, externaſque partes oleo lumbricorum terreſtrium ſæpius perfricandas curaret; vires ſenſim collegit, integramque recuperavit ſanitatem.

*Epicriſis.*

Notabile ſpaſmorum vagorum, licet cum violentis convulſionibus haud complicatorum exemplar ſiſtit hic caſus. Inceperunt nimirum illi in pedibus, horum refrigerationem inferentes; abhinc per ſpinam dorſi, nervoſas abdominis, maxime inteſtinorum partes obſederunt, pertinaces alvi conſtrictiones & tormina excitando, tum pectus invaſerunt atque præcordia; anxietates, ructus, ardorem ventriculi, & lymphæ ex ore vel potius faucibus ſtillicidium inducendo. Tandem etiam caput occuparunt, & in illo melancholiam, ſtuporem, vertiginem, vigilias, dolorem gravativum, tinnitum aurium, ſpaſmum caninum, ac denique paralyticos affectus progenerarunt. Hocce vero malum à dyſcraſia lymphæ & ſanguinis acri, tenui, cauſtica, in noſtro ægrotante originem traxiſſe; inter alia exinde patet, quod poſt æſtum, quo ordinario ſpaſmi diſcutiuntur, pruritus, fervor & exſiccatio cutis, & veſiculæ in toto corpore adparuerint. Hinc etiam factum eſt, ut decocta diluentia, humectantia, & quæ acrimoniam temperant, uti ſerum lactis, in quo flores ſambuci ac herba naſturtii aquatici decoquuntur, clyſteres emollientes, decoctum chinæ, atque balnea opem tulerint præſtantiſſimam. Contra vero omnia, quæ intendunt ſcorbuticam humorum acrimoniam, veluti ſunt fortiora purgantia, ſudorifera, atque ſalina plane omitti debent, quoniam iis plus damni excitatur, quam emolumenti.

OBSERVATIO VI.

*Morbus vagus ſcorbuticus cum ſaburra tenaciſſima, inteſtinis impacta.*

Quadraginta annorum vir, per duos abhinc annos crebris ventriculi inflationibus, ac inſigni abdominis tenſione divexatus, incidebat aliquando poſt prævium iter, in vehementiſſimum dentium ſiniſtri lateris dolorem, adeo, ut per aliquot horas inſtar apoplectici omni fere ſenſu ac motu privatus eſſet. Talis paroxyſmus bis adhuc circa novilunium ſemper recidebat; adhibitis vero veſicatoriis & ſcarificatione tandem remittebat. Poſthæc circa ultimam lunæ quadram, ingentes lancinationes crus ſiniſtrum prehendebant, cum totius corporis laſſitudine, & quotidianis animi deliquiis ſtipatæ: quæ ſubſequente plenilunio in omnes artus diffundebantur, cum rigiditate ac motus impotentia in brachiis, horumque juncturas veluti è ſede ſua diſtorquebant. Hinc ſuaſu amicorum, locum mutare, iter ingredi, & corpus movere cœpit: unde accidit, ut aliquando præter opinionem crus ſiniſtrum violenter retractum, dextrum vero antrorſum vehementer diſtentum fuerit. Diu etiam vixit in hoc miſero ſtatu, multoſque medicos adhibuit, quorum quidam inſultus apoplecticos, alii arthritidem, alii calculum, alii malum hypochondriacum ſuſpicabantur, & variis quidem contra ea mala, ſed in caſſum pugnabant remediis. Tandem cum atrocia & fere convulſiva inteſtinorum volumen excruciarent tormina; injecti intra nycthemeron ultra decem clyſteres, materiam compactam ac globoſam inſtar pomorum Borsdorffianorum minorum evacuarunt, quorum globulorum ſinguli veluti calce erant obducti. Horum dejectioni ſuperveniebant quidem animi defectiones; at elapſis abhinc paucis horis, ſingulare virium incrementum æger recuperavit. Tum uſus eſt lacte caprino, & ad thermas Tœplicenſes conceſſit, & poſt illarum uſum ſpinam dorſi & juncturas artuum oleo nucis moſchatæ ſibi inungi curavit: quibus factum eſt, ut paucis diebus omnia remiſerint ſymptomata, ac tantum pedibus acceſſerit robur, ut commode ambulare potuerit. Notabile ceterum in hoc morbo fuit momentum, quod manus, utut atrociſſimis diſtractæ doloribus, à paralyſi fuerint immunes; quæ tamen crura, à ſpaſmis libera, omnino occupaverat. Nec ſilentio prætereundum eſt, ægrum ſumtis cibis rariſſime habuiſſe animi deliquia, quæ vero in jejunio fuerunt frequentiora.

*Epicriſis.*

Luculenter ex hoc caſu docemur, quam graves affectiones pertinax alvi obſtipatio, & inteſtinorum à ſaburra craſſa atque compacta oppletio, niſi progenerare, ſaltem ſuſtentare valeat. Præſtat igitur alvum in morbis chronicis, ſpaſmodicis, convulſivis lubricam ſervare; cui ſcopo, tantum abeſt, ut purgantia conveniant, ut ſæpius etiam blanda laxantia oretenus exhibere haud liceat. In noſtro ſaltem caſu omnia purgantia, quin & laxantia non niſi vomitus excitarunt, & ſpaſmos exacerbarunt. Contra vero conſultius eſt, clyſteres ano infundere oleoſos, ac emollientes; quibus fæces craſſiores diluuntur, & ad exitum diſponuntur. Tum quoque jungere licet laxantia, & quidem leniſſima, veluti eſt manna cum oleo amygdalarum dulcium. Hiſce itaque ſubſidiis poſtquam expurgatæ fuerunt ſordes craſſiores: reliqua remedia, quæ ad temperanda ſalia ſcorbutica ſunt opportuna, feliciori ſucceſſu, majorique cum fructu adhiberi potuerunt, quæ inter ſerum lactis, præſertim dulce, eſt præſtantiſſimum. Tandem ad artus roborandos thermæ Tœplicenſes, & olea juncturis inuncta, utiliſſimam tulerunt opem.

OBSERVATIO VII.

*Spaſmi vagi ſcorbutici.*

Puella duodecim annorum, diu male habens, tandem in affectum ſpaſmodicum vagum delabitur, cujus paroxyſmi per vices ſequentem in modum invadebant: corripitur primum ægra dolore abdominis atrociſſimo; quo ceſſante maculæ hinc inde per corpus diſperſæ efflorescunt, & his demum evaneſcentibus, ſpaſmodicæ motitationes manuum pedumque ſuccedunt, atque tandem epilepticæ junguntur agitationes. Obſervatione hic dignum fuit, quod quotieſcunque externarum partium dolores ac ſpaſmi remiſerunt, illi protinus interiora occupaverint, cum alvi adſtrictione contumaciſſima, & tanta contractione, ut fiſtulam clyſticam ano intrudere, fere fuerit impoſſibile. Contra vero ceſſantibus internarum partium motionibus, ſpaſmi iterum ad externas tranſierunt; & hæc ſcena per ſatis longum tempus acta fuit, donec tandem morbus, clyſteribus oleoſis, ſero lactis, decoctis antiſcorbuticis &c. feliciter fuerit profligatus.

*Epicriſis.*

Notari ex hoc caſu meretur, quod ſub violentis inteſtinorum tormentis, craſſa præſertim atque rectum, circa exitum, adeo conſtringi ſoleant

ac coarctari, ut nec excrementis, nec flatulentis vaporibus exitum permittant, neque fiſtulam, qua clyſteres injiciuntur, utut tenuiſſimam recipiant; aut ſi quoque hanc admiſerint, ipſi tamen infuſi clyſteres, veluti vi quadam ſtatim repellantur. Hujus vero momenti ratio, falſo à quibusdam flatibus obicem ponentibus imputatur: ſiquidem ex phyſicis liquet documentis, quod fluida, quæ vi quadam ex clyſteribus ano impelluntur, reſiſtentiam obſtantium flatuum longiſſime ſuperent. Vera potius cauſſa in ipſa inteſtinorum pertinaciſſima conſtrictione latet, qua etiam motus eorum periſtalticus haud raro ad ſuperiora convertitur. Hinc ſæpiſſime fit, ut non ſolum ventriculi inflationes, cardialgiæ moleſtiſſimæ, anxietates præcordiorum &c. ſuboriantur; verum etiam laxantia oretenus data, per vomitum reddantur, quin nonnunquam ipſi clyſteres cum ſtercoribus per ſuperiora eructentur. Præſtat itaque in tali caſu ſub ipſo paroxyſmo, nihil nec laxantibus, nec clyſteribus moliri; ſed potius partes conſtrictas externis emollientibus relaxare, & extra acceſſionum tempus blandis vacuantibus ſaburram acrem eliminare; aliiſque antiſpaſmodicis & anodynis irregulares ac inverſos motus demulcere.

### Observatio VIII.

*Convulſiones vagæ ex violenta oſſis coccygis percuſſione.*

Puer annorum circiter quatuordecim, inter rixas cum commilitonibus, ſaxo ſatis duro circa os ſacrum ac coxendicis graviter percutitur; cum ſubſequuto partis affectæ vehementi tumore ac dolore, ſomnoque abhinc difficili, ac pavore pleno. Vocatus chirurgus os coccygis fractum dicebat, variaque extrinſecus adplicabat emplaſtra pariter ac linimenta. Neque tamen minus tertio die poſt accedebant horrendæ artuum convulſiones, cum vehementi cordis palpitatione, præcordiorum ſubſultibus, ſermonis difficultate, & memoriæ debilitate ſtipatæ, ut vix cognoſceret adſtantes, à pollicum tamen contractione immunes. Datis diaphoreticis ac antiſpaſmodicis medicinis, intra quinque dierum ſpatium ceſſabant hæ præternaturales motiones; ſed ſingulis menſibus, ſecundo vel tertio ante lunam plenam die, quo percuſſio violenta erat facta, ſemper redibant. Acceſſiones flatus frigidiores, ex oſſe ſacro per dorſi ſpinam ad cerebrum aſcendentes antecedebant; tum incompoſita loqui cœpit, non dormire, nec domi contineri poterat; oculi ſæpius torvi videbantur ac terribiles; & redeuntibus denique ſenſibus, vaga artuum convulſio ſequebatur. Tali malo per anni dimidium cruciatus æger, tandem per balnea aquæ dulcis; per pulveres antiſpaſmodicos, quorum baſis erat cinnabaris, ac pulvis lumbricorum terreſtrium; decoctum viſci querni, radiciſque chinæ, cum quarta lactis parte mixtum, atque per linimenta, quæ præter alia oleum hyoſcyami ac camphoram habebant, oſſi ſacro adplicata, quæ Dei eſt gratia, priſtinæ reſtituebatur ſanitati.

*Epicriſis.*

Ex hac morbi hiſtoria, diligentius penſitata, luculenter patet, quam admirandus ſit membranarum, quæ medullam ſpinalem cingunt, cum aliis nervoſis ac membranaceis partibus conſenſus, qui in mutua motuum vitioſorum communicatione ac propagatione conſiſtit. Senſatio autem illa frigidæ auræ ex loco affecto per dorſum ad caput uſque aſcendentis vix ab alia cauſſa dependet, quam à ſtrictura ſpaſmodica, per materiæ ſubſiſtentis acris & ichoroſæ vellicationem inducta, in oſſis ſacri medulla incipiente, & in forma motus undulatorii ſucceſſive ad cerebrum uſque propagata. In tali caſu, ubi etiam ex plantis pedum, ad caput aſpirans aura frigida epilepſiam peperit, non ſine fructu adplicare ſuevi temperatum veſicatorium, quod ex drachma una cantharidum cum emplaſtri de meliloto uncia una permixta paratum, per aliquot ſeptimanas parti affectæ impoſitum ſervetur. Hoc enim ſine dolore operatur, & ingentem ſeri vitioſi extrahit copiam.

Notabilem de hac re videas caſum in *Conſult. medic. ſect. IV. caſ. CXXXV.*

---

## CAPUT IV.

### *De Affectu cerebri ſpaſmodico-ecſtatico, vulgo cataleptico, perquam raro.*

§. I.

Portento ſimilis, & admiratione dignus eſt nervoſi generis affectus, qui homines ſaxis, ſtatuiſque marmoreis immobiliores reddit, & catalepſeos, quam Latini per deprehenſionem, detentionem, ac congelationem interpretantur, nomine ſalutatur. Eſt illa, ſi realem ſpectemus definitionem, ſpaſmodica fibrillarum nervearum, ac nervorum, actibus potiſſimum voluntariis, & ſenſationi deſtinatorum, prope ſuas origines conſtrictio, & inde denegatus liquidi tenuiſſimi, in cerebro ſecreti, cujus ope ſentit ac movet anima, in nervorum canales influxus: unde omnes ſenſus ac motus voluntarii pereunt, & corpus in eo, quo ſub acceſſione mali eſt ſitu, immobile ſervatur; viſque imaginationis magis intenditur. *Definitio realis catalepſeos.*

§. II.

*An differat à catocho.*

Agitatur inter veteres controverſia, an catalepſis idem ſit cum catocho morbus: necne? Quidam diſcrepare has adfectiones, & catochum illum eſſe perhibent affectum, quem coma vigil adpellant veteres; ubi ſomno premi videntur ægroti, & tamen vigilant, ſed nec fari, nec ullum membrum movere valent, ſenſu præſertim tactus integro. Contra vero plerique catochum ac catalepſin pro ſynonymis habent; quos inter HENRICUM AB HEER *obſ. III.* & NICOLAUM PISONEM *de morbis cognoſcendis Lib. I. Cap. XIII.* allegaſſe ſufficiat. Realis autem eſt, quæ catalepſin ac tetanum intercedit differentia. Quemadmodum enim in tetano totum corpus, & cuncta membra tanto rigore diſtenduntur, ut illa ligno rigidiora nec ſumma vi flectere aut incurvare valeas; & præterea ſenſus pariter ac ratio ſibi conſtant: ita è contrario in catalepſi immotum quidem ſtat corpus, ſed flexile manet, & quoſcunque artus flectere ac agitare potes; atque ſenſus omnes pariter ac ratio pereunt. *Differentia catalepſeos à tetano.*

§. III.

*Hiſtoria catalepſeos.*

Catalepſis omnium ſane morborum eſt rariſſimus; ut ideo HENRICUS AB HEER medico, ſe pluſquam millies vidiſſe catalepticos jactanti,

jactanti, reſponderit: *O te infelicem, non puto fuiſſe mille catalepticos, ex quo morborum terris incubuit cohors.* Quotquot tamen legeris de hoc morbo in libris medicorum ſparſim obvias obſervationes; invenies illum hiemali potiſſimum tempeſtate, & ſub frigore intenſiſſimo homines invadere. Quemadmodum enim frigus generatim nervoſo generi eſt inimicum, & ad producendos morbos ſpaſmodicos admodum opportunum: ita vero quoque ſimillimum eſt, in noſtro morbo nervorum fibrillas ad concipiendam ſpaſmodicam conductionem frigore reddi aptiſſimas; eo magis, cum ſolo horrendo frigore prodigioſum hoc malum excitari, plurimæ teſtantur obſervationes. Corripit equidem miſeros per intervalla, & paroxyſmos, qui ſæpius per aliquot horas durant, & juvenem quendam, cujus meminit FORESTUS *Lib. X. obſ.* 42. *pag.* 369. per tres integros dies detinuerunt. Raro quædam præcedunt notæ, mali adventum prænunciantes; niſi quod ſacerdos quidam, de quo FORESTUS loc. cit. agit, obtuſum antea in poſteriori capitis parte ſenſerit dolorem; & monacho, cujus caſum recenſet HENRICUS AB HEER *obſ. III. pag. XLIII.* ante invaſionem mali collum riguerit.

§. IV.

*Paroxyſmorum deſcriptio.*

Plerumque ſubito invadunt paroxyſmi, & ſic ſe habent: In quocunque ſitu fuerint ægri, in eodem ſimul ac ſemel manent rigidi ac immoti; ſedentes ſedent, ſtantes ſtant, cubantes cubant; ſi clauſi fuerint oculi, clauſi manent; cum vero malum de die plerumque accedit, oculi tenentur aperti, irretorti, in unum locum fixi, ac ſi Meduſæ caput intuerentur; &, licet illos ſudario perſtrinxeris, inconniventes manent. Interim loco moveri, & artus flecti poſſunt; ſed quocunque inflectantur, illic immoti perſiſtunt; impulſi progrediuntur; & puer, quem ex FERNELIO allegat FORESTUS *Lib. X. obſ.* 42. *Schol.* è lectulo ſublatus conſiſtebat. Neque vero ullus adeſt ſenſus, nec vident licet apertis oculis, nec audiunt, nec graviſſime compuncti ſentiunt. Nihilo tamen minus actus automatici legitime ſuccedunt; pulſus fertur naturalis, ſpiratio facilis; & adnotante FORESTO loc. cit. quicquid intruſeris ori, devoratur. Sæpius abdomen, ac coſtæ inferiores convelluntur, teſtantibus eodem FORESTO, SYLVIO, PLATERO ET DOLÆO *Encyclop. med. pag.* 6. Hinc alvus ſimul eſt adſtrictiſſima, ut nec tenuiſſima intrudi queat fiſtula, obſervante HENRICO AB HEER *obſ.* 3. *pag.* 39. Color faciei manet floridus, juxta NICOL. PISONEM *Lib.* 1. *Cap.* 13. *pag.* 93. Tandem inter alta ſuſpiria ad ſe redeunt; tumque mira, quæ audiverint ac viderint, inſtar ecſtaticorum, narrant. Extra paroxyſmum plerumque à cibis vel plane abſtinent, vel ſaltem pauca comedunt.

§. V.

*Subjecta catalepſeos.*

Huic malo, præſertim cum ecſtaſi conjuncto fœminæ præ viris deprehenduntur obnoxiæ, atteſtantibus BORELLO *Cap. XI. hiſtor.* 54. *&* MARCO MARCI *in Philoſ. reſt. pag.* 397. Poſſident enim illæ fibras molliores, teneriores ac ſenſibiliores, quarum ratione non ſolum ad ſuſcipiendos generis nervoſi motus inordinatos admodum proclives ſunt; verum etiam ad impreſſiones ac paſſiones animi fortiores fovendas, & morbos ex corrupta phantaſia ſubortos perquam opportuna exiſtunt. Deinde vero ſi ſit temperamentum melancholicum, & ubi vis imaginationis excellit, facillime hic morbus ſuboritur; præſertim ſi juxta NICOLAUM PISONEM loc. cit. & ipſam experientiam, victus frigidior, tempus anni, & regio ad frigidam conſtitutionem promta acceſſerint. Et denique adhuc notari meretur, quod in hoc morbo peremtis vaſa, quæ in baſi cerebri ad ſyncipur tendunt, ſanguine craſſo turgida, ac poſterior cerebri pars ſeroſa colluvie imbuta reperiantur. HENRICUS AB HEER obſ. 3. pag. 45. in tali ſubjecto cerebrum in anteriori parte durum, in baſi mollius ac humidius; nervorum vero origines ſicciſſimas & ſolito graciliores deprehendit.

§. VI.

*de cauſſa catalepſeos.*

Tradita hac catalepſeos hiſtoria; ad cauſſam ipſius, atque formalem rationem indagandam progrediemur. Hanc in poſteriori capitis parte hærere; non modo defunctorum ſectiones, atque dolores in poſteriori capite ac nucha, paroxyſmos nonnunquam antecedentes teſtantur; verum etiam omnes unanimi ore adfirmant medici. Verum in preſſius determinanda ſymptomatum cauſſa, in varias, minus claras abierunt opiniones. Plurimi ſpiritus animales adeo fixari ac concentrari aſſerunt, ut in motu ſuo præpediantur: quod de hiſce corporibus ſubtiliſſimis ac penetrantiſſimis nullo modo concipi poteſt. SYLVIUS *prax. Lib.* 2. *pag.* 474. experimento chymico, quo ſpiritus urinæ volatilis confuſus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo in coagulum ſpiſſius concreſcit, perſuaſus, credit in catalepſi ſpiritus animales, qui ad indolem ſpiritus vini rectificatiſſimi accederent, a ſpiritu volatili urinoſo, præternaturaliter in corpore genito congelari, ut immobiles maneant. Verum falſa ſubeſt adplicatio, & fallacia non cauſſæ ut cauſſæ: namque primum tantum abeſt, ut ſpiritus animales ejuſdem cum ſpiritu vini ſint naturæ, ut potius hic in quantitate aſſumtus, narcoſin inducat. Deinde in allegato experimento ſpiritus vini neutiquam coagulatur, ſed ſal volatile in proprio ſuo phlegmate ſolutum, continetur, affuſione ſpiritus vini rectificati præcipitatur.

§. VII.

*Cauſſa catalepſeos proxima.*

Nos potius cauſſam catalepſeos in denegato liquidi tenuiſſimi in nervos ad motus voluntarios ac ſenſus deſtinatos influxu, qui e contrario in nervos actibus vitalibus & automaticis inſervientes naturalis, quin ex parte impetuoſior eſt, collocamus: at quomodo ille intercipiatur, jam diſpiciendum eſt. Quod ſi ergo perpendamus; omnes totius corporis ſenſationes, omneſque functiones animales in catalepticis penitus ceſſare, vero eſt ſimillimum, fluidi nervoſi influxum in eo potiſſimum loco intercipi debere, ex quo omnes nervorum noſtrorum fibræ principium ſuum, ac primam originem trahunt. Hic locus audit ſenſorium commune, & ille eſt, in quo primariam quoque animæ ſedem, nos collocare oportet. Quamvis enim illa, tanquam ſubſtantia immaterialis, non bene includi queat loco: attamen cum certiſſimum ſit, ſpiritum hunc immortalem arctiſſimum cum corpore fovere commercium, & magnum in ſenſus & functiones, quæ dicuntur animales habere directorium; neceſſe eſt, ut ipſi ratione operationum, quas beneficio

ficio fluidi tenuiſſimi, modo nobis incomprehenſibili edit, certum utique adſignemus ſpatium, ex quo omnes, quæ in fibris fiunt mutationes ſentiat, & actionibus, quæ ipſius voluntati ſubjacent, commode fungatur.

§. VIII.

*Senſorii communis deſcriptio.*

Commune vero ſenſorium nec juxta CARTESIUM in glandula pineali; nec ad mentem LANCISII *diſſert. de ſede animæ cogitantis* in corpore cerebri calloſo; ſed cum anatomicorum accuratioribus ac recentioribus, in medulla oblongata, atque ea, quæ baſin cerebri conſtituit, collocamus. Exinde enim egreſſi canales nervoſi, tunicam extimam, à pia meninge, copioſiſſimis vaſis intertexta, ac medullares cerebri tractus ambiente, mutuantur, & ſic ad totius corporis partes, ſenſui motuique voluntario inſervituri abeunt. In haſce vero fiſtulas nerveas, fluidum ſubtiliſſimum, cum ſanguine per arterias carotides ac vertebrales ad caput delatum, reſorpta à venoſis vaſis crudiori ſubſtantia, in parte cerebri corticali ſecretum, & denique per medullarem regionem vi quadam impellitur; ut hujus beneficio certas cogitationes, ſequantur certæ motuum in corpore determinationes; & viciſſim certas corporis motiones excipiant certæ in anima ideæ.

§. IX.

*Quomodo in catalepſi influxus liquidi nervei intercipiatur.*

Quemadmodum igitur dicto illo fluidi tenuiſſimi influxu recte, & proportionata quantitate ſe habente, omnes ſenſationes, & functiones animales vigent, debitoque peraguntur ordine, noſque tum ſani vigilamus: ita ſi parcior fuerit ille influxus, dormire dicimur, eoque plane intercepto, omni ſenſu ac motu voluntario deſtituimur. Omnis vero hujus influxus interceptio, vel fibrillarum nervearum paralyſi, vel ſpaſmodica conſtrictione fit: namque nervorum obſtructionem, quam ſtatuunt, neutiquam locum habere, jam *in Conſult. ac Reſponſ. medic. Sect.* I. *Caſu XLIX. Tom.* I. demonſtratum dedi. Enim vero in catalepſi paralyſis fibrillarum nervearum ea non poteſt eſſe cauſſa, quæ remoretur fluidi ſubtiliſſimi introitum in nervos; cum paroxyſmi per intervalla recurrant, & ſub iis facies ſit rubicunda; quæ in morbis ejuſmodi à cauſſa paralytica inductis, quorſum mea ſententia, ſoporoſi ſpectant affectus, longe aliter ſeſe habent. Ergo in catalepſi fibrillarum nervearum, in ſua origine, antequam piam matrem penetrant, ſpaſmodica conſtrictio & cauſſam denegati ſpirituum in nervos influxus; & hinc reliquorum omnium ſymptomatum verum & ampliſſimum juxta §. VII. præbet fundamentum.

§. X.

*Ratio ſymptomatum.*

Hinc igitur omnes utique ſenſationes, omneſque animales functiones ceſſant; cum autem in partibus his inſervientibus nullus ſit ſpaſmus; ratio patet, cur membra per ſe immota, flecti queant, ac quocunque illa flexeris, ibidem vi movente carentia, immota rurſus quieſcunt. Sed dum hæc fiunt, vigent omnes motus, quos automaticos vocant. Namque conſtat ex anatomicis, quod ſicuti nervi ſenſibus, ac motibus voluntariis deſtinati ex cerebri medullari ſubſtantia ſuam trahunt originem: ita è contrario functiones vitales, quæ animæ imperio neutiquam ſubjacent, nervis ex medullari ac inferiori cerebelli parte propullulantibus adminiſtrentur, teſtante inter alia experimento a Clariſſimo VIEUSSENS *Neurograph. Lib. I. Cap. XX. pag.* 123. allegato. Jam vero in catalepſi illas fibrillas, quæ ex cerebro ortæ, nervos dant actibus voluntariis inſervientes, conſtringi diximus; at illæ, quas cerebellum ad vitam conſervandam emittit, ſalvæ manent in ſtatu naturali: hinc pulſus cordis & arteriarum viget, facies rubet, reſpiratio fertur naturalis &c. Interim cum fluidi tenuiſſimi in organa ſenſui, & motui voluntario miniſtrantia denegatur influxus: facile fit, ut illud majori copia ac impetu, in partes actus vitales perficientes ex cerebello impellatur. Hinc pertinaciſſimæ, quæ alvum occupat, conſtrictionis, motuumque abdominis & pectoris convulſivorum origo petenda eſt.

§. XI.

*Ecſtaſeos diſquiſitio.*

Reſtat adhuc illud momentum explicandum, quo cataleptici ſæpenumero obſervantur ecſtatici. Plerumque enim finito paroxyſmo narrant mira gaudia, aut phantaſmata tragica, viſiones divinas, conſortium angelorum; quin & futura prænunciare videntur, ac vatidicos ſe ſimulant. Tales memorabiles caſus paſſim obſervantur in medicorum ſcriptis. Conf. PAULLINIUS *Cent. IV. obſerv.* 38. MARCELLUS DONATUS *Cap. I. pag.* 91. *ſeqq.* AUGUSTINUS *de civitate Dei Lib. XIV. cap.* 23. ACT. MEDIC. BEROL. *Dec.* I. *vol.* II. *pag.* 62. A. N. C. *Dec. III. anno* 3. *obſ.* 61. *& Volum. I. obſ.* 250. *pag.* 563. Neque vero in hiſce caſibus diabolo vim quandam adſcribere; nec animarum è corpore ad alia loca, quin plane cœlum ſeceſſum ſtatuere, nec alias præternaturales cauſſas allegare neceſſe eſt; nec ad nos pertinent ecſtaſes Pauli, ſanctorumque; ſiquidem de illis duntaxat loquimur, quæ in morboſis corporibus fiunt. Et ſi tali ratione conſideremus, ſubjecta catalepſeos plerumque eſſe melancholica, vi imaginatrice fortiori gaudere, ac circa ideas ſacras de Deo, angelis, vita æterna tantum non ſemper eſſe occupata; deinde, ſi experientia, ac exemplo inſomniorum ſuffulti ſupponamus, animam, quo magis à perceptione objectorum externorum, ac motuum vitalium exercitio feriatur, eo intentius phantaſiæ indulgere: firma ſequitur concluſio, viſiones ecſtaticorum catalepticorum non niſi effectus eſſe intenſioris phantaſiæ: dum anima à commercio rerum externarum vacua, præteritas rerum ideas repetit, ex quibus inter ſe collatis etiam fieri poteſt, ut futura prænunciet. Sed revertamur ad cauſſas mediatas, quæ malo cataleptico excitando ſunt opportunæ.

§. XII.

*Cauſſæ catalepſeos mediatæ ſunt humores craſſi, præſertim commoti.*

Eminet inter illas vitium humorum craſſorum, ac viſcidorum, quos veteres dixerunt ſuccos melancholicos; qui in capite ac cerebro difficilius progredientes, & in hujus baſi præſertim ac pia meninge ſtagnantes, efficaciſſimam conſtrictioni fibrillarum nervearum ſuppeditant occaſionem. Hinc non tantum fœminæ hyſtericæ, virique hypochondriaci ac melancholici præ aliis catalepſin patiuntur, verum etiam hoc morbo peremtorum ſectio docet, vaſa in poſteriori cerebri parte craſſo & coagulato ſanguine repleta fuiſſe, ac in ipſo cerebro extravaſatam ſeroſam hæſiſſe colluviem. *Conf.* HOLLERIUS *Lib.I.*

*de*

*de morb. intern.* & SCHENCKIUS *Lib.* 1. *obſ.* 2. Ex his quoque patet clariſſime, quare conſuetas & ordinarias ſanguinis excretiones ſuppreſſas, nonnunquam ſubſequatur catalepſis: vide FONSECAM *Lib.* 2. *Conſult.* 92. Neque minus ratio patet, cur puer ille, cujus AETIUS *Tetrabibl.* 2. *Serm.* 2. *Cap.* 4. meminit, per triduum congelatus, tandem effuſo per nares copioſiſſimo ſanguine, ſtatim convaluerit. Eo magis à ſpiſſis humoribus catalepticum ſuboriri poterit malum, ſi illorum vehemens expanſio ac exæſtuatio, & hinc enata fortior vaſorum cerebri ac piæ matris diſtenſio acceſſerint. Unde concipi poterit, quomodo illud, ex febribus intermittentibus, incongrue ſuppreſſis ac volatilibus tractatis, juxta DODONÆUM *obſ. med.* 44. ex nimia vini generoſi ingurgitatione, teſte PLATERO *Lib.* 1. *fol.* 27. ex ebrietate ac nimia iracundia, notante DOLÆO *in encyclop. medic. pag.* 96. prognatum fuit. Nec ſilentio denique prætermitti debent vermes, ac lumbrici inteſtinorum; qui ſicuti graviſſimis morbis; ita & cataleptico anſam præbere poſſunt, teſtante obſervatione à MARCELLO DONATO *Lib. II. Cap. VII. pag.* 186. recenſita.

§. XIII.

*Animi pathemata.* Præterea ingens debetur animadverſio gravioribus animi pathematibus, quibus conſtrictionem fibrillarum in cerebro nervearum, cum ſubſequente catalepſi, excitari pariter ac relaxari, in ſcriptorum monumentis paſſim relatum legimus. TULPIUS *Lib. I. obſ. cap.* 21. juvenem quendam ex inopinato matrimonii repudio catalepticum factum, & illo promiſſo reſtitutum allegat. RONDELETIUS *Lib. I. pag.* 20. caſum refert de puella, viro, quem inſigniter oderat, nupta, quæ ex mœrore hunc morbum incidit, ejuſque paroxyſmis, quotieſcunque maritum vel vidiſſet, vel de eo audiviſſet, vel etiam cogitaſſet, protinus correpta fuit, HENRICUS *ab* HEER *obſerv.* 3. recenſet catalepſin, quam vir quidam melancholicus, ex nimio mœrore toleraverat. Idem malum, nimiam quoque mentis intentionem, ac profundas fixaſque meditationes, præſertim ſi temperamentum frigidum, aliæque occaſionales cauſſæ acceſſerint, excipere, probatiſſimorum medicorum documentis confirmatum habemus. Quales caſus reperies in GALENO *Comment. in* HIPPOCR. 2. *cap.* 56. ZACUTO LUSITANO *Lib. I. hiſtor.* 42. FERNELIO *in pathol. Lib. V. cap.* 2. Multo magis ad noſtrum affectum, cum ecſtaſi complicatum, meditationes ſacræ profundiores contribuunt; imprimis ſi ſpiritualis de commiſſis peccatis ſupervenerit triſtitia. Conf. SENNERTUS *in praxi pag.* 598. HERFELT *tr. philoſ. hominis pag.* 183. AUGUSTINUS *de civitat. Dei L.* 14. *c.* 24. GEIERI *præfat. tract.* Liebe GOttes und des Nachſten.

§. XIV.

*Catalepſis ex frigore horrendo.* Referri quoque ad catalepticos merentur, qui nimio atque horrendo frigore percelluntur ac veluti congelantur. Ratio hæc eſt: frigus vim habet externum corporis habitum, quem immediate ambit, validiſſime conſtringendi: quo conſtricto, humores ad interiora majori copia compelluntur, in capite præſertim cumulantur, in vaſis cerebri ſtagnant, hæc diſtendunt, & hinc fibrarum nervearum ex cerebro prodeuntium ſtricturam, catalepſeos cum omnium ſenſationum abolitione ſtipatæ originem cauſſantur. Continuante frigore intenſiſſimo, & hinc durantibus jam recenſitis illius in corpus effectibus, tandem fit ſanguinis aut ſeri in capite extravaſatio; qua ſæpius comprimitur cerebellum, ut nec in organa vitalia influere queat tenuiſſimum fluidum, & inde demum mors ſequitur. Quales triſtiſſimi caſus, ſicuti quotidie contingunt, ita præſertim à FORESTO *Lib. X. obſ. XLI.* copioſiſſimi deſcribuntur: ubi ſub hiemis aſperrimo gelu complures milites in excubiis ſtantes mortui ſunt reperti; alii equis inſidentes, ac habenas in manibus adhuc habentes, congelati ex equis ſublati ſunt, quin & ipſi tandem equi immoti perierunt.

§. XV.

*Cauſſæ occaſionales catalepſeos.* Quod ſi perſcrutemur cauſſas, quæ paroxyſmos catalepticos revocare ſolent, occaſionales; has inter principem locum ſibi vindicant graviores animi commotiones, ira, terror, gaudium, metus, contriſtatio. Pertinent huc quoque objectorum ingratorum viſiones: vid. caſus §. XIII. ex RONDELETIO allegatus. Quoſdam ex verborum quorundam recitatione, aut pſalmodiarum cantu congelari, ſcriptores perhibent; & ego ægram vidi, quæ auditis verbis, ardentiſſimum Chriſti amorem exprimentibus diſtendebatur; quemadmodum presbyter ille, cujus morbum recenſet AUGUSTINUS loc. cit. ad prolatas lamentantium voces, ſuo prehenſus eſt paroxyſmo. Non minus ad hujus diri mali generationem contribuunt frigidus aër, habitatio in locis altis, montoſis, frigidis, tempus anni hiemale, ac victus craſſus; annotante NICOLAO PISONE *L. I. C. XIII.*

§. XVI.

*Prognoſis.* Quod tandem attinet prognoſin catalepſeos; ea ſi fuerit ab animi paſſionibus, aut profundis meditationibus orta, non adeo grave, ac ſubito lethiferum minatur periculum: contra vero, quæ à ſanguine craſſo, viſcido, impuro, ac excretionibus ſanguineis ſuppreſſis fovetur, graviſſimum metum incutit. Namque vel in melancholiam deſinit, ſicuti obſervat NICOLAUS PISO *loc. cit. pag.* 93. vel commutatur in morbum comitialem, uti MARCELLUS DONATUS *Cap. VIII. pag.* 186. *ex Benivenio* allegat; vel denique in mortiferam ſubito terminatur apoplexiam, vitamque tollit. Nec levioris momenti eſt congelatio, quæ à frigore inducitur; niſi enim tempeſtivæ ferantur ſuppetiæ, mors ſequitur repentina.

*CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quod attinet ſpinoſi noſtri mali curationem, illa duabus potiſſimum abſolvitur indicationibus; quarum prima eſt, ut ſpaſmodicam, qua fibrillæ nerveæ in cerebro detinentur, ſtricturam relaxemus; altera, ut cauſſas materiales ſive mediatas, quæ ad dictam conſtrictionem inducendam contribuerunt, decenter removeamus. Quemadmodum priori indicationi in ipſo maxime paroxyſmo ſatisfieri oportet; ita poſteriorem potius extra paroxyſmum impetrare licet.

§. II.

§. II.

*Quid in paroxyſmo cataleptico agendum.*

Intra ipſum paroxyſmum, præſertim ſi gravior fuerit, parum quidem medicamentis perficere poſſumus: neque tamen minus omni ſtudio eo reſpiciendum eſt, ut excitemus ægros, qui vigilantes dormiunt, & ſpaſmodicas ſtricturas demulceamus. Quo fine naribus adplicari debent, vel ſpiritus urinoſi volatiles, vel acida penetrantiora, veluti acetum vini, rutaceum forte, aut ſpiritus cryſtallorum veneris, qui nihil eſt, quam concentratus aceti deſtillati ſpiritus: hæc enim acida longe penetrantioris efficaciæ ſunt, quam ullum ſal volatile. Neque etiam alienum erit, olea cocta, nervina ac antiſpaſmodica, nuchæ ac poſteriori capitis regioni, detonſis præſertim capillis adplicare; quod remedii genus à FORESTO *Lib. X. obſ.* 42. commendatur. Non minus clyſteres potentiores, ſi anus non adeo clauſa fuerit, ut nihil admittat, infundere licet: ac denique, præſertim ſi malum à nimia ſanguinis mole, ac raptu verſus caput inductum, facieſque venis ſanguine valde infarctis turgida fuerit, in ipſo paroxyſmo narium ſcarificatio, aut ſtyli dentati intruſio, eoque facta vellicatio, donec ſanguis effluat, inſigniſſimam pollicetur opem.

§. III.

*Catalepſeos à melancholicis ſuccis ſubortæ curatio.*

Plura in ipſis paroxyſmis tentare haud licet; ſed his finitis, cauſſarum materialium ac mediatarum remotionem, quantum fieri poteſt, moliri convenit. Quod ſi igitur rariſſimus noſter affectus à melancholia, eaque hypochondriaca, vel hyſterica, uti ſæpiſſime fit, ſuam traxerit originem, ubi ſpiſſi ac viſcidi humores in vaſis cerebri ſtagnant, ac difficilius progrediuntur: ea in uſum ducere oportet remediorum genera, quæ huic morbo expugnando, ſanguinique ſpiſſo attenuando, & æquali circulo reſtituendo ſunt idonea. Ad eorum claſſem præter clyſteres & blanda laxantia, venæ ſectiones debito tempore adminiſtrandas, motum quoque ac exercitationem corporis, ac rectum rerum non naturalium uſum, referri merentur. Palmam quoque obtinent pediluvia, balnea, & potus aquarum mineralium; vel etiam loco harum cura cum ſero lactis & ſale Sedlicenſi inſtituenda; non omiſſis illis, quæ tonum partium ſolidarum labefactatum roborandi facultate gaudent.

§. IV.

*Excretiones ſanguineæ ſuppreſſæ ſunt revocandæ.*

Quando manifeſta malum ſuſtentaverit plethora; aut plane excretiones ſanguineæ vel naturales, quæ per uterum aut venas ſedales fiunt, ſuppreſſæ, vel artificiales conſuetæ per venæ ſectionem aut ſcarificationem neglectæ ac intermiſſæ fuerint: has extra paroxyſmum revocare, aut ſaltem nimiam humorum molem miſſione ſanguinis evacuare oportet. Quo fine ſectio venæ in pedibus commendari meretur; poſt quam, ſi admodum ingens fuerit cruoris abundantia, ut apoplexiæ metus ſit, in ipſo paroxyſmo venæ narium, ſtylo intruſo, ſimul aperiendæ. Si corpus magis laxum ac ſpongioſum exſtiterit, ſcarificationes ſubſtitui poſſunt; aut denique, ſi proclivitas ad fluxum hæmorrhoidalem ſentiatur, ſignificantibus eam doloribus oſſis ſacri, ac inteſtini recti, aut ille ſuppreſſus malum foverit: bene monente NICOLAO PISONE *Lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 94. illius revocatio tentanda eſt; quo ſcopo ano probe fomentato, hirudines adplicare convenit.

§. V.

*Catalepſeos ex vermibus curatio.*

Si vermium eſt ſuſpicio; anthelmintica locum inveniunt. Sed ex horum claſſe ea, quæ acri ac inteſtina jam irritata magis vellicante vi pollent, veluti ſunt acriora purgantia, vitriolacea, acida, mercurialia, aloëtica, multo magis, quæ venereæ exiſtunt proſapiæ, cane pejus & angue ſunt fugienda. Præſtat potius pilulas, quæ ſpecifica minus acria erodentia continent, ut extractum tanaceti, ſemen cynæ, rhabarbarum, myrrham, aſam fœtidam cum panchymagogo Crollii, æquali portione commixta, propinare; quæ præſtantiſſimi ſunt effectus.

§. VI.

*Catalepſeos ex animæ vitio productæ tractatio.*

Quandocunque cauſſa paſſionis catalepticæ, maximam partem in anima, vel gravioribus pathematibus commota, vel fixioribus ideis & meditationibus intenta, vel plane conſcientiæ tormentis agitata reſidet: parum auxilii ſpondent pharmaca. Medico nihil amplius incumbere videtur, quam ut cauſſas materiales, ſi præſto fuerint, ac ſimul concurrerint, congruis ſubſidiis removere annitatur. Ceterum eo adlaborandum erit, ut anima ab anxiis ac triſtibus ideis, quæ inſtar carnificinæ, ac crudelis tormenti corporis ſint, per jucunda cum amicis commercia depellantur; neque otio ac quieti, quæ profundarum cogitationum mater eſt, nimium indulgeatur. Nec quoque præſtantius ſubſidium eſt, aëris mutatione; qua ſola pertinaciſſimum hoc malum vidi curatum.

§. VII.

*Frigore congelatorum reſtitutio.*

Qui frigore ſunt congelati, & adhuc quaſdam vitæ exhibent notas; ad loca tepidiora deportentur neceſſe eſt. Ea tamen caveantur, ne ſint juſto calidiora; ne ſanguis ad interiora compulſus uno impetu exæſtuetur, ac ideo extravaſationem ſubeat. Conſultum quoque tali in caſu eſt, blandis frictionibus corpus fovere, ut externæ partes, quæ conſtrictæ ſunt, relaxentur, inque eas humores denuo invitentur. Tum excitatis illis perſonis, pedes in pediluvia imponere licet tepidiſſima: quæ partim cutim relaxandi, partim æquabilem humorum circuitum reſtituendi, vim habent excellentiſſimam: neque minus vires proſtratæ cordialibus remediis, ac vini generoſi hauſtu, refocillandæ erunt.

*CAUTELÆ AC MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cautela circa volatilium ac acidorum in paroxyſmo uſum.*

Notari probe meretur, in paroxyſmo fugienda eſſe ſalia volatilia oleoſa, balſama apoplectica validiora, & calidiora liquida; ſi malum catalepticum ab humorum nimio orgaſmo, expanſione ac ſtagnatione fuerit ſubortum; tum enim ſanguis magis commovetur, & metus eſt, ne extravaſatio & apoplexia plane ſuperveniat. Conſultius eſt in tali caſu acidis fortioribus uti, & externe olea ac balſama nervina, anodyna, ac antiſpaſmodica illinire. Quod ſi vero ſpaſmodica fibrillarum cerebri conſtrictio, ab animi pathematibus, metu, triſtitia, aut fixioribus meditationibus inducta ſubſit: tunc ſalia volatilia oleoſa & interno & externo uſu juvant.

§. II.

§. II.

*Cautela circa narium ſcarificationem.*

Sicuti in omnibus capitis gravioribus affectibus, qui a ſanguine copioſo, valde commoto, ac largius ad caput rapto ſuboriuntur; uti ſunt cephalalgiæ, deliria, convulſiones; epilepſiæ &c. ita quoque in affectu noſtro cataleptico, ſi talem agnoverit cauſſam, præſtantiſſima eſt ſanguinis, intruſo naribus ſtylo, facta detractio. Neque vero veteribus ignota fuit hæc operatio; & digna ſunt verba ARETÆI, quæ *Lib. VII. pag.* 124. exſtant, ut hic allegentur. Namque *neceſſe eſt*, inquit, in allegatis nimirum caſibus, *ut ſanguis è naſi interioribus detrahatur: intro enim perlongum inſtrumentum immittitur, quod* CATEIADION *vocant, aut illud, cui* STORYNE *nomen eſt; aut ſi quis horum copiam non habuerit, pennæ anſerinæ caulem craſſiorem ſumere debet, ejuſque nervoſam partem denticulatim inſtar ſerræ incidere, atque ſic intra narem uſque ad oſſa, quæ ethmoidea ob cribri ſimilitudinem vocantur, immittere, deinde utraque manu agitare, quo locus à dentibus inſculpatur, ac vulneretur. Facilis eſt enim ac copioſus ſanguinis curſus: nam venæ graciliores in nares deſinunt, corpora in hac parte mollia ſunt, & ſectioni habilia.*

§. III.

*Uſus aëris mutationis.*

Morbus catalepticus, ſi ab imaginatione ſuſtentatur; ſpernit & eludit omnium remediorum opem: peregrinatio vero ac aëris mutatio optimum ſpondent auxilium. Dici enim vix poteſt, quanta virtus & efficacia ad morbos nervoſi generis & ſpirituum ſanandos, inſit peregrinationibus in loca præſertim, quæ ſalubri aëre fruuntur, & qui ſecundum Celſi monitum contrarius eſt illi, qui morbum fecit. Aër enim eſt illud elementum præcipuum & tenuiſſimum, quod portione ſua elaſtica ætherea cum ſanguine & ſucco lymphatico mixta & ſenſum & motum motricibus ſolidis partibus præſtat, & ſecundum Galenum divini quid in ſe habet in morbis. Præter ea peregrinatio id quoque habet beneficii, quod ideæ conſuetæ, quæ mentem turbarunt, ſubtrahantur, & jucundioribus anima aſſueſiat. Quin ipſo temporis beneficio ſponte debellari hoc malum, haud raro obſervatur; ſiquidem progrediente ætate & fibræ nerveæ fiunt robuſtiores, & anima conſtantior redditur.

§. IV.

*Præſervatio.*

Quod præſervationem attinet; ea obtinebitur, ſi cauſſæ occaſionales, ad hoc malum contribuentes probe fugiantur. Et cum has inter frigus inſignem efficaciam obtinet; omni ſtudio illud arcere oportet; atque etiam, ſi rationes domeſticæ permiſerint, ex habitationibus frigidis, montoſiſque, ad loca, ubi benignius cœlum eſt, diſcedere. Victus ſit conveniens, inque eo fugiantur cibi acidi, ac qui frigus quoddam ventriculo inferunt. Evitentur ſolitudines ac ſeligantur grata conſortia, quibus anima à curis, mœroribus ac meditationibus ſit vacua. Maximopere verſus hiemale tempus probe obſervetur, ne materiales in corpore cauſſæ relinquantur, quæ malum illud inducere valent: quo fine & primæ viæ à ſordibus ſerventur liberæ, & ſanguinis copia, congruis illius miſſionibus, nec non frequenti corporis exercitatione, imminuatur.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

OBSERVATIO I.

*Catalepticus affectus ex vermibus, & vitio hyſterico progeneratus.*

Duodecim annorum puella, temperamenti ſanguineo-melancholici, ingenii admodum vegeti ac vivacis, novem abhinc menſibus prima vice uterinæ evacuationis onus ſubiit. Elapſis inde quatuor hebdomadibus, cum inſtaret menſtrua periodus, multa edulia ſaccharo condita, cyminique ſemen, quod ſemper in delitiis habuerat, ingurgitavit, & brevi poſt ingentia imi ventris tormina percepit. Datis ergo laxantibus, & anthelminticis remediis, infuſiſque ano clyſteribus, lumbricus per alvum reddebatur longiſſimus: menſes vero hoc tempore ſilebant, quamvis circa lumbos & ipſum uterum atroces ſævirent dolores. Hinc ſuccedebant convulſivi ac epileptici motus, cum delirio furoreque quaſi uterino juncti; & fruſtra miſſo ex vena in pede tuſa ſanguine, fruſtra quoque datis remediis antiſpaſmodicis, uterinis, anthelminticis, carminativis &c. per quinque ſeptimanarum decurſum pertinaciter inhærebant. Paroxyſmi tam variis modis, tamque mirandis ſymptomatibus, triſtem ludebant ſcenam, ut vix deſcribi queant. Mox enim inter deliramenta, ſingultus, ac graves ſepti tranſverſi concuſſiones, totum corpus è lecto in altum elevabatur: & remittebant convulſiones, relictis corporis languoribus, ac præcordiorum doloribus. Mox ſub deliriis convulſivi motus artus duntaxat miſere torquebant; ut omnes manuum pedumque digiti incurvarentur, pollex vero ac medius digitus rigidus extenderetur; deinde brachia retrorſum traheret, iiſque caput percuteret; tum eadem antrorſum vi quadam raperet, ac pectori validiſſime allideret. Mox inter has violentas agitationes mentis compos videbatur, ſacroſque cantus cum ſumma devotione per ſatis longum tempus modulabatur. Tandem accedebat catalepſis, quam vocant, ecſtatica; dum per aliquot horas lecto affixa manſit rigida, & nulla arte excitari potuit, oculis apertis, vultuque amœno, ac ſi de quadam re gauderet, decumbens. Poſtquam ad ſe rediit; narravit jucundiſſimas viſiones de Deo, angelis, cœlo, vita æterna; atque vatidicam ſe geſſit. Ceterum per quinque fere hebdomades ciborum nihil plane aſſumſit, præter gelatinam cornu cervi, noviſſimis tantummodo diebus ſorbillatam; cereviſiam vero ac vinum quotidie, ſed parca quantitate potavit; & quod notabile eſt, ſingulis diebus copioſa ac valde dura alvo reddidit ſtercora. Vultus colore gaudebat floridiſſimo, qui nec ſub ipſis animæ defectionibus, quas crebro patitur, expalleſcebat, ſed roſeus manebat. Pulſus ferebatur naturali ſimilis; nec urina, præter largum ſedimentum, mingebatur præternaturalis. Noctes, niſi tranquillo ſomno, attamen ab omnibus ſymptomatibus vacuas tranſigit; ac omne tempus piis meditationibus, & ſub inſigni mentis requie conſumit.

*Epicriſis.*

Duplicis generis cauſſæ hunc portentoſum ac mirabilem ſuſtentaverunt affectum: nimirum partim lumbrici in canale inteſtinorum hoſpitantes; partim ſanguis in vaſis uterinis, ob menſium defectum ſtagnans, atque corruptus. Hinc non ſane mirum, ſi ſymptomata fuerint eo graviora, ac atrociora, cum a duabus cauſſis, quarum quævis

ſola tali morbo inducendo ſufficit, ſint excitata. Quamobrem in mali hujus curatione, ad hanc duplicem cauſſam directa fuit medendi intentio: præter enim temperatiora, ſimul tamen efficaciora, anthelmintica, exhibenda curavi congrua antihyſterica, ut eorum virtute liber ſanguinis per uteri vaſa circuitus, ejuſque ſuperflui per menſtruam periodum excretio facilitaretur. Fuerunt ex horum numero pilulæ balſamicæ, ad ductum Becherianarum concinnatæ, cum aliquot granis extracti croci, atque caſtorei maritatæ, & alternis diebus, maxime circa tempus menſtruum propinatæ, mane deſuper ſorbillato infuſo, ex herba meliſſæ, artemiſiæ, floribus cheiri, ac chamæmeli vulgaris. Juſſimus præterea ante horum remediorum uſum, ad relaxandos inteſtinorum ſpaſmos, duraſque fæces emolliendas, ano injici enemata, quæ plurimum olei cocti habebant. Denique præter alia antiſpaſmodica, motum corporis per deambulationem, ac vectionem in curru ſub aëre ſereno commendavimus: quibus factum eſt, ut ægra perfectam recuperaſſet ſanitatem.

### Observatio II.

*Catalepſis ex fixioribus meditationibus.*

Perſona ſequioris ſexus vix excedens annum ætatis vigeſimum quartum, conditionis vilioris, rudioris minuſque exculti ingenii, aliquando in templo tempore brumali, attentius hauriens ſacrum verbum de vera contritione, ac intimiore cordis inverſione, de peccatorum abominanda ac deteſtanda coram Deo juſtiſſimo indole: ſummo mentis angore afficiebatur, inque dies & horas meditationibus iſtis anxiis ſacris macerata, mœſtiſſimo ſemper incedebat vultu. Elapſis abhinc quatuordecim diebus accidit, ut ipſa, audita in templo concione, omni penitus ſenſu ac motu ex improviſo privaretur: & finito cultu divino, inſtar ſtatuæ immobilioris, oculis apertis, & cœlo affixis, omnem excitationem eludens, reperiretur. Tandem poſt horæ ſpatium ſua ſponte, emiſſis aliquot ſuſpiriis ad ſe redibat, ſenſumque cum motu recipiebat. Examinata reſpondebat, ſe nihil ſenſiſſe, vel audiviſſe, bene habere, & quaſi altiſſimo ſomno ſepultam jucundiſſimas habuiſſe ſpeculationes, ac contemplationes ſui Salvatoris. Hunc acceſſum, plus centum vicibus intra quadraginta dierum ſpatium experta eſt, interdum mitiorem, & breviorem, interdum longiorem & graviorem, ſemper tamen talem, ut omnis tentata excitatio, per fortiſſimos ſpiritus volatiles, oculis ac naribus admotos, frictiones, atque punctiones, eluſa fuerit, ac fruſtranea. Ipſo in paroxyſmo pulſus fuit naturali ſimilis, & reſpiratio ſalva, ac integra, præter quod circa declinationem, nonnunquam fortiſſimas thoracis atque abdominis concuſſiones, & elevationes, cum palpitante cordis motu toleraverit: quæ tamen, ſimulac ſenſus & motus rediit, ſtatim exſpirarunt, ægra de nullo dolore vel moleſtia amplius conquerente: vires etiam poſt paroxyſmum ita ſæpiſſime conſtabant, ut conſueta ſua munia ſubire potuerit, totum corpus calore ac colore naturali erat perfuſum; excreta omnia ſe bene habebant, nec menſes ſui officii obliviſcebantur. Attamen per quatuordecim ferme dies ab omni cibo, potuque abſtinebat; & quotieſcunque exorata aliquid accipiebat, ſumma præcordiorum anxietate, cum metu ſuffocationis juncta infeſtabatur, ſomnoque fruebatur parciſſimo. Et quod notatu erat digniſſimum, hi paroxyſmi fere ſemper invadebant poſt auditam pſalmodiam, aut verba ex divino codice potiſſimum prolata, quæ ardentiſſimum Chriſti exprimebant amorem. In tali caſu in uſum vocabantur multa, variaque remediorum genera, alias generoſiſſima, venæ ſectiones, topica, quæcunque excitantia: ſed cuncta eludebat pertinaciſſimus affectus; donec tandem, mutato aëre, ægraque ad alia loca peregrinante, ſponte ſenſim evanuerit.

*Epicriſis.*

Inſigniſſimum catalepſeos ecſtaticæ exemplar, notabilis hic ſiſtit caſus. Nullam iſte cauſſam materialem habuiſſe videtur; ſed à ſolis, pertinaciter animæ infixis ideis originem traxit. Hinc eleganter pariter ac perite Clariſſimus MORHOFFIUS *in diſſert. de paradoxis ſenſuum* ſcribit: *Mirabile præ ceteris, quod tamen vulgatiſſimum, poſſe ex auditu verborum, ac orationis elaboratæ homines duci, & quaſi extra ſe rapi.* Atque eo majorem homines afficiendi poſſidet efficaciam verbum divinum; ut, ſi noſtri inſtituti ratio exigeret, dictum PAULINUM, quod *in Epiſtol. ad Hebræos Cap. IV. v.* 12. *exſtat*, hoc noſtro caſu, egregie illuſtrare poſſemus. Quod nulla præſto fuerit cauſſa materialis, vel exinde patet, quod paroxyſmi, excitatis per pſalmodiæ cujuſdam aut verborum ſacrorum ſonitum ideis revocati fuerint; ac præterea ægrotans omnibus functionibus, quas vitales vocant, abſque ulla labe gaviſa ſit. Quod attinet convulſivas nonnullarum partium in ipſo paroxyſmo agitationes; illæ fluidi tenuiſſimi impetuoſiori ex cerebello, in organa vitalia influxui, qui illius ob denegatum in partes, ſenſui, motuique voluntario inſervientes, introitum, abundantiæ debetur, originem ſuam petierunt: Dejectæ ciborum adpetentiæ ratio facile etiam poterit ſuppeditari; ſi ex experientia repetatur, illos, qui meditationibus ſuis intentius in objectum quoddam feruntur, paſtus obliviſci, ac cibos fere averſari. Tum vero, quo diutius à cibo abſtinemus, eo magis perire adpetitum, præter multa documenta, vel ea hiſtoria teſtatur, quam DIEMERBROECK *in ſua anatom. pag.* 38. de ſemet ipſo refert: ſe, poſtquam cum ſociis per ſeſquidiem jejunaſſet, non amplius famem ſenſiſſe ad tertium uſque diem. Hinc vero cognitu quoque facillimum, cur nulla materiali cauſſa præſente, nulla opem tulerint remedia; ſed tandem mutatione aëris, ac ætatis ſponte ſpinoſus exſpiraverit affectus.

---

## CAPUT V.

### *De affectu ſpaſmodico-convulſivo ex uteri vitio, ſive malo hyſterico.*

#### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

Morbus ille, aut potius morborum cohors, quam per vocem affectionis hyſtericæ interpretantur veteres, æquo, quin majori, quam ullus alius affectus jure, ad paſſiones generis nervoſi ſpaſmodico-convulſivas, & quidem univerſales, referri meretur: ſiquidem nulla fere in tota machina animali nervoſa, ac fibroſa pars eſt, quæ non plane effrenatis ſpaſticis ſtricturis, & convulſionibus exagitetur, torqueatur, & graviſſime diſtra-

*Definitio mali hyſterici.* diſtrahatur. Hujus ergo ideam ſuppeditaturi, ipſum definimus, quod ſit affectus generis nervoſi ſpaſmodico-convulſivus, ex utero à lympha & ſanguine in ejus vaſis retento vel corrupto proveniens, & per nervos oſſis ſacri, ac lumbares & totam medullam ſpinalem, univerſi corporis partes nervoſas plus minus infeſtans.

§. II.

*Hiſtoria mali hyſterici.* Perperam confunditur atrox hoc malum à plerisque noſtri ævi medicis, cum ſic dicto hypochondriaco; aut ſi forſan admittitur quædam differentia, ea ſolummodo ſexum reſpicit, adeo ut paſſio hypochondriaca ad nobiliorem, hyſterica ad molliorem reſtringatur, utriuſque tamen indoles ac natura, pro una, eademque habeatur. Quo vero pateat, longe aliam ac realem hoſce affectus intercedere differentiam; operæ erit pretium, primo omnium veram morbi hyſterici hiſtoriam præmittere. Hoc fine ſi veterum monumenta paullo perluſtremus, & ex iis præſertim HIPPOCRATIS, ARETÆI, FERNELII, DURETI, MONTANI, BALLONII, HOLLERII, MERCURIALIS, JOHANNIS HEURNII ſcripta conſulamus: in eo ad unum omnes convenire videntur, quod faucium ſtrangulatio, intercepta ad ſuffocationem uſque reſpiratio, animi defectio, vocis privatio, ſoporque profundus, vera, propria, & eſſentialia hujus morbi uterini ſigna, & ſymptomata habenda ſint. In eo etiam plures concordes deprehenduntur, ante mali hyſterici invaſionem, motum globi cujuſdam è ſede inferiore ad ſuperiora aſcendentis ſentiri: unde etiam figmentum multis mulierculis familiare naſcitur, quaſi uterus verſus ſuperiora feratur.

§. III.

*Paroxyſmorum deſcriptio.* Hæc præcipua ſunt quidem, quæ malum hyſtericum comitantur ſymptomata; ſed ante eorum invaſionem & poſtea longe alia & plura obſervantur, quæ ſucceſſive in paroxyſmo miſeras invadunt, & nulli corporis regioni parcunt. Nam quod caput attinet, frontis, temporum, vel etiam oculorum cum lacrymarum effuſione, viſus obnubilatione, dolorem preſſorium, ſenſuumque & mentis torporem, omnium rerum tædio ſtipatum, utplurimum præcedere adnotamus. Deinde correptæ hoc malo plerumque alvum fortiter adſtrictam, & compreſſam habent, ingentem quoque ad urinam, quæ clara inſtar aquæ mingitur, ſtimulum, neque minus anxiam & ſuppreſſam ſpirationem, atque univerſi corporis languorem experiuntur. Hiſce poſtea gravis dolor lumborum, cum ingenti algore & horrore ſuccedit; venter durus & inflatus eſt, poſtea umbilicus retrahitur, adeo ut fovea, cui includi aliquid poteſt, relinquatur; & tunc globum quendam ex inferiore ventre ad hypochondria & diaphragma adſcendere perſentiunt. Mox cor cum tremore incipit palpitare, cum pulſu inæquali & duro, quandoque intermittente; extrema algeſcunt, fauces anguſtantur, ut fune veluti ſtrangulatæ videantur; facies fit pallida, ſpiratio valde eſt difficilis, vox perit, arteriarum pulſationes vix amplius percipiuntur. Tanta vero eſt ventris ſtrictura, ut nec ullus flatus tranſmitti, nec propter ingentem reſiſtentiam quicquam clyſmatis admitti poſſit. In quibuſdam tanta eſt mali vehementia, ut convulſivæ & capitis & artuum agitationes, cum vel ſine pollicum concluſione deprehendantur. Aliæ in profundo, ſine ullo ſenſu & motu, ſopore jacent; quibuſdam facies cum collo à ſanguine eſt inflammata, rubicunda, arteriæ fortiter pulſant: aliæ in riſus immodicos ſolvuntur, & reſtituta voce delira loquuntur.

§. IV.

Quandocunque vero paroxyſmus remittit, & miteſcere incipit, quod ſæpius certa fit temporis periodo, tum pulſus, qui antea valde debilis, languidus, & abſconditus erat, vegetior, mollior & erectior redditur, in partes extremas redit calor, facies contracta & pallida fit explicatior & rubicundior; eructationum per ſuperiora impetus auditur, borborygmi & murmura in ventre oriuntur, & tandem è profundo quaſi ſomno evigilantes, vocem, ſenſum & motum recipiunt; de dolore autem capitis gravativo, totius corporis & femorum ac pedum languore, & gravitate conqueruntur. Mirum certe videri poteſt, quod ſæpe tam brevi tempore, ejuſmodi pernicioſa, atque præſentem interitum minitantia ſymptomata ceſſent, & intermittant; adeo, ut quæ pridie moriture videbantur, nunc ſanitate integra frui cenſeantur. Accidit vero nonnunquam, ut perſeverantibus ſymptomatibus pro mortuis habitæ, ſepulchro deſtinatæ, imo ſepultæ fuerint: ſed mors in hyſtericis ſemper vel epileptico, vel apoplectico contingit inſultu. *Paroxyſmorum ſolutio.*

§. V.

Tradita hac pleniori ſæviſſimi hujus morbi hiſtoria; facilius erit, ejuſdem à malo hypochondriaco docere differentiam. Quamvis enim horum affectuum ſymptomata, inter ſe ſimilia ac utrique valde communia deprehendantur, teſtante utriuſque hiſtoria, quæ ratione poſterioris mali ſequenti capite explicabitur: attamen plura adhuc reſtant, quæ cuivis propria, inſignem illorum teſtantur diſcrepantiam. Namque morbus hypochondriacus eſt longiſſimus, atque diuturnam ſemper expoſcit curationem: at hyſterica paſſione gravidas, puerperas, viduas, ſanguine turgentes, poſt gravem animi motum, vel virgines poſt repentinam fluxus menſtrui ſuppreſſionem, ſæpenumero graviſſime infeſtari; ab ea tamen per rectam medendi rationem ita vindicari, ut nunquam revertatur, experientia docemur. Hæc porro ſubito, vehementer, & ex improviſo miſeras haud raro adoritur, ut omni ſenſu ac motu privatæ, repente in terram concidant; quod in hypochondriacis non animadvertitur. Atque etiam peculiare illud hyſtericæ habent, quod maxima ſymptomatum vehementia, ſi ſenſuum mentiſque functio intercipitur, vel ſolo pennarum accenſarum ſuffitu, naribus admoto celeriter diminui, quin & tolli poſſit. Præterea in paroxyſmis hyſtericis, muſculi abdominis vi ſpaſmorum introrſum contrahuntur, & umbilicus profundius retrahitur: cum in hypochondriacis venter potius extrorſum diſtendatur. In illis regio lumbaris acri ac incredibili frigore occupatur, ut manibus percipi, nec calefactis linteis temperari queat; ſæpius ingens inſtar clavi certæ in capitis vertice regioni velut infixi dolor urget, quem nomine clavi hyſterici inſigniunt; & in multis globi ex imo ventre adſcenſus verſus ſuperiora percipitur: quæ cuncta à malo hypochondriaco ſunt longe remota. Nec in hoc tam frequens animi deliquium, & tam ſubito ad ſuffocationem uſque *Differentia mali hyſterici & hypochondriaci.*

intercepta reſpiratio, cum faucium tam forti ſtrangulatione, quam quidem in hyſterica affectione obſervatur. Et denique nulli unquam hypochondriaci pro mortuis, ac ſepulchro deſtinatis fuerunt habiti; uti quidem de hyſtericis fide dignæ teſtantur hiſtoriæ.

## §. VI.

*Differentia ratione cauſſarum & eventuum.*

Differunt porro magni hi duo morbi ratione cauſſarum. Quemadmodum enim mali hypochondriaci pernicialis vis in membranaceo inteſtinorum, ventriculi, ac œſophagi canale potiſſimum, per ſpaſmos pariter ac flatus ſe exſerens animadvertitur; & hi ſpaſmi ſanguini, ob denegatum per vaſculoſum hepar, totumque ramificationum venæ portæ ſyſtema, æquabilem circuitum, intra tunicas inteſtinorum nerveas ſtagnanti debentur: ita è contrario prima ſpaſmorum hyſtericorum origo in utero quærenda eſt. Hinc ob arctiſſimum, quo uterus cum veſica urinaria gaudet, conſenſum, ſpaſmi uterini ad veſicæ ſphincterem propagantur, & hyſtericæ ſub morbi acceſſione continuum ad matulam ſtimulum perſentiunt: quo hypochondriacæ omnino carent. Ex hac cauſſarum diverſitate fit etiam, ut quædam ſymptomata, quæ utrique morbo convenientia videntur, in quovis peculiarem agnoſcant cauſſam. Sic ſpiratio difficilis ſollicitat & hyſtericas, & hypochondriacos; ſed in his ab inflato ventriculo, deſcenſum ſepti tranſverſi impediente; in illis vero magis à vehementi muſculorum abdominis contractione & compreſſione originem ducit. Tandem etiam alia mali hypochondriaci, alia hyſterici ſolutio, & alius quoque utriuſque in morbos eſt tranſitus: namque illud frequentius in melancholiam, ſcorbutum, lentam febrem, morbumque ſic dictum nigrum terminatur; hoc infeliciter ſæpius in epilepſiam, lethalem ſyncopen, furorem uterinum, ac acutam febrem tranſit. Ac denique in corporibus paſſione hypochondriaca defunctorum, imi ventris viſcera, hepar, lien, pancreas indurata, ſcirrhoſa, ac corrupta plerumque offenduntur: cum in hyſtericis, uti infra pluribus trademus, vitium ac corruptela magis in utero atque ovariis deprehendatur. Et hæc ſunt, quæ notabilem inter hos duos morbos intercedere differentiam, ſatis clare demonſtrant: quæ eo plenius commemoranda duxi, quo major de ea error medicorum animis inſidet.

## §. VII.

*Differentia mali hyſterici 1) à ſyncope.*

Sed reſtant adhuc morbi, à quibus probe diſcernere oportet paſſionem hyſtericam. Sic differt à ſyncope, in qua pulſus penitus ceſſat, facies eſt contracta, & moribundo ſimilis; quæ in præfocatione uterina plerumque obſervatur colorata, tumida, ſub pulſu languido; hæc quoque ad duos vel tres dies perdurare poteſt, quod de

*2) ab apoplexia.*

ſyncope dici nequit. Deinceps differt ab apoplexia, ubi ſub ſenſuum & motuum voluntariorum abolitione, ſtertor cum ægerrima ſpiratione, & pulſuum celeritate eſt; qui in hyſtericis

*3) ab epilepſia.*

minime conſpicitur. Differt porro ab epilepſia; quæ ſicuti cauſſam proximam in dura matre, & principio ſpinalis medullæ habet, ex qua ſpaſmi ad univerſum corpus abeunt; ita hyſterica paſſio in utero primam ſedem agnoſcit, ex quo ſpaſmi ad medullam ſpinalem, totumque nervorum genus propagantur. Et ſymptomatum, quæ hunc utrumque morbum comitantur, differentiam nervoſe pariter ac eleganter deſcribit CORNELIUS CELSUS *Lib. IV. cap. XX.* dum: *Vulvæ morbus*, inquit, *interdum ſic exanimat, ut tanquam comitiali morbo proſternat: diſtat tamen hic caſus in eo, quod neque oculi claudantur, nec ſpumæ profluant, nec nervi diſtendantur.* Diſtat non minus à doloribus ex cal-

*4) à renum calculo.*

culo: nam licet in utroque morbo multa inter ſe conveniant ſymptomata; attamen in calculoſo affectu deficit faucium ſtrangulatio, animi defectio, reſpiratio valde intercepta, & quod affecti non à ſuaveolentibus tam graviter lædantur. Et quomodo denique hyſterica paſſio à flatulentia primarum viarum diſcrepet; egregie docet BALLONIUS *Lib. de virginum morbis pag.* 232.

## §. VIII.

*Subjecta mali hyſterici.*

Quod attinet mulieres, morbo hyſterico præ aliis ſubjectas & obnoxias; notari meretur, non omnes, cujuſcunque ætatis, temperamenti, ac vitæ inſtituti id genus morbi pati: ſed præcipue virgines ſenſibilioris & tenerioris naturæ, ante menſium primam eruptionem, viro maturas, item viduas juniores, & fœminas conjugatas, inprimis ſanguinis & ſucci plenas, ſine prole tamen viventes, neque minus molliter in otio educatas, texturæ tenerioris, & animi ſenſibilioris, frequentius atque gravius illo divexari. Conſentiunt in eo veteres medici, & GALENUS præcipue viduis, quæ utero purgari, parere, concubituque gaudere deſierunt, hyſtericam paſſionem evenire teſtatur. Juxta FORESTUM *Lib. XXVIII. obſ.* 28. mulieres viroſæ, jamdiu continentes, aut virgines, ſed venerem appetentes, corpulentæ, multo ſanguine præditæ, victu calido, humido, & flatulento utentes, in otio viventes, cum ventris irritamentis, vino nempe generoſo, multiſque delicatis ferculis, venerem excitantibus fruentes, licet non ſuppreſſi ſint menſes, crebrius in hunc morbum incidunt: id quod etiam BALLONIUS *lib. cit.* & LEVINUS LEMNIUS *Lib. de occultis naturæ miraculis Cap. VI.* confirmant. Deinceps etiam, teſte inter alios ARETÆO, juvenes mulierculæ, quæ ſunt ſenſibilioris generis nervoſi, texturæ tenerioris, & ad affectus animi proclives, præ iis, quæ robuſtæ, plebeiæ, animi conſtantioris, & laboribus deditæ exiſtunt, immaniſſimo hoc ſpaſmodico morbo agitantur. Nec denique ſilentio prætermittendum eſt, fœminas, quæ ſanguineæ & cholericæ conſtitutionis, & ad impetuoſas ac præcipites animi commotiones pronæ ſunt, ſævas & violentas in partibus nervoſis motiones experiri: illas autem, quæ phlegmaticam, & torpidiorem obtinuerunt naturam, non adeo impetuoſe convelli, ſed potius in crebriora animi deliquia incidere; nullumque nec murmur, nec ventum vel afflatum, nec odorem ſuaviorem, niſi ægerrime ferre.

## §. IX.

*Morbi hyſterici ſedes, & cauſſa proxima.*

His præmiſſis, ad cauſſas tam diri affectus tranſeundum, & antea ſedes morbi vel potius cauſſæ morbificæ diſquirenda eſt. Recentiorum medicorum quidam, hyſtericam ac hypochondriacam paſſionem pro uno morbo habentes, ut nominatim HIGHMORUS, SYLVIUS & SYDENHAM ventriculum, pancreas, meſenterium, venam portæ, pro genuina ſede perperam accuſant. Minus recte etiam CAROLUS PISO *in ſelectioribus obſervationibus* præcipuam ſedem in cerebro, vel potius nervorum principio collocavit: ſiquidem ſubjectum cauſſæ morbificæ

&

& mortis invicem confudit. Nos vero cum antiquiſſimis medicis, ſymptomatum hyſtericorum primam originem ab utero, ejuſque membranoſa & vaſculoſa ſubſtantia & vaſis ad illum ſpectantibus, inprimis ſpermaticis petendam eſſe, firmiter perſuaſi ſumus; quarum partium ſpaſmodicæ conſtrictiones poſtea in nervos vicinos oſſis ſacri, & lumborum ſeſe inſinuant, & ob conſenſum totius medullæ ſpinalis nerveas membranas gradatim occupant, a partibus inferioribus ad ſuperiores ſenſim paulatimque ſe propagando. Quamobrem deprehendimus maxime in puerperis, quando hoc malo affliguntur; ſpaſmos in orificio uteri interno, immo in ipſa quoque vagina incipere; quoniam hæ partes frigidæ, & aridæ fiunt, & derepente lochiorum, ſive ichoroſæ materiæ effluxus ſiſtitur, & alvus pertinaciſſime clauditur. Deinceps ſpaſmi & dolores, cum frigore lumbarem regionem petunt; & in abdominis muſculos abeuntes, umbilici retractionem, cum imi ventris duritie junctam efficiunt; tum impetunt diaphragma, & intercoſtales nervos, ipſumque par vagum, & difficillimam, imo ſuffocativam ſpirationem, cum faucium ſtrangulatione cauſſantur; ubi poſtea intercepto ſanguinis per cor circulo, ejus palpitatio, & animi deliquium, atque tandem ſufflaminato ſanguinis per cerebrum motu, ſenſuum mentiſque ſubſequuntur abolitiones. Ex quibus omnibus, rite invicem comparatis, non ſolum reliquorum omnium ſymptomatum ratio bene ſuppeditari poterit; verum etiam clariſſime patebit, totum hyſtericum affectum, ad morbos ſpaſmodico-convulſivos, qui univerſum nervorum ſyſtema occupant, ſummo jure eſſe referendum.

## §. X.

*Cauſſæ materiales paſſionis hyſtericæ.*

Jam ergo cauſſas mediatas ac materiales, quæ ad ingenerandum hoc dirum malum contribuunt, explicaturi; has duplicis potiſſimum generis eſſe, nimirum partim ſemen corruptum, partim cruorem menſtruum in utero vitiatum, cum medicis tantum non omnibus ſtatuimus. Utraque harum cauſſarum digna eſt, ut cujuſvis peculiaris, & exactior inſtituatur diſquiſitio. Namque exquiſitiori anatomicorum ſolertia ſatis evictum eſt, in nobiliori quidem ſexu peculiaria exſtare organa, quæ teſtes vocantur, in quibus liquor ſubtilis ſpirituoſus ſeminalis, ex ſanguine per arterias ſpermaticas advecto ſecernitur, & in certis loculamentis aſſervatur: in ſexu vero ſequiori ejuſmodi organa ſecretoria non inveniri, ſed ad latera uteri corpora quædam globoſa, ex vaſis ſanguineis, membranis, & veſiculis contexta, quæ ovaria dicuntur, a provida natura eſſe poſita, ſpermatica vero vaſa innumeris ramificationibus ad uteri ſubſtantiam ferri. Quum ergo recentiores phyſiologi veſiculas in ovario contentas, in quibus ſtupendæ ac infinitæ parvæ magnitudinis fœtus, ſpiritu genituræ virilis explicandus ac fœcundandus continetur, pro ſemine muliebri habeant; alium vero liquorem ſeminalem in hoc ſexu plane denegent: diſpiciendum jam erit, an & quomodo humor in ovulis contentus corrumpi, corruptuſque cauſſam diro noſtro malo præbere poſſit.

## §. XI.

*Circa pubertatis annos quæ*

Quæ ut rite intelligantur; præmonenda duximus quædam momenta, & præſertim illas



mutationes, quæ circa pubertatis annos corporibus humanis eveniunt. Obſervamus virgines circa decimum quartum ætatis annum coloratiores evadere, vultum fieri pulcriorem, mammaſque intumeſcere; maribus barbam creſcere, vocem reddi magis ſonoram, & univerſi corporis partes majus acquirere robur, atque vigorem: in utroque vero ſexu ſtimulos ac deſideria ad venerem excitari. Etenim ſicut in maribus major ſanguinis ad teſtes, pro ſecernendo ſeminali liquore, atque etiam ad erigenda genitalia fit affluxus: ita in fœmellis quoque circa pubertatis annos, major ſanguinis copia ad uterum, & ejus vaſa, ad ovum, ſi adeſt, fœcundandum congeritur; & inde menſtrui fluxus, ſi impraegnatio deficit, cauſſa & origo petenda eſt. Sed idem ille copioſior ad loca uterina humorum affluxus, nos ducit ad conſiderationem mutui atque mirabilis illius conſenſus, quem animi deſideria cum motu ſanguinis vitali & naturali ad certa membra, præſertim generationi deſtinata habere conſpiciuntur. Simulac enim major ſanguinis circa pubertatem in utroque ſexu ad organa generationi inſervientia fit affluxus; ſtatim etiam ſtimuli & deſideria ad venerem incitari ſentiuntur: & viciſſim, quando ideæ ab objectis externis venuſtis in animo deſiderium ad venerem accendunt; protinus ad genitalia major ſanguinis & liquidi nervoſi congeſtio inſequitur.

*contingant in machina humana.*

## §. XII.

*A ſtimulis venereis oritur malum hyſtericum.*

Quando vero cunque copioſior humorum per vaſa ſpermatica ad ovarium, ad uteri quoque fabricam, vel ob ætatis rationem, vel venereas cupiditates fit motus & affluxus: lympha nutritia ad dicta loca congeritur, ibidem ſtagnat, corrumpitur, cauſſamque præbet malo hyſterico. Hinc obſervamus, virgines circa pubertatis annos, fœminas ætate vegetas, viro orbas, veneris igne ſtimulatas, calore multo, ac ſanguine vegeto abundantes, diriſſimo noſtro malo vehementer agitari. Et notabilis eſt locus, quem ad illuſtrandum hoc aſſertum ſuggerit CHARLETON *exercit. pathol. VII.* & ſic ſe habet: *Mulieres quidam acrioribus copioſi ſpermatis igniculis prurientes, deſiderio conſueſcendi cum viris in ſæva hyſterica paroxyſmos incidunt; hinc tantus in virginibus juxta ac viduis ſalacioribus mali hyſterici eſt proventus.* Qua de cauſſa etiam antiquiores medici permoti fuerunt, ut retentum ſemen pro principe noſtri mali cauſſa habuerint, omnemque medendi ſcopum eo direxerint, ut vel conjugium commendaverint, vel retento in utero ſemini variis modis exitum parare ſtuduerint. Quales hiſtorias plures invenies in ZACUTO LUSITANO, ac PETRO FORESTO; & addunt finito paroxyſmo ex relaxatis muliebribus copioſum humidum exſtillaſſe liquorem. Conf. etiam GALENUS *comment.* in HIPPOCRATEM *Lib. VI. de locis affectis C. V.*

## §. XIII.

*Qua ratione ſemen corruptum & ſanguis [illegible]*

Duplici autem ratione fieri ſtatuimus, ut humor ſic dictus ſeminalis, vel ſanguis, circa uterum nimium congeſtus, & ex diuturniori mora, atque ſtagnatione vitiatus tantas in univerſo corpore nervoſarum partium turbas concitari poſſit. Primum nempe aſſerimus, corruptam materiam tenuis, quos emittit, vaporibus, puriſſimo nervorum & fibrarum fluido infenſiſſimis,

ſiſſimis, ad progignendum id malum paratiſſimam videri. Magnam enim & ſuaveolentium vaporum vim & potentiam in invertendis, vel immutandis motibus vitalibus eſſe; præter narcotica, fumos carbonum noxios, & exemplum ab HELMONTIO *tr. de lithiaſi* §. 59. allegatum, quo mulier quædam ex certo ſuffitu protinus corruit apoplectica: teſtatur & illud momentum, quo in diſpoſitis paroxyſmos hyſtericos ſolo moſchi vel zibethi odore reſuſcitari, & rurſus etiam ſolis graveolentibus compeſci obſervamus. Sed alius adhuc modus eſt, quo circa uterum ſubſiſtens ac corruptus humor nocere poteſt; qui in violenta vaſorum & membranarum nervearum, à nimium congeſto liquore, diſtentione ac diſtractione conſiſtit; ex qua violenti ſpaſmi ad univerſum nervorum ſyſtema propagantur. Et quis de hoc effectu ambigere poterit? qui conſideraverit, à ſola ſanguinis ſtagnatione intra tunicas ventriculi ac inteſtinorum, malum hypochondriacum, & ſæviſſimos ſuboriri poſſe in colica ſpaſmos.

## §. XIV.

*Anatomica conſideratio malo hyſterico defunctarum.*

Quæ quod ita ſe habeant, teſtantur exempla fœminarum, paſſione hyſterica peremtarum. Sic VESALIUS *Lib. V. de humani corporis fabrica cap. XV.* teſtes hyſtericarum pila ſæpe grandiores, modo luteo, modo alio graviter olente humore infarctos, ſe reperiſſe ſcribit. RIOLANUS *anthropol. Lib. II. pag.* 35. teſtem pugno majorem induratum notavit. BINNINGERUS *Cent. II. obſ. XC.* teſtes cum vaſis ſpermaticis, & tubis uteri valde tumidis, & inflatis humore craſſo, albo, & ex parte indurato refertos, inſtar ſteatomatis dimidiæ libræ vidit. MANAGETA *in* M. N. C. *D.* I. *a.* I. *obſ.* 32. uterum cum teſtibus materia ſeminali corrupta, quæ caſeo recenter coagulato haud abſimilis erat, turgidum invenit. Et denique DIEMERBROECK *Anat. Lib. I. de ventre inferiore cap. XXIV.* memoriæ prodidit, ſe in hyſtericis plerumque aliquem magnitudinis circa uterum exceſſum, in eoque liquorem quendam æruginoſum, vel croceum, aut flaveſcentem deprehendiſſe. Ex quibus demum omnibus luculenter patebit, qua ratione ſemen circa uterum ſtagnans corruptumque, mali hyſterici cauſſa dicatur.

## §. XV.

*Altera mali hyſterici cauſſa eſt vitium fluoris menſtrui.*

Proximum jam eſt, ut etiam noſtram de altera cauſſa, quæ nunc temporis maxime urgetur, vitiato nempe menſtrui ſanguinis fluxu, ſententiam proferamus. Hanc criticam excretionem, præternaturaliter ſe habentem, ſemper proximam mali hyſterici cauſſam conſtituere, neutiquam pro rato ſtatoque habendum credimus; ſiquidem novimus virgines haud ſecus, ac fœminas annoſas, hyſterico malo pertinaciter laboraſſe; quibus tamen menſes, vel hæmorrhoides ſatis liberaliter profluxerunt: qua in re conſentientem habemus CAROLUM PISONEM *Lib. cit. Sect. II. Part. II. c. VII.* Interim ſæpius obſervamus, fluorem hunc uterinum ſub ipſo morbo fieri inordinatum: atque tum pro effectu ac ſymptomate mali hyſterici æſtimandum eſt excretionis iſtius vitium; ſiquidem ea eſt ſpaſmorum indoles, ut omnis generis excretiones turbent ac pervertant. Enimvero ex toto cauſſarum paſſionis hyſtericæ cenſu menſium fluxum excludendum eſſe, minime ſtatuimus. Nam multoties obſervavimus, virgines, quando menſium fluxus circa pubertatem inſtat, ob illius impeditiorem per vaſa uterina tranſitum, & ſubſequentem vaſorum diſtenſionem, graviſſimas pati hyſtericas paſſiones: quæ etiam fœminis, in quibus difficilius fluit uterinus cruor, brevi ante ejus eruptionem evenire ſolent; & in ACTIS VRATISLAVIENSIUM *anno* 1700. eleganter deſcribuntur. Præſertim notabilis in tali caſu eſt clavus ille hyſtericus, ubi dolor acerbiſſimus & penetrantiſſimus in certo tantum pericranii punctulo hæret, & ſæpiſſime horrendis anxietatibus cardialgicis, vomitibuſque enormibus ſtipatur. Conf. SYDENHAM *pag.* 487. *&* 499. Neque porro deſunt nobis exempla, ubi repentinam purgationis menſtruæ, per vehementem terrorem, præſertim in perſonis naturæ ſenſibilioris ſuppreſſionem graviſſima mox hyſterica, quin & epileptica excepere runt pathemata.

## §. XVI.

*Gravidæ, ac puerperæ corripiuntur paſſione hyſterica.*

Neque gravidæ, maxime ſi ſanguineo-cholericæ ſint conſtitutionis, à ſæviſſimis uteri ſpaſmis ſunt immunes: vidimus illas circa tertium, vel quartum menſem, gravi iracundia perculſas in præfocationem, ſummum virium lapſum, imo in ſyncopen per aliquot horas durantem ſubinde incidiſſe; à quibus tamen ſecta vena, & adhibitis medicinis ſpaſmodicis, nitroſiſque feliciter evaſerunt. In puerperis vero, ob lochiorum non rite ſuccedentem fluxum hyſtericas paſſiones frequentius obſervamus; quod etiam ſuo tempore HIPPOCRATES notavit, *Lib. de natura mulierum* §. *IX.* Novimus puerperas primis ſæpenumero à partu diebus, ab aëre frigido ad imum ventrem admiſſo, à levi animi motu, à longiori corporis extra lectum detentione, in ſæva ſymptomata hyſterica incidiſſe; quæ etiam preſſo inſequuntur pede, ſi lochiis primis ſtatim diebus deficientibus ac ceſſantibus, ſectione venæ tempeſtiva haud ſuccurratur. Nec denique minus haud raro evenit, ab immodica, & diutius perſeverante lochiorum fluxione, leviori externa cauſſa accedente, paſſiones hyſtericas, animi præſertim deliquia, cum extremorum refrigeratione inſequi; quæ tamen convenienti cura, accommodatiſque præſidiis faciliori negotio diſcutiuntur.

## §. XVII.

*Cauſſæ mali hyſterici occaſionales.*

Quicquid igitur vehementiorem ſanguinis, liquoriſque genitalis ad uterina loca affluxum concitare; aut menſium eruptionem, atque fluxionem ſupprimere, vel impeditiorem reddere valet: illud ad claſſem cauſſarum paſſionis hyſtericæ occaſionalium pertinere videtur. Ex harum cenſu primum occurrit ipſa ætas conjugio opportuna, aut denegatus, antea tamen ſuetus, concubitus: unde majorem ad uterum fieri affluxum ſupra docuimus. Ex eodem fundamento huc pertinent temperamentum ſanguineum, atque cholericum, nimia ad libidinem proclivitas, diæta vinoſa, exæſtuans, opipara, iracundia vehementior, ac graviores animi corporiſque commotiones, & exagitationes. Deinceps ex altera parte vita ſedentaria, victus craſſus, acidus, frigidus, intermiſſæ ſanguinis miſſiones, diuturni mœrores, curæ, ſolicitudines &c. humorum ſpiſſitudinem inducendo, partes ſolidas debilitando, ideoque menſium perruptionem difficiliorem reddendo, ad ge-

nerationem

-nerationem mali hyſterici contribuunt: ac denique terror ſubitaneus, refrigeratio corporis inſignior, maxime ipſi fluxui uterino ſupervenientes, excretiones ſufflaminando ſanguineas, inducunt ſpaſmos hyſtericos. Tandem etiam odor ſuaveolentium, ambræ, zibethi, moſchi &c. aut aliorum fragrantium pro peculiari idioſyncraſia, graviſſimos revocant paroxyſmos.

§. XVIII.

*Prognoſt.* Circa prognoſin id maxime omnium monendum eſſe duco, quod vera hyſterica paſſio, utut valde dira & terribilis videatur, in ſe non adeo periculoſa ſit; niſi præpoſtera curatio, vel perverſum regimen accedat, vel in corpus incidat valde imbecille & valetudinarium. Atque etiam nullus morbus eſt, cui tam facile epilepſiæ & convulſiones artuum junguntur, quam qui ex uteri vitio pronaſcitur; ut adeo etiam exinde diſcrimen mali hypochondriaci & hyſterici dijudicare liceat. Rurſus haud infrequenti conſtat obſervatione, hunc affectum, ubi ab infelici abortu vel gravi puerperio ex culpa ſive medici ſive ægrotantis progignitur, quam facile recurrere, & ex levi quadam cauſa nervoſum genus affligente, de novo corpus infeſtare. Neque etiam novum eſt, ſed toto fere die obſervatur, malum hyſtericum & hypochondriacum ſæpius complicatum eſſe, & tunc morbum valde diuturnum & difficilioris ſanationis fieri: quod maxime fit in fœminis, quæ vitæ ſedentariæ & animi commotionibus nimium indulgent, & perverſa diæta & vitæ regimine utuntur: hinc excretionem ſanguinis menſtrui vel hæmorrhoidalis perturbant, de quo complicato affectu, qui ſæpius in praxi occurrit, uberius diſſerere ſequenti capite conſtituimus.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Indicatio-ne curatoriæ.* Explanatis ergo ſatis dilucide morbi noſtri genio, ſede, cauſſis, ac differentiis; proximum eſt, ut ad ejus curationem nos convertamus. Quum vero omnis rectæ curationis ratio, in eo potiſſimum conſiſtat, ut naturam ægrotantis probe cognitam perſpectamque habeamus, atque tum morborum cauſſis amoliendis accommodata remedia inveniamus: eo magis haſce circumſtantias in noſtro adfectu probe conſiderare oportet; cum non modo cauſſæ mali non eædem ſemper ſint, verum etiam naturæ mulierum, quas in cura probe diſcernendas, jam diu HIPPOCRATES inculcavit, valde differentes deprehendantur.

§. II.

*Quid de venæſectione ſit ſtatuendum?* Primum itaque diſpiciendum eſt, num fœmina, quam curandam ſuſcepimus, ſit valde plethorica, vel potius ſanguine & viribus exhauſtum corpus habeat? In priori caſu ad ſpaſmorum, & convulſionum vehementiam, quæ in ſanguine abundantibus longe major eſt, quam in aliis, minuendam, non facile præſentius & efficacius ipſa venæ ſectione remedium invenitur; quæ ſi major ſanguinis copia urget, largior eſſe debet, vel etiam iteranda. Vidimus fœminas, ſpaſmis uterinis crebrius & immaniter cruciatas, ſine omni ſenſu & motu, facie rubicunda tumida, inſtar apoplecticæ jacentes; novimus quoque virgines, ſanguine plenas, ſpiratione ac loquela fere privatas, menſibus repente per terrorem cohibitis, vel epileptico inſultu correptas; quæ venæ ſectione inſtituta protinus ad ſe redierunt. Conſentientes etiam habemus permultos veterum medicorum, qui venæſectionem omnibus aliis remediorum generibus præferunt, quando malum à ſanguinis abundantia, & menſtruorum retentione fovetur: quos inter MERCATUM & RODERICUM à CASTRO, HOECHSTEDERUM *Dec. IV. caſ. II.* HIGHMORUM *L. de paſſione hyſterica*. PANAROLLIUM *in iatrologiſmis ſententia II. obſ.* 30. RIVERIUM, SEPTALIUM, & M. N. C. *D.* I. *anno* 10. *obſ.* 42. *&* 58. allegaſſe ſufficiat.

§. III.

*Quid in ipſo paroxyſmo agendum?* Ante omnia eo ſtudeat medicus, ut in ipſo paroxyſmo, mali ferociam mitiget. Sequentes hac in re medicorum antiquiſſimum HIPPOCRATEM, graveolentia naribus adplicanda ſuademus, qualia ſunt caſtorina, aſa fœtida, fumus plumarum perdicum: quod remedium, uti mulierculis familiariſſimum, & domeſticum, ita præſtantiſſimum eſt. Ex compoſitis aqua hirundinum acida cum caſtoreo, ſpiritus urinoſus volatilis cum oleo rutæ, & eſſentia caſtorei nobilitatus, extrinſecus naribus offeratur. Vidimus ab horum remediorum uſu, fœmellas gravi ſopore oppreſſas, moribundiſque ſimiles ad ſe rediiſſe. Ratio in eo videtur conſiſtere, quod ſalini volatiles ejuſmodi vapores, dum in nervoſas cerebri membranas penetrant, ipſis novum robur, ac vigorem addant, & vim ſyſtalticam depreſſam reſtituant, & ſanguinem, humoreſque ibi ſubſiſtentes diſcutiant. In puerperis hoc malo correptis, inſigne levamen affert compreſſio imi ventris cum cingulo, ex corio Moſcovitico vulgo *Juchten* confecto; quod odore ſuo & hypochondriacis & hyſtericis valde amicum eſt. Magnum porro ſi præſens fuerit paroxyſmus, in expedita alvi, utplurimum conſtrictiſſimæ apertione eſt præſidium: qua in re commodam operam præſtant clyſteres, ex ſpeciebus appropriatis, ut radice, & ſemine leviſtici, quæ ſpecifica ſunt, floribus chamomillæ vulgaris, ſambuci, herba veronicæ & ſeminibus quatuor carminativis, ſero lactis incoctis ſunt apparandi; quibus poſtea ſufficiens quantitas, olei ex anetho, vel floribus chamæmeli cocti adjici poteſt. Ubi vero fortior ſtrictura alvi, & inteſtini recti eſt, ut clyſteres admitti nequeant; longe conſultius eſt, pura olea expreſſa vel axungias injicere: cujus generis ſunt axungia taxi, pinguedo caſtorei, oleum anethinum &c. à quorum uſu mirifice quoque menſium & lochiorum fluxus adjuvatur.

§. IV.

*Remediorum externorum in paroxyſmo uſus.* Sunt adhuc quædam, quæ extrinſecus admota, inſigne præſtant levamen. Ex iis magnam inter veteres ac antiquos medicorum obtinent laudem emplaſtra, quæ graveolentiam habent, ut ſunt ex opopanace, bdellio, galbano, ſagapeno, aſa fœtida parata, ſi umbilico, vel pudendis adplicentur: qua de re notabile exemplum allegat FORESTUS *Lib.* 28. *obſ.* 32. Neque vero inter externa, antiquiſſimorum HIPPOCRATIS & GALENI auctoritate comprobata, ſilentio ſunt prætermittenda ſuaveolentia, utero immiſſa. Quamvis vero noſtram de ſingulari eorum effectu non poſſimus adducere experientiam: tamen cum horum operatio

magnæ rationum probabilitati innitatur, nolumus illorum uſum penitus repudiare: ob hanc potiſſimum rationem, quod ſuaveolentia ut moſchus, zibethum, ſtyrax, benzoe, ex quibus ſuffimigia ad uterum apparari ſolent, copioſa, & blanda ſulphurea exhalatione fibras uteri ſpaſmo valde conſtrictas relaxandi potentia gaudent, ut ſæpe ab horum adplicatione, teſte ſuperius adducta FORESTI obſervatione, craſſus & putridus humor ſenſibiliter effluat.

§. V.

*Qualia interna ſub paroxyſmo proſint?*

Ad immanes uteri ſpaſmos præter externa jam recenſita, naturæ jam langueſcenti per appropriata quædam interna ſuccurrendum eſt: quæ inter principem ſibi vindicant locum eſſentia caſtorei cum partibus tribus liquoris anodyni permixta, item pilulæ antiſpaſmodicæ, quæ ex myrrha, ſagapeno, opopanace, aſa fœtida, caſtoreo, croco, theriaca, ſumtis ad drachmam dimidiam æqualibus partibus parantur; adjectis interdum ſex vel octo granis camphoræ & laudani opiati. Ex ſcrupulo uno poſſunt formari pilulæ decem, & ſingulis horis duæ aſſumi, cum aqua florum chamomillæ: incomparabile ſæpe præter omnem ſpem ac opinionem ex hoc remedii genere obſervavimus auxilium.

§. VI.

*Primæ viæ ſunt expurgandæ.*

Hæc ſunt, quæ potiſſimum in ipſo paroxyſmo conferunt; ſequitur, ut circumſpiciamus, quæ extra paroxyſmum, quieſcentibus jam gravioribus ſpaſmis, ad eradicandas cauſſas præcipuum ſibi vindicant locum. Quo loco experientia ac ratione ducti aſſeveramus, primam regionem, quæ vitioſorum humorum colluvie, plerumque valde repleta eſt, accommodatis remediis eſſe expurgandam; eo magis, quando in ipſo paroxyſmo anodyna, graveolentia, & vehementes commotiones ſiſtentia, largius fuerunt adhibita. Ex horum cenſu pilulæ Becherianæ, ſive ad earum exemplum concinnatæ, ob inſignem uſum laudem merentur; præſertim, ſi loco ſtimuli, extractum panchymagogum Crollii, & ex antiſpaſmodicis, cinnabaris præparata, & unum vel alterum granum extracti croci & caſtorei adjiciatur. Sic primis officinis à ſaburra vitioſorum humorum ſufficienter liberatis, ea in auxilium vocanda ſunt, quæ virtute & ſedativa, & ſimul diaphoretica ſanguinis & humorum motum ad exteriora dirigunt, atque liberrima perſpiratione ſeri vitioſi difflationem procurant. In horum claſſe mirabili plane effectu gaudere vidimus, ſpiritum cornu cervi, vel eboris per rectificationem purificatum; vel etiam ſpiritum bezoardicum Buſſii, ſpiritum cornu cervi ſuccinatum, ſpiritum tartari bene præparatum; qui ſpiritus volatiles commode refracta doſi dari, itemque maritari poſſunt cum liquore anodyno minerali, eſſentia croci, caſtorei, ſuccini, imo cum laudano liquido; quo medicamento prudenter pro temporis & circumſtantiarum ratione uſurpato, nihil vidi præſtantius. Sicuti enim ſponte ſæpius ſolius naturæ beneficio, hæ ſpaſmodicæ affectiones largiore ſolvuntur ſudore: ita eo magis medicum ad hunc finem obtinendum curationem dirigere oportet.

*Diaphoretica.*

§. VII.

*Specifica & anodyna.*

Hiſce ad eundem ſcopum obtinendum, alia non inferioris facultatis præſidia interponi poſſunt utiliſſime; cujus generis ſunt pulveres, qui ſecreta, & ſpecifica quadam qualitate ſpaſmis & convulſivis motibus ſopiendis dicati ſunt, ut pulvis Marchionum, ſpecificum cephalicum Michaelis, pulvis noſter antepilepticus, item qui ex ſecundina humana ſiccata, viſco quercino, ſuccino, coralliis, croco, & caſtoreo, & antophyllis paratus eſt: quorum uſu inſtar incantamenti convulſivas epilepticas motiones, artuumque agitationes ſiluiſſe aliquoties obſervavimus: ſi modo ejuſmodi indolis & virtutis remedia non ante ſolutam plethoram, nec ante impuriorum humorum ſufficientem per alvum evacuationem uſurpentur.

§. VIII.

*Menſtruus fluxus in ordinem eſt redigendus.*

Præterea, quum hoc malum quam facile, ſi non perite tractetur, revertatur, vel in alium morbum chronicum, inque primis hypochondriacum degeneret, id omni modo ac ratione præcavendum eſt: quod fit, ſi poſt morbum finitum ad menſium reſpiciamus excretionem, ſive hæc irregularis morbum ipſum produxerit; ſive ſub hoc, uti plerumque fit, vitiata fuerit. Ad hunc ſcopum obtinendum nihil præſtantius, nihilque efficacius commendare poſſum, quam thermarum Carolinarum uſum internum, cum convenienti regimine & prudentia adminiſtratum: ſiquidem thermales aquæ ſemper fere & tutiores & convenientiores ipſis frigidis acidulis in morbis mulierum percurandis obſervantur. Sed in promtu adhuc ſunt alia remediorum genera, quæ tonum & robur utero reſtituendo, graves ab eo afflictiones arcent; cujus generis ſunt temperata balſamica ex myrrha, ſuccino, extractis amaricantibus & carminativis, præſertim zedoaria, corticibus aurantiorum cum menſtruo minus ſpirituoſo in elixirium redacta, & frequentius uſurpata. Nam hæc ipſa menſium negotio & ventriculi digeſtioni egregie velificantur; præſertim, quando temperatis balſamicis, pilulis polychreſtis, decenti tempore uſurpatis, ſordium alvinarum excretio ſimul adjuvatur.

§. IX.

*Conjugii ſumma vis.*

Supereſt adhuc aliud ſummum auxilii genus, quod ex conjugio expectare licet: cujus incomparabilem vim, ad expugnandum affectum hyſtericum, præter ſummorum virorum auctoritatem, & experientia & ratio luculenter ſuffulciunt. Commendavit illud HIPPOCRATES *libro de virginum morbis Cap.* 3. VALESCUS *de* TARANT. *philon. pharm. Lib.* 6. *cap.* 10. *ſi fiat*, inquit, *affectus in virgine propter retentionem ſpermatis, nubat illa, & morbum effugiet.* CAPIVACCIUS vero, ut efficacius ſit hoc remedium, jubet, ut vir penem inungat oleis aromaticis & Zibetho. Notabiles quoque ſunt obſervationes, quas de admiranda conjugii in morbis hyſtericis virtute, allegant DURETUS *in enarratione ad caput LIX. Hollerii*, ZACUTUS LUSITANUS 52. *prax. med. admirand. obſ.* 91.

*CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cautelæ, circa humorum orgaſmum conſopiendum.*

Quandocunque hyſterica paſſio ab uterinæ lymphæ orgaſmo ſuboritur; omnia calidiora cane pejus, & angue vitanda ſunt: ex his enim magnum infertur damnum, quemadmodum RODERICUS à CASTRO *de morbis mulierum*

*rum Lib. II. &* LUDOVICUS MERCATUS *Lib. II. de morbis uteri Cap. III.* variis atteſtantur exemplis. Potius ad temperandam lymphæ acrimoniam, & orgaſmum ſanguinis & humorum reprimendum, refrigerantibus uti præſtat; ex quorum cenſu potus aquarum, ſerum lactis pro potu, atque nitroſa eminent; quorum virtutem in extinguenda libidine TIMÆUS à GULDENKLEE *Lib. III. Cap. LVII.* non ſatis dilaudare poteſt.

§. II.

*Pro ſubjectorum ratione differunt remediorum operationes.*

Quum in hyſtericis morbis naturæ individuorum inſigniter diſcrepant: non ſane mirum eſt, ſi unum remedii genus in uno ſubjecto ſalutarem, in alio nullum, ac magis nocivum edat effectum. Sic vidimus hoc malo afflictas, quæ nullo modo graveolentia, ſive interno, ſive externo uſu ferre potuerunt; quæ in aliis præſentiſſimam opem tulerunt. Vidimus nonnullas, quæ ipſo in paroxyſmo, graviori ſyncope oppreſſæ erant, ſola aquæ adſperſione in facie, fruſtra adhibitis validioribus & ſpirituoſis in vitam revocatæ fuerunt. Quædam calidioris & ſenſibilioris naturæ nulla calida ſive extrinſecus, ſive intrinſecus adhibita tolerare poſſunt; adeo, ut à balneis, fomentis, linimentis, nervinis calidis non parum lædantur: non minus anodyna, ac opiata, quibuſdam exoptatiſſimum afferunt levamen; quum in aliis, ubi genus nervoſum maxime debilitatum eſt, non minimum excitent damnum. Vidi quaſdam ſolo aquæ potu à gravi paroxyſmo liberatas; qui aliis erat nocentiſſimus. Tantum refert, naturas fœminarum recte diſcernere; quemadmodum jam HIPPOCRATES *Lib. I. & II. de morbis mulierum* ſedulo inculcavit.

§. III.

*Quem uſum habeat cognitio differentiæ inter malum hypochondriacum & hyſtericum.*

Quam familiare noſtris eſt temporibus, ut nulla fere mali hypochondriaci inter mulierum morbos fiat mentio; ſed potius promiſcue & indiſtincte omnis, quæ cum doloribus, ſpaſmis, flatibus, anxietatibus jungitur paſſio, pro hyſterica habeatur: tam neceſſarium eſt, genuinam horum morborum cognoſcere differentiam; ex cujus neglectu magnum reſultat ſæpenumero damnum. Quemadmodum enim in malo hypochondriaco, vehemens corporis motus & exercitatio, medicamenta carminativa, ſpirituoſa, & volatilia, ſtomachica, & aromatica, ſalia neutra ſtimulantia, aquæ minerales, amaræ alvum ſolventes, inque primis martialia, optima præbent auxilia: ita hyſtericæ fœminæ his magis læduntur, & potius à venæ ſectionibus, quiete corporis, anodynis, nitroſis, antepilepticis, refrigerantibus, potu aquæ frigidæ, ſero lactis, excluſis calidis, quin ipſo vino, ſummum experiuntur ſolatium.

§. IV.

*Diæta ratio.*

Ad præcavendam recidivam, & ne malum evadat chronicum, & menſium & alvi ratio ſolicite habenda eſt; & moderandum, ut convenienti vitæ regimine, commodaque medicina hæ excretiones ſecundum ordinem fiant. Cavendum autem maximopere eſt, ne aloëticis vel pilulis purgantibus, quæ inſignem portionem aloës, & gummata reſinoſa calidiora recipiunt, utramque evacuationem moliamur. Non leve enim damnum & ingentem ſymptomatum exacerbationem, vel morbum longius productum, inde me obſervaſſe certa fide aſſeverare poſſum, & hoc maxime locum habet in plethoricis ac tenerioris & ſenſibilioris indolis fœminis. Tutioris effectus ſunt paſſulæ corinthiacæ cum infuſo rhabarbari per leniorem incoctionem probe ſaturatæ. Inter cibos panificia, placentæ, quibus maxime delectantur mulieres, & acetaria penitus proſcribi debent. Nam ex nimio harum rerum uſu, ac vita otioſa & potu parco & nimis incongruo, accedente ſimul animi intemperantia, ſicuti & hypochondriaci & hyſterici ſpaſmi ſuam originem præcipue petunt; ita majori cura, quæ hiſce vitiis jam correptæ ſunt, ab iis abſtinere debent.

§. V.

*De caſtoriis.*

Caſtorina utut & interno, & externo uſu in ſpaſmis & hyſtericis & hypochondriacis mitigandis, teſte quotidiana experientia incomparabilem virtutem habeant; tamen iis non nimium fidendum, quoniam ad materiam lædentem ſubmovendam idonea ſatis non ſunt: non parum quoque nimius eorum uſus nocet; dum anodyno illo vapore & capiti & nervoſis partibus imbecillitas, quæ nunquam ſine periculo eſt, inducitur.

§. VI.

*Puerperis non conveniunt ſalia.*

In ſpaſmis, hyſtericis præſertim, qui puerperas exercent, ſi alvi ſunt adſtrictioris, hæc fortiori ſalium neutrorum & ſic dictorum digeſtivorum ſtimulo minime molienda eſt: vidi enim à majori & crebriori horum ſalium doſi periculoſa ſymptomatum incrementa.

§. VII.

*Quid proſit in ſuffocationibus hyſtericis?*

In profundiori ſuffocatione hyſtericarum, ad eas excitandas præſtat ſal volatile ammoniacum cum eſſentia caſtorei remixtum, vel aquam hirundinum cum aceto & caſtoreo naribus applicare, & frictionibus circa præcordia item in pedibus cum panno aſperiori inſtitutis, quam nimio fumo fœtidorum, plumarum perdicum vel aſa fœtida, aut etiam camphora, quam perpaucæ ferre poſſunt, uti.

§. VIII.

*Clyſterum ac pulverum abſorbentium uſus.*

Ego ſingularem ſæpius effectum in fœminis hypochondriaco-hyſtericis ad præſcindenda ſpaſtica ſymptomata, maxime in cholericæ & ſenſibilioris naturæ mulierculis à pulvere nitroſo præcipitante, cum æquali ſuccini & parca croci portione mixto, & à frequentiori elixirii viſceralis noſtræ compoſitionis, cum æquali liquoris anodyni doſi maritati uſu, multa annotavi emolumenta. Ad mitigandos vero paroxyſmos, tempore intermiſſionis clyſteribus, qui ex herbis lenioribus paregoricis carminativis parati erant, adjuncta inſigni olei expreſſi quantitate, nihil utilius deprehendi. Blando enim ſuo & temperate calido tepore ac vapore proxime & immediate uterum & vicinas partes leniendo & demulcendo afficiunt.

§. IX.

*Pediluviorum uſus.*

Pediluvia extra paroxyſmum adhibita, ſi valde temperata fuerint, egregiam habent ſymptomata allevandi efficaciam; ſi vero nimis fuerint calida, præſertim ubi corpora ſint plethorica, & ſucci plena, nocentiſſima ſunt, atque ad paroxyſmos revocandos aptiſſima, quod non ſemel, ſed ſæpius animadverti.

ENAR-

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Paſſio hyſterica, cum motibus convulſivis, ac epilepticis juncta.*

Requirebat aliquando opem meam, virgo octodecim annorum, habitus ſpongioſi, ac temperamenti phlegmatico-ſanguinei, ſanguine ſucciſque pleniſſima, ac irregulari per aliquod tempus menſtruorum fluore adfecta; quæ poſt præviam refrigerationem, noctu correpta erat vehementi tuſſi convulſiva. Hac ſedata poſt aliquot dies violenta patiebatur hyſtericum paroxyſmum; ſub quo præter atrociſſimos vomendi conatus, alvi obſtructionem pertinaciſſimam, urinæque retentionem, extrema algebant, cor vehementer palpitabat, facies tumida rubebat, arteriæ in capite fortiter pulſabant, ut apoplexiæ eſſet metus. Poſt horæ quadrantem ad ſe redibat; ſed pharynx manebat conſtricta, adeo ut nec fluida, nec ſolida deglutire potuerit, pulſuſque ferebatur parvus ac debilis. Ipſe vero paroxyſmus, ſingulo horæ dimidio revertebatur; & miſſo ex vena in pede tuſa ſanguine, per octo quidem conquieſcebat horas: tum autem atrocior, & epilepticis ſtipatus motibus recrudeſcebat. Conſultus ego, cum deglutitio adhuc valde impedita eſſet, curavi primum, ut clyſteribus ano infuſis, linimentis nervinis nuchæ ſpinæque inunctis, atque pediluviis, partium externarum conſtrictiones demulcerentur; tumque internis diaphoreticis, ac antiſpaſmodicis malum oppugnabam. Quibus factum eſt, ut omnes ſiluerint præternaturales motus; & quum ex levi diætæ errore viderentur reverti, dato blando laxante, ab eorum eruptione non ſolum præcavebatur, verum etiam perfectæ reſtituebatur ſanitati.

*Epicriſis.*

Ad ſpaſmodica, quæ ex uteri vitio proveniunt, pathemata concitanda non opus ſemper eſt, ut materia corrupta & vitiata, utero inhærens proxime & immediate id efficiat; ſed crebrius id à cauſis externis fit, ſcilicet ab intenſo frigore, quod partes inferiores, præcipue vero lumbarem regionem tangit & afficit. Hac enim ratione in fœminis ſanguine copioſo & impuro ſcatentibus, is à partibus exterioribus ad interiores impetuoſe compulſus pro harum differentia varias ſpaſticas, imo convulſivas movet afflictiones. In præſenti caſu ex congeſtione ad pectus facta vehemens & convulſiva tuſſis orta eſt; cum poſtea humor lædens, ſedem ſuam mutavit, & ad nervos præcordiales, item ventriculum ejuſque nervos & per conſenſum ad ipſum caput tranſlatus fuit, ac paſſiones, quæ hic in hyſterica apparuerunt, produxit. In ejuſmodi affectibus optimum eſt, curationem ab externis & internis, quæ ſpaſticas nervoſarum partium ſtricturas blande relaxant, auſpicari, & poſtea temperatis carminativis, diapnoicis & antiſpaſticis curam abſolvere, & ad recidivam avertendam menſtrualem excretionem in ordinem redigere; quod optime per commodam diætam, per motum & medicamenta, quæ non modo ſordes ex primis viis, ſed & ex ipſo utero expurgandi facultate inſtructa ſunt. Inter quæ utique pilulæ polychreſtæ balſamicæ, quæ noſtro tempore in uſu ſunt, maxime ſi cum antiſpaſmodicis & ſalinis detergentibus pulveribus earum virtus ſecundetur, principem ſibi locum vindicant.

### Observatio II.

*Malum hyſtericum in juvene.*

Adoleſcens nobilis, ſedecim annorum, ſtaturæ proceræ, & habitus corporis robuſti, atque carnoſi, ſanguine & ſuccis præter naturæ modum turgens, de gravi circa inguina, ubi vaſa ſpermatica deſcendunt, dolore pronuper conquerebatur, & quod præter voluntatem ad membri erectionem, variiſque ad venerem in animo obverſantibus deſideriis ſollicitaretur. Haud ita multo poſt in febrilem quendam incidebat inſultum, per aliquot dies infeſtantem, quo remittente poſt aliquot ſeptimanas, eadem circa inguina paſſus eſt moleſta incommoda; ſed jam longe alia ſuperveniebant accidentia, hyſtericis plane non diſſimilia: nam horribiles ſpaſmi à pubis regione ad dorſum, ad præcordia, ad ſeptum tranſverſum, ad cor, ad fauces, imo ad ipſum cerebrum adſcendentes, præcedente cordis palpitatione, ſtrangulationem faucium, ſpirandi anguſtiam, animi deliquium, ſoporem, accedentibus etiam artuum convulſivis tractionibus concitabant, qui paroxyſmus ſingulis fere menſibus repetebat. Hic, quod erat perquam notatu dignum, immani ſemper ciborum urgebatur adpetentia; alvus autem adſtrictior erat, ita, ut fortiora etiam eluderet purgantia. Præter hæc vaſa mirum turgebant ſanguine; pulſus, qui ſub acceſſione valde erat inæqualis, & depreſſus, poſt eam magnus, & concitatus obſervabatur. Variis uſus eſt & medicis, & medicamentis antiſpaſmodicis, antepilepticis, ſoteriis quoque fontibus, ſed parum inde percepit utilitatis: poſtquam vero ex noſtro conſilio, ſingulis fere menſibus, ſanguis ex vena ſecta ſex ſemper unciis fuit imminutus, & loco potus ordinarii aqua fontana uſurpata: nitroſis quoque pulveribus paullo largiori portione ad ſanguinis orgaſmum deprimendum in uſum vocatis; tranquillum corporis motum, & ab arduis meditationibus, quibus excellentis ingenii adoleſcens nimium ſemper indulgebat, vacuam ſervavit mentem; integræ ſanitati brevi tempore fuit reſtitutus.

*Epicriſis.*

Solvit & explicat peculiaris hic caſus, nodoſam & intricatam admodum quæſtionem: Quare nimirum viri non ſimilibus, vel iiſdem ſymptomatibus adfligantur hyſtericis, qualia in fœminis obſervantur, eo, quod ſimili modo, & ſanguis, & liquor ſeminalis in partibus generationi dicatis, nimirum vaſis ſpermaticis, teſtibus, capſulis quoque ſeminalibus ſtagnare, ibique vitiari ac corrumpi poſſit? Namque non deeſſe ejuſmodi exempla, licet non tam frequentia adoleſcentum, qui circa, vel etiam poſt annos pubertatis, ejuſdem generis ſymptomata ſpaſtica, & convulſiva cum dolore preſſorio, & lancinante circa ilia, & in pubis regione, nec non languorem totius corporis, extremorum refrigerationem, ſubſequente mox ingenti præcordiorum anguſtia, cordis palpitatione, faucium ſtrangulatione, difficilique ad ſuffocationem uſque ſpiratione patiuntur: inter alia præſens docet caſus. Nec me fugiunt plura exempla non modo adoleſcentum, ſed etiam virorum extra conjugium viventium, qui ex nimia caſtitate in eadem, quæ hyſterico affectui propria & eſſentialia eſſe ſolent, pathemata inciderunt: quid? quod nonnullos quoque in convulſiones

vulſiones artuum; inque ſyncopen prolapſos eſſe, aliquoties obſervavi. Si in tam atrocium ſymptomatum originem inquiramus; varia ſe offerunt momenta, quæ clare commonſtrant, ea à nulla alia cauſſa, quam à copioſiori ſanguinis ad vaſa ſpermatica & teſtes affluxu, has partes vaſculoſas & nervoſas nimium diſtendente ac diſtrahente ſuborta fuiſſe. Et eandem in noſtro ægrotante cauſſam ſignificant dolores ac tormina circa inguina primum conſpicua; atque tum ad alias corporis nervoſas partes propagata. Quare etiam ſedato per accommodata ſubſidia humorum orgaſmo, ac derivato affluxu, cuncta conquieverunt ſymptomata.

## Observatio III.

*Paſſio hyſterica ex occultato amore.*

Honeſta, venuſtaque virgo, annorum octodecim tenerioris quidem conſtitutionis, ſed acutioris ingenii, animique mobilioris, in vicina urbe degens, poſtquam formoſo etiam juveni, qui frequentius eam ægrotantem inviſebat, deſponſata fuit; valetudinis, quæ antea ſatis firma erat, ſtatus plane eſt immutatus. Ab eo enim tempore variis gravibuſque affligebatur paſſionibus: nam dolores mox in dorſo, mox in abdomine valde torquentes, mox artus cum tremore agitantes experiebatur: virium aderat ingens collapſus, ciborum adpetentia penitus languebat; alvus conſtricta erat, teneſmus tamen, & mingendi deſiderium urgebant. Accedebant per vices animi deliquia, cum faucium ſtrangulatione, & ſemper fere conquerebatur de phlogoſi, extremorum frigore, ac horripilatione, ac ſubſequente calore præternaturali. Anxietates præcordiorum conſtrictivæ, quas ægerrima comitabatur ſpiratio, nunquam fere non aderant: pulſus ferebatur varius, nunc celer, & debilis, nunc plane exiguus, & inæqualis; urina plerumque inſtar aquæ limpida, interdum pauca, cum rubro ſedimento mingebatur: ſomno ſæpius plane carebat; & ſi quidquam cibi, vel medicaminum adſumebat, augebatur circa præcordia anxius ac preſſorius dolor. Menſium fluxus erat parcior, ſeroſus, acris; & circa hoc tempus, cuncta exacerbabantur ſymptomata. Conſulti medici in dignoſcendo morbo valde hæſitabant: quidam enim febrim quotidianam, alii hecticam, quia ingens corporis præſto erat contabeſcentia; alii ſummam imbecillitatem ventriculi, & imi ventris accuſabant flatulentias. Hinc varii generis remedia, ſtomachica, carminativa, nervina, emmenagoga, laxantia, martialia data fuerunt, ac vena quoque in pede aliquoties ſecata. Cuncta vero tantum aberat, ut levamen inferrent; ut potius ſymptomata exacerbarent. Poſtquam igitur ægrota per tres fere menſes hoc diro malo infeſtata, ego quoque accitus fui; exploravi protinus genuinam morbi cauſſam, & conſilium dedi, ut à medicamentis fere prorſus abſtineret; ac pro potu ordinario lacte aſinino, cum æquali acidularum Selteranarum pondere mixto uteretur. Deinceps alvum clyſteribus emollientibus, qui ex decocto florum ſambuci, chamomillæ, herba majoranæ, meliſſæ, ac ſemine cymini, addita ſemper olei lumbricorum ac liliorum alborum larga quantitate erant parati, ſubducendam curavi. Tum quoque imperavi, ut licet imbecillis, corpus per vecturam ſub temperato ac ſereno cœlo ſæpius ac blande moveret; & per tempus aliquod ab omni colloquio & conſortio cum ſponſo caveret. Tandem commendavi copulam conjugalem, qua facta ſenſim paullatimque vires recuperabat, ſine peculiari remediorum ope. Concepit etiam, & anno elapſo peperit infantem: at in ipſo puerperio pathemata hyſterica cum faucium ſtrangulatione experiebatur; ſed noſtro tandem auxilio, ac conſilio reſtituta, jam laudabili fruitur ſanitate.

### *Epicriſis.*

Haud exiguos ejuſmodi caſus in annoſiori mea praxi adnotavi, quod virgines venuſtæ, & antea vegetæ à nulla alia cauſſa, quam à vehementia amoris occultati, in miſerrimum ægrotandi ſtatum fuerint delapſæ; omnibus & animi, & corporis functionibus inde peſſumdatis. Ubi fruſtra, quin interdum non ſine noxa exhibitis omnibus medicamentis pharmaceuticis, optimum & efficaciſſimum remedium fuit in conjugio, non tamen omiſſis convenientibus diæteticis. Tantam vim & potentiam habent animi paſſiones diutius inhærentes, univerſam motuum œconomiam, & naturales functiones perturbandi! Hinc inter philoſophos PLATO de amore præſertim affirmat: *Non ſolum*, inquiens, *in animum impetum facit amor; verum & in corpus ſæpenumero tyrannidem exercet vigiliis, curis, macie, dolore, tabitudine, & mille aliis affectibus, lethalem noxam inferentibus, corpus vexat.*

## Observatio IV.

*Paſſio hyſterica ex menſibus imminutis.*

Fœmina, quadraginta annorum, texturæque tenerioris, ante quinque annos febre quartana corripitur ſæpius recidente, & tandem copioſo corticis chinæ uſu profligata. Ab eo tempore menſtrua excretio ſenſim cœpit imminui; & quum præterea ad affectus animi valde inclinaret, parum biberet, cibiſque infumatis, induratis, concoctuque difficilibus maxime delectaretur: varios incidit hyſtericos, ſpaſmodicoſque affectus, qui circa menſtruam potiſſimum periodum graviter inſiſtebant. Tum enim ſentit in abdomine graviſſimas ſpaſmodicas contractiones, cum alvo adſtrictiſſima; faucium affligitur ſtrangulatione, & ſpiratione ad ſuffocationem uſque intercepta; pedes ſunt gelu frigidiores, cor palpitat; interdum circa ventriculi ac ſepti tranſverſi regionem, tam acuti ſæviunt dolores, ut digiti quoque attactu exacerbentur. Sæpenumero ſub tali paroxyſmo, dextrum capitis latus, oculuſque hemicranico dolore, ac intolerabili frigoris ſenſu afficiuntur, cum ſeri falſiſſimi ex oculo fluxu. Quandoque in paroxyſmo cuncta vomitu reddit, & à clyſteribus dolorum majorem percipit exacerbationem. Ceterum remittente paroxyſmo ſana eſt, ac bene adpetit.

### *Epicriſis.*

Meretur hic affectus nomen hyſterico-ſpaſmodici, utut levioris; quem ab hypochondriaco alienum eſſe, vel ex eo patet momento, quod ægra extra paroxyſmos, qui circa menſtruam invadunt periodum, ſana videatur, nec habeat, de quo conqueratur. Originem traxit à ſanguinis menſtrui circuitu, per vaſa uterina impedito; quo factum eſt, ut partes ac fibræ uteri nerveæ ob diſtenta nimium vaſa, ad ſpaſmodicas proritatæ fuerint ſtricturas; quæ ad nervoſas alias regiones, præſertim quæ à pari vago quoſdam accipiunt ramulos, propagatæ, præcordiorum, ventriculique dolorem, impeditam ſpiratio-

ſpirationem, ſtrangulationem, tormenta hemicranica, aliaque pepererunt ſymptomata. Ad inducendam autem humorum in utero ſtagnationem, præter inordinatum victum, quam plurimum contribuit, febris quartana, cortice chinæ præpoſtere tractata: unde etiam viſcida ac ſcorbutica humorum dyſcraſia, quæ ſemper quartanæ febris mater eſt, magis fuit adaucta; uti inter alia ex ſeri acrioris ex oculo effluxu patet. In curatione mali igitur, præter ordinatam rectam vivendi rationem, remittente paullisper paroxyſmo, clyſmata pure oleoſa ano ſunt injecta; atque linimenta nervina regioni umbilicali adplicata; quæ etiam cum communi quidem, ſed minime contemnendo remedio, ſcilicet avena toſta, ſacculo calidiori incluſa alternari poſſunt. Extra paroxyſmum ea fuit medendi intentio, ut mitigatis per liquorem anodyno-mineralem ſpaſmis, menſes debitis venæ ſectionibus, blandis ac balſamicis laxantibus, ac balneis in ordinem reducerentur: quibus etiam perfectam reſtituimus ſanitatem.

### Observatio V.

*Convulſiones hyſtericæ.*

Flagitavit aliquando meum auxilium virgo quædam, pubertatis annos vix egreſſa, cui fluor menſium irregularis erat, & quæ ideo per binas circiter ſeptimanas convulſivos patiebatur motus. Hi ipſam quotidie per frequentiſſima intervalla invadebant, atque dolore lumborum, & abdominis, umbilici retractione, alvo adſtricta, tremore, diſtenſione artuum, ſpirandique difficultate ſe prodebant, maximeque caput occupabant, ita quidem, ut oculi in omnes plagas circumrotarentur, ea, quæ vix concipi poterat, celeritate, ac vehementia: caput ad latera deorſum traheretur; ejuſque arteriæ validiſſimo pulſu admotam ferirent manum. Neque vero concidebat; ſed ſub mali invaſione ſellæ inſidens, in medio paroxyſmo ſurgebat, & tum incredibili celeritate in gyrum movebatur: quod etiam fiebat, ſi inter ambulandum convellebatur. Ipſa acceſſionem præſentiebat; ac ſub illa perfecta loquendi facultate pollebat; nec de ullis capitis conqueſta doloribus; finito paroxyſmo hilaris, & optime habebat. Remedia tollendo huic malo ſatis idonea, quæ propinabantur, parum profuerunt; præter commendatos clyſteres demulcentes, & linimenta nervina, temperatiora, ſpinæ dorſali inuncta, quæ levamen præſtiterunt. Verum mutatione cœli, & peregrinatione in alia loca, inito quoque alio victu, & adſumto loco cereviſiæ aquæ ſimplicis potu, inſueta & atrocia hæc ſymptomata ſenſim, ſenſimque conquieverunt, & penitus tandem expirarunt.

#### *Epicriſis.*

Id non ſemel, ſed creberrimis vicibus animadverti, morbos nervoſi generis, ſeu, ut alii loqui amant, ſpirituum, qui horrendis ſymptomatibus ſtipari ſolent, omnia fere reſpuere ex fonte pharmaceutico petita medicamenta: eo, quod vitium non tam in mole materiæ, ſed potius anomalis motibus, eorumque aſſuetudine conſiſtat. Tunc enim optimum præſidium eſt, nullo uti remedio: ſed præcipuum ſanationis punctum in mutatione ætatis, aëris, vitæ generis, victuſque conſiſtere, fide experientiæ compertiſſimum eſt. Et certe elementa provido & circumſpecto uſu plus efficiunt, quam medicamenta activæ indolis; quod præclarum præceptum admodum ſibi commendatum habeant medici juniores. Namque rariſſima profecto ſunt ea, quæ nervos, ſi læſi, & à naturali tono dejecti fuerunt, blanda, & temperata vi ſolantur: quin potius plurimarum medicinarum natura ita eſt comparata, ut vel nimium irritando, vel juſto magis ſedando lædant. Deinceps id quoque in perſanandis generis nervoſi morbis eſt obſervandum, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniant; neque, quod ſemel profecit, id alio tempore juvet. Siquidem non ubique & omni tempore eadem eſt nervoſarum partium diſpoſitio, ac conſtitutio: hinc naturæ ægrotantium probe ſunt diſcernendæ.

### Observatio VI.

*Hyſtericæ convulſiones, ex uteri & primarum viarum vitio.*

Triginta circiter annorum fœmina, quæ abortiendo concrementum polypoſum, utero excernebat, elapſo hinc anni ſpatio, ſub ipſo menſium fluore poma, ac lacticinia comederat, & præterea corpus inſigniter refrigeraverat. Quare incidit repente in convulſivos motus, quibus in terram prolapſæ caput præſertim, atque pedes mirifice torquebantur, manibus liberis; commordebat dentes, ac vehementer clamitabat. Talis paroxyſmus ſubinde circa menſtruas recurrebat periodos, neque ullas habebat notas prænuncias: poſt illum urgebant languores univerſi corporis, gravativus capitis ſenſus, crebræ vertigines, & alvi obſtructiones. Tum vero utero cœpit gerere & ſub toto geſtationis tempore à malo convulſivo-hyſterico immunis vixit, felicemque tandem habuit partum. Lochia primum rite ſuccedebant, ſed die decima imminuta fundebant ſerum ſanguinolentum; alvus etiam per ſex à puerperio dies officio non fungebatur. Hinc ſenſim redibant tenſiones capitis, vertigines, flatulentiæ, ac imi ventris tormina; ſomni ac adpetentiæ defectus, ac tandem accedebant priſtini motus convulſivi, ſiniſtrum maxime latus occupantes, ſub quibus fluor uterinus ſanguine denuo tinctus adparebat. In curatione hujus affectus clyſteres carminativi, & oleoſi; nec non pilulæ temperate balſamicæ, cum refracta doſi caſtorei, & croci mixtæ, fons Selteranus pro potu ac denique internus Carolinarum, & externus aquarum Tœplicenſium uſus, præſtantiſſimæ fuerunt efficaciæ.

#### *Epicriſis.*

Nulli morbi tam graviter totum partium nervoſarum ſyſtema præter naturam afficiunt, nullique univerſi corporis functiones tam ſubito ac vehementer lædunt, quam qui ex uteri labe prognaſcuntur; quæ utplurimum per infelicem abortum, & malum in puerperio regimen contrahitur. Horum certum indicium præbet, ſimulque male affectum uterum, & deſtructam per ejus vaſa ſanguinis circulationem ſignificat ſæpenumero concrementi membranacei, ſic dicti polypoſi, ſive molarum excluſio: unde diuturnas & atroces naſci ægritudines manifeſtum eſt. Quicunque igitur in perſanandis mulierum morbis præ aliis excellere volunt medici; ad fontem horum malorum reſpiciant, & curationem eo dirigant, neceſſe eſt. Neque ego certius & efficacius auxilium, quam in exquiſito vitæ regimine, ac circumſpecto ac convenienti fontium tam calidorum, quam frigi-

frigidorum uſu, inveni unquam, maxime, quando temperate balſamicis, uterumque roborantibus, & laxantibus curam perſequamur.

OBSERVATIO VII.

*Paſſio hyſterica ex lochiis ſuppreſſis.*

Fœmina, vigeſimum primum ætatis agens annum, conſtitutionis tenerrimæ, ac biliofæ, binis abhinc annis ex iracundia incidit epilepſiam. Elapſo anno contraxit matrimonium, & haud ita pridem peperit infantem: ſub quo partu enormis cruoris uterini copia effluxit, ſed datis improvide adſtringentibus cohibitus eſt fluor. Nihilo tamen minus poſt duas hebdomades rediit fluxus menſtruus; ſed cum denuo vehementi percelleretur terrore, mox percepit miros circa lumbos cruciatus, & acutiſſimos dolores, perpetuum ad alvum & urinam ſtimulum; urina ſuccedebat cum magno ardore, inſignique difficultate, deponebatque arenulas. Solicitabat inſuper perpetua vomendi cupiditas; dolores mox circa umbilicum torquebant, huncque violenter retrahebant, mox inguina obſidebant, cum pertinaciſſima ſphincteris veſicæ conſtrictione; & acutiſſimis quoque in mammis doloribus. Hiſce atrociſſimis tormentis per binas ferme adfligebatur hebdomades, adpetitu, ſomnoque pereuntibus: quin etiam epilepticæ ſuperveniebant agitationes, & in paroxyſmis delira loquebatur: crebro fluxit quoque materia alba acerrima inſtar puris ex utero. Adhibita ſunt varia remediorum genera, clyſteres oleoſi, emollientes; unguenta nervina, ac anodyna, pilulæ balſamicæ &c. ſed malum exacerbare videbantur. Tum propinabantur & pulvis ex nitro purificato, camphora, & pulvere Marchionis confectus, & elixirium, quod habebat eſſentiam croci, myrrhæ, tincturam tartari, & extractum caſtorei. Unde urina deponebat ſedimentum, & menſes aterrimi, fœtidique cœperunt fluere. Tum continuatis his remediis, omiſſa tantummodo camphora, conjunctoque infuſo veronicæ, cruor uterinus, naturali ſimilis, floridiorque ferri cœpit, & ægra intra breve tempus perfecte convaluit.

*Epicriſis.*

Videbatur primum hæc affectio medico cuidam calculoſa; ſed revera non fuit, niſi hyſterica, ex lochiis improvido adſtringentium uſu ſuppreſſis, originem trahens, & calculum mentiens. Quum enim in hyſterica paſſione nervi uterini, qui cum nervoſa veſicæ, maximeque ſphincteris fabrica, inſignem fovent conſenſum, ſpaſmodice contrahantur; non mirum eſt, ſi illæ ſtricturæ ad vicinas partes, præſertim veſicæ ſphincterem tranſierunt, crebramque mingendi cupiditatem, & urinæ retentionem produxerunt. Quamdiu vero hi ſpaſmi partes inferiores occuparunt; humor ille, ut ita loquar, corruptus, qui ſtagnando in uteri cavitatem irrupit, excerni haud potuit; hinc nec ſiluerunt ſymptomata. Verum poſtquam ſpaſmi relaxati, & ope myrrhæ, crocique menſtruus fluor promotus fuit; hinc materia fœtida effluxit; non fieri potuit, quin remiſerint omnes paſſiones.

OBSERVATIO VIII.

*Paſſio hyſterica ſpaſmodica vaga, certis familiis peculiaris.*

Eſt hic loci affectus quidam, certis familiis peculiaris, qui ſubjecta, in pubertatis potiſſimum annis conſtituta, magis fœminini ſexus, & habi-



tus ſpongioſioris, ſuccorumque pleni invadit; atque variis in caſſum adhibitis remediis, tandem poſt aliquot annos ſponte remittit. Adoritur ſequenti ratione: ſentiunt inter morbi initia, ſenſum formicationis in manibus vel pedibus; ſequitur pandiculatio, oſcitatio; dolor fixus, graviſque circa lumborum vertebras; mox agitationes, ac volutationes manuum per gyrum, ſurſum ac deorſum continuæ ſunt, & involuntariæ: præcordiorum ſumma urget anxietas, ſpiratio citatiſſima, anguſtiſſima, cum ſuffocationis metu, palpebræ ab uno latere ad alterum trahuntur, oculi vertuntur in gyrum &c. Sed admodum variant hæc ſymptomata; nunc alvus ſuo fungitur officio, nunc pertinaciter clauſa eſt; nunc urina fluit, nunc retinetur, cum vehementi circa inguina dolore. Interdum collum ab uno latere ad alterum perpetuo volvitur; interdum crudeliſſima infeſtant tormina inteſtinorum, cum cardialgia, vomitibuſque vehementioribus: mox femora ad anum contrahuntur, cor violenter palpitat, accedit ſingultus; mox totum corpus attollitur, ſpina incurvatur; mox oculis apertis, membris rigidis, nullus eſt ſenſus, nulla excitatio &c. Hæc eſt paroxyſmorum deſcriptio, qui modo ſæpius, modo rarius revertuntur: extra quos bene habent, bene adpetunt, dormiuntque. In fœminis menſes plerumque recto ſuccedunt ordine, & debita quantitate; quando utero gerunt, morbus quieſcit; ſub partu vero ſæpius revertitur. Nullis curatur remediis, ſed mitigatur lumbricalibus & caſtorinis: tandem vero victus, loci, & maxime ætatis mutatione certiſſime debellatur.

*Epicriſis.*

Rarus & prodigioſus hic affectus, ſpeciatim quidem in numerum morborum, ſic dictorum ſpaſmodico-vagorum, quos Cap. III. pertractavimus, referri meretur: verum ego, cum jam per quadraginta annos functioni Profeſſoriæ præfui, ſæpiusque, ſi quædam ex hac non incelebri familia hoc malo fuerunt cruciatæ, in conſilium accitus ſum; omnibus morbi momentis probe exploratis animadverti, obnoxia ei paſſioni ſubjecta, ſive fœminæ, ſive mares fuerint, ad libidinem, reique venereæ adpetentiam valde proclivia, & inſuper animi inconſtantis, mobilioris, ad triſtitiam pariter ac nimium gaudium valde diſpoſita fuiſſe. Hinc vero videtur ſimillimum, cauſſam hujus affectionis, quæ commode hyſtericis adnumerari poteſt, in uteri vitio collocandam eſſe plerumque. Adeſt enim primum hæreditaria ad hos irregulares motus proclivitas; accedunt præterea pubertatis anni, in quibus major, maxime concurrente libidine, ad partes generationi dicatas & ſeminales fit affluxus; qui denegato exitu, quomodo hyſtericas ſpaſmodicaſque totius generis agitationes excitare valeat, ſuperius ſub cauſſis mali hyſterici oſtenſum eſt. Meretur hæc hyſterica paſſio vocari hæreditaria, ac gentilitia; quæ, quum hæreditarium quid ſubſit, omnino diſcrepat ab ea, quam individua ſingula patiuntur. Ceterum periculo fere vacat, & uti jam dictum eſt, ætatis mutatione, vel nonnunquam etiam conjugio, ſponte exſpirat.

OBSERVATIO IX.

*Motus hyſterici epileptici.*

Virgo annorum octodecim, iracunda, tenerior, diæta utens irregulari, maxime lacticiniis & ace-

*ex menſium ſuppreſſione.*

acetariis, refrigerationi ſæpius ob curas domeſticas expoſita, & ideo fumo carbonum vivorum, in clauſo conclavi frequentius ſuperſedere ſolita, incidit in menſium ſuppreſſionem. Verſus tempus illius fluoris patiebatur atroces motus hyſtericos, cum horrendis lumborum doloribus, crudeliſſimis imi ventris ac capitis tormentis, alvo adſtricta, duriori, pedumque refrigeratione. In conſilium vocatus medicus ad ciendos menſes præſcripſit pellentia, nempe eſſentiam myrrhæ, & croci, ſpiritui ſalis ammoniaci nuptam, & pulverem baccarum lauri. Inde evenit, ut miſera præter opinionem in atroces epilepticas motitationes inciderit, ſub quibus artus non corrugabantur, ſed ita potius rigida expandebantur, ut flecti haud potuerint. Inciſa protinus in pede vena, mitigabantur quidem hæc ſymptomata; at paroxyſmus neutiquam in totum deſinebat, ſed quotidie circa meridiem invadebat, adeo ut præviis extremorum frigore, anxietate, dorſi dolore, cordiſque palpitatione, totum rigeſceret collum, vel etiam hinc inde agitaretur; caput & brachia cum inſigni rigiditate expanderentur, ſpuma os occuparet, ac omnis abeſſet ſenſatio. In curatione hujus mali venam in pede incidi juſſimus; tumque datis pilulis blande balſamicis, quæ facultate menſes ciendi, ac debiles imi ventris partes roborandi pollent, pediluvia ac inſeſſus ex emollientibus paratos ordinavimus, iiſque felici cum ſucceſſu vias uterinas relaxavimus, ac obſtructionem reſeravimus. Tandem ſubjuncto interno, recto tamen aquarum Carolinarum uſu, ægram priſtinæ reſtituimus ſanitati.

*Epicriſis.*

Malum hoc hyſterico-ſpaſmodicum primo, & deinde incauta curatione exacerbatum, & in epilepticas commutatum motiones, uterini fluxus cohibitioni deberi, extra omne poſitum eſt dubium. Ad hanc vero menſium obſtructionem non modo vitium in diæta, ſed maxime externa nimis frigidi aëris ad uterum & partes abdominis admiſſio quam plurimum contribuit. Sicuti enim perverſa diæta ſanguinem & humores valde lentos, craſſos, & excretionibus minus aptos peperit: ita frigus vaſa ac glandulas nimis conſtringendi, & anguſtandi, inſignem exſeruit potentiam. Non minus ex incongruorum eduliorum juſto largiori uſu, cruditates in primis viis, maxime inteſtino duodeno ſtagnantes ſunt procreatæ, quæ in cauſſa fuerunt, quod paroxyſmus circa meridianum tempus invaſerit. Debetur quoque aliqualis animadverſio, noxioſiſſimo carbonum uſui; quorum vapor narcoticus partium nervoſarum tonum, & elaterem inſigniter peſſumdedit. Hinc cum acceſſit inconveniens curatio, qua medicus, ante venæ ſectionis adminiſtrationem, viarumque obſtructarum reſerationem, calidioribus menſes ciere conatus eſt; non fieri potuit, quin humores magis magiſque exagitati, partes nervoſas, jam debilitatas vehementer diſtenderint, affecerint, atque tandem ad ſpaſmodicas & epilepticas concuſſiones proritaverint.

## Observatio X.

*Hyſterica paſſio lethalis.*

Fœmina triginta annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, hyſtericis paſſionibus in puerperio, & extra illud ſæpius obnoxia, tertium gravida, geſtationis tempore nec venæ ſectionem admiſit, nec exquiſite ſervavit præcepta diætetica. Primis poſt partum diebus non bene purgata eſt utero: ſed de dolore lumborum, torminibus ventris, alvo adſtricta, & ſomno per aliquot noctes inquieto conquerebatur. A practico, quem in conſilium vocavit, validiores eſſentiæ ad pellenda lochia fuerunt datæ; & ad alvum aperiendam uncia dimidia ſalis amari Sedlicenſis in aqua ſimplici ſoluta eſt oblata. Inde auctis torminibus, nec facta per alvum, nec per uterum excretione, converſo ſanguinis verſus ſuperiora motu deliravit, & accedentibus convulſionibus extincta eſt.

*Epicriſis.*

Ubi natura valde ſenſibilis, ad motus ſpaſticos hyſtericos, vel hypochondriacos eſt proclivis, ad excretiones, ſi illæ deficiunt, promovendas, ſumma moderatione opus eſt, ne per nimium ſtimulantia, vel purgantia & commoventia id moliamur. Quod monitum ſemper & ubique in puerperis ſervandum eſt, lochiis non rite fluentibus. Nam non modo purgantia fortiora, ſed & ſalina paullo majori doſi data ac digeſtiva natura tunc minime ferre poteſt. Multo vero magis à draſticis purgantibus ſibi cavere debent puerperæ, quæ à partu laborioſo viribus fuerunt exhauſtæ, ne illa ad promovenda lochia prioribus ſumantur diebus. Triſtis ejuſmodi caſus paucis abhinc diebus in noſtro contigit ſuburbio, ubi fœmina partu valde fatigata, ad ciendum lochiorum fluxum tertia die, loco pilularum polychreſtarum, quas ſumere volebat, pilulas, contra obſtructionem dictas, ex errore numero viginti capiebat, quæ ex æquali parte aloës roſatæ, & extracti panchymagogi Crollii, adjecta limatura martis parantur, & ordinario pondere trium vel quatuor granorum exhibentur. Ab hoc autem pharmaco, ſub ingentibus imi ventris torminibus, extremorum frigore, ſumma corporis jactitatione, atque fluxus uterini plenaria ſuppreſſione, mammarumque lacte antea turgentium contractione, præter crebros vomitus, intra tres dies, plus quam centies alvum depoſuit, & ſeptimo tandem die exſpiravit. Quæ remedia ad mitigandas, vel compeſcendas has truculentas paſſiones adhibita fuerint, mihi incognitum eſt. Interim ex fatali hoc caſu, medicorum juniores addiſcere poſſunt, quam blandis, & temperatis medicamentis puerperæ, primis præſertim diebus, quando per partum laborioſum, & motuum vehementiam vires deperditæ ſunt, tractari debeant. Sed juſtiſſime quæritur, quonam convenienti præſidio, ſi tam pernicioſa data ſit medicina, ſagax medicus, ſummo periculo mature poſſit ſuccurrere? reſponſio patebit ex ſequenti obſervatione, quam cum ante viginti annos in aula Berolinenſi degerem, me annotaſſe, hac occaſione memini. Erat nempe Comes duodecim circiter annorum, cui ex tinea capitis laboranti, præſcripſi pilulas ſex doſibus ſumendas, quæ drachmam unam extracti panchymagogi Crollii, & drachmam quoque mercurii dulcis, ac trochiſcorum Alhandal grana ſex habebant. Hæ cum omnes in una ſcatula ex pharmacopolio eſſent allatæ, Comes, remoto eo, qui moribus ſtudiiſque illius præerat, eas cunctas ſua ſponte una vice devorabat. Ille accedens obſtupuit, & cito hora veſpertina nona ad domum meam venit, atque lacrymabundus meam opem imploravit: quia

de

de tota ejus fortuna actum fuiſſet, ſi id reſcíverint parentes illuſtriſſimi. Ego accedens, cum talis caſus in praxi mihi nunquam obtigerit, prævia deliberatione conſtitui, ut aliquot lactis menſuras curaret apportandas. Sumſit etiam Comes lac tepidum larga quantitate: quo facto circa noctem, quæ inſomnis erat, quædam tormina expertus eſt. Mane per vices quatuor ſedes habuit copioſiſſimas, cum imi ventris cruciatu, & excreto ſimul lumbrico ſatis lato; tumque nihil mali amplius paſſus, perfecte convaluit. Ita vero argumentatus eram: ſi copia lactis aſſumti ſpaſmos, quos venenum arſenici inducit, mitigare, & mortem avertere poteſt; quidni etiam idem remedium, ad infringendam vim purgantium acriorum, & mitigandos ſpaſmos atrociſſimos poſſet inſervire?

### Observatio XI.

Fœmina generoſa, triginta & ſex annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus corporis nec adeo macilenti, nec nimium pinguis, ſed medii, tempus, quo utero geſtabat, maximam partem vita deſidi ſine motu tranſegit, & plus juſto etiam ſomno indulſit. Poſt partum ſatis facilem & felicem, ingentem ſanguinis per aliquot dies ex utero profudit copiam, & hinc adeo debilitata fuit, ut ſine metu lipothymiæ corpus atque caput haud diu in erecto ſitu tenere potuerit. Poterat quoque conclave calidius optime tolerare: nam ab aura paullo frigidiori ad corpus adſpirante mox inhorreſcebat; hinc potum quoque temperate calidum hauriebat. Septimo & ſequentibus diebus, ingens viſcidi, impuri, ſanguineique ſeri copia effluebat: nono die inopinato terrore ex levi tamen occaſione afficiebatur. Inde partes extremæ ſtatim algebant, fluxus uteri ſiſtebatur, & genitalia frigida, aridaque evadebant. Accedebat ingens circa præcordia oppreſſio, & anxietas, cum omnium collapſu virium, corporiſque frigido ac tanto ſudore, ut ipſa, & omnes adſtantes mortem metuerent. Accitus ego dedi liquorem meum anodyno-mineralem, cum tertia parte eſſentiæ caſtorei, ac liquoris bezoardici Buſſii mixtum, atque tertia quavis hora ad guttas triginta, cum aqua meliſſæ & cardui benedicti ſumendum, hauſtis deſuper aliquot infuſi calidioris Theé vaſculis. Sequebatur ſudor calidus, meliuſque habere cœpit. Sed cum per quatuor dies alvus non fuerit aperta, neque clyſterem admittere voluerit; tentata eſt per ſuppoſitorium alvina excretio; & cum paullo diutius ad alvum deponendam fruſtra ſtimulata, extra lectum commoraretur; ſubito mentis deliquia ad ſuffocationem uſque incidebat. Tandem admiſſo clyſtere carminativo & oleoſo; datiſque poſtridie pilulis balſamicis, reddidit per alvum inſignem ſtercoris, humorumque putridorum copiam; & denique reſtituto uteri fluore, perfecte conſanuit.

*Epicriſis.*

Ad pathologiam non minus, quam therapiam hyſtericæ paſſionis melius cognoſcendam, ſcire expedit; ſpaſmodicas ejuſmodi ex utero paſſiones, vel à nimia ſanguinis, humorumque exſuperantia, quam HIPPOCRATES nomine repletionis notat; vel eorundem inopia, quam verbo inanitionis deſignat, & cujus indolis præſens eſt caſus, ſuboriri. Corpus enim ſanguine, viribusque exhauſtum, non modo à frigore externo, verum etiam à metu vel terrore faciliime, & graviter afficitur: quibus cauſſis excretiones ſiſtuntur, & motus ſpaſmodici ad interiora convertuntur; nec prius ceſſant, quam donec naturæ energia, & artis ſubſidio excretiones, revocatis motibus, reſtituantur. Ego non ſemel, ſed ſæpius poſt graves, præſertim ab abortu hæmorrhagias, ſuperveniente terrore, vel inopportuna refrigeratione, non modo ſyncopes, ſed & oppreſſionem pectoris, ſpirandi anguſtiam cum extremorum frigore, imo, quando non mature ſatis convenienti medicina obviam itum eſt, ipſas convulſivas ac epilepticas agitationes excepiſſe adnotavi. Quo caſu nec venæ ſectiones, nec antiſpaſmodica, nitroſa, anodyna, aut vaporoſa, vel nimis calida quicquam proficiunt; ſed omnis curatio lenioribus analepticis, temperantibus, ſpaſmos mitigantibus, & iis, quæ excretiones blande procurant, abſolvitur feliciſſime; cavendo, ne fortioribus medicinis collapſæ jam vires prorſus peſſumdentur.

### Observatio XII.

*Paſſio hyſterica ex ſuppreſſo fluore albo.*

Illuſtriſſima vidua, triginta annorum, habitus corporis ſucculenti, & ſanguinei, in puerperio ſuo ab hyſtericis ſymptomatibus non fuit immunis. Mortuo marito, lautæ diætæ indulſit, nimiis ſaltationibus ſæpius commovit corpus, illudque etiam intempeſtiva refrigeratione, dum frequentius nudo podice gramini in hortis inſideret, expoſuit, neque minus horæos fructus, & acetaria in delitiis habuit, iiſque corporis vires, ac ventriculi robur ita deſtruxit, ut ſubinde de præcordiorum anxietatibus, ſpiratione difficili, dorſi dolore, alvoque adſtrictiori fuerit conqueſta. Præterea loco ſanguinis uterini circa tempus menſtruum, interdum extra illud, magis ſerum effluxit viſcidum. Et quum aliquando, ab intenſa imi ventris refrigeratione, hic fluor etiam ſiſtebatur; apparuit circa inguina tumor durus, dolore preſſorio ſtipatus, latitudinem quatuor digitorum, & longitudinem ſpithamæ occupans. Atque hunc ſequebantur graviſſima ſymptomata: Namque ex improviſo concidebat in terram, omni motu, ſenſu, ac ratione privata: facies erat inflata, ac valde rubicunda; mammæ mirum intumeſcebant, fundebatque ſudorem, rubro lintea imbuentem colore. Pulſus ferebatur plenus, & magnus, venter turgeſcebat flatibus, & pedes algeſcebant. Celebrata ſectione venæ mox ad ſe rediit; atque hunc paroxyſmum abhinc intra unius menſis ſpatium, pluſquam quinquaginta vicibus, modo mitiorem, modo graviorem, abſque tamen notabili virium jactura, patiebatur; cujus vehementia non niſi ſanguinis miſſione ſublevari ac mitigari potuit. Ego tandem vocatus, explorata totius morbi hiſtoria, & ægrotantis natura, eam à nimiis venæ ſectionibus, præſertim in ſuperioribus partibus abſtinere juſſi; frequentiorem autem pediluviorum tepidorum uſum commendavi. Et quoniam alvi erat adſtrictioris, clyſteribus oleoſis, ac carminativis alvum ſubinde ducendam curavi. Interne quoque crebro, tamen moderate dedi pulveres nitroſo-abſorbentes cinnabarinos, pilulaſque noſtras polychreſtas, interdum cum grano caſtorei, interdum quoque cum tertia parte extracti panchymagogi Crollii permixtas. Tumori porro inguinali veſicam decocto emolliente cum lacte repletam adplicari juſſi, & imperavi, ut advocata obſtetrix

in tumorem inguinis, & ſtatum genitalium paullo curatius inquireret. Illa ſatis perita tumorem illum à fluore albo cohibito ortum fuiſſe ſuſpicabatur: quare curationem per clyſterem uterinum, aliquoties admiſſum, inſtituendam eſſe judicavi; quo ex ſero lactis, cum floribus chamomillæ, & ſemine cymini cocto & infuſo, ingens muci, glutinis inſtar copia fuit educta cum levamine momentaneo. Pro potu ſumſit fontem Selteranum ſoterium, cum parciori vini portione; & ſic paullatim melius habere cœpit, atque tandem maritata plenarie convaluit.

*Epicriſis.*

Non ſemel, ſed ſæpius in paroxyſmo hyſterico graviori, ubi omnis motus & ſenſus ſublatus videtur, in valde plethoricis, pulſum adnotavi magnum; ut ideo affectus magis ad apoplexiæ levioris, quam ſyncopes ſpeciem referri mereatur. Quo in caſu ſanguinis miſſio, præſentaneam quidem fert opem; ſed cavendum probe, ne illam nimis crebro iterando, vires frangamus, malumque reddamus pertinacius. Docemur præterea ex hac morbi hiſtoria, quale incommodum, & quæ periculoſa ſymptomata, fluoris albi ſuppreſſio progenerare valeat; præſertim ſi latentes venerei accedant igniculi; quibus extinguendis conjugio non præſtantius eſt ſubſidium. Simile malum oritur in virginibus, cum cachexia, colore vultus plumbeo, laſſitudine, febre lenta, & anxietatibus junctum, à ſuppreſſione veneris; ubi ex mora liquor genitalis vappeſcens ac corruptus, ſuccos vitales in mixtura & motu ſuo varie turbat, & alterat. His ſuadendum optimo jure conjugium eſt; utpote cujus beneficio liquor ſeminalis excernitur; & motus humorum à ſpiritu genituræ virilis, novum veluti robur adipiſcitur, ideoque ipſis etiam partibus ſolidis novus vigor, novuſque color reſtituitur.

Plura de malo hyſterico exempla reperire licet in *Conſult. ac Reſp. medicin. Sect. III. caſu XLIII. & ſequentibus & Sect. IV. caſu XLII.*

---

## CAPUT VI.

### *De affectu ſpaſmodico-flatulento, ſeu hypochondriaco.*

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

NOn ultimum inter morbos generis nervoſi ſpaſmodicos vindicat ſibi locum paſſio ſic dicta hypochondriaca; quæ quum ſub mucronata cartilagine, ac coſtis ſpuriis, in hypochondriorum regione potiſſimum ſuam exerceat tyrannidem, nomen ſuum ex græca traxit origine. Eſt illa, ſi realem ſpectemus ideam, affectus primarum viarum, nominatim ventriculi, ac inteſtinorum ſpaſmodico-flatulentus, ab inverſo ac perverſo illorum motu periſtaltico natales ſuos mutuans; per conſenſum vero totum nervoſarum partium ſyſtema, in irregulares motus conjiciens & totam œconomiam functionum perturbans. *Definitio mali hypochondriaci.*

§. II.

Hujus aggreſſuri hiſtoriam, præmonendum duximus, quod nulla corporis pars ſit, nulla functio, quæ in hoc longiſſimo morbo non lædatur, ac præter naturam habeat; & ſymptomata tam gravia, tamque plurima ſint, ut vix cuncta recenſeri queant: adeo, ut quemadmodum febris inter paſſiones acutas præ aliis univerſalis dici poteſt morbus, ita noſter hypochondriacus affectus, hoc nomen inter chronicos juſtiſſime mereatur. Ut autem ordine procedamus, & initia pariter ac incrementa polymorphi hujus mali explicemus: ab imi ventris cavitate, quæ omnium primo illius tyrannidi ſubjacet, ordiendum eſt. Sic itaque in primis morbi principiis graves ſentiuntur ventriculi ac inteſtinorum tenſiones, ac inflationes flatulentæ, præſertim ſub coſtis ſpuriis in hypochondriorum, maxime ſiniſtri regione; in qua nonnunquam tumor ſatis durus conſpicitur. Speciatim quod attinet ventriculum, ac œſophagum; exſerunt ſe nauſea, ciborum faſtidium, adpetitus vagus, mox plane proſtratus, mox avidior; ingeſta male conficiuntur, cruditates acidæ, viſcidæque progenerantur; dolor ventriculi preſſorius, & gravativus, maxime paſtum excipiens, ſpaſmodica conſtrictio gulæ, frequens muci limpidi ex ore rejectio, deglutitionis impedimentum, gravis cardialgia, ardor ſtomachi, ructus acidiſſimi, vomendi conatus, ac ipſi vomitus, quibus redditur ſaburra tam acris, ut inde ſtupefactos dentes, ac corroſa linteamina obſervaverint auctores. Annotavi etiam vomitus in hypochondriacis pure ſebaceos, *diſſ. mea de remed. benign. abuſu* §. 13. *Conf.* M. N. C. *Dec.* I. *anno III. obſ.* 253. Porro in volumine inteſtinorum, & quidem tenuium, percipiuntur graves circa umbilicum dolores, & cruciatus, torſiones, lancinationes, borborygmi, murmura; craſſorum quoque adfligunt graviora tormina; alvi mox eſt profluvium, mox & quidem pertinaciſſima adſtrictio, cum flatuum retentione, qui vel per ſuperiora, vel inferiora eructati, reliquas paullulum levant paſſiones, at mox copioſiſſimo proventu regenerantur. Contra vero frequentes ſæpius urgent deſidendi conatus, & non raro tubercula, ac cœcæ hæmorrhoides anum obſident, quin & ipſe fluor ſanguineus, ſymptomatice aliquando ſuccedit. Mictio in quibuſdam eſt difficilis, dolorifica, urina redditur tenuis, diluta, alba, largo nonnunquam ſedimento, eoque arenario imbuta: quid? quod conſpirans in renum regione dolor, calculum ſæpenumero mentiatur. *Hiſtoria mali hypochondriaci.*

§. III.

Neque vero ſolum abdomen diris ſymptomatibus diſcruciat paſſio hypochondriaca; verum etiam alias in conſenſum trahit regiones. Sic occurrunt in pectore inſignes anguſtiæ, conſtrictiones, vehementes ſpirandi difficultates, cum oppletione pectoris nonnunquam junctæ, cordis tremor ac palpitatio. Ingraveſcente malo caput etiam infeſtatur; in cujus partibus exterioribus, cephalalgiæ, hemicraniæ, varii dolores tractorii cum rigiditate, & immobilitate juncti, atque ſic dictus clavus ſentiuntur; in interioribus vertigo, aurium tinnitus, cum auditu difficili ſe exſerit, oculi triſti ſcotomia obnubilantur, viſio nonnullis fit duplicata, oculi dolent cum ſiccitate, dolor linguam, ſæpius in certo ſpatio occupat ardens & valde moleſtus, & ſaliva fluit uberrime, ut ideo ſputatores dicantur hypochondriaci. Tandem animales quoque labaſcunt functiones; animus vel nulla, vel ſaltem leviſſima cauſſa incitatus, ad perverſas commotiones, inquietudines, an- *Continuata morbi hiſtoria.*

angores, terrorem, triſtitiam, iram, metum, diffidentiam abripitur, ad vanas inclinat imagines, perverſamque phantaſiam; perit vis memoriæ, ratio labaſcit; ſomnus eſt turbulentus, difficilis, terriculamentis plenus. Sunt denique quædam ſymptomata, quæ totum corpus ſpectant; illud enim crebris phlogoſibus, aut copioſis ſudoribus perfunditur, vires proſternuntur, languet totum corpus, & ad omnes torpidum eſt labores; ſenſim contabeſcit; artus dolore contuſorio, ſæpius lancinatorio diſtorquentur; ac omnes denique ſe- & excretiones, præſertim ſanguineæ pervertuntur. Et quis poteſt omnia ac ſingula eorum ſymptomatum recenſere; quæ quot adoriuntur individua, tot fere diverſas ludunt tragœdias.

§. IV.

*Hiſtoria morbi à veteribus deſcripta.*

Conſpirant cum hac recenſita morbi hiſtoria, vetuſtiſſimorum medicorum monumenta; ex quibus GALENUS *Lib. I. de locis affectis pag.* 278. *edit.* Græcæ Baſileenſis adducit fragmentum, ex DIOCLIS libro, qui meminit morbi hypochondriaci, flatulenti, & melancholici, à ventriculo ſuborti. Nec indigna eſt deſcriptio, quam refert, ut hic breviter ſuppeditetur: *Nam ægro*, inquit, *ubi cibum aſſumſit, præcipue coctu difficilem, & ardores excitare aptum, eveniunt ſputationes humidæ, copioſæ, ructus acidi, inflationes, præcordia æſtuant, fluctuationem percipiunt, non illico, ſed quando eructationes cohibent. Aliquando etiam ventris vehementes dolores percipiuntur, qui in nonnullis ſupra diaphragma excurrunt, & concoctis quidem cibis miteſcunt: quam primum vero cibum reſumunt, eodem modo adfligunt; quin ſæpe etiam jejunis, & poſt cœnam moleſti exiſtunt. Quod ſi evomant; cruda, & pituitam ſubamaram, calidam, acidamve rejiciunt, uſque adeo, ut & dentes inde ſtupore afficiantur.* Et quia frigida opem adferunt; internarum partium æſtu morbum foveri judicat.

§. V.

*Quædam momenta circa hiſtoriam mali hypochondriaci.*

Dum adhuc circa morbi hypochondriaci hiſtoriam ſumus occupati; monenda ſunt quædam momenta, ſcitu perquam neceſſaria. Quemadmodum ſcilicet malum hocce, ſuos habet gradus, qui in ſuppeditanda prognoſi majorem accendunt lucem: ita etiam exacerbationes involvit, & ſatis graves format paroxyſmos. Quanquam enim nunquam recte habeant hypochondriaci; attamen hiemali ac autumnali, quin quacunque frigidiori tempeſtate longe vehementiorem ſymptomatum ſuorum patiuntur atrociam; contra vero eo, quo calidior ac æſtivus eſt aër, tempore, magis vegetiores deprehenduntur. In fœminis porro, hoc malo infeſtatis, major illius vehementia obſervatur circa illud tempus, quo menſes debent fluere; qui plerumque quodam laborant vitio. Nec ſilentio prætermittenda, ſed notatu digna eſt obſervatio, quod hypochondriaci rariſſime febribus continuis, epidemicis, contagioſis, quin ipſa peſte afficiantur, & à multis aliis morbis graſſantibus immunes maneant. Ratio in eo videtur eſſe poſita, quod in ipſorum primis viis, multæ ordinario cruditates acido-viſcidæ hæreant: quæ contagiorum, quorum ratio in ſumma tenuitate partium ſulphurearum conſiſtit, efficaciæ reſiſtunt, & has partes enervant quaſi, atque figunt. Unde etiam fit, quod ſenes, ac homines melancholici ab ejuſmodi morbis acutis, immo contagioſis rarius afficiantur.

§. VI.

*Subjecta mali hypochondriaci.*

Quod attinet ſubjecta noſtri mali; deprehendimus, illud maxime infenſum eſſe ætati juvenili, ac virili, à vigeſimo circiter ad quinquageſimum annum: quo ſuperato, naturam ſuam mutat, & in arthritidem, podagram, gonagram, malum iſchiadicum, calculum renum, cachexiam, ſcorbutum, morbum nigrum, obſtructiones viſcerum, hecticam &c. alioſque ſonticos morbos tranſit. Obnoxii porro huic affectui ſunt, qui habitum corporis ſpongioſum, mollem, laxum, & vaſa exiliora obtinuerunt, præ iis, qui corporis ſtrictioris ſunt. Non minus eos adoritur, qui vel natura languidiores exiſtunt, aut jure hæreditario quandam diſpoſitionem fovent; vel qui perverſo vivendi genere, aut per longos morbos, inſignem virium ac roboris naturalis ſibimet contraxerunt imbecillitatem. Præſertim infeſtantur hac adfectione, qui vitæ ſedentariæ ſunt addicti, litterarum ſtudiis nimium indulgent, aſſiduiſque vacant meditationibus & lucubrationibus: unde morbus eſt litteratis familiariſſimus, & veluti proprius. Ex eodem denique fundamento, nec ſequior ſexus ab eo immunis obſervatur; ſed tantum non majori, quam nobilior frequentia ab illo adficitur; licet harum paſſiones hypochondriacæ perperam cum malo hyſterico confundantur, & ſub hujus titulo ſignificentur.

§. VII.

*Sedes mali hypochondriaci non eſt in liene.*

Sed accedamus ad indagandam mali hypochondriaci ſedem; in qua determinanda veteres non minus, quam recentiorum quidam errarunt. Veteres, cum viderunt, ſub coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri, ubi lienis ſitus eſt, ſæpius percipi tumorem tenſivum inflativum, in hoc quoque viſcere ſedem mali hypochondriaci collocarunt: unde etiam hodie perperam *die Miltz-Kranckheit* dicitur; qualem cauſſam defenderunt RHODIUS atque HEURNIUS. Verum ut taceam, lienis viſcus per ſtructuræ ſuæ rationem, ad recipiendum tam acutum, & lancinatorium ſenſum, qualis eſt in hypochondriacis, valde ineptum exiſtere; docet etiam experientia, & cadaverum ſectio, in hypochondriacis ſæpius nullum poſt mortem inveniri lienis vitium. Hac in re conſentientes habemus SYLVIUM *diſſ. de uſu lienis.* HOEFFERUM *in Hercule medico Lib.* 3. *cap.* 3. HOCHSTEDERUM *Dec. V. pag.* 502. & 588. Neque vero negandum eſt, quin nonnunquam lienis infarctus ſubeſſe poſſit: à quo tamen nec dolorem acutum, nec ipſam morbi ſedem derivare licet.

§. VIII.

*Sedes mali hypochondriaci non eſt in vena porta.*

Quidam recentiorum, veram ac univerſalem paſſionis noſtræ flatulentæ ſedem, in vena portæ, ejuſque ramificationibus conſtituunt; atque putant, ſtagnantem in hiſce vaſis ſanguinem, unicam ac genuinam cunctorum ſymptomatum eſſe cauſſam, quæ ſemper in viris excretionem hæmorrhoidalem, in fœminis menſtruam reſpicerent; atque hac natura, vel arte procurata, penitus ceſſarent. Verum enim vero, quamvis non negandum ſit, ſed inferius quoque allegatum invenietur, quod irregularis harum excretionum ſucceſſus, & hinc enata cruoris reſtagnatio, in iis præſertim ramis, qui intra tunicas inteſtinorum valde nerveas ſparguntur, ſæpius cauſſam paſſionis hypochondriacæ mediatam conſtituat: attamen ſciendum eſt primum, hanc non ſolam, nec unicam undi-

undique eſſe cauſſam; deinde morbi ac ſymptomatum ſedem minime in ea quærendam eſſe. Haud enim raro nulla in hypochondriacis adeſt ad fluxum hæmorrhoidalem diſpoſitio: & ſæpius cruor per venas ſedales copioſiſſime profunditur, abſque inſequente mali levamine; uti atteſtantur obſervationes à RHODIO *Centur. II. obſ.* 93. CLAUDINO *Conſil.* 89. & MONTANO *Conſil.* 246. &c. allegatæ.

§. IX.

*Sedes paſſionis hypochondriacæ.*

Ut igitur noſtram de ſede morbi hypochondriaci ſententiam aperiamus; hanc in canale illo alimentari, membranaceo, ac valde nervoſo, qui ventriculum, ac inteſtinorum volumen conſtituit, collocandam eſſe cenſemus. Tubus hic ex quatuor potiſſimum tunicis conſtat, intima villoſa, villis papillarum inſtar erectis, ac perviis prædita, altera nervea, tertia muſculoſa validiori, ex fibris partim longitudinalibus, iiſque paucioribus, partim annularibus contexta; atque vaſa ſanguinea copioſiſſima continente, & extima membranacea. Haſce tunicas tres intercedunt contextus celluloſi; una inter villoſam, & nerveam; altera inter hanc & muſculoſam, & ultima inter hanc & membranaceam; nomine tunicæ celluloſæ Ruyſchii inſignitam. Vi tunicæ muſculoſæ, ejuſque fibrarum carnearum annularium, recenſitæ partes motu gaudent vermiculari quodam, qui vocatur periſtalticus, & in alternante earum, placida tamen conſtrictione, ac relaxatione, à parte ſuperiori ad inferiorem tendente conſiſtit. In hujus motus vigore naturali, ac integritate magna profecto vis ad ſanitatem conſervandam latet: hujus enim beneficio ciborum digeſtio rite conficitur, ſecretio bilis ac pancreatici ſucci adjuvatur, chyli præparatio promovetur, ejuſque laudabilis, ac generoſi propulſio in vaſa lactea facilitatur, unde reliqui machinæ noſtræ ſucci benigni fiunt, atque ſpirituoſi. Contra eodem hocce inteſtinorum motu, cruditates, & inertes ſordes, non minus ac flatulenti, aërei vapores, qui ex cibis digeſtis, ac laudabili ſucco privatis, relinquuntur, per canalem alimentarem propelluntur, ac per anum eliminantur. Idem porro earum partium tonus, ſi recte, ac ſecundum naturam ſe habet, adjuvat, facilitatque ſanguinis liberum & æquabilem circuitum; atque ſic præcipuum conſtituit medium, quo functiones, quas natura inteſtinorum canali aſſignavit, rite poſſunt adminiſtrari.

§. X.

*Cauſſa proxima mali hypochondriaci.*

His præmiſſis facilius jam erit, cauſſam morbi noſtri proximam, & ſymptomatum rationem explicare. Illam equidem in dicti motus periſtaltici, quo ventriculus, & inteſtina gaudent, præternaturali conſtitutione, & quidem tali ponimus; ubi ille partim, ac in uno loco dejectus, atque deſtructus, partim, & in alio loco intenſior, atque paſſim inverſus i. è. ab inferioribus ad ſuperiora tendens exiſtit. Tales enim, & reſolutio, & diſtentio ſpaſmodica, ſimul præſentes in inteſtinis, ſed diverſis locis ſe invicem excipientes, genuinam mali hypochondriaci eſſentiam conſtituunt: & ad explicanda cuncta ſymptomata, clariſſimum præbent fundamentum. Confirmant hancce ſententiam, præter ipſam experientiam, doctiſſimorum virorum teſtimonia, quos inter ORTLOBIUM, ETTMULLERUM, NEDHAMIUM, WEDELIUM, & CONRINGIUM *diſſert. de morbo hypoch.* §. *XI.* allegaſſe ſufficiat. Tentemus igitur, an ex hac cauſſa, ſæviſſimarum moleſtiarum, quarum luxurians in hypochondriacis eſt progenies, rationalem ſuppeditare queamus ætiologiam.

§. XI.

*Ratio ſymptomatum flatulentorum.*

Proximum ergo vitiati ac labefactati motus periſtaltici conſectarium eſt, digeſtio turbata, chylificatio læſa, ſordiumque excrementitiarum impedita excretio. Hinc remanent in canale inteſtinorum, atque præſertim plicis & flexuris eorundem ſeſe inſinuant acidæ, viſcidæque cruditates: & flatus generantur copioſiſſimi. Quid inde? ſordes illæ mora diuturniori à naturali textura deflectunt, & acrimoniam quandam contrahunt, qua nerveam inteſtinorum tunicam vellicant, & ad ſpaſmodicas ſtricturas proritant. Stringitur itaque tubus ille in nonnullis locis arctiſſime, ut nec flatus tranſmittat. Ergo, hi fluctuant in ea canalis parte, quæ à ſpaſmis vacua eſt, eamque diſtendunt mirifice: & ſic primum apparet ratio murmurum, borborygmorum; ac moleſtiſſimarum inflationum. Porro flatus, inferius exire neſcii, poſito à ſpaſmis obice, ad ſuperiora magis compelluntur, & tum præſertim occupant colon, & in ejus flexuris, quarum eſt pleniſſimum, incarcerantur. Namque ſciendum eſt, quod inteſtinum colon, præſertim, ubi ſub coſtis ſpuriis in utroque hypochondrio flexuras format, & cum ſacco renum adipoſo cohæret, media ſui parte longe ſit anguſtius: ibidem vero, maxime in ſiniſtro latere à flatibus frequentiſſime, & violenter infarcitur, ac in tumorem elevatur, acutiſſime dolentem: quem falſo lienis vitio tribuunt. Continuantibus ſpaſmis, accedente inverſa periſtalſi, & invaleſcente malo, halituoſi illi vapores in ipſam penetrant ventriculi cavitatem, quam ultra modum diſtendunt, & anxiam inflationem ſenſibus conſpicuam inducunt. Expanſus præter naturam ventriculus, remoratur liberum ſepti tranſverſi motum, atque deſcenſum: unde fit anguſta difficiliſque ſpiratio. Et quod peſſimum eſt, ſtringuntur ſæpius vel ſiniſtrum, vel utraque ventriculi orificia; atque ſic in ejus cavitate vapores velut in carcere incluſi tenentur, pariuntque ineffabiles præcordiorum anxietates, & dolores cardialgicos; qui, ubi remittunt conſtrictiones, & eructantur halitus, inſigniter mitigantur.

§. XII.

*Ratio aliorum ſymptomatum.*

Et hæc eſt triſtis tragœdia, quam flatus, ob deſtructum ventriculi, ac inteſtinorum motum periſtalticum, copioſius generati pariter ac exitu ſuo deſtituti ludunt, & quæ à Græcis per τὰ παθήματα φυσώδεα exprimitur. Videndum jam eſt, quæ mala pariant, cruditates, quæ ex cibis aſſumtis, atque in ventriculo fermentatis, deficiente vegeta periſtalſi, intra ventriculum, inteſtinum maxime duodenum, ac in plicis coli relinquuntur. Hæ videlicet, ob diuturniorem moram, accedente præſertim in inteſtino duodeno, bilis ac ſucci pancreatici copia, corrumpuntur, aceſcunt, & peſſimam inducunt acrimoniam. Inde vellicando cauſſam ſubminiſtrant ſpaſmis, doloribus tenſivis, lancinatoriis, torminoſis, ac rodentibus, qui ventriculi maxime regionem, & reliquum ventrem, circa umbilicum graviter adfligunt; atque ſubinde perpetuum

tuum flatuum generationi præbent fomitem. Ex hiſce porro ſordibus, adpetitus avidior, nauſea, cardialgia, vomendi conatus, ructus, & vomitus acidiſſimi ſuam trahunt originem: atque, cum ſub quavis digeſtione in vehementiorem motum fermentativum rapiuntur, ratio patet, cur hypochondriaci, ſumtis potiſſimum epulis, peſſime habeant. Et denique, cum ob tam continuum inteſtinorum ſtimulum, eorum ſpaſmi, cum flatulentis diſtenſionibus reciprocantes ſuboriantur: luculenter patet, cur alvina excretio in hypochondriacis ſit tardior, quin ſæpius, tam pertinax adſtrictio, ut nec tenuiores halitus, multo minus fœces tranſire queant.

## §. XIII.

*Symptomata ex vitiata periſtalſi, in ſanguinis curſum redundantia.*

Adhuc reſtant ea incommoda recenſenda, quæ in ſanguinis motum, ex vitiato motu periſtaltico redundant. Quemadmodum enim ex hoc naturaliter ſe habente, liber humorum ac æquabilis per inteſtina circuitus conſervatur: ita hoc è contrario deſtructo ac labefactato, circulatio quoque redditur tardior, ac inæqualis. Namque in uno inteſtinorum loco eſt ſpaſmus, qui conſtringit comprimitque ſimul vaſa ſanguifera: in altero loco flatus latera tunicarum diſtendunt, expandunt, & ita quoque graviter premunt adjacentia vaſcula. Eo vero magis retardatur ſanguinis per venam hæmorrhoidalem regreſſus; cum illa ſitu prædita ſit perpendiculari. Hinc paſſim ſuboriuntur humorum ſtagnationes in tunicis inteſtinorum; quæ ſicuti ex allegata ratione ſymptoma flatulenti mali eſſe poſſunt; ita etiam ejuſdem ſæpenumero mediatam cauſſam præbere ſolent; quemadmodum ex infra dicendis clarius adparebit. Inprimis frequentiſſimum eſt, ut cruor circa exitum inteſtini recti cumuletur, & in tubercula, quæ cœcas dicunt hæmorrhoides elevetur, quin ſæpius vi perrumpat, & in fluxum hæmorrhoidalem, qui tum eſt ſymptomaticus, deſinat. Ex dicta non minus humorum ſtagnatione originem ſuam petunt, excretionum ſanguinearum per uterum æque ac venas ſedales ſuppreſſiones, quæ, malo invaleſcente, nunquam non fiunt: immo ex eodem fundamento derivare licet rationem excretionum cruentarum, atque nigrarum, per mictum, vomitum & alvum; quas præter naturam in hypochondriacis, malo valde inveterato, contingere, fide dignæ atteſtantur obſervationes. De tali excretione per vomitum, vide RIOLANUM, *anthropolog. Lib.* 2. *cap.* 2. ADRIANUM SPIGELIUM *Anatom. Lib.* 6. *cap.* 5. *per alvum.* conf. SOLENANDRUM *conſil.* 7. *ſect.* 2. *pag.* 121. & urinam hypochondriaci, intenſa rubedine tinctam ipſe vidi.

## §. XIV.

*Ratio ſymptomatum ſpaſmodicorum.*

Hæc in ipſo inteſtinorum canale fiunt; ex quo, malo invaleſcente, graviſſima ſymptomata, per totum corpus propagantur, omneſque turbant functiones. Fit hoc mediante conſenſu, quem omnes univerſi corporis nervi, nervoſæque partes invicem obtinent; & cujus cauſſa ſpaſmi inteſtinorum, ad alias quoque propagantur remotiores regiones. Ubi vero ſtrictura nervorum eſt ſpaſtica; ibi quoque circulus humorum fit inæqualis: hinc adparet ratio, cur in paſſione hypochondriaca inveterata in toto corpore fiant ſpaſmodicæ ſtricturæ, & tardior humorum circulatio. Sic primum in ipſo abdomine, partes inteſtinis vicinæ conſtringuntur: ob veſicam, ejuſque ſphincterem male affectum, minguntur urinæ tenues, dilutæ, aquoſæ: ob membranas nerveas, renes involventes graviter convulſas, ſuboriuntur dolores calculum mentientes: ſpaſmi ad pectus devoluti ingentes illius conſtrictiones, cordis tremores, palpitationes inducunt; ad caput delati, varii generis dolores machinantur; & per corpus denique externum propagati, extremorum frigoris, crebrarumque horripilationum fiunt cauſſæ.

## §. XV.

*Origo mali hypochondriaci. 1] Scorbutici.*

Quum itaque in malo hypochondriaco generatur chylus craſſus, ac impurus, ſpiſſus per totum corpus graſſantur, ac circulatio humorum fit inæqualis, & denique ſublatis, quæ per alvum, cutim, ac urinam fiunt excretiones impediuntur: non fieri poteſt, quin ſucceſſive ſcorbutica humorum increſcat dyſcraſia, atque ſic fiat malum hypochondriaco-ſcorbuticum. Quod

*2] Hyſterici.*

ſi porro ſanguineæ excretiones, quæ in ſexu ſequiori per uterum fiunt, ſufflaminantur, & ideo humores ſanguinei vel ſeminales circa uterum, atque partes generationi inſervientes ſtagnant, accedente præſertim libidinoſo temperamento: tunc facillime cum hypochondriacis paſſionibus complicantur motus hyſterici, & malum fit hypochondriaco-hyſtericum. Si denique craſſi viſ-

*3] Melancholia hypochondriaca.*

cidique humores, vi ſpaſmorum, qui imi ventris partes occupant, ad ſuperiores partes, atque caput majori copia compelluntur, & in cerebri vaſis difficilius progrediuntur: deſtruuntur etiam animales functiones, langueſcunt ſenſationes, vis memoriæ ingeniique læditur, inſignis eſt ad mœrorem, diffidentiam, atque lacrymas proclivitas; vanæ ſurgunt imagines, ac inanes ideæ: atque ſic lentis tandem paſſibus appropinquat melancholia-hypochondriaca.

## §. XVI.

*Cauſſæ mali hypochondriaci mediatæ.*

His ample ſatis, atque copioſe, prout rei neceſſitas poſtulavit, deductis; deveniendum jam erit ad recenſionem earum cauſſarum, quæ mali hypochondriaci mediatæ audiunt. Ex illis præcipua, & ſatis frequens ſe nobis offert, ſanguinis, humorumque vitalium ſtagnatio, intra tunicas inteſtinorum nerveas & muſculoſas, quæ ſæpiſſime debetur eorundem tardiori per hepar circulationi. Hepar eſt viſcus maxime vaſculoſum, & plures fovet venas, quam quidem arterias: illarum binæ ſunt, cava nimirum & portæ vena; & quem fugit, quod poſterior, à qua totum inteſtinorum volumen, ventriculus, meſenterium, lien, pancreas, quin & uterus, niſi omnes, tamen permultos venoſos ramos mutuantur, inverſo quaſi naturæ ordine, ſanguinem ex his cunctis imi ventris viſceribus refluum accipiat, eumque officio arteriæ functura, pulſu tamen ac validiori impulſu deſtituta, intra hepar vehat, ac effundat? Hinc ratio patet, cur etiam in ſaniſſimo ſtatu, ſanguinis per dictum hepatis viſcus circulatio, longe ſit tardior, ac difficilior, quam ejuſdem per reliqua univerſi corporis viſcera progreſſus. Quæ cum ita ſint, non difficile erit cognitu, quare in ſtatu præternaturali, humorum per hepar curſus primum omnium impediatur, atque retardetur. Quo retardato, ac difficiliori, neceſſe eſt, ut vi legum hydraulicarum, cruor regurgitet ad illa denuo viſcera, ex quibus antea ad hepar iter ſuum direxit. Idcirco magis diſtendit vaſa dictarum partium, maxime vero meſaraica, & inteſtinorum, quorum



moles

molles tunicæ non adeo fortem poſſident reſiſtentiam: & tali ratione ex impeditiori ſanguinis per hepar circuitu, ejuſdem ſtagnatio in inteſtinis ſuboritur, quæ ſolidarum, fluidarumque partium æquilibrium tollit, & tanquam mediata cauſſa, robur ac tonum motus periſtaltici naturalem deſtruit; cujus deſtructi luxurians progenies fit paſſio hypochondriaca.

§. XVII.

*Sectio anatomica hypochondriacorum.*

Hoc eſt fundamentum, ex quo ratio depromi poterit, cur ex malo hypochondriaco, in alias morborum ſpecies tandem transmutato peremtorum cadavera, ea oſtendant phænomena, quæ partim ex vitiato humorum per abdomen circulo enata ſunt, partim hunc magis vitiarunt. Sic GUARINONIUS *conſ.* 484. venas meſenterii obſtructas, & adeo dilatatas in hypochondriaco poſt mortem reperit, ut ſpeciem inteſtinorum præ ſe tulerint. LUDOVICUS MERCATUS *Tom. III. Lib. I. Cap.* 17. vaſa meſaraica admodum varicoſa invenit. BRUNNERUS *Conſil.* 7. ingentem ſanguinis viſcidi ſaburram in venis meſaraicis deprehendit. Porro RHODIUS *Cent.* 2. *obſ.* 76. colon adnotavit ſcirrhoſum; WELSCHIUS *diſp. de malo hypochondriaco* obſervavit colon totum à flatibus diſtentum, ſub inſertione vero in inteſtinum rectum adeo contractum, ut coaluiſſe videretur. BLASIUS *in Comment. in Veslingium pag.* 67. memoriæ prodidit, quibuſdam lienis viſcus in immenſam elevatum fuiſſe magnitudinem. Pancreas obſtructum fuiſſe, ipſe quondam in viro celebri, ex hypochondriaca paſſione defuncto vidi; HIGHMORUS *diſquis. anatom. pag.* 47. nec non HARDERUS *obſ.* 59. *pag.* 242. illud ſcirrhoſum ac ulceratum obſervarunt; ut alia auctorum monumenta ſilentio prætermittam.

§. XVIII.

*Cauſſæ remotiores ſunt excretionum ſanguinearum ſuppreſſiones.*

Inter cauſſas vero remotiores, quæ ad tardiorem ſanguinis per hepar progreſſum, & hinc ſubortam ejuſdem intra imi ventris viſcera, & maxime inteſtina ſtagnationem, quam plurimum contribuunt, principem locum obtinent, excretionum ſanguinearum, quæ in fœminis per uterum, in viris per venas hæmorrhoidales, tanquam venæ portæ, intercedente ramo ſplenico, ſobolem, contingunt, imminutiones atque ſuppreſſiones. Sic enim ex obſervatione conſtat, viros in juventute largum è naribus cruorem fundere ſolitos, ſi poſt hæc ætate provectiori hæmorrhoidalem patiuntur excretionem, quæ tantum non ſemper hæreditariam ſupponit diſpoſitionem, & ad facilitandum ſanguinis per abdomen & hepar circuitum, multum adfert momentum; ex hujus irregulari ſucceſſu, aut plane ſuppreſſione, quacunque de cauſſa facta, malum incidere flatulentum. Namque cruor abundans, cujus moles per hanc excretionem ſalutari plane conſilio imminuta fuerat, hac cohibita, copioſius in abdomine cumulatur, hinc, ob dictam §. præc. rationem, ægrius per hepar circulatur, adeoque ad inteſtina regurgitans, noxioſiſſimam ſubit ſtagnationem. Eodem modo res ſe habet cum uterina in ſexu ſequiori purgatione; quæ ſi imminuta, vel ſuppreſſa fuerit, cruor accumulatur in arteria meſaraica, exitum affectat per hæmorrhoides, & hoc denegato, regurgitat ad inteſtina, curſumque humorum per abdomen ſic reddit difficiliorem. Atque adeo in ſequiori ſexu generatur ſæpius malum hypochondriacum, quod facillime cum hyſterico complicatur, ſi ſimul ſanguinis circa ipſum uterum contigerit ſtagnatio. In hiſce caſibus, revocatæ excretiones, ſi tempeſtive fiant, certiſſimam mali hypochondriaci pollicentur ſanationem.

§. XIX.

*Hæreditaria diſpoſitio.*

Verum quam plurimæ adhuc dantur cauſſæ, quæ motum inteſtinorum pervertere, ſicque paſſionem hypochondriaco-flatulentam ingenerare valent. Inter eas præcipua debetur animadverſio hæreditariæ diſpoſitioni, quæ conſiſtit in ea partium nervoſarum, maxime inteſtinorum, per nativitatem propagata conſtitutione debiliori, qua illa ad ſuſcipiendos motus irregulares exiſtunt facillima: ad quam etiam venarum exilitas, ac laxus ſpongioſusque habitus, quo pollent hypochondriaci, referri merentur. Hæc proclivitas, parentum vitio ad liberos protracta, primum plerumque, ſicuti plurimorum morborum, ita præſertim paſſionum hypochondriacarum, atque fluoris quoque hæmorrhoidalis, præbet fundamentum. Sic parentes hypochondriaci tales generant liberos; atque mater, quæ geſtationis tempore, hyſtericis motibus cruciata fuit, aut gravioribus animi pathematibus indulſit, parit infantes, qui ætate provectiores ex leviſſima cauſſa, in flatulentas ac hypochondriacas delabuntur paſſiones.

§. XX.

*Aëris frigida conſtitutio.*

Neque vero paucæ ſunt earum rerum, quas non naturales dicunt, quæ ad generandum malum hypochondriacum aptæ exiſtunt. Ipſe aër, frigidus maxime, inſignem hoc in caſu obtinet potentiam; dum externam corporis ſuperficiem conſtringendo, humores majori copia ad interiora agit; qui, quo magis cumulantur, eo facilius ſtagnationem ſubeunt. Humida aëris temperies vi pollet, fibrarum motricium tenſionem relaxandi; ex quo hanc ob cauſſam, omnes morbi, qui ex atonia fiunt, & generantur, & incrementa capiunt. Nocet præſertim frigus inteſtinorum canali, ſi vel abdomini liberalius admittatur, vel pedibus; quorum intimiorem cum inteſtinis conſenſum, illud inter alia docet momentum, quo teneriores, ſi nudis pedibus ſtratis, pavimentiſque incedunt frigidioribus, mox tormina inteſtinorum, atque flatulentias patiuntur: quemadmodum FORESTUS *Lib. X. obſ. X.* de fratre ſuo refert. Hinc ratio patet, cur hypochondriaci æſtate longe melius habeant, quam hieme; nec non cur in regionibus, quæ ad ſeptentrionem vergunt, multo frequentius ſit malum, quam in iis, quæ ſub cœlo ſereno ac temperatiori ſitæ ſunt.

§. XXI.

*Victus craſſior.*

Præter aërem, victus quoque craſſior, malo hypochondriaco cauſſam præbet antecedentem. Cibi crudiores, acidi, flatulenti, legumina, horæi fructus, lacticinia, acetaria, panificia, præſertim recentia, & adhuc calidiora generant chylum craſſum, impurum; relinquunt in primis viis multas ſordes, atque motum inteſtinorum periſtalticum inſigniter pervertunt; præſertim ſi vita ab omni corporis exercitatione vacua acceſſerit. Nocent inprimis cibi, aut minus recte maſticati, aut ventriculo, à vix ſuperato morbo, vel alia cauſſa valde debili, juſto avidius ingurgitati. Ex hoc fundamento BLANCARDUS *P.* 2. *prax. cap.* 61. morbum hunc Friſiis,

ob

ob piſorum, lacticiniorum & acetariorum abuſum pronunciat familiarem; & SIMON PAULI *in quadripart. Botan. pag.* 537. recenſet caſum, de fœmina à pane, quem adhuc calentem, & vix è fornace extractum comederat, hypochondriaca. Potus duplici ratione malum illud flatulentum inducere valet; vel ſi largius ad crapulam uſque aſſumatur, vel ſi frigidior calenti corpori ingurgitetur. Poſteriori caſu præſentiſſimum eſt malum; in priori diuturniori demum exercitio, tanquam dignum heluonibus flagellum contrahitur. Peccat quoque potus, ſi adſumatur parcus, aut nimius iſque aquoſus, aut ſpiſſior, craſſus ac fœculentus.

## §. XXII.

*Vita ſedentaria.* Frequentiſſime reſultat malum hypochondriacum ex vita otio immerſa, quæ unicam ſæpius naſcentis morbi cauſſam conſtituit. Quemadmodum enim frequens corporis exercitatio non modo ſolidarum partium, muſculorumque robur ac motum valde promovet, verum etiam humores reddit fluxiores: ita ex hujus intermiſſione languent vires, fibrarum elater proſternitur, ac humores non vegete circumacti, redduntur ſpiſſi. Hæc vivendi ratio ad inducendum noſtrum morbum eo fit opportunior, quo plures ac immoderatiores meditationes, lucubrationes, atque vigiliæ, ſtudiorum cauſſa diutius protractæ accedant. Quodvis horum momentorum inſignem obtinet potentiam, ad infringendum partium ſolidarum elaterem; maxime cum iis indulgentes, curvo, inflexoque corpore libris quaſi incumbere ſolent; ac inter epulas veluti cum cibis litteras devorare volunt. In hac cauſſa ſitum eſt præcipuum fundamentum, quod fœminæ otio, & parco potui indulgentes, quodque viri, chartis impalleſcentes, ac inter libros ſepulti, plerumque crucientur hypochondriacis pathematibus, quæ morbum litteratorum conſtituunt.

## §. XXIII.

*Animi pathemata.* Nec negligenda ſunt animi pathemata; ex quibus diuturnus mœror, curæ, ſolicitudines præcipuam in generando morbo flatulento hypochondriaco vim obtinent. Quanta enim ipſorum ſit potentia, in deſtruendo partium ſolidarum robore, ac præſertim digeſtione pervertenda; quotidiana docet experientia. Ex auctorum medicorum obſervationibus, huc ſpectant binæ admodum notabiles; quarum unam HORSTIUS *Lib. IV. pag.* 194. allegat, de viro, quem diuturnus mœror ob obitum filiorum fregerat, hypochondriaco, quin tandem melancholico facto; alteram recenſet PECHLINUS *obſ.* 31. *pag.* 71. de ſartore, ex adverſa fortuna adeo contriſtato, ut immanes flatulentas incideret affectiones. Inprimis hoc loco commemoranda eſt exitialis efficacia, quam venerearum cogitationum uberior proventus, & inde natales mutuans immodicum, maxime præmaturum veneris exercitium, in debilitando inteſtinorum ac ventriculi robore exſerunt: unde ſubortum morbum hypochondriacum ſæpius vidi.

## §. XXIV.

*Prægreſſi morbi.* Frequentiſſime non minus hoc morbo conflictantur, qui ex prægreſſis morbis, præſertim ſi incongruis medicaminibus, veluti adſtringentibus, opiatis, narcoticis, improvide fuerint tractati, aut quæ ex difficiliori partu, male tranſacto puerperio imbecilla retinuere corpora: in hiſce enim valde languidus eſt ventriculi, ac inteſtinorum tonus, qui ab errore diætetico, aut animi affectu graviori facillime prorſus deſtruitur. Tali ratione ſæpiſſime mihi adnotare licuit, homines colicis torminoſis, diarrhœa, dyſenteria correptos, &, non remota materiali cauſſa, craſſis adſtringentibus, tractatos, ſenſim in moleſtiſſimas flatulentas ac hypochondriacas incidiſſe affectiones. Idem malum à gonorrhœa, fluoreque albo, præmature ac peſtifero illo magiſterio ac ſaccharo ſaturni cohibitis ſubortum, plus ſimplici vice adnotavi; talemque caſum CONSULT. ac RESPONSIS MEIS MEDIC. *Tom. II. Sect. III. caſ.* 99. inſerui. Et quid eſt frequentius, quam ex febrium intermittentium inopportuna ſuppreſſione, aut improvido corticis Peruviani in ipſis, maxime ſi ſubjecta ſpiſſis humoribus prædita, vitæ ſedentariæ addicta, ſpaſmiſque primarum viarum obnoxia fuerint, uſu, hypochondriacam generari paſſionem: quam ex febre quartana ſubortam recenſet HORSTIUS *Lib.* 10. *obſ.* 28. *pag.* 189. & ego ex tertiana natam haud raro vidi. Nec denique infrequens eſt, fœminas ex difficili partu, ac male adminiſtrato puerperio evadere hypochondriacas. Et, ut uno verbo dicam, quicunque morbi, quæcunque curationes, & quæcunque cauſſæ, motum ventriculi ac inteſtinorum periſtalticum lædere valent, ac deſtruere, inter cauſſas mali hypochondriaci ſummo jure collocari merentur; ex quibus adhuc commemoranda ſunt purgantia, ac fortiora emetica, repetito propinata: præſertim aloëtica, & improvidus, nimiuſque pilularum, quæ aloën fovent, uſus; quibus humores ad anum invitantur, exituque ob deficientem diſpoſitionem denegato, ibidem ſtagnant.

## §. XXV.

*Mali hypochondriac. differentia.* Supereſt, ut paucis mali noſtri flatulenti, differentiam ab aliis quibuſdam morbis, ne cum iis confundatur, atque tum prognoſin ſubnectamus. Quodnam diſcrimen hoc, & morbum hyſtericum intercedat, priori capite ſatis deduximus; diximus ſupra, in noſtro malo inverſum ſimul eſſe motum inteſtinorum periſtalticum: quæ inverſio, cum adhuc quorundam morborum cauſſa ſit; videndum utique, quæ hos intercedat differentia. Sic inverſum deprehendimus motum periſtalticum in vomitu, & paſſione iliaca: ſed in vomitu hæc inverſio incipit à pyloro, aut forſan inteſtino duodeno, & per ventriculum, atque gulam ad fauces uſque propagatur; in iliaca vero paſſione vehementiſſimo ſpaſmo, quin convulſione motus univerſi canalis inteſtinalis ac ventriculi, à ſphinctere ani uſque ad orificium œſophagi invertitur, cum ſubſequente demum vomitu ſtercoreo. Verum res aliter ſe habet in malo hypochondriaco: namque inverſio motus illius vermicularis non niſi certa inteſtinorum loca occupat, & ſpatia relinquit libera, quæ ſedem præbent flatulentis vaporibus. Hinc adparet ratio murmurum, ac borborygmorum, ſatis magno ſtrepitu in abdomine circumactorum; atque flatuum per omnes abdominis oras, surſum, deorſumque, & ad latera ruentium, matutino potiſſimum tempore, vel etiam poſt graves mentis defatigationes, nullo inſequente ventris crepitu, vel alvi dejectione ſævientium. Scilicet mox certis in locis incluſi veluti, ac incarcerati

*1) A vomitu, & paſſione iliaca.*

cerati ſunt hi vapores, mox accedentibus ſpaſmis ſummo impetu ad alia devolvuntur, & hinc tantum ſonitum, rugitumque edunt.

§. XXVI.

*2] A coli ca.* Diſcrepat porro paſſio noſtra à colica, & hæc ſæpiſſime illi ſupervenit. Namque ſicuti illa eſt morbus longiſſimus, qui ſervata interdum accuratiſſima diæta invadit; ita colica brevior & magis tranſitoria eſt affectio, quæ ex vitio alimentorum plerumque provenit, & acutiſſimis inteſtinorum torminibus, ac pertinaci alvi conſtipatione ſeſe exſerit, atque hac ſoluta protinus quieſcit; dum in flatulento malo longe plura ac graviora juncta ſunt ſymptomata. *3] A nephritide calculoſa.* Hoc porro probe diſtingui meretur à nephritide calculoſa; licet enim ſæpenumero dolores calculum mentientes, habeat comites; tamen nulla calculorum excretio ſequitur; & ſi forſan in urina cernatur ſabulum, hoc demum poſt diuturnam moram, tanquam ſcorbuticæ dyſcraſiæ ſoboles, ad matulæ fundum ſecedit. Contra vero nephritis calculoſa, urinam oſtendit, mox poſt mictionem arenulas continentem, & ex calculorum excretione cognoſcitur. *4] A flatulentia ſimplici.* Nec denique ſimplex quædam flatulentia, quæ ex alimentis, coctu minus facilibus cito generatur, & ſumto carminativo ſanatur, pro hypochondriaco ſtatim habenda eſt malo: licet hujus prima rudimenta ſignificare poſſit.

§. XXVII.

***Prognoſis.*** Devolvimur tandem ad ſuppeditandam noſtri mali prognoſin. Hoc vero recens, ac ſibi relictum plus fere moleſtiarum, quam repentini exitii habet: at inveteratum difficillimam admittit curationem, &, accedente præſertim perverſa medicatione, aut minus accurato regimine, in graviora tranſit ſymptomata, viſcerum obſtructiones, ſcirrhos, cachexiam, hydropem, hecticam & per metaſtaſin in aſthma convulſivum, maniam ac melancholiam immedicabilem, polypos lethales &c. quale notabile exemplum recenſet ZACHIAS *Lib. III. cap.* 15. Quod ſi ſuſtentetur à ſuppreſſis menſibus, vel hæmorrhoidibus; his mature vel natura, vel provida arte revocatis, ſæpiſſime funditus tollitur. Sed magna opus eſt circumſpectione, ne fluxum hæmorrhoidalem, qui ſub ipſo morbo, etiam diuturniori ſymptomatice fit, pro critico ac ſalutari habeamus: illo enim malum plane non levatur, cum ab hoc magnum redundare ſoleat emolumentum.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

***Indicationes curatoria.*** Curatio mali hypochondriaci recentioris, quo facilior eſt, eo citius abſolvitur: ubi vero illud altas jam egit radices, adeo ut humorum motus per totum corpus ſit perverſus ac irregularis, & ſolidæ nervoſæque partes à tono ſuo prorſus fere dejectæ exiſtant; non modo ipſæ hæ cauſſæ ſanationem admittunt difficiliorem, eamque requirunt diuturnam ac conſtantem; verum etiam ipſa ægrotorum, pharmacomania laborantium conſtitutio eam reddit intricatiorem. Namque hi ob tardiorem ſanguinis craſſi per caput circuitum, inclinant ad continuum metum atque diffidentiam, ideoque ſummum periculum, quin ipſam mortem ſemper anxii verentur; atque propterea inconſtantes, mutabiles, ac impatientes multos conſulunt medicos, variaſque aſſidue appetunt medicinas, quarum farragine in deteriorem magis delabuntur ſtatum. Medicus igitur aggreſſurus hanc medicationem, moneat primum, ut æger ſit conſtans, patiensque, atque tum ſequentes indicationes exſequi ſtudeat; nimirum 1) ut amurcam flatulentam evacuet, ſordesque primarum viarum acres, viſcidas, billioſas, malo continuum pabulum ſuppeditantes, corrigat, temperet, ac ſenſim eliminet. 2) Spaſmis conſopitis, inverſum ventriculi ac inteſtinorum motum periſtalticum, in naturalem reducat ordinem, eundemque languidiorem confortet, ut recta fiat ciborum concoctio, ac chylus, reliquique humores generentur laudabiles ac ſpirituoſi. 3) Stagnantes ſuccos diſcutiat, circulum ſanguinis, uti per abdomen, ita etiam per univerſum corpus reddat æqualem, ſuccoſque, facilitatis per urinam ac cutim excretionibus, ab omni acrimonia depuret; 4) ac denique totum partium nervoſarum ſyſtema corroboret.

§. II.

Priori ſcopo, maxime in paroxyſmis hypochondriacis, aut ubi ſymptomata præter conſuetudinem ſunt exacerbata, uti quidem poſt fortiores animi affectus, errores diæteticos, vel hiemali ac autumnali tempeſtate contingere ſolet, ſatisfaciendum eſt. ***Priori ſcopo, maxime in paroxyſmis ſatisfaciunt clyſteres & laxantia.*** Tum vero nullum eſt, quod in motu inteſtinorum inverſo ad inferiora derivando, ſpaſmis ſedandis, atque flatibus, ſordibuſque eliminandis præſentiorem, certiorem, ac efficaciorem virtutem præſtet remedium, quam clyſteres: qui ex herbis emollientibus, decocto avenæ, florum chamæmeli, ſummitatum millefolii, oleiſque amygdalarum dulcium, anethi, chamomillæ, lini &c. additis ſpeciebus carminativis ac diſcutientibus, ſemine anethi, carvi, inque primis cymini concinnari poſſunt. Ab eorum infuſione curam protinus ordiri, eoſque, cum ſpaſmi inteſtinorum irritum ſæpenumero reddant effectum, aliquoties iterare juvabit; eo magis, ſi ſtercora indurata fuerint: quo etiam caſu interne oleum amygdalarum dulcium, aut juſculum avenaceum large potare expediet. Nec negligenda ſunt alvum demulcentia, ac blande laxantia, oretenus exhibenda: quæ inter omnibus palmam præripiunt infuſa, ex manna, rhabarbaro, cremore tartari, addito roborandi fine oleo de cedro concinnata. Ita RHODIUS *Cent.* 2. *obſ.* 2. mali hypochondriaci curationem dato ſæpius rhabarbaro, feliciter ſucceſſiſſe refert. Præſentaneam quoque ac ſingularem opem ferunt ſalia media thermarum, ut Epſomenſe, Sedlicenſe & Carolinum, ſi nonnunquam ad drachmam vel ultra cum abſorbente, rhabarbaro, corticibus aurantiorum, nitro maritata ex aqua pura copioſiori propinentur. Proſunt porro inſigniter paſſulæ rhabarbarinæ, poma borsdorffienſia, aut cocta, aut ſi tulerit ventriculus, cruda, ac pruna laxativa, quæ in caſſum adhibitis variis purgantibus, ægrotos, aliquoties liquata alvo ſublevaſſe, confirmat THONERUS *obſ. pag.* 163. Nec incongruæ denique ſunt pilulæ blandæ balſamicæ, e. g. pilulæ Solenandri, Cratonis, aloephanginæ, marocoſtinæ, tartareæ Schrœderi, vel Becherianæ, Stahlianæ, aut noſtræ: interpoſito pulvere aperitivo, vel ſi acida ſaburra præſto eſt, ſoli cancrorum lapides, vel magneſia alba, alvum

vum ducere ſolent. His quoque remediis extra paroxyſmum, alvi lubricitas conſervanda, ſordiumque generatio præpedienda eſt, ſi per vices, & mox quovis octavo, mox quovis decimo quarto die, prout rei neceſſitas exigit, exhibeantur.

§. III.

*Quæ cruditates temperant, & evacuant ſordes.* Soluta alvo, ea ſit curationis intentio, ut ſordes acidas, bilioſaſque, quæ in primis viis, præſertim duodeno hoſpitantur, corrigamus & attemperemus. Hoc ſcopo potimur beneficio pulverum abſorbentium, præcipitantium, antiſpaſmodicorum, ſimul leniter carminativorum; qui ſpaſmos quoque demulcent, ac roborando inteſtina, flatus potenter evacuant. Tales ex lapidibus cancrorum, matre perlarum, pulvere Marchionis, nitro purificato, ſuccino præparato, cinnabari, tartaro vitriolato, arcano duplicato, tantilloque caſtorei &c. parari, & in aquis antiſpaſmodicis, præſertim ea, quæ ex floribus chamomillæ cum cereviſia triticea deſtillatur, propinari poſſunt. Longe vero efficacior eorundem erit virtus, ſi cum ipſis viginti circiter guttulæ liquoris noſtri anodyni mineralis exhibeantur. Præterea huc quoque faciunt, & ſordes impuras, quæ in maſſa ſanguinea obverſantur, per diaphoreſin è corpore proſcribunt infuſa theiformia, matutino tempore in lecto ſorbillanda. Uſitatiſſima, ex quibus illa componuntur, ingredientia, ſunt herbæ meliſſæ, veronicæ, betonicæ, agrimoniæ, ſcordii, cardui benedicti, ſummitates millefolii, flores bellidis, chamomillæ vulgaris, ſemen fœniculi, aniſum ſtellatum &c.

§. IV.

*Quæ vim ventriculi digeſtivam reſtaurant.* Ut porro ventriculus corroboretur, ejuſque vis digeſtiva reſtituatur; in uſum vocari poſſunt eſſentiæ balſamicæ, ac leniter carminativæ. Cavendum vero, ne nimis ſint ſpirituoſæ, ac humores in orgaſmos vehementiores rapiant; uti ab aquis vitæ, eſſentiiſque ſtomachicis, quæ vulgo adhiberi ſolent, certo eſt metuendum. Securioris effectus exiſtunt eſſentia corticum aurantiorum bene præparata, tinctura tartari, ſpiritus nitri dulcis, vel elixiria ex herbis, ac radicibus balſamicis, cum menſtruo lixivioſo parata, quale eſt illud, quod in notis ad Poterium deſcripſi, & meum viſcerale ſtomachicum; cujus præclara in affectibus flatulentis & hypochondriacis virtus, à longo ſe jam commendavit tempore: ſed notari meretur, horum uſum debere eſſe diuturnum. Non minimam denique utilitatem in ipſis paroxyſmis hypochondriacis exſerunt, pediluvia temperatiora; quæ humorum circulo ad externas corporis partes invitando, relaxandiſque imi ventris ſpaſmis egregie velificantur. Hæc parari poſſunt ex ſola aqua fluviatili, cum furfuribus triticeis, floribuſque chamæmeli; nec ſint nimis ferventia, ſed temperate calida; quibus pedes paullo profundius immitti debent.

§. V.

*Tertiæ indicationi inſerviunt venæ ſectiones.* His rite uſurpatis, procul omni dubio ceſſabit ac imminuetur paroxyſmorum vehementia. Quum autem illi facile revertantur, extra illos ſtudendum eſt, ut juxta tertiam indicationem cauſſæ tollantur, ſtagnationes humorum diſcutiantur, viſcerum obſtructiones reſerentur, humorumque circuitus per totum corpus reddatur æqualis. Hoc nomine felici curationi viam quaſi ſternunt, eamque egregie ſecundant, ſanguinis miſſiones per convenientes venæ ſectiones adminiſtrandæ. Eas raro in ſuperioribus corporis partibus inſtituere decet, ne tali ratione, motum humorum, qui per ſe ob ſtricturas imi ventris ad ſuperiora vergit, magis eo alliciamus. Aptiſſima eſt venarum in pede inciſio, ex qua pro humorum quantitate, plus vel minus cruoris detrahi oportet. Commodiſſime vero ſanguis mittitur, vernali ac autumnali tempore circa æquinoctia; vel etiam neceſſitate exigente, circa ſolſtitia, ubi ſolemniores ſunt humorum commotiones. Eo felicior erit earum effectus, ſi brevi ante alvus blande ducatur, ac adhibitis pediluviis, humores ad inferiora deriventur. Præterea, ſi adſit diſpoſitio ad hæmorrhoidalem fluxum, ejuſque ſuppreſſio malum foverit, ſingulo menſe aliquot hirudines ſub debita cautione, ano ſunt admovendæ: quo etiam caſu, pilulæ blande balſamicæ per aliquot ſucceſſive dies, cum pulvere antiſpaſmodico nitroſo propinare expedit.

§. VI.

Non vero ad reſerandas viſcerum obſtructiones, acidos ac impuros humores attemperandos, excretiones per alvum, urinam & cutim, quin etiam ſanguineas ſuppreſſas promovendas, & ſanguinis circulum per totum corpus æqualem reddendum, ex toto remediorum tam pharmaceuticorum, quam diæteticorum apparatu, certius, præſtantius, ac univerſalius eſt ſubſidium, quam quod ex prudenti aquarum mineralium uſu recipere, benigna permiſit natura. *Præſtantiſſimum hoc ſcopo præſidium in aquis mineralibus ſitum eſt.* Circa earum potationem notari meretur, ne ſit nimia, nec nimis diu protrahatur; quoniam tali ratione tonum ventriculi ac inteſtinorum magis labefactant, ac deſtruunt. Corpus quoque probe eſt præparandum, adeo, ut primarum viarum ſordes removeantur, humorumque nimia moles imminuatur: ſiquidem ipſi quoque potationi interponenda ſunt blanda laxantia, & conjungenda corporis moderata exercitatio. Inter ipſas porro haſce aquas ſelectus inſtitui debet: fœminis enim, & qui corporis ſunt laxi ac ſpongioſi, & ſpaſmis immaniter divexantur, magis proderunt thermæ, inque iis præſertim Carolinæ, aut ſaltem, ſi arriſerint acidulæ, illæ debent eſſe calefactæ. Contra vero ſanguineo-phlegmaticis ac torpidioribus magis proſunt acidulæ Schwalbacenſes, Egranæ, Pyrmontanæ, & ſubjectis ſtrictioribus, agilioribus, cholericiſque proficuæ potius ſunt acidulæ Selteranæ, Spadanæ, Tœnſtadienſes ac Wildungenſes.

§. VII.

*Victus ratio.* Præterea ſummum auxilium à recta vivendi ratione expectari debet: quæ ſi negligatur, omnis reliqua curatio irrita erit, atque fruſtranea. Ex iis aër primum ſeligendus eſt purior, ac temperatior; evitando frigidum, humidum nebuloſumque & minime in tali loco dormiendo: neque tamen propterea, metuendo aëris injurias, corpus penitus ab ejus liberioris uſu prohibendum eſt, ne juſto fiat ſenſibilius, & ex quavis mutatione tempeſtatis, eaque leviſſima graviter lædatur. Præprimis autem omne frigus, maxime boreale, præſertim à ventriculo, lumbis, ac pedibus ſedulo arcendum eſt; utpote à quo dictis partibus liberalius admiſſo, protinus inflatio ventriculi, dolor dorſi circa lumbarem regionem, & inteſtinorum tormina recrudeſcunt. Porro ciborum ſit rectus ac modicus uſus; ex illis enim,

enim, primis officinis, à ſaburra, acri, bilioſa repletis, nutrientia quoque ſunt nocentiſſima; quoniam juxta HIPPOCRATIS effatum, *Sect.* 2. *aph. X.* impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis læſeris. Ceterum ab omnibus acidis, ſalitis, flatulentis, oleribus, panificiis, pomis, ſimilagineis, calidioribus, aromatiſatis &c. probe abſtinendum; nec gulæ nimium, maxime in cœna indulgendum erit. Namque temperantia ab illecebris victus ſummum eſt morborum chronicorum remedium; quemadmodum rectiſſime veteres medicorum docuerunt, & CAROLUS PISO *tr. de morbis à ſeroſa colluvie pag.* 241. præclare docet.

§. VIII.

*Conveniens potus.*

Magna præſertim efficacia in recto potus genere ſita eſt. Onerat ventriculum, eique infenſa eſt omnis fere cereviſia; omneſque potus ſpirituoſi, ac calidiores deprehenduntur noxioſiſſimi. Vinum vetus generoſum Rhenanum, vel Burgundiacum bonæ notæ cum aqua dilutum, parciſſima quantitate ſub epulis concedatur, ad roborandum ſtomachum; reliquo vero tempore invicem potus ordinarii ſeligi debent aut acidulæ Selteranæ vino nuptæ: aut hoc nomine præſtantiſſimi uſus ſunt decocta, frigide potanda; quæ ex radice ſcorzoneræ, cichorei, chinæ, ſarſaparillæ, raſura cornu cervi, vel eboris, radice glycyrrhizæ, herbæ cardui benedicti &c. parantur: quibus cortices citri, vel aurantiorum addi debent. Subjectis ſanguineo-cholericis, ſi tulerit ventriculus, confert ſola aqua pura ſimplex, quæ ſanguinis orgaſmum egregie quoque deprimit.

§. IX.

*Motus corporis.*

Omnia remediorum genera in allevando malo hypochondriaco, longiſſime ſuperat motus corporis; qui nunquam à reliqua curatione excludendus eſt. Hoc enim ſanguinis & humorum circulus, atque cum eo tranſpiratio ſaluberrima, & univerſum ſe-& excretionum negotium promovetur, humores redduntur fluxiores, eorumque tranſitus per hepar inſigniter facilitatur; ventriculi & inteſtinorum motus, cum digeſtione egregie adjuvatur. Inſtituere autem illum oportet moderate, atque tum præcipue, ubi digeſtio abſoluta, ac ventriculus à cibis vacuus eſt; vel equitatione, vel vectione in rheda, vel obambulatione. Ceterum animi pathemata, non minus, ac multiplex remediorum farrago, cane pejus & angue vitari debent. Et in hac commendata victus ratione, ſi alvi ſimul libertas conſervetur, ac ſtatæ repetantur venæ ſectiones, non modo curandi rectiſſima via, verum etiam feliciſſima methodus præſervatoria ſita eſt.

§. X.

*Roborantia explent quartam indicationem.*

Verum mitigatis ſic mali hypochondriaci ſymptomatibus, remotis cauſſis, liberiſque omnium excretionum viis; ad præcavendas recidivas, roboratio & primarum viarum, & totius nervoſi ſyſtematis adgredienda eſt. Tum vero, præter continuatum elixirii ſupra memorati balſamici viſceralis, uſum, & obſervatam rectam victus rationem, locum habent, & præſtantiſſima ſunt martialia; quæ ſtringendo leniter debilitatas fibras, priſtinum robur illis reſtituunt. Hæc optime in forma liquida offeruntur, uti eſt tinctura martis tartariſata Zwœlfferi, Ludovici; vel etiam limatura vel crocus martis in pulveribus commode exhibetur, qualis parari poteſt ex fæcula radicis ari, lapidibus cancrorum, ſuccino, cinnabari, arcano duplicato, & croco martis aperitivo, additis olei ligni ſaſſafras aliquot guttulis. Non minus inſignem utilitatem præſtabit cortex caſcarillæ & chinæ, inter pulveres, mox recenſitos; poteſt etiam alius ex radice pimpinellæ, ari, cort. caſcarill. aurant. ſuccino, macis, ſemine cymini, ſale abſynthii, parari, qui blanda balſamica virtute roborat ventriculum, & inteſtina, digeſtionem adjuvat, & cruditatum impedit proventum. Nec denique parum emolumenti ſperare licet a balneis externis martialibus, veluti ſunt Lauchſtadienſia, Freyenwaldenſia, ac Tœplicenſia, potationi Carolinarum ſubjungenda, quippe quæ totum corpus mirifice confortant.

§. XI.

*Externa remedia.*

Nec denique ſilentio ſunt prætermittenda externa remedia: quæ in moleſtis inflationibus inteſtinorum magnam vim præſtant. Hæc inter multiplici edoctus experientia, commendare poſſum emplaſtrum ſaponatum Barbette camphoratum, aut antiſpleneticum Hieronymi ab Aquapendente, ad hypochondria adplicatum. Non minus præclarum operæ faciet pretium, balſamum meũ vitæ, cum binis aquæ Hungaricæ partibus commixtum; quod bis quotidie, mane pariter ac veſperi ventriculo & hypochondriis eſt inungendum.

## *CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cur morbus hypochondriacus fere ſit immedicabilis.*

Nullus eſt morbus, qui majorem ægrotanti pariter ac medenti figit crucem, quam quidem noſter hypochondriaco-flatulentus; ſitque ſæpenumero utriuſque culpa, ut ipſius curatio vel diutiſſima ſit, vel plane reddatur fruſtranea. Ægri enim varietate medicorum pariter ac medicaminum delectantur, ut opus haud raro ſit, eos commonere de MONTANI effato, quo dicit: *Fuge medicos, & medicamenta, facileque convaleſces.* Deinceps medicorum quoque pauci ſunt, qui hujus delicatioris morbi genium probe compertum habeant; & ideo quicquid continent pharmacopolia, congerunt, ac ægro propinant damno vix reparabili. Profecto ex fonte pharmaceutico pauciſſima ſunt, quæ levamen noſtro morbo afferunt; & fortiora, generoſa, atque quæ dicunt heroica, plane veneni inſtar ſe gerunt.

§. II.

*Vomitoria ſunt noxia.*

Ex horum numero primum ſe offerunt vomitoria; quibus nonnunquam ægri, vel ſibimet ſolis ſapientes, vel ſæpius medicorum ſuaſu, ſibimet conſulere volunt, maxime, ſi ingentibus præcordiorum anxietatibus, ventriculi inflationibus, nauſeis moleſtiſſimis, vomendi conatibus, obviſcatione ac conſtrictione hypochondriorum tanta, ut veluti fune compreſſa, vel pondere quodam infarcta videantur, atque eructationibus atrociter conflictantur. Neque negandum eſt, quin in tali rerum ſtatu ex leni emetico, aliquod ſuorum ſymptomatum levamen perſentiſcant. At vellem, ut à fortioribus ſtimulantibus prorſus abſtineatur; ſolamen enim, quod adferunt, breviſſimum eſt, & poſt ſe trahunt graviora ſymptomata. Interim non penitus prohibere licet leniſſima vomitoria, ex radice ipecacuanhæ ac lapidibus cancrorum remittente: nec reformidandi ſunt illi vomitus, qui hypochondriacis

ſæpe-

ſæpenumero ſub initio potationis ſpaſmo data, thermarum Carolinarum eveniunt; continuato enim potu, & evacuato ex fundo duodeni muco ſponte ceſſant, & aquarum operatio melior ſuccedit.

§. III.

*Cautela circa purgantia ac laxantia.* Quum porro medico nihil magis curæ cordique eſſe debeat, quam ut alvum conſervet lubricam; caveat, ne acriorum fortiorumque purgantium, ſcammoniatorum, ialappinorum &c. uſu oleum camino addat. Illa enim inteſtina ad graves immaneſque proritant ſpaſmos, humores valde commovent, & majorem relinquunt atoniam, ac contumaciorem adſtrictionem. Teneriores, ac ſenſibiliores nec ſalia media magna doſi tolerant; iiſque magis conferunt alimenta lubricantia, clyſteres, mannata ac rhabarbarina. Nec pilulæ illæ polychreſtæ, balſamicæ, quæ aloen fovent, omnibus ſubjectis, nec nimis crebro uſu conveniunt; maxime ubi naturalis ad fluxum hæmorrhoidalem deeſt diſpoſitio, nec imminuta humorum abundantia; ſtimulant enim ad inteſtinum rectum, vanoſque conatus, & pertinaciorem ſtagnationem æque ac ſiccitatem cauſſantur. Contra ubi ſuppreſſus hæmorrhoidum vel menſium fluor malum fovet, præſtantis ſunt uſus, ſi ſingulo menſe per aliquot ſucceſſive dies exhibeantur: nec alienum erit, illis, ſi humorum orgaſmum excitare videantur, pulverem nitroſo-præcipitantem admiſcere. In quibuſdam, quorum primæ viæ aſſiduas fovent cruditates acidas, ſæpenumero ſoli cancrorum lapides, aut conchæ præparatæ, alvum movent egregie: dum nimirum cum acido ventriculi coëuntes, ſal conſtituunt medium amaricans, quod leni ſtimulo inteſtina ad rejectionem ſordium excitat: ſaltem meliori cum fructu, quam ipſa magneſia, adhibentur; quæ abſente aciditate, vellicat ventriculum & inteſtina.

§. IV.

*Circa mannata & clyſteres.* Quidam occurrunt hypochondriacorum, quibus mannata remedia movent & adaugent flatulentiam; aut etiam vomendi conatus, nauſeam, ac vomitus concitant. Tali in caſu ab iis abſtinere decet, & vel rhabarbarinis, vel clyſteribus ſuccurrendum. Nec paucæ inter fœminas præſertim reperiuntur, quibus clyſteres moleſtias creant: tum vero illos cum larga oleorum quantitate, componere juvat, & aliquoties iterare, conjunctis oretenus iis, quæ cuicunque pro conſtitutionis varietate proficua videntur.

§. V.

*Circa venæ ſectionem.* Venæ ſectio prudenter adminiſtrata, ſicuti præſtantiſſimi in hypochondriaca paſſione uſus eſt: ita hac ipſa nihil deprehenditur pernicioſius, ubi inopportuno tempore locoque inſtituitur. Falſum enim eſt, ac inconveniens, illam nimis crebro ob ſuppoſitam undique ſanguinis ſpiſſitudinem celebrare velle. Sic quidam, qui nimiam virium jacturam patiuntur, ex juſto copioſiori ſanguinis miſſione, in majorem incidunt debilitatem. Contra quorum vaſa ſanguine turgent, aut ubi plane ſanguineæ excretiones ſuppreſſæ ſunt; iis omnino largiores proſunt venæ ſectiones; neque vero, quod probe obſervari meretur, niſi certis caſibus in brachiis inſtitui debent. Eo præſertim tempore ab omni refrigeratione, ac victu craſſiori cavere expediet; & mentis tranquillitati ſedulo ſtudere; ne ſcilicet ab aëre frigidiori ſalutaris cohibeatur perſpiratio, aut victu craſſiori cruditates in primis viis generentur.

§. VI.

*Circa hirudines.* Magna quoque in admovendis hirudinibus opus eſt cautione; ubi enim nulla exiſtit ad hæmorrhoidalem excretionem proclivitas, aut illa fiat ſymptomatice, tantum abeſt, ut illam appoſitis hirudinibus promovere liceat, ut potius motum humorum in iis locis derivare ac revellere oporteat. Verum ſi cruenta per anum evacuatio præſto fuerit, & cohibita exitum affectet, & dolores in oſſe ſacro, ac inteſtino recto urgeant; aut ubi colica torminoſa hæmorrhoidalis adfligit; ſaluberrimus ſanguiſugarum eſt uſus. Sæpius autem neceſſe eſt, ut præmittatur univerſalis humorum per venæ ſectionem inanitio: nec vana eſt opera, ſi loca hæmorrhoidalia fotibus demulceantur, atque tum eo, quo natura eruptionem hæmorrhoidalem molitur, tempore ſelectæ hirudines adponantur.

§. VII.

*Circa corporis motum.* Circa motum corporis, ut deſideratam præſtet opem, notandum eſt; quod ſub aëre ſereno, ac amico inſtitui debeat, ne ab externo frigore plus damni contrahamus, quam ab exercitatione emolumenti ſperamus. Neque ſit impetuoſus, ſed moderatus, per gradus continuatus, ad lenem uſque corporis incaleſcentiam; & probe diſpiciendum, ut tum moles humorum ſit imminuta, ac alvus aperta, ne ſanguis nimium exæſtuet. Nunquam fiat ſtatim a paſtu; id quod imprimis de equitatione ac vectione tenendum eſt; quoniam his ſucceſſionibus flatulentæ exacerbantur moleſtiæ. Commodiſſimum tempus eſt vel matutinum, hauſtis antea aliquot infuſi calidioris vaſculis, vel veſpertinum, ſi digeſtio fuerit abſoluta.

§. VIII.

*Circa potum.* De potu nihil abſolute certi determinari poteſt; ſed quilibet explorare debet, qualis ſibi ſit proficuus. Quidam ex cereviſia leviori, ſecundaria optime habent; neque ideo ab ejus uſu prohibendi ſunt. Nonnullis aqua pura frigida, vel ſola, vel cum cinnamomo decocta ingentem præſtat utilitatem: hinc nec diſſuadenda eſt. Ubi concurrit ſcorbutica humorum diatheſis, repurgatis primis regionibus, non modo ſerum lactis, ſi tulerit ventriculus, inſigniter confert, verum etiam ipſum lac cum acidulis Selteranis commixtum loco curæ adhiberi poteſt. De acidulis adhuc notandum probe eſt, quod in iis, qui ſpaſmis vehementioribus agitantur, aut cardialgia gravi laborant, minime potari debeant frigidæ; quoniam frigus nervis eſt valde infenſum: præſtat tali in caſu vel thermis, vel acidulis tepefactis uti. Inter vina denique cuncta acida, veluti Rhenanum ac Moſellanum recentia aciditatem ventriculi augent: contra vero moderatus veteris Rhenani, aut Burgundiaci, quod bonæ notæ eſt, aqua diluti uſus concedi poteſt.

§. IX.

*Animi pathemata, ac laborum ratio habenda.* Quia nunquam fere non corrupta phantaſia huic ſævo morbi generi conjungitur, & non parum ejus contumaciam auget; proſpiciendum eſt, ut omnis præſcindatur occaſio, quæ animum turbare queat. Principem hac ratione locum obtinent animi pathemata; quæ niſi temperentur, omnem reliquam curationem reddent fruſtra-

fruſtraneam. Deinceps ſuadendum eſt conſortium amoenum, & quacunque fieri poſſit ratione, recreandus eſt animus. Quare etiam triplici modo hypochondriacos ſolantur itinera ad thermas potiſſimum, aut acidulas inſtituta; dum nimirum exercitationi corporis, mutationi aëris, gratiſque conſortiis occaſionem præbent, & ipſa ſui virtute corporis vitiis opitulantur. E contrario diſſuadendæ admodum ſunt lucubrationes, ac meditationes nimiæ, quæ præprimis ſub paſtu, & brevi ab eo fiunt; quoniam certe experientia conſtat, digeſtionem ciborum à mentis diuturnis fatigationibus maximopere proſterni. Litteratis vero, qui penitus à mentis laboribus ſibi temperare, vi muneris haud poſſunt, præter motum corporis, ad præpediendam flatuum ac cruditatum generationem, non præſtantius ulla medicina fert auxilium, quam elixirium noſtrum balſamicum, in notis ad Poterium pag. 186. deſcriptum vel temperatum noſtrum viſcerale.

§. X.

*Quid faciendum, ſi melancholia acceſſerit.* Quando melancholia paſſioni hypochondriacæ ſupervenerit, ita ut furibundi etiam immineant impetus, quod non raro evenit: tunc non præſentius, neque certius auxilium eſt, quam balnea temperate calida, ex aqua dulci paranda. Quemadmodum enim horum affectuum melancholico-maniacorum fundamentum, in corporis exterioris ac inferioris ſpaſmodica conſtrictione, humorumque impetuoſiori ad caput raptu potiſſimum, ſitum eſt: ita in ſpaſmis relaxandis & æquali humorum circulo reſtituendo, nihil ſuperat vim dictorum balneorum. Conjungere etiam juvabit potum acidularum, & ſanguinis miſſionem tam è pedibus, quam ſubinde ex naribus inſtituere.

§. XI.

*Cautela circa martialia.* Magnæ famæ, laudiſque in morbis hypochondriacis ſunt martialia remedia: quæ vero ſicuti juſte adhibita magnam utilitatem inferunt; ita nulla temporis, ac reliquarum circumſtantiarum ratione habita, noxam pariunt certiſſimam. Quod ſi enim ſpaſmorum adhuc urgeat ferocia, viſcerum præſto ſit obſtructio, alvi ſegnities, humorum abundantia, primarumque viarum cruditates reſtent; abſtinendum ab eorum immoderato uſu; quoniam tunc facilis eſt in cachexiam tranſitus. Verum quando remiſerunt ſpaſmi, moles ſanguinis imminuta fuit, tunc excretiones liberiores efficiendo, ſingularem pollicentur efficaciam; ſed cum ſufficienti liquidorum diluentium copia offerri, ſimulque corporis exercitatio imperari debet. Quibus deeſt occaſio acidulis utendi; iis proderunt juſcula, ex radicibus aperientibus cum tinctura martis Zwœlfferi, vel cydoniata, vel pomata commixta, juſta doſi & crebro uſurpata.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Paſſio hypochondriaca ex ſuppreſſa febre tertiana.* Vir ſex & triginta annorum, annuo abhinc tempore incidit in febrem tertianam, quæ uſu corticis chinæ ſublata quidem, ſed decimo quarto die reverſa, quinquies hanc ſcenam luſit, ita, ut ſemper dicto die recideret, ſemperque dicto remedio ſupprimeretur. Tum excepit dolor dextri hypochondrii circa coſtas ſpurias, ad ſiniſtrum quoque latus excurrens; nec remittebat poſt varia remedia, etiam martialia ipſi propinata. Accedebant potius cordis palpitatio, ſpirandi difficultas, inclinatio ad vomitum, maxime poſt iram, à qua ſemper peſſime habebat; jungebantur porro æſtus, vertigo, gravitas in capite, viſus obſcuratio, præſertim in dextro oculo, qui quaſi humore lento obſeſſus conſpicitur, & obverſantes cernit imagines. Præterea nares ſanguinem quandoque ſtillant; dolor vehemens cum frigoris ſenſu, lumbos, ſpinamque dorſalem vexat; flatulentiis plenum abdomen, quarum excretio malo infert egregium levamen: non minus artus, pedes manuſque vagis tormentis diſtrahuntur; ſaliva eſt viſcoſa, ac ſalſa; & urina, quæ remittente paroxyſmo turbida mingitur cum ſedimento, ſub ejus vehementia fertur alba, tenuis, & clara. Meæ tandem curæ ſe commiſit æger; cui dedi pilulas meas balſamicas, bis quavis ſeptimana ſumendas; & ſub epulis propinavi eſſentiam corticum aurantiorum, cum elixirio noſtro viſcerali mixtum, ad quinquaginta guttas capiendum. Mane potari juſſi infuſum theiforme ex ſummitatibus millefolii, floribus chamæmeli, aniſo ſtellato, corticibus aurantiorum, & ligno ſaſſafras confectum; veſperi circa ſomni tempus ordinavi pediluvia, & crebrum corporis per equitationes motum. Paroxyſmo invaleſcente exhibui pulverem nitroſo-temperantem; hiſque medicinis effectum eſt, ut æger præſentiſſimum ſolamen invenerit.

*Epicriſis.*

Egregia ſunt, quæ ex hac morbi hiſtoria in uſum medicum trahi poſſunt, momenta; 1) Febres intermittentes, etiam tertianæ malæ tractatæ, & inopportune per adſtringentia, corticemque Peruvianum ſuppreſſæ, poſt ſe trahunt malum hypochondriacum, ſpaſmodico-flatulentum. In hiſce febribus enim, ob ſentinam quandam acrem, acidam, bilioſam, in duodeno hærentem, jam præſto ſunt irregulares partium nervoſarum, maxime ventriculi ac inteſtinorum motiones. Quando vero, non remota, quæ peccat materia, adſtringentes propinantur medicinæ: augentur ſpaſmi, noxia ſaburra, altius ac firmius in viſcera, ac plicas inteſtinorum impingitur; humorum circulus fit irregularis, hique ſtagnantes flatulento-ſpaſmodicum inducunt malum.

2) Data improvide ſub morbi initio, nec liberis excretionum viis, nec eliminata adhuc primarum viarum ſaburra, martialia, adauxerunt magis partium inferiorum & abdominis ſpaſmos. Hinc ſucci vitales, majori copia ad partes ſuperiores, pectus atque caput compulſi, irritando nervoſum genus, cordis palpitationes, anxietatem, ſpirandique difficultatem, in capite vertiginem, capitis dolorem, obnubilationem oculorum, ac cruoris è naribus ſtillicidium produxerunt.

3) Spaſmi hypochondriaci, ſi fuerint recentes, convenienti medicina funditus, brevique tempore expugnari poſſunt; ſi nimirum alvum moliamur, flatus diſcutiamus, æqualem humorum circulum, & ſalutares excretiones promoveamus, ac robur inteſtinorum, nervoſique generis confortemus. Contra vero ſi hæc mala, temporis vetuſtate, in habitum tranſiiſſent; difficiliori omnino ac diuturniori opus eſt medicatione, quæ vix alia via ac decenti aquarum mineralium tam interno quam externo per balnea uſu obtineri poterit.

### Observatio II.

*Paſſio hypochondriaca ex gravi terrore.*

Generoſus vir, annorum triginta, temperaturæ ſanguineæ, habituſque corporis ſpongioſi, in aula multis corporis animique fatigationibus adſuetus, animi hilarioris, & ad melancholiam nunquam vergentis, & hactenus ſanitate illibata gaviſus, incidit aliquando in gravem terrorem; dum ſcilicet ſub venatione, repente ex equo lapſus, vehementique in nucha ac ſcapulis dolore affectus, ſibi perſuadebat, exitialem capiti vel cervici illatam eſſe læſionem. At poſtquam ad ſe rediit, ſeque ab omni labe immunem ſenſit; venando continuavit ſub aëre frigidiori, atque redux, vino calidiori Rhenano copioſius indulſit. Ab eo tempore male habere cœpit, & his potiſſimum angebatur moleſtiis: languor totum corpus occupat; alvus pertinaciter obſtructa, & abdomen continuis flatibus, ructibuſque plenum eſt, vexant vertigo, dolor capitis gravativus, ſomnus inquietus, anxiiſque turbatus inſomniis; animus perpetuo angore afficitur; inſignis præcordiorum urget anxietas; mane plerumque, poſt nauſeam, ex ore eructatur lympha acidiſſima, dentes ſtupefaciens; & urina mingitur mox clara, mox ſaturata. Adhibuit multos medicos, inſignemque remediorum hauſit farraginem; ſumſit purgantia, martialia ſicca pariter ac liquida, quin thermas quoque potavit & acidulas: neque tamen minus in dies exacerbantur ſymptomata, & ultra annum jam inhæſerunt. Tandem noſtram imploravit opem; & cum ipſum nimia humorum mole abundare viderem, primum venam in pede curavi ſecandam; tum crebra commendavi pediluvia; mane potandum dedi infuſum aliquod theiforme; & ſub epulis eſſentiam corticum aurantiorum, & veſperi pulverem præcipitantem. Non minus bis quavis hebdomade propinavi pilulas balſamicas; & omnem aliorum remediorum uſum interdixi; quibus factum eſt, ut ad priſtinam rediret ſanitatem.

*Epicriſis.*

Diſcimus ex hoc caſu, quod homines rectiſſime valentes, ſanguinei ac valde hilaris temperamenti, ſine ulla præcedente viſcerum labe aut obſtructione, aut ſanguinis excretione ſuppreſſa, ex ſolo vehementi terrore, & gravioribus diætæ erroribus, in malum hypochondriaco-flatulentum repente poſſint incidere. Nota mihi ſunt plura ejuſmodi exempla, ubi homines ex ſanis vegetiſque protinus facti fuerunt hypochondriaci; ob nullam aliam cauſſam, quam ſi poſt ſumta fortiora purgantia frigidum potum hauſerunt, animi affectibus indulſerunt, aut vino farti frigido aëri corpus commiſerunt; aut ab hoc crapulis ſe polluerunt. Horum enim momentorum, maxime ſi plura ſimul complicentur, tanta eſt efficacia, ut unita vi nervorum genus, & maxime delicatiſſimas ventriculi ac inteſtinorum tunicas, inſigniter lædere, earumque robur deſtruere valeant. Talis affectus dici meretur idiopathicus; ubi morbus, ſalvis humoribus pariter ac viſceribus, protinus à vitio canalis alimentaris incipit; qui congruis medicaminibus ſub initio facile expugnari, & in prima veluti herba ſuffocari potuiſſet. At poſtquam invaluit, atque labes ad ſolidas & fluidas partes propagata fuit; quorſum purgantia, martialia, intempeſtive data, aquæ minerales, non habita alvi plethoræque ratione adhibitæ; aliaque remedia plurimum contulerunt: temporis utique beneficio opus fuit, ut blandis ſubſidiis atroci huic malo ſuccurrere potuerimus.

### Observatio III.

*Hypochondriaca paſſio à diarrhœa opiatis ſuppreſſa.*

Vir nobilis, duos ac triginta annos natus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, carnis ſpongioſæ, ac laxioris, tenerrime, & ſub delicato vivendi genere educatus, alvi expeditioris, omniumque expers morborum, elapſo abhinc anno, per aliquot hebdomades ſtrenuis interfuit compotationibus, multumque vini acidi Franconici ingurgitavit. Hinc alvi corripitur profluvio, quod dati à medico pulveres opiati, quorum viginti quatuor, quavis hora unum capiendo, ſumſerat, mitigarunt quidem, non vero penitus ſuppreſſerunt. Incidit potius in moleſtias hypochondriacas; quæ ingentibus præcordiorum anxietatibus, pathematibus imi ventris ſpaſmodicis, & flatulentis, borborygmis, inflationibus, mala digeſtione, virium languore, ſomno inquieto, animique perturbationibus, interdum deliris ſeſe exſerebant. Conſulti ſunt plures medici, qui omnes hypochondriacam paſſionem accuſantes, mox martialibus, & calidioribus ſtomachicis; mox volatilibus ac aromaticis illam oppugnarunt. Sed irrita erat omnis opera; continuabat alvi fluxus, horrendis ſtipatus doloribus, & dejectiones pauco muco, anum corrodente permixtæ, quinquies, vel pluries quotidie urgebant, conjunctis ructibus acidiſſimis, & fere corroſivis. Infeſtabant inſuper tormina inteſtinorum flatulenta, exploſis per anum halitibus paulliſper allevata: & hæc ſcena per binos ludebatur annos. Secata fuit in pede vena; datæ pilulæ Becherianæ, cum ſalibus aperitivis, & abſorbentibus; potæ quoque acidulæ Schwalbacenſes: ſed malum eludebat cuncta; niſi quod à noviſſime dictis acidulis, aliquale, at non diu durans levamen perceperit. Sumebat potius majora incrementa; vigebat quidem adpetitus, ſed cibi indigeſti egeruntur; atque mane pariter ac peracta concoctione poſt inſignem anxietatem, phlogoſin, & extremorum refrigerationem, lympha inſtar aquæ fortis corroſiva eructatur: oris eſt aſſidua ſiccitas, bibendique deſiderium: & notabile eſt, quod interdum circa veſperam, ubi externa frigent, calor & ſudor in dorſo obſervetur. Ceterum ſcire licet, quod ab uſu martialium peſſime habuerit; tantam enim exinde ſpirandi incidit difficultatem, cum extremorum frigore, ut ſæpius ſuffocari videretur. Poſtquam ſe tandem noſtræ tradiderat curæ, ano, ob inſignem qui adparebat ibidem tumorem, hirudines adplicari juſſimus; tum ſub epulis dedimus elixir noſtrum viſcerale; peracta digeſtione ſumendum ſuaſimus pulverem præcipitantem, cum cortice caſcarillæ, oſſibuſque ſepiæ confectum. Propinavimus inſuper infuſum theiforme, mane ſorbendum; decoctumque conveniens pro potu ordinario; & alternis diebus pilulas antiſpaſmodicas, ex extractis florum millefolii, chamomillæ, ſagapeno, opopanace, myrrha, croco, caſtoreo paratas exhibuimus. Horum uſui, adjunctis recta victus ratione, fontiumque Schwalbacenſium potatione, cum per aliquod tempus inſiſteret æger, divina favente gratia inſigne mali hujus allevamentum eſt expertus.

*Epicriſis.*

Hoc morbi genus, quod eſt hypochondriacum cum lienteria mixtum, deſtructum ventriculi ac inteſtinorum tonum, pro vera ac proxima agnoſcit cauſſa. Deſtructio autem illa primas origines traxit à nimia vini Franconici acidi potatione; & ſubinde per copioſa ac improvide data opiata majora ſumſit incrementa. Omnia vero hæc non obſtitiſſent, quo minus convenienti medicatione malum adhuc recens facillime debellari potuiſſet: at quum varia, eaque incongrua paſſim remedia, maxime martialia, nimia quantitate fuerint uſurpata, non potuit omnino æger cum morbo in gratiam redire. In cura, quum nimium debilitatus eſſet, nullam venæ ſectionem inſtituendam curavi; at, ut humores ob ſummam inteſtinorum atoniam in iis ſtagnantes imminuerem, & tubercula hæmorrhoidalia, quæ fiebant ſymptomatice, diſcuterem, juſſi ſanguiſugas adponi; atque tum præcipuam medendi curationem, ad robur inteſtinis ac nervoſo generi reſtituendum direxi. Docet quoque hæc morbi hiſtoria, quod ex ſola motus periſtaltici inteſtinalis per cauſſas externas facta deſtructione hoc malum fieri poſſit; cum multi noſtri temporis ſibi perſuaſum habeant, ſanguinem in venis meſaraicis & vena portæ ſpiſſum ſtagnantem, & qui non exitum habet per venas hæmorrhoidales, unicam eſſe hujus affectus cauſſam; ſed, quod ſæpius animadverti, conatus ad hæmorrhoidalem fluxum & difficilior ſanguinis per hepar tranſitus perverſum inteſtinorum motum periſtalticum demum ſubſequitur.

Observatio IV.

*Hypochondriaca affectio ex febre acuta ter tolerata.*

Judæus quinquagenarius, temperamenti melancholici, elapſis jam quatuordecim annis, febre acuta, ter in uno anno recidente, conflictatus, largiſſimo ferme diffluxit ſudore. Unde non modo omnium virium inſignem paſſus eſt jacturam; verum inde in magnam ventriculi ac inteſtinorum incidit debilitatem. Namque ab eo tempore gravia imi ventris tormenta, atroces ſub coſtis ſpuriis in dextro latere dolores, crebram vertiginem, animi defectionem, viſus obnubilationem, anxietatem præcordiorum, tremores & palpitationem cordis, alvique ſegnitiem pati cœpit; quæ accedente ob obitum filii, graviſſimo mœrore, magis invaleſcebant ſymptomata, mentiſque angore, ac turbata phantaſia ſtipabantur: atque demum cœcæ jungebantur hæmorrhoides. Contra hæc mala deſcendebat in balnea frigida; ſed quum ex his contumaci afficeretur ſingultu; ad uſum acidularum Schwalbacenſium confugiebat; ut reliqua, quibus uſus eſt, medicamina ſilentio prætermittam. Quæ cuncta, quoniam haud reſpondebant votis; meam tandem requiſivit opem. Omnis ergo cura fuit, ut univerſam ſanguinis & humorum maſſam emendarem, chyloque blandam conciliarem ſpirituaſcentiam; atque hanc ob cauſſam tonum ventriculi confortarem. Et huic ſcopo non inveni præſtantius medicamen, quam elixir meum viſcerale balſamicum; ſed, quod probe notandum, diutiſſime adhibitum. Præterea vero exactam diætæ, rerumque non naturalium obſervationem imperavi; & ob acrimoniam primarum viarum lapides cancrorum cum aliis præcipitantibus mixtos dedi; alvo proſpexi pilulis balſamicis, ſanguinis molem per venæ ſectiones imminui; exercitationem injunxi, & denique thermarum internum pariter ac externum commendavi uſum. Quibus cum diu, patienterque uteretur æger, bene valuit.

*Epicriſis.*

Præſens morbus ex tono ventriculi & inteſtinorum, totiuſque nervoſi generis, per febrem acutam, ter recidentem, copioſiſque ſudoribus ſtipatam, deſtructo ſuam traxit originem. Namque per hanc febrem non modo ſolidæ partes nimis debilitatæ fuerunt; verum per copioſos ſudores fluidior & ſpirituoſa pars ſanguinis deperdita, & reliquus cruor ſpiſſior redditus fuit. Inde ob languidiorem inteſtinorum tonum & motum digeſtio vitiata, alvi excretio turbata, ac ſanguinis per hepar circuitus tardior eſt factus; quæ vitia, quia non tempeſtive fuerunt oppugnata, majora ſenſim ceperunt incrementa, & ob inæqualem per univerſum corpus humorum curſum, ſpaſmi & diſtractiones ad omnes fere partes nervoſas ſunt propagatæ. Inprimis hæmorrhoides cœcæ, quæ tandem ſupervenerunt, non niſi pro ſymptomaticis, & ex ſtagnatione ſanguinis in extimis vaſis propullulantibus ſunt declarandæ; neque adeo ad eas promovendas hirudines convenerunt. Neque etiam mirum eſt, quod ex balneis ac acidulis frigide, ſpaſmis nondum conſopitis, nec præparato antea corpore, potis invaluerint ſymptomata, & præſertim ſingultus acceſſerit: omne enim frigus nervis eſt infenſum, & ſpaſmodicas affectiones inſigniter auget. Contra, ubi vehementia mali congruis medicinis mitigata, ac corpus probe præparatum; eædem acidulæ, quæ antea nocuerunt, præſtantiſſimum tulerunt levamen. Neque ego, quod bona fide teſtari poſſum, in hoc longo & pertinaci malo vel mitigando vel debellando, vel graviori periculo avertendo, ſecurius & præſentius remedium vel auxilium deprehendi, quam poſt convenientem aquarum mineralium & balneorum uſum in exquiſito vitæ regimine, moderata diæta, motu & exercitatione corporis, & temperatioribus ſtomachicis, quæ virtutem inteſtinorum periſtalticam placide roborant, flatus diſcutiunt, & alimentorum diſſolutionem promovent.

Observatio V.

*Paſſio hypochondriaca diuturna à vita ſedentaria.*

Vir quadragenarius, melancholicæ conſtitutionis, ex vita ſedentaria, atque continuis & inopportunis lucubrationibus per viginti jam annos contractum patitur malum hypochondriacum: quod ipſum præcordiorum anxietatibus, pectoris & ſepti tranſverſi compreſſione, dolore inflativo hypochondrii ſiniſtri, alvi obſtructione contumaci, atque inſigni mentis angore primum cruciavit. Acceſſit ante decennium hæmorrhoidalis fluor, & abhinc ſæpius adparuit; nullam vero prorſus malo tulit opem: ſed illud potius novis ſymptomatibus, nimirum cordis palpitatione, dolore capitis, cerviciſque, & podagricis demum inſultibus fuit adauctum. Tempeſtate horrida exiſtente, flantibuſque potiſſimum ventis ſeptentrionalibus, cuncta mirum in modum exacerbantur: quando artus extremi, manus atque pedes, ſuccis antea turgidi, horrent, detumeſcunt, vaſaque diſparent; certum eſt indicium, in propinquo eſſe paroxyſmum; quod ſi vero dictæ partes naturalem colorem ruboremque recuperant; protinus remittunt ſymptomata. Notatu quoque digniſſimum eſt, quod ſi dolores artus

artus externos vexant, caput pectuſque eorum immunitate gaudeant; at ſi dolor extrema deſerit, majori ſævitia pectus caputque afficiuntur. Ceterum adpetitus viget, & ſæpius juſto eſt avidior.

*Epicriſis.*

Exhibet hæc obſervatio quædam momenta, quibus peculiaris utique debetur animadverſio. 1) Nimirum docemur exinde, fluxum hæmorrhoidalem non ſemper præſervare, vel ſublevare paſſionem hypochondriacam, vel podagricam. Enim vero ſi hic fluor ante mali invaſionem rite ſucceſſerit, & ab hujus ſuppreſſione morbus excitatus fuerit; certior ſpes eſt, fore, ut ab ejus revocatione morbus mitigetur ac ſæpius tollatur. Quod ſi vero hæc cruenta evacuatio, in ſubjectis minus diſpoſitis, ex ipſius diuturni morbi cauſſa, ſymptomatice concitata fuerit, uti in præſenti caſu factum eſt, ſpes ſalutis inde expectandæ, relinquitur ſane anguſtiſſima. Interim ex hæmorrhoidibus vel cœcis, vel fluentibus, malo hypochondriaco ſupervenientibus, ea ſemper ſequitur certiſſima concluſio, quod humorum in inteſtinis ſtagnatio nimium increverit.

2) Attendendum quoque illud eſt momentum, quod ſyndrome ſymptomatum ab intemperie aëris & cœli frigida aucta fuerit: namque in paſſione hypochondriaca inveterata, tanta adeſt generis nervoſi imbecillitas, ut à quacunque vel leviſſima externa cauſſa in præternaturales & irregulares conjici poſſit motus. Sic obſervamus ſæpenumero, à cibo inflante, hauſtu vini acidi, aëre horrido, vel ſæpius aura tantummodo frigida, leviori animi motu, vel medicamento nimis activo, protinus recrudeſcere ſopitos hactenus motus. Quare ea probe tenenda eſt cautela, ut, cauſſis materialibus remotis, motibuſque irregularibus ſedatis, ſummo annitamur ſtudio, quo genus nervoſum rurſus confortemus.

3) Nec denique illud ſilentio eſt prætereundum, quod, ſpaſmis ac doloribus exteriores corporis partes occupantibus, interiores ab iis ſint immunes; his vero ſpaſmis infeſtatis, exteriores partes, careant doloribus. Ex hoc phænomeno illud ſingularis uſus in praxi eliciendum eſt, quod in ejuſmodi hypochondriacis ſpaſmis, artus externos vexantibus, cane pejus & angue vitanda ſint omnia ea, quæ facultate ab exterioribus ad interiora repellendi pollent; cujus generis ſunt refrigerantia, ipſum frigus, anodyna, narcotica, ſaturnina, vel etiam ſpirituoſa linimenta exterius adplicata; nec non interna, quæ ſtimulant inteſtina, eorumque tormina inducunt, uti ſunt purgantia, emetica, potus frigidus, fructus horæi &c. Contra vero proſunt, quæ tranſpirationem augent, & conſtrictam cutim relaxant, ejuſque ſpiracula patula ſervant.

## Observatio VI.

*Paſſio hypochondriaca à diuturno mœrore orta, & ſuppreſſa per terrorem quartana ſuſtentata.*

Per litteras pronuper opem meam requiſivit, vir quidam litteratus, conſiliarii munere fungens, annorum triginta ſeptem, temperamenti cholerico-ſanguinei, corporis paullo habitioris; qui juvenis ſæpius, multumque cruoris è naribus fundere ſuevit, atque ceterum ſub lauta diæta, ac intercurrentibus in vini potu exceſſibus, non obſtante inſigni plethora, illibata gaviſus fuit ſanitate. At per ſex circiter annos, poſt prægreſſum diuturnum mœrorem, accedente vita ſedentaria, paſſionibus hypochondriacis adfligi cœpit, quarum hæ potiſſimæ ſunt: urgent per intervalla flatulentæ imi ventris diſtenſiones, tanta ferocitate, ut accedant vertigines, ſudores frigidi, & animus ad cuncta negotia reddatur torpidus, & anxius. Sub coſtis ſpuriis in ſiniſtro maxime hypochondrio gravativus, mox tenſivus ſentitur dolor, qui ſæpius ad femur totumque pedem, cum hujus quadam ſtupiditate excurrit, & calculi renalis ſuſpicionem movet. Junguntur tinnitus, ſuſurruſque aurium; alvus plerumque ſicca, & ciborum appetentia mox dejecta, mox avidior; ſed à paſtu male habet; atque urina mingitur pauca, cum crebro ſtimulo. Quatuor abhinc annis aſthmate quaſi convulſivo prehendebatur, in febrem quartanam deſinente. Ab hac diu durante, tandem per inſignem terrorem ob magnum urbis incendium ſubortum, liberabatur, & ab eo tempore cuncta ſymptomata acerbiora ſentit. Inprimis flatus ructuſque multam crucem figunt; artus externos ſæpenumero ſpaſmodicæ ac fere convulſivæ torquent agitationes, noctesque ſomno ideis terrificis pleno, ſudoribuſque copioſis ſtipato tranſiguntur. Conſuluit varios fruſtra medicos, quorum hi malum hypochondriacum, illi renum vitium accuſarunt. Ego vero commendavi, ut venæ ſectiones ter quotannis celebrandas curaret; pro potu ordinario decocto convenienti uteretur; à paſtu tincturam corticum aurantiorum ſumeret; alvum per pulverem rhabarbarinum ſervaret apertam; aurium, ac temporum regionem balſamo vitæ inungeret, ac denique thermas Carolinas ſub debito regimine adhiberet.

*Epicriſis.*

Viri ſanguinei temperamenti, ob nimiam ſanguinis abundantiam, ſi nec convenienti detractione per ſectam venam, nec decenti corporis motu & abſtinentia eam minuunt, quam facile à gravi & diuturno mœrore animi in malum hypochondriacum incidunt; nihil enim eſt, quod tam ſubito vim ventriculi & inteſtinorum digeſtivam & periſtalticam debilitare & deprimere valet, quam gravis in animo conceptus dolor; & aſſidua ejus per profundas cogitationes fatigatio. Canalis vero hujus nervoſi & membranacei atoniam, progreſſus contentorum languidior, humorum ſtagnatio, & ex hac propullulantes flatus & borborygmi, preſſo pede ſequuntur; quippe qui vim ſuam quam maxime in inteſtino colo, quod in hypochondriis ſitum ſuum habet, ejus tunicas diſtrahendo, diſtendendoque exſerunt; flatus vero in inteſtinorum flexuris incarcerati cum violenter nervoſas partes afficiunt, omnino reliquorum acerbiorum in diſſitis partibus ſymptomatum & formalem & materialem, præcipuam etiam in noſtro caſu cauſſam continent. Quare etiam potiſſima medendi intentio in eo repoſita eſt, ut omni modo & cura deperditum inteſtinorum naturalem & ſaluberrimum motum reſtituamus, & in hunc ſcopum omnium remediorum tam diæteticorum, quam pharmaceuticorum virtutem & operationem dirigamus.

## Observatio VII.

*Malum ...*

Comes quidam illuſtriſſimus, annorum quadraginta duorum, habitus corporis ſpongioſi, ac

*hæreditarium, variis cauſſis adauctum.* animi ſenſibilioris, hilaris, & temperamenti ſanguinei, juventutis ſuæ annos, mobili vitæ genere ac crebris peregrinationibus, ſub illibata quidem ſanitate tranſegit; attamen à flatulentis moleſtiis, utut leviſſimis, quas per hæreditatem à matre, iiſdem paſſionibus miſere cruciata acquiſivit, nunquam prorſus immunis vixit. Verum per aliquot annos, cum vitæ genus ſedentarium, crebra excandeſcentia, plerumque ſuppreſſa ſtipatum agere cœpiſſet, variis flatulentis ac ſpaſmodicis affectionibus infeſtatus fuit. Præſertim elapſo circiter anno, & quod excurrit, de ſpaſmis in ſiniſtra colli parte, doloribus illius lateris ardentibus, atque ſtupore paralytodeo, oculorum caligine, moleſtiſque ructibus conquerebatur. Contra hæc mala tandem ſuaſu medicorum, vena in pede ſecata eſt, tam felici ſucceſſu, ut & oculorum obſcuritas, & ſpaſmi colli, ſiniſtrique lateris ſtupor remitterent; niſi quod ſub aſpero cœlo interdum recurrerent, & ciborum cupiditas dejecta maneret. Hanc reſtauraturus, elixir ſtomachale adhibuit; ſed cum ſub hujus uſu cœcæ accederent hæmorrhoides, inſigniter ardentes; illud omiſit, & has oleo verbaſci feliciter expugnavit. Neque tamen minus vehementes oſſis ſacri dolores, poſt lapſum in illud os, exacerbati, cum ſpaſmis hypochondriacis, graviter exercuerunt Comitem perilluſtrem. Uſus hinc eſt acidulis Egranis per octodecim dies; quibus dolores hæmorrhoidales quidem ſunt debellati; at hypochondriaca paſſio abhinc majora cepit incrementa. Namque à levi animi & corporis motu, multo magis ſternutatione, peſſime habet, flatus cum ſonitu, ac dolore acutiſſimo ab uno latere ad aliud devolvuntur, & incarcerati ſummam inferunt anxietatem; adeo, ut noviſſime melancholici quid accedere videatur. In hoc rerum ſtatu commendavi, ut ter quotannis vena in pede, vel ſi cœcæ forſan adparuerint hæmorrhoides, in brachio tundatur; dein ſub epulis octoginta elixirii viſceralis guttæ capiantur; veſperi vero ex hauſtu aquæ frigidæ liberaliori, vel pulvis præcipitans, nitroſus, rhabarbarinus & deterſivus, vel liquor anodynus ad quindecim guttas ſumatur; & externe hypochondriis emplaſtrum ſaponatum Barbette, bene camphoratum imponatur.

*Epicriſis.*

Quando hypochondriaci ſanguineæ conſtitutionis, doloribus & ſpaſmis in capite & partibus inferioribus afficiuntur; cauſa non tam in catarrhali defluxione, vel ſero acri ſtagnante, ſed potius in ſanguine per flatus & ſpaſmos imi ventris illibi congeſto, quærenda eſt; quo caſu omnino ea, quæ ſanguinem ad partes inferiores derivant, & copioſiorem emittunt; uti eſt venæ ſectio in pede, plus emolumenti afferunt, quam alia interna & externa diſcuſſioni ſeri dicata remedia, ſicut præſens nos docet obſervatio. Secundo, quando hypochondriaci de dolore preſſorio circa ſcrobiculum cordis, qui in dorſum uſque protrahitur, cum inflatione ſiniſtri lateris, & ſumma anxietate oppreſſoria, frequentibus eructationibus, & conatibus ad vomitum conqueruntur, & per conſenſum in eodem maxime latere ſiniſtro capitis partes nervoſæ afficiuntur, ut in præſenti caſu, certum indicium eſt, materialem cauſſam flatuum non ſolum in ventriculo, ſed potiſſimum in duodeno hærere. Quare præcipua medentis intentio eſſe debet, convenientibus remediis & internis & externis, quæ ſpaſmos ſedant, flatus diſcutiunt, & naturale robur partibus reſtituunt, ſuccurrere. Quidam medicorum emeticis curam aggrediuntur; ſed hæc licet leniora fuerint, ſi continuentur, non adeo proficua deprehendi. Nam licet materiam mucidam & biliosam educendo, quodammodo levamen afferant; tamen quia motus inteſtinorum periſtalticus, qui deorſum fieri debet, per hæc remedia, ſurſum invitatur, firmior convaleſcentiæ ſpes in iis minime quærenda erit.

## Observatio VIII.

*Affectio hypochondriaco-hyſterica ſingularis.* Illuſtris matrona florentiſſimæ ætatis, per aliquod tempus horrendis paſſionibus hyſtericis agitabatur; quæ omnes univerſi corporis tam internas, quam externas partes cum atrociſſimo mox dolore, mox tumore diſcruciabant. Præſertim in pede & femore ſiniſtro, circa os iſchion dolorem ſentiebat fere intolerabilem, cum motus pedis impotentia: urgebant non minus horrenda capitis æque ac dorſi tormenta, præcordiorum anxietates, & difficultas ſpirandi ſuffocativa, vehementiſſimi ſingultus, inquietudines, vigiliæ, & artuum externorum diriſſimi ſpaſmi. Præterea de inſigni in ſiniſtro latere circa regionem lienis conquerebatur dolore, & manifeſta erat ſub coſtis illius lateris durities, ad vertebras dorſi extenſa, & manu percipienda. Non minus infeſtant uteri & abdominis vehementes inflationes, cum rugitibus, borborygmis, vagiſque doloribus; & per pudenda flatus interdum cum impetu erumpunt, ſpaſmorum, dolorumque levamen inferentes. Alvi tanta eſt ſiccitas, & conſtrictio, ut eam non ſine magna difficultate, & crudeliſſimis tormentis reddere queat: fœces ſemper duræ, & conglobatæ inſtar ovinorum excrementorum in podice ſubſiſtunt, nec egredi poſſunt, niſi prius intruſo in anum digito exitus paretur; qui calloſo, vel potius membranaceo præternaturali impedimento videtur occludi. Interdum quoque fit, ut ſimul cum excrementis filamentum quoddam membranaceum, tenue, latitudine lumbrici terreſtris, vel pennæ minoris, extra anum propellatur, cui ſtercora indurata, veluti vinculo alligata adhærent, quod extra podicem propendens non ſine magna vi extrahitur. Redduntur ſimul cum excrementis rotundæ quædam particulæ, ſubſtantiæ membranoſæ, duræ, & pellucidæ inſtar ovorum formicarum. Cuncta, quæ materies medica ſuppeditat, antihyſterica quidem in hoc caſu fuerunt adhibita, ſed in caſſum: potius præter rectam vivendi rationem, aquæ minerales, inque iis primum Sedlicenſes, tumque Carolinæ molares, ſpinoſum hunc penitus expugnarunt affectum.

*Epicriſis.*

Eſt quidem præſens morbus hyſtericus, ſed cum plane ſingularibus hypochondriacis ſymptomatibus conjunctus; in quo tria præſertim momenta, notatu digniſſima occurrunt. Primum eſt, tumor ille durus in ſiniſtro hypochondrio circa ſplenis regionem: cujus ſedes minime in liene, tanquam viſcere ad dolores tumoreſque ejuſmodi plane inepto, reſidet; ſed potius in ea coli portione, quæ circa hanc regionem flexuram patitur, collocanda eſt. Hoc nimirum inteſtinum, ſicuti in tympanitide fieri ſolet, à flatibus mirum in modum diſtenſum, ſubjacentes quoque partes in tumorem ejuſmodi attactu

durum

durum elevat. Alterum momentum eſt flatulentia uterina, quæ in hujus præternaturali conſtitutione facile generatur; & afficiendo nervos uterinos, mali hyſterici præcipua in noſtro caſu cauſſa exiſtit. Talis notabilis caſus conf. IN CONSULT. MED. *Tom. II. Sect. III. Caſ.* 47. Tertium, cui animadverſio debetur, momentum, eſt excluſio concrementi illius filamentoſi, membranacei; quod nihil eſt, niſi mucus inteſtinorum glutinoſus, ob calorem, ac ſiccitatem eorundem, nimium induratus; quem veteres non ignorarunt inteſtinorum affectum, & tale concrementum ſub nomine pituitæ vitreæ ſignificarunt; quale etiam notabile exemplum in LIPSII *Epiſtolis* occurrit.

## Observatio IX.

*Malum hypochondriacum à crebris puerperiis.*

Matrona generoſa, ſeptem & triginta annorum, victu utens moderate vinoſo, nec tamen ratione ciborum, quos valde nutrientes amat, ſatis accurato, ſomnum nimis diuturnum capiens, & hinc ſanguine ſucciſque, ut ex florido vultus colore adparet, pleniſſima, crebros partus, eoſque ſingulis ferme annis excluſit. His non modo valde debilitata eſt; verum etiam gravia à puerperiis ſemper retinuit incommoda, moxque vomitum cruentum, mox febrem acutam, & elapſo abhinc biennio, tertianam diuturnam toleravit. Præterea alvi eſt ſiccioris, quæ nullis paruit medicinis, clyſteres enim prorſus nequit ferre, & ſuppoſitoria, aqua Sedlicenſis lacti nupta, pilulæ balſamicæ, magneſia alba &c. non niſi momentaneum ſemper tulerunt levamen; mannatas vero potiunculas vomitu reddit. Acceſſerunt ſenſim hypochondriacæ affectiones: ſiquidem moleſtiſſimi ructus, inflationes ventriculi dolorificæ, præcordiorum compreſſiones, anxietates, ſpirandi difficultates, ani teneſmus &c. graviter ipſam extra partus periodum exercent; & junctæ vertigines, moleſtique aurium tinnitus, prohibent, quo minus corpus nec ambulando, nec curru vehendo exercere queat. Ceterum menſes rite & ſufficienti quantitate ſuccedunt; neque etiam minus hæmorrhoides geſtationis tempore largiores, extra illud parciores, tamen regulares fluunt. Nec negliguntur artificiales ſanguinis miſſiones; ſiquidem ipſi gravidæ bis vel ter plerumque tunditur vena; extra graviditatem ter quotannis, detractis ſemper octo unciis inciditur in pede; quoniam in brachio aperta, majorem poſt ſe trahit præcordiorum anxietatem. Poſtquam igitur contra hæc mala permulta adhibuit medicamina; nullo ſequuto levamine; abſtinuit à cunctis, & per noviſſimum ſemeſtre non niſi liquore meo anodyno, & elixirio balſamico uſa eſt, atque ex his bene habuit. Sed cum nondum omne malum debellatum ſit; meum deſideravit conſilium, & ut præſertim alvi lubricitatem procurarem, rogavit. Commendavi ipſi clyſteres oleo probe imbutos, pediluvia, item fotus ex herbis & floribus emollientibus cum lacte decoctis, ad ima ventris admittendos.

### *Epicriſis.*

I. Sicuti viri, ita etiam fœminæ, ſanguineæ à natura complexionis, per inconveniens vitæ & victus regimen, ſanguine & ſuccis turgentes, multis & magnis morbis patent: nam accedente virium ex quacunque cauſſa, in fœminis vero per frequentes partus & gravia puerperia dejectione, in pertinaces chronicas, cujus generis ſunt hypochondriacæ & hyſtericæ, paſſiones incidunt, quas perſanare non tam facile eſt, ut vulgo putatur.

II. Quando à conſtrictiſſima alvo, nulla fere medicina vincibili, flatus ad inteſtina tenuia, & maxime ad ventriculum & duodenum aſcendentes, diſtendendo ſummas in diſſitis etiam partibus moleſtias efficiunt; certiſſime judicari poteſt, inteſtinum rectum vehementiſſimis ſpaſmis à ſtagnante ibi & in conterminis partibus ſanguine conſtrictum eſſe. Quo caſu externa unguenta ex axungiis, maxime animalium, clyſteres quoque oleoſi, balnea, pediluvia, fotus, & venæ ſectio in pede inſtituta præſentiſſimum allevamentum & auxilium afferre ſolent.

## Observatio X.

*Affectus hypochondriaco-ſpaſmodicus cum ſuſpicione faſcini.*

Vir annorum viginti octo, patre natus phthyſico, juvenis ſub lauta ac vinoſa diæta, illibata, præter levem ſpirationis anguſtiam, uſus eſt ſanitate. At cum academicam ingreſſus vitam, crebris ſeminis profuſionibus, ac nimiis meditationibus, neglecto corporis motu, indulſiſſet; male habere cœpit, atque præſertim ſpaſmodicis circa pectus ſtricturis, ac tuſſi ſicca infeſtatus fuit. Poſt hæc muneri præfectus eccleſiaſtico, majus malorum ſenſit incrementum, & ſub levi corporis motu, ipſiſque concionibus, tantis ſubito pectoris compreſſionibus, ad ſuffocationem uſque, tantiſque phlogoſibus non raro prehenſus eſt, ut à motu pariter ac concionibus abſtinere debuerit. Hiſce vitiis conjugio conſulturus, eodem inito, majora fere incidit; ſiquidem per intervalla, præter ſummum mentis angorem, frequentes accedebant ſenſuum defectiones, ac lipothymiæ; quas tandem adplicatione frigidiſſimæ nivis debellabat. Sed ſuccedebant ſtrepitus, tinnituſque in capite, murmura in abdomine, colli ſub inſpiratione, ac potus aſſumtione conſtrictiones, ac ferme ſtrangulationes, ſudoreſque mox frigidi, mox calidi: interim ſanguis ex vena miſſus, floridus atque fluidus adparebat. Medici conſulti diverſas fovebant ſententias; quidam enim morbum pro hypochondriaco-ſpaſmodico, à viſcerum obſtructione, humorumque dyſcraſia ſuborto habebant; alii vero faſcinum accuſabant, ſpaſmoſque ab immateriali derivabant cauſſa. Adhibuit ergo varia, quibus crebræ phlogoſes ac commotiones ſanguinis expugnabantur; at reliquis adhuc per quatuor jam annis adfligitur ſymptomatibus, quorum hæc eſt idea. Per intervalla, maxime ventriculo jejuno, ac ſub concionibus repente corripitur ſpaſmodicis, abdominis, ventriculi ac colli conſtrictionibus; ſub quibus venter atque pectus, veluti fune conſtricta, ac pondere oppreſſa, magno impetu ad interiora retrahuntur, anguſta fit ſpiratio, loquelæ interceptio; totumque corpus, ſudore perfuſum contremiſcit. Præterea ſolita ſub veneris exercitio deficit titillatio, unde crebrius repetitur; animus interdum redditur triſtis, ac inquietus, atque tum invaleſcunt ſpaſmodica ſymptomata. Ceterum integro gaudet adpetitu; & pro potu vinis utitur, quoniam cereviſia faucium conſtrictionem inferre videtur.

### *Epicriſis.*

Quam pernicioſa & functionibus æque vitalibus ac animalibus infeſta ſint intempeſtiva & nimia præſertim primis adoleſcentiæ annis veneris

exercitia, & quàm maxime iis, qui vitæ ſedentariæ, lucubrationibus, & profundioribus meditationibus indulgent; id toto proh dolor! die obſervamus. Vis enim & robur naturæ ac generis nervoſi ita debilitatur, ut corpus inde quam facile ex levi data cauſſa ad omnis generis motus morboſos & anomalos proclive reddatur. Quando ejuſmodi ſubjecta morbis acutis afficiuntur, ſummo nunquam non vitæ periculo ſunt expoſita. Ex chronicis paſſionibus patiuntur maxime eas, quæ ex irritato nimium ſyſtemate nervorum proficiſcuntur; cujus generis ſunt epilepſiæ, motus convulſivi, ſpaſmodici & arthritici vagi, quorſum etiam referri debent ſpaſmi præcordiales ſtrangulantes & ſuffocatorii, ad quos inprimis concionatores, ſi hypochondriaco laborant malo, ſunt proclives. Hi enim quia cum impetu, vehementi vociferatione ſanguinis & humorum motum ad pectus, cor & caput impellunt, non mirum eſt, quod præ aliis pectoris ad ſuffocationem uſque compreſſiones, phlogoſes, ſenſuum defectiones ac lipothymias cum ſtrepitu & tinnitu in capite & auribus, conſtrictiones faucium ſuffocatorias cum ſudore frigido, modo calido experiantur; ſanguine tamen exiſtente ſatis fluido & florido; qualis per reſpirationem auctam ſub celeriori per pulmonum vaſa tranſitu efficitur. Ego in tali caſu per longam experientiam non melius & tutius aliquod remedium lacte aſinino, convenienti tempore & methodo exhibito, ſufficiente motu & analepticis, balneis quoque aquæ dulcis, decenti ratione admiſſis me unquam deprehendiſſe, certa fide aſſeverare poſſum.

### Observatio XI.

*Malum hypochondriacum à ſuppreſſione hæmorrhoidum.*

Perſona quædam illuſtris, annorum quadraginta octo, temperamenti ſanguinei, corporiſque robuſti, ac proceri, matre nata hypochondriaca, per multos jam annos quotannis fluxum hæmorrhoidalem patitur. Ob varias autem per aliquod tempus res, quæ ipſi obtigerunt, adverſas, hæc excretio ſenſim imminutior facta, & moleſto ani ardore ſemper ſtipata fuit. Acceſſit ergo ante ſeptem annos dolor in pede ſiniſtro podagricus; huncque ſilentem, & non amplius recrudeſcentem, excepit arthritis vaga: non minus ſingulo vere purpuracea efflorelcentia, cum catarrhali affectione, ardore, ac pruritu cutis, largiſque ſudoribus totum corpus occupare ſoluit, ſed & ſponte ſub recta vivendi ratione deſiccatur. Tandem hoc noviſſimo anno prodiit hypochondriacum malum, ſæviitque ſymptomatibus atrociſſimis. Namque primum inſignis eſt adpetitus proſtratio, ut ſæpius ſub ipſo paſtu aſſumta vomitu reddere teneatur. Adfligunt inſuper inſignis laſſitudo, anxietates præcordiorum, eorumque gravativi ac preſſorii ſenſus, cordis potiſſimum occupantes ſcrobiculum, & ad ſcapulas excurrentes, vertiginoſa capitis perturbatio, tinnitus aurium, ſomnus terriculamentis plenus. Abdomen, & hypogaſtrica præſertim regio valde inflatur, multiſque murmuribus adficitur; ventriculus & gula ingentibus ſtringuntur ſpaſmis, cum aliquali deglutitionis impedimento. Hæc ſymptomata veſpertino tempore exacerbantur; & calore capitis, manuumque præternaturali complicantur. In hoc rerum ſtatu commendavi potationem fontium Egranorum tepefactorum; uſum elixirii balſamici, pilularumque balſamicarum; nec non pulveris laxantis rhabarbarini. Pro potu ordinario decoctum quoddam; & ad vertiginem, auriumque tinnitum, balſamum vitæ extrinſecus inungendum ſuaſi; nec rectum vitæ regimen, ac corporis motum negligendum, juſſi. Abhinc illuſtri ægro poſt primam pilularum doſin, hæmorrhoides, cum inſigni levamine fluere cœperunt; ut nullum ſuperſit dubium, quin reliqua curatio recte inſtituta, malo latura ſit ſuppetias.

*Epicriſis.*

Morbum hypochondriacum & fluxum hæmorrhoidalem, ſive potius diſpoſitionem ad eum, ingentem inter ſe habere communicationem & conſpirationem, certo certius eſt: ita prorſus, ut utraque affectio ſit quàm maxime hæreditaria, & hæmorrhoidarii quam facile pathematibus ſpaſmodico-flatulentis, & rurſus etiam hypochondriaci irregularibus ſanguinis per venas ſedis commotionibus afficiantur. Nam non raro deficiens & ſuppreſſus hæmorrhoïdum fluxus cauſſam affectui hypochondriaco ſubminiſtrat; non raro etiam homines, qui nunquam à natura proclives ad hunc fluxum fuerunt, ſpaſmis & flatulentiis inteſtinorum propter impeditiorem progreſſum ſanguinis per venas meſaraicas & venæ portæ redditum, hæmorrhoidarii fiunt, adeo, ut doloribus & ſpaſmis circa os ſacrum, hæmorrhoidibuſque tam cœcis, quam fluentibus obnoxii reddantur.

Deinceps quoque certæ in praxi medica eſt experientiæ, & hypochondriacos & hæmorrhoidarios ex facili fieri podagricos, arthriticos, & ſcorbuticos, atque ſilente forſitan altero affectu, ut plurimum ſuccedere ac recrudeſcere alterum. In ejuſmodi intricatis & complexis morbis utique optimum reconvaleſcentiæ ſignum eſt; ſi & artis & naturæ beneficio per ſedis venas fluxus, qui & cacochymiæ & plethoræ optime medetur, procurari & in ordine ſervari poteſt.

### Observatio XII.

*Melancholia hypochondriaca hæreditaria.*

Vir juvenis, viginti ſeptem annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, parentibus melancholicis, & patre plane maniaco natus, animi ſenſibilioris, in prima juventute rachitide laboravit; tumque ſuperatis, cum epilepſia variolis, anno ætatis decimo achoribus capitis infeſtatus fuit. His remediis mercurialibus, abſque recto regimine, ſublatis ſucceſſit, tumor totius abdominis, maxime ſcroti pellucidus; laxantibus ſenſim ſanatus. Quatuordecim annos natus, crebris manuſtuprationibus, ſemen provocare cœpit, perque aliquot annos continuavit, cum inſequente corporis contabeſcentia. Inſimul ad ſtudia nimium incubuit; & poſtquam ſemen turpi manu elicere deſiit, non modo crebris pollutionibus nocturnis vexatus, verum etiam tantas narium hæmorrhagias paſſus fuit, ut ſæpius animo delinqueret. A decimo nono ætatis anno, academiam ingreſſus, Bacho operam non raro dedit; mediocriter valuit; donec quinque abhinc annis ſub epulis aliquando ſubito fieret, ut fruſtum cibi in faucibus obhæſiſſe videretur. Spongia intrudebatur gulæ; ſed non modo ſenſus pali pharyngi infixi permanebat; verum etiam uvula prolabebatur; & poſt multam operam elevata, hoc reliquit incommodum, ut quoties Nicotianam ſugat, vel vinum hauriat, protinus faucium ardorem ſentiat, & vel uvulæ prolapſum, vel tonſillarum intumeſcentiam patiatur. Poſthæc vitæ genus iniit

valde

valde inordinatum; ſiquidem degebat in loco, multis ſtagnis, impuroque aëre pleno; ſæpiuſque corpori calenti, ac fortiori motu commoto aquam frigidam ingurgitavit. Hinc febrem intermittentem incidit, valde irregularem, & mox tertianam, mox quartanam, mox quotidianam: qua tandem, ope electuarii cujuſdam ſanata, vanis, triſtibus, ac meticuloſis exerceri cœpit cogitationibus. Has expugnaturus, elapſo proxime anno, Jenam ſe contulit; ſed ibidem majora incrementa cepit melancholia, cum plenaria adpetitus proſtratione juncta; ut omnem cum amicis conſuetudinem fugere teneretur, gelidiſque ſæpenumero perfunderetur ſudoribus. Curæ medici cujuſdam ſe tradidit primum; à quo martialibus tractatus, cum nullum ſentiret levamen, & malum, accedente ob mortem matris mœrore, magis exacerbaretur; acidulas Selteranas adhibuit, conjunctis venæ ſectionibus, pediluviis, aliarumque convenientium medicinarum uſu. Sed cuncta fuerunt fruſtranea: ſiquidem crebris ſollicitatur phlogoſibus, humorum ad caput congeſtionibus, fortiori cordis palpitatione; & ſub epulis præſertim inſigni mentis angore adficiebatur. In tali rerum ſtatu, conſultus ego, primum pro potu ordinario decoctum conſuetum; ad alvum ducendam, infuſum rhabarbarinum; pro nervis, capiteque confortandis pulverem, ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, ſuccino, nitro, oleo cinnamomi, maciſque confectum ordinavi; pediluvia quoque, & extrinſecus ad ſplenis regionem, emplaſtrum ſpleneticum Aquapendentis commendavi; & præter rectam diætam, longas peregrinationes, aëriſque mutationes ſuaſi.

*Epicriſis.*

Multa occurrunt in hac morbi hiſtoria momenta, quæ tanquam cauſſæ remotiores, ad malum hypochondriaco-melancholicum contribuerunt. Primum quidem notandum eſt, ægrum noſtrum jure hæreditario quandam ad melancholiam obtinuiſſe diſpoſitionem; quæ in tenerioribus ætatis annis in ea potiſſimum conſtitit nervoſarum partium conſtitutione, atque debilitate, qua ad ſubeundos varii generis morbos proclives fuerunt. Hinc enim in prima ſtatim infantia, digeſtionis, chylificationis, ac nutritionis negotium, minus rite ſucceſſit; & ideo atrophica corporis conſumtio, cum rachitide enata fuit. Qua percurata, reſtitiſſe tamen videtur, ſanguinis ac lymphæ potiſſimum quædam acrimonia; quæ tandem ſalutari naturæ conſilio, ad cutis ſuperficiem depulſa, ſub achorum forma comparuit. Recte quidem data tum fuerunt mercurialia; at cum inconveniens acceſſerit regimen: non fieri potuit, quin conſtricta corporis ſuperficie, impura exanthemata retroceſſerint, tumoremque corporis œdematoſum induxerint.

Deinceps quum tantæ nervoſi generis debilitati, & per hæreditatem, & graves morbos acquiſitæ, ſuſtentatæque, acceſſerint crebræ manuſtuprationes: non ſane mirum, ſi partes ſolidæ tantam ad irregulares commotiones proclivitatem obtinuerunt, ut ceſſantibus voluntariis ſeminis profuſionibus, illud non modo præter voluntatem ſub nocturnis ludibriis promanaverit, verum etiam ipſe ſanguis, ad animi uſque deliquium è naribus eruperit. Tum magis adhuc fregerunt naturæ, nervoſique ſyſtematis vires, errores diætetici in academia commiſſi; quibus in acceptis ferendus eſt ſpaſmus pharyngis, quo inter epulas, ſumto forſan liberaliori vino, correptus eſt. Hunc, accedente improvida ſpongiæ in gulam intruſione excepit tanta atonia partium, in faucibus ſitarum, ut ad hunc uſque diem, poſt potum ſpirituoſiorem, aut aliud faucium irritamentum, vel uvulæ prolapſus, vel tonſillarum inflatio ſubſequantur.

Tandem ex irregulari diæta ac vitæ regimine in febrem incidit intermittentem, admodum irregularem; quæ ope electuarii, forſan chinati ſuppreſſa, primam originem hypochondriaco ac melancholico malo præbuit. Huic ſubinde majus pondus ac incrementa dedit, partim improvidus martialium uſus, partim diuturnus mœror ex obitu matris conceptus. In hocce igitur morbi genere, ubi cuncta remedia incaſſum fuere propinata, præter ordinatam vivendi rationem, potum convenientem & balnea aquæ dulcis, non ullum relinquitur ſubſidium, quam aëris mutationes ac diuturnæ peregrinationes: quæ niſi votis reſpondeant, omnis fere opera ac oleum perditum eſt.

### Observatio XIII.

*Affectus melancholico-maniaco-hypochondriacus.*

Matrona triginta annorum, temperamenti ſanguineo phlegmatici, elapſo abhinc anno, cum ob menſtrua retenta ſe gravidam reputaret, ex mariti obitu, vehementi affecta mœrore, huic nimium indulgere cœpit, & ſolitudinem quæſivit. Erumpens paullo poſt cum magnis doloribus, uterinus, ſed parcus cruor, ſuſpicionem graviditatis diſcutiebat; & illa ab hominum conſortio fere remota, in prædio vivebat. Ibi ex improviſo fiebat, ut, prævia raucedine, & ardore faucium, in his ſentiret ingens gelu, quod primum parvum ſpatiolum occupabat, ſed mox per totum pectus, ad utraque hypochondria excurrebat, tandemque in preſſorium, tenſivumque pectoris dolorem deſinebat. Sumto pulvere contra acredinem, largiori quantitate, accedebat tanta ſpirandi anguſtia, ut ſuffocari videretur; & tuſa in utroque crurum vena, totius corporis horror, pectoriſque oppletio jungebatur; noctem tranſigebat inſomnem, altero die non niſi delira, mentis prorſus impos, loquebatur. Accedens medicus deprehendebat pulſum fortem, celerrimumque; urinam intenſe tinctam, cum ſedimento furfuraceo, ſalibuſque ſcorbuticis; anhelationem gravem, quæ tandem rejectione pituitæ tenaciſſimæ, fere purulentæ ſolvebatur. Sermonem continuum ſine ordine movebat, mox flebat, mox ridebat; alvus erat adſtrictiſſima, ſomnus nullus, ciborum faſtidium, ſcintillabant oculi; artus inſigni pollebant robore, continuiſque motitationibus agitabantur; & interdum in cruribus adparebant exanthemata, abſque calore præternaturali. Hæc ſymptomata, veſpertino tempore vehementiora, alternis potiſſimum diebus exacerbabantur; nec veſicatoriis, camphoratis, anodynis, aliiſque remediis obſecundabant. Notari quoque meretur, epidemicam hoc tempore fuiſſe catarrhalem febrem, exanthematibus plerumque complicatam. Conſultus ego crebrum uſum pulveris temperantis, ex pulvere Marchionis, antimonio diaphoretico, cornu cervi philoſophice præparato, ſuccino præparato, nitro depurato, & cinnabari confecti commendavi; & veſperi liquorem anodynum, ex hauſtu aquæ frigidæ ſumendum ſuaſi. Pro potu ordinavi ſerum lactis,

lactis, & ad moliendam alvum, mannam, nitro antimoniato nuptam propoſui; non minus emulſiones refrigerantes propinari, capitique epithema ex ſeminis cucurbitarum uncia dimidia, nucleorum perſicorum drachmis binis, aquæ florum ſambuci, roſarum, tiliæ, liliorum convallium, papaveris rhœados ana unciis duabus, nitri ſcrupulis binis, camphoræque in ſpiritu roſarum ſolutæ granis tribus, adplicari juſſi. Tandem narium hæmorrhagiam, ſi impetuoſior raptus humorum ad caput fuerit, intruſo iis ſtylo, provocandam curavi; ac præter corporis exercitationem, balnea aquæ dulcis ordinavi.

*Epicriſis.*

Variæ ſunt cauſſæ, quæ ad ingenerandum hoc dirum contribuerunt malum; prima eſt menſtruarum retentio, quæ forſan à vita nimis ſedentaria originem traxit, & licet ſponte revocata ſit, parcior tamen fuit; altera debetur diuturno mœrori, ob mariti obitum inducto; & hinc inita vita ſedentaria, ab hominum conſortio remota: unde imi ventris ſpaſmodicæ ſtricturæ, humorumque major ad caput raptus, ortum petunt. Debetur inſuper animadverſio febri catarrhali exanthematicæ, tum temporis graſſanti; quæ noſtram, ſpaſmodicis motibus obnoxiam, raucedine, fauciumque ardore id teſtantibus, procul dubio occupare voluit. Gelidus in œſophago ſenſus, non niſi ex ſpaſmodica illius ſtrictura fortiori, ſanguinemque profundius reprimente, natales ſuos mutuatur; quæ per reliquum corpus, maxime pectus protenſa, hujus compreſſiones, ſpirandique difficultatem induxit. Quin idem ſpaſmodicus motus per inconſultam venæ ſectionem ad totum corpus propagatus, hujus horrorem excitavit: atque ſic aucta partium inferiorum, maxime abdominis ſtrictura, humores ſpiſſi pariter ac impuri majori copia ad pectus caputque rapti, illius opletionem: in hoc vero circulum impeditiorem effecerunt; quo tandem factum eſt, ut turbatis animalibus functionibus, raptus melancholico-maniacus exceperit.

In tali igitur caſu, non aliæ ſunt medendi indicationes, quam ut relaxatis corporis exterioris ſpaſmis, humorum effrænes motus conſopiantur, & impetus à capite ad exterius & inferius corpus derivetur. Hinc ex internis proſunt temperantia, lenia anodyna, potuſque ſeri lactis; extrinſecus juvant clyſteres, ac epithemata capiti adplicanda. Vix vero operæ pretium faciunt hæc medicamina, niſi acceſſerint balnea aquæ dulcis, quibus relaxatur conſtrictum corpus, ſuccique ad inferiora derivantur. His felici cum ſucceſſu, ſi ex prioribus malum non remittat, ſed magis invaleſcat, jungi poteſt ſanguinis, è naribus ope ſtyli ipſis intruſi facta provocatio; cui quidem interdum univerſalis humorum per venæ ſectionem præmitti debet inanitio, at quum illa in noſtro caſu brevi ante morbi invaſionem inſtituta fuit; commode ipſi ſuperſedere potuimus. Nec vero negligendus eſt corporis motus, quippe qui virtutem reliquarum medicinarum egregie ſecundat, & tali ratione malum hoc, maxime ſi fuerit recens, ſæpe curatum vidi.

## Observatio XIV.

*Paſſio hypochondriaca ſtomachica.*

Vir generoſus, habitus corporis ſpongioſi, ſanguinis humorumque pleniſſimus, diu jam paſſionibus flatulentis, ac hypochondriacis, maxime in ſiniſtro latere, cum doloribus colicis fuit diſcruciatus. Præſertim vero per noviſſimos aliquot menſes, cum è mobili vitæ genere, ad magis ſedentarium tranſiiſſet, autumnali hiemalique tempore, ſumtis epulis, hora circiter tertia vel quarta pomeridiana, ſenſit moleſtum & preſſorium in cordis ſcrobiculo, dextroque hypochondrio dolorem, ad dorſum uſque procurrentem, atque cum præcordiorum anxietate, pectoriſque oppreſſione ac coarctatione ſtipatum: pedes inſimul algent, vultus ſanguine turget, rubetque, pulſus fertur citatior, manuſque calent. Sub hoc paroxyſmo vexant ſæpius conatus vomendi, modo irriti, modo ipſi vomitus, materiam ſaporis acidiſſimi, dentes ſtupefacientem, fauceſque arrodentem, licet parciori quantitate eructantes. Levatur malum ructibus copioſe exploſis, atque ſudore, circa veſpertinum tempus erumpente prorſus ſolvitur. Eo gravius autem, & frequentius torquet, ſi æger cibis leguminoſis, flatulentis, piſcibuſque marinis avidius indulſerit. Ceterum vires languent, corpus emacreſcit, & alvus nunquam ſponte ſuo fungitur officio.

Requiſiti medici pugnarunt elixiriis, ſtomachicis, volatilibus, purgantibus &c. ſed fruſtra, magiſque malum exacerbabant. Ego vero, perſpecta penitius morbi cauſſa atque ſede, pulveres acrimoniam humorum temperantes, leniterque laxantes, ex lapidibus cancrorum, radice ari, croco martis ſubtiliſſimo, rhabarbaro, tartaro vitriolato, cinnabari, ſemineque cymini confectos ordinavi. Præterea, ut abſtineret ab omnibus flatulentis, ac leguminoſis cibis, atque vini Rhenani potu, cui hactenus adſueverat, juſſi; cœna quoque parciori uteretur, corpuſque ſedulo moveret, imperavi. Tum thermas Carolinas commendavi; quibus aliquoties, ſub recto regimine, uſurpatis, optime valere cœpit.

*Epicriſis.*

Hæc affectionis hypochondriacæ ſpecies, quæ ab antiquis medicorum ad cardialgiam referri ſolet; nec raro noſtris temporibus, ſequioris potiſſimum ſexus perſonis familiaris deprehenditur, commode ſtomachica adpellari poteſt. Ego quidem illius ſedem, in inteſtino duodeno collocandam eſſe cenſeo; cujus tonus atque naturale robur, ſi fuerit dejectum, facillime in eo ſtagnat maſſa alimentorum, in ventriculo minus recte digeſtorum, & accedente pravo bilioſo pariter ac pancreatico ſucco, acriorem ſubit fermentationem, vaporumque elevationem. Hi vero nimium inflando, ac diſtendendo ipſum duodenum, atque ſuper hoc ſitum plexum magnum meſentericum, item arteriam & venam meſaraicam comprimendo, nec non orificia ventriculi, & flexuram, quæ in fine duodeni eſt, arrodendo, ac claudendo, omnium recenſitarum moleſtiarum cauſſam præbent, atque fundamentum. Tam ingens vero ſuccorum acidorum, qui obſervantur in hypochondriacis, proventus, non niſi humoribus in ventriculo ac inteſtino ſtagnantibus debetur; qui ſæpenumero ad corroſivam accedunt naturam, teſtantibus vomitionibus. Vitioſo huic acido in acceptis quoque ferenda eſt alvi adſtrictio; idemque bilis texturam corrumpens, album generat fæcum alvinarum colorem. Inde porro petenda eſt ratio, cur in tali caſu purgantia remedia effectu ſuo deſtituantur; eorum enim vim non magis quam ab acidis infringi notiſſi-

notiſſimum eſt. Ego vero in hiſce adfectionibus ad alvum laxandam nihil præſtantius mannatis paſſuliſque rhabarbarinis, non omiſſis motu ſufficiente, potuque humectante, deprehendi; nec minorem virtutem exſerunt abſorbentia alcalina, dum acidum abſorbent, cumque illo ſal quaſi medium amaricans conſtituunt, cujus ope vim laxantem obtinent. Præterea thermæ, maxime Carolinæ, propter copioſam terram alcalinam, & ſal, quod complectuntur, amaricans, omne fere curationis punctum abſolvunt. Et ſane ad acidum abſorbendum, viſcidum incidendum, alvum laxam reddendam, cunctas excretiones promovendas, viſcerumque obſtructionem reſerandam, ſagaces ac periti medici nullam unquam medicinam, hiſce thermis pretioſiorem invenerunt, atque judicarunt.

Atque has de paſſione hypochondriaca allegaſſe ſufficiat obſervationes: plures, qui cognoſcere cupit, adeat RESPONSA, atque CONSULTATIONES noſtras medicinales. Sic inveniet de malo hypochondriaco exempla in *Sect. III. Caſus XXIX. uſque ad XXXIII.* hypochondriaco hyſterico *Caſus XXXIV. ad XXXIX.* hypochondriaco-ſpaſmodico-flatulento *Caſus XXXVII. ad XXXIX.* hypochondriaco-ſcorbutico *Sect. IV. caſus L. ſeqq.* melancholia hypochondriaca ac hyſterica *Sectio III. Caſus XL. ad XLII. caſu LII. ad LIV. ſeqq.*

# SECTIO II.

## DE

## *SPASMIS ET CONVULSIONIBUS particularibus; ſpeciatim de Palpitatione Cordis, Aſthmate Spaſmodico & Suffocativo, Tuſſi Convulſiva, ſingultu, Spaſmo & Convulſione Oeſophagi, Vomitu, Cholera & Dyſenteria, & de uteri Convulſione, abortu.*

### CAPUT I.

### *De Palpitatione Cordis.*

#### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

EXPOSITIS iis ſpaſmodico-convulſivis affectibus, qui tanquam univerſales, totum nervorum genus occupant, omneſque fere corporis functiones proſternunt: tranſeundum jam ad illos erit, qui certis tantummodo partibus inhæreſcunt, eaſque magna ſæpenumero violentia exagitant. Hos inter atrox malum eſt cordis palpitatio, quam vere talem definimus, quod ſit violenta, & perquam moleſta muſculi cordis ſubſultatio, ac convulſio, ſive è naturali ſua ſede dimotio, ab influxu liquidi tenuiſſimi in nervos cardiacos impetuoſiori, & cruore juſto majori copia in dextrum cordis ventriculum impulſo, vel ab acrimonia, aut alia cauſſa originem petens.

*Definitio palpitationis cordis.*

§. II.

*Differentia ratione graduum, & à tremore cordis.*

Hanc veram eſſe definitionem, ex infra dicendis pateſcet: jam vero præmonere conveniet, eam eſſe intelligendam de palpitatione cordis vere tali, i. e. quæ morboſa, valde moleſta, & ſæpius ſatis chronica exiſtit; quæ differt à tremore cordis, atque leviori illius palpitatione, corporibus etiam ſanis eveniente, citoque tranſitoria. Tremor nimirum cordis fit à fluidi nervei in eas nervoſas fibras, quæ communi itinere cum vaſis, maximeque arteriis coronariis, externam cordis ambiunt ſuperficiem, vel celeriori, vel impeditiori per nonnullos ramos influxu: hinc LOWERUS *de Corde Cap. II. pag.* 91. adnotavit, quod cor canis, ligato octavi paris nervo, protinus contremuerit. Inde quoque ratio patet, cur talis tremor, partim poſt graviores animi affectus, & fervidiorem veneris appetentiam contingere obſervetur; partim etiam viribus amiſſis accedere ſoleat, & mox animi deliquia prænunciet, mox febres malignas comitetur, mox inſignius ſanguinis profluvium ſequatur, mox moribundos vexet. Datur quoque crebrior cordis palpitatio ſeu motus, qui occurrit in iis, qui celeri curſu, ſaltatione, luſu pilæ, aut balneis nimium calidis corpus exagitarunt; vel effuſiori gaudio indulſerunt, vel fortiori iracundia exarſerunt; nihilque eſt, niſi celerior, atque velocior cordis & arteriarum ſyſtole, à commotis nimium, atque citius per cordis cava circulantibus ſuccis inducta. Hæc eadem celerior cordis ſyſtole, dum à pulſus duritie vacat, ſeſe diſtinguit à febrili pulſu, qui hujus frequentia cum duritie juncta abſolvitur. Diſtingui porro debet cordis palpitatio ab ea, quæ interdum, maxime in fœminis circa ultimos geſtationis menſes, in epigaſtrica abdominis ſentitur regione; & nihil eſt, niſi arteriarum in eo loco ſitarum, præcipue cœliacarum, nimia à copioſo & in prompto per venas ſplenicas regreſſu præpedito cruore, repletio, validiorque pulſatio: quæ optime ſanguinis miſſione curatur. Tale exemplum proſtat in A. N. C. *Dec. I. anno VI. p.* 261. De his nobis directe non ſermo eſt; ſed de ea loquimur ſpecie, quæ ægros non raro ſine evidenti, ac externa cauſſa adoritur, & tanta cordis contractione & agitatione perficitur, ut illud etiam è naturali ſua ſede dimoveatur;

moveatur; & vel ad ſiniſtrum magis latus propellatur, vel violenter ad coſtas, atque ſternum allidatur, tantaque vehementia præcordia elevet, ut pulſatio externa tegumenta attollat, & quandoque extra parietes percipi potuerit; teſtantibus FORESTO *Obſ. Lib. XVII. Obſ.* 10. & CHRISTOPHORO à VEIGA *Lib. III. de art. med. cap.* 8. Quin RIVINUS *de Cordis Palpitatione* §. 13. memoriæ prodidit, ſe in ægro cordis palpitatione laborante, in eo pectoris loco, ubi admota manus pulſationem percipiebat, maculam rubicundam; in altero callum deprehendiſſe.

§. III.

*Hiſtoria morbi.* In hiſtorica hujus affectus deſcriptione occurrunt quædam momenta, quæ merentur conſiderationem. Primum quidem valde obnoxia huic malo deprehendimus ſubjecta, quæ ſunt corporis ſtrictioris, temperamenti ſanguineo-melancholici, animique ſenſibilioris, in terrorem maxime proclivia, ætate juniora, quæ ſanguine ſuccisque turgent, horum conſuetas evacuationes, ſive fuerint naturales, ſive artificiales ſuppreſſas, vel neglectas patiuntur; maximeque ſequioris ſexus perſonæ, quibus menſtrua non rite ſuccedunt, vel narium hæmorrhagiæ ſuppreſſæ ſunt. Hinc BALLONIUS *Lib.* 1. *conſil. pag.* 519. *Uti in juvenibus*, inquit, *ex ephebis excedentibus, quibus debet eſſe frequens hæmorrhagia, ſi ea deſit, palpitatio poteſt contingere*; *ita etiam virginibus nondum menſtruatis accidere poteſt, recurrente ad partes ſuperiores ſanguine.* Ipſa palpitatio levior vel gravior eſt, & per intervalla plus minus longiora invadit; mox noctu ex improviſo adoritur miſeros dormientes, ut ſubito evigilent; mox interdiu accedit, ſumtiſque ſæpius epulis invaleſcit. Antecedunt interdum graves præcordiorum anxietates; ſub ipſo paroxyſmo velox & anhela fertur ſpiratio; jungitur interdum tremor cordis, &, quod probe notandum, pulſus arteriarum, licet ſit intermittens, tamen cordis motui ſæpe non reſpondet, ſed languidus fertur ac imminutus; quin teſtante TIMÆO a GULDENKLEE *Epiſt.* 23. *pag.* 140. prorſus non ſentitus fuit in carpo. In gravi paroxyſmo percipitur magna moleſtia in præcordiorum regione, ob ſeptum videlicet tranſverſum vi nervi phrenici, circa cordis ſiniſtrum latus ſiti, & ab ejus palpitante motu agitati male affectum; non minus inſignis corporis languor, artuumque tremor remanet.

§. IV.

*Sedes & cauſſa mali proxima.* Quod attinet ad ipſas mali cauſſas & ſedem: formalis cauſſa ſemper eſt violenta cordis contractio, atque convulſio tanta, ut è ſede ſua dimoveatur: materialis proxima vero eſt quædam cruoris potiſſimum in dextro cordis ventriculo ſtagnatio, & nimia ad eum aggeſtio, propter quam impetuoſior fluidi nervei in nervos cardiacos & fibras cordis fit influxus & earum præternaturalis contractio. Quæ ut eo facilius intelligantur; operæ erit pretium, quædam de intimiori cordis ſtructura, huc apprime facientia, præmittere.

§. V.

*Nervorum cardiacorum deſcriptio.* Atque primum ex ſolertiſſimi JOHANNIS MARIÆ LANCISII *tr. de motu cordis, & aneuriſmatibus* allegandum duximus, quod contra plurimorum medicorum ſententiam, qua valde exiles, & vix animadverſione dignos cordi tribuunt nervos, hos potius inſigniores ac innumeros, cordis muſculis communicari, penitior doceat anatomia. Namque in ſingulo latere, dextro pariter atque ſiniſtro quinque adnotare licet nervorum paria; quorum primum, vagum dictum, in cerebro inter nates, teſteſque ſubortum, & in molli hujus ſubſtantia, inter ramuſculos carotidum arteriarum progreſſum, communi cum vena cava itinere ad pericardium fertur, & ſparſis ad auriculas, arteriaſque ramulis, deſinit in rete nervoſum, inter aortam ac pulmonalem arteriam, in poſtica cordis baſi reperiundum. Alterum, quod intercoſtale ſuperius vocatur, eodem cum priori principio natum, & è capite per foramen oſſis petroſi emiſſum, ſupra aortam deſcendit arteriam, inque tres diviſum ramos, unum externo cordi, reliquos duos dicto reticulari communicat contextui. Tertium, quod audit vertebrale, adhuc intra cerebrum prope decimum nervorum par erumpens, cum arteria vertebrali, per oſſeam viam progreditur, & circa ſeptimam colli vertebram egreſſum, cordi variis inſinuatur locis, tandemque in memoratum rete diſtribuitur. Quartum, nomine intercoſtalis inferioris, præditum, ex ſpinali medulla inter tertiam, quartamque colli vertebram ſurgit, & miſſis quibuſdam ad auriculas & utraſque venas ramulis, ad formandum ſæpius allegatum plexum concurrit. Quintum denique, quod phrenicum vocat, ex ultima colli, primiſque dorſi vertebris erumpens, nervos dat auriculis ac ventriculis, atque eundem perreptat nervoſum plexum; ex quo demum innumeri rami per totam cordis feruntur ſubſtantiam. Hinc docemur, unde cordis muſculo tanta vis ſit, quæ omnium totius corporis muſculorum robur longiſſime ſuperat: curque, uno nervo ligato, cor quidem, ob irregularem fluidi tenuiſſimi per reliqua nervorum paria influxum tremat; ejus vero motus non prorſus intercipiatur. Præterea notari meretur, recenſitorum nervorum tria eſſe paria, quæ ganglia formant; reliqua duo his vacare. His efficitur regularis, ac naturalis cordis motus; illis irregularis ac violentior, animi pathemata excipiens: unde patet, cur animi affectibus tanta in alterando cordis motu ſit potentia. Nec ignorari oportet, cavam venam præ reliquis vaſis, numeroſiſſimam obtinere nervorum copiam: quoniam illa ad revehendum totius corporis ſanguinem, magno opus habet robore.

§. VI.

*De ſtructura, atque motu cordis.* Adhuc notatu eſt digniſſimum, cor eſſe muſculum, ſeu potius congeriem multorum muſculorum. Namque dum docet anatome, illud ex innumeris fibris, columniſque carneis conſtructum eſſe; eadem quoque penitior manifeſtat, ſingulam fibram ex quamplurimis componi fibrillis; quarum quævis, quum iterum ſit congeries fibrillarum minimarum, muſculi nomen meretur, maxime cum ſingula tegatur membrana tenuiſſima, ex fibrarum nervearum arteriarumque contextu apparata. Hinc ſequitur, cor undique, interne pariter, ac externe, valde nervoſum, valdeque eſſe ſenſibile, & ab omni, quod ipſi inhæret, ad contractionem poſſe vellicari. Deinceps cor eſt muſculus liber, à quatuor magnis vaſis pendulus: ergo à motu naturali majori ad omnes plagas rapi, & conſueta ſede dimoveri poteſt.

poteſt. Uſus cordis eſt, ut ſanguinis circulum per totum corpus promoveat; de quo ad noſtrum ſcopum hæc notamus. Sanguis ab omni corporis puncto, ope venarum primum exiliorum, mox capaciorum, fertur tandem in venam cavam, ejuſque, quem prope dextram cordis auriculam format, ſinum amplum, & ex eo in dictam auriculam, tanquam cavum intus muſculum, ſub ejus dilatatione ingreditur: ſimulque chylus ex ſubclavia, per deſcendentem cavam, eandem ſubintrat auriculam. Hæc igitur humoribus plena, ad ſui contractionem ſollicitatur; qua facta, cruorem cogit in dextrum cordis ventriculum, vel prorſus laxatum, vel juxta *Lanciſii* mentem, in fine diaſtoles atque principio ſyſtoles conſtitutum. Ille vero cruoris mole, ob fabricam valde nervoſam, ſtimulatus valide conſtringitur; pellitque contentum fluidum; impedito per valvulas tricuſpidales ad auriculam regreſſu, in pulmonalem arteriam, per pulmones undique diſtributam. Inde liberis undique viis, tendit ad pulmonalem venam, perque hanc iiſdem modis, a ſiniſtro cordis thalamo excipitur, & ex eo per aortam arteriam in totum corpus effunditur. Expreſſo è corde cruore, ejus ventriculi vacui, in ſitum vere naturalem, qui diaſtole eſt, ſe reſtituunt; & quamprimum cruore implentur, ob mechanicam neceſſitatem, rurſus contrahuntur. Sic alternat ſyſtole, atque diaſtole tam diu, quam diu vita, quæ integro humorum circulo abſolvitur, perdurat.

## §. VII.

*Ratio palpitationis cordis mechanica.*

Ex his patet, ad cordis motum naturalem requiri 1) juſtam proportionem fluidi movendi, atque ſolidi, ut ſcilicet illius ea duntaxat afferatur quantitas, quæ vi cordis naturali poſſit ſuperari, 2) fluidorum temperiem, ac mixtionem naturalem, 3) cordis juſtum robur, & hinc ſufficientem fluidi nervei, & arterioſi ſpirituoſi influxum; 4) ductuum vaſorumque ſanguinem ad cordis vaſa vehentium, ac revehentium rectam diſpoſitionem, liberamque ab omni præternaturali cauſſa cavitatem. Quæ ſi minus legitime ſe habeant, cordis motum variis modis vitiant; ſed quum nobis de vera ac violenta duntaxat cordis palpitatione ſermo ſit: ad eam a reliquis motuum cordis vitiis diſtinguendam, ſciendum eſt, ad eam perficiendam ſemper requiri: 1) ut cordis ventriculo dextro infenſum quid, quodcunque fuerit, inhæreſcat; 2) ut hinc major ac impetuoſior fiat fluidi nervei ad nervos cardiacos influxus; & 3) conſequenter, naturali major, ac ſumme violenta muſculi cordis ſubſultatio, atque contractio inſequatur, quæ ſæpius atque celerrime continuata, non prius ceſſat, quam donec expulſum fuerit inimicum, ac remotum impedimentum; 4) ut tam violenta agitatione, cor è ſede ſua, quoniam liberum eſt, pendulumque, dimoveatur; ac 5) non raro ad ſiniſtrum maxime latus protrudatur; quoniam à dextro latere ad ſiniſtrum fit impulſus; ut 6) denique humorum per arteriarum vaſa irregularis ſit progreſſus, quin interdum plane per aliquot minuta ceſſet; unde in carpo pulſus percipitur plerumque intermittens, debilis, parvus, vel plane nullus, & non raro mentis junguntur deliquia.

## §. VIII.

*Sectio cadaverum, cordis palpitatione*

His præmiſſis, jam inquirendæ erunt cauſſæ palpitationis cordis mediatæ: quo fine præmittendam duximus ſectionum eorum, qui hoc morbo perierunt, hiſtoriam. Tacemus polypos, calculos, aliaſque res præternaturales, in cordis, vaſorumque cavis obvias; de quibus fides ſit penes auctores: tacemus quoque aquam, ſanguine tinctam, juſto majori copia in ſacculo pericardii poſt mortem reperiundam; cujus infra ſubjungemus explicationem: ſed commemorabimus duntaxat, qualis reperta fuerit cordis conſtitutio. Sic A. N. C. *dec. II. anno IX. obſ.* 44. referunt, aperto tali cadavere, cor mole maximum adparuiſſe, dextrum ventriculum dilatatum, ac ſanguine nigerrimo repletum, arterias conniventes, venamque cavam aſcendentem in tumorem ingentem fuiſſe elevatam. Idem confirmat WILLISIUS *tr. de medicament. oper. Sect. VII. Cap. III. pag.* 103. ubi præter infarctum dextri cordis ventriculi, ac dextræ auriculæ, pulmones quoque atro, ſtagnante, ac extravaſato cruore fuerunt infarcti. JOH. COUSIN *in Nov. aſthmat. Hiſt. III.* refert, corda ad inſtar bovis quadrati ſemet inveniſſe.

*extinctorum.*

## §. IX.

*Cauſſæ mediatæ ſunt polypus cordis.*

Perſequuturi igitur cauſſas, quæ ad inducendam cordis palpitationem contribuunt, mediatas: eas vel intra, ac circa cor ipſum hærere, vel in partibus magis remotis reſidere deprehendimus. Ex priorum cenſu occurrunt primum, atque frequentiſſime polypoſa concrementa, fibroſa ſemper ac membranacea, in cordis potiſſimum ventriculis, ac auriculis generata, tum in venas protenſa, & ex his non raro intra arterias compulſa. Ubi hæc cauſſam præbent cordis palpitationi, has plerumque deprehendimus notas: à motu corporis validiori, à ſcalarum adſcenſione, vel ubi ſanguis leviſſime commovetur, protinus cordis palpitatio invaleſcit; fit ingens circa præcordia anxietas, cum pulſu debili, & inæquali, quandoque etiam plane intermittente; ſpiritus ægre trahitur, ut ſuffocationis non raro ſit metus, ſæpiusque animi junguntur deliquia: morbus præterea diutius perſeverat, nec ullis cedit medicamentis. Tale concrementum, ſi cordis thalamis inhæreſcat, pro vario, quem format, ſitu, nunc plus, nunc minus ſanguinis, per cavam venam advecti admittit; hinc pro majori, minorive cruoris copia pulſus quoque nunc fortis, nunc debilis ac obſcurus editur. Quando polypus ejuſmodi in eo loco, ubi firmiter accrevit, immotus quieſcit; nullam obſervamus palpitationem; quod ſi vero à loco ſuo avulſus, libere in cordis ventriculis fluctuet, hinc forte una cum ſanguine in vas ſanguiferum patulum propellatur, firmiuſque in illud adigatur, ita ut plane occludatur, & hac ratione ſanguinis transfluxus impediatur tam diu, donec iſtud repagulum rurſus ſolvatur: tum non modo pulſus arteriarum plane intermittit, atque ſilet; verum, obſtructis ſic vaſis, & continuante perpetuo ad dextrum cordis thalamum affluxu, ſtagnat cruor in hoc ventriculo, ipſum diſtendit, atque ſic muſculum cordis ad vehementiſſimam ſui concuſſionem, quæ eſt palpitatio, proritat, non prius ceſſantem, quam donec iter aliquo modo ſanguini liberum reſtituatur.

## §. X.

*Polypis extinctorum anatome.*

Hinc in iis, qui cordis palpitatione, à polypo ſuborta, exſtinguuntur; cordis potiſſimum dextrum ventriculum; una cum auricula, atque vena cava, in ſtupendam à ſtagnante intus cruore elevatum deprehendimus molem. Notabilis

hoc nomine eſt hiſtoria, quam de ſectione cordis palpitatione, à polypo enata peremti allegant M. N. C. *dec. II. anno VI. obſ.* 233. & ſic ſe habet: totum cor, quantum poſſibile, in ſiniſtram pectoris cavitatem detruſum jecit, dextra auricula mire expanſa, & ſpatioſa comparente, quippe cujus cavitas ventriculo cordis, ad quem viam pandit, longe amplior exſtitit. Pericardio, cujus membrana juſto craſſior fuit, aperto, ſeri libra ad minimum effluxit. Inciſa hinc dextra auricula, fluidus primum promanavit ſanguis, portio major coagulata ibidem hæſit; ſub quo crus polypi cujuſdam deliteſcebat, qui ex ſero viſcido, & in maſſam tenacem congelato conſtans, mediam dextri ventriculi cavitatem implebat, & auriculam tranſeundo, in arteriam pulmonicam, ejuſque ramos exporrectis pedibus profunde decurrebat; pedes ſimul varios intra columnas dicti ventriculi carneas inſerebat, tenaciter ibidem adhærens. In ſiniſtro ventriculo apparuit polypus latus, & ſpiſſus, pluribus pedibus retro columnas carneas enatus, pollicis & latitudine & craſſitie; qui ventriculum egreſſus, per auriculam ſiniſtram in aortam, & carotidem, ejuſque ramos multiplicatis pedibus expandebatur &c. De polyporum generatione, cum noſtri non eſt inſtituti, non agemus preſſius: ſed id duntaxat monebimus, quod à ſanguine craſſo, viſcidoque ejuſmodi particulæ in cordis dextro cavo relinqui, ac in fibroſam tandem texturam coire poſſint. Hæc facilius penetrabit, qui conſideraverit, in dictum cordis thalamum ferri non modo chylum, adhuc crudum, nondumque cum ſanguine mixtum; verum etiam ſanguinem, reliquo craſſiorem, parteque ſubtiliori ac ſpirituoſiori orbatum; qualis eſt partim ille, qui à hepate per cavam aſcendentem adducitur, partim è capite per cavam deſcendentem in cordis ventriculum dextrum revehitur. Omnes vero cauſſæ, quæ cruorem copioſius ad præcordia cogunt, de quibus inferius tanquam palpitationis cauſſis agetur, ad polypos generandos contribuunt. Horum, quaſi hæreditariorum, cor infantis à primis ætatis annis obſidentium, illudque ad crebras palpitationes irritantium, memorabile exemplar recenſent ACTA BEROL. *Dec. II. Vol. VII. pag.* 99.

§. XI.

*Humorum abundantia.* Frequens porro morbi noſtri cauſſa in ipſo partium fluidarum vitio quærenda eſt, & primum quidem nititur earundem inſigniori, ac vires ſolidorum ſuperante mole. Quando enim humores nimia peccant abundantia, non fieri poteſt, quam ut tam vaſa, quibus continentur, quam præſertim cordis thalamos, accedente nimirum vel fortiori eorundem commotione, vel majori ad ſuperiora ob ſpaſmos inferiorum raptu, prægrandi, ac modum naturalem excedente copia irruant, illos vehementer diſtendant, relaxent, atque tum ad contractionem palpitatoriam proritent. In tali caſu vultus eſt floridus, ac rubicundus, vaſa cruore turgent, ac pulſus fertur magnus. Hoc vitii genus à tali cauſſa inductum in juvenibus potiſſimum locum habet ſanguineis, qui pueruli largum è naribus fundere ſueverunt cruorem; & his hæmorrhagiis ceſſantibus, pectoris compreſſiones atque moleſtias ſentiunt. Idem quoque non raro accidere obſervamus illis, qui ſolemnibus ſanguinis detractionibus adſueti, eaſdem juſto tempore non repetunt, ſed neglectui habent. Hinc explicanda ſunt exempla eorum, qui certis anni temporibus recurrentem cordis palpitationem ſola venæ ſectione prævertere potuerunt. Tale de cordis palpitatione quotannis recurrente, ac tandem venæ ſectione præſervata, exhibet ZACUTUS LUSITANUS *M. P. H. Lib.* 2. *hiſtor.* 39. *pag.* 251. id quod affirmat etiam STALPART VAN DER WIEL *obſerv. rarior. Cent.* 1. *obſ.* 36. qui caſum ex Galeno allegat, quod quidam juvenis per tres ſucceſſive annos certo tempore palpitatione cordis vexatus, à venæ ſectione ſemper ſenſit levamen; quarto autem & ſequentibus, tempeſtiva venæ ſectione ſe ab hoc moleſto malo præſervavit.

§. XII.

Longe frequentius eſt, à ſanguinis & ſeri viſcidioris nimia congeſtione ad cor ejus induci palpitationem. *Sanguinis craſſities.* Sciendum enim eſt, ſpiſſos ac craſſos humores in motu ſuo circulari primum omnium in hepate perturbari, ob eam, quam *Cap. de malo hypochondriaco* allegavimus, rationem. Tum vero in imi ventris viſceribus, partibuſque nerveo-membranaceis ſtagnantes, has ad ſpaſmodicas proritant ſtricturas. Conſtricto abdomine cruor majori copia ad præcordia cogitur, & ex vena portæ omnium aterrimus per venam cavam, in dextrum cordis thalamum pellitur, ea quantitate, ut naturalis ſyſtole ipſi propellendæ haud ſufficiat. Tam craſſus vero ac viſcidus ſanguis non raro relinquit ſtagnantem in corde portionem, cui expellendæ palpitans motus, iſque ſæpe vehementiſſimus opponitur, & inde quoque prima tantum non ſemper polyporum ponuntur rudimenta. Hinc ratio reddi poterit, cur hypochondriaci, ſcorbutici, atque cachectici, cordis palpitationem, tanquam graviſſimum ſymptoma non raro experiantur: curque puellæ, ob inſignem imi ventris compreſſionem, veſtimentis huic ſcopo adaptatis factam, eodem facillime corripiantur malo. Non minus hinc clarum fit, quare viri ex hæmorrhoidum ſuppreſſione, gravi hoc ſymptomate adfligantur, ac quare virgines cacochymicæ à menſibus incipientibus, haudque regulariter ſuccedentibus; nec non fœminæ, tributum lunare ſolvere deſinentes, idem incidant vitium; quo plerumque circa lunæ inſigniores mutationes laborant. Hoc in caſu, ubi ſpiſſi ſunt vitales ſucci, iis qui colica vel flatulenta, vel nephritica diſcruciantur, familiare ſymptoma cordis eſt palpitatio: dum enim & flatus, & ſpaſmi comprimunt diſtenduntque imi ventris vaſa, & hinc cruorem majori copia compellunt ad præcordia; facilis eſt ratio, inde ſubortæ cordis palpitationis.

§. XIII.

*A materia acri, cordi inhærescente.* Eſt porro non raro palpitationis cauſſa, materia quædam ſubtilis, acris ac cauſtica; quæ non modo nervis præcordialibus ac cardiacis inſidens, ſpirationem difficilem producit; verum etiam cum humorum maſſa ad cor ejuſque vaſa coronaria delata, fibris carneis, nerveiſque adhæreſcens, eas graviter vellicando, ad violentos motus diſponit concuſſorios. Sic proſtant innumera exempla eorum, qui à ſcabie retropulſa, purpura, vel non ſatis ad cutim progrediente, vel plane retrocedente, aliiſque exanthematibus improvide retroactis, aut ulceribus præmature conſolidatis, cordis paſſi ſunt palpitationem: quod etiam de materia arthritica, podagricaque intus compulſa ſtatuendum eſt. Quin notari me-

meretur ille caſus, quem de gravi cordis palpitatione, ex fœtore pedum ſuppreſſo enata refert SIMON PAULI *in quadripart. botan. pag.* 215. Huc & illæ ſpectant obſervationes, ubi quidam ex vaporibus tetris, venenatis in hunc dirum morbum inciderunt; qualem ex fumo antimoniali in pulmones ſuſcepto obortum adnotavit GODOFREDUS SCHULTZE *tr. de nat. tinct. bezoard. Cap. V.*

## §. XIV.

*Ex defectu ſanguinis.*

Non vero ſolum à dictis humorum vitiis atrox hoc malum inducitur; ſed ad illud ingenerandum, ſanguinis quoque defectum contribuere, pluribus compertum habemus exemplis. Sic poſt enormes ſanguinis profuſiones, ſive per uterum in abortu, aut puerperio, aut menſtruis, ſive è pulmonibus per hæmoptyſin, ſive ex aliis locis quadam violentia provocatæ fuerint; non modo cordis tremorem, ſed veram quoque palpitationem inſequi, experientia comprobat. Quemadmodum enim ad ſyſtolem & diaſtolem rite perficiendam, liquidi nervei non minus, ac ſanguinis arterioſi debitus in cor, & ejus vaſa requiritur influxus: ita hoc in dictis caſibus imminuto, cordis quoque vigor labefactatur, nec ſufficiens fit ejus contractio. Hinc ab irruente ſanguine ſucceſſive grumi & coagula in cordis cavis relinquuntur, quæ tandem cumulata, non modo impediunt regularem ſanguinis tranſitum, lipothymiarum hiſce adfectibus plerumque junctarum cauſſam; verum etiam ad eam commotionem ipſum cor proritant, quæ audit palpitatio, ſed in hoc caſu levior deprehenditur; & ſimul crebrior.

## §. XV.

*Ab animi affectibus.*

Inter cauſſas noſtri mali omnino præcipuum ſibi vindicant locum immoderatiores animi perturbationes; quarum modus agendi varius; quædam ita ſunt comparatæ, ut vel humores celerius commoveant, & à partibus interioribus ad corporis ſuperficiem compellant, veluti ira eſt, atque gaudium; vel eoſdem magis ad interiora reſtringant, conſtrictis exterioribus, quemadmodum de metu, terrore, triſtitia &c. obſervamus. Hac ratione & iracundia, & effuſum gaudium, rariſſime veram inducent cordis palpitationem; conſentiente præter experientiam GABELCOVERO *obſervat. Cent. IV. Curat.* 84. Sed potius leviorem illum palpitantem motum excitant, quem §. 11. nonniſi frequentiori cordis & arteriarum ſyſtole atque diaſtole abſolvi, & à vera palpitatione probe diſtinguendum eſſe docuimus. Metus frequentius efficiet cordis tremorem; eundem vero cauſſam palpitationis eſſe poſſe, teſtatur BAGLIVUS *prax. medic. Lib. II. pag.* 229. Omnium autem maxime terrorem ad provocandum hoc malum eſſe potentiſſimum, quotidiana confirmat experientia. Ratio in eo videtur poſita: dum terroris ea vis eſt, ut conſtrictis externis corporis partibus, ſuccos vitales ad interiora magis compellat; ruunt hi majori copia ad cordis machinam; hancque, ultra naturalis dilatationis ſphæram diſtenſam, ad præternaturalem cogunt reſiſtentiam, quæ gignit palpitationem. Non ſemel quoque obſervavi, viros ac juvenes hypochondriacos, & qui debiliori nervorum genere ſunt inſtructi, ex acrioribus meditationibus, prævia extremorum refrigeratione, atque vertigine, in cordis palpitationem incidere; quam etiam fœminæ hyſtericæ ab odore ſuaveolentium patiuntur.

## §. XVI.

*Cauſæ remotiores ſunt cibi flatulenti.*

Ex cauſſis mali noſtri remotioribus huc ſpectant cibi flatulenti, ab iis præſertim comeſti, qui languidam obtinuerunt digeſtionem, veluti hypochondriaci ſunt. Cibi nimirum tales leguminoſi, ac oleracei mucoſum in ventriculo ac inteſtinis relinquunt lentorem, ex quo reſoluti vapores, non modo inteſtina diſtendunt, atque ſic liberum ſanguinis per abdominis vaſa circulum perturbant; verum maxime ventriculum expandendo, debitum ſepti tranſverſi deſcenſum, cruoriſque per pulmones curſum præpediunt, & illius expeditum per cordis cava remorantur iter. Sic de ſe ipſo teſtatur MALPIGHIUS in *Epiſtola ad* BORELLUM, ſe ab adſumtis leguminibus, palpitationes perſæpe moleſtiſſimas fuiſſe expertum. Hinc quoque ratio in promptu erit, cur hypochondriaci à paſtu potiſſimum, palpitationem cordis patiantur: & quare permulti veterum cauſſam hujus adfectus in flatulentia collocaverint; adeo ut HIPPOCRATES *Lib. II. epid.* §. *V.* dixerit, quod in omni cordis palpitatione ſit flatulentia.

*Strictura partium inferiorum.*

Nec negligendæ in claſſe cauſſarum occaſionalium ſunt imi ventris, pedum, tibiarumque ſtricturæ, ac veſtium juſto arctior adplicatio: quippe quæ humores ad ſuperiora magis compellendo, in diſpoſitis ad producendum malum plurimum contribuunt, quemadmodum GABELCOVERUS *Cent. III. Curat.* 114. *pag.* 161. confirmat; & FORESTUS notabilem allegat caſum, ubi quis propter tibias arctius ligatas, dum ſomno meridiano ſe daret, cordis palpitatione prehendebatur; ſolutis vero iis, placide ac ſuavius quievit.

*Cuncta, quæ commovent humores.*

Et denique in iis, qui à nimia ſanguinis craſſitie, vel polypoſis concrementis, cordis palpitationi obnoxii ſunt, quam plurimum ad eam revocandam contribuunt omnes humorum commotiones, ſive fiant per fortiora animi pathemata, ſive per cibos potuſque calidiores, quale exemplum de cibis nimiis aromatibus conditis allegant M. N. C. *Dec. I. anno III. obſ.* 134. ſive denique per vehementiorem corporis motum, qui illis ſubjectis ſemper obſervatur noxius.

## §. XVII.

*De aqua pericardii.*

Prius quam relinquamus pathologicam noſtri mali conſiderationem; brevibus adhuc tradendum eſt, quid de aqua pericardii ſtatuamus. Conſtat nimirum per plures obſervationes, quod in iis, qui cordis palpitatione extincti perierunt, aqua in pericardio copioſius collecta adparuerit: id quod variis exemplis confirmant CAROLUS PISO *de morbis à ſeroſa colluvie pag.* 170. OLAUS BORICHIUS *in Act. Haffnienſ. pag.* 173. HOLLERIUS *in Schol. Lib.* 1. *cap.* 39. TULPIUS *Lib. IV. cap. XX.* FERNELIUS *Lib. V. pathol. cap. XII.* Multi dictam pericardii aquam pro cauſſa palpitationis venditarunt; at nos potius cum LOWERO *tr. de Corde Cap. II. pag.* 104. ſtatuimus: quod ſit effectus palpitationis. Namque ſicuti multis obſervationibus compertum habemus, quod ſanguis, ſi in loco quodam ſtagnaverit, ſeroſam ſubtiliorem portionem dimittat, uti in cerebro, inteſtinis, utero, veſica &c. deprehendimus: ita non minus perſuaſum habemus, quod à cruore in thalamis ac auriculis cordis ſtagnante, & ſumma violentia conquaſſato, ſubtilior pars ſecedat, & in ſaccum pericardii extravaſetur: unde non hujus modo, verum etiam pectoris hydropem generari, ac cordis palpitationi ſupervenire obſervamus.

§. XVIII.

*Prognoſis.* Quod prognoſin hujus mali attinet; inſignis eſt locus, quem GALENUS *lib. de locis affectis* habet, dum dicit: *qui in juvenili vel declinante ætate corripiuntur gravi cordis palpitatione, raro ad ſenectutem perveniunt, ſed citius moriuntur.* Et AVICENNA *fen. 3. primi l. doct. 5. cap.* 1. cavendum maximopere, ne morte ſubita intercipiatur, qui ſic affectus fuerit, his verbis commonuit: *Ille,* inquit, *cui tremor cordis aſſidue contigerit, de ſe ipſo ſit ſollicitus, ne ſubita intercipiatur morte, quod ſymptoma hujuſmodi, cum principis partis proprium ſit, in ſyncopen, & inde in mortem facile transmutetur*; ſicut idem auctor *fen. XI. tertii tr. Cap. II.* conceptis verbis affirmavit. Neque profecto parvi habendus ac negligendus eſt hic affectus, à quacunque demum ſuboriatur cauſſa: namque non raro contingit, ut ille, ſi cor ultra ſphæram elaſticitatis adeo diſtendatur, ut ſe conſtringi nequeat, in lethalem ſuffocationem, ac ſyncopen terminetur. Et facilis quoque illius in periculoſam hæmoptyſin, phthiſin, cachexiam, aſthma convulſivum, hydropem pectoris & anaſarcam eſt tranſitus. Metuendum maxime de infelici eſt exitu, ſi palpitatio fuerit frequens, ſi magna, ſi cum anhelitu, animi deliquiis, & pulſus inæqualitate contingit. Generatim & in prognoſi rite ſuppeditanda, & curatione mali feliciter abſolvenda, adnotare oportet medicum, num cordis palpitatio ſit idiopathica, aut, quæ cauſſam intra ipſum cor, aut ſaltem vaſa ipſi vicina agnoſcit; anne ſymptomatica, quæ morbis ſpaſmodicis, convulſivis, hyſtericis, ac hypochondriacis tanquam moleſtum jungitur ſymptoma. Illa curari fere nequit; hæc, ſublato primario morbo, prorſus ceſſat.

### *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Curatio affectus noſtri convulſivi, quo hic magis inveteravit, eo difficilior redditur: namque cordis fibræ, ſi tam frequenter præter naturam vellicantur, ac diſtenduntur, tandem adeo debilitantur, ut morbus fiat habitualis, & à leviſſima reſuſcitetur cauſſa. Quare ſi in ullo, certe in hoc morbo, principiis obſtare oportet; quoniam non niſi naſcenti morbo, perfecta curatio, ipſi vero invaleſcenti, præſertim idiopathico, palliativa duntaxat ſupereſt medela. Ipſa vero medendi ratio hæc eſt: 1) adniti oportet, ut nimia commotio partium fibroſarum & nervearum cordis ac vaſorum apte ſopiatur. 2) Sanguinis ſtaſis circa cor & pulmones impediri debet; ejus adfluxum revocando, ac circulum reddendo liberiorem. 3) Cauſſæ, quæ malum excitant, extra paroxyſmum ſunt removendæ.

§. II.

*Quidnam in paroxyſmo ſit faciendum.* Quod paroxyſmos attinet; diſpiciendum eſt rationali medico, quæ occaſionalis cauſſa ad illum inducendum contribuerit. Si videlicet nimiam humorum ebullitionem ſubeſſe cognoverit; præſtantiſſima ſunt remedia, quæ temperant illam, ſimulque vi pollent, præternaturalem partium ſolidarum motum compeſcendi. Hoc nomine præclari uſus ſunt pulveres antiſpaſmodici, qui ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, nitro depurato, cinnabari, ſuccino, dente hippopotami philoſophice præparato, cornu cervi ſine igne, & tantillo extracti caſtorei apparantur; nec non pulvis noſter præcipitans vel ſolus, vel liquori anodyno minerali nuptus, & ex hauſtu aquæ frigidæ, quæ in temperando humorum orgaſmo, excellentem obtinet virtutem, liberaliori ſumtus. Ubi flatulentia inteſtinorum ſuſtentat malum, alvus adſtricta, cutis arida, pedesque frigidi ſunt; præter dicta interna temperantia, externis quoque dimicare convenit; & inprimis flatuum per inferiora ſubductioni, alvinæque excretioni ſuccurrendum per clyſteres oleoſos, leniter carminativos. Pedes quoque in aquam tepidam immittere oportet; ſed ea cautione, ut ſi juſto frigidiores fuerint, prius pannis calidioribus probe fricentur. Quandocunque nimiæ hæmorrhagiæ præceſſerunt, viriumque inſignis proſtratio cum crebris animi deliquiis præſto eſt; temperantibus jungenda ſunt analeptica; veluti mixturæ, quæ ex aquis liliorum convallium, meliſſæ Turcicæ, cinnamomi ſine vino, ceraſorum nigrorum, pulvere Marchionis, lapidum cancrorum, liquore anodyno, & ſyrupo quodam analeptico, v. g. florum quatuor cordial. conficiuntur. Et ipſa eſſentia ambræ egregia virtute & analeptica, & roborante in hoc caſu pollet.

§. III.

Neque vero ſpernendus eſt externorum remediorum uſus: ex quorum numero ſunt fotus ſacculique diſcutientes, & balſamici, ad præcordia & cordis ſcrobiculum adplicandi, qui ex roremarino, mentha, meliſſa, floribus chamomillæ Romanæ aliiſque ſpeciebus, aqua meliſſæ vinoſa, ſive l'eau des carmes irroratis adparari poſſunt. FORESTUS meliſſam viridem cum borragine calefactam, & cum aqua roſacea, ac momento aceti admotam laudare ſatis nequit: cui ſcopo etiam balſamum noſtrum vitæ, præcordiis inunctum faciet ſatis. Denique ſi ſanguis abundaverit, & per ſatis longum tempus ex vena haud detractus fuerit; nec ex commendatis remediis paroxyſmus cedere velit: nihil fere ſupereſt, quam ut vena vel in pede, vel etiam, ſi reliquæ permiſerint circumſtantiæ, in ſuperioribus corporis partibus tundatur, & ſufficiens cruoris detrahatur quantitas. Sic enim liberantur præcordia à nimia humorum mole; ac æquilibrium inter ſolidas, fluidaſque reſtituitur partes. Hinc HORSTIUS *Lib. III. Obſ. XVI.* venæ ſectionem in ipſo paroxyſmo ad miraculum profuiſſe teſtatur. Quidam facta lateris dextri ad terram inclinatione, paroxyſmos levare ac tollere poſſunt: quales caſus ipſe vidi aliquoties, & unum in A.N.C. *dec. I. anno II.* relatum legi. Neque obſcura eſt ratio; hoc enim incurvato corporis ſitu, celerior ſanguinis per venam cavam deſcendentem ad cor affluxus paululum intercipitur. *Externa in paroxyſmis adhibenda.*

§. IV.

Extra paroxyſmos omnis curandi intentio eo eſt dirigenda, ut cauſſæ malum foventes tollantur, vel ſaltem imminuantur. Quo quidem fine impigre invigilandum eſt, ut quæcunque ſubſit cauſſa, excepta, quæ defectu ſanguinis nititur, humorum incrementum ſtudioſe præcaveatur. Sic enim ſuccurrimus plenitudini, ac ſpiſſitudini illorum; ſic quoque polyporum, ſi præſto fuerint, retardamus augmentum. Et ſane præſtantiſſimum, cujus ope hoc fine potiri licet, remedium eſt decenter inſtituta venæ ſectio: quæ ſicuti in *De venæ ſectionis uſu.*

in ipſo paroxyſmo inſignem fert opem, ita quoque extra illum, ad præcavendas novas acceſſiones, egregiam exſerit virtutem. Hinc GALENUS *Lib. V. de locis affectis Cap. II.* adfirmare non dubitat: omnes palpitatione cordis laborantes, venæ ſectione, & alimentis, ac medicamentis attenuantibus curatos fuiſſe ac liberatos. Conſentiunt hac in re ANTONIUS AB ALTOMARI *Cap. XLV.* CAPIVACIUS *Lib. II. Pract. cap. VIII.* VICTOR TRINCAVELIUS *in Prælect. de compoſ. medicament. & Cap. de palpitatione cordis.* STALPART VAN DER WIEL *obſ. rarior. Cent. I. obſ.* 36. ZACUTUS LUSITANUS M. P. H. *Lib. II. hiſt.* 39. *pag.* 251. & VERZASHE *obſ.* 90. Hoc ſane remedii genus, uti in illis, qui ex nimia ſanguinis plenitudine, aut etiam ſpiſſitudine cordis palpitatione laborant, omnium remediorum vim & ſuperat, & ſecundat: ita ſane unicum fere eſt ſubſidium, quo eos, quos polypoſa in corde concrementa vexant, ſolari poſſumus.

§. V.

*Quomodo oppugnentur ſanguinis ſpiſſitudo, atque polypi.*

Præterea preſſius ad cauſſarum ablationem accedendum erit; quo quidem nomine, ſi ſymptomatica fuerit cordis palpitatio, ad morbum primarium in medendo reſpicere oportet. Hic ſi fuerit hypochondriacus, repetenda & in uſum vocanda ſunt ea, quæ *Cap. de malo hypochondriaco* commendavimus. Præſertim vero quædam animadverſio debetur humorum ſpiſſitudini; quæ ſicuti mater eſt concretionum polypoſarum; ita eandem fere cum his requirit curationem, hac differentia, ut ea in ſimplici humorum ſpiſſitudine funditus exſtirpanda, in polypis vero non niſi ad graviora pericula præpedienda locum habeat. Utroque autem caſu hic eſt curationis cardo, ut & alimentis & medicamentis perpetua humorum fluxilitas conſervetur, atque ſalutarium excretionum ſucceſſus adjuvetur. Quamobrem præſcribenda ſunt infuſa ac decocta aperientia, attenuantia, ac reſolventia; brodia ex juſculis tenuioribus cum radice cichorei, graminis, herba chærefolii &c. parata. Commendat quoque in tali cordis palpitatione, quam melancholicam vocat, ſerum lactis RHODIUS *Lib. II. obſ.* 40. Omnium vero medicaminum virtutem longiſſime ſuperant, aquæ minerales, inque primis thermæ Carolinæ: quippe quæ humores ſpiſſos, coagulatos, viſcidoſque optime reſolvunt, attenuant, impuros per excretiones proſcribunt, viſcerumque infarctus feliciter reſerant. Et novi profecto quædam ſubjecta, quæ palpitatione cordis vexata, polypoſa in corde fovere videbantur concrementa; & ab uſu venæ ſectionis, thermarumque Carolinarum annuo, ſe per multos annos in vita conſervarunt.

§. VI.

*Curatio mali à reliquis humorum vitiis orti.*

Quando malum cauſſam & originem habet à menſium, vel hæmorrhoidum retentione: operæ pretium erit, has excretiones in ordinem revocare; id quod medicinis temperantibus, antiſpaſmodicis, diluentibus, blandis laxantibus, venæ ſectione, pediluviis, balneis, aquis thermalibus, aliiſque pro circumſtantiarum varietate peragere licebit. Quod ſi ulcera, ſcabies, arthritica materia, aliaque exanthemata intra corpus depulſa; evacuatis per blanda laxantia, quæ in primis viis hoſpitantur, craſſis ſordibus, ſtudendum eſt, ut materiam acrem ſubtilem in maſſa ſanguinea oberrantem involvamus, ad exitum diſponamus, atque tum per cutis ſpiracula eliminemus. Quem in finem egregiam præſtabunt utilitatem abſorbentia, ac diaphoretica fixiora; aut acidula: veluti eſt mixtura ſimplex cum liquore anodyno primum ſolo, deinceps ſpiritui bezoardico Buſſii, vel cornu cervi ſuccinato nupto maritata. Hoc etiam fine proſunt infuſa calida theiformia, mane intra lectum cum regimine diaphoretico, eoque temperatiſſimo ſorbillanda. Ubi denique vitium in ipſo corde, ejuſque præternaturali conſtitutione, duritie oſſea, excreſcentia, abſceſſu &c. latet: nihil prorſus valet ars medica. Interim ne nihil egiſſe videamur, eadem via, qua oppugnandos diximus polypos, incedendum erit.

§. VII.

*Methodus præſervatoria.*

Præſtantiſſima vero methodus, qua hoc morbi genus præſervare licet, in ſtudioſa cauſſarum occaſionalium evitatione atque rerum non naturalium recto uſu conſiſtit. Quamobrem ii præſertim, qui polypis onerati videntur, ſunt admonendi, ut motum corporis, maxime fortiorem fugiant; ne commotis ex eo humoribus, avellantur forſan fibroſæ illæ concretiones, & libere in vaſis fluctuando, celeriorem ac funeſtum producant eventum: bene id monente GABELCOVERO *loc. cit. Cent. III. curat.* 114. qui etiam ſuadet, ut veſtimenta, præſertim abdomini, femoribus, ac tibiis, maxime compreſſoria in ſexu ſequiori, laxiora admoveantur. Hoc non minus, ac alia momenta egregie explicat CRATO, dum *Lib. V. Conſil. XII.* dicit: *adſtrictior veſtis circa ventrem improbatur: bene ventriculus, & pectus munienda ſunt, ne ulla frigida aura ad ea penetret. Verſari etiam in aura frigidiori, minime tutum eſt; nocturnus aër vitandus, & inchoante palpitatione ſubito clyſter injiciendus, & manus ac pedes fricandi.* Victum porro non minus ac potum oportet eſſe tenuem; ac cibi, qui flatus movent, cane pejus & angue evitentur. Cum primis vero cavendum ab animi affectibus, maximeque ab ira, atque terrore, ut & à voluptatibus venereis & nimiis meditationibus; utpote quæ res ex ſua natura hunc affectum in ſcenam producere valent. Poſtremo opera danda eſt, ut excretiones corporis bene reſpondeant, alvus ſemper officio ſuo fungatur, & tranſpiratio liberior conſervetur.

## *CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautela circa opiata.*

Commendant auctores quidam opiata in cordis palpitatione remedia, & de iis magna prædicant. Verum cavendum maxime ſuadeo, ne vaporoſa & fortiora narcotica, qualia ſunt opiata, præſertim minus correcta, in hoc affectu conſopiendo interne adhibeamus; quippe quæ, & cumprimis, ſi offerantur iis corporibus, quorum vires ab enormioribus hæmorrhagiis penitus fere proſtratæ ſunt, potius damnum inferunt, & malum deterius reddunt, tantum abeſt, ut ſolamini ſint adflictis. Fœminis autem hyſtericis, in paroxyſmis, qui palpitatione cordis ſtipantur, non ſine fructu naribus admovere licet vaporoſa fœtida ex caſtoreo, aſa fœtida, pennis uſtis

uſtis &c. parata. Contra vero in hiſce caſibus à ſuaveolentibus cavendum eſt : quippe quæ non modo ipſum malum exacerbare, verum etiam protinus revocare valent.

§. II.

*Pediluviorum uſus.* Quemadmodum in omnibus ſpaſmodicis affectibus, tam circa venarum in pedibus inciſionem, quam pediluvia, perpetuæ inſtar regulæ tenendum eſt, quod hæc medicamina, ſi pedes frigidi fuerint, minime in uſum vocanda ſint; quoniam malum ſic exacerbatur : ita præſertim hanc cautelam in cordis palpitatione adnotare oportet. Potius frictionibus, ac fomentationibus humorum adfluxus in pedes eſt invitandus, & tum ejuſmodi ſubſidia adplicanda.

§. III.

*Quæ conferant in cordis palpitatione ab anæmia inducta.* Quandocunque malum ab humorum, per hæmorrhagias deperditorum inopia, & virium jactura originem traxit; analeptica & vires reficientia, quæ vero minime nimis calida eſſe debent, ne orgaſmum inducant, ſunt adhibenda: ex quibus inſtar omnium eſſe poteſt eſſentia ambræ cum liquore anodyno mixta. Succurrendum porro eſt cibis nutrientibus, lacticiniis, emulſivis, quæ ſanguinem cito regenerant : & quo digeſtio ſit vegetior, ea ſunt conjungenda ſubſidia, quæ tonum ventriculi roborant, veluti eſt elixir noſtrum viſcerale balſamicum. In malo chronico commendamus etiam aëris & loci mutationem, peregrinationem, jucundumque conſortium.

§. IV.

*Circa emetica, purgantia aliaque acriora.* Emetica, fortiora purgantia, commoventia, volatilia, nimis aromatiſata, & acriora, ſtudioſe in hoc malo ſunt evitanda : ea enim humores nimis commovent, & ventriculum ſpaſmo afficiunt, quem preſſo pede humorum ad præcordia affluxus inſequitur. Ob vim commoventem caute etiam cum balneis aquæ dulcis procedendum eſt; illa enim, ſi adhibeantur, tepidiſſima, & paroxyſmo remittente ex uſu eſſe debent. Contra blanda diaphoretica, in eo potiſſimum caſu, ubi retropulſa ſunt exanthemata, inſignem merentur laudem; quippe quæ lenem provocando ſudorem, inimicam materiam ſimul expellunt, ac efflореſcentiam ad corporis ſuperficiem revocant.

§. V.

*Sectio venæ jugularis.* Quando cordis palpitatio ab inſigniori plethora originem traxit, facieſque cruore valde turgida adparet : præſtat interdum ſanguinem, ex tuſa vena jugulari externa detrahere. Sed notandum circa talem eſt operationem, ut tepidiora pediluvia, & ante, & inter eam adhibeantur, ne nimius ſit ad ſuperiora ſanguinis affluxus. Nonnunquam quoque neceſſitas poſtulat, ut præmittatur phlebotomia in pede; & ea in collo poſthæc inſtituatur.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Palpitatio cordis à ceſſante narium hæmorrhagia.* Generoſa & venuſta octodecim annorum virgo, hilari & acuto ingenio prædita, ſucci & ſanguinis plena, lauto vivendi generi adſueta, ſingulis fere pueritiæ annis ſanguinis ſatis inſigne ex naribus profluvium experta eſt. Quo vero per biennium jam parcius ſuccedente, exinde vel acerbiori capitis dolore, vel cordis vehementi pulſatione, magna cum moleſtia ad aliquot dies interdum perdurante, haud abſque ingenti virium collapſu afficiebatur. Eadem quoque motu paulo validiori & animi & corporis vel repetebat vel ingraveſcebat, cum pectoris oppreſſione & ſpirandi anguſtia, pulſu ſubinde intermittente & inæquali conjuncta. Neque parum hic affectus capiebat incrementi, quando ex male concoctis alimentis dolore ventriculi tenſivo & preſſorio cum flatibus & ructibus ore plurimis emiſſis angebatur. Ceterum vero notatu erat digniſſimum, quod parentes, in adoleſcentia ſimiles plane affectus, nimirum & narium hæmorrhagias, & cordis palpitationem fuerant experti. Hi igitur crebrius meam requirebant opem & conſilium; equidem nolui multa fauſta promittere, eo quod polypoſi concrementi quidpiam jam tum præcordiis inhæreſcere judicabam. Ad levandum tamen malum ſuaſi, ut ſanguinem, qui ob copioſum menſium ſucceſſum nunquam antea à chirurgo fuerat detractus, ex brachii vena bis vel quater mitteret quotannis; à vino, quo una cum parentibus, qui in regione vinis abundante & cereviſiis carente nati ac educati erant, liberalius inter cibum uti conſueverat, inpoſterum abſtineret, & loco potus ordinarii aquam puram ſimplicem ſumeret. Deinceps quoque animi ac corporis quietem commendavi, quibus effectum eſt, ut mitioribus deinde factis paroxyſmis & corpus contabefactum & vires collapſæ incrementum ceperint. Denique vero elapſis aliquot annis ingenti mœrore ob parentis obitum perturbata, gravius afflicta, & febre tandem ſuperveniente hectica, è vivis ſublata eſt.

*Epicriſis.*

Id non ſemel, ſed ſæpius obſervavi, ſanguine ob nativam & hæreditariam corporis diſpoſitionem abundantes, ſub primis ætatis annis, quando per nares crebrius ſanguinem evacuarunt, hoc ſubſiſtente fluxu, cephalalgiis, imo cordis palpitationibus valde tentari; ita quidem, ut accedente narium hæmorrhagia, cordis tremor deſinat, iſta vero vel imminuta, vel penitus ſublata, invaleſcat. Et ſicuti diæta, quæ ſuccos temperatos copioſe ingenerat, eorumque ebullitionem concitat, cauſam omnino huic affectui ſubminiſtrare valet: ita victus tenuis, potus aquæ ſimplicis loco vini vel cereviſiæ, ſanguinis quoque ſuperabundantis per vices repetita miſſio, non modo ſi corpus natura diſpoſitum ſit ad tale malum, id præſervandi, ſed etiam ſi præſens eſt, mitigandi vel ſanandi inſigni omnino energia valent; adeo, ut etiam polypoſis in gignendis concretionibus, quæ ſanguineæ complexionis hominibus valde ſunt familiares, & noſtrum affectum incurabilem efficiunt, ſatis valide reſiſtant.

### OBSERVATIO II.

*Palpitatio cordis ex ſanguinis vitio.* Vir generoſus viginti & aliquot annorum, patre aulico mere ſanguineo, qui canonice quaſi omnes, qui à ſanguinis copia naſcuntur, morbos à primis pueritiæ annis paſſus fuerat, natus, gracilioris ſed proceri corporis, validis, cum in Academia degeret corporis exercitiis vacans, poſtea quoque in aula fortiori pilæ luſui adſuetus,

cum

cum aliquando per aliquot dies eidem incumberet exercitio, finito iſto omnibus fere viribus collapſis in animi deliquium incidebat; ſubſequenti inſigni cordis tremore; quo eo tempore à levi corporis vel etiam animi motu ſæpius fortiter ad aliquot horas correptus fuit. Ipſe vero, uti in aula mos eſt, nulla habita diætæ & regiminis ratione cum liberalius ſe ingurgitaret vino, factum eſt, ut ſubſequentibus annis, præſertim verno & autumnali tempore vires ſumendo tam graviter ſæpenumero priori tentaretur afflictione, ut præ ſumma ſpirandi anguſtia & præcordiali anxietate ferme ſemianimis jaceret; extremis algeſcentibus, & facie ac pectore ſudore frigido perfuſis, pulſu languido & inæquali, quandoque etiam intermittente. Ad mitigandos graviores, ſi forte incidebant paroxyſmos, non præſentius inflexione dextri capitis lateris ad terram elevatis cruribus auxilium invenit. Suaſi ego potum aquæ frigidæ, crebriores ſanguinis è brachio dextro miſſiones, à ſpirituoſis abſtinentiam, atque ut quieti ſe daret, & quotannis aquis thermalibus Carolinis, quæ à molendino nomen habent, uteretur. Cui conſilio etiam paruit, & rariora inde longeque mitiora expertus eſt pathemata.

*Epicriſis.*

I. Sub validiſſimo ejuſmodi & diutius durante exercitio, quia ſanguinis ad cor, & omnis generis vaſa vehementior eſt impulſus; fit inde, ut crebrius ſuccedente vehementiſſima ventriculi cordis dextri, imo arteriæ pulmonalis expanſione, robur fibrarum cordis & illius arteriæ, una cum ſyſtaltica vi maxime imminuatur; ita, ut copioſius aggeſto, & difficilius progredienti ſanguini, qui convulſivæ cordis motioni cauſam præbet, rite propellendo non ſit æqualis ac ſufficiens.

II. Quod vero ab inflexione capitis ad dextrum latus in terram, morbi vis ſtatim remiſerit, id inde factum exiſtimo: quia ſub tali ſitu impetuoſior ſanguinis ad dextrum cordis ventriculum per venam jugularem affluxus impeditur, ut poſtea eo melius congeſtum ſanguinem per arterias expellere poſſit.

III. Sectio venarum jugularium, imo earum, quæ in brachio ſunt, in hoc morbo majoris eſt efficaciæ, quam ea quæ aliis locis ventilatur, quippe, quo propius ea ſit loco affecto, eo præſentius auxilium ferre obſervatur. Sed videndum maximopere eſt, ne confertim & ſemel, ſed repetitis vicibus emittatur ſanguis; ne impedito legitimo humorum ad cor affluxu, ſublataque ſimul omni ſyſtole animi deliquium acceleratur.

IV. Ad generationem vel augmentum polyporum in corde ejuſque vaſis, qui ſubitum non modo vitæ exitum, ſed & funeſtos & graves morbos, hydropem, aſthmata, & id genus alios inferunt, præcavenda, ego ſimplici aquæ potu vel etiam thermis Carolinis, quæ ſale abundant alcalino, præſtantius vix aliquid inveni; ſed opus eſt, ut mature id conſilium exſequamur.

## Observatio III.

*Palpitatio cordis ex terrore, cum inſequente hydro. lethali.*

Puer duodecim annorum, conſtitutionis tenerrimæ, ac macilentæ, temperamenti ſanguinei, ob grave domus incendium, ingenti perculſus terrore, protinus in cordis palpitationem incidebat; quæ per intervalla longo tempore exercebat illum, & à paſtu maxime invaleſcebat. Dati a medico pulveres antepileptici cum opiatis remixti, exacerbabant malum; cui poſt aliquot ſeptimanas, dolor hypochondrii gravativus, interdum tenſivus, reſpirandique difficultas accedebant. Hinc judicatum fuit, palpitationem ex obſtructis hypochondriis fuiſſe ſubortam; & ideo anthypochondriacis, aperientibus, martialibus, aliiſque, ſed fruſtra pugnatum eſt remediis. Quare, cum nullum fere ſupereſſe videretur conſilium, per anni dimidium omnem medicinarum uſum reſpuit æger: atque tandem mire extenuatus, pedum primo, mox totius abdominis tumore prehendebatur, cum inſigni palpitationis levamine; ſuperiora marceſcebant, adpetitus peribat, ingens vexabat tuſſis, & hoc immedicabili preſſus hydrope, diem obiit ſupremum.

*Epicriſis.*

Quod gravis terror cordis palpitationem inducere poſſit; vel eo tempore docemur, quo periculoſa incendia urbis incolas terrent: tum enim plures palpitante tremore infeſtatos diſcurrere videmus; veluti hoc malum eo in caſu eſſet epidemium. Prout vero ſubjectorum diverſa eſt conſtitutio; diverſum quoque terror edit effectum, plus minus graviorem. In noſtro puero mali vehementiam adauxit opiatorum pulverum uſus; quibus ſanguis viſcidior, & ad ſubeunda concrementa opportunior redditur. Atque cum tali ratione, morbus in principio inconvenienter tractatus, dein plane ſibi relictus fuit: non fieri potuit, quin humores hinc inde ſtagnaverint, eorumque ſeroſa portio extravaſata, hydropem generaverit. Tum vero, cum nimia ſuccorum moles extra vaſorum alveos extravaſata, à corde derivata fuit; ejus motus palpitatorius omnino mitior eſſe debuit.

## Observatio IV.

*Palpitatio cordis à nimia ſanguinis commotione.*

Juvenis, annos natus octodecim, temperamenti cholerici, tenerioris conſtitutionis, & vivacis ingenii, hauſto poſt vehementem iracundiam, copioſo potu, eoque frigido, mox ingenti cordis palpitante motu corripitur. Is per integrum vexabat annum, ita ut per intervalla, mox aliquot horarum, mox dierum recrudeſceret; & a quavis humorum commotione, vel per vinum calidius, vel fortiorem corporis motum, vel graviorem animi affectum excitata, nec non ab uſu ciborum flatulentorum protinus rediret. Interim manebant integræ vires, adpetitus avidior, ſanguine vultus, totumque corpus turgebat: quare, in caſſum datis varii generis antiſpaſmodicis, ſuccinatis, caſtorinis, pulveribus antepilepticis, pilulis aperitivis, aliiſque, tandem ſanguis, ex vena in pede fuſa, ſingulis detrahebatur menſibus; quo facto, juvenis ille, a malo ſuo feliciter fuit liberatus.

*Epicriſis.*

Variæ in præſenti caſu concurrunt cauſſæ; quarum una alteri manus præbuit auxiliatrices. Juvenis nimirum ille ingenti humorum præditus copia, ſimulque ad eorum ſtagnationes diſpoſitus fuit. Acceſſit iracundia, quæ vim poſſidet exæſtuandi, & ad habitum corporis compellen-

di ſanguinem; potus vero frigidus eundem in orgaſmo conſtitutum ad interiora validius rapiendi, facultate pollet. Quamobrem hujus copia nondum imminuta, in caſſum utique data fuerunt cuncta, utut præſtantiſſima remedia. Præſtat potius in tali caſu, ſanguinis molem venæ ſectionibus, ſæpius repetitis imminuere; atque tum relaxatis fibris, per congrua ſubſidia, veluti ſunt martialia, priſtinum inſtaurare robur.

### Observatio V.

*Palpitatio cordis à polypo lethalis.*

Octodecim annorum adoleſcens, celeberrimi archiatri filius, conſtitutionis tenerioris, poſt corpus pilæ luſu ad calorem, ſudoremque commotum, copioſam ingurgitavit cereviſiam; neque vero ullam, præter corporis laſſitudinem, inde ſenſit moleſtiam. Elapſis duabus ſeptimanis, largius hauſit vinum; & inſequente nocte protinus inſigni capitis dolore, præcordiorum anxietate, vomitu, cordiſque palpitatione corripitur. Hanc retinuit per quatuor annos, modo longioribus, modo brevioribus intervallis recurrentem, atque cum graviſſimis ſemper ſtipatam anxietatibus: notabile tamen fuit, paroxyſmos, incurvato corpore, vel reclinato ad dorſum capite, inſigniter imminutos ac mitigatos fuiſſe. Si corpus fortiter commovebat, vinum large bibebat, aut animi quodam affectu exardeſcebat; vel etiam in ſiniſtro decumbebat latere, repente invadebat paroxyſmus, ſub quo urina ferebatur tenuis & aquoſa. Uſurpavit varii generis remedia, ſed in caſſum; quin martialia malum exacerbarunt, ſed frictiones pedum, ac clyſmata ſemper levamen ferebant. Tandem ſe contulit ad Bremenſe Gymnaſium; ubi victu ſalſo, ac aëre marino uſus, pejus ſemper habere cœpit; donec tandem mortuus in lecto repertus fuit. Cadavere aperto, cor miræ fuit magnitudinis; & dexter maxime ventriculus, cum pulmonibus à cruore valde diſtentus adparuit; ſiniſtrum autem thalamum, & arteriam aortam polypoſa obſidebat concretio.

*Epicriſis.*

Mors in hoc caſu clariſſime oſtendit, polypoſam concretionem cordis palpitationi cauſſam dediſſe: quæ qua potiſſimum ratione, à hauſtu potus frigidi, corpori commoto ac calenti ingeſto, generetur *Obſ.* 11. jam docuimus. Hujus ergo cum prima jam poſita fuerunt rudimenta; accedens copioſior vini potatio, adauxit humorum circulum, eoſque celerius per cordis movit muſculum: qui, debilitato naturali robore, à nimia ſanguinis mole oppreſſus, & ad validam, palpitantemque incitatus fuit reſiſtentiam.

2) Increſcente ſenſim polypo, non mirum eſt, ſi paroxyſmus à quovis humorum orgaſmo, per iram, terrorem, motum, vini potum; quin etiam frigus ac martialia, excitatus fuit & adauctus. Horum enim omnium ea eſt natura, ut partes externas, conſtringendo; vel ſanguinem nimium commovendo, humores majori niſu ad præcordia compellant, quam quidem cor illud repellere poteſt. Obſervamus igitur ſæpius, quod in hiſce paroxyſmis extremorum, & inferioris abdominis adſit quædam conſtrictio: hinc urinæ tum tenues minguntur, & clyſteres pariter, ac pedum frictiones, horum ſpaſmum relaxando, ſolantur miſeros.

3) Quando in ſiniſtro latere decubuit, paroxyſmus eam ob rationem revocatus fuit, quoniam polypus liber orificio arteriæ magnæ ſe tum opponebat, ſanguiniſque circulum perturbando, malum excitabat. Neque dubium eſt, quin in ſomno ex hoc ſitu fuerit ſuffocatus.

4) Omnis craſſus, marinus, humidus ac frigidus aër, ſubjectis cordis palpitatione laborantibus infenſus eſt: is enim conſtringendo externum corporis habitum, ſuccos ad interiora magis eogit, & ad eorum ſpiſſitudinem ac dyſcraſiam multum contribuit. Neque vero calidior aër, qui humores nimis rarefaciendi vim poſſidet, iis convenit; ſed ſerenus, qui nec juſto calidior, nec ſolito frigidior eſt.

### Observatio VI.

*Palpitatio cordis à variis cauſſis ſuſtentata.*

Vir generoſus, militiæ præfectus, triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, poſt vehementiorem per aliquot milliaria equitationem, paulo liberalius vino generoſo indulſit, veneremque ſimul exercuit immoderatam. Nox, quæ ſequebatur, erat inquieta, & gravi cordis palpitatione interrupta; quæ per aliquot etiam dies graviter, & per intervalla perſiſtebat. Conqueſtus inſuper de viribus prorſus dejectis, & totius corporis debilitate, ex conſilio medici, aquam meliſſæ ſpirituoſam, quam l'eau des Carmes vocant, paullo majori copia ſumſit. At malum validius, præſertim noctu circa horam matutinam tertiam, ſumma cum moleſtia invadebat, ac per aliquot horas, cum copioſo ſudore, tantaque anxietate adfligebat, ut lectum deſerere, & diſcurrere cogeretur: ceterum alvus non rite reſpondebat, & hypochondria flatibus diſtendebantur. Elapſo menſis ſpatio, cum meam quoque flagitaret opem, inquiſivi in anteactum vitæ genus; atque ſic percepi, ipſum ante decem annos, ſputo cruento, cum hypochondriacis paſſionibus laboraſſe; nec non cruorem per venas hæmorrhoidales profudiſſe; atque elapſo abhinc anno, ſuetam neglectui habuiſſe phlebotomiam. His exploratis, cum inſuper plenum deprehenderem pulſum, dedi conſilium, ut detracta protinus ex vena in pede tuſa, ſanguinis larga portione, loco cereviſiæ, aquam puram fontanam, cum quarta vini parte remixtam biberet; & cubitum iturus pulverem Marchionis, cum nitro, ac ſuccino, noſtra methodo præparato, ex aqua meliſſæ ſumeret. Quibus recte adhibitis, egregie habuit.

*Epicriſis.*

Ad generationem moleſti hujus mali, plures utique in hoc caſu conſpirarunt cauſſæ: nimirum 1) nimia ſanguinis ob vaſorum corporis diſpoſitionem, & omiſſam venæ ſectionem generata abundantia, 2) vehementior corporis commotio, 3) immoderatior vini ingurgitatio, 4) veneris intemperantia, & 5) remediorum analepticorum abuſus. Ex hiſce vero momentis prudens medicus, omnino veras medendi indicationes poterit invenire; quippe, quæ in eo conſiſtunt, ut imminuta ſanguinis mole, illius nimia expanſio ac turgeſcentia ſiſtatur. Huic autem ſcopo obtinendo, nihil ſane venæ ſectione, ac aquæ frigidæ potu, nec utilius, nec convenientius eſt. Quanto pretio phlebotomiam

ſuo

ſuo jam tempore habuerit GALENUS in perſanando hoc malo; teſtatur *Lib. V. de loc.affect. Cap. II.* Etenim *palpitatio cordis*, inquit, *pluribus integra valetudine degentibus, tum adoleſcentibus, tum adultis, ſubito ſine alio manifeſto accidente evenire viſa eſt, atque omnes eos ſanguinis detractio juvit; & hoc accidente plane liberati ſunt, qui poſt ſanguinis miſſionem, tenui victu, ſimilibuſque medicamentis uſi ſunt: quos vero hujuſmodi accidens rurſus infeſtavit, eadem cura ſanatos vidi.* Quod ad potum aquæ frigidæ, fontanæ ſimplicis attinet; ego certe eximiam, & plane ſingularem ad levandum hoc malum, ſive à nimia ſanguinis exundantia, ſive ex nimio illius ac virium defectu obortum fuerit, ab ejuſmodi potu, moderatius & crebrius ſumto deprehendi; eo quod exæſtuantem nimis ſanguinem deprimat, vires diſſipatas colligat, fibraſque relaxatas roboret.

## Observatio VII.

*Palpitatio in ſene à vehementiori equitatione excitata.*

Dum hæc ſcribo, requirit meum per litteras judicium, Illuſtris quidam Transſylvaniæ Liber Baro, annorum ſexaginta trium, temperamenti cholerico-melancholici, continuiſque curis ac laboribus implicitus. Hic ante aliquot menſes, ceteroquin ſanus, ad vicinos iter facturus campos, equo inſedit ferociori ac inſolentiori; & fortiori moleſtaque ſuccuſſatione, corpus ad ſenectutem vergens, vehementer conquaſſavit. Deſcendens equo, protinus in tantam incidit cordis palpitationem; quæ non manus ſolum pectori admotas valide feriebat, ſed veſtimenta quoque violenter vibrabat; virumque illuſtrem per integram ac dimidiam horam adeo premebat, ut loqui haud potuerit. Vena quarto abhinc die tundebatur: ſed nihilo minus moleſta palpitatio, utut priori levior, per vices recurrebat, & adhuc vexat: junctis animi, qui antea benignior erat, atque hilarior, inſigni moroſitate, continuis vigiliis, & ſomno, ſi forſan accederet, multis terriculamentis, innumeriſque phantaſiæ luſis interrupto.

### *Epicriſis.*

Diſcimus ex hoc caſu, quantum detrimenti iis, qui ſpiſſis humoribus imbuti, aut polypoſis rudimentis præditi ſunt, inferat fortior corporis motus. Quemadmodum enim hic, ſi placidior fuerit, ad reſolvendum humorum coagulum, multum confert: ita ſane, ſi fortior ac immoderatior ſit, non modo ad generandos polypos contribuit, verum etiam illos ſæpenumero à firmiori cohæſione avellit, & ægros vitæ ſubmittit periculo. Idem occaſionalem præbuit cauſſam palpitationi cordis, qua vir illuſtris premitur: dum humores craſſos, viſcidoſque, quos ille, ob vitam laborum ac ærumnarum plenam, ſibi contraxit, nimium commovit, vel rudimenta polypoſa, quæ forſan obſederunt cor, avulſit. Optaſſem ſane, ut ſtatim inciſa fuiſſet vena; quoniam tali ratione augmenta morbi præpediri potuiſſent. Interim commendavi, ut eam adhuc, ſi ſanguis abundaverit, inſtitui, ac ſingulis binis menſibus iterari curaret; non minus pediluviis tepidioribus uteretur; & quum in ea regione vino calidiori Hungarico nimis indulgere ſolent, hoc vitaret, & potius aquam vel ſolam, vel cum cinnamomo decoctam potaret: quibus non dubito, quin ſi nondum polypi firmas egerint radices, morbi ſanationem, ſub convenienti victus obſervatione, & motus corporis moderatiori exercitatione, ſimus impetraturi.

## Observatio VIII.

*Cordis palpitatio ex cicuta aquatica mammis, loco petroſelini ex errore adpoſita.*

Illuſtris fœmina, triginta annorum, teneræ ſed vegetæ conſtitutionis, animi tamen ſenſibilioris, tertia vice puerpera, quarto poſt partum die ad lac reprimendum, quod ipſa infanti præbere noluit, uſa eſt epithemate, mammis lacte admodum turgentibus appoſito; & ex cicuta aquatica, deteſtabili obſtetricis errore pro herba petroſelini habita confecto. Senſit mox inde ingentem cum dolore pungitivo, rubore & præcordiorum anxietate ardorem; poſtridie copioſæ in mammis apparebant veſicæ, ſatis latæ; quæ remoto epithemate acerrimam effuderunt materiam; ſed inde peſſime habuit puerpera: ſumma enim ſpirandi anguſtia, & ingenti cordis palpitatione ac tremore vexabatur. Chirurgus ad eryſipelaceum tumorem & dolorem levandum adplicabat unguentum de ceruſſa; quo factum eſt, ut non priora modo ſymptomata, ſed cordis etiam convulſivi motus ita invaleſcerent, ut accedente virium, & adpetentiæ, nec non ſomni totali defectu, corporiſque marcore increſcente, data jam à confeſſionario benedictione, ſæpius animam exſpiratura videretur. Alvus præterea valde erat adſtricta, ſitis inexplebilis, ob aphthas, ac puſtulas ardentes faucium ingraveſcens; quæ ſymptomata cum cordis palpitatione per tres inhærebant menſes. Tandem vero ſequuto moleſtiſſimo ſalivæ, per quatuordecim fere dies inſiſtente fluxu, & cordis palpitatio, & reliqua ſymptomata ſenſim ſenſimque evaneſcebant. Sed ab eo tempore per tres jam annos conflictata fuit, pathematibus hypochondriaco-hyſtericis cum melancholia junctis. Atque in hoc affectu meum deſiderans conſilium, ex Luſatia inferiori huc acceſſit. Ego per æſtatem ordinavi curam fontis Selterani, cum tertia lactis aſinini parte mixti; qua abſoluta, non ſine fructu uſa eſt balneo Lauchſtadienſi. Neque vero à pathematibus hypochondriacis, autumno, hiemeque maxime adfligentibus plane libera, per aliquot annos magno cum emolumento adhibuit acidulas Selteranas cum lacte, & liquorem anodynum cum pulvere præcipitante, non neglecto decocti temperantis, ac elixirii viſceralis uſu.

### *Epicriſis.*

I. Memorabilis hoc in caſu eſt pernicialis cicutæ aquaticæ, extrinſecus adplicatæ effectus, qui à tenuiſſimo ſale acri inflammante, nerveas cordis, & diaphragmatis fibras convellente deduci debet: quippe quod tam firmiter iis inhæſit, ut perſeverantem per tres menſes cordis palpitationem produxerit. Quemadmodum vero omnium ejuſmodi venenorum vis optime liquidis, & acrimoniam demulcentibus infringitur: ita & in hoc caſu, à maturo lactis & emulſionum uſu optimum ſperandum fuiſſe præſidium certiſſime perſuaſus ſum.

II. Notatu, imo admiratione dignum eſt, quod venenum illud vegetabile in excitandis aphthis & largo ſalivæ profluvio, quo mitigata & ſuppreſſa vis morbi eſt, ſimilem fere indolem ac vim cum mercuriali veneno habuerit.

III.

III. Noxia vero omni procul dubio fuit applicatio emplaſtri, liberiorem veneni diſſlationem inhibentis, quo magis ad interiora converſum eſt.

IV. Fœmina nunquam fuit antea in paſſionem hypochondriacam vel melancholicam prona; quæ ob ſumme debilitatum nervoſarum partium inque primis ventriculi & inteſtinorum ſyſtema per tam immanem vim morbi demum producta eſt. Quare etiam ea remedia præſcripſimus, quæ blanda & demulcente virtute acrimoniam obtundunt, & nervoſis partibus, temperatum motum iis conciliando amica ſunt.

---

## CAPUT II.

### *De Aſthmate Convulſivo, & ſpaſmodico flatulento.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Reſpirationis neceſſitas.*

VEtus, ſed veriſſima, & medicorum & vulgi eſt ſententia: reſpirationem & vitam pari ambulare paſſu. Vitam, omneſque, quibus illa conſervatur, functiones, magno illo ac univerſali ſanguinis ex corde ad omnes partes, & ex his ad cor circuitu abſolvi, certiſſimum quidem eſt: nihilo tamen ſecius hunc, & conſequenter ipſam vitam, abſque particulari, ea, ac minori, quæ fit ex dextro cordis ventriculo per pulmones ad ſiniſtrum, humorum circulatione, ſalvam eſſe ac ſubſiſtere neutiquam poſſe, adeo verum deprehenditur, ut hac ceſſante, protinus vita, omniumque functionum exſpiret exercitium. Quum vero hic ſanguinis per pulmones circuitus, abſque libera reſpiratione fieri omnino nequeat; facile judicare licet, quantum ad conſervandam vitam momentum contribuat facilis, & ſecundum naturam ſe habens ſpiratio; & contra quanto ſit damno eadem morboſa, impedita, vel plane intercepta: cujus rei clariſſimum documentum illi præbent morbi, qui ſpirandi difficultatem habent comitem.

§. II.

*Aſthmatis definitio.*

Sunt equidem magnæ, & quam plurimæ ægritudines, quibus difficilis ac laborioſa, tanquam moleſtum ſymptoma, jungitur ſpiratio; maximeque tales, quæ in pulmonibus fixam obtinent ſedem, veluti pleuritis, peripneumonia, tuſſis, phthiſis, ſcirrhi, tubercula, & vomicæ pulmonum: attamen multæ inſuper dantur tam intra, quam extra thoracem cauſſæ, quæ reſpirationi, & vitali humorum circulationi infenſæ, ſummum minantur periculum, & morbum producunt, qui Græcis aſthmatis nomine venit. Hoc vero ſecundum noſtram ſententiam nihil eſt, quam impedita, & laborioſa admodum reſpiratio, cum ineffabili anxietate, & præcordiorum anguſtia juncta, liberum ſanguinis per pulmones circuitum turbans, à variis cauſſis ſuborta, periculi ſuffocationis non expers.

§. III.

*Differentia aſthmatis convulſivi à pituitoſo.*

Quemadmodum variæ ſunt cauſſæ, ita varia quoque aſthmatum occurrunt genera. Datur diſpnœa quædam levior, quæ ſubjectis ſucculorum plenis, corpulentis, atque pinguibus familiaris eſt, maxime ſi corpus valde commoverint; & nititur quoque difficiliori ſanguinis per pulmones progreſſu, & nimia vaſorum expanſione, aëris ingreſſum ſufficientem præpediente: ſed hæc periculo vacat, & tranſitoria eſt. Deinceps occurrit aſthma pituitoſum, quod cum tuſſi humida, ac rejectione pituitæ viſcidæ conjunctum, noctu dieque ſub quocunque corporis ſitu infeſtat, & copioſiori muci viſcidi, veſiculas pulmonales obſidentis, & aëris liberiorem ingreſſum & egreſſum præpedientis, ad præcordia aggeſtioni debetur. De hoc autem tomo ſequenti medic. Syſt. diſſeremus, & jam de eo potiſſimum agere conſtituimus, quod à ſpaſmodica partium ſpirationi dicatarum ſtrictura, à diverſi generis cauſſis, intra & extra thoracem conſiſtentibus oborta gignitur, & vocatur ſpaſmodico-flatulentum, atque convulſivum.

§. IV.

*Differentia à ſuffocatione hyſtericarum.*

Hoc vero convulſivum aſthma differt omnino à ſuffocatione convulſiva hyſtericarum, quæ non niſi ſpaſmodica conſtrictione, ac veluti ſtrangulatione ſummarum faucium, laryngis, atque pharyngis nititur; & arctato laryngis canale, aëri ſufficiens liberumque ad pulmones iter præſcindit: cum in noſtro adfectu tranſitus per arteriam aſperam ſatis liber ſit, & vitium in ipſis potius hæreat pulmonibus, adeo, ut nonnunquam ſola inſpiratio difficilis, exſpiratio vero legitime ſuccedat; teſtante caſu in *Conſult. med. Tom. I. Sect. II. caſ.* 91. recenſito.

*A catharro ſuffocativo.*

Diſcernere porro oportet aſthma convulſivum, à catharro ſuffocativo, quippe qui cum vultus rubore, ſtertoreque ſtipatus, paralytici quid involvit, & intra paucos dies ſolvitur; cum illud, ſtertore vacuum, ad morbos pertineat longos.

§. V.

*Signa aſthmatis convulſivi.*

Aſthmatis incepturi notæ optime ab ARETÆO *Lib. III. c. XI.* deſcriptæ, hæ ſunt: *gravitas pectoris, tarditas ad opus ſolitum, & ad aliud quodlibet gerendum, in curſu, aut in acclivi itinere difficilis & ægra ſpiratio; rauceſcunt, ac tuſſiunt, flatus in præcordiis, atque eructationes præter rationem excitantur, vigilant, noctuque parum & obſcure incaleſcunt, nares acutas ad ſpirationem paratas habent. Si malum in pejus ruat, malæ rubent, oculi prominent, veluti in his, qui ſtrangulantur; ſtertunt, dum vigilant, multo magis cum dormiunt; humida, obſcura, ſonoque carens vox eſt, multum & frigidum aërem cupiunt; ſub dio ambulant, quælibet enim domus, ipſis ad trahendum ſpiritum parva & anguſta eſt. Erecti ſpirant; tanquam omni aëre attracto potiri cupientes; præ aëris autem cupiditate & os aperiunt, patefaciuntque, tanquam eo ampliore indigentes. Ipſorum facies, præter malas, quæ rubent, pallida eſt; ſudor circa frontem & jugula emanat; aſſidua & aſpera tuſſis infeſtat, rejiciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti quædam ſpumæ effloreſcentia; inflante ſpiritu collum intumeſcit, præcordia revulſa ſunt; arteriarum pulſus parvi, crebri, atque depreſſi, crura exilia. Quod ſi hæc ulterius incrementa capiant, inſtar comitialis morbi, nonnunquam hominem ſtrangulant. At ſi vertantur in melius, tuſſis longior & rarior fit, plura excernuntur ſanioſa ſputa & humidiora; multa per ventrem aquea exturban-*

*turbantur, urina copioſa excernitur, licet nondum quicquam in ea ſubſidat, vox ſonantior clariorque redditur, ſomni longiores, quantum ſatis fuerit, efficiuntur; præcordia remittunt; dolor interdum ad ſcapulas cum remiſſione tranſit; anhelitus rarus, levis, ſed cum aſperitate fit.*

§. VI.

*Ulterior morbi hiſtoria.* Quo magis invaluit ac inveteravit malum, eo acerbiora ac vehementiora hæc omnia fiunt. Alvus ceterum plerumque eſt adſtrictior; & urinæ minguntur tenues ac aquoſæ. Accedunt frequentiſſime pedum, dein manuum, faciei, ac dorſi tumores, brachiorum torpor; facies fit lurida, plumbeoque colore notata, jungitur febricula cum typo irregulari, veſpertinis exacerbata temporibus; ſupervenit cachectica corporis defœdatio, cum tumore pedum œdematoſo, hydrops pectoris, vel etiam aſcites, ac anaſarca; atque tandem aſſociatur paralytica alterutrius lateris, vel ſaltem brachii reſolutio; aut loco hujus, quod notabile eſt, amauroſis, quæ eſt oculorum paralyſis, obſervata fuit à GOHLIO in Schediaſmate, *de aſthmate convulſivo à polypo cordis.* Et quoniam tantum non ſemper ſuffocatione finitur hoc aſthma; dicitur quoque ſuffocativum.

§. VII.

*Subjecta aſthmatis convulſivi.* Attenta vero experientia docet, eos potiſſimum homines, qui ſunt temperamenti ſanguinei, vaſis exilioribus, tamen copioſis inſtructi, obeſiores, plethorici, pectoris anguſtioris: poſt vehementiorem animi, vel corporis commotionem, quacunque de cauſſa fiat, tempore præſertim vernali, & autumnali in affectum aſthmaticum eſſe proclives. Multo magis eo tentantur, ſi menſium ac hæmorrhoidum inordinato fluxu, vel plane defectu laborant, aut conſuetas ſanguinis miſſiones, per ſcarificationem, vel venarum inciſionem intermiſerunt: nec non ſi fuerint hypochondriaci, & ventriculus ac inteſtinorum canalis, ob turbatum vel perverſum motum periſtalticum, flatibus ſcateant, & ſpaſmis adfligantur. Eo certius hæc incommoda patiuntur, ſi excretiones ſeri acris per quaſcunque vias fuerint ſuppreſſæ, aut languide ſuccedant.

§. VIII.

*Defunctorum ſectio.* Si diſpiciamus, eorum, qui hoc morbo perierunt, anatomicam ſectionem, deprehendimus plerumque fluctuationes aquarum in pectore, una cum polypoſis in corde concrementis; quales caſus allegant CAROLUS PISO *de morb. ex colluvie ſeroſa pag.* 214. SCULTETUS *in append. obſerv.* 31. *pag.* 252. ACT. MEDIC. BEROL. *Dec. II. vol. VII. pag.* 67. In quibusdam ſola ſeri in pectore extravaſatio, abſque cordis polypo reperitur; qualis eſt obſervatio, quam ACT. BEROL. *dec. II. vol. VIII. pag.* 21. referunt, ubi ſemul aorta fuit oſſea. Contra in aliis pulmones ſanguine atro, ſtagnante, extravaſato infarcti reperiuntur, veluti WILLISIUS *pharm. rat. Sect. VII. Cap. III.* exemplo oſtendit: nonnunquam ſalvis pulmonibus, & bronchiis, polypoſa duntaxat in corde concrementa occurrerunt, teſtantibus obſervationibus, quas PEZOLDUS *obſ.* 58. *pag.* 115. M. N. C. *Dec. III. anno II. obſ.* 185. & *Dec. I. anno IV. obſ. XI.* memoriæ tradiderunt; ut aliorum, de quibus infra paſſim mentio fiet, exemplorum hiſtoriam ſilentio prætermittam.

§. IX.

Quo vero eo clarius adpareat, qua ratione aſthmaticus noſter morbus generari queat; operæ erit pretium, pauca de reſpirationis negotio hoc loco præmittere. *Reſpirationis negotium explicatur.* Ad reſpirationem itaque naturalem opus primum eſt, ut ingens illud pulmonum viſcus, quod ex innumeris vaſis ſanguiferis, arterioſis & venoſis, fiſtulis quoque & veſiculis membranaceis eſt contextum, à fluido atmoſphærico, elaſtico, aëreo-æthereo, ampliata per alleviationem coſtarum thoracis cavitate, ingrediente, ſufficienter expandatur. Hac expanſione fit, ut per ramos & arterioſos & venoſos, qui antea valde erant complicati, jam expanſos, ſanguis libero, & minus impedito itinere per pulmones, & ad ſiniſtrum cordis ventriculum progredi queat; quoniam preſſio vaſorum ſanguineorum, à veſiculis aëre diſtentis facta, hunc progreſſum facilitat. Quum vero aër intra pulmones humidis vaporibus refertus, & elaſticitate ſua orbatus, iterum exire, & loco hujus recens, ac vi expanſiva elaſtica animatus rurſus ingredi debet; neceſſe eſt omnino, ut thorax concidat, facto ejus cavitatis ſpatio anguſtiori. Alternans ergo dilatatio, & conſtrictio thoracis, expanſio & conſidentia pulmonum, ſufficiens ingreſſus & egreſſus aëris, & cordis æquabilis motus, liberam & naturalem efficiunt reſpirationem, ad vitam ſanitatemque conſervandam ſumme neceſſariam. Quando vero cunque cauſſæ quædam obveniunt, quæ ſufficientem aëris in pulmones ingreſſum & egreſſum remorantur, vel muſculorum thoracis item abdominis, ſepti que tranſverſi motum dilatatorium ac conſtrictorium, atque ipſius cordis convenientem ſyſtolen, atque diaſtolen pervertunt; protinus morbus ille, quem explanandum ſuſcepimus, aſthmaticus præſens eſt.

§. X.

Quibus ſuppoſitis, facillimum jam erit, ætiologiam aſthmatis ſpaſmodici ob oculos ponere. *Aſthma ſpaſmodico-ſanguineum.* Et quoniam variæ illius exiſtunt cauſſæ; primum conſiderabimus illam, quæ ſanguinis vitio debetur. Atque hac ratione obſervamus, à ſanguinis & humorum nimia mole, craſſitie, & congeſtione ad præcordia, grave generari aſthma. Quando enim ſanguinis & humorum maſſa majori copia, & impetu ad cordis dextrum ventriculum irruit; majori quoque quantitate ad ramos vaſorum pulmonalium congeritur, qua vis aëris inſpirati elaſtica ob ſanguinem nimium reſiſtentem imminuitur; & ideo ſanguis, qui non ſatis vegete propellitur per venam pulmonalem, in hujus ramulis ſtagnat; atque novus ille, quem cordis perpetuus pulſus adfert, vaſorum ramos diſtendit, dilatatque: unde ſpirandi difficultas, ſumma anxietas, cordis tremor, ac palpitatio, cum pulſu inæquali, parvo, celeri & frequenti ſuos mutuantur natales. Hoc aſthma ſanguineum vocari quoque meretur ſpaſmodicum; quoniam ſtagnans cruor nimium diſtendit & vaſa, & nervorum ramulos & veſiculas membranaceas comprimit. Jam vero perpetuæ inſtar regulæ tenendum eſt, quod nimia tunicarum nervearum à copioſius ſtagnante in iis cruore expanſio, cauſſam præbeat conſtrictioni ſpaſmodicæ; & viciſſim hæc ipſa ad ſtagnationem

tionem & congeſtionem humorum multum faciat. Huc pertinent exempla eorum, quorum pulmones poſt mortem, ſanguine atro, ſtagnante, & extravaſato infarcti fuerunt reperti: quale de ſacerdote (quod hominum genus propter crebriorem ſermocinationem, humorum congeſtioni ad pulmones, præ reliquis obnoxium eſt) allegat WILLISIUS *pharm. rat. Sect. VII. cap. III.*

§. XI.

*Aſthma ſpaſmodico-flatulentum.*

Hoc genus aſthmatis admodum familiare deprehenditur hypochondriacis; quoniam in iis humores vitales, qui craſſiores plerumque ſunt, ob inferiorum partium ſtricturas, majori ad præcordia compelluntur quantitate. Complicantur vero in his ſubjectis tantum non ſemper flatulentæ ventriculi, primarumque regionum diſtentiones; atque malum reddunt longe deterius. Namque dum diaphragma proxime incumbit ventriculo; ab hoc flatibus diſtento, protinus adficitur; ejuſque liberior motus impeditur, atque hinc etiam pulmonum debita expanſio coërcetur. Præterea ſæpius fit, ut ſpaſmo conſtringatur ſeptum illud nervoſum; quo conſtricto, œſophagus quoque, qui illud perforat, adeo coarctatur; ut nullus erupturis vaporibus pateat exitus. Inde anguſtiæ præcordiorum horrendum in modum exacerbantur; & ſolutis quodammodo vinculis, ructus incredibili & copia, & ſonitu exploduntur, malique levamen inferunt.

§. XII.

*Aſthma convulſivum ſtricte ſic dictum.*

Quod ſtricte convulſivi nomen meretur aſthma, & ſatis frequens occurrit, fit abſque præſentia craſſæ materialis cauſſæ, à ſpaſmodica partium ſpirationi inſervientium, maximeque membranarum cellulas pulmonales inveſtientium conſtrictione. Dum enim tunicæ nervoſæ ſepti transverſi, dum membranaceæ muſculorum intercoſtalium partes, dum ſenſibiles, quæ pulmonum cellulas undique cingunt, membranæ ſpaſmo conſtringuntur: arctatur thoracis ſpatium, coërcetur pulmonum expanſio, impeditur aëris ſufficiens in cellulas pulmonales introitus, & cruoris per pulmones tranſitus, ac ex uno in alterum cordis ventriculum circuitus mirifice retardatur. Quum vero conſtrictæ pectoris regiones nervos ſuos mutuentur à vertebralibus, atque dorſalibus, qui etiam ad brachia ramos mittunt; facile patet, cur totum pectus cum brachiis grave ac tenſum ſit, ſcapulæ, dorſum, ac ſternum dolore corripiantur, atque brachia torpore, quin tandem quoque paralyſi, ob impeditum à ſtrictura liquidi nervei influxum, adficiantur.

§. XIII.

*Cauſſæ aſthmatis convulſivi.*

Hæ ſpaſmodicæ conſtrictiones proritantur à materia acri, ſubtili, cauſtica, quin ſæpe virulenta, ad dictas nervoſas præcordiorum partes incumbente: quæ generatur, atque originem ſuam repetit à ſudorum, maxime in ſcorbuticis, repulſione; nec non exanthematum, efflorеſcentiarum, & quarumcunque ſeri ac lymphæ acrioris excretionum, vel ad artus exteriores depoſitionum, non ſufficienti evacuatione, vel improvida adſtrictione. Sic teſtatur multiplex experientia, malum noſtrum exoriri, ab eryſipelate, variolis, maximeque morbillis, purpura, maculis & puſtulis quibuſcunque ſcorbuticis, haud ſatis ad corporis ſuperficiem pulſis, aut craſſo adſtringentium uſu retroactis; à ſcabie, tinea, vel achoribus capitis, cruſta lactea, per oleoſa, pinguia, aut linimenta ſulphurata, præpoſtere exſiccatis; à pedum fœtore repreſſo: à tranſpiratione totius corporis ſubito cohibita; qualis caſus reperitur in *Conſult. med. Tom. I. Sect. II. caſ.* 90. ab ulceribus chronicis, vel fonticulis inopportune conſolidatis; qualis obſervatio de aſthmate convulſivo ab ulcere ſcroti ſerpiginoſo, aqua mercuriali exſiccato orto invenitur *Lib. cit. Tom. II. Sect. III. caſu LXIV.* à podagra vel arthritide partim ex defectu virium, partim male feriatis artibus retrocedente; uti quidem de podagra caſus *Conſult. Tom. I. Sect. II. caſ.* 93. de arthritide *Tom. I. Sect. II. caſ.* 92. inſerti teſtantur.

§. XIV.

Huc fere pertinet aſthma illud ſpaſmodicum ſiccum, quod à fumis metallicis, ſaturninis, ſulphureis, venenatis, arſenicalibus, carbonum foſſilium, ac exhalationibus aquæ fortis, iis præſertim evenit, qui in metallis laborant, uti ſunt metallicolæ, & quoddam fabrorum genus; Conf. diſput. mea *de Metallurgia morbifera*; *& in* ACT. MEDIC. BEROLINENS. *Dec. I. vol. VI. pag.* 31. caſus recenſetur, de fabro ex attractis cineribus metallicis inter æs malleo tundendum in aſthma convulſivum delapſo. Tetri namque & virulenti iſtiusmodi vapores, per inſpirationem attracti, incumbunt nervoſis veſicularum pulmonalium membranis, haſque conſtringendo, libero ac intimiori aëris in eas acceſſui iter præcludunt, ideoque grave hoc machinantur malum. *Aſthma convulſivum à fumis metallicis.*

§. XV.

Sola diaphragmatis ſtrictura ſpaſmodica, abſque ullo pulmonum vitio ſufficiens eſt, totum reſpirationis negotium perturbandi, & repentinam ſuffocationem inducendi. In recenti adhuc memoria mihi ſunt bini notabiles, ſed triſtes ſimul caſus, ubi ſubjecta antehac per omnia ſana, ex gravi percuſſione ſcrobiculi cordis, & ejus regionis, cui adnexum reperimus ſeptum tranſverſum, ſubito perierunt ſuffocata; poſt mortem diſſecata, nullum oſtenderunt in toto corpore vitium, quam levem in tendinea diaphragmatis parte ſugillationem, ejuſque ſtricturam. Neque minus obſervatione conſtat, vulnera in idem diaphragmatis centrum, punctim inflicta, momentaneam intuliſſe ſuffocationem; ut taceam ſpirandi ſummam difficultatem, quæ ex nervoſi illius ſepti inflammatione percipitur. Neque obſcura eſt ratio: conſtrictum enim diaphragma retinet convexum, qui ſub inſpiratione planus eſſe deberet, ſitum; quo thoracis cavitatem adeo coarctat, ut pulmones non ſatis expandi queant. *Aſthma ſuffocativum à læſione diaphragmatis.*

§. XVI.

Neque ſilentio prætereundum eſt aſthma illud ſpaſmodicum, quod in cachecticis à tumore œdematoſo pedum, quacunque de cauſſa intra corpus repulſo, cum gravi pectoris oppreſſione, & anxietate originem trahit. Ratio fere eſt eadem cum aſthmate ſanguineo: namque ſerum illud ſpiſſum ac vappidum, quod in pedibus ſtagnavit, dum inducta ipſis ſtrictura ſurſum repellitur, abſorbetur à venis ſanguiferis, & ad præcordia fertur. Ibi ex dextro cordis ventriculo *Aſthma ſpaſmodico-cachecticum.*

culo cum reliqua humorum maſſa, in arteriam pulmonalem, ejuſque ramulos pulſum, hos tanta replet copia, quæ, comprimendo ſimul veſicas pulmonales, reſiſtit irruenti aëri, ejuſque ingreſſum, ad propellendum per venas cruorem ſufficientem remoratur. Ergo ſtagnat ille ſero viſcido repletus ſanguis in arterioſis ramulis, hos graviter diſtendit, & ſic ſummam anxietatem, ſpirandi difficultatem, ac interdum repentinam ſuffocationem inducit: quæ fere certiſſima eſt, ſi pedum œdemata repelluntur in iis, quorum corda polypis obſeſſa ſunt. Et obſervavi in ejuſmodi ſubjectis, quod, ſi febre intermittente correpta fuerunt, ſub frigoris acceſſione pedum tumores ſubito evanuerint, ingentem ſpirationis anguſtiam, quin tertio ſemper paroxyſmo repentinam ſub ipſo frigore poſt ſe traxerint ſuffocationem; qualem caſum *Conſult. med. Tom. I. Sect. II. caſu LXII.* inſerui.

## §. XVII.

*Aſthma ſuffocativum à polypo cordis.* Datur aſthma, quod magis ſuffocativum dici meretur, & à polypis cordis ventriculos obſidentibus ſuboritur. Hoc non raro in repentinam deſinit ſuffocationem, & poſt mortem nihil in corpore oſtendit præternaturale, quam polypos; ſicuti teſtantur obſervationes à RIVERIO *Centur. I. obſ.* 82. TULPIO *Lib. I. cap.* 27. PEZOLD. *obſ.* 58. *pag.* 115. A. N. C. *dec. III. anno II. obſ.* 185. allegatæ *&c.* Dum enim polypoſa concrementa, maxime ſi ſiniſtrum cordis obſederint thalamum, præſcindunt ſanguini è pulmonibus redituro iter, accumulatur ille in pulmonum vaſis, diſtendit ea, impedit acceſſum aëris; atque non remoto polypoſo repagulo, in lethiferam prorſus ſtaſin & ſuffocationem terminatur.

## §. XVIII.

*Aſthma ſuffocativum à hydrope pectoris.* Hydrops denique pectoris, quanquam plerumque ſit perniciosus aſthmatis convulſivi effectus, attamen & ab hoc, & ab aliis cauſſis, v. g. pulmonum inflammatione, vel violentia extrinſecus illata &c. ortus, gravi aſthmati ſuffocativo ſuppeditat cauſam. Ubi præſto eſt, hæ fere ſunt notæ: Tumor œdematoſus non pedes ſolum, verum etiam manus occupat; harum enim tumorem, pro pathognomonico hujus affectus ſigno, ſolertiſſimus jam agnoſcit BAGLIVUS, dum *Prax. Med. Lib. I.* dicit; *quod illis, qui pectoris hydrope laborant, manus intumeſcant, immo totum quandoque brachium ad cubitum uſque.* Obſervatur quoque in iis quarum in pectore fluctuatio, *ein Gequaddere*, præprimis ſi corpus ad latera inclinent, tremor cordis, torpor, ac paralyſis brachiorum, tuſſis ſicca, interdum ſerum pellucidum ſecum ducens, ac febris anomala. Quando cordis polypus complicatur, quod plerumque fit, adſunt cordis palpitationes, & arteriarum intermittens pulſus.

## §. XIX.

*Hydropis pectoris generatio.* Eſt vero pectoris hydrops, fluctuatio & extravaſatio lymphæ atque ſeri in cavitate pectoris; & ſequentem in modum generatur. Extimam pulmonum tunicam copioſiſſimis vaſis lymphaticis refertam eſſe, eleganter deſcribit ac delineat Clariſſimus NUCKIUS *in adenogr. curioſ. pag.* 141. Hæcce vaſa non minus, quam reliqua lymphatica, pectus multis in locis obſidentia, revehunt laticem ſuum ad ductum thoracicum, ut ex hoc per venam ſubclaviam atque cavam, ad dextrum cordis feratur ventriculum. Quando vero huic lymphæ itineri obex ponitur, ut ad ductum illum pertingere nequeat; vaſa lymphatica nimium infarciuntur, tandemque ultra ſphæram elaſticitatis diſtenta, rumpuntur, laticemque in cavum effundunt pectoris. Quum igitur ſpaſmodicæ partium ſpirationi dicatarum, maximeque pulmonum ſtricturæ, quæ aſthma convulſivum producunt, cohibeant ac remorentur lymphæ ad ductum thoracicum iter: facile patet, qua ratione tandem hydropem pectoris pariant. Hæc viciſſim aquarum in pectore collectio, dum totam thoracis replet cavitatem, & ſeptum quoque adgravet tranſverſum; nullum pulmonibus ſeſe expandendi ſpatium relinquit, ideoque & ſanguinis, & aëris in illos ingreſſum, ac liberum circuitum remorando, aſthma inducit ſuffocativum; quia nimirum ſuffocando tandem jugulat miſeros. Interim extravaſata hæc aqua, innatantes ipſi pulmones non modo colliquat; verum etiam mora temporis acrior reddita, eos arrodit, ac putredine fere conſumit, adnotante HARDERO *Lib. I. obſ.* 51. *pag.* 217. Quod attinet pericardii hydropem; ille non ſolum eodem modo ex vaſis lymphaticis, cordis ſuperficiem ambientibus contingere poteſt; verum etiam à ſero, per auriculas, ſtagnante cruore infarctas, ſecedente adaugetur.

## §. XX.

Neque vero negligenda eſt ea hydropis in pectore ſpecies, quæ hydatidibus veluti ſacculo incluſa continetur, maximeque intra ipſam pulmonum ſubſtantiam reperiunda eſt. *De hydatidibus.* Multæ occurrunt obſervationes de hydatidibus ejuſmodi, non modo in pulmonibus, verum etiam pleura, ſepto tranſverſo, & cordis externa ſuperficie repertis; quales vide apud OTTONEM HEURNIUM *obſ.* 18. BARTHOLINUM *Cent.* 11. *obſ.* 61. ACTA HAFFNIENS. *vol. III. obſ.* 76. M. N. C. *Cent. III. & IV. obſ.* 115. In ipſis quidem pulmonibus hæ hydatides, à vaſis lymphaticis, in eorum ſubſtantia diſruptis, ac laticem ſuum in cellulas ac veſiculas effundentibus, unde hæ in tantam elevantur molem, generari videntur, & vero eſt ſimillimum, quod ex rupta ejuſmodi veſica, ſerum in pulmonum ſubſtantiam extravaſetur, & repentinam inducat ſuffocationem: unde etiam derivamus materiæ illius limpidæ, quæ cum tuſſi nonnunquam fit, rejectionem.

## §. XXI.

Si quid ex cauſſis occaſionalibus eſt, quod aſthma convulſivum inducere poteſt, certe eſt externum frigus, hoſtis ille nervoſo generi inimiciſſimus. *Cauſſa remota eſt frigus.* Unde hiemali tempore, flantibuſque ventis aquilonaribus ingraveſcit malum; & à frigido quoque potu exacerbatur. Inprimis obſervavi, illos, qui pectus non bene tegunt, illudque frigori, maxime nocturno exponunt, ſæpius hoc malum incurriſſe.

## §. XXII.

Ex his adparebit, quam variis modis generetur, ac foveatur aſthma convulſivum, ac ſuffocativum: jam pauca de prognoſi trademus. *Prognoſis.* Ubi malum recens eſt, & ſola præcordiorum conſtrictione ſpaſmodica nititur; ſpes eſt ſalutis; maxime ſi motus arthritici, podagrici, ulcera, & exanthemata ad ſua loca revocentur. Quando ſupervenit excretionum ſanguinearum per uterum, aut hæmorrhoides fluor, iis, qui ex earum ſup-

ſuppreſſione aſthmate ſunt correpti, & paſſione laborant hypochondriaca, levamen adfert; atque ſi res adhuc integra fuerit, perfectam convaleſcentiam. Quod ſi vero inveteravit affectus, aut perverſa tractatur medela; tranſit in pectoris hydropem, viſcerum imi ventris obſtructiones ac infarctus, pedum œdemata, cachexiam, ac hydropem univerſalem. Namque conſtat, quod per diaphragmatis centrum tendineum feratur vena cava, quæ ex imo ventre cruorem ad cor vehit; nec ignotum eſt, quod liber ſepti transverſi motus, circulum ſanguinis per hepar, natura languidiorem adjuvet, atque promoveat. Quando igitur cunque liber ſanguinis per venam cavam aſcenſus impeditur; tardior ejus fit in hepate circulatio; unde humores primum omnium in diſſitis regionibus, veluti ſunt pedes, ſtagnant, ſeroſamque portionem, œdematis cauſſam, dimittunt; deinceps quoque per viſcera imi ventris difficilius progrediuntur, inque iis ſubſiſtentes, infarctus, ſcirrhos, cachexiam ac hydropem cauſſantur; quem ligata prope ſeptum transverſum vena cava, protinus ſuboriri, præter LOWERUM, experientia commonſtrat. Generatim ſciendum eſt, omne aſthma convulſivum, vel præceps exitium, atque repentinam ſuffocationem inferre, maxime, ubi ſubeſt cordis polypus; vel diutius inhæret, atque hydrope perimit ægrotantes; quo in caſu lethiferum eſt, ſi patiantur febrem lentam, pulſum inæqualem, ac intermittentem, paralyſin brachiorum, continuam cordis palpitationem, imminutam mictionem, ſyncopem: tum enim in propinquo mors eſt. Quidam denique ſuperveniente pulmonum inflammatione exſtinguuntur, quo gravius malum eo languidior fit pulſus. Aſthma in ſenibus comitatur plerumque uſque ad mortem, & quod ex dislocatione vertebrarum fit, non ſanatur, niſi hæ reducantur. Quo majori impetu & vehementia acceſſio & diutius durat & crebrius recurrit, eo plus periculi ſubeſt, & ſuffocatione jugulat.

## *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Gravioris noſtri mali curatio, his fere indicationibus abſolvitur, ut 1) ſpaſmodicas pectoris, atque partium ſpirationi miniſtrantium ſtricturas conſopiamus, 2) humores ad externum corporis habitum, infernaſque partes derivemus, & eorum circuitum æquabilem reddamus, 3) cauſſarum, quæ malum fovent, remotioni, pro earum diverſitate ſtudeamus. Et ſicuti binis prioribus ſcopis in ipſo paroxyſmo potiſſimum ſatisfacere; ita tertium extra hos explere licet.

§. II.

*Quæ conferant in paroxyſmo.* Ipſo in paroxyſmo, quoniam plerumque alvus ſtrictior eſt, & humores una cum flatibus ad ſuperiora regurgitarunt, non facile quidpiam præſentius auxilium fert, quam clyſteres emollientes, ſimul carminativi; quos ex floribus ſambuci, meliloti, verbaſci, pœoniæ, liliorum alborum, chamæmeli vulgaris, ſeminibus quatuor carminativis, oleo chamomillæ cocto, & una alteraque ſalis communis vel gemmæ drachma, ſtimuli loco addita, parare convenit; &, exigente neceſſitate, bis vel ter iterare. Deinceps, incredibilem virtutem exſerunt, pedum, qui tantum non ſemper frigidi ſunt, frictiones, eorumque in aquam tepidam dimiſſiones. Ubi gravis præcordiorum vexat ſpaſmus; iis fotus calidiores, vel etiam veſicæ, lacte calido repletæ, ad mitigandum ſpaſmum admoveri poſſunt; nec levem in his ſedandis opem nonnunquam ferunt linimenta nervina, quæ ex aquæ Anhaltinæ unciis binis, ſpiritus ſalis ammoniaci, lumbricorum terreſtrium, eſſentiæ croci, caſtorei ana drachmis duabus, olei nuciſtæ vel macis drachma una parare, atque collo, ſcapulis, muſculis thoracis, ſpinæque dorſali adplicare ſoleo. Ex internis laudem merentur antiſpaſmodica, cum blandis diaphoreticis juncta; quæ diſcutiendo peccantem materiam, & relaxando ſpaſmodicas conſtrictiones, operæ faciunt pretium. Talia ſunt mixturæ ex aquis analepticis florum tiliæ, pœoniæ, primulæ veris, liliorum convallium, acaciarum, ulmariæ, pulvere Marchionis, cinnabari nativa, ſpiritu nitri dulci, vel liquore anodyno minerali, mixtura ſimplici & ſyrupo papaveris rhœados; quæ crebro repetita doſi offerendæ, aut cum liquore anodyno, qui nuptus ſit ſpiritui bezoardico Buſſii, vel cornu cervi ſuccinato, alternandæ. Præterea, quantum fieri poteſt, corpus in moderato calore conſervare oportet: neque enim plura ipſis in paroxyſmis moliri licet.

§. III.

*Cura aſthmatis ſanguinei & hypochondriaci.* Extra paroxyſmum, ante omnia eo eſt reſpiciendum, ut ſtagnationes humorum in pectore diſcutiamus, eorumque circulum reſtituamus æquabilem: ſimul vero cauſſas materiales ac mediatas removeamus. Quod ſi igitur ſanguinis nimia verſus pectus congeſtio hoc malum induxerit; conſopita ejus per pulveres ac mixturas temperantes ebullitione, imminutioni nimiæ molis ſtudendum eſt. Quo quidem fine venæ ſectiones in pede, præſertim vinoſæ diætæ addictis, ſtatis temporibus inſtitutæ, eximiam ſpondent utilitatem; quibus in conſuetis interponendæ ſunt ſcarificationes; & iis, qui ſuppreſſum hæmorrhoidum fluorem patiuntur, conferunt hirudines venis ſedalibus adplicandæ. Non minus blanda laxantia, ad eliminandas primarum viarum ſordes; & ad promovendum ſanguinis per abdomen, & venam portæ circulum, motus corporis, victus tenuis, potusque levior, ſed largus commendari debent. Et ſi hypochondriaca, & flatulenta præſto ſunt ſymptomata; eo feliciori cum ſucceſſu adhibentur lenia laxantia ac clyſteres, conjuncto elixirii viſceralis uſu, & recta victus ratione. In ſubjectis, maxime ex ſuppreſſione vel menſium vel hæmorrhoidum laborantibus; nihil quoque eſt fructuoſius, thermis, interne pariter ac externe uſurpandis; aut acidulis Selteranis; quæ tepefactæ cum lacte miſceri debent. Hæc etiam via eſt curandi aſthma, quod à polypo cordis proficiſcitur.

§. IV.

*Aſthmatis ab acrium ſordium repulſione ſuborti cu ratio.* Quando malum à materia arthritica, podagrica, ſcabioſa, purpuracea, vel ulceroſa intra corpus retrocedente, ac repulſa ortum traxit; tranſlato nempe humore acri, peccante, cauſtico, ad nervoſas pectoris partes: non tutius conſilium eſt, ac blandis diaphoreticis, liberam perſpirationem promoventibus, humorem iſtum ad corporis ſuperficiem, vel ad partes, ex quibus repulſus fuit, relegare. Cui ſcopo cum præſentiſſimo commodo ſatisfaciunt liquor noſter anodynus, cum ſpiritu bezoardico Buſſii mix-

mixtus, aut pulvis bezoardicus, ex antimonio diaphoretico, nitro, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, & momento camphoræ compoſitus; mane potiſſimum ſumendus, deſuper bibendo aliquot vaſcula infuſi theiformis, quod ex herba ſcordii, veronicæ, floribus ſambuci, tiliæ, ſemine fœniculi, & aniſo ſtellato concinnatur, inde lenem promovendo ſudorem. Ubi ſcabies, vel ulcera retroacta, vel præmature conſolidata ſunt; inſignem laudem merentur remedia ex ſulphure parata, quippe quæ has ſordes ad cutim revocandi, magnam vim poſſident. Quemadmodum enim medicamenta ex ſulphure minerali extrinſecus in ejuſmodi affectibus valde aliena & noxia ſunt; ita contra interne data tonum partium roborando, difflationem & perſpirationem heterogeneæ materiæ adjuvant. Neque vero negligenda ſunt, leniora laxantia, nec blanda diuretica, ſicuti tinctura tartari &c. eſt; ſiquidem his & craſſæ è primis viis, & reliquæ per vias urinarias excernentur impuritates. Speciatim pediluvia revocandis ad pedes arthriticis, atque podagricis motibus adprime inſerviunt.

§. V.

*Curatio aſthmatis cachectici.* Ubi moleſtiſſimus hic morbus à tumore pedum œdematoſo, per graviorem animi affectum, vel terrorem ſubitum, vel nimiam refrigerationem, vel etiam febrilem acceſſionem retropulſo naſcitur: tunc non leve negotium eſt, decubitum ſeri viſcidi in pectore diſcutere, & ad extimas partes revocare. Vidi in tali caſu cum fructu adhibitum pulverem diaphoreticum, ex ceruſſæ antimonii, cornu cervi uſti ana drachma una, cinnabaris medicinalis ſcrupulis binis, ſulphuris antimonii correcti granis quatuor paratum; quem pondere duorum ſcrupulorum, deſuper bibendo infuſum theiforme propinare ſolitus ſum. Fovendi præterea ac ſedulo fricandi ſunt pedes, ut ſpaſmus eorum relaxetur, & frigus expellatur; nec non injiciendi ſunt clyſteres, aut laxantia, eaque leviſſima.

§. VI.

*Curatio aſthmatis ſicci.* In aſthmate ſicco, quod à cauſſis externis bronchia & pulmonales veſiculas exſiccantibus, ut ſunt vapores ſaturnini, aër exhalationibus calcis vivæ refertus, vel vapor carbonum foſſilium, naſcitur; humectantia & acrimoniam demulcentia & fibras laxantia, ut ſunt lac, cremor ejus, oleum amygdalarum dulcium, emulſiones, ſperma ceti, pinguedines animantium interno & externo uſu omne abſolvunt punctum.

§. VII.

*Curatio hydropis pectoris.* Quod ſi pectoris hydrops jam præſto fuerit, anceps eſt curatio. Unicum, quod reſtare videtur remedium, paracentheſis eſt thoracis, quam multi collaudant auctores, uti CAROLUS PISO, SCULTETUS *obſerv.* 31. *pag.* 252. & SYLVIUS *oper. medic. cap.* 50. *pag.* 316. Neque eſt, quod fugiamus hoc remedii genus; quippe quod provida manu adplicatum, periculi plane expers eſt: verum alia incidit quæſtio, an ſemper certum inferat auxilium? Perite HIPPOCRATES *Lib.* 2. *de morb.* monet, quod inſtituenda ſit hæc operatio, antequam morbus invaluerit, aut labem viſceris cujuſdam ſecum traxerit. Et profecto hoc in caſu, ſi viſcerum læſio, aut exulceratio præſto fuerit, non temere ad hanc accedendum ſuadeo curam: iis vero integris, non contemnendam pollicetur opem. Præterea conjungere oportet leniora diuretica, atque laxantia, maximeque ea, quæ per epicraſin agere dicuntur; nimirum ſi morbus in principio, & ab exacerbatione febrili vacuus adhuc fuerit.

§. VIII.

Ultimo loco non incongruum viſum eſt, quæ CELSUS in ſpirandi difficultate Lib. IV. Cap. IV. in uſum commendavit, remedia ſubnectere; *Auxilium eſt,* inquit, *niſi aliquid prohibet, in ſanguinis detractione. Neque id ſatis eſt, ſed lac caprinum calidum jejuno dandum, & ſi non febrit, venter ſolvendus eſt. Liquanda alvus, interdum etiam ducenda, quibus extenuatum corpus incipit ſpiritum trahere commodius. Caput etiam in lecto ſublime habendum eſt; thorax fomentis cataplaſmatiſque calidis aut ſiccis, aut etiam humidis ad juvandus eſt. Præter hæc ſorbitionibus & lenibus cibis utendum eſt, interdum vino tenui, nonnunquam vomitu. Proſunt etiam quæcunque urinam movent, ſed nihil magis quam ambulatio lenta, pene uſque ad laſſitudinem, reſricatio multa præcipue inferiorum partium, vel in ſole vel ad ignem & per ſe ipſum & per alios uſque ad ſudorem.*

## *CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cautelæ circa emetica & purgantia.* Purgantia acriora, uti ſunt ex jalappa, gummi guttæ, colocynthide, elaterio, eſula &c. confecta; nec non emetica, maxime, quæ ex ſtibio parantur, cane pejus & angue in hoc affectu ſunt fugienda; quippe quæ genus nervoſum magis ad ſpaſmos diſponunt. Verum enim vero in aſthmate tali cachectico, ubi pectus humoribus ſeroſis, viſcidis plenum eſt, cum inſigni uſu tartarum emeticum, refractiori doſi, cum infuſo mannato propinare ſoleo; quo debilitatis pulmonibus aliquale robur inſtauretur, ut ſtagnantibus ſuccis reſiſtere poſſint. In tali quoque caſu eximiæ utilitatis eſt ſulphur antimonii, probe correctum, nec non à veteribus mire commendata ſquilla, provide data, quæ incidente non minus, ac reſolvente virtute, deſideratum edit effectum.

§. II.

*Circa tumores pedum.* Vulgaris, ſed inſignis error eſt, tumores pedum œdematoſos, qui frequentiſſime junguntur affectui noſtro, purgantibus draſticis profligare velle: neque aliud quidquam inde expectandum, quam ut ægri per compendium ad mortem deducantur: aliena quoque valde ſunt emplaſtra repellentia & ulcera ac fluxiones pedum ſiccantia & conſolidantia. Nec ſemper tuto ſunt adhibenda balnea Laconica cum ſpiritu vini; quoniam exſiccant nimium corpus, tumoreſque repellunt. Proficiunt magis ſiccæ fomentationes, ſacculi diſcutientes, conjunctis interne diaphoreticis cum antiſpaſmodicis mixtis, nec non uſurpatis diureticis, atque clyſteribus paulo acrioribus.

§. III.

*Circa venæ ſectionem.* Sanguinis, quæ per venæ ſectionem fiunt, miſſiones, nunquam in ipſo paroxyſmo debent inſtitui, quoniam malum inde fit deterius ac contumacius. Neque extra paroxyſmum quidquam

proficiet in ullo aſthmatis genere, quam in eo, quod vel à nimia ſanguinis mole, aut craſſitie, conjuncto cordis polypo, vel ab excretionum ſanguinearum ſuppreſſione fovetur: tum fine præſervatorio circa æquinoctia eam decet inſtituere. Monendum vero hoc loco eſt, majori ſemper cum fructu clyſterem, ad flatus diſſolvendos & alvum aperiendam ſanguinis miſſioni præmitti.

§. IV.

*Circa thermas & acidulas.* Thermæ ſi in morbi principio in uſum trahantur, vel etiam acidulæ, quæ tepefactæ eſſe debent; huic malo & ejus generationi, præſertim ſi ex cacochymia ſcorbutica, viſcerum infarctu, vel ſuppreſſione criticarum ſanguinis miſſionum pullulaverit, mirifice opitulantur: contra vero ſi jam inveteraverit malum, cordis polypi præſto fuerint, vel hydrops pectoris fixam occupaverit ſedem; harum potus, mortem accelerat; quod variis comprobatum habeo exemplis. Namque in his ſubjectis reperitur partium ſolidarum mirifica laxitas, ac viſcerum obſtructio; qua de cauſſa minerales iſtæ aquæ haud rite tranſeunt emunctoria, ſed hinc inde ſtagnantes, non modo extravaſatum in pectore ſerum augent, verum etiam novos, variis in locis excitant tumores.

§. V.

*Balneorum mineralium uſus.* Major fere ſpes ſalutis collocari poteſt in externo thermarum uſu, præſertim earum, quæ non tam adſtringentis, calcareæ & martialis ſunt proſapiæ, quam potius, quæ valde ſubtilem & leviſſimam aquam fovent, & ſale quodam alcalino imbutæ ſunt: quo nomine egregiam vidi efficaciam a Tœplicenſibus, & Piperanis; ſiquidem virtute ſua laxante ac emolliente fibras denſas, rigidas & conſtrictas mirifice demulcent, atque ſolantur, & ſimul liberiorem reddunt perſpirationem. Ubi vero vel polypi vel aquæ extravaſatæ ſuſpicio eſt, prorſus exulare hæc debent. Plus etiam conferunt balnea præſervandi, quam curandi ſcopo.

§. VI.

*Circa diuretica.* In ſtatu cachectico, cui jungitur aſthma, magnam opem ferre deprehenduntur diuretica; adeo, ut JOHANNES RHODIUS *Lib. III. obſ.* 27. teſtetur, aſthma, evacuatis intra nycthemeron, 37. urinæ libris fuiſſe ſanatum. De hoc medicinæ genere BAGLIVUS *obſ. pag.* 70. perite hæc ſcribit: *Pluries adnotavimus, in pectoris morbis ſemper ducendam eſſe materiam ad urinæ vias, natura id demonſtrante: quippe magnum conſenſum eſſe inter tibias, pudenda & pectus conſtat. Non vero tuta ſunt diuretica, ex ſalibus lixivioſis & acidis parata in pectoris morbis, nam tuſſim movent, & morbum exaſperant.* Contra pulvis millepedum, therebinthinata, eſſentia ſuccini minus ſpirituoſa, ſed probe alcaliſata, item balſamum ſulphuris antimonii, noſtra methodo præparatum, decocta radicum aperientium, ſyrupus de althæa Fernelii, urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranis infenſa ſunt.

§. VII.

*Circa externa.* In aſthmate ſpaſmodico cum cardialgia juncto, & quod à ſpaſtica ſepti tranſverſi ſtrictura prodit, linimenta, quæ ex axungiis animalium recentibus parata ſunt, demulcentia & anodyna, pinguedinem quoque caponis per ſolis calorem ſubtiliſatam, neque minus emplaſtrum Barbettianum, cum ſapone & camphora nobilitatum, plus ſæpe effeciſſe, quam ſpirituoſa & calidiora obſervavi.

§. VIII.

*Aëris uſus.* In curatione non minus ac præſervatione aſthmatis noſtri, aliorum remediorum vim egregie ſecundat aër; qui quo lucidior, purior, atque ſerenior eſt; eo majorem aſthmaticis fert opem. Et quem fugit, quod ſola tempeſtatis mutatio, morbum hunc inſigniter adaugeat? Veteres inſignem aëris habuerunt reſpectum; quos inter allegaſſe juvat COELIUM AURELIANUM, qui *Lib. II. cap. III.* ita ſcribit: *Obtinente ſtrictura, convenit ægrotos jacere loco lucido mediocriter, atque calido, adhibita abſtinentia, uſque ad tertium diem, cum requie corporis, atque animi, appoſitis lanis limpidis, atque mollibus, oleo dulci atque calido prætinctis, colla & thoracem circumdantibus &c.*

§. IX.

*Aëris ruralis uſus.* Neque minus ad inducendum partibus in pectore nervoſis robur naturale, præſervandi fine, mirifice præter potum aquæ frigidæ, ſed purioris & levioris, confert aëris ruralis uſus; quem laudando ſane ſtratagemate, BAGLIVUS *oper. pag.* 207. his verbis commendat: *In diuturno aſthmate, ſive humorali, ſive convulſivo, aërem ruſticanum ægrotantibus impero, & potiſſimum, ut campos habitent, quos arant bubulci. Debet itaque aſthmaticus ſequi bubulcum, quando terram arat, & incedere per ſulcum, ſive viam ab aratro recenter in terram factam, & aperto ore inſpirare aërem, ſive halitus nitroſo-ſalinos ac ſulphureos, à recenter ruptis terræ glebis prodeuntes. Tonus pulmonum longo morbo relaxatus, nitroſa ſalina centralis terræ caloris ſubſtantia roboratur, confirmatur, & reſtituitur, eoque reſtituto, circulus quoque liquidorum per pulmonum telas in libertatem ponitur, morbusque profligatur.*

§. X.

*Circa potum.* Multum quoque ad levandum vel ſanandum id mali refert, quo potus genere æger utatur. Cereviſiam fere, & quam maxime triticeam improbamus. Vinum meracum ſpiritu fœtum eſt, ebullitionem ſanguinis creans, congeſtionem humorum & gravitatem in pectore ac ſpirandi anguſtiam augebit, præſertim in ſanguine abundantibus. Vinum naturaliter aquoſum, ut Moſellanum vel Neckarinum recens, fibras ventriculi minus roborando, concoctioni minus aptum, flatus producit præſertim in hypochondriacis. Optimum deprehendi vinum Rhenanum antiquum, cum partibus tribus vel quatuor aquæ purioris fontanæ vel Selterani fontis permixtum. Ceterum infuſa theiformia ex hyſſopo, veronica, ranunculo hortenſi, ſive tragon, hedera terreſtri, radice glycyrrhizæ floribus bellidis parata, non ſatis laudare poſſumus, à quacunque etiam hoc malum ſubortum fuerit cauſſa.

§. XI.

*Circa dulcia.* Saccharata, nimis dulcia, mellita in omni aſthmate, maxime omnium vero in ſeroſo & hypochondriaco cane pejus & angue vitare oportet: nam tonum ventriculi lædendo, digeſtionem de-

deſtruunt, & flatuum generationi multum veliſicantur.

### *ENARRATIONES MORBORUM.*

#### Observatio I.

*Aſthma convulſivum a materia podagrica in corpore remanente.*

Vir triginta novem annorum, ante binos annos graviſſima pectoris conſtrictione, ac coarctatione, cum dolore punctorio & lancinatorio, thoracem, ſcapulas, & ſuperiorem medullæ ſpinalis partem occupante, corripiebatur, & de cordis vehementi compreſſione, ſummaque ſpirandi difficultate, ac ſi per anguſtum duntaxat foramen ſpiritum ducere deberet, conquerebatur, adeo ut nec ſtare, nec ſedere, nec laterum ulli incumbere potuerit. Duravit malum per ſedecim horas, & tum quievit: ſed vertente anno, circa idem, quod erat vernale, tempus recruduit hæc truculenta paſſio cum iiſdem ſymptomatibus. Hac autem vice dolor podagricus, cum tumore calcanei, pedes infeſtaverat; qui, adplicata in pulvere camphora, evanuerat, & brevi tempore poſt ſe traxerat aſthmaticum paroxyſmum. Redibat ille aliquoties, & longe majori, quam antea ferocitate adfligebat, manus pedesque calore & frigore alternantibus tremebant, & nulla pars corporis erat, quin in malorum conſenſum raperetur. Exercebant inſuper primam regionem perpetuæ anxietates, ac flatulentiæ; &, quod notari meretur, ipſe vir ægrotans nunquam antea ſanguinis evacuationes paſſus erat; Attamen in hoc morbo venam tundendam præbuit, eo effectu, ut cordis conſtrictio, cum pectoris & ſcapularum pungitivo dolore remitteret. Præterea externe ſpiritus vini camphoratus, interne vero pulvis bezoardicus nitroſus, præ aliis levamen ferebant. Conſultus ego in paroxyſmo commendavi pulveres diaphoreticos, cum nitro, cinnabari, tantillo camphoræ, & extracti croci permixtos: extra hos crebra pediluvia, & veſicatoria cruribus ſcapulisque adplicanda collaudavi. Præſervandi ſcopo utique thermarum Toeplicenſium uſum ſuaſi; & vere pariter ac autumno, præmiſſa venæ ſectione, ſal meum aperitivum, pilulas balſamicas, decoctumque temperatum, per unam alteramve hebdomadem uſurpanda propoſui, cum ſucceſſu feliciſſimo.

#### *Epicriſis.*

Ægrotus noſter præter nimiam, qua abundavit, ſanguinis molem, & hypochondriaca paſſione, & ſcorbutica humorum diatheſi laboravit: priorem teſtantur flatulentæ primarum viarum diſtenſiones, poſteriorem podagrici pedum dolores ſignificant. Aſthma igitur, quo preſſus fuit, à materia podagrica, ob naturam languidiorem haud ſatis vegete ad articulos pedum depulſa; ſed retenta in corpore, ac nervoſis præcordiorum partibus inſidente, ſuam traxit originem: ab imi ventris vero flatulentia, majora cepit incrementa. Quare eo direxi curationem, ut in paroxyſmo motus ſpaſmodicos mitigarem, & aucta tranſpiratione, hoſtilem materiam ad corporis revocarem habitum. Deinceps podagram per pediluvia ad pedes invitare volui; & amurcam acrem per veſicatoria expellere intendi; quæ in illis potiſſimum caſibus, ubi ſcabioſa, vel ulceroſa materia malum fovet, præſtantis ſunt uſus. Quoniam autem æger ſcorbutico-hypochondriacus fuit: ad mundificandam humorum maſſam, & corpus ab omnibus liberandum ſordibus, ſingulo vere ac autumno, curam hiſce ſcopis adprime convenientem ordinavi. Nec alienum in hoc caſu fuiſſet thermis, vel acidulis, iiſque tepefactis uti; quoniam viſcera à læſione adhuc immunia videbantur.

2) Diſcimus præterea ex hac obſervatione, quod camphora vim motus podagricos repellendi poſſideat. Multoties enim obſervavi, eam, ſicuti interne data, in diſcutiendis inflammationibus, ac expellenda materia acri, præclara pollet virtute; ita extrinſecus vel in pulvere, vel cum ſpiritu vini adplicatam, tumoribus inflammatoriis, ac eryſipelaceis, præſertim in initio, & ſi perſonæ ſenſibilioris ac calidioris fuerint indolis; plerumque effectum repellentem exſerere. Contra vero majori cum fructu in doloribus rheumaticis, & ſubjectis pituitoſis hoc remedii genus adplicare licet.

#### Observatio II.

*Aſthma convulſivum a calculo veſicæ felleæ ſubortum.*

Triginta annos egreſſa mulier, temperamenti ſanguineo-cholerici, virgo adhuc illibata gaviſa fuit ſanitate. Poſtquam vero viro nupta, parere cœpit; varii generis febribus tam acutis, quam intermittentibus, nec non ſpaſmodicis affectibus obnoxia fuit. Adhæc ictero contaminabatur, qui cum ſumma virium dejectione, torpore ac gravitate totius corporis, horrore atque phlogoſi, contabeſcentia, alvo mox fluida, mox adſtricta, ac moleſtiſſimo pruritu, per octo integros inhæſit menſes, omniumque remediorum vim eluſit; donec tandem ope thermarum Carolinarum prorſus ceſſerit, & ægra optime habuerit. Brevi poſt vero aſthma convulſivum incidit, quod cum atrociſſimo conſtringente, ac reprimente circa regionem thoracis & diaphragmatis dolore, præcordiorum anxietate, & ſumma ſpirandi difficultate, ac ſuffocationis metu, exacerbata, oſcitatione continua, ſiti inexplebili, vomitu, aſſiduis vigiliis, virium collapſu, frigore ac tremore corporis ſtipatum, per paroxyſmos rediit; quibus finitis, teterrimam ſemper cum fæcibus excrevit materiam. Quo in rerum ſtatu, icterus quoque ter adparuit.

#### *Epicriſis.*

Aſthma convulſivum, de quo in præſenti agitur caſu, per conſenſum à calculo veſicæ felleæ ortum eſt: quale exemplum à WILLISIO de morbis convulſivis allegatur. Subeſſe calculum veſicæ felleæ, ſignificat frequentior icteri recurſus; quem BAGLIVUS pro ſigno pathognomonico hujus affectus agnoſcit, dum *Oper. pag.* 433. dicit: *Si videris icteros ſanatos, ſed recidivos, eos certe à calculo veſicæ felleæ progigni prædicito.* Namque calculum hunc, ſi per ſuos ductus deſcendit, æque gravem ſpaſmodicam torturam ipſis inferre, quam illum, qui renibus inhæret, non ignotum eſt: cum autem ductus biliferi nervos ſuos à plexu hepatico, à pari vago & intercoſtali oriundo mutuentur; non obſcurum eſt, cur hæ ſtricturæ ad vicinas quoque partes, ventriculum, inteſtinum colon, diaphragma, nervos pneumonicos, aliaſque nervoſas pectoris partes propagentur. Talis quoque obſervatio reperitur in *Conſult.* ac *reſponſ. medicin. Tom. II. Sect. III. Caſ. XLIX.* Quum igitur hic affectus, more cunctis ſpaſmodicis morbis conſueto, per periodos ac paroxyſmos recrudeſcat: eam eſſe oportet me-

medentis intentionem, ut in paroxyſmo violentos motus conſopiat, extra illum vero obſtructiones, quas generant calculi, reſerare ſtudeat. Priori ſcopo in noſtra ægrotante ſatisfecimus 1) clyſteribus emollientibus, & oleoſis, 2) veſica bovina, decocto emolliente tepidiori plena ad hepatis regionem admota, 3) pediluviis circa ſomni tempus adminiſtratis, 4) pulveribus nitroſis, cinnabari & extracto caſtorei nuptis, & liquore anodyno interne datis. Neque omittenda tum ſunt balnea aquæ dulcis, quippe quæ in relaxandis ſpaſmis, ac reſerandis humorum obſtructionibus, mirifica gaudent virtute. Ad complendam vero poſteriorem indicationem, non præſtantius auxilium expectare licebit, quam ex thermarum Carolinarum recto uſu. Quo abſoluto, inſiſtendum erit infuſis aperientibus, interponendo lenia laxantia; ac denique, liberis viis, & quieſcentibus ſpaſmis, ad roborandas, quæ ſunt debilitatæ, partes, martialia rite uſurpata, vel etiam balnea martiata, omnem curationis paginam abſolvunt. Et ita ſane graves, qui ex vitio, & obſtructione hepatis naſcuntur affectus, averti, ſaltem inſigniter mitigari poſſunt.

## Observatio III.

*Aſthma ſpaſmodico-hypochondriacum, ab uſu radicis ſquillæ egregie ſublevatum.*

Vir quinquagenarius, fluori hæmorrhoidum olim obnoxius, ſponte poſtea ceſſanti, vinum rubrum, nec non tabaci fumum in delitiis habens, animique affectibus indulgens, per multos jam annos de ſpirandi anguſtia, tuſſi ſicca, & auditus gravitate conqueſtus fuit. Per noviſſimum vero trimeſtre adeo invaluit hæc ſpirationis difficultas, ut omnem eripiat ſomnum, nec ægro niſi in ſella prono ſedenti illum capere permittat; attamen breviſſimus eſt, & aſthmate illo ſæpius interrumpitur, cum metu ſuffocationis. Jungitur præterea tumor pedum œdematoſus, & per vices invadunt convulſivi motus; nihilo tamen minus adpetitu fruitur integro, &, quod notabile eſt, ſub præſenti affectione, perfecta gaudet auditus libertate. Sanguis ex vena miſſus, conſiſtentiæ fuit atræ, ac impurioris. Conſultus medicus ſuppreſſas hæmorrhoides reſpiciens, varia ordinabat remedia, reſolventia ac diſcutientia, nec non leniora laxantia; atque pilulas Becherianas; à quarum prima & unica doſi, hæmorrhoides prorumpebant, & per decem dies fluebant. Neque vero levabantur inde pectoris affectiones; tantum aberat, ut adpetitus plane langueſceret, tumor pedum increſceret, ad abdomen aſcenderet, & mictio fieret impeditior. In tali rerum ſtatu, medicus conſilii inops, exhibebat tandem pulverem ſquillæ, cum vincetoxico permixtum, ex juſculo quodam: quo ſumto, non modo libere per aliquot horas dormire, verum etiam in quocunque corporis ſitu, abſque ulla moleſtia decumbere poterat æger, quin expergefactus ab omni tuſſi & aſthmate immunis, optime valebat. Adhibita dicti pulveris tertia doſi multum muci tenacis, viſcidi evomebat; & ſequentibus diebus, continuato iſto remedio, eundem mucum copioſius eructabat, ſanoque videbatur ſimillimus. Verum elapſis aliquot hebdomadibus, cum iracundiæ nimium indulſiſſet ægrotans, recidit ſenſim in priora ſymptomata, & præter leve cruoris ex hæmorrhoidibus ſtillicidium, graves in ſiniſtro hypochondrio patiebatur puncturas. Cuncta remedia, clyſteres, laxantia &c. in caſſum dabantur, adeo, ut œdematoſa pedum intumeſcentia, abdomen quoque obſideret; quin apoplecticus inſultus, cum linguæ & dextri lateris reſolutione, tandem accederet. Hic quidem medelam admittebat; at aſthma inſignes ſumſit vires; ut ideo ad uſum ſquillæ rurſus deveniret medicus: ex quo, portenti inſtar, omnia ſymptomata protinus evaneſcebant, ſomnusque cum adpetitu redibat. Sed brevis erat valetudo; ſiquidem poſt binas hebdomades, cuncta pathemata revertebantur. Tertium data ſquilla, reliquis nihil proficientibus medicinis, omnia conſopiebat; & jam per aliquot dies, malorum vacuitate gaviſus æger, meam ad præſervandos ulteriores inſultus, per medicum requiſivit opem.

### *Epicriſis.*

1) Aſthma hoc dici meretur hypochondriaco-ſpaſmodicum; quoniam conſtrictione partium ſpiritalium ſpaſmodica nititur; & ex hypochondriorum vitio primam trahit originem. Teſtantur id puncturæ ſiniſtri hypochondrii, neque dubium eſt, quin ſuppreſſio fluxus hæmorrhoidalis multum ad generationem mali contribuerit; præſertim cum vini rubelli, quod conſtrictiva vi agit, forſan nimius acceſſit uſus.

2) Non mirum eſt, quod hæmorrhoidum fluxus, unica pilularum balſamicarum doſi revocatus, malo nullas ſuppetias tulerit. Quod ſi enim hæc excretio morbo recenti ſupervenerit, illum levaſſet procul dubio: at quoniam ille per tot annos duravit, partes adeo debilitatæ, & quaſi motibus hiſce anomalis aſſuetæ fuerunt, ut difficile ſit, iis, licet emendetur humorum vitium, priſtinum reſtituere robur; tantum abeſt, ut motus vitioſi à qualibet cauſſa, maxime pathematibus animi, facile corrigi potuerint.

3) Attentionem meretur, auditus difficultatem, ingraveſcente cum aſthmate pedum tumore œdematoſo, prorſus levatam fuiſſe. Namque dum illa à ſeri viſcidi ſtagnatione in partibus auditui dicatis, omnino ſuſtentata fuit; non mirum, ſi derivato illo ſero ad pedes, organa auditus priſtinam conſtitutionem recuperaverint.

4) Obſervatione denique digniſſima eſt mirabilis illa, ac fere ſtupenda ſquillæ in allevando aſthmatis immani paroxyſmo efficacia. Radix hæc à medicorum antiquiſſimis, HIPPOCRATE, GALENO, CELSO, DIOSCORIDE, COELIO AURELIANO, &c. in affectibus chronicis, maxime hydropicis, ob virtutem pituitam lentam viſcidamque diſſolventem, urinam cientem, viſcerumque infarctus reſerantem, magni eſt æſtimata. Fovet autem elementum valde ſubtile, acerrimum, ac fere cauſticum, atque majori doſi exhibita, nervoſo generi omnino adverſatur; ad quam acrimoniam obtundendam veteres variis uſi ſunt modis; quidam enim ipſam paſtæ ex farina involvebant, in clibano exſiccabant, indeque trochiſcos parabant, uti DIOSCORIDES *Lib. II. cap.* 202. vel cum aceto infundebant, uti GALENUS, vel cum aqua decoquebant, uti HIPPOCRATES *de victus rat. in morb. acut.* vel cum vino, ut COELIUS AURELIANUS *Lib. III. Cap. VIII. de morbis chronicis* §. 120. quo nimirum hac ratione ſal tenuiſſimum cauſticum evaporaret. Præprimis vero habetur veluti pro ſpecifico in chronicis pectoris affectionibus; unde JAUBERTUS *Oper. pag.* 476. dicit: *ad expectorationem omnium convenientiſſima eſt ſquilla; quovis modo aſſumta, ut cocta & melle excepta, vel quod ex ea conficitur mel & acetum, ac ex utroque compoſitum oxymel ſquilliticum: quo ad craſſorum*

*&*

*& viſcidorum pulmonibus impactorum expurgationem haud quicquam eſt præſtantius aliud genus remedii &c.* Et FERNELIUS *Therap. univerſ. Lib. V. cap. 20. ſquilla*, inquit, *pectus craſſis & lentis humoribus infarctum expurgat, tuſſim veterem & aſthma perſanat, ac ſaniem è pectore elicit.* Certe meretur hæc radix inter remedia heroica referri, & noſtris etiam temporibus in frequentiorem uſum trahi: namque exſerit non modo virtutem potenter incidentem; verum etiam languentes motus excitat, & quod mirabile eſt, blande anodynum ſimul exhibet effectum. Scire vero licet, ante illius uſum corpus blandis laxantibus eſſe repurgandum, illamque ad tria vel quatuor grana, cum radice vincetoxici, & nitro, quod mitigat acriorem ejus vim, exhibendam.

## OBSERVATIO IV.

*Aſthma ſpaſmodicum à victu poſt iram ſumto.*

Vir generoſus, in dignitate conſtitutus, annorum triginta, conſtitutionis ſanguineæ, habitus corporis ſpongioſi, & ſucculenti, poſt vehementiſſimam iracundiam, ex qua totum contremiſcebat corpus, mox capiebat in convivio cibum, vinique præterea liberaliori potu replebat ventriculum. Inſequentem noctem tranſigebat inſomnem, cum anxiis præcordiorum ſtricturis, vomendi conatibus, & totius corporis languore conjunctam. His per aliquot dies adfligentibus, jungebantur ſenſim, adpetitus proſtratio, pulſus debilis & celer, tabes, febris lenta, oris ſiccitas, ſitis, flavus faciei, albique, quod oculis ineſt, color, mictio parca, urina valde ſaturata, fuſco, rubicundo, prunoque colore imbuta; & alvus dura, tenſaque, flatus & ſtercora difficilius transmittens. Adhibuerat in hoc rerum ſtatu à variis medicis, cujuſcunque generis medicamina, aperientia, emetica, amaricantia, ſtomachica, carminativa, martialia &c. quoniam hepatis obſtructionem, & billioſam viſcidamque primarum viarum ſaburram ſuſpicabantur. Verum cuncta erant fruſtranea; & malo per tres menſes inhærente, tandem accedebat aſthma ſpaſmodicum, quod nocturno potiſſimum tempore ita vexabat ægrum, ut in lecto contineri nequiverit, ſed per aliquot horas in conclavi obambulare, ſpiritumque feneſtris apertis anhelare debuerit. Sic ergo viribus exhauſtus, totoque corpore conſumtus, Dreſda, ad me acceſſit, ultra octoginta remediorum, quæ uſurpaverat, formulas ſecum afferens, meumque flagitavit auxilium. Ordinavi liquorem anodynum mineralem; pulverem præcipitantem nitroſum; infuſum theiforme ex floribus chamomillæ, ſummitatibus millefolii, floribus ſalviæ, herba veronicæ, ſemineque fœniculi paratum; pediluvia ex ſola aqua dulci confecta; clyſteres emollientes, ac denique elixir balſamicum viſcerale: quibus per menſem uſurpatis, priſtinam, quæ Dei eſt gratia, recuperavit ſanitatem.

### *Epicriſis.*

1) Exhibet hic caſus, iterum exemplar aſthmatis ſpaſmodici, ex conſtrictione viarum biliferarum ſuborti. Cauſſa fuit gravis iracundia; quæ quod immediate effectum, in primas potiſſimum regiones, & præſertim vaſa, bilem vehentia, ea ſpaſmodice conſtringendo, exſerat; obſervatione quidem compertum habemus; Pernicioſior iracundiæ eſt efficacia, ſi paullo poſt cibus vel potus capiatur; & quo diutius inhæreſcit ejuſmodi ſpaſmus; eo pertinacior eſt, & ad vicinas extenditur partes. Quum vero pulmones, eorumque bronchia nervos adipiſcantur à pari vago; quod cum ramo nervi intercoſtalis etiam hepati, & biliferis ductibus, nec non ſepto tranſverſo, præbet ſurculos: unde pateſcit inſignis conſenſus, quo pectoris partes cum hepate gaudent. Pertinet huc obſervatio RAYGERI, quæ extat MISC. N.C. *Dec. I. anno IV. obſ. XI.* cum fœmina per triennium aſthmate periodico detenta & poſt mortem diſſecta fuit, ubi nihil vitii in pulmonibus, nec bronchiis obſervatum. Viſcera etiam ſalva, ſed veſicula fellis magna, nihil bilis, ſed lapidem magnum inæqualem incluſum IV. drachmarum continuit.

2) Exacerbatum & deterius redditum eſt malum, à tanta remediorum, maxime inconvenientium copia. Namque notandum eſt, in iis morbis, qui ſola, eaque graviori partium nervoſarum conſtrictione, ab animi affectibus, inducta ſuſtentantur, abſente craſſa materiali cauſſa, pernicioſiſſimum & veneni inſtar eſſe vomitoriorum, purgantium atque ſpirituoſorum & incidentium acriorum uſum.

3) Diuturnitas mali, maximam partem, minus rectæ cauſſarum perveſtigationi debetur; quæ, quanta poſt ſe relinquat damna, innumeris proh! dolor innoteſcit experimentis. Plurimi enim medicorum ad ſolum humorum vitium, eorumque craſſitiem, vel aliam quamcunque qualitatem, & inde factam viſcerum obſtructionem reſpiciunt; motumque partium ſolidarum perverſum, in quo ſæpius totum morbi fundamentum hæret ſolo, plane negligunt. Unde remediis ſuis, quæ ad tollendam humorum labem alias non inepta ſunt, plus ſane damni excitant. Quare cum, explorata morbi cauſſa, ad relaxandam ſpaſmodicam ſtricturam, omnem curandi ſcopum direximus; & factum eſt, ut votis non ſine ſingulari exiſtimationis noſtræ augmento potiti ſimus.

## OBSERVATIO V.

*Aſthma cachecticum à repulſo pedum tumore.*

Senex ſeptuagenarius, obeſus, cachecticus, ob pedum femorumque œdematoſum tumorem, per quatuor jam annos ſedentariam agere debebat vitam: & cum aliquando gelidiſſima hieme, templum ingreſſus eſſet, ingenti per totum corpus horrore, artuum tremore, dentiumque ſtridore afficiebatur. Tum protinus tumor pedum, licet magnus fuerit, evanuit, & ejus loco eryſipelacea inflammatio pedem occupavit, ſimul vero tantum acceſſit aſthma, ut vix ſpiritum trahere poſſet, & de ſuffocatione timeret, cum pulſu intermittente, rubore faciei, ac perpetua in ſomnum proclivitate. Dabantur pulveres diaphoretici ex antimonio diaphoretico, oculis cancrorum, nitro depurato, & camphora; qui, conjunctis laxantibus id effecerunt, ut tumor pedes rurſus occupaſſet, & cuncta reliqua conquieviſſent ſymptomata. Sed præter opinionem repetebatur ſcena; tumor œdematoſus retrocedebat, & ſequebatur aſthma graviſſimum: datis vero prioribus, redibat tumor, remittebant mala. Nihilo minus tertia vice diſparebat tumor, denuo graviſſimam poſt ſe trahens ſpirandi difficultatem: & jam iterato priorum remediorum uſu ad pedes reverti, contumaciter recuſabat. Verum perpetuus accedebat ad matulam ſtimulus; & quoniam morbum per urinam ſolutum iri animadvertebam, hujus fluxum, data tinctura antimonii

acri, cum ſale noſtro volatili oleoſo, ſecundare ſtudebam. Unde factum eſt, ut urina copioſiſſima quantitate, & aſſumtorum proportionem longiſſime ſuperante, veluti in iis, qui diabete laborant, mingeretur, & ultra tres ſeptimanas inſiſteret. Tandem vero, commendato alimentorum boni ſucci uſu, mictio fiebat naturalis, & æger perfecte convaleſcebat, ita quoque, ut nullus amplius pedum adpareret tumor.

*Epicriſis.*

1) Inſignis eſt relatio ſive metaſtaſis, quam tumor œdematoſus pedum, cum morbo aſthmatico habet; adeo, ut illo diſparente, hic protinus excitetur, & illo rurſus adparente, hic vel plane tollatur, vel inſigniter allevetur: cujus ratio ſupra jam fuſius eſt tradita. Cauſſa repulſi œdematis non alia fuit, quam frigus externum, quod conſtringendo partes exteriores, & occludendo cutis ſpiracula, ſtagnans intus ſerum, ad pectus aſcendens repreſſit. Sub hoc vero partium externarum, & muſculoſarum ſpaſmo, portio quædam ſanguinis ſtaſin concepit, cui ſupervenit inflammatio eryſipelacea.

2) Mira ac fere divina eſt camphoræ cum nitro, antimonio diaphoretico, cinnabari, interne datæ efficacia, in reſolvendo, ac expellendo ſero acri tam viſcido, quam ſubtili ad externas partes; quam contra medicorum communem ſententiam, abſque ullo damno, vel humorum æſtu exſerit. Quare hoc egregium remedii genus, inſigni cum fructu in inflammationibus, etiam internorum viſcerum diſcutiendis; & exanthematibus, febrium malignarum, aliorumque morborum, è corpore proſcribendis adhibere ſoleo.

3) Notatu digniſſima eſt ſolutio aſthmatis, ac œdematis pedum, per diureſin copioſiorem, veluti diabeticam. Hæc omnino in tali caſu pro critica habenda eſt, nec ullo modo ſiſtenda, tantum abeſt, ut potius, quacunque ratione eam promovere oporteat: nec obſcura eſt ratio, ſiquidem ſerum illud impurum, acre, viſcidum, quod ſtagnando in pedibus œdema, in pulmonibus aſthma progeneravit, ad renes depellitur, & per urinam è corpore penitus eliminatur. Quo in caſu, ad promovendam mictionem, tinctura antimonii acris, permagnæ eſt virtutis.

## Observatio VI.

*Aſthma à retropulſa podagra lethale.*

Flagitavit aliquando opem meam vir quidam generoſus, duobus ab hac urbe milliaribus habitans, habitu alioquin ſpongioſo, lividoque colore præditus: qui, cum podagræ ac calculi ſævitiam diu ſuſtinuiſſet, impatiens tandem dolorum, medici ex vicina quadam urbe auxilium imploraverat. Ille ad ſopiendos podagræ dolores, linimento ex ſpiritu vini rectificato, in quo ſolutum erat ſatis opii & camphoræ, manuum atque pedum articulos inungere juſſerat. Inungit æger totum corpus liberaliter, dolores remittunt, ſed horum loco laſſitudo, virium languor, & poſtremo aſthma convulſivum corpus occupat: quod cum pedum œdemate, ſummaque præcordiorum anxietate junctum, perpetuam minabatur ſuffocationem. Accedens ego, exploratis cauſſis, prædixi ancipitem ſtatum, quin ipſam mortem, quæ etiam non multo poſt, adhibitis in caſſum remediis, inſequebatur.

*Epicriſis.*

1) Aſthmatum illud genus, quod à materia acri ac fere cauſtica, nervis præcordialibus incumbente, & à podagra, arthritide, aliiſque malignis exanthematibus repulſis, ad pectus delata, ſuboritur, non raro breviſſimi eſt exitus: ſiquidem vellicati nervi, maximeque tunicæ bronchiales ac pulmonales, tam graviter conſtringuntur, ut ſtatim lympha in pulmonum ſubſtantiam extravaſetur, atque repentinam inducat ſuffocationem. Quo in caſu poſt mortem reperitur ſumma pulmonum conſtrictio, modo cum, modo ſine aquarum extravaſatione.

2) Summa itaque medentis cura ſit, ut motus podagrici ac arthritici ad ſua loca revocentur: ſic enim protinus remittere aſthma, perpetuæ eſt obſervationis. Dignus hoc loco eſt, ut allegetur, caſus, quem his verbis recenſet DODONÆUS: *Mercator juvenis tam gravi, atque diuturno ſuſpirio vexabatur, ut licet nullum remedii genus intentatum relinqueret, nihil tamen inde allevaretur. Idem tamen invadentibus poſtremo calculi, & podagræ doloribus ab orthopnœa liberatus fuit, ita, ut cum antea in ſedili cibus, ſomnuſque ipſi eſſet capiendus, jam decumbendi facultas morbi beneficio ipſi concederetur. Adeo, quam fruſtra à remediis ſibi promiſerat medicinam à morbo impetravit.* Similem caſum recenſet ETTMULLERUS *Oper. pract. pag.* 184.

3) Prudentis tamen eſt medici, ut in tam ancipiti ſtatu, neutiquam deſerat ægrotantem. Oportet nimirum ipſum, protinus ano infundendum curare clyſterem: purgantia enim, vomitoria, quin & ipſæ venæ ſectiones, niſi mortem accelerent, ſumme tamen pernicioſa ſunt. Oportet porro ſpaſmos præcordiorum, adpoſitis pectori veſicis, decocto emolliente plenis, delinire; & internis diaphoreticis & antiſpaſmodicis pugnare. Nec alienum eſt, pedes in tepidam immittere aquam; aut ſi pertinax inhæſerit malum, veſicatorium ſuris pedum admovere.

## Observatio VII.

*Morbus aſthmaticus, ex aëris vitio ſubortus; cum pectoris hydrope lethalis.*

Quum aliquot abhinc annis, in Carolinis degerem fontibus; acceſſit illos, vir quidam generoſus ex aula Gothana, qui ex intemperantia potus, & frigore intenſo, ſub quo, pectus ipſi libere exponendo, iter fecerat, ab aëris inclementia, aſthmaticum ſibimet contraxerat morbum. Erat ipſi habitus corporis cachecticus, facies flava, & plumbea; tantum tamen ipſi virium ſuppetebat, ut thermas adire poſſet. Hauſta ingenti aquæ quantitate, nihilo minus inſtabat malum, jamque increſcebant ſymptomata, cum maxima anxietate, & ſuffocationis metu, adeo ut interdum paroxyſmi ad octo vel decem horas extenderentur. Quibus compulſus, thermarum potum omittebat: interim alvus erat fluida, & augeſcente malo levior ſiniſtri brachii paralyſis, & intenſiſſimus ſcapularum dolor infeſtabat; aqua in thorace ita increſcebat, ut commoto corpore fluctuatio perciperetur in pectore; tumor autem in pedibus, & abdomine nullus; & pulſus in ſiniſtra manu debilior, in dextra fortior, validiorque emicabat. Poſtremo cum nihil prodeſſent optima remedia; animi defectione oppreſſus, in ipſa urbe obiit.

*Epicri-*

*Epicriſis.*

1) Diſcimus ex hoc caſu, quam inopportunus ſit aquarum mineralium uſus, in aſthmate, quod jam inveteravit, & cum extravaſatione aquarum in pectore conjunctum eſt. Plures ſane ejuſmodi caſus mihi occurrerunt, ubi, ad fontes Carolinos degens, hiſce ſubjectis ſuaſi, ut abſtinerent à thermarum potu, & prædixi funeſtum eventum; qui etiam in multis tandem evenit. Dum enim viſcera jam ſunt obſtructa; moles aquarum ea tranſire nequit, & in vaſis ſubſiſtit, ſymptomata mirum in modum exacerbantur.

2) Quemadmodum frigus omnibus nervoſis partibus infenſum eſt; ita maxime pectori deprehenditur inimiciſſimum. Quam plures mihi cogniti ſunt caſus, ubi ex eo ſolo frigore, liberalius atque diutius pectori admiſſo, tuſſes, aſthmata ſpaſmodica, & cardialgiæ atrociſſimæ propullularunt. Hinc non rarum eſt, eos, qui venatoriis, aut aulicis muneribus præſunt, & pectore, uti mos fert, minus tecto incedunt, ejuſmodi affectibus infeſtari. Et ſi noſtrum conferamus caſum, non ſane ex alia cauſſa originem traxit aſthma, quam ex frigore, pectori admiſſo: ſiquidem æger venationibus indefeſſus vacavit, nudoque pectore ſub gelidiſſimo cœlo inceſſit. Quod cum forſan inconvenienti tractatum ſit medela; omnino in hydropem pectoris tandem degeneravit.

## Observatio VIII.

*Aſthma à repreſſo pedum eryſipelate.*

Laborioſus noſtræ civitatis piſtor, ſex & quinquaginta annorum, robuſtæ atque corpulentæ conſtitutionis, iracundiæ multum deditus, potui ſpirituoſo non minus ac craſſiori cereviſiæ adſuetus, nudis à puero per integros ſæpe dies pedibus incedere ſolitus, ante tres annos in dextro pede eryſipelas habuit. Quo per ſpiritum vini camphoratum, à chirurgo imprudenter adplicatum, non tam diſcuſſo, quam in horrendum pedis tumorem commutato, ingentem pectoris oppreſſionem, cum ſpirandi haud exigua difficultate junctam, protinus expertus eſt. Neglectum ab initio malum, progreſſu temporis adeo increſcebat, ut æger nec corpus ſine moleſtia movere, præſertim verſus terram inclinare, nec ſcalas aſcendere, nec quidquam portare, nec in lecto ſine ſuffocationis metu jacere; nec niſi ſellæ inſidens noctes, fere inſomnes tranſigere poſſet. Hinc, accedente utriuſque pedum œdemate, majori autem dextri, qui olim eryſipelate affectus erat, ab omnibus negotiis abſtinere cogebatur. Jungebantur potius ſenſim ingens virium, & adpetitus proſtratio, æſtus internus, abſque ſiti, qui veſperi potiſſimum invadens, & ab ultima dorſi regione incipiens, per ſpinam ad caput uſque pergebat, ibidemque in frigidum erumpebat ſudorem; & cum ſummis præcordiorum anxietatibus, ac ingenti anhelatione ſtipatus, totam noctem moleſtam reddebat, ſomnoque privabat. Neque ſub hoc æſtu majori quicquam fuit ſolatio, quam liberior aëris frigidi acceſſus, quem cupidiſſimus aperto ore hauriebat. Vacabat tuſſi, quoties autem cunque quid per os aut nares ſecederet; ſenſit inſigne levamentum. Alvus erat adſtrictiſſima, & vix quovis quarto vel quinto reddebatur die. Abdomen flatibus fere turgebat, & in eodem fluctuantis quaſi aquæ ſtrepitum ſe ſentire affirmabat; urinam vero ſatis copioſe mingebat. Conſultus ego, cum ex pulſu tardo, ſed magno, & ſæpius mutato, ſanguinis, qui diu non erat detractus, abundantiam conjicerem, purgato prius ope pilularum balſamicarum, cum ſale Sedlicenſi alternis diebus ſumtarum, inteſtinorum canale, ex vena in brachio tuſa ſeptem cruoris uncias curavi detrahendas. Quo factum eſt, ut & abdomen detumeſcere, & ſpirandi anguſtia imminui cœperit; accedente præſertim copioſo acris materiæ ex utroque pedum effluxu; qui externo ſacculorum diſcutientium, ex floribus chamæmeli, ſambuci, camphoræ; & farina fabarum &c. paratorum uſu, frictionibus, maxime vero pedum in vas calefacto furfure repletum, crebriori & diuturna ad genua uſque immiſſione adjutus, & affectum œdematoſum minuit, & pectori inſigne attulit ſolatium. Præterea ad diluendos viſcidos humores, ab omni cereviſia ipſum abſtinere, ejuſque loco decoctum temperatum, cum quarta vini parte mixtum bibere, mane vero in lecto infuſum ex herbarum veronicæ, hyſſopi, roriſmarini, ſalviæ, ſcabioſæ ana manipulo uno, corticis ligni ſaſſafras, radicis liquiritiæ, ſeminiſque fœniculi ana drachma una ſorbillare juſſi. Denique ad excretionem muci, inſigni cum fructu uſurpavit hanc mixturam: Recipe aquarum hyſſopi, veronicæ cum vino ana uncias quatuor, oxymelis ſquillitici unciam unam, eſſentiæ gummi ammoniaci, glycyrrhicæ, croci ana drachmam unam, ſyrupi de eryſimo Lobelii unciam unam. M. d. de qua ſingulis diebus, quater tria vel quatuor cochlearia ſumſit. Aeſtus internus, quoties recruduit, vel adhibito cum aqua fontana pulvere nitroſo abſorbente, vel etiam emulſione, ex ſeminum quatuor frigidorum, ſeminis papaveris ana drachmis duabus, aquæ ceraſorum nigrorum, florum acaciarum, roſarum, cinnamomi ſine vino ana unciis duabus, ſyrupi papaveris albi uncia & dimidia confecta, inſigniter mitigatus fuit, ſubſequente ſomno tranquillo, & vires haud mediocriter reſtaurante. His itaque remediis per menſem circiter continuatis, æger non modo liberius, & ſine omni moleſtia ſpiravit; ſed & adpetere, dormire, & vires, miro ſpectaculo, ſenſim recuperare cœpit, adeo, ut & in publicum denuo prodire, & negotiis domeſticis intereſſe conſtitueret. At immutato celeriter aëre ſereno in pluvioſum, & accedente ira graviori; omnia priſtinam induerunt faciem, vires nimirum fractæ, adpetitus dejectus, ſomnus inquietus, & aſthma fortius revertebantur: ſed aliquot circiter dierum intervallo, partim ope deſcriptæ emulſionis, partim ope pulveris ex radicis vincetoxici ſcrupulo uno, ſquillæ & nitri ana granis ſex concinnati, ſublatis omnibus hiſce ſymptomatibus convaluit.

*Epicriſis.*

1. Hujus affectus hiſtoriam, cum curatione, & adhibitis remediis, ob juniores medicos practicos, de induſtria paullo pleniorem exhibere conſtituimus. Ex aliis vero notatu dignis, pernicialis ſpiritus vini camphorati effectus, quem ſæpius in tumoribus eryſipelaceis, arthriticis, podagricis &c. comperi, injungendus mihi videtur. Nam ſicuti provida hujus ſpiritus in tumoribus & doloribus, a lento & ſtagnante humore obortis, adplicatio non caret ſua laude &

uſu

uſu: ita contra in naturis ſenſibilioribus, & mobilioribus, ſerum vitioſum ad interiora repellendo, vel magis incraſſando, non minimam noxam infert.

2) Annotare etiam ex hac morbi hiſtoria licet, facilem omnium ſymptomatum, quæ plane quieſcebant, à ſolo iræ motu recurſum, & exacerbationem. Unde adparet, cauſſam hujus affectus non tam ab humorum mole, & craſſitie; ſed à vitioſo, & præternaturali nervoſarum partium motu foveri; quem blande anodynis, & demulcentibus conſultius, quam ſpirituoſis ſopire, & delinire præſtabit.

3) Præter hæc memorabilis ſquillæ videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in ſpaſmis & convulſionibus partium nervoſarum præſentiſſime ſopiendis, maxime catarrho ſuffocativo, aſthmate convulſivo, quandoque etiam in ipſa epilepſia: qui effectus noſtra quidem ſententia principio anodyno, ſali ſubtiliſſimo diſcutienti ac reſolventi intermixto debetur.

## Observatio IX.

*Aſthma ſpaſmodicum a retropulſa podagra.*

Generoſus vir, annorum quadraginta, habitus ſtrictioris, ſanguine pleni, temperamentique ſanguineo-melancholici, vita olim functus valde mobili, iracundiæ deditus, & pro potu ordinario vino rubro, aqua diluto uſus, ante aliquot annos cruorem ex venis ſedalibus, ſed ſemel tantummodo profudit, & paullo poſt inſultum podagricum, cataplaſmatibus profligatum paſſus fuit. Quatuor elapſis annis vitæ genus plane ſedentarium ſubiit; in quo aſthma, quod jam diu utut leviſſimum ſuſtinuerat, accedente præſertim conjugis cariſſimæ morte, & inde ſuborto vehementi mœrore, inſigniter increvit, cum gravi cordis palpitatione per intervalla ſtipatum. Prævia venæ ſectione, adhibitiſque variis medicaminibus, ordinabantur aquæ Sedlicenſes: quæ tantum aberat, ut ferrent levamen, ut potius ſequuto autumno, ingentem in modum ſpirandi difficultas, fere ſuffocativa invaleſceret, & maxime verſus noctem cum aridiſſima tuſſi infeſtaret. Conſultus medicus, venam tundi jubebat, detracto ſanguine aterrimo, cuticula ſubpingui inveſtito: ordinabatque varia reſolventia, incidentia, abſorbentia, laxantia, pediluvia, & quoniam flatus ſimul moleſtabant, carminativa: à quorum uſu per urinam inſignis amurcæ tartareæ quantitas reddebatur, & generoſus æger egregie habere incipiebat. Verum, cum ſatis longo interjecto tempore, diætæ regulas tranſcendiſſet, & aëri humidiori ſeſe expoſuiſſet; recruduit anhelatio, priori fere gravior; ſub qua urina rurſus deponebat copioſum ſedimentum. Adhibebantur venæ ſectiones, fontes Selterani, variaque remediorum genera, ſed in caſſum; quin tandem accedebat peripneumonia. Huic ſeptimo die vehemens orthopnœa, cum maximo in pectore ſtrepitu, abſque omni expectoratione, adeo vexans jungebatur, ut per aliquot dies incurvato pectore, anguſtum trahere deberet ſpiritum. Expectorantia exacerbabant malum; ab antiſpaſmodicis vero & infuſis calidis ſolamen percipiebat; junctiſque aliis remediorum generibus, ab hac gravi primum febre, & ſubinde ab aſthmate ita reſtituebatur, ut in publicum quoque prodire potuiſſet. Verum noviſſime, ſub humidiori verſatus aëre, illud rurſus incurrit, cum pedum œdemate, nocta diſparente, corporiſque contabeſcentia ſtipatum: & in hoc rerum ſtatu meam flagitabat opem. Commendavi itaque præter rectam vivendi rationem, maxime ſtudioſam ab aëre humido, frigidoque abſtinentiam, & ſtatas venæ ſectiones, pulverem meum præcipitantem, liquorem anodynum, & elixir viſcerale balſamicum; vinum rubrum, pro potu interdixi, & Selteranas conjunxi, atque pediluvia: quibus factum eſſe percepi, ut egregie valere cœperit.

### *Epicriſis.*

1) Aëris diverſa conſtitutio, ſicut ipſum aſthma inducere valet: ita quoque varias aſthmaticis infert mutationes. Quando enim mercurius in barometro, ob imminutam aëris, vaporibus aqueis infarcti, elaſticitatem deſcendit; autumnali præſertim tempore ventis ex auſtro & Zephyro flantibus: difficilior ſemper eſt in aſthmaticis ſpiratio: quod ſi vero mercurius in barometro aſcendit, uti fieri conſpicimus flante Euro, qui valde eſt temperatus ac elaſticus, optime habent aſthmatici; hinc videmus, quantum ad liberam ſpirationem aëris conditio contribuat. Nam ſi ille nimium levis, tenuis, ac rarefactus eſt; quemadmodum in altiſſimis montibus, vel hypocauſtis calefactis vel balneis deprehenditur: tunc nequit reſiſtentiam ſanguinis & aëris interni in vaſis pulmonalibus contenti ſuperare; neque ideo progreſſum humorum per pulmones ad ſiniſtrum cordis ventriculum promovere; quare etiam ſub leviſſima atmoſphæra homines ſuffocari poſſe experientia docemur. Inde quoque ratio patet, cur ab aëre vaporibus carbonum accenſorum repleto, & certo loco incluſo, homines ſuffocentur; quoniam videlicet hi vapores ſulphurei, aëri demunt vim elaſticam expanſivam, ut ille interni aëris & ſanguinis reſiſtentiæ ſuperandæ impar fiat. Quare monitum, ab aſthmaticis ſedulo obſervandum eſt, ut quemcunque humidum & nebuloſum ſtudioſe vitent aërem.

2) Sedlicenſes aquæ, ſale amaricante, quod calcareæ indolis eſt, valde turgidæ & magna ac crebriori doſi hauſtæ, in aſthmate & in omnibus ſpaſmodicis affectibus, niſi eos exacerbent, ſaltem ſunt inefficaces; & potius proſunt in morbis ſic dictis frigidis, pituitoſis, ubi multum muci, quem incidunt, reſolvunt, ac evacuant, primas vias obſidet. Sal enim earum ob ingentem vellicationem nervis, ſpaſmo affectis, eſt infenſum.

3) Aſthmati ſpaſmodico facile ſupervenire poteſt peripneumonia. Vi enim conſtrictionum, quæ membranas pulmonum ac bronchiorum occupat, ſæpius ſanguinis vel ſeri in vaſculis minimis ſtaſes, & accedentes inflammationes producuntur; quæ peripneumoniam conſtituunt: & tum anceps ſane eſt rerum ſtatus.

4) Quum in noſtro ægrotante nulla fuerit nec viſcerum obſtructio, nec pectoris hydrops; non mirum eſt, quod meris antiſpaſmodicis hic morbus perſanari potuerit.

## Observatio X.

*Aſthma ab exhalationibus calcis vivæ.*

Ante decem circiter annos conſilium à me petiit Theologus quidam, vir quinquagenarius, temperamenti ſanguinei, dolore ex calculo, atque podagrico per intervalla ab aliquot annis affectus, qui in gravem ſpirandi difficultatem, con-

continuam quidem, ſed ſub aëris mutatione admodum invaleſcentem incidebat. Sub aëre enim temperate humido degebat ſemper melius, quam nimis ſicco & frigido. Mali primam cauſſam tribuebat incuriæ, quod in camera, calce viva recenter obducta ſomnum ceperit; quoniam ab eo tempore ægrius ſpiravit. Plures conſuluit medicos; ſed à nullis remediis quidpiam opis perſenſit. Ego lac aſininum præbendum ſuaſi; ſed ventriculus id ferre recuſavit. Succeſſit tandem atrophia, & tumor pedum œdematoſus, cum febre hectica, & inſequuta morte. Aperto poſt obitum corpore, hepar repertum eſt ingentis magnitudinis; pulmones mirum in modum inflati, diſtentique, & cor ſolito grandius adparebant; ut totam fere thoracis cavitatem replerent. Hæc equidem nullam, pericardium vero inſignem extravaſati ſeri fovebat copiam, & inteſtina erant inflammata.

*Epicriſis.*

In aſthmate demortuis pulmones valde inflatos & expanſos fuiſſe repertos, plures docent obſervationes. Vid. RHODIUS *Cent. II. obſ.* 22. COSTÆUS *de potu in morbis Lib. 3. cap.* 30. DODONÆUS *obſerv.* 54. Præſertim RUYSHIUS *obſ. anat. chirurg. obſ.* 19. *&* 20. in pulmone invenit acervum veſicularum pellucidarum, ab aëre expanſarum, & adeo obſtructarum, ut levi compreſſione aërem ex iis haud evacuare potuerit. A vaporibus calcis vivæ bronchiales ramulos ita poſſe conſtringi, ut aër atmoſphæricus ob gravitatem & elaſticitatem, qua pollet, in veſicularum pulmonalium cellulas impelli, ſed non adeo facile exire poſſit, vero eſt ſimillimum. Et inde etiam factum eſt, ut æger aërem temperate humidum, ob vim fibras & tunicas conſtrictas relaxantem, melius ferre potuerit, quam ſiccum & frigidum. Crediderim in tali caſu, vaporem ex floribus emollientibus, cum lacte decoctis, ad interiora pulmonum admiſſum, longe utiliſſimum fore; neque emplaſtra demulcentia, nervina ex axungiis, ſuo fructu deſtitui. Interne vero lacticinia, & axungiæ animantium, ſperma ceti, oleum amygdalarum dulcium, in ejuſmodi aſthmate ſicco, neque minus in eo, quod metallurgis ex fumis ſaturninis, ore hauſtis, familiare eſt, optimam pollicentur opem.

Quam pernicialem & virulentam vim, in conſtringendis faucibus, & viis ſpiritalibus, exſerant effluvia, quæ ex locis calce viva obductis emanant, quotidiana edocet experientia. Ante viginti annos tres filii Conſiliarii primarii, qui infra annum decimum erant conſtituti, in camera dormientes, recenti calce inveſtita, intra aliquot dies angina ſuffocati occubuerunt.

## Observatio XI.

*Aſthma à frigore vehementi.*

Aliquot abhinc annis, per litteras me conſuluit, vir quidam generoſus, quadraginta annorum, ex Livonia, vehemens aſthma per biennium jam paſſus, docerique voluit, num ipſi ſint profuturæ thermæ Carolinæ. Conquerebatur vero non tantum de ſumma præcordiorum anxietate, ſpirandique difficultate; ſed & de vehementi ipſius ſterni ſpaſmodica non minus, ac dolorifica ſtrictura, atque thoracis & ſcapularum compreſſione, tanta violentia per periodos invadente, ut non raro animi deliquia, cum extremorum frigore, ſudore gelido, ſummaque inquietudine ſtipata jungerentur: qui paroxyſmi ab ira, & à cibis inflantibus, maxime ſi alvus ſimul fuerit adſtricta, ſemper erant graviores. Contraxiſſe ſibimet hoc malum ſeri; ſit a vehementia frigoris, ſub levioribus veſtimentis ad præcordia atque pedes admiſſi, quos ad genua uſque, venationibus indulgens, ſæpius in aquarum immiſit ſtagna. Ceterum & hæmorrhoidalis fluxus, & hypochondriacarum paſſionum vacuitate gaudebat: naturæque robuſtioris ſemper fuit: & fruſtra multis remediorum generibus, ſanguiniſque miſſionibus uſus eſt. Ego igitur conſultus, ſuaſi utique thermarum Carolinarum internum, peractaque harum potatione, Tœplicenſium externum uſum. Paruit meo conſilio, & corpore viribuſque prorſus extenuatus, acceſſit thermas, eaſque cum tanto potavit levamine, ut ſequenti anno earum potationem iteraret. Conjunxit inſuper uſum elixirii viſceralis cum tertia parte liquoris anodyni permixti; nec non eſſentiæ corticum aurantiorum bene præparatæ, eidem liquori nuptæ; atque pulverum nitroſo-temperantium, interpoſitis pilulis balſamicis. Externe emplaſtrum nervinum temperatum præcordiis & ſterno admotum, egregium tulit allevamentum. Quin brevi abhinc tempore per litteras mihi nunciavit, ſe a malo ſuo penitus liberatum, athletice jam valere.

*Epicriſis.*

Multa mihi cognita ſunt exempla eorum, qui ex ſola frigoris ad præcordia admiſſi vehementia, cardialgia ſpaſmodica cum ſumma ſterni ſtrictura laborarunt; & inſigne ſemper, vel ab emplaſtro Barbette, vel nervino, quod ex axungia humana, ſevo cervino, croco, balſamo Peruviano, myrrha, minio, paratur levamen ſunt experti. Vis enim intenſi frigoris tanta eſt, ut non modo, occludendo cutis poros, tranſpirationem impediat, ſed potiſſimum, ut ipſis partibus ſolidis, membranaceis & nervoſis, earum intimam texturam ac ſtructuram immutando, labem inferat; quæ haud ita facile corrigi poteſt. Quemadmodum vero in omnibus partium nervoſarum morbis, qui à frigore naſcuntur, circumſpectum thermarum internum externumque uſum deprehendi efficaciſſimum: ita quoque non dubitavi, quin illum in præſenti morbo commendaverim, cum ſucceſſu feliciſſimo.

## Observatio XII.

*Aſthma rheumaticum Carolinis perſanatum.*

Vir generoſus, in dignitate conſtitutus, quinquaginta annorum, plenioris corporis habitus, ex loco quodam, ubi lauto, inordinato, ſimul autem valde mobili uſus fuerat vitæ genere, domum redux indulſit demum vitæ ſine motu deſidi, multiſque occupationibus plenæ: unde protinus de rheumaticis, atque catarrhalibus in pectore incommodis, coryza, tuſſi, raucedine, atque ſpiratione juſto difficiliori conqueri cœpit. Ante annum vero, per domeſticas calamitates animo non parum fractus, plures noctes inquietas valde, cum moleſta hypochondriorum diſtenſione, multoque ſudore ſtipatas tranſegit. His demum acceſſit ægerrima ſpiratio, quæ tanta erat, ut vix in lecto ſe continere poſſet; ſed ad capiendum aërem liberiorem in conclavi diſcurrere, & feneſtras aperire debuerit; appetitu tamen ſemper ſalvo & integro exiſtente. Progreſſu temporis, exhauſtis viribus, corpus contabuit,

tabuit, & ſpirandi difficultas adeo increvit, ut ad levem corporis motum, quando veſtes vel exuere, vel induere, vel ſcalas aſcendere, vel etiam alvum cum niſu quodam deponere voluit, protinus ſuffocatoriam fere pectoris compreſſionem, cum ſumma moleſtia paſſus fuerit. Quin memini, virum illuſtrem aliquando noctu in graviſſimum eumque præfocantem ferme pectoris affectum incidiſſe, qui à quadam defluxione à capite ad pectus irruente pendebat, & cum tanta ſpirandi anguſtia inhærebat, ut ob totius corporis tremorem, faciem rubicundam, extremorum refrigerationem, viriumque lapſum, morti perquam vicinus videretur. Deſideravit in hoc paroxyſmo hauſtum aquæ frigidæ, quo ſumto mirifice recreatus, & liberiorem expectorationem habere, & minus impeditum ſpiritum ducere cœpit. Ceterum ægrotanti nulla nec ad hæmorrhoides, nec ad podagram erat diſpoſitio; at patre, hæmorrhoidum fluori obnoxio, hocque ceſſante, aſthmate hydropico correpto ac denato, natus fuit. Poſtquam igitur ordinatis à medico varii generis pectoralibus, & antiaſthmaticis remediis, nec non ſanguinis miſſione, exiguo, vel plane nullo fructu uſus erat: me tandem acceſſit, meumque deſideravit auxilium. Commendavi quam plurimum thermarum Carolinarum potationem; quam non ſine multo levamine inſtituebat, & ſequenti etiam repetebat anno. Prætetea tam ante, quam poſt harum uſum ſuaſi, ut à cœna vel prorſus abſtineret, vel eam ter minimum quavis ſeptimana intermitteret; non minus loco cereviſiæ ſaturatioris, tenuiorem, ſed ſatis ſalubrem Lœbeginenſem, ac fontem Selteranum cum quarta vini parte biberet; atque multa equitatione, vel ambulatione corpus frequenter exerceret. Ad hæc familiariter utebatur eſſentia corticum aurantiorum, bene præparata, cum eſſentia carminativa permixta: vinum quoque medicatum, quod ex herba cardui benedicti, comis abſynthii, herba ranunculi hortenſis, corticibus citri, aurantiorum, agarico, rhabarbaroque confectum erat, ſingulo menſe, alternis diebus hac ratione aſſumebat, ut quatuor ante prandium horis, ſorbillato prius juſculo carnis, hauriret ſex dicti vini uncias; quod multum muci pariter, atque flatuum ſubduxit, cum exoptatiſſimo mali levamine.

*Epicriſis.*

1) Quantum detrimenti mutatio vitæ generis mobilioris in immobilius, ſervata eadem, quæ antea fuerat, victus proportione, afferre poſſit valetudini: quam plurimis in praxi compertum habemus exemplis; unde veritas aphoriſmi HIPPOCRATICI confirmatur, quo, *multi*, inquit, *morbi fiunt, quando cibus ſuperat laborem.* Hac enim ratione nimia ſeri impurioris copia generatur; ex qua rheumatiſmi, maxime pectorales gignuntur: &, quoniam in tali vitæ genere digeſtiva vis languet, cumulantur inde cruditates in primis viis, ex quibus generantur flatulentiæ, quæ affectus catarrhales, & aſthmaticos inſigniter augent. Quamobrem non ſine ratione Viro optimo commendavi, ut, quoniam avidiori fruebatur adpetitu, parciori victu, frequentique corporis motu uteretur; & accommodato laxante, lentos viſcidos humores ex inteſtinorum canale repurgandos curavi. Quum vero ejuſmodi affectus, ſi vel à parentibus trahantur, vel in habitum degeneraverint, ſolis iſtis remediis, non facile cedere ſolent; ad efficaciora deſcendere oportet, ex quibus, ob inſigniſſimam, quam inde ſæpius deprehendi, virtutem, thermæ Carolinæ, & poſtea Tœplicenſes, cunctis reliquis palmam eripiunt.

2) Debetur peculiaris animadverſio illi effectui, quem aqua frigida in affectu pectoris catarrhali, ac pene ſuffocante, præſtitit excellentiſſimam. Quando enim pulmonum tonus adeo debilitatus eſt, ut irruentis in illos pituitæ copia haud expectorari poſſit, tunc aquæ frigidæ hauſtus, lene his partibus addendo robur, adjuvat expectorationem; qua facta mitigatur, quin ceſſat reliquus affectus.

3) Circa potationem non modo acidularum, verum etiam infuſorum vinoſorum, ſi frigida ſint, notari meretur, quod quibuſdam ſubjectis, ſtomacho exiſtente jejuno, pota moleſtias creant. In tali caſu hiſce perſonis ſorbitionem juſculorum calidorum injungere ſoleo; atque tum potum aquarum vel infuſi purgantis concedo: quoniam hac ratione, frigus illorum fluidorum, fibris ventriculi nerveis non adeo moleſtum eſt.

## Observatio XIII.

*Aſthma ſpaſmodicum à tuberculo in oſſe ſterni exciſo.*

Vir quinquagenarius, corpore robuſto, ſanguine, ſucciſque pleno inſtructus, largis epulis, & ſub his vino aduſto uti ſolitus, in ætate juvenili, narium hæmorrhagiis; virili vero diſpoſitioni hæmorrhoidali obnoxius, ante aliquot annos moleſto in oſſe ſterni, circa regionem tertiæ coſtæ corripiebatur tuberculo. Quod, accedente gravi iracundia, inflammatum, tandemque ſuppuratum, felici quidem ſectione exſtirpabatur; ſed inſignem ſpirandi difficultatem, à tuſſi & excretione muci vacuam, relinquebat. Hæc veſpertino potiſſimum invaleſcebat tempore; & ſub inſpiratione, in eo, cui tumor inſedit, ſterni loco, videbatur quoddam hærere impedimentum, quod libero aëris ingreſſui obicem poneret. Ceterum alvi eſt adſtrictioris, neque raro dolores dorſi perſentiſcit; & noviſſime cœcæ adparuerunt hæmorrhoides. Conſultus commendavi venæ ſectiones ter quotannis iterandas; cucurbitas cum ſcarificatione, dorſo ac regioni renum quandoque admovendas; &, ſi recruduerint cœcæ hæmorrhoides, ſanguiſugas ipſis adplicandas. Deinceps, procurata, alternisque diebus ad tempus iterata alvi laxatione, dedi pulverem ex lapidum cancrorum uncia dimidia, ſolutionis oculorum cancrorum, nitri purificati ana drachma una confectum, ut ejus dimidiam drachmam mane ex aqua ranunculi hortenſis, ſorbillatis deſuper aliquot infuſi veronicæ vaſculis ſumeret. Ordinavi quoque, ut rectæ vivendi rationi ſtuderet, maximeque elevatis capite ac pectore cubaret; & denique loco, quem tumor obſederat, adplicandum ſuaſi emplaſtrum, quod ex gummi ammoniaci, myrrhæ, bdellii ana drachmis tribus, terebinthinæ venetæ, axungiæ humanæ, ceræ uncia una, florum ſulphuris, camphoræ ana drachmis duabus, croci, olei aniſi ana drachma una conficiendum docui.

*Epicriſis.*

Aſthma hoc ſpaſmodicum natales ſuos potiſſimum mutuatur, à tuberculi in ſterno ſuppurati, inopportuna exciſione. Quemadmodum enim generatim ulcera, etiam arte concitata,

quæ

quæ adpellamus fonticulos, præmature conſolidata, graviſſima ſpirandi difficultate ſtipari, frequenti compertum habemus obſervatione: ita hanc eo facilius comitem habent ulcera, & læſiones oſſis ſterni, male feriatis artibus tractatæ. Sternum ſcilicet, quod eſt os molle, ac valde ſpongioſum, in parte interiori, eaque concava, proxime inveſtitur valde nervoſa tunica pleura; ejuſque mediæ parti per longitudinem adnectitur mediaſtinum, productio duplicata pleuræ, eique ſenſibilitate neutiquam cedens, ſubjectaque inſuper arteria aſpera. Quare vero eſt ſimillimum, exciſo illo tuberculo, ſerum acre, quod illud ploravit, per poroſam oſſis ſubſtantiam retro actum, mediaſtino protinus inſediſſe, ejuſque ſpaſmodicam induxiſſe ſtricturam; quæ reniſus illam ſub inſpiratione ſenſationem perfecit. Hinc, teſtante ETTMULLERO *Oper. Pr. Part. II. pag. 565.* inflammationi mediaſtini jungitur tam moleſtus in inſpiratione circa ſterni regionem reniſus.

2) Præterea vero ad generandum in hoc caſu aſthma contribuit, congeſtio ac infarctus humorum in pulmonibus. Huic primario etiam debetur tuberculi illius generatio. Namque dum æger hæmorrhoides fluentes habuit; illæ vero poſthæc ceſſaverunt: vix fieri potuit, quin humorum ſtagnationes, in vaſis imi ventris, maxime inteſtinorum contigerint: unde repetenda eſt alvinæ obſtructionis origo. Notum vero eſt, quod ubi circulus humorum in abdomine irregularis fertur, ſpaſmi in hac cavitate protinus excipiant, & flatulentiæ: hinc cruor majori copia ad præcordia cogitur, pulmones infarcit, ſpirandique graviorem parit difficultatem.

3) Studio commendavi ſitum corporis cum elevato capite. Namque notari meretur, quod aſthmatici, maxime ſi à nimia ſanguinis mole tales facti fuerint, ex decubitu ſupino, protinus incurrant graviſſimam anhelationem. Ex hoc enim ſitu, major humorum ad præcordia fit affluxus.

Plures de aſthmate caſus reperies in *Conſult. ac Reſponſis Medicin. Sect. II. caſu LXXXIII. ad XCV.*

---

## CAPUT III.

### *De Tuſſi, inprimis Rheumatica & Convulſivâ.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Definitio tuſſis.*

VIx occurrunt morbi, qui tam propinqua cognatione invicem conjuncti, tantaque frequentia complicati ſunt, quam quidem aſthmatica ſpirandi moleſtia, atque tuſſis; adeo ut vix fieri poſſit, quin unus alterum poſt ſe trahat. Explicato igitur aſthmate, ejuſque ſpeciebus, de tuſſi jam agere conſtituimus. Hæc vero, generatim definiendo, nihil eſt, quam violenta materiæ peregrinæ, ex pulmonum bronchiis, per horum vim contractilem, intenſius auctam, ſive convulſivam, cum vehementiori exſpiratione facta expulſio.

§. II.

*Structura partium ſpiritalium.*

Hujus hiſtoriam perinde ac pathologiam ſcripturus, rectiſſime à deſcriptione illarum partium incipere poſſe videor, quæ ad tuſſim efficiendam proxime concurrunt; quo demum hujus motus, revera convulſivi eſſentia pateſcat, ejuſque differentiæ intelligantur. Et hujus quidem primariam ſedem atque ſubjectum conſtituit magnus iſte aëreus canalis, cujus ope ſpiritum trahere benigna nobis permiſit natura. Dividitur ille in aſperam arteriam, & bronchia; hæc per pulmonum ſubſtantiam ſerpunt, illa à pulmonibus ad fauces tendit. Hujus nimirum principium, larynx dictum, eſt canalis à ſummis faucibus incipiens, ex quinque cartilaginibus, ope membranarum, externæ nerveæ, mediæ carneæ, & internæ glanduloſæ connexis, fabricatus, & ſuperius apertura, glottis adpellata, & operculo cartilaginoſo, qui nomen eſt epiglottidis, obtecta, perforatus. Sequitur principio capaciori tubus, ex cartilagineo-membranaceus, quem aſperam vocant arteriam; qui anguſtiori ſenſim itinere ad pulmones tendens, circa hos in binos primum dividitur ramos, bronchia dictos. Hi in minores, & minimos, eoſque innumeros, per pulmonum fabricam diſtributos diſpeſcuntur, omnes ex ſegmentis cartilagineis, membraniſque contractilibus conſtructos; & denique in veſiculas minimas, racemorum inſtar, bronchialibus iſtis ramulis adhærentes, & præcipuam pulmonum partem conſtituentes deſinunt.

§. III.

*Canalium pneumonicorum vaſa ac glandulæ.*

Omnes hi pneumonici canales ab initio ad finem cinguntur membrana ex fibris tam longitudinalibus, quam annularibus conſtructa, & multis glandulis, ductibuſque excretoriis ſpiſſe obſita, quarum glandularum copiam, ſitum ac figuram exquiſitiſſime delineavit MORGAGNUS *Adverſ. Tab. 11. fig. 1. pag. 48.* Fundunt illæ, in dictas ſpiritales vias, humorem tenuem, roſcidum, blande lymphaticum: quem etiam ex illis glandulis, quæ extrinſecus epiglottidi, cartilaginibus arytænoideis, bronchiorumque extremitatibus adhærent, ſtillari, dubium quidem, ſed vero videtur ſimillimum. Has oſtendit HEISTERUS *in A. N. C. Cent. VII. & VIII. obſ. LXIII.* Tribuit præterea hiſce ductibus varii generis vaſcula provida natura: & quidem primum arterioſa, ab arteria bronchiali. Hæc principium ſumit ex trunco arteriæ magnæ deſcendentis, ſuper arcu arteriarum intercoſtalium ſuperiorum, & in tres dividitur ramos, quorum unus externe ſuper aſpera decurrit arteria, reliqui duo per totam ſubſtantiam membranarum tracheæ, bronchiorumque pulmonalium multas diſpergunt ramificationes. Venoſa accipiunt à vena bronchiali, cujus ramuli, ſimili ac arteriæ modo propagati, magno tandem ramo in truncum venæ cavæ deſcendentis & azygos abeunt. Utraque vaſorum accurate detexit ac deſcripſit RUYSCHIUS *epiſt. VI.* Nervoſos denique ramos mutuantur hæ ſpiritales viæ à pari vago, nec non intercoſtali nervo.

§. IV.

*Functio viarum ſpiritalium.*

Primarius horum canalium uſus, atque functio eſt, ut aëri externo, ad facilitandum ſanguinis circuitum, & conſervandam vitam valde neceſſario, in pulmones ingreſſuro pariter ac redituro, commodum iter præbeat. Hunc in finem datæ ſunt iis ductibus 1) copioſæ glandulæ, non ut ſecernant humorem excrementitium; ſiquidem hic locus excretioni ſordium ſecundum natu-

ram minime dicatus eſt: ſed ut effundant lympham tenuem, quæ membranas tracheæ, & bronchiorum, ne ab aëre perpetuo illabente exareſcant, blanda continuaque lubricatione fovet, atque tum, ſuo perfuncta officio, in halitus reſolvitur, & cum exſpirando aëre, in morem tranſpirationis cutaneæ, exhalat. Eodem ſcopo tributæ ſunt hiſce viis 2) tunicæ nerveæ, ac exquiſite ſenſibiles, non minus ac muſculoſæ, fibris tam longitudinalibus, quam annularibus præditæ: cujus ope motu gaudet tam conſtrictorio, quam dilatatorio, quem ſapiens natura cunctis nervoſis ac membranaceis totius corporis ductibus tribuit, veluti in uretheribus, viis biliferis, & ventriculo ac inteſtinis deprehendimus. Neque ſuo inſigni fructu vacat hic motus; ſiquidem non modo ad promovendum aëris ingreſſum, & exitum, verum maxime ad lymphæ ex dictis glandulis ſecretionem adjuvandam, quin & ſanguinis curſum per vaſa bronchialia facilitandum permultum contribuit. Sed quum hi membranacei ductus, ad ſpirationis negotium ſoli haud ſufficiant, ipſi tamen 3) cum reliquis partibus, quæ ad peragendam hanc functionem concurrunt, veluti ſunt pulmones, pleura, ſeptum tranſverſum, muſculi intercoſtales, & abdominis &c. tam arctiſſimo fruuntur conſenſu, ut fere ſit impoſſibile, quin agente una parte, omnes ſimul agere incipiant.

§. V.

*Ratio formalis tuſſis oſtenditur.*

His recte ſe habentibus, ſecundum naturam fit reſpiratio: ubi vero cunque unicum dictorum momentorum à naturali ſtatu receſſit, eadem ſtatim læditur ac pervertitur. Mittimus reliqua ſpirandi vitia, & de ſola jam tuſſi loquimur, quæ nunquam non dictorum canalium pneumonicorum præternaturali conſtitutione abſolvitur. Vix profecto dubito, quin, quod in ventriculo eſt vomitus, id in bronchiis tuſſim, i. e. inverſum eorum motum tonicum eſſe dicerem. Namque hæc mihi tuſſis eſt idea, quod ſub ea bronchiales ductus ab infima ad ſuperiorem partem vehementius conſtricti, contentum aërem cum impetu, & celeritate ſurſum agant; inſimul peregrini quidpiam expulſuri. Quum autem his male affectis, reliquas quoque pectoris partes, ſpirationi tributas, & quæ cum his porro arctiori nexu cohærent, in ſævorum motuum ſocietatem, vi intimioris conſenſus rapi oporteat: facile patet, cur in tuſſi, tanquam præternaturali exſpiratione, quo ea eſt vehementior, eo quoque violentius totum pectus, totum abdomen, quin & totum corpus concutiatur. Viciſſim autem ob eandem harmoniam ſæpiſſime fit, ut, ſi ſeptum tranſverſum, ventriculus, œſophagus, nervi præcordiales, & qui ab illis dependent, vel etiam membrana narium pituitaria, à quacunque cauſſa vellicentur; affecta ſimul fiſtula aërea, tuſſim poſt ſe trahant.

§. VI.

*Tuſſis cauſſa proxima.*

Si igitur affectio dictorum canalium ſpaſmodico-convulſiva, formalem tuſſis conſtituit rationem: eorundem vellicatio dictæ convulſioni, hinc & tuſſi cauſſam proximam præbeat, neceſſe eſt. Omnis ergo tuſſis ſedem ſuam in pectore habet; licet cauſſæ non ſemper ibidem obhæreſcant. Et hæc ipſa cauſſarum, quæ ad tuſſim contribuunt, mediatarum diverſitas, tam varias ejus gignit ſpecies, quas omnes pertractare, noſtri non eſt inſtituti.

§. VII.

*Tuſſes ſymptomaticæ.*

Neque enim agere conſtituimus de ea tuſſi, quæ tanquam moleſtum ſymptoma variis jungitur ægritudinibus. Talis eſt phthiſica, quæ à colliquatione veſicularum, & ramulorum bronchialium per ulcus pulmonum facta ſuboritur, adeoque continui læſionem pro fundamento habet. In hac non per pulmonales glandulas, ſed ipſam bronchiorum cavitatem exeſam, laceratam, ac hiantem, peregrina ac ulceroſa eam ſubintrat materia, quæ vellicando nervoſas membranas, tuſſientem producit motum. Deinceps ad ſymptomaticas tuſſes pertinent, quæ aſthmati, peripneumoniæ, pleuritidi, ſcirrhis atque vomicis pulmonum, inflammationi ſepti tranſverſi ac jecinoris ſuperveniunt; quæ læſo nervo vel tendine circa collum ſuboriuntur; quæ difficilem dentitionem comitantur; & quæ convulſivos, aut epilepticos motus, alioſque hyſtericos morbos conſequuntur. Hæ maximam partem, à bronchiorum vellicatione, per conſenſum duntaxat inducta, cauſſa morbi in plus minus remota à præcordiis regione hærente, producuntur, claroque ſunt documento, tuſſim pertinere ad affectus nervorum ſpaſtico-convulſivos.

§. VIII.

*Tuſſis à peregrinis, aſperam arteriam illabentibus.*

Neque etiam ample tractabimus de ea tuſſi, quæ proficiſcitur à peregrinorum tam ſolidorum, quam fluidorum inſolito in aſperam arteriam, per glottidis rimam deſcenſu, & vulgo exprimitur: *Es ſey vvas in die unrechte Kehle gekommen.* Tragici profecto, & ſæpe, ob repentinam, quam inducunt, ſuffocationem, funeſti ſunt hi caſus, quorum notabiles hiſtorias recenſet MARCELLUS DONATUS *in hiſtor. med. mirab. Lib. III. cap. VII.* Huc ſpectant tuſſes, quæ à tumoribus, calculis, aliiſque rebus præternaturalibus, aſperæ arteriæ, atque bronchiis accretis ſuboriuntur: unde calculos, aliaque corpuſcula, grandinibus ſimilia, tuſſiendo rejecta fuiſſe, fide digni perhibent auctores. Videas ALEXANDRUM TRALLIANUM *Lib. V.* PAULUM ÆGINETAM *lib. III. cap. 28. & 31.* & PETRUM BORELLUM *obſ. Cent. 1. obſ. 67.*

§. IX.

*Tuſſis metallicolarum.*

A noſtro quoque ſcopo alienæ ſunt tuſſes graviſſimæ, quas excitant fumi ſaturnini, metallici, inque primis acidi minerales, cum aëre diutius inſpirati, & illi potiſſimum metallicolæ experiuntur, qui argento per plumbum in magnis catinis depurando ſtudent, nec non figuli lythargirio multum utentes: ut & cæmentarii, & qui cum calce viva multum ſunt occupati. Evidens earum eſt ratio: dum enim particulæ metallicæ, fere corroſivæ ductus ſpiritales, inſigni ſenſibilitate præditos ingrediuntur, iiſque intimius inſinuantur; gravem eorum inferunt conſtrictionem, tuſſis ſiccæ, cum aſthmate complicatæ cauſſam.

§. X.

*Tuſſis catarrhalis levior.*

Nec denique noſtræ conſiderationi preſſius ſubjacet id tuſſis genus, & levius, & brevius, quod à cohibita tranſpiratione, in ſanis ceteroquin corporibus evenire ſolet. Fit nimirum ea, ſi ſubjecta præſertim pituitoſa caput vel pectus, quod antea in calidiori loco leni perſpiratione maduit, ſubito exponunt frigori, & repreſſum à cute ſerum acre ad tracheam & bronchia decumbit

bit; aut ſi ſenes inprimis noctu in loco frigidiori dormiunt, vel in frigido ac hiemali aëre liberius obverſantur. Jungitur quoque coryzæ; & vel calidiori regimine, vel ſumto fotu diaphoretico, brevi tempore ceſſat. Huc etiam ſpectant delapſus muci è naribus ad fauces, & laryngem, qui matutino tempore facili conatu per ſcreatum eliditur.

## §. XI.

*Tuſſis rheumatica.*

Sed de ea fuſius agemus tuſſi, quæ primarium conſtituit morbum, totumque graviter afficit corpus, & tam vehementia, quam diuturnitate eſt moleſtiſſima. Vocamus hanc rheumaticam, eo quod rheumaticis revera abſolvitur affectionibus. Namque pro cauſſa agnoſcit, humorum, maxime ſeroſorum inverſum, & à ſuperficie corporis, extremiſque partibus ad pulmones tendentem motum, atque decubitum; neque unquam à febrilibus commotionibus, veſpertino potiſſimum tempore conſpicuis, ac horripilationibus vacua eſt. Hæc pro ſubjectorum, quæ invadit, varietate, vel humida, vel ſicca eſt: illa evenit ſanguineis, phlegmaticiſque, qui præter partium fibroſarum, nervoſarum ac muſculoſarum mollitiem, ſeroſis ac pituitoſis nimium ſcatent ſuccis, veluti ſunt fœminæ præ viris, infantes, pueri, atque ſenes, præ iis, qui in juvenili, vel virili ætate ſunt conſtituti. Sicca vero tuſſi magis corripiuntur hypochondriaci, ſcorbutici, cachectici, ſtrictiori corporis habitu, & debili, & ad ſpaſmodicos motus valde proclivi nervorum ſyſtemate, nec non ſero acri copioſo præditi.

## §. XII.

*Hiſtoria tuſſis convulſivæ ſeu ferinæ.*

Summum tuſſis rheumaticæ gradum denotamus, per convulſivæ ſeu ferinæ nomen. Hæc tam efferata vehementia, tantaque totius corporis concuſſione adfligit, ut ea non raro ſuffocari credas miſeros: tumque in infantibus vulgo dicunt: *Sie bleiben auſſen.* Modo, maximeque ſub initio ſicca eſt, & vel nullam, vel ſaltem parciſſimam ſeri tenuioris, plus minus acrioris copiam elidit; modo humida, tumque mucum ſublividum, ſæpe tenaciſſimum, præviis laborioſiſſimis conatibus, ſecum ducit. Refrigeſcunt ſimul extrema, alvus eſt clauſa, urinæ mingunrur tenues, & ſucci vitales majori copia & impetu ad ſuperiora, pectus, atque caput compelluntur: unde ſub paroxyſmo facies ſanguine turget, rubet, venæ tument, arteriæ fortius, celeriuſque moventur, oculi prominent, lacrymas emittunt, palpebræ intumeſcunt, & interdum ipſe ſanguis, accedente ſternutamento, è naribus ejicitur: nonnunquam ipſa pulmonum vaſcula rumpuntur, ſputumque ſuboritur cruentum. Non raro ſingultus jungitur, ſimulque ventriculus adficitur laborioſis vomitionibus, quibuſdam ſtercora, & urinæ præter voluntatem fluunt; quidam, præſertim infantum, hernias tuſſiendo ſibi contrahunt, aut adnotante jam HIPPOCRATE *aph.* 46. *Sect. VI.* gibboſi fiunt: quin M. N. C. *cent.* 1. *obſ.* 1. notabilem allegant caſum, de corpore vertebræ dorſalis, præ tuſſis vehementia, in medio diſrupto. Neque ignorari oportet, à nimia tuſſis vehementia apoplexiam ſuboriri poſſe: & BOYLE *de natur. philoſ.* obſervavit, quod ex tali tuſſi ſubitanea memoriæ ac ratiocinii jactura, nec non manuum, aliorumque membrorum enata fuerit paralyſis.

## §. XIII.

*Cauſſa materialis ferinæ tuſſis.*

Cauſſa hujus tuſſis materialis reſidet in humore tenui, acri ac fere cauſtico, ad ſenſibiles fiſtularum aërearum tunicas depoſita, eaſque graviter vellicante. Hæc vel laryngi duntaxat, & arteriæ aſperæ inſidet, tumque continuam, & moleſtiſſimam faucium titillationem habet comitem; vel profundius bronchiis pulmonalibus infixa hæret, atque tum graviſſimum & atrociſſimum parit tuſſiendi conatum. Et generatur quidem hic humor à ſordibus impuris & acribus, ad ſuperficiem corporis, aut artus exteriores, vel haud ſatis vegete expulſis, vel quacunque de cauſſa, maxime frigore, retroactis, & ad pulmones decumbentibus. Hinc docemur, ſcabiem, tineam, achores capitis, guttam roſaceam, ſudorem pedum, aliaque exanthemata repreſſa, ulcera præmature conſolidata, & arthritidem, podagramque intus actam, tuſſim poſt ſe trahere convulſivam. Et quænam quæſo alia eſt cauſſa, quod morbilli & præcurſores, & comites, & pediſſequas habeant, ejuſmodi tuſſes diuturniores, quam quod materia acris, morbillacea, ad vias ſpiritales retroceſſit, eaſque graviter vellicavit. Conf. A. N. C. *Dec. III. obſ. XI. pag.* 25.

## §. XIV.

*Tuſſis convulſiva epidemica.*

Non raro etiam hæc rheumatico-convulſiva tuſſis, ex communi cauſſa, aëris nimirum vitio ſuborta, epidemicam per multas regiones edit ſtragem. Occurrit autumnali, ac hiemali potiſſimum tempeſtate, ſi hæc, flantibus antea auſtris calidior ac benignior fuit, & ſubito in frigidam, ventis aquilonaribus moleſtam commutatur. Sed hæc cauſſa impuris duntaxat corporibus rheumaticam tuſſim infert, cum in aliis non niſi catarrhalem excitare ſolet. Quare epidemicæ hujus ferme tuſſis talem maxime aërem exiſtere cauſſam animadvertimus, qui nebulis pernicialibus, maleque olentibus, aut aliis particulis acribus, ac ſæpius venenatis, febrium quoque exanthematicarum cauſſis, prægnans eſt: hæ enim particulæ inſpiratæ non modo graviſſimam tuſſim, ſed & aphthas, illam inſigniter exacerbantes progenerant. Præterea vernali quoque tempore, graſſantur interdum ejuſmodi tuſſes epidemicæ, cum raucedine junctæ; tumque ab exhalationibus ſalino-acribus, in aëre contentis, & calore ſolis, ex terra hieme occluſa, evaporantibus, glanduliſque per vias ſpiritales ſparſis ſemet inſinuantibus, ſuam trahunt originem. De malis hiſce epidemiis legas HIPPOCRATEM *epidem. VI. Sectio. VIII.* SENNERTUM *de febribus Lib. IV. cap.* 17. SYDENHAMIUM, ET HISTORIAM MORBORUM VRATISLAVIENSIUM.

## §. XV.

*Tuſſis rheumatica cauſſa interna.*

Hæc de ſummo tuſſis rheumaticæ gradu, cujus cauſſa plerumque externa eſt, dicta ſunto; dantur vero tuſſes, proprio rheumaticarum nomine dignæ, quæ internas potiſſimum agnoſcunt cauſſas; & ſicut diuturnæ, ita maxime moleſtæ ſunt, cumque rheumaticis capitis, ac pectoris doloribus, hemicrania, odontalgia, puncturis laterum pleuritidem mentientibus, defluxione materiæ acris a capite ad fauces &c. complicantur. Eveniunt inprimis corporibus cachecticis ac ſcorbuticis, ex ſuppreſſo pedum œdemate, alioque tumore; quem tanta ferocitate tuſſis æque ac ſpirandi difficultas excipiunt, ut ſuffo-





catio

catio inſtare videatur. Familiares etiam ſunt hæ tuſſes ſenibus, qui impuris ſcatent humoribus; & in his à frigore externo, dorſo præſertim in ea regione, ubi prima lumborum vertebra, & plexus meſentericus major deprehenditur, admiſſo. Neque alia eſt ratio, quam quod ſerum acre ab externis corporis partibus ad pulmones deferatur. Eædem non raro in ſubjectis pituitoſis, ſenilibus, qui victu lauto, vitaque ſedentaria delectantur, & neglexerunt ſanguinis miſſiones, humidæ fiunt, & effectum habent criticum: tota enim ſanguinis & humorum maſſa hac ratione à copia ſeri impuri, quamvis non ſine moleſtia, egregie repurgatur, adeo, ut ſedata tuſſi, priſtinæ vires redeant, ſomnuſque cum adpetitu, & integra ſanitate inſtauretur.

§. XVI.

*Tuſſes rheumaticæ ſtomachales ac hypochondriaca.* Ad cenſum tuſſium rheumaticarum pertinent quoque ſtomachales & hypochondriacæ; quarum illæ in ventriculo, hæ profundius in hypochondriis ac inteſtinis cauſſam habent; & partim ob conſenſum nervorum, partim ob rheumaticum ſeri ad pulmones decubitum enaſcuntur. Et ſtomachalis quidem ſuis ſe prodit notis, quæ ſunt nauſea, cardialgia, adpetitus proſtratio, digeſtionis vitium, ſenſus in ventriculo gravativus, & quod primus tuſſiendi ſtimulus circa cordis ſcrobiculum ſentiatur. In hypochondriaca junguntur flatulentiæ, ſpaſmi inteſtinorum; ac ſymptomata reliqua hypochondriaca. Prior, nempe ſtomachalis fit à ſaburra acri, bilioſa, acida, ventriculo, ejuſque ſuperiori maxime orificio, nec non œſophago inhærente, harumque partium nervoſas tunicas, quæ arctiſſime cum viis ſpiritalibus nectuntur, vellicante; unde creber comitatur vomitus. Vexat cumprimis, ventriculo à cibis vacuo; & familiaris quoque eſt febre tertiana, præſertim continua laborantibus; teſtante jam HIPPOCRATE *Lib. 2. epidem.* Poſterior, nimirum hypochondriaca generatur, ab humoribus craſſis, impuris, ſeroſis, vi ſpaſmorum, ac flatulentiarum abdominalium, ad pectus & pulmones compulſis; & eo magis infeſtat, ſi ingens frigus, aut animi affectus, tanquam occaſionales cauſſæ præceſſerint. Generatim vero illud monendum eſt, quod omnis tuſſis, quæ eſt periodica, à ſaburra in ventriculo, vel potius inteſtino duodeno ſtabulante ſuos mutuetur natales.

§. XVII.

*Tuſſis habitualis.* Adhuc notari meretur ea tuſſis, quæ habitualis eſt, & catarrhalis rheumatica vocari meretur. Ea potiſſimum dependet à relaxatione glandularum in faucibus, palato, ac larynge ſitarum; & per multos annos continua exſcreatione durat. Jungitur digeſtionis vitium, & ſucceſſiva totius corporis conſumtio. Evenit ſubjectis ſeroſioribus, vitæ ſedentariæ, ac lucubrationibus, nec non vinoſis compotationibus deditis.

§. XVIII.

*Prognoſis.* His igitur excuſſis, deveniemus ad tradendam tuſſium prognoſin. Sicca tuſſis plerumque tranſit in humidam; hæc vero nimia vetuſtate habitum contrahit, atque ventriculi digeſtionem deſtruendo, cachecticum ſtatum, lentamque febrem producere valet. Quæ humida fuit, & in ſiccam tranſit, ut pectus tamen grave maneat: periculum febris vel putridæ, vel hecticæ minatur, teſte LOMMIO *obſerv. medicin. Lib. II. pag.* 120. Convulſivæ ſeu ferinæ tuſſes infantibus periculoſæ, nam facile reducunt ſuffocationem idque fit in difficili dentitione atque etiam in morbillis: inque pueris gibbos, & hernias, gravidis abortum, adultis hæmoptyſin atque phthiſin inducere poſſunt; quin eaſdem ſubita ſuffocatione ſtipatas fuiſſe, teſtantur WILLISIUS *pharm. ration. P. II. S.* 1. *C.* 6. *pag.* 61. & HILDANUS *Cent.* 2. *obſ.* 68. Quæ tuſſes pulmonum aut aliorum viſcerum ſcirrhos inſequuntur; omnem plerumque remediorum vim eludunt: & quæ à repreſſis naſcuntur exanthematibus, his revocatis ceſſant. *Omnis tuſſis mala, qua ſomnus aufertur; inutilis etiam, quæ longo tempore frequens, graviſque hominem exercet, idque cum deſtillatione*, i. e. habitualis rheumatica, inquit LOMMIUS *loc. cit.* Tuſſes denique hydropicis evenientes, infauſti ſunt præſagii, teſte HIPPOCRATE *Sect. VI. aphor.* 35. Contra moderatior circa tempus nocturnum calor, cum æquabili per univerſum corpus ſudore, vel madore, largiori urinæ fluxu, alvo ſimul reddita fluidiore, placidior ſomnus, & facilior expectoratio, certa ſunt morbi in gratiam jam redituri indicia.

*CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Curatio tuſſis rheumaticæ potiſſimum, quatuor abſolvitur indicationibus, nimirum, ut primo materiam peccantem corrigamus, ad exitum diſponamus, atque expectorationem, ſi opus id fuerit, promoveamus; deinceps adfluxum ſeri à præcordiis avertamus, & ad alia, magis congrua excretoria organa derivemus, tum motus, ſi fuerint effrænes, conſopiamus, & denique debilitatum affectarum partium robur inſtauremus.

§. II.

*Tenax materia incidenda.* Si igitur tenax muci coagulum bronchia obſederit, incidendum illud, reſolvendum, & emolliendum eſt, quod præſtant radices reſolventes: quas inter primas tenent, radix vel fecula Aaronis, iridis Florentinæ, & quæ inſigni humores lentos ac tenaces fundendi & expectorandi potentia pollet, radix ſquillæ, ad quinque vel ſex grana, cum pauxillo nitri data; item oxymel ſquilliticum; eſſentia gummi ammoniaci, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, lac & flores ſulphuris, & ſperma ceti.

§. III.

*Humor tenuis incraſſandus, & acris temperandus.* Humor admodum tenuis, ſalſus, acris incraſſantibus, & lymphæ acrimoniam temperantibus ad exitum redditur aptus. Conducunt hoc fine decocta, quæ ex hordeo, raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, ac glycyrrhizæ parantur; cremor hordei, juſcula ſive decocta avenacea, vulgo *Haber-Grütze*, cum amygdalis, paſſuliſque minoribus; aut decoctum raparum cum ſaccharo; gelatinæ cornu cervi, & animalium; juſcula ex carne cum lacte; [illegible]ch pulmonum vulpis, ſyrupi de papavere, de farfara, diacodion Montani, ſperma ceti cum lacte datum; & ante omnia oleum amygdalinum recenter ſine igne expreſſum, vel ſolum, vel ſyrupo capillorum veneris, aut julepo roſarum nuptum: e. g. in hac formula: Recipe olei amygdalarum dulcium, ſyrupi capillorum veneris ana unciam unam,

ſperma-

ſpermatis ceti drachmas tres, croci grana quindecim. M. d. Egregiam quoque opem adferunt infuſa ſic dicta theiformia, quæ ex herba veronicæ, hyſſopi, floribus malvæ, ſambuci, papaveris rhœados, ſalviæ, bellidis, radice glycyrrhizæ, ſemine fœniculi, cortice ligni ſaſſafras & ejus generis aliis paranda ſunt. Ubi tuſſis catarrhalis in habitum degeneravit, cum adpetitus dejectione, & tabe, cura, quæ cum lacte aſinino, vel ſero lactis, vel cum fonte Selterano, æquali parte cum lacte permixto fit, præcipuum medendi cardinem abſolvet.

## §. IV.

*Laxantium uſus.* Quando nimia congeſtio, affluxus, & decubitus ſeri in pectore eſt, ut fit in tuſſi valde humida, pituitoſa, diutius perſiſtente: præſtat illud à præcordiis & viis pneumonicis derivare, atque partim per alvum, quæ eſt propria ſordium mucoſarum latrina; partim per cutim, quæ humorum ſubtiliorum eſt diverticulum, expellere. Alvi lubricitas, ſicut in omni, ita præſertim in rheumatica, ac convulſiva tuſſi, magnam profecto fert opem: cui procurandæ, ex laxantium numero, ad acrimoniam demulcendam, & colluviem quoque ſeroſam blande & benigne, copioſeque, ſine omni tamen moleſtia, ac virium lapſu evacuandam, ego non quicquam deprehendi præſtantius, quam ipſam mannam; ſi non ad drachmas, ſed uncias duas, in infuſo vel decocto præſcribatur, ejuſque uſus, ſi res poſtulat, repetatur. Ego uncias duas, in aquæ veronicæ vel florum acaciæ unciis octo, leni calore diſſolvere ſoleo; adjectis poſtea terræ foliatæ tartari drachma una, & aliquot guttulis olei de cedro, aniſi, vel macis. Conſentientem habeo GABELCHOVERUM, qui *Cent. IV. obſ. VII.* & ſequentibus eandem ad aliquot uncias pro ſananda feliciter tuſſi commendat: idem etiam laxans, cum infuſo veronicæ, vel lacte propinari poteſt. Præterea ſyrupus roſarum ſolutivus, caſſia recenter extracta, decoctum laxativum Viennenſe, paſſulæ rhabarbarinæ, ſique ventriculus hæc ferre nequit laxantia, clyſteres, ad copioſi ſeri & muci quantitatem derivandam, & per congruum ejus emunctorium, quod in craſſis potiſſimum eſt inteſtinis, evacuandam proſunt efficaciſſime.

## §. V.

*Sudoris promotio confert.* Deinceps æqualem ſanguinis per totum corpus reſtituendo curſum, & ſerum maxime ad glandulas ſubcutaneas invitando; inhibetur hujus ad præcordia adfluxus. Eo fine operæ faciunt pretium, infuſa calidiora pectoralia, ex floribus malvæ, violarum, foliis hyſſopi, ſalviæ, ſemine fœniculi, aniſi ac cinnamomo conficienda. Hæc mane intra lectum potare expediet, cum blando regimine; & præterea in æquali calore corpus ſemper conſervare decet. Scopo quoque huic ſatisfaciunt pulveres diaphoretici ac bezoardici, qui parantur ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, antimonio diaphoretico, vel loco hujus, antihectico Poterii, cornu cervi ſine igne, cinnabari, additis aliquot granis olei nucis moſchatæ expreſſi, vel etiam croci. Iiſdem quoque flores ſulphuris addere licet; maxime ſi achores, vel ſcabies retropulſa malum foverit.

## §. VI.

*Quæ mitigent efferatos motus.* Tertia indicatio requirit efferatorum motuum ſopitionem, quæ ſæpius mox ab initio curationis, ob gravioris periculi metum, ſuſcipienda eſt. Et ex remediis huc facientibus longe eminet crocus, pectori amiciſſimus, ejuſque extractum, pulveribus bezoardicis admixtum. Laudant quoque muſcum quernum, & pulveribus, & decoctis additum. Nec eo fine ſunt inutiles pilulæ de ſtyrace, aloephanginis nupræ, & veſperi datæ, conjunctis ceterum expectorantibus, oleo amygdalino, ac ſpermate ceti. Haud etiam contemnendæ eſt virtutis liquor meus anodynus, vel laudanum liquidum SYDENHAMII, cum ſpiritu cornu cervi maritatum; quem cumprimis deprædicat BOYLE *de util. Philoſ. pag.* 348. Si his haud obſecundet malum, ad fortiora deveniendum anodyna, quæ majoris ſunt energiæ; veluti ſunt pilulæ de cynogloſſa, Starckeyanæ, Wildeganſii, & theriacales.

## §. VII.

*Externorum uſus.* Neque ad ſopiendam tuſſis vehementiam inſuper habenda ſunt externa: quæ inter phthiſica præſertim tuſſi laborantes, egregie ſolatur, emplaſtrum diaſulphuris Rulandi, pectori impoſitum. Tuſſi convulſiva vexatis inſigniter prodeſt unguentum rubrum potabile, cum ſpiritu vini, præcordiis illitum: nec non unguentum pectorale, in PHARMACOPOEA AUGUSTANA deſcriptum, ſi thoracis latera eo inungantur, in ſedanda tuſſi, doloribus pectoris mitigandis, & juvanda expectoratione, magnam præſtat opem. Longo quoque uſu in omni tuſſi rheumatica comprobatum habeo, ſequens emplaſtrum: Recipe myrrhæ electæ, bdellii, ſuccini ana unciam dimidiam, ſpermatis ceti, axungiæ humanæ, ceræ, minii ana uncias duas, ſaponis veneti drachmas tres, croci drachmam unam, camphoræ drachmam dimidiam. M. f. emplaſtrum, quod pectori, collo, ſpinæque dorſi imponatur.

## §. VIII.

*Quæ indicationi quartæ reſpondeant.* In morbi denique declinatione, quartam indicationem explere, parteſque labefactatas roborare, medentem oportet; quoniam facillimum eſt, reverti tuſſes. Commendo inprimis eſſentiam ſuccini, ſpiritum cornu cervi, cum tinctura tartari, & liquore meo anodyno mixtum, additis aliquot olei ligni ſaſſafras guttulis: nec non eſſentiam caſcarillæ; & ſæpenumero ſingularem animadverti effectum, quem exſerit balſamum vitæ meum, ad aliquot guttas cum extracto vel tinctura croci datum. In fine ad roborandum ventriculum, electuarium, quod ex conſervæ roſarum rubrarum unciis duabus, conſervæ anthos uncia una, ſuccini præparati, nucis moſchatæ drachmis tribus & ſyrupo corticum citri vel aurantiorum compoſitum eſt, præſcribere & ad uſum commendare ſolitus ſum. CRATO *Lib. 37. conſil. pag.* 1093. ambram cum decocto paſſularum mirifice collaudat, nec ſine ratione: vim enim & roborantem, & ſimul alvum liquantem poſſidet. Sed longe præferenda eſt eſſentia ambræ genuinæ, cujus præparationem in *obſervationibus phyſico-chymicis lib. I. obſerv. XVIII.* communicavimus. Tum quoque utile eſt vinum vetus, generoſum, Falernum; quod veteres, & præſertim PLINIUS SECUNDUS admodum extulerunt. HIPPOCRATES *lib. de victu,* acutorum uſum vini dulcis ſenibus apprime laudat: neque minus aqua veronicæ vel hyſſopi cum vino de-

deſtillata & edulcorata convenit: cui addatur tantillum croci. Externe ad roborandas nimium relaxatas glandulas faucium & bronchiales, ex quibus humor continuo ad laryngem, & aſperam arteriam defluit; inſigni cum fructu ſemper uſus ſum pulvere, capiti inſpergendo, qui ex ſuccino, benzoe, maſtiche, floribus chamomillæ Romanæ, & caryophyllis aromaticis compoſitus eſt. Os quoque gargariſmate frequentius colluendum erit, cui inſerviet vel ſpiritus vini Gallicus, vel decoctum ſalviæ, hyſſopi, florum roſarum rubrarum, cum vino rubro paratum.

§. IX.

*Diæta tuſſientium.*

Ceterum in omni tuſſi, & curanda, & præſervanda, magna vis in recto vivendi genere ſita eſt. Moderandus cumprimis aër, ut talis ſit, qui nec frigore, nec nimio calore lædat, ſed in quo corpus udore madeat perpetuo: veſpertinus ac nocturnus præ aliis nocet; neque aër frigidus, nebuloſus, pluvioſus, aut præfervidus, maxime omnium vero aquilonaris, niſi noxam parit. Porro catarrhis & tuſſi frequenter obnoxii cavere ſibi debent, à cibis valde ſalitis, fumo induratis, & aromatibus nimium conditis, nec non acidis, auſteris, utpote qui ſanguinem, ejuſque ſerum acre reddunt, & impurum. Deinceps potus ratio habenda: nulla enim convenit cereviſia, multo minus vinum acidum. Majori cum fructu pro potu uſurpabitur aqua hordei ſive ptiſana, vel decoctum quoddam ex radice chinæ, ſcorzoneræ, paſſuliſque confectum; vel hydromel, quod GABELCHOVERUS hunc in modum parare docet: Recipe mellis deſpumati uncias quatuor, aquæ fontanæ menſuras tres, liquiritiæ drachmas quinque, ficuum numero ſex, ſeminis fœniculi, radicis pimpinellæ ana drachmas duas, florum malvæ manipulum unum, florum ſalviæ, violarum, ana pugillum unum, cinnamomi ſcrupulos duos, m. coquantur ad conſumtionem menſuræ dimidiæ. In ſcorbuticis pro potu conducit aqua ſola, pura, fontana, non nimis frigida, & vel amygdalis dulcibus, vel pane ſimilagineo diſtemperata. Vulgus aquam fervidam affundit triticeis furfuribus & infuſum frigide non ſine inſigni fructu in gravi epidemia tuſſi bibit.

§. X.

*Præſervationis ratio.*

Præſervationis quoque ratio, maximam partem, in recto rerum non naturalium conſiſtit uſu. Qui à tuſſi convaleſcentes, vinoſis compotationibus, corporis refrigerationibus, animi fortioribus adfectibus indulgent: in eandem protinus incidunt longe graviorem. Senes ſibi caveant à pedum, maxime dorſi refrigeratione. Et quia hieme rigente rheumaticæ adfectiones quam facile contrahuntur, & caput & cervix & regio præcordialis, lumbaris & pedes in ſenibus præſertim, quibus tuſſis admodum eſt infeſta, linteis & integumentis calidis bombycinis maxime à frigore muniendi ſunt, ut moderata & æqualis ſervetur perſpiratio: nam quando unam ex hiſce nervoſis partibus frigus præſertim aquilonare fortiter tangit & penetrat, ob conſenſum, qui inter has partes viget, reliquæ omnes p. n. adficiuntur. Alvi libertas pariter ac expeditus tranſpirationis ſucceſſus nunquam non conſervetur, neceſſe eſt: quare conferunt moderatæ, ſed frequentes, & ſub cœlo ſalubri inſtitutæ corporis exercitationes. Qui ſuccis ſunt pleni, hos ſtatis temporibus, & omnino verſus æquinoctia, venæ ſectione, vel ſcarificatione depleri curent. Eo magis vero recto regimine, tenui victu, conſervataque excretionum libertate, à tuſſi ſe præcavere decet, quando epidemicam exercet tyrannidem.

## *CAUTELÆ, CUM CURA SPECIALIORI.*

§. I.

*Cautela circa expectorantia & dulcia.*

In omni tuſſi caute mercandum eſt cum expectorantibus, dulcibus, decoctiſque incraſſantibus; ne more vulgo ſolito, nimia, & ſola adhibeantur, ſicque relaxando magis pulmones, nimium ad illos concitent adfluxum. Eo magis in tuſſi ſtomachali, & hypochondriaca ab iis, vel penitus abſtinere convenit; pervertunt enim, deſtruuntque ventriculi vim digeſtivam, adeoque viam ad cachexiam, & hydropem pandunt.

§. II.

*Ferina tuſſis à repreſſis exanthematibus ſubortæ curatio.*

Tuſſis ferina, quæ à retropulſis exanthematibus ſuboritur, indicat materiæ peccantis ad ſua loca revocationem. Hoc caſu divina ferme eſt virtus æthiopis mineralis vel florum ſulphuris, interne cum antimonio diaphoretico vel pulvere bezoardico, veſperi potiſſimum exhibitorum. Nec præter pedum frictiones, aut pediluvia, præſtantius ad detrahendum à pectore ſerum eſt veſicatoriis remedium: modo delicatior noſtri ſeculi genius eorundem uſum permitteret. In convulſiva infantum tuſſi, juvat quoque plantas pedum, axungia porci inungere.

§. III.

*Tuſſis rheumaticæ a repulſo pedum œdemate ſubortæ curatio.*

Quæ à pedum œdemate in cachecticis retropulſo generatur tuſſis: præter clyſteres, incidentia, diaphoretica, & quæ motum à pectore derivant, inſignioris uſus ſunt lenia diuretica v. g. tinctura tartari, ſuccini tartariſata, elixir noſtrum viſcerale cum elixirio n. pectorali remixtum: alias acria, ſalſa, & potenter quæ urinam movent, quia detrahunt dulce ſerum, exulent; laudata vero ſerum acre per vias educunt urinarias.

§. IV.

*Tuſſis rheumatico-ſcorbutica curatio.*

Tuſſim rheumaticam diuturnam, quæ à ſcorbutica ſanguinis & humorum diatheſi originem traxit, non raro curatam vidi, datis interne ſero lactis, pulveribuſque ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, antimonio diaphoretico extracto croci, caſcarillæ aquoſo, concinnatis; interpoſito laxante rhabarbarino; propinata pro potu ordinario, aqua frigida, amygdalis diſtemperata, vel Selterana, vino Moſellano nupta; vel decoctum ex ſpeciebus temperatioribus ſanguinem depurantibus ex aqua uſui erit eximio. Exhibui quoque veſperi pilulas aloëphanginas, cum pilulis de ſtyrace mixtas: nec non admovendum juſſi pectori emplaſtrum, quod ſupra deſcripſimus.

§. V.

*Tuſſis ſtomachalis curatio.*

Si ſaburra acida, bilioſaque ventriculi tuſſim excitaverit; operæ pretium faciunt abſorbentia, lapides cancrorum, ſuccinum præparatum, arcano duplicato nuptum, additis aliquot olei macis guttulis. Jungenda tum laxantia leniora mannata, ac rhabarbarina. Stomachali puerorum, ſi nihil eſt, quod prohibeat, ſuccurritur leni emetico.

§. VI.

§. VI.

*Tuſſis hypochondriacæ curatio.* In tuſſi, ex viſcerum imi ventris obſtructione nata, quam vocant hypochondriacam, apprime conveniunt, quæ excretiones ſanguineas ſuppreſſas revocant: nec aliena pediluvia, & antiſpaſmodica. Omnium vero virtutem, multis paraſangis ſuperant, aquæ minerales tepefactæ, lacteque caprino, vel melius aſinino permixtæ, ſi ſub debito regimine potentur.

§. VII.

*Tuſſis habitualis curatio.* Quæ diu duravit tuſſis, & ad tabem vergit: cura lactis aſinini, præparato ad eam corpore, certo profligatur; eo magis, ſi longæ peregrinationes, aëris mutationes, & roborantia denique, conjungantur. Nec, ſi nimis humida fuerit, fructuoſius eſt convenienti à cibis, præſertim carnibus abſtinentia.

§. VIII.

*Anodynorum uſus.* Præſtat ſemper anodyna, ut pillulas de cynogloſſa, item de ſtyrace cum laxante e. gr. maſſa pill. aloëphanginarum vel Cratonis de ſuccino æquali pondere jungere & circa horam ſomni præbere: alias ab illis ſolis exhibitis, animadverti tuſſim ſupprimi, ſuccedente à nimia congeſtione humorum & gravitate circa pectus aſthmate.

§. IX.

*Frigus & nimius calor nocent.* Quemadmodum nimium frigus omnibus, qui tuſſiunt, inimicum eſt: ita quoque præfervidus calor iis nocet. Quare infuſa quoque pectoralia, quæ dicunt theiformia, ſi calidiſſima fuerint, exaſperant tuſſim. Omnes ergo potus tepidos ſorbere convenit.

§. X.

*Venæ ſectionum uſus.* Venæ ſectiones illis proſunt, qui ſanguine nimis turgent, venis prætumidis ac funiculorum inſtar prominentibus, aut excretiones ſuppreſſas habent, maxime præſervatoriæ, etiam in ſenibus ſeptuageſimum jam annum tranſgreſſis. Nec iis ſuperſedere poſſumus, ſi convulſivæ efferata vexent vehementia; ne rumpantur in quodam loco vaſa; in puerili etiam & juvenili ætate. Sydenhamius affirmat, ſe convulſivam epidemicam, non niſi venæ ſectione, iterata catharſi, & veſicatoriis feliciter curaſſe.

§. XI.

*Celſi methodus.* Digna, quæ allegetur, eſt tuſſi medendi ratio, quam CORNELIUS CELSUS *Lib. IV. cap. IV.* ſic exhibet; *Oportet hyſſopum altero quoque die bibere, ac lectione uti vehementi, quæ primo impeditur à tuſſi, poſt eam vincit*; *tum ambulare, deinde per manus quoque exercere, & pectus diu perfricare*; *poſt ficus pingues edere. In tuſſi humida proſunt fricationes validæ, cum calefacientibus, ſic ut caput quoque ſimul vehementer perfricetur, ovum quoque ſorbile, ſulphure adjecto ſorbeatur, in potum vero aqua calida danda.* Et ut verum fatear, præſtat omnino Galeni in tuſſi curanda monitum ſequi, qui levibus ſimplicibus naturæ maxime familiaribus utendum eſſe docet: quam multis iiſque compoſitis activis è pharmacia petitis. Ita decocto raparum exſiccatarum, vel caulium rubrorum, vulgo *Braunkohl*, vel etiam furfurum triticeorum ex aqua cum ſaccharo, pertinacem & chronicam tuſſim in plebeiis ſublevatam, quin etiam penitus ſublatam meminimus. Si fluxio tenuis copioſior & acris eſt, quod ex oculorum rubore, titillatione, & morſicatione oris in gutture, ſapore ſalſo cognoſcitur, ſuccus glycyrrhizæ Hiſpanicæ, mel deſpumatum, maſſa, quæ ex gelatina cornu cervi & decocto glycyrrhizæ inſpiſſatur, oleum quoque amygdalarum dulcium cum ſyrupo papaveris albi mixtum & ſenſim paulatimque deglutitum præſens adferet levamentum. Neque minus familiaris & egregii uſus eſſe poteſt ovi luteum recens cum ſaccharo canto & croco, cum poculo uno vel altero Thee bois leniter deglutitum, item butyrum inſulſum cum ſaccharo, lac cum infuſo veronicæ & florum papaveris rhœados.

§. XII.

Quando à nimio humorum adfluxu epiglottis, quæ eſt primum & primarium vocis inſtrumentum, valde relaxatur & atoniam patitur, indeque vox rauca evadit: gargariſmate, quod ex nervinis e. gr. floribus anthos, lavendulæ, chamomillæ Romanæ, ſummitatibus thymi, origani, ſalvia, myrrha compoſitum & ex vino coctum eſt, frequentius uti convenit. Exterius quoque laryngi ſacculum ex ſupra dictis ſpeciebus addito inſuper ſuccino & ſtyrace calamita applicare, non ſine egregio fructu conſuevi. Raucos non purgari vult Hippocrates, ſed horum frigiditatem & humiditatem ſanare conſuluit capite & reliquis membris, quæ affecta ſunt, topicorum uſu exſiccandis. *Vid. Lib. de victu acutorum.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*De Tuſſi convulſiva epidemica.* Imploravit quondam meam opem Vir honeſtus, cujus infantes, quos plures habebat, circa æſtatis exitum tuſſi graviſſima, eaque ſuffocativa ac convulſiva, laborabant. Siquidem hæc tanto invadebat impetu, ut facie ad nigredinem uſque tincta, ſine ſenſu, ſine motu, atque ſine reſpiratione jacerent. Recurrebat ea per periodos, circa horam potiſſimum matutinam decimam; junctis febre, pulſu celeri, & aphthodeis faucium veſiculis. Noctes erant inſomnes, appetitus, etiam humidi dejectus, alvus clauſa, crebra ſternutamenta, & non modo ipſa tuſſi mucus cum ſanguine elidebatur; verum per os quoque ac nares inſignis pituitæ copia reddebatur. Hæc affectio jam per quatuordecim dies duraverat: & his debellabatur medicinis. Ano clyſteres ex decocto avenæ, oleo amygdalarum dulcium, floribus chamomillæ, & ſale communi infundi juſſi: pro potu crebro dedi modo decoctum ex radice chinæ, ſcorzoneræ, altheæ, glycyrrhizæ & ſemine fœniculi paratum; modo avenaceum, oleo amygdalino nuptum; mox raparum exſiccatarum cum ſaccharo Canarienſi, & croco permixtum; & pro infuſo theiformi herbam veronicæ, ac hyſſopi. Non minus bis terve quotidie propinavi pulverem, ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, & nitro compoſitum, cum aliquot liquoris anodyni guttis. Et horum ope convaluerunt.

*Epicriſis.*

1) Tuſſes convulſivæ epidemicæ, iis non raro graſſantur temporibus, quibus diarrhœæ vel dyſenteriæ ſunt familiares. Tum plerumque æſtatem ferventiſſimam, frigidiora autumni ſequi

ſequi deprehenduntur initia: unde, quæ æſtate liberior fuit tranſpiratio, hoc tempore ſubito cohibetur, & hinc acre impurumque ſerum ad bronchia decumbit. Sed præterea in ipſo aëre obſervari ſolent exhalationes fere venenatæ; quas in noſtro quoque caſu tuſſis & aphtharum cauſſas fuiſſe, nullum eſt dubium.

2) In tali aëris conſtitutione infantes tuſſi & frequentius, & gravius infeſtantur. Debile enim ac valde ſenſibile eſt, quo pollent, nervorum genus, quod ex facili cauſſa ad motus ſpaſmodicos, convulſivos, & ipſum comitialem morbum diſponitur. Deinceps hæc tenella corpora parum curant aëris injurias, ſed quacunque occaſione ſemet ipſi exponunt liberalius. Accedit & illud, quod circa dictam autumnalem tempeſtatem, ob avidius ingeſtos fructus horæos, uvas &c. multas acidas, bilioſas, & acres in primis viis ſibi colligant cruditates: quæ ad exaſperandam tuſſis vehementiam non parum contribuunt.

3) Quemadmodum tuſſis aſthmati; ita hoc quoque illi, tanquam ſymptoma, tantum non ſemper ſupervenire ſolet. Duplex eſt cauſſa aſthmatis, quæ tuſſis ſymptoma eſt: nimirum prima conſtrictio bronchiorum, altera congeſtio humorum ad pectus. Conſtricta quippe bronchia, quæ tuſſis formale conſtituunt, remorantur ſufficientem aëris ingreſſum, & liberiorem ſanguinis per pulmones circulum. Congeſtio humorum maxime fieri ad pectus in omni convulſiva tuſſi fit: ſiquidem inſtar regulæ perpetuæ eſt, quod ad debiliorem partem, quales hic ſunt pulmones, tuſſi exagitati, ſemper majori impetu ruant humores.

4) Dici vix poteſt, quantum in omnibus ſpaſmodicis ac chronicis morbis, qui foventur ab impuritate humorum, noceat uti cerevifiis; utpote quæ acrimoniam ſubtiliorem magis alunt, ac exagitant. Soleo in harum locum exhibere decocta, quæ in tuſſi præſertim temperantia & demulcentia eſſe debent.

### Observatio II.

*Tuſſis humida diuturna.* Vir triginta ſex annorum, ſanguineus, ſucculentus, in caſtris, quæ ſequutus eſt, variis moleſtiis, aëris ventorumque injuriis obnoxius, inordinate vivens, & frigidiori loco ſomnum capiens, neglecta, cui ante ſueverat, per biennium, venæ ſectione, incidit in tuſſim vehementem, æque ac diuturnam. Pectus humoribus infarctum turgidumque, cum roncho videbatur: *Es kochte immer auf der Bruſt, als wenn alles voll wäre.* Ejiciebat quoque laborioſo ac vehementi pectoris non minus ac abdominis conatu, ingentem muci viſcidi ac flaveſcentis quantitatem, quæ intra nycthemeron collectim binas adæquabat libras. Et hac moleſta tuſſi per quatuordecim jam laboraverat hebdomades, cum meum quæreret auxilium, corpus admodum contabeſcebat: adpetitus tamen erat integer, alvus aperta, urina pauca ac rubicunda, pulſus poſt paroxyſmum celerior, facies rubicunda. Neque ullum levamen perceperat, licet variis remediorum generibus, decoctis, electuariis, eſſentiis pectoralibus, ac dulcibus fuiſſet uſus. Ego itaque, interdicto cerevifiæ potu, hujus in vicem conſuetum decoctum dedi: alternis diebus exhibui pilulas balſamicas: mane pariter ac horis pomeridianis potari juſſi infuſum pectorale, ex radice conſolidæ majoris, enulæ, glycyrrhizæ, herba ſaniculæ, ſcabioſæ, ſcordii, veronicæ, agrimoniæ, urticæ mortuæ, pyrolæ, floribus hyperici, ſummitatibus millefolii, ſemineque aniſi ac fœniculi paratum. Ex hoc ſumendam ſuaſi drachmam balſami pectoralis, quod ex olei hypericonis unciis duabus, ſpermatis ceti uncia una, balſami de copaiva, Peruviani ana drachma una, croci ſcrupulo uno, florum ſulphuris drachma, olei macis, aniſi, ligni ſaſſafras ana guttis quindecim confectum erat. Exhibui quoque pulverem ex magneſia alba, oculis cancrorum, cornu cervi philoſophice præparato, oſſibus ſepiæ, & ſuccino præparato concinnatum; ac denique emplaſtrum ſuperius deſcriptum thoraci imponendum curavi. Quibus per duos menſes uſurpatis, in tantum conſaneſcebat, ut nihil equidem eſſet, de quo conquereretur; attamen quoties vel acida comedebat, vel vinum bibebat, tuſſi denuo cum rejectione viſcidæ materiæ prehendebatur.

*Epicriſis.*

1) Ad præſentem tuſſim generandam plures remotiores concurrerunt cauſſæ. Præter temperamentum enim ſanguineum & corporis habitum, ſuccis pituitoſis plenum, venæ ſectionis neglectus, ac frigidius corporis regimen, omnino ſuffecerunt ad inducendam tuſſim.

2) Quæ cum forſan ab initio nimiis dulcibus, ac expectorantibus tractata fuit: factum eſt, ut tonus & ventriculi, & pulmonum magis deſtrueretur. Ventriculo labefactato debetur corporis contabeſcentia: languente enim digeſtione, chylus iners ac impurus, hinc & lympha minus laudabilis, & ad nutriendas ſolidas partes haud idonea generatur.

3) Pulmonum atoniæ in acceptis ferenda eſt tuſſis diuturnitas, cum copioſa mucidæ materiæ rejectione. Namque hi tum fiunt diverticulum humorum ſeroſorum, mucidorumque, qui ex toto corpore eo deferuntur. Diſtinguenda talis tuſſis eſt à phthiſica; quoniam rejecta materia nondum purulenta eſt, nec febris jungitur: pulſus enim celerior, qui paroxyſmos ſequebatur, dependet à validiori pectoris ſub tuſſiendo concuſſione, quo ſanguis impetuoſius, celeriuſque per cordis ventriculos, atque arterias propellitur.

4) Et in hoc tuſſis genere, minus conveniunt ſola expectorantia; ſed eo dirigenda eſt curatio, ut affluxus humorum à pectore derivetur; pulmonumque ac ventriculi robur inſtauretur. His ſcopis dictorum remediorum ope fecimus ſatis; è quibus adhuc commemorare juvat elixir noſtrum viſcerale, quod ad reſtituendam digeſtionem diu adhiberi juſſimus.

5) Notabile adhuc eſt, quod ii morbi, qui atonia partium fulti fuerunt, ex levi cauſſa, ut frigore, cibis acidis, vinoſis &c. facile repullulent. Quare longa opus eſt diætæ curatioris obſervatione, ac viſceralium remediorum continuatione.

### Observatio III.

*Tuſſis catarrhalis, ſæpius recidivans.* Studioſus quidam ſanguine abundans, vita ſedentaria, victuque pleniori uti ſolitus, meam aliquando implorabat opem, eo, quod ſæpius, ſimulac corpus exponeret frigori, ventiſque borealibus, ſtatim corriperetur tuſſi, eaque gravisſima, mox humida, mox ſicca. Suaſi propterea, ut venæ ſectionem, quam nunquam admiſerat, inſtituen-

inſtituendam curaret, eamque ter quotannis iteraret: dein ſingulis quatuordecim diebus pilulas meas balſamicas ſumeret; & infuſo veronicæ frequentius uteretur. Dedit aures conſilio, ſimulque motui corporis frequentius ſtudebat, eo effectu, ut à moleſta tuſſi liber in poſterum maneret.

*Epicriſis.*

1) Plethoricos, non modo ſenes, verum quoque juvenes, ſi utantur lauto victu, vitaque ſine motu deſidi, & ſanguinis miſſiones neglectui habeant, admiſſo liberalius frigore, catarrhis, coryza, gravedine, tuſſi &c. circa æquinoctiorum plerumque tempus infeſtari, crebra certaque teſtatur experientia. Cumprimis humidam patiuntur ejuſmodi ſubjecta, ſi ſeroſis turgeant ſuccis; tumque criſeos inſtar ſe habet hæc evacuatio; ſiquidem ſuperata hac affectione optime habent.

2) In ciendis fluxionibus ingentem frigus exſerit potentiam, in diſpoſitis maxime ſubjectis; dum conſtringendo corporis ſuperficiem, venoſumque corticem, humores magis ad interiora pellit; ex quibus ſeroſa portio, pulmonales ingreditur veſiculas. Hinc CAROLUS PISO *tract. de morbis ex colluv. ſeroſa obſerv.* 83. *pag.* 180. de ſe ipſo teſtatur, quod hieme verticem capitis, ſuturamque coronalem nunquam detegere debuerit, quin ſtatim tuſſim pateretur.

3) Et in tali tuſſi curanda, teſtante eodem PISONE *loc. cit.* & ſuffragante experientia, non præſtantius eſt remedium, quam ab initio ſtatim ſudorem movere. Inſerviunt huic ſcopo infuſa theiformia mane intra lectum ſorbillanda; ſumto præcedente veſpera, pulvillo diaphoretico. Neque enim hoc in caſu convenit, ſtatim ab initio laxantia propinare; niſi congeſtio ad pectus nimia fiat. Anodyna tum exhibere, nihil eſt, quam oleum camino addere.

4) Præſervatorium autem finem, noſtra potiſſimum reſpicit curatio. Atque ſic, præter rectum vivendi genus, præter crebriorem corporis exercitationem, non efficacius commendare potuimus præſidium, quam ſtatis temporibus repetitas venæ ſectiones, quibus imminuta humorum mole, tanquam remotiori cauſſa, occaſionalis, quæ eſt frigus, non adeo magnam obtinet efficaciam.

## Observatio IV.

*Tuſſis cum hemicrania.*

Juvenis florentis ætatis & vultus, fervidi ingenii & ſanguinis, teneræ & macilentæ conſtitutionis, poſt variolarum morbum, quem ante tres annos perpeſſus erat, ſæpius incidit vere præſertim & autumno in moleſtam tuſſim, plerumque cum hemicrania & interno æſtu conjunctam. Ego ad hanc avertendam ſuaſi, ut corpus, præcipue pedes à frigoris vehementia curatius muniret; & quoniam paulo largius bibebat vinum, ut circa æquinoctialia tempora ſanguinem emitteret, & infuſum veronicæ cum radice glycyrrhizæ ſingulo mane ſumeret: hoc modo per duos annos liber ab hoc malo permanſit. Factum vero eſt, ut neglecta vernali venæ ſectione & ſtudiis & lucubrationibus immoderatius indulgens, & omnes aëris injurias ſpernens, in catarrhalem febrem cum vehementi tuſſi & immani hemicrania ſiniſtri lateris, accurate circa horam veſpertinam ſextam redeuntem, & per totam noctem perſeverantem incideret. Tuſſis erat initio ſicca, poſt modum valde humida reddita eſt. Recuſabat fere omnia remedia; fontem vero Selteranum loco cereviſiæ bibebat; ſed cum exiguo levamine, ut potius & dolor capitis & rheumatiſmus pectoris invaleſcerent. Ego in conſilium arceſſitus, loco fontis Selterani bibendam ſuaſi emulſionem, quæ ex decocto raſuræ cornu cervi & amygdalis parata erat; electuarium quoque præbui ex oleo amygdalarum dulcium, ſyrupo papaveris albi, ſpermate ceti, croco; veſperi doſin pulveris mei bezoardici & mane infuſum veronicæ cum radice liquiritiæ ſuperbibendum ordinavi. Ad aperiendam vero alvum, & ſordes viſcidas à pectore avertendas, quia decoctum mannatum reſpuebat, alternis diebus ſumendum dedi pulverem ſequentem: recipe lapidum cancrorum, cremoris tartari ana drachmam dimidiam, diagrydii ſulphurati, cinnabaris præparatæ ana gr. VI. olei macis guttam unam. Quatuor vel ſex à quavis doſi ſecutæ fuerunt ſedes, & poſt ter reiteratum hunc pulverem & tuſſis & hemicrania permoleſta ſenſim paulatimque conquieverunt, ac penitus demum ceſſarunt.

*Epicriſis.*

Plura mihi obvia ſunt exempla, tuſſim primo catarrhalem, poſtea vero phthiſicam redditam poſt morbillos, imo variolas, quæ valde infeſtæ ſunt pectori, inſecutam fuiſſe, præcipue ſi juſta vitæ ratio fuerit poſthabita, & corpus non ab injuriis tempeſtatum, quæ catarrhos & tuſſes ciere ſolent, præmunitum. Neque pauca mihi cognita ſunt exempla; ſola prudenti ſanguinis è vena miſſione una cum debito vivendi regimine in ſanguine præfervido abundantibus & catarrhales tuſſiculoſos inſultus, & ipſam veram phthiſin, fuiſſe averruncata. Et quia ex hemicrania periodice redeunte, vitioſam humorum colluviem prima in regione ſtabulantem & tuſſis cauſſam foventem judicavi, præbui pulverem egregie & ſine noxa primam regionem expurgantem, non ſine ſingulari fructu ſubſequente; utpote ab ejus uſu mox levamen ſymptomatum inſigne egregius juvenis percepit.

## Observatio V.

*Tuſſis hypochondriaca.*

Vir 50. annorum, cholericæ & macilentæ conſtitutionis, à tenera ætate ex diuturnis lucubrationibus hypochondriacus factus, varia & frequentia ad fluxum hæmorrhoidalem ſenſit molimina; qui cum per vaſa ſedis nunquam ſucceſſit, ante decem annos vomitum patitur cruentum, qui tamen inſtituta mox in pede venæ ſectione, ſubjunctoque rhabarbarinorum & pulverum nitroſorum ac abſorbentium, nec non continuato per aliquot tempus fontis Schwalbacenſis cum lacte mixti & calefacti uſu, cohibitus exinde nunquam rediit. Ante annum vero ex domeſtica calamitate valde contriſtatus, prævia repentina virium & appetitus, nec non ſomni proſtratione, tuſſim incidit humidam hypochondriacam adeo quidem vehementem, ut per integras ſæpe horas, præſertim nocturno & veſpertino tempore, ingentem viſcidi ac tenacis cinericei muci copiam non ſine moleſtiſſimo hypochondriorum & abdominis dolore exſcreando, æger defatigaretur. Ceterum, pectus omni caruit vitio, nec ſputum unquam ſanguine apparuit mixtum; alvus autem non obſtante flatuum, qui crebrius per os eructabantur, copia ſatis ſuperque

perque erat fluida; ſub cujus depoſitione vires aliquantiſper decreſcere videbantur. Conſultus ego in hoc affectu, cum ejus fomitem in primis viis ac imminuta ventriculi digeſtione latitare conjicerem, ad hanc ipſam reſtituendam primo pulverem ordinavi ſtomachicum ex radice ari, pimpinellæ albæ, ſale abſynthii, ſuccino, pulvere corticum aurantiorum immat. viridium ad partes æquales ſumtis, additiſque aliquot guttulis olei macis & ligni ſaſſafras compoſitum, bis per diem capiendum, cujus loco interdum ſummo cum fructu adhibui eſſentiam ſtomachicam pectoralem ex eſſentia gentianæ, ſuccini, caſcarillæ, nuciſtæ, croci, cardui benedicti myrrhæ & ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato præparatam. Binis quoque vicibus per hebdomadem ad expurgandas leniter primarum viarum cruditates, pilularum Cratonis gr. XV. cum duobus granis extracti croci, aſſumenda ſuaſi, & loco potus ordinarii aquam fontanam ſimplicem cum quarta vini parte permixtam commendavi. Quibus effectum eſt remediis, ut obſervato accuratiori in diæta regimine, abſoluto menſis unius ſpatio æger non modo moleſta tuſſi liberatus fuerit, ſed & cum appetitu ac ſomno quietiori, vires ſenſim recuperare cœperit.

*Epicriſis.*

Hæc hiſtoria ſatis abundeque docere poteſt, tuſſim & vehementem & diuturnam & cum magna viſcidi humoris excretione junctam, ex ſtomachi & primarum viarum, quæ alimentorum digeſtioni præſunt, vitio & dejecto robore, nulla licet pulmonibus inhærente labe, ortum trahere poſſe, præſertim in hypochondriacis, quibus ſtomachus ſemper male affectus eſt, accedente præſertim gravi triſtitiæ affectu, quo nihil ad vim ſolidarum, inprimis inteſtinorum & nervoſarum partium imminuendam eſt potentius. Ex quo facile intelligitur, omnem prorſus curandi rationem eo eſſe dirigendam, ut vires deperditæ & univerſo corpori & maxime ventriculo per convenientia remedia reſtituantur. Et hoc præterea annotare licet, quod hypochondriaci & hæmorrhoidarii per graves & diu perſeverantes animi affectus, nullis aliis etiam accedentibus cauſis, quam promte & facile in multas & varias, eaſque longas corporis paſſiones delabi poſſint.

## OBSERVATIO VI.

*Rheumatiſmus pectoris.*

Generoſus vir, ampla in dignitate conſtitutus, ſexaginta & ultra annorum, ſanguineæ & vegetæ nunquam non complexionis, rarius afflictam habuit valetudinem, & parcius hinc medicorum conſiliis & medicamentis uſus eſt, niſi quod bis quotannis circa tempora æquinoctialia venæ ſectionem admiſerit. Hic vir eruditus, ſi ullus alius, ſtudiis, mentis laboribus, & occupationibus aſſiduis per longum annorum ſpatium ſub immobili vitæ genere diſtrictus erat, & tamen ſatis vegete valuit. Ante anni dimidium cum autumno conſuetam ex incuria venæ ſectionem omitteret, & ob metuendum fortunæ ſuæ detrimentum ſub ingenti negotiorum & occupationum mole, animo valde perturbato & mœſto eſſet; vigorem & animi & corporis pauliſper fractum perſenſit cum ſomno parco, interrupto, & crebrioribus ſudoribus, maxime frigidis, matutino præſertim tempore ſtipato. Accidit præterea, ut ſub mutatione & inæquali cœli autumnalis ſtatu, auræ frigidiori corpus eum exponeret, prævia horripilatione in catarrhum & tuſſim incideret; quam etiam prudens in publicum neglexit. Inde vero factum eſt, ut fatiſcentibus viribus & ciborum adpetentia, aucto circa veſperam calore, pulſuumque celeritate, in gravem pectoris rheumatiſmum fuerit conjectus; qui hoc modo ſe prodebat: aderat tam violenta tuſſis ſicca in principio noctu maxime infeſtans, ut omnem reſpirationem ad ſuffocationis fere periculum adimeret; cum maxima & intolerabili anxietate conjuncta, ut aliquoties ipſe decumbens, ad ſpiritum liberius trahendum è lecto ſurgere, non ſine moleſta ſudoris ſuppreſſione coactus fuerit. Petiit à me conſilium. Ego, cum hujus affectus originem ex primarum viarum & hypochondriorum ob flatulentas abdominis diſtenſiones, alvum ſtrictiorem & intermiſſam venæ ſectionem derivarem; & non pro ſimplici catarrhali, ſed rheumatica tuſſi habendam eſſe judicarem; ſanguinis detractionem ſummopere ſuaſi, & utut alius medicus, forſan ob præjudicia ſua, quibus circa venæ ſectionis uſum in febrilibus inſultibus imbutus eſt, hanc non ratam haberet; me tamen autore ac ſuaſore, decem minimum unciæ ſanguinis tenaci muco referti fuerunt detractæ. Ex quo mox inſigniſſimum in faciliori reſpiratione perſenſit allevamentum. Tuſſis vero ſicca tranſiit in valde humidam; ita ut miram quantitatem craſſi muci quotidie cum valida thoracis commotione ejiceret; quæ tuſſis maxime cum anxietatibus noctu affligebat, & omnem fere ſomnum adimebat. Ipſe patiens pilulas Dn. N. S. aſſumebat, quas aliquot quidem ſedes fuerunt ſecutæ, ſed poſtea vehementiores alvi adſtrictiones cum inſigni anxietate perſenſit. Subſtitui ego igitur infuſum mannatum ad avertendam a pectore nimii humoris congeſtionem ſingulis tribus diebus ſumendum; ex quo egregium percepit levamen. Mane infuſum veronicæ, & de die priſanam amygdalinam, circa veſperam, cum pulſus & calor ſemper eſſet auctior, pulverem nitroſum cum antimonio & ſuccino mixtum dedi; quibus remediis per Dei gratiam intra duos menſes, violentia iſtius rheumatis ceſſavit. Nihilo minus hicce æger adhuc de noctibus inſomnibus, flatulentiis primarum viarum, & anxietatibus, mœſtis cogitationibus, & fractis viribus conqueſtus fuit; & quia judicavi, horum ſymptomatum fundamentum in prava alimentorum digeſtione, propter vim ſtomachi & inteſtinorum digeſtricem, a morbo, & animi affectibus fractam eſſe poſitum; ſufficientem motum & exercitationem corporis, converſationem cum amicis, potum aquæ ſimplicis cum quarta parte vini Rhenani dilutæ, & uſum elixirii noſtri viſceralis cum bona corticum aurantiorum eſſentia permixti ſuaſi. Quorum remediorum ope etiam integre vir longa vita dignus convaluit.

*Epicriſis.*

Tuſſim pure catarrhalem cum febricula quadam, à rheumatica probe ut diſtinguat medicus, in praxi valde neceſſarium duco; quia hæc longe alia remedia & medendi rationem quam illa poſtulat: catarrhalis ſimplex tuſſis dicitur hæc, quæ cum gravedine capitis, & coryza fit à tranſpiratione ob inæqualitatem aëris, tempore maxime autumnali & vernali ad interiora repreſſa oritur, & plures homines ſimul afficit,

unde

unde dici ſolet epidemia. Rheumaticæ vero natura longe alia eſt. Nam licet à tranſpiratione habeat ſæpius ſuam primam originem; potiſſimum tamen vitioſæ plethoræ & cacochymiæ, ventriculi pravæ digeſtioni & viſcerum abdominis vitio cauſam ſuam debet, unde etiam graviora juncta habet ſymptomata, diutius durat, & magis eſt individualis. Catarrhalis facilius tranſit, & ſolius naturæ beneficio, modo non error in diæta committatur, magno ſæpius ſanitatis commodo ſubſequente ſolvitur; multo minus vero magnæ efficaciæ præſidia, uti eſt venæ ſectio exigit; quæ tamen in tali tuſſi, quam nos vocamus rheumaticam, & jam deſcripſimus, ceteris paribus, locum invenit commodiſſimum. Præter hæc illud in uſum ſcientiæ medicæ ex relata morbi hiſtoria & cura annotandum cenſeo, quod malum flatulento-ſpaſmodicum, quod communi nomine affectus hypochondriaci venit, etiam in vegetioribus ſubjectis à ſtudiorum intemperantia, vita motus experte, intermiſſa ſanguinis copioſioris detractione, ſuperveniente diuturniore animi perturbatione ſuboriri, & leviorum morborum vehementiam exacerbare poſſit. Denique in gratiam juniorum medicorum non ſilentio prætereundum eſſe puto, ad reſtaurandum robur ventriculi & inteſtinorum, medicamenta temperata balſamica, ſed frequenti & moderata doſi ſumta, & potum aquæ frigidæ cum vino ſpirituoſo permixtum egregie conferre. Dici enim vix poteſt, quam ſalutare ſit potus genus aqua purior, ſimplex, cum majori vel minori parte optimi vini permixta, tum ad ſanandas præſertim chronicas paſſiones, tum etiam ad eas avertendas, & robur per morbi vim amiſſum recuperandum. Illud adhuc ad complendam ſuperiorem morbi hiſtoriam commemorandum eſt, quod, cum jam in declinatione erat morbus, mitiori & tuſſi & pectoris oppreſſione reddita; ægroto noſtro ex conſilio alterius medici, me quidem invito, duodecim ſanguinis unciæ per pedis venam ſectam detractæ fuerint, ea medentis intentione, ut affectio moleſta ſic dicta hypochondriaca averteretur. Verum quam inconſulto id factum fuerit, eventus docuit. Vires enim jam tum à præcedente morbo, nimia humorum expectoratione & parciori ſomno imminutæ, & penitus collapſæ erant; & ciborum adpetentia & virtus ventriculi concoctrix maxime vacillans, ingentem cruditatum peperit proventum; quæ morbum inteſtinorum, per flatus & ſpaſmos augendo inquietudinem & anxietatem, pectoriſque oppreſſionem, noctu maxime inſtantem, & vim imaginativam mentis acerbiorem reddiderunt; & curationem haud parum protraxerunt. Ex quo intelligitur, quam noxia ſit ex longo morbo convaleſcentibus largior ſanguinis, in quo vis & robur ſolidorum vitale poſitum eſt, detractio; eo quod ejus copia & ſpirituaſcentia jam ab ipſo morbo ſatis imminuta fuit.

## Observatio VII.

*Tuſſis ab œdemate pedum repulſo.*

Fœmina generoſa ſexagenaria naturæ alias ſatis robuſtæ, gravi haud unquam laboravit morbo, præterquam quod ante duos annos de doloribus artuum vagis, tumidis pedibus, & corporis languore fuerit conqueſta. Huic contigit id infortunii, ut incuria ex alto per viginti ſcalas præceps delapſa fuerit in terram, ubi ex magna conſternatione jacuit fere exanimis. Detecto corpore magna in pedibus contuſio viſa fuit, cum profundo in dextro pede cruento vulnere; cumque graviter terrore perculſa eſſet, cum ingenti virium lapſu, & internis & externis remediis ſatis ſuperque ipſi fuit proſpectum. Sed tertio mox à lapſu die in immanem tuſſim ferinam & convulſivam conjecta eſt, quæ noctu, præſertim, quando claudendo oculos obdormiſcere cœpit, omnem adimendo ſpiritum, ſuffocationem minabatur. Medicamentis contra hoc ſymptoma præſcriptis nihil proficientibus, & ego vocatus ſum. Ordinavi hoc medicamentum: recipe maſſæ Pilularum de ſtyrace, aloephanginarum ana drachmam dimidiam. f. pil. no. quinquaginta, de quibus decem alternis diebus circa ſomni tempus aſſumtæ fuerunt. A quibus uſurpatis optime habuit, & tuſſi reddita mitiori & evaneſcente omni ſuffocationis metu. Nihilo minus cum continua pectoris oppreſſione, tuſſi ejecit inſignem pituitæ copiam; languebat diu appetitus, nec ſomnus adeo fuit placidus. Pedes vero, qui antea fuerunt tumidi, graciliores apparebant, & quod notabile, fœmina per totum fere morbi decurſum de ingenti frigoris ſenſu in pedibus conquerebatur, adeo, ut lagenis fervida aqua repletis eos continuo fovere opus fuerit. Medicamenta, quæ inſignem opem in hoc affectu tulerunt, fuerunt mixtura ex aqua hyſſopi, veronicæ, oxymeli ſquillitico, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, ſpiritu cornu cervi ſuccinato, ſyrupo corticum aurantiorum debita doſi, & proportione concinnata; neque minus pulvis ex ſpermate ceti, floribus ſulphuris, ſaccharo, & pauxillo balſami Peruviani & croci; infuſum quoque ex hyſſopo, veronica, & cortice ligni ſaſſafras: præterea quoque elixir roborans pectorale & ſtomachicum ex tinctura tartari, eſſentia ſuccini, croci, & corticum aurantiorum recentium; quorum ope intra ſex ſeptimanas convaluit.

*Epicriſis.*

In hac morbi hiſtoria digna ſunt, quæ præ aliis obſerventur, momenta: 1) quod immanis illa conſternatio ac terror, vim ſuam non in totius corporis extremitates, ut ordinario fieri ſolet; ſed tantum in pedes exercuerit: dum illi antea notabiliter tumidi protinus detumeſcere, ac refrigeſcere cœperunt. Hinc per metaſtaſin inſignis ſeri impurioris, eo uſque in pedibus ſtagnantis copia, ad pectus delapſa, vehementem pectoris rheumatiſmum, ac convulſivam fere tuſſim, qua antea nunquam laboraverat, induxit. Talis conſenſus pedum cum pectore, aliis quoque exemplis mihi perquam notus eſt: ex quibus hoc eſt valde notabile: laborabat quondam hujus Academiæ Profeſſor, tumore pedum œdematoſo, ad abdomen uſque aſcendente. Hic cum tertiana febre, epidemicam tunc ſtragem inferente corriperetur: factum eſt, ut per ingens cum horrore junctum frigus, ſub acceſſionum initio ſtatim detumeſcerent pedes. Verum mox ſucceſſit ſumma ſpirandi difficultas, cum inſigni pectoris oppreſſione, adeo ingraveſcens; ut fruſtra datis varii generis remediis, ſub quarto paroxyſmo, accedente catarrho ſuffocativo exſtingueretur. Ejuſdem tenoris caſum, ante aliquot annos adnotavi in generoſa quadam fœmina; quæ pedum œdemate diu affecta, accedente demum tertiana, fatis ceſſit. 2) Confirmat quoque hic caſus, quod ſalva ac integra pulmonum ſubſtantia exiſtente, ex ſola vitioſæ

materiæ tranſlatione, gravis pectoris rheumatiſmus, & diuturna tuſſis ſuboriri queat: noſtra enim ægrotans nunquam incommoda in pectore antea ſenſerat.

### Observatio VIII.

*Tuſſis chronica habitualis.* Vir annorum ſexaginta octo, habitus corporis ſucculenti, conſtitutionis plethoricæ, lauto victu, vitaque ſedentaria utens, meum aliquando requirebat auxilium, eo, quod diuturnis pectoris adfectionibus vexaretur. Retulit ſcilicet, ſe juvenem hæmoptyſin fuiſſe paſſum, & hac congruis medicaminibus ſedata ac percurata, retinuiſſe tuſſim humidam habitualem. Hæc quotannis autumnali ac hiemali potiſſimum tempore, coryza, aliiſque catarrhalibus defluxionibus ſtipata infeſtabat, tanta ſæpius ferocitate, ut ſuffocari non raro videretur. Noviſſime vero medio hieme accedebat tuſſis ſicca; qua per aliquot dies inſiſtente, horror atque calor jungebantur, tumque ſequebatur liberior expectoratio muci copioſi, ſanguine grumoſo, ſubnigricante permixti. Præſens igitur medicus venam in pede tundi juſſerat, qua ſecata levatum fuit pectus, & æger, uſurpatis adhuc variis remediis à malo ſuo eſt liberatus. Quum autem hujus recurſum timeret; ad hunc præcavendum, meam deſideravit opem. Quare injunxi rectum rerum non naturalium uſum; & præterea, ut humorum adfluxus à pectore derivaretur, ſuaſi laxantia ac diaphoretica: illa quidem ex rhabarbaro paranda, ſæpiuſque uſurpanda; hæc in forma infuſorum mane adhibenda. Cereviſiam quoque pro potu interdixi, & in ejus locum decoctum ex radice ſcorzoneræ, chinæ, raſura cornu cervi, radice cichorei, liquiritiæ, ſemineque fœniculi concinnatum ordinavi. Inde nunciavit mihi, ſe nihil, de quo amplius conqueratur, habuiſſe; ſed ſi forſan acidis inter prandium uteretur, recrudeſcere non nunquam tuſſim.

#### *Epicriſis.*

Meretur attentionem in præmiſſa morbi hiſtoria, quod hæmoptyſis, quæ in juventute proruperat, poſt quadraginta demum annos redire poſſit. Cauſſa in ſola plethora accreſcente quærenda eſt, qua per commodam venæ ſectionem imminuta, ceſſavit utique periculoſa ſanguinis per pulmones ejectio. Neque minus hic caſus nos clare docet, quantum vitii & labis, ſeu potius imbecillitatis in principaliori viſcere à morbo diu illud infeſtante relinqui poſſit; adeo, ut ſanguinis in ſene hoc immodica redundantia non aliis interioribus partibus & viſceribus, ſed pulmonibus infeſta fuerit. Videmus etiam habitualem & per multos annos durantem tuſſim, minus quidem periculoſam, ex ſemel male affecto pulmone ſuboriri poſſe. Nam vitium, ſolidis partibus diutius inhærens, non tam facile ex toto tollitur, minimum, dum debilitatem quandam relinquit, ad plures morbos eorumque recidivas diſponit.

### Observatio IX.

*Tuſſis in ſene ſalutaris.* Novi virum literatum ſeptuagenario majorem, mediocris corporis habitus, & moderatioris animi, vitæ & victus, qui ob arcendam plethoram, quæ multorum etiam ſenilium morborum fœcunda genitrix eſt, ſingulis fere annis bis vel ter ſanguinem è pedis vena mittendum curavit, & inde etiam quoad omnes corporis functiones ſatis bene habuit, præterquam quod per quindecim fere continuos annos moleſta febre rheumatica tuſſiculoſa, per aliquot ſeptimanas ſæpius perdurante afficiatur; quæ ipſum interdum ex improviſo, vento maxime regnante boreali, corripit; hanc laſſitudo corporis, gravitas in capite & pectore, dolor tenſivus circa primam lumborum vertebram, pedum refrigeratio, alvus ſtrictior, urina tenuis, ſternutatio, appetitus auctior prænuntiant. Sequitur poſtea tuſſis primo violenta & ſicca, cum calore præternaturali anxio, & cum alternante horridula & æſtuoſa extremorum alteratione. Elapſis aliquot diebus valde copioſa lenti & viſcidi muci ſucceſſive fit excretio. Urina quæ primis diebus erat tenuis, jam craſſa fit, pauca & ſedimentum deponit. Tandem intra duas vel etiam tres hebdomades ſponte vel per ſudorem univerſi corporis, vel per ſedes morbus ſolvitur. Redeunt mox & animi & corporis vires, redit quoque ciborum adpetentia; ſomnus fit quietior, & reliquo anni tempore à morbis, qui huic ætati alias familiares eſſe ſolent, immunis vivit. Remediis in hac tuſſi non niſi levibus & ſimplicibus utitur; præter regimen externum conclavis & lecti valde temperatum & abſtinentiam à conſueto cereviſiæ potu, infuſum Theiforme ex veronica, radice glycyrrhizæ, lacte, juſcula quoque avenacea, cum ſaccharo cando, & aliquot cochlearibus olei amygdalarum dulcium bibit. Circa veſperam doſin pulveris bezoardici leniter nitroſi ſumit; & quando urina incipit deponere ſedimentum, intra quatriduum ſemel decocto mannato, ad amuream à pectore avertendam & foras ejiciendam, ſummo cum fructu utitur.

#### *Epicriſis.*

Rheumaticæ ejuſmodi febres ſi placide tractantur & decurrunt, criticæ & medicinales merentur dici rectiſſime. Tota enim ſanguinis & humorum maſſa ab heterogeneis ipſi immixtis ſuccis per congrua emunctoria depuratur; ſed hæc depuratio, à natura, ut ita loquar, inſtituta fit per gradus, eget tempore, expectatione ac patientia, nec vult præcipitari multis aut minus congruis & validis medicamentis. Cauſam ejuſmodi catarrhalium & rheumaticarum febrium, vulgo in tranſpirationem prohibitam tantum rejiciunt; aſt quando perpendimus, raro hieme, licet frigidiſſima, ſed vere plerumque & autumno ejuſmodi febres, cujus generis etiam ſunt, quæ variolis, morbillis, doloribus etiam arthriticis accedunt, corpora infeſtare; ſtatuendum potius videtur, non ſolum cohibitam perſpirationem cauſſam eſſe, ſed peculiare vitium in atmoſphæra noſtris ſuccis & partibus ſolidis adverſum, latitare; quod nos quidem in virulentæ & fermentativæ indolis materia, ex pravis exhalationibus oriunda collocamus. Præter hæc diſcere id oportet, venæ ſectionem per ſe ſenili ætati prorſus non eſſe adverſam; ut potius ad longam & ſanam vitam multum conferre poſſit. De quo argumento in *diſſertatione de venæ ſectionis uſu ad vitam longam* prolixius egimus. Illud adhuc ſubjiciendum eſſe cenſeo, quod ægrotans ſedulo obſervaverit mitiſſime & optime hunc morbum in ſalutem vergere, ſi mox à principio uſque ad finem & plenariam reſtitutionem omni ſtudio ac cura tractetur; contra vero, ſi primis diebus negligatur, nec accuratum regimen obſervetur, neque in

rerum

rerum non naturalium uſu, vitando aërem frigidum & humidum ſibi moderetur, non modo graviorem & diuturniorem fieri; ſed etiam ſæpius magna cum ſævitia & periculo reverti.

### Observatio X.

*Tuſſis convulſiva infantum.* Tuſſes convulſivæ, ſi ullam infeſtant ætatem, idque non ſine periculo, certe id in infantibus & pueris contingere, in praxi obſervamus; idque maxime quando ex præternaturali temporum conſtitutione naſcuntur, adeoque epidemice graſſantur. Vidimus id crebrius & maxime anno 1709. hieme poſt hominum memoriam, menſe Januarii & Februarii intenſiſſima. Nam principium anni Euro noto ſpirante erat nebuloſum; Poſtero autem & ſubſequentibus diebus Zephyrus vehemens pluvias, & noctu inter d. 5. & 6. Januar. plurimam nivem Eurus, verſus aquilonem inclinans, cum intenſo frigore adduxerat; quod in dies fere, inter matutinas præcipue nebulas diesque & noctes ſerenas, creſcendo ea vehementia nos adflixit, qua de longe lateque querelas multiplicare Europæ contigit; donec d. 20. prægreſſa nivoſa, veſperi auſter temperatiorem & pluvioſam auram induceret. Quod intenſiſſimum frigus aliquamdiu quidem remittens, medio tamen Februarii revertens totam gelu terram conſtrinxit; eo tempore, & etiam ſequenti vernali pleuritides ſpuriæ & veræ, peripneumoniæ, graviter affligebant adultiores; tuſſes vero ferinæ, convulſivæ, cum ſuffocatione conjunctæ multis & pueris & infantibus erant lethales. Et cum tum temporis in aula Berolinenſi in officio Regio ut medicus verſarer, ſæpius à me conſilium flagitatum fuit. Curam eo direxi, ut ad ſpaſmos pectoris & præcordiales ſopiendos accommodata & interna & externa præſcriberem. Inter externa unguento pectorali, quod in Auguſtana Pharmacopœa deſcribitur, cum eſſentiæ croci æquali portione & pauxillo camphoræ commixto linteamina imbui, & regioni præcordiali frequenter imponi juſſi. Clyſtere quoque domeſtico ſimplici carminativo venter ſolutus; interne vero nil niſi electuarium ex oleo amygdalarum dulcium, ſpermate ceti, item ſyrupo papaveris albi, in juſculo avenaceo datum fuit. Remittente hinc quodammodo vehementia ſpaſmorum, ſequenti mixtura ad colluviem vitioſi muci in ventriculi & inteſtinorum canale, neque minus in bronchiis ſtagnantem, tam per expectorationem, quam etiam per alvum exturbandam uſus ſum. Rec. aquæ hyſſopi, veronicæ ana unciam, eſſentiæ croci, ſpiritus ſalis ammoniaci ana guttas quindecim, ſyrupi mannæ cum rhabarbaro drachmas duas, tartari emetici ſoluti granum unum. Hæc mixtura pueris duodecim vel quindecim annos natis, dimidia pars ejus illis, qui ſex vel ſeptem vel octo annos habebant, quarta trium annorum infantibus fuit data. Secutus eſt vomitus cum præſentaneo levamine, & expectoratio etiam melior facta. Alternis diebus repetita hæc eſt mixtura; reliquo tempore mixturæ ex aqua florum tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, ceraſorum nigrorum, veronicæ cum pulvere Marchionis, cinnabari, antimonio diaphoretico, additis aliquot guttulis ſpiritus cornu cervi ſuccinati, item eſſentiæ croci datæ fuerunt, & plerique ex his remediis optime ſe habuerunt.

*Epicriſis.*

Cum infantes & pueri patentiores habeant cutis poros & vias, facilior etiam aëris intemperatioris & aſperioris in eorum corpora eſt ingreſſus, adeo, ut ex parte humores tenues lymphaticos inſpiſſet, & tranſpirationem impediendo, ad interiora ventriculum potiſſimum & pectus eos compellat. Et quoniam infantes ob ſatis tenerum, mobile, & ſenſibile genus nervoſum, ad motus ſpaſticos & convulſivos aſpectu ſæpe horribiles ſunt propenſi, mirum non eſt, eos præ aliis ætatibus, quando ejusmodi tuſſes regnant, acerbiora experiri ſymptomata. Videmus enim vehementiſſime moveri & contrahi pectus, cum omnibus artubus, ſub collo & facie mirum intumeſcente & ſanguine ſuffuſa, oculis torvis exiſtentibus, & ob ſpirationem difficillimam ægros ſæpe occluſo pharynge pro mortuis haberi. Prima igitur medici ſit intentio, ut motus hos enormes quodammodo ſopiat, & poſtea collectam lentam & viſcidam tam in pectore quam in ventriculo & duodeno hærentem materiam blande per vomitum & alvum eliminet. Et certe conciſa doſi tartarus emeticus ſolutus in mixtura commoda, ejusmodi in caſibus ſi detur, longe optimum & deſideratiſſimum præſtat effectum. Id quod etiam in tuſſi convulſiva & ſuffocativa, quæ in variolarum, item morbillorum maxime declinatione infantes infeſtare ſolet, ſummo cum levamine ægrotantis ſæpius expertus ſum. Vidi etiam non raro tuſſim convulſivam in infantibus difficili dentitione laborantibus, quæ nullo modo & medicina ſopiri potuit, poſt dentium vero eruptionem ſponte ceſſavit. Adeo, ut ex ſola hac obſervatione recte colligere poſſimus, motus hos pectoris violentos, non ſemper pro cauſa materiam inſignis molis habere, ſed à ſola vellicatione nervoſæ cujuſdam partis originem ſuam trahere poſſe.

### Observatio XI.

Vir quidam ætatis conſiſtentioris, concionatoris munere fungens, hypochondriacis ob vitam ſedentariam paſſionibus per longos annos obnoxius fuit, nimirum alvi obſtructione, dolore ſub hypochondriis tenſivo, adpetitu vago, tinnitu aurium vexatus &c. His tandem vernali tempore, accedente forſan corporis refrigeratione, jungebatur tuſſis, & per integrum jam inhæſerat ſemeſtre. Veſpertino præſertim ingraveſcebat tempore, tumque efferata vehementia infeſtabat, donec poſt magnos conatus, muci admodum viſcidi quidpiam excerneretur. Neque tamen minus pectus grave, & ſpiratio erat difficilis; ſumtis epulis magis invaleſcens. *Tuſſis hypochondriaca.*

*Epicriſis cum conſilio.*

Tuſſis chronica & pertinacioris indolis eſt illa, quæ moleſtiſſimo inteſtinorum morbo, qui vulgo hypochondriacus vocatur, laborantibus infeſta eſt. Atque ratio in promtu eſt: nam quia tuſſis à nimia congeſtione humorum ad pectus valde infirmum & atonia affectum accidit, & prima in hypochondriacis regio ob deſtructam digeſtionem, vitioſos multos crudos humores ſuggerit; non mirum eſt, ejuſmodi generis tuſſes non tam facile ſanationem recipere. Accedit & hoc, quod illa convulſiva thoracis & to-

totius abdominis concuſſio, quæ fit per tuſſim, digeſtionis, quæ fit ſecundum naturam, negotium, in inteſtinorum canale plus adhuc labefactet & pervertat. Nam plura mihi cognita ſunt exempla, quod diu multumque perſeverante tuſſi ob vitiatam digeſtionem, & canalis inteſtinalis tonum deſtructum, affectio hypochondriaca demum producta fuerit. Ex quo jam facile intelligitur, difficilem omnino eſſe tuſſis hypochondriacæ curam. Neque enim, quæ in ſimplici & catarrhali epidemia tuſſi idonea ſunt remedia, hic ſufficiunt; ſed reſpiciendum quam maxime eſt, ad digeſtionem ventriculi juvandam, & deſtructum inteſtinorum tonum reſtituendum, ac circulationem etiam ſanguinis per viſcera abdominis, quæ in hypochondriacis lentior eſt, promovendam. Ego itaque in præſenti caſu, atque etiam in aliis ſimilibus non ſine inſigni fructu, præparato prius corpore, ceteris pharmaceuticis alias ſatis efficacibus remediis nihil proficientibus, curam cum aquis mineralibus, acidulis vel etiam thermis temperatioribus, ſine vel etiam cum lacte, pro diverſa ſubjectorum & circumſtantiarum ratione inſtituendam ſuaſi. Ante vero, inter & poſt earum uſum elixiriis temperatioribus ſtomachicis & balſamicis, & ejuſdem virtutis pilulis, ſubjuncto ſimul loco potus ordinarii decocto temperato ex radicibus & lignis totam curam abſolvendam ſtatui; non neglecta etiam accommodata ſanguinis vel per venas hæmorrhoidales hirudinum ope, vel per ſectionem venæ in pede miſſione, modo poſt illam, præſertim autumno & vere patiens frigidum auſtralem aëris ſtatum evitet. Nam dici vix poteſt, quam graviter ex hujus rei neglectu luat æger, & quam ſæviter inde tota paſſio ingraveſcat.

### Observatio XII.

*Tuſſis in gravida.* Generoſiſſima fœmina in vicina urbe quartum menſem prima vice gravida, anno 1732. tempore, quo & variolæ & convulſivæ tuſſes epidemice & ſæviter graſſabantur, vehementiori etiam infeſtabatur tuſſi cum febricula nocturna; appetentia ciborum penitus erat proſtrata; ſiti vero premebatur, ad quam deliniendam decoctum temperatum vino intermixtum bibebat. Deliberatum fuit, num venæ ſectio ad abortum præcavendum locum habere poſſit, eo quod dolores quosdam ſpaſticos & tenſivos circa lumborum regionem & inguina generoſiſſima fœmina interdum percipiebat. Ego, quia erat plethorica, & venæ præſertim in partibus ſuperioribus, maxime jugularis valde turgebant ſanguine, innoxiam eam minimum, ſed tentandam potius in manu judicavi. Et ſanguis muco craſſo tenaci valde obſitus detractus fuit. Tuſſis hinc & febris longe remiſſior facta eſt: Præter venæ ſectionem infuſum quoque rhabarbarinum cum manna, ad lentam pituitam per alvum, quæ erat ſegnior, ſubducendam cum fructu datum fuit.

*Epicriſis.*

Ex vehementiori tuſſi, præſertim convulſiva abortus fieri poſſe, non novum, nec inauditum in praxi medica eſt. Hujus vero cauſſam in ſanguine & humoribus impuris & ſpiſſis, quia menſtrua ceſſat purgatio, radicari pro ſtatuto & certo etiam habendum videtur. Sanguinis itaque abundantioris ac impurioris per ſectam venam detractionem, ipſa ſana ratio dictitat & experientia etiam aliorum confirmat.

Plures de tuſſi caſus leguntur in *Conſult. ac reſponſ. medicin. Sect. II. caſu LXXV. LXXVIII. & XCVI.*

---

## CAPUT IV.

### *De Singultu.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

Quemadmodum reſpirationis negotium binis potiſſimum abſolvitur actibus, inſpiratione videlicet, ac exſpiratione: ita utriuſque etiam ratione lædi poteſt. Exſpirationis quidem vitium, quod tuſſis nomine venit, ſuperiori capite pertractavimus: ad inſpirationis vero læſionem, illa pertinet affectio, quam Græci λυγμὸν ſeu λυγγὸν, nos ſingultum vocamus. Hic, ſi ſpectemus definitionem, nihil eſt, quam ſepti tranſverſi, & adnexarum quarundam partium concuſſio ſpaſmodico-convulſiva, interrupta, moleſta, ſub inſpiratione facta, & cum ſonora aëris per os exploſione ſtipata. *Definitio ſingultus.*

§. II.

Hujus naturam explicaturi; quædam de fabrica partium, quæ ad id vitii perficiendum concurrunt, præmittemus. Sic nobis primo ſe ſiſtit ſeptum tranſverſum, Græcis diaphragma dictum, quod omni circumferentia muſculoſum, fibris à centro ad peripheriam tendentibus, in centro tendineum, mediam corporis cavitatem ab infima, tranſverſo, ſimul obliquo, anterius altiori, poſterius decliviori ſitu diſſepiens, verſus thoracem convexum, abdomen verſus concavum, nervis partim à vertebralibus colli, partim ab intercoſtali ramo, & vago pari oriundis, ſatis capacibus inſtructum; binis foraminibus, quorum dextrum in tendineo circulo cavam venam, ſiniſtrum in muſculoſa parte œſophagum, ac par nervorum vagum tranſmittit, pervium, variis undique adhæreſcit partibus. Nimirum antica parte coſtis, ſterno, & muſculis intercoſtalibus; media per tunicam pleuram, convexam ſepti ſuperficiem cingentem, mediaſtino; ventriculo, non ſolum per nervos, ac exteriorem tunicam, à peritonæo productam, utrique communem, ac concavum ſeptum inveſtientem; verum etiam per ſtomachum græcis καρδία dictum, ipſi firmiter adnexum; hepati, ejuſque gibboſæ ſuperficiei per ligamentum latum; & poſtica regione vertebris lumbaribus per duas muſculoſo-tendineas appendiculas arcto connectitur vinculo. *Structura diaphragmatis.*

§. III.

Vi hujus dictarum partium mutui vinculi neceſſe eſt, ut unius partis in loco mutationem ſequatur reliquarum adhærentium motus: quod in naturali ſtatu reſpirationis docet negotium. Namque ſub hujus priori actu, inſpiratione, partim muſculis intercoſtalibus, coſtas ſurſum, ſimulque antrorſum trahentibus, partim ipſis muſculoſi ſepti fibris, à centro ad peripheriam contractis, & abbreviatis, hoc ex convexa in magis planam convertitur figuram: protinus hunc motum æmulantur vicinæ partes, & univerſum ſurſum antrorſumque trahitur abdomen, ſtomacho per abbreviatas ſepti fibras magis coarctato. *Diaphragmatis uſus in reſpirationis negotio.*

Om-

Omnia hæc priſtinam ſubeunt conditionem, diaphragmate in exſpiratione ad convexitatem redeunte. Inde vero ſequitur, quod ubicunque thorax & abdomen ſurſum, antrorſumque tolluntur, & pectoris ampliatur cavitas, ibi fit inſpiratio; ſi contra, expiratio.

§. IV.

*Hiſtoria ſingultus.*

Jam ſi ad ſingultum fiat adplicatio; hujus primum hiſtoriam, quamvis facillima cuivis ſit diagnoſis, curatius attendentes, ſic habere deprehendimus. Concutitur pectus celeri impetu, cum ſono acuto; ſub qua concuſſione thorax & abdomen attolluntur, pectoris cavitas fit amplior, loquentibus ſermo intercipitur, quin tanta ſæpenumero eſt vehementia, ut juxta DOLÆUM *Encyclop. medic. Lib. III. cap. II. pag.* 174. totum contremiſcat corpus, & coſtæ frangi videantur. Ipſe ſonus, qui jungitur, tantus nonnunquam eſt, ut canis latratus inſtar à tranſeuntibus in platea, & ædibus vicinis percipi poſſit. Conf. LAZARUS RIVERIUS *obſ.* 1. *pag.* 302. THOMAS BARTHOLINUS *hiſtor. anat. rarior. Cent. II. hiſtor.* 4. *pag.* 175. VITUS RIEDLINUS *obſ.* 31. *pag.* 67.

§. V.

*Ratio formalis ſingultus.*

Hæc cum phænomenis inſpirationis collata, luculenter docent, ſingultum eſſe inſpirationis vitium, ſaltem ſub ea contingere. Quemadmodum vero ſub naturali inſpiratione antecedere obſervatur motus muſculorum intercoſtalium; ſequitur tranſverſi ſepti conſtrictio, & tandem abdominis elevatio, hæcque omnia placido, ac lento procedunt gradu: ita è contrario in ſingultu, tanquam præternaturali inſpiratione, primum obſervatur ſepti tranſverſi conſtrictio, & vi conſenſus ſequitur motus connexarum partium, cuncta vero vehementer, & velociſſime fiunt. Concuſſo ſic velociſſime ſepto, concutitur quoque gula & ſtomachus citiſſime: hinc aëris, continuo à nobis deglutiti portio, intra gulam comprehenſa, magno impetu ſurſum per integrum pellitur œſophagum, & tandem in fornicato palato, ſingultuoſum illum efformat clangorem. Conf. LANGII *Pathol. animat. Cap.* 36. Concuſſum denique ſeptum, producto ſingultuoſo ſonitu, plus minus lento progreſſu rurſus convexum redditur: i. e. fibræ muſculares iterum prolongantur: hinc quies fit, & per intervalla redit convulſiva concuſſio.

§. VI.

*Differentia ſingultus à continuo ſeni tranſverſi ſpaſmo.*

Dum ergo ſingultus eſt convulſio diaphragmatis velociſſima, ſed mox remittens, & per intervalla recurrens: diſtinguit ſeſe ab ea ſpaſtica detentione, quæ diutius ſeptum tenet rigidum, ac perpetuam ſpirandi cauſſatur difficultatem. Conf. CASPAR HOFFMANNUS *Inſtit. med. Lib. III. cap.* 86. §. 6. GALENUS *de ſympt. Lib. II. cap.* 2. Hæc accedere obſervatur colicæ convulſivæ; aut paroxyſmis hyſtericis vehementioribus; & à ſonitu, ſingultientibus familiari vacua deprehenditur.

§. VII.

*Differentia inter ſingultum acutum, & chronicum.*

Ad hæc notanda omnino eſt differentia, quæ ſingultum chronicum intercedit, & acutum. Hic morbis acutis jungi obſervatur, ut febribus continuis, malignis, exanthematicis, peſtilentialibus, inflammationibus nobiliorum viſcerum &c. & non modo brevioris exitus, verum ancipitis quoque eventus eſt. Contra chronicus longas ægritudines comitari ſolet, ut ſunt hyſtericæ, cachecticæ affectiones, vitiata primarum viarum conditio, mala partium ſpiritalium conformatio &c. & in hac ſua indole ad plures dies, hebdomades, menſes, quin integros annos perdurare poteſt. Sic BARTHOLINUS *Centur.* 3. *epiſtol.* 61. de muliere per biennium adeo graviter ſingultiente, ut a dæmone obſeſſa videretur; & *cent.* 2. *hiſt.* 4. de ſingultu per quatuor annos infeſtante; alii alia exempla allegant: quorum numerus à MARCELLO DONATO *Lib. IV. hiſt. med. cap. V.* & SCHENCKIO *obſ. L. III.* recenſetur.

§. VIII.

*Sedes ſingultus.*

Quod ſingultus ſedem attinet; variæ medicorum de ea ſemper fuerunt opiniones. Veteres, & horum anteſignanus HIPPOCRATES *Lib. VI. aph.* 39. ventriculum ſolum accuſarunt, & per ejus violentum motum, quo rem ſibi infeſtam expellere conaretur, deſcripſerunt. Verum, ne tali ratione illum cum vomitu vel ructibus confunderent; ſingultu agitari ea, quæ ſuperiori ventriculi orificio inhæreſcunt, vomitu, quæ ejus fundum occupant, perhibuerunt. Vid. FORESTUS *obſ. XII. Lib. XVIII. pag.* 286. Alii vero, quorum agmen ducit FELIX PLATERUS *Lib. II. de funct. læſion. Cap. V. pag.* 476. ſedem in ſolo ſepto tranſverſo collocarunt; cum priorem opinionem non omnibus phænomenis ſatisfacere viderent. Alii denique media incedentes via, primario quidem os ventriculi ſuperius adfici, per conſenſum tamen ſemper diaphragma ſimul agitari autumarunt: quos inter nominandus eſt DOLÆUS *Encyclop. Med. L. III. c. II. p.* 174.

§. IX.

*Noſtra ſententia.*

Mea vero ſententia principalis ſedes, ac primarium hujus affectus organon, in diaphragmate collocandum eſt: ſiquidem abſque hujus muſculi tranſverſi ope, nulla inſpiratio, cujus præternaturalis effectus eſt ſingultus, fieri poteſt. Enim vero cum ſuperius ventriculi orificium firmiſſime adhæreſcit ſepto illi; impoſſibile eſt, quin ſimul una cum œſophago in hoc affectu patiatur. Et hinc adparet fundamentum illius diviſionis, qua ſingultus in idiopathicum & ſymptomaticum recte diſpeſcitur. Ille enim eſt, ſi cauſſa ejus materialis, in ipſa tranſverſi ſepti ſubſtantia hæret; hic, ſi cauſſa in ventriculo reſidet, & hujus vellicatio ad diaphragma propagatur.

§. X.

*Cauſſa proxima.*

Cauſſa ſingultus proxima eſt irritatio vel ſtimulatio aut diaphragmatis, aut ſtomachi, & hinc inducta harum partium convulſiva concuſſio. Quamobrem quo debiliori nervorum genere homines ſunt præditi, eo facilius hoc affectu corripiuntur: hinc infantes, pueri ac ſenes ipſi præ aliis ſunt obnoxii, adeo, ut diæteticum quoque ac tranſitorium illum ſingultum, de quo nos non loquimur, & qui vel ex ſtomachi refrigeratione, vel hauſtu avidiori aut frigidiori, vel etiam riſu ſuboritur, facillime incurrant. Sed & illæ mediatæ ac remotiores cauſſæ, quæ morboſum ſingultum, medentis auxilio dignum, ſuſcitare valent, in his ſubjectis facilius vim ſuam exſerunt: quas jam ordine ſuo recenſere, animus eſt.

### §. XI.

*Cauſſæ ſingultus ſitæ ſunt 1] in aëre frigido.*

Aëri, eique frigido ac humido, præſertim ſubjectis antea calentibus admiſſo, princeps debetur locus. Qui nudo vel leviter tantum tecto pectore, quique nudis præter conſuetudinem pedibus, in frigidioribus ambulant pavimentis, quo teneriores fuerint, eo facilius ſingultum incidunt; & infantes, quorum vertex adhuc palpitans non bene tectus fuit, eodem affectu frequentiſſime corripiuntur. De triduano ſingultu ex diuturniori in aquis mora, caſum refert memorabilem CAROLUS RAYGERUS in M. N. C. *dec. I. anno VI. obſ.* 211. & majori attentione dignus eſt ille, cujus meminit RIVERIUS *Cent. III. obſ.* 42. quod quædam puella, per totum hiemem ſingultu graviter vexata, omni vero æſtate ab eo libera fuerit.

### §. XII.

*2] in alimentorum nimia quantitate.*

Ejuſdem affectus cauſſam ipſa alimenta præbent, vel nimia quantitate ſumta, vel inimica qualitate prædita. Sola avidior ingurgitatio, qua bolus bolum, hauſtus hauſtum trudit, & in ſuperiori ventriculi orificio commoratur; hoc vellicando, ſingultum, utut leviorem producit: & ſic FORESTUS *Lib. XVIII. obſ.* 12. ſingultum à fruſto pulmonis bubuli in œſophago reſtitante commemorat. Cibi quoque nimia quantitate ventriculum onerantes, eandem pariunt moleſtiam: id quod pueri voraciores, & gulæ dediti teſtantur; & ſolum panem nimia quantitate ac aviditate ingeſtum, id vitii concitaſſe, notat EPIPHANIUS FERDINANDUS *hiſt. med.* 43. Potulenta, majori copia ingurgitata, maxime ſi externa acceſſerit refrigeratio, aut ipſa nimis frigida fuerint, tuſſim pariunt, exemplo heluonum, nudo inter pocula pectore verſantium, & infantum lactentium, ſi iis cereviſia frigidior exhibeatur. TIMÆUS à GULDENKLEE exemplum hujus affectus allegat in viro, qui valde calefactus, nimium aquæ frigidæ cum nitro hauſerat *Lib. III. Caſ. V. pag.* 115. & RIVERIUS *de morb. infrequent. obſ.* 1. ſingultum ſemeſtrem, à frigido hauſtu vehementiſſimum adnotat.

### §. XIII.

*3] in aſſumtorum inimica qualitate.*

Quæcunque aſſumtorum vel per ſe nimis ſunt acria, vel ex variis cauſſis intra ipſum ventriculum, in ſaburram acrem, viſcidam, ſtomachum vellicantem dehiſcunt: morbum noſtrum plus minus graviſſimum inducunt. Quem fugit lactis & lacticiniorum corruptionem in ventriculo, ſingultientes reddere infantes; quale exemplum funeſtum narrat BARTHOLINUS *Act. Med. Haffn. Vol. II. obſerv.* 28. Item tenendum eſt de acribus, cauſticis, aut plane venenis. De ſingultu ex cicuta comeſta, GULDENKLEE *Lib. VII. caſ.* 4. ex euphorbio *ibid. caſ.* 7. ex cepis, allio, & zingibere GATINARIAS *de cognit. & cur. ægrit. pag.* 81. ex oleo vitrioli loco balſami ſulphuris ſumto BARBETTE *prax. med. Lib. IV. cap.* 2. *pag.* 136. ex nimio uſu julepорum acidorum, & emulſionum refrigerantium in acutis SCHENCKIUS *Lib. III.* allegant notatu dignas obſervationes. Neque minus huc referenda ſunt vomitoria ac purgantia draſtica, maxime helleborata, quæ rodendo, ſtimulando, & inflammando ventriculum ac inteſtina, ad ſingultuoſum diſponunt morbum.

### §. XIV.

*4] in materia acri diaphragmati incumbente.*

Citiſſimas & utplurimum funeſtas ſepti transverſi concuſſiones excitant humores acriores, corrupti, multiſque ſalinis partibus referti, ſi incumbant diaphragmati. Notum mihi eſt exemplum de homine, qui per decem & tres dies vehementiſſimo afflictus ſingultu, tandem obiit: cujus in thorace aliquot ſeri acrioris extra vaſa natantis unciæ poſt inſtitutam cadaveris ſectionem repertæ fuerunt. Et huc fere pertinet ſingultus, qui à materia arthritica vel podagrica per metaſtaſin ad ſeptum tranſverſum decumbente ſuboritur: qualem à retropulſa arthritide excitatum adnotavit GEORG. HIERON. VELSCHIUS *Hecatoſt. II. obſ.* 54. Idem morbus contingit, ſi dyſenteriæ vel diarrhoeæ, præſertim ab initio cohibitæ, & per opiata, vel alia adſtringentia ſufflaminatæ fuerint: quemadmodum obſervavi *in not. ad Poter. cent.* 11. *cap.* 47. Neque raro eryſipelati retropulſo, aut in ſenioribus ac imbecillioribus haud ſatis vegete expulſo jungitur ſingultus. Quæ omnes cauſſæ nituntur materia acri, ac veluti cauſtica, nervoſis ſepti tranſverſi partibus, vel orificio ventriculi ſuperiori ſeſe inſinuante.

### §. XV.

*Singultus acutus ab inflammationibus.*

Qui acutus audit ſingultus, jungitur morbis, qui ſunt brevioris exitus. Ex iis primas tenent inflammationes viſcerum nobiliorum, ſic malum illud ſequitur vulnera ac inflammationes ipſius ſepti, ut in paraphrenitide adparet; nec non ventriculi & inteſtinorum, adnotante FORESTO *Lib. XVIII. obſ.* 12. phlegmonem hepatis, teſtibus CELSO *Lib. II. cap.* 7. BARBETTE *prax. med. Lib. IV. cap.* 2. cujus pathognomonicum ſignum, dolor ad jugulum aſcendens ſuppeditat. Ipſæ cerebri, ac meningum inflammationes, graveſque vulnerationes, vi conſenſus, quem hæ partes per nervum vagum cum ſepto ſtomachoque habent, eminus hoc ſymptoma producunt. Conf. HIPPOCRATES *Sect. VII. aph.* 3. & HEURNIUS *comment. in hunc aphor. pag.* 469.

### §. XVI.

*1] febribus junctus.*

Idem vitii genus ſociari ſolet febribus continuis, malignis, & exanthematicis &c. ubi variæ remotiores concurrunt cauſſæ. Aut enim junctæ inflammationis cauſſa fit ſingultus; id quod cumprimis in febre peſtilentiali à carbunculo, ſeptum aut ventriculum obſidente, evenire aſſerit DIEMERBROECK *Cap.* 13. §. 5. & *Cap.* 15. *annot.* 15. aut ſi febrium legitimus decurſus præmaturis anodynis, opiatiſque turbatus fuerit, qualem memorabilem caſum recenſet RIVERIUS *Cent. III. obſ.* 17. aut ſudores repreſſos, & exanthemata reſtitantia, vel repulſa ſequitur; aut acrem ventriculi ſaburram comitatur, cujus exemplum in febre hemitritæa refert FORESTUS *Lib. V. obſ.* 15. Hiſce in caſibus periculoſa ſimul adſunt ſigna, ſitis magna, debilitas inſignis, vigiliæ, delirium, impudentia, ardor inextinguibilis, motus maxillæ inferioris tremulus, nervorum diſtentio, vocis interceptio, urina diluta &c. Contra vero ſi circa dies criticos occurrit, ac reliqua ſigna, maxime coctionis in urina fuerint bona; nihil mali portendit, ſed vomitum criticum, aut alvi fluxum futurum prænunciat, & his ſubſequutis ceſſat. Sæpius quoque has acutas febres ita ſequitur ſingultus, ut cum ipſis permaneat, & per totam febrem ſimul exacerbetur; quales

fe-

febres ſinguituoſæ, aut lyngodes veteribus appellantur, earumque exemplum in M. N. C. *anno* 4. *obſerv.* 48. *pag.* 43. allegatur: quorſum etiam ſpectat memorabilis caſus a POTERIO *Cent. II. cap.* 47. allegatus.

§. XVII.

*3] ab inanitione.*

Ad acutos & ancipitis eventus ſingultus referendi quoque ſunt, qui ſecundum veteres inanitionem, ſeu nimias humorum excretiones ſequuntur. Hyperemeſin & hypercatharſin hoc gravi ſymptomate ſtipari, teſtantur præter experientiam HIPPOCRATES *Sect. VII. aph.* 3. *&* 41. *& Sect. V. aphor.* 41. *&* SYDENHAM *meth. cur. febr. pag.* 61. Eundem affectum poſt ſe trahunt cruoris vitalis nimiæ ac incoercibiles effuſiones, vel naturales per uterum, nares, hæmoptyſin, vel per vulnera graviora concitatæ; ſicuti idem HIPPOCRATES *Sect. V. aphor.* 3. ſignificat. Quibus in caſibus univerſales plerumque convulſiones, ac ipſum vitæ finem hæ concuſſiones ſingultuoſæ, tanquam ultimi naturæ conatus antecedere ſolent.

§. XVIII.

*Chronici ſingultus cauſſa.*

Chronicus ſingultus natales ſuos quandoque debet ſanguinis & humorum vitio: quando nempe illi, aut quadam acrimonia imbuti, aut, retentis conſuetis excretionibus, ad vaſa ſepti ac ventriculi copioſius congeſti ſunt. Hinc gravidis per ultimos geſtationis menſes, & fœminis hyſtericis, quarum menſtrua non rite fluunt, maxime familiaris eſt: quo nomine notabilis eſt caſus à SCHURIGIO *parthenol. pag.* 213. allegatus, ubi refert; ſingultum fœminam quandam ante menſium eruptionem ſemper occupaſſe, hac vero facta protinus ceſſaſſe. Idem malum chronicum æque ac periodicum adfligere ſolet cachecticos, & hepate affectos: ubi cauſſa in bile, acriori reddita, & tunicas ventriculi ac duodeni nerveas vellicante, quærenda eſt. Hinc talem affectum in cachectico tam diu durantem, donec vomitus ſequeretur, obſervavit LENTILIUS *in Jatromn. pag.* 286.

§. XIX.

*Oſſearum pectoris partium malæ conformationes.*

Oſſearum denique, quæ pectus cingunt, partium, & malæ conformationis vitia, ad chronicum interdum contribuunt ſingultum. Mucronata cartilago, ſi laxata, vel ob alias cauſſas magis introrſum reflexa eſt, ut ventriculum ſtimulare poſſit, præſentem adfectum producere, obſervationibus deprehenditur: qualem à depreſſa hac cartilagine per tres menſes durantem adducit FERNELIUS *Lib. VI. de part. morb. & ſympt. cap.* 3. Eundem coſtarum luxationes, fracturæ atque contorſiones excitaſſe, docet experientia. Hinc idem FERNELIUS *loc. cit. pag.* 568. ſingultum ex luxata coſta ortum, ea repoſita conquieviſſe refert; & RHODIUS *Centur. II. obſerv.* 61. ejuſdem ex compreſſione undecimæ dorſi vertebræ nati ac continui mentionem injicit.

§. XX.

*Prognoſis ſingultus.*

Quod ſingultus prognoſin attinet; neutiquam periculoſus ille, qui viſciditates, cruditates, & acrimoniam primarum viarum excipit; nec qui hyſtericis accidit, timeri adeo debet. Multo minus periculi habet, ſi ex refrigeratione vel potu frigido oritur, modo non corpori ſudanti, nimius ingeratur: frequens quoque eſt infantibus lactentibus & in his nil mali, plus vero in ſenibus prænunciat. Novi fœminam generoſam XL. annorum, quæ viginti annos quotidie adhuc ſingultu vexatur, ſine ſanitatis incommodo. Idem vero minus talis per acutas febres, præſertim ardentes, ac peſtilentiales incidens, grave portendit periculum; & ſi delirium interveniat, aut nervorum diſtentio, mortiferum eſt. Qui cauſſa inflammationis maxime hepatis oritur, vix niſi lethalem præſagit exitum. Æque pertimeſcendus ille, quem acriora purgantia, emetica, ac venena poſt ſe trahunt. Omnis ex inanitione ſingultus, poſt alvum citam, largaſque vomitiones malus; poſt ſanguinis profuſionem, & capitis vulnera, peſſimus. Quem accerſunt dyſenteriæ, diarrhϾ adſtrictæ, eryſipelas, podagra, arthritis repulſa, periculo non vacat. Singultuoſæ ſenum hernioſorum febres, cum nulli ferme medelæ locum relinquant, mortiferæ ſunt, teſte FORESTO *Lib. XVIII. Cap.* 12. *Schol.* Sternutamentum autem ſingultui, maxime qui ex repletione oritur, acceſſiſſe utile eſt, & hunc ceſſaturum prænunciat.

## METHODUS MEDENDI.

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Omnis ſingultus medelam non expoſcit; ſiquidem levior ille ac diæteticus vel inſpiratione diutius protracta, vel animi quadam diſtractione, per dolorem in quodam corporis loco excitatum, aut ſedulam alicujus rei meditationem, aut terrorem ex improviſo excitatum, facile ſolvitur. Qui vero morboſus eſt, his non cedit; ſed medica adgrediendus eſt manu: Tres vero potiſſimum in illo ſanando ſunt indicationes; quarum prior motuum præternaturalium, ſpaſmodico-convulſivorum mitigationem; altera cauſſarum materialium remotionem, & tertia partium affectarũ & debilitatarum reſtaurationem indicat.

§. II.

*Quæ priori ſatisfaciant indicationi.*

Priori ſcopo ſatisfacturi veteres, opio & inde paratis utebantur medicinis, laudano opiato, mithridatio, philonio, diaſcordio Fracaſtorii, theriaca &c. iiſque ſingultum ſe curaſſe hinc inde perhibent. Verum præfero leniora antiſpaſmodica, & anodyna: ex quibus ſunt ſuccinum, cinnabaris, crocus, caſtoreum, quod vehementer laudant auctores, adeo, ut ALEXANDER TRALLIANUS, bonus inprimis auctor, illud quoque ſub amuleti ſpecie ſingultum ſanare, ſibi perſuaſerit. *Lib. VII. pag.* 387. Ego crebra doctus experientia, liquorem meum anodyno-mineralem omnibus longe præſtantiorem judico, eumque his in caſibus vel ſolum, vel tincturæ caſtorei nuptum exhibere ſoleo. Nec minoris efficaciæ eſt ſpiritus nitri dulcis, cum refracta balſami mei vitæ doſi permixtus. Olei amygdalini unam vel dimidiam unciam cum aliquot olei anethi deſtillati guttulis quidam pro ſecreto habent.

§. III.

*Saburra primarum viarum eſt eliminanda.*

Cumprimis vero, juxta alterius indicationis tenorem, cauſſarum materialium remotioni ſtudere decet. Quando itaque ſaburra quæcunque ventriculo inhærens, ejus orificium ſuperius ſtimulando, ſingultum produxit, ea corrigenda & blande vacuanda eſt. Si acris ac bilioſa fuerit, abſorbentia citrata, pulvis noſter præcipitans, ex aqua frigida operæ facient pretium: viſcida, plicis ventriculi pertinacius infixa, ſalibus dige-

digeſtivis, maxime liquore terræ foliatæ tartari, & radicibus, quæ reſolvunt, ſimulque roborant, ut eſt radix vincetoxici, quæ ſimul anodyni quicquam in receſſu habet, angelicæ, calami aromatici &c. votis ſatisfaciunt. Cocta materia vel per vomitum, vel per alvum erit evacuanda. Illo ciendo conveniunt radix ipecacuanhæ, vel omnium optime pulvis ſquillæ ad quatuor vel ſex grana cum granis tribus nitri purificati. Alvum ſolvunt mannata, rhabarbarina, pilulæ aloëphanginæ; vel marocoſtinæ aut de ſuccino Cratonis aucta ſuccini doſi præparatæ: commodiſſime hujuſmodi pillulis aliquot grana maſſæ pillularum de ſtyrace vel de cynogloſſa admiſcentur: ita duplici effectu ſatisfaciunt. Tutiſſima quoque ſunt enemata, leniter carminativa, maxime infantibus, qui ex lacte corrupto id vitii genus incurrerunt: quo in caſu etiam ſulphur antimonii correctum, vel aurum fulminans bene præparatum doſi conciſa cum fructu adhibentur.

§. IV.

*Singultus, à cohibita tranſpiratione ſuborti curatio.*

Si à frigore, vel quacunque alia cauſſa cohibita tranſpiratio foveat malum; huic revocandæ omne ſtudium impendere oportet. Conveniunt hoc nomine, præter externum temperate calidum regimen, affectarum partium fomentationes, potus tepidior, & largus, infuſa theiformia ex herbis ac radicibus reſolventibus, ac roborantibus confecta: ex quibus pulveres bezoardicos, ex ſuccino, cornu cervi uſto, antimonio diaphoretico, cinnabari, tantillo extracti croci, ac caſtorei paratos ſumere juvabit. Excellens quoque hoc in caſu remedium conſtituit ſpiritus bezoardicus Buſſii, ſi cum liquore noſtro anodyno, & eſſentia caſtorei permiſceatur. In acutis & exanthematicis febribus ſuppreſſa tranſpiratio, præter rectum regimen, frictiones, & fixa diaphoretica votorum explebunt ſummam. In chronico ſingultu à refrigeratione ſuborto, & admodum refractario, potus vini Hippocratici levamentum præſtat: præter id divinæ virtutis ſunt balnea tepidiora; quæ & diaphoreſin revocant, & partes ſpaſmo conſtrictas emolliunt: quemadmodum exemplo confirmat RIVERIUS *obſerv. infrequent.* 1.

§. V.

*Exanthemata retropulſa ſunt revocanda.*

Eadem medendi ratio obtinet locum in ſingultu à materia eryſipelacea, arthritica, podagrica retrocedente, aut non ſatis foras pulſa ſuborto: in quo ſcilicet, præter diaphoroſeos per dicta §. præcedente remedia obtinendam promotionem, materiam acrem ac inimicam à nervis phrenicis ad ſua loca revocare expedit. Hoc fine blanda laxantia & clyſteres divinæ ferme ſunt virtutis: non minus rubefacientia, atque veſicatoria ſuris vel ſcapulis adplicata, detrahendo ſerum acre, magnum ferunt levamen. Nec opera luditur, ſi in podagra retrocedente pediluvia tepidiora crebro adhibeantur: quare etiam TRALLIANUS *lib. cit. pag.* 386. atque RIVERIUS *prax. pag.* 407. manuum in aquam calidiorem immerſionem laudant.

§. VI.

*Singultus ab acri ac draſtico remedio inducti curatio.*

Quandocunque à dato emetico, purgante, cauſtico remedio, veneno ſingultus excitatur; ea ſunt adhibenda, quæ vim veneni caſtrant, & enervant. Quæ inter nihil præſtantius eſt pinguibus, oleis amygdalarum dulcium, olivarum, mucilaginoſis, ipſo lacte, ejuſque cremore, tempeſtive, priuſquam inflammatio locum occupaverit, propinatis; & ſic involuto veneno, effrænes motus dictis ſuperius anodynis compeſcendi ſunt. Si vero malum à veneno per contagium hauſto, uti in peſte, vel etiam morſu canis rabidi, ictu, ira efferveſcentis inſecti provenit: tunc theriacalia, ipſa theriacalis aqua, theriaca cœleſtis cum antiſpaſmodicis, nitroſis, camphora, cinnabari, diaphoreticis mixta optimum pollicentur levamen. Quæ curandi ratio locum quoque obtinet, quando à materia cauſtica, exanthematica, maligna, ad interióra à corporis ſuperficie repulſa malum incidit; quo caſu pulvis ex camphoræ aliquot granis & nitro compoſitus; nec non emulſiones ex amygdalis & ſeminibus quatuor frigidis majoribus, & aquis diapnoicis paratæ, præſtantiſſimam ferunt opem.

§. VII.

*Singultus ex inanitione curatio.*

Qui inſignes cruoris vitalis effuſiones inſequuntur ſingultus; haud prius compeſcentur, quam donec ipſis inanitionibus obex ponatur. Cohibere vero hæmorrhagias enormes decet internis temperantibus, tonicis, adſtringentibus, externiſque præſidiis: quorſum in vulneribus commodæ læſæ partis deligationes pertinent. Sedato fluxu tutis anodynis inſiſtendum, iiſque efficaciſſima antepileptica jungenda, & denique anæmiæ analepticis, & alimentis reficientibus ſuccurrendum.

§. VIII.

*Roborantium uſus.*

Nec inſuper habenda ſunt remedia roborantia, maxime ſub morbi declinatione. Ex iis eminent olea roborantia macis, menthæ, abſynthii cum balſami mei vitæ quibuſdam guttulis combinata, ac in aquis ſpirituoſis, tanquam commodo vehiculo exhibita. Tales ſunt aqua ſpirituoſa cinnamomi, menthæ, meliſſæ, aquæ vitæ aromaticæ: nec non eſſentia carminativa Wedelii, aqua carminativa Dorncrellii, & ipſe vini generoſi hauſtus. Hæc remediorum genera in ſingultu, qui à flatuum retentione, & facta ab iis ventriculi vellicatione proficiſcitur, junctis clyſmatibus carminativis, utramque curationis abſolvunt paginam. Inter topica opem quoque pollicentur linimenta antiſpaſmodica, paregorica & anodyna, præcordiis admota, quæ habeant oleum nuciſtæ expreſſum, axungiam humanam, oleum macis, menthæ, abſynthii, crocum, caſtoreum, camphoram &c. nec minus cerata ac emplaſtra nervina, ſcrobiculo cordis adplicata, ac ipſæ denique partium affectarum per accommodata vincula conſtrictiones.

*CAUTELÆ, CUM CURA SPECIALIORI.*

§. I.

*Potus tepidioris uſus.*

In ſingultu, qui ab acrimonia vel viſciditate ventriculi ſuboritur, ſæpius ſolo potu tepido, copioſe ſumto, votis potiri licet: hic enim involvit acrimoniam, diluit viſciditatem, & cauſſam ſtimulationis removet. Omnis vero frigidus potus malum exacerbat.

§. II.

*Singultus diarrhœas excipiens.*

Peſſimi ſucceſſus eſt ſingultus diarrhœis, vel dyſenteriis intempeſtive cohibitis ſuperveniens: quare ipſi cito ſuccurrendum. Tutiſſimum & effica-

efficaciſſimum hoc in caſu remedium præbent clyſteres, ex emollientibus & leniter laxantibus, ipſa videlicet medulla caſſiæ, vel extracto rhabarbari adjecto, & crebrius injiciendi: laxantia oretenus exhibere minus conſultum eſt. Præſtat potius bilioſos acres humores contemperare, quod & magneſia; & alia abſorbentia, & inprimis ſerum lactis dulce, potui datum efficient; tumque jungere convenit interna anodyna, externaque paregorica.

§. III.

*Singultus [illegible] acutarum.* Febrium acutarum ſingultus, morbi primarii curatione, quæ æquali diaphoroſeos promotione abſolvitur, etiam curatur. Tum maximopere cavendum, ne adhibeamus remedia ſalina, multo minus laxantia, pilulas aloëticas: aut regimen juſto calidius, vel potum calidiſſimum concedamus: uti enim frigus, ita & exceſſivus calor nervoſis partibus, maxime ſi morbo affectæ ſunt, eſt inimicus.

§. IV.

*Singultus inflammationi accedentis curatio.* Pari ratione in ſingultu à viſcerum inflammatione inducto, huic proſpiciendum eſt; tuſa protinus in pede vena, ſi recens adhuc fuerit inflammatio in corpore plethorico; tumque datis interne diſcutientibus, aliiſque, quæ ſudorem movent, ſtagnanteſque ſuccos reſolvunt; quibus, urgente nimis dolore, blanda conjungere licet anodyna. Cumprimis alvus injectis clyſteribus, ſemper lubrica ſervanda; externe camphorata, crocata, ſacculique diſcutientes adplicanda, & prudenti prognoſi famæ conſulendum.

§. V.

*Singultus cachecticis cura.* Singultus cachecticis, & hepate affectis ſuperveniens, curatur remediis bilem acrem corrigentibus, infuſis reſolventibus, hepatis, attenuantibus, amaris & evacuantibus; hiſque nondum ſatisfacientibus, nihil eſt, quod vim thermarum, aquarumque mineralium ſuperet; de quibus notabilem caſum allegat BONETUS *med. Sept. Lib. V. Sect. V. obſ. 6.*

§. VI.

*Hypochondriaci cura.* Qui accedit hypochondriacis, & ut plurimum ſuppreſſis excretionibus ſanguineis debetur: non cedit, niſi hoc primario profligato malo. Tum vero, ſi omnia fallunt, thermæ cumprimis Carolinæ, conjuncto ad roborandas partes balneorum Tœplicenſium uſu, operæ facient pretium. Scorbuticis cura lactis aſinini, acidulis Selteranis, iiſque tepefactis nupti, egregium pollicetur auxilium: quod jam commendat PAULLINI *Onograph. Cur. Sect. IV. cap. 3. §. I.*

§. VII.

*Singultus curatio, ab oſſearum pectoris partium læſione.* Si coſtæ fractæ, diſtortæ, luxatæque ſingultum produxerunt; luxationis repoſitio, fracturæ conſolidatio, ex chirurgico petenda foro, unicum ſpondent auxilium. Cartilagini enſiformi luxatæ, ac intus flexæ optime medebuntur, cucurbitæ cæcæ, ſcrobiculo cordis adplicatæ: quas cum primis laudat VITUS RIEDLINUS *lin. med. anno 1695. menſ. Aug. obſerv. 4.*

§. VIII.

*Anodynorum uſus.* Anodynorum in compeſcendo ſingultu cautum oportet eſſe uſum: ſi multa materia peccat, hujus ante omnia ſtudendum correctioni & eliminationi; præſertim ſi fuerit acris, cauſtica, virulenta. Hac enim nondum excuſſa, anodynis uti, nihil eſt, niſi oleum camino addere. Sicuti in omni morbo, ubi anodyna & ſopiente virtute opus eſt; ita quam maxime in affectibus ſpaſmodico-convulſivis, cujuſcunque generis ſint, opiata rariſſime ſola, ſed cum accommodatis evacuantibus ſociata & tutiſſima & præſtantiſſima ſunt. Et hoc arcanum vehementem opii vim cicurandi re vera eſt antiquiſſimum. Teſtatur id celebre illud medicamentum Aſclepiadis, quod recenſet GALENUS *Lib. VIII.* de compoſ. medicam. *Cap. III.* & AVICENNA *Lib. IV. Fen. XIII. tr. 5. c. 19.* & conſtat ex coſto, croco, ſpica, aſaro, maſtiche, aloe, & opio; atque ad ejus imitationem confectæ ſunt pilulæ Rondeletii, Poterii, Plateri, Riverii, Wildeganſii, Starckii, Anglicanæ. Nos in aſthmate & tuſſi convulſiva, ſingultu & aliis dolorificis & ſpaſmodicis morbis, pilulas aloëphanginas, vel etiam noſtras polychreſtas, cum dupla vel tertia parte maſſæ pilularum de ſtyrace vel de cynogloſſa miſcere, & cum fructu inſigniſſimo uſurpare conſuevimus.

§. IX.

Singultus à leviori cauſſa exortus ſine medicamentis ſæpius feliciter ſiſtitur, quando videlicet ſub motu thoracis magis voluntario ipſum diaphragma cogatur, adeo, ut plus fibræ ejus motrices tendantur vel relaxentur. Illud fit fortiori inſpiratione, per curſum, per ſaltum, per vehementem equitationem; hoc vero per exſpirationem fortiorem, per vociferationem, & ſi thorax faſcia, ſeu zona conſtringatur; quod ſimplex & extemperaneum ſæpe eſt remedium. *Singultus levioris cura.* Ejuſdem generis eſt ſternutatio, quæ uti ſpontanea, docente id *Hippocrate Sect. 17. aphor. 13.* ſingultum tollit, ita naturæ bene operantis miniſter, medicus, arte eam provocare debet. Et maxime, quando vel lenta & in flatus abiens materia ventriculi tunicis aut partibus proximis inhæreſcit, ad eam ipſam per vehementem exſpirationem, dum viſcera abdominis & inprimis ventriculus vehementer conquatitur, dejiciendam; Minime vero ſternutatio arte producta locum habet, ubi inflammatio vel ſubtilis cauſtica virulenta materia, altius nervoſis partibus ſeſe inſinuaverit.

§. X.

Præſervandi fine rectus rerum non naturalium uſus, præſertim aëris frigidi evitatio, ex omni parte votis reſpondebit. *Præſervatio.* Qui à longo morbo partes ſolidas debilitatas habent; ſe præcavebunt, balneorum martialium prudenti uſu, nec non remediis martialibus, conjunctis liquidorum potatione, motuque corporis ſufficiente, uſurpandis.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

Virgo annorum quindecim, integro ciborum adpetitu gaudens, & menſtruorum fluxum nondum experta, variis autem moleſtiis illorum cauſſa preſſa, per tria anni ſemeſtria ſingultum patitur. *Singultus chronicus nocturnus.* Ille vero nocturno duntaxat invadit tempore, & primum vix omni hebdomade ſemel recurrit. At noviſſime ſingula nocte tanta vehe-

vehementia infeſtat, ut in vicino conclavi dormientes ſingultuoſam agitationem auribus percipere poſſint. Notatu etiam dignum eſt, quod ſi ipſa ab accedentibus miniſtris excitetur, & corpus ipſius in lecto loco moveatur, ceſſet ſingultus: neque enim per diem incidit, licet ſæpius nimium indulſerit epulis. Ceterum ſana vivit; & quoniam graviora inde pertimeſcebat pericula, meum flagitavit conſilium. Ego rebus probe penſitatis, cauſam hujus peculiaris pathematis plethoram ex menſium defectu judicans, primo omnium ſanguinis per ſectionem venæ in pede miſſionem adminiſtrandam duxi; deinde ad ſalutarem menſium fluxum procurandum laborem & motum corporis ſufficientem & frequentem pediluviorum tepidiorum uſum, & circa novilunii tempus pilulas noſtras polychreſtas, & alternative eſſentiam ſuccini probe tartariſatam, præſtantiſſimi ad hunc ſcopum obtinendum uſus, ſemel de die aſſumendam commendavi. Quorum remediorum ope & auxilio etiam, ut audivi, factum eſt, ut virgo ab hoc malo liberata optime valuerit.

*Epicriſis.*

Singultus tale eſt vitium, quod plures & diverſi generis agnoſcit cauſas; & compluribus etiam morbis tam acutis, quam chronicis ſeſe aſſociat. Quapropter quando medicus recte & circumſpecte vel de ejus eventu aut effectu, magis vel minus periculoſo judicare, vel ad hunc morbum, qui nunquam fere non mali quidpiam poſt ſe relinquit, amoliendum accommodatam vult medicinam præbere; opus omnino eſt, ut in ejus cauſas paulo accuratius inquirat. In caſu præſenti ſecundum Hippocratis ſententiam à repletione, per quam plethoram, ſive potius nimium repleta, à copioſius congeſto ſanguine, diaphragmatis vaſa intelligo, originem traxiſſe cenſui. Et hæc quoque fuit ratio, quare & venæ ſectionem, & menſtrualem, per accommodata medicamenta purgationem excitandam ſuaſi; non ſine ſubſequente egregio levamine.

Dignum præterea, quod obſervetur, in hoc caſu eſt phænomenon, quod per ſomnum vehementioris hujus inſultus facta fuerit acceſſio, & confeſtim per vigiliam ceſſaverit, cum alias ſingultuoſæ & convulſivæ hæ paſſiones in ſomno & quiete conquieſcere, per motum vero & vigiliam exacerbari conſueſcunt. Sed cum in convulſionibus aſthmaticis idem ſæpius evenire videamus, non ſine ratione colligimus, humorum & ſanguinis ſtagnationem, quam ſomnus procurat, pro vera horum malorum cauſa habendam eſſe.

## Observatio II.

*Singultus, ex cohibita per opium diarrhœa.* Vir quinquagenarius, temperamenti cholerici, à multis annis arthritidi obnoxius, vino fartus aliquando autumnali tempeſtate peregrinationem inſtituit; atque domum reverſus, præviis totius corporis horrore, ac laſſitudine, adpetituſque proſtratione, incidit in diarrhœam. Quæ cum multis imi ventris torminibus ſtipata eſſet; accitus medicus præſcripſit pulverem, qui corallia rubra præparata, cornu cervi uſtum, & laudani opiati granum unum habebat. Remiſerunt equidem inteſtinorum dolores; at preſſo pede ſequebatur ſingultus moleſtiſſimus, & cum virium inſigni jactura, perpetuiſque vigiliis, per tres inhærebat dies; adeo, ut mox per dimidiam, mox totam horam, miſerrime diſcruciaret ægrum, ſumto vero infuſo tepidiori per unum alterumque horæ quadrantem ſemper conquieſceret. Spernebat quoque cuncta, utut præſtantiſſima remedia: tandem vero, dato, quod ex hordeo & cornu cervi compoſitum erat decocto, clyſterem ex decocto raparum & oleo amygdalarum dulcium ano infundi; & præcordia cum abdomine, linimento ſpirituoſo, ex aqua Anhaltina, theriaca, caſtoreo, croco, camphora, oleo nuciſtæ, balſamoque Peruviano confecto inungi, atque ligaturis conſtringi juſſi; eo effectu, ut intra quinque dies æger convaleſceret.

*Epicriſis.*

1) Diſcimus ex hoc caſu, diarrhœas non ſolum à colluvie acri, pituitoſa, bilioſaque, tunicas inteſtinorum vellicante ſuboriri poſſe: verum eaſdem non raro cohibitæ tranſpirationi deberi: ubi converſus humorum, maxime ſeroſorum motus, ad inteſtina potiſſimum vergit; id quod in noſtro caſu horripilationes totius corporis præcedentes ſufficienter evincunt.

2) Male igitur egit medicus, quod hanc criticam veluti, & ſalutarem evacuationem dato protinus opiato remedio conſopiverit. Inde enim vix aliter fieri potuit, quin materia acris ac vitioſa per metaſtaſin ad alias nervoſas partes, maxime ſepti transverſi transferatur, ibidemque ſingultientes motus excitet; qui pertinaces, haud exiguum periculum, æqualem ſanguinis circulum per partes male affectas impediendo, poſt ſe trahunt.

3) Itaque non aliæ ſunt indicationes, quam ut primum alvus ad priſtinas ſeceſſiones invitetur; deinceps liberior perſpiratio reſtituatur, & denique motus convulſivi diaphragmatis compeſcantur. Priori ſcopo ſatisfecimus clyſteribus, qui pure demulcentes & oleoſi, minime vero ſalini eſſe debent, ne villos inteſtinorum nimis vellicent: alterum explevimus per decoctum tepidius, quo hauſto æger ſudavit egregie; & tertium obtinuimus illito præcordiis unguento nervino, & adplicatis ſubinde ligaturis; quas in hiſce caſibus veteres quoque inſigniter collaudarunt.

## Observatio III.

*Singultus lethalis febri ardenti ſuperveniens.* Vir annorum quinquaginta, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, obeſus, per longum tempus inſigni mœrore confectus, & per anni fere dimidium, nocturno inprimis tempore, magnam extremorum refrigerationem paſſus eſt. In hoc rerum ſtatu aliquando ſine cauſſa manifeſta, inſolita virium proſtratione, languore, ciborumque faſtidio prehendebatur: & quum inſuper conatu vomendi detineretur, dedit ipſi medicus lene emeticum. Quo ſumto ſepties vomuit; & protinus tanta corporis debilitate, perpetuis vigiliis ſtipata, prehendebatur, ut lectum petere cogeretur, & quando erigere ſe volebat, animi deliquium incideret. Nullo de calore conquerebatur; attamen magnum ardorem circa ſuperius ventriculi orificium perſentiſcebat, extrema frigebant, & ſitis erat inexplebilis, & hæc ad ſeptimum uſque diem, veram febrem ardentem notantia, perdurabant: quo ſingultus vehementiſſimus accedebat, & per nycthemeron, paucis intervallis interruptus, inhærebat.

Tan-

Tandem præter omnem opinionem totius corporis convulſivi accedebant motus; hisque vix horæ quadrantem explentibus, fruſtra datis bezoardicis, confortantibus, & antiſpaſmodicis, ex hac vita diſcedebat. Diſſecto cadavere, totum hepar, cum quadam ſepti tranſverſi, ac ventriculi parte, nigro colore tinctum, corruptum, & ſphacelosum adparebat: in venis & arteriis parum cruoris reperiebatur, lien vero ſanguine craſſo turgebat, & cor penitus erat corruptum.

*Epicriſis.*

1) Singultum in hoc caſu ab inflammatione hepatis, ſtomachi & diaphragmatis ſubortum fuiſſe, extra omne poſitum eſt dubium. Teſtatur enim hoc dictarum partium ſideratio poſt mortem reperta; quæ ſemper præcurrentem habet inflammationem. Neque enim febris ardens aliam agnovit cauſſam, quam partium internarum inflammationem; cujus ſymptomata fuerunt ſitis inexſtinguibilis, & inſignis interiorum ardor, extremis frigeſcentibus.

2) Docemur ex hac obſervatione, neutiquam ſecurum eſſe debere medicum; quando ægri abſque cauſſa evidenti de virium proſtratione, adpetitus jactura, agrypnia, pulſuque debili conqueruntur: hæc enim ſymptomata plerumque notabilem viſceris alicujus corruptionem, & vehementem indicant malignitatem. Quæ cum in noſtro ægrotante præſto fuiſſe videatur; non dubium eſt, quin datum emeticum, ad excitandam prorſus inflammationem, & ſequentem febrim ardentem permultum contribuerit.

## Observatio IV.

*Singultus chronicus.*

Vir quinque & ſexaginta annorum, temperamenti phlegmatico-melancholici, obeſioris habitus, nocturno tempore corpus ſæpius frigori exponens, cibis crudis, fumo induratis, potuque cereviſiæ frigido uti ſolitus, ſomno longius, motui corporis vero parum indulgens, ante aliquot annos ſingultu per quatuordecim dies durante, atque per acidulas Egranas remoto laboravit. Abhinc de continuo in regione lienis gravativo dolore conqueſtus, tres ante menſes iterum incidit ſingultum, primum continuum, ac cum vomitu, alvique fluxu ſtipatum, dein intermittentem, & poſt uſum clyſterum, fontis Egrani calide hauſti, anodynorum, maximeque laudani opiati, & maſſæ pilularum de cynogloſſa, nec non venæ ſectionis, intra duodecim dies conſopitum. Elapſo octiduo rurſus recruduit, itidem cum aliquali diarrhœa, & vomitu junctus; & adhibitis antiſpaſmodicis mox conquievit: remanente quadam inquietudine. Verum non ita multo poſt rediit; accedentibus præcordiorum anxietate, dolore iſchiadico, pulſu mox debili, mox forti, & inæquali, urina ſedimentum mucoſum, ex albo & rubro mixtum deponente, ſuffocationibus cardialgicis, atque tuſſi aliquali. Ordinarunt medici acidulas Egranas, cum ſale Sedlicenſi acuatas; elixiria ſtomachica, incidentia, reſolventia, diluentia, pilulaſque Becheri: nihilo tamen minus malum eo uſque contumaciter inhæret; & inde meum quoque conſilium deſideratum eſt. Ego hoc malum ex ingenti ventriculi & inteſtinorum atonia, & depravata alimentorum digeſtione, indeque flatuum prodeunte copia originem traxiſſe arbitratus ſum; & hinc conjeci, non adeo feliciter anodyna & opiata ad delendum ſingultum fuiſſe adminiſtrata; cum potius hæc remedia atoniam augendo, malum exaſperent; neque etiam adeo opportunum de acidulis bibendis fuit conſilium. Ordinavi itaque uſum liquoris mei balſamici, vitæ dicti, cujus unam cum tribus liquoris anodyni partibus miſcui, & exterius eodem abdomen inungendum curavi; quo ægrum inſigniter levatum audivi.

*Epicriſis.*

In ſenioribus, & qui ſexaginta jam annos tranſgreſſi ſunt, eædem cauſſæ, quæ alias in ætate juvenili vel virili formaliter ſic dictum hypochondriacum morbum pariunt, qui ſpaſmorum & diſtenſionum vehementia hypochondria, & in iis ſitas partes infeſtat, cum alvo ſtrictiori, vim & robur ventriculi & inteſtinorum magis deſtruendo agunt, & harum partium atoniam efficiendo, ob congeſtionem vitioſorum humorum; flatibus, borborygmis, ructibus, alvi nimia laxitate moleſtias creant. Et ob has etiam cauſſas ſingultus ſenili ætati familiaris eſt. Nam uti omnes convulſiones, ita etiam ſingultus vel ex nimia ſpaſtica ſtrictura, quam *Hippocrates* inanitionem vocat, vel ex nimia atonia ſive humorum præternaturali congeſtione & infarctu, quæ repletionis nomine venit, oritur; ex quo intelligitur, perperam convulſionum ſpecies, ſi in ſenes incidunt, narcoticis, & opiatis tractari.

## Observatio V.

*Singultus poſt ſuppreſſam tertianam.*

Generoſus vir triginta & aliquot annorum, macilentioris corporis & ſenſibilioris animi, patre natus podagrico & hæmorrhoidario, ante ſex jam annos doloribus podagricis ſubinde vexatus, ſuperiori æſtate ex iracundiæ affectu & refrigeratione incidit in tertianam cum vomitu & inſigni æſtu junctam; poſt quartam acceſſionem transmiſſo pulvere, qui ex cortice fraxini & chinæ concinnatus videbatur, paulo largius per vices tamen ſumto, febris ex toto fuit ſublata. Sex elapſis diebus admiſſo ſub venatione, cui nimium indulget, frigore; conſueto die & hora acceſſionem febrilem rurſus habuit, ſed ſine ſiti, ſine vomitu, ſine ſingulari æſtu, ſed horripilatione præcedente, de anxietate & dolore gravativo & conſtrictorio præcordiorum, nauſea, cum extremorum frigore & magna inquietudine conquerebatur. Intercurrebant crebri & moleſtiſſimi ſingultus; alvus per aliquot dies nihil reddebat. Poſt quartum inſultum à me petiit conſilium, proſtrato valde animo. Ego horum malorum cauſam, ſentinam vitioſorum humorum in duodeno ſtabulantem judicans, maxime quia nec ante, nec poſt ſumtum pulverem antifebrilem & ceſſantem febrem purgatus fuit, clyſteribus & infuſo mannato rhabarbarino, extrinſecus cataplaſmate emolliente & carminativo, præcordiis applicato & ſpaſmos ſedare, & alvum aperire neceſſarium duxi, non omiſſis balſamicis & ſtomachicis. Qua methodo feliciter cura expedita fuit.

*Epicriſis.*

Notabile in hoc caſu illud fuit phænomenon, quod loco formalis febris tertianæ, ſpaſmi tantummodo ſine ſubſequente æſtu circa præcordia, ſin-

ſingultu admodum moleſto ſtipati orti fuerunt; à materia febrili pulvere ejuſmodi terreo adſtringente, quaſi fixata & firmiter duodeni & ventriculi tunicis impacta. Erratum in eo maximopere fuit, quod ſilente febre poſt ſumtum pulverem, per epicraſin purgatio, quæ tum ſumme eſt neceſſaria, fuerit omiſſa. Nam ſpaſmis febrilibus per ejuſmodi artificia ſublatis, ſi non accommodata evacuantia, ad fomitem febris, qui tantummodo cicuratus fuit, foras ejiciendum offerantur, neceſſe eſt, ut ſi non redeat ipſa febris, aliæ perquam moleſtæ afflictiones inde ſequantur. Quam obſervationem juniores practici commendatam ſibi habere debent.

### Observatio VI.

*Singultus in hemitritæo lethalis.*

Vir quadraginta annorum melancholico-cholericæ complexionis, ad animi motus inordinatos valde proclivis, poſt vehementiorem iracundiam, frigidum aſſumſit hauſtum, & extrinſecus quoque corpus nimium refrigeravit. Incidebat in tertianam continuam, quæ demum in hemitritæam deſinebat; accedebat ſeptimo die ſingultus, ſed lenioris gradus. Vires valde erant proſtratæ, adeo, ut etiam animi quædam defectio ſubreperet, præſertim ſi in erecta erat ſtatura. Pulſus erat debilis & frequens, omnibus remediis & à me & ab alio medico, quem antea conſulebat, fruſtra adhibitis, die decimo quarto obiit.

*Epicriſis.*

Singultum febribus bilioſis tam acutis, quam intermittentibus non raro ſupervenire, haud novum in arte noſtra eſt obſervatum: Sed hoc forſan non omnibus æque notum, ejuſmodi ſingultuoſas affectiones leniter & non ſine magna concuſſione corporis ſuccedentes admodum periculoſas eſſe. Sphaceli enim circa ſtomachum & diaphragma præſentiam jam ſubindicant, qui etiam poſt ſectionem in oculos incurrit. Ita etiam multoties obſervavi, ſenibus ex paſſione cardialgica, vel colica, aut maraſmo, decumbentibus, ſingultum demum accedentem certum mortis eſſe prænuntium.

---

## CAPUT V.

### *De Morbis œſophagi & pharyngis ſpaſmodicis.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

RArior equidem in libris medicorum mentio, de affectu, quem ſpaſmum œſophagi dicimus, injicitur; at ille admodum frequens eſt, & non modo graviorum ægritudinum ſymptoma, verum etiam principalem, & ut vocant idiopathicum conſtituit morbum, ut ipſi merito peculiaris debeatur animadverſio. Definimus vero illum, quod ſit invita ac præternaturalis, vel ipſius cibalis fiſtulæ, quam Græci οἰσοφάγον, nos gulam adpellamus, vel illius principii, pharyngis nomine denotati, vel denique utriuſque, & hinc totius œſophagi, late ſumti, conſtrictio, aut rigida diſtentio à muco irritante plerumque proficiſcens.

*Definitio ſpaſmorum œſophagi.*

§. II.

*Differentia ſpaſmorum œſophagi.*

Hinc mox adparet horum ſpaſmorum differentia. Quemadmodum enim totus œſophagus ab anatomicis in principium, ſeu pharyngem, & reliquum canalem diſpeſcitur: ita conſulta experientia deprehendimus, illius ſpaſmum ratione loci diverſum eſſe, & mox pharyngem ſolum, mox reliquam ac inferiorem gulam obſidere. Quibus tertia ſpecies accedit, qua totus ille canalis, una cum principio, ac reliquis vicinis partibus, gravi laborat diſtentione.

§. III.

*Signa ſpaſmorum œſophagi communia.*

Omnes œſophagi ſpaſmi, quacunque in regione contingant, hæc & inter ſe, & cum reliquis partium ſuperiorum diſtentionibus, communia habent ſigna. Præſto ſunt extremorum, maxime pedum refrigerationes; externorum artuum tremores, ac rigores; alvinæ excretionis ſuppreſſiones; flatuum ad ſuperiora regurgitationes; imi ventris ſtricturæ, dolores, murmura; præcordiorum anguſtiæ, vomendi conatus, cardialgiæ, urinæ tenues, aquoſæ, pallidæ, pulſus duri ac magni &c.

§. IV.

*Signa propria ſpaſmis pharyngis.*

Speciatim vero pharyngis ſolius ſpaſmi hiſce ſe produnt notis. Deglutitio fit difficilis, dolore ſtipata, aut plane nulla, & nec ſolida, nec fluida tranſmittens: partium pharyngi cohærentium, linguæ, laryngis, atque totius colli rigida conſtrictio, impeditus motus, ac dolor urgent; vexat ſuffocativa moleſtia, ac ſenſatio pali faucibus infixi, ac ſi quicquam inde vellet proſerpere. Vox perit & hæc omnia ſæpenumero per intervalla adfligunt, nec raro in univerſi generis nervoſi convulſiones terminantur.

§. V.

*Spaſmorum gulæ inferioris ſigna propria.*

Spaſmorum gulæ inferioris ſigna propria hæc ſunt: Alimentorum libere deglutitorum, quædam veluti ſubſiſtentia percipitur in ipſo gulæ tubo, maxime circa ſuperius ventriculi orificium; præſertim potibus frigidis obex quaſi in iiſdem regionibus videtur poſitus, majorque inſequi obſervatur eorum hauſtum conſtrictio; calidi vero potus ſæpenumero abſque ullo impedimento canalem illum pervadere, & ventriculum ingredi percipiuntur. Dolor ſentitur in ſpina dorſi inter ſcapulas; jungitur non raro anxius vomendi conatus, mox inanis, mox cum ipſo vomitu ſtipatus; nec infrequens eſt nauſea, ac ructuum moleſta exploſio; & denique ſæpiſſime muci limpidi per os contingit rejectio, ab ipſa vomitione penitus diſtinguenda. Quæ ſymptomata, ſi cum iis, quæ priori periodo recenſuimus, concurrant, totum œſophagi canalem ſpaſmo contractum eſſe teſtantur.

§. VI.

*Differentia ſpaſmi pharyngis ab ejus atonia.*

Quum vero hi affectus, cum aliis œſophagi morbis, ob ſimilitudinem ſymptomatum facile confundi poſſint; explicanda erit illorum differentia. Primum quidem, ſpaſmi pharyngis ab ejus atonia & paralyſi ſunt diſtinguendi. Namque in dicta atonia, deglutiendi perpetua vexat difficultas, ita tamen, ut ſolida liberius deglutiantur, quam fluida: conf. FORESTUS *Lib. XV. obſerv. XXX. Schol.* hæc enim ſæpius in aſperam delabuntur arteriam, & per os ac nares, ſummo cum ſuffocationis metu, regurgitant. In per-

perfecta paralyſi, qualem TULPIUS *Lib. I. cap.* 41. allegat, omnis deglutitio aboletur, ut ægri fame perire debeant; ſimulque faciei pallor, & partium vicinarum magna mollities, ac flacciditas præſto ſunt. Contra vero ſub ſpaſmo pharyngis, æqualis & fluida & ſolida degluttiendi eſt difficultas, quæ per intervalla remittit; vaſorum faciei conſpicitur intumeſcentia, vultus rubor, partiumque affectarum rigor, ſæpius dolor ſentitur.

## §. VII.

*2] à faucium inflammatione.*

Facilius pharyngis ſpaſmus diſcernitur ab ejus & faucium inflammatione ſub angina; ubi fauces internæ tument, rubent, ardore peracuto uruntur, ſitis eſt inſignior, & gravis plerumque jungitur febris. Non minus medico imponere valet tumor, excreſcentia, aut fruſtum quoddam pharyngi inhærens, aut laryngis præternaturale vitium, ut prognatum inde deglutitionis impedimentum ſpaſmo tribuat: videas FORESTUM *Lib. XV. obſerv.* 28. Hoc in caſu candela cerea faucibus intruſa, aut inſtrumentum ab HILDANO *Cent. I. obſerv.* 36. depictum, haud raro rem manifeſtabit: & præterea in ſpaſmo pharyngis cuncta ſigna, collectim ſumta certitudinem parient.

*3) à fruſto aut tumore pharyngi inhærente.*

## §. VIII.

*Differentia ſpaſmi gulæ inferioris, ab aliis ejuſdem affectionibus.*

Præterea ſpaſmi etiam gulæ inferioris conveniunt cum aliis ejuſdem affectionibus, & ſubſiſtentiam ciborum, cum his commune habent ſymptoma. Tales ſunt obſtructio gulæ à fruſto cibi ſolidioris ipſi impacto: Vid. *Conſult. med. Sect. II. caſ.* 63. *&* FORESTUS *Lib. XV. obſerv.* 28. dein tumores, excreſcentiæ, fungi, verrucæ in canale œſophagi ſuborientes; conf. A. N. C. *dec. I. anno* 4. *obſerv.* 47. *decur.* 2. *ann.* 8. *obſerv.* 96. non minus glandulæ dorſales circa quintam dorſi vertebram œſophago adnatæ, in præternaturalem dolorem elevatæ; quemadmodum VERHAYEN *anatom. cap. X. de œſophago, &* HEISTERUS *compend. anatom. pag.* 184. adnotarunt. Hiſce in caſibus ſubſiſtunt equidem ſolidiores cibi, & revomuntur; potulenta vero & calida & frigida plus minus libero gaudent tranſitu. Verum, ſi ſubſit ſpaſmodica conſtrictio, notabile eſt, quod liberior ſit fluidorum calidorum deſcenſus, frigidorum difficilior; dolor eſt in ſcapulis; & alia concurrunt ſigna, ab obturatione œſophagi per quamcunque rem præternaturalem facta, utique aliena.

## §. IX.

*Structura pharyngis.*

Quo vero cauſſæ & ratio mechanica horum ſymptomatum adpareant: non alienum erit, fabricam œſophagi paucis perſtringere. Ab ultimis nimirum faucibus incipiens canalis, quem œſophagum adpellant, latius & amplius in ſuo principio ſortitur cavum, quod græcis pharynx, latinis infundibulum audit, & antrorſum linguæ radici, oſſi hyoidi, laryngique, retrorſum colli vertebris arctiſſime connectitur. Movetur variis muſculis & dilatatoribus, qui elevant, dilatantque pharyngem, & conſtrictoribus, qui eundem claudunt. Horum unum revera par exiſtit, quod tribus originibus ab oſſe hyoide, cartilagine cricoide, & thyroide exortum, pharyngem circum circa amplectitur, & œſophagei, vel ſphincteris gulæ nomine venit. Illorum tria potiſſimum ſunt paria, primum cephalo-pharyngæum, quod ab infima occipitis parte, & prima colli vertebra ortum, recta via in tunicas laryngis expanditur; alterum ſphæno-pharyngæum, quod a proceſſibus oſſis ſphænoidei alaribus in latera pharyngis abit; & tertium ſtylo-pharyngæum, quod ab apophyſi oſſium temporalium ſtyliformi, lateribus pharyngis inſeritur.

## §. X.

*Fabrica gulæ inferioris.*

Finito pharynge, incipit canalis, inter aſperam arteriam, & colli dorſique vertebras primum recto, circa quintam dorſi vertebram dextrorſum, & circa nonam lævorſum flexo itinere; atque per medium thoracem, & muſculoſam ſepti tranſverſi partem progreſſus, è regione undecimæ thoracis vertebræ, cum orificio ventriculi ſuperiori unitur. Ipſe tubus ex quatuor conſtruitur tunicis: extima membranacea, tenuis, vaſculoſa, atque celluloſa pleuræ ſuos debet natales, gulamque vicinis partibus adnectit. Altera carnea ſive muſculoſa, fibris orbicularibus vel annularibus, hiſque ſuper longitudinalibus prædita: tertia nervea, ori, faucibuſque communis, ac intra ipſum ventriculum, ad trium digitorum ſpatium extenſa, glandulis ſpiſſe obſita, ad quas averſa parte vaſa quædam tendunt, ex quibus accipiunt liquorem, ſaliva pinguiorem, in gulæ cavum ſtillantem. Quarta denique ac intima, lubrica mucagine obducta, villoſa, ac multis emiſſariis undique cribri inſtar perforata eſt. Præterea cibalis hæc fiſtula innumeras ſortitur glandulas, partim illas, quæ bombycum ovis longe minores, nerveam tunicam obſident; facile conſpiciendæ, ſi nervea tunica divulſa, carnea luci opponatur, vel gula in aqua maceretur; partim alias extra tubum poſitas; è quibus notari merentur dorſales, circa quintam dorſi vertebram gulæ adhærentes, & thyroidea, inter cartilagines thyro-cricoideam, atque œſophagum ſita. Conf. VERCELLONII *diſſert. de glandulis conglomeratis œſophagi.* Neque vaſis deſtitutus eſt hic canalis: arterioſa enim ſuperius ab internis carotidibus, media parte ab aorta & intercoſtalibus, inferius à gaſtricis accipit; venas ſuperiori parte a jugularibus, media a ramo ſine pari, & inferna a coronariis ventriculi mutuatur; nervoſa denique a pari vago adipiſcitur.

## §. XI.

*Functio pharyngis.*

Pharyngis functio eſt deglutitio: cujus hæc eſt mechanica. Dum dorſum linguæ ope muſculorum myloglosſorum, ſtylo-gloſſorum, & ſtylo-hyoideorum ad palatum adplicatur; radix linguæ, os hyoides, ac larynx muſculis huic actioni ſervientibus antrorſum premuntur; pharynx vero poſterius a conſtrictis cephalo-pharyngæis elevatur, anterius a ſtylo, & ſphæno-pharyngæis dilatatur. His harum partium actionibus, ante membranas, colli vertebras & pharyngem cingentes, ſub velo palatino, uvula, tonſillisque, & ſupra laryngem, atque pharyngem, amplius redditur ſpatium, majuſque cavum: tum vero deglutienda, dorſo linguæ impoſita, inter eam, & palati fornicem premuntur; & ſic preſſa, ſupra laryngis rimam, operculo cartilagineo ſeu epiglottide clauſam, veluti per ſubjectum pontem, in cavum illud faucium propelluntur. Tunc actio antagoniſtarum excipit: namque hactenus elevata, antrorſumque compreſſa lingua, larynx, os hyoides priſtinæ reſt-

reſtituuntur figuræ: laryngis maxime cartilagines explicatæ ad pharyngem premunt, hacque actione deglutienda, in cavo hærentia ulterius pellunt: quæ laxatis ſimul pharyngis dilatatoribus, conſtrictoque œſophago magis protruduntur, & ſic conſtricto rurſus pharynge, ſub hoc in cavo gulæ hærent.

## §. XII.

*Functio gulæ inferioris.*

Tum excipit actio fiſtulæ cibalis; qua hæc per motum periſtalticum, vi tunicæ muſculoſæ ipſi proprium, & à parte ſuperiori deorſum naturaliter tendentem, aſſumta jam deglutita, & ſub pharyngis ſphinctere hærentia, ad ipſum perducit ventriculum. Namque dum hæc tunica & dilatatione & conſtrictione alternante, illa vi fibrarum longitudinalium, hac annularium peracta, œſophagum mox coarctat, mox dilatat; accedente hujus in hominibus perpendiculari ſitu, quæcunque adſumta ſenſim deorſum premuntur. Deſcenſus hic facilior redditur, rore glandularum, aſſidue in gulam ſtillante, eamque lubricante; nec non ciborum reſolutionem adjuvante. Protruſis ergo hac ratione ad cavum ventriculi alimentis, caro muſculi inferioris diaphragmatis, gulam ibi tranſeuntem ſtringens, hac parte ſtomachum claudit.

## §. XIII.

*Ratio formalis ſpaſmi pharyngis, ejuſque ſymptomatum.*

His præmiſſis facillimum jam erit naturam ac formalem rationem ſpaſmorum œſophagi introſpicere. Si pharyngem primum conſideremus; mox patet ex ante dicta deglutitionis fabrica, quod ejus muſculis conſtrictis, ea fieri vix poſſit; quoniam læſo organo, ipſe actus læditur. Dum porro muſculi dilatatores, qui poſteriorem potiſſimum infundibuli regionem occupant, præternaturaliter convelluntur, & antrorſum magis in conglobatam figuram trahuntur: reſultat ſenſus infixi faucibus pali. Quando vero muſculus œſophageus, una cum cohærentibus laryngis, linguæ & oſſis hyoidei muſculis conſtringitur; loquendi fit difficultas, & ſuffocatoria moleſtia. Quum vero omnium ſpaſmorum indoles ſit, ut mox gravius, mox mitius infeſtent; patet etiam, cur ſpaſmi pharyngis per intervalla exacerbentur.

## §. XIV.

*Spaſmi gulæ inferioris ejuſque ſymptomatum ratio.*

Pari modo, quum ſpaſmum gulæ inferioris, in tunicæ, quæ ipſam ambit, muſculoſæ, ejuſque fibrarum orbicularium æque ac longitudinalium ſtrictura violenta ponimus; inde omnium, quæ ipſam comitantur, ſymptomatum rationem reddere poterimus. Dum enim in loco quodam vel pharyngi, vel ventriculo propiori, conſtrictio obtinet; omnino deglutita alimenta ſubſiſtunt in eo canale; eundemque aggravando, inverſo motu periſtaltico revomuntur. Si frigidus aſſumitur potus, more frigori ſolemni, ſpaſmum exacerbat; & æque ut ſolida, in ulteriori deſcenſu præpeditur: contra vero tepidiora potulenta, demulcendo fibras ſpaſmo ſtrictas, libero in ventriculum gaudent itinere. Porro œſophagus variis ligamentis, colli dorſique vertebris connectitur; hinc illo conſtricto, dolor ad membranas dorſi vertebras cingentes propagetur, neceſſe eſt. Inde liquet ratio doloris, qui inter ſcapulas in noſtro affectu ſentitur; de quo FORESTUS *Lib. XV. obſerv. XXXI. Schol.* dicit: *Omnis œſophagi dolor in ſpinam dorſi incumbit, in quam gula quoque reclinat & adhæreſcit.*

## §. XV.

*Differentia ſpaſmorum œſophagi in idiopathicum, & ſymptomaticum.*

Quæcunque cauſſæ vel pharyngis muſculos, vel tunicam œſophagi carneam vellicare ac ſtimulare valent; illæ horum ſpaſmorum mediatæ dicuntur. Quemadmodum vero illæ cauſſæ, vel immediate in eas, quæ ſedem morbi conſtituunt, partes; vel in alias remotiores agunt, à quibus illæ per conſenſum afficiuntur: ita ſpaſmi illi ſunt vel idiopathici, vel ſymptomatici. Quod ſi igitur ex larynge primario convulſo, ex ventriculo, ex inteſtinis, aliiſque partibus, ſpaſmus ad pharyngem, adque gulæ canalem defertur: audit ille ſymptomaticus.

## §. XVI.

*Cauſſæ ſpaſmorum œſophagi ſunt 1] animi affectus.*

Ex cauſſis itaque, ſpaſmos œſophagi idiopathicos inducentibus, præcipuum locum ſibi vendicant animi pathemata; inque primis gravis excandeſcentia, maxime ſi paullo poſt largior potus frigidus adſumatur. Inde convelli pharyngem, & hinc lædi deglutitionem; obſervatione quadam inferius comprobabimus. Ex eadem vero, præſertim inter paſtum, gulam quoque inferiorem conſtringi, atque deglutitum bolum in ea obhæreſcere, nec non vomitu ſæpius reddi; quotidiana innoteſcit experientia, ut hinc querelas audias: *Es iſt mir vor Aergernis der Biſſen in Halſe ſtecken blieben.*

## §. XVII.

*2] Specialim faſtidium.*

Peculiarem in ciendis gulæ, maxime inferioris diſtentionibus potentiam obtinet faſtidium; adeo, ut hoc abſque dicto œſophagi ſpaſmo contingere neutiquam poſſit. Quod ſi enim hujus effectus, attentiori animo conſideremus; docebit obſervatio, ſub ea 1) menti ideam rei alicujus ingratæ ſuboriri, 2) ejuſque averſationem; 3) hanc inſequi vel deglutitionis impedimentum, ut dicant: *Sie möchten kauen, vvie ſie vvolten, ſie könten es nicht hinterbringen.* 4) Vel aſſumtorum in œſophago ſubſiſtentiam, & ſtricturæ ſenſationem, quam exprimunt: *Es ſtehe ihnen auf der Bruſt, und drücke ſie.* 5.) Deinde jungi nauſeam, quam ſignificant: *Es vvird mir ſo übel, ſo vveichlich, und bange ums Hertz.* 6) Haud raro accedere vomitum, & 7) ipſam animi defectionem. Si ergo faſtidium definirem; dicerem, quod ſit adverſa rei cujusdam ingratæ idea, cum ſpaſmo œſophagi, & ventriculi conjuncta.

## §. XVIII.

*3] Imaginatio fortior.*

Ad pertinaces œſophagi ſpaſmos, cum inſigni averſatione ſtipatos, ſola ſæpius imaginatio diſponere ſolet. Notabilis hinc eſt obſervatio, quæ in A. N. C. *centur. VII. obſerv.* 61. *pag.* 125. legitur, quod mulier quædam per omnia ſana, atque robuſta, nec hyſtericis, nec ſpaſmodicis adflictionibus obnoxia, omnis quidem generis & eſculenta, & potulenta, abſque ulla difficultate aſſumere valuerit; ſimulac vero hoſtiam capere vellet, non ſolum ab ea inſigniter abhorruerit, verum etiam, licet ſumma vi intruſa ac deglutita fuerit, eandem tamen in ventriculum non pertingentem, ſed in gula perſiſtentem vomitu reddiderit. Nec diſſimilis caſus exſtat in iiſdem A. N. C. *dec. III. anno I. obſerv.* 79. de viro, qui ex nimio tabaci uſu, deglutitionis ac deſcenſus ciborum illud incurrit impedimentum, quod

pro

pro ratione imaginationis mox fuit levius, mox gravius.

§. XIX.

*4] Aſſumta acria.*

Eundem affectum progenerare valent medicamina, ac aſſumta acria, planeque venenoſa; quæ vellicando eas nervoſas ac muſculoſas partes, earundem ſtricturas inducunt. Sic HOECHSTEDERUS mentionem facit adſtrictionis gulæ ex potu vini Malvatici, in quo radix conſolidæ majoris infuſa fuit *obſ. dec. III.* Eo magis hoc contingit, ſi aſſumta cauſtica fuerint, ut adeo non mirum ſit, quod juxta FORESTUM *Lib. XV. obſerv.* 30. puer quidam ex aquæ fortis hauſtu, inſignem pharyngis occluſionem, cum ipſo ſuffocationis metu inciderit. Præſertim mercurius ſublimatus ejus eſt indolis, ut gravi faucium conſtrictione, ſui aſſumtionem prodat; vid. FORESTUS *loc. cit. pag.* 150. Vellicando quoque gulæ inferioris ſpaſmum excitant inſecta deglutita: id quod adfirmant, de ſanguiſugis cum potu aſſumtis RHASES *Lib. 9. ad Almanz. cap.* 56. & RHODIUS *obſerv. cent.* 2. *obſerv.* 72. de lacertis fauces irrepentibus GESNERUS *Lib. 2. de hiſtor. anim. C. de lacerta.* de pediculis devoratis HEURNIUS *de morb. cap.* 7. de anguilla viva deglutita PLATERUS *Lib.* 2. *obſ. &c.*

§. XX.

*5] Humorum vitalium vitium.*

Præterea ſpaſmus & pharyngis, & gulæ inferioris produci poteſt, à cruore vitali in iis partibus ſtagnante, vaſaque diſtendente; quarum diſtentionum, fidiſſimus comes eſt ſpaſmus. Tali ratione huic morbo obnoxii non raro ſunt hypochondriaci; in quibus vi ſpaſmorum ac flatulentiarum inteſtinalium, cruor vitalis ad ſuperiora compellitur, facileque ſtagnat in œſophago. Cumprimis ex univerſali humorum, maxime ſeroſorum dyſcraſia id vitii contingere poteſt; ſi nimirum liquor ille lymphaticus, quem tot glandulæ in gulam ſecernunt, fuerit viſcidus, & acris: quo in caſu multum muci viſcidi exſcreatur, cum mali levamine. Quorſum pertinere videtur exemplum à WEPFERO *obſerv. medic. pract obſerv.* 117. *pag.* 531. recenſitum, quod viro cuidam ſeptuagenario, aſſumta in media quaſi perſtiterint gula, & eo usque adfixerint, donec vomitu fuerint reddita.

§. XXI.

*Spaſmus œſophagi ex vitio primarum viarum.*

Vi conſenſus, quem gula cum ventriculo, & inteſtinis fovet, ex horum vitio, gulæ ſpaſmus suboriri poteſt. Sic ex ſaburra acri, acida, bilioſa ventriculi & inteſtinorum, id mali facile generatur; uti de lacte in ventriculo concreto teſtatur FORESTUS *Lib. XVIII. obſerv.* 13. Vermes in ventriculo, vel inteſtinis hoſpitantes, ad eundem affectum contribuere, auctores ſunt HERCULES SAXONIA *prælect. pract. Part. II. cap.* 7. §. 4. & HENRICUS AE HEER *obſ.* 16. & THONERUS *Lib.* 2. *obſ. pag.* 94. In ipſa ructuum exploſione, atque vomitu concurrit ſpaſmus œſophagi: niſi enim hic ſua actione, & periſtalſi inverſa, ejectionem humorum è ventriculo ſecundaret; fieri nulla ratione poſſet, ut tanta cum celeritate & impetu per ſuperiora ingens ſæpe humorum copia ex ventriculo, imo inteſtinis exturbaretur.

§. XXII.

*Spaſmus œſophagi*

Per conſenſum quoque variis nervoſi generis ſpaſmodicis ac convulſivis affectibus jungi obſervatur ſpaſmus œſophagi. In ſuffocatione hyſterica ſemper ſumma colli ac faucium coarctatio, & conſtrictionis quidam ſenſus non ſecus, ac ſi laqueo injecto fauces præcluderentur, percipi docet experientia. Vid. ETTMULLERUS *Oper. practic. P. II. Sect. III. cap. III. pag.* 963. & HELMONTIUS *tract. de aſthmate & tuſſi* §. 31. *ſymptomaticus.* Gulæ porro conſtrictionem viris colica convulſiva, quam *der Männer rechte* Colique vocant, laborantibus evenire, non rarum eſt; & notari meretur ſingularis caſus, quem de colica gravem cephalalgiam ac maniam cum cæcitate & impedita deglutitione inducente refert HOEFERUS *in Hercule medic. pag.* 185. Non minus ipſæ epilepticæ ac convulſivæ acceſſiones hoc ſecum vehunt ſymptoma, ut vel difficillima, vel nulla plane ſoleat eſſe deglutitio: quemadmodum præſertim in incubo obſervare licet, ubi præter ſtrangulationis ſenſum, linguæ impotentia & deglutitionis impedimentum adſunt. Idem vitium opiſthotono familiare eſt; quemadmodum ex caſibus de his morbis à FORESTO *Lib. X. obſerv.* 112. & 113. recenſitis liquet. Nec denique omittendi ſunt morbi acuti, præſertim febres malignæ; quibus non modo degluriendi difficultas, verum etiam gulæ inferioris conſtrictio jungi ſolet, quam exprimunt: *Es ſtecke ihnen im Halſe, und wolle nicht herunter.*

§. XXIII.

*Nauſeæ natura.*

Paucis adhuc meminiſſe juvat nauſeæ, quæ nihil aliud eſt, quam convulſio œſophagi levior, cum inverſo ejus motu periſtaltico, & hinc pendente vomituritione, quin vomitu, aut ſaltem lymphæ plus minus viſcidæ ex gulæ glandulis rejectione ſæpius ſtipata. Pro cauſſa occaſionali agnoſcit omne id, quod vel ipſum œſophagum, vel tunicam ipſius nerveam, in ventriculum prolongatam ibidem vellicare poteſt; ex quo hæc conſtrictio per conſenſum ad gulam propagatur. Deprehendimus generatim 1) nauſeam plerumque nunciam eſſe inſequentis vomitus, 2) omnem vomendi conatum, ac cardialgiam comitari, 3) abſque iis cum frequenti muci limpidi, qui nihil niſi lymphalis ros ex œſophagi glandulis vi ſpaſmorum expreſſus eſt, rejectione ſæpius occurrere; & non raro vermium in primis viis hoſpitantium præſentiam indicare. 4) Plerumque alias ventriculi cruditates conſequi; quæ cum jejuno ventriculo ſint acriores, tunc potiſſimum nauſeam movent, ſumto cibo deliniendam. 5) Antecedere graviores capitis affectus, vertigines, apoplexias, animi deliquia, maxime ſi per conſenſum ex ventriculi orificio ortum trahunt: ubi quædam veluti aura ex ſtomacho ad caput adſpirare videtur; ut has non raro audias querelas: *Es wird mir auf einmahl ſo übel;* & paullo poſt: *Mir wird ſo grün und gelb vor denen Augen;* tumque attoniti concidunt, ſenſuumque privantur exercitiis. 6) Ex eodem fundamento nauſea ſollicitat, hypochondriacis, aliiſque morbis, quorum fomes in primis officinis exiſtit, laborantes. 7) denique in principio malignarum febrium accedere plerumque ſolet nauſea; quam deſcribunt: *Sie wüſten nicht, wie ihnen ſey, es ware ihnen ſo übel und bange ums Hertz.*

§. XXIV.

*Prognoſis ſpaſmorum œſophagi.*

Quod prognoſin attinet, haud inſuper habendi ſunt ſpaſmi pharyngis idiopathici; quoniam, accedente præſertim mala medicatione, in con-

tumacem degenerant habitum. Qui ab aſſumtis acrioribus proveniunt, periculo non vacant, metumque faciunt inflammationis: & qui hyſtericas ſæpius invadunt, præſagiunt apoplexiam. In vulneribus, ſi ex convulſione accidat læſa deglutitio, malum, teſte ETTMULLERO *Oper. pract. pract. I. pag.* 57. Notabilis quoque eſt HIPPOCRATIS aphoriſmus, dum *aph.* 35. *Sect. IV. Si febre*, inquit, *detento repente collum intorquetur, ut vix deglutire queat, nullo exiſtente tumore, lethale eſt.* Spaſmi gulæ inferioris, ex iracundia inter epulas provocati, viam choleræ, febribuſque bilioſis facile ſternunt; & qui, univerſali humorum dyſcraſia, nervoſique generis debilitate nituntur, chronicum malum conſtituunt, cum inſequente corporis tabe. Nauſea in malignis ſub initio accedens, robur naturæ indicat: in peſte vero maxime pernicioſa exiſtit, teſte FORESTO *Lib. XVIII. obſ.* 14. *Schol.*

### *CURATIO.*

### §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Quum ſpaſmi œſophagi, ſive in pharynge, ſive in media gula obhæreſcant, neglecta temporis opportunitate, non modo in chronicum ſtatum tranſeant, verum etiam denegata alimenta capiendi facultate, facile tabem poſt ſe trahere poſſint: digni omnino ſunt, qui tempeſtive congruis adminiculis oppugnentur. Hæc vero ex binis potiſſimum fontibus deſumuntur; quorum alter remedia ſpasmum ſedantia, alter vero talia, quæ cauſſas eo contribuentes removere poſſint, præbeat.

### §. II.

*Externorum uſus.*

Prior finis obtinetur per antiſpaſmodica, & anodyna, diſcutientibus nupta, tam interna, quam externa. Quo autem gravior eſt conſtrictio, eo conſultius eſt ab externis curam ordiri: quoniam interna ſine maxima difficultate, vix deglutiri poſſunt. Ex iis quædam ſunt, quæ adfluxum humorum ad inferiora derivando, & circulum ſanguinis æqualem reddendo, ſpaſmi vim frangunt: quorſum pertinent clyſteres ac pediluvia. Illi ex emollientibus, additis roborantibus parari, & bis terve iterari, hæc tepidiora, immiſſis paullo profundius pedibus, adhiberi debent. Quæ autem localia ad ipſam affectam partem adplicari poſſunt, ſunt fere linimenta paregorica, ſimulque nervina: quæ parari poſſunt ex aqua Anhaltina, ſpiritu ſalis ammoniaci, eſſentia croci, nuciſtæ, caſtoreo & camphora, balſamum quoque vitæ, idque, vigente morbi impetu, liquore anodyno minerali permixtum eſt quoque egregium. Quod etiam, paucis guttis ſaccharo exceptum, & in ore detentum, aut lente deglutitum operæ faciet pretium: quo etiam ſine theriaca aliquot granis ſub lingua detenta, tumque rurſus reddita, laudem meretur. Nec denique in relaxando ſpaſmo deſtituitur fructu veſica bovina, decocto emolliente calido plena, & affectis locis admota.

### §. III.

*Interna antiſpaſmodica.*

Ex internis antiſpaſmodicis laude digna ſunt, olea amygdalarum dulcium, olivarum, cum ſpermate ceti remixta; pulveres antiſpaſmodici, ex cinnabari, pulvere Marchionis, ſuccino præparato, extracto croci & caſtorei parati; vel qui habent nitrum, & unum alterumque camphoræ granum; nec non liquor meus anodynus vel ſolus, vel cum eſſentia caſtorei, ſpiritu bezoardico Buſſii, aut cornu cervi ſuccinato remixtus, aut ſpiritus nitri dulcis, cum paucis guttulis olei chamæmeli veri, vel macis maritatus. Quibus in ſtatu magis chronico cum fructu alternis circiter diebus interponuntur pilulæ antiſpaſmodicæ, quas ex extractis millefolii, chamomillæ, hyperici, mithridatio, extracto croci, caſtorei, oleoque deſtillato macis vel menthæ parare ſoleo.

### §. IV.

*Curatio mali ab aſſumtis venenatis orti.*

Sopitis paullulum ſpaſmis, cauſſis materialibus obviam iturus, circumſpiciat, quænam earum in culpa ſint. Quod ſi enim aſſumta acria, venena, purgantia ac emetica draſtica malum produxerint: in principio ſtatim eorum vis obtundenda mucilaginoſis, oleoſis, ipſiſque lacticiniis: quare proſunt juſcula valde pinguia, aquæ tepidioris hauſtus ad nauſeam continuatus, ut ſuborto leni vomitu, venenum rurſus expellatur. Interdum acida vim veneni caſtrant; quibus gulæ conſtrictionem, à ſumto vino Malvatico cum conſolida cocto ſubortam curaſſe ſe perhibet HOECHSTETTERUS *loco ſupra citato*: eandemque à potu aquæ fortis natam, mucilagine cotoneorum feliciter ſanavit FORESTUS *loc. cit.*

### §. V.

*Spaſmi gulæ ab ira inter paſtum curatio.*

Quando vehementior excandeſcentia inter ipſum paſtum, gulæ ſpaſmum infert; bilis plerumque effuſio in ventriculum ſimul contingit. Quo in caſu præter motuum ſedationem, bilis contemperanda eſt, ne corroſivam ac virulentam acquirat indolem, tumque blandis emeticis, vel cholagogis exturbanda. Temperant vero bilem abſorbentia, ac mucilaginoſa, ut decoctum avenæ vel hordei: eliminant optime mannata, rhabarbarinis nupta, vel per vomitum, eadem cum uno alteroque tartari emetici grano acuata, aut radix ipecacuanhæ. Sed cavendum, ne mox ab ira ſumatur purgans, aut emeticum.

### §. VI.

*Spaſmi gulæ ab univerſali ſanguinis dyſcraſia nati ſanatio.*

Quod ſi vel totius humorum maſſæ dyſcraſia, vel maxime primarum viarum colluvies acris ac viſcida, diuturniori gulæ ſpaſmo viam ſtraverit: earum impuritatum & correctioni & evacuationi, illi quidem per incidentia, reſolventia, digeſtiva, abſorbentia, huic per mannata, rhabarbarina, pilulaſque balſamicas peragendæ, omnis opera navanda eſt. Quum autem valde pertinax ac rebelle huic curationi ſæpius ſit malum; non præſtantius aquis medicatis erit medicamen: quas inter Sedlicenſes aquæ per quatuor circiter dies potæ, & his ſubjunctæ Egranæ maximam merentur laudem. Non minus in hypochondriacis, ubi ſimul ſanguineæ excretiones, per uterum, vel hæmorrhoides ſunt cohibitæ, præter venæ ſectiones, motum corporis &c. thermæ Carolinæ decenter uſurpatæ omnem curandi paginam abſolvunt.

### §. VII.

*Nauſeæ curatio.*

Nauſea, quæ ab acribus, acidis, viſcidis primarum viarum ſordibus, originem ducit, eandem, quam brevi ante recenſuimus, exigit curationem. Egregiam præſertim utilitatem præſtant infuſa ex herbis & radicibus, reſolventibus, aromaticis, & evacuantibus parata vinoſa. In nau-

ſea

ſea cum oris amaritie ſtipata, commendat GABELCHOVERUS *Cent. I. cur.* 14. radicem armoraciæ cum vino Rhenano infuſam, & omni mane hauſtam. Si ab aſſumto fœtido, ſordidoque cibo nauſea cum faſtidio ſurrexerit; aut vomitum ciere juvat, aut cortices citri vel aurantiorum maſticare, vel vino generoſo uti. Quando inter graſſantes febres malignas, quidam citra manifeſtam cauſſam, nauſea corripiatur: tum ſtatim lene vomitorium, ex radicis ipecacuanhæ granis quindecim propinare convenit: quo ſæpius fit, ut exturbato contagio, aut ipſa febris prævertatur, aut ſaltem in ſuo decurſu reddatur mitior atque benignior.

§. VIII.

*Cura ſpaſmorum œſophagi chronicorum.*

Curatio ſpaſmorum œſophagi chronicorum, qui nervoſi generis debilitate nituntur, ac crebro recurrunt, magis diæteticis, ac alimentis, quam pharmacis potentioribus abſolvetur. Seligenda ſcilicet pro potu ordinario tum ſunt decocta, ex ſcorzonera, cichoreo ac cinnamomo parata; vitanda cereviſia omnis; parce bibendum vinum generoſum. Victus eſſe debet facilis, parcus; frequentior contra exercitatio corporis. Roborando ventriculo inſervient elixiria balſamica, abſque ſpirituoſo parata menſtruo: ſanguinis abundantia, ſtatis ejus miſſionibus imminuenda, & ſordium in primis officinis generatio, blandis laxantibus præpedienda. Cumprimis animi affectus, nutrices ſpaſmorum, omni ſtudio fugiendi; & denique fontes Carolini, ſubjunctis balneis Tœplicenſibus in uſum vocandi.

*CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautela circa pediluvia.*

Qui in ſpaſmis œſophagi ſopiendis, ad detrahendum à ſuperioribus humorum affluxum, pediluviis uti velit; videat, an pedes nimis ſint frigidi: tum enim pediluvia ad tempus differre juvabit, atque pedes primum frictionibus, ac ſuppoſitis illis lagenis, aqua calida plenis probe fomentare. Quod etiam de venæ ſectionum uſu tenendum eſt.

§. II.

*Circa venæ ſectionem.*

Si faucium conſtrictioni, rubor faciei, vaſorum inflationes, & magnæ arteriarum capitis pulſationes junguntur; ob imminentis apoplexiæ metum, vena eſt ſecanda. Ubi porro hyſterica vel hypochondriaca ſymptomata, ac ſuffocationes veluti ſunt præſto; itidem ſanguis mittendus; ſed neutiquam in brachio, potius vero in pede, ſiquidem paroxyſmi inde exacerbantur.

§. III.

*Circa topica in ſpaſmis gulæ inferioris.*

Quando ſpaſmus gulam magis inferiorem obſidet; linimenta ac externa reliqua non tam pectori ac præcordiis, quam potius ſpinæ dorſi ſunt adplicanda: id quod præſertim JOHANNES LANGIUS *epiſtol. medic. Part. II. epiſtol.* 43. *pag.* 178. ex Aëtio, Galeno, & experientia commonſtrat. Namque cum œſophagi canalis, immediate cum ſpina dorſi connectitur; vis remediorum, huic illitorum, eo certius ad illum penetrabit.

§. IV.

*Topica in ſuffocationibus hyſtericarum.*

In paroxyſmis ſuffocativis hyſtericarum, ubi ſemimortuæ jacent, ad eas excitandas, inſignioris uſus ſunt, præter clyſteres, graveolentia, volatilia oleoſa, caſtorina &c. naribus adplicata, aut plumæ perdicum, aliaque fœtida accenſa: quippe quæ motus effrænes conſopiendi, egregiam vim habent.

§. V.

*Purgantium noxa.*

Ad exaſperandum, & magis confirmandum tam pharyngis, quam gulæ inferioris ſpaſmum, nihil magis contribuit, quam vehementiorum purgantium uſus. Præſtat his ſemper blanda laxantia, mannata, rhabarbarina, balſamica; aut concurrentibus flatulentiis, clyſmata oleoſa & carminativa ſubjungere.

§. VI.

*Cura ſpaſmorum œſophagi in febribus acutis.*

Quæ febribus acutis ſupervenit, faucium conſtrictio: præter conveniens regimen, medicinis antiſpaſmodicis, & antepilepticis ſublevanda erit: quo ſpectant pulvis Marchionis, nitrum cum camphora mixtum, tinctura bezoardica Michaelis cum mixtura ſimplici maritata &c. Opiata enim & craſſiora adſtringentia his in caſibus, veneni inſtar ſe habent.

§. VII.

*Cura eorundem, à vermibus inductorum.*

Idem ſymptoma, ſi vermibus, primas vias obſidentibus, eaſque vellicantibus jungitur, non ceſſabit, niſi his eliminatis. Tum vero cum purgantibus caute mercandum eſt: & ſi mercurialia exhibeantur, protinus ſuperbibere juvat oleum amygdalarum dulcium, ne inteſtina ab illis nimium vellicentur.

§. VIII.

*Clyſterum nutrientium uſus.*

Quandocunque adſtrictio œſophagi tanta fuerit, ut vel nihil alimentorum tranſmittat, & juſto diutius inhæreſcat: tunc, ne contabeſcant ægri, ano infundere convenit clyſteres lacteos ac nutrientes, de quibus videas LANGIUM *in epiſtol. medic. Lib. I. epiſt.* 80. *pag.* 361.

§. IX.

*Clangoſæ concuſſiones infantum.*

Ad convulſivos œſophagi motus, cumprimis pertinent pectoris clangoſæ concuſſiones, quæ teneris infantibus inter epilepticas affectiones evenire, & vulgo pro ſingultuoſis commotionibus venditari ſolent. Re autem vera nihil ſunt aliud, quam convulſivæ œſophagi, & vicinarum partium concuſſiones; & plerumque triſtes ſunt nuncii, cum morbo ad extrema ventum eſſe. Medico tunc nihil ſupereſt, quam ut blandis antepilepticis, anodynis, & analepticis pugnet, inſtantemque mortem prænunciet.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

OBSERVATIO I.

*Spaſmus totius œſophagi.*

Verbi quidam divini miniſter, ab obitu uxoris triſtiſſimus ſemper, olim hypochondriacis ſpaſmodiciſque motibus, caput potiſſimum in conſenſum trahentibus obnoxius, tanta ſubito pectoris, gulæ, laryngiſque conſtrictione prehendebatur, ut nec vocem edere, nec ſpiritum trahere, nec deglutire quicquam valeret, inſuperque velut attonitus proſterneretur. Ab hac vero acceſſione media nocte invadente, per ſponte ſequutos copioſiſſimos ſudores prorſus liberatus; eandem tamen ſequenti mane poſt aſſumtum calidiſſimum Theebois potum rurſus incidit: & quan-

*Frid. Hoffmanni Oper.* Tom. III. M 2

quanquam variorum externorum uſu adminiculorum, ad rationis integritatem mox rediret, retinuit tamen & loquendi impotentiam, & deglutiendi, ſpirandique ſummam difficultatem. Adplicatis venæ ſectione, frictionibus, ſpiritibus nervinis, theriaca ſub linguam poſita, maſticantibus, interneque, quantum fieri poterat, datis anodynis, tenaciſſimus, ac copioſiſſimus mucus non ore ſolum reddebatur, verum etiam non quidem vomitu, ſed anxio tantum vomendi conatu, *mit einem erſchrecklichen Würgen* eructabatur. Laxatis hinc per ſeptem horas conſtrictis linguæ vinculis, ſermonis quædam rediit facultas, ipſaque pharyngis rigida detentio aliquantulum ſoluta fuit, ut liberius deglutire valeret: ſpaſmus tamen gulæ inferioris, & pectoris anguſtia adhuc adeo urgebat, ut deglutita in ipſo œſophago ſtagnare, nec ad ventriculi cavum pertingere poſſe viderentur. Nec vero ullæ medicinæ, nec antiſpaſmodici pulveres, nec anodynus liquor, nec pediluvia, nec ſperma ceti in oleo amygdalarum dulcium ſolutum, nec alia quicquam opis adferre valebant. At enim vero, cum camphoræ duo ſcrupuli, in oleo olivarum ſoluti, ex errore uno hauſtu aſſumerentur: ſontica quidem inſequebantur ſymptomata: æger vero ab omni conſtrictione faucium, brevique poſt à toto morbo liberatus fuit.

*Epicriſis.*

Ferax eſt hic caſus utiliſſimis obſervationibus; quarum has notabimus.

1) Morbus hic generatim apoplexiæ levioris nomen meretur: quæ pro cauſſa nullam nec ſanguinis nec ſeri extravaſationem agnoſcit, ſed ſola ſpaſmodica ac rigida detentione, nervoſarum in cerebro, & circa nervorum principium ſitarum, nec non vicinarum oris, linguæ, faucium, laryngis, œſophagi, totiusque ſæpenumero pectoris partium abſolvitur. Hæc vero debetur humorum craſſorum, plus minus viſcidorum ad dictas partes congeſtioni & ſtagnationi: quare relaxato ſpaſmo, mucus viſcidus exſpuitur, ac è gula eructatur. Atque talis apoplexiæ ſpecies, hypochondriacis admodum familiaris eſt; & hinc hypochondriaco-ſpaſmodica appellari meretur.

2) Conſtricta in hoc affectu fuiſſe pharyngem, muſculos linguæ, oſſis hyoidis, ac laryngis, vel loquendi impotentia, ſpirandi ac deglutiendi difficultas indicant. Conſtrictio autem canalis gulæ inferioris, & ipſius ſuperioris orificii ventriculi, ex aſſumtorum libere deglutitorum in medio œſophago ſubſiſtentia patet.

3) Obortis ſudoribus, remittunt ſpaſmodicæ conſtrictiones, à particulari humorum congeſtione factæ. Sub illis enim æqualis ſuccorum per totum corpus redditur circuitus; qui nondum ſopitis ſpaſmis, fieri nequit.

4) Sumto potu calidiſſimo rediit paroxyſmus. Quemadmodum enim magnum frigus nervos vehementer afficit, & ad ſpaſmos proritat; ita etiam nimius calor, vellicando nervoſas œſophagi ac faucium tunicas, ad eaſdem diſponit moleſtias.

5) Adhibita remedia non contemnendi ſunt uſus: præſertim autem camphoræ tam inuſitata doſi uſurpatæ effectus eſt peculiaris. Illius virtutem antiſpaſmodicam, tutam, & ab omni commotione, uti vulgo creditur, vacuam, peculiari *diſſertatione de uſu camphoræ interno* jam demonſtravi; & aſſeverare certa fide poſſum, quod id remedii genus granis circiter duobus cum nitro permixtum in diſcutiendis humorum ſtagnationibus, ad ſuperficiem pellendis ſudoribus, & exanthematibus, atque relaxandis internarum partium conſtrictionibus divinæ fere ſit virtutis.

OBSERVATIO II.

Vir quidam admodum bilioſæ conſtitutionis, ex nimia iracundia, & perperam inſuper datis medicinis, poſt prævias quaſdam adflictiones, in gravem demum incidit pharyngis conſtrictionem, & præſertim diarrhœam hiſce potiſſimum notis manifeſtam: Per intervalla acceſſit magna deglutitionis difficultas, & moleſta pali faucibus infixi ſenſatio, qua ſimul percepit, ac ſi quid ex ore foret ejiciendum, ac veluti proſerpere vellet, ut etiam medicus cum ægrotante putaverit, vermem ibi reſidere & ſuum affectare exitum, atque ideo multa anthelmintica, & ſuccum citri ordinaverit, quem æger inſigni quantitate devoravit. In acceſſione partes extremæ, ſub æſtate etiam calidiſſima, valde frigeſcebant, & quandoque contremiſcebant: malum ab admiſſo frigore ſemper ingraveſcebat; alvus erat ſicca & obſtructa, abdomen flatibus diſtentum, appetitus & ſomnus valde exiguus, pulſus durus, urina limpida, inſignis ad iram propenſio; horumque omnium ab aſſumto quodam purgante ſumma exacerbatio. Conſultus ego, morbum hunc, jam ultra tres menſes durantem oppugnaturus, ordinavi pro potu decoctum temperatum, & in illo nonnunquam cochlear unum olei amygdalarum dulcium ſorberi juſſi. Tum pilulas præſcripſi antiſpaſmodicas, quas §. III. ſuperius recenſui, eaſque quotidie ſumendas ſuaſi: præbui etiam mixturam ex liquore anodyno, oleo chamæmeli vero, abſynthii, & de cedro, bis quotidie capiendam; nec non pediluvia, & externam faucium & œſophagi cum balſamo meo vitæ inunctionem commendavi: quibus factum eſt, ut intra paucas hebdomades æger convaleſceret.

*Spaſmus pharyngis.*

*Epicriſis.*

1) Spaſmus pharyngis, quem & deglutitionis impedimentum, & pali faucibus infixi ſenſatio produnt, in noſtro caſu debetur vehementi excandeſcentiæ; & perverſæ medicationi: ſiquidem purgantibus vehementioribus, ac ſpirituoſis tractatum fuiſſe ab initio morbum percepi. Jam vero notiſſimum eſt, & iracundiam,& purgantia per ſpaſmodicas canalis magni alimentaris, qui œſophago, ventriculo, ac inteſtinis abſolvitur, conſtrictiones ſuum edere effectum: qui in præſenti caſu circa pharyngem præcipue ſeſe exſeruit.

2) Hunc medicus, vermem, quem ſubeſſe putabat, occiſurus, cum multis irritantibus, anthelminticis, ac acidis, magis augeret, ac confirmaret; anſam quoque præbuit, ut per totum corpus propagaretur, & extremorum frigus, alvi adſtrictionem, urinæ limpidæ mictionem, pulſumque durum poſt ſe traheret. Teſtatur quoque hic affectus ſpaſmodicam ſuam indolem, 1) eo, quod per intervalla redierit, & 2) ſub illo animus valde ſenſibilis, & ad iracundiam facillimus fuerit redditus: quæ duo momenta ſpaſmodicis morbis ſemper fere ſunt propria.

3) Me-

3) Meretur hic pharyngis ſpaſmus vocari idiopathicus; quem ſemper in conſtrictione muſculorum dilatatorum pharyngis, quæ ſenſum globi in faucibus producit, collocandum eſſe putamus. Tum enim vicinæ partes, lingua, os hyoides, & larynx ſpaſmi vacuitate plerumque gaudent; quare in ejuſmodi caſu, nec linguæ impotentia, nec ſuffocationis ac laryngis conſtrictionis notæ adſunt. Contra vero ſymptomaticum vocamus, qui has vicinas partes, & in pharynge œſophageum ſaltem muſculum tenet conſtrictum; unde quidem deglutitio æque ac in idiopathico difficilis eſt, at nulla pali ſenſatio, quoniam dilatatores, à conſtrictione liberi ſunt. Quamobrem ſi hunc caſum cum præcedente conferamus, in hoc idiopathicum, in illo ſymptomaticum pharyngis ſpaſmum offendemus.

4) Curatio ſolis antiſpaſmodicis, & ſtagnantes in pharynge humores diſcutientibus, ac derivantibus, adornanda eſt. Prioris generis remedia fuere pilulæ, & mixtura anodyno-roborans; alterius balſamum vitæ extrinſecus illitum; & tertii pediluvia: quorum ope in hiſce caſibus, ubi magis vitium motuum, quam humorum peccat, tantum non ſemper votis potiri licet.

### Observatio III.

*Spaſmus gulæ inferioris, & ventriculi.*

Vir quinque ultra ſexaginta annos natus, ſtrictioris habitus, & vaſis capacioribus inſtructus, ex hæmorrhoidum ſuppreſſione, aut ad minimum irregulari fluxu, variis hypochondriacis moleſtiis, per aliquot annos ſollicitatus, ventriculi poſt aſſumtionem parciſſimi etiam cibi inflationem, alvi obſtructionem, quandoque profluvium, adpetentiam fere caninam, dorſique cruciatus toleravit. His demum omnibus, ea ſupervenit adflictio, ut libera quidem deglutitione cibos potumque devoraverit: cum autem ventriculum vellent ingredi, in œſophago quaſi vinculis conſtricto hærere, nec ulterius progredi poſſe viderentur: ea tamen differentia, ut calidi potus libero gauderent tranſitu, frigidi autem malum exaſperarent, & fere regurgitarent; quibus denique ſæpenumero muci vomibunda accedebat rejectio. Ego cum ex impedito ſanguinis per viſcera imi ventris circulo, & hinc facta ejus in canale inteſtinorum ſtagnatione, horum, ventriculi, & œſophagi ſpaſmum derivandum eſſe putarem, ordinavi ad ſanguinis progreſſum æqualem reddendum, infuſum theiforme ex herbis ſalviæ, veronicæ, ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ, ſemine fœniculi, & aniſo ſtellato confectum, maneque bibendum. Præbui pilulas meas balſamicas, quovis tertio die capiendas; atque pulverem, qui habebat radicem ari, pimpinellæ, corticem caſcarillæ, cinnamomi, ſuccinum præparatum, ſal tartari, nitrum depuratum, & oleum de cedro, circa prandendi tempus ſumendum dedi, non minus liquorem anodynum, eſſentiæ caſtorei nuptum per vices propinavi: flatulentias clyſteribus oppugnavi, rectum vivendi genus, & pro potu decoctum temperatum commendavi. Et denique ad promovendas hæmorrhoides venæ ſectionem, ac hirudinum adplicationem ſuaſi, eo effectu, ut redeunte ab his hæmorrhoidum fluore, ſenſim cum morbo in gratiam rediret ægrotans.

*Epicriſis.*

Quicunque ſymptomata in hoc morbo præſentia, cum ſignis, quæ ſupra §. V. ſpaſmis gulæ inferioris propria diximus, rite contulerit: facile deprehendet, pharynge à ſpaſmis libero, inferiorem gulam iis agitatam; quin conſtrictionem eam per totum ventriculum ac inteſtinorum canalem fuiſſe propagatam. Horum vero omnium prima origo debetur inordinato hæmorrhoidum fluori: quo ſanguinis per imi ventris viſcera, maxime inteſtina circuitus impeditus fuit. Unde exceperunt ſpaſmodici motus; hiſque legitima chyli depuratio, & humorum excrementitiorum eliminatio perturbata eſt: hinc accumulatæ in ventriculo cruditates acidæ, bilioſæque, vellicarunt præſertim tunicam illam nerveam, quæ ab œſophago, per trium digitorum ſpatium in ventriculi cavum protenditur: ex qua ſpaſmus ad gulam uſque propagatus, conſtrictivum ibidem ſenſum procreavit; quo aſſumti cibi in ipſo ſubſiſtere coguntur, & coacervati per os rurſus expelluntur.

Tali igitur in caſu ſola antiſpaſmodica ac anodyna mali quidem cauſſam non tollunt; ad mitigandos tamen motus ſpaſmodicos, multum inſerviunt. Sed in tali ſubjecto, quod fluxum hæmorrhoidalem diſpoſitum antea, & huic adſuetum fuit, huic revocando, omnis impendenda eſt opera. Cui quidem ſcopo, & hirudines, & venæ ſectiones, & pilulæ balſamicæ adprime ſatisfecerunt. Præterea in eundem finem, licet remotius, & proxime magis ad reſolvendas & incidendas ventriculi cruditates, & æqualem humorum circulum reſtituendum, collinearunt reliqua medicamina.

### Observatio IV.

*Contumaciſſimus gulæ inferioris ſpaſmus.*

Fœmina, triginta annorum, pallido vultu, ac ſtrictiori corporis habitu prædita, & chloroſi obnoxia, ante tres annos primum gravida, de capitis doloribus, præcordiorum anguſtiis, & pedum tumoribus conqueſta fuit: quorum ſymptomatum priora duplici venæ ſectione, hoc ſola pedum ligatura debellavit. Deinceps altera vice gravida, iiſdem adflicta moleſtiis, iiſdemque liberata remediis, feliciter ſuperavit partum, lochiiſque rite ſuccedentibus, per decem abhinc ſeptimanas, ab omni morbo vixit immunis. His elapſis acceſſere œſophagi diſtentiones, quibus primum ſemel bisve duntaxat quavis hebdomade, & quidem poſt deglutitum ultimum bolum alimenta in gula hærere videbantur, & multo demum potu ad ventriculum deprimi debebant. Sed aucta paulatim eſt hæc moleſtia, & ſub ſingulis ſe exſerere cœpit epulis, adeo, ut ſolidis veſci nequiverit, nec niſi liquida aſſumere potuerit: quin linctibus, gargariſmatibus, aliiſque medicinis fruſtra adhibitis, res tandem eo pervenit, ut miſera nihil plane niſi calidam cereviſiam deglutire valuerit. Videbatur enim ipſi tuberculum quoddam fauces obſidere, ac ciborum deſcenſum remorari; quod tamen & per intervalla duntaxat, & non eodem ſemper ſenſit loco, dum modo in pharynge, modo in media, modo infima œſophagi regione hærere obſervabatur. Juncti erant ructus, qui ex ventriculo aſcendentes, & ad hoc ſic dictũ tuberculũ pertingentes, ſtatim recedebant, neque eructari poterant, denique aſſidua vexabat nauſea. Accitus medicus, ſpaſmum ſubeſſe ratus, propinavit interne potiunculam laxantem, & cremorem hordei cum oleo amygdalarum dulcium potari juſſit: exter-

externe cataplaſma emolliens, atque diſcutiens, & linimentum ex balſamo vitæ noſtro, & ſpiritu vini adplicuit. Nec irritus horum fuit effectus, ſiquidem non ſolum omnibus liquidis liberum reddebatur iter; verum etiam, poſtquam abſque ulla tuſſi, inſignis viſcidæ pituitæ copia vomitu excernebatur; & tuberculi ſenſatio, & nauſea, & ructuum moleſtia evaneſcebant. Neque vero minus ſolidiores cibi adhuc ſubſiſtebant, & demum moleſta œſophagi conſtrictio iterum accedebat; cujus adeo conſcia erat ægrota, ut non ſolum clariſſime ſentiret, num œſophagus conſtrictus, anne relaxatus fuerit; ſed quoque evidenter perciperet, ipſum poſt aſſumtos tepidiores potus relaxari: *Es komt ihr vor, als vvenn ſich eine Falte aufthäte.* Et hæc adflictio cum copioſiſſima muci viſcidi exſcreatione, oris perpetua amaritie, & colli, dorſique magno dolore pertinaciſſime inhæſit; donec adhibitis ex meo conſilio, interne aquis Sedlicenſibus, & elixirio viſcerali Egranis, externe balſamo vitæ adplicato fuerit debellata.

*Epicriſis.*

1) Quemadmodum omnis ſpaſmus vel in uno loco fixus, ſtabilis, ac rigidus eſt, vel per totum membrum decurrit: ita hoc præſertim in œſophago obſervamus. Ad poſteriorem claſſem pertinent nauſea, ructus, vomitus, quin etiam ſingultus; qui affectus omnes abſolvuntur, motu œſophagi periſtaltico inverſo, & ſpaſmodice aucto, ubi ſcilicet ſpaſmus ab inferiori parte incipiens, ad fauces uſque decurrit. Contra vero rigida œſophagi conſtrictio, in eo potiſſimum morbo, quem nos ſpaſmum gulæ κατ' ἐξοχὴν vocamus, & ſupra deſcripſimus occurrit; atque reliquæ ſpaſmorum ſpecies ſymptomatice ſæpius junctæ deprehenduntur.

2) Talis morbus eſt ille, de quo præſens agit obſervatio; quæ pro cauſſa agnoſcit, cruditates viſcidas, acres, bilioſas in ventriculo ſubſiſtentes, teſtante oris amaritie, nec non viſcidos humores in ipſis œſophagi vaſis ſtagnantes. Quod ſi vero & in horum cauſſam remotius inquiramus, nulla ſe offert alia, quam depravata digeſtio: unde etiam factum eſſe credo, quod, licet medicus, convenienti medela ſpaſmum gulæ debellaverit, ille tamen recruduerit, quoniam ad roborandum ventriculum nulla ſubinde cura fuit directa.

3) Tuberculi in œſophago ſenſatio, nihil eſt aliud, quam tunicæ muſculoſæ ſpaſmodica conglobatio, quæ propterea mox in hoc, mox altero loco ſeſe exſeruit, & per hunc vagum ac incertum circuitum ſe diſtinguit à præternaturali tumore, huic canali innato.

4) Videre etiam ex hoc caſu licet, quam pertinax ac magna poſſit eſſe gulæ conſtrictio, adeo, ut ne vapores quidem halituoſi, per ructus è ventriculo elevati, pervadere potuerint; ſed ad locum ſtricturæ devenientes, iterum relabi debuerint.

## Observatio V.

*Spaſmus gulæ inferioris, cum rejectione multi muci.*

Vir quidam, trium & quinquaginta annorum, valde pituitoſus, victus exactiſſimam ſervans rationem, vitæ vero ſedentariæ nimium deditus, nec unquam ſanguinis miſſionibus, per venæ ſectiones, aut ſcarificationes adſuetus, & flatulentis admodum obnoxius moleſtiis, ultra jam triginta annos tuſſi quadam cum levi aſthmate juncta, ſingulo mane multum pituitæ excutiente, laboravit; quæ vernali præſertim, & autumnali tempore exacerbata, per aliquot hebdomades, gravius adflixit. Hic ante quatuor circiter menſes ex improviſo, eam incidit moleſtiam, qua ſumti cibi, utut minutiſſime conciſi, in œſophago, circa ſuperius ventriculi orificium ſubſiſtebant, nec niſi hauſto potu detrudebantur. Paullo vero poſt hæc adfectio ita invaleſcebat, ut cibi æque ac potus in gula, veluti detenti ſubſiſterent, ac coacervati, vomitus quadam ſpecie rurſus eructarentur: liquida tamen, ſi tepida fuerint, parca quantitate aſſumere valebat. Infeſtabat hoc incommodum per periodos; adeo, ut interdum etiam cibi ad ventriculum deferri potuerint: prorſus tamen, fruſtra adhibitis varii generis medicaminibus, cedere recuſabat. Verum tribus abhinc hebdomadibus, aſſumta caro iterum ſubſiſtebat, nec cum potu ad ventriculum perduci, nec vomitu reddi poterat, magnamque creans moleſtiam. Tandem capiebat æger, proprio inſtinctu oleum olivarum, cum melle; & ab hoc ultra menſuram unam muci tenaciſſimi una cum detenta carne eructabat. Inde quidem melius habebat, adeo, ut ad minimum juſculis veſci potuerit; & ubi recidebat malum, eructato ſponte muco, cujus excretionem adhibitus quidam ſpiritus aniſatus cum ſacharo mixtus ad juvabat, rurſus remittebat. Verum paullo poſt gravior reddebatur ſtatus: ſiquidem conſtrictio gulæ, ciborum & potuum deſcenſum impediens, majores capiebat vires, adeo, ut adpetitu integro gaviſus, nihil fere comedere poſſet, ideoque corpus ſenſim contabeſceret. Accedebat virium collapſus, frequens corporis tremor, atque frigus, maxime ſi vel aëri liberiori ſe exponeret, vel in eructando muco occupatus eſſet. Præterea noctu præſertim mox in gula inferiori, circa ſtomachum, mox in ſuperiori circa fauces, ſentiebat tuberculum quoddam, inſtar ovi columbini, quod emiſſis ructibus evaneſcere quidem videbatur, mox vero recurrebat. Verum plerumque nec ructum edere, nec ſingultire valebat: quod ſi autem hi motus ſuccedebant, non ſolum levamen totius mali inferebant, verum etiam ſi aſſumtorum quidpiam in gula hærebat, illud vel per os reddebatur, vel in ventriculum deferebatur. Notabile etiam erat, quod quæ jam ingreſſa erant ventriculum, vomitu nunquam rejicerentur; ſed hoc duntaxat mucus, cibus, vel potus in gula remoratus excerneretur. Adfligebat inſuper, poſt aſſumtum nuper purgans, gravis inter ſcapulas dolor; nec moleſta erat ulla ventriculi gravitas. Quando vel frigidi potus parum ceperit, vel frigidum aërem inſpiraverit; protinus exacerbabantur omnia.

*Epicriſis cum conſilio.*

1) Quantum cauſſarum cognitio, ad curandum morbum, præſtet momentum; vel hæc docet morbi hiſtoria. Medici enim, quorum plures conſulebat æger, in varias quidem abierunt opiniones; nulla tamen rei conformis erat. Quidam enim accuſabant ventriculi atoniam; alii ſcirrhoſum œſophagi tumorem; alii nimiam pituitam ventriculum, & œſophagum obſidentem. Priores duæ cauſſæ prorſus a veritate ſunt alienæ; ut enim alia momenta, ipſis contraria ta-

taceam, vel id eas fefellit, quod malum per intervalla revertatur. Tertia eſt tantum remota; cui in acceptis ferenda proxima, quam non aliam ſubeſſe judico, quam ſpaſmum œſophagi pertinacem.

2) Teſtantur hunc cuncta ſymptomata. Primum quidem ſubſiſtentia ciborum in gula, potuum calidorum liber tranſitus, conſtrictionis remiſſio, & à frigore revocatio, dolor inter ſcapulas, ſenſatio tuberculi in gula, extremorum frigus, corporis tremor &c.

3) Notabile eſt, ructus ſolviſſe conſtrictionem gulæ. Dum enim hæc in uno loco pertinax inhæret, ac fixa eſt, ructus vero non niſi inverſo motu periſtaltico, totius canalis abſolvitur: facile patet, cur illa ſtrictura vehementiori exiſtente, & ſingultiendi, & ructus emittendi potentia fuerit prohibita; item cur ſi ructuoſi motus major vis fuit, hæc reſiſtentiam fixioris ſtricturæ ſuperavit.

Cum hic affectus & huic ſimiles fomitem & materialem ſuam, à qua progignuntur, cauſſam potiſſimum in ventriculo, ſive potius duodeno ſtabulantem habeat; videlicet vitioſorum & crudorum acido-bilioſorum humorum ſaburram, qui continuo pravas exhalationes in ſuperjacentes nervoſas partes emittunt; curandi methodum ego ita inſtituere ſolitus ſum, ut pulvere abſorbente & ſalino deterſivo, leniterque nitroſo, convenienti doſi & tempore, præmiſſo vel blandiori emetico ex radice ipecacuanhæ, vel pilulis, quæ ex noſtris polychreſtis & extracto panchymagogo Crollii compoſitæ ſunt, excretionem ſufficientem materiæ peccantis promoveam, & demum convenientibus ſtomachicis roborantibus, digeſtionis negotium in meliorem & naturalem ſtatum reducere annitar. Quæ remediorum genera ſi intentioni minus reſpondeant, quod fit, quando hypochondriaca vel hyſterica ſic dicta paſſio hujus morbi fundamentum eſt; tunc omnino ad validiora, uſum videlicet aquarum thermalium vel acidularum, ad balnea quoque, ad peregrinationes pro mutando aëre & corporis motione confugiendum erit, qua methodo etiam hic æger convaluit.

Observatio VI.

*Spaſmi gulæ ex muco ipſi impacto.*

Vir illuſtris, annorum quinquaginta, conſtitutionis ſatis robuſtæ, victui duriori, carnibuſque fumo induratis longo abhinc tempore adſuetus, & vini, nec non ſpiritus vini potui valde deditus, in animi excandeſcentiam proclivis, parum adpetit, & excuſſo mane ſomno, magnam in faucibus & ore percipit ariditatem. Tum è lecto ſurgens ſub cordis ſcrobiculo quandam perſentiſcit moleſtiam, ab humore glutinoſo, ibi firmiter impacto, qui tam vehementem cauſſatur irritationem, ut illuſtris æger magno impetu ac labore illum exſcreando rejicere annitatur, non ſine ingenti thoracis, atque totius corporis concuſſione, rubore faciei, ſudoreque totum corpus occupante. Tandem aliquot cochlearia, modo inſipidi, & mucoſi, modo bilioſi & acidi humoris eructantur, idque jam per aliquot duravit menſes. Conſultus ego, primum ut a remediis ſtomachum roborantibus, & aquis vitæ ſpirituoſis, quibus ſe abſque ullo ſolamine permultis fuiſſe uſum ſcribebat, nec non omni ſpiritus vini potu prorſus abſtineret, monui; & potius ſuaſi, ut victu molli, tenuique, ac acidulis Egranis, ineunte æſtate uteretur; pro potu ordinario aquam thermalem Piperinam, quam in promtu habebat, uſurparet, cœnam intermitteret, atque pulverem nitroſum præcipitantem, cum hauſtu aquæ fontanæ, cubitum iturus caperet. Ex quibus conſiliis inſigne percepit allevamentum.

*Epicriſis.*

Non pauca in praxi medica occurrunt eorum exempla, quibus noctu humidiùs mucoſa, ſive pituita in faucibus, ipſoque œſophago concreſcit, & intus firmiter inhæreſcit; quam deinde magno, & ſæpe fruſtraneo conatu expellere moliuntur. Humor hic non ex aſpera arteria, ejuſque glandulis, nec ex pharyngis, aut laryngis glanduloſa tunica; nec ex pituitaria, quæ baſin narium involvit; ſed ex glandulis ipſius œſophagi, quæ, tunica nervea ablata, in conſpectum veniunt, & preſſæ per vaſa excretoria ac foraminula, quibus præditæ ſunt, humorem ſtillant, ſuam ducit originem. Hæ igitur glandulæ, ſicubi a vaporibus acribus, acidis, vel etiam calidis, ex ventriculi vel duodeni ſinu elevatis vellicantur, fundunt lympham, quæ facile concreſcit in mucum, qui tam mole, quam qualitate inimica tunicam muſculoſo-nerveam, ad ejuſmodi ſpaſmodico-convulſivum proritat motum. Hinc facile patet, tali in caſu, nec calida & aromatica, nec ſpirituoſa proficere; quippe quæ lympham magis viſcoſam, & humores bilioſos magis acres reddunt & volatiles: quibus temperandis longe majori efficacia potus diluentes, fonteſque medicati potius inſerviunt.

Plures hac de re notatu dignos caſus legas in *Conſult. medic. ſect. II. caſ. LXIII. LXV.*

---

## CAPUT VI.

### *De motu ventriculi convulſivo, ſive Vomitu.*

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Definitio vomitus.*

Vix quicquam in humana vita frequentius occurrit vomitu: namque nec ullus hominum erit quin vomuerit, nec pauci ſunt morbi, qui vomitu, tanquam moleſto complicantur ſymptomate. Nihil autem aliud eſt, quam œſophagi, ventriculi, & maxime duodeni motus periſtalticus, præter naturam inverſus, & ad convulſivam contractionem uſque auctus, quo contenta ventriculi, vel inteſtini ſimul duodeni per os rejiciuntur.

§. II.

*Euemetorum & Dyſemetorum deſcriptio.*

Non quidem obſcurus eſt affectus, qui, ut dignoſcatur, ſignis egeat: attamen eo attentius concurrentia ſymptomata & adfectiones obſervare convenit, quo magis cauſæ id vitii genus producentes variant. Generatim ſciendum eſt, quoſdam ad vomendum valde faciles, a leviſſima cauſſa diſponi; alios vero minus promtos, atque magis inani, moleſtoque vomendi conatu urgeri. Illi a ſchola medica vocantur euemeti, & ſunt inprimis infantes præ adultis, fœminæ præ viris, & viri laxioris habitus: hi dicuntur dyſemeti, & ſunt ſtrictioris habitus corporis, brevioris colli, omneſque robuſtiori nervorum ſyſtemate præditi.

§. III.

*Hiſtoria vomitus.*

Vomitum antecedere & comitari ſæpius ſolet moleſtiſſima nauſea, *es vvird ihnen erſchrecklich ubel*, cum tenſione & gravitate in epigaſtrica regione, oris amaritudine, ardore, morſu, inappetentia: adeſt quoque magna præcordiorum anxietas, inquietudo; multum ſalivæ tenuioris in os ſtillat, multumque ſpuitur, *der mund läufft ihnen voll Waſſer*; accedit vertigo, oculorum caligo, & obtenebratio, capitis gravitas, faciei rubor, tremor inferioris labii, & cumprimis anxia cardialgia; atque tandem poſt laborioſam, & inanem eructationem, contenta in ventre extruduntur. Quæ adfectiones ſat luculenter ſpaſticam & convulſivam ventriculi & adnexarum nervoſarum partium ſubverſionem oſtendunt.

§. IV.

*Diverſitas materiæ per vomitum excretæ.*

Materia, quæ per vomitum rejicitur, dum varia eſt, diverſas vomitibus imponit denominationes. Saburra mucoſa, chymoſa, ciborum nondum penitus diſſolutorum reliquiæ rejectæ, vomitum pituitoſum conſtituunt; bilioſa colluvies bilioſum exhibet; eadem ab admixtione aliorum humorum, vel acidorum & corrodentium ſubnigricantem corruptum, viridem, æruginoſum, porraceum ſpargit. Interdum vermes & inſecta rejiciuntur; nonnunquam ſtercorea materia ex imis revoluta inteſtinis expellitur; quandoque pus redditur & ſanioſa materia; quin carnoſam inſtar polypi membranoſam maſſam in ventriculo generatam, vomituque expreſſam fuiſſe me obſervaſſe teſtor. Effertur non raro ſincerus ſanguis, & vomitus tunc dicitur cruentus; & interdum idem ater corruptuſque vomitur, tumque morbus audit niger *Hippocratis*; cujus utriuſque non faciemus mentionem: quia in *parte ſyſtematis noſtri therapeutica II.* id jam factum eſt.

§. V.

*Sedes vomituum.*

Sedes materiæ, quæ evomitur, proxime quidem ipſi inhæret ventriculo; cujus æque ac vicinarum partium præternaturali motu illa eliditur: at vero ex aliis & remotis etiam partibus, hepate, pancreate, per ductus, ex liene, ex ipſa quoque ſanguinis & humorum maſſa, ex habitu corporis, ut in tumoribus per vaſa & glandulas huc adducitur. Cauſæ quæ ſenſibilem nervoſam ventriculi ſubſtantiam ad ſyſtalticum & compreſſorium motum irritant, non tantum in ipſo, ſed etiam in aliis vicinis & remotis partibus nervoſis, quærendæ ſunt, cum ſubinde animadvertamus plurimis ſpaſmodicis adfectionibus per conſenſum vomitum accedere. Quæ præcipua momenta ut clarius & rectius intelligantur; è re fore arbitror, ut accuratiorem ventriculi & duodeni fabricam ſecundum recentiorum & probatiſſimorum anatomicorum deſcriptionem præmittamus.

§. VI.

*Fabrica ventriculi membranacea.*

Primum igitur notandæ veniunt tunicæ ventriculi, quarum quatuor ipſi tribuuntur, extima eſt membranacea, à peritonæo orienda, & cum tunica concavum diaphragma cingente continua: altera eſt muſculoſa, quæ duplici conſtruitur fibrarum ſerie, externa quæ fibras habet longitudinales, longitudinem ventriculi abbreviantes; interna vero partim quaſdam, à cardia ad pylorum excurrentes, & utraque orificia ad invicem coarctantes, partim alias circulares, latitudinem ventriculi amplectentes, hancque contrahentes exhibet. Tertia, quæ huic ſubjacet, tunica audit nervea, fibris tendineis, oblique per ventriculum decurrentibus prædita, prioribus amplior, hinc rugas formans, & glandulis multis referta. Quarta dicitur villoſa ex papillis nerveis, & extremis vaſculis, villorum inſtar erectis concinnata, & mucagine, quam dictæ plorant glandulæ, obducta. Ceterum inter tunicam exteriorem, & muſculoſam, hanc & nerveam; atque hanc & villoſam triplex conſpicitur ſubſtantia cellulosa, vaſa ſanguifera copioſiſſima continens.

§. VII.

*Fabrica ventriculi vaſculoſa.*

Deinceps conſiderari merentur vaſa ventriculi. Arteriæ ſunt duæ gaſtricæ, dextra, ſiniſtraque & coronaria. Namque poſtquam arteria aorta inferior, perforato circa ſpinam ſepto abdomen ingreditur, protinus ſpargit arteriam cœliacam, quæ in tres ramos diſpeſcitur: prior eſt hepaticus, à quo ſuboritur 1) pylorica, 2) gaſtrica dextra, 3) duodena arteria: alter eſt coronarius, qui ventriculum innumeris ramificationibus amplectitur: tertius eſt ſplenicus, qui ad lienem tendens exhibet 1) arteriam pancreaticam 2) gaſtricam ſiniſtram, quæ cum dextra conſtituit gaſtroepiploicam. 3) Ipſam epiploicam, 4) vaſa brevia, quorum alterum eſt venoſum. Per hunc arteriarum nexum patet, quantus ſit humorum circuli per dictas partes conſenſus. Venæ ſunt coronariæ, gaſtrica dextra, ſiniſtraque, & alterum breve vas. Omnes oriuntur à vena portarum, cujus truncus ſub duodeno ad pancreas tendens, primum venas cyſticas, pyloricas, duodenales; dein tres, interdum duos ramos ſuppeditat, quorum primus ſplenicus dat coronariam, gaſtricam ſiniſtram, pancreaticam, epiploicam, & vas breve venoſum; alter meſaraicus major inteſtinales & gaſtro epiploicam; tertius hæmorrhoidalis internus, gaſtricam dextram, & duodenalem. Unde liquet, præpedito ſanguinis in uno viſcere circuitu, illum ad alterum regurgitare. Lymphatica vaſa comitantur venas; nervi arterias. Hi vero naſcuntur partim à pari vago, partim intercoſtali ramo. Par vagum duobus ramis ab utroque œſophagi latere deſcendens, toti ventriculo innumeras ramificationes tribuit, tumque ad formandos nervi intercoſtalis plexus concurrit. Hic enim perforato diaphragmate, juxta arteriam cœliacam format ganglia ſemilunaria; unde in dextro latere ſurgunt plexus hepaticus, & renalis dexter; in ſiniſtro naſcuntur plexus lienaris, ſtomachicus & renalis ſiniſter: ex hepatico & renali dextro, nec non ganglio ſemilunari ſuboritur plexus meſentericus ſuperior; cujus interventu dicti in utroque latere quinque plexus adeo uniuntur, ut partes ab illis ſuos nervos mutuantes, arctiſſimo gaudeant conſenſu.

§. VIII.

*Fabrica duodeni.*

Attendi porro meretur fabrica duodeni: quod cum ventriculo ratione tunicarum, nervorum, vaſorumque convenit; & a pyloro incipiens, tres format flexuras. Prior occurrit, dum à ventriculo oblique, deorſum, ſimul retrorſum tendit, circa cujus finem inſeritur ipſi ductus cholidochus, bilem, ſuccumque pancreaticum ſecernens. Deinceps cum dextrum ambit renem, alteram exhibet flexuram; qua accumbit pancreati; tandemque juxta ſpinam, reni ſiniſtro appropinquans, tertiam ſuppeditat, ſuper qua feruntur

&

& arteria, & plexus meſentericus ſuperior: cujus conſtrictio protinus hoc inteſtinum afficit. Ceterum illud reliqua inteſtina capacitatis amplitudine, contra communem ſententiam, qua anguſtius dicitur, longe ſuperat.

§. IX.

*Conſenſus ventriculi ac inteſtini duodeni cum aliis partibus.*

Hæ binæ partes, ventriculus nimirum, & inteſtinum duodenum, quod ventriculus minor non immerito vocari poteſt, inſigni nexu non modo invicem, ſed etiam cum aliis nerveo-membranaceis gaudent partibus. Connectuntur enim 1) cum œſophago, per ipſarum tunicarum, quæ utrique parti eædem ſunt, communionem, & hinc cum ipſa fauces, & os cingente tunica cohærent. 2) cum toto inteſtinorum canale, non modo per tunicarum earundem protenſionem, verum maxime vi plexus ſuperioris meſenterici, à quo cuncta inteſtina ſuos nervos mutuantur. 3) cum omento, quod ventriculi parti anteriori firmius annectitur. 4) cum ſepto tranſverſo, per ramulos è nervo vago & intercoſtali, nec non tunicam exteriori & ſepti & ventriculi ſuperficiei communem; & illius reſpectu cum 5) nervoſis, ac membranaceis pectoris partibus; nec non 6) muſculis abdominis. 6) cum ductibus biliferis, non tantum per cholidochum canalem, duodeno inſertum, verum maxime per plexum hepaticum, qui ſurculos dat duodeno, ac ventriculo, cumque plexu ſtomachico, interventu meſenterici ſuperioris communicat. 7) cum pancreate, cui firmiter adhæreſcit duodenum. 8) cum renibus, per plexum renalem dextrum & ſiniſtrum, qui cum ſtomachico connectitur; 9) cum capite & cerebro, nec non corde per nervum vagum, qui his partibus communis eſt.

§. X.

*Motus periſtaltici uſus.*

Vi tunicæ muſculoſæ, ejuſque fibrarum §. VI. ſuperius recenſitarum, œſophago, ventriculo, cunctiſque inteſtinis communium, proprius iſtis partibus eſt motus quidam vermicularis, quem etiam periſtalticum vocant. Hic conſiſtit in dictarum partium alternante conſtrictione ac relaxatione; & à parte ſuperiori deorſum tendit: in ventriculo, variis modis eum contrahendo, arctando, rurſuſque dilatando, diaphragmatis & muſculorum continuo, qui ſub reſpiratione fit, motu adjutus, ciborum & digeſtionem, & per pylorum expulſionem ſecundat: in inteſtinis, humorum laudabilium per chylifera vaſa reſorptionem, & excrementitiorum ad inferiora protruſionem, & per anum eliminationem peragit.

§. XI.

*Formalis ratio vomitus.*

Quandocunque vero hic periſtalticus motus, deorſum vergens, ad præternaturalem, ſpaſmodicam vel convulſivam intenditur motionem: oriuntur inteſtinorum tormina, dolores circa pylorum cardialgici, ſpaſmus ſic dictus ventriculi, colicæ paſſiones, & alvi profluvium. Quod ſi autem idem hic motus, præter ſpaſmodicam contractionem invertatur, & ad ſuperiora tendat; cogit primum contenta ex inteſtinis in ventriculum; aut ſi jam in ipſo fuerint, ea ſurſum trudit, tumque fit vomitus. Sub hoc enim pylorus cum adnexo duodeno pariter, ac anterior & inferior ventriculi portio, contractis violenter fibris longitudinalibus, & circularibus, ad ſuperius orificium contrahuntur; contenta ipſius ad hoc adplicantur; continuante à tergo ſpaſmi impetu, in œſophagum coguntur; & motu illo inverſo per totam gulam propagato, ad os feruntur, & eructantur. Adjuvant hunc motum violenta diaphragmatis, & muſculorum abdominalium per conſenſum facta conſtrictio & parietū ventriculi facta inde compreſſio: hinc poſt ſingulas vomitiones, difficilem ſpirationem adhuc continuare, & abdominis regionem plus minus gravi dolore affici, in comperto eſt; quid quod in animalibus poſt devoratum emeticum diſſectis, preſſionem ventriculi à diaphragmate ac muſculis abdominis rectis potiſſimum oculis intueri licet. Quidam ex medicis Anglis hac in opinione ſunt, fibras ſtomachi nihil prorſus ad vomitionis actum conferre.

§. XII.

*Symptomatum deſcriptio & ratio.*

Verum quo debiliores ſunt ventriculi fibræ, & quo mobilior, majorique copia rejicienda ſaburra præſto eſt: eo facilior fit vomitus. Quod ſi vero robuſtiores fuerint fibræ, ut in dyſemetis; aut cauſſa vomitus in humore tenaci, viſcido, plicis ventriculi firmiter inhærente, vel materia acri, cauſtica nervis inſidente conſiſtat; tum gravis fit vomitio, atque ſonticis ſtipatur ſymptomatibus. Namque antecedunt primum graviſſimæ cardialgiæ, immanes nauſeæ, præcordiorum anxietates, inquietudines, laborioſæ, ac inanes eructationes, moleſtæ abdominis, contentarum partium, maximeque diaphragmatis concuſſiones, hinc ſingultuoſæ agitationes; claro documento, magnam ſubeſſe ventriculi convulſionem, ad expellendam noxiam materiam haud ſufficientem. Frequentiſſimum tunc eſt, ut convulſio ventriculi ad ductus biliferos propagetur, & hinc fiat effuſio bilis ad duodenum, & ventriculum; qua eructata, nihilo minus continuat vomitio. Motus ille aſcendit per œſophagum, qui lympham ex ipſius ac faucium glandulis exprimit; cujus multum ſpuitur: *Der Mund läufft voll Waſſer.* Compreſſis porro per vehementiſſimas concuſſiones ventriculi, & adnexarum partium vaſis ſanguiferis ibidem ſitis: cruor majori copia & impetu ad ſuperiores partes, atque caput compellitur; ejus vaſa infarcit, membranas nerveas diſtendit, & ad ſimilem ſpaſmum proritat. Hinc fiunt faciei rubores, capitis dolores, oculorum caligines, vertigines, tremor inferioris labii; atque non raro totius nervoſi generis convulſivæ, ac epilepticæ commotiones.

§. XIII.

*Differentia vomitus in idiopathicum & ſympathicum.*

Cauſſa, quæ ad vomitum diſponit, proxima eſt vellicatio vel ſtimulatio fibrarum ventriculi ac duodeni nervearum: vellicans autem materia hæret vel in ipſis illis partibus, vel in remotioribus, vi nervorum cum iſtis connexis. Hinc reſultat differentia vomitus in idiopathicum, & ſympathicum; ille cauſſam materialem in ipſo ventriculo vel ſaltem duodeno habet; hic eandem remotius in inferioribus inteſtinis, ductibus biliferis, renibus, capite &c. hærentem agnoſcit, & conſenſuali magis vitio motuum nititur. Idcirco facile patet, nullam eſſe monarchialem illam potentiam, quam ſuo pylori rectori tribuit HELMONTIUS, à quo ſemper ſtricturæ, & inverſi motus initium arceſſendum eſſe putat. Quamvis enim nonnunquam illa fiat; attamen non raro ex infimis inteſtinis conſtrictionis principium ſuboriri, vel ſtercorei teſtantur vomitus.

## §. XIV.

*Cauſſæ materiales ſunt nimia aſſumtorum quantitas.*

Inter cauſſas itaque vomitus materiales, in ipſo ventriculo hærentes, accuſanda primum venit nimia aſſumtorum quantitas; quæ fibras ventriculi nimium aggravat, & ultra ſphæram elaſticitatis diſtendit, donec, facto rapidiori fluidi tenuiſſimi & ſanguinis adfluxu, in convulſivum motum actæ, inimicam ſibi materiam expellere moliantur. Ex hac cauſſa obnoxii ſunt vomitibus 1) heluones ob potum nimiis hauſtibus ingeſtum; 2) infantes teneri, ob lac copioſius ſumtum, vel datos præmature ſolidiores cibos; quo in caſu non ſine ratione pylori anguſtiam, ſolidiora nondum transmittentem accuſat KERKRINGIUS *ſpicileg. anat. obſ.* 20. 3) homines à morbis, & tolerata ſub iis inedia debilitati; in quibus parcior quoque ciborum, maxime ſolidorum quantitas vomitum ciere poteſt; unde dicunt: *Der Magen kan noch keine Speiſe vertragen.* 4) Pueri voraces, qui & crebris vomitionibus, & frequenti ſingultu vexantur.

## §. XV.

*2] Saburra ventriculi.*

Concitat deinceps vomitum ſaburra vitioſa in ventriculo contenta; quæ non raro à cibis crudis, dyſpeptis, fumo induratis, ſalitis, aliiſque incongruis non bene concoctis relinquitur. Hinc fiunt vomitus pituitoſi, qui eveniunt 1) hominibus, qui debilitate ventriculi prædití ſunt, ſimulque voraces, 2) qui mollioribus cibis adſueti, victum ſubeunt craſſiorem, 3) qui gulæ indulgent, ſimul vero diuturniori ſomno, vitæque ſine motu deſidi ſunt dediti. Eadem ſaburra, mora temporis acida redditur, & accedente ob iracundiam, aliaſque forſan cauſſas, ex duodeno bile, acrior evadit; unde ex ventriculo bilioſi fiunt vomitus.

## §. XVI.

*3] Humor bilioſus in duodeno.*

Omnes vero bilioſi vomitus, maxime ſi vel chronici, vel periodici fuerint, fomitem ſuum in duodeno habent. Aptiſſimum fovendæ ſaburræ hoc inteſtinum eſt, propter flexuras, quibus pollet; & quoniam in eo bilis chymoſo ſucco affunditur. Hæc ſi iners fuerit, vel languente inteſtinorum tono, ſtagnaverit, nec rite cibis permiſceatur, aut accedentibus acidis humoribus magis in ſua craſi pervertatur; acris ac veluti cauſtica redditur; & vellicando parit vomitus bilioſos, virides, æruginoſos, quin & nigros. Namque bilis ab acido forti fit viridis; & ſi diutius ſubſtiterit, nigrum inducit colorem. Inde etiam acidiſſima evomi ſolet materia, quæ dentes ſtupefacit, atque pavimenta, vaſaque argentea arrodit. Talem vitriolacei ſaporis obſervavit HENRICUS AB HEER *obſerv.* 29. & ego in *not. ad* POTERIUM *Cent.* 2. *caſu* 93. recenſui caſum, ubi per vomitum materia inſtar aquæ fortis corroſiva fuit rejecta, quæ cum limatura martis, in verum abiit vitriolum.

## §. XVII.

*Vomitus hypochondriacorum.*

Ejuſmodi vomitibus ex duodeno originem trahentibus vexari ſolent 1) hypochondriaci ac melancholici, in quibus ob languidum inteſtinorum tonum, non modo cruditates acidæ ac viſcidæ ex cibis in ventriculo & duodeno relinquuntur; ſed bilis quoque adeo iners eſt, ut loco chyli generoſioris, magnus fiat proventus humorum acrium, acidorum, cum bile corrupta, i. e. temporis mora nigra facta mixtorum, hinc nigrorum, quos veteres à liene proficiſci autumarunt. Hi vero humores omnino vellicant duodenum, ac ſenſibilem pylorum: unde facile ſubvertitur ventriculus, maxime, cum hæ partes ad inverſionem motus periſtaltici per ſe ſint pronæ. 2) Scorbutici, quorum tota humorum maſſa ſpiſſa eſt, ac impura. 3) cachectici, quorum bilis vappida exiſtit, nec diſſolvendis penitus cibis ſufficit: unde in iis vomitus magis bilioſo-viſcidi fiunt. 4) Infantes, lac impurum, à matris excandeſcentia acidum factum ſugentes; quibus frequentiſſimi ſunt vomitus praſſini, æruginoſi, virides. 5) Febre quartana affecti.

## §. XVIII.

*4] aſſumta, qualitate inimica.*

Concitant porro vomitum aſſumta qualitate noxia. Sic cibi nimium pingues, horæi, fermenteſcibiles, maxime ſi ſaburra quædam bilioſa in ventriculo ſcateat, acriorem fermentationem ſubeundo, vomitum movent. Idem faciunt cibi ingrati cum faſtidio aſſumti; eo magis, ſi nimium pingues ac oleoſi fuerint. Huc quoque pertinent acria, ac principio ſubtili cauſtico prædita; ſicuti ſunt omnia vomitoria; nec non ſubjecta venenata, ova barbi piſcis, de quibus conf. TIMAEUS A GULDENKLEE *Lib.* 3. *cap.* 7. nec non fungi venenati, quorum mentionem injicit HILDANUS *Cent. IV. obſ.* 34. De venenis ipſis, arſenico, mercurio ſublimato res notiſſima eſt; quippe quæ ob ſumme cauſticum principium, præter vomitus graviſſima inducunt convulſiva totius corporis ſymptomata: id quod de vomitoriis atque purgantibus acrioribus etiam eſt ſtatuendum.

## §. XIX.

*5] Materia acris per metaſtaſin ad ventriculum delata.*

Non minus humor ſubtilis acris nervoſis ventriculi partibus incumbens graviſſimas excitat vomitiones. Transfertur ille nonnunquam per metaſtaſin, à materia arthritica, eryſipelacea, podagrica, ſcabioſa, ulceroſa, purpuracea, topicis intus acta, nec non à diarrhoeis ac dyſenteriis cohibitis. Sic nati ab ulcere præmature conſolidato vomitus, exemplum recenſet JOH. RHODIUS *Cent.* 2. *obſ.* 65. & de podagra retropulſa, ad id vitii genus diſponente caſum allegavi in *conſult. med. Tom. II. Sect. IV. caſ. CLXX.* Eadem ratio eſt, quod in variolis, morbillis, febribusque malignis, ac exanthematicis, atrociſſimi fiant vomitus: ſiquidem miaſma horum morborum acre, & cauſticum, obſidendo nerveas ventriculi fibras, id mali infert. Hinc quoque arceſſenda eſt graviſſimi vomitus in peſte cauſſa; ubi diſſecto cadavere HELMONTIUS lib. quem inſcribit *tumul. peſt. pag.* 54. ventriculum eſchara obductum; & DIEMERBROECK *de peſte Lib. IV. hiſt.* 15. eundem carbunculo occupatum, ſe vidiſſe perhibent.

## §. XX.

*6] Sanguis ad ventriculum congeſtus.*

Cruor vitalis ad vaſa ventriculi, & adnexarum partium, majori copia congeſtus, ea graviter diſtendendo, vomitum producere ſolet. Hinc illum patiuntur 1) fœminæ gravidæ, primis geſtationis menſibus; dum nimirum ob retenta menſtrua cruor ad ſuperiora regurgitat, qui grandeſcente fœtu, in quibuſdam poſt quartum menſem plerumque ceſſat: qualem notabilem caſum allegat PETRUS LOTICHIUS *Lib. V. obſ.* 7. *pag.* 442. 2) fœminæ, quibus non fluunt menſtrua. Sic PANAROLLUS *Sect. I. obſ.* 22. meminit puellæ, quæ nondum menſtruata, per ſeptem integros

tegros annos, ſimul ac cibos caperet, illos revomuit, prodeuntibus vero menſtruis, ab eo malo liberata fuit. 3) viri, quibus ſuppreſſæ ſunt hæmorrhoides, ubi ſanguis ad venam portæ majori copia refluit. Quibus in caſibus non rarum quoque eſt, vomitum cruentum ſuboriri.

## §. XXI.

*An cardiæ vitium vomitum producat.*

Ipſe ventriculus præter naturam conſtitutus, vomitum ciet. Primum quidem orificium iſtius ſuperius, vel ſpaſmo, vel alia cauſſa præternaturali occluſum, ſimilem parit affectum, qui vero non verus vomitus dici poteſt, & magis ad ſpaſmum gulæ inferioris pertinet: ſiquidem cibi priusquam devenerint in ventriculum, cum muco in gula contento rejiciuntur. Similes caſus videas apud WILLISIUM *pharm. rat. part.* I. *ſect.* 2. *cap.* 1. *pag.* 17. FERNELIUM *Lib. VI. pathol. cap. I.* & COITERUM *obſ. chirurg. pag.* 121. ubi cardia ſcirrho, & tuberculo duro obturata fuit.

## §. XXII.

*Pylori vitium ſit cauſſa vomitus.*

Aliter ſe res habet cum pyloro, ex cujus præternaturali conſtitutione, ac obſtructione, chronicæ, perpetuæque propullulant vomitiones: adeo, ut fere regulæ inſtar ſit, quod qui diu, maxime à ſumtis epulis vomuerunt, ſimulque contabeſcunt, pylorum habeant male conſtitutum. Sic ipſum prædurum, ac ita incraſſatum fuiſſe, ut nihil ciborum tranſmitteret, refert SANCHEZ *L. obſ. p.* 376. Eundem ſcirrhoſum prorſus deſcribunt SALMUTH *obſ.* 20. *cent.* I. WILLISIUS *Pharm. rat. P. I. Sect.* 2. *cap.* 1. *pag.* 55. A. MED. BEROL. *Dec. II. vol. III. pag.* 45. nigricantem & arroſum MEIBOM *diſſ. de vomitu* §. 31. à deglutito nummo obſtructum KERKRINGIUS *ſpic. anat. obſ.* 1. quibus in caſibus ad finem vitæ moleſtæ vexarunt vomitiones.

## §. XXIII.

*Sympathicus vomitus oritur à ſtrictura inteſtinorum.*

Sympathicus vomitus oritur primum ab irritatione tam œſophagi, quam inteſtinorum. Hinc ſæpiſſime fit, ut a pluma vel digito, faucibus tantum intruſo, & œſophagi principium titillante, ſtatim ventriculus, præſertim humorum copia onuſtus ſubvertatur. Deinceps converſi motus periſtaltici initium profundius ab inteſtinis ordiri ſæpius, & per conſenſum ad ventriculum propagari, docent vomitus à doloribus inteſtinorum colicis, torminoſis &c. prognati: quo in caſu ingens ſæpenumero humorum varii coloris & conſiſtentiæ copia eructatur. Conf. HILDANUS *cent. IV. obſ.* 32. & 35. & MARCELLUS DONATUS *hiſt. mirabil. Lib. IV. cap.* 3. viginti ſaburræ libras, vomitu quotidie rejectas fuiſſe afferit. Ipſe vidi in ſenibus hernioſis, ubi ingens inteſtinorum portio prolapſa fuit, per plures annos inſignem ac mirabilem amurcæ quantitatem quovis tertio vel quarto die, vomitu redditam fuiſſe.

## §. XXIV.

*Vomitus à colica, ileo, hernia, vermibus.*

Tali ratione inteſtinorum vitio vomitus ſuperveniunt 1) eorundem diſtenſionibus à flatibus & fœcibus, ſimile exemplum allegante DODONÆO *obſ. med.* 37. 2) pertinaci colicæ ſpaſmodicæ, teſte experientia. 3) contumaci alvi obſtructioni, uti fit in morbo ſpaſmodico vago, in quo clyſteres injecti una cum ſtercoribus per os redduntur. 4) in morbo ileo & herniis, 5) dyſenteria, annotante PLATERO *obſerv. pag.* 875. 6) vermibus, inteſtina ac ventriculum rodentibus Vid. AMATUS LUSITANUS, *Cent.* 1. *curat.* 5. *cent.* 3. *cur.* 20. Ipſe novi puellam ſeptem annorum, quæ de immanibus cardialgiis, convulſionibus, continuiſque vomitionibus conqueſta, tandem grandem per os ejecit vermem, & paullo poſt defuncta eſt. His in caſibus ſæpenumero univerſalis motus periſtaltici eſt inverſio; quæ ab inteſtino recto incipiens, ad fauces uſque aſcendit, cunctaque inteſtinorum contenta per ſuperiora vehit, & expellit.

## §. XXV.

*Vomitus à vitio ductuum biliferorum.*

Per conſenſum quoque gravis vomitio fit, à vitio ductuum biliferorum in hepate. Quemadmodum vero hi ductus, eodem ac inteſtina modo, & conſtrictivo, & dilatatorio gaudent motu: ita eorundem & præternaturalis conſtrictio, & nimia laxitas ad vomitum contribuit. Priori modo non modo ipſa bilis violenter in duodenum, & ex hoc in ventriculum, retrogrado itinere exprimitur, hujus tunicas vellicat, & hinc revomitur; verum etiam ipſe dictorum canalium ſpaſmus, per plexus hepatici & ſtomachici conſenſum, ad ventriculum propagatur. Poſteriori ratione per laxatos tubulos bilis nimia copia in duodenum effunditur.

## §. XXVI.

*Vomitus biliosi variæ cauſſæ.*

Reſpectu hujus cauſſæ, vomitum movent 1) ipſa emetica, atque purgantia fortiora, quæ tam ventriculum, quam ductus biliferos in ſpaſmum agunt, qui bilem effundit in duodenum. 2) gravis iracundia, præſertim inter ipſum paſtum, quæ etiam ab iracunda matre, ad inſontem infantem, ubera trahentem, pernicioſum edere valet effectum. 3) in ipſa febre tertiana ob ſpaſmum primarum viarum, vomitus bilioſus cum euphoria fit. 4) nec non in cholera, febribuſque bilioſis. 5) in malo hypochondriaco, ubi ſpaſmi viarum primarum urgent. 6) denique calculi veſicæ felleæ, aut concretiones bilioſæ in illa, ſpaſmum excitant, bilioſos vomitus producentem: quales notabiles caſus in M. N. C. *anno VI. dec.* 1. *obſ.* 20. & SCULTETO *armament. obſ.* 61. exſtant.

## §. XXVII.

*Vomitus à calculo.*

Nihil eſt familiarius, quam quod nephriticos & calculoſos affectus comitentur nauſea, vomitus, & tormina inteſtinorum: eo magis ſi calculi hæreant in ſenſibilibus ureteribus, aut etiam renibus, quales obſervationes legi poſſunt apud BONETUM *ſepulchr. obſ.* 60. Ita memini celebrem medicum & Botanicum hujus loci ſexagenarium ex calculo in medio ureteris ſiniſtri firmiſſime hærente & impacto, per trimeſtre ſpatium continuis vomitionibus cum ciborum faſtidio perſeverantibus, ſubſequente tandem virium collapſu & corporis contabeſcentia, ante quindecim annos mortuum: aliquot ſeptimanis ante obitum de corrupto & fœtido materiæ, quæ ejiciebatur, odore & ſapore querebatur, ipſe exiſtimans, urinoſum laticem, qui parcius reddebatur, eſſe permixtum. Frequentiſſime etiam fit, ut à ſpaſmo ventriculi & inteſtinorum ſilentes hactenus nephritici paroxyſmi reſuſcitentur. Ratio in promtu eſt: Namque dum ren ſiniſter per ſuum plexum nervoſum, interventu meſenterici ſuperioris cum ſtomachico cohæret; dexter autem per ſimilem plexum immediate cum hepatico, & ſtomachico connectitur; & inſuper duodenum hujus renis involucris firmiter junctum ſit: facile patet, cur quidem utriuſque renis, dextri tamen quæ ſini-

ſiniſtro ſpaſmi vomitum, ſæpenumero bilioſum, tamque vehementem moveant, quantum vix præſtiterit emeticum. Notabilis hunc in finem eſt obſervatio, quam MEIBOMIUS *diſſ. de vomitu* §. *XXVII.* recenſet, quod calculi renibus impacti primum horrendos induxerint vomitus, hisque ceſſantibus, tantum œſophagi concitaverint ſpaſmum, ut ex ore quaſi quidquam exſilire videretur.

§. XXVIII.

*Vomitus à capitis læſione.* Vomitus quoque per conſenſum fieri comites affectuum capitis; docuit jam HIPPOCRATES, dum *Lib.VI.aph.*50. *Quibus*, inquit, *diviſum eſt cerebrum, his febrem, & bilioſum vomitum ſupervenire neceſſe eſt:* & in *Coac.prænot.cap.*3.§.3.1.*quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit.* Et notum eſt unicuique chirurgorum, capitis ac cerebri, hujuſque membranarum, inflammationes, vulnera graviora atque contuſiones, vomitum ſequi: neque minus idem accidit, gravioribus partium nervoſarum capitis ſpaſmis, uti cumprimis in atroci illo dolore capitis, quem clavum vocant hyſtericum; in rebelli cephalalgia, hemicrania, vertigine, apoplexia ſpaſmodica &c. Quæ omnia per conſenſum, quem ventriculus, vi paris nervorum vagi, cum capite fovet, contingunt: cujus etiam cum pari quinto connexio in cauſſa eſt, quod vomitus excipiant difficilem dentitionem.

§. XXIX.

*Vomitus à cauſſa externa.* Ad externas magis cauſſas, quæ ventriculum comprimendo, ac irritando, vomitum movent, referri meretur mucronatæ cartilaginis depreſſio: quales caſus BARBETTE *anat. Lib.* 1. *cap.* 4. & DECKERUS *prax. Barbett. pag.*126. recenſet. Hanc ob cauſſam virgines etiam, quæ rigidis illis lignis, quæ Planchette dicunt, ſua præcordia coarctare ſolent, ad vomendum ſunt faciles. Huc quoque pertinet vomitus imaginatorius, qui ex viſis, aut tantum auditu perceptis ingratis rebus ſuboritur. Non minus hoc loco commemoranda vomitio eſt, quæ à frigore extrinſecus ventriculo admiſſo naſcitur: item quæ à motu corporis vorticoſo, & in navi a non aſſuetis inſtituto proficiſcitur.

§. XXX.

*Vomitus criticus.* Datur vomitus criticus, quando ſcilicet cauſſa materialis, quæ ipſum produxit, ipſo vomitu eliminatur, qui valde ſalutaris eſt, & interdum obſervatur in iracundis, & cachecticis cholericis; nec non in febribus & intermittentibus & acutis, circa dies potiſſimum judiciales. Hac enim ratione ventriculus, duodenum, vaſa hepatis biliaria, pancreas & inteſtinorum canalis atque glandulæ à ſuccis & humoribus vitioſe ibidem collectis expurgantur, qui alias maſſam sanguineam ingredientes, varia inferre poſſent mala, quæ ab iſtis foras projectis timenda non ſunt. De tali ſalutari vomitu egregia ſunt, quæ habet CELSUS *l.*1. *cap.*111. *vomitus*, inquit, *utilis eſt plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet; ſive jam corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id qua via primum expelli poteſt, ejicere; itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum adſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt.*

§. XXXI.

*Cauſſarum diagnoſis.* Cauſſarum diverſitatem produnt concurrentia ſigna. Pituitoſi vomitus, cum dolore circa ventriculum gravativo, cruditates in primis viis hærentes, indicant: bilioſi chronici, & periodici, nimiam ductuum biliferorum laxitatem ſignificant: chronici per multos annos durantes, cibos ſemicoctos ſimul eructantes, viſceris cujuſdam læſionem ac ſcirrhum portendunt. A calculo ſubortum vomitum colligimus ex juncto in regione lumbari dolore, cum urinæ imminuto fluxu, & ſabuli excretione. Complicati vero vultus pallores, inteſtinorum dolores ac roſiones, cum frequenti ſputatione, nariumque pruritu, vermium ſuſpicionem movent. Ceterum judicio opus eſt, ut ex aliis, quæ concurrunt, ſymptomatibus veram vomitus cauſſam exploremus: quoniam hac latente, palliativa tantum conceditur curatio.

§. XXXII.

*Prognoſis.* Omnis critica vomitio ſalutaris; ſymptomatica, mala, & ab acrimonia ſubtili cauſtica, nervos vellicante, peſſima. Omnis vehementior vomitus, periculo non vacat: movere enim poteſt abortum, excitare herniam, & non ſine noxa ad retropulſionem materiæ arthriticæ, podagricæ, ac eryſipelaceæ diſponere. Inde ruptum eſſe omentum perhibent ACT. MED. BEROL. *dec.II. vol.III. pag.* 33. ipſumque ventriculum lacerari, auctor eſt SANCHEZ *obſ. pract. pag.* 376. Bilioſi vomitus, maxime virides, porracei, æruginoſi, metu periculi terrent, & inflammationem minantur. Vomitus qui fit à vermibus, ventriculum arrodentibus, plerumque pernicioſus: lethum prænunciat, quando lumbricus mortuus ejicitur, & antea graviſſima ſymptomata & atroces artuum convulſiones ſimul & ſemel ceſſant, quod evenit, ſi ſphacelus ſuperveniat, à quo etiam vermes enecantur. Omnis quoque fœtidus vomitus, quia internam corruptionem indicat, mali ominis eſt. Sebaceus corroſivi acidi humoris copiam, qua pinguia coagulantur, in ventriculo generari & plerumque intolerabilem ardorem ſeu ſodam parere indicat.

Ubi ingens craſſi inſtar bovinæ bilis bruno colore tincti humoris copia ad libram dimidiam vel unam vel ſponte vel arte evomitur, quod non raro in lentis febribus accidit, primum à ventriculo inteſtinum magna atonia adfectum eſſe, certum eſt indicium.

Vomitus ultra ſemeſtre ſpatium vel amplius continuus cum lento æſtu & corporis extenuatione haud incertam ulceroſi ventriculi ſuſpicionem alit: qualem caſum ante quinquaginta annos, cum Mindæ Weſtphalorum artem exercerem, vidi & obſervavi diſſecto poſt mortem corpore.

## *METHODUS CURATORIA.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quemadmodum vomitus criticus, quo humores copioſi varii generis rejiciuntur, ſalutaris eſt, & nullam exigit fere curationem, ut potius promoveri nonnunquam debeat: ita ſymptomaticus, qui removendæ cauſſæ ſæpius eſt minus accōmodatus ac ſufficiens, tanto magis ſollicitam & providam exigit curam. Et hæc binis potiſſimum abſolvitur indicationibus, ut ſcilicet primum convulſivam illam, ac effrænem ventriculi motionem provide conſopiamus; & deinceps cauſſas materiales oppugnemus, iiſque medeamur.

§. II.

§. II.

*Quæ motus ventriculi convulſivos ſopiant.*

Primæ indicationi ſatisfaciunt antiſpaſmodica, roborantia, anodyna à lenioribus ad fortiora aſcendendo. Sunt ejuſmodi remedia crocus & caſtoreum in pulveris, eſſentiæ pariter, ac extracti forma; theriaca cœleſtis, cum pulvere ſuccini & abſorbentibus, cornu cervi, cancrorum oculis, & coralliis rubris maritata. Ex his confecti pulveres, cum aquis ſpirituoſis ac vinoſis, quales ſunt aqua florum tiliæ, liliorum convallium, chamomillæ, meliſſæ, menthæ, ceraſorum nigrorum, cinnamomi &c. non ſine ſingulari fructu adhibentur. Inter roborantia laudem merentur nux moſchata, flores macis, cardamomum, cinnamomum, coſtus verus, caryophylli, cortices citri, & aurantiorum, radices gentianæ rubræ, calami aromatici, galangæ, herba majoranæ, roriſmarini &c. & ex his parata olea pariter ac eſſentiæ. Omnibus vero in hoc malo appropriatis & ſpecificis mentha criſpa palmam præripit: nam ex ea paratum genuinum oleum mirifice & ſedandi & roborandi fine omnibus fere medicamentis poteſt admiſceri. Ex anodynis efficacem non minus ac perquam tutam virtutem liquori meo anodyno tribuere poſſum, maxime ſi cum balſamo vitæ meo permiſceatur. Et ſi denique potentioribus opus fuerit anodynis; in uſum vocari poſſunt pilulæ de ſtyrace, Wildeganſii & Laudanum Sydenhamii liquidum.

§. III.

*Externorum uſus.*

Ubi hæc adhibentur, non ſine fructu conjungi poſſunt, topica regioni epigaſtricæ admovenda, quæ motuum ferocitatem aliquantulum coercendi vim habent. Quo nomine commendari merentur, olea deſtillata roborantia menthæ, caryophyllorum, nuciſtæ, abſynthii, macis, de cedro &c. cum balſamo Peruviano in unguentum redacta, nec non epithemata, ex ſpiritu matricali, theriacali, aqua Reginæ Hungariæ, eſſentia croci, & cataplaſma ex ſpiritu vini camphorato, fermento panis, aceto vini acerrimo, balſamo Peruviano additis aliquot olei macis & menthæ guttulis confieri poſſunt. Non levioris virtutis eſt emplaſtrum de cruſta panis, cum balſamo Peruviano, & una alteraque olei cujuſdam deſtillati guttula malaxatum: quibus denique ſuperimponere decet ſacculos calidos & reſolventes & roborantes. Perquam utile etiam eſt noſtrum vitæ balſamum, præcordiis & regioni epigaſtricæ illitum.

§. IV.

*Vomitus pituitoſi curatio.*

At vero luderur utique omnis opera, ſi his ſolum utamur, nec ad cauſſam materialem tollendam ſimul reſpiciamus. Vomitus itaque, qui dicitur pituitoſus, & à cruditatibus primarum viarum, hiſque impacto muco viſcido dependet, optime curatur ipſo vomitu, maxime ſi ille ad eliminandam penitus ſaburram non fit ſufficiens, & magis moleſto vomendi conatu, nauſea ac cardialgia vexat. Tunc enim præmiſſis incidentibus, ac digeſtivis, ut ſalibus neutris, radice ari, & cumprimis ſquillæ, ſuccurrendum eſt leni emetico, quale conſtituit aqua tepida, butyro inſulſo permixta, & copioſe hauſta; vel etiam radix hypecacuanhæ in pulvere propinanda. Infantibus vero ex lacte congrumato, vel meconio intra ſinum ventriculi contento vomiturientibus, convenit oxymel ſquilliticum, cum ſyrupo de rhabarbaro mixtum exhibere.

§. V.

*Curatio vomitus bilioſi.*

Bilioſus vomitus, qui a ſtagnatione bilis ſpiſſata proficiſcitur, & fomitem ſuum in duodeno habet, præter abſorbentia & blanda laxantia mannata ac rhabarbarina, perfectam admittit ſanationem, ex inſtauratione roboris ventriculi ac inteſtinorum: quam remota ſenſim ſaburra, elixir noſtrum viſcerale, diutius, & cum conjuncta recta vivendi ratione, & corporis exercitatione uſurpatum, feliciter præſtabit. Et uti hoc bilioſi vomitus genus chronicum eſt; ita magis acuti, & ſæpius ſontici eventus eſt illud, quod à vehementiori ventriculi ac ductuum biliferorum ſpaſmo, ab iracundia concitato, originem trahit. Tum convenit bilis acrimoniam diluentibus, acidulis remediis, ſpiritu nitri dulci, ac vitrioli, abſorbentibus, ebore foſſili, cancrorum lapidibus &c. contemperare; ſpaſmodicos vero motus blandis antiſpaſmodicis ac anodynis delinire; junctis evacuandi fine, potiunculis rhabarbarinis. Ubi vero ſubeſt coagulum aut calculus felleus: ei reſolvendo non eſt præſtantius ſubſidium thermis Carolinis, aut acidulis quibuſdam tepide adhibendis. Ubi nimia vaſorum biliarium laxitas vomituum chronicorum cauſſa fuerit; conducunt roborantia, ex quibus palmam obtinent cortex chinæ, caſcarillæ, eſſentia gentianæ, & tincturæ martiales, in aquis vinoſis propinandæ.

§. VI.

*Vomitus ab acri, venenata materia ſuborti curatio.*

Qui ab acri materia, nervis ventriculi inſidente ſuboritur vomitus, & à retropulſa podagra, arthritide, aut intus acto eryſipelate natales mutuatur: præter blanda ſedantia, & motus expulſioni materiæ minus proportionatos coercentia, exanthematicæ materiæ revocationem expoſcit. Hanc obtinere licet, dato pulvere diaphoretico, qui ſanguinis motum una cum peregrina materia foras educit, eo felicius, ſi refracta camphoræ doſis ipſis addatur, & externe clyſteres, frictiones, & pediluvia conjungantur. Ubi venena, vel venenati cibi malum produxerunt, nihil certius auxilium præbet, quam largiſſimus lactis, & pinguium potus, mox ab initio porrigendus; quo & ſpicula veneni obtunduntur, & hoc una cum liquido vomitu rejicitur. Hinc multis etiam medicis in more eſt poſitum, ut vomitum, qui in peſte, febribuſque malignis a miaſmate, tunicas ventriculi ſtimulante concitatur, data cum potu tepidiori ſufficienti radice ipecacuanhæ adgrediantur, tumque acida cum diaphoreticis maritata exhibeant; ſed cave, ne vomitum hoc in morbo concites, ſi jam inflammatio ventriculi præſto fuerit.

§. VII.

*Vomitus à ſaburra inteſtinorum curatio.*

Sæpius ſaburra acris, acida, bilioſa, ad inteſtinorum volumen devoluta cum colicis doloribus vomitum excitat: quo in caſu oretenus exhibere convenit 1) diluentia ac demulcentia, decoctum avenæ, cornu cervi, ſerum lactis, vel oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia; 2) antiſpaſmodica, ex quibus liquor anodynus mineralis cum aliquot guttulis olei macis veri maritatus, & cum aqua frigida exhibitus, omnibus palmam reddit dubiam; poteſt quoque Laudanum Sydenhamii in uſum trahi; atque etiam ſpiritus vitrioli rectificatus vel ſolus vel cum liquore anodyno mixtus, & cum aqua frigida propinatus, idoneum in vomitu, ſi tempera-

mentum eſt cholericum, remedium exiſtit. 3) blanda laxantia, quæ inter clyſteres cunctis reliquis palmam eripiunt, junctis oretenus mannatis, rhabarbarinis, vel etiam ſalibus thermarum ſolutis. Clyſteres ex ſolo lacte parati, in vermium præſentia ſunt convenientiſſimi: quibus etiam obviam eundum eſt reſolventibus amaris, atque laxantibus mercurialibus, ſi modo ſub horum uſu ſufficiens lac aut oleum amygdalarum exhibeatur.

§. VIII.

*Præſervatoria methodus.*

Præſervativa methodus locum habet maxime, ubi ex nimia primarum viarum laxitate, cruditatum perpetuus fit proventus, & inde periodicæ eveniunt vomitiones. Tum regio ventriculi pariter, ac dorſi circa primam lumborum vertebram, cui per ligamentum quoddam annectitur ventriculus, ab omni frigore munienda eſt. Cibi ſaliti, acidi, crudi, infumati, dyſpepti ſtudioſe vitari; nec pro potu cerevïſia, ſed decoctum quoddam, conjuncto vini veteris generoſi, potiſſimum Burgundiaci uſu, adhiberi debent. Nocet quoque nimius ſomnus; magis vero utilis eſt moderata corporis exercitatio. Ad tempus ſub epulis elixiriis viſceralibus uti; nec non balnea martialia, & remedia liquida ex marte parata uſurpare expediet. Et denique per vices blando laxante canalem alimentarem purgare juvabit.

## *CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautela circa ſedantia & roborantia.*

Vomitiones, materia nondum remota, adſtringentibus & anodynis ſiſtere velle, perniciosiſſimum eſt; ſopitis enim motibus, graviora ſuccedunt ſymptomata, magnæ præcordiorum anxietates, cardialgiæ, inquietudines &c. Quamobrem roborantibus etiam ante excretionem materiæ datis, plane non cedere ſolet vomitus. Locum hæc remedia tantum habent, ubi motuum magis vitium ſubeſt; nec amplius peccat materia, ſive inter motum & materiam nulla eſt proportio, vel ſi hæc paulo ſubtilior, parcaque mole peccaverit, & motus vomibundi ſint vehementiores.

§. II.

*Vomitus à tuſſi convulſiva provocati curatio.*

Hinc ſi vomitus in infantibus præſertim ac pueris à tuſſi ferina convulſiva, ob conſenſum, quo ventriculus cum ſepto transverſo pollet, provocatur: tunc omnino expedit ſedantibus ac anodynis illum coërcere. Cui ſcopo ſerviunt ſyrupus papaveris albi, & rhœados, extractum croci, oleum amygdalarum dulcium cum ſpermate ceti permixtum, nec non pulvis Marchionis, cum ſuccino, cinnabari, & uno alterove grano theriacæ cœleſtis datus utiliſſimus erit. Extrinſecus alvo infundi poſſunt clyſteres; & pectus, atque regio epigaſtrica inungi linimento, quod habeat butyrum majale viride & rubrum, axungiam taxi, vulpis, pinguedinem caſtorei, & pauxillum olei hyoſcyami.

§. III.

*Curatio vomitus à congeſtione ſanguinis ad ventriculum.*

Vomitus gravidarum ex regurgitatione ſanguinis ad ventriculum, qualis etiam in puellis, fœminiſque à menſtruorum retentione, & in viris ab hæmorrhoidum ſuppreſſione oritur; temperantibus, blandis laxantibus, clyſteribus, roborantibus, & optime venæ ſectione, aut excretionum debita revocatione, profligari poteſt. Emetica his in caſibus data veneni inſtar ſunt, & vel cruentam movent vomitionem; vel, uti mihi aliquoties videre licuit, inflammationem ventriculi cauſſantur funeſtam.

§. IV.

*Emetica poſt iracundiam peſſimi ſunt effectus.*

Bilioſus vomitus, qui poſt iracundiam, maxime inter paſtum movetur, cum ſpaſmo præcordiorum, caute tractandus, & curatio potiſſimum ad relaxandum ſpaſmum dirigenda eſt. Multis in hoc caſu familiare eſt, vomitoria vel purgantia propinare; ſed etiam atque etiam omnes ſinceros hortor medicos, ut ab his ſummopere abſtineant remediis. Funeſta enim non raro ex illis obſervavi ſymptomata, ac lethalem ſæpenumero ventriculi inflammationem: quod prolixius olim in diſſertatione *de medicina emetica & purgante poſt iram veneno deduxi.*

§. V.

*Vomitionum matutinarum curatio.*

Quando conatus ad vomendum, quin ipſe vomitus circa tempus matutinum invadit, qui frequens eſſe ſolet iis, qui nimis ſpirituoſis potibus, præſertim circa ſomni tempus utuntur: tum & pulveres præcipitantes, acidam cruditatem involventes & ea, quæ digeſtionem promovent, ut pulvis ſtomachalis BRICKMANNI, conditi cortices citri ac aurantiorum &c. conveniunt.

§. VI.

*Vomitus chronici à mœrore curatio.*

A diuturno mœrore ſi chronicus, quem aliquoties obſervavi, certis intervallis enaſcitur vomitus: præſtantiſſimum auxilium deprehendi in analepticis & maxime omnium in balſamo meo ſic dicto vitæ, ejuſque interno pariter ac externo uſu, præſertim ſi æquali portione cum liquore anodyno combinetur. Non minus proficit balſamum embryonum, aqua cinnamomi cydoniata; ac vinum generoſum.

§. VII.

*Vomitus febrilis curatio.*

Quando vomitus, tanquam ſymptoma paroxyſmis febrilibus jungitur, quod pluries evenit in quotidiana & ſimplici & duplici: convenit, ſi nihil contraindicet, lene emeticum propinare. In variolis & morbillis facta eruptione critica ſponte ceſſat, & mixtura ex aquis deſtillatis, ſucco limonum vel citri, & ſale abſynthii concinnata egregiam quandoque operam præſtat, quæ etiam in tertianis, ſuo uſu haud caret.

§. VIII.

*Vomitus à calculo curatio.*

Ex calculi dolore obortum vomitum inſtar omnium, liquor meus anodyno-mineralis, vel ſpiritus nitri dulcis bene præparatus ſedat ac conſopit. Conveniunt quoque clyſteres oleoſi, balnea aquæ dulcis, nec non oleum amygdalarum dulcium, interne ſumtum; atque antiſpaſmodica. Vomitus hernioſorum, ac iliacorum raro remittit, niſi emolliatur atque reponatur tumor hernioſus.

§. IX.

*Ubi vomitus vomitu curetur.*

Equidem HIPPOCRATES *l. 6. Epid.* vomitum vomitu curari ſcribit; quia vero alias contraria contrariis curantur, nonnulli medicorum hoc dicto ſimilia ſimilibus curari poſſe exiſtimant. Sed error eſt: ſi enim vomitus vomitu curatur, etiam per contraria fit ſanatio: nam ſæpe iſte fit à vitioſa humorum ibi ſtabulante ſaburra & male concoctis in ventriculo ſuccis, quos

quos natura extrudere ſua ſponte molitur. Quod ſi non ſufficienter valet præſtare, arte adjuvanda. Quapropter monendi ſunt tirones practici, ne hoc dicto abutantur, vel illud perperam applicando obſint. Nam peſſime peccare poſſet, qui ubi acris cauſtica materia ventriculi tunicis inhærens, vel ſanguis in vaſis ſtomachi ſtagnans vomitus cauſa eſſet, eum vellet arte præſertim paulo activioribus proritare.

§. X.

*Quies ſedat vomitum.*

Ad vomitum nimium ſedandum plurimum juvat in lecto jacere & quieſcere; nam corporis commotio protinus eum irritat & auget: quæ obſervatio in praxi multum uſus atque utilitatis adfert.

§. XI.

*Vomitus febrium exanthematicarum.*

In febrium exanthematicarum principio e. gr. peſtis, eryſipelatis, variolarum natura ſæpius molitur vomitum, qui neutiquam ſiſti vel adſtringentibus tractari debet: tum utilia ſunt, quæ leniter cuticularem excretionem procurant: nam ubi exanthemata in corporis ſuperficie apparere incipiunt, ſponte vomitus ceſſant.

§. XII.

*Vomitus hyſtericarum.*

Vomitus hyſtericarum contumaces non repente debent cohiberi per medicamenta opiata vel adſtringentia: vidi vehementes artuum convulſiones & miras præcordiorum anxietates ſucceſſiſſe: quibus ceſſantibus vomitus redibant.

§. XIII.

*Vomitus à ventriculi debilitate.*

Ubi vomitus frequentiores ſtomachum infeſtant, eumque infirmum reddunt, ciborum & diætæ exacta eſt habenda ratio: præſtat parum cibi & tantum idonei, concoctu facilis, ſed crebrius aſſumere: quibuſdam lac dulce cum pane candido confert, ſed non omnibus: potum aquæ fontanæ purioris & frigidæ ad firmandum ſtomachum & à vomendi conſuetudine præſervandum plus, quam aliud potus genus conferre, experientia edoctus aſſeverare poſſum. Vinum Gallicum dictum Pontack generoſum & adſtringens, item Burgundiacum præ aliis & maxime vino Rhenano, quod hypochondriacis præſertim minus utile, eligendum eſt: juſcula ex carne aſſa meliora, illis quæ ex elixa parantur.

§. XIV.

*Vomitus curatio, à repreſſa arthritide ſuborti.*

In morbis ubi natura motu quodam ſalutari critico in infeſto humore ad corporis ſuperficiem propellendo occupata eſt; ſicuti evenit in arthriticis, eryſipelaceis affectionibus; cautiſſime externa ſunt applicanda, & inter hæc præcipue camphorata. Vidi non ſemel à ſpiritu vini camphorato, certis in caſibus utiliſſime applicato, corporibus infirmis podagra, hepatitide, pleuritide ſpuria, quæ etiam rheumatiſmi ſpecies ſunt, relegata inde materia nocente ad ventriculi & inteſtinorum nerveas tunicas vomitus, & cardialgias ſingultuoſas ſumme anxias, inde oborta fuiſſe. Quo caſu ſi quis imprudenter adſtringentibus & opiatis vomitiones ſiſtere, vel purgantibus vitioſam materiam per alvum depellere velit, is profecto quam facile in corporibus infirmioribus lethalem inflammationem inducere poterit.

§. XV.

*Curatio vomitus gravidarum.*

Immoderatior & diuturnior gravidarum vomitus, qui prioribus maxime menſibus fit, præſertim in iis, quæ tum veneris uſui nimium indulgent, & plethoricæ ſunt, ſanationem per ſpirituoſa, ſtomachum roborantia, vel adſtringentia, aut opiata minime recipit. Sed iteratas ſanguinis miſſiones in talo & quietem animi & corporis exigit. Ego potu aquæ fontanæ purioris frigidæ, plus in eo, ſi nimius eſt, & abortum minatur, ſopiendo, quam aliis remediis præſtiti. Quando vero analepſi opus eſt, unicum cochlear aquæ cinnamomi cydoniatæ à cibo ſufficit.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Vomitus cachecticus.*

Vir triginta circiter annorum, iracundiæ ſupra modum indulgens, jam aliquot abhinc annis, magnis imi ventris torminibus, vomitione plerumque ſtipatis agitatus fuit. Laxantia, & cumprimis pilulæ polychreſtæ conſopierunt quidem ſemper hoc malum; ſed ex levi cauſſa iterum recruduit. Et per noviſſimum ſemeſtre ſævi in umbilicali regione dolores, cum gravi cardialgia, atque acidis vomitibus quotidie ferme invaſerunt; adeo, ut licet interdum per unum alterumque diem conquieſcerent, paullo tamen poſt eo acerbius infeſtarent. Vomitu primum reddebantur ingeſta minus digeſta, poſt vero humores acidi, pontici, ſtuporem dentium, ardoremque faucium inferentes eructabantur: quid? quod niger interdum vomitus magna in quantitate exciperet. Cunctis vomitu rejectis, levabantur dolores; hi vero ſumtis iterum cibis, ſtatim redibant cum borborygmis, & fluctuatione abdominis conjuncti. Alvus ſubinde ſemper erat clauſa, nec niſi ſuppoſitoriis laceſſita reſpondebat; & urinæ parum mejebatur. Si vomitio per aliquot ſucceſſive dies urgebat, lecto prorſus affixus erat miſer: contra vero vomitibus per quoſdam dies ſilentibus, mox recuperabat vires, & magno fruebatur adpetitu. Tandem accedebant œdematoſi pedum tumores, & abdomen infra umbilicum durum erat tenſumque. Quo in rerum ſtatu me accedebat, meamque anxius flagitabat opem. Ego nihil boni ſuſpicatus, præter pulverem abſorbentem, ordinavi blanda laxantia, & elixir viſcerale balſamicum: quod, licet primum levamen ferre deprehenderetur, paullo tamen poſt juſto videbatur calidius. Hinc filum curationis abrumpebat, & mali ſui majora indies perſentiſcebat incrementa.

*Epicriſis.*

1) Quoniam in præſenti affectu urina parcius redditur, alvus obſtructa eſt, vires conſumtæ, abdomen durum tenſumque, & pedes tumidi ſunt: juſtiſſime accuſatur cachexia, in tympanitidem, vel hydropem aſciten vergens, & vomitus conjunctus recte vocatur cachecticus.

2) Tale malum ſuam originem à tono ventriculi & inteſtinorum prorſus dejecto & inverſo repetit; nec paucam læſi hepatis aut lienis ſuſpicionem movet. Hinc enim fit, ut primum omnium langueſcat digeſtio, qua cibi aſſumti mox indigeſti redduntur, aut in cruditates viſcidas, acidas, & à permixta bile, quæ ſtagnando iners redditur, nigras dehiſcunt: quæ accumulatæ tormina inteſtinorum pariunt, tumque vomitu rejiciuntur.

3) Neque enim adpetentia, qua ſub vacuitate vomitionum gaviſus eſt æger, à naturali ventriculi robore, atque vigore ſuos mutuatur natales;

natales; ſed non niſi ab acidis primarum viarum cruditatibus derivanda eſt.

4) Si conſulamus experientiam, deprehendemus, rarius convaleſcere cachecticos, vel etiam hydropicos, qui omnia ingeſta, ſive ſint alimenta, ſive medicamenta ore rejiciunt. Namque ex alimentis nihil omnino retinetur, aut ſane parum, & ne hoc quidem, quod in chylum commutatur, ob bilis ac liquoris fermentativi inertiam, motuſque periſtaltici debilitatem, in ſuccos generoſos ac ſpirituoſos tranſire poteſt. Inde vitales humores acres redduntur, ac ſicciores, motuque inteſtino aſſidue perennante magis atteruntur: quamobrem calor tandem hecticus, ingens languor, & debilitas corporis, tabes, ac ipſa denique mors ſequuntur.

5) In tali rerum ſtatu, eſt quidem omnino medelæ locus, ubi nondum invaluit malum: quando vero atonia nimias jam cepit vires & viſcerum quædam læſio acceſſit, fruſtranea certe eſt ac irrita omnium medicaminum efficacia. Tum enim nec thermæ, quæ alias in ejuſmodi morbis, adhuc recentibus tollendis ſunt efficaciſſimæ, tuto adhiberi poſſunt; tantum abeſt, ut earum uſu hydropem, atque mortem magis acceleremus, quoniam debilitas partium ſolidarum impedimento eſt, quo minus hauſta aquarum moles iterum excernatur.

## Observatio II.

*Vomitus poſt nimias alvi dejectiones.* Virgo viginti annorum, vitæ ſedentariæ addicta, & potu parciori, more ſequiori ſexui ſolemni uſa, ob menſtruorum minus ordinatum fluorem, ſumſit aliquando per quoſdam ſucceſſive dies infuſum purgans, quod folia ſennæ ſine ſtipitibus, helleborum nigrum, polypodium, herbas uterinas, cephalicas, & ſpecies aromaticas habebat. Inde alvum quidem copioſe dejecit: at quum abſoluta potatione, ira exardeſceret, paulloque poſt fructus horæos ingurgitaret; prehendebatur enormi vomitu. Hic enim per plurimos dies contumaciter inſiſtebat, & aſſumta quævis, alimenta pariter, ac medicamenta eructabat; languentibus ſenſim viribus, & alvo exiſtente obſtructa. Quare conſultus ego injiciendos curavi clyſteres emollientes, cum liberaliori ſalis communis doſi, ſtimuli loco remixtos; & regioni præcordiali imponendum chartæ bibulæ, balſamo vitæ meo imbutum fruſtum. Intrinſecus dedi pulveres temperantes ex lapidibus cancrorum, nitro, pauxilloque theriacæ cœleſtis compoſitos; hoſque cum liquore anodyno alternari juſſi: quibus obtinui, ut pauco tempore hæc adfectio moleſtiſſima ceſſaret.

### *Epicriſis.*

1) Notari in hoc caſu meretur, quod alvi dejectiones à purgante concitatas, enormes exceperint vomitiones. Fieri hoc ſolet in ejuſmodi potiſſimum ſubjectis, quæ impuros ſuccos, & præſertim copioſam in hepate collectam fovent bilem; quippe quæ, ſi vita ſedentaria, potus parcior, ac menſium defectus acceſſerint, ad vehementes tam per alvum, quam vomitum excretiones, valde ſunt proclivia; longeque magis ſi levis irritatio, vel per ſumtum purgans, vel vomitorium, vel excandeſcentiam, vel etiam cibos fermenteſcibiles facta fuerit. Tum enim fit, ut non modo contenta ventriculo & inteſtinis actu inhærentia rejiciantur; verum etiam colluvies vitioſorum humorum ex toto corporis habitu, ad adfectam partem ruat, ibidemque ſubtiliorem ſeroſam portionem dimittat.

2) Idem contigit in noſtro caſu: poſtquam enim infuſo laxante alvus nimium irritata fuit; hujus excretione ceſſante, remanſit utique aliqualis ventriculi ac inteſtinorum debilitas. Quum itaque gravis paullo poſt acceſſit iracundia, cujus vis in ſpaſmodica primarum viarum ſtrictura conſiſtit; ac ſubinde fructus horæi aſſumti fuerunt: hi, adaugendo motum fermentativum, ſtimularunt nervoſas ventriculi tunicas. Unde non ſolum inteſtinorum periſtalſis, teſtante alvi obſtructione, inverſa; ſed omnis fere ex toto corpore humorum motus ad ventriculum directus eſt: quare non potuit non contumax ac diuturna infeſtare vomitio.

3) Quod ſi igitur tali in caſu, injectis clyſteribus, & hinc procurata alvi dejectione, humores à ventriculo derivemus; bilioſam hujus ſaburram datis temperantibus obtundamus; effrænes motus, exhibitis blandis anodynis conſopiamus; & adplicato extrinſecus balſamo vitæ debilitatum ventriculi robur inſtauremus: vix fieri poteſt, quin brevi tempore noſtris votis potiamur.

## Observatio III.

Vir obeſus, quinquaginta annorum, corpore aliquando inſigniter calefacto, frigidum copioſe ingerebat potum, ipſumque ventriculum frigidiori exponebat auræ: unde ſtatim vehementer debilitatus, adpetitu dejiciebatur, æſtu præter naturali urebatur, & aſſiduis torquebatur vomitionibus. *Vomitus incongrue tractatus lethalis.* Has medici coërcere molientes, propinabant remedia adſtringentia, opiata, & electuaria ex conſerva roſarum, hæmatite, ſpirituque vitrioli parata. Verum increſcebat magis malum, & per ſex durabat hebdomades; tum enim vires proſternebantur, corpus contabeſcebat, frigoreque percellebatur, continuus circa ventriculum vexabat dolor; alvus contumaciter adſtricta, nihil ferme reddebat, & urina, quæ primum flammea erat, clara limpidaque ſine ſedimento mingebatur. Data nervina & anodyna ad tempus ſiſtebant vomitum, ſed mox ſequebatur inſignis præcordiorum anxietas, non niſi à recurrente rurſus vomitu mitigata: injecti etiam clyſteres hunc revocabant. Quare ad ſudorem eliciendum, exhibebatur infuſum calidum herbæ menthæ, maſtichis, ac cinnamomi: at ejus ne guttula quidem promanabat, licet antea magnam ſudandi proclivitatem habuerit. Adaugebat potius hoc infuſum vomendi vehementiam; accedebat vertiginoſa moleſtia, atque tandem mirum in modum emaciatus, tranſactis ſub hoc malo, duodecim hebdomadibus, animam exſpirabat.

### *Epicriſis.*

Nihil eſt, quod tam vehementer & tam ſubito naturalem ventriculi functionem, motumque & tonum valet deſtruere, ac valde frigidus potus, corpori calefacto & ſudore diffluenti copioſe ingeſtus; utpote qui ſanguinem in ventriculi vaſis mox coagulat, ejuſque liberum progreſſum ſiſtendo, permulta & horrenda, quæ innumeris mihi conſtant exemplis, incommoda producit. Inde enim ſpaſticæ & anxiæ circa præcordia ſtricturæ & anguſtiæ, nauſea, inappetentia, vomitiones, phlogoſes, & exæſtuationes ſanguinis moleſtæ ſuccedunt; quæ niſi convenienti medicina arceantur, vel cito in inflam-

inflammationem vel in exulcerationem, in hecticam febrem tranſeuntem, uti in noſtro caſu factum, terminantur. Ex eo jam liquido patet, quam imperite & imprudenter medici illi agant, qui mali originem non attendendo, crebras vomitiones & dolores adſtringentibus & opiatis compeſcere volunt; cum potius, ubi talis ſubeſt cauſa, quæ cruorem fundendo & reſolvendo, liberiorem ſanguinis per vaſa circuitum promovent, convenientia remedia & interne & externe cito admovenda ſint. Tanta fuit in noſtro ægro ſpaſmi in ventriculo violentia, ut valde remotas etiam nervoſas partes, vias nempe urinarias, corticem corporis cutaneum & opticos in cerebro nervos in conſenſum ſive ſimilem ſpaſticum motum pertraxerit. Veriſſimum enim HIPPOCRATIS eſt dictum: *Ventriculi confuſio omnium confuſio.*

## OBSERVATIO IV.

*Vomitus à bilis in duodeno ſtagnatione.*

Generoſus vir triginta annorum, acutioris ingenii & conſtitutionis cholericæ, profundis mentis meditationibus in matheſi & philoſophia ſupra modum inhærens, ingentem toti corpori contraxit imbecillitatem. In regione epigaſtrica per intervalla tenſivas & ſpaſticas conſtrictiones, & vomendi conatus perſenſit; quæ pathemata per exceſſum in vino non parum aucta fuerunt. Aliquot jam per annos de dolore tenſivo & ardente in dextro hypochondrio verſus ſcrobiculum cordis conqueſtus eſt. Tuſſi quoque catarrhali, hiemali præſertim humido tempore, crebrius eſt obnoxius. Per annum vero & amplius ſingulis fere menſibus, vehementi in dextro hypochondrio præcedente dolore & ſpaſmo, vomitus, quibus copioſa & viridis bilis ejicitur, experitur. Poſtea evacuata bilioſa illa ſaburra appetit & melius habet. Interdum etiam circa regionem lumbarem perſentit dolorem, & poſt largiorem vini potum multum ſabuli per urinam ſecedit. Petiit nuper hic eruditus vir, cum hanc urbem tranſiret, à me conſilium. Ego ſuaſi ut proximo vere vel acidulas Schwalbacenſes vel thermas Emſenſes ipſi vicinas biberet, & à ſeriis ejuſmodi & profundis mentis ſtudiis abſtraheret, & aquam pro potu ordinario cum quarta parte vini dilutam biberet. Cæterum quia alvi erat adſtrictioris, frequentiorem paſſularum rhabarbarinarum uſum commendavi.

### *Epicriſis.*

Cauſam hujus vomitus bilioſi & periodici ego à bile in veſicula ſellea nimium congeſta & ſtagnante deducendam eſſe exiſtimo. Mea namque eſt ſententia, in hypochondriacis, in quorum numero etiam præſens æger eſt, bilem viſcoſiorem nimia ſæpius in quantitate in veſicula fellea colligi, ubi deinde mora acrior reddita, motu periſtaltico, quo etiam gaudet hæc capſula, inverſo, copioſe in cavitatem duodeni effunditur; idque non tantum in veſicula fellea, ſed etiam in ductibus hepaticis bilioſis fieri, ut nimis infarcti & diſtenti à ſtagnante humore bilioſo cum impetu & vehementia ſeſe interdum exonerent, autumo. Cumque ſæpe in ſimilibus à copia ſtagnantis bilis in ſuis receptaculis enatis affectibus, non ſine inſigni fructu aquis medicatis mineralibus, utpote quæ hepatis obſtructionibus reſerandis & expediendis aptiſſimæ ſunt, uſus ſum; ita quoque hic in vomitu bilioſo periodico tollendo egregium effectum ab earum uſu repetendum fore judicavi.

## OBSERVATIO V.

*Vomitus diuturni ex atonia primarum viarum.*

Splendida perſona, annorum quinquaginta, conſtitutionis tenerioris à multo jam tempore ventriculi inflationibus laboravit, adeo ut circa ſcrobiculum cordis tumor inſtar ovi gallinacei conſpiceretur; & alvus ordinario eſſet pigrior. Hic vir magni nominis æſtivis menſibus ob loci mutationem & peregrinationes frequentiores ſatis commode habebat. Cum vero autumno fructibus horæis ſucculentioribus, præcipue pomis Perſicis, & uvis maturis incredibili in quantitate veſceretur, per totam fere hiemem ægrotabat. Aliquot enim à prandio horas tenſiones circa præcordia cum vomendi conatu, extremorum frigore & corporis laſſitudine experiebatur; poſtea vomitus ſucceſſerunt valde pituitoſi, qui quando paulo largius vinum Rhenanum bibebat, erant acidiſſimi, ut dentes ſtupefacerent, & argentea vaſa viridi colore inficerent. Nunquam autem vomitus vehementiores fuerunt, ac ſi alvus adſtrictior, & conſtitutio aëris aquilonaris eſſet, aut ſi cibos induratos, pingues, quibus delectabatur, ſupra modum aſſumeret. Vomitus interdum erant nigricantes, qui medico & adſtantibus ſuſpicionem cruoris intermixti afferebant. Sed ego poſtea in conſilium vocatus, cum tales vomitiones & amurcam viſcidam ex bruno-nigram obſervarem, eam ab aqueo phlegmate liberavi, & in cochleari argenteo, facta evaporatione, exſiccavi; quæ flammæ admota ardebat, minime vero fœtorem ſalis volatilis, qualem ſanguis accenſus ſpargit, naribus exhibebat. Accuratiori itaque facta inquiſitione, ante quatuor dies decoctum ſuccoladæ ſplendidum hunc virum potaſſe intellexi. Quare ex hoc, vomitus, qui putabatur cruentus, cauſam clarius aperui; præſertim cum cognoſcerem ex familiaribus, crebrius ægrum uti hoc decocto, & vomitus ſemper eſſe graviores, quando tuſſis catarrhalis infeſtaret, alvus eſſet ſtrictior, & ipſe ad ſomnum conciliandum deſtinatis uteretur pilulis. Ceterum integer erat adpetitus, ſed vir ſplendidus non modo diæteticas leges ſpernebat, verum nec cujuſvis generis medicamina, utut ipſi proficua aſſumere volebat. Interim optimum levamen à potu aquæ frigidæ, pulvere lapidum cancrorum, & eſſentia corticum aurantiorum cum julepo quodam ſumta perſentiſcebat; atque etiam à potu thermarum Carolinarum egregium experiebatur auxilium.

### *Epicriſis.*

Frequentiorum, quibus hic ægrotans, adfectus eſt vomitionum origo non niſi magnæ ventriculi ac inteſtini duodeni atoniæ, ac debilitati, quam fructus horæi, inſigni copia comeſti, nimium auxerunt, in acceptis eſt ferenda. Quando enim virtus harum partium periſtaltica deſtructa & labefactata eſt; ſtagnant in iis cruditates, ac bilioſi humores, & ob eandem diuturniorem moram, corruptionem potiſſimum acidam ſubeunt; talis itaque mole pariter ac acrimonia nociva colluvies ſtimulat nervoſas tunicas, eaſque ad motum præternaturalem, vomitus cauſſam proritat. Docemur præterea ex hoc caſu, vomitus nigros non ſemper à ſanguine, in ventriculum effuſo, ſuos natales mutuari; nec quoſvis periculi metu terrere: ſed ſæpenumero ab alia cauſſa proficiſci, quæ hoc in affectu

potui ſuccoladæ debetur. Quapropter opus utique eſt, ut ejuſmodi amurcam vomitu rejectam, medicus rerum phyſicarum atque medicarum probe peritus, per commoda experimenta rite examinet, tumque demum judicium de ea ferat.

### Observatio VI.

*Vomitus diuturni à ventriculi debilitate poſt febrem ardentem relicta.*

Vir annorum quadraginta, arti venatoriæ deditus, naturæ robuſtioris, ante quadriennium, vehementi motu & curſu diutius continuato defatigatus, ſudoreque diffluens, ad reſtinguendum ſitis incendium, frigidæ cereviſiæ hauſtum largiorem ingurgitavit. Inde vero factum eſt, ut protinus cunctis viribus dejectus, prævia horripilatione, in continuam ardentemque febrim, aſſiduis vomitionibus, præcordiorum anxietatibus, atque delirio ſtipatam incideret; quæ per ſex integras perdurabat hebdomades. Quibus elapſis, naturæ magis beneficio, quam remediorum, quorum pauca aſſumſerat, ope, divina favente gratia convaluit. Verum abhinc tanta infirmitate affectus permanſit ventriculus, ut huc uſque crebris vomitibus, cum nauſea junctis fuerit obnoxius. Hi enim priori biennio, ſingulis binis hebdomadibus infeſtabant; poſthæc autem quovis menſe redibant, & hunc morem adhuc dum ſervant, inſtar febrilium ſemper invadentes acceſſionum. Namque primum circa epigaſtricam regionem & hypochondria tenſivum, atque gravativum perſentit dolorem, quem horror & refrigeratio pedum manuumque, mox totius corporis excipit; hunc ſequitur ingens cum vomitibus æſtus, atque tum magna humorum, & interdum puræ lymphæ copia rejicitur: qualis paroxyſmus per duodecim circiter horas adfligit. Simulac ille invadit, lectum petere tenetur æger, ſeque quietum continere; quoniam ad levem corporis agitationem, cum crebrioribus vomitibus, majores junguntur præcordiorum anxietates. Reliquo tempore adeſt quidem aliqualis adpetitus, ſed non niſi cibos coctu faciliores, juſcula, ova ſorbilia, pultes ex oryza, milio, & lacte confectos aut fructus horæos & varias olerum ſpecies cocta aſſumere poteſt: contra carnes, cumprimis infumatas atque piſces non ſolum magno averſatur faſtidio, verum majores quoque ex illis ſentit moleſtias. Si frigus admiſerit corpori, aut vehementiori animi indulſerit pathemati, protinus revocatur mali acceſſio; qua finita, ſatis bene habet, ſuoque commode fungitur officio. Quum meum peteret conſilium, ſuaſi, ut puram aquam ſimplicem, cum quarta vini parte remixtam biberet, & ob alvi, de qua conquerebatur, ſegnitiem, infuſum rhabarbarinum cum paſſulis interdum ſumeret; præterea vero elixirio meo viſcerali, cum extracto abſynthii, & aliquot balſami vitæ guttulis permixto uteretur.

*Epicriſis.*

1) Gravia ſunt, & innumera mala, quæ à potu frigido, improvide, & corpori calenti ingeſto proficiſci deprehenduntur. In hoc enim ægrotante inde pullulavit febris acuta, vomitibus ſtipata, qui poſthæc, ſanata febre, certis paroxyſmis redeuntes, per integrum durarunt quadriennium.

2) Deinceps ex hac morbi hiſtoria adnotare licet ſingulare robuſtioris naturæ exemplum; quo noſter ægrotus febrem acutam, cum deliriis, & procul dubio ventriculi inflammatione junctam, perque ſex hebdomades inhærentem, adhibitis paucis medicinis ſuperavit; quam vel centum alii, abſque vitæ diſcrimine haud potuiſſent ſuſtinere.

3) Notabilis quoque eſt, poſt hunc gravem morbum relicta febrilis illa periodica affectio, quæ rectiſſime dici poteſt emetica. Nam originem ſuam repetit ex ventriculo, à febre dicta acuta, debilitato, & per periodos ſpaſmodica conſtrictione, per totum corpus propagata, affecto. Ubi iterum peculiaris, & quaſi individualis naturæ vigor eſt attendendus; quo, ſalutari plane conſilio, humores vitioſi, ob primarum viarum debilitatem in iis collecti, atque à ſanguinea etiam maſſa ad eas conjecti, per vomitum expelluntur periodicum.

### Observatio VII.

*Vomitus à retropulſo eryſipelate lethalis.*

Vir annorum quinquaginta, à continuis mentis laboribus, ac lucubrationibus valde defatigatus, & ad cachecticam fere perductus conſtitutionem, catarrhiſque & rheumatiſmis crebro obnoxius, noviſſime elapſo autumno, poſt vehementiorem excandeſcentiam, præviis horripilatione, præcordiorum anxietate, & febrili æſtu, gravi eryſipelate, totam dextri pedis tibiam occupante, corripiebatur. Vocatus chirurgus pulverem ex farina fabarum, ceruſſa, bolo rubro, & camphora paratum, pedi adplicabat; unde æſtus tenſivuſque illius dolor evaneſcebat quidem; at anxiæ præcordiorum conſtrictiones, ſumma ſpirandi anguſtia, vomendi moleſti conatus, ac denique, prævio magno ſpaſmo, humorum limpidorum, ac pituitoſorum vomitiones, preſſo ſequebantur pede. Has accerſitus medicus ſpeciebus de hyacintho, cum terra Catechu, & aliquot extracti anodyni granis maritatis ſopire ſtudebat: ſed paullo poſt accedebat ſumma virium proſtratio, per aſſiduas vigilias, & inquietudines mirum in modum aucta; mox excipiebat ſingultus, per biduum inhærens, & undecima demum die mors vitæ finem imponebat.

*Epicriſis.*

Vomitus hic eſt ſymptomaticus à materia eryſipelacea ad tunicas ventriculi retropulſa, eaſque ad ſpaſmos irritante ſubortus. Quemadmodum vero natura in rheumatiſmis arthriticis, ac eryſipelaceis, noxium, & œconomiæ animali infenſum humorem, maxime per corporis peripheriam evacuare annititur: ita quoque ad abigendas, quæ à repulſa tali acri materia proveniunt, moleſtias, nihil eſt convenientius, quam per antiſpaſmodica & diaphoretica, eam ex loco, cui inſidet, rurſus excutere, & ad perſpirationem diſponere. Cui ſcopo obtinendo ego certe non præſentius liquore meo anodyno, liquori bezoardico nupto, unquam inveni auxilium. Contra vero nihil eſt perniciosius, quam ope adſtringentium pugnare his in caſibus, maxime omnium in corporibus, quæ impuris ſcatent ſuccis, & virium inſigni laborant imbecillitate: uti ſunt ſenes, & gravi ac diuturno quodam morbo defatigati. Complures profecto novi, qui per intempeſtivum externorum uſum, præſertim ſi interne copioſa refrigerantia, ſalina, purgantia &c. fuerunt adhibita, citra ſuam & medici opinionem cito occubuerunt. Eandem quoque cenſuram meretur camphora, ejuſque ſpiritus, in tumoribus eryſipelaceis diſcutiendis,

tiendis, tantis nominibus à vulgo chirurgorum pariter ac medicorum undique deprædicatus. Quamvis enim non omnem in ejuſmodi affectibus camphoratis derogem virtutem; attamen vel centies obſervavi, quod ſi nimis mature, ubi in expellendo noxio humore adhuc occupata eſt natura, admota fuerint, vim exſeruerint repellentem, infelici ſæpius ſucceſſu. Nihilo tamen minus concedi optime eorum uſum poſſe cenſeo, ubi ad exitum properat affectus, eo quidem fine, ut partibus per decubitum materiæ debilitatis priſtinum reddatur robur. Quod diſcrimen ut probe obſervare diſcant omnes arti navantes operam, diligenter hortor.

### Observatio VIII.

*Vomitus ex anguſtia duodeni lethalis.*

Vir ſeptuagenario major, nullis fere ob ſingulare naturæ robur per totam vitam ægritudinibus obnoxius, binis abhinc annis de dolore lumborum, inappetentia & laſſitudine cœpit conqueri. Hiemali ſuperioris anni tempore, ob cauſſam coram judicio gerendam, Magdeburgum profectus; ob res ibidem non ex voto ſuccedentes, non modo perturbato fuit animo; ſed accedentibus etiam ſub gelidiſſimo cœlo crebris occupationibus, domum redux, ingenti virium languore, ciborum faſtidio, atque anxio & conſtrictorio circa dorſum & cordis ſcrobiculum dolore, cum horridulis & æſtuoſis, quæ alternabant, commotionibus ſtipato prehendebatur. Jungebantur inteſtinorum tormina, & contumax alvi obſtipatio; ac denique vomitio, qua cuncta & alimenta & medicamina reddebantur, accedebat. Dicebat enim æger, ſe intrinſecus infra ventriculum quandam perſentiſcere anguſtiam, quæ liberum ingeſtorum tranſitum impediendo, eorundem ad ventriculum regurgitationem efficeret: quod ſi vero, ex liquidis quædam in inteſtina deſcenderent, protinus imi ventris ſequi tormina. Præterea ſuperveniebat inquietudo continua; nec ulla, utut alias efficaciſſima remedia, emollientia & antiſpaſmodica, tam interna quam externa, quicquam ferebant levaminis; ſed vomitu, ſingultu & aphthis in œſophago & ore ſenſim invaleſcentibus, per quatuor fere menſes preſſus ægrotans, & tandem viribus carneque prorſus exhauſtis, diem obiit ſupremum.

*Epicriſis.*

Gravem hunc & immedicabilem affectum medici, vel ex calculo majori renibus inhærente derivabant, vel calculo cyſtidi, ac ductui felleo firmius impacto attribuebant, eo potiſſimum ſymptomate ducti, quo æger ſpaſmum & dolorem in dextro latere circa cordis ſcrobiculum percepit. Verum ego neutri harum cauſſarum, deficientibus, quæ illarum præſentiam indicarent, ſufficientibus ſignis, ſubſcribere potui; ſed potius quandam inteſtini duodeni circa flexuram, in fine ejus anguſtiam ac coarctationem, liberum ingeſtis ad inferiora inteſtina tranſitum denegantem, malo cauſſam præbuiſſe autumavi. Hæc autem anguſtia ingenti frigori, ad dorſum penetranti, non minus ac graviori excandeſcentiæ deberi videtur. Ubicunque enim continuæ & quotidianæ ingeſtorum evomitiones infeſtant; cauſſam harum non tam in humorum intemperie, quam potius in vitio partium ſolidarum, & potiſſimum in anguſtia canalis, ſive in principio, ſive in fine inteſtini duodeni, vel etiam in ileo ponendam eſſe, multis rationibus convictus credo. Neque enim mihi, nec aliis auctoribus deſunt exempla, quod in duodeno, ileo, vel alio inteſtino, diſſectis corporibus, calloſa quædam obturatio fuerit inventa; quæ dum tranſmittendis humoribus obicem ponit, & motus periſtaltici inverſioni anſam præbet, atrociſſima producit ſymptomata. Quemadmodum vero acre frigus ſenilibus corporibus generatim eſt infenſiſſimum; ita præſertim ii, qui valetudinarii, & ſpaſmo obnoxii ſunt, à frigoris & venti aquilonaris ad lumbos acceſſu ſibi cavere debent. Ex anatomicis enim conſtat, quod circa initium lumborum ſitus & concurſus partium exquiſitiſſimo ſenſu præditarum reperiatur; quarum læſio, totam omnino vitalem œconomiam turbare poteſt & pervertere. Occurrunt nimirum ibidem ſita orificium ventriculi ſiniſtrum, tendines diaphragmatis, finis & flexura duodeni, flexura coli, plexus meſentericus magnus, & ramus arteriæ meſaraicæ: quorum omnium teneriori ſtructuræ frigus eſt inimiciſſimum.

---

## CAPUT VII.

### *De Dyſenteria.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

AD ſpaſmodicos & convulſivos affectus ſummo jure etiam illa cruenta dejectio eſt referenda, quam, ſtrictius ſumto nomine, dyſenteriam vocant medici, & quam per rheumatiſmum inteſtinorum cum ulcere COELIUS AURELIANUS, per febrim ad inteſtina converſam ſolertiſſimus SYDENHAM haud inepte cognominarunt. Ea enim reapſe nihil eſt aliud, quam motus inteſtinorum periſtalticus, ab inhærente eorundem tunicis humore cauſtico, exulcerante, ad convulſivum uſque gradum auctus, crebram deſidendi cupiditatem, ipſamque frequentem ſordium mucoſo-bilioſarum, plus minus ſanguine, vel ſanie tinctarum dejectionem, cum vehementibus tormentis, ac febrili commotione ſtipatam inferens. *Definitio dyſenteriæ.*

§. II.

Diſtingui meretur hæc adfectio ab aliis alvi fluxibus, utut torminoſis, quos vocare ſolent diarrhœas. *Differentia dyſenteriæ* Primum enim in his tormina tanta ferocitate in canalem inteſtinorum nunquam ſæviunt, quanta quidem in dyſenteria ſolet eſſe. *1) à diarrhœa.* Neque in illis cruenti rejiciuntur humores, ſed vel pituitoſi duntaxat, vel bilioſa colluvie permixti: qui à dyſentericis cruenti, ſanioſi, putridi, ac fœtidiſſimi redduntur. Qua deinceps ratione cholera diſcrepet à dyſenteria, ſequenti capite oſtendetur.

§. III.

Majori opus eſt judicio ad dyſenteriam à fluxu hæmorrhoidali, maxime torminoſo diſtinguendam: *2) à fluxu hæmorrhoidali.* ſanguis enim, qui ſub hoc effunditur, ſincerus plerumque exiſtit, & ſtercorum ſæpenumero comitatur dejectionem; cujus excretio tantum non ſemper inſigne ſanitatis poſt ſe trahit allevamentum. Contra vero in dyſenteria,

teria, ſanguis inter atrociſſima tormina, ac teneſmum moleſtiſſimum exprimitur dilutior, raro ſincerus, ſed potius cum materia ſanioſa, ſpumida, ac fœtida remixtus, nec ſui rejectione ullum virium relinquit incrementum; tantum abeſt, ut in pejus ſenſim ruat valetudo. Raro etiam ab hac cruenta dejectione febris abeſt rheumatica: & denique peculiare, quo graſſari ſolet, tempus, illam ſimul diſtinguit ab hæmorrhoidali fluxu.

§. IV.

*3) ab affectu, le mal de Paris dicto.*

Convenire porro cum dyſenteria videtur, attamen ab illa diſcrepat affectus ille, qui Lutetiis Pariſiorum endemius eſt, & quoſcunque fere corripit advenas. Hic enim conſiſtit in crebriori alvi dejectione, primum mucoſa, deinceps cruenta; ſed in eo differt à fluxu dyſenterico, quod ei malignitate longe inferior, nec contagioſa, nec febre ſtipata ſit; quolibet anni tempore invadat, & per longius tempus detineat ægrotantes, ita tamen, ut in publicum prodire, ac ſuis fungi queant officiis: quæ in dyſenteria longe ſe habent aliter.

§. V.

*Dyſenteriæ diſtinctio in benignam & malignam.*

Ipſa vero dyſenteria dividitur in benignam atque malignam. Illa diutius infeſtat, mitius decurrit, & minus eſt periculoſa; hæc autem non modo contagioſam præ ſe fert indolem, verum exitioſa quoque ſymptomata; ut febrem mali moris, ſummam virium jacturam, exanthemata maligna &c. habet conjuncta, & ad ſummum ægros perducit vitæ diſcrimen. Non minus diſtinctio dyſenteriæ in rubram & albam notari meretur; in illa humores cruenti, in hac ſanioſi, filamentis carnoſis, & ulceroſis lineamentis, ab inteſtinorum tunicis abraſis permixti rejiciuntur.

*2) in rubram & albam.*

§. VI.

*Subjecta dyſenteriæ.*

Peculiaris profecto dyſenteria morbus eſt, quippe qui rariſſime ſporadicus, ſed utplurimum popularis exiſtit, tumque varios malignitatis gradus exhibet. Neque enim ulli ſexui, nec ætati parcit; ſed tam fœminas, quam mares, tam infantes & pueros, quam adultos & ſenes infeſtat, adeo, ut nec teneri lactentes, in ipſis adhuc degentes incunabulis, ab illius tyrannide ſint immunes. Cumprimis autem malo huic ſunt obnoxii plethorici, bilioſi, & quorum ventriculus inſigniori laborat debilitate; nec non eos gravius vexat, qui inordinata uſi fuerunt diæta, fructuſque horæos, immaturos præſertim, ac fermenteſcibiles larga comederunt quantitate. Præ aliis etiam dyſenteriæ ferocitatem experiuntur, qui ſeſe calefactos per noctes potiſſimum frigidiori exponunt auræ: unde militibus in caſtris degentibus maxime familiaris eſt, & audit caſtrenſis; atque cum per Pannoniæ oras, ſæpius & atrocius graſſetur, quædam Pannonica ſolet adpellari.

§. VII.

*Tempus, quo graſſantur dyſenteriæ.*

Attentionem quoque meretur ea tempeſtas, qua dyſenteriæ ſtragem edere obſervantur. De qua ſi conſulamus HIPPOCRATEM; ille *ſect. III. aph. 2. hiemem plus juſto frigidiorem, & ſicciorem, ver autem pluvioſum & auſtrinum, æſtatis dyſenterias præcedere; & aph. 12. hiemem admodum auſtrinam, & pluvioſam, ver autem ſiccum & aquilonium, iiſdem producendis, maxime favere* ſcribit. Æſtas huic malo opportuna, deprehenditur ferventiſſima, ſub cujus finem, & autumni initium, menſe nimirum Auguſto, & Septembri, ubi poſt ſummum ſolis fervorem, interdiu moleſtum, noctes frigidiores, ventiſque borealibus fœtæ ſequuntur, malum excipit. Quare etiam, quo calidiores ſunt regiones, eo frequentiores & graviores fovent dyſenterias: unde eædem Ægyptis, Indis & Arabibus dicuntur endemiæ. Conf. BONTIUS *Lib. II. hiſt. nat. Ind. orient.* Præterea etiam mali moris dyſenteriæ ſolent graſſari, quando ingens muſcarum, erucarum, aranearum, & aliorum inſectorum copia in aëre obſervatur.

§. VIII.

*Hiſtoria morbi.*

Qui hoc malo corripiuntur, ante plenariam illius eruptionem diu de corporis laſſitudine, ventre tumido ac moleſtis quibuſdam in eo motibus conqueri animadvertuntur. Quin imo jam à COELIO AURELIANO *Lib. IV. morb. chron. cap. 6.* olim obſervatum legimus, quod dyſenterias plerumque vel diarrhœa, vel cholera, vel ventris tumor antecedat. Ipſe morbus tantum non ſemper cum rigore febrili, aut ſaltem quadam corporis horripilatione incipit, quam calor, plus minus acris ac vehemens, cum pulſu celeri, ac intenſa ſiti ſequitur, totumque morbi decurſum comitatur. Rigorem febrilem, aut antecedunt, aut certe mox excipiunt atrocia imi ventris tormina; tum alvus fit lubrica, atque primum contentæ in inteſtinis fæces, cruditates, mucoſique humores; paullo poſt adipoſi, ac fere oleaginoſi ſucci, & denique ſpumeſcens materia, cum ſanguine, vel ſanie ulceroſa, ac pelliculis, filamentiſque tunicaceis remixta, mole ſæpius exigua rejiciuntur. Quibus ſaburra quadam onuſtus eſt ventriculus, illi nauſeam, vomendi conatum, ipſoſque vomitus patiuntur; & multos gravis cardialgia, & præcordiorum anxietas diſcruciat. Omnes adfligit perpetua deſidendi cupiditas, & tantus ani teneſmus, ut non raro tædii plena ſequatur ejuſdem procidentia. Cunctas vero dejectiones, quæ ſunt numeroſiſſimæ, & antecedunt, & comitantur, & ſequuntur crudeliſſima tormenta, non in uno loco fixa, ſed per totum inteſtinorum canalem vago itinere progredientia; & ſub quavis ſede ſentitur moleſtiſſimus omnium quaſi viſcerum deſcenſus: *als vvenn alles, vvas im Leibe iſt, unten mit dem gröſſeſten Schmertz heraus vvolte.* Ad hæc perit omnis adpetitus, ſumma urget inquietudo, ſomnus præ dejectionum frequentia oculis eripitur, atque vires mirum in modum proſternuntur.

§. IX.

*Mali gravioris ſigna.*

Hæc ordinaria ſunt dyſentericorum ſymptomata; quibus malo increbeſcente, nonnullis longe graviora junguntur. Namque quibuſdam extremis frigeſcentibus, interiora uruntur, ardoriſque & pulſationis perpetuus inteſtina torquet ſenſus. Accedunt ſingultus, ſudores frigidi, vultus pallor, corporis macies, & inflammationes ac aphthodeæ faucium inquinationes. Quandoque, ſed raro indolentium dyſenteriarum caſus occurrunt, ut in A. N. C. *dec.* 1. *anno* 2. *obſ.* 43. *&* ACT. MED. HAFFN. *vol. II. pag.* 138. Interdum, ubi ad extrema ventum eſt, omnis dolor ſimul & ſemel ceſſat, ſitis veluti extincta perit, alvus præter voluntatem redditur, cum fœtore excrementorum graveolenti ac cadaveroſo, pulſus fiunt exiles, itaque mors procul dubio

dubio ſequitur. Notari adhuc circa dyſenteriæ hiſtoriam meretur, quod ſæpenumero contagioſa exiſtat: ſic enim ex ſolo ſordium rejectarum odore, malum ad alios propagari, præter communem experientiam, inſigni caſu teſtantur A. N. C. *dec. II. ann. 6. obſ.* 25. Quin lac etiam matrum dyſentericarum, infantibus eandem labem affricare, perhibent eadem A. N. C. *dec. II. ann. 6. obſ.* 195.

§. X.

*Sectio dyſenteria peremtorum.*

Dum adhuc in hiſtoria dyſenteriæ tradenda ſumus occupati; utile erit, quaſdam obſervationes de ſectionibus dyſenteria peremtorum proponere. Omnes itaque ſcriptores teſtantur, in ejuſmodi ſubjectis inteſtina tam tenuia, quam craſſa, vel inflammata, vel ſiderata, vel exulcerata, atque bile ſuffuſa poſt mortem fuiſſe reperta: quemadmodum apud BARTHOLINUM *Cent. VI. hiſt. II.* & BARBETTE *Lib. IV. cap. III.* pluribus videre licet. Speciatim pylorum cum inteſtinis tenuibus inflammatum vidit JOANNES DE LA MONIERE *tr. de fluxu dyſenterico pag.* 4. Inteſtina tenuia exterius bile ſuffuſa, atque livida, intrinſecus gangrænata, adnotarunt A. N. C. *dec. II. ann. VI. obſ.* 104. craſſa vero pari ratione livida, & gangræna affecta, obſervarunt PLATERUS *Lib. III. pag.* 875. & RIVERIUS *Cent. III. obſ. II.* Idem PLATERUS *mantiſſ. obſerv. pag.* 25. deprehendit, felleam cyſtidem bile prorſus vacuam; eadem vero tincta inteſtina ileon, atque colon, quæ intrinſecus multis ſcatuerunt ulcuſculis. BONTIUS loco bilis in fellea capſula reperit liquorem chylo ſimillimum; bilemque porraceam & fere gramineam in perfunctis hoc malo fuiſſe, teſtantur A. N. C. *Dec. II. anno VI. obſ.* 104. Nec denique exempla deſunt, quod in quibuſdam inteſtina plane coalita fuerint, inſtar eorum, qui ſumto perierunt veneno.

§. XI.

*Dyſenteriæ ſedes.*

Ex his autem, cum morbi noſtri ſymptomatibus rite collatis, ſtatim adparebit, quænam vera illius ſit ſedes. Hanc enim conſtituit amplus inteſtinorum canalis; quæ, notante SYDENHAMIO *Sect. IV. cap. III.* ſeriatim afficiuntur, donec tandem omnis mali vis in rectum decumbat inteſtinum. Nam hoc idem præ reliquis, & dolore morſicante, & moleſtiſſimo teneſmo, exercetur crudeliſſime. Neque vero negaverim, quin vicinæ partes, maximeque hepar ac biliferi ductus, per conſenſum etiam experiantur mali tyrannidem. Ipſa quod attinet inteſtina; determinari facile poteſt, quænam eorum potiſſimum diſcrucientur. Quod ſi enim proxime circa umbilicum atrox ſentitur dolor; ſique hunc tardior ſequitur dejectio; certum eſt tenuia laborare. Quando autem ad epigaſtricam regionem, ubi colon ſitum eſt, aut hypogaſtricam, atque hypochondria torminum vis incumbit, ipſæque fæces brevi poſt rejiciuntur; craſſa laborare, in aprico eſt. Ac ubi denique aſſidua fere, inanis tamen deſidendi vexat cupiditas, aut mucus fere tenax, viſcidus, paucus, acer, & virulentus promanat; ulcus in recto conſiſtere inteſtino, vero videtur ſimillimum.

§. XII.

*Inteſtinorum fabrica.*

Inteſtinorum quod attinet fabricam, non quidem noſtri eſt loci, eam fuſius explicare, multo minus eorundem varium ſitum, flexuras ac denominationes ample recenſere; ſed quædam duntaxat momenta, noſtro ſcopo convenientia adnotabimus. Illa igitur tam gracilia, quam craſſa componuntur, æque ac ventriculus ex quatuor tunicis, quarum muſculoſa binis fibrarum, una longitudinali, altera ſpirali conſtruitur ſeriebus, earumque ope motum perficit periſtalticum. Nervea tunica vaſis ſanguiferis ſcatet copioſiſſimis, adeo ut tunicam conſtituere videantur peculiarem; interne vero quam plurimis obſita eſt glandulis, quæ per ſuos excretorios ductulos, ex maſſa ſanguinea in cavum inteſtinorum aſſidue ſecernunt humorem ſeroſo-mucaginoſum, non illum modo, qui glutinis inſtar villoſæ adhæreſcit tunicæ, eamque pariter, ac ſubſtratam nerveam ab aſſumtorum acrimonia defendit; verum quoque alium, magis excrementitium. Notari enim probe meretur, quod humores, ſpeciatim ſeroſi, pro diverſitate conſiſtentiæ, in hoc vel illo loco, qui ratione magnitudinis pororum, magnitudini excernendarum particularum proportionatus eſt, ſecernantur. Sic ſubtilior portio per cutis ſpiracula exhalat; paullo crudior ad renes defertur; & quæ ſpiſſior adhuc eſt, ad inteſtina, tanquam amplam craſſarum ſordium latrinam demandatur.

§. XIII.

*Formalis ratio, & cauſſa proxima dyſenteriæ.*

His expoſitis, facilius jam erit, verum dyſenteriæ genium introſpicere, atque ſymptomatum eam concomitantium rationem ſuppeditare. Formalem illius rationem, motu periſtaltico, ad ſummum & convulſivum gradum adaucto, & exacerbato abſolvi, nemo eſt medicorum, qui negaverit; quoniam atrociſſima, & horrenda, quibus eo morbo correpti homines agitantur, dolorum tormenta id teſtantur clariſſime. Neque ullus eſt, qui inficias iverit, quin cauſſa dyſenteriæ proxima, in humore quodam acerrimo, cauſtico, tunicas inteſtinorum vellicante ac ſtimulante conſiſtat. Qualis autem hic humor proprie ſit, & unde generetur; obſcurum adhuc multis videtur, adeo, ut in varias inde abierint opiniones.

§. XIV.

*Auctorum opiniones de cauſſis dyſenteriæ materialibus.*

Veterum quam plurimi humorem illum colocynthidis naturam æmulari perhibuerunt: nec etiam, ſi effectus, quos ſumta colocynthidis poma in corpus humanum edunt, quoſque recenſet STALPART VAN DER WIEL *obſ. XLI.* cum ſymptomatibus dyſentericis rite contulerimus, multum à veritate abludere videmur. Deinceps communis plerorumque ſententia eſt, materialem dyſenteriæ cauſſam ſemper in cavo inteſtinorum contineri, & eſſe humorem acerrimum, ex fructibus horræis, maxime immaturis collectum, cum reliquis ſuccis, præſertim bilioſis confermentatum, atque nerveas tunicas vellicantem, arrodentem, & excoriantem. Verum, licet non negaverim, quin ſæpiſſime hæc concurrat cauſſa, eandem tamen ſemper & unice peccare, præter contagioſam dyſenteriæ indolem, & illi refutant homines, qui nullis omnino aſſumtis fructibus, eo rapiuntur morbo & teneri infantes, ubera adhuc matrum ſugentes. Quamobrem alii ad miaſma quoddam confugerunt plane ſpecificum, cujus ea eſſet indoles, ut in cavitate inteſtinorum cum bile potiſſimum confermentaret, tumque arroderet inteſtina. At nec huic in totum ſubſcribere poſſum opinioni;

ſi

ſi vel id conſideravero, quod nonnunquam tam acris per inteſtina effundatur humor, qui argentea corrodit vaſa; inde vero nec tunicæ inteſtinorum excorientur, nec tam atrocia, uti in dyſentericis, excitentur tormenta. Neque enim ſufficiens eſt exceptio, ac ſi in dyſenteria primum villoſa abradatur tunica, tumque vellicetur nervea: ſiquidem id ipſum ab alio quoque acri humore poſſet fieri, & præterea experientia docet, tormina dyſentericorum ſtatim cum morbi initio, priuſquam abradi potuit villoſum involucrum, invadere.

## §. XV.

*Cauſſa dyſenteriæ materialis, & ſymptomatum ratio.*

Quamobrem, meo quidem arbitrio vera materialis dyſenteriæ cauſſa, cui crudeliſſima inteſtinorum tormina, & reliqua ſymptomata debentur, reſidet potiſſimum in vaſis ſanguineis, tunicam inteſtinorum nerveam obſidentibus; & eſt materia quædam ſeroſo-lymphatica muceſcens, & cum particulis ſalſis, acribus, ac ſulphureis, in maſſa ſanguinea fluctuantibus, in lentum ac cauſticum magma coaleſcens; & interdum cum miaſmate quodam peregrino, ab extra corpori illato permixta. Hæc enim motu quodam febrili, à conſtricto corporis ambitu, ad nerveum inteſtinorum canalem, vaſculis ſanguiferis plenum delata, partim acrimonia ſua tunicas ſenſibiles nimium vellicat, rodit, & ad torminoſas conſtrictiones proritat, partim lentore ſuo vaſa, quibus ineſt, inſigniter, & ad rupturam uſque diſtendit. Unde convulſionum patet origo, atque torminum; quæ eo redduntur atrociora, quo plus acris ſaburræ in ipſa cavitate inteſtinorum ſimul continetur. Sub tantis autem illorum contractionibus non fieri poteſt, quin, quæ intus hærent, omnia effundantur. Poſtquam enim, quæ ex cibis relictæ adhuc reſtant cruditates, ſunt eliminatæ, continuante ſpaſmo, ipſa mucago, villoſam obducens tunicam, vi abraditur, & cum ſtillante ex inteſtinorum glandulis humore, plus minus noxio, in ſubpinguis ac oleaginoſi muci forma exprimitur. Dum vero hæc fiunt, & per conſenſum ductus quoque biliferi, cum cyſtide fellea vehementer concutiantur: hinc omnem ſuam bilem effundunt in canalem inteſtinalem, quæ cum reliquo muco per alvum redditur. Præterea perſeverante membranacei iſtius canalis diſtentione, comprimuntur vaſa ſanguifera, cruore eo compulſo, jam turgida; impeditur ſanguinei laticis per venas regreſſus; ejuſdem, perennante à tergo adfluxu, fit ſtagnatio; & demum vel perruptio, ac extravaſatio in inteſtina, unde ſtercora cruore tincta adparent, vel periculoſa eorundem ſuboritur inflammatio, ardoris perpetui, ac pulſantis ſenſu doloris internoſcenda. Hæc inflammatio aut in ulcus ſanioſum abit, ipſam villoſam depaſcens tunicam, tumque ſanies ulceroſa cum carneis dejicitur filamentis; aut plane in gangrænam, & funeſtam deſinit ſphacelationem; qua præſente omnis dolor perit, & dejecta fœtorem ſpargunt cadaveroſum.

## §. XVI.

*Cauſſæ procatarcticæ ſitæ ſunt 1) in tempeſtatis ratione.*

Quæ cum ita ſint, explorandæ jam veniunt procatarcticæ cauſſæ, quæ producendo noxio humori, dyſenteriæ cauſſæ, ſunt opportunæ. Atque tres earum potiſſimum claſſes eſſe ſtatuo, quarum prior in ipſius tempeſtatis conſiſtit ratione. Si videlicet æſtas anteceſſit ferventiſſima ac ſicciſſima; ſub ejus finem, ubi plerumque poſt intenſiſſimum, qui per diem eſt, ſolis fervorem, noctes ſequuntur frigidiores, graſſantur dyſenteriæ; quales à nimia aëris ſiccitate ſubortas deſcribunt A. N. C. *dec. II. anno IV. obſ.* 24. Tum vero malum ea potiſſimum invadit ſubjecta, quæ per diem juſto vehementius calefacta, ſudoreque diffluentia, noctu auram frigidiorem, corpori minus tecto liberius admittunt. Cujus rei clariſſima quoque eſt ratio: per diuturnum enim aëris fervorem ac ſiccitatem, maſſa ſanguinis inſigniter reſolvitur, colliqueſcit, & ſudor promanat copioſus, unde tenuiores, fluxiles ac blandi ſucci diſſipantur, quibus orbati reliqui humores muceſcunt, acres, impuri atque ſulphurei redduntur, & ipſa debilitantur corpora. Quod ſi igitur corpori, ita conſtituto, nocturnus aër, qui aſperior eſt, liberalius admittatur; conſtringitur inde cutaneus cortex: difflatio ulterior ſordium adhuc tenuiorum ac ſulphurearum præpeditur; & hinc illæ cum muceſcente lympha coëuntes, in lentum & acerrimum abeunt crama, quod febrili motu ad inteſtina, tanquam ampliſſimum mucidarum ſordium colatorium delatum, parit dyſenteriam. Tali quoque ratione caſtrenſis generatur dyſenteria; & omnino abſque miaſmatis cujuſdam maligni externique concurſu evenire poteſt.

## §. XVII.

*2) in miaſmate contagioſo.*

Quando vero cunque recenſitæ aëris conſtitutioni accedunt quædam virulentæ indolis exhalationes, quæ alteram cauſſarum procatarcticarum claſſem conſtituunt: tunc naſcuntur dyſenteriæ epidemicæ, plus minus malignæ, ac contagioſæ; quales deſcriptas lege apud BARTHOLINUM *Cent. II. hiſt. anat.* 65. AMATUM LUSITANUM *Cent. III. cur.* 90. WILLISIUM *in pharm. rat. P. I. pag.* 119. *& la* MONIERE *tract. de fluxu dyſenterico*, nec non SENNERTUM *in praxi Lib. III. part. II. Sect. II. cap. VII.* Ejuſmodi lues epidemicæ longe lateque ſæpius vagantur, & longum terrarum occupant tractum: quid? quod FERNELIUS *de abd. rer. cauſſ. L. II. cap. XIII.* meminit dyſenteriæ anno 1538. per univerſam Europam populariter graſſantis. Generantur vero talia miaſmata vel in ipſo aëre, ex malignis terrarum effluviis, ac peculiari ventorum conſtitutione; tumque per inſpirationem hauriuntur, & intra corpus ſuſcipiuntur: vel etiam cum cibis, maxime oleribus, ac fructibus horæis, venenata rubigine, vel inſectorum, quæ tum temporis copioſiſſima in aëre obverſantur, malignis ovulis obductis aſſumuntur, & cum chylo maſſæ ſanguineæ permiſcentur. Notari vero meretur, in tali aëris conſtitutione, ſuſcepta quandoque contagia per aliquod tempus intra corpus deliteſcere; & expectare duntaxat cauſſam quandam occaſionalem. Quamobrem ſæpiſſime mihi adnotare licuit, quod tum temporis leviſſima inteſtinorum ſtimulatio, vel ſumto purgante excitata, protinus efficiat dyſenteriam. Debetur porro malignis iſtis effluviis, ex corporibus dyſentericorum vel per ſtercora, vel lac, vel ſudorem exhalantibus, contagii, cauſa atque origo.

## §. XVIII.

*3) in perverſo ac nimio fructuum horæorum uſu.*

Tertiam cauſſarum procatarcticarum claſſem exhibent, largius comeſti fructus, maxime ſi immaturi fuerint, vel potus fermentativi deſuper ingerantur. Ex his vi nociva eminent ceraſa dulcia, mala perſica, pruna, maximeque flava

flava illa; quæ vocant *die Spillinge*, quorum frequentem noxam præter alios oſtendit FORESTUS *Lib. II. obſ.* 23. Huc quoque pertinent potus fermentativi, minus defæcati, ut muſtum, vel cereviſiæ, quæ tum temporis ob nimium ſolis ardorem, plerumque male conſtitutæ, & vel recentes, impuræ, craſſæ, multiſque fæcibus refertæ, vel minimum aceſcentes ſunt, & copioſius bibuntur. Namque ejuſmodi ſubjecta, acri fermentante ſucco prædita, ſi in duodeno cum bile commiſceantur, acriorem cum ea ſubeunt confermentationem; ex qua non modo vapores tenuiores acerrimi, intra humorum maſſam rapti; verum etiam ſordes reſultant craſſiores quidem, ſed cauſticæ indolis, quæ intra canalem inteſtinorum remanentes, nervoſam eorundem tunicam acerbe rodunt, atque tormina mirum in modum exaſperant. Huic potiſſimum ſaburræ, in ventriculo ac duodeno ſtagnanti, debentur nauſea, vomendi conatus, ipſæque vomitiones, quæ junguntur interdum dyſenteriæ: à quibus ſymptomatibus immunes ſunt, qui abſque hac concomitante cauſſa hunc morbum incurrerunt; ſicuti teſtantur dyſenteriæ anno 1726. noſtris in locis graſſatæ, quæ cum menſe jam Junio, ubi nulli nec maturi, nec immaturi adhuc fuerunt fructus, ſuam tyrannidem exercuerunt, à vomitionibus vacuæ extiterunt, quemadmodum in diſſertatione de iis conſcripta fuſius oſtendi.

## §. XIX.

*Momenta quædam circa hanc cauſſam.* Circa hanc vero cauſſam, notanda adhuc veniunt quædam momenta, nimirum 1) quod omnino ſolæ ſufficiant ad generandam dyſenteriam, quando videlicet vapores acriores, ex fructuum dictorum cum bile in ventriculo facta confermentatione reſultantes, in maſſam humorum abripiuntur, qui laudabiles ſuccos corrumpendo, ad producendam materiam, dyſenteriæ genetricem diſponant. Hæc vero, concurrente, tanquam occaſionali cauſſa, inteſtinorum à ſaburra iis infixa ſtimulatione, motu quodam febrili ex ambitu corporis ad dictum canalem membranaceum devolvitur. 2) quod tali in caſu ventriculi ac inteſtinorum accedere debeat quædam imbecillitas. Hinc enim ratio reddi poterit, cur multi fructivori à dyſenteria ſint immunes, curque è contrario alii, qui illis fructibus aut plane non, aut ſaltem parcius veſcuntur, eo rapiantur morbo. Quod ſi enim firmius fuerit primarum officinarum robur, commiſſi etiam errores facillime corrigentur, & noxia ſaburra vegete proſcribetur: at, qui debiliori earum partium tono, acidaque jam ſaburra, iſtius fidiſſimo comite, ſunt inſtructi, delitiarum ſuarum graviſſimas utique luere cogentur pœnas. 3) ſæpiſſime vero fructuum horæorum, ac potuum fermenteſcibilium immodicus uſus, tanquam concomitans dyſenteriæ cauſſa venit conſideranda; ita ut principalis vel à prohibita tranſpiratione, vel ſuſcepto contagio repeti debeat. Tum vero mali ſymptomata, unita binarum cauſſarum vi, mirum in modum exaſperantur.

## §. XX.

*Prognoſis dyſenteriæ.* Quibus ita præmiſſis, ad tradendam gravis ac truculenti noſtri mali accedamus prognoſin. Dyſenteriæ igitur puerperis evenientes, ſunt periculoſæ; iiſdemque ſenes ac pueri frequentius pereunt, quam qui in media ſunt conſtituti ætate. vid. HIPPOCRATES *ſect. II. textu* 30. SENNERTUS *L. III. pag.* 243. Ubi malum cachecticos, ſcorbuticos, phthyſicos corripit, aut debiliores, & qui diuturnis animi perturbationibus ſe macerarunt, plerumque conclamatum de iis eſt: iis quoque periculum minatur, quorum inteſtina lumbricis obſidentur. Quæ dyſenteria cum vomitu ſe exſerit, & cui ſingultus accedit; magnum metum incutit, & periculo inflammati ventriculi terret. Neque minus mali eſt ominis, ubi excrementa viridia, nigra, & admodum graveolentia obſervantur, & veluti carunculæ dejiciuntur, notante HIPPOCRATE *ſect. IV. aph.* 26. nam ulcus inteſtinorum deſignare ſolent. Quo magis vero, vel minus exulcerata ſunt inteſtina, eo gravior vel mitior eſt affectus. Peſſimum porro indicium eſt, quando infuſa clyſmata mox iterum relabuntur, aut anus tam arcte clauſa exiſtit, ut nihil poſſit ingeri: namque illud paralyſin inteſtinorum, maxime recti; hoc vehementem ſpaſticam ejuſdem ſignificat ſtricturam. Nihil etiam boni expectandum, ſi pulſu debiliori exiſtente, externa frigent, interna uruntur, aut his nullus ineſt doloris ſenſus; mentis alienatio, faucium inflammatio, aphthæ, aut paralyſis totius œſophagi præſto eſt, ut aſſumta cum murmure delabantur. Illud quoque ſcire refert, malum hoc nunc celeriter moveri, & ſi febris maligna præſertim ingraveſcat, ſæpe intra dies ſeptem vel novem vel quatuordecim necare; modo in plures, & ad quadrageſimum, ac ultra produci; longoque tempore, cum inveteravit, aut tollere hominem, aut etiamſi finiatur, excruciare, uti obſervavit CELSUS *Lib. IV. cap.* 15. nec non ſæpius in hydropem ac lienteriam abire, advertente HIPPOCRATE *ſect. VI. aph.* 63. quin & cœliacam non raro, tabem ac hecticam inſanabilem mutari.

## *METHODUS MEDENDI.*

## §. I.

Vix morbus eſt quidam, ad cujus rationalem curationem, majori opus eſt medentis judicio, quam quidem noſter dyſentericus. *Indicationes curatoriæ.* Quam plurima enim ſunt remediorum genera, quæ in illo commendantur; quæ vero non in omnibus ſubjectis eandem exhibent utilitatem; tantum abeſt, ut quæ huic proſunt, illi graviter nocere non raro deprehendas. Generatim hæ fere ſunt medendi indicationes, ut primum materia noxia, acris, cauſtica, qualiſcunque fuerit, attemperetur, ac per emunctoria ipſi convenientia proſcribatur; deinceps truculenta inteſtinorum tormina, ac feroces ſpaſmi conſopiantur; & denique ipſi inteſtinorum ſubſtantiæ, vel exulceratæ, vel nimis debilitatæ convenientibus ſuccurratur præſidiis.

## §. II.

Quod ad priorem attinet indicationem; circumſpicere oportet prudentem medicum, num craſſiores in alimentari canale ſubſiſtant cruditates, quas partim commiſſus antea in victu error, & ingeſta fructuum horæorum colluvies; partim nauſea, cardialgia, & vomendi conatus indicabunt. *Evacuantium ac alvum purgantium uſus.* Quo in caſu multis laudibus radicem ipecacuanhæ extollunt medici; ſi in morbi initio ad ſcrupulum unum vel drachmam dimidiam, cum lapidibus cancrorum maritata, hauſta deſuper larga aquæ tepidæ quantitate, exhibeatur, & ejus ope vomitus cieatur, interdum iteran-

iterandus. Neque vero minus per inferiora educere convenit ſaburram acrem & craſſam; & quidem feliciſſimo cum ſucceſſu, per rhabarbarum in pulvere datum, & cum abſorbentibus permixtum: quippe quod poſt detergentem ac laxantem effectum, vi quoque blande roborante, & leniter tonica inteſtina ſolatur. Nec parum utilitatis exhibent pilulæ balſamicæ, ad Becheri, Stahlii, vel meam mentem paratæ, cumprimis ſi cum extracto rhabarbari commiſceantur.

§. III.

*Acrimonia inteſtinorum demulcenda.* Præterea operæ eſt pretium, ſaburræ inteſtina occupantis acrimoniam, & rodentem cauſticam indolem delinire ac demulcere. Quo quidem fine intus exhibenda ſunt mucilaginoſa, oleum amygdalarum dulcium recens & ſine igne expreſſum, ſperma ceti recens minus rancidum, decocto hordei, avenæ, raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, chinæ &c. emulſiones ex amygdalis dulcibus, pineis, & aquis diapnoicis paratæ; atque etiam ſerum lactis dulce ad meam confectum methodum, nec non fons Selteranus, lacti nuptus aſinino. Hæc enim & acrimoniam involvendo, & lubricas reddendo vias, votis faciunt ſatis: quem etiam ſcopum explent, ſimulque ſordes ex craſſis potiſſimum inteſtinis educunt, clyſteres pure emollientes, quos ex aqua hordeacea cum furfuribus decocta, ex ſero lactis dulci, vitello ovi, oleo chamæmeli, amygdalarum dulcium, ac ſevo hircino parare decet.

§. IV.

*Diaphoreſis promovenda.* Inſimul quoque ad impuritates ſubtiles, plus minus malignas ac contagioſas, in maſſa ſanguinis adhuc fluctuantes, attemperandas pariter, ac per corporis peripheriam educendas, febrimque conjunctam mitigandam, multa impendenda eſt cura; quoniam hac ratione affluxus talium ſordium ab inteſtinis revocatur. Et hoc nomine inſignem laudem merentur abſorbentia, cum fixis diaphoreticis mixta. Sic parari poſſunt pulveres ex cornu cervi philoſophice præparato, uſto, ebore foſſili, terra ſigillata, bolo armena, antimonio diaphoretico, item martiali, ſuccino, lapidibus cancrorum, coralliis rubris, matre perlarum, & præſertim cryſtallo montana; quibus urgente nimio æſtu ac ſiti, nitrum refracta doſi, & ad refrænandum dolorum impetum, cortex caſcarillæ, aut unum alterumve theriacæ cœleſtis granum pro doſi unica adjici poteſt. Cumprimis vero in expellendo miaſmate maligno, per contagium admiſſo camphora, dimidii duntaxat grani pondere cum nitro & abſorbentibus mixta, præclaram, ac excellentem poſſidet efficaciam.

§. V.

*Motus effrænes ſunt coercendi.* Proinde dictis hiſce remediis, ad explendam ſecundam indicationem, & coercendos motuum nimios tumultus, interponi debent tutiora anodyna, & mitiora ſubadſtringentia. Ex his vulgatiſſima ſunt theriaca cœleſtis, aqua theriacalis, diaſcordium Fracaſtorii, pilulæ de ſtyrace, de cynoglоſſa, & Wildeganſii, nec non laudanum liquidum Sydenhamii. Longe vero tutiorem & præſtantiorem effectum quam plurimis in caſibus exhibuit liquor meus anodynus, cum refracta balſami mei vitæ parte remixtus; quem ter vel quater de die ad guttas viginti, ſummo cum fructu porrigere ſuevi. Huc quoque ob antiſpaſmodicam virtutem referri merentur, aquæ deſtillatæ liliorum convallium, florum ſambuci, tiliæ, aurantiorum, menthæ, ceraſorum nigrorum, & caſcarillæ: ex quibus commendati ſuperius pulveres propinari poſſunt. Neque etiam externorum paregoricorum uſus inſuper eſt habendus, ex quibus, ſi efferata ſit torminum vehementia, linimentum componi poteſt, quod v. g. olei liliorum alborum unciam unam, menthæ deſtillati, abſynthii, quod eſt magnum anodynum, nuciſtæ, carvi ana drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum habeat. Quod abdomini inunctum egregia ac ſecura virtute ſiſtet intolerabiles dolores: quo ſubinde reliquis medicaminibus cauſſa materialis eo commodius oppugnari, eoque felicius debellari queat.

§. VI.

*Quæ tertiæ ſatisfaciant indicationi.* Educta ſic noxia materia, & conquieſcentibus ſpaſmis, ſuccurrendum eſt læſis inteſtinis: quorum ſi quædam adhuc reſtiterit exulceratio, præter internorum abſtergentium continuationem injiciendi ſunt crebro clyſteres ex ſevo hircino, cervino, vitello ovi, terebinthina, & balſamo Locatelli commixti. Plerumque tamen ſuperato morbo reſtat adhuc inteſtinorum atonia; cui mederi licet exhibitione remediorum roborantium: ex quibus eminent cortex caſcarillæ in eſſentia, pulvere, & extracto aquoſo datus, ſive etiam cortex chinæ, cum extractis abſtergentibus ac roborantibus in electuarium redactus: aut elixir noſtrum viſcerale, vel eſſentia corticum aurantiorum, cum eſſentia gentianæ rubræ & ſuccini permixta. Non contemnendum quoque præſtabit externe uſum ſpiritus vini rectificatus, vel aqua Reginæ Hungariæ aut ſpiritus florum chamomillæ Romanæ cum oleo menthæ deſtillato decenter mixtus.

§. VII.

*Quale regimen ſit obſervandum.* Vix autem votis reſpondebunt allegata præſidia, niſi accuratum regimen, victuſque pertinax acceſſerit obſervatio. Cumprimis aëris caloriſque æqualis ſemper temperies conſervari debet: ſicuti enim omnis refrigeratio, ſive per admiſſum ab extra frigus, ſive per ingeſtos gelidiores potus, certiſſimum minatur damnum: ita quoque nimius calor & exæſtuatio, & per conclavia valde calefacta, & per multam lectorum, ſtragulorumque impoſitionem, æſtum febrilem & anxietates adaugendo, nunquam noxæ gravioris expers eſt. Quamobrem dyſenterici ſe quietos, animique tranquillitati ſedulo ſtudentes, in temperato & lecti & conclavis calore continere debent. Potus oportet eſſe tepidos; nec convenit ulla cereviſia, ſed potius decocta gelatinoſa, infuſa theiformia, ſerum lactis, & ſub finem morbi, ad inteſtina roboranda, hauſtus vini generoſi. Victus ſit facillimus, cibique non niſi molles conveniunt, ex quibus oryza, ac vitelli ovorum merito ſuo extolluntur: nec laude carent juſcula, ex carne vitulina, gallinarum, radicibus ſcorzoneræ, cichorei, chinæ, ſucco plantaginis & cancris contuſis parata; qui à nonnullis ad conſolidanda inteſtinorum ulcera, magnis extolluntur encomiis.

§. VIII.

*Præſervatio.* Præſervatio hujus mali, ubi illud eſt epidemicum & contagioſum, fit, quando quis exceſſus omnes & ſubitas aëris mutationes effugiat & provide eos qui hoc malo laborant evitet.

Certius

Certius ab eo, quod ex aliis originem trahit cauſſis, ſe omnino præſervare poterit; qui aëris injurias vitaverit, à nimio & perverſo fructuum horæorum, præſertim immaturorum uſu abſtinuerit, ac alvi perpetuam libertatem conſervaverit. Cumprimis eo, quo dyſenteriæ graſſantur tempore, noctu corpus in lecto probe tegendum, ne prohibeatur tranſpiratio : & ſi corpus purgandum eſt, caveatur probe, ne id fiat acrioribus purgantibus; quippe quæ, uti ſuperius dictum eſt, excitando contagio, ipſique morbo producendo, cauſſam ſæpenumero præbent opportuniſſimam.

## *CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

### §. I.

*Cautela circa opiata & adſtringentia.* Omni in dyſenteria ſumma cum cura à craſſis opiatis, adſtringentibus, & ſtypticis abſtinendum eſt; quoniam hæc in pejus malum provehunt, tantum abeſt, ut illud allevent. Namque ſi in morbi initio dentur, intus retenta cauſtica materia, ſummas præcordiorum anxietates, ſingultus, aphthas, & periculoſas inducunt inflammationes; in vigore morbi, & ubi nimium fractæ fuerint vires exhibita, facile fiunt necrotica, & præſentem inflammationem in lethalem commutant ſphacelum : conf. THONERUS *obſ. Lib. III. obſ.* 8. *pag.* 167. M. N. C. *dec.* 2. *anno* 3. *obſ.* 88. Denique eadem morbo adulto, & declinante propinata, affectus ſpaſmodicos, œdematoſos, languores, atque febrim relinquunt : GALENUS 2. *ſimpl.* 12. & 14. auctor eſt, dyſenteriæ intempeſtive cohibitæ ſucceſſiſſe melancholiam, & quod HOLLERIUS *in ſchol. p.* 353. obſervavit, epilepſiam, pleuritidem, & ut MARTINI *de morb. meſ.* teſtatur, inflammationes & abſceſſus meſenterii, ac plura graviora incommoda, mortemque ipſam accelerare, ut multis oſtendi exemplis poſſe ſcribit CRATO *conſil. XXII. l.* 5. Quo quidem in caſu operæ pretium eſt, infuſis ano clyſteribus, cohibitas dejectiones revocare, & internis abſorbentibus ac diaphoreticis fixis imminentem præcavere inflammationem.

### §. II.

*Circa anodyna tutiora.* Neque vero intelligi debent ex animali regno deprompta remedia, quæ ſedativa & anodyna, eaque tutiſſima virtute his in morbis ſe commendant. Ex horum numero ſunt ſpina & hepar viperarum, raſura dentis hippopotami, manati, priapi ceti, pulvis ſecundinæ humanæ exſiccatæ : quippe quæ ſi cum lenioribus bezoardicis combinentur, ad ſopiendas ſpaſticas & convulſivas inteſtinorum ſtricturas, præclaros edunt effectus.

### §. III.

*Circa laxantia, & purgantia.* Quamvis blanda laxantia, & alvum lenientia in dyſenterico fluxu egregium levamen ferre deprehendantur : cautiſſime tamen cum iis mercari oportet. Namque primum acriora purgantia, ex jalappinis, ſcammoniatis, colocynthide &c. parata, exacerbando ſpaſmodicas motiones, vim veneni exſerunt; id quod etiam de mercurialibus valet. Unde non mirari ſatis poſſum, quoſdam, & præſertim BOYLEUM *de S. M. V. pag.* 52. mercurium dulcem in dyſenteria commendare : quippe qui ejus eſt indolis, ut ab admixtione ſalium acriorum, quæ in noſtro morbo larga præſto ſunt quantitate, cauſticus reddatur. Nec etiam laxantia, quæ dulcia ſunt, & facile fermentationem ſubeunt, hoc in malo conveniunt : unde omnino à decoctis prunorum, foliorum ſennæ, ſyrupiſque laxantibus abſtinendum erit.

### §. IV.

*Specialim circa pilulas polychreſtas.* Quanquam pilulæ polychreſtæ, & temperate balſamicæ, leniter evacuando & corrigendo, primis morbi diebus, parciori & iterata doſi exhibitæ, egregiam afferunt utilitatem : attamen ab iiſdem, ubi morbus in plethoricis cum magno æſtu, pulſuque celeriori invadit, ſæpius notabilem obſervavi noxam. Tunc enim conſultius eſt, ab omnibus, quæ vel leviſſime humores commovent, abſtinere laxantibus; & potius decocto, quod ex ſero lactis, tamarindis, rhabarbaro & manna conficitur, blandam moliri vacuationem. Præterea, ubi morbus ſtatim ab initio, atrocioribus imi ventris cum torminibus incidit; ego ſolitus ſum, anodynum evacuanti nuptum exhibere; eoque nomine pilulas aloëphanginas, vel, quod melius, Becherianas æquali pondere cum maſſa pilularum de ſtyrace remixtas, convenienti doſi bis vel ter intra nycthemeron, ſummo cum fructu propinare.

### §. V.

*Circa mannam in fine morbi datam.* Neque raro obſervavi, infuſum laxans mannatum, finito jam penitus, qui diutius adflixit, morbo, ſublatiſque gravioribus ſymptomatibus uſurpatum, tormina & alia ſontica mala revocaſſe. Cauſſa talis modi cataſtrophes procul omni dubio in toni inteſtinalis, qui per violentos ſpaſmos valde dejectus fuit, deſtructionem collocanda eſt; qua eadem facile irritari poſſunt. Idcirco congruis roborantibus deperditum illud robur inſtaurare convenit.

### §. VI.

*Circa radicem ipecacuanhæ.* Radix ipecacuanhæ, quæ pro ſpecifico antidyſenterico a multis habetur, vid. M.N.C. *Dec. II. anno X. obſ.* 115. non omnino ſuo caret uſu; licet etiam ſæpiſſime ſiniſtros producat effectus. Utiliſſime adhibetur in ſubjectis robuſtioribus æque ac humidioribus, veluti ſequior eſt ſexus; deinceps operæ pretium exhibet, ubi magna cruditatum illuvies primis inhæret regionibus, vel maxima contagioſum recens ſuſceptum eſt, & hinc nauſea, vomendi conatus, præcordiorum anxietas, & dolor gravativus infeſtant. Tum vero primis ſtatim diebus hoc remedii genus porrigere expediet; & ejuſdem uſui, ſi plethora & febris urget, phlebotomiam præmittere. Quod ſi autem, morbo exiſtente adultiori, poſt jam factas crebro dejectiones mucidas pariter ac ſanguinolentas exhibeatur; ſiſtit quidem eas aliquantulum, ſed majores parit circa præcordia anxietates; ut ſæpius clyſterum emollientium ope alvinam excretionem revocare, neceſſe ſit. Præterea hanc radicem commodiſſime ad drachmam dimidiam cum decocto laxante, ex manna, rhabarbaro, & tamarindis parato exhibere licet, ſi magna cruditatum primas vias obſederit copia.

### §. VII.

*Circa ſalia, remedia.* Summo quoque ſtudio fugienda ſunt illa remedia quæ inteſtina magis ſtimulant; veluti ſunt cuncta ſalia, neutra ac digeſtiva, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſalia thermarum &c.

&c. Nihilo minus nitrum, nec non ſal prunellæ, quod præſertim RIVERIUS magnis extollit laudibus, ob vim refrigerantem atque temperantem quandoque commendari, & abſorbentibus immiſceri meretur pulveribus, utique, ſi æſtus cum ſiti nimium urgeant, & ſubjecta cholericæ, bilioſæque ſint conſtitutionis.

## §. VIII.

*Circa venæ ſectionem.*

Communis multorum medicorum ipſiusque HIPPOCRATIS & GALENI it. MARTIANI *comment. in libr.* HIPPOCRATIS *de ratione victus in acutis pag.* 415. eſt opinio, alvo fluente non detrahendum eſſe ſanguinem; & pro generali quidem in noſtris regionibus monito practico id ipſum haberi poteſt. Verum ego multiplici ductus experientia ſtatuo, quod in ſubjectis valde plethoricis, diætæ vinoſæ adſuetis, ſi dyſenteria cum febre continua corripiantur, omnino perquam ſit neceſſarium, venam ab initio morbi ſecare. Nam vanus eſt metus, ſanguinis miſſione vires imminui; & quum non modo plerique dyſentericorum, ex inflammatione inteſtinorum moriantur; verum quoque plethorici, ſi continuis infeſtentur febribus, non niſi ob nimiam ſanguinis molem, ad ſtaſes, gangrænam, & ſphacelum diſponentem pereant: non certe convenientius in his periculis antevertendis, venæ ſectione reperitur præſidium. Neque deſunt teſtimonia ſcriptorum probatiſſimorum, qui hoc remedii genus inſigniter commendarunt. Sic JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *Reſp. VI.* ſe plures dyſentericos venæ ſectione curaſſe perhibet: quales etiam obſervationes RIVERIUS *Cent. II. obſ.* 37. & 44. AMATUS LUSITANUS *Cent. II. obſ.* 48. ALTIMARUS *de medendis hum. corp. malis cap.* 74. BOTALLUS *Cap. IV.* SYDENHAM *Oper. med. Cap. de dyſent. pag.* 111. & ex recentioribus PASCOLI *in opp. ſuis pag.* 190. recenſent notatu digniſſimas.

## §. IX.

*Circa diaphoretica præſervandi fine data.*

In dyſenteria per caſtra maligne graſſante à perito caſtrenſi medico relatum mihi eſt, præſente contagii ſuſpicione, & non ambiguis illius ſignis, diaphoreticum ex cornu cervi uſti, & philoſophice præparati, antimonii diaphoretici, ſalis volatilis cornu cervi, & croci ana granis decem confectum, & cum calido ſumtum vehiculo, corpus ad ſudorem diſponendo, deſideratiſſimum & incomparabilem edidiſſe effectum, adeo, ut poſt repetitas aliquot doſes in prima, uti dicunt herba, pernicialis mali vis fuerit ſuffocata. Quod remedii genus, ubi ſordibus primæ viæ ſcatent copioſis, poſt opportunum evacuans demum exhibere, mea quidem ſententia longe ſecurius foret.

## §. X.

*Circa calidiora alexipharmaca.*

Communis clinicorum, isque peſſimus hoc loco taxandus eſt error, cum ad atrocis noſtri morbi curationem, remediis alexipharmacis & theriacalibus, veluti ſunt electuaria ex diaſcordio, theriaca Andromachi, mithridatio, pulvere Pannonico rubro concinnata, eſſentiæ alexipharmacæ, tincturæque bezoardicæ, immoderatius utuntur. Vidi ſæpenumero à nimium exhibitis in dyſenteria populariter graſſante, ejuſmodi remediis calefacientibus, & exſiccantibus, ſymptomata fuiſſe exaſperata, cum auctis interno æſtu, febre & ſiti. Namque ipſa quoque dictitat ratio, ejus generis ſanguinem commoventia minus convenire in morbo, qui ab interno diuturniore æſtu, humores dulces ac temperatos in bilioſos & ſalino-ſulphureos commutante, ſuam trahit originem.

## §. XI.

*Circa mucilaginoſa.*

Plures porro medicorum in dyſenteria ad coercendam humorum acrimoniam, ulcerum pravitatem leniendam, & corroſam inteſtinorum ſubſtantiam conſolidandam, remediis glutinoſis & mucilaginoſis, tam interne, quam externe per clyſteres potiſſimum nimium uti ſolent: Talia ſunt lac variorum animantium, decoctiones pedum vervecinorum, ſolutiones tragacanthæ, gummi Arabici, & gelatinæ animantium, ſperma ceti, radix conſolidæ majoris. Quamvis vero haud in totum improbari queant hæc remedia; monendos tamen eſſe duco medicos, ut in illis adhibendis cauti procedant, modumque ſervent. Nam fluida hæc glutinoſa per anum admiſſa faciunt lentorem, ulcera magis fœdant, & cicatrici reſiſtunt; efficiuntque ſæpius, ut compreſſo alvi profluvio, ventris colluvies magis cumuletur, & fermentando graviores ſpaſmos inducat ac tormina.

## §. XII.

*Circa lac, & ſerum ejus, potumque dyſentericorum.*

Lac quod attinet, illud ſolum, maxime ſi acida in primis viis abundet ſaburra, ob coagulum, quod ibidem facile ſubit, & inde metuenda ſymptomata non convenit in dyſenteria. Verum idem coctum & cum aqua pura fluviali vel fontana, vel etiam acidulis Selteranis mixtum, aut ſerum lactis, quod jam HIPPOCRATES laudavit, ob vim ſitim & æſtum temperantem, & acrimoniam humorum aliquantulum obtundentem, multam meretur commendationem; id quod etiam RAYMUNDUS A FORTIS *Conſult. cap. II. pag.* 245. & SYDENHAMIUS *Oper. med. pag.* 115. egregiis ſuadent elogiis. Præterea etiam aqua pura fontana, cum unicornu, aut cornu cervi uſto, aut boli quadam ſpecie cocta, vel chalybeata, junioribus æque ac adultioribus, ad ſitim & æſtum exſtinguendum, & acres humores diluendos, potum præbet omnibus præſtantiorem. Pertinet huc etiam decoctum SYDENHAMII ex aqua fontana, cornu cervi uſto, mica panis ſimilaginei cum ſaccharo paratum. vid. *opuſc. ejus p.* 228. Nec ignotum eſt, quam celebres, & multis experimentis in curanda dyſenteria adprobatæ ſint aquæ in Italia, Tutianæ dictæ, item Villenſes, Montiſcadinæ &c. de quibus legi meretur FALLOPIUS *de thermis*, & CÆSALPINUS *in quæſt. med.* 21. *l.* 2. *de medic. facult. cap. X.* Præſtans porro noſtrarum uſus eſt acidularum, quibus curatam dyſenteriam vide in A. N. C. *dec. I. anno* 2. *obſ.* 213.

## §. XIII.

*Contagium præcavendi modus.*

Quum nullum morbi genus tam fœtidum, tam ſordidum, tam abominabile, quodque tam putridis exhalationibus aërem inficiat, & conſpurcet, quam ipſa dyſenteria ſit; videndum eſt, ut non in ipſo conclavi, in quo degit æger, verum potius vicino, ſi vires patiantur, moderate calido fiant dejectiones, hæque ſtatim removeantur. Non minus ſuffimigiis ex maſtiche, & ſuccino, noxia aëris corrigenda eſt qualitas; quo etiam fine in omnibus contagioſis morbis appendendam collo camphoram, modo ægrotantes ejus odorem ferre queant, admodum commendare ſolitus ſum. Ubi vero vires permittunt, è lectis ſurgere; conſultum erit, vas quoddam,

reci-

recipiendis ſtercoribus opportunum lecto ſupponere, ſi prius decocto calidiori ex floribus malvæ, ſambuci, ſemineque fœnugræci imbutum fuerit; in quod decumbentes alvum dejiciant.

### §. XIV.

*Noxa ex pedum refrigeratione.*

Vix datur ullus morbus, in quo pedum refrigeratio tam grave, imo mortis periculum, confirmante id experientia, injicit, quam dyſenteria. Vidi hac ratione brevi poſt inflammationem inteſtinorum, quæ in ipſam mortem tranſiit, eſſe ſequutam: pedibus enim refrigeratis, cutaneus cortex conſtringitur, & noxii humores majori copia ad inteſtina congeruntur. Quamobrem operæ ſæpius eſt pretium, calidos lateres pedibus ſupponere.

### §. XV.

*Remedia contra teneſmum.*

Nihil gravius adfligit dyſentericos, quam perpetua deſidendi cupiditas, & teneſmus moleſtiſſimus, quo vel nihil, vel perpaucus, plus minus cruentus egeritur mucus. Quo in caſu ex artis præſidiis efficaciſſimum eſt fotus, qui ex lacte, floribus ſambuci, & chamæmeli incocto paratur; vel portio mucilaginis pſyllii, aut cydoniorum; aut olei amygdalini & vitelli ovorum, croco permixti, frequenter ano infuſa.

### §. XVI.

*Regimen convaleſcentium.*

Qui ex dyſenteria diutius protracta convaleſcere, ac vires ſumere incipiunt; illis, ut priſtinum, & morbo labefactatum ventriculi ac inteſtinorum robur cum vi digeſtrice, recipiant, exquiſita diætæ ac victus ratio præſcribenda eſt. Quæ ſi neglectui habeatur; lienteriam, febres lentas, tabem, alioſque chronicos affectus inſequi, plus ſimplici vice licuit adnotare.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Dyſenteria in hyſterica.*

Juvencula viginti annorum mulier, ſucci plena, animoque valde ſenſibilis, menſtruorum inordinato ſucceſſui, & hinc pendentibus hyſterico-ſpaſmodicis ægritudinibus obnoxia, tempore autumnali præſcriptum à medico in pilularum forma ſumebat purgans, quod præter alia extracti colocynthidis & diagrydii ſulphurati aliquot grana habebat. Inde ſex vel ſeptem ſatis copioſæ ſequebantur ſedes, & paullo poſt crudeles imi ventris dolores, ac tormina excipiebant. Jungebantur quoque præter vomitiones, creberrimæ dejectiones, quibus excreta ſanguine inſtar loturæ carnis tincta, cum magnis anxietatibus, inquietudine, pulſuque celeriori reddebantur. Ego conſultus, quum exacerbatos motus magis, quam ſordium craſſarum præſentiam ſuſpicarer, interne non niſi pulveres abſorbentes, cum theriaca cœleſti, caſtoreo, & nitro mixtos exhibui, & pro potu ordinavi decoctum ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, pentaphylli, & cinnamomi paratum: extrinſecus vero abdomini imponendum ſuaſi ſacculum, qui ſpecies carminativas, ſpiritu vini cum oleo menthæ & chamomillæ vero ſaturato, imprægnatas habebat; quorum ope ægra convaluit.

*Epicriſis.*

1) Præſens dyſentericus fluxus, uti principalem cauſſam in contagio, tum temporis epidemico agnoſcit; ita à dato acriori purgante, tanquam a procatarctica cauſſa excitatus fuit. Notari enim probe meretur, quod teſtante crebra experientia, ſuſcepta maligna miaſmata nonnunquam diutius ſine noxa in corpore poſſint morari, tumque quandam diſpoſitionem ægrotandi generare, quæ, accedente occaſione, in actum deducitur.

2) Cumprimis viri hypochondriaci, fœminæque hyſtericæ ad affectum dyſentericum valde proclives ſunt, & ex dato purgante facillime illum incurrunt. Quum enim eorum ventriculus ac inteſtina jam antea ſpaſmodicis contractionibus obnoxia reperiantur: eo magis ab acri purgante adeo irritari poſſunt, ut præſente diſpoſitione, humores noxii, conſtricto corporis ambitu, ad ea compellantur, atque vera generetur dyſenteria.

3) Vomitus dyſentericorum non eandem ſemper præbet prognoſin: mox enim ſalutaris ac velut criticus exiſtit, ſi nimirum largior cruditatum in primis regionibus copia præſto fuerit; mox vero malæ eſt notæ, & periculoſam inteſtinorum ſignificat inflammationem. Hoc poſteriori caſu ardens pulſanſque dolor, enormes anxietates, & pertinaces extremorum refrigerationes comitantur vomitiones; a quibus immunes ſunt, ſi à ſolis proveniunt cruditatibus. In noſtro caſu non æque ſaburra quædam, nec inflammatio ventriculi, vomibundæ ipſius inverſioni cauſſam præbuit; ſed ſpaſmodicarum motionum vitium venit accuſandum: idcirco nec aliis, quam quæ hos præternaturales motus delinire, & humores ad cutim revocare, perque ſudorem expellere valent, remediis opus fuit.

### Observatio II.

*Dyſenteria ſimpliciter ſanata.*

Generoſa mulier, quadraginta annorum, corporis tenerioris, diuturno mœrore ob ingens per incendium domus inductum damnum, agitata, tempore, quo dyſenteriæ in pago, in quo degebat, ſæviter graſſabantur, nullo quidem victus errore prævio, primum mucoſo, poſt cruento ac dyſenterico alvi fluxu corripiebatur. Frequentiſſimæ erant dejectiones, adeo ut intra nycthemeron triceſies & ultra alvum deponere cogeretur, non ſine graviſſimis torminibus, inquietudine, pulſu febrili, & inſigni virium languore. Sordes excretæ per primum ſeptiduum mucoſæ, deinceps cruentæ, mox viridi, mox ex flavo pruno colore tinctæ adparebant, & ſic per quatuordecim dies large fluebant. Sitis urgebat ingens, ſed ſimulac potus quidpiam aſſumſiſſet, ſtatim alvum reddere tenebatur: præterea tuſſis vexabat ſicca, & corpus abſque ullo madore ac ſudore aridiſſimum erat. Adhibuerat varia medicus, pulveres abſorbentes cum cryſtallo montana, elixiria ſtomachica cum eſſentia terræ Catechu mixta, nec non oleum camphoræ, quod ex camphora in oleo amygdalarum dulcium ſoluta conſtabat, ac decocta varia; ſed in caſſum. Poſt hæc ad cohibendum quodammodo fluxum ordinaverat infuſum theiforme, ex herbis vulnerariis, ac adſtringentibus, conſolidæ ſaracenicæ, vincæ per vinca, ſaniculæ, agrimoniæ, veronicæ, millefolii, menthæ, meliſſæ &c. concinnatum: ſed ab ejus uſu peſſime habuit ægrotans, & ingentes circa præcordia anxietates, inflationem ventriculi, ructus, extremorum frigus, animique deliquia, non multum iminura

deſidendi frequentia, paſſa eſt. Idcirco me vocavit in conſilium, & anxia flagitavit opem. Dedi mixturam, quæ habebat aquarum florum acaciæ, ſambuci, cardui benedicti ana uncias tres, olei amygdalarum dulcium uncias binas, pulveris mei bezoardici drachmas duas, liquoris anodyni guttas triginta & balſami vitæ guttas duodecim, ſyrupi cydoniorum unciam ſemis: atque juſſi, ut hujus mixturæ, probe agitatæ ſingulis binis horis vaſculum, quo ad ſorbillandum potum Thee utimur, aſſumeret. Toti abdomini aquam Reginæ Hungariæ calefactam, in cujus uncia guttæ octo olei menthæ, & viginti balſami vitalis ſolvebantur, pannis calidis inungendam curavi. Pro potu dedi lac vaccinum, cum infuſo theiformi ex ſeminibus carminativis, aquæ incoctis maritatum. Ab horum uſu intra unius diei ſpatium, inſigniter fracta fuit ſymptomatum vehementia, & imminuta dejectionum frequentia. Quare propinavi remedium anodyno-alexipharmacum, quod ex liquoris anodyni uncia una, ſalis volatilis cornu cervi drachma, ejuſdemque olei probe rectificati guttis octo erat compoſitum. Cujus cum quindecim guttas per aliquot vices aſſumſiſſet, redibat ſomnus, ſudor per totum corpus erumpebat, & alvus vix bis vel ter de die reddebatur. Hinc ejus uſum continuavit, ſumſitque crebrius pulverem ex bezoardico meo, & ſex corticis caſcarillæ granis confectum: unde brevi tempore feliciſſime conſanuit.

*Epicriſis.*

Cruentæ alvi fluxiones optimo jure cum affectibus catarrhalibus, & rheumaticis comparari poſſe videntur: quam plurima quippe ſunt momenta, quæ hanc convenientiam demonſtrant. Quemadmodum enim primum in coryza ſerum pituitoſum ad glanduloſam faucium, atque narium tunicam copioſius defertur, ibidemque ſecernitur: ita in dyſenteria ſerum ſanguinis bilioſum, ſulphureumque ad primas regiones demandatur, auctaque inteſtinorum, & ductuum biliferorum periſtalſi, evacuatur: id quod, ſi abſque læſione inteſtinorum fieri poſſet, in maximum ſanitatis cederet emolumentum. Deinceps ſicuti affectus catarrhales plerumque à communi aëris vitio, & prohibita tranſpiratione originem ducunt; & nunquam fere non febriculam quandam, utut mitem, & noctu præſertim exacerbatam, habent comitem: ita quoque utrumque momentum circa fluxus dyſentericos obſervari meretur. Ut porro in rheumate pernicioſum eſt conſilium, excretionem ſeri vitioſi mox ab initio morbi improvide cohibere: ita illud idem in dyſenteria exitiale eſt, & ſontica poſt ſe trahit ſymptomata; inter alia teſtante præſenti exemplo. Quemadmodum coryza, ſi quæ jam adſit diſpoſitio, dato errhino, vel ptarmico, facile excitatur: ita idem fit in cruento alvi fluxu poſt datum acre purgans. Et denique utrumque malum eandem requirit præſervandi rationem; quæ in eo conſiſtit, ut tempore, quo graſſantur ejuſmodi affectus, omni cum cura atque ſtudio ſalutaris tranſpiratio, noctu præſertim conſervetur.

## Observatio III.

*Dyſenteria in juvene, brevi curata.*

Generoſus juvenis, viginti circiter annorum, teneræ, ac macilentæ corporis conſtitutionis, Auguſto menſe per quadraginta milliaria noctu dieque continuatum fecit iter, ſub quo corpus diurno ſolis calore, qui erat fervidiſſimus, valde calefactum, noctu vero eximio frigore affectum fuit: ſimulque varios potus, mox cereviſias lupulatas, mox recentes, dulces, atque triticeas aſſumſit. Domum redux conquerebatur de magnis imi ventris torſionibus, virium languore, & inadpetentia ſtipatis, quas inter primo triduo parciores ac moderatas ſedes habebat. At quarta die, auctis mirum in modum circa umbilicum torminibus, copioſiſſimæ ſequebantur dejectiones cum ſincero permixtæ ſanguine. Ille ſibi ſolus conſulturus, non niſi panem toſtum, cum nuce moſchata, & vino calefacto, ſaccharo remixto capiebat; ſed cum nihil inde commodi ſentiret, meam invocabat opem. Deprehendi ipſum valde languentem, inquietum, miris tormentis obnoxium, pulſumque debiliorem & celeriorem: & quum obnixe rogaret, ut quantocyus profligarem moleſtum malum, hac uſus ſum medicatione. Præſcripſi pulverem, qui corticem caſcarillæ cornu cervi philoſophice præparatum, lapides cancrorum, matrem perlarum, antimonium diaphoreticum, & terram ſigillatam habebat; eumque pondere unius drachmæ, una cum triginta liquoris anodyni mineralis, quindecim balſami vitæ guttis, & binis olei amygdalarum dulcium cochlearibus, ex decocto avenaceo pro una doſi capiendum curavi; utque ſingulis quatuor horis iteraret, ſuaſi. Ventri præterea aquam reginæ Hungariæ calidam cum linteis duplicatis imponendam juſſi: unde intra tres dies, imminuta torminum ac dejectionum frequentia, ſomnum, adpetitum atque vires recuperavit, prorſusque convaluit.

*Epicriſis.*

Præſens morbus citra contagii, aut miaſmatis cujuſdam concurſum, ſuppreſſæ ſub itinere tranſpirationi, & uſui potuum fermenteſcibilium unice debetur. Quemadmodum enim ex illa impuritates ſulphureæ, acres, bilioſæ in maſſa ſanguinea cumulatæ, & conſtricto corporis cortice, ad inteſtina compulſæ fuerunt: ita ex hoc ſimilis acris, cauſtica, ac fermenteſcibilis ſaburra in ipſa ventriculi ac inteſtinorum cavitate eſt generata. Jam quidem vetuſtiſſimum eſt monitum, ut medicus morbos non tuto & jucunde ſolum, verum quoque cito curare annitatur. Quod ultimum momentum licet non ſemper citra manifeſtum noxæ metum a medico peragi poſſit: attamen certis in caſibus locum omnino invenit. Et in præſenti quidem caſu ſic ſum ratiocinatus: medendi indicationes in eo curando erant, ut acrimonia humorum acido-bilioſorum corrigeretur, dolores ac tormina inteſtinorum blande conſopirentur; humorum affluxus ad ambitum corporis revocaretur, & tonus inteſtinorum reſtitueretur. His vero indicationibus recenſitum remedium, quod ex temperantibus, diaphoreticis, antiſpaſmodicis & roborantibus confectum erat, omnino reſpondebat: quod cum primis morbi diebus, ubi nondum læſio inteſtinorum invaluerat, repetitis ſæpe vicibus adhiberetur; factum utique eſt, ut brevi tempore morbi vis feliciſſime expugnaretur. Monendi vero hoc loco ſunt juniores practici, ut non putent, profligatum penitus eſſe malum, ſi forſan ceſſaverint tormina, dejectiones, ac æger melius habere videatur: ſæpius enim anguis ſub herba adhuc deliteſcit. Sed tum demum certa convaleſcentiæ ſpes foveri poteſt

teſt, ſi conſopitis omnibus ſymptomatibus, ſomnus ac adpetitus redeant, & vigor naturalis, viresque cito reſtaurentur.

### Observatio IV.

*Dyſenteria cito curata.*

Generoſa fœmina triginta & ultra annorum, teneræ & macilentæ ſed vegetæ conſtitutionis, in vicina urbe, anno 1719. quo inhiſce tractibus populariter graſſabatur dyſenteria, ingentia ſimul & ſemel ventris tormina cum magno virium lapſu, extremorum refrigeratione, inquietudine, & alvi fluxu copioſo & per vices etiam cruento experiebatur. Summo à me petiit opere, ut, quam fieri poſſet breviſſime ipſam ſanarem: quia Regia ſolemnia tunc temporis Dreſdæ, ubi pater mariti magno officio admotus erat, celebranda viſere animo valde geſtiebat. Ego opem omnem poſſibilem pollicitus, ita eam tractavi; præſcripſi nempe hanc mixturam: recipe aquæ florum chamomillæ, millefolii, cum cereviſia triticea deſtillatæ, florum ſambuci, menthæ & cinnamomi cydoniatæ ana uncias quatuor, liquoris anodyni, ſpiritus cornu cervi bene præparati ana guttas quadraginta, pulveris bezoardici drachmas tres, ſyrupi papaveris albi drachmas ſex; de qua bene agitata, ſumtæ fuerunt unciæ duæ ſingulis tribus horis. Deſuper vero hauſtis aliquot vaſculis infuſi Thee, ſemine carvi & cymini nobilitati, corpus in lecto ad æqualem & placidum ſudorem diſponendum ſuaſi. Pro potu ordinario adhibitum decoctum hordei cum emulſione amygdalina mixtum. Externe vero fermentum panis cum aceto forti & ſpiritu chamomillæ Romanæ ſubactum, calide regioni epigaſtricæ fuit applicatum. Inde optimus ſecutus eſt ſudor, qui continuata hac cura per biduum & ultra probe ſucceſſit, & tertio die, ſymptomatibus fere omnibus evaneſcentibus, vis morbi remiſit. Nihilo tamen minus ſuaſi, ut non modo adhuc corpus à liberiori aëre domi defenderet, ſed & inſiſteret uſui mixturæ & elixirii mei ſtomachici. Sed hæc die poſt convaleſcentiam tertio ſuſcepit iter, & neglecta diæta Dreſdæ recidivam cum cruentis fluxibus per aliquot dies perſeverantibus paſſa eſt, à qua tamen ope medicorum præſtantiſſimorum quarta demum ſeptimana liberata fuit.

*Epicriſis.*

Optime nos docet hic caſus, tempeſtive & mature oblata convenienti medicina, grave hoc & periculi plenum malum cito poſſe ſupprimi, & huic ſcopo obtinendo medicamenta demulcentia, diaphoretica ac roborantia præ omnibus aliis velificari. Nam ſicut dyſenteria, ubi paulo ſubtilius ejus genium explorare volumus, non niſi rheumatiſmus inteſtinorum eſt, a decubitu & congeſtione ſeri ſalſi bilioſi, ob tranſpirationem prohibitam ad inteſtina, eorumque ductus ac glandulas converſi oriundus; ita & in profligando eodem rationi & experientiæ convenientiſſima methodus hæc eſt: ut motum humorum ex interiore ventre rurſus ad peripheriam corporis & priſtinum ſubcutaneum emunctorium congruis & naturæ amicis remediis revocemus; qualis curandi via in catarrhoſis etiam & rheumaticis affectionibus ſemper obſervata eſt optima. Sed ſi in ullo affectu, certe hic opus eſt, ut rectæ huic medendi rationi juſto tempore per diætetica æque ac pharmaceutica remedia inſiſtamus; niſi, quæ omnibus in principio neglectis rheumaticis affectionibus familiaris valde eſt, hujus diri mali recidivam, præcedente morbo, ſemper graviorem, curatuque longe difficiliorem velimus expectare.

### Observatio V.

*Dyſenteria ex imaginatione.*

Generoſus juvenis duorum & viginti annorum, conſtitutionis cholerico-melancholicæ, propenſus ad iram & animi affectus, inter ſtudia & lucubrationes poculis interdum deditus, anno 1726. cum populariter hic graſſaretur dyſenteria, ex terrore, cum conſpiceret funus juvenis hoc morbo ſublati è domo ſua deportari, eo ipſo etiam corripiebatur. Brevi enim poſt invadebat eum præcedente horripilatione ingens circa præcordia anxietas, cum nauſea & virium debilitate magna conjuncta; nox erat inquieta, & vehementibus venter torminibus una cum ſtimulis ad alvum deponendam frequentioribus afficiebatur. Ego poſtero die conſultus cum ex pulſu ſanguinis nimiam judicarem affluentiam, ægrumque ſanguinis hoc tempore miſſionibus aſſuetum eſſe intelligerem, neque ipſe in principio, de morbo, qualis evaderet, ſatis eſſem certus; ut vena brachii ſecta ſanguis, qui ſatis erat craſſus, detraheretur, conſilium dedi. Mitigatæ inde anxietates præcordiales, & liberius tranſpiravit æger. Alvi tamen fluxus ſemi-cruentus ſequebatur & in dies creſcebat. Cui vero nullis aliis remediis obviam ivi, quam pulvere meo bezoardico cum ſexta parte corticis caſcarillæ & nitri permixto; quem ſingulis quatuor horis exhibendum juſſi cum decocto, quod ex radice chinæ, ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, ſantalo rubro & ſemine fœniculi paratum erat. Externe linimentum ex olei amygdalarum dulcium uncia una, olei menthæ & camphoræ ana drachma dimidia conflatum applicandum curavi. Clyſteres repudiabat; quos nec ego in hoc affectu valde neceſſarios judicavi. Et ita intra decem dies optime convaluit.

Eodem tempore in vicinia alius ſtudioſus, ſanguineo-cholericus, iræ, ambitioni, & ſtudiis deditiſſimus, ſanguine turgentibus venis præditus, in eundem ex contagio incidebat morbum. Conſulebat hujus urbis medicum non incelebrem, qui ſingulis tribus prioribus diebus bis pilulas polychreſtas ad exemplar Becherianarum confectas ad uſum commendavit. Cum omnia in pejus ruerent, me quoque, ut conſilio ſuccurrerem, rogavit. Inviſi ipſum, & cum pulſum tangerem, illum valde magnum & celerem quadam duritie junctum deprehendi. Æger erat valde inquietus, ſomno penitus carebat, & de doloribus in epigaſtrio & umbilicali regione ardentibus cum continua nauſea & propenſione ad vomitum conquerebatur. Dejectiones erant creberrimæ, eæque ſemper aliquo ſanguine permixtæ. Rebus ita conſtitutis nolui quidquam ad medendum proponere; nec venæ ſectionem, quam in initio morbi utiliſſimam habueram, admittendi jam tempus judicavi. Sed nono die, doloribus ſimul & ſemel ipſum deſerentibus, moriebatur.

*Epicriſis.*

Quam ſecurum & minus noxium venæ ſectio ſit remedium, ex priori caſu addiſcere licet. Ego tamen nolim hoc præſidii genus generatim in hoc morbo commendare. Sed credo potius plus detrimenti quam emolumenti ab hac promiſcue admiſſa eſſe expectandum. Nam ubi vigens

ſuccorum impurorum in ſanguine abundantia,& inteſtinorum canalis magna vitioſorum colluvie humorum ſcatet, inſuperque corpora ſunt humidiora & ſpongioſiora, neutiquam venæ ſectione opus eſt. Sed aliter ſentiendum in præſenti caſu, ubi ex animi affectu in homine plethorico, nullo notabili in primis viis exiſtente vitio, malum obortum fuit.

In altero caſu hæc non omittenda videtur obſervatio, pilulas iſtas leniter balſamicas & ex extractis amaris concinnatas, in alvi fluxibus etiam cruentis in principio præſertim exhibitas, non ſuo fructu carere; verumtamen in ſubjectis ſanguine plenis, & calidioribus, ubi vitium plus eſt in ſanguine, quam in ſuccorum pravorum primis in viis abundantia, nullas video eas uſurpandi indicationes. Cum ratione potius & experientia duce ea ſint ipſis commendanda, quæ inteſtinum ſanguinis motum temperandi & tranſpirationem promovendi pollent efficacia, & quæ liberiorem circulum procurando inflammationes, & interna, quæ diutius hunc morbum trahunt, ulcera abarcent: in quorum cenſu tempeſtiva & ægri naturæ conveniens primum omnino locum occupat venæ ſectio, quæ deinde aliis idoneis auxiliis poteſt ſecundari. Ad ſordes vero mucidas & acres bilioſas ex inteſtinorum canale leniter evacuandas, ſerum lactis cum manna, cum rhabarbaro & tamarindis permixtum & primis diebus decenter uſurpatum omnibus reliquis evacuantibus eſt præferendum.

## Observatio VI.

*Dyſenteria anno 1684. epidemica.* Quum ſub primis praxeos medicæ annis Mindæ Weſtphalorum Provincialis medici munere fungerer, graviter anno 1684. ob plane inſuetam & extraordinariam ſiccitatem & præcalidam cœli conſtitutionem & quartana & dyſenteria graviter graſſabatur. Ver erat ſicciſſimum, & tota æſtas ſicca & calidiſſima, adeo ut intra quatuor menſium ſpatium nulla pluvia obſervata fuerit. Malum vero his modis ſe prodebat: præcedentem horripilationem dolores atroces modo infra, modo ſupra umbilicum ſequebantur. Dejectiones interdum carnium loturæ ſimiles, interdum ſanguinolentæ, quandoque etiam purulentæ erant, mucum & inteſtinorum ramenta ſecum ferentes, cum frequentiſſima & fere intolerabili ad ſeceſſum cupiditate. Plures in una domo ſerpente contagio ægrotabant, ita tamen, ut pro diverſa corporum conſtitutione, robore etiam & regimine, nonnulli facilius & intra quatuordecim dies, alii vero intra quadraginta dierum ſpatium majori cum moleſtia imo periculo evaderent. Nam in quibuſdam erat morbus acutus, in aliis valde longus. Memini enim ſeptimo & nono die quoſdam mortuos robuſtos viros, ſanguine turgentes, & qui in vita vino ejuſque ſpiritu paulo largius ſe ingurgitarant, præſertim quando ſub ipſo morbo corpus refrigeraverint, vel gravis quidam animi affectus acceſſerit. Qui ad malignitatem arcendam & ſtomachum roborandum alexipharmacis, theriacalibus & ſtomachicis calidioribus ſpirituoſis atque etiam adſtringentibus utebantur, ii rarius evadebant, vel gravius & longius ægrotabant. Remedia, quæ tum deſideratum ediderunt effectum, erant rhabarbarina, in principio duobus vel tribus prioribus diebus data, una cum clyſteribus emollientibus & demulcentibus; deinceps potiones concinnatæ ex pura aqua fontana, menthæ, chamomillæ vulgaris, admixtis pulveribus ex cornu cervi uſto, philoſophice præparato, bolo Armena, lapidibus cancrorum & ſyrupo cydoniorum, quales pulveres etiam frequentius uſurpari fuerunt; quibus interdum quoque unum vel alterum granum theriacæ cœleſtis admiſcebatur. Ruſtici lacte cum aqua fontana mixto, vel ſero lactis per totum morbi decurſum non ſine ſingulari fructu utebantur. Graſſabatur etiam hæc lues inter milites præſidiarios, quibus præerat chirurgus, qui in India orientali per aliquot annos vixerat; cujus methodus hæc erat: plethoricis & robuſtis in principio, interdum etiam in ſtatu morbi venam ſecabat: aliis quibus vitioſorum humorum in primis viis colluvies infeſta erat, vomitorium exhibebat: aliis, ubi malignitas aderat, electuarium, quod arcani inſtar habebat, & cujus ingredientia erant roob ſambuci, theriaca, pulvis pyrius, cornu cervi uſtum, & quidquam camphoræ porrigebat. Pro potu nil niſi aquam fontanam leniter frigidam concedebat. Qui non reſpuebant medicinam, & patienter ſub æquali calore ſe continebant, in iis benigne & optime morbus deceſſit.

### *Epicriſis.*

Diuturnas veris & æſtatis ſiccitates & nimios calores, accendendo nimis ſanguinem & ex humoribus blandis intemperatos & ſulphureos ſalſos gignendo, accedente poſtea aëre paulo frigidiori & humidiori, liberam perſpirationem intercipiente, epidemice graſſantes varii generis ægritudines, maxime omnium vero dyſenterias & intermittentes anomalas, pleuritides quoque & alias rheumaticas affectiones producere, experientia per multa ſecula in hiſtoria medica confirmatum habemus. Id quod etiam ab ipſo HIPPOCRATE *l. III. aph.* 16. obſervatum legimus. Ex hac inordinata & præternaturali temporum conſtitutione, ſupra modum ſicca & præcalida, medicus rationalis, & qui non pure empirice una eademque methodo morbum tractat, facile perſpicit, ad ejuſmodi dyſenteriam epidemiam tum avertendam tum curandam, medicamenta calidiora, ſudorifera, & alexipharmaca minus proficua, ſed magis noxia eſſe; contra diluentia, temperantia, demulcentia, blande laxantia, & diaphoretica convenientiſſima, non ſine inſigni fructu propinari. In ejuſmodi morbis à vulgo ſæpius ex longa experientia meliora & commendantur & petuntur remedia, quam à magnificæ famæ medicis, qui ſufficienti peritia deſtituti & inſufficienti morborum theoria inſtructi ſunt. Cum anno 1726. hic & in vicinis urbibus maxime Altenburgi ſæviter dyſenteria, qua multi perierunt, graſſaretur, ipſi ruſtici, ſpretis omnibus pharmaceuticis, quæ maxima ex parte erant calidiora, ſero lactis item lacte ebutyrato per totum morbi decurſum utebantur; & præ aliis feliciſſime evaſerunt. Eſt dyſenteriæ medendi hæc ratio antiquiſſima. Nam ipſe HIPPOCRATES *libro de affect. ſect. V. it. l. VII. epidem.* §. 6. in quo hiſtoriam dyſenteriæ notatu dignam cum cura præter morem prolixius recenſet, lac bubulum, ejus ſerum, aſininum quoque coctum & ad laxandam alvum & ad temperandos humores mirifice commendat.

Mentio quoque fit in hiſtoria noſtra venæ ſectionis, & quod in pluribus robuſtis & ſanguine plenis, ubi neglecta hæc ipſa fuit, acutus & le-

lethalis fuerit affectus. Ego certe ſanguinis miſſionem cum judicio & diſcrimine in hoc morbo & præcavendo & curando inſtitutam, tanquam remedium & neceſſarium & ſaluberrimum, certa experientia & ratione ſufficienti fultus cenſeo. Miror hinc indiſtincte à noſtri ſeculi medicis hoc auxilii genus in hoc malo ſperni & contemni; cum tamen peritiſſimi etiam antiquiores medici, ut ſunt SYDENHAMIUS vid. *ejus opp. p.* 111. RIVERIUS *cent. II. obſ.* 37. 44. AMATUS LUSITANUS *cent. II. obſ.* 48. & plures alii de ſumma venæ ſectionis in hoc morbo utilitate poſteritati obſervationes reliquerint præſtantiſſimas.

## Observatio VII.

*Hiſtoria dyſenteriæ anno 1719. epidemicæ.* Quum æſtas anni milleſimi ſeptingenteſimi decimi noni per totam fere Germaniam & ſicciſſima, & calidiſſima eſſet: menſibus Auguſto potiſſimum & Septembri popularem ſtragem dyſenteriæ pariter, ac febres intermittentes, incertæ tamen, & ad ſemitertianarum, quas hæmitritæon dicunt Græci, naturam accedentes ediderunt. Et dyſenteriæ quidem ſic habebant: invadebant magis puerilia ac juniora corpora, & ex adultis eos, qui inordinatum vivendi genus egerunt, fructibus horæis, atque cereviſiis minus defæcatis nimium indulſerunt, & aëri veſpertino, qui humidus, nebuloſus ac frigidus erat, ſe liberalius expoſuerunt. Deinceps in illis regionibus, ac urbibus, quæ multa ſtagna, paludeſque, ac flumina ipſas alluentia & pervadentia fovent, veluti eſt Lipſia, Berolinum &c. maximeque in illis domibus, quæ proxime ad flumen ſitæ erant, majorem ac crudeliorem exercebant tyrannidem: Contra vero urbes ac regiones in locis altioribus, & montoſis ſitæ, vel prorſus immunes ab hoc diro malo fuerunt, vel ſaltem illud mitiſſimum ſunt expertæ. Qui præſervandi fine acriora purgantia vel multa ſalina ſumebant remedia, prorſus incidebant fluxum dyſentericum; qui plerumque æſtu febrili, tuſſi, quin & ſpirandi difficultate, in infantibus præſertim junctus obſervabatur. Non minus lumbrici ſæpius cum ſtercoribus reddebantur, & infauſtum exhibebant omen: teneſmus vehementer urgebat, & licet fæces cruentæ eſſe deſinerent, nihilo minus moleſtiſſime continuabat. Quibuſdam cruentæ quidem, & copioſiſſimæ, eæque ſumma virium proſtratione, continuiſque vigiliis ſtipatæ erant dejectiones; ſed omni dolore, cunctiſque torminibus ſi carebant, his præceps exitium, ipſaque mors certe imminebat. Data ſub morbi initium adſtringentia, vel opiata, magnas inducebant noxas, & ſingultum, vel inflammationes oris, faucium & œſophagi, ſedato fluxu, movebant. Quoſdam malum per integrum imo ultra cruciabat menſem; & denique, cum Octobris accederet menſis, omnino ſævire deſiit. In hoc morbi genere præſtantiſſimam deprehendi hanc medendi rationem. Primis morbi diebus ad temperandam & evacuandam ſaburram bilioſam acrem cauſticam non ſine fructu dedi laxantia demulcentibus nupta, vel etiam radicem ipecacuanhæ, repetitis vicibus nonnunquam exhibitam. Ex laxantibus operæ pretium fecerunt vel rhabarbarina, vel etiam pilulæ noſtræ balſamicæ; quas numero novem bis de die, interpoſito pulvere bezoardico nitroſo, ac juſculi avenacei uſu, propinavi. Non minus clyſteres oleoſi egregiam tulerunt opem, nec non pulvis meus bezoardicus, cortici caſcarillæ, æquali pondere nuptus. Quibuſdam cum inſigni, & ſubitaneo levamine præſcripſi mixturas, quæ ex aqua fontana, chamomillæ, menthæ, ceraſorum compoſitæ, inſuper continebant pulverem meum bezoardicum, corticem caſcarillæ, ſpecies de hyacintho, theriacam cœleſtem, oleum amygdalarum dulcium, ac liquorem anodynum. Abdomini adplicandum curavi ſpiritum vini, in quo oleum menthæ erat ſolutum; & morbo diutius protracto, felici cum ſucceſſu, potiones æque ac emulſiones analepticas ſubjunxi. Horum ope, ſi accedebat rectum & moderatum caloris regimen, plurimi convaluerunt: niſi quod ſenibus infenſum ac mortiferum fuerit malum.

### *Epicriſis.*

1) Plura in hac epidemica conſtitutione occurrunt momenta, quæ aliquam omnino merentur attentionem. Primum notabile eſt, quod cum ineunte menſe Octobri morbus plane exſpiraverit; licet hic menſis fructuum, pomorum, & uvarum ſit feraciſſimus. Ex quo adparet, cauſſam hujus epidemiæ ſtragis in miaſmate quodam maligno, ex peculiaribus terrarum effluviis, ac ventorum conſtitutione generato, maximam partem fuiſſe quærendam.

2) Docemur porro ex præmiſſa hiſtoria, nimium æſtum & fervorem ſolis mortalium corporibus longe majores & magis pernicioſas inferre noxas, quam quidem frigus, utut ſit intenſiſſimum. Hinc anno 1709. & 1715. ubi gelidiſſimæ erant hiemes, longe mitiores hominibus incumbebant ægritudines. Præterea vero dignum eſt obſervatione, quod ingens ſolis ardor in locis paludoſis ac humidis, majorem edat ſtragem, quam quidem in altioribus & montoſis: in illis enim eo ipſo calore multa effluvia, plus minus putrida ex aquis & ſtagnis generantur, quæ copiam miaſmatum malignorum inſigniter augent.

3) Occurrunt etiam in hac ſtrage epidemia exempla dyſenteriarum, quas cum dolore careant, indolentes vocare ſolent. Peſſimi ſunt illæ moris & eventus; ſiquidem ſphacelum partium internarum, maximeque inteſtinorum ſignificant. Sic etiam WEDELIUS in dyſenteria, anno 1669. per regionem Gothanam populariter graſſante, aliquot caſus adnotavit, ubi ægrotantes ab ipſo invaſionis momento per totum morbi decurſum, non de minimo quidem dolore ſunt conqueſti, nihilo minus ſtatim ab initio cruenta dejecerunt, & certiſſime perierunt. vid. A. N. C. *dec. I. anno II. obſ.* 43. *& dec. III. anno. I. obſ.* 60. His in caſibus maxima miaſmatis contagioſi accuſanda venit malignitas; & inſuper ipſa ægrotorum conſtitutio conſideranda, qui plerumque inſigni humorum labe ac ſcorbutica dyſcraſia laborare deprehenduntur. Unde fit, ut ſucci vitales protinus emortualem in inteſtinis ſubeant ſtaſin & corruptionem.

## Observatio VIII.

Poſtquam in his noſtris regionibus anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto hiems anteceſſit ſicca & aquilonia, ver autem pluvioſum & auſtrinum, & denique æſtas excepit ſiccior iterum ac calidiſſima: factum eſt, ut hæc dyſenteriarum ferax fuerit, quæ vero binis potiſſimum momentis a fluxu dyſenterico, alias epide- *Dyſenteria anno 1726. epidemica.*

mico ſeſe diſtinxerunt. Primum enim contra morem ſolitum cum ineunte æſtate menſe Junio invaſerunt, & per ſequentes Auguſtum, Septembremque ſævierunt: deinceps etiam contra conſuetum ordinem in montoſis ac celſioribus locis, majorem ac graviorem, quam quidem in planis & campeſtribus exercuerunt tyrannidem. Ipſe morbus ſic habebat: ægri ſtatim adpetitus jactura, & ſumma virium proſtratione correpti, atrociſſima tormina, & acutiſſimos in imo ventre perſentiſcebant cruciatus; quibus accedebant inſignes præcordiorum anxietates, graves cardialgiæ, atque vomendi conatus: raro enim ipſæ incidebant vomitiones. Tum inter vagas horripilationes atque phlogoſes, moleſtiſſimus jungebatur teneſmus, & frequens deſidendi cupiditas, ſiquidem quadrageſies, quinquageſies, & ultra fiebant quotidie dejectiones primum mucoſæ, poſt ſanguine paullulum tinctæ, dein carneæ, tandemque cruentæ. Adhæc tres potiſſimum mali claſſes vel gradus adnotare licebat: prior admodum benigna, nec niſi vagis horripilationibus & caloribus ſtipata erat, ubi ægrotantes non ſemper in lectis decumbere debuerunt: altera minus maligna comitem habebat febrim vel quartanam, eamque continuam, vel ſemitertianam: tertia vero maligna, cum acuta, & veluti inflammatoria febre conjuncta, efferata ſymptomatum ferocitate affligebat, magnumque in alias propagabat contagium, & tantum non ſemper brevi lethalique ſolvebatur eventu. Præterea ſicuti potus frigidus noxam inferebat inſignem; ita præſertim cereviſia, utut calida fuerit, majores anxietates & dolores, ac acerbiora in abdomine excitabat tormina. Refrigeratio quæcunque malum gravius, fomentationes vero, cumprimis regionis umbilicalis *(vvarme Magen-Steine öffters aufgelegt)* dolores reddebant mitiores. Adpetitus porro dejectus gravem hunc affectum eſſe, graviorem vero, imo malignum, febris complicatio ſignificavit: non minus virium cum prima mali acceſſione ſumma proſtratio, ut plurimum funeſta fuit. Illi, qui hauſto dyſenteriæ contagio, atrocibus mox torquebantur cruciatibus, erumpente poſtea largiſſimo ſudore, ſub eadem torminum atrocia, & excretionum per inferiora parciori ſucceſſu, nauſea vero, & vomendi conatu majori, vix evaſerunt. Tandem quæ dyſenteria antea cum febre continua erat conjuncta, deinceps febri hæmitritea, vel corrupta alia ſtipabatur, funeſtum ut plurimum ſortita eſt eventum, vel ſaltem in lentam hecticodeamque febrim, cum tumoribus œdematoſis tranſiit. Qui medicorum, vel potius empyricorum, materiæ noxiæ & contagioſæ excretionem, datis improvide adſtringentibus & opiatis ſiſtere ſtuduerunt, in præceps vitæ periculum conjecerunt ægrotantes. Curationem quod attinet; ea prout vel benignum, vel magis malignum fuit malum, duplici ratione inſtituta. Benignum dicta jam in præcedentibus obſervationibus ratione oppugnavimus; ubi autem oleum amygdalarum dulcium, aut olivarum, multo magis, ſi illud more communi cum ſpiritu vini, & aceto deſtillato mixtum fuerit, non ſine gravi noxa datum meminimus; illud enim ſolum adauxit inteſtinorum atoniam, cum ſpiritu vini maritatum, majores excitavit dolores. In maligna dyſenteria, cum vehementi febre conjuncta, principaliſſima cura febri tributa fuit, quam pulveres abſorbentes, ac fixi diaphoretici, nitro nupti, & vel ſoli, vel ex aquis diapnoicis propinati, non neglectis reliquis egregie mitigarunt: neque minus venæ ſectio ſub morbi initio adminiſtrata, plethoricis mitiorem reddidit morbum; Vomitoria autem, & purgantia, ipſæque polychreſtæ pilulæ, ob aloen, quam fovent, magis exaſperarunt. Pro potu ad ſitim, quæ vehemens erat, exſtinguendam, egregie inſervierunt, vel emulſiones ex amygdalis dulcibus, cum juſculo avenaceo paratæ, vel ſerum lactis dulce, vel etiam lac cum fonte Selterano maritatum. Denique declinante morbo roborantia, & ex his vinum Gallicum Pontac operæ fecerunt pretium. Ad moleſtiſſimum illum teneſmum ſublevandum fotus & vapores ex decocto lactis cum floribus ſambuci, malvæ, chamomillæ vulgaris ad poſteriora admiſſi, & mucilagines ſeminis cydoniorum, pſyllii, convenienti doſi ano crebrius inditæ omnium optime profuerunt.

*Epicriſis.*

1) Quod ſi originem dyſenteriæ hujus epidemicæ inquiramus; eam à vitio quodam, in aëre obverſante repetendam eſſe, tam late graſſans illius impetus ſignificat. Verum non neglectui habendæ ſunt aliæ cauſſæ, & quidem primum tempeſtati animadverſio debetur. Namque ſub hieme ſicca & aquilonia fibræ muſculares ſtrictiores ac rigidiores factæ, impuritatibus per cutis ſpiracula excludendis exitum denegarunt; quæ inſequente vere pluvioſo nimium relaxatæ, apertis iterum cutaneis poris, varias ex atmoſphæra ſuſceperunt impuritates. Hæ demum accedente æſtate calida atque ſicca valde expanſæ, commotæque, reliquos etiam ſuccos in fermentativam indolem ſimul abripuerunt: unde accedente quadam occaſionali cauſſa, vel ſtimulo inteſtinorum, facile fuit, ſuboriri dyſenteriam.

2) Has vero inter procatarcticas cauſſas vitioſa ingeſtorum, ac fructuum horæorum illuvies nullum habet locum: quoniam hoc tempore, cum Junio jam menſe, malum graſſari cœperit, eorundem nulla fuit copia. Sed potius quicunque menſes tempeſtatem fovent dyſenteriæ opportunam; in iis, quamvis raro, graſſatur etiam ille morbus. Sic ACT. VRATISL. *Tent. VII. pag.* 288. dyſenteriam menſe Martio, & DIEMERBROECK *obſ. med. VI. pag.* 593. eandem per Januarium & Februarium graſſantem memorant. Nihilo tamen minus haud à veritate me aberraturum credo, ſi potulentorum vitio in noſtro caſu multum tribuam. Quum enim per tempeſtates juſto calidiores ipſæ fontium aquæ putridæ ſoleant fieri; illæ præbent cereviſias minus ſalubres & aceſcentes; quæ ab hominibus id temporis vehementer ſitientibus, copioſius hauſtæ, acrem ac bilioſam in primis viis relinquunt ſaburram, mole ſæpenumero paucam, eo vehementiori tamen ſtimulo inteſtina afficientem.

3) Communiter dyſenteriæ locis in planis ac campeſtribus graviores eſſe ſolent, quam in montoſis; eo quod atmoſphæræ impuritates in planitie non æque ac in celſis locis aëris liberioris tranſitu, & ventorum multiplicato ſpiramine diſſipari & removeri poſſint. In noſtra dyſenteria contrarium obſervare licuit, nec obſcura eſt ratio. Quod ſi enim verum eſt, aëri ineſſe, eoque inſpirari contagium epidemicum, & pro varia ventorum natura atmoſphæræ inſinuari; veritati quoque reſpondet ratio, qua aſſerimus, contagium recenſiti mali epidemicum, ventis fuiſſe adductum, & magis celſioribus, utpote ventorum flati-

flatibus admodum expoſitis, quam campeſtribus regionibus, eorum inſultui non ita ſubjectis, fuiſſe inſinuatum.

4) Notari hoc loco meretur, dyſenteriam interdum abſque tempeſtatis vitio, popularem ſtragem edere, ex ſolo miaſmate maligno per aërem obverſante. Tum vero certis terrarum tractibus quaſi incluſus obſervatur affectus; tum quoque multa inſectorum copia in aëre cernitur; & tum in montoſis magis locis malum ſuam exercet tyrannidem; quemadmodum, quod ex ſola tempeſtatis ſubita mutatione ſuboritur, campeſtribus ac planis regionibus infenſius eſt.

---

## CAPUT VIII.

### *De Cholera & Diarrhœa bilioſa.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Definitio choleræ.*

VAlde conveniens cum dyſenteria morbus eſt, quem à copioſa bilioſæ ſaburræ per os pariter ac anum facta excretione, Græci choleram vocant, CÆLIUS vero AURELIANUS per fellifluam paſſionem interpretatur, & WILLISIUS *Pharm. rat. Part. I. ſect. 3. c. 3.* dyſenteriam incruentam adpellat. Ea autem eſt motus ventriculi ac inteſtinorum periſtalticus, ab inhærente varii generis materia acerrima & cauſtica, ad convulſivam contractionem proritatus, ex parte præter naturam inverſus, & cum immoderatis bilioſæ ſaburræ tam per ſuperiora quam inferiora rejectionibus conjunctus.

§. II.

*Differentia choleræ à dyſenteria.*

Cujus ante omnia differentiam à fluxu dyſenterico notare convenit. Illa enim ad acutiſſimos referri meretur morbos; & intra paucos dies, ad ſummum ſeptimo finiri ſolet, cum dyſenteria, niſi fuerit ſumme maligna, diutius durare deprehendatur. Neque ſubinde dyſenterico fluori ſemper conjunguntur vomitiones, niſi forſan in principio, aut vigente mali impetu, ſi acceſſerit ventriculi inflammatio, illæ nonnunquam occurrant: at cholera nunquam ſine vomitu eſt; ſed nec tam moleſto, uti dyſenteria, teneſmo ſtipatur, nec tam frequentes cruoris dejectiones exhibet, nec denique contagium, uti dyſenteria ſpargit.

§. III.

*Differentia choleræ à diarrhœa bilioſa.*

Non minus diſcrepat cholera à diarrhœa bilioſa. Quamvis enim utriuſque affectus eædem ferme deprehendantur cauſſæ; attamen & diverſa exhibent ſymptomata, & diverſam præbent prognoſin. Nam ſicut diarrhœa bilioſa nihil eſt aliud, quam copioſa ſaburræ bilioſæ, vi motus periſtaltici inteſtinorum in ſuo naturali, vel deorſum tendente itinere, ſpaſmodice conſtricti per anum facta excretio: ita è contrario hæc diarrhœa nunquam in cholera quidem abeſt; ſed præter eam adhuc inverſio quædam periſtalſeos, ventriculi potiſſimum ac duodeni accedit, & ideo conjunctæ ſemper ſunt vomitiones.

§. IV.

*Diſtinctio choleræ in ſiccam & humidam.*

Diſtinctio choleræ ipſius in ſiccam & humidam non inſuper habenda eſt: illa dicitur, ſi flatulentis vaporibus ventriculus ac inteſtina adeo diſtenduntur, ut illi non ſine ſummis anxietatibus, copioſa quantitate ſupra infrave eructentur; cujus notabile exemplum recenſetur in ACT. MED. BEROLIN. *dec. II. vol. III. pag. 73.* de qua nobis ſermo non eſt. Humida vero vocatur, qualem §. I. deſcripſimus; quæ iterum vel cum febre, eaque gravi inflammatoria complicatur, quam medici ardentem ſeu cauſon appellant, & nos *Tom. IV. med. Syſt. P. I.* deſcripſimus; vel ſine regulari febre, licet non ſine omni horripilatione, ac incerto æſtu deprehenditur. Hæc plerumque eſt idiopathica; licet etiam ſymptomatice nonnunquam accedat dentitioni difficili juxta SYDENHAMIUM *prax. med. pag. 754.* febribus malignis, ſecundum RIVERIUM *Cent. III. obſ. 78.* & febri leipyriæ, quæ abſque ſuperveniente cholera non cedere ſcribitur ab HIPPOCRATE *in Coac. aph.* 123. & DURETO *in Holler. de morb. int. L. I. Cap. 31. pag. 235.* quibus etiam morbis, non raro bilioſum duntaxat alvi profluvium jungi ſolet.

§. V.

*Subjecta choleræ & diarrhœæ bilioſæ.*

Eadem fere utriuſque morbi ſunt ſubjecta, nimirum juniora, quæ bilioſa, ſicciori & cholerica gaudent conſtitutione, conf. HIPP. *Sect. III. aph. 30.* ſiquidem ſucculentiora, phlegmatica, & ſanguinea, alvi magis pituitoſo laborare ſolent profluvio. Cumprimis choleræ obſervantur expoſiti, qui ſuccos vitales acrimonia quadam ſcorbutica contaminatos poſſident, aut ſaburram acidam in primis fovent viis, ut fere ſunt hypochondriaci, ſcorbutici, & cachectici, indole ſimul iracunda præditi. Æſtivo quoque & fervidiori exiſtente tempeſtate, morbus hic potiſſimum infeſtat; & quo calidiores ſunt regiones, eo frequentior & gravior occurrit: unde incolis Indiæ, Mauritaniæ, Arabiæ, Americæ endemius ſcribitur à BONTIO *hiſt. nat. Ind. Lib. IV. cap. 6.* & THEVENOT *Itiner. part. II. Lib. II. cap.* 20.

§. VI.

*Hiſtoria morbi.*

Quod morbi hiſtoriam attinet, ſcire refert, choleram plerumque uno impetu invadere. Quamvis enim ſæpius ructus acidi, nidoroſi, dolores ventriculi ac inteſtinorum pungentes, ac cardialgici, & præcordiorum anxietates antecedant: tamen paullo poſt uno impetu & tempore ſequuntur vomitiones æque ac dejectiones. Et primum quidem ciborum ejiciuntur reliquiæ, poſt humores bilioſi, plus minus muco permixti, mox flavi, mox æruginoſi, mox nigri, plerumque acidiſſimi ac fere corroſivi, una cum copioſis ructibus & flatibus, nec non ipſo nonnunquam ſanguine, repetitis frequentiſſime vicibus redduntur. Præterea acutiſſimi dolores, torſiones, roſiones, morſicationes, inflationes, ac borborygmi ſentiuntur in inteſtinis, maxime ſupra umbilicum; & vehementiſſimæ adfligunt cardialgiæ. Malo ingraveſcente, ſitis accedit magna, extrema refrigeſcunt, cor palpitare incipit, ſeptum tranſverſum ſingultuoſis agitatur ſuccuſſionibus, urinæ fluxus cohibetur, corpus gelidis perfunditur ſudoribus, & non raro graves animi defectiones, ſæpius ſyncopticæ, quin horrendæ totius corporis conjunguntur

guntur convulſiones. Brevis quoque mali eſt exitus: interdum enim tertio, vel quarto, vel, quod rarius eſt, ſeptimo die ſolvitur; nec unquam diutius protrahitur, niſi in alium tranſeat morbum.

§. VII.

*Hiſtoria morbi juxta veteres.* Ex veteribus cholericæ paſſionis hiſtoriam accurate delinearunt ARETÆUS & COELIUS AURELIANUS: Hic enim *Lib. III. cap. XX.* ita deſcribit morbum: præcedit frequenter cholericos ſtomachi gravedo, tenſio, anxietas, jactatio, vigiliæ, tormentum inteſtinorum cum ſonitu, ventris dolor; atque per podicem ventris fluor nihil relevans; ructationes fumoſæ; nauſea, ſalivarum fluor & gravedo thoracis. Surgente paſſione jugis vomitus, & primum corrupti cibi, & humoris atque fellis flavidi; dehinc vitellis ovorum ſimilis; tum praſii ac æruginoſi; ultimo nigri; ventris turbatio cum dolore, & egeſtio vomitorum ſimilis, hoc eſt ſpumoſa & acerrima, cum frequenti delectatione vomendi. Creſcente paſſione aquati atque tenuis liquoris fit egeſtio, & aliquando loturæ carnis ſimilis. Feruntur etiam cum his humoribus plerumque ſubalbida, deſputa; ſequitur denſitas pulſus, & articulorum frigus, atque vultus nigrore fuſcatus; ardor atque ſitis inſatiabilis; ſpiratio celerrima; contractio membrorum, cum nervorum tenſione, ac ſurarum & brachiorum. Præcordiorum ad ſuperiora raptus, cum dolore iliaco ſimili; aliquando egeſtio ventris ſanguinolenta; vultus in maciem deducti, oculi rubri & in ultimo ſingultus &c. ARETÆUS autem *Lib. II. Cap. V.* ita ſcribit: *Cholera eſt vitium acutiſſimum; ſupra enim per vomitum erumpunt, quæ in ore ventriculi & gula congeſta fuerant; infra dejiciuntur humores in ventriculo, & inteſtinis natantes. Inprimis quæ evomuntur, aquæ ſimilia ſunt; quæ anus effundit, ſtercorea, liquida, tetrique odoris ſentiuntur: quod ſi per clyſterem hæc eluantur, primo pituitoſa, mox bilioſa feruntur. Initio facilis morbus, dolore vacans; poſtea vero tenſiones in ore ventriculi & gula; tormina in ventre naſcuntur. Si magis ſæviat morbus, anima deficit, membra reſolvuntur, cibos exhorrent, animus conſternatur: nervi tenduntur, tibiarum brachiorumque muſculi convelluntur, digiti incurvantur, vertigo oboritur; ſingultiunt, ungues livent, algent extrema, totum corpus rigore concutitur. Si ad ultimum venit malum, tum ægrotus ſudore perfunditur, bilis infra ſuprave prorumpit, convulſione impedita, veſica lotium cohibetur, voce privantur; arteriarum pulſatus minimi. Mors demum ſequitur doloribus plena & miſeranda, per convulſionem, ſtrangulatum & inanem vomitum.*

§. VIII.

*Sectio anatomica cholera peremtorum.* In cholera peremtorum cadaveribus, poſt mortem diſſectis, inteſtina præcipue gracilia, ſpeciatim duodenum, cum dextro ventriculi orificio intus gangrænata; extrinſecus bile ſuffuſa ac flava, ductus vero biliferos nimium relaxatos inveniri; perhibent obſervationum medicarum ſcriptores, quos inter DOLÆUM *encyclop. med. Lib. III. cap. IV. pag.* 418. & BARTHOLINUM *hiſt. anat. Cent. II. obſ.* 81. allegaſſe ſufficiat. Præſertim RIOLANUS *anthropol. Lib. II. cap.* 20. cyſtidem felleam amplam, ductumque cholidochum inſigniter, diſtentum adnotavit: & A. M. BEROL. *dec. II. Vol. VIII. pag.* 80. ejuſmodi lethalem choleræ caſum allegarunt, ubi duodenum cum pyloro interne gangrænatum, ac materia ex fuſco nigra (qualis vomitu rejecta, & examinata, non niſi bilis ſanguine permixta fuit) repletum; vaſa venoſa ventriculi cruore turgida, fellea cyſtis valde flaccida, & omentum verſus ventriculum revolutum, conſpectui ſeſe obtulerunt.

§. IX.

Quis inde non videt, ſedem choleræ, ſicuti generatim in toto ventriculi ac inteſtinorum volumine: ita ſpeciatim in duodeno, atque viis biliferis quærendam eſſe? unde ſæpenumero univerſum nervorum genus in triſtem malorum rapitur ſocietatem. Neque enim ratio aliam determinare poteſt ſedem, ſi cauſſam affectus noſtri ſpectemus materialem. Nam vomitibus æque ac alvo quæ redditur materia, tantum non ſemper bilioſa, licet non æque ſincera ubivis bilis, exiſtit; & modo humoribus acidis, pituitoſis, ſalinis, aliiſque peregrinis, nec non ipſo cruore permixta cernitur: unde etiam varios colores modo flavum, modo viridem, modo nigrum, & alios ſortitur. Ejuſmodi vero bilis commixtio non in alio loco, quam inteſtino potiſſimum duodeno fieri poteſt: quippe quod partim ob ſinuoſum ſitum ac flexuras, partim affluentem ex ductu cholidocho, bilem æque ac pancreaticum ſuccum, producendæ & fovendæ saburræ iſtius modi acerrimæ eſt opportuniſſimum. *Sedes, & cauſſa materialis choleræ.*

§. X.

Et inducta quidem ab ejuſmodi cauſtica materia vellicatio tunicæ, quæ ventriculum & inteſtina cingit, nerveæ, cauſſam choleræ præbet proximam; ſiquidem hanc ſtatim excipit convulſiva eorundem conſtrictio, qua morbus abſolvitur. Hæc enim, accedente materiæ peccantis roſione, dolores tendentes, pungentes, lancinantes, rodentes, morſicantes, ac cardialgicos producit; atque in ventriculo, ac duodeno contra naturæ ordinem ſurſum tendit; in reliquis vero inteſtinis deorſum procedit: unde vomitiones atque dejectiones ſimul fiunt. Quemadmodum vero perpetuæ inſtar regulæ habendum eſt, quod ad vellicatas in corpore partes, major fiat humorum affluxus: ita quoque in noſtro morbo ſucci vitales copioſius ad vaſa ventriculi ac duodeni, tanquam primario affecta, ruunt. Dum autem hæ partes ſpaſmo conſtringuntur; non poſſunt allati ſucci liberius per venas refluere; hinc eas infarciunt, ac primum ſubtiliores particulas, quæ ut plurimum ſunt acres, ſeroſæ, ſulphureæ ac bilioſæ, in affectæ partis cavitatem plorant: unde mira excretorum in cholera humorum copia derivanda erit. Ulteriori mora ipſa vaſa vel rumpuntur, cruoremque exſtillant, cum ſaburra bilioſa in nigrum crama coëuntem; vel ſtaſin ſubeunt, ac lethalem inflammationem & gangrænam. Interim ſpaſmorum tyrannis ad vicinas quoque regiones vi conſenſus nervorum propagatur; & ſic omnium maxime ductus biliferi ſævis agitantur motitationibus, ut bilem ſuam effundant in duodenum, ac ceſſante cum morte ſpaſmorum impetu, flaccidi ac relaxari adpareant. Porro ſi tranſeunt violenti motus ad cordis fabricam, ejus palpitationes; ſi ad diaphragma, ſingultus; ſi ad veſicam urinariam, mictus difficultas; ſi ad cutis ambitum, ex- *Cauſſa proxima, & ratio ſymptomatum.*

extremorum refrigeratio; ſi denique ad membranas cerebri & medullæ ſpinalis, epileptici ac convulſivi ſuboriuntur motus.

### §. XI.

*Cauſſæ choleræ mediatæ ſunt 1] venena.* Quibus explicatis perſcrutandæ jam mediatæ veniunt cauſſæ, à quibus producitur materia, tantis tumultibus excitandis opportuna: quæ ſive mole pauca, ſive major fuerit, ſemper ſumme cauſticæ & acerrimæ debet eſſe indolis, ut morbum diſtinguat ab aliis excretionum per vomitum & alvum generibus. Atque hanc primum inferunt venena, quippe quorum perniciosus in corpora effectus non alio, quam choleræ ſignificari poteſt nomine; adeo ut cholera, & toxico interire, idem fere ſit. Cuncta vero venena ſale cauſtico acerrimo operari, notum eſt; quod licet parciſſima ſæpenumero quantitate corpus intret, vehementiſſimam tamen ventriculi ac duodeni, hinc & reliquorum inteſtinorum vellicationem ac convulſionem infert: unde non ex ſanguinis ſolum maſſa humores ſeroſi ad eas partes ſecernuntur, verum cyſtis quoque fellea, violenter concuſſa, effundit bilioſum ſuum liquorem; qui prout hic vel ille humor in primis viis jam præſto ſit, vario colore tinctas & vomitiones & dejectiones exhibet. Quam igitur triſtiſſimam & plerumque feralem tragoediam, à ſumto potiſſimum arſenico, quin etiam mercurio ſublimato, ludi, quotidie proh dolor! obſervamus; & præſertim HILDANUS, DECKERUS *in not. ad Barbette*, & SALMUTH *Cent. I. obſ.* 10. exemplis illuſtrarunt. Et quæ ab auctoribus de dyſenteria à ſumtis venenis excitata referuntur obſervationes; eas ad choleram omnes adplicandas eſſe puto.

### §. XII.

*2] Purgantia & emetica acriora.* Similem venenis vim poſſident purgantia & emetica acriora, majori doſi, aut minus opportune propinata, quippe quæ ſal quoque fovent acerrimum. Effectus eorundem pernicioſi vulgo hypercatharſeos, vel hyperemeſeos nomine exprimuntur; quæ ſi conjunguntur, uti plerumque fit, choleram omnino conſtituunt. Ejuſmodi ſunt eſula, cataputia, ſemen Mezerei, vitrum antimonii &c. Ex antimonialibus haud rite præparatis, choleram vehementiſſimam notavit RHODIUS *Cent. II. ob.* 73. ex helleboro albo FORESTUS *Lib. XXVIII. obſ.* 44. ex colocynthide *idem obſ.* 42. & STALPART VAN DER WIEL *Cent. I. obſ.* 41.

### §. XIII.

*3] Cibi nimium dulces pingues ac fermenteſcibiles.* Præterea cibi nimium fermenteſcibiles, dulces, pingues, & qui facilioris ſunt corruptionis, choleram excitare poſſunt, ſi vel cereviſia minus defæcata, aut etiam aqua iis ſuperingeratur, & illi ab impuro corpore, cujus in ventriculo bilioſa jam latet ſaburra, aſſumantur. Hæc enim ſubjecta cum bile coëuntia, & confermentata, generant acrimoniam veneno magis cauſticam: quo pertinent melones, pepones, cucumeres, fructus Indorum ananas, mala perſica, pruna, maxime cerea, uvæ, ceraſa, panificia, cum multo butyro frixa, placentulæ mellitæ, fungi, ova piſcis barbi, muſtum, vinum ac cereviſia recens, carnes nimium pingues &c. Sic cucumeres, pota deſuper cereviſia, à vetula comeſti, lethalem peperiſſe choleram, teſtis eſt FONTANUS *analect. Cap.* 21. *exemplo* 12. eandem à malis perſicis excitatam recenſet GULDENKLEE *Lib. III. cap. VIII.* quid? quod à lactis inopportuno uſu productam refert HENRICUS AB HEER *obſ. XV. pag.* 149.

### §. XIV.

*4] Gravis iracundia.* Nec excludenda ſane ex cauſſis choleræ eſt gravis iracundia; quæ cumprimis ipſi progenerandæ potentiſſimam vim obtinet, ſi inter ipſum paſtum, comeſtis cibis fermenteſcibilibus quis exarſerit, aut ſtatim poſt iram potum vel cibum, vel, quod peſſimum eſt, emeticum, aut purgans aliquod ſumſerit. Namque neminem fugiet, iræ efficaciam primis potiſſimum, atque biliferis viis eſſe inſenſiſſimam; utpote non ſolidas ac motrices has ſolum commovet partes; verum eo ipſo orgaſticæ bilis cum alia, quæ forſan adeſt, ſaburra effervescentiæ, amplam præbet cauſſam. Tali ratione choleræ ex ira, ſumta deſuper braſſica ſubortæ exemplum allegant ACT. MED. BEROL. *dec. II. vol. I. pag.* 36. eandemque à vehementiori ira lethalem recenſent eadem ACTA *vol. VIII. pag.* 80. nec non PLATERUS *obſerv. Lib. III. pag.* 754. & BORELLUS *Cent. II. obſ.* 27. *pag.* 121. Atque non alius, quam cholera morbus eſt, quem teneri infantes, ex matrum ira excandeſcentium culpa, ſæpenumero patiuntur, nunquam ſine vitæ periculo: vulgo vocant ipſum *die Darm-Gicht*. Provenit ille ex lacte, per iram matris orgaſtico facto, & in ſenſibili infantis ventriculo cum bile effervescente, inteſtina arrodente, ac plerumque in lethalem inflammationem abeunte.

### §. XV.

*Cauſſa mediata diarrhœæ bilioſæ.* Quæ quidem hactenus recenſitæ cauſſæ, ſi acrimonia gradu benignior fuerit, & profundius inteſtinis inhæſerit, ſolam diarrhœam efficient bilioſam. Hæc vero alias adhuc agnoſcit cauſſas, quæ quidem haud facile cholericam excitare ſolent paſſionem. Et præſertim illud notari meretur, critice nonnunquam fieri bilioſam alvi fluxionem, in ſubjectis bilioſis, ſi vel levis in victu error, vel iracundia, vel tranſpirationis cohibitio præceſſerit; quin eadem non raro ſponte ſuboritur, idque æſtivo potiſſimum tempore, & rite tractata in corporis vergit ſalutem. Non minus ſæpiſſime fit, ut ejuſmodi diarrhœa bilioſa, critico motu per febres intermittentes bilioſas, quales ſunt pleræque tertianæ, incidat, corpuſque inſigniter ſublevet.

### §. XVI.

*Cauſſæ procatarcticæ.* Sunt etiam cauſſæ quædam procatarcticæ, quæ ſi concurrerint cum mediatis, & choleram & diarrhœam bilioſam eo certius progenerabunt. Ejuſmodi ſunt primum aëris fervidior conſtitutio, quæ uti omnes totius corporis ſuccos, ita præſertim bilem in orgaſticam deducere valet commotionem. Hinc derivandum eſſe credo, cur Indis, & Arabibus endemiæ dicantur choleræ; præſertim cum acceſſerit frequentior fructuum ananas uſus, qui iis in locis reperiuntur, & ſucco fermentante noxioſiſſimo ſunt prædití. Deinceps corporis quoque nimia refrigeratio, reprimendo ſerum acre bilioſum, ad choleram diſponit: unde SCHENCKIUS *Lib. III. obſ.* choleræ meminit, quæ ex pedum refrigeratione, accedente muſti & fungorum uſu, ſuborta fuit. Et denique cum SYDENHAMIO, gravi ſcriptore, *Oper. med. pag.* 216. frequentes crapulas tam vinoſas, quam cereviſiarias, tanquam occaſionalem choleræ cauſſam, in ſubjectis

lectis cholericis, omni jure accuſamus: quippe quibus robur ventriculi, & inteſtinorum debilitatur, variæque cruditates acidæ in primis viis generantur; quæ accedente vel leviori bilis commotione, graviſſimas in œconomia vitali producunt turbas.

§. XVII.

*Prognoſis.* Si denique prognoſin recenſitarum eo uſque ægritudinum ſpectemus; ea in cholerica paſſione plerumque feralis eſt. Nullus enim, niſi forte peſtem, & febres peſtilentiales exceperis, brevioris eſt exitus, tamque cito homines jugulat morbus, quam cholera; cumprimis ſi vel ſenes, vel infantes, vel longo morbo debilitatos invaſerit. Quo magis cauſtica eſt rejecta materia, quo intenſior ſitis & æſtus; eo certius periculum; & ſi bilis atra, ſanguineque atro permixta dejiciatur, præſagit inevitabile exitium juxta HIPPOCRATEM *Lib. IV. aph.* 22. Non minus mortem ſignificant, juncta animi deliquia, ſingultus, convulſiones, extremorum frigus, & ſudores gelidi; nec boni quidpiam expectare licet, ſi compreſſis excretionibus reliqua perſiſtant ſymptomata. Verum ſalutis affulget ſpes, ſi conquieſcant vomitus, cum inſequente ſomno, & levamine; ſique ultra ſeptimum morbus protrahatur diem. Diarrhœa biliosa, ſi brevis ſit, & ſine magnis torminibus adfligat, ſalutariter decurrit; eandemque finiri, erumpentes denuo flatus indicant: nec non in tuto fere eſt, quæ ſiti & æſtu caret. Contra vero fuſa ſub alvo cibi cupiditatem perire, malum; utique ſi acutiora ſimul urgeant tormina, ſomnus eripiatur oculis, & vires inſigniter proſternantur. Quandocunque ſive dyſentericæ ſive cholericæ paſſioni aut diarrhœæ bilioſæ, vel bilioſis vomitionibus febris ſemitertiana, quæ Græcis hemitritæa dicitur, & ex febre acuta inflammatoria & intermittente tertiana alternante ſic paroxyſmo eſt compoſita, jungitur. Affectus hi non ſummi ſunt expertes periculi: optimum vero dictis in morbis ſignum præbent flatuum per inferiora eruptiones, ex quibus motus inteſtinorum periſtaltici quodammodo reſtituti non facile fallax indicium poteſt ſumi. In dyſenteria ructuum eruptionem jam tum ſuo tempore HIPPOCRATES pro convaleſcentiæ ſigno cognovit.

*THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Si in omnibus morbis, certe in cholera nunquam locum habebit cura per expectationem: ſiquidem juxta CORNELIUM CELSUM *Lib. IV.* 2. nulli morbo minori ſuccurritur momento, & ſecundum TRALLIANUM *VII.* 4. exigua leviſque curandi mora in eo eſt peſſima. Quo igitur citius, & in principio ſuccurritur choleræ; eo felicior evadit curatio. Hanc vero adgreſſuro tres potiſſimum occurrunt indicationes; nimirum ut ante omnia peccans & noxia materia corrigatur, attemperetur, ad exitum diſponatur, & ſi opus fuerit, arte proſcribatur; deinceps effrænes motus apte & convenienter ſopiantur, & denique labefactatum nervoſarum partium robur inſtauretur.

§. II.

*Curatio choleræ ex illuvie ciborum fermenteſcibilium.* Prima igitur cura eſto, noxii humoris attemperatio, & adjuvanda excretio. Prout autem illi ſunt varii, & vel magna cruditatum bilioſarum copia, vel pauca nonnunquam materiæ ſubtilis, ejuſque cauſticæ moles, tantorum tumultuum cauſſa deprehenditur: ita paullo diverſa exigitur medendi ratio. Quod ſi igitur ab aſſumtorum nimia quantitate, cibis fermenteſcibilibus, cum bile in acerrimum magma abeuntibus, malum propullulaverit; promovenda erit vacuatio, ſi impeditior fuerit, nec quod probe notandum, vires nimium proſtratæ ſint. Neque vero emetica vel purgantia poſitiva hoc fine propinare convenit; ſed vomitum hauſta copioſius aqua tepida, butyro inſulſo, vel oleoſis ac mucilaginoſis, large imbuta adjuvare; alvi vero ſucceſſum, infuſis ano clyſteribus oleoſis, & emollientibus, quibus ſerum lactis egregie inſerviet, promovere expediet. Non minus egregiam merentur laudem juſcula pulli junioris, copioſius hauſta, quæ à SYDENHAMIO potiſſimum commendantur. His oretenus jungenda abſorbentia, terrea, noxiamque acrimoniam temperantia: veluti ſunt pulveres ex lapidibus cancrorum, conchis citratis, matre perlarum, terra ſigillata, coralliis præparatis, ſuccino, pulvere Marchionum, ſpeciebus de hyacintho, terris bolaribus, cornu cervi uſto, ſpodio foſſili, cryſtallo montana, quam multi habent pro ſpecifico, addito theriacæ cœleſtis tantillo confecti. Ipſum quoque ſerum lactis, egregia temperandi, ſitimque, qua crudeliter ſæpius vexantur, extinguendi virtute pollet. Et veteres quidem, ſicuti COELIUS AURELIANUS *morb. acut. Lib. III. cap.* 21. TRALLIANUS *Lib. VII. p.* 376. multis laudibus commendarunt potum aquæ temperate frigidæ: de cujus utilitate recentius exemplum allegat BORELLUS *Cent.* 2. *obſ.* 27. *pag.* 131. & ego multis obſervationibus convictus ſum.

§. III.

*Curatio choleræ à materia cauſtica, mole pauca ſubortæ.* Ubi vero ex ſumto veneno, vel mota hypercatharſi vel hyperemeſi, in ſubjecto alias ſano, cholericus emergit morbus; cauſſaque ipſius in pauca materiæ acerrimæ fibris ventriculi nerveis inhærentis mole conſiſtit: non quidem cohibere, neque vero adjuvare decet vacuationes. Omni potius ſtudio in id erit incumbendum, ut cauſticus ac tenuis humor involvatur: quo quidem fine larga quantitate oleoſa, mucilaginoſa, & pinguia ſorbere juvat; veluti oleum amygdalarum dulcium, decocta cum raſura cornu cervi, avenæ, hordei, ipſumque etiam lac, quod eo præſtantiorem vim exſeret, ſi cum abſorbente quodam fuerit remixtum. Præterea quoque pulveres abſorbentes exhiberi, & cum acidulis remediis, quæ ad caſtrandam veneni vim mirifice inſerviunt, alternari poſſunt: quæ inter eminent mixtura ſimplex, ſpiritus vitrioli dulcis, nitri dulcis &c.

§. IV.

*Motuum præternaturalium impetus ſopiendus.* His interponenda pariter, ac poſt evacuatam peccantem materiam ſubjungenda, præſertim ſi collabi nimium videantur vires, ſunt remedia antiſpaſmodica, imo antepileptica ſpecifica ex animali potiſſimum regno deſumta, cujus generis ſunt, hepar lupi exſiccatum, raſura priapi cervi, cranii humani, ungulæ alcis, cancri uſti fluviatiles, oſſa humana calcinata, quæ ad convulſivas ſpaſticas nervoſarum fibrarum conſtrictiones æque in cholerica ac dyſenterica affectione mitigandas non carere egregio ſuo fructu, plures medicorum peritiſſimorum confirmant.

Et

Et ſicuti ſemper, ita in hoc præſertim morbo anodynis tutiſſime utimur, ſi vacuantibus decenter ſunt nupta: quemadmodum ſunt pilulæ de ſtyrace, de cynogloſſa, WILDEGANSII, STARCKIANÆ, quæ vacuantia ſimul fovent ingredientia, & ſi ſuſpicio de præſente adhuc materia fuerit, motus tamen efferati nimis ſint, illæ cum pilulis aloëphanginis, vel noſtris quoque balſamicis permiſceri poſſunt. Pulveribus abſorbentibus theriaca cœleſtis, extractum caſtorei, cinnabaris addi merentur; & cumprimis operæ pretium faciet, liquor noſter anodynus, quem cum oleo macis, vel etiam tinctura caſtorei maritatum vehementer laudo.

§. V.

*Externorum uſus.* Neque ſua laude carent externa paregorica, & anodyna; quo fine celebrantur emplaſtrum de cruſta panis, ceratum ſtomachale maſtichinum Galeni, balſamum embryonum, ſpiritus theriacalis, linimenta ex oleis nervinis, abſynthii, nuciſtæ, menthæ, balſamo Peruviano, caſtoreo, camphora parata, cataplaſmata ex fermento panis, aceto rutaceo, & ſpiritu vini, nec non ſacculi diſcutientes, & paregorici. Ubi quoque motus inſigni ferocitate urgent, nec moli materiæ ullo modo reſpondent; non præſtantius, nec efficacius, ad eos placide ſiſtendos, & reliquam curationem facilitandam eſt præſidium oleo nuciſtæ expreſſo cum linimentis nervinis ad ventriculi regionem adplicando. Non minus commendationem meretur balſamum noſtrum vitæ dictum, cum linteis duplicatis affecto loco admovendum.

§. VI.

*Tertiæ indicationi ſatisfaciunt roborantia, cum facili victu.* Horum ope excreta, quæ malum fovebat, materia noxia, & conſopitis motibus; eo fructuoſius erit, partes ſub hoc morbo labefactatas convenientibus corroborare medicinis, quo magis eorundem tonus deſtructus eſſe ſolet. Et huic ſcopo eadem conveniunt ſubſidia, quæ præcedente capite commendavimus. Cumprimis vero ſuperato morbo victu facili utendum, & ab animi pathematibus abſtinendum; ne debiliori adhuc inteſtinorum robore exiſtente, nova producatur choleræ recidiva. Cuncta ciborum genera virtute præſtanti longiſſime ſuperant juſcula, ex carnibus vitulinis, gallinaceis, radicibus cichorei, petroſelini, aſparago, chærefolio, cancris contuſis, ſucco citri parata; cum quibus etiam tincturæ martiales roborandi fine ſumi poterunt.

§. VII.

*Curatio diarrhœæ biliosæ.* Quod curationem diarrhœæ biliosæ attinet, ea ſi moderatior, viribus integris fuerit, vix eget medicatione. Si impeditior ſucceſſerit, clyſterum externo, rhabarbarinorum interno uſu, adjuvari deſiderat. Si modum denique exceſſerit; ad acrimoniam temperandam pulveres abſorbentes cum cryſtallo montana, ad ſpaſmos ſedandos, liquor anodynus ex aqua menthæ capiendus, extrinſecus balſamum vitæ abdomini imponendum, operæ facient pretium.

*CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautela circa potum aquæ frigidæ.* Potus aquæ frigidæ in paſſione cholerica, quo calidior tempeſtas, regio, ipſaque ægrotantis conſtitutio fuerit, eo ſalubrior exiſtit. Præter ejus internum autem uſum, gelidam quoque aquam extrinſecus ventriculo admovere velle; ſicut a quibuſdam veterum factum legimus: minus tutum ac periculoſum cenſemus, eo quod hac ratione præmatura vacuationum cohibitio induci poteſt. Ex hoc etiam fundamento derivanda eſt virtus, quam acidulæ in cholera potæ, præſtant: de quibus lectu digna eſt obſervatio in SPINDLERI *obſervat. medicin. not. ad obſ.* 42.

§. II.

*Circa lac & ejuſdem ſerum.* Quemadmodum lac, iis in caſibus, qui à ſumto veneno, vel acri purgante natales mutuantur, involvendo principium cauſticum, ac ſecum educendo, inſignioris utilitatis deprehenditur: ita illud, ubi vel nimis acida ſaburra præſto, vel ejus excretio impeditior fuerit, cautiſſime propinari, vel ad minimum abſorbente quodam permiſceri debet. Contra vero, ſerum lactis vicem potus ordinarii & commodiſſime, & utiliſſime explebit; neque in ſiti tantum extinguenda, verum acrimonia quoque temperanda uſum exhibebit deſideratiſſimum.

§. III.

*Circa laxantium uſum.* Laxantia oretenus data rariſſime in cholera morbo expoſcuntur; quod ſi autem vacuandi per alvum ſit indicatio, eam optime clyſteribus, vel internis rhabarbarinis explere licebit. Dulcia enim, mannata, ſyrupi laxantes, utut alias leniſſima ſint, hoc in affectu nunquam adhibere convenit.

§. IV.

*Circa roborantia & anodyna.* Roborantia & ſpirituoſa ante peccantis materiæ ſufficienter factam excretionem, ad cohibendas forſan vomitiones uſurpata, ſpem fallunt, tantum abeſt, ut vomitus ſiſtant, ut eoſdem potius cum reliquis ſymptomatibus exacerbent. De anodynis quoque, & ſpeciatim oleo hyoſcyami notari meretur, quod ubi fractæ nimium ſint vires, ac inteſtinorum inflammatio locum occupavit, neutiquam ſint adhibenda; quoniam tunc lethalem ſoporem atque necroſin inferre poſſunt.

§. V.

*Circa venæ ſectionem.* Sicuti venæ ſectio in dyſentericis, ſanguinis nimia ſimul mole laborantibus, ad præcavendam inflammationem, & mitiganda ſymptomata egregium confert momentum: ita ſub iiſdem circumſtantiis eadem in cholera quoque adminiſtranda venit, præſertim ſi virium ſit integrum robur: multis encomiis illam commendat in hoc morbo, felix ille medicus RIVERIUS *prax. med. cap. IX. pag.* 345.

§. VI.

*Circa laxantium in diarrhœa uſum.* Diarrhœa biliosa uti alia omnis non ſtatim ſiſti debet, ſed pedetentim humores temperandi ſunt; quo in caſu rhabarbarum leviter toſtum ad ſcrupulum unum vel drachmam dimidiam cum aliquot granis nitri perquam utile eſt; dum humores vitioſos leniter educit, & poſtea inteſtinorum tunicas roborando leviter contringit. Nam partibus ſubtilioribus laxat, tenerioribus adſtringit, quæ prævalent in toſto.

§. VII.

*Quæ bilis acrimoniam temperent.* In cholera æque ac diarrhœa biliosa ad temperandam humorum acrimoniam oleum nuciſtæ expreſſum ad drachmam dimidiam ſive ſolum ſive cum grano uno laudani opiati Helmontiani permixtum & cum juſculo exhibitum magne

eſt efficaciæ. Emulſiones quoque ex amygdalis, ſemine papaveris albi, addito ejuſdem ſyrupo, & aqua pura fontana paratæ dilutiores, eidem ſcopo obtinendo feliciter inſerviunt.

### §. VIII.

*Diarrhœæ contumacis curatio.*

Quando diarrhœa valde pertinax eſt, præmiſſo ſemper rhabarbaro toſto per aliquot dies, ſudoriferum ex theriacæ recentis drachma una cum cornu cervi uſto, antimonii diaphoretici & nitri purificati granis duodecim exhibere convenit. Extrinſecus vero calide appoſitum præcordiali regioni cataplaſma ex fermento panis, aceto & ſpiritu vini, additis aliquot guttulis olei menthæ & caryophyllorum, egregie non modo ſubjacentes partes roborat, ſed & motum humorum ad peripheriam convertit, & cuticularem excretionem ſecundat.

### §. IX.

*Choleræ ab arſenico ſubortæ curatio.*

Quando cholera ab arſenico excitata fuit, ſine mora pinguia, ut oleum amygdalarum dulcium, oleum lini, butyrum inſulſum, oleum olivarum cum aqua tepida exhibere oportet. Hæc enim præſentiſſimam opem ferunt; eo quod non modo vomitum procreant, quo ipſius magna arſenici pars foras ejicitur, ſed quod inde etiam cauſtica acrimonia quæ fibras ventriculi nerveas vellicat, obtunditur, & ſpaſtice conſtrictæ partes relaxantur.

### §. X.

*Victus ſalubrioris utilitas.*

Superato choleræ vel diarrhœæ bilioſæ morbo expedit adhuc diæta emolliente ad tempus uti, ut nimium vellicatæ & ſauciatæ ventriculi & inteſtinorum nerveæ fibræ quodammodo demulceantur; quo fine lac dulce, butyrum recens, hordeum excorticatum cum jure pulli aut lacte coctum, item ſerum lactis dulce optime conveniunt.

### §. XI.

*Lac in cholera cum febre nocet.*

Quando cholera eſt cum febre conjuncta, non tam facile lac dandum eſt. Nam facile ex calore in caſeum coaleſcit, unde majores cruciatus, viſcerum tenſiones, capitis dolores & cibi faſtidium excitantur. Quare ut citra noxam febricitantibus exhiberi queat, præſertim pueris, magiſque juvenibus quam ætate provectis, TRALLIANUS *l. VIII.* jubet lacti miſcere aquæ fontanæ bonam partem, & ter quaterque ebullire, & tunc ab igne tolli. Atque ita lac dyſentericis quoque febricitantibus non nocere ait.

### §. XII.

*Sudoriferorum noxa.*

In cholera & diarrhœa bilioſa præſertim quæ ab ira excitata fuit, maximopere à ſudoriferis, & regimine ſudorifero, præſertim in principio cavendum eſt. Graves enim rheumatici vel arthritici inde oriri ſolent affectus.

### §. XIII.

*Cautela circa nitri uſum.*

Perquam memoratu digna eſt obſervatio, quam RIVERIUS *c. 1. obſ. 33.* tradit his verbis. *Vir robuſtus & bilioſo temperamento præditus, correptus eſt diarrhœa bilioſa valde urgente, cum ſiti intenſiſſima: vocatus ad eum præſcripſi ſal prunellæ in potu ordinario: tum etiam in julepis ex aqua lactucæ & portulacæ paratis, ter in die ſumendis, & intra 24. horas convaluit.* Et profecto inſignis eſt nitri, aut ſalis prunellæ in ejuſmodi affectibus efficacia, ſiquidem non modo æſtum contemperandi, verum inflammationes quoque præcavendi, vi pollet excellenti.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Cholera ex ſumto procul dubio arſenico brevi tempore lethalis.*

Vir quidam ſex ultra quinquaginta annorum, ad iracundiam proclivis, nec ullis præter eructationes acidas, & flatulentias obnoxius morbis, equo aliquando facturus iter, hora prius matutina quarta, paratum ſibi à filia, quæ juſto familiarius cum ſervo vixerat, decoctum ſuccoladæ, cum lacte, & cinnamomo ſorbebat. Quo ſumto mox de nauſea conqueſtus, inceptum proſequitur iter, ſed hora ſeptima reverſus, viribuſque prorſus dejectus, mortuo ſimilis, in lectum defertur. Tum vero horrendis protinus cruciari incipiebat vomitibus, quibus inter ſummas præcordiorum anxietates, & ineffabiles in ventriculi regione dolores, primum mucoſam ac bilioſam, paullo poſt virideſcentem rejiciebat ſaburram. Accedebant ſubinde frequentes dejectiones, cum horrendis imi ventris torminibus ſtipatæ; ſummum ciborum faſtidium urgebat; extrema perfrigeſcebant, pulſuumque ictus ſenſim evaneſcebant. Tandem inter frigidos ſudores, ac ſpaſmodicas præcordiorum revulſiones, ſingultus, hiſque junctæ totius corporis convulſiones jungebantur; vultus cruore turgidus rubebat; vox peribat; ipſaque hora pomeridiana ſecunda, & à ſumto potu nona, inter crudeliſſimos cruciatus mors ſequebatur. Cadaver neutiquam intumeſcebat, nec vultus colorem, niſi vivo ſimilem exhibebat; ſed ungues cœruleo colore ſuffuſi, ſcapulæ ac dorſum lineis ejuſmodi notata, pectuſque in latere ſiniſtro punctis hinc inde ex atro rubicundis diſtinctum, cernebantur.

### *Epicriſis.*

Quæſtio ex hac triſtiſſima morbi hiſtoria reſultat, num defunctus cholera ex ſumto veneno, anne potius aliis magis naturalibus cauſſis ſuborta perierit. Ardua ſane provincia ei imponitur, cui determinandæ ejuſmodi quæſtiones exhibentur, à quarum affirmatione, vel negatione fama, quin vita hominum dependet. Valde ancipites enim plerique de veneficiis ſunt caſus; cumprimis ſi anatomica defuncti corporis ſectio deficiat. Hac facta, ſi venenum in ſubſtantia adhuc intra ventriculum reperitur, res eſt clariſſima: ubi vero illud haud deprehenditur, res adhuc dubii plena exiſtit. Inflammationes enim ac ſiderationes inteſtinorum, in omni cholera, ſive à veneno, ſive aliis cauſſis enata, quin & in aliis morbis, dyſenteria, colica convulſiva &c. vitæ imponunt finem; nec ideo certi quidpiam oſtendunt. Nec ex omni dubio extricamur per intumeſcentiam externi cadaveris, aut maculas cœruleas ac liveſcentes hinc inde in corpore efflореſcentes: quippe quæ phænomena in pleriſque corporibus, quæ ſanguine turgent, ac ſubitanea abripiuntur morte, videre licet. Quamobrem in tali caſu præter ſymptomata, & externas notas, ad morales quaſdam circumſtantias reſpiciendum eſt; unde BOHNIUS *tr. de offic. med. dupl. pag. 652.* rectiſſime ſcribit: *Si externa dati veneni indicia, odium ſubdolum, & veneni emtio concurrunt, & cuncta veneni ab extra admiſſi ſigna, aut plura horum conſpirant, hæc evidentem & certam veneni dati notitiam conciliare poſſunt.*

Quod ſi igitur præſentem curatius examinemus caſum; vero fit ſimillimum, defuncto ex potu

potu Succoladæ venenum quoddam, & quidem arſenicum fuiſſe exhibitum. Nam 1) valde imbecilla eſt aſſertio, ac ſi lac cum Succolada aſſumtum, in ventriculo cum ſaburra acida, qua illum fuiſſe occupatum eructationes acidæ ſignificant, coiviſſet, & ſic, accedente ſub pluvioſa tempeſtate equitatione, ideoque tranſpiratio is cohibitione, cauſſam materialem choleræ abſque concurſu veneni præbuiſſet. Cholera enim ex diætæ vitio producta, nec tam cito generatur, nec tam ſubitaneum ſortitur eventum; qualis hoc in caſu intra novem horas accidit.

2) Adſunt ſubinde ea ſymptomata, quæ datum arſenicum inſequuntur, & hæc potiſſimum ab auctoribus perhibentur: 1) inſignis poſt ſumtum venenum nauſea, 2) enormes vomitiones cum ſummo vultus pallore, ut videantur moribundis ſimiles, 3) refrigeratio extremorum, & ſubita virium proſtratio. 4) horrendi in imo ventre dolores tendentes, pungentes ac lancinantes, 5) pulſus ceſſatio, proxime mortem antecedens, & 6) convulſiones, quæ omnia brevi temporis ſpatio, eoque nunquam ultra nycthemeron protenſo, mors excipit. Conf. ZACHIAS *in quæſt. med. leg. Lib.2. Tit.2.q.7.n.23.* AMMANNUS *in praxi vuln. p. 344. & de med. crit. pag. 303.* FORESTUS *Lib. XXX. obſ. 5. & diſſ. quam de erroribus circa venena vulgaribus conſcripſi p. 37.*

3) Quæ ſi ad præſentem caſum adplicemus, ſimulque conferamus, quod filia, quæ potum Succoladæ paravit, uti relatum mihi fuit, odio parentem habuerit, arſenicum emerit, & familiarius ſervo uſa fuerit: nullum eſt dubium, quin ea dato in potu Succoladæ arſenico patrem interfecerit.

### Observatio II.

*Cholera falſo à veneno derivata.*

Vir quidam conſiſtentioris ætatis, hauſto aliquando ab uxore parato juſculo, incipit ſtatim male habere, nauſeare, ſpiritum difficilius trahere, liquida averſari, interno ardore cruciari, & inter ſummas præcordiorum anxietates, perpetuo vomendi conatu urgeri. Vomuit quoque, ſed parum æruginoſæ bilis; & demum tranſacto inter diriſſima dolorum tormenta biduo animam efflavit. Tertio poſt mortem die ſepultum, ſed quarto ob veneni ſuſpicionem rurſus effoſſum cadaver, exhibuit fœtorem intolerabilem. Corpus intumefactum, & undique putredine fuit adfectum. Inteſtinum jejunum, meſenterium, hepar ac pulmones ſphacelo penitus corrupta; cor flaccidum, atroque cruore infarctum; ventriculus undique inflammatus, prope pylorum ſideratus, & intus materia virideſcente plenus adparuerunt. Unde vir veneno, ab uxore cum juſculo ipſi propinato extinctus judicabatur. Verum explorata curatius morbi hiſtoria, hæc adnotare licuit momenta: defunctus ille vir per integrum ante mortem annum morboſo corporis habitu, livido fœdoque vultus colore, & adpetitus proſtratione præditus fuerat; inque primis pridie ante ſumtum juſculum de ventris torminibus conqueſtus, ea ipſe à gravi iracundia, qua aliquot ante diebus exarſerat, & ab hauſto deſuper ſpiritu vini derivaverat. Quibus moleſtiis conſultura uxor, dictum cum melle confecerat juſculum, ex quo pejus habens defunctus, potu ſpiritus vini, philonio Romano, remedioque ſuccinato calidiori ſe levari putabat. Verum exacerbatis magis magiſque ſymptomatibus, ſupra recenſitis, tandem diem obierat ſupremum.

*Epicriſis.*

Quum ſymptomata in hoc caſu prævia ita quidem [illegible] ſint, ut ſumti toxici [illegible] conſentiant; [illegible] refragentur huic ſuſpicioni, nec in [illegible] levi veneni [illegible] adparuerit [illegible] æquum eſſet uxorem [illegible]. Vero potius ſimillimum videtur, quod affectus cholericus, quo vir ille extinctus fuit, ab aliis præter venenum extrinſecus illatum cauſſis, ſuam repetierit originem. Bilis in cauſticam & acerrimam indolem converſa, quam veteres internum vocabant venenum, magis malo cauſſam præbuit: de qua REYES *in camp. Elyſ. [illegible]* 64. *pag. 856. ſcribit: Quid ergo ſimilius inveniri poterit aliis ſymptomatibus, quæ de veneno intoxicato deſcribuntur! ſiquidem ea in cholera morbo*, nimirum à bile orto, *fere omnia obſervavi.* Nam defunctus corpus impuris ſuccis refertum præ ſe diutius tulit, teſtante malo habitu, fœdoque vultus colore. Juxta ZACHIAM vero *conſ. XII. n. 6. ex corporis impuritate facile evenire poteſt, ut humores in tantum corrumpantur, ut ex ipſis ſic corruptis generetur in corpore vivente venenum aliquod, afferens omnia ſymptomata [illegible] & externi.* Quum ergo noſter ita conſtitutus, vehementi exarſerit iracundia; commota & in orgaſmum acta fuit bilis; quin accedente vini adulti potu, nocivam ſubiit acrimoniam, tormina imi ventris, quibus pridie ante mortem cruciatus eſt, inducentem. Hæc vero mala uxor ſedatura, bona intentione juſculum mellitum dedit; ſed non niſi oleum camino addidit: ſiquidem bilis commota, ſi cum dulcibus permiſceatur, acerrimam acquirit indolem: qua etiam in noſtro caſu imbuta, choleram induxit; cui juſculum illud procatarcticam præbuit cauſſam. Excitata ſic cholerica paſſio, vomitibus potiſſimum crebris, ac alvi dejectionibus ſe exſerere debuiſſet; ſed iis per datum philonium Romanum cohibitis, inanes tantum modo vomendi conatus, & ſummæ præcordiorum anguſtiæ, una cum horrendis doloribus miſerum crudeliter affecerunt. Retenta inſuper intus acerrima materies ventriculum arroſit, ejuſque inflammationem produxit; quæ intolerabili interiorum ardore ſe prodidit. Hæc vero in putredinem denique ſphaceloſam abiit, quæ ob impuritatem totius humorum maſſæ, citius ac latius diffuſa, pleraque vitæ penetralia ſphacelo infecit. Quæ cum ita ſint; *fruſtra minus evidentem ac magis dubiam quærimus cauſſam* (quæ in noſtro caſu eſſet venenum) *ubi evidentem & manifeſtam habemus*, ſecundum ZACHIAM *loc. cit. n. 8. & 9.*

### Observatio III.

*Cholera à [illegible]*

Vir quidam gregarius viginti ſex annorum, robuſtus & illibata ſemper ſanitate gavilus, ſumto circa horam undecimam meridianam juſculo, vehementiſſimis ſubito corripiebatur vomitionibus; quas protinus atrociſſima imi ventris tormina; nulla vero ſubſequente dejectione, excipiebant. Jungebantur inſuper ineffabiles præcordiorum anxietates, ardoris circa ventriculum acutiſſimi ſenſatio, inexplebile bibendi deſiderium, ac perpetuæ inquietudines; quibus ſymptomatibus per triginta horas miſerrime cruciatus obiit. Diſſecto poſt mortem cadavere, ventriculus circa ſiniſtrum orificium inflammatus, tunica villoſa abraſa, & in eo, ut & inteſtini

duodeni cavitate ultra tres menſuræ ſeri virideſcentis bilioſi, una cum pulvere albicante, & magna mercurii vivi quantitate adparuerunt. Reliqua inteſtina hinc inde gangrænata, & tribus in locis contorta convolutaque in conſpectum prodierunt. Uxor, veneficii rea, ſe non niſi mercurium vivum ad excitanda tormina marito exhibuiſſe fatebatur: requiſitus vero medicus putabat, defunctum accepiſſe mercurium ſublimatum, qui in ventriculo, ejus calore ſolutus, in ſua rediiſſet principia; unde mercurius vivus, & pulvis albicans, tanquam ſalinum illud mercurio adhæreſcens, in conſpectum prodiiſſet.

*Epicriſis.*

Occurrunt in hoc caſu momenta, inſigni obſervatione digna: quorum primum eſt, num defunctus dato veneno perierit? Neque vero ullum hujus rei eſt dubium: ſi conſideremus 1) virum juvenem robuſtum, per omnia ſanum, repente ſorbillato juſculo, horrendis vomitionibus, torminibus, aliiſque ſumtum toxicum plerumque conſequentibus ſymptomatibus correptum, ac intra triginta horas extinctum fuiſſe. 2) factam corporis ſectionem, non modo eam ventriculi conſtitutionem, quæ exhibita venena ſequitur, verum etiam ipſum in natura venenum oſtendiſſe.

2) Deinceps, cum nullæ in noſtro caſu fuerint dejectiones, quæ ordinario ut ab omni cholera, ita præſertim ea, quam venena excitarunt, nunquam abeſſe ſolent; ipſa quoque ſectio hujus phænomeni cauſſam præbet clariſſimam, quæ nulla eſt alia, quam convolutio inteſtinorum tribus in locis facta. Hinc vero ſimul patet, quanta torminum ſpaſmorumque inteſtinalium fuerit, in noſtro defuncto vehementia; quippe cui ſoli convolutio illa debetur, qua fæcibus per alvum nullus exitus fuit permiſſus; & ideo ſymptomatum ferocitas acerbior reddita.

3) Determinandum vero eſt, qualenam exſtiterit aſſumtum venenum? mercurium vivum ſolum velle reum agere, abſurdum eſt. Quamvis enim mercurius ille vivus in ſubjectis, quorum primæ viæ impuris ac bilioſis ſcatent ſuccis, gravia ſymptomata, faucium eroſiones, copioſiorem ſalivæ fluxum, tormina inteſtinorum excitare, quibuſdam obſervationibus deprehendatur: ex illo tamen ipſam mortem tam brevi tempore ſubſequutam eſſe, nemini hactenus adnotare licuit. Nec in præſenti ſubjecto recenſita incommoda inde expectari potuerunt, quum illud per omnia ſanum ac robuſtum fuit: & per experientiam conſtat, ileo morbo laborantibus, mercurium illum librarum pondere citra noxam propinari.

4) Neque vero probabile eſt, mercurium ſublimatum defuncto exhibitum fuiſſe. Hoc enim veneni genus, adſtringente, quem faucibus infert, effectu ſe facile prodit, & raro tam atroces vomitiones excitare deprehenditur. Inepta quoque eſt aſſertio, ac ſi ille calore ventriculi à ſalibus corroſivis liberatus, inque currentem redactus fuiſſet formam: hi enim effectus, non niſi per ſummam ignis torturam, & aliorum ſubjectorum additionem obtineri poteſt.

5) Quamobrem juſtiſſima remanet ſuſpicio, defunctum non niſi arſenico vita privatum fuiſſe. Nec falſa fuit: ſiquidem uxor, torturæ ſubjecta, poſthæc faſſa eſt, ſe marito arſenicum, & paullo poſt mercurium vivum exhibuiſſe. Cujus rei medicus ſtatim certior potuiſſet fieri, ſi inventum in ventriculo pulverem, quem pro ſalibus mercurii ſublimati corroſivis habuit, recto ſubjeciſſet examini, illumque carbonibus injeciſſet: tum enim, ſicuti poſthæc factum fuit, fœtorem allio ſimilem ſparſiſſet, qui arſenico proprius eſt.

Observatio IV.

Communicavit ante aliquot annos mecum notabilem de cholera caſum, Archiater quidam celeberrimus, qui ſic habebat: comederat ſutor quidam cum uxore, & binis infantibus paſtillos, (*Klöſſe*) qui ab illius fratre, inſperſo arſenico venenati fuerunt, & cani poſthæc exhibiti, intra tres horas mortem intulerunt. Exinde omnes protinus nauſea, vomendi conatibus, vomitionibus quoque ac dejectionibus violentis ac copioſiſſimis, præcordiorum anxietatibus, atrociſſimis torminibus, animi deliquiis, tremore artuum, ac ſumma virium proſtratione infeſtati ſunt. Sumtis contra hæc ſymptomata, quas pharmacopæus enormes excretiones ſedaturus dederat, medicinis ſudoriferis volatilioribus, cum theriacalibus maritatis, remiſerunt quidem & vomitus, & alvi fluxus; ſed reliqua ſymptomata, accedente ſumma ſpirandi anguſtia, eo atrocius inſiſtebant. Uxor tandem effloreſcentiam, purpuræ ſimilem, cum inſigni ardore prurituque junctam, per totum corpus experta, una cum marito, & altero infantum, utut longo tempore convaluerunt. At horum natu major, duodecim annorum, in horrendas incidit convulſiones, & has inter vigeſima quarta à comeſtis paſtillis hora obiit. Secatum cadaver ſequentia exhibebat: externum corpus undique turgidum, & colore cœruleo virideſcente ſuffuſum, inque dextro hypochondrio gangrænatum erat, ungues liveſcebant, & fauces inflammatæ adparebant. Pulmones colore cinereo imbuti, ſphaceloque corrupti cernebantur: ventriculus mirum in modum expanſus, tunica villoſa prorſus orbatus, tenuiſſimus, ac fere pellucidus, & variis hinc inde ſugillationibus notatus, continebat amurcam ex atro brunam, fœtidiſſimam, eique intermixtum lumbricum mortuum. Cyſtis fellea bilem fovebat æruginoſam, & reliqua denique viſcera omni præternaturali vitio carebant, niſi quod inteſtina æque ac ventriculus inſigniter fuerint expanſa.

*Cholera à comeſtis paſtillis venenatis.*

*Epicriſis.*

1) Ferax hic eſt caſus utiliſſimarum obſervationum; quas ad illuſtrandum ulterius choleræ genium paucis proponemus. Primum quidem docet conſtans experientia, veneno peremtos, brevi tempore inſignem totius corporis ſphaceloſam ſubire corruptionem; quam celerrima ipſius poſt mortem intumeſcentia, unguium livor, cutis cœruleus, virideſcens & fœdiſſimus color, & intolerabilis fœtor ſignificant. Neque obſcura hujus rei eſt cauſſa: venenorum enim, præſertim quæ ex minerali regno deſumuntur, corroſivorum ea eſt indoles, ut non in ventriculo ac inteſtinis ſolum, ſed aliis quoque partibus, ipſoque cutaneo ac muſculoſo corporis cortice vehementiſſimam excitent conſtrictionem; qua fit, ut ſanguis in liberiori ſuo curſu retardetur, hinc ſubſiſtat, ſtagnet, & more ipſi conſueto in ſphaceloſam abeat putredinem. Quod plerumque in externis quidem; quandoque vero in internis quoque contingit partibus; velut

in

in præſenti caſu pulmones ſphacelati oſtendunt.

2) Notari porro meretur, in veneno defunctis ventriculum ac inteſtina mirum in modum ſæpius deprehendi expanſa. Namque quemadmodum omnibus ſpaſmodicis morbis familiare eſt, ut partium, quas adfecerunt, atoniam relinquant: ita fit quoque in cholera à veneno, ut finitis per mortem ventriculi ac inteſtinorum convulſivis motitationibus, ſumma eorundem relaxatio, ac velut paralyſis excipiat. Qua quidem præſente, vapores ac halitus ex reſtitantibus ibidem humoribus pullulantes, liberam obtinent facultatem ſeſe expandendi, ſimulque latera dictarum partium mirum in modum dilatandi.

3) Venena varios edunt effectus ratione doſeos, qua aſſumuntur: unde petenda quoque erit ratio, quod in noſtro caſu ſolus puer perierit, & reliqui evaſerint omnes; quoniam ille ſub paſtillis majorem forſan veneni, quam hi accepit quantitatem. Si ejus doſis ad necandum minus ſufficiens, ac incompleta fuerit; atrociſſima nihilo minus ſymptomata, & diuturnam parit ægritudinem. Namque, niſi tempeſtivæ ferantur ſuppetiæ, rapitur venenum ad ſanguineam maſſam, cumque hac per omnes nervoſas corporis partes vehitur: unde ſalutari conſilio in fœmina, cujus præmiſſa hiſtoria fecit mentionem, ad cutim in forma exanthematum purpuraceorum devolutum fuit. Quo in caſu pernicioſa ſunt calidiora, volatilia, ac ſudorifera remedia, quippe quæ exagitando humores, & veneni vim exaltando, cuncta reddunt ferociora. Præſtat tum potius ubi nimirum venenum jam introivit humores, acidulis medicaminibus, quæ virulentiam toxici caſtrant, ut eſt mixtura ſimplex, uti, & cum iis alternare fixiora bezoardica, blandis anodynis nupta.

### Observatio V.

*Cholera per potum aquæ frigidæ curata.*

Vir quidam robuſtus, quadraginta & quod excedit annorum, militiæ deditus, poſt vehementiorem aliquando iracundiam, inſignem muſti copiam, ſub aëre quidem nimis humido frigidoque ingurgitabat. Poſtridie de ciborum faſtidio, vomendi conatu, & dolore totius corporis contuſorio querulus, ſubito vomitionibus & copioſiſſimis & vehementiſſimis, bilioſis ac virideſcentibus, inter ſummas inquietudines & præcordiorum anxietates corripiebatur; quas dejectiones cum crudeliſſimis imi ventris torminibus preſſo pede ſequebantur. Vocatus medicus varii generis remedia ſtomachica, anodyna, roborantia ac diluentia, ſed in caſſum præſcribebat: adeo ut æger per quatuor jam dies violentis doloribus confectus, dejectis cunctis viribus, pro deplorato haberetur. Quo in rerum ſtatu deſideravit ad delendam vehementem ſitim ab amico aquam frigidam, eamque ſucceſſivis hauſtibus, magna aſſumebat quantitate. Hæc ad inteſtinorum delata canalem cum magnis primum tormentis per alvum ſecedebat; continuato autem illius potu, tormina ſenſim conquieſcebant, dejectiones fiebant rariores, & cutis, quæ antea ariđiſſima erat, mollior reddebatur & humidior. Æger quoque ſomnum capiebat, vires recuperabat, & ſic unico hoc, quamvis ſimpliciſſimo remedio, à mortis faucibus ereptus convaleſcebat.

*Epicriſis.*

Veteres, quos inter CORNELIUS CELSUS, COELIUS AURELIANUS, TRALLIANUS, ARETÆUS, GALENUS, & AMATUS LUSITANUS eminent, aquæ frigidæ circumſpectum uſum in magnis morbis, nominatim cholera, dyſenteria, colica bilioſa, convulſiva & ſanguinea &c. miris extulerunt elogiis. Acerbe vero dolendum eſt, quod recentiorum medicorum plurimi, veterum veſtigia deſerentes, ſimplicia ejuſmodi ac domeſtica remedia, altis veluti ſuperciliis ſpernant, iiſque longiſſime præferant exotica, ſpecifica, pretioſa ac pharmaceutica præſidia: quibus dictis in morbis plus damni afferunt, quam adjumenti. Pauciſſimi enim ſunt, qui agnoſcunt, quantam & quam incomparabilem ad arcendos pariter ac ſanandos graves morbos viliſſimis ac ſimpliciſſimis rebus, ut ſunt elementa, maximeque aër & aqua, tam frigida, quam calida, divina clementia indiderit virtutem. Ego certe pluribus in ægritudinibus, ad eas rite debellandas, ad veterum placita recurrendum eſſe ſtatuo; nec id ipſum ſine ſingulari fructu me feciſſe, candide teſtor.

Quod præſertim uſum aquæ frigidæ in cholera ac dyſenteria attinet; audiamus veteres, quos inter CORNELIUS CELSUS *Lib. IV. cap. XV. in dyſenteria*, inquit, *ſi pluribus diebus alia remedia non juverunt, vetuſque jam vitium eſt, aquæ bene frigidæ potio aſſumta adſtringit, & initium ſecundæ valetudinis facit.* AETIUS *tetrap. 3. ſerm. 1. cap. 45.* ſcribit: *in potu à principio quidem pluviæ aqua utendum eſt, quod ſi pluvia optima non adſit, fontana utemur.* Et AMATUS LUSITANUS *Cent. II. curat. 56.* copioſo frigidæ potu dyſenteriam bilioſam obſervavit curatam. Non minus utilitatem aquæ frigidæ in cholera, egregie teſtatur deſcriptus ſupra caſus; cui ſimilem mihi, olim Mindæ medicinam facienti, licuit adnotare; quem in MED. SYSTEM. *Tom. IV.* recenſitum legas. Virtutes autem, quas aqua in noſtro morbo exſerit, in eo potiſſimum conſiſtunt, ut per illam ingens ardor, qui a vehementiori attritu & motu inteſtino partium ſulphurearum ſuboritur, attemperetur & extinguatur; deinceps bilioſa humorum in primis viis contentorum acrimonia diluatur, & infringatur; & denique tonus, atque robur partium ſolidarum, à vehementia morbi inſigniter labefactatarum, rurſus erigatur, inſtaureturque.

### Observatio VI.

*Cholera potu ſeri lactis curata.*

Vir generoſus, quadragenarius, bono & robuſto corporis habitu præditus, ad iram proclivis, ſanguinis miſſionibus nunquam adſuetus, ſed vinoſis compotationibus data occaſione ſupra modum deditus, & hinc febribus tertianis, nariumque hæmorrhagiis frequenter olim obnoxius, per aliquot jam annos circa vernale æquinoctium vel febre tertiana; vel ad minimum eryſipelaceo dextri pedis tumore ardoreque cruciari cœpit. Præterea familiaris ipſi per multos annos fuit paſſio cholerica, quam æſtate potiſſimum, ſi a ſumto cibo graviori exardeſceret forſan iracundia, protinus ſibimet contraxit. Hunc valetudinis ſtatum mihi, fontes aliquando Lauchſtadienſes frequentanti, quos ipſe, dictos morbos præſervandi fine acceſſerat, referebat, ſimulque indicabat, quod cholera affectus, omiſſis tandem omnibus, à peritioribus paſſim medicis commendatis remediis, cum velut ſemianimis jaceret, non præſtantius, quam à ſero lactis perceperit auxilium. Sic enim hoc, ad ſitim tantum extinguendam laudatum, tam præ-

ſenti ſemper cum levamine potare conſueviſſe, ut miteſcentibus ſenſim per ſuperiora ac inferiora vacuationibus, ejus ſolius ope intra paucos convaleſceret dies. Petiit ergo à me conſilium, quo ab eryſipelacea, tertiana, & hac cholerica febri ſe præcavere poſſet: quod ſuppeditaturus ſuaſi, ut bis quotannis venam præberet ſecandam; potibus ſpirituoſis, ipſoque vino moderatius uteretur, & loco cereviſiæ aquam puram, cum quarta vini parte mixtam biberet. Præterea auctor fui ſuaſorque, ut dum ſerum lactis ipſius conſtitutioni convenientiſſimum judicarem, illud jam ad ipſum fontem per quatuor hebdomades, curæ loco, interpoſito quavis quarta die pulvere ex duobus rhabarbari unoque tartari vitriolati ſcrupulis confecto, adhiberet, & veſperi in balneum temperate calidum deſcenderet: atque hæc ſingulis annis continuaret. Cui cum aures dederit conſilio, factum eſt, ut ab illo tempore nec febre tertiana, nec eryſipelate, nec hæmorrhagiis amplius corriperetur.

### *Epicriſis.*

Oſtenſum jam in ſuperiore eſt capite, quam incomparabili in fluxibus dyſentericis ac cholericis, & ſerum lactis, & lac aquæ nuptum, polleat virtute; quod eo nomine non ſolum à vetuſtiſſimo HIPPOCRATE, nec non ab Italis medicis, maxime SYLVATICO, FORTIS, BAGLIVO, item celebri Angliæ practico SYDENHAMIO; verum etiam noſtris temporibus ab illuſtri Batavorum medico, BOERHAVIO, multis in graviſſimis morbis, magnis commendatur laudibus. Optaſſem vero, ut noſtræ quoque Germaniæ medici id attendere velint; ita enim futurum eſſe ſperarem, ut in ſanandis & præcavendis chronicis paſſionibus, præſertim quæ à copia ſeri impuri ſcorbutici proficiſcuntur, & ſubjecta bilioſæ ac ſenſibilioris naturæ invadunt, plus inde levaminis experiremur, quam quod hactenus ab aliis, utut magni nominis remediis exſpectare licuit. Illi enim liquores naturæ noſtræ ſunt amiciſſimi, ſed notari meretur, curam per illos inſtitutam, conjuncto regimine prudenti, per menſem & ultra eſſe protrahendam: cujus rationem, qui amplius ſcire deſideraverit, adeat binas *diſſertationes*, quarum unam *de utilitate ſeri lactis*, alteram *de connubio lactis cum fontibus medicatis* conſcripſimus.

### Observatio VII.

*Cholera per fraga copioſius aſſumta producta.*

Quum ante quindecim annos in thermis Carolinis, Principem quendam ſereniſſimum comitatus degerem; accidit, ut illuſtriſſima Comes, quæ ibidem commorabatur, ex improviſo in cholericam incideret paſſionem, tanta quidem vehementia, viriumque jactura adfligentem, ut intra octo horas plus quam triginta per alvum dejectiones, & viginti vomitus, iique virideſcentes numerarentur. Tum ego vocabar, qui cum in cauſſam mali indagarem, percepi, quod propter menſtruorum defectum per quinque jam dies thermales potaſſet aquas; pomeridie vero fraga hortenſia paullo majori copia aſſumſiſſet, & inde ſtatim nauſeam, murmura imi ventris, & inquietudinem noctu perſenſiſſet, ſubſecutis, quæ præſentes adhuc erant, affectionibus. Ego ipſam, & illuſtriſſimum maritum, qui valde dolebat, bono eſſe animo juſſi, & mox hunc ordinavi pulverem: recipe lapidum cancrorum, concharum præparatarum, cornu cervi philoſophice præparati, unicornu foſſilis, ſuccini ana drachmas duas, cinnamomi acuti drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi grana decem: cujus drachmam ſingulis horis cum menſura dimidia lactis vaccini ſumſit. Ad ſitim præterea, qua vehementer premebatur, me inſcio frigidam bono cum levamine potavit aquam: & extrinſecus ex meo conſilio ſpiritum vini rectificatiſſimum cum oleo menthæ calide, quavis altera hora renovando, abdomini adplicuit. Sub hujus curationis initium, invaleſcere primum anxietates videbantur, & ea evomebat humores viridi bile tinctos, & in mucum quaſi coëuntes; ſed continuatis remediis, ſenſim remittebant vomitus cum reliquis ſymptomatibus, & illuſtriſſima Comes intra viginti quatuor horas recuperatis viribus perfecte convaleſcebat.

### *Epicriſis.*

Sæpiſſime mihi licuit adnotare, ab aſſumtis ſub potu acidularum, vel etiam thermarum Carolinarum, fructibus horæis, vehementiſſima ſymptomata, cardialgias, vomitiones, alvi fluxus cum ſumma virium proſtratione fuiſſe ſubſequuta. Hæc omnia à flatibus per fermentationem inductis æque ac inde oriunda humorum in primis viis ſtabulantium acrimonia, quam virideſcentes etiam produnt vomitiones, ſuos mutuantur natales: quare his in caſibus congruis demulcentibus, ac acrimoniam involventibus, quale eſt lac, & ejus ſerum, una cum abſorbentibus acidum, & roborantibus internis & externis, vix inveni præſtantiora ſubſidia.

### Observatio VIII.

*Cholera ſicca cum humida.*

Quum ante aliquot annos in aulam Guelpherbytanam pro valetudine ſereniſſimi Ducis reſtauranda vocarer; accidit, ut generoſus, & maxime reverendus Canonicorum Præfectus, ſexagenario major, me in reditu ad ipſum inviſendum, conſilium petiturus invitaret. Laborabat enim gravi, eoque duplici morbo, uno oculorum, quorum hic gutta ſerena, ille cataracta incipiente affectus erat; altero imi ventris, quo per intervalla, crebris ructibus, & dejectionibus ſurſum deorſumque vehementiſſimis vexabatur. Ad ſanandum oculorum affectum conquiſita permulta peritiſſimorum & medicorum, & chirurgorum, etiam Gallorum reſponſa conſiliaque mihi monſtrabat, affirmans, quod fruſtra per aliquot annos varii generis remediis, quæ maximam partem erant purgantia valde acria, mercurialia, cephalica, cinnabarina, nervina &c. uſus fuerit, ſed inde potius ratione morbi poſterioris pejus habuerit. Hic vero in eo conſiſtebat: tertia poſt prandium hora præviis hypochondriorum tenſionibus, borborygmis totum abdomen occupantibus, lumborum dolore, & alvo adſtrictiore, quæ familiaris ipſi erat, accedebant anxietates cardialgicæ, cum ſudore frigido, & tumore circa pylori regionem eminente ſtipatæ: quæ per flatus magno cum impetu primo ſurſum, dein deorſum prorumpentes ſolvebantur. Interdum vero, quando vinum Rhenanum, aut quandoque rubrum Gallicum ſolito largius potaverat, & cibos duriores infumatos aſſumſerat, aut animi adfectui, triſtitiæ cum iracundia junctæ indulſerat; in vomitus atque dejectiones tam copioſas ſimul incidebat, ut per viginti ſedes, totidemque fere vomitiones, valde acidas ac viſcidas, viribus mirifice

fuerit

fuerit exhauſtus. Ego candide mentem ipſi meam aperiens declaravi, quod adhibitis ad affectum oculorum penitus deſperatum tot variis, ventriculo ac generi nervoſo infenſis remediis, id grave malum ſibimet accerſerit, ſaltem inſigniter auxerit; adeoque ad hoc potius vel abigendum, vel ad minimum ſublevandum omnem curandi nervum dirigendum eſſe duxi. Inter alia ipſum potu vini rubri Gallici quod adſtringentis, & in ejuſmodi affectibus valde noxiæ eſt facultatis, interdixi; à craſſiori quoque victu eum abſtinere, & cibis, qui eſſent facilis concoctionis, & juſculis humectantibus frequenter uti juſſi. Pro potu loco cerevisiæ commendavi aquam fontanam cum quarta parte vini Rhenani mixtam, vel ſi hanc ventriculus ferre non poſſet, eandem cum ſemine aniſi leviter coctam; & denique, ut inter prandium ac cœnam elixirium meum balſamicum viſcerale; ſingulis autem ſeptimanis pulverem ex lapidibus cancrorum, rhabarbaro, & ſemine cymini confectum ſumeret, ſuaſi.

*Epicriſis.*

Morbus hic paullo rarior, cholera ſicca cum humida maritata adpellari meretur. Siccæ equidem choleræ ideam HIPPOCRATES *Lib. de victu acutor.* §. 61. ita nobis proponit: quod nimirum venter admodum infletur, ſtrepitus inſint cum laterum lumborumque dolore, & poſtea flatus per os & alvum importune, & maxima vi erumpant. Quando vero ventriculus, & inteſtinum duodenum maxime ac ileon crudorum & vitioſorum humorum colluvie premitur, ſicca tunc cholera in humidam tranſit. Noſter quidem Reverendiſſimus æger jam olim hypochondriaca paſſione infeſtatus fuit, quæ ventriculum ac inteſtina pro objecto ſpaſmorum potiſſimum habet: quare nihil reſtat dubii, quin remediis ad ſanandum oculorum vitium uſurpatis minus aptis, & vehementioribus naturale robur dictarum partium, à quo præcipuum valetudinis dependet momentum, magis labefactatum fuerit, atque deſtructum. In ejuſmodi vero intricata ægritudine nihil aliud agendum ſtatui, quam ut idoneis diæteticis ac pharmaceuticis ſubſidiis, humoribus blanda reddatur temperies, & periſtaltica canalis alimentaris virtus roboretur ac confirmetur. Et quamvis vini Gallici, Pontac dicti, ſi bonæ fuerit notæ, ea eſt natura, ut parcius ſumtum, & cum aqua dilutum ad conciliandum ventriculi robur admitti queat: attamen multiplici quoque edoctus ſum experientia, ejus uſum ob principium, quod fovet valde adſtringens, largiorem ad graves & ſpaſticas nervoſi generis diſponere ægritudines, vel eas jam præſentes augere, adeo, ut cum magna cautione id vini genus in uſum, præſertim quotidianum duci debeat.

## OBSERVATIO IX.

*Diarrhœa bilioſa male medicatione in ſanguineam chronicam permutata.*

Vir viginti ſex annorum, per omnia ſanus, binis abhinc annis poſt gravem excandeſcentiam in diarrhœam incidit bilioſam, per tres hebdomades cum copioſiſſimis dejectionibus, & magna virium proſtratione infeſtantem. Conſultus medicus dabat adſtringentia; & quum eorum uſum, cohibito alvi fluxu, vehementiora tormina, & pungentes præcordiorum dolores exciperent; venam in brachio tundi jubebat, promanante pauco, eoque aterrimo cruore. Facta venæ ſectione, animi deliquium patiebatur æger, & ad ſe rediens, ſpiritum difficilius trahere incipiebat: ſed dato laxante, melius iterum habebat, nec niſi de proſtrato conquerebatur adpetitu. Quem ut inſtauraret, ex præſcripto medici acidulas Pyrmontanas per quatuordecim potare debebat dies; & ante pariter ac poſt earum uſum pilulas purgantes, potenter alvum moventes aſſumebat. Verum abhinc cum ſicca tuſſi, cruento alvi prehendebatur profluvio; quo inter atrociſſima circa umbilicalem potiſſimum regionem tormina, & ardoris ſenſationem, quotidie ſexageſies & ultra deſidere cogebatur. Et hæc ſanguinea diarrhœa per integrum jam duraverat annum, nulliſque obſecundaverat medicaminibus. Dejectiones enim frequentiſſimæ, & ſingulo die trigeſies, & ultra repetitæ, ſemper ſanguineæ vexabant; teneſmus ſimul urgebat moleſtiſſimus; adpetitus quoque avidiſſimus, & vix ſatiabilis erat, & corpus denique perpetuo frigoris ſenſu, ſub calidiſſima etiam æſtate, afficiebatur, ſæpiuſque contremiſcebat. Æger itaque meam imploravit opem.

*Epicriſis cum conſilio.*

Non adeo vulgaris præſens eſt affectus, ſed paullo rarior, & diarrhœa hæmorrhoidalis chronica, ab eroſione tunicarum inteſtinalium, coli præſertim & recti dependens vocari meretur. Cujus ſi primos natales conſideremus; illi à gravi iracundia, cui indulſit, ſunt repetendi. Hac enim factum eſt, ut commotis bilioſis humoribus, iſtiuſmodi quoque diarrhœa ſuborieretur; quæ ſi remediis temperantibus, acrimoniam demulcentibus, & leniter evacuantibus fuiſſet oppugnata, facile perſanari potuiſſet. At male adminiſtratæ medicationes tam levem affectum, in graviſſimum, & fere immedicabilem conjecerunt. Namque primum magnam merentur cenſuram data protinus adſtringentia; quibus factum fuit, ut intus retenta acri bilioſa materia, ſpaſmi ſimul ad ſuperiora ſint revocati, & hinc præcordiorum anxietates, atque puncturæ excitatæ.

Deinceps perverſo ſane conſilio ſanguis ex tuſa in brachio vena eſt eductus: unde evenit, ut præcordiales ſpaſmi & anguſtiæ, invitatis magis ad ſuperiora humoribus, increverint, & ipſas animi defectiones habuerint comites; id quod in cardialgicis doloribus, ubi vena in brachio tunditur, ſæpiſſime notare licet. Laxans ſubinde datum, revocando humorum liberam per alvum excretionem, operæ fecit pretium: & tum fuiſſet facillimum, reſtitantem inadpetentiam, datis roborantibus, & continuato leniorum laxantium uſu, profligare, ſanitatemque reſtituere.

Verum hanc adhibitæ demum aquæ Pyrmontanæ una cum fortioribus purgantibus prorſus peſſumdederunt. Nam illæ acidulæ frigore ſuo ad ſpaſmodicas totius cutanei corticis conſtrictiones diſpoſuerunt; & purgantia tunicas inteſtinorum nervoſas violenter vellicarunt. Unde congeſti ab ambitu corporis conſtricto, ad inteſtina humores, acres, bilioſi ac impuri, vaſcula ſanguifera intra tunicam nervoſam latitantia ad rupturam uſque impleverunt; illa perruperunt, & ipſam denique tunicam arroſerunt; cujus eroſioni, diarrhœa chronica cruenta cum teneſmo debetur.

Si itaque quicquam auxilii in ejuſmodi contumaci & gravi morbo reliquum eſt; id certe unice in iis remediis, quæ acrimoniæ humorum deliniendæ, & eroſioni tunicarum inteſtinalium con-

conſolidandæ dicatæ ſunt, conſiſtit. Quum vero præterea motus ſanguinis & humorum ab ambitu corporis ad inteſtina tendunt; non præſtantius perſpirationis reſtitutione erit ſubſidium, quam balneorum vaporoſorum frequenti & convenienti uſu obtineri poſſe confido. Interne olei olivarum cum ſpiritu menthæ æquali parte permixti frequentem uſum, neque minus pulverem ex bolo armeniæ p. iij. & corticis caſcarillæ p. I. compoſitum item infuſum theiforme ex mentha criſpa: & pro potu decoctum ſaſſafras & ſantali rubri uſurpandum commendavi.

## Observatio X.

*Diarrhœa cum variis ſymptomatibus ſtipata.*

Eſt in noſtra civitate matrona quædam honeſta, quadraginta ſex annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, obeſa, vaſiſque exilioribus inſtructa, quæ per octo jam annos menſtruorum inordinato ſucceſſu, atque hinc pendentibus hyſtericis & hypochondriacis laborat affectionibus. Nata nimirum eſt matre nephritica; victu longo abhinc tempore utitur lauto, ac pleno, ac præter aquam puram, cum pomis citri, & ſaccharo diſtemperatam, pro ordinario potu vino Gallico Pontac; venam ter ſecandam quotannis præbet; ſed vitæ genus motus prorſus expers agit. Ante octo igitur annos ſuppreſſus primum per aliquot vices menſium fluxus, graviditatis ſuſpicionem ipſi pariter ac conſulto tum medico movebat; ſed mox evaneſcebat illa ſpes, & naſcebatur febris intermittens contumaciſſima, nullis cedens remediis, donec tandem ſumta per octiduum, corticis chinæ larga quantitate cohiberetur. At ſuccedebant dolores lumborum & oſſis ſacri, ingens corporis languor, capitis dolores, aurium ſuſurrus, atque tinnitus, oculorum caligo, & anguſtiæ præcordiales. Datis purgantibus, & inſtituta venæ ſectione, anxietates quidem cum capitis doloribus remittebant, & menſtrua rurſus profluere incipiebant: at reliquorum ſymptomatum vehementia perſiſtebat, & quovis mane largi promanabant ſudores. Me tandem conſuluit, qui præparato per laxantia & antiſpaſmodica corpore, uſum balneorum Tœplicenſium commendavi: quibus uſa egregium ſenſit levamen; ſed gravi terrore commota, priorem & graviorem incidit ſanitatis labem. Domum redux febre bilioſa cum purpura alba prehendebatur, qua percurata, ex meo conſilio per duos ſucceſſive annos balnea adhibuit Lauchſtadienſia, egregio cum fructu. Sed accedentes crebri animi adfectus ſanitatem, quæ imminebat, ſemper iterum deſtruxerunt; donec ante ſemeſtre demum tempus, prævia excandeſcentia, graviora incideret ſymptomata, dolores dorſi ac lumborum invaleſcerent, & ſudores matutini magis increſcerent. In tali rerum ſtatu ſumſit ad reſerandam, quæ obſtructa erat, alvum, ſalis Sedlicenſis unciam dimidiam: unde factum eſt, ut alvus vigeſies & ultra dejiceretur, & præterea graves præcordiorum anxietates, capitis & dorſi dolores, ſanguinis ebullitiones, pulſuſque celeres cum duritie juncti accederent. Suaſi venæ in pede ſectionem; ſed eam in brachio, detracta ſanguinis parca quantitate, inſtitutam, major æſtus, tantæque humorum ad caput exceperunt congeſtiones, ut in propinquo eſſent deliria. Adhibitis igitur temperantibus, venam iterata vice in pede tundendam, & largam cruoris copiam detrahendam curavi: unde remittebant congeſtiones ac æſtus, ſed dolor in dorſo invaleſcebat, & ſeptimo morbi die vehemens accedebat diarrhœa, cum perpetuo ſudore & languore ſtipata. Hæc adhibitis intus temperantibus, ac mixturis analepticis, externe emplaſtro ſaponato cum oleo hyoſcyami & camphora malaxato, nono die conquieſcens, undecimo præter opinionem recrudeſcebat; & dato cum pulvere præcipitante liquore anodyno; extrinſecus admoto balſamo vitæ dicto, iterum feliciter expugnabatur. Sed dolores dorſi tantas ſumebant vires, ut per viginti ſeptem dies, omnem oculis eriperent ſomnum: qui tandem, continuatis interne anodynis & antiſpaſmodicis, externe dicto emplaſtro, cum oleo hyoſcyami, nuciſtæ, camphora, & balſamo Peruviano permixto, debellabantur. Feliciſſimum etiam effectum in moderanda diarrhœa & mitigandis doloribus pulvis ex bolo Armeniæ, ſuccino, & pulvere caſcarillæ compoſitus, ſed parca & repetita doſi, & cum aqua menthæ exhibitus præſtabat: præterea conſilium dedi, ut accedente vere lacte aſinino cum fonte Selterano permixto, interpoſito balneo aquæ dulcis, utatur.

*Epicriſis.*

Omnia illa mala, quibus cum uſque eo per longum tempus honeſta illa fœmina conflictata eſt, nullam certe aliam cauſam, ſi primam originem ſpectemus, quam immoderatum vini adſtringentis Gallici, & potus dicti Limonade acidi, & poſtea perverſum ad longam & quotidianam febrem expugnandam corticis chinæ uſum agnoſcunt. Nam uti in totum, acida, quæ incraſſant humores, & adſtringentia, quæ minimos tubulos quam facile conſtringunt & obſtruunt, vitalibus motibus, qui in libero per partes humorum progreſſu & convenientibus inde pendentibus ſe- & excretionibus conſiſtunt, valde ſunt inimica: ita infauſtum & noxium eorum effectum in ſexu maxime ſequiori, qui hiſce rebus delectari ſolet, quotidie fere conſpicimus; dum menſium negotium minuendo & turbando ad innumeras graves & diuturnas ægritudines diſponunt, præſertim ſi fœminæ complexionis phlegmaticæ & ſanguineæ fuerint, & plus juſto deſidiæ, vitæque ſedentariæ atque inordinatis affectibus deditæ; quale exemplum præſens morbi hiſtoria exhibet: continuus ille lumborum primam vertebram, ubi plexus magnus meſenterius ſitum habet, occupans dolor non niſi ſpaſmi, qui ſeſe diffundit per totum inteſtinorum canalem, ejus functiones ſecundum naturam pervertentis ſpecies eſt. Crebrior ille & ſæpius recurrens alvi fluxus inteſtinorum motus naturalis deſtructi & humorum vitioſorum maxime acidorum ibi congeſtorum indicium eſt, utpote qui & mole ſua naturam ad excretiones ſtimulant, & acrimonia mucilaginem, qua tunicæ nerveæ inteſtinales tectæ ſunt, detergendo, eaſque ex parte arrodendo malo diuturnitatem & contumaciam adjiciunt.

---

# CAPUT IX.

## *De Convulſione Uteri ſive Abortu.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

Arvum muliebre, omnium officina mortalium, non modo, ſi ſterile, fructuque vacuum

cuum exſtiterit, ſpaſmorum tyrannidi obnoxium eſt, ſicut in malo videre licet hyſterico: verum etiam fœcunda prole præditum, graviſſimos ſæpenumero ſpaſmodicos ac convulſivos patitur motus, vique horum non raro fructu ſibimet concredito ſpoliatur; quem valetudinis ſtatum abortus nomine ſignificare ſolet ſchola medica.

*Abortus definitio.*

Eſt enim abortus ſpaſmodico-convulſivus uteri motus, quo fœtus immaturus & mortuus, præcedente utplurimum enormi ſanguinis profluvio, violenter excernitur.

§. II.

*Abortus differentia à partu ſeptimeſtri.*

Dum immaturum, nondumque vitalem per abortum excerni diximus fœtum, illum à partu ſeptimeſtri, vel octimeſtri diſtinguimus. Hic enim utique vitalis exiſtit, & ego ipſe aliquot novi exempla, ubi editi fuerunt infantes, ſeptimanis adhuc quinque vel ſex deficientibus, imbecilliores quidem, ſed qui conveniente per calorem, ſomnum, quietem & tenerius alimentum regimine, non modo ad debitum robur & perfectionem, ſed etiam ad longam pervenere vitam. Notanda ſubinde hæc abortum inter, & partum ſeptimeſtrem eſt differentia, quod in hoc uteri hæmorrhagia factam demum fœtus excluſionem ſequatur; in illo vero antecedat, tumque embryo, iſque mortuus excernatur.

§. III.

*Abortiendi tempus.*

Abortus plerumque fit inter ſecundum & tertium, interdum etiam inter tertium & quartum, rarius inter quintum & ſextum prægnationis menſem. Nam poſt quartum menſem, ubi fœtus incipit moveri, ad verum partus tempus fœtus dicitur mortuus, & majori ſemper cum difficultate fit; utplurimum circa id tempus, quo alias menſtrua fluere conſueverunt. Nota ſunt mihi plurima exempla, ubi tertio menſe circa tempus menſtruum fœminæ abortum paſſæ fuerunt. Nonnunquam porro, ſed rariſſime contingit, ut circa ſeptimum menſem à violentia externa placentæ ab utero fiat avulſio, quam larga ſanguinis ex utero profuſio ſequitur, ſub qua infans moritur, & niſi naturæ robore cito expellatur, ipſa mater in ſummo vitæ verſatur diſcrimine.

§. IV.

*Signa abortus.*

Signa imminentis abortus, & legitimi partus magna ex parte ſunt communia; nam in utroque caſu cum quadam præcedente horripilatione, & partium extremarum refrigeratione, dolor preſſorius in lumbis, qui ſeſe extendit ad imum ventrem, percipitur; poſtea ad os ſacrum, coxendicem, & inguina deſcendit cum pulſu arteriarum auctiori; os uteri fit humidum, & relaxatur, & evacuatio aquæ inſtar loturæ carnium procedit. Speciatim vero in abortu ante expulſionem fœtus ſanguis purus cum grumis ſat larga ſæpius copia cum ſumma debilitate, & frequentius animi deliquio ejicitur, & tertio demum die fœtus expellitur. Præcedit utplurimum ſubitaneus corporis rigor & horror cum laſſitudine, inappetentia, nauſea, cordis palpitatione, lumborum dolore; circa pubem gravativus dolor atque in partibus genitalibus frigus: quo grandior autem & adultior eſt embryo; eo acerbiores ſpaſmi, dolores ac majora ſymptomata non ſine periculo obſervantur. Signa abortus futuri HIPPOCRATES *l. II. de morb. mulierum* §. 6. ita proponit; *ruber fluxus fluit talis, qualis ſanguis victimæ recens mactatæ, & grumi pellucentes. Aliquando vero etiam fluxum rubrum emittit, & venter imus attollitur & attenuatur, & impotens fit & indureſcit, & ad contactum dolet, velut ulcere præſente & febris habet & dentium fremitus: & dolor ad ipſa pudenda, & pubem & lateris mollitudinem, & lumbos & tendinem & ventrem & pectus & ſcapulas irruit. Et alias omnes partes dolor & impotentia ac puſillanimitas occupat; & color mutatur.*

§. V.

*Differentia hæmorrhagiæ abortivæ à minus tali.*

Ab abortiva vero hæmorrhagia probe ille cruentus ex utero fluxus, qui multis prægnantibus fœmellis citra noxam, & abortus metum contingere ſolet diſtinguendum eſt. Nam ſæpiſſime fit, ut quæ ſanguine abundant fœminæ, ſecundo & tertio graviditatis menſe ſanguineum experiantur fluxum, citra dolores & ſpaſmos in regione lumbari & abdomine, citra debilitatem, & præcedentem horrorem & rigorem partium extremarum. Hoc autem in caſu ſanguis non ex uteri cavitate, ſed potius ex vaſculis vaginæ uterinæ cum euphoria profluit. Atque nota nobis ſunt exempla, ubi à medio geſtationis tempore uſque ad ipſum partum ſanguis ex genitalibus effluxit, ſalvo nihilo minus & vivaci ſatis prodeunte fœtu. Quare fallit *aph. 60. Sect. V.* HIPPOCRATIS: *Si mulier gravida ſit menſtrualis, non poteſt ſanus eſſe fœtus.*

§. VI.

*Abortum non facile provocari poſſe, probatur 1) teſtimonio auctorum.*

Refert porro ſcire, non omnes fœminas ad abortiendum proclives eſſe; & quibuſdam nec violentiſſimis remediis abortum provocari poſſe. HIPPOCRATES quidem *l. I. de morb. mulierum* aſſerit: *abortum ſive medicamento, ſive potione vel cibo vel alia re quapiam contingere*, & §. 42. *ſunt quæ fœtum corrumpant, ſi acre quid aut amarum ederint aut biberint præter conſuetudinem, dum adhuc parvus intus eſt puerulus. Is enim moritur & turbatur gravidæ venter, & fluxiones concitantur.* Verum in noſtris regionibus ubi corpora ſunt robuſtiora & minus ſenſibilia, id ipſum non obſervatur. Sic GUARENONIUS *Conſult. 636.* ait: *vidi multas utero gerentes, fortiſſimiſque medicamentis, & multis venæ ſectionibus cruciatas, & nulla fecit abortum.* PLATERUS *prax. pag.* 113. in mulieribus diarrhoea laborantibus abortum minime factum fuiſſe teſtatur. ZACUTUS LUSITANUS *in praxi admir. obſ.* 43. 44. refert, per vehementiſſima purgantia, per ſexies, imo octies repetitas venæ ſectiones, unguenta fortiſſima & peſſaria utero adplicata, per longam inediam, nullos procuratos fuiſſe abortus. Spectat huc quoque notabilis illa obſervatio D. D. SOMMERI, quam *Dec.* I. *anno VI. obſ.* 106. M. N. C. inſeruit, mulierem quandam, centum guttas olei deſtillati juniperi per viginti dies, omni mane ad menſes provocandos uſurpaſſe, poſtea tamen filium peperiſſe. Qua de re fuſius agit ALBRECHTUS *decad.* I. *anno VIII. obſ.* 165. & recenſet, fortiſſima emmenagoga, ut olea deſtillata ſabinæ, ſuccini, myrrhata, crocata, aloetica ad fœtum expellendum fruſtra fuiſſe propinata. Singularis etiam obſervatio eſt, quam habet BARTHOLINUS *M. N. C. anno* I. *dec.* I. *obſ.* 52. de geminis gravidis, lue venerea laborantibus, quæ à chirurgo, eas eſſe prægnantes, neſciente, mercuriali ſalivatione curatæ, & nihilo minus ſalvos fœtus enixæ ſunt.

§. VII.

## §. VII.

*2) Variis obſervationibus.*

Ipſe ego non ſemel, ſed aliquoties obſervavi, gravidas quaſdam vehementibus acutis febribus, nec non variolis, morbillis, diarrhœis, imo dyſenteriis laboraſſe, & fœtum in utero vivum ſalvumque retinuiſſe. Novi etiam aliquot exempla fœminarum generoſi ſtemmatis, quæ, quia non putarunt, ſe gravidas eſſe, ad mitiganda pathemata hypochondriaco-hyſterica integram curam Carolinarum per aliquot ſeptimanas abſolverunt, & poſtea Tœplicenſi balneo per ſeptimanam & ultra uſæ, elapſis tribus vel quatuor menſibus, felici partu bene valentes & robuſtos excluſerunt infantes, cum tamen ejuſmodi curandi ratio gravidis minus tuta cenſetur. Neque pauca mihi proſtant exempla, quod utero gerentes per acclivia & declivia loca ſine ulla noxa per dies noctesque fecerint itinera & nimiis ſaltationibus immenſum in modum ſe fatigaverint. Nec omnibus imprægnatis terror nocet: alias ob campanarum ſuborto incendio ſonitum inopinatum plures in amplis civitatibus deberent abortire, quod tamen rarius accidit.

## §. VIII.

*Subjecta abortus.*

Quibus præmiſſis, eas mox ſubjungere obſervationes conſultum erit, quas de ſubjectis abortus, attenta præbet experientia. Sic adnotamus, mulieres ſucculentas, pinguiores, mollioris & ſubtilioris corporis habitus, otioſas, opiparo lautoque vitæ genere utentes, naturæ imbecillioris ac ſenſibilioris, pathematibus hyſtericis obnoxias, quæ ordinario menſtrua vel copioſiora, vel inordinata fuerunt expertæ, quæ ſemel abortum paſſæ, aut quarum matres ad abortiendum proclives fuere, longe faciliores ac opportuniores ad abortum eſſe, quam fœminas muſculoſas, duriori fibrarum compage donatas, robuſtiores, plebejas, minus pingues, & quæ valido exercentur labore, neque terrori & aliis animi intemperatis motibus nimium indulgent. Conſtat quoque experientia, illas fœminas, quibus per priores prægnationis menſes ſanguis ex uteri vagina profluxit, quibus ciborum adpetentia languet, & quæ odontalgiis, defluxionibus tuſſiculoſis, nariumque hæmorrhagiis ſubinde expoſitæ ſunt, vel ſanguinem ſemel bisve tempore graviditatis è vena mittunt, ad abortiendum minus promtas eſſe. Ceterum de differenti mulierum natura ad uteri morbos & ad proclivitatem abortus inſignis locus HIPPOCRATIS qui exſtat *de morbis mulierum l.* II. §. *V.* meretur conſiderari.

## §. IX.

*Structura uteri vaſculoſa.*

Hinc autem, cum in quibuſdam vel leviſſimæ cauſſæ abortum moveant, quem in aliis nulla ars excitare valet, certiſſima ſequitur concluſio, peculiarem uteri in facile abortientibus eſſe debere diſpoſitionem. Quæ ut innoteſcat, de uteri ſtructura & uſu quædam præmonere, haud alienum erit. Scire igitur refert, 1) quod nulla in toto corpore pars tam numeroſa vaſorum copia ſit inſtructa, quam ipſe uterus, quippe qui, teſtante injectionum artificio totus ferme eſt vaſculoſus. Accipit enim vaſa ſua & arterioſa & venoſa partim a ſpermaticis, partim hypogaſtricis, partim etiam ab iliacis. 2) quod in nulla corporis parte venæ pariter ac arteriæ tam copioſis, quam in utero, gaudeant anaſtomoſibus: nam inflatus per ſpermaticas ventus mox in hypogaſtricas penetrat. 3) quod vaſa uteri in virginibus valde exilia, facta imprægnatione adeo diſtendantur, ut minimi eorundem ramuli acquirant eam capacitatem, quæ majorem admittit ſtylum. 4) quod non recto, ſed valde anfractuoſo, tortuoſo, & velut ſerpentino flexu per uteri ſubſtantiam diſcurrant; 5) quod venæ arteriis longe ſint capaciores, ac 6) valvulis plane deſtituantur. His ex noviſſimis tribus momentis clariſſime patet, circulum & cumprimis refluxum ſanguinis per venas uteri valde tardum in ſtatu etiam naturali eſſe; & hinc uterum præ aliis partibus, nimiis humorum congeſtionibus, vaſorum infarctibus, diſtenſionibus & hæmorrhagiis obnoxium exiſtere ac aptiſſimum.

## §. X.

*De cellulis, & foraminibus uteri.*

Id vero peculiare ſibi ſervat exquiſita vaſorum uteri connexio, quod in plurimas cavernulas ſive cellulas mutuo communicantes canalium alvei deſinant, & ſinus ovalis figuræ efforment, quæ ſubſtantiam ipſius uteri ſpongioſam & fungoſam reddunt, atque in gravidis mire amplianțur: quo fit, ut uterus præſertim prægnans, tranſverſim ſectus, ampla & innumera fere exhibeat foraminula. Hac ſinuoſa & cavernoſa vaſorum commiſſura efficitur, ut non ipſe ſolum uterus in prægnantibus à ſanguine contento mirifice dilatetur, ejuſque tenſa & ſtricta antea compages laxior atque mollior reddatur; ſed etiam orificia extremitatum vaſculoſarum, quæ in cavo oblique ſub membrana uteri hiant, & per quæ aër, canali cuidam inflatus, in ipſam cavitatem haud difficulter tranſmittitur, magis diducantur, ſicque perforata vaſculoſæ chorii membranæ filamenta excipiant, quo per illa ſanguis, ex utero ad fœtum, hunc nutriturus tranſire poſſit.

## §. XI.

*Structura uteri fibroſa, ejusque elaſtica virtus.*

Deinceps notari meretur, uteri membranam fibris carneis eſſe præditam, earumque ingentem congeriem orbiculatim, imo inſtar retis contextam, in uteri potiſſimum fundo conſpici. Harum ope peculiarem tonum, ſeu motum ſyſtalticum & diaſtalticum obtinet, quo ſeſe conſtringere, rurſusque dilatare alternis valet vicibus. Et hoc motu recte, ſecundumque naturam ſeſe habente, liber & expeditus ſanguinis per uterum fit circuitus, omneſque illius functiones legitime ſuccedunt. Sed ſimul obſervatione dignum eſt, quod uterus vi dicti hujus motus mirifica & vix comprehenſibili potentia gaudeat elaſtica, qua ejus fibræ & vaſa incredibilem in modum diſtendi & explicari, ſicut fit in graviditate; ac excreta ſarcina, ſicque ceſſante diſtenſionis cauſſa, ſponte rurſus contrahi, coarctari, & ad priſtinum ſtatum, ac ſpatium redigi poſſunt.

## §. XII.

*Cauſſa proxima abortus.*

His expoſitis, porro haud ignorari oportet, fœtum libere in cavitate matricis fluctuantem, & ab umbilicali duntaxat funiculo pendentem, vi placentæ uterinæ, quam ſecundinas vocant, cum utero ita cohærere, ut illius extrema vaſcula, tanquam minimi villi in foraminula atque ductus uteri §. X. deſcriptos inſerantur, & cum iis laxe uniantur. Jam ex ſupra dictis repetimus, quod fœtus in abortu ſit mortuus, illumque tantum non ſemper hæmorrhagia antecedat. Moritur autem fœtus in utero, ſi ſucci vitales, unicum illius nutrimentum non amplius ex orificiis vaſo-

vaſorum uteri ad villos ſecundinarum feruntur; quod fit, ſi placenta uterina, membranoſa valde ac vaſculoſa ab uteri vaſorum orificiis avellatur. Ergo præternaturalis placentæ avulſio perpetuam abortus cauſſam conſtituit. Avulſis enim ſecundinis non aliter fieri poteſt, quin vaſa uterina cruore turgida diſtentaque copioſo, hunc per hiantes ductus & patula orificia in matricis effundant cavitatem; qui una cum cadavere, latera arvi muliebris premente & moleſtante, (mortua enim corpora ſemper graviora ſunt viventibus) carneas ad motus ſpaſmodico-convulſivos proritat fibras, aut eos jam præſentes adauget; quibus conſtrictus, & àb omni latere preſſus uterus, aperto interno orificio, expellit primo contentum cruorem & fluidum, & ſtagnando in grumos concretum, ipſamque tandem, ampliore facta apertura cadaveris, ſarcinam deponit.

## §. XIII.

*Cauſſæ abortus mediatæ ſunt 1) externæ violentiæ.*

Hæc dicta vero ſecundinarum avulſio, ſpaſmorum abortivorum immediata cauſſa, à variis induci deprehenditur mediatis; quas inter primum locum occupant illatæ extrinſecus violentiæ; quippe quæ graviter concutiendo abdomen, rupturam cohærentium laxe villorum facillime inferunt. Hinc per gravem imi ventris percuſſionem, vel contuſionem, ſive per ictum & lapſum, ſive vehementem corporis exercitationem, ſaltationem, vecturam fiat, vel nimiam abdominis in allevatione brachiorum, aut gravioris ponderis elevatione factam extenſionem, provocari abortus, multis obſervationibus & exemplis habemus comprobatum. Eidem fundamento innititur abortio, quæ per frequentem & immoderatum coitum excitatur; cujus mentionem injicit GUILIELMUS FABRITIUS *Cent. II. obſ.* 80.

## §. XIV.

*2) Defectus ſanguinis.*

Deinceps dicta ſeparatio fit ab inopia ſucci & ſanguinis nutritii, per orificia vaſorum uteri in apertos ſecundinarum villos inſtillari ſoliti. Nam ſi orificia vaſorum uterinorum ob deficientem ſanguinis adfluxum exareſcunt; fœtus nutrimento deſtitutus perit & corrumpitur, qui hoc in caſu ſæpenumero abſque ſpaſmis & doloribus ejicitur. Hinc diſpoſitæ 1) in morbis gravioribus, febribus acutis malignis, nimiis diarrhœis, maxime dyſenteriis, & quidem frequenter circa declinationem abortiunt; 2) ex eodem fundamento abortum provocare valent immoderatæ ſanguinis miſſiones, in ſubjectis ſanguine non adeo abundantibus inſtitutæ, cumprimis in regionibus calidioribus: unde HIPPOCRATES *aph. XXX. ſect. V.* recte dicit, quod venæ ſectio ad abortum diſponat; ſiquidem ejus tempore ad animi uſque deliquium ſanguis mitti ſolitus eſt.

## §. XV.

*3) Nimia ſanguinis abundantia.*

Frequentiſſimam autem abortuum cauſſam exhibet nimia ſanguinis moles, quam plethoram vocant. Conſtat nimirum ex ſupra dictis, progreſſum ſanguinis per vaſa uteri venoſa in ſtatu naturali eſſe difficiliorem ac impeditiorem. Quod ſi igitur illa à copioſo humorum affluxu ultra modum diſtenduntur, & ſanguis in ſinubus ſtagnat; ſequitur ſpaſmodica fibrarum uterinarum conſtrictio, tanquam perpetuus diſtenſionis vaſorum comes; qua fit, ut ſanguis cum impetu ex orificiis arteriolarum eructetur, uterus flacceſcat, placenta ſecedat ab ejus filamentis & vaſorum hiatibus, ac demum fœtus utplurimum ſecundo vel tertio ab hæmorrhagia die excludatur. Hinc cum SYLVIO *Cap. VI. prax. med.* obſervamus, fœminas gravidas nona decimaque poſt ceſſantem menſtruorum eruptionem hebdomade fluxum ſubinde pati ſanguinis ſatis magnum; & una cum ipſo excernere aliquid coagulati carneique; quæ educto circa hebdomadem octavam poſt ceſſantia menſtrua ſanguine, nil ſimile in ſe animadvertunt, verum gravidæ manent, atque circa nonum menſem, vivum & vitalem pariunt fœtum. Unde recte concluditur, has prioribus quoque menſibus fuiſſe gravidas; poſthabita vero redundantis ſanguinis imminutione abortum fuiſſe paſſas, & hoc præſertim fœminis largo menſium fluxui obnoxiis evenit; nam quia fœtus tenerior eſt, facillime cum uteri hæmorrhagia profunditur. Hinc recte dicit HIPPOCRATES *Lib. de partu octimeſtri*, plurimas primis quadraginta diebus fieri abortiones.

## §. XVI.

*4) Omnes res, quæ uterum ad ſpaſmos proritant.*

Sæpius quoque abortionum cauſſæ fiunt omnes illæ res, quæ uterum ad ſpaſmodicas concitare valent ſtricturas; quibus ſi præſertim robuſta illa fibrarum ſeries, in fundo uteri obvia, afficitur, ſecundinarum inducitur avulſio. Hoc nomine abortum provocandi potentia pollent 1) vehementiores animi affectus, præſertim gravis iracundia atque terror, præſertim ſi hæc graviora pathemata invicem jungantur, & unum alterum excipiat, maxime eo tempore, quo menſes olim fluere conſueverant. 2) remedia ad pellendum fœtum deſtinata, quæ nimium ſanguinis orgaſmum incitando, & ſolidas commovendo partes, votis nonnunquam ſatisfaciunt: quo quidem fine omnia calidiora emmenagoga, ac diuretica celebrantur, cumprimis oleum ſuccini, & ſabinæ; radix filicis, conf. SCHROEDERI *pharmac. med. chym. Lib. IV.* 3) fortiora purgantia, ſcammoniata, colocynthiaca, jalappina, aloetica, quæ ſpaſmum inteſtinorum & totius nervoſi ſyſtematis non raro inducunt. 4) vehementiora emetica, ſiquidem ſub ipſo diuturniori ac violento vomitu ſæpe fiunt abortiones. 5) tuſſis ferina ac convulſiva, nec non omnes convulſivi, ac epileptici morbi. 6) fluor denique albus, qui non modo humore acri vellicante, verum etiam relaxando uteri fibras ad abortum diſponit. Ex claſſe rerum non naturalium cibi & potiones adſtringentes & maxime omnium, ex noſtra obſervatione vina Gallorum rubra immoderatius aſſumta, liberiorem ſanguis curſum impediendo, ad largas hæmorrhagias & abortum quoque diſponunt.

## §. XVII.

*In quo conſiſtat abortiendi proclivitas.*

Verum enim vero, quum omnes hæ cauſſæ à multis impune ferantur, & hinc ſemper diſpoſitio quædam ad abortiendum ſupponatur: quæſtio incidit; in quo potiſſimum conſiſtat illa diſpoſitio? Hanc vero in nimia fibrarum muſculoſarum, & vaſorum uteri claſticorum relaxatione, remiſſione & atonia collocandum eſſe, ſtatuo. Namque ſub tali inſigni toni dejectione libera ſanguinis & humorum progreſſio intercipitur, vaſa venoſa à nimio ſanguinis confluxu valde diſtenduntur, fiunt varicoſa, uterus ad ſpaſmos enormes irritatur, quibus mediantibus extremitates vaſorum aperiuntur, nutritio fœtus perit, atque avulſis ſecundinis, fœtus præmature expellitur. Et hæc omnia eo certius fiunt, ſi quædam cauſſarum mediatarum, brevi ante recenſitarum acceſſerit: quæ, ſi dein tum uteri robur, ac legitimus

per

per illum ſanguinis circuitus præſto fuerit, nihil ferme valebunt, teſtantibus §. VI. adductis exemplis. Hæc ipſa etiam humorum in relaxatis, ac diſtentis uteri vaſis ſtagnatio cauſſa eſt, quod fœtus primis ilico menſibus vitiatus atque corruptus in carneam ſæpe maſſam variæ figuræ atque conſiſtentiæ, quam molam dicere ſolent, degeneret, cujus ab utero avulſio & excretio cum magna ſymptomatum exacerbatione fieri obſervatur.

§. XVIII.

*Confirmatur ex Hippocrate.* Ad ejuſmodi præternaturalem à copia humorum uteri relaxationem, tanquam veram abortus cauſſam, antiquiſſimum noſtræ artis Profeſſorem reſpexiſſe, teſtatur *ſect. V. aphor.* 45. ita ſe habens: *quæcunque moderate corpus habentes, abortiunt bimeſtres & trimeſtres, ſine cauſſa manifeſta; his uteri acetabula muco ſunt plena, & non poſſunt fœtum continere præ gravitate, ſed abrumpitur.* Conf. *etiam aph.* 62. *ejuſdem ſectionis,* in quo uteri intemperaturam, ſi nimis ſiccus ſit, accuſat, quod ad fœcundandum & nutriendum fœtum plane ſit ineptus: laudat vero ejus temperatum & moderatum ſtatum, quo nihil aliud, quam tonus & robur uteri æquabile, moderatum, & ad liberum ſanguinis circulum aptiſſimum ſubintelligitur.

§. XIX.

*Diſpoſitio ad abortiendum acquiritur 1) jure hæreditario, & conſuetudine.* Hæc autem diſpoſitio ad abortiendum variis acquiritur modis. Vel enim nativa fibrarum uteri debilitas ſubeſt, adeo, ut matres, quæ frequenter abortiverunt, filias generent, ad idem vitium proclives: vel etiam conſuetudo meretur accuſari, qua fœminæ, quæ ſemel vel bis abortivere, crebrius in id malum incidunt, idque non raro eodem tempore: licet non ſemper fœtus, ſed loco hujus informis ex ſanguine mucoſo concreta maſſa prodeat. Per hanc vero conſuetudinem nihil aliud intelligo, quam pravam vaſorum uteri laxitatem, & inde provenientem humorum ſtagnationem, ex abortiendi labore ſæpius repetito inductam; ex qua ſubinde uterus in ſpaſticos & convulſivos motus ex facili ac leviſſima cauſſa conjicitur.

§. XX.

*2) Malo puerperarum regimine.* Relinquitur etiam utero abortiendi proclivitas, ex præpoſtero puerperarum regimine. Quod ſi enim poſt puerperium uterus non rite à lochiis & ſtagnante ſanguine viſcido mucoſo liberatus, neque per convenientia remedia colluvies ſeri impuri è corpore per alvum vel alia excretoria detracta fuerit, neque hinc ad priſtinum & naturalem tonum & conſtrictionem ipſe pervenerit: relinquitur ingens atonia, & imbecillitas vaſorum, menſes non procedunt legitime, non fiunt fœcundi conceptus, fœtus non debite nutritur, ſed ante tempus ejicitur immaturus.

§. XXI.

*3) Tempeſtatum vitioſa conſtitutione.* Ipſa denique tempeſtatum vitioſa conſtitutio ad abortum diſponere, & hunc epidemicum reddere valet. Unde HIPPOCRATES *ſect. III. aph.* 12. aſſerit, per hiemem pluvioſam ac clementem, ſi ver ſequatur aquilonare, mulieres ex facili occaſione abortire, vel imbecillos, ac morboſos pueros parere: quia ſcilicet plethora in gravidis ſeroſa, quæ fere ordinaria eſt, per præcedentem autumnum humidum & pluvioſum, & ſuccedentem ejuſdem naturæ hiemem, immenſum in modum increſcit; ſuperveniente autem aëris ſtatu aquilonari, quo à ſuperficie ad interiora pelluntur humores, neceſſe eſt, ut ad ipſum uterum nimia & impetuoſa fiat ſeri excrementitii confluxio, fœcunda abortionis genitrix. Cui quidem obſervationi hanc ſubjiciendam reor cautelam; quod talis aëris ſtatus non omnes gravidas, ſed eas potiſſimum, quæ ſanguinei & humidioris temperamenti ſunt, afficiat.

§. XXII.

*Prognoſis abortionum.* Omnis abortus eſt periculoſus, eo magis, quo adultior fœtus exiſtit. Cumprimis ille periculo non vacat, ſi mola cum ipſo fœtu præſens eſt; quippe quæ, hoc excluſo, utero firmiter alligata remanet, nec tam facile eliditur. Tunc nimirum dolor dorſi & oſſis ſacri ſemper urget, abdomen intumeſcit, vires conſumuntur, lenta eſt febris, & pravus ex utero promanat humor, vitaleſque univerſi corporis fatiſcere incipiunt functiones. Multum ſane hoc vitium medentibus faceſſere ſolet negotii, præſertim, quando ipſæ fœmellæ ſenſibilioris naturæ, ad animi commotiones valde proclives, & pathematibus hyſtericis obnoxiæ fuerint. Pathemata quæ abortum ſequuntur, HIPPOCRATES *l. II. de morbis mulierum* §. *V.* ita deſcribit: *ſi fluxus ex utero obortus fuerit; ſanguis multus fluit, & grumi compacti excidunt: & dolor occupat lumbos, & laterum mollitudinem, ac imum ventrem & durus eſt venter, & ad contactum dolet; & rigor ac febris acuta corripit; debilitas oboritur; & omnia præter humeros ad ſcapulas dolent; & calor invadit; & rubeſcit, & venæ duræ fiunt ac renitentes.*

## THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Omne plerumque conſilium & auxilium, quod in abortionis negotio, a medente ſperari & promitti poteſt, in eo duntaxat conſiſtit, ut præcaveat imminentem abortum. Quod impetrare licet, ſi ope remediorum ex diætetico, pharmaceutico, & chirurgico fonte petitorum, eas cauſſas, quæ pravam abortiendi diſpoſitionem utero inducere poſſunt, omni cura ac ſtudio amovere nitatur; debitumque utero robur reſtituat.

§. II.

*Venæ ſectionis neceſſitas & utilitas.* Quum igitur ex ſupra dictis perſpectum habeamus, vaſorum uteri à copioſiori ſanguinis adfluxu infarctum primam & præcipuam abortionum cauſſam conſtituere: facile patet, non certius, nec efficacius ad præcavendum id vitii genus tempeſtiva ſanguinis miſſione dari præſidium. Hoc & experientia, & creber uſus peritiſſimorum medicorum à longo jam tempore ſtabilitum confirmatumque dedit; & nos eo ſolo complures fœmellas, quæ crebrius abortum perpeſſæ ſunt, ad ſtatum pariendi tempus deductas novimus. Sed primo quidem notari meretur, quod, cum creber abortus utplurimum circa finem tertii ab impregnatione menſis, propter largiorem ſanguinis ad uterum affluxum, quem fœtus ad ſui nutritionem tunc nec requirit, nec ferre poteſt, incidat, tutiſſime circa id tempus, præſertim abortui jam adſuetis vena in brachio ſecetur: ea enim hoc in loco, ſuffragante omnis antiquitatis teſtimonio, ſecurior, quam in locis inferioribus habenda eſt. Nihilo minus in totum non negari poteſt, quin venæ ſectio etiam

in

in pede gravidarum, præſertim ultimis circa partus tempus menſibus commodiſſime poſſit inſtitui. Deinceps vero circumſpecto præſentis medici judicio committendum eſt, quantum ſanguinis emittere, & quoties ejus miſſionem iterare conveniat. Nam eam pro diverſitate plethoræ, majorique vel minori ſanguinis ad uterum congeſtione ter ſæpe, vel quater intra graviditatis tempus eſſe repetendam, crebra nos docuit experientia. Vid. AMATUS LUSITANUS *cent. II. curat.* 95. ir. MISC. NAT. CUR. *Dec. I. A. VI. obſ.* 204. *A. IX. X. obſ.* 48. ubi refertur, medicum fœminam, quæ octies abortiverat, repetitis venæ ſectionibus circa initium quarti menſis, item circa ſeptimum ab ulteriori abortu præſervaſſe. Nec deficiunt exempla, ubi ſingulis menſibus ex venæ ſectione petendum fuit auxilium: cujuſmodi obſervationes apud STALPART VAN DER WIEL, HILDANUM, BILLINGERUM, RIVERIUM *Cent. I. obſ.* 53. VERSAZAM *Cent. I. obſ.* 82. alioſque non ſine fructu legi poſſunt. Cumprimis vero tunc opportuniſſime detrahitur ſanguis, ſi naturam in movendo abortu eſſe occupatam, ex doloribus modicis, lumbos potiſſimum infeſtantibus, & ad oſſa iſchii, nec non os ſacrum deſcendentibus, colligitur. Cujusmodi molimina ad abortum quoties occurrunt, toties, monente Clariſſimo BOERHAVE, ſanguis è partibus ſuperioribus mittendus eſt. Utiliſſimum hanc in rem FERNELII monitum, quod habet *l. 11. meth. med. c. 12. inferiores prægnantium venas*, ſcribentis, *incidere minime tutum, quod impetu deorſum converſo menſes procedant, præcipiteturque fœtus.*

§. III.

*Alvi lubricitas præcavet abortum.*

Quum porro gragidæ, quibus alvi conſtipatio familiarior eſt, & quæ inſuper pathematibus hypochondriacis, vel hyſtericis obnoxiæ ſunt, ad abortiendum admodum pronæ deprehenduntur: eo reſpicere debet medicus, ut per totum geſtationis tempus maxime prioribus menſibus, apertam convenientibus remediis ſervet alvum. Ego non ſemel quidem, ſed ſæpius obſervavi, quod, uti à ſanguinis abundantia in gravidis, vaſorumque imi ventris nimia repletione difficillime ſuccedit alvinæ excretionis negotium; ita eadem, ſubtracta legitima ſanguinis quantitate, ad priſtinum mox redeat officium. Inter pharmaca vero, quæ hic alvinam excretionem tuto adjuvant, eminent paſſulata, mannata, inque primis rhabarbarina. Probatæ præ ceteris fidei eſt ſequens electuarium: recipe rhabarbari pulveriſati unciam unam, mannæ uncias duas, cremoris tartari drachmas duas, ſolvantur leni calore in aquæ veronicæ libra dimidia; colaturæ addatur paſſularum minorum libra una, & inſpiſſetur leni calore in vaſe ſtanneo, adjecta ſub finem pulveris cinnamomi drachma una; cujus duo vel tria cochlearia circa prandium, vel ſomni tempus capiantur. Iis vero, quæ magis ſero, quam ſanguine abundant, proficuæ potius ſunt pilulæ BECHERIANÆ, vel ad earum exemplar paratæ; quarum eo tutior erit virtus, ſi ad infringendam, quam in nonnullis excitare ſolent ebullitionem, cum ipſis pulvis quidam abſorbens, deterſivus & nitroſus exhibeatur. His etiam commodiſſime ſubſtitui poſſunt pilulæ marocoſtinæ pariter ac de ſuccino Cratonis.

§. IV.

*Diſpoſitio ad abortum ex malo*

Sæpius fit, ut neglecta uteri poſt partum à ſordibus ipſi inhærentibus purgatione, remaneat ad



*[illegible]*

abortum proclivitas, quam quidem præcavere licet per convenientia laxantia, balnea & tonica. Ex laxantibus præter dictas pilulas, uſurpari poteſt infuſum, quod paratur ex radicis ariſtolochiæ rotundæ, zedoariæ, pimpinellæ, rhabarbari ana uncia dimidia, herbæ meliſſæ manipulo uno, florum cheiri, anthos, ſalviæ ana pugillis quatuor, ſeminis leviſtici, cumini, cardamomi, corticum aurantiorum, baccarum lauri ana drachmis duabus, fibrarum hellebori nigri, agarici trochiſcati ana uncia ſemis, paſſularum minorum unciis tribus, quæ affuſa vini Rhenani menſura una & dimidia, leni extrahantur calore. Deinceps balnea aquæ dulcis convenient, in quibus, ad roborandum uterum, ſacculos ſpeciebus nervinis repletos ventri adplicare juvabit, quales ſunt herba roriſmarini, pulegii, marrubii, artemiſiæ, ſalviæ, majoranæ, ſummitates origani, ſerpilli, menthæ, flores chamomillæ vulgaris & Romanæ, & ſemina quatuor carminativa. Ubi vero balnea locum non habuerunt, ſummo cum fructu adplicatum vidi emplaſtrum Roſtingii, vix ſatis commendatum, quod ex lithargyrio, oleo olivarum, cera, therebinthina, oleo laurino, gummi galbano, opopanace, ammoniaco, bdellio, olibano, maſtiche, myrrha, aloe & camphora, debita doſi permixtis componitur, & oſſi ſacro, nec non regioni pubis diutius adplicatur.

§. V.

*Abortus ex temperiei vitio, quomodo præcavendus.*

Quoniam denique ſecundum *aph.* 12. *ſect. III.* HIPPOCRATIS, auſtralis, aut pluvioſa diuturna hiems, epidemici abortus cauſſam ac occaſionem ſubminiſtrat: providere oportet medicum, ut non modo victus & vitæ regiminis ejuſmodi temporibus exquiſita habeatur ratio; ſed & corpus liberetur à ſordibus copioſis, ſervata liberiori perſpiratione, & alvo aperta: unde ne frigidæ aëris tempeſtati corpus exponatur, nec acida aut adſtringentia ingerantur alimenta, probe cavendum eſt. Abſtinere etiam tunc præſtat a cœna largiori, carnibus, placentis, omnibusque eſculentis pinguioribus, quippe quæ gravidarum adpetitui quidem, minime vero ſanitatis integritati tunc temporis reſpondent.

§. VI.

*Imminens abortus quomodo tractandus.*

Quod ſi vero, poſt prævium terrorem, aut alias violentas cauſſas, abortum imminere, ex dolore lumborum, ſpaſmis ad uterum tendentibus, extremorum frigore, & præcordiorum conſtrictione cognoſcatur: vena protinus in brachio ſecanda eſt, tumque ſpaſmorum violentia demulcenda. Huic ſcopo inſerviunt mixturæ analepticæ, blande diaphoretica & antiſpaſmodica virtute præditæ; quales confieri poſſunt ex aqua meliſſæ turcicæ, liliorum convallium, florum tiliæ, primularum veris, aqua cinnamomi, pulvere marchionis, cornu cervi philoſophice præparato, tinctura coralliorum, liquore noſtro anodyno minerali, & ſyrupo acetoſitatis citri. Extrinſecus balſamum vitæ dictum, nec non embryonum, pani toſto infuſum umbilicali regioni admovere juvat.

§. VII.

*Hæmorrhagia abortiva quomodo tractanda.*

Quod ſi porro enormis jam facta hæmorrhagia fuerit; illa nunquam adſtringentibus ac narcoticis ſiſtenda eſt; quoniam ea remedia vel adſtringendo, vel relaxando nimis uteri fibras, ad abortum magis diſponunt. Potius, ſi ab ullo remedio auxilium ſperandum eſt, id a venæ ſectione in brachio inſtituta, vel medicamentis nitroſis,

leniter papaveraceis, antepilepticis, nec non liquore noſtro anodyno, præ omnibus aliis exſpectari poteſt. Præterea dantur etiam caſus, ubi abortus, & ejus procuratio, valde ſalutaris, imo neceſſaria eſt, ad vitam gravidæ ſervandam: quando nempe enormis hæmorrhagia, menſe ſeptimo vel octavo ex utero prodit, nulla ratione ſiſtenda, cumque animi deliquiis juncta, quam demum ipſa mors ſequitur. Tunc eſt conſultiſſimum, fœtum, qui plerumque mortuus eſt, vel medicamentis, vel manuali operatione cito expellere; qua de re perdocta BOHNII diſputatio *de abortu ſalubri* legi meretur.

## *CAUTELÆ, ET MONITA PRACTICA.*

### §. I.

*Quomodo abortus in morbis acutis ſit præcavendus.*

Si morbus acutus, continua febris exanthematica, varioloſa, vel morbilloſa, aut etiam intermittens abortum in gravidis minatur: inſtituta in principio venæ ſectio magnam ſpondet utilitatem; adeo, ut, ſi negligatur, dolores, ſpaſmi, & vehementes ſanguinis commotiones quam facile abortum provocare queant. Inſuper ſummopere à nimis calido regimine eſt abſtinendum, & ea præbenda remedia, quæ nimiam humorum ebullitionem deprimunt. Ne etiam in declinatione horum morborum, quod non raro contigiſſe viſum eſt, fœtus ob alimenti inopiam expellatur; conſultum eſt, deficientes ſuccos nutritios juſculis carnium juniorum animantium, præſertim vitulinarum, quibus incocta ſunt hordeum, radix ſcorzoneræ, & vitelli ovorum, reparare; & pro potu aquam hordei, cum aqua cinnamomi, ſucco citri, ſaccharo & vino permixtam exhibere. Hoc in caſu, ſanguinem velle detrahere, foret pernicioſiſſimum.

### §. II.

*Curatio ſpecialior puerperarum.*

Puerperas, ad repurgandum uterum, hac potiſſimum ratione tractare conſuevi, ut præmiſſa, ac per tres dies continuata per pilulas balſamicas, vel infuſum laxans uterinum evacuatione, eas per triduum in balnea deſcendere juſſerim; tum rurſus repetita purgatione, pari modo balnei uſum ſubjunxerim; ac denique eandem methodum, ſi opus fuerit, tertia vice iteraverim. Ego profecto hac ratione plures, quæ ex abortu ſteriles fuerunt redditæ, vel informes polypoſas carneas maſſas, vel concrementa ex ſanguine & pituita coagulata, variæ figuræ in utero progenita aliquot vicibus excluſerunt, per Dei gratiam ad priſtinæ ſanitatis vigorem optime reduxi.

### §. III.

*Abortus, qui in dyſenteria ſuboritur, tractatio.*

Quum in dyſenteria abortus propter teneſmum continuum ac vehementem potiſſimum fit; huic primum omnium aptis remediis occurrendum, fotibus nimirum emollientibus, vel injectione clyſterum, qui ex meris mucilaginoſis ſunt compoſiti v. g. ex ſemine pſyllii, fœnu græci, cydoniorum; vel ſuppoſitoriis ex ſpermate ceti, ſevo hircino, cera alba, croco, & tantillo olei hyoſcyami.

### §. IV.

*Abortus in hyſtericis præſervatio.*

Quando pathemata hypochondriaca, vel hyſterica frequentioribus cauſſam præbent abortibus: non facilis reſtitutionis ſpes eſt per remedia pharmaceutica; ſed omne auxilium à convenienti tam interno, quam externo aquarum thermalium uſu, quo etiam ſterilitas nonnunquam ſanatur, expectari debet.

### §. V.

*Cautela circa venæ ſectionem.*

Quando poſt vehementem terrorem metus abortionis imminet, præſertim in ſanguine plenis, & quæ jam olim huic malo fuerunt obnoxiæ, venam quidem ſecare convenit; ſed cavendum ſimul, ne venæ ſectio ſtatim à terrore inſtituatur, ſi extrema adhuc refrigerata, & præcordia conſtricta fuerint; ſed exſpectandum, donec natura remotis ſpasmis, inceperit, ſanguinem citatiori motu cordis ad extimas rurſus propellere partes: alias conſtans docet experientia, ſanguinis ſub ipſo motuum vigore factam detractionem, ad promovendum potius, quam coercendum diſponere abortum.

### §. VI.

*Molarum præſervatio.*

Nonnunquam ſecundo vel tertio poſt partum menſe fit, ut maſſæ informes membranaceæ, cum præcedente enormi hæmorrhagia & lipothymiis utero excludantur, idque decima vel duodecima ſeptimana repetatur; unde omnis conceptionis perit ſpes: quamobrem opus eſt, ut poſt abortum balnea ac pilulæ balſamicæ per aliquod tempus adhibeantur, iiſque uterus a ſordibus ipſi inhærentibus, quæ molarum generationi cauſſam præbent, probe purgetur.

### §. VII.

*Regimen gravidarum.*

Quando gravidæ ſe ab abortu præmunire cupiunt; cavere ſibi debent ab acidis, à frigore, à vino, nimiaque carnium copia. Fugere etiam debent adfectuum intemperantiam, præſertim ſubitum terrorem; nec non cuncta fœtida, maxime extinctarum candelarum fumos. Quæ alvi obſtructione laborant, eam, vitatis purgantibus, per ſupra dicta laxantia lubricare debent; quo nomine clyſteres etiam laudari merentur.

### §. VIII.

*Adſtringentium noxa.*

Quandocunque jam facta eſt ſecundinæ ab utero ſeparatio, teſtante id ſanguinis ex uteri cavo grumoſi profuſione, imprudenter ad abortum præcavendum ageret medicus, ſi interne adſtringentia propinare vellet; ſiquidem fœtus jam ſeparati vel etiam mortui retentio, & hinc ejus vel ſecundinarum orta putredo, atque etiam cruoris retenti coagulatio & corruptio gravia & periculoſa minatur ſymptomata. De quibus docte egit B. SLEVOGT in *progr. de partus retardati nocumentis*, diſſertationi *de reſtitutione in vitam ſuffocatorum*, præmiſſo Jen. 1705. Sed præſtat tunc circumſpecte & prudenter fœtus excretionem promovere. Quo nomine laudatiſſima efficacia pilulæ temperatæ balſamicæ, cujus generis ſunt BECHERIANÆ, marocoſtinæ, aloëphanginæ, item Cratonis, modo aloës ſuccotrinæ doſis imminuta fuerit, compluribus memorabilibus exemplis ſe uſque eo commendarunt.

### §. IX.

*Cautela circa potum.*

Ego non ſemel, ſed iterum fœminis ſanguineo-phlegmaticis, à potu cereviſiæ ſpirituoſæ & ſaturatioris valde nutrientis & nimias uteri hæmorrhagias & frequentiores abortiones cum obſervaverim; inſigni cum fructu & feliciſſimo ſucceſſu, potum aquæ ſimplicis vel ptiſanæ quotidianum ad præcavenda hæc mala ſuaſi ſumendum.

§. X.

§. X.

*Abortus ob ſanguinis orgaſmum imminentis tractatio.*

Ubi ex nimia & orgaſtica ſanguinis ebullitione in gravidis dolores in lumbis cum pulſuum celeritate, inquietudine, & vehementiori infantis in utero motu, abortum indicare videntur, præter quietam corporis continentiam, cum tranquilla mente & tenui diæta junctam pulveres temperantes, qui matrem perlarum, pulverem Marchionis, nitrum purificatum, ſolutionem oculorum cancri cum acido citri factam recipiunt, & cum aquis leniter analepticis & antiſpaſmodicis, cujus generis ſunt aqua nuciſtæ, florum chamomillæ, liliorum alborum, convallium, meliſſæ, rubi idæi, ceraſorum nigrorum exhibiti auxilium ferre ſolent promtiſſimum.

§. XI.

*Cautela circa motum corporis.*

Quamvis validior & diuturnior corporis motio & ſuccuſſatio e. g. per vecturam in non aſſuetis ad abortiendum occaſionem non raro præbeat; attamen in aſſuetis id minime locum habet, ut potius frequentior & moderatior vectura circa octavum menſem nunquam non proficua ſit, etiam iis, qui in proximo parturiendi ſtudio verſantur. Nam externo corporis motu motus ſanguinis progreſſivi vitales promoventur, humores evadunt fluidiores, & ſuperflui ac impuri per auctam ſpirationem excluduntur, obſtructi quoque tubuli reſerantur, ut deinde & facilior partus & felicior valetudinis in puerperio ſtatus inde fiat. Exempla etiam in vulgus nota ſunt quod fœminæ, quæ laborioſo motu vitam ſuſtentant, ſemper fere felicius & partum & puerperii tempus peragant præ iis, quæ vitæ ſedentariæ nimis deditæ ſunt.

§. XII.

*De venæ ſectione præſervatoria.*

Quoniam in fine tertii menſis ſolenniter fere fœminæ abortire conſueſcunt, præſertim quæ extra graviditatem menſtruis temporibus copioſe per plures dies expurgantur; ad præoccupandum ejuſmodi malum ſanguinis miſſiones ſunt utiliſſimæ. Neque ab hac ſententia alienus eſt FERNELIUS *qui l. II. meth. med. cap. XII.* ſcribit: *Multæ, niſi vena circa quartum menſem reſeretur, abortiunt*; ſed tale remedium etiam circa initium tertii menſis, ſi abortuum prodromi adfuerint, locum obtinet commodiſſimum. Accedit, quod cum ratione & prudentia, in gravidis, quæ plerumque in ſtatu plethorico verſantur, adminiſtrata venæ ſectio etiam ſaniores & vividiores fœtus reddat. Quod ſi auxilii genus omittatur, & debiliores & ad epilepſiam & ventris convulſiva tormina proniores ſæpenumero infantes obſervavimus, cujus rei facilis poteſt reddi ratio, quia impuriori lympha, quæ ex plethora ſalutares excretiones impediendo gignitur, eorum corpus nutritur.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Abortus, cum inſequente hæmorrhagia uteri, & molarum excretione.*

Fœmina quinquaginta annorum, macilentæ ac tenerioris conſtitutionis aliquot liberorum mater, tertio noviſſimæ imprægnationis menſe ob vehementiorem terrorem, & intenſius cui ſe expoſuit frigus, juncta enormi hæmorrhagia, & inſigni virium proſtratione abortivit. Ab hoc tempore perenne ſanguinis ex utero continuavit profluvium, quod, licet interdum conquieſceret; mox tamen recruduit. Præterea ingens imi ventris intumeſcentia, multis palpitationibus ac volutationibus intus perceptis ſtipata remanebat; quæ primum novæ graviditatis ſuſpicionem movebat; dein vero, cum ultra annuum inhæreret tempus, ea ſpes evaneſcebat. Tumor ille potius mox tenſus atque durus, mox vero mollis ac ſuppreſſus erat, pedes leviter, veſpertino potiſſimum tempore intumeſcebant, & in hypogaſtrica regione perpetuum gravitatis ac ponderis ſenſum percipiebat, perſiſtente ſanguinis continuo fluxu. Quo in rerum ſtatu, cum varia carminativa, laxantia, clyſteres, ac leniter conſtringentia in caſſum fuiſſent adhibita, thermas tandem Carolinas adiit; quibus per triduum uſurpatis, cruenta mox conquievit fluxio, & quum, continuato aquarum potu, copioſa viſcida materia per alvum æque ac urinam redderetur, brevi tempore, abdominis ſubſedit tumor. Quamobrem ad balnea deſcendebat, hiſque vix ſemel utebatur, cum vehementiſſimis doloribus ac ſpaſmis, parturientium ſimilibus corriperetur ac ſub iis aliquot concrementa carnea & membranacea, quæ molas dicunt, excernerentur. Ex quo perfecte convaluit.

*Epicriſis.*

Abortum naturali partu periculoſiorem eſſe, & graviſſimos ex utero morbos poſt ſe trahere, indubia conſtat experientia. Hujus autem rei hæc mihi videtur ratio, quod in partu ejuſmodi immaturo, ſecundinarum quædam portio, plerumque remaneat in utero; quæ ad varia mala, inflationes ventris, dolores, menſium ſuppreſſiones, vel perpetuum fluorem, exulcerationes, molas, concretiones membranaceas, & polypoſas, materialem cauſſam ſubminiſtrat & occaſionem; quin & ipſam interdum inferat ſterilitatem. Quod etiam in noſtro factum fuiſſe caſu, nullum eſt dubium. Quare ad avertenda ejuſmodi vitia, non præſtantius eſt conſilium, quam ut aliquot poſt abortum diebus, ea propinemus remedia, quæ facultate roborandi, & uterum, ab inhærentibus ipſi ſordium reliquiis purgandis pollent. Hæc inter principem locum occupant pilulæ BECHERIANÆ; quippe quæ continuato uſu magnam in præcavendis uteri vitiis, & abortationibus præſtant utilitatem. Ubi vero hæc negliguntur, & enata vitia diutius trahuntur; non certius ac præſentius illis tollendis præſidium, quam ex decenti interno pariter, ac externo thermarum uſu reperitur; quæ eo inſigniorem exſerunt efficaciam, ſi pilulis balſamicis ſecundentur.

### Observatio II.

*Abortus venæ ſectione præſervatus.*

Fœmina adhuc junior ſanguine plena, ſtaturæ brevioris, habitus laxioris & ſpongioſioris, alvi ordinario adſtrictioris, per quatuor jam vices, ſi gravida eſſet, ſemper inter tertium quartumque menſem paſſa eſt abortum. Cujus præcavendi cauſſa, medicus conſultus, circa tertium quintæ imprægnationis menſem, venam in brachio ſecandam, & quinque cruoris uncias detrahendas curavit. Quum ordinarium abortiendi tempus, quartus nimirum menſis accederet; ſenſit ſpaſmodicos motus, flatulentias, & compreſſiones in lumbis & abdomine, adeo, ut iterum immineret abortus. Verum datis interne analepticis cum antiſpaſmodicis mixtis, & exterius regioni umbilicali adplicato pane toſto, balſamo vitæ meo irrorato, retinebatur fœtus. Accedente ta-

ſubinde ſeptimo menſe, denuo atroces circa lumborum regionem percipiebat dolores; quos medici à calculo renum derivabant, ſed remediis ad calculum pellendum deſtinatis fruſtra pugnabant. Octavo menſe pedes & femora mirum in modum intumeſcebant, & nono partus vivus excludebatur feliciſſime, ſubſequente copioſiſſimo lochiorum & aquarum effluxu. Paulo poſt iterum concepit, duranteque graviditate bis, tertio nimirum, & ſeptimo menſe, venam tundendam præbuit: unde factum eſt, ut licet dolores reverterentur, illi tamen mox conquieſcerent, & illa legitimo tempore partum ederet felicem.

*Epicriſis.*

Spaſmi, ſicut generatim omnes, ita etiam illi, qui in gravidis, tanquam abortuum cauſſæ occurrunt, monente jam HIPPOCRATE, vel ex repletione, vel inanitione proficiſcuntur. Priori caſu abortus fit ex copia ſanguinis in uteri vaſis, & circa lumbos ſtagnantis; & ſubjecta tum plerumque deprehenduntur ſpongioſo corporis habitu, veniſque turgentibus prædita, bene adpetunt, ſed parum moventur, & ex ipſa ſanguinis in imo ventre ſtagnatione, alvi ſunt ſegnioris. His, præſertim ſi jam paſſa fuerint abortum, ad hunc præcavendum, ſummo cum fructu vena, iterato ſecari poteſt; cujus operationis excellentem effectum, & præſens caſus teſtatur, & RAYGERUS in M. N. C. *anno VI. obſ.* 204. illuſtri confirmat exemplo. Aliter ſe res habet, ſi ab inanitione, i. e. defectu ſanguinis & nutrimenti producatur abortio; ubi corpus eſt gracilius, vaſa minora, pulſus frequens & debilis, internus calor, appetitus jactura, viriumque imbecillitas. Hoc in caſu minime ſecanda eſt vena; tantum abeſt ut proſit, ut potius inde ad ipſam abortionis provocationem multum contribuat. Præſtat potius alimentis nutritivis & analepticis medicinis, & matris viribus ſuccurrere, & fœtui nutrimentum ſuppeditare.

OBSERVATIO III.

*Partus ſeptimeſtris poſt hæmorrhagias abortivas rariores.*

Juvencula mulier, unius & viginti annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, præter variolas ſexto ætatis anno feliciter ſuperatas, integra ſanitate gaviſa, obeſa ſubinde ſanguineque plena, menſtrua ab anno decimo ſexto juſto tempore copioſa reddidit. Viro nupta bis felici cum ſucceſſu peperit; ſed poſt primum puerperium corpore magis extenuata, poſt alterum menſium inordinatum, mox nimium, mox parciorem experta fuit fluxum. Paulo poſt menſe Martio tertium utero concepit, teſtantibus menſium ſuppreſſione, nauſea, vomitu, ciborumque faſtidio; & circa finem Junii fœtus motitationem in utero ſentiens, ſe ad dimidium geſtationis tempus perveniſſe putavit. Tertio poſt perceptum motum die, nocturno tempore ex improviſo citra ullam cauſſam præviam uno impetu integra cruoris menſura ex utero profluebat; quamobrem poſtridie vena in brachio ſecabatur conjuncto confortantium, temperantium, & præcipitantium interno, nervinorum externo uſu, cum egregio levamine. Verum, novem elapſis diebus, eadem recidebat hæmorrhagia, & ſic continuabat, ita tamen, ut per diem ab ipſa immunis exſtiterit, noctu vero, prævio tenſionis in capite & brachiis, atque formicationis in pedibus ſenſu, dorſique dolore, uno impetu ſanguinis quidpiam promanaret; tumque ſimul & ſemel uſque ad futuram noctem conquieſceret hæc cruenta fluxio; & ceterum ſomnus pariter ac adpetitus eſſent integri. Adhibitis pulvere antiſpaſmodico, pilulisque balſamicis STAHLII intra aliquot hebdomades ceſſabat ea uteri hæmorrhagia, & ægra habebat optime. Sub finem Auguſti menſis vero citra opinionem pedum ſpaſmi, horrendi in dorſo ac lumbis dolores, hypogaſtricæ regionis tormina, & adfirmante obſtetrice, pariendi tempus imminebat. Nec ſpes vota fallebat; ſiquidem perſeverantibus per aliquot dies doloribus, excludebatur tandem vivus partus; ſed uti ex calculo ægrotantis pariter ac ipſa tenelluli debilitate adparebat, ſeptimeſtris, qui poſt unam alteramque horam exſpirabat; matre ſalva manente, & ad priſtinum ſanitatis vigorem redeunte.

*Epicriſis.*

Attentione certe perquam digna eſt hæc obſervatio, quod medio geſtationis tempore, fœtu manente vivo & ſine abortu uno impetu, integra ſanguinis menſura ex uteri cavo profluxerit. Quæ ſubita & grandis hæmorrhagia ſine ſecundinæ ab utero minimum partiali avulſione & ruptura vaſis ſanguinei contingere non potuit. Quamvis autem idoneis ad abortum promovendum remediis iiſque præſtantiſſimis datis fœtus ſalvus manſerit; tamen quia vas ſanguineum ruptum, ſub utero extenſo non coaleſcere vel conſolidari potuit, factum eſt, ut elapſis novem diebus hæmorrhagia licet non tam enormis iterum ſecuta fuerit. Et quoniam ob profuſionem ſanguinis debito nutrimento fœtus fuit deſtitutus, ſeptimo demum menſe valde extenuatus & imbecillis excluſus eſt, & poſt horam exſpiravit.

Res eſt alias periculi pleniſſima, quod multis poſſem confirmare exemplis, quando ſeptimo vel octavo menſe ex vaſe ſanguineo rupto tam copioſa & effrænis hæmorrhagia uterina fit. Nam niſi natura partum mox acceleret, vel circumſpecta arte, quoad fieri poteſt, fœtus ex utero expellatur vel manibus extrahatur, de vita non modo infantis, ſed & ipſius matris actum eſt. Ceterum in valde plethoricis fœminis tempeſtiva circa finem tertii menſis inſtituta ſanguinis miſſio ejuſmodi periculoſis hæmorrhagiis præcavendis convenientiſſima eſt. Cavendum vero in ejuſmodi caſibus eſt, à fortioribus ad cohibendas hæmorrhagias ſtipticis tam internis quam externis; quorum ope reprimitur quidem cruor, quia abit in maſſam coagulatam, ſed horripilatio, dolor circa uterum & dorſum vagus, cum animi inquietudine, ac pavore ſuccreſcit, & niſi natura ipſa reſurgens validior propulſionem fœtus moliatur, exitioſa inde conſequi ſymptomata, non mirum videtur.

OBSERVATIO IV.

*Abortus cum ſymptomatibus hypochondriacis.*

Fœmina viginti octo annos nata, temperamenti cholerico-ſanguinei, tenerioris ſtrictioriſque corporis habitus, ante quinquennium prævia vehementi excandeſcentia ſeptimeſtrem enixa eſt partum. Lochia ſub puerperio fluebant parciora, & hinc ab eo tempore hypochondriacæ acceſſerunt paſſiones, velut capitis dolores, vomitiones, vomendi conatus, gravativus in ventriculo ſenſus, tormina imi ventris, alvi ſegnities, extremorum frigus, gelidaque in certo capitis ſpatio ſenſatio. Hæc ſymptomata per intervalla invadebant, nec prius remittebant, quam donec bilis æruginoſa vomitu redderetur. Binis poſt annis utero rurſus cœpit gerere, atque circa medium ge-

geſtationis tempus recenſitorum malorum vacuitate gaudere. Sed hoc tempore ſucceſſit febris tertiana, & per novem inhæſit menſes. Neque tamen minus ſub ea ipſa partum feliciter debito tempore edidit, lochia ſufficienter fluxerunt, & ſubinde menſtrua quoque legitime promanarunt. Tandem ſublata febri, priſtina hypochondriaca recruduerunt pathemata, cum perpetuis vigiliis, & mentis inſigni contriſtatione ſtipata: & à commendato ſub paroxyſmo aquæ frigidæ potu, datiſque pilulis aloëticis, magis invaluerunt. Neque remiſerunt per inſequentem graviditatis ſtatum; tantum abeſt, ut noviſſime tres menſes gravida, poſt gravem animi commotionem abortiret, & poſthæc malo ſuo ad hanc uſque diem vehementius adfligeretur: appetitus ceterum juſto eſt avidior; & à ſuaveolentibus male habet. In hoc rerum ſtatu meum implorabat auxilium. Ego re paulo ſolertius expenſa judicavi internum Carolinarum uſum & poſtea balneum Tœplicenſe utiliſſimum tum ad obſtructiones & infarctus viſcerum, unde mali hyſterici & hypochondriaci origo, ſubmovendos, tum ad uteri tonum valde debilitatum reſtituendum; abſoluta vero hac cura præter exactam diætam, & abſtinentiam per aliquot tempus a coitu, elixir meum viſcerale cum eſſentia ſuccini & rhabarbari mixtum ſingulis diebus bis ſumendum una cum decocto pro potu ordinario ex raſpato ligno ſaſſafras & paſſulis compoſito commendavi.

*Epicriſis.*

Pathemata hypochondriaca & hyſterica à fibroſa uteri quoad ejus tonum, robur, & elaterem ſubſtantia læſa, quæ poſt partum & abortum fit, niſi congruis remediis cito reſtituatur, originem ſuam ſubinde ducere; non novum eſt, ſed quotidianis exemplis confirmatur. Nam naturalem ſanguinis per vaſa uteri circuitum inordinatum & læſum, per nexum, qui eſt inter vaſa ſanguinea univerſi corporis, mox inordinatus & turbatus ſanguinis motus per univerſas & maxime nobiliores partes ſubſequitur. Inde fit, ut affectiones hypochondriacæ & hyſtericæ ſint ſyſtematicæ, in quibus omnes partes à naturali ſua functione deſciſcunt. Et inde etiam accidit, ut quæ vehementiori gradu hyſterici & hypochondriaci mali laborant, fœtum vivum & ſanum debito tempore vix parere queant, & ad abortiendum valde ſint proclives. Sed quoniam febris tertiana & quartana rite ſuccedens & tractata, virtutem ſæpius medicinalem habet à multis impuritatibus, obſtructionibus & infarctibus corpus liberandi, factum inde etiam eſt, ut præſens fœmina ſub febre & fœtum retinuerit, & feliciter pepererit. Poſtquam vero febris in noſtra ægra forſan per incongrua artificia ſublata fuit, non modo affectio hypochondriaca recruduit, imo exacerbata, ſed immatura etiam fœtus expulſio ſecuta eſt. Dici enim vix poteſt, quantam in curando prudentiam & judicium intermittentes febres, præſertim ſi chronicæ in fœminis factæ fuerint, deſiderent. Quæ res ſi negligitur, ſtatum perpetuo valetudinarium inde ſæpius animadverti. Neque vero ego præſentius unquam auxilium quam in tempeſtivo & prudenti externo & interno aquarum thermalium uſu me deprehendiſſe, ingenue profiteor.

## Observatio V.

*Crebrior* Triginta annorum fœmina, robuſtior, & ſanguinea, præter binos infantes, quos ſub conjugii auſpiciis feliciter excluſit, bis ſeptimeſtres, quater quinquemeſtres paſſa eſt abortus, qui hunc in modum triſtem luſerunt ſcenam. *abortus circa medium geſtationis tempus.* Graviditate ad menſem tertium protracta, in dorſo & ſiniſtro hypochondrio tendentes ac lancinantes perſenſit dolores, qui ſenſu ponderis cujuſdam ſtipati, ad regionem pubis excurrebant, cum ani teneſmo, alvi obſtructione & flatulentiis. Tum copioſus, & enormis ſanguinis ex utero fluxus excepit, qui per certa intervalla continuavit ad abortionis ſupra dictæ uſque tempus. Fœtu, qui plerumque ſanguine totus ſuffuſus fuit, excluſo, dolores in ſiniſtro hypochondriaco nihilo ſecius per aliquod adhuc tempus continuarunt. Quo in rerum ſtatu noviſſime rurſus concepit & cum tertium imprægnationis menſem explevit, recruduit uterinus fluor: qui licet iterum evaneſceret poſt tuſam in brachio venam, adfligebant tamen dolores hypochondrii ſiniſtri, decubitus ponderis ad pubis regionem, obſtructio alvi, flatulentiæ, teneſmus, & mammæ lacte turgebant. Ceterum extra prægnationis ſtatum non habebat, de quo conquereretur; & quamprimum conceptio facta eſt, crebris vexari ſolebat ſternutamentis. Ut igitur hac vice fœcunda gaudere prole poſſet, meam petiit opem.

*Epicriſis cum conſilio.*

Prima quam huic ægræ de ſua valetudine me conſulenti propoſui, hæc fuit quæſtio: Quo potus genere huc uſque uſa fuerit? dixit, coqui in loco, ubi degebat, cereviſiam valde ſaturatam & ſpirituoſam adeo, ut ex hauſtu duarum menſurarum homines inebrientur. Tetigi pulſum, qui valde erat magnus; conquerebatur de perpetuis fere lumborum doloribus, & a gravi terrore primum abortum excitatum eſſe edixit. Ego aquam puram fontanam, quam maritus aſſeveravit ibi eſſe ſaluberrimam, pro potu ordinario aſſumendam ſuaſi. Deinceps dedi pulverem ex conchis præparatis, cornu cervi philoſophice præparato & nitro, ſingulis æquali pondere mixtis, cujus drachmam quotidie circa lecti introitum uſurpandam commendavi. Dedi quoque emplaſtrum, quod erat ſaponatum BARBETTE cum oleo hyoſcyami malaxatum, lumbis dolore & ſpaſmo affectis applicandum. Demum ut elapſo menſis ſpatio rurſus venæ ſectionem admitteret ſuaſor fui. Quæ præcepta & monita cum accuratius obſervavit, factum eſt, ut feliciter conſueto tempore pepererit. Ex quo clariſſime apparere arbitror, ad plethoram, ſi hæc vel ad vires vel ad vaſa frequentioris cauſa abortus fuerit, minuendam non tantum venæ ſectionem in auxilium vocandam, ſed & aliis remediis ex diæta deſumtis præcipue congruo potu opus eſſe.

## Observatio VI.

Fœmina recens nupta ſanguineæ & vegetæ conſtitutionis, prima vice per duos menſes gravida, inopinato eoque ſat vehementi percellitur terrore, quo fit, ut præmaturis gravibus abdominis correpta ſpaſmis, fœtum excluſerit & per tres hebdomades ægre habuerit. *Abortus frequens.* Tempore, quo menſes fluere conſueverant, loco ſanguineæ excretionis fluor ſucceſſit albus, qui nullis obtemperavit remediis. Nihilo tamen minus iterum gravida facta, diu non modo ad terrorem & affectus animi proclivis, ſed & de lumborum atroci dolore, qui

qui plerumque animi turbas ſequebatur, conqueſta fuit. Non ita multo poſt ex improviſo valde terrefacta iterum abortum paſſa eſt; qui nec venæ ſectione nec aliis convenientibus remediis arceri potuit. Ex quo tempore valde debilitata, levi ex cauſſa in terrorem rapitur, qui dormientem maxime exagitat, cum anxietate & interno ardore moleſtiſſimo.

*Epicriſis cum conſilio.*

Magna certe motuum & affectionum animi cum ipſo utero communicatio & mutua conſpiratio obſervatur. Cujus rei luculentum, quæ in utero gerunt fœminæ, teſtimonium præbent. Nihil enim frequentius contingit, quam, quod gravi quadam in animo ex cauſa externa oboriente motione uterus cum adnexis partibus nervoſis ad ſimiles motus fœtui & ejus nutritioni ac retentioni in utero minus amicos proritetur; adeo, ut abortionis etiam unicam cauſam ejuſmodi animi pathemata conſtituant. Viciſſim etiam obſervamus, quando vitium hæret in utero gravidarum, quod liberiorem ſanguinis per ejus & infantis vaſa impedit, animum ad plures inordinatos affectus cujus generis ſunt meticuloſitas, puſillanimitas, animi defectio, ex levi cauſa terror, frequentiſſime diſponi. Ex quo clariſſime patet, medicum qui fœminarum ex utero morbos recte curare velit, non modo ad corporis vitia, ſed etiam ad animi inordinatos motus compeſcendos curam dirigere debere. Cum vero multoties experientia attentior doceat, frequentiores abortionis recidivas inde ſuam cauſam & originem petere, quod uterus cum annexis partibus & vaſis poſt abortum à ſordibus ſtagnantibus non recte expurgatus, nec priſtinum robur ac tonus ipſi reſtitutum fuerit; ideo medico incumbit perito & ſolerti, ut id convenientibus & efficacibus remediis recte perficiat. Jam vero non diffitendum eſt, pilulas illas, quas BECHERUS fortuito certe, quia artem medicam vix calluit, invenit, & ex extractis amaricantibus & temperatioribus balſamicis gummatibus, atque refracta gummoſæ aloes portionis doſi compoſuit, & quæ ad harum exemplar à clariſſimis noſtri ævi medicis, inter quos primus fuit IL. HERMANNUS, Profeſſor olim extraordinarius, à CL. STAHLIO, nobis aliiſque præparatæ ſunt, ad præcavendos ulteriores abortus præ aliis ſpecificam ſibi efficaciam vindicare; Modo non empyrice, ſine habita ſubjecti vel circumſtantiarum ac cauſarum ratione in uſum ducantur. Atque ego plura innumera poſſem allegare exempla, complures ad abortum valde proclives recto harum pilularum, neque minus poſt factam uteri purgationem, convenienti thermarum & balneorum artificialium uſu, ſub legitimo vitæ regimine feliciſſime fuiſſe reſtitutas.

### Observatio VII.

*Abortus cum variis ſymptomatibus.* Judæa fœmina triginta trium annorum ante aliquod tempus, tertio graviditatis expleto menſe, ob vehementem terrorem abortivit; larga ſimul uteri hæmorrhagia, violentis vomitibus, & crebris animi deliquiis ſolicitata. Paulo poſt iterum concepit, uteroque per decem circiter hebdomades gerens, rurſus abortum, priſtinis ſymptomatibus ſtipatum, paſſa eſt. Quo excluſo male cœpit habere; totum enim corpus inſigniter languebat, animus valde ſenſibilis, & ad patheticas commotiones nimium pronus erat, omnemque graviorem excandeſcentiam gravativus abdominis lumborumque dolor excipiebat. Alvus, quod notabile erat, ſuo nunquam non reſpondebat officio; digeſtiva autem ventriculi vis laborabat vitio, & varia ad hæmorrhoides molimina, nullo accedente fluxu, urgebant. Notatu porro eſt dignum, ægram per quatuor jam annos perpetuo ciborum faſtidio fuiſſe ſolicitatam; & præcordiorum quandoque torqueri anxietatibus. Quo in rerum ſtatu meam implorabat opem, idque auxilium, quo ab abortu præcaveri poſſet, deſiderabat. Fœmina hæc quia valde plethorica ac admodum ſpongioſi & repletioris erat corporis, parum levaminis atque emolumenti à pilulis temperatioribus ſupra laudatis percepit, ſed moderatiores & frequentiores ſanguinis miſſiones & repetitum thermarum Carolinarum uſum magna cum euphoria ferre potuit.

*Epicriſis.*

Utut pilulæ ſic dictæ BECHERIANÆ inſigniſſimi in morbis mulierum ſint uſus, tamen ubi nimia ſanguinis in corporibus præſertim, quæ minoribus vaſis ſunt donata, abundantia difficiliorem per totum corpus progreſſum efficit, & ubi ſimul in fœminis ad fluxum hæmorrhoidalem diſpoſitio adeſt, circumſpecte eas adhibere oportet; quia ſanguinis & humorum maſſam in præternaturalem orgaſmum quam facile conjiciunt, & deteriora reddunt ſymptomata. Tutiora hinc rhabarbarina cum ſalibus nitroſis & deterſivis juncta deprehendi. Et quia in hoc ſubjecto ingens motuum vitalium & animalium, item excretionum ataxia, præcipua ſymptomatum cauſa & fons fuit, atque remedia obvia hiſce tollendis non ſufficiunt: tutum omnino & certum auxilium contra ejuſmodi morbos in prudenti & rationali thermarum Carolinarum uſu ſæpius me inveniſſe teſtor.

### Observatio VIII.

Fœmina quadragenaria, ſanguinei temperamenti, habitus ſpongioſi, ob menſtruorum defectum, & abdominis intumeſcentiam per quinque menſes habebatur gravida. *Molarum excretio.* Quibus elapſis præter opinionem corripiebatur doloribus circa lumbos & inguina, & mox ſequente copioſiſſimo ſanguinis profluvio: cum quo ſecunda die concrementum carneum, ex membranis conflatum, rubicundum inſignis molis excernebatur. Neque tamen minus ſanguinis fluxus, utut parcior, ad aliquot perſeverabat ſeptimanas. Tranſacto menſe eadem ludebatur ſcena: præviis enim & doloribus, & hæmorrhagia, excretio molis carneæ denuo ſequebatur. Abhinc cruentum profluvium ex toto non conquievit, ſed modo parcius, modo copioſius inhæſit; donec poſt ſex hebdomades, iterum carnea utero excluderetur moles, quæ intra octo menſes ſepties reddebatur. Notari autem meretur, poſt quartam ejectionem loco ſanguinis, ſerum purum limpidum magna copia quotidie effluxiſſe. Et hic lymphatici laticis fluor jam ultra annum dimidium perdurat; cui jungitur gravativus dolor, tumor atque durities quædam in ſiniſtro hypochondrio; & ejus lateris femur cum toto pede, œdematoſum exhibet tumorem. Ceterum ægra expalleſcit, emacreſcit, cibos averſatur; pulſus fertur frequens & debilis, horror quandoque corpus percutit, ſubſequente calore; & ſanguinis grumoſi ejectionem plerumque antecedit ejuſmodi horror.

*Epicriſis.*

*Epicriſis.*

Molæ, ſub quarum nomine concrementa veniunt carnea, a veteribus dividuntur in molas generationis & nutritionis. Hæ ſuboriuntur ex vitioſa nutritione, & ſucci ſanguinei chyloſique ſtagnatione intra extremas uteri membranas; quæ plerumque lochiorum vel menſtruorum per male feriatas artes ſuppreſſioni debetur. Rariores profecto ſunt, & niſi ſtatim ab initio congruis debellentur ſubſidiis, increſcunt in prægrandes tumores; qui ſupra inteſtina porriguntur, & impraegnationem vel hydropem mentientes, nullam admittunt ſanationem. Talem caſum videas in *conſult. med. ſect. III. Tom. II. Caſ. LXXI.*

Contra vero generationis molæ in ipſius uteri cavo producuntur, ubi loco veri conceptus moles carnea indigeſta, vaſculis, membranis, & fibris carneis prædita generatur: ſicut fere fit in fœminis conjugatis, cachexiæ obnoxiis. Simulat veram impraegnationem ejuſmodi concrementum; ſiquidem menſtrua ſilent, venter grandeſcit, mammæ turgent lacte, donec tandem circa quartum plerumque menſem cruor ex utero prorumpat, ſecumque ſæpius vehat talem informem maſſam. Interdum hæmorrhagia ſola continuat per aliquot menſes, abſque molæ iſtiusmodi rejectione, quæ longo demum poſt redditur tempore.

In noſtro caſu mola fuit generationis; quæ prima reliquarum generationi anſam præbuit. Ut plurimum enim hæ concretiones quasdam in utero relinquunt ſui partes; quæ facile in novam coëunt & attolluntur excreſcentiam. Videtur etiam in hoc caſu quædam læſio adeſſe, cui febris lenta eſt juncta, teſtante pulſu frequentiori. Et quoniam circulus ſanguinis per uterum, & vicinas partes ſimul eſt turbatus; compreſſis iliacis vaſis, enatus eſt pedum œdematoſus tumor: ex quo cachexiæ metus imminet, & inauſpicata reſultat prognoſis.

## Observatio IX.

*Nimia ad abortum proclivitas cum molarum excretione.*

Requirebat aliquando opem meam generoſa mulier, triginta octo annorum, quæ abortum paſſa, utero ſubinde non rite expurgato, quater adhuc, quovis menſe ab impraegnatione tertio abortiverat. Quam abortiendi proclivitatem ut tollerem, hac uſus ſum medendi ratione: Per triduum quotidie quindecim pilularum balſamicarum veſperi deglutiendas, mane ſal aperitivum, quod cremorem tartari, lapides cancrorum, tartarum vitriolatum, ſal Epſomenſe, & nitrum depuratum habebat, propinavi: deinceps, ut per quinque dies balneis ex aqua fluviatili, cineribus clavellatis, mentha, meliſſa, ſalvia, floribus chamomillæ paratis inſideret, & ab his leniter ſudaret juſſi; atque hanc curationem alternando ter repeteret commendavi. Præterea, quum utero rurſus concepiſſet, alternis menſibus, venam in brachio tundendam curavi, hiſque obtinui, ut valeret optime, & debito tempore felicem excluderet fœtum. Verum enim vero poſt aliquot annos, neglecta venæ ſectione, rurſus abortivit; & abhinc non modo hyſtericis obnoxia pathematibus, verum etiam menſtrua primum parciora, deinde immodica fuit paſſa; quibus tandem animi deliquia, ac vomitus acceſſerunt; & denique moles carnea, membranacea, aſpera, intus celluloſa prorupit, qua excreta nimium ſanguinis profluvium conquievit. Quum vero majora inde mala timeret; me rurſus conſuluit. Ego itaque ſuaſi, ut commendata brevi ante curatione iterum uteretur, eamque ob inveteratam uteri malam diſpoſitionem, ad ejus robur inſtaurandum, quovis vere & autumno per aliquod tempus repeteret. Ceterum dedi infuſum theiforme ex meliſſa, ſcolopendria, ſalvia, betonica, floribus millefolii, hyperici & anthos ſtillato paratum, ſingulisque mane instillandum, & eaſdem ſpecies cum cereviſia fermentatas, ad potum ordinarium præſcripſi.

*Epicriſis.*

Concrementorum, quæ utero excluduntur, varia ſunt genera: primum audiunt molæ, quas & generationis & nutritionis ſuperiori pertractavimus obſervatione. Alterum eſt cruor congrumatus, in magnis fruſtis, quæ noſtri *einen Schutz*, ſive *einen Brand* dicunt, excretus; cujusmodi obſervationem allegat RUYSCHIUS *obſ. chir.* 29. Datur quoque concrementum, quod, licet improprie, ſeroſam vocant molam, & nihil eſt aliud, quam ſeroſa colluvies peculiari membrana incluſa; de qua & RUYSCHIUS *l. c. obſ. 33.* & HILDANUS *Cent. II. obſ. 53.* injiciunt mentionem. Noſtra ægrotans excluſit tam molas veras, quam cruorem congrumatum, quem magnis in fruſtis conſpicere licuit.

Hoc loco vero adhuc commemorare juvabit, quod ad excretorum, quæ ex utero fiunt genera, referenda ſint oſſa & partes integræ infantum intra uteri cavum putrefactorum. Contingit id vitii genus, ubi avulſis ſecundinis fœtus grandior fuerit, aut ejus abortiva excluſio adſtringentibus impeditur: & videtur fœmellis, ſi ſub alvi exonerațione egerantur ejuſmodi fruſta, ac ſi ex ipſis exirent inteſtinis. Qui de iis plura noſſe cupit, adeat SENNERTUM *prax. lib. IV. part. 2. ſect. 6. cap.* 7. TULPIUM *obſerv. Lib. IV. c.* 39. & THOMAM BARTHOLINUM *hiſt. med.* 14. *Cent. IV.* Mihi ipſi licuit ejuſmodi caſum haud ita pridem in fœmina annotaſſe; cui præter alias convenientes medicinas, pilulas ac balnea ex aqua dulci, nec non thermas ſubinde Carolinas commendavi fructu cum feliciſſimo.

## Observatio X.

*De frequenti abortu cum vomitu continuo.*

Fœmina triginta annorum, habitus corporis pituitoſi, mediocriter pinguis, ſeptimo decimo ætatis anno viro nupta, peperit in tempore fœtum vivum. Deinceps abortum paſſa fuit trimeſtrem; tumque ſucceſſive tres aut quatuor vivos fœtus in lucem edidit, quorum quemvis trium, aut ad ſummum quatuor menſium abortus ſubſequutus eſt. Hos abortus ſemper excepit admodum moleſta per octiduum uteri hæmorrhagia; qua ceſſante fluor albus acceſſit, ad hanc uſque diem inhærens. Præterea ſupervenit nauſea atque vomitus, tantaque inhæſit pertinacia, ut nullis huc uſque remediis debellari potuerit, eoque non ſolum omnes cibi, maximeque ſolidi protinus rejiciantur, verum etiam ſub jejunio pituita inſipida quotidie eructetur. Quo in rerum ſtatu per annum noviſſimum bis iterum abortivit; perſiſtente vomitu, aliiſque hypochondriacis ſymptomatibus ſubinde cruciata. Conſultus ego commendavi primo balneum aquæ dulcis, cum origano, calamintha, balſamina, mentha cattaria, meliſſa, floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ illis incoctis, eaque ut per aliquot hebdomades,

des, extra graviditatis tempus, in uſum vocaret, ſuaſi. Verum triduo ante eorum uſum pilulas balſamicas propinavi; eaſque ſingulis ſeptem diebus balneis interpoſui. Præterea veſperi liquorem meum anodynum; atque ſub epulis eſſentiam corticum aurantiorum exhibui. Non minus vehementer laudavi rectam vivendi rationem, atque convenientes venæ ſectiones; ac denique thermarum Carolinarum tam internum quam externum uſum commendavi.

*Epicriſis.*

Præſens affectus ſpaſmodico eſt convulſivus, qui eas potiſſimum nervoſas partes, quæ ad uterum atque ventriculum pertingunt, occupare videtur. Quod ſi illius cauſſas, & ex his remotiores, perſcrutemur; ipſa ſe offert ægrotantis conſtitutio atque temperies. Ea enim habitum corporis præ ſe fert ſpongioſum, ſubpinguem; qui copioſis quidem, ſed exilioribus inſtructus ſolet eſſe vaſis. Horum autem anguſtia, & fibrarum nativa laxitas id ſecum vehunt incommodi, ut humorum vitalium progreſſus difficilior ſit ac languidior: cui ſi vel mediocris animi juncta fuerit ſenſibilitas, facillimum eſt, ut diſtentis à mole ſanguinis ductibus, ſpaſmodici ac convulſivi accedant motus. Ejusmodi vero ſubjecta, ſi puerperiis fungantur, & uterus poſthæc non rite purgatus ſit, ad convulſivas ſub nova imprægnatione uteri ſtricturas, abortuum cauſſas proclivia eſſe, ex ſupra dictis patebit. Inde quoque ratio peti debet, cur in noſtra tot & puerperiis & abortibus fatigata, fluor acceſſerit albus. Hic enim primario uteri atoniæ, & inde cumulatis in ejus cavo ſordibus debetur; nec ceſſat, niſi reſtituto uteri robore, tantum abeſt, ut ipſe poſthæc fœcundæ conceptioni impedimento, & cauſſa abortionum fiat. Sub tanto partium ſolidarum languore, ſanguinis & humorum dyſcraſiam generari, teſtatur & experientia, & confirmat ratio: quam in noſtro caſu fuiſſe præſto, docent hypochondriacæ paſſiones, & vomitus. Hic nihil eſt aliud, quam ventriculi convulſivus motus; qui ſicuti a repletione, id eſt, ſanguinis in ejus vaſis ſtagnatione ſubnaſci poteſt; uti videmus in gravidis, circa tertium vel quartum potiſſimum ab imprægnatione menſem vomentibus: ita etiam ab inanitione ſuboritur; & ideo profuſo copioſius ſanguini ſupervenit. Cauſſa hoc in caſu non videtur alia, quam quod loco generoſi ſanguinis, humores impuri, ſalſi & acres ad membranas ventriculi deferantur, easque ſtimulando fibras nerveas ad vomibundam ſubverſionem proritent. Neque enim inventu hinc difficilis eſt ratio, cur tam vomitus diuturnior exſiſtat, quam abortus frequentius redierit. Quamvis enim ægrotans noſtra multis variiſque medicaminibus uſa fuerit; ea tamen pleraque cognovi eſſe talia, quæ vel nimis calidiora ac ſpirituoſa, velut ſunt vulgaria carminativa, vel plane adſtringentia, vel ſaltem vivendi recta ratione neutiquam adjuta fuere. At enim vero in tam firmius radicata partium ſolidarum atonia perpetuæ inſtar regulæ habendum eſt; quod quo magis diæteticis, minuſque pharmaceuticis utamur ſubſidiis, eo feliciori ſemper potiamur effectu. Et præterea opus eſt patientia: quo enim diuturnior fuit morbus, eo diuturniorem oportet eſſe blandam, naturæque convenientem curationem. Hæc igitur in præſenti caſu vix aliis, quam quas propoſuimus, medicinis obtineri poteſt; adeo ut illæ, non in noſtra ſolum, verum quoque pluribus, quæ noſtræ ſe tradiderunt curæ, ægrotantibus, nunquam non optatum ediderint effectum.

Præter huc uſque allatos, memorabiles de hoc adfectu adhuc invenies caſus in *conſult. medicinal. ſect. III. CXVI. CXVIII.*

# FRIDERICI
# HOFFMANNI
# MEDICINÆ
## RATIONALIS SYSTEMATICÆ,
### *TOMI QUARTI*,

QUO

SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA,
& huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum
medendi methodo,

CAUTELIS CLINICIS, ET MORBORUM
ENARRATIONIBUS ADJUNCTA EPICRISI, EXHIBENTUR.

PARS QUARTA,

*DOCTRINAM MORBORUM EX VISCERUM LABE PARtiumque ſolidarum atonia perſpicua & demonſtrativa methodo tradens.*

DEDITÆ

ARTIS SALUTARIS

STUDIO ASCLEPIADARUM PROGENIEI

STIPENDIUM HOC SEPTIMUM

CONFERT

OCTAVUM SI DEUS VITAM

VIRESQUE PROROGAT

VOVET

FRIDERICUS HOFFMANNUS.

# PRÆFATIO.

THerapiæ rationalis tomum quartum lectori peritiæ medicæ cupido jam exhibeo paulo tardius, quam promiſeram, ob increſcentes quotidie occupationes in ſenio, quo vires corporis non parum decreſcere incipiunt. Complectitur hic tomus ægritudines, quæ paulo longius protrahuntur admodumque difficilem recipiunt ſanationem; unde etiam chronicarum nomine veniunt, & recte duplicis eſſe generis ſtatuuntur, quarum aliæ à ſolidorum motu nimis adaucto naſcuntur, ut fere ſunt ſpaſmodico-convulſivæ, in præcedente jam tomo pertractatæ; aliæ contra à ſolidarum partium motricium imbecillitate tonoque ac robore dejecto, & abhinc dependente languidiori fluidorum motu oriuntur, quarum indolem & effectus jam deſcribere propoſitum eſt. Scire autem licet, hos morbos iterum dupliciter eſſe conſiderandos: alii quippe, qui mentem ac ſenſus afficiunt, in ſuprema corporis parte ſedem ſuam ac domicilium conſtituunt, quorum naturam, cauſas & medendi methodum in prioribus hujus voluminis capitibus paulo accuratius evolvere anniſi ſumus; reliquos, qui ex viſcerum medii & infimi ventris, quæ vitalium humorum elaborationi ac depurationi ſerviunt, atonia ortum trahunt, in poſterioribus capitibus accuratiori tam pathologicæ quam therapeuticæ conſiderationi ſubjecimus. Atque hi morbi in univerſum ejus ſunt naturæ ac conditionis, ut ob lentiorem & vacillantem ſanguinis & humorum circuitum ſtagnationes, vaſorum obſtructiones & indurationes, adeoque labem ſolidis partibus & viſceribus inferant vitæ infenſiſſimam, quæ profecto difficillime expugnatur. Quare etiam horum morborum ſanatio ſummam medentis prudentiam & accuratiorem appropriatorum ſummeque efficacium remediorum cognitionem deſiderat; ſiquidem in nullo morborum genere ars noſtra magis ſe manifeſtat, ac in cura chronicarum affectionum, quia ſub his parum potens natura haud facile vitium, altius inſidens, ſuis viribus excutit, quum contra confiteri omnino oporteat, artem in acutis parum valere; utpote in harum curatione plus ſibi natura vindicet, & ibi medicus ſæpe ſpectatorem tantum agat. Neque hæc veritas antiquos rei medicæ ſcriptores latuit, ex quibus vel unicum *Cornelium* CELSUM in teſtimonium vocare lubet, cujus verba, quibus *libro III.* præfatur, non alienum puto hic recenſere: *In nullo quidem*, inquit, *morbo plus ars quam natura ſibi vindicare poteſt, utpote cum repugnante natura nihil medicina proficiat; magis tamen ignoſcendum medico eſt, ſi minus proficiat in acutis, quam in longis: ibi enim breve ſpatium eſt, intra quod, ſi quod auxilium non profuit, æger extinguitur, hic deliberationi & mutationi remediorum tempus patet.* Ad hoc adſertum paulo clarius intelligendum multum juvabit, quando ad naturam, quæ ab antiquiſſimo artis noſtræ parente in pluribus locis morborum medicatrix ſalutatur, attentius advertentes quid poſſit quidque valeat in acutis & valde gravibus affectionibus, rite perſcrutemur. Naturæ autem nomine hoc loco non ſapiens quoddam, corpori animantium inſidens & functiones ejus dirigens principium; ſed nos in felicioris ſeculi medici luce conſtituti, nihil aliud, quam jugem ac perennem ſanguinis & humorum per compagem corporis mere vaſculoſam in orbem motum, à cordis & vaſorum omnis generis ſyſtaltica vi dependentem intelligimus; cujus beneficio corpus in ſe corruptioni expoſitum per continuam heterogenearum partium ſubtractionem à putredine vindicatur. Et hic motus vere vitalis, qui à rebus & cauſis mere naturalibus & externis, potiſſimumque ab aëre & alimentis, recte id pronuntiante HIPPOCRATE, proficiſcitur, non modo ſanitatem conſervat, ſed etiam ad ſanationem morborum multum valet. Nam intenſior & celerior in acutis redditus ipſam cauſam, quæ febrem inducit, brevi & certo tempore, per congrua emunctoria eam expellendo, tollit & ſæpius ægritudines periculi pleniſſimas, ipſam peſtem, inflammatorias & exanthematicas febres, ſua ſponte, parum adjuvante medico, feliciter perſanat. Res vero longe aliter ſe habet in longis affectionibus, ubi languidior & tardior ſanguinis circuitus ad ingignendos morbos, accumulando materiam excrementitiam, multum contribuit. Tantum enim abeſt, ut cauſſæ morbificæ, altius vitalibus partibus inſidenti, elidendæ & foras eliminandæ ſufficiat, ut omni-

omnino opus ſit medico, qui conſilio & auxilio ſuccurrens efficacibus remediis materiam valetudini infenſam ad excretionem præparet, pertinaces obſtructiones ſolvat, & ſanguinis ſegniorem motum augendo, per aperta emunctoria, quæ noxia ſunt proſcribere contendat. In morbis igitur chronicis, tum avertendis, tum ſanandis & levandis, medicus omnino artis præſtantiam quam optime poteſt oſtendere, & nominatim quidem in diuturnis febribus, in morbo melancholico-hypochondriaco, cachexia, tabe, hydrope, ſcorbuto, lue venerea, aſthmate convulſivo, gonorrhœa & fluore albo inveterato, ſphacelo, morbo nigro Hippocr. hæmoptyſi, cruento vomitu & hujus generis pluribus; quæ ope naturæ nunquam ſaneſcunt, ſed utique deſideratiſſimam medici opem poſtulant. Quicunque itaque in ejuſmodi morbis præ aliis laude quidquam digni efficere poteſt, is certe aliis præferendus & præſtantiſſimus habendus eſt. Verum, ſicut peritia medici in hiſce morbis quam maxime ſe prodit; ita etiam ignorantia & imperitia, ſi quis non recte eos tractare novit, ſe manifeſtat. Certe, ſi veritatem non diſſimulare debemus, inter perpaucos eminent illi, qui in contumacibus hiſce morbis, quid noceat vel proſit recte dijudicare valent: pauci quoque ſunt, qui intimas eorum cauſſas, ad quas tollendas omnis medentis dirigi debet intentio, & ſedes, ubi conſiſtunt & tyrannidem ſuam exercent, vere perſpectas habent; multo minus appropriata & efficacia adverſus eos remedia norunt. Surrexerunt noſtra tempeſtate, qui ex plethora atque ex ſanguinis excretionibus deficientibus & ſuppreſſis omnem chronicarum paſſionum originem derivare ſummo ſtudio contendunt, quum tamen, re altius perſpecta, magis à boni ſanguinis defectu, ſeri excrementitii colluvie & copia, debilitate generis nervoſi & viſcerum labe, earum origo & ſymptomatum cauſſa ſit derivanda. Ex qua falſa theoria, perverſa demum medendi ratio proceſſit; ſiquidem fere omnis generis chronicos morbos per venæ ſectionem in pede crebrius inſtituendam & per medicamenta, quæ fluxum ſanguinis, præſertim in viris hæmorrhoidalem promovent, & avertere & perſanare ſibi perſuaſum habent, effectu tamen minus auſpicato ſuccedente. Nam ubi nec ſanguinis eſt abundantia, neque natura ad iſtum fluxum eſt diſpoſita, fruſtraneus eſt omnis labor, quin potius non ſemel, ſed ſæpius obſervavi, diu continuata hac methodo tractatos ægros in pathemata hypochondriaca, à quibus liberi antea fuerunt, incidiſſe, vel illa ipſa longe pertinaciora reddita fuiſſe. Quod ſi enim nimia ſanguinis profuſione robur partibus, quæ digeſtioni, ſanguificationi & ſalutaribus excretionibus ſerviunt, ſubtrahitur, vis alimentorum digeſtrix imminuitur, & crudi humores abeunt in ſanguinem, qui dein ad inteſtinum rectum plus juſto appulſus & exitum ibi non inveniens dolentes cœcas hæmorrhoides, ſtagnationes & moleſtas in oſſe ſacro dorſoque tenſiones & ſpaſmos proritat; ut hinc facile ſit intellectu, hanc quidem medendi methodum non prorſus carere ſuo uſu, minus tamen eſſe univerſalem, ſed pro ratione corporum & cauſſarum morboſarum valde limitandam. Quum itaque ex falſis ſuppoſitis hypotheſibus & præjudicatis opinionibus ordinario falſæ concluſiones & perverſa judicia naſci ſoleant, certe non ſubit mirari, quare qui ſupra commemoratæ pathologiæ favent, nullam niſi in partibus infernis & pede admittere venæ ſectionem velint, rejecta prorſus illa, quæ in ſuperioribus & manu inſtituitur, ex metu, ne ſalutaris excretio per venas ſedis præpediatur: quum tamen ex veterum æque ac recentiorum & noſtra quoque obſervatione per venæ ſectionem in plethoricis in manu decenter inſtitutam moleſtiſſimus ille fluxus per hæmorrhoides, qui ſumma circumſpectione in regimine vitæ per omne reliquum tempus eget, ſaluberrime poſſit præcaveri. Plura mihi obvia recenſere poſſem exempla, ubi in ſanguine plenis & vegetis corporibus, in quibus nulla ad hunc fluxum diſpoſitio nec proclivitas apparuit, repudiata ſanguinis miſſione in manu, ea tantum in pede fuit inſtituta, propter exiguas autem venas parum ſanguinis effluxit, graves chronici morbi, ut ſunt aſthma ſanguineum cum hydrope anaſarca junctum, affectus ſoporoſi, paralytici quoque & podagrici ſuborti fuerunt, qui per ſufficientem ſanguinis è ſecta in manu vena detractionem inſigniter levati & convenientium remediorum ope ſanati fuerunt integerrime. Ceterum ingenue etiam hoc loco confitendum eſt, communem, quæ noſtris temporibus viget, chronicis affectionibus medendi methodum maxima ex parte præpoſteram eſſe atque perverſam; adeo ut inde non convaleſcant ægri, ſed pejus potius habeant & diutius torqueantur. Plurimi in hac male fundata verſantur opinione, in rebellibus hiſce morbis vi quadam & multum validis medicamentis opus eſſe ad obſtructionum repagula reſeranda, humores viſcidos & in minimis meatibus ſubſiſtentes fortiter reſolvendos eoſque per excretoria ejiciendos:

quare

quare non temperatis, lenioribus & ſic dictis Galenicis, ſed activis, fortioribus, chymico igne excoctis & ex mineralium regno petitis ad averruncandos hos morbos remediis utuntur; cum tamen vera & confirmata ſatis experientia contrarium plane doceat. Nam ſi ullo in morbo ſanando exquiſita victus ratio, moderatum vitæ regimen & remedia leniora, temperata diætetica & paregorica uſum præſtant eximium, id ipſum certe de longis & diuturnis affectionibus valere arbitror. Ego hinc plena teſtari fide poſſum, me, qui jam per quinquaginta & ſex annorum ſpatium, annuente Deo, artem exercui & docui, præ multis aliis in vincendis chronicis morbis felicem fuiſſe, potiſſimumque operæ pretium feciſſe per decentem aëris & locorum mutationem, corporis variam exercitationem, per aquæ puræ & aquarum mineralium tam frigidarum quam thermalium potum, per lactis ejuſque ſeri dulcis & aciduli, ptiſanæ, infuſorum ſpecierum appropriatarum ex aqua uſum, per interna valde temperata corrigentia & evacuantia, item balſamica nervina, per balnea, inſeſſus, pediluvia, fomenta & demum quoque per abſtinentiam tenuemque victum; ſi modo patientia, ægrorumque obedientia & ſufficiens ad medendum tempus acceſſerit. Neque vero diſſimulandum eſt, inter cauſſas, cur multi difficiles morbi ad ſanitatem non reducantur, hanc potiſſimum valere, quod tam medici quam ægrotantes utplurimum, niſi ſtatim auſpicatum remediorum effectum conſpiciant, ad crebram mutationem medicamentorum valde proclives ſint. Et revera nihil magis valetudini officit, ac crebrior remediorum variatio & copia. In univerſum quippe tenendum eſt, omnis generis morbos, maximeque diuturnos, non multa & varia, ſed pauca, ſelecta, & ſimplicia magis quam compoſita, leniora, quam validiora deſiderare remedia, ſed eorum continuatione opus habere. Nam uti natura in omnibus eſt ſimplex & ſimplices quoque morborum ſunt cauſſæ; ita quoque in ſanando & ſimplicitate & pauco adparatu gaudet. Et uti in magnis rebus expediendis tempore ſufficienti opus eſt, ſic pariter id valet in artis operibus. Ultimo loco inter cauſſas ægræ curationis nec hoc reticendum puto, quod ægri, præſertim malo hypochondriaco afflicti, peculiari animi adfectu laborent, qui mihi nomine pharmacomaniæ venit, quo perpetuo medicamina urgent & omnes, qui nomen gerunt medici, in conſilium adhibent, eorumque medicamentis utuntur, inde vero efficiunt, ut nunquam valetudinem recuperent. Præfari hæc volui brevibus circa curationes morborum, qui ex atonia oriuntur & in præſenti libro explicantur, ut in limine quaſi B. L. perſpiciat, quam viam in iis pertractandis ingreſſus fuerim, quamque methodum artem exercentibus commendandam præcipue judicem, nullus dubitans, quin, ſi non præſens ætas, tamen poſteritas veritatem & inſignem fructum ex ſcriptis meis ſit petitura, præſertim ſi à præjudiciorum dura ſervitute liberatos animos lectores attulerint, & uſu rerum tantum profecerint, ut à ſolida multorum annorum experientia mihi enata præcepta, experiendo intelligere & comprobare valeant.

---

# CONSPECTUS
## CAPITUM,
### Quæ hoc Volumine continentur.


CAPUT I. *De nervorum reſolutionibus*
II. *De adfectibus ſoporoſis comate, caro, & lethargo*
III. *De vertigine*
IV. *De gutta ſerena*
V. *De viſus imbecillitate*
VI. *De auditus vitiis*
VII. *De aphonia*
VIII. *De delirio melancholico & maniaco*
IX. *De virium lapſu & animi deliquiis*
X. *De ſubita morte & morbis inſanabilibus ex polypo oriundis*
XI. *De adfectione phthiſica, ſive tabe*
XII. *De cachexia icterica*
XIII. *De cachexia & chloroſi*
XIV. *De hydrope*
XV. *De flatulentia & adfectione tympanitica*
XVI. *De cachexia uterina, ſive fluore albo*
XVII. *De gonorrhœa benigna & maligna.*

# CAPUT PRIMUM.

## DE

## *Nervorum Reſolutionibus.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Qui morbi in hoc capite pertractentur.*

De morbis ex viſcerum, partiumque ſolidarum atonia oriundis ſcripturi, recte ab iis incipere poſſe videmur, qui in capite, principe totius machinæ humanæ parte, ſuam habent ſedem, partiumque in eo ſitarum atonia vel debilitate nituntur. Inter quos quidem primum jure meritoque locum occupant nervorum reſolutiones, quas medica ſchola apoplecticorum, hemiplecticorum, & paralyticorum nomine exprimere ſolet affectuum. Nec erit alienum, hanc morborum, non adeo multum inter ſe diſcrepantium, eaſdemque ferme origines agnoſcentium trigam, uno hoc & primo ſimul complecti capite.

§. II.

*De organis motuum & ſenſuum.*

Omnes hi morbi verſantur circa ſenſus motuſque noſtri corporis, & eorum organa, quorum primaria nervos eſſe, & inde conſtructas nervoſas ac membranaceas partes; nemo eſt medicorum, qui dubitaverit. Nervus componitur ex canalibus tenerrimis, fluidum tenuiſſimum vehentibus, & à membrana, meningum cerebri propagine incluſis. Ambiens hæc membrana omnis generis vaſculis, etiam lymphaticis inſtructa eſt; unde & inflammari & tumere poteſt: annotantibus celeberrimo BOERHAAVE *prax. med. P. V. pag.* 11. & BARTHOLOMÆO de MOOR *Pathol. cerebri Cap. X. pag.* 302.

§. III.

*Quid ſit nervi tenſio, & debilitas.*

Quæ cauſſa per nervos ſenſum motumque corpori præſtet, multis quidem eo uſque agitatur controverſiis; nos vero non aliam, ſcopo præſertim medico magis accommodatam agnoſcimus, quam fluidum ſubtiliſſimum, lymphaticum puriori aëreo-ætherea elaſtica ſubſtantia imbutum, quod ab arterioſo ſanguine intra cerebri, cerebelli, medullæque ſpinalis canaliculos ſecretum, & in tubulos fibrillarum nervearum, ex his in nervos, & denique in omnes totius corporis nervoſas partes truditur. Fluidum hoc ſufficienti quantitate, & proportionato impetu in nervos & nervoſas membranas producit horum tenſionem: qua recte conſtituta, ſenſus motuſque per totum corpus optime vigent, ipſique nervi naturali tono & elatere præditi dicuntur. Robuſti autem vocantur nervi, ſi particulæ minimæ illos conſtituentes ita cohærent, ut vi fluidorum naturali, quin & hac paullo majori ſuperandæ exiſtant pares: à qua ſi ob cohæſionem laxiorem ſuperantur, debilitatis accuſamus nervoſum genus.

§. IV.

*Quomodo fiant ſenſus, & motus voluntarii.*

Nervus naturaliter tenſus fluido nunquam non plenus eſt: hinc in ultima ſui extremitate vel leviter attactus, impreſſum ſibi motum juxta hydraulicas leges ad cerebrum & commune ſenſorium uſque incredibili celeritate propagat; haud ſecus, ac ſi tubulum aqua repletum, & in utraque extremitatum veſica munitum videas, qui motum uni extremitati impreſſum, protinus cum digito alteri extremitati incumbente communicat. Hanc ſenſuum nomine ſignificamus actionem. Motus voluntarii inſtrumenta ſunt muſculi, ex fibris nerveis ſeu tendinoſis, & carneis, quæ fibrillis nerveis undique ſunt intertextæ, compoſiti, qui hunc in modum ſuas perficiunt actiones: Fibræ nervoſæ & tendinoſæ una cum carneis eo uſque tendi & lympha adimpleri debent, ut tranſeuntem per muſculum ſanguinem paullo remorentur; qui ſubſiſtens inflat ventrem muſculi, & hoc intumeſcente abbreviatur muſculus, ejuſque finis una cum adnexa ei parte movenda verſus principium trahitur: unde ſub actione muſculus attactu durior, ac velut renitens deprehenditur. Hinc in ſcopum noſtrum colligimus, ad præſtandos motus majorem vim, & copioſiorem fluidi nervei influxum requiri, quam quidem ad ſenſus.

§. V.

*Definitio reſolutionis nervorum, ejuſque differentia.*

His præmiſſis, clariſſime patet, quod imminuto fluidi tenuiſſimi in nervos influxu, horum actio tam ad motus, quam ad ſenſus præſtandos vel prorſus aboleri, vel ſaltem ex parte impediri debeat: & ex hoc fonte naſcuntur morbi, quos titulo reſolutionis nervorum complectimur. Per hanc enim intelligimus movendi, vel ſimul ſentiendi impotentiam, ab immunito fluidi nervei in nervos influxu dependentem. Hujus varii ſunt gra-

gradus, è quibus primum binos, tanquam generaliores notabimus: vel enim motus voluntarii, & actiones animales, omnes ſenſus, ipſiuſque rationis uſus pereunt, homoque velut fulmine perculſus concidit: vel, ſenſuum ac rationis uſu exiſtente integro, motus ſaltem voluntarii ac animales actiones, vel ad ſummum ſenſio tactus langueſcunt, vel prorſus abolentur. Priori in caſu morbi reſultant apoplectici; poſteriori vero paralytici.

## §. VI.

*Apoplecticorum affectuum gradus.* Apoplexiæ tres iterum ſunt gradus: quorum ſummus & nunquam non lethalis eſt, ſi cum ſenſibus, motibuſque animalibus, vitales ſimul, omneſque totius corporis actiones uno impetu proſternuntur; de qua MED. SYST. *Tom. IV. P. II. S. I. C. VII.* ſub titulo hæmorrhagiæ cerebri egimus. Alter gradus tollit ſenſuum, motuumque voluntariorum ac rationis uſum; non autem vitales proſternit actiones, nec in mortem ſemper terminatur, ſed plerumque in hemiplecticos tranſit affectus. Tertius denique, ac leviſſimus, qui etiam apoplexiæ ſpaſmodicæ nomen meretur, iiſdem ac ſecundus ſe prodit notis: differt tamen ab eo, quod breviori tempore penitus debelletur, & rarius in paralyticos abeat affectus. Et de hoc leviori apoplexiæ gradu hoc potiſſimum nobis agendum erit loco.

## §. VII.

*Hiſtoria apoplexiæ levioris.* Ea his ſe prodit notis: antecedunt per ſatis longum tempus ſenſuum, viſus potiſſimum ac auditus imbecillitas, vertigo, artuum gravitas, tremor, actionum animalium torpor, & plerumque paſſiones hypochondriacæ vel hyſtericæ. Hæc inter improviſo contingit, ut homo omnibus ſenſibus, rationis uſu, ac motibus animalibus privatus proſternatur; exhibeat pedes, artuſque inferiores frigidos, cutim aridam, ſpaſmoque conſtrictam, faciem vero & oculos rubentes, ſanguine turgidos, & arterias fortiter celeriterque pulſantes. In tali paroxyſmo per aliquot horas conſtituti, vel vomitibus quibuſdam ſponte ſubortis viſcidæ multum reddunt ſaburræ, vel ſudores per totum corpus erumpentes experiuntur, tumque ad ſe redeunt, atque rationis haud ſecus, ac ſenſuum motuumque recuperant integritatem. Multi narrant, ſub tali paroxyſmo conſtrictas ipſis fuiſſe fauces, deglutiendi vim abolitam, pectuſque vinculis quaſi coarctatum. Repetit ejuſmodi inſultus, niſi medela feratur, ſæpius, tandemque in mortiferam cerebri tranſit hæmorrhagiam.

## §. VIII.

*Morborum paralyticorum differentia.* Contra vero hemiplectici morbi audiunt, ſi ſalvo rationis, motuumque vitalium uſu, movendi tantum juxta voluntatem potentia, aut cum ea ſenſus tactus labefactatur. Talem hemiplexiam ſive paralyſin dari univerſalem, quæ totum corpus afficeret, negamus, niſi forſan ſub ipſa apoplexia: nec credimus, dari paraplexiam, qua totum corpus, ſalvo manente capite, reſolveretur; noſtræ ſaltem praxi nunquam ſe talis obtulit morbus. Omnis potius paralyſis vel alterutrum corporis latus, idque totum afficit, & movendi, atque ſimul ſentiendi potentia privat; vel certæ tantum parti inhæreſcit. Prior hemiplexia dicitur; ſi quando dimidium capitis ac faciei latus ſimul ſit reſolutum, alias non niſi paralyſis alterutrius lateris audit: poſterior vocatur paralyſis particularis, & eſt vel vera vel ſpuria. Illa ſedem ſuam plerumque in ſpinali medulla, ejuſque mox ſuperiori, mox media, mox inferiori parte habet, & movendi pariter ac ſentiendi aufert potentiam: hæc movendi ſaltem quadam impotentia ſe prodit, & humorem per metaſtaſin ad ipſos nervos devolutum, hoſque comprimentem pro cauſſa agnoſcit.

## §. IX.

*Hiſtoria morborum paralyticorum.* Hemiplexia vel prægreſſum inſultum apoplecticum ſequitur; vel abſque eo cum refrigeratione lateris paſſuri & præcedente vertigine incipit, & ſenſim in motus ſenſuſque deſinit abolitionem. Sanum latus ſæpenumero ſpaſmodicis ac convulſivis agitatur motitationibus; oriſque canina non raro conſpicitur tortura; & progrediente malo mentis quoque functiones, & cum primis memoria labaſcere incipiunt. In paralyſi particulari, annotante COELIO AURELIANO *Lib. II. Cap. I.* antecedit partis paſſuræ gravedo, tardus motus cum ſtupore, pallore, & torpedo: pars affecta laxa eſt, mollis, flaccida, attactu frigida, & vel atrophica, vel tumore œdematoſo imbuta cernitur. Caveas vero, ne motus voluntarii impotentiam, quæ paralyſin comitatur, confundas cum ea, quæ rheumaticis arthriticiſque nonnunquam jungitur affectibus: hanc enim partis affectæ dolore, ſpaſmo & ſæpius convulſione ſtipatam deprehendimus; quæ moleſtiæ ab affectibus paralyticis valde ſunt alienæ.

## §. X.

*Species paralyſeos particularis.* Paralyſis particularis varias afficit partes. Nonnunquam artus inferiores una cum imi ventris partibus, integris illis, quæ ſupra diaphragma ſunt, mox movendi ſolum potentia, mox ſentiendi ſimul facultate privantur: tumque urinæ & alvus contra voluntatem redduntur, ac tandem tumor œdematoſus, lenta febris & mors ſuccedunt. Interdum brachia & manus paralyſin patiuntur, quæ ſi ſpuria fuerit, & poſt colicam evenerit, dicitur pareſis ex colica; ex aliis vero cauſſis orta paralyſeos manuum nomen obtinet. Datur paralyſis palpebrarum, ubi hæc nequeunt attolli; & invitus lacrymarum fluor urget. Linguæ reſolutio dicitur aphonia, quam ſuo loco pertractaturi ſumus. Si pharynx paralyſi afficitur, omnis aboletur deglutitio; cujus differentiam à ſpaſmo pharyngis videas in MED. SYSTEM. *Tom. IV. P. III. S. II. C. V. §. VI.* Oeſophagus, ventriculus ac inteſtina in moribundis reſolvuntur, tumque aſſumta, maxime potus cum ſtrepitu, murmuribuſque deſcendunt. Paralyſis ſphincteris ani per inteſtini recti procidentiam ac fæcum involuntariam excretionem ſe prodit; veſicæ urinariæ ex invito urinæ fluxu judicatur; veſicularum ſeminalium ex perpetua ſeminis effuſione cognoſcitur; muſculorum membri virilis a denegata concumbendi & membrum erigendi potentia ſignificatur. Cordis dari paralyſin, quam mors repentina abſque ullis evidentibus cauſſis eveniens innuit, è veteribus jam Herophilum credidiſſe refert COELIUS AURELIANUS. *L. II. C. I. p.* 348. & è recentioribus affirmat celeberr. BOERHAAVE *Prax. med. P. V. pag.* 13.

## §. XI.

*Cauſſa proxima reſolutionis nervorum.* Proximam cauſſam & formalem recenſitorum affectionum rationem in plus minus inter-

cepto fluidi nervei in nervos influxu conſiſtere, ex §.IV. & V.quivis poterit intelligere. Inde quoque ſtatim adparebit ratio, cur alia vera, alia ſpuria ſit paralyſis. Hæc enim facilius fit, quam illa; quoniam ſenſus abolitio totalem fere fluidi nervei defectum ſupponit, motus autem impotentia imminutum ſaltem ejus influxum ſequitur. Quæ vero cauſſæ remorari valeant hunc influxum; curatius indagari oportet. Plures medicorum obſtructionem nervorum accuſarunt; ſed eam locum habere non poſſe, vel ipſa tam tubulorum nerveorum, quam contenti in ipſis liquidi ſubtilitas docet; id quod fuſius demonſtravit BARTHOLOMÆUS de MOOR *Path. Cer. C. X. p.* 283. Vera potius cauſſa eſt vel ſolutio continui nervorum, uti in vulneribus, aliiſque violentis contingit læſionibus; vel compreſſio aut nervorum ipſorum, aut principii eorundem, à quacunque re ipſis præter naturam incumbente facta. Quum vero unicam hanc omnis nervorum reſolutionis ſtatuamus cauſſam; ea tamen diverſos producere animadvertatur effectus: videndum, in quo diverſitatis conſiſtat fundamentum.

## §. XII.

*Sedes apoplexiæ & hemiplexiæ, cum ſectionibus iis morbis peremtorum.*

Hoc nimirum unice in loci, qui fovet mali cauſſam, diverſitate, quærendum eſſe, & ratio ſuadet, & ſectiones anatomicæ his morbis peremtorum teſtantur. Omnes enim, qui obſervationes ejuſmodi conſignarunt medici, ut WILLISIUS, BONETUS, WEPFERUS, probe annotarunt, quod in apoplexia defunctis, vitium nunquam non in cerebro, ejuſque ventriculis, nec non in cerebello obhæſerit. Conf. bini notabiles caſus de apoplexia lethali, altera ex hydrope cerebri, altera ex ſanguine in illo extravaſato, quos BRUNNERUS in A. N. C. *an. I. dec. III. obſ.* 153. *&* 154. recenſuit. Contra vero in hemiplecticis alterutrum medullæ ſpinalis principium, vel extravaſato ſero inundatum, vel tumoribus compreſſum fuiſſe, iidem perhibent auctores. De ſeri ibi facta extravaſatione, BONETUS *ſepulchr. L. I. Sect. XV.* obſervationes recenſet; tumorem tunicaceum ibi viderunt WEPFERUS *in auctario hiſt. XIV.* & BRUNNERUS *l. cit. obſ.* 154. Silentio prætermittemus abſceſſus, vulnera, ulcera &c. quæ medullam ſpinalem afficiendo, hemiplexiam, cerebrum penetrando, apoplexiam producere obſervantur. Ad hæc ſi ex anatomia repetamus, nervos vitalibus functionibus deſtinatos ex cerebello; ſenſibus tributos ex baſi cerebri; & motibus voluntariis ſenſuique tactus dicatos, maximam partem ex medulla ſpinali propullulare: facile colligere poterimus, in omni apoplexia cauſſam nervos comprimentem, intra cerebrum; in paralyſi vero intra medullam ſpinalem; & ſpeciatim in hemiplexia circa alterutrum medullæ principium conſiſtere.

## §. XIII.

*Cauſſa mediata apoplexiæ levioris, ſanguineæ.*

Inter cauſſas vero, quæ compreſſionem nervorum in cerebro efficiunt, & tenuiſſimi ac mobiliſſimi liquidi in eos influxum intercipiunt, principem fere ſtagnatio & ſubſiſtentia ſanguinis in vaſis membranarum cerebri locum tuetur; quæ ex valde impedito ejus per venas & ſinus venoſos libero circuitu & reditu verſus cor pronatcitur. Nam cum ſanguis majori niſu & impetu ad caput fertur, quam ut æquali proportione in venas recipi poſſit, ob vaſa nimium diſtenta & expanſa ſubſiſtit, quod potiſſimum evenit in plethoricis, hypochondriacis, nephriticis & hyſtericis ob violentos inferiorum partium ſpaſmos. Naſcitur hac ratione interdum levior apoplexiæ ſpecies, quam ſpaſmodicam nominare conſueſcimus, eo quod remittentibus ſpaſmis & derivata ſanguinis & humorum mole verſus inferiora liberiorique ſanguinis circuitu per vaſa reſtituto vis mali mox remittere ſolet; quod potiſſimum fit mature ſecta vena, & alvo per clyſterem aperta. Sub hoc paroxyſmo plerumque facies rubet, pulſus adeſt celer & plenus, motus & ſenſuum eſt abolitio, & ſudore interdum corpus totum diffluit.

## §. XIV.

*Cauſſa mediata apoplexiæ & hemiplexiæ ſeroſæ.*

Quod ſi vero hæc ſtagnatio diutius obhæſerit, & in ſubjectis ſero abundantibus contigerit: ſecedunt ſenſim ſucci tenuiores ſeroſi per porulos vaſorum præter naturam expanſorum, incumbunt nurvis, eoſque comprimunt. Hoc ſi fit in baſi cerebri, naſcitur apoplexia, ejuſque alter gradus juxta §. VI. quæ delabente ad alterutrum medullæ ſpinalis crus ſero poſt ſe relinquere ſolet hemiplexiam. Hæc ex eadem cauſſa, ſine prævia gignitur apoplexia, ſi ſerum à ſtagnante cruore ſecedens protinus ad medullam decumbit ſpinalem. Et talis hemiplexia vocatur ſeroſa, quæ corripit ſubjecta potiſſimum pituitoſa, ſanguineo-phlegmatica; pulſus in ea eſt debilis, languidus, facies pallida, quædam ſomnolentia, & ſenſuum torpor. De ea veriſſimum eſt, quod, annotantibus medicis, maximeque COELIO AURELIANO *L. II. C. I.* præ aliis ſenibus, autumnali inprimis ac hiemali tempore ſit familiaris.

## §. XV.

*Cauſſa remotiores ſunt 1) nimia ſanguinis moles.*

Inter cauſſas remotiores, quæ pro ſubjectorum varietate mox ſanguineam, mox ſeroſam producere valent hemiplexiam, primum locum tuetur ſanguinis nimia moles in ſubjectis activioribus, laxoque & ſpongioſo corporis habitu præditis. Quæ quidem iis inducendis malis eo eſt opportunior, quo magis humores commoventur: hi enim ebullientes, expandunt nimium tenerrima cerebri vaſcula, ac nonnunquam plane extravaſantur. Hinc explicatu facillimum eſt, cur plethorici ex improviſo dictis affectibus corripiantur à nimio veneris uſu, à largiori vini calidioris potu, à balneis nimis calidis, à fortiori ſub cœlo fervidiori corporis motu, ab inſolatu (vid. PROSP. MARTIANUS *Comment. p.*102.) à gravioribus animi adfectibus, & à crapulis, maxime ſi acceſſerit refrigeratio: mihi quoque in promtu ſunt exempla eorum, qui vino, vel cereviſia bene farti, & ſubinde refrigerati, apoplexia ſubito perierunt.

## §. XVI.

*2] Spaſmi partium inferiorum, & excretionum ſanguinearum ſuppreſſio.*

Deinceps nimia ſanguinis moles ad nervorum contribuit reſolutionem, ſi per ſpaſmos abdominis & partium infernarum, quacunque de cauſſa productos, ad ſuperiora, maximeque caput compellitur, & in eo ſtagnat. Hinc derivanda ratio apoplexiæ ſpaſmodicæ & hemiplexiæ ſanguineæ, quæ accidit ſubjectis hypochondriacis, ac hyſtericis: qualem notatu perquam dignum caſum in CONSULT. MED. *Tom. I. Sect. I. caſu XIX.* reperies. Hinc etiam in praxi medica ſæpenumero licet obſervare, menſium & hæmorrhoidum excretionem non rite ſuccedentem

ad

ad nervorum reſolutiones quamplurimum conferre; id quod patet ex obſervatione *loc. cit. caſu XXV.* allegata. Eo certius vero paralytici morbi ab excretionum ſanguinearum, actu fluentium, ſubitanea cohibitione excitari poſſunt: adeo, ut eos, accedentibus ſub fluxu menſtruorum, hæmorrhoidum & lochiorum, gravi terrore, vehementi refrigeratione, & incongruo remediorum adſtringentium, repellentium ac opiatorum uſu, ſæpius accerſi videas.

§. XVII.

3] *Excretionum ſeroſarum cohibitio.*

Sic purpureus corporis noſtri latex ſui ſtagnatione paralyſes & apoplexias, plerumque tamen ſanguineas & tranſitorias; ſucceſſu vero temporis etiam ſeroſas, eaſque diuturniores producit. Verum has immediate gignit ſeroſa colluvies, majori, quam par eſt copia, ad caput congeſta, nervorumque principiis incumbens. Hinc ſi ſeroſæ excretiones, ſudores critici, tranſpiratio inſenſibilis, ſalivæ nimius effluxus, ſive qui ſponte fit, ſive à mercurialibus medicinis provocatur, ſeroſæ manationes ex auribus, oculis, naribus, ulcuſculis inveteratis, fonticulis, fœtor pedum &c. ſubito coercentur, exſiccantur & reprimuntur: graviſſimas oriri paralyſes, experientia compertum habemus. Hanc ob cauſſam infantili etiam ætati, cui alias parcunt, inſidiari ſolent affectiones paralyticæ: qualem obſervationem de infante bimulo, ex prohibita tranſpiratione paralytico legas in *cit.* CONSULT. MED. *Tom. I. Sect. I. caſu XXVI.* Ex eodem fundamento diuturnior in locis frigidis humidisque commoratio & obambulatio ad nervorum reſolutionem contribuit; quales notatu dignos caſus recenſet FORESTUS *Lib.* 10. *obſ.* 83. & 84. *ſeqq.* Huc pertinet ea, quam A. N. C. *dec. III. anno VII. & VIII. obſ.* 203. de ſeptuagenario poſt evaneſcentem ſubito ſurditatem apoplexia lateris dextri correpto allegant, obſervatio: quæ non niſi ſero, primum ſurditatis cauſſa, dein per metaſtaſin ad medullam dextri lateris devoluto debetur.

§. XVIII.

4] *Exanthematum retroceſſiones.*

Hæc mala eo graviora machinatur ſerum ad caput congeſtum, ſi fuerit acre, purpuraceum, ſcorbuticum, & ab artubus externis, corticeque cutaneo male feriatis artibus, unguentiſque repellentibus ac ſulphuratis intus revocatum. Exſtant hinc quam plurimæ obſervationes, quod achores, cruſta lactea, tinea capitis, ſcabies, purpura &c. repulſæ preſſo poſt ſe pede traxerint paralyſin. Eodem modo res ſe habet cum morbis arthritico-podagrico-rheumaticis, quos ſero acri ad membranaceas artuum & juncturarum partes incumbente foveri notum eſt: hoc enim ſi vel opiatis & adſtringentibus medicinis, ſopito hinc dolore, intus agatur, vel ex naturali imbecillitate retrocedat: cauſa fit pertinaciſſimæ nervorum reſolutionis. Sic obſervationem de hemiplexia ex rheumatico-arthritico affectu ſuborta legas in CONSULT. MED. *T. I. caſu XXI.* Huc inprimis pertinet paralyſis ſic dicta ſcorbutica, quæ nunquam non ſpuria eſt, & à ſero acri ſcorbutico huc vel illuc circa nervos ſtagnante, eoſque comprimente ſuos mutuatur natales.

§. XIX.

5] *Mercurialia inepte adhibita.*

Mercuriales porro medicinæ ejus ſunt indolis, ut in corporibus impuris & debilitatis ad movendam ſalivationem minus recte uſurpatæ, nervorum inducant reſolutiones. Mercurius enim in corpore cum particulis ſalinis ac excrementitiis mixtus, vim obtinet fortiter ſtimulantem, qua præſertim in glandularum ſubſtantiam nerveofibroſam agit, adque hanc majorem humorum ſalivalium & lymphaticorum affluxum concitat. Horum effluxus per ſputationem ſi quacunque de cauſſa ſiſtatur; facile fit, ut perennante nihilo ſecius affluxu, illi ſucci copioſius ad ſpinalis medullæ principia, ipſosque nervos ruant, ibidemque ſtagnando ac comprimendo, influxum nervei fluidi in nervos remorentur.

§. XX.

6] *morbi convulſivi ac epileptici.*

Non minus ſpaſmus membranarum, cerebrum & medullam ſpinalem ambientium anſam non raro præbet hemiplecticis & apoplecticis affectibus. Non alia ſubeſt ratio, quam quod nervoſæ membranæ per tam violentos motus agitatæ labefactentur, relaxentur, nec impedire queant, quo minus irruentes ſucci, utut tenues lymphatici, in vaſculis membranarum ſtagnent, & medullarem ſubſtantiam comprimant. Hinc docet experientia, poſt epilepſiam non raro ſequi hemiplexiam; & illam, ſi lethalem ſortitur eventum, nunquam non in apoplexiam terminari. Et quænam eſt cauſſa, quod ex gravi iracundia paralytici nonnunquam naſcantur affectus, niſi quod per illam fortior nervis, vaſiſque inferatur ſtrictura, eam humorum producens ſtagnationem, quæ influxui fluidi nervei intercipiendo exiſtit opportuna?

§. XXI.

7] *Flacciditas cerebri & debilitas generis nervoſi.*

Omnes hæ cauſſæ eo certius, eoque facilius vim ſuam pernicialem exſerent, ſi præſto jam fuerit cerebri flacciditas, generiſque nervoſi debilitas. Si enim laxiores ſunt nervoſæ partes, minus reſiſtere valent irruptioni humorum, & ſic horum ſtagnationi pariter ac extravaſationi mirum quantum favent. Et colligitur quidem hæc debilitas nervorum ex cauſſis antecedentibus: quorſum pertinent ætas ſenilis, temperamentum ſanguineum, & inde pendens habitus corporis laxus, mollis & ſpongioſus; vita ſedentaria & otioſa, potus parcior, vel cereviſiæ craſſioris ac lupulatæ, atque vinorum largior uſus, diæta lauta, multarumque epularum, ſomnus nimius pariter ac immodicæ vigiliæ, multæ meditationes, & lucubrationes, veneris ſæpe repetitum exercitium, diuturnus mœror, triſtitia, habitatio in locis udis frigidisque, & hiemalis tempeſtas. Sic enim debilitata corpora vel leviſſima cauſſa, quam vix attenderes, ad paralyſes & apoplexias diſponere valet, quemadmodum ex obſervatione in CONSULT. MED. *Tom. I. Caſu XVIII.* recenſita patet, ubi quis ex potu aquarum Selteranarum, licet eas rite & corpore bene præparato adhibuerit, nihilo ſecius in apoplecticum inſultum, & hinc relictam ſpuriam incidit paralyſin.

§. XXII.

*Aetiologia paralyſeos, quæ artus inferiores occupat.*

His de hemiplexia potiſſimum præmiſſis; reſtant quædam de paralyſeos particularis ſpeciebus dicenda. Ex iis maximam meretur attentionem, quæ inferiores corporis partes, vel crura pedeſque ſolum, vel abdomen quoque & omnes, quæ infra diaphragma ſitæ ſunt partes ſimul afficit, ſalvis, quæ ſupra ſunt, regionibus. Poſteriori caſu cauſſa hæret in medulla ſpinali circa priores lumborum vertebras: quod binis ſectionibus hoc malo demortuorum A. N. C. *Vol. II. obſ.* 51. & 120.

*&* 120. egregie monſtrant. Priori medulla ſpinalis circa primam lumborum vertebram conquaſſata, & ultra medium craſſitiei ſoluta; in altero à dicta vertebra per totam inferiorem ſpinam tota flaccida, ac penitus exſucca fuit, adeo ut inter eam, & oſſeam thecam notabile interceſſerit ſpatium. Oritur hoc vitium 1) à cauſſis externis violentis, fractura, luxatione, vel vulnere ſpinæ, medullam ſimul afficiente; quales bini caſus exſtant in A. N. C. *Cent. X. obſ. VIII. & dec. I. anno III. obſ. 66.* 2) à cauſſis internis, maximeque rheumaticis ac convulſivis dorſi affectibus; ut teſtatur caſus ex A. N. C. *vol. II. obſ.* 102. ſupra allegatus, lectu digniſſimus.

## §. XXIII.

*Aetiologia paralyſeos crurum.*

Interdum cauſſa hæret intra os ſacrum, tumque morbus ambulandi impotentia, & crurum pedumque reſolutione ſe prodit. Hoc malum nonnunquam eſt nativum, & præternaturali medullæ, intra os ſacrum contentæ nititur conſtitutione: quales caſus ex tumore intra thecam oſſis ſacri connato, & tandem exulcerato lethales recenſent HIST. MORB. WRATISL. *anno* 1701. *pag.* 68. *ſeqq.* Idem contingit poſt febres acutas, male ſolutas, nec non intermittentes, ſi quis malo victu utatur, animique indulgeat pathematibus: ubi cauſſa eſt ſerum vitioſum, per metaſtaſin ad medullam oſſis ſacri devolutum, eam comprimens. Eidem malo obnoxiæ ſunt fœminæ poſt laborioſum partum, abortum, & retenta lochia; nec alia ſubeſt cauſſa, niſi ſanguis per ſpaſmos ad os ſacrum copioſius delatus, ibidemque ſtagnans, & niſi medela feratur, tandem ſeroſam portionem per vaſorum porulos dimittens.

## §. XXIV.

*Aetiologia paralyſeos brachiorum.*

Notabilis porro eſt brachiorum paralyſis; quæ ſi colicam, anodynis ac opiatis intempeſtive cohibitam ſequatur, dicitur pareſis ex colica. Cauſſa eſt ſerum vitioſum acre per metaſtaſin ad nervoſas brachii & potiſſimum carpi partes delatum; & legere licet binos notabiles caſus, unum de tali pareſi, poſt colicam opiatis ſopitam ſequente in A. N. C. *dec. III. anno VII. append. ad obſ.* 308. alterum de pareſi ex colica per vini, lithargyrio dulcificati potum producta *ibid. anno IV. obſ.* 30. Familiare cumprimis malum eſt metallurgis, ſaturninas mineras tractantibus; è quarum inimicis vaporibus in colicam, pertinaciſſima alvi obſtructione ſtipatam, & ex hac in pareſin incidunt, qui morbus vocatur *die Hütten-Katze.* Eadem brachiorum paralyſis alias quoque agnoſcit cauſſas; & interdum à ſcorbutica humorum diatheſi ſuboritur, ſicut caſus A. N. C. *dec. I. anno III. obſ.* 334. inſertus docet. Nonnunquam cauſſa hæret intra vertebras cervicis, & dorſi ſuperiores; ex quibus nervi tendunt ad brachia. Talem ab ictu lapidis in cervicem ſubortam annotavit FORESTUS *Lib. X. obſ.* 95. Eadem ſupervenit quandoque pectoris hydropi; annotante CAROLO PISONE *tr. de morb. ex ſeroſa coll. Sect. III. C. VII. p.* 243. ubi cauſſa lymphæ intra vaſcula, membranam nervorum perreptantia ob impeditum ad thoracicum ductum iter ſtagnanti, nervoſque comprimenti debetur.

## §. XXV.

*Prognoſis affectuum paralyticorum.*

Quod prognoſin affectuum paralyticorum attinet; ſcire licet, apoplexiam ſpaſmodicam & hemiplexiam ſanguineam curatu quidem faciliores eſſe; at, niſi præcaveantur, ſæpius reverti, & tandem in ipſam cerebri terminari ſolere hæmorrhagiam. Reliquæ paralyſeos ſpecies & ſeroſa hemiplexia non ſubitam quidem inferunt mortem; verum difficillimam & eo intricatiorem reddunt ſanationem, quo major ſenſuum internorum vel externorum concurrit læſio, atque non raro miſeros per totam vitam diſcruciant ægrotantes. Si infantes paralyſi corripiuntur, eos circa pubertatis annos ab illa nonnunquam vindicari animadvertimus; quod vix unquam contingit in ſenibus. Hemiplexia lateris ſiniſtri periculoſior eſt ea, quæ dextrum latus occupat ob arteriam aortam, ejusque ramos in eo latere copioſius diſperſos. Si pars adfecta adhuc dolet, ſentit, non nimium frigida, nec extenuata eſt; ſpes reſtat convaleſcentiæ, eaque certior, ſi formicationis ac puncturarum in ea percipitur ſenſatio. Paralyſis abdominis & artuum inferiorum plerumque lethalis eſt, & non raro gangrænam reſolutarum partium habet comitem. Ceterum omnes paralyticæ affectiones vere ac æſtate facilius quam hieme & autumno curantur.

## §. XXVI.

*An & qualis febris ſolvat paralyſin.*

Febris ſi ſequitur paralyſin, eam ſanare dicitur: ſed intelligendum hoc eſt magis de artificiali, quam naturali febre, atque de ſeroſa potius, quam ſanguinea paralyſi. Enim vero naturalis ſi fuerit febris, eam vel continuam oportet eſſe, quæ periculo nunquam caret, vel intermittentem, quæ malum haud tollit. Per artificialem autem intelligimus motum cordis & arteriarum auctiorem, arte concitatum, quo vegetius circumactis humoribus ſtagnantes circa nervos, vel eorum principium ſucci nonnunquam diſcutiuntur, & velut reſorbentur. Talis febris provocatur per medicamina paullo acriora & calidiora, nervina, volatilia, per fortiorem corporis, maxime ſub ſolis æſtu motum, per balnea, & cumprimis Lauchſtadienſe & thermarum Carolinarum. Verum hæc in ſanguinea, quæ jam febrili motu ſtipata eſt, paralyſi adplicare neutiquam licet, ſed in ſeroſa duntaxat, ubi humorum circulatio languet, locum inveniunt.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

## §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Paralyticos & apoplecticos curaturo morbos, binæ potiſſimum occurrunt indicationes; quarum prior eſt, ut cauſſas, quæ tam proxime, quam remotius ad intercipiendum fluidi nervei in nervos influxum contribuerunt, removeat, & altera, ut partem affectam, totumque nervorum genus ita roboret, quo priſtinum ac naturalem recuperet tonum. Multum vero ſcire intereſt, num morbus recens, anne confirmatus ſit; propterea quod juxta hanc differentiam diverſa inſtitui debeat curatio.

## §. II.

*Venæ ſectio ante omnia eſt inſtituenda.*

Si mox poſt primam mali invaſionem accerſitur medicus, pulſumque celerem cum facie rubicunda deprehendit: non præſentius, nec efficacius ad cauſſam mali, quæ eſt humorum in capite ſtagnatio, removendam occurrit ſubſidium, quam venæ ſectio. Hæc protinus vel in brachio vel in collo inſtituenda, facta paullo ampliori inciſione, ut largo cruor exeat flumine; vel, ſi plethorica nimium fuerint ſubjecta, in pede eſt præmittenda, ne dato in ſuperiori parte exitu humores ex inferioribus

rioribus eo ruant copioſius; tumque adhuc vel in brachio vel venis jugularibus repetenda. Et opus interdum eſt, ut bis, vel amplius hæc ſanguinis miſſio, larga ſatis quantitate iteretur.

§. III.

*Clyſteres & pediluvia.* Deinceps, ad humores ſtagnantes revellendos, operæ pretium faciunt clyſteres paullo acriores & ſtimulantes, qui ex herbis nervinis rutæ, majoranæ, ſaturejæ, thymi, ſerpilli, floribus liliorum convallium, oleo chamæmeli, & adjecto ſtimuli cauſſa ſale gemmæ vel ammoniaco, vel etiam urina humana confici, & iteratis nonnunquam vicibus infundi debent. Non minus egregiam laudem merentur pediluvia ex aqua tepidiori, herbisque nervinis, nec non floribus chamomillæ, ſummitatibus millefolii, cineribusque clavellatis parata; quibus pedes profundius immittendi.

§. IV.

*Spaſmi interni & humorum ebullitio demulceri debent.* Sæpius, tuſa vena, adhuc ſuperſunt ſpaſmi partium internarum, & humorum veluti febrilis ebullitio: quibus temperandis conveniunt diaphoretica fixa cum præcipitantibus & nitroſis combinata, velut ſunt pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, matre perlarum, cinnabari, nitro & ſuccino confecti, & ex aqua liliorum convallium, vel florum tiliæ exhibendi, addi etiam poteſt ſyrupus acetoſitatis citri. His enim juvatur tranſpiratio, qua non raro inſultus apoplecticos & paralyticos ſolvi deprehendimus. Nec præterea in demulcendis partium internarum ſpaſmis, ullum remedii genus ſuperat virtutem liquoris noſtri anodyno-mineralis, cum liquore bezoardico vel ſpiritu volatili tartari convenienti doſi remixti, qui cum dictis pulveribus alternari, bisque quotidie propinari debet. Eodem fine abſtinere decet ab omni cereviſiæ potu; nec niſi decoctis, aut aqua pura vel fontana, vel Selterana, cum modico vini nupta uti convenit.

§. V.

*Vomitoriorum uſus in affectibus hemi- & apoplecticis ſeroſis.* His, tempeſtive adhibitis, dicta vitia, ſi ſint recentia & ſola adhuc ſanguinis ſtagnatione nitantur, brevi poterunt depelli. Ubi vero ſeri jam ſeceſſio facta videtur, ad illud diſcutiendum ac derivandum omnis dirigi debet intentio. Atque hoc in caſu, ſi ægri ſoporoſi veluti ſunt, atque ſtertunt, ſummo cum fructu adhibere ſolitus ſum emeticum in forma dilutiori, analepticis junctum; quo excitantur motus, & ad ſenſuum rationisque uſum redeunt ægrotantes. Ex uſu mihi eſt ſequens formula: Recipe aquæ liliorum convallium vinoſæ, florum tiliæ, primulæ veris, cinnamomi, aceti deſtillati ana uncias binas, ſpiritus cornu cervi ſuccinati drachmam unam, antimonii diaphoretici, cinnabaris, lapidum cancrorum ana drachmam ſemis, tartari emetici grana duo, ſyrupi corticum aurantiorum drachmas duas. M. F. mixtura, cujus bina circiter cochlearia, quavis altera hora exhibenda.

§. VI.

*Volatilia & ſternutatoria commendantur.* Deinceps ad diſcutiendum, quod ſtagnat ſerum, illuſtrem ferunt opem volatilia urinoſa, naribus adplicita; è quibus primarium locum occupat ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva paratus, & oleo majoranæ vel rutæ permixtus. Non minus ſuam merentur laudem ſternutatoria, cumprimis ſi nervina ſimul fuerint; quippe quæ non modo motum nervis inferunt, verum etiam materiam ſeroſam per nares educunt. Formula talis eſſe poterit: Recipe herbæ majoranæ, florum liliorum convallium ana drachmas duas, herbæ mari Syriaci, florum benzoes, caryophyllorum aromaticorum ana drachmam dimidiam, caſtorei pulveriſati grana decem. M. D. S. *Schnupff-Toback.*

§. VII.

*Cauteria & veſicatoria laudantur.* In rebelli affectu, ad ſerum ſtagnans derivandum efficaciſſima ſunt cauteria, ut vocant, actualia, nuchæ inter ſecundam & tertiam, vel hanc & quartam colli vertebram inurenda, quorum virtus ſicut à vetuſtiſſimis medicorum magni æſtimatur, ita recentioribus etiam exemplis confirmata datur à Clariſſimo ERNDTELIO in Warſavia phyſice illuſtrata pag. 185. At quum delicatior noſtri ſeculi genius non permittat, tam terribili, quale videtur, uti remedio; ſolemus ſubſtituere ſetacea, eaque nuchæ admovere; vel ſi nec ea arriſerint, veſicantia remedia aut nuchæ aut pedibus imponere. Poſterior locus in ſubjectis ſenſibilioribus priori præferendus: eo quod à veſicatorio cervici adpoſito, convulſivos partis non affectæ motus ſuperveniſſe, compertum fuit.

§. VIII.

*Evacuantia ſunt adhibenda.* Si magis inveteratum fuerit malum, præter dicta, convenientia evacuantia in uſum ſunt vocanda; ut iis humores à capite ſenſim revellantur & evacuentur. Et primo quidem purgantia oportet ſimul eſſe balſamica; qua laude pilulæ gaudent ex extracti colocynthidis, aloes, hellebori nigri, reſinæ ladani, ligni aloes, florum benzoes, ſalis ſuccini, myrrhæ, balſami Peruviani ana ſcrupulo uno, mercurii dulcis drachma ſemis, camphoræ, ſalis volatilis cornu cervi ana granis quatuor paratæ, ſi viginti quatuor ex ſcrupulo formentur, & quatuordecim pro doſi propinentur. Inter diaphoretica palmam obtinet ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, cum liquore anodyno minerali adjecta caſtorei eſſentia, & decocta lignorum ex ligno S. ſaſſafras, ſantalo & rad. chinæ parata. Non ſatis porro laudanda in morbis capitis ſeroſis eſt virtus diureticorum, ac ſpeciatim ſuccinatorum medicaminum: è quibus eſſentia ſuccini, cum antimonii tinctura acri principem tuetur locum.

§. IX.

*Roborantium uſus in ſeroſa & inveterata paralyſi.* Qui diutius morbis paralyticis detinentur, ſimulque generis nervoſi debilitate laborant: roborantibus medicinis, præter rectum vivendi genus ſibi debent proſpicere. Et hoc nomine ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus cum aqua liliorum convallium ita mixtus, ut una ſpiritus tres aquæ partes recipiat, magnam meretur commendationem. Parari quoque poteſt Elixir nervinum ex eſſentia gentianæ rubræ, corticis caſcarillæ, tinctura antimonii acri, liquore anodyno minerali, & macis ac cinnamomi oleo; idque ex infuſo meliſſæ, quod citri fovet cortices, exhiberi. Qui adpetitu languente & ſtomachi debilitate vexantur; iis Elixir noſtrum viſcerale, vel Electuarium, quod cortex chinæ ac caſcarillæ ingreditur, magnas feret ſuppetias. Nec, præſertim ſenibus, convenientius quicquam erit balſamo vitæ noſtro, ſi ad aliquot guttas mane, cum infuſo meliſſæ ſumatur.

§. X.

*De externis ſenſum motumque excitantibus.* Inter externa ſenſum & motum excitantia, varia ſunt quæ commendantur. Ab antiquiſſimis temporibus inclaruerunt fortiores partis adflictæ

ctæ cum pannis aſperioribus frictiones; vel ſi ſenſus defecerit, ſummam cutim vel urticis cædere, vel, præmiſſa frictione cum ſquilla per medium diſſecta, ſiccas cucurbitulas applicare ſoliti fuerunt. Egregiæ etiam ſunt reſolutarum partium inunctiones cum ſpiritu ſalis ammoniaci, item vini camphorato: nec ſpem fallet vinum vetus Rhenanum, cum roremarino, floribus chamomillæ Romanæ, ſpicæ, & caryophyllis aromaticis leni calore digeſtum, cumque linteis quadruplicatis ſpinæ dorſi, oſſi ſacro, artuumque juncturis inunctum. Iisdem locis, præviis vel balneis vel frictionibus, magno cum fructu etiam linimenta nervina admoventur; quæ ex axungia humana, galbano, terebinthina, balſamo de Copaiva & Peruviano, oleo lavendulæ, juniperi, majoranæ, rutæ, anthos, ſuccini, roriſmarini & nuciſtæ expreſſo concinnantur. Sola enim deſtillata haud uſurpare decet olea; quoniam nervos nimium exſiccando, ac velut indurando plus noxæ pariunt. Caput cingi ſolet cucuphis diſcutientibus ac roborantibus: temporibus balſama apoplectica, quæ ne nimis ſint ſuaveolentia caveas, admoveri: raſo capiti pulvis ſuccini inſpergi: & occiput ſpirituoſis, quæ ex ſpiritu volatili cornu cervi, lumbricorum, aqua Anhaltina, eſſentia balſami Peruviani, caſtorei, oleo nuciſtæ & caryophyllorum parantur, cum fructu lavari.

§. XI.

*De uſu balneorum.* Denique in affectibus paralyticis plerumque ad balnea, tanquam ſacram ſolent confugere anchoram. Ex iis prodeunt primum thermæ, decenti modo uſurpatæ, inter quas quidem Toeplicenſes, Emſenſes, Wisbadenſes, Aquisgranenſes, ac in Miſnia Wolckenſteinenſes malo magis inveterato; Lauchſtadienſes vero, ob martiale adſtringens principium, vel recentiori, vel jam ſuperato, & non niſi motus debilitate ſemet exſerenti conveniunt. Earum vim autem ſuperant pœne balnea arte parata, è quorum numero primum locum tuentur, quæ ex ſcoriis metallorum conficiuntur, & vulgo *Schlacken-Bàder* vocantur. *Conf. habita hic de iis diſſertatio.* Succedunt balnea ex nervinis herbis & formicis concinnata. Commodæ huic ſcopo ſunt herbæ ſerpilli, ſideritis, abrotani, origani, menthæ, hyſſopi, roriſmarini, majoranæ, flores chamæmeli, & id genus alia, quæ ſacculo incluſa, inque tenui lixivio cocta, aquæ tepidæ immergantur & partes affectæ foveantur. Inter linimenta præſtantiſſimæ eſt efficaciæ, quod fit ex ſapone veneto, & ſpiritu vini camphorato, addita eſſentia galbani, & bdellii.

*CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautela circa ſanguinis miſſionem.* Magna eſt utilitas, quæ ex venæ ſectione in affectibus paralyticis, ex ſanguinis mole ſubortis redundat, præſertim in principio. Veteres ARCHIGENES apud AETIUM, CELSUS, COELIUS AURELIANUS, ARETÆUS ſtatim mittendum eſſe ſanguinem experientia fida confirmant: nocet vero in paralyſi inveterata ſeroſa, ubi vires, ciborumque languet adpetentia. Qua de cauſſa BALLONIUS *Lib. VI. pag.* 255. monet, ne in paralyſi, ubi humor frigidus in motu eſt, vena ſecetur, ejuſque damnum exemplo confirmat. TRALLIANUS in paralyſi curanda nunquam mittendum eſſe ſanguinem ſtatuit, niſi manifeſta ſanguinis abundantia appareat. In pede vena non tundenda eſt, ſi illi frigidi, ſpaſmoque conſtricti fuerint. Viris, qui ex hæmorrhoidum impedito ſucceſſu, vel ſuppreſſo fluore in nervorum reſolutionem inciderunt, poſt præmiſſam venæ ſectionē hirudines cum fructu ano admoventur: quin in A. N. C. *vol. III. append. pag.* 164. exſtat caſus, de hemiplexia, adpoſitis pone aures hirudinibus, admotisque ſuris pedum veſicatoriis, brevi curata.

§. II.

*circa thermas & acidulas.* Quibus à paralyticis affectibus caput valde imbecillum, & ſenſus etiam interni, præſertim memoria, læſi ſunt; abſtinere debent ab improvido interno tam thermarum, quam acidularum uſu. Namque hæ aquæ per minima capitis vaſcula, nimium relaxata difficillime progrediuntur, & amplam majori ſeroſorum humorum ſtagnationi præbent occaſionem. Neque etiam acidulas cum vino mixtas loco potus ordinarii tum ſalutares eſſe deprehendi, quia vapore ſpirituoſo nimis caput repletur. Verum ſi ætas juvenilis fuerit, & malum à paſſione hypochondriaca ortum traxerit, præſervando recidivas, operæ pretium faciunt thermæ Carolinæ, illæ nempe temperatiores quæ à molendino nomen habent; vel etiam acidulæ, ſed tepefactæ: ſub quarum potu, qui parcior eſſe debet, à frigore, mœrore, multisque mentis laboribus cavendum, nimio non indulgendum ſomno, corpus ſedulo movendum, mediciniſque nervinis & balſamicis utendum eſt. Generatim ſcire licet, harum aquarum potationem, malo declinante, & in melius vergente, longe opportuniorem eſſe, quam ubi illud in ſuo fuerit vigore.

§. III.

*circa balnea artificialia.* Balnea, quæ arte ex formicis & nervinis herbis parantur, eo efficaciora ſunt, quo leviores & tenuiores iis conficiundis aſſumuntur aquæ. Quare optima cenſetur pluvialis, vel hac deficiente, quæ poſt copioſas pluvias ex fluvio deſumitur. Sed omnibus artificialibus præſtant Tœplicenſes, quæ levitate pluviales adhuc ſuperant, & inſigni virtute diſcutiente, & diaphoretica affectis partibus tonum & robur reddunt. Stillicidia quoque harum aquarum principio ſpinalis medullæ adhibita ad humores ſtagnantes diſſolvendos, inſignem non raro opem attuliſſe experientia docemur.

§. IV.

*circa balnea frigida.* Ad affectus paralyticos, eoſque potiſſimum inveteratos non ſine fructu commendantur balnea frigida, item leniter adſtringentia, & fotus, qui ex radice conſolidæ majoris cum aqua decocta conficiuntur. Huc ſpectant quoque fontes medicati martiales, cujus generis ſunt Freyenwaldenſes in Marchia & noſtræ Lauchſtadienſes, item artificiales, quæ ex ſcoriis metallicis parantur. Sed hæc circa eorum uſum obſervatio neceſſaria eſt, ut non niſi tepide adplicentur, alias nimium commovendo ſanguinis & humorum maſſam, miras anxietates, cephalalgias, & cordis palpitationes efficiunt. Hæc enim febrim artificialem excitando, ſuppetias morbo ferunt: quippe conſtringendo exteriores corporis partes, convertunt ſanguinis & humorum motum magis ad interiora, inque primis ad cor, & quæ illud ambiunt, majora vaſa: unde fit celerior ac vehementior cordis ac arteriarum ſyſtole, & ideo celerior etiam humorum per vaſa minima circuitus. Hinc fieri poteſt facillime, ut obſtructiones reſerentur, viſcidi ſucci reſolvantur, & ſtagnationes diſcutiantur. At caven-

cavendum probe, ne hæc balnea adplicentur corporibus ſanguine turgidis, aut dyſcraſia humorum, partiumque ſolidarum imbecillitate laborantibus, veluti ſunt ſenilia.

§. V.

*circa lotiones capitis.* Capitis lotiones inſignem in paralyticis affectibus habent utilitatem, maximeque in aſſuetis: quibus ſi quis haud adſuetus fuerit, incipiendum à levioribus ex lixivio minus acri, incoctis herbis nervinis; dein radix aſari, & herba roriſmarini inſuantur ſacculo, inque lixivio coquantur; quæ vero remedia niſi prævia purgatione adhibere non licet.

§. VI.

*circa paralyſin ſcorbuticam.* In ſcorbutica paralyſi, quæ plerumque particularis & ſpuria exiſtit, parum externis proficiemus remediis. Opus eſt potius, ut decoctis infuſiſque diluentibus, tam calide, quam frigide in vicem potus ordinarii hauſtis, acrimoniam humorum temperemus, eandemque ſpecificis antiſcorbuticis, è quibus lumbrici terreſtres in pulvere vel ſucco cum ſero lactis ſumti eminent, infringamus; tandemque ſordes è corpore proſcribamus; & has quidem craſſiores per alvum commodis in hunc finem laxantibus mannatis ac rhabarbarinis; ſubtiliores autem & in ſanguine fluctuantes per cutis ſpiracula ope pulverum diaphoreticorum. Niſi enim tota repurgetur humorum maſſa, perfectæ nullus eſt curationi locus.

§. VII.

*circa paralyſin palpebrarum.* Paralyſis palpebrarum oculi per metaſtaſin aut ſtagnationem humorum producitur, & niſi cito depellatur, immedicabile conſtituit malum. Obſervavi in ea efficaciſſimum balſamum vitæ noſtrum, calide mane veſperique palpebris inunctum; nec non oleum cinnamomi & caryophyllorum, modo vera fuerint, cum axungia quadam permixtum. Non negligenda etiam eſt ſeri vitioſi derivatio ac evacuatio; quæ per laxantia, diuretica, veſicantia, & id genus alia perficitur: unde de tali palpebrarum paralyſi poſt morbillos ſubortta, & veſicatoriis curata recenſetur caſus in A. N. C. *vol. I. obſ.* 140.

§. VIII.

*circa pareſin.* Pareſis ex colica poſcit remedia, ſerum vitioſum ex ſanguine per tranſpirationem proſcribentia. Externe operæ pretium faciunt pelles recenter mactatorum animalium calide affectis partibus adplicatæ; nec non axungia humana recens, ſi ejus unciæ drachma olei caryophyllorum addatur, eaque pars affecta perfricetur. Hoc etiam in caſu non fruſtranea eſt adplicatio cœcarum cucurbitularum: quibus curatam talem pareſin referunt A. N. C. *dec. I. anno III. obſ.* 308.

§. IX.

*circa diætam.* In paralyticis affectibus uſus aëris ſereni & temperati valde utilis eſt: unde COELIUS AURELIANUS *L. II. C. I. p.* 349. ægrum in lucido loco poni jubet. Hinc conclave nec nimis calefactum, nec nimis frigidum, ſed temperatum oportet eſſe. Victus quoque facilis & tenuis eſſe debet, eo magis in principio, ubi paralyſis acutus plerumque morbus eſt & ventriculi robur nunquam non eſt languidum. Nec ulla convenit cereviſia, nec ullo modo vinum, præſertim in principio, ſed tum demum, quando morbus jam diuturnus factus eſt. Tunc enim victus quoque plenior eſſe poteſt.

§. X.

*circa tumores partium paralyticarum.* Ad lavandas partes paralyticas, ſi aridæ & atrophicæ fuerint, ſpiritus ſalis ammoniaci neutiquam convenit; ſed præſtat eo uti, ſi partes tumore ſint affectæ. Hoc in caſu conſultum quoque eſt, tumidas partes tenui ſacculo includere, qui ſequentibus impleri poteſt ſpeciebus: recipe furfurum & milii ana manipulos quatuor, miſta in ſcutella aut aheno aliquo ſupra cineres ſiccentur, calefiant, calida includantur ſacculo, quo decumbentis ægri pars affecta circumdetur.

§. XI.

*Præſervatio affectuum paralyticorum.* Graviores affectus capitis, ut lethargus, apoplexia, hemiplexia, &c. ſunt ſenili ætati perquam familiares, & fere immedicabiles. Igitur præſervationis cauſa magna cum cura & ſollicitudine ab omnibus iis, quæ ſyſtema nervorum debilitant & circuitum ſanguinis per caput impeditiorem efficiunt, cumprimis à frigore, præſertim ubi corpus ad ſudorem diſpoſitum eſt, à largiori vini ſpirituoſi potu, mœrore animi, terrore, venæ ſectione conſueta intermiſſa, neque minus à nimio tabaci uſu, vaporoſis abſynthiacis, cereviſia craſſiore, humido & vappido aëre ſenes abſtinere debent. Quod vero hi dicti morbi rariſſime in ſenibus medelam recipiant, hæc mihi videtur cauſſa: quoniam eorum ſanguis humore valde pituitoſo & glutinoſo ſcatet; qui ad regreſſum ſanguinis per ſubtiliores venas cerebri, quas lentore obſtruit, & ſinus venoſos impediendum plurimum confert. Ad ejuſmodi vero obſtructiones vaſorum, quæ altius in cerebro ſitum habent reſerandas, non tam facilis & expedita medendi ratio deprehenditur.

§. XII.

*curatio per inediam.* Corpora paralyticorum quando pinguedine, & vitioſorum humorum copia abundant, non facile ad ſanitatem redeunt, vel vires recipiunt, niſi diæta, & victu exſiccante utantur, qui in eo conſiſtit, ut ægrotantes à jurulentis, enixis, & humidis abſtineant, & ut parco etiam potu, præſertim conſiſtentiori utantur, atque non niſi decoctum ex radice chinæ, raſura ſantali citrini, ſaſſafras cum paſſulis aſſumant, & portionem generoſi vini; carnibus quoque non niſi aſſis veſcendum, paſſuliſque exacinatis, & corpus, ejuſque membra, quoad fieri poteſt, motu exercenda.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Hemiplexia dextri lateris ſanata.* Vir quadragenarius, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, per multos annos ſub vita parum mobili largam quotidie cereviſiæ Martisburgenſis quantitatem ingerere ſolitus, adpetitu ſenſim deſtitui, corpuſque valde tumidum præ ſe ferre cœpit. Quo in rerum ſtatu moleſtiam vertiginem, artuumque gravitatem per ſatis longum tempus ſenſit, & tandem circa vernum tempus ex improviſo in dextri lateris hemiplexiam, cum memoriæ ſenſuumque internorum debilitate junctam incidit; pulſu exiſtente magno, celeri, facieque tumida ac rubicunda. Quamobrem ex vena in brachio ſecta non ſemel, ſed aliquoties multum cruoris detrahebatur, pulſu nihilo minus in magnitudine & celeritate ſua perſiſtente; nuchæ cucurbitulæ cum

cum ſcarificatione admovebantur, pulſus tamen magnus eſſe pergebat; alvo infundebantur enemata, ac intus dabatur infuſum mannatum, nec non nitroſi pulveres. Inter horum uſum pes movendi potentiam ſenſim recuperabat; at manus reſoluta manebat, quin lenta quædam febris, circa noctem ſemper exacerbata accedebat; & pulſus nunquam non celer erat. Tum, miſſa cereviſia, fontem Selteranum vino nuptum, pro potu ordinario adhibebat; pedes quotidie pediluviis tepidioribus, ex aqua, floribus chamæmeli & trifolio fibrino paratis immittebat; brachium reſolutum ſpiritu vini camphorato perfricari curabat; ac intus liquorem noſtrum anodynum, pulveres digeſtivo-ſalino-nitroſos, & pro ſudore eliciendo eſſentiam alexipharmacam uſurpabat. Uſus præterea eſt victu parco & exſiccante: & hinc factum eſt, ut poſt aliquot menſes prorſus convaluerit, ſentiendique pariter ac movendi facultatem recuperaverit.

*Epicriſis.*

1) Notabile eſt in hoc caſu, quod poſt tam largam, ſæpiuſque repetitam ſanguinis miſſionem, pulſus nihilo ſecius permanſerit magnus & celer: qualem quandoque in nimiis hæmorrhagiis obſervare licet. Teſtatur ille, affectum ejuſmodi pro cauſſa plenitudinem ſanguinis, ejuſque vehementem ad caput congeſtionem agnoſcere; & in vehementia ac diuturnitate à ſpaſmodicis partium internarum ſtricturis, quæ etiam hæmorrhagias comitantur, & pulſus magni durique fiunt auctores, ſuſtentari.

2) Ego non ſemel ſed ſæpius obſervavi, quando de ante acta paralyticorum vita interrogare ſolitus ſum, eos plus juſto genio ſuo indulſiſſe, præſertim in aſſumendo potu ſpirituoſo, ſive cereviſia inebriante, aut potente vino: nam ejuſmodi potus, quando immoderatius aſſumuntur, frigidos morbos, ut tremorem, convulſionem, paralyſin, apoplexiam, ſopores excitaſſe, non modo experientia confirmamur; ſed & à veteribus medicis, jam olim proditum eſt. Nam ab immoderato calore & denſiores, & glutinoſiores fiunt humores, qui dum per minora vaſa difficiliorem habent progreſſum, & circuitum, facile ſtagnant.

3) Pediluvia ex herbis nervinis & roborantibus concinnata, præſertim, ſi morbus eſt in declinatione, circumſpecte & repetitis vicibus adhibita, non carent eximio uſu & fructu; eo quod corpus noctu diſponunt ad ſudorem, & blando calore ac humore partes inferiores relaxando, majorem affluxum ſanguinis & humorum ad caput præpediunt, neque minus humores lentos ac viſcidos tenuiores & fluidiores efficiunt.

4) De inſigni victus exſiccantis in paralyticis humidioris conſtitutionis virtute in quonam conſiſtat, jam abunde ſupra in cautelis practicis §. 12. dictum eſt.

## Observatio II.

*Paralyſis abdominis & artuum inferiorum à terrore lethalis.*

Juvenis viginti annorum, ſanguine & ſuccis plenus, cum meretrice aliquando in lecto decumbens, & venereo nimis percitus oeſtro, ob accedentem ex improviſo patrem, tanto percellebatur terrore, ut paullo poſt toto corpore debilitatus & languidus, neutrum movere potuerit pedum. Mox hi cum reliquis inferioribus artubus magno quatiebantur tremore, ſequentique nocte largo corpus diffluebat ſudore. Expergefactus mane non valebat incedere; ſed regio inferior ab umbilico ad extremum uſque pedem omni privata erat ſenſu, adeo ut nec acus intruſæ vis perciperetur, nec ſciret ægrotus, cum alvum deponeret, aut urinam redderet. Nihilo minus exhibebant reſolutæ partes calorem naturalem, nec marceſcebant, nec adpetitus, nec pulſus quopiam laborabant vitio. His per integrum annum affectus moleſtiis, varii generis medicamina, thermas, balnea, nervinaque penetrantiſſima in & externe, ſed in caſſum, adhibuit; neque enim purgantes medicinæ, niſi magna doſi datæ alvum movebant, nec ulla concitabant tormina. Senſim adeo abolebatur ſenſatio, ut aliquando, quod notabile eſt, lapides igniti ægri ſedentis pedibus ſuppoſiti, cutim vehementer aduſſerint, ipſe tamen præter anxietates præcordiorum nihil doloris ſenſerit; donec tandem à fumo ex accenſa cute exhalante certior, quid ipſi acciderit, factus, circumſtantes in auxilium vocaverit. Et hanc miſeram per biennium protraxit vitam; quo elapſo præcordiorum anxietates, à ſumtis potiſſimum epulis adfligere, adpetitus dejici, calor lentus corpus depaſcere & vires prorſus perire cœperunt, ipſeque fatis ceſſit ægrotus.

*Epicriſis.*

1) Terrorem vehementem non modo convulſivas & epilepticas in continenti producere poſſe motiones, verum etiam nervorum inferre ſubitaneam reſolutionem, hæc docet morbi hiſtoria. Actio terroris autem in ſtrictura partium nervoſarum, & ſpeciatim membranarum cerebrum ac medullam ſpinalem involventium conſiſtit: quæ in præſenti caſu circa lumbarem contigiſſe videtur regionem, & eo pernitioſior eſſe debuit, quo vehementiori veneris œſtro inflammatum tum fuit corpus.

2) Ad rariores referri meretur hæc inferiorum partium paralyſis; eo, quod cum movendi potentia, ſenſus quoque omnis deperditus fuit, adeo, ut nec acus vis, nec aduſtio per ignitos lapides perciperetur; quum tamen vix occurrat paralyſis, in qua non aliqualis ſuperſit ſenſatio. Et hæc quidem paralyſis non externas ſolum occupavit partes; verum interna quoque viſcera & cum primis inteſtina; teſtantibus purgantium inertia, & fæcum urinæque involuntaria emiſſione. Dum vero ex abolitione omnis motus ac ſenſus, totalem influxus fluidi nervei in nervos ex ſpinali medulla infra diaphragma prodeuntes ceſſationem, non ſine ratione colligimus: attamen non omnem viſceribus abdominis, maximeque inteſtinis denegamus ſenſationem, quoniam purgantia majori doſi data alvum moverunt. Quod facile conciliabit, qui perpendet, inteſtina etiam à cerebrinis nervis per intercoſtales ramos, nervoſas adipiſci propagines; per quas aliqualis relictus fuit ſenſus.

3) Medela tali in caſu locum vix habet: vero enim eſt ſimillimum, medullam ſpinalem ab eo loco, ubi facta eſt ſtrictura, collabi, flaccidam, exſuccamque reddi; cui præſumtioni anſam præbet caſus A. N. C. *vol. II. obſ.* 102. inſertus. Quare non mirum eſſe debet, quod lenta demum febris acceſſerit, finemque vitæ impoſuerit. Nam hoc in rerum ſtatu, langueſcente ſenſim ſenſimque humorum circuitu, pravi impurique per abdominis viſcera ſucci generari debuerunt: unde virium defectus, adpetitus proſtratio, & lenta febris ſuam traxerunt originem.

Obser-

### OBSERVATIO III.

*Pareſis manuum ex colica ſaturnina.*

Vir triginta annorum, frigidæ, ſiccæ, & macilentæ conſtitutionis, metallurgiæ addictus, aliquando in minerarum ſaturninarum calcinatione, cœlo exiſtente turbido & pluvioſo occupatus, ingentem vaporum ſaturninorum copiam inſpiratione hauſit ſub dulcis ſaporis perceptione. Poſtridie de intolerabili circa umbilicum dolore conqueſtus, pertinaciſſimam incidit alvi adſtrictionem, quæ omnem clyſterum infuſionem, & laxantium exhibitionem rebellis eluſit. Jungebantur vomendi conatus, cardialgicæ præcordiorum anxietates, gelidusque per corpus erumpebat ſudor. Quo in rerum ſtatu pugnatum eſt antiſpaſmodicis, clyſteribus oleoſis, balneis, oleoque amygdalarum dulcium, carminativis nupto: unde remittebat dolorum ac reliquorum ſymptomatum vehementia. Verum enim vero brevi poſt nova ſuccedebat adflictio; quippe ſiniſtra manus dolore preſſorio, cum movendi impotentia, abſque tamen tumore prehendebatur, adeo ut ea nec flecti, nec ad os duci potuerit. Adhibebantur varii generis ſudorifera, balnea Laconica, fotus ac linimenta, ſed in caſſum: alvus ſimul adeo compreſſa erat, ut niſi clyſteribus admonita, ſui non reminiſceretur officii. Meo tandem flagitato conſilio ſuaſi, ut æger abſtineret ab omnium calidorum, acidorumque remediorum uſu, loco cereviſiæ decocta biberet, laxante ex manna, paſſulis, oleo amygdalarum, tartaroque tartariſato alvum moliretur, & adfectas partes axungia humana, oleo caryophyllorum acuata, calide perfricaret: unde factum eſt, ut per Dei gratiam reſtitutus, diu ſalvus vixerit.

*Epicriſis.*

1) Morbus quo poſt inſpiratum ſub dulcis ſaporis perceptione, ſaturni vaporem, noſter æger eſt infeſtatus, colica convulſiva, & peculiari cognomine ſaturnina, *die Hütten Katze*, vocari ſolet. Familiaris ea eſt metallurgis, Hercyniæ potiſſimum Sylvæ accolis, & plumbi venas ſcrutantibus; & debetur fumis ſaturninis, ore hauſtis, & ſenſibilioribus inteſtinorum tunicis, quas graviter vellicant, infixis. Præter tormina vehementiſſima, & convulſivos fere totius generis nervoſi motus moleſtiſſimum in hoc morbi genere ſymptoma eſt contumax alvi compreſſio; & ei familiariter jungitur pareſis manuum.

2) Quo liberior iſtis in locis, quibus dictæ tractantur mineræ, quoque ſerenior eſt aër; eo rarius occurrit recenſitus morbus, quoniam virulentæ exhalationes commode diſſipari queunt. At ſi gravis ac pluvioſus fuerit aër;comprimit vapores, &, quo minus in auras abeant impedit: unde ſub ea tempeſtatis conſtitutione frequentiſſimum eſt malum.

3) Curatio in pareſi, ut recte monet CRATO *conſilio* 72. 73. non ad principium nervorum, ſed ad muſculos, ad quos humor vitioſus tranſmiſſus, ut ille diſcutiatur, & membra corroborentur, dirigenda eſt, non neglectis illis, quæ inteſtinorum tonum reſtituunt, & alvum lubricant. Cum ante aliquot annos in juvene gonorrhoea laborante, ab improvido tincturæ antiphthiſicæ Grammani, quæ pro baſi ſaccharum ſaturni recipit, uſu, contumaciſſimam alvi adſtrictionem cum pareſi utriuſque manus conjunctam obſervarem; oleum amygdalarum dulcium recens cum juſculo avenaceo, additis aliquot guttulis olei cymini deſtillati, crebrius uſurpavi, non omiſſis potionibus mannatis, cum eodem oleo permixtis, quæ tamen non ante apertionem alvi per clyſterem emollientem, & oleoſum aſſumtæ fuerunt. Alvo liberiori reddita, uſurpata quoque ſunt ſudorifera, ut Sp. c. c. cum Eſſ. Succini & Sp. nitri d. Adhibebam porro balnea ex ſemine lini, & herbis emollientibus & balſamo noſtro vitæ, nec non eſſentia galbani ſaturata, manus, reſolutæ inunctæ, naturale ſuum robur receperunt. Et cum à vinis auſteris, rubicundis, & per additionem lythargirii malitioſe adulteratis, idem morbus, eademque ſymptomata in Germania, & in provinciis, ubi vinorum eſt proventus, admodum ſint familiaria; non aliis, quam modo laudatis remediis illum ipſum curatum fuiſſe a fide dignis medicis, nobis relatum eſt.

### OBSERVATIO IV.

*Hemiplexia menſium fluxum terrore ſubito cohibitum excipiens.*

Fœmina triginta annorum, exilioris ſtaturæ, vaſis capacioribus prædita & ob nimiam, qua pollet, ſanguinis abundantiam, à quatuor jam annis hyſtericis pathematibus cum vehementi capitis dolore, ac violentis vomitionibus tanta ferocitate fuit cruciata, ut ſæpius, maxime poſt iram vel terrorem ſuffocativis ac apoplecticis corriperetur invaſionibus. Anno elapſo, vigeſima poſt puerperium hebdomade, menſes more ſolito, licet ipſa infanti præberet ubera, fluere cœperunt: qui, cum accedente gravi terrore, protinus ſupprimerentur, paucis poſt diebus, prævia ſpaſmodica artuum lancinatione, incidit in dextri lateris hemiplexiam, oris rigore ſtipatam. Hanc tranſactis aliquot diebus, febris quædam intermittens excipiebat, à meridie ſingulis diebus invadens, & per tres durans hebdomades: ſub qua tandem in dextro pede alba, in ſiniſtro rubra efflorefcebat purpura. Qua per uſum quorundam remediorum deſiccata, redibat quidem aliqualis movendi potentia: at loquela adhuc erat impeditior, & magna lateris reſoluti, maximeque manus reſtabat imbecillitas. Confugiebat ergo ad fontem Lauchſtadienſem; quem cum per quatuordecim dies in balneis adhiberet, eruperunt adhuc maculæ ſcorbuticæ, & ſanitas majora ſenſim cepit incrementa. Ego, cum meum expeteret conſilium, ſuaſi ut fontem ſelteranum tribus horis ante balneum ad menſuram unam biberet, & quatuordecim dies curæ adhuc inſiſteret; quo factum eſt ut præſentiſſimum levamen atque augmentum in partibus imbecillibus roboris experta fuerit.

*Epicriſis.*

1) Non opportuniora affectibus apoplecticis & paralyticis ſunt ſubjecta, quam plethorica, & ſimul hyſterica: & certiſſime illos incurrunt, ſi excretiones ſanguineæ, ſuperveniente, dum fluunt, gravi terrore, ſubito ſiſtantur. Idem in præſenti contigit ægrotante, quam valde fuiſſe plethoricam, vel hæmoptyſis iteratis ſponte revertens vicibus teſtatur. Adhuc ſanguinem ipſi fuiſſe impurum & ſcorbuticum: docent & purpuratæ in uno pede rubræ, in altero albæ, & ſcorbuticæ efflorefcentiæ; quibus ad cutaneum corticem pulſis, levari plerumque ſolet malum. Quare etiam recte hic morbus paralyſis hyſterico-ſcorbutica appellari poteſt.

2) In cura hujus ægrotantis mulieris plethoricæ & hyſtericæ in eo peccatum fuit, quod non tempeſtive ſatis per ſectionem venæ detractus fuerit ſanguis. Ita forſan ſtatim paralytica affectio

affectio vel arceri vel tolli potuiſſet; atque in eo conſentientem habeo RAYGERUM clariſſimum Hungariæ medicum, qui *obſ. X.* ſcribit; paralyſis & hemiplexia in fœminis ſæpe unica venæ ſectione in brachio tolli poteſt.

3) Vix unquam paralyticum affectum, cum primis recentiorem vidi, quin febricula quadam intermittenti ſimili fuerit ſtipatus. Sed nulli prorſus ſolatio hæc febris eſt: quamvis enim nulla paralyſis ſine febre curetur; uti monet etiam Clariſſimus BOERHAAVE *Pr. Med. P. V. p.* 15. id tamen de artificiali intelligendum eſſe febre, jam ſub Pathologicis ultima theſi adnotavimus.

4) De balneis Lauchſtadienſibus, quæ valde adſtrictivæ ſunt indolis, notari meretur, quod in paralyticis affectibus vel ab initio, ubi adhuc mobilis, nec nimis impacta eſt materia, vel ſub finem, ubi non niſi languor quidam nervoſi generis reſtat, cum fructu poſſint adhiberi. In malo confirmato magis è re ſunt aquæ Aquiſgranenſes, quæ intimius ſtagnantem materiam penetrant, & reſolvunt.

5) Lauchſtadienſium fontium pro balneo inſigniſſimum uſum atque utilitatem ego primus ante triginta annos inveni atque detexi, & peculiarem de iis conſcripſi diſſertationem, & bona fide teſtari poſſum, quod convenienti & circumſpecta obſervatione ſi uſurpentur, ad imbecillia corporis membra roboranda, vix ſui ſimiles habeant, adeo ut etiam in eo certis in caſibus Tœplicenſium balneorum virtutem exſuperent. Horum operatio fit per febrem artificialem. Nam ſub ipſo balneo valde tepido ſubtiliores martiales moleculæ ſubcutaneis fibris & poris ſe paullo altius inſinuando ſtricturam cutis efficiunt, & eo ipſo humorum curſum ad interiora urgendo ſub celeritate & magnitudine pulſuum & auctior calor & major tranſpiratio ſequitur, cujus beneficio vitioſi morbifici humores ex partibus exterioribus diſcutiuntur, & impuri ſalſi ad habitum corporis protruduntur.

## Observatio V.

*Paralyſis dextri lateris ſanata, & ex terrore reverſa.*

Vir annorum viginti novem, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus ſpongioſi, potui fabarum Caffée nimium addictus, nec venam ſibi unquam ſecari paſſus, per biennium, ex quo matrimonium iniit, male habere, ac de ſpaſmodicis paſſionibus, moleſtaque alvi obſtructione conqueri cœpit. Quibus conſulturus in manus Pharmacopæi incidit, qui datis medicaminibus id effecit, ut abdomen tympani inſtar intumuerit, & forſan ipſa acceſſerit tympanitis, niſi medela fuiſſet lata. Brevi poſt rus aliquando petiit, moxque ab itinere intravit conclave valde calefactum; cujus impatiens, apertæ feneſtræ adſedit, cervicemque aëris frigidioris flatui expoſuit; tum vehementi corpus commovit exercitio, & demum ſub veſpertino ac nebuloſo domum reverſus cœlo, loquelæ ſubito amiſit facultatem. Quam, ſumto calidiori decocto fabarum Coffée recuperavit quidem, noctemque placido tranſegit ſomno; ſed expergefactus nec loqui, nec dextri lateris artus movere potuit. Tuſa protinus in brachio ſiniſtro vena, adhibitiſque nervinis, diaphoreticis, pediluviis ac frictionibus utraque evaneſcebat moleſtia, ſed memoriæ quædam remanebat imbecillitas. Verum paucis poſt hebdomadibus vehementi percellebatur terrore & abhinc protinus aphonia, & dextri lateris paralyſi iterum prehendebatur. Secabatur in ſiniſtro brachio vena, adhibebantur diaphoretica, laxantia, nervina in & externa, balſamica & id genus alia; ſed malo nullum accedebat levamen. Lingua enim, utut ſatis commode moveri queat, articulatum non valet edere ſermonem; nec brachium ullo modo moveri poteſt. Conſultus ego ſuaſi, ut veſicans emplaſtrum utrique ſurarum imponeretur; decoctum ex Ligno ſaſſafras, cinnamomo & paſſulis, loco cereviſiæ potaretur; paſſulæ rhabarbarinæ laxandi ſcopo per vices ſumerentur; pulvis ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, ſuccino, nitro, cinnabari, ſale abſynthii, radice aaronis & cardamomo bis quotidie caperetur, & denique balnea Lauchſtadienſia in uſum vocarentur.

### *Epicriſis.*

1) Potus Coffè abuſus ſicut variis morbis januam pandit: ita ad nervorum morbos corpori affricat quandam diſpoſitionem. Fabæ enim hæ Turcicæ principio expanſivo & vaporoſo pollent; quo humores commovendi, ſolidaſque & nervoſas partes relaxandi, poſſident facultatem. Hinc occurrit quotidie, quod id decoctum paullo ſaturatius & largius bibentes de orgaſmo ſanguinis, & tremore manuum conquerantur: quare etiam excell. BOERHAAVE *Pr. med. L. V. pag.* 12. *abuſus, inquit, nimius Thee & Coffe paralyſin induxit, nervis flaccidis redditis nec amplius contineri poſſibilibus.*

2) Paralyſis in præſenti caſu debetur cohibitæ per ſubitam aëris mutationem tranſpirationi; unde humores retroacti, circa medullæ dextri potiſſimum lateris principium, & nervos ſermoni dicatos ſtagnarunt. Et in tali caſu ſi non fiat cunctatio admodum noxia, ſed mox accerſatur medicus, vena ſecetur, congruiſque medicaminibus regularis humorum circuitus promoveatur; facile ſuperatur morbus, qui his neglectis aut tardius admiſſis ſubſidiis, chronicus evadit.

3) Hoc notari debet, apoplecticos & paralyticos motus facile reſuſcitari. Nam, utut ſanata videatur paralyſis, relinquit tamen aliqualem partium affectarum imbecillitatem; qua præſente terror, ira, & quicquid vehementes ſpaſmos producendi facultate pollet, quam facile ad eadem loca humorum motum compellit; ut ibi ſtaſin concipiant ſenſum & motum tollendo; ubi tamen ſciendum, quod quo frequentius revertantur ejuſmodi affectus, eo intricatiorem & difficiliorem admittant curationem, quæ non modo interna, ſed & externa efficaciſſima remedia poſtulat, adeo ut ſine balneis & linimentis ſpirituoſis diuturnior affectus non leniri, multo minus expugnari poſſit.

## Observatio VI.

*Hemiplexia dextri lateris.*

Verbi divini miniſter, quadraginta ſeptem annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, habitus corporis ſpongioſi, vitæ ſedentariæ, & lucubrationibus valde deditus, adpetitu integro, ac ſanitate illibata, ſub venæ ſectione bis quovis anno celebrata gaviſus, nec ad animi affectus, niſi nimiam venerem pronus, per noviſſimos aliquot annos in valde calefactis, æſtivo etiam tempore conclavibus commorari, largiſque perpetuo ſudoribus madere ſuevit. Qui cum per proximum remitterent biennium; de tenſivis ac ſpaſmodicis artuum doloribus; ſenſu quodam frigoris in vertice & cervice percepti; nec non

de

de pedibus gelidis, licet attactu calidi eſſent, cœpit conqueri. Senſim magno carnium faſtidio capiebatur, ceſſantibuſque demum doloribus, inſigni totius corporis languore vexabatur, adeo, ut vix incedere potuerit, & inde ſibi mortem ominaretur: deinde lenis mentis alienatio, quia continuo loquebatur, aderat. Mittebatur aliquando è vena in pede inciſa cruor ſatis larga quantitate, & ecce brevi poſt circa veſperam lingua ſubito reſolvebatur, & vera accedebat dextri lateris hemiplexia. Nam artus ſenſu motuque carebant; dexter oculus videndi, dextra naris olfaciendi & auris dextra audiendi potentia deſtituebatur; memoria labefactata erat; nec bene maſticare & deglutire poterat; corpuſque largo & perpetuo per aliquot hebdomades diffluebat ſudore. Fruſtra uſurpatis veſicatoriis, antiſpaſmodicis, & balſamicis, adibat tandem Lauchſtadienſes fontes: ad quos ipſum balbutiente lingua, memoria debili, lateris dextri reſolutione, & pulſu in dicto latere vix notabili præditum deprehendi. Juſſi igitur, ut mane in balneum deſcenderet, veſperi pediluviis uteretur, atque elixir balſamicum ſub epulis, veſperi pulverem antiſpaſmodicum ſumeret; externe vero nucham & dorſi ſpinam linteis calidis, ſpiritu florum chamomillæ Romanæ imbutis perfricandam curaret. Balnea ingreſſus, large ſudabat, dolores dextri brachii perſentiſcebat, & frigoris ſenſum percipiebat; at lecto impoſitus, iterum incaleſcebat. Et continuata ſic per menſem curatione melius habebat; movendique pariter ac loquendi potentiam, relicta imbecillitate atque torpore recuperabat. Commendavi ad plenariam reſtitutionem victum cum abſtinentia exſiccantem, cujus auſpicatiſſimum effectum ego in ejuſmodi morbis aliquoties vidi.

*Epicriſis.*

Multa in hoc caſu continentur momenta, ad uſum practicum accommodatiſſima. Siſtit ille veram hemiplexiam, in qua non modo alterutrius lateris artus movendi ſentiendique facultate carere, ſed & lingua balbutire, alterque oculorum, narium, & aurium lædi, memoriaque ſolet labefactari. Porro deglutitio læſa eſt, ut potuum præſertim aſſumtionem ſuffocativa ſequatur moleſtia, & ægri aſſumta ſæpius ſanum verſus flectere debeant latus; teſtante exemplo CONSULT. MED. *Part. I. Caſ. XX.* allegato. Non minus interna quoque viſcera quandam labem contrahunt; unde haud raro obſervavi, hepar in paralyſi defunctis inſignem retuliſſe magnitudinem, ut notavi *cit. I. caſu XXII. p. 116.* Pulſus in affecto latere tam debilis eſt, ut digitis vix queat percipi, claro teſtimonio, imminutam eſſe arteriarum vim ſyſtalticam. Tali ratione differt hemiplexia perfecta à paralyſi lateris alterutrius; in hac enim motus voluntarii, vel ad ſummum ſimul ſenſus abolentur; integra manente facie, ejuſque partibus illæſis. Hinc patet, in hemiplexia vera cauſſam ſimul in crebro hærere, quæ in paralyſi non niſi ſpinalem afficere videtur medullam.

2) Cauſſa præſentis hemiplexiæ non niſi ſudorum conſuetorum ceſſationi debetur; quæ in corpore per vitam otioſam, multas lucubrationes, nimiamque venerem debilitato facilius pernitialem exſerere potuit effectum, quam in robuſtiori. Eam ob cauſſam curatio per balnea Lauchſtadienſia felicem utique obtinere debuit finem; cum ſic revocatis ſudoribus ſubtracta fuit materia nervos comprimens. Præterea vero ſolitus ſum in ejuſmodi caſibus Elixir meum viſcerale propinare, eo quod ventriculus plerumque ſimul labefactatus eſſe ſolet.

Observatio VII.

*Paralyſis ab imminuto hæmorrhoidum fluxu.*

Illuſtriſſima quædam comes, quinquaginta annos emenſa, ſucci plena, plethorica & cacochymica, per viginti jam annos fluxum hæmorrhoidalem, ſtato tempore promanantem cum levamine paſſa, nec non fonticulum per duodecim annos in brachio gerens, ab itinere aliquando ad familiares facto, domum redux, male cœpit habere, & nihilo minus inter lautam diætam corpore pingueſcere. Quo in rerum ſtatu hæmorrhoides parcius fluxerunt, & fonticulus ſerum fundere prorſus deſiit; unde habuit illuſtriſſima, ut de inſigni corporis languore conquereretur. Tandem cruor media hieme per venas ſedales erumpere conatus, parciſſime ſtillavit; poſtridie alvum egerendi ſtimulum ſentiens, & ad locum ſecretiorem tendens, in medio conclavi tanto prehendebatur pedum torpore, ut protinus in terram concideret, & ſiniſtri lateris paralyſi, cum oris tortura, linguæque balbutie ſtipata corriperetur. Vena protinus ſecabatur, veſicatoria manibus admovebantur, & omnis generis remedia in & externa uſurpabantur; ſed in caſſum. Movendi artus ſiniſtri lateris impotentia manebat eadem; attamen eoſdem dolor quidam per vices occupabat, maxilla ſiniſtri lateris motu carebat, in dextro ſolum maſticandi erant cibi, atque memoria paullulum videbatur læſa, cum febrili commotione, omni veſpera accedente. Alvus inſuper magis compreſſa erat, urinaque ferebatur difficilius. Conſultus ſuaſi, ut vena in pede tunderetur, dorſi ſpina linimento ex axungiæ humanæ uncia una, olei nuciſtæ drachmis binis, roriſmarini, lavendulæ, majoranæ & rutæ, ſingulorum drachma una confecto inungeretur, probeque fricaretur; pro potu decoctum ex radice ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ, ligno ſaſſafras, lentiſci, ſantalo citrino, paſſuliſque paratum adhiberet; ter quavis hebdomade laxantem pulverem ex rhabarbaro, terra foliata tartari, nitro, & oleo deſtillato macis ſumeret, & mane lactis ſerum dulce potaret. Adhæc pediluvia cum herbis nervinis roriſmarini, majoranæ, ſalviæ, abrotani, floribus chamæmeli, thymi & herba rutæ commendavi; utque ea egreſſa lecto ſe daret, paullulumque ſudaret; ac denique ſub epulis quinque balſami mei vitæ ſumeret guttulas, ſuaſi. Hinc percepi, paralyſin maximam partem remiſiſſe, & per anum lividi ſeri permultum cum levamine ſeceſſiſſe.

*Epicriſis.*

Quum excretiones tam naturales quam extraordinariæ & conſuetæ ſuppreſſæ vel impeditæ præcipuam gravium & difficilium morborum cauſſam conſtituant, tum quam maxime id in paralyticis & aliis capitis & nervorum affectibus obſervatur. De quo etiam præſens morbi hiſtoria teſtatur. Una illius cauſſa eſt fonticuli exſiccatio; qua factum eſt, ut ſerum copioſius in corpus retrocederet, & tandem ad medullæ ſpinalis crus ſiniſtrum decumberet. Altera, majoris ponderis, debetur imminuto hæmorrhoidum fluori; unde ſanguis in tam plethorico corpore retentus, & ſuperiora verſus congeſtus, ſeroſam demum dimiſit portionem. Cui quidem eventui occaſionalem cauſſam dedit hiemalis tempeſtas, quæ ob impeditiorem ſub ea tranſpirationem, mirum quantum

his producendis favet morbis. Et præſervari hunc inſultum paralyticum potuiſſe, extra dubium eſt poſitum; ſi eo, quo illuſtriſſima comes ex itinere reverſa, corporeque obeſior facta fuit, tempore, vena tuſa, aut ano admotæ fuiſſent hirudines. Quibus omiſſis, omnis utique curandi cardo in eo conſtitit, ut hæmorrhoidalis revocaretur excretio: quam licet obtinere non licuerit; attamen ſatis fuit, ſeri lividi magnam per anum effluxiſſe copiam. Quum enim acceſſit demum ſudoris per blanda pediluvia provocatio, & hinc facta ſeri vitioſi evacuatio, auſpicatus omnino, malo exiſtente recentiori, evenire debuit eventus.

### Observatio VIII.

*Paralyſis dextri lateris in ſeptuagenario.*

Vir ſeptuagenario major, macilentus, vaſiſque capacioribus præditus, conſtitutionis ſanguineo-melancholicæ, in juventute ex vita ſedentaria, multiſque lucubrationibus contraxerat ſibi melancholiam hypochondriacam, ſed per congrua adminicula, maximeque motum corporis illam debellaverat. Ab hinc ſub venæ ſectione, bis quotannis repetita, & frequenti corporis exercitio, quo alvum lubricam ſervari dixit, integram ad ſenectutem uſque conſervavit valetudinem. Per noviſſimum vero biennium omni mane large ſudare ſolitus fuit; & quum pronuper menſe Aprili rus petiiſſet; imminutis hinc ſudoribus, de colicis inteſtinorum doloribus, & alvi conqueſtus eſt obſtructione. Brevi poſt prævia corporis laſſitudine, dextri lateris paralyſi corripiebatur, lingua dextraque maxilla intumeſcebat, ſiniſtra extenuabatur, os torquebatur, loquela erat impeditior, movendique manum & pedem dextri lateris potentia evaneſcebat. Vocatus ego mox ſanguinem è vena in pede tuſa large detrahendum, clyſterem adplicandum, vitæque noſtrum balſamum inungendum curavi; interne vero liquorem anodynum, cum balſamo vitæ remixtum propinavi. Factum eſt inde, ut melius haberet, & loquendi, ambulandi, ſcribendique facultatem, utut languidiorem recuperaret; ſudores etiam largi per noctes rurſus erumpebant, & ſomnus adpetituſque ſibi conſtabant: ſed alvus non niſi alternis reſpondebat diebus, & æger in dextro pede perpetuum ſentiebat frigus; quo etiam in toto corpore perfunditur, ſimul ac liberiori ſe tradiderit aëri.

*Epicriſis.*

1) Quanta mala ex ſuppreſſione excretionum conſuetarum, ſive fuerint ſanguineæ, ſive ſeroſæ propullulent, vel præſens caſus optime docet. Obvia enim in illo paralyſis non niſi ſudorum imminuto proventui debetur: unde accumulati in corpore, præſertim ſenili, humores ſeroſi diſtenderunt vaſa, medullæ ſpinalis principium ambientia, & per illorum porulos omnino tranſſudaſſe videntur. Quemadmodum vero ortum à prohibita tranſpiratione traxit morbus; ita non alia exſtirpari poteſt ratione, quam per abundantis ſeri imminutionem, ac ad habitum corporis revocationem. Prius obtinuimus venæ ſectione, quippe qua una cum ſanguine ſeroſus latex ſubtrahitur: & dum ope liquoris anodyni ſtricturæ cutis relaxatæ fuerunt, rediit etiam conſueta ſudatio, cumque hac multum vehementiæ morbi ſubtractum eſt.

2) Circa paralyticorum ſudores adhuc ſcire licet, quod in affecto latere plerumque copioſiores erumpere ſoleant. Quum enim humorum vegeta circulatio in eo latere valde langueat, ſanguiſque tarde moveatur: fit inde, ut ſeroſus latex ſub lento progreſſu à ſanguine ſecedat, & per laxatos tubulos largius exhalet. Hinc etiam obſervamus, in artubus reſolutis exanthemata, ſcabiem, purpuram &c. longe majori copia effloreſcere, quam in ſanis.

3) Membra paralyſi reſoluta ordinario frigida ſunt. Quemadmodum enim corporis noſtri calor à motu ſanguinis vegetiori & rapidiori proficiſcitur: ita quo hic magis languet, eo majus percipitur frigus. Quum igitur in partibus paralyticis languidior ſit humorum circulatio: facile patet, cur illæ attactu ſint frigidæ, curque intumeſcere ſoleant; quia nimirum irruptioni humorum ſeroſorum, nulla eſt reſiſtentia.

### Observatio IX.

*Paralyſis artuum inferiorum poſt partum.*

Fœmina, viginti duos annos nata, procera, poſt enixum partum lochiis bene perfuncta, abſolutoque puerperio è lecto ſurgens conqueri cœpit de gravi ventris dolore, ad lumbos diffuſo, & cum motus imbecillitate ſtipato; qui affectus adeo ſenſim invaluit, ut binis abhinc menſibus non ſolum non ingredi, ſed nec pedibus abſque fulcimento inſiſtere poſſet. Quin imo tanto torpore manus etiam affectæ ſunt, ut nec pondus aliquod attollere, nec ipſas facile contrahere vel explicare valuerit, incolumi tamen manente ſenſu. His demum accedebat motus quidam convulſivus, & rigor partium infernarum; nec non ſenſus conſtrictionis in abdomine, ad lumbos uſque protenſus. Alvum non niſi ſollicitatam dejiciebat, & rarius difficulterque urinam reddebat, lunare tributum, ſtato quidem tempore, ſed parcius ſolvebat; ſomno exiſtente longiori. Adhibitis varii generis medicaminibus, fontem Lauchſtadienſem uſurpavit, ſimulque meo ſuaſu ſpinam dorſi ſpiritu ex floribus chamomillæ Romanæ deſtillato inungi curavit: unde ſenſim majorem movendi recuperavit potentiam.

*Epicriſis.*

1) Cauſſa præſentis mali abſque omni dubio hæret in ea medullæ ſpinalis parte, quæ intra lumborum & oſſis ſacri vertebras continetur: & vero videtur ſimillimum, uterum a partu non rite fuiſſe expurgatum; unde reſtantes ſordes per metaſtaſin ad lumbaris regionis medullam decubuerunt, eamque comprimendo impedierunt, quo minus fluidum nerveum in partes, quæ à dicta medullæ portione ſuos nervos adipiſcuntur, ſufficienti influere potuerit quantitate.

2) Quum parcior effluxus fluidi nervei ex inferiori ſpinæ medulla fuit; ille omnino in aliis partibus largior ac copioſior eſſe debuit. Hinc patet ratio, cur ægrotans noſtra in partibus integris convulſivos motus, & in abdomine conſtrictionis ſenſum fuerit paſſa. Notabilis hanc in rem eſt obſervatio, quam A. N. C. *vol.* 11. *obſ.* 102. allegant, ubi miles quidam paralyſi abdominis & partium inferiorum affectus, infra coſtas ſpurias conſtrictionem percepit, abdomen chordæ inſtar ambientem: poſt mortem diſſecta ſpina, ejus medulla intra primam lumborum vertebram ſita, labe caruit, niſi quod ſuccis turgidior paullo fuerit: ea vero, quam ſequentes incluſerunt vertebræ, tota flaccida & exſucca adparuit. Et hinc clariſſimus SALTZMANNUS, dictæ obſervationis auctor rectiſſime concludit, conſtrictionem illam proveniſſe à ſucco nervoſo copioſius quam

par

par eſt, in nervos è prima lumborum vertebra prodeuntes influente.

3) In hac partium infernarum paralyſi & mictionis & alvi vel involuntarius fluxus vel pertinaciſſima retentio obſervari ſolet. Utrumque vitium à relaxatione veſicæ aut inteſtinorum provenire; contradictorium videtur, ſed non eſt. Involuntariam harum ſordium excretionem deberi partium relaxationi, nemo dubitaverit: at quomodo illius ſuppreſſio ex relaxatione provenire queat, multis videbitur dubium. Neque vero opus eſt, ut explicando huic phænomeno diutius immoremur; quippe quod in CONSULT. MED. *Tom. II. Sect. IV. caſu* 138. fuſius demonſtravimus. Res eo redit; omnes canales membranacei totius noſtri corporis pollent motu conſtrictorio & dilatatorio; ad excretiones vero juſtum partium robur requiritur; quo ſub paralyſi ceſſante, vel non fiunt excretiones, vel contra voluntatem contingunt.

### Observatio X.

*Inſultus hemiplecticus brevi ſanatus.*

Matrona honeſta, ſexaginta ſex annorum, robuſta, bis quotannis venam tundendam præbere ſolita, à teneris ferme integra valetudine eſt gaviſa. Anno noviſſimo neglexerat ſuetam venæ ſectionem & hiemali tempore concionem in templo audiebat: hinc per aliquot dies de vertigine, refrigeratione & languore corporis conqueſta, levem quoque mentis alienationem paſſa, ex improviſo omni ſenſuum ac rationis uſu privata, incidit in hemiplexiam, ſub qua dextrum capitis latus convellebatur, ſiniſtrum erat reſolutum, & ægra jacebat inſenſibilis. Vocatus multum ſanguinis è vena jubeo detrahi, infundendoſque curo clyſteres: ſed quum ſpes vota falleret, præſcribo mixturam ex aquæ liliorum convallium, meliſſæ, florum tiliæ, cardui benedicti ana unciis tribus, mixturæ ſimplicis guttis quadraginta, aceti deſtillati uncia una, lapidum cancrorum drachma una cum dimidia, cinnabaris ſcrupulo uno, tartari emetici granis duobus, julepique roſarum uncia dimidia parandam. Hujus bina cochlearia poſtquam binis ſumſerat horis; remittebat convulſio, redibat rationis uſus, & ægra intra horas viginti quatuor perfectiſſime convaleſcebat.

*Epicriſis.*

Sicut naturalium excretionum ſuppreſſio; ita artificialium neglectus ad varios morbos, ipſamque nervorum reſolutionem, præſertim in ſenili ætate contribuit. Hemiplectici enim inſultus, quem matrona honeſta toleravit, non aliam invenire poſſumus cauſſam, quam ſtagnationem ſanguinis, per neglectam venæ ſectionem accumulati & per frigus verſus caput commoti. Refellitur ſimul inde vulgi valde noxium præjudicium, quo ſenibus non debere ſanguinem mitti perhibent: non enim ulli ætati tanta noxa ex omiſſis ſanguinis miſſionibus imminet, quam quidem ſenili, propterea, quod vis & elater partium ſolidarum in ea ſenſim langueſcere incipiat, nec ſatis valeat humorum impulſui reſiſtere. Hanc ob cauſſam eo quoque in præſenti curatione reſpeximus, ut primum ſanguinis deplèretur abundantia per venæ ſectionem. Et quando ab hac ægri ad ſenſuum & rationis uſum nondum redeunt; multo cum fructu exhibere ſolitus ſum deſcriptam mixturam, quam tartarus emeticus ingreditur, non eo fine, ut vomitum excitare conſilium fuerit, ſed ut torpidæ & languentes partes nervoſæ ſubtiliſſima ſtibii acrimonia vellicatæ, ad motum & ſenſum recipiendum ſtimulentur. Nam in medicamentis antimonialibus, quæ paulo majori doſi emeſin excitant, ſi refracta doſi a perito medico uſurpantur, plane ſingularis & incomparabilis ad difficiles & chronicas paſſiones expugnandas virtus deprehenditur, eo quod glandulas & nervoſas partes irritando, lympham ſtagnantem & corruptam diſcutiunt, & humores craſſos viſcidos attenuant, & fluidos reddunt.

Ad præcavendam recidivam & ſyſtema nervorum corroborandum præter ſollicitam corporis & extremarum potiſſimum partium a frigore & ventis frigidis præcautionem, conſervam florum anthos & florum meliſſæ turcicæ, item elæoſacharum olei macis & olei meliſſæ veri, interdum quoque aliquot guttulas balſami noſtri vitæ in decocto ſuccoladæ vel Coffee vel etiam ſpiritum oleoſum ſalis ammoniaci pro lubitu aſſumenda commendavi.

### Observatio XI.

*Inſultus apoplectici in corpore podagra, purpuraque vexato.*

Vir quidam, eccleſiaſtico præfectus muneri, ſexaginta annorum, temperamenti ſanguinei, habituſque ſucci pleni, ad quadrageſimum uſque annum integra ſanitate gaviſus; poſtea vero nephriticis affectibus infeſtatus, ab his ope Amaſiani fontis liberatus eſt. Deinceps ad aulicum promotus officium, ad vitæ genus ſolito magis lautum, diætamque vinoſam pervenit, vinis potiſſimum rubicundis utens, & valde frigidum adeptus eſt habitaculum. Sex abhinc annis podagra chiragraque, cum ſpirandi perpetua difficultate & tuſſi ſtipata corripiebatur; quæ mala ſæpius repetebant, & tandem erumpente poſt uſurpata antiſcorbutica purpura, inſigniter remittebant. Ante biennium menſe Novembri ex improviſo apoplexia leviori infeſtatus, ſenſuumque & rationis uſu privatus concidit; ſed tuſa vena, adhibitoque ſpiritu cornu cervi ſuccinato, tinctura antimonii acri & eſſentia caſtorei, ad valetudinem rediit utique, cum & podagra & purpura recrudeſcerent. Sequenti tempore multa tulit adverſa, ideoque perpetuis confectus mœroribus, magis magiſque ſuum debilitavit corpus; quin memoriæ quandam ſenſit imbecillitatem. Tandem accidit, ut prævio pulſationis circa aures ſenſu, caput ſubito dextrorſum convelleretur, & æger paullo poſt ſenſu, motu, ac rationis uſu deſtitutus, inſtar apoplectici proſterneretur. Ad ſe rediens, cruoris quidpiam naribus reddidit, adhibitiſque venæ ſectione & frictionibus, rationis integritatem recuperavit; ſed tumorem dextri oculi inflammatorium retinuit, qui cum malorum reliquiis tertio demum poſt die, revertente podagra, penitus evanuit. Quum vero pulſatilis pone aures dolor continuaret, metumque reverſuri mali injiceret: præter cucurbitulas cum & ſine ſcarificatione juxta aures adpoſitas, quatuor circiter è brachio mittebantur ſanguinis unciæ. Nihilo minus vires mirum in modum proſtratæ manebant; unde meum ad avertendam recidivam implorabatur auxilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

Primarius, quocum hic æger conflictatur, morbus eſt apoplexia, quam diximus ſpaſmodicam; quæ humorum ſtagnationi in baſi cerebri ſuam debet originem: hanc enim vel ſolus pulſationis circa aures ſenſus ſignificat. Neque mirum

eſt, ægrum tanto corripi morbo: quum enim natura temperamento pollet ſanguineo, ad ſanguinis juſto majorem generationem aptiſſimo, & præter conſuetudinem in opiparum vinoſumque devenit victum; præter modum omnino ſucci debuerunt accumulari. Quare etiam experientia teſte plurimi ex nimia ingluvie & comeſſationibus, in paralyticos morbos incidunt. Deinde vina rubicunda, quia ut plurimum ſunt auſtera & adſtringentia, ad affectus nervorum inque primis paralyticos gignendos multum conferunt, & ob hanc cauſſam etiam Moraviæ incolis paralyſin endemium morbum eſſe Jordanus prodidit. Cavere quoque ſibi quam maxime debent ab ejuſmodi auſteris vinis podagrici, præſertim in ſenili ætate conſtituti. Nam ex remanente hac critica excretione graviſſimæ oriantur afflictiones neceſſe eſt. Accedit habitaculum frigidum; in quo ſalutaris tranſpiratio vehementer ſolet imminui. Hinc factum eſt, ut ſordes in ſanguine ſuborirentur ſalinæ, acres, tartareæ; quæ corpus ægri ad ſcorbuticam conſtitutionem, podagram & purpuram diſpoſuerunt. Quo in rerum ſtatu, junctis inſuper mœroribus, meditationibus & vita ſedentaria, accrevit nervoſi generis debilitas; cujus ratione & purpuraceæ & podagricæ materiæ vegeta ad corporis ſuperficiem expulſio imminui cœpit. Unde abundantes pariter ac impuri ſucci ad caput fuere compulſi, ibidemque ſtagnantes, apoplecticum produxerunt inſultum; qui, vocato mox medico, miſſoque protinus ſanguine, bis feliciter ſuperatus fuit.

2) Cum ego vocarer in auxilium; nihil prius tentandum duxi, quam donec vires fuerint refocillatæ. Hunc in finem præſcripſi potionem analepticam ex aqua meliſſæ, florum acaciæ, liliorum convallium, tiliæ, roſarum ana unciis binis, cinnamomi ſine vino uncia una, matris perlarum drachma una, ſpiritus nitri dulcis guttis triginta, ſyrupi acetoſitatis citri drachmis binis confectam, eamque ad duo vel tria cochlearia ſæpius ſumendam ſuaſi. Veſperi pulverem ex lapidum cancrorum, pulveris Marchionis ana drachmis duabus, ſuccini, nitri drachma dimidia, cinnabaris præparatæ granis duodecim, caſtorei granis ſex compoſitum, & ad drachmæ pondus capiendum ordinavi. Juſcula medicata mane ſorbillari juſſi: alvumque obſtructam clyſteribus aperiendam curavi. Sic collectis viribus, ſuaſi, ut ad corrigendam ſanguinis impuritatem pro potu ordinario decoctum radicis chinæ & cichorii cum paſſulis biberet, à cœna abſtineret, & victu attenuante ac leniter exſiccante & roborante uteretur. Cæterum non poſſum non hoc loco referre, me hemiplexiam à nimia ingluvie & deſidia in corporibus maxime mollioribus ac ſpongioſis pinguiuſculis enatam diæta emaciante *Hunger-Cur*, & lignorum decocto, methodo, quam optime deſcripſit VALLERIOLA *in obſ. l. I. obſ. III. p.* 23. feliciter curaſſe. Vitentur carnes bubulæ, porcinæ, hædinæ, lactaria, legumina omnia & fructus, ſomnus meridianus, ſed exercitium in rheda eſt utiliſſimum.

### Observatio XII.

*De præſervandis apoplexiæ inſultibus.* Comes quidam illuſtriſſimus, annorum ſexaginta, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, iter aliquando per fluvium Danubium in navi ſub aëre humido, nebuloſo & valde pluvioſo per tres continuos dies faciens, incidit ex improviſo in dextri lateris hemiplexiam; ſub qua manus pedesque dicti lateris immobiles, linguaque gravis & balbutiens evadebat, & æger delirabat. Inciſa protinus vena, redibat valetudo, & vir illuſtriſſimus intra viginti ſex horarum ſpatium perfecte convaleſcebat. Abhinc diæta & ſex rebus non naturalibus optime fungebatur; humidam frigidamque tempeſtatem, tanquam ipſi noxiam fugiebat, & quotannis ſemel venam tundendam præbebat. Quo in ſtatu ſatis equidem ſanus vivebat; at quum per intervalla manuum ſtuporem, cum dolore & ſenſu formicationis ſentiret; metuens recurſum gravioris mali, meum petebat pro eo præcavendo conſilium. Ego, quum noſcerem, ægrum illuſtrem multis mentis laboribus fatigari, fluorique hæmorrhoidali obnoxium eſſe, ſuaſi, ut bis quotannis circa æquinoctia venam in pede ſecandam curaret, motui corporis plus, lucubrationibus minus indulgeret, ab imo præſertim ventre & dorſo frigus humidum arceret, & pro potu fontem Selteranum, quarta vini Rhenani parte remixtum, interpoſito nonnunquam vini Hungarici hauſtu, adhiberet. Ex pharmacis tria commendavi, pulverem nempe nervinum ex matris perlarum, pulveris Marchionis, ſuccini præparati ana drachmis binis, cinnabaris ſcrupulo uno, ambræ gryſeæ granis duodecim & olei macis cinnamomique ana guttis tribus confectum, inque decem partes diviſum, quarum unam alternis diebus ex aqua frigida ſumeret. Ad ventriculum roborandum exhibui Elixir viſcerale, ſeptuaginta guttis inter epulas capiendum; & vitæ balſamum noſtrum, ad inungendas manus & cervicem propoſui.

*Epicriſis.*

Illuſtriſſimus de quo ſermo eſt æger vi temperamenti, quo pollet phlegmatico ſanguinei, ad languidiorem ſolidarum partium motum proclivis eſt; &, accedentibus quamplurimis mentis laboribus ac fatigationibus, inſignem utique generis nervoſi ſibi contraxerat debilitatem. Hinc facillime fieri potuit, ut in diuturniori ſub aëre pluvioſo ac nebuloſo commoratione, cohibita tranſpiratione, hemiplecticus ſuboriretur inſultus, tempeſtiva venæ ſectione brevi debellatus. Ex tali vero pluvioſa tempeſtate paralyſes chronicas & pituitoſas naſci poſſe, confirmat variis exemplis FORESTUS *L. X. obſ.* 83. *ſeqq.* ad quas expugnandas commendat aſſata præ coctis, victum tenuem & exſiccantem, & ut ægri in aëre ſicco, & cubiculo caryophyllis ſuffumigato verſentur. Laudat quoque clyſteres, primo mitiores, tum fortiores; pilulas de hiera ſimplices & compoſitas, nec non cochias. Ad ſudorem movendum decoctum bardanæ præſcribit, & denique nucham, ſpinamque oleo nardino, coſtino, philoſophorum, ſambucino, rutaceo, de euphorbio inungendam ſuadet. Spectat huc quoque inſignis locus apud GALENUM *de locis affectis cap. IV. Quidam tempore frigido & pluvioſo madido pallio collum diutius obvolvit, unde in manus paralyſin incidit.*

### Observatio XIII.

Vir quinquagenarius, temperamenti ſanguineo melancholici, victu duriori, & craſſo, nec non loco vini ob parſimoniam ſpiritu frumenti, floribus papaveris rhœados tincto, cereviſiaque valde tenui & lupulata, & nimio Tabaco uſus, atque lucubrationibus, anxiis curis & iracundiæ deditus, ſæpenumero ictero, à crebra ira inducto, ſatisque per- *Hemiplexia cum ſubſequente morte.*

pertinaci laboravit. Aliquando factum eſt, ut mane ſanus ſurgens, & jentaculum aſſumens, ob fruſtula placentæ in aſperam arteriam delapſa, validiſſima tuſſi, cum vehementi pectoris concuſſione, vultus tumore ac rubore, & lacrymarum profuſione ſtipata corriperetur. Sedata motuum violentia, robur ſiniſtri lateris labefactatum erat, adeo, ut nec artus, nec corpus movere, nec pedibus inniti potuerit. Deportabatur in lectum ſtragulisque obruebatur; ſed malum increſcebat citiſſime, & lingua non minus, quam totum latus ſiniſtrum reſolvebantur penitus. Medicus vocatus ſanguinem è brachio dextro detrahendum curavit; ſed ſine ullo levamine; æger potius gravi ſopore obrutus jacebat, ſubque eo dextrum brachium vehementer agitabat, expergefactus ſiniſtram attollere nequibat palpebram, aſſumta deglutire vix valebat, alvum cite deponebat, & urinam per biduum retentam largiter emittebat. Nec ſilentio prætermitti debet, ſub invaſione hemiplexiæ vomitus quoſdam multæ pituitoſæ ac bilioſæ materiæ ſuperveniſſe. Vixit in tam miſero ſtatu per ſeptem dies; quibus elapſis crevit ſopor & memoriæ abolitio, & demum, fruſtra uſurpatis variis medicaminibus exſpiravit.

*Epicriſis.*

Diſcimus ex hac morbi hiſtoria 1) quod à validiori pectoris per violentam tuſſim & concitatiorem exſpirationem commotione, ſanguis tanto cum impetu ad caput urgeri queat, ut minus reſpondente ejus per venas regreſſu facillime in partibus capitis internis ſtagnare, & ſerum extravaſari poſſit. Contingit hoc eo facilius in ſubjectis, quæ craſſo, copioſoque ſanguine, & alvo ſegniore pollent; & quibus debilitatum eſt cerebrum, genuſque nervoſum. Quæ omnia in præſenti locum inveniunt ægro, quippe qui diæta craſſa, & ſpiritus frumenti, papavere rhoeados tincti uſu craſſos ſuccos, per graves vero meditationes ac ærumnas nervoſi generis imbecillitatem, ſibimet omnino contraxiſſe videtur.

2) Omnium malorum cauſſa in ſeri ſtagnatione quærenda eſt; quod ſicuti circa ſpinalis medullæ principium hærens, hemiplexiam parit; ita corticem cerebri inundans ſoporoſum produxit affectum. Et peſſimi ſemper in hemiplexia præſagii eſt, ſi lateris ſani convulſivæ agitationes accedant, & malum cum vomitibus invadat: tum enim gravior eſt præſumenda partium internarum læſio.

3) Quanquam tales morbi opem eludant; tamen religioſum medicum non decet, ab eorum curatione manus ſubtrahere. Cardo autem rei in eo vertitur, ut ſanguis per venæ ſectionem imminuatur, clyſteres paullo acriores injiciantur, veſicatorium nuchæ admoveatur, ſpiritus volatilis naribus offeratur, capiti raſo epithema ex aceto roſaceo, rutaceo & ſpiritu vini camphorato paratum imponatur; & ſpinalis medulla linimentis nervinis inungatur.

4) Denique monemus, ut omnes ſenes, plethorici, & qui ſunt debilioris cerebri, ſibi ſedulo caveant ab omnibus rebus, quæ pectus in motum concitare & tuſſim ciere valent. De paralyticis & hemiplecticis morbis legi poſſunt CONSULT. MED. *Sect. I. caſu XVI. ad XXVII.*

# CAPUT II.

## *De Affectibus ſoporoſis, Comate, Caro, & Lethargo.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

Affines apoplecticis & paralyticis, & cum iis ſæpenumero conſpirantes ſunt morbi ſoporoſi: quorum tam confuſa, tamque intricata apud medicorum pleroſque reperitur hiſtoria, ut cui credant, dubii omnino relinquantur lectores. Hinc quidam medici, velut HOLLERIUS & RONDELETIUS multas de ea confuſione habuerunt querelas & ne eam committerent HARTMANNUS, RIVERIUS, *&* PAULUS BARBETTE, de morbis iis generatim potius, quam de ſingulis ſpeciebus agere maluerunt. Verum, quo magis eorum cauſas, & his innixam curationem variare, ex infra dicendis patebit: eo curatius quoque ſignorum diverſitatem eſſe attendendam putavi. Et quæ hac in re ſedula, ac diuturna me docuit experientia; ea mihi, BARTHOLOMÆI de MOOR *Pathologiam cerebri* nuper perlegenti, ita videbantur comparata, ut cum iis obſervationibus, quas clariſſimus vir *Cap. VII.* de *affectibus ſoporoſis* memoriæ reliquit, exacte conveniant. Sequar igitur ipſius ordinem, eaque nomina, quæ huic vel illi ſomnolentiæ ſpeciei impoſuit, omnino retinebo. *De ſoporoſis affectibus perquam confuſa apud medicos eſt hiſtoria.*

§. II.

Per ſoporoſos affectus intelligo præternaturalem in ſomnum propenſionem, ipſumque ut plurimum ſoporem inexpugnabilem, mox ſine, mox cum febri ſtipatam, ab impedito fluidi nervei in medullam cerebri oblongatam, ipſoſque ſenſui motuique tributos nervos ſufficienti influxu propullulantem. Plures horum morborum recenſentur ſpecies, quarum præcipuas coma vigil, ſomnolentum, carus & lethargus conſtituunt. Omnes in eo conveniunt, quod in iis præternaturale circa ſomnum occurrat vitium: attamen ratione gradus, cauſſarum & curationis omnino differunt, adeo ut neutiquam ſit alienum, cujuſvis ſpeciei genium preſſius rimari. *Soporoſorum affectuum definitio & differentia.*

§. III.

Coma vigil hiſce ſe prodit notis: ægri conqueruntur de capitis dolore, magis tamen ardente, & velut expanſivo, cum ſenſu ebullitionis intra caput ſtipato; maximopere in ſomnum propendent, illumque anxie anhelant: attamen vel prorſus nequeunt dormire, vel ſi obdormiſcant, mox parum levati expergiſcuntur, ab omni adhuc immunes delirio. Neque enim anteceſſerunt hunc affectum diu protractæ vigiliæ: unde ii, qui poſt longas vigilias à ſomno ſibi temperare nequeunt (de quibus vulgus dicit: *Sie ſind ſchläfrig, und können doch vor Mattigkeit nicht ſchlafen*:) nondum comate hoc laborare cenſendi ſunt. Differt etiam coma hoc à pervigilio, quod familiare eſt in acutis febribus: hoc enim nullam ad ſomnum proclivitatem habet comitem, (unde vulgo dicunt; *Er kann nicht ſchlaffen, klagt auch nicht darüber*: quæ tamen comatoſis eſt *Hiſtoria Comatis vigilis.*

eſt moleſtiſſima. Malum hoc ſemper eſt ſymptomaticum; ſiquidem acutis, ardentibus, malignisque febribus, & inflammationi matris duræ ſæpe tanquam ſymptoma jungitur, inque his non raro phrenitidem antecedit. Idem vero ſymptoma hemiplexiam interdum comitari, nonnullis mihi innotuit exemplis, quorum unum in CONSULT. MED. *T. I. Sect. I. Caſ. XX.* legere licet.

§. IV.

*Hiſtoria Comatis ſomnolenti.* Somnolenti comatis hæc fere ſunt ſigna: ægri languentes, à febrili incendio prorſus liberi; nec fere habentes, de quo conquerantur, niſi de aſſidua ſomnolentia, contra voluntatem ſemper dormiunt, ſomnoque ſæpius inter edendum, cum amicis colloquendum, vel munera obeundum obruuntur profundo: per intervalla vigilant, ſed brevi poſt ſomnolenti rurſus obdormiſcunt. Hoc malum ſenes potiſſimum, qui lauta diæta utuntur, ſanguiniſque negligunt miſſiones, corripit, nec parcit juniori ætati, ſi idoneæ concurrant cauſſæ. Eſt etiam idiopathicum ſemper; & in eo à vigili ſimul ſe diſtinguit comate, in quo anhelantes ſomnum, ejus participes fieri nequeunt; quo comate ſomnolento affecti, abunde fruuntur. Hujus exemplum exſtat in CONSULT. MED. *T. I. Sect. I. caſu XV.*

§. V.

*Hiſtoria cari, ejuſque tres ſpecies.* Carus eſt ſopor profundiſſimus, ex quo ægroti nec per clamores, nec agitationes, nec ſi vel eos acu pupugeris excitari poſſunt; aut quamvis ſentire acus ſtimulum videantur, tamen vel non loquuntur, vel mox in priorem relabuntur ſoporem. Jacent attonitorum inſtar; ac ſpiratio ferme naturalis, & dormientium ſimilis eſt. Malum vel idiopathicum eſt, vel ſymptomaticum, & ſæpius febre ſtipatum: ſed hoc, optime monente BARTHOLOMÆO DE MOOR. *Cap. VII. pag.* 198. tres exhibet ſpecies. Prima eſt, quæ ſociatur acutis febribus, circa earum principium, vel incrementum, cui nonnunquam convulſiones ſuperveniunt ac ſingultus, vitæ imponentes finem. Altera eſt, cum ægri poſt toleratas vehementiores acutas febres ex inſigni infirmitate altos incidunt ſopores, inque iis per aliquot dies permanent, excitati ad interrogata reſpondent, mox vero iterum obdormiſcunt, & tandem expergefacti, ad ſe redeunt, omniumque, quæ ſub eo ſopore loquuti ſunt, inſcii convaleſcunt: cujus mali mentio fit in CONSULT. MED. *T. I. Sect. I. Caſ. XIV.* Contingit etiam talis ſopor per febres acutas, maxime exanthematicas circa dies criticos; tumque ſudore junctus optimum exhibet præſagium. Tertia ſpecies cari occurrit in morti ex febre proximis: per unum enim alterumve ante mortem diem ægri febrili tyrannide cunctis exhauſti viribus, ſenſu motuque deſtituti, ac alto ſopore oppreſſi jacent, ſubque eo exſpirant animam.

§. VI.

*Hiſtoria lethargi.* Qui denique ἀπὸ τῆς λήθης ab oblivione dicitur, lethargus, eſt gravis aſſiduuſque ſopor, quo ægri perpetuo ſine vigiliarum fere intervallis, tantum abeſt, ut hæc tam longa ſint, quam in comate ſomnolento, obruuntur. Excitati reſpondent, ſed eorum inſtar qui ab alto & tranquillo ſomno præmature ſuſcitantur, dictorum neſcii, & oblivioſi in priſtinum mox relabuntur ſoporem: quidam matulam poſcunt, manuque tenent, mingendi tamen memoriam, mox iterum obdormiſcentes amittunt, vel oſcitantes os claudere oblivиſcuntur. Sic à comate ſomnolento patet differentia. Jungitur autem, & quaſi ſymptoma lethargo ſupervenit febris, quæ mitior eſt magiſque pulſuum ſemet exſerit frequentia, & ſpiratione rara febrilique. Hinc diſcrepat à caro, qui ſæpius eſt febrium vel ſymptoma, vel conſectarium, & ſentiendi quoque impotentiam habet comitem. Differt etiam ab apoplexia, quæ ſubito invadit, cum omnium & ſenſuum & motus voluntarii abolitione, ac ſtertore, citiuſque necat, quam lethargus; quippe qui ultra ſeptimum non raro producitur diem.

§. VII.

His morborum ſoporoſorum hiſtoriis præmiſſis, addemus ſectiones anatomicas, iis denatorum, atque tunc cauſarum perſcrutationi ſtudebimus. Pleraque nobis ſuppeditat ſolertiſſimus BONETUS, qui in anatomia practicâ, quam *ſepulchretum anatomicum* vocat, *Libr. I.* per tertiam eamque integram ſectionem, ſoporoſis affectibus extinctorum anatomias exhibet. Ampla nimis foret recenſio omnium, quæ adducit, exemplorum; ſufficiat, ſumma illorum allegaſſe capita. Sic invenit in pleriſque ſerum copioſum per cerebri ſubſtantiam diffuſum, ita tamen, ut pars ejus potiſſimum exterior, ſeu corticalis cum meningibus, aquis fuerit inundata: & ſimul adnotat, quod in quibuſdam interiora, ac penetralia cerebri ſalvo cortice, extravaſato ſero repleta viderit, ea vero ſubjecta per totam vitam ſoporoſo neutiquam laboraverint affectu. Hoc diluvium cerebrinum, quo magis ad medullam cerebri penetravit; eo majorem ſoporis gradum per vitam fuiſſe animadvertit. Deinceps invenit quoque in ſopore peremtis abſceſſus, ſcirrhos & tumores in cerebro: ſed hi quoque non aliam quam anteriorem & corticalem ejus regionem obſederunt. Et denique in nonnullis, cerebro exiſtente ſicco, & a ſeroſa colluvie libero, deprehendit vaſa piæ potiſſimum meningis cruore craſſo admodum farta diſtenta, & velut varicoſa: cumprimis in lethargicis membranas cerebri inflammatas vidit Johannes Faber Lyncius; teſte HARENDEZ *L. IV. cap.* 18. *Sectio corporum ſoporoſis affectibus defunctorum.*

§. VIII.

*Obſervationes de ſopore.* Indolem noſtrorum affectuum illuſtrandi cauſſa, addemus adhuc quaſdam obſervationes huc ſpectantes. WEPFERUS & PEYERUS canibus per plus minus graviorem cerebri à cranio denudati compreſſionem, arte ſoporem conciliare docuerunt: & perquam notabile eſt exemplum cujuſdam mendici Pariſienſis, cui caſu quodam magna cranii pars deperdita & cerebrum denudatum fuit. Hic ex leviori cerebri compreſſione oculorum obtenebrationem, ex paullo fortiori, aurium tinnitum, ex adhuc graviori vertiginem & ſoporem paſſus; & ceſſante preſſione, ab iis iterum liberatus fuit ſymptomatibus. Conf. BORETII *diſſ. de epilepſia ex depreſſo cranio.* Cui quidem obſervationi majorem affundit lucem, cranii per trepanum à chirurgis fieri ſolita terebratio; qua, in ſubjectis ex ſanguinis inter cranium & cerebrum facta extravaſatione, & hinc pendente cerebri preſſione ſoporoſis, educto ope trepani ſtagnante humore, protinus ſenſus redire, omnemque ſoporem diſcuti per fide dignas compertum habemus obſervationes. Ex quibus certo concludimus, quod materialis cauſſa affectuum ſoporoſorum intra corticalem cerebri ſubſtantiam primario & originaliter contineatur.

§. IX.

## §. IX.

*Cauſæ proxima & mediata affectuum ſoporoſorum.*

Jam ex phyſiologia (*vid.* SYSTEM. MED. *T. I. L. I. Sect. III. Cap. VI.* §. 3. *ſeqq.*) repetimus, ſomnum naturalem ab influxu fluidi nervei in nervos ſenſibus, motibuſque voluntariis tributos imminutiori, ac languidiori dependere: hunc vero languidiorem influxum partim ipſorum nervorum relaxationi, partim fluidi nervei penuriæ, partim tardiori ſanguinis per vaſa cerebri & membranarum circulo deberi. His cum iis, quæ præcedentibus paragraphis dicta ſunt, collatis, ſequitur, cauſſam proximam affectuum ſoporoſorum eſſe valde languidum ac imminutum fluidi nervei ex cortice cerebri in hujus medullam & inde in nervos ſenſui motuique dicatos influxum. Cauſſæ hunc influxum præter naturam impedientes tres potiſſimum eſſe videntur; nimirum vel nimia fluidi ipſius penuria, vel tubulorum illud vehentium laxitas, vel denique compreſſio cerebri corticalis, eaque ſeu per ſanguinem tardius per cerebrum & ejus involucra progredientem, aut plane ſtagnantem, ſeu aliam peregrinam, dicto cortici incumbentem materiam facta: unde medulla undique cortici adnexa comprimitur ſimul, & ideo non ſatis fluidi recipere poteſt.

## §. X.

*Comatis vigilis in febribus ætiologia.*

Quum vero plures affectuum ſoporoſorum ſint ſpecies; ſingulam perſcrutemur curatius. Vigil coma medius quaſi inter pervigilium, & affectus ſoporoſos morbus, ubi ſomni deſiderium inexplebile urget, licet ipſe capi nequeat, eſt ſymptoma vel hemiplexiæ, vel febrium acutarum, maxime cum duræ meningis inflammatione junctarum, & ſæpius antecedit phrenitidem. Cauſſam ipſius mixtam eſſe debere, qua in uno cerebri loco fluidi nervei influxus languidior, in altero auctior fit, quilibet pervidebit facile. Conſideremus ergo, num talis cauſſa in dictis morbis locum habeat. Quod febres acutas attinet, ſic concludimus: ſi in iis coma vigil utplurimum antecedit phrenitidem, quæ juxta MED. SYSTEM. *Tom. IV. P. I. Sect. II. C. V.* §. *I. ſeqq.* ab inflammatione membranarum cerebri ſuboritur, & noſtris in regionibus ſymptomatice ut plurimum febribus malignis exanthematicis ſupervenire ſolet; ſi etiam cum dolore ardente ac ebulliente complicitum eſt: vero videtur ſimillimum coma vigil in iis febribus pro cauſſa mediata agnoſcere, membranarum cerebrum involventium incipientem in uno loco inflammationem. Quum vero inflammatio ſupponit ſanguinis auctiorem ad locum quendam congeſtionem, & plane ſtagnationem: neceſſe eſt, ut inde cerebri corticalis pars quædam comprimatur, & hinc introitus fluidi in medullam imminuatur, cum inſequente ſomnolentiæ effectu. Hoc dum in uno cerebri fit loco, in altero tamen à ſanguine per febrilem motum celerius agitato, jugis fluidi nervei perennat ſecretio; quæ, quo eſt copioſior, eò magis vigilias inducit, nec præſentem ad ſomnum proclivitatem in actum deduci ſinit. Quicquid igitur in febribus acutis ſanguinis orgaſmum adaugere, ejuſque copioſiorem ad caput progreſſum adjuvare valet: illud remote ad coma vigil inducendum contribuit; veluti ſunt remedia ſpirituoſa, calidiora, alexipharmaca, regimen juſto calidius, refrigeratio extremorum in variolis.

## §. XI.

*Comatis vigilis in hemiplexia obvii ætiologia.*

Qua coma vigil ratione jungi queat hemiplexiæ, explicatu facillimum eſt. Si enim perpendimus, in eo affectu nervorum principium in uno latere tantum comprimi, & ſic influxum fluidi mobiliſſimi in unum duntaxat latus impediri, altero immuni; mox quoque intelligemus, quod in uno loco & latere pervigilii, in altero ſomnolentiæ, ex quibus componitur vigil coma, latere poſſit cauſſa: eo quod ſuccus nervoſus denegata in uno latere ſecretione ad alterum eo copioſior feratur; quod inter alia integri lateris convulſivæ teſtantur agitationes. Verum cur non omnes hemiplectici ſunt comatoſi? Legas, quæ §. VII. ex BONETO allegavimus, & invenies, ſolam principii nervorum compreſſionem non ſecum ſemper habere ſoporem, niſi ſimul corticalis cerebri ſubſtantia fuerit vitiata.

## §. XII.

*Comatis ſomnolenti ætiologia.*

Coma ſomnolentum, frequentior profecto, quam lethargus & à febre ſemper vacua affectio talem habere debet cauſſam, qua tranſitus fluidi nervei ex cortice in medullam non in uno loco, ſed per totum impediri poteſt cerebrum. 1) Talis eſt nimia relaxatio canalium ſanguinem per cerebrum vehentium, ob quam nec ſanguis vegete progredi, nec ſatis fluidi ſecerni poteſt: ſicut fere fit in ſenibus plethoricis. 2) Sanguinis, præſertim ſpiſſi ac impuri difficilior per caput circulatio, & inde pendens cerebri compreſſio. Hinc plethorici ſunt ſomnolenti, hinc ſcorbutici, & hypochondriaci hunc frequenter incurrunt ſoporem, eoque magis, cum per imi ventris ſpaſmos humores eo copioſius compellantur ad caput. Et inde quoque petenda eſt comatis ſomnolenti ratio, quod, teſte RIVERIO, pueris lumbricis vexatis nonnunquam evenit; ſiquidem hóc in caſu per abdominis ſpaſmos vitales ſucci coguntur ad ſuperiora. Hinc valde plethorici, accedente cauſſa ſanguinem nimium commovente & expandente, ut ebrietate, profundo immergi ſolent ſopori, eoque plane necari. 3) Seri nimia per cerebrum ejuſque membranas collectio ac plane extravaſatio: unde aurium manationum, coryzæ, ulcerum improvidæ ſuppreſſiones & exſiccationes, ad id morbi genus contribuunt; nec rarum eſt, iſchuriam ſeu plenariam urinæ ſuppreſſionem preſſo pede coma ſequi ſomnolentum, quod, reſtituto urinæ fluxu, protinus ceſſat.

## §. XIII.

*Cari, ejuſque primæ ſpeciei ætiologia.*

Cari prima ſpecies, quæ in principio, aut vigore febrium acutarum maxime ſynocharum nonnunquam, nec niſi in valde plethoricis, occurrit, dependet à nimia ſanguinis abundantia & ebullitione, qua cerebri & ejus membranarum vaſa adeo expanduntur, ut comprimant mollem cerebri ſubſtantiam, & nervoſi ſucci introitum in medullam per totum impediant caput: unde ſuccus ille per cerebellum in partes, functionibus vitalibus præfectas eo copioſior impellitur, cordiſque ſyſtolem efficit vehementiorem. Hinc cognitu facillimum eſt, cuncta exæſtuantia, ac commoventia remedia in iis febribus adhibita, nec non intermiſſam venæ ſectionem; remotius vero narcoticorum, ad conciliandum ſomnum, inepte exhibitorum abuſum proximius ad carum in febribus producendum, multum conferre.

§. XIV.

### §. XIV.

*Cari ejuſque ſecundæ & tertiæ ſpeciei ætiologia.*

Ad cari alteram, quæ poſt ſuperatas fere acutas febres ſequitur, ſpeciem plures contribuunt cauſſæ. Non enim ignorari oportet, per febrile incendium tam fluidas, quam ſolidas partes mirum in modum alterari: ſolidæ ſcilicet à naturali vigore & toni dejiciuntur, fluidæ vi continui attritus reſolvuntur, & tranſeunt in craſin œconomiæ vitali non nimis amicam. Namque humidior ac generoſior ſuccorum vitalium pars, non accedente novo nutrimento, diſſipatur, perque varia loca è corpore proſcribitur: & hinc reſultat fluidi nervei penuria, lymphæ ſerique vappida, & quaſi gelatinoſa conſiſtentia, ipſiuſque ſanguinis coagulum. Concurrentibus igitur 1) vaſorum debilitate, 2) nervei ſucci penuria, 3) cerebri compreſſione à ſanguine difficilius per illud progrediente facta non fieri poteſt, quin ſopor præternaturalis, cum ſenſuum imminutione ſuboriatur. Quod eo fit facilius, ſi per febrim potentiora pharmaca, ſolidas partes debilitantia, vel plane narcotica fuerunt adhibita. Et ſi hæc fluidorum ſolidorumque vitia nimis invaluerint, uti fere in tertia cari fit ſpecie; ſubſiſtunt tandem coagulati inerteſque ſucci in debilitatis vaſis, extravaſantur, & ſic vix evitabilem acceſſunt mortem.

### §. XV.

*Lethargi ætiologia.*

Lethargi denique ſunt eædem cauſſæ, quas comati ſomnolento tribuimus, niſi quod in eo graviores ſint, ac profundius corticalem cerebri ſubſtantiam penetraverint, adeo ut non ſopor tantum inducatur, ſed ſenſus quoque externi & interni elangueſcant. Cardo rei in eo vertitur, quod in comate perinde ac caro nulla adhuc exiſtat ſanguinis vel ſeri extravaſatio, ſed hæc demum tanquam effectus producatur, & in apertis poſt mortem craniis conſpiciatur. Præſto potius in iis ſoporoſorum affectuum ſpeciebus eſt circulus ſanguinis per vaſa meningum, & cerebri corticalis valde debilitata difficilis, ejuſdemque plus minus ſeroſi ſtagnatio: at lethargus pro cauſa agnoſcit vel ſeri tenuioris per arteriarum poros factam ſeceſſionem, vel plane extravaſationem.

### §. XVI.

*Differentia ſoporum ab aliis morbis.*

Diſtinguitur vero lethargus à caro, dum lethargici excitati reſpondent, carotici vero minus. Eſt quoque diſcrimen inter apoplexiam & ſoporem; nam in illa reſpiratio eſt difficilis ac deſinit in paralyſin, quod non fit in caro. Differt quoque à ſyncope, in qua pulſus parvus vel admodum obſcurus & languidus ac facies cadaveroſa; caroticis pulſus magnus & validus eſt, & color faciei potius floridus apparet. Neque minus differt à ſuffocatione uterina, quod præfocatæ ſine omni reſpiratione ſunt, & poſtea intelligunt & recordantur; in caro autem in paroxyſmo non intelligunt, nec recordantur; oculos ſemper clauſos habent, & ſi aperiunt ſtatim claudunt.

### §. XVII.

*Cauſſæ remotiores affectuum ſoporoſorum.*

Quemadmodum ex dictis ſpeciales & proximæ affectuum ſoporoſorum cauſſæ clariſſime perſpicientur: ita generatim ſciendum eſt, quod iis producendis aptiſſima ſint omnia, quæ ad difficiliorem humorum per vaſa cerebri & meningum circulationem, eorumque ſtagnationem conferunt, & vim vaſorum membranarumque elaſticam labefactant. Quo nomine remotiſſimis cauſſis accenſeri merentur corpora cacochymica, cachectica, ſcorbutica, viribus defraudata, à nimio mœrore, triſtitia, vel diuturno morbo & enormi ſanguinis profuſione debilitata: abuſus potuum inebriantium, ſpiritus vini, cereviſiæ valde ſpirituoſæ & lupulatæ, frequens crapula, habitatio in conclavi humido, ubi denſus vappiduſque aër eſt, nec non aëris humida ac nebuloſa, Zephyri flatu prægnans conſtitutio, hiemalis tempeſtas, & Tabaci abuſus.

### §. XVIII.

*Continuatio cauſſarum remotarum.*

Præterea quam ſæpiſſime in praxi licet obſervare, in ſubjectis ſanguineis, ſanguineo-phlegmaticis, obeſi habitus, ſanguineque plenis ab hæmorrhoidum, menſium, & cujuſcunque hæmorrhagiæ ſolennis ac criticæ ſuppreſſione, coma ſomnolentum, vel etiam lethargum excitari. Nec rarum eſt, eoſdem affectus a ſudorum, præſertim matutinorum, atque criticorum cohibitione, nec non ſeroſarum excretionum ſuppreſſione, œdematoſorum pedum repentina gracilitate ſubito generari: quid? quod in iis, qui cerebri ſunt imbecillioris, à nimia potus vinoſi in corpus refrigeratum ingurgitatione, vel à corporis vino farti & calentis refrigeratione, repente ſopor altus cum omnium ſenſuum ſtupore producatur, brevi tamen tempore abſque periculo tranſeat. Non minus comatoſi & lethargici affectus introduci deprehenduntur ab arthritici, podagricique doloris quotannis ſemel biſve antea redeuntis ceſſatione: & obſervavi lethargum in aſthmate convulſivo, revocato ad articulos dolore, una cum aſthmate fuiſſe debellatum. Huc denique ſpectat nimius ac intempeſtivus vaporoſorum uſus: unde ab abſynthiacis & opiatis large datis, papaveraceis, fumo ſulphuris, vapore carbonum ardentium, intra arctius ſpatium incluſo, in ſubjectis imbecillibus, graves & plus minus periculoſos produci ſopores non raro animadvertimus. Nimius quoque ſuaveolentium uſus nocet. STRABO *L. XVI.* narrat, Sabæos populos incidere in hunc morbum ex odore & fragrantia fructuum & florum in hiſce regionibus productorum. Novi exempla, ex continuo ſuaveolentium uſu omnem odoratum ex toto deperditum fuiſſe, eo quod membranis cerebri & nerveis narium atoniam inferre videntur. Ad ſoporoſorum affectuum cauſſas pertinent etiam violentiæ capiti illatæ, ſic GALENUS *L. de inſtr. odor. Cap. VI.* numerat inter eas cerebri compreſſionem factam a chirurgo, qui perforavit cranium, & membranam cerebrum ambientem; & ego, inquit MERCURIALIS *in prælect. Batav. p.* 22. quandoque vidi ex importuna perforatione cranii à chirurgo vulneratum quendam ſtatim factum eſſe caroticum.

### §. XIX.

*Soporoſorum affectuum prognoſis.*

Soporoſorum affectuum prognoſis non adeo læta, ſed pro cauſarum gravitate plus minus infauſta eſt. Et vigil quidem coma perſæpe phrenitidem ac convulſiones funeſtas prænunciat, inque malignis febribus non raro in emortualem tranſit ſoporem. Sive etiam ſomnus profundus, teſtante HIPPOCRATE in *Coac.* interdum in febribus ſignificat firmam criſin & non eſt malum. Quando dolores caro conjuncti ſunt, teſte eodem Hippocrate l. c. convulſionem ſignificant. Quo ſeniora ſunt corpora, & quo magis debilia,

debilia, impuriſque ſuccis prægnantia, eo majus portendit periculum coma, facileque, monente præſertim *Mercato L. I. C.* 12. in mortiferum terminatur lethargum. Carus quo gravior juncta eſt febris, & quo pejores ejus notæ, urinæque crudiores, eo periculoſior: attamen prima ſecundaque ſpecies non raro debellatur, tertia nunquam non lethalem exhibet eventum. Lethargus nunquam periculo caret; is tamen peſſimus eſt, quem artuum tremor, & gelidus faciei ſudor comitantur.

### *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Morbos ſoporoſos curaturo, tres generatim incumbunt medendi intentiones, quarum prior eſt, ut ægrum è ſopore excitare annitatur, altera, ut ſanguinis & humorum difficilem per caput circuitum, ſtagnationem, vel extravaſationem removere conetur; & tertia, ut robur membranarum vaſorumque cerebri deperditum reſtaurare laboret.

§. II.

*Primæ indicationi quomodo fiat ſatis?*

Soporem diſcutiendi, ægrotumque excitandi vim ea poſſident remedia, quæ principio ſubtili ac penetrante in nervoſas partes, eas agitando, vellicando, tremulumque & oſcillatorium per univerſum nervorum ſyſtema motum inducendo agunt. Huc ſpectant 1) potentiora acida, & ex his palmam præ reliquis obtinet ſpiritus chryſtallorum veneris, qui nihil eſt, niſi ſpiritus aceti concentratiſſimus, cum eſſentia caſtorei mixtus, naribusque admotus, penetrantiſſima agilitate cuncta ſuperat. 2) ſalia volatilia, velut eſt, ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus cum calce viva paratus, qui vertici admotus, vel quod conſultius eſt, naribus inditus ſternutamentum movet, ac torporem ſoporemque diſcutit egregie. 3) graveolentia, ut galbanum, pennæ perdicum &c. accenſa, ut odor gravis nares feriat. 4) Aqua frigida repente toti capiti infuſa, quæ membranas cerebri ſimul roborando promte ſomnum excutit. 5) cataplaſmata ex aceto forti, ruta, foliis lauri, ſummitatibus ſaturejæ, ſemine ſinapi, caſtoreo & camphora parata, raſoque capiti, fronti ac temporibus admota.

§. III.

*Quæ feroſos humores è capite derivent.*

Eorum vim ſecundant, & ſimul ſeroſam, ſi peccaverit, è capite colluviem derivant 1) ſternutatoria, quæ inter primas meretur ſal vitrioli albi, ſi ejus grana decem in dimidia aquæ majoranæ uncia fuerint ſoluta, & naribus attracta. 2) veſicatoria è cantharidibus paullo latiora, & pedibus, nec non cervici imponenda; quippe quæ & ſolidis nervoſis partibus motitationem inducunt, & ſeroſos humores revellunt. 3) cucurbitulæ vel cum, vel ſine ſcarificatione nuchæ adplicatæ. 4) frictiones validæ partium infernarum. 5) clyſteres acriores. 6) Nec ſatis laudari poſſunt enemata paullo acriora, ventri infuſa; quibus ſal gemmæ vel commune, vel etiam ſquillæ radix ſtimuli loco commodiſſime additur.

§. IV.

*Altera & tertia indicatio.*

Excitato horum ope à ſopore ægro, reſtat, ut reſtituatur æqualis humorum per totum corpus circuitus; & ſubinde corroborentur debilitatæ partes. Favet priori ſcopo ſanguinis miſſio, in ipſo ſæpius ſopore, ſi turgeant cruore vaſa, inſtituenda, multoque magis, diſcuſſo ſomno, ad ejus præſervationem adminiſtranda. Tum quoque, ſi primæ regiones ſordibus onuſtæ, vel ſpaſmis ſint obſeſſæ, blando laxante alvum moliri oportet. Stagnationes humorum diſcutiendi, ſimulque partes infirmas corroborandi virtute gaudent nervina, nupta diaphoreticis: ex quibus magnam merentur commendationem eſſentia ligni aloes, ſuccini, cum ſpiritu liliorum convallium, ſalis ammoniaci, & antimonii tinctura acri remixta; vel ſal cornu cervi, cum ſale ſuccini, cinnabari antimonii, vel bezoardico minerali in pulveris formam redactum.

§. V.

*Præſervatio morborum ſoporoſorum.*

Denique recurrentes ſoporum inſultus præcavere licebit partim victus recta ſervata ratione, partim cauſarum eos inducentium remotione. Et quum ſanguinearum excretionum, vel motuum arthritico-podagricorum, hactenus conſuetorum ſuppreſſio, ad id mali generandum, plurimum contribuat: haud ludet operam, qui revocandis iſtis & fluxionibus & doloribus operam navabit, eorumque legitimum conſervabit ſucceſſum. In victu vitanda otium, ebrietas, cibi coctu difficiles & ſpirituoſa: corpus moveatur ſedulo: repletio omnis eſt vitanda; quemadmodum jejunare aut parce nutriri optimum eſt; à piſcibus, lacte, caſeo prorſus abſtinendum, & inter fructus humidi omnes fugiendi; carnibus magis aſſis, quam elixis veſcendum; panis à lolio, quod intermixtum eſſe ſolet, probe purgari debet: ſenes ac debiles generoſo vino, tanquam eorum lacte utantur; ſomnum non diu nimis protrahant; ab animi affectibus caveant; amicorum conſortiis interſint frequenter; commodis peregrinationibus delectentur; alvinam perinde ac cutaneam curent excretionem; nec ſanguinis adſuetas miſſiones ſtatis repetere obliviſcantur temporibus.

### *CURA SPECIALIS ET CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Comatis vigilis in febribus curatio.*

Quemadmodum cauſſæ affectuum ſoporoſorum, eorumque ſpecies valde ſunt diverſæ: ita etiam illis medendi ratio non una eſt eademque. Quare quid auxilii per ſingulas ſpecies ſuperſit, videbimus. Coma quidem vigil, uti plerumque in malignis febribus à nimia ſanguinis mole, & imminente membranarum cerebri inflammatione ſuboritur: ita expoſcit ea omnino remedia, quæ nec ipſi febri ſint præjudicio. Et hoc fine venæ ſectio, ſi febris haud ultra tertium quartumque duraverit diem, larga debet inſtitui: ut confirmant GABELCHOVERUS *Lib. I.* §. 8. & FORESTUS *L. X. obs.* 34. Miſſo ſanguine alvus, ſi ſit obſtructa, clyſteribus, minus tamen acrioribus liquanda: tumque exhibenda remedia, quæ diluendo temperandoque humores, æſtum illorum coercent. Quo quidem nomine præter pulvillos abſorbentes, leniter nitroſos, cum antimonio diaphoretico & aquis diapnoicis ac analepticis in potiunculam redactos, nec non emulſiones leniter papaveraceas; magni uſus in malignis ſunt acidulata. Et placet ſane mihi julepus, quem ex roob ribium tribus unciis, in aquæ fontanæ libris duabus ſolutis, & cum ſpiritu vitrioli ad gratam aciditatem permixtis conficiendum

dum docet LOTICHIUS. Spiritus nitri dulcis ob temperantem pariter ac blandam anodynam vim, uſus eſt egregii. Nec ſua laude carent externa, velut cataplaſmata cum aceto parata, unguentum alabaſtrinum, temporibus admotum, animalia viva diſſecta, & impoſita capiti: non neglecto quieto blandoque regimine.

§. II.

*Cura comatis vigilis in hemiplexia.*

Vigil, quod hemiplecticis familiare coma, ut diuturnius, ita curatu eſt difficilius. Parum præſtabit, qui ſolum ſymptoma, neglecto principali morbo adgredietur: nihil ſupereſt, niſi ut hemiplexiæ ea, quam præcedente capite notavimus, ratione medeamur; tum enim ſponte ſequetur ſomnus naturalis.

§. III.

*Cari curatio.*

Carus, ejuſque prima ſpecies, largam, ſi nondum elapſa fuerit commoda occaſio, venæ ſectionem expoſcit: cui jungenda dormientis excitatio per clyſteres, ſquilla acuatos, veſicatoria; aceti deſtillati in nares immiſſionem; tumque intrinſecus per temperantia, diaphoretica fixa, & acidula humorum orgaſmus componendus. Altera cari ſpecies, quum ſæpe ſit critica, nihil fere opis medicæ exigit; ſed ſibi relicta, ſanitatem ſecum fert. Tertia, eaque pernicioſiſſima, vix admittit medelam: attamen tentare juvabit, an æger veſicatoriis queat excitari, tumque diluentibus & analepticis dimicandum.

§. IV.

*Curatio comatis ſomnolenti à cauſſa ſic dicta frigida orti*

Coma ſomnolentum rectiſſime dividitur in ſeroſum & ſanguineum. Illud ſeroſas excretiones vel naturales revocari, vel his artificiales ſubſtitui jubet. Urinæ ſuppreſſio accommodatis præſidiis reſeranda; podagrici motus pedum frictione, veſicatoriis, laxantibus, balneiſque tepidis invitandi. Juvant hoc loco ſternutatoria, educendo per nares ſerum, nerviſque motum inferendo. Ubi pituita viſcida obſidet ventriculum; operæ facit pretium vomitus arte concitatus: quo fine pulvis ſquillæ ad ſcrupulum dimidium vel unum, aut bina tartari emetici grana, laxanti potiunculæ, ut diluantur, intermixta, ſummo cum fructu poterunt exhiberi.

§. V.

*Curatio comatis ſomnolenti cauſſa calida nati.*

Contra vero coma ſomnolentum, quod à cauſſa calida, i. e. ſanguinis per caput difficiliori tranſitu, vel ſtagnatione originem trahit, uti fere fit in hypochondriacis ac ſcorbuticis, majorem requirit circumſpectionem. Quæcunque enim calidiora ac ſpirituoſa ſunt remedia, cane pejus ac angue fugiantur: hiſque ſubſtituantur clyſteres, venæ ſectio, blanda laxantia, pulveres temperantes, ſimul nervini, & id genus alia. Et hæc quidem omnia circa lethargum quoque ſunt obſervanda; niſi quod efficaciora ſæpius requirat excitantia.

§. VI.

*Curatio affectuum ſoporoſorum ab externa violentia inductorum.*

Quicunque ſoporoſi affectus à ſanguinis vel ſeri extravaſatione intra meninges ac calvariam per externam violentiam inducta pendent: non prius ſanari poterunt, quam humoris extravaſati per trepanationem eliminatione. Attamen & huic operationi, ſi abundet ſanguinis moles, præmittenda venæ ſectio.

§. VII.

*Cautela circa venæ ſectiones.*

Sanguinis miſſionem in ſoporoſis morbis peropportunam eſſe, facies rubens, oculi cruore turgidi, venæ tumentes, pulſuſque arteriarum magni indicant. Qua adminiſtrata, ſi floridior vultus color, pulſuſque magnitudo continuet; ſpes eſt convaleſcentiæ, ſed ſimul opus erit adhuc ſemel ſecare venam; eo, quod non ſufficienter facta venæ ſectio plus minetur detrimenti. Quo ſpiſſior præſumitur ſanguis; eo amplior venis infligenda inciſio, ut nimirum ei ſolutior pateat exitus.

§. VIII.

*Circa ordinem adhibendi remedia.*

Poſt detractum cruorem, alvus ducenda vel laxante intus dato, vel enemate: neque enim, niſi præmiſſis hiſce evacuationibus, alia remediorum genera, ut roborantia, diaphoretica, ſternutatoria &c. adhibere licet; quoniam major motus & impetus humorum ad caput per ea concitatur.

§. IX.

*circa ſuaveolentia & opiata.*

In ſoporoſo omni morbo ſedulo cavendum à balneis calidis, vaporoſis, & quæ fragranti, olidoque vapore ad ſomnum contribuunt. Multo magis abſurdum eſt, narcotica, ſulphurea, opiata, crocata, papaveracea in uſum vocare; quorſum etiam pertinent theriacalia, quæ veteres his in affectibus præſcribere ſolent; quia his oleum camino additur.

§. X.

*circa externa volatilia.*

Externa volatilia, naribus attrahi ſolita non niſi in ſoporibus à cauſſa frigida, ſeroſa ſubortis adhibere licet. Hinc ab iis abſtinendum in omni ſopore, febrim acutam comitante, vel qui à materia eryſipelacea, purpuracea, exanthematica &c. ad cerebrum devoluta proficiſcitur: ubi potius acida fixa, ſimul tamen penetrantia, cum fructu inſerviunt. Cujus generis ſunt oxyrrhodinum, cujus uſum AVICENNA & RHASIS jam laudarunt: cui etiam majorana & ruta poſſunt addi.

§. XI.

*circa thermarum uſum.*

Quamvis thermarum, multoque magis acidularum potatio in morbis capitis idiopathicis, non omnino ſit ſuadenda: attamen in ſoporibus, qui hypochondriacos ex ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu, vel retroacta podagra cruciant, mirabilem thermarum, quæ in Carolinis juxta molendinum ſcaturiunt, & ab hoc dicuntur, virtutem, in revocandis podagricis inſultibus ipſiſque hæmorrhoidibus, & fugando hinc ſopore deprehendi, cujus exemplum in CONSULT. MED. *Tom. I. Sect. I. caſu XV.* allegavi.

§. XII.

*circa ſternutatoria.*

Cavendum maxime, ne ab initio hujus morbi ad excitandum à ſomno ſternutatoriis utamur; præſertim in plethoricis: eo quod ex intempeſtivo hujuſmodi remedio, major affluxus ad caput fit, ut inde metus apoplexiæ immineat.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Carus cum febre tertiana complicatus.*

Vir quinquagenarius, ſcarificationibus adſuetus, ex diuturno mœrore & vigiliis contraxit ſibi dolorem capitis gravativum, vertigine, ven-

ventriculique imbecillitate ſtipatum; cujus abigendi cauſſa vinum abſynthites mane pariter ac ſub cœna per aliquod tempus liberalius ſumſit. Interim accidit, ut verno tempore, quo febres tertianæ graſſabantur, poſtquam gravi exarſerat ira, in libero aëre, cœlo exiſtente pluvioſo iter faceret, domumque redux in duplicem incideret tertianam. Hujus acceſſiones cum profundo incipiebant ſopore, ad duodecim ſæpius horas durante; quo diſcuſſo calor ſatis mitis excipiebat, & hunc demum ſudor ſequebatur. Quam ſcenam paroxyſmi ſepties ludebant, & omnes, quæ ad ſomnum propellendum adhibitæ erant, medicinas volatiles, purgantes & excitantes ſpernebant; adeo, ut majora potius ſumerent incrementa. Vocatus ego tribus ante paroxyſmum horis lene dedi emeticum, quod aquæ menthæ unciam unam, tartari emetici grana duo, ſyrupi cinnamomi drachmam unam habebat: quo ſumto, miram colluviem pituitæ lentæ ac viſcidæ, nec non bilis valde craſſæ, oleaginoſæ, &, ut dicunt, vitellinæ evomuit. Sequens paroxyſmus longe fuit mitior, & quod notabile, ſopore caruit. Hinc idem remedium, interjectis aliquot diebus repetitum, una cum aliis antifebrilibus & febrim & ſoporem prorſus fugavit.

*Epicriſis.*

Si ſoporis, qui febrem noſtram comitatus eſt, nomen indagemus; illum ad cari titulum referendum eſſe, quivis facile judicabit, qui ſoporoſorum affectuum ſupra poſitas hiſtorias legerit. Carus autem hic non niſi ſymptomaticus eſt, & una cum ipſa febre ſaburram bilioſam & pituitoſam, primis in regionibus ſtabulantem pro cauſſa agnoſcit. Quum enim in febribus intermittentibus, maximeque tertiana omnes circa primas vias ſitæ nervoſæ ac membranaceæ partes ſpaſtice conſtringuntur: non poteſt fieri, quin ſucci vitales copioſius ad caput compellantur. Quod quia à prægreſſis mœrore, vigiliis, & vini abſynthiaci uſu in præſenti ægro nimis debilitatum videtur; ſtagnantes in cortice cerebri humores facile potuerunt ſoporem concitare, qui refluente ſub paroxyſmo caloris à capite per totum corpus ſanguine, ſponte ceſſavit. Prorſus igitur curaturo hunc affectum incumbit, ut ſpaſmi primarum viarum cauſſam, quæ eſt ſaburra bilioſo viſcida, removeat; quod ope vomitorii breviſſima fieri potuit via.

OBSERVATIO II.

*Coma ſomnolentum ſcorbuticum.* Vir temperamenti ſanguinei, habitus ſpongioſi, in locis degens paludoſis, & craſſo crudoque utens victu, febre tandem intermittente corripiebatur: qua ceſſante, totum corpus admodum languebat, crura magno dolore, tantaque laſſitudine afficiebantur, ut vix incedere potuerit, urinæ abſque ſiti & moleſtia rufeſcebant, & arteriarum pulſus erant debiles. Brevi vero poſt in præternaturalem incidebat ſomnolentiam, qua interdum per totam fere diem alto ſopore obrutus jacebat, dein vero per aliquod tempus iterum vigilabat. Oppoſita huic malo remedia fuerunt ſuccus naſturtii aquatici, cum juſculis crebro ſumtus, ſpiritus cochleariæ cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixtus; & per intervalla aqua vitæ emetica, quæ ſurſum & deorſum copioſam eduxit ſaburram. Præterea à vino abſtinuit, & pro potu ordinario decocto ſaturejæ, majoranæ & chamædrios cum paſſulis confecto uſus fuit: indeque fugata ſomnolentia, priſtinam recuperavit valetudinem.

*Epicriſis.*

Præſens affectus omni jure nomen comatis ſomnolenti ſcorbutici tuetur; quod nimirum ab humoribus viſcidis, lenteſcentibus, & impuris, per minutiſſima cerebri vaſcula difficulter progredientibus, ibidemque ſtagnantibus ſuos mutuatur natales. Eidem ſcorbuticæ ſuccorum diatheſi reliqua, quæ ſoporem anteceſſerunt, debentur ſymptomata, nimirum febris intermittens, urinæ rufeſcens abſque ſiti & calore color, corporis laſſitudo, crurum dolor, pulſusque debilitas. Quemadmodum vero hanc humorum impuritatem diæta craſſa, cruda, & habitatio in udis paluſtribusque locis generavit: ita eandem magis adauxit febris intermittens, cujus calore ſulphurea & ſpirituoſa ſanguinis portio diſſipatur, & lenti vappeſcenteſque remanent ſucci. Hinc non ſine egregio fructu oblata fuerunt ea remedia, quæ ſanguini blandam reddunt ſpirituaſcentiam, viſcidos humores incidunt, & languidas partes ad motum reſuſcitant. Et hac quidem laude ſuperbiunt antiſcorbutica uſu recepta, uti ſunt trifolium fibrinum, naſturtium, cochlearia, beccabunga &c. Neque tali in caſu alienum eſt, blandum exhibere emeticum; quippe quo & ſaburra è primis regionibus evacuatur; & nervoſæ partes in motum eriguntur. Externis enim remediis in omnibus, quæ à ſcorbutica ſanguinis diatheſi proficiſcuntur, affectionibus parum proficimus.

OBSERVATIO III.

*Coma ſomnolentum ex repulſo eryſipelate.* Vir robuſtus ſexaginta annorum, victui craſſo adſuetus, alvi adſtrictioris, per longum tempus mœrori indulgens, ſingulis ferme menſibus eryſipelaceum in crure ſiniſtro tumorem pati ſolitus fuit. Tandem hyeme exiſtente ſicca idem exanthema, ſed paullo languidius erupit, & perpetuo dormiendi junctum eſt deſiderio: clauſi ſemper erant oculi, pulſus magnus, facies rubicunda, & tertio poſt die pes niger tumidusque adparebat, adeo ut ſphaceli periculum immineret. Conſultus ergo medicus affecto pedi adplicuit epithema, ex floribus ſambuci, myrrha, bolo rubro, ceruſſa, camphora, aceto atque vino confectum, cujus adplicationem cum profundior exciperet ſomnus, ad hunc diſcutiendum præſcripſit ſal volatile cornu cervi. Verum auctus inde potius eſt ſopor, facie tumida, rubicundaque exiſtente; & quum artuum jactationes accederent, alter medicus exinde mortem prænunciavit, quæ paullo poſt eſt inſequuta.

*Epicriſis.*

1) Hippocrates, ſolertiſſimus naturæ obſervator rectiſſime ſcribit, quod ſenes, qui ſæpius eryſipelate tentantur, eo tandem moriantur. Eryſipelas enim rariſſime fit ſine febrili commotione, & quo magis plethorica vel cacochymica invadit corpora, velut ſunt ſenilia, eo gravioribus, quin ſæpe funeſtis ſtipatum eſt ſymptomatibus. Ex his periculoſum valde eſt coma ſomnolentum; quod ſanguinis majori ad caput propter inſultum febrilem raptui debetur; & eo majorem incutit metum, ſi materia eryſipelacea vel ob imbecillitatem naturæ, vel per male feriatas artes retropulſa fuerit.

2) Erravit itaque medicus, quod in præſenti affectu, qui neutiquam ab humore frigido, tenaci, ſed ſanguinis ebullitione & raptu ad caput, teſtibus pulſu magno, vultusque rubore, ortum traxit, calidioribus medicinis, ut eſt ſal volatile, pugnaverit. Hinc enim factum eſt, ut ſanguis magis commotus, & ſopor profundior fuerit redditus. Conſultius fuiſſet, cucurbitulis cum ſcarificatione cervici appoſitis molem ſanguinis imminuiſſe, & deinceps ad temperandum æſtum, materiamque peccantem per tranſpirationem ſucceſſive excutiendam, nitroſa cum pauxillo camphoræ & pulveribus bezoardicis exhibuiſſe, & externe cataplaſma ex aceto roſaceo, camphora, ſpiritu roſarum & oleo ligni rhodii capiti & temporibus adplicuiſſe.

## Observatio IV.

*Lethargus poſt vehementem terrorem.*

Vir ſexaginta ſex annorum, macilento corpore, vaſisque ſanguine turgidis præditus & venam bis quotannis tundendam præbere ſolitus, huic per noviſſimum annum ſuperſedit. Aliquando fortiori perculſus terrore, de extremorum frigore, anxia præcordiorum compreſſione, ſpirandique difficultate conqueri cœpit, facie exiſtente tumida & rubicunda. Paullo poſt capitis gravativus dolor, vertigo, & mira ad ſomnum propenſio cum oblivione accedebat: quæ debellaturus ſymptomata, iter ſuſcipiebat; ſed exinde tam profundum ſibi contrahebat ſoporem, ut eo per quatuor dies ſepultus, nec oculos aperire, nec pedibus inſiſtere potuerit. Excitatus tandem, ingentem virium proſtrationem, artuum languorem, & perpetuam dormiendi proclivitatem perſentiſcebat; rite quidem reſpirabat, at pulſum depreſſum, alvum adſtrictam, urinæ fluxum parciorem, adpetitus proſtrationem, & memoriæ omniumque ſenſuum languorem patiebatur. Quo in rerum ſtatu ego conſultus mox largam ſanguinis quantitatem ex pede detrahendam, & clyſterem ex antiſpaſmodicis ac nervinis paratum, multoque ſale acuatum crebro injiciendum curavi: circa ſomni tempus uſum pediluviorum commendavi; naribus adplicandum præbui ſal volatile ſalis ammoniaci, oleo rutæ majoranæque nuptum; infuſum ex herba majoranæ, ſatureia, floribus anthos, radice ſarſaparillæ loco Theæ potari, & cum eo ſal volatile oleoſum Sylvii cum tinctura antimonii acri propinari juſſi. Unde factum, ut cum priſtina in gratiam rediret valetudine.

### *Epicriſis.*

1) Præſens, de quo ſermo eſt, ſopor ad lethargi claſſem pertinet, qui nunquam non cum oblivione ſenſuumque torpore ſtipatus exiſtit. Is ſuam originem ſero per vaſa ſanguinea ab humoribus ibi ſtagnantibus diſtenta & relaxata ſecedenti debet; & pro remotiori cauſſa ſanguinis juſto majorem ad caput agnoſcit raptum. Cui quidem vitio in præſenti caſu remotiorem occaſionem præbuit intermiſſa, quæ conſueta fuit, venæ ſectio, qua humores præter modum accumulari, & in corpore ſenili partes nervoſas debilitare debuerunt. Accedens terror effecit, ut conſtrictis inferioribus & externis partibus ſucci actu ruerint ad caput, ibidemque ſtagnando, recenſita produxerint ſymptomata.

2) Motus corporis ſicuti ad roborandas ſolidas partes, & æqualem ſanguinis circulum juvandum permultum contribuit: ita in morbis ex humorum abundantia productis, antequam minuatur nimia moles, & excretionum libertas reſtituatur, magis commovendo, magnam parit noxam. Unde etiam inconſultum fuit, quod noſter ægrotans ante præviam venæ ſectionem & alvi liquationem iter ſuſceperit.

## Observatio V.

*Carus periodice revertens.*

Matrona trium ultra ſexaginta annorum, variis curis & ærumnis per aliquot annos agitata, nulliſque poſt menſium ceſſationem naturalibus vel artificialibus adſueta hæmorrhagiis, hiemali aliquando tempore, prævia vertigine, ſpaſmodico-convulſivis prehendebatur motionibus. Hæ enim primum in abdomine vehementiſſimis torminibus, & alvi urinæque retentione ſemet exſerebant; deinceps ad pedes excurrebant, qui attactu gelidiſſimi magno tremore agitabantur; tum manus exercebant, & denique caput occupabant, illudque ab uno verſus alterum torquebant latus. Excipiebant demum omnium tam internorum, quam externorum ſenſuum abolitio, & ſopor profundus; quo quum per triduum, ſpiratione liberiori exiſtente, ſepulta fuiſſet; accedebat febris pulſusque celer, ſub qua aliquando expergiſcebatur, & delira loquebatur. Septimo die largus erumpebat ſudor, quo & febris ſolvebatur, & ſopor diſcutiebatur, adpetituſque cum perfecta redibat valetudine. Et abhinc per noviſſimum triennium idem ille, jam recenſitus paroxyſmus, iiſdem ſymptomatibus ſtipatus bis quotannis circa ſingulum ſolſtitium recurrebat, febreque ſemper ac inſequuto ſudore ſolvebatur. Reliquo tempore optime valet ægrotans, nec ullis huc uſque remediis à deſcripto malo vindicari potuit.

### *Epicriſis.*

1) Siſtit præſens morbus peculiarem cari ſpeciem. Deſcribitur nempe carus, quod ſit ſomnus profundiſſimus, in quo reſpiratio libera eſt, & ægri nulla arte excitari poſſunt. Differt igitur à lethargo, in quo ſpiratio eſt difficilis, & ægri quidem excitantur, ſed oblivioſi ſunt: differt etiam à comate ſomnolento, ubi non perpetuo dormiunt ægri, ſed actiones ſuas peragunt, & ſub iis ipſis obdormiſcunt. Et ſi dicendum, quod res eſt; carus videtur infimus apoplexiæ eſſe gradus; ſiquidem omnium & ſenſuum & motuum ſub eo ceſſat uſus. Cauſſarum etiam in his tribus affectibus hæc mihi videtur differentia, quod coma ſomnolentum à ſanguinis ſtagnatione in cortice cerebri; carus ab ejus profundiori, medullam ſimul & ſenſuum organa penetrante ſtagnatione, & facta ſub hac ſeri tenuioris ſeceſſione; lethargus vero ab actuali ſeri per vaſa relaxata, aut plane rupta & dilacerata extravaſatione ſuos mutuentur natales.

2) In præſenti caſu notabilis eſt peculiaris naturæ vigor. Quum enim ægrotans tam provectam attigit ætatem & nullas ſanguinis habuit excretiones, quarum tamen ceſſatio in ſenili ætate & ſequiori ſexu eſt nocentiſſima; quum etiam diuturnis mœroribus confectum præ ſe tulit corpus: non fuiſſet mirum, ſi gravi ſubito periiſſet apoplexia. Mirandus itaque eſt naturæ vigor; quo excitata febris, diſcuſſit ſtagnantem materiam, eamque per ſudorem excuſſit: id quod critico veluti motu deinceps eſt factum.

### Observatio VI.

*Carus poſt ceſſantes hæmorrhoides aqua frigida curatus.*

Fœmina ſexaginta & tres annos emenſa, robuſtæ ac firmæ conſtitutionis, poſt ceſſantem per ætatis rationem menſtruorum fluxum, ſanguinem è venis ſedalibus ſtato tempore reddere ſuevit, & ſub hac excretione ſana vixit. Quum vero hæmorrhoides aliquando fluere deſinerent; prævia vertigine incidit in altum ſoporem, in quo abſque ullis ſenſus vel motus veſtigiis, pulſu exiſtente celeri & forti, immota per tres decubuit dies, nec ulla arte excitari potuit. Tuſa in pede vena infuſisque fruſtra clyſteribus, arripiebatur conſilium, ut aqua frigida liberiori quantitate ori inſtillaretur: quo factum eſt, ut elapſo trium dierum ſpatio non modo diarrhœa accederet, ſed & hæmorrhoidum fluor recurreret, & ægrotans ſopore diſcuſſo, prorſus ad ſe rediret, omnium rerum ignara, ad hoc uſque tempus ſana vivens.

*Epicriſis.*

1) Cauſſam ſoporoſorum pariter ac paralyticorum affectuum ſæpius quidem nimia humorum præbet moles, ſed nec hæc tanta machinari poteſt mala, niſi ſolidarum & nervoſarum partium acceſſerit imbecillitas. Hoc ex fonte in præſenti caſu egregius aquæ frigidæ effectus poteſt explicari. Poſtquam enim per venæ ſectionem moles humorum imminuta, & per clyſteres eorum raptus à ſuperioribus derivatus fuit: curationi colophonem addidit aquæ frigidæ potus. Hujus ea eſt vis & indoles, ut ventriculo & inteſtinis robur addat: quo recuperato, hæmorrhoides rurſus cœperunt fluere, & ſic depleta ſanguinis abundantia priſtina rediit valetudo.

2) Id non ſemel ſed ſæpius à nobis obſervatum fuit, quod graves illi cerebri affectus ſoporoſi & ſemi apoplectici & paralytici poſt tertium diem ceu dimidium ſeptenarii motu quodam critico vel in melius vel in pejus mutati fuerint; & quod peculiare naturæ robur & vigor in vincendis difficillimis hiſce morbis plus quam remediorum efficacia valuerit; ut etiam veriſſimum illud GALENI *l. X. method.* haberi poſſit: validas vires omnia ſuſtinere, imbecillas à minimis lædi.

### Observatio VII.

*Carus poſt male tractatam febrin eryſipelaceam.*

Vir generoſus, annorum quinquaginta ſex, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus ſpongioſi, venæ ſectioni adſuetus, & intemperantiæ tam vinoſæ, quam ciborum nimis indulgens, aliquando vino ferme fartus tradit ſe itineri, & ſub eo horrore & tanta virium proſtratione corripitur, ut domum attingere non poſſet, ſed in pago manere cogeretur. Lectum petens, profundo & gravi per noctem fruitur ſomno, & mane expergefactus inſignem cruris tumorem cum macula ex bruno rubicunda deprehendit. Vocatus medicus eryſipelas adeſſe pronunciat, & mittit purgantes pilulas, quæ octies movebant alvum. Sed ſequebantur graviora ſymptomata, & æger ſubito omni ſenſu ac loquendi potentia deſtituebatur: unde ſuſpicatus apoplexiam medicus dabat mixturam ex aqua apoplectica, confectione alkermes, oleo cinnamomi & caryophyllorum paratam. Pulſus, qui jam cum aucto calore celer aderat, magis augebatur; & æger ſoporem incidebat profundum, cum inſigni calore, & omnium ſenſuum abolitione ſtipatum, inque eo per octo dies jacebat, & à medico, & ab aliis pro deplorato utique habebatur. Tandem accerſitus alter medicus quærit primum, an aperta ſit alvus? reſpondent, illam per octo jam dies mox à datis pilulis pertinaciſſime clauſam fuiſſe. Injiciendum ergo protinus clyſterem curat emollientem, & hoc votis haud reſpondente, alterum paullo acriorem jubet infundi. Neque inde mota alvo ægrum in lecto hinc inde volvi & agitari præcipit: quo facto mox ſecedebant fæces copioſiſſimæ, grave olentes, & cum his globuli tam duri, ut vix contundi potuerint. Elapſis abhinc binis horis ad ſe redibat æger, actorum inſcius, & de dolore occipitis, corporiſque debilitate querulus. Quare elixiria ſtomachica cum ſale volatili oleoſo combinata, & externe ſpiritus vini camphoratus, ad nucham inungendus, fuerunt ordinata; & æger convaluit.

*Epicriſis.*

1) Quemadmodum vitæ genus inordinatum, multæque crapulæ, debilitando cerebrum & nervoſum genus, remotius ad præſentem ſoporoſum contribuerunt affectum: ita eundem proxime induxit male tractata febris cryſipelacea. Hæc ſeſe exſeruit horrore, cum inſequuta virium proſtratione, & tumore eryſipelaceo, ſtipato; & debetur corporis, vino farti ſub itinere refrigerationi. Datum ad eam expugnandam purgans non potuit non eſſe pernicioſiſſimum: à purgantibus enim & vomitoriis retroactum ſæpius vidi eryſipelas. Nam agunt purgantia vi ſtimulante, qua & inteſtina, & externas corporis partes ad ſpaſmum proritant, quo repellitur acris & cauſtica, quæ ſub eryſipelatis ſpecie excuſſa fuerat, materia.

2) Peccavit deinceps medicus, quod juſto calidius dederit remedium, quo humores in majorem æſtum ac ebullitionem ſunt acti: & facillimum inde fuiſſet, ut phrenitis & gangræna ſuperveniſſent, eo magis, cum ob alvum à dato purgante, pertinaciter ſtrictam, omnis humorum motus ad caput converſus videtur.

3) Hinc alter rectiſſime egit medicus, quod repetita clyſterum infuſione duras fæces emolliverit, imique ventris ſtricturas conſopiverit: unde, reſtituto per corpus ſanguinis æquali circulo, ſopor diſcuſſus fuit. Inde diſcant practici juniores, ut in omnibus morbis alvi rationem ante omnia habeant.

### Observatio VIII.

*Sopor profundus cum relicta memoriæ debilitate.*

Vir quinquagenarius, obeſus, plethorico-ſanguineus, & cacochymicus corripitur aliquando eryſipelate cum horrore & febricula ſtipato. Tertio die pedi tumido epithema ex ſymphyto cum aceto decocto adplicat quidam empyricus; unde mox in profundum ſoporem delabitur æger, ex quo vix poterat ſuſcitari. Vocatus hinc medicus protinus jubet venæ ſectionem inſtitui, clyſteres infundi & interne propinat pulveres nitroſos camphoratos. Unde diſcuſſo ſopore ad ſe rediit ægrotus; ſed cum antea fuerit vir ingenii vivaciſſimi & incomparabilis memoriæ, retinuit jam omnium mentis functionum notabilem imminutionem, tantamque memoriæ debilitatem, ut præteritarum plane ignarus eſſet rerum. Quo in ſtatu, fruſtra uſurpatis omnis generis adminiculis, per aliquot annos & ad vitæ uſque finem permanſit; licet ceterum & adpetitu frueretur integro, & optime nutriretur.

*Epicriſis.*

1) Senſus internos, memoriam, ingenium, phantaſiam, in homine vivo ope nervorum haud ſecus ac externos adminiſtrari; vel exinde patet, quod relaxato cerebro & nervis, aut à ſeroſa colluvie inundato, prorſus hæ ceſſent actiones. Et idem in noſtro caſu contigiſſe poſt diſcuſſum ſoporem, probabile videtur: ſcilicet relicta fuit laxitas & imbecillitas eorum, qui memoriæ & ingenio ſerviunt nervorum.

2) Quemadmodum camphoratorum remediorum, & in pulvere, & cum ſpiritu vini ſolutorum externus uſus in tumoribus eryſipelaceis repellentem & nocivam exſerit efficaciam: ita eadem, in repulſo jam eryſipelate, intus cum nitroſis, poſt præmiſſam venæ ſectionem & alvi liquationem exhibita, egregia pollent vi, materiam eryſipelaceam è corporis penetralibus removendi, & ad cutaneum rurſus corticem, cum magno ſanitatis commodo, propellendi.

## Observatio IX.

*Coma ſomnolentum chronicum à retropulſa podagra.*

Verbi divini miniſter, quinquagenario major, obeſi valde corporis habitus & temperamenti ſanguinei, indulſit in juventutis præſertim annis crebris compotationibus, maximeque vinis calidioribus. Hinc podagricis pedum doloribus diu fuit excruciatus; quibus ope cujuſdam emplaſtri prorſus fugatis, retinuit tumorem circa pedum taleolos, in quo per vices maculæ rubræ efflorescebant, ſquamatim abſcedentes. Præterea ſeptem abhinc annis incidit in perpetuam ad ſomnum proclivitatem, & hanc ad hoc uſque tempus retinuit. Obdormiſcit ſæpius nocte dieque, ſomnoque tam profundo obruitur, ut vix queat excitari; ſub quo facies fit rubicunda & intumeſcit: attamen memoriæ judiciique nulla obſervatur imminutio. Conqueritur ſæpius de dolore gravativo in lumbis, calculum mentiente, & interdum præcordia adeo anguſtante, ut vix ſpiritum ducere queat. Multis ad depellenda hæc vitia uſus eſt præſidiis, nimirum crebris phlebotomiis, quibus intra ſpatium ſex hebdomadum ultra duodecim ſanguinis libræ fuerunt detractæ. Uſurpavit decocta lignorum cum mercurio dulci, decocta viperarum, cinnabarina, volatilia, cephalica, millepedes &c. à quibus involuntarium urinæ ſibimet contraxit fluxum. Optimum in potu aquarum Schwalbacenſium invenit ſolatium; quas quamdiu potabat, tam diu à ſopore liber erat.

*Epicriſis cum conſilio.*

1) Omnes, qui ſoporoſis ex interna cauſſa affectibus vexantur, ejuſmodi ſolent eſſe homines, qui crebris indulſerunt crapulis, viniſque calidioribus aut cereviſiis lupulatis. Hiſce enim ſibimet contrahunt ad omnes, qui ex cerebri atonia propullulant morbos, diſpoſitionem, quæ in eo conſiſtit, quod vaſculoſæ, nervoſæ ac membranaceæ partes nimis diſtendantur & labefactentur.

2) Cauſſa præſentis mali quærenda eſt in podagræ retropulſione; ex qua in debilitatis ejuſmodi ſubjectis innumera proveniſſe vidi damna. Et hinc petenda ratio, cur tali in caſu omnia fruſtra adhibeantur remedia, niſi podagrica materia diſcuſſa, aut ad pedum revocata fuerit articulos. Venæ ſectiones in plethoricis ſubjectis cum fructu quidem inſtituuntur: at ejus immoderatum in caſu præſenti uſum merito taxamus, eique majorem mali pertinaciam omnino tribuimus. In curatione hujus chronici mali vitanda ſunt omnia, quæ ſanguinem commovent remedia, ſudorifera, volatilia ſic dicta cephalica, nervina aliaque; & ad roborandum caput inſerviunt potius epithemata ex aceto vini rutaceo, cum aliquot guttulis olei lavendulæ & roriſmarini nec non camphora parata, & fronti temporibuſque cum linteis adplicata. Præterea magnum fructum obſervavi ab uſu pediluviorum non modo ad revocandam podagram, ſed & ad divertendos humores à capite, quod tamen a vaporibus eſt defendendum. Potus aquæ frigidæ etiam in paroxyſmo nunquam fere non proficuus eſſe ſolet; magis tamen ubi febris ſubeſt: utpote frigus motum ſanguinis expanſivum coercet & nimium relaxatis fibris tonum & elaterem naturalem reſtituit.

## Observatio X.

*Lethargus à remanente materia arthritica.*

Vir dives generoſus, annorum ſupra quinquaginta, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, obeſi corporis habitus, in juventute multum ſemper pituitæ ex naribus excrevit, gulæ, otio, vino & veneri plurimum indulgens per aliquot annos tempore autumnali & vernali cum febricula catarrhali dolores mox in manibus mox in pedibus expertus eſt. Sed poſtquam æſtate nimium fructibus horæis refrigerantibus, fragis, ribibus, lacte ebutyrato, & Pyrmontanis quoque aquis uſus fuit, ſequenti autumno, à conſuetis ejuſmodi doloribus artuum plane fuit immunis. Præter modum vero de languore virium, membrorum laſſitudine, dolore capitis gravativo, ſpirandi difficultate & continua in ſomnum propenſione conqueri cœpit. Poſtea acceſſu venti frigidioris borealis ſimul & ſemel ſopor ita invaluit, ut ægerrime excitari, nec ad interrogata reſpondere potuerit. Pulſus erat magnus, mollis & frequens, alvus obſtructa; urina ſecedebat tenuis & cruda, & mentis quoque levior aderat alienatio. Ego vocatus in conſilium reperi ægrotantem in conclavi humidiori & demiſſiori jacentem in lecto. Quare mox eum in locum ſuperiorem tranſportandum juſſi: Proinde ſpiritus cryſtallorum veneris cum oleo rutæ deſtillato roboratus applicabatur naribus. Clyſter aliquoties injectus fuit, qui conſtabat ex decocto majoranæ, ſatureiæ, ſale ammoniaco, adjectis ſex granis tartari emetici ſolutis, qui ingentem ſemper pituitæ viſcidæ cum ſordibus eduxit copiam. Cucurbitulæ cum ſcarificatione primo dorſo, deinde ſcapulis, poſtea occipiti applicatæ fuerunt. Interne per vices oblatus fuit ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus cum eſſentia caſtorei ſaturata mixtus; vehiculi loco adhibuit aquam fontanam frigidam, quam etiam ſumſit pro potu. Veſicatoria pedibus applicata nullas excitabant veſicas; in nucha vero, tanquam parte ſenſibiliori eas omnino producebant. Remiſſior quidem fuit morbus inde redditus; circa ſeptimum vero diem purpura in ſuperioribus partibus adparuit cum largo ſudore univerſum corpus paullatim occupante. Ita ſenſim ſenſimque morbi vi depulſa & vires & functiones animales redierunt. Ad arcendam recidivam abſtinentiam cum exercitio corporis, victum quoque attenuantem & exſiccantem, & infuſum herbæ ſatureiæ, majoranæ,

&

& florum amicæ, ac cardamomi ſingulo mane ſorbillandum plurimum commendavi. Tandem altero anno thermis Carolinis me ſuaſore adhibitis, rediit dolor podagricus, ex quo optime convaluit.

*Epicriſis.*

In hac morbi hiſtoria multa obveniunt notatu digna. Morbus hic, qui nomen lethargi recte ſortitur, in homine obeſo, humidioris conſtitutionis, ab inordinata diæta, otio & abuſu fructuum refrigerantium, per quem materia arthritica intus remanſit, & ſpaſmos in inferioribus partibus produxit, qui humores ſeroſos ad caput propulerunt, natus fuit, ad cujus geneſin multum quoque habitatio & dormitio in loco decliviori & humidiori contulit. Quod uti nunquam non inſalubre, ita quam maxime ad morbos capitis & nervorum, qui ex atonia veniunt diſponit. Ita HILDANUS *cent. IV. obſ. XI.* ex fumo fornacis non ita pridem exſtructæ lethargum & mortem annotavit. Atque nos ſæpius capitis morbos cum defluxionibus, cum auditus difficultate, vertigine, ſomnolentia, in fœminis quæ lavatione linteaminum operam dant, item quando circa fornaces hyeme linteamina exſiccantur, obſervavimus. Quare etiam balnea & pedum lotiones ſi caput imbecillum eſt, vel ad ſoporem aut paralyſin diſpoſitum, non conveniunt. Denique non ſine fructu emetica in clyſteribus etiam dari poſſunt, & longe ſecurioris ſunt effectus quam acriora purgantia, cujus generis ſunt colocynthiaca, ad humores à capite revellendos. Tandem neque hoc loco prætereundum, quod criſis in affectus etiam ſoporoſos, præſertim ſi cum febre conjuncti ſunt, incidat.

---

## CAPUT III.

### *De Vertigine.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Definitio vertiginis.* HAud ultimum inter cerebri morbos locum tuetur vertigo; malum frequentiſſimum, quod omnes capitis affectiones nunquam fere non & antecedit, & comitatur. Ea eſt ſenſatio circumgyrationis & lapſus, vel cum vel ſine corporis proſtratione in terram conjuncta, à compreſſione nervorum opticorum, intra calvariam adhuc abſconditorum, & hinc pendente vitioſo fluidi nervei in tunicam retinam influxu originem trahens.

§. II.

*Hiſtoria vertiginis.* Ex improviſo nimirum fit, ut ægrotantes omnia objecta, ſeque ipſos circumrotari ſibimet videantur, atque ſub idea imminentis lapſus titubent, pedibusque vacillent; tum vero oculi obſcurentur, quin ipſi prorſus nonnunquam inſtar apoplecticorum concidant. Junguntur ſæpenumero capitis torpor, dolor, gravitas, aurium ſuſurrus & tinnitus, oculorum mador, viſio vitiata & vel duplicata, vel dimidiata, faciei rubor, ſomnolentia; tumque ſi vel levis inclinatio capitis in terram, vel corporis circumgyratio acceſſerit, protinus oritur vertigo. Occupat ſubjecta potiſſimum ſanguinea, edacia, ſenilia, viribus defraudata, hypochondriaca, hyſterica, nephritica, & quæ alvi ſunt durioris, imique ventris cruciantur ſpaſmis. Interdum ea primarium conſtituit morbum: non raro tamen graviorum capitis affectuum, velut eſt apoplexia, paralyſis, ſoporoſi morbi, epilepſia &c. prænuncia, cumque ipſis complicata deprehenditur.

§. III.

*Gradus vertiginis.* Digni vero ſunt, ut annotentur, tres potiſſimum vertiginis gradus; quorum leviſſimus, omnisque periculi expers dicitur Δῖνος, quaſi turbo; quoniam adfecti ſe in orbem agitari, & omnia ſecum in gyrum rotari putant, neque tamen concidunt, nec caliginem oculorum experiuntur. Huic obnoxii ſunt, qui navi vehuntur, qui ſe in orbem rotant, qui Tabaci fumum crebrius ſugunt, aut crapulis frequenter indulgent. Alter gradus vocatur Scotomia ſeu vertigo tenebricoſa, in qua præter dictam rotationis ideam, & pedum vacillationem, oculi caligine ſuffunduntur. Antecedit ea vomitum, aliosque, qui ab inferioribus ad ſuperiora adſpirant, ſpaſmodicos affectus; & exprimitur: *Es wird mir grün und gelb für denen Augen.* Summus & graviſſimus gradus adpellatur vertigo caduca, & revera eſt ſpecies levioris apoplexiæ, vel etiam epilepſiæ. Antecedunt enim ſpaſmi partium infernarum, formicationis ſenſum exhibentes; tum ſuboritur idea graviſſimi in præcipitia lapſus, & non ſolum objecta circumrotari videntur, oculique caligant, verum ægri etiam, niſi contineantur, ſubito in terram proſternuntur, quin ſæpius omni ſenſuum, motuum, loquelæ ac rationis uſu deſtituti, mortuorum inſtar jacent; quales notatu dignos caſus reperies in CONSULT. MED. *T. I. S. I. caſ. IX. & X.* & in A. N. C. *dec.* II. *anno VIII. obſ.* 41.

§. IV.

*Diviſio vertiginis in idiopathicam & ſympathicam.* Omnis vertigo merito diſtinguitur in idiopathicam & ſympathicam. Prior cauſſam in ipſo cerebro hærentem agnoſcit, & longe gravior eſt poſteriori. Complicantur cum ea alii capitis affectus, & raro eſt periodica. Poſterior fit vitio ventriculi, acida & acri ſaburra prægnantis, & ſe prodit per conjunctam nauſeam, vomendi proclivitatem, ructuoſam moleſtiam, ventriculique gravitatem. Plerumque eſt periodica, & jejuno exiſtente ſtomacho graviſſime urget, ſumto autem vel pauxillo cibi protinus conquieſcit.

§. V.

*Vertiginis ſedes.* Sedem vertiginis determinaturi obſervamus eam circa viſionis potiſſimum organon hærere. In ipſo quidem oculo, quatenus intra orbitam continetur, nullum nec extrinſecus cernitur, nec poſt mortem reperitur vitium; hinc non ſine ratione colligitur, illud in nervo quærendum eſſe optico. Jam vero in demortuis, qui per vitam ſatis gravi laborarunt vertigine, deprehendimus vel plexum choroideum, vel tertium cerebri ventriculum præter naturam fuiſſe conſtitutum. Sic enim SCULTETUS *in armam. chir. obſ.* 19. plexum choroideum vidit rubicundiſſimum; BONETUS *Sepulchr. L.* I. *S. XI. obſ.* 8. tam in ovibus vertiginoſis, quam hominibus invenit ſanguinem concretum, vel tumorem veſicularem, tertium cerebri ventriculum occupantem, & ROLFINCTKIUS *in diſſ. anat. L.* I. *C.* 13.

adfirmat, ſe in vertiginoſis ovibus poſt mortem veſiculas aqueo humore plenas, & intra tertium cerebri ventriculum contentas, plus ſimplici vice, in homine ſemel obſervaſſe. Nihil autem vitii ipſo in optico nervo deprehenſum eſt; in quo tamen ſedem mali oportet reſidere. Quo id ergo fiat pacto, mox explicabimus.

## §. VI.

*Structura nerv. optici.*

Cerebrum diſſecanti, & ad plexum choroideum, qui eſt congeries plurimorum tam arterioſorum, quam venoſorum vaſculorum, pervenienti, hoc ſublato ſeſe ſiſtunt bina ſtrata ſeu thalami nervorum opticorum, inter anum & vulvam ſitorum, & per quandam fiſſuram, ſub qua tertius cerebri ventriculus prodit, ab invicem diſtinctorum. Ab horum ſuperiori parte oriuntur bini nervi, qui dicuntur optici, qui non niſi pia meninge inveſtiti, & dictos thalamos ab utroque latere complexi, antrorſum progrediuntur, & ante infundibulum arctiſſime conjunguntur; mox iterum ſecedentes tendunt ad oculi orbitam; tum eos ab utroque & externo latere tranſverſim attingit carotis interna arteria; ac denique perforant foramen, eorum tranſitui in poſteriori orbitæ parte deſtinatum, cumque matre dura, inſtar vaginæ cincti, per oculos diſtribuuntur, & horum varias conſtituunt partes. Si oculo recte conſtituto, nervus opticus vitio caret, & legitimus in illum fluidi nervei fit influxus, viſio exercetur integra. Sublato penitus iſtius fluidi influxu, naſcitur cœcitas; eodem vero quocunque modo tantum imminuto, varia viſionis vitia emergunt. Imminuitur influxus per dicti nervi compreſſionem: comprimi poteſt nervus à partibus vicinis præter naturam conſtitutis: partes vicinæ ſunt plexus choroideus, arteria carotis, ventriculus cerebri tertius. Ergo ab harum partium præternaturali conſtitutione nervus opticus, licet in ſua ſubſtantia integer, comprimi, & ideo vertigo etiam ſuboriri poteſt.

## §. VII.

*Formalis ratio vertiginis.*

Scimus ergo, imminutiorem fluidi nervei in nervos influxum producere varias viſionis læſiones, velut viſionem duplicatam, dimidiatam, obſcuram & circumgyrationis ſenſum: ſed quomodo ideæ in mente excitentur, & quantum influentis fluidi ad ſingulam producendam requiratur; determinatu & difficillimum & inutile eſt. Sufficit, ſi ex hactenus dictis cognoverimus, vertiginis formalem rationem in fluidi tenuiſſimi influxu in nervos opticos per eorum compreſſionem imminuto conſiſtere. At unde pedum vacillatio? Senſum circumgyrationis comitatur idea caſus; hæc involvit metum; metus ideam ſequitur pedum titubatio, quæ confuſo fluidi nervei in muſculos ſitum erectum efficientibus influxu abſolvitur; Ergo ſenſum circumgyrationis ſequitur pedum titubatio. Hæc docet experientia; ſed unde fiat, quod certi corporis motus ſequantur certam in anima ideam, nobis adhuc obſcurum eſt.

## §. VIII.

*Quomodo vertigo inducatur ab ebrietate.*

Devolvimur ergo ad cauſſas, compreſſionem nervorum opticorum producentes. Siſtit ſe primum ebrietas, quæ plerumque vertiginoſam perturbationem, pedumque vacillationem habet comitem. Vinum ſcilicet ebrietatem, & hinc pendentem vertiginem duplici ratione cauſſatur: nam fovet 1) principium ſubtile, vaporoſum, quod majori copia ad cerebrum delatum, puriſſimam nervorum lympham inquinat, & ad ſenſus motuſque rite præſtandos inertem reddit. 2) Principium ſpirituoſum, unde ſanguis expanditur, & arteriæ carotides, vaſaque diſtenta thalamos nervorum opticorum, ipſoſque nervos comprimunt: ſicut id de vino MED. SYST. *T. II. Part. III. C. IV.* §. *VIII.* & de cereviſia §. *XII.* fuſius explicavi. At hæc vertigo tranſitoria eſt, & difflato principio vaporoſo, ſopitaque ſanguinis ebullitione tranſit. Quare nec de hac, nec de ea, quæ per vectionem in navi, aut corporis rotationem inducitur, tanquam non morboſa nobis nullus eſt ſermo.

## §. IX.

*Vertigo ſuboritur à ſanguinis ſtagnatione.*

Ex cauſis potius morboſam vertiginem inducentibus, principalis eſt ſanguinis nimia in arteriis carotidibus, & vaſis plexum choroideum conſtituentibus, ſtagnatio. Hinc vertiginem patiuntur valde plethorici, cumprimis ſi conſuetæ excretiones per narium hæmorrhagias, hæmorrhoides, vel menſes in fœminis ſubſtiterunt, aut imprudenter ſuppreſſæ fuerunt. Non minus hoc malum incurrunt, qui conſuetas venæ ſectiones, aut ſcarificationes neglexerunt. Eo magis huic morbo obnoxii ſunt plethorici, ſi ſimul hypochondriacis, hyſtericis, nephriticis, ſpaſmodiciſque imi ventris paſſionibus vexantur; quibus ſanguis majori impetu ac copia ad caput fertur. Et novi quidem juvenes hypochondriacos, ſanguiniſque miſſiones nunquam paſſos, qui vertigine uno impetu & ictu invadente rapti, perque aliquot horas detenti, ſecuto autem vomitu ſtatim liberati fuerunt.

## §. X.

*nec non à colluvie ſanguinis ſeroſi.*

Eandem vim obtinet ſerum, in debita excretione cohibitum, ac intra cerebri ſanguinea vaſa accumulatum. Quam ob rem videmus cachecticos ſæpius vertiginem pati; eademque chronica ac pertinaciſſima adfligi, quibus ſeroſæ manationes per aures, oculos & nares fuerunt cohibitæ. Hinc de vertigine diuturna ex coryza ſuppreſſa in CONSULT. MED. *Sect. I. Caſ. VIII.* de eadem per reſtitutum ſeri è naribus effluxum ſoluta *ibid. Sect. IV. Caſ. CLXIV.* & de ea cum fluxu auris rheumatico alternante *Sect. IV. Caſ. CXXXIV.* exempla leguntur. Inde etiam vernali ac autumnali tempore, quo repentinæ tempeſtatum mutationes contingunt, frequentes obſervamus vertigines. Has porro progenerant narcotica, inque primis lolium illud frumentaceum, quod ab effectu vocatur temulentum, ſub pane aut pulte comeſtum: quales caſus A. N. C. *dec. II. anno VIII. obſ.* 173. *& dec. III. anno II. obſ.* 127. allegant. Nec ſilentio prætermittendæ ſunt violentiæ extrinſecus capiti illatæ, quippe quibus humorum ſtagnatio & extravaſatio facillime inducitur: unde ſatis gravis ac diuturna fuit illa vertigo, cujus in CONSULT. MED. *Sect. I. Caſ. XLVIII.* mentio fit, & quæ à vehementi in caput lapſu originem traxit.

*à lolio temulento.*

## §. XI.

*Ratio vertiginis ſympathicæ.*

Sympathicæ vertiginis cauſſa reſidet in primis viis, maximeque ventriculo, & non niſi hujus vehementiori debetur ſpaſmo. Namque dum primæ regiones valide conſtringuntur, cogunt vitales ſuccos ad ſuperiora, qui ibidem copioſius colle-

collecti, & intra plexus potiſſimum choroidei vaſcula ſtagnantes, vertiginem pariunt. Hinc frequens vertigo eſt iis, qui primas officinas ſaburra acri bilioſa onuſtas habent; qui conſuetas intermiſerunt purgationes; qui leguminibus, & qui flatus movent, cibis largius veſcuntur, qui vermes intra canalem inteſtinorum alunt, qui vehementi vomitu torquentur &c. Et hæc quidem vertigo, jejuno exiſtente ventriculo, maxime urget; propterea quod tum acriores ſint ſordes: nam ab adſumtis alimentis, & ſic acrimonia per ſubeuntis cibi admixtionem temperata, ſtatim remittere ſolet affectus.

§. XII.

*Cauſſa occaſionales Vertiginis.*

Quum videmus in multis à cauſſa leviſſima vertiginem produci, quam in aliis ne gravior quidem excitaret: ſupponenda in illis eſt major cerebri & nervorum ad fovendas vertiginis cauſſas diſpoſitio. Et hanc cum MURALTO *in A. N. C. dec. II. ann. VIII. pag. 26.* in generis nervoſi, vaſculoſi, & membranoſi debilitate collocandam arbitramur: qua fit, ut irruenti cruori non ſufficiens ſit vaſorum reſiſtentia, unde facilius ille ſtagnare poteſt. Hinc omnia, quæ caput debilitant, aditum huic adfectui parant, velut ſunt ætas ſenilis, vigiliæ diuturnæ, frequens crapula, venus nimia & immatura, animi diuturnus mœror, vita ſedentaria, & id genus alia. Hinc etiam leves cauſſæ eundem provocant; ut ſunt capitis in terram inclinatio, terror, frigus, crapula, balneorum improvidus uſus. Sic vertiginem à frigore ſemper recrudeſcentem adnotant A. N. C. *dec. anno VIII. obſ. 5.* eandemque à terrore in hypochondriaco ſubortam recenſui in CONSULT. MED. *S. I. Caſ. XXXII.*

§. XIII.

*Prognoſis vertiginis.*

Vertigo, quæ à vitio ventriculi ſuboritur, levis eſt, & repurgato ceſſat ventriculo: quæ vero ex imi ventris ſpaſmo, conjuncta nervoſi generis debilitate, natales ſuos mutuatur, altioris eſt indaginis magiſque diuturnum portendit morbum. Semper gravior eſt idiopathica, quæ à ſanguinis aut ſeri ſtagnatione in cerebro proficiſcitur; & metu inſequuturæ guttæ ſerenæ, paralyſeos, apoplexiæ, aut ſoporoſi affectus terret, maxime in ſenibus. Qui jam paſſus eſt inſultum apoplecticum, & corripitur rurſus vertigine, habet cur à recidiva apoplexiæ ſibi metuat. Graviſſima vertigo eſt caduca, quippe quæ cauſſam profundius cerebrum penetrantem fovet, & revera nihil, niſi apoplexiæ levioris eſt ſpecies.

*CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Ut promtum & expeditum huic malo adferatur auxilium; binas potiſſimum indicationes reſpicere oportet medentem, ut nimirum ſanguinis & humorum in capite ſtagnationem diſcutiat, eorumque raptum ad inferiora derivet; & deinceps ut ſyſtema partium nervoſarum à tono ſuo dejectarum corroboret. Quum vero variæ ſint cauſſæ, quæ majorem ſanguinis, quam par eſt, ad caput compellunt quantitatem, harum in curatione habeatur ratio, neceſſe eſt.

§. II.

*Miſſionum ſanguinearum utilitas.*

In recenti malo, corpore exiſtente valde plethorico, facie rubicunda, arteriiſque fortiter pulſantibus, nihil eſt præſtantius ſanguinis miſſione. Quam ob rem, ut ad remotiores partes ſanguis retrahatur, in pede ſecanda vena, multumque ſanguinis mittendum. Deinceps ſi menſium vel hæmorrhoidum irregularis ſit ſucceſſus, opus eſt, ut per commodam medendi rationem hæ revocentur excretiones. Hæmorrhoidariis hirudinum ad anum adplicatio præſentaneam non raro tulit opem; ſicut confirmat obſervatio CONSULT. MED. *Sect. I. caſ. VIII.* inſerta. Quando narium hæmorrhagia vel ſuppreſſa, vel ſponte ceſſans malum induxit: præſtans auxilium ferunt ſcarificationes cervicis & dorſi; præſtantius autem & certius eædem, more Ægyptiorum naribus admotæ.

§. III.

*Remedia ſanguinem a capite derivantia.*

Miſſo ſanguine ſæpius totum depellitur malum, quod ſi cedere recuſet, inſiſtendum eſt remediis ſanguinem a capite derivantibus. Eminent ex iis præſentemque virtutem exſerunt clyſteres, iteratis injiciendi vicibus; vel etiam laxantia, quæ blanda & ſimul roborantia eſſe debent; quo nomine ſuperbiunt pilulæ balſamicæ vel ad noſtram vel Beati STAHLII mentem concinnandæ; aut laxans ex manna, rhabarbaro, & cremore tartari confectum, addito oleo de cedro. Utiliſſima porro ſunt pediluvia crebro adhibenda; quæ tamen tepida tantum oportet eſſe; quoniam calidiora ſanguinem commovent, & recurſum mali provocant.

§. IV.

*Curatio vertiginis ſympathicæ.*

Ubi cruditates acidæ, bilioſæ, acres, ventriculum obſidentes, malum produxere: opus ſæpenumero eſt, ut blando emetico evacuetur ea ſaburra; quo fine in robuſtioribus tartarus emeticus, in ſenſibilioribus radix Ipecacuanhæ operæ faciunt pretium. Si præ iis magis arrideant purgantia, ea paullo validiora eſſe præſtat; & eo ſcopo pilulas balſamicas extracto hellebori nigri permiſcere. Quando acidum ventriculo inſidet, præmittendi & ſubjungendi ſunt pulveres abſorbentes ac digeſtivi, cum oleo nuciſtæ combinati; vel etiam martialia cum pilulis balſamicis alternanda.

§. V.

*Curatio vertiginis hypochondriacæ.*

Diuturnioris perinde ac difficilioris ſanationis eſt vertigo, quæ hypochondriacis paſſionibus, cum generis nervoſi debilitate complicatis ſociatur. Lenioribus in ea pugnandum eſt medicinis, quæ diſcutiant flatus in abdomine ſubſiſtentes, acrimoniam ventriculi obtundant, ſordes per alvum blande evacuent, ac ſpaſmos imi ventris demulceant. Hoc nomine præſtantiſſimæ utilitatis deprehendi pulverem, ex pulveris Marchionis drachmis duabus, cornu cervi philoſophice præparati, nitri depurati, cinnabaris præparatæ, lumbricorum terreſtrium ana drachma dimidia, & olei macis guttulis tribus confectum, atque bis quotidie cum aqua analeptica exhibendum. Conjungenda laxantia, pediluvia, ordinatæ venæ ſectiones, ac recta vivendi ratio.

§. VI.

*Quænam partes nervoſas roborent.*

Sic ſubtracta mali cauſſa, ſtudendum ut roboretur nervoſarum partium Syſtema. Ad quem obtinendum finem amplam laudem meretur noſtrum vitæ balſamum, quod & externe vertici infundi, & naribus admoveri, & interne in elæoſachari forma propinari cum fructu poteſt. Adjuvat

juvat etiam ægros ſpiritus ſalis ammoniaci inter cibos acceptus. In chronica vertigine ex vitio hypochondriorum ſoleo roborandi fine circa quadras lunæ per aliquot dies ſequens exhibere electuarium: Recipe viſci querni, corticis chinæ ana unciam dimidiam, pulveris florum chamæmeli, lumbricorum terreſtrium ana drachmas duas, ſuccini præparati, extracti cardui benedicti ana drachmam unam, caryophyllorum, cinnabaris nativæ præparatæ ana ſcrupulos duos, ſyrupi berberum uncias binas. M. F. electuarium, cujus drachma pro una doſi exhibeatur.

§. VIII.

*Diætæ recta ratio.* Omnis autem curatio erit irrita, niſi adjuvetur recto rerum non naturalium uſu. Quare cibos oportet eſſe faciles, quibus concoquendis ſufficiat digeſtionis officina; removeantur acria, ſalſa, acida, leguminoſa, & quæ flatus pariunt. Qui debilem ventriculum fovent; iis prodeſt jejuno tempore cortices citri vel aurantiorum maſticare. Nec quidpiam eſt, quod magis vertiginoſos lædere valet, quam potus vinoſi, ſpirituoſi ac cereviſiarii; quorum in locum vel decocta, vel fontem Selteranum modico vini nuptum ſubſtituere juvat. Motus corporis ſit cautiſſimus, ac placidiſſimus; ne ex vehementiori commotione novus excitetur paroxyſmus. Aër ſeligatur temperatus ac ſerenus; omne frigus, maxime partium infernarum fugiatur; & ab iracundia, terrore, mœrore, quantum poſſibile, caveatur. Hæc qui rite obſervaverit, quique ſanguinis molem debito tempore imminui & excretionum naturalium libertatem conſervari curaverit; habebit modum, quo ab ulteriori & vertiginis, & aliorum cerebri morborum invaſione ſemet vindicare poteſt.

## *CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Quid conducat in vertigine ex ſpaſmo ventriculi ſuborta.* Quando ex ſpaſmo ventriculi vertigo, ut ſæpe fit, oritur; utiliſſimus eſt pulvis Marchionum, cum pauca cinnabari, extracto caſtorei, & nitro mixtus, & in aqua liliorum convallium datus. Inſignis etiam eſt efficaciæ pulvis ex cubebis, nuciſta, & lapidibus cancrorum paratus: neque minus deſideratiſſimam in tali caſu opem ferunt pilulæ Wildeganſii.

§. II.

*Curatio vertiginis chronicæ idiopathicæ.* Fit nonnunquam, ut ex diuturniori ſanguinis intra vaſa plexus choroidei ſtagnatione, ſerum ſecedat, & vel in tertium cerebri ventriculum, vel alium locum, unde nervos opticos poteſt comprimere, extravaſetur. Quo in caſu utiliſſimum eſt, bregma ferro candenti inurere; aut nuchæ admovere veſicatoria. In tali etiam vertigine, quam à cauſſa frigida ſubortam dixere veteres, ſi molliori haud cedit medicinæ, cura per inediam, conjunctis fonticulis & cinnabarinis remediis locum habet.

§. III.

*Uſus thermarum.* Quemadmodum in vertigine idiopathica internus acidularum, thermarumque uſus neutiquam proficuus exiſtit; tantum abeſt, ut inde ſtaſis humorum in capite augeatur: ita eadem ab hypochondriorum vitio progenerata, præmiſſa convenienti medicina, optimum à bene ordinato thermarum vel acidularum tepefactarum uſu recipit auxilium: teſtante obſervatione CONSULT. MED. *Sect. I. Caſ. X.* inſerta.

§. IV.

*De vertigine gravidarum.* Gravidæ ſæpe numero vertigine adfliguntur; quæ non modo plethoræ qua pollent, verum etiam alvi adſtrictioni & flatuum retentioni, ipſis familiari debetur. Tali caſu omne curationis abſolvitur negotium, ſi adminiſtrata venæ ſectione, flatus ſubducantur & alvus aperiatur vel infuſo clyſtere, vel laxante paſſulato, mannato ac rhabarbarino. Vidi etiam ſubito ortam vertiginem in iis, qui per aliquot dies ſuppreſſam habuerunt alvum: ubi infuſo clyſtere, datoque intus oleo amygdalarum dulcium, omne protinus ceſſavit malum.

§. V.

*Cautela circa uſum roborantium.* Balſama roborantia, ſpirituoſa, nervina, confortantia magis in hoc affectu proficua ſunt ſenibus, & infirmis corporibus; ſubjectis vero junioribus, floridioribus & plethoricis minus conveniunt, niſi antea vena tuſa, ac alvus evacuata fuerit. Tum etiam conveniunt infuſa calida ex herbis cephalicis, radice valerianæ, & cubebis parata; nec non cucupha à Wepfero inventa, quam LENTILIUS in *Miſcell. P. I. p.* 74. *& P. II. p.* 314. deſcribit. Vitando vero cuncta ſunt; quæ nervos debilitant, ut ſunt omnia vaporoſa, narcotica, moſchata & camphorata.

§. VI.

*Remedia in vertigine ſpecifica.* Sæpiſſime fit, ut cum vertigine complicentur affectus nephritici; quo in caſu bina notiſſimum remedia efficaciſſima & velut ſpecifica deprehendi. Unum eſt ſuccus ex dauco hortenſi recens expreſſus, cui, mane ea quam octo cochlearia capiunt quantitate aſſumto, infuſum theiforme ex veronica, meliſſa, betonica, radice liquiritiæ & ſemine fœniculi ſuperbibendum dedi: alterum eſt pulvis ex lapidum cancrorum, radicis pimpinellæ nigræ, & iridis florentinæ æquali pondere compoſitus, & ad drachmam dimidiam bis quavis hebdomade veſperi ſumtus. Ex quorum remediorum uſu per aliquot hebdomades protracto magnam vidi efficaciam.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Vertigo levis ſtomachica.* Vir quadraginta annorum meditationibus nimium indulgens, & animi mœrore, curiſque per longum tempus agitatus, tandem de inſigni capitis gravitate & levi vertigine conquerebatur; quæ in eo conſiſtebat, quod mane potiſſimum & jejuno exiſtente ſtomacho cuncta objecta videbantur nigra, & ipſe pedibus vacillabat, ut ſine lapſus metu vix ingredi potuerit. Ingraveſcebant hæc vitia, ſi tempeſtas ingruebat aquilonia; & præterea ſæpius pituita viſcida acida, interdum aqua limpida cum levi animi deliquio mane per os eructabatur; alvo exiſtente ſtrictiori: Implorato noſtro auxilio ordinavimus pilulas noſtras balſamicas, alternis diebus circa lecti introitum ſumendas, & temperata quotidie pediluvia. Mane & hora pomeridiana quinta dedimus pulverem noſtrum bezoardicum; & ſub epulis eſſentiam corticum aurantiorum; cum balſamo

ſamo vitæ remixtam. Eodem balſamo inungi tempora cum vertice, eundemque naribus admoveri, & quandoque loco pulveris bezoardici ad decem guttulas cum infuſo betonicæ, meliſſæ, ſalviæ & veronicæ intus exhiberi juſſimus. Extrinſecus ad reprimendum humorum ad caput raptum capiti non ſine fructu adplicuimus epithema ex camphora in ſpiritu roſarum ſoluta, aceto rutaceo, roſaceoque confectum; & mane panem butyro illitum, ut comederet, ſuaſimus. Inde obtinuimus, ut perfectam æger recuperaret ſanitatem.

*Epicriſis.*

Eſt hæc vertigo ſympathica ſtomachalis, quæ à cruditatibus acidis, ventriculumque vellicantibus origines trahit. Fovet enim ventriculus inſignem cum capite conſenſum vi paris nervorum vagi, per quod ſpaſmi ac ſtricturæ ſimul ad ſuperiora propagantur. Præterea præcordiorum ſtricturæ id ſecum trahunt incommodi, ut humores ad caput compellant, qui vel in carotidibus arteriis, vel plexu choroideo accumulati, ſtagnantes, nervoſque opticos, comprimentes, vertiginem inducunt. Quo acrior igitur eſt materia in ventriculo hoſpitans; eo gravior & ſpaſmus & vertigo eſt: qualis matutino præſertim tempore, ubi jejunus eſt ſtomachus obſervatur. Quare crebra etiam compertum habemus experientia, nunquam vertiginoſis utile eſſe, ut jejuni permaneant; ſed magno ipſis eſſe levamini, ſi mane parum cibi, & vel ſolius panis butyro illiti aſſumant. Curatio eo dirigi debuit, ut ſordes ex primis viis removerentur, & ventriculus una cum nervoſo genere corroboraretur: qui ſcopi propoſitis medicaminibus optime potuerunt obtineri. Nec enim opus fuit, in præſenti per diuturnos mœrores ac meditationes valde debilitato, venam ſecare; id quod in vertigine idiopathica nunquam intermitti debet.

OBSERVATIO II.

*Vertigo caduca cum ſenſuum abolitione & artuum impotentia.*

Vir annorum ſexaginta ſex, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis obeſioris, matre nephritide ac vertigine caduca defuncta natus, in juventute ſua ſanus vixit, niſi quod arthriticos quandoque & nephriticos motus fuerit perpeſſus. Poſtquam vero per octo noviſſimos annos vitam magis otioſam ſub diæta lauta vinoſaque egit; ſenſit primum motus hæmorrhoidales, dein ſub potu thermarum Carolinarum mictum cruentum; & denique gravem nephritidis paroxyſmum, alvi obſtructione, vomendique conatibus ſtipatum, ſed ope emulſionum & nitroſorum ſemper ſuperatum, aliquoties toleravit. Succeſſit demum vertigo cum artuum imbecillitate, quæ licet uſu venæ ſectionum & laxantium mitigari primum videretur; paullo tamen poſt ex improviſo vehementior cum vomitibus & ſenſuum abolitione recrudeſcebat. Sopitis per pulveres antiſpaſmodicos vomitibus, vertigo caduca adhuc per quatuordecim inhærebat dies, leni febricula ſtipata, ſub qua æger non incedere valebat, & pedes mirum in modum vacillabant. Anno abhinc elapſo ad roborandos pedes deſcendit in balnea calidiora cum herbis radicibuſque nervinis parata; ſed brevi poſt in plenariam memoriæ abolitionem, cum linguæ paralyſi & ſumma extremorum debilitate conjunctam incidit. A quibus ſenſim liberatus incommodis, tantum tamen pedum retinuit imbecillitatem, ut vix incedere poſſit. Ab eo tempore nephritici motus plane ſiluerunt, & magis magiſque pingueſcit corpus: ſed vertigo per intervalla revertitur, & cum ſternutatione non modo invadit, verum etiam finitur. Conſultus ego ſuaſi, ut pro ratione plethoræ bis quotannis vena in brachio ſecaretur; loco cereviſiæ decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ſantalo citrino, raſura ligni aloes, paſſulis ac cinnamomo adhiberetur, ſumto deſuper pauxillo vini: victum commendavi exſiccantem, abſtinentiam à pinguibus, carnibus coctis, & juſculis; nec non pediluvia ex herbis nervinis, ſale communi, cineribuſque clavellatis parata, & poſt horum uſum juncturas & os ſacrum unguento martiato, cum oleo roriſmarini, thymi & majoranæ mixto inungendas ſuaſi.

*Epicriſis.*

1) Præſens vertigo debetur congeſtioni humorum ad caput, à ſpaſmis hypochondriorum hæmorrhoidalibus & nephriticis productæ: unde etiam ejus ſingulos paroxyſmos vomitus ſunt comitati. Pedum vero inſignis vacillatio, non à ſola vertigine derivanda; quippe qualis non niſi ſub ipſo vertiginis paroxyſmo ſemet exſerere ſolet: ſed originem omnino trahit ab atonia membranarum, quæ medullam ſpinalem, inferiori ſpinæ parti incluſam cingunt, & hinc ad pedes prodeuntium nervorum; quæ per motus nephriticos fuit relicta.

2) Quemadmodum plethoricis & ſanguineo-cholericis calidiora & ſpirituoſa omnia, nimiam ſanguinis ebullitionem concitando, ſunt nocentiſſima; ita præſertim infenſa iis deprehenduntur, ſi jam capitis quodam morbo laborarint. Hinc enim factum eſt, quod noſter ægrotans ex balneorum calidiorum uſu (quæ alias tepida nil nocent) apoplecticum ferme inſultum contraxerit, qui linguæ paralyſi, memoriæque debilitate ſe prodidit. Diſcimus ergo, & balnea & pediluvia in capitis affectibus uſurpata ſemper eſſe debere tepida.

3) Annexa erat huic obſervationi quæſtio: num thermæ Carolinæ ex uſu ægroti eſſent? Diſſuaſi autem earum uſum. Æger enim non ſolum ſympathica vertigine laborare cenſendus eſt; ſed omnino idiopathica, à primarum viarum ſpaſmis & excitata, & exacerbata. Cauſſa hujus jam in diſpoſitione hæreditaria eſt quærenda; qua cerebrum & nervi inſigni debilitate affecti videntur. Quo in caſu omnes & thermæ & acidulæ ſunt fugiendæ; quoniam per debilitata vaſcula non rite progrediuntur, ſed ſtagnantes majora pariunt damna.

OBSERVATIO III.

*Vertigo caduca hypochondriaca.*

Litteratus quidam quadraginta ſex annorum, ſpongioſo habitu, vaſis exilioribus, multiſque ſuccis præditus, vitæque nimium deditus ſedentariæ, per ſedecim jam annos magno animi torpore, angore, mœrore, anguſtia præcordiorum, languore artuum, cephalalgia, borborygmis, & ſpaſticis flatulentiſque commotionibus valde diſcruciatus fuit. Hæc autem inter ſymptomata maximam ipſi crucem figebat vertigo tenebricoſa & caduca, ſub cujus acceſſione, niſi contineatur, omnino concidebat, omniumque ſenſationum uſu carebat. Poſt capitis ad terram inclinationem malum protinus invadebat; & interdum punctula

ſeu

ſeu ſcintillulæ ſe oculis præſentabant. Nares erant ut plurimum ſicciores, & ſi poſt ſternutationem vel natura vel arte provocatam pituitam plorabant, malo ferebant levamen. Alvus valde ſegnis non niſi alternis diebus ſcybala duriſſima reddebat; ſed ſomnus cum adpetitu rite ſibi conſtabat. Variorum medicorum conſilia contra hæc mala expetiit ſibi ægrotans; ſed à nullo ſenſit auxilium. Quidam haud incelebris, cauſſam in ventriculo hærere ratus, emeticum ex tartaro emetico propinavit, idque cum non moveret vomitum, quater adhuc eadem die iteravit,nullo tamen effectu, niſi quod alvus inde duceretur. Inter alia præſidia uſus etiam eſt thermis Carolinis, & tribus quidem vicibus, cum levamine tantum brevi. Non minus hæmorrhoidum, quarum tamen nulla adſunt molimina, provocaturus fluorem, hirudines ano curavit admovendas; venam bis in pede quotannis præbet ſecandam; & noviſſime ſerum lactis curæ loco potavit. Præterea diætam ſervat ſtrictiſſimam; cavet ſibi à multis mentis laboribus; magis indulget corporis exercitio; loco cereviſiæ pro potu aqua leviori, vino nupta utitur. Sed quum ex his omnibus nullum levamen, nedum plenariam medelam reportaret; meum flagitavit conſilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

1) Vertigo præſens rectiſſime vocatur hypochondriaca; eo quod ſuos natales à malo hypochondriaco mutuetur. Hæc autem vertiginis ſpecies, ſi inveteravit, longe pertinacior, curatuque longe difficilior eſt, quam omnes reliquæ, utut idiopathicæ: quoniam omnes totius corporis nervoſæ ac vaſculoſæ partes ſimul à tono ſuo ſunt dejectæ, omnes totius corporis functiones ſimul languent, & ipſa mens anxia, meticuloſa & inconſtans eſt; unde [illegible] diuturniorem non perferunt medicationem, ſed mox hunc, mox illum adeunt medicum, & mox hoc mox illud adpetunt medicamen.

2) Eo autem gravior eſt in noſtro ægrotante morbus,quum jam omnibus,quæ his in affectibus adhiberi ſolent, uſus fuerit remediis, & noviſſime tale vitæ genus ſelegerit, quale ad curandos ejuſmodi morbos admodum neceſſarium eſt: neque tamen minus valetudinem nondum recuperavit. Præterea ad majorem hujus mali pertinaciam multum contribuit 1) perverſa medicatio, qua vomitorium uno die quinquies, idque peſſimo conſilio fuit adhibitum; 2) alvi contumax, nec ullis remediis cedens ſegnities; quippe quæ ſpaſmodicam imi ventris ſtricturam, una cum majori humorum ad caput raptu ſuſtentat.

3) Quamobrem anguſta profecto curationis ſpes ſupereſt; quæ non alia ratione inſtitui poterit, quam ut ægrotus exactiſſimæ victus obſervationi inſiſtat; pediluviis tepidioribus, blandis laxantibus, & nervinis utatur; & demum molares Carolinarum thermas ſub debito adhibeat regimine.

## Observatio IV.

*Vertigo cum cataracta ſpuria.*

Vir juvenis, maritus, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſub regulari narium hæmorrhagia ſanus ſemper vixit: ea vero ineunte æſtate ceſſante, capitis dolores per totam æſtatem perpetuo adfligentes ſenſit. Hos Decembri menſe remittentes excipiebat gravis vertigo cum tendente & lancinante muſculorum temporalium dolore, ſomnoque turbulento ſtipata. Jungebantur oculorum obnubilationes, & ante illos punctula perpetuo obverſabantur. Alvus inſuper adſtrictior erat; & flatulentiæ, utut cibi non niſi molles ſumerentur, abdomen cum ſpirandi difficultate diſtendebant. Ipſe ceterum æger corporis exercitio haud multum ſtudebat, nec unquam ſanguinem ſibi curaverat detrahendum. Ego itaque conſultus ſuaſi, ut ter quotannis ex pede mitteretur ſanguis; veſperi adhiberentur pediluvia; poſt venæ ſectionem emplaſtrum veſicans ex emplaſtri de meliloto uncia una, cantharidum drachma una, & balſami Peruviani drachma dimidia nuchæ adplicaretur, & per quatuor geſtaretur hebdomades. Commendavi etiam Elixir meum viſcerale ad octoginta guttas ſub epulis ſumendum; laxans rhabarbarinum bis quavis hebdomade capiendum; & cum recta vivendi ratione loco potus aquam vino permixtam ordinavi.

*Epicriſis.*

1) Vertigo, quam præſens ætate adhuc junior patitur æger, duplici nititur cauſſa: quarum unam ſuppreſſæ & intermiſſæ ſanguinis excretiones; alteram flatulenta & ſpaſmodica hypochondriorum pathemata exhibent. Priorem quod attinet, duplex ea iterum eſt; ſiquidem non ſolum narium hæmorrhagia per ætatis rationem ceſſans; verum etiam venæ ſectionis, quæ ſuccedere debuiſſet, intermiſſio accuſari merentur. Alteram, quæ mali hypochondriaci initia ſignificat, teſtantur alvus adſtrictior, borborygmi & flatulentiæ inteſtinorum, ſpiratio difficilis, & digeſtio vitiata.

2) Iiſdem cauſſis debetur cataracta incipiens ſive ſpuria, quam ægrotus patitur, quamque ſignificant ſcintillulæ ac punctula oculis obverſantia. Id vitii genus ex hypochondriaca paſſione generari novum non eſt: quum enim ob male conſtitutum ventriculum chylus generetur craſſus & impurus; qualis etiam fit ſanguis; & hic majori copia ob inferiorum partium ſpaſmos ad caput compellatur, in oculis ſtagnet, & dimittat particulas craſſiores: hæ in aqueum delapſæ humorem efficiunt eam ſenſationem, qua punctula oculis obverſari percipitur. Quo ex vitio ſucceſſu temporis ipſa emergit cataracta.

## Observatio V.

*Vertigo ex debilitate ventriculi.*

Matrona generoſa, ſexaginta annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, à teneris pro potu plerumque vino, & cibis crudis, coctuque difficilioribus uti ſolita,permultos varioſque morbos toleravit, ſed feliciter ſemper ſuperavit. Poſt menſtruorum ceſſationem hæmorrhoides eruperunt, & per multos annos magno cum ſanitatis emolumento fluxerunt. Quarum fluor cum ante triennium ſponte ſileret; nihil tamen incommodi ad ſanitatem inde pullulavit, eo quod venæ ſectionibus ac ſcarificationibus moles ſanguinis ſemper imminuta fuit. At elapſo anno quum paucis poſt inſtitutam circa autumnale æquinoctium venæ ſectionem diebus, oſtrearum juſto majorem comedit quantitatem: accidit, ut gravi vertigine, præcordiorum anxietate, nauſea, & vomendi conatu corriperetur; quæ cuncta ſymptomata, reddita per vomitum multa pituita protinus conquieverunt.Sed interjectis aliquot menſibus longe vehementior redibat vertigo, extremorum frigore, pectoris oppreſſione, pulſuque magno & pleno ſti-

ſtipata; quæ ope clyſterum alvum ſolventium, frictionum, & antiſpaſmodicorum paullo mitigata; venæ autem/incisione prorſus ſublata fuit. Neque tamen minus nauſea adfligebat adhuc cum intercurrente levi vertigine; quæ dato blando emetico ita debellabatur, ut ægra per aliquod tempus ſana videretur. Sed brevis erat valetudo: ſiquidem circa vernale æquinoctium recrudeſcebat utique vertigo, cum dorſi & oſſis ſacri graviſſimis doloribus; & per aliquot hebdomades ægram lecto affigebant, donec prorumpentes hæmorrhoides felicem toti ſcenæ imponerent finem. Circa ſolſtitium autem vehemens terror omne revocavit malum; quod abhinc, ſuppreſſis plane hæmorrhoidibus, inque caſſum adhibitis intus Egranis, externe Lauchſtadienſibus aquis, nullis expugnari potuit medicinis, quin per intervalla rediret. Ego demum conſultus pro potu decocta cum vino, laxantia rhabarbarina & Elixir noſtrum viſcerale commendavi; ad firmandum nervorum robur pulverem ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, nitro depurato, ſuccino præparato, cardamomo, & cinnabari nativa præſcripſi; & venæ ſectionem quater quotannis repetendam ordinavi. In ipſo vertiginis paroxyſmo ſuaſi, ut ano clyſter infundatur, tum pedes immittantur pediluvio, & interne aliquot balſami vitæ cum quindecim liquoris anodyni guttis remixtæ exhibeantur.

*Epicriſis.*

Fœminas, quibus poſt menſium ceſſationem hæmorrhoidalis fluor ſtato tempore contingit, eaſdem ab eo utilitates circa ſanitatem ſentire, quas ex legitimo menſtruorum fluxu perceperunt, quotidiana docet experientia. Quod ſi vero utraque excretio ob quaſcunque cauſſas ceſſat; rectiſſime ſibi conſulunt, qui earum vicem artificialibus ſanguinis ſupplent miſſionibus. Quemadmodum vero hæ ſub debito regimine adminiſtratæ, incomparabilem inferunt ſanitati uſum: ita neglecto regimine, multorum auctores fiunt malorum. Et id in præſenti contigit etiam caſu: immoderatus enim oſtrearum uſus mox à venæ ſectione, anſam præbuit cunctis, quæ ſequuntur affectionibus. Nam poſt venæ ſectionem per aliquot dies ab omnibus coctu difficilioribus cibis abſtinendum eſt; quia ventriculus juſto debilior, iiſque digerendis impar exiſtit.

2) Diſcimus etiam ex præſenti caſu, quantas & in producendis, & revocandis morbis vires poſſideat vehemens terror. Ægrotans noſtra, ſi poſt adhibitam medelam, rectæ vivendi rationi ſtuduiſſet; procul dubio ab omnibus libera permanſiſſet ſymptomatibus. Sed terror omnia rurſus exacerbavit; quippe qui conſtringendo corporis habitum, ad interiora & ſuperiora repellit vitales ſuccos, qui accumulati in partibus nondum firmatis, priſtinas ludunt ſcenas.

## OBSERVATIO VI.

*Vertigo ex ſtomacho.*

Vir generoſus, quinquaginta ſex annorum, temperamenti ſanguineo cholerici, vitæ ſedentariæ addictus, à prima infantia ad viceſimum circiter primum ætatis annum, variis effloreſcentiis ſcorbuticis, aſthmaticis affectibus & largis narium hæmorrhagiis laboravit. Ætate adoleſcente arthritici artuum & dorſi motus acceſſerunt; ſed venæ ſectione circa quodvis æquinoctium abhinc adminiſtrari ſolita mitigati, in fluxum tandem hæmorrhoidalem deſierunt; quo per multos annos ſingulis ferme menſibus cruoris, utut parca quantitas cum ſingulari ſanitatis allevamento effluxit. Ante triennium parcius promanavit cruor, & per noviſſimum annum fluere prorſus deſiit: quo tempore ſanus quidem vixit, niſi quod per intervalla effloreſcentiæ purpuraceæ, cum doloribus artuum tenſivis, flatulentiis, cordis palpitationibus, & nocturnis pollutionibus corpus occupaverint, hancque præſertim ſcenam Decembri & Aprili menſe luſerint. Noviſſime acceſſerunt vertiginoſæ moleſtiæ, quæ cum cordis palpitatione, inflatione abdominis flatulenta, & crebris ructibus, poſt prandium æque ac cœnam gravius adfligebant; ſed adhibitis congruis medicinis evanuerunt. Quum autem earum recurſum, quin apoplexiam timeret; meum flagitavit conſilium. Quare ſuaſi, ut ſub convenienti diæta, & acidorum, ſpirituoſorum ac vinoſorum evitatione, nec non debita venæ ſectionum continuatione, adhiberet pediluvia; ſub epulis caperet Elixir noſtrum viſcerale, pro potu uteretur decocto ex hordeo, radice cichorei, ſemineque fœniculi; & quandoque pilulas balſamicas cum pulvere præcipitante ſumeret.

*Epicriſis.*

1) Innumeris exemplis & obſervationibus confirmari poteſt, quod qui in juventute largis narium hæmorrhagiis obnoxii fuerunt, his progrediente ætate ceſſantibus, arthriticis ac hæmorrhoidalibus afficiantur pathematibus. Quibus omnino medelam ferre licet, ſi vel hæmorrhoidum regularis fluor provocari poteſt; vel convenientes inſtituantur venæ ſectiones. Unde etiam noſter ægrotans ſanus vixit, quam diu fluxerunt hæmorrhoides.

2) Quod ſi vero hæc ſupprimatur excretio; quam vel ſola vita otioſa, craſſos reddendo humores, & excretionibus ineptos ſupprimere valet: ſtagnant ſucci in imo ventre, maximeque ventriculo & inteſtinis; quæ debilitantur exinde, & officio digeſtionis rite perficiendo minus ſunt idonea. Hinc gignuntur cruditates in primis viis: quæ ventriculi & conterminarum partium ſpaſmodicas excitando ſtricturas, vertiginis in noſtro caſu cauſſæ fuerunt.

## OBSERVATIO VII.

*Vertigo pertinax ab ira.*

Vir ſexaginta ſex annorum, robuſtæ & ſanæ conſtitutionis, aliquando circa veſpertinum tempus vehementi exardeſcens iracundia, ſanus quidem lectum petit; at mane ſurgens, tanta prehendebatur vertigine, ut iterum in lectum proſterneretur. Eidem etiam per aliquot menſes affixus fuit; donec exhibita remedia id quidem efficerent, ut muniis domeſticis fungi, & obambulare potuerit; nihilo minus vertigo pertinax continuat, ægrotumque per vices ſubito in terram proſternit. Cui cum medelam quæreret; ſuaſi venæ ſectionem bis quotannis celebrandam; dedi infuſum theiforme ex meliſſa, citrique corticibus; & pulverem, qui cornu cervi philoſophice præparatum, pulverem Marchionis, lapides cancrorum, ſuccinum præparatum, nitrum & cinnabarin habebat. Unde factum, ut conjuncto balſami vitæ externo uſu haberet egregie.

*Epicriſis.*

Senes, quamvis illibata ſanitate, magnoque corporis & animi vigore fruantur, accidit tamen ſæpius, ut gravi animi perturbatione, ſubito terrore, vel inſolenti ira in ingentem virium defectum, quin etiam in affectus vehementer caput infeſtantes incidant; idque eo magis, ſi ſanguine abundant, vel criticæ hujus evacuationes ceſſant & conſueta venæ ſectio intermittitur. Quo in caſu opus omnino eſt, ut ſanguis mittatur & vehementes nervoſarum partium commotiones blandis ſedativis ſopiantur, abſtinendo ab omnibus iis calidis nervinis, quæ ſanguinem valde commovent. Eſt alias liquor noſter balſamicus, qui balſami vitæ nomine venit, in affectibus ſenum, capitis præſertim, & arcendis & ſanandis efficaciſſimum & crebriori uſu comprobatum remedium. Cavendum tamen ab eo eſt ſummopere, ubi vaſorum eſt plenitudo & diſpoſitio ad motus hæmorrhagicos & congeſtorios.

## Observatio VIII.

*Vertigo caduca ex ſanguinis copia, primarumque viarum vitio.*

Vir Reverendiſſimus quinquaginta annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, obeſus & procerus, in juventute narium hæmorrhagiam ſub illibata ſanitate expertus, nec ullis unquam morbis, niſi bis tertiana, noviſſime ictero diſcuſſa, fatigatus, ob inſignem ſanguinis & humorum copiam per viginti jam annos venam medianam quotannis tundendam præbere ſuevit. Neque vero minus per quindecim annos hæmorrhoides bis vel ter quovis anno abſque ullis incommodis, nec ſine egregia valetudine fluxerunt; quæ vero quatuor abhinc vel quinque annis febriles commotiones nunquam non habuerunt præcurſores. Sed per noviſſimum triennium mutata fuit rerum facies; ſiquidem per crebra intervalla vertiginoſus acceſſit inſultus, quem ſemper comitatæ ſunt hæmorrhoides cœcæ, adeo ut eo tempore non niſi bis fluentes fuerint. Hinc vertigo magis magiſque increbuit, caducæ ſpeciem omnino referens: etenim ex improviſo cuncta videntur in gyrum rotari, pedes vacillant, titubant, ægerque lapſum evitaturus, deſidere tenetur; tum vero magnam capitis imbecillitatem ſentit, maxime in cervice, ut caput erectum tenere nequeat, ſed pectori illud adplicare teneatur: præterea refrigeſcunt expalleſcuntque facies, manus atque pedes, & non raro ipſi ſenſus cum ratione turbantur; quæ demum cœcæ hæmorrhoides, mox iterum evaneſcentes excipiunt. Præterea auditus difficultas cum tinnitu auris ſiniſtræ infeſtat, æger appetitu fruitur integro, alvoque gaudet aperta; ſed crebri vexant ructus, & inſignis muci quantitas laborioſo nonnunquam redditur ſcreatu. Contra quæ mala cum plura pharmaca, nec non hirudines fruſtra fuerint adhibita: ego conſultus ſuaſi, ut ſervatis recte vivendi regulis, venam bis terve ſecandam quotannis daret; crebris uteretur pediluviis; quavis hebdomade alvum pilulis meis balſamicis laxandam curaret; ſub epulis Elixir meum viſcerale, oleo macis & cinnamomi nuptum caperet, & veſperi nonnunquam pulverem ex antimonio diaphoretico, ſuccino præparato, lapidibus cancrorum, nitro, arcano duplicato, & cinnabari uſurparet.

*Epicriſis.*

1) Hæmorrhoides inſignem cum ventriculo & inteſtinis habere nexum, crebra docet experientia. Iis enim impedite fluentibus, vim concoctricem ac periſtalticam dictorum partium admodum debilitari, paſſionemque ſic generari hypochondriacam; & viciſſim laxefactato inteſtinorum tono hæmorrhoides produci ſymptomaticas; quam plurimis didici exemplis. Idem in præſenti caſu contigiſſe, inque primis ex hæmorrhoidum imminuto fluore primas vias vitium contraxiſſe; vel crebri ructus mucique ſcreatus teſtantur. Quem vero fugit, ventriculo male habente, omnino generari vertiginem.

2) Sed hujus in hoc caſu ratio adhuc ab ipſius ſanguinis copia, & ad caput facta congeſtione acceſſenda videtur. Scilicet dum ſiluerunt hæmorrhoides; natis in abdomine ſpaſmis, humores copioſius ad caput rapti, diſtenderunt vaſa, compreſſerunt nervos, turbarunt ſufficientem liquidi tenuiſſimi in eos influxum, & ſic produxerunt vertiginem, nervoſarumque capitis partium debilitatem. Spaſmos inferiorum partium ſub paroxyſmo ſignificant frigus extremarum partium; quibus remittentibus, cœcæ adparuerunt hæmorrhoides.

3) Febriles commotiones, quæ hæmorrhoidum anteceſſerunt fluxum, ſignificant, ſanguinem jam craſſiorem & ad excretiones minus aptum fuiſſe. Obſervamus enim, ſpaſmodicos ac febriles motus omnem fere antecedere hæmorrhagiam, eoque vehementiores, quo hæc ſuccedit difficilius.

## Observatio IX.

*Vertigo à frigore pedum & immoderatiori vini potu orta.*

Sereniſſimus ætatis annorum quadraginta, à patre genitus podagrico per omnem fere vitam nunquam ægrotavit, nunc vero per quinquennium gravis vertigo ſubinde adeo eum invadit, ut vacillantibus pedibus eum proſternat: ut plurimum periodice, circa octavam matutinam & veſperi circa quintam incidit, mox levior, mox gravior: acceſſionem tinnitus & auditus difficultas cum oculorum ſtupore & obnubilatione antecedit, facie exiſtente rubicunda & venis turgida. Ubi paululum affectus remittit, protinus pectoris cum anheloſa ſpiratione oppreſſio & dolor ac ſpaſmus femorum, nonnunquam etiam vomitio vel conatus ad vomendum, neque minus dolor in reddenda urina adſunt. Solvitur malum ingenti materiæ tartareæ per urinam ſeceſſione. Pedes ſubinde frigidi præſertim circa malleolos nunc per quatuor hebdomadum ſpatium tument cum dolore tenſivo, torpore & debilitate, inprimis poſt pediluvia & tum levius malum exiſtit. Sanguinis vacuationes criticæ per omnem ætatem viſæ ſunt nunquam, at vero circa æquinoctialia tempora ſine incommodo ſanguis ſcreatu fuit rejectus, qui poſtea per annum ter inciſa vena evanuit. Conſultus ego ſuaſi venam ſingulis anni quadrantibus in pede ſecandam & ut abſtineret à cereviſia valde lupulata, venere, vini potu, cui paulo largius indulſit, aquam pro potu ſumat, ac pedes probe à frigore defendat eoſque mane, ut peſſime conſuevit, non nudet, pediluvia vero frequentius adhibeat & ad vim ventriculi concoctricem confirmandam in prandio temperatum balſamicum meum ſic dictum viſcerale ad 60. guttas aſſumat. Suaſi quoque ut inſtante vere fontem Egranum cum debito regimine interpoſito pilularum balſamicarum uſu biberet.

*Epicriſis.*

Hoc capitis frequentiſſimum vitium, ut ſæpius obſer-

obſervatum à me eſt, à liberaliori vini potu, extremorum frigore, ſanguineæ evacuationis ſive per naturam ſive per artem defectu in ſanguine plenis ſubinde oboritur & laborantem ſæpe diu trahit, immo, niſi commodis auxiliis ſuccurratur, in apoplexiam & mortem præcipitat. Ubi ex hiſce cauſis naſcitur malum, ego leviſſimis, facillimis & promtis modo enumeratis remediis diæteticis plus præſtiti, quam generoſis pharmacis. Sed opus eſt, ut ejuſmodi victu & vivendi ratione diutius ægrotantes utantur.

### Observatio X.

*Vertigo cum auditus difficultate & oculorum obnubilatione chronica.*

Illuſtriſſimus Comes annorum ſexaginta trium in juventute ſemper robuſtus & bene valens, temperamenti ſanguineo-cholerici, corpus venationibus probe ſemper exercuit: ante viginti annos Sileſiæ in continuam & acutam febrem ex abuſu vini Hungarici incidit, quæ naturæ vires ac robur corporis adeo infirmavit & deſtruxit, ut vix intra tres menſes functiones tam vitales quam naturales in ordinem redigi potuerint. Ab eo tempore imbecillitatem capitis cum vertigine per intervalla expertus eſt, quæ ſuccedente tempore ingraveſcens ante quadriennium tam vehemens facta eſt, ut in terram Illuſtriſſimum Virum præcipitaverit. Et licet crebriores hujus affectus acceſſiones per repetitas venæ ſectiones, leniter purgantia & alia commoda remedia fuerint præpeditæ, attamen adhuc ex vitio digeſtionis ſub ſubitis tempeſtatis mutationibus incidunt. Quod peſſimum vero eſt, comitatur hoc vitium ingens audiendi difficultas & viſus obnubilatio. Vires praeterea conſtant, ſomnus placidus, & major quam decet & laboris exercitationiſque neceſſitas exigit, ciborum eſt appetentia. Inflantes vero cibos ac pingues, quorum uſum frequenter ſoda excipit, minus bene ferre poteſt. Pro potu ſumit aquam & ſingulis diebus duas vini Moſellani bibit menſuras, facies eſt florida, rubicunda. Per ſex fere annos verno tempore fonte Egrano uſus ſingulis fere annis quater, quinque, imo ſex V. S. admiſit.

*Epicriſis cum conſilio.*

Infirmitatem, quæ magnos & diuturnos morbos ſequitur, aliis gravibus morbis, qui inde prodeunt, obnoxiam eſſe, & hæc hiſtoria & multæ aliæ nobis cognitæ manifeſto ſatis confirmant. In ejuſmodi diuturnis vitiis ego vix aliis quam diæteticis remediis uſum eſſe animadverti. Interdixi itaque ex hoc fundamento liberaliorem vini uſum, motum vero & exercitationem corporis ad ſudorem uſque per vectionem aut equitationem, neque minus abſtinentiam a cibis, præſertim mucilaginoſis, flatulentis, pinguibus ac victum parvum & extenuantem imperavi, utpote cum ex ſanguinis & ſuccorum abundantia plerumque ad imbecillius caput congeſtio proficiſcitur. Et quia ventriculi imbecillitas id vitii valde fovere & augere ſolet, ſemper omnino medicum, ea quæ concoctionem juvant, proponere oportet; quo nomine Elixir meum viſcerale, idem quod in notis in Poterium præſcriptum eſt, principem ſibi vindicat locum. Poſtremo, hanc ceu perpetuam, &, quæ meretur notari, obſervationem ſubnectere hoc loco volui, idque maxime in gratiam juniorum medicorum: in capitis affectibus, ut in vertigine, auditus difficultate, ubi à ſanguinis abundantia ortum traxerint, communia illa adverſus ejuſmodi morbos commendata cephalica, nervina balſamica, ad quæ etiam pertinent balſama apoplectica, & balſamum noſtrum ſic dictum vitale, nec externe nec interne, niſi cum maxima prudentia exhibenda eſſe, eo quod majorem motum & orgaſmum in humoribus excitando & conſequenter ſtagnationem efficiendo peſſimos effectus producant.

### Observatio XI.

*Vertigo caduca.*

Litteratus triginta trium annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, animi ſenſibilioris, crebris mox lucubrationibus & meditationibus, mox compotationibus, mox animi pathematibus indulgens, nocte aliquando in frigido conclavi ſcribendo tranſacta, mane facturus iter ex improviſo gravi corripitur vertigine, quaſi caduca: quippe ultra horæ ſpatium inſtar attoniti jacebat, oculoſque celeriter invitus movebat, tum facies intumeſcebat, & paroxyſmus ſenſim, relicto corporis languore, remittebat. Abhinc quavis circiter hebdomade redibat; & noviſſime ſic ſe habebat: prævia inſigni iracundia, cum menſæ pranſurus adſidere vellet, frigus pedum, tanquam regularem mali prænuncium, ſenſit; hinc diſſipaturus affectum diſcurrere per conclave nititur; ſed vertigine opinione citius accedente præpeditus, pedes aquæ tepidæ immergit, & ex aqua frigida triginta liquoris anodyni guttas ſumit. Unde factum, ut paroxyſmus, qui alias per aliquot horas inhærebat, non ſolum protinus ceſſaret, verum etiam mitior eſſet, & non niſi levi laſſitudine ſemet exſereret. Verum cum nihilo minus per intervalla poſthæc reverteretur acceſſio: meum ad eam penitus abigendam implorabat conſilium. Quamobrem ſuaſi primum, ut venæ ſectionem, quam antea ſingulo tantum biennio admiſerat, bis quotannis adminiſtrandam curaret; deinceps corporis exercitio, & tranquillitati mentis probe ſtuderet; pediluviis tepidis frequenter uteretur; pro potu ordinario adhiberet fontem Selteranum; quavis hebdomade pilulas balſamicas cum pulvere præcipitante uſurparet; & mane denique ex infuſo theiformi guttas quadraginta mixturæ, quæ habebat liquoris anodyni, tincturæ antimonii acris ana unciam dimidiam, balſami vitæ drachmam unam, ſumeret.

*Epicriſis.*

1) Hæc vertigo rectiſſime vocari poteſt ſpaſmodica; eo quod à ſpaſmis ac ſtricturis partium infernarum, ſuccos vitales ad caput compellentibus in ſingulo paroxyſmo originem traxerit: id quod frigus pedum, quemvis paroxyſmum antecedens teſtatur. Et tali in caſu utique conſultum eſt, pedes mox ſub acceſſionis initio tepidæ aquæ immittere: nec ſine fructu adſumtus ſub ipſo paroxyſmo eſt liquor noſter anodynus; ſiquidem hæc remediorum genera, ſpaſmum partium externarum relaxando, omnino avertere paroxyſmum potuerunt.

2) Cauſa occaſionalis, quæ hanc vertiginem introduxit, frigus quidem eſt; ſed recte dicitur occaſionalis, quoniam in corporibus, quæ non jam aliqualem diſpoſitionem fovent, tam gravia non ſemper excitat mala. Noſter autem ægrotans cum partim per crebras animi commotiones, partim etiam multas lucubrationes, & fluidorum craſſitiem & ſolidorum debilitatem ſibi contraxiſſe videtur: ex facili accedente frigore in vertiginem potuit incidere.

3) Quod ſub paroxyſmo vertiginoſo oculi moti ac velut convulſi fuerint, id cum vertiginis eſſentia

eſſentia facile conciliari poteſt. Nam vertigo dependet à quaſi paralytica nervi optici relaxatione; & motus oculi à pari nervorum tertio; ſeu oculorum motorio: qui omnino convelli poteſt, altero nervo exiſtente paralytico.

---

## CAPUT IV.

### *De gutta ſerena.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Guttæ ſerenæ deſcriptio.*

GRave malum eſt cœcitas, quam Græci *ἀμαύρωσιν*, Latini guttam ſerenam, quaſi gutta quædam obturaſſet nervum opticum dixerunt, & nos per viſionem ab influxu fluidi nervei in nervum opticum prorſus intercepto, oculis illæſis exiſtentibus, ſublatam deſcribimus. Sub ea, ſi exterius oculum inſpicias, ſanus & integer apparet oculus neque in tunicis ipſius, neque in humoribus labes conſpicua eſt ulla, tantum quod pupilla naturali amplior, nigrior, nimiumque dilatata compareat, & ad radiorum luminoſorum illapſum rigida ſpectetur & immobilis: nihilo minus viſio vel prorſus eſt abolita, vel ſaltem facultas reſtat tenebras à luce diſcernendi.

§. II.

*Diſtinctio guttæ ſerenæ 1) à vertigine.*

Diſtinguit ergo ſemet hic morbus 1) à vertigine, in qua circumgyrationis ſenſus, & pedum adeſt vacillatio, fluidi vero nervei influxus nec prorſus eſt interceptus, ſed ſaltem imminutus, nec etiam perpetuo talis. Differt etiam 2) à catarracta; nam in hac cryſtallinus humor opacus cernitur, & pupilla ad lucis ſplendorem coarctatur, in tenebricoſis autem locis dilatatur: contra in gutta ſerena per pupillam pellucidus adparet humor cryſtallinus, & pupilla, ſive ſit in lucido, ſive obſcuro loco, nec contrahitur, nec magis dilatatur, ſed permanet immobilis.

*2) à catarracta.*

§. III.

*Hiſtorica guttæ ſerenæ explicatio.*

Neque vero eadem ſemper ratione ſe noſter habet morbus: mox enim ſubito & repente invadit, ut plerumque fit, ſi ex violentis & externis oritur cauſis, ut poſt caſum ab alto & gravem capitis percuſſionem. Vid. HILDANUS *Cent.* 5. *Obſ.* 8. it. AMATUS LUSITANUS. *Cent.* 5. *Obſ.* 64. mox ſucceſſive viſio perditur, quod in ſenibus potiſſimum hemiplexia vel paralyſi affectis, aliiſque languidis contingit corporibus: mox aſſociantur capitis dolores, vertigo, ſomnolentia, tinnitus & ſuſurrus aurium &c. mox vero vacat his ſymptomatibus, ſolaque cœcitate adfligit. Datur quoque gutta ſerena periodica, quæ ſubito invadens, & per aliquot horas vel dies durans, ſponte ceſſat, ſed ſæpe revertitur, ut fere fit in hypochondriacis, hyſtericis & parturientibus. Dividitur etiam in perfectam & imperfectam; in illa ulla nec viſio, nec ullum luminis veſtigium ſupereſt; in hac lumen adhuc à tenebris diſcerni poteſt, & videtur ad hanc quoque pertinere dimidiatus viſus, cujus peculiarem ſpeciem deſcribit CHR. SIGISM. WOLFFIUS *diſſ. de amauroſi imperfecta* 1709. Trajecti habita; ubi quis non niſi truncum inferiorem cum pedibus in homine potuit videre.

§. IV.

*[illegible]*

Quum in gutta ſerena oculus externe ab omni vitio liber conſpiciatur; haud ſine ratione colligimus, cauſam mali non in ipſo oculo, ſed nervo potius optico eſſe quærendam. Et hoc idem evidenter demonſtrat inciſio eorum, qui per vitam luminis uſu caruerunt: hæc enim docet, nervos opticos fuiſſe nimium extenuatos, marcidos ac duplo minores. Vid. BONETUS *Sepulchr. L. I. Sect. XVIII. obſ.* 3. & 4. vel ſero aut ſanguine per cerebrum extravaſato circumfuſos & compreſſos, ſicut adnotavit WEPFERUS *de apopl. hiſt. IV.* aut tumore duriori obſeſſos, qualem circa eorundem originem vidit BONETUS *l. c. obſ.* 1. PAWIUS *obſ. anat.* 2. conſpexit veſicam aqueo humore plenam, dictis nervis circa eorum conjunctionem inſidentem, PLATERUS tumorem globoſum prope nervos viſorios in gutta ſerena laborante poſt mortem deprehendit, & BONETUS *l. cit. obſ.* 5. obſervavit arteriam carotidem, eo quo orbitam ingreditur loco, ſanguine turgidiſſimam.

§. V.

*Guttæ ſerenæ ætiologia.*

Multi quippe & tantum non omnes, accuſarunt nervi optici obſtructionem à lympha craſſiuſcula, qua tubuli hoc in nervo occludantur, ut liquidi nervei ad retinam affluxus, vel ſufflaminetur, vel intercludatur plane. Verum nondum ab Anatomicis evictum eſt, nervis ineſſe canaliculos & tubulos, per quos liquidum recto vehatur tramite. Neque etiam per cerebri & oblongatam medullam craſſior & cohærens lympha, ſed longe tenuiſſimum & ad cohæſionem minime aptum liquidum fertur. Hinc in nervos obſtructionem cadere neutiquam videtur credibile, multo minus in opticis nervis obſtructio à materia ex cerebro advecta commodum invenit locum. Cunctis his in caſibus nervorum opticorum ea debet fieri compreſſio, quæ omnem fluidi nervei in eos influxum tollere, adeoque paralyſin illorum valet inducere: unde ſequitur, cauſam guttæ ſerenæ proximam eſſe nervorum opticorum paralyſin. Jam ex anatomica oculi ſtructura notum perſpectumque habemus, nervum opticum, ſimul ac oſſeam oculi orbitam & hanc inveſtiens intus perioſtium penetravit, atque exterius, quod à dura matre recepit, involucrum ad conſtituendam ſclerotidem depoſuit, altero involucro, piæ meningis propagine, uveam, proceſſus ciliares, & pupillam efformare, medullari vero ſubſtantia tunicam mollem & pulpoſam, quæ retina audit, conſtituere. Notiſſimum porro eſt, retinam picturas objectorum viſibilium recipere, illas ad ſenſorium commune per nervum opticum propagare, tumque viſionis ideam in mente excitare. Ad ſentienda vero externa objecta opus eſſe nervoſarum partium tenſione, quæ in legitimo fluidi nervoſi influxu conſiſtit, capite jam primo de nervorum reſolutionibus fuſe demonſtravimus. Quum autem in gutta ſerena adeſt paralyſis nervi optici & per conſequens tunicæ retinæ, uveæ ac proceſſuum ciliarium: ſequitur, has partes nec tenſas eſſe, nec recipere poſſe radios luminoſos, ſed pupillam ampliatam & ob relaxatos proceſſus ciliares dilatatam adparere. Nec aliud in oculo cernitur vitium; ſed & motus humorum, & muſculorum eos moventium optime ſe habet: propterea quod & vaſa ſuccos vehentia & muſculi non ab optico, ſed aliis nervis, qui non ſunt affecti, ſuas recipiunt propagines.

§. VI.

## §. VI.

*Guttæ ſerenæ tam perfectæ, quam ſpuriæ ſedes.*

Cauſa igitur, quæ comprimendo nervos opticos, horum paralyſin inducit, hæret vel circa illorum principium, ſeu thalamos, vel circa eosdem oculorum orbitam ingredientes. Sed hærere etiam poteſt intra ipſum nervum opticum, & quidem in vaſis ſanguineis, quæ in ejus meditullio latent; & quorum præſentiam non modo recentiſſimi anatomicorum, verum jam WEPFERUS *L. de Cicut. aquatica pag.* 127. demonſtrarunt. Hæc vaſa, quæ carotidis propagines ſunt, ut & alii carotidis rami, orbitam ambientes, ſi cruore inibi ſtagnante infarciuntur, premunt diſtenduntque medullares nervorum canaliculos, ſimulque lymphæ per vaſa nervos cingentia reditum impediunt. Hæc videtur cauſa guttæ ſerenæ periodicæ; quæ diſcuſſa ſanguinis ſtagnatione ſtatim ceſſat. Porro etiam veriſimile videtur, in ſpuria amauroſi nonnunquam ſerum intra tunicas oculi, maximeque ſcleroticam ſecedens, opticumque comprimens nervum eſſe accuſandum: ubi perennante à tergo fluidi nervei affluxu, ejus quædam ingreditur portio, quæ tantum relinquit viſionis, quantum ad diſcernendam à tenebris lucem requiritur.

## §. VII.

*Subjecta & occaſionales guttæ ſerenæ cauſæ.*

Quamvis morbus noſter omni ſexui & ætati ſit infeſtus, ſi cauſæ externæ violentæ, quæ gravem capitis percuſſionem, cerebri concuſſionem, & humorum circa nervos opticos ſtagnationem provocant, acceſſerint: attamen ſi ex internis enaſcatur cauſis, familiaris potiſſimum eſt ſubjectis valde plethoricis, pituitoſis, cachecticis, ſenilibus, & quæ caput nervoſumque genus a præcedentibus animi affectibus, diuturno mœrore, anxia cura, nimiis vigiliis, ac capitis laboribus, intempeſtivis ſtudiis, lectione minutarum litterarum ad lucis ſplendorem, frequenti ebrietate, diuturno frigore, & hæreditaria diſpoſitione imbecillum ſibimet contraxerunt. Et in eo quidem convenit cum reliquis cerebri affectibus, quod utplurimum cerebri atonia nitatur.

## §. VIII.

*Mediatæ cauſæ ſiue ſunt 1) in ſanguinis vitio.*

Si mediatas ſpectemus cauſas; illæ vel ad repletionem vel inanitionem commode referri poſſunt. Ad repletionis claſſem pertinet gutta ſerena, quæ à ſola ſanguinis, plus minus craſſi in vaſis cerebri, nervo optico conterminis ſtagnatione proficiſcitur; & non ſolum tranſitoria nonnunquam ac periodica exiſtit; verum etiam, ſi recens fuerit, medelæ locum relinquit. Talis evenit 1) ſumme plethoricis, à vehementiori corporis motu, balneorum nimis calidorum uſu, fortiori iracundia &c. qualem caſum in CONSULT. MED. *Sect. I. caſ. XLII.* relatum legas. 2) Parturientibus, vel in ipſo partu, quæ debetur vehementiſſimis imi ventris ſtricturis, humores ad caput ſummo cum impetu propellentibus, & à BARTISCH *in Ophthalmod. p. 6. C. 2. der ſchwartze Weiber-Staar* vocatur; vel poſt partum, ſi fuerit laborioſus, & cumprimis lochiorum acceſſerit defectus; qualem adnotavit, & venæ ſectione brevi curavit MAURICEAU *Cent. V. obſ.* 568. Notandum quoque, quod hemicrania, quæ interdum excipit puerperium, ſæpius in cœcitatem terminetur. 3) Fœminis, ex defectu menſium, maloque hyſterico laborantibus; qualem caſum recenſui in CONSULT. MED. *Sect. I. caſ. XLIV.* Meminit quoque PECHLINUS *L. I. obſ.* 42. guttæ ſerenæ, quæ cum cephalalgia ſingulis menſibus, deficiente uteri purgatione, affligebat. 4) Hypochondriacis, hyſtericis, & qui gravioribus imi ventris torquentur ſpaſmis, quibus ſcilicet humores ad caput coguntur: unde notabilis eſt obſervatio, quam A. N. C. *dec. III. anno 3. obſ.* 81. recenſent de gutta ſerena, vehementem colicam cum alvi obſtructione ſtipatam excipiente, & hac per clyſteres curata, protinus ceſſante.

## §. IX.

*2) in vitio ſeri & lymphæ.*

Quemadmodum vero gutta ſerena, quæ à ſola ſanguinis ſtagnatione ortum trahit, eſt tranſitoria: ita è contrario hæc ſi diutius obhæſerit, & ſubjecta pituitoſa, cacochymica occupaverit, dimittendo ſeroſam, quæ ad nervos incumbit, portionem, diuturniorem & ſæpius immedicabilem producit morbum. Novum igitur non eſt, à purpura, ſcabie, ulceribus, achoribus (vid. A. BEROL. *Dec. II. Vol. VI. pag.* 28.) intra corpus remeantibus id vitii oboriri; vel infantes imbecilliores, & qui humoribus abundant, eodem infeſtari; præſertim ubi non bene prodierunt morbilli, vel inteſtina lumbricis obſidentur. Idem fit poſt morbos acutos, febres malignas, variolas, phrenitidem; humore videlicet per metaſtaſin ad nervos opticos decumbente. Nonnunquam plethorici vel cacochymici ex fortiori vel purgatione vel vomitione cœcitatem ſibi contrahunt; ſicuti de vomitoriis obſervavit GULDENKLEE *L. I. epiſt. 20. pag.* 498. Cumprimis vero mercurialia inepte, & in corporibus impuris adhibita, lymphæ pertinacem ſtagnationem inferendo, ad hoc malum contribuunt.

## §. X.

*3) in nimia profuſione ſuccorum vitalium.*

Hæ cauſæ ad repletionis ſpectant titulum; ſub inanitionis autem voce complector nimias ac immoderatas ſuccorum vitalium profuſiones, quas nonnunquam guttam excipere ſerenam, experientia teſtatur. Præſertim id contingit poſt effrenas hæmorrhagias; & ſpeciatim obortam cœcitatem obſervarunt poſt vomitum cruentum largiorem A. N. C. *vol. II. obſ.* 52. poſt nimiam venæ ſectionem in gravida ibid. *obſ.* 45. poſt detractum largiter è vena frontis ſanguinem BONETUS *L. I. Sect. XVIII. obſ. 2. app.* Dum enim humor vitalis exhauritur, collabuntur vaſa cerebrum perreptantia, ſecretio fluidi nervei imminutior fit, & inde vertigo, gutta ſerena, animi deliquia, aliaque propullulant incommoda. Præſertim vero notari meretur inſignis conſenſus, qui hoc in caſu oculos & partes genitales intercedit; ſiquidem obſervamus, ex immodica & intempeſtiva venere ſæpius oriri cœcitatem, quam ego multoties adnotavi & CONS. MED. *Sect. III. Caſ. CIV.* recenſui. Fluidum ſcilicet lymphaticum ſeminale cum eo, quod in cerebro ſecernitur, & per nervos diſtribuitur, ejuſdem ferme indolis eſt & eſſentiæ: quare quo copioſior illius eſt excretio, eo parcior hujus ſecretio, unde partium nervoſarum atonia, viſus imbecillitas, & ipſa ſequi ſolet cœcitas.

## §. XI.

*Prognoſis guttæ ſerenæ.*

Graviſſimum & pertinaciſſimum gutta ſerena eſt malum; & inprimis ſi perfecta, ſi inveterata fuerit, ſique ſenes & elanguida ſubjecta occupaverit, nullum medelæ relinquit locum, tantum abeſt, ut graviores tandem apoplectici & paralytici ſuperveniant affectus. Contra malum re-

cens, quod imperfectum eſt, & in oculorum duntaxat tunicis hærentem agnoſcit cauſam, præſertim in junioribus & robuſtis ſubjectis, interdum ſanatur. Non minus curationi cedit ea, quæ periodica eſt, & à ſola ſanguinis ſtagnatione dependet: quæ vero paralyticis, aliiſque capitis morbis jungitur, periculum portendit vix ſuperabile.

*THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Curandi guttam ſerenam ratio admodum eſt difficilis; quippe remediorum vis remotas has, ac in oſſea cranii theca abſconditas partes minus ſubire valet. Neque tamen minus incumbit medico, ut quid valeant humeri, experiatur, curationemque pro cauſarum ratione accommodatam inſtituat. Hæc vero binis abſolvitur indicationibus, quarum prima diſcuſſionem humoris ſtagnantis, & nervos comprimentis; altera affectarum partium roborationem reſpicit.

§. II.

*Quomodo primæ indicationi ſatis fiat in gutta ſerena à ſeroſi humoris collectione.*

Ad primum, qui difficillimus eſt, obtinendum ſcopum, generoſiora, & quæ vocant heroica, in uſum vocare juvat remedia. Quodſi igitur ſeroſus humor in cerebro effuſus ſtagnaverit, ſicut fieri ſolet in ſubjectis pituitoſis, cachecticis, cacochymicis, item poſt remeantia exanthemata, & ſi affectus recens fuerit: magnum profecto præſidium eſt in cauterio actuali, ſyncipiti vel nuchæ inuſto; cui etiam ſubſtitui poteſt ſetaceum. Duplici hæc remedia operantur ratione, dum videlicet partim excitando dolorem, tremulam quandam & vibratoriam motionem tenuiſſimis cerebri fibrillis inferunt, partim affluxum humorum, qui plerumque vulnus inflictum ſequitur, proritando, ſuccos ſtagnantes à cerebro & affecta parte avocant. Et ſi quid ſperandum auxilii; id ſane à tali remedio in hoc affectu longe certius, quam à veſicatoriis vel fonticulis obtinetur.

§. III.

*In gutta ſerena à ſanguinis ſtagnatione.*

Contra, ſi à ſanguinis ſtagnatione ortum ſit malum, uti fit in plethoricis, florida & rubicunda facie, pulſuque magno præditis, & excretionum ſanguinearum retentione laborantibus: cavendum à tali remedio, & à ſanguinis potius miſſione inchoanda medela. Utilis hoc fine eſt venæ ſectio in pede; ſed longe utilior inciſio venarum frontis aut arteriarum temporalium. Et hoc quidem præſidium ipſa docuiſſe videtur natura; ſiquidem exemplis confirmatum habemus, cœcos ex vulnere fronti inflicto, & hinc ſequuta larga hæmorrhagia viſum recuperaſſe. Neque alienum eſt, hirudines temporibus admovere; aut, in defectu fluxus hæmorrhoidalis, eaſdem ano adplicare; aut ſi ſuppreſſa fuerit narium hæmorrhagia, has intruſo ſtylo pertundere; ut cita & efficax fiat ſanguinis ventilatio.

§. IV.

*Laxantium in gutta ſerena uſus.*

Deinceps ut in omni oculorum valetudine, ita quoque ſerena gutta maximopere juvat, alvum eſſe fuſiorem; quo ſtagnans in capite humor ad inferiora ducatur. Eo fine adhibenda remedia non decet eſſe draſtica purgantia; ſed blanda laxantia roborantibus nupta, qua laude pollent pilulæ balſamico-cephalicæ, quarum capite de paralyſi exemplum propoſuimus. In uſum quoque trahi poſſunt pilulæ noſtræ balſamicæ, cum mercurio dulci & extracto panchymagogo Crollii combinatæ: nec contemnendi clyſteres, paulo efficaciores; quorum virtus illuſtris eſt, ſi imi ventris ſtricturæ concurrant.

§. V.

*Curatio guttæ ſerenæ inveteratæ.*

Quando malum valde eſt inveteratum, & à lymphæ pertinaci in vaſis nervos opticos cingentibus ſtagnatione ſuſtentatur: præmiſſis iis, quæ propoſuimus, unica ſpes in validioribus diſcutientibus, iiſque potiſſimum internis eſt ſita. Quo nomine bina præſertim remedia reliquis palmam præripiunt; quorum unum eſt ſulphur antimonii pro noſtra methodo correctum; alterum cinnabaris. Confici ex his poteſt ſequens pulvillus: recipe cinnabaris nativæ præparatæ, lapidum cancrorum, ſuccini præparati ana drachmas duas, ſalis volatilis ſuccini, cornu cervi ana grana decem. M. F. pulvis div. in 12. partes, quarum ſingulæ tria vel quatuor ſulphuris antimonii grana addi poſſunt. Exhibetur pulvillus talis quavis veſpera; hauritur ſequenti mane infuſum, quod ex herba meliſſæ, ſemine fœniculi & radice valerianæ conficitur. Interponi etiam debent laxantia; jungi victus tenuis & exſiccans, & ſubjungi balſamica. Et ſi his cedere recuſet morbus; confugiendum ad lenem ſalivationem, cujus ope nonnullos à cœcitate gravi ſanatos novi.

§. VI.

*Roborantium & diſcutientium externorum uſus.*

Dictis hiſce & interponenda & ſubjungenda ſunt externa diſcutientia, nervina, balſamica. Ex iis illuſtrem diſcutiendi facultatem poſſident ſternutatoria; & cumprimis ſal volatile ammoniaci ſiccum, & cum oleo ſalviæ, majoranæ, balſamoque Peruviano maritatum, naribuſque attractum, vel longe adhuc efficacius extractum ligni Quajaci reſiniforme, quod ab evaporatione decocti ex hoc ligno remanet & à me inventum eſt. Cujus unum vel duo grana naribus ſuſcepta vehementer cum ſternutamento pituitam ex intimis capitis eliciunt. Imponi etiam oculis poteſt ſacculus ex radice valerianæ, ſemine fœniculi & floribus roſarum paratus, & aqua ſclopetaria, quam l'eau d'arquebuſade vocant, irroratus; aut iiſdem vapor ex recenſito §. ſuperiori infuſo admitti. Omnium vero vim longiſſime ſuperat balſamum vitæ noſtrum, partim temporibus inunctum, partim aliquot guttulis ſaccharo exceptum & deglutitum: cujus uſu me cœcitatem inter initia non ſemel diſcuſſiſſe memini.

*CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautela circa cauteria, ſetacea & ſternutatoria.*

Priuſquam cauteria vel ſetacea adhibeantur; opus eſt, ut corpus tam à ſanguinis & humorum nimia mole, quam ab eorum impuritate, & primæ viæ ab omni ſaburra liberentur. Quo ſcopo præmittendæ ſunt ſanguinis miſſiones, blanda laxantia, & medicamina ſanguinem diluentia & depurantia. Eadem eſſe debet cautio in uſu ſternutatoriorum, ne ſcilicet, antequam corpus & caput juſta purgatione levatum fuit, adhibeantur, quoniam alias humorum vehementiorem ad caput affluxum cauſantur. Verum eadem, corpore rite præparato, inter morbi initia deſideratiſſimam ferunt opem.

§. II.

§. II.

*Circa balſamum vitæ.* Ex roborantibus diſcutiente ſimul virtute prædictis balſamum vitæ meum excellenti contra guttam ſerenam pollet efficacia; cumprimis ſi ea à decubitu ſeroſi humoris ad nervos opticos in ſubjectis pituitoſis ac phlegmaticis originem traxerit; quo in caſu novi balſamum illud inter initia capiti frontique cum linteis admotum omnino ſuſtuliſſe cœcitatem. Eo autem cautius utendum in corporibus ſanguine plenis, ubi ſanguinis copia & congeſtio malum induxit; tum enim temperantia potius atque tam molem humorum imminuentia, quam ejus orgaſmum componentia ſunt proficua.

§. III.

*Circa externa.* Externorum quod attinet uſum; nemo non videt, eum in vera & inveterata amauroſi prorſus eſſe fruſtraneum; quoniam vi ſua ad affectum locum haud pertingunt. Quando autem vitium non in ipſo nervo optico, ſed potius in oculo, ejuſque humoribus vel aliis partibus reſidet; tum non de nihilo ſunt topica: è quibus eminent vel fotus ex decocto radicis valerianæ, cubebarum, ſeminiſque fœniculi cum aqua & vino parati, per infundibulum oculis admiſſi; vel epithemata hac ratione conficienda: recipe radicum angelicæ, imperatoriæ, valerianæ ana uncias binas, herbæ chærefolii, arnicæ, florum ſambuci, lavendulæ, roſarum ana pugillos tres, ſeminis fœniculi, anethi ana drachmam unam cum dimidia. C. C. f. ſpecies, decoquantur in æquali portione aquæ roſarum & ſclopetariæ, l'eau d'arquebuſade dictæ.

§. IV.

*Circa curam per inediam.* Evellendæ, quæ contumax eſt, cœcitati perquam opportuna nonnunquam eſt curatio, quæ per inediam inſtituitur. Conducit ea potiſſimum in corporibus impuris, cacochymicis, ſanguineque & ſuccis abundantibus, & requirit prægreſſam clementem quidem, ſed ſatis efficacem alvi ſubductionem. Ipſa hæc curatio conſiſtit in eo, ut ægri non niſi modico panis cocti, carniſque aſſatæ cum paſſulis veſcantur; vinum omnemque cereviſiam fugiant, & decoctum ex ſarſaparilla, glycyrrhiza, paſſulis, ſemineque fœniculi bibant: cui pro corporis ratione per tres & ultra hebdomades inſiſtendum.

§. V.

Quæ puellis, infantibuſque poſt variolas, morbillos, alioſque exanthematicos morbos remanet gutta ſerena; multam ſanationis ſpem relinquit. Accedentibus enim pubertatis annis menſtruoque fluxu aut ſponte diſparet, aut mirum in modum emendatur; tumque opus eſt, congruis adminiculis menſtruum adjuvare fluxum; qua de re notabile exemplum allegavi SYST. *Tom. IV. P. I. Cap. VIII.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Gutta ſerena incipiens.* Vir triginta annorum, ſex circiter abhinc annis corpus fortiori labore & exercitio vehementer commotum, ſubitaneæ expoſuit refrigerationi. Unde dolorem quendam gravativum capitis, & accedente oculi dextri contuſione, magnam in ipſo viſus imbecillitatem, nullo externe adparente vitio, ſenſit. Variis igitur uſus eſt remediis, veſicatoriis, fonticulis, collyriis atque purgantibus; ſed ſine ullo effectu. Ante biennium accedebat ſcabies, & poſthæc ad ſiniſtrum quoque oculum tranſibat vitium; dum non modo viſio valde imbecillis eſſet, verum etiam ſcintillulæ maculæque dicto obverſarentur oculo, eidemque omnia duplicata adparerent objecta. Præterea aurium gravi tinnitu, ſtomachi magna debilitate, ructuoſis ac flatulentis moleſtiis, alvi obſtructione, doloribuſque artuum tractoriis vexabatur; vultus lividum præ ſe ferebat colorem; & vitæ genus ſedentarium, multis ingenii laboribus ac ſcriptionibus implicatum continuare non deſinebat.

*Epicriſis cum Conſilio.*

Hic affectus vocari meretur gutta ſerena incipiens ac incompleta, & ſedem habet in nervo optico & cerebro: unde extrinſecus nullum adparet vitium. Natales ſuos à cacochymica ſanguinis & ſeri impuritate mutuatur: quippe frequens docet experientia, ſcorbuticos, cacochymicos atque cachecticos oculorum vitia ab interna cauſa facile incurrere, inque iis malum ab uno ad alterum tranſire oculum. Cacochymicam humorum diatheſin in præſenti ægro teſtantur ſcabies, prava digeſtio, flatulentiæ, artuum dolor, & tinnitus aurium: atque eam cum vitæ genus ſedentarium, tum corporis calefacti refrigeratio induxerunt. Hac etiam viſionis imbecillitati prima occaſio data eſt; ſiquidem inde repreſſi humores copioſius ad cerebri partem anteriorem decubuerunt, & accedente oculi dextri contuſione, ad ejus nervos inde debilitatos pertinaciter ſeceſſerunt. Fuiſſet facilius hanc affectionem adhuc recentem convenienti debellaſſe medicina; at ea jam inveterata difficilius omnino eſt negotium. Neque tamen abjiciendum ideo opinor animum, ſed eo reſpiciendum, ut ſucci reddantur temperati & benigni; ac deinceps partes nervoſæ, quæ ſunt debilitatæ, corroborentur. Primæ intentioni faciunt ſatis lignorum decocta, tincturæ antimoniales, pulveres abſorbentes & diaphoretici, purgantia ex gummatibus confecta, & vivendi recta ratio. Poſteriorem ſcopum explent emplaſtra ex oleis cephalicis, aromaticis, balſamis liquidis, & gummatibus reſinoſis, fronti & temporibus adplicata, nec non ſpiritus vini fortiter camphoratus, & cum eſſentia balſami Peruviani mixtus, & denique balſamum noſtrum vitæ. Quæ per ſatis longum tempus continuata ſi votis nondum reſponderint, nec ſucci vitales ſatis edulcorati fuerint: haud alienum erit, blandam movere ſalivationem, quæ cum cinnabarinis vel æthiope minerali perficitur commodiſſime, quandocunque hic, prius probe perpurgatis primis viis per pilulas cephalicas aut aliud conveniens purgans, ad decem grana cum drachma dimidia ſacchari & olei Meliſſæ Turcicæ guttis duabus per tres & ultra ſeptimanas mane exhibeatur & potui decoctum rad. Chinæ cum paſſulis & cinnamomo detur, ſubjuncta ſimul diæta & proba vivendi ratione. Novi hac methodo, ob gravem capitis contuſionem feliciter reſtitutos qui in periculo cœcitatis verſabantur; non tamen omiſſis externis.

### Observatio II.

*Gutta ſerena puer.* Puella ſeptem annorum, debilioris naturæ & teneri-

*puram rubram excipiens.* teneririmæ corporis conſtitutionis, faciei lividæ & cachecticæ, flaveſcente ſæpius colore tinctæ, incidebat aliquando in febriculam, dorſi capitiſque dolore, & ſi corpus erigebat, vertigine ſtipatam. Tertio ab invaſione die, tota cutis punctulis aſperis & rubicundis referta cernebatur; quorum ulterior efflorefcentia remediis temperantibus, leniterque expellentibus, & temperato regimine adjuvabatur. Neque tamen minus hæ maculæ mox cum ſenſu horripilationis evaneſcebant, mox cum magno cutis ardore rurſus prorumpentes. Conquerebatur inſuper de magno capitis & oculorum, præſertim circa ſeptimum diem, exacerbato dolore; & quum poſtea ab hoc convaleſceret affectu, ſubito omni privata viſu, nihil prorſus videre valuit. In oculis externe nihil videbatur vitii; niſi quod pupilla paulo amplior & magis dilatata compareret.

*Epicriſis.*

Affectus, qui poſt ſe traxit guttam ſerenam, eſt purpura; infantibus præſertim cachecticis, qui ob ventriculi imbecillitatem & bilis inertiam, ingentem ſeri impuri contrahunt copiam, admodum familiaris. Purpura enim ex ſero impuro acri in glandulosis ductulis ſtagnante, quod febrili commotione ad habitum corporis protruditur, originem trahit: cujus ſeri copia ſi juſto major, & natura imbecillis eſt, ſeu, quod idem eſt, ſi corpus debitis motibus, illud expellendi deſtitutum fuerit; fit inde, ut partibus etiam ſolidis a ſuccis vitioſis hinc inde ſtagnantibus, eaſque vellicantibus labes affricetur. Quare obſervamus, tuſſes diuturnas, phthiſes, febres lentas, diarrhœas, capitis dolores, hemicranias &c. illum affectum non modo comitari, ſed eidem quoque ſupervenire. Ex quo facile colligitur, delapſum in noſtro caſu ad caput, & præſertim nervos opticos ſerum guttam induxiſſe ſerenam. Cujus curatio in eo potiſſimum conſiſtit, ut corpus à colluvie ſeroſorum ac purpura infectorum ſuccorum liberetur, eorumque moles à capite derivetur. Quo ſcopo præter interna ſanguinem mundificantia, decocta diluentia, diaphoretica & laxantia, mira virtus in veſicatoriis repoſita eſt, dummodo tempeſtive adhibeantur: quæ revocando ad cutaneum corticem ſerum acre, illud capiti ſubtrahunt. Præterea, eo eſt annitendum, ut per balſamica ac temperata ſtomachica, ventriculo robur ac virtus digeſtiva reſtituatur; & ſic generoſus chylus, laudabileſque ſucci generentur.

## Observatio III.

*Gutta ſerena ex ſuppreſſa purpura, ſudoribus curata.* Puella novem annorum, catarrhalibus defluxionibus, achoribus tumoribuſque glandularum colli per totam vexata vitam, naribus aliquando præter morem ſiccis exiſtentibus, corripitur vertigine, & doloribus dorſi ac hypochondriorum tantis, ut accedente vomitu & cephalalgia, lectum petere cogeretur. Poſt aliquot dies melius paulliſper habens, libero ſe rurſus exponit aëri, qui tum erat gelidiſſimus: ſed redux, gravi vertigine, tumore vultus, febricula & purpura, mox iterum retrocedente afficitur. Haud multo poſt, gravi mentis commotione agitata, incidit in affectum epilepticum; ſub quo dentes valide commordebat, oculi rigebant hiantes, ſenſus omnes erant aboliti, & pulſus ferebatur vehemens & inæqualis. Elapſa hora ab hoc paroxyſmo ad ſe rediens, prorſus cœca erat, & inter vehementes capitis dolores, multum birioſæ ſaburræ vomitu reddebat. Infuſo clyſmate, atque datis remediis antiſpaſmodicis, præcipitantibus, ac diapnoicis remittebant & vomitus & dolores capitis: ſed cœcitas eadem perſiſtebat per quatuor dies, quorum ſingulo ſupra citatus paroxyſmus epilepticus revertebatur. Quum urgerent inſuper continuæ vigiliæ, & dolores vehementer recrudeſcerent; dabantur veſperi aliquot grana pilularum de cynogloſſa: unde nox quietior ſequuta; & quum altero mane ex infuſo theiformi olei Cajaputi tantillum ſumeret, largo per totum corpus perfundebatur ſudore, & cum hoc ſubito recuperabat viſum. Sed elapſa hora, & redeunte cephalalgia, cœcitas plenaria recurrebat; & altero demum die, remittentibus cunctis doloribus & ſpaſmis, iterum redibat, cum tam felici ſucceſſu, ut ægra poſt ſedecim dies inter continuos ſudores, & viſionem & ſanitatem perfectam recuperaret.

*Epicriſis.*

1) Quanta ſerum acre, quod ſub exanthematibus purpuraceis ad corporis peripheriam protruditur, intra corpus retentum, machinari valeat mala: præſens quoque teſtatur morbi hiſtoria. Sæpius fit, ut illud per aliquod tempus in corpore deliteſcens quieſcat, & non niſi accedente quadam occaſionali cauſa, ſuam exercere incipiat tyrannidem. Talis cauſa in noſtro caſu duplex fuit, nimirum refrigeratio, & mentis commotio: qua utraque gravis ſpaſmus nervoſo generi inductus, & hoc cutaneum corticem afficiente, humores noxii majori copia ad interiora, & caput potiſſimum compulſi fuerunt.

2) Meretur itaque, quæ hic occurrit cœcitas vocari ſpaſmodica; eo quod à ſpaſmo externarum & infernarum partium, humores ſurſum commoti ſtrictura fortiori & cerebri membranas, unde epilepſia nata, non minus ac oculorum membranas nerveas adfecerint. Hinc factum eſt, ut, poſtquam larga acceſſerat ſudatio, inde ſerum acre evacuatum, ſpaſmi relaxati & ideo cuncta mala depulſa fuerint.

## Observatio IV.

*Gutta ſerena ex ſubſiſtentibus variolis.* Infans trimulus, cum vix anni quadrantem attigiſſet, variolis erat correptus; quæ non legitimam ſuppurationem paſſæ, nec rite efflorefcentes, tertio poſt die rurſus evanuerunt. Abhinc vacillante ſanitate ſæpius adflixerunt catarrhales moleſtiæ; & ante annuum tempus abdominis quædam acceſſit durities. Contra hanc præter alia medicamina datum fuit vomitorium, idque intra unam hebdomadem bis repetitum: unde ſpontanei vomitus, & alvi fluxus exceperunt, perque decem inhæſerunt dies. Tum conquieſcentibus his excretionibus, abdomen quoque detumuit; ſed virium ſummus languor ſucceſſit, & non obſtante cum adpetitu, tum ſomno integro diu continuavit. Noviſſime plenaria viſus abolitio, oculis illæſis exiſtentibus, ſupervenit; corpus, licet ſatis muſculoſum, adeo tamen debile ac languidum eſt, ut ſi ex lecto attollatur, artus quaſi collabi videantur; ſiniſtrum brachium frequens tremor occupat; caput eſt tumidum, & loquelæ ſumma difficultas. Alvus ſatis libera, & adpetitus integer eſt; ſed nares perpetuo ſiccæ, & crebri urgent ſudores.

*Epicriſis*

*Epicriſis cum Conſilio.*

1) Adfectionum, quæ in præſenti caſu variolas ſubſiſtentes exceperunt, cauſa eſt plethora ſeroſa; ſive ſeri atque lymphæ ſpiſſæ ac impuræ magna per totum corpus abundantia; quæ pleriſque infantum familiaris eſſe ſolet. Hinc catarrhales aurium, narium, oculorum, capitis &c. defluxiones in nulla ætate magis frequentes deprehendimus, quam infantili & puerili. In noſtro quidem ægrotante variolarum ſubſiſtentia primam conſequentibus malis dedit occaſionem: excrementitii enim humores, qui per hoc exanthematis genus alias excerni ſolent, puſtulis ob nativam forte generis nervoſi debilitatem non rite extruſis intra corpus retenti, inquinarunt ſeroſum & lymphaticum laticem. Unde originem traxerunt catarrhales affectus, abdominis durities, & facta materiæ ſeroſæ ad cerebrum & medullam ſpinalem metaſtaſi, variarum partium reſolutiones paralyticæ, ut oculorum, linguæ nervorumque ad brachia & pedes tendentium.

2) Curatio tanti mali ſolis ferme internis perficienda eſt remediis, & quidem talibus, quæ viſciditatem lymphæ reſolvendi, ejuſque nimiam molem conſumendi facultate pollent. Conſultum igitur duco, ut ſequenti procedatur ratione: purgato per pulverem Cornachini corpore, omni mane ſumatur pulvis ex cinnabaris optime præparatæ granis quinque, lapidum cancrorum granis octo, & mercurii dulcis grano dimidio confectus; quo per ſex dies uſurpato, interponatur iterum laxans; tumque per ſex rurſus dies ſumto pulvere, repetatur laxans. Sub hac cura pro potu inſerviat decoctum, quod ex radicis ſarſaparillæ unciis tribus, corticis ligni ſaſſafras drachmis tribus, ſalis tartari drachma dimidia, cum duodecim aquæ puræ libris in vaſe clauſo coctis paratur; idque etiam loco potus Theæ calidum bibatur: non minus victus ſit attenuans, ut non niſi carnes aſſatæ, & panis ſimilagineus modica tamen quantitate adhibeantur. Deinceps per octo circiter dies corpus omni mane immittatur balneo, quod ex aqua ſimplici, furfuribus triticeis, & cineribus clavellatis conficitur; & poſt illud nucha, & os ſacrum linimento nervino inungatur. Interne continuetur dicti uſus decocti, & ſub epulis ad firmandum ſtomachum propinetur Elixirium ex eſſentiæ pimpinellæ albæ, gentianæ rubræ ana uncia dimidia, ſpiritus nitri dulcis drachmis duabus, & olei macis, de Cedro ac cinnamomi ana guttis ſex confectum: externe vero naribus admoveatur ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, cum oleo majoranæ vero imprægnatum. Ex qua curatione non dubito, quin auſpicatus ſit conſequuturus eventus.

Observatio V.

*Gutta ſerena ſpuria.*

Duodecim annorum puer, ante aliquot jam annos catarrhis, coryzæ, tuſſi, obnoxius, ingruente tempeſtate valde humida & aquilonia corripitur iterum catarrhali febre; quam nono die acerbus capitis & oculorum dolor excipiebat, & tandem plenaria ſequebatur cœcitas. In oculis nihil adparebat vitii, niſi quod pupilla adhuc ſe contrahebat, & puer lucem à tenebris diſtinguere poterat: ceterum vero & adpetebat bene & egerebat rite. Poſtquam igitur per integrum ſemeſtre, fruſtra uſurpatis varii generis medicaminibus, hoc affectu laboravit, & noſtræ curæ traditus fuit; nihil adhibuimus, quam pilulas noſtras balſamicas, quavis ſemel hebdomade adſumendas, & externe linteum balſamo vitæ noſtro madidum bis de die fronti & temporibus adplicari curavimus: unde, favente divina gratia factum eſt, ut intra paucas hebdomades omnem recuperaverit viſum.

*Epicriſis.*

Præſens ſerena gutta videtur tantum eſſe ſpuria, quæ à defluxione ſeri, partes nervoſas viſui dicatas obſidente proficiſcitur. Nervus enim opticus, quatenus intra cerebrum continetur, in tali caſu ab omni fere liber eſt læſione; & adducit adhuc fluidum tenuiſſimum ad partes oculi nervoſas: quæ tamen à ſeroſa colluvie hinc inde compreſſæ, ad recipiendos ſolis omnes radios, & efformandam perfectam viſionem haud idoneæ ſunt. Et hinc obſervamus frequenter, quod infantes ac pueri nimium pituitoſi & catarrhalibus affectibus divexati, ejuſmodi imminutiones & viſus & auditus patiantur. Quo in caſu ſolemus quidem remediis anticatarrhalibus uti; ſed cum hæc in præſenti puero ſufficienter fuerint uſurpata, nihil reſtitit, quam ut roborante ac nervino remedio, quale eſt noſtrum vitæ balſamum ſtagnantes ſucci diſcuterentur, & infirmæ roborarentur partes.

---

## CAPUT V.

### *De Viſus imbecillitate ex lippitudine & ſuffuſione.*

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Lippitudinis definitio.*

Inter morbos oculorum, qui ex nervoſarum partium atonia naſcuntur, præcipuos, lippitudo, quam Græci ἐπιφορὰν vocant, primas tenere videtur. Eſt hæc ſalſa & acris laticis cum pruritu, dolore & rubore ex oculis fluxio, cum hebetudine eorum juncta.

§. II.

*Levior ſpecies, quænam ſit.*

Levius hoc malum exiſtit, ſi in oculi bulbo nullum quidem comparet vitium, palpebræ tamen tument & rubent, fluxio lenteſcit inque lemas denſatur, quibus palpebræ ſubinde noctu conglutinantur & ſic hoc ipſum diutius durat.

§. III.

*Diſtinctio à ſugillatione.*

Differt hic affectus à ſugillatione, in qua oculi album, quandoque totum, per omnem ſui ambitum, quandoque etiam ultra hunc & iridis circulum, rubrum apparet & omnia quæ adſpiciuntur rubra videntur. Fit plerumque à cauſa externa, ut contuſione, & à ſtagnatione in minimis vaſculis ſanguinis, epiphora vero à lymphæ ſtagnantis effuſione. Differt quoque ab inflammatione oculorum, ſive ophthalmia, in qua major dolor & ardor & ingens ad lucis acceſſum exacerbatio cum febricula & metu ſuppurationis obſervatur; nec minus diſtat in eo, quod epiphora diutius duret, ophthalmia celerius diſſipetur.

*2) ab ophthalmia.*

§. IV.

*Subjecta, quæ corripit.*

Solenne hoc malum eſt infantibus & pueris, ſi caput

caput auræ frigidæ exponunt, vel catarrhis, vel capitis tinea laborarunt, præpoſtere ea ſanata. Invadit dein maxime eos, qui tumoribus glandularum in collo, vel circa aures afficiuntur, neque prius diſcedit, quam ſublato tumore & reddito liberiori lymphæ per glandulas tranſitu. Frequens etiam lippitudinis geneſis poſt variolas & morbillos, quod in his ob æſtum & ebullitionem ſucci temperatam diatheſin exeunt & impuram, viſcidam ac ſalſam contrahunt, quæ niſi morbo ſuperato per convenientia depurantia corrigatur, non modo lippitudinem, ſed & alios diu durantes morbos poſt ſe trahit.

§. V.

*Anni tempora quibus invadit.* Datur præterea lippitudo, quæ epidemice infeſtat & inſuetas ac inordinatas temporum anni conſtitutiones ſequitur, maxime vernali & autumnali tempore: & atmoſphæræ, exhalationibus ſubtilis acrimoniæ refertæ vitio debetur, quo tempore etiam ex eodem fonte prodeuntes morbi, ut rheumatiſmi, gravedines, impetigines ac vitiligines, puſtulæque in cute ulceroſæ regnare ſolent. Circa ſolſtitium æſtivum ego quoque ſæpius idem malum ortum obſervavi.

§. VI.

*Sedes ejuſdem anatomice demonſtratur.* Ipſa ſedes mali potiſſimum eſt in glandulis, quarum variæ ſunt in oculo. Maxima harum lacrimalis dicta in orbita ſupra angulum minorem collocata eſt, & manifeſtum primum faciente STENONE, ex ſex ſeptemve ductulis, inter palpebrarum membranas decurrentibus & non longe à ciliis totidem diſtinctis oſculis hiantibus, ſerum lacrimale ſalſum fundit, quod a punctis lacrimalibus abſorbetur & per peculiarem ductum ad nares fertur. Dein in cantho oculi majori plures acini glanduloſi conſiſtunt, qui glandulis ſebaceis accenſentur & ſerum lenteſcens plorant. Sub palpebris etiam deliteſcunt glandulæ, ab inventore Meibomianæ vocatæ, & à MORGAGNI in ſebacearum numerum relatæ, quæ juxta dorſum palpebræ eleganti ordine poſitæ, ad limbum hujus oſculis hiant, è quibus ſtillare videtur illa, quæ in oculorum morbis palpebras conglutinat materia.

§. VII.

*Unde veniat effuſio ſeri ſalſi.* Jam, quandocunque excretoria hæc glandularum, ex nerveis & fibroſis tunicis conflata organa, à ſero ſubtili acri, vel etiam ab acribus effluviis arroduntur, nerveæ glandularum membranulæ criſpantur & ſpaſmodice contrahuntur, ut ſanguinis per arteriolas advecti refluxus, ob venas conſtrictas, minus libere fieri poſſit, ſed tubuli glanduloſi a ſecedente ſub mora hac ſero, plus juſto amplientur, & hac ratione ingens fiat ſeri ſalſi lacrimalis effuſio.

§. VIII.

*Unde rubor & dolor?* Ruborem & dolorem jungi, acrimoniæ humoris effluentis tribuendum, cui ſæpe tanta ſalis acris copia inſtar ammoniaci, præſertim in ſcorbuticis ineſt, ut ex drachma una ſeri in lippitudine effuſi, grana duo ſalis muriatici acerrimi, leni tantum evaporatione, obtinuerim, quod tamen ratione odoris & ſaporis multum differt à ſale illo, quod poſt urinæ exhalationem reſtat, luculento indicio, peculiarem plane & mechanicam eſſe glandularum & oculi tubulorum excretoriorum ſtructuram, ut ſerum ſalſum ſine contagio ſulphuris fœtidi, ut in urina & ſudore fit, admittat.

§. IX.

*Prognoſis.* Quaſdam notas, ex quibus quid eventurum ſit colligere poſſimus, quam optime tradidit CELSUS *Libr. VI. cap. VI. Si ſimul & lacrima & tumor & craſſa pituita cœperint, ſi ea pituita lacrimæ miſta eſt, neque lacrima calida eſt, pituita vero alba & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non eſt. At ſi lacrima multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idque in uno oculo eſt; longum id ſed ſine periculo, futurum eſt. Idque lippitudinis genus minime cum dolore eſt; ſed vix ante vigeſimum diem tollitur, nonnunquam per duos menſes durat, quandoque brevius finitur. Tumor magnus ſi ſine dolore eſt, & ſiccus, ſine ullo periculo eſt: ſi ſiccus quidem, ſed cum dolore eſt, fere exulcerat; & nonnunquam ex eo caſu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Ejuſdem exulcerationis timor in palpebris pupilliſve eſt; ubi, ſuper magnum dolorem, lacrimæ ſalſæ calidæque eunt; aut etiam ſi, tumore jam finito, diu lacrima cum pituita profluit. Pejus etiamnum eſt, ubi pituita pallida aut livida eſt, lacrima calida aut multa profluit, caput calet, à temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget. Eſt etiam genus aridæ lippitudinis, quod ζηροφταλμίαν Græci appellant. Sub hoc neque tument, neque fluunt oculi, ſed rubent tantum & cum dolore quodam fere levi ac prurigine graves ſunt, & palpebræ citra duritiem ullam noctu prægravi pituita inhæreſcunt, quantoque minor generi huic impetus, tanto finis minus expeditior eſt.*

§. X.

*Suffuſionis ſigna.* Ad eas, quæ viſum lædunt, affectionum ſpecies, referri quoque debet ſuffuſio, quæ vulgo pro cataracta incipiente vel ſpuria habetur. Hac qui laborant de ſimulacris vagarum rerum, de nigris punctis, muſcis oculis obverſantibus, vel, quod pejus eſt, de nebula, de aranearum telis, de teneriori rete, quibus oculi tecti ſunt, conqueruntur.

§. XI.

*Geneſis.* Fit hoc vitium, ubi aqueus pellucidus humor ab admixtis corpuſculis & moleculis opacis, propter nimis dilatata vaſculorum adducentium oſcula, pelluciditatem ex parte amittit atque variæ & obſcuræ, præſertim in chartis & parietibus candidis viſui imagines ſiſtuntur, adeo ut quo major ſit hujus humoris opacitas, eo major objectorum obſcuratio.

§. XII.

*Oculi ſtructura anatomica experimentis probatur.* Ut horum vitiorum ratio & natura eo liquidius appareat, repetendum ex phyſiologicis eſt, tres in oculo humores numerari, aqueum, vitreum & cryſtallinum. Aqueus dicitur, qui utramque oculi cameram, tam anteriorem, quæ inter corneam & uveam, quam poſteriorem inter uveam & lentem cryſtallinam, replet, quantitate eſt exiguus, ſed admodum fluidus: hic ſubjecto blando igne ſine ſpuma leniter exhalat, relictis valde exiguis & pellucidis moleculis ſalſis. Vitreus aqueo denſior eſt, poſteriorem oculi partem retinæ ubique contiguus occupat: hic mole longe major priori cochleari argenteo inditus, ſuppoſita candelæ flamma, protinus in aquam limpidam liquatur & totus ſine ebullitione in halitus ſolvitur, relicta identidem maſſa ſpiſſa, exigua valde, ſalſi ſaporis. Prunis ardentibus injectus hic humor non ut aliæ ex animantibus partes fœtidum exhalat odorem.

odorem. Cryſtallinus reliquis ſolidior, eodem modo tractatus in liquamen non convertitur & igni injectus flammam concipit & graveolentem ſpargit odorem. Deinde vitreus & aqueus nec à rectificatiſſimo vini ſpiritu neque à ſpiritu vitrioli mutatur aut coagulatur; cryſtallinus vero inde turbidus fit & pelluciditatem amittit.

§. XIII.

*Conſectaria experimentorum.* Ex his curioſis à me inſtitutis experimentis clare apparet, vitreum & aqueum parum inter ſe ratione indolis & mixtionis differre; cryſtallinum autem, qui exſiccatus in meras lamellas diſcindi poteſt, ex partibus longe ſolidioribus & ſalino quoque ſulphureis eſſe conflatum; aliam quoque eſſe originem humoris aquei & vitrei, quam cryſtallini. Ille enim ex tenuiſſimis arteriolarum & vaſculorum lymphaticorum oſculis in uvea & choroidea tunica gignitur, vitreus vero ex tenerrima lympha, quam vehunt vaſcula arachnoidea, venit ac nutritur: Cryſtallinus in ipſo utero producitur, ſuum augmentum & conſervationem à vaſculis in tenuiſſima arachnoidea & propria membranula exiſtentibus & tenuiſſimam lympham plorantibus nanciſcitur. Neque dubium videtur, quin puriſſima, quæ nutrit oculos eorumque humores, lympha circulari motu per adducentia & abducentia vaſa feratur.

§. XIV.

*Ratio exponitur, quomodo humores peccantes ſuffuſionis cauſa ſunt.* Hiſce cognitis liquet, originem ſuffuſionis in lymphæ ocularis vitio poſitam eſſe: Nam quum hic humor valde diaphanus, puriſſimæ & homogeneæ naturæ eſſe debeat, adeo ut cum liquido tenuiſſimo, quod nervi vehunt, pene ſimilem naturam habere videatur, qualis non modo nutriendis oculorum humoribus, ſed & eorum membranis roborandis inſerviat, fit omnino, ut, quando ipſe per morboſam diatheſin, craſſus, impurus ab heterogeneis & opacis terreſtribus particulis redditus per oſcula vaſorum admodum dilatata & diducta ad interiora oculi transfertur, humores turbidi evadant & naturalem pelluciditatem ſuam amittant.

§. XV.

*Subjecta.* Ex hiſce jam facile colligere licet, quare omnes illi, qui ob lymphæ ſpirituoſæ ſubtilis in ſanguine defectum, imbecillarum virium ſunt, ut ſenes, vel diuturno morbo afflicti, aut qui nimium ſanguinis profuderunt, vel diuturna mœſtitia, anxiis curis, aſſiduis vigiliis macerantur, vel etiam intempeſtiva & nimia venere uſi ſunt, tam promte & facile in ſuffuſionem & viſus hebetudinem atque caliginem incidant. Neque minus hypochondriacos vitæ addictos ſedentariæ, qui pigra alvo atque ventriculi inflatione laborant, item cachecticos, quorum corpus multis impuris ſuccis abundat, maxime, quando purgantis, ſudoriferi aut balnei calidi improvide admiſſi vehementia humores in motum acti ad caput pelluntur, hiſce vitiis ſubjectos fuiſſe non ſemel ſed frequentius obſervavimus. Atque etiam, ſi plethora nimium urget, in iis, qui conſuetas ſanguinis per ſcarificationem, per ſectionem venæ neglexerunt, vel qui ſolennes & criticas ſalutares per uterum, per anum fluxiones, non amplius, aut deficientes experiuntur, ejuſmodi oculorum, de quibus nunc agimus, vitia, crebrius obſervantur: nam ex nimia ſanguinis & humorum abundantia protinus eorum ſpiſſitudo atque impuritas ſuboriri incipit, quatenus, ob tardiorem progreſſum, nec ſatis fluidi redduntur, neque ab heterogeneis & excrementitiis partibus depurantur.

§. XVI.

Memoratu præterea dignum eſt, hanc viſus imminuti ſpeciem, qua omnia per nebulam cernuntur, ſtatas ſuas habere periodos, ita ut pluries obſervare licuerit, certis tantum temporibus illam infeſtaſſe, poſtea vero ſponte remiſiſſe atque ex toto commodis remediis fuiſſe ſublatam. *Habet periodos.* TIMÆUS à GULDENKLEE *Libr. I. cap. XXVII.* caſum communicat matronæ, gravi febre ſemitertiana laborantis, quæ ingraveſcente paroxyſmo de oculorum caligine & obverſantibus ante oculos corpuſculis conquerebatur, remittente vero febre ceſſaſſe hæc omnia, & illa ipſa retrocedente, tanquam ſymptoma iterum acceſſiſſe memorat. Nos recordamur quoque, maculas & alia quæ viſui objiciuntur, creſcente luna incrementum, decreſcente vero decrementum cepiſſe, & menſe Martio potiſſimum hoc malum infeſtaſſe. Ex quibus ſignis ſimul dignoſcitur differentia, qua ſuffuſio maxime ſeſe diſtinguit à cataracta vera. *Differt à cataracta.* Hæc enim non tam facile ratione temporis aut magnitudinis variat, ſed pertinacius inſiſtit & fit præcipue, quando irregulares opacæ atomi congrediuntur & tunicam quaſi ſolidam conſtituunt; aut ut rectius quidem cum recentioribus exiſtimatur, ſi tunica cryſtalloides primum denſa fit & opaca, poſtea vero totum corpus cryſtallinum multis lamellis per naturam ſuam inſtructum, aridum, exſuccum & opacum evadit.

§. XVII.

Oculorum vitia id habent cum morbis nervorum commune, ut, quo diutius inhæreſcant, eo difficiliorem ſanationem recipiant & leviſſimis ex cauſis revertantur, interdum quoque in graviorem morbum tranſmutentur, idque non ſine ratione: nam ſolidorum textura, ſtructura & robur longo tempore ita invertitur & deſtruitur, ut tardo admodum modo ac gradu curatio contingat. Atque hoc eſt, quod vulgo conſuetudinem & habitum habere dicitur. *Prognoſis.*

*CURATIO CUM CAUTELIS.*

§. I.

Recta lippitudinem ſanandi ratio, utique potiſſimum in edulcoratione ſeri ſalſi ejuſdemque derivatione ab oculo ad alia loca & in glandularum nimis remiſſarum robore reſtituendo, conſiſtet. *Interna remedia externis anteponenda. adjuncta diæta.* Nos quidem pro certo affirmamus, incipiens malum ſolo potu copioſo infuſi Theiformis, ex herba Veronicæ & ſemine fœniculi, ad aliquot libras, cum regimine diaphoretico per aliquot dies ſumti, brevi & expedita curatione fuiſſe expugnatum. E contrario, certum pariter, illud difficulter admodum ſanationem recipere, ſi à diatheſi humorum ſcorbutica invaleſcente fuerit enatum, nec cedere, niſi accedat prudenter inſtituta cura lactis, vel vaccini, cum aqua Selterana nupti, vel etiam ſeri lactis dulcis noſtra methodo parati, nec non fontis medicati mineralis & martialis, interpoſitis idoneis laxantibus & diaphoretico-temperantibus pulveribus. Fruſtra enim omnis medicatio per alia remediorum genera, præſertim externa, tentatur, niſi interna hæc prius fuerint uſurpata. Opus tamen etiam eſt, ut exacta victus & vitæ ratio accedat, vitando ſalſa, acida & acria, nec non frigus, & abſtinendo a vino & ſpiri-

ſpirituoſis, immo cereviſiæ potu, & ſumto ordinarii potus loco decocto ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ & ſemine fœniculi, uſurpatis ſimul crebrius veſperi ante decubitum pediluviis ex aqua dulci.

§. II.

*Uſus externorum.*

Externa, ut in aliis oculorum paſſionibus, ſic & in hoc vitio circumſpecte adhibenda. Hæc inter tamen non ſine fructu frequentius uſus ſum unguento, ex butyro inſulſo, ſaccharo Saturni & vitriolo albo debita proportione compoſito, quod ad magnitudinem piſi cantho oculi majori inditum, efficaciter, ſi prius internis rite fuerit proſpectum, huic malo medetur, diſcutiente ſimulque roborante qua gaudet virtute. Serio itaque monendi ſunt ii, qui perperam omnino & ophthalmiam & epiphoram nimis refrigerantibus, adſtringentibus vel acribus collyriis & unguentis excipere ſolent; quibus rebus, præſertim ubi rubor & dolor oculum tenet, vix quidquam datur pernicioſius. His enim oculi tabem, corrugationem, ſuffuſionem, nec non epiphoram chronicam, rubentem, ſiccam & aſperam fuiſſe inductam, quin palpebrarum exulcerationem concitatam experientia abunde ſatis docet. Si etiam ſicca plane epiphora exiſtit, abſtinendum ab externis exſiccantibus, multo magis acribus, & oculus potius cataplaſmate ex mica panis triticei, lacte & croco tepide fovendus eſt.

§. III.

*Uſus ſetaceorum, fonticulorum & veſicator.*

Quid ſetaceis, fonticulis & veſicatoriis tribuendum, in pertinacibus ejuſmodi oculorum vitiis mitigandis, loquuntur obſervationes medicorum & encomia de iis paſſim. Nos tamen moleſtis his & incertæ efficaciæ auxiliis medentes melius poſſe ſuperſedere cenſemus, ſi tantummodo ex inventione mea veſicatorium ex uncia una Emplaſtri de melitoto & pulveris cantharidum drachma una paratum, groſſi magnitudine, nuchæ applicent, idque quotidie recens imponendo, exeſam leniter cutem & apertam per aliquot menſes jubeant. Tum enim mira ſeri impuri effluit copia, & non tantum hi, ſed alii etiam capitis morbi, exinde levantur egregie.

§. IV.

*Suffuſionis curatio per venæ ſectionem & leniter evacuantia.*

In ſuffuſione ſic dicta ſpuria curanda, quum ipſa ab impuris ac craſſioribus in oculorum humores, propter auctum ſanguinis & humorum verſus ſuperiora impetum, delatis moleculis proveniat, multum omnino auxilii ſitum eſt in venæ ſectione vel cucurbitulis nuchæ applicatis, hac tamen obſervata cautela, ut, ſi fluxus hæmorrhoidalis aut menſium irregularis vel ſuppreſſus huic malo cauſam præbet, ſanguis in pede mittatur, vel prius in ſuperioribus & dein in inferioribus locis vena tundatur; ceterum vero ſemper ſanguinem in loco propinquiori detrahere è re erit. Poſthæc haud minoris uſus ſunt leniter ex rhabarbaro & foliis ſennæ evacuantia, aut noſtra vel alia methodo confectæ pilulæ balſamicæ. Nobis in memoria ſunt exempla, ubi ejuſmodi viſus obfuſcationes per intervalla remittentes & redeuntes cum adſpectu humorum in oculo turbidorum divina adjuvante gratia feliciter expugnavimus. Quod ſi enim humorum incurſus ac impetus à capite & oculis ad alia loca divertitur & humores craſſi, impuri per convenientia remedia educuntur, fit omnino, ut per abducentia vaſcula, quæ HOVIUS nervoſo-lymphatica vocat, impuri ſucci abſorbeantur & per adducentia puri advehantur, atque hac ratione priſtina humoribus claritas reddatur.

§. V.

*Per analeptica.*

At vero ut ſupra dictum eſt, ingenti virium jacturæ, vel defectui laudabilis lymphæ ad humores oculorum nutriendos neceſſariæ, origo plerumque hujus mali debetur. In ejuſmodi vero caſu analeptica & conveniens victus ratio, fugiendo omnia quæ pravos & ſpiſſos ingignunt ſuccos, plus valent & præſtant, quam ingens collyriorum vel aliorum medicamentorum apparatus.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

OBSERVATIO I.

*Viſus imminutio per lippitudinem cum paralyticis & ſoporoſis affectibus complicata.*

Vir quidam ſeptuagenarius, robuſtæ & nunquam non ſanæ conſtitutionis, media hyeme dum mane è lecto ſurgit, de inſolita virium proſtratione conqueritur; quam ſenſuum abolitio, ambulandi impotentia, & continuus mox exceperunt ſopor. Vocatus medicus impoſitis brachio veſicatoriis, & ordinatis externis ſpiritibus ac linimentis effecit quidem, ut diſcuſſo ſopore æger haberet melius, præſertim, quum ſubinde vena in pede tunderetur, & fonticulus brachio infligeretur. Verum enim vero, graves adhuc morbi ſuperſunt reliquiæ, quarum hæ potiſſimæ obſervantur: viſus tam imbecillis eſt, ut litteras cognoſcere nequeat; oculi perpetuas fundunt lacrymas, & dexter imprimis noctu adeo conglutinatur, ut mane vix aperiri queat. Præterea dextrum brachium ſpuria paralyſi reſolutum; ſiquidem manu nec arripere, nec tenere quid valet.

*Epicriſis cum Conſilio.*

Nullæ equidem manifeſtæ hoc in caſu occurrere videntur cauſæ, quæ recenſita mala generare potuiſſent: at qui ad ætatem ægrotantis, & tempus, quo ægrotare cœpit, reſpexerit, illius morbi ſufficientem inveniet rationem. Senes enim licet illibata gaudeant ſanitate, per naturæ tamen neceſſitatem corpus debile tandem nanciſcuntur, indeque notabilem ad morbos acquirunt proclivitatem. Cui cum accedat aëris frigida & hiemalis conſtitutio, quæ morbis paralyticis ac ſoporoſis præ aliis favet; ex facili poteſt fieri, ut ejuſmodi affectibus præter ſpem & opinionem corripiantur. Quo magis autem his in ſubjectis cauſæ morborum ſunt intrinſecæ ac velut naturales: eo difficilior eſt curatio. Validiora enim & generoſa cuncta exulare oportet remedia; & non niſi ea conducunt, quæ roborante ac nervina virtute debilitatis ſuccurrunt partibus. In præſenti ergo caſu præter blanda laxantia, & Elixir nervinum, præſcripſi balſamum vitæ meum, idque & externo, nucham & tempora inungendi, & interno uſui, mane aliquot guttas ex infuſo meliſſæ capiendi, commendavi; atque hoc præſtantiſſimo remedio per menſem & ultra uſurpato, adfectus hic evanuit & vires egregias ſenex recipere cœpit.

OBSERVATIO II.

*Viſus obnubilatio periodica.*

Sereniſſimus princeps, annorum ſexaginta, robuſti & bene valentis corporis, per viginti & ultra annos, menſe Junii, ſingulis fere annis, gravi & acri oculorum fluxione cum rubore, dolore & viſus obnubilatione ad ſex interdum ſeptimanas moleſte

moleſtè perſeverante torquebatur. Poſtea ſponte ceſſavit malum. Ad avertendam hanc moleſtiſſimam paſſionem claros & peritos conſuluit medicos, qui multiplici medicatione uſi ſunt, quæ in ſanguinis detractione per venæ ſectionem in brachio, in fronte, per hirudinum applicationem circa aures, & ſcarificatione in nucha & dorſo conſiſtebat. Appoſita quoque ſunt veſicatoria & ſetacea nuchæ, ſed omnia irrito plane effectu. Nam appropinquante ſolſtitio æſtivo protinus malum celerrime oculos occupabat. Narravit mihi ſereniſſimus hunc caſum, eodemque malo denuo affectus conſilium à me petiit. Quæſivi ex eo, an nunquam uſus fuerit pediluviis; id quod vero factum eſſe negabat, præſertim quum non perſpicere poſſit, quomodo læſis oculis ſuccurrere valeant. Ego vero in multis & permagnis oculorum vitiis mirabilem me adnotaſſe eorum effectum affirmavi, & ut eorum uſum admitteret maximopere ſuaſi. Annuebat conſilio, & poſtquam modum præparandi & applicandi illum qui ab ejus ſervitio erat, edocui, bis de die mane & ante cubitum illis uſus, intra trium dierum intervallum tam præſens & efficax levamen expertus eſt, ut oculis claritas, mox evaneſcentibus dictis incommodis, reſtituta fuerit. Quem auſpicatiſſimum effectum mihi nunciavit lætiſſimus.

*Epicriſis.*

Ad illuſtrationem hujus caſus adhuc pertinet, Perſonam hancce Sereniſſimam mane à multis retro annis nudis pedibus, nec tecto ſatis abdomine per aliquot horas ſub dio ambulaſſe; idque maxime æſtivo tempore. Ex quo jam facila rationem adparere exiſtimo, quare hic affectus quam maxime circa tempus ſolſtitiale afflixit, ſub quo ingens æſtus auctiori inteſtina agitatione humoribus particulas ſalino-ſulphureas acres ingignit, quarum exitus per infimas & extremas partes frigore præcluſus ejuſmodi metaſtaſin ab exterioribus conſtrictis ad caput & oculos, jam ad receptivitatem promte diſpoſitos, producit. Cum vero pediluvia opportune adhibita inſignem tranſpirationem, quin etiam interdum ſudorem movendi vi polleant, ex eo jam utiliſſimus eorum effectus patet luculentiſſime. Cordatum itaque meum fuit conſilium, ut inpoſterum Sereniſſ. à prava illa conſuetudine ſe retraheret & matutinum frigus æſtivo tempore quam ſollicite caveret. Quo effectum eſt, ut ſequenti anno ab hoc malo plane liber evaderet.

## Observatio III.

*Epiphora tumore glandularum in collo ſuſtentata.*

Puer annorum decem, ſucci plenus, præcocis ingenii, ſub primis ſtatim ætatis annis varia in capite exanthemata patiebatur; ſiquidem & cruſta lactea & poſtea tinea capitis illud occupabant diuque affligebant. Sequebatur dein tam acerba cum dolore ex oculis fluxio eorumque noctu conglutinatio, ut lucem adſpicere propter doloris augmentum non valuerit, quare in loco tenebricoſo ſemper ſe continere tenebatur. Tanta erat hujus affectus contumacia, ut nullis à celeberrimis etiam medicis præſcriptis internis & externis remediis cederet, bonæ indolis puerum per integrum annum & ultra affligens. Quum parentes optimi etiam meam requirerent opem, curatiori inſtituto examine, glandulas colli tumentes deprehendi & crebris ventris torminibus cum alvo adſtrictiori puerum tentari ipſumque ab ineunte



ætate dulcibus delectatum audivi. Hiſce cognitis, quæ ſequuntur remedia præſcripſi. Primo ad alvum laxiorem reddendam rhabarbarinas paſtulas bis in hebdomade ante prandium ſumendas ſuaſi. Loco cereviſiæ decoctum radicis chinæ & altheæ, cichorei, glycyrrhizæ ex aqua bibendum præcepi, interpoſito pulverum abſorbentium cum pauxillo cinnabaris uſu. Ad diſcutiendos glandularum tumores emplaſtrum manus Dei, quod deſcribitur in pharmacopœa Domini Charras, cum unguento dialtheæ permixtum applicatum fuit. Ultimum denique & præſtantiſſimum remedium præbuit temperatum noſtrum emplaſtrum veſicatorium, quod nuchæ applicatum, ſine ullo dolore vitioſum ſerum in magna copia eliciendo, intra menſis ſpatium tam exoptatum præſtitit effectum, ut ex toto hic pertinax affectus, oculis claris redditis, ſuperatus fuerit.

*Epicriſis.*

Retulit mihi pater, Vir litteratus, temperamenti pure ſanguinei, ſeſe in pueritia iiſdem capitis vitiis & oculorum paſſionibus diu fuiſſe obnoxium, quæ, fruſtra omni curatione adhibita, ſuperveniente demum narium hæmorrhagia ceſſaſſent. Ex ſuccorum in infantibus & pueris abundantia, præſertim ſi nimium voraces ſunt & fructibus veſcuntur multifariis, ejuſmodi capitis & oculorum vitia progigni, experientia ſatis confirmat. Sed fruſtra omnis generis remedia, inprimis externa adhibentur, niſi temperantia in victu tenui, potuſque præcipue dilutus & alvi laxitas accedat, qua tumores glandularum in collo, qui fovent & ſuſtinent ob vitium ſtagnantis lymphæ oculorum paſſiones, commode reſolvuntur. Ex omnibus vero optime proficiunt, quæ vitioſam lympham a parte affecta ad alia loca derivant & evehunt. Quem in finē uſi ſumus emplaſtro noſtro veſicatorio frequentiſſime & feliciſſime. Interim, ſine ullis externis immediate oculis applicatis, quæ, niſi cautiſſime adhibeantur, nocent, feroces oculorum adfectus ſanari poſſe, hac curandi methodo edocemur.

## Observatio IV.

*Lippitudo per malum vitæ regimen in plenariam viſus privationem terminata.*

Sereniſſimus Princeps annum agens quinquageſimum, ſanguineo-cholericæ conſtitutionis, naturæ alias bene valentis & robuſtæ, immoderatiori vini potui & cereviſiæ valde ſaturatæ ac ſpirituoſiori per omnem vitam adſuetus, multis jam annis circa æquinoctia fluxum cum euphoria hæmorrhoidalem expertus eſt. Evenit aliquando, ut per frigoris vehementiam ſubito hic fluxus ſubſtiterit. Sequebantur mox cum ventris dorſique doloribus & hemicrania & cardialgiæ, quibus acris ad oculos fluxio ſuperveniebat. Per venæ ſectionem in pede remittebant quidem hæc mala, ſed remanſit dolorifica cum rubore in oculis fluxio, quum Sereniſſimus pocula in ſeram uſque noctem protrahere & mane ſub tempeſtate aëris humida & frigida venationibus indulgere, quam immutato vitæ regimine conſueto oculos à frigore defendere mallet. Hinc vero proh! dolor factum eſt, ut, malo ſubinde aucto, oculi naturalem ſuam conſtitutionem, colorem, figuram, magnitudinemque & claritatem indies magis magisque amiſerint, inſequente poſtea plenaria viſus privatione. Cui removendæ à celeberrimis undique medicis & artificibus remedia, ſed fruſtra, hactenus ſunt requiſita.

*Epicriſis.*

Graves & chronicas omnis generis paſſiones ſolis medicamentis ſine convenienti vitæ victusque ratione ſanari non poſſe, abunde non experientia ſolum confirmat, ſed & conſtans antiquiſſimorum medicorum, inque primis Galeni, adſertio fuit. Si quis enim à quibus originem morbus traxit, ea fugere recuſat, quo modo valere is poſſit equidem non video. Quum vero non laudabilis, principum maxime, ea ſit conſuetudo, ut præcepta diætetica vel rarius, vel prorſus non admittant, ſed medicamentis jucunde tractari velint; non mirum eſt, ſæpius morbos eorum, facilioris alias & promtioris ſanationis, ſanari non poſſe. In tali, qualis noſter eſt, longo & difficili admodum affectu levibus diæteticis quam pharmaceuticis remediis uti ſolitus ſum: Jubeo, ut à vino, cereviſia craſſiori, à carnibus, ovis, placentis, acribus, ſalſis & acidis ægrotantes abſtineant; è contrario vero aquam frigidam, quin etiam calidum herbæ appropriatæ infuſum ex aqua, magna in copia pro potu ſumant & alvum inprimis laxiorem leniſſimis laxantibus ſervent.

### Observatio V.

*Viſus hebetudo ex lippitudine ab incongrua diæta orta.*

Vir generoſus, quinquaginta & aliquot annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, vitæ aulicæ jam per plures annos innutritus, inordinatum habebat vitæ genus: ſiquidem crebro exceſſum committebat in potu vini dulcis fructibusque horæis nimium delectabatur; in venatione quondam autumnali caput ventis fortiter ſpirantibus inopportune expoſuit. Poſtero die de capitis dolore preſſorio conquerebatur, quem fluxio in oculis acris adſpectu lucis ſemper increſcens cum rubore & dolore ſequebatur. Quod malum, neglecta victus ratione, idoneisque mediis contemtis, in dies majora cepit incrementa; & quia ſimul rei venereæ deditus erat, nec à vini potu liberaliori abſtinebat, tam grave factum eſt, ut in utroque oculo pene viſum amiſerit. Multos ideo conſuluit medicos & variis, quæ hinc inde commendabantur, collyriis ſed inani plane effectu utebatur. Ranam per medium diſciſſam interiori oculi parti ſuperimponebat, quod crebro uſu ab aliis comprobatum ipſique commendatum nihil proficiebat. Per annum & dimidium hoc moleſto affectus malo petiit à me quoque opem. Ego proſpexi primo loco diæteticis remediis, &c, ne potui aſſumeret cereviſiam vel vinum, ſed aquam frigidam, ſuaſi. Deinde pediluviis valde temperatis frequentius ex meo conſilio uſus eſt paulo longiori in iis mora. Tum interdictis omnibus externis ſimplex tantum & vulgare ut in uſum vocet, remedium commendavi, ut videlicet ſaliva ſua jejunus, antequam ſurgat & poſtea quoque oculos illinat frequentius. Quibus ſimplicibus cum diu uſus fuerit, accidit, ut, diſcuſſa prorſus vitiata materia, viſus clarus cum naturali oculorum conſtitutione reſtitueretur.

*Epicriſis.*

Sicuti nullæ fere partes corporis tam variis vitiis morbiſque ſubjectæ ſunt, quam ipſi oculi; ita etiam vix ullæ partes ab improvida externorum, quæ collyria vocantur, applicatione gravius patiuntur damnum quam illi ipſi; ſiquidem inde graviter exacerbantur & in deterius plane mutantur. Cautiſſime itaque quod in ejuſmodi affectibus, externis, alias maximopere laudatis, utantur medici, tanquam monitum ſumme neceſſarium experientia ſat edoctus ſcribo. In præſenti morbo mirabilem ſane ſaliva ægri jejuna oculis inuncta præſtitit effectum, quod remedium vulgo etiam non ignotum. Nam ſubtili ſuo ſale alcalino volatili, quo refertus eſt penetrans hic humor inſignem diſcutiendi ſpiſſeſcentes humores facultatem habet, hinc non ſine inſigni fructu in phlictenibus atque tuberculis cutim defœdantibus adhibetur. Ex quibus apparere cuilibet poteſt, gravia oculorum vitia ſimplicibus & promtis remediis ſubinde rectius removeri poſſe, quam compoſitis & arte pharmaceutica vel chymica laborioſe compoſitis. De utilitate aquæ frigidæ in hiſce morbis egregie commentatur CELSUS *Libr. I. cap. V. Neque vero his ſolis, quos capitis imbecillitas torquet, uſus aquæ frigidæ prodeſt; ſed iis etiam, quos aſſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes, tonſillæque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum; ſed os quoque multa frigida aqua fovendum eſt; præcipueque omnibus, quibus hoc utile auxilium eſt, eo utendum eſt, ubi gravius cœlum Auſtri reddiderunt.*

### Observatio VI.

*Viſus caligo à malo hypochondriaco.*

Vir Generoſus, qui jam ſexageſimum attigit annum, officio admotus principis, quod multum curæ, ſollicitudinis ac laboris in mente, neque minus ingentem per varia itinera fatigationem cum multa actorum lectione ad multam noctem producta requirebat, jam ab aliquot annis pathematibus hypochondriacis, frequentibus cardialgiis cum vertigine, hemicrania, alvique ſtipatione junctis obnoxius, fonte ſoterio Pyrmontenſe cum inſigni fructu, aliquoties uſus eſt. Nunc ante annum & ultra de viſus hebetudine & dolore interni oculi preſſorio neque minus de moleſta circa præcordia ſenſatione, vulgo *Ubelkeit*, circa veſperam maxime, conquerebatur. Variabant hic ſecundæ adverſæque res. Mox enim hoc vitium evanuit, mox recruduit; ſed ante anni dimidium indies increvit, adeo ut nulla fere ejuſdem fuerit remiſſio, dolore ſimul tum caput perpetuo affligente, qui tamen poſt ſomnum ex parte ſiluit. Præterea moleſtus circa præcordia ſenſus cum virium defectione & dolore artuum tenſivo genua & pedes præſertim torquente frequenter quum virum generoſum afficiebat, à me petiit conſilium. Ego fontem Egranum cum convenienti vitæ victuſque regimine per III. hebdomades bibendum & ſingulis diebus circa decubitum pedes ad genua uſque in balneum tepidum immergendos ſuaſi. In prandio Elixirio Viſcerale temperate balſamico Vir Generoſus uſus loco cereviſiæ aquam Selteranam potui ſumſit. Dein emplaſtrum noſtrum temperatum veſicatorium ſine incommodo per menſem & ultra nuchæ impoſitum magnam ſeri impuri copiam extraxit. Quæ cura tantæ fuit efficaciæ ut oculis bene habentibus & legere & ſcribere optime potuerit, haud de ullo amplius incommodo conqueſtus. Verum ſcena non multo poſt fuit mutata. Nam ex improviſo quodam caſu, qui ejus animum ingenti pereulit mœrore, protinus cuncta priora mala, ingens ſcilicet oculorum caligo cum dolore premente, dolor cardialgicus & artuum tenſivus cum magna virium jactura revertebantur, quibuscum etiam uſque eo conflictatur & conſilia ſibi expetit.

*Epicriſis.*

Sicut complures capitis affectiones, ut vertigo, aurium tinnitus & difficultas, cephalalgia, hemicrania, ubi ſuas ſervant periodos, ex vitio ſtomachi & primarum viarum ſæpius originem ſuam trahunt; ita & oculorum ſtatis temporibus recurrentes morbos, obnubilationes, caligines, viſus hebetudines, fluxiones, ex colluvie humorum in hypochondriacis provenire non modo præſens caſus docet, ſed & crebriori obſervatum habemus experientia. Geneſis horum affectuum ita procedit: A colluvie vitioſorum humorum in tunicis ventriculi nervoſis ſpaſticæ fiunt ſtricturæ, per quas, quum liber ſanguinis per venas compreſſas tranſitus intercipitur, major ejuſdem redditur adpulſus ad caput ejuſque partes, ubi in vaſis minimis ſtagnans ejuſmodi moleſtias producit. Neque vero oculi ab ejuſmodi fortiori appulſu & congeſtione ſunt immunes, quum tunicæ eorum omnes tenuiſſimis vaſculis lymphaticis & ſanguiferis ſunt refertæ, in quibus facile humorum circuitus poteſt turbari. Ex quo fundamento nunc ex facili tam fauſtæ acidularum aliorumque remediorum operationis reddenda erit ratio. Ex hoc igitur caſu id maxime diſcere poſſunt artis noſtræ tyrones, quanta vis & vehementia inſit animi perturbationibus, adeo ut etiam morbos jam quieſcentes, imo ſublatos, ſine ullis aliis cauſis accedentibus repente revocare poſſint. Denique cautionem quoque exinde depromere poſſunt, qui per fontium ſalutarium virtutem convaluere, ut præter meliorem vivendi rationem, tranquillam quoque & ab affectibus immunem, mentem quantum licet, cuſtodiant.

OBSERVATIO VII.

*Viſus imminutio oculi dextri ex ſuffuſione.*

Vir annorum quadraginta duorum, robuſtæ ac plethoricæ corporis conſtitutionis, à primis jam annis lauto victu & largiori vini potu, nunquam autem venæ ſectione uſus, nullum per omnem vitam graviorem morbum, niſi crebras in juventute ſanguinis è naribus fluxiones expertus eſt, quæ dein ceſſantes haud redierunt prius, quam ſuperiori anno magno cum impetu. Haud ita pridem longo itinere per concitatiorem equitationem confecto, ad convivium invitatus & binis diebus vino Hungarico obrutus breviter poſt truculentis vexatur doloribus colicis gravi diarrhœa ſtipatis, inter quam ſtrias quaſdam depoſuit cruentas, quas pro intempeſtivis hæmorrhoidum excretionibus habere nulli dubitamus. Præterea venationibus nimium deditus Vir generoſus die æque ac nocte ut totum corpus, ita oculos maxime aëris expoſuit injuriis; hinc ſubito ante tres abhinc anni quadrantes hebetudinem viſus ſenſit oculi dextri, qua aciem ejuſdem ita debilitatam conquerebatur, ut omnia quaſi per nebulam videret, nec ab homine hominem, licet minori diſtantia remotum, rite poſſet diſtinguere, altero ceterum oculo illæſo exiſtente.

*Epicriſis.*

Sanguinis nimiæ abundantiæ & tenacitati primam hujus mali originem deberi, nemo non videt. Omiſſa enim tam per naturales vias, quam per artem ſanguinis detractione, facile ejuſdem ab infernis partibus ad ſuperiores fieri potuit metaſtaſis; prælertim quum, collectis in primis viis per inordinatam diætam cruditatibus, ventriculi vires debilitatæ & humores cum flatibus generati ſunt. Sanguis itaque verſus caput adpulſus & circa oculum præcipue dextrum congeſtus ob tardiorem ibi per minima vaſcula progreſſum ſtagnavit; unde denegato tenuiſſimi ſucci nutritii ulteriori affluxu humores oculi craſſi turbidique redditi videndi claritatem imminutam produxerunt. In inſtituenda igitur cura eo reſpeximus, ut debita ventriculo vis & chylo ſubtilitas reſtituatur, ut ſanguinis mole per ejus miſſionem & tenuem victum imminuta excretionibus ejuſdem naturalibus via aperiatur & denique, ut caput, inque primis oculus à congeſtionibus liberatus corroboretur. Id quod potiſſimum convenienti ſtomachicorum & tonicorum uſu, ſubjunctis ſimul pediluviis, quæ miram habent a ſuperioribus ad inferiores partes derivandi facultatem, efficere ſtuduimus. Præter ea hac obſervatione adhuc prorſus confirmamur, vitiorum morborumque, qui oculos invadunt, cauſam nimis ſæpe in primis viis atque imo ventre repoſitam eſſe & radicatam, atque ideo in curatione ad eam aptis præſidiis tollendam reſpici omnino deberi. Neque id profecto ſatis junioribus medentum inculcari poſſe exiſtimo, in gravioribus morbis cauſam non tam in humorum dyſcraſia atque intemperie, quam in motuum vitio & aberratione, qua humores & ſanguis locum ſuum naturalem mutare coguntur, quærendam & inveniendam eſſe.

---

# CAPUT VI.

## *De auditus vitiis ex atonia.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Deſcriptio affectuum auditus.*

AUditus vitia, quæ ex atonia partium nervoſarum & membranacearum aurem conſtituentium plerumque proficiſcuntur, ad tres potiſſimum redigi poſſunt claſſes. Prior eſt, quando ſonitus tinnientes, ſuſurrantes, murmurantes, campanarum ſtrepitum æmulantes, aliique innumeri, qui tamen nullam extra corpus habent cauſam, audiuntur; tumque malum tinnitus & ſuſurrus aurium adpellatur. Alter eſt δυσηκοΐα ſeu βαρηκοΐα, auditus gravitas, quando ſoni extra nos excitati perceptio ipſius magnitudine minor eſt; & tertia denique ſurditas, ſeu perfecta auditionis abolitio.

§. II.

*Eorundem differentia.*

Cuncta hæc vitia, ſi ſpectes originem, eodem ferme nituntur fundamento, gradu tamen diverſo; & ſunt vel tranſitoria, quæ ſanis ſæpius, uti quidem videntur, accidunt hominibus; vel perpetua, nunquam non morboſi quidpiam ſecum habentia. Hæc vero jure dicuntur vel idiopathica, quæ ex læſione partium aurem conſtituentium, & intra oſſeam cranii thecam reconditarum primario ſuboriuntur; vel ſympathica, quæ ex aliarum partium, ut ventriculi vitio natales ſuos mutuantur, aliiſque morbis accedunt. Illa ut plurimum infeſtant continuo; hæc per intervalla redeunt; ſuntque non raro vertigine, dolore capitis, oculorum hebetudine, ventriculi imbecillitate, ructuoſis, flatulentis, aliiſque ſymptomatibus ſtipata.

## §. III.

*Quædam ex auris ſtructura annotata.*

Quorum cauſas & formalem rationem ſi velimus perſcrutari; opus erit, quædam noſtro ſcopo inſervientia ex auris ſtructura, indeque explicanda auditionis ratione præmittere. Neque enim copioſi in tradenda auris fabrica erimus; ſed duntaxat notabimus, 1) internas ejus partes, cavitates, mæandros, fornices, circulos, gyros, miro artificio fabricatos, inveſtiri perioſtio, quod eſt membrana tenuiſſima, vaſculis arterioſis quam plurimis, tenuem humiditatem perpetuo plorantibus, plena: 2) hanc membranam eſſe propaginem & expanſionem portionis mollis nervi acuſtici, ex protuberantia medullæ oblongatæ transverſali egredientis, & per foramen auditorium internum, petroſo oſſi inſculptum internam aurem ingredientis, eademque ratione ac retina in oculo viſus, hanc auditus verum organon conſtituere; quippe in ea ſoni colliguntur, per nervi continuationem ad commune ſenſorium pro diſtincta perceptione transferendi. 3) Ejuſdem nervi, qui ſeptimum exhibet par, duram, ut vocant, portionem cum ramo quinti pariter ac octavi ſeu vagi paris communicare, & chordam illam, quæ membranæ tympani ſubtenſa eſt, efficere: 4) arteriolas in aure diſtributas nerveos ramulos in ſuo itinere comitari; 5) tubam Euſtachianam, primum oſſeam, deinceps cartilagineam, & denique membranaceam hiari in palatum, & non ſolum cum externo aëre, qui ore & naribus hauritur, communicare, verum etiam tenuem humiditatem, quæ in aure interna ex continua perſpiratione colligitur, in oris cavitatem, ne auditum turbet, evacuare.

## §. IV.

*Quibus modis auditus lædatur generatim.*

Quod ſi ergo membranæ nerveæ in aure reperiundæ juſto tenſionis, à debito nervei fluidi influxu pendentis gradu gaudeant; ſanguinis per arteriolas circuitus ſit regularis; ductus Euſtachianus pariter ac reliqui rite conſtituti ac aperti ſint, & reliquæ partes aurem conſtituentes bene conformatæ: tum auditus, qui eſt perceptio ſoni, ſeu motus aëris elaſtici per corpus ſonorum producti tremuli ac undulatorii, ſine ullo peragetur vitio. Hinc autem è contrario adparebit, auditum generatim vitiari, ſi vel partes ac cavitates auris internæ præternaturaliter ſint conſtitutæ, male conformatæ, obſtructæ, ulceratæ; vel inprimis tuba Euſtachiana clauſa ac obturata; vel humorum per vaſa curſus inordinatus; vel denique membranæ nerveæ nimis relaxatæ, aut ultra gradum naturalem tenſæ.

## §. V.

*Speciatim à mala conſtitutione partium.*

Sic auditus difficultas, & ipſa demum ſurditas datur nativa, ex mala organi auditorii conformatione originem trahens, & omnem reſpuens curationem. Idem vitium pariunt externæ capitis & aurium percuſſiones, contuſiones, ac violentiæ; unde colaphos ita infligi poſſe notum eſt, ut tinnitus aurium inde exoriatur, *das einem die Ohren davon gellen:* ex bombardarum forti exploſione auditionem imminui, permultis comprobatur exemplis; & eos, qui diu inter tormenta bellica verſati fuerunt, *die* Artilleriſt*en*, ætate provectiori plerumque fieri ſurdos docet experientia. Non minus audiendi facultas vitiatur, à meatus auditorii, tympani, oſſiculorum auditus &c. arroſione, & exulceratione; nec non peregrinis aurem illapſis, & tam aëris ingreſſum impedientibus, quam ipſas membranas cum dolore afficientibus, ut inſectis, piſis &c. atque muci illius ſubpinguis ac flavi, qui glandulis tubuliſque minimis in meatu auditorio ſecernitur, & ceruminis nomine venit, induratione. Nec denique ſilentio prætermittenda ea auditus vitia, quæ ex tuba Euſtachiana, quacunque de cauſſa obſtructa natales mutuantur; hinc enim aëris reciprocus per os & aures aditus & reditus impeditur, atque tenuioris in aure ſecretæ humiditatis excretioni obex ponitur, unde & tinnitus & obauditio propullulant. Sæpius id fit ſub ſalivatione, ſi caput præſertim auræ frigidæ boreali, quæ reprimit viſcidos ſuccos, exponitur: qualem caſum poſt caput mercurio inunctum recenſet TIMÆUS à GULDENKLEE *L.* 1. *ep.* 29.

## §. VI.

*à ſpaſmo & ſiccitate auris.*

Variis quoque modis auditus læditur à ſpaſmo, nimia ſiccitate, rigiditate, & interdum velut occaleſcentia nervearum & membranacearum partium, quæ organon auditionis conſtituunt; quo in caſu auris interna & meatus auditorius plane ſiccus, omnique humore etiam pinguiori deſtitutus viſitur. Quanquam enim talis nimia membranarum acuſticarum tenſio illum ſæpius affectum producat, quo acutiores ſoni non ſine moleſtia & dolore audiri poſſunt: attamen exinde quoque gravitas auditus cum ſuſurru tinnituque non raro proficiſcitur. Hoc vitium poſt phreneticos, maniacoſque morbos crebro remanet; nec non à vehementi capitis, ſudore madidi, perfrigeratione, nimiis diuque protractis vigiliis, diuturna capitis ad radios ſolares expoſitione, omnibuſque cauſis, quæ corpus exſiccant, & ſuccos tenues, roſcidos, lymphaticos conſumunt, ſuam trahere obſervatur originem.

## §. VII.

*à laxitate partium acuſticarum.*

De his autem affectibus nobis non eſt ſermo; ſed de iis tantum agere conſtituimus, qui à nimia nervorum & membranarum acuſticarum relaxatione vel plenaria atonia oriuntur. Quorum licet tres ſuperius adduxerimus ſpecies; eas tamen ita comparatas deprehendimus, ut eandem originem, eaſdemque cauſas, licet gradu diverſas, agnoſcant; quæ generatim in humorum ad aures decubitu, & inde pendente relaxatione partium dictarum conſiſtunt. Quod ſpeciatim tinnitum ſuſurrumque attinet; excitatur ille, ſi cauſæ intra aurem internam adſint, quæ nervos acuſticos in tremulum ac undulatorium, externis campanarum aut alius corporis ſonori ſonis ſimilem motum abripere valent. Tales in malo recentiori, corporibuſque ſanguine plenis non aliæ ſunt, quam rapidiores ac fortiores arteriolarum, membranas aurium perreptantium, nervoſque earum comitantium pulſationes; quæ majorem ſanguinis ad caput, aureſque congeſtionem & in iis factam ſtagnationem ſequuntur. Hæ vero ſtagnationes ſi diutius perſiſtunt; diſtendunt vaſa, relaxant membranas, ſubſiſtenſque ſanguis naturali majorem tenuioris ſeri quantitatem per poros vaſorum dimittit; quod intra meatus internos in vapores reſolvitur, & ſic, accedente præſertim ductus Euſtachiani obſtructione, indeque impedito tam aëris, quam vaporum exitu, auget tumultus, murmura, ac tonitrua aurium. Eadem quoque ratione ſtagnatio ſanguinis pariter ac copioſior ſeri tenuioris exhalatio, comprimendo nervos, ſufficientem liquidi tenuiſſimi influxum remoratur, inducit membranarum laxitatem; unde ſoni externi debi-

debilius percipiuntur & generatur auditus difficultas; quæ compreſſis penitus nervis, ceſſanteque omni fluidi nervei influxu, in perfectam omnino mutatur ſurditatem.

## §. VIII.

*Cauſæ mediatæ tinnitus aurium.*

Quicquid igitur congeſtionem ſanguinis ad aures, vicinaſque iis partes, & celeriorem atque rapidiorem ejus per arteriolas acuſticas circuitum producit: id ad tinnitum, ſuſurrum, aliaſque auditus læſiones contribuit. Hinc frequenti confirmatum habemus experientia, quod ii, qui ſanguine abundant, & quibus ſanguinis motus ad caput directus eſt, quod fit ab alvo adſtricta, ſpaſmis abdominis, fluxu hæmorrhoidum & menſtruorum ceſſante vel ſuppreſſo, partium extremarum nimia perfrigeratione, incurrant dolorem capitis gravativum, vertiginem, atque tinnitum; qui continuante ſanguinis ſtagnatione, accedenteque demum membranarum atonia, gravem parit auditum, ac tandem ſurditatem, rarius in utraque ſimul aure locum habentem, ſed ex una in alteram progredientem. Ex eodem fundamento explicanda erit ratio tinnitus, qui inflammationem partium auri vicinarum, parotidum &c. comitatur; aut in febribus acutis continuis ex raptu humorum ad caput evenit, deliriique eſt prænuntius. Nec rarum eſt eos, in quibus conſuetæ narium hæmorrhagiæ ceſſarunt, inprimis ſi docentium munere fungentes, crebros alta voce ſermones facere coguntur, corripi gravi ac pertinaci aurium tinnitu, cum auditus gravitate vix ſanabili: qualem caſum in hujus SYSTEMATIS *Tom. IV. Part. II.* allegavi.

## §. IX.

*Auditus vitia ex vitio ventriculi & hypochondriorum.*

Quæ affectiones auditus uti ſunt idiopathicæ; ita ſympathicæ potius merentur adpellari, quarum fomes in primis viis exiſtit, quæ per periodos recurrunt, vel ſaltem ſuos remiſſionis & exacerbationis habent gradus. Cauſa nimirum in ventriculo, & prava alimentorum digeſtione hæret; unde flatus copioſi generantur, qui diſtendendo ventriculum ac inteſtina, comprimendoque vaſa abdominis ſanguinea humores majori quantitate ad ſuperiores partes cogunt; quorum in aure ſtagnatio ad tinnitum & auditus difficultatem contribuit. Quemadmodum vero pathemata in primis viis per certa intervalla ingraveſcunt; ita quoque triſtem & dolorificam in capite ac auribus per periodos ludunt ſcenam. Hinc obauditioni ex hac cauſa provenienti obnoxii potiſſimum ſunt hypochondriaci, & flatulentis morbis laborantes; in quibus ſæpius citra omnem expectationem evenit, & brevi iterum evaneſcit, quod exprimentes dicunt: *Es iſt mir auf einmahl vvas vor die Ohren gefallen, das ich faſt nichts hören kan.* Hinc etiam obſervare licet, ejuſmodi vitia ſolis ſæpenumero ſtomachicis, carminativis, & accuratiori diæta prorſus debellari.

## §. X.

*Auditus vitia ex decubitu ſeroſorum humorum ad aures.*

Imminuitur porro, vel plane aboletur auditus, à decubitu ſeroſorum humorum vel ad principia nervorum acuſticorum, vel ad internas auris cavitates. Prius fit in affectibus ſoporoſis, apoplecticis, hemiplecticis, paralyticis, & iis omnibus, qui à colluvie ſeroſa, cerebrum inundante originem trahunt: quin interdum difficultatem auditus & ſurditatem poſt lethargum & inſultum apoplecticum ſequutam obſervavi. Poſterius contingit 1) ſi excretiones ſeri mucidi conſuetæ per nares, ut in coryza, ſimul & ſemel cohibentur, vel ſponte ceſſant; ubi ſerum illud ad aures decumbit, & membranas acuſticas relaxat, præſertim in ſenilibus ac debilitatis corporibus. 2) critico quaſi motu in febribus continuis, exanthematicis, maxime catarrhalibus malignis ſeu petechizantibus, Hungaricis, & quæ caput cum ejus dolore ac delirio afficiunt. In his ſurdaſter ejuſmodi ſtatus extra dies potiſſimum criticos evenit, bonique ut plurimum ominis eſſe ſolet: ſed proſpiciendum, ut talis obauditio inter initia convenienti medicina debelletur, ne radicata vires medicas eludat.

## §. XI.

*Cauſæ remotiores & ſubjecta obauditionis.*

Lento denique pede auditus gravitatem incurrunt, qui per vitæ genus inordinatum ut totius nervoſi ſyſtematis, ita ſpeciatim membranarum acuſticarum debilitatem humorumque ſimul impuritatē ſibi contraxerunt. Hinc iis vitiis obnoxios potiſſimum deprehendimus ſenes, cacochymicos, ſcorbuticos, qui veneri nimis indulſerunt, potibus inebriantibus abuſi fuerunt, aut diuturna triſtitia ac mœrore vires corporis conſumſerunt. Non minus laxitatem membranarum auris, & inſequentem obauditionem patiuntur, qui in tempeſtate humida, nebuloſa, vappida diu verſantur, aut in locis paluſtribus, vel conclavi udo commorantur, nec non, qui per longum tempus defluxionibus catarrhalibus capitis & glandularum circa fauces ſitarum laborarunt: tenſionem enim nervearum membranarum nimia humiditate inſigniter minui, multis conſtat experimentis.

## §. XII.

*Quo tempore exacerbentur auditus vitia.*

Notatu præterea dignum, & aurium tinnitum, & auditus difficultatem pro diverſitate cauſarum diverſa ratione ac tempore exacerbari. Qui dictis vitiis à ſanguinis congeſtione ad caput ſunt obnoxii; eorum exacerbationem circa æquinoctialia tempora, vere ſcilicet & autumno experiuntur; quoniam eo tempore humores magis commoveri, & congeſtiones augeri ſolent. Qui autem ex ventriculi, primarumque regionum vitio auditum gravem patiuntur; male habent poſt ſumtos coctu difficiliores ac flatulentos cibos; eo quod flatus, quo copioſiores generentur, eo magis humorum ad caput raptum efficiant. Qui denique ex ſeroſi humoris decubitu, laxitateque nervorum ſurdaſtri ſunt; mali ſui inſigne augmentum percipiunt cœlo exiſtente nebuloſo, gravi, pluvioſo; quod videlicet talis tempeſtas laxitatem membranarum acuſticarum magis auget; quæ viciſſim iis eſt ſolatio, qui ex nimia aurium ſiccitate inciderunt auditus difficultatem.

## §. XIII.

*Prognoſis.*

Omnes auditus læſiones curatu ſunt difficiles; niſi enim inter prima initia corrigantur, inveteratæ raro medelam admittunt, quæ eo fit intricatior, quo profundius cauſſæ intra oſſeam auditus thecam, aut ipſum plane cerebrum ſunt abſconditæ. Qui in plethoricis, atque debilitatis corporibus capitis dolorem gravativum atque vertiginem ſequitur tinnitus, aut auditus difficultas; ſæpius infauſtum apoplectici inſultus exhibet præſagium; quando vero in phrenitide, Hungaricaque febre, non ſequente narium fluxu, contingit, delirium portendit: ſurditati vero ſuccedens delirium, juxta HIPPOCRATEM malum. At ſurdaſter ſtatus in petechizante febre circa dies criticos, urina exiſtente cocta, eveniens, bene omnino jubet ſperare.

## *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quemadmodum vix ullus morbus curatur, niſi ejus cauſa removeatur, & medendi artificium in eo potiſſimum conſiſtit, ut juſta cauſa cognoſcatur: ſic idem in aurium adfectibus eſt ſummopere neceſſarium. Neque vero in his cauſarum modo diverſitas, ſed etiam temporis, per quod durarunt, diuturnitas reſpicienda; quoniam aliam recentia, aliam inveterata auditionis vitia requirunt curationem. At cum nobis de iis potiſſimum ſermo eſt, quæ ex flacciditate & laxitate nervorum membranarumque & facto ad eas humorum decubitu ſuboriuntur: eorum curationem tribus recte complectemur momentis, quæ in eo conſiſtunt, ut 1) impetus ruentium ad caput humorum derivetur, 2) ſtagnantes in aure ſucci diſcutiantur, & obſtructiones referentur, ac denique, ut 3) influxus fluidi nervei ſufficiens reſtituatur, adeoque robur membranarum inſtauretur.

§. II.

*Quomodo affluxus ſit derivandus.* Primæ indicationi ſatisfaciunt 1) venæ ſectiones, quæ ſanguinem imminuendo, æqualem ejus per corporis ambitum circulum promovent, raptumque à capite derivant. 2) Alvum laxantia, flatuumque excretionem juvantia; qualia, ſi malum in corporibus ſanguine pleniſſimis, & ſpaſmis imi ventris obnoxiis recens ortum fuerit, leniora mannata, rhabarbarina, vel clyſteres eſſe debent. Ubi vero inveteravit affectus in ſubjectis ſeroſis ac pituitoſis; efficaciora ex uſu ſunt laxantia, ut infuſa vinoſa, quæ per epicraſin operantur, & pilulæ cephalicæ, quarum exemplar ſupra *Cap. I.* allegavimus. 3) Pediluvia tepidiora ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, cineribus clavellatis; quippe quæ humores efficaciter à capite revocant, & in ambitum corporis exteriorem ac inferiorem invitant. 4) Veſicatoria ſuris pedum admota, quæ in ſubjectis pituitoſis, ubi ſeroſa colluvies malum induxit, egregiæ ſunt utilitatis.

§. III.

*Quomodo ſtagnatio diſcutienda.* Alteram indicationem explent, quæ vim ſerum viſcidum ut in toto corpore, ita præſertim in capitis receſſibus diſcutiendi, reſolvendi ac evacuandi poſſident. Ex internis præter laxantia huc ſpectant 1) diaphoretica, pro ſubjectorum & cauſarum ratione ſeligenda. Sanguinei enim, plethorici, & qui ex orgaſmo ſanguinis vitia auditus patiuntur, poſcunt diaphoretica fixa, abſorbentibus & nitroſis nupta; nec non infuſa theiformia intra lectum cum blando regimine potanda: ſic enim ſolo potu Caffée tinnitum diſcuſſum novi. Phlegmatici & defluxionibus catarrhalibus obnoxii ex ſpiritibus bezoardicis, cum eſſentiis catarrhalibus ac reſolventibus junctis ſolamen percipiunt, ut ſunt ſpiritus bezoardicus Buſſii, liquor cornu cervi ſuccinatus, eſſentia ſuccini, pimpinellæ albæ &c. 2) diuretica, quorum in morbis capitis ſeroſis excellentiſſima eſt efficacia; ex iis reliquis palmam eripit tinctura antimonii acris, quæ cum eſſentia ſuccini, & liquore cornu cervi ſuccinato combinari poteſt. Scorbuticis vero, atque cachecticis interna reſolventia, attenuantia, & ſic dicta antiſcorbutica, quorum princeps eſt ſerum lactis, fructum pollicentur ampliſſimum.

§. IV.

Quod externa huic ſcopo inſervientia attinet; ex iis, ſi congeſtio ſanguinea, & ſtaſis inflammatoria malum ſuſtineat, principem locum tuentur ſacculi diſcutientes & camphorata, magis in ſicca forma, quam cum ſpiritu vini adplicanda. *Quæ diſcutiendi ſcopo conveniant externa.* Ubi vero laxitas à ſeroſo decubitu ſubeſt; in Galliis præſertim inter arcana referuntur olea expreſſa, & in iis infuſæ cantharides, cujus liquoris aliquot guttulæ auribus inſtillantur. Excitant quidem ſæviſſimos, & tantos cum ardore dolores, qui vix tolerari queunt; ſed intra paucas horas ea tormenta, cum redeunte ſæpius auditu, remittunt. Modus operandi in eo conſiſtit, ut acriuſculis ejuſmodi remediis dolorificus in relaxatis membranis ſenſus excitetur, quo illæ ad ſpaſticam contractionem proritantur, eaque diſcutiunt atque expellunt ſtagnantes ſuccos. Porro hoc fine laudari ſolent pinguedo viperarum, oleum amygdalarum amararum, eſſentia ac medulla caſtorei, goſſypio auribus immittenda; nec non ſuffitus ex decoctis baccarum lauri, juniperi, florum chamæmeli, ſambuci, ſalviæ, verbenæ, roriſmarini &c. & HARTMANNUS commendat vaporem ex herba abſynthii cum lacte decocta auribus admittendum.

§. V.

Vi tertiæ indicationis ex uſu ſunt roborantia tam interna, quam externa. *Quæ proſint externa roborantia.* Ex internis egregii ſunt uſus Elixiria carminativa, viſceralia, ſtomachica, præſertim ubi vitium in primis hæret regionibus: ea enim diſſipando flatus, juvandoque digeſtionem, humorum ad caput congeſtionem præpediunt. Inter externa prærogativam obtinet balſamus vitæ meus, qui nerveis partibus, tremulum ſpaſmodicum motum in iis excitando, robur reddit. Proſtant hoc etiam fine varii ſpiritus acuſtici, ut *Mindereri*, *Mynſichti &c.* aqua reginæ Hungariæ, Anhaltina cum ſpiritu ſalis ammoniaci, roriſmarini, liquore cornu cervi ſuccinato permixta, auribuſque cum goſſypio intruſa: & inprimis moſchus & ambra auribus amica cenſeri, & in aquis cephalicis ſoluta adplicari ſolet. In humidioribus ſubjectis, & quæ frequenti coryza infeſtantur roborandi intentione inſpergendum raſo capiti ſuadeo pulverem ex ſuccino, benzoe, caryophyllis, radice iridis florentinæ, raſura ligni aloes &c. Quod denique diætam ac regimen attinet, eam ex ſuperioribus licebit repetere; nec eſt, quod moneamus, niſi ut caput & aurium confinia ab omni frigido & humido aëre probe muniantur curioſeque velentur. Quem in finem, ſub vehementiori præſertim zephyri flatu, caput cucupha adverſus aëris contumeliam defendere præſtat: Cujus hæc formula eſſe poteſt: Recipe radicis cyperi rotundi, ſeminis nigelli, ſuccini, benzoes, ſtyracis, iridis Florent. ſingulorum unciam unam, moſchi drachmam ſemis, florum anthos, lavendulæ, roſarum ana pug. tres, ſerpilli, majoranæ ana unciam dimidiam. M. F. P.

## *CAUTELÆ PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautela circa uſum topicorum.* Quemadmodum in oculorum vitiis multæ graveſque noxæ ab externorum, maximeque colly-

collyriorum incauto uſu propullulant: ita in aurium affectibus idem fieri obſervamus: ſiquidem varia experimenta & tentamina per inſtillationes liquorum ſpirituoſorum, oleoſorum, pinguium & humectantium, vapores ex decoctis nervinis & cephalicis, ſuffimigia ex gummatibus & ejuſmodi plura, plerumque cum damno adhibentur; niſi prius cauſa materialis, malum fovens, congruis internis fuerit debellata adminiculis. Inprimis ut in omnibus nervoſum, ita quoque auditus à debilitate vitiis ſummopere cavendum à vaporoſis & opiatis medicaminibus; ſiquidem mali cauſam non tollunt, & laxitatem membranarum acuſticarum magis adaugent. Cautius etiam cum cucuphis ſuaveolentibus, quas pro roborando capite ſolent adhibere, mercandum eſt, quoniam multis ſunt adverſa.

§. II.

*Circa venæ ſectionem.* Sanguinis miſſiones in tinnitu aurium, gravitateque auditus, quæ à nimia ſanguinis copia, ejuſque congeſtione ad caput originem traxit, commodiſſimum habet locum; maxime ſi ſuppreſſio vel imminutus fluor menſium ac hæmorrhoidum anteceſſerit: quo in caſu venæ ſectio in pedibus inſtituta fructum pollicetur ampliſſimum. At ſi narium hæmorrhagiæ cohibitæ tinnitus cauſam præbeant, eas, ſi opportuna fuerit ætas, ſtylo naribus intruſo revocare multum juvabit: earum vero emanſio, per ætatis rationem facta, reſarcienda venæ ſectionibus circa ſingula æquinoctia in pede inſtituendis; ſiquidem harum omiſſio malum, licet jam ſit debellatum, revocare valet.

§. III.

*Quomodo tractanda obauditio catarrhalis.* Quæ catarrhalibus defluxionibus ſtipata ſunt, auditus vitia; efficaciora laxantia, infuſaque vinoſa, nec non mercurialia poſtulant, & præterea victus tenuis exſiccans omnem fere pharmacorum vim ſuperabit: nec contemnendam eo in caſu efficaciam ſuffimigia ex temperatis gummatibus præſtabunt. Sæpe etiam fit, ut achores, tinea capitis, ſcabies, aliæque efflorescentiæ præmature conſolidatæ & exſiccatæ auditus relinquant gravitatem: quo in caſu præter laxantia, & pulveres diaphoreticos cum floribus ſulphuris permiſcendos, veſicatoria atque fonticuli, derivando materiam exanthematicam operæ pretium faciunt. Si ſeroſæ per nares excretiones cohibitæ auditus difficultatem excitaverint; non eſt alienum, ſal volatile ammoniaci ſiccum, oleo majoranæ imprægnatum crebro naribus admovere.

§. IV.

*.. in hypochondriacis, ac ſcorbuticis.* Ubi auditus vitia ſunt periodica, & hypochondriorum malam conſtitutionem pro cauſa agnoſcunt; annitendum eſt, ut ventriculus a ſordibus repurgetur, atque ſuum recuperet tonum; ſicut præcedente Tomo Cap. de malo hypochondriaco docuimus: & obſervavi ſæpius, moleſtiſſimum aurium tinnitum in hypochondriacis ſæpius evenientem, unica abſorbentis doſi fuiſſe curatum. Qui ſcorbuticam humorum diatheſin, & vaſorum minimorum obſtructiones patiuntur; bene ſibi conſulunt, ſi aquis mineralibus cum debito regimine utantur.

§. V.

*.. è ſiccitate membranarum.* Quæ auditus gravitas ex nimia ſiccitate membranarum nata fuit; poſcit balnea emollientia, infuſa decoctaque lubricantia & humectantia, atque juvat tum omnino oleum amygdalarum dulcium auri adfectæ immittere aut pinguedinem anguillæ tepidam inſtillare. Præterea nocent vere olea auri improvide infuſa. Exterius proſunt fomenta emollientia & paregorica, quorum optimum præbet panis ex furno recenter exemtus, cui balſamus vitæ adſpergitur. Ubi vero cerumen aurium coagulatum, &, quod ſæpius fit, inſtar gypſi eſt induratum; abſtinendum à nimio humectantium & oleoſorum, quæ vulgo ſolent commendari, uſu. *.. à cerumine indurato* Optimum potius eſt conſilium, ſi lac, vel quod melius, ejus cremor tepide ope ſyphonis infundatur auri, vel vapor ex pane calido, è furno extracto, & diſciſſo eidem immittatur: hic enim blando vapore penetrat & emollit viſcidam tenacemque materiam.

§. VI.

*.. ab obſtructo ductu Euſtachiano* Quando tuba Euſtachiana interius obſtructa tinnitui, ſurditatique cauſam præbet; præter interna ſuccos viſcidos colliquantia & evacuantia, commendantur maſticatoria, ut radix angelicæ, imperatoriæ, pyrethri, maſtix, zingiber &c. quorum vis proxime pertingit ad affectum locum. Laudantur hoc etiam fine ſternutatoria, quippe quæ motum concuſſorium excitando ſæpe expellunt inhærentem materiam; & eadem in hoc caſu opem tuliſſe, teſtis eſt TULPIUS *Lib. I. Obſ. 35.*

§. VII.

*.. à tranſpiratione prohibita.* Cum à nimio ſanguinis ac humorum motu ad caput & auditus organa nimiaque humiditate propter perſpirationem ſufficientem cohibitam ibi collecta & ſecedente pleræque auditus difficultates ſuboriantur, maxime omnium curandum eſt, ut caput in continua & moderata perſpiratione conſervetur & ab iis omnibus, quæ eam ſufflaminant, probe defendatur: cujus generis ſunt balneum, conclave, in quo æger dormit, vappidum & declive, capitis poſt ſudorem refrigeratio, maximeque omnium ejus lotio.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Tinnitus aurium à plethora.* Illuſtriſſima in vigore ætatis conſtituta fœmina valde obeſa, per multos jam annos in matrimonio vixit prole deſtituta & quoad animi corporiſque functiones bene ſemper valuit, niſi quod ante aliquot abhinc annos confeſtim vertigine cum gravi aurium tinnitu juncto correpta per intervalla fuerit. Contra hæc mala ſuaſu medicorum variis remediis & præcipue aquis Schwalbacenſibus uſa eſt, hiſque poſterioribus tam felici ſucceſſu, ut vim mali fractam paulo ſentiens, recidivæ metum omnem abjiceret. At vero, paucis abhinc menſibus non modo vertigo in caducam tranſiit, verum etiam tinnitus cum graviori auditus læſione denuo invaſit, quibus ſimul everſio complicatur ventriculi cum rejectione multæ pituitæ, quæ modo gravior, modo levior ſæpius recurrit. A medicamentis balſamicis & calidioribus pejus, melius vero a diluentibus & ſanguinis orgaſmum ſedantibus Illuſtriſſ. habere ſolet. Ceterum ſat bene ipſi uterina ſuccedit purgatio & ad minuendam propter lautum vitæ genus plethoram ter ſingulis annis ſangui-

nem è vena ſecta detrahendum curat. In tali rerum ſtatu mihi demum in conſilium vocato quæſtio fuit propoſita: An ab aquarum Spadanarum interno & externo Aquiſgranenſium thermarum uſu exoptatum ſperare liceat auxilium?

*Epicriſis cum reſponſo.*

Clariſſime ex hac morbi hiſtoria elucere arbitror, à ſola temperati & boni ſanguinis nimia in corpore bene valente & plethorico diffluentia vertiginem cum auditus labe poſſe ſuboriri. Sanguinis quidem detractionem ter per annū Illuſtriſſima fœmina admiſit; ſed quum nimio ſanguine turgida ſine prole vixit lautiorique diæta uſa eſt, plus ſuperflui ſanguinis generavit, quam per V. Snem & menſium fluxum, ſatis fortaſſe parcum ac moderatum, fuit conſumtum. Quæ cum mecum perpenderem, præter ternas V. Snes conſuetas, alternatim quoque ſcarificationes eodem numero inſtituendas & loco potus ordinarii Selteranam vel communem aquam cum quarta vini parte remixtam bibendam ſuaſi. Præterea à cœna vitaque deſide, quibus dedita erat, abſtinere juſſi; &, quæ ſalutares antea fuerunt, Schwalbacenſes acidulas iterum potandas, quam experimentum cum fontibus Spadanis denuo faciendum conſultius duxi. Balneum vero thermarum Aquiſgranenſium, quæ ob minerale ſulphur, quo abundant, nimis calidæ ſunt, quum in morbis capitis, præſertim qui à plethora fiunt, nunquam ſalutares deprehenderim, reprobavi.

OBSERVATIO II.

*Tinnitus aurium in hypochondriaco & hæmorrhoidario.*

Vir annum agens quadrageſimum ſecundum, temperamento præditus cholerico-ſanguineo, jam inde à teneris juventutis annis à nimiis lucubrationibus tinnitu aurium leviori cum continua aurium nariumque ſiccitate laboravit. Aliquot nunc effluxerunt anni, quum tanta hicce affectus incrementa ſumſit, ut in altera aure horologii pulſus, in altera tintinnabuli ſonitus perpetuo percipiatur, qui omnem prope ſomnum adimendo vires mirum debilitat. Quod peculiare ſymptoma longe majori urget vehementia, ſi quando iracundia, aut vehemens corporis commotio, aut ſanguinis quædam à vini generoſi potu ebullitio præceſſit. Præterea nec capitis dolor, nec vertigo ſollicitat, niſi quod autumnali nonnunquam tempore ſub humida aëris temperie dolores cervicis tenſivi invadant, auditusque tum temporis ſimul aliqua fiat obtuſio. Cruentas ſedes rarius expertus æger per aliquot jam annos hæmorrhoidibus cæcis affligitur, qui urunt & tument cum magno pruritu: quibus in ordinem redigendis bina per annum V. Sne ad unciam dimidiam utitur, qua ſanguis colore & conſiſtentia bonus detrahitur. Cœna huc uſque ſemper major fuit prandio, alvique officium rite ſemper conſtitit. Conſultus ego præter V. Snes conſuetas ſcarificationes quoque alternis menſibus triduo ante & poſt novilunium ſuſcipiendas, crebrumque pediluviorum uſum cum hirudinum ad venas hæmorrhoidum tumentes adpoſitione ſuaſi: tum vero, ut ab animi affectibus probe ſibi æger temperet, à cœna abſtineat optimeque corpus contra aëris, præſertim autumnalis injuriam defendat & potui ordinario vinum cum tribus aquæ partibus dilutum bibat, conſului. Aurium vitio ſpecialius ſuccurrendum duxi eſſentia moſchi cum ſpiritu roſarum, liliorum convallium & florum chamomillæ R parata, quam bombaci inſtillatam auri ſæpius indere juſſi. Quibus probe obſervatis ſe brevi noſter egregie levatum vidit.

*Epicriſis.*

Quando cholerici & hæmorrhoidarii auditus vitio obnoxii ſunt, ſcarificationes V. Sne longe efficaciores deprehendi. Inſuper notabile in hac morbi hiſtoria eſt, quod in juventute à nimiis lucubrationibus vitaque ſedentaria & exorta inde ventriculi imbecillitate malum originem ſuam repetat, nec perfecte curetur, ſed per plures annos, maxime ſi diætæ accedat vitium, affligat. Docemur denique, aurium vitia, præſertim tinnitum gravem & pertinaciorem à ſanguinis magis & humorum vitio eorumque motu ad caput & præſertim auditus organa vitioſo, quam à partium auditum conſtituentium læſione ortum trahere, quod tum maxime fit, ſi malum per tempus remittit, poſtea revertitur.

OBSERVATIO III.

*Rheumatiſmus aurium à ſanguinis defectu.*

Fœmina viginti annos nata, macilentioris corporis habitus vitæque ſedentariæ admodum addicta alvi adeo conſtrictæ eſt, ut vix ſexto die rite deponat, cui vitio ſimul appetitus magna jungitur proſtratio, haud fallax digeſtionis læſæ teſtis, ob quam fit, ut ſi forte in cibis adſumendis paululum excedit, nauſeoſam circa præcordia moleſtiam ſtatim perſentiat, quam copioſi ructus ſequuntur. Jam per tres integros menſes gravi hemicrania cum vehementi aurium, inprimis ſiniſtri lateris laborat tinnitu, qui ex ſomno experrectæ ingentes creat moleſtias & ab humida frigidaque aëris intemperie nunquam non intenditur. Acceſſerunt inſuper aliquot abhinc hebdomadibus dolores in nucha tenſivi, qui in brachiis, maximeque ſiniſtro, ad digitos uſque protenſi miſere noſtram excruciant. Pedes, qui plerumque frigidi ſunt, ſumma tenet laſſitudo, neque, quod maximum eſt, recto modo & ordine procedit menſtrua purgatio; quæ cum vitio capitis auriumque exacerbato ut plurimum orta per quatuordecim dies durat, copioſa demum muci albi excretione ſubſequente.

*Epicriſis cum conſilio.*

Recte omnino ea, qua ægrota noſtra laborat, affectio dici poteſt rheumatica capitis, cujus proximam cauſam in ſtagnatione & decubitu ſeri circa membranas capitis & eas maxime, quæ aurem internam, præſertim ſiniſtri lateris inveſtiunt, reponendam eſſe ducimus. Occaſionem huic malo præbuit ingens ob exceſſivam menſtruam purgationem motuum vitalium imbecillitas, qua humores hinc inde in partibus nervoſis & muſculoſis ſtagnantes dolores tenſivos & gravativos cum inſigni laſſitudine inducunt; in inteſtinis vero flatus & ſpaſticas ſtricturas ſeu pathemata hypochondriaca ſuſcitant. Nam inſtar regulæ practicæ probe tenendum eſſe reor; ab inopia & defectu boni ac temperati ſanguinis pariter atque à nimia ejus abundantia & capitis & inteſtinorum morbos, qui mali hypochondriaci conſueto nomine veniunt, excitari. In hoc caſu primo omnium ſymptomati urgentiori, atroci videlicet capitis dolori ſuccurrendum duxi,

duxi, eo quod ea dolorum ac ſpaſmorum indoles ac potentia eſt, ut univerſam tam functionum naturalium, quam motuum vitalium œconomiam non modo turbet & pervertat, verum etiam genuinam convenientium remediorum in ſanando efficaciam impediat. Præſcripſi itaque linimentum nervinum ex quatuor liquoris noſtri anodyni & una balſami vitalis parte compoſitum cum linteo duplicato fronti & temporibus bis de die applicandum, utpote quod diſcutiente roboranteque & anodyna virtute ſua mitigandis capitis doloribus mirifice opitulatur. Deinceps uſum elixirii noſtri ſic dicti viſceralis temperati, quod omnibus anthypochondriacis palmam præripit, inter prandium ad roborandam ventriculi & inteſtinorum vim digeſtricem, interpoſito nonnunquam laxante rhabarbarino, ordinatoque pro potu ordinario decocto radicis chinæ cum portione cinnamomi & corticum aurantiorum recentium, commendavimus. Quorum remediorum frequenti uſu negotium menſium in ordinem redactum, vitiiſque primarum viarum ſublatis conveniens omnibus ſolidis partibus robur conciliatum per Dei gratiam effecimus.

### Observatio IV.

*Auditus gravitas per inediam ſanata.*

Vir generoſus, Conſiliarius Aulicus, quadrageſimum annum nondum ingreſſus, conſtitutionis, ut ex pleno corporis habitu floridaque facie apparebat, ſanguineo-phlegmaticæ, ob majorem paulo ciborum appetentiam à dimidio anni pinguior factus ab eodem tempore obtuſum & graviorem animadvertit auditum, quem aëre præſertim pluvioſo ita ingraveſcere conquerebatur, ut vix ullam vocem diſtincte ſatis percipere valeret. Multis quidem ſed fruſtraneo effectu uſus adminiculis, me tandem ad aulam Principis ſui vocatum conſuluit. Tum ego hancce auditus labem ſine medicamentis me curaturum promittens curam per inediam hoc modo inſtituendam ſuaſi. Primo omnium, purgato probe corpore & ſanguine per V. Snem evacuato, ab omnibus juſculis, pinguibus, ovis, piſcibus car neque cocta abſtinere juſſi, & nihil quotidie carnis præter eam, quam libra dimidia ponderat, portionem aſſatæ cum viginti aliquot paſſulis exacinatis & prunis coctis admiſi. Dein, loco panis panem bis coctum & pro potu conſueto Decoctum Chinæ, graminis & ſarſaparillæ bibendum commendavi; quo itidem ſingulis diebus mane ad aliquot patellas calide hauſto corpus ad blandum in lecto ſudorem componere deberet. Ut tandem vini potus ſit modicus, motus inſtituatur frequentior, & vigiliis potius quam ſomno Vir generoſus indulgeat, conſului. Ego quidem ex aula abiens vix ipſum huic ſeveræ medicationis legi obtemperaturum credebam; at ille nihilo ſecius parcam victus rationem tam curate obſervavit, ut mihi à Principe in conſilium rurſus adſcito mirum plane videretur, obeſitatem ad ulnæ dimidium imminutam priſtinamque auditus integritatem exinde redditam fuiſſe; quod gratiſſimo animi adfectu nunciabat mihi lætiſſimus.

*Epicriſis.*

Abſtinentiæ & inediæ tanta vis ineſt medicinalis, ut non modo in vitiis ſtomachi omnibus fere, in quibus eam CELSUS *Lib. IV. p.* 217. commendat, colluviem crudorum humorum abſumendo, calorem & tonum deficientem reſtituat, verum etiam copiam ſeri evacuando ſolidorum tonum intendat, totumque ſanguinis circulum cum excretionibus promoveat; ac adeo iis adſectibus, qui ex nimia ſeri abundantia proveniunt, occurrat inſigniſſime. Recte hinc HIPPOCRATES, *Sect. VII. Aph.* 59. corporibus præhumida carne præditis famem commendat; namque ſua hæc efficit ſenſim atque æqualiter. Et idem quoque *Lib. Epidem. VII.* æque ac *Celſus* in morbis capitis gravioribus exercitium corporis & abſtinentiam à carnibus, præſertim pinguibus & vino plurimum collaudat. Ut & ego plena fide teſtari poſſum, me in cachexia, ictero, exulcerationibus ſcorbuticis & variis cutis vitiis, neque minus in affectibus ſoporoſis & paralyticis ſola per inediam cura, quæ tantum fit carne pauciori aſſata ſine inflantibus, ſine pinguibus, & glutinoſis, mirificum effectum vidiſſe productum. Quoniam itaque hæc auditus labes à ſola humiditate in auditus partibus ſtagnante originem ſuam duxiſſe mihi viſa fuit, ſola quoque abſtinentia, quæ humidum nimium abſumit, ſublatam eam futuram bono omine judicavi.

### Observatio V.

*Gravis obauditio in fœmina ſenili.*

Matrona ſexaginta & aliquot annorum, vegetæ alias conſtitutionis, & ob inſignem vim ventriculi concoctricem, qualiacunque æque bene digerens eſculenta; alvo nonnunquam ſicciore, tempeſtateque pluvioſa exiſtente, gravativum capitis cum auditus difficultate perſentit dolorem, qui à ſumtis cibis leniter ſubducentibus, ut dulcibus & ſalitis, vel etiam pilulis noſtris polychreſtis aut ab aliquot Balſami noſtri vitæ guttulis cum bombace auri inditis feliciter ceſſat. Aliquot abhinc menſibus in ſiniſtra aure audiendi facultatem penitus amiſit, quæ imminuta tamen in dextra remanſit. Suaſi hinc ut per intervalla rhabarbari drachmam unam cum uncia una Coffée in aqua leniter coctam ſolutamque biberet, & fruſtulum allii alternatim cum eſſentia quadam acuſtica, quæ eſſentiam Colocynthidis & Moſchi habebat, bombaci ad aliquot guttulas infuſa læſæ auri applicaret. Quorum remediorum uſu laudabilem percepit effectum.

*Epicriſis.*

Quemadmodum, teſte *Hippocrate aph.* 24. *Sect. III.* pueri juveneſque ob nimiam aurium humiditatem; ita ſenes ob harum ſiccitatem ſecundum ejuſdem graviſſimi Auctoris placita *aph.* 31. *ſect.* III. auditus vitiis valde obnoxii ſunt. Nunquam tamen non, annotante pariter *Hippocrate Sect. IV. Aph.* 28. ſalutaris obſervatur alvus in aurium vitiis liquida, dum exinde motus ſanguinis à capite ad infernas partes egregie derivatur. Sed uti omnes ſenibus tam interni quam externi ſenſus; ita viſus quoque & auditus admodum debilitantur: & cum nervi membranæque ſenſoriorum in iis rigidiores non ſatis rore imbuti ſint ſubtiliſſimo nerveo; auditus pariter organon ad motum aëris tremulum percipiendum minus exiſtit idoneum. Quæ cum ita ſint, externa ſpirituoſa remedia, quæ ſpiritus reficiunt & ſubtili acrimonia ſua ſtimulante vigorem & motum nervoſis tunicis addunt, nunquam deſtituta bono effectu deprehendi. Ideo quoque ab allii fruſtulo auribus immiſſo, quod plebejum & domeſticum experimentum eſt, ſingula-

gularem ſæpius fructum animadverti. Quando vero paralyticam adfectionem auris unius aut utriuſque comitatur vel ſequitur audiendi gravitas, aliquot ſalis volatilis purificati grana cum pauxillo caſtorei mixta auribuſque indita, tonum & robur relaxatis partibus conciliando, eximie opitulantur.

Observatio VI.

*Auditus læſio ex vitio primarum viarum.*

Vir quidam ſexaginta annorum, complexionis melancholico-cholericæ, jam à decem abhinc annis audiendi quadam difficultate ab angina maxime, qua cum ſæpius fuit conflictatus, laborâvit. Ad abigendum igitur hocce malum ſuaſu medici cujuſdam Balſamo Schauriano per aliquod tempus frequenter uſus plenariam auditus in dextra aure abolitionem animadvertit. Cumque ſimul hæmorrhoides, quæ rite antea fluxerunt, penitus ſilerent, accidit, ut ſiniſtram pariter aurem, poſt lenem corporis motum aut ſub inclinato paululum capitis ſitu vehemens ſuſurrus ſibiluſque afficeret, quem ex ventriculo cibis repleto ortum ducere judicans ita ſermone exprimebat: *Er fühle recht, vvie es Jhm von unten hinauf als ein Wind hinein fahre.* Quæ cum ita ſint, ne audiendi facultate in altera aure æque privatus plane ſurdus evadat, vehementer metuit.

*Epicriſis.*

Quemadmodum reliqua capitis & nervorum vitia ex pravis maxime humoribus oriuntur in prima regione ſtagnantibus, dum moleſta partium nervoſarum vellicatione ſpaſmos concitant, quibus alienus cum ſanguine minus puro humor ad caput delatus ibi ſtagnat motumque & ſenſum pro diverſitate locorum ac nervorum varium adigit: ita quoque in præſenti hoc caſu gravis aurium cum obauditione tinnitus ex primæ regionis vitio ſuos mutuari natales recte ſtatuitur. Quod vero ſi incidit, nihil ducimus conſultius, quam ut medicus ad corruptos in primis viis humores & abhinc prodeuntes perverſos ſanguinis ac humorum motus mentem probe advertat. Craſſiſſimus enim error eſt eorum, qui neglecta in capitis affectibus prima regione ad caput tantummodo reſpiciunt variaque nervina, cephalica & nimis calida remedia adhibere ſolent, quibus tantum abeſt ut nervorum ſyſtema roboretur, ut potius humores ſtagnantes mirum exacerbentur, adeoque haud mirum videri poſſit, quare balſamum illud Auguſtanum in auditu difficili plus detrimenti attulerit, quam emolumenti. Memini me moleſtum aurium tinnitum crebrius infeſtantem in hypochondriaco, qui alvi erat adſtrictioris, paulo majori doſi lapidum cancrorum cum aqua frigida ſumtorum præſentaneo auxilio mitigaſſe; quod pariter in ſenibus, in quorum ventriculo ingeſta facile coaceſcunt, à me obſervatum eſt. Ceterum, præſenti huic ægroto conſilium dedi, ut una cum pulvere noſtro præcipitante quatuordecim numero pilulas balſamicas alternis diebus ſumeret.

Observatio VII.

*Contumax obauditio fortiori purgante curata.*

Vixit ante triginta circiter annos celebris in Academia noſtra Profeſſor, vir provectioris ætatis, macilentus, qui cum per ſedecim & ultra annos audiendi ſenſu in dextra aure privatus, idem malum ſiniſtræ accidere auri deprehenderet, meum imploravit auxilium. Quare ego ſingulis ægritudinis momentis probe perpenſis à purgatione per pilulas cephalicas initium curationis ſuſcipiendum ſtatuens hancce præſcripſi formulam: Recipe Extract. panchymag. Crollii, Mercur. dulc. Cinnabar. aloës depurat. ſingulorum drachmam dimidiam, ſalis ſuccini, trochiſcor. Alhandal, reſin. gialapp. ana gran. XII. M. F. cum Balſ. Peruv. ex ſcrupulo uno N. XIV. pilulæ, quas bis per hebdomadem mane adſumat. Ipſe vero profundis meditationibus implicitus minime attendit præſcriptum in capſula pilulis utendi modum, ſed eas brevi intervallo obambulando deglutit omnes. Binis circiter horis elapſis truculentis imi ventris cruciatibus, nec non nauſeoſa circa præcordia ſenſatione, crebriſque lipothymiis correptus confeſtim me vocari juſſit. Acceſſi igitur & interrogatis tam ſubitaneæ mutationis cauſis ægrum mox lecto tradendum variiſque externis analepticis reficiendum curavi: tum vero, ut copioſo lacte & multis pinguibus utatur, ſuaſor fui. Quibus effectum per Dei gratiam eſt, ut ſoluta alvi conſtipatione quater alvum, licet inter acerbiſſima ventris tormina deponeret. Proxime abhinc capitis dextrum latus vehementiſſimi occupabant dolores ſpaſtici, qui circa aurem maxime dextram tanta ſæviebant atrocia, ut ſomnum omnino adimerent. Sed percepto dein horrendo, inſtar bombardæ exploſæ, in hac dolente aure fragore remiſerunt, & qui antea abſuit audiendi ſenſus perfecte rediit. Poſthæc in ſiniſtra pariter aure priori plane ſimilis ludebatur ſcena, nec diſſimili effectu; ſiquidem hac ratione priſtinæ auditus incolumitati noſter ex voto redditus ſuperſtes adhuc & integer plus minus ſex tranſegit annos.

*Epicriſis.*

Notatu perquam dignus & plane mirabilis eſt purgantis acrioris in enormiori doſi ad ſurditatem ſanandam effectus, quo docemur, ad magnos, eoſque contumaces & inveteratos morbos tollendos non levioribus, ſed magnis & efficaciſſimis opus eſſe remediis. Procul dubio hæc ſurditas in nervo auditorio à tenaci humore obſtructo oborta à potenti medicamento vehementem nervoſis partibus motum, qui impactum humorem vecte quaſi expulit, inducente ſimul & ſemel remota fuit, quod ex ſono fragoris interno cognoſcere licet. Ne autem tanta purgantis acrimonia propter ſpaſmos in inteſtinis excitatos languido & ſenili corpori majus inferret damnum, humectantia & pinguia propinanda eſſe conſului, eo inductus ratiocinio: ſi virulentam arſenici acrimoniam hæc ipſa remedia in copia aſſumta delinire & innoxiam reddere poſſint, multo magis ad acrimoniam purgantium demulcendam, ne noxam inducant, idonea eſſe.

Observatio VIII.

*Auditus abolitio à cura mercuriali male tractata.*

Non adeo multo abhinc tempore miſit ad me Sereniſſimus Princeps inſignem militiæ præfectum, virum vigore & ætate florentem, ut ipſi auditum, quo penitus deſtitutus erat, reſtitueret. Cum in acerbi hujus mali cauſam atque originem inquirerem, ex ſalivationis mercurialis cura illud ortum duxiſſe ab eo intellexi, quod

ob

ob inſigne tædium & moleſtiam non totam iſtam ſuſtinere voluerit, ſed corpus nimis cito frigido liberiorique aëri commiſerit, à quo tempore caput gravari & auditus ſenſus turbari cœpiſſet, ita prorſus, ut per duos nunc menſes audiendi facultate omnino careat. Perſpecta ſic mali cauſa curationem ita inſtruendam duxi, ut humor vitioſus interioribus ac ſenſibilioribus auris partibus firmiter impactus accommodata medicina removeatur. Quo fine omnium maxime exquiſite corpus purgandum decrevi medicamento, cui non infirma vis ſit, pravum ſubſiſtentem humorem à ſupremis & infimis locis proliciendi & foras eliminandi. Id quod hacce formula præſtare ſolemus: recipe Gummi ammon. depurat. Extract. rhabarb. aloes roſat. mercur. dulc. cinnab. ſingulorum drachmam dimidiam, trochiſc. Alhand. ſalis ſuccini, croci, caſtorei ana gr. XII. M. F. l. a. cum Balſ. Peruv. Pilulæ ex ſcrupulo uno No. XX. quas pro doſi ter alternis diebus exhibuimus. Pro potu decoctum ex lignis temperatioribus paratum, vino interdicto & parciori victu præſcripto, una cum pediluviis quovis die mane & veſperi tepide adhibendis commendavimus. Præterea externe goſſypium balſamo noſtro vitæ madidum auribus indendum nuchæque veſicatorium, quod in uſu habemus, blandum atque benignum imponendum ſuaſimus, ſubjuncto ſimul ad mucum è naribus eliciendum pulvere quodam noſtræ præparationis ſternutatorio. Quorum remediorum energia id Dei auxilio effectum eſt, ut malo in dies magis magiſque decreſcente longe meliorem audiendi facultatem noſter adquiſiverit & cum aliis ſermones miſcere potuerit, quantumvis malum non ex toto fuerit ſublatum.

*Epicriſis.*

Quam efficax & præſtabilis ad magnos ac præſertim ex contagio venereo ortos morbos eradicandos, cura eſt per ſalivationem perite & circumſpecte tractata, tam nociva, imo peſſima eſt, ſi ab imperito quodam homine, vel inſuper habito convenienti regimine, ſuſcipitur. Tantum enim abeſt, ut levamen adferat, ut malum potius exacerbet & pejora ſæpius difficiliuſque ſananda accerſat ſymptomata, quod longa experientia edoctus plena fide teſtari poſſum. Ego à decenti regimine, quod ad ſanitatem recuperandam ſub hac cura ſumme neceſſarium eſt, neglecto, cum caput nimis cito frigori expoſuerunt ægri, jam terna vice in artis exercitio plenariam obſervavi ſurditatem, eamque, quod non inter initia ſtatim proſpectum malo fuit, immedicabilem. Quod vero tam difficilis ex hac cauſa natæ ſurditatis ſit curatio, hæc mihi ſubeſſe videtur ratio: ſub mercuriali cura à partibus extremis & infimis ad caput, maximeque ad glanduloſas ac nerveas ipſius membranas ſeri vitioſi copia magno cum impetu adpellitur, quas, uti in palato, naribus & gingivis videmus, nimium relaxat; hinc nihil dubii eſt, quin etiam ad nerveas illas tunicas, quæ interiora auditus oſſa & concamerationes cingunt, humor vitioſus delatus hæreat, qui dein a frigore inſpiſſatus & impactus ex locis ejuſmodi magis abditis difficillime dimovetur. Balſamum noſtrum ſpirituoſum, ſicut ad omnia nervorum vitia à nimia laxitate orta; ita quoque ad auditum, ſi ex eadem cauſa periit, reſtituendum, remedium multo pulcherrimum eſt & efficaciſſimum, quod humorem diſcutiendo egregium partibus robur addit. Si rurſus mihi ejuſmodi obtingeret caſus, ſuaderem ſalivationem; ſed meliori vitæ ordine & regimine denuo inſtituendam. Id quod vero ut inter initia ſtatim fiat, neceſſe eſt.

Plures de auditus vitiis caſus legantur in *Conſult. ac Reſponſ. Medicinal. Sect. I. Caſu XXXIX. XL. & XLI.*

---

## CAPUT VII.

### *De aphonia.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Differentia ſoni & loquela.* Voce loquelæ vulgo intelligimus productionem vocum articulatarum, animi conceptus cum aliis communicantem. Vox autem non articulata dicitur ſonus, & eſt aëris exſpirati, atque per aſperam arteriam, laryngem, hujuſque rimam, quæ glottis audit, vi quadam expulſi, ad cava oris & faucium varie figurata facta illiſio & repercuſſio. Quanquam igitur loquela a ſono differat; tamen illa ſine hoc fieri nequit, tantum abeſt, ut vitiatis, quæ edendo ſono tributa ſunt, organis, velut ſpeciatim aſpera arteria, ejuſque caput, larynx dictum, cum annexis cartilaginibus, muſculis, & nervis, nec non fornix palati ſunt, produci poſſit; & hinc deperdita ſonum efformandi facultate, loquendi ſimul potentia pereat, neceſſe eſt. Hinc jam ex antiquis GALENUS *L. de præcogn. poſt. h. c. 6.* multis evicit experimentis, quod nervorum recurrentium, qui ex pari vago & nervo acceſſorio efformantur, & ad laryngem, nec non docente noviſſime WINSLOVIO *Anat. P. III.* §. 112. ad linguam tendunt, uno abſciſſo animal ſemivocale, utroque vero reſecto, plane mutum omnique & ſonum edendi & loquendi potentia deſtitutum reddatur.

§. II.

*Quid per aphoniam intelligamus.* Hoc vitium, ubi ſonus cum loquela perit, quod in hyſtericis frequenter fit ſuffocationibus, vocatur à medicis aphonia. Nos autem, aphoniæ nomine ſtrictius ſumto, per eam intelligimus, loquendi ſive voces articulatas producendi impotentiam, a ſolo linguæ vitio pendentem: ubi ſoni quidem próduci poſſunt, ſed lingua vocem articulatam extricare nequit, oppreſſisque potius conatibus conticeſcit. Huic valde affinis eſt linguæ hæſitantia, quam balbutiem, *das Stammlen*, & ea laborantes Pſellos vocamus: ubi voces quidem articulatæ proferuntur, ſed non ſatis diſtincte exprimuntur; quoniam lingua ad ideas tanta celeritate, quanta in mente excitantur; enunciandas, impar & quaſi nimium gravis videtur.

§. III.

*Linguæ ſtructura.* Quum linguæ potiſſimum vitium in aphonia accuſamus, inque ea morbi ſedem collocamus: operæ pretium erit, illius ſtructuram, quantum noſtræ tractationi favet, paullo rimari. Eſt vero lingua muſculus, omnium fere mobiliſſimus; qui ob fibras varie figuratas, longitudinales, tranſverſas, perpendiculares, acuminatas, anguloſas &c. nec non muſculos myloſtylo-hyo- & genioglοſſos, æque ac illos, qui oſſi hyoideo ſunt tributi,

buti, in omnem plagam celerrime moveri poteſt. Dicti hi muſculi vim ſuam movendi nanciſcuntur à ramo tertio, qui audit maxillaris inferior, paris quinti nervorum, quod totum ferme motorium eſt; quemadmodum par nonum ad guſtum efformandum deſtinatum eſſe videtur. Hac volubili & in omnem partem mobili lingua, ſi ſoni ope laryngis formati in certas litteras modificantur, oritur loquela. Quo vero difficilior linguæ motus eſt; eo difficilior fit loquela: & illo ceſſante, ceſſat loquendi potentia, licet ſoni ſatis clare produci queant.

## §. IV.

*Sedes & cauſſa proxima aphoniæ.*

Quum motus alicujus partis imminuitur vel tollitur per imminutum aut interceptum fluidi nervei in nervos influxum; nervi vero linguæ motui deſtinati à pari potiſſimum quinto proficiſcantur: facile patet, ſedem aphoniæ in dicto nervorum pari quærendam, ejuſque cauſſam proximam in plus minus imminuto fluidi nervei in illum nervum influxu collocandam eſſe. Et in hac confirmamur ſententia, ſi conſulamus anatomicas eorum ſectiones, qui in vita fuerunt aphoni: ſic teſtatur Bonetus *in ſepulchr. anat. L.* 1. *Sect.* 22. *obſ.* 7. ſe in viro ex melancholia in furorem abeunte, & aphono ad mortem uſque manente, cerebrum ſicciſſimum, nervorumque origines ſicciſſimas ſolitoque graciliores, lingua illæſa, reperiſſe; & *obſ.* 20. caſum allegat ex Riverio, de balbutiente mortuo, in cujus cerebro circa nervos linguales cyſtis reperta fuit, foramen habens, & continuum ſerum plorans.

## §. V.

*Aphonia ex paralyſi linguæ.*

Quicquid igitur influxum fluidi nervei in nervos motui linguæ deſtinatos remorari valet; id ad aphoniam contribuit. Præcipua hinc conſideratio debetur linguæ paralyſi, quæ vel antecedit, vel ſequitur affectus hemiplecticos & apoplecticos. Talis nonnunquam occurrit in ſenibus, corporibuſque valde languidis ac debilitatis; & ſi ſola eſt, præſagit plerumque hemi-vel apoplecticum effectum, ſi vero hunc excipit, cum torpore ipſius memoriæ ac ingenii complicatur, & prioris morbi recurſum minatur. Lingua tali in caſu ordinario eſt tumida, flaccida, ſemiſtupida, minuſque mobilis, guſtus imminutus, & in hemiplexia in altero tantum latere vitiata.

## §. VI.

*.. ex ſeri circa nervos ſtagnatione.*

Levioris præſagii eſt aphonia, quæ ex ſeroſorum humorum ſtagnatione, vel plane ſeceſſione, nervos quinti paris ad linguam tendentes comprimente proficiſcitur; neque tamen minus gravis eſt, curationique ſatis rebellis. Hæc fit poſt excretiones ac exanthemata ſeroſa, intus acta, fovente cum primis tempeſtate humida ac pluvioſa. Sic obſervationes de aphonia poſt ſudores cohibitos in A. N. C. *Vol. III. obſ.* 82. poſt catarrhum non rite tractatum in Foresto *L. XIV. obſ.* 32. & A. N. C. *Vol. II. obſ.* 67. poſt variolas relicta *ibid. Vol. I. obſ.* 112. relatas legimus. Ejuſmodi ſeceſſio ſeri ad nervos linguales per externam quoque violentiam, ictum vel caſum produci poteſt: unde aphoniam ex caſu ab alto ſubortam deſcribit Poterius *Cent. II. Cap. II.*

## §. VII.

*.. ex ſanguinis congeſtione ad linguam.*

Oritur aphonia porro ex nimia ſanguinis ad fauces, & linguam congeſtione; quæ vero imminuta humorum mole protinus ceſſare ſolet. Sic de tali affectu per inſequutam narium hæmorrhagiam ſanato caſum videas in A. N. C. *Vol. III. obſ.* 113. Idem malum ſequitur etiam inopportunam venarum raninarum ſectionem, ſi in valde plethoricis, non præmiſſa in pede venæ ſectione inſtituatur: unde quoque graves faucium inflammationes excitari, frequens docet experientia. Cum primis vero ex hac cauſſa ſubortam aphoniam novi in fœminis, menſtruorum vitio laborantibus, ac hyſterica paſſione divexatis: concurrentibus nimirum imi ventris ſpaſmis, qui humores vitales ad ſuperiora cogunt; unde virgines circa pubertatis annos conſtitutæ, menſiumque eruptionem primum experientes hoc non raro incurrunt vitium. Conjunctum illud hoc in caſu eſſe ſolet, cum tumore ac rubore faciei & oculorum, vaſorum turgeſcentia, arteriarum vehementi pulſatione, & deglutiendi difficultate.

## §. VIII.

*.. ex vermibus.*

Notabilis denique & ſatis frequens eſt aphonia, quæ vermibus intra ventriculi & inteſtinorum canalem hoſpitantibus debetur. Talis ſubito invadit, & exturbatis vermibus protinus remittit. Cognoſcitur ex imi ventris torminibus vel prægreſſis, vel adhuc junctis; aliiſque ſymptomatibus, vermium præſentiam ſignificantibus: & originem trahit à ſpaſmodicis partium imi ventris nervoſarum contractionibus, quibus vitales ſucci valido impetu ad fauces & linguam compelluntur, ibidemque ſtagnantes nervos motui linguæ dicatos comprimunt. Ipſe tales caſus ſæpenumero vidi, & feliciter curavi; nec aliorum auctorum deſunt teſtimonia: vid. A. N. C. *dec. III. anno III. obſ.* 147. *Vol. II. obſ.* 62. & ibidem *obſ.* 160. extat caſus, de aphonia periodica, quæ toties invaſit, quoties tormina à vermibus fuerunt producta, hiſque ſopitis ſtatim iterum ceſſavit.

## §. IX.

*Cauſſæ occaſionales & Prognoſis.*

Dantur adhuc aliæ cauſſæ, quæ in diſpoſitis ad aphoniam plurimum contribuunt. Tales ſunt abuſus potuum ſpirituoſorum, & frequens crapula, unde aphoniæ ex ebrietate ortæ jam Hippocrates 5. *aph.* 5. meminit. Porro huc ſpectat gravis terror, & refrigeratio partium præſertim inferiorum: quæ momenta eo magis pernicialem vim exſerunt, ſi tempore, quo naturales fluunt hæmorrhagiæ, incidunt. Nec ſilentio prætermittenda tempeſtas pluvioſa, & commoratio in locis humidis, maxime in ſubjectis pituitoſis ac catarrhalibus. Prognoſis aphoniæ pro ejus cauſſis varia eſt: quæ enim ex vermium vitio, vel in paſſione hyſterica, aut menſium difficili eruptione accidit, curatu facilis eſt; quæ vero linguæ paralyſin pro cauſſa agnoſcit, omnem fere reſpuit ſanationem; aut ſanata facile redit affectumque cerebri graviorem præſagit.

## *CURATIO CUM CAUTELIS PRACTICIS.*

## §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Aphoniam curaturus eo reſpicere debet, ut primum cauſſas influxum fluidi nervei in nervos linguales, hos comprimendo remorantes removeat, & deinceps robur earum partium confirmandum curet. Quemadmodum vero illæ cauſſæ multum inter ſe differunt: ita variam quoque medendi rationem exigi, quilibet perſpiciet; facileque col-

colligetur, eam aphoniam, quæ cauſſæ intra ipſius cranii thecam reconditæ debetur, ſanationem admittere non niſi difficillimam.

§. II.

*Cura aphoniæ ex linguæ paralyſi ſuborta.*

Quæ igitur ex vera linguæ paralyſi ſuboritur aphonia; poſcit ſeri ad nervos & cerebrum decumbentis diſcuſſionem & evacuationem. Repetenda hoc loco ea ſunt, quæ capite de paralyſi docuimus; & opus adgrediendum venæ ſectione, clyſteribus paullo acrioribus, diureticis, ſternutatoriis &c. ſpeciatim in uſum vocanda & ipſi extrinſecus linguæ ſunt adplicanda nervina & balſamica, quo nomine commendari ſolent aquæ ſpirituoſæ liliorum convallium, primulæ veris, ſpiritus roriſmarini, ſerpilli, formicarum, eſſentia ambræ, balſami peruviani, oleum cinnamomi, caryophyllorum, & noſtrum vitæ balſamum, paucis guttis ſaccharo excipiendum, & ſub lingua detinendum. Interne etiam dictum vitæ balſamum cum tribus ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi, & duabus tincturæ antimonii acris partibus combinatum, bis vel ter quotidie ad XXX. guttas ſummo cum fructu exhibebitur: nec erit alienum, blanda nuchæ adplicare veſicatoria.

§. III.

*Aphonia catarrhalis curatio.*

Si ſudorum ſuppreſſiones, aut excretionum catarrhalium cohibitiones ad malum contribuerunt: nihil ſuperat diaphoreticorum & diureticorum rite uſurpatorum efficaciam; reſtituta enim diaphoreſi, mox redire deprehenditur loquendi facultas. Laudem hinc merentur quam maximam infuſa theiformia, cum blando regimine potanda; ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, tinctura antimonii acris, eſſentia ſuccini, maxime ſi cum eſſentia balſami Peruviani, aut balſamo vitæ noſtro permiſceantur.

§. IV.

*Aphoniæ ſub ſalivatione mercuriali evenientis curatio.*

Fit nonnunquam, ut ſub ipſa mercuriali ſalivatione aphonia accedat; quando ſcilicet ſeroſi ac ſalivales humores nimia quantitate ad fauces & linguam redundant. Quo in caſu eo dirigenda eſt curatio, ut humores iſti à capite deriventur & evacuentur. Præſtant hoc decocta diaphoretica, calide bibenda; & laxantia, maximeque pilulæ cephalicæ, acriori ſtimulo imbutæ, non neglecto convenienti regimine.

§. V.

*Emplaſtrum ad aphoniam.*

In aphonia, quæ poſt inſultus hemi & apoplecticos remanet, ſatiſque pertinax eſt, inſignem uſum emplaſtrorum, quæ ex terebinthina, ſeu pice, & gummatibus Carannæ, maſtychis &c. parantur, & nuchæ adplicantur, obſervavi: reliqua enim, utut generoſa remedia, hoc in caſu, ſpem omnino fallunt.

§. VI.

*Aphonia ex ſanguinis vitio curatio.*

Si malum à nimia ſanguinis verſus caput congeſtione proficiſcitur; omne fere curationis punctum convenienti ſanguinis ſubtractione abſolvitur. Hanc oportet eſſe largam, & pro circumſtantiarum ratione vel per venæ ſectiones, in pedibus, brachio, & nonnunquam ſub lingua inſtituendas, vel ſcarificationem ac cucurbitas adminiſtrare decet. Jungenda his pediluvia, quæ humores ad inferiora derivent; nec non interna antiſpaſmodica nitroſaque, eo quod his in caſibus infernarum partium ſpaſmi plerumque ſint complicati. Hinc operæ pretium faciunt pulveres temperantes cum nitro cinnabarique mixti, aut liquor noſter anodynus, cum eſſentia caſtorei maritatus.

§. VII.

*Cautela circa venæ ſectionem & ſpirituoſa.*

Quamvis venæ ſectio remedium ſit generoſæ & magnæ ad hunc affectum efficaciæ: attamen cavendum, ne ea promiſcue utamur. In ſenibus enim, languidis, viribus exhauſtis ac magis pituitoſis ſubjectis plus adfert detrimenti, & præſervandi apoplexiam ſine juſto liberalius adhibita, hanc potius provocat. Locum potius habet, ubi pulſus celer eſt & magnus, facies rubicunda, ſanguineque turgida: quo tamen caſu ſtricturæ infernarum partium clyſteribus, frictionibus, ac pediluviis prius ſunt demulcendæ. Ante tuſam venam in plethoricis cavendum etiam eſt à medicinis calidioribus, ſpirituoſis ac nervinis, earumque tam interno, quam externo uſu; quoniam humores magis commovent, eorumque raptum ad fauces augent.

§. VIII.

*Externorum anodynorum uſus.*

Si ſpaſticæ conſtrictiones faucium & linguæ aphoniam produxerunt; uti fit in hyſtericis & hypochondriacis paroxyſmis, in quibus degluriendi juncta eſt difficultas: plus juvant externa paregorica, quam interna remedia. Commendantur nimirum eo fine fruſtulum caſtorei, vel nuciſtæ, vel theriacæ, vel ſalviæ ſub lingua detentum, aut balſami vitæ cum liquore anodyno mixti paucæ guttæ linguæ inſtillandæ. Præterea operæ pretium faciunt clyſteres carminativi, fotus & inſeſſus emollientes ac pediluvia.

§. IX.

*Aphoniæ ex vermibus curatio.*

Quæ denique vitio vermium intra canalem inteſtinorum ſtabulantium fit aphonia: facile curatur anthelminticis, ac iis remediis, quæ ſtricturas inteſtinorum demulcent. His enim quieſcentibus, redit loquendi facultas; ſed nondum ſublata cauſſa, quam vermes præbent, ſæpius iterum aboletur. Quare ſub quiete ſpaſmorum opera eſt danda, ut ingrati hoſpites convenientibus è corpore proſcribantur adminiculis.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

Observatio I.

*Aphonia poſt menſtrua frigore ſuppreſſa.*

Virgo ſpongioſioris habitus, floridæ faciei, ſanguinis & ſuccorum plena, & octodecim annos nata, aliquando cum menſium patiebatur profluvium in itinere conſtituta, nimio ſemet expoſuit frigori. Domum redux dolore capitis gravativo, turgidis ac rubicundis in facie exiſtentibus vaſis, corripiebatur; noctem tranſigebat inquietam, & mane omni loquendi potentia ſe deſtitutam ſentiebat. Hæc per quatuor durabant dies; quibus nec cibum nec potum adpetebat, ſomno fruebatur turbulento; mens tamen & omnes ſenſus ſibi conſtabant, ac extremæ quoque partes calore perfuſæ erant. Medicus, cum alvum ſtrictiorem deprehenderet, clyſterem protinus infundi, deinde ex vena in pede tuſa tres cruoris circiter uncias detrahi juſſit: ſed aphonia magis invaleſcebat. Ego vocatus, & pulſum adhuc celerem atque magnum animadvertens, venam rurſus incidendam, ſeptemque ſanguinis uncias adhuc mittendas curavi: & poſtea, pulſu ſatis valido exiſtente, eſſentiam caſtorei, cum ſpiritu ſalis ammoniaci & liquore anodyno minerali remixtam, triginta ejus guttas quavis quarta hora ex aqua liliorum con-

convallium ſumendo, ordinavi. Brevi poſt per totum corpus erumpebat ſudor, facies detumeſcebat, ſomnus erat tranquillior, & continuata per nyčthemeron medicina, loquendi facultas omnino redibat.

### Observatio II.

*Aphonia à pedum refrigeratione orta.* Priorem caſum illuſtrat alius, qui ſic ſe habet: puella novem annorum macilenta, ex refrigeratione corporis maximeque pedum noctu facta, mane in loquendi difficultatem cum linguæ tumore incidit. Præſcripta protinus externa pariter ac interna cephalica & nervina nihil utique ferebant opis. Hinc vocatus ego, cum adhuc frigidos deprehenderem pedes, eos fricari & pediluvio ex aqua ſimplici, furfuribuſque triticeis bis quotidie imponi jubebam: quibus ſpem fallentibus, ſuadebam, ut binæ cucurbitulæ cum ſcarificatione brachiis admoverentur. Quo facto poſt aliquot horas magnum ſenſit levamen; & adhibito ſubinde capitiluvio, quod ex vino cum herba thymi, ſaturejæ, ſerpilli & majoranæ confectum erat, perfectam recuperavit ſanitatem.

*Epicriſis utriuſque caſus.*

In hoc utroque caſu debetur aphonia congeſtioni ſanguinis ad caput; quæ per partium inferiorum refrigerationem fuit provocata, & quidem majori cum periculo in priori caſu, ubi ſimul cohibita ſunt menſtrua. Adplicata in hiſce caſibus mox ab initio ſpecifica cephalica, volatilia & nervina plus nocent, quam proſunt, ſiquidem ſtagnantem ſanguinem magis commovent, & calefaciunt. Iis potius opus eſt remediis, quæ derivant à capite congeſtionem, & infernarum partium ſtricturas demulcent: quorum primaria ſunt pediluvia & ſanguinis miſſiones. Pediluvia non ordinare ſoleo, ſi pedes exiſtunt frigidi, niſi per frictiones hi paullulum incaluerint. Sanguinis miſſiones in fœminis, menſtrua & horum retentionem paſſis per venæ ſectionem in pede; in tenerioribus autem, quæ lunare nondum perſolverunt tributum, per cucurbitulas cum ſcarificatione brachiis admotas, quæ etiam in pueris & infantibus locum habent, ſummo cum fructu ſæpius inſtitui. Sed notari meretur, ſanguinis detractionem ſufficientem eſſe debere, quoniam, ſi parcior fuerit, plus infert detrimenti: unde eam in priori caſu repetendam putavi. Si pulſuum vehementia adhuc continuat, ſubjungenda antiſpaſmodica; & denique blanda nervina.

### Observatio III.

*Aphonia à vermibus.* Requiſivit haud ita pridem vir egregius & de noſtra arte optime meritus meum ſupra ſingularem adfectum conſilium, quem in conſpectum dare operæ pretium erit: honeſto loco natus puer, qui vegeta ſemper uſus valetudine nunc undecimum complevit annum, nec leviſſimi quidem loquelæ vitii per totam vitam ſuam meminit, ex improviſo loquendi deſtituitur potentia, adeo ut præter verbum *Mama*, quod ſub magno niſu voceque ſubmiſſa profert, nihil omnino articulata voce pronunciare queat. Accedunt inſuper moleſtæ hinc inde tenſiones ſpaſticæ, quæ totum cervicis & dorſi tractum in conſenſum rapiendo inſignem his partibus torporem movendique & flectendi impotentiam inducunt. Medicus tam acerbi mali cauſam in verminoſam rejiciens progeniem varia contra vermes alias efficaciſſima eaque laxantia, roborantia, antiſpaſmodica & præcipitantia adhibuit remedia tantumque profecit, ut dejectis quindecim lumbricis, ciborum adpetentia cum virium aliquo augmento redierit, ſomnus tranquillior & alvus quotidie lubrica ſit; at vero grave iſtud ſermonis impedimentum ſine ulla in melius converſione per quinque nunc hebdomades pertinacius inſiſtit. Ego igitur primo omnium vermium colluviei melius educendæ conſulendum arbitratus, ſequentes ob egregiam vermibuſque contrariam indolem ſuam mihi frequentes pilulas præſcripſi, quarum ſeptem bis in ſeptimana, maximeque circa lunæ mutationes propinare juſſi, interjectis pulveribus ex ſalis amari gr. XV. nitri purif. Corall. ana gr. vi. compoſitis. Formula autem pilularum hæc fuit: rec. Aſæ fœtid. myrrh. elect. extr. tanacet. rhabarb. aloes roſat. mercur. dulc. ana drachmam unam, extr. croci gr. vi. M. F. l. a. cum eſſ. caſtorei Pilulæ ex ſcrupulo No XX. Denique, ut externe quoque ſuppetias feramus, partes à ſpaſmis nimium debilitatas roborando, per intervalla collo & cervici imponendum ſuaſimus epithema, quod ex aquæ Anhaltin. ſpirituoſæ unciis quatuor, balſ. noſtri vitæ uncia dimidia & balſ. Peruv. drachmis duabus confectum erat. Quorum remediorum uſu per aliquod tempus protracto loquela indies melior redire cœpit.

*Epicriſis.*

Varia & terribilia ſubinde ſunt, quæ à verminoſa progenie in nervoſarum partium ſyſtemate concitantur ſymptomata, quorum quidem cauſam ego non tam in roſione tunicarum inteſtinalium nervearum, quam potius in exhalationibus acribus cauſticis, quæ ex vermium corpore & excrementis exſpirant, quibuſque omnis generis inſecta ſcatent, reponendam eſſe ſtatuo. Innumera fere ſunt, quæ adverſus peregrinos hoſce & virulentos corporis hoſpites habentur & venditantur remedia; ſed ego præter mercurium dulcem cum purgante, ut reſina gialapp. vel diagryd. ſulphurato mixtum nec præſentiora inveni nec ſecuriora, quam aſam fœtidam, tanacetum, allium, ſemen ſantonici, camphoram & denique lupulum, quæ odore potius animalculis hiſce adverſo, quam alia quadam ſubſtantia ſuam exſerunt operationem.

### Observatio IV.

Octo annorum puer annuo abhinc tempore corripiebatur variolis, quæ cum & rariſſime adparerent & poſt eruptionem protinus ſubſiſterent, accidit, ut variis exinde morbis fieret obnoxius, maximeque crebris defluxionibus ſollicitaretur ſeroſis, quæ tuſſim, raucedinem & coryzam ſubinde inducere ſolebant. Hæc quidem ſymptomata congruis medicamentis ſæpius fuerunt mitigata; at vero, quum proxime abhinc magna abdominis cum duritie quadam jungebatur intumeſcentia, bis medicus intra breve ſpatium medicinam exhibuit vomitoriam, ſed infauſto plane effectu; ſiquidem coactas haſce vomitiones non adeo multo poſt excipiebant vomitus ſpontanei, qui cum gravi diarrhœa ſtipati per octo decemve dies miſere noſtrum divexabant. His dein compoſitis, cum ſubitanea viſus obſcuratione tanta linguæ accedebat immobilitas ſermoniſque difficultas, ut ne verbum quidem puer, licet anxie nitens, proferre *Paralyſis linguæ emetico ſuſcitata.*

ferre poſſet. Præter hæc inſignis caput tumor omneſque artus vehemens occupabat tremor & laſſitudo, quæ adeo ingraveſcebat, ut viribus magis magiſque dejectis tandem animam placide expiraret.

*Epicriſis.*

Nullus fere morbus eſt, qui tam dira tamque varia & per multos annos durantia in infantibus poſt ſe relinquit ſymptomata, quam ipſa variolosa febris, ſi aut variolarum eruptio & ſuppuratio non recte procedit, aut exantlato morbo ſanguinis & humorum maſſa per remedia ſanguinem depurantia aptamque victus rationem, in convenientem temperiem & eucraſiam non redigitur. Hinc certe in praxi medica occurrit frequentiſſime, poſt variolas & morbillos à læſis pulmonibus pectoris morbos, ab affectis viſceribus abdominis tumores & indurationes cum alvi fluxibus, & à tumore glandularum meſaraicarum ſcirrhoſo atrophiam reliquarum partium concitari. Nihil autem eſt abſurdius & periculoſius, quam citra ullam indicationem medicinam exhibere emeticam, qua proh dolor! in noſtro ægroto non modo alvi fluxus fuit proritatus, ſed etiam impurum ſerum ob graviores ſpaſmos ad cerebrum cum impetu propulſum primo nervi optici, dein quoque ſublingualium paralyſin effecit, quibus mors tandem ſupervenit. Ideo vero maxime hanc obſervationem allegare placuit, ut probe conſtet, quantam medicamenta imprudenter adhibita adferant noxam, & quam frequenter medici, quod dicere pudet, morborum imo mortis cauſſa exiſtant.

### Observatio V.

*Aphonia ex inſultu apoplectico.*

Vir octogenarius, habitu corporis ſicciore præditus, ter minimum in anno, ut Februario, Junio & Octobri menſe ſanguinem è vena tuſa emittere ſolitus, vitam ab omni morbo egit immunem, viribuſque & animi & corporis probe ſemper valuit. Hac vero æſtate, cum regiones noſtræ à fervidiſſimo ſolis æſtu præter conſuetudinem incaleſcerent, ſuaſu alius medici conſuetum illud evacuationis genus neglexit. Sed ſubito inde inſultu correptus apoplectico, arteriis valde pulſantibus, oculis rubentibus totoque corpore æſtuante omnem ſenſum una cum loquendi potentia amiſit. Sub tali rerum ſtatu ego conſultus primo omnium venam in brachio aperiendam, ventrique clyſteres emollientes injiciendos & balſamum vitæ noſtrum, non poſthabitis aliis remediis, ori naribuſque admovendum ſuaſi. Quibus Dei auxilio id effecimus, ut mitigata morbi & ſymptomatum atrocia mente æger ad ſe redierit, præter quod hæſitantia linguæ diutius permanſerit; quam tamen frequenti oris cum vino, cui aliquot balſami noſtri guttulæ inſtillatæ erant, collutione felici eventu ſuperavimus.

*Epicriſis.*

Quam efficax atque egregium in plurimis ſenum morbis & avertendis & abigendis remedium ſit V. Stio, vel ſola hæc obſervatio evincere poteſt. Neque deficit ratio: in ætate enim provectioribus, maxime ſi firmo adhuc ſtomacho & integra appetentia gaudent, ob exercitationis defectum corporiſque inertiam non tam facile, ut in juvenibus, ſuperabundantis ſanguinis conſumitur copia: & ſi natura ab hoc onere minus ſeſe liberat, neceſſe utique eſt, ut arte ſubtrahatur; quod venæ inciſione perficitur commodiſſime. Perperam igitur & male fundata inductus ratione ſanguinem inter dies caniculares evacuare prohibuit medicus, quod tamen eo magis fuiſſet neceſſarium, cum ea tempeſtate ſanguis nimius ob auctum expanſionis & orgaſmi gradum facile hinc inde in partibus nobilioribus ſubſiſtere & graves admodum inducere valet ægritudines. Nec dubitandum, quin in noſtro caſu à ſimili cruoris in capitis venis ſtagnatione levior ille apoplexiæ inſultus cum ſermonis difficultate originem duxerit; quo fine ego in curatione adornanda primo omnium venam in brachio tundendam cum præſentaneo ægri levamine commendavi. Dein vero clyſteres emollientes ventri infundere & ad effræniorem ſanguinis motum compeſcendum aliquot per intervalla pulveris nitroſi doſes porrigere juſſi, ſubjuncto ſimul infuſo theiformi, ex herba meliſſæ, beton. cardui bened. floribus ſalviæ & anthos compoſito, quod cum paucis olei macis guttulis ſaccharo infuſis bibere æger debuit. Ceterum hac morbi hiſtoria confirmamur, nulli fere morbo quam apoplexiæ aphoniam ſociari frequentius, adeo, ut etiam aliquod tempus poſt non raro remaneat & facillime generetur, ſi à ſtagnante intra caput ſanguine ſerum ſecedens poros cerebri penetrat & radices nervorum relaxando ſenſum motumque earum partium, ad quas nervi excurrunt, hebetat ac labefactat.

---

## CAPUT VIII.

### *De delirio melancholico & maniaco.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Melancholia & mania gradu tantum differunt.*

HAud paucos fore arbitror, qui mirabuntur, me affectus, qui natura & ſymptomatibus plane diſſimiles videntur, in uno capite pertractandos ſumſiſſe & ad unam retuliſſe ſpeciem. Attentiori vero uſu & obſervatione diſcimus, utrumque morbum ex una eademque origine & cauſa continente, videlicet nimio ſanguinis ad imbecille cerebrum appulſu, ſuboriri & niſi gradu ac invaſionis tempore variare, adeo ut melancholia pro morbo primario, mania vero pro ejus exacerbatione & effectu accidentali habeatur rectiſſime. Id quod etiam quam optime medicorum agnoverunt veteres. Hinc Trallianus *Lib. I. cap. 16.* nihil aliud eſſe maniam prodidit, quam melancholiam ad majorem gradum redactam, ut propter tam arctam connexionem facillime ex uno morbo in alterum fiat tranſitus. Aretæus *Lib. III. cap. 5.* melancholiam maniæ initium & originem eſſe, illamque incremento magis quam alia cauſa in furorem prolabi perhibet. Quam conſpirationem etiam quotidiana & attentior confirmat obſervatio, cum melancholici, præſertim ſi morbus inveteratus fuerit, perfacile in maniam incidunt, qua ceſſante melancholia rurſus ſeſe prodit, licet poſtea per certas periodos furor revertatur. Neque admodum diverſa eſt ipſa medendi ratio: quicunque enim conſilio & arte cauſam melancholiæ propiorem vel levare vel tollere recte didicit medicus, ad maniam quoque vel avertendam

tendam vel ſanandam admodum exiſtit idoneus.

## §. II.

*Signa melancholiæ.*

Ante vero quam meditatio noſtra in interiorem horum affectuum naturam, geneſin & differentiam deſcendat, placet omnino, quibus phænomenis, ſymptomatibus ac notis tam melancholia, quam mania ſeſe prodat & dignoſcatur, ex veterum, maxime Græcorum monumentis proponere, eo quod hiſce regionibus variæ deliriorum ſpecies admodum olim fuerunt familiares. Nullus vero rectius & accuratius horum morborum deſcripſit hiſtoriam, ipſo ARETÆO, qui Libr. 3. inter notas melancholicorum has ponit: quod triſtes, abjecti torpenteſque ſint abſque ratione, ingenti pavore trepident, male ſint animati, vigilent, ſolitudinem ament, in iram proni atque mutabiles ſint, de minimis quibuſque rationem quærentes, nihil largientes, ſed non ita multo poſt ſimplices & prodigi. Addit deinde, alvum plerumque aridam eſſe, jam nihil dejicere, jam vero ſicca, rotunda atroque humore bilioſo circumfuſa; urinam paucam reddi, acrem & bilioſam, multum flatuoſi ſpiritus in præcordiis eſſe, ructus putridos, graveolentes ex ore ferri, nonnunquam & humidum quoddam acre cum bile rejici, faciem impalleſcere, arteriarum motus parvos eſſe, pigros atque invalidos, & ægros in ſumendo cibo eſſe avidiſſimos.

## §. III.

*Signa maniæ.*

Signa, quæ maniam indicant, idem graviſſimus Auctor ita deſcribit: ad iram excitati maniaci furore penitus inſaniunt, quidam magnum ſpatium decurrunt, nonnulli vociferantur; alii ab hominum conſpectu in ſolitudinem fugiunt & ſecum tantummodo verſantur; alii ſua membra dilacerant. In ſummo ægritudinis impetu variis ſecundum quietem viſis perturbantur, immoderate venerem concupiſcunt & palam ſine ullo aut pudore aut timore concumbunt. Cum vero inclinatus eſt morbus, ſtupidi, quieti, mœſtique ſunt; in notitiam quoque morbi venientes ſua calamitate miſeriaque triſtantur. Et hæc ſunt, quæ morbum aut præſentem aut declinantem comitantur ſymptomata; paucis nunc, quæ in artis exercitio diligentius annotavimus ſigna, maniam antecedentia nos ſuppeditabimus. Inter hæc vero præcipua ſunt oculi rubentes ſanguineque ſuffuſi, palpebrarum inconſtans vibratio, mutati à ſolito mores, ſuperbia vultu, voce & geſtibus ſe prodens, ſtridor dentium, odium erga hunc vel illum ſingulare, ſomnus parvus, cephalalgia vehemens cum auditus excellentia auriumque tinnitu & ſonitu muſico: quo referri etiam meretur inſigne illud, quo increſcente morbo pollent maniaci, membrorum robur frigoriſque tolerantia incredibilis, nec non in fœminis collectio ſanguinis in mammis.

## §. IV.

*Differentia maniæ à phrenitide.*

Verum enim vero, cum hæc maniæ ſigna valde etiam communia ſint delirio acuto, quod phrenitidis nomine venit, indicandum omnino eſt, in quo utriuſque diſcrimen ſtatuendum ſit. Si quando igitur in acuta febre delirium eſt, vel in ejus vigore ſequitur & levata febre mens redit, phrenitis appellari ſolitum eſt. Neque id genus morbi aliud deſiderat remedium, quam quod curandæ febri idoneum eſt. Quod ſi autem furor longius recipit ſpatium nullamque febrem junctam habet & ex ſtatu melancholico emergit, maniam dicere affectum in ſcholis medicis uſque eo receperunt. Neque ſilentio prætermittere oportet, dari adhuc inſaniam ſeu deſipientiam, quæ nec melancholiæ, nec maniæ aut phrenitidis nomine recte exprimatur, cujus generis eſt, quæ in homine etiam ſano ab aſſumto narcotico, ut ſolano furioſo ſeu ejus baccis, lolio temulento, hyoſcyamo & ejus ſemine, datura, ut pluribus conſtat exemplis, excitatur; quæ tamen accommodata medicina adhibita brevi remittit penituſque tollitur.

## §. V.

*Sectio deliriis mortuorum.*

Ut vero propiores & proprias horum ſingulorum affectuum continentes cauſas, ad quas tollendas unice vera medendi dirigi debet methodus, eo accuratius dignoſcamus, è re omnino erit operæque pretium, ut, quæ in ſectione eorum, qui his deliriis perierunt, inventa fuerunt, proferamus. Notatu vero digna eſt obſervatio, quæ in M. N. C. p. 234. Dec. II. Ann. 6. de maniaco diſſecto legitur his verbis: multas in cerebri baſi ad inſtar retis complicatas vaſorum carotidum & vertebralium ramificationes obſervavimus: poſt exemtum cerebrum in pelvi relictæ ſeri cruentati propemodum ſex unciæ fluitabant: elevata deinde digitis in baſi cerebri medulla oblongata & detectis ventriculis à latere ſitis in conſpectum venit plexus choroideus prægrandis, ab utroque latere totam interiorem ventriculorum ſuperficiem perreptans & ex multis inſignibus vaſis ſanguiferis conſtans: ubique hic plexus veſiculis lividis piſiformibus refertus fuit, quæ lanceola apertæ ſerum gelatinoſum fundebant. Sic quoque *Henricus ab* HEER, *Obſ.* 3. *pag.* 45. de maniaci anatome hæc refert: inventum fuit cerebrum ſicciſſimum, durum & in ſumma parte digitis friabile, flavedine citri æmula undiquaque ad altitudinem digiti tinctum; obſervatum circa ventriculos mollius & humidius: nervorum origines comparuerunt ſiccæ.

## §. VI.

*Continuata ſectionis hiſtoria.*

Singularis quoque debetur animadverſio anatomiæ phrenitici, quæ in M. N. C. *Dec. II. Ann. IV. obſ.* 162. habetur, ubi veſicula fellis bile picis liquidæ inſtar repleta inventa fuit & ſinus falciformis maſſam polypiformem continebat: pia mater multis vaſis turgida accurate à cerebro ſeparari poterat, tunica longe erat craſſior & amplioribus inſtructa vaſis. Similis ſe mihi obtulit obſervatio ante triginta & ultra annos in ſtudioſo nobili extreme melancholico, qui delirio in ſtatu variolarum accedente moriebatur. In ſectione muſculi totius corporis valde denſi, compacti & robuſti nulla pinguedine obducti, ( nam panniculo adipoſo fere carebant, ) conſpiciebantur; veſicula fellis tota repleta erat bile craſſa & inſtar picis nigerrima, quem atrum colorem etiam nunc in ſcriniis meis adſervata exhibet: pancreas magnum, craſſum & durum ſe ſiſtebat. Vaſa duræ & piæ matris ſanguine craſſo turgida & in hac varicoſa apparebant, è ſinu falciformi concretio ſanguinis atri in polypoſam ſubſtantiam concreti extrahebatur atque ventriculis cerebri liveſcens ſerum innatabat.

## §. VII.

*Definitio melancholiæ.*

Quibus recte & diligenter perſpectis ſedem & interiorem horum deliriorum cauſam jam clarius exponere atque ex his ſuppoſitis ſingulorum non nominalem, ſed realem exhibere definitionem, in proclivi eſt. Melancholia igitur eſt firmior cum mente alienata phantaſia, certis objectis

valide

valide inhærens, cum diuturno animi angore, inquietudine, metu & triſtitia ſine ulla cauſa manifeſta juncta, à valde difficili ſanguinis copioſius in cerebro congeſti ac ſtagnantis per vaſa ejus progreſſu oborta. *b. mania* Mania vero eſt violenta inſania cum temeritate & ingenti membrorum robore conjuncta, à vehementiori ſanguinis craſſi, copioſi & melancholici per cerebri vaſa cum magno æſtu tranſpreſſione proveniens. *c. phrenitidis* Phrenitis denique eſt inſania cum febre, à ſtaſi ſanguinis inflammatoria in vaſis cerebri orta.

§. VIII.

*Sedes deliriorum.* Sedem igitur omnis delirii in cerebro eſſe, clariſſime intelligitur, quam etiam ipſe HIPPOCRATES *libro de morbo ſacro* probe agnovit, *hac parte,* inquiens, *ſapimus & intelligimus & videmus & audimus, & turpia & honeſta cognoſcimus, & hac ipſa etiam inſanimus.* Nam cerebrum omnino eſt pars illa corporis nobiliſſima, in qua plane occulto & inperſcrutabili modo divina ſapientia eminens & valde ſublime mentis ſive ſpiritus immortalis, neque minus ingenii, phantaſiæ & memoriæ ſenſuumque externorum recondere voluit domicilium. Quamvis vero iſtius principii intelligentis & ſenſitivi natura & eſſentia, ex qua ejus effectus ac facultates profluunt, plane ſit abſtruſa & menti humanæ incognita, id tamen per accuratam & attentam obſervationem didicerunt medici, quod pro diverſa ſanguinis natura, conditione & motu per cerebri vaſa eminentes illæ facultates animæ tam rationalis quam ſenſitivæ mirifice varient, immutentur & pervertantur, adeoque morum, inclinationum & deſideriorum differentia ex hoc fundamento explicari debeat. Id quod jam olim in diſſertatione *de temperamento fundamento morum & morborum* fuſius deduxi.

§. IX.

*Opiniones medicorum de cauſa deliriorum.* Quod itaque ad cauſas deliriorum proximas attinet & continentes, veteres, quibus ſanguinis circuitus ignoratus fuit, varias & plane alienas in medium produxerunt. Ita horum alii atram bilem exundantem ejuſque raptum ad caput, nec non nimiam cerebri ſiccitatem; alii ex recentioribus ſpirituum animalium in melancholia naturam ſiccam & aquæ ſtygiæ æmulam, in furore vero inflammabilem & ſulphuream accuſarunt indolem. Sed noſtro jam tempore non modo corporis, ſed & animi morborum cauſas longe rectius ex ſanguinis conditione explicare novimus, à qua ſententia nec vetuſtiſſimum Auctorem HIPPOCRATEM alienum fuiſſe ex *libro de flat.* intelligi poteſt, ubi ſcite dixit: *ſanguis multum confert ad prudentiam, ita ut hæc permutetur & opiniones peregrinæ mentem occupent animumque percellant, ſi is conturbatus & perturbatus fuerit,* & eodem loco *ſanguis ſi in conſtanti habitu conſiſtit, conſiſtit etiam prudentia, eo vero permutato, hæc ſimul concidit.*

§. X.

*Animæ functiones in homine unde dependeant.* Et certe conſtanti obſervatione & experientia habemus comprobatum, omnes illas, quæ animæ adſcribuntur functiones, ad quas ſanæ rationis, ingenii & phantaſiæ vires una cum inclinationibus referimus, ſecundum naturam & ordinem ſeſe habere, ſi ſanguis juſta temperie & quantitate gaudens ad cerebrum delatus per ejus vaſa placido, libero & æquabili fertur itinere, adeo ut hac ratione ſenſus etiam externi, niſi vitium in ipſo organo ſit, recto ordine ſuccedant; has omnes vero nobiliſſimas functiones & immutari & perverti, imminui vel penitus deficere, quando videlicet ſanguis & humores à naturali temperie & quantitate deflectentes ad cerebrum devecti non æquabili & moderato, ſed valde difficili, tardo & impedito, aut nimis celeri & vehementi motu progrediuntur.

§. XI.

*Cauſa deliriorum proxima.* Quæ cum ita ſint, à vero nos haud aberrabimus, ſi cauſam melancholici affectus continentem in ſanguinis craſſioris nimio ad imbecille & flacceſcens cerebrum appulſu, ſtagnatione & difficillimo progreſſu; furoris vero originem & fundamentum in ſanguinis craſſioris & melancholici vehementiori & impetuoſo per cerebri vaſcula & fibrillas motu collocamus. Cujus aſſertionis veritatem ex infra dicendis, ubi convenientem cauſarum antecedentium & remotarum nexum monſtrabimus, rectius dijudicare licebit.

§. XII.

*qua anatomice probantur.* Quum vero jam ſupra ſatis clare & ad oculum per anatomen deliriis defunctorum demonſtratum dedimus, in variis corporibus diſſectis non modo ſanguinis motum per caput immutatum & plane perturbatum fuiſſe, dum vaſa nimio ſanguine infarcta & varicoſa ſe præbuerunt, ut propter ſtagnationem ſerum extra vaſorum alveos effuſum in baſi cerebri ſat magna copia repertum ſit; verum etiam cerebri corticem & medullam ſua textura læſam maleque affectam apparuiſſe; nemo ſane dubitare amplius poterit, & horum affectuum & mortis cauſam in hoc ipſo præternaturali ſtatu ponendam eſſe.

§. XIII.

*Cauſæ mediatæ ſunt cerebri debilitas, quam inferunt animi pathemata.* His ita conſtitutis, ſequitur jam ut diſpiciamus, quænam ex reliquis cauſarum generibus ad anomalum illum & plane perverſum ſanguinis per capitis & cerebri vaſa curſum ſymbolum ſuum conferant. Inter has primum locum peculiaris cerebri debilitas, quæ recte dici meretur mediata cauſa deliriorum, obtinet, utpote ſine hac præcedente non tam facile adeo grave motus ſanguinis vitium in hac parte exoriri poteſt. Et hæc quoque præcipua fuit ratio, quare varias has deliriorum ſpecies in hoc Tomo noſtræ medicinæ ſyſtematicæ, ubi de morbis atoniæ agitur, pertractandas conſtituerim. Ad illum vero ingignendam præcipue referendi ſunt graves animi affectus, præſertim diuturnus mœror, triſtitia, metus, animique angor ac terror, quorum magna eſt, ſicut ad omnium partium, ita etiam cerebri robur debilitandum & vim vaſorum ſyſtalticam imminuendam potentia. Ad quam claſſem etiam acriores mentis labores atque inopportunæ ſtudiorum cauſa diutius protractæ lucubrationes pertinent, quibus ob diſſipatos ſpiritus ſic dictos animales, ſtaminum, quæ in cerebro & medulla oblongata ſunt, vis motrix & ſenſitiva mirum infringitur. Et inde quoque intelligi poteſt, quare litterati & qui nimium meditationibus indulgent, plus quam plebeii mentis alienationibus ſint obnoxii.

§. XIV.

*amor nimius.* Deinde ex cauſis, quæ ad graviſſima diſponunt deliria vireſque animi ac corporis deſtruendo & vaſorum, membranarum ac ſtaminum cerebri tonum debilitando plurimum valent, multum ſibi vendicat veſanus amor, de quo obſer-

vationes legi poſſunt apud FOREST. *lib.* 10. *obſ.* 29. & 30. BARTHOLINUM *Cent. II. hiſt.* 69. it. apud VALERIOLAM *Lib. II. obſ.* 7. Maximam tamen noxam infert amor in fœminis viri potentibus ſed nondum nuptis, qui à genitalis liquoris, ſub otioſa maxime & lauta vita liberalius in glandulis vaginalibus ſecreti longiori mora & corruptione provenit, quod teſtantur obſervationes, quales exſtant apud PLATERUM *Libr. I. prax. cap.* 3. *Gregor.* HORST. *T. II. op. Lib.* 2. *Obſ.* 68. & EPHEM. *Obſ.* 126. *Dec. II. Ann.* 10. Cum enim lege commercii, quod animæ cum corpore ejuſque fluidis & ſolidorum motu intercedit, ex copioſius congeſto & ſtagnante in organis ſpermaticis ſemine imagines & ideæ venereæ in phantaſia excitantur, fit omnino, ut phantaſia firmiſſime hiſce ideis inhærente uſus rationis ſæpius minuatur & invertatur. Neque plane de nihilo eſt ſtatuere, ſpirituoſum ſeminale liquidum mora corruptum per vaſa lymphatica redire ad ſanguinem & quaſi ex conſymboliſmo fluidum illud, quod in ſanguine, cerebro & nervis motibus & ſenſibus præeſt, contaminare, ut hac ratione ingens virium oriatur dejectio.

§. XV.

*nimia ſeminis profuſio.* Porro obſervationes teſtantur medicæ, à nimia ſeminis tam voluntaria, quam involuntaria profuſione morbi tum melancholici tum maniaci profluxiſſe originem. Ita *Henricus ab* HEER *obſ.* 60. exemplum ſexagenarii producit, qui à nimia ſeminis ſub diebus canicularibus profuſione melancholicus redditus eſt, & FORESTUS *in Obſ. lib.* 10. *obſ.* 25. juvenem quendam melancholicum media æſtate juvenculam uxorem ducentem & ex effreni veneris uſu in furorem coactum fuiſſe refert. Nam nihil notius eſt, quam quod ſemen delibatiſſima & agiliſſima ſanguinis pars ſit eandemque fere indolem cum fluido nervorum habeat; unde etiam fieri obſervamus, ut ab immodica ſeminis profuſione & ſenſuum functiones & ingenii vires mirum debilitentur, imo etiam alii, qui ex cerebri vitio naſcuntur, morbi progignantur.

§. XVI.

*hæreditaria diſpoſitio.* Multum quoque noſſe refert, deliria quæ diutius protrahuntur, certis familiis admodum eſſe ſolennia, adeoque ad morbos hæreditarios, qui à parentibus ad liberos transferuntur, juſtiſſime referri. Quorum morborum, ut ego quidem arbitror, vix alia ſubeſt cauſa, quam quod morbida & invalida partium ſolidarum & motricium natura ac textura per nativitatem propagetur, maxime ſi generationis tempore his affectibus parentes correpti fuerint.

§. XVII.

*narcotica & opiata,* Nihil vero tam celeriter & inopinato, etiam ſine ulla alia cauſa præcedente, ſanum ceteroquin hominem in dementiam præcipitare poteſt, quam narcoticum ſive ſtupefactivum, inſcienter adſumtum. Hinc res per experientiam ſatis nota eſt, quod à ſemine daturæ, hyoſcyami, à baccis belladonæ &c. brevi tempore perfecta amentia induci poſſit. Si quis vero paulo curioſior fuerit in nocentiſſima horum energia inquirenda, conſulat obſervationes de his paulo diligentius conſcriptas, quales reperiet in M. N. C. *Dec. III. Ann. III. obſ.* 170. WILLISIO *de anim. brut. Cap.* 12. *p.* 2. MATTHIOL. *in Dioſc. p.* 756. 988. LOBELIO *in novis ſtirpium adverſariis*, BORELLO Cent. IV. obſ. 45. HELMONTIO lib. *demens idea*. Neque exercitatioribus medicis ignotum eſt, eas medicinas, quæ opium habent, in delirio improvide datas illud magis intendere & contumacius reddere, tantum abeſt, ut componant, aut levamen afferant. Cujus plane peculiaris effectus rationem invenire non adeo obſcurum eſt, ſi conſideramus, hæc ipſa remedia ſulphure quodam abundare valde vaporoſo, naturæ adverſo atque graveolente, quod calore reſolutum in corpore in exhalationes explicatur, quæ minimis cerebri & nervorum poris profundius inſinuatæ fluidi ibi puriſſimi vim motricem & fibrillarum nervearum elaterem labefactant, adeo ut omnium ſenſuum & motuum notabilis fiat defectio atque inverſio.

§. XVIII.

Ad deſtruendum cerebri vaſorum & ſtaminum naturalem tonum ac tenſionem multum quoque prægreſſi morbi, præſertim acutæ febres faciunt. *progreſſi morbi.* Hinc quid obſervatione frequentius eſt, quam quod poſt febres ardentes, præſertim diutius protractas, poſt febrem ſic dictam Hungaricam, ſynocham putridam, cholericam ſeu cauſum, interdum quoque poſt varioloſam, phrenitides & ex hiſce demum chronicas deliriorum ſpecies proficiſci. Cujus effectus ratio ex facili inde poteſt repeti, quod ſub tanto febrili æſtu, qui plerumque cum aſſidua vigilia conjunctus eſt, nerveum fluidum, quod tam ſenſibus quam motibus perficiendis ſpeciatim dicatum eſt, diſſipetur. Læditur quoque exinde non parum ipſius cerebri fibroſa textura & ſtructura, ut deinde nec ſecretio liquidi animalis rite perfici poſſit.

§. XIX.

Ultimo loco, ad cerebri imbecillitatem & fluidi nervei vitiatam indolem immodicus ſpirituoſorum potulentorum abuſus & inde profecta ebrietas multum momenti adfert, quare etiam non minus eleganter quam vere ebrietas à SENECA epiſt. 83. dicitur inſania, *vinolentiam*, inquit, *crudelitas ſequitur, violatur enim exaſperaturque exinde ſanitas mentis.* *Ebrietas.*

§. XX.

Ordine jam accedimus ad eas cauſas inquirendas, quibus ſanguinis motus ex partibus inferioribus impetuoſius ad caput urgetur, inter quas nihil omnino, quod tam ſubito melancholiam in maniam convertere, aut ſilentem reſuſcitare paroxyſmum valeret, reperimus, quam vehementem iram, qua majorem in maniacis cauſam vix ullam eſſe jam olim GALENUS *lib.* 6. *aph.* 23. reputavit, præſertim ſi vana ſuperbiæ opinio & faſtus, odium & vindictæ cupiditas jungantur. Equidem melancholici natura ad iram concipiendam difficiles ſunt; qua tamen ubi ſemel data occaſione accenſi ſunt, tam efferato furiunt impetu, ut niſi ægrius componi poſſint. Nocet vero ideo maxime melancholicis ira, quia ſanguis eorum craſſior atque compactior in vehementiſſimum adactus motum ſubtilem teneramque cerebri texturam graviter lædit nec tam facile ſiſti curſu ſuo poteſt. *1) Sanguinis congeſtio ad caput, quam producunt, ira.*

§. XXI.

Hunc cenſum quoque ſubit frigus externo corpori, maximeque inferioribus ejus partibus improvide admiſſum. *externum frigus.* Cui quantum debeatur in affectibus noſtris ſuſcitandis teſtari videntur ipſi melancholicorum paroxyſmi & exacerbatæ invaſiones, quas nunquam fere non horripilatione

&

& frigoris ſenſu in externis partibus prægreſſo ſuboriri conſpicimus. Nec adeo difficile erit, ex accuratiori horum penſitatione ſæviſſimorum ſymptomatum, quorum luxurians in melancholicis progenies eſt, rationalem ſuggerere ætiologiam: quódſi enim ſub tali horrore frigoriſque ſenſatione extremus corporis habitus ſpaſmo quaſi conſtringitur, ſanguis propter anguſtiora ſpatia minoreſque vias majori ad interiora vi & impetu fertur, abhinc vero in vaſis majoribus, maximeque pulmonibus, corde & cerebro ſubſiſtens pro horum locorum varietate varias creat moleſtias. Ita circa præcordia anxietates oppreſſivas, ſuſpirioſos anhelitus, cordis tremorem ac palpitationem, in capite vertiginem & gravitatem, oculorum ferociam, longas vigilias variaque & uni rei infixa infert phantaſmata.

§. XXII.

*excretionum ſanguinearum ſuppreſſiones.*

Neque minus referri huc merentur excretionum ſanguinearum tam naturalium quam artificialium in utroque ſexu imminutiones aut ſuppreſſiones; quare ab omiſſa in plethoricis, quæ antea conſueta fuit, venæ ſectione pariter ac ab irregulari hæmorrhoidum vel menſium ſucceſſu, vel his imprudenter cohibitis, aut narium hæmorrhagia improvide ſedata melancholiam originem repetiiſſe certa experientiæ fide conſtat. Nec diſſimili ratione res ſeſe habet, ſi quando poſt exantlatos partus labores parcior ſuccedit vel plane ſupprimitur lochiorum fluxus, vel etiam ſi circa pubertatis annos menſes difficilius erumpunt. Exinde enim ſæpius & melancholiam & maniam ſubortam confirmant obſervationes, quarum innumeræ à probatiſſimis auctoribus proditæ leguntur. Ita HIPPOCRATES, diutina edoctus experientia *lib. de ſuperfœtat. T. I. cap.* 24. ſcribit: ordinaria ſanguinis evacuatio intercepta furere facit. FORESTUS *libr.* 10. *obſ.* 23. *&* 24. item BINNINGERUS Cent. I. obſ. 37. à menſibus ſuppreſſis maniam ortam adnotarunt & *Zacutus* LUSITANUS *Lib. I. prax. admirand. obſ.* 37. *&* 57. poſt hæmorrhoidum ſuppreſſionem melancholiam & maniam ſecutam retulit. Siquidem à ſanguine ſtagnante & copioſius circa inteſtina congeſto horum tunicæ nerveæ compreſſæ ad ſpaſticos ſtimulantur motus, quorum vi ſanguis congeſtus per metaſtaſin ad ſuperiora, maximeque ad caput tranſprimitur. De quo inverſo ſanguinis redundantis motu elegans apud HIPPOCRATEM *lib. de virgin. morb.* extat locus, qui dignus eſt ut hic tranſcribatur: *Virgines nubiles & maturæ viro delirium, ut dæmones quoſdam videre ſe putent, magis patiuntur, una cum menſium deſcenſu, antea non valde hinc afflictæ. Poſtea enim ſanguis in uterum confluit velut effluxurus: cum igitur oſculum exitus non fuerit apertum, ſanguis autem amplius influxerit propter cibos & corporis augmentum, tum ſanguis non habens effluxum præ multitudine reſilit ad cor & ad ſeptum tranſverſum. Cum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit.*

§. XXIII.

*2) malum hypochondriarum & hyſtericum.*

Ex quibus jam dictis & adductis facile reddi poterit ratio, quare & mali hyſterici & hypochondriaci melancholia frequentiſſimum ſit ſymptoma. Res enim in theoria medica pervulgata & ſatis [illegible]fecta eſt, ex atonia viſcerum & impeditiori p[illegible] ſanguinis craſſioris ac copioſioris per hæc tranſitu ſpaſmos & flatus in abdomine progigni, a quibus tanquam ex fonte omnia illa, quæ hypochondriacis & hyſtericis obveniunt pathemata profluunt & derivari poſſunt.

§. XXIV.

*3) ſanguis craſſior, quem ingignit vita ſedentaria.*

Hiſce expoſitis reſpiciendum erit ad ea, quæ ad ſanguinis craſſioris geneſin & ſtagnationem in partibus multum conferre valent, inter quæ primo loco otium & vitam laboris expertem ponendam eſſe arbitramur, quæ tam ad ingignendum morbum hypochondriaco-hyſtericum, quam ad ſubſequens inde delirium plurimum omnino valet. Sicut enim conveniens corporis exercitatio egregium ſolidis partibus robur addit, humoreſque fluxiliores reddit & vegetiorem eorum circuitum promovet; ita ex hujus defectu vires corporis cum omnibus ſuis functionibus labefactari, ſalutares & naturæ ſolennes excretiones imminui, humores ſubſiſtere ac mora craſſiores ac lentiores fieri quotidiana obſervatione deprehendimus. Quæ omnia longe graviora fiunt, ſi jungitur ſolitudo & homines ab omni converſatione remoti vivunt in ſe quaſi converſi; tum enim variæ menti inanes & minus jucundæ imagines falſæque ideæ, cum quibus ægre colluctandum eſt, ſiſtuntur.

§. XXV.

*Victus craſſior.*

Neque ex cauſis remotioribus eſculenta & potulenta excludenda ſunt. Quodſi enim ob exceſſivam acidi in ventriculo progeniem homines voraces ſunt, nimium adpetunt, aut craſſioris texturæ cibos, induratos minuſque ſolubiles & flatulentos adſumunt, nec tamen ſufficienti potu utuntur, crudiores inde compactioreſque humores, qui materiam & pabulum noſtris præbent affectibus, ingenerantur; à quibus in ſanguinem adductis ſtamina & fibræ carneæ rigidiores, duriores & ad motum exercendum minus promtæ ſunt & idoneæ.

§. XXVI.

*Quæ ſit ſanguinis & excretionum conſtitutio.*

Illud præterea ex meis obſervationibus ad naturam melancholicorum & maniacorum explicandam adjiciendum putavi, quod illorum ſanguis è vena emiſſus calidior & ater obſervetur, qualem etiam ETTMULLERUS *in colleg Pract.* p. 993. invenit & LINDANUS adnotavit, dein quod tardius & parcius ſerum deponat atque in lance ponderatus gravior ſit, lentius evaporet & plus craſſi magmatis, quam ſerum ſanorum relinquat. Fæces alvi quod attinet, hæ plerumque parciores ac duriores, coloris ex rufo obſcurioris, quandoque etiam gryſei, urinæ vero, quæ ſub acceſſione minguntur, tenuiores ac leviores obſervantur.

§. XXVII.

*Subjecta delirio rum.*

Quod attinet ſubjecta hiſce mentis affectibus præ aliis obnoxia, notari meretur, homines non modo tardos, ſtupidos & oblivioſos, ſed ſæpius quoque valde ingenioſos, poetas, philoſophos, & qui profundioribus matheſeos & algebræ ſtudiis nimium delectantur, melancholico affectu corripi. Contra vero per experientiam liquidum eſt, eos, qui temperamenti melancholico-cholerici habituque corporis macilento prædití ſunt, ſtrictiores ac tenſiores fibras cum celeriori arteriarum pulſu obtinent, nec non qui promto in iram animo quotidiana fere domeſticorum altercatione, præſertim inter cibum, facile fortiterque commoventur, in furorem proniores exiſtere. Neque tamen prorſus excludendi ſunt

Y 4 natura

natura languidi, debiles animoque timidi & humidiori ac laxiori carne inſtructi, quod vel exinde clarius apparere arbitror, quum virgines & mulieres, maxime ſi menſtruæ aut in puerperio lochialis excretionis vitio laborant, morbis cum mentis alienatione junctis valde videamus expoſitas. Nec denique ſanguineos, ut perite monet HIPPOCRATES *lib. 2. epid. 6. Sect. 3.* & GALENUS *lib. 3. de locis affectis cap. 6.* à melancholico & hypochondriaco malo immunes eſſe, itidem attenta confirmamur experientia.

## §. XXVIII.

*Prognoſis delirii à cauſa morali.* At vero, quum ad ſpecialem mentis morborum indolem ac genium rite dignoſcendum & abhinc judicium de ipſorum eventu & curatione recte formandum multum omnino faciat, valde diverſas, quæ ſe offerunt, circumſtantias probe cognitas perſpectaſque habere; conſiderandum maxime omnium erit, num morbus à cauſa magis morali ſive animæ, quam phyſica ſive corporis vitio ſuam repetat originem atque fomentum. Nihil enim in artis exercitio occurrit frequentius, quam ut primam morbi cauſam ſcrutantibus nobis referatur, celerrimas & ſubitaneas animi commotiones, iram, terrorem, diuturnum mœrorem & angorem, vel etiam veſanum amorem occaſionem malo & primam originem ſubminiſtraſſe. Quibus ſi cerebri & internorum ſenſuum à parentibus accepta imbecillitas, vel notabile in diæta vitium, ut ebrietas, multa corporis refrigeratio, aut immodicus veneris uſus acceſſerint, non novum certe & inſolitum eſt, homines ceteroquin ſanos & vegetos, nullo manifeſto morbi chronici indicio apparente, in ejuſmodi mentis morbos illabi, illapſos difficulter admodum, & niſi lento gradu ex iis emergere. Quod enim ſi incidit, morbum magis idiopathicum & eſſentialem eſſe, adeoque ipſum mentis domicilium inſigni labe affici pro certo habendum eſt.

## §. XXIX.

*ſymptomatici ex malo hypochondr. vel hyſterico orti.* Verum melior convaleſcentiæ ſpes apparet, ſi delirium melancholicum eſt ſymptomaticum & affectionem in viris hypochondriacam, in fœminis hyſtericam comitatur, quod cognoſcere licet, ubi ſpaſmis, flatibus, borborygmis & ructibus prima infeſtatur regio, diaphragmatis cum anxietate fit compreſſio, alvi adeſt durities & moleſtæ hypochondriorum cum reniſu diſtenſiones urgent; quibus haud raro lancinantes capitis dolores, vertigines, aurium ſuſurrus cum multis vigiliis jungi ſolent. Eadem facilioris ſanationis ſpes eſt, ſi ex intermittente febre perperam curata, aut ſuppreſſo menſium, lochiorum vel hæmorrhoidum fluxu, aut etiam à ſumto narcotico inſania ſua ſortitur incunabula; hæc enim, convenienti medicina adhibita & excretionibus illis naturalibus iterum revocatis, egregie mitigatur aut prorſus depellitur.

## §. XXX.

*Differentia & prognoſis ratione graduum.* Præterea, ſicut omnes cerebri ac ſpirituum morbi ſuos habent gradus vel remiſſiores vel intenſiores ſuaſque ſervant periodos, quibus per intervalla redeunt; ita pariter in ſingulis amentiæ ſpeciebus hoc animadvertere licet. Quando igitur leviores ſunt acceſſiones & incipientes, non adeo difficile in curando eſt negotium; quo diutius vero inhærent & altiores egerunt radices, eo eſſe pertinaciores & curatu difficiliores, imo, ſi parum habent remiſſionis, prope inſanabiles, certiſſimum eſt. Temporis enim diuturnitate ipſa mentis & liquidi nervei ſedes, cerebrum ſtructura texturaque ſua ita invertitur, ut niſi ſummo artificio reparetur. Quod vero tam rara delirantibus contingat curatio, hanc ſubeſſe puto rationem, quod maniaci medicos plerumque reſpuunt & ipſa medicamenta vano veneni metu averſantur, melancholici autem, & præſertim hypochondriaci medicamentis nimium indulgendo nova quotidie à medicis, quos ſæpiſſime mutant, adſumunt, adeoque in pejus res ſuas ipſi convertunt. *Ratio difficilis curationis.* Peſſimum porro, quod auctiorem & deſperatum maniæ gradum indicat, ſignum eſt, quando maniaci poſt profundiorem ſomnum jugiter delirant, nec validiorum remediorum, ut purgantium & emeticorum, nec intenſioris frigoris vim ſentiunt. Et ſi tandem plenaria virium ex ſomni defectu & longo jejunio fit fatiſcentia, vel, ſi epileptici, convulſivi aut ſoporoſi affectus ſuperveniunt, mortem ante portas eſſe cenſendum eſt.

## §. XXXI.

Deinde non ignorata perito medico erit hæc peculiaris mentis morborum indoles & ab aliis differentia, quod longo interdum ſpatio plane ſileant & intermittant, ita prorſus, ut homines perfecte ſani mentiſque compotes interea habeantur; certis vero temporum periodis, maxime circa ſolſtitia & æquinoctia, ſub quibus exorti fuerunt, revertantur. *Prognoſis delirii recidivantis.* Quodſi vero talis morbi genius eſt, neutiquam de ſalute deſperandum eſt, ſi modo medicus malum radicitus exſtirpare ſatagat & ipſe æger obſervanda probe obſervet. Audiamus de hoc acutiſſimum ARETÆI judicium, quod *lib. 3.* his verbis expreſſum legitur: *furor & intermittit & diligenti curatione radicitus evellitur. ſed intermiſſio non ſincera eſt, quando per ſe furor deſinit, cum non congruenter aut medela, aut temporis anni clementia curatur. Nonnullos namque qui penitus ſoluti morbo videbantur, aut veris tempus, aut error in victu, aut ira caſu aliquo provitata denuo ad furorem revocavit.*

## §. XXXII.

Singularem deinde meretur animadverſionem, quod natura apud maniacos interdum optime ſuas tum naturales tum vitales obſervet functiones, ut ideo nonniſi raro alio corripiantur morbo, utut plurimæ ad morbos diſponentes externæ cauſæ non deficiant. *Maniaci raro aliis morbis implicantur.* Inde quoque delirantes non facile epidemice graſſantibus morbis ſunt obnoxii. Neque deſunt exempla eorum, qui ſub gravibus his mentis affectibus ad ſeptuaginta & plures annos vitam produxerunt.

## §. XXXIII.

*Solutio deliriorum.* Fit nonnunquam, ut ſolius naturæ bene valentis beneficio ſine ulla remediorum ac medicorum ope dictorum mentis morborum, per criticas ſanguinis ſive per nares ſive uterum, ſive anum excretiones, ſalutaris fiat ſolutio; quæ eo certior evenit, ſi ab illarum ſuppreſſione originem malum duxerit, rectiſſime id obſervante HIPPOCRATE, qui *Sect. 6. aph. 21.* hæmorrhoides & varices inſaniam ſolvere, perite prodidit. Nec mihi ignota ſunt exempla, ubi nonnulli gravi melancholia hypochondriaca in juventute affecti, provectiore ætate hæmorrhoidum fluxu accedente immunes manſerunt. Ex quo etiam fit, ut alvi fluxus & dyſenteria hiſce morbis ſæpe finem faciant, veriſſimo teſte HIPPOCRATE *Sect. 7. aph. 5.*

*aph.* 5. Quod ego pariter mea ipſius experientia confirmare poſſum, quum pronuper in juvene ex terrore in ſtuporem mentis delapſo maniam ſubortam in diarrhœam feliciter terminatam viderim. Præter hæc digna eſt, quæ probe teneatur, obſervatio ab eodem HIPPOCRATE *Sect.* 5. *aph.* 65. propoſita: *quibus tumores in ulceribus apparent, non inſaniunt; his autem derepente diſſipatis inſaniæ fiunt.* Cujus inſignem fidem faciunt aliæ hiſtoriæ, quæ ſcabie & puſtulis in cute ſubortis melancholiam decreviſſe memorant. Ita puellam maniacam per ulcera in crure orta curatam refert FORESTUS *lib.* 10. *obſ.* 24. ſicut è contrario ab occluſo ulcere melancholiam cœpiſſe auctor eſt *Amatus* LUSITANUS *Cent.* 2. *obſ.* 47.

### *CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Quod ad rectam & ſecuram medendi methodum attinet, hæc ſicut unice cauſis morborum tum avertendis tum removendis debet eſſe ſubnixa, quum ex cauſis cognitis indicationes curatoriæ & accommodata deſumi debeant remedia: ita vix alia via in percurandis mentis affectibus procedendum eſſe cenſemus. Jam vero ſatis evidenter in ſuperioribus demonſtratum dedimus, cauſam delirii tam timidi, quam furibundi proximam & continentem in impetuoſo ſanguinis & humorum ad imbecille caput motu eorumque vel difficiliori, vel nimis accelerato per vaſa cerebri tranſitu, quem preſſo pede varii turbatæ phantaſiæ effectus ſubſequuntur, ponendam eſſe; quare curationis ſcopi, qui tum ad præcavendos tum amoliendos hos morbos faciunt, præcipui habendi ſunt, ut 1) ſanguis in cerebro nimia copia congeſtus abhinc ad inferiora derivetur æquabiliſque ac liber ejus per caput & univerſum corpus progreſſus procuretur, 2) ut cauſæ materiales & occaſionales, quæ naturalem ſanguinis temperiem pervertunt ejuſque metaſtaſin ſeu palyndromen efficiunt, removeantur & conſuetæ, naturales & ſalutares excretiones in ordinem redigantur, 3) ut cerebri vaſis ac membranis vis naturalis ſyſtaltica, quæ nimis dejecta eſt, reſtituatur.

§. II.

*Veterum optima deliriorum cognitio & curatio.*

Ante vero quam intentionem hanc feliciter & cum laude exſequamur, monendum eſſe duco, antiquiſſimos artis noſtræ antiſtites, maximeque Græcos in affectibus hiſce tam recte dignoſcendis, quam perſanandis noſtri temporis medicis longe eſſe præferendos, eo quod non modo ex tanta deliriorum in ſuis regionibus ubertate & frequentia majorem ſibi experientiam adquirere, ſed ipſorum quoque remediorum vires ac virtutes melius explorare potuerint. Id quod vel ſolus ſuo confirmat exemplo HIPPOCRATES. Hic enim primum *lib. de inſania* veram deliriorum cauſam ita delineat: *poſtquam*, inquit, *cerebrum derepente calefactum fuit, ſanguine in venis efferveſcente, inſomnia vident horrenda & facies flammeſcit, oculi rubeſcunt & mens aliquid mali operari cogitat. Cum autem ſanguis rurſus ad venas diſperſus fuerit, quieſcit.* Quibus perite dictis dein præſtantiſſima ſubnectit præſidia, dum in eodem lib. V. Snem, aquæ potum, & veratri potionem &c. plurimum commendat. Nec ab hac ſimpliciſſima medendi methodo diſcedunt reliqui veteres medicinæ ſcriptores. Quod ſi enim monumenta ipſorum curatius evolvendo deliriis medendi rationem inquirimus, ſimpliciſſimis certe remediis, ut ſunt venarum ſectio, balnea ex aqua dulci parata, aquæ puræ & mineralium fontium potus, lac & ejus ſerum, evacuationes tum leniores, tum pro circumſtantiarum ratione validiores, ad ferales iſtos affectus debellandos ſummo cum fructu eos frequentiſſime uſos fuiſſe deprehendimus.

§. III.

*Quid de V. Sne ſtatuerint veteres.*

Ex univerſa vero remediorum claſſe nullum eſt, quod ab antiquis ad ſedandos hos perniciales capitis morbos magis celebratum ac laudatum eſt, quam venarum ſectio, de cujus utilitate & adminiſtratione elegans exſtat locus apud TRALLIANUM *lib.* I. *cap.* 16. qui dignus eſt, ut commemoretur: *melancholia*, inquit, *ex copia ſanguinis fit, ſi habitus corporis tenuis, ætatis vigor, ſi hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſſio, ſi facies multo quam antea rubicundior eſt venæque magis turgeſcunt, tunc ante omnem aliam curationem ſine cunctatione ſanguis mittendus eſt & venæ ſectio, ſi vires robuſtæ ſunt, ſatis generoſa. Si vero vires talem non tolerant, neceſſe eſt bis aut ſæpius paulatim educere. Si vero humor ſanguineus cerebro quaſi impactus ſit, tunc audacter venam in fronte ſecabis.* Sed cedro dignam & apprime utilem addit cautionem, ne ante convenientem corporis vacuationem id fiat: *nam*, ait, *ſi circa caput aliquid moliri cogites prius quam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis quam juvabis copioſiorem materiam ad partem affectam attrahendo.*

§. IV.

*Quod ulterius oſtenditur.*

Eſt quoque dein ex Græcis ARETÆUS, qui V. Snem ſummum in curanda melancholia remedium, interpoſitis valde utilibus cautelis, ita deprædicat: *Si craſſus, bilioſus & ater eſt ſanguis, vena utique ſecanda eſt; verum non eodem die, ſed aliis diebus repetendo, quantum ſatis eſt ſanguinis detrahatur: eodem vero die modum ſanguinis mittendi vires declarabunt: medio tempore corpus, quo aliam evacuationem ſuſtinere valeat, liberalius nutriatur: ſi ſunt graciles & ſanguinis inopes, paulum ſanguinis mittendum, quatenus videlicet V. Snem vires ſentiant, ſed nullam noxam earum tenor accipiat: quocirca, ſi plus, quam decet, ſanguinis effuderis, natura cibi penuria de propria ſede dilabitur, hoc eſt, labefactatur.* Neque aliud remedii genus ad peſſimos animi morbos vincendos opportunius magiſque neceſſarium exiſtimat CÆLIUS AURELIANUS *lib. I. cap.* 5. ubi præter phlebotomiam maxime omnium ſimul ſcarificationem cum hirudinum adpoſitione commendat his verbis: *cum ſtatus paſſionis apparuerit, detonſo capite atque raſo cucurbitam infligimus, adjuncta ſcarificatione.* GALENUS quoque V. Snem in ea melancholiæ ſpecie præſcribit, quæ ſedem in venis habet & univerſum corporis habitum occupat, cum è contrario Arabes in ea curanda particulares ſanguinis per venas jugulares, frontis, temporum, evacuationes præ reliquis laudant, vel cucurbitulas cum ſcarificatione humeris applicant, vel etiam hæmorrhoides hirudinibus reſerant.

§. V.

*Noſtra de V. Sne ſen-*

Hanc methodum ſequuti ſuperioris ſeculi excellentiſſimi medici FERNELIUS, RIVERIUS, MERCU-

*tentia & admonitio.* MERCURIALIS, HORNIUS, SYLVATICUS, *Joann.* FORTIS, BALLONIUS, idem remedium tum ad avertendos, tum ad ſanandos hos morbos efficaciſſimum omnibuſque aliis longe anteponendum eſſe uno ore confirmant. Et profecto, ſi meam hoc loco interponere licet experientiam, inter præſtantiſſima hiſce morbis accommodata auxilia jure meritoque habendam eſſe ſanguinis miſſionem cenſeo, hac tamen obſervata cautela, ut, ſi ſanguinis craſſi & grumoſi adſit redundantia, primo vena in pede, dein, interjectis aliquot diebus in brachio, tum in capite, vel in collo vena jugularis provide ſecetur, aut ſtylo ſtramineo naribus intruſo ſanguinis proritetur profluvium. Tandem etiam venam in fronte hoc modo pertundere expedit, ut collo prius deligato faciei venæ inflentur & dein lancetta non adeo acuta, ne pericranium lædatur, ſed obtuſa inciſio fiat.

## §. VI.

*Balneorum à veteribus commendatio.* At vero ſunt adhuc alia, quæ tam in affectu melancholico, quam maniaco ob ſingularem, quam præſtant opem à veteribus ſumme commendantur remedia, quæ inter præcipue eminent balnea; quo nomine non modo univerſalia, ubi corpus totum, vel ad præcordia tantum in aquam tepidam immittitur, verum etiam particularia, ut ſemicupia & pediluvia debent intelligi. Videamus igitur, quid veteres de hoc remedii genere in ſcriptis ſuis prodiderint. Primo vero omnium *Alex.* TRALLIANUS *lib. I. pag.* 117. eximias ipſi laudes in melancholia tribuit: *Dulcium*, inquit, *balneorum uſus, ſi quid aliud, melancholicis opitulatur. Sed ægri in balneo morentur diutius ac in calidam deſcendere cogantur, omnino etiam ſi æſtas fuerit in eo diutius deſideant.* Pari ratione ARETÆUS *lib.* 7. *p. m.* 134. melancholicos in aquis ſponte calidis ſæpe commorari jubet: *Raræ enim*, ait, *& molles carnes ad ægritudinis remiſſionem maxime faciunt. Nam ſiccæ & tenſæ melancholia laborantibus carnes ſunt.* Ex Methodicis quoque eſt *Proſp.* ALPINUS, qui melancholicos tepidis balneis tum in univerſum corpus, tum præcipue ſupra capitis ſuturam ſtillantibus perfecte ſanatos memorat. Vid. *lib. de Med. Ægypt.* p. 115. Haud diſſimili ratione ad maniam ſedandam veteres balnea præſcripſerunt, uti factum fuiſſe videmus a *Cælio* AURELIANO, qui uſum aquarum naturalium, ut ſunt nitroſæ, maniacis ſummopere ſuadet, idque eo magis, ſi odoris non tetri fuerint, quo capitis membranæ quatiantur. Quod itidem exemplo ſuo comprobat GALENUS, qui *lib. ſuo de locis affect. cap.* 9. ſolo uſu balnei ex aqua tepida parati plurimos ſe melancholicos & maniacos perſanaſſe gloriatur.

## §. VII.

*Operationis ratio.* Quod vero etiamnum balnea ob egregiam virtutem ſuam maximam mereantur commendationem, facile quiſque agnoſcere poterit, ſi ipſorum operandi modum accuratius paulo conſiderare velit, qui in eo conſiſtit. Inſaniæ, quæ atrabilarios per intervalla invadit, acceſſio vix ob aliam contingit rationem, quam quod per vehementiorem partium fibroſo-nervearum in extremis & infimis partibus conſtrictionem ſanguis ad ſuperiora cum impetu feratur; unde etiam ſuo jam tempore HIPPOCRATES *Sect. I. aph.* 56. in atrabilariis morbis periculoſos humorum a loco ad locum decubitus eſſe prodidit, qui vel paralyſin, vel convulſiones, vel inſaniam portenderent. Jam vero, quum aquæ moderate calidæ duras ac ſtrictas partes, præſertim in inferioribus locis emolliendo ac relaxando impetum ſanguinis ad caput non modo imminuunt atque avertunt, verum etiam vaſa ampliora reddendo humorum decubitum à capite inferiora verſus deducunt, ut dein, libero æquabilique humorum circuitu tum per univerſum corpus, tum quoque ad extimas ejus partes revocato, corpus perſpirabile fiat; dubitare haud licet, quin in tali caſu à balneorum uſu multum ſperandum ſit auxilii.

## §. VIII.

*Præparandi methodus.* Quod ad rectam & optimam balnea præparandi methodum attinet, ex dictis facile poterit intelligi, aquas leviores ac ſubtiliores, quibus pluviales & fluviatiles annumeramus, ad præfixum ſcopum rite obtinendum, aquis fontanis & durioribus longe eſſe meliores. Et in eo quoque ratio videtur poſita, quare thermæ minerales, quæ præter tenuioris indolis aquam ſal ſubtile alcalinum minerale in ſinu fovent, quales ſunt Emſenſes & Teunacenſes, tam interno, quam externo uſu ad hos capitis morbos tollendos ceteris omnibus longe efficaciores deprehendantur. Quodſi vero leviores ejuſmodi aquæ pro balneis haberi nequeunt, fontanæ ac duriores decoctione cum tritico & ejus furfuribus, hordeo, malva, ſemine lini, & radice altheæ &c. ſacculo incluſis ſunt corrigendæ. Nonnulli etiam eodem fine lac admiſcent, vel de cineribus clavellatis, quantum ſufficit, adjiciunt.

## §. IX.

*Virtus augetur aquæ frigidæ applicatione ad caput.* Balnea ita præparata ne nimis calida, ſed tepida tantum modo adhibeantur, ſerio monemus. Horum vero ad hos morbos vincendos energia ut eo certior meliorque reddatur & ſanguinis in venis cerebri ſtagnantis derivatio longe auſpicatior ſuccedat, opus eſſe putamus, ut ægri in balneo deſidentis caput aqua frigida perfundatur, vel pannus frigida madidus capiti imponatur. Quam encheireſin nec ignotam fuiſſe CELSO *ex cap.* 18. *lib.* 6. advertere licet, ubi ſuper caput aquæ frigidæ infuſionem, demiſſo corpore in balneum & oleum, ſuadet. Et *lib. I. cap.* 4. ita perhibet: *nil æque prodeſt ad caput infirmum roborandum, atque aqua frigida, qua diutius caput quam ceteræ partes perfundendum, vel etiam largo canali quotidie aliquamdiu ſubjiciendum eſt.* Idem quoque ſentire ARETÆUM ex *lib. ejus de morb. chron. p.* 82. conſtat, ubi, ſi ægri maxime inſaniunt, caput humore frigido irrigare jubet. Neque effectus hujus plane ſingularis ratio altius erit repetenda; quandoquidem ea frigoris eſt vis atque potentia, ut ad cerebri membranas & vaſa à ſtagnante ſanguine nimis dilatata & debilitata penetrando ea conſtrictione roboret, ut inde humorum ibi ſubſiſtentium melior diſcuſſio liberiuſque iter promoveri poſſit.

## §. X.

*Selectiſſimi purgantia quænam ſint?* Dimiſſis balneis ad alia præſidiorum genera progredimur, inter quæ non infimum ſibi locum vendicant ipſa purgantia, quæ à veteribus non minus quam recentioribus ad abigendos mentis morbos magni ſemper habita fuerunt. Quorum tamen operatio quum non eadem, ſed valde diverſa ſit, dum alia mitiora alia fortiora exiſtunt; indicandum omnino erit, quænam ex horum nimis ampla claſſe noſtris indicationibus tum ad maniam,

maniam, tum melancholiam curandam ſatisfaciant. In eo vero periti medici quam maxime conſentiunt, quod leniora & mitiora alvum ducentia, in quorum ſelectu ſunt manna, caſſia, rhabarbarum, agaricus, folia ſennæ, polypodium, cremor tartari, tartarus vitriolatus, ſalia aquarum mineralium neutra ſub variis formis uſurpata in affectu maniaco & melancholico, præſertim qui ab affectione hypochondriaca & ſtagnatione ſanguinis in inteſtinis & venæ portæ ramis ortum traxit, ſint omnibus aliis, etiam acrioribus propter ſecurum, placidum minuſque tumultuarium operandi modum longe multumque præferenda, idque eo magis, ſi in decocto vel infuſo ſumta non ſimul & ſemel, ſed iteratis vicibus & per epicraſin operantur.

§. XI.

*De purgantibus veterum fortioribus judicium.*

Equidem, ſi medicorum & in primis veterum monumenta evolvimus, ex purgantibus helleborum tam album quam nigrum ceu ſummum ſpecificum ad utrumque affectum debellandum commendant, cum tamen hic ſubtiliſſimæ, imo virulentæ acrimoniæ ſit particeps. Ita HIPPOCRATES *lib. de inſomniis* ad præcavendam inſaniam veratro purgare & poſtea optimam victus rationem inſtituere jubet, atque *lib. I. de diæta* §. 33. in melancholicis, formiduloſis & triſtibus identidem purgationem per veratrum utiliſſimam cenſet. Cui adſentitur CELSUS qui lib. 3. cap. 18. melancholiam purgatione cum veratro ex magna parte levari refert, & ſi hoc vel ſemel datum parum profecerit, interpoſito tempore iterum dari jubet. Verum enim vero, utut veteres helleboro, elaterio reliquiſque ſtrenuiſſimis remediis perpetuo fere uſi fuerint, nos tamen mitiorum ob inopiam id factum fuiſſe exiſtimamus. Dein vero ſimillimum eſt, eos ideo frequentius fortiorum purgantium uſum iniviſſe, quod tutiſſimas ipſorum præparationes, ut innuit GALENUS *lib. de articulis* compertas habuerunt. Sed illorum proh! dolor monumenta temporis diuturnitate interierunt, ut pauca admodum remanſerint, de quo HIPPOCRATIS de helleboro conſcriptus liber, cujus initium tantum exſtat, ſatis teſtatur.

§. XII.

*Veterum methodus purgantia exhibendi.*

Porro, ſi loca, ubi HIPPOCRATES aliique medicinæ patres purgationem per helleborum dictis in morbis laudarunt, attentius paulo inſpicimus, eos hoc medicamentum nonniſi ſub certo modo & vehiculo atque iis remediis conjunctis adhibuiſſe deprehendimus, quæ magnam illius acrimoniam cicurandi vim poſſident, ut ideo non vehemens, ſed plane mitior ſecuta fuerit operatio. Ita, teſte DIOSCORIDE *lib.* 4. litteris tradita fuit à PHILONIDE Siculo *Ennenſi* peculiaris corporis ante uſum hellebori præparatio & victus ratio, quæ tamen ad noſtram uſque memoriam non pervenit. Plura, quæ idem confirmant exempla reperire licet apud ipſum HIPPOCRATEM, qui *in lib. de diæta* poſt fomenta demum & diætam purgationem per veratrum inſtituit & *lib. de veratro* corpora ante ipſius uſum uberiori alimento & quiete humectanda, item *lib. 6. popul.* balneo & cibo præparanda ſuadet: quo fine etiam tam ante quam poſt uſum fortiorum purgantium ſufficientem lactis aſinini potum præbuit.

§. XIII.

*Qua ratione fuerit innoxia.*

Quum vero notiſſimum ſit, non modo draſtica purgantia, ſed & ipſa venena arſenicalia ſine ulla ſanitatis noxa dari poſſe, ſi corpora prius bene humectantur & alimentis demulcentibus, nutrientibus, oleoſis & lacticiniis præparantur, vel ſi poſtea ejuſmodi adſumuntur; facile poterit intelligi, nec veteres in adhibendis remediis purgantibus ullo modo deliquiſſe, ſed ea valde cicurata & ad meliorem mitioremque indolem redacta uſurpaſſe. Quam medendi methodum ac cautionem nec TRALLIANO ignotam fuiſſe ex ejus monumentis apparet, dum *in melancholia*, inquit, *blanda purgatione opus eſt & victu humectante, interpoſito balneo. Qui enim calidioribus antidotis aut purgationibus uſi ſunt, præſertim hiera, ægros magis furioſos atque inſanos reddiderunt, dum ſanguinem ad ſiccius & acrius converterunt. Præſtat igitur talibus ſimplicioribus adhuc medicamentis, quæ totum corpus non poſſunt calefacere, repurgatos humectanti cibo permittere. Noviſtis autem vos, me quoque pleroſque ita laborantes victu potius quam medicamentis perſanaſſe.*

§. XIV.

*Draſticorum in melancholia aut mania nulla eſt indicatio.*

Cui experientiæ ſana quoque conſentanea eſt ratio. Etenim in furore, ubi omnia in effreni motu videmus conſtituta, nulla plane nervoſum ſyſtema acrius irritandi eſt indicatio. Nec dein humores atrabilarii, ſive melancholici, glutinoſi, craſſi, acidi & pontici vaſis inhæreſcentes acrioribus opus habent moventibus, ſed diluti, correcti, meabileſque & ad exitum aptiores redditi facili negotio ad excretionem ſtimulantur. Et profecto ſi ulla in re, certe in propinandis purgantibus ſumma adhibenda eſt cautio. Nam, ut probe annotavit *Joann.* HEURNIUS *lib. 3. p.* 289. *in uſu magnorum pharmacorum nullus temeritati locus eſſe debet*, alioquin, quod turpe dictu eſt, ſuppetias ferendo magis nocemus. Atque ideo recte omnino atque perite à PLATONE dictum eſſe legimus, morbos diuturnos, inter quos etiam melancholiam refert, ſuos habere certos terminos, ad quos ante quam pervenerint ſi medicamentis irritentur, acerbiores fieri. Ex omnibus autem optime ſuo nos exemplo erudire poteſt providiſſimus ille artis parens HIPPOCRATES, quippe qui *Democritum* curaturus helleboro nonniſi præſens uti voluit.

§. XV.

*Correctio hellebori à LINDENIO tradita.*

Quum ſuperiori loco inter cauſas & conditiones, ſub quibus veteribus helleboro aliiſque fortioribus purgantibus uti licuerit, hanc præcipuam retulerimus, quod illi innoxium, qui nos jam latet, præparandi modum calluerint; non inutile fore arbitror quædam de eodem monere. Fuerunt ſcilicet noviſſimis temporibus præclari in arte viri, qui in eo excogitando multum & operæ & temporis conſumſerunt, quos inter eminet LINDENIUS, qui *Colleg.* MSTo *ad praxin chym.* ubi helleboriſmum commendat, ſingularem helleborum corrigendi modum tradidit, quo eos non modo, qui inſanire primum cœperunt, ſed & ipſos maniacos ſe curaſſe adſerit. Ipſa præparatio hæc eſt: recipit radicis hellebori albi à drachma dimidia ad drachmam unam, eamque in vino, donec molleſcat, decoquit, decoctam eximit, &, rejecto priſtinæ decoctionis vino, novo vino injicit atque per noctem in loco calido relinquit. Poſtea infuſionis vinum nunc levius, nunc fortius, prout validum eſſe debet remedium, exprimit, expreſſi drachmam unam propinat, quæ ſufficienter operatur.

§. XVI.

## §. XVI.

*De eadem judicium.* Nos quidem de hac hellebori correctione ita ſentimus: medentes fortioribus qualicunque ratione correctis & vi ſua acri cauſtica privatis remediis commode carere & majorem longe fructum exſpectare poſſe, ſi ea ſolum evacuantia, quæ ſupra recenſuimus ſelectiora atque leniſſima in uſum rite vocare ſatagant. Cui autem ſpeciatim helleboro uti volupe eſt, de convenienti ejus præparandi modo non diſſuademus; ſiquidem vim illam draſticorum purgantium deleteriam, quæ in ſubtiliſſimo ſale acri conſiſtit, mediante coctione diutius inſtituta penitus enervari poſſe certiſſimo conſtat experimento. Et quum per ſimilem cum aqua vel vino adornatam cocturam tenuiſſima illa, quæ helleboro ineſt, acrimonia extrahitur, manifeſtum eſt, quod remanet, draſtica virtute privari.

## §. XVII.

*Aquæ minerales & fontanæ laudantur.* Miſſa ulteriori purgantium diſquiſitione progredimur ad aliud remedii genus, quod ſiſtunt aquæ minerales, vel pura aqua fontana, in quibus ſummum & præſtantiſſimum adverſus mentis morborum contumaciam ſitum eſt præſidium. Etenim, quum mania plerumque originem & fundamentum in melancholia, melancholia in affectu hypochondriaco habeat, atque hic ipſe à ſanguine & ſuccis vitiatis ac impurioribus, per imi ventris viſcera & inteſtinorum volumen difficulter progredientibus ortum & natales ſuos ſortiatur; ad obſtructiones vero viſcerum reſerandas liberioremque ac faciliorem ſanguinis circuitum reddendum, nulla hactenus à multis retro ſeculis inventa & non modo à recentioribus, ſed etiam à veteribus peritis ac ſcitis medicis uſu probata fuerit medicina, præter providum aquarum mineralium vel frigidarum, vel calidarum uſum facile patet, quantum ab ejuſmodi aquis in pertinaciſſimis morbis vincendis ſperandum ſit auxilii. Et ego ſane ipſe integra fide profiteor, quod nolim eſſe medicus, ſi aquarum, præſertim mineralium virtutem ignorarem. Enim vero, quum boni ac periti medici ars & ſcientia maxima ex parte in arcendis vel curandis chronicis affectibus verſari debeat, hic certe parum vel nihil ſolidi ſine prudenti aquarum naturalium tam interno quam externo uſu præſtare poterit. Quapropter ut medicus harum ſalutarium aquarum, ratione ingredientium & virtutum accuratam ſibi comparet cognitionem, ſerio monemus.

## §. XVIII.

*In pluribus morbis proſunt.* Quodſi vero genuinam fontium ſalubrium indolem ſcrutamur, obſtupeſcimus ſane, tantam à benigniſſimo conditore ipſis conceſſam eſſe facultatem, ut pluribus medendi indicationibus in omnibus fere morbis ſatisfaciant. Nam ſpiritu elaſtico puriſſimo & ſale alcalino medio minerali prægnantes decentique copia adhibitæ non modo humores vitioſos alterandi, craſſos incidendi, glutinoſos fluidos reddendi, & obſtructa vaſcula reſerandi potentia pollent, verum etiam in partes ſolidas energiam ſuam exerunt, cum duras & tenſas fibras laxant & emolliunt, debiles & imbecilles roborant, emunctoria à tono ſuo dejecta ſtimulant, adeoque omnis generis ſalutares excretiones, ſive per alvum, ſive per urinam & cutim, ſive etiam per uterum & venas hæmorrhoidales promovent.

## §. XIX.

*Lactis aſinini uſus commendatur.* Similis, imo fere ejuſdem cum aquis mineralibus virtutis eſt lac aſininum & ſerum lactis tam vaccinum quam caprinum rite confectum & depuratum, cujus uſus ad expugnandas chronicas paſſiones ab HIPPOCRATE jam olim commendatur, & à peritiſſimis in arte viris, MERCURIALI, RIVERIO, RAYMUND. à FORTIS, BAGLIVIO & celeberrimo noſtri ævi medico BOERHAVIO ſummis ob præſtantiſſimam efficaciam laudibus extollitur. Id quod & ego bona fide adfirmare poſſum: ſiquidem affectus valde chronicos, qui ex ſubtili & virulenta humorum acrimonia ſuborti in imbecilliori & vitiato nervoſarum partium ſyſtemate ſedem ſuam fixam habent, ſine decenti lactis & ſeri lactis uſu vix ex voto ſanatos novi.

## §. XX.

*Nitri uſus commendatur.* Ex univerſa vero medicamentorum ſerie remedium non ſcio ullum, quod ad cauſas horum affectuum eradicandas opportunius exiſtat, & in quo, ceu ſale ſimpliciſſimo, natura plus myſteriorum condiderit, quam ipſum nitrum ab heterogeneis partibus depuratum. Ejus namque uſus tam univerſalis eſt, ut ad omnis generis morbos, ſi modo rite inſtituatur, latiſſime pateat. Maxime vero omnium in ea melancholiæ ſpecie, quæ ad maniam inclinat, imo in ipſo furore, peculiarem plane & laudatiſſimum præbet effectum, dum non modo acrimoniam humorum климоſam temperat, ſed & effrenes ſolidorum motus placando immoderatum fervorem ſiſtit. Dolendum itaque ſummopere eſt, efficaciſſimum hocce remedium non modo veterum temporibus plane ignotum fuiſſe, verum etiam à noſtri ævi medicis ratione ſuæ, quam exſerit in morbis, virtutis, nec ſatis cognoſci, nec in debito pretio haberi. Ex recentioribus tamen, qui ejus eximiam in noſtris affectibus ſanandis virtutem agnoverunt, laudandi maxime ſunt SENNERTUS atque RIVERIUS, quippe qui in mania potiſſimum nitrum cum pauxillo camphoræ maritatum ceu ſpecificum in uſum ducendum eſſe adſerunt.

## §. XXI.

*Quid de ſpecificis ſtatuendum.* Propoſuimus jam ex iis, quæ opitulari his animi morbis poſſunt, generalia quidem, ſed omnium optima remediorum genera, quæ longo uſu à peritiſſimis in arte viris probata fuere. Supereſt nunc, ut de peculiaribus quibuſdam & ſpecificis medicamentis, quæ itidem magna à plurimis laude efferuntur, noſtram in experientia fundatam dicamus ſententiam. Jam igitur notiſſimum eſt, in ſcholis medicis & pharmaceuticis libris ex regno vegetabilium herbam meliſſæ, betonicæ, verbenæ, anagallidis, ſalviæ, abſynthii, flores hyperici, tiliæ, camphoram, ex animantium familia ſanguinem aſininum exſiccatum & cum potu exhibitum, ex regno minerali martialia, cinnabarim, ſaturni ſaccharum, calcem & tincturam lunæ præ ceteris commendari. Verum enim vero, utut remedia hæcce ſingularia ex toto haud rejicimus, ſed nonnullorum potius uſum meliori explorationi committendum volumus; id tamen adſeverare non dubitamus, parum ab iiſdem ſolis exſpectandum eſſe emolumenti, niſi prius cauſis morborum tam remotioribus, quam proximis corrigendis & abigendis per ſupra allata remedia generalia rite conſultum proſpectumque fuerit.

§. XXII.

§. XXII.

*Specificum Riverii.*

Dantur, præter jam dicta ſimplicia, varia adhuc ex ipſis artificioſe parata compoſita, quæ ob ſpecificam virtutem ſuam ſummis prædicantur elogiis, ad quorum cenſum inprimis pertinet illud à Riverio contra maniam tantopere celebratum remedium, quod ipſe pro arcano & gentilitio habere conſuevit atque hoc modo paratur: Recipe fol. meliſſæ manipulum unum. Incidantur in ſpiritus vini unciis quatuor. Dein adde margaritarum præp. drachmam dimidiam. Miſce, detur ad duo cochlearia. Quod quidem medicamentum, ſi ex æquo æſtimem, non prorſus damnandum judico. Et licet ipſe genuinam ejus virtutem uſu non exploraverim, in ea tamen certo reſpectu adſignanda nullus dubito, maxime quum multos olim maniacos à paſtore quodam in pago Vinarienſi degente, qui illud frequentius adhibuit, ſanatos noverim.

§. XXIII.

*Decoctum nigrum Brunſvicenſe.*

Probe dein animadvertendum eſſe arbitror, celebrem Brunſvicenſium medicum decocto quodam nigro, *ſchvvarzer Narren Tranck* vocato, quod, ut pharmacopæus mihi retulit, ex ſanguine aſinino cum aqua meliſſæ & aceto vini cocto paravit, haud infelici ſucceſſu uſum fuiſſe frequentiſſime. Neque ego hoc remedii genus inutile cenſerem; ſiquidem præter virtutem ſedativam, cujus propter ſanguinem animantis particeps eſt, inſignem etiam aceto vini diſcutientem ac reſolventem obtinet efficaciam.

§. XXIV.

*Decoctum & eſſentia anagallid. maris B. Michaëlis*

Laudatiſſimæ porro virtutis eſſe creditur B. Michaëlis decoctum & eſſentia ex anagallide mare, qui phœniceo colore ſplendet, parata; quæ bina remedia mille experimentis in melancholico & maniaco delirio à ſe probata eſſe adſerit, de quorum tamen fide nondum ſatis mihi conſtare profiteor. Pulverem vero, qui à Dno Charras in Pharmacop. Reg. deſcriptus & contra inſaniam à morſu canis rabidi ceu ſpecificum commendatus ex meliſſa, verbena, abſynthio, artemiſia, plantagine, ruta componitur, tum ob virtutem, qua gaudet, ſtagnantes humores diſcutiendi, tum ſolidas partes roborandi, non omni effectu deſtitutum arbitramur.

*Pulvis contra rabiem Dni Charras.*

§. XXV.

*Flores antimonii.*

Ex chymicis medicaminibus ſpectant huc quoque flores antimonii, quorum uſum plurimi medicorum commendant, ad experientiam audacter provocantes. Cui nec noſtra contradicit obſervatio. Quod ſi enim tenaces, viſcidi & billioſi in duodeno ſtabulantes humores vomitu evocandi ſunt, flores iſti, qui præ aliis emeticis antimonialibus blando quodam & anodynæ virtutis ſulphure pollent, egregium pollicentur fructum. De iis, quæ opium ingreditur antidotis, quorum multæ magnæque apud Auctores laudes exſtant, infra plura dicemus.

§. XXVI.

*Motus corporis eſt optimum ſpecificum.*

Mihi denique ſi ullum remedium ceu ſpecificum, id eſt, quod ſingulari quodam & præcipuo effectu multoties ſe comprobavit, in hiſce mentis affectibus tum præcavendis, tum abigendis commendare licet, nec certius nec efficacius decenti & ad vires corporis inſtituta exercitatione novi. Nam, modo liquidum in ſanguine non deficiat, hoc remedium viſcidos humores reſolvendo liberioremque ſanguinis per omnia vaſa circuitum promovendo, corpus ab impuris ſordibus per auctam tranſpirationem liberat, obſtructiones reſerat adeoque omnibus aliis ſumme commendatis remediis antecellit longiſſime.

*CURA PRÆSERVATORIA.*

§. I.

*Præſervationi inſerviunt ſanguinis evacuationes.*

Quum tutius factuque proclivius ſit morbos præcavere aut recurrentes eorum incurſus avertere, quam præſentes medela ad ſanitatem reducere; in aprico eſſe arbitror, quanti ad medici pariter ac ægroti commodum interſit, curam præſervatoriam probe intelligere, quæ ſequentibus continetur momentis: Primo omnium neceſſe eſt, ut ſanguinis abundantiæ habeatur ratio, quæ tempeſtiva, præſertim circa ſolſtitia & æquinoctia conſueta venæ ſectione, vel ſalutaribus per hæmorrhoidales & uteri venas evacuationibus promotis, aut, ſi cohibitæ fuerint, revocatis minuenda erit. Ante vero quam venæ ſuſcipitur inciſio, valde utile eſt, primas vias à vitioſorum humorum colluvie leniori medicamento deplere. Tali enim ratione poſt ſectam venam ſanguinis per univerſum corpus diſtributio longe erit expeditior, ut per tranſpirationem depurari melius poſſit.

§. II.

*Affectuum animi moderatio.*

Præter hæc inter optima remedia præſervantia prudens affectuum animi moderatio referenda eſt, quæ facile obtinebitur, ſi nobis ipſi non adeo indulgemus. Abſint itaque ſtolida deſideria, quæ mentem ullo modo turbare aut ſpeculationibus anxiiſque præfigurationibus occaſionem ſuggerere poſſunt; omnes etiam nimiæ & uni rei infixæ cogitationes æque ac profundiores ſtudiorum cauſa ſuſceptæ meditationes ſedulo vitentur, venus ſit parciſſima & denique remota ſolitudine animus jucundo & amico reficiatur conſortio.

§. III.

*Victus ratio.*

Neque tutum eſt, ab omni cibo impleri, ſed talem fere eligere, qui nec concoctu difficilis, nec ventriculo ſua mole gravis eſt. Vitare hinc oportet carnes infumatas, ſuillas, bubulas, conchilia, piſces cœnoſos omniaque vaporoſa & cibos quoque cum cepis & allio paratos, utpote quæ ſingula ventriculum onerando craſſumque ingignendo ſanguinem mirum nocent. Ante omnia vero corpori quantum indiget, non quantum cupit impendendum eſt. A nimia enim voracitate, ad quam propter exundantem acidi in prima regione progeniem admodum proclives ſunt melancholici, non leve redundare damnum obſervamus.

§. IV.

*Conveniens potus.*

Potus quoque habendus eſt delectus, ſiquidem non omnis omnibus deprehenditur proficuus. In genere tamen notari velim, leviorem ſemper, ut cereviſiam ſecundariam, vel puram aquam frigidam eſſe eligendam. Inter vina modicus vini albi & non adeo ſubtilis, ut Moſellani hauſtus ſub epulis melancholicis omnino concedatur, utpote qui animi corporiſque vires recreando mores ad hilaritatem traducit. Dulcia vero & potentia vina, qualia ſunt Hungarica, Italica & Gal-

Gallica Sect dicta tum melancholicis tum maniacis nunquam non annotavi inſenſiſſima. Nihil autem fere magis officit & ad maniæ geneſin contribuit, ac ſi poſt graviorem iracundiæ affectum ejuſmodi ſpirituoſi, vel etiam frigidi potus in copia ingurgitantur; qua propter, ut omnes de ſalute ſua ſolliciti ea tempeſtate ab iiſdem ſe abſtineant, ſincere monemus.

§. V.

*Tabaci uſus moderatus.*

In eodem cum alimentis pretio habetur ea quæ noſtro ævo increbuit tabaci fumigatio, cujus nimium & perpetuum quaſi uſum, qui digeſtioni inimicus ſpiſſos humores ingenerat eoſque in orgaſmum facile abripit, ex toto improbamus; cum è contrario conſuetum & moderatum, ad alvum lubricam ſervandam, recte concedendũ arbitremur.

§. VI.

*Motus corporis.*

Denique præſervandi fine ſummopere ſe commendant aëris mutationes, & præſertim à regionibus nimis calidis vel frigidis ad temperatiores ſuſceptæ peregrinationes. Hæ ipſæ enim non modo erroneis perverſiſque ideis emendandis apprime ſunt idoneæ, verum etiam motus, qui per vecturam inſtituitur, viſcerum obſtructiones impediendo æquabilem ſanguinis per omne corpus curſum ſervat utiliſſime.

## *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautelæ circa curationem febrium acutarum.*

Quum ex acutis febribus iiſque præſertim biliofis cum phrenitide junctis, per opiata & nimis refrigerantia perperam ſanatis maniam haud raro ſubortam obſervaverim, boni omnino circumſpectique medici eſſe reor, non modo febres ejuſmodi cholericas rationali & prudenti tractare methodo, verum etiam, ubi inclinata in melius valetudo eſt, exactam vivendi rationem cum convenienti affectuum regimine præſcribere; alioquin ex phrenitide facilis ad delirium chronicum fit tranſitus. Similem cautionem poſtulant febres intermittentes contumaciores; ſiquidem ab iiſdem per iteratas ſanguinis miſſiones vel acres ſæpiuſque repetitas alvi evacuationes male tractatis, aut per adſtringentia & opiata nimis cito cohibitis melancholiam hypochondriacam & exinde ipſum furorem concitatum fuiſſe conſtat. Sedulo itaque monendi ſunt medici, ut ab empiricis iſtis & indignis curationibus abſtineant, ne forte graviſſimorum horum affectuum cauſa dici haberique poſſint.

§. II.

*Circa V. Snem ratione ſubjectorum.*

Venæ ſectio licet præſtantiſſimæ in deliriis utilitatis ſit; multum tamen pro corporum varietate ratione loci, quantitatis & temporis debet variari. Ita, quando maniacus furor plethorica, cholerica & in ætatis vigore conſtituta corripit ſubjecta, ſanguinis iterata miſſio, frequentiori per correctum helleboriſmum purgatione interpoſita, minus nocet, maxime ſi poſtea cardiacis, roborantibus & anodynis ſedativis viribus reficiendis proſpiciamus. Ubi contra per diuturnam inediam aſſiduaſque vigilias & continuam corporis evacuationem furioſi viribus & humoribus temperatis exhauſti fuerunt, ideoque nutrientibus magis & blandis analepticis opus habent, ſanguinis detractione in majorem incidunt debilitatem.

§. III.

*Circa ſectionem venæ frontis.*

Quam ſuperiori §. V. *curat.* præſcripſimus convenientem venæ ſectionis adminiſtrationem, hic loci minus cenſemus repetendam. De V. Sione tamen in fronte hæc habeo quæ moneam: eandem ſcilicet in paroxyſmo, ubi propter ſpaſticam inferiorum partium ſtricturam ſanguinis ad caput directus eſt impetus, nunquam utilem, ſed ob majorem humorum attractionem magis eſſe noxiam; è contrario vero tutius rectiuſque adornari, quum aut primæ viæ ab impuris ſordibus probe ſint liberatæ, aut ſi ſpaſmo quieſcente mali notabilis facta fuerit remiſſio. Docuit me utiliſſimam hancce cautelam tentata ſimili remedio hemicraniæ curatio, in qua eandem venam plus quam decies infelici admodum eventu novi inciſam. Hoc in paſſu ex antiquioribus medicis conſentientem habeo CELSUM, cujus *lib. 18. de curatione deliriorum* hæc notatu digna eſt animadverſio: *Remedia adhibere, ubi maxime furor urget, ſupervacuum eſt: ſimul enim febris quoque increſcit. Tum itaque nihil niſi continendus æger eſt; ubi vero res patitur feſtinanter ſubveniendum eſt. Aſclepiades perinde eſſe dixit, his ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur, hanc rationem ſecutus: quod neque inſania eſſet, niſi cum febre intenta; neque ſanguis, niſi in remiſſione ejus, recte mitteretur.*

§. IV.

*Circa alimenta & pharmaca nimis commoventia.*

Quum, graviſſimo teſte HIPPOCRATE *Sect. 6. aph. 56.* melancholia laborantibus periculoſæ ad cerebrum fiant metaſtaſes, quas apoplexia, epilepſia, cœcitas, aut ipſa mania ſequitur; omnis profecto cura adhibenda eſt, ut ne perverſi ejuſmodi motus translatorii ſeu ferales ſanguinis ad caput congeſtiones procurentur, quale quid fieri maxime ſolet ab acerbis animi perturbationibus, aut largiori vini potentis inter dies caniculares potatione, vel denique omni medela, quæ liquida nimium exagitando vires deprimere valet.

§. V.

*Circa purgantia.*

Maxime vero omnium talem noxam fortiora inferunt purgantia, utpote quæ inteſtina ad majores ſpaſmos proritando ſanguinem ad ſuperiora magis propellunt. Quæ cum ita ſint, de purgationibus rite inſtituendis aurea tenenda eſt regula MESUES, quæ ita ſe habet: *in ægritudinibus melancholicis non bis, non ſemel, ſed per intervalla facienda eſt evacuatio ita temperata, ut natura regat evacuationem, non evacuatio naturam. Præſtat tamen ſemper alvum lubricam ſervare, & ſi non reſpondet, ſollicitanda eſt vel clyſtere, vel ſingulis ſeptimanis leniori evacuante.*

§. VI.

*Circa delirium ex inſano amore.*

Ubi ex inſano amore virgines nubiles & maturæ viro inſaniunt, conjugium efficaciſſimum præſtat auxilium; cujus incomparabilem ad componendum furorem virtutem & ratio confirmat, & ſua jam ætate rectiſſime agnovit HIPPOCRATES, qui ideo virgines quam citiſſime viris cohabitare jubet, *ſi enim*, inquit, *conceperint, ſanæ fiunt.* Id quod ego ipſe experientiæ conforme habere nullus dubito.

§. VII.

*Ex morſu maniaci, vel canis rabidi.*

Si quando furor à morſu maniaci, vel canis rabidi, ut talia exempla proſtant, ſuboritur, non fidendum eſt ſpecificis illis, à GALENO, AETIO, RUFFO tantopere laudatis externis, cancris com-

combuſtis, ſeu cineribus cum theriaca & radice cynosbati, licheni cinereo terreſtri, jecori rabioſi canis exterius applicato, ſed loco dolenti, profunda ſcarificatione præmiſſa, magnam cucurbitam apponere, vel ferro ignito ſatis profunde partem affectam inurere & tum ſuppurationem promovere præſtat.

§. VIII.

*Circa fonticulos.* Quum delirio affectos à fœda ſcabie elephantiaſin quaſi æmulante inſigne ſæpius levamen percepiſſe, & maniam poſt ulcera in inferioribus locis curata ſubortam trepanatione ſolutam fuiſſe certa experientiæ fide conſtet; fonticulos & ulcera in tali caſu circa ſpinam dorſi ferro inurere, haud ſupervacaneum eſſe arbitramur.

§. IX.

*Circa veſicantia.* Veſicatoria in curanda mania parum vel nihil valent, ſed malum potius exaſperant. Cantharidum quippe ſales cauſtici per poros in ſanguinem delati majorem nervoſis membranis & ipſi quoque duræ matri ſtimulum impingendo ſanguinis craſſi & bilioſi per caput & univerſum corpus motum ſpaſtica ſtrictura augent; cum potius medicamenta, quæ ob blandam anodynam & antiſpaſmodicam virtutem intenſiores nervoſarum partium conſtrictiones demulcendi effrenemque humorum motum refrenandi vi pollent, in uſum vocari debeant.

§. X.

*Circa anodyna, maxime vero opiata & narcotica.* Licet vero remedia hæcce ſedativa & anodyna in maniaco furore compeſcendo effectu ſe exſerant ſatis egregio, neutiquam tamen eo procedendum audaciæ eſt, ut, quæ ſuſpectæ admodum fidei ſunt, opiata & narcotica ad hanc claſſem referre & propinare velimus; hæc quippe fibras ac membranas nervoſas, præſertim quæ in cerebro ſunt, ſtupefaciendo maniacos quidem inſultus levant atque minuunt, ſed majorem & dementiam & fatuitatem inferendo in aliud ſæpe extremum ægros præcipitant. Multo magis, ſi quid ab anodynis ſperandum auxilii eſt, ea ſunt ſeligenda, quæ in malo epileptico, cujus formalis ratio in vehementi duræ matris ſpaſmo conſiſtit, opitulantur, ad quæ pertinent maxime caſtoreum, raſura ungul. alcis, cranii humani, cornu cervi philoſ. præp. radix & ſemen pœoniæ, pulvis noſter antepilepticus, rad. valerianæ, liquor anodynus mineralis, aquæ flor. lil. convallium, tiliæ, primulæ véris &c. Quibus omnibus ceu ſecuris & uſu ſatis probatis remediis tuto fidem habere poſſumus.

§. XI.

*Circa delirium ex abſciſſa plica Polonica.* In Polonia ex abſciſſa imprudenter plica non modo graves capitis morbos, ſed nonnunquam etiam ipſam concitatam fuiſſe maniam cognovimus. Quod vero ſi incidit, mirum commendari ſolet decoctum muſci clavati, quo caput bis quotidie lavetur. Ita enim futurum eſſe dicunt, ut brevi illa rurſus erumpat. Linimenti muſci clavati huic ſcopo utiliſſimi deſcriptionem qui expetit, evolvat M. N. C. *Dec. I. ann. II. obſ.* 54. ubi inveniet.

§. XII.

*Quæ in phrenitide proſint interna & externa.* In phrenitide, quæ quaſi duræ meningis febris particularis eſt, in qua ejus tonus elaſticus ac ſyſtole valde aucta motum ſanguinis & fluidi nervei celerrimum & tumultuoſum efficit, præter interna nitroſa & blanda anodyna externe animalia, ut gallinæ vel columbæ per medium diſciſſæ capitique raſo applicatæ non ſine ſingulari fructu eſſe deprehenduntur, utpote blandæ exhalationes & anathimiaſes fibras nimis ſtrictas relaxando ad tonum motumque naturalem reſtituendum plurimum conferunt.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

OBSERVATIO I.

*Delirium maniacum ab ira excitatum.* Vir quinquaginta annorum, ſanguine plenus, à prima ſtatim adoleſcentia largiori vini potui adſuetus, per ſedecim & plures annos, quibus Italiam Galliamque peragravit, bis quotannis venam ſecandam præbuit. At vero Germaniam redux hoc conſuetum evacuationis genus omiſit, ſæpiusque vinum aduſtum, quod cum tabaci fumo in deliciis habebat, ad ebrietatem uſque ingurgitavit. Aliquot abhinc menſibus elapſis gravi percellebatur iracundia, quam crebri vomitus cum larga diarrhœa & inappetentia juncti ſequebantur. Brevi poſt ſomno frui obſervabatur turbulento anxiiſque inſomniis interrupto, imo haud obſcure furoris ſigna tum vultu tum geſtibus exprimebat: mox enim triſtitia & mœrore affectus omne hominum conſortium fugiebat, mox in hilaritatem effuſus præter conſuetudinem erat affabilis, multa ſine ordine inconcinna garriens. Neque tamen hoc mentis alienatæ vitium diutius inhæret, ſed leviter iterum tranſit, vix inſaniæ veſtigia relinquens: ſiquidem noſter intermiſſionis tempore omnibus rite fungi officiis cum mentis alacritate valet, atque ſaniſſima loquitur, ut nihil in ſermone familiari inſaniæ in ipſo obſervetur. Sed, quum vel leviſſima accedente animi perturbatione, ad quam ſumme proclivis eſt, vel errore aliquo in diæta commiſſo ex facili redeat, neque vanum exinde gravioris & permanentis delirii timorem incutere videatur, meum amici implorarunt auxilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

Quanta animi affectuum in motus corporis noſtri tam fluidarum, quam ſolidarum partium ſit potentia, vel ex ſolo præcedenti caſu adparere arbitror. Sicuti autem præcipua iracundiæ in ductus biliarios efficacia nunquam non deprehenditur: ita nihil dubii eſt, quin præternaturali harum partium nervoſarum conſtrictione bilioſus humor in inteſtina effuſus hæc ipſa ad ſpaſmos ſollicitaverit; quorum vi ſanguis craſſus ad caput & debile cerebrum adpulſus ibi difficulter tranſiit, variaſque inanes & erroneas menti ideas impreſſit. Neque parum profecto ad peſſimum hunc affectum ingenerandum contribuit immoderatus calidiorum potuum uſus, utpote qui inſigni ſyſtema nervorum maximeque cerebrum debilitandi vi pollent & haud raro vel unice, ſine longa aliarum cauſarum ſerie prægreſſa ejuſmodi mentis morbos producunt. Quod autem ad peculiarem affectus noſtri genium attinet, ipſum pro furore leviori periodico recte omnino habere licebit, propterea quod per intervalla tantum adgreditur breviuſque terminatur, neque magnam memoriæ imbecillitatem aut ſenſuum inſignem depravationem comitem habet & ipſam quoque curationem facilius recipit, quam ſequenti ratione adornavimus: Primo omnium æquabili ſanguinis per univerſum corpus diſtributioni ejuſque à capite derivationi proſpicientes conſuluimus, ut æger quo-

quotidie cubitum iturus pediluviis uteretur tepidis ex aqua fluviatili & tritici furfuribus paratis & quamprimum cruori per venam in pede ſectam, aut hirudinibus ano adpoſitis liberum permittat exitum, unde ſtatim melius habere coepit. Deinde mixturam ex eſſent. ſuccini, tinctura tartari & antimon. acris conflatam ex infuſo theiformi, quod herbas floreſque roborantes ac antiſpaſmodicas, tiliæ, meliſſæ, lilior. convallium, ſambuci, anthos, chamæmeli &c. habebat, ſingulis diebus mane ad 40. guttas capiendam ſuaſimus. Tum quoque pulveres leniter diaphoretici & antiſpaſmodici, ex pulv. Marchionis, ſuccino præp. cinnabari, nitro purif. & pauxillo theriacæ coel. compoſiti, ante cubitum ex uſu fuerunt. Denique, quum maximum in ejuſmodi morbis curandis momentum in juſto affectuum moderamine & accuratiori rerum non naturalium uſu contineatur, primo ingrata & excitandis adverſis ideis opportuna objecta removere, tum vero à cibis ſalitis, acribus & nimium conditis abſtinere, corpus maximeque pedes contra frigoris injuriam munire & calidiores ſanitati infenſiſſimos potus cane pejus & angue fugere ſerio juſſimus. Quibus per aliquot menſes probe obſervatis id per Dei gratiam obtinuimus, ut animo ſucceſſu temporis ad ſe redeunte æger à furibundis paroxyſmis immunis plane relinqueretur.

### Observatio II.

*Affectus melancholico maniaco-hypochondriacus.*

Vir eccleſiaſtico munere fungens, annorum triginta ſeptem, ſtaturæ mediocris corporiſque macilenti, ſed multis vaſis ſanguineis inſtructi, patre natus hypochondriaco & ad melancholiam admodum prono, per multos jam annos hæmorrhoidum fluxum ſingulis fere menſibus revertentem expertus bene admodum valuit. At quum ſtudiis nimium intentus profundis meditationibus, neglecto corporis motu, plus juſto indulſiſſet, eaſque ad ſeram uſque noctem nudatis pedibus protraxiſſet, concurrentibus ſimul curis domeſticis, ſalutaris hæcce excretio ſenſim imminutior facta penitus tandem deſiit. Non multo igitur poſt ſymptomata acceſſerunt hypochondriaca, quæ ructibus, flatulentiis, moleſtiisque imi ventris diſtenſionibus & torminibus coli dolores æmulantibus cruciarunt. Sed quod peſſimum erat, ipſa quoque mens magis quam antea videbatur affecta; ſiquidem perpetuo nunc mœrebat, ab exigua vel nulla plane cauſa meticuloſus expaveſcebat & ſingulis diffidens omne fugiebat conſortium: quæ mentis mala brevi intervallo tanta capiebant incrementa, ut æger noctu inſomniis agitari, vitæ inſidias timere, manus cum gemitibus complicare, alte mox vociferare & ſermonem continuum ſine nexu movere, mox cogitabundum & quaſi elinguem obmuteſcere inciperet. Neque tamen ſine intermiſſione perpetuo ita furit, ſed malum ex parte minuitur atque tum prægreſſa frigoris ſenſatione pulſuque paulatim celeriori vehementiorique reddito recedit. Medici varia præſcripſerunt medicamina nitroſa, electuaria, confectiones tandemque binæ circiter ſanguinis unciæ fuerunt detractæ, ſed ſine ſingulari levamine.

*Epicriſis cum conſilio.*

Docet nos hæc obſervatio, ex affectione hypochondriaca melancholiam, ex melancholia maniam oriri, omniaque hæc mala ex ſola hæmorrhoidum ſuppreſſione ſuam repetere poſſe originem. Ego conſultus cum pulſum durum & plenum, urinam aquoſam & tenuem, ſomnum inquietum multiſque ſtupatum inſomniis deprehenderem, atque graves ſub coſtis ſpuriis tenſiones preſſorias & anxietates præcordiales cum pertinaciſſima alvi obſtructione urgere comperirem, à leni evacuatione curam inchoandam ratus potiunculam ordinavi mannatam & rhabarbarinam, denuoque ſanguinem ex altera pedum vena tuſa detrahendum & pediluvia ex furfuribus triticeis, ſapone veneto & aqua fluviatili parata ante decubitum adhibenda juſſi. Inter reliqua, quæ opem tulerunt, præſidia fuerunt pilulæ noſtræ balſamicæ bis in hebdomade ſumendæ atque pulvis ex lapidum cancrorum, tartari vitriolati, cremoris tartari, nitri purif. ana drachmis duabus, cinnabaris rite præp. drachma dimidia, olei cymini guttis ſex compoſitus, qui una cum liquoris anodyni mineralis viginti guttulis ex aquæ fontanæ unciis octo alternis diebus propinari debuit. Dein quoque infuſum Theiforme ex herba veron. millefolii & radice glycyrrhizæ confectum ad aliquot patellas mane ſorbillandum ſuaſi. Pro potu ordinario decoctum chinæ & cichorei cum paſſulis ſubſtitui, & ad promovendam digeſtionem elixirium noſtrum viſcerale balſamicum inter epulas, quas parciores eſſe injunxi, adſumendum commendavi. Gravate quidem hæc omnia noſter admittebat, iis tamen paulatim adſumtis flatuum bona pars ructibus multis & ſonoris diſcuſſa fuit, anguſtiaque cum mentis furore ſedari cœpit & aliqua hæmorrhoidum excretio apparere, quæ demum fonte Egrano inſequenti veris tempore cum juſto regimine potato ex voto rediit, adeoque corporis animique integritati noſtrum reddidit. Ad præcavendas tamen recidivas commendatarum medicinarum uſum diutius protrahi juſſi.

### Observatio III.

*Melancholia hypochondriaca cum mania periodice alternans.*

Vir quadraginta annos natus, natione Judæus, complexionis melancholico-cholericæ, multis laboribus cum meditatione ac vita ſedentaria junctis diu vacavit, ſed nihil inde incommodi perſenſit. Aliquot autem abhinc menſibus cum de inopinato filii obitu certior factus inſigni mentis perturbatione ſollicitaretur, mox mœroribus magis magiſque indulgere, circa præcordia angi, hominumque converſationem fugere cœpit. Stipabantur hæc mala continua pedum refrigeratione, ſomnoque inquieto & minus reficienti, nec non pertinaci obſtructione alvi, quam nonniſi ſexto ſeptimove die rite deponebat. Quumque ita adflictus totos ſex conſtitiſſet menſes, & denuo vehementi percelleretur terrore, ipſa maniaca invaſit rabies, qua tantopere furebat & in obvios quoſcunque irruebat, ut vinculis conſtringi debuerit. Cui malo licet ſuppetias ferre amici voluerint, nulla tamen alimenta nedum medicamenta adſumſit. Nihilo minus vena brachii & frontis coacte inciſa inſigniter profuit: ſiquidem inde mens efferata paullo quietior reddita ad triſtes cogitationes priſtinamque melancholiæ ægritudinem rediit. Hanc contra dein variis pugnatum eſt remediis, thermæ quoque Carolinæ potatæ alvum egregie duxerunt, ſed malo præterea vix quicquam detraxerunt. Ego igitur in conſilium adſcitus hanc præſcripſi medendi methodum. Primo fontem Selteranum, addita ad menſuram ſalis Carolinarum drachma una, per aliquot hebdomadum ſpatium bibendum ſuaſimus. Vim ventriculi concoctricem roborare ſtuduimus

elixirio

elixirio noſtro viſcerali temperate balſamico, quod ad 70. vel 80. guttulas inter epulas porreximus. Nec omiſſa ſunt pediluvia, quibus alternis diebus ante cubitum æger pedes ad ſuras uſque immittere debuit. Denique ſingularem præſtiterunt opem pulveres leniter temperantes nervinis ſpeciebus nupti ante lecti introitum exhibiti. Potui dedimus decoctum, cujus hæc erat formula. Recipe Raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias duas, cremoris tartari drachmas tres. Coquantur in aquæ ſimplicis menſuris quatuor: adde ſyrupi acetoſitatis citri uncias duas. Præterea, ut abſtineret ab omnibus cibis fumo induratis, acribus & flatulentis; è contrario autem tenuioribus cum aperientibus herbis paratis juſculis, interpoſito vini generoſi hauſtu ſedulus uteretur, corpuſque frequentius moveret, imperavimus. Quibus remediis per aliquod tempus ita continuatis optime convaluit.

*Epicriſis.*

Ex præcedente morbi hiſtoria ſatis perſpicue apparet, quanta apud melancholico-hypochondriacos, qui vitam agunt ſedentariam & umbratilem nimiumque mentis fatigationibus indulgent, ad producendum furorem in ipſis animi affectibus, maxime vero ſubitaneo mœrore & hunc ſuperveniente vehementi terrore vis ſit atque potentia, quantaque opus ſit cautione & prudentia, ut ejuſmodi hominibus, ubi jam melancholia cum malo hypochondriaco juncta variis ſe ſignis prodit, omnis graviorum animi perturbationum ſubtrahatur occaſio. Docemur quoque ex hoc caſu egregie, melancholiam & maniam alternatim procedere, ita ut ex uno malo ad alterum facillimus fiat tranſitus.

OBSERVATIO IV.

*Delirium maniacum periodicum.* Nobilioris generis fœmina, vix trigeſimum ætatis annum transgreſſa, temperamenti ſanguineo-melancholici, ob adverſos quoſdam à fratre ſibi illatos caſus, in impenſam incidit, poſtquam vix utero conceperat, animi triſtitiam; ad quam propulſandam quum haud modicum ſpiritus vini hauſtum frequentius adſumeret, accidit, ut non multo poſt in ipſum maniacum furorem abrepta vehementiſſime inſaniret; ſiquidem à nemine laceſſita graviter ſubinde iraſcebatur, adſtantes ſaliva conſpurcabat, veſtes dilacerabat, nec uno conſiſtere loco poterat, quin miris ſe modis jactans corpus ſpectaculo exponeret. Et ſic habebat primis graviditatis menſibus; quum vero ad dimidium geſtationis tempus perveniſſet, rabie paullatim remittente perfecte ad ſe rediit & ſtato tempore felicem excluſit partum. Lochia quoque dein rite fluxerunt, nec quidquam, uti ſolet, moleſtiæ puerperium reliquit; niſi quod poſthæc ſuſpectum valetudinis ſtatum menſtruæ purgationes retentæ portenderent, quas tamen quum medici falſa novæ impprægnationis ſpecie decepti promovere dubitarent, factum proh! dolor eſt, ut fera iterum rabies animum occuparet. Varia hinc inde præſcripta remedia purgantia, temperantia, ſpecifica nihil attulerunt opis; quare ut conſilio & auxilio ego ſuccurrerem per literas amici me rogarunt.

*Epicriſis cum conſilio.*

In præmiſſa morbi hiſtoria id maxime debet animadverti, delirium ultimis graviditatis menſibus ſponte evanuiſſe, partu vero excluſo iterum rediiſſe. Cujus rei ratio ita me judice, debet explicari. Quo magis fœtus in utero mole ſua creſcit, eo plus opus habet nutrimenti; hinc major ſanguinis quantitas ad uterum confluit, quæ edito partu reliquis corporis partibus denuo impertitur. Quum vero in noſtra ægrota menſium acceſſerit retardatio, non modo ſanguis copia increvit, ſed & valde ſpiſſus & ad trajiciendum tenuiſſimos canaliculos ineptiſſimus evaſit; unde facile potuit in primis viis & circa uteri regionē ſpaſtica ſtrictura oriri, qua cruor ille tenax ad debile caput delatus rationis uſum denuo turbavit. Quod ad curationem attinet, eo potiſſimum reſpiciendum putavi, ut ſanguinis circuitus per totum corpus, maximeque per uterum ſuæ reſtituatur libertati. Quo fine primo ſuaſi, ut ante decubitum temperatiora adhibeantur pediluvia, dein per menſis circiter dimenſum fontes Egrani decenti cum regimine & interpoſitis ſtomachicis medicamentis tepide bibantur; circa tempus vero, quo alias ex utero ferri ſuevit menſtrua purgatio, per aliquot dies ante lecti introitum doſis capiatur pilularum balſamicarum, & ſequente die mane drachma una ſalis aperitivi, ex lapid. cancrorum, tartaro vitriolato & nitro compoſiti, ſuperbibendo vaſcula quædam infuſi theiformis ex floribus nervinis & antiſpaſmodicis tiliæ, primulæ veris, anthos & citri corticibus conflatum. Qua methodo id per Dei gratiam acquiſivimus, ut ægra à malo ſuo ſenſim paullatimque liberata nunc integerrime vivat.

OBSERVATIO V.

Fœmina annum agens ſecundum & quadrageſimum, temperamenti melancholico-cholerici, animique à natura ad triſtitiam valde diſpoſiti, nunquam à viro gravida, ſub regulari & ordinato menſium ſucceſſu illibatam ſemper præ ſe tulit valetudinem. *Delirium maniacum periodicum ab iracundia.* Interim, quum odioſo ſoceræ convictu per aliquod tempus uti debuerit, plena inde luctus & mœroris, nulla vel ſane leviſſima data cauſa, ſæpius acerbas profundere lacrimas cœpit, donec dein inter ipſum menſium fluxum poſt graviorem iracundiæ affectum delirium acceſſit maniacum, quod totas ſex hebdomadas inhærebat. Abhinc triſte hoc malum ſingulis ſex ſeptemve menſibus elapſis recrudeſcens has notas habet prænuncias: ſentit ægra circa tempus cum menſtrua recurrit periodus, preſſorium in pectore dextroque hypochondrio dolorem capitis dentiumque membranas in conſenſum rapientem; ſomnus imminuitur, & nunquam non vexant conatus vomendi, modo irriti, modo ipſi vomitus, materiam aquæ ſpumoſæ & pituitæ flavæ ſimilem, eructantes: fluxu demum præſente ipſe adoritur paroxyſmus, qui variam ludit ſcenam. Mox enim dementata cantilenis & tripudio exſultans in cachinnos erumpit, miroque verborum flumine delira profert; mox triſtis demiſſo capite ſolam terram inſpiciens diu obmuteſcit; mox ab omni cibo potuque abhorret, mox collecto paullum animo de magna ſiti conqueritur, imo nonnunquam tanta inſanit vehementia, ut, niſi vi ſuorum cohibita, ſibi aliiſque manus ſit illatura. Somnus præterea, qui admodum parcus eſt, terrificis turbatur inſomniis, alvus eſt adſtrictiſſima, nonniſi tertio quartove die dura ſcybala difficiliori expreſſione reddens, arteriæ exploratæ admotas manus validiſſimo celerrimoque feriunt pulſu, &, quod nota-

notari meretur, delirii poſt aliquot dierum intervallum circa veſpertinum tempus ſemper graviores ſolent eſſe acceſſiones, quæ ægra per extremorum refrigerationes, per dolores univerſi corporis tenſivos & maculas ſublividas in brachiis pedibusque ſubinde obvias præſentit. Ubi finita morbi periodo mens efferata ad ſe rediit, præter languores omnes artus occupantes nulla rationis memoriæque labes per integrum intermiſſionis ſpatium animadvertitur. Requiſiti medici pugnarunt vomitoriis, purgantibus, V. Snibus, ſoteriis quoque fontibus Egranis, ſed parum inde miſera percepit utilitatis, niſi quod horum uſu delirium ſerius paulo redierit. Ego igitur conſultus quum maximum curationis momentum in præcavendis feralibus recidivis ſitum eſſe deprehenderem, primo omnium mentis tranquillitatem, rectamque vivendi rationem in hunc modum inſtituendam præcepi, ut ægra corpus frequentius, quam antea ſub ſerena tempeſtate moderato exercitio moveat, parciorique & leviori victu utens potui ordinario decoctum hordei excorticati, & C. Cervi raſpati, cum pauxillo corticum citri vel cinamomi ſubſtituat. Ad temperandam humorum acrimoniam infuſum theiforme ex herba meliſſæ, floribus tiliæ & pauxillo cort. citri confectum mane bibendum ſuaſi. Nec ego deinceps irritum aquarum mineralium effectum fore arbitratus, denuo per aliquot hebdomadum decurſum fontem Egranum vel Schwalbacenſem mane calide bibendum, atque balnea temperate calida ante decubitum applicanda ſummopere commendavi, quæ etiam circa inſtans menſium tempus, interpoſito pilularum balſamicarum uſu, locum habere poſſent. Denique tam præſervandi quam curandi fine egregiam præſtitit opem mixtura quædam ex liquoris anodyni drachmis duabus, eſſent. caſtorei drachma una & ſpiritus ſalis ammoniaci drachma dimidia compoſita, quam in paroxyſmo pariter ac extra ipſum ſub lunæ mutationibus pondere XL. guttularum bis de die vel ſolam vel cum pulvere antiſpaſmodico ex aqua liliorum convall. ſine vino parata exhiberi juſſi. Pulveris hæc fuit formula: Recipe Pulveris Marchion. C. C. philos. præp. ana drachmas duas, nitri purif. drachmam unam cum dimidia, ſuccin. præp. drachm. unam, cinnabaris ſcrupulum. Alvum denique victu potius lubricante aut paſſulis rhabarbarinis, quam fortioribus purgantibus apertam ſervandam imperavi, adeoque Dei gratia effeci, ut paroxyſmi rariores & mitiores acceſſerint. Nec dubitamus fore, ut ſub horum remediorum uſu diutius protracto, ægra à miſero malo liberetur omnino.

*Epicriſis.*

Ex hac obſervatione illud notatu dignum occurrit, quod inter ipſum menſium fluxum, poſt vehementem iræ affectum delirii facta ſit acceſſio: utpote experientia ſæpius me docuit, graves animi perturbationes ante, ſub & poſt menſtruorum fluxionem obortas peſſimas paſſiones, imo deliria quoque, ſi caput natura debile exiſtit, producere. Porro notabile eſt, quod recidivæ ſemper cum periodis menſtruis in ſcenam prodierint. Nam tota natura ſexus fœminini circa menſium fluxum ingentem patitur mutationem, dum motus vitales ad exteriora ſeu corporis peripheriam tendentes per ſpaſticas ſtricturas ad interiora potius convertuntur, ut exinde totus ſanguinis circulus inæqualis, & improportionatus redditus, ad ſupernas & internas partes impetuoſe ruat; unde ingentium ſymptomatum origo. Quapropter, ſi in fœminis deliria, vel ipſorum paroxyſmos avertere velit medicus, neceſſe eſt, ut ad periodum menſium reflectat & circa id temporis opportuna remedia, quæ ſanguinis circulum æqualem efficiunt & ſpaſticas ſtricturas conſopiunt, ut fere ſunt balnea temperata & blanda diaphoretica cum nitroſis & antiſpaſmodicis remixta, in uſum trahat.

## Observatio VI.

*Furor melancholico-maniacus.*

Militiæ præfectus, quadraginta & aliquot annorum, ſtaturæ valde proceræ, ſanguineo-cholericus ex familia prognatus, in qua plures mentis quadam alienatione laborarunt; à prima adoleſcentia ſtrenuis compotationibus interfuit & vinum ad ebrietatem uſque larga in quantitate ingurgitavit, ſed nihilo minus bene valuit. Jam vero dimidium effluxit anni, quum ob præmaturum uxoris formoſæ obitum in ſummam conjiceretur triſtitiam, ut nullo admiſſo ſolamine omnem cibum recuſaret & inſomnis multas noctes tranſigeret. Subſequebatur perfecta mentis abalienatio, interdum cum ſummo furore, qui levi ex cauſſa irritabatur, conjuncta, ita ut æger in vinculis contineri deberet. Amiſſo per venæ ſectionem, ter intra menſem inſtituta, multo ſanguine & datis nitroſis hic furor quidem remittebat, ſed nunquam penitus ceſſabat. Miſſus ad me conſilii cauſſa conquerebatur de pertinaci alvi obſtructione & aſſidua vigilia, valde confuſa ſine ordine garriens, facies erat rubicunda & ſanguine turgida. Ordinavi pediluvia temperata ſingulis diebus ante decubitum adhibenda & pulveres nitroſos aliquoties de die ſumendos. Ad alvum apertam ſervandam præſcripſi potionem mannatam & ut ſæpius æger mane lac recens mulctum biberet. Loco potus ordinarii commendavi aquam puram fontanam, & capiti imponendum ſuaſi epithema, quod aquæ roſarum, aceti roſar. ana uncias duas, nitri purificati drachmas duas, & olei ligni rhodii guttas XII. habebat, tam felici eventu, ut intra menſis ſpatium æger perfecte convaluerit.

*Epicriſis.*

Docet inprimis hic caſus, quantum in hominum animis corporibusque ſibi vindicet mœroris affectus, ob ſummum rei dilectæ deſiderium in nobis obortus, ita prorſus, ut inde in inſaniam ducantur homines, ſatis alioquin ſani & mentis compotes. Quod quidem eo facilius evenire deprehendimus, ſi quis à parentibus natus eſt melancholicis, vel ipſa mania correptis. Sicut enim, experientia teſte, morbi, quibus parentes conflictantur, plerumque traducuntur ad liberos; ita nihil dubii eſt, quin noſter ægrotus naturalem quandam per nativitatem obtinuerit cerebri debilitatem, & ad mentis morbos diſpoſitionem, qua præſente facile fieri potuit, ut data occaſione, quæ in hoc caſu diuturnus luctus fuit, in ipſam mentis alienationem inciderit. Neque parum profecto ad capitis debilitatem contribuit potuum ſpirituoſorum abuſus, quibus nihil eſt ad inferendam inſaniam potentius. In curatione eo potiſſimum reſpeximus, ut ſanguinis impetus à capite divertatur; qui vero quum ab alvi obſtructione nunquam non ſu-

ſuſtentetur, primo omnium præſcripſi laxans mannatum & lac recens emulctum, quod in præſenti ægroto inſignem alvum laxandi exſeruit efficaciam.

### Observatio VII.

*Delirium melancholicum.*

Honeſta hujus loci fœmina, triginta & aliquot annos nata, vitæ otioſæ & libidinoſæ dedita, animo æque ac corpore optime ſemper valuit. At vero, quum marito per inopinatam mortem orbata ſe coactam videret, ut propter rem anguſtam domi parce nimis impoſterum viveret, plena inde luctus omne hominum conſortium per longum tempus fugiebat. Sat diu itaque mœrore cum tacita iracundia juncto preſſa, gravem incidebat mentis alienationem; ſiquidem mox præter modum triſtis lacrymabat, mox ſumme hilaris ridebat & puerorum more variis delectabatur ineptiis, mox effrenis & temeraria cum adſtantibus altercari conabatur. In conſilium adhibebatur mecum medicus natione Gallus, & curatio in hunc, qui ſequitur modum inſtituebatur. Præmiſſa venæ ſectione in pede commendavimus balnea temperata quovis die veſperi adhibenda, & emulſionem refrigerantem in ipſo inſeſſu capiti cum linteo duplicato adplicandam. Deinceps crebrius dedimus, interpoſitis ad alvum apertam ſervandam lenioribus laxantibus, pulveres temperantes nitroſos, atque potui ſolam aquam fontanam permiſimus. Et quum id anni tempus eſſet, ut cucumeres matureſcerent & ſale muriatico conficerentur, conſultum duximus, inter cibos crebrius eoſdem commendare; & adſumſit quoque ægra tam larga quantitate, ut nihil fere amplius cibi ad ſuſtentandam vitam opus habuerit. Inter hæc menſe circiter elapſo indies major affulgebat ſpes convaleſcentiæ, quæ etiam brevi poſt, divina annuente gratia inſequebatur, ita, ut nunc integra tum animi tum corporis fruatur incolumitate.

*Epicriſis.*

Nihil profecto magis ſanitati eſt infenſum, quam ſubita quædam mutatio, qualem in noſtra ægrota accidiſſe deplorandum eſt, utpote quum lautum vitæ genus ſimul ac ſemel cum valde miſero commutandi neceſſitas fuerit. In curatione ex voto obtinenda primo omnium ſtuduimus, ut impetuoſus ſanguinis curſus à capite ad inferiora convertatur, quod optime præſtitimus venæ ſectione in pede adminiſtrata, & balneis aquæ dulcis, utpote quibus nervoſæ imi ventris partes ſpaſmo conſtrictæ emolliuntur, & ſumma quoque cutis, quæ frigore teſte, conſtrictione affecta eſt, relaxatur, ut revocato ſanguinis itinere ad habitum corporis, liber ipſi circuitus per univerſum corpus concilietur. Quod attinet peculiarem cucumerum ſale conditorum effectum, de hoc ita judicandum arbitror. Acida ejuſmodi ſalita vegetabilium ſenſibiles & membranaceas corporis partes facile irritant & vellicant, uti fere videmus in tuſſi, ubi nervos pneumonicos ad tuſſim continuo ſtimulant; quare veritati omnino videtur conſentaneum, ut curſum ſanguinis magis promoveant, quam impediant: qui vero quum in melancholicis nunquam non tardus & debilis, maxime per caput, obſervetur, opus omnino habet aliquo ſtimulo, quem dicta vegetabilia optime & ſine noxa addunt. Et profecto, ſi dicere debeam, quod res eſt, ego adhuc in diverſis aliis mente perverſis hos fructus deprehendi utiliſſimos, ut ideo adſerere non pudeat, quod optimum ſint inter cibos mente ægrotantium condimentum.

### Observatio VIII.

*Delirium maniacum à nimiis meditationibus.*

Juvenis, qui vix decimum ſeptimum ætatis annum attigit, temperamento præditus cholerico-ſanguineo, excitati alias & prompti ad ſtudia ingenii, per anni decurſum profundiori meditatione in invenienda machina, quam dicunt perpetuum mobile, dies noctesque deſudavit; à patre autem ſtoliditatis ideo accuſatus, & à propoſito ſub inanis ſtudii admonitione avocatus, in tacitam mœſtitiam incidit, quæ ſubitaneo incendii terrore adeo increvit, ut in furorem plane tranſierit; ſiquidem varia nunc de inventis ſuis magna & præclara jactitat, terrificis noctu inſomniis agitatus mane horribilia & inepta, quæ vidiſſe ſibi imaginatur, longa ſerie narrat; jam ſe paralyticum, lunaticum vel à diabolo obſeſſum ipſumque dæmonem pronuntiat, & diras admodum exſecrationes evomit, jam mutatis in manſuetudinem moribus ardentiſſimas ad Deum preces fundit perpetuis ſuſpiriis ingemiſcens. Præterea febrili pulſuum celeritate & admirando auditus acumine gaudet. Cibum & potum ſatis quidem bene appetit, nec officio ſuo alvus deeſſe animadvertitur. Sed, quod male ſperare jubet, eſt quod malum ſine alterna requie continuum ſæviat, nec inſignem habeat intermiſſionem. In tali rerum ſtatu ego conſultus venam primo pedis, dein ſublingualem aperiri, & pediluviis moderate calidis ægrum immitti juſſi, unde furoris vehementia mirum compoſita videbatur. Dein operæ pretium fecerunt pulveres leniter nitroſi camphora remixti, quos circa ſomni tempus aſſumere æger debuit; nec dubito, quin vis morbi his demum remediis ſit obſecutura.

*Epicriſis.*

Videmus ex hoc caſu, quantum profundæ meditationes ad caput debilitandum obtineant potentiæ, ut quisque graviorem exinde morbum, imo deliria quoque pertimeſcendi rationem habeat, maxime ſi aliæ & hæreditariæ cauſſæ acceſſerint. Adſumſit æger largum cibum, cui diſſolvendo & in bonum chylum & ſanguinem transmutando menſtruum illud ſalivale, ſine dubio nimio acore infectum, vix par fuit, ut nihil dubii ſit, quin morbus, ut omnes aliæ chronicæ paſſiones multum inde foveatur.

Plura exempla legantur in *Conſult. med. Sect. I. Caſu. XXXIII. uſque XXXVIII.*

---

## CAPUT IX.

### *De virium lapſu & animi deliquiis.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

### §. I.

*Virium in homine neceſſitas monſtratur.*

Si ulla in diſciplina medica doctrina clariorem meretur evolutionem, ea certe eſt, quæ de corporis humani viribus agit & cauſis; ſiquidem omne, quod naturæ ineſt robur & energia,

gia, qua vitæ animique pariter ac corporis conſtat integritas, qua morbi tum arcentur tum ſanantur, qua ipſa denique mors avertitur, unice in viribus, quæ determinata quadam motus efficacia ſe exſerunt, conſiſtere animadvertitur. Sicut enim robuſta natura corpuſque firmum habendum eſt illud, quod integris viribus inſtructum, non tam facile à cauſis externis læditur, læſum vero vel ſuo ipſius robore ſine inſigni medicinæ ope ſanatur: ita è contrario imbecillis naturæ indicium eſt, ſi quis ob virium infirmitatem variis obnoxius ægritudinibus, ex iiſdem, à medicina non adjutus, raro admodum emergit. Quod ſi dein morbos inſpicimus varioſque eorum decurſus, ſimili modo in ſolis viribus omnis ſalutis ſpes videtur poſita; quæ enim ubi ſubito diutiuſque ſuccumbunt, de vita ægroti periclitari certiſſimum eſt. Quin denique ipſam, quæ morbos ſæpe comitatur, malignitatem maxima ex parte in hoc virium lapſu contineri deprehendimus, ita prorſus, ut ex debili hoc ſtatu ad ipſam mortem aditus pateat facillimus, utpote quæ nil niſi plenaria virium, à quibus vitales in homine motus pendent, ceſſatio eſt.

§. II.

*Opiniones medicorum de cauſſis virium.* Quum itaque tanta virium in nobis ſit neceſſitas, ut in corpore tam ſano conſervando, quam morboſo perſanando nihil omnino ſine iiſdem medicus valeat; ſæpenumero mirari ſoleo, cur in tanta bonorum auctorum multitudine, tantaque medicinæ luce, quæ novo quotidie ſplendore prodit, tam pauci exiſtant, qui utiliſſimam hanc in re medica doctrinam paullo accuratius explanaſſent. Equidem plures hinc inde in medicorum libris occurrunt de virium cauſſis opiniones, quas alii, qui omnes corporis tam voluntarios, quam involuntarios, vitales & mechanicos motus ad altius quoddam principium referunt, ceu effectum animæ conſiderant; alii, qui robur & vim motricem ſolidorum, qua fluida reguntur, ab aëreo-æthereo-elaſticæ indolis materia mobiliſſima in ſanguine contenta deducunt, pro ſtabilienda ſententia ſua contraria plane argumenta proferunt; attamen, quum nudis hiſce nominibus & ſententiarum divortiis rem ex merito nondum exhauſtam evolutamque exiſtimem, noſtrum de eadem æquum rectumque judicium in præſenti tractatione, ubi de virium defectu animique deliquiis acturi ſumus, pluribus infra ſuppeditabimus.

§. III.

*Vires ſalutares & noxiæ unde pendeant.* Ante vero quam ſpecialiorem hujus thematis ſuſcipiamus explicationem, è re fore putamus, primo omnium diſpicere, qualis virium ad naturam firmam æque ac infirmam conſtituendam debeat eſſe conditio. In quo quidem perficiendo, tenendum, quod, licet omnes in noſtro corpore functiones tum animales, tum vitales & naturales unico ſolidorum ac fluidorum peragantur motu; minime tamen, ſicut in ceteris rebus corporeis, ab ipſius efficacia & à magna movendi potentia ad inſignem virium copiam & abhinc dependentem ſanitatis integritatem concludi debeat. Etenim, quum à ſapientiſſimo conditore Deo ita corporis humani conſtructa ſit fabrica, ut viribus ad ſanitatem neceſſariis certus tantum motuum inſerviat numerus, certa menſura; facile patet, eam ſolum robuſtam & bene valentem naturam eſſe dicendam, ubi motuum nec nimis exceſſiva, nec nimis deficiens, ſed valde temperata æquabiliſque advertitur proportio, cum illa è contrario corpora imbecillibus ſint adnumeranda, quæ ex levi cauſa externa ad perverſos motus facile concitantur. Cujus adſerti veritas vel exinde plenius poterit intelligi, ſi effrenes & ad convulſivum uſque gradum auctas cordis & arteriarum, reliquorumque membrorum agitationes perpendimus; utpote quæ ob ſummam, quam arguunt, motuum efficaciam nulla unquam ratione pro ſalutari & ſanitati firmandæ apprime apto robore haberi poſſunt, ſed maximam potius virium jacturam, imo mortis periculum haud raro prænunciant.

§. IV.

His prælibatis ad virium naturalium ſubiti lapſus conſiderationem propius accedimus, cujus tria præcipua dantur genera. Primus gradus in notabili virium corporis remiſſione conſiſtit atque his potiſſimum cognoſcitur criteriis: ſi inſignis & inſueta corporis laſſitudo membrorumque ad voluntarios motus ſubeundos obſervatur inertia, ſi ſenſuum torpor, appetitus proſtratio, inquietudo & circa præcordia anxietas, debilitas pulſuum & raritas extremorumque refrigeratio adeſt & gravitas. Alter, qui priori major eſt gradus ob majorem corporis animique virium defectum dicitur lipothymia, quæ cum faciei, labiorum & genarum pallore omniumque ſenſuum ſtupore, ut, quid cum ipſis agatur, plane non ſentiant ægroti, adoritur. Tum quoque oculorum claritas, obductis quaſi tenebris obſcuratur, arteriæ admotam manum exiguis feriunt pulſibus, corpus proſternitur & partes extremæ naturali deſtitutæ calore intenſius frigent. Tertium denique, ſed peſſimum gradum conſtituit ſyncope, qua homines correpti adeo animi corporiſque viribus deficiunt, ut mortis imaginem ſiſtant; ſiquidem omni ſermonis uſu privati ſubito corruunt, alto quaſi ſopore oppreſſi abſque convulſionis aut tremoris apparentia immobiles jacent; reſpiratio & pulſus intercipitur, artus refrigeſcunt & collabuntur, facies eſt Hippocratica & copioſus ſudor ad tactum frigidus circa tempora erumpere deprehenditur. *Animi deliquiorum gradus.*

§. V.

Superatis tam lipothymiæ quam ſyncopes acceſſionibus ſenſus inter alta ſuſpiria paullatim redeunt, cordis motus reſtituitur ideoque pulſus, qui antea valde debilis aut plane abſconditus erat, nunc vegetior erectiorque redditur, anxietates evaneſcunt, in partes extremas calor redit, facies contracta & pallida explicatior fit & rubicundior, imo & reliquæ functiones ſuppreſſæ ſenſim ſenſimque eriguntur, ut, qui pridie mortui habebantur ægri, nunc integra frui ſanitate videantur, niſi adhuc de inſigni artuum corporiſque univerſi laſſitudine & imbecillitate querantur. *Paroxyſmorum ſolutio.*

§. VI.

Utut autem ſubito & præter omnium opinionem gravia hæc mala accedant, ſunt tamen, quæ illorum adventum prænuntiant ſymptomata, quorum potiſſima ſunt: totius corporis languor & inſolens virium infirmitas, vertigo, aurium tinnitus & ſubitanea coloris in facie permutatio. Præcedunt quoque in nonnullis oſcitationes, pandiculationes & circa præcordia anxietates, cum pulſu inæquali ac horripilationis ſenſu; quibus nonnunquam abdominis *Signa antecedentia.*

minis à flatibus diſtenſiones & borborygmi junguntur.

§. VII.

*Differentia animi deliquiorum* Ex dictis jam haud difficulter colligitur, quo modo præceps virium lapſus animique deliquia ab aliis ſe paſſionibus diſtinguant & a medentibus cognoſci poſſint ac debeant. *1] ab epilepſia.* Differunt enim primo omnium ab epilepſia, in qua quidem leviores animi defectiones antecedunt, quam corporis moles convulſivis agitatur motibus & contractionibus, quæ tamen ad lipothymiam uſque nunquam adſcendunt. *2] ab apoplexia.* Differunt deinde ab apoplexia, ubi ſub ſenſuum tam externorum quam internorum abolitione arteriæ ſatis adhuc fortiter pulſant & reſpiratio, licet ægerrima, cum ſtertore remanet; quæ phænomena in ſimplici animi deliquio non viſuntur. *3] à ſuffocatione hyſterica.* Diſcrepant denique à ſuffocatione hyſterica. In hac namque eximia quidem ſenſuum advertitur perturbatio, ſed fauces ſimul ſumme anguſtantur & laqueo veluti ſtrangulantur, arteriæ fortibus agitantur motibus & facies vivido imbuta rubore conſpicitur; quæ omnia tamen contrario plane modo ſe habent in animi deliquiis, uti videmus, ſi ſyncope, quod ſæpius accidit, præfocationi uterinæ jungitur. Tum enim dictorum ſymptomatum inopinata fit immutatio.

§. VIII.

*Subjecta animi deliquiorum.* Quod attinet ſubjecta hiſce affectionibus præ ceteris obnoxia, attenta nos docet experientia, eos potiſſimum homines in eaſdem incidere, qui aut phlegmaticam & torpidiorem obtinent naturam, aut ob teneriorem vaſorum & fibrarum texturam habitus corporis ſunt ſpongioſi ſanguineque & ſuccis pleni, nec non qui molliter in otio educati labores niſi ægerrime ferunt & à levi cauſa externa, ut ab aëris vel frigidioris vel calidioris temperie, à medicamentis, quin alimentis, vel ſolo ingrato odore facilius alterantur. Et quum ingens ſemper corporis inter & animi functiones à ſanioribus medicis adnotetur conſpiratio, nec illos ab hiſce affectibus immunes deprehendimus, qui ad impetuoſas & præcipites animi commotiones, ad iram, impatientiam, metum, variaſque confuſas imaginationes proni exiſtunt. Unde jam in propatulo eſt ratio, cur reſpectu ætatis præ juvenibus pueri & ſenes, &, ſi ſexum reſpicimus, fœminæ magis quam viri magno virium defectui & deliquiis ſint expoſitæ, quæ eo certius eveniunt, ſi fœminæ utero gerunt, nimiis tum per menſium tum lochiorum fluxum hæmorrhagiis debilitatæ ſunt, vel difficili partu laborant.

§. IX.

*Cauſſa animi deliquiorum proxima.* Quod ſi nunc ad ipſam cauſam animum advertimus, hanc in ſanguinis ejuſque motus vitio ponendam eſſe, nemo ſaniorum medicorum eſt, qui in dubium vocabit. Quemadmodum enim, ſi ſanguinis temperati & ſufficientis in ſingulas partes liber æquabiliſque influxus & hinc debita liquidi ſpirituoſi per omnes nervos diſtributio fuerit; omne virium robur, per quod functionum, ſive animalium, ſive vitalium & naturalium vigorem intelligimus, quam optime conſtat; ita è contrario, ubi virium, quæ per imminutas omnis generis functiones ſe manifeſtat, inſignis animadvertitur dejectio, ibi liquidi tum arterioſi tum nervoſi vitium ſubeſſe rectiſſime concluditur. Jam vero rurſus in phyſiologia medica ſatis ſuperque monſtratum eſt, quod omnium fluidorum per corpus progreſſus & in organa influxus a ſolo corde, quod primum in nobis movens ultimumque moriens, ſeu ſuprema illa machina eſt, quæ motu ſuo omnes reliquas animat partes, unice dependeat; quare nihil dubii eſt, quin & corporis proſtrationis & animi deliquiorum cauſſa ab ipſo cordis motu vel imminuto, vel prorſus ceſſante recte deducenda veniat. Qua quidem in re plenius confirmamur, ſi rite perpendimus, eſſentiale & characteriſticum lipothymiæ & ſyncopes ſignum præbere pulſum valde exiguum, vel plane interceptum, utpote qui cordis motum indicat luculentiſſime.

§. X.

*Cordis ſtructura anatomica.* Quum itaque à cordis motu tanta, ſi non omnia, in nobis dependeant, haud ſupervacaneum erit, utiliſſimum hunc motum ſecundum cauſas ſuas naturales concinne quidem ſed accurate exponere. Cordis ſubſtantiam muſculoſam eſſe non modo jam vetuſtiſſimi HIPPOCRATIS ſententia, verum etiam omnium, qui noſtra ætate inclaruerunt, anatomicorum adſertio eſt. Quod ſi enim ea, quæ ad muſculoſam fabricam ullo modo pertinent, rite penſitamus; omnia profecto in cordis ſtructura ſimili modo deprehendimus. Adeſt hic tendo ſatis validus in baſi cordis vaſa cingens, qui uti in omnibus muſculis; ita & hic principium motus atque finis exiſtit, cujus progenies tum vena cava, tum inprimis arteria magna rectiſſime ſtatuitur, in quem duplicis generis fibræ tam mirabili diſpoſitæ ordine inſeruntur, ut muſculum biventrem aptiſſime conſtituant. Fibræ enim exteriores in modum cochleæ conum involventes in oppoſiti lateris tendinem dextrorſum, interiores inverſo inſeruntur ductu. Quid? quod præter has communes cuilibet ventriculo propriæ ſunt fibræ, quarum internæ itidem contrario modo procedunt atque pro validiori ſanguinis in univerſum corpus ejuſque maxime remotas partes propulſione ſiniſtro ventriculo & copioſiores & robuſtiores; dextro vero præ ſiniſtro eique minori ventriculo in vicinos tantum pulmones flaccidæ rarioreſque obtingunt. Harum præterea fibrarum idem cum aliorum muſculorum fibris motus eſt atque contractio, quæ in abbreviatione conſiſtit, ut tantum in latitudine adquirant, quantum in longitudine amittant, ideoque ſemper conus baſi fiat proximior; unde etiam non tantum externe, verum etiam interne præcipue tumor obſervatur. Hinc cum auriculæ ventriculorum contrahuntur, parietes ſe invicem tangunt, & ita contentum fluidum expellunt. Nervi quoque dein omnibus muſculis animam vigoremque largientes in baſin cordis vaſorumque radices, quas tendines cordis eſſe jam ante dictum eſt, implantati ſunt octavi ſcilicet & intercoſtalis paris ſurculi, ut de arteriis veniſque coronariis, quæ magna copia per muſculoſam cordis compagem diſtributæ cordis motum egregie adjuvant, nihil dicamus.

§. XI.

*Cordis motus duplex, ſyſtole & diaſtole.* Moveri itaque cor ipſa ejus fabrica ipſique ſenſus fidem faciunt. Duplex autem eſt motus dilatationis, quæ præcedit & a Græcis diaſtoles nomine inſignitur, qua cordis ventriculi diſtenduntur, & fibræ parietes verſus elongantur, ut ſanguis ex auriculis in eoſdem influere poſſit, & conſtrictionis, ſive ſyſtole, qua fibræ contrahuntur & inſtar machinæ hydraulicæ ſanguis in canales

nales arterioſos & ex his in venoſos, ex his autem rurſus in auriculam dextram urgetur, ut hac ratione circulatio perficiatur.

### §. XII.

*Diaſtole unde dependeat.*

Hæc dum meditamur, dubium quoddam non adeo exigui enaſcitur momenti: num diaſtole cordis à ſanguinis illabentis vel diſtendentis copia promoveatur. Neque tamen, à ſolo ſanguine ſimplicem & ſpontaneam hanc dependere reſtitutionem, arbitramur, eo quod manum fortiter prementem æque ac ſyſtole eludat, quale quid à ſanguinis impetu fieri haud ſuſpicandum eſt, maxime quum etiam evulſa omnique liquore vacua piſcium corda diaſtolen non minus quam ſyſtolen diutius adhuc exhibere animadvertimus. Multo magis illam tam à fibrarum hujus mirifici muſculi diverſis ordinibus quam à liquidi ſubtilioris elaſtici, quod nervi vehunt, ſanguiniſque ſpirituoſi influxu oriri probabile eſt. Quod vero nerveum fluidum in cordis fibras influat, vel notiſſimo WILLISII & LOBERI experimento conſtat, quo nervis in cervice octavi paris diſſectis & iis qui à plexu intercoſtali oriuntur ligatis, ſanguineque in muſculoſam cordis ſubſtantiam intercepto cor omni motu deſtituitur. Ut adeo certiſſimum ſit, quod tam ipſe ſanguis motu inteſtino calido & particulis aëreo-æthereo-elaſticis imbutus, quam liquidum nervorum hunc dilatationis actum egregie adjuvet. Id quod vel ex hoc experimento clarius eluceſcit, quod mediante calore pulſus cordis in animali deficiens, ſi aqua calida foveatur, ad momenta revocari poſſit.

### §. XIII.

*Objectiones contra motum cordis refelluntur.*

Quæ omnia licet tam clare perſpicueque pateant, ut in dubium vocari nequeant; ſunt tamen nonnulli, qui hanc de motu cordis doctrinam, qua illud primum movens ſtatuimus, impugnare audent, exiſtimantes, embryoni jam prius quam cordis abſoluta ſit fabricatio, punctum quoddam ſaliens ceu cordis ineſſe rudimentum. At vero aliam longe rationem eſſe judico animalis formandi & adhuc imperfecti; & formati omnibuſque ſuis partibus inſtructi & in lucem editi, ut ideo ab uno ſtatu ad alterum argumentatione procedere vix liceat. Huic enim bullulæ ceu compendio incluſus eſt ſpiritus ille architectonicus, qui motui quidem per ſe citra multa organa expandendo & quaquaverſum partes extra partes fabricando ſufficit, in animali vero perfecto nonniſi organorum beneficio perficitur.

### §. XIV.

*Definitio ſyncopes & lipothymiæ.*

Expoſita ſic cordis ſtructura & naturali conſtitutione evolutoque genuino ejus uſu & officio: facilis nunc via eſt ad præternaturalem ſtatum pernoſcendum & ad veram tam lipothymiæ quam ſyncopes, quæ omnis ævi medicorum conſenſu cordis vitiato motu nituntur, definitionem ſiſtendam. Eſt itaque ſyncope motus cordis ad tempus ſufflaminatio cum ingenti virium & tam animi quam corporis functionum defectu, ab impedito, vel minus ſufficienti liquidi ſpirituoſi per nervos & ſanguinis probe temperati per vaſa coronaria in muſculoſam cordis ſubſtantiam influxu dependens. Neque multum differentem expoſcit definitionem altera animi deliquiorum ſpecies lipothymia, utpote quæ niſi gradu, dum non in prorſus ſublato, ſed tantum nimis debili cordis motu conſiſtit, à ſyncope nihil differt.

### §. XV.

*Cauſſæ mediatæ ſunt prægreſſi morbi.*

His præmiſſis, videamus nunc, quæ ex cauſſis mediatis ad ferales hoſce morbos inducendos ſuum conferant ſymbolum. Quum vero, ut ſatis ex ſuperioribus liquet, proxima deficientis, vel plane ceſſantis motus cordis cauſſa in denegato, vel minus recte ſe habente fluidi nervoſi & laudabilis ſanguinis influxu contineatur, ſequitur, ut ad duo hæcce momenta animum potiſſimum adplicemus. Ita primo omnium certa experientiæ fide conſtat, eos, qui capitis nervoſique generis imbecillitate laborant, qui dolores gravativos, vertigines auriumque tinnitus cum frequenti coryza, gravedine, oculorum caligine & ſomno turbulento patiuntur, ob liquidi, quod ex cerebro in nervos diſpergitur, ſubtiliſſimi penuriam pravamque diatheſin non modo virium ſummo languori, ſed & ipſis animi deliquiis corripi facillime.

### §. XVI.

*Animi affectus.*

Nihil autem prope ex omni cauſarum ſerie vehementius celeriuſque noſtros inducere morbos valet, quam graviores animi perturbationes, præſertim terror panicus, metus, & triſtitia. Quamvis enim motus vitales & mechanici, cujus generis ſunt cordis & arteriarum aliorumque humoribus tum ſecernendis, tum excernendis dicatorum canalium, nec non ventriculi & inteſtinorum motus, à principio in nobis ſentiente & intelligente, quod animæ nomine venit, directe & proxime non dependeant, ſed motus potius voluntarii ab eodem, licet modo nobis incognito, dirigantur; id tamen attenta nos docet obſervatio, propter eximiam, quæ voluntarias & involuntarias functiones intercedit harmoniam, miram animi affectuum in motibus noſtri corporis vitalibus pervertendis eſſe efficaciam. Hinc, ſi terroris, qui vitali motuum œconomiæ infenſiſſimus eſt, agendi modum accuratius inſpicimus, ita ipſum deprehendimus comparatum, ut partes externas conſtringendo nimiam ſanguinis ad cor & adnexa vaſa congeſtionem inferat; unde preſſo, ut aiunt, pede extremorum refrigerationes, ingens artuum gravitas ac languor, circa præcordia anxietas, cordis palpitatio, & magna ſpirandi difficultas cum pulſu parvo & contracto ſequuntur; quæ omnia eo certius accidunt, ſi abundans ſanguinis copia peccaverit. Nec profecto minor formidinis & ob inſtans grave periculum triſtitiæ in corpus noſtrum potentia eſt; quandoquidem liquidi nervoſi in ſingula motuum organa influxum minuendo æquabilem ſanguinis progreſſum maxime retardat, & quo minus ſpirituoſa ejus portio recte evolvatur, impedit; ut ideo haud mirum videri debeat, ſi ingens animi corporiſque virium dejectio inde emergat, quæ longe gravior eſt in ſubjectis languidis aut a quacunque cauſſa, ut prægreſſo morbo, jam antea debilitatis.

### §. XVII.

*Perverſa vivendi ratio.*

Poſthæc haud paucæ ſuperſunt earum rerum, quas non naturales appellamus, quæ ad affectus noſtros contribuunt. Ex quibus primum ſibi vendicat locum incongrua victus ratio. Sicut enim alimenta bono ſucco referta & decenti quantitate aſſumta ſanguini bono & lymphatico, qui viribus pabulum ſuggerit, generando apprime

apta exiſtunt; ita è contrario cibi crudiores & qui parum præbent nutrimenti, vel ipſa inedia diutius protracta ad virium defectum & animi deliquia plurimum afferunt momenti. Præter victum, aëris quoque temperies cauſſam noſtris malis præbet antecedentem; quæ ſi frigida nimis & humida, aut intenſius calida multisque impuris exhalationibus repleta eſt, corporis vigorem mirum in modum lædit. Pertinent huc pariter aſſiduæ vigiliæ diuturnique & duri labores, quibus ob continuam ſolidorum & fluidorum actionem ſpirituoſæ & ſubtiliores partes diſſipantur ſanguinisque maſſa intemperatior redditur, ut exinde, experientia teſte, omnes in nobis functiones langueſcere incipiant.

§. XVIII.

*Sphaceloſa partis corporis corruptio.*

Frequentiſſime porro animi contingunt deliquia, ſi ſphaceloſa in partibus vel externis vel internis adparet corruptio, qua vitali motuum œconomiæ nihil datur pernicioſius. Id quod non modo morbi maligni & contagioſi, ut petechiæ, dyſenteriæ, febreſque peſtilentiales, verum etiam chronici, quales potiſſimum ſunt ſcorbutus, cachexia & hydrops ſuo comprobare exemplo poſſunt, ubi, ingruente putredinoſa corruptela, mox omne naturæ robur cum cordis motu vacillat. Nec diſſimilem edunt efficaciam opiata & narcotica improvide adhibita, quorum operandi ratio in eo præcipue verſatur, ut effluviis ſulphureis mixtioni & mobiliſſimæ fluidorum ſubſtantiæ inimicis hæc ipſa ita contaminent, ut munere ſuo ſecundum naturæ leges amplius fungi vix queant. Sed præter hæc quoque, quod mirandum eſt, ſuaveolentia, naturæ alioquin gratiſſima fœminis hyſtericis, aut ab alio quocunque morbo debilitatis corporibus eo uſque adverſa deprehenduntur & nociva, ut ex eorum uſu omnia in pejus ruant ſymptomata & ægri ſyncope correpti exanimes quaſi in terram concidant. Cujus notabilis effectus ratio, noſtro quidem judicio, in eo videtur poſita, quod fortiora ejuſmodi odorifera vim fluidi nervei elaſticam à prioris morbi atrocia jam ſatis imminutam, vaporoſa indole ſua magis magisque ſupprimant, haud alio modo quam caſtorina, quæ pro diverſa ſucci nervoſi & fibrarum conſtitutione valde differentem, & nunc bonum nunc malum producunt effectum.

*Omnia vaporoſa, opiata, narcotica &c.*

§. XIX.

*Venena, purgantia & emetica.*

Nec dein negligenda ſunt ipſa venena, vel validiora cauſticæque indolis purgantia & emetica, quæ ob valentiores, quos in univerſo partium nervoſarum ſyſtemate maximeque ſenſibili inteſtinorum canali criſpando contorquendoque concitant ſpaſmos, æquabilem ſanguinis & ſubtiliſſimi fluidi in ſingulas partes influxum impediunt adeoque ingentem, quin ſæpius lethalem virium lapſum accerſere valent. Et ex eadem cauſſa fieri obſervamus, quod inſignis & ad ſyncopen uſque aucta animi defectio morbos cum immani dolorum ferocia ſtipatos haud raro excipiat, quale quid pariter poſt graviorem iracundiæ affectum minus inſolitum eſt; unde hanc ſyncopes ſpeciem veteres medicinæ auctores peculiari nomine cardiam vocare conſueverunt. Hujus namque affectus licet ea ſit natura & indoles, ut exitialem vim ſuam in ductus biliarios præcipue exſerat; fieri tamen non poteſt, quin ob eximium, qui hos ipſos cum ventriculo, pulmonibus & corde, propter par nervorum octavum & commune par vagum, intercedit conſenſum, ſimul omnes hæ partes ſenſibiles graviter ſpaſmo afficiantur.

§. XX.

*Hæmorrhagia & quæcunque nimiæ excretiones.*

Sæpiſſime non minus animi deliquiis conflictantur, quorum vires a prægreſſis nimiis hæmorrhagiis & quibuſcunque fortioribus excretionibus debilitatæ ſunt. Tali ratione ſæpenumero adnotare mihi licuit, homines venere immoderatius uſos ſenſim in lipothymias, quin ſyncopticas incidiſſe affectiones. Et quid frequentius, quam a copioſis per ſudorem & alvum evacuationibus, improvidis venæ ſectionibus, cruentis vulneribus aliisque nimiis ſanguinis profuſionibus, maxime ſi non præſentanea ope ſuccurritur, eadem mala oriri. Nec deficit ratio: quum enim his rebus non modo ſanguinis ſubtilior portio, quæ virium elementum conſtituit, exhauritur, ſed & præcipue ipſa fluidorum moles imminuitur; haud mirum eſt, ſi cordis ceterorumque vaſorum dilatatio, quæ cum ſyſtole alternare debet, inde impeditur, adeoque ipſe cordis motus intercipitur; quo ceſſante formalis mentis defectionum ratio adeſſe deprehenditur. Quod eo crebrius certiusque incidit in ſubjectis teneriori conſtitutione præditis, aut in ſitu erecto diutius repoſitis. Tunc enim ſanguinis ad caput directio longe magis præſcinditur.

§. XXI.

*Sanguinis cr[illegible] & polypus.*

Pari ratione motum cordis debilitare ſummumque inducere languorem valet nimia repletio, quæ ſanguini ſpiſſo & viſcido in acceptis ferenda eſt, quatenus hic per anguſtiores vaſorum coronariorum canaliculos difficulter progrediens ibi coacervatus & cordis & vaſorum ſyſtolen imminuit. Nihil autem, quod perplurimis conſtat exemplis, ad lethalem ſyncopen magis diſponit, quam polypoſa humorum concretio cavitatibus cordis & contiguis vaſis adhærens. Hæc enim concrementa dum mole ſua obſtruente ſanguinis per univerſum corpus circuitum auferunt; neceſſe eſt, ut, non remoto ejuſmodi repagulo, lethalis fiat exitus.

§. XXII.

*Signa pro[illegible] & [illegible].*

His expoſitis ſupereſt, ut noſtrorum affectuum prognoſin ad rectum de eventu ſalutari & noxio judicium ferendum ſubnectamus. Hic notari maxime velim, pro naturarum & cauſſarum diverſitate & periculum quoque multum variare. Ita, qui teſte HIPPOCRATE *aphor.* 41. *Sect. II.* ſæpe fortiter & ſine manifeſta cauſſa diſſolvuntur, repente moriuntur. Subeſt enim plerumque polypoſum cordis & pulmonum vaſis firmiter impactum coagulum, quod diſſectis cadaveribus reperire licet. Lethiferam quoque ut plurimum ſyncopen obſervavimus, quæ poſt partum laborioſum, ut fœminæ ab imprudenti obſtetrice ad intempeſtivos parturiendi conatus adhortatæ nimium delaſſantur, & immoderatum ſanguinis per lochia patiuntur profluvium, haud raro ſubſequitur, qua correptæ copioſo ſudore frigido cum extremorum frigore perfunduntur, auram frigidam exſpirant, pallido faciei colore imbuuntur & nullis plane remediis ad vitam revocari poſſunt. Neque periculo caret illa ſyncopes ſpecies, quæ fœminis ſtrangulatione correptis ſupervenit, unde ipſas ſæpe pro mortuis habitas & ſepulturæ traditas novimus.

§. XXIII.

§. XXIII.

*Quæ ulterius recenſentur.* Porro quoque ingens virium in morbis malignis, ut acutis febribus, proſtratio & inter initia ſtatim facilis in animi deliquia, ſub ſtatione maxime erecta, proclivitas in diſcrimine vitam poni, ſignum certiſſimum eſt. Nec boni ominis eſt ſola inſueta animi defectio, diffidentia & menti altius infixa mortis formido, licet animus præterea tranquillus beneque compoſitus ſit, præſertim ſi in acutis jungitur delirium, & languida reſpiratio cum notabili pulſuum vel parvitate vel tremula palpitatione. In variolis quoque confluentibus ubi ab intolerabili ardore & dolore, ſuppurationis tempore lipothymia, quod ſæpius fit, oritur, ægri, præſertim ſub ſitu corporis erecto in præſentiſſimo vitæ periculo verſantur. Tum enim mox totum corpus refrigeratur, cutis conſtringitur, puſtulæ diſparere & mox lethiferæ ſuccedere convulſiones ſolent. Deinceps in homine ob alias cauſſas jam debilitato poſt vehementiorem iram, aut fortius emeticum vel purgans exhibitum ſyncope ſuborta, niſi in inſtanti convenientibus ſuccurratur remediis, lethalis evadit. Quod ſi denique in pueris à vermibus nervoſas ventriculi tunicas lancinantibus ſyncope enaſcitur, plerumque funeſta eſt; & vidimus brevi ante mortem tempore vermes è ventriculo prodeuntes mortuos.

§. XXIV.

*Prognoſis ſalutaris.* Animi & virium defectio, quæ hyſtericis & hypochondriacis jungitur pathematibus, ubi à flatibus ventriculum nimis diſtendentibus ſanguinis ad cor & pulmones fit regurgitatio, curationi locum adhuc relinquit. Ubi etiam à cauſſa externa, ut nimio conclavis æſtu, balneo intenſius calido, vel nimia ſanguinis à vena ſecta detractione, præſertim in fœminis & pueris corporis inſignis languor vel præceps animi virium ſuboritur lapſus, non adeo timendum eſt. Et in genere notandum: quo levioribus cauſſis & morbis animi deliquia ſuccedunt, eo minus alunt periculi.

*THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quod attinet curationem, hæc duabus potiſſimum indicationibus abſolvitur, quarum prima eſt, ut in ipſo paroxyſmo motus cordis, qui caloris vitalis omniumque virium fons exiſtit, per convenientia & efficacia remedia citiſſime reſtituatur; altera, ut extra paroxyſmum cauſſis tollendis accommodata invenire remedia, atque recurſum periculoſæ affectionis impedire ſtudeamus.

§. II.

*Quæ in paroxyſmo proſint externa.* Primæ itaque indicationi ut ſatisfiat, in acceſſione mali ægrum in convenienti ſitu eoque nec nimis demiſſo, nec nimis elato in loco ſereno, temperato ac ſpatioſo ſervare decet; dein ad influxum ſpirituum invitandum remediis externis penetrante virtute præditis partes ſenſibiles irritare & animare convenit. Quo fine præ ceteris prodeſt, ſi aqua frigida tota facies ſuperfunditur, labia ſale communi fricantur, naribus potens acetum cum balſamo vitæ ſeu aqua apoplectica adplicetur, vel ipſis ſal volatile Anglicanum, quod nil niſi ſal volatile ammoniaci cum oleis cephalicis rutæ, menthæ, lavendulæ impregnatum eſt, adhibeatur. Nec quoque de nihilo erit oculorum palpebras cum aliquot aquæ ſpirituoſæ ſ. balſami vitæ guttulis illinire, totamque pectoris regionem & reliquas partes extremas pannis calidis aqua quadam roborante imbutis fortiter fricare.

§. III.

*Quæ interna.* Quod ſi demum his adhibitis ad ſe redire incipiunt ægri, interna quoque remedia refocillandis viribus dicata exhibere convenit. Hoc nomine præclari uſus eſt vinum optimæ notæ, maximeque vetus Rhenanum, quod omnium fere virtutem ſuperat longiſſime. Neque egregio effectu deſtituuntur aquæ ſpirituoſæ & aromaticæ, ad quas præcipue aquæ cinnamomi liliorum convallium, roſarum, meliſſæ, corticum citri, aurantiorum cum & ſine vino parata debent referri.

§. IV.

*Quæ extra paroxyſmum conducant remedia.* Quicunque extra paroxyſmum medela ſubvenire & novos mali inſultus avertere cogitat medicus, diverſas cauſſas probe prius cognoſcere, iiſque amoliendis accommodare debet præſidia. Ita, ſi à ſævitia dolorum & graviori iracundiæ affectu ſyncope originem repetit, præſentaneum ferunt levamen blanda anodyna, maxime ſi cum aquis analepticis, non adeo ſpirituoſis, ſed aliquid ſimul anodyni in ſinu foventibus propinantur. Ex illis autem ſummæ efficaciæ eſt liquor noſter anodynus mineralis aliquot olei macis guttulis impregnatus, vel cum duabus eſſentiæ caſtorei partibus remixtus. Spectant huc quoque Laudanum Sydenhamii & pulveres antepileptici, ut Marchionis cum uno alterove grano caſtorei vel theriacæ cœleſtis permixti; quorum remediorum uſum tutiſſimum deprehendi. Ubi ab humore acido bilioſo in primis viis ſtabulante parteſque nervoſas arrodente, quod in hypochondriacis frequentius uſu venit, ſyncope cardiaca naſcitur, in uſum vocandi ſunt pulveres abſorbentes, qui ex conchis præp. matrem perlarum, corall. lapidibus cancrorum, unicornu foſſili, cryſtallo montana, additis quibuſdam olei de cedro guttulis optime conficiuntur, quibus, urgente æſtu præternaturali, aliquot nitri purificati grana pro doſi adjici poſſunt. In ſyncope hyſterica & hypochondriaca clyſteres & medicamenta ex galbano, caſtoreo, aſa fœtida, ſagapeno & myrrha confecta convenienterque adhibita omne in curatione abſolvunt punctum.

§. V.

*Quæ amplius proſint extra paroxyſmum.* Quod ſi vero ſub nimia per alvum & vomitum evacuatione à validis purgantibus & emeticis excitata animi invadunt deliquia; tum præter theriacalia, anodyna & analeptica lac calidum, vel decoctum hordei cum amygdalis, vitello ovi & croco paratum & ſufficienti quantitate hauſtum virtute ſua demulcente mirabilem præſtat efficaciam. Ubi etiam à veneno cauſtico gravioris periculi metus eſt, eadem remedia eximiam ſpondent opem, maxime ſi cum largiori olei amygdalarum dulcium expreſſi, vel olivarum copia propinantur. In morborum malignitate, ubi ob occultam putredinem animi obrepit defectio, mixturæ, quæ analeptica & bezoardica pollent virtute, omnium ſunt præſtantiſſimæ: quales confici poſſunt ex aquis cardui

dui benedicti, ſcordii, cinnamomi ſine vino, roſarum, meliſſæ citratæ, mixtura ſimplici, aceto vini & ſyrupo acetoſitatis citri, quibus pulvis bezoardicus Sennerti, vel noſter juſta proportione eſt admiſcendus. Quod ſi ob ſanguinis boni inopiam à nimia ejuſdem profuſione inductam vires conſumtæ ſunt, eaſdem præter temperatiora analeptica, maxime omnium reficere decet alimentis nutrientibus & ſuccos reſtituentibus. Quo nomine ſummam merentur commendationem juſcula carnium gelatinoſa vitulinæ, bovinæ gallique veteris per decoctionem cum raſura cornu cervi, taleolis citri, pauxillo macis & aliqua vini portione in olla cooperta parata; quo etiam pertinet potus ſuccolade. Denique ſolum vinum generoſum & annoſum parca manu datum in tali caſu omne abſolvit punctum.

## *CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

### §. I.

*Curatio debilitatis oppletivæ & defectivæ.*

Intereſt certe quam maxime ad curationem provide & ſecure adornandam, ut inter laſſitudinem gravativam ſeu oppletivam, quæ ab humorum plenitudine & expanſione obtingit; ac inter debilitatem defectivam, quæ à boni ſanguinis & ſucci nervei penuria proficiſcitur, probe diſtinguat artifex, ne ſpe & eventu fallatur. In utroque caſu alia ſubeſt cauſſa; ergo & alia præſcribere decet remedia. Quæ enim in priori, ſeu repletionis ſtatu ſalutaris eſt ſanguinis è vena ſecta detractio, in poſteriori, ubi ſanguis jam deficit, ideoque magis reſtaurandus eſt, mirum in modum nocet.

*Ab animi affectibus concitatæ.*

Poſthæc quoque probe diſcerni debet illa virium debilitas, quæ ab animi affectu, ut longiori triſtitia & diu celata iracundia, vulgo Chagrin dicta, provenit, & quæ materiali cauſſæ in acceptis ferenda eſt. Prius enim ſi incidit remedium maxime quærendum eſt in moralibus, atque iis omnibus, quæ animum lætum & tranquillum efficere poſſunt.

### §. II.

*Cautela circa V. Snem.*

De venæ ſectionis adminiſtratione hæc ſpeciatim ſunt monenda, quod ipſa quidem, ubi cordis motus à nimia ſanguinis congeſtione, quam ſæpiſſime vehementiores inteſtinorum ſpaſmi producunt, ſupprimitur, & vaſa in ſuperioribus valde turgent, omnino locum invenit; nunquam tamen in ipſa mali acceſſione celebrari debeat. Major enim exinde languor inducitur longiusque malum protrahitur.

*Circa ſpirituoſorum in os infuſionem.*

Pari ratione fruſtraneum non minus, quam periculoſum eſt lipothymia affectorum ori liquida ſpirituoſa infundere, quia facile in fiſtulam ſpiralem incidunt & ſuffocationem minantur.

### §. III.

*Circa lipothymiam à menſibus ſuppreſſis.*

Quod ſi à menſibus ſuppreſſis, vel imminutis lipothymiæ oriuntur, ſumma cum cautione adhibenda ſunt emmenagoga, eaque potiſſimum impetuoſius commoventia, ut balnea ſalinata, crocata, & id genus alia; facile enim morbus ob majorem, quam humoribus inferunt, rarefactionem, magis ingraveſcit.

### §. IV.

*Circa eam qua morbis jungitur.*

Virium dejectio, quæ gravioribus morbis, ubi ægri jam ex ſua natura imbecilliores ſunt, ſupervenire ſolet, malum plerumque portendit exitum; quare, ut tempeſtive convenientibus ſuccurramus remediis, monet quam maxime elegans illud veterum proverbium: *principiis obſta, ſero medicina paratur.*

Multo magis autem cavendum erit, ne in acutis paſſionibus, maxime ſi in vigore ſunt conſtitutæ, iis utamur remediis, quæ ad purgationes aliasque excretiones ſtimulando naturam ullo modo irritare & turbare poſſunt. His enim neceſſariæ ad morbum ſuperandum vires magis conſumuntur, quibus conſumtis nihil amplius opis, nihil artis in medico eſt. Ideo mihi quam maxime placet aurea illa regula FERNELII *lib.* II. *cap.* 10. exhibita, quæ ut probe teneatur auctor ſuaſorque ſum: *Validis conſtantibusque viribus fidenter, quantum morbus deſiderat, erit vacuandum; minus validis vel proſtratis nihil prorſus moliendum.*

### §. V.

*Circa ſpecifica cordia. & medicinas ſolares.*

Præcipua illa, quæ per tot ſæcula pro ſummis cordialibus & ſpecificis analepticis in omni virium lapſu ad ſuperſtitionem uſque venditata fuerunt remedia, qualia ſunt margaritæ, lapides bezoardici orientales, os de corde cervi, lapides quinque pretioſi &c. virtutem aliorum diaphoreticorum fixorum & abſorbentium minus ſuperant, ut potius iiſdem longa ex parte inferiora habenda ſint. Idem judicium eſto de medicamentis ex auro paratis. Quæ enim auro tribuitur virtus cordialis & analeptica, noſtro quidem judicio, vana & ſuperſtitioſa eſt jactantia, quæ ſimpliciſſimam vulgi medicorum & ægrotantium credulitatem arguit luculentiſſime. Ut ſilentio prætereamus, quod omnem fere ſuperet fidem, aurum ad dulces & quintas eſſentias ulla arte chymica poſſe redigi.

### §. VI.

*Circa vini uſum.*

Vinum, præſertim vetus Rhenanum, quod propter acidum ſpirituoſum omnibus reliquis analepticis longe eſt præferendum, præter internum uſum ſuperiori loco præſcriptum, exterius quoque naribus & præcordiali regioni applicatum, ad vires reficiendas præſentaneum eſt auxilium. Quin etiam animi deliquia, quæ ſubjectis ſenſibilioribus inter venæ ſectionis adminiſtrationem haud raro obtingunt, feliciter arcentur, quando ante operationem modicus optimi vini hauſtus adſumitur.

### §. VII.

*Circa aquæ frigidæ potum.*

Reſidet quoque in aqua pura frigida, opportune exhibita ſumma vis analeptica, maxime ubi ob nimium vel internum vel externum æſtum ſanguiniſque rarefactionem, pereunte virium robore, lipothymia accedit. Id quod ſuo jam tempore rectiſſime agnovit CELSUS, qui ideo *lib. IV. de medicina*, *cap.* 5. frigidam aquam ad corrigenda ſtomachi vitia ſummopere commendat; & PLINIUS *ſecundus*, cui ſtomachus natura imbecillis & frequenter intus æſtuans erat, ſe aqua frigida cum inſigni ſæpius fructu uſum teſtatur. Vid. Epiſt. XVII. lib. VI.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Lipothymia in hypochondriaco ſuborta.*

Juvenis quidam corpore macilentus, vultu pallido præditus, à longo jam tempore, ob ſtudiorum intemperantiam, vitamque ſedentariam & nimiam ciborum duriorum & flatulentorum adpetentiam contractum patitur malum hypochondria-

driacum, quod multis ructibus, hypochondriorum diſtenſionibus, imi ventris torminibus, cephalalgiis & inſigni artuum laſſitudine ſatis ſe manifeſtat. His demum malis juncta eſt poſt præviam pectoris compreſſionem cordiſque palpitationem ipſa lipothymia, qua extrema collapſa refrigeſcunt & pulſus parvus & debilis manum leviſſime vibrat. Ego conſultus in mali acceſſione enemata ano injicienda & balſamum vitæ noſtrum externe naribus & præcordiis admovendum curavi. His ubi ad ſe rediit æger, eſſentiam carminativam ex eſſentia corticum aurantiorum, ſpiritu nitri dulci & aliquot olei chamomillæ veri guttulis confectam propinare ejuſque uſum ſæpius repetere juſſi. Tandem, ut à cibis craſſioribus æger abſtineat, & largiori potu, quem antea neglexerat, impoſterum utatur commendavi. Quibus probe obſervatis animus non amplius liquit, maxime quum poſtea ſpecialiorem mali ſpaſmodici flatulenti curationem æger admitteret.

*Epicriſis.*

Lipothymias viris hypochondriacis & fœminis hyſtericis admodum eſſe familiares, nemo facile, qui in artis negotio verſatur, negabit. In utroque affectu ex ſolidarum partium atonia orto copioſa flatuum in prima regione progenies vera plurimorum ſymptomatum genitrix eſt. Flatus enim nimia membranarum ventriculi & inteſtinorum diſtenſione liberam & æquabilem ſanguinis & fluidi nervei diſtributionem non modo impediunt, verum etiam ſanguinis ad pectus & præcordia curſum dirigendo motum cordis vitalem quodammodo ſiſtunt. Et vero admodum ſimile eſt, vaporoſum ejuſmodi aërem cum chylo ad ſanguinem deferri, delatum nimia expanſione cordis & arteriarum ſyſtolen ſufflaminare. Subit hac occaſione recordatio, me adhuc juvenem medicum ante quinquaginta circiter annos Amſtelodami, ubi tunc temporis verſabar, interfuiſſe ſectioni fœminæ cachecticæ ſyncope demortuæ, in qua cor pauco ſanguine refertum, ſed mirum flatibus diſtenſum reperiebatur; quam peculiarem morbi ſpeciem tympanitidem cordis rectiſſime medicus vocabat. Simili quoque ratione poſtea in multis cachecticis æque ac hypochondriacis diſſectis vaſa ſanguine exinanita, ſed flatibus turgida & ampliata obſervavi; ut adeo ab aëre in ſanguinem per ductum chyliferum delato varia hypochondriacorum ſymptomata haud inepte explicanda veniant.

## Observatio II.

*Obſervationes circa animi deliquia ex ſitu erecto.*

Sæpius iterumque mihi artem facienti obtigit, in morbis acutis & exanthematicis, ut variolis, petechiis, febreque purpurata, circa morbi ſtatum inopinato fatales acceſſiſſe lipothymias; unde mox omnibus, quæ antea placida erant, ſymptomatibus in pejus converſis, extrema refrigeſcere atque maculæ aut prorſus evaneſcere, aut livido tinctæ colore adparere cœperunt. Quid? quod, ubi animus dein, dato intervallo, ad ſe rediit, laborantes de ſumma præcordiorum anxietate, inquietudine ſomnique defectu conqueſti ſæpius in lethalem inciderunt ſyncopen. Ego ubi curatius in tantæ cataſtrophes inquiſivi cauſſam, adſtantes plerumque in frigus ægro extra lectum commorato admiſſum culpam transferre conſueverunt. At vero, quum etiam ſub temperato conclavis calore eadem oriri mala deprehenderem, tam ſubitaneæ mutationis cauſſam non refrigerio, ſed rectius potius motui ſanguinis ad caput propter ſitum perpendicularem, in corporibus natura imbecillibus & vi morbi magis debilitatis tardiori & ex parte intercepto adſcribendam putavi. Qua quidem in re me plenius confirmarunt exempla eorum, qui inter largiorem cruoris è vena ſecta detractionem ſub ſtatione corporis erecta perfacile animo linquuntur; cum contra in ſitum repoſiti horizontalem, collectis paulatim viribus pulſuque vegetiori reddito ad ſe ſtatim redire ſolent. Dein quoque perplures vidi phthiſicos & conſummata hectica laborantes, qui ſi corporis languorem excipimus, animo adhuc ſatis vigebant, ſed in lecto vel erecti ſedentes vel extra lectum in ſitu erecto diutius detenti animam præter ſpem omnium exſpirarunt.

*Epicriſis.*

Satis, ut arbitror, luculenter nos docet hæc obſervatio, quantum ex ſitu erecto in morbis acutis & cum exanthematum effloreſcentiis in cute junctis redundet damni. Quæ cum ita ſint, omnes omnino ægri, qui vel ejuſmodi affectibus decumbunt, vel quorum vires a diuturniori & chronico morbo, ut phthiſi & hectica proſtratæ adparent, ſedulo monendi ſunt, ne in ipſius morbi ſtatu decubitum deſerentes extra lectum in ſella erecti diutius commorentur, aut caput cubantes ſublime habeant. Probe quoque ſibi caveat medicus, ne clyſteribus ſtimulo ſalino imbutis, aut, quod pejus eſt, fortioribus purgantibus alvum ſollicitet atque hinc crebrioribus dejectionibus ægro è lecto ſurgendi & in ſitu elevato ſe continendi occaſionem præbeat; imo quoque, ſi alvus ſine ſtimulo fluida exiſtit, eam ſub decubitu deponendam ſuadeat. Denique, ſi forte ex improviſo ægrum in ejuſmodi morborum vigore in ſitu erecto collocatum deprehendat, conſultum erit, analepticis & vires labefactatas confortantibus remediis protinus ſuccurrere omnemque adhibere operam, ut, quæ timenda ſunt, funeſta ſymptomata tempeſtive avertantur & ægrorum ſaluti rite proſpiciatur. Plura de hac re legi poſſunt in diſſertatione mea *de ſitu corporis erecto noxio.*

## Observatio III.

*Lipothymia uterina ſpaſmodica.*

Fœmina triginta & aliquot annos nata, gracilioris ſed amplioribus venis inſtructi corporis habitus, ob vitam ſedentariam & adverſos quoſdam caſus flatulentias cum alvi adſtrictione per aliquot tempus paſſa, inopinato quondam circa menſtruæ purgationis periodum inſolitas circa lumbos, os ſacrum & uterum ſpaſticas perſentit ſtricturas cum ventris torminibus junctas, quæ dein ad pectus uſque protenſæ tanta ſæviebant atrocia, ut ſummam præcordiorum compreſſionem & anxietatem cum ſuffocationis metu inducerent. Sed, quod peſſimum erat, crebriores ſimul accedebant lipothymiæ, quæ tamen erumpente parciori menſium fluxu cum reliquis ſymptomatibus remittebant, ægramque ſui iterum reddebant compotem. Reliquo tempore pulſus ſatis erat plenus & ſubdurus; & quum novum mali incurſum alvi perpetua compreſſio cum cephalalgia ſtipata minaretur, meum maritus auxilium imploravit. Ego igitur, probe penſitatis omnibus, primo ſanguinem è vena pedis tuſa detrahendum ſuaſi. Dein ad alvum reſerandam menſiumque nego-

tium

tium in ordinem redigendum ſal quoddam aperitivum ex æquali ſalis Carolinarum, nitri purificati, magneſiæ albæ & tartari vitriolati portione compoſitum ter in ſeptimana, præmiſſis antecedente veſpera XV. pilulis noſtræ præparationis balſamicis, ad drachmam unam mane ſumendum commendavi. Denique ad ſpaſmos ſedandos ſumma cum euphoria datus fuit liquor noſter mineralis anodynus cum eſſentia caſtorei & croci remixtus. Qua methodo id per Dei gratiam conſecuti ſumus, ut ægra impoſterum à gravis mali recurſu libera permanſerit.

*Epicriſis.*

Rectiſſime hæcce affectio lipothymia uterina ſpaſmodica meretur appellari. Haud enim novum, ſed frequentis admodum obſervationis eſt, fœminas ante menſium eruptionem vehementibus circa dorſum & partes genitales doloribus & ſpaſmis affligi, qui totam vitalium motuum œconomiam turbando & inæqualem ſæpiuſque largiori ſanguinis ad ſuperiores partes curſum efficiendo ſpirandi anguſtiam, præcordiorum anxietatem, quin ipſam lipothymiam concitare valent. Quod vero ſi evenit, eo potiſſimum medentis dirigendum eſt conſilium, ut plethora imminuta viſciditateque humorum reſoluta criticæ ſanguinis excretiones per uteri vias promoveantur.

## Observatio IV.

*Crebriores lipothymiæ in cachectica & hydrope pericardii laborante.*

Vidua generoſa quinquaginta annorum, graciliori corporis habitu plumbeique faciei colore prædita, poſt præviam mœſtitiam & vitam omnis laboris expertem de magno pondere cor aggravante & reſpirationem impediente ægrius conqueſta fuit. Arteriæ ad tactum exiguis ac languidis pulſabant ictibus, urinæ paucæ reddebantur & albæ atque dein crebriores accedebant animi defectiones, quas non adeo multo poſt, præcedentibus dorſi & lumborum doloribus ingens ſanguinis ſeroſi ex utero ſequebatur profuſio, unde ægra viribus mirum exhauſta tandem diem obiit ſupremum. Sectione poſt mortem inſtituta hepar deprehendebatur tumidum, ſubdurum & ſubalbicante colore imbutum. Cor & reliqua vaſa pauco vel nullo plane ſanguine erant repleta; pericardium contra apparebat craſſum & copioſo ſero, libræ pondus ſuperante refertum.

*Epicriſis.*

1) Affectus hic recte dici poteſt cachexia cum hydrope pericardii, morbo admodum raro, juncta; cujus cauſſam prava & copioſa ſeri viſcidi abundantia conſtituit, à qua pallidus faciei color, urina limpida & pauca, virium ſummus languor cum functionum vitalium læſione, obſtructio viſcerum & ſeroſi ſanguinis excretio derivari commode poſſunt.

2) pulſum valde diminutum & crebriora animi deliquia quod attinet, veritati admodum conſonum eſt, quod hæc itidem à nulla alia cauſſa, quam ab humore in pericardio ſenſim increſcente & preſſione ſua contractionem cordis impediente dependeant. Quæ vero complicata fuit reſpirationis difficultas haud immerito ſanguini viſcidiori per pulmonum vaſa ſegnius tranſeunti debitamque veſicularum pneumonicarum expanſionem remoranti adſcribitur.

3) non mirandum eſt, pericardium incraſſatum fuiſſe repertum; ſiquidem in omnium noſtri corporis partium, quas hydrops invadit, membranis idem fieri deprehendimus. Naſcitur vero pericardii hydrops hac ratione: Cor vaſis gaudet coronariis, & ut elegantiſſime monſtravit Ruyschius, multiplici ac dædaleo flexu per exteriorem ſuperficiem internamque muſculorum ſubſtantiam ramificatis: gaudet quoque ipſum pericardium arteriis, venis & vaſis ſuis lymphaticis per ſuperficiem ejus diſperſis, quorum inventionem Cl. Nuckio debemus; quibus diſruptis ingens ſeri fit promanatio. Similem ferme caſum habet Ballonius *in Eph. l.* 1. *ann.* 1570. *Joannis Platearii vidua*, inquit, *hydrope pulmonum, qua laborabat, interiit. Per triginta annos de oppreſſione pectoris conqueſta difficultatem ſpirandi habuit. Pulſus erat interciſus & intermittens & in ſiniſtrum latus inclinata ægrota facile ſyncope corripiebatur. In ſectione cor aqua natabat, nec facile movebatur e capacitate thoracis: aqua putreſcentis libræ ſex educebantur.*

## Observatio V.

*Lypothymia in gravida à ſanguinis abundantia.*

Illuſtris matrona, longæ ſed macilentioris ſtaturæ, primo ſtatim tempore cum utero gerebat, de pectoris oppreſſione & difficili reſpiratione cum alvi adſtrictione juncta conqueſta fuit. Ad quintum geſtationis menſem quum perveniſſet, frequentes incidit lipothymias, quibus abigendis circumſtans mulierculárum cohors multa ſpirituoſa & vires depreſſas refocillantia propinabat, ſed malum nihilo minus recrudeſcebat. Tunc ad ægram inviſendam ego accerſitus alvum nimis duram flatibusque turgidam deprehendi & nimiam ſanguinis abundantiam, quæ pulſu arteriarum ſatis pleno ſe manifeſtabat, in vitio eſſe putavi; quare conſilium dedi, ut mox clyſtere alvus ſubduceretur & dein ſanguis è vena brachii inciſa detraheretur. Denique paſſulis rhabarbarinis alvum ſemper apertam ſervandam curavi, unde effectum eſt, ut fœmina à moleſtis ſymptomatibus ſenſim liberata tandem juſto tempore vegetum excluderet infantem.

*Epicriſis.*

Non tantum à defectu ſanguinis & inopia, verum etiam à nimia ejus redundantia vires cum motu cordis ſufflaminantur ſæpiſſime. Ad functiones enim rite peragendas natura certa gaudet proportione, certa æqualitate ac moderamine, adeo ut vel parum vel nimium noceat motibusque inimicum ſit. Et in eo quoque potiſſimum artis opus verſatur, ut medicus cauſſas æquilibrium excedentes convenientibus remediis ad moderamen reducere laboret.

## Observatio VI.

*Syncope lethalis à V. ſne improvide commiſſ.*

Vir quadragenarius, corporis animique ſenſibilioris ac debilis, qui diu jam ex ventriculi inflatione alvique obſtipatione, quas mala diæta ſibi contraxerat, laboravit; propter graves animi commotiones per aliquod hebdomadum intervallum quiete, appetentia & viribus privatus pejus habuit. Varia hinc inde præſcripta & adſumta medicamina nihil tulerunt opis, quare medicus ultimum remedium in ſanguinis miſſione ſitum arbitratus venam ſecandam curavit, ſed tam funeſto eventu, ut non multo poſt æger lethali ſyncope correptus animam exſpiraverit.

*Epicriſis.*

Quid in noſtro caſu imprudentius, quid inconſultius potuit excogitari, quam in viro extreme debilitato & ad incitas ferme redacto venæ ſectionem admittere, quæ virium reliquias una cum ſanguine ſimul ſuſtulit. Probe itaque monendi ſunt juniores medici, ne, ubi vires diuturno moerore, aut alia quacunque cauſſa fractæ & enervatæ ſunt, ſanguinis vacuationem concedant.

OBSERVATIO VII.

*Syncope lethifera ab opiato inducta.*

Vir annum agens quinquageſimum, ſpongioſi corporis habitus, per complures annos podagra divexatus, ob infortunium quoddam in diuturnum incidit moerorem, unde ciborum inappetentia, alvi ſiccitas & virium languor originem ſumſerunt. Accerſitus medicus propinabat aquam liliorum convallium vinoſam cum grano extracti opii ſumendam; idque remedii genus, ob vim ſuam, quam exſerere videbatur, ſomnum conciliantem per aliquot hebdomades continuare jubebat. Tantum autem aberat, ut auxilii quidpiam æger inde reportaret, ut potius, ingraveſcente virium languore, crebriores pateretur lipothymias. Præterea perpetuo ſudore madebat frigido, arteriæ exiguis micabant ictibus, & ſingultu demum ſuperveniente ex hac vita diſcedebat.

*Epicriſis.*

Quam inepte ſubjecto ſpongioſori, cujus robur ventriculi & univerſi corporis diuturnior triſtitiæ affectus jam mirum antea debilitavit, opiatum fuerit oblatum, ſaniorum judicio relinquo. Interim ad pleniorem morbi & mortis hiſtoriam adhuc pertinet, quod hepar, aperto cadavere, quoad concavam partem ſuam nigrum, corruptum & ſphaceloſum fuerit inventum & latior macula ſubnigra in dextro ventriculi latere pariter ac diaphragmate apparuerit. Ceterum vaſa mirum erant exinanita & omni pæne ſanguine vacua.

OBSERVATIO VIII.

*Lipothymiæ cum aliis malis ab emmenagogis concitatæ.*

Virgo octodecim annorum, teneræ admodum conſtitutionis, ob fluxus menſtrui, quem parcius juſto vix bis antea experta erat, defectum multis ſubinde malis, ut ciborum faſtidio, inſigni membrorum gravitate atque motum valde impediente torpedine cum virium proſtratione juncta afficitur. Ad tot mala debellanda medicus & pharmacopæus remedia præſcribunt ſanguinem nimis commoventia, cujus generis ſunt pilulæ ex gummatibus confectæ & elixir proprietatis cum ſabinæ oleo remixtum. Corpus quoque dimittitur in balneum, ſed nihil inde emergit commodi, ut potius graviores excitatæ fuerint læſiones; ſiquidem nunc ægra animo crebrius linquitur, ſanguinem cum magna præcordiorum anxietate exſpuit, & intolerabili capitis dolore afflicta bis vel ter in ſeptimana epilepticos & convulſivos patitur motus. His ita conſtitutis ad nos deplorata venit & ſub cura noſtra ſanitatem priſtinam, menſium fluxu reſtituto, ſic conſequuta eſt.

Primo quidem omnium ſanguinis miſſionem in pede repetitis vicibus, ſed parcius inſtituendam præcepimus. Tum infuſum theiforme ex herba veronicæ, meliſſæ & floribus chamomillæ ad aliquot patellas mane ſorbillandum; inter epulas vero elixirium noſtrum viſcerale temperate balſamicum adſumendum & per aliquot tempus continuandum ſuaſimus. Denique cubitum ituræ pulverem nitroſum & cinnabarinum cum pulvere noſtro antepileptico remixtum porreximus, & quæ antea nimis calida uſurparat balnea aquæ dulcis, nunc ſolum tepida & admodum moderata adhibere juſſimus.

*Epicriſis.*

Si ullo in morbo, certe in foeminarum affectibus ſanandis multum curæ & cautionis medicus debet adhibere maximeque eo reſpicere, ut curſum menſium recte prudenterque dirigat. Ad quod felici cum ſucceſſu perficiendum, opus eſt, ut non modo corporis naturam, habitum & victum, ſed & veras irregularis vel plane deficientis fluxus perſcrutetur cauſſas, & ad hæc ſingula medendi methodum inſtituat.

Diſcimus præterea ex hac morbi hiſtoria & curatione, nihil eſſe perniciosius, quam balneis nimis calidis, vel medicamentis calidioribus & volatilibus ſanguinem commovere ejuſque excretiones, obſtructis adhuc & anguſtatis viis, moliri. Sanguis enim nimium rarefactus, ob validam, quam infert, vaſorum diſtenſionem ſeu diaſtolen motu ſuo magis ſiſtitur, quam promovetur; ut ideo longe graviora concitentur mala, qualia ſunt in capite epilepſiæ, in corde lipothymiæ & ſyncopes, in pulmonibus ſuffocationes & id genus alia.

OBSERVATIO IX.

*De animi deliquiis puerperarum obſervatio & curatio.*

Sæpius iterumque mihi in artis exercitio adnotare licuit, puerperas haud infrequenter periculoſas, imo funeſtas incidiſſe animi defectiones, ſi per ingentes tempore partus perpeſſos labores valde debilitatæ ingentem ſanguinis copiam poſt partum amiſerunt. Quod enim ſi accidit, lochia dein parcius fluunt & circa ſeptimum plerumque diem omnis putridæ materiæ effluxio ceſſat; unde ex levi tantum cauſſa, ut ſitu corporis erecto, lipothymiæ origo. Venter quoque præterea flatibus ut plurimum tumet & parum per alvum excrementorum ſecedit. Sub tali rerum ſtatu ego præſentaneam tuli opem per injecta enemata, eaque tantum domeſtica ex floribus chamæmeli, ſambuci, ſemine anethi, cymini & pauxillo ſalis parata. Exterius caſtoreum naribus fuit admotum & demum, ad materiæ putridæ ex utero effluxum promovendum, pilulæ noſtræ balſamicæ ſingulis tribus diebus, interpoſito pulvere bezoardico cum uno alterove grano caſtorei maritato, datæ fuerunt. Nonnullis etiam ad vires amiſſas reſtaurandas modicum vini Rhenani hauſtum conceſſimus.

*Epicriſis.*

Quando poſt partum immodica ſanguinis contingit profuſio, vires inde nimium depreſſæ ſalutari lochiorum & ſeri impuri ex uteri mæandris expulſioni minus ſufficiunt; unde non mirum, ſi ſubſiſtentes ibi humores putreſcunt viriumque majorem defectionem efficiunt. In ipſa curatione caute omnino procedendum, &, ut ſupra diximus, primum clyſteribus, dein benignis laxantibus & irritantibus humoris putridi expulſio promovenda eſt.

OBSER-

### Observatio X.

*Lipothymia & mors à ciborum poſt morbum ingeſtione.*

Vir quadraginta annorum, parvæ & gracilioris ſtaturæ, opifex ferrarius, ex febre acuta, qua ob graviorem iracundiæ affectum correptus laboraverat, convaleſcens cibos ſupra modum adpetit, qui ipſi ab uxore magna in copia parantur; quos inter præcipue pulticula ex ſimila & lacte confecta & caro anſerina nominari debet. His magna cupiditate ingeſtis non multo poſt ingenti premitur anxietate præcordiorum, inquietudine & extremorum refrigeratione: vires ſimul labaſcunt & velut emortuæ jacent; accedunt crebriora animi deliquia & placida denique mors.

*Epicriſis.*

Egregie ſane confirmat memorabilis hæcce hiſtoria aphoriſmum HIPPOCRATIS 31. *Sect.* 2. *Cui à morbo cibum optime capienti non confirmatur corpus, malum*; &, quod idem graviſſimus Auctor alio loco urget, inter vires corporis & cibos ſervandam eſſe proportionem, ita ut, quo magis hæ langueant, eo minori victu utendum ſit. Cibi enim minus concocti & retenti non modo mora corrumpuntur & inde graviorum morborum cauſſa ſunt, ſed & ſola mole ſua vires deſtruunt potius, quam erigunt. Quæ quum ita ſint, omnibus infirmis & ex morbo vix convaleſcentibus neceſſaria eſt cautio, ne corpus nimis cito alimentis repleant. Et ideo quoque peſſima habenda eſt vulgi conſuetudo, qui vires valde exhauſtas ciborum copia reſtituendas eſſe falſo ſibi perſuadet. Novi hinc plures à morbis mox liberatos, qui cibis, etiam optimis & nutrientibus uſi in priſtinum vel alium morbum inciderunt. Et quem fugit, milites diuturnis vigiliis, inedia & laboribus defatigatos, quando hiberna ingreſſi cibos nimis avide ingurgitant, gravioribus iisque maxime acutis morbis ſuccumbere.

Præter allatos, adhuc aliquot notatu dignos caſus ſuppeditant conſultationes noſtræ medicinales *Sect. I. Caſu XIV. & caſ. XXXI.* &c.

---

## CAPUT X.

*De ſubita morte & morbis aliis inſanabilibus, ex vitali ſanguinis per polypos intercepto circuitu ortis prudenter præcavendis.*

### THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Celeri ſubinde & inopinata morte homines in ætatis flore conſtitutos bonoque & robuſto corporis habitu à natura donatos è vivis ſæpenumero tolli, res eſt per experientiam exploratiſſima. Neque dein jejunam latet plebem, quin medico obſcurum ſit, plures dari longas & graves diagnoſi æque ac prognoſi difficiles ægritudines, quæ omnem medendi reſpuentes rationem vitam hominum aufferunt. Quæ vero frequentius ſunt obvia, & quo major omnium cujuſcunque ætatis hominum animis inſita fuit ſciendi cupiditas; eo ſane magis mirandum eſt, veras & genuinas horum effectuum cauſſas diutius latuiſſe abſconditas: donec tandem noſtri temporis felicitate medici corpora ejuſmodi morbis defuncta cultro anatomico crebrius cœperunt diſſecare & interiores viſcerum luſtrare receſſus. Dici enim vix poteſt, quantum ars noſtra debeat anatomiæ ſtudio ceu primario ſuo fulcro, ita ut affirmare haud dubitaverim, vel ejus ſolius ope atque cultura præſenti ſeculo plus rei medicæ acceſſiſſe ſplendoris, incrementi ac certitudinis, quam, ea neglecta, reliquis retro ſeculis omnibus. Quemadmodum vero frequenti corporum diſſectione multiplices ſubitaneæ mortis & periculoſiſſimorum morborum detectæ fuerunt cauſſæ; ita ex omnibus maxima & præcipua eſt, quam conſtituunt innumera illa ex fluidis in ſolidam maſſam concreta vaſisque majoribus cordis & pulmonum firmiter impacta coagula, jam polyporum nomine nota; quæ dum vitalem & liberum ſanguinis per corporis canales circuitum intercipiendo omnis generis functiones una cum vita evertere valent, eaque propter curatu difficillima exiſtunt, providum & de hominum ſalute ſollicitum artis peritum omnino admonere videntur, ut per idonea remediorum genera fonticas iſtas cauſſas præcavere & in tempore ſtudeat avertere. At vero, quum perpauci, quod ſcio, medici hactenus fuerunt, qui hocce utiliſſimum in re medica argumentum in libris ſuis ex merito pertractarunt; non abs re, ſed operæ utique pretium judicavi, id ipſum ſpeciali capite hoc loco proponere.

§. II.

*Polyporum exiſtentia per obſervationes anatomicas monſtratur.*

Primo itaque, ut comprobemus, polypoſas illas concretiones, ceu mortis & immedicabilium morborum cauſſas, in apertis poſt mortem cadaveribus haud infrequenter deprehendi; placet ex immenſa obſervationum farragine perpauca tantummodo veterum æque ac recentiorum hunc in finem commemorare exempla. Ita apud BARTHOLINUM, in *lib.* ejus *de lacteis thoracicis cap. XIV.* relatum legimus, ipſum in iis, quos ſubita morte exſtinctos cultro anatomico ſubjeciſſet, majora cordis vaſa ſanguine concreto inveniſſe repleta; quod etiam optime teſtatum facit BONETUS *anatom. pract. lib. II. Sect.* 2. *obſ.* 5. ubi de morte repentina a corporibus extraneis in cordis ſinubus repertis prolixius egit, & *Fridericus* LOSSIUS *obſ.* 15. *lib. I.* qui mentionem injicit pueri, tres annos nati, qui, quum omnibus vegetus ac integra ſanitate fruens videretur, præter ſpem omnium in ſinu matris exſpiravit. Diſſectione corporis inſtituta, viſcera perfecte apparuerunt ſana, ut præter ſanguinem in cordis ventriculis valde coagulatum nullam mortis cauſſam ſuſpicari licuerit. CAROLUS quoque FRACASTORIUS, cui multa corpora celeri morte peremta diſſecandi occaſio obtigit, nil niſi ſanguinem intra cordis ventriculos & vaſa pulmonalia concretum ipſisque tenaciter adhærentem vidit. Et quidem ex infarctu vaſorum complures repente deficere, vel unicum idque graviſſimum PANAROLI teſtimonium probat, qui luculenter prodit, anno 1656. feraci ſubitanearum mortium tempore, plures à ſanguine intra cor nimium retento fuiſſe ſtrangulatos, ideoque aperto corpore tam vehementis ſtrenuæque mortis vix aliam, quam inſignem vaſorum infarctum, oſtendiſſe cauſſam. Nec denique omittenda eſt egregia obſervatio *Joannis Daniel* HOR-

HORSTII, qui in *manuduct. ad med.* in ſiniſtro cordis ventriculo ſe albicantem inveniſſe pituitam teſtatur, & RIVERII, qui *Cent. I. obſ.* 82. materiam craſſam, compactam & omnino albam, lardum coctum referentem in ſiniſtra cordis auricula hominis cito exſtincti annotavit.

§. III.

*Ratio denominationis polypi.*

Ex dictis jam & adductis ſatis apparere arbitror, omni tempore in corde vaſisque majoribus ſolida ejuſmodi concreta ex ſanguinis maſſa fuiſſe progenita, quæ ſubitam mortem aliaſque inſanabiles produxerunt ægritudines. At, quum nulla plane in veterum monumentis polyporum ſic dictorum occurrat mentio, haud inique ſtatuimus, hancce denominationem antiquioribus medicis ignotam, à recentioribus vero ideo maxime iſtis coagulis fuiſſe impoſitam, quod plerumque multos emittunt ramos per canales adjacentes hinc inde diſperſos. De qua vero interpretatione ut plenius rectiusque conſtet, ſciendum eſt, veros polypos ea ſolum concrementa eſſe dicenda, quæ ex albicante & fibroſa ſubſtantia firmius paulo ſunt compacta & propterea à ſanguine congrumato multum differunt. Hic enim licet variis corporis noſtri partibus, maximeque utero & cordi inhærens multorum magnorumque morborum cauſſa exiſtere poſſit, genuini tamen polypi nomen minus recte meretur, ſed pſeudo-polypi nomine apud auctores ut plurimum venit.

§. IV.

*Qua ratione polypi morborum & mortis cauſſæ ſint.*

His præmiſſis, non inutile, ſed potius tractationi noſtræ valde videtur accommodum, ipſam rationem exponere, qua polypoſæ maſſæ tantam in genus humanum edant ſtragem. Sunt autem polypi tum potiſſimum gravium morborum mortiſque cauſſæ, ſi quando mole ſua aucti, vel, quod ſæpius fit, à levi tam interna quam externa cauſſa de ſede ſua dimoti libero ſanguinis circulo ex uno cordis ventriculo per pulmonum vaſa in alterum obicem ponunt eumque pervertunt, aut quando orificia vaſorum penitus occludendo motum ſanguinis vitalem omnino tollunt. Quamdiu enim coagulatæ ejuſmodi maſſæ tantum tenuiores cordis aliorumque vaſorum lateribus adhærent, ſanguinis circuitum non adeo vehementer impediunt, nec inde functiones manifeſto lædunt. In quo quidem & experientiam habemus ſuffragantem, utpote quæ optime docet, concreta ejuſmodi corpora in cordis auriculis & ſinubus ob multiplices anfractus fibrillasque carneas, & circa vaſorum divaricationes in aliis quoque partibus hærere, at nihilo minus adhuc liberum ſanguini concedere poſſe iter. Cujus inſignem fidem facit memorabilis & fere admirabilis obſervatio VESALII, quæ exſtat *lib.* 1. *cap.* 5. *de corporis humani fabrica*, ubi probatiſſimus hic auctor commemorat, ſe quondam in ſiniſtro cordis ventriculo glanduloſæ, ſed ſubnigricantis carnis reperiſſe libras propemodum duas, corde inſtar uteri extenſo; & addit: ægrum, licet pulſus miris modis fuiſſet inæqualis & varius, nihilo minus multis ante mortem menſibus veluti ſanum obambulaſſe; donec tandem poſtremis vitæ hebdomadibus pulſuum tantæ accidiſſent intermiſſiones, ut ex novem ictuum intervallo tres, vel duos ſolum tactui occurrerint.

§. V.

*Polypi diſponunt ad pectoris morbos, ut hæmoptyſin.*

Proximum nunc eſt, ut per ſingulos morbos eundo fuſius explicemus, quinam ex illis ſint, quos polypoſa concreta progignunt, vel pertinaciter fovent, vel etiam ad malum diſponunt exitum. Hæc dum meditamur, primo ſe nobis offerunt variæ pectoris affectiones, inter quas præcipue referri merentur, ex acutis pleuritides & peripneumoniæ, ex chronicis omnis generis aſthmata & ipſe catarrhus ſuffocativus, tuſſis convulſiva, phthiſis & hæmoptyſis &c. Hæmoptyſin quod attinet, crebrior nos docet obſervatio, hanc æque facile ob ſanguinis viſcidi nimium congeſti ſtagnationem ad polypos diſponere, atque ab his iterum progigni. Quod ſi enim polypoſis iſtis repagulis æquabilis ac liberior ſanguinis per vaſa pulmonalia progreſſus ac tranſitus turbatur, fit omnino, ut ſanguis in capillaribus arteriæ pulmonalis vaſculis accumuletur tandemque, maxime in diſpoſitis, rupto quodam ramulo, excernatur. Et ideo quoque plane non inſolitum eſt, in hæmoptyicis poſt mortem diſſectis ejuſmodi concretiones deprehendi, quod optime confirmat hiſtoria in *conſultationibus noſtris medicis, Tom. I. Sect.* 2. *caſu* 73. allata: Laboraverat ſcilicet juvenis, ſeptendecim annorum, hæmoptyſi cum febre lenta, in quo poſt obitum in arteria pulmonali viſui ſe obtulit calloſum concretum. Simili ratione BONETUS *anatom. pract. Tom. I. lib.* 2. *Sect.* 5. *p.* 654. *de ſputo ſanguinis* recenſet ſectionem cadaveris hæmoptyici a Sylvio in ipſo noſocomio Leydenſi *ann.* 1664. adminiſtratam, in cujus utroque cordis ventriculo deprehenderunt materiam craſſam, fibroſam & quaſi carneam, quæ in omnia vaſa ex corde exeuntia extendebatur. Præcipue vero talem maſſam ex jugulari ſiniſtra eduxerunt tres ſpithamas longitudine ſuperantem. Erat autem iſta materia, cui multum grumoſi adhærebat ſanguinis, in ipſis cordis ventriculis craſſitie ſat inſigni carneisque cordis fibris, quas ſuis fibrillis amplectebatur, ſingulari modo annexa. Ceterum in medio apparuit ſanguis grumoſus videbaturque minuſcula vaſa habere. Idem valet de phthiſi, teſte noſtra & BAUHINI experientia, qui apud *Gregor.* HORSTIUM *in. opp. Tom. I. pag.* 134. ſe in phthiſicis & hydropicis ſemper fere polypos annotaſſe, expreſſis verbis meminit. Plura qui deſiderat, conſulere poteſt NEDHAMIUM *de formatione fœtus cap.* 2. & MALPIGHIUM *de polypo cordis*, item HARDERUM *obſ.* 45. 46. 47. *&c.*

*Phthiſin.*

§. VI.

*Aſthmata & pectoris hydropem.*

Aſthma, maximeque illud quod immedicabile exiſtit, & qui abhinc dependet pectoris hydrops, tantum non ſemper à polypis generatur & ſuſtentatur. Hinc nos ipſi plena fide teſtari poſſumus, aliquoties nobis obtigiſſe occaſionem hoc morbo defunctorum corpora diſſecandi, ubi in corde pulmonumque vaſis polypos, vel ſerum fœtidum in thoracis cavo extravaſatum deprehendimus. Nec deſunt, quæ idem confirmant, auctorum medicorum hac de re obſervationes. Ita Cl. D. GRÆVIUS, caſtrenſis medicus, qui ante viginti circiter annos, me præſide, diſſertationem de aſthmate convulſivo habuit, ſe in quinquaginta militibus, quos incidit, aſthmate & hydrope pectoris exſtinctis polypos, cordis ventriculos obſidentes inveniſſe teſtatur.

ſtatur. LANCISIUS quoque *libro ſuo de motu cordis p.* 38. notabilem refert caſum, qui ita ſe habet: Juvenis viginti quatuor annorum, gracillimus, pravoque aëre & victu uſus crebrioribus cordis apprehenſionibus & lipothymiis, cum gravi anhelitu extremorumque refrigeratione junctis corripiebatur. Arteriæ exiguis & inæqualibus pulſabant ictibus & venæ jugulares una cum abdomine mirum intumeſcebant; donec tandem miſer lenta febre decedebat. Diſſecto cadavere cor mirum in modum reperiebatur flaccidum exiguæque molis, cum polypis utrumque ventriculum opplentibus & pericardium tenaciter annexum. Plures obſervationes notatu digniſſimas de aſthmate, cui plerumque pectoris hydrops junctus fuit, legere licet in DIEMERBROECKII *anatom. lib. II. cap. IX. pag.*401. BARTHOLINI *epiſt.* 2. *cent. IV. & ep.* 56. *cent. II.* nec non in HARDERO *obſ.* 56. *ſeqq.* LOWERO *de corde cap.* 2. PEZOLDO *obſ.* 58. 61. RUYSCHIO *obſ.* 19. item in M. N. C. *Dec. II. ann. IX. obſ.* 174. & *Dec. III. ann.*2. *obſ.* 185.

§. VII.

*Et aliat hydropis ſpecies.* Neque vero ſolum pericardii & thoracis hydrops aſthmati à polypis inducto frequenter jungitur, verum etiam aliorum corporis partium hydropicæ intumeſcentiæ exinde ſuos repetunt natales. Hinc in artis exercitio nihil occurrit frequentius, quam ut aſthmati ſpasmodico-convulſivo, à dicta cauſſa orto, ſtatus cachecticus, tumores pedum œdematoſi, imo ipſe aſcites ſuperveniant. Quando enim cunque ſanguinis ex dextro cordis ventriculo per pulmones in ſiniſtrum progreſſus, objecto ejuſmodi repagulo impeditur; fieri non poteſt, quin univerſa ſanguinis per venam cavam circulatio tardior, lentior impeditiorque fiat, & magnæ hinc inde ſtagnationes in locis inferioribus, maximeque in hepate oriantur; quo dein obſtructo, vel plane indurato ſanguis ſubſiſtere incipit in meſenterio omnibuſque venæ portæ ramis: unde ſerum ſecedens ad vaſa regurgitat lymphatica, quæ nimium diſtenta in hydatides diducuntur, quibus diſruptis exitialis ſeri contingit extra vaſorum alveos effuſio. Qua de re digna ſunt quæ evolvantur obſervationes apud RHODIUM *Cent. III. obſ. IV.* PEYERUM *in hiſt. anatom. cap. VI.* Speciatim vero WEPFERUS in cachecticis diu & frequentius ex morbis decumbentibus corpora fibroſa & pituitoſa annotavit. *Vid. ejus exercit. de apoplexia pag.* 196. & 200. & SMETIUS *in miſcell. medic. lib. X. pag.* 537. ſingularem allegat caſum de œdemate in utroque crure, à polypo tenſo & ſubduro, quod ad femora uſque protenſum tumorem plenum & durum in imo ventre, umbilicum inter & pubem effecit, qui tandem totam abdominis regionem occupavit. Ratione haud diſſimili BONETUS *ex* BOYLEI *tractat. de apoplexia obſ. IX.* polypos refert in cordis ventriculis duarum mulierum, quarum altera hydrope, altera cachexia obiit, & ALBINUS *diſſ. de polypis theſ. V.* notabilem affert hydropis ſpeciem, quam obſervavit in viro per aliquod tempus diſpnœis cordiſque palpitationibus & anxietatibus afflicto, qui tumores in brachiis, venaſque valde tumidas & in nodos protuberantes, à polypo ſat magno, ex auricula dextra in truncum venæ cavæ adſcendente ramoſque emittente, habuit. His vero ita conſtitutis hydropem lethalem eſſe, pro certo habendum eſt.

§. VIII.

Sed miſſa ulteriori aſthmatis &, qui hoc ſæpenumero comitatur, hydropis conſideratione, reliquos pectoris morbos ex polypis oriundos diſpiciamus. *Catarrhum ſuffocativum.* Ex his vero præcipue huc referendus eſt catarrhus ſuffocativus. Quæ enim anatomen hoc morbo defunctorum ſiſtunt obſervationes, plerumque polypoſas concretiones, ceu præcipuas mortis cauſſas repertas fuiſſe confirmant. Teſtantur vero id maxime BARTHOLINUS *cent. II.* 86. GREISELIUS *in M. N. C. ann.* 1670. *obſ.* 74. & MALPIGHIUS *de polypo cordis pag.* 170. quippe qui in omnibus apoplecticorum, vel catarrho ſuffocativo exſtinctorum apertionibus tam in corde, quam in cerebro, imo non raro in utroque ſimul, corpora calloſa, viſcida & glutinoſa obſervavit. Neque ſicco, ut aiunt, pede tranſeunda eſt cordis palpitatio, quæ ut plurimum, &, ſi chronica eſt, tantum non ſemper polypoſis coagulis in acceptis ferenda eſt. *Cordis palpitationem.* De qua tamen quum jam in priori Tomo *Med. noſtr. ſyſtemat.* ejuſque Sect. II. cap. 1. §. 9. ſeqq. prolixius egimus, B. lectorem eo remittimus, tranſituri ad inflammatorios illos ac valde acutos pectoris morbos, pleuritidem veram & peripneumoniam, qui ex inducta ſanguinis, propter polypoſas concretiones, ſtagnatione ſæpe ſæpius ſuam mutuantur originem. *Pleuritidem & peripneumoniam.* Id quod ſatis ſuperque teſtantur periti ſſimi in arte medica viri, quos inter nominare placet MALPIGHIUM, qui loc. cit. affirmat, pleuriticorum cadavera non in præcordiis tantum, ſed & in hepate & venoſo genere fruſtula alba copioſe continere. WILLISIUS *de febrib. cap. XI. pag.* 130. apertis pleuritide mortuis corporibus in cordis ſinubus & vaſorum circa circum cavitatibus ſanguinem in fruſtula & glomeros longos concretum fuiſſe memorat. PEYERUS quoque *exercit. anatom.* memoriæ prodidit caſum ſexagenarii, qui pleuritide in peripneumoniam mutata obiit. Facta cadaveris inciſione, in corde magni ac tenaces apparuerunt polypi, adipis fruſta mentientes.

§. IX.

Sed non modo in corde & annexis pulmonum vaſis, verum etiam in aliis, maximeque venoſis canalibus polypos ceu immedicabilium morborum cauſas generari, demortuorum ſectionibus & autopſia ſatis ſuperque conſtat. *Morbos capitis.* Ita graviſſimas & pertinaces cephalalgias, apoplexiam & deliria quoque à polypis intra venas jugulares & in cerebri ſinubus repertis concitata fuiſſe, obſervationes à WEPFERO, PEYERO, WILLISIO, BLASIO, item in M. N. C. deſcriptæ abunde docent. Si qua vero corporis noſtri pars ad polyporum generationem præ ceteris apta eſt atque diſpoſita, certe uterus huc referri debet, in cujus vaſis venoſis, ob miram & tortuoſam complicationem & abhinc dependentem impeditiorem ſanguinis circuitum corpora ejuſmodi polypoſa ex ſanguine viſcido concreſcunt facillime; quæ poſtea frequentioribus abortionibus, immodicis uteri hæmorrhagiis, copioſis lymphæ & ſeri per uterum effuſionibus, ipſique hydropi & ſterilitati cauſſam præbent ampliſſimam. *Et uteri.*

## §. X.

*Signa polyporum.*

Conſideratis itaque inſanabilibus curatuque difficillimis, quæ ex polypis pronaſcuntur, ægritudinibus, non alienum eſſe judico, quædam ſuppeditare phœnomena, ex quibus cognoſcere liceat, an polypoſa ejuſmodi concreta in præcordiis, ubi præcipuam ſedem obtinent, lateant recondita. Sunt vero ex omnibus, quæ id teſtatum faciunt, ſignis præcipua 1) diuturnior cordis palpitatio, eaque ex levi ſæpius cauſſa, ut animi affectibus & à cibis flatulentis alvumque conſtipantibus recurrens. Harum enim rerum ea eſt natura atque conditio, ut æquabilem ſanguinis circuitum perturbando majorem ejus ad cor impetum efficiant, ubi ſupra modum congeſtus & accumulatus, quum, propter poſitum à polypo obſtaculum, haud amplum ſatis ſemet expandendi invenit ſpatium, cor æque ac vaſa ipſius violenter diſtendit, & hinc inſignem anxietatem & convulſivum cordis motum, quem palpitationem dicunt, inducit. Ex quo mox alterum emergit indicium, pulſuum ſcilicet inæqualitas & cum lipothymiis ſæpe juncta intermiſſio. Pulſus enim ſicut generatim cordis motum & univerſum ſanguinis per ſingulas corporis partes progreſſum teſtatum facit quam optime; ita ſi irregularis, vel plane intermittens eſt, ceteris paribus, juſtam injicit ſuſpicionem concrementi cujuſdam polypoſi, quod mole ſua obſtruente debitam cordis aliorumque vaſorum conſtrictionem & abhinc dependentem ſanguinis per ea tranſitum valde perturbet, aut ad tempus prorſus intercipiat. Nec denique ex ſignis polypum denotantibus excludi debet frequentius ſpirationis, ſine cauſſa manifeſta, impedimentum, præcordiorum, ob ſpaſticam pectoris ſtricturam compreſſio, &, qui huic plerumque jungitur, dolor circa cor fixus; utpote hæc ſingula, ſi fere perpetua ſunt, de impedito ſanguinis à corpore quodam peregrino circuitu teſtantur luculentiſſime.

## §. XI.

*Differentia.*

Sequitur nunc, ut miſſis generalioribus, de polypis paulo preſſius agamus, ipſumque generationis modum ſubjungamus. Tenendum autem primo omnium eſt, non omnes polypos unius ejuſdemque eſſe texturæ, coloris & magnitudinis. Nonnulli equidem ſatis obſervantur ſolidi, duri & ex fibris ita compacti, ut tendines firmiores referre videantur; alii contra ſunt molliores, ex pelliculis mucilaginoſis & minus craſſioribus coagmentati, membranaque exterius involuti. Quidam, ſi magnitudinem ſpectemus, mole ſunt ſatis grandes, ut aliquot uncias pondere æquent; quidam minores & multas interdum partes adipoſas immixtas habent. Colorem dein polyporum valde eſſe differentem, fidem nobis faciunt variæ ipſorum apud auctores, maxime antiquiores, obviæ denominationes; ſiquidem mox ſub idea pinguedinis, quam alii albam & candelæ ſebaceæ ſimilem, alii ex albo flaveſcentem & medullam oſſium calefactam æmulantem perhibent; mox ſub ſpecie carnis, mox vero aliis deſignati veniunt vocabulis, quorum hic numerum inire nimis prolixum foret. Differunt porro quoque in eo, quod nonnulli in dextro, nonnulli in ſiniſtro cordis ventriculo radicati vel plures, vel pauciores in adhærentes arterias & venas emittant ramos; nec non quod alii per ſe, mole ſua ſat magna, alii vero nonniſi vi quadam è loco ſuo dimoti, vaſorum oſtia occludendo, feralem corpori humano inferant noxam.

## §. XII.

*Generatio.*

Modum autem, quo polypoſa ejuſmodi corpuſcula generantur, ſat gravibus inducti rationibus talem concipimus, ut exiſtimemus: materiam ipſis præbere particulas chyli & lymphæ graviores, viſcidioresque & fixiores, utpote quæ motu facile coeunt & in unam compinguntur maſſam, ut fibroſo-membranaceum corpus conſtituant. Quod quidem abunde ſatis confirmant tot phyſica circa polyporum generationem ſuſcepta experimenta. Inſtar vero omnium optime erudire nos poteſt RUYSCHIUS, vir de re anatomica meritiſſimus, qui in *theſ. anatom. VI.* fidem facit, ſe ex ſui ipſius ſanguinis ſero, ſola conquaſſatione pſeudo-membranam, uti loqui amat, confeciſſe, quæ plurimis ſtaminibus ſeu fibris fuiſſet pertexta veramque membranam ita repræſentaſſet, ut eandem à natura productam omnes crediderint. Id quod & alio loco aſſerit, quando *theſ. anat.* 1. *n. III. p.* 14. ſola fortiori conquaſſatione, per horæ ſpatium continuata ſe polypoſam materiam ex cruore ſuis recenter mactati feciſſe refert. His ita demonſtratis in promtu nunc eſt diſtinctam polypi ſuppeditare ideam ipſumque definire, quod ſit concretum quoddam ſolidum, fibroſum, ex viſcidiori lymphæ parte per fortiorem motum ſive impulſum factum.

*Definitio.*

## §. XIII.

*Polypi facile generantur in cordis ventriculo dextro & venis.*

Polypi licet in utroque cordis ſinu, & tam venoſis quam arterioſis generentur ductibus; attentiori tamen obſervatione cognitum exploratumque habemus, eoſdem facilius & frequentius in ventriculo & auricula cordis dextra, quam ſiniſtra, & in venis magis progigni, quam arteriis. Nec adeo obſcura eſt hujus rei ratio: chylus enim, qui mediante vena ſubclavia in venam cavam & ventriculum cordis dextrum fertur, craſſioribus refertus particulis, motu accedente lentiori, facilius partes deponit graviores, quarum amplexu complicatis cordis trabibus, unum quaſi corpus efficitur. Dein, qui venis vehitur, ſanguis, ob vim venarum contractilem nimis debilem tardiori procedit gradu conſiſtentiaque craſſior exiſtit & ponderoſior arterioſo, unde facile dimittit partes craſſiores, quæ, ubi præſertim non intime mixtæ leviter cohærent, vi gravitatis ſuæ, ad fundum lateraque magis tendunt. Aliter vero res ſeſe habet cum ſanguine arterioſo. Hic enim, quum non modo ab elaſtico arteriarum motu inſigniter in curſu ſuo promovetur, verum etiam in pulmonibus ſubtiliſſima aëreo-ætherea materia imbutus & per minima vaſcula tranſpreſſus intime miſcetur; ideoque & pondere levior, & colore rubicundior redditur: facile patet, quare hic præ venoſo ad polyporum generationem minus ſit diſpoſitus.

## §. XIV.

*Polypi progignuntur in omnis ætatis hominibus.*

Aetatem ſi ſpectamus, non ii ſolum, qui provectioris, ſed & qui ineuntis & non adeo maturæ ætatis ſunt, polypoſis concretionibus deprehenduntur obnoxii. De adultioribus equidem id mihi facile conceſſum iri confido. Placet igitur nonnulla ex auctoribus anatomiæ practicæ afferre exempla, quæ certiores nos reddere poſſunt, infantes quoque monſtra ejuſmodi polypoſa

ſa incluſa ſæpiſſime gerere. Ita de concretione polypoſa, in puerulo, aditum in cordis auriculam obturante conferatur ALBINUS, *diſſert. de polypo cordis pag.* 16. & BONETUS *ſepulchret. anatom. libr. II. Sect. XI. obſ. VI.* ubi de polypis ſat magnis, in ſinubus cordis filioli repertis eleganter agit. Haud diſſimili modo in juvenis ſexennis, atrophia conſumti utroque cordis ſinu adnotavit polypum D. SNELL. *Vid. ejus diſſert. de cordis polypo pag.* 18. & DORSTENIUS *in E. A. C. Dec. II. ann.* 3. *obſ. CLIII.* de quatuor corporibus in ſiniſtro cordis ventriculo puelli cujuſdam inventis perpulcre diſſerit. Portentoſum quoque polypum in adoleſcente deſcribunt E. A. C. *Dec. III. ann.* 2. *obſ.* 18. quod & multis aliis exemplis probari poſſet, ſi his jam immorari liceret. Interim non negandum eſſe cenſemus, conſiſtentis ætatis homines natuque paulo majores, ad polypos generandos, præ reliquis eſſe proclives. Facilius enim, peracto jam nutritionis negotio, quam eodem adhuc vigente, ſanguis & copia & temperie excedens accumulatur; idque eo magis, ſi quis, ob copioſa amplioraque vaſa, & imminutum ſolidorum elaterem, ad plethoram producendam diſpoſitus, vitæque ſine motu deſidi & diætæ minus convenienti deditus fuerit.

## §. XV.

*In viris potius, quam ſequiori ſexu.*

Reſpectu ſexus, nunquam fere non viros magis, quam fœminas, polypis & morbis inde oriundis videmus expoſitos. Cujus quidem rei hanc ſubeſſe puto rationem; quod in ſequiori ſexu, ſub debito menſtruæ purgationis ſucceſſu, non adeo facile ſanguinis increſcit copia, & ob fibrarum laxitatem, majoremque humorum fluiditatem, ſive ſanguinem multo ſero imbutum, ægrius fit, ut craſſiores particulæ invicem coeundo concreſcant. Præterea & hocce momentum ſingularem meretur animadverſionem, in regionibus maritimis & ſeptentrionalibus longe plures, quam in calidioribus terris obſervari polypis mortuos; quod, meo quidem judicio, præter aërem frigidum & impeditius perſpirationis negotium, præcipue victui craſſiori, ut piſcibus marinis, pani groſſiori & carnibus fumo induratis atque ſalitis, ex quibus tenacior multiſque particulis terreſtribus refertus chylus & abhinc quoque ſanguis ſpiſſior ingeneratur, tribuendum erit.

*In regionibus ſeptentrionalibus magis, quam calidioribus.*

## §. XVI.

*Cauſæ polyporum mediatæ ſunt: plethora.*

Progredimur ad alias, quas procatarcticas dicunt, cauſſas penſitandas. Ex his vero principem ſuo jure obtinet locum, nimia ſanguinis redundantia. Etenim, propter auctam, ſub plethorico ſtatu, vaſorum diaſtolen fibræ ſuum amittunt elaterem; unde eorum minuitur ſyſtole ſanguinisque progreſſus mirum in modum fit retardatus & perfacilis particularum terreſtrium datur cohæſio. Emergit porro exinde vaſorum obſtructio; quæ quantum polyporum generationi faveat, vel unicum illud confirmat experimentum, à LANCISIO in cane vivo inſtitutum. Conſtrinxit ſcilicet laudatiſſimus hic vir filo cerato ramum quendam arteriæ iliacæ, in quo, elapſis 15. aut 20. diebus, ſecato citra ligamen polypoſam invenit concretionem. *Vid. lib. de aneuriſmatibus propoſ. XXXVIII. p.* 124. Nec adeo difficile eſt, hujus phænomeni veram eruere rationem, utpote cum, facta ejuſmodi compreſſione, tenaciores & ad reflexionem minus mobiles ſanguinis partes invicem adglomeratæ lateribus vaſorum ſenſim paullatimque adhærere incipiunt; donec aucta earum mole denſum & fibroſum, quod polypi nomine venit, conſtituant corpus. Verum enim vero, non minus nimia ſanguinis abundantia, quam ingens ejus inopia ad obſtructiones & concretiones polypoſas viam pandit facillimam. Hinc mihi à magnis crebriuſque repetitis hæmorrhagiis ſæpiſſime morbos, ex polypis ortos advertere licuit. Dum enim fibræ, ob nimiam diſtenſionem laxiores porique redditi ſunt ampliores; omnis generis craſſos viſcidoſque humores, transmittunt qui polypis progignendis apprime exiſtunt idonei.

*Et ſanguinis defectus.*

## §. XVII.

*Proceritas corporis.*

Proceritas corporis nimia ſicut ad varii generis morbos; ita præcipue ad polyporum generationem & omnia, quæ hanc excipiunt mala diſponit. In excelſis enim, ſeu longæ ſtaturæ corporibus difficilior fluidorum ad perpendiculum eſt adſcenſus; hinc circulatio per totum corpus fit tardior & facile ſtagnationes obſtructionesque oriuntur viſcerum, maxime vero pulmonum; ubi ſanguis difficilius progrediens in minimis vaſculis ſubſiſtit & ſecedentes ponderoſiores partes ſucceſſu temporis in denſam compinguntur maſſam. Si cui hæc non ſufficiunt, quantumvis clara ſatis & certa; hunc plenius convincere poteſt tum mea, tum aliorum hac de re experientia, quæ optime teſtatur, arduæ proceritatis corpora humilioribus ut plurimum alacritate viriumque robore multum cedere atque morbis ex lentiori ſanguinis circuitu & ſtagnatione oriundis, ut polypoſis concretionibus, phthiſi, aſthmati & diſpnœis, aliisque, longe magis patere.

## §. XVIII.

*Frigidus potus.*

Nihil autem prope magis corpus noſtrum adeo lædere tantaſque eidem noxas & ipſam præmaturam mortem inducere valet, quam frigidus potus, poſt intenſam corporis commotionem & incaleſcentiam largiter & celeriter ingeſtus, de quo GALENUS, *lib. de ſanitate tuenda*, præclare non minus quam vere ita ſentit: quod ſpirandi difficultatem & tuſſim inducat, cerebrum debilitet & fluxiones inde concitet, ventriculum imbecillum reddat nervosque lædat. Ea namque pernicialis frigoris eſt potentia, ut non modo inteſtinum fluiditatis motum ſiſtendo ſanguinem coagulet, verum etiam partes terreſtres & gelatinoſas præcipitet; unde non mirum eſſe debet, ſi obſtructiones, inflammationes, &, quod in rem noſtram dictum ſit, humorum concretiones oriuntur; quas quotidiano quiſque experimento conſpicere poteſt, ſi ſanguis calidus è vena ſecta profluens in aquam frigidam immittitur, vel quando aqua calida, in quam ſanguis miſſus fuit, interjecta mora, refrigeratur. Tum quippe, fibroſam & graviorem partem decedere ac præcipitari, jucundo comparebit ſpectaculo. Poſſem nunc quoque plura, eaque tragica proferre exempla, quæ exitialem frigidi potus noxam luce clarius demonſtrarent. At quum multa jam ſint alio loco à me & viris doctiſſimis ſtudioſe tradita, nolo his tempus conſumere.

§. XIX.

§. XIX.

*Acidorum & ſpirituoſorum abuſus.*

Quantum ex cenſu cauſſarum ad nocivas humorum coagulationes acidorum & ſpirituoſorum abuſus contribuat, quotidiana proh! dolor experientia loquitur, ipſaque confirmat ratio; ſiquidem certo conſtat experimento, ſanguinem fluidiorem è vena emiſſum, affuſo acido quodam liquore, vel ſpiritu vini rectificato in duram mox coaleſcere maſſam. Jam quidem facile nemo, qui rem accuratius examinat, dubitabit, hæc pariter in corpore humano, licet non eodem plane modo & tempore, poſſe contingere: ſi quis tamen dubitet, memor modo ſit, in quam graves & diuturnas ex viſcerum obſtructione pullulantes morbos, quales ſunt phthiſis, cachexia, hydrops, aſthma convulſivum & nimiæ hæmorrhagiæ, ſtrenui ſpiritus vini potatores ſua ipſius culpa incurrant.

§. XX.

*Animi affectus.*

Nec reticere licet animi affectus, maximeque iram, terrorem & triſtitiam; utpote qui polyporum & abhinc dependentium morborum generationi ſat gravem ſuppeditant cauſſam. Nolumus jam curioſius inquirere in abditas tam peculiaris effectus rationes, ſed potius memorabiles quaſdam in hujus rei fidem adducere hiſtorias. Ex his vero notatu digna mihi videtur obſervatio MALPIGHII, qua refert: ægrum, alioquin ſatis robuſtum, ex timore in magnam pulſus inæqualitatem & obſcuritatem, præcipue in ſiniſtro carpo incidiſſe, abſque febre & recurrente ſpirandi difficultate; ſed brevi tandem poſt, per ſputa, quandoque rubicundi ſanguinis portionem, quandoque copioſa alba quædam fruſtula, polypis haud diſſimilia excreviſſe; poſtremo vero, turgentibus ſuperioribus, ex coercita ſanguinis copia ſuffocatum interiiſſe. RIVERIUS quoque *Cent. IV. obſ. XXI.* notabilem recenſet caſum cujuſdam nobilis, qui quum graviori quondam & inopinato percelleretur terrore, de ſummo conqueſtus eſt cordis tremore, ſpirandi difficultate pulſuque intermittente & inæquali, donec non adeo multo poſt ſuffocatione interiit. Aperto poſt mortem pectoris cavo cor cum vaſis majoribus oppleta fuere & in ſiniſtro cordis ventriculo inventæ ſunt carunculæ rotundæ, ſubſtantiam pulmonis æmulantes; quarum major ad avellanæ magnitudinem accedens arteriæ aortæ præcludebat oſtium.

§. XXI.

*Incautus adſtringentium uſus.*

Ultimo loco non prætereundum videtur, præpoſteras illas in nimiis hæmorrhagiis & intermittentibus febribus, per adſtringentia, opiata, martialia & peruvianum quoque corticem &c. curationes ad difficiles chronicas & plane immedicabiles ægritudines, quæ à concretis polypoſis naſcuntur & foventur, non parum conferre. Et profecto certa adſeverare fide poſſum, me in praxi mea medica quinquaginta & aliquot annorum, nullum majus ab ullo remediorum genere, quam ab his ipſis, intempeſtive & improvide adhibitis obſervaſſe damnum, ita ut non modo celeres & lethales morbos, quales ſunt apoplexiæ, epilepſiæ, catarrhi ſuffocativi; ſed & diuturnas & chronicas paſſiones, ut phthiſin, aſthma convulſivum, malum hypochondriacum & hyſtericum, enormes hæmorrhagias, lentaſque & hecticas febres hac ratione productas noverim. Si rationem quærimus, unde tantorum malorum origo; ſciendum ante omnia eſt, morbificarum affectionum cauſſam in impeditiori ac retardato ſanguinis & humorum per minima & capillaria corporis vaſa circuitu potiſſimum quærendam eſſe. Tali enim ratione naturales ſe- & excretiones, quæ itidem per minima & ex ſubtiliſſimis vaſis conflata emunctoria fiunt, mirum quantum retardantur & variæ hinc inde ſtagnationes, viſcerumque infarctus & indurationes cum mille aliis ſymptomatibus propullulant. Jam, ſi quis in tali rerum ſtatu, ubi jam ſanguinis & humorum craſſities lentiorque fluidorum per canales corporis circulatio præſto eſt, vel ubi graviores, qui vaſa fortiter anguſtant, ſpaſmi adſunt, medicamenta adſtringentia & humores magis incraſſantia, vel etiam ſedativa propinare velit; non poterit non inſigniter nocere, & leve tantum malum longe gravius efficere. Id quod eo magis certiuſque evenit, ſi perverſus horum remediorum uſus diutius juſto protrahitur; nihilque ſupereſt dubii, quin polypi, ceu immedicabilium morborum cauſſæ, hac ratione ſat commode poſſint produci, quos etiam in permultis morbis ab empyrica hac & deteſtabili curandi methodo ſubortis partim ex ſignis haud incertis augurari & prædicere, partim ex corporum poſt mortem inſtitutis ſectionibus ob oculos ponere mihi licuit.

§. XXII.

Et ſic cauſſarum, quæ ad ingenerandos polypos concurrunt, vidimus potiſſimas; omnibus enim ſeorſim explicandis diutius immorari, non adeo neceſſarium putavi, tum quod rarius occurrant, tum vero maxime, quod ad dicta à nobis perfacile poſſint referri.

## *CURA PRÆSERVATORIA.*

§. I.

*Polypi mature præcaventur, quam curantur.*

Ea eſt perverſa mortalium indoles, ut raro principiis morborum obſtare cogitent, ſed tum demum medicum & medicinam anxie quærant, quum mala per longas moras aucta & mortem in propinquo vident; unde vero nihil aliud efficiunt, quam ut fatalem ſibi diem, quem tempeſtivo remediorum uſu avertere potuiſſent, maturius accerſant. Peccant ſane in hac re eo gravius ægroti noſtri polypoſi, quo certius & multa experientia teſtatius eſt, nonniſi difficilem ac dubiam, imo, ubi longius malum invaluit, plane nullam ipſis contingere ſanationem. Si quid enim in hujus generis morbis, qui impedito ſanguinis ob polypoſum repagulum circuitu nituntur, auxilii, ſi quid opis exſpectare licet, maturatu opus, eoque à medico reſpiciendum eſt, ut concrementorum iſtorum generationem in tempore impediat, vel eorum, ſi jam adſunt, augmenta & noxios effectus præſcindat. Equidem jam, qua ratione hoc perfici debeat & quid utiliſſime hoc fine ſuaderi poſſit, candide proponam.

§. II.

*Polyporum generatio præcavenda convenienti diæta.*

Et primo quidem, ut polyporum generationem prohibeamus, omnis cura eo dirigenda erit, ut ſanguis ſpiſſior diluatur & reſolvatur, commodeque in iis, qui ejus copia abundant, imminuatur. Ad quod præſtandum præ ceteris ineunda eſt recta vivendi ratio, quæ his fere momentis abſolvitur: Victus eligatur parcior, tenuis atque humectans, remotis cibis, duris, acidis,

ſalitis multumque alimenti præbentibus. Potus ſit naturæ conveniens & bene dilutus. Quo fine commendanda eſt cereviſia levis & probe deſæcata, vel pura aqua fontana, tum ſola, tum ad vinum temperandum adhibita, vel etiam decoctum ex ſpeciebus blanda aperitiva virtute præditis confectum, quas inter præcipue radices chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ & cortices ligni ſaſſafras &c. referre lubet; tali enim ratione effectus diluens & reſolutorius belle impetrabitur. His jungantur labores & frequentia corporis exercitia, quibus ſanguinis fluiditas & æquabilis per ſingulas partes circuitus egregie juvatur. Sed probe ſibi omnes, maximeque plethorici & obeſi vitæ otioſæ dediti cavere debent, ne motum repentino initio vehementiuſque inſtituant. Nimium enim exinde ſanguis ad pulmones propellitur, ubi progreſſu ſuo impeditus facile coagulum ſubit. Ad quod impediendum, mox aliquid calidi bibere præſtat; quod eo magis neceſſarium eſt, ſi corpus ab intenſiori commotione calidum poſtea refrigeratur, vel, quod peſſimum eſt, frigidus potus in copia ingurgitatur. Aër præterea ſit purus, ſerenus ac temperatus, isque nec nimis calidus, nec nimis frigidus & humidus. Hic tamen ſi vitari nequit, itidem conſultum erit, infuſa theiformia nonnunquam calide adſumere, quæ tranſpirationis negotium promovendo egregium attenuantem moleculasque coeuntes disjungentem ſpondent effectum.

## §. III.

*Animi affectuum moderamine.* Exulent dein graviores animi affectus, maximeque mœror, ira atque terror. Si quando vero ab ipſis alteratum corpus fuerit, mature in uſum vocentur, quæ effrenes motus compeſcant & valde turbatum ſanguinis circuitum æquabilem denuo reddant. Ita, ſi contra ſubiti terroris noxas pugnandum eſt, maximam merentur commendationem medicinæ reſolventes blandamque perſpirationem moventes, quia hac ratione id, quod forte in humorum maſſa coagulari cœpit, optime reſolvitur. In hunc finem ſummo cum fructu ſemper à me datum fuiſſe memini pulverem marchionis, ſive ſolum, ſive cum aliquot liquoris mei anodyni guttulis ex aqua cinnamomi, vel meliſſæ citratæ vinoſæ ſumtum, cui non male aliquot infuſi calidi patellas ſuperbibere juſſi; quam methodum etiam in iis, quos diuturnus mœroris affectus confecit, utiliſſimam deprehendi. Præter hæc in vehementiori terroris affectu ſummopere commendanda eſt moderatior corporis exercitatio, qua cor adjutum ſe facilius à ſanguinis nimium congeſti mole liberare poterit, ut eo minus dein mali quicquam timeri debeat. Peſſime itaque ſibi conſulunt, qui ſtatim à terrore quieti ſe tradunt vel ſomnum profundum capiunt.

## §. IV.

*Se- & excretionum libero ſucceſſu.* Proſpiciatur dein, ut alvus bene reſpondeat, quæ ſi forte obſtructa eſt, clyſteribus mature applicatis, vel pilulis balſamicis ſolvenda eſt. Nec minori prudentia opus eſt, ut & reliquæ humoribus tam ſecernendis, quam excernendis dicatæ viæ apertæ liberæque ſerventur, ne, quod facile evenit, his occluſis ſanguinis maſſa impura reddatur. Inprimis autem curæ ſit, ne qua excretio ſanguinis naturalis, ut in viris hæmorrhoidum, in fœminis menſium, ſupprimatur, aut retentio longior inſuper habeatur. Tunc enim perfacile periculoſæ ſanguinis ad alia loca fiunt congeſtiones, quas providus artis peritus convenienti venæ ſectione, pilulis & aliis medicamentis blande balſamicis ac temperantibus quam optime poterit avertere. *V. Sienl[illegible] um.* Nec denique artificiales ſanguinis evacuationes ſunt negligendæ, quæ eo ſtrictius debent obſervari, ſi quis multo ſanguine turgeat ipſasque diuturna conſuetudine quaſi naturales reddiderit.

## §. V.

*Medicamentis convenientibus.* Præmiſſis hiſce diætæ regulis, ex remediorum claſſe, ad ſanguinem ſpiſſum incidendum ac reſolvendum, ſubjungenda ſunt ſalia mediæ & alcalinæ naturæ, ut arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, nitrum, ſal digeſtivum Sylvii, ſal aperitivum noſtrum, oleum tartari per deliquium, terra foliata tartari & liquor nitri fixi &c. Ex ſpirituoſis huc pertinent eſſentia pimpinellæ albæ, tinctura antimonii acris, & id genus alia. Nullum autem, quod ſcio, ex toto medicamentorum penu datur remedium, quod in diſſolvendis fibroſis & ad concretionem pronis in ſanguine partibus tantam præſtaret efficaciam, quam aquæ minerales, præſertim illæ, quæ alcalino ſale imbutæ temperatioriſque indolis ſunt; quo nomine laudem merentur acidulæ Emſenſes ac Selteranæ, thermæ Aquisgranenſes, præcipue vero Carolinæ, quæ ſale ſuo omnia corporis emunctoria aperiunt, impuras ſordes abluunt & evacuant, ſanguinemque craſſum & viſcidum reſolvunt ac diluunt utiliſſime.

## §. VI.

*Polypi jam vaſis inhærentes quomodo tractandi.* Hactenus quidem modum, quo præcavenda ſit polyporum generatio, ſatis, ut arbitror, dilucide monſtravimus. Videamus nunc, quid faciendum ſit, ſi jam ſigna quædam emicant, quæ polypum cordi vaſisque majoribus inhærentem teſtantur & qua ratione præcaveri debeat, ne majora capiat incrementa. Sciendum itaque eſt: ubi polypus adhuc incipiens eſt ac pituitoſus, non omnem abjiciendam eſſe ſpem ejus reſolvendi: quod ſalibus alcalinis & duplicatis, quæ exoptata tenaces humores reſolvendi vi pollent, diæta tenui, ſufficienti & ſanguinem diluente potu, omniumque maxime aquis Carolinis poterit præſtari, quarum uſu prudenter adminiſtrato ego perplures, qui non vanam polypi intus latentis ſuſpicionem incutiebant, ſanatos novi. Quod ſi vero jam in fibroſam & duriorem abiit ſubſtantiam polypus, omni ſtudio contendendum erit, ne aut majora ſumens augmenta, aut è loco ſuo dimotus vaſa penitus obſtruat citoque homines interimat. Ad quod efficiendum opus maxime omnium eſt, ut ſanguinis nimia abundantia impediatur, ejusque fluiditas iis rebus probe conſervetur, quibus id commode fieri poſſe ſuperiori loco diximus. Sed cavendum, ne ubi ſpirandi à polypo difficultas eſt, vena in brachio ſecetur, quia tum major, imo ſuffocatoria fit congeſtio. Fugiantur præterea omnia ſpirituoſa, nimius motus animique perturbationes, quæ ſingula ſanguinem partim coagulando, partim nimis commovendo malum deterius reddunt.

## §. VII.

*Cautela circa curam hæmorrhagiarum & febrium.* Ultimo loco non inutile erit, quaſdam cautiones, quæ ſanguinis fluxus & motuum febrilium tractationem concernunt, ſubjungere. In utroque caſu quantum à medicis delinquatur, plurimis proh! dolor exemplis comprobatum & à nobis jam ſupra fuſius evictum eſt. Quapropter ſincere moneo, ne forte medicus in hæmorrhagiis ſiſtendis curationem ſolis adſtringentibus abſolvere ſtagat, ſed potius convenienti ſanguinis detractione, & tem-

temperantibus leniterque anodynis medicamentis, nec non inferiorum partium frictionibus æquabile ſanguinis iter reſtituere laboret. Febrium curationem quod attinet, ſumma adhibenda eſt cautio, ne nimis cito ſupprimantur. Quo ſcopo tutiſſimum erit, blandis aperitivis & evacuantibus remediis decenter uti; quibus dein medicinæ reſolventes ac temperantes cum roborantibus commode poſſunt interponi atque ſubjungi.

---

## CAPUT XI.

### *De affectione phthiſica, ſive tabe pulmonali.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Pulmonum neceſſitas & uſus.* NUlla, ſi cordis machinam exceperis, in univerſo corpore noſtro pars eſt, quæ ad vitam & tuendam & ſuſtinendam præſtantioris ſit uſus, quam ipſi pulmones. Hi quippe ſunt genuina ſanguinis fabrica, in qua lympha chyloſa & nutritia cum ſanguine intime miſcetur ipſique aſſimilatur; hi ſunt egregium illud viſcus, quo ſpiritum vitalem, ſeu fluidum aëreo-æthereo elaſticum, quod cordi ſolidiſque partibus omnibus ſuum robur & vim ſyſtalticam præſtat, intus haurimus. Quanta autem pulmones præ reliquis partibus utilitate gaudent & prærogativa; tanta è contrario, imo fere graviora ſunt, quibus ipſi hinc inde patent, mala, quæ ego quidem à peculiari eorum textura deducere minus dubito. Hanc enim, ubi rite diſpicimus, ex meris veſiculis membranaceis, quæ aërem recipiunt, ex nervis, qui ſubtiliſſimum fluidum recondunt, & diverſi generis vaſis, quæ ſanguinem & lympham vehunt, deprehendimus conſtructam, ut uſque eo non mirum eſſe debeat, ſi ob tot minimorum vaſculorum myriades frequentes inibi ſanguinis congeſtiones, ſtagnationes & obſtructiones; ex his vero varii generis oriantur ægritudines. Has inter præcipue referenda eſt peſſima iſta affectio, quæ in medicorum ſcholis dicitur phthiſica, de cujus origine, progreſſu & curatione in præſenti hoc capite ſtrictim, ſed utiliter diſſerere propoſuimus.

§. II.

*Phthiſeos definitio.* Eſt autem phthiſis, corporis contabeſcentia, cum lenta febre, ſpirandi difficultate, moleſta & continua tuſſi atque copioſo phlegmatis materiæque corruptæ ac purulentæ ſputo juncta; ab inſigni pulmonalis ſubſtantiæ læſione, per ſcirrhoſam vel ulceroſam corruptionem, vel abſceſſum inducta, ortum ducens.

§. III.

*Differentia ab aliis morbis.* Equidem dantur variæ, quæ itidem cum febre & nonnunquam moleſta tuſſi ac vitioſæ materiæ rejectione ſtipatæ ſunt, tabis ſpecies, quas tamen, ob prognoſin & curationem multum differentem, cum vera phthiſi non confundere debet medicus, utpote ſine notabili pulmonum labe contingunt. Ita, certa obſervationum fide conſtat, non raro tabem ex gonorrhoea ſimplici & pollutione nocturna, diutius infeſtante ſuam mutuare originẽ, de qua jam olim HIPPOCRATES *lib. VI. epidem. Sect. VIII. Text.* 47. mentionem fecit. Neque plane inſolitum eſt, à nimio veneris uſu, à cacochymia & depravata ſucci nutritii indole in ſcorbuticis corporibus contabeſcentiam oriri; ſalvo tamen adhuc & integro pulmonum parenchymate. Idem fere animadvertimus in morbo iſto, infantibus tam infeſto, atrophia, ubi ob ſcirrhoſam glandularum meſaraicarum indurationem ſuccis chyloſis & nutritioni inſervientibus liberum ad ſanguinem iter prohibetur; unde ſuperiores partes marceſcunt, venter inflatur, lenta adeſt febris, difficilis cum tuſſi ſpiratio urget, & alvus nimis fluida exiſtit. Nec deinceps pro phthiſi ſemper habenda eſt illa morbi ſpecies, ubi cum corporis extenuatione lentaque febre tuſſis & dejectio plus minus ſanioſa adeſt. Sæpiſſime enim accidit, ut ſalva pulmonum compage, ex remotioribus partibus, ut meſenterio, utero, vel renibus, abſceſſu vel ulcere obſeſſis ſanies ad pectus transferatur. Denique etiam probe diſtinguenda eſt phthiſis à tuſſi valde chronica cum ejectione copioſi phlegmatis juncta, ſequente tabe viriumque proſtratione & calore præternaturali; quæ quidem mala autumnali & vernali tempore ſubjecta ad catarrhales morbos proclivia ſæpe ſæpius corripiunt diutiusque vexant, ſed nihilo minus naturæ & artis beneficio feliciter cedunt.

§. IV.

Ne cui vero vel minima in cognoſcenda phthiſeos ab aliis morbis differentia ſuperſit delinquendi occaſio, operæ pretium arbitror, certa quædam ſigna, ex quibus vera phthiſis cognoſci poſſit ac debeat, hoc loco recenſere. *Signa.* Placet autem ex veteribus, qui in hiſtoriis morborum conſcribendis longe ſæpe accuratiores eſſe ſolent recentioribus, locum *Cœlii* AURELIANI, qui *lib. II. cap. XIV.* legitur, huc transferre, qui ita ſe habet: *Phthiſica paſſio fit frequentius antecedente ſanguinis fluore, aliquando etiam longi temporis tuſſicula, ſive catarrho, quo pulmonum profundæ & intimæ partes lacerantur & primo levius tunc ulcerata. Sequitur ægrotantes febricula latens, quæ initium, inclinante die, accipit, atque veniente luce levigatur, adjuncta tuſſicula plurima initio noctis atque fine, cum ſputis ſanioſis ac parvulis quidem, deinde autem plurimis. Iis vero, qui ex fluore ſanguinis in iſtam veniunt paſſionem, primo ſanguinolenta ſputa efficiuntur, tum fœculenta, tum livida, vel praſina & in ultimo alba atque purulenta, dulcia vel ſalſa, cum voce rauca aut clangoſa & difficultate ſpirandi atque genarum rubore, & ceteri corporis cinereo colore. Cibi faſtidium ſequitur & major ſitis; quibusdam gravis doloris ſenſus eſt vulnerati pulmonis, ut etiam ejus fibras exſpuant, pulſus debilis, durus ac dein formicularis. Sequitur præterea inflatio pedum & pejorante paſſione ventris efficitur fluor & phlegmata carbonibus injecta tetri ſunt odoris.* Merentur dein hic adduci HIPPOCRATIS verba, quibus imminentis phthiſeos ſigna eleganter tradit. Sunt autem in *lib. I. de morbis text. 9.* fere hæc: *Fit phthiſicus, ſi pituita à capite in pulmonem deſtillat, & primum quidem ut plurimum latentes defluit tuſſimque tenuem exhibet, & ſputum paullo amarius ſolito & aliquando tenuis adeſt calor; temporis autem progreſſu exulceratur pulmo & intus ulceratur à pituita inhærente & putreſcente, & gravitatem exhibet pectori & dolorem acutum ante & retro, caloreſque acutiores in corpus incidunt. Quanto vero majus tempus progreditur, tanto magis pus ſincerum ejicitur & febres acutiores fiunt & tuſſis fortis ac continua, & inedia vexat & tamen alvus inferne turbatur.*

§. V.

§. V.

*Sectio anatomica phthiſicorum.*

Propoſitis itaque genuinis noſtri affectus characteribus, videamus nunc, quaſnam tantorum malorum cauſſas in diſſectis phthiſi defunctorum corporibus reperire liceat. Quo fine potiſſima, quæ mihi ex innumeris auctorum obſervationibus & autopſia anatomica innotuerunt momenta paucis ſuppeditabo. Primo autem in omnium fere, qui phthiſi decedunt, pulmonibus lobum vel dextrum, vel ſiniſtrum, vel utrumque ſimul pleuræ & coſtis, vel etiam in dorſo vertebris adeo firmiter adnatum deprehendimus, ut cultro difficillime poſſit ſeparari, plerumque etiam locus iſte putrido ſero, ſive ichore ſcatet. Deinde in nonnullis, præſertim empyematicis, unum lobum à prægreſſo longo abhinc tempore pectoris morbo, penitus abſorptum, alterum inflammatum fuiſſe obſervavimus, qui mortis cauſſam conſtituit. Tum quoque utplurimum in altero pulmonum lobo vomicas, ſive ulcera clauſa, diverſæ magnitudinis & numeri, adnotavi, quæ diſſecta partim pus craſſum, partim fluidum continebant. Ubi in eodem vel altero lobo, maximeque ſuperiori ejus parte inciſio facta fuit, cavitates ſat amplæ pure & phlegmate, ejuſdem fere generis ac coloris, quod per os antea rejectum fuit, repletæ in conſpectum venerunt. Fit porro nonnunquam, ut in pulmonibus nodoſis & ſcirrhoſis ulcera ſerpentia, fiſtuloſa & inſtar cancri vicinas partes exedentia, quæ ichor fœtidum & ſanguineum recondunt, offendantur. Nec deſunt exempla, ubi tubercula ſcirrhoſa & inſtar acinorum dura reperiuntur, quæ materia tophacea, calculoſa & putrida ſcatent. Poſt ea non prætereundum eſſe exiſtimo, quod cor plerumque flaccidum ejuſque vaſa polypoſis concrementis ſint infarcta, de quo phænomeno memorabilis exſtat obſervatio in M. N. C. *Dec. II. obſ.* 35. In pericardio quoque, imo non raro in ipſo pectoris cavo ingens ſeri impuri & fœtidi diffluit copia. Quod denique ad abdominis aliaſque partes attinet, vaſa utplurimum ſunt exſanguia, hepar magnæ molis & pallidum, meſenterii glandulæ tumefactæ, omentum abſumtum & omnis pinguedo tam internarum quam externarum partium conſpectui ſe offert. Qui paulo curioſior plura de phthiſicorum ſectionibus exempla legere cupit, conſulat modo M. N. C. *Dec. I. ann.* 1. *pag.* 62. 63. *item ann.* 2. *p.* 235. *ann.* 3. *pag.* 190. *Dec. II. ann.* 4. *obſ.* 35. & 118. *ann.* 8. *pag.* 214. *ann.* 9. 245. *Cent. III. & IV. obſ.* 118. *Cent. VIII. obſ.* 105. *Cent. IX. obſ.* 16. 26. *Cent. X. obſ.* 143. VERZASCHAM *obſ.* 100. LOSSIUM *obſ.* 11. PAWIUM *obſ.* 22. PLATERUM *lib. III. obſ.* 189. 690. PEZOLDUM *obſ.* 63. 64. 74. & 92.

§. VI.

*Phthiſin efficiunt & pulmones lædunt. 1) tubercula.*

Ex hiſce ſatis apparet, quam gravis & demum exitialis pulmonum, ceu viſceris vitalis, ſit læſio, quæ mortem induxerit. Nunc erit inquirendum, quænam cauſſæ ad tantam læſionem in exquiſita phthiſi contribuant. Has inter primo omnium referri debent ſtaſes ſcirrhoſæ, ſubſtantiam pulmonum mere vaſculoſam, veſiculoſam & membranaceam obſidentes, quæ, ſi invaleſcunt, ob continuum & reciprocum aëris tranſitum aliaſque cauſſas, difficillime tolluntur. Qua de re dignus eſt, qui hic inſeratur, locus HIPPOCRATIS, qui exſtat in *lib. de intern. affect. cap. IV.* in hunc modum: *Quum pulmo ſanguinem in ſe ipſum traxerit, aut pituitam ſalſam, & non rurſus dimiſerit, ſed in ipſo coacta & compacta fuerint, ab his tubercula fiunt in pulmone & ſuppurantur: ab initio & per totum morbum tuſſis acuta ſicca obtinet, & rigor & febris, & dolor in pectore & in dorſo incumbit, aliquando etiam in latere & erecta cervice ſpiratio vehemens incidit; deinde corrumpit pus & multum exſpuit.* Nec poſſum, quin hiſce HIPPOCRATIS verbis comparem fere ſimilia ARETÆI, quæ in *lib. III. cap. VIII.* exſtant; *phthiſici*, inquit, *ante quam manifeſtis ſignis, præſertim ſputo putrido & purulento ſe prodit morbus, in pulmonibus fovent tubercula, ſive nodos ſcirrhoſos, à materia viſcoſa lenteſcente atque in duritiem abeunte, & ita tabidi per plures annos vivunt, ante quam in actum corruptionis vel abſceſſus tranſeunt. Hæc ſi adſunt, in pulmonibus tuſſis ſicca, valida, ſonora cum acuto vel pungitivo ſenſu in pectore ſpirandique difficultate indicium faciunt, & à profundiori aëris attractione & inſpiratione anguſtia quædam & reniſus in pectore percipitur tuſſiſque vehementior fit, maxime etiam poſt validam corporis exercitationem.*

§. VII.

*De hiſce judicium.*

Veriſſima quidem ſunt allata *Hippocratis* & ARETÆI verba: nobis tamen nonnulla, quæ forte meliori illuſtrationi inſerviunt, adjicere licebit. Tubercula iſta materia viſcida repleta plerumque initium conſtituunt vomicarum, quæ nil niſi diverſæ magnitudinis ulcera ſunt, membrana ambiente cincta. Ejuſmodi vomicæ, ſi adhuc minores ſunt, tuſſi interdum ejiciuntur. Quod ſi vero mole ſua increſcunt interiuſque rumpuntur, abſceſſus inde fiunt & cavitates cum ſputo purulento, copioſo phlegmate mixto, & tunc vera adeſt phthiſis. At vero, quandoque ipſi hi nodi ſcirrhoſi, qui diutius ſe ita celarunt, ut præter ſiccam tuſſiculam vix ulla præbuerint indicia, ob materiam intus retentam & acrem factam in ulcus abeunt cancroſum & fiſtuloſum ſerpens ac fœtidum, quod ita vicinas partes conſumit & in putrilaginem convertit, ut teſte FORESTO *lib. XVI. obſ.* 14. & 53. aſperæ arteriæ fruſtula ejecta, & juxta SYLVIUM *in obſ. lib. II. cap. XII.* venæ pulmonalis ſurculi tuſſi excreti fuerint.

§. VIII.

*2) hæmoptyſis.*

Verum adhuc ſunt alia phthiſeos initia, maxime que hæmoptyſis, ubi incaute à medentibus tractatur, aut ſi paullo major cruoris portio eſt, quæ eadem amiſſa fuit. Tum enim facile ſanguis ex pulmonum vaſculis intra veſiculas aëreas extravaſatur & ſtaſi concepta putreſcit, partes vicinas corrodit ac demum ſinuoſitates efformat, vel in nodos & tubercula coit. Et profecto, ſi vel meam unius hac de re experientiam adducere licet, certa aſſeverare fide poſſum, dimidiam fere partem phthiſicorum, qui ſe curæ meæ tradiderunt, ab hæmoptyſi prægreſſa & male curata primam mali ſui originem accepiſſe. Quibus dein quoque annumerari debet ſecundum veteres catarrhus ſalſus longo tempore pectus infeſtans, quem preſſo, ut aiunt, pede, phthiſica affectio non raro excipere ſolet. De quo in ſequentibus plura dicemus.

*3) diuturnus pectoris catarrhus.*

§. IX.

*Origo harum cauſſarum oſtenditur.*

Jam vero non immerito quæri poſſe video, unde cauſſæ hæ jam propoſitæ originem ſuam habeant: noſtra hac de re ſententia hæc eſto: ſanguinis & humorum in vaſis ſtagnationes, ubi firmiter iis inſiſtunt, ſicut plurimorum morborum, ita etiam phthiſeos ſunt genitrices. Fluida enim quando

quando extra motum progreſſivum conſtituta in circulum non aguntur, priſtinam ſuam temperatam naturam mora amittunt, & valde alienam, impuram, ſalſamque & acrem induunt; vel etiam minima vaſcula nimium opplendo obſtructiones, indurationes atque ſcirrheſcentias efficiunt. Has vero perniciosas ſanguinis & humorum in pulmonum vaſculis ſtagnationes non aliunde fieri deprehendimus, ac ſi fluida in nimia copia & cum impetu ad partem, per ſe valde languidam & à tono dejectam compulſa congeruntur, ut, quantum venæ ab arteriis receperunt, non poſſint reddere.

## §. X.

*Cauſæ mediatæ ſunt diſpoſitio hæreditaria.*

Verum quamplurimæ dantur cauſſæ, quæ perniciałem ſanguinis & humorum in pulmonibus ſtagnationem inducere & ad phthiſin remote conferre valent. Inter quas præcipua debetur animadverſio hæreditariæ diſpoſitioni, qua liberi à parentibus phthiſicis progeniti, data occaſione, in eandem labem incurrunt facillime. Conſentientem hac in re habemus tum experientiam, fidiſſimam rerum teſtem, tum auctores probatiſſimos. Ex his audiamus ſaltim doctiſſimum FERNELIUM, qui in *patholog. lib. 5. cap. X.* hæc eleganter prodit: *qui tabida de ſtirpe ſati ſunt, quaſi hæreditario jure omnes neceſſario tabe marceſcunt; hocque malum ſæpius vidimus in ejuſmodi familiis ordine graſſari.* Et ratio quoque in promtu eſt. Etenim, quum illa à parentibus accepta ad morbos proclivitas potiſſimum in prava partium ſolidarum conformatione, ſive tali fibrarum ac vaſorum laxitate conſiſtat, qua humores appulſi non debito modo ac niſu ulterius poſſunt promoveri; in aprico eſt, cur ii, quorum pulmones natura debiles exiſtunt & flaccidi, præ ceteris in varios pectoris morbos maximeque phthiſin ſint propenſi. Quibus dein, teſte graviſſimo HIPPOCRATE, adhuc ii debent adnumerari, qui pectus à natura depreſſum & anguſtum obtinent, qui ſcapulas inſtar alarum prominentes, coſtaſque in thorace protuberantes habent, nec non, qui oblongi colli vel etiam gibboſi ſunt.

## §. XI.

*Temperamentum ſanguineo-cholericum in juvenibus.*

Deinceps certa conſtat experientia, & vel ſolius HIPPOCRATIS comprobatur teſtimonio *aph. IX. Sect. V.* homines, qui habitus corporis gracilioris ac tenerioris, ſtaturæ proceræ atque ætate juvenes ſunt, à XVIII. ad XXXV. ætatis annum hæmoptyſi æque ac phthiſi valde eſſe obnoxios, vix aliam ob rationem, quam quod in hacce ætate vaſa ſint teneriora longeque facilius, quam quidem in provectioribus, expanſa diſſolvantur. Utplurimum vero omniumque facillime hæmoptyica & phthiſica accidit affectio viris & juvenibus, qui temperamento præditi ſanguineo-cholerico facile animo commoventur & in pueritia frequentes narium hæmorrhagias perpeſſi ſunt, præſertim ſi nimio motu incaleſcunt. Tum enim ſanguis magna in copia & impetuoſius ad ſuperiora & pectus compulſus per minima arteriæ ac venæ pulmonalis vaſcula libero itinere ad cor redire nequit; unde ramorum majorum à ſubſiſtente ſanguine nimiæ expanſiones, diſruptiones & denique extravaſationes fiant neceſſe eſt.

## §. XII.

*Diæta perverſa.*

Ex diæta perverſa cauſſam hic præbet antecedentem intempeſtivus potuum ſpirituoſorum uſus. Quod quidem non adeo difficili indiget probatione, quum ſatis cuique ſpectatum ſit, in regionibus vitiferis ſicut omnes pectoris morbos, ita maxime hæmoptyſin ac phthiſin longe eſſe frequentiores, quam in aliis. Hinc etiam HOEFERUS *in Hercule med. lib. 1. cap. III.* rectiſſime arguit, phthiſicam affectionem in Auſtria inferiori non aliam ob cauſſam endemie graſſari & tam innumeros rapere, quam ob vini generoſioris, præſertim matutino tempore, abuſum.

## §. XIII.

*Ad pectoris catarrhum diſponit ſanguinis ſeroſi congeſtio.*

Progredimur nunc ad eas cauſſas conſiderandas, quæ ſalſi humoris in pectore decubitum procurant, quem antiquiſſimi medicorum promiſcue ex capite deduxerunt, quaſi paſſim ab eo humoris in pectus delapſus fieret. Sed non ſatis perſpicuum & in experientia fundatum eſt hocce judicium. Multo magis nimia ſanguinis ſeroſi ad pectus, præcipue vero ad fauces totumque canalem aſperæ arteriæ, quæ tunica glanduloſa interna obſita eſt, congeſtio accuſanda videtur; idque eo magis in ſubjectis ſeroſioribus & gravedini, coryzæ crebriſque catarrhis per omnem ætatem obnoxiis. Quod ſi enim plus ſanguinis & ſeri ad glanduloſas partes per arterias appellitur, quam per vaſa venoſa poteſt regredi, ingens ſeroſi laticis contingit ſecretio, qui copia increſcens, admiſſo aëre frigido, coagulatur & tandem magna ſæpe copia ejicitur. Procedente tempore & malo diutius perſeverante, accedentibus adhuc aliis cauſſis, ut cruditatibus ex prava diæta & digeſtionis vitio collectis, tranſpiratione impedita, vel profundo animi mœrore &c. ſerum induit naturam ſalſam & corroſivam, adeoque ſucceſſu temporis veſiculas pulmonales & vaſa tenerrima corrodit.

## §. XIV.

*Aër humidus & frigidus.*

Ex dictis & adductis jam facili negotio poterit perſpici, quantopere rigidi & ſeptentrionales venti ac tempeſtates pluvioſæ, nebuloſæ ac frigidæ, quæ tonum vaſorum pulmonalium relaxando, ſordes in iis accumulant, tabidis ac phthiſicis ſint infenſæ, ut propterea *aphor.* HIPPOCRATIS X. Sect. III. veritati omnino æſtimemus conſentaneum, qui autumnum expreſſis verbis tabidis declarat noxium. Et profecto, ſi ullo in morbo ingignendo magna aëris eſt potentia, eſt ſane in pectoris affectionibus, maximeque phthiſi; unde etiam TULPIUS *in obſ. med. lib. II. cap. X.* cauſſam, quod in Hollandia tam frequentes ſint vomicæ & phthiſes, locis uliginoſis & aëri continuis vaporibus putridis referto tribuit rectiſſime.

## §. XV.

*Ad phthiſin contribuunt morbi prægreſſi, ut variolæ & morbilli.*

Tranſimus nunc ad eos morbos inquirendos, qui ad phthiſin diſponere ſolent: inter hos vero primo loco referri debent variolæ. Hinc ego perplures novi pueros & adoleſcentes, qui ſuperata varioloſa febre, variis ſubinde pectoris moleſtiis per multos annos durantibus, ut tuſſi ſicca, ſenſu doloris acuto, ſpirandi difficultate, tabe & lenta febre infeſtati, &, accedente demum abſceſſu, mortui fuerunt, quos inter præſertim ſereniſſimum Saxoniæ Principem referre lugemus. Eadem fere ſcena luditur poſt morbillos. Nam in hiſce exanthematicis affectibus magna ſeri peccat acrimonia, quæ non modo in principio horum morborum nervoſis pulmonum membranis firmius inhærens tuſſim ſiccam eamque ſat moleſtam concitat, verum etiam, expulſione materiæ ad

corporis

corporis ſuperficiem facta, inſignem in hoc viſcere debilitatem relinquit. Jam ſi ægroti forte maturius, quam quidem materia vitioſa omnis tranſpiravit, liberiori, maximeque vernali & autumnali aëri ſeſe exponunt; perfacile evenit, ut reſtitans malæ indolis materia ad interiora recedens utplurimum pulmones debiles petat, irritet, exulceret. De quo legi meretur *Thomas* BARTHOLINUS *Cent. IV. hiſtor.* 43. & MICHAELIS *in praxi clinica part.* 1. *lib. III. cap. V.*

§. XVI.

*Aliæ efflorescentiæ & externa vitia male tractata.*

Neque plane inſolens & ab experientia alienum eſt, ex aliis pariter cutis efflorescentiis, ut ſcabie, gutta roſacea, maculis ſcorbuticis & purpura & retro pulſis phthiſicam labem ſæpius fuiſſe ſubortam. Quod idem fieri obſervamus poſt ſuppreſſos copioſos ſudores, poſt intempeſtive tractata capitis vel pedum ulcera, vel etiam poſt fonticulos præmature conſolidatos. Nec deſunt exempla, quæ etiam ab eryſipelate, doloribuſque podagricis & arthriticis repreſſis, & incautius tractatis phthiſicam affectionem docent prognatam. Etenim, quum acris & cauſtica materia hac ratione intus retinetur & per venas ad ſanguinem reſorbetur, fit inde, ut ad nervoſas eaſque tenerrimas pulmonum membranas delata firmius ipſis inhæreat eaſque irritando conſtringat; unde vaſa coarctata obſtruantur & demum corrodantur neceſſe eſt. Memini quoque, à curato tumore ſcirrhoſo ſub axillis & pone aures phthiſicam affectionem inductam, ut nihil denique dicam de frequenti phthiſeos ab hæmorrhoidibus vel menſibus ſuppreſſis generatione.

§. XVII.

*Nimiæ hæmorrhagiæ.*

Denique non prætermittendum eſſe arbitror, dari exempla, licet non adeo frequenter obvia, quæ optime nos convincunt, phthiſicam tabem, præter ſupra dictam hæmoptyſin etiam ab aliis fortioribus hæmorrhagiis commode in nonnullis poſſe induci. Quod quidem potiſſimum valet de ejuſmodi ſubjectis, quæ vel per nativitatem, vel ob contractam ab aliis cauſſis pulmonum atoniam ad hunc morbum diſpoſita exiſtunt. Cui adſertioni ſanam quoque rationem habemus ſuffragantem, quæ non minus ſuperabundantem, quam deficientem ſanguinis copiam ſtaſibus producendis nos docet aptiſſimam. Unde videant, qui phthiſeos proximam cauſſam in ſola plethora repoſitam ſentiunt, quantum ſibi & experientiæ contradicant.

§. XVIII.

*Phthiſis an contagioſa?*

Singularis ſupereſt quæſtio, quæ in utramque partem à medicis agitatur, utrum phthiſis ſit contagioſa? Ego vero neutiquam vereor hoc aſſerere, vel ſaltim eo reſtringere, ut ejuſmodi miaſma, ſi non ad phthiſin inducendam, tamen, ſi diſpoſitio jam adſit, ad promovendam exiſtimem idoneum. Nam mirabilis certe & valde multiplicativæ indolis eſt omnis materia ulceroſa & corrupta, ita prorſus, ut plurimi morbi maligni & per contagium graſſantes, quales ſunt ſcabies, lepra, variolæ, ulcera antiqua ſordida, in peſte carbunculi, imo quoque dyſenteria &c. exinde deducendi veniant. Neque tamen tam malignam noſtri miaſmatis naturam eſſe cenſeo, ut è longinquo & ſubitaneo quaſi impetu homines inficiat, ſed tum demum, ſi quando propinquius & continuo cum phthiſicis converſentur. Confirmant nos in tali judicio ferendo celeberrimi in arte medica viri. Ita RIVERIUS *Cent.* 1. *obſ.* 99. notabilem refert caſum ancillæ, quæ per contagium heræ ſuæ, cui diu noctuque miniſtraverat, in phthiſin incidit, & *Cent. IV.* obſ. 92. mentionem injicit puellæ, quæ a ſorore, phthiſico cuidam mammas præbente phthiſin incurrit. Aliud exemplum nobis affert SCHENCKIUS, qui *in obſ. lib. II. obſ.* 133. memorat, ita contagioſa eſſe confirmatiorum phthiſicorum ſputa, ut medicus illa olfaciens factus inde ſit phthiſicus. De quo etiam conſuli poteſt obſervatio de phthiſi è contagio in M. N. C. *Cent. IX. obſ.* 26. deſcripta.

§. XIX.

*Phthiſis inveterata curationem non admittit.*

Progrediendum nunc eſt, ad prognoſin noſtri mali ſuppeditandam. Veram phthiſin inter graves & curatu difficillimos morbos vel primo loco eſſe collocandam, non modo in vulgus tot triſtibus exemplis cognitum exſtat; verum etiam à medicis longa experientia eſt comprobatum. Ipſe HIPPOCRATES *lib.* 1. *de morb. Sect. II.* ita judicat: *tabes cum fiunt, neceſſitatem habent, ut interimant.* Cui adſentitur GALENUS *lib. IV. de loc. affect. cap. VIII. & V. method. med. cap.* 1. *& VIII.* & CELSUS *lib. III. cap.* 22. *quod ſi vera phthiſis eſt,* inquit, *inter initia protinus occurrere neceſſarium eſt, nec facile hic morbus, cum inveteravit, evincitur.* Ex recentioribus de inſigni phthiſin ſanandi difficultate videatur FORESTUS *obſerv.* 45. *lib. XVI.* & *Rodericus* à FONSECA *Tom. I. conſult.* 58. *& Tom. II. conſult.* 48. nec non *Timæus* à GULDENKLEE *in epiſt. lib. III. ep.* 2. ubi hæc habet: *ingenue fateor, in tota mea praxi, quam* 37. *annis exerceo, neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerunt, integræ ſanitati reſtituere potui, etiamſi nihil intentatum reliquerim, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere poterat, neque ab aliis celeberrimis medicis quempiam reſtitutum vidi.*

§. XX.

*Sed incipiens.*

Verum enim vero, licet phthiſeos curatio ſit difficillima, imo, ſi ad tantum faſtigium pervenerit, ut a vulgo quoque ſignis manifeſtis cognoſcatur, ſupra omnem humanam artem poſita; nolim tamen facile idem de omni, præſertim in incunabulis quaſi ſuis adhuc hærente prædicare. Namque plura mihi cognita ſunt exempla eorum, qui a vulnere pulmonibus inflicto, vel a præcedente hæmoptyſi & ruptione vaſorum minimorum, nec non poſt pleuritidem & peripneumoniam pectoris abſceſſu & vomicis laborarunt, ſed nihilo minus tempeſtiva medicatione a malo ſuo penitus fuerunt liberati. Pari ratione mihi & aliis obſervare licuit, perplures à phthiſicis parentibus genitos, qui pectus interius depreſſum & ſcapulas inſtar alarum prominentes habuerunt, qui ad iram valde proclives ſanguinem in pueritia ex naribus, citra ullam cauſſam externam, frequentius ſtillarunt, ſalſaſque ad fauces & pectus defluxiones cum tuſſi ſicca & ferina, æſtivo etiam tempore infeſtante, paſſi ſunt carnemque mirum amiſerunt & non longe poſt paſtum calorem volarum perceperunt, florido adhuc genarum colore exiſtente, in integrum congrua medicina & diæta fuiſſe reſtitutos. Imo denique pulmonum abſceſſus, ubi ingenti in copia pus album, æquale & unius coloris fuit ejectum, reliqua tamen pulmonum ſubſtantia nondum corrupta, nec ſcirrhoſis indurationibus, vel fiſtulis ulceroſis obſeſſa, neque cordis & pulmonum vaſa concretis polypoſis infarcta fuerunt, convenienti methodo tam diætetica quam pharmaceutica feliciter vidi ſanatos. Id quod innumeris aliis

exemplis confirmare poſſemus, ſi ad longius excurrendum tempus nobis ſuppeteret.

## §. XXI.

*Cur tam raro fiat, exponitur.*

Jam prævideo, quid objici mihi hic poſſet: ſcilicet, qui fiat, ut tam raro phthiſi, vel tantum incipienti obtingat curatio. At vero, quæ id multo ſæpius prohibent, variæ dantur cauſſæ, quas inter hæc mihi potiſſima eſſe videtur, quod non ſatis evidentia ſigna diagnoſtica ſemper ſuppetant, quibus de veræ phthiſeos præſentia ejuſque genuinis cauſſis certiores reddamur. Quam in rem egregia ſunt verba FERNELII, qui in *patholog. lib. 5. cap. X. latens abſceſſus*, inquit, *ſeu vomica, vitium inprimis abditum, ſæpe nec laboranti, nec medico notum, quo laborans ipſe nec conſueta munia intermittit, nec ſe morbo teneri putat, cauſſamque interitus neſciens intus gerit ſub pectore: non pauci tamen inopinato è vivis horæ quadrante erepti ſunt, in quibus diſſectis non alia mortis cauſſa comparuit, quam repentina vomicæ in pulmonibus diſruptio, qua per ſuffocationem ſu vita exſtincta. Omnibus tamen ſic affectis nullo non tempore ante, quam vomica rumperetur, adfuit cruenta cum tuſſi exſcreatio, corporis gravitas, pectoris levis oppreſſio & ſpiritus difficultas, quibus tabes raro comes. Sed hæc ſigna aliis quoque affectibus communia ſunt.* Præter hæc vero de admodum difficili phthiſeos diagnoſi plenius nos convincere poſſunt frequentes medicorum, etiam ſæpe clariſſimorum, circa eandem errores. Ita enim complures phthiſici habentur, qui tuſſi chronica cum catarrhali defluxione affecti materiam paullo craſſiorem, coloris ex albo viridis rejiciunt, aut qui tuſſim ſtomachalem hypochondriacam ex vitioſa primarum viarum ſaburra ad pulmones delabente ſubortam diutius experiuntur. Fit quoque, ut aſthma humidum, præſertim ubi poſt ſuppreſſas hæmorrhoidum vel menſium excretiones, factamque inde in diſpoſitis humorum ad pectus regurgitationem & congeſtionem ortum ſumſerit, pro phthiſica affectione non raro venditetur. Nec denique obſcurum eſſe poterit, lentam febrem cum tuſſi & repentina corporis extenuatione & colliquativis ſudoribus junctam, quæ arthritide, podagra vel ſcorbuto affectis nonnunquam ſupervenit, ad phthiſin ſæpiſſime referri, cum tamen nulla in pulmonibus continui ſolutio reperiatur. His vero ita conſtitutis, quum tam anceps, tamque difficilis veræ tabis pulmonalis ſit cognitio; facile poterit colligi, quam incerta ſit curatio, quæ illi debet eſſe ſuperſtructa.

## §. XXII.

*Quod ulterius oſtenditur.*

Sed accedit adhuc alia non minoris momenti cauſſa, quæ phthiſeos & inde ſubortæ hecticæ ſanationem impedit: quod ſcilicet perpauci medentum ſint, qui idoneis ad hoc negotium pertinentibus medicamentis recte & circumſpecte uti norunt. Nam ſi ullo in morbo, certe in phthiſi curanda, ob tantam remediorum contraindicationem medici opus eſt prudentia. Poſtulat enim phthiſis laxantia & humectantia, poſtulat leniora traumatica & adſtringentia, imo poſtulat nonnunquam blanda anodyna &c. quæ niſi debita cautione juſtoque tempore & exacta circumſtantiarum habita ratione adhibentur, longe gravius malum efficiunt, tantum abeſt, ut levaminis quicquam afferant.

## §. XXIII.

*Prognoſis funeſta.*

Præmiſſis hiſce generalioribus ad prognoſin ſpectantibus, nunc de eventu morbi noſtri tam ſalutari quam perniciali pauca erunt ſubjungenda. Sciendum itaque, ſpem in anguſto eſſe poſitam, ſi hecticus calor magis magiſque increſcit & pulſus etiam primo mane fertur citatior, ſi caro cum viribus conſumitur, neque hæ aliquo modo per ſomnum reficiuntur. Quæ quidem mala plerumque eveniunt, ſi, quo plus puris adeſt, eo minus expectoratur. Tum enim acrius illud fit & fœdius carbonibuſque injectum tetro odore nares ferit, & eo magis quoque febris augetur. Si porro accedit ſumma ſpirationis cum metu ſuffocationis difficultas; ſi ægri in eo latere, ubi læſio lobi eſt, non poſſunt jacere; ſi odorem cadaveroſum ex ore ſpirant, ſi vox raucida, ſudores colliquativi, diarrhœa & pedum cum dolore quandoque juncta intumeſcentia ſuperveniunt, capillique defluunt, mortem in propinquo eſſe certiſſimum eſt. Quodſi denique expectoratio prorſus ſupprimitur, ægri ſenſim paullatimque, maxime ſub ſitu capitis elatiori, mentis ſatis compotes, ſpiritum emittunt.

## §. XXIV.

*Prognoſis ſalutaris.*

Contra vero meliora ſunt ſperanda, ſi vires adhuc conſtant & reſpiratio eſt liberior, ſi appetentia ciborum ac digeſtio ſalva, ſi ſputum, quod ejicitur, album & æquale eſt, nec febris hectica urget. Major tamen ſanationis ſpes apparet, ſi æger eſt boni corporis habitus, ſi pectus habet amplum, hæreditaria deeſt diſpoſitio, & ſi calor ſit mitior alvuſque compacta deponit. Hac enim ratione phthiſici, præſertim convenienti diætæ & medicamentorum uſu adjuti per longos annos vitam ſæpe poſſunt protrahere: quam in rem magni momenti ſunt verba WILLISII, quæ *lib. de medicament. operat. Sect. 1. cap. VI. de tabe ſeu phthiſi* in hunc modum prodidit: *Accedit interdum*, inquit, *foveam quandam, aut forſan binas in pulmonibus efformari eaſque circum circa parietes calloſos obtinere, ita ut materies ibi collecta in maſſam ſanguineam minime transferatur, ſed quotidie tota, copia licet ingenti expectoretur. Taliter affecti, quaſi tantummodo fontanellam in pulmone haberent, ſputum etſi multum & craſſum, imo flavum & quaſi purulentum omni mane, aliquantulum in toto die rejiciunt, tamen alias ſatis ſani degunt, bene reſpirant, comedunt & dormiunt, ἐυσαρκεῖς, aut ſaltem bono corporis habitu perſtant & non raro perſaneſcunt. Hinc nonnulli dicuntur phthiſin per 30-40. annos habuiſſe & morbum eum uſque ad vitæ terminum, haud proinde abbreviatum, protraxiſſe.* Et profecto notabile eſt circa pulmonum ulcera, quod ſalvis reliquis viſceribus ſine notabili corporis contabeſcentia per plures annos poſſint durare. De quo videri poteſt KERKRINGIUS *in ſpicilegio anatom. obſ. 72.* & BARTHOLINUS *Cent. II. hiſt. 14.* Nec adeo conceptu eſt difficile. Uti enim natura interdum vitioſa excrementa per ulcus extremarum partium, vel etiam artificiale, ut fontanellam inſigni cum emolumento expellit; ita cur idem non poſſit locum quandoque habere in pulmonum ulceribus, equidem non video.

## §. XXV.

*Signa convaleſcentiæ.*

Sed demum non parum periti medici intereſt, ſpecialiora illa, quæ phthiſicorum convaleſcentiam manifeſtant, ſigna probe noſſe. Hæc quidem optime tradita legimus apud ARETÆUM *lib. III. cap. 1.* quare digna cenſemus, quæ huc transferamus: *Si vertantur in melius phthiſi laborantes, tuſſis longior & rarior fit, plura excer-*

*nuntur*

*nuntur ſanioſa ſputa & humidiora, multa per ventrem aquea exturbantur, urina copioſa excernitur, licet nondum quicquam in ea ſubſidat, vox ſonantior clariorque redditur, ſomni longiores, quantum ſatis eſt, efficiuntur, præcordia remittuntur, dolor interdum ad ſcapulas in remiſſione tranſit, anhelitus rarus, lenis, ſed cum vocis aſperitate fit: & ita ſane mortem effugiunt.*

## *CURATIO.*

### §. I.

*Methodus phthiſi medendi triplex, curativa, mitigativa & præſervativa.*

Pro diverſa mali phthiſici ſtatu atque conditione tam ratione temporis & cauſſarum, quam reſpectu virium ægrotantis medendi methodus & apta remediorum appropriatorum applicatio multum omnino differt. Nobis eam in curativam, in mitigativam & præſervativam diſpeſcere placet. Prior locum habet, ubi talis cauſſarum ſtatus & circumſtantiarum ratio eſt, ut ſpes reſtitutionis in integrum affulgeat & idoneus medicamentorum uſus ſanationem adhuc promittat. Mitigativa vero ea eſt, ubi tanta vis morbi eſt, ut ejus expugnatio nec ab optimis remediis ſit obtinenda, ſed in id potius debeat incumbi, ut urgentia ſymptomata mitigando pejoraque ac funeſta avertendo vitam ad longius tempus prolongemus. Tertia denique præſervatoria ſicut in univerſum ad morbos graves præcavendos omnium eſt optima, facillima & ſecuriſſima; ita etiam in noſtro affectu, ubi adhuc eſt in incunabilis, principem ſuo merito locum tuetur.

### §. II.

*Curativa ubi locum habeat.*

Accedimus jam ad methodum medendi curativam. Hæc locum maxime invenit, ubi à vomica rupta abſceſſus apertus oritur & magna puris ejicitur copia, quod ſæpiſſime evenit poſt pleuritidem & peripneumoniam male terminatam, poſt hæmoptyſin & vulnera pulmonibus inflicta, ſalva reliqua pulmonali ſubſtantia, eaque nec eroſa, nec ſcirrhoſa. Quo in caſu nec rectius nec melius datur præſidium, quam lactis cura decenter uſurpata, qua ego perplures phthiſicos, in cymba charontis quaſi hærentes ſanatos priſtinæque redditos valetudini novi. Nam ſi ullum eſt remedium, quod non heri aut nudius tertius natum, vel quatuor tantum experimentis comprobatum, ſed quod triginta ſeculorum omniumque inter omnes nationes medicorum jugi & conſtanti experientia ſaluberrimum & præclari in phthiſi curanda uſus eſt deprehenſum, certe eſt lac & cum hoc prudenter inſtituta curatio, de qua utilia quædam hoc loco tradere operæ erit pretium.

### §. III.

*Lactis uſus vetuſtiſſimus eſt.*

Et primo quidem ut certiores fiamus, lactis uſum eſſe vetuſtiſſimum & primis mox temporibus, quo ſalutari arti majus ſtatuere pretium cœperunt homines, ab optimis medicis, ceu ſummum phthiſeos remedium eſſe commendatum, è re erit, certa, quæ id comprobent, teſtimonia ex veterum monumentis in medium afferre. Primus itaque, qui lacti plurimum in ſanando tribuit, ſuo jure dicendus eſt HIPPOCRATES, quem poſtea ſecutus eſt GALENUS, qui multus eſt in commendando lactis ad phthiſin uſu, & *lib. V. meth. med. cap.* 12. mentionem injicit loci, quem vocat Stabias, aëris puritate, pecudum pabulo & lactis ibi emulcti ſalubritate celeberrimi, ad quem frequentiſſime confluxerit, ad ſanitatem recuperandam elumbis phthiſicorum cohors; non ſecus, ac noſtris temporibus ad acidulas & thermas, recuperandæ per aquas ſanitatis gratia, convenire quotannis ægri ſolent. Qui mos & curandi methodus, teſte *Andrea* BACCIO, Romanorum doctiſſimo medico, etiam ante centum annos in Italia viguit. Nam *lib. IV. de thermis* egregius hic auctor ita ſcribit: *Neapolitani medici pro ultimo refugio ægros phthiſicos, & qui ſanguinem exſpuunt, vel ejuſmodi thoracis ulcera & alia vitia patiuntur, ad Tabeas mittunt, cum ſucceſſu adeo ſalubri, ut ſint, qui totam in iis degant vitam.*

### §. IV.

*Quod ulterius oſtenditur.*

Eſt quoque inter veteres eoſque peritiſſimos medicos ARETÆUS, qui *lib. VII. de morb. chron.* non dubitavit aſſerere, phthiſicos, ſi multum lactis potent, nullo alio egere auxilio. Præcipue vero huc referri debet TRALLIANUS, qui in omnibus prope pectoris morbis lactis uſum in ſuis de re medica libris ſummopere ſuadet. Ita memorabilis exſtat locus in *lib. VII. pag.* 309. ita ſe habens: *quod ſi corpus totum, alimentum non ſentiens contabeſcere manifeſto inceperit, neque thorax multum puris contineat, etiam ſolum lac ipſis dari debet, & aſininum omnia alia antecellit, quod probe purgat.* Alio loco commemorat: *ægre ſpirantes aſinino lacte ad utos ſubinde conſpexi, quum opportune eſſet datum: omnia enim, quæ pulmonum cavernis infixa ſint, rejectione reddit morigera.* Et de hæmoptyſi loc. cit. pag. 304. hæc habet: *omnes hæmoptyici lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam adeo accommodum ipſis ac utile, quam lac: & qui per initia ſolo ipſo conſtanter, longiori tempore uſi ſunt, omnes in totum conſanuerunt.* Porro addit: *novi quendam, qui cum toto anno lac bibiſſet & comediſſet, & à vino abſtinuiſſet, ab hæmoptyſi & puris ſputo liberatus fuit, ut nec poſtea in phthiſin inciderit.*

### §. V.

*Lactis virtus pro diverſitate animantium examinatur.*

Verum enim vero, demonſtrandum etiam à priori eſt, quare lac tam celebre tamque incomparabile in pectoris morbis ſit præſidium. Primum vero ſcire licet, lac nec unius eſſe generis, nec ejuſdem quoad omnia virtutis, ſed pro diverſitate animantium, & pabuli peculiares quaſdam poſſidere facultates, quæ ſeorſim ſunt expendendæ. Primo omnium ſe nobis offert lac aſininum, quod ſummo in pretio ſemper à veteribus habitum fuit, multumque habet ſeri dulcis, ſed parum terreæ caſeoſæ & pinguioris ſubſtantiæ, quare nec facile coagulatur & ad conficiendum caſeum & butyrum minus aptum exiſtit. Serum ejus abſtergentem & laxantem, humectantem & acrimoniam temperantem poſſidet facultatem. Hoc ſequitur caprillum, quod non tam ſeroſum eſt, quam aſininum, neque tam bene laxat & abſtergit, ſed conſiſtentiæ eſt craſſioris; & quia frondibus arborum, quæ aliquid reſinoſi continent, veſcuntur capræ, ad conſolidationem partium ſuppuratarum plurimum valet. Lac bubulum pinguius eſt, multumque terræ, ſed minus ſeri habet; unde etiam multum ex eo butyri & caſei confici ſolet. Habet virtutem temperantem, nutrientem & conſolidantem. Humanum lac ad uſum medicum præ aliis videtur præſtantiſſimum. Nam dulciſſimum omnium eſt, ejuſque nutriendi vis inſignis abunde apparet in infantibus. Differt vero etiam lactis virtus pro diverſitate pabuli & herbarum, quibus animantia veſcuntur. Hinc lac vernale ſalubre admo-

admodum eſt, quia tunc vegetabilia multis ſuccis temperatis turgent, cum contra hibernum, quia tum animalia fœno & ſtramine veſcuntur, minus ſalubritatis habeat.

§. VI.

*In pectoris morbis.* Hiſce expoſitis facile nunc judicatur, lac ideo in omni pectoris affectu & tabeſcentia univerſale remedium dici & haberi poſſe, quod omnibus medendi indicationibus ſatisfaciat. Primo enim, ad acrimoniam humorum, quæ irritationis, vehementioris tuſſis & corroſionis præcipua cauſſa eſt, inſigniter temperandam, mitigandam & demulcendam, lacte, præcipue vaccino nihil deprehendimus efficacius. Nam uti veneni corroſivi arſenicalis vim noxiam infringere valet; ita multo magis ſpicula ſalium corporis noſtri involvere poterit atque obtundere. Ubi porro ſcopus & intentio eſt, viſcidos & craſſos humores detergendi, ulcera purgandi, alvum laxandi urinamque movendi & humorum affluxum à partibus affectis divertendi, aſininum reliquis omnibus, propter copioſum ſerum dulce abſtergens, erit præferendum. Ubi virtus conſolidandi & conglutinandi ſauciatas partes expetitur, caprillum ſatisfaciet. Ad partes vero tabe conſumtas nutriendas & ad vires deperditas reſtaurandas, nec ſalubrius nec valentius datur humano lacte, præſertim, quando ex mammis mulierum, nullo accedente aëre, quo ſpirituoſum elementum avolat, hauriatur. Quam in rem memorabile eſt, quod doctiſſimus WEPFERUS in *epiſt. ad Verzaſcham* ſcribit. *Certe divini quid tam in humano, quam aſinino lacte latet, quod antehac nunquam crediſſem, niſi id ſenſibus comperiſſem. Vidi his meis oculis, quaſi novos homines inde factos fuiſſe. Nam legitimo ejus uſu habitum firmiorem, colorem nitidiorem & vires robuſtiores plurimi acquiſiverunt.*

§. VII.

*Uſus ſeri lactis.* Sed non modo in lacte, verum etiam in ejus ſero, ſi rite paratum fuerit, magna & efficax, imo interdum potentior ad chronicas pulmonum & aliorum viſcerum paſſiones ſanandas virtus reſidet, quam in lacte ipſo. Nam, ſi vaſculorum in viſceribus obſtructiones, quæ fere initium dant longis morbis, reſerandæ ſunt atque expediendæ, ſi lenti ac tenaces humores diſſolvendi, ſi emunctoria aperta ſervanda & partes calore torridæ ſunt humectandæ, ſerum lactis, ex quocunque animali ſit petitum, ipſi lacti anteferri debet. Legi de hoc argumento fuſius poteſt noſtra *diſſertatio de mirabili ſeri lactis virtute.*

§. VIII.

*Lactis uſus in recta adhibitione conſiſtit.* Ex hiſce adductis clare liquet, non modo in pectoris affectibus, ſed etiam in difficillimis morbis ſanandis non ſine ratione, ſed conſentiente experientia ab antiquiſſimis & peritioribus noſtri temporis medicis lac maximi ſemper habitum fuiſſe. Totum vero arcanum in recto & prudenti ejus uſu ad morbos tum curandos tum mitigandos, unice conſiſtit. Quodſi enim quis & alimentis & medicamentis minus recte uti callet, plus detrimenti affert quam emolumenti. Quam regulam ii inprimis ex recentioribus tenere debent, qui, neſcio ex qua cauſſa vel quo affectu, lactis uſum medicum penitus rejicere, damnare & infamare omnibus viribus contendunt.

§. IX.

*Lactis virtus augetur pabulo medicato.* Quamvis vero per ſe ſatis eximius ſit uſus lactis ejuſque ſeri ad multas indicationes in phthiſeos curatione adornanda abſolvendas; negari tamen minime poteſt, ſalutarem ejus energiam pro diverſo ſcopo obtinendo diverſis modis & rationibus ſecundari poſſe & exaltari: quod ſequentibus demonſtratum dabimus. Et primo quidem, lactis vis mirum intenditur ac vere medicinalis redditur, ſi animalibus, quorum lacte fruimur, pabulum medendi ſcopo accommodatum & quodammodo medicatum exhibemus. Etenim, à diverſa alimenti, quo animalia & homines veſcuntur, indole, lac etiam, quod præbent, differentem acquirere facultatem, non eſt quod dubitemus, præſertim quum vel quotidiano conſtet exemplo, medicamentum purgans nutrici oblatum, per lac quoque infanti ſugenti communicari. Laudandi igitur ſunt antiquiores artis noſtræ antiſtites, qui, ut lac meliorem obtineat efficaciam, aſinis vel capris inter pabulum ejuſmodi obtulerunt herbas, quæ ad morbum, quem curandum ſuſceperunt, virtute apprime ſpecifica ſplenduerunt. Hinc eſt, quod GALENUS *loc. cit.* memorat, herbas in Stabiis naſcentes, quales ſunt gramen, polygonum, meliſſophyllum, rubus, hedera, cytiſus, lentiſcus &c. lac animantium, ſi hiſce veſcantur, efficere ſaluberrimum. Quem eximium morem & nos uſque eo felici cum ſucceſſu ſequuti, quando partis affectæ abſterſionem, vel depurationem moliti ſumus, hordeum, ſcabioſam, ſcordium, chærefolium, arnicam, hyſſopum, veronicam, marrub. album cum pabulo miſceri juſſimus; ſi vero conſolidandi fuit intentio, plantaginis ſpecies, hederam terreſtrem, agrimoniam, millefolium, ſaniculam, conſolidam majorem, pulmonariam &c. paſcui loco objicienda curavimus.

§. X.

*Admixtione aquarum ſalubrium.* Verum, adhuc ſunt alii modi lactis virtutem medicamentoſam pro varia intentione augendi, ſcilicet per varias & appropriatas admixtiones, quas inter præcipue eminet miſcela lactis cum aquis mineralibus; de qua ego, ſine omni oſtentationis nota, vere aſſerere poſſum, quod primus fuerim, qui ipſam in Germania introduxit. Nam quum ante triginta & plures abhinc annos aquarum ſalubrium, in noſtris regionibus ſcaturientium, tam calidarum, quam frigidarum ingredientia encheireſi chymica ſcrutatus nullum ſal acidum & vere vitriolicum, ſed potius alcalicum & medium, cum ſubtiliori terra & tenuioribus martis particulis in ipſis deprehenderim, experimentum feci, lac cum ejuſmodi aquis remiſcendi, idque tam felici cum ſucceſſu, ut exinde in compluribus chronicis, maximeque pulmonum affectibus vel tollendis vel leniendis tam admirabiles viderim effectus, qui nec à ſolo lacte, nec à thermis vel acidulis ſeorſim adhibitis potuiſſent exſpectari. Unde mirandum, imo plane dolendum eſt, plurimos antea fuiſſe & adhuc eſſe, qui in phthiſi & pulmonum exulceratione acidulas exiſtimant nocentiſſimas, eaſque nec per ſe, nec cum lacte mixtas adhibere audent. Duos tantum ante noſtram ætatem excipimus celeberrimi nominis medicos, quorum alter ex majoribus eſt *Raymundus Joannes* FORTIS, qui Cent. II. Conſil. 20. 27. 28. 30. & maxime 34. acidularum uſum commendat, dum *adventante* inquit, *tempore*, *quo aquæ acidulæ in valle ſolis enaſcentur opportunæ ſunt, quæ pulmonum ulceribus ſaluberrimæ ac præſtantiſſimæ à nobis quandoque fuerunt expertæ, ad eaſdem tanquam ad unicam ſacram anchoram confugiendum conſulimus, cui remedio, ſi malum non ceſſerit, minus*

*nus decoctis, lacti aliiſque ejuſdem, facultatis ceſſurum fore arbitramur.* Alter ex recentioribus eſt MORTONIUS, qui medicatas aquas in pulmonum morbis ſalubres eſſe perhibet, *phthiſiol. p. m.* 68. ſi pulmones tumoribus ſteatomatoſis cum calore miti hectico obſeſſi ſunt, *atque hoc pacto,* ſcribit, *plurimos phthiſicos multos annos harum aquarum uſu, cum appetitus & virium reſtitutione, caloris hectici & tuſſis minoratione, atque majori reſpirationis libertate reſtitutos & ſine ulla recidivatione ſanos redditos vidi.*

§. XI.

*Quænam acidulæ hoc fine proſint.*

Ego autem licet in morbis, qui ex pulmonum ſubſtantia ſoluta, præſertim graviori pendent, non facile aquas minerales, quæ validioris indolis ſunt, ſuaſerim; multiplici tamen experientia confirmatus teſtor, illas ipſas, quæ mitiorem obtinent genium ſaleque alcalino valde turgent, (ut ſunt fontes Selterani vel Carolinæ thermæ,) cum lacte ſive aſinino ſive caprillo decenti proportione mixtas non modo in tuſſi chronica rebelli, cum dolore thoracis compreſſorio, ſpirandi anguſtia, lento calore & tabe juncta, verum etiam in profunda pulmonum ſuppuratione & vera phthiſi exoptatiſſimum præſtitiſſe levamen. Hac enim ratione ad lentam, viſcidam materiam diſſolvendam, ad obſtructiones capillarium vaſorum reſerandas, & ulcera detergenda ac depuranda lac majorem & præſtabiliorem acquirit virtutem. Multo vero magis lactis cum aquis mineralibus potus indicatur, quando hæc pulmonum vitia ab affectione hypochondriaca, ſcorbutica, arthritica, vel etiam calculoſa, quod non raro evenit, foventur. Plura de connubio illo lactis & aquarum ſaluberrimo legi poſſunt in diſſertatione, quam ex profeſſo de hac materia conſcripſi.

§. XII.

*Lac miſceri poteſt cum aliis remediis ſecundum veteres.*

Fuit autem hæc methodus, lac per varias admixtiones corrigendi jam priſcis medicorum cognita atque conſueta. Hinc plura in HIPPOCRATIS, TRALLIANI, AETII & ARETÆ. monumentis conſignata exſtant exempla, ubi lac aquæ permixtum phthiſi laborantibus præceperunt, vel etiam inprimis hydromel lacti additum exhibuerunt, cui miram *Hippocrates* tribuit efficaciam, dum *lib. II. de diæta* illud ipſum pulmonem emollire, tuſſim ſedare, ſputum educere & urinam movere perhibet. Hæc dum meditamur, inſignis occurrit locus apud Cl. SPONIUM *in aphoriſm. novis Sect. V. aph.* 99. qui non modo externum & vulnerarium, verum etiam internum aquæ calcis uſum in impetigine & lepra curanda ſummis effert encomiis, atque dein miſcelam hujus aquæ cum lacte egregie commendat, his verbis: *Quin imo,* inquit, *quod magis mirum, in ulceribus internis, diarrhœa, dyſenteria &c. hæc aqua cum lacte, aut ſero lactis pota mira præſtat, ut ex Dno de Cloſure, celeberrimo inter Santones & Vaſcones practico addidici.* Nec ego facile hanc methodum improbarem, ſiquidem in dyſenteria cum inteſtinorum exulceratione juncta lac cum fonte Selterano mixtum incomparabilis ſemper deprehenderim efficaciæ.

§. XIII.

*Cum infuſis & decoctis.*

Sed ulterius progrediamur, ac quibuſnam aliis remediis lac commode poſſit jungi inquiramus. Ad pulmonum vitia graviora in proprie ſic dicta phthiſi emendanda infuſa & decocta ex herbis vulnerariis & pectoralibus confecta non modo a medicis, ſed etiam à vulgo omni tempore ſummo in pretio habita fuiſſe, res in artis exercitio notiſſima eſt. Herbæ autem, quæ huic uſui potiſſimum accommodatæ laudantur, ſunt ſpeciatim conſolida major cum radice, conſolida ſaracenica, tuſſilago, plantago acuta, pulmonaria maculoſa, ſanicula, ſcolopendrium, ſcabioſa, veronica, agrimonia, hedera terreſtris, marrubium album, milleſolium cum ſummitat. hypericum cum floribus, flores roſar. & id genus alia, quæ vel cum cereviſia, vel cum aqua, adjectis ficubus, melle, ſemineque fœniculi & aniſi ſtellati coquuntur. Neque deſunt exempla, quæ inſigni cum phthiſicorum emolumento hæc ipſa adhibita teſtantur, quum ſi ſimplex ſaltem abſceſſus vel ulcus, ſine induratione ſcirrhoſa, ſine concretione polypoſa adſit, multum utique ad partes læſas conſolidandas poſſint conferre. Nihilo minus non inficiandum eſt, ejuſmodi decocta non raro propter vim ſuam adſtringentem magno fuiſſe damno; maxime ubi duris tuberculis pulmones inter initia ſunt obſeſſi, vel ſi quando ad hæmoptyſin intempeſtive ſiſtendam adhibentur. Sanguis enim extravaſatus hac ratione facile ſubit coagulum, minimaque vaſcula obſtruuntur, ut hinc longe major ſanguinis & humorum in pulmonibus fiat ſtagnatio, ad producendam veram phthiſin aptiſſima. Quod in periculum ne incurramus, ejuſmodi infuſa vel decocta cum portione vel æquali vel dimidia lactis miſcere præſtat, unde vis eorum adſtringens ex parte infringitur & ſimul acrimoniæ humorum temperandæ proſpicitur utiliſſime.

§. XIV.

*Cum laxantibus.*

Quod ſi deinceps primæ viæ ab humorum vitioſorum colluvie ſunt repurgandæ, folia ſennæ, rhabarbarum & manna cum lacte vel ſolo, vel aquato & acidulis temperatioribus diluto, vel etiam cum ſero lactis commode poſſunt infundi leniterque decoqui, quum alias phthiſici, maxime ſi ſenſibilioris ſunt naturæ, facile a purgantibus, etiam mitioribus lædantur. Vidi quoque, ubi inprimis luxurians acidæ ſaburræ in primis viis progenies fuit, magneſiam, quæ nonniſi ſubtiliſſimus calcis vivæ elutriatus flos eſt, ad drachmam unam vel duas cum aliquot lactis caprini unciis datam egregie alvum ſubduxiſſe.

§. XV.

*Cum anodynis & diureticis.*

Ad tuſſim ferinam omneſque vires cum ſomno eripientem demulcendam, ad acrimoniam temperandam parteſque conſtrictas relaxandas veteres olim inſigni cum utilitate diacodia, quorum præcipua ex ſuccis & ſemine papaveris ſunt compoſita, adhibuerunt, recentiores vero maſſas pilularum de cynogloſſa & de ſtyrace, quæ juſta & refractiori doſi propinata fructu ſuo non deſtituuntur, præſcribere ſolent. Nihilo tamen minus hæc ſingula magis proficiunt, quando cum hauſtu lactis circa ſomni tempus offeruntur. Expedit quoque nonnunquam, ubi magnus humorum ad pectus affluxus & major in tuſſi diuturna & phthiſica corruptio metuenda eſt, ad divertendum humorum impetum, quæ urinam cient remedia modeſte in uſum trahere. Cui ſcopo itidem lac & ejus ſerum in uſum poteſt vocari ejuſque vis diuretica aliquo modo augeri, ſi cum ſeminibus ſelleri, petroſelini, dauci cretici, milii ſolis, violarum &c. invicem probe conquaſſatis infuſum porrigitur.

§. XVI.

*Vehi[illegible] ali[illegible] lo[illegible] cum [illegible]*

Præter jam dicta ſuperſunt adhuc alia remedia in læſione pulmonũ phthiſica tam ad depurationem, quam

*mis pectoralibus.*

quam ad conſolidationem ſumme proficua. Quo nomine maxime ſplendent & efferuntur balſama ſic dicta pectoralia & vulneraria; quorum licet in medicorum libris multæ ac variæ exſtant formulæ, nobis tamen probatiſſimas tantum & à peritiſſimis in arte viris inventas hic recenſere placet. Primum vero locum merito obtinet celebratiſſimum illud Meubomii, Profeſſoris medici experientiſſimi, balſamum, quod ita componitur: Recipe olei hyperici antiqui uncias duas, ſpermatis ceti drachmas ſex, terebinth. Venet. puriſſ. drachm. tres, ſanguin. dracon. drachmam unam, laudani opiati grana ſex. M. detur à drachma una ad duas. Nec minoris efficaciæ eſſe deprehendi, quod in hunc modum paratur: Recipe ol. amygd. dulc. uncias duas, florum ſulph. à calce viva ſublimat. drachm. duas. Coque leni calore. Adde balſami de Copaiva drachm. unam, ſperm. ceti, ceræ flavæ ana unc. dimidiam, extracti croci drachmam dimidiam, ol. aniſi, fœniculi, macis ana guttas X. Quibus ſuccedit tertium hac ratione conficiendum: Recipe mellis optimi Pruſſici, diacodii Montani ana unciam unam, eſſentiæ myrrhæ aquoſæ & inſpiſſatæ unciam dimidiam, flor. ſulphuris, extracti ſummitat. millefol. drachmas duas, croci liquidi drachmam dimidiam, ol. macis, lign. ſaſſafr. ana gutt. VIII. Hæcce nobiliſſimæ virtutis balſama, quando iis utendi indicatio eſt, non meliori vehiculo, quam cum lacte aſinino, caprino, vel vaccino, convenienti quantitate poſſunt exhiberi.

## §. XVII.

*Mitigativa methodus requirit lacticinia & pulv. temperantes.*

His ita excuſſis, quæ ad methodum medendi curativam pertinere viſa ſunt, accedimus jam ad curam palliativam ſeu mitigativam, qua phthiſi affectos à gravioribus & vitæ infeſtis accidentibus immunes reddere, ipſiſque vitam, licet valetudinariam diutius protrahere allaboramus. Hocce curationis genus in iis potiſſimum locum invenit, ubi intenſior carnemque & vires ſenſim depaſcens calor urget, qui plerumque ob materiæ purulentæ cum ſanguine mixtionem accedere ſolet, qua vitalis cruor inquinatus per motum inteſtinum ebullit, acriorque & ſalſior evadit. Ad reſtinguendum igitur hunc æſtum & acrimoniam humorum temperandam, remedium non datur lacte præſtantius, tumque lac vel aſininum, vel humanum convenienti doſi & ſub juſta diæta exhibitum omne abſolvit punctum. Eodem quoque fine emulſiones, quæ ſemina IV. frigida maj. papav. albi, decoctum hordei, vel C. C. aquam roſarum, lilior. convallium, ceraſorum nigror. julepum roſar. &c. habent, frequentius poſſunt propinari. Horum lacticiniorum virtus mirum adjuvatur, ſi cum pulveribus temperantibus nitroſis, quorum magna, etiam in incipiente hectica, vis eſt, exhibentur. Poſſunt autem hi pulveres in hunc modum componi: Recipe matris perlar. lap. cancror. ana drachmas duas, nitri purif. drachm. unam, olei deſtill. macis gutt. IV. M. detur ad drachmam unam.

## §. XVIII.

*Balnea aquæ dulcis.*

Nec, ad mitigandam ſymptomatum atrociam, negligenda ſunt balnea aquæ dulcis cum decenti quantitate lactis vaccini & nitri purif. portione remixta, quorum beneficio partes ſtrictæ, tenſæ & aridæ humectantur & relaxantur, tuſſiſque, calor ac ſomnus placidiores redduntur. Quamobrem etiam in ipſa curativa methodo nonnunquam locum habere poſſunt aptiſſimum.

## §. XIX.

*Infuſa & decocta.*

Ubi calloſo & inveterato ulcere pulmo eſt obſitus ac quotidie ſputum pure mixtum, non ſine notabili corporis viriumque decremento ejicitur, unice providendum eſt, ut acrem ſalſamque ſanguinis & humorum dyſcraſiam depurando, ulteriorem pulmonum exulcerationem avertamus; quo fine temperatiora infuſa, quæ ex hedera terreſtri, herba coſti, chærefolii, veronicæ, ſcabioſæ, tuſſilaginis & pulmonariæ optime conficiuntur, ſummam merentur commendationem. Sed ut crebrius & ſatis longo tempore adhibeantur neceſſe eſt. In ſubjectis ſeroſioribus & catarrhis obnoxiis ubi à magna humoris impuri ac ſeroſi ad pulmones decumbentis colluvie malum inductum & ſuſtentatum fuerit, ad inhibendam majorem ad pectus congeſtionem pro potu ordinario decoctum radicis chinæ & ligni ſantali rubri cum paſſulis, quod ab auctoribus ſummopere laudatur, cum bonis ægrorum rebus poterit ſubſtitui.

## §. XX.

*Saccharum roſaceum.*

Tandem quoque in tali rerum ſtatu curandum eſt, ut tonum pulmonum, quantum quidem fieri poteſt, conſervemus. Cui ſcopo obtinendo ſaccharum roſaceum cum præſcripto decocto ſæpius aſſumtum inſigniter velificatur; quod ſimplex remedii genus non modo olim Arabum doctiſſimi medici, & inter hos maxime Avicenna maximopere commendarunt, verum etiam recentiorum nonnulli vel ſolum ad phthiſin tollendam & mitigandam æſtimant idoneum. *Vid.* Zacutus Lusitanus *in praxi admir.* lib. I. obſ. 139. & M. N. C. *Dec. II. ann obſ.* 19. & Sylvaticus *in conſil.*

## §. XXI.

*Præſervatoria ubi adhibenda.*

Tranſimus nunc ad curam præſervatoriam, cujus ratio in eo conſiſtit, ut truculentum hunc morbum ab iis, qui vel natura, ætate, corporiſque habitu, vel ex commiſſis in diæta erroribus ad ipſum proclives exiſtunt, tempeſtive occurrendo cauſſis, avertamus, aut ubi jam adſit quædam in pulmonibus læſio, eam convenienti remediorum uſu vel plane tollamus, vel ne ulterius progrediatur, impediamus. Jam vero ſuperiori loco abunde ſatis evictum cenſeo, in ſubjectis, temperamento ſanguineo-cholerico, corporiſque habitu graciliori præditis, ab anno ætatis XVIII. ad XXXVI. phthiſin, ſeu ſputum purulentum cum magna tuſſi & ſpirandi anguſtia junctum ex hæmoptyſi non modo plerumque naſci, verum etiam frequentius repetere; quare præcipuus medici labor eſſe debet, ut cruenta hæc dejectio, ceu graviſſima & fontica cauſſa perite omnibuſque modis abigatur, vel ita ſaltem moderetur, ne exinde ad phthiſin fiat tranſitus.

## §. XXII.

*Hæmoptyſis tractanda V. Sic. ne.*

Ad quod quidem ex voto exſequendum præter maturam & ſufficientem, imo nonnunquam repetitam ſanguinis miſſionem, nec certius nec ſecurius datur remedium. Qua in re conſentientem habeo omni tempore experientiam & peritiſſimorum medicorum auctoritatem. Sufficiat tantummodo ex celeberrimi noſtri ævi medicorum Boerhavii, *praxi medica*, quam, ipſo invito, anonymus quidam edidit, dignum attentione locum hic inſerere, qui ita ſe habet: *Si quis hominem ex phthiſica familia natum velit curare, tunc ſumma ope eſt annitendum, ne hæmoptoen accipiat, ſi hoc efficies, tunc curabis, aliter non. Hinc circa*

*deci-*

*decimum ſeptimum annum venæ ſectio bis terve inſtituenda, ſimul vectiones adhibendæ ſunt & in hac curatione uſque ad vigeſimum quintum annum continuandum. Nota mihi fuit familia, ubi pater materque & omnes liberi phthiſi mortui ſunt, unico filio ſuperſtite, quem hac ratione curavi; & jam plus quam* 50. *annos natus vivit, & phthiſeos tempus ſecundum Hippocratem ſupervixit, nullaque mala ſigna habet.*

§. XXIII.

*Et remediis temperantibus.* Præter ſanguinis miſſionem in rerum non naturalium uſu ſumma tenenda eſt moderatio; quare ut ejuſmodi ægroti à vehementiori animi corporiſque commotione, potu ſpirituoſo, & omnibus, quæ ſanguinem ullo modo in orgaſmum abripere valent, probe abſtineant, neceſſe eſt. Et quum ab hæmoptyſi per medicamenta, quæ validiori adſtringendi facultate pollent, imprudenter tractata prona ad phthiſin via ſit, illa ipſa cane pejus & angue eſſe fugienda per ſe liquet. Convenit tunc magis lac cum aqua pura mixtum pro potu adhibere, leniora ex manna & foliis ſennæ laxantia, & pulveres ſanguinis ebullitionem compeſcentes ex conchis, matre perlar. lap. cancror. & nitro in uſum vocare hiſque ſingulis decocta vel infuſa ſuperius deſcripta apte ſubjungere.

§. XXIV.

*Diæta à Celſo præſcripta.* Nihil vero eſt, quod corpus à vera phthiſi immune reddere, vel incipienti magis poſſit occurrere, quam recta vivendi ratio, quam optime inter veteres præſcripſit diſertiſſimus Celsus, qui in *lib. III. cap.* 22. hæc habet: *Inter initia protinus occurrere neceſſarium. Opus eſt, ſi vires patiuntur, longa navigatione, cæli mutatione, ſic, ut denſius, quam id eſt, ex quo diſcedit æger, petatur; ideoque aptiſſime in Alexandriam ex Italia itur. Si navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum eſt, tum à negotiis abſtinendum eſt, omnibuſque rebus, quæ ſollicitare animum poſſunt, ſomno indulgendum, cavendæ deſtillationes, ne ſi quid cura levaret, exaſperetur; & ob id vitanda cruditas, ſimulque ſol & frigus. Os obtegendum, fauces velandæ, tuſſicula ſuis remediis finienda. Eoque tempore bibenda aqua, lac quoque recte dari poteſt.*

§. XXV.

*Aëris uſus.* Recte omnino Celsus in regimine diætetico præſcribendo potiſſimum urget motum corporis & aëris ſelectum. Cum quo fere concinit experientiſſimus Angliæ Medicus Sydenhamius, qui equitatione ſe multos à phthiſi præſervaſſe & liberaſſe teſtatur. Neque parum intereſſe putat, quo quis aëre utatur, dum *phthiſici,* inquit, *ruri verſantes ab aëre longe melius ſanantur, quam urbani: nam aër valde purgat pulmones, & plus quam ullum remedium curat.* Qua quidem in re plenius confirmamur, ſi rite perpendimus, ob quas cauſſas præcipue fiat, ut in Belgio & Anglia tam innumeri phthiſi pereant & horum dimidia fere pars ex hæmoptyſi in truculentum hunc morbum incidat. Nam certe non modo craſſior victus hic accuſandus venit, quum ejuſmodi gentes meraciſſimos cibos, multam carnem & piſces marinos cum ſpiritu vini confectos aſſumunt; unde chylus & ſanguis ingeneratur crudus, qui in pulmonibus facile ſtagnans ad phthiſin diſponit; verum etiam, omniumque maxime aër impurus & carbonum fumo valde refertus huc debet referri, quo bronchiales glandulæ & membranæ cum extremis & capillaribus arteriæ pulmonalis vaſculis exſiccantur & hinc ſucceſſu temporis vitalis hujus viſceris tabeſcentia inducitur. Eandem noxam inferunt tempeſtates frigidæ & venti aquilonares, qui nunquam fere non pulmonibus, maximeque ſenum & ad phthiſin proclivium ſunt infenſiſſimi, ita prorſus, ut non exigua pars hominum inde ſuccumbat. Nihil vero pejus eſt, quam adverſus ejuſmodi ventum vel ambulando, vel currendo, vel alio quocunque modo ſe acrius movere. Non raro enim hac ratione homines, imo & animantia, ut equos, in pulmonum abſceſſus incidiſſe memini.

*CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

Si ullus eſt morbus, qui non modo accuratam diætæ obſervationem, ſed præcipue circumſpectum ac providum remediorum poſtulat uſum, certe truculentus iſte pectoris affectus phthiſis eſt; in qua ſe tanta ſæpe medenti medicamentorum adhibendorum objicit contraindicatio, ut, niſi omnibus probe conſideratis, facile poſſit errare juvandoque nocere. *Cautio neceſſaria eſt ob remediorum contraindicationem.* Ita ad expectorationem promovendam requiruntur bechica dulcia, pinguia, ſyrupi, incraſſantia & mellita, quorum tamen immodico uſu non modo tonum pulmonum, ſed & ipſius ventriculi deſtruimus, adeoque copiam cruditatum & majorem humorum in pectore decubitum arceſſimus. Calor lentus exſiccans deſiderat diluentia, humida ipſamque lactis potationem, quæ vero in tuſſi humida affluxum humorum, quibus pectus obſitum eſt, adaugent. Ulcera dein ſordida putrida poſtulant balſamica reſinoſa, cujus generis ſunt myrrha, terebinthina veneta, balſamum de Copaiva, Peruvianum aliaque balſama conſolidantia vulneraria, quæ tamen motum inteſtinum & calorem augendo detrimentum afferre ſolent.

§. II.

*Quod amplius illuſtratur.* Si ulterius progrediendo diſpicimus, eandem difficultatem deprehendimus in moleſtis iſtis ac pæne convulſivis, quæ in tuſſi ferina diuturna ab humorum acrimonia concitantur, pectoris commotionibus. Hæ ipſæ enim anodynis, papaveraceis, oleoſis & ſomniferis volunt levari, quæ tamen paullo frequentius adhibita vires mirum proſternunt. Exeſa, diſſoluta & aperta pulmonum vaſculoſa ſubſtantia vulnerariis & leniter adſtringentibus debet conſolidari; aſt humores extravaſatos, qui excerni deberent, quum intus retinent atque expectorationem ſupprimunt, corruptionem magis adaugent. Ulcera quoque ſi quis velit ad conſolidationem perducere, affluxum humorum debet impedire, quod tum vulnerariis & lignorum decoctis, tum pulveribus ex bolo armena, terra ſigillata, hæmatitide &c. compoſitis perficitur; ſi quando vero tophi, tubercula, & indurationes adſunt, ut hæc majora ſumant incrementa, efficiet. Ad calorem hecticum compeſcendum, nihil eſt utilius, nihil efficacius pulveribus nitroſis. Sed nec hi omni tempore exoptatum præſtant effectum, dum alvum facile irritant, ſyſtalticamque ventriculi & inteſtinorum vim imminuunt. Lactis denique cura eximium in hiſce affectibus affert levamen. Nihilo minus tamen in ſtatu plethorico & juvenili, ubi phthiſis incipiens & multa acidæ

acidæ cruditatis progenies cum lenta febre eſt, ipſam ſæpe obſervavi nocentiſſimam.

§. III.

*Cautelæ circa V. Snem & purgantia.*

Sanguinis per venam ſectam miſſio ſicut in phthiſi incipiente & ad hanc præcavendam, in juvenili ætate, eſt utiliſſima; ita ſcopo curativo, ubi per morbum & calorem vires valde conſumtæ ſunt, minus quadrat; niſi forte ad unciam tantum unicam aut dimidiam pro ventilatione ſanguinis admittatur. Purgantia paullo validiora, ut aloetica, ſcammoniata, helleborata, multo magis emetica, tum vires infringendo, tum temperatum humidum educendo, mirum in modum nocent. Hinc ubi humores à pectore derivandi leniterque per alvum evacuandi indicatio eſt, hoc fine mannata, tamarindinata & quæ ex rhabarbaro, agarico & ſennæ foliis conſiunt laxantia, omnium ſunt commodiſſima. Quodſi vero nimiæ humorum copiæ imminuendæ parva doſi data non ſufficiunt, aut ſi humores nimis craſſi & viſcidi, qui minima vaſcula obſtruunt, reſolvendi & educendi ſunt, pilulæ de ſuccino Cratonis, aut quæ ex gummi ammoniaco, croco, mercurio dulc. extracto rhabarb. aloes &c. conficiuntur, aptiſſime poſſunt ſubſtitui.

§. IV.

*Circa motum.*

Motus & corporis exercitatio, maximeque equitatio à peritiſſimis tum priſtinæ tum noſtræ ætatis medicis in hectica & phthiſi curanda mirum laudatur. Sed inter initia morbi & ubi ætas juvenilis corporiſque habitus plethoricus eſt, hæmoptyſin ſæpe revocando plus mali arceſſit. Neque etiam utilis eſt, ubi ingens pulmonum læſio & vomicarum præſentia metuenda eſt: nimio enim corporis motu, qui curru & equo abſolvitur, quam facile funeſta inducitur inflammatio. Longe tamen aliter res ſe habet cum tabe hypochondriaca, in qua moderata ſæpiuſque repetita corporis exercitia locum inveniunt aptiſſimum.

§. V.

*Circa aëris uſum.*

Aër quo temperatior, quo purior & ſerenior eſt, eo magis phthiſicis deprehenditur proficuus. Quodſi itaque nimis humida ejus intemperies eſt, quæ relaxato & ab infarctu tumido pulmonum viſceri mirum quantum nocet; convenit omnino, atmoſphæram corpus ambientem per ſuffimigia ex maſtiche & ſuccino particulis balſamicis imbuere, vel per myrrham electam in ore detentam & ſaliva ſolutam aërem inſpiratum balſamicum reddere.

§. VI.

*Circa curam phthiſeos à catarrho &c.*

Quum ſæpius à catarrho ſalſo, vel acri quadam cauſtica materia ex aliis locis ad pulmones per metaſtaſin translata exulcerationis phthiſicæ fiat initium, ad affluxum hinc derivandum & evacuandum, tutus non minus quam utilis eſſe poterit cauſtici uſus, quo inter ſcapulas & in cervice adhibito imminentem phthiſin feliciter ſublatam legimus apud Riverium *in obſ. Cent. II. obſ. 61. 78. Cent. obſ. 92. &* Schenckium *obſ. 56.*

§. VII.

*Circa curam lactis & aquarum mineralium.*

Ad curam cum lacte vel ſolo, vel aquis mineralibus nupto ſecure & efficaciter inſtituendam, ſequentes neceſſario tenendæ ſunt cautiones:

I. Conſiderare debet inquiri, an ventriculus ejuſmodi polleat robore, ut digerere iterumque expellere hoc medicamenti genus poſſit.

II. Conſultum eſt, ut ante, quam ipſe potatio ſuſcipiatur, prima regio à viſcidorum & acidorum humorum colluvie probe depuretur. Ad quod quidem perficiendum commodiſſimum eſt, infuſum laxans mannatum ſtimulo tartareo exaltatum propinare.

III. Præſtat primis diebus lac vel aſininum vel humanum mane hora VI. aut VII. & à meridie hora V. ad ſex vel octo uncias haurire, & dein per gradus ad copiam paullo liberaliorem adſcendere.

IV. Quando per ſex vel octo dies æger potationi indulſit, remedium leniter laxans & collectas interea ſordes blande educens eſt interponendum, idque quovis ſexto die repetendum.

V. Pro potu vinum & cereviſia exulet & potius ptiſana ex hordeo, C. C. & corticibus citri eligatur. A cibis quoque, qui concoctu ſunt difficiles & pravos ingenerant ſuccos, ſerio eſt abſtinendum; contra vero juſcula ex teſtudinibus, cancris fluviatilibus, carne vitulina & gallina cum herb. lactuc. & cichor. hortenſi confecta eximiæ ſunt utilitatis.

VI. Denique ad vim ventriculi concoctricem, quæ ſemper fere languet, promovendam elixir quoddam balſamicum pectorale & ſtomachicum, quod myrrham electam, crocum, nuciſtam, cortices aurant. trifolium fibrinum & radicem glycyrrhizæ habet, inter epulas aſſumere expediet.

§. VIII.

*Circa ſudores colliquativos.*

In nimiis & colliquativis ſudoribus, qui in phthiſi & hectica vires mirum exhauriunt, præter ſerum lactis & emulſiones, ſpecies de hyacintho, ſi cum refracta portione nitri & dimidio laudani opiati grano pro doſi miſcentur, eximium afferunt ſolamen. Quodſi vero à vehementia tuſſis, qua valde exagitatur ſanguinis & humorum maſſa, nimia ſudoris contingit profuſio, lene & correctum opium, quale eſt maſſa pilular. de ſtyrace, vel Wildeganſii cum pulvere temperante optime datur, utpote quod tuſſim ſedando ſudorem compeſcit. Si vero præter tuſſim colliquans maſſæ ſanguineæ æſtus ſudoris cauſſa exiſtit, clariſſimi viri Mortonius & Pitcarnius corticem peruvianum cum grano laudani opiati præſcribere non verentur.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

Observatio I.

*Tuſſis phthiſica cum corporis tabe fragis hortenſibus feliciter ſanata.*

Studioſus viginti quinque annorum, natione Friſus, teneri & macilenti corporis, ob inordinatum vitæ genus, maximeque frequentiores à vino & ſpiritu vini crapulas ac deteſtandum veneris abuſum, vernali ſuperioris anni tempore incidebat in tuſſim, cum febre catarrhali, tam vehementem & continuam, ut omni ſomno privatus vires mirum amiſerit. Tuſſim ſiccam excipiebat valde humida, qua ingentem lenti & viſcidi phlegmatis, variegati coloris, rejiciebat copiam. Aderat ſimul magna pectoris anguſtia cum ſpirandi difficultate, atque invaleſcens febrilis æſtus non modo carnem penitus abſumebat, ut inſtar ſceleti æger appareret, verum etiam vires ita prorſus enervabat, ut movendi potentia, imo ipſi ſenſus imminui viderentur. Plures ex medi-

medicorum numero conſuluit, qui pectoralibus, analepticis, ſero lactis & pulveribus temperantibus nitroſis tanti morbi pertinaciam oppugnarunt & nihil penitus, quod levamen ullo modo ferre poſſet, intentatum reliquerunt: ſed quum ex omnium ſententia nihil ſpei ad ſalutem reliquum videretur, evenit, ut fragis hortenſibus veſcendi appetitu flagraret. Adſumſit ex permiſſione noſtra quædam & ſuccum ſuxit ac deglutivit, idque crebrius repetiit, nihil inde turbarum in prima regione, ſed vires potius quodammodo relevatas ſentiens. Quod quum animadverterem, diutius horum fructuum uſum protrahere juſſi. Paruit æger conſilio & per diem magnam quantitatem cum appetentia devoravit. Et en! prodigio ſimilis conſpiciebatur effectus. Elapſis enim tribus hebdomadibus quum pro quindecim imperialibus æger comediſſet, vires, quæ antea prorſus dejectæ erant, magis magiſque ſe erigebant, ardens calor deferveſcebat, noctes erant placidiores, tuſſis mitior, reſpiratio facilior & ſic contra ſpem omnium eveniebat, ut intra duorum menſium ſpatium optime convaleſceret.

*Epicriſis.*

Inſtar miraculi certe hæc cura in hac urbe habita fuit, quum ceteris, etiam probatiſſimis remediis, nihil juvantibus à fructibus, ſucco refrigerante turgidis natura optimum levamen acceperit. Ex quo diſcimus, latitare interdum in vegetabilibus & fructibus ſpecificam quandam adverſus graves & diuturnos morbos efficaciam, ita, ut eſu malorum chinenſium ſatis diu continuato pertinacem icterum ſublatum, & largiori malorum perſicorum uſu affectionem melancholicam noverim ſedatam. Temperati quippe & fermenteſcibiles ejuſmodi ſucci egregia pravam humorum dyſcraſiam immutandi vi pollent.

OBSERVATIO II.

*Tuſſis phthiſica in juvene curata.*

Studioſus Hallenſis viginti & aliquot annorum, qui per annum, & quod excurrit, otio, veneri & Baccho multum litaverat, à parentibus ad juſtam temeritatis pœnam luendam in carcerem traditur. Sed inde ira valde commotus non multo poſt affligitur truculentis imi ventris torminibus & ſpaſmis, pereunte ſimul ciborum appetentia. Accedebat tuſſis ſicca convulſiva, quæ noctu maxime infeſtans omnem fere ſomnum adimebat. Jungebantur ægra ſpiratio & incendium, carnem cum viribus mirum conſumens. Sub tali rerum ſtatu, quum æger omnia fere medicamina reſpueret, pro potu ordinario priſanam ex hordeo & C. C. paratam & mane ac veſperi ſerum lactis acidulum, adjectis cancrorum lapidibus temperatum, cum ſyrupo papaveris albi aſſumendum commendavi. Tuſſim ſiccam ſuccedebat valde humida, qua miram phlegmatis purulenti cum ſtriis ſanguineis mixti reddebat copiam, tantaque ſpirandi anguſtia vexabatur, ut in momenta ſuffocatio inſtare videretur. Ordinavi igitur lac aſininum mane & veſperi ad libram unam & ultra bibendum; & ut alternis diebus mane pinguedinis caninæ recentis uncia dimidia, circa decubitum vero pulvere temperante cum duobus maſſæ pilularum de ſtyrace granis maritato uteretur, ſuaſor fui; unde æſtus paullo mitior, ſomnuſque placidior fieri cœpit. Abſoluta poſt aliquot hebdomades hac lactis cura acceſſimus ad decoctorum, ex ſpeciebus vulnerariis & pectoralibus concinnatorum uſum, qualia compoſuimus ex herbis veronicæ, ſcabioſæ, ſaniculæ, agrimon. hederæ terreſtr. ſcolopendr. plantag. acut. quas invicem cum cereviſia ſecundaria, adjectis ficubus & melle, decoqui juſſimus. Inter alimenta præcipue lac cum amylo & oryza mixtum, nec non placentas ex farina triticea tenuiſſima, lacte, butyro & vitello ovi cum paſſulis minoribus & conciſis pomis Borsdorffianis confectas commendavi. Quorum remediorum ope, abſoluto duorum menſium ſpatio, integre convaluit.

*Epicriſis.*

Plura mihi in memoriam incidunt exempla juvenum, qui ex immoderato vini & ſpiritus vini uſu in phthiſicam affectionem prolapſi ejuſmodi remediis, contra ſpem omnium priſtinæ ſanitati fuerunt reſtituti. Nec adeo obſcura eſt hujus rei ratio. Etenim in juvenili & vegeta adhuc ætate, ubi, reliquis viſceribus ſalvis, humores à nimio ſpirituoſorum potu valde exagitati per externam refrigerationem, aut alium affectum in pectus decumbentem ſubſiſtunt, indeque inflammationem & abſceſſum formant; omnino temperantia & conſolidantia remedia plus ſalutis afferre ſolent, quam ubi abdominis viſcera obſtructione alioque vitio laborant, vel ipſi pulmones à longo tempore labem contraxerunt, vel etiam concretionibus polypoſis ſunt referti.

OBSERVATIO III.

*Phthiſis incipiens à materia ulceroſa retrocedente.*

Vir quadraginta annorum, ſanguineus, ad iram valde proclivis, olim militiæ mobilique & inordinato vitæ generi deditus, nunc in otio & quiete vivens, neglecta, cui antea ſueverat, venæ ſectione, varia ad fluxum hæmorrhoidalem ſenſit molimina; qui cum minus ſuccederet, venæ ſedales cruore inibi ſtagnante fartæ cum dolore & ardore valde intumuerunt. Accerſitus chirurgus huncce tumorem externe corroſivis tractavit remediis; unde ulcus prodiit mali moris fiſtuloſum, quod latius ſerpendo, vicinas partes exedit, noſtrumque per annum & ultra peſſimis cruciavit incommodis. Conſulti itaque ſunt alii rei medicæ & chirurgicæ magis periti, qui per ſectionem & remedia convenientia interna conſolidationem ulceris procurarunt. Sed elapſo menſis ſpatio vehementi æger corripiebatur tuſſi, qua ingraveſcente non modo multam & viſcidæ & purulentæ materiæ exſpuebat quantitatem, verum etiam quæ adſumebat alimenta, ob vehementem ventriculi irritationem, fere omnia reddere cogebatur. Aderat ſimul magna ſpirandi difficultas; corpus, quod antea ſat pingue & robuſtum erat, tabe conſumi, vires cum appetitu proſterni & alvus ſupra modum fluida fieri incipiebant. Medicamentis contra hæc mala præſcriptis nihil proficientibus, ego tandem vocatus ægrum acceſſi; & quum pulſum non adeo celerem, nec calorem, niſi poſt iracundiæ affectum, in quem vel leviſſima data cauſſa facile incidebat, magnum deprehenderem, ſequentem ingreſſus ſum medendi methodum.

1) Pro potu ordinario commendavi decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, ligno ſaſſafras & herbis ſaniculæ, pulmonar. & marrub. albi, additis paſſulis & ficubus, conflatum.

2) Ad ſedandum vomitum & ventriculum roboran-

roborandum exhibui elixirium noſtrum viſcerale, cum dimidia liquoris anodyni mineralis & eſſentiæ corticum aurant. portione remixtum.

3) Cremor hordei cum amygdalis dulcibus, vitello ovi & ſaccharo cando, adjecto quandoque olei amygdalarum dulcium cochleari, aut pinguedinis caninæ recentis portione, ſæpius fuit oblatus.

4) Bolum armeniæ cum extracto millefolii & florum chamomill. vulgar. æquali pondere in pilularum formam redactum circa horam decubitus, ſingulis fere diebus, ad drachmam unam aſſumere ſuaſi.

5) Fonticuli utrique brachio fuerunt inuſti, qui magnam ichoris fœtidi quotidie fundebant copiam. Nec denique ſanguinem è vena tali tuſa parciori quantitate detrahere neglexirnus.

Quibus remediis intra ſex circiter hebdomadum ſpatium id per Dei gratiam conſequuti ſumus, ut æger à moleſtis, quæ antea valde urgebant, ſymptomatibus liberatus, priſtinæ integritati fuerit redditus.

*Epicriſis.*

Phthiſica hæc affectio à metaſtaſi, ſeu, ut *Hippocrati* dicendi mos fuit, palindrome, tum ſanguinis per hæmorrhoides exitum non invenientis, tum materiæ ulceroſæ ob fiſtulam conſolidatam intus retentæ ſuam traxiſſe originem videtur. Neque ignotum, ſed in re medica ſatis obvium eſt, ab antiquis ulceribus fiſtuloſis, & fonticulis quoque præmature conſolidatis, à tumoribus glandularum ſcirrhoſis, ut colli & parotidum reſolutis, à gutta roſacea, ſcabie & aliis cutis defœdationibus per topica imprudenter cohibitis, materiam vitioſam ex alimentitiam, per metaſtaſin ad mollem & ſpongioſam pulmonum ſubſtantiam translatam ibi per moram ulcus formaſſe. Quæ cum ita ſint, ad derivandum ejuſmodi decubitum haud ſine ratione fonticulos brachiis admovere juſſimus, & reliquam curationem non validis, & humores multum exagitantibus remediis, ſed potius leniſſimis temperantibus, demulcentibus & roborantibus perficiendam judicavimus.

OBSERVATIO IV.

*Phthiſis incipiens ab hæmoptyſi per adſtringentia tractata.*

Fœmina viginti annos nata, de moleſto ſiniſtri hypochondrii dolore, alvo adſtrictiori & continuo tuſſi humida diu conqueſta incidit ante biennium, prægreſſa fortiori corporis commotione, in hæmoptyſin, ad quam ſedandam ipſi à medicis pariter ac vulgo varia & ſine dubio adſtrictivæ indolis oblata fuerunt remedia. Ceſſavit fluxus, nec poſtea rediit, ſed ſimul menſtrua purgatio, quæ ſatis antea liberalis fuit, emanſit, & tum protinus anguſta cum pectoris oppreſſione & inſigni virium decremento ſucceſſit ſpiratio. Ante anni ſpatium moleſta eaque continua tuſſi elidebatur materia purulenta, cum ſtriis ſanguineis & muco viſcido ſat copioſo mixta, corpus magis magisque ob depreſſam ciborum appetentiam contabeſcebat, virium indies major erat lapſus, augebatur calor, pulſuumque a ſumto cibo celeritas. In tam miſerabili ſtatu poſita à me petiit conſilium ægra. Ego itaque curam lactis aſinini cum tertia parte fontis Selterani mixti, & crebriorem ſacchari roſacei uſum per menſem & ultra continuandum ſuaſi, interpoſito circa veſperam pulvere temperante ex conchis præparatis, lapidibus cancrorum ſucco citri imbutis & pauxillo nitri compoſito, quem cum emulſione ſeminum IV. frigidorum adſumere debuit. Cereviſiam quoque pro potu interdixi, & denique ad ventilationem ſanguinis parciorem venæ ſectionem circa ſolſtitia & æquinoctia commendavi. Qua methodo probe obſervata, quum inſigne virium allevamentum perciperet ægra, per litteras mihi magnas egit gratias pro conſilio & auxilio, non ſine fructu ſuppeditato.

*Epicriſis.*

Si ullo in morbo medici perverſa medicamentorum applicatione miſeris ægrotantibus multum afferunt damni, certe in nimiis ſanguinis excretionibus per adſtringentia id fieri certiſſimum eſt, ut ideo non modo de adſtrictivis validioribus præpoſtere uſurpatis, verum etiam de mitioribus, quæ innocentis alias indolis ſunt, vulnerariis & pulmonariis, imo ipſo Peruviano cortice triſtes quotidie caſus attentiori medico in artis exercitio obſervare liceat. Et hinc nihil prope frequentius occurrit, quam quod ab hæmoptyſi, per ejuſmodi adſtringentia perperam tractata phthiſica affectio ſuam trahat originem, de quo quidem optime præmiſſa morbi hiſtoria convincere nos poterit. Quod vero ſi incidit, ſtatim inter initia morbi, quæ potiſſimum in humoris corrupti & putrefacti ſtagnatione vaſculorumque pulmonalium infarctu conſiſtunt, ſuccurrendum eſt; quo fine nec ſecurius nec præſentius datur remedium aſinino lacte, cum fonte Selterano, vel Carolinis thermis ad dimidiam vel tertiam partem permixto: cujus remedii ope obſtructiones & ſtagnationes diſſolvuntur, acres & ſalſi humores temperantur, ac denique per alvum & urinam educuntur utiliſſime. Præter hæc vero quum ſimpliciſſimum hocce remedium laudabili exſuccas partes nutriendi vi polleat, nihil dubii eſt, quin ſimul viribus inſigne accedat augmentum. Nec quidquam exinde detrimenti in corpus redundat, ſi modo ſecundum regulas, quas ſupra præſcripſimus, rite uſurpetur.

OBSERVATIO V.

*Singularis caſus de ſubitanea pulmonum corruptione.*

Ego, quum non ita pridem in aula vicina Martisburgenſi verſarer, à doctiſſimo Archiatro Dno Claudero relatum audivi ſingularem caſum, qui ita ſe habet. Vir aliquot ſupra triginta annos natus, boni & pleni corporis habitus, robuſtæ naturæ & integra ſemper valetudine gaviſus, ante duos circiter annos in dextro thoracis latere dolorem perſenſit preſſorium cum ſpirandi quadam anguſtia, maxime ſub aſcenſu ſcalarum, junctam, nihilo minus ampliſſimum, quo fungebatur, munus aulicum ſine ulla moleſtia obiit. Sed accidit, ut in natalitiis Principis à frigido potu in corpus ſaltando commotum & calefactum liberalius immiſſo protinus de inſigni corporis viriumque languore conqueſtus per univerſum corpus horrorem tantamque pectoris compreſſionem perciperet, quæ omnem ſpirationem adimere videbatur. Sequebatur poſtea intenſus febrilis calor & ingens cum tremore artuum tuſſiendi conatus, ſed ſine omni expectoratione; noctes tranſigebat æger inſomnes & elapſis ſeptem diebus ſuffocatus animam exſpirabat. Corpus diſſecandum juſſit Dux Sereniſſimus, & ecce pinguedine, quæ duos pollices latitudine æquabat, totum corpus erat obductum. Omentum apparebat

multa pinguedine inſtructum & reliqua imi ventris viſcera, hepar, lien, pancreas, renes ſana erant & integra. Aperto pectoris cavo primo omnium in conſpectum veniebat pericardium, quod præter multam pinguedinem nihil oſtendebat præternaturale. Inciſione facta in dextrum cordis ventriculum conſpiciebatur concrementum craſſioris ſubſtantiæ polypoſum, quod in venam cavam tam adſcendentem quam deſcendentem protenſum harum capacitatem valde arctabat. Inſpectis pulmonibus lobus dexter, qui coſtis veris arctiſſime accretus difficillime poterat ſeparari, materiæ innatabat fœtidæ & purulentæ, libras propemodum duas pondere æquantis, in qua complures corruptæ pleuræ partes hinc inde hærebant diſperſæ. Diaphragma quoque in ſuperiori parte ab incumbente putrida materia valde corroſum & ſiniſter pulmonum lobus, qui adſpectu ſanus adparebat, cultro diſſectus totus materia corrupta purulenta erat refertus.

*Epicriſis.*

Licet morbus, quo vir generoſiſſimus periit, non proprie ad phthiſin referri poſſit; eum tamen in hunc finem potiſſimum hoc loco inſerere lubuit, ut evidenter adpareat, quam brevi tempore & quam facile vitale pulmonum viſcus in ſano & integro corpore poſſit lædi atque lethaliter corrumpi. Cauſſam tam atrocis & ſubitaneæ cataſtrophes jure meritoque rejiciendam puto in ſubitam inflammationem, quæ in corpore plethorico & vaſis cordis majoribus polypo obſeſſis liberiorem que ſanguini motum prohibentibus per potum frigidum calenti corpori ingurgitatum inducta in magnum abſceſſum degeneravit, qui ceſſante expectoratione celeriter increſcens totamque pulmonum ſubſtantiam depaſcens brevi ſpatio vitales exſtinxit motus.

## Observatio VI.

*Tabes pulmonalis ſuperveniente febre lethalis.*

Studioſus juris viginti quatuor annos habens, corporis tenerioris ac ſtrictioris, ſtaturæ mediocris, ex liberaliori vini potu & paullo vehementiori corporis ſub pilæ luſu exercitatione incidit ante biennium in hæmoptoen crebrius recurrentem; Sedata hac ſanguinis rejectione, dolorem in pectore preſſorium cum ſpirandi anguſtia corporisque marcore retinuit. Sequebatur poſtea immanis tuſſis circa decubitum maxime, ob moleſtam muci in laryngem deſtillationem, infeſtans, qua magnam ſputi mucoſi & quandoque purulenti reddebat copiam. Interim adhuc ſalva gaudebat appetentia, nec quidquam à ſumtis cibis moleſtiæ, niſi quandoque, quum mediocritatis regulam neglexerat, preſſorium in ventriculi regione dolorem ſentiebat. Non multo poſt accidit, ut ob contumelioſam cum commilitone contentionem gravi percelleretur iracundia, unde mox in pejus converſis omnibus, de ciborum faſtidio, majori præcordiorum anxietate & ſomno inquieto conquerebatur. His tandem, prævia horripilatione, jungebatur febris continua, tantaque ſpirandi & expectorandi difficultas, quæ, omnem adimendo ſpiritum, perpetuam minabatur ſuffocationem. Adhibebantur optima, quæ in hoc caſu commendari ſolent, remedia, ſed in caſſum datis omnibus, æger brevi poſt animam efflabat. Diſſecto cadavere meſenterium, omentum omnesque reliquæ interiores partes pinguedine fere carebant. Ventriculus cum duodeno rubicundis maculis erat obſeſſus & pulmones, qui bruni erant coloris, pleuræ fere undiquaque & in utroque latere tenaciſſime adnati inveniebantur. Dexter pulmonum lobus ſcirrhoſis tuberculis & parvis vomicis obſeſſus ſanguineque extravaſato repletus videbatur. In ſiniſtro conſpiciebatur cavitas, contenta materia purulenta turgida; cujus quantitas non minoris æſtimari poſſe videbatur, quam quinque unciarum. Denique dextrum cordis ventriculum occupabat polypus, ramum ſat magnum in arteriam pulmonalem emittens.

*Epicriſis.*

Quod hic juvenis diu admodum ab hæmoptyſi ſibi ingentem pulmonum labem, quæ ſine dubio in ſcirrhoſis tuberculis poſita fuit, contraxerit & nihilo minus ſua ſubire munia rite potuerit, non adeo mirandum eſt; quum per experientiam abunde conſtet, magnas tenerrimo huic viſceri læſiones induci & tamen vitam ad ſeros uſque annos nonnunquam poſſe protrahi. Interim diſcimus ex hoc caſu, ad vitia pulmonum exacerbanda & inflammationem lethalemque abſceſſum ingenerandum nihil fere potentius eſſe, præter febrem, vel acutam, vel intermittentem & inprimis vehementem animi commotionem. Quare quibus pectore laborantibus longius vivere volupe eſt, commendandum arbitror, ut ab omni tum animi tum corporis exceſſu abſtinendo moderatiſſime vivant.

## Observatio VII.

*Phthiſis hæreditaria a febre tertiana continua correcta.*

Honeſta viginti ſex annorum fœmina, a parentibus phthiſi demortuis progenita, quarto puerperio exacto in violentam incidit tuſſim cum ſeroſis defluxionibus ultra dimidium anni graviter infeſtantem. Quatuor abhinc menſibus febre correpta fuit tertiana male morata, quæ ſpaſmodicis pedum ſub frigore & declinatione tractionibus copioſisque ſudoribus mirum fatigavit. Varia hinc inde præſcripta medicamina quum nihil tulerunt opis, tandem ad corticis chinæ in electuario uſum perventum eſt. Conquievit inde febris, ſed longe graviora acceſſerunt pathemata; ſiquidem glandulæ colli intumuerunt, dolores pungitivi & preſſorii in ſiniſtro pectoris latere, cui ægre incumbebat ægra, cum anxia ſpiratione & calore veſpertino cœperunt ingraveſcere, menſtrua purgatio imminui viriumque robur magis labefactari. Ego igitur in conſilium adſcitus non dubitavi ratione & experientia ſuffultus, præmiſſa ventris per potionem mannatam expurgatione, præſcribere uſum acidularum Egranarum cum tertia lactis caprini vel aſinini parte remixtarum, quas tepefactas per integrum menſem mane ad menſuram unam, ſub convenienti diætæ regimine, bibere juſſi. Pro potu ordinario decoctum radicis chinæ cum paſſulis & inter epulas, ad ſtomachum roborandum, elixir noſtrum balſamicum viſcerale ſumendum; lateri vero thoracis ſiniſtro dolenti glandulisque colli tumidis imponendum ſuaſi ſequens emplaſtrum: Recipe gummi bdellii, myrrhæ, ſagapeni, gummi animæ, ſingulorum unciam dimidiam, ſperm. ceti, ceræ ana unciam unam cum dimidia, flor. ſulph. drachmas duas, pulv. croci drachm. dimidiam, olei aniſi, camphoræ ana drachm. unam. M. f. l. a. Emplaſtrum. Neque vero ſpem fefellit hæcce curatio; quippe qua finita inſigne ſymptomatum levamen percepit ægra, tantum

quod in integrum, ob inordinatum menſium ſucceſſum non fuerit reſtituta. Suaſi igitur, ut elæoſaccharum myrrhatum in frequentiorem uſum ducat, quod ita paratur: myrrhæ optimæ uncia una ex libra una aquæ, adjecta ſalis tartari drachma una, coquitur; quod remanet à coctione, eſt magma gummoſo-reſinoſum temperatius, myrrhæ ſaporem & odorem adhuc referens, cujus drachma una cum uncia una ſacchari canarienſis mixta vel ſingulis diebus, vel quam maxime circa inſtantem menſium periodum cum infuſo Thee vel Coffee ſumitur utiliſſime. Eſt enim hoc remedii genus & pectori & utero amicum, atque à me per aliquot annos ſumma cum euphoria ſæpius commendatum.

*Epicriſis.*

Ex phthiſicis parentibus natæ fœminæ niſi à puerperio exactam diætæ habent rationem & ſibi ab aëre frigido animique affectibus cavent, perfacile, ſi præſertim lochia non rite fluxerunt, latentem reſuſcitare morbum ſolent; quod & ante aliquot annos in perſona Sereniſſima annotare mihi licuit. Dein in naturali ad phthiſin diſpoſitione, quid? quod in omni prava viſcerum conſtitutione febris tertiana & biliosa, tam acuta, quam chronica ſuperveniens mali eſt ominis, dum malum non modo exacerbat, ſed & immedicabile reddit. Multo vero adhuc majus periculum oſtendit, ſi adſtringentibus præmature ſupprimitur. Tum enim plerumque menſium fluxus valde turbatur atque pervertitur, ut poſtea ejuſmodi morbi curatio medenti multum faceſſat negotii, nec niſi convenientibus & generoſioribus ceſſet remediis.

OBSERVATIO VIII.

*Phthiſis habitualis ſine vitæ periculo.*

Studioſus medicinæ induſtrius, qui mihi quondam à manibus fuit, viginti aliquot annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, ad impatientiam & iram valde proclivis, ob hæreditariam, quam à parente phthiſico acceperat, diſpoſitionem, vernali & autumnali tempore crebrius laborabat tuſſi, raucedine & interdum cruento, licet parciori ſputo; quæ dein, inito matrimonio & phyſici munere obtento, ita increſcebant ſymptomata, ut materiam purulentam ſæpius rejiceret corporeque fere penitus contabeſceret. Sed nihilo minus infuſi herbæ veronicæ cum lacte caprino mixti & conſervæ roſarum continuo uſu, nec non venæ ſectione ter in anno adminiſtrata per triginta adhuc annos, quæ Dei gratia eſt, ſervatus eſt feliciſſime.

*Epicriſis.*

Cognita mihi ſunt adhuc alia exempla juvenum, qui vel à parentibus, vel ex inordinata academica vita phthiſicam pulmonum diſpoſitionem obtinuerunt ſimilibusque correpti ſymptomatibus vitam ſatis diu protraxerunt. Ita memini Doctoris medicinæ Sileſiaci, qui tali labe affectus in noſtra academia, præter accuratam victus obſervationem, ſolo frequentiori infuſi theiformis ex veronica & pulmonaria cum lacte temperati uſu, adjectis nonnunquam olei tartari per deliqu. XX. guttulis vitam ad multos annos prolongavit. Quod vero, ſi evenit, indicio eſt, ulcera quædam aperta calloſitate ſuperinducta in aliqua pulmonum parte, ſalva reliqua eorum ſubſtantia, latere. Quamdiu itaque per congrua remedia tum motuum & humorum temperatura conſervatur, tum obſtructio & inflammatio in hoc viſcere avertitur, nihil metuendum periculi eſt. Hæc ſcribenti in mentem incidit ſummè Reverendus Theologus Helmſtadienſis Calixtus junior, qui olim ſuperſtes mihi retulit, ſe per triginta fere annos quotidie, ſine ullo reſpirationis detrimento exſpuiſſe pus album fœtidum, & nihil adhibuiſſe præter venæ ſectionem bis quovis anno iteratam & decoctum rad. chinæ & ſaſſafras cum paſſulis, quo ad menſuram dimidiam continuo uteretur.

OBSERVATIO IX.

*Empyema à peripneumonia extra thoracis cavitatem diſruptum.*

Quum Mindæ Weſtphalorum, ante quinquaginta & quinque annos, provincialis medici munere fungens degerem, ſequens mihi obtigit notabilis caſus, quem hic inſerere placet: Conſiliarius regius, vir floridi & ſanguinei habitus, ea tempeſtate, quum peripneumonia populares habebat circuitus, vehementi febre, cum ſputo ſanguineo & ingenti ſpirandi difficultate juncta corripiebatur. Decreſcebat equidem morbi & febris vehementia, ſed elapſo menſis ſpatio invadebat tuſſis, pectoris oppreſſionem gravitatemque inducens, calor circa veſperam lentus affligebat, appetitus ſequebatur proſtratio & corpus, valde antea obeſum, conſumta pinguedine, mirum emaciatum apparebat. Tandem quadrageſimo ab acceſſione febris die ſimul & ſemel cum maximo impetu tanta puris flavi ex ore ferebatur copia, ut aliquot libras pondere æquaret. Excipiebat mox reſpiratio facilior, unde ego acceſſitus miratus ſum & ſummas divinæ benignitati gratias habendas eſſe edixi, quod tanti periculi abſceſſus non intra thoracis cavitatem ruptus & æger, ut ſubinde uſu veniret, ob nimiam materiæ ad aſperam arteriam congeſtionem ſuffocatus fuerit. Et quum vires non adeo multum dejectas deprehenderem, de ſalute quidem recuperanda non deſperandum, ipſam tamen curationem paulo longius protrahendam eſſe nunciavi, quam in hunc, qui ſequitur, modum inſtitui. Primo laxante mannato & rhabarbarino primam regionem à ſordibus deplendam & dein dimidiam lactis vaccini tepefacti menſuram, inſtillata balſami cujuſdam pectoralis drachma una, ſingulis diebus mane bibendam ſuaſi. Balſamum autem ita erat confectum: Recipe olei hyperic. vetuſti uncias duas, flor. ſulphur. drachmas duas, coque leni calore. Colaturæ adde terebinth. venet. drachmas duas, croci drachm. dimidiam, ol. aniſi, nuciſtæ deſtillat. ana guttas XII. M. Inter cibos quam maxime juſcula avenacea & hordeacea cum jure carnis vitulinæ, gallinæ & cancrorum fluviatilium ſucco parata, & loco potus mox priſanam, mox decoctum chinæ & herbæ pulmonar. cum paſſulis commendavi. Quarta à prandio hora iterandum juſſi lactis tepidi uſum cum electuario, quod ex conſervæ roſar. unciis duabus, hæmatitidis præp. boli armen. ana drachmis duabus & convenienti ſyrupi papav. albi portione compoſitum ad drachmas duas devorare æger debuit. Ad flatus, quibus venter fere perpetuo erat turgidus, diſcutiendos injici juſſi clyſteres emollientes & carminativos. Tandem vero, ut externis pariter ſuccurratur remediis, pectoris tam anteriori quam poſteriori parti impoſitum fuit emplaſtrum ex gummi bdellii, ſpermate ceti, axungia humana, cera, flor. ſulph., croco & oleo aniſi conflatum. Qua methodo tan-

tantum per Dei clementiam profeci, ut intra binos menſes integre vir ampliſſimus convaluerit & ego non exiguam inde famam in juventute mea retulerim.

*Epicriſis.*

Abſceſſum, ſeu empyema à peripneumonia æque ac pleuritide male progreſſa facile poſſe enaſci, non modo graviſſimo *Hippocratis* teſtimonio, ſed & certa longæ experientiæ fide conſtat. Neque minus in eo concors eſt medicorum ſententia, permagnum & vix medicabile hoc malum eſſe habendum: nam ſi intra thoracis cavum rumpitur ejuſmodi empyema, raro evadunt ægri: ſi intra pulmonum ſubſtantiam contingit diſruptio atque pus ad aſperam arteriam magna in copia congeritur, perquam facile ſuffocatione jugulantur. Dei itaque & naturæ benignitati in noſtro ægrotante jure meritoque eſt tribuendum, quod medicamina, in juvenili ætate à me commendata tam felicem habuerint ſucceſſum. Ceterum quoad curandi methodum hoc potiſſimum debet animadverti, magnam ſæpe quorundam remediorum in longis morbis ſanandis eſſe efficaciam, ſi convenienti doſi, ordine, &, quod præcipuum eſt, ſatis longo tempore uſurpentur. Multa enim medicamentorum varietas crebriorque mutatio tantum abeſt ut ægrum juvet, ut ipſum potius in deteriorem & lethalem ſæpe ſtatum præcipitet.

## Observatio X.

*Phthiſis à nimia ſanguinis jactura proveniens.*

Haud ita pridem Sereniſſimus quidam Princeps Lutetiis Pariſiorum meum ſupra ſingularem caſum requiſivit judicium & conſilium, quem hoc loco recenſere operæ arbitror pretium: illuſtriſſimi ſtemmatis fœmina, duo deviginti annos nata, quæ tum ob texturam corporis teneram aptamque membrorum figuram, tum ob eximiam ingenii animique alacritatem cuique ſe commendat intuenti, jam inde ab octavo ætatis anno multis catarrhalibus pectoris fauciumque defluxionibus, coryzam, tuſſim, raucedinē inducentibus tentata fuit, quæ licet à febre cum alvi dejectione ſubſecuta ſolutæ remiſerunt, tuſſis tamen cum vocis quadam aſperitate ſæpius recrudeſcens pertinacius inhæſit. Decimum ſupergreſſa annum crebra multaque ſaltatione, nulla tamen ſubſequente aut laſſitudine, aut anhela ſpiratione, corpus ſtrenue exercuit. Quindecim annos habenti exire primum recto ordine cœperunt muliebres purgationes, quæ non multo poſt, initis matrimonii legibus, ipſi gravidæ ſubſtiterunt, & quum octimeſtre abſolviſſet geſtationis tempus, primo noni menſis die parturire cœpit enormi conatu, per duodecim horas durante; ad quem allevandum quater medici detrahi juſſerunt ſanguinem: & ſic tandem infans prodiit enecatus. Lochia quoque dein rite fluxerunt, nihilo minus decimo à partu die ſollicitabatur tuſſi ſicca, cum enormi capitis dolore æſtuque febrili ſtipata, qua parcam pituitæ non adeo viſcidæ exſcreabat copiam, remanente oris quadam ariditate febreque quotidie recurrente. Hæc contra mala varia remedia nihil tulerunt levaminis, ut potius lenteſcens ille viresque & carnoſam corporis ſubſtantiam depaſcens calor, qui à paſtu major fit, cum largo ſudore quotidie affligat, nec non tuſſiculoſa pectoris concuſſio, cum crebra pituitæ ad puris indolem nunc accedentis exſcreatione vehementer urgeat; licet ceterum reſpiratio ſine raucedine facilis ſit, alvique beneficium optime ſemper conſiet.



*Epicriſis cum conſilio.*

Exhibet hic caſus exemplar veræ phthiſeos, ſeu pulmonum exulcerationis, cum febre lenta ad hecticam inclinante: id quod multa validaque tuſſis, crebrior mucidæ cum pure mixtæ materiæ rejectio, ſudores colliquativi, tabida corporis viriumque conſumtio, æſtus volaticus & pulſus à ſumtis cibis celerior teſtatum faciunt luculentiſſime. Quod ſi autem hujus mali veram proſequamur originem, dubitare non licet, illud ipſum à nimia ſanguinis, ob crebriores venæ ſectiones, jactura proxime eſſe deducendum. Etenim hac ratione humorum per omnes corporis, maximeque excretionibus inſervientes partes mirum fuit turbatus; unde non modo vitalis ille cruor naturali temperie ſua immutatus ac ſeroſior factus formandis hinc inde ſtagnationibus opportuniſſimus exſtitit, verum etiam pulmonibus à perpeſſis catarrhis crebriorique tuſſi jam antea debilitatis eo facilius labem inducere potuit. Digna enim eſt, quæ probe teneatur obſervatio, phthiſin æque facile à nimia ſanguinis abundantia oriri prudentique ejuſdē per venæ ſectionē imminutione averti, ac a boni cruoris defectu ejuſque inconſulta detractione, maxime in corporibus tenera & vaſorum & fibrarum conſtitutione præditis, poſſe generari; quale quid in puerperis à nimio lochiorum fluxu exhauſtis ſæpe iterumque obſervare mihi licuit. In prognoſi noſtri mali ſuppeditanda ſtatim in ancipiti rem eſſe prædixi, nihilo minus curationem, ſi ipſi adhuc locus ſupereſſet, in hunc modum putavi inſtituendam. Primo conſului, ut lac aſininum ad tertiam partem cum Selterana, vel alia ejuſmodi principio alcalino imbuta aqua remixtum quater de die ad octo unciarum pondus bibatur. Quod ſi vero harum aquarum deeſſet copia, ſeri lactis dulcis libram medicam, addita nitri purificati & ſalis tartari portione, mane & à meridie potandam commendavi. Deinceps hora quarta veſpertina & ante decubitum adſumi debuit pulvis, ſequentis compoſitionis: Recipe cornu cervi ſine igne præparati, mandib. lucii piſcis, boli armen. ſpec. de hyacintho, nitri purif. ſolutionis oculor. cancr. ſuccin. præp. ana drachmam unam. M. F. pulvis, div. in XII. partes. Tandem commendata fuit recta vivendi ratio, ut nimirum ægra lectiſſimis ex carne caponis elixa ac vitulina paratis utatur juſculis, quibus herbæ plantaginis acutæ, ſcabioſ. pulmonar. maculoſæ, agrimoniæ, hederæ terreſtr. card. bened. cum cancris fluviatilibus contuſis inter decoquendum fuerint adjectæ. Et quum magna vis in potu ſita ſit, ab omni alio abſtinere & pro potu ordinario hoc ſanguinem purificans decoctum eligere conſultum duxi: Rec. cornu cervi raſpati, rad. ſcorzoneræ, chinæ, ſingulorum uncias IV. raſuræ lign. ſantali rubri, rad. cichorei ana unciam unam cum dimidia. Conciſa d. ſ. ſpecies, quarum duæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes coquendæ.

Et hæc fuerunt, quæ proponenda duxi remedia. Sed non multo poſt nunciatum mihi fuit, illuſtriſſimam ægrotam, ante conſilii mei adventum placide exſpiraſſe.

## Observatio XI.

*Obſervatio*

Circa generaliorem affectionis phthiſicæ tractatio-

*circa corporis obeſitatem ad pectoris morbos diſponentem.*

ctationem utilem hoc loco inſerere placet obſervationem; quod videlicet in longævo artis exercitio annotaverim, homines proceræ admodum ſtaturæ, vegetos & robuſtos, in optimo ætatis flore conſtitutos peſſimis iſtis, qui ex pulmonum labe naſcuntur ægritudinibus, quales ſunt hæmoptyſis, aſthma, tuſſis chronica & convulſiva, empyema, febres peripneumonicæ & pleuriticæ ipſaque phthiſis & hectica, frequentius eſſe obnoxios, & apertis eorum poſt mortem cadaveribus plerumque concretiones polypoſas in cordis cavitatibus atque pulmonum vaſis deprehendi. Cauſſas tam peculiaris phænomeni ſi paullo curatius inquirimus, has obſervamus potiſſimas. In celſis ejuſmodi corporibus, teſtante pulſu debiliori & tardiori, ſanguinis progreſſus atque circuitus nunquam fere non tardior eſt ac impeditior, quam in perſonis mediocri ſtatura præditis; quippe tum difficilis admodum eſt ſanguinis ex inferioribus & tam remotis à corde partibus, propter perpendicularem ſitum, ad pectus & caput adſcenſus: gravia enim, per leges motuum, natura deorſum tendunt & guttæ ſanguinis retardantur ab aliis, in quas allidunt. Accedit dein, quod procera hæcce corpora plerumque ſint pinguiora & ad ſubeundos ſtrenuos labores minus apta vitæque deſidi magis dedita; unde circulari humorum motu retardato, ut ſpiſſiores & craſſiores evadant ſucci neceſſe eſt. Jam, ſi forte taliſmodi ad oſtentationem nati homines paullo vehementius & diutius, e. g. armis bellicis exercentur, maſſa ſanguinis & humorum, ob validiorem muſculorum motum, magno cum impetu ad cor & pulmones compellitur, & quum æquali tenore ac niſu per minima pulmonum vaſcula non poſſit ferri, fiunt inde omnino humorum in vaſis ſtagnationes, fiunt diſtenſiones, diſruptiones & extravaſationes, quæ ad recenſitos pectoris morbos aditum parant ampliſſimum. Ob eandem quoque ſtagnationem accidit, ut ſecedentes ſolidæ & craſſiores ſanguinis partes invicem coëant temporiſque progreſſu in majorem compactæ molem vaſorum alveis arctiſſime adhæreſcant & hac ratione æquabilem ſanguinis per cor & pulmonum viſcus circuitum impediendo, morboſas iſtas pectoris affectiones magis obfirment contumacioreſque reddant.

### *Epicriſis.*

Quanto difficilior eſt morborum, qui firmam in pulmonibus ſedem & cauſſam obtinent, ſanatio; tanto facilior & tutior eſt ab hiſce præſervatio. Igitur præter ea, quæ jam ſuperiori capite hoc fine commendata ſunt, ſuadeo 1) ut proceri ejusmodi homines à vita motus experte abſtinendo corpus perpetuo exerceant; hac tamen obſervata cautela, ne motum paullo validiorem & nimis laborioſum inſtituant. Namque hæc major motus ſpecies ſicut in morbis, qui à viſcerum, maximeque hepatis prava conſtitutione & impeditiori ſanguinis per ipſa circuitu proficiſcuntur, ſummum tam præſervandi quam curandi ſcopo fert auxilium; ita econtrario pulmonibus & morbis abhinc prodeuntibus valde eſt infenſa, ut uſque eo non modo ad hos ingignendos, verum etiam exacerbandos multum conferat momenti; 2) ut miſſo omni potu ſpirituoſiori, ut ſpiritu vini & cereviſia craſſiori, potum tenuiorem, eumque nec nimis calidum, nec nimis frigidum aſſumant, nec in victu cibis nutrientibus plus juſto indulgeant; 3) ut circa æquinoctialia tempora ſecta vena redundantem ſanguinis copiam imminuendam curent; 4) ut ſibi caveant, ne poſt longiorem quietem motionem vehementius & repentino quaſi initio inſtituant; quod autem ſi fecerint, mox infuſum veronicæ & florum bellidis in largiori quantitate hauriant. Et hæc eſt facilis & genuina graviſſimos & fere immedicabiles hos morbos mature avertendi methodus, quam rite adhibitam non ſine fructu fore confido.

## Observatio XII.

*Obſervationes irca aquarum mineralium uſum.*

Pervulgata eſt opinio, iis plerumque omnibus, qui viſcera non habent integra, maximeque gravem in pulmonibus læſionem foventes phthiſica paſſione laborant, aquarum mineralium uſum eſſe infenſiſſimum. At vero hoc aſſertum non univerſale, ſed cum grano ſalis eſſe intelligendum, ego quidem multiplici edoctus experientia bona adſeverare fide poſſum. Novi etiam nonnullos, qui ulcere pulmonum, ſine febrili tamen æſtu, affecti inſignem purulentæ & ichoroſæ materiæ quotidie rejecerunt copiam & à moderato Carolinarum uſu, ob liberiorem inde redditam perſpirationem facilioremque materiæ vitioſæ exſpuitionem, ob ciborum appetitum totiuſque corporis vigorem reſtauratum optime habuerunt, licet in totum ſanitati non fuerint reſtituti. Nec diſſimili ratione novi alios, qui tuſſi valde humida & pertinaci per aliquot annorum decurſum graviter afflicti, fruſtra datis omnibus alias expertis contra tuſſim remediis, à Carolinis cum juſto regimine potatis egregie ſunt allevati, aut à moleſtiſſimo hoc affectu penitus liberati. Ita mihi in memoriam venit fœmina generoſa, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, laxiorisque corporis habitus, quæ ex inordinato vitæ genere & potiſſimum immoderata ciborum incongruorum adpetentia, ante octo circiter annos, in tuſſim incidit valde contumacem humidam, qua per multos annos laborioſo ac vehementi pectoris non minus quam abdominis conatu ingentem viſcidi phlegmatis, varii coloris, per vices ejecit quantitatem, quæ intra nycthemeron collectim integram adæquabat libram. Jungebatur ſimul, abſque tamen febrili calore, anguſta ſpiratio corporiſque univerſi languor, cum pallore faciei multaque & crebriori vomitione. Hæc contra mala quum ab omnibus, quæ magna in copia devoraverat, medicaminibus, nihil retulerit levaminis, ego conſultus prudentem & moderatum Carolinarum uſum ſuaſi. Renuebant quidem conſilio tum medici tum ægrotantis amici; malo autem ingraveſcente ægra per excelſos montes ſalutares hos fontes ſponte adiit, eoſque per menſem & ultra ſecundum methodum à me præſcriptam bibit, tam felici ſucceſſu, ut non modo tuſſis vehementia cum nimia muci viſcidi ejectione remiſerit, verum ſomnus etiam placidior & reſpiratio liberior reddita inde fuerit. Sequenti anno eandem curam non minori fructu iteravit; & licet malum exinde non prorſus ceſſaverit, longe tamen mitius factum fuiſſe ægra mihi læta nuntiavit.

### *Epicriſis.*

Id omnino firmiſſimum & in experientia ſatis fundatum eſſe largior, morbos, qui ob nimiam viſcerum, maximeque pulmonum læſionem, ob æſtum febrilem & præſentem virium lapſum lethales habendi ſunt, à potu fontium ſalubrium minus

minus ſanari, ſed potius ad funeſtum perduci exitum. Tali enim ratione ob ſtagnationem & extravaſationem aquarum in corrupto viſcere magnamque in eodem continui ſolutionem longe major infertur putredo. Id quod eo magis evenit, ubi humor vel in cerebro, vel in thoracis & abdominis cavitate extra vaſa effunditur, vel etiam polypoſa in cordis & pulmonum vaſis hærent concrementa, quæ liberum fluidorum circuitum impediunt. Contra vero, ubi non tanta viſcerum læſio humorumque corruptio, quæ ex viribus dijudicari debet, nec febrilis calor adeſt, optime ſane hæ aquæ, dum aperientem, abſterſivam, viſcidoſque humores per omnia emunctoria, & præcipue per alvum evacuantem ac ſimul roborantem poſſident virtutem, fructum ferunt præſtantiſſimum. Sed ut convenienti regimine, ordine ac doſi adhibeantur, neceſſe eſt.

Plures de phthiſi obſervationes reperire licet in *Conſult. & Reſponſ. med. Sect. II. caſu LXXV. LXXVIII. LXXIX. XCIX. & C.*

---

## CAPUT XII.

### *De cachexia icterica.*

#### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Definitio icteri.* QUamvis plures ſint cachexiæ, ſive depravati corporis habitus ſpecies, nobis tamen jam jam de ea ſpeciatim agere animus eſt, quæ flaveſcente & nigricante corporis colore ſeſe prodit, & icteri, ſeu morbi arquati & regii nomine in ſcholis medicis inſignitur, nihilque aliud eſt, quam vitiatus & corruptus ſanguinis & humorum, ab admixta bile excrementitia, propter vitium in biliferis ductibus, ſtatus, functiones univerſi corporis multum lædens cutimque externam flavo vel livido colore deturpans.

§. II.

*Signa icteri.* Signa, quibus ſe manifeſtat hic morbus, ſunt præcipue ſequentia: Primo in tunica oculi albuginea flavedo conſpicitur, qua demum univerſa cutis imbuitur; urina craſſa & obſcure rubra mingitur, linteamina inſtar croci tingens, fæces vero alvinæ coloris ſunt pallidi. In pejori ſtatu ſaliva quoque flava exſpuitur & omnia adſumta ſaporis ſunt amaricantis. Præterea affecti de ſenſu quodam violentæ ſtricturæ, preſſionis & tenſionis in dextro hypochondrio, neque minus de anguſtia circa præcordia, reſpirandi difficultate, totiusque corporis conqueruntur laſſitudine.

§. III.

*Hiſtoria morbi ab Aretæo tradita.* Longe adhuc prolixius & accuratius hujus morbi hiſtoria & progreſſus à medicorum antiquiſſimis, maximeque ARETÆO *in lib. III. cap. XV.* deſcribitur, ſequentem in modum: *Icterus univerſi habitus ægritudo eſt, & membrorum ſingula indicia apparent, perſpicua vero ſunt & ea, quæ in albiſſimis oculis cernuntur & frontis ſecundum tempora color flavus exquiſitior effloreſcit. Quicunque nigro arquato laborant, in his ater color viridi commixtus apparet. Iidem frigent, imbecilli, deſides, triſtes atque demiſſi animo ſunt, tetrum odorem exhalant, guſtatum amarum habent, ſpiritum non facile ducunt, in ventriculo morſus percipiunt, alvi excrementa porracea, ſubnigra, arida ſunt, ægreque deſcendunt; urina valde colorata eſt, ad nigrius vergens. Ad hæc cruditate laborant, cibum deteſtantur, vigilant, mœrent, melancholia agitantur, at in albiore arquato color eſt ex albo & viridi temperatus; mente ſunt hilariores, cibos accipere primo eos piget, ſed ubi cœperunt, naviter comedunt, facilius quam priores concoquunt; alvi purgamenta ſunt alba, arida, cretacea, lotium reddunt crocinum. In utriſque corpus omne pruriginoſum eſt, calor in naribus exiguus & mordax percipitur, guſtatus amarorum non amarus, lingua enim bile ſuffuſa non ſentit, dulcium vero amarus. Si nullius viſceris calefactio fuerit evidens, ſine noxa eſt, ſed diuturnior. Si perſeveraverit & viſcus inflammatione vexatum fuerit, in aquam intercutem deſinit, multi & ſine aqua intercute ſudore colliquativo interierunt.* Ex quibus adductis evidenter eluceſcere arbitror, ſingulas fere corporis functiones in morbo hoc præter naturam affici. Neque ratio è longinquo erit repetenda. Nam ſicuti ſanus & vegetus functionum ſtatus à temperata & laudabili ſanguinis & humorum craſi quam maxime dependet & ſuſtentatur; ita è contrario ſi hæc ipſa ab impuris & pro majori vel minori gradu corruptis humoribus vitiatur, non mirum eſt, actiones inde corporis noſtri tum vitales, tum naturales & animales plus minus accipere detrimenti.

§. IV.

*Obſervationes circa ſanguinem & conſtitutionem viſcerum.* Multo vero magis de bilis excrementitiæ ſingulari partes tam fluidas quam ſolidas immutandi efficacia convincere nos poſſunt variæ de eadem apud auctores obſervationes. Ita ſanguis è vena icterici emiſſus ſpuma & conſiſtentia flavus adparet, teſte *Theodoro* ZWINGERO, qui in ictericis quandoque ne guttulam quidem unicam rubicundi & floridi cruoris deprehendiſſe, ſed ſanguinem per venæ ſectionem curioſitatis gratia emiſſum flavæ jumentorum urinæ ſimilem non ſine mentis ſtupore obſervaſſe ſcribit. Imo *in fœmina quadam*, inquit, *ſumme icterica conſpeximus ſanguinem & urinam, quam craſſam emiſit, ſibi invicem ſimillimam fuiſſe, poſt* 15. *vero dies, quibus icterus integre propemodum diſcuſſus fuit, ſanguinem ad aliquot uncias extractum maxime rubicundum ac floridum exſtitiſſe.* Neque viſcera & inteſtina, ut pulmones & ventriculus naturalem colorem retinent, ſed æque ac pinguedo & membranæ flavedine plus minus ſaturata tinguntur. Qua de re conſuli poſſunt *Zacutus* LUSITANUS *in praxi admirabili lib. III.* PAISENIUS in M. N. C. *ann.* 4. *obſ.* 194. & THONNERUS, qui *in obſervat. lib. III. de ictero obſ.* 1. mentionem injicit cardinalis cujuſdam Romani, ictero defuncti, cujus ſingula membra flava invenit. Inſuper quoque oſſa flavedine imbuta & arte quaſi tincta in puero ex matre icterica nato deprehendit KERKRINGIUS *in ſpicileg. anatom.* cui ſymbolum ſuum addit DOLÆUS *in Encyclopæd. medica lib. III. cap. VIII.* ubi in viro quadragenario, ictero demortuo, omnia tum abdominis tum thoracis viſcera & ipſum cerebrum cum oſſibus & cartilaginibus icterica tinctura i. e. flava adfecta Hanoviæ vidit. Notatu præterea digniſſimum eſt, quod GALENUS & SEXTUS EMPIRICUS ſcribunt, ictericos ob oculorum colorem fla-

flavedine infectum omnia objecta flava intueri. De cujus obſervationis fide MERCURIALIS *in prælect. Bononienſibus* valde dubitavit, quia nec Celſus, nec Cælius Aurelianus, nec Aetius, nec Avicenna hujus ſymptomatis mentionem fecerint. Nos tamen bina exempla in ætate virili conſtitutis obſervaſſe teſtamur.

§. V.

*Differentia morbi icterici.*

Deinceps ad veram morbi icterici indolem accuratius dignoſcendam & ad meliorem exinde ratione cauſſarum, eventus & curationis dijudicationem formandam hæc monenda eſſe ducimus, quod multum hic affectus, per quem ſpeciatim icterum flavum intelligimus, inter ſe differat. Namque conſtanti experientia comprobatum deprehendimus, alium valde eſſe contumacem ac diuturnum & difficulter admodum medicamentis expugnari, alium brevi tempore ceſſare & remediis facile cedere; alium dein perpetuo inhærere, alium tantum ſtatis reverti periodis & certas modo horas perdurare atque etiam in quibuſdam eſſe anniverſarium. Datur præterea icterus vel idiopathicus, vel ſymptomaticus. Illius quidem cauſſa altius viſceribus, maxime hepati, inhæreſcit; hic vero aliis morbis ſuperveniens nonnunquam colicæ convulſivæ hyſtericæ, cardialgiæ & paſſioni iliacæ, vomitioni & purgationi poſt validius adſumtum emeticum aut purgans medicamentum jungitur. Eſt quoque criticus, qui interdum ſalutis in febribus acutis præbet indicium, interdum pejorem ſtatum præſagit, quod fieri ſolet, quando inflammationi ventriculi jungitur, vel hæc icterum ſequitur. Poſtremo ingens omnino inter icterum flavum & nigrum tam ratione cauſſæ, quam periculi notanda occurrit differentia, utpote in hoc longe gravior humorum corruptio & viſcerum læſio, quam in illo debet ſuſpicari.

§. VI.

*Cauſſa proxima icteri.*

Præmiſſis ſic potioribus, quæ ad morbi hiſtoriam pertinent momentis, diſpiciendum nunc erit de veris noſtri mali & ſymptomatum cauſſis. Jam vero unanimis medicorum ſententia eſt, in ictero tantum non ſemper hepar præter naturam eſſe affectum: videamus igitur, quomodo hæc læſio ad malum noſtrum contribuat. Quod ſi autem perpendamus, nobiliſſimum hepatis viſcus à natura in hunc potiſſimum finem tanta ductuum varietate & copia inſtructum eſſe, ut ſulphureum, aduſtum & cum lympha viſcida quaſi alcaliſatum, quod bilis nomine venit, à ſanguinis & humorum maſſa ſecernat, ſecretum per peculiares canales ad duodenum, ad promovendam ibi digeſtionem, deferat; facile intelligimus, impedito vel prorſus intercepto bilis ad inteſtina itinere, hujus ad vaſa lymphatica ipſumque ſanguinem fieri regurgitationem, adeoque proximam & principalem icteri adeſſe cauſſam. Et quum tali ratione ſerum & ſuccus nutritius bile inficiuntur, explicatu facillimum eſt, cur color cutis in flavum mutetur, nutritio vitium capiat & urinæ craſſæ atque rufo tinctæ colore mingantur; neque minus inde patet ratio, cur non flavo colore per alvum prodeant excrementa, cur digeſtio ciborum langueat & multa circa primam regionem percipiantur incommoda.

§. VII.

*Hepatis læſio duplici modo inducitur.*

Sed paullo altius & ſpecialius erit inquirendum, quænam ſub tanta ictericorum differentia, quam ſupra monſtravimus, præcipuæ in hepate partes ac viæ præter naturam affici ſoleant & à quibuſnam cauſſis vitio laborent. Has ipſas vero vel in vitio materiæ, vaſa obſtruentis, vel in motibus ſpaſmodicis, vaſa coarctantibus in univerſum poſitas eſſe quisque theoriæ medicæ gnarus facile poterit dijudicare. Utriuſque igitur ſtatus peculiarem inſtituamus diſquiſitionem.

§. VIII.

*1) à ſpaſmis.*

Et primo quidem, ſpaſmos ictero ſæpenumero præbere originem, in experientia omnino fundatum eſt. Quandocunque enim, quod ſæpius accidit, ſubito icterus invadit, brevique tempore terminatus per periodos iterum recurrit, tunc ſane nec in materia peccante, nec in vaſorum obſtructione & infarctu, ſed potius in ſpaſtica ductus cholodochi, qui tunica valde ſenſibili nervoſa præditus eſt, conſtrictione cauſſa reſidere videtur. Quam ob rem deprehendimus, à vehementiori ira, qua nihil ad inducendum icterum potentius eſt, neque minus à corroſivis & draſticis tam purgantibus quam vomitum cientibus remediis, vel ab ipſa bile in cholera, cardialgia & principio febrium krilioſarum, icterum ſubinde oriri, quippe quæ omnia rite invicem comparata de ſpaſmodica ductuum biliferorum agitatione teſtantur luculentiſſime. Ut nihil denique dicamus de anatomicis eorum, qui ictero perierunt, ſectionibus, in quibus nonnunquam ne minimam quidem à calculoſa, vel mucida & viſcoſa materia obſtructionem in ductibus, qui bilem ad duodenum vehunt, reperire licet.

§. IX.

*2) ab obſtructione ductuum hepaticorum & veſiculæ felleæ.*

Progredimur ad alteram cauſſam, vaſorum obſtructionem, de qua quidem eo minus dubitare licebit, quo frequentiori conſtat obſervatione, cyſtidem felleam non raro inſignis magnitudinis calculis eſſe repletam. Quod itidem valet de reliquis ductibus hepaticis & inprimis cholodocho, qui non modo calculis magnitudine, figura & colore inter ſe diverſis, verum etiam gypſea, tophacea & viſcoſa materia ſæpenumero inveniuntur obſeſſi, ita tamen, ut quo illa magis mollis ac ſolubilis eſt, eo ſymptomata leviora ſubſequantur. De quo conſuli merentur M. N. C. *ann.* I. *obſ.* 44. & BONETUS *in ſepulchreto lib. III. Sect. VIII. obſ.* 36.

§. X.

*Calculi, quando icteri cauſa ſint.*

At vero, non ſemper à calculis vias biliarias infarcientibus icterus ſolet induci. Ita ETTMULLERUS *in praxi Part. II. pag.* 54. confirmat, diſſectam fuiſſe mulierem, ex cujus veſicula fellis plures lapides majores minoreſque fuiſſent collecti, quæ tamen ab ictero libera manſiſſet. Cui adjungendum eſſe cenſeo, quod Cl. Lipſienſium Profeſſor D. Petermannus in vetula Torgenſi præter 17. lapides nihil ferme ſucci bilioſi in cyſtide fellea deprehenderit, cum tamen icterici mali prorſus expers fuerit. *Vid. ejus diſſert. de ſcrutinio icteri ex calculo veſicæ felleæ.* Quæ cum ita ſint, reddenda à nobis eſt hujus phænomeni ratio, quæ noſtro quidem judicio haud dubie inde erit petenda. Quam diu calculus in veſica

fellea

fellea non movetur, ſed quietus jacet, non ſecus ac calculus in renum tubulis nullas creat moleſtias. Simul vero ac è loco ſuo deturbatus ad ductum cyſticum propellitur, ibi hærens vehementi diſtenſione atrocem dolorem & ſpaſmum, qui totum ductuum biliariorum ſyſtema in conſenſum trahit, progignit & ſic morbum noſtrum graviaque cum ea complicata ſymptomata producit; quæ dein, excluſo per alvum calculo, ut à nobis ſæpius obſervatum eſt, ex toto quieſcunt.

## §. XI.

*Calculorum ſigna.* Sunt vero quædam ſigna haud fallacia, quæ calculorum in ductibus biliariis indicant præſentiam, qualia potiſſimum ſunt gravis & lancinatorius in hypochondrio dextro circa ſcrobiculum cordis dolor, conſtanter cum aliquali remiſſione affligens, cum ſumma præcordiorum anxietate, ſpirandi anguſtia, pectoris compreſſione, nauſea & nonnunquam ipſo vomitu, alvi conſtipatione, inquietudine & vigiliis junctus. Quibus accedit, quod ejuſmodi ægrotantes non erecti, ſed dorſo flexo incurvati incedere poſſint.

## §. XII.

*3] ab obſtructione ductuum bilem ſecernentium.* Verum enim vero, non tantum à bile in ductibus biliariis concreta, verum etiam ſi materia tenax, viſcida helioſa minimos ductus ſecretioni bilis dicatos infarcit, icterus progignitur. Hoc enim ſi incidit, non ad ductus biliarios, ſed per diſtenta vaſa lymphatica bilis cum lympha ad ſanguinem deferatur neceſſe eſt. Quam in rem digna eſt, quæ annotetur obſervatio *Jacobi* CAMENICENI *in epiſt. ad Matthiolum pag.* 184. qui vidit hepatis venas in parte ejus cava prius quam in communem illum caudicem portæ deſinunt, obſtructas lapillis eas diſtendentes, foras nigris, intus flaveſcentibus. Quorſum & illud referendum eſt, quod de glandulis arteriæ hepaticæ & fellis ductui ad inteſtina tendenti adjacentibus apud BORELLUM *pag.* 326. legitur, quarum mole & tumore hic ita comprimebatur, ut vix aliquo conatu inſtrumentis tenuiſſimis eſſet tranſitus; quin imo ab excreſcentiis carneis compreſſionem aut occluſionem cholodochi cauſſari CABRULGUS *obſ. chir.* X. & MECKERN *obſ. chirurg.* 43. annotarunt: & ab omnimoda ejus exſiccatione & obſtructione omnem viam intercipiente icterum ſubortum in cardinali quodam Florentino poſt mortem ſe vidiſſe perhibet ARGENTERIUS *in lib. IV. aph. Hipp.* quamvis hæ obſervationes ſint rariores.

## §. XIII.

*Cauſſæ mediatæ ſunt plethora.* His ita deductis, deveniendum jam eſt ad cauſſas mediatas inquirendas, quæ ictericæ cachexiæ potiſſimum velificantur. Ex quibus præcipua ſe nobis offert plethora, ſeu major ſanguinis & humorum, quam natura ferre poteſt, copia. Quod quidem non adeo mirum videri debet. Etenim quum per hepatis viſcus etiam in ſtatu naturali ob venam portæ, impulſu ſufficienti deſtitutam, languidior eſt circularis motus, fit omnino, ut accedente plethorico ſtatu ſanguis ſpiſſior & viſcidior facilius inibi ſtagnet minimaque vaſa obſtruat. Unde etiam fieri obſervamus, in cachexia leucophlegmatica, in ſcirrho & induratione hepatis, ob deficientem partium bilioſarum ſeparationem, cutis colorem ex flavo virideſcentem adparere. Nec quidquam ſupereſt dubii, quin peſſimæ indolis icterus, quem nigrum appellant, ingentem & fere immedicabilem hepatis labem magnamque humoris bilioſi corruptionem pro cauſſa & fundamento agnoſcat.

## §. XIV.

*Perverſa diæta.* Ex diætæ vitio cauſſam ictero præbent antecedentem cibi diſpepti, quales ſunt piſi, fabæ, lentes, caſeus &c. utpote qui ob rudiorem craſſioremque texturam ſuam, maxime ſi magna ingeruntur copia, difficilius digeruntur ſanguinemque ingenerant ſpiſſum ac impurum. Huc quoque referendi ſunt ex potulentis vina acida, auſtera, cereviſiæ aceſcentes & aquæ, quæ argilloſas & tophaceas ſecum vehunt particulas; quæ tamen omnia longe pejorem exſerunt effectum, ſi vita acceſſerit ſedentaria ac ſomnolenta. Nihil vero tam potenter ad morbos ex hepatis vitio oriundos confert, quam immoderatus vini generoſi & præſertim aduſti abuſus, unde chylus, & lympha nutritia coagulantur bilique magna & ſanitati ſumme infenſa inducitur dyſcraſia. Præterea ad malum vitæ regimen pertinent quoque animi affectus, ex quibus præter iram, quam jam ſupra inter præcipuas noſtri mali cauſſas retulimus, mirum quantum valet longior triſtitia, quæ dum ſanguini craſſo ingignendo & abhinc prodeunti tardiori ejuſdem circuitui apprime velificatur, ad icterum chronicum & contumacem aut producendum, aut revocandum exiſtit aptiſſima.

## §. XV.

*Prægreſſi morbi.* Denique etiam non raro ex aliis morbis prægreſſis icterus ſuos repetit natales. Hinc febres intermittentes per remedia adſtringentia intempeſtive ſuppreſſas ſæpenumero icterum ſequi, præter experientiam teſtatur RAMAZINUS, qui à tali febre, per corticis chinæ uſum perperam cohibita icterum ſubortum in libris ſuis annotavit. Neque rarum, ſed in praxi medica ſatis obvium eſt, a menſibus vel hæmorrhoidibus obſtructis vel retardatis icterum enaſci.

## §. XVI.

*Prognoſis.* Tranſitus nunc fiat ad ſuppeditandam prognoſin, quæ medico ad exiſtimationem aucupandam debet eſſe commendatiſſima. Hæc vero, prout ipſa ſubjecta reſpectu ætatis, corporis habitus, roboris & naturæ differunt, vel prout cauſſæ vel atrociores vel mitiores ſunt, tam ratione durationis quam eventus multum omnino differt. Quando enim hoc malum juniores invadit homines & ſimplex tantum ac ſolitarium eſt, non cum alio morbo, ut quartana, malo hypochondriaco, vel obſtructione ex hepatis ſcirrho complicatum, nec adeo longum tempus duravit, convenientibus remediis tam diæteticis, quam pharmaceuticis tolli poteſt faciliime. Quod ſi vero ſæpius poſt curam, colore flavo in nigriorem vergente, recidivat & indurationem hepatis junctam habet, funeſti ut plurimum eſt eventus, quia vel in hecticam, vel hæmorrhagiam enormem terminatur. Si à vehementiori iracundiæ affectu, vel a purgante & emetico draſtico, ob ſpaſmodicam inteſtinorum ductuumque biliferorum ſtricturam icterus oboritur, commodæ medicinæ in tempore adhibitæ facile cedit. Difficiliorem vero admittit ſanationem, ſi aut longiori triſtitia fovetur, aut ſi

corpus à morbo antea perpeſſo valde debilitatum invadit.

§. XVII.

*Prognoſis.* Qui febri jungitur icterus, ſæpius illius criticam affert ſolutionem. Ita in praxi aliquoties annotandi occaſio fuit, febres, quæ cum ſpaſmis imi ventris, vomituque bilioſo & intenſiori æſtu ſtipatæ in corporibus hypochondriacis, prævia iracundia ſuſcitantur, ictero ſuperveniente feliciter fuiſſe terminatas, quod jam olim confirmavit HIPPOCRATES, qui *lib. IV. aph.* 64. *quibuscunque*, inquit, *per febres die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto icterus incidit, bonum & ſalutare eſt, niſi dextrum hypochondrium obduruerit.* Haud diſſimili ratione icterus in febribus intermittentibus, inprimis ſub paroxyſmi initio exortus nullum portendit malum: nam illo finito & hic ipſe evaneſcit. Qui vero inflammationi hepatis, vel duodeni aut ventriculi accedit icterus, in ancipiti ægrum eſſe ſignificat. Sæpe etiam gravidas circa ultimum geſtationis tempus adoritur, qui tamen tempeſtiva ſanguinis miſſione facile ſupprimitur. Calculus in cyſtide fellea contentus, ſi inſignis eſt magnitudinis, adeo ut totam ferme veſiculam oppleat, cauſſa ſæpe eſt icteri graviſſimorumque ſymptomatum, quorum potiſſima ſunt, dolor ardens circa ſcrobiculum cordis in latere dextro, tormina circa idem latus ſæviſſima, nauſea, vomitus, lipothymiæ, reſpirandi difficultas cum lurido faciei aſpectu. Quæ vero ſi incidunt, periculoſus morbi ſtatus eſt, qui tandem in aſcitem definit lethalem. Hinc etiam aliquoties in iis, qui hiſce ſymptomatibus defuncti ſunt, diſſectis totam veſiculam felleam calculis vidi refertam & circumiacentes partes, ut colon & fundum ventriculi, flavo colore contaminatas, atque exterius, ob bilis forte acrioris per poros cyſticos tranſſudationem corroſas. Pari quoque ratione aſthmati convulſivo, quod plerumque hydropem tam thoracis, quam abdominis poſt ſe trahit mortiferam, ſæpiſſime cauſſam præbet veſicæ felleæ à ſubſiſtentibus copioſis concrementis calculoſis repletio.

§. XVIII.

*Prognoſis icteri nigri.* Ad nigredinem vergens icterus ob magnam eamque malignam, quæ fixæ, terreſtris & acido-corroſivæ indolis eſt, humorum corruptionem lethalia ut plurimum infert ſymptomata, nec curari ullo, aut niſi ſummo negotio poteſt. Talis infeſtus quam maxime eſt ſenibus, & facile in maraſmum, in cachexiam, tumores œdematoſos, eryſipelas malignum, ſphacelum, vel etiam in moleſtas degenerat hæmorrhagias.

## THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

*Prima indicatio in ictero à ſpaſmis ſuborto.* In curatione icteri prudenter & circumſpecte adornanda primo ſtatim cauſſarum, corporum, & temporis aliarumque circumſtantiarum haberi debet ratio; ſiquidem pro ſingulorum diverſitate, illa ipſa etiam aliam atque aliam poſtulat methodum. Quod ſi enim, uti ſæpius ab ira, à validiori medicamento, aut veneno adſumto, vel per conſenſum ex colica ſpaſmodica hæmorrhoidali & hyſterica evenire ſolet, icterus ſubito corpus invaſerit & adhuc recens eſt; à vehementiori ductuum biliariorum per hepatis penetralia diſperſorum ſtrictura illum oriri, vero eſt ſimillimum, atque tum medicus primam indicationem exſequi ſtudeat: nimirum, ut tenſæ & conſtrictæ partes relaxentur, adeoque bilis tam ſecretio ſuſpenſa, quam ejus ad inteſtina deſcenſus impeditus naturali reſtituatur libertati, atque demum, ut bilis acrimonia, quæ ſpaſmorum genetrix eſt, mitigetur ac contemperetur.

§. II.

Dictis ſcopis obtinendis egregie inſerviunt emulſiones, quales ex ſeminibus IV. frigidis maj. papaveris, & cannabis &c. quod ob ſulphur vaporoſum, quo præ aliis imbutum eſt, præcipue à SYLVIO commendatur, cum aquis ſedativa virtute præditis, ut florum tiliæ, acaciæ, primul. veris, lilior. convall. chamomill. vulg. millefolii, ceraſorum nigrorum, addita ſyrupi papav. albi portione, commode poſſunt parari. Egregiæ porro & expertæ hoc fine virtutis eſt liquor noſter anodynus, ſi cum aliquot olei macis deſtillati guttulis, vel in affectibus colicis & hyſtericis cum eſſentia caſtorei, croci & laudano opiato Sydenhamii maritetur. Ad mitigandam vero humorum acrimoniam pulveres abſorbentes leniter nitroſi, qui ex lapidum cancror. conch. matris perlar. pulveris Marchion. ana drachma una, ſuccini præp. nitri purif. ana drachma dimidia, olei macis gutt. IV. confieri poſſunt, operæ faciunt pretium, quibus pro circumſtantiarum ratione aliquot extracti caſtorei, vel croci grana ſunt admiſcenda. Vehiculi loco inſervire poteſt ſerum lactis & lac purum aqua dilutum, vel emulſio amygdalina, vel etiam decoctum avenaceum cum uno alterove olei amygdalarum dulcium cochleari permixtum. *Huic quæ inſerviunt medicamenta interna.*

§. III.

Externa quoque anodyna & paregorica præcordiali regioni tepide appoſita inſigne ferunt levamen; quo fine commendanda eſt veſica floribus ſambuci, chamomillæ vulg. millefolii, ſalviæ &c. ex lacte coctis repleta, vel ſi hæc moleſta videatur, epithema ex theriaca, oleo nucis moſchatæ expreſſo, ſpermateque ceti æquali pondere mixtis, & pauxillo croci ac camphoræ compoſitum ſcrobiculo cordis applicari poteſt utiliſſime; idque eo magis, ubi cardialgia, ſeu gravis ventriculi ſpaſmus cum nimia vomitione jungitur. Nec ſpernendæ efficaciæ ſunt enemata ex ſpeciebus paregoricis cum lacte coctis & ſufficienti pinguedinis vel olei chamomillæ cocti quantitate confecta, utpote quæ, ceu balneum internum, partes ſpaſmo dolorifico correptas fovent leniuntque inſigniter. *Quænam externa.*

§. IV.

Eadem quoque methodo iiſdemque uti remediis expedit, ubi pertinax icteritia cum funeſtis ſpaſmis ex calculis ductui cyſtico aut cholodocho firmiter impactis enaſcitur. Atque tum non minorem præſtant effectum, quam quidem exſerere ſolent, ſi calculus renum uretheribus inhærens graviſſima in circumjacentibus nervoſis partibus parit ſymptomata, quibus propter ſpaſmum relaxatum ſublatis, natura ſæpe ſuis ſolius viribus utens ejuſmodi obſtaculum ex iſtis anguſtiis deturbat feliciſſime. *Eadem proſunt ad ſpaſmos ex calculo ſedandos.*

§. V.

Et hæc ſunt potiſſima, quæ ictero, ex ſpaſmodica ductuum biliariorum ſtrictura ſuborto, faci- *Indicatio curatoria in icte.*

*vo ab obſtructione orto.* faciliuſque tranſeunti ſatisfaciunt remedia; videamus nunc, quænam in contumaciori ſæpiusque recidivante malo, quod vaſorum hepatis obſtructioni debetur, ineunda ſit medendi via. Vix aliæ autem ſunt indicationes, quam ut 1) ductuum biliariorum obſtructiones à bilioſa, viſcida & terreſtri cretacea amurca invicem concreta provenientes diſſolvantur, atque hac ratione liberior bilis ad duodenum curſus, ad rite peragendum chylificationis negotium, reſtituatur; 2) ut vaſa bilis ſecretoria à ſanguine tenaci, viſcido infarcta convenientibus remediis reſerentur, quo ſuccum bilioſum ad ductus biliarios libere transmittant. Denique 3) ut valde retardatus ac impeditus ſanguinis circuitus, qui obſtructionum concretionumque conſtituit fundamentum, per totam vaſculoſam hepatis ſubſtantiam naturalis reddatur & æquabilis.

§. VI.

*His ſatisfaciunt decocta & apozemata.* Hiſce indicationibus explendis, mea quidem ſententia commode inſervient, quæ recenſebimus, remediorum genera. Et ex his longe eminent decocta, ſeu apozemata, quæ ex ſpeciebus, ſpecifica quadam humores viſcidos reſolvendi & occluſas hepatis vias aperiendi facultate gaudentibus adparantur, cujus generis ſunt radices quinque aperientes & curcumæ, ſi ex aqua coctæ, vel etiam in ſyrupum, qui in pharmacopæis proſtat, redactæ aſſumuntur. Spectant huc quoque herbæ lactiferæ, ut lactuca, ſcorzonera, taraxicum, tragopogon, ſonchus, endivium, hieracium &c. quæ ſi cum aqua decoquuntur, aut ſi ſuccus recens cum ſero lactis vel aſinino lacte offertur, eximiam præſtant opem. Idem tenendum eſſe arbitror de ſucco graminis recentis. Hinc celeberrimi Bataviæ medici SYLVIUS & BOERHAAVIUS de vaccis & bovibus referunt, quod eorum hepar hiberno tempore, quum fœno & ſtramine veſcerentur, calculis eſſet refertum, qui æſtate, quum recenti gramine pro pabulo uterentur, amplius non apparerent: dubio procul, quod ſuccis harum herbarum ſolutis hepar à viſcidis & coagulatis humoribus optime repurgatur. Nos itaque ictericis decoctum radicis graminis, eryngii, cichorei, fœniculi &c. pro potu ordinario inſigni cum fructu commendavimus ſæpiſſime.

§. VII.

*Aquæ minerales.* Tum vero nullum eſt, quod in omnibus hepatis morbis, adeoque etiam in icteritia curanda, præſentiorem, certiorem ac efficaciorem virtutem præſtet remedium, quam aquæ minerales tam frigidæ quam calidæ, ſub convenienti regimine potatæ, utpote quæ tum ob aquarum ſubtilium, principio elaſtico ſpirituoſo imbutarum copiam, tum ob ſal medium, quo turgent, minerale, in lentis humoribus diſſolvendis, in oppilatione vaſorum reſeranda omnisque generis excretionibus promovendis magnam habent potentiam. Et profecto ſi dicere velimus quod res eſt, raro admodum, vel prorſus non icterus recidivans & chronicus ſine convenienti fontium ſalutarium uſu, quales præcipue ſunt acidulæ Egranæ, Spadanæ, Schwalbacenſes & thermæ Carolinæ, ex voto poterit ſanari.

§. VIII.

*Salia media & rhabarbarina.* Nec inſuper habenda ſunt ſalia neutra ſive medii generis, quæ ob inſignem aperitivam, deterſivam & tam per diureſin quam per alvum leniter evacuantem virtutem inter medicamenta adverſus icterum proficua ſpecialem merentur commendationem; ex quorum cenſu ſunt terra foliata tartari, tartarus tartariſatus, ſal polychreſtum, arcanum duplicatum, nitrum purificatum & antimoniatum, ſolutio ocul. cancr. cum ſucco citri, tartarus vitriolatus & borrax &c. Huc pertinent etiam ſalia ex aquis mineralibus, Egranis, Carolinis, Sedlicenſibus & Epſonenſibus elicita; quorum vis mirum intenditur, ſi cum ſufficienti quantitate aquæ, ſeri lactis, vel appropriati decocti longiori paullo tempore adhibentur. Nec præterire licet rhabarbarum, quod in hepatis affectibus ad humores diſſolvendos & corrigendos ſpecificæ & ſpectatiſſimæ eſt virtutis, ſive in ſubſtantia cum dictis ſalibus remixtum, ſive cum herbis ſupra laudatis in vino infuſum, ſive in tincturam & eſſentiam cum terra foliata tartari redactum propinetur.

§. IX.

Ultima denique medentis debet eſſe intentio, ut tonus vaſorum hepatis debilitatus atque dejectus, qui obſtructionum & concretionum cauſſa exiſtit, remediis blande roborantibus & tonicis reſtituatur. Quod quidem martialia, eaque præſertim liquida, ut tinctura martis pomata, cydoniata, Ludoviciana, aperitiva Zwölfferi, nec non peruvianus & caſcarillæ cortex, in pulvere vel in decocto oblatus, optime præſtant. Quo ſcopo etiam acidulæ pyrmontanæ, quæ martiali elemento præ ceteris imbutæ ſunt, laudem merentur eximiam. *Ultima indicatio poſtulat roborantia.*

*CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

§. I.

Emetica in ictero ſæpe ſunt indicatiſſima & præſentiſſimam ferunt opem; ſæpe vero deprehenduntur ſumme pernicioſa, quando videlicet ex ira vehementiori, vel ex ſpaſmo ventriculi & cardialgia, vel à colica ſpaſmodica ortum morbus duxerit, vel etiam ſi ductui cyſtico inhæreſcens calculus graviores circa præcordia effecerit anxietates. Quod ſi vero iiſdem utendi indicatio eſt, leniora, qualia ex radice Ipecacuanhæ cum uno grano tartari emetici conficiuntur, in uſum vocare præſtat, quæ dein, ubi amurca bilioſa, in duodeno ſubſiſtens & ductus cholodochi orificium claudens bilis tranſitum impedit, vel ubi materia tenax bilioſa, non adeo concreta, ſed mobilis ductus obſidet hepaticos, hanc ipſam evacuando, opitulantur utiliſſime. Ea enim emeticorum vis eſt atque indoles, ut in ductus biliferos, qui ex tunicis valde nervoſis conflatæ ſunt, operationem ſuam diffundant &, eorum ſyſtolen augendo, humores vitioſos egregie exturbent. *Cautela circa emetica.*

§. II.

Validiora purgantia ideo quod ſpaſmos adaugent, motus ſanguinis exagitant & vires enervant, nunquam non in noſtro malo obſervantur noxia; hinc ſuo jam tempore HIPPOCRATES *lib. de ratione victus in acutis* ictericos inter eos retulit, quos non purgare oportet: *nam periculo*, inquit, *expones & nihil juvabis.* Et *libr. de affect. Sect. V.* ubi curationem morbi regii tradit, purgantium mentionem injicit in hunc modum: *corpus balneis calidis extrin-* *Circa purgantia.*

*trinſecus emolliendum, alvus vero & veſica madefacienda. Morbus autem fit cum bilis commota ſub cutim vertitur. Quæ ſi noverit vir idiota, non ſimiliter in incurabiles morbos inciderit. Solent enim morbi ex parvis occaſionibus magni ac diuturni fieri. Et quæ quidem ad cibos aut potiones ſpectant vel ſorbitiones, vel medicamenta, quæ doloris gratia exhibentur, ea omnia ſine periculo admoventur, ſi juxta præſcriptum adhibueris. Quæ vero pharmaca purgant bilem aut pituitam, in his periculum conſtituitur & culpæ medentibus imputantur.* Ex quo præclaro loco clare apparere arbitror, *Hippocratem* abuſum medicamentorum, quæ bilem infra cutem ferunt, ut ſunt purgantia, penitus in ictero damnaſſe & medicos, qui imprudenter iiſdem utuntur, idiotas & mortis cauſſam recte omnino habuiſſe. Neque minus graphicis verbis ſummam, quæ ex purgantibus cholagogis in ictericos redundat, noxam deſcribit CÆLIUS AURELIANUS *lib. III. cap. V. Vitandam probamus*, ait, *frequentem & variam medicaminum potationem, quæ fel deducere promittuntur, ſive ventriflua: etenim ſitis extenditur & cibi faſtidium duplicatur & corporis fortitudo imminuitur, & cibi accepti corrumpuntur, & omnis corporis materia adulterio medicaminum deterior fit; quod facere videmus eos, qui ſæpiſſime ac jugiter abſynthium, aloën & colocynthidem dari probaverunt.*

§. III.

*Circa ſudoriſera & balnea.* Sudoriſera, præſertim nimis calida & volatilia, quæ expanſivo ſulphure ſuo inteſtinum humorum motum exagitant, penitus à cura ſunt excludenda, utpote bilioſi humores, qui viſcidæ ſunt conſiſtentiæ, per anguſtos ſubcutaneos meatus non transmittuntur, ſed rectius omnino per hepatis colatorium & renale cribrum volunt expurgari. Neque minus caute procedendum eſt cum balneis nimis calidis, in ipſo morbi ſtatu ac paroxyſmo adhibendis. Neque obſcura eſt hujus rei ratio. Etenim, quum obſtructi ſint pori cutanei, icterici non facile ſudant, ſed nimius calor, ſanguinem exagitando & humores acriores reddendo, vaſculorum ſanguiferorum in aliis locis concitat rupturam. Contra vero tepida & temperatiora, quæ ex aqua fluviatili cum furfure triticeo & lacte fiunt balnea, ſi ſpaſmorum circa primam regionem urget vehementia, ſecurius poſſunt admitti. Poſſunt quoque ſine omni noxa, ſi morbus in declinatione cutisque emunctorium patulum eſt, ad flavum colorem penitus detergendum, paullo calidiora cum herbis emollientibus & deterſivis parata adhiberi utiliſſime.

§. IV.

*Circa medicamenta amara.* Medicamentis amaricantibus, quæ ex radice gentianæ, trifolii fibrini, centaurio minor. abſynth. carduo bened. &c. præparari ſolent, magnæ in ictero ſanando ab auctoribus hinc inde tribuuntur laudes. Verum hæc ipſa plus ſæpe detrimenti, quam emolumenti afferre, multiplici edoctus experientia teſtor. Equidem videtur eorum uſus ob hanc rationem utilis, quod defectum bilis ſupplendo, ciborum digeſtionem & excretionem facilitent. Nihilo tamen minus, quum una cum chylo ad ſanguinem tranſeant, ſulphureas bilioſas impuritates coacervando, malum ſæpe pertinacius reddunt. Si quid vero ab iiſdem in primis viis ſperandum eſt utilitatis, tum maxime id fieri deprehendimus, quando impuras ſordes per alvum, quæ valde obſtipatá eſt, expurgant. Namque nec bilis, nec alia amara temperaturæ humorum vitalium ſunt amica, ſed ſimul cum ſtercoribus debent excerni; & ob hanc rationem rhabarbarum magni eſt faciendum, imo & amara ſupra commemorata in infuſis cum vino poſſunt concedi, ſi cum purgantibus lenioribus, ut rhabarbaro, foliis ſennæ, agarico & ſalibus tartareis combinentur.

§. V.

*Circa mercurialia.* Quoniam in utroque ictero ſumma humorum peccat impuritas ſeu cacochymia, ex mercurio parata medicamina, quæ alias à nonnullis commendantur medicis, ſunt inſenſiſſima. Unde à mercurio dulci, in minori etiam doſi ſub pilularum forma exhibito gingivarum intumeſcentiam cum ſummo oris fœtore, nec non cardialgicas anxietates cum appetitus viriumque proſtratione originem ſumſiſſe novi. Mercurius enim non modo cum acidis, verum etiam, & multo magis cum alcalinis ſalibus mixtus valde corroſivam & venenatam induit naturam.

§. VI.

*Circa venæ ſectionem.* Venæ ſectiones præſervandi potius, quam curandi fine habent locum. Nimia enim ſanguinis redundantia circularem fluidorum motum, qui in hepate ſemper tardior eſt, magis imminuendo, ad morbos hepatis ingignendos multum omnino contribuit. Neque tamen morbo jam præſente & plethora urgente, ad graviora ſymptomata avertenda, penitus diſſuadenda eſt ſanguinis ventilatio, ut ipſa potius magnum polliceatur fructum, ſi à ſuppreſſo menſium vel hæmorrhoidum fluxu malum ſubortum aut ſuſtentatum fuerit. Quod itidem valet, ſi quando poſt quinquageſimum annum, quo menſes ſolenniter ceſſare ſolent, fœminæ hoc morbo corripiantur.

§. VII.

*Circa externa.* Circa topica notare convenit, quod hæc ipſa hepatis regioni applicata inſignem ſanguinis & humorum per ductus hepaticos circuitum adjuvandi vim habeant, adeoque ad auſpicaciorem noſtri affectus curationem permultum conferant. Ego hoc fine ſæpius optato cum fructu uſus ſum cataplaſmatibus, vel ſacculis herba abſynthii, marrubii, menthæ, & floribus chamomill. rom. & vulg. repletis & ex vino rhenano coctis, vel etiam emplaſtro ſaponato Barbette bene camphorato, aut diachylo ſimplici cum croco remixto.

§. VIII.

*Circa alimenta.* Sed in affectu noſtro perſanando alimentorum quoque ſumma habenda eſt ratio, probeque diſpiciendum, an ægri natura iiſdem ferendis par ſit, utpote non omnibus omnia conveniunt. Quod quidem potiſſimum obſervamus circa potum. Alii enim ſerum lactis, alii ſolam aquam fontanam, vel cum cremore tartari & ſaccharo, vel etiam vino rhenano & ſucco citri mixtam, alii cereviſiam pro potu cum fructu ſumunt, cum contra alii hæc omnia reſpuant. De vino autem in genere tenendum ſuadeo, quod modice debeat dari; ſiquidem omne ſpirituoſum plus nocet quam prodeſt. Inter cibos quam maxime ſunt removendæ carnes infumatæ, piſces, placentæ & cum butyro frixa, nec non omnia leguminoſa, exceptis fructibus aquoſis, ut ſunt cera-

ceraſa, ribes, cucumeres, pruna cocta, &c. qui ut plurimum innocentis ſunt uſus.

## §. IX.

*Diæta ad præſervationem utilis.*

Ad præſervationem mali & avertendam recidivam aëris mutationes, peregrinationes, ac ſufficiens corporis exercitatio omne ferunt punctum; quibus largior congrui potus uſus animique tranquillitas utiliſſime poteſt ſubjungi. Hinc nota mihi ſunt exempla eorum, qui his omnibus prudenter adhibitis icteritiam pertinacem fugarunt feliciſſime; ſicut contra diuturna experientia ſatis habeo comprobatum, vitæ ſedentariæ & potibus ſpirituoſis addictos, ut & eos, qui poſt motum fortiorem frigidum ingurgitarunt potum, & diuturno mœrore fatigati ſunt, non modo affectioni noſtræ valde eſſe obnoxios, verum etiam difficile admodum ab ea penitus liberari. Denique non incongruum videtur, quam CELSUS *lib. III. cap. XXIV.* in uſum commendavit vivendi rationem ſubnectere: *Per omne tempus*, inquit, *utendum eſt exercitatione, frictione, balneo, lecto etiam & conclavi cultiore, clauſo loco, ut & ludis, laſcivia, aliis, per quæ mens exhilaretur. Ob quæ regius morbus dictus videtur. Malagma quoque quod digerat, ſuper præcordia datum prodeſt.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Icterus à colica bilioſa ſpaſmodica.*

Fœmina triginta annorum, macilentæ & ſanguineo-cholericæ conſtitutionis, in iram valde proclivis, ob vitam ſedentariam & varios in diæta commiſſos errores per trimeſtre ſpatium uteri purgationem non experta, corripiebatur haud ita pridem dolore in hypogaſtrica regione tam acuto, ut corpus erigere vix valeret. Sequebatur dein diarrhoea biliosa, quam ſedatam mox excipiebat cardialgia, cum faciei pallore & crebrioribus ſtipata lipothymiis. Aliquot dies poſt univerſum corpus flaveſcente contaminabatur colore; urinæ ſecedebant craſſæ & croceæ, feces albeſcentes, & circa ſcrobiculum cordis continuo urgebat dolor pungitivus atque preſſorius. Sub tali rerum ſtatu meum ægra requirebat conſilium. Ego igitur omnem curationis ſcopum eo dirigendum ratus, ut ſpaſticæ ſtricturæ relaxentur, ſequentem inii medendi methodum. Primo ordinavi mixturam antiſpaſmodicam, ex liquoris noſtri anodyni, eſſentiæ croci, caſtorei, corticum aurantior. æquali portione & aliquot olei macis guttulis compoſitam, de qua tertia quavis hora XXX. guttas cum pulvere præcipitante nitroſo ex aqua liliorum convall. adſumere juſſi. Exterius regioni ventriculi & hepatis imponendos ſuaſi ſacculos, qui flores chamomillæ roman. crocum & flores macis continebant, ex lacte coctos. Dein circa tertium diem, ad expurgandam ab impuris ſordibus primam regionem, propinavi pulverem ex rhabarbari ſelecti ſcrupulis duobus, cremoris tartari ſcrupulo uno & nitri purif. granis ſex confectum; pro potu vero ordinario duas partes aquæ cum una lactis parte remixtas commendavi. Quibus per aliquod tempus rite uſurpatis, dolores quidem & ſpaſmi penitus quieſcebant; attamen quum menſium negotium in ordinem redire renuebat, ſuaſor fui, ut elixirium noſtrum viſcerale & circa inſtans menſtruum tempus pilulæ noſtræ balſamicæ in frequentiorem ducantur uſum.

*Epicriſis.*

Icterum frequens colicæ bilioſæ ſpaſmodicæ eſſe ſymptoma, pluribus mihi exemplis cognitum eſt; cujus cauſſam non æque facile in bilis acrimoniam in inteſtinorum volumine hærentem, quam potius in ſanguinem bilioſum, in inteſtinorum tenuium nervoſis admodum tunicis ſtagnantem puto rejiciendam. Spaſmus inde concitatus tantæ ſæpe potentiæ eſt, ut non ſolum nerveas ſtomachi membranas, ſed & totum ductuum bilioſorum ſyſtema in conſenſum rapiendo, vehementi ſtrictura afficiat. Qui ejuſmodi colicæ ſuccedere ſolet alvi fluxus, boni ut plurimum ominis eſt, neque ideo facile ſiſtendus; alioquin motus ſpaſtici ſurſum vergentes malum longe reddunt deterius. Multo magis in tali colica, cum ictero juncta accommodatum purgans inſignis eſt uſus. Ita ROLFINCKIUS *in diſſert. de tartaro* contra Mercatum, qui in hoc caſu purgandum eſſe negabat, præcipue commendat jalappam, cujus innocentem uſum vel ſuo ipſius exemplo ſatis comprobat, dum colica, & hinc ictero ſæpe correptus pulverem ejuſmodi purgantem non ſine fructu adhibuiſſe teſtatur. Ceterum ex præfata morbi hiſtoria intelligere licet, fœminas cholericas, remanente menſium fluxu, corporiſque refrigeratione & vita ſedentaria accedente, ſemper fere graviores incurrere dolores & ſpaſmos, ad quorum recidivam præſcindendam præcipua medici debet eſſe intentio, ut muliebres per uterum purgationes priſtinæ reſtituat integritati.

### OBSERVATIO II.

*Icterus ex obſtructione hepatis.*

Vir quinquaginta annorum, conſiliarius intimus Hannoveranus, temperamento præditus ſanguineo, animoque mobiliori, lautæ & vinoſæ diætæ adſuetus, nunquam venæ ſectionem paſſus, incidit poſt uſum aquarum Schwalbacenſium, quas neglecta accuratiori diæta biberat, in gravem diarrhoeam, cum tetro oris fœtore & truculentis inteſtinorum doloribus ſtipatam. Pluſſimis hiſce ſymptomatibus ſedatis in ſcenam prodibant dolores cardialgici, qui per totum dorſi tractum uſque ad ſcapulam protenſi per periodos multam figebant crucem; appetitu tamen ſomnoque integris permanentibus. Accedebant dein ictericæ paſſionis indicia, quæ flavo cutis colore, urina craſſa & obſcure bruna, linteamina croceo colore tingente, nec non fæcibus albis, abunde ſe manifeſtabant. Tentarunt equidem medici ad tollenda hæc mala plurima remediorum genera, ſed irrito plane effectu: nihil enim profecerunt decocta aperientia, nihil purgantia, nihil martialia & amaricantia, tantopere alias commendata. Tandem ego conſultus ſuaſi uſum acidularum Pyrmontenſium, quæ ad menſuram & ultra quotidie potæ, interpoſito ſtomachicorum amaricantium & pilularum polychreſtarum uſu, & cauſſam & morbum cum ſymptomatibus ſuſtulerunt feliciſſime. Hoc tamen notabile videtur circa hunc ægrum, quod ſub potu harum aquarum ſalubrium urina, quæ alias tenuis & limpida mingi ſolet, croceo imbuta colore ſeceſſerit, neque prius evanuerit, quam affectu & flaveſcente cutis colore penitus ſublatis.

Epi-

*Epicriſis.*

1) Facile, credo, medicinæ peritus perſpiciet, huncce affectum firmam habuiſſe ſedem in hepatis ejuſque ductuum obſtructione & ſic ex liberiori bilis per hoſce ductus ad duodenum tranſitu intercepto fuiſſe prognatum. Dolor acutus cum magna anxietate cardialgica, nec non gravativa lateris preſſio vix aliunde ſuam duxerunt originem, quam à bile, quæ ex ſtagnatione in ductibus & veſicula fellea acrior reddita per tenues, præſertim veſiculæ tunicas tranſſudavit ipſasque ventriculi & inteſtinorum membranas valde ſenſibiles arrodendo, ad ſpaſticas concitavit ſtricturas. Tranſſudare autem bilem ex cyſtide fellea poſſe, teſtatur anatome, qua non ſemel, ſed aliquoties bilem inſtar guttularum dextræ ventriculi parti, vel colo inhærentem, haſque partes penetranti flavo colore tinctas annotaſſe memini.

2) cauſſa quoque hujus affectus quærenda erit in nimia ductuum biliariorum, maxime cholidochi, à bile copioſius inibi ſtagnante diſtenſione; etenim quum nervoſis hiſce partibus propter ramum intercoſtalem & vagum magna cum orificii ventriculi, diaphragmate & ipſo œſophago intercedit conſpiratio, non mirum eſt, ſi altera harum partium præter naturam affecta & omnes conſentientes reliquæ ſimili malo affligantur. Oris fœtor acceſſiſſe videtur, quod forte ob bilis balſamicæ defectum putrilago reliquiis chymi fuit inducta. Sæpe etiam impurior & excrementitia in narium & faucium periſtromate hærens lympha tetrum ejuſmodi odorem exhalat, uti quidem videmus in cachexia & ſcorbuto affectis.

3) docet hic caſus quam optime, non dari potentius, nec efficacius ad inveteratas obſtructiones, in quibuſcunque partibus debellandas præſidium, ipſo aquarum ſalubrium uſu, quæ & copia aquæ, & activo minerali principio inſtructæ occluſos tubulos aperiunt, atque hinc omnibus aliis pervulgatis & è re pharmaceutica deſumtis remediis præferendæ ſunt longiſſime. Sed neceſſe eſt, ut conveniens accedat vitæ regimen, quo neglecto, contrarius ſæpe effectus ſequitur, quod exemplo fontium Schwalbacenſium ſatis evictum arbitror.

## Observatio III.

*Icterus in gravida à plethora.*

Generoſiſſima Conſiliarii aulici uxor, juvencula, formoſæ admodum faciei, teneræque & ſanguineæ complexionis, utero primum gravis, incidit octavo geſtationis menſe in icterum, qui, excluſo dein fœtu, per totum puerperii tempus duravit. Non multo poſt denuo concepit utero, & licet venam bis ſecandam præbuerit, aliquot tamen ante partum diebus eandem labem incurrit, qua nihil obſtante iterum ſecundo partu incolumem peperit filium. At vero, quum nunc pertinacius, quam quidem antea hoc malum inhæreret, maritus a me petiit, ut ipſi ſuccurrerem conſilio, ne rurſus gravida tam moleſto affectu tentaretur. Ego tum in vitæ victusque rationem inquirens deprehendi, generoſiſſimam hanc fœminam vitæ ſine labore deſidi, diætæ vinoſæ & ſomno nimis indulgere, ejuſque loci cereviſiam bibere valde nutrientem, ac plerumque alvum habere obſtructam. Unde cauſſam mali in nimia ſanguinis redundantia repoſitam arbitratus ſuaſor fui, ut loco potus ordinarii aquam potaret vino dilutam, atque uterum geſtans tam circa tertium vel quartum menſem, quam circa ſeptimum & nonum ſanguinem è vena ſecta detrahendum curet; alvum vero, ſi impigra & obſtructa eſſet, paſſulis rhabarbarinis reſeraret. Quibus probe obſervatis peperit adhuc diverſis temporibus tres liberos ab icteri acceſſione libera.

*Epicriſis.*

Ictericam hanc paſſionē à ſola plethora, quæ ſub tali vivendi genere in gravidis valde increſcit, productam fuiſſe, nihil eſt dubii. Nullum enim viſcus à nimia ſanguinis copia plus labis contrahit, præter hepar, in quo uti ſecundum naturam paullo difficilior & lentior eſt ſanguinis circulatio; ita hæc ſub plethorico ſtatu magis impeditur: & quum tali ratione ſanguis à ſordibus bilioſis minus rite depuretur, ſed propter coagulatam bilem reliqua ad ſanguinis maſſam deferatur, icterus generatur facillime. Interim diſcimus, venæ ſectionem præſentiſſimum & optimum adverſus icterum à plethora eſſe remedium, quam in noſtro caſu eo magis utilem proſpexi, quod meminerim, ægrotantis matrem, inſigniter plethoricam, ante decennium graviditatis tempore quartana correptam, iterata venæ ſectione, fruſtra datis aliis medicamentis, feliciter fuiſſe ſanatam.

## Observatio IV.

*Icterus à metaſtaſi ſeri impuri ad hepar prognatus.*

Fœmina ſexaginta annorum, habitus corporis phlegmatici, per integrum fere annum rheumaticos dolores in humero dextro experta fuit, qui quum duobus abhinc menſibus, relicta priori ſede, dextrum ſub coſtis ſpuriis occupabant hypochondrium, ſequebatur in his locis vehemens preſſorius & conſtrictivus dolor, per ſex hebdomades tanta vehementia infeſtans, ut ægra inde nec ſternutare, nec bene reſpirare poſſet. Urina ſimul ſecedebat craſſa, turbida & ſaturato bruno colore tincta; facies apparebat livida & ſubviridis. Non multo poſt vehemens ille dolor ſimul & ſemel exſpirabat, è contrario autem ægra interne in affecto latere percipiebat ſenſum exploſionis, à quo os ingenti ſuffundebatur amarore, ut fauces bile infectas omnesque, quos adſumebat cibos amaro ſapore exiſtimaret imbutas. Sumto itaque ex conſilio medici emetico, tribus vomitionibus bilem rejiciebat copioſiſſimam, & non multo poſt feces, quæ prius albidæ erant, colore flavo rurſus per alvum ſecedebant. Interim ſemper adhuc conqueritur ægra de oris amaritie & ſiccitate, de appetitus proſtratione & quod urina, quæ colorem brunum jam amiſit, mingatur adhuc turbida. Nullum aſſumit liquorem præter vinum, quod ipſi ſolum amaro ſapore vacare videtur, totum autem corpus marcore indies magis magisque conficitur, pulſus fertur debilis & frequens, & faciei color pallidus permanet atque flavus.

*Epicriſis cum reſponſo.*

Recte omnino hic affectus, qui nunc in maraſmum lentamque febrem inclinat, originem ſumſiſſe ſtatuitur ab humoribus, ex humero dextro per metaſtaſin ad dextrum hypochondrii latus ipſumque hepatis viſcus delatis. Neque dubitandum, quin humores viſcidi, craſſi ad has par-

partes delapſi obſtructiones ductuum hepaticorum effecerint; quibus forte apertis non modo ſonus quidam, *wie ein Knall in Leibe*, obortus, verum etiam, ob copioſam bilis in ventriculum & duodenum effuſionem, vomitiones cum continua oris amaritie concitatæ fuerunt. Ipſa enim bilis tam firmiter palati, œſophagi & linguæ adhæret tunicis, ut facta commotione, particulæ ejus acriores nervorum papillulis inſinuatæ amarum ejuſmodi ſaporem facile inducant. Quum vero acidi liquores, ut vinum, egregia ſulphureas, bilioſas & acres partes infringendi vi polleant, non mirum eſt, ſi noſtra ægrota maxime iiſdem delectetur. In curatione eo potiſſimum reſpiciendum exiſtimavimus, ut nimia bilis acrimonia temperetur alvique beneficium conſervetur. Quo fine commendavimus primo temperatius decoctum, quod cum vini & ſpiritus nitri dulcis portione remixtum pro potu ordinario adhiberi debuit. Dein præſcripſimus pulverem, qui rhabarbarum, lapides cancrorum & nitrum continebat. Hæc tria enim ad bilis acrimoniam, in ſinu ventriculi & duodeni hærentem temperandam leniterque & ſine moleſtia evacuandam præſentiſſimæ ſunt efficaciæ. Diſcimus præterea ex hac morbi hiſtoria, quod etiam per metaſtaſin humor in corporis aliqua parte ſtagnans ad alia loca, maximeque viſcera dimoveri, ipſiſque inſignem poſſit noxam affricare. Hinc non ignota nobis ſunt exempla, ubi tumor œdematoſus medicamento quodam repellente acido, vel etiam per terrorem aut paroxyſmum febrilem ad interiora repulſus ventriculi hepatiſque regionem occupavit, ibique dolores, vomitus, anorexiam, flatulentiam, ardorem & demum veram excitavit icteritiam; quæ tamen omnia diſparuere ſymptomata, ſi tumor priſtinum locum occupavit.

### Observatio IV.

*Icterus gravior cum ſalivæ flavæ exſpuitione.*

Vir litteratus, conſiliarii munere fungens, annorum triginta ſeptem, corporis macilentioris, loco vini in prandio ſpiritum vini tenuemque cereviſiam bibens, poſt prægreſſum diuturnum mœrorem, accedente ſimul vita ſedentaria, in lentam incidebat febrem, cum plenaria adpetitus proſtratione & icteritio corporis colore ſtipatam. Nihil varia hinc inde data proficiebant remedia, ut potius malum inde pertinacius fieri videretur; donec tandem lenius vomitorium, ex tartari emetici grano uno & pulveris Ipecacuanhæ granis XV. compoſitum & bis aſſumtum integram reddebat valetudinem. Aliquot annos poſt icterica hac paſſione longe affligebatur gravius; ſiquidem nunc ſalivam exſpuebat flaveſcentem, & de ſapore omnium, quæ aſſumebat, amaricante valde conquerebatur. Alvus raro, niſi clyſteribus vel ſuppoſitoriis admonita reddebat excrementa, quæ inſtar argillæ erant compacta, & urina quoque mingebatur bruna, ſedimentum deponens craſſum atque copioſum. Circa curationem hujus mali maxime erat notabile, quod omnia, expertæ alias virtutis remedia, qualia ſunt rhabarbarina, pilulæ polychreſtæ balſamicæ, antiſpaſmodica & ſedativa, eſſentiæ & extracta amaricantia, nec non infuſa aperitiva, magnam præcordiorum anxietatem, nauſeam & vomendi conatum, imo nonnunquam ipſum vomitum concitarent. Unicum, quod ferre poterat, medicamentum erat ſal aperitivum, ex ſale Carolinarum, nitro purif. ſolutione ocul. cancr. & tartaro vitriolato conflatum, quod cum ſufficiente potu, quem aqua pura fontana cum quarta parte vini & pauxillo ſucci citri remixta præbebat, parca ſed crebriori doſi aſſumebat. Inſuper quoque externe cataplaſma ex herba abſynthii, ſcordii, floribus chamomillæ, & ſemine cymini in vino coctis regioni hepatis applicare, idque refrigeratum crebrius iterare juſſi. Et ſic binis menſibus elapſis, ſponte ſoluta alvo ingens excrementorum ſiccorum, cretacei coloris, per quatuor dies ſecedebat cumulus; unde ſenſim paullatimque feces albæ reddebantur flavæ, color cutis naturalis cum appetitu redibat & æger, quæ Dei gratia erat, priſtinam recuperabat ſanitatem.

*Epicriſis.*

Docet inprimis hic caſus, quantum ægrotantium naturæ quoad uſum & operationem medicamentorum differre inter ſe ſoleant, ita prorſus, ut quæ aliis inſigniter conferunt, aliis mirum ſæpe noceant: quod quidem in morbis chronicis, ubi ventriculus eſt ſenſibilis magnaque vitioſorum humorum colluvie ſcatet, frequentius experiri mihi licuit. Cura in hoc ægrotante, quæ ſalibus & ſufficienti congrui potus uſu fuit peracta, omnino optimum tulit levamen, quod vicariam quaſi opem aquarum mineralium præſtitit. Externa vero cataplaſmata & fotus in pertinacibus ejuſmodi morbis ſanandis nunquam non obſervavi proficua & ſæpe cum præſentanea mali remiſſione uſurpata; ſiquidem non modo urina inde dilutior facta, ſed & fæces alvinæ in flavas mutatæ plenariam convaleſcentiæ ſpem pollicebantur, quum contra iiſdem ſepoſitis morbus mox priſtinam induebat indolem. Scybala demum dura & cretaceæ conſiſtentiæ fuiſſe dejecta, meo quidem judicio, ab acido lymphæ gaſtricæ & ſucci pancreatici, ſub bilis defectu valde exſuperante, quo adſumta ex parte fuerunt coagulata, recte venit deducendum.

### Observatio V.

*Icterus paroxyſmum febrilem excipiens.*

Fœmina quadraginta annos nata, ſucci ſanguiniſque plena gravi per aliquot tempus mœrore, ob filii unici obitum, affecta in enormem incidit uteri hæmorrhagiam, qua ſedata corripiebatur paroxyſmo febrili, cum frigore artuumque rigore & vehementi vomitione ſtipato. Jungebatur ſimul altero die icterus, unde mox color cutis commutabatur in flavum, urinæ ſecedebant turbidæ & opacæ, ſtercora alba. Remittebat equidem per intervalla hoc malum; quoties tamen vel ob prægreſſam animi commotionem, vel ob intempeſtivum acidorum & lacticiniorum uſum novi accedebant inſultus febriles, protinus icterus cum omnibus revertebatur ſymptomatibus; donec tandem poſt multas iterationes ſponte terminatus per anni ſpatium ſilebat. Tum vero inopinato eadem ludebatur fabula: ſiquidem præcedente febre cum vomitu & pungitivo in regione dorſali dolore auriginoſus color in conſpectum denuo prodibat, qui intra biduum quidem evaneſcebat, ſed, quod notabile erat, ſingulis hebdomadibus circa diem ſolis, ſtatum veluti tempus ſervando, recedens per integrum fere annum inhærebat pertinaciſſime. Hinc ego conſultus thermas Carolinas, ſubjuncto ſubinde & interpoſito elixirii balſamici & pilularum balſamicarum uſu, ſub convenienti regimine bis in anno potandas ſuaſi, tam exoptato cum ſucceſſu, ut ægra inde feliciter reſtituta nunc à tetro malo libera degat.

*Epicriſis.*

Illud maxime omnium in præfato caſu debet animadverti, quod ſtatis temporibus per annuum prope ſpatium, febrili horrore præcedente, icterus productus & paucorum intervallo dierum terminatus fuerit. Cujus quidem peculiaris effectus non adeo facilis videtur ratio. Nos tamen in genere geneſin hujus mali ita concipiendam arbitramur. Primo quidem omnium ſpaſtica ductuum biliariorum ſtrictura, quæ naturale bilis ad duodenum iter impedit, vel prorſus ſufflaminat, recte debet accuſari; quæ ſi diutius durat ſæpiuſque recurrit, effici omnino ſolet, ut viſcidiores atque terreſtres bilis partes ob moram invicem coëuntes primum in molliores, dein in duriores vaſa bilifera obſidentes abeant concretiones, quas transfluens in hepate rurſus ſecreta bilis continua partium viſcoſarum adpoſitione temporis ſucceſſu adauget. Et quum hac ratione ipſa quoque bilis acrior evadit, non mirum eſt, ſi a ſufficienti ejuſdem in duodeno ſtato tempore collecta copia nova ſpaſmis ſuggeritur materia; qui tanto facilius celeriuſque, inverſo canalium bilioſorum motu, bilem in vaſa lymphatica effundunt, quanto major à ſubſiſtente intus tenaci materia vaſorum adeſt anguſtatio. Ex qua propoſita theoria liquido patere arbitror, ad talem ſpaſmodicum crebriuſque recurrentem icterum curandum, nonniſi præſentiſſimæ efficaciæ remedia, quæ altius penetrando, humores craſſos reſolvunt, vaſorum minimorum obſtructiones abſtergendo expediunt, atque totum ſanguinis per hepar circuitum reſtituunt, in uſum eſſe vocanda. Ex omnibus vero vix ullum datur certius, & præſtantius, quam thermæ Carolinæ, quæ ſub convenienti diæta & interpoſito utilium medicamentorum uſu potatæ ob ſal, quod vehunt, abſterſivum ad infarctus reſerandos impuraſque ſordes per alvum & urinam eliminandas longe ſunt aptiſſimæ. Unde ſimul in propatulo eſſe judico, cur, memorante Celso *lib. III. cap. XXX.* Asclepiades aquam ſalſam purgationis cauſſa in ictero curando per biduum bibere juſſerit, atque vinum græcum ſalſum ad ventris ſolutionem conſervandam commendaverit.

## Observatio VI.

*Icterus flavus in nigrum tranſmutatus lethalis.*

Vir quidam quadragenarius, ob inordinatum vitæ genus multoſque in Baccho & venere exceſſus jam longo abhinc tempore doloribus arthriticis & cardialgicis obnoxius incidit ab iracunda animi commotione in icterum, peſſimis ſtipatum ſymptomatibus. Infeſtabant quippe per intervalla atrociſſima circa dextrum ventriculi orificium atque pylorum tormina; jungebatur ſudor frigidus, inappetentia, ſummaque inquietudo, ſine celeriori tamen arteriarum pulſatione. Hinc in conſilium accerſebantur plures iique ſatis periti medici; neque vero prohibere poterant, quo minus hæc mala per ſatis longum tempus crebris reciderent acceſſionibus. Tandem aurigo ſenſim paullatimque declinabat in icterum nigrum. Ordinabat itaque medicus balneum per aliquot dies continuandum; quod vero quum fortaſſe adhiberetur calidius; tanta ſubinde morbus capiebat incrementa, ut æger longe truculentiora ventris tormina cum ſpaſmo veſicæ, per noctem potiſſimum infeſtante, magnaque iſchuria & continuo deſidendi ſtimulo experiri deberet. Sequebatur hinc indies major corporis extenuatio & ingens virium languor, qui demum cum extremorum refrigeratione ingraveſcens ægrum diuturniori vitæ uſura omnino privabat. Corpus ita exanimatum tradebatur mihi ſectioni, qua inſtituta nullam nec in partibus externis, neque internis reperiebam pinguedinem & admodum parcam ſanguinis in venis copiam. Inteſtina flatibus erant diſtenta brunique coloris; veſica urinaria naturali longe conſpiciebatur craſſior & punctis nigricantibus referta. Hepar exploratum ad tactum inveniebatur, durum & colore ex flavo virideſcente imbutum; veſicula autem fellea nigra, humore viſcido inſtar picis nigræ repleta, ductus cyſticus prorſus anguſtatus. Denique duodenum cum dextro ventriculi orificio & inteſtino colo obſcure flavo colore tincta & exteriore parte corroſa videbantur.

*Epicriſis.*

1) Icterum flavum, niſi provida excipiatur medicatione, in corporibus cacochymicis, ubi eximia ſuccorum eſt depravatio, perfacile in atrophiam icterumque nigrum tranſmigrare, utplurimum lethalem, compluribus proh! dolor exemplis evictum habeo. Progreſſu enim temporis, niſi bonus & laudabilis, ſed crudus potius & acidus ad ſanguinem transfertur ſuccus chyloſus, ex bile flava fit nigra & corroſiva, à qua non modo coloris flavi in lividum mutatio, verum etiam acutiſſimi ventris dolores cum ſpaſmo veſicæ admodum dolorifico juncti debent derivari. Nihil autem profecto ad exacerbandam ejuſmodi humorum acrimoniam eſt potentius, præter validius calidum, vel oretenus adſumtum vel exterius adplicatum. Hinc ego à balneis fervidius juſto adhibitis in ictꝫeritia nigra, præter effrenem ac lethalem gingivarum hæmorrhagiam, cujus ſupra mentionem fecimus, enormem quoque diarrhœam & in fœmina mictionem cruentam vidi productam.

2) Cyſtis fellea humore tenaci farta clare ſubindicat, quanta particularum in ſanguine ſulphurearum atque bilioſarum à naturali craſi fuerit deflexio, quam veteres, licet obſervationibus minus ſuffulti non inepte atram, & multorum rebellium morborum cauſſam, dicere conſueverunt. Nec dubitare licet, quin à bilis, in fellea cyſtide firmiter incluſæ, acriori & ſubtiliori parte, per poros tranſſudante & vicinas partes arrodente truculenta iſta circa ſcrobiculum cordis pathemata ſpeciatim fuerint concitata. De quo conferri poſſunt Stalpartus *van der* Wiel *Cent. I. obſerv.* 47. Tulpius *obſ. lib.* 2. *cap.* 27. & M. N. C. dec. I. ann. III. obſ. 100.

## Observatio VII.

*Icterus chronicus ſæpe recidivans.*

Per litteras ante annum opem meam requiſivit vir quidam Sereniſſimo Principi à conſiliis, cujus uxor aurigine ſæpius recurrente diu afflicta nullis hactenus remediis ad priſtinam reduci ſanitatem potuit. Ipſa autem quadraginta & duos annos nata, ſtaturæ mediocris corporiſque multo ſanguine turgidi, vitæ ſedentariæ & victui craſſiori dedita illibatam ſemper præ ſe tulit valetudinem. Verum, elapſo abhinc decennio, quum ſub ipſo menſium fluxu prægelida hyeme aliquot milliarium iter conficiens corpus nimium refrigeraſſet, menſtrua per uterum purgatio, quæ à primo eruptionis tempore ſemper recte ſe habuit, mirum quantum cœpit immutari, atque mox

mox parcior, mox copioſior, mox per plures, mox per pauciores ſeceſſit dies, nullumque ſervando ordinem modo anticipavit, modo poſtpoſuit. Quare varia ſuborta fuerunt pathemata, quibus ante bienniuin acceſſit ipſa icterica paſſio, quæ convenienti quidem remediorum ope remiſit, ſed poſt anni dimidium denuo invaſit, & abhinc ſingulis fere menſibus circa conſuetum menſtruum tempus inopinato rediit, abſque ullis ſui adventus indiciis. Noviſſimam vero acceſſionem hæc præceſſerunt ſigna: ſenſit ægra vehementes in dorſo & inter ſcapulas dolores cum præcordiorum anxietate & alvi obſtructione, in quam etiam extra paroxyſmum valde erat proclivis. Exceperunt vomitus, & tum flavus in univerſo corpore prodiit color. Ego igitur ut ſatisfacerem mariti precibus, ad hocce malum præcavendum hac uſus ſum medendi methodo. Primo omnium, ratione diætæ commendavi ſufficientem corporis exercitationem & ut ægra, à cibis fumo induratis atque ſalitis abſtinendo, juſcula cum radice graminis, cichorei, aſparagi &c. cocta; pro potu vero ordinario decoctum radicis chinæ & ſarſaparillæ ſedulo adſumeret. Dein ex medicamentis ad alvum apertam ſervandam ſuaſi paſſulas rhabarbarinas, interpoſito ſalis noſtri aperitivi ad drachmam unam uſu, alternis diebus capiendas. Tum inter epulas elixir noſtrum viſcerale balſamicum & circa tempus, quo paroxyſmus invadere conſuevit, elixir quoddam antiſpaſmodicum, quod liquorem anodynum mineralem, eſſentiam croci, caſtorei & ſuccini habebat, ter in die capiendum obtuli. Denique, ubi dolores urgerent cum ſpaſmis & flatibus, clyſma emolliens & carminativum ano injiciendum & circa inſtantem menſium periodum pilulas noſtras balſamicas alternis diebus ſumendas curavi. Quibus, benedicente Numine, effectum eſt, ut malum primo rarius accederet, & poſtea à cura vernali cum fonte Selterano recte inſtituta penitus ceſſaret.

*Epicriſis.*

Varia ſunt, quæ ex hoc caſu annotari merentur momenta, quorum potiſſima recenſebimus:

1) Egregie docemur, fœminas ſub menſtrua purgatione, à frigoris vehementia cohibita perfacile, niſi mox accommodata ſuccurratur medicina, in ſtatum valetudinarium conjici poſſe; ex quo difficulter admodum emergunt.

2) Intelligimus, ab irregulari menſium ſucceſſu, concurrente ſimul ex diætæ vitio plethora, generari ſpaſmos, qui naturalem bilis ad inteſtina curſum ſufflaminando, icterum ſæpenumero producunt; & quum circa menſium tempus in ejuſmodi ſubjectis ſemper ſolent eſſe vehementiores, non mirandum arbitror, cur tum temporis novæ mali factæ fuerint acceſſiones.

3) Confirmamur, morbos ejuſmodi chronicos remediorum tam diæteticorum quam pharmaceuticorum uſu omnino vinci poſſe & ſuperari, ſed ut convenienti doſi, tempore & ordine adhibeantur neceſſe eſt.

Observatio VIII.

*Icterus febri bilioſæ junctus.* Puer duodecim annorum, à largiori uvarum acidarum eſu febre corripiebatur bilioſa, cui adjungebatur icterus, cum tumore circa hepatis regionem ſubduro & ingenti præcordiorum anxietate ac inquietudine ſtipatus. Urina ſimul reddebatur atramento ſimilis, & feces alvinæ per integros tres dies ſecedebant nigreſcentes. Hinc ego vocatus dedi pulveres abſorbentes leniterque nitroſos, cum rhabarbaro mixtos, quos parva ſed iterata doſi offerre juſſi. Pro potu commendavi lac ebutyratum; & exterius dextro hypochondrii lateri apponendum ſuaſi cataplaſma ſupra deſcriptum; quorum remediorum uſu egregie demum convaluit.



*Epicriſis.*

Quæ recenſuimus mala jure meritoque à perverſa uvarum comeſtione ſunt deducenda. Nihil enim infantibus majores creare moleſtias poteſt, quam fructus immaturi & acidi, in copia adſumti, eo quod non modo alvum adſtrictiorem bilemque corroſivam reddunt, verum etiam chylum & lympham coagulando, viſceribus ſanguineis obſtructiones inferunt, quæ ſi in hepate contingunt, prona ad icterum via patet. Et hinc eſt, quod etiam ob pomorum acidorum uſum icterum obſervaverit Rhodius *Cent. III. obſ. XIX.*

2) Ego quoque non raro icterum à vermibus vidi ſubnatum, concurrente ſimul febre vaga. Tum vero infuſum rhabarbari cum paſſulis, interpoſito pulvere ſalino, ex tartaro vitriolato, nitro & cornu cervi uſto egregiam commodat operam. Quod ſi vero

3) icterus, ſicut in noſtro caſu, febri jungitur & pulſuum adeſt celeritas cum ſiti oriſque ardore, lac ebutyratum, præſertim menſe Maii, præſentiſſimæ eſt efficaciæ, quod jam olim *Simon* Pauli *in botan. quadripart. pag. 30.* in tali caſu ſummopere commendavit.

Plura de ictero exempla reperire licet in Reſponſ. ac Conſult. medicin. Sect. III. Caſu XVII. XIX. LVII. & CXIX. Speciatim vero de doloribus & ſpaſmis à calculo felleo ortis vid. Med. Syſtem. Tom. IV. P. II. Sect. II. Cap. III.

## CAPUT XIII.

### *De cachexia & chloroſi.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Cachexia definitio.* De cachexia acturi in limine ſtatim hujus diſquiſitionis monendum eſſe ducimus, quod ſub hac voce pravum & ſubtumidum corporis habitum, cum fœdo cutis colore junctum intelligamus; qui à vitioſi ſeri abundantia viſcerumque tono dejecto oriundus ſingulas corporis functiones perturbat & labefactat inſigniter.

§. II.

*Signa eſſentialia.* Veræ & eſſentiales morbi cachectici notæ hæ ſunt potiſſimæ: color cutis pallidus cum virore albicans & flaveſcens; corpus, paullo plenius & tumidius, tactu frigidum & molle adparens, neque minus infirmum & grave cum vacillatione crurum & anhelitu, præſertim ſub adſcenſu ſcalarum difficili, pedum intumeſcentia ac inflatio, mentis torpor, animus deſes, ſomnus gravis, palpebrarum intumeſcentia, pulſus tardus & mollis, urina alba & turbida.

§. III.

*Hiſtoria morbi à Cæl. Aureliano tradita.*

Equidem cachexiæ nomen HIPPOCRATI ignotum fuiſſe videtur; ejuſdem tamen non adeo obſcura mentio & expoſitio ſub morbis lienis *lib. de intern. affection.* paragrapho 34. & 35. legitur. Omnium optime vero à CÆLIO AURELIANO & ARETÆO ſpecialibus & propriis ſignis hæc morbi ſpecies, cum ſubjunctis cauſſis, delineatur. Quare pretium erit operæ, quæ de iis prodiderunt, huc adponere. Primo CÆLIUS AURELIANUS *lib. III. Cap. VI.* hæc profert: *cachexia, ſive malus corporis habitus naſcitur intemperantia ægrotantis, vel curatione mala medicantis, aut poſt ægritudinem tardæ reſumtionis cauſſa, item ex purgantibus ſæpiſſime datis, vel ex ſaxea duritie hepatis, aut lienis; vel ex fluxu hæmorrhoidum longiſſimi temporis, item ex febribus longo tempore corpus afficientibus, aut materiæ purulentæ collectionibus, aut vomitu poſt veſpertinos cibos, & his ſimilibus. Eſt autem ipſa quoque paſſio ſæpiſſime hydropis antecedens cauſſa aut macularum in ſuperficie corporis; ſequitur cachecticos pallor ſubalbidus, aliquando etiam plumbeus color, debilitate tardus ac piger corporis motus cum inflatione inani, aliquibus etiam ventris fluor cum febricula in plurimis latente, quæ circa veſperam magis augetur; pulſus creber ac tenſus, cibi faſtidium & vini major appetentia, urina fellea & extenſio venarum.*

§. IV.

*Ab Aretæo deſcripta.*

Dein ARETÆUS *lib. I. cap. XVI.* hunc morbum ita deſcribit: *cachecticos ſequitur corporis gravitas, pallor ſubinde repetens, venter flatibus refertus, oculi concavi, ſomni graves, torporem afferentes; ſtantibus pedes intumeſcunt. In ventre ac in omni corpore caloris imbecillitas eſt, ad omne opus abjectus & proſtratus animus; ſudor pruriginoſus, tarde ſpiritum ducunt, arteriarum motus languidi, debiles ac frequentes ſunt. Extrahitur morbus in multum tempus; inteſtinorum difficultas adeſt continua. Alimenti elaboratio ad coctionem pertinens debilis admodum atque invalida eſt. Labis hujus cauſſæ ſunt: hæmorrhoidum ſuppreſſio & conſuetorum vomituum retentio & ab exercitationibus quies, & ab ingentibus laboribus otium.*

§. V.

*Cachexia in virginibus dicitur chloroſis.*

Quem in genere cachexiam dicunt morbum, is in virginibus, quæ nondum menſes expertæ ſunt, aut ſi ipſi inordinati & parciores fluunt, chloroſis denominatur, itemque morbus virgineus & febris alba; de qua maxime agit HIPPOCRATES *libr. de virginum morbis*, nihilque aliud, quam cachexiæ ſpecies eſt, iiſdem, quibus cachexia, ſignis ſeſe prodens: facies enim eſt pallida, interdum ſubflava, labiorum inſolitus pallor, oculorum ſubſiſtentia, palpebrarum livor, ingens membrorum laſſitudo, animi torpor, pedum frigus, gravitas & ad movendum inertia, adpetitus dejectio, cum nauſea & vomitu, ſomnus turbulentus, pulſus languidior; urina citra colorem mingitur valde aquea in progreſſu turbida. Accedunt frequentiſſime, præſertim ſub ſcalarum adſcenſu, reſpirandi difficultas, cordis tremor & palpitatio, intumeſcentia & inflatio pedum. Sæpius quoque junguntur pathemata cardialgica cum intercurrentibus capitis doloribus & animi deliquiis.

§. VI.

*Cauſſa proxima.*

Quod cauſſam noſtri morbi ejuſque accidentium proximam attinet, hæc ipſa quidem conſiſtere videtur in nimia ſanguinis impuri & humorum viſcidorum ac minus ſpirituoſorum abundantia, ob naturalem tonum, vigorem & robur partium ſolidarum, maximeque viſcerum chylificationi, ſanguificationi & depurationi inſervientium valde labefactatum in corpore collecta. Etenim ob partium fibroſarum & vaſculoſarum atoniam lentior & tardior fit ſanguinis circuitus, & hinc ſecretionum æque ac excretionum negotium ſaluberrimum imminuitur; unde ſordes excrementitiæ, viſcidæ, bilioſæ, ſalſæ & ſeroſæ, quæ in hepatis & renum colatorio ſecerni & foras ejici debent, maxima ex parte retentæ impurum plane ac intemperatum reddunt ſanguinis ſerum & ſuccum nutritium. Temporis ſucceſſu fibræ motrices illius ſubcutanei cribri æque ſuo naturali privantur robore; quare hæ ſordes minus rite & feliciter per cutis colatorium colari poſſunt ac rejici; unde in corpore reticulari, cuticulam & cutim intercedente, à tincto ſero pallidus, ſubviridis & flaveſcens color cum aliquali corporis intumeſcentia ſuboritur, ipſaque nutritio penitus depravatur. Et quoniam ſub tam depravato ſanguinis & humorum ſtatu ſubtiliſſimum illud ac tenuiſſimum cerebri & nervorum fluidum, quod veteribus naturæ, recentioribus ſpirituum animalium nomine veniens fibris ſolidis vigorem & vim elaſticam conciliat & functionibus quoque animalibus præeſt, non amplius à ſanguine & lympha probe temperata & pura, ſed multis aquoſis, viſcidis & vappidis contaminata ſordibus nutritur ac ſuſtentatur; conſequens omnino eſt, ut illud ipſum inſignem contrahat labem ejuſque vis ac energia tam in animalium quam vitalium actionum negotio mirum quantum labaſcat & imminuatur. Unde non mirum videri debet, ſi ingens corporis gravitas & languor, adpetitus proſtratio, ad ſomnum & ſoporem proclivitas, animi triſtitia ſenſuumque torpor ſimul juncta infeſtant.

§. VII.

*Cauſſæ mediatæ ſunt: habitus corporis ſpongioſus.*

Ad tantam vero ſanguinis & humorum dyſcraſiam & quæ abhinc proxime emergit, cachexiam maxime omnium viam pandit habitus corporis à natura valde laxus & ſpongioſus, qui in fibrarum motricium mollitie, vaſorum exilitate & copia tendinumque tenuitate conſiſtit. Quare etiam ſequiorem ſexum præ virili omneſque eos, qui ſanguineæ & phlegmaticæ ſunt complexionis, præ aliis noſtro morbo valde obſervamus obnoxios. Nam ejuſmodi corporis ſtatus & habitus ad ſanguinem & ſerum in majori copia generandum admodum eſt idoneus; & quia ſanguis in hiſce ſubjectis circulatur tardius, evadit ſpiſſior, lentior & ad exiguos excretoriorum, maximeque hepatis canaliculos obſtruendos magis aptus.

§. VIII.

*Vita ſedentaria & intemperantia in victu.*

Otioſum quoque vitæ genus & plenaria à laboribus conſuetiſque exercitationibus quies & remiſſio, non modo experientia, ſed etiam ARETÆO *loc. cit.* teſte, recte cauſſis adnumeratur procatarcticis, eo quod ad humorum copiam, impuritatem, tardiorem circulum, ſtagnationem viſcerumque tam ſanguificationi quam depurationi dicatorum obſtructiones permultum confert. Quæ quidem mala eo magis incidunt, ſi major

major ciborum, præſertim inflantium, viſcidorum, bellariorum, acidorum & qui difficilius diſſolvuntur, eſt adpetentia, quam natura debilis & viribus exhauſta ferre, digerere & in utilem probeque temperatum ſuccum chyloſum poteſt convertere; unde ingens cruditatum acidarum æque ac viſcidarum eſt proventus, quæ dein primum impuritatis in maſſa humorum fundamentum exiſtunt. Valet enim omnino commune illud proverbium: vitium primæ concoctionis, quæ fit in primis viis, non facile corrigitur in ſecunda, quæ in viſceribus ſanguificationi & depurationi inſervientibus peragitur, multo minus in tertia, quæ actu nutritionis abſolvitur.

§. IX.

*Potus.* Potus quoque, circa quem varii committuntur errores, varie ad noſtrum affectum tam in ſexu ſequiori quam nobiliori diſponit. Fœminæ enim utplurimum parum adſumunt potulentorum, ita ut ſæpius vix ſemel intra unius diei dimenſum bibant: per quotidianas autem, quæ in corpore fiunt, excretiones multum à maſſa ſanguinis & humorum decedit fluidi; quod niſi reſtituitur, neceſſario humores evadunt ſpiſſiores & ad liberiorem per minima vaſcula circuitum minus apti; ad infarctus contra & oppilationes, quæ noſtri mali cauſſa exiſtunt, magis idonei. Noſtro jam tempore largior potus Coffee nimis concentrati uſus in ſexu ſequiori præcipua exiſtit cauſſa chloroſeos, præſertim quando fœminæ, vitæ nimis otioſæ deditæ, & quæ adſtrictioris ſunt alvi, ipſum cum multo ſaccharo quotidie bibunt. Tali enim ratione ſpiſſior jam exiſtens ſanguis multis ſulphureis, aduſtis & oleoſis imbuitur particulis; quarum niſi ſufficiens cum ipſa bile per hepatis ductus excretorios fit ſeparatio, & qualitas & color lymphæ immutetur neceſſe eſt. Neque ex alio fonte derivanda videtur ratio, quod purpuræ ſcorbuticæ hac hominum ætate ſint familiariſſimæ. In ſexu vero nobiliori peccatur quam maxime nimia potus ſpirituoſi, vinoſi & conſiſtentioris cereviſiæ abundantia, utpote quæ non ſatis liquidos & tenues humores reddunt vitales, ſed potius, eorum coagulum inducendo, ad noſtrum morbum permultum conferunt momenti.

§. X.

*Aëris intemperies.* Neque minorem in noſtro malo ingenerando obtinet potentiam prava aëris, maximeque frigida & humida intemperies, dum externam corporis ſuperficiem aut conſtringendo aut relaxando ſalutare tranſpirationis negotium prohibet, adeoque ad humorum impuritatem coacervandam plurimum valet. Hinc etiam obſervamus, ſub atmoſphæra nebuloſa & turbida diutius perſiſtente & ventis ſimul ex occidente flantibus, itemque tempore vernali & autumnali, aut ſi quis in locis valde humidis, paludoſis humilioribuſque conclavibus commoretur, vel dormiat, frequentem morbi cachectici eſſe proventum.

§. XI.

*Animi pathemata.* Aditum quoque ad noſtri affectus geneſin animi faciunt pathemata, quarum ea eſt vis atque potentia, ut proxime in partes nervoſas, maxime omnium vero in ventriculum & univerſum inteſtinorum canalem mere nervoſum & membranaceum agendo, motum harum partium periſtalticum functionemque naturalem valde imminuant & labefactent. Nocent vero quam maxime & ad invehendam cachexiam & chloroſin admodum diſponunt gravis terror, diuturnus mœror & ſuppreſſa iracundia, eo quod excretiones ſanguinis criticas per menſes ac hæmorrhoides vel nimis augent, vel retardant & cohibent.

§. XII.

Enim vero, & certa ac frequens obſervatio, & probatiſſimorum medicorum auctoritas confirmat, quod nimis imminutæ alias ſalutares & criticæ ſanguinis ſuperflui per uterum & anum expurgationes non modo cachexiæ & in fœminis chloroſeos, verum etiam aliarum graviſſimarum & pæne incurabilium paſſionum præcipuæ cauſſæ exiſtant. *Sanguinis excretiones imminutæ.* Nam quandocunque ſanguis conſuetum exitum per ordinarias has vias, vel ob ſpaſmos, vel ob nimium craſſorum humorum infarctum non habet, ſtagnat, vitiatur, corrumpitur & ad vaſa regurgitat majora & viſcera; quorum tonum, ac functionem vitiando varia & gravia pathemata in remotis etiam partibus ſæpius excitat. Morbus ille, virgineus, qui indigitatur & circa pubertatis tempus virgines viro jam maturas frequenter infeſtat, unice ab impedita hac expurgatione ſua mutuatur incunabula. Id quod perpulchre explicat *Joannes* LANGIUS *in Epiſt. medicin. lib. I. ep. XXI.* his verbis: *id temporis natura duce ſanguis menſtruus ad matricis loculos & venas ab hepate defluit: qui quum ob illarum anguſta oſcula, quæ nondum patuerunt, viſcoſis quoque & crudis humoribus obſtructa & denique ob ſanguinis craſſitiem erumpere non poſſit: tum rurſus per venæ cavæ majoriſque arteriæ propagines ad cor, hepar, diaphragma & præcordiorum venas regurgitat: capiti quoque bona pars impertitur & circa viſcera accidentia gravia parit, diſpnœam, tremulum cordis palmum, hypochondriorum inflationem, ſtomachi faſtidium, cardialgiam.* Sed eadem mala non tantum virgines & juvenculas, ſed & conjugatas, quin imo ſeniores eo corripiunt tempore, quo fluxus menſium ſecundum naturæ ordinem ſolet ceſſare, vel ubi ille ex quacunque alia cauſſa fuerit ſufflaminatus. Nec diſſimili ratione in ſexu nobiliori conſuetus hæmorrhoidalis fluxus ſuppreſſus, qui robur ac tonum partium dejiciendo, vaſa pravorum ſuccorum copia implet, ad affectum cachecticum concurrit.

§. XIII.

*Sanguinis excretiones nimiæ.* Verum enim vero, nihil quoque frequentius evenit, quam ut poſt enormes & fere incompeſcibiles, ſive per uterum ſive per venas ſedis hæmorrhagias, nec non per graves vulnerationes, chronici & rigidi ſic dicti valdeque pertinaces morbi, quales ſunt cachexia, leucophlegmatia, anaſarca, œdemata pedum, vel etiam atrophia, cum ſummo virium languore, enaſcantur. Sicut enim omnes partium functiones, ubi ſecundum naturæ ordinem fieri debent, à convenienti ſanguinis probe temperati copia ejuſque libero per omnes canales progreſſu & circulo ſuſtentantur, & inde robur ac vigorem ſuum accipiunt: ita neceſſe eſt, ut, exhauſto pæne vitali ejuſmodi fluido, ingens partium & viſcerum fiat imbecillitas, & ingens functionum præſtandarum læſio ac imminutio. Maxime omnium vero ventriculus cum adnexo inteſtinorum canali ſuos patitur manes, quippe cujus atonia & imbecillitas imminutam quoque concoctionem & ob corrupta alimenta multas parit cruditates, quæ in venas & habitum corporis tranſeuntes non modo vitioſam efficiunt nutritionem, ſed & ipſa viſcera ſanguificationi humorumque

rumque depurationi dicata, ut ſunt hepar, lien, renes, &c. inſigniter lædunt, & quo minus munere ſuo rite fungi poſſint, prohibent. Accedit & illud, quod deficiente juſta ſanguinis & humorum copia minima & capillaria vaſa, maximeque ea, quæ tum ſecretioni utilium, tum excretioni inutilium ſuccorum inſerviunt, non aperta maneant, concidant & anguſtentur, adeoque longe magis ſuo defraudentur munere; unde ingens impuritatum origo.

§. XIV.

*Morbi progreſſi & perverſæ curationes.*

Nec aliam ſubeſſe puto rationem, quam nimiam boni & laudabilis ſanguinis jacturam, quod ii potiſſimum, qui à longis morbis, maximeque à febribus & dyſenteria nondum plenius convaluerunt, ſed adhuc imbecilles plus ciborum ingerunt, quam languida ventriculi actio digerere poteſt & in bonum ſuccum tranſmutare, cachexiæ admodum ſint expoſiti. Quod mali, experientia teſte & antiquiſſimis medicorum conſentientibus, & illis frequentius evenit, qui per pravas & imprudentes morborum curationes, quales cum fortioribus purgantibus, vel etiam adſtringentibus ad nimias hæmorrhagias, & paroxyſmos febrium ſupprimendos inſtituere ſolent, nimis ſunt debilitati. Etenim, peſſimæ omnino indolis iſta ſunt medicamina, quæ vires, in quibus omnis naturæ energia reſidet, nimium exhauriunt: qualem cenſum jure prope ſuo ſubeunt draſtica evacuantia, & quæ minimos tum inutilibus excernendis tum humoribus depurandis dicatos canales conſtringunt & obſtipant remedia, quibus imperiti medici non modo noſtrum affectum, ſed & alios plures eoſque lethales morbos accerſunt ſæpiſſime.

§. XV.

*Differentia cachexiæ ab aliis morbis.*

Quoniam noſtrum affectum cum aliis morbis multum intercedit affinitatis, operæ erit pretium, ut enodemus, in quantum illis accedat, & in quantum diſcrepet. Primo itaque ſciendum eſt, cachexiam à chloroſi & fluore albo quoad eſſentialem morbi indolem minus differre, ſed tantum quoad ſexum & ſubjectum, ſive ſedem cauſſæ, quæ in nobiliori ſexu in ventriculo & hepate, in ſequiori vero in his & utero ſimul quærenda eſt, aliqua ex parte diſcrepare. Neque minorem cachexia cum cacochymia alit convenientiam; ſiquidem hæc æque ac illa ingentem impurorum in vaſis ſupponit præſentiam, tantum quod magis ab intemperantia & primæ digeſtionis vitio, quam à prava reliquorum viſcerum naturalium conſtitutione enaſcatur; unde ex majori cacochymiæ gradu, qui in nutritione depravata conſiſtit, ad cachexiam demum fit tranſitus. Deinceps & illud probe obſervandum eſt, quod non omnis fœdus & pallidus faciei adſpectus pro eſſentiali cachexiæ charactere haberi debeat, utpote qui ab omni graviori morbo ſæpiſſime remanet, & vel ex collecta vitioſorum humorum in primis viis colluvie, vel ab iracundiæ affectu ſuppreſſo, vel à ſpaſmo ventriculi oritur, ſed convenientibus remediis facile cedit. Multum quoque cognationis cachexia habet cum ictero. In utroque enim affectu nutritio eſt depravata, faciei & cutis color luridus, virium languor, mentis torpor, viſcerumque & ventriculi magna atonia & læſio; nihilo tamen minus in eo ponenda erit differentia, quod in ictero à ſola bile ex biliferis ductibus, vel obſtructis, vel ſpaſmodice conſtrictis, per vaſa lymphatica ad ſanguinis maſſam regurgitante hæc mala originem ſumant, quum contra in cachexia ventriculus, lien, hepar reneſque ſimul graviter afficiantur, adeoque hæc gravior & rebellior ſit, ita prorſus, ut, niſi curetur, in icterum nigrum tranſeat. Differt quoque affectus noſter ab anaſarca & leucophlegmatia, utpote in his major partium inferiorum obſervatur inflatio atque durities & poſt impreſſionem digitorum foveæ relinquuntur; quod in cachexia, niſi jam proxime ad horum affectuum gradum acceſſerit, minus contingit. Neque dein negligenda eſt, quæ cachexiam & atrophiam intercedit differentia. Equidem in utroque morbo magna partium fluidarum peccat impuritas, viſcerum atonia & nutritionis vitium; aſt in atrophia corpus extenuatum indies magis magiſque contabeſcit, & nulla prorſus adeſt nutritio, quæ tamen in noſtro affectu vitioſa eſt & copioſior; unde corpus plerumque ampliorem habet molem. Denique etiam diſcrepat cachexia à ſcorbuto. Nam in omni quidem ſcorbuto eſt cachexia & vix reparabilis humorum dyſcraſia, ex variis doloribus, exulcerationibus cutiſque defœdationibus conſpicua, quæ vero in cachexia nondum ad tantum pervenit gradum. Quod ſi vero hæc junguntur accidentia, dici ſolet cachexia ſcorbutica.

§. XVI.

*Prognoſis.*

Quoad prognoſin noſtri mali id tenendum eſſe arbitror, quod cachectici pro varietate ætatis, temperamenti & vitæ generis multum omnino inter ſe diſcrepent, & pro majori vel minori humorum viſcerumque labe faciliorem vel difficiliorem recipiant ſanationem. Ita, ſi ætatem reſpicimus, ſenes præ juvenibus, eo quod ipſa ſenectus cachexiæ ſpecies eſt, noſtro affectu longe gravius afficiuntur; imo non raro exinde in atrophiam & maraſmum incidunt. Dein, quæ ſubito naſcitur cachexia, uti fere ob intemperantiam pravamque ciborum digeſtionem poſt longos morbos evenit, facilius tollitur, quam quæ ex viſcerum vitio hepatiſque vel lienis ſcirrhoſa obſtructione paullatim ſuccreſcit. Hinc etiam ubi virideſcens & in nigrum vergens color adparet, qui plerumque latentis viſcerum læſionis, ob corruptæ bilis admixtionem, indicium præbet, majus periculum ſubeſt, quam ubi pallidus tantum color, qui ſolam phlegmatis abundantiam ſubindicat, cutim occupaverit. Præter hæc ſciendum: quo diutius malum inhæſit, quo major jungitur ſpirandi difficultas, hypochondriorum tenſio atque durities, & quo magis vires labaſcunt, ut ſyncope quoque intercurrat, eo plus reformidandum eſſe periculi. Neque facilem curationem admittit, ubi ex hæmorrhoidum fluxu vel prægreſſo, vel ſæpius recurrente malum fuerit ſubortum. Nullus inſuper datur morbus, qui tam facile in hydropem tam anaſarcam quam aſciten, in atrophiam & ipſam quoque hecticam inclinat, quam ipſa cachexia, præſertim niſi mox ab initio convenientibus ſuccurratur remediis. Chloroſis denique, ſi modo non negligitur, non adeo periculoſa eſt, neque ad longum tempus durat, ſed vel matura menſium reſtitutione ſolvitur, vel in juvenculis virginibus ſolo conjugio feliciter curatur. Mulieres vero, quæ diutius chloroſi laborarunt, aut ſteriles fiunt, aut morboſam ac debilem edunt prolem.

CURA-

*CURATIO.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Expoſitis itaque & perveſtigatis noſtri affectus cauſſis, ordinis poſtulat ratio, ut iiſdem ſubmovendis aptam & accommodatam inveniamus medendi methodum, quæ, noſtra quidem ſententia, ſequentibus abſolvitur indicationibus. Primo quidem eo reſpiciendum ducimus, ut ſanguis & humores crudi, ſpiſſi & impuri corrigantur & per congrua emunctoria è corpore ejiciantur; horum vero loco ſubtilis chyli, ſanguinis & humorum promoveatur generatio. Dein, ut reſeratis viſcerum minimorumque vaſorum oppilationibus liber & æquabilis ſanguinis per omnes corporis tam externas quam internas partes reſtituatur circuitus, & denique, ut nimis dejectus ventriculi & inteſtinorum viſcerumque tonus roboretur.

§. II.

*Quæ humorum correctioni & evacuationi inſerviant?*

Primum itaque, antequam ad humorum pravorum reſpiciatur correctionem, opera medico danda eſt, ut fontem præcludat, ex quo ejuſmodi humoribus majus accedit incrementum. Fontem hunc conſtituit ventriculus cum adnexo inteſtinorum canale, ex quo cruditates prodeunt viſcidæ, mucidæ, acidæ, quæ per incidentia digeſtiva corrigi & ad mobilitatem debent præparari, quo eo commodius poſſint eliminari. Huic ſcopo quam maxime commoda ſunt ſalia ſic dicta neutra, cujus generis ſunt; tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſolutio oculorum cancri cum ſucco citri, terra foliata tartari, ſal polychreſtum, ſal Carolinarum, Egranarum, tartarus tartariſatus, ſal abſynthii, quæ cum ſufficienti aquæ vehiculo ſoluta oportet exhibere. Hæc quippe ſi repetita, vel majori præbentur doſi, præter effectum incidentem & reſolventem, alvum quoque movent & ſordes efficaciter educunt. Quod ſi vero non ſuffecerint, poſt ejuſmodi præparationem evacuantia ſubjungenda veniunt, quæ ex myrrha, gummi ammoniaco, extracto rhabarbari, abſynthii, panchymagogi Crollii, cinnabari, ſuccino & ſale ſuccini, ſumtis ad drachmam dimidiam æqualibus partibus parantur. Ex ſcrupulo uno poſſunt formari pilulæ viginti, totidemque adſumi. Spectant huc etiam præ omnibus aliis noſtræ pilulæ balſamicæ, quæ tonum & robur ventriculi labefactatum ſimul egregie reſtituunt & confortant; vel etiam in forma liquida infuſum vinoſum apparari poteſt ex radice pimpinellæ, armoraceæ, cichorei, rhabarbaro, agarico, corticibus aurantiorum recentibus, ſummitatibus centaurii minoris, cremore tartari & paſſulis minoribus, quod quotidie in aurora per dies decem ſufficienti quantitate erit hauriendum. Neque minorem ſpondet efficaciam aqua Sedlicenſis ad libram dimidiam cum ſyrupo florum perſicorum, vel cichorei cum rhabarbaro, aut roſarum ſolutivo ad unciam unam alternis diebus per vices potata. Si vero alvi nimia eſt ſtrictura, conſultius eſt, per leniter evacuantem potionem mannatam, quam mannæ electæ unciæ duæ, cremoris tartari drachma una, rhabarbari & nitri purificati drachma dimidia, in aquæ fontanæ unciis octo ſoluta conſtituunt, ſordes educere.

§. III.

*Obſtructiones quomodo reſerandæ.*

Expurgatis ſic probe primis viis, operam navare oportet medicum, ut totam humorum maſſam puriorem & fluidiorem reddat, atque infarctos emunctoriorum canaliculos aperiat, quo eo melior ſanguinis & ſeri fiat depuratio. Cui ſcopo obtinendo inſerviunt decocta, ex radice ſarſaparillæ, chinæ, ſcorzoneræ, cichorei, raſura ligni ſaſſafras & cinamomo parata, quæ dilutiora potui ordinario poſſunt dari, concentrata vero mane in lecto ad perſpirationem liberiorem promovendam adſumi. Juvabit quoque interdum mane in lecto ſudorem exſpectare, qui elicitur, ſi eſſentia ſuccini & pimpinellæ cum tinctura antimonii & liquore cornu cervi æquali pondere ſumta ad quadraginta guttas ex decocto calido propinatur. Nec incongruum erit, pro re nata ad diureſin ciendam tincturæ tartari drachmam unam cum decocto interponere.

§. IV.

*Ventriculi habenda eſt ratio.*

Maxime omnium vero ventriculi habenda eſt ratio, cujus tono roborando aptiſſima ſunt elixiria ſic dicta ſtomachica; quæ inter eminent, elixir Michaelis ſtomachale in B. Parentis mei theſauro pharmaceutico deſcriptum, noſtrum balſamicum in notis ad Poterium propoſitum, ſal volatile oleoſum cum tinctura tartari remixtum, elixir ſtomachale ex eſſentia gentianæ rubræ & corticum aurantiorum recentium, nec non elixir balſamicum ex extracto centaurii minoris, cardui benedicti, abſynthii, gentianæ, myrrha, ſuccino, croco, corticibus aurantiorum recentium ſine menſtruo ſpirituoſo cum tenui ſalis tartari lixivio paratum. Quæ medicamenta, maxime ſi inter epulas, vel ſtatim à cibis ſumtis offeruntur, non modo ad alimentorum digeſtionem blandamque chyli ſpirituaſcentiam conciliandam, verum etiam ad naturalem & balſamicam humorum temperiem reſtituendam viſcerumque tonum roborandum, magnæ miræque ſunt efficaciæ; ſed ut paullo diuturnior uſus accedat, neceſſe eſt.

§. V.

*Aquarum mineralium uſus.*

Quod ſi hiſce remediis morbus rebellis cedere nolit, ad aquas minerales, quarum eximius in cachexia tam virili quam fœminina uſus eſt, deveniendum erit. Omnibus tamen hoc fine longe præferendas eſſe puto acidulas Pyrmontanas; quibus ego non ſemel ſed ſæpius chloroſin, ex menſium obſtructione enatam, in corporibus etiam adſpectu tenerioribus curatam novi. Ejuſdem cum hiſce virtutis ſunt fontes Spadani, utpote ambo ſubtiliſſimo martiali elemento imbuti non modo ſpiſſos humores fluxiles & mobiles reddunt, atque obſtructos emunctoriorum meatus reſerant, ſed & tonum ac robur viſcerum augendo, ſanguinis per univerſum corpus circuitum egregie promovent.

§. VI.

*Martialium uſus.*

Præter jam recenſitas aquas medicatas, martiali principio turgidas, alia quoque medicamenta martialia cum ſalinis & balſamicis maritata commodeque exhibita non inepte pro ſpecificis & efficaciſſimis ad cachexiam & chloroſin ſanandam habentur remediis. Utut vero variæ proſtent martis compoſitiones chymicæ æque ac pharmaceuticæ, nulla tamen magis ſe mihi commendare videtur, quam crocus ejus ſubtiliſſimus, qui non ex chalybis, ſed ſolius ferri, quod copioſius phlogiſton recondit, cruda limatura, aqua pluviali conſperſa & calori ſolari expoſita conficitur. Præſtat

tamen hoc medicamentum cum aliis accommodatis remediis permiſcere. Hinc ego radicem pimpinellæ, ari, cinamomum acutum, ſal tartari & ſaccharum, quæ inſignem in humoribus incidendis præſtant effectum, adjicere ſolitus ſum, tam felici eventu, ut inde virgines, quæ chloroſi cum enormi capitis dolore aliiſque ſymptomatibus ſtipata diu laborarunt, feliciter reſtitutas viderim. In forma liquida tincturæ martis pomata, cydoniata & cum ſucco citri parata, præſertim vero Zwölfferiana reliquis omnibus palmam præripiunt. Egregie tamen horum medicaminum intenditur efficacia, ſi cum ſufficienti decocti ſupra deſcripti quantitate, vel etiam cum juſculis, quibus radices aperitivæ graminis, cichorei, petroſelini, aſparagi, fœniculi &c. incocta fuerunt, exhibentur.

## *CAUTELÆ.*

### §. I.

*Cautelæ circa V. Sionem in cachexia ab excretionibus ſanguineis ſuppreſſis.*

Si ullo in morbo, certe in cachexia apprime neceſſarium eſt, ut, quam primum fieri poteſt, malo occurratur; alias gravis metus eſt, ne, ſi curatio tardior accedat, in atrophiam, ſcorbutum & hydropem æger præcipitetur. Quod ſi igitur cachexia ob conſuetam ſanguinis excretionem ſuppreſſam corpus occupavit, operam dare medicum oportet, ut ipſa commodis remediis revocetur. Quo fine, niſi vires ex longiori mali perſiſtentia enervatæ id prohibent, venam ſecare ſanguinemque in parciori quantitate, ſed iteratis vicibus, e. g. per triduum, detrahere juvabit. Quod auxilii genus jam olim ab HIPPOCRATE *in lib. de morb. mulier.* §. 3. commendatur, & iis potiſſimum ſaluti eſt, quibus ſolennis per uterum purgatio deficit. Inimiciſſima contra iis eſt venæ ſectio, qui mole vitioſorum humorum turgidi parum ſanguinis intra venas fovent.

### §. II.

*Circa uſum thermarum Carolinarum*

Præter dictam venæ ſectionem prudenter inſtitutam corporiſque purgationem in cachexia ex menſium vel hæmorrhoidum obſtructione ſuborta magna quoque vis reſidet in thermis Carolinis, quarum convenienti interno uſu taliſmodi excretiones diu ſuppreſſas ego revocatas novi. Sed cavendum ab illis eſt, ubi morbus ex nimio hæmorrhoidum vel menſium profluvio originem traxit.

### §. III.

*Circa balnea.*

Sanguine in menſibus ſuppreſſis decenter detracto viſcerumque obſtructionibus per aquas minerales vel medicamina martialia remotis, fluxus nonnunquam ſponte ſequitur. Quod vero ſin minus evenit, neceſſe eſt, ut ægræ per horæ circiter ſpatium immittantur balneo tepidiori, quod ex herba matricariæ, meliſſæ, artemiſiæ, pulegii, ſabinæ, floribus chamomillæ romanæ, ſalviæ, baccis lauri &c. apparatum ad ſtagnantes humores diſſolvendos, mucidamque & tenacem ſeri materiam per uteri oſtiola expurgandam ſæpius deprehendi utiliſſimum.

### §. IV.

*Circa medicamenta validiora.*

Cachectici nunquam violentis tractandi ſunt medicamentis; quem in finem ſedulo fugienda ſunt omnia validiora purgantia, ſudorifera & balnea quoque calidiora, per quæ ſæpe perniciosæ pravorum humorum ad nobiliores partes fiunt metaſtaſes.

### §. V.

*Circa martialia.*

Quoad modum utendi martialibus ſcire licet, quod 1) eorum efficacia per ſufficientem corporis motum & exercitationem debeat promoveri, 2) cura ad dies decem & quindecim ita continuari, ut tertio vel quarto die lene purgans remedium, uti ſunt paſſulæ rhabarbarinæ interponatur, 3) quod ſufficiens & diluens potus cum exacto vitæ victuſque regimine ſimul in uſum vocetur.

### §. VI.

*Conjugii vis in ſananda chloroſi.*

Obſervavimus una cum HIPPOCRATE & PLATERO *in praxi* cap. XIV. virginibus pallidis ac morboſis, ſi nubant & viris jungantur, interdum prima nocte menſes fuiſſe eruptos & in ordinem redactos, cum colore vivido & inſigni incolumitate ſubſequuta; quapropter matrimonium ceu ſummum in hoc caſu remedium commendare licebit.

### §. VII.

*Cautela circa tumorem pedum.*

Pedes frigidi & tumidi in hoc morbo probe tecti & in moderato calore ſunt ſervandi. Involvantur quoque linteis arcte conſtrictis, ut laxitas emendetur & promtior humorum ad cor fiat recurſus. Quod ſi vero nimium intumeſcunt, ſacculi calidi ex milio, furfuribus & ſale confecti ſunt imponendi. Circa pediluvia notandum, quod ipſa locum non habeant, ubi tumor jam invaluit, ſed tum præter jam dicta rectius adhibentur frictiones cum linteis aſperioribus calidis inſtituendæ.

### §. VIII.

*Diæta ratio.*

Quod denique diætam tam præſervatoriam attinet quam curatoriam, aër frigido-humidus, nec non conclavia paullo decliviora, vaporoſis humoribus repleta, pro ſomno capiendo ſunt infenſiſſima. Inter cibos autem eos potiſſimum, qui difficilius ſolvuntur, quales ſunt fructus horæi, acidi, lacticinia &c. omni vitare modo oportet. Nocet quoque aqua ſola pro potu ſumta, quam ideo vino bonæ notæ Rhenano & Moſellano diluere præſtat. In genere vero notandum, quod cachexiæ morbus à nimia ciborum comeſtorum copia ſæpius oriatur & ſuſtentetur; quare abſtinentia & cura per inediam omnium pharmacorum vim in tali caſu ſuperat longiſſime.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Cachexia à diuturno mœrore.*

Vir ſacerdotali munere fungens, temperamenti ſanguinei corporiſque habitus ſpongioſi, victui craſſiori & cereviſiæ conſiſtentioris potui adſuetus, per viginti annorum decurſum ſingulis fere menſibus cum euphoria cruentas habuit ſedes. At quum duobus abhinc annis ob deteſtandum filiæ patratum ſtuprum diuturno affectus fuerat cum tacita iracundia mœrore, ſalutaris hæc excretio hæmorrhoidalis ſenſim ſenſimque imminutior facta penitus demum ſubſtitit; unde appetentia ciborum periit, facies antea florida mutata fuit in flaveſcentem & flaccidam, pedes intumuerunt, difficiliuſque nunc reſpirare cœpit. Conſuluit itaque rei pharmaceuticæ peritum, qui vinum laxans ſingulis diebus mane per menſem & ultra bibendum obtulit, à quo ſex ſeptemve vicibus quotidie alvum depoſuit. Potui ptiſanam,

&

& ex cibis ſola juſcula avenacea in largiori copia haurienda commendavit, nec irrito effectu; utpote non modo tumor pedum cum reliquis ſymptomatibus ex voto remiſit, verum etiam reſpiratio facilior inde facta fuit: niſi quod conſuetus hæmorrhoidum fluxus in ordinem nondum redierit. Non multo poſt derepente æger in vehementes circa regionem lumbarem incidit dolores, cum urinæ multo ſabulo refertæ ſeceſſione junctos, qui uſque dum ſæpius recurrendo miſere noſtrum cruciarunt. Ante anni vero quadrantem tumor utrumque pedem, maximeque ſiniſtrum cum difficiliori anhelitu denuo occupabat: flatus ſimul ſiniſtrum hypochondrii latus mirum diſtendebant & ſæpius calculoſæ concretiones, præcipue poſt eſum unius alteriuſve taleoli raphani ruſticani ſale conditi, cum urina excernebantur. Ego igitur conſultus, quum vaſa ſanguine admodum turgida deprehenderem, ob pedes nimium tumidos venam in brachio ſecandam & loco cereviſiæ craſſioris ptiſanam ex hordeo, raſura cornu cervi & corticibus citri bibendam ſuaſi. Dein ſingulis diebus mane ſalis aperitivi, ex polychreſto thermarum Carolinarum & nitri cryſtalliſati æquali portione compoſiti drachmam unam in libra dimidia aquæ ſolvendam dedi tenueque juſculum ſuperbibere, & alternis diebus circa horam decubitus pilularum noſtrarum balſamicarum no. X. devorare juſſi. Denique ad flatus diſcutiendos eſſentiam corticum aurantiorum liquori anodyno nuptam cum elixirio viſcerali alternatim in prandio ſumendam obtuli, eſum raphani ruſticani interdixi, ipſumque potius plantis pedum imponendum commendavi. Et ſic intra menſis ſpatium, remittentibus ſenſim ſymptomatibus, fluxus hæmorrhoidum rediit ſaluberrimus, & jam melius æger habere cœpit.

*Epicriſis.*

Dilucide omnino ex præfata morbi hiſtoria adparet, quantam in univerſa motuum & functionum naturalium œconomia pervertenda gravique & chronico morbo per fluxus critici ſuppreſſionem arceſſendo gravior & diutius inhærens animi affectus obtineat potentiam. Deinceps utut a vino laxante, ſingulis diebus per menſem cum abſtinentia adhibito ſtatus cachecticus fuerit ſublatus, mirum tamen non eſt, hunc non ita multo poſt rediiſſe, quum hæmorrhoidalis fluxus, a quo originem ipſe traxit, nondum in ordinem fuerit redactus. Symptomatum complicatorum, me quidem judice, talis reddenda erit ratio: a ſuppreſſis hæmorrhoidibus ingens in inteſtinis craſſis ſuborta eſt inflatio, quæ vaſa iliaca & emulgentia ſimul comprimendo, tum pedum intumeſcentiæ, tum calculorum in renibus concretioni materiam & occaſionem præbuit largiſſimam. In curatione mali prudenter adornanda eo præcipue reſpiciendum duximus, ut liberior ſanguinis per inteſtina & vaſa adjacentia compreſſa reſtituatur circuitus; quo ſcopo non modo venam, ob pedes tumidos, in brachio tundendam, verum etiam reliqua commendavimus medicamina.

### Observatio II.

*Cachexia ab inordinata vita & gravi mœrore.* Vir generoſiſſimus, aliquot ſupra quinquaginta annos natus, fluxum hæmorrhoidalem nunquam expertus, in aula per plures annos ſtrenuis vini, non optimæ ſemper notæ, interfuit compotationibus corpuſque ſubinde venando ſub varia tempeſtatis mutatione multum fatigavit; ſed nihilo minus, admiſſa bis in anno venæ ſectione, bene habuit. Ante annuum vero tempus, quum Principis excideret clementia, animum mox totum mœrori dedit; unde appetitus ſequuta eſt proſtratio, cum anxio circa ſcrobiculum cordis dolore acriter ſæpius convellente. Jungebantur dein corporis macies & difficilis, præcipue ſub adſcenſu ſcalarum, reſpiratio, moleſtæ hypochondriorum inflationes cum virium inſigni decremento, colore faciei lurido & aliquali pedum intumeſcentia. Pulſus diurno tempore ferebatur tardus ac debilis, nunquam tamen intermittens, & circa veſperam paullo celerior cum levioribus æſtus interni indiciis. Hinc ego conſultus ſuaſi, ut bis de die elixirium viſcerale, liquori anodyno nuptum, & ante decubitum ſal noſtrum aperitivum & temperans adſumeret. Loco potus Theæ mane bibendum commendavi infuſum theiforme; & quum pro potu decoctum ventriculus non ferre videretur, potum cereviſiæ Lœbeginenſis permiſi. Denique cataplaſma ex floribus chamomillæ roman. macis & caryophyllis aromaticis in vino coctis, regioni ſtomachi ſæpius tepide adplicandum & pedes tumidos furfuribus triticeis calefactis crebrius immittendos juſſi, tam ſalutari effectu, ut intra trium menſium decurſum major convaleſcentiæ ſpes appareret; ſiquidem pedes ſub continuo madore & larga muci craſſi ac viſcidi per urinam ſeceſſione ſenſim ſenſimque detumeſcebant, appetitus erat vegetior, reſpiratio facilior, ſomnuſque & pulſus magis naturalis. Ceterum circa hanc morbi hiſtoriam probe notari meretur, quod per præteritam hyemem generoſiſſimus ægrotus multis vexatus fuerit catarrhalibus ad pectus defluxionibus, ſuffocationem non raro minitantibus, præſertim quum medicus ordinarius in tali paroxyſmo venam in brachio ſecandam juſſerit. Exſpiravit tamen præfocationis metus a frequentiori clyſterum in anum injectione.

*Epicriſis.*

Viri hujus generoſiſſimi aulici valde inordinatum vitæ genus a longo inde tempore mihi perſpectum ſæpiuſque æſtimanti admirationi fuit, quod a morboſa afflictione ipſe liber tamdiu permanſerit; attamen quum ab ineunte fere ætate eidem adſueverit, conſuetudo in alteram quaſi naturam videtur converſa. Nota enim mihi ſunt perplura ejuſmodi exempla, ubi viri aulæ innutriti, ſine notabili ſanitatis detrimento diu vitam egerunt incolumem, donec tandem, ob infeſtum fortunæ caſum, diuturno mœrore vel graviori animi perturbatione affecti, tota natura ſimul & ſemel cum omnibus functionibus ſuccumbente, confeſtim in ſtatum cachecticum, vix ulla medicina reparabilem conjecti ſunt: ut uſque eo clare pateat, quantam animi pathemata habeant potentiam, cacochymiam vitioſam diu latentem in actum deducendi, & in peſſimum valetudinis ſtatum convertendi. Curationem quod attinet, quum in noſtro ægroto, ætate non adeo multum provecto propter continuam corporis exercitationem nec duritiem, vel firmiorem in viſceribus obſtructionem, nec polypoſam in majoribus ramis concretionem ſuſpicarer, ipſumque corpus non adeo pingue, ſed bene tranſpirabile deprehenderem, convaleſcentiæ ſpem promiſi, ſi modo vir generoſiſſ. per aliquot menſes ſtrictam cum patientia & obedientia diætam ſervare accommo-

accommodatiſque uti vellet remediis. Nec conceptam ſpem fefellit eventus; ſiquidem ſub critica materiæ viſcidæ per urinam evacuatione, quæ in ſtatu cachectico-hydropico ſemper boni eſt ominis, ſymptomata remiſerunt, & æger ſucceſſu temporis integræ ſanitati fuit reſtitutus.

### Observatio III.

*Cachexia deſperata ab inordinata diæta.*

Vir in quadrageſimo ætatis anno conſtitutus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, texturæ firmioris, qui à primis juventutis annis comeſſationibus & poculis diligenter interfuit, maximeque ſpiritum vini magna in copia hauſit; vix ephebus factus copulam iniit conjugalem veneremque ſtrenue exercuit, nihilo minus præter ventriculi flatulentiam & febriles inſultus incommoda valetudinis nulla unquam ſenſit. Ante aliquod vero tempus diuturniori afflictus mœrore ſubito incurrit difficilem reſpirationem cum magna virium jactura, pedumque ſenſim intumeſcentium vacillatione junctam. Succedit ſubtumidus habitus, faciei pallor, & æſtus circa veſperam volaticus, cum inſigni oris ariditate & ſiti ſtipatus. Præter hæc continui adſunt vomendi conatus ipſique vomitus, quibus tam eſculenta, quam potulenta rejicere debet: alvus eſt aperta, ſed flatibus diſtenta, urina ſecedit pauca & rubra, ſedimentum deponens ſat copioſum. Ego ſub tam confuſo rerum ſtatu de recuperanda valetudine plane deſperavi; ut tamen æger levamen quoddam acciperet & ad aliquod adhuc tempus vivus ſervaretur, ab uſu medicamentorum abſtinere, aërem mutare, & moderata diæta cum animi tranquillitate uti commendavi.

*Epicriſis.*

Hanc morbi hiſtoriam eo potiſſimum fine hic inſerere placet, ut dilucide appareat, qua ratione per inordinatum vitæ genus natura debilitari & ad graves morbos, qui non ſtatim ſe exſerunt, ſed ſuccedentibus demum annis, præſertim graviori animi affectu accedente emergunt, diſponi poſſit. Deinceps ſciendum, ſub tali corrupto morbi ſtatu tantaque naturæ imbecillitate vix ullam medicamentis, etiam præſtantioribus, ſupereſſe locum, ſed omne, quod medicus tentare & efficere poteſt, id temperatis & lenioribus diæteticis debere perfici, quippe quæ optimum ejuſmodi ægrotantibus dant levamentum. Graviter itaque errant ii medici, qui adverſus tam ſonticum morbum multis & validioribus remediis pugnandum eſſe ſibi perſuadent.

### Observatio IV.

*Cachexia à male curata quartana lethalis.*

Vir generoſus, quinquaginta & aliquot annorum, conſtitutionis ſanguineo-phlegmaticæ animique tranquillioris, lucubrationibus cum vita ſedentaria junctis admodum deditus & inde à multis jam annis defluxionibus catarrhalibus & rheumatiſmis cum latente febricula obnoxius, incidit autumnali tempore in febrem quartanam, quæ poſt ſex ſeptemve acceſſiones electuario quodam ex china chinæ confecto diſcuſſa, ſed poſt aliquod tempus bis reverſa eodem medicamento promte debellata fuit. In hujus vero locum ſucceſſit corporis totius languor, appetitus proſtratio, ingens à ſumtis cibis præcordiorum compreſſio, ſomnus paucus ac turbulentus & inſigne virium decrementum; quibus demum ſupervenit cum palpitatione cordis & pulſu intermittente dyſpnœa, ſub corporis motione & adſcenſu ſcalarum moleſtiſſima, nec non pedum intumeſcentia. Quum itaque uxor anxie meum efflagitaret auxilium, ego morbi cauſſa, quam præcedentem quartanam eſſe augurabar, & ægrotantis natura probe perſpecta, difficilem mox curatu morbum judicavi; ſuaſi tamen, ut præparato prius bene corpore fontes Egranos tepefactos cum congruis tam roborantibus viſceralibus, quam laxantibus medicamentis biberet, ob aëris mutationem peregrinationem inſtitueret, &, quam rarius antea adhibuerat, ſanguinis detractionem, ſingulis anni quadrantibus admitteret. Sed hiſce minus rite obſervatis, quum alius medicus ſine horum remediorum ope levamen promitteret, æger non multo poſt in pejorem ſtatum conjectus, viribus decreſcentibus & lipothymiis ſubinde intercurrentibus, demum ſuccubuit.

*Epicriſis.*

Medicamenta febrifuga, quæ inter merito cortex Peruvianus primas tenet, ſi minus circumſpecte ſed intempeſtive, non attenta ægrotantis natura morbique cauſſa, nec juſta temporis, ordinis ac doſeos ratione habita propinantur, in peſſimum valetudinis ſtatum, & juniores quidem in hypochondriacum, provectiores in cachecticum & hydropicum affectum facile poſſe conjicere, ego compluribus teſtari poſſum exemplis. Hæc quippe medicamina, quæ adſtringendo potiſſimum vim ſuam exſerunt, ſegnioris naturæ ſubjectis, præſertim in quartana ante ſufficientem cauſſæ morbificæ correctionem oblata, minimos viſcerum meatus, qui ſanguinis & ſeri depurationi ſerviunt, occludendo, viſceribus non modo vitioſam inferunt labem, ſed & naturalem humorum craſin penitus deturbant, ut ſubito inde, niſi cito ſuccurratur remediis, irreparabilis ſtatus cachecticus in ſcenam prodeat. In hoc noſtro caſu ſuſpecta mihi fuit cordis palpitatio, pulſuumque intermiſſio cum reſpirandi difficultate, ſub paullo validiori corporis motu ingraveſcens; quæ ſymptomata concretionis polypoſæ indicium mihi ſæpius dederunt certiſſimum; unde etiam prognoſticon non adeo auſpicatum circa hunc affectum proferre potui.

### Observatio V.

*Deſperata cachexia à duplici cauſſa orta.*

Vir triginta annorum, laxioris & pinguioris corporis habitus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, qui hactenus crudo victui largiorique cereviſiæ craſſioris potui adſuetus vitam egit ſedentariam; autumnali quondam tempore, quum ſub frigidiori aëre nudo capite diutius ſtetiſſet, febre corripiebatur continua, in qua ob urgentem ſitim & aquam & cereviſiam ſecundariam magna bibebat copia. Convaleſcebat quidem, ſed poſt aliquot hebdomades afficiebatur profluvio ſanguinis ex utraque nare valde immodico & per duodecim fere horas durante. Adhibebantur venæ ſectio & alia hoc fine utiliſſima remedia, ſed ſine effectu; donec tandem, ſuperveniente lipothymia fluxus ſponte ceſſabat. At vero brevi poſt facies antea rubicunda & florida ſuffundebatur pallore, oculi apparebant concavi, pedes ſemper frigidi & ſubtumidi a tactu digitorum retinebant foveam, appetitus cum viribus mirum languebat & difficilis ſub levi motu aderat reſpiratio; quæ mala æger expugnaturus meam requirebat opem.

Epicriſis

*Epicriſis cum curatione.*

Ex variis ſubinde cauſſis ſtatum enaſci cachecticum, attenta obſervatione & experientia abunde ſatis intelligimus. Equidem principalis & proxima hujus mali cauſſa in vigore & robore ſolidorum, quo circulantur & depurantur fluida, deperdito conſiſtit; attamen quæ huic principaliori progignendæ ſerviunt mediatæ & occaſionales cauſſæ non unius ejuſdemque ſunt generis. In noſtro caſu vires ſolidarum partium deſtruxiſſe videtur tum potus in febre & extra ipſam immodice adſumtus, tum nimia ſanguinis per effrenem hæmorrhagiam amiſſio. Non ſemel enim ſed ſæpius experiri mihi licuit, homines phlegmaticos & obeſiores, qui ſtrenui ſunt potatores, in hæmorrhagias & quandoque etiam in paralyticos affectus longe incurrere facilius, quam quidem eos, qui calidioris & ſiccioris ſunt temperaturæ, vix aliam ob rationem, quam quod à nimia ſeri copia facile infarctus fiunt viſcerum ſanguineorum, qui liberiorem ſanguinis circuitum intercipiendo, ejuſmodi congeſtiones & metaſtaſes ſanguineas efficiunt. Et inde quoque fieri obſervamus, ut procera ejuſmodi ſubjecta a nimia ciborum & cereviſiæ ingurgitatione progreſſu temporis macie valde extenuentur & demum ſub plenaria virium & appetitus proſtratione in atrophiam lethalem incidant. Si curationem reſpicimus, fruſtranea omnis eſt medicina, niſi in tempore hi heluones ſibi temperant. Optimam tamen locant operam rhabarbarina & elixiria blanda ſtomachica, digeſtionem roborantia, quorum compoſitionem jam ſupra in ipſa curativa methodo docuimus.

OBSERVATIO VI.

*Chloroſis à ſuppreſſione menſium.*

Duodeviginti annos nata virgo generoſa, cui ante biennium exire primum recto ordine cœperunt menſtrua, ſed non multo poſt, quum iterato fluxu panem butyraceum calidum lacque frigidum adſumſiſſet, ſubſtiterunt, varias abhinc incurrit rectæ valetudinis læſiones; quales potiſſimum ſunt, pedum gravitas, movendi impotentia, dolor circa præcordia poſt ſumtum cibum preſſorius & conſtringens, tantaque ſpirandi difficultas, ut vix per ſcalas adſcendere valeret. Alvus præterea eſt adſtrictior & flatibus, ſiniſtrum præcipue latus diſtendentibus, turgida, facies pallida, pedes ſunt tumidi & gelidiſſimi, pulſus arteriarum in manibus debiles, circa collum contra vehementiores; conjunctis ſimul per intervalla capitis doloribus atrociſſimis. Ut igitur promoveretur, quæ uſque huc ſuppreſſa fuerat menſium fluxio, adhibita quidem ſunt, cum repetitis in pede venæ ſectionibus, medicamina varii generis euporiſta, ſed nullum ab omnibus miſera tulit levamen. Neque ferre poterat pedilu[illegible], quamvis temperatiora; quippe quorum uſum mox cordis palpitatio, & leviuſcula animi defectio inſequi videbatur. Quare ut tandem à tantis liberetur malis, meum ægrotantis mater imploravit auxilium, & ut curam vernalem præſcriberem vehementer à me petiit. Ego itaque ſuaſor fui, ut primo omnium pedes ægra in perpetuo ſervaret calore & præmiſſis eorundem cum panno aſperiori frictionibus, è vena tuſa ſex minimum cruoris uncias emitteret; poſt hæc vero per decem dies ſingulo mane hauriat nodulum, talis compoſitionis: Rec. rad. Zedoariæ, ariſtoloch. rotundæ, vincetoxici, ana unciam dimidiam, herbæ meliſſæ manip. unum, flor. cheiri pugill. quatuor, rhabarb. drachmas ſex, folior. ſennæ ſine ſtipit. limat. martis, ana drachmas tres, cinnamomi, aniſi ſtellati ana drachmas duas, cremor. tartari unciam dimidiam, paſſular. minor. uncias tres. C. D. S. ſpecies pro una & dimidia vini menſura. Dein elixirium noſtrum viſcerale ad ſexaginta guttas in prandio aſſumendum obtuli, & denique ut loco cereviſiæ ſecundariæ, cui hactenus adſueverat, cereviſiam bene coctam & lupulatam biberet, corpuſque, quantum fieri poſſet, motu & labore ſæpius exerceret, commendavi.

*Epicriſis.*

Non ſemel ſed frequentius per id temporis longinquum ſpatium, quo morborum curationibus vacavi, annotare mihi licuit, à ſolo pane ex ſiligine vel tritico cum vel ſine butyro inter ipſum menſtruum fluxum largiori in copia calide comeſto pertinacem menſium ſuppreſſionem una cum doloribus circa ſcrobiculum cordis preſſoriis aliiſque peſſimis ſymptomatibus fuiſſe inductam. Cujus quidem peculiaris effectus hæc videtur ratio, quod ob deficientem digeſtionem & diſſolutionem multæ in prima regione vitioſæ cruditates & inde ſpaſticæ ſtricturæ fuerint concitatæ, quæ ad totum excretionis ſaluriferæ negotium pervertendum ſunt validiſſimæ; ut adeo diſcere liceat, quam caute & provide non modo circa cibos, ſed & circa omnium rerum non naturalium uſum fœminæ, præſertim juniores & ſenſibiliores ſub ipſa menſtrua purgatione gerere ſeſe debeant. Deinceps & illud dignum eſt, quod ex præfata morbi hiſtoria obſervetur, pediluvia, alias plane innoxia, & ſalutaris in ejuſmodi caſibus effectus niſi præmiſſa venæ ſectione & pedum, qui plerumque frigidi ſunt, fomentatione aut frictione, neque calida, neque tepida eſſe admittenda: cutis enim ſtricturam augendo, majorem ſanguinis ad præcordia reditum inferunt. Denique, ubi à propoſitis remediis fluxus non revertatur, rectum thermarum Carolinarum uſum tam internum quam externum ſuaſi, utpote quæ ſalutares aquæ ad menſes in juvenculis ſubſiſtentes revocandos nunquam non deprehenduntur utiliſſimæ.

OBSERVATIO VII.

*Chloroſis, cum [illegible].*

Virgo nobilis, viginti quatuor annorum, ſanguineo-cholerica, à primis adoleſcentiæ annis valde inordinatum habuit menſtruorum ſucceſſum; ſiquidem mox per duos menſes ſanguis plane nullus, mox admodum parca prodiit copia. Jam vero dimidia pars anni præteriit, quum omnis fluxus exſpiravit: unde mille malorum origo. Incidit enim optima virgo in chloroſin, ſive malum corporis habitum, ex pallido & ſublivido faciei colore ſatis conſpicuum, jam anheloſe reſpirat, languore totius corporis, maximeque pedum gravativo afficitur, ciborum faſtidio preſſa, quæ adſumit alimenta, vomitu rejicit, totumque corpus, exſolutis prope viribus, indies magis marcore conſumitur. Hæc mala expugnaturus medicus, vomitoriis, laxantibus & calidis pellentibus emmenagogis hactenus morbum aggredi ſategit, venamque brachii ſiniſtri tundendam curavit, ſed tantum abſuit, ut levaminis quicquam attulerit, ut potius rebus in pejus ruentibus, nunc permoleſta tuſſis ægram diu noctuque excruciet, & febri-

febriculoſa intemperies cum frigore & inſequenti æſtu, inſignem plantis pedum & volis manuum ardorem inducente, aliquoties de die, præſertim circa noctem, invadat. Anum præterea obſident hæmorrhoides cœcæ & tumidæ, quæ tanto ardore ac dolore furiunt, ut ſomnum prope omnem eripiant. In tam miſero rerum ſtatu poſita virgo generoſa petiit à me majorem in modum, ut ipſi conſilio & auxilio ſuccurrerem. Unde ego precibus annuens conſilium dedi, ut præmiſſis per aliquot dies pediluviis, venam in pede ſecandam, & aliquot cruoris uncias detrahendas curet. Dein ad ſanguinis circuitum æquabiliorem reddendum tuſſimque demulcendam præſcripſi infuſum theiforme, quo mane in lecto ad aliquot patellas epoto corpus ad lenem ſudorem proliciendum diſponere debuit. Poſthæc ut ventriculi quoque digeſtio promoveatur, & cruditates acido-viſcidæ corrigantur, elixirium obtuli ſtomachale balſamicum & loco potus ordinarii decoctum temperatum adſumendum. Ad calorem hecticum internum refrenandum propinavi pulveres leniter nitroſos, item ſuccum citri vel aurantior. cum coralliis & matre perlarum infractum, circa tempus ſomni ex aquis ſedativa virtute imbutis, ut ceraſor. nigror. meliſſæ, flor. tiliæ, primulæ veris, &c. addita ſpiritus nitri dulcis & ſyrupi balſamici portione, capiendum. Denique quum generoſam virginem ad iræ adfectum valde proclivem deprehenderem, ab iis omnibus ſummo ſtudio abſtinere conſului, quæ animi tranquillitatem ullo modo poſſent turbare. Et hæc ſunt quæ in præſenti morbi ſtatu accommodata duxi remedia. Quo tamen ſpecialius proſpiciatur ſaluberrimo menſium negotio, niſi aquis medicatis, hoc fine utiliſſimis utendi copia daretur, circa eam temporis periodum, qua alias ferri conſuevit menſtrua per uterum purgatio, remedia, quæ ſpecifica quadam menſes leniter ciendi virtute pollent, adhibenda putavi. E quorum numero præcipue eminent martialia cum aromaticis & balſamicis probe mixta. Ego itaque à longo abhinc tempore ſummo cum fructu alternis diebus adhibere ſolitus ſum pilulas noſtras polychreſtas cum pulvere martiali tenuiſſimo remixtas, itemque tincturam ſuccini probe alcoholiſatam & minus ſpirituoſam, frequentius potui inditam. Nec contemnendum pollicentur effectum frictiones in partibus inferioribus circa pubem, ilia, dorſum & pedes cum pannis calidis, præmiſſa harum partium cum unguento ex oleo liliorum alborum, vel axungia humana, oleo lavendulæ & juniperi conflato inunctione, inſtitutæ ſæpiuſque iteratæ.

*Epicriſis.*

Quæ ægram noſtram excruciant ſymptomata, unice à critica illa & ſaluberrima ſanguinis menſtrui excretione ſuppreſſa ſua ducunt incunabula. Deficiente enim vel prorſus intercepta taliſmodi conſueta fluxione ingentem ſanguinis & humorum maſſa contrahit dyſcraſiam & impuritatem, ut nec nutritioni, nec partium corporis noſtri functionibus vitalibus & animalibus præeſſe amplius poſſit. Quod ſi itaque à peſſimis his malis afflictas fœminas liberare debet medicus, opus maxime omnium eſt, ut ſanguinis utiliſſima excretio naturali reſtituatur integritati humorumque maſſa ab impuris ſordibus liberetur; quod tamen non ita facile, ut primo quidem intuitu putatur, perficitur, ſed magna adhibenda eſt cautio, ne imprudenti bonorum remediorum adplicatione malum deterius reddamus, gravioraque arceſſamus ſymptomata. Exemplo nobis luculento eſſe poterit perverſa medici in præſenti caſu curatio, utpote qui ante quam obſtructa & anguſtata uteri oſcula reſerata humoreſque fluxiles & ad excretiones apti facti fuerunt ingentem fluidis per emetica, purgantia, venæ ſectionem in brachio & emmenagoga, quæ ex myrrha, croco, aloë & baccis lauri confecta reperi, fluidis introduxit motum, ut adeo non mirum eſſe debeat, ſi omnibus in pejorem ſtatum converſis, moleſtiſſima tuſſis cum ſpirandi anguſtia & hectico calore juncta ſucceſſerit.

## OBSERVATIO VIII.

*Rara obſervatio de peculiari urinæ vaccarum in cachexia virtute.*

Equidem non poſſum, quin candide hoc loco recenſeam publicique juris faciam ſingularem plane & in libris medicorum haud facile obviam morbi cachectici, ſive ſimplicis, ſive cum incipiente hydrope juncti & quacunque ex cauſſa ſuborti curationem, quæ cum urina vaccarum recenter excepta & loco aquarum mineralium per menſem & ultra ſingulis diebus mane ad menſuram dimidiam vel unam pota, felici admodum ſucceſſu inſtituitur. Viginti jam & quinque effluxere anni, quum mihi, ad valetudinem Potentiſſimi Regis Pruſſiæ tuendam, Berolini degenti primum de peculiari hac cura conſtitit. Retulit quippe mihi virgo, quæ liberorum informationi vacabat, Gallica, eſſe ibi fœminam itidem natione Gallam, quæ hac methodo vernali & æſtivo tempore complures, maxime fœminini ſexus, ex menſium obſtructione & poſt puerperium chloroſi & cachexia laborantes, omnibus remediorum generibus nihil proficientibus, priſtinæ reſtituiſſet ſanitati, & ipſa, quæ hæc mihi narrabat, ſancta fide adſeverabat, ſe ante annum miſere afflictam eadem curatione integram recuperaſſe ſanitatem. Ego hinc paullo magis de nova hac & prorſus mirabili medendi methodo ſollicitus veritatem percontando eruere diutius inſtiti. Adduxit itaque, me poſtulante, præfata virgo plures numero fœminas, quæ narrato prius morboſo ſuo ſtatu itidem conſtanter adſerebant, ſemet ipſas, hauſta mane extra urbem in paſcua ultra menſis ſpatium vaccarum urina feliciter fuiſſe ſanatas, & exſerere hoc remedii genus ſuam tam per alvum, quam urinam operationem, qua ciborum adpetentia pæne emortua cum viribus mirum reſuſcitaretur. Tum ego urinæ inſignem quantitatem mihi adportari juſſi & cum ea, quæ ſequuntur, feci experimenta: bona ejus parte in vaſis ſtanneis ſuper carbones lento calore inſpiſſata, poſt multos emiſſos vapores deprehendebam magma flaveſcens, quod guſtu exploratum inſtar bilis amaricans erat & ſalſum; affundebam ſpiritum vini rectificatum, & en! mox color extrahebatur flaveſcens; ſal remanebat viſcoſitati immixtum, quod mediæ erat naturæ & in aqua ſolutum ſaporis terræ foliatæ tartari non abſimilis. Unde collegi, præclaram hujus remedii virtutem à ſale eſſentiali herbarum, quibus æſtivo tempore hæc animantia veſcuntur, eſſe deducendam; cujus ope non modo viſcerum oppilationes reſerarentur, ſed & vitioſorum humorum per urinam & alvum promoveretur excretio, ut ideo nihil dubii ſit, quin adverſus complures morbos medicina ſit efficaciſſima. Poſthæc hujus remedii uſum adhuc commendavi aliquibus, chronicis paſſionibus afflictis; attamen, quum fœtidam hanc medicinam, nauſea inde correpti, reſpuebant, plura circa ejus virtutes tentamina

inſtituere

inſtituere non potui. Interim, quum ſub tractanda hac materia rurſus in mentem mihi venerit, curioſo lectori reticere nolui, hoc tantum commonefaciens: niſi ob ſqualidum fœtorem ſola urina ſine nauſea in uſum duci poteſt, melius fortaſſe poterit, quando ſal ejus, facta evaporatione remanens & in aqua ſolutum offertur; quod vero, an eundem præſtet effectum, aliis experiundum relinquo.

## Observatio IX.

*Cachexia in fœmina, aquis Lauchſtadienſibus ſanata.*

Fœmina procera & gracilis, viginti & aliquot annorum ſemper largum & regularem habuit menſium ſucceſſum. Accidit autem aliquando, ut, dum menſtrua fluerent, vehementi perculſeretur terrore; unde mox ſalutaris hæc excretio ſuppreſſa per longum tempus remanſit. Varia hinc ingruebant valetudinis incommoda: laſſitudo enim & gravitas membrorum cum lurido faciei adſpectu ſubſequebatur, parum cibi ſumebatur, pedes intumeſcebant, caput lancinante dolore ſatis vehementi quotidie fere afficiebatur, reſpiratio erat difficilior & febricula quædam non continua ſed erratica, quæ nullam ſervabat periodum, cum magna ſiti per intervalla invadebat. Ego igitur in conſilium adſcitus, pulſum in manibus deprehendi valde languidum, qui contra ſatis vehemens & fortis erat circa collum & tempora; unde brachii venam ſecandam juſſi & ſanguinis valde fibroſi educebatur copia. Poſtea commendavi aquas Lauchſtadienſes, una cum balneo tepido circa veſperam adhibendo, & elixirii noſtri viſceralis uſu bibendas. Integras tres ſeptimanas durabat hæcce curatio, præmiſſa & interpoſita, ad ſordes evacuandas, eſſentia rhabarbari cum tinctura tartari parata, vel etiam pulvere rhabarbarino cum cremore tartari confecto. Et optime res proceſſerunt: melius enim ægra adpetebat, paullatimque vires recipiebat, reſpiratione ſimul reddita faciliori. Redibant quoque menſes circa ſtatum tempus, ſed tantum viſcidus inſtar loturæ carnis liquor parciori effluebat copia; qui tamen eſſentia ſuccini, myrrhæ & croci ſucceſſu temporis deſinebat & ſanguis naturalis reddebatur.

### *Epicriſis.*

Fontes Lauchſtadienſes aquam vehunt puram & ſubtiliorem, ſulphurei odoris, croco martis tenuiſſimo imbutam; quæ hinc etiam ab injectione gallarum mox purpureum & poſtea atrum induit colorem. Scripſi olim de viribus & proprietatibus horum fontium, quorum ego inventor ſum, integrum tractatum, & certa adſeverare fide poſſum, iiſdem loco balnei decenter adhibitis atrociſſimos dolores, membrorumque contractiones, cum malo iſchiadico fuiſſe ſublatas. Interne pariter eximii ſunt uſus; ſiquidem cum debito regimine, & ſufficienti corporis motu potatæ febres chronicas, aſthma & fœminarum quoque chloroſin fugarunt feliciſſime. Equidem multi, etiam celebriores noſtri temporis medici, ex marte præparata remedia in morbis, ubi viſcerum oppilationes & infarctus ſuſpiciendi ſunt, propter vim majorem adſtrictivam ſolent reformidare, & inter medicamina infida minuſque tuta referre, quum contra alii, iique non minoris eruditionis & famæ viri, illa ipſa non modo ſecura & innoxia celebrent, ſed & inſtar panaceæ in hypochondriaco & cachectico malo ſumme commendent. Verum, ut meam interponam ſententiam, nihil ex martialibus damni pertimeſcendum arbitror, dum modo cum vehiculo ſatis largo & diluto ſumantur & corporis ſimul jungatur exercitatio. Multo vero minus periculi alunt ipſi fontes, qui tenue martiale principium recondunt, & tenuiſſimum illud phlogiſton elementum ex terræ ſinubus imbibunt; quod quidem in dictis Lauchſtadienſibus facile deprehenditur, quando hæ aquæ diutius in vaſis majoribus ſtagnant. Tum enim crocum deponunt flavum, qui cum æquali ſalis ammoniaci portione ſublimatus flores dat inſtar croci ſubtiliſſimos, fortem & gratum odorem ſpirantes; ex quibus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo tinctura martis flaveſcens, magni uſus, extrahitur pulcherrima.

Venæ ſectionem quod in brachio celebrandam ſuaſerim, hæ me impulerunt cauſſæ. Naſcuntur præcipue hi morbi a nimia ſanguinis abundantia, qua univerſus humorum circuitus & cum eo ſalutares excretiones retardantur. Quum itaque viderim, in hac ægrota brachii venas ſanguine eſſe turgidas & reſpirationem, ob ſanguinem ad pectus congeſtum, difficiliorem, in ſupernis partibus, quia inferiores id ipſum prohibebant, venam aperiri juſſi; maxime quum meminerim, jam olim *Hippocratem* in ſtatu cachectico & hydropico venæ ſectionem lib. de diæta acutor. his verbis commendaſſe. *Si difficulter ſpiraverit hydropicus (anaſarcoideus) & tempus vernum fuerit, & ſimul ætas viguerit, & virium robur adſit, de brachio ſanguinem detrahere oportet.*

## Observatio X.

*Status cachecticus perperam tractatus.*

Dum hæc ſcribo, incidit in manus peculiaris de tumore pedum œdematoſo retropulſo caſus, quem cum benevolo lectore communicare operæ exiſtimo pretium. Eſt ſcilicet virgo generoſa, viginti annos nata, habitu corporis laxiori animoque ſenſibiliori prædita, quæ ante annum pedum laboravit œdemate; ad quod abigendum quum ex medici conſilio ceruſſam exterius applicaſſet & pediluvia quoque cum thermis Hirſchbergenſibus per ſex hebdomades adhibuiſſet, evanuit quidem tumor, ſed in ejus locum circa inſtans menſium tempus atrociſſimi capitis & dorſi dolores cordiſque anxietates cum inſigni pedum frigore corporiſque univerſi languore junctæ ſucceſſerunt: quæ peſſima ſymptomata redeunte menſtrua periodo ita ingraveſcebant, ut ægra motibus ſpaſmodicis agitari & præ nimia pectoris cōſtrictione aſthmate convulſivo affligi videretur. Advocatus medicus venæ ſectionem commendabat, quæ tamen ob nimiam vaſorum exilitatem & conſtrictionem in pede celebrari minus poterat, ſed in pollice ejus inſtitui debebat; unde ſanguinis valde ſpiſſi & fere congrumati larga exprimebatur potius, quam effluebat copia. Tum quidem per tempus mitiores videbantur acceſſiones, ſed non multo poſt, prævia levi iracundia, malum redibat ferocius & nunc inſtar febris, aliquot de die recurrendo, certos format paroxyſmos, qui viſu ſunt horrendi: namque generoſa inſomniis quaſi perterrita vehementer expaveſcit, oculi clauduntur, loquendi potentia perit, brachia manuſque attolluntur, jactantur, variiſque modis diſtrahuntur, dentibus ſtridet, ſpiritum inſtar morientium frigidum emittit, pedes refrigeſcunt, labia rigore concuſſa tremunt & colore livido adparent, totumque corpus hinc inde agitatur & mox antrorſum, mox retrorſum movetur. Tandem elapſo horæ

horæ ſpatio hæc omnia remittunt, remanentibus præcordiorum angore, cephalalgia, inquietudine & laſſitudine. Ceterum notandum, alvum plerumque eſſe pigram & vix ſemel intra tres quatuorve dies deponi, menſiumque negotium conſueto tempore rite ſuccedere. Medicus ordinarius latentem purpuram tantorum malorum cauſſam reputans hactenus pulveres ſolares & ſic dictos nigros Halenſes cum eſſentia dulci concentrata magna in copia obtulit, ſed ſine omni effectu. Alius igitur arceſſitur medicinæ peritus, qui liquorem anodynum interne dedit & externe membra balſamo vitæ inungi juſſit cum inſigni mali levamine. Sed quum prior his ſepoſitis medicamina ſolaria denuo adhiberet, mox priſtina ingruebant ſymptomata.

*Epicriſis cum conſilio.*

Præfata morbi hiſtoria licet ſtrictius ſumta ad præſentem tractationem minus pertinere videatur, feraciſſima tamen eſt cautionum utiliſſimarum, quæ optime nos admonent, quam caute tumor cachecticus externis remediis debeat tractari, niſi ægrotantes in grave præcipitare periculum velimus. Dignum autem inprimis eſt, quod probe animadvertatur, imprudenti balneorum, maxime nimis calidorum uſu tumorem pedum evanuiſſe longeque pejora acceſſiſſe ſymptomata; quod mihi quidem ſæpiſſime in praxi annotare licuit. Etenim ſerum illud acre & impurum, quod in pedibus ſtagnat, ubi inducta ipſis ſtrictura, à venis reſorptum ad partes nobiliores pellitur, has ipſas præter naturam afficiendo, ad ſpaſmodicas ſollicitat agitationes, quæ in noſtra ægrota miras luſerunt tragœdias.

Quam curandi ſcopo medicus adhibuit venæ ſectionem, præſervationis loco debuiſſet adminiſtrare. Interim plenius exinde de ſumma infernarum partium conſtrictione convincimur, quæ tanta fuit, ut phlebotomo locum vix reliquerit. Quod porro attinet curationem per concentratiora medicamina, quæ in parciſſima doſi data magnam edunt efficaciam, ut fere ſunt pulveres ſolares & ejuſdem farinæ alia remedia, hæc jure meritoque videtur taxanda. Nihil enim eſt deterius, quam cutis ſpiraculis occluſis alvoque obſtructa, calidioribus maſſamque humorum exagitantibus medicamentis uti, & quod noxium in corpore hæret, ad ejus peripheriam cum impetu propellere velle. Qua perverſa methodo nihil profecto aliud efficitur, quam ut anxietates augeantur ſingulaque exacerbentur ſymptomata. Multo magis tum eam oportet eſſe medentis intentionem, ut in paroxyſmo violentos motus ſopiat & quæ huic extra paroxyſmum occaſionem præbent cauſſas apte præſcindat. Quo ſcopo præter clyſteres emollientes & oleoſos, pulveres leniter antiſpaſmodici nitroſi & cinnabarini, nec non liquor noſter anodynus cum eſſentia caſtorei maritatus, qui ſpecifica quadam effrenes motus compeſcendi efficacia pollet, ſummam merentur commendationem. Neque ſua laude carent remedia externa, quæ inter eminent olea nervina rutæ, lavendulæ, majoranæ, nuciſtæ &c. admixtione axungiarum temperata & in linimenti formam redacta ſpinæque dorſi, nuchæ & pectori inuncta. Quo etiam pertinent frictiones pedum, ad ſpaſmos eorum relaxandos frigusque debellandum.

Plures caſus legantur in Reſponſis & *Conſult. noſtris medicin. Sect. III. Caſ. LXI. uſque ad LXV.* item *Sect. IV. Caſ. CLXXXII.*

---

## CAPUT XIV.

### *De hydrope.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

Cachexiam proximum eſſe ad hydropem gradum, conſtans antiquiſſimorum medicorum fuit adſertio, qui inde in ſuis de re medica monumentis poſt cachexiam ſtatim de hydrope agere conſueverunt. Nullus autem ex omnibus utriusque affectus conſenſum rectius agnovit, ipſo ARETÆO, qui *lib. IV. cap. I.* hæc egregia profert: *hydrops in viſcere primario deliteſcens totum corpus in malum habitum convertit, nullaque eſt pars noxa carens. Neque enim in inferiore ventre fluctuans humidum hydropem nuncupamus; quandoquidem neque ibi vitium eſt, ſed quum morbum conſequitur tumor, inflatio, coloris fœditas, iſte in aquam colliquans habitus hydrops eſt & appellatur. Nam tametſi nonnunquam foras ſponte aqua prorumpit, aut aliquis præcordia reſcindens effundit, adhuc in ſede ſua permanet hydrops. Princeps itaque cauſſa malus habitus eſt, ſive cachexia.* Quibus verbis optimus hic ex antiquiſſimis auctor clariſſime innuit, morbum primarium eſſe malum corporis habitum, cujus ſymptoma potius & effectus ſit tumor aquoſus; eo quod hoc ceſſante morbus nihilo minus permaneret. Et in ſequentibus ita pergit: *Anaſarca laborantes colore ex atro viridique permixto infecti ſunt, obſcuraſque & nigras venas habent.* Quæ ſigna admodum etiam communia ſunt cachexia adfectis. Accedit deinceps & hoc, quod ab iiſdem cauſſis, quæ malum ingenerant cachecticum, quas ex CÆLIO AURELIANO in ſuperiori capite deſcripſimus, hydrops quoque originem ducat, id quod auctores confirmant, ipſaque experientia, optima rerum magiſtra, abunde ſatis corroborat. *Principium hydropis eſt cachexia.*

§. II.

Quum itaque cachexiæ morbus cum hydrope tam arctam habeat affinitatem, ut iſte hujus cauſſa ac fundamentum recte dici poſſit ac debeat, non poſſumus, quin omnibus rite comparatis, in ſpecialiori hydropis notione ſuppeditanda, ipſum valde depravatum corporis, quoad omnes partes & functiones ſuas, habitum dicamus, cum inſigni & præternaturali humoris ſeroſi, aut in toto corpore, aut in certis ejuſdem cavitatibus, ſtagnatione & collectione conjunctum. *Hydropis definitio.*

§. III.

Functiones noſtri corporis tam vitales, quam naturales & animales in hydrope valde eſſe vitiatas atque læſas, ſigna, quibus ſeſe prodit truculentus hic morbus, & quæ optime collegit ARETÆUS *loc. cit.* teſtatum faciunt luculentiſſime: *Omnibus*, inquit, *ineſt pallor, ſpirationis difficultas, tuſſis; diverſis temporibus ſegnes ſunt, pigritia multa, à cibo abalienatio: & ſi aliquid adſumant, quamvis modicum & flatu carens, nihilo minus valde inflantur, diſtenſiones patiuntur, citra madorem eorum corpus eſt, idcirco neque in balneis ſudore madeſcunt. Præterea albidi ſunt & effœminati; ſomni ſunt graves, torpentes, breves, animi deliquium, circa minima quæque ſollicitudo, vivendi cupiditas.* *Signa.*

§. IV.

## §. IV.

*Hydropis ſpecies ſunt :*

Equidem hydrops à primis fere artis noſtræ rudimentis in tres ſpecies, anaſarcam, aſciten & tympanitidem diviſus atque anaſarca dictus fuit, quando totum corpus tumore obſeſſum eſt, aſcites, ubi abdomen turget & intra ejus cavitatem ſtagnans lympha viſcera inundat, tympanites, ubi abdomen non molle, ut digitorum veſtigia imprimi poſſint, ſed valde inflatum ac durum comparet; ipſe tamen ARETÆUS quartam addit & inter anaſarcam ac leucophlegmatiam aliquam conſtituit differentiam, exiſtimans: in utraque hac hydropis ſpecie tumidam quidem faciem & brachia eſſe & in leucophlegmatia, ubi pituita redundaret, non minus quam in anaſarca omne corpus impleri, atque partes tam ſuperiores quam inferiores cum ipſis mammis intumeſcere, quod in illis potiſſimum contingeret, qui juvenes robuſti in ætatis proſpera fortuna conſiſterent: at in hydrope, anaſarca dicto, carnem in ſuccum ſanioſum quaſi colliqueſcere, qualis à membris graviter contuſis effunditur. Dein quoque leucophlegmatiam mitiorem hydropis ſpeciem curatuque faciliorem habendam eſſe ſtatuit, quoniam variæ ejus tollendæ ſint proſperæ occaſiones, ut ſudoris, lotii excretione, aut alvi nonnunquam copioſo effluvio; quum contra in reliquis ſpeciebus, præſertim ſi mixtæ ſint, medicus totum hominem permutare debeat, ſi ipſas curare velit. Qua peculiari & eximii in praxi medica uſus differentia illud maxime diſertiſſimus hic auctor indicaſſe videtur, in leucophlegmatia quidem perinde ac in anaſarca aquam copioſe inter cutem ſtagnare, ſed in hoc ſanguinem ſimul, quo carnes nutriuntur, valde eſſe corruptum, adeoque vitium longe ſubeſſe gravius. Multo vero adhuc evidentius elegantem hanc diſtinctionem in eodem capite deſcribit hunc in modum: *aqua inter cutem nonnunquam à copioſo frigido potu continuo provenit, quum præ nimia ſiti ad ſaturitatem quispiam multam aquam gelidam ingurgitaverit, poſtea humidum in peritonæum delatum ſit, atque inde in ventribus calor refrigeratus fuerit. Deinde in ilia guttæ effluunt, quæ prius in aërem verſæ per tranſpirationem diſcutiebantur. Id igitur ſi incidit, facilior eſt hujus morbi curatio, ante quam viſcus aliquod, aut totus homo adfectus ſit.*

*1] leuco-phlegmatia & anaſarca.*

## §. V.

*De hiſce ſpeciebus judicium.*

Quod ſi meam profiteri licet ſententiam, ego rei veritate & experientia convictus non poſſum non ARETÆO adſentiri, quod leucophlegmatia levior ſit ſpecies, facilioremque recipiat ſanationem quam anaſarca. Equidem illa communiter à noſtri ævi medicis cum hac ſolet confundi; quum tamen jam a CÆLIO AURELIANO ſæpiusque laudato ARETÆO aqua intercus vocetur, quoniam inter ipſas pinguedinis cellulas aqua collecta ſtagnat & hinc colorem pallidum inducit: quum è contrario in anaſarca, ſive hypoſarca, ob majorem ſanguinis quam in ipſa leucophlegmatia corruptionem, color carnis & cutis magis depravatus & ex atro virideſcens adpareat, manifeſto indicio, quæ ſanguificationi humorumque depurationi inſerviunt viſcera, ut ſunt pulmones, hepar & renes, nimiæ laxitatis vel infarctus vitio laborare, & ad functiones ſecundum naturam peragendas minus eſſe idoneas. Quando itaque leucophlegmatia cum anaſarca juncta eſt, jam gravior hydropis ſpecies emergit, quum leucophlegmatia initium, anaſarca vero augmentum præbeat.

## §. VI.

*2] aſcites.*

Longe vero deterior & prope inſanabilis ea hydropis ſpecies eſt, quæ aſcites vocatur, cujus ſigna optime notavit ARETÆUS, dum loc. cit. *in ilibus*, inquit, *tumorem, in pedibus inflationem videre licet, facies, brachia, & reliqua exilia cernuntur: intumeſcunt teſtes, præputium & totus colis ob inæqualitatem tumoris tortuoſus eſt. In corporis ad alterutrum latus converſionibus humor in locum declivem & tumorem & fluctuationem facit, fluctuantisque liquoris ſonitus exauditur.* Ex quibus colligi licet, ingentem lymphæ ob vaſa lymphatica vel hydatides disruptas eſſe extravaſationem viſcerumque inundationem, qua hæc ipſa temporis ſucceſſu in plenariam abeunt corruptionem.

## §. VII.

*3) tympanitis.*

Quoad illam ſpeciem, quæ tympanitis, itemque hydrops ſiccus appellari ſolet, ubi abdomen valde tenſum & inflatum ad palmæ percuſſum inſtar tympani edit ſonum, ſciendum eſt, eam ſymptoma potius anaſarcæ & aſcitis, quam certam hydropis ſpeciem eſſe dicendam. Hæc vero ſi jungitur, ut fere plerumque in aſcite evenit, peſſimum & incurabilem denotat ſtatum, qui vel à flatibus intra inteſtina coercitis, vel à vapore, ex aqua in abdomine extravaſata exhalato oriundus abdominis muſculos ita à tono ſuo dejicit, ut penitus elangueſcant.

## §. VIII.

*Hiſtoria morbi.*

Ut autem plenius adhuc rectiusque de graviſſimi noſtri morbi natura indoleque pateat, operæ erit pretium, ejuſdem initia pariter ac incrementa cum ſymptomatibus rite exponere, quæ ita ſe habent. Primo tumor occupat pedes, qui ſuccedente tempore ad femora, inguina, ilia, abdomen & ad ſcrobiculum uſque cordis pertingit. Interdum venter aqua turgidus ita prominet, ut pedes vix cerni queant & abdominis ruptura ſit metuenda. Progreſſu temporis aqua in ſcrotum quoque deſcendit, illudque ſæpe ad capitis magnitudinem inflat. Neque ſcrotum ſolum, verum ipſe etiam penis cum præputio ita intumeſcit, ut intorqueatur lotiique excretioni injiciatur remora. Ubi manifeſto deprehenditur, aquam, quæ penem diſtendit, ex vicina inguinis regione cutim inter & carnem penis ſeſe inſinuare; contra vero, quæ ſcrotum in tumorem elevat, plerumque ex abdomine per peritonæi proceſſus delabi. Aliquando tamen etiam, maxime in leucophlegmatia & anaſarca laborantibus evenit, ut aquoſus humor in partibus circa inguina collectus ſub communibus teſticulorum integumentis ſe inſerens tumoris in ſcroto cauſſa exiſtat, abdomine aqua prorſus vacuo. Neque tamen in omnibus hydropicis ſcrotum tumorem concipit, ſed quosdam eorum ſine omni ejus intumeſcentia demortuos novi. In fœminis inguina ſimiliter tumida fiunt, & ipſa uteri vagina ab aqua ſæpe elongatur, ut procidat. Dein commune hydropicorum ſymptoma eſt dyſpnoea, quæ poſt vehementiorem corporis motum & noctu potiſſimum exacerbata, ob facilem aquæ abdominalis ſub ſitu decliviori adſcenſum, ſuffocationis metum ſubinde minatur; unde, ſi liberius reſpirare miſeri volunt, corpus mox elevare & in lecto potius erecti ſedere, quam decumbere coguntur. Mirum quoque vexat tuſſis, ſicca ut plurimum & nonnihil inane tuſſiendi deſiderium mentiens, dum acris ſallaque

lympha, in univerſo corpore peccans laryngis præſertim & bronchiorum fibrillas membranaceas ſtimulat, irritat, convellit.

## §. IX.

*Continuata morbi hiſtoria.*

Poſthæc notabile eſt, in anaſarca urinam mingi tenuem & albam, in aſcite paucam & craſſam, cum copioſo ſedimento rubro lateritio. Potui quoque urinæ quantitas inter initia hydropis ut plurimum reſpondet, alvus laxa eſt & ciborum adpetentia bona; quæ tamen omnia ingraveſcente malo deficiunt. Urget præterea inexhauſta & clamoſa ſitis, de qua recte cecinit Poëta: *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Jungitur autem hæc nimia potandi cupiditas ob has potiſſimum rationes: tum quod ſalivalis latex ob glandulas ſalivales obſtructas deficiens fauces aridas irrorare amplius non poteſt, tum quod ea, quæ adfluit ſaliva viſcida ſalſaque eſt, & ab æſtu febrili mox exſiccatur. Febris enim in pejori morbi ſtatu nunquam fere non adjungitur lenta atque continua, ex pulſu, qui parvus fertur & crebrior, ſatis conſpicua, quæ carnem ſupernarum partium una cum viribus ſenſim paullatimque depaſcens mortem denique procurat. Deinceps in anaſarca æque ac aſcite inſignis ſæpe pruritus in partibus pedum membranaceis percipitur & pedes quoque maculis lividis & veſiculis obſervantur obſiti, ex quibus apertis ſerum effluit ſua acredine partes rodens, vel etiam inflammans, unde non raro prodeunt mali moris ulcera, quæ teſte *Hippocrate* lib. VI. aph. VIII. difficulter ſaneſcunt & conſolidantur; utpote adfluxus acris ſeri major eſt ac copioſior, quam ut remediis lenientibus & exſiccantibus poſſit mitigari. Atque huic ſpeciei hydropis præcipue adſociatur febris, quæ ab inflammatione inteſtinorum, præſertim per draſtica remedia inducta, originem trahit, cui horror demum & rigor ſuperveniens ſphaceloſæ & funeſtæ viſcerum corruptionis præbet indicium.

## §. X.

*Sectio anatomica hydrope demortuorum.*

His ita expoſitis progrediendum nunc erit ad ea, quæ ſectio hydrope demortuorum nobis ſiſtit perluſtranda. Et primo quidem, quod hepatis viſcus attinet, ex M. N. C. & Boneti *ſepulchreto* aliiſque anatomicorum libris conſtat, illud plerumque morbidum fuiſſe repertum, & nunc quidem pallidum & fere exſangue, nunc tumidum & atrum, tenſum, ſcirrhoſum hydatidibuſque repletum, cum veſicula fellis, materiam aut aqueam & minus amaram, aut ſpiſſam & in calculos concretam continente. Speciatim vero hepar in junioribus in globum quaſi contractum & induratum, ut ſub cultri inciſione ſtrepitum ediderit, & in tympanitide aridum & inſtar corii corrugati torrefactum ſe annotaſſe referunt Horstius *lib. III. obſ. 9.* & Tulpius *lib. II. cap. 36.* Licet contra varia apud Ruyschium *in obſervat.* & Bonetum *in lib. cit.* proſtent exempla, ubi hoc viſcus ſine omni labe adparuit ſanum: quod itidem Riverius *in obſervat. communicat. IV.* teſtari videtur, qui in hydropico quodam, hepate ſatis bene conſtituto, ſolum lienem reperit corruptum & totam fere ipſius ſubſtantiam bili atræ ſimilem. Dein, quoad reliqua viſcera notandum occurrit, omentum in diſſectis aſcite defunctis ut plurimum inveniri corruptum & ſphacelatum, vel plane extenuatum & abſumtum, pancreas ſcirrhoſum, & meſenterium, ob veſicas, quibus interius obſideri ſolet, aqua repletas & glandulas ad fabæ magnitudinem tumefactas, in magnam molem excretum, qua de re notabilis caſus exſtat apud Tulpium *lib. IV. cap. 35.* Neque inteſtina cum ventriculo relinquuntur immunia, ſed iſta obſervavi inflammata, ſiderata & corroſa. In tympanitide ipſa æque ac abdominis cavum multis flatibus vidi turgida, quales obſervationes etiam commemorarunt *Felix* Platerus *lib. III. prax. cap. III. obſ. 50.* & Hercules Saxonia *in prælect. pract. part. II. cap. 27.* De ventriculo autem notatu dignum eſt phænomenon, quod interior ejus tunica nodis globoſis, parvas avellanas magnitudine adæquantibus tota ſit obſita, qui nihil aliud eſſe videntur, quam exiguæ illæ in ſtatu naturali miliares vel annulares glandulæ, quæ alias tunicæ huic villoſæ eo latere, quo nerveæ adnexa eſt, interſperſæ cernuntur.

## §. XI.

*Continuata ſectionis hiſtoria.*

Neque tantum imi ventris viſcera male ſunt adfecta, verum etiam obſervatione quam maxime dignum eſt, quod frequentiſſime in hydrope, ſive ſit abdominis, ſive pectoris, cor, præſertim quoad dextri ventriculi capacitatem ingentis & plane mirificæ deprehendatur magnitudinis, ita ut ego in duobus ſubjectis illud inſtar bovini conſpexerim. Qua de re conſuli etiam poſſunt M. N. C. *Dec. I. ann. V. obſ. 64.* item Bartholinus *Cent. II. hiſtor. 66.* Deinde ſi meam ipſius experientiam licet proferre, ego plena fide teſtari poſſum, omnes fere, quos ſecandos curavi hydropicos, præter viſcera male conſtituta polypoſa in corde ejuſque vaſis habuiſſe concreta. Id quod etiam plures aliorum obſervationes confirmant, ex quibus memoratu digna eſt, quæ in M. N. C. *Dec. II. ann. V. obſ. 66.* deſcripta legitur, ubi in anaſarca demortuo inteſtina, omentum, pancreas, hepar, & lien ſine omni vitio fuerunt viſa; in dextro autem cordis ventriculo polypus inventus, qualis etiam venam cavam & arteriam pulmonalem occupavit, ut ideo æger ſuperſtes de ruptura cordis in dextro latere conquerendi cauſſam habuerit graviſſimam. Et eadem Acta *Cent. IX. obſ. 50.* referunt anatomen hydropicæ, in cujus dextro cordis ventriculo polypus ad quadrantem ulnæ partem longus & in arteriam pulmonalem protenſus fuit annotatus: ut ſilentio prætercam complura alia, quæ de eadem re *Cent. III. obſ. 117. Cent. VIII. obſ. 41.* item *Dec. II. ann. VI. obſ. 73.* leguntur exempla; hoc tantum adjiciens, ubi cordis vaſa polypoſis concretionibus ſunt repleta, ibi plerumque ingentem ſeri in thoracis cavitate effuſi obſervari copiam.

## §. XII.

*Obſervatio circa conſtitutionem aquarum.*

Quod ad ſerum intra cavitates collectum attinet, hoc ratione copiæ, coloris & conſiſtentiæ ſolet eſſe diverſum. Interdum enim inſtar aquæ valde eſt dilutum, ſpiſſiuſculum tamen & igni impoſitum in gelatinam concreſcit, interdum flavum & loturæ carnis non abſimile. Quantitatem ſi diſpicimus, hæc itidem pro corporis amplitudine morbique diuturnitate admodum eſt diverſa; ſiquidem quandoque triginta, quandoque ſexaginta, imo centum adæquat libras. Continetur autem hujus aquæ plurima pars in cavitate abdominis, vel intra peritonæum & muſculos abdominis; nonnunquam tamen etiam in duplicatura peritonæi formato ibi ſacco incluſam eam contineri fidem faciunt obſervationes, quas inter notabilis eſt Cl. Littris, quæ in *Memoires de l'Academie des ſciences à Paris ann.* 1707. legitur.

§. XIII.

§. XIII.

*Ratio tumoris hydropici.*

Explicatis ſic ſatis dilucide phænomenis, quæ in diſſectis hydrope demortuis ſolent obſervari, ſequitur jam, ut diſpiciamus, quænam ſint præcipuæ & proximæ inundationis aquarum in graviſſimo hoc morbo cauſſæ. Equidem veteres, quibus naturalis machinæ noſtræ conſtitutio hydraulica, inque primis circularis humorum progreſſus fuit incognitus, læſam in hepate male adfecto ſanguificationem & ſanguinis in aquam converſionem accuſarunt; noſtro autem tempore, quo ſtructura corporis humani motuumque vitalium œconomia clarius fuit detecta, longe rectius hæ cauſſæ poſſunt demonſtrari. Vix autem melior tumoris hydropici cauſſa, me judice, poterit allegari, quam circularis ſanguinis per venas motus & progreſſus valde difficilis, tardus & variis ex cauſſis præpeditus. Quam quidem adſertionem experimentum à Clar. anatomico LOWERO primum, quod ſcio, inſtitutum comprobat clariſſime. Hic enim in vivo animali venam aliquam majorem filo conſtrixit idque vinculum per horam reliquit & protinus tumorem œdematoſum in illa parte, qua rami ad venam excurrunt, animadvertit. Simile quid conſpicitur, quando ad enormes hæmorrhagias ſiſtendas inſtrumentum venas valde comprimens, quod nomine Tourniquet venit, adplicatur. Quod ſi enim diutius relinquitur, in tumorem ſucceſſive pars attollitur. Huc quoque illud pertinet experimentum, quum in homine mortuo vena ſubclavia, v. g. manus dextræ, fortiter conſtringitur & poſtea cum ſiphone in venam manus apertam rubicundus, paullo ſpiſſior liquor injicitur. Namque tum brachium intumeſcit, eoque aperto obſervamus in cellulas pinguedinoſas ſub cute miram ejus penetraſſe copiam, vix aliam ob cauſſam, quam quod propter poſitum obſtaculum liquor injectus venas, quæ per adipoſum panniculum tranſeunt, nimium diſtenderit, atque tandem per earum poros extravaſatus fuerit.

§. XIV.

*Quæ amplius exponitur.*

Enimvero nullus dubito quin ex dictis experimentis abunde ſatis pateat, nimiæ corporis in hydrope intumeſcentiæ & ſeparationis ſeri à ſanguine ejuſque intra cavitates & interſtitia ſtagnationis veram cauſſam eſſe retardatum ſanguinis, per venas maxime, tranſitum. Attamen longe adhuc clarius adſerti hujus patebit veritas, ſi perpendere velimus, quam facile & expeditum ſit, ut ſanguis in ſuo per venarum ſyſtema circuitu ſiſtatur; idque potiſſimum has ob rationes. Nam primo ſanguinis per venas regreſſus à partibus inferioribus ad ſuperiores, ob ſitum perpendicularem, ſecundum naturæ ordinem multis modis eſt tardior, quam in arteriis; unde etiam fit, ut venæ non modo numerum, ſed etiam diametrum arteriarum longe multumque ſuperent. Deinde venarum tunicæ non tanta vi ſyſtaltica & motrice elaſtica præditæ ſunt quam arteriæ. Quibus demum accedit, quod venæ tenerioribus valdeque poroſis inſtructæ ſint tunicis, per quas tenue liquidum facile poteſt tranſire. Quod ſi itaque accidit, ut ob nimiam ſeroſi humoris in corpore humano copiam tonus & robur vaſorum, maximeque venarum propter nimiam diſtenſionem magis infringatur atque debilitetur; non poteſt non per univerſum corpus vitalis ſanguinis circulus, qui omnibus functionibus præeſt, eaſque in integritate conſervat, valde langueſcere atque imminui; quod etiam ex pulſu, qui rarus, mollis ac debilis eſt, aperte cognoſcitur. Et ex hoc fundamento non modo præternaturalis intumeſcentiæ, ſed reliquorum quoque cum hydrope complicatorum ſymptomatum, ut laſſitudinis, gravitatis corporis, pigritiæ, nec non ſalutarium per cutim, renes, & alvum excretionum imminutarum vera deducenda venit ratio.

§. XV.

*Ratio ſymptomatum in pectore.*

At vero, præter hæc perpetuum fere omnis hydropis accidens eſt ingens ſpirandi difficultas, ſuffocationis metum ſubinde incutiens, quæ itidem vix aliam agnoſcit cauſſam, quam quod ob vim cordis & vaſorum imminutam ſyſtalticam ſanguis viſcido ſero refertus per minimas & anguſtiſſimas arteriæ & venæ pulmonalis ramificationes non ſatis libere, nec ſufficienter poſſit transmitti; unde in illis ſtagnat & facta ad cordis dextrum ventriculum regurgitatione miras parit anxietates. Et quum præcipua pulmonis functio in eo conſiſtat, ut, ſi per minima & copioſiſſima veſiculoſæ ejus ſubſtantiæ vaſcula ſanguis trajicitur, lympha & chylus cum ejus partibus intime miſceantur aëriſque ſubtiliori elaſtica imbuantur ſubſtantia, ut inde ſpirituoſus, fluidus & ad conciliandas corpori vires idoneus evadat cruor vitalis; recte omnino colligitur, difficiliorem ſanguinis per pulmones progreſſum gravium accidentium eſſe cauſſam. Nam læditur exinde univerſum ſanguificationis negotium & loco ſanguinis floridi, fluidi ac temperati vaſa copioſo ſero repleantur & infarciantur neceſſe eſt. Longe vero deterior ſtatus eſt, ubi jam polypoſæ concretiones vaſis pulmonum & cordis majoribus inhærent. Hac enim ratione non modo ſanguis per cordis & pulmonum meatus in curſu ſuo præpeditur, ibique ſtagnans varia parit incommoda, verum etiam in totius venæ cavæ ſyſtemate omnibusque partibus, ad quas hæc vena pertingit, ſubſiſtere incipit; unde ingens liquidi ſeroſi contingit ſeceſſio. Quo difficilius autem eſt, ejuſmodi altius corpori impactum repagulum artis ope tollere, eo facilius eſt judicatu, eam hydropis ſpeciem, quæ tali fundamento nititur, peſſimæ eſſe indolis difficillimæque ſanationis.

§. XVI.

*Aſcitis geneſis dependet ab hepatis vitio.*

Hæc de leucophlegmatiæ & anaſarcæ generatione dicta ſunto. Quod vero ad geneſin aſcitis attinet, ego confidenter adſerere haud dubitaverim, hepar maxime in hac hydropis ſpecie præter naturam eſſe affectum & male conſtitutum, utpote quum in nullo æque viſcere ac in hoc ipſo tam difficilis eſt ſanguinis progreſſus ac circulatio. Et licet ſuccuſſoria hepatis à diaphragmate ſub reſpirationis actu commotio, ipſumque robur tunicarum, quibus venam portæ inſtructam eſſe ex anatome novimus, ſanguinis curſum haud leviter videatur adjuvare; nihilo tamen minus, quando cruor lenteſcens adpellitur, dicta vena portæ, & pulſu & valvulis deſtituta, eundem per innumeros venæ cavæ canaliculos difficulter transmittit; unde haud levis ad ſtagnationem & infarctum fit diſpoſitio. Cui ſi accedit ob parciorem potum, vitam ſedentariam, ingeſta liberalius acida & vini ſpiritus abuſum, aut propter hæmorrhagias vel febres per adſtringentia præpoſtere curatas ſanguinis & lymphæ len-

lentor ac redundantia, vel etiam ob multas animi ægritudines morboſque prægreſſos ipſius hepatis ejusque vaſorum atonia; vaſa utique certo certius infarciuntur &, ſublata proportione ad motum, ſanguis ſegniter trajectus hinc inde in canalium alveis ſtagnat ejuſque aquoſa pars ſecreta lymphatica vaſa, magna in copia ibi ſita, implet. Porro etiam lenteſcentis lymphæ præternaturalis ſpiſſitudo ejus per hepar circuitum modo leviorem modo graviorem remoratur. Quod ſi autem paullo ſpiſſior à ſanguine ſecedens lympha in hepate obhæreſcit, &, diſſipata fluidiore parte, ad majorem craſſitudinis gradum redigitur, tunicæ vitalis illius viſceris craſſeſcunt & indurantur tandemque in ſcirrhum abeunt, ita tamen, ut induratio magis intimiora occupet, ſcirrhus vero in exteriori parte membranacea vaſisque extimis obhæreſcat. Præcipuam itaque aſcitidis ſedem eſſe hepar, cadaverum ſectiones ſupra adductæ ſatis faciunt demonſtratum.

§. XVII.

*Et reliquorum abdominis viſcerum labe.*

Verum enim vero, præter hepar reliqua abdominis viſcera non ſunt ab omni labe remota. Lien enim ſæpe extra ordinem magnus, atro ſanguine refertus & ſcirrhoſa membrana obductus, Riverio, Schenckio, Foresto & autopſia teſte invenitur. Pancreas, ſecundum Rondeletium atque Peierum *in obſerv. anatom.* in omnibus fere hydropicis diſſectis durum & ſcirrhoſum, quin interdum totum abſumtum deprehenditur. Omentum putridum & emaciatum, glandulæ meſenterii, inteſtinorum, duodeni & ventriculi præter naturam conſtitutæ, tumidæ & induratæ conſpiciuntur. Quod ſi igitur meam de hiſce phænomenis ſententiam proferre licet, ego quidem arbitror, hæc abdominis jam relata viſcera labem ſuam ac vitium ſimili modo à præternaturali hepatis conſtitutione & impedito ſanguinis per ejus vaſa circuitu unice contrahere; idque potiſſimum propter intimiorem horum vaſorum conſenſum & communionem. Etenim notum ex anatomicis eſt, omnem ſanguinem, qui ex ventriculo, fiſtula inteſtinali, meſenterio, pancreate, omento & liene regreditur, in venam portæ abire & hac mediante per mere vaſculoſum hepatis viſcus ad venam cavam ipſumque cor tranſmitti debere. Quod ſi itaque ibi progreſſivus & orbicularis motus ſiſtitur, neceſſe omnino eſt, ut ſanguis ad dicta abdominis viſcera regurgitans ibi ſtagnationem, infarctum, ſcirrheſcentiam & corruptionem cauſſetur.

§. XVIII.

*Hydropis uteri geneſis.*

Quoniam per uteri, maximeque ſpermatica vaſa, quæ in varios cincinnos, pampinos vitium æmulantes, contortos implicatoſque divaricantur, difficilior & valde tardus eſt ſanguinis regreſſus, adeoque longiſſimum ad vitalem cordis fontem iter; fit omnino, ut in utero & connexis ipſi partibus, tubis nempe & ovariis, copioſæ interdum ſeri inundationes & tumores aquoſi oriantur. Nunquam enim citius & promtius fluida & aquoſa pars à ſanguine ſecedit, quam ubi lentior minusque expeditus ejus per viſcera tranſitus eſt, quemadmodum id clare patet in hepate; & ob hanc etiam cauſſam non facile numeroſiora, quam in hepatis ac uteri ſubſtantia & adjacentibus ei partibus vaſa reperies lymphatica, quæ à largiori decubitu & adfluxu lymphæ diſtenta, magnas in veſicas, quæ hydatides Græcis dicuntur, explicantur, quibus demum disruptis nonnunquam ſubito hydrops gignitur & mira ſeri quantitas effuſa cavitatem abdominis occupat. Ita permultas hydatides in uteri confiniis poſt partum difficilem reperit Salmuthus *cent. I. obſ.* 38. & in hyſterica fœmina gravida diſſecta Pechlinus *obſ.* 19. In cornubus ac tubis uteri ingentem aquæ copiam nonnunquam colligi, fidem facit Tulpius *obſervat. l. IV. obſ.* 45. exemplo fœminæ, quæ in utroque uteri cornu novem circiter aquæ puriſque libras incluſas innumeris veſicis geſtavit. Plura ejuſmodi exempla vide apud Schenckium *l. III. obſ.* 6. 7. & Rolfinckium *de organ. genital. cap.* 20. nec non Sydenham *de hydrope.* Eandem quoque in rem apprime facit Harderi obſervatio, perhibentis: in fœmina ruſtica repertum eſſe non ſolum ovarium ſiniſtrum aquæ ſubſalſæ & fœtentis libris duabus oppletum, ſed etiam annexam eidem tubam Fallopianam notabili hydatide obſeſſam. Et nosmet ipſi ante viginti annos ex gravi in hypogaſtricam regionem lapſu annotavimus in quadragenaria ſubortam ibi intumeſcentiam cum dolore tenſivo, quam aquæ limpidæ largum profluvium cum ſanguine menſtruo primum prodiens excepit, quod poſtea etiam ceſſante ſanguinis ſtillicidio per anni dimidium continuavit, ita, ut quotidie minimum libra una efflueret, donec ægra, incaſſum adhibitis variis medicaminum generibus, tabe lentaque febre penitus confecta obdormiſceret.

§. XIX.

*Hydropis frequens geneſis in gravidis.*

Neque etiam adeo inſolens ſed aliquoties à me obſervatum eſt, ſub ingravidatione ſimul occultari hydropem; & hinc fit, ut ſæpius medici in dijudicanda graviditate fallantur. Vidimus vero ejusmodi fœminas gravidas hydrope ſimul laborantes poſt partum copioſioris effluxu ſervatas; alias autem interiiſſe, humore ſcilicet in cavum abdominis jam effuſo. Inprimis memoratu dignum eſt, quod Platerus *lib. III. obſervat. p.* 620. prodidit de muliere quadam, quæ, quoties uterum geſſit, toties detenta fuit aſcite. Et hanc ob cauſſam quoque in ea verſamur ſententia; hydropicos tumores in fœminis plus ex uteri, quam hepatis & viſcerum, quæ cum hepate habent connexionem, vitio ſubnaſci; & facilius quoque perſanari, quam ubi hepar primario adfectum eſt, eo quod liberior & apertus ſero ſtagnanti per uteri oſtia patet exitus.

§. XX.

*Cauſſæ procatarcticæ ſunt: naturalis diſpoſitio.*

Quod attinet ad cauſſas procatarcticas, animadvertimus, hydropicæ adfectioni, tam pectoris quam abdominis, præ omnibus maxime eſſe obnoxios homines proceræ ſtaturæ. In his enim ſicut ob longius ſanguinis à pedibus ad cor iter & ſitum perpendicularem ordinario valde tardus & lentus ſanguinis eſt progreſſus; ita, ille ob cauſſas accedentes perfacile redditur difficilior; unde etiam fit, ut polypoſa concreta cum hydrope pectoris & anaſarca in proceris ejuſmodi corporibus, his morbis demortuis crebrius reperiantur. Præterea quoque noſtro malo admodum ſunt ſubjecti habitu corporis molli, ſpongioſo, minuſque firmis inſtructo fibris præditi, in quibus aquea eminet ſubſtantia & quos phlegmaticos vocamus, vel ſanguineo-phlegmaticos.

Huc

Huc dein & illi ſpectant, qui corporis ſunt obeſi, & in tenera juventute catarrhoſis defluxionibus ſæpius fuerunt affecti, nec non qui tumoribus œdematoſis frequentius ſolent corripi. Ratione ætatis ſenes, in quibus ob elaterem vaſorum dejectum excretiones non rite ſuccedunt, & lympha majorem contrahit lentorem ac ſpiſſitudinem, hydropicis tumoribus frequenter ſubjiciuntur. Reſpectu vitæ generis, ob vitam ſedentariam, ſartores, ſutores, textores, & ob aërem, qui fibrarum vigorem imminuit, vaporoſum, balneatores, piſcatores, fullones & lotrices in hydropem præ aliis ſunt proclives. Regiones quoque & loca, quibus inhabitamus, merito huc debent referri; qua de cauſſa in locis paluſtribus & maritimis plures reperiuntur hydropici, quam in locis mediterraneis, uti quidem in Hollandia, vitio tum aëris tum aquæ, fieri animadvertimus.

§. XXI.

*Inconvenientes cibus & potus.*

Ut autem locus aliquis, qui antea talis non fuit, dein ad hydropem ingignendum aptior fiat, ex accidenti contingere poteſt, mutata ſcilicet victus ratione, quod de Anglia egregie oſtendit LISTERUS *de hydrope.* Cibus enim & potus inconveniens ad hydropis geneſin multum omnino conferunt. Ex cibis autem craſſi, crudi, viſcidi & dulces, vel ſola nimia voracitas, in iis potiſſimum, qui parum ſe movent, viam ad hunc morbum pandunt paratiſſimam. Frequentius tamen a potu, ſi quantitate vel qualitate peccat, hydropis malum ſuboritur; unde eos, qui potulenta, in quibus modice adſumtis nihil alias noxæ ineſt, magna in copia ingerunt, non raro annorum decurſu, niſi naturæ robur viſcerumque integritas id prohibet, hydropicos fieri conſpicimus: id quod copioſius hauſtæ cerevïſiæ non ſatis defæcatæ, recentes, maxime quæ ex tritico fiunt & vulgo *Breyhahn* dicuntur, abunde ſatis confirmant. Nullum autem potus genus, conſentiente quotidiana experientia, tam nocivum eſt, quam ſpiritus vini, & illius æmulus ex frumento paratus. Hinc ego non poſſum, quin ex eo confectas & aromaticis affatas aquas vitæ vulgo dictas, præſertim ſi jejuno ingurgitantur ventriculo, aquas mortis jure meritoque cenſeam. Denique nihil tam ſubito & intra paucos dies noſtrum ingenerare morbum valet, quam potus frigidus poſt inſignem corporis incaleſcentiam in copia hauſtus, ut uſque eo ARETÆUS *lib. IV. de ſignis & cauſis diuturn. morbor. recte produxerit: aqua inter cutem non nunquam a copioſo frigidæ potu provenit, quum præ nimia ſiti quispiam multam aquam gelidam ingurgitaverit.* Et hinc quoque eſt, quod SYLVIUS *in tract. de morb. epidem.* annotaverit, in ardore acuti febrili a potu copioſius ingurgitato intra duos tresve dies hydropem fuiſſe excitatum. Longe vero gravior noxa pertimeſcenda eſt ab aquis paluſtribus ſtagnantibus, pro potu adſumtis, quas jam tum HIPPOCRATES inter cauſſas hydropis retulit. Et exinde ſimul petenda venit ratio, quare, uti ſupra diximus, in locis paludoſis & maritimis frequentior hydropis ſit proventus. Neque vero hic excludendus eſt intempeſtivus aquarum mineralium tam calidarum quam frigidarum ſine convenienti regimine uſus, de quo mihi permulta eaque tragica exempla in praxi obſervare licuit.

§. XXII.

*Animi pathemata.*

Ex omnibus vero iis, quæ ſicut ad alias chronicas paſſiones, ita etiam maxime ad hydropem conferre ſolent, principem fere locum obtinent animi pathemata, præſertim vero diuturnus animi mœror & angor, cui tanta ineſt vis atque potentia, ut, viſceribus fibrisque motricibus omnem vigorem, tonum ac robur ſubtrahendo, languidum ſanguinis circulum & excretionum ſuppreſſionem producat. Nec minor eſt efficacia vehementis iræ, maxime ſi cibus, vel potus copioſus frigidus deſuper ingeratur. Sequitur enim preſſo, ut aiunt, pede ingens præcordiorum conſtrictio & anxietas, color cachecticus, ciborum inappetentia, ſpirandi difficultas & ſucceſſu temporis ipſe hydrops, quem plus vice ſimplici ſucceſſiſſe novimus. Cauſſa tantorum malorum hæc eſſe videtur: vehementiori hac animi commotione ventriculus cum duodeno & adnexis biliariis ductibus valide & ſpaſmodice conſtringitur; unde non modo ſucci bilioſi & pancreatici ad bonam digeſtionem promovendam ſecretio impeditur, verum etiam copioſiori cibo ac potu adſumto multi ingenerantur flatus, qui alvinam excretionem ſiſtunt totumque ſanguinis circulum inæqualem reddunt.

§. XXIII.

*Excretiones ſuppreſſæ & nimiæ.*

Nihil inſuper magis ad geneſin hydropis contribuit, quam conſuetæ & criticæ evacuationis, ut in fœminis per menſes, per lochia, in viris per hæmorrhoides ſuppreſſio. Vid. HIPPOCRATES *Sect. VI. aph.* 12. Ita Trajanus imperator, ex retentione hæmorrhoidum aſcitius factus & curatus, ſed recidivam paſſus mortuus legitur apud DIOCASSIUM. Pari quoque ratione, enormes ſanguinis ſive per vulnera, ſive per nares, uterum, aut venas ſedis profuſiones ad hoc malum valde diſponere, quotidiana fere experientia comperimus. Nam in ſanguine incomparabilis latitat vitæ theſaurus: quo nimium detracto minima & ſecretoria & excretoria vaſa connivent & anguſtantur; hinc nec bonus generatur ſanguis, nec utiliſſimum ſecernitur liquidum cerebri & nervorum, unde ſolidarum partium imbecillitas; neque inutile & impurum, quod in corpore eſt, foras ejicitur, unde magna impuritatum coacervatur colluvies. Minime tamen ita ſimpliciter ſtatuendum volo, ac ſi omnis largior ſanguinis evacuatio hydropicum adfectum producat, ſed ubi in corporibus aliæ adhuc cauſſæ accedunt, facile eum oriri arbitror. Ita quosdam ab obſtructione viſcerum ſcorbuto & cachexia laborantes valdeque acri & impuro ſanguine fartos poſt frequentes & enormes hæmorrhagias in aquoſum hunc morbum incidiſſe novi; certe non ob ſolam illam hæmorrhagiam, ſed ob malum corporis propter obſtructiones diſpoſitionem atque humorum dyſcraſiam. Immodica quoque in dyſenteria excretio ſæpius hydropis fœcunda mater eſt, quare HIPPOCRATES *Sect. VI. aph.* 43. adſerit: *quicunque difficultate inteſtinorum corripiuntur, eos ſi non conveniente longa dyſenteria aqua intercus excipit & moriuntur.*

§. XXIV.

*Perverſæ curationes.*

Imperitiores quoque medici præpoſtera morborum curatione cauſſæ hujus mali non raro evadunt; quando videlicet immodicas ſanguinis,

vel aliorum humorum excretiones deſubito adſtringentibus, opiatis, vel narcoticis ſiſtunt ac reprimunt. Idem malum incidit, ſi intermittentes febres, præſertim quartanas, quæ plerumque fixam ſuam in hepate obtinent ſedem, ante ſublatam obſtructionem vel decentem cauſſæ febrilis correctionem, nimis cito & intempeſtive ſpecificis ſuis, ad quæ etiam cortex chinæ pertinet, reprimunt. Facile enim hi morbi in cachexiam & hydropem deſinunt; quod jam tum Hippocrates & Galenus indigitarunt. In his vero ſeptentrionalibus locis id mali, experientia teſte, frequentius contingit: quod etiam poſt febres epidemicas in noſtra urbe & circumjacentibus locis graſſantes ſæpiſſime ortum obſervavi, maxime in plebejis, qui convenientibus remediis & medicis fuerunt deſtituti. Idem quandoque in iis evenit, qui in acutis febribus, ad reſtinguendum æſtum & ſitim, nimium potum ingurgitarunt, nec per diureſin vel diaphoreſin ſatis reddiderunt. Ex mercuriali porro ſalivatione imprudenter tractata ſanguinem in ſerum colliqueſcere & tono partium motricium deperdito tumores ſuccedere hydropicos, non rarum eſt. Nec denique ex cenſu cauſſarum excludenda puto fortiora purgantia, quibus non modo viſcerum tonus deſtruitur, ſed vires quoque nimia ſeri per triginta vel plures in uno die dejectiones amiſſione mirum labaſcunt & loco ſanguinis probe temperati nonniſi humores crudi in venis progignuntur.

## §. XXV.

*Scabies, arthritis, podagra & pedum œdemata repulſa.*

Neque ſilentio prætereundum eſt, à ſcabie, arthritide, vel podagra retrocedente, aut incongruis medicamentis retropulſa, nec non ab antiquis ulceribus & fonticulis ſubito conſolidatis hydropem tum pectoris tum aſciten ſæpius prognaſci. Quid? quod à tumore pedum œdematoſo, quacunque de cauſſa intra corpus repreſſo, præcedente gravi pectoris oppreſſione & anxietate id mali inductum obſervavimus. Namque ſerum illud ſpiſſum & vappidum, quod in pedibus ſtagnavit, dum inducta ipſis ſtrictura ſurſum repellitur, à venis ſanguiferis receptum ad præcordia fertur. Ibi ex dextro cordis ventriculo cum reliqua humorum maſſa in arteriam pulmonalem ejuſque ramulos pulſum hos tanta copia replet, quæ, comprimendo ſimul veſiculas pulmonales, irruenti aëri reſiſtit, ejuſque ingreſſum, ad propellendum per venas ſanguinem ſufficientem remoratur. Ergo regurgitat ſanguis ad dextrum cordis ventriculum eumque diſtendendo ſummam cum ſpirandi difficultate parit anxietatem. Quum itaque hac ratione ſanguinis per pulmones curſus valde ſit tardus ac impeditus, non modo ſerum per poros in cavitate pectoris & per vaſa lymphatica, quæ in pulmonibus abundantiſſima ſunt, ſecedit & extravaſatur, verum etiam inde ſanguinis progreſſus in toto venæ cavæ ſyſtemate quadantenus ſiſtitur ac retardatur, ut ideo non mirum eſſe debeat, quare in inferioribus quoque partibus ingentes ſeri contingant ſtagnationes & extravaſationes.

## §. XXVI.

*Differentia hydropis à reliquis tumoribus œdematoſis.*

Hiſce quoad ætiologiam accuratius paullo conſideratis atque perſpectis, ordine jam ſequitur, ut, ad recte inſtituendam curationem, hydropem ab aliis tumoribus aquoſis probe diſcernamus. Primum itaque hydrops non debet confundi cum tumoribus pedum œdematoſis, utpote qui in ſanis etiam, molliori & ſpongioſiori carne inſtructis vitæque ſedentariæ deditis ſine omni periculo contingunt. Ejuſmodi tumores œdematoſi fœminis etiam, dum utero gerunt, valde ſunt familiares, ſed cum fœtus excluſione ſponte ceſſant, neque ullam medicinam exſpectant. Fiunt videlicet ob inſigniter dilatatum uterum, qui venam cavam inter lumborum vertebras collocatam comprimit, ut ſanguis conſueta libertate adſurgere nequeat. Neque inſolitum eſt, à ſolis flatibus, inteſtina valde diſtendentibus ob compreſſionem vaſorum iliacorum tumores in partibus infernis prognaſci, qui reſtituto inteſtinorum robore & flatibus expulſis ex facili remittunt. Videmus quoque, à nimis diuturna & tenſoria ſub longiori equitatione femorum compreſſione, ob interceptum liberum ſanguinis circuitum, pedum tumores interdum ſuboriri.

## §. XXVII.

*A gravidarum intumeſcentia.*

Dein quoque probe obſervandum eſt, ne aſciticæ mulieres cum gravidis confundantur. Diſcerni vero ab invicem facile poſſunt: namque in gravidis color faciei vividus eſt, abdominiſque tumor inæqualis & ſurſum ad præcordia vergens. In hydropicis autem inferior pars abdominis intumeſcit, tumor æqualis eſt, mammæque detumeſcunt. In hiſce porro ſitis juncta eſt, in geſtatione vero minus. Denique in aſciticis fluctuatio ſentitur in abdomine &, quo ſe vertunt, ægri, eo aqua collabitur. Tandem motus infantis in utero, qui circa vigeſimam ſeptimam ſeptimanam contingit, omnem tollit dubitationem. Neque vero inficiandum eſt, in gravidis quandoque ſimul oriri leucophlegmaticum tumorem, qui tum præſertim accedit, ſi gemellos geſtant & nimium plethoricæ ab omni ſanguinis detractione abſtinent.

## §. XXVIII.

*Ab hydrope polypo cordis juncto.*

Poſtremo adhuc illud, quod meretur attendi, occurrit, cum cordis polypo interdum pedum & femorum tumores conjungi ſine præſente anaſarca vel aſcite. Id quod dignoſcitur ex ſumma compreſſione pectoris, pulſu intermittente & inæquali atque intercurrente, præſertim poſt animi affectum aut vehementiorem motum, ſuffocationis metu. Interea non negandum eſt, concurrentibus aliis cauſſis verum hydropem ſuccedere.

## §. XXIX.

*Differentia veri & ſpurii aſcitis.*

Differentia quoque notabilis eſt, inter verum & ſpurium aſcitem. Hic vocatur, ubi aqua in abdominis cavitate non continetur, ſed in membranis, quaſi in ſacco peritonæi incluſa hæret; hinc etiam dicitur hydrops ſaccatus. Qua de re vide M. N. C. *Dec. II. ann. VIII. obſ.* 23. item Dom. Littris *loc. cit.* Conſuli quoque poteſt diſſertatio ſub præſidio Clar. D. Alberti habita *de hydrope ſaccato, per lapſum in abdomen curato.* Contra vero in aſcite intra ipſam abdominis pectoriſque cavitatem aqua ſtagnat extravaſata.

## §. XXX.

*Prognoſis.*

Quod attinet ad ipſam prognoſin & morbi eventum, de hoc audiendus eſt Aretæus, qui *lib. cit.* adſerit: *omnes quidem ſpecies hydropis pravæ, inter ipſas vero leucophlegmatia mitior, diffi-*

*difficilis flatuoſa, difficilior anaſarca, aſcites certe periculoſiſſima; & quando aſcites cum tympanitide miſcetur, magni etiam eſt periculi.* Deinde in univerſum dicere poſſumus, aſciten, ſi invaluerit & ex morbis aliis, in quibus jam tum viſcera ſunt corrupta, aut corrumpuntur, prodierit, & ubi à vaſis lymphaticis vel hydatidibus disruptis extravaſata eſt, atque ſuperiora cum ſiti marceſcunt urinæque paucæ & valde rubræ cum ſedimento minguntur, omnino eſſe incurabilem. Contra vero eum hydropem cum HIPPOCRATE ſanabilem adſerimus, in quo viſcera quidem infarcta, ſed non ſcirrhoſa, nec corrupta ſunt & æger adpetit, nec male reſpirat, urinas mingit tenues, ſique ætas eſt juvenilis. Quando etiam hydrops, præſertim leucophlegmatia & anaſarca, in plethoricis ex aſthmate ſubnaſcitur, vel à nimio potu in febribus & à largiori ciborum adpetentia poſt ipſas exantlatas, vel etiam poſt enormes hæmorrhagias ſuboritur, ſpes omnino ſanationis ſupereſt, ſi tempeſtive convenientibus ſuccurramus remediis.

## §. XXXI.

Tuſſis quando aſciti ſupervenit, nihil boni portendit, quod ſuo jam tempore HIPPOCRATES recte notavit *Sect. VI. aph.* 35. & *VII. aph.* 47. Non tamen de tuſſi iſta leviori, quæ etiam inter initia plerumque adparet, hoc intellectum volumus. Malum itidem ſignum eſt, ſi cibi adpetitus cum viribus plane perit, ſitis augetur, multum liquidi adſumitur & parum per urinam redditur: neque boni ſunt ominis horrores febriles cum ardore interno in aſciticis ſupervenientes, ſed plerumque funeſtum prænunciant exitum. Pernicialis quoque hæmorrhagia per pulmones ſive ſedis venas aſciti ſuperveniens eſſe ſolet, nec melioris ominis eſt, ſi eryſipelas cum febre in cruribus erumpit, cui HIPPOCRATES etiam *lib. VII. epidem.* adſentitur. Qui præterea recidivat hydrops aſcites, difficulter admodum, & ſecunda vice vix unquam curatur: quod tamen aliter prorſus ſe habet cum anaſarca, qui ſi periodicus eſt, non tantum periculi portendit, quam ſtatarius. Ceterum vero notari meretur, ex noſtro morbo non facile quenquam mori, niſi qui in corde vel vaſis pulmonalibus gerit polypos, vel in hepate ſcirrhum, vel glandulas in meſenterio habet tumefactas, vel etiam, ſi fœminas reſpicimus, uterum ſcirrhoſum atque corruptum.

## §. XXXII.

*Hydropis ſolutio.*

Solvitur interdum citra artem ſolius naturæ beneficio hydrops, dum aqua ſibi viam & exitum per pedes pandit, vel etiam per ruptum umbilicum aut alibi apertum abdomen. Ab HIPPOCRATE *in Coac.* annotatum legimus, diarrhœam in hydrope incipiente eſſe ſalutarem. Et mihi quoque nota ſunt ejuſmodi exempla, ubi per longiorem diarrhœam, effluente pura ex alvo aqua morbus feliciter fuit ſolutus. Contra vero, ſi in conſummato & inveterato hydrope, viſceribusque jam corruptis ſupervenit diarrhœa, ſpes in anguſto poſita eſt. Denique adhuc notabile eſt, quod FERNELIUS *Patholog. lib. VI.* de muliere habet, cui inſtante menſtrua purgatione humor ſub abdomine congeſtus per uterum ſponte fuit profuſus, ut omnis moles biduo ſubſideret, & quum proximo menſe denuo ſuccreverit, ſtato tempore totus iterum effluxit.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

## §. I.

*Indicationes curatoriæ.*

Prius quam truculento hydropis morbo manus adhibet auxiliatrices medicus, probe debet reſpicere, an curationem adhuc recipiat, an plane ſit inſanabilis. Hoc ſi animadvertit, conſultum erit, à tali cura ſe retrahere potius, quam famam periclitari, aut minime hanc ipſam provido prognoſtico firmare atque munire. Ipſa autem genuina medendi ratio in eo conſiſtit, ut primo aquam, quæ intra cutim & cavitates collecta ſtagnat, evacuemus, & dein cauſſam, ob quam accumulata eſt & adhuc quotidie accumulatur, penite tollamus. Equidem aquarum evacuatio parum admodum ad curationem videtur conferre, niſi cauſſa, cujus effectus eſt aquarum extravaſatio, removeatur: illa enim nondum ſublata nova ſubinde moles aquarum brevi tempore renaſcitur. Verum enim vero, quoniam medicamentorum, abigendæ huic cauſſæ idoneorum vis atque energia ab aquarum copia mirum quantum infringitur & viſcera quoque ac partes, ubi ſtagnant, temporis ſucceſſu valde læduntur & corrumpuntur; eo omnino adlaborandum eſt, ut à nimia colluvie corpus liberemus.

## §. II.

*Paracentheſis utilitas in educenda aqua.*

Ad quem ſcopum obtinendum, niſi ipſa natura, vel per largam diarrhœam, vel per humoris ex pedibus effluxum id præſtet, deliberandum eſt, num arte chirurgica per paracenteſin commode & ſine periculo id fieri poſſit. Qua de re egregius exſtat locus apud CELSUM *lib. III. cap.* 21. qui ita ſe habet: *Eraſiſtrato*, inquit, *diſplicuit per paracenteſin curandi via, quia fruſtra aqua emittitur, quæ vitiato hepate ſubinde naſcitur. Sed primo non unius hujus viſceris hoc vitium eſt. Nam & ſplene affecto, & in totius corporis male habitu fit: deinde, ut inde cœperit, tamen aqua niſi emittitur, quæ contra naturam ſubſiſtit, & jecinori, & ceteris interioribus partibus nocet. Conveniique corpus nihilo minus eſſe curandum. Neque enim ſanat emiſſus humor, ſed medicinæ locum facit, quam intus incluſus humor impedit. Ac ne illud quidem in controverſiam venit, quin non omnes in hoc morbo ſic curari poſſint, ſed juvenes robuſti, qui vel ex toto carent febre, vel certe ſatis liberales intermiſſiones habent. Nam quorum ſtomachus corruptus eſt, quique ex atra bile huc deciderunt, quique malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non ſunt.*

## §. III.

*De hac operatione item de ſcarificatione judicium.*

Noſtra de paracenteſi hæc eſto ſententia: Quum in principio morbi viſcera adhuc ſunt bene conſtituta & exceſſiva aquarum mole totum abdomen turget, ut ſæpe fit in leucophlegmatia cum & ſine anaſarca juncta, nec ſine periculo aqua purgante poteſt educi, tum eam, ſi modo æger ferre velit, inſtitui poſſe arbitror, ſi modo provide & cum certis cautelis, quas B. BRUNNERUS in M. N. C. *Dec. II. ann. VIII.* tradidit, adminiſtretur. Hic enim clariſſimi nominis medicus *loc. cit.* ad putredinem ſeri, in abdomine contenti avertendam, quæ ab aëre admiſſo poſt paracenteſin facile contingit, injectionem tincturæ ex myrrha & aloe cum ſpiritu

vini

vini camphorato ſuadet. *Nec eſt*, inquit, *quod hanc reformidemus in abdomine : temperatur enim aqua intus contenta, tolerant hanc tendines atque nervi, nam in cane ſpiritum terebinthinæ, ardentiorem adhuc, inteſtinis inflammatis felici cum ſucceſſu adhibui. Nec dubito, quin, ſi ulla arte aut ingenio hæc lymphæ fermentatio in abdomine & inflammatio impediri poſſet, paracenteſis in majorem dignitatem adſereretur, eaque præſtari poſſet, quæ aliis impoſſibilia viſa fuerunt. Exantlata enim abdominis palude, vaſa lymphatica vel rupta, vel exeſa facilius perſanarentur.* In hydrope peritonæi ſine omni periculo adminiſtratur, & fere abſolute neceſſaria eſt hæc operatio. In aſcite etiam deſperato & incurabili eandem non ad curationem, ſed ad ſuffocationis periculum abigendum, ut æger in vita adhuc conſervetur, inſtituram novi. Ceterum ex fonte chirurgico jure adhuc repetere licet ſcarificationes, per quas in pedibus & ſcroto decenter inſtitutas humorem in anaſarca copioſe ſtagnantem feliciter ſæpe evocatum vidi. Sed præcavenda omni modo eſt corruptio.

§. IV.

*Purgantia ad aquas educendas proficua.* At vero, ubi in anaſarca vel leucophlegmatia copia aquarum per medicamenta cum euphoria eſt educenda, id omnium maxime per purgantia paullo fortiora, in principio morbi, ſufficienti doſi & debito cum regimine exhibita debet præſtari. Diſpiciamus igitur, quænam hoc fine medicis uſui hactenus fuerint. Primo autem loco occurrit elaterium, quod à veteribus æque ac recentioribus, ad educendas aquas, mirifice laudatur. Ita DIOSCORIDES *lib. IV. c.* 151. de eodem tale fert judicium : *elaterium confert hydropicis, extrahendo aquoſitatem mirabiliter ſine nocumento, & non eſt ſtomacho nocivum.* Cui adſentitur AVICENNA, CELSUS, *Alexander* MASSARIAS & poſtea quoque *Jacobus* BONTIUS, HERCULES SAXON. *Joannes* HEURNIUS, *Gabriel* FALLOPIUS *de medicinal. aquis pag.* 55. REISNERUS *obſ. medic. pag.* 167. & HENRICUS ab HEER, qui invicem hoc remedii genus mirifice extollunt. Ex Anglis pariter LISTERUS & SYDENHAM *in tractat. de hydrope* idem omnibus aliis purgantibus longe præferunt & hic ita ſcribit : *elaterium, ſive fæcula cucumeris agreſtis potenter, in permodica quantitate, vires ſuas exſerit in conturbanda alvo & fæcibus cum ſeroſis & aquoſis humoribus copioſe egerendis.* Poſt elaterium gummi guttæ ſeu de Peru ab uno circiter ſæculo, ſi ad aquam ejiciendam ad ſcrupulum dimidium, vel grana XII. propinetur, valde cœpit celebrari. Extractum eſulæ maxime æſtimatur à RULANDO & ſuccus iridis noſtratis, nec non corticis medii ſambuci inter polychreſta & magnæ efficaciæ hydragoga non modo à medicis, ſed etiam à vulgo cum laude refertur.

§. V.

*Eorum operandi modus.* Quod ad ipſam operationem horum medicamentorum attinet, ſciendum eſt, quod acri, volatili cauſtico principio, nervoſas ventriculi partes vellicando, agant & hinc vomitum in ſanis vehementer cieant. In hydropicis autem æque ac emetica ex antimonio parata per alvum magis quam per vomitum operantur, forte quod nervoſæ ventriculi & inteſtinorum tunicæ ab aqua ſtagnante nimis ſunt flaccidæ & relaxatæ. Unde ſimul luculenter adparet, ad ingentem aquarum molem ex univerſo corpore per alvum exturbandam leniora & mitiora prorſus non ſufficere, ſed talia omnino requiri, quæ ſubtili quodam & penetrante ſale ſuo nervoſarum & muſculoſarum partium ſyſtema, maximeque ventriculum & inteſtina ſtimulando inſignem aquæ copiam eliminandi vim poſſident; quæ inter purgantia modo allata ipſaque vomitoria primas tenent, ſi pro diverſitate naturæ corporis, plus minus ſenſibilis, convenienti doſi exhibentur. Nam certe non pauca dantur exempla eorum, qui poſt triginta & plures dejectiones exceſſiva hydragogi doſi integre convaluerunt.

§. VI.

*Formulæ purgantium.* Poſſunt vero ex fortioribus hiſce purgantibus, vel etiam emeticis variæ concinnari formulæ, quibus ipſe hactenus in praxi uſus ſum inſigni cum fructu e. g. Rec. elaterii, extract. hellebori nigri, abſynthii, cent. min. mercurii dulc. ſingulorum drachmam unam, extract. croci grana duodecim. M. fiant cum balſamo Peruv. pilulæ ex drachma dimidia no. XX. mane ſumendæ. Vel etiam infuſum poteſt parari purgans in hunc modum : Rec. corticis medii ſambuci, rad. bryon. iridis noſtrat. fibrar. hellebor. nigri rhabarb. Alexandr. rad. gentian. rubræ, vincetox. leviſtici, cortic. aurantiorum recent. ana unciam ſemis, ſummitat. centaur. minor. pugill. quatuor, caryophyll. drachmas tres, tartari tartariſati unciam unam. Fiant ſpecies cum duabus menſuris vini infundendæ & ad ſextam partem pro doſi bis in ſeptimana bibendæ.

§. VII.

*Enematum & mitiorum purgantium uſus.* Præter purgantia ore adſumta, clyſmata quoque ad educendas aquas mirabilem obtinent efficaciam, quæ ex radice aſari, cort. medio ſambuci, rad. irid. noſtr. ſummitat. centaurii min. flor. ſambuci, ſeminibus IV. carminativis cum vino & aqua, addito oleo chamomill. vulgaris & drachmis duabus ſalis Epſonienſis poſſunt parari. Neque in omnibus hydropicis omnique tempore opus eſt, draſticis remediis aquarum evacuationem moliri, ſed mitiora interdum ac leniora in majori paullo doſi exhibere conſultum eſt, quæ eundem ſæpe longeque tutiorem præſtant effectum. Etenim non ſemel ſed aliquoties tribus unciis mannæ electæ cum duabus folior. ſennæ & cremoris tartari drachmis in aqua fontana leniter ſolutis & intra dimidium horæ epotis, plus quam decem libras aquarum cum euphoria exturbatas vidi. Pulvis quoque mechoacannæ albæ ad drachmam unam vel duas cum vel ſine cremore tartari inter ſecuriora hydragoga jure debet referri. Neque minorem promeretur laudem rhabarbarum ſive in ſubſtantia datum, ſive in eſſentiam cum terra foliata tartari redactum. Quam in rem notabilis eſt hiſtoria, quam ex obſervatione MONTANI *Adolphus* OTTO *in epiſtola* SCHULZII poſteritati reliquit. Meminit ſcilicet viri cujusdam, qui quum ventre, pedibus totoque corpore inſperate intumuiſſet, rhabarbari continuo uſu à drachmis ad uncias uſque, ſubducto ſero plene convaluit.

§. VIII.

*Diureticorum uſus.* Poſt ſufficientem per alvum evacuationem diuretica, quæ ſimul virtute attenuante & viſcidos humores diſſolvente gaudent, in uſum ſunt vocanda. Splendent hac virtute præcipue ſalia aqua-

aquarum medicinalium, Egranarum, Carolinarum & Sedlicenſium in Bohemia, quæ in liberaliori paullo doſi oblata non modo egregiam aquas ſtagnantes evacuantem, ſed ſimul etiam aperientem & diureticam poſſident efficaciam. Quo nomine pariter laudanda veniunt ſalia neutra, ut tartarus tartariſatus & vitriolatus, terra foliata tartari, ſal polychreſtum, nitrum antimoniatum, ſolutio ocul. cancr. quæ cum cremore tartari fit, ſal ſuccini volatile cum oleo tartari per deliquium in ſal medium redactum; ante omnia vero nitrum ipſum purificatum, vel quod majoris adhuc efficaciæ eſt, nitrum ex miſcela ſpiritus nitri & olei tartari per deliquium regeneratum; quæ omnia ob eximiam, qua pollent, in obſtructionibus viſcerum diſſolvendis & tubulis renum urinoſis reſerandis virtutem inſigniter merentur commendari. Sed quod bene notandum, hæc omnia ſub larga liquidi quantitate adſumi debent.

§. IX.

*Quænam amplius proſint diuretica?*

Præter hæc vero in diureſi movenda non minorem pollicentur fructum ſalia herbarum per incinerationem parata, ut abſynthii, cardui benedicti, vel ſolum ſal tartari probe calcinatum, liquor nitri fixi atque ſilicum Glauberi &c. quæ paullo largiori doſi ſumta in tumoribus œdematoſis expugnandis mirabilem ſæpius effectum præſtitiſſe novi. Spectant huc quoque liquor nitri dulcis, liquor noſter anodynus mineralis, clyſſus antimonii, ſpiritus tartari & tinctura antimonii acris; quæ liquida medicamina vel ſola, vel etiam cum dictis ſalibus pro circumſtantiarum ratione mixta dari poſſunt utiliſſime.

§. X.

*Quo cum vehiculo ſint ſumenda.*

Plurimum tamen refert, quo quis vehiculo utatur in dictis remediis adſumendis. Hinc ſalia laudata neutra longe præſtantiorem edunt effectum, ſi magis cum ſero lactis, vel aqua petroſelini, fragorum, vel etiam vino Moſellano, quod inſigne eſt diureticum, quam cum alio potus genere ſumuntur. Ego quoque non ſine inſigni ægrotantium levamine decoctum ex radicibus quinque aperientibus, rad. eryngii, ononydis, ſemine dauci, ſelleri, baccis juniperi & alkekengi præſcribere hactenus conſuevi, quod ſimul potui ordinario potuit ſubſtitui.

§. XI.

*Uſus ſudoriferorum.*

Sudorifera ubi corpus totum colluvie aquarum ſcatet & ſubcutaneum emunctorium clauſum & conſtrictum eſt, parum merentur laudis. Nam hydropici difficulter ad ſudorem diſponuntur; & ſi regimine externo nimis calido vel volatilibus ſudoriferis cogantur, metus eſt, ne inflammatio cum febre, vel etiam metaſtaſis ſeri ad ipſum cor vel cerebrum, ut ſuffocatio aut adfectus ſoporoſus & apoplecticus ſequatur, procuretur: quæ obſervatio circa balnea etiam laconica, quæ cum ſpiritu vini fiunt, probe meretur attendi. Quod ſi vero ab ingenti humorum copia tam per purgantia, quam diuretica corpus fuerit liberatum ipſaque natura ad liberiorem tranſpirationem ac ſudorem vergit, tum quidem non validiora, ſed temperatiora diaphoretica, qualia ſunt mixtura ſimplex, liquor mineralis cum refracta doſi ſpiritus bezoard. Buſſii mixtus, tinctura antimonii ſelectior, vel pulveres ex ceruſſa antimonii, ſale cardui bened. nitro purif. ſive per ſe, ſive cum rob ſambuci vel ebuli mixti laudabili effectu minime deſtituuntur, maxime ſi horum uſum cum prudentia crebrius repetamus, vel eorum vires fotu ex vino calido, præſertim Hungarico cum linteis applicato adjuvemus.

§. XII.

*Remediorum externorum.*

Laudatis itaque internis evacuantibus ad auſpicaciorem effectum conſequendum externa debent conjungi, quæ in noſtro adfectu, ſi unquam in alio operam præſtant laudatiſſimam. Etenim quum in habitu corporis extimo ſub cute, ubi copioſi & effœti humores ſubſiſtunt, partiumque ſolidarum tonum & robur prorſus enervant, mali fomes latitet, ipſa ſana dictitat ratio, extrinſecus ſub varia forma admota remedia, quæ vi ſua roborante, balſamica & reſolvente humores ſtagnantes non modo attenuant &, ut in vaſorum poros recipi poſſint, aptos reddunt, ſed & putredini reſiſtunt, tonumque & robur relaxatis partibus reſtituunt, ad hoſce humores per congrua emunctoria è corpore exterminandos plurimum omnino conferre. Et ſi meam adponere experientiam licet, ego accommodatis ejuſmodi ſubſidiis externis effectum ſæpe longe præſentiorem facilioremque, quam ab ipſis internis vidi conſequutum. Quæ vero huic ſcopo & indicationi egregie inſerviunt, ſunt: radices leviſtici, iridis, ſquillæ, cyclaminis, folia ebuli, herba ſcordii, cardui bened. abſynthii, flores utriuſque chamomillæ, ſambuci, baccæ lauri, juniperi, ſemina carvi, cumini &c. ex quibus ſacculi vel epithemata poſſunt parari & ex vino, aceto vini & aqua calcis vivæ cocta abdomini, pedibus & ſcroto calide imponi, ſique refrixerint, reiterari. Atque talismodi epithemata aliis ſub alia forma adhibitis externis, ut emplaſtris & unguentis, me quidem arbitro, longe multumque ſunt præferenda.

§. XIII.

*Roborantia quæ ad recidivam præcavendam conferunt.*

Equidem recenſita jam remedia tam interna quam externa ad ſubigendum rebellem hydropis morbum omnino ſunt præſtantiſſima; attamen ſola omne curationis negotium nondum abſolvunt, ſed ad cauſſas hydropis radicitus tollendas adhuc ea requiruntur præſidia, quæ, ne aqua facile regeneretur, & recidiva fiat, prohibent. Hiſce itaque generoſis evacuantibus ſubjungere oportet roborantia; quandoquidem & viſcerum, & vaſorum partiumque fibroſarum vis tonica ſyſtaltica dejecta principalis circuitus ſanguinis & lymphæ per vaſa impediti & hinc ſtagnationis cauſſa & ratio exiſtit. Quare hæc remedia, ſi ulla alia, ad graves ejuſmodi paſſiones earumque recidivas avertendas virtute pollent eximia. Quo nomine commendamus ex materia medica radices pimpinellæ, vincetoxici, ari, Zedoar. extract. abſynth. gentian. rubr. cardui bened. ſcordii, centaur. min. cort. Peruvianum, caſcarillæ, capparum, myrrham, ſuccinum, cinamomum, quando ex hiſce cum menſtruo tenui & vino Hungarico eſſentia vel elixirium paratur, quod pro re nata etiam cum liquore martiali, ut tinctura mart. Zwölfferi poteſt miſceri & continuato uſu convenientique doſi propinari; utpote hoc medicamentum non modo ventriculum & inteſtina, ſed & hepar, pulmones & lien, quæ tum chylificationi tum ſanguificationi inſerviunt, corroborat, atque ſalutares excretiones, ſi impeditæ, vel retardatæ fuerint, promovet utiliſſime.

CAU-

### *CAUTELÆ.*

§. I.

*Num venæ ſectio in hydrope proſit?*

Quæſtio eſt non minoris momenti, num venæ ſectio etiam in tumoribus hydropicis locum habere poſſit? Dubium videtur, quia corpus plus ingenti ſeri, quam ſanguinis copia eſt repletum, partesque ſolidæ omni vigore ac robore ſunt deſtitutæ, atque præterea apud auctores, præſertim recentiores, vix legitur, venæ ſectionem in ipſa curatione profuiſſe; nihilo tamen minus apud antiquiſſimos medicinæ parentes, ipſumque HIPPOCRATEM multa exſtant loca, ubi ſumma cum laude mentio fit venæ ſectionis in cura hydropis adminiſtrandæ. Ita HIPPOCRATES *de diæta acutar.* hæc habet: *Si hydropicus difficulter ſpiraverit, & tempus vernum fuerit, & ſimul ætas viguerit & virium robur adſit, de brachio ſanguinem detrahere oportet.* Et eruditiſſimus *Jacob* SPONIUS valde notabilem *in aphoriſmis novis Sect. V.* §. 87. obſervationem ſubjungit: *Vidimus*, inquit, *hydropem viginti curatum venæ ſectionibus, qui ab exhibitis hydragogis & diureticis, cujuſvis generis, magis ac magis intumuerat.* Et ALEXANDER TRALLIANUS pluribus verbis de ea ita diſſerit: *hydropem anaſarcam per venæ ſectionem curare quandoque opus eſt. Si jecur non ſolum, ſed & lien ac ventriculus tumorem ac duritiem habeat, confidenter educ per exiguas miſſiones ſanguinem, tantoque id magis, ſi vires non prohibeant, & copia ſanguinis in venis manifeſta, & ægrotus in flore ætatis conſtitutus ſit, nec tempus anni magnum frigus afferat. Paullus* vero AEGINETA *lib. III. cap.* 48. de curatione hydropis agens paullo clarius, ſed cum data conditione id confirmat, dum ait: *curantes initium facimus in anaſarca ab evacuatione per venæ ſectionem, maxime ſi ob hæmorrhoidum, aut menſtruæ purgationis ſuppreſſionem conflata fuerit affectio.* Atque nos etiam, multiplici edocti experientia, in hiſce omnino conſenſum addimus: in leucophlegmatia & anaſarca, ſi ſtatus adſit plethoricus, atque ab aſthmate ſangineo hæc mala præcipuam duxerint originem, venæ ſectionem magnum ad curationem momentum afferre. Negamus vero, in aſcite hydrope & tympanite id ſine periculo fieri poſſe, dum etiam ipſe TRALLIANUS in loco allegato ſub finem addit, phlebotomiam in aſcite & tympanitide penitus eſſe excludendam.

§. II.

*Cautelæ circa purgantia.*

Quemadmodum in leucophlegmatia & anaſarca, ad colluviem ſeri copioſi exturbandam, validiore medicina purgante, majori etiam ſub doſi adminiſtrata interdum uti neceſſe eſt; ita in aſcite nihil draſticis periculoſius eſt, utpote quibus, quod per crebriorem experientiam mihi compertum eſt, deſubito inflammatio inteſtinorum ſphaceloſa & mortifera, quam anatome detexit, excitatur. Id vero circa fortiorum purgantium uſum ſerio monendum exiſtimo, quod in principio quidem locum inveniant, dum vires adhuc conſtant, ſed quod non crebrius, & niſi interjectis ſex ſeptemve diebus ſint repetenda, atque interea vires medicamentis & cibis, laudabilem ſuccum præbentibus roborandæ. Præſtat tamen a draſticis illis remediis, ut gummi guttæ, elaterio, colocynthide, helleboro, &c. quæ colliquativam quandam viribusque adverſam facultatem, quam natura debilis & ſenſibilior ſtomachus ferre minus poteſt, recondunt, interdum plane abſtinere & potius in eorum locum purgantia cum emeticis lenioribus mixta propinare, quæ vel in forma pilulari, vel infuſi exhibita ſimilem laudabilem, longeque tutiorem exſerunt effectum.

§. III.

*Curatio hydropis in ſcorbuticis.*

Quum ſcorbutica humorum dyſcraſia adfecti perfacile in tumorem incidant hydropicum, tum medicamentis, quæ etiam ſpecifica adverſus hydropem virtute prædita eſſe creduntur, ſic dicta antiſcorbutica, ut radix armoraceæ, raphani ruſticani, naſturtii aquatici & hortenſis, nec non cochleariæ ſuccus multum ſunt præponenda, maxime quando cum ſero lactis, vel decocto betæ rubræ, liberaliori paullo & repetita doſi adſumantur. Vidi enim ſimplicibus hiſce remediis ſæpiſſime plebejos à tumoribus hydropicis integre ſanatos, mirifica quotidie per vias urinarias copioſi ſeri educta quantitate.

§. IV.

*Squillæ uſus in hydrope cum aſthmate juncto.*

Pulvis ſquillæ & ejus acetum à veteribus, GALENO, CÆLIO AURELIANO, CELSO & aliis maximi ſemper in hoc morbo fuit æſtimatum, præſertim ubi aſthma ad ſuffocationis fere metum concurrit. Et ſecundum meam quoque experientiam bona teſtari fide poſſum, perplures miſere adflictos inopinatum inde & vix ſperandum accepiſſe levamen. Namque hæc radix ſale ſuo penetrante acerrimo inſtructa ſtomacho & aliarum nervoſarum partium tunicis ſeſe inſinuans motum ipſis ac vigorem, ſtimulando, reſtituit, humorumque circulum retardatum inſigniter adjuvat. Quod doſin attinet, poteſt ad grana ſex vel octo cum eadem quantitate radicis pimpinellæ vel ari miſceri & additis aliquot nitri granis, cum vehiculo calido exhiberi.

§. V.

*Quæ proſint in tympanitide.*

In tympanitide magnus & ſumme proficuus eſt uſus clyſterum, ex ſpeciebus carminativis confectorum. Obſervavimus quoque in hac paſſione pilulas purgantes cum anodynis maritatas, ut ſunt maſſæ pilularum Starckii, Wildeganſii & quæ ex extracto hellebori nigri, mercurio dulci, ſagapeno, opoponace, aſa fœtida &c. concinnatæ ſunt, inſignem attuliſſe fructum. Præter hæc vero exterius in hoc adfectu inunctio totius ventris cum oleo philoſophorum, vel oleo camphoræ cum oleo amygdalarum dulcium parato inſtituta, & per aliquot dies continuata levamen quoddam præſtat.

§. VI.

*Aſcites deſperatus quomodo tractandus.*

In malo aſcitico, ubi viſcera valde ſunt affecta & ſpes ſanitatis recuperandæ pertenuis oſtenditur, lenioribus laxantibus & roborantibus unice agendum eſt. Cui uſui inſerviunt pilulæ polychreſtæ ad mentem Beccheri paratæ, & interpoſita ſemper ſalis aperitivi doſi propinatæ. Qua methodo, niſi res omnino conclamata eſt, miſeri vel curantur, vel certe diutius conſervantur. Majorem tamen ſpem & opem eadem hæc medicamenta anaſarca laborantibus promittunt.

§. VII.

## §. VII.

*Cautelæ circa ſiſtendas hæmorrhagias.*

Incidit interdum, ut hydropici per hæmorrhoides, vel per nares vel etiam fœminæ per menſes ingentem ſanguinis profuſionem, non ſine virium notabili decremento & periculo patiantur; quo caſu nihil abſurdius & ineptius eſt, quam narcoticis, ut maſſa pilular. de cynogloſſa, vel aliis ſtypticis ad eam comprimendam uti. Nam augentur inde viſcerum obſtructiones, quæ has fluxiones immodicas progignunt, & virium major fit defectio.

## §. VIII.

*Curatio mali à perverſa ſalivatione orti.*

Oritur interdum poſt perperam inſtitutam ſalivationem hydropica labes, atque tum decoctis, quæ lignum guajacum, ſaſſafras, radicem lapathi acuti, lignum quernum, argentum vivum & antimonium, in petia ligatum ingrediuntur, debet expugnari.

## §. IX.

*Cautela circa tumores ſcroti.*

Quando ſcrotum vel ex hydrocele, vel ex lapſu aquarum ex abdomine magna humorum copia turget, adeo ut valde ſitum in lecto & movendi potentiam impediat, paracenteſin multi commendant, quæ tamen parum juvat, ut potius nonnunquam plus incommodi creet, nec ſine periculo ſupervenientis ſphaceli ſuſcipiatur. Et quia humor intra membranas teſtium ſatis viſcidus hæret, ejus effluxus plerumque parcior eſſe ſolet. Præſtat in tali caſu externis cataplaſmatibus diſcutientibus, quorum catalogum ſupra recenſuimus, inhærere & curam moliri. Horum enim ope ſudor ſæpe aquoſus elicitur ſummo cum levamine.

## §. X.

*Pedum ulcera quomodo tractanda.*

Quando ipſa natura, optima medicatrix, ſponte ſuas ſibi quærens vias cutis poros vel in pede, vel in abdomine aperit, per quos non ſine notabili tumoris ſubſidentia dies noctesque multum ſeri profunditur; cavendum maximopere eſt, ne corruptio accedat, quam per epithemata, quæ ſuperiori loco præſcripſimus, frequentius adhibita debemus prohibere. Interne vero tum temporis cum elixiriis roborantibus balſamicis natura juvanda, corruptio internarum partium avertenda, viresque conſervandæ ſunt.

## §. XI.

*Methodus curandi ab Hippocrate tradita.*

Hippocrates *lib. VI. epidem.* hanc curam hydropicis proponit: *Hydrope laborantem convenit exercitationibus defatigari, ſudare, panem edere, parum bibere, vino albo, nec multo ſomno uti, & purgantia adſumere, quibus aqua & phlegma vacuetur.* Utiliſſima hæc curandi methodus potiſſimum de prima hydropis ſpecie, leucophlegmatia, intelligenda venit, in quam perfacile ii, qui morbos longos & immodicas hæmorrhagias perpeſſi corpus nimio cibo vel potu replent, incurrunt. Hiſce commendat exercitia, quibus corpus evadit magis tranſpirabile; deinde ſudorem, quo pars copioſi ſeri avolat, tum panem, qui non ſeroſum, ſed laudabilem chylum gignit: prodeſt etiam potus abſtinentia, tum quia *creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi fugerit venis,* tum quia aucto per ſitim calore ſuperfluæ humiditates diſſipantur. Neque infrequentes ſunt hiſtoriæ hydropicorum, qui ſola potus abſtinentia per annum integrum convaluere omnino. Vinum album urinas movet, ſomnus humiditates auget; hydragoga vero medicamenta ſacra hujus morbi anchora ſunt, quia nimium humidum auferunt.

## §. XII.

*Curatio mali à flatulentia orti.*

Quum ex flatulentia primarum viarum, præſertim in hypochondriacis, tumores œdematoſi, qui initium hydropis conſtituunt, facile gignantur, expedit tunc non purgantibus, ſed enematibus ſedulo uti, quæ ex ſpeciebus carminativis & roborantibus, ut baccis lauri, juniperi, herba rutæ, majoranæ, folii ebuli, flor. chamomill. vulg. & rom. & ſeminibus quatuor carminativis, ex aqua vel lacte coctis cum decenti olei anethi & chamomill. cocti quantitate optime conficiuntur. Eadem methodo feliciter ſæpe uſi ſumus, ubi ex retropulſa, vel intus retenta materia podagrica ſpaſmi & flatus in inteſtinis initium tumoris hydropici machinantur.

## §. XIII.

*Curatio mali à ſuppreſſis excretionibus ſanguineis.*

Sequior ſexus longe fere magis, quam virilis tumoribus hydropicis eſt obnoxius, ſi deficit vel ſuppreſſa ad tempus remanet, vel ante quinquageſimum annum plane ceſſat menſtrua per uterum purgatio: quod iis potiſſimum evenit fœminis, quæ otio, ſomno & vitæ ſedentariæ nimium indulgent, vel ſollicitudine & mœſtu diutius afficiuntur. Juvat tali in caſu tum ad præſervationem, tum ad curationem ſanguinem mittere, corpus movere, peregrinari & locum mutare. Quæ ſi nihil proficiunt, aquis mineralibus tam interne quam externe uti convenit, quæ etiam in ſuppreſſis hæmorrhoidibus in viris, ad eas revocandas, magno ſunt præſidio & auxilio.

## §. XIV.

*Curatio œdematum in pedibus.*

Quod ad curationem œdematum in pedibus attinet, ea provide eſt adornanda. Permulta enim eaque triſtia novimus exempla, quæ eam perverſo modo inſtitutam peſſime ceſſiſſe teſtantur. Nam ſi adſtringentibus, ſive cataplaſmatibus tractantur ejusmodi tumores, detumeſcunt quidem pedes, ſed intus ſeroſus latex per metaſtaſin repellitur & ad pulmones delatus catarrhum efficit ſuffocativum funeſtum. Longe ſecurius eſt pannis calidis, vel ſaccis arena aut furfuribus calidis repletis eos fovere, ut in perpetua ſerventur tranſpiratione. Neque inutile eſt, faſcia latiori moderate adſtricta partes tumentes convolvere, ita ut ab extremo partis incipiatur & uſque ad tumoris finem inducatur. Sunt nonnulli, qui ſcarificationem, vel etiam profundiorem inciſionem cum Celso ſuadent, qui eam his verbis præcipit: *incidendum quoque ſuper talum, quatuor fere digitis ex parte interiore eſt: quo per aliquot dies frequens humor feratur: atque ipſos tumores incidere aliis plagis oportet.* At vero, me quidem judice, tale quid provide & prævia prudenti deliberatione debet fieri; nunquam vero in aſcite, vel ſcorbutica humorum dyſcraſia laborantibus moliri. Facile enim ſupervenit ſphacelus & propter nimis laxam carnem & aquoſum affluxum difficulter ejuſmodi vulnera conſolidantur.

## §. XV.

*Regula Celſi de eventu mali cognoſcendo.*

Ultimo loco, ut de eventu mali certiores fiamus, juvabit omnino tenere auream regulam Celsi, quæ his verbis comprehenditur: *Commodum eſt, lino quotidie ventrem metiri, &, qua comprehendit alvum, notam imponere: poſtero quoque die vide-*

*videre, plenius corpus ſit, an extenuetur. Id enim quod extenuatur, medicinam ſentit. Neque alienum eſt, metiri & potionem ejus, & urinam. Nam ſi plus humoris excernitur, quam aſſumitur, ita demum ſecundæ valetudinis ſpes eſt.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Hydrops anaſarca cum tympanitide junctus, ſanatus.*

Fœmina triginta annorum, ſanguinea habitu corporis ſpongioſo & ſucculento prædita, quæ ſemper largiora habuit menſtrua & aliquot cum enormi hæmorrhagia & multis polypoſis concrementis ejectis perpeſſa eſt abortus; imminenti quondam menſium fluxu vehementi corripitur terrore; unde ille mox ſuppreſſus varia attulit incommoda. Siquidem nunc optima fœmina de ingenti corporis laſſitudine, inappetentia, præcordiorum anxietate cum languida pulſuum celeritate pedumque intumeſcentia cœpit conqueri. His demum malis jungebatur valde difficilis & anheloſa reſpiratio, ipſe tumor ad femora uſque ipſumque abdomen, quod tactu durum & tenſum erat, adſcendebat, cibi adſumti in flatus reſoluti multas creabant anxietates, ſitis intendebatur &, increſcente ſpirandi difficultate, ægra in lecto erecta ſedere & ob ſuffocationis metum liberam captare auram per feneſtras debebat. Varia hinc inde remedia tam emmenagoga, quam purgantia & diuretica nihil ferebant opis. Tandem vero ex pedibus ſponte apertis quotidie larga aquæ effluebat copia, unde abdominis tumor mirum ſubinde decreſcebat. Ego hinc ad putredinem arcendam pedibus exterius adplicare juſſi ſacculos ſemine milii, anethi, carvi, baccis lauri & juniperi, herba abſinthii, ſcordii, flor. chamomill. repletos & in vino rubro coctos. Interne ſingulis IV. diebus obtuli decoctum mannatum cum tartaro emetico acuatum ſub tali formula: Rec. Mann. el. uncias duas, aquæ flor. acaciæ uncias V. terræ foliat. tartari drachmam unam. Coque & ſolve leni calore. Adde tartari emetici grana tria ſolut. ol. de cedro gutt. IV. eſſentiæ cortic. aurant. gentian. rubræ ana guttas XL. M. quo medicamento mira aquarum quantitas ſumma cum euphoria, ſine torminibus & virium proſtratione fuit educta. Præterea elixir noſtrum balſamicum cum vino Hungarico ter de die ſumendum ſuaſi. Et hac ratione poſt aliquot hebdomades, tumore & duritie ſucceſſive evaneſcentibus, appetentia cum viribus rediit, pulſus ſimul factus eſt naturalis faciesque reddita coloratior. Denique circa illud tempus, quo menſes ex utero ferri conſueverunt, venam in pede ſecandam curavi, & en! altero die poſt ipſi menſes prodierunt & tam miſere afflicta fœmina exoptatiſſimam recuperavit ſanitatem.

### *Epicriſis.*

Siſtit hic caſus exemplum hydropis, qui ex menſium, vel in viris ex hæmorrhoidum fluxu cohibito, ſalvis adhuc & ſine induratione, obſtructione vel ſcirrheſcentia viſceribus, ſubito ſolet enaſci. Subortus autem à talis modi cauſis hydrops facilius, quam quidem alius poteſt ſanari, ſi metuendæ viſcerum, ob diuturnam humorum extravaſatorum ſtaſin, corruptioni aptis occurrere remediis feſtinamus. Longe autem felicius ſuccedit ſanationis negotium, ſi ſponte à natura in pedibus fit apertio. Nam copia humorum extravaſatorum ſublata relictæ adhuc in corpore aquæ facili negotio à medicamentis digerentibus & evacuantibus vinci poſſunt & excerni. Ego vero, ſi mitioribus res peragenda eſt, ad ſufficientem & tutam humorum evacuationem vix convenientius & efficacius reperi medicamentum, quam quod ex majori mannæ portione & aliquot tartari emetici granis concinnatur. Dici enim vix poteſt, quantam hoc remedium educat aquæ quantitatem, ſine omni turba & vomitu, qui rarius in hydropicis per emetica ſolet cieri. Præter hæc notabile in hoc caſu occurrit, quod fruſtra tentetur menſium repente ſuppreſſorum revocatio in iis corporibus, quæ à diuturniori animi affectu & nimia humorum vitioſorum ſtagnatione omne partium robur perdiderunt. Multo magis eo reſpicere debet medicus, ut prius effectus morboſos removeat &, viribus quodammodo reſumtis ciborumque adpetentia reſtituta, circa illud tempus, quo menſes fluere ſueverunt, vel ſanguinis miſſione in pede, vel pilulis balſamicis refracta doſi aloeticis & crocatis naturam ad menſium negotium leniter ſtimulet.

### Observatio II.

*Leucophlegmatia, à febre quartana male tractata.*

Militiæ præfectus, quinquagenarius, corpore valde robuſtus, ob varios in victu & potu exceſſus autumnali tempore in febrem incidit quartanam, qua quum per menſem & ultra laboraverat, hujus moleſtiæ pertæſus per quatuor dies larga in quantitate decoctum adſumſit valde chinatum; unde febris quidem evanuit, ſed non multo poſt, prægreſſa corporis refrigeratione ciborumque concoctu difficilium intemperantia, pedes cum abdomine cœperunt intumeſcere, vires imminui & reſpiratio valde difficilis reddi. Ego conſultus curam hoc modo inſtitui: Primo ſal quoddam aperitivum, quod ſal tartari & Carolinarum, nitrumque purificatum habebat, ad drachmam unam in aliquot unciis aquæ & vini ſolutum bis de die, ut mane & hora quarta pomeridiana, ſumendum obtuli. Dein in prandio elixir noſtrum viſcerale, & ante decubitum undecim pilulas balſamicas deglutiendas dedi. Denique pro potu ordinario decoctum ſarſaparill. cum tertia vini Moſellani parte remixtum præſcripſi, tam felici eventu, ut intra menſis ſpatium integre miſer convaluerit.

### *Epicriſis.*

A nullo morbo præcedente crebrius hydrops naſcitur, quam ex febre quartana perperam curata: quod ſuo jam tempore Galenus *lib. III. de locis affect.* & diſertiſſimus Celsus ſat luculenter prodiderunt. Etenim, quum ſedes tum quartanæ tum hydropis in ipſo hepate, ut jam veterum tulit opinio, præcipue debeat collocari, evidenter adparet, quando hæc febris nimis præcipitanter & antequam obſtructio in hepate vel per ipſam febrem, quæ optima eſt medicina, vel per congrua remedia naturam adjuvantia, ſatis expedita fuit, cohibetur, perfacile recidivam febris, aut alium longe graviorem morbum, qualis hydrops eſt, ſuccedere. Idque eo magis evenit, ſi forte ob nimiam ciborum adpetentiam, corpore adhuc debili, multi crudi ſpiſſique generantur humores, qui ad hepatis infarctum denuo augendum mirum quantum conferunt. Equidem in longinquo artis exercitio complures ejusmodi caſus, ubi ex quartana imprudenter ſuppreſſa vel novi inſultus febriles vel anaſarca hydrops prodierunt, adnotavi, ſed nulla alia quam ſupra propoſita methodo, quæ unice ad ob-

obſtructiones viſcerum tollendas & excretiones reſtituendas directa eſt, curam inſtitui & benedicente Numine feliciter perfeci.

### Observatio III.

*Leucophlegmatia ab abortu inducta.*

Fœmina generoſa, triginta annos nata, ſucculenti & formoſi habitus, tertio menſe gravida abortiendo incredibilem ſanguinis in magna fruſta coagulati, quem molam dicunt obſtetrices, ejecit copiam; unde mirum in modum debilitata, vires quidem ex parte reſumſit, ſed quum creſcente ſiti nimia erat in potu, exactis binis menſibus ad faciem uſque à pedibus valde intumuit, anxie ſpiravit & de ſumma totius corporis gravitate lotiique retentione conqueſta fuit. Conſuluit itaque medicum, qui grana decem elaterii in forma pilularum præſcripſit, unde mira colluviei ſeroſæ per quindecim fere ſedes educta fuit quantitas cum inſigni tumoris decremento. Interpoſitis poſtea per ſex circiter dies medicamentis ſtomachicis, quæ ex extracto abſynthii & cent. minor. ſpiritu nitri dulci, tartari, & eſſentia cortic. aurant. & caſcarillæ conſtabant, eadem doſi priſtinum ſubjungebatur purgans; quo iterum magna ſeri exturbabatur copia. Tum vero ter ſingulis diebus rob ebuli ad unciam dimidiam fuit oblatum, & pro potu ordinario vinum Moſellanum cum fontibus Dœnnſteinenſibus adſumtum, & ſic brevi poſt urina ſecedebat liberior, totumque corpus, quod antea ſiccum erat, leni ſuffundebatur madore: ita ut intra ſex hebdomadum decurſum ægra priſtinæ redderetur integritati.

*Epicriſis.*

A nimiis hæmorrhagiis per cauſſam tam internam quam externam inductis, vel à ſola crebriori ſanguinis è vena ſecta detractione tumorem concitari hydropicum, plane non novum, ſed in experientia ſatis obvium eſt. Sanguine enim notabiliter imminuto vaſa minima tam ſecretoria quam excretoria collabuntur, & nec utiles ad motum ſuſtinendum humores, ut cerebri fluidum, ſecernuntur, nec inutiles per organa excretoria rite ſeparantur. Unde reſidua ſanguinis portio non modo in craſi ſua valde immutatur, ſed & in motu ac curſu ſuo impeditur; ut inde perfacile ſeri contingat ſeceſſio. Quod vero ſi incidit, non ſtatim hydrops emergit anaſarca & aſcites, ſed in principio ſolum leucophlegmatia corpus ſolet occupare, quæ ex abundantia ſeri inter panniculum adipoſum, ob motuum vitalium imbecillitatem, ſtagnante ſuam ducit originem. Et hæc hydropis ſpecies ex facili poteſt curari, ſi modo medicamentis, ſale quodam ſubtili volatili vim ſuam exſerentibus mature ſuccurramus. Hæc quippe non modo in tunicas vaſorum motrices agendo, tonum ac robur ipſis reſtituunt, ſed & glanduloſas inteſtinorum partes ſtimulando, ſtagnantis ſeri colluviem per alvum ejiciunt utiliſſime. Qua virtute præ cæteris pollet elaterium, à medico cum bonis ægrotæ rebus oblatum; in cujus laudes, jam ſupra ſatis expoſitas, redire nolo.

### Observatio IV.

*Fœmina hectico-hydropica curata.*

Illuſtris fœmina XL. annorum, ſucci ſanguinisque plena, & ſemper largiorem menſium fluxum experta, quinquennio abhinc autumno incidit in dyſenteriam, tunc temporis epidemice graſſantem, ſub qua cum ſævis ventris torminibus cruentas habuit dejectiones. Per menſem & ultra hoc malo conflictata convaluit quidem, ſed abhinc vires recipere vix potuit; appetentia ciborum erat fere nulla, potulentorum nimia, abdomen flatibus valde turgidum, alvus, quæ antea rite reſpondebat, nunc conſtrictior, cum languida pulſuum celeritate. Inter hæc quum adhuc id haberet infortunii, ut ob inopinatum trium filiorum obitum magno adficeretur mœrore, accidit, ut increſcente virium defectione & coloris pallidi in lividum converſione, univerſum corpus, maximeque pedes & hypogaſtrica regio valde intumeſceret. Ad hunc tumorem accedebant ſumma ſpirandi difficultas & ad leviorem motum cordis palpitationes, menſium copioſus & aquoſus fluxus, urinæque tenuis ſeceſſio. Conſulti ſunt plures medici, qui per acriora purgantia, martialia & calidiora diuretica curationem tentarunt, ſed irrita omni opera ægram hydrope pectoris lethali laborantem exiſtimantes derelictam habuerunt. Tandem & ego conſultus hanc inii methodum. Primo ſingulis diebus ante decubitum decem pilularum balſamicarum & alternis diebus mane drachmam unam ſalis digeſtivi, quod terræ foliat. tartari, oculor. cancr. arcani duplicati æquale pondus cum dimidia nitri purificati portione habebat, ex aqua & vino ſumere & infuſum theiforme ſuperbibere juſſi. His ita per decem dies adhibitis radicem mechoacann. alb. ad drachm. unam cum rad. ipecacuannæ granis XV. & nitri purificat. gran. X. ſubjunxi; quo medicamine mira aquoſi liquoris, ſanguine parum tincti quantitas per uterum excreta & alvus ſimul ad decem ſedes ſtimulata fuit. Elapſis quatuordecim diebus idem remedium iteravi, interponendo elixirium meum viſcerale balſamicum, bis de die ex aqua fœniculi & meliſſ. citratæ vinoſ. capiendum. Et ſic convaleſcentiæ ſpes adparebat exoptatiſſima; ſiquidem abdomen non modo detumeſcebat, ſed & reſpiratio erat liberior, facies vividior & adpetitus cum viribus vegetior; unde ego medicamentis balſamicis continuandum ratus, elixirium præſcripſi ex tinctura tartari, eſſent. gentian. rubræ, ſuccini, & additis aliquot olei carminativi guttulis compoſitum; circa inſtans vero menſium tempus pilulas noſtras balſamicas dedi, quibus ingens aquæ & viſcidi humoris copia fuit expurgata. Adpropinquante vere loco acidularum & thermarum per menſis ſpatium in villa rurali mane adſumta fuit tinctura martis pomata, deſuper bibendo menſuram fere unam brodii medicinalis, in quo herba naſturtii aquat. rad. aſparagi, fœniculi, petroſelini, apii, addita cremoris tartari portione, erant decocta. Abſoluta hac cura elixirium noſtrum balſamicum & interdum ex rhabarbaro & paſſulis cum cremore tartari laxans ægra adhibuit, & ſic intra biennium reſtituta jam integerrime vivit.

*Epicriſis.*

Varia ſunt in præfata morbi hiſtoria, quæ probe merentur adnotari, quorum potiſſima ſunt:

1) quod malum dyſentericum, niſi finito morbo tonus & motus ventriculi ac inteſtinorum periſtalticus convenienti medicina roboretur, perfacile graviorem, ut hypochondriacum & cachectico-hydropicum excitare adfectum poſſit. Tono quippe & robore harum partium deſtructo, non modo ciborum digeſtio & chyli boni gene-

generatio, ſed & ſordium per alvum excernendarum ſeceſſio multum vacillat, adeoque ad ſpaſmos & flatulentias, gravium ſymptomatum genitrices, inteſtinorum canalis diſponitur.

2) quod hydropicum malum longe facilius in fœminis ob uterum & menſium negotium, quam in nobiliori ſexu producatur. Nam propter difficiliorem ſanguinis per uteri venas, in ſemet ipſas valde implicatas regreſſum non modo vaſa uterina ſanguine facile infarciuntur, multumque ſeroſitatis ibi deponitur, ſed & in toto corpore humorum circuitus langueſcit & retardatur, adeoque ad cachexiam hydropicam fit tranſitus. Qui tali vero fundamento nititur hydrops, curatu eſt facilior, quam ex hepatis vitio enatus. Longe enim expeditius eſt, obſtructa uteri vaſa reſerare, ſanguinisque impeditum motum promovere, & collectas ibi ſeroſitates expurgare, quam hepar obſtructum & induratum emollire, & ſanguinis per ejus vaſa circuitum in ordinem redigere. Cujus rei luculento eſſe teſtimonio poteſt feliciſſima collectæ humiditatis in noſtra ægrota per uterum evacuatio, à medicamentis digeſtivis leniterque ſtimulantibus adjuta, quam ego non ſemel, ſed ſæpius in fœminis cachecticis & leucophlegmatia laborantibus obſervandi occaſionem habui.

3) probe notandus eſt ſaluberrimus tincturæ martis pomatæ cum brodio carnis medicinali uſus. In genere tamen notari velim, martialia in forma liquida & temperato acidulo menſtruo parata majori cachecticis fœminis quam viris eſſe præſidio. Hæ enim ob laxiorem & ſpongioſiorem, quo præ nobiliori ſexu gaudent, texturam ejuſmodi roborans & ſubadſtringens medicamentum optime ferunt.

### Observatio V.

*Hydrops aſcites à frigido potu in cachectico.*

Juvenis viginti annorum generoſus, habitu corporis ſpongioſo præditus vitæque ſedentariæ addictus a prima ſtatim infantia ex ſcabie retropulſa inſigni pedum abdominiſque intumeſcentia cum lividis maculis in cute hinc inde efflorescentibus laboravit. Academiam ingreſſo valetudinis emendandæ cauſſa exercitium commendabatur pugillatorium, à quo vehementer aliquando calefactus, quum largiorem frigidæ cereviſiæ hauſtum infunderet, mox peſſime habebat. Languor enim univerſi corporis cum tuſſi valida & reſpirandi anguſtia ſequebatur, aquoſus pedum tumor increſcebat, tantaque ſubinde capiebat incrementa, ut non modo ſcrotum, ſed totum quoque abdomen occuparet & ad ruptionis uſque metum diſtenderet. Præterea, quod notabile erat, à nimia ſcroti inflatione retrahebatur mentum; & præputium inſtar veſicæ inflatum urinæ excretionem, quæ communiter in hydrope parcior eſſe ſolet, retardabat, pedes frigidiſſimi nec ignitis tegulis ad calorem naturalem poterant reduci; adpetitus tamen adhuc modice conſtabat. Præter varii generis medicamenta conſilium inibant medici de ſcroto aperiendo, ex quo cum lancetta aperto ingens aquæ profluebat copia, unde ſcrotum quidem cum abdomine diminutum, ſomnus quietior & vires quodammodo refectæ videbantur, pedum vero tumor æque ac moleſtum tuſſiendi conamen perſeverabat. Sanato hoc ulcere priſtina ludebatur tragœdia: namque abdomen cum ſcroto denuo in magnam increſcebat molem. Rurſus itaque cutis in membro virili incidebatur & plus quam X. ſeri educebantur libræ. Hoc pariter vulnere conſolidato vires iterum cum adpetitu vigere ventriſque tumor remittere videbatur. At vero quum patiens, ob ſummum domum revertendi deſiderium, ingenti angeretur mœrore, accidebat, ut prævio horrore & ſuccedente æſtu eryſipelas in pede erumperet, cui depellendo vix ulla par erat medicina. Dolor enim & tumor inflammatorius mox totum corripiebat pedem & circa quintum diem lividæ, cum interſperſis magnis veſiculis, emergebant maculæ, pulſus ferebatur debilis & celer, ſitis urgebat fere inexhauſta, noctes erant inſomnes, alvus præter modum fluida, urina alba & clara, tandemque viribus conſumtis æger placide exſpirabat. Corpore poſt mortem diſſecto intra abdominis muſculos & pinguedinem magna obſervabatur aquæ quantitas; in cavo vero abdominis menſuræ quatuor, in thorace menſura dimidia, in pericardio quatuor circiter unciæ fluitabant aquæ limpidiſſimæ. Hepar & lien, inſolitæ magnitudinis & coloris pallido-albicantis, reperiebantur duriſſima, ſanguine pæne omni deſtituta, qui tamen ſupererat in hepate ſanguis ex globulis inſtar milii ſolis duris videbatur compoſitus. Bilis erat pauca & inſtar glutinis compacta, bruni coloris. Vaſa venoſa valde extenſa parum continebant ſanguinis, loturæ carnis non abſimilis. Duplicatura peritonæi, quæ uretheres & vaſa ſpermatica, ipſamque veſicam continet, copioſis hydatidibus erat obſeſſa, ex quibus diſciſſis magna aquæ profluebat copia. Pulmones denique erant fere exſangues & candidi, in corde vaſa coronaria valde inflata. Diſſectis pedibus membrana, ſub qua adeps reconditur, aqua turgeſcebat, & quum perventum erat ad membranam, quæ muſculis ſuperſternitur, ea inſtar veſicæ aqua repletæ adparebat, factaque diſſectione aquæ inſtar rivi effundebantur & glutinoſa materia tragacantham referens conſpiciebatur.

### *Epicriſis.*

Ex hac memorabili morbi hiſtoria plura notatu digna in uſum medicum poſſunt elici;

1) extraordinaria vaſorum venoſorum magnitudo ſanguinis circuitum per venas indicat impeditiorem & valde retardatum, à quo etiam derivandum eſt, ut vaſa lymphatica, ob lymphæ à ſanguine ſeceſſionem ampliata tandem disrupta fuerint.

2) induratio illa viſcerum malum oſtendit incurabile, quam dudum jam optimus juvenis intus abſconditam recondidiſſe videtur. Quare non mirum eſt, à pluribus abhinc annis eum cachexia laboraſſe, quam tumores pedum œdematoſi & maculæ in cute flavæ & lividæ commonſtrant luculentiſſime.

3) peculiarem meretur animadverſionem, quod exigua ſanguinis in vaſis & viſceribus reperta fuerit quantitas, maximeque hepar, lien & renes omni fere rubedine adparuerint exuta: cujus rei ratio exinde venit deducenda. In tali ſtatu cachectico-hydropico, ob ſegniorem ſanguinis progreſſum, ſanguificationis actio, ſeu chyli in ſanguinem converſio mirum quantum læſa eſt ac depravata; hinc omnes, qui ingeruntur cibi in ſerum potius, quam ſanguinem ſolent transmutari. Et inde quoque fit, ut ſanguis hydropicorum è vena emiſſus nunquam non copioſo ſero ſit refertus.

Obser-

### Observatio VI.

*Hydrops ſymptomaticus.*

Vir quinquaginta annorum, lautiori diætæ vitæque ſedentariæ addictus & lacticinia cum fructibus acidis horæis in deliciis habens, prægreſſo diuturniori mœrore incidit in cachecticum corporis habitum, ex colore faciei lurido, ſublivido & ad flavedinem inclinante ſatis conſpicuum; unde ciborum appetentia, ſatis antea vegeta una cum viribus valde concidebat, flatus & borborygmi in abdomine, ob ſegniorem alvum, miras creabant moleſtias, reſpiratio cum præcordiorum anxietate reddebatur difficillima, ut per intervalla morti proximus æger haberetur, &, quod maximum erat, pulſus micabat debilis, nonnunquam intermittens, plerumque inæqualis. His tandem malis jungebatur ictеritius faciei color cum majori pectoris anguſtia pedumque intumeſcentia, quæ altius ſubinde adſcendendo ipſa demum femora & ſcrotum obſidebat. Multa à variis medicis adhibita medicamina nihil afferebant levaminis. In conſilium itaque adſciſcebatur alius cura hydropis famigeratus medicus, qui extractum elaterii & enulæ ad drachmam unam cum juſculo calido aliquoties propinabat; unde ἄνω καὶ κάτω fortiter expurgabatur ingens viſcidi copia, & decreſcente pedum abdominisque tumore læta convaleſcentiæ ſpes affulgebat. Nihilo tamen minus quum anxia præcordiorum oppreſſio aucta potius quam diminuta & vires cum adpetitu magis inde proſtratæ viderentur, ego cum aliis adſtantibus medicis validius illud catharticum ſeponere & nonniſi temperata balſamica & roborantia adſumere ſuaſi, donec omnibus in pejus ruentibus æger diem obiret ſupremum. Cadavere aperto in abdomine pariter ac thorace magna ſeri extravaſati conſpiciebatur copia. In cordis & pulmonum vaſis deliteſcebant concrementa polypoſa, ex dextro cordis ventriculo per arteriæ pulmonalis ramos diſperſa. Fellea cyſtis calculo, tres minimum drachmas adæquante multisque minoribus lapillis erat referta. Totum vero hepar cum liene atro ſanguine inveniebatur infarctum valdeque flaccidum & reliqua vaſa venoſa omni fere ſanguine privata.

#### *Epicriſis.*

Docet inprimis hic caſus, quomodo ex præcedentibus & ad unam quaſi conſpirantibus cauſſis hydropis fiat generatio. Siquidem habitus corporis ſpongioſus, acidorum & lactis abuſus, animi mœror & vita laboris expers ejus ſunt naturæ ac indolis, ut ſpirituaſcentiam ſanguinis imminuendo, humores valde glutinoſos ingenerent, qui ad vaſculorum obſtructiones, concretionesque polypoſas & calculoſas materiam ſubminiſtrant largiſſimam. Videtur autem hydrops in præſenti caſu magis ſymptomaticus, qui obſtructionem hepatis & ſpaſmos præcordiales, ob calculum in cyſtide fellea & polypum in corde atque pulmonibus contentum, inductos excepit. Anxietates enim & ſpaſticæ præcordiorum ſtricturæ, multo magis vero concreta iſta fibroſa, pulmonum vaſa replentia liberiorem ſanguinis circuitum non modo in pectoris regione, ubi ſedem fixam habent, ſed per reliquas quoque remotiores partes impediunt; unde ob tardiorem ejus circuitum ſerum in vaſa lymphatica ſecedit, & in poroſum habitum effunditur. Quod ſi vero polypoſa ejusmodi repagula hydropicorum tumorum cauſſæ exiſtunt, facile eſt judicatu, cum hæc ipſa nulla expugnari arte queant, morbum fieri inſanabilem. Videmus hinc purgantium, præſertim validiorum uſum poſitis hiſce circumſtantiis magis eſſe noxium quam proficuum: quandoquidem hæc, validiſſime in genus nervoſum agendo, anxietates & ſpaſmos in præcordiis ſævientes adaugent, ut inde non poſſint non vires cum appetitu magis proſterni. Nos in genere ita judicamus, longe conſultius eſſe, hos morbos tempeſtive avertere, quam, ubi increverunt, iis curandis multam operam impendere fruſtraneam.

### Observatio VII.

*Hydrops pectoris lethalis.*

Vir triginta annorum, complexionis ſanguineæ, qui adoleſcentiæ annos inordinato vitæ genere tranſegit maximeque ſpirituoſos potus magna in copia ingurgitavit, militiæ deditus corpus quondam vehementi exponebat frigori, quod quum pectus potiſſimum occuparet, brevi poſt de ſtabili & fixo ſiniſtri lateris dolore, ſpirandique difficultate conquerebatur. Mutato vitæ genere, quum à vita valde laborioſa ad quietam tranſiret, non modo dolores & præcordiorum anxietates, ſed tuſſis quoque & ſpirandi anguſtia tanta cum vehementia ingraveſcebant, ut per feneſtras nonnunquam liberiorem anhelare aërem debuerit. Accedebat dein pedis & femoris ſiniſtri intumeſcentia, quæ ſcrotum ſimul valde diſtendebat, alvus & appetitus ſatis bene conſtabant, & urina mingebatur flaveſcentis coloris tenuis. Tandem cum data occaſione in nimium effuſus riſum pectus vehementius commoveret, mox de ſumma ſpirationis anguſtia conquerens in horas ſuffocari videbatur & ſub debili & inæquali arteriarum pulſatione per validam tuſſim ejiciebat ſputum ſanguine leviter tinctum; & demum viribus penitus dejectis tertio die poſt animam efflabat. In ſectione cadaveris totum abdomen conſpiciebatur integrum, in thoracis autem cavitate in ſiniſtro latere mira aquarum fluctuabat quantitas, quæ ad ſeptem propemodum libras accedebat. Cordis vaſa concreta alba inſtar calami ſcriptorii continebant, pulmones erant depreſſi ac collapſi, & arteria pulmonalis, polypo intus referta, viſui ſe offerebat nigra & ſphacelata, fœtidum ſpirans odorem. Penitius deinceps inſpecta thoracis cavitate in dorſo variæ ſe objiciebant membranæ & cuticulæ dilaceratæ, à vertebris & coſtis thoracis ſeparatæ, quæ non obſcure indicabant, magnum hic delituiſſe ſaccum membranaceum aqua repletum, qui diſruptus tantam aquæ copiam in thoracem effuderit, ipſamque mortem acceleraverit.

#### *Epicriſis.*

Mortuus eſt hic æger hydrope thoracis, quo orthopnœa vexati, ut recte monet Baglivus, qui non niſi erecta cervice ſpirare, nec in lecto, ob ſuffocationis metum ſtabilem invenire locum poſſunt, plerumque laborant. Sed memorabile in noſtro caſu videtur, quod hydrops fuerit ſaccatus, & aqua extravaſata ſacco membranaceo ex pleura à coſtis ſeparata producto incluſa, quæ dolorem fixum peperit, liberamque pulmonum expanſionem, præſertim ſub diaphragmatis à ventriculo inflato compreſſione, impedivit. Poſtquam vero, tumore per riſum rupto, ſerum in tanta copia effluxit, ut pulmones inundaverit, non

non potuit fieri, quin denegata horum expanſione, ſanguinis circuitus plane fuerit interceptus, & ſtrangulatione quaſi æger interemtus. Quod vero ex aſpera arteria ſerum ſanguinolentum tuſſi fuerit rejectum, hæc videtur ratio, quia ſanguis per arteriam pulmonalem in pulmones reductus, & regreſſu ſuo impeditus, cum impetu ad tunicam aſperæ arteriæ glanduloſam confluxit, ibique inflammationem excitavit. Quod dein pedum intumeſcentiam attinet, ſciendum eſt, hanc fere inſeparabile hydropis pectoris eſſe ſymptoma. Si denique curationem truculenti hujus mali attendere velimus, nihil dubii eſt, quin in ejuſmodi caſu paracenteſis cum fructu poſſit inſtitui; ſi modo ægrotus hancce admittere operationem non recuſet: præſertim quum jam olim Hippocrates eandem in hydrope pectoris commendaverit.

### Observatio VIII.

*Aſthma hydropicum funeſtum.*

Annus eſt, & quod excurrit, quum vir in ſumma dignitate conſtitutus, aſthmatico-hydropicus, ſexageſimum ætatis annum ſupergreſſus, meum poſtularet judicium de tranſmiſſa totius morbi hiſtoria, quæ hæc continebat momenta. In adoleſcentia vir generoſus multum ſæpe cruoris è naribus fundere ſuevit, & cum academicam ingreſſus vitam, litterarum ſtudiis & lucubrationibus in multam noctem productis, neglecto corporis motu plus juſto indulſiſſet; adfectionem incidit hypochondriacam cum hæmorrhoidibus cœcis junctam; ad quam mitigandam aquas Wildungenſes & Schwalbacenſes aliquoties cum fructu potavit. Ante duodecim vero annos medicus fontes Pyrmontanos bibere juſſit; enimvero ab horum uſu mox redierunt hæmorrhoides cœcæ valde furentes, quæ tandem applicatione hirudinum in ulcus fiſtuloſum tranſierunt. Poſt hæc per aliquot annos anxietatibus cardialgicis, & aſthmaticis pectoris oppreſſionibus per intervalla fuit obnoxius, quibus duobus abhinc annis dolores podagrici & nephritici cum pertinaci iſchuria ſtipati acceſſerunt. Nunc dimidium effluxit anni, ex quo prævia iracundia adfectus aſthmaticus cum ſumma præcordiorum anxietate graviter invaluit, & pedum primo, mox femorum & ſcroti, totiusque abdominis tumor ſucceſſit. Conſuluit itaque medicum, qui infuſum purgans exhibuit per ſex dies bibendum; unde, magna ſeri colluvie excreta, inferiores quidem partes detumeſcere coeperunt, ſed remanente aſthmate, licet remiſſiori non multo poſt in ſiniſtro thoracis latere dolor obortus eſt cum ſputo cruento punctorius, ipſeque tumor recrudeſcens priſtina loca repetiit; unde urina ſeceſſit parcior, & ſpirandi difficultas cum ſomno pauco & perpetuo pleuritico dolore denuo increbuit. Hæc morbi fuit hiſtoria, qua attente perlecta ſingulisque probe penſitatis reſponſum dedi: quod aſthma, hæmoptoe, pleuritis, & ipſe tumor hydropicus pulmoni male adfecto, & vel obſtructo, vel polypis obſeſſo ſuam debeat originem. Quod ſi enim ſanguis ex uno cordis ventriculo ad alterum minus liberum habet tranſitum, aliter fieri non poteſt, quam ut in dextro ventriculo & toto venæ cavæ ſyſtemate ejus curſus ſiſtatur ac retardetur; hinc ſtagnat & ſerum ſecedens ſubſtantiam poroſam & cavitates intrat. Pulmones vero, me judice, vix aliunde ſuam contraxerunt labem, quam à ſanguine per ſpaſmos & flatus inteſtinorum, qui hypochondriacis, podagricis & nephriticis valde familiares ſunt, ad pectus nimium congeſto. Neque de nihilo eſt, polypoſam in pulmonibus concretionem ſuſpicari, utut de pulſu, qui in tali caſu plerumque intermittens & inæqualis eſt, nihil relatum mihi fuerit. Sæpius enim iterumque in aſthmate cum dolore punctorio & ſputo cruento juncto polypos in thorace adnotavi. Et hac ratione ductus mox triſtem morbi eventum judicavi, qui etiam inopinato poſt venam in brachio ſectam ſequutus eſt.

*Epicriſis.*

Hypochondriaci, maxime hæmorrhoidarii, niſi ſe præcipitare in graviores & funeſtas adfectiones velint, exquiſite præcepta ſervare diætetica & potiſſimum à vehementibus animi motibus abſtinere, atque paucis, ſed fidis uti remediis debent. Id quod tanto magis neceſſarium eſt, ſi forte doloribus nephriticis, arthriticis & podagricis conflictantur, ne materia morboſa, ad ſuperficiem corporis ſalutari motu propulſa ad interiora reprimatur. Perfacile enim hac ratione aſthma ſuccedit hydropicum lethale, atque tum aſthma ut plurimum primarius eſt adfectus, cui hydrops ut ſymptoma adſociatur: unde præcipua medentis cura ad cauſſam aſthmatis removendam dirigi debet. Multum itaque peccant ii, qui ſolam curandi intentionem ad tumorem abigendum dirigentes hydragogis fortioribus aquas educere moliuntur: qua perverſa methodo inflammationes inteſtinorum lethales poſſunt arceſſere, præſertim ſi hæc ipſa cardialgia & ſpaſmis, à materia podagrica repulſa jam fuerint adfecta. Tali in caſu antiſpaſmodica cum diaphoreticis mixta, vel etiam V. Sio, aut clyſteres pernicialibus ejuſmodi ſymptomatibus avertendis valde ſunt idonea. Denique id probe tenendum eſt, ne facile in aſthmaticis, ſi polypoſi quidpiam ſubeſt, ut ex variis ſignis judicare licet, vena in brachio ſecetur, multo minus ſi largiori quantitate nec interrupto flumine ſanguis mittatur. Cor enim coagulo jam infarctum ſanguinis affluxu ſufficiente deſtitutum quam facile ex toto ſyſtolen amittit, ut ſyncope lethalis inde emergat, qualia exempla non pauca in recenti memoria teneo.

### Observatio IX.

Vir illuſtriſſimus, quadraginta & aliquot annos natus, mediæ ſtaturæ, habituque corporis ſpongioſiori & temperamento ſanguineo præditus, qui à prima adoleſcentia integro virium & adpetitus vigore gaviſus, in militaribus exercitiis cum defatigantibus corporis motionibus junctis, quotidie fere ſummam quæſivit voluptatem; ante quinque vel ſex annos ob lautiorem diætam vinique ſpirituoſioris & cereviſiæ triticeæ valde nutrientem potum præter modum cœpit pingueſcere, terque quaterve in anno leviori rheumatiſmo, mox manus, mox pedes pererrante tum maxime temporis corripi, quum frigida & humida regnabat aëris intemperies. Huic dein ſuperveniebant adhuc alia, eaque longe graviora mala. Nam pedes occupabat tumor, & in pectore ſpirationis difficultas per intervalla peſſime affligebat; quæ non parum capiebat incrementi, quum à nimia ciborum variorum adpetentia abdomen flatibus diſtentum liberiorem dia-

*Aſthma cum hydrope anaſarca junctum.*

diaphragmatis deſcenſum ſæpe impediret, ita prorſus, ut illuſtriſſimus ægrotans in lecto non decumbere, ſed erecto potius corpore ſomnum capere per aliquot annos debuerit. Sopor quoque interdiu non raro per horæ dimidium & ultra invadebat inopinatus atque tam gravis, ut excitari vix poſſet. Præterea nullam in omni vita toleraverat ſanguinis per nares vel ſedales venas fluxionem, quam deficientem ex parte compenſare medicus ſtudebat venæ ſectione bis in anno inſtituta, quæ vero quum in pedibus, qui tumore continuo erant obſiti, adminiſtraretur, parumque inde ſanguinis efflueret, nihil hac methodo proficiebatur. Nam vanus erat timor, ob quem medicus, ne forſan periculi plenam ſuffocationem arceſſeret, venam in brachio ſecare dubitabat. Multo magis juſta metuendi erat ratio, ne tumor aquoſus in corpore adeo plethorico, & faciei colore ad nigredinem vergente, magis ac magis increſceret; quod etiam brevi poſt inſequebatur. Etenim mox totum corpus æqualiter intumeſcebat, & quod peſſimum erat, conſueti manuum & pedum dolores rheumatici nunc ſub tempeſtate frigidiori vel plane non adparebant, vel mox remittebant. Quum is eſſet depravatus valetudinis ſtatus, & indies ſpiratio difficilior ad ſuffocationis metum appareret, ego pariter in conſilium vocatus, hunc morbum aſthma cum hydrope anaſarca junctum, & à nimia ſanguinis abundantia, qua cor cum pulmonibus pæne oppreſſum erat, inductum judicabam. Quam medicus ordinarius ante meum acceſſum in brachio admiſerat venæ ſectionem & laudabam & approbabam, conſultum fore ratus, ut aliquoties pro re nata iteretur: & iterabatur quoque cum inſigni ſpirandi levamine pulſuumque augmento. Accuratiori inſtituto examine, cui intererant adhuc alii peritiſſimi medici, ex certis & evidentioribus ſignis viſcera nec obſtructa, nec ſcirrhoſa, ſed integra, nec intra pectoris abdominiſque cavitatem ſerum extravaſatum, nec pulmones polypis obſeſſi deprehendebantur: & quum ſub modica ciborum adpetentia alvus ſatis bene reſponderet, abſtinuimus ab omnibus fortioribus hydragogis & diureticis, & potius injuncto accuratiori vitæ regimine medicamenta dedimus balſamica amara, ſtomachica & carminativa, interpoſitis ſubinde ſalibus deterſivis & pilulis temperate roborantibus. Potui præſcripſimus cereviſiam inſigniter diureticam, & ad diſcutiendos flatus ano clyſteres carminativos frequentius injiciendos curavimus. Hæc inter uno vel altero menſe tranſacto natura, optima graviſſimorum morborum medicatrix, ſponte ſibi exitum parans copioſas in pedibus excitabat veſiculas, è quibus cum febrili quodam motu & redeunte podagrico inſultu ingens aquæ expellebatur copia. Et ſic tandem Illuſtriſſimus æger melius reſpirare, quietiorem ſomnum capere, urinam, quæ antea parcior fluebat, magis reddere, & reſumtis viribus penitus convaleſcere incipiebat, ut nunc, quæ Dei gratia eſt, ab omni malo immunis ſanus degat.

*Epicriſis.*

1) Permultum intereſt, ut medicus in cura gravioris & ſontici morbi prudenter adornanda veram cauſſam primamque ſcrutetur originem, quæ in hoc noſtro caſu nimia fuit ſanguinis abundantia, & exinde orta in viſceribus nobilioribus & extimis partibus ſtagnatio; unde ſimul aſthma & ex hoc hydrops fuit enatus, qui facile potuiſſet averti, ſi è vena brachii tuta tempeſtive conveniens ſanguinis detracta fuiſſet quantitas. Minime enim à tali venæ ſectione, in brachio inſtituta metuenda eſt major ſanguinis ad ſuperiores partes attractio, & ex hac oriunda ſuffocatio; ut hæc ipſa potius certo avertatur, ſi nimia, quæ jam adeſt, plethora imminuitur: quod ſuo jam tempore optime præcepit Hippocrates, eo loco, quem in cautelis §. I. allegavimus.

2) Luculenter edocemur, in maximis morbis vincendis leniſſima & fere ſimpliciſſima remedia optimum ferre levamen, ſi modo ſatis diu continuantur. Quod ſi enim in noſtro caſu ad educendas è corpore aquas fortiora purgantia & diuretica adhibuiſſemus, facile pernicialis induci potuiſſet inteſtinorum inflammatio, quam ego quidem non raro in anaſarca & aſcite laborantibus vidi. Longe itaque conſultius fuit, præter juſtam & ſufficientem ſanguinis miſſionem ejuſmodi remedia, quæ diſcutiendis flatibus & tono inteſtinorum roborando idonea ſunt, in uſum vocare. Etenim, primarius morbus fuit aſthma, cujus effectus ſeu ſymptoma hydrops debet haberi, & quoniam aſthma à nimia ſanguinis abundantia & congeſtione ad thoracem parteſque ſuperiores, neque minus à flatibus ex primarum viarum cruditatibus originem traxit, facile intelligitur, quare adhibita remedia omne in curatione abſolverint punctum.

Plura de hydrope exempla reperire licet in reſponſis & conſult. medicinal. *Sect. III. caſu LVI. & LXVII. uſque LXXI.*

---

## CAPUT XV.

### *De flatulentia ventriculi & inteſtinorum, & affectione tympanitica.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Flatulentia quid ſit?*

In nulla corporis humani parte tantas moleſtias creant flatus, (qui nil ſunt, niſi vapores halituoſi, expanſiva elaſtica vi prædìti,) quam in ventriculi & inteſtinorum cavitate, ubi velut in carcere incluſi, hoſce canales ex tunicis mere muſculoſis & nerveis, quæ motu & ſenſu gaudent, conflatos, remittente ipſarum tono, non ſine dolore & anxietate vehementer diſtendunt, &, ut multum inde omnis generis functiones lædantur, efficiunt.

§. II.

*Symptomata quæ ventriculi inflationem comitantur.*

Si ſpeciatim ventriculus à flatibus incarceratis ſupra modum expanditur, graviſſima oriuntur ſymptomata, qualia ſunt ſummæ circa præcordia anxietates cum valde difficili & ægra ſpiratione, pectoris oppreſſione, inquietudine extremorumque frigore & ingenti virium collapſu. Inter hæc facies cum adſpectu lurido contracta eſt, & interdum cum difficili deglutitione faucium urgent conſtrictio, cordis palpitatio, phlogoſes, ſcotomia, vertigo & hujus generis alia. Cognoſcitur autem flatulenta hæc affectio, ex intumeſcentia, quæ circa cordis ſcrobiculum verſus latus dextrum ſatis ſæpe ad tactum manifeſta eſt, nec non ex crebra & vehemen-

mentiori eructatione, qua notabiliter ſymptomata miteſcunt.

§. III.

*Ratio horum ſymptomatum.* Quod vero vehementem ventriculi inflationem tam ſæva excipiant ſymptomata, hæ ſunt præcipuæ cauſſæ. Notum quippe ex anatomicis eſt, quod ventriculus pars ſit valde nervoſa, & quod octavi & paris intercoſtalis rami inter tunicam ipſius nerveam copioſe diſpergantur, qui quum ad omnes corporis nervoſas ſenſuque & motu præditas partes excurrant; non mirum eſſe debet, ſi propter eximiam hanc, quæ partes invicem intercedit, communionem, in omnibus fere reliquis corporis partibus ſenſibilioribus tam diræ oriantur adflictiones. Quæ dein comitatur difficilis & anxia ſpiratio, itidem à ventriculi expanſione inducitur, qua diaphragmatis alternus expanſorius & conſtrictorius motus, à quo inter alia reſpirationis pendet negotium, impeditur: & quum hac ratione cavitas thoracis ſimul coarctetur, pulmones non rite poſſunt explicari; unde liberior ſanguinis ex uno cordis ventriculo in alterum tranſitus remoratur.

§. IV.

*Species flatulentiæ inteſtinorum.* Flatulentæ ejuſmodi diſtenſioni præter ventriculum, tota inteſtinalis fiſtula, quæ ex ejuſdem generis tunicis, nervorumque & ſanguineorum vaſorum ramificationibus, ut ipſe ventriculus conſtat, obnoxia eſt. Quod ſi vero totus inteſtinorum tam craſſorum quam tenuium canalis à flatibus violenter expanditur, non tantum tumor totius abdominis, ſed dolor quoque, maxime circa umbilicum, ubi tenuium ſedes eſt, ſat gravis cum pertinaci alvi ſtrictura, inquietudine, anxietate, extremorumque refrigeratione, & virium lapſu conjunctus oboritur, atque tum adfectus dicitur colica flatulenta. Quando hæc flatulentia non eſt tranſitoria, ſed in longum tempus, menſes, vel annos protrahitur, tumor abdominis durus inſtar tympani ſonum edens tympanites vocatur & malum portendit vix ulla medicina ſanabile, præſertim ſi aſciten, ſuperiorumque partium marcorem habet comitem.

§. V.

*Cauſſa materialis.* Quod attinet ad cauſſam morboſæ ejuſmodi flatulentiæ proximam, hæc utique duplicis eſſe generis recte ſtatuitur. Altera materialis, quæ in flatuum facili & copioſo proventu reſidet, debetur ingeſtis, quæ præ aliis tenacis, mucidæ & pronæ ad inducendos flatus conſiſtentiæ ſunt; quæ inter merito oleracea, raphanacea, legumina, piſa, fabas, piſces marinos exſiccatos & fructus horæos, omniaque fermenteſcibilia, dulcia, mellita, cereviſias triticeas & farinacea quoque triticea, pulticulas, præſertim è milio paratas, pinguia ovilla & vervecina, maxime ſi his frigidus ſuperingeritur potus, referimus. Scire tamen licet, incongrua ejusmodi ingeſta tam ſicca quam fluida longe majorem inferre noxam, ſi in magna quantitate fuerint adſumta.

§. VI.

*Cauſſa formalis.* Altera, quæ formalis dicitur, pernicialis flatulentiæ cauſſa in inſigni motus periſtaltici debilitate, quæ ab impedito liquidi nervei & ſanguinis arterioſi in inteſtina influxu dependet, quærenda eſt. Quemadmodum enim iſte motus, ſi recte & ſecundum naturæ ordinem ſe habet, non modo vaporibus, qui ſemper ob humidum in inteſtinis contentum præſto ſunt, reſiſtit, ſed eos ipſos etiam per totum tractum ſine omni moleſtia propellit; ita è contrario, ſi propter nimiam roboris ac toni inteſtinorum remiſſionem, & membranarum inde ortam flacciditatem vacillat, huic muneri vix amplius præeſt. Præter hæc quoque ingeſta, ante quam ad inteſtina ferantur, diutius in ventriculo ſubſiſtunt, & in vapores reſolvuntur; unde in vicino duodeno & jejuno, ob acrimoniam, particularis oboritur ſpaſmus, qui dextrum ventriculi orificium ſive pylorum, & per conſenſum etiam ſiniſtrum conſtringit, ut inde vapores non habeant exitum, ſed incluſi vim ſuam elaſticam in nervoſas ventriculi tunicas vehementer exerceant. Cui diſtenſioni quando natura majori liquidi nervei adfluxu occurrit, reſtituta ad tempus vi tonica renitente, flatus magno cum impetu per ſuperiora erumpunt.

§. VII.

Quæ cum ita ſint, judicatu eſt facillimum, quicquid ad motus periſtaltici depravationem contribuit, illud pariter ad flatulentiam producendam eſſe aptiſſimum; unde evidenter patet ratio, quare homines, qui habitus corporis ſunt laxioris, & ſpongioſioris, ut & phlegmatici, ſexu fœminæ & ætate ſenes atque infantes eſſe ſolent, ad inflationis malum valde ſint proclives. *Cauſſæ remotæ ſunt, temperamentum & ætas &c.* Et quoniam liberior vaporum, qui continuo in inteſtinis progignuntur, tranſpiratio ſub inordinato inteſtinorum motu conſtrictorio & dilatatorio valde impeditur, multumque inde incommodi infertur; facile poterit intelligi, quare ab inſolita & nuda abdominis artuumque refrigeratione, vel pedum ſuper frigido pavimento inceſſu, manuumque in aquam frigidam immerſione, vel etiam à potu gelido, æſtivo tempore corpori ſudanti ingurgitato, tam frequens colicæ flatulentæ & torminum imi ventris ſit proventus. Siquidem hæc omnia ita ſunt comparata, ut eximiam inteſtinorum tonum debilitandi potentiam obtineant.

§. VIII.

*Morbi progreſſus.* Sunt vero adhuc aliæ, majoris momenti cauſſæ, quæ robur nobiliſſimarum iſtarum partium deſtruendo, noſtrum morbum producunt. Attenta enim obſervatione diſcimus, periculoſas abdominis inflationes iis quam maxime contingere, qui à præcedente morbo, v. g. dyſenteria, febre acuta & varioloſa, aut diuturna intermittente, vel etiam ob nimias ſanguinis profuſiones, ſive per vulnerationes, ac hæmorrhoides, ſive in fœminis per abortum, per partum, aut extra ipſum per lochia & menſes ingentem virium lapſum liquidique nervorum ſpirituoſi elaſtici & ſanguinis depauperationem paſſi ſunt; idque eo magis ſi, poſthabita virium ratione, plus ciborum ingerunt. Et inde perſpicue poterit colligi, quid ſtatuendum ſit, ſi, ut ſæpiſſime in morbis periculoſis & acutis evenit, circa tempora critica moleſtæ præcordiorum diſtenſiones cum borborygmis & flatuum in imo ventre fluctuatione percipiantur. Ut plurimum enim mortis indicium præbent, tum quod extremum virium lapſum indicant, tum vero maxime, quod ad penitus ſufflaminandam reſpirationem multum omnium valeant: quæ abdominis inflationes poſt mortem, ob plenariam roboris deſtructionem ab internis tam potulentis quam medi-

medicamentis ſemper fere auctiores evadunt, ut, ne rumpatur abdomen, pondere rerum incumbentium comprimendum ſit.

§. VIII.

*Spaſmi primarum viarum.* Simili quoque ratione per attentam experientiam innoteſcit, atroces diutiuſque perſeverantes in primis viis ſpaſmos inteſtinorum atoniam & flacciditatem motuſque periſtaltici imbecillitatem, & ex hac demum vehementes inflationes ſubſequi. Hinc colicam ſpaſmodicam frequenter excipit flatulenta; quæ, niſi rite tractetur, ſed ad dolores mitigandos potiones anodynæ offerantur, perfacile in paralyſin tranſit. In cujus rei illuſtrationem notatu digna celeberr. Wepferi experimenta, quæ in tractatu *de cicuta aquatica* ad effectus venenorum demonſtrandos attulit, multum conferre arbitror. Etenim ab arſenico canibus ingeſto graviſſimas vomitiones & ſpaſticas ventriculi contractiones, poſt has vero, flacceſcente ventriculo vehementes ejus diſtenſiones flatulentas obſervavit. Id quod etiam clariſſime in oculos incurrit, quum à ſumto veneno corroſivo, quod atrocibus ſpasmis operatur, demortuis totum inteſtinorum volumen, ſectione abdominis facta, propter flatus impetuoſe erumpat, ut vix in locum ſuum reduci poſſit. Ex quibus probe conſideratis clarius nunc poterit intelligi, acriora purgantia & emetica, dyſenterias quoque, nec non colicas ſpaſmodicas & hæmorrhoidales ordinario ingentem primarum viarum imbecillitatem relinquere, quæ moleſtæ abdominis inflationi cauſſam præbet aptiſſimam.

§. X.

*Spaſmi & flatus ſimul quando contingant?* Verum enim vero, non raro evenit, ut ſpaſmi & flatus ſimul inteſtinorum canalem obſideant, quorum illi tunicas conſtringunt, hi vero in inteſtinorum cavitate contenti vehementem & contrariam expanſionem moliuntur. Id quod potiſſimum fieri ſolet, quando materia flatulenta acrimonia quadam bilioſa imbuta eſt, quale quid animadvertere licet in infantibus lactantibus, qui horrendis torminibus & borborygmis, extrorſum etiam per violentas exploſiones ſe manifeſtantibus, valde cruciantur & fæces deponunt ab acido arrodente admixto virides, quæ lintea tenuiora inſtar aquæ fortis exedunt. Idem obſervamus, ubi materia tenax, mucida cum vitellina bile, vulgo dicunt *Eier gebacktes*, commixta ejicitur. Sæpe etiam lentores mucidi, quos infantes è tuſſi humida mucilaginoſa ſurſum propulſos deglutiendo ventriculo & inteſtinis obtrudunt, in culpam veniunt, è quibus flatus copioſiores cum torminibus excitantur.

§. XI.

*Flatulentiæ & ſpaſmi particulares.* De flatulentiis, quæ totum inteſtinorum tractum æquali niſu diſtendunt, hactenus diximus, ſequitur jam, ut de particularibus iſtis inflationibus & ſpaſmis, qui certam tantummodo inteſtini partem occupant, quædam, quæ in attentiori praxi conſideratione digna ſunt, proferamus. Scire autem licet morboſos ejusmodi effectus in hypochondriacis vel fœminis hyſtericis potiſſimum contingere, ubi e. g. ventriculus ſine inteſtinorum expanſione inflatus eſt: quod plerumque fit, cum ſpasmus in duodeno vel principio jejuni exiſtit. Inteſtinum quoque ileon citra inflationem ventriculi aut craſſorum inteſtinorum in verminoſis infantibus, vel hernioſis cum exquiſitis doloribus juxta umbilicum ſæpe valde expanſum deprehenditur, & in hypochondriacis hæmorrhoidariis, ubi inteſtinum rectum & inferior pars coli ob ſanguinem ſtagnantem, ejusque denegatum per venas ſedis effluxum à ſpasmis violenter anguſtatur atque conſtringitur, ſuperior pars inteſtini coli, maximeque ejus flexura in hypochondrio ſiniſtro & circa regionem lumbarem vehementer expanditur; unde dolor emergit preſſorius, quem lieni vulgo, ſed perperam adſcribunt. Fit quoque interdum, ut flexura coli in dextro hypochondrio circa hepatis & ventriculi regionem valde elevetur, multumque creet moleſtiæ; cujus cauſſa, ut ego arbitror, in principio coli, quod circa confinia oſſis ilei, valvulæ coli & inteſtini cœci ſitum eſt, reſidet, eo quod convenienti tono ac robore ſyſtaltico, quo ſurſum pelluntur excrementa, deſtitutum eorum copia infarcitur, quæ ingentem flatuum materiam ſuppeditat. Neque tantum ſpaſtica ſtrictura & ſubſequens inflatio, quæ tranſitoria eſt, certam inteſtini portionem occupat, graviſſimorumque ſymptomatum cauſſa exiſtit, verum etiam præternaturalis quædam anguſtia, durities, aut occaleſcentia ex variis cauſſis contracta, certam inteſtini partem obſidet, & totum inteſtinorum motum periſtalticum pervertendo ſæviſſimis ſymptomatibus cauſſam ſubminiſtrat, quæ nonniſi per anatomen defunctorum in conſpectum venit. De quo ſingulari & in praxi utiliſſimo argumento celeberr. Lipſiæ Profeſſor Waltherus eruditam *de inteſtinorum anguſtia* edidit diſſertationem.

§. XII.

*Tympanitidis ſigna.* Accedimus jam ad diſquiſitionem illius affectus flatulenti, in quo totius abdominis inflatio non tranſitoria, ſed ſtataria & continua eſt, quæ tympanitidis nomine venit, quem Celsus *lib. III. cap.* 21. ita deſcribit, *quod ſit tumor ventris vehementer intenti cum crebro ex motu flatuum ſono.* Hic morbus hiſce ſe phænomenis & ſignis manifeſtat: Plerumque poſt dolorem & tenſionem circa regionem lumbarem ſiniſtram, alvique conſtipationem venter vehementer diſtenditur, flatus ac ructus per ſuperiora violenter per vices extruduntur, pulſus eſt inæqualis & adpetitus dejectus, ſed ſitis increſcit, circa præcordia & umbilicum tenſivus dolor, rodens & punctorius cum æſtu quodam obſervatur. Sæpe etiam urinæ adeſt cum compreſſione ſtillicidium. Tumor etiam, ſi æger ſupinus jacet, nunquam ſubſidet atque in neutrum latus æger poteſt decumbere.

§. XIII.

*Cauſſa proxima.* Hujus continuæ, valde moleſtæ & periculoſæ ventriculi ac inteſtinorum inflationis cauſſam non ſine ratione Willisius, Baglivus, aliique recentiores in ſpaſtica tunicarum inteſtinalium ſtrictura repoſuerunt, utpote qua diutius inhærente, pori & meatus inteſtinorum, per quos vapores tranſpirant, anguſtantur & obſtruuntur, ut poſtea intus retenti vi ſua elaſtica propter admixtum aërem tam violentam inteſtinorum diſtenſionem efficiant. Et quod genuina hujus mali cauſſa in tali ſtrictura ſpasmodica jure quærenda ſit, non obſcure Hippocrates *lib. IV. aph.* 11. his verbis ſubindicare videtur: *quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque a medicamento,*

*mento, nec aliter ſolvitur, in tympanitidem, ſive hydropem ſiccum firmatur.*

§. XIV.

*Tympanitis non ſemper cum aſcite jungitur.* Hic adfectus communiter pro ſpecie hydropis à veteribus æque ac recentioribus habetur, quia ſæpe ceu ſymptoma, præſertim aſciti admiſcetur, cum tamen morbus ſit plane peculiaris & ſine ulla aquæ extravaſatione in abdomine contingat. Ita DOLÆUS *in Encyclopæd. lib. III. cap. IX. pag.* 157. refert, ſe in puellæ tympaniticæ novem annorum demortuæ abdomine ne guttulam quidem ſeri vel aquæ obſervaſſe. Atque in *M. N. C. Decur. I. ann.* 2. *obſ.* 85. recenſetur anatomia pueri tympanitide demortui, cujus ventriculus mirum diſtentus nihil præter flatus, & aliquid viſcidi humoris continuit, inteſtina autem omnia tam pellucida tranſparuerunt, ut etiam multis in locis compuncta ſtatim conciderint, ne guttula quidem aquæ in illis adparente. Pari ratione VALESIUS *comment. in lib. IV. Hippocrat. de victus rat. in acut.* & COLIADUS *adverſariorum l. II. c. XL.* ex aperto ſimili cadavere nihil notatu dignum aquæ exiiſſe, ſed craſſo exſpirante flatu totum repente ventrem detumuiſſe annotarunt. Notatu quoque digna ſunt, quæ PLATERUS *obſ.* 53. *p.* 616. de puero tympanitico mortuo refert, ubi inteſtina tantopere diſtenta apparuerunt, ut femoris craſſitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compreſſione disrupta ſtercus magno impetu profunderent. Aliis autem locis adeo fuerunt convoluta, contorta & inflexa, ut nec excrementis nec flatibus deorſum pateret via, & ſimul vermibus oblongis quam plurimis repleta.

§. XV.

*Subjecta tympanitidis.* Hæc inflatio tympanitica ſexui fœminino citra hydropem quam maxime eſt familiaris, præſertim poſt puerperium, quando lochiorum fluxus non rite ſucceſſit, vel ipſe ab admiſſo frigore animique adfectu cohibitus omnino fuit. Idem contingit, quando non rite deligato & compreſſo poſt partum abdomine error in diæta fuerit commiſſus, nec prima regio tempore puerperii à ſordibus ſufficienter expurgata. Tum enim non raro mulieres durum & inflatum abdomen cum magna moleſtia, ſpirandi difficultate & anxietate, alvique pertinaci adſtrictione ſatis diu gerere ſolent. Eadem ſymptomata poſt partum laborioſum, ſi ſecundinæ non ex toto ſeceſſerunt, ſed pars quædam remanſit, aut ſi ab earum imprudenti extractione utero inducta fuit læſio, non ſemel ſed ſæpius obſervavimus. Quandoque etiam poſt abortum, ſi imprudens accedit medicatio, ejuſmodi tympaniticæ adfectiones eveniunt; quarum cauſſam & originem in perverſo & turbato per uterum, & dein per inteſtinorum tractum ſanguinis circuitu reponendam eſſe exiſtimamus. Quod ſi enim ob vitium utero inhærens naturalis ſanguinis curſus, vel ejus critica excretio non rite & libere ſuccedit, ob ſubſequentem ſtagnationem per conſenſum etiam liber ſanguinis per viſcera abdominis, ſpeciatim vero per inteſtina tranſitus impeditur, ubi portio vel ſanguinis vel ſeri ſubſiſtens eorum fibras teneriores & ſenſibiliores diſtorquet, conſtringit, eaſque duriores & tenſiores reddit, ut dein libera vaporum in inteſtinis contentorum perſpiratio minus recte fieri poſſit. Quod vero ſi incidit, flatuum proventus magis productum & effectus, quam cauſſa tympanitidis eſſe ſolet.

§. XVI.

Ejuſmodi tumores abdominis diſtenſivos in infantibus & pueris, præſertim ſi vermibus laborant; item poſt variolarum vel morbillorum morbum frequentius obſervare licet: cui malo niſi in tempore accommodata ſuccurritur medicina, partes ſuperiores marceſcunt & hectico ſuperveniente calore ægri intereunt. *Quod ulterius explicatur.* Maxime vero propter addephagiam, ubi ventriculus & ejus tonus imbecillior exiſtit, pueri & infantes in grandes ejuſmodi tumores incidunt, quorum variæ exiſtunt cauſſæ: dum videlicet variolas & morbillos, vel etiam continuam febrem, ob vires valde ſuppreſſas, liquidumque ſpirituoſum nimis exhauſtum, ingens motus periſtaltici ſubſequitur imbecillitas, & ob inſignem ſanguinis & humorum à morbo contractam dyſcraſiam tunicæ inteſtinorum & peritonæi à ſero acri ſpaſtica vellicantur ſtrictura, quæ flatuum exitum prohibet; perfacile evenit, ut hic morbus producatur. Quandoque glandularum meſaraicarum & vaſorum lacteorum eſt infarctus, qui ſuccum chyloſum non transmittens ſordes in primis viis accumulat, quæ ex parte in flatus reſolvuntur, ex parte vero per alvum exturbantur.

§. XVII.

At vero non tantum fœminæ hyſtericæ, & qui ætate ſunt pueri vel infantes ob vermium colluviem & exantlatos difficiles morbos, tympaniticæ huic paſſioni ſunt obnoxii, ſed & ii potiſſimum in eandem incurrunt, qui ad hydropem aſciten inclinant; *Tympanitis aſciti ſæpe jungitur ob bilis vitium.* cujus quidem rei hæc mihi videtur præcipua cauſſa, quod in ejuſmodi corporibus, ubi viſcera abdominis, præſertim hepar, minus rite ſuo funguntur munere, ſuccus quoque bilioſus nec in quantitate, nec in temperie recte ſit conſtitutus, ideoque ſuis, quas in digeſtionis negotio exſerere debet, viribus privatus. Repetendum enim hoc loco ex phyſiologicis eſt, bilem genuinam atque naturalem eſſe medicinam præſervatricem: neque enim ſolum propter principium, quo pollet, alcalino-ſulphureum & ſaponiforme, quo intimiorem alimentorum ſolutionem & digeſtionem promovet, inſigniter prodeſt, verum etiam propter amaritiem temperate ſulphuream atque balſamicam, blande ſtimulando & inteſtinorum tunicas roborando, motum periſtalticum ſartum tectumque ſervat: quo perverſo & vitiato tota motuum vitalium œconomia, una cum ſalutaribus excretionibus, ut fere videmus in hypochondriacis, turbatur atque pervertitur.

§. XVIII.

In illuſtrationem & confirmationem hujus ſententiæ non poſſum hic ſilentio præterire ſingularem & prorſus raram obſervationem, quæ *in Tranſact. philoſ. Societat. Reg. Londinenſis ann.* 1330. *no.* 414. legitur. *Singularis caſus de bilis effuſione, quo id confirmatur.* Acceperat nimirum miles vulnus, ex quo poſt varia ſymptomata ſeptimo die mortuus eſt. In ejus cadavere nulla penitus læſio ullius partis internæ, excepta ſola veſica fellea, inventa fuit, utpote quæ in fundo leviter perforata, ob effuſionem bilis omnimodam, collapſa & flaccida deprehenſa eſt. Nullius viſceris inflammatio vel leviſſima adparuit, canalis tamen inteſtinorum valde inflatus atque extenſus, & colore flavo à bile effuſa, abdomen inundante, tinctus obſervatus, vulnus etiam externum ſiccum, tumore vacuum fuit, nec durante vita ullum inflamma-

tionis

tionis ſignum habuit, ut ſane mirum ſit, quo pacto ex vulnere adeo levi, uti videtur, tam brevi temporis ſpatio, abſque febri aliisque gravioribus ſymptomatibus, ſauciatus interierit.

§. XIX.

*Singularia in eodem annotata ſymptomata.* Inter ſymptomata notatu digna in iſto vulnerato annotata, primo omnium referri meretur inflatio abdominis, quæ ſtatim ab accepta plaga ſequuta eſt, & talis abſque notabili incremento & decremento permanſit, & poſt mortem etiamnum adparuit, qua homo aſcitici vel tympanitici faciem retulit. Nihilo tamen minus, præſente hac canalis alimentorum diſtenſione, inflationis abdominis cauſſa, nullum ructum nec flatum per ſuperiora aut inferiora reddere potuit. Quamvis etiam alimenta liquida ac potum in ſufficienti quantitate adſumſerit, alvus tamen officio ſuo per omnem morbi decurſum nec ſemel ſatisfecit, nec fortiſſimis purgantibus ac clyſteribus adplicatis ullo pacto moveri potuit. Urinam paucam, flavam & quaſi croco tinctam, omni ſedimento deſtitutam reddidit. Nihil tamen caloris febrilis in toto ejus corpore obſervare licuit, ſicut nec pulſus citatus fuit, ſed potius æqualis ac fortis, uſque ad vitæ diem penultimum, quo inæqualis redditus eſt, duravit. Lingua etiam non dura, ſcabra aut nigra, qualis in febribus, præcipue inflammatoriis quandoque conſpicitur, arida tamen ob defectum ſalivæ fuit. Utut quoque idem per illud tempus, parum & ſaltem aliquando per ſemihorulam dormitaverit, neque etiam opii uſu ad ſomnum diſponi potuerit, tamen nullum in illo, vel minimum delirii indicium adparuit. Atque ſic iſte abſque ullis gravioribus ſymptomatibus, ſi ſingultum levemque vomendi conatum, pridie ante obitum accedentem, excipias, exſpiravit.

§. XX.

*Conſectaria exinde deducta.* Et hæc eſt peculiaris illius caſus cum ſymptomatibus deſcriptio. Liceat jam nobis nonnulla, ad ſcopum noſtrum utiliſſima, exinde elicere. Præcipue vero docemur, quantum non interrupta bilis laudabilis ſecretio ad ſanitatem conſervandam præſtet utilitatis, & quid quantumve econtrario ejus defectus aut vitia ad graviſſimos morbos, maximeque tympanitidem, contribuant. Etenim in hoc noſtro caſu à nulla alia cauſſa, quam ab effuſione atque totali bilis defectu deducenda eſt, quæ vulnus excepit, canalis alimentaris inflatio, qua hic ipſe ultra ſphæram elaſticitatis extenſus, tonum ſuum motumque periſtalticum omnino amiſit. Hoc autem deperdito non modo naturalis chyli per vaſa lactea tranſitus impeditus, verum etiam reliquæ in aliis viſceribus ſecretiones labefactatæ tandemque ſufflaminatæ fuerunt omnino. Unde non potuit non ultimum omnium mors brevi poſt inſequi.

§. XXI.

*Prognoſis funeſta.* Quod attinet ad prognoſin, merito tympanites valde periculoſus habetur affectus, quo ægros ſæpius mori, quam ſervari videas. Hinc ingenue non minus quam vere fatetur doctiſſimus PUERARIUS, ſe nullum unquam tympaniticum convaleſcentem vidiſſe. Vid. *addit. ad Burnetti theſaur. med. tom. II. Lib. VIII.* quia pertinacem meatuum conſtipationem flatuumque incarcerationem vix diſſolubilem, & gravem partium diſtenſionem cum atonia ſignificat. Quando morbo chronico, ut hydropi jungitur vel ſupervenit tympaniticus affectus, vix ullam admittit curationem, eo quod valida inteſtinorum ac muſculorum abdominis diſtenſio ſanguinis per viſcera progreſſum, vaſa venoſa comprimendo, valde difficilem imbecilliorемque reddit, atque excretiones per alvum & ſudorem magis ſufflaminat. Tympanites ſimplex ſi inveteraſcit, nec cito curatur in fœminis & infantibus, in moleſtiſſimum chronicum malum tranſit & tandem ad interitum ducit.

§. XXII.

*Prognoſis ſalutaris.* Contra vero abdominis diſtenſio, quæ colicæ flatulentæ nomen habet in ſe & ſua natura non multum alit periculi, atque facilem admittit ſanationem, quando tonus inteſtinorum deperditus per convenientia tam interna quam externa remedia reſtituitur. Quod ſi vero ſpaſmodici quidpiam ad flatus excitandos concurrerit, ut in fœminis, quibus menſes non rite fluunt, vel in iis, qui ex calculo in uretheribus, vel in ductibus biliariis hærente laborant, fieri ſolet, aut ſi pathemata ſpaſmodica hæmorrhoidalibus molilminibus ſuperveniunt, tunc utique paullo difficilior eſt curatio, quia tum remediorum vis & operatio partim ſpaſmis ſedandis, partim atoniæ tollendæ debet eſſe dicata, quæ tamen inter ſe contrariare videtur.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Clyſterum uſus in flatulentia.* In affectu ventriculi & inteſtinorum flatulento curando nil prius habere debet medicus, quam ut flatibus per inferiora promoveatur exitus, materiaque tenax viſcida, quæ flatuum proventui velificatur, attenuetur & per alvum leniter educatur. Quo fine primo omnium in uſum vocare decet enemata, quæ tam derivandi quam diſcutiendi & evacuandi prædita ſunt efficacia; cujus generis ſunt, quæ ex herba hyſſopi vel hormini, floribus chamomill. vulg. & roman. ſummitat. millefolii, baccis juniperi & ſeminibus carminativis majoribus &c. cum juſculo carnis vitulinæ & decenti ſalis gemmæ, ammoniaci, aut Ebſonienſis & olei chamomill. cocti portione optime poſſunt parari. Sed notari meretur, vix unum alterumve clyſterem allevando malo ſufficere, ſed eorum uſum crebrius eſſe repetendum.

§. II.

*Quænam conferant laxantia.* Hiſce dein interponenda & ſubjungenda ſunt laxantia, virtute ſimul carminativa & quodammodo anodyna inſtructa. Quo nomine commendare licet pilulas balſamicas ad Beccheri, Stahlii & noſtram methodum confectas, vel ſi natura paullo robuſtior & inflatio tympanitica fuerit, duas partes extracti panchymagogi Crollii cum una parte maſſæ pilularum Wildeganſii, Starckii vel de ſtyrace ex aqua carminativa minus ſpirituoſa offerre ſoleo.

§. III.

*Roborantia in forma pulveris.* Poſthæc ordine ſequuntur medicamenta, quæ principio temperate balſamico & volatili oleoſo aromatico conſtant & vulgo carminativa dicuntur, quorum tamen operandi ratio non ita debet explicari, ac ſi ſale ſuo volatili ſubtili materiam flatuum tantum reſolvant tenuioremque reddant, ſed potius, quod tonum tunicarum inteſtinalium eo-

eorumque ſyſtolen vigorando prohibeant, ne flatus ſubſiſtant, ſed è ſede ſua dimoti per tubum inteſtinalem facilius exturbentur, aut ne novus ſubinde flatuum fiat proventus, impediant. Etenim, quoniam deſtructus ventriculi & inteſtinorum motus periſtalticus principalis flatulentiæ cauſa exiſtit, ea omnino, quæ eximia has partes roborandi efficacia pollent remedia in noſtro morbo ſunt indicatiſſima. Splendent vero maxime ejuſmodi virtute & ob inſignem ſæpiusque comprobatam utilitatem eminentiorem merentur laudem primo pulveres ex radicis ari, zedoar. pimpinell. albæ, ſalis digeſtivi Sylvii, vel tartari vitriolati, ſeminis cymini, ſummitat. centaur. min. cort. aurant. exſiccat. ana drachma una, olei chamomill. veri, vel de cedro aut corr. aurant. guttis VI. compoſiti, quibus, ſi ſuſpicio adſit acidi in primis viis copioſe ſtabulantis, commode adduntur oculi cancrorum.

§. IV.

*In forma liquida.* Huc quoque deinceps referenda ſunt in forma liquida ſequentia medicamenta, quorum prius ſit mixtura ex eſſentiis carminativis conflata, eximii uſus: Recipe eſſent. cort. aurant. zedoar. carminativæ Wedelii, ſingulorum unciam dimidiam, ſpiritus nitri dulcis vel liquoris noſtri anodyni, ſpiritus de tribus ana drachmas duas M. D. ad XL. guttas. Alterum medicamentum conſtituit potio, cujus hæc eſto formula: Recipe aquæ carminativæ Dorncrellii, chamomill. vulg. zedoar. cum vino ana unciam unam, ſpiritus nitri dulc. drachmam unam, olei carvi puri guttas VIII. cum ſacchari drachmis duabus ſubactas M. D.S. Potio *zu 2. Löffel voll.*

§. V.

*Quæ proſint externa.* Nec denique negligenda ſunt externa remedia, quæ inter commendanda ſunt linimenta toti epigaſtricæ regioni inungenda. Horum præcipua ingredientia ſunto oleum chamomillæ & rutæ coctum, oleum nuciſtæ & balſamus Peruvianus, quibus admiſceantur olea juniperi, carvi, aniſi vel cymini. Inſtar omnium vero eſſe poterit balſamum noſtrum liquidum, vitæ dictum, quod cum tribus partibus aquæ reginæ Hungariæ remixtum ventrique inunctum vel cum linteo calido impoſitum ſummæ deprehendi efficaciæ.

## *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

§. I.

*Cautelæ circa calidiora medicamenta.* Si flatulenta abdominis diſtenſio partim à ſpaſtica tunicarum inteſtinalium ſtrictura diuturna, partim a præternaturali earundem tenſione atque duritie proficiſcitur, atque hæc ipſa à ſtagnatione humorum & acrimonia bilioſa fovetur, cautiſſime cum carminativis calidioribus, aromaticis, volatilibus & ſulphureis, qualia ſunt olea deſtillata ætherea carvi, juniperi &c. mercandum eſt, ſiquidem hæc flatuum elaterem & turgeſcentiam humorum augendo, tumorem reddunt contumaciorem & ſymptomata longe ſæpe periculoſiora, ut æſtum præternaturalem cum ingenti ſiti, anxietate & ſumma ſpirandi difficultate arceſſunt. Et hinc eſt, quod FIENUS *lib. de flatibus cap.* 21. mentionem fecerit mulierculæ, tympanite miſere afflictæ, quæ uſu electuarii admodum calidi, quod diſcuſſioni flatuum præſcripſerat medicus, in novum tantumque incidit tumorem, ut totum inde pectus mirum in modum fuerit diſtenſum & paullo poſt miſera ſupremum diem obierit. Quam in rem etiam egregia ſunt verba HELMONTII, quæ *lib. de flatibus* continentur. *Si ventoſitates*, inquit, *in nobis ſunt vapores aut exhalationes, certe major dolorum atque flatuum excitatio & diſtenſio partium ſequetur, adhibitis calidis, eo quod vapores augeri eſt neceſſe & cruciatus ac diſtenſiones multiplicari.*

§. II.

*Circa purgantia.* Purgantia omnia, non excluſis etiam ſennatis & valde aloeticis omni modo fugienda eſſe ſuadeo, quia magis inteſtina exſiccant, & fibras tenſas, conſtrictas durioresque reddunt. Multo vero majorem noxam non ſine periculo adferunt, ſi quis repetita eorum doſi flatus promovere velit. Commendanda potius ſunt mannata cum cremore tartari in ſero lactis, vel fonte Sedlicenſi ſoluta, non omiſſis enematibus emollientibus & blande diſcutientibus.

§. III.

*Quæ proſint in ſtatu plethorico hæmorrhoidali.* Ubi ſpaſmi flatuum fœcundæ genitrices ſunt, quod ſæpe fit in ſtatu plethorico hæmorrhoidali in juvenili & virili ætate, nitroſa cum ſalibus deterſivis & refrigerantibus juncta ſecuriſſima ſunt. Proſunt quoque ſpiritus nitri dulcis, liquor noſter mineralis, ſuccus citri cum ſale abſynthii, oleum amygdalarum dulc. emulſiones ex ſeminibus IV. frigidis, maſſæ pilular. Sylvii & Starckii, imo quandoque etiam confert venæ ſectio. Hinc *Carol. de la* FONT Academiæ Avenionenſis Profeſſor in *diſſert. de hydrope tympanite* exemplum adfert curati à ſe tympanitici ope tincturæ roſarum, aliquot ſpiritus vitrioli guttulis imprægnatæ, & julepo ex aqua portulacæ, cichorei, nympheæ, ſyrupo de nymphea, de papavere, ſale prunellæ & ſpiritu ſulphuris confecti, interpoſito ſubinde uſu emulſionis temperantis, vel decocti hordei cum ſyrup. de limonia & ſale prunellæ, ac opiatæ ex cryſtallo minerali, lapidibus cancrorum, vitrioloque martis cum conſerva roſarum compoſitæ.

§. IV.

*Curatio mali ex uteri vitio.* Ex uteri vitio poſt partum laborioſum, puerperium, aut abortum menſiumque irregularem fluxum, ſi ejusmodi graves & contumaces abdominis diſtenſiones accidunt, certe pilulæ ad imitationem Becheri ex extractis amaris & gummatibus reſinoſis temperatioribus cum refracta aloës portione præparatæ convenientique ordine & doſi exhibitæ incomparabilē exſerunt efficaciam. Idem valet etiam de elixiriis temperate balſamicis ex iiſdem ſpeciebus paratis, quippe quæ, dum blanda ſua ſulphurea balſamica virtute tonum & robur ventriculi & inteſtinorum deperditum reſtituunt, mirum effectum, præſertim ubi bilis deficiens & bilioſa eſt, præſtant, modo non nimia doſi adhibeantur: nam natura iiſdem adſueſcit & ſucceſſu temporis etiam in certis inteſtinorum partibus, exſiccando tunicas inteſtinales, hinc inde præternaturales anguſtias pariunt, & funeſta ſæpe ſymptomata poſt ſe trahunt.

§. V.

*Circa clyſteres.* Magnum certe clyſteres præſtant uſum tam in acceſſione & præſentia mali, quam extra illud tempus, ad ejus incurſum avertendum. At vero ſi ſpaſmus in inteſtinis tenuibus ſævit, non ſufficiunt clyſteres, ſed tunc ſuadenda ſunt mannata,

caſ-

caſſia, ſal Anglicanum, Sedlicenſe, item ſerum lactis caprini cum cremore tartari vel tartaro vitriolato paratum. Thermarum quoque & acidularum providus uſus in hypochondriacis non eſt ſpernendus, ſed magnam potius promittit opem.

§. VI.

*Circa externa.*

Inter externa in vehementi abdominis inflatione fomenta ſicca & maxime omnium arenam in igne vel ſole ſiccatam ceu magnum præſidium habuerunt antiquiores medici. Hinc varia exſtant loca, ubi eandem commendarunt. Vid. Celsus *lib. III. cap. XXI.* & Plinius *hiſtor. natural. Lib. XXI. cap. VI. arena littorum maris*, inquit, *præcipue tenuis & ſole candens in medicina eſt ſiccandis corporibus hydropicorum.* Nec aliter ſentit *Cælius* Aurelianus, qui *lib. III. tardarum paſſionum cap. VIII.* ex arena littoris, ſole ignita torrenda hydropicorum corpora ſtatuit. Noſtris temporibus ut multa alia, quibus veteres felici cum ſucceſſu utebantur, arenatio in deſuetudinem venit: neque tamen adeo negligenda videtur. Arena enim calida non modo compreſſione, quam mole ſua efficit, intumeſcentiam cohibet, ſed & calore ſicco humores pravos inter cutem ſtagnantes attenuat, ut ſuccis per vaſa ſua itus reditusque reſtituatur: imo cutis quoque ſpiracula aperiuntur & tranſpiratio adjuvatur. Vulgare noſtro tempore experimentum eſt, avenas calidas & exſiccatas in ſacculo regioni ventriculi & umbilici imponere, eo quod vim habeant diſſolvendi & diſcutiendi utiliſſimam. Præter hæc vero emplaſtrum de ſapone bene camphoratum & cum oleo hyoſcyami malaxatum in flatuoſa abdominis diſtenſione non ſine inſigni levamine applicatum novi. Cui virtute parum cedit galbanetum ventri impoſitum.

*ENARRATIONES MORBORUM.*

Observatio I.

*Flatulentia cum inteſtinorum doloribus à vermibus.*

Quæ vigeſimum ætatis annum ſupergreſſa eſt virgo generoſa, tenerioris texturæ & faciei admodum pallidæ, jam per biennium parciori & irregulari menſium fluxu adflicta graviter ſubinde de doloribus circa umbilicum tenſivis, abdominis inflationibus, & præcordiorum anxietatibus cum inſigni laſſitudine & adpetitus proſtratione conqueſta fuit. His brevi abhinc tempore jungebatur febricula vaga, circa veſperam maxime adfligens, urina inſtar ſeri lactis mingebatur turbida & pallida, atque virium tanta ſuccedebat proſtratio, ut lipothymiæ ſæpius accederent. Qui conſulebatur medicus, ad menſes ſolum reſpiciens fortiora obtulit emmenagoga, ſed tantum aberat, ut levaminis quidquam ſequeretur, ut potius inſigne ſymptomatum augmentum ægra perciperet. Ego tandem in conſilium adhibitus, ante anni circiter dimidium aliquot aſcarides per alvum excretas comperiebam; unde verminoſam colluviem pro genuina cauſſa habendam ratus primo eſſentiam ordinabam tanaceti & ſantonici cum liquore anodyno æquali portione remixtam, & ſerum lactis mane per aliquot hebdomades bibendum. Tum vero præſcribebam pilulas ex gummi ammoniaco, aloe roſata, rhabarbaro, mercurio dulci & croco, interpoſitis ſubinde pulveribus digeſtivis. Et ſic, ingenti putridæ & fœtentis pituitæ copia cum aliquot necatorum vermium fruſtis exturbata, peſſima ægrotantis ſymptomata ſenſim ſenſimque evaneſcebant. Nihilo tamen ſecius remanebat magna ventris debilitas & ad flatus generandos diſpoſitio, ad quam debellandam eſſentiam corticum aurant. & carminativam Wedelii cum ſpiritu nitri dulci inter prandium commendabam, tam felici eventu, ut ægra ab omnibus malis liberata nunc integerrime vivat.

*Epicriſis.*

Docet inprimis hic caſus, quantum medici interſit, veram morbi cauſſam & originem probe noſſe; qua ignorata non modo remedia eidem removendæ oppoſita nihil juvant, verum etiam, quod peſſimum eſt, plus noxæ afferunt. Fuiſſe autem in noſtro caſu vermes præcipue accuſandos, teſtis eſt ipſe morbi eventus. Nec adeo difficile eſt, ex hac cauſſa rationalem ſymptomatum ſuppeditare ætiologiam. Etenim, quum iniqui iſti hoſpites in inteſtino ileo potiſſimum ſedem ſuam habeant, facile ibi morſu dolores efficiunt, paſſioni iliacæ non abſimiles, unde flatus exitu ſuo per inferiora præcluſi ſuperiorum inteſtinorum tractus occuparit, eoſque diſtendunt & ita divellunt, ut continui quaſi ſolutionem moliantur. Et quum hac ratione ingens his partibus inducatur atonia, non mirum eſſe debet, cur materiali etiam cauſſa ſublata remediis ſtomachicis, non ſecus ac in iliacis ſanatis, per longum adhuc tempus, ad tonum reſtituendum, inſiſtere conſultum ſit.

Observatio II.

*Inflatio tympanitica cum materiæ purulentæ ex utero effluxu.*

Femina triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, à matre progenita, quæ per viginti & plures annos moleſta laboravit flatulentia, jam per triennium ſine omni dolore & incommodo, ſalvoque menſium fluxu, gravi abdominis diſtenſione adfecta fuit, quæ, accedente vita deſide & concurrentibus variis animi perturbationibus, ſeptem abhinc menſibus multum increvit & vehementes ventris dolores, ſpirandi anguſtiam, alvique obſtructionem cum menſium imminuto fluxu comites habuit. Hæc contra mala medicus pugnavit carminativis, aperientibus & eximiæ virtutis roborantibus, ſed in eodem ſtatu morbus permanſit, ſomnus tamen & adpetitus bene ſemper conſtitit. Non multo poſt, ob errorem in diæta commiſſum, optima femina febrem incidit tertianam, per ſeptem hebdomades durantem; unde viribus cum ſomno & adpetitu dejectis pedes intumuerunt & inflatio abdominis adaucta cum aliquali fluctuatione ad manus percuſſum inſtar tympani ſonum edidit. Elapſo menſis ſpatio materia gryſea purulenta, omnis expers odoris, cum intermixtis ſanguinis ſtriis, præcedente leviuſculo horrore, per aliquot dies in notabili quantitate per uterum excernebatur; quo facto levamen quidem miſera percipiebat in utroque hypochondrio, ſed non modo pedum tumor perſeverabat, ſed abdominis quoque ita ſubinde invaleſcebat, ut in lecto decubitum impediret. Aberat tamen, quod bene ſperare licebat, ſitis, aberat febris & nimia virium depreſſio, aberat quoque, quod alias adeſſe ſolet, ciborum faſtidium, ſed modice potius adpetitus conſtabat. Præterea urina mingebatur flava

flava cum nubecula alba, fæces ſecedebant duræ, menſium plenaria erat ſuppreſſio, & inſignis dolor cum tumore anum occupabat.

*Epicriſis cum Conſilio.*

Non omnis, præſertim in ſequiori ſexu, abdominis expanſio pro inflatione inteſtinorum tympanitica habenda eſt, ſed incidunt ſæpe caſus, ubi poſt puerperium, aut laborioſum partum, mole pinguedinis aucta abdominiſque muſculis craſſioribus redditis, abdomen valde tumidum obſervatur. Nam frequenter obvium eſt, per violentos & diu perſeverantes ſpaſmos in partu ſanguinem ad partes molliores minuſque reſiſtentes, quid? quod ad ipſum collum & ejus glandulas copioſius delatum vaſa ibi nimis dilatare & ſtagnationes efficere, ut ſtrumæ quoque haud raro inde enaſcantur. Fit tamen nonnunquam, ut etiam inflatio inteſtinorum tympanitica, uti in præſenti caſu, diuturno abdominis tumori ſuperveniat, quæ procul dubio propter craſſam diætam vitamque ſedentariam inducta, & dein retardato menſium fluxu poſt tertianam febrem ita adaucta fuit, ut ordinarius medicus verum aſciten hydropem adeſſe judicaverit. Ego tamen potius morbi augmentum adſcripſi antifebrilibus, quibus forſan nimis cito febris fuit ſuppreſſa. Increvit enim inde infarctus in utero, à quo demum abſceſſus ibi formatus & magna materiæ gryſeæ, nullius odoris, copia excreta fuit, quæ optatum ſymptomatum levamentum attulit. Quapropter præcipua curationis fuit intentio, ordinarium ſanguinis per hepar & uterum curſum reſtituere: quo fine fontem Egranum tepefactum, interpoſitis pilulis balſamicis, ad mentem Beccheri confectis, & elixiriis ſtomachicis, per aliquot hebdomades cum recto regimine bibere juſſi. Et quoniam clyſteres carminativos in ejuſmodi caſibus nunquam fere non utiles deprehenderim, crebriorem eorum uſum ſummopere commendavi & cataplaſmata ex herbis, floribus & ſeminibus carminativis, ex vino coctis regioni pubis imponenda ſuaſi. Denique roborandi fine elixirium ex eſſentia ſuccini, corticum aurant. zedoar. & liquore anodyno, æquali ad pondus omnium proportione ſumto, præſcripſi & ſic curam feliciter perfeci.

OBSERVATIO III.

*Flatulentia abdominis ab adſtringentibus inducta.*

Virgo generoſa, viginti & aliquot annos nata, conſtitutionis tenerioris, vaſis tamen ſat amplis prædita, quæ menſium fluxum ultra annum ſat largiter & ſupra naturæ modum experta habitum obtinuit cachecticum & poſtea loco ſanguinis ſinceri & puri humorem per uterum ejecit valde aquoſum & mucidum; ex imperiti junioris medici conſilio per quatuordecim dies balneum Lauchſtadienſe, adjecta ſemper aluminis portione, adhibuit. Subſtitit quidem inde fluxus, ſed non multo poſt incidit in ſatis grandem ventris tumorem, cum ſenſibili duritie in dextro inguinis latere, ſumma anxietate, pectoris oppreſſione totiuſque corporis languore conjunctum. Ego in conſilium vocatus curationem ita inſtitui. Circa tempus ſomni obtuli doſin ſalis noſtri aperitivi, poſtero vero die mane pilularum balſamicarum, noſtræ præparationis no. XIV. & circa prandium elixirii noſtri viſceralis centum guttas, idque per quatuor continuos dies. Poſtea ordinavi balneum circa veſperam adhibendum, quod ſequentes habuit ſpecies: recipe herbæ majoranæ, ſalviæ, matricariæ, menthæ, artemiſiæ, roſmarini, florum chamomill. rom. & ſimplicis ſingulorum manipulos duos, baccarum lauri, juniperi ana unciam unam. Includantur ſacculo & in aqua leniter coquantur. Huic balneo inſideat ægra per horam, & ſacculus inter hæc imponatur ventri maximeque regioni inguinali. Conſumtis iterum lavando quatuor diebus, priſtina rurſus methodo ægra per ſequens quatriduum mane pilulas balſamicas & inter prandendum elixirium ſumſit viſcerale, atque ſimul veſperi balnei uſum continuavit. Quorum remediorum ope mira colluviei glutinoſæ & viſcidæ ex utero promanavit quantitas & remittentibus flatulentis ſymptomatibus exoptata rediit integritas.

*Epicriſis.*

A præpoſtero balneorum adſtringentium uſu peſſimorum ſymptomatum productam fuiſſe ſyndromen, extra omnem quidem poſitum eſt controverſiam; placet tamen in meliorem hujus rei confirmationem ſimilem fere caſum allegare GALENI, qui de *præcognit. ad poſthum.* eleganter prodidit, uxori Boethi, fluore albo laboranti ex adſtringentium uſu ventrem ita intumuiſſe, ut utero gerentis ſuſpicionem ſubierit. Plures ejuſmodi ſat memorabiles obſervationes exſtant in M. N. C. *ann. II. Dec. I. obſ. XXVI.* & *ann. VI. obſ.* 103. quæ dignæ ſunt, ut probe annotentur. Subſiſtunt enim hac ratione non modo in uteri, verum etiam in partium ipſi vicinarum vaſis humores excernendi, atque mora viſcidiores tenacioreſque redditi, intercipiendo liberum ſanguinis circulum variaſque congeſtiones & impetuoſos motus ad certas partes efficiendo, omnes corporis functiones valde turbant & ſymptomata accerſunt graviſſima. Omnis itaque opera & cura medentis in eo maxime eſt defigenda, ut diſſoluta fluxiorique reddita tenaci obſtruente materia, ejus per uterum exitus promoveatur. Cui ſcopo obtinendo præſcripta noſtra methodo remedia egregie inſervierunt.

OBSERVATIO IV.

*Singularis inteſtini coli flatulentia.*

Juvenis viginti annorum, temperamenti phlegmatici, craſſiori diætæ & ſedentariæ vitæ addictus, vehementem dextri lateris dolorem, ex imo abdomine ad ſuperiora adſcendentem, præſertim à cibis, quos in deliciis habebat, flatulentis, ultra anni ſpatium perſenſit, multaque ad eum compeſcendum adhibuit ſine effectu remedia. Ego conſultus, omnibus rite exploratis in regione inguinali, dextri lateris, circa os ilei tumorem annotavi ſat magnum; unde conſilium dedi, ut huic loco emplaſtrum imponeret ex terebinthina veneta, maſtiche, cera & balſamo Peruviano conflatum, idque bis in hebdomade renovaret. Intra prandium dedi elixir meum viſcerale balſamicum cum eſſentia zedoariæ & liquore anodyno minerali remixtum & pilulas balſamicas bis intra ſeptimanam ſumendas ſuaſi. Et hac ratione intra duos menſes inflatio iſta detumuit, tandemque penitus æger convaluit.

*Epicriſis.*

Nihil dubii eſt, quin in præſenti affectu inteſtinum

num colon in ea parte, ubi à cœco prodiens magnis vaſis, membraniſque & nervis robuſtioribus eo fine inſtructum eſt, ut excrementis ſurſum pellendis capax ſit, atonia laboraſſe; qua factum eſt, ut fæces retentæ diuturniori mora in flatus ſe explicaverint, qui reliquam coli portionem, ad hepatis viſcus anfractuoſo ductu procedentem ita inflarunt, ut exterius quoque tumorem obſervare licuerit. Quod vero ſi incidit, ea omnino remedia adhibere conſultum eſt, quæ flatus & accumulatas in inteſtinis ſordes blande evacuandi & ſimul roborandi virtute pollent. Quo nomine pilulæ noſtræ balſamicæ & ad eandem methodum paratæ aliæ cum elixiriis temperatis ſtomachicis inſignem merentur commendationem. Sed interna hæc medicamina externis debent ſecundari, à quibus non exiguum felicis curationis pendet momentum, ita prorſus, ut his ſepoſitis ſupervacaneus ſæpe ſit omnium, etiam optimorum internorum uſus.

## Observatio V.

*Colica flatulenta cum ſalivatione rara & ſingulari.*

Judæus ſexaginta & aliquot annorum, bene alias valens & robuſtus, per biennium ob varios fortunæ infeſtos caſus animo perturbatus male habuit. Nam ſubinde de flatulenta abdominis & hypochondriorum diſtenſione, alvo adſtricta, ſomno inquieto, & languente appetitu conquerebatur, urinam per intervalla turbidam & ſabuloſam cum ardore mingens. Hic cum cauſſam coram judice amitteret, gravi animi adfectu commotus, mox in brumali gelu iter conficiebat plurium milliarium; quo fiebat, ut domum reverſus ſumma præcordiorum anxietate, pectoris oppreſſione, dolore circa cordis ſcrobiculum tenſivo, inſigni totius corporis languore, nauſea & ſubinde vomitionibus vehementer corriperetur. Qui primo accerſebatur medicus, audacter curam adgrediebatur eſſentiis ſtomachicis & carminativis, ſed mirum inde ſingula increſcebant ſymptomata. Quum itaque meum æger poſtularet conſilium, ego cauſſam horum malorum curatius inquirens, in primo inteſtino, quod duodenum vocatur, ipſoque pyloro vitium latitare exinde argumentabar, quia continuo æger querebatur, quod ingeſta, præſertim ſolidioris conſiſtentiæ, ob anguſtiam, quæ tranſitum impediret, difficulter deſcenderent, & inde ad ſuperiora cum anxietate & vomendi conatu fieret regurgitatio. Præterea abdomen flatibus valde erat turgidum, alvus adſtricta, ſomnus paucus & interruptus, tantaque virium & corporis langueſcentia cum faucium ariditate aderat, ut non parum periculi in tam ſontico adfectu & ætate jam provectiori ſuſpicarer. His ita conſtitutis ægrotanti potionibus analepticis, juſculis cum cancris fluviatilibus & radicibus aperientibus decoctis, pulveribuſque leniter nitroſis proſpiciebam, & clyſteribus emollientibus ventrem apertum ſervare expediebam, eo quod ſolventia medicamina dejectæ vires non admittebant. Et en! non parum inde levaminis percipiebat. At vero, quum per quatuor menſes hiſce malis conflictatus nondum reſtitutum ſe penitus videret, alius vocabatur medicus, qui per medicamentum, quod & ſudorem proliceret & ſpaſmum ſiſteret, certiſſimam promittebat opem. Erat autem hoc ita compoſitum: recipe cinnabaris, antimonii diaphoretici ana drachmas tres, ſalis volatilis cornu cervi, croci, caſtorei ana drachmam unam, miſce dividatur in octo doſes & ſingulis quatuor horis una ſumatur. Sed à quatuor ſumtis anxietates invaleſcebant, & largus ſubſequebatur ſalivæ fluxus. Inſpectis faucibus illæ totæ aphthis ardentibus & dolentibus erant refertæ. Durabat hæc ſalivatio, nullis allevanda remediis uſque ad mortem, quæ tertia ſeptimana ab adſumto remedio accedebat.

### *Epicriſis.*

Quod ſi veram hujus mali peſſimorumque ſymptomatum originem ſcrutari velimus, certe vix aliam, quam vehementem iracundiæ adfectum corporiſque refrigerationem deprehendere licet. Tali enim ratione obortus in duodeno ſpaſmus adnexum pylorum vehementer conſtrinxit, & ita anguſtavit, ut nullus prope flatibus è ventriculo patuerit exitus; unde hic ſupra modum diſtentus ingenti præcordiorum anxietati, inquietudini & reliquis ſymptomatibus anſam præbuit largiſſimam. Nec dubitandum, quin intempeſtivus medicaminum calidiorum uſus anxietates permultum adauxerit, utpote quæ occluſis excretoriis viis ſemper magis obſunt, quam proſunt. Cæterum dignus eſt, qui probe annotetur peculiaris plane pulveris oblati effectus, quem ego, pharmacopæi errorem accuſandum ratus, vix crediſſem, niſi facta inquiſitione hunc omni culpa vacuum deprehendiſſem. Sat graves igitur erant rationes, quæ mihi fidem faciebant, tam largam ſalivationem in corpore, vehementibus ſpaſmis ab effuſa bile exagitato, ſoli cinnabari, in largiori doſi præſcriptæ & per admixtum ſal volatile cornu cervi ad majorem activitatis gradum adactæ eſſe adſcribendam, ut inde diſcere omnino liceat, quod ſiniſtri ſæpe effectus ab optimo alias medicamento præter ſpem ac opinionem noſtram proveniant.

## Observatio VI.

*Paſſio flatulenta cum borborygmis.*

Vir triginta annorum, ſacerdotali munere fungens, tribus abhinc annis, quum in academia degens Belgica cibis uteretur craſſioribus & piſcibus marinis, neglectoque potu & ſufficienti corporis exercitatione, litterarum ſtudiis cum profundis meditationibus junctis plus juſto incumberet, graves primum ſenſit ventriculi & inteſtinorum inflationes, murmura, flatuumque & aquarum in abdomine fluctuationes ſatis ſonoras, quæ plerumque à prandio & adſumto Theæ vel cereviſiæ potu ſub vita motus experte augebantur. Idem obſervabat, quando profundioribus meditationibus mentem defatigabat, cum contra à ſuſcepta exercitatione & ructuum per os exploſione inſigne mali perciperet levamentum. Præterea alvus plerumque bene reſpondebat; ciborum tamen adpetentia languebat, caput vertigine & aurium ſuſurru tentabatur, facies erat pallida, totumque corpus marcore conficiebatur. His malis debellandis varia æger oppoſuerat remedia, ſed omnibus nihil proficientibus, meam tandem implorabat opem. Conſilium igitur dedi, ut primo omnium è vena pedis tuſa ſex minimum cruoris uncias detrahendas curet & aliquot diebus interjectis, ad primam regionem a cruditatibus viſcidis, flatuum genitricibus repurgandam, per tres dies fontem Sedlicenſem duarum librarum pondere pro doſi biberet. Paruit

æger conſilio & inde melius habere cœpit. Ad malum itaque penitus ſubmovendum bis in ſeptimana primam regionem à viſcidis cruditatibus beneficio pilularum balſamicarum liberandam & elixir noſtrum balſamicum per ſat longum tempus ſumendum ſuaſi. Denique, quum ad curationem tam moleſti affectus accuratum vitæ regimen plurimum conferat, frequentiorem corporis exercitationem, & ut æger à nimiis meditationibus, ac cibis, qui difficilioris ſunt ſolutionis, infumatis, piſcibus marinis, fructibus leguminoſis & fermentationem facile ſubeuntibus, omnibuſque lacticiniis ſe abſtineret, commendavi.

*Epicriſis.*

Licet hæc flatulentia effectus magis & ſymptoma ſit mali hypochondriaci, quam primarius morbus, ideoque huc ſtrictim non pertinere videatur, diſcere tamen poteſt attentus medicus, quantum, ſi non omne, ad morbi flatulenti generationem contribuat motus inteſtinorum periſtaltici imbecillitas, variis ex cauſſis inducta; quas inter in præſenti ægroto præcipue referre decet intenſiores mentis labores, per multas noctes productos: utpote nimia mentis fatigatio eximiam habet potentiam canalem iſtum, qui digeſtioni præeſt, nerveum & valde ſenſibilem debilitandi; quod eo magis accidit, ſi vita motus expers & ciborum duriorum ac flatulentorum uſus acceſſerit. Quoad curationem ſcire licet, quod fontes medicati tam thermales quam frigidi borborygmos & murmura ventris ſæpe augeant, præſertim ſi non alvum ſufficienter ducant, nec urinam moveant, ut ſunt Wildungenſes & Selterani &c. Tum enim ob languidiorem motum periſtalticum facile ſtagnant, & atoniam augent. Conſultius itaque duxi, fontem Sedlicenſem, interpoſitis & ſubjunctis balſamicis ſtomachicis medicamentis, commendare.

---

## CAPUT XVI.

### *De cachexia uterina, ſive fluore albo.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Fluor albus, quid ſit?*

QUi fluoris albi nomine in ſcholis medicorum venit adfectus fœminaſque ſumme moleſtat & cruciat, malum eſt cachecticum, quod in inordinato humoris impuri, mucidi, plerumque albi ex muliebribus effluxu, cum magno incommodo functionumque naturalium læſione juncto conſiſtit.

§. II.

*Quanam ſubjecta præcipue invadat.*

Huic fluxui quamvis ætas plerumque conſiſtens ſit obnoxia, minime tamen declivior eſt excludenda, id quod ſuo jam tempore optime annotavit HIPPOCRATES *lib. II. de morbis mulierum.* At vero dantur etiam obſervationes, utut rariores, quæ teſtantur, puellas teneriores, vix ſex ſeptemve annos natas hunc fluorem fuiſſe perpeſſas. Qua de re conſulantur FERNELIUS *lib. VI. Pathol. cap. XVI.* RODERICUS à CASTRO *lib. I. morb. mulier. cap. XIV.* & *Acta Haffnienſ. Vol. I. obſ.* 83. Frequentius vero evenit & incipit hic fluxus circa annum decimum tertium vel quartum, quo tempore feminis menſtrua erumpere ſolent. Nec maritatæ tam intra, quam extra graviditatis ſtatum ab eo ſunt immunes. Novimus enim gravidas toto geſtationis tempore eidem obnoxias. Quod ſi denique habitum corporis reſpicimus, experientia teſte, feminas & nervis & fibris minus ſolidis, ſed laxioribus & natura, ut aiunt, ſeroſiori præditas præ aliis huic malo obſervamus ſubjectas.

§. III.

*Quare dicitur inordinatus.*

Inordinatus dicitur fluxus, quia non certam ſervat temporis periodum; ſiquidem aliis continuus eſt & quotidianus, in aliis per intervalla repetens bis terve in menſe accidit; licet ſint exempla, ubi etiam periodice & ſtato quaſi tempore venit. Dein in nonnullis menſtruum fluxum modo præcedit, modo comitatur, modo ſequitur, vel etiam intermedio tempore prodit; quin imo in graviori ſtatu ipſorum menſium loco oritur & ne illis quidem, quibus menſtruorum tempus ſecundum naturæ ordinem præteriit, ut vetulis, parcit.

§. IV.

*Quoad colorem & conſiſtentiam differt.*

Variat hic fluor quoad colorem & conſiſtentiam, quod optime demonſtravit PLATERUS *in prax. tom. III. p.* 670. *In hoc fluore*, inquit, *humor interdum ſeroſus copioſe plerumque, nunc limpidus ſine morſu, nunc acris vel ſalſus, alias flaveſcens, vireſcens, aut nigricans nonnihil, aliquando & ſanioſus, interdum inodorus, alias fœtidus ei copulatur. Huic pituitoſus etiam miſcetur, aliquantum glutinoſus, inodorus & frigidus, pauciore, vel eadem, aut etiam majore quam ſerum quantitate.*

§. V.

*Eſt vel moderatus vel immoderatus.*

Huic fluori, ſi moderate ſe habeat, nulla alia graviora ſuperveniunt accidentia, atque tam mulieres quam virgines multis ſæpe menſibus vel etiam annis ſine noxa eundem perferre ſolent. Quod ſi vero immoderatior ſit, tum malus corporis habitus ſeu cachexia eum comitatur; unde non modo inſignis oritur corporis languor & functionum imbecillitas, ſed & pruritus, mordicatio & ardor in pudendo & circa illud divexant. Tum quoque in pleriſque mulieribus permagnum, in aliquibus tamen nullum in conceptu ſentitur impedimentum; atque ſi fœteat materia, turpitudo hæc non modo ipſis feminis moleſtiam, ſed maritis quoque faſtidium, ut ab ipſarum conſortio abſtineant, parere ſolet.

§. VI.

*A cachexia parum differt ſi increſcit.*

Quod noſter adfectus multum cum cachexia alat affinitatis, eleganter oſtendit HIPPOCRATES *lib. II. de morb. mulierum* §. 9. *fluxus*, inquit, *albus fluit velut alba aſini urina & in facie ſunt tumores albi & partes ambæ ſub oculis tument & hydropiformes ac non valde bona ſpecie præditi ſunt oculi & color corporis albidus, & venter imus tumidus & in cruribus tumores laxi, & ſi preſſeris digito notæ imprimuntur & ſtomachi morſus percipiunt, dum jejunæ fuerint vel etiam vomuerint velut acidam aquam & ſi acclivem locum proce-*

*procedunt, anhelatio corripit, crurum perfrigeratio, genuum impotentia, uterus præter rationem aperitur & ad oſculum procidit gravis. Tales difficile eſt à morbo liberare.* Minime hæc *Hippocratis* adſerta de fluore albo, moderato, incipiente, ſed potius de pertinaci chronico, qui primam cauſſam & fontem ſuum in malo & tam quoad ſolidas quam fluidas partes depravato corporis habitu, præcipue omnium vero in magna ventriculi imbecillitate habet, ſunt intelligenda. Nam quia fluidum illud chyloſum & lymphaticum temperatum ſubtile, quod ſolidis partibus vires & robur conciliat, nimium ſimul per vias uteri devias decedit, fieri omnino non poteſt, quin virtus ſolida & ſyſtaltica cordis & arteriarum, atque periſtaltica ventriculi & inteſtinorum imminuatur; unde languor & magna virium proſtratio ſequitur, & vi digeſtrice ventriculi deperdita, crudi & viſcidi ſucci in maſſam ſanguinis delati atque accumulati nutritionem non modo & pulchritudinem faciei vitiant, ſed & animi vigorem demunt, & triſtitiam inducunt.

## §. VII.

*Sedes mali eſt uterus.* Sedes hujus mali omnino eſt uterus, cujus anatomicam fabricam, & potiſſimam vaſorum ſtructuram accuratiori paulo conſideratione dignam exiſtimo. Et primo quidem tenendum eſt, nullam in univerſo corpore partem tam numeroſa vaſorum copia inſtructam eſſe, quam ipſum uterum. Ex his enim primæ ſunt arteriæ & venæ ſpermaticæ, quæ ovaria contingunt, ac in fundum uteri copioſiſſimis ramificationibus feruntur. Deinde rami arteriæ & venæ hypogaſtricæ ad partem mediam & inferiorem uteri, nec non ad vaginam excurrunt. Hæc largiſſime per uteri corpus diſſeminata ſanguifera vaſa, mirum tortuoſo ac ſerpentino quaſi flexu diſcurrunt. Id vero peculiare ſibi ſervat exquiſita vaſorum uteri per anaſtomoſes connexio, quod in plurimas cellulas, mutuo communicantes diverſæ magnitudinis canalium alvei deſinant, & cellulas ovalis figuræ forment, quæ ſubſtantiam ipſius uteri ſpongioſam & fungoſam reddunt. Notandum inſuper eſt, quod non modo hypogaſtricæ venæ, quæ ſanguinem revehunt, dimidio majorem capacitatem obtineant, quam arteriæ hypogaſtricæ, verum etiam, quod venæ ſic dictæ ſpermaticæ non recto, ſed anfractuoſo admodum & in orbem quaſi recurvo ductu porrigantur, ita prorſus, ut ſi eaſdem extricare, earumque longitudinem ſupputare velimus, aliquot ulnas æquarent, arteriaſque ſpermaticas longe ſuperarent.

## §. VIII.

*Ratio formalis.* Ex plane peculiari jam expoſita vaſorum uteri ſtructura luculenter patet, tarde utique ac ſegniter per venas has, præſertim valvulis deſtitutas, ſanguinis curſum & circulum ſuccedere, ut adeo ex hac theoria anatomica, ceu fundamento, & menſium fluxus, & vitia omnia, quæ ex utero mulieribus contingunt, commode poſſint explicari. Qua propter nunc etiam exinde perſpicua erit ratio, quare virgines æque ac conjugatæ tam frequenti tamque diuturno & moleſtiſſimo ſeri, variæ conſiſtentiæ, variique coloris ex utero & ejus vagina profluvio divexentur. Nam quia tonus & motus uteri, qui æquabili fibrarum ejus conſtrictione & remiſſione continetur, tam facile læditur, debilitatur & dejicitur, prætereaque tardus admodum per circumflexa, & in ſerpentinos ductus porrecta uterina vaſa ſanguinis & humorum curſus, imo lentior quoque ſanguinis per venas, valvulis deſtitutas regreſſus eſt; perfacile utique non ſolum infarctus & ſtagnationes ſanguinis ac ſeri in matrice oboriuntur, ſed ipſe etiam ſeroſus & lymphaticus humor, ſegniori progreſſu lenteſcens, tandem exitum ſibi parat, ac per paſſim in utero & vagina obvia orificia effunditur. Communis quidem plurimorum auctorum eſt ſententia: ex lacunis Graafii, ſive foveis, circa urethram conſpicuis, & parvis ibi conſiſtentibus glandulis, humorem hunc excerni, at in his lacunis nullum, quod ſetam admittat, foramen facile reperire licet, ſed potius ad utrumque latus orificii, & per totam vaginæ ſubſtantiam lacunæ apparent plures, quæ quam facile ſetæ ad digiti dimidium aditum concedunt, earumque ductus preſſi liquorem, ſemini haud diſſimilem plorant. Vid. Cel. Heisteri *compend. anat. pag.* 81. *&* 82.

## §. IX.

*Ex quibus viis in utero fluxus proveniat.* Verum enim vero, utut relaxatæ hæ glandulæ ſtillare poſſint humorem paulo copioſiorem; neutiquam tamen hæ ipſæ unicam & genuinam fluoris albi ſedem conſtituunt, ſed longe plures dantur meatus, è quibus materia fluoris albi, nec non liquoris ſeroſi impuri, in puerperis, cum & poſt lochiorum fluxum manantis, ortum trahit. Et licet Ruyschius glandulas in utero unquam viſas eſſe, aut demonſtrari poſſe neget, nullum tamen dubium eſt, quin ex iſtis oſtiolis, quæ ſub menſium fluxu ſanguinem fundunt, ſerum etiam exitum moliri poſſit. Perquam enim notatu digna eſt Cel. Fantoni *anat. C. H.* pag. 186. obſervatio, qua fidem facit, quod flatus per venas uteri in cavum matricis & vaginæ, ac viciſſim ex hoc in venas adigi poſſit atque tranſmitti. Deinde etiam teſte Graafio & Hornio, pori & foraminula in cervice uteri conſpiciuntur. Neque prætereunda ſunt quæ Verheyen *in Anat. C. H. cap.* 33. *c. ſ. tab. XVII. fig.* 2-3. prodidit, quod ſcilicet in utero, in aqua macerato, & per aliquod temporis ſpatium in blando calore detento, in interiori non modo vaginæ ſuperficie, plurima corpuſcula globoſa, & alibi quidem racematim ipſi inhærentia, alibi vero per eam diſſeminata, ſed in inferiori quoque parte cavitatis uteri, ſimilia corpuſcula viderit, eademque pro glandulis, ſeroſo-pituitoſi humoris ſecretioni inſervientibus non immerito habenda eſſe exiſtimet.

## §. X.

*Conſectaria.* Nil itaque eſt dubii, quin per eadem vaſa, vias & poros fluxus materiæ mucidæ contingat, è quibus ipſe menſtruus ſanguis fertur. Atque hujus adſerti evidens argumentum eſt, quod menſibus ſuppreſſis fluor albus in quibuſdam loco horum ſuperveniens obſervetur. Quod autem revera loco ſanguinis albus liquor, unde etiam nomen morbus obtinet, proveniat, ea de re elegantem obſervationem habet Severinus Pinæus *de notis virginitat. lib. I. problem. III.* qui in diſſectis cadaveribus virginum & mulierum uteri profluvio albo, dum viverent, laborantium, licet ob alium morbum extinctarum, humorem limpidiſſimum in utero invenit, ex cavitate ejuſdem guttatim in ſinum pudoris ſtillantem, in quo candorem, ut calcem aqua diſ-

ſolutam dixiſſes, acquirebat, forſan ab aëre frigido admiſſo particulis ſeroſis ſe interponente, non excluſo tamen acore, à glandulis uteri forſitan profecto.

§. XI.

*Cauſſæ mediatæ, quæ materiam fluxui ſuppeditant.*

Quum igitur cauſſa fluoris albi proxima recte in tono fibrarum & vaſorum uteri deſtructo & circulatione ſanguinis per ejus vaſa impeditiori, qua ſerum à ſanguine ſequeſtratur, reponenda ſit, ſequitur jam, ut diſpiciamus, quænam ex cauſſis mediatis remotioribus ad conſtituendam hanc proximam cauſam conſpirent atque concurrant. Jam vero à nulla re magis, quam ab aëre frigido & humido tonus fibrarum relaxatur; hinc facile patet ratio, quare tempore autumnali & in locis frigidis ac humidis, paludoſis, humilioribus, vappidis, quæ aër purus & ſeptentrionalis flatu ſuo non ſatis purgare poteſt, hic morbus inter fœminas præcipue dominetur, & cur, teſte Sylvio *in praxi lib. III. cap. IV.* in Belgio longe frequentior ſit quam alibi, maxime ſi error in cibo & potu acceſſerit. Nam omnes illi cibi, qui ob viſcoſitatem minus reſolubilem digeſtioni minus obſecundant, ut ſunt leguminoſa, lacticinia, farinacea, nimis dulcia, item ex cibis marinis eochleæ, oſtreæ, piſces paluſtres, neque minus fructus horæi in copia adſumti, omnia acida, acetaria, dum chylum progenerant glutinoſum & crudum, qui ad aſſimilationem & nutritionem plane inidoneus eſt, hunc fluxum multum fovent & augent. Idque eo magis accidit, ſi nimia voracitas in puellis vel etiam infantibus accedat. Deinde quoque experientia firma & fere quotidiana obſervamus, mulieres quæ otio, vitæ ſedentariæ, & ſomno nimis indulgent, longe facilius ſibi hæcce incommoda accerſere, quam illas, quæ labore & motu corpus firmant. Quamobrem etiam agreſtes minus expoſitæ ſunt huic fluxui quam urbanæ, quæ ob motum & laborem conſtantiori fruuntur ſanitate.

§. XII.

*Quod amplius oſtenditur.*

Ceterum quoque id ſciendum eſt, eas mulieres, quibus per nares mucoſæ deſtillationes frequentiores fuerunt, ſi ſupprimuntur, facta metaſtaſi ad uterum, humoris albi ex utero emanationi valde eſſe obnoxias. Maxime omnium vero id evenit, quando fluxus menſtruus recto ordine & decenti quantitate non ſuccedit. Nam ab eo tempore confeſtim incipit vacillare ſanitas, vaſa impuris humoribus implentur & principium fit cachexiæ.

§. XIII.

*Cauſæ mediatæ, quæ uterum ad fluxum diſponunt.*

Expoſuimus jam eas cauſſas, quæ crudorum humorum abundantiam corpori ingenerant & materiam moleſtiſſimo huic fluxui ſuppeditant. Nunc etiam ad eas conſiderandas progredimur, quæ ipſum uterum, ceu veram hujus mali ſedem ad illum diſponunt. Cujus generis præcipue ea ſunt, quæ nimium relaxando vaſa & fibras uteri, ipſum robur tonicum adimunt: quo vacillante & deficiente ſanguinis & humorum maſſa per vaſa tot copioſa & convoluta lentiori & impeditiori curſu feratur neceſſe eſt, unde quam facile fit ſeri viſcidi per poros uteri ſeceſſio. Hinc etiam obſervamus, in maritatis partus laborioſos, à quibus magna utero conciliatur imbecillitas, frequentes abortiones, ſecundinarum improvidas & violentas poſt partum avulſiones ſæpiſſime primam huic malo originem & cauſſam ſuppeditaſſe. Simili ratione obſervatum a nobis eſt, quod eæ feminæ, quæ immodicæ menſium fluxioni ſæpius obnoxiæ ſunt & quæ molas per abortum excernunt, eodem fluxu frequentius laborare. Namque hæc omnia nimiam indicant vaſorum diſtenſionem & relaxationem, quæ, niſi mature & tempeſtive convenientibus roborantibus remediis tollatur & vaſorum tonus reparetur, procedente tempore difficili admodum negotio reſtituitur.

§. XIV.

*Differentia fluoris albi à menſibus decoloribus & fluxu contagioſo.*

Plurimum vero refert, tum ad eventum morbi recte dijudicandum, tum ad rite inſtituendam ejus curationem, noſtrum affectum ab aliis ſimilibus uteri fluoribus, cum quibus quandam alit convenientiam, recte diſcernere. Primum itaque non confundi debet cum menſibus decoloribus, quibus mulieres, præſertim juniores ſæpe ſunt obnoxiæ; & licet ii ſint vitioſi, exacte tamen ſuam ſervant periodum, quum contra fluor albus non modo ſubſtantia & colore ſit diverſus, ſed & promiſcue & ſine ordine feratur & cum inordinatis vel etiam nimium fluentibus menſibus jungatur. Tum quoque multum intereſt, album fluorem à virulenta gonorrhœa, quæ ab impuro coitu contracta eſt, diſtinguere: quippe miaſma venereum non proſtatas ſolum glanduloſas, verum etiam vaginam uteri cum inſigni dolore & moleſtia exulcerat, & viros, qui coeunt, contagio inficit. Deinde copia fluxus venerei longe minor eſt, quam in fluore albo, tanto vero acrior cum intenſo ardore & dolore juncta, & cum menſes fluunt & urina fertur, permanet, quum fluor albus vel menſes antecedat vel ſequatur. Hinc clar. Baglivus *in prax. medic. lib. II. cap. VIII.* §. 3. infallibile tales morbos ab invicem diſtinguendi dedit ſignum: *Pete*, dicit, *à muliere, an tempore menſium fluor ille albæ materiæ adſit, ſi dicat quod ſic, ſignificato eidem, quod morbus, à quo divexatur, ſit gonorrhœa gallica; ſi vero durante menſtruatione fluor albus evaneſcat & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare.*

§. XV.

*Gonorrhææ virulentæ muliebris ſigna.*

Neque vero omnis ſanioſa materia pro gonorrhœa virulenta & contagioſa habenda eſt. Nam interdum, quamvis rarius, abſceſſus & ulcera in fœminis ſterilibus gignuntur, quæ ſine contagio ſunt. Poteſt hac de re legi Clasius *in obſerv. medicis rarioribus obſ. IV. & V. de ulcere muſculorum uteri vaginæ vicinorum & utero purulento.* Deinceps quoque non omnis eroſio & exulceratio certum gonorrhœæ purulentæ præbet ſignum; ſiquidem in fluore albo, & magis adhuc in ſcorbuticis, ſeri vitium eo acrimoniæ provehi poteſt, ut vicinas partes exedat atque exulceret, ſed hæc exulceratio magis eſt ſuperficialis & cum inſigni pruritu juncta, facilioremque admittit ſanationem. Verum, ut omnis error in dijudicando evitetur, conſultum duco per mulierculas, quæ omnes circumſtantias accurate debent examinare, in veritatem inquirere.

§. XVI.

*Prognoſis*

Denique ut etiam prognoſtica quædam ſubjiciamus, ſtatuimus, fluorem album, ſi moderatus, ſi recens atque ex cauſſa externa ſubortus ſit, non adeo multum in receſſu habere, atque

in

in ſanis alioquin fœminis, aut virginibus per plures menſes ſine ſymptomatum atrocia procedere. Nihilo minus tamen tarditate ſua ſexui delicatiori & munditiei dedito valde eſt incommodus & tædioſus, eo quod colorem faciei roſeum cum tempore inde amittunt, nonnullæ valde inte triſtantur & melancholicæ fiunt, quia maritis & ſponſis exoſæ evadunt. Alia vero eſt ratio fluoris albi, qui ex ſumma ventriculi imbecillitate & malo corporis habitu oriundus nimium invaluit, aut alios graves morbos ſubſequitur, quippe qui, omnes partium functiones lædendo, ingentem in univerſo corpore mutationem inducit; oritur enim non raro ſumma macies cum lenta febre & ſterilitas quoque inde emergit, uti jam dudum docuit HIPPOCRATES *ſect. V. aph. XLII. quæ præhumidos habent uteros, gravidari nequeunt; exſtinguitur enim in ipſis genitura.* Et *lib. de ſterilitate: ſi uteri lubrici fuerint, mulier non concipit, ſemen enim foras elabi ſinunt.* Deinceps ex fluore albo diutius laborantes facile & frequenter patiuntur abortum, quia laxato nimium uteri tono conceptus non ſatis firmas radices agere poteſt, ſed aſſidua illuvie corrumpitur & foras ejicitur. Sequitur quoque ex hoc malo non raro uteri procidentia.

## *CURATIO.*

### §. I.

*Cauſæ difficilioris curationis.* Quum valde pertinax ſit, ſi radices egerit malum, & difficilis admodum curationis, ita prorſus, ut inter medicorum ſcandala non immerito referri debeat; non abs re ſed operæ erit pretium, tam difficilis ſanationis cauſſas paullo accuratius inquirere. Ex quibus prima mihi videtur, quod medici proximam hujus morbi cauſſam in ſola tantum impuritate & nimia ſeri colluvie conſtituant, quum tamen potius ad uteri vitium, ubi mali ſedes eſt, ejuſque vaſorum deſtructum tonum reſpicere deberent, non omiſſis iis remediis, quæ ſordes expurgant. At certe præſtantiſſimis roborantibus & magno negotio opus eſt, ad naturalem & valde deperditum utero vigorem reparandum, idque ob ingentem vaſorum inter ſe complicatorum copiam & hinc dependentem ſegniorem ſanguinis per ipſa tranſitum, quo vaſa & glandulæ nimis relaxatæ tono ſuo deſtituuntur. Dein inter cauſſas difficilioris ſanationis & illud referendum eſſe puto, quod medici plerumque vel prorſus non, vel ſaltim levi admodum cura ad primam mali originem, quæ in ſumma ventriculi imbecillitate reſidet, reſpiciant. Quod ſi enim digeſtio ciborum minus rite ſuccedit, pravi accedunt ſucci ad ſanguinem, & eupepta quoque in bilioſam vel pituitoſam amurcam convertuntur, quæ faſtidioſum vel pinguedinis rancidæ, vel dulcedinis quaſi melleæ, vel acoris & nidoris ſenſum ingignunt. Niſi itaque in prima ſtatim regione vitium corrigitur, fruſtranea ſunt, quæ ad ſanguinem depurandum & humores vitioſos exterminandos adhibentur remedia. Nec denique ex cauſſis ægræ ſanationis omittendum eſt, quod per naturam ſuam mulieres ita ſint comparatæ, ut rarius diæteticis medicorum præceptis obediant, ſed ad ingenium ſuum viventes iis omnibus, quæ ad fluxum hunc proritandum facere poſſunt, uti ſunt vita deſes, fructuum dulcium, acidorum, farinaceorum & infuſi quoque Coffee abuſus, potio parcior & ſomnus longior, ventris & inferiorum partium refrigeratio, fumus calidus ex ignitis carbonibus hiemali tempore in naturalia admiſſus, nec non potus frigidus corpori æſtuanti ingurgitatus, &c. nimium indulgeant: utpote quæ omnia ſanitati ſunt infeſta; longe tamen majorem noxam eo tempore adferunt, quo jam uterus labem quandam, v. g. per partum, abortum vel alium graviorem morbum perpeſſum contraxit.

### §. II.

*Indicationes curatoriæ.* Quod ad generales & curatorias attinet indicationes, qua ratione iſtæ ſint expediendæ, paucis explicabo. Ante omnia prima regio, & univerſum corpus à nimia ſeri colluvie per congrua evacuantia & ſolennia naturæ emunctoria eſt liberandum. Deinde tonus & robur uteri deperditum præſtantiſſimis tam internis, quam externis remediis debet reſtitui, quo facilior & expeditior ſanguinis & humorum per ejus vaſa fiat progreſſus, & inde moleſtæ pravorum humorum ſtagnationes ac ſeceſſiones pororumque & glandularum relaxationes tollantur, ac ulteriores avertantur. Poſthæc ventriculi habenda eſt ratio, quo boni ſucci ad ſanguinem ferantur, qui vitioſos corrigant & bonos laudabileſque amiſſos reſtituant. Denique, ſi malum gravius eſt & ſimul cachecticum, opera danda eſt, ut tota ſanguinis & humorum maſſa in meliorem reducatur temperiem, excretiones naturales promoveantur & viſceribus priſtinum ſuum robur ac naturalis reddatur functio.

### §. III.

*Optime ſunt rhabarbarina ſub varia forma exhibita.* Primo itaque ſtudendum eſt, ut primæ viæ à ſordibus excrementitiis repurgentur: quod tamen non per remedia valide commoventia ac purgantia, ſed potius per benigna & mitiora, quæ repetita doſi data per epicraſin operantur, debet præſtari. Atque in eo conſentientes habeo peritiores artis noſtræ antiſtites, è quorum numero vel unicum allegaſſe ſufficiat, doctiſſimum RIVERIUM, qui *cent. III. obſ.* 82. teſtatur, ſe fruſtra tentatis aliis remediis, in ptiſana laxante certum ac fidum inveniſſe auxilium, eaque ſola per menſem integrum uſurpata mulierem diuturno fluore albo laborantem ſanaſſe; quod medicamentum *in praxi lib. XV. cap. IV.* rurſus valde commendat. Ex omnibus vero laxantibus in hoc morbo proficuis certe eminent rhabarbarina, eo quod præter laxantem, etiam blande balſamicam & amaricantem recondunt virtutem, quæ acidum vitioſum corrigit parteſque ſimul dejectas egregie roborat. At vero ne ſeligatur rhabarbarum leve & carioſum, ſed, quod optimum eſt, ſolidum, ſincere moneo. Poteſt hoc medicamentum cum aliis appropriatis commode remiſceri & vel in forma pulveris, vel infuſi & decocti, vel etiam in extractum & eſſentiam redactum exhiberi. Pulvis ita componitur: recipe rhabarbari optimi drachmam dimidiam, terræ foliatæ tartari grana XII. M. detur pro una doſi. Infuſum utiliſſimum hoc modo eſt præparandum: recipe rhabarbari opt. drachmas ſex, radicis zedoariæ, ariſtoloch. rotundæ, pimpinellæ, cort. aurantior. ana drachmas tres, ſeminis dauci, aniſi ſtellati, ſalis tartari ana drachmam unam & dimidiam. M. F. ſpecies pro una vini menſura. Extractum optime ingreditur pilulas, quæ laxantem & roborantem exſerunt virtutem, ſi ita conficiuntur: Sumatur extracti rhabarbari, aloes roſatæ, gummi

 galbani,

galbani, myrrhæ elect. gummi hederæ, ſandaracæ, extracti ariſtoloch. rotundæ, ſuccini portione anatica drachma una. Fiant cum eſſentia balſami Peruviani pilulæ ex ſcrupulo uno, no. XX.

§. IV.

*Quæ conferant, ſi cachexia complicatur?*

Quando cachexia urget & ventriculi magna adeſt imbecillitas viſcerumque laxitas, nunquam non præſtantiſſimæ deprehendi efficaciæ, quæ ſequuntur medicamina: Recipe croci martis tenuiſſimi, ſive antimonii martialis cachectici, fœculæ ari, ſalis abſynthii, ſolution. oculor. cancr. ſingulorum drachmam unam, corticis caſcarillæ, ſuccini, cinnabaris, ana drachmam dimidiam, olei ligni ſaſſafras guttas VI. M. F. pulvis, qui ad drachmam unam cum aqua vino diluta mane poteſt exhiberi, cujus tamen operatio longe conſpectior erit, ſi infuſum Theiforme, ex herba meliſſæ, menthæ, urticæ mortuæ, ſalviæ, ſemine dauci & aniſo ſtellato paratum ſuperbibatur. Poſt hæc ad robur uteri reſtituendum, neque minus ad amurcam diſſolvendam & exturbandam longe utiliſſimum erit hocce remedium: recipe eſſentiæ ſuccini, ligni aloes, tincturæ antimonii acris, liquoris noſtri mineralis, ſpiritus cornu cervi ana unciam dimidiam, quod ad guttas L. pro re nata cum infuſo Theiformi, vel vino diluto poteſt aſſumi.

§. V.

*Quæ proſint externa?*

Hactenus dicta certe ſunt pulcherrima & appropriata adverſus noſtrum malum medicamina, ſed opus etiam eſt, ut externis eorum virtus ſecundetur, quæ inter diuturno uſu comprobata laudem merentur balnea, cum ſpeciebus roborantibus, nervinis, ſale oleoſo volatili refertis, præparata, quarum cenſum ſubeunt herba majoranæ, ſatureiæ, thymi, meliſſæ, calaminthæ, matricariæ, abrotani, origani, roriſmarini, hyſſopi, flores chamomillæ romanæ, baccæ lauri, juniperi, &c. quæ includi debent ſacculo & per horæ dimidium in aqua leniter decoqui. Talis ſacculus dein, dum ægra balneo inſidet, regioni uterinæ eſt imponendus. Nec extra balneum inconſultum eſt, ſacculos ejuſmodi tenuiores, in vino rubro leniter decoctos per noctem inguinali regioni applicare. Præterea quoque laudem externe merentur ſuffimigia, quæ ex tacamahaca, maſtiche, ſuccino, benzoe & thure confici & ad uterum admitti commode poſſunt.

§. VI.

*Diæta.*

Quod ad diætam attinet, ſub hac cura pauco, tenui & eupepto cibo opus eſt, abſtinendo ab omnibus carnibus, præſertim durioribus, pinguibus, infumatis, piſcibus marinis, neque minus à leguminoſis, acidis & dulcibus, lacticiniis, farinaceis, & aſſatæ carnes præferri debent elixis. Pro potu ordinario commendamus decoctum ex radice chinæ, ligno ſaſſafras, ſantalo rubro & flavo, ligno lentiſco & cinamomo. Vinum etiam bonum Hungaricum moderate inter cibos ſumtum coctionis imbecillitati ſuccurrit utiliſſime.

*CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.*

§. I.

*Circa adſtringentia.*

In fluore albo, ſive ſimplici, ſive virulento, vel etiam in menſibus decoloribus, adſtringentibus tam internis quam externis nihil pernicioſius eſt; ſiquidem inde materia ſeroſa in utero ejuſque vaſis retenta in maſſam ſæpius valde tenacem concreſcit, qua non modo excretio hæc impeditur, ſed ingens quoque & ad tactum durus tumor in regione pubis non raro ſubnaſcitur, qui, niſi cito ſuccurratur, nunquam fere non gravia accerſit accidentia. Vidimus enim exinde lentas febres cum atrophia, phthiſin, purpuracea exanthemata, tumores tympaniticos, & erodentes in faucibus defluxiones uvulam & amygdalas peſſime adficientes, nec non uteri ſcirrhos, apoſtemata & exulcerationes pæne inſanabiles.

§. II.

*Circa peſſos & clyſmata uterina.*

Peſſi ſive clyſmata uterina ſicuti ab antiquitate ipſoque *Hippocrate* in mulierum adfectibus magno in pretio habita & in frequentiorem uſum tracta fuerunt; ita mirum videtur, noſtro tempore eorum uſum in praxi medica penitus evanuiſſe; cum tamen in certis caſibus & maxime, ubi ſubſtantia uteri læſa eſt, non ſine inſigni fructu eadem uſurpari experientia doceat. Vidimus enim in fluore albo inveterato, qui difficulter alias ſanabilis eſt, nec non in abſceſſibus & exulcerationibus peculiarem plane effectum. Nam ſicuti gonorrhœa tam benigna quam maligna in viris non facile, ſi inveteravit, ſine injectionibus ſanari poteſt; ita etiam in fluore albo neceſſe eſt, ut ad partem graviter adfectam & læſam medicamenti accommodati virtus proxime accedat. In genere vero illud notandum arbitror, quod tales injectiones non ſimul ac ſemel & magna in quantitate, ſed crebrius & in refracta portione ad unciam ſcilicet unam vel duas adhiberi debeant. Vitanda autem ſunt omnia ſalſa, acria, nimis pinguia & lubricantia.

§. III.

*Circa thermas Carolinas.*

Thermæ Carolinæ utut in cachecticis deſideratiſſimam ferant opem, nihilo tamen ſecius ubi ſubſtantia uteri nimium læſa eſt, & nimia ſeri fit profuſio, multo vero magis, ſi fluor eſt venereus & exulceratio præſens & cum urina multum glutinis, quod fundum petit, cum dolore ſecedit, caute cum ipſis, ſive interne ſive externe adhibeantur, mercandum eſt. Utpote hæ aquæ propter calcariam ſubtiliorem, qua pollent, terram, externe valde conſtringunt, interne vero, ſi corruptio adſit, relaxatis & exeſis partibus ob nimiam copiam nocent. Melioris conditionis ſunt fontes, martiali principio imbuti, ut Lauchſtadienſes & Freyenwaldenſes, qui cum herbis nervinis decocti, ad ſerum ſuperfluum per tranſpirationem educendum, & affluxum ab utero avertendum, efficaciæ ſunt præſtantiſſimæ.

§. IV.

*Circa venæ ſectionem.*

Sæpius obſervavi à menſtruo fluxu per duos treſve menſes non ex graviditate, ſed aliis cauſſis retento ingentem ſanguinis profuſionem obortam fuiſſe, quam poſtea fluor albus excepit. Quare ad utrumque malum præcavendum venæ ſectio, expenſis prius omnibus circumſtantiis, adminiſtrata eſt utiliſſima. Namque uteri vaſa à nimia ſanguinis copia diſtenta ſuum amittunt tonum ac robur, ut ſolennes ibi fiant ſtagnationes non tam facile removendæ.

§. V.

### §. V.

*Circa balnea.*

Balnea tam ſicca quam humida ante convenientem corrigentium, roborantium & evacuantium uſum adhibita tantum non ſemper majori ſolent eſſe detrimento quam emolumento. Nam impuros humores, nimium commovendo, ex ignobiliori ſede ad nobiliorem ſæpe non ſine ingenti periculo appellunt. Balnea ſicca ſive laconica, ſi à ſuperfluo & excrementitio humido corpus prius probe liberatum fuerit, in fœminis phlegmaticis uſum omnino habent laudatiſſimum, dum externo calore, ſudorem eliciendo, partibus ob excretam nimiam humiditatem relaxatis priſtinum tonum ex voto reſtituunt.

### §. VI.

*Quæ proſint, ſi ventriculus cruditatibus ſcatet.*

Si ventriculus, ut ſæpe incidit, ingenti cruditatum ſentina ſcatet, cum fructu iteratis vicibus offeruntur blanda emetica, ex quibus radix ipecacuanhæ, quæ leniter roborat, & perſpirationem adjuvat, omnibus reliquis eſt præferenda. Nec ſuo fructu deſtituitur elixir noſtrum viſcerale cum eſſentia caſcarillæ remixtum & inter cibos adſumtum.

### §. VII.

*Circa ſuffimigia obſervatio.*

In inveterato fluore albo, ſi quid adhuc, cura finita, de fluido ex genitalibus exſtillat, præter jam dicta externa & interna, ſuffitus ex olibano, tacamahaca, maſtiche & ſuccino merentur laudari, quæ viæ ad uterum tendenti, commodo inſtrumento ſunt applicanda: quodammodo enim relaxatas glandulas roborant.

### §. VIII.

*Cautela circa curationem mali in fœminis ſcorbuticis, venereis &c.*

Quandocunque fœminæ ſcorbuticæ, imo venereæ, vel quæ crebrius purpuram rubram patiuntur, hac fluxione pernitioſa corripiuntur, abſtinendum omnino eſt à calidioribus purgantibus & balneis, ſed mitiſſime ſunt primis temporibus tractandæ diaphoreticis fixioribus, & ejuſmodi medicamentis, quæ corruptioni lymphæ maxime obſiſtunt. Ego igitur tali in caſu cum fructu adhibui pulverem noſtrum bezoardicum cum uno alterove ſulphuris antimonii noſtri grano maritatum, atque ſimul decoctum præſcripſi, quod ſolet in lue venerea ex lignis & radicibus ſanguinem depurantibus, addito antimonio crudo, comparari. Et ſi corpus per menſem & ultra ita fuerit præparatum, interna pariter ac externa cum meliori fructu pro ſanatione poſſunt adhiberi.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Fluor albus cum aliis malis complicatus.*

Pervenerunt haud ita pridem ad me doctiſſimæ celeberrimi Pariſini medici & Archiatri Regii litteræ, quæ accuratam morbi noſtri cum mille aliis malis complicati exponebant hiſtoriam, quam non poſſum non integre huc tranſcribere. Nobiliſſima matrona annos XXXV. nata, partium omnium ſymmetria rite conſtituta, latoque ſatis pectore, ſed à patre genita, qui phthiſicus interiit, ætatis anno XX. veneream luem à marito contraxit, unde, brevi interpoſito temporis ſpatio, hydrargyroſi rite adminiſtrata optime convaluit. Quinto vel ſexto anno poſt ex peripneumonia graviter ægrotavit, quæ in ſuppuratum verſa eſt, & per anacatharſin feliciter expurgata. Inde tamen quinque circiter abhinc annis variis cœpit morboſis ſymptomatis conflictari, quæ nunc ſigillatim recenſenda veniunt, ſed paucis, nam ut vulgari fertur axiomate, *intelligenti pauca.*

I. Laborat ægrotans ventriculi imbecillitate tam varia & ſibi jam parum conſtante, ut modo rite appetat, & rite concoquat: modo appetat debilius, & ignavius quoque concoquat: plerumque appetat quidem ſatis bene, ſed tam male concoquat, ut cibaria, etiam eupepta, in bilioſam amurcam, vel in pituitoſos mucos, quod ad maximam partem, convertantur. Alvus aliquando ſatis libera, pigrior aliquando. Interdum nulla anxietate premitur ſtomachus, ſæpius vero aliquot poſt paſtum horis inaſſueto pondere, quod ad cardialgiam proxime accedit, gravatur, & ægra faſtidioſum vel pinguedinis rancidæ, vel dulcedinis quaſi melleæ ſenſum experitur: numquam vero, vel rariſſime ſaltem, acorem nidoremve ullum empyreumaticum.

II. Interdum, ſed maxime dum inſtant catamenia, laborat ægra dolore in ovario dextro, dextroque uteri latere, qui non raro ad muliebria uſque extenditur, ſed ſubobſcure, & qui ſævit præſertim ſi ægrota erecto corporis trunco aliquamdiu pedibus inſiſtat, maxime ſtatim à paſtu. Ceterum menſtrua & ea, qua par eſt quantitate, & ſtato, quo debent, tempore ſolent utplurimum profluere, quanquam contigerit non ſemel, ut tardius ſegniuſque manaverint. Apparet interdum fluor albus nec copia multus, nec colore aut acrimonia ullo modo vitioſus, qui menſtruorum eruptionem antecedit vel ſubſequitur, ſed quo nec eroſionis, nec caloris ullus in muliebribus ſenſus inducitur. Matrona de qua quæſtio eſt, peperit olim ſemel atque iterum ante contractam luem veneream, ſed parturitio fauſta, partuſque vitales fuere, atque optima ſanitate etiamnum fruuntur.

III. Quod nunc potiſſimum eſt, & de quo peritiam tuam poſtulamus, Vir illuſtr. en paucis accipe. Aegrotans ab eo tempore, quo ex peripneumonia graviter decubuit, ſolita erat interdum è pulmone & ex illo pulmonis loco, ubi peripneumonia ſedem habuit, exſcreando mane emittere, ter aut quater in menſe, ſputum unum vel alterum, ſpiſſum, rotundum, cineritii coloris, aquæ præponderans, ſed non graveolens. Jam vero circiter ab uno menſe derepente & abſque ſenſibili quavis cauſa, tuſſiendo ſputa aliquot ejecit ſanguinea, ſeu potius pituitoſa ſanguine vivido & rutilante imbuta, vel ſtriatim interſperſa, quæ larga venæ ſectione in brachio, bis intra horas ſex repetita, celerrime & feliciſſime cohibita ſunt. Inde neque febre ulla, neque ullo ſpirandi labore, neque ulla omnino tuſſi ægra tentata fuit, ſed jam ab aliquot diebus queritur ſe experiri quendam doloris obſcuri ſenſum in ſuperiore & dextra thoracis parte, è regione tertiæ vel quartæ coſtarum ſuperiorum, ſcilicet in eodem loco, ubi olim latuit abſceſſus, in quem peripneumoniam degenerem fuiſſe ſupra dictum eſt. Ab eo vero tempore matutinis horis, ubi primum expergiſcitur, unum alterumve ſputum educit è pulmone, facillimo quidem niſu & fere ſine tuſſi, ſed quod plerumque cineritii, griſei, ſubfulvi coloris eſt, aquæ præponderat, læve eſt & ſpiſſum,

&

& ad puris concocti naturam videtur paullo nimis accedere, ſi revera purulentum non ſit. Ceterum ægrota febre, tuſſi, dyſpnœa omnino vacat, & in utrumque latus perinde jacet ſine noxa, etiam in ſitu corporis plane horiſontali, qui nobili matronæ connaturalis eſt. Notari autem velim ægrotam, ante brevem illam hæmoptoen, qua laboravit ſemel, ut modo dictum eſt, lacte vaccino per duos aut tres menſes uſam fuiſſe ſemel in die: initio quidem ſolo, vel cum admixta aqua communi, ſed minus feliciter, utpote quod ventriculo noxam inferebat: poſtea vero cum aqua Spadana ad medias partes addita, unde ventriculus melius quidem habuit, ſed menſtruorum fluxus tardior parciorque evaſit, atque tuſſis quædam ſicca & quaſi convulſiva & hyſterica per duos menſes ægrotam pertinaciter cruciavit. Porro non omittendum cenſeo, tot tamque variis morboſis ſymptomatibus, inſultus quoſdam hyſtericos, ſed leviores, quos *vaporoſos* vocant, interdum ſuperadjici, maxime dum inſtant catamenia, aut à ſtata periodo paullo diutius ceſſant, quo tempore ægrota de quadam pectoris anguſtia quaſi ſpaſmodica, de diſtractione mediaſtini & de continua ad tuſſiendum propenſione queri ſolet. Demum quamquam ægrota medicis præſcriptis obſequium non deneget, ſtomachus, ſive natura, ſive ex antiquo vivendi more, in concoquendis cibis ita varius illi eſt atque mutabilis, ut qui uno die proficere viſi ſunt, noceant ſequente, unde evenit, ut habenæ diætæ ſeverioris interdum remittendæ ſint: ſiquidem experientia compertum eſt, quod & ab Hippocrate dictum tenes, cibos ab ægrotante avide expetitos felicius, promtius & minore tumultu confici, utcunque paulo magis dyſpepti videantur, quam qui concoctu faciliores eſſe cenſentur, ſi eos ægrotæ palatum reſpuat. Eſt tamen modus indulgentiæ noſtræ, ſunt certi denique fines, intra quos ægrota, nec reluctans, ſeſe contineri facile patitur.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Eſt omnino hæc adfectio inter graves, diuturnas, curatuque difficiliores & eventu ancipites referenda. Totus enim corporis habitus tam quoad ſolidas & fluidas partes, quam quoad functiones vitiatus videtur. Pulmones in dextro latere cavitatem recondunt ulceroſam calloſitate obductam, quæ ex peripneumonia ante ſex annos contracta, temporiſque ſucceſſu ita adaucta videtur, ut timor ſit, ne in majorem corruptionem & febrilem hecticum calorem ex facili tranſeat. In uteri quoque dextra regione non exigua delitеſcit labes & obſtructio, quæ ingraveſcens menſium pariter negotium in ordine magis turbat, unde fluoris albi & pathematum ſpaſmodicorum, ſeu hyſterico-hypochondriacorum origo, quæ, dum totum nervoſarum partium ſyſtema in conſenſum rapiunt, quantas in œconomia motuum vitalium excitent turbas, res artis perito non obſcura, ſed ſatis clara ac evidens eſt. Foventur autem & augentur ſingula hæc mala, ut ego quidem arbitror, à vitioſa ventriculi & primarum viarum imbecillitate pravaque alimentorum digeſtione, qua fieri ſolet, ut loco chyli probe temperati & ſubtilioris, qui materiam boni ſanguinis, lymphæ nutritiæ & tenuiſſimi cerebri atque nervorum fluidi ſuppeditat, ſucci crudi, lenti & viſcidi ad ſanguinem delati minima emunctoriorum vaſcula, per quæ optime fit chyli & ſanguinis depuratio, obſtruant; unde ortus mali cachectici, quo primario Illuſtriſſima noſtra laborat. Quod ſi itaque adhuc ſpes recuperandæ ſanitatis, vel mitigandæ adverſæ valetudinis ſupereſt, meo quidem judicio, initium curationis moliri oportet à reſtituendo ventriculi & primarum viarum robore ciborumque digeſtione promovenda. Ad quem ſcopum obtinendum primo omnium exquiſita diætæ vel accuratioris vitæ regiminis habenda erit ratio. Sicut enim apud fœminas, quæ molliori & ſenſibiliori præditæ conſtitutione deſidiæ, ſomno variique generis eduliis & animi adfectibus indulgent, mali cachectici, hyſterici & hypochondriaci facilis fit proventus; ita etiam, niſi hæc omnia, quæ cauſſam morbo dederunt antecedentem, rite ſubmoveantur, ſupervacanea eſt omnis reliqua per medicamenta curatio. Quod ad ipſa remedia attinet, quæ noſtræ ægrotanti exiſtimem proficua, primo omnium ſuaderem, ut prima regio à ſentina & illuvie vitioſorum humorum per lene & benignum emeticum expurgetur, exhibendo videlicet, prout ventriculus magis vel minus ſenſibilis eſt, ſcrupulum unum, vel grana XXIV. radicis ipecacuanhæ. Hæc quippe radix ſine omni noxa ventriculi & duodeni cavitatem a ſordibus inibi hærentibus, quæ inſtar fermenti chylum inficiunt & contaminant, liberat, perſpirationem ſimul egregie adjuvat, tonumque & robur ipſis partibus conciliat, ideoque pro circumſtantiarum ratione bis vel ter tertio die poteſt iterari. Subjungenda poſtea ſunt temperata balſamica, quæ digeſtionis negotium promovendo tonum ventriculi corroborant. Quo fine in uſum trahi poteſt elixirium, quod ex cort. aurantiorum recent. uncia dimidia, extracti abſynthii, gentianæ rubræ, caſcarill. myrrhæ elect. ana drachma una, ſalis tartari drachmis tribus cum aquæ menthæ unciis octo compoſitum, vel ſolum vel cum quarta parte ſpiritus nitri dulcis aut liquoris noſtri anodyni remixtum ad LXXX. vel C. guttas intra prandium & quatuor horas poſt cum potu ordinario poteſt exhiberi. Hoc enim medicamentum valde temperatum ſtomacho, pectori & utero eſt amicum, nec ullam in ſanguine excitat commotionem, ſed ut ejus uſus per longum tempus continuetur neceſſe eſt. Poſthæc commendarem, ut alternis diebus circa lecti introitum numero decem offerantur pilulæ, hujus compoſitionis: Rec. extracti rhabarbari, zedoar. myrrhæ, ſuccini ana drachmam unam, extracti caſtorei ſcrupulum unum. M. F. cum eſſentia balſ. peruviani pilulæ ex ſcrupulo uno no. XX. Poſtero die mane drachma dimidia pulveris leniter aperitivi ex lap. cancror. irid. florent. ana drachmis duabus, ſolutione ocul. cancr. cum ſucco citri, ſalis polychreſti, nitri purif. ana drachma una conflati cum fructu erit ſumenda, deſuper bibendo infuſum Theiforme, quod ex herba veron. meliſſæ, pulmonar. maculoſ. & aniſo ſtellato poteſt componi. Pro potu ordinario, cujus ſumma eſt in diuturnis adfectionibus ſanandis efficacia, ſuaderem decoctum radicis chinæ & ſarſaparill. cum paſſulis, addita in fine coctionis cinamomi portione acuatum & cum pauxillo vini, inter cibos potiſſimum remiſcendum. Cæterum moderationem in ſanguine mittendo plurimum commendo. Vidi ex relatione ad præcavendam hæmoptoen, intra ſex horarum ſpatium bis largiter è vena tuſa ſanguinem detractum; nollem

teiſtem tamen in noſtris regionibus, ubi ſanguis non adeo ebullit, id imitari. Nam in ſanguine, niſi nimium exundet, virium latet theſaurus, qui ſi ſupra modum ſubtrahitur, minima viſcerum concidunt & anguſtantur; unde non modo utilium ſuccorum ſecretio & inutilium excretio imminuitur, ſed & vis digeſtrix & tonica ventriculi & inteſtinorum mirum labefactatur, ut periculum ſit, ne ſtatus cachecticus inde plus increſcat, quam decreſcat. Idem ſentiendum velim in hoc morbi ſtatu de cura lactis, quæ licet, ſi præſertim cum aquis mineralibus inſtituatur, in pectoris adfectibus egregio ſit ſolamini, in noſtra tamen ægrota ventriculum magis debilitare, menſiumque negotium retardare, quam proficere videtur. Et hæc ſunt quæ circa Illuſtriſſimæ perſonæ curationem vernalem proponere placuit.

### Observatio II.

*Fluor albus à menſium retentione.*

Illuſtri loco nata femina, triginta annorum, conſtitutionis tenerioris, in loco degens mari vicino, vitæque ſedentariæ & cibis durioribus, ut piſcibus marinis, præſertim oſtreis, adſueta, per annum fere, parcum & inordinatum menſium fluxum experta, jam albo tentatur fluore moleſtiſſimo, facies incipit palleſcere, corpus marceſcit & animus quoque ad triſtitiam & metum nunc longe magis, quam antea pronus horrenda ſibi fingit pericula, maxime quando matris, eodem adfectu olim detentæ, ſubit recordatio. Ne itaque malum majora ſumat incrementa, meam ægra imploravit opem.

*Epicriſis cum conſilio.*

Ventriculi imbecillitati & pravæ ciborum digeſtioni ego præcipue omnium in hoc caſu ſuccurrendum ratus, primo blandiori emetico, radice videlicet ipecacuanhæ ad drachmam dimidiam cum decem tartari vitriolati granis bis in ſeptimana exhibita primam regionem a vitioſorum humorum ſaburra expurgandam ſuaſi. Dein ſingulis hebdomadibus pilulas noſtras balſamicas cum extracto rhabarbari mixtas capiendas commendavi, intermedio vero tempore vinum ſtomachale, egregiæ virtutis ad tres quatuorve uncias mane hauriendum imperavi, cujus hæc erat compoſitio: recipe radicis zedoar. calami aromatici, enulæ ana unciam ſemis, herbæ abſynthii, roriſmarini, marrubii albi, menthæ, ſalviæ, centaurii min. ſingulorum manip. unum, baccar. juniperi unciam unam. Conciſa contuſa infundantur in vini Canarienſis menſura una & dimidia, calidoque loco reponantur. Coletur uſus tempore & per menſem hæc cura continuetur, addito monito, ut corpus moderato motu frequentius exerceatur & cibi capiantur eupepti, abſtinendo à victu duro & craſſiori, cui oleracea, lacticinia, farinacea & acida jure debent adnumerari. Et hac medendi methodo ego affectum hunc recentem ex mala digeſtione ortum, niſi jam in cachexiam degeneraverit, in aliquot feminis ſanavi feliciſſime.

### Observatio III.

*Fluor albus poſt crebriorem abortum.*

Femina, triginta & aliquot annorum, macilenta, poſt abortum tertia vice paſſum, per annum & ultra fluore albo correpta fuit ſatis moleſto, menſibus inordinate & interdum largiter profluentibus. Ordinavi pilulas, quales in curatione præſcripſimus, balſamicas, circa tempus decubitus per triduum devorandas, deſuper bibendo poſtero die mane vinum laxativum uterinum ad tres circiter uncias. Iiſdem diebus immittendam juſſi ægram balneo aquæ dulcis cum herbis roborantibus, ſacculo incluſis decocta temporeque inſeſſus ſacculum hunc inguinali regioni imponendum. Interjecto trium dierum intervallo priſtinam curam per totidem dies repetendam ſuaſi; idque rurſus tertia vice, hac tantum cautela, ut ſub quavis cura novæ herbæ pro balneo ſumantur. Denique uterum thure, maſtiche & ſuccino incenſis commendavi ſuffumigandum, rectamque vitæ rationem per longum adhuc tempus continuandam injunxi. Qua methodo, quum non modo per alvum, ſed per uterum quoque ingens humorum ſentina fuerit expurgata, optima hæc femina, ſicut plures aliæ pertinaci & moleſtiſſimo hoc adfectu laborantes, priſtinam recuperavit ſanitatem.

*Epicriſis.*

Quando auſpicato ſuccedere contumacis fluoris albi curatio debet, non ſatis eſt primam regionem & univerſum corpus a colluvie ſeri vitioſi liberare, ſed omnium maxime uteri habenda eſt ratio, ut is ipſe nimis relaxatus & humorum viſcidorum copia fartus roboretur, quod per balnea jam laudata, herbis nervinis & aromaticis efficacia reddita expediri poteſt commodiſſime. Et quoniam plerumque ſterilitas vitioſam ejuſmodi uteri fluxionem comitatur, eadem hac methodo hæc ipſa poteſt tolli & exoptata fœcunditas reddi.

### Observatio IV.

*Fluor albus cum ſtatu cachectico atrophico.*

Illuſtris matrona viginti ſeptem annorum, conſtitutionis valde teneræ & temperamenti ſanguineo-phlegmatici, ante novem circiter annos poſt puerperium, lochiis ceſſantibus, moleſto albæ viſcidæque materiæ ex genitalibus profluvio cœpit laborare: quod inter initia, cum parum exinde perceperit incommodi, non adeo multum æſtimavit. At vero invaleſcente hoc malo, cum multa alia accederent ſymptomata, plures conſuluit medicinæ peritos, quorum quidem ope ſe levatam paululum vidit, penitus tamen liberari nunquam potuit. Jam brevi abhinc tempore fluxus tanta ſumſit incrementa, ut non modo copioſior ex genitalibus feratur, ſed &, menſibus durantibus, non ceſſet: unde vires valde decreſcunt, atque pedum tanta eſt imbecillitas, ut vix viginti paſſus ſine ingenti virium defectione progredi ægra poſſit. His accedit ſumma cutis ſenſibilitas; ſiquidem ſub quavis fere aëris mutatione ſubito corripitur rheumatiſmo, cum cephalalgia, doloribus odontalgicis & faciei eryſipelate ſtipato. Haud ita pridem, accepto triſti de ſubita propinqui morte nuncio, vis morbi ita invaluit, ut nec extra lectum eſſe, nec ſomnum capere poſſit. Imo nunc quoque, per intervalla, quod peſſimum eſt, frigus accedit, extremorumque tremor ac animi deliquium. Tam miſere itaque adflicta ægrotans meum requiſivit per doctiſſimum medicum conſilium.

Epi-

*Epicriſis cum Conſilio.*

In præſenti hoc caſu non tam ad fluorem album, quam potius ad ejus effectum ſeu ſtatum cachectico-atrophicum ſummamque virium proſtrationem reſpiciendum exiſtimavi. Quam difficile autem ſit, in tam depravato temporiſque diuturnitate confirmato adfectu convenienti medicina ſuccurrere, abunde ſatis notum eſt. Si qua tamen recuperandæ ſalutis ſpes ſupereſt, ita curationem ſuſcipiendam eſſe edixi. Primo omnium, injuncto accuratiori vitæ regimine, uſum elixirii noſtri viſceralis cum cibo bis de die ad LXXX. guttas commendavi. Dein curam præſcripſi fontis Selterani cum tertia parte lactis aſinini remixti, exhibendo per menſis ſpatium ſingulis diebus mane menſuram dimidiam & ultra. Omni triduo, ad moderandum fluorem uterinum circa decubitum dari juſſi no. XI. pilularum balſamicarum; exterius vero ſuccurrendum duxi ſuffimigio, & epithema ex aceto florum ſambuci cum aqua reginæ Hungariæ æquali portione remixto, inguinali regioni applicandum ſuaſi.

OBSERVATIO V.

*Fluor albus à laborioſo partu.* Femina viginti annos nata, conſtitutionis quoad corpus tenerioris, quoad animum valde ſenſibilis, cibis dulcibus, fructibuſque horæis & lacticiniis nimium indulgens vitamque amans ſedentariam, à primis adoleſcentiæ annis perpetuo fere viſcidi muci per nares ſtillicidio laboravit. In conjugio primum gravida partu functa eſt admodum laborioſo, idque propter paullo vehementiorem ſecundinarum extractionem, & inde obortum dolorem valde acutum. Neque dein lochiorum fluxus, ut debuit, ſucceſſit, ſed omnino fere ſubſtitit; unde febrem incidit optima mulier valde acutam, à qua tamen brevi poſt convaluit. Retinuit vero ab infelici hoc puerperio magnam uteri atoniam, & perpetuum fere ſeri albicantis & putridi ex ſinu ejus profluvium, quod poſt menſium effluxum ſemper infeſtat gravius. His accedunt adhuc aliæ rectæ valetudinis læſiones: nam à frigore admiſſo, vel flatulento cibo adſumto, aut à levi quadam animi commotione, dolore lumborum adficitur valde gravativo, macilenta in dies magis redditur, & veſperi inferiores pedum partes tumidæ conſpiciuntur. Durarunt ſingula hæc mala per integros ſex menſes, quare ne his pejora adhuc eveniant, meum maritus efflagitavit conſilium.

*Epicriſis.*

Meretur attentionem in præmiſſa morbi hiſtoria, quod humoris ſeroſi ex muliebribus profluxio violentum partum & vehementiorem ſecundinæ evulſionem exceperit, quale quid mihi in artis exercitio annotare licuit ſæpiſſime. Namque tali ratione non exigua utero inducitur læſio & atonia, quæ plerumque majorem ſanguinis affluxum & decubitum poſt ſe trahit, quo fit, ut ſerum per poros & meatus nimis patulos ſecedat, & copioſe nonnunquam ex pudendis promanet. Augetur vero hic fluxus circa tempus menſium, quia tunc majori niſu & copia ſanguis ad uterum confluit, à quo major ejus relaxatio ſequatur neceſſe eſt. Dolor lumborum, qui fere individuus diuturnioris albi profluvii comes eſt, ſanguinis ſtagnationi & diſtenſioni vaſorum tam ſpermaticorum quam hypogaſtricorum, quæ ſanguinem ad uterum vehunt & revehunt, debet adſignari. Namque difficiliori reddito ſanguinis per uteri venas regreſſu, is ipſe in vaſis adducentibus accumulatur, eademque nimium diſtendendo partes adjacentes nervoſas comprimit, unde doloris ſenſus. Quod curationem attinet, conſilium dedi, ut per tres continuos dies pilularum mearum balſamicarum no. XV. circa decubitum, poſtero die vero mane doſis pulveris ſalino-nitroſi ſumatur, idque aliquoties, interpoſitis ſemper aliquot diebus, repetatur. Pro potu præſcripſi decoctum maſtichinum cum pauxillo cinnamomi acuatum & inter cibos cum vino remixtum. Ad uterum roborandum exterius commendavi ſuffimigia ex ſandaraca, maſtiche, benzoe & cinnabari vulgari confecta, ſæpiuſque inguinali regioni imponendos ſuaſi ſacculos herbis nervinis repletos & ex vino rubro coctos; interne vero eodem fine balſamum noſtrum vitæ cum tinctura tartari æquali portione remixtum cum infuſo theiformi mane exhibere juſſi. Quæ methodus, ſubjuncto ſimul accuratiori vitæ regimine, opem attulit exoptatiſſimam.

OBSERVATIO VI.

*Fluor albus ex inordinato menſium fluxu.* Generoſa femina, viginti & aliquot annorum, temperamento prædita cholerico-melancholico, cui a primis pubertatis annis menſes fluxerunt parciores & decolores, ante dimidium fere anni circa menſtruam periodum ſat copioſo muci albi ex muliebribus vexatur profluvio; unde mille malorum circa id temporis origo. Nam ſubinde gravis capitis dolor affligit & exquiſitum refrigerationis ſenſum, *als wenn ein Stück Eis auf den Kopf läge*, inducit. Flatus hypochondria moleſte diſtendunt, alvus eſt adſtricta, urina ſecedit pallida, tranſpiratio fere nulla eſt, & circa veſperam horror invadit febrilis: extrema frigent, appetitus languet omneſque artus laſſitudo & gravitas occupat. Ad expugnanda hæc mala varia ægrotans adhibuit remedia, quæ tamen, neglecto vitæ regimine, parum vel nihil attulerunt levaminis. Ego igitur conſultus primo omnium accuratam diætam injunxi, & ut ægra à cibis craſſioribus, quos in deliciis habebat, ſedulo abſtineat, juſculiſque utatur tenuioribus cum radice cichorei, petroſelini, aſparagi, graminis &c. decoctis; ad meliorem autem digeſtionem promovendam obtuli elixirium noſtrum viſcerale inter cibos adſumendum. Dein ad primas vias à cruditatibus & ſordibus repurgandas, flatuſque diſcutiendos clyſteres emollientes & carminativos crebrius ano injici, & pilulas balſamicas ad Becheri mentem confectas, ter in ſeptimana circa decubitum adſumere juſſi. Poſt harum uſum ſequenti die mane præſcripſi pulverem ex lapidibus cancror. nitro depurato, tartaro vitriolato, ſolutione oculorum cancri componendum, deſuper bibendo vaſcula quædam infuſi theiformis ex meliſſa turcica & citri corticibus conflati. Potus loco ordinavi fontem Selteranum cum tertia parte vini Rhenani remixtum, & circa inſtans menſium tempus pilulas balſamicas reiterare imperavi. Exterius ſuccurrendum duxi ſuffimigiis, & ſacculis roborantibus inguinali regioni applicandis, nec non venæ ſectione ter in anno celebranda.

*Epicriſis.*

*Epicriſis.*

Siſtit hic caſus fluorem album cum adfectu hypochondriaco-hyſterico complicatum, de quo copioſus flatuum in abdomine proventus, pertinax alvi obſtructio, ciborum faſtidium, extremorum refrigeratio, totius corporis languor, crebriores capitis dolores cum horrore febrili abunde ſatis teſtantur. Originem ſuam ſingula hæc mala mutuari videntur a menſium fluxu valde inordinato, & quoad colorem vitiato, cui in ordinem redigendo omnis impendendus eſt medentis labor. Docemur præterea ex hac morbi hiſtoria, quantum interſit, ut medicus conveniens vitæ victusque regimen præſcribat, ita prorſus, ut hoc neglecto, fruſtranea ſit omnis reliqua vel pretioſiſſima medicina.

Plura hinc inde legantur in Conſult. & reſponſis noſtris medicinal.

---

## CAPUT XVII.

### *De gonorrhœa benigna & virulenta.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Gonorrhœa definitio.* INter morbos ex atonia partium ſolidarum oriundos, referri adhuc jure meritoque debet gonorrhœa, quæ nihil aliud eſt, niſi involuntarium ſeminis & liquoris ſemini analogi ex genitalibus ſtillicidium, à nimia vaſorum ſemen adſervantium partiumque adjacentium glanduloſarum laxitate dependens.

§. II.

*Differentia à pollutione.* Differt gonorrhœa à pollutione, in qua per intervalla vel breviora vel longiora modo ſeminis puri, modo cum ſero chyloſo mixti notabilis, ad unam vel duas drachmas accedens quantitas noctu cum inſomniis venereis & voluptate, interdiu ex pulchrarum fœminarum adſpectu, vel poſt equitationem, ob nimiam veſicularum ſeminalium vel glandularum proſtatarum laxitatem lenemque irritationem ſimul & ſemel ejicitur.

§. III.

*Species eſt vel benigna, vel minus talis.* Gonorrhœa eſt vel benigna, vel maligna. Hæc dicitur, ſi cum ardore, colore vario & exulceratione liquidum guttatim prodit, & plerumque in cacochymicis, ſcorbuticis, vel etiam calculoſis cum emiſſione urinæ dolorifica, ob acrimoniam, eſt conjunctum. Illa vero, ſeu benigna adeſſe dicitur, quando ſine dolore, ardore, aut excoriatione liquidi æqualiter tincti & albicantis fit profluxus. Atque hæc ſpecies cum fluore albo mulierum, magnam alit convenientiam, utpote qui itidem nihil aliud eſt, quam materiæ chyloſæ, ope glanduloſæ ſubſtantiæ uteri ſequeſtratæ excretio. Quam in rem legi meretur MASSARIAS, qui *lib. IV. p. 267. ego*, inquit, *ſentio, medicos frequenter hallucinari, qui opinantur, ægrotos profuſione ſeminis laborare, cum magis aliorum excrementorum fluxione laborent. Siquidem videmus plurimis ægrotis hoc profluvium multos annos perdurare, ex quo, profluente ſemine, neceſſarium foret, illos ad extremam maciem & corporis conſumtionem deduci, ſicut illis ſolet contingere, qui immoderato coitu utuntur, quod tamen non videmus illis evenire.*

§. IV.

At vero, non modo ea gonorrhœæ ſpecies, de qua *Maſſariæ* ſermo eſt, diutius protrahitur, ſed & de reliquis plura notatu digna exſtant exempla eorum, qui per multos annos utroque genitalium fluore laborarunt, Vid. BARTHOLINUS *hiſtoria XXXVI. cent. II.* ubi de *viro Bergonenſi*, & *Anat. lib. I. cap. XXIII. p.* 234. *de Batavino* mentionem facit, quorum ille per decem, hic per triginta annos gonorrhœam ſuſtinuerat, ille virulentam, hic incertam, an benignam vel malignam. Manſerat uterque cœtera ſanus, niſi quod prior oſſibus vix hæreret.

§. V.

*Gonorrhœa virulenta ſymptomata.* Datur etiam gonorrhœa virulenta, quæ à contagio venereo ſuos repetit natales, eosque potiſſimum adficit, qui turpiſſima libidine incenſi ſcorta ſequuntur. Atque talis fluxus purulenta variique coloris & conſiſtentiæ materia, nec non ſumma virium imbecillitate ſe manifeſtat. Junguntur quoque, niſi cito occurratur, ſat magni teſtium & glandularum inguinalium tumores, ulcera glandis & præputii inflammatoria, & membri dolorifica incurvatio: quid? quod urina mingitur multis referta filamentis, quæ quaſi vermiculos repræſentant. Si ingraveſcit malum vel inveteraverit, vel minus rite tractatum fuerit, miasma abit per vaſa lymphatica ad ſanguinem & fluidum tenuiſſimum ſanguinis inquinat; unde venereæ luis prodeunt indicia, qualia ſunt lancinantes capitis artuumque dolores, noctu potiſſimum exacerbati, faucium ulcera, oſſium naſi exeſio, puſtulæ in glandulis, cancri naturam æmulantes, macies univerſi corporis cum faciei pallore, oculis concavis, tophis quoque & hujus generis aliis.

§. VI.

*Hiſtoria curationis deſcripta.* Hæc ſunt generalia, quæ malignum hunc fluxum comitantur & excipiunt ſymptomata, accuratiorem tamen ejus hiſtoriam ſequentibus tradere juvabit. Breve tempus poſt tam infelicem coitum fluxus leviter incipit, & dein tertio, quarto & ſequentibus diebus ingraveſcit. Glans ſemine tenuiori incipit madere, poſtea alba quadam obducitur colluvie, & maculæ in induſio reperiuntur. Inter initia color materiæ profluentis eſt albicans, qui, ſi fluxus paullatim largior emanat, in flavum, & demum in viridem mutatur. Quando urina emittitur, primo in glande, tum in radice urethræ, demum per totum canalem dolor percipitur ardens & fere intolerabilis. Interdum continuus urget mingendi conatus, interdum mictio valde impeditur, & pene ſupprimitur, ſine dubio ob moleſtiſſimam penis tenſionem, quæ nocte ut plurimum cum magno cruciatu & duritie ingraveſcit, & tanta eſt, ut penis exinde incurvetur. Præterea inſignis ad venerem eſt ſtimulus, ut vix à coitu ſibi laborantes temperare poſſint, & ulcera quoque, ut

ut ſupra dictum eſt, non raro in glande & præputio latitant fœdiſſima.

§. VII.

*Sedes gonorrhœæ virilis.* Quod ſedem adfectam attinet, audiamus, quid de ea ſentiant auctores. GRÆFIUS in tractatu *de virorum organis generationi dicatis*, ipſam in proſtatis collocandam exiſtimat. VESALIUS *lib. V. anat. cap. XXI.* de ſuſpenſo quodam & Patavii diſſecto, qui ante ſuſpendium involuntario ſeminis fluxu laboraverat, refert, habuiſſe eum omnes meatus, atque eos potiſſimum, qui ex teſtibus in deferentis ſemen vaſis revolutiones pertingunt, apertos ac valde laxos, ideoque hos ipſos accuſandos putat. Nos tamen ſat gravibus inducti rationibus ſtatuimus, veram ſedem in urethræ tunica, copioſis glandulis, à COUPERO & LITTRIO detectis obſita, eſſe reponendam; licet non negandum ſit, ſi profundius malum, ut in gonorrhœa virulenta, proſerpit, proſtatas ſimul & veſiculas ſeminales contagio adfici. Id quod abunde ſatis teſtantur anatomicæ ſectiones eorum, qui per vitam ſuam tali fluxu diutius laborarunt. In his enim proſtatas calloſas, ſcirrhoſas & exulceratas nonnunquam fuiſſe obſervatas abunde conſtat.

§. VIII.

*Et mulierum.* In fœminis infectis ulcuſcula proveniunt in glandoſo corpore, ſive in eo loco, ubi lacunæ circum & in meatus urinarii exitu collocantur, erumpunt. Teſtis eſt GRÆFIUS in tractatu *de mulierum organis generationi dicatis*, qui in cadavere mulieris hoc vitio inquinatæ diſſecto, corpus glandoſum, ſive proſtatas urethræ circumpoſitas, utero ejuſque vagina innoxiis, male adfectas offendit. Et hinc patet ratio, quare fœminæ, ut multa teſtantur exempla, fœtum in utero gerere poſſint inſontem & tali labe prorſus non infectum. Aliter tamen ſentit PALMARIUS, qui in libro *de lue venerea* cap. IX. veſicæ collum adducit, ideo, quod ex ulcere cervicis veſicæ, à gonorrhœa curata reſiduo per totam vitam purulenta ſtillaverit materia, parum ab ea diſſimilis, quæ in diuturna gonorrhœa à proſtatis ex urethra ferri ſolet. Cæterum notandum eſt, in mulieribus hoc malum non ita ſævire ac in viris, ſiquidem fœminas infectas diu vivere ſinit, cum viros contra, niſi curetur, ad lethum ducat.

§. IX.

*Cauſſa gonorrhœæ virulentæ & ejus ſymptomatum.* Cauſſa gonorrhœæ virulentæ utique eſt miaſma, ex impuro coitu cum fœmina vel gonorrhœa maligna, vel lue venerea infecta ad viri genitalia, & poſtea per poros ad lympham vel liquorem ſeminalem translatum, cujus craſin mixtionemque naturalem plane deſtruit & diſſolvit, partim cauſticam ac erodentem, partim putredinoſam indolem inducendo, unde dolores, ardores, tumores, inflammationes & exulcerationes genitalium ſuam mutuantur originem. Nam ita fere procedit hujus miaſmatis multiplicatio, ut ab initio tantummodo glans inficiatur, dum contagium per poros apertos in coitu ſe inſinuat, dein, niſi accommodata ſuccurritur medicina, ad urethræ glandulas, tum ad proſtatas poroſas, demum ad ipſas veſiculas proſerpit ſeminales. Si lympha infecta per lymphatica vaſa, quæ COUPERUS à præputio ad inguina abeuntia demonſtravit, glandulis communicatur inguinalibus, tum bubo fit venereus, ſive tumor durus lentus ſenſimque indolens: ſi vero gonorrhœa profundior eſt, & circa initium urethræ, ubi ſeminales veſiculæ ſemen effundere ſolent, inflammatio oritur, tum hæc vaſcula à tumore comprimuntur, & ſemen ad has veſiculas deduci nequit; unde teſtium tumor.

§. X.

In cauſſa gonorrhœæ benignæ adſignanda, tum ipſius genitalis liquidi, tum vaſorum ſeminalium toni, qui plerumque dejectus eſt, habenda eſt ratio. Et primo quidem, quod ſemen attinet, attentiori obſervatione cognitum perſpectumque habemus, vel ob nimiam ejus abundantiam in ſubjectis plenis & in cœlibatu laute viventibus, vel ob ejus acrimoniam in ſubjectis cacochymicis, ſcorbuticis & arthriticis hunc fluxum non raro contingere. Deinceps, ſi ad labefactatum organorum ſeminalium tonum reſpicimus, hanc utique à nemine in dubium vocari arbitror; ſiquidem ea omnia, quæ inſignem hæc vaſa debilitandi potentiam obtinent momenta, quorum potiſſima ſunt nimiæ ſeminis, ſive per pollutiones, ſive per crebriores coitus, vel fœdam manuſtuprationem & gonorrhœam virulentam prægreſſam profuſiones, ad gonorrhœam benignam etiam valde diſponunt, idque eo magis in hominibus, qui temperamenti ſunt phlegmatici & natura debiliores. *Cauſſa gonorrhœæ benignæ.*

§. XI.

Progrediendum nunc erit ad ſuppeditandam gonorrhœæ tam virulentæ quam benignæ prognoſin. Utraque, ſi convenientibus tractatur remediis, brevi tollitur; cum contra, ſi invaleſcit & gravioribus ſtipatur ſymptomatibus, difficilius ſanetur, & non modo viros reddat ſteriles, ſed & progreſſu temporis ad cachexiam & hecticam tabem laborantes ducat. Speciatim vero de virulenta ita ſcire licet: quo major eſt infectionis gradus, eo gravior quoque iſta eſt & rebellior; raro tamen luem veneream poſt ſe trahit, niſi incongrue per medicamenta ſudorifera & adſtringentia vel externe vel interne adhibita fluxus cohibeatur. Hoc enim ſuppreſſo mox bubones, ſcroti & teſticulorum tumores, carunculæ urethram obſidentes, & alia peſſima ſymptomata cum ipſa venerea lue ſuperveniunt. Ipſe fluxus quo facilius procedit, eo mitiora ſunt ſymptomata: peſſimum contra eſt, ſi parce nimis exſtillat, & urina cum ſummo fœtore mingitur flaveſcens & viridis. Denique inter certa mitigati & in melius converſi mali ſigna referimus, ſi dolorifica membri erecti conſtrictio & exquiſitiſſimus ſub mictione ardoris ſenſus in urethra minuitur, depreſſus antea vigor redire incipit, & ipſa facies antea pallida vividior redditur. Curatæ vero gonorrhœæ indicium eſt, ſi liquoris limpidi ac tenuis, albumen ovi referentis una alterave guttula compreſſione penis evocatur. Gonorrhœa benigna ſicut plerumque diutius protrahitur, medentique multum faceſſit negotii; ita eo magis medicinæ reſiſtit, ſi, ut ſæpiſſime evenire ſolet, gonorrhœam virulentam excipit. Differt tamen perinde ac homines differunt, quos invadit, ita e. g. eos longe diutius vexat, qui temperamento ſunt phlegmatico, & catarrhalibus defluxionibus, alvique fluxibus in pueritia fuerunt obnoxii. Hi enim *Prognoſis utriuſque gonorrhœæ.*

enim dum natura fibras obtinent laxiores, judicatu facillimum eſt, ſi qua parte atonia laborant, hanc longe eſſe graviorem, quam quidem in iis, qui fibris robuſtioribus ſunt præditi.

## *CURATIO.*

### §. I.

*Cauſæ difficilis ſanationis gonorrhææ benignæ.*

Quum gonorrhœa tam benigna quam virulenta ratione cauſſarum valde inter ſe differant, differentem quoque poſtulant medendi methodum. Utramque igitur ſeorſim expendamus, ordiendo à curatione benignæ. Hanc autem admodum eſſe arduam & laborioſam, in prognoſi jam oſtendimus: neque nos aliam hujus difficultatis cauſſam agnoſcimus, quam quod in hoc morbo ad partes adfectas nimis debilitatas & à tono ſuo dejectas, maxime in ſubjectis magna pravorum ſuccorum colluvie ſcatentibus & dyſcraſia ſcorbutica infectis, non ſecus quam ad fonticulum ex univerſo corpore humorum impurorum fiat adfluxus. Accedit adhuc, quod generationi inſervientes partes, quæ in noſtro adfectu morboſe adfliguntur, ex meris fere nervis nervoſisque tunicis ſint conflatæ, ad quas remediorum energia, experientia teſte, penetrat difficillime.

### §. II.

*Indicationes curatoriæ.*

Abſolvitur autem pertinacis hujus mali curatio his fere indicationibus. Primo opus eſt, ut convenientibus laxantibus copia impuri ſeri, ſi in corpore abundat, evacuetur, & a parte adfecta derivetur. Dein ut partes nimis relaxatæ & flaccidæ accommodatis tam internis quam externis roborantibus medicamentis confortentur.

### §. III.

*Primam indicationem explent laxantia.*

Primæ indicationi ſatisfaciunt, quæ per epicraſin operantur laxantia: quo nomine commendari merentur pilulæ balſamicæ Becheri, & ad ejus mentem confectæ Stahlii & noſtræ, quæ non modo alvum ducendi, ſed & egregie roborandi poſſident efficaciam. Præterea utiliſſimum ſæpe deprehendi infuſum laxans, ex ſequentibus ſpeciebus compoſitum. Recipe rhabarbari Alex. unciam unam, radicis vincetoxici, pimpinellæ, raſuræ ligni ſaſſafras ana unciam dimidiam, fol. ſennæ, agarici trochiſcati, fibrarum hellebori nigri ſingulorum drachmas tres, cardamomi, cinamomi, ana drachmas duas, paſſularum minor. uncias tres, tartari crudi unciam dimidiam. M. C. C. D. S. Species, cum duabus vini Rhenani menſuris infundendæ. Doſis ſit quarta pars menſuræ.

### §. IV.

*Quæ alteri indicationi ſatisfaciant.*

Huic infuſo per octo dierum ſpatium mane adſumto, ad explendam alteram indicationem, ſubjungendus eſt pulvis hic utiliſſimus: recipe oſſis ſepiæ unciam unam, corall. rubr. ſuccini, ſpec. de hyacintho, cort. chaccarill. ana drachmas duas. M. F. pulvis, cujus doſis ad drachmam unam mane & circa noctem cum decocto cremoris hordei amygdalino ſumi poteſt. Eodem quoque tempore exterius regioni pubis & perinæi, maxime per noctem adplicandum ſuadeo ſequens epithema: recipe herbæ meliſſæ, menthæ, baſil. flor. roſar. rubr. balauſt. ana manip. unum, cort. granat. caryophyllorum, nuciſtæ, cardamomi, maſtichis ana unciam dimidiam. M. F. ſpecies, quæ ſacculo incluſæ in vino Gallico rubro coquendæ.

### §. V.

*Diætetica.*

Cum his invicem conjungendum eſt accuratum regimen diæteticum, quod ita debet institui. Pimo omnium abſtinendum eſt ab omnibus cibis valde piperatis, aromaticis, ſalitis, leguminoſis & inflantibus, nec non ab immoderatiori vini & cereviſiæ potu. Evitetur quoque frequentior cum feminino ſexu converſatio, evitetur veneris exercitium & fortior corporis motus, præſertim qui curru fit vel equo. E contrario vero inter cibos commendanda ſunt juſcula avenacea cum vitello ovi, amygdalis & piſtaceis præparata & in emulſionem redacta, quorum magna eſt ad acrimoniam lymphæ ſalſæ demulcendam efficacia. Convenit quoque pro potu adſumere ſerum lactis dulce, vel decoctum ex radice ſcorzoneræ, chinæ, ſantalo rubro, raſura ligni ſaſſafras, glycyrrhiza & paſſulis conflatum.

### §. VI.

*Balneorum uſus.*

Quod ſi hæc minus ſufficiunt, ego ad malum, præſertim inveteratum tollendum, poſt horum uſum cum fructu hactenus commendare ſolitus ſum balnea ex ſpeciebus nervinis & roborantibus compoſita, quales ſunt abrotanum, majorana, menthæ, hyſſopus, origanum, ſerpillum, roſmarinum & hujus cenſus alia. Poſt balneum æger lecto ſe committat, lenem exſpectando ſudorem. Nec ſine auſpicato ſucceſſu aliquoties uſus ſum fontibus Lauchſtadienſibus, balnei loco per aliquot ſeptimanas adhibitis, utpote quæ propter tenuiſſimum, quem in ſinu fovent, martis crocum inſignem relaxatas partes roborandi poſſident virtutem.

### §. VII.

*Quæ proſint in pollutione.*

Eadem curandi methodus locum invenit aptiſſimum in largioribus & valde debilitantibus pollutionibus cohibendis, modo hæc obſervetur cautio, quod purgantia rarius offerantur, ſiquidem, ſi alvum molientibus opus eſt, ſola rhabarbarina & paſſulata ſufficiunt. Præter allata vero remedia in tali caſu externe regioni lumbari, ſeu potius ſpinæ dorſali circa lumbos adplicandum ſuadeo ſequens emplaſtrum: recipe emplaſtri ſpermatis ranar. uncias duas, ſacchari ſaturni, aluminis uſti ana drachmas duas, camphoræ, olei ligni Rhodii ana drachmam dimidiam. M. D. Porro quoque ſingularem plane effectum in pertinaci hoc morbo annotavi à convenienti balneorum frigidorum uſu, modo corpus probe prius fuerit præparatum, nec plethora, cacochymia aut nimia virium dejectio adſint, quæ id prohibeant. Bis autem in die, mane & hora quarta veſpertina inſeſſus fieri poteſt per horæ dimidium in aquam puram fluviatilem, vel, quod melius eſt, in Lauchſtadienſem, quo peracto in lectum paullisper calefactum ſe recipere & aliquot infuſi theiformis vaſcula bibere juvabit. Et mirum profecto eſt, quomodo non modo totum corpus inde roboretur, ſed &, tranſpiratione interdum ad ſudorem uſque aucta, optime humorum à parte affecta fiat derivatio.

## §. VIII.

*Indicationes curatoriæ gonorrhœæ virulentæ.*

Quod ad gonorrhœæ virulentæ medendi methodum attinet, hæc ipſa quidem in principio, ſi rite inſtituatur, non adeo difficilis eſt. Quod ſi vero malum, uti ſæpiſſime evenit, ab empiricis chirurgis perverſa methodo per adſtringentia tractatum, curandum nobis traditur, magno labore multoque negotio opus eſt, ita prorſus, ut luem univerſalem, quam talem fluxum radicitus exſtirpare facilius ſit. Genuina autem gravem hunc adfectum ſanandi ratio, me judice, in eo verſatur, ut primo omnium ſuſceptum in genitalia virus venereum, quod partim acris cauſticæ, partim putredinoſæ indolis eſt, celerrime è corpore expellatur. Dein, quando jam à virulenta materia relaxatæ, eroſæ vel ulceratæ fuerint, ſemini tam conſervando quam excernendo dicatæ partes, mundificentur, conſolidentur & roborentur, adeoque liberior humorum adfluxus præpediatur.

## §. IX.

*Quænam proſint à coitu impuro ad præſervationem mali.*

Quum itaque primum & præcipuum medentis negotium eo dirigi debeat, ut qua fieri poteſt, celeritate veneni intus ſuſcepti expulſione corpus ab effectibus pernitioſis præſervetur, conſultum omnino arbitror, mox primis à ſuſpecto & contagioſo coitu diebus alexipharmacum cum ſudorifero regimine exhibere: quo ſcopo commendari meretur eſſentia ex ſpiritu Cornu C. ſuccini & eſſent. bezoardicæ æquali portione conflata, quæ ſingulis diebus mane ad ſexaginta guttulas cum infuſo ſcordii, ſcabioſæ & galegæ poteſt ſumi, exſpectando poſtea per horam in lecto ſudorem. Neque minorem pollicetur fructum pulvis diaphoreticus ita componendus, recipe pulveris bezoardici Anglicani vel noſtri drachmas duas, bezoardici mineral. reguli antimonii medicinalis ana drachmam dimidiam, nitri grana XV. camphoræ grana IV. M.F. pulvis, dividatur in VI. doſes, quarum una circa ſomni tempus per tres quatuorve dies capiatur. Exterius vero ad diſcutiendum inſidens genitalibus virus commendare ſoleo aquam d'arquebuſade cum eſſentia ſuccini & ſpiritu vini camphorato vigoratam, in qua linteum maceratum tepide membro, regioni pubis ac perinæi, etiam ſub ipſa diaphoreſi poteſt applicari.

## §. X.

*Curatio gonorrhœæ per purgantia.*

Quod ſi vero jam altius venenum radices egerit, ſeque intimius inſinuando, involuntarium ſeminis fluxum cum ardore, dolore & exulceratione effecerit, præcipuus eſſe debet labor, ut ejiciatur, corpuſque per appropriata & tam materiæ virulentæ correctioni, quam exſtirpationi dicata remedia ab impuris ſordibus liberetur. Atque horum remediorum cenſum recte ſubeunt purgantia, quorum primarium ingrediens eſſe debet mercurius dulcis, qui peculiari & ſpecifica ſua, qua pollet, virtute in acrimonia ulceroſa cauſtica temperanda, evacuanda & viſcoſitate reſolvenda, reliquis omnibus palmam reddit dubiam. Optime autem cum extracto rhabarbari, & in ſubjectis ſeroſioribus cum extracto panchymagogi Crollii æquali portione remiſceri atque in pilularem formam cum balſamo de Copaiva vel Peruviano poteſt redigi, dando pro doſi alternis diebus ſcrupulum unum vel drachmam dimidiam, donec ardor imminuatur, materiæque profluentis ſubflavus & virideſcens color remittat. Eodem fine eximiam merentur laudem, quæ ſequuntur pilulæ: recipe gummi ammoniaci depurati, ſagapeni, extracti hellebori nigri, trochiſcorum alhandal, mercurii dulcis, reſinæ ligni guajaci, balſami de Copaiva, ſingulorum drachmam unam. M. F. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno no. XX. quæ per tres dies mane, vel circa noctem poſſunt deglutiri. Tum per binos dies, maxime in ſubjectis phlegmaticis alexipharmaca ſuperius memorata, ea, qua diximus, methodo exhibere, poſtea rurſus per triduum pilulas adſumere & ſudorem movere, idque tertia vice repetere juvabit.

## §. XI.

*Per balſamica ſubadſtringentia.*

Poſt ſufficientem impurorum humorum è corpore evacuationem remedia ſubjungi debent, quæ blanda balſamica virtute exſiccant, conſolidant, & nimis relaxatas ſeminales partes roborando, fluxum cohibent. Hæc inter jure ſuo ac merito referri merentur terebinthina cocta, maſtix, ſuccinum, myrrha, opobalſamum, rhabarbarum, bolus armena, antimonium diaphoreticum, terra catechu, hæmatites, & antimonium martiale cachecticum, quæ invicem in formam pilularum ſecundum artis præcepta poſſunt redigi. Inſtar autem omnium eſſe poterit hæc formula, qua ego hactenus inſigni cum fructu uti conſuevi: recipe terebinthinæ Ven. ſuccini, maſtichis, extracti rhabarbari, caſcarill. ana drachmas duas, balſami de Copaiva, reſinæ ligni guajaci ana drachmam unam. M. F. ex drachma dimidia pilulæ no. XX. quæ per decem pluresve dies circa noctem cum emulſione temperante ſumantur, ſuperbibendo poſtero die mane infuſum theiforme ex veronica, mentha, meliſſa, millefolio & conſolida ſaracenica conflatum, vel etiam decoctum, cujus ingredientia ſint radix chinæ, ſarſaparillæ, glycyrrhizæ, cichorei & antimonium crudum in petia ligatum. Nec excludenda hoc loco venit mixtura, quæ ad fluxum ſeminalem moderandum & compeſcendum præſtantiſſimæ eſt virtutis, & ita componitur: recipe tincturæ antimonii acris, eſſentiæ ligni guajaci, ſuccini, ligni aloes ana unciam unam, tincturæ hæmatit. ſeu liquoris martialis, qui ex capite mortuo florum ſalis ammoniac. martialium paratur, drachmam unam M. & fit inde eſſentia nigricantis coloris, quæ pari ratione, alvo prius ſufficienter expurgata, bis in die ad XL. guttas ſumi poteſt.

## §. XII.

*Externorum uſus.*

Verum enim vero, niſi uſum remediorum internorum externis quoque ſecundemus, incaſſum laborabimus. Hæc ipſa vero pro ſymptomatum ratione longe differunt. Ita ad dolorem & ardorem in genitalibus temperandum, vel etiam bubonem, qui ſæpe jungitur, ſuppurandum, præclari uſus ſunt cataplaſmata, quæ ex ſpeciebus demulcentibus & emollientibus, ut radice liliorum alborum, altheæ, flor. chamomillæ, ſambuci, verbaſci, ſemine fœnu græci, cymini, anethi, hyoſcyami &c. ex lacte vel decocto avenaceo coctis poſſunt parari calideque crebrius imponi. Ad exulceratas urethræ partes mundificandas & relaxatas roborandas ſummæ utilitatis ſunt injectiones ex mercurii dulcis drachmis duabus in-

infuſi theiformis ſaturati libra dimidia ad horæ quadrantem decoquenda. Quod ſi vero magna eſt eroſio, lac cum melle deſpumato, addito decocto myrrhæ ex aqua, ope ſiphonis injicitur utiliſſime.

§. XIII.

*Diæta conveniens.*

Ultimo loco multum quoque intereſt, ut medicus rectam & accommodatam vivendi rationem præſcribat, atque ægros inprimis a cibis aromatiſatis, duris & nimis nutrientibus, nec non à cereviſiæ & vini potu, vehementiori corporis exercitatione, animi adfectibus & mulierum conſortio abſtinere jubeat; alioquin malum adhuc præſens non modo difficulter evellitur, verum etiam, ſi curationem jam receperit, ex facili repullulat. Inter cibos itaque juſcula tenuiora cum endivia, acetoſa, lactuca & cichoreo alterata, & pro potu ordinario decoctum glycyrrhizæ cum hordeo, vel ſerum lactis commendare juvabit. Nec laude ſua carent emulſiones ex amygdalis dulcibus, ſeminibus IV. frigidis majoribus, & papavere albo cum decocto Cornu C. diluto confectæ & pro potu adſumtæ, quibus commodiſſime adduntur nitrum purif. nec non pulveres leniter diaphoretici ex Cornu C. uſto, antimonio diaphoretico ſive ceruſſa antimonii parandi. Hac enim ratione acrimonia humorum temperatur, partiumque genitalium ardor & dolor, ſi urget, conſopitur efficaciſſime.

## *CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ*

§. I.

*Cautelæ circa purgantia, balſamica & diuretica in fluxu benigno.*

In gonorrhœa benigna maxime omnium acriora purgantia & illa, quæ mercurialia ingrediuntur, cautius ſunt adhibenda, quod itidem valet de balſamicis fortioribus & diureticis; ſiquidem humores magis commovendo & ad partes genitales debilitatas appellendo, effluxum materiæ augent. Multo vero magis hæc ſingula exulent in ſubjectis ſanguineis & cholericis, quibus longe gravius nocent. Haud aliter ſentiendum eſt de adſtringentibus, quæ nunquam ſine præmiſſa ſufficienti humorum correctione in uſum debent vocari, niſi mali moris gonorrhœam, maxime in iis, qui magna humorum impuritate ſcatent, proritare velimus.

§. II.

*Circa V. ſectionem & curam per inediam.*

Venæ ſectio & cura per inediam, quæ potu victuque tenui & exſiccante abſolvitur, in plethoricis pinguis & ſpongioſi habitus lauteque viventibus inter morbi initia locum inveniunt aptiſſimum, cum contra, ſi fluxus diuturnitate corpus debilitatum nimis fuerit, omitti prorſus debeant; ſiquidem vires magis exhauriendo ſæpe cachexiam, tabem dorſalem cum hectica febre vel impotentiam virilem inducunt.

§. III.

*Temperamentorum & humorum ratio habenda eſt in gonorrhœa maligna.*

In curanda gonorrhœa maligna attendere maxime medicus debet ipſam ægrotantis conſtitutionem. Plurimum namque refert, num laborans complexionis ſit cholericæ & ſanguineæ aut phlegmaticæ, & an naturæ ſit robuſtioris vel imbecillis ac teneræ. Neque minus probe inquirere oportet, qualis humorum ſit conditio. Hæc enim prout differt, variat quoque ratione ſymptomatum adfectio. Ita ſi corpus offendit cacochymicum & ex improba victus ratione vel alio gliſcente morbo ut ſcabie, purpura ſcorbutica, vel adfectu hypochondriaco detentum!: tunc utique deteriora curatuque difficiliora pertimeſcenda ſunt ſymptomata.

§. IV.

*Cautela circa tractationem cholericorum.*

Si calidioris ſenſibilioriſque indolis homines pernitialis hæc fluxio corripit, ab omnibus calidioribus, purgantibus, ſudoriferis, diureticis, decoctis lignorum, ut guajaci, acrioribus, eſſentiis balſami Peruviani & opobalſami, maxime in principio fluxus, abſtinere debemus. Novi enim præpoſtero, & ſine convenienti corporis præparatione, inſtituto illorum uſu, vitioſum humorem retentum, fluxumque ſuppreſſum, ſed loco hujus bubones excitatos, & non modo circa genitalia, ſed in facie quoque puſtulas ulceroſas peſſimi moris excitatas.

§. V.

*Circa curationem phlegmaticorum.*

Qui ſegniorem & phlegmaticam obtinent temperaturam, in his, præmiſſa ſufficienti corporis expurgatione, roborantibus & leniter ſpirituoſis gonorrhœam incipientem perfecte curatam & hoſtile virus expulſum memini. Atque hoc fine nonnunquam per aquam vitæ in parciori, ſed ſæpius repetita, doſi exhibitam potiri licuit, qualis ita paratur: recipe herbæ menthæ manipulos tres, terebinthinæ venetæ unciam unam, balſami Peruviani unciam dimidiam, deſtillentur cum vini Rhenani menſuris tribus. Doſis ſit uncia una ad duas. Cui etiam commode ſubſtituitur hæc formula: recipe aquæ roſarum ſpiritus vini rectificati ana menſuram dimidiam, julepi roſarum uncias duas, balſami noſtri vitæ guttas 50. M.

§. VI.

*Circa adſtringentia.*

Quamdiu materia profluens fœtida eſt & ſubviridis, nunquam danda ſunt adſtringentia; nam ubi intempeſtive & nimis cito fluxus iiſdem ſupprimitur, aut decocta lignorum validiora cum regimine ſudorifero offeruntur, venenum tranſit in ſeminis & lymphæ maſſam, unde ſymptomata lui venereæ propria reſultant. At vero ex nullo prope adſtringentis facultatis remedio major redundat noxa, quam à ſaccharo ſaturni interne, ut empiricorum mos eſt, ſiniſtre oblato. Vidi enim colicam convulſivam, appetitus proſtrationem alvique pertinaciſſimam obſtipationem inde inductam. Idem quoque valet de injectionibus adſtringentibus, quæ, niſi fluxu impuro correcto, numquam debent adhiberi.

§. VII.

*Circa diuretica.*

Inter medicamenta urinæ fluxum promoventia peſſime, ut arbitror, a quibusdam referuntur cantharides & parata ex iis eſſentia, ſiquidem viis urinariis admodum ſunt infenſæ, facileque pernitioſas renum & veſicæ inflammationes cum mictu cruento, niſi convenientibus ſuccurramus remediis, ciere valent.

## §. VIII.

*Circa Venæ Sectionem.*

Venæ ſectiones in curatione gonorrhœæ virulentæ raro exiguntur, & in ſenſibilioribus, quibus facile materiæ ſordidæ contingit ſuppreſſio, magis obſunt, quam proſunt; attamen ſi corpus ſanguine turget & juvenile eſt, ad mitiganda ſymptomata ſine noxa concedi poſſunt.

## §. IX.

*Quid faciendum ſi fluxus ſiſtitur.*

A variis ſubinde cauſis evenit, ut materia parcior ex pene effluat, & mox puſtulæ in corpore hinc inde adpareant. Tum vero loca affecta humectare, fotu, balneis & cataplaſmatibus relaxare, atque purgantibus materiam deorſum ducere conſultum erit. Juvant quoque eodem fine injectiones lactis dulcis, & decocti avenæ cum oleo amygdalarum dulcium remixti, à quibus ego fluxum ſæpius iterumque revocatum ſcio.

## §. X.

*Gonorrhœa inveterata raro por ſalivationem curatur, ſed ſæpe per Carolinas.*

Mirum certe eſt, quod gonorrhœa per ſalivationem tolli non poſſit; crebrior enim uſus & experientia ſatis docet, peſſima venerea ulcera, quæ in univerſo corpore radicantur, hacce curatione fuiſſe ſanata, ſed gonorrhœam remanſiſſe. Et profecto moleſtiſſima hæc fluxio, ſi male tractata & inveterata fuerit, rarius ad frugem reducitur, ſed per totam ſæpe vitam laborantes comitatur. Latitant quippe nonnunquam in glandulis proſtatis tam majoribus, quam minoribus ſcirrhoſa & fiſtuloſa ulcera, quæ radicitus tollere difficillimum eſt. Nihilo tamen minus aliquoties exoptatiſſimum reperi auxilium in uſu thermarum Carolinarum interno, quæ, licet alias provide in gonorrhœa recenti ſint uſurpandæ, eo quod debiles partes magis relaxando, majorem materiæ adfluxum efficiunt; in inveterato tamen malo, dum inſigni vaſorum obſtructiones tollendi, diuque latentes, incarceratos & duros tumores reſolvendi efficacia pollent, cum fructu dari poſſunt. Sed ut minori quantitate, adhibitis ſimul in & poſt curam roborantibus balſamicis internis & injectionibus, bibantur ſuadeo.

## §. XI.

*Quæ proſint in urethræ exulceratione.*

Quando urethra, cujus tunica media valde glanduloſa, non modo exulcerata, ſed & nimis relaxata eſt, & fungoſæ ſubſtantiæ quidpiam adhæret, ex qua poſtea prodeunt urinam valde remorantes carunculæ, ſolam eſſentiam opobalſami cum ſpiritu vini extractam, item balſamum noſtrum vitæ, cum tribus partibus l'eau d'arquebuſade dilutum aliquoties de die fauſto cum ſucceſſu injiciendum curavi. Enimvero tali injectione ſat vehemens in membro excitatur ardor, qui tamen ſenſim paullatimque remittit. Speciatim vero de carunculis, quæ nonniſi ſpecies verrucarum ſunt, tenendum arbitror, quod pulvere quodam erodente, aut ferro candente optime tollantur. Sed hæc operatio peritam poſtulat manum, ne forte tali ignito inſtrumento vicina pars lædatur.

*in carunculis tollendis.*

## §. XII.

*Cautelæ circa penis ulcera.*

Ad mundificanda glandis & penis ulcera ſequens epithema præſtantis erit efficaciæ: recipe aquæ calcis vivæ cum aqua roſarum dilutæ uncias duas, l'eau d'arquebuſade unciam unam, ſacchari ſaturni grana X. mercurii præcipitati albi grana VIII. M. Contra ubi ſimul conſolidandi intentio eſt, balſamum ſulphuris antimoniatum & terebinthinatum cum unguento digeſtivo remixtum commendari meretur.

## §. XIII.

*Circa bubones.*

Bubones, ſi junguntur, quantum fieri poteſt emplaſtro emolliente Agricolæ cum oleo hyoſcyami & ſapone malaxato ſu[illegible]aturandi. Cui ſcopo etiam emplaſtrum Barbette ſaponatum & cum pauxillo oleo hyoſcyami ſubactum egregie inſervit.

## §. XIV.

*Circa tumores ſcroti & teſtium.*

Quando ſcrotum cum teſticulis in magnum tumorem agitur, ſuccurrendum eſt fomentis calidis, ſive admiſſione vaporum ex decoctione herbarum & florum emollientium cum lacte facta prodeuntium: qua methodo tempeſtive adhibita tumor mollitur, ut dein emplaſtra reſolventia majori cum emolumento adplicari poſſint.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Gonorrhœa benigna chronica.*

Flagitavit haud ita pridem opem meam vir triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, qui cum per crebras manuſtuprationes magnam ſibi contraxiſſet vaſorum ſeminalium atoniam, gonorrhœam incidit benignam, per quatuor annos ſub alvinarum ſordium excretione lotiique emiſſione moleſte infeſtantem. Ad ſiſtendum hunc fluxum aliquoties ſumſit oleum terebinthinæ, unde fluxus quidem ceſſabat; tantum autem aberat, ut priſtinum genitalibus robur & ſtimulus ad coitum reſtitueretur, ut potius hic penitus ſupprimeretur. Nec ullis per quatriennium remediis poterat revocari, uſque tandem naturæ vigore cibisque eupeptis pollutiones nocturnæ cum leni quodam ſtimulo & penis erectione redirent. Sed non multo poſt priſtina ludebatur ſcena, & materia ſeminis analoga ſub alvi & veſicæ exoneratione rurſus è pene profluebat, idque nunc per integros quinque annos. Ego igitur conſultus primo omnium ſuaſi, ut æger, ſepoſita omni cereviſia, decoctum ex rad. ſcorzoner. chinæ, acetoſ. raſura ligni ſantali rubri, flavi, aloes, lentiſci &c. mane calidum, dein frigidum biberet, atque in victu carnes tantum aſſatas & ex his confecta tenuiora juſcula adſumeret vinique rubri Gallici, pontac dicti, hauſtum cum elixirii ex eſſentia corticum aurant. tinctura tartari & pauxillo olei macis conflati XL. guttulis inter cibos caperet. Ad alvum apertam ſervandam commendavi mala Borsdorffienſia cum paſſulis cocta & prunellas; ante decubitum vero pulverem obtuli ſequentem: rec. ſuccini præp. drachmam unam, nitri purif. drachmam dimidiam, terræ catechu, corticis caſcarillæ ana grana XII. M.F. pulvis div. in doſes IV. Demum quoque regioni pubis per noctem calide imponendum ſuaſi ſacculum foliis myrthi, lauri, flor. chamomill. roman. roſar. maſtiche & ſuccino repletos & ex vino rubro co-

coctos. Nec dubito, quin æger egregium inde percepturus ſit levamen.

*Epicriſis.*

Intempeſtive in noſtro caſu adhibitum fuit oleum terebinthinæ. Equidem tali remedio fluxus ad tempus ſiſtitur, ſed ex facili redit, ac ſæpe graviora accedunt ſymptomata. In curatione rite inſtituenda ego maxime omnium reſpexi ad ægrotantis naturam corporisque habitum, qui quum valde eſſet obeſus, tenuiorem victum ſeu curam per inediam præſcribere conſultum putavi. Niſi enim commode ſubtrahatur morbi pabulum, parum vel nihil proficitur. Poſthæc vero eo annitendum duxi, ut partes ſeminales nimis relaxatæ & à tono ſuo dejectæ roborentur, id quod tutiſſime perficitur remediis tam internis, quam externis ſupra commemoratis.

OBSERVATIO II.

*Gonorrhœa virulenta in benignam mutata.*

Vir triginta annorum, conſtitutionis ſanguineæ, habitu corporis ſpongioſo præditus, poſt celebratum cum impura coitum, malignum ſeminis cum dolore, ardore ac moleſta membri & perinæi tenſione junctum incidit profluvium. Chirurgus in conſilium adhibitus eſſentiam balſami de Copaiva ſat larga obtulit quantitate, indeque effecit, ut non modo copioſius materiæ purulentæ cum ſanguine mixtæ, ſed & ipſius puri ſanguinis ex urethra ſuccederet ſtillicidium. In tali rerum ſtatu venæ ſectionem in manu adminiſtravit, & ad alvum ducendam pilulas ex panchymagogo Crollii & mercurio dulci cōfectas adhibere juſſit, quo fiebat, ut ſanguinis quidem fluxio ceſſaret, urina vero ſemper ſabuloſa, & liquor ex genitalibus albicans per longum temporis ſpatium promanaret. Ego tandem conſultus decoctum præſcripſi temperatius bibendum, & ſacculos ex ſpeciebus roborantibus nervinis repletos in vino rubro decoctos regioni pubis & perinæi crebrius adplicare, & ad relaxatas partes roborandas balſamum noſtrum vitæ cum tribus partibus l'eau d'arquebuſade dilutum injicere imperavi, tam felici eventu, ut brevi poſt relicta illa liquoris albicantis ex genitalibus fluxio evaneſceret.

*Epicriſis.*

Siſtit hic caſus gonorrhœam virulentam in benignam deſinentem, uti quidem ex liquoris albidi minus purulenti profluvio deprehendere licet. Difficulter admodum ejuſmodi gonorrhœa ſimplex à maligna reſidua, ſi invaluit, curatur: quare ut tempeſtive medicus manum auxiliatricem adferat neceſſe eſt. Cæterum taxari omnino meretur perverſa chirurgi in tractando hoc ægro methodus, dum ad virus venereum è corpore cito eliminandum inter initia morbi mox calidiora præbuit remedia, quibus, præſente jam fluxu, nihil datur pernicioſius. Hac enim ratione virulenta materia in ſanguinis & lymphæ maſſam invehitur, longeque ſubtilior redditur, ut facilis inde ad ipſam luem veneream fiat tranſitus.

OBSERVATIO III.

*Gonorrhœa valde chronica ſæpe recidivans.*

Vir quinquaginta annorum, temperamenti cholerico-melancholici, in primis juventutis annis gonorrhœa laboravit virulenta, quæ aliquoties ſiluit, iterumque recruduit. Aliquando tamen mercurialibus & terebinthinaceis prorſus fuit ſublata, ſed aliquod tempus poſt in utroque inguinum latere prodierunt bubones. His iterum intra tres menſes ſublatis in cervice, cubitorum articulis, & in ani oſſisque ſacri confiniis effloruerunt maculæ lividæ & ſquamoſæ, quæ, accedente calore, intolerabilem excitarunt pruritum & ardorem. Petiit itaque Carolinas, eaſque balnei loco adhibuit, ſed inde in gonorrhœam incidit ſimplicem, tam pertinacem, ut nullis hactenus remediis tolli potuerit; ſiquidem à mitioribus injectionibus materia profluens reddita eſt ſordidior, à fortioribus copioſior & ſanguinolenta. Poſt varia adhibita remedia fluxus quidem remiſit, ſed brevi temporis ſpatio iterum rediit, denuoque fuit expugnatus. A quo tempore mox in inguine æger dolorem percepit tractorium & preſſorium, cui ſe adſociavit febriculoſa intemperies & ſimul cum urina, quæ plerumque cum ardente dolore redditur, alba viſcidaque materia prolicitur; majori tamen quantitate, ſi corpus movet, quam ſi in quiete continet.

*Epicriſis.*

Ex præfata morbi hiſtoria plura in uſum noſtrum depromere poſſumus.

1. Perquam notatu dignum eſt, quod fluxus ſeminalis crebriores patiatur recidivas, ita prorſus, ut exactis aliquot annis reverti poſſit. Ratio inde petenda venit, quod rarius proh! dolor hoc vitium radicitus tollatur, ſed ante convenientem evacuationem ſanguinisque depurationem adſtringentibus tractetur. Qua methodo fluxio quidem ad tempus compeſcitur, ſed materia vitioſa circa loca adfecta intus retinetur, unde novi mali fomes perpetuo in corpore latitat.

2) Accedit, quod in nonnullis ſubjectis gonorrhœa perperam curata partium ſeminis ſecretioni vacantium magnam poſt ſe relinquat infirmitatem, quæ poſtea facile ab impurorum humorum copia, à balneis nimisque refrigerantibus, vel corpus humectantibus & alio modo debilitantibus, imò ex morbo vel ætate invaleſcit, ut hinc ejuſmodi involuntarium ſeminis profluvium vel in extrema etiam ætate non raro contingat.

3) Non dubitandum, quin in noſtro hoc caſu crebriores injectiones, ſicuti omnia topica imprudenter applicata, fuerint pernicioſiſſimæ. Etenim prius per convenientia interna remedia humorum vitioſorum correctioni, evacuationi & à loco affecto derivationi proſpicere debet medicus, quam ad externa progreditur; alioquin damnum infert vix ulla medicina reparabile.

OBSERVATIO IV.

*Ex gonorrhœa ſaturninis male tractata ſymptomata.*

Qui viginti annos habet juvenis generoſus ex impuro coitu ſibi ſanioſum ex genitalibus contraxit profluvium, ad quod abigendum chirurgum conſuluit, qui præter purgantia ſaturninis, ut tinctura antiphthiſica Grammanni & pulvere quodam ex coralliis, oſſe ſepiæ, ſuccino, terra ſigillata & magiſterio ſaturni compoſito fluxum com-

compeſcere tentavit; & ſubſtitit quoque, ſed mox æger acerbiſſimis adfligebatur ventris torminibus, ut humi ſerpere, & corpus miris ſubinde modis torquere cogeretur; alvus ſimul erat conſtrictiſſima & perpetuus, ſed irritus ad vomendum conatus. Intermittebant quidem ſingula hæc mala per aliquot horas, ſed ſtatis quaſi periodis eadem vehementia revertebantur. Ego igitur in conſilium adſcitus, clyſteres infundere juſſi mere oleoſos, ægrum in balneum deſcendere & fomenta abdomini applicare ſuaſi. Interius vero decoctum mannatum & rhabarbarinum cum oleo amygdalarum dulcium per vices adſumendum obtuli. Alvo ſic aperta, flatibus diſcuſſis, ingentique ſordium expurgata copia, ſingula quidem remittebant ſymptomata, ſed, quod memorabile eſt, moleſtus ſeminis fluxus redibat.

### *Epicriſis.*

1) Sæviſſima illa, quæ enumeravimus ſymptomata non aliunde arceſſenda ſunt, quam à temerario medicamentorum ſaturninorum uſu, quorum tanta vis eſt ac vehementia, ut teneras ventriculi & inteſtinorum membranas nerveas ſpaſtice criſpando ac conſtringendo, motum & tonum periſtalticum plane invertant, adeoque efficiant, ut ſanguis intra ſenſibiles inteſtinorum tunicas ſubſiſtens roſiones, inflammationes & ſpaſmos concitet atrociſſimos.

2) Illud adhuc notandum venit, quod ſedatis iſtis inteſtinorum ſpaſmis, alvoque reſerata, ſeminis profluvium redierit, aperto indicio, per conſenſum quaſi & ſola generis nervoſi conſtrictione talem fluxum antea fuiſſe cohibitum.

### Observatio V.

*Obſervatio circa læſiones veſicæ in gonorrhœa inveterata.*

Coronidis loco adhuc commemorare placet, quod non raro miaſma venereum, niſi tempeſtive avertatur, ipſam veſicam afficiat ejuſque tunicas internas arrodendo, non modo dolorem & ſpaſmum inibi excitet intolerabilem fere, ſed & dyſuriam inducat, unde urina cum copioſo ſedimento purulento, quod in fundo conſpicitur, emittitur. Neque renes omnino ſunt immunes, ſed quandoque magnam contrahunt labem, ut chyloſa & nutritia materia ſimul cum urina ſecernatur; & ſi incrementa ſumit talis exulceratio, febris accedit lenta & hectica, dolor capitis artuumque exquiſitiſſimus, virium jactura, vigilia & ipſa denique mors. Quod ſi vero incidunt hæc mala, tuta & utiliſſima deprehendi primo infuſa herbarum vulneraria, qualia ex veronica, agrimonia, urtica mort. mentha, meliſſa, floribus hyperici, ficubus &c. optime conficiuntur. Dein pro potu præſcripſi decocta temperatiora & quandoque tincturam tartari vel antimonii minus acrem cum balſamo de Copaiva permixtam, nec non pulveres ex oſſe ſepiæ, ſemine lycopodii, coralliis & aliquot nitri purif. & cinnabaris granis compoſitos cum emulſione ſeminum IV. frigid. obtuli. Nec demum omittendas duxi injectiones, quæ ex aqua d'arquebuſade cum aqua calcis vivæ, plantaginis, ſpermat. ranar. optime conficiuntur. Omnium tamen remediorum vires longiſſime ſuperant aquæ Spadanæ, jam olim ab Henrico ab Heer in tali caſu valde commendatæ, ſi per aliquod tempus cum debito regimine adhibentur.

Plures notabiles obſervationes occurrunt in Conſult. medicinal. *Sect. III. caſu XLIV. uſque CII.*

FRIDE-

# FRIDERICI
# HOFFMANNI
# MEDICINÆ
# RATIONALIS SYSTEMATICÆ,

*TOMI QUARTI,*

QUO

SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA, & huic ſuperſtructa ſolida Therapia cum medendi methodo,

CAUTELIS CLINICIS, ET MORBORUM ENARRATIONIBUS ADJUNCTA EPICRISI, EXHIBENTUR.

PARS QUINTA,

*DOCTRINAM MORBORUM AC VITIORUM EXTERNAS potiſſimum partes affligentium perſpicua & demonſtrativa methodo tradens.*

# PRÆFATIO.

EN! exhibeo jam Tibi, B. L. octavum medicinæ ſyſtematicæ tomum, in quo vitiorum externam corporis ſuperficiem adfligentium rationalem pathologiam, ſolidamque huic ſuperſtructam therapiam ex genuinis principiis medico-chirurgicis perſpicue traditam invenies. Nam mihi cum prudentioribus omnis ævi medicis rata ſemper ac firma fuit ſententia, nobiliſſimam eamque vetuſtiſſimam artis ſalutaris partem, quæ chirurgica nominatur & ſaluberrima externis humani corporis languoribus medendi præcepta tradit, medico cum laude res ſuas peragenti ſcitu eſſe ſumme neceſſariam, ſine cujus notitia neminem puto vel ſatis occurrere, vel rite mederi omnibus morbis poſſe. Equidem non ignoro, & olim fuiſſe, & adhuc eſſe ex medicis plurimos, qui, artem illam, quæ manu ſanat, remediorumque externorum pro vario ſcopo applicationem docet, ad diſciplinam medicam directe pertinere negant; at vero hi certe non intelligunt, totum hominem tum quoad internas, tum etiam externas partes medicinæ objectum eſſe, tamque mirabilem has ipſas intercedere harmoniam, ut vitium, quod extrinſecus conſpicitur, ex interioribus ſæpiſſime oboriatur, partiumque externarum læſio è contrario internas facile vitioſe adficiat. Accedit, quod vitia, quæ externis infeſta partibus manualem operam exigunt, plerumque etiam interioribus communia ſint, ut fere in inflammationibus, tumoribus, apoſtematibus, ſcirrhis, exulcerationibus, humorumque extravaſationibus videre licet, quibus certe non ſola internorum medela, ſed maxime etiam prudenti externorum ope ſuccurrere expedit; quæ tamen pro diverſa corporum natura, pro cauſarum morbi, aliarumque circumſtantiarum differentia mirum in modum variat, maximamque prudentiam requirit. Unde ſatis elucet, nec medicinam à chirurgia, nec ſaniorem chirurgiam à medicina, principiis anatomico-phyſicis & mechanicis fundata tuto poſſe ſejungi. Quæ quum ita ſint, rectiſſime admodumque præclare judicarunt veteres, qui ex familia Aeſculapii ortos arte medica imbuendos primo omnium chirurgiæ præcepta docuerunt, ipſique in ſuis de re medica monumentis ſummum ſtatuerunt pretium. Neque vero ſolum antiquiſſimis temporibus, ſed noſtra etiam ætate à prudentioribus magno præ ceteris honore afficiuntur illi medici, qui paullo accuratiori anatomes ſcientia inſtructi, rem medicam apte cum chirurgia conjungunt; licet pauci ſint, qui egregiæ huic arti addiſcendæ tempus operamque navent.

Et quam immenſum ſalutis diſpendium in univerſum genus humanum redundaret, niſi medicus chirurgicæ artis probe gnarus, rerumque in ea obviarum peritus eſſet? Etenim, quum in noſtris potiſſimum regionibus plurimi eorum, qui chirurgiam de inſtituto tractant, omnemque eidem induſtriam impendunt, pernicioſos committant errores, maxime ſane de ſalute rerum publicarum ſervanda deſperandum eſt, niſi prudens medicus hancce craſſam chirurgorum inſcitiam conſilio adjuvare, & multa damna modeſtiori admonitione præcavere ſatagat. Accedit, quod pertinaciores partium externarum læſiones difficilem, vel nullam plane recipiant ſanationem, niſi convenienti interno remediorum uſu perite ſuccurratur; cujus tamen chirurgi plerumque ignari ægrum non modo nihil juvant, ſed etiam in majus periculum ſæpiſſime præcipitant. Id quod omnino exinde derivandum eſſe arbitror, quia chirurgiæ ſcientia ut plurimum vulgari, empirica & minus rationali methodo tractatur, minimeque penſi habetur, an illam exercens ex anatomes ſtudio partium externarum, ut oſſium, muſculorum, nervorum, tendinum, membranarum, glandularum, & vaſorum ſtructuram, ſitum & connexionem didicerit, an doctrinam de ſanguinis circulo, de viribus, de robore partium, de nutritione &c. calleat, nec ne: quum tamen hæc omnia ſcitu neceſſaria ſint, plurimumque inſerviant, ut quis de externis læſionibus remediorumque tam uſu quam noxa eo melius ferre judicium poſſit. Summa igitur gratia habenda eſt Potentiſſimo Pruſſiæ Regi, Domino meo longe clementiſſimo, qui non modo boni publici promovendi cauſa, ſed etiam tuendæ militum valetudinis gratia collegium anatomicum chirurgico-medicum

 multis

multis ſumtibus conſtituit, eidemque Profeſſores in re medica & chirurgica peritiſſimos præpoſuit, ut artis chirurgicæ ſtudioſos in rebus anatomicis & rationali morbos tam externos, quam internos ſanandi methodo, quantum ad chirurgi officium ſpectant, omni diligentia inſtruant atque exerceant. Neque minorem meretur laudem eximius Gallicæ nationis ardor, quo illa inſtigata non modo omnem movet lapidem, nulliſque parcit ſumtibus in chirurgia plenius perficienda, ejuſque cultoribus erudiendis, verum etiam minime veretur, limatiora medicorum extraneorum ſcripta in vernaculam convertere, ut inde chirurgiæ dediti ſaniora hauriant principia.

Hinc ego non ſine inſigni animi voluptate comperi, Lutetiæ Pariſiorum & ſcriptis meis tale ſtatui pretium, ut digna haberentur, quæ in vernaculam à clariſſimo D. D. BRUYHIERIO traducta impenſis meritiſſimi bibliopolæ BRIASSON publici juris fierent, omnibusque latinæ linguæ ignaris utilitatem adferrent. Vidi jam primum medicinæ ſyſtematicæ tomum gallice redditum & accurate impreſſum: & forte etiam reliquæ partes ſequuntur, maxime quum hoc ſuum propoſitum ipſe mihi auctor per litteras indicaverit.

Sed ut redeamus, quo digreſſi ſumus, quemlibet ſane abunde convictum ſpero, quam neceſſaria quamque proficua ſit medicinæ cum chirurgia conjunctio, ita quidem, ut nec medicum ſine chirurgia, neque chirurgum ſine ſolidioribus medicinæ principiis medentis munere rite fungi poſſit. Ideoque in præſenti hoc octavo tomo res maxime ad chirurgiam pertinentes rationali methodo exponere allaboravi, ea ſpe fore, ut rei medicæ dediti diligenti hujus operis lectione & uſu fructum percipiant non pœnitendum, quem ego toto pectore voveo, opto, & apprecor.

# CONSPECTUS
## CAPITUM,

CAP. I. *De ſcorbuto ejusque vera indole.*
II. *De ſphacelo à cauſa potiſſimum interna ejuſque curatione.*
III. *De purpura præſertim chronica ſcorbuti ſobole.*
IV. *De lue venerea.*
V. *De puſtuloſis & pruriginoſis varii generis affectibus cutis.*
VI. *De omnis generis ulceribus tam benignis quam malignis, præſertim cancroſis.*
VII. *De circumſpecta ulcerum fiſtuloſorum curatione.*

CAPUT

# CAPUT PRIMUM.

## *DE SCORBUTO EJUSQUE VERA Indole.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Scorbuti nominis falſa acceptio.*

SCorbuti nomen tam late noſtris temporibus patet ideoque familiare eſt, ut quævis fere chronica paſſio, ſi qua ipſi impuritas jungitur, ſcorbutica adpelletur; hinc nihil in praxi medica eſt ſolennius, nihil uſitatius, quam ut cachexia, arthritis, diſpnœa, paralyſis, eryſipelas, colica, atrophia, rheumatiſmus, purpura aliæque plures hujus generis adfectiones inter ſcorbuticas numerentur. Quid? quod mos adeo invaluit, ut hodie medici imperitiores, ſi quando ex certis ſignis neque morbum nec cauſam ejus rite poſſunt cognoſcere, ſtatim ſcorbutum prætendant, & pro cauſa ſcorbuticam acrimoniam accuſent. Deinceps non raro accidit, ut adfectus quidam ſæpe plane ſingularis, cui portentoſa ſpaſtico-convulſiva junguntur ſymptomata, in artis exercitio occurrat; & tum uſu receptum eſt, ut illam vel ad faſcinum, vel ad malum ſcorbuticum rejiciant. Horum ſententiæ plane adverſantur alii noſtro tempore non adeo incelebres medici, qui hunc morbum, quem ſcorbutum nominamus, vel plane negant, vel tantum pro exacerbatione mali hypochondriaci & hyſterici venditant; qua in re tamen, uti ex infra dicendis elucefcet, admodum falluntur.

§. II.

*Definitio realis.*

Scorbutus proprie ſic dictus eſt magna functionum univerſi corporis læſio à ſumma ſanguinis & ſuccorum vitalium dyſcraſia & corruptione, ob ingens diætæ aërisque vitium, proficiſcens, locis maritimis & ſeptentrionalibus ut & militibus in caſtris viventibus admodum familiaris, curationis valde difficilis.

§. III.

*Signa eſſentialia.*

Hic adfectus, qui gravibus admodumque variis ſymptomatibus eſt ſtipatus, in partibus præcipue externis ſuam manifeſtat indolem: nam ſi imminet, laſſitudo ſpontanea totum corpus occupat, & crurum pedumque gravitas cum movendi impotentia ſubſequitur. Deinde color faciei a naturali rubedine recedit, ichor cum ſanguine mixtus ex gingivis fluit, quarum carnem relaxat & ad dentium uſque radices conſumit, ut illorum utrobique fiat vacillatio: in cruribus porro emergunt maculæ, diverſæ figuræ, magnitudinis ac coloris, quæ ſæpius in ulcera mali moris deſinunt: increſcente malo dolores lancinantes, vagi vel fixi cum movendi quadam impotentia vel convulſiva ſtrictura, artus invadere ſolent.

§. IV.

*Veteribus plane non incognitus fuit ſcorbutus.*

Veteribus etiam hunc morbum non plane fuiſſe incognitum, haud obſcure ex HIPPOCRATE elucet, qui *lib. de internis adfectibus* §. 34. noſtrum adfectum ſub ſplenis morbo deſcribit, quo laborantes hæc pati dicuntur: *venter inflatur, poſtea ſplen intumeſcit & durus eſt, & dolores acuti in ſplenem incidunt, color faciei mutatur & fit niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens, gingivæ male olent, à dentibus diſcedunt & ex tibiis ulcera erumpunt, velut puſtulæ nocturnæ, membra inſuper attenuantur & ſtercus non ſecedit.* Idem PLINIUS *in hiſtor. nat. lib. XXV. cap.* 3. perbelle confirmat perhibens: *quod in Germani Cæſaris exercitu citra Rhenum & vitioſi & medicati fontis aquæ potu vi malefica conſpurcatæ duo novi exierint morbi, quorum alter putridum oris male olentis vitium, quod* ςομακάκην *adpellabant, quo intra biennium omnes dentes decidebant, alter qui nervos crurum adeo oblædebat, ut compagines in genubus diſſolverentur & crura vellicaret, quod ob id* σκελοτύρβην *à cruribus adpellarunt.*

§. V.

*Completa morbi hiſtoria cum ſymptomatum enarratione, quæ ſe exſerunt 1] in abdomine.*

Ut vero eo clarius peculiaris hujus morbi genius innoteſcat, conſultum nobis viſum eſt, integram hujus luis hiſtoriam cum omnibus gravibus ſymptomatibus prætexere, ita quidem, ut juxta ſingulas partes, quas dirus hic morbus occupare graviterque adfligere ſolet, progredientes, de abdomine initium dicendi faciamus. De ventriculi quidem gravitate & dolore non adeo frequenter ægri conqueruntur, aliquando tamen nauſea, vomitu & cardialgia adficiuntur. Appetitus in quibuſdam valde eſt dejectus, in aliis præter naturam auctus. Contrarium autem valet de ſiti, ſiquidem appetitus humidi fere nullus

lus eſt : ructus frequenter emergunt acidi, amari, nidoroſi & fœtidi cum impetu ſæpe erumpentes : in ventriculo & inteſtinis rugitus & murmura frequentius ſentiuntur : alvus eſt multis valde laxa, aliis contra valde adſtricta, ita, ut fæces nimis aridæ vix poſſint emitti : in quibuſdam podex quaſi introrſum trahitur, ut nihil commode, vel tantum cum molimine maximo immitti poſſit. Præterea in abdomine valde notabiles ſunt dolores, qui vocantur colici, longe tamen aliter, quam vulgares comparati : ſunt enim lancinantes, acutiſſimi, intolerabiles fere, ut parum abſit, quin manum ſibi adfecti inferant; & ab iis doloribus hic morbus etiam *Scharbock* nominatur. Neque tunc adeſt, ut in aliis doloribus, tumor ventris à flatibus diſtenti, ſed introrſum potius rapitur umbilicus, ut pugna manus in cavitatem imponi poſſit, diuque durat nec medicamentis vel fomentis facile cedit, idque tandem peculiare habet, ut frequenter in paralyſin deſinat.

## §. VI.

*] *in pectore.*

Jam progredimur ad ea, quæ in pectore præter naturæ ordinem ſe offerunt, inter quæ occurrit ægra ſpirandi facultas, quæ frequentius oritur vel exacerbatur ſub nimio corporis motu. Hanc perſæpe comitatur anxietas, quam ſub diaphragmate, in medio hypochondriorum ſpatio, ubi cartilago enſiformis ſitum habet, ægri percipiunt, & quæ ipſos non niſi erectos reſpirare ſinit. Facilis autem ex hoc adfectu lapſus eſt ad hydropem, ſubſequente prius crurum & dein abdominis tumore, præſertim ſi vehementiora eaque draſtica purgantia fuerint adhibita. Præter reſpirandi difficultatem in thorace dolor lateris nunc ſiniſtri nunc dextri, modo verſus dorſum, modo verſus ſternum & ipſo in ſterno percipitur, qui tamen non debet confundi cum pleuritide vera, ubi dolor eſt continuus & punctorius cum febre, tuſſi continua & ſputo colorato; quod minus obſervatur in pleuritide ſcorbutica, ubi dolor quidem eſt acutiſſimus, non vero continuus, ſed per intervalla rediens : neque adeſt febris neque ſitis, nec difficilis extra dolorem ſpiratio urget. Præter hæc pulſus parvus & inæqualis, plane contrarius eſt illi, qui in vera pleuritide occurrit : tuſſis aliquando nulla vel non adeo moleſta eſt, ſique adeſt, non tam vitio thoracis, quam potius à materia in glandulas faucium deſtillante evenit. Recte itaque hoc malum pleuritis ſpuria ſcorbutica adpellari poteſt, facileque à vero pleuritidis morbo diſtinguitur, quod diutius quam ille inhæret. Deinceps palpitatio cordis non infrequens ſcorbuticis malum eſt. Accedunt quoque ſæpius pectoris anguſtiæ & animi defectiones, quas ægri, dum à lecto ſurgere conantur, præter omnem fere externam cauſam patiuntur : in eo tamen hæc mentis deliquia ab aliis videntur recedere, quod pulſus ſub ipſis major fortiorque obſervetur, qui in aliis contra parvis & interceptis micat ictibus. Præterea in thorace, quia œſophagus ibi ſitus eſt, aliud adhuc ſymptoma incidit : conqueruntur enim frequenter ægri ſcorbutici, totam gulam eorum eſſe obſtructam, & hærere ibi aliquid inſtar pali, quod remoraretur, quo minus ſolida vel liquida adſumta poſſent tranſcendere, ut inde, ſi quidquam deglutiendum ſit, in ſuffocationis verſarentur periculo.

## §. VII.

Miſſo thorace progredimur nunc ad collum, fauces, ipſumque caput, ubi iterum varia occurrunt ſymptomata, & primo quidem ſalivatio, quæ valde frequens ſcorbuticorum ſymptoma eſt. Dein gingivæ in hoc malo valde laborant, quæ inter initia ſunt tumidæ & vel leviter contrectatæ ſanguinem fundunt ſeroſum : ſæpe etiam caro ibi luxurians copioſe excreſcit, cui tandem fœtor accedit moleſtiſſimus. Sub gingivis ita male adfectis dentes in ſuis alveolis vacillare incipiunt, ita nonnunquam, ut eximi poſſint. Dolor quoque dentium frequens adeſt, & ille quidem præter manifeſtam cauſam; in eo tamen ab alia differt odontalgia, quod ſubito recedat facileque recurrat. Capitis dolores ſæpe adſunt immanes, ut plurimum vagi, raro fixi, qui ſuas circa veſperam potiſſimum habent periodos, ſed oborto noctu ſudore deſinunt. Vertigo quoque & ſcotomiæ aliquando eveniunt, ſomnolentia per intervalla incidit : cum contra alii vigiliis torquentur & per plures ſeptimanas vigilantes non debilitantur, uti febricitantibus accidit. Solet etiam aliquando gravis triſtitia, aliquando plane delirium ſine cauſa accedere, in eo vero à ceteris deliriis diſſerre, ut plane inordinate & præter juſtas cauſas invadat. 7] *in capite, collo & faucibus.*

## §. VIII.

Facto nunc tranſitu ad partes externas, convulſiones, dolores, ac ſpaſmos in iis obvenientes conſideramus. Convulſiones ſunt frequentes ad poplitem, aliquando etiam talos trahunt, & hinc inde immanes fiunt contractiones, quæ etiam non raro in articulis permanent. In Germania inferiori dicunt, *die Krúbel Kranckheit*, quem adfectum egregie deſcripſit GREGORIUS HORSTIUS. Frequenter etiam contingunt paralyſes, præſertim in cruribus, poſt graves inteſtinorum ſpaſmos; ubi ſtupor præcedens imminentis mali initium eſt : differunt vero ab ordinaria paralyſi, quæ ſenſim fit & diu durat, omnemque motum tollit; ſcorbutica vero ſubito accedit, ſubitoque recedit, motum adhuc ex parte relinquens, præſertim ſi in lecto adflicti ſe contineant. Porro ingens laſſitudo omnes artus citra manifeſtam cauſam occupat : conqueruntur etiam ſcorbutici nonnulli de dolore vermiculari, quem ita exprimunt, *als vvenn vvas lebendiges darinnen vvàre*, aliquando obtuſus tenſivus dolor ipſas oſſium medullas occupat, qui oſteocopus adpellari ſolet. Alii atrociſſimos experiuntur dolores pungentes, lancinantes, non ſecus ac ſi pars ab altera divelleretur. Vagi plerumque ſunt hi dolores & nunc ex alia parte in aliam ſe transferunt, ſed mox iterum derelinquunt; unde etiam arthritidis vagæ nomen habent : aliquando fixum locum videntur figere in pectore, ubi pleuritidis metus. 4] *in partibus externis.*

## §. IX.

In cruribus potiſſimum dolores oboriuntur, circa talos etiam & plantas pedum : aliquando in digitorum extremis, in coxendice, genu, dorſo, lumbis & nucha, & differunt in eo ab arthritide vera, quia non circa articulos tantum, ſed etiam in carne circa membranas vagantur. Præterea obſervantur copioſi ſudores, inprimis noctu moleſti & conſumentes, (dicunt *der ſchvvindende Scharbock*) ſanguinis quoque profuſio- *Præſertim in cruribus.*

fuſiones aliquando ex naribus contingunt & difficulter ſiſtuntur. Maculæ præter hæc oriuntur, quæ nunc majores, nunc minores, culicum morſibus ſimiles, præcipue rubicundæ, deinde purpureæ & ſublividæ, tandem nigræ evadunt. Majores interdum integram tibiam implent, late ſe extendentes, frequenter quoque in cruribus, collo & pectore apparent, evaneſcunt autem modo, modo iterum erumpunt. Aliquando etiam tumores & tubercula in corporis partibus oboriuntur, pedes œdematoſus tumor occupat, fiunt quoque exulcerationes hac ratione: primo pars admodum dolet, deinde abſcedit cuticula, non aliter, ac ſi fervente aqua pars eſſet ſuperfuſa, profluit ſerum & tunc intenſiſſime pars dolet; ſed vix unquam verum pus ibi notatur, alias etiam ulcera profunda obſervantur ſicca, quæ nullum pus vel ſaniem fundunt & facile in gangrænam abeunt. Gangrænæ etiam frequentes ſunt ſcorbuticis, potiſſimum in pedum digitis, quæ in eo ab aliis differunt, quod ſine cauſa manifeſta & inflammatione invadant lenteque ſerpant & tarde jugulent. Hæc præcipua ac potiſſima ſunt ſcorbuti ſigna & hoc morbo adflictorum ſymptomata, quæ quidem non in omnibus ſimiliter & omnia obſervantur, ſed in nonnullis horum adſunt plura in aliis pauciora, in aliis majora & iterum in aliis mitiora, longius vel brevius tempus durantia.

## §. X.

*Cauſa ſcorbuti proxima conſiſtit in ſumma ſuccorum vitalium corruptione.* Poſtquam igitur integram & completam affectus noſtri hiſtoriam cum omnibus fere & ſingulis, quæ complicari ſolet, ſymptomatibus recenſuimus, proximum nunc eſt, ut paulo exquiſitius diſpiciamus, à quibus cauſis tam proxima, quam remotioribus, tanquam à fonte, atrox hic morbus cum pravis ſuis effectibus proveniat atque promanet; idque maxime hanc ob rationem, quia tam præſervationis quam curationis momentum, veris morbi cauſis cognitis, unice innititur. Nos vero diri iſtius morbi continentem & proximam cauſam in ſumma ſuccorum vitalium impuritate, vitæque & ſanitati infenſiſſima corruptione, jam ſupra in definitione repoſuimus; attamen cum minus adhuc determinatum ſit, in quonam labes illa potiſſimum conſiſtat, vel quomodo oriatur, pravamque indolem ſuam exſerat, operæ erit pretium, ut hoc ipſum accuratiori diſquiſitione eruamus.

## §. XI.

*Quomodo generetur.* Rectam corporis noſtri valetudinem, ſive functionum ejus tam naturalium quam vitalium & animalium integritatem à laudabili humorum vitalium, ſanguinis, ſucci lymphatici, nutritii & nervorum fluidi temperie, mixtione ac craſi eorumque libero & æquabili in omnes corporis partes influxu & circuitu dependere, res in phyſiologicis certa eſt & extra omnem dubitationem poſita. Verum enim vero, quum debita temperies ac puritas in eo maxime conſiſtat, ut partes ſubtiliores, & mobiliores, aqueæ æthereæ, elaſticæ, blande ſulphureæ, cum gelatinoſis & tenuioribus mucidis debita proportione inter ſe mixtæ & unitæ ſint; craſſiores vero, glutinoſiores & terreſtres variique generis ſalinæ, tartareæ, alcalino-ſulphureæ ſive bilioſæ & ſuperfluæ aquoſæ & pingues per congrua, à provida natura conſtituta colatoria & emunctoria, ut ſere ſunt perſpirabilis cutis, hepar, renes, inteſtina, tunicæ glanduloſæ faucium, naſi & bronchiorum, rite eliminentur; judicatu eſt facillimum, tum fluidorum vitalium impuritatem, ſive Græcorum loquendi idiomate, cacochymiam oriri, quando particulæ terreſtres, tenaces, ſulphureæ atque ſalinæ in corpore intus retentæ præ dulcibus ac temperatis prædominium obtinent. Hoc loco autem ſcire expedit, impuram in hoc morbo ſanguinis dyſcraſiam non ſemper unius ejuſdemque eſſe generis, ſed pro diverſa excrementitiarum particularum indole permultum differre & varia quoque inducere ſymptomata. In quibusdam enim ſubjectis fluida materia valde viſcida fixa terreſtris ſalina acida, in aliis bilioſa ſalino alcalino-ſulphurea ſcatet ac dominatur; hinc etiam auctores ſcorbutum vel à cauſſa frigida vel à calida derivare ſolent: nos tertiam adhuc ſpeciem addimus, quæ à fluidorum vappeſcente & in putridam corruptionem vergente diſpoſitione derivanda eſt, & hæc utique pejoris indolis ac naturæ reperitur.

## §. XII.

*Corruptionis putridæ præſentia in ſcorbuto evincitur.* Putrida corruptio & vappidus humorum ſtatus vel eo ipſo ſatis evincitur, quia ſcorbutus per contagium ſæpe propagatur, & adfectiones omnes, quæ contagio inficiunt, putridas exhalationes pro cauſa & fundamento agnoſcunt, quæ altius penetrando, inſtar ſeminii ſeu fermenti humores jam diſpoſitos, præſertim pingues inquinant & in ſuam convertunt naturam. Unde non mirum eſſe debet, quod à ſolo fœtore cadaverum, ſcorbuto exſtinctorum ortum hujus mali annotaverit SENNERTUS *cap. I. & IV. de ſcorbuto*, & ſonticas exhalationum ſcorbuticarum noxas graphice depinxerit CASPARUS HOFFMANNUS *de febribus cap. LVII. Si quis*, inquit, *ſtatim à morbo exſtinctus fuerit, nihil periculi ſubeſt, ſed poſtquam putredo cadaveris ſuccedere ſolet, procul hinc abeſſe debent ſodales, niſi eadem velint labe contaminari.* Et quid multa? ingens illa, quæ ſponte oritur laſſitudo, artuum languor ac impotentia, magna virium ad lypothymiam uſque proſtratio, pulſus arteriarum debiles ac languidi, peſſimi ſudoris & urinæ fœtores, & tam facilis tamque prompta partium extremarum ſine prægreſſa externa cauſa, ſphacelatio, ſatis clare ac manifeſte ſummam ſanguinis, & ſucci nutritii corruptelam patefaciunt.

## §. XIII.

*Cauſſa mediata conſiſtit in fluidi à ſolido ſeceſſione.* Verum enim vero, ad genuinam ſymptomatum ſcorbuticis inhærentium cauſam explicandam, non depravata ſolum planeque aliena humorum indoles ſufficit, ſed aliud adhuc momentum, videlicet deſtructa elementi fluidi cum ſolido in ſanguine unio requiritur, quam ex pluribus cum ſcorbuto conjunctis phænomenis non obſcure licet colligere. Maxime vero omnium hanc fluidi à ſolido, eoque graviori elemento ſeparationem inter alia ſatis docere poſſunt fluxiones ſanguinis aquoſi, quæ per nares, gingivas & alvum contingere ſolent; neque minus, quod in partibus extremis, ut facie, labiis ac cruribus, vaſorum oſcula nonnunquam ſe aperiant, & ſanguineum laticem fundant. His demum accedunt ſalivationes, urinæ & ſudores copioſi, ſcorbuticis frequentiſſimi, qui nimiam ſeri à ſanguine craſſiori ſeceſſionem ſimiliter abunde declarant; cum contra dolores vagi ac inconſtantes ex una in alteram partem tranſeuntes, inſignem ſeri impuri tenuitatem & ſubtilem acrimoniam produnt. Siquidem tenuis & acris humor ex vaſculis ſe-

lis ſepoſitus, à parte ad partem facillime ac celeriter transfertur, quod quidem præcipue in arthritide vaga ſcorbutica evenire deprehendimus; quo etiam præcordiorum anguſtiæ, ſpaſmodicæ orificiorum ventriculi & diaphragmatis conſtrictiones, dolores inteſtinorum lancinantes, & ſimiles in pectore ſævientes, qui pleuritidis ſpuriæ nomine veniunt, ac denique pruritus & exulcerationes jure debent referri. Lentorem denique & craſſitiem humoris ſcorbutici, ex tumoribus, doloribus fixis, artuum laſſitudine, horrore, ſtupore animadvertere licet: & abhinc etiam palpitationes cordis, ſyncopes, carus & lethargus, pulſus debilis & parvus, triſtitia, melancholia, polypoſæ concretiones, majoribus pulmonum & cordis vaſis inhærentes, adfectiones paralyticæ, tumor & incrementum ſubitum corporis, hepatis & lienis magnitudo, ut & tubercula in variis partibus &c. ſunt derivanda.

## §. XIV.

*Quod probatur.*

Præterea deſtructam ſolidi cum fluido unionem intimam, quæ ad circuitum per minima vaſa & viſcera ſumme neceſſaria eſt, ſanguis per venam inciſam emiſſus, qui ut plurimum grumoſus, niger, gravis ac craſſus eſt, ſupernatante infimul copioſa aqua, mali odoris & ſaporis, ad ſenſum demonſtrat. Vidimus non raro, è pedibus ſanguinem in aquam immiſſum brevi tempore in fibroſa concrementa compactum, in aliis in patina collectum non ita multo poſt craſſo tenaciſſimoque glutine fuiſſe obductum. In quibuſdam vero loco ſanguinis craſſi, valde tenue, coccinei coloris & acris ſaporis ſerum, nulla craſſiore nigra ſubſtantia in fundo vaſis relicta, effluxiſſe, non ſine admiratione conſpeximus.

## §. XV.

*Sedes hujus mali non eſt primario in liene.*

His ita, quæ mali noſtri cauſſam concernunt, clare expoſitis, non immerito in quæſtionem venit, quænam potiſſimum viſcera in noſtro morbo ſint adfecta, & quæ præcipua mali ſedes ſit habenda. Verum enim vero, quum hac de re auctores in diverſas abeant ſententias, expendendum videtur, quæ ex his veritati magis congruant, quæ minus. Veteres quidem, inter quos HIPPOCRATES agmen ducit, lienem maxime, utpote ſucci melancholici & atrabilarii ſedem accuſabant; ſed accuratiori recentiorum per anatomen inquiſitione conſtat, non tam in liene, quam potius in hepate ſedem hujus mali eſſe conſtituendam. Ita SENNERTUS *lib. III. med. pract. Sect. II. cap.* 2. in cadavere ſcorbuto exſtincti aperto, omentum fere totum putridum & corruptum, in liene vero nihil, quod tantum ad ſenſum culpari potuiſſet, deprehendit. FORESTUS *lib. XX. obſerv. ſchol.* 2. in quodam Hollandiæ Præſide magis hepar, quam lienem adfectum fuiſſe, diligenter annotavit. Sic etiam REUSNERUS *exercit. IV. de ſcorbuto*, viri cujuſdam hepar corruptum, calloſum & ad depurationem ſanguinis ineptum vidit, lienem vero magnitudine & colore cum hepate ſano certantem. Imo HORSTIUS *Tr. de ſcorbuto Sect. II.* §. 8. ſcorbuticum quendam vidiſſe commemorat, cui jecur totum interius atque exterius ſcirrhoſum erat, nec quicquam vaſorum vel ſanguinis exhibebat; lien vero triplo major, quam ſecundum naturam eſſe ſolet, optimeque ſanus conſpiciebatur, parenchyma jecoris colore ſat rubeo, nec non ſubſtantia carnoſa referens. Et WILLISIUS poſt plurium ſcorbuticorum cadaverum diſſectionem multoties obſervavit: hepar aut cyſtidem felleam fuiſſe in culpa. Invenit enim in nonnullis hepar prorſus exſangue & inſtar uberis vaccini exſuccum, in aliis veſicam biliariam prorſus vacuam & inanem, in aliis lapidibus obſitam, in aliis amurca maxime amareſcente repletam, lienem vero optime validum ac ſanum.

## §. XVI.

*Sed omnia fere viſcera & emunctoria læſa ſunt.*

Si noſtram hac de re ſententiam interponere licet, non dubitamus adſerere, omnia viſcera & emunctoria, quæ fluidorum depurationi inſerviunt, labe quadam ac vitio eſſe adfecta, dum à lentiori ſanguinis progreſſu, minima eorum vaſcula ac meatus perfacile nimium infarciuntur, à viſcida amurca obſtruuntur, & demum plane indurantur. Speciatim vero univerſale illud ac ſolenne univerſi corporis emunctorium, cutis, per quod tenues excrementitii ſucci exhalant, non ſine ratione maximam pati labem videtur: neque viſcera in abdomine ſita ſanguinea, ad quæ vena portæ pertingit, ut hepar, lien, meſenterium, omentum &c. ab omni labe & culpa ſunt immunia, eo quod hepar partibus impuris, ſalſis, ſulphureis & in alcalinam naturam vergentibus, ſecernendis dicatum eſt; lien vero ad intimam fluidi cum ſolido mixtionem præcipuum confert momentum: quare harum omnium partium læſio inprimis in ſcorbuto attendenda eſt. Ceterum probe notari velim, obſervationibus anatomico-practicis non penitus eſſe in noſtro adfectu fidendum, quia rariſſime ſcorbutici demortui, ſed quando jam in hydropem, atrophiam, hecticam, morbum nigrum, vel ſphacelum internum delapſi ſunt, cultro anatomico ſubjiciuntur.

## §. XVII.

*Ventriculus ejusque digeſtio.*

Quod vero noſter adfectus tam diuturnus ac contumax ſit, ut appropriatis etiam & efficacibus præſidiis valde reſiſtat, id mea quidem ſententia inde deducendum eſt, quod digeſtionis & chylificationis officina, ſub qua ventriculum cum inteſtinis intellig mus, non recte ſe habeat, ſed valde læſa ſit. Sicuti enim a ſucci menſtrui, ſalivalis, gaſtrici & pancreatici temperie leniterque ſpirituoſa indole, & ſufficienti influxu, intima alimentorum diſſolutio & ſucci boni, ſubdulcis, chyloſi, præparatio & extractio unice pendet; ita dum per impuritatem ſanguinis vitiati menſtruales illi ſucci à temperata indole plane deflectunt, non niſi crudum, viſcidum & acidum chylum producunt, qui ad ſanguinem accedens ejus intemperiem ac impuritatem magis adhuc intendit, auget, pravoque fomento ſuſtentat.

## §. XVIII.

*Cauſæ non naturales.*

Hactenus mali ſcorbutici ejuſque ſymptomatum, continentem & proximam cauſam veramque ſedem, & quomodo vires ubique diffundat, perſpeximus; proximum nunc eſt, ut, unde cauſæ hæ morbi internæ ſuam nanciſcantur originem, inveſtigemus: idque optime fieri confido, quando ad cauſas iſtas externas non naturales à medicis appellatas, quibus quotidie ad vitam opus habemus, animum mentemque advertamus. Ita primo omnium nos docet experientia, ſcorbuticum malum quam maxime certis regionibus & populis, præſertim ſeptentrionalibus & maritimis, ut Cymbriis, Norwegis, Seelandis, Fri-

Friſiis, Ditmarſis, Belgis, Suecis &c. eſſe proprium ac valde familiare. Cujus rei cauſa in catholico iſto, ſeu univerſali fluido aëreo-æthereo eſt quærenda, quod exhalationibus impuris, putridis, ſalſis, nimiumque aqueis refertum, vi ſua elaſtica & expanſiva, à qua vigor, tonus & robur ſolidorum, eorumque vis motrix ſyſtaltica dependet, multum privatur. Quapropter etiam in aliis climatibus, ad meridiem vergentibus, loca lacuſtria, uliginoſa, humilia, ubi facile inundationes & aquarum, delapſum non habentium ſtagnationes, item nebulæ frequenter contingunt, ad progignendum eundem morbum ſunt aptiſſima; certe non aliam ob cauſam, quam quod aër, multis exhalationibus humidisque vaporibus repletus, fibras motrices valde relaxando, humorum circuitum cum naturalibus ſe- & excretionibus valde retardet atque imminuat.

1] *Aëris vitium.*

## §. XIX.

2] *ingeſta prava.* Sicut vero ſecundum HIPPOCRATIS effatum *lib. de flatibus* non ab aëre ſolum, ſed ab ingeſtis etiam morbi proveniunt; ita experientia edocti cognoſcimus, victum inprimis durum & ſalſum, qui ex carnibus taurinis, porcinis & annoſiorum animantium compactioribus, multoque ſale conditis & fumo induratis, neque minus ex piſcibus, præſertim maritimis exſiccatis & ſalitis conſtat, variiſque gentibus mari & ſeptentrioni proximis, familiaris eſt, ad noſtrum morbum plurimum conferre momenti. Quo etiam legumina craſſioris texturæ, in locis præſertim humidioribus & uliginoſis progerminata, panis groſſior, durus, & ex ſecali, tempore pluvio collecto, confectus, item qui ſitum contraxit, jure debent referri. Ex potulentis aquæ crudæ, duræ, graves, ſalſæ & ſtagnantes, ad quotidianum potum uſurpatæ, vel ſi cereviſiæ ex iſtis coctæ, lupulo non bene conditæ, vel acidæ & fæculentæ redditæ fuerunt, noſtro malo ingenerando plurimum velificantur. Hæc omnia tamen longe majori ſunt nocumento, ſi vita iners, deſes omniſque fere laboris & exercitationis expers conjungitur. Sic enim vitalis fluidorum circuitus & abhinc pendentes ſe- & excretiones valde retardantur, ſanguinique craſſities & ſpiſſitudo inducitur.

3] *Otium*

## §. XX.

4] *Temperamentum, ſexus, & vitæ genus.* Porro animadvertimus, corpora ſpongioſi & laxioris habitus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, quæ exilitate ac copia vaſorum multaque pinguedine prædita ſunt, præ ſiccioribus macilentis, ſtrictioris complexionis, quæ vaſa majoris diametri habent, ſcorbuticæ corruptioni eſſe obnoxia; hanc potiſſimum ob cauſſam, quod in illis tardior & lentior humorum circuitus, impeditiorque excretionum fit ſucceſſus & ſucci pingues aquoſi quam promte, miaſmate quodam accedente, in putredinoſam abeant corruptionem. Præterea & illud obſervamus, quod fœminæ præ viris, urbani præ ruſticis, eruditi præ plebeiis, qui laboribus fatigati pravos humores in corpore accumulatos per tranſpirationem expellunt, ad luem hanc magis ſint diſpoſiti.

## §. XXI.

5] *Excretiones ſuppreſſæ.* Maxime vero omnium ad corrumpendam ſanguinis maſſam, motuſque œconomiæ corporis noſtri pervertendos, & excretiones, quæ per cutim, alvum & urinam fiunt, ſupprimendas, conſuetæ ſanguinis evacuationes, in fœminis per menſes, in viris per hæmorrhoides imminutæ, magnam in noſtro affectu obtinent potentiam. Huc quoque pertinent mulieres ſteriles cum illis, quibus menſtrua ſponte propter ætatem ſubſiſtunt, & omnes, qui conſuetas ſanguinis miſſiones, ſive ſcarificando, ſive venam incidendo, olim ſuſceptas, penitus omittunt: ſiquidem inde humores in corpore valde cumulati, libere per omnia vaſa circulari nequeunt, ſed hinc inde ſtagnantes, impuritatem contrahunt; unde ſcorbuti origo. Quantum vero ſuppreſſæ ſanguinis *& nimia* excretiones, ad ſcorbutum conferunt, tantum è contrario nimiæ, quæ per nares, uterum, hæmorrhoides & in puerperis per lochia contingunt, ſanguinei laticis profuſiones, teſtibus probatiſſimis SALOMONE ALBERTI, EUGALENO & WILLISIO, ad geneſin noſtri mali contribuunt. Nimia enim ſanguinis jactura, perinde ac nimia ejus abundantia, humorum ſtagnationi & corruptioni anſam præbet largiſſimam.

## §. XXII.

Ratione ætatis vel maxime huic morbo obnoxii ſunt ſenes; quippe morbi ipſis familiares, multum cum ſcorbuto convenientiæ alunt, ideo quod ex impura, ſalina & viſcida ſanguinis & humorum craſi ſuam mutuantur originem. Neque hoc dijudicatu eſt difficile: ſiquidem ſub invaleſcente ætate, minima vaſa, per quæ potiſſimum ſordium inutilium excretiones fiunt, partes nutriuntur, & lympha quoque cum ſanguine intime miſcetur, areſcere, coarctari & anguſtari incipiunt; unde ſuo perfungi munere nequeunt, totaque ſanguinis maſſa ſucceſſu temporis impura redditur. 6] *Ætas*

## §. XXIII.

Inſuper ad claſſem cauſarum remotarum maxime ea, quæ vires labefactant & motus vitales ſe & excretorios minuunt, referri debent. Sunt autem præſertim hoc in numero graves animi, per anxiam curam, triſtitiam & mœrorem diuturnum, inductæ perturbationes. Sic EUGALENUS *Tr. de ſcorbuto p. 3. obſ. XV.* conſtanter prædicere auſus eſt, eos facile omnes, quos cum craſſiori victus ratione diuturnior mœror exercuit, ad ſcorbuticum malum eſſe proclives. Cui adſentitur WILLISIUS, qui nonnullos, fortuito timore percullos, ſcorbuticos evaſiſſe, obſervavit. Magnam enim hæc animi pathemata obtinent potentiam in ſolidorum robore infringendo, & ſanguinis circuitu, qui inde pendet, remorando; unde humores tardius circumacti, ſpiſſi, ad trajiciendum minima vaſcula inepti & tandem impuri evadunt; unde facillimus ad ſcorbutum tranſitus. 7] *Graves animi affectus.*

## §. XXIV.

Uti vero nimium otium, quod ſupra demonſtravimus: ita etiam ſi exceſſus in motu committitur, ut vel nimis violenter inſtituatur, vel diutius juſto continuetur, damno eſſe ſolet. Tali enim ratione, puriſſima ac ſubtiliſſima ſucci ſanguinei, nutritii & nervoſi pars diſſipatur & exhauritur, ut facilius poſtea humores alienam & corruptam indolem, præſertim acceſſu contagii, induere poſſint. Reprobandus vero quam maxime eſt, intempeſtivus & intenſior corporis a paſtu motus, quo videlicet ſuccus chyloſus, nondum ſatis recte digeſtus, in ſanguinem nimis cito rapitur, unde omnia facile mala, quæ a digeſtione male 8] *Motus corporis nimius.*

male peracta, crudoque & rudi chylo provenire, ſupra innuimus, certo certius propullulant. Sapienter itaque GALENUS *lib. II. de ſanitate tuenda cap. 2.* præcipit: *non debet, cum adminiſtratur exercitium, crudi incoctique cibi aut ſucci multitudo vel in ventriculo vel in vaſis contineri, unde periculum ſit, ne prius, quam per maturam coctionem utilis ſit, in omnes animales partes rapiatur.*

§. XXV.

9] *Morbi prægreſſi.* Nihil præterea facilius, nihil promtius ad ſcorbutum diſponit, quam ubi morbus aliquis non ita diu prægreſſus, quamcunque labem, vel minimum ſui veſtigium, ſive ſanguini & ſucco alimentari, ſive alicui ex viſceribus præcipuis impreſſum reliquit. Hinc nihil in arte eſt frequentius, quam quod febribus tam continuis, quam intermittentibus, inopportune ſuppreſſis, vel ſi ægri adhuc debiles ſtatim alimentis ſe obruunt, ſcorbutus à tergo ſuccedat. Ratio in proclivi eſt: ſucci enim vitales per febrile incendium ſubtiliori & ſulphurea ſui parte, debitaque ſpirituaſcentia orbati, ægre ſuum circuitum abſolvunt; unde miaſma à priſtino morbo relictum facile alienam contrahit indolem. Ut multas hac de re obſervationes, quæ omnes morborum in producendo ſcorbuto potentiam confirmant, ſilentio prætereamus, commemorare tantum hoc loco placet conſenſum, quem hypochondriaca adfectio cum ſcorbuto habere ſolet: ſiquidem hic illam ſæpiſſime aut comitatur aut excipit; unde medicorum quidam decepti, nullam inter utrumque morbum differentiam admittere voluerunt.

§. XXVI.

10] *Vita militaris in caſtris.* Genus quoque vitæ interdum huic malo cauſam præbet antecedentem. Sic maxime nautas eodem corripi obſervamus, qui longis & diuturnis navigationibus detenti non niſi humido aëre circumdantur, ſimulque craſſo, ſalſo ac duro victu ſe nimis onerant. Morbus noſter deinceps etiam non raro eſt caſtrenſis, eam maxime ob rationem, quod milites in caſtris degentes nulla diætæ victusque ratione habita aquas ſtagnantes & potus genera ſæpenumero corrupta, cibos crudos & interdum ſemiputridos, panem ſitu obductum & lardum rancidum ingerunt, corpora impuro humido, præſertim per noctem frigido exponunt aëri, nimiisque vigiliis, excubiis, ac inedia defatigantur ac vires proſternunt. Qua de re exſtat inſignis locus apud OLAUM MAGNUM *lib. de regionibus ſeptentrionalibus XVI. cap. 51.* qui huc tranſcribi meretur: *ex cibis*, inquit, *piſcibus, carne, ſale & ſuffitu maceratis, eſculentis frigidis & crudis, ac pane non probe piſto, morbus ille horrendus caſtrenſis & à vulgo Scherbock dictus incrudeſcit, quo fauces & gingivæ putreſcunt, ventriculus diris cruciatibus torquetur, dentes ſtupent & vacillant. &c.* HOECHSTETERUS pariter *obſ. med. decad. VII. caſ. X. p. 162.* de ſcorbuto, tanquam militari morbo, in media Germaniæ parte olim graſſato, longam recenſet obſervationem, cujus præcipua momenta huc allegare lubet: Poſtquam Rex Sueciæ anno 1634. urbem imperialem Auguſtam Vindelicorum armis ſuis ſubjecerat, milites in civium ædes locati febrem militarem ardentem malignam cum delirio & petechiis junctam, qua etiam milites cæſarei laborarunt, in urbem intulerunt, ut ingens inde multitudo ſuccubuerit. Hoc vero morbo circa brumam remittente, plurimi civium de laſſitudine, gravitate & ambulandi impotentia conquerebantur: neque poterant ſtare erecti ob crura rigida, dura, & doloroſa, quibuſdam intumeſcentia, quibusdam contabeſcentia. Qui ſicciores naturæ erant, illis tendines, nervi ac muſculi crurum ſurſum trahebantur, ut flecti non poſſent, interdum cum acuto dolore, interdum ſine eo: quidam in lecto cubantes ſe volvere, non tamen pedes extendere valebant. Plurimi ex his, circa finem hiemis 1634. algidum, fatis ceſſerunt. In plurimis ea erat pedum infirmitas, ut iisdem inniti non poſſent, licet aliquem in lecto motum haberent. Maculæ autem omnibus fere erant communes, quæ multifarium coloratæ primo inſtar lentium rubræ, dein cæruleæ, tandem lividæ in artubus apparebant, tanta interdum latitudine, ut maximam cruris partem occuparent. Junioribus gingivæ laxo ac flaccido luxuriabant tumore, quo fortius tacto ac fricato ſanguis niger ac fœtens effluebat ſimulque fœtor oris ac maſticationis defectus aderat. Leucophlegmatia, aſcites, tympanites, atrophia, diarrhœa, icterus accedens mortem inferebat: aërem ſiccum ægrotantes non bene ferre poterant, propter ſanguinis ebullitionem, hinc etiam nimius motus ipſis erat noxius.

§. XXVII.

Propoſita jam mali ſcorbutici hiſtoria, ejuſque ſignis & cauſis in liquidum deductis, facillimum erit, hunc morbum ab aliis, quibuscum ratione ſymptomatum & impuræ dyſcraſiæ multum habet commercii, ad evitandam confuſionem, diſtinguere. *Differentia.* Equidem probe ſcio, plures & ante nos fuiſſe, & noſtra adhuc ætate eſſe medicos, qui ſcorbutum eundem eſſe morbum perhibent, quem HIPPOCRATES *libr. de intern. adfect.* nomine ilei cruenti deſcripſit; *Ab ileo cruento Hippocratis.* ſiquidem in hoc adfectu, perinde ac in ſcorbuto, ingens ex ore fœtor exhalat, gingivæ à dentibus abſcedunt, ſanguis è naribus manat, imo ulcera quandoque ex cruribus pullulant, horumque alia ſaneſcunt, alia graviora fiunt: at vero, quum de maculis, quibus ſe hodie intuentium oculis ſcorbutus repræſentat, altum apud HIPPOCRATEM ſit ſilentium, & ipſe quoque, volvulo cruento laborantes, ad ambulandum ac laborandum promtos expeditosque eſſe dixerit: cum tamen in ſcorbuticis languor, gravitas, frigus & crurum ad movendum impotentia adſit, ego vix poſſum induci, quin ita ſentientibus fidem adjungam. Sunt dein nonnulli, qui ſcorbutum *ab ictero nigro.* ad icterum nigrum referunt, quia in hoc os fœtet, gingivæ exeduntur, multumque ſanguinis ſtillant, ulcera ægrius cicatricem ſumunt, & in ægris quoque ad laborem tarditas, languor & difficillima ſanatio obſervatur. Utut vero non negandum ſit, quod ambo hi morbi, ob ſummam humorum corruptionem, inſignem habeant convenientiam, in eo tamen videtur quædam intercedere differentia, quod in ictero nigro, ſecus ac in ſcorbuto, color faciei totiuſque corporis niger appareat, ſtercora porracea ſecedant, ſaporis amarities adſit, nullaque febris, nullaque contagii vis obſervetur. Cui demum accedit, quod in ictero hepar potiſſimum adfectum ſit; cum contra in ſcorbuto eadem fere in omnibus viſceribus labes deliteſcat, maximeque ſyſtema nervoſarum partium ſpaſmis & doloribus

bus lancinantibus peſſime affligatur: quod tamen in ictero minus contingit.

§. XXVIII.

*A malo hypochondriaco & melancholico.*

Facile porro à malo hypochondriaco & melancholico ſcorbutus diſtinguitur, licet non raro junctus cum ipſo prodeat. Equidem in dicto affectu ob tonum viſcerum deſtructum & tardiorem ſanguinis ſpiſſioris circuitum impuritas quædam & humorum corruptio adeſt, neque minus ex ſtaſi humorum dolores & ſpaſmi viſuntur; aſt maſſa ſanguinea non tam putrida eſt & corrupta, nec tam multis & acribus ſalibus imbuta: unde etiam non modo contagii vis deficit, ſed & maculæ, ulcera putrida, gingivæ relaxatæ & ſanguinolentæ, ſumma corporis ac artuum laſſitudo, imo virium ad lipothymiam uſque defectio, ceu conſueta ſcorbuticorum ſymptomata, plane deſunt. Denique lues ſcorbutica ratione corruptionis, quæ ſolidas æque ac fluidas partes exedit, ob maculas quoque, dolores & ulcera, imo ob contagii virus multum cum venerea habet affinitatis, nihilo minus tamen permultum intereſt, ut utrumque adfectum probe diſcernamus, quia alioquin in praxin damnum redundat graviſſimum. Probe itaque tenendum arbitror, luem veneream non niſi contagio naſci, ſcorbutum vero ex aëris, aquarum & diætæ vitio, rerumque non naturalium abuſu oriri & inde certis regionibus certiſque climatibus eſſe proprium. Porro ſcorbutus gingivas magis occupat denteſque reddit carioſos, lues autem venerea magis tonſillis, uvulæ, naribus, oſſibuſque palati, exulceratione & eroſione eſt infeſta. Urina ſcorbuticorum eſt craſſa, colorata, ſalibus lixivioſis turgida; in lue autem venerea minus eſt colorata, turbida cum limoſo ſedimento. Tandem in ſcorbuto ſpaſmi & dolores magis ſunt vagi, in lue venerea magis fixi, oſſibus inhærentes, qui tamen noctu ſub lecto ingraveſcunt.

*A lue venerea.*

§. XXIX.

*A purpura rubra chronica.*

Cum nullo vero morbo noſter adfectus plus habet adfinitatis, quam cum purpura rubra chronica, quæ febris ut plurimum expers, adeoque hodie familiaris eſt, ut etiam κατ' ἐξοχὴν ſcorbutica appelletur, maxime, cum pariter ac ipſe ſcorbutus non exiguam humorum impuritatem pro cauſa & fundamento agnoſcat. In eo tamen à ſcorbuto differt, quod in hac puſtulæ, ſemen milii amplitudine æquantes numeroſiſſimæ cum corrugatione, aſperitudine & ariditate cutis, intercurrente, præſertim inter initia, horripilatione, pruritu, æſtu & pectoris quadam anguſtia, effloreſcant, quæ peculiarem fœtorem cum largo ſæpius ſudore ſpargunt; quale quid in ſcorbuticis ita annotare non licet. Deinceps nullum aliud exanthema, inprimis in ſenſibilioris naturæ hominibus, tam inſtabile eſt, quam purpuraceum, utpote quod mox comparet, mox iterum retrocedit, nihil ſæpe incommodi, niſi aliquam pectoris oppreſſionem fauciumque raucedinem relinquens, quæ tamen ſymptomata regimine convenienti adhibito facile iterum remittunt.

§. XXX.

*A cachexia.*

Inter morbos cum ſcorbuto multum ſimilitudinis habentes, jure quoque numerari debet cachexia, quæ à noſtri ævi medicis plerumque ſcorbutica appellari ſolet. At vero, quo pateſiat, quantum hos morbos intercedat diſcriminis, ſcire licet, cachexiam neque contagio propagari, neque populariter graſſari, nec gingivis adeo eſſe infenſam, nec denique maculis corpus deturpare; quæ omnia tamen in vero ſcorbuto tantum fere non ſemper contingunt. Imo demum ipſa cauſa materialis in ſcorbuto aliter eſt comparata, quam in cachexia: in hac enim ſeri magis tenuis, quam glutinoſi & acris delinquit copia; unde etiam externum corporis habitum valde relaxatum, flaccidum & tumidum obſervamus.

§. XXXI.

*Prognoſis.*

Conſtituta ſic noſtri morbi ab aliis ſibi cognatis differentia; ſequitur jam, ut indicemus, quomodo de ejus eventu & curatione firmum & prudens ferre judicium poſſimus. Et primo quidem in genere notare licet, ſcorbutum ex iis eſſe adfectionibus, quæ nec ſubito ægrum invadunt, nec ſubito eum deſerunt, ſed teſtudineo quaſi gradu procedentes, ad mitigationem æque ac curationem multo tempore exactaque victus ratione opus habent. Unde etiam fit, ut noſter adfectus, ſi vel levis error committitur, facile recrudeſcat, præſertim ſi à parentibus, hæreditario quaſi jure, ad liberos deſcendit; & tum raro etiam tollitur radicitus. Idem quoque contingit, ſi inveteratum eſt malum, ſi corpus ſenile, vel à prægreſſis morbis valde debilitatum & exhauſtum, invadit; tunc enim ſenſim ad hydropem, atrophiam, paralyſin, convulſiones, carum, lethargum, apoplexiam, ſphacelationem extremorum, aliaque lethalia mala viam ſternit. Aliter contra res ſe habet, ſi malum eſt incipiens, ætas juvenilis, habitus corporis ſtrictior, & origo ejus à contagio: tum quippe curatu eſt facilius, maxime, ſi ejus fomes per menſes, hæmorrhoides aut diarrhœam criticam ſubtrahatur. Facilius quoque ſanationem recipit, ſi locus mutatur & ex inſalubribus maritimis, ſeptentrionalibus, ad meridionales plagas fit tranſitus. Porro quando hypochondriaci, cachectici & gonorrhœæ virulentæ impliciti, in ſymptomata incidunt ſcorbutica, cura quidem difficillima, ſed non pro ſumme deſperata habenda eſt. Res notatu perquam digna eſt, quod, licet homines in regionibus ſeptentrionalibus valde ſint robuſti; nihilo tamen minus ex hoc morbo laborantes ægrius convaleſcant. Cujus rei rationem adferre videtur aphoriſmus Hippocratis (XXX.) à Sponio allegatus, qui hic eſt; *quibus corpus male tranſpirat, ii robuſtiores ſunt, & minus ægrotant; ſi vero ægrotant, difficilius reſtituuntur.* Etenim in populis regiones ſeptentrionales inhabitantibus, quorum cutis à nimio frigore craſſa, denſa & conſtricta eſt, portio ſanguinis ſubtilior & ſpirituoſa, retinetur, nec tam copioſe & liberaliter exhalat, unde populi ejuſmodi regionum ſunt robuſtiores. Quandocunque vero hi homines ægrotant, difficilius à morbis, qui per tranſpirationem ſanari debent, ob cutem valde denſam & conſtrictam, convaleſcunt.

§. XXXII.

*Prognoſis ſ[illegible] de tumoribus & [illegible] bus, [illegible] bu[illegible].*

In ſpecie vero notandum eſt, quod tumores, in partibus ſubito erumpentes & brevi evaneſcentes, ſæpius indicent paralyſin; ventris vero tormina & continuæ circa umbilicum contorſiones, vel ſphacelationem inteſtinorum & ſubitam mortem in ſenibus, vel tympaniten poſt ſe trahant. Maculæ, quo magis ad colorem nigrum ver-

vergunt, eo pejoris ſunt indolis, ſique in ulcera abeunt, difficillimæ fiunt curationis, ut potius in corruptionem ſphaceloſam ſæpiſſime deſinant. Peſſimum quoque eſt, ſi gingivæ & adjacentes partes exulceratæ carnem ad oſſa abſumunt & abſceſſum in mandibula formant.

## §. XXXIII.

*-in morbis ſcorbutica dyſcraſia provenientibus.*

Morbi, qui ex ſcorbutica humorum dyſcraſia proveniunt, ut fere ſunt paralyſis, purpura chronica, cachexia &c. facile recidivant, ita quidem, ut nunc ſingulis annis, nunc ex longiori intervallo, pro victus ratione, pro regimine aliiſque circumſtantiis recrudeſcant; & ſi demum ipſis viſceribus, vel partibus nervoſis labes eſt impreſſa, hæc non tam facile tollitur: humor enim ſcorbuticus, qui fermenti ac ſeminii naturam æmulatur, ſanguinique & ſucco nutritio profundius inhæret, ægerrime expellitur.

## §. XXXIV.

*Scorbutus cur difficilis ſit curationis.*

Ulterius quoque notatu perquam dignum eſt, quod ordinario & hypochondriaci & ſcorbutici rarius priſtinæ ſanitati reſtituantur; idque maxime hanc ob rationem, quia rarius medicis obediunt regulisque diæteticis ægrius ſe ſubmittunt, ſed per medicamenta cito curari cupiunt: unde fit, ut ſubinde ab uno remedio ad aliud, ab uno medico ad alterum tranſeuntes malum ipſi deterius reddant, præſertim ſi natura remediis adſueta, medicamentorum, vel etiam optimorum virtutem eludit. Huic accedit, quod perpauci ſint medici, qui rebelles hos morbos congruis remediis, convenienti ordine, methodo, & doſi adhibendis, recte tractare didicerunt. Plerumque enim heroica adhibent medicamina; cum tamen inſtar regulæ generalioris ſcire liceat, ſcorbutum, inter chronicos facile graviſſimum, non validis & fortioribus, ſed leniſſimis & ſimpliciſſimis tractandum eſſe remediis.

## THESES THERAPEUTICÆ.

## §. I.

*Indicationes curatoriæ & præſervatoriæ, ad quas obtinendas facit.*

Hactenus de ſcorbuti origine, indole & eventu ſatis videmur diſſeruiſſe, noſtrum nunc erit oſtendere, qua ratione atrox hic morbus commode poſſit averti tutoque ſanari. Sicut autem duplex hic ſcopus in nullo facile morbo obtinetur, niſi ad arcendas & tollendas ejus cauſas tam proximas, quam remotas omnem intentionem omnemque remediorum energiam dirigamus: ita quoque vix melior ſcorbutum tum præſervandi tum curandi datur methodus, quam quæ removendis ejus cauſis eſt dicata. Hæ ipſæ vero quum in perverſo rerum non naturalium, maximeque aëris uſu, unice ſint quærendæ; ſiquidem nemo unquam, niſi ab aliis ſit infectus, ſcorbuto laborabit, qui non graves in diæta vitæque regimine errores commiſerit: per ſe patet, ante omnia diætam rite eſſe inſtituendam, ſi cauſas ſcorbuti ſubtrahere velimus. Quod autem ut recte perficiatur, regulas nonnullas diæteticas præſcribere ex uſu erit.

## §. II.

*Aëris mutatio.*

Maxime omnium habenda eſt ratio, ut qui ad ſcorbutum diſpoſiti, vel eodem jam adfecti ſunt, aërem, in quo morbus prognaſcitur aut fovetur, permutent: quod fieri poteſt, ſi a locis inſalubribus, ubi aëris fluidum impurum, vappidum, minusque elaſticum & pravis exhalationibus & copioſis nebulis refertum eſt, ſecedendo ad ſalubriora ſe conferant. Spectat huc aphoriſmus omni encomio digniſſimus HIPPOCRATIS *Lib. VI. epidem.* expreſſus & à SPONIO *pag.* 278. citatus, ubi regionis mutatio in omnibus fere morbis longis utiliſſima dicitur. Et experientia quoque inſignem hanc utilitatem adhuc magis confirmat, qua cognoſcimus, quod ii omnes, qui in locis ad ſcorbutum ingenerandum aptis nati & diutius educati fuerunt, longe melius ſe habeant, ſi mutata priori ſtatione, loca ſalubriora, quæ aërem vehunt purum, ſubtilem & magis temperatum, inhabitant. Neque facile hac in re accuratiores videmus obſervatores, quam Italos, qui pro valetudine tuenda aliud æſtate, aliud autumno, aliud hieme, domicilium ſibi eligunt. Sed Germani, & inter hos ipſi etiam principes, de aëris puritate parum ſolliciti, ſæpe ex locis ſalubribus in inſalubria concedunt, ibique diu morantes morboſam corporis diſpoſitionem ſibi contrahunt. Cuique igitur ſcorbutico jure commendari debent locis aërisque mutationes, ſeu itinera ex regionibus ſeptentrionalibus in meridionales, maximeque Italiam, Galliam &c. ſuſcipienda. Quod ſi vero peregrinandi & locorum impuritatem evitandi commoda deeſt occaſio, arte aëris fluidum eſt emendandum, quod ligno juniperi in camino combuſto, vel ſuffimigio ſuccini, carbonibus ignitis injecti, optime poteſt perfici.

## §. III.

*Victus conveniens.*

Quoad victum inprimis vitentur cibi difficilioris concoctionis duri, ut ſunt carnes annoſiores, infumatæ, ſalſæ & quæ rancorem contraxerunt, piſces marini exſiccati, atque illi cibi, qui auſteræ & adſtringentis ſunt facultatis. Fugiant quoque ſcorbutici carnes pinguiores & quæ ad putredinem inclinant, itemque dulcia, quæ pro diverſitate ſuccorum in primis viis ſtabulantium vel aceſcunt, vel lentorē contrahunt, viſcerumque infarctus augent. Alia tamen ratio eſt cum paſſulis minoribus, quæ ob blandam eum ſubtili acido dulcedinem laxant, emolliunt & acrimoniam humorum temperant. Si quid vero præ omnibus reliquis magnam meretur commendationem, certe eſt accommodata à pleniori victu abſtinentia, ſeu magna in cibis ſumendis moderatio, præſertim in ſubjectis voracioribus, pinguibus & ſanguineo-phlegmaticis; ideo quod nimia ciborum ingluvies fœcunda plerumque ſit pravorum ſuccorum matrix.

## §. IV.

*Potus conveniens.*

Ex potulentis ad noſtri morbi geneſin præſertim aquæ graves, ſtagnantes, facile putreſcentes, turbidæ conferunt; quare aquæ potius puræ, leves, nec ſalſedine, nec calcareo terreſtri elemento imbutæ, in quibus facile cibi coquuntur, ad potum debent eligi, & ex his cereviſiæ coqui. Dici enim vix poteſt, quantum in locis ſeptentrionem ſpectantibus noceant cereviſiæ, ex inſalubribus aquis confectæ neque ſatis coctæ, nec lupulo ſatis conditæ; quæ, dum facile aceſcunt & fæculentæ evadunt, per minimos viſcerum & excretoriorum meatus difficulter tranſeunt, magnamque inſuper flatuum copiam ingenerant.

rant. Vina quoque auſtera, quæ multum acidi in receſſu fovent, omni modo vitare oportet; contra vero fragrantia & ſubtili ſpiritu animata, moderate ſumta, inſignem merentur commendationem. Splendent autem hac inprimis virtute vinum Hungaricum genuinum & minus adulteratum, item vinum Rhenanum bonæ notæ vetuſtum, quod adhuc majoris fit efficaciæ, ſi abſynthii, cochleariæ, & enulæ eſſentia vel extracto imprægnatum cum moderamine interdum bibatur.

§. V.

*Motus corporis.* Quoniam ſimul nimium otium ſeu deſes ſine labore vita, nimiuſque ſomnus, experientia teſte, permultum affectus noſtri geneſi patrocinantur, certe nec efficacius, nec certius ad eundem tam præſervandum quam curandum exſtat remedium, præter ſufficientem motum corporiſque exercitationem. Etenim, quum continua cordis ſyſtole & reciproca diaphragmatis ac thoracis actio, qua mediante ſimul circulus ſanguinis per viſcera abdominis egregie promovetur, unice vitalem fluidorum & ſolidorum motum ſuſtentat ac moderatur; hunc vero corporis exercitatio, ſub qua, motu muſculorum aucto, contenta in ipſis fluida propelluntur, mirum quantum adjuvat: non iniquum facturus ſum, ſi corporis motum, univerſale illud præſidium & remedium appello, quod naturalem fluidorum mixtionem & ſolidorum ſtructuram conſervat, ſanguinis & humorum curſum promovet, purum ab impuro ſeparat, adeoque omnis generis morbos, ipſumque ſcorbutum arcet. Conſentientem hac in re habemus HIPPOCRATEM, qui *lib. II. de diæta* hæc prodidit: *otium humectat & corpus debilitat, labor vero ſiccat & corpus roborat.* Cujus aphoriſmi ratio per ſe ſatis liquida eſt, & noſtram de motus in ſcorbuto utilitate ſententiam non parum confirmat. Nam ab otio omnino tardior fit ſanguinis circuitus; unde humidum ſuperfluum non ſufficienter per excretoria eliminatum, fibroſas nerveaſque partes relaxat: cum è contrario a labore nimiæ humiditates diſſipantur; quibus expulſis tenſio ſolidorum increſcit, majuſque corpori robur accedit. *-- & reliqua res noxiæ.* Neque minus omnia, quæ vires imminuunt, ſanguiniſque progreſſum tardiorem ac debiliorem efficiunt, ut fere ſunt nimiæ vigiliæ, profundæ meditationes, intempeſtivæ ſtudiorum cauſſa ſuſceptæ lucubrationes, nimia veneris exercitia & crebrior ebrietas, inque primis immoderati animi adfectus, ut diuturnior triſtitia ac metus, cane pejus & angue ſunt fugienda.

§. VI.

*Indicationes curatoriæ ſpeciales.* Et hæc ſunt præcipua in vitæ victuſque regimine tenenda momenta, quibus jam alia leniora & tutiora remedia ſubjungere placet, quæ cauſis mali ſcorbutici tam proximis quam mediatis removendis magis accommodata huc uſque deprehendimus. Jam vero in ſuperioribus abunde ſatis evictum eſt, ſæva illa, quæ ſcorbutum comitari ſolent, ſymptomata, ab ingenti ſanguinis dyſcraſia ſordiumque recrementitiarum in ſanguine & reliquis ſuccis vitalibus accumulatione; hanc vero à tardiori ſanguinis circulo & vaſorum capillarium in viſceribus & emunctoriis infarctu vel obſtructione dependere. Quapropter appropriata huic malo tollendo remedia eo debent dirigi, ut humores impuros ſalſos, acres, ſulphureos diluant ac temperent, tenaces, viſcidos diſſolvant, occluſos viſcerum & colatoriorum meatus reſerent, totumque partium nervoſarum ac muſculoſarum ſyſtema valde debilitatum corroborent. Tali enim ratione liberior & expeditior fluidorum per omnes partes minutiſſimoſque canales circuitus, & abhinc pendens intima fluidi cum ſolido mixtio, blandaque ſuccorum vitalium temperies obtinetur quam optime.

§. VII.

Summam humorum dyſcraſiam à medicis, qui data opera de ſcorbuto ſcripſere, duplicis generis ſtatui ſupra jam diximus; ſinguli tamen in eo conveniunt, ut pro ſalſedinis morboſæ diverſitate diverſa quoque medicamenta alterantia & temperantia, quæ partim acido immutando, partim ſali volatili ſulphureo contemperando & cauſticæ acrimoniæ demulcendæ inſerviant, præſcribenda exiſtiment. *Quibus unica tantum methodus medendi ſufficit, quæ obtinetur* Quantumvis vero allegatam ſalium differentiam lubenter largiar, valde tamen ridicula mihi videtur tam diverſa & anxie excogitata eorundem correctio: ſiquidem demonſtratum dabo, tantum unicam, eamque tutiſſimam & experientiæ magis conformem eſſe methodum ſalia morboſa cujuſcunque generis cicurandi, quæ videlicet per convenientia fluida obtinetur; utpote hæc cuicunque ſali temperando & corrigendo reſpondent abundeque ſufficiunt.

§. VIII.

*per aquam ſimplicem puram.* Hac autem virtute inprimis ſplendet aqua ſimplex, levis & pura, quæ genuinum omnium ſalium diſſolvens ac menſtruum jure dici meretur, in quam, ſi debito cum regimine debitaque quantitate adſumitur, particulæ cujuſcunque generis ſalinæ, in ſanguine & ſuccis oberrantes, promte ac facile ſe immergunt, ut inde perbelle diluantur, mitigentur, corrigantur. Sed præter temperantem, qua pollet aqua, virtutem, adhuc aliam in malo ſcorbutico exſerit efficaciam, dum tenacium viſcidorumque humorum coagulum diſſolvit, atque exilia vaſa & colatoria ab impacta viſcida materia infarcta & obſtructa liberat. Longe tamen præſtantior hæc aquæ attributa facultas eſſe deprehenditur, ſi quando aquæ puræ, leves ac ſubtiliores inſuper adhuc principio quodam vel ſpiritu minerali & convenienti ſalis neutrius vel volatilis, vel fixi alcalini copia ſunt imprægnatæ, uti de varii generis acidulis vel thermis, & nominatim quidem de famigeratiſſimis Carolinis, Egranis, Selteranis, Wildungenſibus, Emſenſibus &c. huc uſque obſervare licuit. *per fontes ſoterios.* Hæ enim communi aqua multo activiores expeditius per exiliſſimos canalium alveos trajiciuntur, colatoria promtius ſubeunt, ideoque in obſtructionibus reſerandis ſordibuſque excrementitiis eliminandis excellentiorem præſtant energiam. Quæ cum ita ſint, nullus dubito adſerere, in fontibus ſoteriis univerſale ſcorbuticæ adfectionis præſidium eſſe conſtituendum, maxime cum longa & conſtans experientia me in hac ſententia adhuc magis confirmat; utpote qui jam per triginta & plures annos non modo ad pertinaces chronicas, maximeque hypochondriacas & hyſtericas paſſiones, cum ſcorbutica quadam impuritate junctas profligandas, verum etiam ad ſcorbutum jam confirmatum evellendum, mineralibus aquis tam frigidis quam calidis ſummo cum ægrotantium emolumento

uſus ſum. Longe tamen certior ac præſtantior ſubſequitur effectus, ſi harum aquarum virtus accuratiori vitæ victuſque regimine, & appropriatis medicamentis antiſcorbuticis ac balſamicis adjuvetur, & aliquoties talis curatio repetatur.

§. IX.

*Per Lauchſtadienſes.*

Quandocunque vero copia, locus & occaſio fontibus his medicatis utendi deficit, ſola aqua fontana, puriore & leviore, cura noſtri affectus feliciter poterit inſtitui. Magna enim in refractariis morbis debellandis aquarum eſt efficacia, ſi modo ſint puriores vel ſubtili, martialis proſapiæ, elemento imbutæ; id quod cum primis feliciſſimæ & ſcorbuti & aliorum rebellium morborum per fontem Lauchſtadienſem, duobus milliaribus Hala diſtantem quotannis inſtitutæ curationes luculenter poſſunt oſtendere. Continent hæ aquæ ſubtiliorem martis crocum, quo tonus fibrarum motricium univerſi corporis relaxatus egregie roboratur, & hac ratione ſanguinis per univerſum corpus ejuſque minima vaſcula circuitus una cum ſalutaribus excretionibus egregie promovetur; idque tanto magis, ſi non tantum interne, ſed etiam externe hæ aquæ adhibentur. Unde ſimul edocemur, quod antiqui ævi medici, & inter hos potiſſimum CELSUS *lib. II. cap. IX.* & SCRIBONIUS LARGUS *cap. XXXII.* ad lienes magnos & affectus, qui inde oriuntur, coercendos, potum aquæ, in qua candens ferrum ſubinde extinctum fuerit, non ſine ratione tantopere commendaverint.

§. X.

*Convenit etiam lac, vel ſolum.*

At vero præter aquas minerales in corrigenda ſcorbutica acrimonia ſe inſtar ſummi gerit remedii lac animantium & præcipue aſininum, quod etiam antiquiſſimi medicinæ antiſtites, HIPPOCRATES, GALENUS, ARETÆUS, CELSUS, in ſuis ſcriptis ad varias chronicas maximeque ab acrimonia oriundas paſſiones vincendas miris encomiis extulerunt ac laudarunt. Neque deſunt ex recentioribus perítiſſimi medici, qui idem confirmant, & in ſcorbutica lue lac, præcipue aſininum, vel ſerum lactis bubuli aut caprini, ceu ſumme ſpecificum & appropriatum remedium commendant. Qua de re DRAWITZIUS, BALTHAS. BRUNNERUS, EUGALENUS, WIERUS, SALOM. ALBERTI, MATTH. MARTINI, qui perite de hoc noſtro affectu ſcripſerunt, legi poſſunt; utpote qui ad unum fere omnes candide fatentur, ſola diæta lactea, vel ſero lactis antiſcorbuticarum herbarum ſucco permixto & diutius uſurpato, ſe plus in ſcorbuto ejuſque ſymptomatibus mitigandis præſtitiſſe, quam omnibus fere aliis auxiliorum generibus: imo etiam moleſtiſſimo hoc malo tabeſcentes plus virium inde hauſiſſe, quam ex optimis roborantibus. Neque hujus effectus ratio conceptu eſt difficilis. Sicut enim ſæva illa ſcorbuticorum pathemata, ut ſunt lancinantes & ſpaſtici artuum dolores partiumque externarum eroſiones & exulcerationes, non niſi humorum ſummæ dyſcraſiæ & negotio excretionum naturalium, quæ per cutim, alvum, hepar fiunt, imminuto, neque minus obſtructioni vaſorum originem debent; ita certe ad meatus occluſos reſerandos, tenaces humores diſſolvendos & acres ſalſos contemperandos nihil aptius eſt diluentibus, demulcentibus & fluxiles humores ad tranſpirationem aptos reddentibus: inter quæ utique lac aſininum, quod reliquis dulcius eſt, vel lactis caprini aut vaccini ſerum principem merentur locum, præſertim quando herbæ antiſcorbuticæ, ut cochlearia & naſturtium aquaticum, quæ, præter ſal volatile, amarum elementum fovent, cum eo infunduntur vel leniter decoquuntur.

§. XI.

*Vel cum fontibus medicatis permixtum.*

Quandocunque vero cum diatheſi ſcorbutica viſcerum infarctus & cachexia, vel affectio hypochondriaca & purpura, quod ſæpiſſime fit, conjungitur, tunc melius ſuccedit curatio, ſi lac cum aquis mineralibus acidulis, tam mitioribus, ut Selteranis, Wildungenſibus & Tœnſteinenſibus, quam etiam cum fortioribus, ut ſunt Pyrmontanæ, Egranæ, miſcetur & hac ratione ſub debito vitæ & victus regimine bibitur, de qua cura ſaluberrima diſſertatio noſtra *de connubio aquarum mineralium cum lacte* conferri poteſt.

§. XII.

*Specifica ſic dicta antiſcorbutica incidentia.*

Verum enim vero, præter hæc recenſita auxiliorum genera, commemoranda etiam ſunt quædam ex pharmaceutico fonte deſumta & inprimis ſpecifica ſic dicta antiſcorbutica: in quorum numerum non immerito veniunt, cochlearia & omnes naſturtii tam hortenſis, quam aquatici ſpecies, beccabunga, raphanus ruſticanus, rad. armoraciæ, ſinapi & hujus generis alia, quæ ſubtiliſſimo principio ſalino-ſulphureo referta, intima corporis penetrant, & fluidis pariter ac ſolidis partibus vitiatis ingentem mutationem inferunt; ſiquidem tenaces viſcoſos humores diſſolvunt, fixos acidos exaltant, ſubtilioreſque reddunt, & ſolidis nimium relaxatis tonum, vigorem ac motum reſtituendo, vappeſcentem corruptionem à corpore arcent. Variæ autem ex his ſimplicibus præparationes proſtant & in uſu ſunt. Quidam enim aquas ex his deſtillant, quidam ſpiritus per fermentationem aut abſtractionem inde parant. Alii iterum ex recentibus conciſis & madefactis ſuccos exprimunt, quos vel per ſe cochleatim, vel debito cum vehiculo, ut eſt ſerum lactis, propinant; alii ipſos cum alimentis miſcent & juſculis ac brodiis carnis incoquunt, vel cereviſiis in fermentatione adjiciunt, imo etiam cum ſaccharo conſervas ex iis conficiunt; prout nempe diverſa circumſtantiarum ratio requirit, quam judicioſus medicus data occaſione debet attendere.

§. XIII.

*Amara roborantia.*

Sequuntur jam alia magnificæ famæ adverſus ſcorbutum remediorum genera, de quibus judicium noſtrum exponere placet. Atque hujus generis ſunt ex amaris maxime radices gentian. cichor., herbæ ſcord. card. bened. abſynth. cent. min. trifol. aquat., ex balſamicis & roborantibus baccæ juniperi, ſummitates abietis & pini, cort. winter. caſcarill. chinæ, capparum, herbæ ſcolopend. veron. marub. alb. epithymum, radices enul. zedoar. ari &c. ex gummatibus ammoniacum, ſagapenum, galbanum, ex lignis ſaſſafras, guajacum, aloes &c. quæ ſi vel in ſubſtantia, vel melius in infuſo & decocto, aut etiam in eſſentiam vel elixiria redacta, congruo tempore, ordine ac doſi uſurpantur, vires ad mitiganda ſymptomata morbumque debellandum exſerunt inſignes; utpote principio, quo gaudent activo, blande ſulphureo, balſamico, circuitum ſanguinis depreſſum excitant, & intemperiem viſcidam & acidam quam optime corrigunt.

§. XIV.

§. XIV.

*Emollientia & dolorem ſopientia.* Hæcce excipiunt alia, quæ in noſtro affectu non minus utiliter adhiberi ſolent remedia. Et hæc ejus ſunt naturæ ac indolis, ut partim principio blande ſulphureo vaporoſo, partim emolliente ac temperante virtute ſpaſmis ac doloribus leniendis & ſopiendis inſerviant: quo nomine a quibuſdam auctoribus axungiæ animantium recentes, præſertim humana, canina, medullæ oſſium, cremor lactis, oleum amygd. dulc. ſine igne, ſperma ceti, caſtoreum, aſa fœtida, extractum millefolii, chamomillæ vulgaris, theriaca cœleſtis, diaſcordium Fracaſtorii, crocus, lumbrici terreſtres, raſura dentis hippopotami, ungulæ alcis &c. commendantur, ex quibus varia in forma liquida præparari & cum fructu pro diverſa morbi, corporis ægrotantis & temporis ratione uſurpari poſſunt.

§. XV.

*Evacuantia.* Diximus hactenus de ſcorbuti curatione, quatenus per ea remedia, quæ humores craſſos attenuant & incidunt, acres ſalſos contemperant, meatus obſtructos aperiunt & relaxatas partes roborant, debet inſtitui. Jam operæ erit pretium, ut etiam de evacuantibus, quorum plane nulla facta eſt mentio, noſtram depromamus ſententiam; idque eo magis, quia ab excretionibus naturalibus, quæ per alvum, urinam & tranſpirationem, per uterum quoque & venas hæmorrhoidales fiunt, imminutis, vel prorſus ſuppreſſis primam noſtri mali originem derivavimus. *Venæ ſectio & ſcarificatio.* Quod primo itaque loco ad ſanguinis miſſionem attinet, quæ per venarum brachii vel pedis inciſionem, per ſcarificationem aut hirudinum adpoſitionem perficitur, experientia duce aſſerimus, ſumma cum cautione & prudentia hoc evacuationis remedium eſſe adminiſtrandum, omneſque circumſtantias probe ponderandas. Si enim ſtatus eſt plethoricus, morbus recens, corpus juvenile, & in viris a fluxu hæmorrhoidali, in feminis a menſtruali ceſſante vel ſuppreſſo originem ducit, utique peritus medicus congruis in locis ſanguinem detrahere tuto poterit. Quod ſi vero, ut in mali progreſſu ſæpe accidit, ſeri magis impuri & corrupti peccat copia, tum certe emiſſio ſanguinis, præſertim in paullo largiori copia inſtituta, vires labefactando, plus damni quam emolumenti afferet. Si vero quædam minuendi ſanguinis indicatio adeſt, & potiſſimum dolores, tumores variæque partium defœdationes talem depletionem urgent, tutiſſime hæc obtineri poterit, quando ſæpius, ſed non adeo copioſe, vel rectius adhuc per ſcarificationem ſanguis detrahitur: quæ methodus, ſicut tutiſſima eſt; ita nobis in curandis morbis gravioribus admodum ſemper placuit.

§. XVI.

*Evacuantia.* Quod attinet ad alia evacuationum genera & quidem purgantia, de his noſtra cum aliis peritioribus medicis hæc eſt ſententia, quod omnibus validioribus excluſis, leniſſima tantum in uſum vocare deceat, cujus cenſus ſunt rad. polypod. fol. ſennæ, agaricus, rhabarbarum, manna &c. quæ cum ſpeciebus antea recenſitis antiſcorbuticis debito modo commixta, & per infuſum, aut lenem decoctionem uſurpata, noxios humores ex primis viis blande & per epicraſin educendo, opem omnino præſtant utiliſſimam. Quo pertinent etiam pilulæ polychreſtæ balſamicæ ſecundum exemplar Becherianarum, ex aloe bene depurata, extracto rhabarbari, herbarum amararum, & temperatioribus balſamicis ingredientibus paratæ debitoque tempore cum vel ſine interpoſitis pulveribus abſorbentibus & ſalibus digeſtivis uſurpatæ. *Diuretica.* Idem tenendum arbitror de diureticis, quorum fortiora propter nimiam ſeri evacuationem in cura penitus repudiare oportet; ſeligenda vero ſunt, quæ leniter viſcidos & tartareos humores educunt: quo nomine decoctum rad. V. aperientium, præſertim petroſelini, ſelleri, fœniculi, aſparagi, quæ etiam ab antiquioribus medicis, Hippocrate & Aretæo adhibita ſunt, commendari merentur. *Diaphoretica.* Idem valet de *diaphoreticis*, quorum optima ſunt, quæ tranſpirationis vias aperiunt flexiliaque reddunt, & ſanguinem ac humores ad ſuperficiem corporis movent; rejectis iis, quæ humores fortiter commovendo & exagitando per nimium ſudorem ſerum cum viribus nimis ſubtrahunt. Commodiſſima igitur ſunt ſic dicta diapnoica, quæ tranſpirationem leniter promovent, cujus generis ſunt, liquor bezoard. Buſſii, cum ſpiritu nitri d. ſpir. tartari, mixtura ſimplex, ſpiritus C. C. ſuccinatus cum tribus partibus liquoris anodyni mineralis & ſpiritus cochleariæ permixtus, flores ſulphuris, æthiops mineralis, infuſum herbæ thee, veronicæ, cardui bened. ſcordii, florum ſambuci, antimonium diaphoreticum, ceruſſa antimonii, C. C. ſine igne, C. C. uſtum, ſuccinum, bezoard. mineral., regulus antimonii medicinalis, cinnab. nativa & antimonii; ex compoſitis vero pulvis Anglicanus, Ludovici, bezoardicus noſter, quibus interdum pro circumſtantiarum ratione dimidium vel quarta pars grani camphoræ poteſt addi.

## *CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cautelæ circa ſpecifica ſic dicta antiſcorbutica.* His igitur, quæ ad generalem curandi methodum pertinent, expoſitis, reliquum eſt, ut ſpecialiorem & certis individuis propriam cum neceſſariis cautelis ſubjungamus. In ſcorbuto ſic dicto calido, qui ſub conſtitutione cholerica, diæta vinoſa & ætate juvenili vigens, ingentem particularum bilioſarum & ſulphurearum in maſſa ſanguinea abundantiam ſupponit, ſpecifica antiſcorbutica, ſale ſulphureo volatili turgida, præcipue cochlearia & ejus ſpiritus, aliaque volatilia oleoſa ſumma cum cautione offerri debent. Etenim quum ſalium in ſanguine impuro ſpicula acuendo inque concitatiorem motum agitando, ſymptomatum exacerbationem efficiant, capitis artuumque dolores, anxietates ac lienis inflationes accerſunt, ideoque magis obſunt, quam proſunt. Quod ſi vero cum acidis, ut ſunt acetoſella, ſuccus citri, aurantiorum, berberum, granatorum &c. ad temperiem rediguntur, tutius exhiberi poſſunt. Ita conſerva cochleariæ, cum æquali parte conſervæ acetoſæ mixta & bis vel ter in die, ſuperbibendo aquam antiſcorbuticam, adſumta egregium præſtat effectum, maxime ſi in calidis & bilioſis ſubjectis humectans diæta, quæ ex lacticiniis, emulſionibus amygdalinis, hordei & avenæ decoctis, brodiis gallinarum cum lactuca, endivia, acetoſa, naſturtio &c. paratis conſtat, ſimul conjungatur, & remedia veſicam & alvum leniter ſubducentia interponantur. Notandum tamen in genere hoc loco venit, quod cura cum antiſcorbuticis herbis & earum

ſuccis ſive per ſe, ſive cum vehiculo convenienti mixtis inſtituta ſatis diu continuari debeat.

§. II.

*Circa eadem remedia in certis individuis.*

Quando in ſcorbuto ſalia muriatica peccant, ſicuti fit in iis, qui carnibus ſale conditis ſumoque induratis copioſe veſcuntur, & ulcera exedentia, fœtorem oris, gingivas putridas urinamque ſalſam & craſſam habent, uti maxime in diu navigantibus obſervamus, tum ſerum lactis largius & ſatis diu hauſtum, nec non poma citria, chinenſia, item fructus horæi multum præſtant utilitatis; cum è contrario ſpirituoſa & antiſcorbutica volatilia damno eſſe ſoleant.

§. III.

*Circa carminativa & calidiora remedia.*

Crudeles ſæpenumero dolores in abdomine lancinantes, in pectore oppreſſorii ſæviunt, qui minime carminativis, vel calidioribus medicamentis debent tractari; ſed juvat tantum liquorem noſtrum anodynum, vel elixir antiſpaſmodicum, ex dicto liquore, eſſentia croci & caſtorei compoſitum convenienti doſi per vices adſumere. Præter hæc vero brodia gallinarum cum oleo amygdalarum dulcium & ſpermate ceti adſumta, ſerum lactis cum radice altheæ floribus papav. rhœados & lumbricis terreſtribus coctum, decocta avenacea, & clyſteres emollientes ex lacte addito croco & pauxillo caſtorei, omne abſolvunt punctum. Non minori opus eſt cautione, ſi, ut ſæpe fit, ſpontaneæ adſunt evacuationes e. g. diarrhœæ; utpote quæ leniter tractatæ magno plerumque ſunt levamini, cum contra præmature cohibitæ anxietates cardialgicas, torminoſas hypochondriorum inflationes, viſcerumque infarctus poſt ſe relinquant.

§. IV.

*Circa opiata.*

Opiata nonniſi purgantibus, vel alexipharmacis correcta, ad immanes dolores ſedandos vigiliaſque placandas, exigua quantitate & tantum bis vel ter exhibere licet, eo potiſſimum fine, ut vires conſerventur, quas, ceſſantibus doloribus, ægri melius recipiunt morboque vincendo ſic pares fiunt.

§. V.

*Circa topica.*

Topica in doloribus, exulcerationibus & maculis plus ſæpe nocent, quam proſunt; quod quidem potiſſimum animadvertere licet in arthritide vaga, ubi externa ſine diſcrimine applicata, materiam vitioſam ad interiora maximeque nervoſas partes repellendo, graviſſima ſæpe ſymptomata, ut in capite vertiginem, auditus difficultatem, in pectore ſpirandi anguſtiam, in ſtomacho cardialgias, in inteſtinis ſæviſſima tormina, imo nonnunquam horrendas artuum convulſiones, producunt. Præſtat itaque à topicis tum penitus abſtinere, & affectas partes linteis calidis involutas in æquali tantum tranſpiratu ſervare. Quod ſi tamen nihilo minus ulcera cruſtoſa nigra externam poſcunt medelam, imitandus eſt EUGALENUS, qui prudenter monuit, ut, omiſſis omnibus acrioribus, leniora ſolum, quæ ex vitello ovi, myrrha, olibano, croco, oleo roſarum, balſamo Peruviano &c. parantur, in uſum ducamus. Scorbuticis quoque, ſi jam nimia & ad corruptionem tendens humorum impuritas adeſt, magna cum cautione ſcarificatio imperanda eſt, ob gangrænæ metum, quæ aqua calcis vivæ cum ſpiritu vini camphorato & ſale ammoniaco exaltata optime poteſt averti.

*& ſcarificationem.*

§. VI.

*Circa tumores & inflammationes.*

Ubi ſumma humorum adeſt corruptio, tumores & inflammationes quam facile in ulcera abeunt rebellia, quæ non parum negotii & moleſtiarum medentibus & ægrotantibus faceſſunt. Ubi corpus ſiccum & ſenſibile eſt, ob dolores & ſpaſmos facile fiunt febres carnem vireſque conſumentes; ubi ſpongioſum phlegmaticum & pingue, in putridam humores corruptionem deſinunt, quæ inſtar ſphaceli ſerpit & progreſſu temporis ſummam, imo funeſtam virium proſtrationem producit. Quapropter prudens medicus non tantum appropriatis & convenientibus externis, ſed potiſſimum internis ſanguinem depurantibus, & putredini reſiſtentibus remediis prudenter debet ſuccurrere. Cavere quoque & medicus & chirurgus debet, ne nimis cito & mature tumores inflammatorios ante ſufficientem ſuppurationem aperiat: cito enim in pinguibus & humidis putrida naſcitur corruptio.

§. VII.

*Circa gingivas putridas & ſanguinolentas conſolidandas & depurandas.*

Ad gingivas putridas & ſanguinolentas tam depurandas & conſolidandas, quam ad dentes vacillantes firmandos, nihil reperi præſentius, balſamo vitæ noſtræ compoſitionis, ſi hujus una pars cum tribus partibus ſyrupi aurantiorum remixta gingivis illinatur. Hoc autem deficiente eſſentia ſuccini, myrrhæ, ſpiritus vini camphoratus & ſpiritus ſalis dulcis cum melle commode poſſunt ſubſtitui. Lenior quoque ſcarificatio in tali caſu ſæpe prodeſt, ut inde materiæ intus contentæ ichoroſæ paretur exitus: nec opera luditur, ſi in tumore gingivarum ſanguinolento, unguentum ægyptiacum cum melle roſato & ſpiritu cochlear. remixtum, vel gummi laccæ & ſpiritus cochlear. externe applicantur. Interne vero decoctum raphani ruſticani ex lacte, vel cereviſia cum ſtrobulis pini cocta uſum afferunt deſideratiſſimum.

§. VIII.

*Balneorum uſus.*

Quando mitigatis ſymptomatibus morbus jam inclinare & à ferocia ſua videtur remittere, *Matthæus* MARTINI *Tractatu de morbis meſenterii* apprime utilia cenſet balnea aquæ dulcis pluvialis; quæ diutius, & quidem ex admonitione FERNELII *obſervat.* 44. per decendium & ultra continuare jubet. Neque facile reprobare audeo ſaluberrimum hujus viri conſilium, præſertim cum de proficuo balneorum in ſcorbuto uſu certiorem me reddit Clariſſimi VOLCKAMMERI *Senioris obſervatio in Decur. II. ann. VI. M. N. C.* reperiunda, ubi vir hypochondriaco-ſcorbuticus balneo ex aqua dulci, cum herbis emollientibus decocta parato, maneque & veſperi adhibito, poſt triduum ad ſe rediiſſe & vires recepiſſe dicitur. Aquæ vero balnei, graviſſime fœtenti innatavit ſaburra nigricans craſſa cum acredine, quæ indies majora ſumſit incrementa. Ad tumores duros & dolorificos pedum crurumque emolliendos ac diſcutiendos balneum ex herbis antiſcorbuticis beccabung. naſturt. cochleariæ à ſucci expreſſione relictis, ut & ex ſummitatibus abietis & pini paratum crebriuſque adhibitum ſumme proficuum deprehendi.

§. IX.

*Circa balnea tam artificialia quam naturalia.*

Ego vero hoc unicum tantum habeo, quod circa uſum balneorum tam naturalium, quam artificialium moneam, ne primo unquam adhibeantur,

ſi

ſi jam putrida quædam humorum corruptio in partibus externis conſpicitur; dein, ne juſto calidiora ſint & corpus ad multum ſudorem diſponant. Sequuntur enim exinde, preſſo quaſi pede, ſumma artuum laſſitudo, ſitis intenſa, cordis palpitationes & cephalalgiæ; quibus ſi quis per potum frigidiorem aliaque refrigerantia ſuccurrere velit, periculum eſt, ne tonus ventriculi & inteſtinorum mirifice inde deſtruatur.

## §. X.

*Commendatur parcior in hoc affectu medicamentorum uſus.*

Multi ſcorbuto detenti, ſcribit MARTINI *loc. cit.* durante curationis tempore, parum vel modicum tantum ſentiunt emolumenti, dimiſſis vero medicis & medicamentis, ſanantur: natura enim ex medela debilis reddita, recuperatis poſt curationem viribus, ad morbum vincendum magis valet. Quod quidem monitum ſuo jam tempore antiquiores medici probe agnoverunt & ceu utiliſſimum monitum in variis morbis tollendis commendarunt. Unde AETIUS *lib. II. ſerm. 2. cap. III.* & RHASES per tres interdum ſeptimanas à medicina abſtinendum ſuadent, ARETÆUS vero, cedentibus medicis, multos morbos ſanari adſerit. Quam inſignem obſervationem ego ipſe ſæpius in multis chronicis affectionibus, præſertim vero in hypochondriaco & ſcorbutico malo depellendo certiſſimam deprehendi. Valet enim & ſemper valebit elegantiſſimum CELSI dicterium: *optima interdum medicina eſt, medicamento non uti.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Singularis ſcorbuti puſtularis ſpecies.*

Fœmina honeſta quinquagenaria, ſanguinis & pinguedinis plena, naturæ ſenſibilioris & ad iram proclivis, ſub vitæ genere immobili victum duriorem ſalſum, ut ſunt carnes & piſces infumati, nec non fructus horæos, quos jam mane ingerebat, admodum habebat in deliciis. Potus erat cereviſia valde ſaturata, plerumque fæculenta; cujus noxam avertere cogitabat vino acido, cum ſacchari portione remixto: ſomnum habebat largiorem, ſed turbulentum, & animum magna affectuum intemperie perpetuiſque fere curis diſtractum. Menſtruæ purgationes jam a trigeſimo quarto anno ceſſarant, a quo tempore ſingulis annis venæ ſectionem admiſit, jam vero per triennium omiſit, unde varia eaque graviora experta eſt pathemata, qualia ſunt ingens præcordiorum anxietas, ſpiratio ægerrima, continui ructus cum impetu interdum ex ore erumpentes, & phlogoſes poſt paſtum faciem infeſtantes. Præter hæc de acuto dolore & ardore circa præcordia, noctu potiſſimum conquerebatur: maculæ quoque flavæ hinc inde in corpore diſperſæ & præcipue in facie & hypochondrio dextro conſpicuæ cum languore totius corporis apparebant, imo demum pedes tumor cum dolore intolerabili occupabat. Enimvero contra hunc affectum varia præſcripta ſunt remedia, ut ex volatilibus, ſpiritus cochleariæ, ſal volatile Sylvii, liquor C. C. ſuccinatus, interpolatus quoque fuit uſus apozematum, ex leniter evacuantibus & ſanguinem depurantibus confectorum, à quorum uſu quodammodo melius habuit, ut ſurgere de lecto & ad conſueta redire negotia potuerit, remanente tantum inſigni manuum pedumque ſtupore. At quum anno ſequente menſe Februario ſub auſtrina & pluvioſa cœli tempeſtate, vini emulati potui ſupra modum fere indulgeret, non ita multo poſt ſub mammis & axillis puſtulæ erumpebant ardore & pruritu moleſtæ, quæ ſucceſſive coeuntes concreſcebant, cutem arrodebant & exulcerationes cum fœda putredine efficiebant. Hiſce jungebatur febris, quæ circa veſperam aucta novam puſtularum eruptionem, continuam ſitim, ſomni defectum, pulſuum celeritatem & frequentiam, ſaturate rubicundum urinæ colorem, pertinacem alvi adſtrictionem, & cruciatus propter ardorem intolerabiles fere inducebat. Puſtularum aliæ, magnitudinem ovi gallinacei, vel tenui inteſtini inflati æquantes cum ſibilo quaſi flatu, (ut exprimebat ægra) è corpore erumpebant, totæ erant tranſparentes & inſtar illarum, quæ per ambuſtionem excitantur, aqua repletæ; unde etiam acu vel forcipe apertæ inſignem ichoris putridi ex viridi luridi, cutim ſubſtratam arrodentis fundebant copiam: aliæ contra minores ſubobſcuri nigri videbantur coloris. Sedem habebant vagam: ſiquidem non modo thoracem, abdomen & artus, ſed faciem quoque, imo naſi & faucium interiora obſidebant. Medicus conſultus nihil quidem, quod ad impuritatem humorum emendandam, ad viſcidos & ſalſos humores temperandos, & dolores leniendos conferre potuiſſet, omiſit, puſtulas quoque, quæ circa veſperam quotidie prodierant, poſtero die mane aperiendas, iiſque pulverem exſiccantem, ex lapide calaminari, tutia, C. C. uſto & maſtiche compoſitum inſpergendum curavit, ſed impedire non potuit, quin novæ ſingulis diebus puſtulæ, non quidem in priſtinis, ſed vicinis locis rurſus protuberaſſent; donec tandem poſt menſis decurſum, vi morbi deferveſcente, omnia in melius convertebantur & ægra ſenſim paullatimque convaleſcebat. Per æſtatem, quæ ſequebatur, bene valebat, præter quod ſcabies humida manus infeſtaret. At vero, quum palato rurſus nimium indulgens fructibus horæis ſe nimium replebat, nec ab iracundiæ affectu ſibi temperabat, denuo febrilis recurrebat æſtus, ſub quo, ut antea, à veſpera ad mediam uſque noctem puſtulæ cum magno ardore moleſtiſſimoque pruritu emergebant. Per medicamenta temperantia, acidula, diluentia leniaque diapnoica & anodyna denuo ægra per dimidium fere anni ſe à moleſtiſſimo hoc adfectu liberam videbat, donec tandem ira iterum commota, cui frigidum potum ſuperingeſſerat, priſtinam accerſebat tragœdiam.

#### *Epicriſis.*

Morbus hic puſtularis rariſſimus omnino paulo accuratiorem meretur evolutionem. Si ex veteribus GALENUM, CELSUM, & AVICENNAM, qui quam optime fœdas cutis exulcerationes puſtularumque ſpecies deſcripſerunt, conſulimus, apparet, veſicas illas magnas, in noſtra ægra phlyctænas eſſe nominandas, quibus deinceps veſiculæ minores nigricantes, epinictides ſe intermiſcuerunt. Ante omnia vero probe notandum eſt, humorem illum aquoſum, qui inſigni quantitate ex veſicis ſtillabat, mox in gelatinam concreviſſe, cujus portio cochleari indita, admoto leniori ignis calore in offam albam inſtar albuminis ovi cocti coibat; unde patet, illum ipſum ex ſero ſalſo excrementitio cum nutritia lympha commixto conſtitiſſe. Idem contingit cum humore, qui ex veſicis poſt aduſtionem vel cantharidum applicationem fundi ſolet. Quemadmodum vero

vero ab igne, vel ſale cantharidum acerrimo diſſoluta cutis vaſcula talem humorem fundunt; ita quoque ſalia corroſivæ indolis, in corpore humano ex vitioſo victu enata & febrili æſtu ad habitum corporis propulſa, rodendo ac lancinando fibras ac vaſcula, eadem phænomena excitare poſſunt. Quod circa veſperam præcipue paroxyſmus redierit, hæc videtur ratio, quia omnes morbi, qui à ſalina acri materia foventur, ut catarrhales febres, magis de noctu, quam de die infeſtant, quoniam tunc minus expedita, ſed valde tarda ac lenta ſanguinis ad exteriora eſt progreſſio & perſpiratio difficilior. Surrexit vero malum ad uſum vini enulati, quia hæc radix acri volatili ſulphureo elemento imbuta fortiter ſanguinem commovet, & ad ſuperficiem propellit; hinc etiam inter ſudorifera & alexipharmaca principem ſibi locum vendicat. Primam huic malo originem præbuit mala diæta; utpote in qualitate & quantitate tam eſculentorum quam potulentorum graves commiſſi ſunt errores. Quo magis enim à dulci & temperata indole alimenta decedunt, eo impurior & minus naturæ congruus chylus, qui ſanguinis materia eſt, conficitur; quo vero ſanguis craſſior eſt atque impurior, eo majori cum difficultate per debita colatoria, præſertim ſub deficiente corporis motu & exercitatione animique pathematum intemperantia depuratur. Accedit in præſenti hoc caſu, quod anno trigeſimo quarto menſes jam emanſerint; unde mox preſſo pede primo nimia humorum in vaſis accumulatio, & hanc poſtea cacochymia ſequuta eſt, præſertim cum conſueta venæ ſectio fuerit omiſſa. Recte enim ſcribit Primerosius *lib. III. de morb. mulier. cap. V. pag.* 176. *Mirum non eſt, mulieres, quibus in juventute menſtrua ſuppreſſa fuerunt, tandem, ſi prava victus ratio acceſſerit, ætate ingraveſcente ſcorbuto affici.* Crebrior hujus affectionis recurſus, me judice, non aliunde, quam à prava diæta debet deduci, quod fit, quando morbus ejuſque cauſſa, quæ in hoc caſu in vitio viſcerum maxime ſita, non integre fuit ſublata & ægri iſtis rebus, à quibus morbus originem ſumſit, quas inter prava victus ratio potiſſimum valet, rurſus inhærent. Inprimis vero noſtræ ægrotæ infenſa admodum fuit, malumque de novo produxit impetuoſus iracundiæ affectus. Hic enim primo per ſe ſanguinem intenſiſſime commovet, & febrilem quaſi acceſſionem efficit, quæ cum magna vi humores ad exteriora propellit: dein ſub ira ordinario bilioſus humor magis commovetur, magnaque copia in inteſtina effunditur; unde inclinatio ad vomitum, oris amarities, nauſea, conſtrictio ſub ſcrobiculo cordis, & alia mala proveniunt. Si vero deinceps vitioſa bilis ipſi ſanguini admiſcetur, naturalem ejus craſin, quæ temperata eſſe debet, vehementer inquinat, & in fermentum quaſi ac ſeminium morboſum convertit. Quod ad curandi methodum attinet, recte medicus à fortioribus, ſive per ſudorem, ſive per alvum & urinam evacuantibus abſtinuit, ſed lenioribus tantum uſus eſt remediis, quæ turbas non movent, nec malum exacerbant. Ego in ejuſmodi caſibus præmiſſa, ſi vaſa turgeant, venæ ſectione & præmiſſis lenioribus laxantibus ſanguinemque depurantibus, ſummo cum fructu commendavi potum aquarum mineralium vel cum, vel ſine lacte, conjuncta ſimul accurata diætæ victuſque ratione, & elixir balſamico temperato poſt paſtum ſumto inſtituendum. Quod ſi vero occaſio ejuſmodi aquis utendi defuit, ſerum lactis caprini acidulatum, cum ſucco herbarum antiſcorbuticarum mixtum & exaltatum ad menſem & ultra ſubſtituere juſſi. Quod ad externa attinet, ſi veſiculæ fuerint apertæ, linimentum, quod alias contra ambuſta celebratur & ex oleo lini, albumine ovorum, croco, ceruſſa & pauxillo ſacchari ſaturni compoſitum eſt, provide applicari poteſt. Probe enim hoc loco notanda eſt cautela, inſperſionem pulveris exſiccantis ex bolis & terreis confecti in taliſmodi cutis eroſæ affectibus non ſemper adeo tutum ac fidum relinquere effectum, partim ob id, quod, gelatinoſo illo ſucco glutinis in formam compacto, tranſpirationem penitus impediat, partim etiam, quod à tergo effluenti materiæ nullum permittat exitum; unde hæc concluſa & mora pejor reddita, ulterius ſerpendo ſubnexas partes corrodit.

## Observatio II.

Fœmina triginta annorum vegeta, ſanguine & ſuccis plena, per longum abhinc tempus vitam egit ſedentariam, & largiori ciborum, valde nutrientium fructuumque horæorum comeſtione admodum eſt delectata; nihil tamen unquam moleſtiæ inde perſentiens. Interea quum aliquando graviori, eoque diuturno afficeretur mœrore, mox menſium fluxus, ſatis alioquin copioſus, ſuccedebat parcior, noctes ducebantur inſomnes, & inopinato in cruribus maculæ, inſtar manus latæ emergebant cœruleæ, imo paulo poſt univerſi corporis ſuperficies puſtulis ſuffundebatur rubicundis, ſanguinem & acre ſerum ſtillantibus. Præter hæc, tota cutis ſquamoſa ſupra modum erat ſenſibilis, adeo ut vel à leviſſimo auræ frigidioris afflatu ſummæ perciperentur anxietates, cum contra paulo calidius regimen ingentem excitabat pruritum. In artubus quoque noctu exquiſiti ſæviebant dolores, ſub ſudore plerumque ingraveſcentes: urina ad livorem & nigredinem accedens ſecedebat craſſiſſima, ex ore fœtor exhalabat vix tolerabilis, & caro gingivarum relaxata putridoque ſqualore obſita nonnunquam ſanguinem fundebat nigrum peſſimeque olentem. Ego itaque in conſilium adhibitus primo præſcripſi decoctum ex radice chinæ, ſarſaparill. raſura lign. ſaſſafras, herba veron. & ſcordii confectum, cujus largam ægra copiam ſingulis diebus mane cum ſalis volatilis oleoſi guttis ſexaginta debuit adſumere, lenemque poſtea ſudorem in lecto exſpectare: ubi tamen ceu peculiare phænomenon attendendum eſt, quod à ſalis volatilis uſu per duos tantum dies continuato, urina turbida cum ſedimento mox in limpidam croceam fuerit mutata & poſtea, eodem medicamento vel parcius dato, vel plane ſepoſito, ſtatim turbulenta urinæ craſſities redierit. Quæ cum animadverterem, hanc medicinam bis vel ter in die ſuaſi repetendam, & interdum hujus loco ſpiritum ſalis & vitrioli dulcem ſubſtituendum. Ante decubitum ordinavi pulverem ex lapidib. cancror., ceruſſa antimonii, ſuccino, caſcarilla, nitro & cinnabari compoſitum, & bis in hebdomade pilulis polychreſtis balſamicis, mercurio dulci remixtis alvinas ſordes evacuandas ſtatui. Nec me fruſtrata eſt hæc medendi methodus. Siquidem ægrota per menſem his medicamentis uſa, ſubjuncto balneo, priſtinæ ſanitati ex voto fuit reddita.

*Scorbutus puſtularis in plethorica à nimio mœrore.*

*Epicriſis.*

Præſens hic affectus ſcorbuti puſtularis nomen jure

jure meretur, optimeque teſtatum reddit, quanta ſanguinis impuritas ſaliumque excrementitiorum copia in atroci hoc morbo generetur; utpote non modo puſtulæ ulceroſæ, ſed & craſſa urinæ conſiſtentia omniaque reliqua ſymptomata exinde ſunt derivanda. Cauſa tam eximiæ ſanguinis dyſcraſiæ in impeditiori ſanguinis circuitu unice eſt reponenda, quem in noſtro quidem caſu præter plethoram, ſub victu opiparo & ſedentaria vita accumulatam, longior animi triſtitia induxit, quæ præ ceteris remorandæ ſanguinis circulationi & naturalibus ſordium inutilium ſe- & excretionibus ſupprimendis admodum velificatur: unde dein non poteſt non tanta humorum maſſa vappida corruptaque fieri, tantaque ſymptomatum ſyndrome adornari. Tam facilis autem & intra menſis ſpatium peracta hujus morbi ſanatio activiori naturæ robori, quo ægra pollebat, eſt tribuenda: ſemper enim facilius ſubjecta valentiora, in quibus motuum vigor adeſt, quam imbecilliora morbos tolerant & ſuperant. Ceterum attentione digna eſt ſalis volatilis oleoſi in acceleranda curatione energia, quam per urinæ mutationem præſtitit. Ita autem, me judice hujus effectus ratio videtur explicanda. In omni ſcorbutico malo naturalis ſanguinis ſpirituaſcentia, ab inteſtino ejus motu dependens, nimis eſt depreſſa; quam cum ejuſmodi medicamentum inſigniter erigit, putredinemque imminentem prohibet; non mirum eſſe debet, cur in depellenda lue ſcorbutica tam excellenter ſe gerat. Hinc quoque in aprico eſſe credo, ea omnia in ſcorbuto utiliſſima eſſe remedia, quæ ſale volatili turgida, ſanguini vigorem deperditum reſtituendo, putredinem arcent, ut fere ſunt ſic dicta antiſcorbutica, & nominatim cochlear. naſturt. beccab. rad. armoraciæ & hujus generis plura alia.

## Observatio III.

*Rheumatiſmus ſcorbuticus in ſene.*

Vir ſexaginta annorum, conſtitutionis ſanguineæ, habitus corporis ſtrictioris, qui vitæ addictus ſedentariæ ſalſam duramque diætam valde habuit in deliciis, & externi caloris impatiens hactenus in locis degit frigidioribus, bis quotannis circa æquinoctia, licet non penitus omiſſa venæ ſectione, immodicam è naribus defluxionem, uſque ad animi interdum deliquium, per aliquot annos paſſus eſt. Superiori vero autumno, cum venti borealis regnabat intemperies, in nucha doloribus corripiebatur rheumaticis; quare medicus conſultus mixturam ordinabat diaphoreticam, ex tinctura antimonii tartariſata & ſpiritu C. C. ſuccinato compoſitam, quam non modo circa decubitum, ſed mane etiam in lecto, ad ſudorem movendum, pondere L. guttarum per aliquot dies propinabat; unde ſat larga ſudoris promanabat copia. Ad alvum, quæ adſtricta erat, aperiendam, pilulas Ruffi ad drachmam dimidiam pro doſi circa ſomni tempus tertio quovis die exhibebat. Non multo tamen poſt dolor iſte rheumaticus, in dorſum & hypochondria delapſus multas creabat flatulentias, & in pectore non minus, quam in dorſo multæ efflorescebant puſtulæ, acre ſerum fundentes; imo ſudor quoque, qui per noctem manabat, tam acris erat indolis, ut ipſam cutim non parum arroderet. His ita conſtitutis æger meam poſtulabat opem. Suaſi itaque, ut ſepoſita medicina ſudorifera, omiſſiſque pilulis purgantibus, ſerum lactis acidulum, cancrorum lapidibus correctum mane ad menſuram dimidiam calide, & à meridie eadem quantitate frigide biberet, circa ſomni autem tempus emulſionem, ex ſeminibus IV. frigidis, ſemineque papaveris cum aqua florum ſambuci, tiliæ, ceraſorum nigrorum, addita pulveris leniter diaphoretici & nitroſi portione, confectam ſumeret. Loco potus ordinarii commendavi decoctum ex rad. ſcorzoneræ, chinæ & raſura C. C. cum paſſulis; ad alvum vero leniter ducendam ſemel vel bis in hebdomade mannæ electæ uncias duas in ſero lactis capiendas & pro ventriculi robore firmando elixir meum viſcerale ad guttas LXX. poſt prandium adſumendum propinavi. Quibus omnibus per aliquod tempus continuatis optime convaluit.

### *Epicriſis.*

Senex hic fuit plethoricus; & quoniam vitæ ſedentariæ nimium indulſit frigidoque aëri libentius, quam calidiori corpus non adeo bene veſtibus munitum obtulit, & cibis inſuper durioribus ſalſis ſtomachum obruit, tranſpiratio fuit impedita & humores ſpiſſiores redditi ſalſedineque imbuti rheumaticos procrearunt dolores; ſub quibus ordinario cutis magis ſolet conſtringi & liberior tranſpirationis ſucceſſus cohiberi. Poſtea vero, quum frequentiori validioris ſudoriferi uſu humores craſſi ac ſalſi nimium fuerunt commoti, acrimonia ſalina magis increvit, & intenſior facta puſtulas & eroſiones in cute excitavit; quod quidem in ætate ſenili, quæ ad impuritatem ſalino-ſcorbuticam præ ceteris omnibus proclivior exiſtit, facilius fieri potuit. Merito itaque juniores medici exinde hanc ſibi regulam practicam debent elicere: morbos ſeniles, qui potiſſimum ab humore viſcido ſalſo, & languentibus excretionibus proveniunt, minime fortioribus ſudoriferis vel purgantibus eſſe tractandos, ſed rectius longe ac tutius, ſi ventriculi robur id permittat, ſero lactis & decoctis temperantibus, non omiſſa ſufficienti corporis exercitatione, perſanandos.

## Observatio IV.

*Varia ſymptomata ſcorbutica cum metu fiſtulæ in ano.*

Vir in cœlibatu vivens litteratus, quadraginta annorum, victui adſuetus opiparo, cereviſiæque conſiſtentiori, jam per viginti & plures annos de ardente totius corporis pruritu, de vertigine, membrorum laſſitudine, ſomno inquieto, prava ciborum digeſtione, de ſudore, minimum etiam corporis motum ſubſequente, ut & de exanthematibus purpuraceis, præſertim circa anum conſpicuis conqueſtus eſt. Interim quum aliquando nimio vini potui indulſiſſet, non modo omnia, quæ dicta ſunt, mala exaſperavit, ſed ſibi majora adhuc contraxit incommoda, ex quibus allegaſſe ſufficiat tubercula ani dolorifica, quæ ſub alvi exoneratione, ſordibus alvinis exitum præcludentes graviſſimas creabant moleſtias. His itaque ſuperandis ſuo ipſius auſu è vena pedis tuſa ingentem ſanguinis miſit copiam, idque hac methodo obtinuit, ut tumores iſti ſenſim paullatimque evaneſcerent. Aliquod vero tempus poſt cum denuo ſanguinem in venis cumulaſſet, non tantum ani ſphincterem, tactu mollem nova obſidebant tubercula, ſed & dolor tenſivus ac preſſorius circa oſſis ſacri regionem valde infeſtabat. In hoc rerum ſtatu quum inani

multorum medicorum auſu ſe ſibi ipſe conſulere coactum videret, ex ſcriptis meis diæteticis, quæ diligens legebat, id cepit conſilii, ut omni vino & cereviſia ſepoſitis, miſſiſque in victu ſalſis & acidis cibis, aquam puram fontanam biberet. Quo conſilio per longius temporis ſpatium adhibito id commodi ſibi præſtitit æger, ut intra ſex menſium decurſum ab omnibus, quæ nominavimus, ſymptomatibus liber evaſerit; præter quod moleſtus ille pruritus, anique mollities & tumor cum æſtu & dolore preſſorio circa os ſacrum adhuc nonnunquam invaderet. Metu itaque fiſtulæ adductus meam implorabat opem; quam ego hocce ferebam conſilio, ut potum aquæ communis continuaret, interdum aquis mineralibus, vel ſero lactis uteretur, biſque vel ter in anno venam pedis ſecandam præbeat & per menſes aliquot elixirii mei viſceralis uſum ſibi poſt prandium commendatum habeat. Quo inteſtini recti vitio ſuccurreretur, ſequentem aquam, quæ ad partem adfectam eluendam & a putredine defendendam præclari ſolet eſſe effectus, commendavi: Recipe myrrhæ elect. drachmas duas: coque leniter in aquæ ſpermatis ranar. unciis quatuor: colaturæ adde ſacchari ſaturni, lapidis medicamentoſi Crollii ana drachmam dimidiam. D. Et quum in ejuſmodi caſibus ſæpe eximio cum fructu præſcripſerim unguentum ex olei vitell. ovorum, unguenti de linaria ana uncia una, tutiæ præp. plumbi uſti ana drachma una, olei hyoſcyami guttis XV. conflatum, non dubitavi id ipſum pariter huic ægroto commendare, ut eodem partem indolentem ſæpe oblineret. Nec me fruſtrata eſt hæc methodus; ſiquidem inde ægrotus egregium ſenſit levamen, neque amplius de plena convaleſcentia deſperat.

*Epicriſis.*

Præſentem ægrotum inter ſcorbuticos eſſe numerandum, ex variis, quibus jam per decennium obnoxius fuit, pathematibus licet argumentari; utpote quæ ſingula ſcorbutico-ſalinam & viſcidam humorum diatheſin ſatis ſuperque produnt. Peculiare tamen & non omnibus ſimiliter proprium ſymptoma habendum eſt venarum hæmorrhoidalium intumeſcentia, quam ſibi æger lauto multumque ſanguinis ingenerante victu, vita ob litterarum ſtudia ſedentaria & omiſſis ſanguinis abundantis evacuationibus ſine dubio contraxit. Quod ſi enim à pleniori victu ſanguis ſubinde magis magiſque accumulatur, non poteſt non ſub motus defectu & languidiori excretionum ſucceſſu ſpiſſior evadere longeque difficilius per totum corpus, maxime vero per imi ventris viſcera circumagi; unde non modo in his, ſed etiam potiſſimum in vaſis hæmorrhoidalibus, ob difficiliorem à perpendiculo regreſſum, ſtagnat & denegato ibi exitu tubercula producit, quæ certo providam tam externam, quam internam poſtulant opem. Illam optime præſtant remedia à nobis ſupra præſcripta; hanc vero à diluentibus & acrimoniam ſanguinis temperantibus perbene licet exſpectare. Et profecto miranda eſt ſolius aquæ communis, vel minerali principio imbutæ in tali malo effectus, ut ideo veritati conſentanea deprehendantur, quæ ſuperiori §o. VIII. curationis de aqua excellentiſſimo ſcorbuticorum remedio fuſius docuimus.

Observatio V.

Vir generoſus, quadraginta annorum, habitus corporis carnoſi ac robuſti, temperamenti ad melancholicum accedentis, ante quindecim circiter annos Roſtochii ſtudiorum cauſa degens, ob diætam inſuetam & paulo craſſiorem, autumno in febrem incidit tertianam pertinaciorem; qua demum curata quum ad priſtinum vitæ genus, diætam nempe ſalſam & duriorem revertebatur, pathematibus hypochondriacis & conaminibus hæmorrhoidalibus, tempus & ordinem non ſervantibus correptus fuit. Mutato deinde vitæ genere ſedentario in magis mobile, diu ab iſtis moleſtiis vixit immunis, præterquam quod per vernum & autumnale tempus catarrhali faucium defluxione & tuſſi humida laboraverit. Quum vero aliquod tempus poſt vitæ motus experti animique affectibus, præſertim iræ plus juſto indulſiſſet, nec venam, uti alias ſueverat, tundere curaſſet, factum eſt, ut gravibus ſymptomatibus, ingenti languore & laſſitudine, doloribus artuum gravativis, nucham maxime noctu infeſtantibus, alvo adſtricta, quæ vix tertio die ſuum exſequebatur officium, plenaria adpetitus proſtratione, oris ſiccitate, vertiginoſa capitis debilitate, auriumque tinnitu adficeretur. Inter hæc pulſus erat languidus ac durus, urina pauca & rubicunda, & ſudor de noctu largiſſimus, fere colliquativus cum ingenti fœtore profundebatur. His accedebat memorabilis acerbi & quaſi ardentis doloris ſpecies, qui certum tantum locum, groſſi magnitudine circumſcriptum in lingua occupabat, certiſque intervallis, maxime ſi dolor in nucha ſilebat, ſuam habebat exacerbationem, ut ideo æger coactus anxie multorum medicorum imploraret opem, qui plerumque calidioribus ſtomachicis, acrioribus purgantibus, pulveribus nitroſis & diaphoreticis, à quibus ſemper largus manabat ſudor, ut & decoctis temperantibus & venæ brachii inciſione dirum hunc morbum oppugnabant quidem, ſed plane non mitigabant. Ego igitur in conſilium ſimul adhibitus ſuaſor fui, ut æger circa vernale tempus, corpore prius per infuſum mannatum à ſordibus purgato, fontem Selteranum mane ad menſuras prope duas, inter cibos vero pro potu ordinario ad menſuram dimidiam cum quarta vini Rhenani parte remixtam per aliquot ſeptimanas biberet, ſingulis diebus aliquot horas ante vel poſt paſtum ſub clementi cœlo motum corporis equitando inſtitueret, circa ſomni tempus pulverem præcipitantem leniter nitroſum, & inter prandium elixir meum balſamicum, cum ſpiritu cochleariæ ſaturato animatum ad LXXX. guttas adſumeret. Nec me feſellit hæc leniſſima curandi ratio, ut potius hiſce remediis per ſex circiter hebdomades adhibitis generoſus æger ab omnibus iſtis gravioribus ſymptomatibus ſenſim paullatimque fuerit liberatus.

*Affectio hypochondriaco-ſcorbutica cum variis ſymptomatibus.*

*Epicriſis.*

Plura ſunt, quæ ex præfata morbi hiſtoria in uſum practicum poſſunt converti, quorum præcipua hic recenſere operæ erit pretium:

1) luculenter apparet, ex febre intermittente, vel alio quocunque morbo convaleſcentes, ſi poſthabitis bonæ diætæ regulis ſtatim majorem ciborum copiam ingerunt, in alios chronicos adfectus facile incidere. Ratio hæc eſſe videtur: quod

quod robore ventriculi & inteſtinorum deſtructo viribuſque a priſtino morbo conſumtis nimia alimentorum copia non rite poteſt ſubigi & in bonum chylum converti; unde ingens cruditatum fit proventus, qui dein novis morbis & ingignendis & alendis cauſam materiemque ſuppeditat largiſſimam.

2) Addiſcere licet, quod hypochondriaca adfectio in juventute contracta diu quidem ſilere, accedente tamen perverſa diæta, vita motus experte, affectuumque intemperantia facilius poſſit reſuſcitari, quam quidem in iis, qui tali morbo nunquam laborarunt.

3) Illud quoque notatu dignum eſt momentum, quod rebellis ſcorbuticus morbus tam brevi temporis ſpatio tanta ceperit incrementa vireſque adeo proſtraverit, ut omnes fere functiones corporis inde læſæ apparuerint. Quod quidem in præſenti ægroto conceptu non adeo eſt difficile, cum ſub ſtatu corporis plethorico, excretionibus per alvum & cutim ſuppreſſis & continua adfectuum intemperie fieri aliter non potuit, quam ut tota ſanguinis & humorum maſſa in dyſcraſiam & impuritatem, ſordibus excrementitiis ſalino-viſcidis refertam brevi degeneraverit. Denique

4) & hoc obſervari meretur, quod ſcorbutica, acris cauſticæ indolis materia ſæpenumero tantum certam corporis regionem, uti in præſenti caſu certam linguæ partem, occupet vehementiuſque affligat, non aliter, ſicut fieri nonnunquam animadvertimus, quod in nonnullis moleſtus doloris, ardoris aut frigoris ſenſus definitam capitis portionem, e. g. ſynciput, occiput, tempora &c. reliquis ſalvis infeſtet, vel etiam in oculis, nucha, tibiis ſuam exerceat tyrannidem. Ubi tamen perite & fundata ratione moneo, quod in ejuſmodi doloribus topica, cujuſcunque etiam ſint generis, parum efficiant, imo potius obſint; niſi prius internis maſſa humorum ſit correcta, & ſanguinis curſu ad emunctoria, præſertim vero ad cutis cribrum reſtituto, corpus ab impuris ſuccis liberatum: quod optime per corporis exercitationem, debitum aquarum mineralium uſum, aliiſque temperatioribus remediis perbelle obtinetur.

## Observatio VI.

*Salivatio ſymptomatica ſcorbutica.*

Vir quadraginta annos natus, habitu corporis ſpongioſo, qui apprime ſanguinis & ſuccorum accumulationi favet, donatus, ex loco, quo vini & cereviſiæ potui adſueverat cibiſque craſſioribus & fumo induratis uſus fuerat, ad nos circa hiemem ſe contulit. Adpropinquante vere doloribus infeſtabatur rheumaticis cum febre junctis, quibus ſucceſſu temporis appetitus proſtratio, ſputum copioſum, ardor & dolor in faucibus, tumor & puſtulæ indolentes in lingua, quæ ſponte apertæ carnem exedebant & cavitatem ibi ulceroſam efformabant, ſeſe adſociarunt. Ad graviora hæc ſymptomata profliganda medicus interne ſanguinem depurantia & exterius linimentum, ex ſpiritu vini, myrrha, maſtiche, radice tormentillæ & mercurio præcipitato compoſitum, nec non pilulas mercuriales eo cum effectu ordinabat, ut brevi poſt non modo ulcus linguæ profundius ſerperet, ſed & ingens pituitæ, peſſime olentis copia ex ore ſordido nigriſque dentibus obſito dies nocteſque effunderetur; quæ omnia ægrum adeo cruciabant, ut nec ſolidi quicquam deglutire, nec loqui, nec etiam ſomnum capere valeret. Alius ſimul conſulebatur medicus, qui non minus liquorum decoctis, lenioribus purgantibus, theriacalibus, ſulphuratis, balſamicis & ſubadſtringentibus tam internis quam externis vim morbi frangere conabatur: ſed irrita erant omnia, ut potius non tantum per quatuor fere menſes idem permaneret ſtatus, ſed & poſtea omnia in pejus ruerent ſymptomata. Somnus enim aderat plane nullus, febris & anxietas præcordialis noctu majora ſumebant incrementa viriumque robur magis magiſque labaſcebat. Præterea urina per totum morbi decurſum pauca erat & rubicunda cum ſedimento lateritii coloris, &, quod memoratu dignum eſt, ſi ulcus linguæ ſub balſamicorum uſu melius videbatur, mitiorque pituitæ per os fiebat ejectio, non modo præcordiorum anxietas, ſed & dolor ſiniſtri lateris, ubi ulcus erat, augebatur; cum contra, manante iterum materia ſordida, interdum cum ſanguine mixta, leniora apparebant ſymptomata. Materiæ ex lingua ejectæ permagna erat quantitas: ſiquidem circa finem morbi intra aliquot horas plus quam menſura exſpuebatur. Nec denique reticendum eſt, quod demum in ſiniſtro latere circa aurem glandula parotis cum dolore ac inſigni duritie intumuerit; unde aucta indies virium dejectione auctoque febrili æſtu miſer ægrotus à morbo ſuperatus aliquot hebdomades poſt diem obiit ſupremum.

### *Epicriſis.*

In præſenti hoc caſu inter alia notari meretur ulceroſa linguæ corruptio, quæ rarius quidem in libris medicorum occurrit, à me tamen ſæpius iterumque obſervata eſt in ejuſmodi hominibus, qui ſcorbutica humorum dyſcraſia infecti dentes vacillantes, gingivas eroſas cruentaſque habuerunt, & inter maſticandum inopinato quodam morſu linguam vel leviter lacerarunt. In his enim ſicut ordinario ſanguinis & humorum impetus ad caput præcipue eſt directus; ita hic, accedente quadam cauſa externa, facile poteſt augeri & ſic certæ parti, e. g. linguæ haud leve vitium affricari: quod ſi quis vero tum mercurialia vel interne velit propinare, vel externe affectæ parti applicare, oleum camino plus addet, quam detrahet. Nam regulæ inſtar practicæ tenendum eſſe arbitror, mercurialis proſapiæ medicamenta, utcunque etiam præparata & adhibita in ſcorbuto tantum non ſemper maximo eſſe nocumento. Longe vero certius graviuſque nocere ſolent in vitiis dentium & linguæ ſcorbuticis, quia ſanguinis & lymphæ ad has partes affluxum, qui per ſe ſatis magnus eſt, augendo, plerumque malum graviſſimum & vix ulla medicina ſuperandum accerſunt; idque eo magis, quoniam certa experientiæ fide conſtat, quod omnia linguæ, ceu partis ſpongioſæ continuoque ſalivæ affluxu madidæ ulcera difficilioris ſint curationis, dum ibi exſiccantia & abſtergentia penitus fere ſua privantur energia. Quæ omnia igitur quum in præſentem ceciderint ægrotum, mirum eſſe non debet, cur morbo ferendo & vincendo impar factus animam efflaverit.

## Observatio VII.

*Scorbutus dentium*

Vir quinquaginta annorum illuſtriſſimus, habitus corporis ſpongioſi valdeque obeſi, vitam agens

*maxime inſenſus.* agens ſub lauta pleniorique diæta non tam ſedentariam, quam curis graviſſimis moleſtam, ante aliquot abhinc annos primum ſcorbuticis vexari cœpit pathematibus, ita ut gingivæ tumidæ ex facili ſanguinem funderent, dentes maxillæ ſiniſtræ vacillarent, & æger, quod notabile, farinæ linguam inſperſæ ſenſationem, præſertim poſt pinguium eſum perciperet, quæ loquelam quodammodo intercipere videbatur. Ad hæc igitur mala tollenda varia extrinſecus roborantia, adſtringentia & corruptioni reſiſtentia, ex internis vero decocta antiſcorbutica ſunt commendata; unde tumor quidem cum ſanguinis profluvio evanuit, ex dentibus vero vacillantibus materia quædam alba, ibidem collecta paullatim promanavit. Non ita multo poſt recurrit cruenta gingivarum ſiniſtri lateris intumeſcentia, & abſceſſus in anteriori maxillæ ſuperioris inciſore formatus ichoroſam fudit materiam, quæ cohibita ad maxillam dextram ſerpſit, ibique tumorem & dentium relaxationem induxit. His ita conſtitutis medici iterum externis roborantibus, balſamicis, & interne ſero lactis, cum cremore tartari & herbarum antiſcorbuticarum ſuccis parato moleſta hæc ſymptomata profligare contenderunt; nihilo tamen ſecius faſtidioſum materiæ viſcidæ, odore deſtitutæ ſtillicidium continuavit: quare ego conſultus, ſingulis probe ponderatis intellexi, fruſtraneum fore omne curationis negotium, niſi morbi fomes, quem in corpore hoc plethorico ciborum valde nutrientium uſus ſubminiſtrabat, perite ſubtraheretur. Suaſor itaque fui, ut illuſtriſſimus æger per menſem & ultra cura per abſtinentiam ſive inediam hoc modo uteretur: præmiſſa venæ ſectione, alvique ſordibus per infuſum vinoſum, ex rhabarbaro, radice ari, pimpinell. cichorei, agarico trochiſcato, corticibus aurant. & paſſulis confectum leniter evacuatis, in refracta portione carnes magis aſſatas, quam coctas panemque bis coctum debuit comedere, juſcula pinguiora aliaque nutrientia vitare, & potui ordinario decoctum ex raſura ligni ſaſſafras, lentiſci, rad. cichorei & pauxillo cinamomi ſubſtituere, idemque mane, ad lenem ſudorem movendum, calide in lecto haurire. Ad robur ventriculo conciliandum & bonum chylum ingenerandum commendavi elixir meum viſcerale balſamicum, finita menſa cum vino capiendum; externe vero conſultum duxi, ut à chirurgo artis perito dens affectus eradicaretur, & ad putredinem arcendam liquamen myrrhæ cum brodio cort. aurantiorum gingivis illineretur. Dentium vacillantium confirmationi proſpectum fuit eſſentia terræ catechu, cum eſſent. balſami Peruviani brodioque aurant. permixta; & ut impetus humorum ad ſuperiora prohiberetur ſanguiniſque æqualis circuitus per caput promoveretur, ſpiritu nervino collum & tempora inungenda curavi. De eventu autem morbi hæc ſcire expediet. Evulſione dentis non opus fuiſſe comperi, ſed leniori tantum gingivarum ſcarificatione ordinatiſque remediis ex voto ægrum convaluiſſe.

*Epicriſis.*

Scorbutus hic modo fuit incipiens, & à nimia ſanguinis & ſuccorum abundantia, ſub pleno lautoque victu accumulata originem duxit. Quod ſi enim homines ſanguineo-phlegmatici, ſeu laxiori fibrarum ac vaſorum textura præditi multos nutrientes cibos ingerunt, non poteſt non inde ſanguinis copia valde augeri, quæ vaſa ſupra modum diſtendendo, hæc imbecilliora reddit, debitoque fluida propellendi robore privat: unde ſanguinis ſpiſſitudo, & dein ſub languidiori excretionum ſucceſſu ejus impuritas; ex hac vero ipſa ſcorbutica lues oritur facillime. Si quis itaque ſcorbuto, à tali cauſa ſuborto, præſertim vero ſymptomaticæ gingivarum affectioni in præſenti hoc caſu recte velit ſuccurrere, parum profecto medicamentis internis, multoque minus externis proficiet, niſi ſuperabundantem ſuccorum copiam ſubtrahere, totumque fibrarum ſyſtema relaxatum roborare ſatagat: quod quidem in ejuſmodi ſubjectis ſanguineis & ſpongioſo corporis habitu donatis non ſolis ſanguinis miſſionibus, ſed melius longe tutiuſque curatione per inediam, quam ſupra docuimus, poteſt perfici. Hac enim per aliquod temporis ſpatium rite adhibita, ſuperflui humores exſiccantur & diſſipantur, fibræ nimis relaxatæ & à tono ſuo dejectæ roborantur & ad majorem conſtrictionem animantur, adeoque omnes ſe-& excretiones, cum naturalibus corporis functionibus ſuæ reſtituuntur integritati. Et certe, ſi dicere licet quod res eſt, ego in diuturno & nunc quinquaginta annos ſuperante artis exercitio ſumme rebellium nullaque medicina domandorum affectuum curationes per Dei gratiam ſola hac methodo diætetica abſolvi, imo præſertim peſſimi moris ulcera, fruſtra alias adhibitis tam internis quam externis remediis, ad ſanationem perduxi, ut ideo ſæpe valde miratus ſim, cur hæc eximia, licet domeſtica curandi methodus tam parvi à medicis habeatur, imo fere prorſus negligatur. Sed ita eſt, proh! dolor perverſa mortalium indoles, ut neglectis diæteticis paratuque facilioribus remediis ſola pretioſa & magnas laudes ſonantia medicamenta ſtulta cupiditate inhient.

## Observatio VIII.

Haud ita pridem miles XXVI. annorum, corporis gracilioris ac proceri, facie pallidus, qui jam per quinquennium ulceribus pedum ſcorbuticis laboraverat, à militiæ præfecto ad me mittebatur, ut ſibi meum & conſilium & auxilium expeteret. *Ulcera ſcorbutica.* Ego itaque ſingulis, quæ ad morbi originem veramque indolem cognoſcendam pertinent, probe examinatis, deprehendebam, ab impuritate ſanguinis ſcorbutica omnia hactenus mala ortum incrementumque ſumſiſſe, & à longo abhinc tempore uſque eo duraſſe. Ulcera enim adhuc duo in malleolo pedis dextri erant aperta, in ſiniſtro autem pede cicatrices & bruni coloris maculæ ſatis latæ, ab ulceribus jam conſolidatis relictæ, conſpiciebantur, quæ valde dolebant, miſerumque ægrotum, de magna totius corporis laſſitudine, membrorum gravitate & vagis doloribus jam conquerentem mirum cruciabant. Medicamenta hactenus adhibita erant fere ſola externa, internis aut omiſſis, aut cum debito vitæ regimine non diu ſatis continuatis: quare ego cum ſanguinem depurantibus curationem inſtituendam ratus commendabam, ut impoſterum accuratiori vitæ victuſque ratione habita, corpus aliquot horas ante vel poſt prandium eundo aut equitando moveret, loco potus ordinarii decoctum ex raſura ligni ſaſſafras unciis quatuor, rad. glycyrrhizæ & cichorei ana uncia una confectum larga in quantitate tam calide, quam frigide biberet, & interpoſito nonnunquam leniori laxante, cibis,

cibis, quos parciori manu adſumere debebat, herbas antiſcorbuticas, ut ſunt cochlearia & naſturtium, inter coquendum adjiceret. Ex medicamentorum claſſe nihil obtuli, præter elixir proprietatis, cum menſtruo aquoſo paratum, debitaque ſpiritus cochleariæ, oleo probe eſſentificati portione remixtum, cujus LXXX. guttas ter in die capiebat. Externe ad ulcera adhuc manantia mundificanda & conſolidanda oleum vitell. ovorum, eſſentiæ ſuccini & myrrhæ nuptum commendabam, ſuperimpoſito emplaſtro Barbette ſaponato & camphorato, quod etiam alteri pedi applicandum curabam; & quidem hæc omnia tam felici ſucceſſu, ut poſt duorum menſium ſpatium æger me reviſens, non ſolum colore melior, viribuſque & corpore robuſtior videretur, ſed & ulcera ex voto ſanata fuerint.

*Epicriſis.*

Docet inprimis hæc morbi hiſtoria, quam parum in ſcorbuto curando ejuſque ſymptomatibus, uti ſunt ulcera, ſanandis externa remedia efficiant; niſi ſimul probe obſervatis vitæ victuſque regulis appropriata & correctioni humorum dicata interna conjungantur. Splendent autem hac inprimis virtute medicamenta ſic dicta antiſcorbutica, quæ ſale volatili ſulphureo turgida omnis generis excretiones promovent & amiſſum ſanguini balſamum reſtituendo, univerſam fluidorum maſſam egregie corrigunt, ut poſtea natura, vel paucis externis adjuta ſponte ejuſmodi ulcera perſanet. Deinde ex tam facili & intra breve tempus abſoluta curatione addiſcere licet, quantum medicus arte ſua poſſit præſtare, ſi ægros dictis obedientes, ætate juvenes firmiorique naturæ robore donatos obtinuerit, & quanta è contrario ſint impedimenta, ſi in pertinaces & ad genium ſuum viventes inciderit.

Plures obſervationes legi poſſunt in conſultat. & reſponſis med. *Sect. III. caſu CXIII. CXXIX. CXLVII. CXLVIII. CXLIX. CLVIII. uſque CLVI.*

---

## CAPUT II.

### *De ſphacelo à cauſa potiſſimum interna ejuſque curatione.*

#### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Inſtituti ratio exponitur.* NUllus affectus atrocior & crudelior, quam ſphacelus eſt, ubi nobis viventibus integræ corporis partes, ſubito putreſcentes moriuntur: eſtque hujus morbi tam ſæva & infeſta indoles, ut, ubi ſemel nidum ſuum elegit, pertinaciſſime inhæreat, & non tantum partem, cui inſidet, mortificet, ſed citato pede progrediens primum vicinas partes corrumpat, mox totam machinam deſtruat vitaque privet. Quum vero pro diverſitate corporum & individuorum, pro varietate cauſarum, quæ vel externæ vel internæ ſunt, pro genii ſui magis vel minus maligni indole & ſymptomatum concurſu permultum variet, ſuoſque gradus habeat, tum neque eadem ſemper auxilia, neque eandem medendi rationem locum invenire poſſe in aprico eſt. Siquidem longe alia medendi via deſideratur, ubi à cauſa interna, ſeu prava humorum indole ac corruptione naſcitur, alia, quando humoribus integris, à violentia externa originem ducit. De utroque hoc loco agere conſtituimus.

§. II.

Definimus vero ſphacelum, quod ſit putredinoſa corruptio partis in corpore vivo, qua non modo ejus textura & ſtructura cum uſu & functione plane deſtruitur, ſed & reſtitutio in priſtinum ſtatum nunquam exſpectanda eſt. *Definitio.*

§. III.

Neque tantum partes externas muſculoſas, tendinoſas & nervoſas hic vitæ infenſiſſimus morbus aggreditur, ſed potiſſimum etiam partes internas corporum, chronico diuturno, vel etiam brevi acuto affectu laborantium affligit, & lethiferum in ipſis effectum producit. Poſtquam enim noſtro tempore laudabilis ille diſſecandi corpora morbo exſtinctorum mos obtinuit, proxima interitus cauſa nunquam fere non in corruptione ſphaceloſa partis & viſceris cujuſdam principalis obſervatur, & conſpectui datur: quemadmodum in diſſertatione *de cauſa mortis in morbis* id ipſum fuſiore tractatione perſecuti ſumus. *Sphacelus corripit partes internas*

§. IV.

Occupat vero hoc malum frequentius partes externas, ſanguinis vivido influxu deſtitutas, tendinoſas, nervoſas & corporis extrema, ut manuum pedumque digitos, item ſcrotum, præſertim ſi corpora longiori morbo ſint emaciata, vel ſenio confecta. Frequentius quoque prehendit cachecticos, hydropicos, paralyticos, & ſcorbuticos, &c. qui ſanguinem impurum, partibuſque ſulphureo-balſamicis orbatum, & humores ad corruptionem & vappeſcentiam pronos in vaſis alunt. Imo etiam facile ad oſſa tranſit, quæ fœtidiſſima ſæpius putrilagine conſumit, quando videlicet virulenta partium circumdatarum ſanies putriduſque ichor ad eorum intima penetrat. *.. & externas.*

§. V.

Variis vero modis ſphacelus externis in partibus ſe manifeſtat, ita ut naturali colore & calore earum pereunte tactu frigidæ evadant, color rubicundus in lividum & nigrum ſucceſſu temporis mutetur, & in parte quoque proxima ambiente florida & vivida conſtitutio pereat, inque pallorem tranſeat. Maxime vero omnium in portione ſpecialiſſime affecta ſenſus tactus perit, ut nec profundas ſcarificationes nec inciſiones ægri ſentiant. Accedit porro ipſius partis tumida elevatio, quæ etiam in proxime ambientem partem ſe diffundit, eamque tumore afficit. Præterea, portio corrupta in diffluentem diſſolvitur putredinem, ſuamque conſiſtentiam plane amittit cum gravi & cadaveroſo fœtore nares feriente; quæ corruptio mox ulterius ſubito ſerpit, & partes circumjacentes ſimili labe inficit. Et quandocunque in parte ejuſmodi ſphacelata ſcarificatio, quam, uti dictum eſt, non ſentiunt ægroti, inſtituitur, ex vulnuſculis inflictis non ſincerus ſanguis, ſed ichoroſus cruentus humor, ob ſanguinem ibi ſubſiſtentem coagula- *Sphaceli ſigna.*

tum

tum effluit, cum ſtigmatibus nigris inter vulnuſcula adparentibus.

## §. VI.

*Differentia à gangræna.*

Quomodo vero ſphacelus à gangræna differat, quibuſque ſignis uterque affectus, multum inter ſe cognatus dignoſci debeat, è re utique fore duco, ut paucis delibemus atque eruamus. Gangræna eſt extremus inflammationis gradus, quam, niſi rupta omni mora præſentiſſimas feramus ſuppetias, mox ſequitur & comitatur partis corruptio, ſive ſphacelus. Hæc autem gangrænam in inflammata parte præſentem prænuntiant: quando coloris floridum, quod in inflammatione adfuit, exſtinguitur, deinde dolor & pulſus arteriarum, ægro antea valde ſenſibilis, finita nondum morbida diſpoſitione remittit; pars antea dura & renitens mollis fit, colore livida, ſenſu deſtituta, & cutis a carne facile ſejungitur; ſique digitis premitur, in profundum cedit, nec poſtea reſiliendo revertitur: imo puſtulæ quoque & veſicæ copioſæ in partis ſuperficie apparent, quæ apertæ laticem acrem fundunt, nigredinemque ſubtus recondunt.

## §. VII.

*...origo à cauſa interna & externa.*

Verum enim vero, ſphaccelatio duplici modo, vel ex præcedente gangræna, vel ſine ea naſcitur. Illa plerumque a cauſa externa manifeſta & violenta originem habet, videlicet à ſtrictiori partis ligatura, dum ſanguis poſt ligaturam non invenit libere remeandi vias, vel a vehementiori partis contuſione, vel a læſione tendinis & nervi, & hinc orta dolorum atrocia: quod accidere ſolet ſanis, vegetis, in vigore ætatis conſtitutis, ſanguineque & viribus plenis. Atque hic ſphacelus maxime acutus eſt, &, niſi mature convenientibus remediis ſuccurratur, hominem celeriter è medio tollit. Altera ſphaceli ſpecies, quæ potiſſimum à cauſa interna oritur, præter opinionem ſponte emergit, maximeque familiaris eſt, ut ſupra innuimus, cachecticis, ſenibus, ſcorbuticis, quorum vaſa humoribus in putridam corruptionem pronis ſcatent. Et hoc malum magis eſt chronicum, non celeriter vitam deſtruens, ſed aliquoties ſatis diu affligit lentoque gradu interficit. Cornelius Celsus *lib. V. cap. XXVI.* hanc ſphaceli ſpeciem cancri nomine, ſed latius patente, deſcribit, ita ut eryſipelas, ſi in ulcus tendit, ſimul complectatur, adeoque diſerte de ejus cauſis & geneſi loquitur, ut clariſſime pateat, non alium eum propoſuiſſe, quam qui in corpore mali habitus ſponte provenit.

## §. VIII.

*...cauſa proxima eſt ſanguinis prava conſtitutio.*

Hiſce diſcuſſis ſequitur, ut, quomodo dirum hoc vitium in partibus externis ſuboriatur, diſpiciamus ac clare demonſtremus. Jam ſatis, ut arbitror, ex phyſiologicis compertum eſt, uti totius corporis, ſic quoque cujuſvis partis vitam, vigorem, & à præſentanea corruptione præſervationem omniumque functionum integritatem ab humorum vitalium libero & æquabili circuitus ſucceſſu dependere. Tamdiu enim pars eſt viva & à corruptione immunis, quamdiu adhuc ſanguineus latex ſingula ejus vaſa & vaſcula æqualiter perluit. Sic paralyticorum membra, utut ſenſu & motu voluntario privata adhuc tamen vita frui dicuntur, quoniam vitalis adhuc purpura per illa ipſa fertur & per circulum reſolvitur. Proinde uti mors totius corporis; ita etiam certæ cujuſdam partis mortificatio à ceſſante & deſtructo ſanguinis circulo dependet. Hoc enim ſublato, craſis ſanguinis & mixtio naturalis perit, fluidum à ſolido ſeparatur, & ob moram particulæ ſulphureæ mobiles ſubtiliores avolant, motuque inteſtino fermentativo unio varii generis partium diſſolvitur; unde fœtidiſſima emergit putrilago. Quando enim progreſſivus ſanguinis motus deſinit, protinus fluidum aereo-æthereum in ſanguine contentum, pariter atque externum incumbens calore ſuo motum alienum internum ſeu inteſtinum inducit, qui texturam & vinculum, quo inter ſe gaudent partes, deſtruit; quoniam circularis ille motus utique præcipuum eſt naturæ inſtrumentum, quo corpus à putredine ſervatur, quo varii generis elementa ſanguinem conſtituentia in intima mixtione & unione continentur. Quum vero liber ille fluidarum partium motus à ſolidorum firmitate, robore & vi cordis & vaſorum ſyſtaltica elaſtica, cujus beneficio fluidæ impelluntur, propelluntur, progrediuntur, unice dependeat; hæc autem ſolidorum vis naturalis & motrix à ſanguinis & ſucci nervoſi bene conſtituti per minima vaſa influxu ſuſtentetur: facile patet, cauſam ſphacelationis, ſi à cauſa interna fit, potiſſimum in ſanguine ejuſque prava conſtitutione eſſe quærendam.

## §. IX.

*In quonam hæc conſiſtat, oſtenditur.*

In quonam vero laudabilis ſuccorum vitalium ad vitam & ſanitatem cuſtodiendam neceſſaria conſtitutio conſiſtat, jam breviter perquirendum erit. Sanguinem eſſe humorem non homogeneum, ſed ex varii generis particulis, ſubtilioribus & craſſioribus, terreſtribus & aqueis, ſalinoque ſulphureis oleoſis pinguibus conflatum, &, ſi rite vitalibus præeſſe functionibus debeat, ad dulcem blandamque temperiem per intimam harum partium unionem redigi debere extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimo. Quod ſi igitur ſanguis ſatis fluidus eſt, ut per ſubtiliſſimos canales ſe & excretorios libere poſſit trajici, & à ſuperfluis elementis ſeparari, ſanitas corporis comparatur, ſive omnes partium ejus functiones integræ ſalvæque manent; ubi vero è contrario craſſiores, mucidæ prædominium obtinent, tum per minima vaſcula libere non permeare, id eſt nec ſatis influere, nec ſatis effluere poteſt: unde ſubſiſtit, minima vaſa obſtruit, & alienam plane indolem acquirit, quod maxime fit in otioſis, ſenibus, cachecticis & ſcorbuticis, qua ratione facilis ad ſphacelum fit diſpoſitio & tranſitus.

## §. X.

*Cauſæ occaſionales.*

Quodcunque itaque ſanguinem in minimis vaſis coagulat, ejuſque motum ac progreſſum impedit, id ad geneſin ſphaceli multum conferre, apparet. Unde etiam videmus, quod à combuſtione modo graviori per ignem facta ſanguis coagulatus haud infrequenter materiam ſphaceli proximam ſuppeditet, vix aliam ob rationem, quam quod nimius ignis calor ſanguinem coagulet ejuſque fluxilitatem demat. Non diſſimili modo ab intenſiori gelu tempore hiberno in corporis extremitatibus diras, ejuſmodi coagulationes & ſphacelationes evenire videmus. Perquam enim notum eſt, ſanguinem è vena miſſum brevi tempore à frigore in coagulum abire; ſicut pariter haud facile quenquam fugiet,

per

per frigora itinera facientibus pedes, manus, nares, aures emori. Inprimis vero frigus partibus eryſipelate affectis, vel alia ex cauſa æſtuantibus infeſtum eſſe deprehenditur. Ita exemplum in EPHEMERID. *Dec. II. ann. III. p.* 145. item apud *Gregor.* HORSTIUM exſtat, quod manus febre ardente laborantis, in aquam frigidam demiſſa ſphacelata fuerit retracta. Idem fieri obſervamus à graviori vulneratione & contuſione, cum ſanguis extra vaſa poſitus & in poris retentus perfacile ſtagnat & reſolvitur. Qua de re plura exempla *Wilh. Fabricius* HILDANUS *libro de gangræna & ſphacelo* notavit.

§. XI.

*Quæ cum mediatus amplius recenſentur.* Tonum etiam fibrarum motricium ab humido nimis relaxatum & vivida vegetaque ſyſtole deſtitutum ad ſtagnationem & corruptionem ſanguinis ſphacelosam multum facere, paralytici, cachectici, hydropici &c. ſatis abundeque teſtatum faciunt: quo etiam referre oportet præpoſteras eryſipelate & inflammatione affectarum partium curationes per cataplaſmata, emplaſtra refrigerantia, conſtringentia, vel nimis relaxantia pinguedinoſa. Quod vero ſcorbutici & ſenes, quorum ſanguis & humores cum ſcorbuticorum ſanguine multum habet affinitatis & ſimilitudinis, tam facile & citra cauſam externam præcedentem ad atrox hoc malum diſpoſiti ſint, ex jam adductis facile quisquam poterit colligere; utpote eorum ſanguis & lympha ad ſpiſſitudinem & coagulum, præ ætate juniorum, facile inclinat, dum mobilioribus, benignioribus & balſamicis ſpirituoſis particulis orbatus, mucidus, craſſus, lentus & iners relinquitur: cui ſi poſtea accedit vel externum frigus, vel mœror animi, terror aut metus, vel etiam aër humido-frigidus, & aliud quodcunque externum relaxans, ut balneum, ſubito & præter omnium opinionem diſpoſitio ad ſphacelum emergit. Neque omittenda eſt in ſenibus, præſertim ſcorbuticis ſiccior ac rigidior & vaſorum & fibrarum textura, dum interſtitia & pori magis coarctantur, ut non modo ſanguis & lympha difficilius per ea tranſeant, ſed & tonus partium ſolidarum, ob deficientem fluidi nervoſi & ſanguinei influxum, valde debilitetur; multo vero magis in extremitatibus pedum, ubi muſculoſæ partes minores & plures tendinoſæ ſunt, per quas ordinario ſanguis propter gravitatem deſcendens difficilius circumvolvitur.

§. XII.

*Cauſæ non-naturales.* Proximum jam eſt, ut etiam diſpiciamus, quomodo immoderatus & imprudens rerum nonnaturalium uſus ad ſphaceli productionem concurrere poſſit. Ex harum cenſu principem fere locum aër, multis effluviis vappidis & humidis refertus, & vi elaſtica orbatus ſibi vendicat, qualis eſt in locis humidioribus, habitationibus profundis, mari & fluviis, ſive paludibus propinquis, qui in genere omnium partium ſolidorum tonum ac robur relaxat, tranſpirationemque impedit, ut per cutis ſpiracula ſubtiliores putridæ ſalino-ſulphureæ partes non poſſint exhalare. Ex ciborum genere huc inprimis pertinent omnia, exceſſivis qualitatibus prædita, ut fere ſunt nimis dulcia, acida, ſalſa, fumo indurata, vel etiam nimis pinguia. Ex potulentis huc ſpectant vina acida, vel etiam nimius ſpiritus vini abuſus, quo fluidum temperatum ſubtile diſſipatur, craſſioribus partibus, quæ facile in coagulum abeunt, relictis. Ex quo ſimul ratio patet, quare rebelles chronicæ paſſiones, ut ſcorbutus, hydrops, cachexia, & ſphacelus iſtis in locis, ubi familiariſſimus ſpiritus vini & liquorum ſpirituoſorum potus eſt, ſint frequentiſſimæ. Hisce quando accedit imbecillior natura, quæ ſecundum CELSUM omnibus morbis patet, maximeque ſenibus communis eſt, item nimium otium, vel anxia animi cura, quæ omnem corpori & animo vigorem eripit; tum utique feneſtra ad tales morbos graviſſimos aperitur. Denique notabile eſt, ſæpius citra ullam cauſam externam occaſionalem, etiam ſine tumore & rubore conſpicuo, ſine febre præcedente, dolorem immaniſſimum oboriri & funeſtum ſphacelum ſubſequi, ut FERNELIUS *de abditis rerum cauſis lib. II. cap.* 15. teſtatur. Ita quoque HORSTIUS *lib. IX. obſ.* 25. animadvertit, ſphacelum in corpore cacochymico vi purgantis fortioris eſſe introductum.

§. XIII.

*Prognoſis.* Prognoſtica licet ipſi tractationi hinc & inde ſint intermixta, placet tamen pauca ſpecialiora addere. Maxime autem omnium in prognoſi ferenda ad ipſum individuum ægrotans eſt reſpiciendum; quod ſi juvenile & activum eſt, majorem ſanationis ſpem promittit, quam ſegne, tardum & ſenile: & licet in juvenibus corruptio ſphaceloſa, præſertim ſi ex gangræna præcedente oborta fuerit, celeriores vehementioresque faciat progreſſus, quam in ſenibus, ob majorem particularum tam ſulphurearum mobilium, quam humidarum ad putredinem aptiſſimarum copiam; tamen annotandum eſt, quod corruptæ partis à ſana ſeparatio debitaque ſuppuratio ſub convenientium remediorum uſu in junioribus ob ſanguinem, quem præ ſenibus alunt, fluxiliorem & puriorem, & ob majus virium motuumque vitalium robur facilius ſuccedat. In genere vero notandum velim, quod nulla unquam portionis actu corruptæ exſpectanda ſit reſtitutio, ſed potius partis ſphacelatæ à ſana ſeceſſio deſideranda, quam in ſenilibus corporibus naturæ beneficio vix unquam contigiſſe memini. Ceterum, ſi gangræna vel ſphacelus ab extra provenit, longe citius & felicius ſanationem recipit, nec tam citato pede progreditur, dum ſanguis & humores balſamo ſuo genuino, quod putredinem arcet, adhuc ſcatent; ſecus autem fieri ſolet, ſi ab interna cauſa malum dependet, ubi longe periculoſior eſt ſtatus, nec tam brevi tempore humores poſſunt emendari.

## METHODUS MEDENDI.

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quum in omni morborum genere prudentis ſuoque officio ſatagentis medici ſit, ut pro ipſa conditione & diverſo morbi ſtatu convenientia adhibeat remedia, tum profecto in ſphacelo ſanando id ipſum obſervatu neceſſarium eſſe arbitror. Alia enim medendi via ineunda eſt, ſi totum membrum ſit emortuum, alia ſi pars tantum necroſi laboret. Illud ſi incidit, amputatio unicum eſt remedium; hoc vero ubi evenit, ea adhibere decet medicamenta, quæ ſanguinem benignum reddunt, obſtructiones removent, & laudabilem ſanguinis influxum & refluxum in partem corruptioni proximam promovent, ut hac ratione quod ſanum eſt defendatur, emortuum facile ſeparetur, & laudabile pus,

quod optimum convaleſcentiæ ſignum præbet, generetur.

§. II.

*Quænam externa putredinem arceant?*

Quod ſi igitur indicium eſt, deſtructorium motum in affectis partibus vigere ulteriusque ſerpere, prima medici intentio eſſe debet, ut violentum hunc & naturæ infenſiſſimum motum, mortem & putredinem inducentem ſiſtat: quod quidem optime perficitur deobſtruentibus, balſamico roborante ſulphure & ſale penetrantiori inſtructis, utpote quæ ſanguini liberiorem curſum, partibus debitam tranſpirationem & materiæ æthereæ ſanguini incluſæ liberrimum itum reditumque concedunt, ut hac ratione putredo arceatur, & quod emortuum eſt, ſejungatur. Huic ſcopo ex voto ſatisfaciunt omnia ſale volatili oleoſo, acidum deſtruente imbuta vegetabilia, ut ruta, ſalvia, angelica, leviſticum, flores ſambuci, baccæ juniperi & ſalia volatilia urinoſa vel oleoſa, maximeque reſina illa ſubtiliſſima & penetrantiſſima camphora: quo etiam ſpectant ſale quodam alcalino fixo amaro imbuta, uti ſcordium, carduus benedictus, ariſtolochia rotunda, aloe, centaurium minus, abſynthium, item oleo balſamico turgida, ut myrrha, thus, maſtix, balſamum peruvianum; vel denique inciſoria vi agentia, ut ſal ammoniacum, lapis medicamentoſus Crollii, vitriolum martis & veneris, aqua calcis vivæ, cineres clavellati, vinum, ejuſque ſpiritus.

§. III.

*Ex his parata formula.*

Poſſunt ex dictis apparari cataplaſmata & fotus, crebriuſque calide applicari, quæ partim incidendo & tonum partis roborando, partim putredinem arcendo, divinam afferunt opem. Mihi vero quaſi inſtar omnium hactenus in uſu fuerunt duo remedia, quorum primum ita ſe habet: Rec. rad. angelicæ, leviſtici, ana unciam unam, herbæ ſcordii, rutæ, cardui bened. ſalviæ ana manipul. I. myrrhæ, maſtich. ana drachm. ſex, ſalis ammon. unciam unam ſemis, virid. æris drachm. ſemis, alum. uſti drachm. III. Hæc invicem conciſa & contuſa coque in aquæ calcis vivæ, vini Franconici & ſpiritus vini camphorati partibus æqualibus. Alterum eſt ſolutio florum ſalis ammoniaci vitriolatorum in ſpiritu vini non rectificato, adjecta debita quantitate camphoræ. Quod ſi autem malum profundius in carnoſis partibus lateat, prius inſtitui debent ſcarificationes, ut non modo ſanguis in coagulum condenſatus & corruptus è membro laborante evacuetur, verum etiam, ut medicamenti vis ad ipſam labem propius pertingat. Et profecto inanis eſt nonnullorum metus, qui aëris acceſſum ad putrefactionem accelerandam contribuere exiſtimant; cum tamen facile poſſit cohiberi, ſi ſatis mature debitis adminiculis affectæ parti proſpiciatur.

*Scarificationis uſus.*

§. IV.

*Alexipharmaca interna conjungenda.*

Hæcce remedia ſæpe præſtantiſſimam tulerunt opem, maxime ſi internis alexipharmacis & diaphoreticis, quæ ſanguinis mixturam in craſi & motu ſuo ſervant, liberumque tranſpirationis ſucceſſum adjuvant, rite fuerint ſecundata: cujus energiæ quam maxime eſſe deprehenduntur, liquor cornu cervi ſuccinatus, tinctura bezoardica media & volatilis, diaſcordium liquidum, ſpiritus bezoardicus Buſſii, eſſentia theriacalis, theriaca cœleſtis, & omnia ſalia volatilia oleoſa. Singula tamen hactenus enumerata interna remedia multis paraſangis antecellit, certiſſimoque effectu ceu euporiſton ſatis ſe comprobavit hæc quæ ſequitur formula. Accipe vini Rhenani optimi libram unam, ſucci cancrorum recentis uncias tres, theriacæ drachmas duas, lapidum cancrorum drachmas tres: blando calore hæc miſceantur & pro duplici doſi bibat ægrotans, obſervando ſimul debitum ac temperatum ſudoris regimen. Præterea ex alexipharmacis, noſtro ſcopo inſervientibus maxime eminent nitrum & camphora, quæ, ſi ita combinantur, ut ad drachmam unam nitri ſcrupulus dimidius camphoræ addatur, excellentiſſimum exſerunt effectum. Nitrum enim, ſanguinem & ſerum fluxile reddit, humorumque acredinem & febrilem æſtum temperando, balſamum ſanguinis conſervat; camphora vero effluviis ſuis tenuiſſimis ſalium morboſorum & particularum obſtruentium exhalationem promovet quam optime. Hæc tamen circa uſum horum remediorum tenenda velim, ut primo in paulo largiori & repetita doſi offerantur, quia præſens periculum præſentaneam ſanguinis emendationem urget; deinde ut, ſi à cauſa interna malum ſuccreverit, plus ipſis, quam externis omnibus fides habeatur.

§. V.

*Separationis corrupti à ſano varii modi.*

Hac methodo qui aggreditur gangrænam & ſphacelum, feliciter in ejus ſanatione procedit, & vel ulteriorem mali progreſſum impediet, vel partem putredine jam tactam, naturæ beneficio concurrente, reſtituet. Sanguine enim tam internis quam externis jam benigniori reddito, natura loco carnis emortuæ novam carnem progenerat: modo obſervetur, ut reſtituta jam in parte gangrænoſa ſanguinis circulatione, illud quod emortuum aut corruptum eſt, maxime ſi grandis ſit molis carneæque ſubſtantiæ, ope chirurgica prudenter ſeparetur & amoveatur. Varii autem varios ſeparationis modos in chirurgicis æque ac medicis libris oſtenderunt, quorum mentionem injicere juvabit. Nonnulli cauſticis corroſivis eandem peragere tentant, & ſcarificatione profundiori inter ſanam & mortuam partem facta pulverem ex arſenico inſpergunt, vel illum cum unguento ægyptiaco ſubactum applicant. Alii, ut Polegrinus, medicus Gallus, cujus meminit *Charas in pharmacop. reg. pag.* 293. butyrum antimonii cum corroſivo ſublimato remixtum in uſum trahunt; alii id oleo vitrioli vel ſalis, uti Faber *in chirurg. ſpagyr. pag.* 172. præſtare conantur, alii iterum actuali cauterio infectam partem inurunt. Denique recentiorum plurimi corruptum membrum enſe reſcindendum putant, ne pars ſincera trahatur, & ideo novacula, vel alio inſtrumento inciſorio quicquid peccat & corruptum eſt reſecant. At vero, ſi omnibus penſitatis, proferre debeam, quid ſentiam, ego certe poſtremum ſeparandi modum reliquis longe præferendum, maximeque adhibendum ſuadeo, ſi caro muſculoſa altius fuerit infecta. Hoc enim non modo totum illud, quod peccat, citius tollitur, ſed recidiva quoque egregie avertitur: ut taceam denique triſtia exempla, ubi cauſtica illa virulenta, ut arſenicum & mercurius ſublimatus, externe applicata penetranti acrimonia ſua in nervorum ſyſtemate ſæviſſima eaque funeſta concitarunt ſymptomata.

§. VI.

§. VI.

*Quæ ante operationem ad facilitandam illam faciant.*

Quod ſi igitur gangræna late proſerpens contagio ſuo funus partis & inde corporis minatur, totumque membrum occupavit & enecavit, unicum & ſecuriſſimum, licet miſerum & crudele eſt remedium amputatio, ſeu exſtirpatio partis. Quicquid enim ad vitam revocari nequit, optime à viva parte ſeparatur, præſertim quum dubia ſpes deſperata ſalute melior, longeque conſultius ſit, partem hominis, quam totum hominem funeri dare. Quo vero plenius de ipſo reſecandi modo conſtet; operæ pretium erit, ut, quæ ante, ſub & poſt operationem obſervanda ſint, breviter ſtrictimque moneamus. Primo itaque, ut ordine procedamus, in quæſtionem venit: quænam remedia ad facilitandam operationem interna propinari debeant; ubi ſciendum eſt, deſideratiſſimam afferre opem ſic dicta confortantia, ſpirituoſa analeptica, quæ blandis ſulphureis partibus fœta vigorem ſanguini & cordi addunt: qua virtute inprimis ſplendent aqua cinnamomi cum vino Hiſpanico confecta, aqua flor. aurantiorum, lilior. convallium alborum, roſarum, eſſentia ambræ, ſyrupus balſami Peruviani, ſpiritus volatilis oleoſus cum oleo cort. citri recenti & cardamomi eſſentificatus; quæ invicem vel per ſe, vel cum vino Rhenano bono hauſtu exhibita egregie roborant. Confert quoque tali in caſu commendare juſcula bonæ notæ refectoria ex vino, juſculo carnis, vitello ovi, ſucco citri, ſaccharo & cinnamomo parata: multo vero certior erit effectus, ſi hæc analeptica cum alexipharmacis ſupra dictis commixta in convenienti doſi propinentur.

§. VII.

*Operationis deſcriptio.*

Ipſam ſectionem quod attinet, implorato ſummi Numinis auxilio, ante omnia chirurgus prudens, pius, expertus & qui omnia ad hoc opus neceſſaria inſtrumenta in promtu habet, eligendus eſt. Dein detineatur patiens vel imponatur in ſcamnum conveniens, & chirurgus trahat cutem, muſculos & carnem fortiter verſus ſanas partes, ut operatione peracta oſſi denudato iterum obduci queant. Poſtea vinculo valido &, ne facile relaxetur, ſatis forti, non tamen adeo lato conſtringenda eſt cutis, partim ut atrox dolor in exſtirpatione præcaveatur, partim ut enormis hæmorrhagia, quæ preſſo pede diſciſſionem ampliorum vaſorum ſubſequitur, impediatur. Et quamvis primum vincula non ſine gravi dolore injiciantur, poſtmodum tamen omnes cruciatus, qui ex ſectione oriuntur, leniunt & obtundunt, ut vix ullus doloris ſenſus percipiatur. Alii malunt, ut duo robuſtiores viri, præcipue in partibus carnoſioribus fortiter manibus conſtringant. Locus, ubi applicatur ligatura, ſit aliquot, vel duos tantum tranſverſos digitos ſupra partem abſcindendam, ne ſecta carne ligatura decidat. Prius autem quam ſectio peragitur, filum atramento tinctum circumligandum eſt loco incidendo, qui ad minimum quatuor digitos tranſverſos eſſe debet ſupra carnem emortuam atque corruptam; poſtea cultro falcato ſatis acuto cutis & caro muſculoſa ad os uſque una ſectione eſt ſeparanda: quo peracto protinus muſculi ab oſſe tam foras, quam intrinſecus, ſatis amplo tamen ſpatio ſunt ſejungendi, quo locus detur ſerræ, quæ ſatis acuta, oſſibus à perioſtio bene purgatis applicanda & primo fibula, deinde tibia eſt abſcindenda cito ſatis ac tuto, agilique dexteritate octo vel novem tractibus, hac adhibita cautela, ne nimio motu & concuſſione ægroto ſæva obveniant mala. Et ubi in pede operatio ſuſcipitur, pes bene eſt extendendus, ita tamen, ut paulatim ad intra inflexus teneatur, quo ambo oſſa æqualiter ſerra poſſint præſcindi.

§. VIII.

*Quibus ſanguis ſiſti debeat?*

Peracta ſectione, ſanguinis profluvium ſiſtendum, quod variis modis chirurgi præſtare ſolent. Nonnulli, uti PARÆUS *in chirurg. lib.* 1. *cap.* 20. *&* 22. tenacula vel volſella vaſa apprehendunt, acu transfigunt & obducto filo deligant; quoniam tamen arteriæ poſt ſectionem breviores fiunt, & intra carnem ſe occultant, forcipe non commode poſſunt teneri, & ad deligationem extrahi: deinde cum ligaturæ arteriarum tempus & moram, quam ægri imbecillitas atque defectio raro permittit, requirunt, imo ipſum vinculum, quod ad ſanguinis fluxum cohibendum fortiter ſtringi debet, quandoque arteriæ tunicas diſſecat, tutius eſt, à tali modo abſtinere. Nonnulli cauterio actuali, ſeu ferro ignito carnem adurentes fibras vaſorum criſpant & conſtringunt, ſicque remoram ſanguini injiciunt: quod quidem remedium improbare videtur HORNIUS *in microtechne*, quia tali cauteriſatione cruſta gignitur, quæ poſtea decidens novo ſanguinis fluori anſam præbet; attamen, quoniam facillimum & ſecurum eſt, in illis caſibus, ubi mora periculum minatur, vel remedia ſtyptica non ad manus ſunt, item ubi corrupti quidpiam remanſerit, omnino poteſt adhiberi. Alii ſtypticis tam ſolidis, quam liquidis, uti ſunt vitriolum cyprium, ſolutio vitrioli albi, liquor ſtypticus Danicus ex alumine, vitriolo, oleo vitrioli & aceto paratus, item pulvis ſtypticus HILDANI &c. ſanguinem compeſcere ſtudent: quam methodum etiam nos inprimis laudamus, eodemque fine potiſſimum & inſtar omnium caput mortuum vitrioli probe exuſtum ex mente HEURNII *in commentar. ad* HIPPOCRATIS *aphoriſm.* commendamus. Quod ſi autem compoſitum deſideraretur, ita poterit confici: Rec. boli armen. uncias quatuor, ſanguin. dracon., aluminis, terræ ſigillatæ ana unciam unam ſemis, nuc. cupreſſæ, gallar. ana unciam unam, capit. mortui vitrioli uncias duas. M. F. pulvis. Ex liquidis, quæ facilius penetrando ſanguini coagulum inducunt, omnibus palmam reddit dubiam liquor martis, quem oleum martis dicunt, quod ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium, aëri libero expoſito per deliqueſcentiam emergit, & quovis ſtyptico eſt præſentius. Imo quoque in levioribus læſionibus ſolus ſpiritus vini omni phlegmate orbatus locum invenire poterit. Modus autem applicandi ſtyptica hic eſt. Turundæ inſignes ex lino diſcerpto confectæ albumine ovi conquaſſato madefiunt & pulvere ſtyptico conſperguntur, vel liquori ſtyptico immerſæ ipſis vaſis applicantur, quæ prout amplitudine differunt, diverſas quoque magnitudine turundas exigunt.

§. IX.

*Alii ſanguinem ſiſtendi & conſolidandi modi.*

Sedato ſanguinis fluxu opus eſt, ut vincula ſtupefactiva removeantur, cutis remittenda, quæ os & bonam partem læſionis, imo nonnunquam totam contegit: dum enim pelle iſta vaſa conteguntur, partim & fluens ſiſtitur ſanguis, partim & conſolidatio promovetur. Hoc fine Venetorum lictores, teſte *Bartholom.* MAGGIO, qui facinoroſo homini manum abſcindere de-

debent, pellem ad ſuperiora trahunt, poſt amputationem vero illico laxant & diligenter circa juncturam conſuunt, vulnerique ventrem gallinæ morientis adhibent. Quod quidem à GALENI ſententia *lib. 5. method.* non abhorret, ubi *ſanguinis fluxum ex propriæ cutis ſuperpoſitione refrenari* perhibet. In Belgio hic modus admodum eſt familiaris & multiplici uſu comprobatus: nimirum tibia ſecta muſculus gaſtrocnemius, vel ejus portio adhuc ſalva non abſcinditur, ſed à reliqua parte ſeparatur, qua deinde membrum ſauciatum obvolvitur, & ſic brevi tempore ſanatio abſolvitur. Impoſito poſtea pulvinari linteo albumine madefacto ad replendam cavitatem, veſica bubula ſatis fortis & aquæ calidæ prius immerſa toti trunco obducitur, donec hæmorrhagiæ metus tranſiverit. Tertio vel quarto die remota ligatura iterum pulvis ſtypticus cum albumine mixtus imponendus, operaque danda eſt, ut indurata & inglutinata emolliantur & eſchara decidat: ad quod egregie facit digeſtivum ex melle, terebinth. pulv. ariſtoloch. irid. florent. thure & ſpiritu vini paratum. Eſchara delapſa vel filo vulneris os latis ſuturis conſtringendum, vel per emplaſtra cutis attrahenda: Luxurians & ſpongioſa caro coercenda eſt inſperſo pulvere radicis ireos & aluminis uſti. Tandem cicatrix emplaſtro diapalmæ, item de ceruſſa, nec non unguento deſiccante rubro inducenda eſt.

## *CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

### §. I.

*Cautela circa ſcarificationes.* Quod ſi ad meliorem remediorum externorum in gangræna operationem ſcarificationum eſt indicatio, cavendum eſt, ne ipſæ in partibus tendinoſis, manuum pedumque digitis, vel ubi maximus adhuc æſtus cum rubore conſpicitur, inſtituantur. Sed longe felicius id fit in partibus carnoſis jam corruptis, vel corruptioni proximis: in his enim ſcarificationes, vel etiam profundiores commode inveniunt locum. Et ſane mirandum eſt, poſt ſcarificationem peractam in partibus valde tumentibus illico detumeſcentiam ſenſibilem cum flatuum emiſſione deprehendi, luculento indicio, non tantum infarctum humorem, ſed & expanſivam elaſticam vim grandiores hos tumores gignere.

### §. II.

*Circa interna ſi ſcorbutus &c. concurrit.* Varia à nobis commendata ſunt interna alexipharmaca & diaphoretica, quæ in malo, præſertim à cauſa interna orto mitigando non parum præſtant utilitatis. Si quando vero ſimul ſcorbutica labes concurrit, ſpecifica admiſceantur antiſcorbutica; & ſi lues gallica originem malo & ſuſtentationem ſuppeditet, remedia huic morbo accommodata in uſum trahere expediet.

### §. III.

*Circa amputationem quæ conſideranda.* Prius quam amputatio membrorum ſphacelo infectorum ſuſcipitur, varia probe conſideranda erunt momenta. Ante omnia vero deliberandum eſt, an ſine vitæ periculo extirpatio partis fieri queat? Quod ſi enim tales partes ſphacelus adoritur, quæ aut non commode deligari poſſunt, aut amplioribus arteriis & venis inſtructæ magnam ſanguinis viriumque ſub ſectione faciunt profuſionem, ſatius intermittitur. Deinde examinandum eſt, an vires ægri conſentiant? Vires enim, quæ vitæ conſervatrices ſunt, merito in ſubſidium vocari debent, quia metus, terror, dolor, hæmorrhagia, adhuc majorem earum inferunt jacturam. Ubi itaque vires ex vehementia morbi jam ſuccumbunt, pulſus arteriarum debiles micant, & defectio animi jam præſens, vel metuenda eſt, ibi cautiſſime cum auxilio hoc crudeli mercari oportet.

### §. IV.

*Circa opiata.* Plurimi ex vulgo chirurgorum & medicorum ad præcavendos dolores in operatione metuendos opiata, vel in dupla doſi propinant, ſed iniquo ſane auſu peſſimoque effectu. Nam ordinaria opiatorum remedia non modo atrociam dolorum vix avertunt, uti ſæpenumero obſervare mihi licuit, verum etiam, ſi in exceſſiva quantitate offeruntur, metum injiciunt, ne ſopitos ligatosque ſpiritus ſomnus ſequatur ſempiternus. Deinde opiata, dum ſulphure ſuo vaporoſo liquidi nervorum tenuiſſimi activitatem & elaterem obtundunt, vires deſtruunt, &, quo minus venenum gangrænoſum foras propelli poſſit, efficiunt. Idem tenendum arbitror circa uſum opii poſt operationem peractam, de cujus noxa HORSTIUS *lib. IX. obſ.* 20. notabile, ſed tragicum refert exemplum. Quæ cum ita ſint, nos in utroque caſu uſum narcoticorum penitus damnamus, longeque rectius ac ſecurius remedia ſupra præſcripta analeptica temperata commendamus.

### §. V.

*Circa locum, ubi operatio inſtituenda.* Circa locum, in quo operatio celebranda ſit, variæ inter auctores vigent controverſiæ. Multi in articulo amputationem inſtituere ſuadent, quoniam ibi nec hæmorrhagia metuenda, nec oſſium ſit nudatio. Verum enim vero, non deſunt prægnantes rationes, quæ contrarium magis ſuadent. In articulis enim oſſium junctura non tam promte invenitur, nec cicatrix facile inducitur; imo etiam malum non ſemper in articulo, ſed ſæpius in medio membri hæret, ideoque tam altam reſectionem raro poſcit. Aliter autem res ſeſe habet, ſi digiti articulus eſt reſcindendus, quod optime in juncturis, & quidem forcipe peragendum eſt. Porro, altera oritur quæſtio, utrum in parte ſana, an emortua operari liceat? Nonnulli quidem, uti ſunt GALENUS *lib.2. de curandi rat. cap.* 9. VIGO *lib. IV. chir. cap.* 7. FALLOPIUS & AQUAPENDENS &c. in emortua parte, qua ſanam partem vicinam attingit, id fieri debere contendunt, & ita incidendum membrum ſanum ſtatuunt, ut aliquid corrupti remaneat, quia tunc minor dolor & minor quoque hæmorrhagia pertimeſcenda eſſet. At vero, conſilium hoc periculoſum videtur, quoniam malum illud, quod relinquitur, ex facili ſe multiplicat, ſenſim obrepit & ulterius inficit. Rectius itaque judicat, ſibique peritiſſimorum chirurgorum adſenſum conciliavit CELSUS *lib. VII. cap.* 34. in hunc modum: *inter ſanam vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro uſque ad os eſt, ſic ut neque contra ipſum articulum id fiat, & potius ex ſana parte aliquid exſcindatur, quam de ægra aliquid relinquatur.* Regula tamen exceptionem patitur in tibia; in qua ſi ſphacelus ſit ſupra malleolos, prope genu præciſio eſt facienda: quod enim relinquitur fruſtum, nullum uſum, ſed magnum potius incommodum ægro affert, dum ligneo crure ipſo utendum ſit, & pars otioſa in poſteriora vergat.

In

In brachio tantum conſervetur, quantum commode alligandæ & aptandæ manui ex metallo confectæ ſufficit. In pedum manuumque digitis, ut diximus, in articulo id ipſum fieri debet, ubi nervi & tendines inciſi ſurſum attrahuntur & carne obteguntur.

§. VI.

*Circa operationem ipſam.*

Ad feliciorem operationis ſucceſſum hæc obſervandæ ſunt cautelæ. Primo omnium chirurgus debet cavere, ne exponendo inſtrumenta, timorem ægroto incutiat: novi enim plures panico quaſi terrore ſic correptos & pœne exanimatos. Deinde, nec vacuo ſtomacho, nec nimis repleto aggredienda res eſt; quoniam ille ſæpe moleſtam accerſit ſyncopen, hic ſæpe cauſa eſt, ut cibus propter agitationem corrumpatur: tutius tamen ſuſcipitur horis matutinis quam pomeridianis. Poſtea, denudatæ partes & oſſa non diu aëri ſunt exponenda, ne hic conglutinationem impediat, & corruptionem nigredinemque oſſi inducat. Neque minus poſt operationem inſiſtendum eſt remediis internis refocillantibus & alexipharmacis temperatioribus: quo nomine inprimis mixturam, quæ ex vino, oculis cancr. aqua cinnamomi, meliſſæ, cort. citri, nuciſtæ & paucis theriacæ cœleſtis granis conſtat, commendare lubet. Denique ad cruſtæ, vel medicamentis, vel ignito ferro inductæ à carne reſolutionem non properandum eſt, ne inde profluvium ſanguinis denuo proritetur. Quum autem putredo ceſſaverit, nec amplius ſanguinis profuſio metuenda fuerit, ea, quæ cruſtam detrahunt, applicanda ſunt. Et ubi poſt cruſtæ caſum, adhuc inflammatio adeſt, unguentum diapompholygos, omiſſis omnibus calidis & acrioribus, adhibere convenit.

§. VII.

*Circa ſymptomatum tractationem.*

Tandem de ſymptomatibus operationem ſubſequentibus, qualia ſunt ſyncope, hæmorrhagia, febris inflammatoria cum phrenitide, delirio, & de novo gangræna & ſphacelus, pauca adjicere expediet. Syncope, quæ potiſſimum timori & terrori, nimiæque ſanguinis profuſioni debetur, vel in ſphacelo à cauſa interna nato propter malignitatem, liquidum nervorum tenuiſſimum inquinantem oritur, & ſæpe ſudorem frigidum fœtidumque comitem habet, analeptica & alia excitantia requirit, quorum ſeriem longius hic recenſere ſupervacaneum erit. Si hæmorrhagiæ, ut facile fit, de novo repetunt, videndum eſt, ne æger multum ſe commoveat, ſternutet, vociferetur, tuſſiat, aut corpus culcitris multum oneret, vel aliis ſanguinem commoventibus utatur; imo quoque ipſi dormienti ſemper vigilans adſit miniſter, qui cuncta obſervet. Neque tamen ſemper neceſſe eſt, ut ad talem hæmorrhagiam ſupprimendam prior admoveatur adparatus, ſed tantum aqua frigida inſperſa, ſtuppis cum pulveribus ſtypticis &, ſi vires id permittunt, venæ ſectione in parte oppoſita tentandum eſt, an cohiberi poſſit. Illud autem maxime meretur obſervationem, non ſolum poſt graviores membrorum contuſiones, verum etiam poſt illorum amputationem frequentem narium contingere hæmorrhagiam; quæ, me judice, à ſanguinis circulatione, ex arteriis in venas non rite procedente derivanda eſt. Magna enim arteria vel amputata, vel parte ejus ligata & obſtructa, neceſſario ſanguis, qui partem emortuam & detruncatam tranſiret, & per venam reverteretur, ad alias partes per arterias magno cum impetu ruit & qua data apertura effluit. Hinc optime annotavit HILDANUS *lib. de dyſent. cap.* I. quod ſanguinea dyſenteria in iis, quibus membrum aliquod abſciſſum eſt, ex eadem cauſa proveniat. Febris inflammatoria, quæ propter ſanguinis & ſeri ſtaſin & corruptionem omnibus graviter vulneratis jungi ſolet, iis remediis debet tractari, quæ ſuo loco cum debitis cautelis in medicina hac ſyſtematica indicavimus.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Sphacelus in pede à cauſa interna.*

Vir generoſiſſimus LI. annorum, temperamenti ſanguinei corporisque habitus ſpongioſi, qui juventutem vitæ militari addictus inter multas moleſtias, labores, varietatesque in caſtris præcipue Hungaricis ita conſumſerat, ut nullo incommodo valetudinis affligeretur; quum abdicato illo vitæ genere, canonicatu ſat pingui, licet in loco paludinoſo gaudens, commodius viveret, incepit arthritide laborare, ad quam accepiſſe diſpoſitionem à parentibus videtur. In victu delectabatur fumo induratis & ſalſa muria conditis, nec non ſupra modum dulcibus. Vino multum antea uſus nunc videbatur non carere poſſe: imo etiam veneris uſu, animique affectuum intemperantia excedebat. Mature confugiebat ad uſum fontium, bibitque Carolinas calidas & Toeplicenſe balneum adhibuit. Accidit autem 1715. ut eo ipſe tempore pedem ligno allideret, leviterque vulneraret. Contemnebatur læſio. Sed altero die, cum ex loco calidiori ad humidum concedebat, febrilia ſymptomata emicabant, vulnus inflammabatur, margo ſphacelo obſidebatur. Parebat tamen tunc morbus auxiliis, ut poſt ſeptimum menſem vulnus perſanaretur. Anno ſequente 1716. vir illuſtris per plures menſes catarrhis, ventriculi debilitate, ſoda, inteſtinorum inflationibus & variis capitis moleſtiis vexatus tandem ad fontis Egrani uſum accedebat. Potaverat jam octo diebus ſine incommodo. Sed quum tibialia aliquando detraheret ſervus, illud madere deprehendebat. Pes examinabatur, qui inter digitum quartum & quintum levem quandam eroſionem prodebat, ſine ullo dolore. Poſt aliquot dies totus quartus digitus à colore naturali deſciverat. Advocatus chirurgus, poſt multa adhibita, oſſicula ſine ſenſu eximebat, tandem totum digitum, tanquam emortuum exſtirpabat. Serpebat corruptio ſub tota planta ad calcem: accedebat febris vulneraria vehemens & glandularum inguinalium tumor. Tali rerum ſtatu conſilium expetebatur noſtrum; mittebatur conſilium, quo interna & externa præſidia oſtendebantur. Sed ipſemet æger celerrime ſe huc è Variſcorum finibus advehendum curabat, ut propius ipſi adſiſterem. Adventabat ſatis miſero ſtatu, febri valde vexatus, viribus autem omnino fractis, appetitu amiſſo, ſomno fere nullo. Alvus diu clauſa clyſtere ſubducebatur, unde meliuſcule habere cœpit. Adhibebantur duo periti chirurgi, qui ex præſcripto meo adhibebant remedia externa. Ipſemet pugnavi internis, quibus vires ſuſtentarentur & humores depurarentur. Diæta recte conſtituebatur: in prandio optimi vini Hungarici, vel veteris Rhenani portiuncula præbebatur, poſt cœnam eſſentia aurantio-

rum ex corticibus recentibus parata. Mane inſuſo utebatur theiformi, in quo decem guttas balſami noſtri liquidi, quod etiam inter prandium offerebatur, capiebat. Subinde præbebatur pulvis bezoardicus nitroſus cum cinnabaris pauxillo remixtus, ſæpe etiam pilulæ noſtræ balſamicæ exhibebantur. Mirum quam cadaveroſum odorem primis his diebus exſpirabat æger, quoties vel leviter inſudabat. Glandulis inguinalibus imponebatur emplaſtrum ex cepis aſſis, veneto ſapone, farina fœni Græci, cera, reſina.

Pedis ulcus tale erat, quum adveniret. A digito quarto pedis dextri per plantam excurrebat cavitas ad talum protenſa. Circa utrumque malleolum rubor erat, jam ad livorem tendens, juncto non magno tumore. Gangrænam lentam & ſegniorem, non podagræ, ut ægrotus putabat, ſignificationem hanc fuiſſe, poſt aliquot dies cognoſcebatur, quippe ſphacelus manifeſtis ſignis ſeſe prodebat, ut inciſione corruptæ partis opus eſſet. Inciſus locus replebatur carptis linteis imbutis liquore ex ſpiritu vini puriſſimo, cum cujus uncia una duæ drachmæ olei caryophyllorum puri & genuini erant mixtæ. Hoc uno præſidio externo poſt aliquot dies omnino auferebatur putredinis progreſſus, & corruptum blande facileque ſecedebat. Quum ſeceſſio illa facta eſſet, magnitudo diffuſæ prius corruptionis demum cognoſcebatur, quæ ſuper malleolos ad palmæ longitudinem adſcenderat, ſic ut facile poſſet anterior manus inter tendinem magnum, qui chorda Achillis audit, & oſſa tibiæ intrudi. Seceſſerant enim præter cutem tendines multorum muſculorum per hanc regionem progreſſi, ut peronæi tam antici, quam poſtici, nervi etiam multi, quorum aliquis, in quo corruptio ad ſuperiora ſerpebat, non ſine dolore excidi in ſana parte debebat. Planta, quoniam ſubter eam cavitas decurrebat, inciſione longa uſque ad digiti quarti locum debebat incidi, ut mundificantia melius poſſent adhiberi. Oſſa ſic ſatis libera manſerant, præter partem calcanei, quæ aliquid paſſa erat,& ſatis tarde cariem ſuam demittebat.

Quum corruptio jam conſtitiſſet & emendata eſſet, prædicto liquori adjiciebatur balſamus Peruvianus; tandemque ad extracta vulneraria & myrrhæ ſuccinique eſſentias veniebatur. Sed caro, quæ primum enaſcebatur, hebes erat, donec proventus ejus ex illis partibus, quorum nervi remanſerant, ad claudendum tandem magnum hoc ulcus feliciter & ex voto ſuccedebat. Atque ſic vir ille plene convaluit, ut non ſolum pedibus ſuis inſiſtere, ſed deambulare, quin ſcalas adſcendere valeret. Atque hoc ſtatu per triennium duravit; ubi factum eſt, ut incommoda tempeſtate moleſtum iter ſuſciperet, & in priſtinum malum, cui nunc lethalia ſymptomata accedebant, relaberetur.

*Epicriſis.*

Affectus ille gravis, quo æger afflictus fuit, ſpecies ſphaceli chronici eſt, qui Celso cancri nomine venit, & à cauſa potiſſimum interna ſuam petit originem. Videamus jam, quænam in generoſo patiente ad hujus geneſin multum contulerint. Deprehendimus autem, ipſum inter ſtrenuos militiæ labores commode degiſſe; hoc autem vitæ genere in quietius mutato, arthriticis infeſtatum eſſe cruciatibus, cum pancratice cœpit vivere, & ob appetentiam vegetiorem alimenta non modo copioſiora, ſed & temperiei humorum incongrua, nimis dulcia, ſalſa, acida, fumo indurata, adſumſit, & vinum quoque meracum copioſius ingeſſit. Maximum autem pondus attulerunt animi graviores & diutius affligentes perturbationes, quarum impetu nihil valentius eſt, ad motuum vitalium œconomiam turbandam, ad digeſtionis & chylificationis negotium pervertendum, & ad ſanguinis & humorum maſſam corrumpendam. Nec aëris vitium reticeri debet, qui illo loco, ubi vir generoſus à multis annis domicilium fixit, copioſis aquis, lentiſſime decurrentibus & multis ſpatiis per totum annum ſtagnantibus cinctus eſt. Doloribus arthriticis, ad quos diſpoſitionem à parentibus accepit, fuit correptus, quia debilitate generis nervoſi nativa quaſi laboravit. Aquarum mineralium uſu magis læſus, quam adjutus fuit, forſan intempeſtivo & non ſatis circumſpecto uſu. Plura enim novimus exempla, ubi quidam vel natura, vel morbo aliaque cauſa, ut ſenio debilitati, non ſub debita præparatione, aut non conveniente regimine mineralibus fontibus uſi fuerunt, & gravem noxam, imo artuum ſphacelationem incurrerunt. Nam aquarum multo potu ſpirituoſæ in ſanguine partes, quæ pauciores jam ſunt, diſſipantur: unde vi ſyſtaltica motrice, quæ fluida debet impellere & in circulum agere, imminuta ſtagnationes humorum, quæ in corruptionem abeunt, in remotis maxime partibus, ubi fluidorum progreſſio ſemper tardius procedit, contingunt. Noſtri ægri pes leviter vulnerabatur cum modica contuſione, & poſtero die, ubi movebatur corpus cœlo ſereno & æſtuoſo ad locum humidum, horror febrilis cum ſubſequente calore inſigni corripiebat: qualis febris ſpecies ad eryſipelaceam referri debet, quæ arthriticis & podagricis valde eſt frequens atque ſolennis, & juxta Celsum *lib. V. cap. 26.* magis perniciosa, ſi levi vulnerationi ſupervenit. Teſtatur enim de copia materiæ peccantis, quæ hunc motum febrilem excitat: quam etiam exinde judicare poſſumus, quia patiens catarrhis, imbecillitate ventriculi, ſoda, flatulentiis & variis caput adfligentibus malis per aliquot continuos menſes fuit afflictus, antequam ultimo ad fontium uſum pergeret & loco ſperatæ ſanitatis tantam calamitatem reportaret. Hanc febrem eryſipelaceam utroque tempore paſſus eſt generoſus ægrotus; ſed in poſteriore morbo inſignis rubedo fuit in utroque latere cruris inferioris. Gangrænam hanc fuiſſe, eventus docuit, ſed admodum ſegnem & lentam, qualis à cauſa interna, ex ingenti humorum impuritate, ſine ſenſibili dolore, oriri ſolet. Hujus generis exempla videri poſſunt apud Dodonæum *medicinal. obſerv. 30. 33. & 37.* His à *Dodonæo* notatis adjicere poſſumus Eugaleni obſervationes, qui *pag.* 125. in medium affert ſenem ſupra ſeptuagenarium, longa mœſtitia conſumtum, in quo vulneratio pedis ſimul ac ſemel à puſtula levi incipiebat ſine præcedente dolore, inflammatione vel febre, & per duodecim hebdomades ſerpendo tandem interfecit. Apud eundem auctorem videre licet plures hiſtorias eorum, qui ulcera gangrænoſa & ſenſim emorientia ſine dolore habuerunt. Quod etiam Paul. Barbette *in ſua chirurgia* annotavit, ubi recte meminit, ſi ex ſcorbuto ſphacelus poſt maculas ſubnigras oriatur, partis ſtuporem & tandem mortificationem ſine ullo dolore

lore ſuccedere. Denique quod in noſtro ægro corruptio longius ad vicinas partes diffuſa fuerit, id mea quidem ſententia factum eſt, quod nervi ac tendines copioſius in extrema pedis parte concurrunt, qui ſubtiliſſimo fluido, quod a cerebro ad ipſos influit,orbati, quam facile labem ulterius ſerpentem ſuſcipiunt.

In curatione allaboratum fuit, ne gangrænoſa corruptio ulterius propagaretur, ſed id quod jam corruptum, à ſano diſcederet. Erat ad compeſcendam putredinem celeri & efficaci auxilio opus, quod ex voto attulit ſpiritus vini optime rectificatus, balſamica & longe penetrante virtute olei caryophyllorum non adulterati imbutus. Interne ex medicamentis roborantibus, putredini reſiſtentibus, & quæ ſimul tranſpirationem promovent, ad meliorem externorum operationem balſamum noſtrum liquidum, ex præſtantiſſimis & puris oleis nervinis cephalicis, cum ſpirituoſo vehiculo maritatis conſtans, fuit exhibitum; quod medicamentum nervoſo generi amiciſſimum viribuſque roborandis aptiſſimum corruptioni humorum ulteriori non modo reſiſtit, ſed & circulationem ſanguinis, ſub qua ſordium putridarum mediante tranſpiratione fit excretio, promtiorem efficit. Haud diſſimili virtute etiam bezoardici pulveres, qui ex diaphoreticis fixis cum refracta doſi nitri & camphoræ remixtis conflati ſunt, ſplendere ſolent. Ex alimentis pauciora oblata ſunt, ſed digeſtu & in chylum redactu facillima: impura enim corpora quo magis nutriuntur, eo magis læduntur. Conceſſus etiam fuit vini Rhenani generoſi veteris ad vires collapſas reſtituendas hauſtus. Pulchre enim CELSUS *lib. V. cap.* 26. de præſenti affectu monuit: *præcipue in hoc caſu petendum non à medicamentis ſolum, ſed etiam à victus ratione præſidium eſt.* Præter hæc, locus ſphacelatus à mortua carne & reliquis corruptis partibus eodem externo remedio liberatus eſt, quo putredinis vis fuit infracta; niſi quod balſamo Peruviano & aliquibus extractis vulnerariis fuerit temperatum eo fine, ut leniora hæc & ex parte emollientia fibrarum ſemi corruptarum reſolutionem & ſeparationem adjuvarent. Neque illud reticendum, ſed potius ceu ſingulare commemorandum eſt, carnem, quæ nova regenerata eſt, ſenſu omni penitus caruiſſe; quod aliunde vix derivandum eſt, quam quod nervi huc decurrentes & ſenſum facientes, vi putredinis exciderint: quale quid vero non ſemper accidit, ſiquidem exemplo paralyſeos nervi poſſunt affici, vel à violenta vulneratione conſcindi, & tamen pars adhuc vita & aliquali ſanitate frui. Quam in rem notatu dignus eſt caſus, qui in *Ephemerid. N. C. dec. II. A. VIII. obſ.* 171. de puero refertur, cui, prævia totius corporis laſſitudine, defectu virium & capitis dolore, capilli primo defluxerunt, mox futuræ cranii oſſium à ſe diſceſſerunt, tandem ad reliquam corporis omnem compagem putredo proſerpſit; inter hæc tamen eſculentorum & potulentorum appetentia cum alvi excretione bene conſtitit, ſine dubio, quia prægrandes ad ſtomachum abeuntes nervi difficilius à munere ſuo ceſſant. Tandem quod tribus annis elapſis malum redierit tandemque corpori jam nimis exhauſto lethum intulerit, non adeo mirandum eſſe arbitror; quoniam partes corporis debilitatæ facilius, quam ſanæ, data occaſione vitium contrahunt. Quod quidem axioma ſi unquam, certe de partibus gangræna & ſphacelo tactis valet; unde ego plures à diris his affectibus reſtitutos, tandem iiſdem mortuos eſſe animadverti.

### OBSERVATIO II.

*Sphacelatio à diuturno mœrore.*

Vir ſexaginta annorum, obeſus ſanguineque & ſuccis valde turgidus, ob robuſtiorem corporis conſtitutionem, nunquam fere graviter per omnem ætatem ægrotavit; niſi quod jam per aliquot annos à vita nimis ſedentaria vinique Rhenani largiori potu varia expertus fuerit pathemata hypochondriaca, quibus abigendis aliquoties thermis uſus eſt Carolinis, venamque ſecandam præbuit. Interim cum neglecta per biennium thermarum potatione omiſſaque venæ ſectione, præter ſpem omnium à ſuo, quo fungebatur, officio removeretur, gravi inde terrore ac mœrore diu affectus in pollice pedis dextri puſtulam accepit rubram & dolentem, quam parum attendens barbitonſori oſtendit, qui præter ſolum emplaſtrum, loco dolenti apponendum nihil prorſus adhibuit. Hic vero cum altero die rediens totam partem affectam nigro colore tinctam & ſuperne veſicula obductam invenit, hacque diſciſſa carnem ſubjacentem doloris plane expertem deprehendit, dato emplaſtro cataplaſma ſuperimpoſuit, ſed ſine effectu. Acceſſitus poſtea medicus aliuſque chirurgus, varia applicuerunt remedia, quæ tamen ulteriorem ſphaceloſæ corruptionis progreſſum prohibere non potuerunt, ut potius corruptela, ulterius ſerpendo, non modo totum pollicem, ſed & reliquos pedis digitos eadem labe infecerit, omnique ſenſu & motu privaverit. Rebus itaque tam miſere conſtitutis duos exſcinderunt digitos, partique mortuæ unguenta illinerunt digeſtiva, ea ſpe, ut facta ſuppuratione eo melius mortua à vivis poſſint ſeparari, partibus vero adjacentibus præter ſpirituoſa impoſuerunt cataplaſmata; ſed ne his quidem omnibus quidquam præſtiterunt. Tandem & ego in re tam ardua & periculi pleniſſima adſcitus primo omnium digitis emortuis à parte ſana reſecatis non affectæ tantum parti, ſed toti pedi immediate applicandum curavi hoc epithema ſpirituoſum; Rec. ſpiritus vini rectif. unc. duas, camphoræ drachmas duas, eſſent. ſcordii, myrrhæ, ſpiritus ſalis ammon. anatica portione drachmas tres, florum ſalis ammon. martial. drachmam unam. Huic ſuperadditum fuit emplaſtrum opodeldoch & cataplaſma, cujus parandi modum ſupra in ipſa medendi methodo præſcripſimus. Ex internis remediis commendavi pulveres diaphoreticonitroſos, camphora remixtos, nec non mixturam analepticam putredini reſiſtentem, quam pariter ſuperiori loco innuimus, per vices hauriendam; idque tam felici ſucceſſu, ut ſecuta fuerit ſuppuratio, optimum in ſphacelo ſignum. Nihilo tamen minus, quum remotis hiſce remediis, me inſcio alia fuerint ſubſtituta, accidit proh dolor, ut aucta debilitate & anxietate, gravique terrore ſuperveniente, æger animam non multo poſt exſpiraverit.

*Epicriſis.*

Plerumque cacochymici & ſenes, qui multum vitioſi ſanguinis in venis alunt, præ reliquis omnibus ad ſphaceloſam labem ſunt diſpoſiti, præſertim ſi diuturno afficiantur mœrore; quo nihil ad motum ſanguinis, per ſe jam lan-

guidum retardandum, ejuſque corruptivam ſtaſin inducendam, eſt potentius. Deinceps ſingularem meretur animadverſionem, quod ſphacelatio, in extremis etiam partibus oborta mox totum corpus graviſſime lædat, notabilemque virium defectionem cum anxietate & inquietudine inducat, ita prorſus, ut ſimile quid à gravioribus vulnerationibus, læſionibus vel exulcerationibus exſpectare vix liceat. Cujus phænomeni ratio in eo videtur repoſita, quod putredo naturæ infenſiſſima in inſtanti quaſi ſuam communicet energiam cum ſanguine, qui ubi jam ex aliis cauſſis eſt vitiatus, perfacile inde penitus inquinatur, ſuoque motu inteſtino ulterius deſtituitur. Præterea quoque addiſcere inde licet, partem demortuam ea, qua fieri poteſt, celeritate, à ſana eſſe removendam, ſanguiniſque progreſſum in parte affecta remediis tam internis, quam externis ſpirituoſis, balſamicis & volatilibus procurandam. Etenim, cum fluidorum progreſſivus motus, à quo vita & ſanitas pendet, unicus ſit, qui tetram putrilaginem à corpore arcet, in proclivi eſt, nihil prius eſſe debere medico, quam ut hic vitalis motus rite promoveatur. Denique inſignis virium languor, quem ſtatim in principio morbi annotare licuit, non obſcure indicat, corruptionem ſphaceloſam, ſimul in quibuſdam viſceribus internis delituiſſe occultam, quale exemplum non ita pridem in viro habui, cujus hepar ſub ſectione ſphaceloſum, & inſtar picis nigerrimum deprehendi.

### Observatio III.

*Sphacelatio digiti gangræna ſuperveniens.*

Vir ſexagenarius, temperamenti melancholici, qui ob genus vitæ ſedentarium & largam ciborum craſſiorum comeſtionem ſæpe moleſta alvi adſtrictione laborabat, intenſiſſima quondam hieme iter aliquot milliarium faciebat; quo peracto præter omnem exſpectationem de nocte in ultimo digiti minimi articulo crudeliſſimo dolore cum rubore ac tumore juncto corripiebatur. Adſociabat ſe febris cum calore intenſiſſimo viriumque præcipiti lapſu, & brevi tumor totum occupabat brachium, quod mox nigreſcebat. Articulus, ubi dolor exordium ſumſerat, examinatus omni ſenſu privatus deprehendebatur; hinc forcipe ejus amputatio erat peragenda. Ne autem peſtifera labes ulterius ſerperet & ſimilis emoriendi neceſſitas adnexis etiam partibus immineret, toti brachio calide duplicatis linteis ſpiritus vini camphoratus & urina humana, in qua ſufficiens ſalis ammoniaci & vitrioli quantitas ſoluta erat, diligenter fuit applicata. Interne crebrius exhibebatur nitrum præparatum cum camphora, & tinctura bezoardica cum ſpiritu cornu cervi & nitri remixta. Nec denique potiones analepticæ confortantes ex aquis deſtillatis & pulveribus cordialibus omittebantur; idque per Dei gratiam hiſce remediis obtinebatur, ut intra quatuor ſeptimanas æger ſanitati plenarie reſtitueretur.

*Epicriſis.*

1) Docet inprimis hic caſus, quam facile gangrænoſa & ſphaceloſa partis corporis corruptio oriri poſſit, ſi ab aëris ambientis frigore minimi ejus tubuli & canales conſtricti ſanguinem craſſum & acrem, ab inordinata victus ratione accumulatum intus coercent & libere permeare non ſinunt. Quod enim ſi accidit, non poteſt non ſanguis ibi ſubſiſtens coagulari, &, niſi rurſus in circularem motum redigatur, parti, cui fixus inhæret, tetram putrilaginem cum plenaria vitæ abolitione inducere.

2) Dein etiam hac morbi hiſtoria confirmamur, ſenibus maxime tales ſanguinis & humorum ſtagnationes eſſe familiares, qui ob plenum craſſumque victum & exercitationem corporis omiſſam multis impuris, viſcidis & difficulter mobilibus ſuccis ſcatent. Neque minus partes extremæ tendinoſæ præ aliis ad talem labem concipiendam ſunt diſpoſitæ, quia in ipſis, ceu à corde remotiſſimis plerumque tardior ſolet eſſe fluidorum circuitus. Quod autem febris jungatur, hæc videtur eſſe ratio, quoniam particulæ malignæ indolis putridæ à venis vaſculisque lymphaticis reſorptæ, cum ſanguine communicantur, cujus totam maſſam inquinant &, niſi cito remediis, ſordium malignarum exſpirationem promoventibus internis ſuccurramus, in eundem putredinoſum motum conjiciunt.

3) Digiti articulum, tanquam partem emortuam & vivis non amplius adnumerandam reſecandum curavimus, ne putredo ad proximas regiones pertingat. Et notabile eſt, ipſam naturam emortui à vivo & ſano ſeparationem indicare, quod non modo exinde apparet, quod circulus ruber exquiſiti ſenſus inter ſanam atque mortuam carnem, & materia albicans puris ſpiſſioris inſtar emergat, verum etiam integra ſæpius membra, quod mirabile videtur, à corpore ſejungantur. Sic integrum brachium, ſine vitæ periculo, ſolius naturæ beneficio ſeparatum legitur in Thom. Bartholini *hiſtor. anatom. 69. cent. 1. & 5. hiſtor. 63.* item in Cattier *obſerv.* 13. Memorabilis quoque eſt caſus, cujus mentionem facit Nicol. Tulpius *lib. 4. obſerv. 51.* de conſule ſeptuagenario, qui tibia laboravit adeo corrupta, ut medicus & chirurgus ejus exſtirpationem, ceu unicum vitam conſervandi remedium commendaverint: quibus tamen monitis cum parere negavit vir imperio adſuetus, ſed miſere perire maluit; factum eſt, ut tendinibus ac nervis ob diutinam moram ab acri pure eroſis, totus pes vitiatus ſedibus ſuis exciderit, & æger vitam reportaverit.

### Observatio IV.

*Sphacelus muſculorum glutæorum in paralytico.*

Militiæ præfectus, quadraginta & aliquot annorum, robuſtus in inferiori ſpinalis medullæ parte globulo plumbeo percuſſus quoad truncum ventremque inferiorem, ut & pedes totus reddebatur paralyticus, omnique ſenſu & motu privatus. Non adeo multo poſt muſculi ani ſat vaſti glutæi, quibus nullus inerat ſenſus, ad magnam ſuperficiem corripiebantur putredine, colore nigricante & cadaveroſo fœtore. Latiſſime ſerpente hac putredinis labe commendabatur carnis omnis emortuæ exciſio, & aliquot hujus carnis libræ ſine ullo dolore uſque ad oſſis acetabulum excidebantur; dumque caro florida appareret, ab aëris acceſſu probe defendebatur ſtuphis linimento balſamico imbutis, quod ex terebinthina, myrrha, maſtiche, olibano, balſamo Peruviano, oleo lumbricorum terreſtrium & ſpiritu vini camphorato conſtabat. Interne exhibebantur remedia putredini reſiſtentia, & maxima admiratione dignum erat, quod ingens hæc cavitas intra quinque hebdomadum ſpatium tota iterum carne fuerit recluſa.

*Epicriſ.*

*Epicriſis.*

Quæ in noſtro ægroto contigit ſphacelofa muſculorum glutæorum corruptio, non aliunde eſt derivanda, quam quod influxus liquidi nervorum tenuiſſimi in has partes fuerit interceptus. Cauſam tam inopinatæ in corpore ſano cataſtrophes præbuit vulnus ſclopetarium, quod inferiorem medullæ ſpinalis regionem valde læſit, & denegato ibi liberiori ſpirituum motu paralyſin induxit, quæ ſe ad omnes partes, à læſa hac portione excurrentes extendit, ipſasque ſimili movendi impotentia affecit. Quæ cum ita ſint, jam plenius confirmantur, quæ ſupra de paralyticis diximus, quos propter impeditiorem fluidi aëreo-ætherei motum præ ceteris ad ſphacelationis labem diſpoſitos pronunciavimus. Ceterum, & hoc momentum ex præfata morbi hiſtoria in uſum phyſiologicum elicere poſſumus, ut videamus, quam neceſſaria ſit, ad ſanguinis circuitum promovendum tetramque putrilaginem à vivo corpore avertendam, debita & non interrupta tenuiſſimi hujus fluidi cum ſanguineo latice mixtio; ut ideo ſtoliditatis ſe ſatis accuſent, qui activiſſimum hoc fluidum vel in dubium vocare audent, vel parum ipſi activitatis & ad vitales motus ſuſtinendos utilitatis tribuere ſolent.

---

## CAPUT III.

### *De purpura præſertim chronica ſcorbuti ſobole.*

§. I.

*Purpuræ deſcriptio.* QUæ noſtro tempore paſſim graſſatur purpura, nihil aliud eſt, quam mali ſcorbutici progenies, cum exanthematum, peculiaris plane indolis, eruptione in ſuperficie corporis ſe manifeſtans, interdum cum febre ſatis acute & maligne, interdum ſine ea longiori tempore & benigniori modo functiones corporis noſtri pervertens.

§. II.

*.. differentia ab aliis exanthematibus.* Purpura quum peculiaris exanthematum ſpecies ſit, operæ omnino pretium exiſtimamus, differentiam illam, qua ab aliis exanthematibus diſtat & diſtingui debet, primo omnium indicare. Characteres vero proprii quaſi & eſſentiales purpuræ ſunt ſequentes. Primo papulæ quæ efflorescunt, cum corrugatione, aſpredine & ariditate cutis junctæ ſunt. Deinceps nullum exanthema tam mobilis eſt naturæ, ut tam crebro & tam celeriter ad interiora relabatur, & interpoſita mora denuo prodeat, quam hoc purpuraceum: neque ullum tam crebro, intercurrente mox æſtu, mox refrigerio, mox pruritu & punctura in corpore ſe prodit, quam purpura. Ceterum, omnes exanthematum ſpecies, in omnibus æque corporis regionibus & tractibus in conſpectum prodeunt; purpura vero potiſſimum in collo, pectore, dorſo & manibus ſe manifeſtat, rariſſime partes inferiores occupans: quibus peculiaribus notis à variolis, morbillis, petechiis, maculis ſcorbuticis, roſaliis, febre urticata, herpete, ſcabie, phlyctene, impetigine &c. diſcernitur faciliime.

§. III.

*.. differentia exanthematum inter ſe.* Efflorefcentiæ in purpura multum etiam inter ſe ratione magnitudinis, figuræ & coloris differunt. Papulæ enim, quæ prodeunt, quandoque rubro, quandoque albo colore tinctæ ſunt; unde purpura diſtingui ſolet in rubram & albam. Illa veſiculas habet magis vel minus latas, quæ liquorem continent: alba vero nullas habet veſiculas, ſed nodulos profunde in cute hærentes, milii figuram referentes, ad tactum aſperos, humore ſpiſſiuſculo, quaſi purulento infarctos; unde purpura alba miliaris dicitur.

§. IV.

*.. diviſio in malignam & benignam, atque hujus hiſtoria.* Præterea, purpura magis vel minus benigna & maligna obſervatur. Maligna eſt affectio magis acuta, cum febre continua & naturæ admodum infenſis ſymptomatibus juncta: benigna vero diutius ſine febre durat, & non adeo vitæ infeſtis ſe manifeſtat ſymptomatibus, atque his potiſſimum notis incedit & progreditur. Præcedit levis horripilatio, quam ſubſequitur corporis exæſtuatio, cum languore viriumque interdum apud imbecilliores ad lipothymiam uſque dejectione. Præcordia ſtringuntur & pectus angitur, adſunt alta ſuſpiria, anxietates, inquietudines, vigiliæ, vel ſomnus mirum laborioſus & interturbatus. Aeſtus & compunctorius ſenſus in dorſo percipitur, alternante frigoris, horroris & caloris intra cutim affectione, in vola manuum maxime ſenſili. In puerperis lochiorum fluxus retinetur, & lac è mammis reſorbetur ac ſtillare ceſſat. His ſuccedit cutis aſperitas & inſtar anſerinæ corrugatio, exſurgentibus innumeris papulis, ſive albis, ſive rubris, ſive utriuſque ſibi invicem appoſitis, milii ſemen figura & exiguitate referentibus, quæ primum collum, deinde pectus & dorſum, ac poſtea brachia & manus occupant & obſident. Et his ſumma in cute efflorefcentibus, graviora illa ante eruptionem pathemata, inprimis præcordiorum anxietas, cardialgia ſyncoptica, inquietudo, pectoris compreſſio, cum ægra ſpiratione, admodum mitigantur: pulſus, qui antea durior, contractior & celerior erat, nunc mollius, liberius & remiſſius manum vibrat, animo vigor plane depreſſus & dejectus redit, arida cutis madeſcit, & alvus antehac tam duriter compreſſa, ut nec flatibus tranſitus pateret, laxatur, & non ſolum hos, ſed nonnunquam etiam ſtercora, ſponte protrudit.

§. V.

*.. & progreſſus.* Notabilis hæc ſymptomatum remiſſio, ſi in purpura, tam rubra, quam alba, vel utroque ſimul conſpicua, poſt eruptionem conſtanter perdurat, veſiculæ ſenſim ſenſimque explicantur ichore fœtido plenæ, neque ſtationem ſuam deſerunt & retrocedunt, urina quoque magis ſaturata prodit, & ſudor ſingularis & conſueti in exanthematico hoc morbo fœtoris erumpit, ſanguinis etiam per lochia fluxus redit, lac mammas repetit, alvus vel ſponte, vel clyſtere infuſo, aut ſuppoſitorio admoto, fæces vel flatus reddit, & intra ſeptem vel plurium adhuc dierum decurſum, cum inſigni extremorum pruritu, puſtulæ diſparent & æger ſenſim ſenſimque ad ſanitatem redit. Hæc enim omnia ſubindicant, non adeo enormi ægrum detineri imbecillitate, ſed ineſſe adhuc ſolidis partibus motricem

cem energiam motuumque vigorem, neque univerſam ſanguinis & humorum lymphaticorum temperiem deſtructam eſſe; ut adeo, hanc ob cauſſam materia hoſtilis peregrina jugiter & æquabiliter à vitalium humorum conſortio ſeparetur, & ex interioribus ad exteriora ablegetur.

§. VI.

*... malignæ indoles & decurſus.*

Contra, aliter res ſeſe habet in purpura magis maligna, ubi efflorescentiis ſufficienter comparentibus, pulſus ſervat præternaturalem celeritatem, nec ſomnus redit, nec inquietudo ſedatur, nec reſpiratio liberius ſuccedit. Dein quoque ut plurimum nimiæ ſeri per ſudores fiunt profuſiones, qui, ſi ſtatim ſub initium & per totum morbi decurſum copioſius manant, virium colliquationem & cutis quaſi paralyticam reſolutionem ſubindicant. Ejuſdem quoque notæ ſunt urinæ pallidæ, tenues & copioſæ, vel continuus ad mingendum ſtimulus, nec non ſi urina ante coloratior & craſſior reddita, ſubito limpida, tenuis & pallida prodit, ob ſpaſticam renum & viarum urinariarum ſtricturam.

§. VII.

*Qui ulterius oſtenditur.*

Præter hæc infauſto omine perſæpe accidit, ut puſtulæ purpuraceæ modo appareant, modo diſpareant, ipſorumque ſymptomatum atrocia eodem ſemper infeſtet gradu: quæ omnia robur naturæ proſtratum, vires deperditas & magni iſtius nerveo-tendinoſi ac poroſi emunctorii, quo univerſa ſanguinis & humorum maſſa repurgatur, cutis tonum deſtructum eſſe teſtantur, ut ea propter ejus extima nervea ſenſibilior portio, mox ſpaſmo contrahatur & criſpetur, mox rurſus laxetur & explicetur. Longe vero deterioris indicii eſt, ſi materia relapſa interioribus firmius inhæreſcit, omnique ad ſuperficiem corporis expulſioni obſiſtit; quo fit, ut acerbiora reddantur ſymptomata, pectoris cum ſuſpiriis oppreſſio intendatur, virium proſtratio increſcat, præcordiorum cum inquietudine anxietas augeatur, & omnia in pejus ruant; unde etiam omnes qui purpura decedunt, ob eam intro repulſam & inde ortum malorum & pathematum augmentum pereant. Nam licet ante eruptionem purpuræ, materia illam gignens ſit valde malignæ & pernicialis indolis; attamen, ſi ſemel à ſanguinis maſſa ſeparata, & extra vitale conſortium conſtituta fuit, ipſa illa mora, longe deteriorem naturam induit; ſique ad partes vitæ inſervientes, maxime motrices & ſenſu exquiſito præditas, redit, operationes veneni æmulas patrat. Quare, ſicuti in omnibus exanthematibus, ut petechiis, variolis & morbillis, gutta roſacea, ſcabie, tinea capitis, nec non podagra, arthritide &c. materia quædam, vitali corporis conſervationi inimica, ad extrema ſemel propulſa longe vehementiorem efficit ſymptomatum inſultum, ſi interiora repetit & vitalibus ſuccis denuo permiſcetur; ita ejuſdem nocivæ & pernicialis facultatis eſſe receptas in corporis penetralia, purpura diſparente, ſordes, ipſa experientia luculenter teſtatur.

§. VIII.

*Mortis indicium in purpura.*

Funeſtum denique eventum mortemque haud longius abeſſe hæc nunciant: ſi firmiſſime intus obhæreſcente materia deleteria, interiora ardent & extrema rigida ſtrictura detenta, copioſo frigido ſudore perfunduntur; aut ſi viciſſim extrema æſtuant, & in abdomine notabilis refrigerationis ſenſus percipitur: ſi porro tendines ſubſultant, facies comparet Hippocratica, virium defectus creſcit, indignabunda deſperatio animum turbat, arteriæ duriter, inæqualiter & tremulo motu micant. Hæc enim ſi contingunt, ſæpius brevi poſt æger lethali lipothymia ſuccumbit.

§. IX.

*Purpuræ ſymptomaticæ indoles & decurſus.*

Quamvis vero purpura cum, vel ſine febre, ſæpe numero primarius & idiopathicus morbus ſit; non raro tamen, ut ſymptoma, aliis, & maxime continuis febribus, ad exitum vergentibus, non ſine diſcrimine complicatur. Non novum enim, ſed admodum familiare eſt, quod purpura rubra & alba, vel utraque ſimul, variolis, morbillis, ſynochis putridis, ardentibus, petechialibus quoque & petechizantibus aliisque epidemicis in declinatione accedat, & novam febrem cum diris ſymptomatum tormentis inducat: ita ut in vado propemodum poſitis acute febrientibus, mox ex improviſo horror, cum ſumma anguſtia, inquietudine, inſomniis, æſtu & intenſa virium proſtratione oboriatur, purpura demum in ſuperioribus ſparſim effloreſcente; quæ tamen, vires à priori morbo jam fractas penitus extinguendo, ægrum plerumque jugulat. Inprimis ſæpius à nobis obſervatum eſt, purpuram hanc ſymptomaticam funeſtam fuiſſe juvenibus acuta laborantibus iis, qui antehac intemperantius vixerant, largiori & quotidiano potui indulſerant, venereo exercitio vires conſumſerant, & peregrinam humoribus craſin & diatheſin induxerant, nec non ſi ſub ipſius morbi decurſu alvus occluſa, per aliquot dies purgamenta retinuerat, aut inconſulta medicatione, refrigerantia & acidulata, ut julapia & potiones, in nimia oblata fuerant copia. Ceterum, non tantum inclinantibus morbis acutis purpura ſeſe adjungit, ſed ſæpius etiam ab initio & primis diebus purpuracei exanthematis quidpiam, cum aſpredine, in variolis maxime & morbillis, prodit, & rariſſime quidem cum bona & auſpicata morbi ſucceſſione. Siquidem non una aut ſimplici, ſed varii generis excrementitia & exanthematica materia refertam eſſe vitalium humorum maſſam, indicium hoc præbet prorſus indubitatum. Denique etiam catarrhalibus febribus, cum tuſſi & ſpirandi anguſtia, ſubinde in infantibus ſeſe aſſociat purpura, vomitu vel etiam alvi fluxu ſtipata; quam, ſi inclinat morbus, pedum & quandoque abdominis intumeſcentia, cum, vel ſine aridura ſuperiorum partium, excipit, & ipſa, prout in locis montanis ſuperioris ſilvæ Hercyniæ tractus obſervatum eſt, tandem ſudoribus, vel ſponte obortis, vel arte elicitis, ex toto cedit atque abigitur.

§. X.

*Rubra ſæpe fit chronica.*

Licet porro rubra purpura ſemper ab initio cum febrili quadam commotione ingruat, & ſemper veſperaſcente cælo gravius infeſtet; attamen longius procedente tempore, febris cum pulſuum frequentia exſpirat, ſymptomata complacantur, ipſeque morbus benigniorem induit naturam. Quare ſi in principio imprudentiori medicatione excipitur, & corpus valde impurum, ſive cacochymicum offendit, ad plures ſæpe menſes, non quidem ſine inſigni moleſtia & pathematum novo ſubinde recurſu, perſeverat,

verat, neque tamen funeſtum facile ſortitur eventum.

## §. XI.

*Cauſa materialis utriuſque purpuræ generatim indicatur.*

Purpuram ſcorbuti eſſe progeniem, ſupra quidem innuimus; longe tamen clarius hæc euceſcet veritas, ſi utriuſque purpuræ cauſam materialem, quæ pariter ac in ipſo ſcorbuto ſanguinis dyſcraſia nititur, conſideratius perpendimus. Nos autem in illa deſignanda à vero non abludere videmur, ſi dixerimus: purpuram & rubram, à ſero impuro ſalſo, acri, ſulphureo, excrementitio; albam vero & acutam miliarem, à lympha & ſucco nutritio ad acido-vappidam putridam naturam accedente, ſuboriri. Diverſæ enim naturæ & diſcrepantis indolis ambo hi corporis noſtri ſucci ſunt. Videlicet ſerum dicitur, admixtus ille ſanguini humor, qui plurimis ſalinis ac mucidis partibus, per innumera emunctoria & colatoria, tum ſegregandis, tum eliminandis, refertus, conſiſtentiæ tantiſper ſpiſſioris ac varii coloris eſt atque ſaporis. Lympha autem eſt pellucidus, inſipidus & purus liquor, cujus ſubtilior pars fluidi cerebri, medullæ ſpinalis & nervorum, nec non liquoris genitalis materiam præbet; gelatinoſa vero ſolidis omnis generis partibus in nutrimentum cedit, & tenuior aquea per lymphatica vaſa miniſterio valvularum & glandularum conglobatarum, ad fontem purpuræ vitalis, cor, regreditur, ibique cum partibus ſanguinis dulcioribus aëreo-elaſticis rurſus nuptus & quaſi de novo animatus, una cum illo quoquoverſus amandatur, ſuisque inſervit uſibus. Hinc deſciſcentibus his à naturali ſua indole, quilibet illorum peculiarem ſuſcipit corruptionem, ex qua differens poſtmodum morbi emergit genius, diverſa ſymptomatum vehementia, & majus vel minus periculum.

## §. XII.

*1] Cauſa material. purp. albæ ſpecialius oſtenditur.*

Quod vero in purpura alba, lympha acore infecta ſit, plura ſunt, quæ id confirmant. Inprimis redundans in lymphæ & ſanguinis maſſa acidum, ex nimia ſeri ſeceſſione huic morbo ſolenni, & tantum non eſſentiali, dilucide pateſcit. Ea enim acidi vis atque facultas eſt, ut ſanguini inſinuatum, ejus partes craſſiores in coagulum mittat ac ſeri ſeceſſum faciat, quo fit, ut ſudores largiſſimi erumpant, urinæ tenues & copioſæ fluant, vel etiam ſalivationes, aut aquoſæ per alvum dejectiones, oboriantur.

## §. XIII.

*Purpura alba cur puerperis infeſta & plerumque maligna.*

His ſuppoſitis, noſtrum jam erit, ut clarius exponamus, quam ob cauſſam purpura alba maxime puerperis infeſta, & plerumque maligna ſit. Quemadmodum vero in genere omnes ii, qui lymphaticos & aquoſos humores redundantius in corpore alunt, uti ſunt fœminarum plurimæ, acidæ potius patent humorum vappeſcentiæ, quam ſalino-ſulphureæ corruptioni, & hanc ob rationem purpuram potiſſimum albam nanciſcuntur: ita de miliaris hujus febris in puerperis frequentia hanc ex vero interponendam eſſe ſententiam putamus. Scilicet, in gravidarum utero, ſanguinis tam progreſſus, quam regreſſus, ob nimium eo appulſum & vaſorum diſtenſionem, valde languidus, tardus & difficilis eſt; unde ſubſiſtente ibi diutius ſanguine, lymphaticus humor, in vaſa ipſi vehendo dicata, magna copia ſecedit, & in horum diverticulis quaſi incarceratus hærens, ex longiori mora vappeſcit, corrumpitur & acorem contrahit, partibus ſubtilioribus ſpirituoſis, quæ optimæ mixtionis ſunt conſervatrices, avolantibus. Quandocunque igitur enixo fœtu uterus concidit, iterumque coarctatur, neque ſqualidus lymphaticus humor cum ſanguine fæculento effunditur & expurgatur, accedente ordinario tertio puerperii die motu febrili, Germanis, *das Milch-Fieber*, in vaſa majora is reprimitur ipſique cordi infunditur, ex quo, maligni inſtar fermenti, per corpus diffunditur & ſerpit, totamque ſanguinis & lymphæ, tam nutritiæ, quam nervorum, maſſam inficit atque inquinat.

## §. XIV.

*Rubra in puerperis tam maligna non eſt.*

Si vero impuritas & dyſcraſia ſeri & ſanguinis ſalſa acris ſulphurea peccat, ſymptomata non adeo exitialia urgent, ſed efflorefcentiæ magis ſunt chronicæ, facies inflata & coloratior, oculi ſcintillantes, major pruritus, ardor & punctura in cute eſt, neque tanta inquietudo & anxietas ſpirandique anguſtia affligit, & major ſalutis ſpes affulget; niſi demum ipſi alba ſuperveniat, vel rubra in albam mutetur, quod ſæpiuſcule ex malo regimine, vel medicatione perverſa, vel etiam accedentibus gravioribus animi affectibus, contingit, dum ſuperabundans lympha corrumpitur, & tandem ſub ipſa febre & inteſtina calida partium motione, ſpirituoſæ, tenues, ſulphureæ partes avolant, relictis craſſioribus acetoſis vappidis.

## §. XV.

*2] Cauſa materialis purpuræ chronicæ ſpecialius tractatur.*

Ulterius, ſi paullo propius ſpectemus originem & indolem materiæ, quæ purpuram facit minus periculoſam; eandem potiſſimum à partibus ſalino-ſulphureis acribus ſeri, quod non per emunctoria, maxime cutis colatorium, ejicitur, ſed remanet & deteriorem naturam calido motu inteſtino induit, derivandam eſſe cenſemus: idque plures ob rationes. Id enim experientia, optima rerum magiſtra ſubinde docuit, quod chronica purpura maxime eos invadere ſoleat, qui ſanguinis impuri copiam alunt, ut ſcorbuticos, ſenes, fœminas, quæ menſtrui, & viros, qui hæmorrhoidalis fluxus defectu laborant, diæta ſalſa, vinoſa, cereviſiis craſſioribus & tabaci fumo delectantur, & habitu corporis laxiore præditi, vitam agunt motus expertem. Deinde cauſſa mali hujus ut plurimum eſt perſpiratio ſubito cohibita & cum ea repreſſæ ſordes, ſive ab aura frigidiori poros comprimente, ſive à potu nimis refrigerato, aut repentino incuſſo terrore. Nam nota ſunt nobis exempla, quod ingeſta corpori, nimio ſudore diffluenti, frigido intemperantius hauſtu, tandem graviſſimorum ſubſequentium ſymptomatum choragium in eruptionem purpuratam exierit. Novimus etiam plures, qui exæſtuatum prius in lecto, vel ſolis ſub itinere ardore, aut etiam ſicco in caſis ſalariis balneo, corpus auræ frigidiori, ex boreali plaga ſpiranti expoſuerant, eadem tentati ſunt. Et ipſa quoque algida & borealis aëris conſtitutio, diutius regnans & perſpirationis actum ſufflaminans, in cauſſa eſt, quod tam crebro & facile hoc malum recidivet, & inprimis poſt ſolſtitium hiemale frequentius repetat, præſertim menſe Januario ac Februario, & de novo corpus infeſtet. Quanta enim algidæ & ex ſeptentrione ſpirantis auræ facultas ſit, ad excretiones etiam præternaturales per extimum

cor-

corporis corticem ſuccedentes, intercipiendas & reprimendas, notabili admodum exemplo confirmat *Laz.* RIVERIUS *obſ. LIII.* memorans: quod puer afflictus fuerit impetigine, ichoroſam materiam ſudante, ſuccedente vero boreali conſtitutione, ſuppreſſam eſſe fœdam illam materiam, & in pulmonem converſam, aſthma excitaſſe, idque deſiiſſe recurrente conſtitutione auſtrali.

§. XVI.

*Et effectu remediorum confirmatur.*

Nil vero luculentius peccantem ſalino-ſulphuream in purpura minus acuta ſubſtantiam prodit, quam quod medicamenta, quæ ſalium ſpicula involvunt ac temperant, qua virtute ſplendent ſerum lactis, lac caprillum & aſininum, cum aqua Selterana mixtum, nec non decocta temperantia, loco potus ordinarii uſurpata, exoptatiſſimam in purpurea hac labe ſpondeant medelam & utramque in ejus perſanatione abſolvant paginam. Et viciſſim, quod huic purpuræ, licet omnis periculi ſit expers, ſi nimio calore externo, vel internis calefacientibus aut volatilibus pharmacis excipiatur, eodem modo ac ſcabiei, puſtulis ulceroſis & aliis cutis defœdationibus, ex prava & ſalſa acri humorum diatheſi provenientibus, doloris, ardoris & pruritus augmentum accedat, & non raro ſitis ac febris accendantur: eo quod ſalia his acriora reddita, altius ſeſe in cutis fibrillas inſinuant, eaſque lancinant & vellicant.

§. XVII.

*In chronica major peccat ſalina acrimonia, quam in alba.*

Accedit, quod chronicum hoc exanthema longe majori pruritu & ardore ſtipatum atque moleſtum ſit, quam album cum rubro mixtum: id quod certe nonniſi ſalinis & acribus, ſenſibilem cutis ſubſtantiam pungentibus particulis tribui poterit. Eandem porro ſalinam humorum acrimoniam conſpectius arguunt, hæc, quæ multiplici experientia comperta habemus. Videlicet ſæpius obſervavimus, quod aquæ ſalutares dulces, ſalini elementi & purgantis facultatis expertes, ut ſunt noſtræ Lauchſtadienſes, à purpura habituali detentis potæ, inſigniter alvum vacuent, & primis diebus, ſex, vel octo quotidie ſedes moveant, materia ſecedente tam acri, ut anum etiam arrodat, quum elapſis aliquot diebus, gradatim purgans effectus exſpiret, neque ſi inſequenti anno potatio repetatur, alvum dejiciens operatio eandem ſubſequatur. Neque reticendum nobis videtur, quod in purpura contumaci chronica ſcorbutica, poſt uſum lactis vel aquarum mineralium temperatarum, non ſine inſigni emolumento balneum ex aqua dulci pluviali ſuaſerimus; ita ut hoc aliquoties admiſſo, omnis punctura, omnis pruritus, omnis ardor in cute demeretur & efflorescentiæ diſparerent: indubio teſtimonio, contemperata interius humorum acredine, & evocatis per relaxatos in balneo poros, quæ ſub cute obhæreſcebant, acribus recrementis, ipſum morbum abactum eſſe & perſanatum.

§. XVIII.

*Ratio, cur purpura crebro recurrat.*

Nunc vero reddenda erit ratio, quare nullum exanthema ſanatum, tam facile & tam crebro revertatur, quam rubra purpura, ſic dicta ſcorbutica. Duplex autem nobis videtur ſubeſſe cauſſa: tum quod cutis tonus in hoc morbo valde lædatur & deſtruatur, tum etiam, quod purpuræ ſæpius repetentis ſubjectum & ſedes ſint glandulæ conglobatæ. Quemadmodum enim cutis univerſale omnium humorum emunctorium præbet, & ad ſanitatem tuendam uſus eſt longe præſtantiſſimi: ita, maxima etiam certe eſt noxa, quæ vitiata hac officina, in valetudinem redundat. Facile tamen vitium patitur, & plura ſunt, quæ labem ipſi inferre poſſunt. Nam inſtratum hoc corpori integumentum, non ſolum ex filamentis extremitatum nervorum ſenſibilioribus, componitur, ſed etiam ob implantata extrema arteriolarum, ſubtiliorem exhalabilem materiam vehentium oſcula, totum tubuloſum & poris pervium eſt: eaque propter, tam quoad ſuos tubulos & poros, quam quoad ſubſtantiam ſuam, non tantum ſubtiliori dilatationis & conſtrictionis motu ac tono, verum exquiſitiori etiam ſenſu pollet. Hinc quo major cutis eſt ſenſibilitas, eo facilius etiam injuriis affici & vigens in illa motus perverti poteſt. Inprimis ad aëris frigidi borealis, vel auſtralis humidi calidi allapſum, facile alteratur, conſtringitur nempe vel relaxatur, & verum hygrometron microcoſmicum conſtituit. Externæ quoque cauſſæ, quæ lædunt, pungunt, vel ſcindunt, aut acrimonia rodente præditæ ſunt, nec non medicamenta acriora, nimis calefacientia, refrigerantia, pinguia & inviſcantia, naturalem hujus integumenti tonum interpolandi, quin plane ſubvertendi, eximia pollent facultate. Mutato vero hoc & deſtructo, non poteſt non graviter ſimul lædi, ſaluberrima per hujus colatorii oſtiola ſuccedens perſpirationis excretio.

§. XIX.

*Quomodo cutis conformatio læſa conſerat.*

Quod ſi itaque aliquoties compages & conformatio cutis vaſculoſa & fibroſa læſa, & tonus ejuſdem, cujus beneficio materia recrementitia foras per exhalationem dimittitur, bonique ſucci revehuntur, fuerit dirutus: prava utique diſpoſitio & imbecillitas fibrillis inducitur, & firmius inſinuatur, ut deinde quam facile impuri humores eo adducti, rurſus debili huic parti impingantur ibique ſubſiſtant. Et certe quam pertinaciter præternaturalis ejuſmodi ad ſtagnationes diſpoſitio cuti inſidere ſoleat, & quam ægre ſubmoveatur, luculenter teſtatur gutta roſacea, quippe quæ, læſa pariter gravius, copioſo depoſito ichore, & depravata tenera & tubuloſa cutis in facie textura, difficulter ſanationem admittit & funditus exſtirpatur. Quare quum frequentiori purpuræ ad cutim acceſſu, ejus tonus, motus, robur & textura canaliculoſa admodum immutetur & corrumpatur; non mirum eſt, ſi collecta ibi de novo excrementitia materia, idem morbus iterato producatur & purpura effloreſcat.

§. XX.

*Subjecta purpuræ ſunt naturæ ſeroſæ.*

His igitur expoſitis, quæ ad demonſtrandam utriuſque purpuræ cauſam materialem neceſſaria viſa ſunt; proximum jam eſt, ut, quæ remote ad ejus generationem conferunt, explicemus: quod quidem non melius fieri poſſe confido, ac ſi ſubjecta purpuræ conſiderantes ſimul oſtendamus, à quibus cauſis huic morbo fiant obnoxia. Primo autem notari velim loco, quod ii, qui ſero plus abundant, quam ſanguine, ut infantes & fœminæ, quæ ſpongioſum gerunt habitum & temperamentum ſic dictum phlegmaticum obtinent, purpuræ, præſertim diuturnæ, quam maxime ſint obnoxii: ita tamen, ut quo

magis

magis exundantes ferosi hi humores à puritate & blanda ſua natura ac temperata ſcheſi diſcedant & ſorditie conſpurcatæ ſint, eo difficilioris quoque ſanationis, eoque magis ancipitis ſucceſſus morbus exſurgat.

§. XXI.

*Fœminæ ſenſibiliores & quocunque modo debilitatæ.*

Deinde, experientia compertum habemus, imbecillioris maxime & ſenſibilioris naturæ fœminas, nec non quæ vires, ob graves animi ægritudines, inprimis diuturnum mœrorem, attriverunt, vel cum nimis prodigis ſanguinis, ſub abortu aut menſium exceſſu, profluviis effuderunt, vel etiam præcedente quodam diu affligente morbo perdiderunt, purpuræ tam chronicæ, quam acutæ & febri miliari malignæ, eſſe expoſitas. Nam in infirmis & debilibus ejuſmodi corporibus, lymphatici, blandi, nutritivi humores, perquam facile alienam indolem & ſpurcitiem contrahunt; eo quod labefactato ſolidorum robore, lentius progreditur fluidorum curſus, & impedito legitimo ſecretionum & excretionum ſucceſſu, cruditatum & ſordium in corpore ſentina gignitur & coacervatur.

§. XXII.

*Præſertim puerperæ divites ex diætæ vitio.*

Maxime omnium vero puerperis, febris, miliari purpura ſtipata, noſtris potiſſimum in oris familiaris & ſæpius funeſta eſt. Erumpit hæc ipſa tertio plerumque à puerperio die, quo febris lactea prodire ſolet, interdum tamen ſeptimo, quandoque etiam decimo quarto demum die, invadit. Quod ſi igitur hujus ortum & cauſſas perveſtigatius paullo ſcrutari velimus, nullæ prorſus prætermittendæ erunt circumſtantiæ, quo illarum beneficio, ad intimam ejus naturam & veram geneſin pernoſcendam pervenire poſſimus. Jam vero conſtanti & attenta obſervatione in propatulo eſt, fœminas pauperes, ruſticas, minus delicatas, & quæ corpus motu ac laboribus crebrius exercent, in puerperio hac febre non affici: contra divites, teneras, ſedentariæ vitæ, ſomno, luxui & lautiori diætæ deditas, nec non quæ paullo ſenſibilioris naturæ, & in animi ex affectuum intemperantia commotiones proniores ſunt, perquam facile poſt partum in purpuram incidere. Præterea ad veritatem quam maxime accedere videtur, quod lautus & pollucibilis victus, qui rejectis durioribus paullo & ſalitis alimentorum generibus & obſoniis, leves cibos, farinacea, placentas, dulcia, fermenteſcibilia, horæos fructus & nonniſi palato accepta & potulenta admittit, nec non aër minus ſincerus, vappidus multiſque ſordidis & putridis halitibus, ex paludoſis circumjectis ſtagnis in auram evectis, refertus atque corruptus, una cum aquarum impuritate & ſqualore, uti omnium morborum, ita maxime hujus generationi, ejuſque malignitati inducendæ, multum veliſicentur. Et ex his fontibus petenda utique erit ratio, quare apud nos purpuratus hic morbus potiſſimum excluſus ſit Lipſiæ, quæ ſitum depreſſiorem, & ob adjacentium paludum compluvia, aërem minus ſalubrem obtinet, civeſque molliter ac delicate viventes alit: in Anglia vero primum viſus ſit Londini, ubi eadem vivendi ratio invaluit, eademque cœli & aëris conditio regnat. Neque dubium eſt, quin fœminæ, eodem vitæ genere alibi etiam fruentes, & in locis non adeo ſalubribus degentes, frequentem & malignam etiam hanc febrem experiantur.

§. XXIII.

*Gravidæ non multa convenente diæta vitio.*

Obſervavimus porro, gravidas, quæ alvi ſunt adſtrictioris & ſub ſedentario vitæ genere, neque medio geſtationis tempore, neque ultimis menſibus, nimiam vaſorum plenitudinem ſanguinis detractione minuunt, in puerperio conſtitutas, graviter ſemper decumbere, & purpurea hac labe infeſtari. Quemadmodum enim prægnantes fere omnes, ſemper exundantem ſanguinis copiam alunt, & ob canalium diſtenſionem tonique in iis relaxationem, lentius procedente ſanguinis & humorum curſu, parcius quoque facta ſuperfluorum & ſordium per ſecretioni & excretioni dicatas officinas ſeceſſione, ſucceſſive ſuccos contrahunt & colligunt impuros: ita certe, ſi alimentorum minus congruorum uſus accedit, & elementa, ad vires tuendas & valetudinem ſuſtentandam neceſſaria, vitium habent & temerata corpus ſubeunt, longe major corruptela inducitur & imis penetralibus inſinuatur, quæ apertius poſtmodum ſanitatem oppugnat, & lethales nonnunquam morbos parit.

§. XXIV.

*Puerperæ, ſi lochia non rite ſuccedunt.*

Deinde purpura, inprimis miliari ſolenniter tentantur puerperæ, ſi primis à partu diebus lochiorum fluxus non rite ſuccedit, ſed vel prorſus deficit & cohibetur, vel parcius manat, vel juſto citius deſinit, vel plane terrore, aut admiſſo liberius frigore, protinus ſiſtitur atque ſupprimitur. Nam in gravidis, ob ſanguinis & humorum redundantiam, uteri vaſculoſa valde & celluloſa compages mirifice expanditur, & facta congeſtione, oppletur, ut ſanguis tardius & difficilius ibi circumagatur, neque penitus in alimoniam fœtus abſumtus, in vaſis uterinis ſtagnet, craſſus & fœculentus evadat, donec tandem excluſo partu, vaſis, quibus utero adhæret placenta, lochiorum fluxu cruor effundatur & evacuetur. Quod ſi itaque vel ex ipſius ſanguinis vitio, vel vigoris naturæ defectu, corruptus hic cruor non ſufficienter expurgatur, ſed inverſo motu, in vaſa majora & nobiliora viſcera, cor, pulmones & cerebrum tranſit ac reſorbetur; neutiquam certe mirum eſt, ſi inde febres cum magna ſeri impuritate & corruptione, qualis noſtra eſt, ſtipatæ, oboriantur, aliaque graviſſima illis complicata pathemata ſuſcitentur.

§. XXV.

*Generatim fœminæ magis quam viri, ob uterum.*

Conſtantis præterea in praxi medica obſervationis eſt, fœminas longe gravius & frequentius laborare purpura tum chronica tum acuta, quam viros, propter menſium negotium. Jure enim uterus potiſſimus hujus mali fons dici meretur, qui DEMOCRITO teſte, *ep. de nat. hum. ad Hippocrat.* mille ærumnarum mulieri auctor eſt: illudque rariſſime fœminis accidit, ſi menſtruus ſanguinis fluxus ad calculum, ſufficienti quantitate expeditur, & per legitimum tempus durat; ſin vero minus, frequentiſſime eodem afficiuntur. Hinc attenta etiam experientia patet, diutius cum eodem conflictari, quæ ob provectiorem ætatem, aut alias ob cauſſas, menſium plane non experiuntur profluvium. Quin imo, ſi in junioribus tributum hoc lunare male ad calculum, aut parcius ſolvitur, accedentibus præſertim aliis cauſſis, purpura plerumque latitat, quæ demum ſub variorum ſymptomatum choragio in conſpectum venit.

## §. XXVI.

*Fœminæ fluore albo laborantes.*

Neque ſemel, ſed multoties certe, experientia edocti ſumus, mulieres, fluore albo obnoxias, hoc parcius ſtillante, vel per imprudentes medicationes compreſſo & cohibito, purpura fuiſſe correptas, eaque curata, fluxum ex pudoris ſinu repetiiſſe, ſuccedente, ipſo ſublato, rurſus purpura. Ut adeo vel ex hiſce dilucide pateſcat, exanthematicum hunc morbum lymphæ eſſe progeniem, neque mirum ſit, quod noſtro ævo, quo hic fluor fœminis longe familiarior, quam antea eſt, purpura quoque frequentius eaſdem attentet.

## §. XXVII.

*Corpora, quæ ſanguinis abundantiam & defectum, vel animi affectus habent.*

Et quamvis immodica ſanguinis redundantia, in iis, quibus per menſium, vel hæmorrhoidum fluxum eadem non diminuitur, neque per conſuetas ſanguinis miſſiones exantlatur, ad generationem, chronicæ præſertim purpuræ, multum conferat: attamen enata etiam ex boni ſanguinis penuria copioſi ſeri impuritas, ad producendam eandem plurimum omnino valet. Id profecto crebriori obſervatu compertum habemus, quod ab inconſulta & immoderata ſanguinis per venam ſectam detractione, vel largiſſima ejus cum abortu profuſione, interveniente præſertim gravi terroris aut iræ affectu, extremorum refrigerationes, animi deliquia, ventriculi cum anxietate inflationes, pectoris oppreſſio & alternativus frigoris & æſtus in cortice corporis ſenſus, fuerint ſuborta, quæ comparente tertio vel quarto poſt die purpureo exanthemate, iterum conquievere & mitigata ſunt. Nihil enim tonum, vim & robur ſolidis partibus æque ſuffuratur & adimit, nihil tam promte fluidis, jam tum impuris, virulentam naturam inducit & ingenerat, quam animi turbæ, inprimis diuturnus angor & longius extracta mœſtitia. Quare, ſi utero gerentes, vel hyſtericis pathematibus afflictæ, aut menſtrui fluxus irregulari ſucceſſu laborantes, enormi afficiuntur triſtitia, haud fallax purpuræ, in puerperio deterioris futuræ indicium, inde poterit deſumi. Imo, benignioris & mitioris ingenii purpura, in corpore imbecilliori & animi affectibus crebrius perculſo, perquam facile malignitatem induit ſummamque intentat perniciem. Quid? quod plurimis exemplis confirmatum aſſerimus, viros ſedentariæ vitæ nimium addictos & literarum ſtudiis intemperantius invigilantes, accedente tantum pertinaciori animi mœrore, purpuram contraxiſſe & per diuturnum tempus cum eodem eſſe conflictatos.

## §. XXVIII.

*Et intemperato aëre fruuntur; unde purpura datur epidemica.*

Accedit temerata aëris, cujus uſura homo continuo eget, nec non inordinata tempeſtatum conſtitutio, quæ omnino ad hujus mali generationem multum confert. Nam ſicuti fluidi iſtius catholici, aëreo-ætherei magna vis atque poteſtas, ad fluidiſſimi nervorum ac membranarum ſucci omniumque humorum ſcheſin ac craſin pervertendam, mira etiam ad tonum cutis & ſaluberrimam perſpirationis excretionem modificandam & alterandam, facultas eſt: ita, quod ex illius impuritate epidemice graſſantes progignantur morbi, & ipſa quoque purpura, plus vel minus maligna exſurgat, non eſt quod dubitemus. Plures jam elapſi ſunt anni, quum Saxoniam inferiorem purpura epidemice pervagaretur, & cum catarrhali febre juncta, infantes maxime infeſtaret, quæ originem fuerat ſortita ex antecedente diuturna nebuloſa & pluvioſa temporum conditione, quam frigidior ex orientali & boreali plaga ſpirans aura exceperat: prout pluribus memoratur in docta Boettigeri *de purpura rubra epidemica*, Helmſtadii habita diſſertatione. Simili ratione M. N. C. *Dec. I. An. VI. pag.* 145. fidem faciunt, quod inſequente mollem & nimboſam hiemem vere, purpura maligna exorta, per totam æſtatem populares habuerit circuitus, & infantibus maxime ſolennis fuerit atque funeſta. Aëris quoque minus puri & variis alienis, activæ indolis exhalationibus referti conſtitutio in cauſſa eſt, quod nonnulla præ aliis loca hunc morbum facilius & generent & pertinacius foveant. Sic plurima animo obverſantur exempla eorum, qui, purpura in noſtra hac urbe correpti, & in loca alia ſalubriora profecti, ſanitatem recuperarunt; ſimul ac vero huc redierunt, & aliquandiu hic commorati ſunt, in priorem morbum reciderunt. Hinc etiam præcipua ducenda videtur ratio, quare menſes Martius & Aprilis, catarrhalibus, exanthematicis & purpuraceis febribus proferendis tantopere faveant; ſiquidem decurrentibus his, cœlum plerumque gravius, aſperum & mutabile incumbit, & atmoſphæra tetris, è compluviis à nive diſcuſſa elevatis exhalationibus, inquinata eſt atque oppleta.

## §. XXIX.

*Purpura cur demum ante aliquot luſtra prodierit?*

Hactenus purpuræ ſubjecta & cauſas perpendimus potiſſimas, quæ, in chronica præſertim, cum cauſis ſcorbutum ingenerantibus admodum conveniunt. Peccat enim ſimiliter in ſcorbuto ſanguinis dyſcraſia acris, ſalſa, ſulphurea, tantum quod in purpura magis ſit exaltata & ſubtilior reddita: conferunt ad ejus generationem habitus corporis laxior, diuturnæ animi ægritudines, atque naturales ſe-& excretiones impeditæ; conferunt aëris intemperies vappida, loca humida & decliviora, cibi incongrui, duri, ſanguinisque tum defectus tum redundantia, & hujus generis alia. Quæ vero quum ita ſint, hic difficilis oritur quæſtio, cur purpura, præſentibus omnibus, quæ ad ejus generationem faciunt cauſis, ante aliquot demum luſtra producta ſit. In qua quidem re tam perplexa decidenda aperte fateor: communis mali, communem etiam eſſe cauſſam. Jam vero in ſuperioribus latius deduximus, in purpura chronica peccare maxime impuri ſalſi, excrementitii ſeri, in miliari lymphæ putridæ, vappidæ, acidæ copiam, & hanc materiam tam acidam, quam acrem ſalinam, in ſanguine contentam, motu inteſtino calido longe pejorem indolem nanciſci, ut partes nervoſas gravius lædat, ſollicitet, ac tandem cum gravibus ſymptomatibus febris expulſiva gignatur. Neceſſarium igitur eſt, ut oculos circumferamus, num in diæta, & victu, qui humoribus vitalibus tam materiam, quam temperiem ac intemperiem ſuppeditat, quidpiam in plurimis Germaniæ locis admiſſum ſit, quod ante quadraginta, & quod excurrit, annos ignotum fuit. Id vero, ut aperte loquamur, eſt ille fere univerſalis uſus, ſeu potius abuſus potuum calidorum, inque primis exotici coffee. Adeo enim in patria noſtra hujus potus uſus invaluit, ut quaſi coffee-mania ubivis ferme regnare videatur, quum præſertim fœminæ, nobilioris æque ac vilioris ſortis, quotidianũ illum habeant, & non ſolum mane, ſed etiam poſt meridiem, domi & foris convenientes, eundem cupide ſorbillent, quin inurbanum reputent, inviſentes

hac

hac potione non ad ſaturitatem uſque expletas dimittere. Et annotamus certe, quod ex eo tempore, quo ſorbitio hujus potus adeo in conſuetudinem abiit, nec non iis in locis, ubi frequentiores ejus uſus eſt, plus etiam purpura regnarit & increverit.

§. XXX.

*Objectio rejicitur.* Verum enim vero, licet hæc obſervatio experientiæ ſuffragio adeo ſubnixa ſit, ut in dubium vocari nequeat; aſſerti tamen noſtri veritatem tantiſper labefactare videtur: quod in regionibus Aſiaticis, præcalidis, tritiſſimi & pervulgati uſus ſit hic potus, purpureo tamen morbo ibi locorum plane ſilente. Sed ſpecioſa hæc prima fronte objectio facillime dilui poterit, ſi quis curatius perpendet, longe aliam his in locis eſſe victus rationem, quam in noſtris oris, eorumque incolas neque cibis craſſioribus & durioribus, neque ſalitis uti, cœlum quoque multo eſſe tractabilius & calidius & tranſpirationem copioſius & expeditius ſuccedere, neque, quod maximum eſt, inquinamentum ſcorbuticum corporibus inſidere, ſed ignotam prorſus ibi eſſe hanc luem. Scorbuticam enim impuram humorum diatheſin, inter cauſſas purpuræ geneſi miniſtrantes connumerandam eſſe, vel exinde dilucefcit, quod iis in locis, ubi ſcorbutus familiaris eſt, ut in Anglia, Belgio, Suecia, & noſtris quoque regionibus, purpura vigeat, & hinc etiam purpura ſcorbutica habitualis dicatur. Quin imo notatu perquam dignum eſt, quod ubi jam graſſatur purpura chronica & incolas affligit, dolores illi ſcorbutici lancinantes artuum, ulcera cacoethea, putridæ & ſanguinolentæ gingivæ, maculæque latæ & cæruleæ, quæ omnia & ſingula propria & eſſentialia ſcorbuti ſunt ſymptomata, rarius, vel non in tanta frequentia & ſævitia amplius obſerventur, uti pluribus infra docebimus.

§. XXXI.

*Quomodo ad purpuræ geneſin conferant excretiones alvi inhibitæ.* Quemadmodum itaque hæc, quæ in aliis plagis & climatibus, nec non ſub alio plane vitæ genere & corporum conſtitutione, contingunt, ad noſtrates nullo modo transferri & accommodari queunt: ita certe longe clarius hæc omnia patebunt, ſi ipſum generationis modum, ex hoc fonte derivatum, exponemus. Notiſſimum autem eſt, quod omnis generis impuritates excrementitiæ, ex univerſa ſanguinis & humorum maſſa, inprimis bilioſæ, latices fermenteſcibiles ſalivalis naturæ, ex glandulis pancreaticis duodeni & inteſtinorum, ſtillantes, nec non humores mucidi, in inteſtinis maxime craſſis a ſanguine ſecreti, ad inteſtina prolabantur. Conſtat porro, quod in anfractuoſo hoc canali fœculentiæ, ex edulis varii ſæpe generis, incongruis acidis, fermenteſcibilibus, ſemi corruptis, è mari deſumtis, confluant & concurrant, & quod denique hæc omnia commixta & collecta, ut purgamenta, per ani ſeceſſum exturbari, neque rurſus humoribus vitalibus, tanquam plane incongrua & infeſta commiſceri debeant. Quæcunque igitur hanc recrementitiarum & valde perniciaſium ſordium per alvum excretionem impediunt, & ut hæc rurſus ſanguinis maſſam ſubeant, efficiunt; omni procul dubio ad ingentem ſanguini impuritatem inducendam faciunt, invehendo ipſi ejuſmodi potiſſimum ſordes, quæ ad cutis emunctorium una cum illo propelli quidem, non tamen ut ſudoris materia prompte diſſlari poſſunt, ſed ob acrem indolem ſenſibilem hanc officinam deſtruunt, ibique obhæreſcentes, maculas ſive puſtulas protrudunt. Etenim quotidianæ obſervationis eſt, quod in cachecticis & ſcorbuticis, ſi alvus adſtringitur, puſtulæ, gutta roſacea & ulceroſæ cutis defœdationes oboriantur: nec non, quod alvina excretione in ardentibus & acutis febribus ſuppreſſa, purpura ſequatur; quum contra, qui in harum declinatione criticum alvi fluxum experiuntur, exitiali hoc exanthemate non corripiantur.

§. XXXII.

*Quomodo [illegible] prima [illegible] fu.* Jam vero, ſi ulterius rationes ſubducimus, multiplici pariter conſtat experientia, omnem calide aſſumtum potum, thee æque ac coffee, in pleriſque alvum, dum tranſpirationem auget & ſudorem pellit, ſupprimere: quin imo nimias alvi dejectiones ſudoriferis, cum regimine accommodo datis, & potu calido infuſi cujuſdam, compeſci. Hinc, ſi illi, qui in prima corporis regione magnam impuritatum & cruditatum alvo ejiciendarum ſentinam gerunt, & frequentius ac largius potibus calidis herbæ thee & coffee utuntur, haud mirum eſt, quod ſordes bilioſæ ſalino-ſulphureæ, calore plus attenuatæ, & de novo aqueo humore ſolutæ, per vaſa lactea & lymphatica, quæ paſſim etiam craſſis inteſtinis implantantur, ad maſſam humorum vitalium redeant, & pejore ob moram & commixtionem indole imbuta, nec non facultate nocendi aucta, peregrinam & valde pernicioſam intemperiem omnibus humoribus inducant & latius diffundant; niſi in corpore perſpirabili, veſtibus probe tecto & ſub aëre temperate calido, per poroſum & tubuloſum cutis cribrum ſtatim ſufficienti exhalatione diſpellantur & abigantur. Ex quo certum id elicimus conſectarium, quod omnibus, ſive ſequioris, ſive nobilioris ſexus, quibus ſub potu infuſorum calidorum, præſertim coffee, alvus non ſolvitur, ſed obſtipatur, cutis etiam ob varias cauſſas ſordes non emittit, is non tantum ſit noxius, ſed maxime etiam diſponat ad geneſin purpuræ, præſertim ſi jam prava humorum & ſcorbutica adſit diatheſis, vel etiam affectus animi, inprimis diuturnus mœror, & iracundia, quæ ſordium bilioſarum in primis viis accumulationi inprimis favet, accedant. Ex adverſo calidus hic potus plane innoxius, imo ſalutaris eſt iis, quibus alvum fluidam & mollem reddit, & qui corpus ad perſpirationem obtinent diſpoſitum. Ac in his ad varii generis impuritates collectas, foras ejiciendas, ſymbolum ſuum utique confert.

§. XXXIII.

*Quod clarius demonſtratur.* Tacemus jam, ipſas fabas coffee, ſub alio cœlo & in alio ſolo prognatas, etiam peregrini quidpiam, & quod naturali temperiei ac mixtioni blandæ in noſtris oris non adeo accommodum eſt, cuſtodire, & ſub aduſtione, præſertim ſi more apud pleroſque recepto fortius inſtituitur, ſalini volatilis & ſulphuris empyreumatici aliquid ſuſcipere, quod nervoſarum partium tono ac motui eſt inimicum, quo fit, ut in quibusdam tremorem manuum & anxietatem pariat: idque eo magis, quando largiori fabarum nimis uſtarum portione aqua non imbuitur, ſed prope inſpiſſatur. Prætermittimus etiam, multum ſacchari cum hoc potu aſſumi, quod in inteſtinis obhæreſcens, neque mox per ani ſeceſſum ejectum, fermenteſcit & cruditates mucidas acidas auget. Id potius ex omnibus his collective ſumtis clariſſi-

me eluceſcere ſperamus, neutiquam eſſe mirandum, quod ſub inconſueto alias, jam vero communi abuſu frequentiſſime aſſumti potus coffee, ipſa naturalis & nativa mixtio & craſis partium ſanguinem conſtituentium multum immutetur, & nova plane ac alia ingignatur, qua cum ſanguine in utero materno in infantes transfuſa, ipſius purpurati morbi ſemina & ad illum diſpoſitio, jam latius propagentur & diſpergantur.

## §. XXXIV.

*Cauſa, qua tame potum coffeé conſuluerint, ut Lipſiæ purpura proruerit.*

Et quamvis allatæ à nobis ſententiæ, de luis purpureæ origine, refragari videatur, quod teſte Welschio *diſſert. de purpura Lipſ.* jam ante ſexaginta annos hic morbus Lipſiæ innotuerit, quo tempore potus theé & coffeé ignotus adhuc fuit & inuſitatus: eadem tamen neutiquam exinde evertitur, quum aſſeramus, potus calidos, inque primis ſabarum coffeé, non tam materialiter, quam potius formaliter ad geneſin purpuræ concurrere, dum videlicet ob crebriorem ex ipſis confecti & calide aſſumti potus uſum, impuritates primarum viarum, alvo adſtrictiore reddita, ipſi ſanguini inſinuantur. Deinceps, ſi paullo curatius victum, diætam & regimen, quibus fœminis gravidis & puerperis, Lipſiæ degentibus, illo quo purpura exorta eſt tempore, uti moris fuit: omnia ita comparata fuiſſe luculenter patet, ut morbus hic optimo jure inde deduci poſſit. Noto enim notius eſt, quod tamen citra injuriam florentiſſimæ & inclutæ hujus urbis incolarum dictum volumus & intellectum, fœminas eam inhabitantes, voluptatibus admodum obſequi, deſidioſam agere vitam, ſomno longius indulgere, & quotidie fere dulcibus, horæis, farinaceis, cum butyro & ſaccharo frixis, cibis uti, alvi eſſe adſtrictioris & copioſas ſub ingravidatione colligere impuritates, eamque ob cauſſam fluore etiam albo frequentiſſime divexari. Peſſima præterea conſuetudine receptum tum erat, ut puerperas non ſolum arctius lecto adſtringerent, ſed etiam conclavibus calidis macerarent, primisque puerperii diebus juſcula & potum nonniſi fervida iis exhiberent, neque tamen alvum, per multos dies adſtrictam, clyſtere, vel laxante ſolvere, neque etiam lochiis ſubſiſtentibus ſanguinem evocare auderent. Et certe, ſi quis hæc omnia probe expendet & conferet cum iis, quæ in ſuperioribus fuſius exſequuti ſumus, habebit utique cauſſam, quare in hac urbe ante uſum potus coffeé, hoc exanthematum genus fuerit excluſum. Id quod experientia etiam poſtmodum luculenter confirmavit. Poſtea quam enim nocumenta dedere documenta, & abrogato æſtuoſo puerperarum regimine, laxantia & venæ ſectiones admittunt, longe minor ibi eſt hujus exanthematis proventus, minus ejus periculum, minorque inter puerperas ſtrages. Quamvis igitur potus coffeé non incuſari poſſit, quod Lipſiæ purpuram genuerit: id tamen nullo poterit negari modo, quod per aliquot annorum decurſum, hujus tantum urbis pomœriis incluſus fuerit morbus, & introducto potus coffeé uſu, demum alibi exortus, ita, ut quo magis ille in conſuetudinem abiret, & pluribus locis inveheretur, eo majora quoque incrementa hic ſumeret & latiſſime ſe diffunderet: quinimo, quod ſingulare plane & antea non animadverſum eſt, plerumque acutis ſeſe aſſociaret febribus.

## §. XXXV.

*Exemplum de purpura ſcorbutum excipiente poſt uſum coffee.*

Satis itaque arbitror me demonſtraſſe, qua ratione calidi potus ad purpuræ geneſin, ſeu ſcorbuti in purpuram converſionem fecerint. Toti autem negotio ſingularem accendet lucem, quæ ſequitur obſervatio. Hæc noſtra civitas Hala tam ob ſitum, quem obtinet, decliviorem & aquarum præterlabentium, ex parte ſtagnantium, effluvia, quam potiſſimum ob ſalinas, ingentem continuo copiam vaporum aqueorum emittentes, humida circumdatur atmoſphæra; unde è longinquo adſpicienti ſe tota repræſentat nebuloſa. Et hinc cauſa videtur deducenda, cur à remotiſſimis jam temporibus ſcorbuticum malum hic tam altas egerit radices, ita ut cives arthritide vaga, quam ſcorbuticam dicunt, doloribus colicis, tumoribus & maculis ſcorbuticis, aliiſque ſcorbuto propriis ſymptomatibus, quales præcipue varii gingivarum affectus eſſe ſolent, frequentiſſime laboraverint. Didici hæc partim adhuc juvenis à beate defuncto D. Parente meo, partim ab aliis medicis, morborum curationi hic loci vacantibus, qui vix ullum præſcripſerunt medicamentum, quod non unum alterumve ingrediens ſcorbuto oppoſitum receperit; imo ego ipſe poſtea in ægrotos, qui ſe curæ meæ tradiderunt, ſæpe incidi, ubi propter ſcorbuticam humorum diatheſin antiſcorbuticis pugnare neceſſe fuit, atque hæc in curando prope omne abſolverunt punctum. Quamprimum vero civium plurimi calidiores potus in deliciis habere, & præſertim Caffemania laborare cœperunt, ſenſim paullatimque, ſcorbuto diſparente, purpura tam maligna, quam benigna chronica hinc inde apparuit, & inter initia, ubi veram hujus morbi indolem pauciſſimi intelligebant, ingentem edidit ſtragem. Neque vero hoc loco ſolum talia contigiſſe memini, ſed poſthæc etiam Oſtfriſiæ, aliiſque regionibus, ſcorbuto olim infeſtatis ſimilia ab eadem cauſa eveniſſe comperi: ut adeo de ſcorbuto, purpuræ origine minus dubitandum ſit.

## §. XXXVI.

*Purpura loco ſcorbuti proventus pendet à peculiari diæta.*

Præterea, hodie ad crebriorem purpuræ loco ſcorbuti proventum præcipue ſuum confert ſymbolum peculiaris vivendi ratio, ſive talis ciborum ſelectus, quo majores noſtri vel prorſus non, vel moderatius tantum uſi fuerunt. Noſtra enim ætate, ubi proh! dolor hominum plurimi deſidiæ laſciviæque dediti nihil fere aliud cogitant, nihil agunt, niſi ut gulæ blandiantur, quotidie nova ciborum genera artificioſe excogitantur. Imo vero, ne iis quidem ſunt contenti, quæ fertiliſſimum patriæ ſolum ſuppeditat, ſed ad illa maxime ſtulta cupiditate feruntur, quæ extimæ Indorum oræ & famoſa naufragiis maria ad nos mittunt. Equidem ſuas cuique delicias libenter largior, neque cibos exoticos rejicere audeo; ſed id tantum ceu noxium reprehendo, quod plerique cibi hodie ſubacidi leniterque pungentis eſſe debeant ſaporis, & ideo multo ſale, multisque aromatibus, allio, cepis, pipere & fungorum generibus præparentur. Sic enim parata alimenta, ſuavem linguæ acrimoniam imprimendo, efficiunt, ut comedentes partim ultra ſatietatem iiſdem ſe repleant, indeque magnam crudorum humorum copiam, non ſecus ac ſcorbutici à craſſioribus cibis, colligant, partim majorem ſanguinis effervescentiam ſibi contrahant, quæ largiori partium ſalino-ſulphurearum

rum

rum generationi admodum patrocinatur, ut dein perfacile, concurrentibus aliis cauſis, purpura excludatur. Accedit adhuc, quod hodierno ævo frequentior ſit vinorum ſpirituoſorum, quam antea, potus, qui adeo invaluit, ut parum ſuperſit, quin apud nonnullos tota ſanguinis maſſa in vinum convertatur.

§. XXXVII.

*... & abuſu pilularum aloeticarum.* Atque huic nimiæ in cibo & potu luxuriæ tribuendum eſt, quod hodie variæ ſanguinis profuſiones valde ſint familiares, & inprimis hæmorrhoidalis fluxus jam pluribus contingat: quare nonnulli medicorum ſeducti, omnium morborum chronicorum originem, in fœminis à menſibus non rite fluentibus, in viris ab hæmorrhoidibus impeditis, deducendam eſſe autumant, ideoque, ſi tales morbi ingruunt, ad ſalutares has excretiones promovendas & in ordinem redigendas omnem curandi methodum dirigunt, ac præſertim pilulas ad exemplar Becherianarum concinnatas, quas aloe, licet in refracta doſi ingreditur, frequentius, imo alternis diebus propinant. At vero, ut taceam, hancce hypotheſin veritati minus eſſe conſentaneam, ego certe adſerere non dubito, quod crebrior harum pilularum uſus, qui ſub aliis circumſtantiis alioque tempore valde ſecurus eſt, ad purpuræ geneſin in nonnullis permultum conferat. Quod ſi enim ad ſanguinis, præſertim per hæmorrhoides, excretionem nulla à natura eſt propenſio; non poteſt non fieri, ut inde maſſa ſanguinea valde exagitetur, commoveatur, &, aucto inteſtino motu, major particularum ſalinoſulphurearum copia extricetur, quæ purpuræ cauſam ſuppeditat materialem. Brevi, jam omnia adſunt momenta, quæ contentas in ſanguine partes ſalinas & ſulphureas accumulant, acriores reddunt, & altius in cutis fibrillas adigunt: unde non mirum, quod ſalinus ille morbus ſcorbutus, mutata indole ſua, in alienum plane morbum, qualis purpura eſt, degeneraverit.

§. XXXVIII.

*Prognoſis purpuræ chronicæ.* Prognoſtica utriuſque purpuræ jam ſupra, ubi integra morbi hiſtoria ſuppeditata fuit, intermiſcuimus, placet tamen ſpeciatim de purpura chronica pauca ſubjungere. Hæc autem, quia febre non ſtipatur, niſi plane præpoſtera medicatione corrumpatur, periculum non intentat: moleſtiſſimum tamen malum eſt, renitens, difficilis ſanationis, & quod mire torquere & fatigare ſolet & medicos & ægros. Si enim minera purpuræ fixam in partibus ſolidis imiſque penetralibus collocavit ſedem, non facile corpus deſerit, ſed intus remanens, nec ad habitum corporis propulſa, graves ingignit afflictiones. Si vero nimis impetuoſe expellitur, ſæva rurſus imminent mala. Id autem maxime accidit iis, qui imbecillum genus nervoſum obtinent, & in ſpaſticas ſtricturas, quibus ſanguinis & humorum æquabilis curſus impeditur, proni ſunt; quo fit, ut ſanguis impurus abundans, modo ad caput, modo ad pectus, modo in articulos, impetuoſe, nec minus periculoſe congeratur, & ſævorum pathematum ſcena adornetur. Quod ſi enim ad caput impetus vergit, cephalalgiæ, aurium tinnitus, memoriæ debilitas, aphonia, imo quandoque furores, inſaniæ, inſultus apoplectici & lethargus ab intus retenta materia purpuracea oboriuntur. Si ad pulmonum & ſenſibiles diaphragmatis membranas fertur, aſthmata ſequuntur ſpaſmodica, nec non punctorii & lancinantes in pectore dolores. Si ventriculi membranis incumbit, ſummæ anxietates præcordiorum & cardialgiæ exſurgunt. Si inteſtina occupat, tormina & inflationes hypochondriorum cum moleſtiſſimo ardoris ſenſu affligunt. Si ad artus diffunditur, ſævis iidem tractionibus & lancinationibus corripiuntur. Et ſi denique maligna materia tendinea & nervea oſſis coxendicis ligamenta obſidet, malum excluditur iſchiadicum. Hæc autem omnia, ſæviſſima licet ſymptomata, vehementiam ſuam ponunt & infeſtare ceſſant, ſimul ac materia acris cauſtica ad habitum corporis propulſa iterum fuerit & ablegata.

*METHODUS MEDENDI.*

§. I.

Quod ad præſervationem attinet, nihil certe utilitius & præſtabilius in purpura, tam chronica, quam acuta miliari, ad declinandum ejus recurſum nobis innotuit, quam primo ex fonte diætetico abſtinentia ab omni cereviſiarum genere, quippe quæ, plane non accommodæ ſunt huic morbo. Nulla enim ex illarum cenſu eſt, quæ, ſi vetus, acorem non contrahat & nimis ſpirituoſa fiat, vel ſi recens, fœculenta non ſit, & fermentativa, vel etiam, quæ non craſſiores & mucidas nutritivas partes vehat: omnia tamen hæc & ſingula, minus apta ſunt, quin officiant, obtinendæ ſanguinis & lymphæ depurationi, in qua omnis & præſervationis & curationis cardo vertitur. Hinc calidis & æſtivis temporibus, temperatarum acidularum, ut Selteranarum & Wildungenſium, cum pauxillo vini remixtarum, uſum ſuaſimus. Brumali vero tempore, nec non iis, quibus aquas ejuſmodi medicatas comparare non fuit integrum, imperavimus, ut vel puram aquam fontanam biberent, vel decocta conficerent, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ & cichorii, raſura cornu cervi & hordeo mundo, addito pauxillo ſeminis fœniculi, ſumendo ad aquæ menſuram dimidiam ſpecierum unciam, iiſdemque potus ordinarii vice uterentur, ac ſi ſors ferret, interdum vinum adderent. Nonnullis tamen etiam propter conſuetudinem cereviſiam tenuem & bene defœcatam conceſſimus. *Præſervatio requirit 1] convenientem potum.*

§. II.

Deinde, in purpura chronica injunximus motum corporis per inſtituta itinera & mutationem aëris, ex locis depreſſioribus in excelſiora commeando, animi oblectationem & tranquillitatem, abactis curis & omiſſis profundis cogitationibus ac meditationibus. Porro ſerio interdiximus omnia ea, quæ alvum adſtringunt, quæ tranſpirationem ſufflaminant, & nimium ſanguinis ingenerant, reprobato ſimul largo carnium, inprimis ſuillæ, eſu, & prohibitis cibis largiter aromatiſatis & piperatis, noſtris, *Speiſen von hohen* gout. Denique, ut æſtivis menſibus cura ex mero lacte aſinino, vel ſero lactis bubuli & caprilli inſtitueretur juſſimus, aut per menſem, vel ſex hebdomades, Selteranæ, cum tripla parte lactis bubuli, vel caprilli remixtæ, in peregrino loco, interpoſito ex dulci, vel noſtri Lauchſtadienſis fontis aqua, balneo, potarentur, idque ſi altius radices malum egiſſet, per *2] motum corporis & convenientem victus rationem. 3] curam cum lacte & aquis mineralibus.*

per triennium repeteretur. Viris etiam quibuſdam habitioribus uſum Sedlicenſis aquæ præcepimus, ex cujus non adeo liberali doſi ſeptem vel octo diebus vernali & autumnali tempore admiſſo potu, minera morbi per alvum exturbata eſt. Multis quoque chronica, ſcorbutica, & habituali purpura detentis, ut aquam Lauchſtadienſem biberent mandavimus, qua, ut ſupra meminimus, ſordes affatim evacuatæ ſunt, continuato tamdiu ejus potu, donec alvinæ dejectiones ceſſarent.

## §. III.

*4] qua in ordinem redigunt fluxum menſium.*

Quum vero purpura chronica, qua fœminæ ſubinde contumacius laborant, in vitio uteri & inordinato menſium ſucceſſu fundamentum habeat repoſitum, ut ille in ordinem rediret, præcipua etiam noſtra fuit intentio. Suaſimus hunc in finem, præter ea, quæ jam dicta ſunt, pulveres rhabarbarinos, & elixir noſtrum viſcerale quotidie una cum pediluviis, aliquot ante eruptionem dies adhibendis. Si vero ſpaſticæ, ut plerumque fieri ſolet, ſuberant ſtricturæ, & inflatione ventriculi, anxietatibus præcordiorum, doloribus dorſi &c. ſe prodebant, antiſpaſmodicis uſi fuimus, quibus annumeramus pulverem Marchionis cum tantillo nitri, & cinnabaris, & grano uno, vel altero caſtorei & extracti croci remixtum, nec non liquorem anodynum mineralem, eſſentiæ croci, caſtorei & liquori bezoardico nuptum, adornato ſimul ex aqua dulci & lacte balneo. Ad ipſum denique menſium fluxum eliciendum, propinavimus eſſentiam ſuccini minus ſpirituoſam, cum liquore alcalino extractam, & ſic etiam hoc ſuſtulimus vitium. Porro, ad præſervationem purpuræ chronicæ, in viris plethoricis & fluxu hæmorrhoidali non affectis, ſcarificationes & venarum inciſiones, ad imminuendam nimiam ſanguinis & humorum copiam multum faciunt, nec non iterata alvi apertio; quæ commodiſſime procurari poterit manna ſoluta, utpote quæ omnibus ex ſalſa acrimonia morbis obortis dicata eſt, addito ſimul ſtimulo ſalino, cujus generis eſt terra foliata tartari. Novimus etiam, quod ſæpiſſime nocturnos ſudores, quibus in purpuram proclives mirifice torquebantur, feliciter diſcuſſerimus crebriori alvi ſolutione, clementiorum laxantium, ut paſſularum, rhabarbari, terræ foliatæ tartari, aut cremoris tartari ope provocata. Sed hæc de præſervatione.

*& hæmorrhoidum.*

## §. IV.

*Curativa methodus poſtulat 1] temperatum regimen cum lenioribus diaphoreticis.*

Ipſam purpuræ chronicæ curam facili & explicita ratione ſic adornavimus. Præcepimus primo omnium, ut mox ab initio morbi, ægri in non nimis æſtuoſo lecto & conclavi, ſed moderatiſſimo calore detinerentur &, quantum fieri poſſet, è lecto ſe ſubducerent: & hac ratione moleſtiſſimos ſudores averti poſſe deprehendimus. Deinde, præter memoratum ad potum ordinarium decoctum, nihil ex medicamentorum claſſe magis ex uſu fuiſſe teſtamur, quam pulverem diaphoreticum nervinum, ex cornu cervi uſto, it. ſine igne parato, lapidibus, ſive chelis cancrorum, matre perlarum, ſuccino, nitro purificato & cinnabari confectum. Præſtabilem etiam fuiſſe animadvertimus liquoris anodyni mineralis virtutem, ita ut duobus his remediis, vel ſimul congrua doſi, vel quolibet illorum ſeorſim, pro variarum circumſtantiarum diſpoſitione, aſſumtis, rejectis omnibus aliis medicaminibus, quantumvis dilaudatis, feliciſſime purpuram tam chronicam, quam etiam acutam ſuperaverimus, ægris fortunante Deo brevi ſanitati redditis.

## §. V.

*Quanam in ſtatu graviditatis ad præſervandum proſint?*

Progredimur ad præſervationem & therapiam illius purpuræ, plerumque pejoris notæ, quæ puerperis, vel ſub initium, vel medium puerperii tempus, accidere ſolet. Hujus cauſſas & originem ſuperius jam eruimus, & ex incongruo gravidarum regimine, nec non admiſſis in diæta erroribus derivavimus; ideoque ad hæc avertenda & removenda curam dirigendam eſſe facile patet. Quod ſi igitur puerperas à periculoſo hoc ſymptomate immunes præſtare velimus, ne ſub graviditate humorum copia, multo minus impuritas, ex ſtagnatione illorum circa uterum oriunda increſcat, neque generi nervoſo imbecillitas inducatur, primaria utique erit intentio; quæ nulla alia perfici poterit ratione, quam ut, ſi ſanguine copioſiore corpus turget, is detrahatur, inſtituta frequenti, ter vel quater, non adeo larga tamen, in ſuperioribus venæ ſectione. Deinceps abſtinendum eſt ab otio, diuturniori ſomno, animi turbis & eduliis dulcibus, fermenteſcibilibus, farinaceis, quin potius cibis boni ſucci, & potu ſalubri, nec nimis parco, utendum, corpus motu moderate exercendum & alvinæ excretionis ſucceſſus, magis tamen alimentis, quam medicamentis, promovendus, exhibendo etiam paſſulas rhabarbarinas, cum, vel ſine manna paratas, quippe quæ, gravidis apprime conveniunt & ex uſu ſunt. Et quum imi ventris refrigeratio utero gerentibus inſigniter noceat, & ad graves ægritudines ingenerandas ſit aptiſſima, ſemper iis auctor fui, ut inferiora arctius, adverſus aëris frigidioris acceſſum integumentis muniant, eamque ob cauſſam braccas optimo cum ſucceſſu geſtandas ſuaſi. Ad præſcindendas quoque nocivas humorum circa uterum ſtaſes, magnopere expedit, ut abdomen nonnunquam, præſertim poſt medium geſtationis tempus, prope fornacem calidam, embryonum balſamo, vel vino Rhenano, aut Hungarico vetuſtiori & generoſiori calefacto, inſtillatis aliquot balſami noſtri vitalis guttis, inungatur & perfricetur. Et hæc ſumma cura tenenda ſunt fœminis geſtationis tempore.

## §. VI.

*Quænam ante & poſt partum conſideranda ſint?*

Jam etiam diſpiciemus: quænam ante & poſt partum & primis ſtatim puerperii diebus ſtudioſe ſervanda ſint, ne in graves ægritudines & purpuram, ſive diuturnam, ſive acutam, incidant puerperæ. Quum itaque multum ad hunc affectum producendum & fœminas debilitandas imprudens parturientium tractatio faciat, dum ante legitimum tempus ſummis conatibus & laboribus, plane intempeſtive fœtus expulſio urgetur, propinatis etiam hunc in finem ſpirituoſis & calidioribus medicaminibus: exquiſitum ut in omnibus teneatur moderamen ſerio monemus, ne vires nimium frangantur, neque per extremos iſtos labores, calidaque ſuggeſta analeptica, tota humorum & ſanguinis maſſa mirifice commoveatur, exagitetur & ſimul fœculenti illi & impuri, qui circa uterum ſtabulantur humores, in validiorem motum abripiantur, ſed potius lochiorum fluxus, & aliæ excretiones legitime expediantur, nec magna ad morbos fiat diſpoſitio.

§. VII.

## §. VII.

*Puerperæ quomodo tractandæ præſervandi fine.*

Excluſo autem fœtu, & pacatis poſt exantlatos partus labores iterum ſecundo poſt die omnibus, neceſſarium ac utile eſt, ut collectus ingravidationis tempore impurus, quo uterus adhuc turget, ſanguis, evacuetur, & humores vitales à contracta cacochymia liberentur. Quare omnis generis excretiones, maxime vero alvina, & quæ per cutis colatorium ſuccedit, ſedato niſu, non impetuoſe, ſed ſucceſſive promovendæ ſunt: id quod accommode & perutiliter his poterit obtineri & perfici ſubſidiis. Evitetur ſummo ſtudio nimius lecti & hypocauſti calor, & potus quoque nec calidior, nec nimis perfrigeratus, ſed tepidus præbeatur. Abigantur omnes animi turbæ, & abſit maxime terror ac triſtitia. Alternis diebus deglutiantur quater pilulæ balſamicæ & roborantes, qua virtute nobiles ſunt Becherianæ, Stahlianæ & noſtræ: quippe quæ, non ſolum multas impuritates alvo ejiciunt, ſed etiam lochiorum fluxum promovent & diaphoreſin eliciunt. Quod ſi vero ſub initium nondum omnia ſunt complacata, ſed citatior pulſus cum interiorum æſtu animadvertitur, amicum harum pilularum inſtitui poteſt connubium cum pulvere præcipitante abſorbente, qui pro doſi grana quatuor vel quinque nitri habet. Tum maximopere conducit, ut cum juſculis tenuioribus, non nimis ſubſtantificis, ea aſſumantur, quæ ſpaſmos leniunt, ſanguinem grumoſum coagulatum reſolvunt, & ſimul etiam liberiorem ſordium cum perſpiratione difflationem procurant: quo nomine laudem merentur, ſperma ceti, oleum amygdalarum dulcium, infuſum florum ſambuci, chamomillæ, ſummitatum millefolii theiforme, eſſentia corticum aurantiorum temperatior, juncta croci eſſentia, liquor noſter anodynus mineralis, nec non pulveres bezoardici, diaphoretici, cum aqua analeptica propinandi. Inprimis etiam mixtura ex aquis analepticis & diapnoicis, cum aceto deſtillato & lapidibus cancrorum, nec non ſyrupo acetoſitatis citri confecta juvat, quæ in ſtagnante & congrumato ſanguine reſolvendo eximii uſus eſt.

## §. VIII.

*Et ſi purpura immineat.*

Hiſce exacte obſervatis, non facile gravis & funeſtus morbus puerperas aggredietur, neque etiam metuendus erit purpuræ inſultus. Quod ſi autem his neglectui datis tantopere increvit ſeri & lymphæ corruptio, ut purpuracea febris, ſive rubra, ſive alba, immineat, aut jam urgeat, hac ſæpe ſæpius probata & experta utimur methodo. Injuncto æquali, placido ac temperatiſſimo ratione caloris regimine, puerperis purpura jam decumbentibus ſummopere commendamus decoctum avenaceum, (*die Haber-Grütze*) cum, vel ſine infuſo florum chamomillæ vulgaris, cujus efficaciam longe præſtantiſſimam deprehendimus. Alvum in maligna & alba non facile ſtimulantibus ſollicitamus, neque etiam clyſtere admonemus. Mutationem quoque integumentorum & induſiorum, quantum fieri poteſt, interdicimus, & ſuademus potius, ut jam trita ad fornacem calidam probe ſiccata, & fumigata injiciantur & induantur. Multo magis diſſuademus erectiorem ſitum, vel ut è lecto ſurgant ægræ; eo quod facile incidunt in animi deliquium, & motu humorum ad interiora converſo, exanthemata diſparent, peſſimaque ingruunt ſymptomata: id quod latius ex obſervatione mea expoſitum eſt in *diſſert. de ſitu erecto in morbis periculoſis valde noxio.*

## §. IX.

*Si jam erupit.*

Ex medicamentorum claſſe, pulveres bezoardicos, temperatos, quibus nonnunquam croci vel caſtorei momentum adjicimus, repetitis vicibus ad ſcrupulum, vel drachmam dimidiam exhibemus, eorumque uſum ſubinde liquoris anodyni mineralis doſi interpolamus, cujus nobiliſſima eſt facultas ſpaſmos complacandi, motum inteſtinum calidum ſedandi, & acrimoniam humorum demulcendi. Si vero ob varias cauſas antecedentes purpuræ retroceſſio metuenda, vel hæc jam fuerit facta, admiſcemus liquori anodyno, quartam partem liquoris bezoardici ad mentem Buſſii parati, & in *obſervat. noſtris phyſico-chymicis. Lib. II. obſerv.* 28. deſcripti: quæ mixtura egregie diaphoreſin movet & materiam peccantem ad exteriora agit. Ad reficiendas demum vires, enormiter plerumque proſtratas, in purpura alba majorem in modum commendamus potionem analepticam, ex aqua meliſſæ, corticum citri, florum liliorum convallium, primulæ veris, acaciæ, liliorum alborum & cinamomi cydoniata, addita ſufficienti quantitate matris perlarum & man. Chriſt. perl. nec non inſtillatis aliquot ſpiritus nitri dulcis guttis: quo cum eadem, tanquam accommodo vehiculo, pulveres exhibeantur, vel ipſa ſeorſim ad cochlear aliquoties ſumatur.

## §. X.

*Quid faciendum ſi lochia ſubſiſtunt?*

Quum vero ſæpiſſime contingat, ut lochia in febre lactea vel purpurea ſubſiſtant, & ſanguinis raptu ad caput facto, lethalia oboriantur ſymptomata, in quæſtionem cadit: an, ſi lochia plane non, vel non ſufficienter fluunt, ſi febris eſt, ſi purpura imminet, venæ ſectio tuto & utiliter admitti poſſit? Verum enim vero, quia hoc argumentum, jam in *diſſ. de venæ ſectionis prudenti adminiſtrat.* fuſius excuſſi, & momentoſis rationibus docui, quod venæ ſectio non ſolum in febribus exanthematicis, ſed comparentibus etiam jam efflorecentiis nonnunquam ſummopere proficua ſit, allata ibi huc non tranſcribemus. Id tamen ſancte affirmare poſſumus, quod ſolius venæ ſectionis, pro circumſtantiarum ratione largioris, vel in pede, vel manu, inſtitutæ ope, proximas jam morti puerperas, & ſpaſticis ſtricturis, quibus ſanguis impetuoſe ad cor & cerebrum urgebatur, detentas, ab orci faucibus revocaverimus, & præſentaneam opem attulerimus. Atque adeo haud immerito, ſi ſuppreſſis lochiis laborantes puerperæ decedunt, mortis cauſam in venæ ſectionis neglectum rejiciendam eſſe putamus. Neque deſunt ex clariſſimorum auctorum numero, qui noſtræ ſententiæ calculum adjiciunt, è quibus nominaſſe ſufficiat Willisium *de febb. cap. XVI.* Welschium *de purpura Lipſ.* Rolfinckium *libr. de ord. & meth. conſult. lib. IV. ſect. II. cap.6.*

## *CAUTELÆ PRACTICÆ.*

## §. I.

*In utraque purpura nocet frigus.*

In utraque purpura, ſive benigna, ſive maligna, nihil tam pernicioſum, & ad mali cauſ-

ſam augendam, ſymptomatum & morbi vehementiam exacerbandam, & ex benigno morbo malignum reddendum, tam aptum & expeditum eſt, quam exceſſus in frigore & calore: ſiquidem ſi ullus alius, certe hic morbus, nec refrigerationem, nec nimium æſtum perfert, ſed in utroque exquiſitum moderamen expoſcit; ut hinc conclave, ubi æger decumbit, & aër in eo, æquali ſemper temperamento ſint inſtruenda & cuſtodienda. Quod ſi enim paullo frigidiuſcula aura ad habitum cutis liberius accedit, vel tantum manus, antea ſub lecto in temperato calore & udore detentæ, exporriguntur, illico inhorreſcentia & perfrigerium univerſum tangit corpus, & puſtulæ, ſubſequente magna anxietate magnoque languore, evaneſcunt: id quod eo facilius eoque majori cum pernicie contingit, quo magis cubiculum antea nimis æſtuoſum, vel corpus ſtragulorum apparatu arctius tectum & tantum non obrutum fuit. Similiter in omnibus, maxime vero purpuraceis his exanthematibus, nihil, præſertim in ipſius morbi vigore, damnoſius eſt, quam inæqualis & crebrius immutatus caloris, in hypocauſto gradus: eo quod ſubitanea caldi in frigidum & frigidi in calidum mutatio, nerveo-ſenſibilem cutis ſubſtantiam graviſſime afficit, ejuſque tonum, robur & motum mirifice variat & perturbat, ut puſtulæ neque in conſpectum prodire, neque, ſi demum ſparſim comparuerint, firmam ſervare queant ſtationem.

§. II.

*2] nimis calidum regimen.*

Porro ſontico admodum damno purpura laborantes mactat, immodicus cubiculi & hypocauſti calor, nec non ſuſcitatus per potum fervidius aſſumtum, aut medicamenta calidiora, æſtus: quandoquidem exagitatis ſic, jugi præſertim ardore, omnibus, vires non ſolum franguntur, & poroſa cutis ſubſtantia nimis adaperta & hiante, humidi major, quam par erat, difflatur atque exhalat copia, ſed ipſa etiam morbida materia, per inductum inteſtinum calidum motum, intenſiorem ſubtilitatem, penetrantiam & acrimoniam ſuſcipit, ut pruritus, ardor atque anxietas inſigniter invaleſcant, tantum abeſt, ut complacentur & imminuantur. Hinc compluries animadvertimus, manifeſto damno & ancipiti pathematum augmento affectos eſſe ægros, ſi infuſum herbæ thee, aut aliud ad ejus ſimilitudinem paratum, calidius, & quidem larga in copia ſorbillarunt, vel etiam cibum & potum fervidum ingeſſerunt.

§. III.

*3] medicamenta calefacientia alexipharmaca &c.*

Multo vero minus interne calefacientia, vinum, liquores ſpirituoſos, pharmaca ſudorifera & expellentia, eſſentias & tincturas bezoardicas, alexipharmacas hic morbus ferre poteſt, ſed potius ex illorum uſu ſemper augetur magisque accenditur. Vidimus certe, mitioris alias ingenii purpuram chronicam, febris & vehementiæ ſymptomatum prorſus expertem, admiſſo exterius nimio æſtu, & antiſcorbuticorum, nec non decoctorum ſic dictorum purificantium, injuncto ſimul ad ſudorem eliciendum arctiori regimine, uſu, in malignam fuiſſe converſam, adeo ut febrilis poſtmodum calor, cum ciborum faſtidio, virium languore ſomnique defectu, ægrum periculoſe affligeret. Et in genere id quoque pro comperto eſt, purpuram, quo citius & impetuoſius, per medicamenta & calidum regimen expellitur, eo facilius & leviſſima de cauſſa evaneſcere & interiora repetere.

§. IV.

*4] liberaliores & ſuppreſſæ alvi evacuationes.*

Præterea, in purpuraceo hoc cutis vitio, omnes per ani ſeceſſum factæ liberaliores evacuationes, admodum ſunt nocivæ. Tam exquiſitus enim hujus morbi eſt genius, ut alvum, nec nimis duram & conſtrictam, nec nimis fluxilem, multo minus arte elicitas purgationes, admittat. Hinc, ſi alvus diutius officii obliviſcitur, cohibita ad habitum corporis vergunt purgamenta, bilioſæ, mucoſæ & fermenteſcibiles ſcoriæ, quæ per hepar, pancreas & glanduloſas inteſtinorum tunicas ſeparari alvoque debebant ejici, ad cutis colatorium convertuntur, vel in longo illo & anfractuoſo inteſtinorum canali collectæ & invicem commixtæ, mora magis corrumpuntur, & poſtea ad ſanguinem cum ſuccis chyloſis & alimentoſis advectæ, liberale morbi & materiæ morbificæ pabulum ac nutrimentum præbent. Quare, niſi alvina cum aliis excretionibus revocentur & in ordinem redigantur, ipſe morbus rarius perfecte ſaneſcit, ſed aut crebrius recrudeſcit, aut diutius extrahitur.

§. V.

*Quæ ideo provide moderandæ & revocandæ.*

Contra vero, ſummo etiam cavendum eſt ſtudio, ne acriori ſtimulo excretionum ſucceſſus proritetur & urgeatur, eamque ob cauſſam cujuſcunque generis, mitiſſima etiam emetica, omnia purgantia & laxantia, licet virulentia prorſus deſtituta, ſalina quoque, ſunt vitanda. Neque etiam ſemper tutum eſt clyſtere alvum admonere, vel ſuppoſitorium admovere, præſertim ante eruptionem exanthematum & paullo poſt eandem. Etenim exſtimulatis hoc modo interioribus, omnis fluidorum, qui ad corporis peripheriam tendit motus, illico invertitur, perſpiratio ſufflaminatur, cutis pori coarctantur & efflorеſcentiæ evaneſcunt: interiora vero languore opprimuntur, ventriculus nauſea corripitur, ejus ſubverſio oritur, inteſtina torminibus & ardore torquentur & præcordia angore ſtringuntur & excruciantur. Ut adeo pateat, ſumma cum cautione & provida circumſpectione, ad alvi apertionem hoc in morbo eſſe deſcendendum.

§. VI.

*5] intempeſtiva ſanguinis miſſio.*

Multum denique ad periculoſum purpuræ retroceſſum facit intempeſtiva & inconſulta ſanguinis miſſio. Nam plurimum certe refert, ſicuti in omni exanthematum genere, ita maxime etiam hoc, ſanguinem in convenienti quantitate, proportione & ad ſuperficiem corporis acceſſu, ita moderari, ne ipſe vel nimium exundet, vel deficiat. Utrumque periculum alit. Si quantitate excedit, ob ſpaſticas partium ſtricturas, congeſtiones in loca nobiliora ſummopere perniciales ſunt metuendæ. Si vero defectu peccat, ad exiliſſima cutis vaſcula & ſudoris ſecretioni dicata organa appulſus urgeri nequit, & vitioſa materia per capillare hoc cribrum minus recte ſecerni & tranſmitti poteſt, ſed ſummo cum diſcrimine in interioribus corporis penetralibus immota obhæreſcit. Quare vix majus hoc in morbo metuendum eſt periculum, quam ſi ab imperito medico inconſiderato ſanguis exantlatur. Vidimus noſmet ipſi, tam infeliciter ali-

aliquoties ceſſiſſe quorundam auſum, qui in purpura chronica, qua hypochondriaci, ſpaſticis pathematibus obnoxii, laborabant, venæ ſectionem in pede largius inſtituendam ſuaſerant, ut exanthematibus ſubito diſparentibus, apoplecticus irrueret inſultus. Novimus quoque, admiſſa illa, ſæviſſimas ſubſequutas eſſe artuum tractiones & convulſivos partium motus, & parum abfuiſſe, quin ægri letho afficerentur.

§. VII.

*Veſicatoriorum uſus in utraque purpura.*

Inter auxilia chirurgica miliari febri opponenda referuntur adhuc à quibuſdam veſicatoria, ſi acida corrupta lympha peccat, quo eadem his mediantibus extrahatur, & fibræ delaſſatæ nerveæ ſimul excitentur & ad contractionem ſollicitentur. Inprimis HAMILTON *de febre miliari*, eadem ſcapulis iterato appoſita mirifice dilaudat, ita *pag.* 450. *Sydenhami* rationes ſubducens: *ad ſeroſitatem minuendam optime reſpondent veſicatoria. Materia enim morbifica ex aliqua parte eorum ope diminuta, natura reliquam, via ſibi conſueta, facilius amandare poteſt: tantum abeſt, ut puſtularum eruptionem impediant.* At vero, licet id remedii genus non adeo incongruum eſſe videatur, ingenue tamen fatemur, nos nunquam eo eſſe uſos, ſed enumeratis præſidiis & auxiliis, purpuram adſpirante Deo expugnaſſe, ideoque aliis, ut periculum faciant linquimus.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Purpura chronica poſt nimium hæmorrhoidum fluxum tandem lethalis.*

Vir illuſtris, quinquagenarius, temperamenti ſanguinei, à longo hinc inde tempore animi pariter ac corporis conſtante vigore gaviſus eſt. Aetate autem ſenſim ad ſenium vergente, quum prætermiſſo, quod alias conſueverat, motus exercitio, cibis alimentoſis multumque aromatiſatis, ut & largiori vini generoſioris hauſtu magnam ſanguinis abundantiam accumularat, neque hanc per venam ſectam imminuerat; ipſa benigna natura, per hæmorrhoidum fluxum ſalutariter excitatum, à tanta machinæ obfutura mole ſe liberare anniſa fuit, eventu adeo ſecundo, ut à multis poſtea annis ab incommodis ſatis immunis degerit: donec aliquando poſt longius iter ſub frigido hiemali cœlo inſtitutum, cœcas, quas appellitant, hæmorrhoides acceperit, quæ ante diſcuſſionem multas crearunt moleſtias. Circa æquinoctium vernale ejuſdem anni, hæmorrhoidalis non modo effuſior & per tres fere menſes durans rediit fluxus, ſed & varia ſe adſociarunt incommoda; ſiquidem vir illuſtris appetitus imminutione, acri & ſalſa oculorum defluxione afficiebatur, conſtrictivum in pectore & abdomine ſenſum, nec non preſſorium in oſſe ſacro dolorem cum ſtimulo ad matulam percipiebat, qui lumbarem quoque regionem & pedem affligebat. Ego tum temporis in conſilium accitus primo venam in brachio ſecandam ſuaſi, dein curam cum fonte Spadano vel Selterano ſub exacto diætæ regimine inſtituendam commendavi; poſtea vero crebriorem corporis exercitationem, abſtinentiam à vino Hungarico, & liquoris mei anodyni cum pulvere præcipitante ex aqua uſum injunxi. Et optime quoque ceſſit curatio. Sed annus effluxit, quum Februario menſe, in febrem incideret noſter, catarrhali primum æmulam. Appetitus aderat proſtratio, ſitis & æſtus intenſior, vomitus quoque & alta ſuſpiria, præcordiorum anxietates, cum reſpiratione difficili, cardialgiæ & compunctorius ſenſus, alternante frigoris & caloris ſenſu, pulſuque durius & celerius micante. Hæc intuens ego mox purpuram augurabar; & en! ſucceſſit cutis aſperitas, prodeuntibus innumeris puſtulis rubris, milii ſemen figura referentibus: unde bezoardicum pulverem circa ſomni tempus, vomitui vero obviam eundi gratia liquorem anodynum minenralem cum balſamo vitæ maritatum, & pro potu ſerum lactis dulce propinabam. Sic ſedabantur quidem moleſtæ afflictionum turmæ, & purpura decidebat, ſed tanta in cute ad purpuraceum hoc exanthema remanebat diſpoſitio, ut continuo fere ſub corporis quadam incaleſcentia maculæ effloreſcerent, & æger per totum æſtatis & hiemis inſequutæ decurſum purpura cum inſigni pruritu juncta laboraret; præſertim quum plus juſto appetitui ciborum incongruorum indulgeret, vinique plus juſtam quantitatem adſumeret. Circa vernum tempus, redeunte vomitu, anxietate, aliiſque gravioribus ſymptomatibus, purpura copioſior in locis quoque inconſuetis comparebat, & hæmorrhoidales venæ denuo ſat largam ſanguinis fundebant copiam. Crura hinc circa talos intumeſcebant, & maculæ diſparebant, cruſtam, qualis in ſcabie ferina ſicca conſpicitur, relinquentes. Ventriculus pituitoſam quandoque materiam, quam fauces quoque ſtillabant, ejiciebat, ſomnus aderat multus, ſed parum reficiens, pulſus mane frequens & validus, veſperi debilis micabat, urina craſſa rubicundo-bruni coloris mittebatur, imo omnia in ſumma erant perturbatione. Ut auxilium ferremus ægro, potus loco mox cereviſia Duchſteinenſis, quam appetebat, cum gelatina cornu cervi permixta, mox gallinarum juſcula cum radicibus cocta, quandoque etiam ſarſaparillæ decoctum, uſurpata fuere; ex medicamentis vero eſſentia ſtomachica liquori anodyno nupta, poſt meridiem pulvis abſorbens cum pulvere caſcarillæ permixtus, & veſperi bezoardicus pulvis offerebantur. His & analepticis interpoſitis nihil proficientibus excrementa fœtido ſecedebant odore, virium proſtratio augebatur, & febris tandem inflammatoria corpus ſumme emaciatum ita affligebat, ut ægrotans illuſtris morbi vehementiæ victrices dare manus debuerit. Peracta poſt mortem ſectione, panniculus adipoſus, una cum renibus, inteſtinis tenuibus & veſica urinaria, inflammatione correpta comparebant, lien putredine exeſus, ita ut tactu in liquamen fatiſceret; ventriculus flatibus diſtentus; vaſa gaſtrica ſanguine craſſo infarcta; diaphragmatis ſiniſtrum latus corruptum conſpiciebantur. Pulmones inflammatione obſeſſi, colorem ex atro cœruleum induerant. Pericardium liquore carebat, cor flaccidum multo atro ſanguine turgebat. Glandulas meſenterii ſcirrhus infeſtarat. Hepatis gibboſa pars maculam inflammatoriam oſtendebat, cujus veſicula fellea bile erat repleta.

### *Epicriſis.*

Siſtit hic caſus purpuram ſcorbuticam, eamque chronicam & exitu lethalem, cujus generandi modum, decurſum atque eventum paucis jam ad ductum hiſtoriæ morbi perpendere juvabit. Vir illuſtris tum ob diætam lautiorem, tum

ob

ob conſuetam corporis exercitationem omiſſam in corpore nimiam ſanguinis coacervavit copiam; quæ per convenientem venæ ſectionem non diminuta ægrius per canales potuit circumagi: unde poſtea, ſalutaribus ſe- & excretionibus, quæ in ſenili ætate per ſe languent, cohibitis, tota ſanguinis & humorum maſſa à partibus excrementitiis minus rite depurata labem contraxit ſcorbuticam. Jam inſigne attuliſſet emolumentum multaque mala præſcidiſſet bonus hæmorrhoidalis fluxionis ſucceſſus, niſi ipſe Dn. ægrotus frigore imprudentius corpori admiſſo eundem ſuppreſſiſſet, quo ſanguis verſus interiora magis coactus in vaſis meſentericis ſe accumulavit, &, denegato per hæmorrhoides exitu, eodemque victus genere perſiſtente, ibidem ſtagnavit; donec tandem calore vernali expanſus vaſa cum impetu diſrupit, & efferatius per tres prope menſes promanavit. Nos itaque, ſedata hac enormiori hæmorrhagia, primo omnium eo reſpeximus, ut fortaſſe obſtructi viſcerum tubuli reſerarentur, quod debito fontis Selterani, vel Spadani uſu præſtandum allaboravimus. At vero, quum æger appetitui denuo plus juſto inhærens novæ ſanguinis accumulationi, ejuſque in imi ventris viſceribus ſtagnationi anſam præbuerit, factum eſt, ut impuris ſordibus ſalino-ſulphureis non ſegregatis, ipſa purpuracea materia ingeneraretur, quæ nervoſis primum membranis inſidens ſpaſmum excitavit febrilem, cujus ope ipſa purpura ad habitum corporis protruſa, omniaque quietiora ſunt reddita. Redeunte poſtea hæmorrhoidum fluxu effuſiori, vires jam antea debilitatæ omnino magis ſunt depreſſæ: unde vi cordis & arteriarum ſyſtaltica imminuta; non modo materia morbifica ad corporis corticem non amplius potuit propelli, ſed & ſanguis tenax & acris in minimis & capillaribus illis, lienis & pulmonum vaſculis ſtaſin inflammatoriam, omniaque huic communia ſymptomata excitavit; ut adeo non mirum eſſe debeat, cur poſt mortem variæ partes inflammatione ſphaceloque obſitæ comparuerint.

## Observatio II.

*Purpura chronica inedia & aquis mineral. ſanata.*

Fœmina quadraginta annorum, nunquam puerpera, habitus corporis valde repleti, pinguis & ſpongioſi, alvo ſtrictiori vitæque ſedentariæ adſueta, admodum ſemper pleno & inordinato victui, conſiſtentiori cereviſiæ nimioque Caffee potui indulſit: parum tamen moleſtiæ inde percipiens; uſque dum terrore aliquando perculſa menſes primo per dimidium fere anni plane amiſit, poſtea vero parciores experta fuit. Ab hoc enim tempore ſæpe inſignem corporis gravitatem, tuſſiculoſam pectoris concuſſionem cum cutis quadam prurigine ſenſit. Hæc invicem mala ad vernum uſque tempus durabant, ubi præmiſſa venæ ſectione in pede motibus corripiebatur febrilibus, catarrhales, tum temporis graſſantes æmulantibus. Remedia ordinabantur huic ſtatui accommodata, potus tenuis, & clyſtere quoque alvus clauſa reſerabatur. Sed en! improviſo ſine prægreſſis gravioribus ſymptomatibus in pectoris ambitu maculæ emergebant purpureæ, quæ ſub pulveris leniter bezoardici, cum extracti caſtorei pauxillo remixti uſu, in dorſo quoque, & brachiis copioſe efflореſcebant. Mitigabantur tum omnia ſymptomata, & ſenſim maculæ hinc & inde evaneſcere videbantur, quarum tamen novæ mox recedebant. Tam pertinaciter itaque inhærente hoc exanthemate, à quo tamen gravi pruritum pectoriſque oppreſſiones, refrigerationem maxime ſubſequentes nihil patiebatur, ego curam ſuaſi tenuem & exſiccantem hac ratione inſtituendam: ut præmiſſa venæ ſectione, alvinaque regione per potionem mannatam, bis repetitam repurgata, per unum alterumve menſem ægra à nutriente victu ſe abſtinens pane bis cocto, & carne magis aſſata in refracta quantitate veſceretur, potui decoctum rad. ſarſaparill. chinæ & cort. ligni ſaſſafras in largiori copia ſubſtitueret, & ad robur ventriculi conſervandum temperatum medicamentum ſtomachicum adhiberet; finita autem hac cura, ſcarificatione admiſſa, ſerum lactis dulce tam mane, quam à meridie biberet. Paruit ægra conſilio, & mirum erat, quantum corporis mole decreverat, quantumque levaminis reportaverat, ita ut per autumni & hiemis decurſum à purpura ejuſque moleſtiis parum affligeretur, præſertim quum ſalubres diætæ regulas exactius obſervaret. Appropinquante vere commendabam fontem Egranum per decem dies, & poſtea Selteranum tam ſine, quam cum lacte remixtum per tres hebdomades bibendum, hiſque finitis balneum Lauchſtadienſe externe adhibendum: unde menſium fluxus antea parcior juſtam ſervavit quantitatem, & ægra à malis ſuis liberata jam exoptata fruitur valetudine.

### *Epicriſis.*

1) Fœmina, cujus morbum expoſuimus, ob vitam otioſam, pinguemque diætam ſtatum ſibi contraxit plethoricum, ſub quo, vel levioribus cauſis, ut terrore accedentibus, ſalutaris menſium fluxus, ob nimiam vaſorum repletionem fluidaque propellendi impotentiam facile cohibetur: quo cohibito non poteſt non ſanguis & lympha impuritate imbui, & nimio potus Coffee uſu alvique conſtipatione concurrente, purpuræ proventus ingenerari; ſicut hoc ſupra ſatis oſtendimus.

2) Annotandum eſt, quod homines ſpongioſa carne multaque pinguedine præditi, qui multum ſeroſi ſanguinis alunt, præ ceteris ad exanthematicum hunc affectum ſint proclives, ideo quod ſerum, per excretionem cutaneam non ſatis depuratum facile vappeſcentem acrimoniam induit. His vero ſubjectis nihil convenientius eſt, ad purpuram in prima, ut aiunt, herba ſuffocandam, quam accommodata cura per inediam, qua ſuperflua pinguedo, quæ remoram ſanguinis circulo depuratorio poſuit, ſubtrahitur, & nimis relaxatus cutis tonus, qui in purpura tantum non læditur, roboratur, ut hic dein longe minus ſordium per tranſpirationem eliminandarum retentioni & accumulationi faveat.

3) Aquas ſalubres commendavimus, ut reliqua etiam ſe- & excretionis organa ſuæ reſtituantur integritati, maximeque ille ſequiori ſexu ſaluberrimus menſium fluxus in ordinem redigatur: quo fine etiam balneum Lauchſtadienſe ſubjungendum ſuaſimus, quod tum in vaſis uteri flaccidis roborandis, ſanguiniſque fluxu promovendo, tum in cutis tono ſimul reſtituendo, eximiam præſtat utilitatem.

Obser-

## Observatio III.

*Purpura chronica ictero & hydropi ſymptomatica.*

Vir aliquot ſupra quadraginta annos natus, ſanguinis & ſucci plenus, jam olim vigeſimo ætatis anno a vita ſedentaria multiſque ad ſeram noctem protractis lucubrationibus malum paſſus eſt hypochondriacum, cum aliqua ad hæmorrhoidalem fluxum diſpoſitione, qui ſuccedente tempore ſæpius quidem apparuit, certas tamen ſtatasque periodos nunquam ſervavit. Trigeſimo quinto ætatis anno in febrem incidit tertianam, qua brevi curata purpura corripiebatur ſcorbutica: unde fonte uſus eſt Pyrmontano, idque inde obtinuit, ut purpura mitigaretur, penitus vero non evaneſceret. Quum quadragenario proximus admoveretur officio, quod non modo vitam poſtulabat ſedentariam, ſed crebriores quoque animum commovendi occaſiones præbebat, prægreſſo quondam iracundiæ affectu, doloribus corripiebatur colicis cum vomendi conatu, pectoriſque anguſtia junctis, quibus compoſitis icterus prodibat, pedes intumeſcebant, & maculæ purpureæ, plus quam antea unquam, emergebant, hæmorrhoidibus nunc prorſus ſilentibus. Remittente colore flavo, pedum tumor nihilo minus una cum purpura perſiſtebat: quare denuo aquæ Pyrmontanæ adhibebantur, ſed ſine levamine, ut potius purpura eadem permanente, tumor pedum altius adſcendens ſimul ſcrotum & inguina occuparet. Ego conſultus rem in ancipiti poſitam ratus, ſequentia propoſui. Primum, abrogato cereviſiæ potu decoctum aperitivum ſubſtituendum juſſi hujus compoſitionis: Recipe rad. V. aperientium ana unciam, ſarſaparill. glyzyrrh. cichorei ana unciam dimidiam C. D. S. ſpecies, quarum uncia una & dimidia in tribus aquæ menſuris decoquenda, addito in fine pauxillo cinamomi. Dein, quovis tertio die pilularum balſamicarum XIV. propinandas & bis in die ſcrupulos duos pulveris, ex ſolut. ocul. cancror. arcani duplicat. nitri purif. tartari vitriolat. ana drachmis duabus, rad. ari, ſalis abſynthii, cinnab. ana drachma compoſiti capiendos commendavi. Ut ventriculo proſpiceretur, præſcripſi elixir balſamicum temperatum ad 80. guttas in prandio ſumendum, ex extracti centaur. min. gent. rubr. card. bened. rhabarb. terræ foliatæ tartari ana drachma, in aquæ menthæ unciis quatuor leni calore ſolutis. In diæta ſuaſi juſcula carnium tenuiora cum rad. petroſelini, ſelleri, taraxaci, gramin. & cichorei decocta crebriuſque adſumenda. Externe vero ad dolorem preſſorium, qui in hepatis regione percipiebatur, mitigandum cataplaſma, ex comis abſynthii, flor. chamomill. roman. & vulgar. ſambuci in vino & aqua calcis vivæ coctis imponere, idemque ſcroto applicare. Mitigabant quidem hæc omnia ſymptomatum vehementiam, & aliquando inter ipſorum uſum motus incidebant febriles, cum nova purpuræ protruſione, ſed natura jam nimis imbecillis tandem ſuccubuit.

### *Epicriſis.*

Ferax eſt hic caſus utiliſſimarum obſervationum, quarum prima eſt, quod purpura primum poſt febrem effloruerit, cujus phænomeni ratio ita mihi reddenda videtur: ſine dubio febris intempeſtive curata labem quandam in abdominis viſceribus, ſanguinis depurationi ſervientibus, maxime vero in liene & hepate reliquit: unde his forte infarctis ſanguis a partibus ſulphureis non rite depuratus purpuræ materiam ſuppeditavit. Imo ab eadem cauſa, ſeu à circulo ſanguinis per hæc viſcera impedito derivandus eſt tumor pedum inſignis, qui tantum non omnibus, viſceris cujuſdam ſanguinei obſtructione laborantibus ſolet eſſe familiaris. Icterus in noſtro ægroto ſuam ſumſit originem tum ab infarctu hepatis, quem dolor in hac regione preſſorius inter alia edocebat, tum à ſpaſmodica ductuum biliariorum ſub ira ſtrictura. Intercepto enim bilis ad inteſtina curſu, hæc ad ſanguinem refuſa largiorem materiæ purpuraceæ copiam ingeneravit, quæ cauſa fuit, ut poſt icterum rubræ miliares puſtulæ copioſius in cute effloruerint; luculento indicio, ſulphureæ indolis materiam in purpura peccare, ideoque hanc ipſam variis à bilis vitio oriundis morbis ſymptomatice jungi. In curatione rite adornanda omnem medicamentorum energiam eo direximus, ut tenaci viſcida amurca obſeſſi viſcerum tubuli recluderentur, & ſanguinis cum acri bile mixti intemperies immutetur; quibus peractis purpura, ceu ſymptoma, ſponte evanuiſſet. Quoniam tamen vis morbi tantum jam invaluerat, ut virtutem omnium, vel efficaciſſimorum remediorum ſuperaret, factum eſt proh! dolor, ut morbo tandem ſuperatus æger ſuccubuerit.

## Observatio IV.

*Purpura ob inordinatam diætam chronica.*

Honeſta hujus loci fœmina, tenera ac macilenta, quinquaginta & aliquot annos nata, naturæ ſenſibilioris animique ad excandeſcentiam proclivis, per octo circiter annos ſemel vel bis in anno purpura corripi ſuevit chronica, ita ut nonnunquam per unius, vel duorum menſium ſpatium eadem laboraverit. Enimvero, quoties novus imminebat inſultus, per intervalla alia atque alia jungebantur ſymptomata, ut fere ſunt virium imbecillitas, capitis dolor cum aurium tinnitu, anxietas præcordiorum cum ſpirandi difficultate, ſomnus paucus ac interruptus, pulſuum cum celeritate juncta debilitas, alternans cum frigore æſtus, & inſignis extremorum pruritus. Quamprimum vero materia purpuracea cum aſpredine cutis & papulis ab interioribus ad exteriora erat propulſa, invicem iſta placabantur ſymptomata, quandoque tamen, licet mitius, repetebant. Liberata fuit noſtra à ſingulis hactenus paroxyſmis, beneficio temporis ſimul concurrente, datis lenioribus bezoardicis & analepticis, quorum illa ex pulvere Marchionis, cornu cervi uſto, philoſoph. præparato, antimonio diaphoretico, nitro, cinnabari & pauxillo camphoræ, in pulverem redactis conſtabant; hæc autem ex aquis meliſſæ, ceraſor. nigr. florum tiliæ, ſambuci, lilior. convallium, flor. roſarum, cinamomi ſine vino, matre perlar. & ſyrupo acetoſitatis citri, in potionem mixtis conficiebantur. Potus loco commendabatur priſana ex hordeo mundo, raſura cornu cervi, rad. ſcorzoner. & cichorei confecta, blandusque lecti calor ſerio injungebatur, ne forte aëre frigido ad corpus admiſſo curationis negotium turbaretur. Præſervandi fine venæ ſectionem bis vel ter in anno admiſit, mediocri tantum ſanguinis portione evacuata, fontem quoque Selteranum cum tertia parte lactis caprini mixtum non ſine ſucceſſu bibit; nihilo minus tamen integre ab hoc morbo nondum convaluit, ſed ſæpius recidivam pa-

patitur, præſertim quum iracundia cum animi angore juncta, ob res domeſticas ad vota non ſuccedentes, crebro afficitur.

*Epicriſis.*

Dici vix poteſt, quam difficulter ſeminium purpuraceum, diutius paulo altiuſque ſuccis vitalibus inſinuatum, penitus eradicetur; utpote valde multiplicativæ eſt indolis, ſi tantum minimæ ejus reliquiæ in corpore remaneant: maxime vero id ipſum in numero pluribus ægrotantibus, præſertim mulieribus, poſt ſanguinis excretiones ceſſantes contingere obſervavi. Cauſam difficilioris ſanationis potiſſimum inordinatis animi affectibus & perverſo vitæ generi tribuo, quod poſt morbum curatum plerumque eligunt. Quandocunque tamen ægroti hoc morbo affecti locum & aërem quandoque mutant & regimini ſe accuratiori ſubmittentes ſemel vel bis in anno aquis Selteranis vel Egranis, lacti nuptis utuntur, terque minimum venæ ſectionem, &, ſi paulo habitioris ſunt corporis, ſcarificationem admittunt, equidem ſcio plures à chronico hoc affectu prorſus liberatos.

OBSERVATIO V.

*Purpura chronica in fœmina ſene.*

Matrona hujus urbis honeſta, ſextum ſupra ſeptuageſimum attigit annum, & per aliquot annorum decurſum crebro affecta fuit purpura, ut dicunt chronica, cum conſuetis ſymptomatibus juncta; à qua tamen intra duos vel tres menſes ex voto ſemper convaluit. At vero, quum ſeptuageſimo ſexto ætatis anno prope exacto, denuo eodem corriperetur morbo, nonniſi de inſigni virium proſtratione ſomnique defectu conqueſta pejus quam antea unquam decubuit. Purpura enim mox apparebat, mox retrocedebat, donec ægra ſubito animi deliquio correpta animam placide efflabat.

*Epicriſis.*

Non mirum eſt, purpuram illam eſſe graviorem longeque difficilioris ſanationis, quæ annis obſitos ſenes, quam quæ homines in ætatis flore conſtitutos, firmiorique naturæ robore adhuc donatos invadit. Ipſa enim ſenectus, ob excretiones per tranſpirationem & alvum languidiores, non modo ſcorbutico-ſalinam & viſcidam ſuccorum vitalium diatheſin ingenerat, ſed etiam propter vires ſenſim paullatimque decreſcentes ſanguinis depurationi, materiæque morbificæ ad habitum corporis propulſioni amplius non ſufficit. Quare intellectu eſt facillimum, cur præſens demum ægrota, ſenectute invaleſcente, purpura obierit.

OBSERVATIO VI.

*Purpura habitualis acetariorum, & aromatum uſu ſuſtentata.*

Novi medicum, celebris nominis, temperamenti cholerici, qui per plures annos purpura laboravit chronica, cum magno pruritu, nocte præſertim auctiori, conjuncta, ita tamen ut ſuo, quo fungebatur, officio commode præeſſe potuerit. Vitæ genus, quod adhibebat, tale erat: à multis retro annis inter cibos inſigni piperis & zingiberis leviter contuſi copia utebatur, & in cœna quotidie fere acetarium, ex lactuca, ſale & aceto conflatum, (vulgo *Sallat*) comedebat; præter hæc vero exactiori quoad cibum & potum diætæ ſtudens, bis vel ter in anno ſanguinem ex vena pedis tuta mittendum curabat. Inter hæc nihilo minus ad inſignem pervenerat ætatem; ſed ſex ſupra ſeptuaginta annos emenſus ſubito apoplexia cum paralyſi correptus, poſt novem dierum intervallum, proſtratis omnino viribus, animam exſpiravit.

*Epicriſis.*

Vir erat corporis robuſti, macilentioris ac nervoſi; alias, ſi laxioris fuiſſet habitus imbecilliorisque naturæ, profecto à victu acido pariter atque à calidis & acribus aromatibus graviorem ſanitatis labem ſibi contraxiſſet. Equidem plures, imo ex medicis nonnulli in ea verſantur opinione, aromata illa acriora, ut piper & zingiber, quia oleo, ſi deſtillantur, ſubtili carent, ſanguinem minus calefacere, ſed crudorum humorum concoctionem adjuvando, digeſtioni inſigniter ſuccurrere. Verum enim vero, licet id ſano ſenſu poſſit concedi, minime tamen eſt inficiandum, quod acriores horum aromatum partes, cum chylo ad ſanguinem delatæ, inſignem humoribus acrimoniam inducere poſſint. Quod quidem eo ipſo ſatis ſuperque poteſt demonſtrari, quoniam, ut ſæpius expertus ſum, à cibis ejuſmodi aromatiſatis, inque primis piperatis, ii qui fonticulos gerunt, nunquam fere non moleſtam in eo loco ſenſationem cum pruritu percipiant, quæ acrimoniam tum ſanguine communicatam ſatis, ut arbitror, teſtatam faciunt.

OBSERVATIO VII.

*Purpura poſt uſum Carolinarum orta.*

Vir generoſus quadraginta& aliquot annorum, habitu corporis ſpongioſo ſuccique pleno, & temperamento ſanguineo præditus, à prima juventute lautæ diætæ innutritus ſæpe ad ebrietatem uſque pocula hauſit vinoſa; unde tempeſtive arthritide laborare cœpit vaga: ad quam præcavendam aliquando ex medici conſilio thermis utebatur Carolinis, quæ quidem interno uſu nihil procreabant incommodi, ſed bis adhibito balneo eveniebat, ut univerſum corpus maculis puſtuliſque obſideretur purpureis, quæ intolerabilem, omnemque fere ſomnum eripientem excitabant pruritum, appetentia prope penitus deſtructa. Omittebatur igitur omnis tam in-quam externus Carolinarum uſus; at quum paulo poſt vir generoſus circa veſperam ſe auræ exponeret frigidiori, per integros tres dies gravioribus ventris torminibus vexabatur, quibus per anodyna ſedatis, inopinato in notabilem abdominis pedumque tumorem incidebat, qui per exactam victus rationem, medicamenta diaphoretica, leniterque roborantia ſenſim paullatimque abigebatur, licet prohiberi non poterat, quin poſtea crebrius purpura laboraverit chronica.

*Epicriſis.*

Docemur ex hac morbi hiſtoria & progreſſu, quanta prudentia, quantaque circumſpectione ſubjecta impuris ſuccis ſcatentia fontibus calidis, præſertim per balneum uti debeant. Longe hinc tutius ſatiuſque fuiſſet, ſi vir generoſus, loco thermarum, temperatiores potaſſet acidulas, quæ melius per alvum & urinam, quam fortiora calida per cutim impuras ſalino-ſulphureas ſordes educunt.

2) Di-

2) Diſcere inde licet, quantum noxæ afferat frigidior aura, improvide cuti admiſſa, maxime tali in caſu, ubi natura materiam corpori infeſtam cum impetu ad ſuperficiem corporis nititur propellere. Facta enim ad interiores, easque nobiliſſimas partes metaſtaſi, non modo miſerrimi inteſtinorum cruciatus, ſed ſæpe lethalia oriuntur ſymptomata, ut tragica exempla plurima oſtendunt.

3) Notabile hoc loco eſt, quod ſpaſmos abdominis & inteſtinorum per anodyna ſedatos ſecuta fuerit inſignis harum partium atonia, quæ inflationem peperit: unde facillimum eſt intellectu, qua ratione ſubito inductæ per medicamenta mutationes magnis pathematibus cauſam præbere poſſint.

### Observatio VIII.

*Purpura chronica accedente alba lethalis.*

Vir quadraginta & quinque annorum ſanguineus, natura ſenſibiliori habituque corporis ſpongioſo donatus, lauto & quieto vivendi generi adſuetus, ſæpe non ſolum fluxum expertus eſt hæmorrhoidalem, & cœcis, ut aiunt, hæmorrhoidibus fuit vexatus, verum etiam per octo fere annos purpura laboravit chronica rubente, cum inſigni cutis pruritu, circa vernum maxime tempus infeſtante. Senſim paullatimque decreſcente hac purpura, ultra biennium perferendæ erant dolorificæ artuum tenſiones, quæ mox in brachiis, mox in pedibus ipſaque dorſi regione graviſſime ſævientes, plerumque tumorem in brachiis & circa pedum malleolos, cum inſigni nonnunquam rubore & dolore junctum relinquebant. Et talis morbi erat facies uſque ad priſtinum menſem, ubi ægro neceſſarium ſuſcipiendum erat iter; ſub quo quum nimio ſe frigori expoſuerat, domum inde reverſus ab omni ſtatim dolore & tumore liberatus in febrem incidebat acutam, cum colliquativo eoque fœtidiſſimo ſudore, quem mox purpura ſequebatur alba cum puſtulis elevatioribus, à collo uſque ad pedes protenſis. Vires erant dejectæ ad nonum uſque diem, ubi omnia videbantur mitiora. Sed quum æger è lecto ſurgeret, purpura mox retrocedente ſummæ oriebantur anxietates, deliria, ſumma virium proſtratio cum ſpirandi difficultate, convulſivi motus, & ipſa denique mors.

### *Epicriſis.*

Admodum varius eſt hujus morbi decurſus magnuſque ægritudinum, ſe invicem excipientium quaſi cumulus, quæ omnes ad ſummam machinæ perniciem, mortem tendebant. Primo adfuit hæmorrhoidum fluxus, isque inordinatus & cum moleſta venarum hæmorrhoidalium intumeſcentia alternans, ſub quo plerumque difficilior ſolet eſſe ſanguinis per abdominis viſcera, maximeque per hepatis & lienis ſubſtantiam circuitus: unde paullatim labaſcente ſalutari ſe- & excretionis negotio facile humorum impuritas, & inde apud nonnullos ipſa purpura progignitur, quæ, ſicut in præſente ægroto, diu poteſt inhærere, nec facile periculum minatur, niſi perverſis curationibus aliisque erroribus turbetur. Deinde prodierunt arthritici dolores, qui vix aliam habent cauſam, quam quod materia purpuracea ad cutem parcius propulſa ſenſibiles articulorum membranas obſederit, vellicaverit & ad ſpaſmos ſollicitaverit. Tum quoque tumor & rubor in brachiis pedibusque apparuit: quod quidem non mirum eſſe debet, quoniam obſervationum fide ſatis conſtat, quod in partibus ſpaſmo infeſtatis, poſt illum compoſitum plerumque atonia relinquatur, quæ ſanguinis & humorum accumulationi, ſtagnationi, adeoque etiam tumori anſam præbet. Tum quoque æger ex frigoris damno in febrem incidit, cum maxima ſudoris profuſione ſtipatam, quæ virium robur mirum in modum exhauſit, ut poſtea ſub circulo ſanguinis languidiori lympha facile corruptione & vappeſcentia potuerit inquinari; unde purpuræ albæ origo. Tandem notabilis eſt ſubitanea morbi in peſſimum ſtatum mutatio; quæ, me judice, egreſſui è lecto tribuenda eſt. Dici enim vix poteſt, quantum in morbis ſic dictis lymphaticis, ubi virium ingens adeſt proſtratio, nocere ſoleat erectus corporis & capitis tam in lecto, quam extra ipſum ſitus; ſicut in diſſertatione noſtra hac de re olim habita pluribus exemplis oſtendimus & confirmavimus. Tali enim ratione ob debilem cordis pulſum minor ſanguinis copia ad caput propellitur, & facile lypothymia incidit, ſub qua omnes motus ad interiora convertuntur, ipſaque materia per cutim excernenda retropellitur; unde deliria, convulſiones, ſphacelationes & mors.

Qui plures deſiderant obſervationes, adeant conſultationes noſtras medicas, ubi caſu CXCI. CXCII. & ſequ. multa notatu digna exempla recenſentur.

---

## CAPUT IV.

### *De lue venerea.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

### §. I.

*De origine [illegible] cium.*

Luem ſic dictam veneream, in India occidentali endemiam, eo demum tempore in Europam eſſe advectam & per ſingulas ejus regiones diſſeminatam, quum Chriſtophorus Columbus Inſulam Hiſpaniolam anno 1492. detexit, communis auctorum, qui de peſtifero hoc morbo ſcripſerunt, ut *Roderici* Diaz *Hiſpalenſis lib. de morbo venereo*, *Nicolai* Monardes *lib. de ſimpl. med. ex novo orbe adlatis* eſt opinio. Licet vero certa experientiæ fide ſatis conſtet, pernicioſam hanc luem primo in Hiſpania, tum in Italia & Gallia, poſtea vero in ipſa Germania per contagium, à coitu cum fœminis impuris ſuſceptum, fuiſſe propagatam; ſunt tamen nonnulli auctores, atque inter hos præcipue Minadous *lib. de virulentia venerea cap. XXIV. Nicolaus de* Blegny *chirurgus Pariſienſis in lib. l'art de guerir la maladie venerienne*, & *Joh. Baptiſta* Synibaldus *de geneanthropia lib. IX. tract. 2.* qui exiſtimant, morbum hunc citra ullum contagii virus in altero ſexu poſſe oriri, ſi fœmina cum pluribus viris rem haberet, ſemperque eſſe graſſatam apud ſcortatores infames. Tum enim ex diverſi ſeminis ſtagnatione & corruptione virulenti naſcerentur humores, qui primum fœminam, deinde viros, denuo concumbentes inquinarent contaminarentque. Et quamvis hanc ſententiam vero valde ſimilem penitus non rejiciendam exiſtimemus, ſed potius, ex hac cauſa morbum


hunc

lui Americanæ ſimilem, generari poſſe concedamus; negari tamen minime poterit, quin allata ex America contagio majoribus ſtipata ſit ſymptomatibus, longeque vehementius & malignius, quam malum ex vaga ſcortatione ortum ſæviat, ita ut non per coitum ſolum, verum etiam per contactum, e. g. manuum ſudore madidarum, per oſcula, & in lactantibus per affrictum mamillæ & papillæ, imo per pocula quoque & veſtes, cum aliis poſſit communicari, multoque plures interdum annos, ante quam labem ſuam exſerat, in corpore latere.

## §. II.

*Definitio.*

Eſt autem hæc lues dyſcraſia humorum omnium, maximeque ſeroſo-lymphaticorum, maligna & putredinoſa, à miaſmate venereo, per contagium intus ſuſcepto oborta. His vero ſignis & ſymptomatibus prodit ac progreditur hic morbus.

*Hiſtoria morbi & ſymptomatum in toto corpore.*

Qui ex impuro veneris uſu eundem ſibi contraxerunt, contagii vim maxime & primum experiuntur in pudendis, ubi inflammationes, tumores, dolores & ardores, exulcerationes, humorumque profluvia oriuntur. Poſtea vis veneni ſe diffundens primo vicinis & contiguis partibus, dein quoque remotioribus labem inurit. Quamprimum enim peſſima iſta & multiplicativæ indolis inquinamenta in ſuccos vitales, lympham & ſanguinem transferuntur, omnes tum fluidæ tum ſolidæ corporis partes, ob corruptionem inductam, peſſundantur. Ita languor & laſſitudo totum corpus occupat, vires notabiliter decreſcunt, humano orbata adſpectu facies maculis & puſtulis, modo latioribus, modo minoribus, in fronte præſertim defœdatur, variique generis tubercula ſicca & humida, furfuracea ſeu ſquamoſa, colore tamen & magnitudine, ſecundum locorum differentiam diverſa, in toto corporis ambitu hinc & inde erumpunt; partes omnes nutrimento deſtitutæ emarceſcunt; in partibus, ex carne & pinguedine conflatis laxioribus ulcera generantur maligna, ad oſſa uſque ſerpentia; in articulis inſignes ſentiuntur cruciatus, arthriticos æmulantes; in mediis artubus circa perioſtia & in ipſo oſſium meditullio dolores graſſantur oſteocopi vix tolerandi, noctuque invaleſcentes; imo ſæpiſſime tophi & gummata, abſceſſus & caries in oſſibus proveniunt, horumque ſubſtantiam & lamellarum compagem ita peſſundant, ut ſoluto partium nexu plane eroſa dilabantur. Præter hæc, pili quoque ſubinde defluunt, collique, inguinum & axillarum glandulæ, ob lymphæ, ſeminio morboſo contaminatæ ſtagnationem, tumores contrahunt, qui vel in ſcirrhum, vel in ulcera, ſi negligantur, degenerant. Quid? quod ex his denuo ſexcenta alia prodeunt mala, ut luem hanc non morbum, ſed morborum iliadem pronuntiare fas ſit.

## §. III.

*ſpeciatim in capite*

In nulla vero corporis parte virulenti hujus fermenti effectus magis fiunt conſpicui, quam in ipſo capite. Nam præter immanes, qui ibidem noctu maxime ſæviunt dolores, genæ, ſupercilia pilis nudantur, puſtulæ & tubercula labiis, ori, palato innaſcuntur, quæ in ulcera cacoëthea abeunt; gingivæ aphthis & ulceribus obſitæ dentes vacillantes & carioſos efficiunt, planeque ex alveolis ſuis dimittunt; uvula, tonſillæ, totumque faucium periſtroma ardent, dolent, inflammantur & ulcere exeduntur, oſſa narium ſpongioſa, carie infecta abſumuntur, & vomere, à quo ſuſtentantur, privata corruunt, fornice naſi depreſſo: unde ſimul putridus ex ore ſpiritus exhalat, & magna vocis ac loquelæ depravatio cum inſanabili raucedine obſervatur. Neque aures & oculi à tali labe manent immunes, ſed hi exterius dolore, rubore, pruritu & lippitudine tentantur, interius vero, humoribus obfuſcatis, ſplendore & viſus acumine privantur, imo nonnunquam ſuppurantur. Aures moleſtò afficiuntur tinnitu & exquiſito doloris ſenſu, & quoad internam ſui ſubſtantiam exulcerantur, tetraque carie exeduntur. Imo ſæpenumero cranii oſſa arroduntur tophisque & gummatibus deformantur, cujus rei teſtem citamus Rhodium *cent. I. obſ.* 33. qui in ruſtico, lue venerea laborante in dura matre tria candida annotavit gummata.

## §. IV.

*Signa differunt ſecundum ſubjecta & morbi gradus.*

Et hæc ſunt præcipua peſtiferæ hujus luis ſymptomata, quæ, quantum totam corporis humani machinam omniumque ejus partium functiones in utroque ſexu poſſint lædere, imminuere, & penitus tandem abolere, facile quisquam ex dictis colliget. Nolumus autem prolixiores eſſe in notis morbi eſſentialibus ſecundum ſingulas ejus periodos & diverſos gradus conſiderandis, quia otium nobis fecit celeberrimus Sydenhamius; qui in eleganti ſua *de lue vener.* epiſtola accuratam morbi naſcentis, adulti & ſeneſcentis tradidit hiſtoriam, optimeque ibidem docuit, qua ratione hoc teterrimum mali genus inter initia prodeat, & poſtea, altius corpori inſinuatum latiusque diffuſum diſſitas etiam partes afficiat, labefactet, pervertat. Hoc tamen non poſſum, quin paucis, ad meliorem rei intelligentiam, commemorem, non omnia hactenus allata ſigna ſimiliter in omnibus hac lue laborantibus deprehendi, ſed quædam in his, alia in aliis annotari; neque ideo temere ex quibuſdam tantum, ſed ex pluribus ſimul ſumtis de morbi præſentia eſſe judicandum. Nemo enim facile pudendorum tumores, exulcerationes aliasque labes, inter initia apparentes ſtatim pro ipſa lue, quam potius pro luis principio venditabit; ſiquidem, ſi recte tractata tempeſtive curantur, luem nunquam ingenerant.

## §. V.

*Luis vener. differentia à ſcorbuto.*

Equidem his ſignis facile luem veneream dignoſci poſſe confido; nihilo minus tamen de morbis, quibuscum aliquam habere convenientiam videtur, pauca addere juvabit. Inter hos præcipuum obtinet locum ſcorbutus, qui perinde ac venerea lues languorem torporemque corporis, dolores vagos & fixos, noctu auctiores, nervorum contractiones, puſtulas, tumores duros, variasque tam oris, quam ipſius penis, ut Eugalenus *lib. de ſcorbuto* teſtis eſt, exulcerationes comites habet; ut nihil ideo mirandum ſit, cur Charleton *lib. I. de ſcorbuto cap. IV.* tantam inter ſcorbuticum & venereum malum analogiam intercedere prodiderit, ut communia quædam utrique morbo ſint ſymptomata, à medico etiam peritiſſimo, in locis maxime ſeptentrionalibus & maritimis, Dania, Suecia, Batavia, difficulter diſtinguenda. Quod ſi igitur duo hi morbi in uno loco ſimul graſſantur, attenta opus eſt diligentia, ut ad rectum judicium revocentur omnia: ſunt enim certi omnino characteres, quibus arte periti puſtulas, ſerpigines & ulcera venerea, cancri naturam æmulantia, ab impuritatibus ſcorbuticis

ticis poſſunt diſcernere, qui tamen facilius diſcuntur, quam docentur. Interim EUGALENUS hanc tradit differentiam, quod in venereis cauterio apertis materia pinguis, lardo infumato ſimilis; in ſcorbuticis vero non ita reperiatur. Accedit, quod maculæ ſcorbuticæ raro efflorescant, niſi prius gingivis exulceratis tibiisque livore nigreſcentibus, quæ ſimiliter in lue noſtra aliter ſe habent. Præterea, ulcera ſcorbutica tota plerumque livent, cum venerea contra in ambitu rubra ſint, colorem ex albo cinereum in ima cavitate referentes. Quod vero ſpeciatim ad exulcerationes oris ſcorbuticas attinet, hæ primum gingivas, tum fauces & tonſillas, lento tamen progreſſu, afficiunt; venereæ autem primum fauces ejuſque partes, & demum gingivas occupare ſolent.

## §. VI.

*– & aliis morbis*

Pariter quoque providendum eſt, ne herpetem, impetiginem, aliaque cutis ulcuſcula ſtatim ad luis occultæ virus referamus, ſed probe prius, an cetera conſentiant ſigna, diſquiramus. In eo autem maxime hæc cutis vitia à venereis differunt, quod ſemel facta eruptione corporis inquietudo & laſſitudo deſinant, quod tantam dolorum atrociam minime junctam habeant, nec demum noctu, ſi auctiorem a lecti calore pruritum excipias, adeo invaleſcant. Eadem cautio adhibenda eſt circa tophos, nodos & ganglia, quæ certe non à ſolo veneno venereo, ſed quam maxime etiam à quacunque violenta nervoſarum partium tenſione ac vellicatione, uti poſt veros arthriticos dolores interdum videmus, proveniunt: niſi itaque alia ſigna adſint, quæ pondus & fiduciam addant, nunquam temere de venerea lue ſuſpicandum eſt. Neque tandem ſine adhibito diſcrimine omnes glandularum tumores pro venereis æſtimari debent, quia illi multoties ſine ulla clam latentis venerei fermenti ſuſpicione in variis corporis partibus viſuntur; ſicut ex ſolis ſtrumis animadvertere licet. Omnium tamen maxime medicus, ne in judicando hallucinetur, in quibuscunque morbis, lui noſtri analogis reſpicere debet ad vitam ægrotantis anteactam, quæ ſi luxurioſa fuit, & in laſciva fœminarum blandientium turba transacta, ſæpe non contemnendum virulentiæ latentis præbet teſtimonium, maxime ubi reliqua conſentiant. Neque minus ægri, præeunte jam ſuſpicione, curioſe ſunt explorandi, annon ſuſcepti contagii modum norint, & ut ſuas tantum ſuſpiciones medico detegant amice hortandi; licet plerique vel pudore, vel timore perterriti originem morbi & progreſſum diſſimulent, nolintque, ſi ætatem jam maturiorem adeptí ſint, juventutis errores relegere. Si qui autem à concepto per coitum veneno ſe quondam gonorrhœam, penis exulcerationes, aliaque genitalium vitia habuiſſe profiteantur, qua ratione his malis occurſum fuerit, diſquirendum eſt; unde facile judicium poterit formari.

## §. VII.

*Cauſa eſt contagium*

Nunc ad cauſam luis venereæ conſiderandam progrediamur. Hæc autem quum in Europæa orbis parte, uti §. I. innuimus, ſoli contagio & miaſmati morbifico, ab ægris ad ſanos dimanante tribuenda ſit; paucis nunc perpendamus, quo principio hoc perniciosiſſimum & ſubtiliſſimæ indolis virus ſuam in corpus noſtrum violentiam exſerat. Jam in eo quidem auctores conveniunt, ut his maxime modis virulentiam veneream ab infectis in corpus ſanum admitti ſtatuant, cum vel per frictionis motum ſive contactum ſugendo, oſculando & lactando, poris partium inſinuatur, vel exhalando, instar halitus, vicinis partibus inſpiratur, vel, quod plerumque fit, per coitum, ex alterutra concumbentis parte impurum communicatur; ſed in ſpecifica hujus contagii natura ejusque agendi modo determinandis adhuc toto, ut aiunt, cœlo differunt. Alii ab acrimonia acri rodente & coagulante; alii a ſale alcalino corroſivo; alii à ſpecifica quadam acrimonia exitiales derivare effectus contendunt. Sed hæc dicendo nihil reapſe dicunt, quia ipſos effectus, ſeu producta veneni pro ipſius cauſa declarant. Et profecto, ſi meam interponere licet ſententiam, equidem ſolicitum hoc ſcrutamen ſupervacaneum eſſe arbitror. Nam plura ſunt in rerum natura, tenuiſſimæ indolis admodumque parvæ molis, quorum intima natura ac craſis, & ab hac immediate dependens vis agendi, miroſque effectus, in ſenſus incurrentes producendi, captum noſtrum & intelligentiam plane ſuperant. Videmus hoc in contagio peſtis, morbo variolarum, lepra, ſcabie maligna, morſu canis rabidi, & hujus generis aliis; ubi veram veneni peccantis cauſam & indolem exacte demonſtrare nunquam hactenus licuit. Sufficiat igitur medendi ſcopo, ut tantum perniciosis veneni effectibus reſiſtendo impediamus, quo minus ſuam in corpore humano potentiam exſerant; præſertim quum in rebus altioribus ignorantiam profiteri conſultius ſit, quam aliquid adſerere, quod ſatis probari nequeat.

*tres modi infectionis.*

*Veneni natura difficulter cognoſcitur.*

## §. VIII.

*Fernelii aſſenſus & ulterior probatio.*

Placuit mihi hac de re quam maxime FERNELII prudens limatiusque judicium: *hoc in morbo, (venereo) inquit, aliisque venenatis plurimos videas captioſa, eaque admodum inani, ratione falli, quod, dum vident ſymptomata, hæc omnia cum humoris cujuspiam, acidi, acris, vitio inſultare, nihil præter humorem acidum ineſſe putant, nihil magis animo concipiunt, neque acriori animi acie perſcrutantur, num aliud quidpiam in humore ſubſit, in quo præcipua affectionis cauſa ſubſiſtat: quale procul dubio ſi ſenſu non cernimus, poteſt certa ratione ac intelligentia comprehendi, alioquin in maxima rerum ignoratione verſamur.* Accedit, ſi abſtruſas iſtas & ſpecificas agendi vires contagii multiplicativi ad manifeſtas qualitates, v. g. ad acrimoniam acidam, ſalſam, vel alcalinam transferre velimus, quod multos poſtea errores in ipſa remediorum applicatione commiſſuri eſſemus. Minime enim difficile eſſet humorum, cujuſcunque etiam generis, acrimoniam per appropriata remedia tollere; quod tamen in noſtro affectu veritati minus reſpondet. Eaque propter etiam ii multum mihi hallucinari videntur, qui argentum vivum, quod ſpecificum hujus morbi antidotum eſt, elemento alcalinæ naturæ penetrantiſſimo ſuam in acido peccante domando virtutem exſerere autumant.

## §. IX.

*De veneni indole auctoris judicium.*

Ne tamen omnia ad hanc rem pertinentia ſilentio prætermittere videar, non abs re fore confido, ſi meam de ejuſmodi venenis penetrantioribus, mole quidem tenuiſſimis, ſed virtute activiſſimis ſententiam declarem. Sufficienti itaque ratione inductus longaque experientia confirmatus adſero, veneni contagioſi indolem in tenuiſſi-

mo fluido ſulphureo, ſive phlogiſto æthereo & fermentativo principio conſiſtere, quod ulterius diffuſum reliquos corporis humani ſuccos eadem labe contaminat. Et ſane plura ſunt momenta, ex quibus hanc proprietatem conjecturis non ineptis licet colligere. Nam primo, exploratiſſima inter phyſicos æque ac medicos res eſt, fluidum ſulphureo-æthereum, ſeu oleoſum, ſi ullum aliud, ſtupenda ratione poſſe dividi, diſſipari & multiplicari; ſicut in corporibus eodem inſtructis, ut Zibetho, moſcho, ipſoque ſulphuris fumo videre licet, quorum minima tantum molecula ita poteſt diffundi, ut innumeris aliis corporibus eundem odorem imprimat. Deinde, ſi ad virus reſpicimus venereum, hoc ita eſt comparatum, ut per plures menſes, imo annos occultum latere poſſit, ante quam perniciem corpori intendat: quod certe fieri non poſſet, ſi alius eſſet naturæ, ſanguinique & lymphæ inhæreret, quoniam in his circulatione continua perfacile explicaretur. Rectius itaque eſſe ſtatuitur ſulphureæ & oleoſæ naturæ fermentum, quod pinguedini involutum difficilius extricatur, nec tam prompte cum aliis ſuccis commiſcetur. Confirmat hanc meam conjecturam ipſa contagii propagatio. Sive enim per cutis poros contagioſa labes cum corpore ſano communicetur, certe non aliunde niſi in humorem pinguem, ſub cuticula latentem infunditur; ſive per impurum concubitum inferatur, perinde membranis pudendorum pinguiuſculis, vel ſeminali lymphæ, quæ ſimiliter partibus conſtat oleoſis inſinuatur, donec tandem mediantibus his ſuccis, ceu pingui vehiculo, ad lympham & ſanguinem advehitur, totamque humorum maſſam inquinat, inficit, contaminat.

## §. X.

*Quod variis argumentis confirmatur.* Hæc noſtra ſententia firmius adhuc ſtabilitur, ſi ad alios a ſuſcepto miaſmate productos morbos, ut ſere ſunt peſtis, variolæ, morbilli, petechiæ &c. animum mentemque advertamus, quorum materia ſimiliter putridæ ſulphureæ eſt indolis, diuque viſcoſitati pinguedinoſæ involuta, tanquam in latibulo, poteſt hærere; donec aliquando à compedibus ſuis liberata in motum fermentationis multiplicativum ab aliis cauſis deducatur, ſuccisque vitalibus eandem labem inferat. Et quid dicendum eſt, ſi tetros veneni venerei effectus, qui per putredinoſam humorum corruptionem ſe manifeſtant, conſiderate attendimus: nonne ipſos à ſulphureæ indolis principio, pinguedini inſidente, derivare velimus. Siquidem abunde ſatis experientiæ fide conſtat, pinguia corpora facilius longe, quam alia in actum putredinoſum conjici. Ita ego quosdam in imo ventre ſauciatos novi, quorum omentum multa pinguedine obſitum, & ex vulnere protenſum brevi tempore in teterrimam abiit putrilaginem, ut fœtoris ſpurcitiem vix ferre potuerint adſtantes. Nobiscum fere eandem fovit ſententiam celeberrimus Boerhaavius, vir ob eximia in rem medicam merita nunquam ſatis lugendus, qui in *diatriba de lue venerea* habet ſequentia, illuſtrationis ergo adducenda: *virus venereum*, inquit, *eſt in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in bene ſanis replet eam partem, quam adipoſum panniculum veteres, hodierni & celluloſam membranam vocant, ita ut contagioſa labes per poros epidermidis ingreſſa trans cutis vaſcula uſque ad cellulas membranæ adipoſæ pervenerit, ibidemque occurrenti pingui permiſcuerit ſe, calore, motu, mora, aſſiduo magis magisque incendatur, cutim & cuticulam ſuperpoſitas rodat, corrumpat, interimque ſub his circumfuſas per ambitum cellulas oleoſas contaminet, unde ſemper latior plaga in panniculo adipoſo corrupto reperitur, quam ſupra in cute ſuperpoſita perdita & exeſa eſt.*

## §. XI.

Hactenus à Boerhaavio allata egregie ſatis comprobant, membranam adipoſam non modo præcipuum ſeminii venerei receptaculum conſtituere, verum etiam, infecto jam ſanguine morboque vigente, eandem præcipue affici, ſicut ex variis roſionibus externis ulceribusque depaſcentibus videre licet. Longe vero clarius rei eluceſcet veritas, ſi audire velimus, quæ interpoſitis nonnullis idem graviſſimus auctor diſſerit: *adipoſa*, inquit, *membrana quaſi ſuppurante, muſculi nudati vividiſſimi pulcherrimique apparent, ulcera ſolam tantum pinguem tunicam depaſcuntur, nec cuti nocent, niſi quatenus conſumtis vaſis cuti ſuppoſitis, hæc ipſa quoque perit.* Nam mollis eſt hæcce membrana laxique contextus, & perpetuo irrigatur ſucco adipoſo, qui tardiſſime circulatur, & diutius ibi ſubſiſtit: unde fit, ut, ſi qualicunque vitio corrumpatur, facile labem concipiat celerem latiusque ſerpentem, illæſis ſubjectis muſculis & cute ſuperpoſita intacta, fortaſſe quod hæ partes firmioris ſint texturæ, ideoque imminenti corruptelæ valentius poſſint reſiſtere. *& Boerhaavii ſententia ſtabilitur*

## §. XII.

Accedimus nunc ad eventum noſtri morbi *Prognoſis*
prænuntiandum. Quum vero medicus nulla re magis, quam prognoſi inepta ſuam amittere exiſtimationem poſſit, in hac certe ferenda magno opus eſt judicio, magnaque deliberatione, ne ſemitam empyricorum premamus, qui, ubi leve luis principium eſt, magnum portendunt periculum, & ægrotos violentis prorſus curationibus, imo rectius carnificinis ſubjiciunt, vel ubi magna infectio plenaque periculi res eſt, arcanis ſuis curationem promittunt facillimam. Debet autem diverſa luis gravitas, & ab hac pendens eventus plus minus periculoſus ex ſequentibus quam maxime æſtimari. Primo omnium ſubjectum inſpiciatur patiens, quod ſi juvenile vel virile eſt, ac *ſecundum ſubjecta* temperamento pollet ſanguineo beneque valente, facilius tolerabit morbum, quam quidem cholerici, pituitoſi minusque bene valentes, ut infantes, pueri, ſenes. Exceptionem tamen patitur regula in fœminis, quæ licet viris longe imbecilliores ſint, plerumque tamen cum morbo facilius, quam illi colluctantur, quamdiu menſtruum tributum ſolvunt. Melius quoque ſuccedit curatio vernali & æſtivo, quam autumnali & hiemali tempore, melius in locis calidioribus & meridionalibus, quam in humidis ſeptentrionalibus, ſub auſtrali tempeſtate conſtitutis: unde multi ex Germania in Galliam concedentes facilius a malo liberantur, non quod in Gallia omnes præſtantiores eſſent medici, ſed potiſſimum, quod ibidem regnans temperata cœli temperies curationi quam maxime favet. Deinde per ſe cuique patet, luem incipientem facilius recipere ſanationem, quam quæ diutius inhærendo jam altiores egit radices. Neque tamen unquam deſperandum, aut lue inveterata laborantes plane deſerendi ſunt, ſed remedio mitiori nihil proficiente ad fortius progrediendum, & contra à fortioribus interdum ad leniora, juxta ægri conſtitutionem, tranſeundum eſt: qua ratione inſperata ſæpe ſalus obtinetur, uti

egre-

egregium proſtat exemplum apud Fernelium cap. XV. in Dominis de Meſieres.

§. XIII.

*..ſecundum gradus morbi.* Ne tamen artifex in cognoſcendo morbi exitu decipiatur, reſpiciendi ſunt diverſi morbi gradus, ſive ſymptomatum complicatorum vehementia, uti jam pridem tulit uſus. Sciendum itaque, quod, qui in primo tantum gradu, ceu in limine conſtituti gonorrhœa virulenta, fluore albo maligno, bubonibus, teſtium tumore, & inde ortis capitis artuumque doloribus nocturnis vexantur, adeoque vitium in fluidis tantum habent, facile ad ſanitatem reducantur. In ſecundo gradu, ſub quo penis & faucium ulcera, puſtulæ & furunculi per totum corpus diffuſi, quos variolas magnas dicunt, aliaque ulcera externa comprehenduntur, & ubi jam ſolidæ corporis partes labe quadam afficiuntur, curatio quidem admittitur, ſed longe difficilior eſt, niſi aliæ eam circumſtantiæ, ut vitæ genus, vires ægrotantis & morbi complicati plane prohibeant. Maximus, iſque tertius gradus, qui cariem oſſium, profundiorem palati, oſſiumque naſi & pulmonum exulcerationem, comites habet, vitæ minatur periculum, & concepta ſalutis ſpes merito evaneſcit. Quo enim nobiliores ſunt partes, quæ corrumpuntur, & quo magis muniis ad vitam neceſſariis deſtinatæ, eo gravius eſt à lue periculum; quod ſimiliter dicendum eſt de partibus quibusvis aliis, quæ remediis parum obviæ ferro, ſi opus eſt, exſcindi nequeunt. Pari ratione, ſi corpus laborantis impurum ſit, & ſcorbuticis infectum humoribus, aut viſcera quædam præcipua, ut pulmones, lien, hepar, uterus corrupta, conclamata ſunt prope omnia, quia tum temporis heroicum ſalivationis remedium tuto adhiberi vix poteſt: unde fit, ut morbus per ſe non ſemper lethalis vitam multiplici ratione auferat. Nonnulli enim, qui ſimul ſcorbuto & viſcerum imi ventris corruptela laborant, hydrope, nonnulli, quorum pulmonibus ulceroſa inſidet labes, phthiſi & hectica conſumuntur; quidam alii, quorum oſſa ichor venenatus carie erodit, cruciatu intolerabili pereunt, quidam ſphacelo, cancro palati & uteri extinguuntur, putridumque & lacerum cadaver tandem abjicitur, pabulum ſane ingratum, & vix vermibus jucundum.

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Indicationes curatoriæ.* Quoniam in hoc diro admodumque difficili morbo univerſa ſanguinis & lymphæ maſſa à malignæ indolis miaſmate ſeu fermento plane alienam & naturæ prorſus adverſam, putridam, vappeſcentem ac viſcidam induit craſin, à qua, ceu à fonte omnium in hoc affectu evenientium ſymptomatum ratio unice petenda eſt, certe ad cauſam hanc principaliorem removendam vix melior excogitari poteſt indicatio, quam ut tota corruptorum humorum maſſa ex univerſo corpore & minimis ejus vaſculis aeque & receſſibus per omnia emunctoria foras expellatur. Ita enim futurum eſt, ut graviſſima illa ſymptomata, qualia ſunt glandularum ſe- & excretoriarum obſtructiones, oſſium omniumque partium ſolidarum inflammationes & exulcerationes, tanquam effectus cauſæ ſponte conquieſcant & removeantur. Duo vero uſque eo innotuerunt modi, quorum beneficio tota humorum inquinatorum colluvies ex intimis partium ſolidarum latibulis ejici & expurgari poſſit, videlicet per largiorem paulloque diutius durantem ſudorem, & per copioſum, debito tempore inſtitutum ſalivæ profluvium: quare de utroque modo pauca commemorabimus.



§. II.

*Curatio per ſudorem, cum guajaci decocto.* Quod ad priorem curandi methodum, quæ per ſudorifera abſolvitur, attinet, monendum hoc loco eſt, quod non omnis generis remedia ſudorem pellentia huic ſcopo apta ſint & idonea, ſed ea requirantur, quæ non tantum meatus cutis excretorios aperiunt, humores viſcidos diluunt, reſolvunt ac digerunt, ſed maxime etiam, motum vaſorum cordis & glandularum ſyſtalticum augendo & intendendo efficiunt, ut humores ibi reſidentes valde tenaces & corrupti in motum & progreſſum cieantur, commodeque ex imis partium latifundiis excutiantur. Quo nomine, ob ſpecificam virtutem, primum celebratiſſima ſunt lignum & cortex guajaci, radices chinæ & ſarſaparillæ, lignum & cortex ſaſſafras &c. ſi paratum ex iis decoctum ſudoris eliciendi fine uſurpetur. Hæc inter vero quam maxime eminet guajacum cum cortice ſuo, quo ipſi etiam Americani luis curationem inſtituunt optimeque abſolvunt, eo quod illud ſubtili quodam, acri & reſinoſo gaudet principio, quale omnino requiritur ad irritationem ſolidorum præſtandam. Sic enim ex hoc ligno per ſpiritum vini rectificatiſſimum tartariſatum paratur eſſentia valde reſinoſa, quæ cum dimidia ſpiritus tartari parte mixta, calidoque cum vehiculo exhibita ſudorem efficaciter movet. Longe autem frequentioris tutiorisque uſus eſt decoctio ligni & corticis ex aqua ita inſtituta, ut ejus uncia in tribus aquæ libris medicis per horæ ſpatium decoquatur: qua ratione tantum ſubtilis reſinoſa & balſamica extrahitur portio, craſſiori reſinæ ſubſtantia relicta. Siquidem idem decoctum ad ſiccitatem leni evaporationi commiſſum pulverem relinquit bruni coloris, odoris & ſaporis opobalſamum æmulantis, acrimoniæ tam penetrantis, ut vel dimidii grani portio naribus ſuſcepta, vehementem movendo ſternutationem, mucoſitatem ex narium ſinibus, ſi quid aliud, potenter ſine incommodo excutiat.

§. III.

*Modus adhibendi guajacinum.* Ex qua operatione ſatis licet colligere, decoctum guajacinum debita quantitate debitoque tempore interne ſumtum principio ſuo acri ſubtili balſamico inertes ad motus fibras & tunicas vaſorum ac glandularum nerveas ſtimulando, humorum & lymphæ progreſſum, aucta & intenſiori reddita virtute ſyſtaltica, egregie promovere. Commode autem tale decoctum pro circumſtantiarum ratione ad menſem unum, duos vel tres mane in lecto, lenem poſtea ſudorem exſpectando, calide bibitur, tam felici ſæpe eventu, ut ego hoc ſolo plures, phlegmatico temperamento habituque corporis ſpongioſo præditos à peritiſſimis in arte viris ſanatos ſciam. Nonnulli etiam, ad nimiam humorum tenacitatem eo melius diſſolvendam, idem decoctum cum balneo laconico, quod cum ſpiritu vini accenſo paratur, uſurpare ſuadent; neque ideo taxandi videntur, ſi modo debitam cautionem juſtamque circumſpectionem adhibeant.

§. IV.

*2] cum temperatioribus decoctis.* Quod ſi vero ſunt teneriora, gracilentiora ſenſibilioriſque naturæ ſubjecta, decoctum hoc guajaci,

ci, ob majorem, quem in humoribus excitat motum & ebullitionem, non congruum ſemper eſt remedium ad luem exſtirpandam, ſed tum præferenda ſunt decocta, quæ ligna & radices temperatiores ingrediuntur, cujus generis ſunt radices ſarſaparillæ, chinæ, lignum ſaſſafras, & ex noſtris regionibus lignum juniperi, radix cichorei, ſaponariæ, bardanæ, glycyrrhizæ, & alia, quæ in formulam redacta medicinalem, oleo tartari per deliquium, ad meliorem extractionem, poſſunt imbui; ſiquidem hoc ſal quaſi clavis eſt, qua firmior, reſinoſa & viſcoſa lignorum compages recluditur. Longe vero præſtantior horum decoctorum in debellando malo eſt effectus, quando antimonium crudum in petia ligatum in coctione additur, vel etiam, ut quorundam mos fert, argentum vivum adjicitur. Atque tum eædem ſpecies & decocto ſaturatiori mane bibendo, & loco potus ordinarii hauriendo inſerviunt, ita tamen, ut ſi hic finis intenditur, in tripla majori aquæ quantitate decoctio inſtituatur, additis pro re nata paſſulis minoribus, &c, ſuavioris conciliandi ſaporis gratia, cinamomi pauxillo adjecto.

## §. V.

*Formulæ decoctorum.*

Ad meliorem mentis noſtræ evolutionem præſcribere placet unam alteramve decoctorum formulam: Recipiantur raſuræ ligni guajaci unciæ quatuor, corticis ejusdem uncia una, radicum ſarſaparillæ, chinæ ana libra dimidia, cichorei, glycyrrhizæ ana unciæ duæ, ſalis tartari uncia dimidia. C. C. D. S. ſpecies, quarum uncia una & ſemis cum duabus drachmis antimonii crudi in petia ligati in tribus aquæ menſuris coquenda, & facta colatura tertia menſuræ pars, ad ſudorem pellendum haurienda. Relictis à coctione ſpeciebus, additisque paſſularum minorum duabus vel tribus unciis aquæ tenuis affunde menſuras tres, fiat per horam decoctio in vaſe clauſo: colat. D. S. pro potu ordinario. Si quis vero decoctum paulo temperatioris deſideraret virtutis, ſumat modo rad. ſarſaparill. libram dimidiam, chinæ, ſcorzoneræ ſingulorum uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana uncias binas, cort. ligni ſaſſafr. unciam unam, ſalis tartari drachmas tres, eademque ſpecierum & aquæ quantitate, ſicut in priori, inſtituat decoctionem.

## §. VI.

*3) cum aliis ſudoriferis.*

Reſidet profecto in convenienti horum decoctorum uſu magnum auxilium, magnumque in principio morbi vincendo præſidium. Ubi vero jam altius inhæret malum, temporisque diuturnitate obfirmatum fuerit, & jam fluidis æque ac ſolidis partibus infectis miſera peſſimorum ſymptomatum ſyndrome adornatur, eadem non adeo ſemper medentum exſpectationi & ægrotantium votis reſpondere experimur, ſed poſtulat morbi gravitas, præſertim in locis ſeptentrionalibus & majori frigori obnoxiis, ut virtus illorum diſcutiens & reſolvens additis efficacioribus remediis augeatur. Quod quidem noſtra methodo auſpicatiſſime perficitur, ſi cum ejuſmodi decoctis medicamentum ex minerali regno petitum, quod mercurialis vel antimonialis eſt proſapiæ, debita doſi offeratur. Atque hoc nomine & virtute commendatiſſima ſunt æthiops mineralis, vel ſulphur antimonii auratum, ex lixivio ſcoriarum reguli antimonii cum ſolutione auri præcipitatum, quod ad tria quatuorve grana ſumtum, ad impuritates omnis generis è ſanguine eluendas, remedium eſt potentiſſimum. Huc quoque pertinent tinctura antimonii acris, vel ſal antimonii ſulphureum ex ſcoriis reguli ſimplicis arte paratum vel etiam pulveres, ex duabus partibus ceruſſæ antimonii & una parte cinnabaris ejuſdem confecti: quæ ſingula, cum decoctis ſuperioribus debito regimine ſudorifero exhibita humores viſcidos, tubulorum minimis impactos fortiter colliquant, diſſolvunt, & tam per ſubcutaneum, quam renale cribrum copioſe educunt.

## §. VII.

*Regulæ in adhibendis de ſtis obſervandæ.*

Verum enim vero, ut cura hæc ſudorifera optatiſſimo gaudeat effectu, opus eſſe reor, ut corpus ad eam ſine noxa perferendam bene prius præparetur. Quo fine primo omnium neceſſe eſt, ut, urgente plethora, conveniens ſanguinis quantitas per venæ ſectionem detrahatur; deinde, ut prima regio, totumque corpus à vitioſorum humorum ſaburra per alvum depleatur. Quoniam tamen obtinendo huic ſcopo non omnia ſine diſcrimine laxantia & purgantia, ſed tantum ſelectiora nonnulla, eaque magis appropriata inſerviunt, ſcire licet, hunc cenſum maxime ſubire gummata reſinoſa, uti ſunt gummi ammoniacum, ſagapenum, opoponax, galbanum &c. quæ cum extracto rhabarbari, hellebori nigri & mercurio dulci roborata, mediante eſſentia ligni guajaci, vel balſami Peruviani in formam pilularem poſſunt redigi, ſumendo pro doſi drachmam dimidiam. Peracta cum hiſce pilulis, ter vel quater circa alterum diem ſumtis, purgatione, auſpicanda eſt cura ſudorifera, & ſimul idoneum diætæ regimen ſervandum: cujus ratio in eo præcipue continetur, ut victu exquiſito tenui utentes ægri panem bis coctum, moderatam carnis aſſatæ portionem cum paſſulis exacinatis, & tenuiora carnis vitulinæ, vel gallinarum juſcula cum lactuca, endivia, aſparago, Selleri &c. decocta comedant; ceteroquin vero, quantum fieri poteſt, ſibi temperent, quo minus pinguibus, carnibus elixis, piſcibus, lacticiniis & farinaceis multum inhæreant.

## §. VIII.

*Cura ſalivatoria perficitur mercurio, & quidem*

Altera luis venereæ curatio, quæ mediante ſalivatione perficitur, locum tum invenit, quum malum altius infixum nec ſtricta diæta, nec cura jam laudata ſudorifera evelli poteſt, quia tunc utique alia, majoris efficaciæ remedia & quæ morbis giganteis debentur, heroica in uſum arceſcenda ſunt. Huc ſpectant medicamenta ex argento vivo parata, quæ revera ſpecificum rebellis hujus luis antidotum ſuppeditant, eo quod præter mercurium in univerſa rerum natura nec certius neque efficacius detur remedium, quod ſubtilitate ſua tenerrima, penitius in intimos corporis receſſus penetrando, tenacem, viſcidum & in tubulis quaſi coagulatum humorem tam potenter reſolvat fluxilemque reddat, & ad congruum emunctorium, palati & faucium glandulas, ad faciendam ibi excretionem, propellat.

## §. IX.

*vel ſuffimigiis & inunctione mercurii,*

Proſtant autem varii, mercurium ad ſalivationem adhibendi modi, quos breviter ſtrictimque indicabimus. Veteres per ſuffimenta, mercurium

curium in vapores reſolvendo, curationem morbi peragere contenderunt, ſed minus commode, quia craſſi denſique hi vapores nervoſo generi ſunt inimici. Tutior, iſque frequentior eſt uſus per unguenta, quibus argentum vivum probe ſubactum corpori applicare ſolent. Atque hæc methodus in Gallia maxime hactenus obtinuit, & à chirurgis ibidem degentibus hac potiſſimum ratione inſtituitur: unguentum roſatum & pomatum, æquali ad unciam portione ſumtum cum uncia mercurii vivi, in ſufficiente quantitate terebinthinæ exſtincti intime miſcetur, additis pro lubitu olei lavendulæ guttis decem, & dimidia balſami Peruviani drachma: quo unguento juncturæ pedûque malleoli & genua quoque, ſi opus eſt, matutino tempore & ventriculo à cibis vacuo ad fornacem per tres quatuorve dies probe inunguntur, donec ſalivæ ſequatur profluvium; non omiſſo interea decocti lignorum temperatioris uſu.

§. X.

*vel uſu mercurii interno.*

Sunt dein ex medicis & chirurgis peritioribus nonnulli, qui ſalivationis cura per inunctionem ſepoſita in rebelliori malo tutiorem exiſtimant modum, per mercurialia interne ſumta ſalivæ fluxum promovendi, atque hac methodo utuntur. Mercurii dulcis rite parati quatuor vel quinque grana, cum antimonii diaphoretici & cancrorum lapidum eadem quantitate in pulverem redacta cum conſerva roſarum in juſculo avenaceo, vel infuſo theiformi propinant, augendo circa alterum diem mercurii doſin ad duo vel tria grana, & paullatim ita adſcendendo, donec ad drachmam dimidiam perventum ſit, & ſalivæ fluxus oriatur, qui in nonnullis, præſertim ſenſibilioribus, ſeptimo, in aliis nono vel undecimo die incipit. Quod ſi vero in corporibus natura ſegnioribus, torpidioribus & phlegmaticis non ex voto ſuccedit operatio, tum per aliquot dierum ſpatium ſubjungitur externa mercurii inunctio; unde ſaliva tam largo prodit flumine, ut ſæpe ad duas vel tres menſuras ejus accedat quantitas. Tum vero abſtinendum eſt ab ulteriori tam interno quam externo mercurialium uſu, nihilque, ſalivæ fluxu rite procedente, innovandum, ſed potius curandum eſt, ut abacto omni frigore æger in temperate calido ſervetur regimine, quod peragendæ huic curæ accommodatiſſimum eſt; ſicut etiam ideo æquabilem veris temperiem quam maxime eidem favere deprehendimus. Deinde fructus vitentur horæi, ne diarrhoea excitetur, potus ſumatur nunquam frigidus, neque bibantur cereviſiæ, multo minus ſpirituoſa, ſed potus loco decoctum radicis chinæ, ſcorzoneræ, & glycyrrhizæ cum paſſulis adhibeatur. Atque hæc ſalivatio per duas vel tres circiter hebdomades tamdiu eſt continuanda, donec clara & limpida ex ore ſaliva profluat, nec amplius moleſtiſſimus oris foetor obſervetur.

§. XI.

*Præparatio ad ſalivationem.*

At vero, quum multum omnino referat, ut corpus ad generoſam ſalivationis curam rite præparetur, primo omnium hoc fine ſanguinis miſſio in plethoricis inſtituenda & corrigentibus remediis humorum impuritas emendanda eſt: cui uſui præter decocta temperatiora diluentia & pulveres abſorbentes leniter diaphoreticos, præcipue inſerviunt laxantia ſupra præſcripta, ut iiſdem ſuperfluæ ſeroſæ ſordes ex habitu corporis exterminentur.

*CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

§. I.

*Cautelæ circa differentiam ſubjectorum.*

In omni venereæ luis curatione rite inſtruenda nunquam certe non corporum laborantium habenda eſt ratio, ita ut debiles, pueros & mulieres, præſertim gravidas, à robuſtis & valentioribus diſcernendo videamus, quæ utriſque pro diverſa corporis conſtitutione conveniat ſanatio. Nec minori opus eſt cautione, ut malum recens & inveteratum multisque gravioribus ſtipatum ſymptomatibus diſtinguamus: ſiquidem diverſus morbi gradus, diverſam requirit curationem, eamque vel remediis mitioribus, vel vehementioribus perficiendam. Atque utiliſſima hæc monita niſi exacte obſerventur, periculum eſt, ne vel ægrotos ſine ope miſeros à nobis dimittamus, vel in majorem præcipitemus perniciem.

§. II.

*..circa ſalivationem in corporibus ſcorbuticis.*

Speciatim vero heroica ſalivationis cura, niſi recte adminiſtretur, funeſtum ſortitur eventum: quare multæ ſunt cautiones tam ante ejus uſum, quam ſub ipſa cura obſervandæ. Quando igitur lues in corpus incidit cacochymicum & ſcorbuticum, obſervatio paullo ſubtilior adhibenda eſt, ante quam ſalivationem intendamus. Quod ſi enim impura ejuſmodi corpora mercurialibus velimus tractare, ipſiſque ſalivam movere, longe deteriora fiunt ſymptomata, quia mercurius ſalibus adſociatus valde rodentem acquirit facultatem. Tutius itaque in hunc modum procedere juvabit: evacuatis prius cum laxante mannato & rhabarbarino primis viis, ſerum lactis dulce cum ſuccis herbarum antiſcorbuticarum, cochleariæ, fumariæ, beccabungæ, naſturtii aquatici impraegnatum, vel etiam decoctum lignorum temperatius cum lacte mixtum per integri menſis decurſum bibatur; & poſtea demum ad decocta lignorum ſudorifera, vel etiam, ſi neceſſitas urget, ad mercurialia deveniatur. Similis cautela adhibenda eſt in iis, qui ex viris ad affectiones ſpaſmodico-hypochondriacas, ex foeminis ad paſſiones hyſtericas, ſive ex utroque ſexu ad effrenes ſanguinis congeſtiones, ejuſdemque per nares, hæmorrhoides & pulmones evacuationes ſunt diſpoſiti, quibus omnibus ſola ſalivatio nunquam conducit. Multo vero minus in illis debet ſuſcipi, qui viſcera qualicunque labe affecta habent, quia metus eſt, ne auctis inde obſtructionibus ad lethum ducantur ægri.

§. III.

*..in ſubjectis macilentioribus.*

Deinde, corpora ſicca & macilentiora non adeo bene ferre ſolent mercurialia: quapropter inſigne ſtratagema eſt, ut humores prius fluxiles reddamus, fibraſque rigidiores & ad ſpaſticas ſtricturas proclives relaxemus: quod optimo conſilio perficitur per balnea aquæ dulcis temperata, duas vel tres ante ſalivationem hebdomades una cum decoctis lenioribus adhibenda. Atque his præmiſſis optime blandeque ſæpe agere vidimus mercurialia.

§. IV.

*Circa ſymptomata ſub ſalivatione.*

Dira quandoque ſunt, quæ curationi mercuriali adſociantur ſymptomata, ut dentium nigreſcentium à nimia gingivarum relaxatione inducta vacillatio, linguæ fauciumque intumeſcentia cum maſticatione & deglutitione difficili, ap-

Nn 4 petitus

petitus proſtratio, ſomnus ob ſalivæ fluxum, noctu etiam durantem valde interruptus, & notabilis virium defectio: quæ omnia partim ab impetuoſa ſalivalis laticis profuſione validoque feri ab extremis & infernis partibus ad fauces impulſu, partim vero ab imminuto alvi & urinæ fluxu proveniunt. Quapropter, ſi nimium urget & vires plane deſtruit ſalivæ profluvium, humorum motum ad inferiora derivare juvat per pediluvia dextre adhibita, per clyſteres, per laxantia mannata & rhabarbarina, vel, ſi hæc non ſufficiunt, per pilulas noſtras balſamicas cum extracto panchymagogo Crollii interdum acuatas, vel etiam per pulverem rhabarbari, cum diagrydio ſulphurato vigoratum, & cum ſyrupo cichor. cum rhabarb. in electuarium redactum, quod ſimul roborandis gingivis egregie inſervit. Neque tum laude ſua carent infuſa theiformia, ex veronica, ſcabioſa, floribus ſambuci & ſalviæ parata crebriuſque oblata, quia iisdem humorum motus ad extimam corporis ſuperficiem dirigitur, & ſaluberrimum tranſpirationis negotium perbelle promovetur.

## §. V.

*Circa oris vitia & dentium lapſum.*

Præter hæc interna derivantia quod ſpeciatim attinet ad externa, in oris fauciumque vitiis ſub ptyaliſmo evenientibus, applicanda opportuniſſime adhibentur gargariſmata, ex ſpeciebus purificantibus leniterque conſtringentibus compoſita, quarum præcipuæ ſunt baccæ & folia myrthi, flores balauſtiorum, roſarum rubrarum, herba menthæ, meliſſæ, cortex caſcarillæ, maſtix &c. quæ in aqua flor. ſambuci, plantaginis, vel vino rubro decocta ſiphonis ope poſſunt injici, iisdemque os ſæpius collui. Ad nimiam vero gingivarum laxitatem dentiumque lapſum præcavendum eſſentia terræ catechu, tinctura laccæ Mynſichti, vel balſamum noſtrum vitæ cum ſyrupo granatorum, vel aurantiorum mixtum, carnique gingivarum crebrius admotum, egregiam præſtant opem.

## §. VI.

*Circa dolores inteſtinorum & vigilias.*

Incidit ſæpius, ut mercurialia pro ſalivatione cienda propinata dolores excitent inteſtinorum admodum feroces: quare tum protinus danda ſunt theriacalia, ut theriacæ cœleſtis aliquot grana cum emulſione amygdalarum dulcium & uncia dimidia ſyrupi diacodii. Atque ejuſmodi emulſiones cum aquis antiſpaſmodicis paratæ, & cum ſyrupo papav. albi edulcoratæ commodum etiam habent locum, quando nimia & aſſidua vigilia auxilium urget, quia tali in caſu fortiora dare hypnotica nunquam ſecurum eſt, ſed leniora tantum hæc ſufficiunt.

## §. VII.

*Cautelæ poſt ſalivationem.*

Ipſa ſalivationis cura nonnunquam ad triginta & ſex dies, imo longius protrahenda eſt; quibus exactis nihilo minus ſæpe ægri certam mercurii dulcis doſin omni ſeptimana debent ſumere, & ſe diutius adhuc ab acribus, pinguibuſque cibis abſtinere. Et quum plerique peracta ſalivatione ſint famelici, omniaque velint ingurgitare, nimiam quoque ciborum abundantiam vitare decet ægros, quia inſtar infantum ſunt conſiderandi. Etenim, quoniam vetus ſanguis fere omnis per ſalivæ fluxum, mercurialium ope excitatum, fuit eductus; ſanguis & ſucci benigni nunc denuo ſunt ſubſtituendi, quod per alimenta pauca, eupepta & euchyma perficitur, ſimulque tali ratione recidiva præcavetur. Sunt quoque, finita ſalivatione, mutanda veſtimenta, quoniam haud raro fomes venenatus non penitus exſtinctus quaſi in cineribus latitat, qui novos poſtea tumultus ſuſcitare valet. Quam in rem legendus eſt HILDANUS *centur. V. obſervat.* 115. ubi præſtantiſſimus hic auctor etiam alias ſalutares ſuppeditat cautelas, circa ſalivationis operationem obſervatu neceſſarias, inprimis, quod ante eam tophi oſſium ſint emolliendi, caries tollenda, ulceraque, quantum fieri poteſt, mundificanda.

## §. VIII.

*Circa narium & palati ulcera.*

Virus venereum quam facile ſeſe adſociat oſſiculis narium ſpongioſis, & palati quoque oſſibus firmiter inhæreſcens partes has teneriores vehementer corrodit, exedit, & in fragmenta putredine diſſolvit. Quo in caſu mercurialis ſalivatio parum ſola proficit, ſed potius intra nares cum ſiphone fieri debent injectiones liquorum putredini reſiſtentium, ex aqua d'arquebuſade, eſſentia ſuccini, myrrhæ, balſami Peruviani, additis aliquot olei caryophyllorum guttulis, compoſitorum; quibus mirabile certe levamen exeſis hiſce partibus afferri ſolet. Quando enim non cito ſatis teterrima iſta putredo ſiſtitur, oſſa palati exulcerantur & carie ita exeduntur, ut foramina fiant, quibus adſumta, præſertim potulenta per nares regeruntur.

## §. IX.

*Circa exoſtoſes & caries oſſium.*

Exoſtoſes & caries oſſium non ſemper per mercurium certo curantur, ſed melius ſæpe per guajaci decoctum, in magna quantitate, ad aliquot menſuras in die hauſtum. Externa vero ope ut ſimul ſubveniamus, caries oſſis & nigredo primum eſt abradenda, dein pulvis euphorbii inſpergendus, vel loco hujus aliquot olei guajaci, caryophyllorum, vel cinamomi non adulterati guttulæ cum goſſypio applicandæ. In occulta autem carie juvat carnem, quæ carioſum locum contegit, putreſcentem vel ſcalpello, vel cathæreticis ſeparare, ut os oculis remediisque adhibendis pateat.

## §. X.

*Circa tophos.*

Non raro accidit, ut ipſa oſſium compages, præſertim tibiarum, à ſuſcepto intus virulento humore in tumorem attollatur, atque in dura abeat tubercula, quæ, quia inde ſenſibilis perioſtii membrana rumpitur, vehementer dolent. Atque tum pariter externis ſuccurrere decet, ex quorum numero emplaſtrum Vigonis cum mercurio, vel emplaſtrum manus Dei, ſeu miraculoſum, debita additione mercurii vivi & balſami ſulphuris terebinthinati, ſive juniperini vigoratum, ob eximiam opem ſummam merentur commendationem. Quo etiam ſpectat emplaſtrum emolliens Agricolæ in chirurgia ejus parva deſcriptum.

## §. XI.

*Ratio morborum in oſſibus.*

Enimvero, mirum forte cuipiam eſſe poſſet, ipſa quoque oſſa, ceu corpora ſenſus expertia & tam ſolida, ut ferro vix findi poſſint, hac in lue graves læſiones, tumores, inflammationes & apoſtemata, imo dolores fere intolerabiles pati. At vero, quia oſſa nutriuntur, creſcunt & augmenta ſumunt, omnino influxum recipiunt humoris nutritii lymphatici tenuis: unde non mirandum eſt, cur etiam putredine & apoſtemate infici poſſint. Quandocunque enim acres ichores

res in oſſium poris coacervantur, acredine ſua illa corrodunt, non ſecus ac teredo vermis lignum ſolet perforare. Hanc ulceroſam oſſium affectionem AVICENNA, unus ex præcipuis medicorum antiſtitibus, ventoſitatem ſpinæ appellavit, & ita exoriri docuit, quando ichoris putridi, in oſſium cavernis accumulati pars groſſior in tubera & tophos concreſceret, altera ſubtilior ſua acrimonia oſſa & panniculos ejus arroderet atque diſtenderet, quorum panniculorum ope oſſa dolerent & quaſi terebra perforari viderentur. Quod vero noctu præſertim atrociores hujus morbi dolores oſteocopi ingraveſcant, id ea ratione fieri arbitror, quia ſole occiduo, ob motum fluidi ætherei lentiorem, humores magis fiunt viſcidi ac tenaces; lecti vero calore acres corrodentes ſubtiliores partes magis in motum cientur, ut membranulas, tendines & nervos graviter vellicent, & vaporoſo flatu diſtendant.

§. XII.

*cautelæ circa puſtulas*

Puſtulæ venereæ in fronte & mento effloreſcentes, ſaniemque & ichorem putridum acrem fundentes difficulter tolluntur & conſolidantur, niſi veneno venereo probe retuſo, omnique ſymptomatum ferocia refrænata. Neque etiam linimentis, unguentis & emplaſtris ſemper cedunt, ſed ab applicatione unguenti digeſtivi, ex vitello ovi, myrrha & terebinthina Veneta parati, & cum æquali portione balſami noſtri vitæ remixti ſingularem vidi effectum conſolidantem.

§. XIII.

*circa vitia pudendorum ſub ſalivatione.*

Gonorrhœa virulenta albique fluoris ex mulierum pudendis ſtillicidium mercurialibus non ſiſtuntur. Urgent tamen nonnunquam auxilium; quo fine præter ea, quæ ſuo loco in capite de gonorrhœa innuimus, injectiones tam in uterum quam in urethram immiſſæ proſunt; quales ex aqua calcis vivæ ſecunda, cum aqua roſarum vel ſambuci facta, & cum aqua d'arquebuſade mixta poſſunt confici, quibus in gonorrhœa nonnunquam ſacchari ſaturni pauxillum poteſt addi. Neque tumores teſtium ſalivatione proprie curantur, niſi ſimul idoneis ſuccurramus externis remediis, quæ in fotibus & vaporibus, ex herbis & floribus emollientibus in lacte coctis partique affectæ admiſſis, nec non emplaſtro Vigonis cum mercurio potiſſimum conſiſtere debent.

§. XIV.

*Curatio luis cum mercurio ſine ſalivatione.*

Reſtat autem peculiaris medendi methodus, quæ, ſi internam ſpectemus opem, non modo jam dictis genitalium adfectibus, quando nec cura ſudorifera nec mercurialis ſufficit, egregie opitulatur, verum etiam in debellandis aliis hujus morbi ſymptomatibus, ut fere ſunt putrida oſſium ſquamoſorum corruptio, polypus & ozæna, peſſimam ſtillans ſaniem, mirifice prodeſſe ſolet. Hæc enim mala tam pertinaciter inhærent, ut curationem omnino ſingularem poſcant, quæ noſtra methodo & experientia per medicamenta quidem mercurialia, ſed eadem valde correcta & virtute diaphoretica exaltata, ſine largiori ſalivæ ad aliquot hebdomades durante profluvio perficitur. Jam fere triginta elapſi ſunt anni, quum ego diſſertationem de morbis rebellibus chronicis ſine ſalivatione curandis conſcripſi, ibidemque docui, qua ratione mercurius intima auri vel ſtanni admixtione diaphoreticus reddi poſſit. Siquidem hæc metalla ſingulari quadam & quaſi propria pollent efficacia, penetrantem volatilem, partibusque nervoſis infenſam mercurii indolem cicurandi & ita temperandi, ut ne ad intimam membranarum compagem penetrent, ſed tantum vim vaſorum ſyſtalticam augendo, circuitum ſanguinis & lymphæ intendant, quo mediante ad ambitum corporis cutiſque ſpiracula vitioſi humores ducuntur & inde evacuantur.

§. XV.

*Ejus præparatio & uſus.*

De ipſo autem præparandi modo ſcire licet, quod alter mercurius diaphoreticus ex amalgamate mercurii & ſtanni, ita conficiatur, ut deſuper abſtracta aqua forti edulcoratio cum aqua fiat, alter vero ex commixtione mercurii, auri, & æquali portione reguli antimonii, deſuper abſtracta aqua regis, itidemque facta edulcoratione, præparetur. Atque cum medicamento hoc diaphoretico, auri inprimis combinatione præparato curatio non fruſtranea ita inſtitui debet: primo pilulis mercurialibus ſupra deſcriptis aliquoties alvus eſt ſolvenda, deinde, humectato prius corpore per balneum, ex aqua fluviatili furfuribusque triticeis paratum & aliquot dies adhibitum, mane & veſperi mercurius ille cum antimonio diaphoretico, vel in conſerva roſarum, vel in forma pilularum ad ſcrupulum unum per aliquot dierum ſpatium offeratur, poſtero die mane ſuperbibendo decoctum lignorum temperatum cum regimine diaphoretico. Tutior tamen eſt hæc medendi methodus, ſi peracta ciborum digeſtione circa horam pomeridianam quintam vel ſextam æger quotidie per menſem in balneum deſcendat & cubitum iturus medicamentum dicto modo ſumat: qua ratione non raro tam exoptatus obtinetur effectus, ut aliis dein curationibus internis non ſemper opus ſit, ad peſtiferum illud virus ex corpore eliminandum; ſi modo ægri ſimul rectum conjungant victum, debitamque potuum temperatiorum copiam, quam ſat magnam eſſe decet, adſumant.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Lues venerea ex gonorrhœa male tractata.*

Vir quadraginta annorum, ſiccæ temperaturæ corporisque macilentioris, jam dum a multis annis, ob victum durum & ſalſum, non modo ſcorbuticam humorum diatheſin ſibi contraxit, verum etiam elapſo nunc biennio poſt concubitum cum impura fœmina celebratum gonorrhœam incidit virulentam, quæ adſtringentibus & terebinthinaceis tractata feliciter quidem ſubſtitit, ſed acerbum capitis dolorem, noctu plerumque auctiorem, cum alvo ſtrictiore & arida reliquit. Conſulebatur chirurgus, qui primo quidem lignorum decocta cum regimine diaphoretico potanda commendabat, ſed brevi poſt, nihil his proficientibus, mercurialia in exceſſiva doſi ad drachmam dimidiam per aliquot dies propinabat: unde tam copioſæ alvi dejectiones excitabantur, ut ingens virium jactura vitæ periculum minaretur. Refectis paullatim viribus alvique fluxu ceſſante, capitis dolores nihilo minus magnam figebant crucem; unde cura per artuum inunctionem ſalivatoria inſtituebatur; qua nondum penitus finita quum æger diætæ ſtrictioris impatiens parum ſentiret levaminis, adibat medicos, qui decocta lignorum ſudorifera diligenter commendabant; a

quo-

quorum uſu mox in univerſo corporis ambitu maculæ prodibant rubicundæ, ob ardorem & pruritum moleſtæ. Varia hoc fine dabantur refrigerantia & nitroſa, idque inde obtinebatur, ut maculis ad tempus diſparentibus, tantum levis cutis ardor remaneret. At vero, redeuntibus non adeo multo poſt maculis, dolores capitis & artuum lancinatorii, ſomnum plane turbantes plusquam antea unquam ægrum afficiebant; alvus plerumque adſtricta nonniſi dura & pauca dimittebat ſcybala; imo in ipſo abdomine, flatulentiis turgido tormina ſæviebant ſpaſtica cum urinæ difficultate & ardore juncta. Tandem pedum tumor inſignis accedebat: quare æger de vita ſollicitus meam poſtulabat opem.

### *Epicriſis cum conſilio.*

Peſſime ſibi conſulunt, qui laſcivo veneris ſtimulo perciti eidem promiſcue illicito auſu indulgent, atque ſic non modo totum corpus enervant, verum etiam cum ſcortis impuris coeuntes idem in ſe malum derivant. Exemplo ſit præſens ægrotus, qui ob vagam libidinem primum moleſto liquoris ſeminalis ſtillicidio laboravit, & hoc demum cohibito acerba luis venereæ ſymptomata expertus eſt. Deinde reprehendi meretur iniqua chirurgi methodus, quam in ſanando ægro audacius juſto adhibuit. Nam quum corpus ſiccum & macilentum per balnea prius & decocta debuiſſet humectare, ſtatim mercurialia in nimia doſi propinando, totum curationis opus peſſundavit. Quod ſi enim hæc medicamenta vel minus rite præparata, vel in immoderatiori doſi exhibita fuerint, nec ſalutares diætæ regulæ obſervatæ; mirifice plerumque tonus & robur ſolidarum, inprimis nervoſarum partium, quas inter ventriculus & inteſtina primas tenent, labefactatur, ut poſtea multa opera multoque tempore opus ſit, ſi omnes naturæ motus à regula deflectentes in ordinem redigere, ſuæque reſtituere integritati velimus: unde diſcere licet, quod perverſa luis venereæ curatio valde difficilem, imo prorſus dubiam reddat perfectam mali ſanationem. Si quando obveniunt ejusmodi ægri malis curationibus corrupti, caveat ſibi medicus prudens, ne eosdem ſine habito reſpectu ſanandos recipiat, quia ſæpe oleum & operam cum fama perdit. Verum enim vero, quum penitus deſerere ægros ſæpe religioni ſit, id maxime agendum eſt, ut ſerio injuncta ſtrictiori diæta noxios humores per ſudorem elicere ſtudeamus, ſubjectis in fine roborantibus. Quo nomine commendare licet ſal volatile cornu cervi, & ſpiritum cornu cervi ſuccinatum cum ſpiritu tartari, camphora & croco mixtum, qui cum decocto lignorum temperato, quod etiam ordinario potui inſervire poteſt, exhibitus potenter ſudorem pellit, præſertim ſi regimen in lecto diaphoreticum acceſſerit. Cavendum tamen ſummopere eſt, ne exceſſu peccetur: quare per aliquot tantum dies ſudare, poſtea quieſcere & corpus bonis ſuccis reficere, idque aliquoties alternatim repetere juvabit. Inter hæc danda eſt opera, ut alvus, quæ plerumque clauſa eſt, aperta ſervetur: quem finem tum per clyſteres emollientes & oleoſos, tum etiam per rhabarbarum, mannam & ſennæ folia, ſtipitibus denudata, imo in nonnullis per ſola alimenta lubricantia, ut ſunt prunellæ, poma Borſdorffienſia cocta, & paſſulæ tam minores quam majores exacinatæ, obtinere licet.

### Observatio II.

Puerum, duodecim annorum, jam ante biennium gravis & lancinatorius artuum dolor afflixerat noctu tam vehemens, ut ſomnum capere vix potuerit. Non multo poſt ſeroſa, ſalſa & acris, cum dolore & ardore juncta defluxio interiorem narium ſubſtantiam occupabat, quam parentes pro coryza habentes negligebant; donec auctis doloribus humoris mox lenti & viſcidi, moxavirideſcentis & ſanguine tincti ſequebatur effluxio, ad quam abigendam chirurgum advocabant, qui ad demulcendam humorum acrimoniam non modo mucilaginem naribus attrahendam præſcribebat, ſed & pulveres ſiccantes ex bolis confectos, cum aqua ſolani & roſarum mixtos ſiphonis ope naribus infundebat. At vero, fœtidiſſima illa narium corruptio ita invaleſcebat, ut materia altius ſerpens non tantum narium concamerationes, ſed faucium quoque oſſa ichore putrido & plus minus ſanguinolento, depaſceret: ſiquidem innumeris fragmentis oſſeisque ſquamulis quotidie exemtis oſſa turbinata & cartilagines fere omnes intra anni ſpatium conſumebantur. Adjungebatur medicus, qui probata medendi methodo, à chirurgo hactenus adhibita, nihil omnino, præter medicamenta quædam ſanguinem depurantia propinabat, ſed ſine ullo meliori effectu; ut potius ſub horum uſu os palati carie exeſum ſat lato foramine hiaret, & dentes aliquot carioſi ex ſuperiori maxilla exciderent. Exterius quoque in facie prope nares tumor emergebat, pereunte ſimul omni odoris & tactus ſenſu, ut nihil prope à ſtilo, profundius naribus immiſſo perciperetur. Inter hæc puer graviter conquerebatur de doloribus oſteocopis, qui ſomnum fere omnem, ciborum adpetentiam, viriumque robur abigebant; & jam eo res devenerat, ut & medicus & chirurgus malum deſperatum nullaque ope ſanandum pronuntiarent. Quare parens perterritus ad me confugit; unde ego ineptiſſima hac curatione, quæ refrigerantibus abſolvebatur, reprobata, ad putredinem ulteriorem avertendam remedium ſumme efficax præſcribebam, ex olei caryophyllorum non adulterati, balſamique Peruviani æquali portione compoſitum, quod ſæpius de die cum linteo carpto narium cavitati intrudebatur. Dein quoque decoctum agrimoniæ, ſaniculæ, millefolii &c. cum tinctura myrrhæ, vel aqua ſclopetaria imprægnatum ſpiritu attrahendum, vel ſiphone infundendum præcipiebam, ut inde narium interiora eo melius eluerentur. Quoniam tamen cetera, quæ jungebantur ſymptomata, ſimul internam poſtulare opem videbantur, eandem hac ratione ferendam judicabam. Præmiſſa leniori alvi laxatione, mercurium diaphoreticum ſolarem cum conſerva roſarum ſubactum ad tria grana alternis diebus mane offerri juſſi, ſuperbibendo decoctum lignorum, lenemque poſtea ſudorem in lecto exſpectando. Inter cibos & ante ſomnum obtuli elixirium balſamicum, quod chylificationi, ſanguinisque depurationi egregie inſerviebat. Neque demum temperata decocta, in potus locum haurienda, nec balnea veſpertino tempore adhibenda omiſimus, idque adſpirante gratia divina obtinuimus, ut non modo ſenſim paullatimque ſordida narium ulcera perſanarentur, ſed & dolorificæ artuum lancinationes cum reliquis ſymptomatibus feliciter exſpirarent, miſereque antea adfectus æger exacto menſis ſpatio iterum

*Venerea naſi & faucium corruptio.*

iterum ſuis fungi actionibus valeret, nihil ſentiens moleſtiæ, præter quod loquelæ impedimentum remaneret, quale immedicabile erat infortunium, fortique ideo animo ferendum.

*Epicriſis.*

Mirum forte videbitur, qua ratione puer tam inſons veneriſque expers in graviſſimum luis venereæ adfectum inciderit. Sed mirari deſinent, qui ſecum perpendent, optimum hunc puerum cum patris famulo intimius eſſe verſatum, qui virulenta gonorrhoea, bubonibus, aliisque malis diu laboraverat; unde concludere licet, per contagium ipſi venereum virus fuiſſe inſpiratum. Non enim novum, ſed ſatis compertum eſt, tenuiſſimum tale miaſma ab uno in multos alios ita poſſe tranſplantari, ut ſinguli fiant eadem labe contaminati; uti hic loci notabile proſtat exemplum, quum tota quædam familia à ſola nutrice infecta mediante contagio fuit inquinata. Maxime vero omnium, teneriora infantum corpora ad ſuſcipiendam hanc labem ſunt diſpoſita, ſine dubio, quod rarior & laxior ipſorum textura expeditius, quam denſior & compactior virulentiam admittat: quare, ſi ullos alios, certe infantes & pueros ab infectorum ſodalitio arcere debemus, ne contagii participes evadant. Si curationem ſpectamus, me judice temeraria iſta & imprudens fuit, quam chirurgus & medicus ſuſceperunt, medicatio; ſiquidem nihil magis, quam topica refrigerantia ſævitiam morbi potuiſſet augere; cum contra, ſi ſtatim ab initio efficax remedium fuiſſet oppoſitum, nunquam æger in tantam incidiſſet perniciem. Quandoquidem ut in omnibus gravioribus malis, ita maxime in ſæviſſimo luis venereæ affectu multum intereſt, ut in tempore veniendo ſat potentem medelam afferamus.

## Observatio III.

*Lues venerea male initio pro ſcorbuto habita.* Juvenis viginti & aliquot annorum, temperamento præditus ſanguineo-phlegmatico habituque corporis ſpongioſo, variis genitalium affectibus, ut gonorrhoea maligna, peniſque exulceratione ſat diu conflictatus aliquando ingentem corporis languorem percipiebat, quem vox rauca, & inſignes capitis, tibiarum & brachiorum dolores, nocturno tempore cœloque nebuloſo ingraveſcentes excipiebant. Poſt adſumtum cochleariæ ſpiritum, cum ſpiritu Cornu cervi combinatum non modo dolorum atrocia augebatur, ſed puſtulæ quoque per faciem reliquamque cutim ſparſæ adparebant, ſaniem gradatim intus colligentes. In naribus ardor, ſiccitas & pruritus ſentiebatur, ſuccedente corrupti fœtidique ichoris ſanguine tincti excretione: faucium interiora & glandulæ, quas ob ſimilitudinem amygdalas dicunt, fœtidis ardentibus obſidebantur ulcuſculis: in oſſibus prodibant tubercula, & jam plurima venereæ luis ſigna aderant. Duo in conſilium adhibebantur medici, qui hujus morbi primordia à ſcorbuto derivantes martialia, lignorum decocta, purgantia, magnamque antiſcorbuticorum farraginem initio propinabant; donec accedente narium & faucium eroſione de luis venereæ præſentia edocti pilulis gummoſis mercurialibus contra eandem pugnabant. Sed parum his proficientibus mercurius præcipitatus bene elotus cum theriaca offerebatur, ad ptyaliſmum excitandum; unde tam immanes vomitus pectoriſque anxietates oboriebantur, quæ niſi calidi lactis potu temperari haud poterant. Dabantur itaque ex noſtro conſilio decocta tam ſaturatiora, ex ſpeciebus alexipharmacis conflata una cum tinctura antimonii acri, ad ſudorem eliciendum mane capienda, quam ſecundaria temperata, potus loco haurienda, circa lecti vero ingreſſum cinnabarina in largiori doſi cum reſina guajaci & ſale volatili viperarum commixta offerebantur. Syncipiti deraſo cruribusque & brachiis famoſum illud Vigonis emplaſtrum, aucta mercurii quantitate, camphora & balſamo de Peru vigoratum imponebatur, & ſubinde balneum adhibebatur Laconicum. Quibus remediis per duos menſes continuatis, adjuvante Deo, æger ſine ulla ſalivatione & mercurialium uſu exoptatæ reſtituebatur ſanitati; niſi quod membrum ſcirrho cancriformi obſitum adhuc aliquam poſtulare medelam videretur, quam externo linimento, ex aqua calcis vivæ & ſambuci, ſpiritu vini camphorato, ſaccharo ſaturni & mercurio præcipitato albo parato ex voto præſtitimus.

*Epicriſis.*

Docet inprimis hæc morbi hiſtoria, quod incipiens lues in iis locis, ubi frequentior ſcorbuti progenies eſt, ſæpe fucum offundat vel oculatiſſimis; præſertim ſi hoc morbi genere tentantur viri, qui famam ſine labe obtinent, & ſanctiore vitæ inſtituto ſuperbiunt, vel quorum vitam ante actam perquirere verecundiæ habendum eſt. Facilis tamen morbi erit cognitio, ſi præter ea, quæ ſuperiori §. IV. curationis innuimus, hæc probe attenduntur: in ſcorbutico affectu raro in capite, fronte & oſſibus tubercula dura valde dolentia prodire, neque raucedinem tam diuturnam adeſſe, neque etiam oſſa narium ſpongioſa, ſicut in lue venerea, occupari. Et profecto, permultum tam ad prognoſin rite formandam, quam ad curationem recte inſtituendam refert, ut veram utriuſque morbi indolem exacte cognoſcamus. Sicut enim venerea lue infecti antiſcorbutica raro impune ferunt; ita contra ſcorbutici à mercurialibus, in quibus genuinum luis antidotum reſidet, plerumque graviter læduntur. Quare non mirum eſſe debet, quod à cochleariæ ſpiritu in noſtro ægroto mox puſtulæ copioſiores efflorueriint. Præterea, id quam maxime ex hoc caſu ad uſum noſtrum convertere licebit, quod in mercurialibus propinandis admodum caute debeamus procedere, & ab uſu eorum ſtatim abſtinere, quam primum imi ventris tormina & vomitus ſuccedere videntur. Ita enim variat luis indoles in diverſis ſubjectis, ut interdum non aliis, niſi mercurialibus remediis cedere velit, interdum vero eadem plane reſpuat, & ſolis decoctis ſudoriferis interpoſitisque laxantibus, præſertim inter initia expugnari ſinat.

## Observatio IV.

Nobilis quidam marti & veneri ſtrenue deditus, viginti & ſex annos natus, poſt immanes pedum, capitis, omniumque artuum dolores, in crure utroque tuberculis obſidebatur ſquamoſis & pruriginoſis. *Lues venerea cum vermibus complicata.* Commendabantur aquæ ſalſæ, quibus per duo de viginti dies epotis infinita aſcaridum copia per alvum primo exterminabatur, & mox venereæ puſtulæ non modo in facie, ſed in manibus quoque & pedibus expellebantur: unde ſepoſitis his aquis mercuriale remedium, ex conſerva roſarum, theriaca & tur-

turpetho minerali compoſitum offerebatur, quo ter adſumto magna oriebatur diarrhœa & vomitio cum ingenti virium jactura. Lactis quidem & diaſcordii Fracaſtorii uſu dejectiones illæ feliciter cohibebantur, ſed dolores ac puſtulæ fixius inhærebant. Quare denuo dabatur electuarium modo dictum, eo quidem effectu, ut ſat larga promoveretur ſalivatio, cum oris fauciumque exulceratione, teterrimum fœtorem ſpirante. Gargariſma alioquin efficaciſſimum ulteriorem ulcerum progreſſum vix poterat retardare, ut potius hæc latius ſerpendo interiora faucium depaſcerent, dentesque male hærentes ex alveolis ſuis deturbarent. Tandem ad decocta lignorum temperatiora, quæ etiam papaveracea habebant, deveniebatur, quibus in maxima quotidie copia adſumtis, ſimulque laxantibus, ad divertendum ſalivæ fluxum, interpoſitis æger tandem Dei gratia exoptatæ reddebatur ſanitati.

*Epicriſis.*

Exhibet hic caſus plura, tum ad penitius cognoſcendam morbi indolem, tum ad curam rite inſtruendam neceſſaria, quæ jam paucis expendere lubet. Inprimis autem notatu perquam dignum eſt, quod verminoſa progenies lubentiſſime morbo noſtro adſocietur, non aliam ob cauſam, quam quia ex putredinoſa humorum corruptione, quæ in venerea lue admodum graviter peccat, ſeminium illud verminoſum facile generatur. Jam quidem ad ingratos hoſce hoſpites ex inteſtinorum latebris ejiciendos, aquis ſalſis nihil eſt præſentius. At vero, ſicut ſalſedo, ſeu rectius ſalſa humorum acrimonia venereum virus in ſcorbuticis corporibus valde acuit atque exaſperat; ita etiam in præſenti ægroto aquæ ſalſæ potus minime fuit utilis, ſed potius noxius: ſiquidem inde non modo puſtulæ magis rodentes ſunt expulſæ, ſed poſtea quoque, mercuriali remedio ſuperingeſto, copioſæ per os & alvum dejectiones cum ſumma virium atonia excitatæ. Ea enim medicamentorum, ex hydrargyro paratorum eſt indoles, ut ſalium connubium minus amice ineant, ſed facile corroſivam & virulentam adſumant naturam: quare omnes ſcorbutici, & quorum prima regio ſalſis & acidis ſcatet ſuccis, ſerio cavere debent mercurialia, niſi ſæviſſima incurrere velint ſymptomata. Quod tandem ad plenariam hujus mali ſanationem attinet, rectiſſime hæc decoctis humectantibus & papaveraceis, magna in copia hauſtis fuit peracta; ſiquidem hæcce remedia rodentem humorum acrimoniam demulcendo, & per congrua emunctoria expellendo, non modo ſymptomatum atrociam egregie mitigarunt, ſed cauſam quoque ſuſtulerunt feliciſſime.

## Observatio V.

*Phthiſis venerea.* Vir triginta annorum, conſtitutionis tenerioris & macilentæ, per ſat longum temporis ſpatium de magna virium imbecillitate corporiſque ad motum ſubeundum impotentia, de tuſſi, reſpirandi difficultate, & acerbis artuum ipſorumque oſſium cruciatibus, noctu præſertim auctioribus conquerebatur, pituitam ex ore ejiciens copioſam & mucidam. Satis cito conſulebatur medicus, qui phthiſicam pulmonum labem ſuſpiciens præmiſſa venæ ſectione multa pectoralia, decocta ex lignis temperatioribus cum anodynis mixta, laxantia quoque & alia demulcentia propinabat, ſed ſine ullo ſubſequente lætiori effectu. Accedente demum moleſtiſſima raucedine, pluribuſque puſtulis ulceroſis in facie & capite efflореſcentibus, primum venereæ malignitatis indicium aderat; & facta inquiſitione deprehendebatur, ægrum jam per triennium gonorrhœa, à ſcorto infami contracta laboraſſe, eamque demum cohibitam virulentiæ veſtigia in ſanguinis & humorum maſſa reliquiſſe. Quod quum animadverteretur, ad exſtirpandum hoc virus mercurius dulcificatus ad aliquot grana cum roſarum conſerva per aliquot dies, interpoſito largiori decoctorum uſu, offerebatur; unde quidem alvi fluxus proritabatur ſat copioſus, hoc autem per convenientia remedia ſedato, ſua ſponte ptyaliſmus quatuor hebdomadum ſubſequebatur, quem ſecundum vires ægrotantis ita moderare ſtudebamus, ut ſenſim paullatimque graviora illa cum metu phthiſeos ſtipata ſymptomata feliciter exſpirarent, ægro pleniſſime reſtituto.

*Epicriſis.*

1) Ex præfata morbi hiſtoria paulo clarius eluceſcit, reliquias gonorrhœæ, præſertim male curatæ, diutius in ſanguine poſſe hoſpitari, admodumque varium morbi ſchema exhibere, ante quam à medico cognoſcatur. Si quando igitur in artis exercitio talis medenti morbus obvenit, cujus originem & generandi modum non ſatis valet perſpicere, juvat omnino ad luis venereæ virus animum mentemque interdum advertere, præſertim ſi ſymptomata quædam huic morbo communia adſint, quæ ſuſpicionem pariant. Quod ubi minus obſervatur, metus eſt, ne ea adhibeamus remedia, quæ cauſæ morbi adverſa miſeros ægrotos in majus præcipitant periculum.

2) Diſcimus, mercurium dulcem, in minori etiam doſi oblatum, ſæpe effectum edere præſtantiſſimum, idque eo magis, ſi ſerum adſit copioſum & fluxile, quod perfacile in motum cietur. Quoniam vero de interna humorum conſtitutione ac craſi non ſatis adeo certe & determinate judicare medico licet, ſemper minori mercurii doſi ſalivationis curam inchoare, & per gradus ad majorem aſcendere, quam ſtatim inter initia fortiori impetu uti, præſtat. Accedit magna naturarum, ratione roboris & imbecillitatis, differentia, quæ ſicut omnium medicamentorum; ita etiam mercurialium diverſam requirit doſin, eamque, ut tutius procedamus, initio ſemper minorem. Luculento poſſunt eſſe teſtimonio vel ſola purgantia, quæ in magna etiam portione exhibita, nonnullos parum commovent, alios è contrario ita enervant, ut inde graviſſime, vel cum vitæ periculo ægrotent.

## Observatio VI.

Juvenis viginti annorum, ſanus & vegetus, ex impuro concubitu gonorrhœam incidebat virulentam, quam parum æſtimans non modo illicita venere, ſed & aliis in diæta commiſſis erroribus ita depravabat, ut exacto quatuor menſium ſpatio tumoribus inguinum, quos bubones dicunt, cancroſis penis ulceribus, & variis tam penem quam anum obſidentibus afficeretur condylomatibus. Adhibebantur remedia gonorrhœæ dicata, & aperto bubone æger per decem integras hebdomades decocto utebatur purificante, quod tum potus loco, tum mane in lecto calide ſub regi- *Varia luis venereæ ſymptomata cum pertinaci colli tumore.*

regimine diaphoretico, una cum tinctura antimonii acri, eſſentia pimpinellæ & ſuccini bibere debebat. Præter hæc, quinto quovis die dabantur pilulæ mercurio dulci vigoratæ; & hac quidem ratione condylomata ſenſim marceſcebant, ulceroſa cancriformia & bubo conſolidabantur: ſed neglecto accuratiori vitæ regimine æger per totum corporis ambitum ſcabie ſuffundebatur venerea, quæ cum moleſtiſſimis brachiorum pedumque cruciatibus, & nocturno capitis dolore ſtipata magnam figebat crucem. Jungebatur ſimul tumor glandularum colli ſat pertinax, fauces ulcuſculis obſidebantur ardentibus & dolentibus, ipſique oculi lippitudine deformati rodentem & acrem fundebant lympham. Unicum itaque auxilium, præter decocta radicum & lignorum tam ſaturatiora, quam temperata, in ſalivatione videbatur repoſitum, quam ita inſtituendam curavimus, ut a tribus mercurii dulcis granis cum lapidibus cancrorum oblatis ad ſcrupulum prope unum paullatim adſcendendo, ptyaliſmus quinque hebdomadum excitaretur tam copioſus, qui per priores tres ſeptimanas intra nycthemeron tres vel quatuor menſuras æquabat. Saliva, ut fieri ſolet, ejiciebatur viſcida eaque fœtidiſſima, donec magis magiſque limpidior & fœtoris expers profflueret, & ſubjunctis in fine laxantibus oriſque collutionibus cum gargariſmate, quod radicem tormentill. flores roſarum rubr. herbam ſalviæ, folia myrthi & rob diamoron, papaveriſque rhœados habebat, penitus ceſſaret. His ex voto peractis puſtulæ venereæ evaneſcebant, & lancinantes capitis artuumque dolores exſpirabant, remanente oculorum lippitudine, & inſigni glandularum colli tumore, quem fruſtra adhibitis per unum alterumve menſem externis diſcutientibus & emollientibus tandem ſcalpello incidere conſultum ducebamus; unde primo grytea, dein purulenta effluebat materia. Ad vulnus inflictum a ſordibus repurgandum commendavimus eſſentiam myrrhæ & aloes cum balſamo Peruviano adplicandam, impoſito exterius emplaſtro Barbette ſaponato & bene camphorato, cum oleo hyoſcyami malaxato: qua methodo interjectis aliquot hebdomadibus æger a moleſtiſſimo hoc affectu liberatus nunc exoptata gaudet valetudine.

*Epicriſis.*

Fidem prope omnem ſuperare videtur, qua ratione miſer ægrotus tantam ſymptomatum, ſe una quaſi ſerie excipientium catervam ſine vitæ periculo perferre potuerit. Sed me judice, vera hujus rei ratio derivanda eſt a validiori ægrotantis natura, quæ non modo graviora rectæ valetudinis incommoda facilius toleravit, verum etiam medicamentorum energiam inſigniter adjuvit, ut opinione celerius ſanitas fuerit recuperata. Interim ex diri hujus morbi decurſu & feliciori eventu addiſcere licet, multa ſæpe in arte medica evenire ſalutaria, quæ deſperata habueramus, admodumque felicem eſſe illum medicum, cujus curæ ægroti robuſtiores & neceſſariis ad morbum ſuperandum viribus inſtructi commendantur.

OBSERVATIO VII.

*Tumor teſtium pertinaciſſimus.* Juvenis erat viginti annorum, qui, ut ipſe prætexebat, ex pollutionibus nocturnis, vel, ut rectius augurari licet, ex impuro amplexu ſat magnum accipiebat tumorem teſticuli dextri, cum rubore & dolore ſtipatum. Diſſimulabat primo æger non levi ſui damno hoc mali genus, ſed accedentibus in ſcroti ambitu octo ulcuſculis ſuperficialibus, fœtidum ichorem plorantibus, virum chirurgiæ peritiſſimum conſulebat, qui, peracta corporis cum pilulis mercurialibus aliquoties ſumtis purgatione, decocta ordinabat ſaturatiora, cum tinctura antimonii acri mane calide haurienda; externe vero cataplaſmata ex ſpeciebus reſolventibus & emollientibus parata in lacte cocta crebrius applicanda, tam felici ſucceſſu, ut intra quatuordecim dies non modo teſticulus magnitudine decreſceret, ſed & ulcuſcula, ſcrotum obſidentia ex voto conſolidarentur, relicta tantum aliqua duritie & intumeſcentia, quam emplaſtro de ranis cum quadruplo mercurii mixto ſenſim paulatimque abigebat. Elapſis aliquot menſibus hic moleſtus teſticuli tumor redibat, quem alius chirurgus variis tam externis quam internis remediis per ſex hebdomades ſanare tentaverat; ſed auſu plane fruſtraneo. Siquidem jam tumor mirum expanſus in peripheria aliquot ulnas æquabat, & vaſa utriuſque lateris ſpermatica ad duos pollices inflata conſpiciebantur. Ego conſultus tumorem probe viſitabam, qui ſpeciem herniæ, quam ſarcocelen nominant, referebat; unde mox priſtinum chirurgum, arte ſua non incelebrem accerſendum curabam, qui ex meo conſilio interne decoctum anti-venereum bene ſaturatum, exterius ſacculos diſcutientes, probe camphoratos in forma ſicca adhibebat, cum inſigni ægrotantis levamine & tumoris diminutione. At vero, quum mali pertinacia mitioribus hiſce remediis penitus cedere renueret, non abs re fore putabam lenem ſalivationem cum mercurio excitandam. Quo fine præmiſſa purgatione, per quinque dies plantæ pedum & teſticuli cum unguento mercuriali fortiter illinebantur: & en! ſexto die prodibat ſaliva, cujus fluxus per menſem ita moderabatur, ut non tantum vaſa ſeminalia ad naturalem craſſitiem redirent, verum etiam teſticulorum tumor remitteret. Ne tamen in loco hoc debilitato facile nova fieret humorum ſtagnatio, & ut tumoris reliquiæ penitus abigerentur, ſuaſor eram, ut emplaſtrum Barbette ſaponatum & bene camphoratum per tempus adhuc geſtaretur. Atque hac ratione æger a vexatiſſimo hoc malo impoſterum liber remanſit.

*Epicriſis.*

Mirum profecto eſt, quantum teſticulus ſic dictus venereus & medenti & ægrotanti faceſſat negotii, ſi in tales inciderit, qui magna viſcidorum, & difficulter mobilium ſuccorum copia ſcatent. Sicut autem varia celerioris ſanationis ſunt impedimenta; ita, me judice, hæc præcipua ſunt, quæ ex ipſa partis ſtructura pendent. Tam enim anguſti ſunt, & in ductus mirum contortos & anfractuoſos abeunt innumeri teſticulorum canaliculos, ut nonniſi tenuiſſimam & delibatiſſimam lymphæ partem, quæ ſeminis nomine inſignitur, ſecernere poſſint. Quam primum vero a ſucco craſſiori diſtenduntur, amiſſo robore ſuo facile ſcirrhoſam labem contrahunt, quæ poſtea difficulter curatur; maxime cum ob decliviorem teſticulorum ſitum valde difficilis ſit humorum regreſſus, qui per ſe nunquam fere non varii generis ſtagnationibus anſam præbet largiſſimam. Si curationem ſpectamus,

diſcere inde licet, quod ſæpe ptyaliſmus, maxime per mercurii inunctionem excitatus inſignem hos tumores diſcutiendi habeat potentiam: imo interdum à ſola ſcroti cum mercuriali unguento inunctione ego tales tumores feliciter ſcio diſcuſſos, quos nec validiſſima alia remedia, nec ipſe mercurius interne datus unquam potuiſſent reſolvere. Hæc ſcribenti in memoriam incidit caſus, ubi raucedinem veneream, cum tumore glandularum colli complicatam ſola inunctio plantarum pedum mercurialis ex voto ſuſtulit, poſtquam antea innumera remediorum genera irrito effectu fuerunt adhibita.

---

## CAPUT V.

### *De puſtuloſis & pruriginoſis varii generis affectibus cutis.*

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Inſtituti ratio.* QUum ordinis ratio poſtulet, ut nunc de puſtuloſis & pruriginoſis cutaneis adfectionibus dicamus, quæ pruritu, dolore, ardore, inflammatione & exulceratione, variique generis ſymptomatibus moleſtæ, à ſero impuro acri, inter vaſcula exhalantia & nerveo tendinoſas cutis fibrillas ſtagnante, easque erodente oriuntur; ſtatim in limine hujus tractationis monendum eſſe ducimus, ſingula hæc cutis vitia pro diverſa materiæ peccantis acrimonia, & pro differente ſubcutaneæ læſionis gradu, admodum varia ſortiri nomina; dum ſcabies humida & ſicca, ferina & maligna, venerea, pſora, ſerpigo, lepra & impetigo, elephantiaſis, herpes miliaris & exedens, tinea capitis, gutta roſacea &c. denominantur, quæ jam breviter ſtrictimque explicabimus.

§. II.

*Deſcriptio ſcabiei benignæ.* Mitiſſimus harum adfectionum gradus eſt benigna tam humida, quam ſicca ſcabies, quæ in artubus potiſſimum inter initia proveniens ſenſim paullatimque ad reliquas corporis partes, capite tantum excepto, transmigrat. In humida quidem, quæ infantibus maxime & pueris, ſanguineo-phlegmaticis & habitu corporis ſpongioſo præditis infeſta eſt, puſtulæ magis humore turgent ſanioſo purulento, atque major jungitur inflammatio, quæ ex circulo ambiente rubicundo manifeſta in ſuppurationem abit: quo etiam ulcuſcula illa capitis manantia, ſive achores infantum, jure debent referri. In ſicca autem, quam potiſſimum macilenti, ſenes, & qui temperamento pollent melancholico-cholerico, experiuntur, minoris molis puſtulæ, pauco ichore ſeroſo ſunt refertæ, quæ tenuiſſimas nervorum fibrillas ſub cuticula irritando, ardorem & pruritum inferunt fere intolerabilem.

§. III.

*.. impetiginis.* Sicca ſcabies quando ſquamoſa atque cruſtoſa eſt, & poſt cuticulæ, vel eſcharæ abraſionem ſtigmata ſub cute cruenta relinquens, accedente calore dolorificum & vix tolerandum adfert pruritum, & difficillime ſanatur, vel ſanata ex facili revertitur, impetigo appellatur, ſive ſcabies ferina, germ. *die Raute*, quæ ſcorbuticis maxime & cacochymia ſeroſa laborantibus eſt familiaris, & ſi in majori eſt gradu, pſora leproſa vocatur: de quo adfectu legi poteſt BARBETTE *in ſua chirurgia lib.* I. *cap. VIII. & Wepferus obſerv.* 214. Atque in peſſimo hoc morbo caput etiam ſæpiſſime male adficitur, cruſtaque circum circa obducitur, ne facie quidem, labris, manibus exceptis. Præterea, tota cutis ulceroſa ſaniem profundit ſeroſam corroſivam, cuticula abſcedit continuo, ut fruſta arida ſine negotio detrahantur, cute ſubjecta obſcure rubra, madorem acrem plorante; unde fœtor adeſt, & ægri ciborum valde adpetentes de intenſa ſiti conqueruntur.

§. IV.

*.. ſcabiei malignæ venereæ.* Quod ſi hæc ſcabiei ſpecies gonorrhœam, bubones aliaque genitalium vitia excipiens non modo univerſum corpus, ſed potiſſimum etiam faciem occupat, atque nodos & tophos in variis corporis partibus comites habet, & ſi dolores, qui ſociantur, rodentes, terebrantes, & acres quaſi morſus inducentes noctu exacerbantur, venerea dicitur & maligna.

§. V.

*.. herpetis miliaris.* Herpes miliaris, dum ſerpendo ſe propagat, nonnullis ſerpigo audit, & cutis tantum ſuperficiem certis in locis, ut ſunt pedes, femora, manus, ſcrotum, perinæum &c. occupans, multas exiguas in cute eminentias, ſeu puſtulas parvas pruriginoſas, milii ſeminis magnitudinem adæquantes ſine humiditate excitat, quæ ſquamulis depoſitis evaneſcunt quidem, ſed certis temporum periodis facile in iiſdem locis recurrunt. Interdum quoque caput ipſum à tali herpete infeſtatur; ſicut teſtis eſt HELWIGIUS *in obſerv. phyſico-medicis obſ.* 38. Referri huc debet pruriginis ſpecies, ſenibus maxime familiaris, quæ ſine puſtulis & papulis pruritu fere intolerabili cutim occupat, & perpetuum ſcalptum cum digitorum unguibus expetit: quandoque etiam pubem ſcrotumque ſeorſim obſidet, interdum inteſtini recti exitum, præſertim quando hæmorrhoides vitio ætatis, aut errore quodam ceſſare incipiunt.

§. VI.

*.. & exedentis.* Herpes exedens, qui abſolute herpes ab HIPPOCRATE, a CELSO autem lib. V. cap. 28. ſacer ignis nominatur, nec eryſipelati ulceroſo diſſimilis eſt, totam cutim ad ſuppoſitam uſque carnem ulcere exedit, & in ſquamas nunc craſſiores, nunc tenuiores, maxime etiam circa piloſas capitis partes reſolvit; evaneſcens autem duros in membro adfecto tumores relinquit.

§. VII.

*Zonæ igneæ.* Quando autem herpes mali moris pectus ſpeciatim & præcordia occupat cum cardialgia, calore præternaturali, pruritu, cutis inflammatione & dolorifica exulceratione, puſtuliſque parvis & lucidis inſtar cinguli ad manus latitudinem in pectore diſperſis, adfectus vocatur Zona ignea. Vid. *Marcus Aurel.* SEVERINI *lib. IV. de abſceſſibus cap. IX. Nicol.* TULPIUS *lib. III.* SCHULZIUS, *ann. III. Ephem. obſ. IV.* qui lethalem vidit, & *Jo.* LANGIUS, qui ex ulcere cruris intempeſtive conſolidato ſubortam annotavit.

§. VIII.

§. VIII.

*elephantiaſis.* Scabies cruſtoſa & ſquamoſa, quæ pedes maxime ad genua uſque invadit, elephantiaſis nomine à quibuſdam inſignitur, dum pedes inſtar ſaccorum tumidi ſunt, ſuper quos cruſtæ ſat latæ eminent, quæ abraſæ ſtigmata relinquunt rubiginoſa, pruritu & ingenti vellicatione moleſta, ſpiſſumque humorem fundentia, qui mox in novas ſquamas & cruſtas condenſatur. Vera autem lepra Arabum, ſive elephantiaſis Græcorum morbus longe magis abominabilis eſt, cujus deſcriptionem optime tradidit ABETÆUS *lib. IV. cap. XIII.* & CELSUS *lib. III. cap. XXV.* in hunc modum: *ignotus autem pene in Italia, frequentiſſimus in quibuſdam regionibus is morbus eſt, quem* ἐλεφαντίασιν *Græci vocant; iſque longis annumeratur. Quo totum corpus efficitur ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas crebroſque tumores habet, & rubedo earum paullatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit; os, ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibuſque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem conſumit.*

§. IX.

*morbi Lazari* A ſcabie & lepra plane differt adfectus iſte ulceroſus, dum videlicet ulcera ſordida muſculoſas potiſſimum partes, ut dorſum, brachia, femora, ſuras, lumbos occupantia, putridam plorant ſaniem, & mox in altero membro recrudeſcunt, mox in altero adoleſcunt, multos ſæpe annos durando. Atque tale morbi genus plebeiis, mendicis, & infimæ ſortis hominibus, qui impuro vitæ genere utuntur, inprimis ſolet eſſe familiare, & vulgo dicitur *Wurmſchaden*; quo morbo etiam Lazarum laboraſſe multi ex medicis criticis adſerunt. Sæpius etiam complicantur vermes, qui ulceribus inſigni multitudine innidulantur, ut nullis fere remediis deleri queant.

§. X.

*Cutis affectus contagioſi ſunt.* Omnes hi ſubcutanei puſtuloſi adfectus contagio maxime ſerpunt & inficiunt; ideoque facile per concubitum, per lectos, per induſia, fœdo pingui ſudore imbuta, maxime vero omnium per pelles animalium & veſtimenta ex lana contexta, (*wollene Tücher und Strümpfe*) propagantur. Lana enim aptiſſimum eſt medium, quod ob raritatem laxam atque poroſam impuras iſtas exhalantes particulas poteſt abſorbere & diutius retinere, ne mox in auras diſpergantur. Sicut enim odores, à quocunque etiam fragrante emiſſi, linteaminibus, chirothecis & veſtibus diu inhærent; ita quoque in morbis contagioſis, ut peſte, variolis, morbillis, petechiis &c. effluvia putrida, quæ fermenti vicem obtinent, rebus iſtis poroſis, præſertim ex lana confectis, altius ſeſe inſinuando, per longum temporis intervallum ſæpe deliteſcunt, prius quam infectionis potentiam exſerant.

§. XI.

*Cutis adfectuum ſedes.* Sedem morborum hactenus enumeratorum in tubuloſa & ex variis fibris contexta cutis compage, quæ univerſale corporis emunctorium eſt, conſtituendam eſſe, vel ipſi ſenſus ſatis evincunt. Verum enim vero, ut ſpecialius noſtram mentem determinemus, nos in hac firmiori ſumus ſententia, membranam cutis pinguedinoſam præcipuam eſſe ſedem ac locum, ubi fomes materiæ impuræ & corruptæ primario reſidet, quæ, dum per cutis poros & tubulos exhalantes libere tranſpirare nequit, diutius ibi ſubſiſtit, & per longiorem hanc moram acrior reddita nerveas cutis fibrillas rodendo, pungendo & inflammando, varias puſtulas & papulas ingenerat. Nulla enim in univerſo corpore, ſive ſolida ſive fluida pars eſt, quæ fœtidum vappidumque humorem, ſalva ſua craſi, diutius poſſit retinere, & occultare, ante quam motu fermentativo per vitioſam quandam aeris conſtitutionem ex tricis illis & latebris exſolvatur & protrudatur, quam ipſa pinguedo, in qua, ut ego quidem arbitror, variolarum & morbillorum, purpuræ & luis venereæ, aliorumque ſimilium adfectuum ſeminia per longum tempus abſcondita latent. Accedit, quod teſte obſervationum fide, corpora pinguedine multum referta non modo diutius & gravius cum hiſce cutis morbis conflictentur, verum etiam iiſdem ſanatis facilius in priſtinam labem recurrant, aperto indicio, in ipſa pinguedine mali fomitem deliteſcere.

§. XII.

Quod ſi ſubjecta harum cutis adfectionum conſideramus, infantes maxime & pueri, ut variolis, morbillis, achoribus capitis & omnis generis cutis defœdationibus; ita etiam inprimis ſcabioſis & puſtuloſis adfectibus ſunt obnoxii, non tantum propter mollem & ſpongioſam ſolidarum partium ſubſtantiam, & imbecilliorem tranſpirationem, ſed potiſſimum hanc ob rationem, quia ob deſidem mulierum gravidarum vitam & digeſtionis imbecillitatem, ſucci, quibus adhuc in utero nutriuntur infantes, minus ſunt temperati, ſed impuri: unde non mirum eſt, tenera etiam infantum corpora ſordibus conſpurcari, & ſuperfluis vitioſis redundare humoribus; qui quum longo poſt tempore ex adverſa aeris conſtitutione, vel virtute ſeminii contagioſi, aliiſque ex cauſis in motum fermentativum adiguntur, innumera mala cient, atque inprimis externas corporis partes variis exanthematibus deturpant. *Subjecta*

§. XIII.

Hæc ſcribenti in memoriam venit communis illa traditio, achores, tineamque capitis & ſcabiem infantes & pueros a morbillis & variolis præſervare, vel minimum, ut mitiori ſuccedant gradu, efficere. Verum enim vero, ſi deſideraretur, ego multa contraria poſſem allegare exempla puerorum, tam ſcabie, quam aliis ulceroſis cutis vitiis laborantium, qui à moleſtiſſimis hiſce morbis non ita pridem liberati in variolas confluentes & morbillos mali moris inciderunt: ex quo non adeo obſcure licet concludere, quemvis ex puſtularibus his morbis peculiarem & quaſi ſpecificam vitioſæ & corruptivæ materiæ habere indolem, quæ ſub peculiari pinguedinis involucro deliteſcit. *à variolis & morbillis non ſunt libera.*

§. XIV.

Jam reddenda erit ratio, qui fiat, ut cutis vitia in variis ſubjectis adeo multum inter ſe varient. Sed id magna ex parte, quantum ego quidem aſſequi poſſum, a diverſa ætatis periodo derivandum eſt. Etenim, quoniam textura cutis ratione ætatis valde immutatur, dum alia in puerili *Differentia cutis affectuum, cadens à textura cutis ſecundum ætatem diverſa.*

& juvenili, alia in virili & ſenili eſſe ſolet: inde etiam efficitur, ut puſtuloſi illi, qui cutem diverſimode adfligunt, morbi aliam atque aliam naturam & genium induant, variiſque modis ſeſe exſerant. Ex phyſiologicis enim pro certo adſumendum eſt, in puerili & juvenili corpore plures in cute canaliculos eſſe minimos, copioſiora etiam in ejus ſuperficie poros & foraminula hiantia, quam in adultis & ætate creſcente, ubi tubuli magis anguſtantur, coaleſcunt & ſolideſcunt. Ita in ſenibus interſtitia membranarum celluloſa ut in toto corpore, ita præcipue inter cutim & ſubjectas partes humore pingui minus replentur, ſed rugæ ſeniles formantur: unde ob pinguedinis defectum vaſcula exhalantia & pori cutis contorquentur, curvantur, comprimuntur. Quibus ſuppoſitis, jam facile reddi poterit ratio, cur in ſenili ætate ſcabies ſicca, ſerpigines cum intolerabili pruritu, herpes miliaris &c. præcipue ſint familiares; contra vero in infantibus & pueris ſanguineo-pituitoſis & obeſis, ob ſeri & pinguedinis copiam, magis tales adfectiones, quæ multum ſaniei fundunt, proveniant. Accedit & hoc, quod in juvenili ætate & corporibus junioribus, ſanguinei maxime temperamenti, ſanguis cum pinguibus, chyloſis & nutritivis partibus intime mixtus ſit; atque hac ratione materiam & alimentum non modo ſanis corporibus, ſed etiam eroſis & corruptis largius præbeat, quam in ſenibus ſcorbuticis & cacochymicis, quorum ſanguis multis particulis ſalino-ſulphureis & viſcidis lenteſcentibus ſolet eſſe repletus.

## §. XV.

*Cutis adfectus certa ætate certas partes occupant.*

Deinde ut ſciamus, quam ob rem in certis locis certa prodeant exanthemata, & in aliis ſuperiora, in aliis truncum magis & inferiora petant; ſilentio non prætermittendum eſſe arbitror, uti plures alios morbos, ſic quoque pravas cutis paſſiones ſolemni fere modo, & quaſi microcoſmica lege ſecundum ætatis differentiam partes invadere. Ita obſervamus, in infantili & puerili ætate favos, achores, tineam capitis, ophthalmias purulentas, epiphoras & ſerpigines ſquamoſas in fronte & mento prodeuntes, admodum eſſe frequentes; in juvenili & virili ætatis periodo ſcabiem, herpetem, aliaque vitia inprimis manus, brachia, dorſum occupare; & decreſcente demum ætatis vigore, ſeu ingruente ſenio pruritum in ano, in ſcroto & perinæo ſentiri, atque pſoram, lepram & elephantiaſin cum eryſipelate pedes ulceroſos reddere. Nolumus in præſentiarum notatu digni hujus phænomeni rationes fuſius perſequi, ſed B. L. ad diſſertationem noſtram de *ætatis mutatione, morborum cauſa & remedio* dimittimus, ubi hanc ad rem pertinentia ſatis dilucide explicavimus.

## §. XVI.

*Materiæ peccantis diverſitas unde?*

Tum quoque non ſine fructu diſquirendum eſt, unde veniat, ut in diverſis ſubjectis ipſe vitioſus humor, qui pruriginoſos & puſtuloſos cutis morbos ſuſtinet, tum acrimonia, tum glutinoſitate & reliqua ſua conſiſtentia mirum in modum differat. At vero, me judice, hujus rei ratio ſimiliter à diverſa cutis, ejuſque toni conſtitutione dependet. Hinc, ubi ſpongioſus, mollis & rarus cutis habitus, ut in ſanguineis eſt, major ichoris, ſaniei & materiæ purulentæ quantitas in veſiculis collecta conſpicitur, quæ exſiccata in ſquamas & cruſtas abit. Siquidem duplicis naturæ humor in cute continetur & ſecernitur; alter mucoſus, qui in ſpongioſis cellulis corporis reticulati, cuticulæ immediate ſuppoſiti intercluditur; alter ſebaceus, qui ex cutaneis vaſculis lacuniſque ſenſim emittitur. Quando igitur nervoſæ fibrillæ, quibus cuticula cuti jungitur, ab humore acri lancinantur & eroduntur, laxata epidermis in veſiculas minores ſero ſalſo repletas inflatur, quæ poſtea in ulcuſcula dehiſcunt. Aliter vero res evenire ſolet in cholericis, compactiori corporis habitu præditis, & ſenibus, qui ſcabie magis ſicca, aliiſque puſtulis & papulis, vel nulla, vel exigua humiditate plenis adficiuntur; & hi quidem propter largam humoris lenteſcentis progeniem & tubulorum cutis anguſtiam, à depreſſo naturæ robore inductam, quod non modo omnium functionum ſegnitie, ſed & præcipue pulſus tarditate ac debilitate, quæ tardiorem ſanguinis & humorum circuitum demonſtrat, abunde ſatis ſe exſerit.

## §. XVII.

*Cauſa proxima eſt ſerum viſcidum & acre.*

His itaque expoſitis, quæ ad generaliorem cutis morborum tractationem pertinere viſa ſunt; proximum nunc eſt, ut ſpecialius de veris cauſis agamus. Vera autem, proxima & immediata horum malorum cauſa nulla alia eſt, quam ſerum impurum, viſcidum & acre, quod in tenuiſſimis cutis tubulis ſtagnando, nerveaſque fibrillas lancinando, & levem ibi inflammationem producendo, varias roſiones, puſtulas & exulcerationes, efficere, adeoque ſingulos iſtos cutaneos morbos cum omnibus hactenus enumeratis ſymptomatibus, excitare valet. Quam violentæ autem & virulentæ indolis ſit corrupta illa ſub cute ſtagnans materia, vel ex eo ſatis perſpicue apparet, quod omnes fere graviſſimi & lethales tam chronici, quam acuti morbi, iique potiſſimum in ſyſtemate nervoſarum partium radicati materia ejuſmodi virulenta ad habitum corporis propulſa poſſint ſolvi, & eadem contra ad interiora repulſa excitari.

## §. XVIII.

*Quod exemplis docetur.*

Docet hanc veritatem ipſa experientia. Sic enim innumeræ proſtant obſervationes auctorum fide digniſſimorum, quæ aſthma ſpaſmodicum, arthritidem, podagram, & alia plura mala per ſolam ſcabiem ſoluta, eademque ex ſcabie ſuppreſſa oborta commemorant. Ita febrem continuam, cœcitatem & epilepſiam tali ratione productam teſtatur SENNERTUS *in paralipom. pag.* 176. & SEBIZIUS annotavit fœminam ſcabie laborantem, quæ cingulo adhibito tam enormem linguæ tumorem experta eſt, ut hæc extra fauces propenſa cum metu gangrænæ vix ad juſtam redigi quantitatem potuerit. HAGENDORNIUS *cent.* I. *hiſtor. IX. & M. N. C. dec.* I. *ann. II. obſ.* 213. ſuffocationem à ſcabie retropulſa ortam docuerunt, & *cent. II.* mentionem injiciunt ſcabiei ſcorbuticæ, mercuriali unguento tractatæ, quæ in arthritidem deſiit, & alio tempore guttæ quoque ſerenæ cauſa exſtitit. AMATUS LUSITANUS *curat. med. cent. II. curat. XXXIII.* memor eſt juvenis, qui, quum ſcabie, univerſum corpus occupante fœdaretur, ex unguento cui arſenicum mixtum erat, ſe illevit, & in aurora lecto decumbens mortuus à domeſticis inventus eſt. Alterum novit, qui ob ſimilem inunctionem in inſaniam devenit, & in alio tubercula quædam dicit exorta curatu difficillima. Neque omittenda ſunt, quæ HOECHSTETTERUS *Dec. VIII. obſervat.*

*obſervat.* habet: *Sartor, inquit, juvenis ſcabioſus utitur unguento aliquo mercuriato, non purgato prius corpore, quo malities intro in corpus rejecta pedes ambos à coxendice reſolvit, ut immobiles inſtar paralyticorum deprehenderentur. Solvitur alvus, dantur humores pravas præparantia, ſed nil his adjutus convellitur & ſtertentem efflat ſpiritum.* Et idem auctor *Dec. VIII. caſu II.* à temeraria puſtuloſarum adfectionum curatione febres nothas & malignas prodiiſſe refert.

## §. XIX.

*Et ulterius probatur.*

Neque minus ego in ſenſibilioribus ſubjectis à perverſo exſiccantium topicorum uſu in cutaneis morbis dyſpnœam, phthiſin appetitus proſtrationem, & ſummas præcordiorum anxietates obſervavi, imo quoque hydropem anaſarcam, & ſcroti tumores inde ſubortos novi. Præter hæc vero, noſtram de materiæ peccantis qualitate viſcida & acri ſententiam melius adhuc confirmat ſola venarum in ejuſmodi morbis ſuſcepta ſectio, qua ſanguis tam viſcidus & in coagulum quaſi denſatus deprehenditur, ut vix poſſit ſeparari. Idem luculentiſſime docet notatu digna obſervatio de effectu retropulſæ ſcabiei noxio, quam celeberrimus hujus noſtræ Academiæ Profeſſor Schulzius *Vol. I* A. N. C. inſeruit. Homo videlicet vitam ſedentariam a multis annis egerat, ſcabie humida graviter & diu vexatus, qua externi remedii uſu ſimul ac ſemel liberatus mentis mox vacillationem experiebatur: poſtea ſentit, quum nullo ſtudio ſcabies revocari potuerit, motus hemiplecticos, convulſivos & ſopores. Secto cadavere peritonæum valde craſſum cum omento agglutinatum fœdis atro-cæruleis & lividis ſtriis totum repletum offendit, tæterrimum odorem de ſe ſpargens. Inteſtina flatibus diſtenta & crebris cœruleis exanthematibus referta deprehendit, & ventriculum, hepar, lienem, inteſtinum colon & duodenum adeo coalita in maſſam unam, ut nullam eorum partem ſine cultro aut dilaceratione diſtrahere potuerit. Lien magna craſſitie & duritie erat, folliculus felleus craſſus & viſcido humore repletus, inſtar ſolutionis guttæ gummi ſaturatioris.

## §. XX.

*Cauſæ mediatæ.*

Nihil itaque dubii eſt, quin in cutaneis pathematibus ingens ſeri glutinoſi & tenacis impuri & corrupti abundet copia. At vero, ſi cauſas mediatas & remotas, ad ejus generationem contribuentes paullo curatius velimus indagare, primo ſtatim ſe nobis offert robur ſolidorum debilitatum & ad ſatis vegetam contractionem non ſufficiens: quo imminuto, ſanguinis circulatio, & ab ea pendens ſe- & excretio ſuperfluorum humorum decreſcit, partes fluidæ cum ſolidis non ſatis invicem miſcentur & attenuantur, ſed ſucceſſu temporis multum a priſtina blanda temperie ſecedunt. Accedit, quod ſub tali imminuto ſanguinis motu ſtructura organorum & viſcerum tam ſanguificationi quam bonorum ſuccorum ſecretioni deſtinatorum, ut ſunt hepar & lien, mirum in modum depravetur: unde vaſis & viis anguſtioribus redditis, particulæ acres, ſalſæ, ſulphureæ & viſcidæ minus rite ſegregatæ ipſam ſanguinis mixtionem ingrediuntur, eamque impura diatheſi, quæ largam noſtris morbis materiam ſuppeditat, inficiunt, contaminant, corrumpunt. Atque ideo etiam fieri deprehendimus ut hypochondriaci, ſcorbutici & cachectici, qui ſimili ſanguinis & viſcerum labe laborant, in varia externæ cutis vitia incurrant. Quæ ſingula quum non tam facile poſſint emendari & ad priſtinam conditionem revocari, ſimul in aprico eſt ratio, quare non modo impeditus ſit labor, ejuſmodi adfectus, ſi temporis longinquitate altas radices egerint, penitus tollere, verum etiam cur ſemel curati ex facile recrudeſcendo priſtinam adornent tragœdiam.

## §. XXI.

*Cauſæ remotæ ſunt: ſanguinis excretiones ſuppreſſæ.*

Ad tam gravem vero & ſonticam partium ſolidarum, ipſorumque viſcerum in nonnullis depravationem variæ concurrunt cauſæ; ex quibus agmen ducunt ſuppreſſæ ſanguinis in nobiliori ſexu per hæmorrhoides, in ſequiori per menſes, in juvenili ætate per nares excretiones, nec non omiſſæ in plethoricis ſubjectis conſuetæ venæ ſectiones. Etenim, quum ſub tali rerum ſtatu, præſertim ſi lautum vivendi genus acceſſerit, increſcens ſanguinis & humorum copia tardiorem circulationem, & impeditam ſuccorum vitalium depurationem efficiat, non poteſt non inde ſanguis ſenſim paullatimque impuritatibus variis repleri. Id quod eo magis ſolet accidere, ubi ſaluberrimum tranſpirationis negotium ab aëre frigido, humido & vappido, noxiiſque vaporibus repleto retardatur: quare etiam homines demiſſis & vappidis domiciliis inhabitantes, paludibus & locis aquarum inundationi obnoxiis accolentes, item carceribus incluſi, & populi ad frigido-humidam ſeptentrionis axem ſpectantes, præ omnibus aliis tam crebro ſcabie & reliquis cutis deturpationibus tentantur.

*.. aer humidus & vappidus*

Nec aliud quidquam, quam humida & inæqualis aeris conſtitutio, quæ vere & autumno regnat, in culpa eſt, quod his anni converſionibus hi cutis adfectus præſertim prodeant, vel recrudeſcant; & quod certis temporibus majorem pruritum ardoremque excitent: ſicut M. N. C. *Dec. III. ann. IX. obſ.* 205. tale quid creſcente luna factum eſſe commemorant. Atmoſphæra enim, ſeu ambiens nos aer cutis tonum, & inde pendentem tranſpirationis ſucceſſum vel conſtringendo, vel relaxando mirifice moderatur, & ſicut bonus, purus & elaſticus aer intimam boni ſanguinis craſin conſervat; ita impurus & vappidus contrarium plane effectum exſerit. Qua de re optime olim cecinit elegantiſſimus poeta, Lucretius *lib. VI. verſ.* 1110.

*Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili*
*Gignitur Ægypto in Media neque præterea uſquam.*

## §. XXII.

*.. ſubitanea aeris & diætæ mutatio.*

Nihil quoque ſolennius eſt, quam quod ſubitaneæ aeris mutationes, & ſuſceptæ ex puriori leviorique aere ad denſiorem tranſmigrationes varia cutis male adfectæ pathemata inducant; licet non negandum ſit, quod etiam ciborum, aquarum & cereviſiarum mutatio, quæ aliam ſanguini ſcheſin inducendo, novas particulas, eaſque forte colatoriorum diametris minus reſpondentes ingenerat, ſuum conferat ſymbolum. Hinc ego plures ſcio, qui ex Gallia & regionibus trans Rhenum ſitis, aliiſque locis viniferis, ſubtiliori aere donatis, ad noſtras oras, ubi duriorem & rigidiorem atmoſphæram habuerunt, profecti, exactis aliquot menſibus ſcabie ſunt correpti. Rectiſſime igitur Lucretius *loc. cit.*

multorum morborum originem ab aëris mutatione derivat, his verbis:

*Inde aliis alius locus eſt inimicus*
*Partibus ac membris varius concinnat id aer:*
*Proinde, ubi ſe cœlum, quod nobis forte alienum*
*Commovet, atque aer inimicus ſerpere cœpit*
*Ut nebula ac nubes paullatimque repit & omne*
*Qua graditur conturbat & immutare coactat.*

§. XXIII.

*..mala ciborum incongruorum digeſtio*

Præter hæc, inter cauſas remotiores numerari debet mala alimentorum digeſtio, quæ fit, dum vel boni cibi in nimia quantitate devorantur, vel incongrui, ut fere ſunt carnes ſalſæ, infumatæ, ſuillæ & porcinæ, nimis pingues, dulcia, fructus horæi, ut piſa, fabæ &c. adſumuntur: quo etiam varia potus genera, inprimis vina acida, cereviſiæ auſteræ, & ipſæ aquæ impuræ pertinent. Tali enim ratione non poſſunt non multæ cruditates viſcidæ, ſalſæ & acres in primis viis accumulari, quæ in ſanguinem delatæ non ſatis intime miſcentur & digeruntur, nec per colatoria, inprimis per cutis cribrum ſatis depurantur: unde ſanguis, ob difficiliorem circuitum, cacochymicus redditur. Idque eo magis evenit, ſi præter animi pathemata, ut triſtitiam & anxiam ſollicitudinem, quæ magnam in remorando & incraſſando ſanguine potentiam obtinent, etiam vita deſes & ſedentaria conjungitur: quare etiam textores & ſartores fœda ſcabie manuum, imo crurum & tibiarum cruſtoſa cum facie pallida & corpore ſubtumido, ob vitæ genus agreſte & motus omiſſionem, frequentius laborant.

*..animi pathemata & vitæ genus*

§. XXIV.

*Prognoſis*

Prognoſis, quam nunc paucis expendere volumus, ſecundum adfectuum varietatem ipſa variat. Et primo quidem ſciendum eſt, ſemper facilioris eſſe ſanationis ſcabiem per contagium communicatam, quæ ſuperficialiter tantum inhærens non adeo profunde cutim occupat, quam illam, quæ ex indigena ſanguinis & humorum dyſcraſia originem ſumſit. Melior quoque & levior eſſe ſolet humida ſcabies, eaque præſertim non adeo diffuſa, quam ſicca pruriginoſa: ſiquidem hæc dies noctesque intolerabili fere pruritu ægrotantes fatigat, & ſomnum interrumpendo vires debilitat. Patientia itaque injungenda eſt, quoniam tanta impuritas laticis ſeroſi, acris & lixivioſi non tam ſubito temperari, dilui, corrigi & blande educi poteſt. Deinde, omnes externi habitus adfectiones adhuc recentes faciliorem recipiunt ſanationem, quam quidem inveteratæ, temporiſque diuturnitate & ægrorum incuria confirmatæ: eædemque iterum faciliori negotio in junioribus, ob liberiorem tranſpirationem, quam in ætate provectioribus ſanantur; utpote qui, CELSI effato, longis morbis quam maxime patent. Quæ ex interna viſcerum labe oriuntur cutis vitia, non modo difficilius, & nonniſi ſublata viſceris corruptela tolluntur, ſed facile quoque renovantur & repullulant; imo nonnunquam in hecticam & hydropem degenerant. Unde facile judicare licet, quale ferendum ſit præſagium, ſi tales morbi poſt febres intermittentes, variolas, morbillos & luem veneream invadunt. Tum quoque omnes ſubcutanei adfectus ſunt pertinaciores, ſi in partibus muſculoſis & pinguedinoſis dorſi, brachii &c. parvi noduli ad modum glandularum exterius inviſibiles interius palpabiles, inſtar cicerum, fabarum & piſorum obſervantur, luculento indicio: quod non tam glandulæ cutis induratæ, ſed quod humor viſcoſus in membranis & cellulis pinguedinoſis ſtagnans cauſam præbeat. Speciatim vero de elephantiaſi, quæ fere maximus externorum morborum gradus eſt, ARETÆUS *lib. VIII. cap. XIII.* ſequentem fert prognoſin: *Omnia conferre ſimul oportet medicamenta, & victus rationem & ferramenta & ignem. Hæcque ſi novo & orienti affectui adhibueris, ſanationis ſpes affulget. Sin ad ſummum ſuæ creationis adſcendat, in viſceribuſque ſtabilis ſedeat, inſuper & in faciem invadat, tunc de ægri ſalute ſpes omnino abſciſſa eſt.* Quandocunque herpetem miliarem, caput infeſtantem cum odontalgiis cephalalgia & catarrhoſis defluxionibus morbilli vel variolæ ſequuntur, res non ſine periculo eſt; & interdum poſt mortem ſpatium in vertice morboſum, denigratum & ſphacelatum inventum fuiſſe novimus. Lepra omni tempore valde contagioſa fuit habita; ideoque leproſos ab hominum conſortio ſegregandos, & ex urbibus ad extera loca relegandos cenſuerunt medici. Ego autem aliquoties, & nuper modo litteratum vidi, qui veris leproſis ſymptomatibus adfectus per annum & ultra cum ſuis domeſticis ſine horum noxa verſatus eſt. Aliter vero res ſeſe habet in Græcia, ubi hoc morbi genus longe magis eſt contagioſum: & perplacet mihi ideo AETIUS, qui *lib. XIII. cap. XXV.* ita ſcribit: *non abſurdum fuit, puerorum gignendorum gratia per rariora intervalla coire; neque in totum contagioſæ ſucceſſiones hujus adfectionis in omnibus fiunt.*

## *THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

*Veterum medicorum in dignoſcendis & curandis morbis ſolertia.*

Quod ad rectam & ſecuram medendi methodum attinet, ſciendum omnino eſt, antiquiſſimos artis noſtræ antiſtites in pluribus cutis adfectibus tam rite dignoſcendis, quam perſanandis fuiſſe præſtantiſſimos; idque eo magis, quum duo præcipua mala, lepra & elephantiaſis, quæ maximum quaſi gradum morborum cutim infeſtantium conſtituunt, in ipſorum regionibus frequentius obvenerint, commodamque præbuerint occaſionem, non tantum ſpeciales horum malorum characteres penitius cognoſcendi, ſed & veras remediorum vires melius explorandi, ut nobis jam facile ſit, inde ad minores gradus, levioreſque cutis morborum ſpecies concludere. Ex omnibus autem quam maxime mihi placet, & inprimis noſtro inſervire ſcopo videtur accuratiſſimus ille obſervator, ARETÆUS, qui in aureis ſuis de re medica monumentis multa notatu digniſſima habet. Quid enim elegantius poteſt excogitari, quam illa *lib. IV. cap. XIII.* inſerta elephantiaſis deſcriptio, ubi tam graphice & ad vivum quaſi horrendæ hujus peſtis indolem atque decurſum depingit, ut clariſſime eluceat, totam ſanguinis & humorum maſſam prorſus eſſe viſcidam, tenacem & fere coagulatam, omnemque ſpirituaſcentiam ſuccorum vitalium penitus depreſſam, ut inde cohibitis ſalutaribus ſe- & excretionibus totus homo tenacibus, acribus & corruptis humoribus ſcateat.

§. II.

§. II.

*Elephantiæ curatio ſecundum Aretæum.* Atque his cauſis abigendis hanc egregiam proponit medendi methodum: præmiſſis ſanguinis miſſionibus, lac cum quinta aquæ parte mixtum, ad alvum molliendam, potui dandum, & veratrum, ſub quo helleborum album intelligit, alternis diebus vere & autumno offerendum ſuadet. Dein, ceu ſpecifica magno in pretio habet dentis elephanti raſuram cum vino dandam, carnemque viperarum vel in paſtillos redactam, vel cum ſquilla & juſculo coctam; imo omnia medicamenta ex viperis parata ſummopere laudat. Inter externa ea commendat, quæ detergunt & tumores reſolvunt, & ſapone ſordes in balneo abluendas ſuadet, vel etiam balneum, cui lapathum acutum & ſulphur incoctum fuerit, ceu ſummum detergens præſcribit. Ad tumores axungiam leonis & urſi, æquis portionibus cum ſale alcalino mixtam; ad acres vero fluxiones mitigandas & exulcerationes leniendas decoctum fœni græci & hordei, oleumque roſarum, tum abſtergendi, tum madefaciendi fine proponit: & ſi carnes liveant, prius, quo locus ſucculentus reddatur, ſcarificandum jubet. Inter cibos, quos ſimplices, boni ſucci & concoctu faciles eſſe decet, decoctum braſſicæ cum cumini liquamine, in cœna ſtaphylinum, ſive daucum Germanicum, ex marinis oſtreas, ex piſcibus ſaxatiles, ex avibus perdices & columbas, ex fructibus horæos & vina dulcia &c. ſummopere commendat. Neque minus rationem habendam ſtatuit in ſomno, vigiliis & locis ad domicilium deligendis, æque ac in corporis exercitiis, quæ per curſus, per vocem & varias corporis converſiones inſtituere, & citra laſſitudinem congruenter intendere jubet. Nec denique reticendum eſt, ARETÆUM albi hellebori vires in hoc morbo non ſatis poſſe dilaudare: ſiquidem illum omnium purgantium efficaciſſimum dicit potentia & qualitate non vitioſa, qui per exiguam portionem & modicam dolin vetuſtorum morborum omnium, radicibus firmis inhærentium, unicum eſſet remedium, & ex difficili reſpiratione facilem, ex pallido vultu floridum efficeret.

§. III.

*.. & Celſum.* Curationem non diſſimilem, profligandæ elephantiaſi opportunam proponit CELSUS *lib. III. cap.* 25. *Protinus inter initia ſanguis per biduum mitti debet, aut nigro veratro venter ſolvi. Adhibenda tum, quanta ſuſtineri poteſt, inedia eſt, paulum deinde vires reficiendæ & ducenda alvus: poſthæc, ubi corpus levatum eſt, utendum eſt exercitatione, præcipueque curſu, ſudor primum labore ipſius corporis, deinde etiam ſiccis ſudationibus evocandus, frictio adhibenda, moderandumque inter hæc, ut vires conſerventur, balneum rarum eſſe debet: cibus ſine pinguibus, ſine glutinoſis, ſine inflantibus. Vinum præterquam primis diebus recte datur. Corpus contrita plantago, & illita, tueri optime videtur.*

§. IV.

*Indicationes curatoriæ.* Ex hiſce omnibus probe expenſis trutinatiſque optime judicare licet, totam medendi methodum omneſque remediorum facultates eo debere collineare & quaſi conſpirare, ut corruptorum, glutinoſorum, & acrium humorum maſſa per ſufficientem ſanguinis miſſionem & inediam, per purgationes tam leniores, ut lac eſt, quam per fortiores, ut helleborum, è corpore detrahatur; deinde, ut congruis alimentis debitaque victus ratione boni & naturæ amici ſucci ingenerentur, & denique, ut externis quoque remediis deterſivis, conſolidantibus & exſiccantibus partes à doloribus, tumoribus, pruritu & ulceribus liberentur. Atque profecto eximiæ laudeque dignæ ſunt hæ curandi intentiones, pariter ac propoſitæ iiſdem medelæ: quare non abs re fore confido, ſi veterum inſiſtentes veſtigiis non modo elephantiam curare, ſed ex hujus quoque curatione mitiores cutaneos morbos, ut ſcabiem, herpetem, guttam roſaceam &c. ſanare diſcimus. Quoniam tamen ſinguli hi affectus exanthematici, ulceroſi & pruriginoſi ratione locorum, corporum & temperamentorum, nec non ratione habitus corporis & vitæ generis multum inter ſe differunt, atque erudito hoc ſeculo ars noſtra ſalutaris efficacioribus inſtructa eſt remediis; optime nobis conſulturi ſumus, quando veterum curandi methodum certis limitationibus & nonnullis in noſtro climate annotatis cautelis includimus atque perficimus.

§. V.

*VSus VSionis in variis affectibus.* Et primo quidem, quod attinet ad pravos humores per varias ſanguinis detractiones minuendos, tenendum eſt, copiam ſanguinis venæ ſectione evacuandi pro differenti ejus redundantia ſecundum ætates, vires & conſuetudines, æſtimandam eſſe. Neque ſenibus, qui aut ventilationibus ſanguinis artificialibus, aut naturalibus adſueverunt, ejuſmodi diminutiones penitus ſunt diſſuadendæ: ſiquidem cognita nobis ſunt exempla ſenum tam virorum quam mulierum, jam ſupra octogeſimum annum natorum, quibus inſigni cum fructu in variis cutis morbis vena fuit inciſa, vel naturales ſanguinis excretiones per fluxum hæmorrhoidalem cum levamine revocatæ. *-ſcarificationis* Quod ſi vero ſubjecta ſunt pinguia corporiſque habitu ſpongioſiori prædita, ubi plerumque ingens venarum copia & exilitas deprehenditur, præſentius ego tutiuſque eſſe obſervavi, ſanguinis & humorum maſſam per ſcarificationes, convenienti tempore inſtitutas diminuere, præſertim quando vires, ob morbi diuturnitatem cibique inappetentiam depreſſæ parciorem deſiderarunt depletionem. *-ſanguiſugarum* Neque hoc remedii genus ſemper ſufficit, ubi hypochondriaci & hæmorrhoidalibus affecti moleſtiis ejuſmodi morbos incurrunt. Sed tum temporis debitam ſanguinis vacuationem per ſanguiſugas ano applicandas tentare & moliri præſtat.

§. VI.

*Cura per inediam.* Interdum evenit, ut corpora nonnulla, in quibus plethora magis ſeroſa peccat, quam ſanguinea, copioſam ſanguinis miſſionem ægerrime ferant. Quare tum aliud inire decet conſilium, &, ſi nimia alimentorum voracitas, ut ſæpiſſime fit, primam mali cauſſam & originem dedit, curam per abſtinentiam commendare, optimiſque regulis adornare. In eo autem quam maxime utiliſſimæ hujus curæ conſiſtit methodus, ut ægri ab omnibus carnibus pinguibus, elixis & glutinoſis, ut ſunt porcinæ & bovinæ, à lacticiniis, omnibuſque inflantibus & multum alimoniæ præbentibus abſtinendo, carnibus magis aſſatis & levioribus, ut ſunt avium, perdicum, gallorum, columbarum &c. paneque bis cocto utantur, interpoſitis nonnunquam, ad alvi lubricitatem conſervandam, uvis majoribus

paſſis, prunis Damaſcenis coctis, pomis Borſtdorffianis, & hujus generis aliis lubricantibus. Quoniam tamen nocere ſolet quævis ſubitanea victus mutatio, ita inſtituenda erit hæc inediæ medela, ut ne ſimul ac ſemel, ſed paullatim potius, & quaſi per gradus ægri à pleniori victu ad tenuem & parciorem deſcendentes huic ſenſim ſine damno adſueſiant, eamque pro circumſtantiarum ratione per aliquot dies, vel ſeptimanas continuent. Quod monitum haud minus neceſſe eſt cura finita, ne ſubito ad plenum victum denuo adſcendamus.

## §. VII.

*.. requirit decocta*

Præter hæc, ſub toto hujus curæ decurſu cereviſiarum potus, alias familiaris debet removeri, ſubſtitutis in potus locum ſat larga & ſufficiente quantitate decoctis, quæ ſpecies humorum depurationi & edulcorationi inſervientes, ſucciſque ſuperfluis exſiccandis & ſolidis partibus roborandis accommodatæ ingrediuntur, ut ſunt temperatiores quædam expertæ virtutis & familiariſſimi uſus radices, chinæ, ſarſaparillæ, lapathi acuti, ſcorzoneræ, cichorei, glycyrrhizæ, polypodii, cortices ligni ſaſſafras, caſcarillæ, cinamomi, viſcus quercinus, raſura ligni ſaſſafras, ſantali rubri, & plura hujus generis alia, quæ pro varia intentione inter ſe mixta in aqua pura ita decoqui poſſunt, ut ad ſpecierum unciam unam libræ duæ, ſive menſura aquæ recipiatur.

## §. VIII.

*.. & laxantia.*

Sed non parum quoque expedit, ad hanc curam feliciter auſpicandam, & perficiendam, ut prius prima regio à vitioſorum humorum colluvie per leniter purgantia liberetur: id quod ſimiliter aliquoties tam durante, quam finita hac curatione repetendum eſt. Quo fine optime potiri licet per remedia blande evacuantia, quorum cenſum merito ſubeunt infuſa cum aqua & vino facta, quæ ex manna, rhabarbaro, foliis ſennæ, cremore tartari, ſale catarctico amaro, caſſia, herbis fumariæ, epithymi, radice cichorei, polypodii &c. optime poſſunt parari.

## §. IX.

*Refractarius morbi ſtatus poſtulat purgantia.*

Quod ſi vero invaleſcens & refractarius morbi ſtatus malignitatis ſuſpicionem injiciat, vel in quibuſdam emaciantem curam reſpuere videatur, operæ omnino pretium eſt, tam ex purgantium, quam ex diaphoreticorum ſanguinemque depurantium claſſe validiora & efficaciora in uſum ducere remedia, ut tenaces vitioſique humores, quibus ipſi viſcerum meatus infarcti ſunt, & continuum morbo pabulum ſuppeditatur, eo melius ac citius tam per alvum, quam per omnia corporis emunctoria ejiciantur. Jam quidem antiquiſſimi medicinæ parentes, HIPPOCRATES, ARETÆUS, GALENUS & alii, ex purgantibus validiſſima, maximeque helleborum tam album, quam nigrum, colocynthidem & ſcammonium mirifice hoc fine laudarunt. At vero, quum noſtris temporibus efficacia quidem, ſed tutiora ſint cognita, non immerito illis dimiſſis radicem & reſinam jalappæ, extractum hellebori nigri, elaterium cum mercurio dulci, vel æthiope minerali permixtum, gummi ammoniacum, & ex compoſitis extractum panchymagogum Crollii in pilulari forma commendamus; vel ſi pulveris forma magis arridet, hic ex aliquot granis reſinæ jalappæ cum totidem granis amygdalarum dulcium ſubactis, & cum æquali mercurii dulcis portione remixtis, addita ſimul una & altera olei macis, vel ligni ſaſſafras gutta opportune poteſt parari.

## §. X.

*.. & ſudorifera*

Ex claſſe eorum, quæ ſolidas partes ad motum excretorium ſtimulando, paullo potentius humores tenaces colliquant, omnibus aliis præferendum eſt lignum guajacum cum cortice ſuo; quod ſicut recto uſu ſæpiſſime lui venereæ penitus eradicandæ vel ſolum ſufficit: ita etiam in ſubcutaneis adfectibus, qui adhuc mitioris ſunt naturæ, evellendis non contemnendum eſt remedium. Præter hoc vero inprimis huc referenda ſunt medicamenta ex mineralium regno petita, è quibus eminent tinctura antimonii tartariſata & acris, regulus antimonii medicinalis, ſulphur antimonii Glauberiana, vel noſtra correctum methodo, cinnabarina, &, ſi venereæ malignitatis ſuſpicio ſubeſt, antimonium crudum per coctionem uſurpatum: quæ remedia in convenienti doſi & matutino tempore cum decoctis purificantibus in lecto potandis exhibita, vel aliis diaphoreticis adjecta præſtantiſſimam ferunt opem, dum lympham commovendo, obſtructiones in anguſtiſſimis glandularum tubulis exiſtentes reſerant, adeoque ſanguinem & lympham egregio effectu depurant.

## §. XI.

*.. in nonnullis mercurialia*

Licet vero propoſitæ hæ ad depurandam ſanguinis & humorum maſſam curationes magnæ ſint efficaciæ, & excellentis virtutis; ſuppetunt tamen caſus & exempla, ut in elephantiaſi & venerea ſcabie videmus, ubi altius infixa venenatæ indolis cauſſa parum inde commodi & emolumenti repetitur, ſed validiori adhuc remedio opus eſt, quo præter argentum vivum & parata ex eodem medicamina, ſi vires ægri conſentiant, nullum datur potentius, ad pertinaciſſimos externi habitus morbos vincendos ac debellandos. Siquidem ſubtiles ejus particulæ intima vaſorum penetralia ſubeundo & penetrando, impactos iiſdem humores viſcoſos corrigunt, extricant, diſſolvunt, & aucta fibrarum in toto corpore vi ſyſtaltica, per omnis generis emunctoria, alvum, ſudorem, & præcipue per glandulas & ductus ſalivales, mediante ſalivæ copioſiori fluxu ejiciunt. Atque hac ſolenni & quaſi univerſali evacuatione ſolet contingere, ut omnis impurorum humorum ſaburra brevi tempore, licet cum moleſtia quadam eliminetur, toto inde corpore repurgato & quaſi renato.

## §. XII.

*Modus adhibendi mercurialia.*

Sunt autem varii à medicis hactenus propoſiti mercurium adhibendi modi, quos jam paucis perluſtrabimus. Ita ſunt alii, qui ex mercurio vivo cum unguento pomadino probe ſubacto, additis floribus ſulphuris & camphora unguentum conficiunt, quocum articuli, malleoli, genua, cubiti ipſæque pedum plantæ, ad ſalivationem movendam, fortiter fricantur. Alii vero tutiorem & meliorem eligunt uſum internum, dum præparato prius per alterantia, temperantia & evacuantia corpore, mercurius dulcis rite præparatus cum dupla quantitate lapidum cancrorum & antimonii diaphoretici permixtus à granis tribus vel quatuor ad ſcrupulum uſque, indies paullatim adſcendendo, offertur: unde ſat largus ſalivæ fluxus proritatur, quem ſub debito

debito regimine & cautelis, interpoſitis ſimul decoctis ſanguinem depurantibus, per unam alteramve ſeptimanam perferre decet. Huc quoque ex mercurialium familia ſcopo alterante & diaphoretico ſpectant mercurius ſolaris & jovialis, cujus aliquot grana cum roſarum conſerva remixta per hebdomades nonnullas matutino tempore cum fructu deglutiuntur, ſuperbibendo poſtea in lecto ſub diaphoretico regimine decocti libram circiter unam. Sed ſciendum eſt, ut ſingulæ hæ curationis ſpecies aerem probe temperatum & diætam parcam, tenuem, omniumque carnium pinguium, coctarum vel acidorum expertem deſiderent.

## §. XIII.

*Lactis cura quando neceſſaria?*

Non raro autem incidit, ut longe mitius leniuſque procedendum ſit, & neque purgantia, neque copioſæ ſanguinis miſſiones, neque decocta cum exſiccante diæta, nec ipſa mercurialia tuto admitti queant. Quando enim ætas eſt infantilis vel ſenilis, corporiſque & virium robur debilitatum, vel nervorum ſyſtema nimia ſenſibilitate præditum; item ſi corpus magis exſuccum & macilentum, quam pingue & laxum deprehenditur, vel ſi humorum acrimonia & mordacitas magis, quam craſſities & viſcida tenacitas delinquit, tum prorſus alia in medendo via ineunda eſt; atque in tali morbi ſtatu non ſolum antiquiſſimi, ſed omnes etiam ſapientiores noſtri ævi medici lacticinia, & inprimis lac aſininum, ſerum lactis bubuli & caprini, lac cum aqua mixtum non ſatis laudibus poſſunt extollere. Ita præter Hippocratem, Celsum & Aretæum, qui inſignem lacti virtutem in ſcriptis ſuis tribuunt, maxime Dioscorides *lib. II. cap.* 75. curam cum lacte convenienter inſtitutam utiliſſimam cenſet in ſuperficiei corporis moleſta prurigine, in maculis & facto ibi vitioſorum humorum decubitu: ſeorſim vero *lib. citato* ſerum lactis ad cutaneos adfectus his verbis commendat: *datur* (lactis ſerum) *iis, quibus ſine vehementia dejectiones molimur adverſus lepram, elephantiaſin & efflorescentias per totum corporis habitum erumpentes.* Et profecto, eximiæ ſunt hujus diætetici remedii vires: ſiquidem non tantum craſſos, viſcidos & ferme coagulatos humores diluit & fluxiles reddit, meatus viſcerum obſtructos reſerat, & acrem humorum ſalſedinem contemperando partes ſicciores humectat conſtrictaſque relaxat; verum etiam per urinam & alvum noxios humores placide educit, expellit, evacuat.

## §. XIV.

*— quomodo ſit inſtituenda.*

Quoniam tamen non parum intereſt, ut tum quantitas, tum juſtum tempus bibendi lactis ejuſque ſeri determinetur, optime nobis conſulemus, ſi veteres in eo duces eligamus & ſequamur. Ex his autem princeps & quaſi antelignanus eſt ipſe Hippocrates, qui in *lib. epidem. VII.* lac aſininum, vel lactis, inprimis caprini ſerum per plures dies bibere præcipit: & *lib. IX. de intern. adfect.* lac per quadraginta & quinque dies, tertia aquæ mulſæ parte addita ſe propinaſſe refert. Serum lactis per menſes & ultra adſumi poſſe, teſtes ſunt graviſſimi Sylvaticus atque Riverius, qui eodem in graviſſimis adfectibus ad XII. XX. & XL. dies ſummo cum emolumento uſi, plurimi ſunt in commendando ejus potu. Nec aliter ſentit doctiſſimus Hugenius *epiſtol. & conſultat. medic. Tom. II. lib.* 1. qui ad magnum & antiquum totius corporis pruritum mingendum ſeri lactis in majori quantitate potum ita laudat: *qui exiguam illius quantitatem potant, fruſtrantur ſine alterationis & expurgationis. Si quantitas uſque ad libras octo & ultra.* Et *lib. citat. tom. I. lib. XII. epiſt.* 1. ſe conſueviſſe adſerit ſerum hoc dare, quemadmodum aquas ſolerent medicatas offerre. Ita e. g. primo die exhibet libras ſex cum ſyrupi roſarum ſolutivi unciis tribus, ſequenti die ſimplex dat ſerum, & doſin ſucceſſive augendo uſque ad libras IX. vel X. per viginti continuos dies pergit.

## §. XV.

*Uſus lactis cum aquis medicatis mixti.*

Quandocunque exanthematici hi morbi à lue ſcorbutica vel hypochondriaca adfectione, ut pluries evenit, foventur & ſuſtentantur, longe major obtinebitur fructus, quando jam memorata lactis cura ita inſtituitur, ut ipſa complicatis hiſce malis allevandis ſimul dicata & idonea ſit. Quem finem vix melius licet obtinere, ac ſi aquæ medicatæ, inque primis acidulæ temperatiores, elemento ſpirituoſo & ſalino turgidæ, quales ſunt Selteranæ, Tœnſteinenſes, Wildungenſes, vel etiam Egranæ, cum dimidia vel tertia lactis parte remixtæ ſub exacto vitæ victuſque regimine, & præmiſſis pariter ac interpoſitis evacuantibus aliiſque medicamentis bibuntur.

## §. XVI.

*— cum herbis purificantibus cocti.*

Quod ſi vero harum aquarum deeſt copia, eodem fine ſaluberrimum eſt, ſi cum ipſo lacte vel ejus ſero, tam dulci, quam acidulo herbæ ſanguinem depurantes dictiſque vitiis ſpeciatim dicatæ decoquuntur, cujus generis maxime ſunt: fumaria, epithymum, cuſcuta, meliſſa, ſcolopendrium, trifolium fibrinum, beccabunga, taraxacum, borrago, endivia, cichoreum & ejus radix, aliaque plura, quæ partim ſale volatili penetrantiori inſtructa humores viſcidos incidunt & diſſolvunt, impuros depurant ac debitum ſanguini balſamum reſtituunt, partim principio amaro balſamico languenti ventriculi digeſtioni ſuccurrendo, ad boni ſanguinis regenerationem egregie faciunt. Neque idcirco ii ſpe ſua fruſtrantur, qui, præparato prius corpore, ſucci ex modo dictis herbis recentibus & contuſis expreſſi unciam unam, aut plus cum ſero lactis per aliquot ſeptimanas propinant.

## §. XVII.

*Viperarum cura.*

Demum, inter optima graviorum cutis adfectionum auxilia refertur etiam viperarum cura, quæ tam apud venerandam antiquitatem, quam apud recentiores medicos eſt celebranſſima, ideoque minime a nobis prætermittenda. Enimvero penes Hippocratem, ſi ſcripta ejus evolvimus, nullus, quod ſcio, reperitur locus, quo viperarum uſus adſtrui poſſit; verum Aretæus, Galenus, Aetius, & ex Arabibus Rhases & Avicenna, horum animalium virtutes in lepra, elephantiaſi, & omnibus a maligna impuritate provenientibus cutis vitiis ſanandis non ſatis poſſunt deprædicare: quin imo mirabilem totius corporis renovationem inde promittunt. Celebris ille Neronis archiater, Andromachus trochiſcos è vipera paratos pro principali theriacæ ſuæ, ceu ſummi alexiterii remedii ingrediente conſtituit: & hos omnes ſecuti præſtantiſſimi Italiæ, Galliæ & Germaniæ medici,

medici, Mercurialis, Quercetanus, Solenander, Ballonius &c. ſimiliter viperis magnas tribuerunt laudes; donec *Julius* Palmarius, conſtantinus medicus Pariſienſis *lib. de morb. contagioſ. cap. IX.* veterum in hoc genere promiſſa & anilem credulitatem acriter perſtrinxit, addito in teſtimonium *Joanne* Fernelio, qui adſeruit: medicamentis ex vipera more veterum adparatis, elephantiaſi laborantibus adhibitis nullum ſubſecutum fuiſſe ſalutarem effectum, cum neque viſcerum conſtitutio hoc modo melior facta, nec verrucoſa tubera, nec increſcens cutis deformitas fuerit emendata, ſed omnia potius ſymptomata exaſperata. Nihilo tamen minus & fuerunt, & adhuc ſunt ex modernis plurimi, iique clariſſimi medici, qui veteribus & longæ famæ fidem habentes, peculiarem & quaſi ſpecificam contra cutaneas defœdationes virtutem in viperis, & paratis ex iiſdem decoctis vel juſculis deliteſcere ſibi perſuadent; eaque propter viperas, magno ſæpius ſumtu ex Italia conquiſitas variis modis, ut pulvere, trochiſcis, juſculis, vel etiam in forma ſalis volatilis chymice extracti ſub ſpe optatiſſimi effectus propinant.

## §. XVIII.

*De eadem judicium.* Ut vero libere & ingenue hac de re meam profitear ſententiam: nihil certe ſolidi, quod operæ pretium faceret, auxilii ab hiſce viperinis medicamentis in impuritatibus ſanguinis corrigendis peti & exſpectari poſſe, firmiter ego ob plurimas obſervationes, prægnantibus etiam rationibus confirmatas credo. Neque ulla in tot veterum æque ac recentiorum ſcriptis accurata & completa occurrit obſervatio, ex qua quis ſpecificas & dictis morbis directe oppoſitas viperarum virtutes certo cognoſcere & adſerere poſſit; maxime cum alia plerumque medicamenta admixta, vel ſimul in uſum vocata fuerint, quæ effectum valde dubium reddunt. Ita mihi plurima cognita ſunt exempla, ubi in atrophia, phthiſi, pſora leproſa, ſcabie, tinea capitis, aliiſque hujus generis malis varia ex viperis confecta medicamenta vel nihil præſtiterunt, vel ſi quid boni præſtitum fuit, id potius aliis admixtis ingredientibus, & conjunctim datis medicamentis in acceptis referri debuit. Si quis itaque effectus ſalutaris à viperis provenit, certe non alius eſt, quam qui à reliquis omnibus animantium partibus ſiccatis, gelatinoſo quodam, blande ſulphureo & vaporoſo ſucco præditis, exſpectari poteſt: unde exceſſiva viperarum encomia exigui ſunt valoris, quia ſolo auctoritatis præjudicio nituntur. De medicamentis viperinis legi merentur notatu digniſſimæ Zwoelfferi animadverſiones *in pharmacopœam Auguſtanam pag.* 211.

## *METHODUS MEDENDI SPECIALIS CUM CAUTELIS.*

## §. I.

*Cura differt ſecundum cauſarum diverſitatem.* Quoniam admodum diverſa eſt naturarum & humorum peccantium conſtitutio, differre quoque ſolet ipſa horum adfectuum curatio. Ne igitur in quocunque delinquamus, præcipue omnium cauſæ, quæ induxerunt malum, probe ſunt inquirendæ & diſtinguendæ. Ita, ſi ob nimiam voracitatem vitamque deſidem humorum abundantia in culpa eſt, abſtinentia & exercitio ante omnia opus eſt; ſi crudi, viſcidi humores, ſub temperamento maxime phlegmatico cauſſam ſuppeditant, evacuantia per alvum, mediante infuſo vinoſo proficient ſubjungendo illa, quæ tranſpirationem leniter movent; ſi corpus eſt plethoricum, & ab omiſſa ſanguinis miſſione, vel critica ſanguinis fluxione cohibita ejuſmodi fœdæ cutis aſperitates & exulcerationes oriuntur, initium curationis à ſanguinis per venæ ſectionem vel cucurbitulas detractione facere, eaque ſubjungere remedia oportet, quæ ſalutares has excretiones convenienter revocant; ſi corpus eſt juvenile, macilentum, & cholericæ complexionis, plurimum proficient, ceteris paribus, diluentia, acrimoniam temperantia & depaſcentem æſtum refrigerantia, ut ſunt ſerum lactis, acidulæ cum lacte, nitroſa & per alvum evacuandi ſcopo potiones mannatæ; ſi viſcerum & ventriculi imbecillitas regenerationi ſuccorum impurorum favere animadvertitur, ventriculum roborantia, quæ digeſtionem adjuvant, inſignem ferent opem. Quod ſi autem prohibita inſenſilis per poros tranſpiratio & tubulorum cutis obſtructio cauſa mali præcipua eſt, infuſis theiformibus, leniter diaphoreticis & frictionibus recludere occluſos pororum hiatus medicum decet.

## §. II.

Quando per ſcabiem & cutis varia exanthemata chronicæ & difficiles ægritudines, tanquam per criſin terminantur, maximopere cavendum eſt ab omnis generis evacuantibus per alvum, urinam, imo quoque à ſanguinis miſſione, ne ex habitu corporis ad interiora materia virulenta retrahatur. Elegans hanc in rem locus exſtat in *Joann.* Langii *epiſt. XVI. Tom. I. Ego ſcabiem*, inquit, *& crurum œdemata cum poſt aliarum febrium, tum præcipue quartanæ febris criſin oborta ſponte exoleſcere citra omne medicamentorum ſubſidium plus centies vidi. Quod ſi tum phlebotomia facta fuiſſet, aut pharmacum exhibitum, ingens fuiſſet periculum, ne per eas venas, per quas materia morbi expulſa fuerit, prorſus ad interna viſcera retrahatur.* *Cautelæ circa exanthemata critica.*

## §. III.

Atque utiliſſima hæc cautio ſimiliter neceſſaria eſt, quando natura exanthematum propulſionem ſalutari modo inſtituendam molitur, nec ſola eidem perficiendæ ſufficiens videtur. Si quis enim tum temporis talia vult propinare, quæ impuritates, ad cutim amandandas retinent, vel retroagunt, ut fere ſunt paullo largiores ſanguinis miſſiones, quævis purgantia, adſtringentia, & in languidioribus ſubjectis refrigerantia, inque primis nitroſa in majori ſæpiuſque repetita doſi oblata, peſſime ſane ægrotantium ſaluti conſulet, morbumque benignum in malignum iniquo auſu convertet. Multo magis tum excitandæ ſunt naturæ in expellendis impuritatibus vires, & leniter diapnoicis ſuccurrendum, quæ activo quodam ſulphureo principio, ſyſtalticam fibroſarum nervearumque partium actionem intendendo, celeriorem humorum curſum efficiunt, eumque ad extimam corporis ſuperficiem dirigunt, ut hac ratione excrementitiæ ſordes per cuticularem exhalationem è corporis ſphæra eliminentur. Atque hanc ſibi viam ipſa natura, quam in medendo ducem ſequi debemus, eligit; ſicut non modo ex ſpontaneis & in largiſſima *Expulſio exanthematum promoveatur diaphoreticis.*

giſſima ſæpius copia profluentibus ſudoribus, verum etiam exinde ſatis concludere licet, quod multa habeamus exempla, quæ teſtantur: ſcabiem aliaque cutis vitia, ſi præſertim a contagio, vel ex alius morbi præcedentis reliquiis, ut febribus intermittentibus & continuis, podagra, colica convulſiva, aſthmate &c. originem ſumſerunt, ſponte ſubortis vel arte excitatis ſudoribus fuiſſe ſublata.

§. IV.

*Diaphoretica hoc fine proficua.*

Splendent autem diapnoica virtute, ſanguinemque & humores ſimul fluxiliores reddunt infuſa theiformia, ex herbis ſcordii, veronicæ, ſcabioſæ, fumariæ, cardui benedicti, floribus ſambuci, radice pimpinellæ & lapathi acuti confecta; quæ largiori in copia hauſta in promovenda materiæ malignæ expulſione egregie ſe gerunt. Huc quoque ex compoſitis ſpectant, dictiſque infuſis vel jungi, vel interponi poſſunt, mixtura ſimplex, liquor noſter anodynus mineralis cum ſpiritu bezoardico Buſſii & cornu cervi ſuccinato ad tertiam partem remixtus; vel etiam pulveres diaphoretici, ex antimonio diaphoretico, ceruſſa antimonii, & huic analoga materia Krügneri perlata, additis in refracta doſi antimonio crudo, regulo antimonii medicinali, ſulphure ſtillititio & ejus floribus, cinnabari, æthiope minerali, & hujus cenſus aliis, quorum ſupra jam in ipſa curativa methodo §. X. mentionem fecimus. Atque tales pulveres veſpertino tempore, ſicut liquida ſpirituoſa matutino, vel ex aqua, vel ex vehiculo aquæ flor. ſambuci, cardui benedicti, fumariæ, ſcabioſæ &c. poſſunt propinari.

§. V.

*Hic jungantur & interponantur decocta & laxantia.*

Ipſi quidem curationi ſociari & interpolari debent medicamenta diapnoica, ſed ſola non ſufficiunt; atque curatio poſitive diaphoretica, præſertim in ſiccioribus ſubjectis, tantum abeſt, ut ad ſalutem quidpiam præſtet; ut potius malum exacerbet, & ex ſimplici prurigine puſtuloſum adfectum cum pruritus incremento producat. Quæ cum ita ſint, neceſſitas omnino poſtulare videtur, ut non modo appropriatos potus, quales ſunt in cholericis corporibus decocta temperatoria & lacticinia, in phlegmaticis laxioribus ſaturatiora decocta, in ſufficiente quantitate haurienda ordinemus; verum etiam remedia primarum viarum ſaburram evacuantia, & ſimul viſciditatem ſeri ac lymphæ incidentia, ut ſunt pilulæ mercurio dulci vigoratæ, vel in debilioribus leniora infuſa laxantia præſcribamus, eademque poſt ſex vel octo dierum intervallum ſemper repetamus. Infantibus autem & pueris ſcabie vexatis ſpeciatim commendandum eſt hocce purgans: Recipe pulveris Cornachini ſcrupulum unum, mercurii dulcis grana octo, ſyrupi cichorei cum rhabarbaro drachmas duas, aquæ fumariæ unciam dimidiam. M. F. hauſtus, qui pro ætatis ratione offerendus.

§. VI.

*Nimius pruritus quomodo tractandus.*

Sæpe pruritus, maxime ſi lignorum decocta & ſudorifera accedunt, ad lypothimiam uſque augetur, quia ichoroſi halitus & ſalia ſubtiliſſima acria horum ope ad habitum corporis majori in copia propelluntur. Quod vero ſi incidit, merito abſtinendum eſt ab omnibus exagitantibus, & potius lac cum aquis herbarum antiſcorbuticarum, ut naſturtii aquatici & fumariæ mixtum, ſerum lactis vel ſolum, vel virtute herbarum alterantium imprægnatum, nitroſa, emulſiones, & balnea aquæ dulcis debent adminiſtrari.

§. VII.

*In retroceſſione exanthematum quid faciendum?*

Scabies & aliæ cutis defœdationes ſi ante tempus recedunt, vel externis ſulphuratis, mercurialibus, refrigerantibus tractantur, mox peſſimorum ſymptomatum ſyndrome ſolet adornari. In quo caſu præter ea, quæ ſuperiori loco expellendi fine commendavimus, optime ſe gerit mercurius dulcis, alterante magis ſcopo, quam laxante datus, nec non flores ſulphuris ad octo, vel decem grana cum abſorbente quodam propinatæ; hac tamen adhibita cautela, ut ſub mercurii exhibitione ſulphuris uſum omittamus: ab utroque autem abſtineamus, ſi febrilis quidpiam, ut ſæpe fit, concurrit.

§. VIII.

*Mercurialium uſus prudenter inſtituendus.*

Licet mercurius ſpecifice quaſi fermenteſcentem ſcabioſorum adfectuum indolem evertat, & fruſtra ſæpe auxilium ab aliis remediis ſperetur, niſi id per mercurialia interna obtineatur; ſalivatio tamen in morbis his exanthematicis omni cautione ſuſcipienda & tractanda eſt, præſertim ſi corpora ſunt cachectica atque ſcorbutica, in quibus ipſa inſtituitur. Niſi enim præmiſſa fuerit debita humorum correctio & præparatio, ſalivæ fluxus non modo impeditius ſuccedit cum faucium inflammatione dentiumque caſu & denigratione, verum etiam vomitus, ventris tormina, cardialgiæ, diarrhœæ, dyſpnœæ, aliaque plura accedunt incommoda. Quoniam autem nunquam fere non huic medicationi tonſillarum fauciumque intumeſcentia, gingivarum relaxatio & difficilis deglutitio junguntur; fauces præcipue lenientibus ac tonicis gargariſmatibus ſunt præmuniendæ, corpus in perpetua diapnoe eſt conſervandum, ex medicamentis omnia calida & acriora diuretica ſunt fugienda, & demum in diætæ victuſque regimine frigoris acceſſus, potus frigidus, omnia acida, ſalſa & cruda alimenta, quantum fieri poteſt, evitanda. Præterea limatiori opus eſt judicio, ne ultra individui ſalivantis vires medicatio protrahatur, neve ex altera vel medici, vel ægrotantis parte effectus prodeat inſufficiens, atque fermentum remaneat, quod novum morbi pabulum ſuppeditet. Quo igitur in utroque caſu tuto procedamus, probe debemus conſiderare molem corporis, temperamentum, durationem morbi, materiæ morboſæ quantitatem, ſymptomatumque gravitatem.

§. IX.

*An infantibus proſit, diſquiritur.*

Infantibus quidem abſorbentia fixiora, laxantia & depurantia tutius adhibentur, quia iiſdem nervoſum genus debilius eſſe ſolet, quam quod mercurialia impune ferre queat; tamen, ſi dicta mitiora remedia nihil juvant, & ſcabies maligni eſt genii, mercurialia etiam ſine noxa oblata memini, modo grana mercurii annorum numero attemperentur, & debitum regimen, quod rarius ſtricte obſervatur, poteſt injungi.

§. X.

*Curatio zonæ & ulcerum internorum.*

Si herpes præcordia invadit inſtar zonæ, quod ſæpius in hypochondriacis & arthriticis evenit, imo in omni zonæ & herpetis genere, ſpeciatim diaphoretica fixioris indolis, cum aquis diapnoicis præſidium ſunt eximium; ceteris tamen remediis non penitus omiſſis. Eadem quoque

locum

locum obtinent in pertinacibus ulceribus & abſceſſibus internis: ſiquidem hac ratione vitioſi & acres humores commode alterantur, temperantur, & blande educuntur.

§. XI.

*Externa in variis adfectibus proficua.* Neque topica ſunt prætereunda, quorum conveniens uſus in perfecte ſanandis cutis defœdationibus & ulcerationibus plurimum confert emolumenti. Quoniam vero diverſi adfectus alia atque alia poſtulant remedia, breviter jam ſtrictimque præcipua denominabimus. Quando puſtulæ humidæ ulceraque manantia exſiccationem, & ob nimiam meatuum cutis laxitatem lenem conſtrictionem expetunt, ſulphur vivum ſtillitium, quod exigua tantum mole inunctum cutim coarctando, ulteriorem excrementorum cutis proventum impedit, ideoque ab antiquiſſimis, Aetii, Aretæi & Oribasii temporibus commendationem ſibi comparavit, omne prope abſolvit punctum, ſi in oleo lini, aut axungia porcina diſſolutum, debitaque quantitate ceruſſæ & tutiæ in unguenti maſſam redactum adhibetur: licet quoque, ad nimiam humiditatem abſumendam, unguentum de alabaſtro cum tutia mixtum non minorem præſtet utilitatem. Si dolor, rubor, ardor & pruritus juncta ſunt, unguentum de ceruſſa, quod ex ſolutione lithargyrii cum aceto acri confecta, ceruſſa, pinguedine porcina conflatur, omnibus aliis videtur præferendum; maxime ſi eidem flores ſulphuris, & aliquot guttulæ olei ligni Rhodii, jucunditatis conciliandæ gratia, adjiciuntur. Ad ſcabiem ſiccam & valde dolorificam emolliendam & temperandam, mucilago medii corticis tiliæ cum aqua roſarum extracta, vel etiam cum oleo lini, ceruſſa & pauxillo croci, ad imitationem diachyli ſimplicis in emplaſtrum redacta, mirabilem exſerit efficaciam. Quod ſi autem ulcuſcula profundiora purificanda ſunt & conſolidanda, dictis unguentis addi poteſt oleum juniperi & lauri deſtillatum, vel balſamum ſulphuris cum iiſdem oleis & æthiope minerali remixtus adhiberi. Denique non negligendum eſt unguentum coſmeticum, in omnibus cutis adfectibus finita curatione utiliſſimum, cujus parandi modum infra in obſervat. VII. docuimus. Præter hæc vero, huc etiam referri merentur non nullæ antiquiorum medicorum non ineptæ curationes, atque inprimis Hippocratis qui *lib. epid. II.* ad impetiginem & lepram aquam calcis commendat, quam autem ex monito Sponii ita temperatam eſſe decet, ut ne magis ulceret. Neque minus mihi ſemper placuit *Sylvatici* methodus, *cent.* 1. *conſ.* 22. 23. reperiunda, ubi ille poſt uſum ſeri lactis caprini, cum ſucco citri per XV. dies, ad libras duas quotidie ſumti, externe unguentum ex ſulphure, nitro, mercurio & oleo amygdalarum dulcium confectum maximopere laudat.

§. XII.

*Tineæ capitis curatio.* Quod ſpeciatim attinet ad capitis tineam externa ope ſublevandam, præmiſſis univerſalibus cacochymiam reſpicientibus, ſequens unguentum magnæ ſolet eſſe efficaciæ. Recipiantur olei vitellor. ovorum uncia una, pulveris pyrii, tabaci, florum ſulphuris, anatica portione drachmæ duæ, eſſentiæ benzoes & balſami Peruviani ana uncia dimidia. M. F. unguentum, poſt cujus inunctionem per aliquot dies continuatam caput lavandum eſt decocto, quod ex æqualibus partibus vini & lixivii cum ſcordio, ariſtolochia rotunda, muſco terreſtri, floribus lavendulæ & myrrha coctis poteſt apparari. His nihil proficientibus, nonnulli interne mercurialia porrigunt, externe mitram ex pice navali & balſamo de copaiva conflatam capiti imponunt, ſicque totum capillitium detrahunt, conſolidationem poſtea cum oleo vitellor. ovor. peragentes. Quando tamen violenta hæc curatio tuto admitti poſſit, aliis experiundum relinquo, hoc tantum commonefaciens, quod deſperatum ejuſmodi remedium, niſi in deſperatis caſibus nunquam ſit adhibendum.

§. XIII.

Inter externa recenſenda etiam ſunt balnea, *Balneorum uſus.* tam naturalia, quam artificialia, quæ ex ſola aqua dulci, cum radicibus helenii, enulæ, lapathi, herbis fumariæ, ſcabioſæ, ſaponariæ &c. decocta, peropportune parantur, atque in pſora leproſa & elephantiaſi, præmiſſis internis ſanguinem purificantibus, tum ad cutis tonum roborandum, tum ad impuras & ſquamoſas ſordes abluendas, inſigni cum fructu adhibentur. Nec minorem merentur commendationem balnea, ex ſcoriis metallicis martialibus & venereis confecta, quarum illæ de terreo-ſalina & ſulphurea martis ſubſtantia participant; hæ vero ſulphure multo & ſale vitriolico turgidæ ſunt, adeoque in roborando partium fibroſarum tono inſignem exſerunt efficaciam. Atque ex hoc fundamento maxime ſeſe probarunt ejuſmodi balnea in morbis cutaneis, à nimia ſpiſſitudine & corruptione humorum ſeroſo-lymphaticorum oriundis, quales ſunt: ſcabiès, ſerpigo, herpes & achores &c. ſicut hac de re nonnulla exſtant exempla in diſſertatione ſub præſidio meo habita de *balneorum artificialium ex ſcoriis metallicis uſu medico*: ubi herpetem malignum pag. 13. ſcabiem pag. 18. & lepram pag. 20. iiſdem ſublata diverſis exemplis comprobavi. Imo demum huc merito ducenda ſunt balnea aquæ dulcis fluviatilis cum furfuribus decoctæ, debitaque lactis recentis admixtione temperatæ, quæ præſertim in ſcabie ſicca, omnibuſque adfectibus cum inſigni cutis aſpredine junctis, & ſpeciatim quidem in moleſtiſſimo ſenum pruritu auxilium ferunt præſtantiſſimum.

§. XIV.

Quum nullum prorſus medicamentum, niſi *Cautelæ circa externorum uſum obſervandæ.* recto uſu juvet, plurimumque in omni curatione rite perficienda interſit, quo ordine & quo tempore remedia adminiſtrentur, utiliſſimus erit labor, ſi genuinam methodum jam allegatis topicis utendi cum debitis cautelis ſuppeditemus. Probe itaque ſciendum eſt, remedia externa ſemper in poſtremis eſſe collocanda, & nunquam applicanda, niſi tota ſanguinis & humorum maſſa viſcida, acris, corrupta debitis internis corrigentibus ac depurantibus ad blandiorem temperiem fuerit redacta. Neque facile ſub uſu externorum negligere prorſus decet interna, præſertim diaphoretica, ſed hæc potius eo fine ſunt continuanda, ut quæ forte intus remanſerint impuritates expellantur. Quæ utiliſſima monita ſin flocci penduntur & minus obſervantur, mille oriuntur mala, prioribus longe majora, & ſæpe cum vitæ periculo conjuncta. Ita crebrius annotare mihi licuit, particularem ſcabiem, quæ ſpecialia quædam loca, v. g. manus, pedes, nucham & faciem occupavit, præpoſtera methodo per linimenta conſo-

conſolidantia ſuppreſſam graves nervoſi generis adfectiones, ut ſpaſmos cynicos, epilepticos, paſſionem iliacam, febres inflammatorias cum deliriis, cardialgias, aſthmata, & hydropicos tumores excitaſſe, quæ vix aliis modis, quam revertente priori morbo quieverunt. Huc etiam referendi ſunt caſus medicinæ meæ conſultatoriæ inſerti, ubi *Cent. I. caſu XXVIII.* male curatam ſcabiem hæmoptyſeos & epilepſiæ cauſam attuli, & *cent. I. caſu IX.* in epicriſi ad vertiginem contuliſſe demonſtravi. Majori vero & certiori damno plerumque adhibentur unguenta mercurialia. Mirifice quidem mox poſt inunctionem aliquot dierum, paucis tantum in locis tendinoſis & nervoſis inſtituta evaneſcunt exanthemata, quia ſine dubio fibrillares & nerveæ cutis partes à medicamento hoc activiori ſtricturam quandam patiuntur, qua particulæ humoris vitioſi è tubulis ſubcutaneis partim expelluntur, partim ad interiora repelluntur. At vero, ſi corpus non ſufficienter antea ab impuris ſordibus fuerit depuratum, tranſpiratio imminuitur, & vis materiæ morbificæ impetuoſe ad interiora, maximeque ad partes nerveo tendinoſas convertitur; unde præter alia mala, arthritidem fixam ſubortam novimus.

## §. XV.

*Gutta roſaceæ indoles.*

Supereſt adhuc peculiaris cutis depravationum ſpecies, cujus facienda erit mentio. Nominatur illa gutta roſacea, quæ nihil aliud eſt, quam faciei defœdatio & decoloratio cum rubedine, ſquamulis, & interdum puſtulis tuberculiſque inæqualibus juncta, à ſero ſanguineo plus minus impuro, copioſius ad vaſa capillaria faciei advecto enata. Sunt autem variæ guttæ ſpecies, quarum leviſſima eſt, ſi tantum naturali major rubedo circa naſum, in fronte, vel certis locis faciei obſervatur; pejor, ſi in ſquamulas abit, peſſima, quæ puſtulis & tuberculis eſt obſita. Atque hi diverſi gradus à differente cauſa in variis ſubjectis dependent. Siquidem non omnis gutta roſacea pravos & impuros ſuccos, quos natura ſingulari beneficio ad partes extremas ſummamque cutim faciei amandet, pro cauſa agnoſcit, ſed potius in nonnullis à turgeſcentia & diſtenſione vaſculorum minimorum capillarium, vel etiam lateralium, quæ nullam alias lympham coloratam vehunt, derivari debet. Aliter vero res ſeſe habet, ſi cauſa hujus exanthematis in materia ſubtili activa acri quærenda eſt; quæ quo volatilior eſt, eo plus penetrat in nervoſarum membranarum texturam, inque iis corporibus, quæ generis nervoſi debilitate & ſcorbutica ſanguinis diatheſi laborant, longe majorem exercet tyrannidem.

## §. XVI.

*.. & curatio, tam interna*

Levior hujus mali indoles in ſubjectis ſanis, vegetis, nullaque ſontica impuritatis labe infectis leviorem quoque & minus ſollicitam poſtulat curationem; ſed in iis plerumque à majori ſanguinis ebullientis ad ſuperiora motu proveniens ſæpe ſolis temperantibus, diluentibus & derivantibus feliciter tollitur. Longe vero pertinacius ſcorbuticis inhæret corporibus, in quibus ſine remediis ſanguinem purificantibus nihil mitigatur. Ego igitur in ejuſmodi caſibus optimo cum ſucceſſu ordinavi ſequentem potionem per aliquot hebdomades adſumendam. Recipe aquæ fumariæ, beccabungæ, naſturtii aquatici, acetoſæ, ana libram unam, ſeri lactis caprini libras tres, arcani duplicati drachmas tres, nitri depurati drachmam unam. M. D.S. potio cujus libra una mane & à meridie, ſi conſentiat ventriculus, haurienda. Aliis eodem depurandi fine præſcripſi ſequentes ſpecies: capiantur herbæ fumariæ, ſcolopendrii, ſcabioſæ ana manipulus unus, rad. cichorei uncia una, corticis capparum uncia ſemis. C. D.S. ſpecies, quarum uncia una in duabus ſeri lactis caprini menſuris decoquenda, & inde, facta colatura, quantum lubet, bibendum. Evacuandi ſcopo ſemel vel bis in ſeptimana cum dicto medicamento drachmas duas infundere juſſi harum ſpecierum: Recipe polypodii unciam dimidiam, rhabarb. optimi drachmas duas, agarici trochiſcati, mechoacann. alb. ana drachmam unam, nitri purif. arcani duplicati, ſemin. fœniculi ana drachmam dimidiam. C. D.

## §. XVII.

*.. quam externa cum cautelis.*

Neque præter hæc, in ſucculentioribus maxime ſubjectis, ſcarificationes in nucha, ſcapulis, dorſo inſtituendas, neque temperata pediluvia ex aqua fluviatili cum furfuribus decocta omiſimus, in potus locum ſubſtituendo ptiſanam temperantem, vel ſolam aquam fontanam cum cornu cervi uſto indito depuratam, vel cum farina triticea, vulgo *Stercke* decoctam, ſaccharoque & citri corticibus palato accommodatam. Facto demum, his omnibus præmiſſis & reliquis conſentientibus, ad externa tranſitu, ego ſequens epithema inſtar omnium inveni præſtantiſſimum. Rec. aquæ ſpermat. ranar. flor. ſambuci, fabarum anatica portione uncias binas, aquæ d'arquebuſade unciam unam, magiſter. ſaturni drachmas duas, ſacchari ſaturni ſcrupulos duos, vitrioli Cyprei grana VIII. M. D. Maxima vero cautio debet adhiberi in omnibus topicis applicandis. Docuit enim proh! dolor experientia, perverſum earum uſum in ſubjectis impuris & ſenſibilioribus peſſima ſubſequuta fuiſſe ſymptomata. Sic ego inde ophthalmias, cardialgias, & à ſolo epithemate ex aqua ſpermat. ranarum, mucilagine ſem. cydon., ſucco citri & floribus ſulphuris conflato hemicraniam obſervavi. Vid. *conſult. medicin.* mearum *cent. I. caſus* 163.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Affectus puſtularis pruriginoſus.*

Vir quidam ætatis conſiſtentis, tribus abhinc menſibus, medio hieme, ſub nuptialibus feſtivitatibus, ſaltando corpus inſigniter commovit, atque poſtridie aëri frigido, humidoque diu expoſuit. Hinc eadem adhuc veſpera catarrhali faucium adfectione infeſtatus, elapſo triduo podagra prehenditur, ſatis miti, & poſt dierum quatuordecim decurſum evaneſcente. Sub hac ex improviſo, dolore quodam circa dorſi ſpinam in latere ſiniſtro noctu corripitur: quem locum, cum expergefactus leviter inflammatum conſpiceret, linteiſque calefactis foveri curaret, obſidebant puſtulæ cum inſigni dolore. Sequenti nocte à ſpina dorſi per ſiniſtrum abdomen erumpebant efflorеſcentiæ, inſtar lichenum: tumque ſequebantur puſtulæ, in majores ſenſim veſicas coeuntes; quæ ob inſignem, quem inferebant, pungentem dolorem, diſſecatæ ſerum plorabant lividum. Nullus in externa cute adparuit tumor; moleſta autem intus vexabat ſenſatio, ponderis cujuſdam, cutem inter ac muſculos innati, quod ad levem contactum acutiſſimas exhibebat puncturas;

ſturas; atque jungebantur alvi ſegnities, perpetuæque vigiliæ.

Oppugnabat hæc ſymptomata medicinis leniter diaphoreticis, antiſpaſmodicis, externe cataplasmatibus ex herbis emollientibus, quæ ingentem excitabant pruritum; & frictiones per calidiora lintea, dolores relinquebant, quales acus cuti inferunt: ſpirituoſa vero prorſus exaſperabant malum. Mane loco infuſi herbæ Theebois, decoctum radicis chinæ, ſarſaparillæ, pimpinellæ, hermodactylorum, atque ligni ſaſſafras potabat; & ex hoc ter quotidie triginta guttas elixirii nervino-ſtomachici, quod eſſentiam corticum aurantiorum, caſcarillæ, gentianæ rubræ, liquoremque anodynum habuit, adſumebat. Quibus votis nondum reſpondentibus, noviſſime dolenti regioni adplicabat emplaſtrum diachylon compoſitum diaphoreticum, cum ſpermate ceti, caſtoreo, camphora, atque croco ſubactum; quod loci iſtius ſudorem, majoremque pruritum movebat, mox vero inſigne levamen inferebat. Interim quum in dicto ſiniſtro latere adhuc præſto ſit locus, qui tenſivum, & ad quemvis contactum, pungentem refert dolorem: ad hunc penitus expugnandum, ſalubre anhelat conſilium.

*Conſultatio.*

Singularis, quo cum per aliquot menſes, vir ſpectatiſſimus conflictatur affectus, non alius eſt, quam puſtularis ſcorbuticus, à dyſcraſia humorum, ſalſis, acribus, impurisque ſordibus refertorum originem trahens. Hanc in ſanguinis maſſa jam diu delituiſſe, vero eſt ſimillimum; quum autem æger ſub memoratis nuptiis, gulæ forſan nimium indulſit, dein corpus vehementiori ſaltatione exagitavit, ac brevi poſt ſub frigido diutius verſatus aëre, ſalutarem perturbavit tranſpirationem; commovit utique, ac quaſi ſuſcitavit ſilentem hactenus hoſtem.

Unde catarrhales primum faucium adfectiones, ac podagricos pedum dolores expertus; his per metaſtaſin ad dorſi ſpinam retrocedentibus, in moleſtum illum, quo adhuc laborat, puſtularem pruriginoſumque incidit morbum.

Quum vero iſtæ effloreſcentiæ, ſalutari plane conſilio, ad cutis ſuperficiem ſint compulſæ: eo reſpicere decet medentem, ut naturæ ductum ſequutus, iis potiſſimum utatur remediis, quæ integram ſanguinis ac humorum maſſam depurandi, ſaliaque ſcorbutica attemperandi, ad exitum diſponendi, & per alvum cutimque è corpore proſcribendi virtute pollent. Quo quidem fine in hiſce caſibus pro potu ordinario præſcribere ſuevi decoctum, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, liquiritiæ, raſura cornu cervi, ſemineque fœniculi paratum. Deinceps, bis quavis hebdomade corpus infuſo mannato, rhabarbarino, cremori tartari nupto purgari; reliquis diebus mane liquorem meum anodynum, cujus tres partes cum una ſpiritus bezoardici Buſſii, vel tinctura bezoardica ſint remixtæ; veſperi vero, ad promovendam tranſpirationem, pulverem diaphoretico cinnabarinum adhiberi curo. Non minus iis, quorum ventriculus fert, potum ſeri lactis cum inſigni fructu commendare ſoleo. Ex topicis emplaſtrum Barbette camphoratum, cum oleo hyoſcyami ſubactum, vel ſolus ſpiritus vini, leviter rectificatus, partique dolenti inunctus, egregium adferre obſervantur adjumentum. Quibus remediis, per aliquot hebdomades continuatis, ſi perſanetur hæc moleſta adfectio; excellentiſſimum in totum corpus inde reſultabit emolumentum.

OBSERVATIO II.

Juvenis viginti & aliquot annorum, habitus corporis ſpongioſi, qui lacte & ſaccharo conditis valde ſemper delectatus, æſtate quondam maxima in copia fructus ingeſſit horæos, ſub inſequentem autumnum, poſtquam præſertim cum ſcabioſo in uno decubuit lecto, magno afficitur pruritu, & puſtulis indies magis effloreſcentibus, quæ de nocte multum creabant moleſtiæ, & intra unius ſeptimanæ ſpatium per totum corpus diffuſæ ſaniem æque copioſam atque acrem ſtillabant. Medicus conſultus ad depellenda hæcce incommoda vehemens præſcribebat purgans per ſingulos dies ſumendum, cujus quidem uſu ultra ſexaginta ferme ſedes intra triduum provocatæ vires mirum exhauriebant, ſed ſimul mirabili ſpectaculo omnis prope ſcabies diſparebat, puſtulis egregie exſiccatis. Quæ perfecta videbatur ſanitas non multo poſt denuo labaſcebat, dum æger omni adpetitu & ſomno deſtitutus in interioribus inſignem experiebatur ardorem, cum maxima debilitate pulſuumque celeritate junctum. Dabantur itaque ex meo conſilio medicamenta blande diaphoretica, maxime autem nitrum cum camphora & antimonio diaphoretico mixtum, ſubſtituto in potus locum decocto cornu cervi calido. Qua methodo id efficiebatur, ut inſenſiſſimis hiſce ſymptomatibus evaneſcentibus denuo nova prodibant cutis excrementa, quæ poſtea per decoctum veronicæ in copia hauſtum, pulveribus leniter abſorbentibus & temperantibus, unguento ſulphurato & balneo perfecte ſanabantur.

*Scabies validiori purgante retropulſa & feliciter curata.*

*Epicriſis.*

1) Docet inprimis hæc morbi hiſtoria, quod ſcabies ſit contagioſa, facileque poſſit cum illis corporibus communicari, quæ jam ſanguinis quadam dyſcraſia, ob perverſam victus rationem, laborant. Frequentiſſimus autem hujus morbi proventus in autumno ſolet contingere, quia ſub hoc anni tempore turbulento, & quoad tempeſtates inconſtanti perfaciie ſaluberrimum tranſpirationis negotium impeditur, magnaque ſordium excrementitiarum copia in ſanguine accumulatur.

2) Notare licet, vehementem alvi purgationem retropellere poſſe ſcabiem, dum ſic humorum motu ad peripheriam corporis imminuto, cutiſque colatorio ſpasmodice quaſi conſtricto, ſalia cauſticæ indolis acria per ſudorem non amplius eliminantur, ſed retenta & intus rejecta facile febriles motus ſuſcitant. Equidem non nego, in ſcabie omnibusque ſubcutaneis adfectibus primam regionem a bilioſa amurca eſſe repurgandum, ſed ut remediis per epicraſin & paullatim agentibus, uti ſunt infuſa vinoſa, id fiat, etiam atque etiam moneo.

OBSERVATIO III.

Fœmina tenerrimæ conſtitutionis, bilioſa & viginti annos nata, tempore adhuc frigido ad acidulas Pyrmontanas profecta, iiſdem per quatuordecim dies ſub cœlo frigido & humido ſine ulla valetudinis noxa utitur. Domum autem reverſa elapſis aliquot hebdomadibus maximo totius

*Scabies poſt uſum acidularum frigidum & prohibitam tranſpirationem oborta.*

cor-

corporis pruritu exercitabatur, quem inopinato ſat multæ puſtularum efflorescentiæ in manibus, cum tumore & dolore inflammatorio ſequebantur, quæ ſuccedente tempore ingentem ſaniei copiam ſtillabant. Conſultus vir chirurgiæ peritus pulvere exſiccante, ex tutia, creta & ceruſſa compoſito manus perpetuo ichore madidas diligenter conſpergebat. At vero, loco ſperati ſalutaris effectus tuſſis oriebatur vehementiſſima cum ſumma præcordiorum anxietate, & in ipſis muliebribus, quæ valde intumeſcebant, ægra intenſiſſimum ſentiebat pruritum. Ego igitur in conſilium adhibitus, quum ſingula hæc mala à materiæ peccantis in corpus repulſione enata facile augurabar, remoto pulvere ſiccante, tincturam antimonii tartariſatam cum infuſo radicis enulæ, quod fortiter expellit, quotidie adſumendam commendabam; ad tumorem autem dolorificum in pudendis abigendum, emplaſtrum emolliens cum pauxillo camphoræ mixtum ordinabam. Nec ſpem fefellit hæc curandi ratio: ſiquidem tuſſi inde compoſita, reliquisque ſymptomatibus ſublatis, rurſus in partibus extremis plurimæ efflorescebant puſtulæ, quæ poſtea decenti corporis purgatione, ſubjunctisque in fine unguentis ſulphuratis & balneis ex voto deciderunt, priſtino cuti nitore per unguentum noſtrum cosmeticum reddito.

*Epicriſis.*

Quæ præſentem ægrotam graviter vexavit ſcabies ex intempeſtivo acidularum uſu ſuam duxit originem. Quod ſi enim aquæ ejuſmodi frigidæ ſub frigido humida aëris conſtitutione in copia hauriuntur, non poteſt non inde liberior tranſpirationis ſucceſſus ſuſpendi, atque magna impuritatum ſalinarum & excrementitiarum copia colligi, quæ deinde, calidiori aëre accedente, cum impetu ad extremam corporis ſuperficiem expelluntur, ubi ſtaſi ſua inflammationem & varii generis exulcerationes producunt. Jam æquum juſtumque fuiſſet, naturæ in expellendis & corrigendis his ſordibus interna ope ſuccurrere. At vero, quum chirurgus externis ſiccantibus materiam corpori infenſam retroegerit, non mirum eſt, peſſima ſuborta eſſe mala, quæ niſi revocatis exanthematibus, & acri materia denuo expulſa abigi non poterant.

OBSERVATIO IV.

*Scabies maligna cum tuberculis in cute.*

Accidit aliquando hic loci, ut tota domus ſcabie inficeretur maligna, quæ tamen inprimis maritum in pedibus æque ac manibus miſerrime divexabat. Erat ille quadragenarius, conſtitutionis gracilis & macilentæ, temperamento præditus cholerico, paululumque ad melancholiam inclinante; victu delectabatur duriore, potu conſiſtentiori, ſtudiisque nimis intentus vitam agebat ſedentariam: quamobrem non poterat non ſanguinem generare ſpiſſiorem, & deinceps ſcabie infectus aliis longe gravius & diutius decumbere. Manus enim & pedes innumeris obſidebantur puſtulis, quæ pruritu fere intolerabiles per plures ſeptimanas impediebant, quo minus pedibus incedere, vel manibus quidquam prehendere valeret. Enimvero, ad ſubmovenda hæc mala venam ſecandam præbuit, pilulis aliquoties ventrem purgavit, ſudavit, & balnea adhibuit, ſed ſine ullo conſtantiori effectu; ut potius ſcabioſæ illæ puſtulæ, quæ membra derelinquere videbantur, brevi poſt pleniori redirent agmine. Ego quum primum advocarer, Carolinarum uſum ſuadebam; hoc vero conſilio neglecto, ſequenti ratione ægrum divina gratia reſtitui. Primo omnium præſcribebam pilulas hujus compoſitionis: Recipe extracti panchymagog. Crollii, gummi ammon. mercurii dulcis, cinnabaris nativæ præp. ſingulorum drachmam dimidiam, ſulphuris antimonii aurati, ſalis ſuccini ana grana decem, olei ligni ſaſſafras gutt. X. M. F. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno numero XX. quarum duodecim ſingulis tribus diebus mane capiebantur, ſuperhauſto & interpoſito infuſo veronicæ calido. Inde mitigabatur quidem pruritus & puſtularum plurimæ exſiccatæ ſquamulas deponebant, ſed novæ ſubinde propullulabant; &, quod notabile erat, in brachiis non minus, ac in pedibus duri & inſignis magnitudinis nodi, ſub cute delitescentes conſpiciebantur, qui glandulas tumefactas referebant. Quæ quum animadverterem, malum difficulter ſanatum iri edixi, niſi grandioribus his tumoribus ſimul ſublatis; eoque fine unguentum illinendum nodis commendabam, quod balſamum ſulphuris antimoniatum cum mercurio vivo ſubactum recipiebat. Interne priora continuabantur remedia, & en! ſimplici hac methodo, cui in fine balnea ſubjungebamus, id per Dei gratiam obtinuimus, ut æger a moleſtiſſimo hoc adfectu liberatus integræ redderetur ſanitati.

*Epicriſis.*

Non raro in artis exercitio obſervare licet, quod non modo ſcabies, ſed & alia externa cutis vitia valde ſint rebellia, omniumque remediorum vim penitus eludant. Quod vero ſi evenit, non obſcurum ſolet eſſe indicium, magnam lymphæ ſubeſſe impuritatem & viſciditatem, quæ obſtructiones glandularum vel ſubcutanearum, vel meſeraicarum, ipſorumque viſcerum pro cauſa agnoſcit, in quarum partium alterutra fermentum quaſi reſidet, quod diuturnos hoſce adfectus alit atque ſuſtentat. Cujus rei pleniſſimam faciunt fidem obſervationes corporum, vel lepra, vel aliis pertinaciſſimis morbis demortuorum, ubi glandulas, præſertim meſeraicas valde magnas & tumefactas perſæpe inveni. Quæ cum ita ſint, in uſum practicum hæc eximia redundat cautela: omnem fruſtraneam eſſe ſanguinis depurationem, quantumvis alias probatam, niſi id medicus perficere ſatagat, ut penetrantioribus ex minerali regno petitis remediis obſtructas glandularum minimorumque tubulorum vias reſeret atque recludat.

OBSERVATIO V.

*Scabies ferina pertinaciſſima.*

Vir conſiſtentis ætatis gente Judæus, habitu corporis macilento incedens, jam per ſeptem fere annos ſcabie ſicca laboravit cum pruritu per totum corpus moleſtiſſimo, eoque de noctu mirum in modum adaucto. Nihil hactenus profecerant fortes purgationes vel ſæpius repetitæ, nihil ſcarificationes & venæ ſectiones, nihil demum ſudorifera, utut ingenti in copia devorata, magnoque ubivis pretio à plurimis medicis coemta. Multo magis ſanitatis loco res eo devenerat, ut ſe æger vera lepra adfectum, & ad mortem uſque miſerrimum crederet. Tandem vero veniebat ad me ſupplex, ut ſuæ miſeriæ medicamentorum ope finem facerem, quem alias ſolam mortem eſſe allaturam crediderat. Ego igitur, ſingu-

lis probe æſtimatis, facile augurabar, tum perverſam & nimis liberalem vivendi rationem, tum iniquas medicorum curationes, quas potiſſimum calidioribus medicamentis & decoctis ligni guajaci exſiccantibus ſuſceperant, hactenus exoptatum morbi exitum retardaſſe. Quare ego leniori procedendum via ratus præcipue omnium in diætæ victusque regimine cibos duros, ſalſos, acres removendos præcipiebam, commendata in potus locum ptiſana ex raſura cornu cervi & radice ſcorzoneræ confecta. Deinde, ad ſanguinem diluendum & purificandum commendabam ſerum lactis caprini per menſem & ultra mane calide bibendum; vel hujus loco ſequens decoctum ſubſtituendum: Rec. radicis altheæ unciam unam, raſuræ cornu cervi uncias duas, herbæ veronicæ, malvæ, hederæ terreſtr. ana manipul. unum, florum ſambuci pugill. IV. ſemin. cydon. papav. albi ana unciam ſemis. C. D. Atque hujus decocti menſuram unam & dimidiam æger quotidie calide hauſit, lenem poſtea ſudorem in lecto mane exſpectando. Ad alvum apertam ſervandam potio dabatur mannata, quæ ſemel in hebdomade hauriebatur: unde intra menſis ſpatium non modo pruritus mitigabatur, ſed puſtulæ quoque ſiccæ ſenſim paullatimque evaneſcerent, maxime cum balneis aquæ dulcis temperatioribus, atque balſamo ſulphuris amygdalino externam ſimul opem præſtabamus.

*Epicriſis.*

Judæi propter genus vitæ ſordidum, pauciorem potum & multum tabaci fumum; imo, quod maximum eſt, propter allii inter cibos comeſtionem facile ſcabie ſicca tentantur, quæ licet per ſe ſatis moleſta, ſemper tamen majorem exercet tyrannidem in ſubjectis macilentioribus, quale præſens fuit ægrotus. In curatione rite peragenda cane pejus & angue fugienda ſunt calida volatilia & ſerum magis defraudantia, ut fere ſunt eſſentiæ calidæ & decocta ligni guajaci; quibus non modo ſymptomata mirum augentur, ſed malum quoque pertinaciſſimum redditur. Multo magis ea in uſum debent proponi, quæ ſpicula acria involvendo impediunt, quo minus ipſa in partes ſenſibiles tam violenter poſſint agere, & ſpaſticam quaſi cutis conſtrictionem inferendo, ſordium impurarum & ſalinarum exhalationem remorari. Verum enim vero, ut eo clarius pateſcat, quantum damni ſicut ex omnibus calidioribus & acribus medicamentis; ita quam maxime ex decocto guajacino in corpora ſcabioſorum redundet, allegare atque huc tranſcribere placet ſingularem & digniſſimam notatu obſervationem, quam *Henricus* ab HEER *in obſervat. med. pag.* 200. ſuppeditavit. *Anno* 1608. *venit ad me juvenis temperamento cholericus, lacerrima, & altis rimis pervia per totum corpus cute, non aliter, quam ſi clatris ferreis acutiſſimis, cannabis aut lini inſtar, pexus fuiſſet. Credebam illum lepræ à me indicium, vel conſilium petiturum, illo enim leproſiorem per omnem vitam vidi neminem. Re ab initio examinata, invenio illum apud ſeptem chirurgos, guajaci decoctum ſepties, qualibet vice, ad dies quadraginta potaſſe, cumque initio parum mali haberet, tam longo guajacinæ ſcobis potu, tantum non perfectam lepram incurriſſe. Sæpe etiam obſervavi melancholicos, nimio guajaci uſu elephantiacos factos.* Tum quoque paucis interjectis curam ſuppeditat in hunc modum: *jubeo illum quotidie mane ſumta ſeſqui drachma cryſtalli montani præparati cum ſuccis fol. nymphea, ribes & berberorum, ſuperbibere ſeri lactis, cum tantillo ſalis prunellæ, quantum poſſet. Deinde in ſtramineo lectulo, ſub altiſſimo meridiano jacentem, ſtillicidium ex alto in hepatis regionem cadens excipere aquæ gelidiſſimæ, neque motu, neque ſolaribus radiis calefactæ. Hoc cum mane & ſeſqui hora ante cœnam, aliquot dies feciſſet, ſaniſſimus & pulcherrimus eſt factus.* Et profecto, ſi dicere licet, quod res eſt, nihil pernicioſius poteſt excogitari, quam ſubjectis cholericis, macilentis & ſcabie ſicca laborantibus decocta guajacina propinare. Cauſam ſi quis quærat, in promtu eſt. Etenim, quum exoticum hoc lignum abundanti, eoque ſubtili reſinoſo & acerrimo ſale, quod etiam vehementem movet ſternutationem, præ aliis ſcateat, judicatu facillimum eſſe arbitror, hoc ipſum fibras corporis, per ſe jam rigidas adhuc magis intendere, & una cum ſudore, quem plerumque largiter movet, bonos ſuccos effundere, qui tum viribus ſuſtentandis, tum acribus ſalium ſpiculis contemperandis inſervire deberent.

OBSERVATIO VI.

Vir quadraginta & novem annorum, temperamento ſanguineo-melancholico, habitu corporis ſpongioſo & animo mobiliori præditus, qui præter defluxiones catarrhales levioremque tuſſim, in juventute perpeſſam, ſub vita ſedentaria & moderatiori diæta nulla ſontica valetudinis incommoda ſenſerat, inopinato ſcabie corripiebatur ſanioſa, quæ ita ſimul ac ſemel increſcebat, ut totum corpus madore ſanioſo ferme diffluerét, novoque quotidie induſio opus eſſet, ad nimiam humiditatem exſiccandam. Præter hæc vero, oris fœtor aderat intolerabilis fere, & ab admiſſa frigidiori aura mox ſummæ percipiebantur anguſtiæ. Ad nos itaque confugiens uxor ejus ſequens reportavit conſilium. Primo omnium præſcripſi infuſum, quod ſequitur laxans, cujus unciæ aliquot per triduum tam mane quam veſperi bibebantur. Rec. rad. cichorei, pimpinellæ ana drachmas tres, herbæ cuſcutæ, epithymi, fumariæ ana manip. unum, fol. ſennæ ſine ſtipit. rhabarbari el. ana unciam dimidiam, mannæ el. unciam unam, ſalis amari Sedlicenſis drachmas ſex, cardamomi ſcrupulos duos. C. D. S. ſpecies, quæ cum menſura aquæ fervidæ per noctem infundantur, factaque dein expreſſione, cum æquali portione vini boni Moſellani remiſceantur. Deinceps ordinavi pulverem diaphoretico-abſorbentem, ex lapid. cancror., antimonio diaphoretico, conchis præp., ſuccino, floribus ſulphuris & nitro compoſitum, una cum infuſo theiformi, quod herbas ſcabioſæ, veronicæ, heder. terreſtr. rad. cichorei & glycyrrhizæ recipiebat. Pro potu ordinario adſumebatur decoctum rad. chinæ cum paſſulis; idque hac methodo exactis duobus menſibus obtinebatur, ut multum à ferocia ſua adfectus remitteret. Ad plenariam igitur ſanationem, quam æger cum ſuis anxie anhelabat, præſtandam exterius commendavi unguentum, ex unguento lithargyrii, flor. ſulphuris & mercurio vivo conflatum, carpis manuum adplicandum; neque tamen alvi purgatione, neque diaphoreticis ſub ejus uſu penitus omiſſis. Et ſic læto omine eveniebat, ut fœda ſcabies ſenſim paullatimque exſiccaretur, & æger ex voto ſanatus ab eo tempore optime ſibi conſtaret, omniumque morborum expers plures ſupra ſexaginta annos attingeret. *Scabies climacterica.*

*Epi-*

*Epicriſis.*

Perquam notatu dignum eſt, quod adfectus hic puſtuloſus anno climacterico ſeptenario ſeptimo contigerit: eamque ob rem non inepte climacterica ſcabies appellari mereatur. Licet vero annorum climactericorum in corpus humanum potentia non adeo ſit cognita atque explicita, ut vera ejus ratio cuique pateat; nihilo minus tamen negari minime poterit, his ætatum periodis multa notatu digna in machina noſtra accidere, & varios inprimis actus depuratorios à natura inſtitui, quæ, ſi ſuperantur, ad ſanam & longiorem vitam multum conferunt momenti. Sic enim copioſa proſtant exempla: ſub his climactericis annis diarrhœas, ſudores chronicos, ſcabies tam ſiccas quam humidas, hæmorrhoidalem fluxum, aliaſque plures excretiones fuiſſe excitatas, quæ prudenter moderatæ plenam ſæpe & perfectam valetudinem attulerunt. Quod ſi vero ſaluberrima ejuſmodi criſis in corpore oboritur, circumſpecta ſane methodo opus eſt, ut ne ullo modo naturam in operationibus ſuis, ad bonum finem tendentibus turbemus, ac forte violentis vel repellentibus remediis perniciem ſanitati intendamus, quæ nulla unquam ope in melius poteſt converti. Sicut autem temperata corrigentia & evacuantia in tali rerum ſtatu optima & ſecuriſſima ſunt remedia; ita è contrario nihil poteſt eſſe pernicioſius, nihil peſtilentius, quam externa unguenta, ex ſulphure & argento vivo nimis cito & intempeſtive adhibere; quibus materia vitioſa foras propellenda ad interiora convertitur, variique generis mala arceſſuntur, ex quibus eluctari, vel nunquam prorſus, vel difficillime licet.

OBSERVATIO VII.

*Scabies epidemica.* Anno poſt milleſimum ſeptingenteſimum decimo ſexto, ob æſtatem valde humidam & frigidam, à medio Auguſti menſis ad finem uſque octobris innumeri fere cujuſcunque ſexus & ætatis homines in hac noſtra civitate, aliiſque vicinis locis, præſertim Islebiæ, non modo ſcabie, ſed & aliis ſubcutaneis adfectibus, tum epidemice graſſantibus inſolito plane more corripiebantur; hoc tantum diſcrimine, quod ſiccioris temperaturæ ſubjecta ſcabie potiſſimum pruriginoſa & ſerpiginoſa, ſpongioſi vero habitus corpora humida potius adfligerentur, atque in multis, ubi malignam induebat faciem, duri ſub cute noduli & glandularum, præſertim axillarium tumores jungerentur. Neque etiam pueri, qui vix ante menſes aliquot varioloſum ſuperaverant morbum, immunes relinquebantur, ſed ipſorum alii profundiores, difficillimæque ſanationis exulcerationes ad perioſtium uſque experiebantur, alii eryſipelate capitis & faciei adfecti, poſt hujus curationem ſcabioſi fiebant, malo ab humero ad manuum carpum ſerpente. Præter hæc vero, quod notabile eſt, plerique his malis laborantes, ciborum erant avidiſſimi. Curatio ita maxime fuit inſtituta & ex voto peracta. Primo omnium natu majoribus infuſum vel potio præſcribebatur temperate laxans; pueris autem hoc, quod ſequitur, purgans: Recipe pulveris Cornachini ſcrupulum unum, mercurii dulc. gran. unum, ſyrupi cichorei cum rhabarbaro drachmas duas. M. D. Expurgatis hac ratione primis viis, veſpertino tempore pulvis dabatur diaphoreticus, qui ex tribus partibus pulveris bezoardici noſtri, vel ad Ludovici mentem confecti, & ex una parte æthiopis mineralis conſtabat, mane autem infuſum theiforme, ex herba veronicæ, ſcabioſæ, fumar. florib. ſambuci, rad. glycyrrhizæ & cortice ligni ſaſſafras ſorbillari debebat. Menſis circiter ſpatio inter hæc exacto plurimis inunctiones præcipiebam artuum & ligamentorum cum linimento quodam exſiccante, ex unguento pomato, æthiope minerali & ſaturni ſaccharo compoſito. Tandem quoque, ut aſpredo cutis & rigiditas in illis locis, ubi puſtulæ ſtigmata & deformes ſui notas reliquerant, tolleretur, vividuſque & naturalis corpori color redderetur, ſequens unguentum coſmeticum, quod ego in omnibus cutis vitiis, ad cutis inæqualitates removendas, curatione finita utiliſſimum deprehendi, ad fornacem calidam illinendum commendabam: Recipe pinguedinis omenti vitulini, aquæ poſt hujus coctionem innatantis unciam unam, ſpermatis ceti, ceræ albæ ana unciam dimidiam, balſami de copaiva drachmam unam, olei ligni Rhodii guttas X. M. & per triturationem in mortario cum aqua roſarum fiat unguentum. D.

*Epicriſis.*

Omnia puſtularum genera frequentius autumnali & vernali proveniunt tempore, ob atmoſphæram frigido-humidam & ſubitaneas aëris mutationes, quæ virtuti elaſticæ fibrarum, pororum, omniumque meatuum valde inimicæ ſaluberrimum transpirationis opus facile cohibent: unde ex retentis iſtis ſordibus impuris, ſalinis, & de novo coeuntibus, tanquam ex fonte puſtuloſi cutis morbi propullulant. Multo vero magis particulæ ejuſmodi excrementitiæ in ſuccis vitalibus accumulantur hieme frigido-humida; quando ob prægreſſam calidiorem tempeſtatem perſpiratio fuit intenſior. Tum quoque infantes præcipue vermibus ſolent laborare, quoniam autumnali tempore per fructus horæos in copia comeſtos magnam ſuccorum viſcidorum & acidorum colluviem in primis viis collegerunt, quæ poſtea, majorem ciborum adpetentiam excitando, corruptionem humorum magis magiſque promovet. Atque tantum refert, anni temporum conſtitutiones bene intelligere: quare optandum eſſet, ut medici ad præternaturales tempeſtates magis attenti aëris & ventorum mutationes per barometra & thermometra diligentius obſervarent: qua ratione futurum eſſet, ut multi graviores & epidemice graſſantes morbi promtius poſſent prævideri, congruaque diæta & paucorum remediorum ope in tempore averti.

OBSERVATIO VIII.

Vir illuſtriſſimo loco natus, ſeptuagenario major, habitus corporis macilentioris & vaſculoſi, qui à primis juventutis annis diætæ vinoſæ addictus, quotidie tres vel quatuor vini menſuras potaverat; omnem prope vitam, exceptis levioribus, quas catarrhales dicunt moleſtiis, integra gaviſus eſt valetudine, maxime cum corpus ſtrenue ſemper exerceret, ſanguinemque ter vel quater in anno detrahendum curaret. At vero, quum ſuperato ſeptuageſimo ætatis anno decreſcens virium robur vix amplius fortiori corporis exercitatione ſufficeret, ſed vita magis ſedentaria eligenda eſſet, perſæpe dolorem in hypo- *Affectus cutis lepram Arabum æmulans.*

chondrio ſiniſtro gravativum percepit, cum reſpiratione difficiliori; quæ tamen mala œdematoſo pedum tumore accedente exſpirarunt. Commendabatur itaque acidularum Egranarum potus, debito cum regimine vernali tempore inſtituendus, quo per aliquot dies adſumto mox pedum tumor increſcebat, & exactis ſub hac cura quatuordecim diebus ad genua uſque adſcendebat: jungebatur ſimul pruritus, & ex poris hiantibus ichor viſcidus magna in copia promanabat. Omiſſo acidularum potu nihilo minus pedes inſtar ſaccorum tumidi manebant, humorem continuo ſtillantes tenaciſſimum, qui in ſquamas & cruſtas ſat latas coibat, ſuper quas puſtulæ rubiginoſæ eminebant. Poſthæc, in femore quoque & brachiis puſtulæ oriebantur valde pruriginoſæ, & rodentes, quæ ſcalptu cum digitis cutim lacerabant. Ceterum appetentia ciborum integra, ſpiratio facilis & mentis vigor ſatis bene conſtabant. Durabat morbi vehementia per dimidium fere anni, & hæc, quæ ſequitur, inſtituebatur curatio. Interne dabantur laxantia mannata & rhabarbarina, juſcula ex carne vitulina & gallinacea, cum viperarum carne, radicibus cichorei, ſcorzoneræ, herba chærefol. endiviæ, & borraginis decocta: in potus locum ſubſtituebatur decoctum rad. chinæ, ſarſæparillæ, polypodii, glycyrrhizæ & cichorei cum paſſulis & pauxillo corticis ligni ſaſſafras: nec ſerum lactis cum ſuccis fumariæ, naſturtii aquatici & beccabungæ alteratum omittebatur. Ex medicamentorum claſſe ſingulis diebus mane tinctura antimonii acris cum eſſentia pimpinellæ & ſcordii remixta; circa noctem vero pulvis præcipitans nitroſus ex aqua offerebatur. Ad externam medelam quod attinet, hanc ipſam quidem initio ferebamus epithemate, quod aquæ calcis vivæ unciam unam, aquæ flor. ſambuci, plantaginis & ſpermatis ranar. anatica portione libram unam habebat, ſuperpoſito dein emplaſtro diachylo ſimplici cum mucilagine medii corticis tiliæ remixto. Tum quoque lintea, decocto hujus corticis aquoſo immerſa inſigni cum fructu applicabantur, & eſcharæ ſequenti illinebantur unguento: Rec. lithargyrii libram dimidiam, aceti acerrimi libram unam, nitri purificati unciam unam. Coque per horam, facta dein colatura fiat cum ſufficiente quantitate olei lilior. alb. ceruſſæ, tutiæ, æthiopis mineral. olei tartari per deliqu. & ligni Rhodii in mortario unguentum D. His tam interne quam externe adhibitis toti corpori priſtina redibat mundities, & ſereniſſimus æger per longius temporis ſpatium egregia fruebatur valetudine. Verum enim vero, quum ſtrictioris diætæ impatiens non modo cibis plus juſto ſe repleret, ſed vinum quoque ſub vita motus experte largius hauriret, factum eſt proh! dolor, ut ſequente hieme frigido humida maximam ſentiret virium proſtrationem, urinam redderet copioſam, albam & turbidam, & pereunte ciborum appetentia, inſigni hypochondrii ſiniſtri dolore, tumidis labiis, vertigine aliisque capitis moleſtiis vexaretur. Neque tamen illuſtriſſimus gravioribus his malis ſuccumbebat, ſed denuo convaleſcens ad veris uſque initium ſpiritum protrahebat, ubi luctu adfectus domeſtico in profundum decidebat ſoporem, qui cum loquelæ omniumque tam internorum, quam externorum ſenſuum abolitione junctus ſeptimo poſt invaſionem die in mortem terminabatur. Secto corpore id notatu dignum erat momentum, quod lien inſignis magnitudinis valde inflatus, turgidus, & liquamine atro-ſanguineo repletus fuerit inventus.

*Epicriſis.*

Quum ego ad plurimas ſereniſſimorum Principum aulas evocatus ſæpe conſilio & auxilio prodeſſe debui, peropportunam habui occaſionem, pancraticam vivendi rationem penitius cognoſcendi, atque varias colligendi obſervationes, quæ ſummorum virorum diætam & valetudinis ſtatum accuratius declarant. Id autem quam maxime annotare mihi licuit: complures, inordinatæ licet diætæ crebrisque vini cōpotationibus adſuetos conſtanti ſanitatis fructu gaviſos eſſe, quamdiu corpus motu exercuerint; invaleſcente vero ſenio, vel aliis de cauſis ad vitam magis ſedentariā redactos, mox varia valetudinis incommoda, & maxime quidem vertiginem, viſus imbecillitatem, apoplexias, pectoris anguſtias, appetitus proſtrationem, moleſtos hypochondrii, inprimis ſiniſtri dolores, imo arthritidem & œdematoſos pedum tumores incurriſſe, ſectisque poſt mortem corporibus lienem plerumque ita ſe repræſentaſſe, qualem ſupra docuimus. Ratio in proclivi eſt. Quamdiu enim ſufficienti motu & exercitatione ſucci vitales æqualiter per corpus diſtribuuntur, & ſaluberrimum ſe- & excretionum negotium in ordine ſervatur; tamdiu perverſæ diætæ noxa facile avertitur, nec ſtatim morbi, in humorum ſtagnationibus fundati ingruunt. Quamprimum vero, mutato vitæ genere mobili in immobile, priſtina lauta vinoſaque diæta continuatur, non poſſunt ſane non, circulo ſanguinis retardato, viſceribusque ſenſim infarctis, graviora inde mala & ſonticæ valetudinis læſiones in corpus redundare.

Ceterum morbus, quo ſereniſſimus noſter laboravit, lepram Arabum æmulare videtur; & notabile eſt, quod lien tam magnus fuerit repertus: unde nos recte in ſententia noſtra confirmamur, pertinaciores & valde rebelles externæ cutis adfectiones nunquam fere non nobilioris cujuſdam viſceris læſionem pro cauſa & fundamento agnoſcere.

## Observatio IX.

Vir quadraginta annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, diætæ addictus craſſiori, & in loco ſeptentrionem verſus ſpectante aëre utens humido, vappido & ſcorbuti generationi apprime favente, ante annum & quod excurrit in itinere comprehenſus lecto incubuit, in quo forte ſcabioſus contagii ſui miaſma reliquerat: unde non multo poſt in ſcroto ingentem percepit pruritum, quem quum digitorum ſcalptu mitigare voluit, levis intumeſcentia & tædioſum materiæ humidæ, colore albidæ ex poris ſtillicidium exceperunt. Vocatus medicus atque chirurgus ſacculos herbis diſcutientibus repletos & in vino rubro coctos applicuerunt; unde tumor quidem remiſit & humiditas ſiccata fuit, ſed non modo pruritus idem permanſit, verum etiam per periodos, modo longiores modo breviores, acerbi & pungitivi acceſſerunt dolores. His ita conſtitutis ordinatæ ſunt purgationes alternis diebus repetendæ, data decocta larga in quantitate haurienda, & exterius epithemata ex calcis aqua adhibita, ſed ſine omni ſalubriori effectu; ut potius ſiccato & repulſo ſcroti exanthemate, nunc in lumbis ac pedibus puſtulæ minimæ effloruerint, quæ ingenti pruritu maximam crearunt moleſtiam. Tandem & meum implorabatur conſilium; unde ego primo omnium, quod ad diætæ victus-

*Serpiginis ſpecies in ſcroto.*

victusque regimen pertinet, miſſis ſalſis, acribus, acidis & pinguibus alimentis, leves & concoctu faciles cibos, in refracta tamen portione adſumere, loco cereviſiæ conſiſtentioris, vini & ſpiritus vini decoctum radicis ſarſaparill. cichorei & glycyrrhizæ in copia haurire, & inſuper corpus eundo, curru & equo vehendo, aliisque exercitiis movere ægrum juſſi. Præter hæc vero, circa æquinoctium, quod inſtabat, vernales ſcarificationes ſuaſi in dorſo, brachiis ac pedibus inſtituendas, tumque per menſem & ultra curam, quæ ſequitur ſuſcipiendam. Bibebatur ſcilicet ſingulis diebus mane ſerum lactis dulce, vel aqua calcis cum lacte temperata, ſumendo ſimul in prandio ad vim ventriculi concoctricem adjuvandam octoginta guttas elixirii noſtri viſceralis, & circa noctem alternis diebus, ad ebullitionem ſanguinis componendam, pulveris abſorbentis nitroſi ſcrupulos circiter duos. Inter hæc ſemel vel bis in hebdomade prima regio laxante pulvere, qui rhabarbar. el. drachmam dimidiam, cremor. tartari ſcrupulum unum habebat, repurgabatur, & demum finita hac cura loci adfecti unguento illinebantur, cujus nobis uſus eſt in omnibus ejuſmodi cutis vitiis exſiccandis, præmiſſis præmittendis frequentiſſimus: Rec. unguenti de lithargyr. unciam unam, flor. ſulph. drachmas duas, ol. hyoſcyam. drachmam unam. M.F. unguentum D. Atque hac ratione ægrum divina annuente gratia ſanitati reſtituimus.

*Epicriſis.*

1) Præſens ægrotus ſcorbutica ſanguinis & humorum dyſcraſia laborat, quam ſibi procul dubio victu duro, vita ſedentaria & aëris vappidi uſura contraxiſſe videtur. Nam ea eſt harum rerum indoles, ut ſanguinem ſpiſſum, viſcidum, & ad liberiorem per omnes partes circulationem ineptum ingenerent; unde deinceps faciliime ſuccorum inutilium excretiones retardantur, multæque ſordes impuræ, falſæ & acres accumulantur, quæ proximam cutis adfectuum cauſam conſtituunt, maxime ſi contagioſa quædam infectio, ut in præſenti hoc caſu acceſſerit.

2) Merito taxandus eſt medici pariter atque chirurgi in curanda ſcroti ſerpigine error, dum iniquo plane auſu ea adhibuerunt remedia, quæ obſtipatis cutis poris, liberum materiæ acris exhalationem impediverunt; ut ideo non mirum eſſe debeat, cur deinde non tantum major prurigo, majorque partis adfectæ durities ſubſequutæ, verum etiam, cur facta materiæ ad alia loca metaſtaſi, tam lumbi quam pedes puſtuloſis excreſcentiis defœdati fuerint. Longe itaque melius longeque tutius eſt, inter initia ſtatim ea præſcribere medicamenta, quæ ſanitati infenſam humorum ſpiſſitudinem diluunt, acrimoniam temperant, & obſtructos cutis poros reſerando, malignitatis eliminationem promovent. Quorum ex numero in iis, qui ferre poſſunt, lacticinia eminent, ſive etiam aqua calcis vivæ cum lacte temperata, cui jam ab HIPPOCRATE & optimo ipſius interprete, Sponio eximia in diluendis & depurandis humoribus virtus tribuitur.

Vid. conſultat. med. Sect. IV. caſu CXXII. CXXIII. &c.

---

## CAPUT VI.

### *De omnis generis ulceribus tam benignis quam malignis præſertim cancroſis.*

#### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Ulcerum definitio.*

DIxi in priori capite de illis vitiis, quæ ſummam cutis ſuperficiem potiſſimum occupant, variique generis puſtulis, pruritu & inflammatione moleſtis exaſperant, erodunt, exulcerant. Nunc ad ea veniam, quæ profundius ſerpendo, ipſas partes cuti ſubjacentes male adficiunt, & ulcerum nomine à medicis inſigniri ſolent. Sunt autem ulcera: partium ſolidarum cum cavitate quadam minori; ichorem tenuem, ſalſum & acrem fundente, diſſolutiones & eroſiones, a ſero extravaſato & corrupto originem ducentes.

§. II.

*- differentia ab abſceſſibus*

Differunt ulcera ab abſceſſibus, dum in hiſce major, quam in illis deprehenditur cavitas, atque non tam ſanies aquoſa, ſalſa & acris, quam potius pus laudabile bene coctum a ſanguine in partibus muſculoſis ſtagnante & mora corrupto gignitur; licet negari minime poterit, ulcera ſæpe ex apoſtematibus oriri, quæ in principio meri fuerunt abſceſſus. Diſcrepat quoque verum ulcus à tetra oſſium carie. Hæc enim oſſa tantum, illud molliores corporis partes invadit; quamvis in eo convenire videantur, quod utrumque malum materia corrodente putrida exeſionem corruptionemque partis adfectæ inferat.

*- & oſſium carie*

§. III.

*- ſedes*

Veram tam abſceſſuum quam ulcerum ſedem omnes humani corporis partes laxæ & molles, ſive internæ, ſive externæ conſtituunt. Siquidem, teſtantibus auctorum fide digniſſimorum obſervationibus, non modo in capite, facie, naribus, labiis, uvula, faucibus, thorace, mammis, dorſo, inguine & pedibus; verum etiam in hepate, ventriculo, utero, inteſtino recto, pulmonibus, renibus, veſica, meſenterio & pancreate, imo ipſo in cerebro, cujus molliſſima tenerrimaque textura eſt, varii generis exulcerationes progignuntur: etiamſi probe tenendum ſit, alteram præ altera partem ad ulcera citius ſuſpicienda magis eſſe diſpoſitam, quale quid præſertim in locis, ob plurium canalium concurſum ſucculentioribus, inguinum, abdominis, ani, uteri &c. animadvertere licet.

§. IV.

*- differentia inter ſe*

Ulcera inter ſe ipſa diſcrepant: quam differentiam paucis juvabit exponere. Sic alia in profundum abeunt, ut ſunt fiſtuloſa & ſinuoſa, alia in latitudinem ſerpunt, & dicuntur ſerpiginoſa, alia vero æqualitatem ſervant. Deinceps, alia ſunt benigna, alia maligna; & illa quidem, quæ pus non adeo fœtidum & corruptum, ſed magis album & ſincerum fundunt, remediiſque facilius obtemperant: hæc vero, quæ ichorem acrem, tenuem, lividique coloris fœtidum alunt, & partes conterminas depaſcendo, non tantum pinguedi-

nem & carneas fibras, ſed tendines quoque cum oſſibus aggrediuntur. Atque horum fere ſingula curatu ſunt difficillima, & Græcorum loquendi idiomate phagedæna, dyſepulotica, chironia & cacoethea appellantur. Peſſimi igitur moris ulceribus adnumerari debent cancroſa, ex partium glanduloſarum tumore livido, ramuliſque venarum inſignibus ſtipato conſpicua, qui apertus celerrime proſerpit, parteſque vicinas & ſubſtratas putredinoſa corruptione depaſcit, ſinus formans & foveas, cum oris labiiſque turgidis, duris, & intolerabili fœtore tetrique coloris materia junctis. Malæ quoque indolis eſſe ſolent carioſa, ubi oſſa incipiunt corrumpi & ita exedi, ac ſi vermibus fuiſſent eroſa: id quod & nigredo & difficillima oſſium coalitio luculenter ſatis declarant. Referri huc etiam debent fiſtuloſa, ex variis ſinubus, ſive canalibus calloſis, indolentibus compoſita, & orificiis ſæpius arctis, præduris & calloſis cincta, quæ ſi cicatrice interdum obducuntur, materia copioſa acris, alias quærendo vias, novo plerumque orificio foras prorumpit. Sed de his in ſequenti capite ſigillatim.

§. V.

*..cauſa formalis eſt putredo*

Cauſa ulcerum proxima & formalis à plerisque hodierni etiam ævi medicis acidæ corroſivæ eſſe naturæ ſtatuitur. At vero, quum in ſanguine purum acidum nunquam detur, neque ullum ulcus, ſive ſit exedens cancroſum vel carioſum, abſorbentibus, quæ acidum facillime tollunt, ſanari poſſit, nec denique fœtor acidi præſentiam ſubindicet: veritati magis conſentanea illorum videtur ſententia, qui omnis in ulceribus exeſionis cauſam non tam ſalinæ admixtæ acrimoniæ, ſed potius formali humoris putredini adſcribunt. Ea enim vis eſt ac potentia putredinis, ut non modo inteſtino motu texturam & unionem ſolidorum plane diſſolvat ac deſtruat, particuliſque ſulphureis à terrearum partium vinculo ſecedentibus fœtorem excitet teterrimum, verum etiam mirifice ſeſe multiplicando, humores & partes ſolidas accedentes eadem putredinis labe inficiat, contaminet, corrumpat.

§. VI.

*..quod argumentis docetur*

Verum enim vero, quum putredo, motu inteſtino fermentativo, fœcunda ſalium & ſulphuris genitrix ſit, minime certe peregrinam ſalino-ſulphuream indolem in ulceribus ſinuoſis excludimus: odor enim, pruritus & celerrima ſanæ partis corroſio ejuſmodi ſalino ſulphureum & acre principium clariſſime demonſtrant. Tum quoque in putredine vera latet ratio, cur ulcera difficilis ſint curationis, oſſiumque caries, ſi ſemel radices egerit, multo labore longiſſimoque tempore exterminari vix queat; cum tamen, ſi ſimplex tantum acidus & corroſivus humor veram ulcerum cauſam perficeret, is facili negotio poſſet corrigi penituſque inverti. Secus autem fieri obſervamus in putredine, quæ, ſi ſemel in corpore ſive animali, ſive vegetabili fixam occupaverit ſedem, ægerrime excutitur, ſed ulterius ſerpendo ſe propagat, niſi corruptæ à ſana parte exſciſſio inſtituatur. Et quid multa, vel ſola ulcerum curatio de putredinis præſentia nos plenius poteſt convincere. Hæc enim quum medicamentis balſamicis & ſale volatili oleoſo ſubtili turgidis, quæ exſtinguendæ putredini accommodatiſſima ſunt remedia, quam optime perficitur, facile poteſt judicari, putredinoſæ eſſe indolis materiam, quæ in ulceribus peccat, tantarumque moleſtiarum cauſam ſuppeditat. Verum enim vero, quum eadem ſit ſphaceli atque ulcerum ratio, & in utroque morbo putredo accuſari videatur; non immerito in quæſtionem venit, quomodo ulcus à ſphacelo poſſit diſtingui. Nos itaque fundatis adducti rationibus in ſphacelo magis putridam ſanguinis corruptionem, quæ propter copioſum alcali celerrime ſe propagat; in ulceribus autem ſeroſi potius laticis corruptionem, qui ob ſalſedinem, quo ſcatet, non tam ſubito in putrefactionem ruit, accuſandam eſſe cenſemus, nec quenquam facile delicturum eſſe confidimus, ſi hanc in diſcernendo cautionem adhibuerit.

*Diſcrimen ſphaceli ab ulceribus.*

§. VII.

*..cauſæ mediatæ*

Sequitur jam, ut cauſas, quæ putredinem hanc ulceroſam in corpore ſuſcitant, diſpiciamus. Jam vero certiſſima docet experientia, ulcera ſæpius à prægreſſis abſceſſibus, vel vulneribus perperam curatis ſuam mutuari originem. Atque hoc fieri maxime deprehendimus, ſi vel apoſtemata non mature aperiuntur, vel ſi vulnera profunda a ſordibus non rite purgata nimis cito cicatrice obducuntur. Tum enim materia purulenta intus retenta in fœtidam abit putrilaginem, & ſinuoſitates formando, cum vicinis partibus ſimilem labem communicat. Neque minus ex inflammata quadam parte frequenter apoſtemata & ulcera gignuntur. Sic enim in artis exercitio non raro ſolet contingere, ut interna phlegmone pulmonum & pleuræ in empyema, inflammatio pancreatis, renum, veſicæ, inteſtini recti & uteri, in ulcera mali moris tranſeat. Eodem modo externe ab eryſipelate ſcorbutico, unctuoſis male tractato ulcera oriri jam olim Hippocrates *ſect. VII. aphor. L. & lib. epidem. VI. ſect. III.* §. 35. eleganter docuit. In partibus quoque glanduloſis tumores duri ſcirrhoſi, vehementer dolentes, inveterati, vel male tractati, propter ſanguinem nimis viſcidum, frigidum & ad diſcuſſionem ineptum ſucceſſu temporis exulcerantur, & tum perfacile, niſi prudentis medici opera accedat, in peſſimæ indolis ulcera fiſtuloſa & cancroſa degenerant. Cujus quidem rei teſtes ſunt luculentiſſimi mammæ, parotides, glandulæ ſubaxillares, maxillares & colli, muſculo maſtoideo inſtratæ & ſubſtratæ, nec non glandulæ inguinales, quæ ex copioſis & anguſtiſſimis canaliculis tam ſanguineis, quam excretoriis, folliculiſque membranaceis contextæ, ob ſtagnantem & coagulatum inibi humorem, duritiem induunt, & in ſcirrhum abeunt, qui perfacile inflammatur, & poſt inflammationem malignum ulcus relinquit. Accedit demum violenta partium contuſio, quam preſſo ut aiunt pede, humorum ſequitur ſtagnatio, inflammatio & ad putredinem propenſio: quam ob rem etiam in extremis maxime partibus, ut manibus & pedibus, a graviori quadam contuſione frequentes, eaſque periculi plenas ulcerationes deprehendere licet.

§. VIII.

*..viſcerum labes & morbi prægreſſi*

Utut vero ulcera violentam plerumque externam cauſam prægreſſam habeant; nihilo minus tamen a cauſa etiam interna, ſeu vitioſa humorum viſcerumque labe ſuam ducunt originem. Sic Galenus *lib. IV. de compoſ. med. ſerm. XX.* lienem & jecur male adfectum vitioſi humoris in ulceribus genuinam eſſe cauſam judicat, & perite addit: his antea proviſis ad conſolidandum ulcus veniendum eſſe. Neque hujus rei ratio

ratio è longinquo erit repetenda. Etenim, quando impedito ſanguinis per hepar & lienem circuitu, ſordes excrementitiæ non ſatis à maſſa ſanguinea ſegregantur, non poſſunt certe non maximæ in omnes humores impuritates redundare; quæ dein per ſtagnationem, in ſubjectis præſertim languidis, facile ad majorem corruptionis gradum evehuntur. Atque ideo etiam fieri obſervamus, quod hypochondriaci, menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes, cachectici, ſcorbutici, hydropici & hectica tabidi, qui talem viſcerum corruptelam intus plerumque alunt, præ aliis ad ulcerum generationem ſint diſpoſiti. Quo etiam illi debent referri, qui poſt variolas, morbillos, febres & inflammationes ulcera externarum partium carioſa dyſepulotica, internarum partium apoſtematoda experiri ſolent; vix aliam ob cauſam, quam quod conſumta ſanguinis parte balſamica, tenui & nutritia, reliquus cruor difficilius circumagitur, ideoque facile in effœtam ac putridam abit diatheſin; licet non raro uſu veniat, ut à prægreſſo morbo in ſanguine materiæ relicta ſit copia, quæ tanta poſthæc mala excitare valet.

## §. IX.

*... temperamentum, ætas, victus &c.*

Præter hæc vero, ætas juvenilis, infantilis & ſenilis, habitus corporis laxus, ſpongioſus ſeu copioſis & exilioribus vaſis donatus, temperamentum ſanguineo-phlegmaticum, intemperantia in victu, aër ſqualidus & humidus, & vita laboris expers &c. mirum in modum ulcerum generationi velificari ſolent. Horum enim omnium ea eſt indoles atque potentia, ut ſanguinem copioſum, &, ob languidiores excretiones impurum, multaque humiditate præditum ingenerent: qua ratione non poteſt fere non accidere, ut exinde tardior, ſegnior & impeditior ſanguinis ſuccedat circuitus, qui omnis cacochymiæ & impuritatis mater eſt fœcundiſſima; ſicut è contrario vegetior ſanguinis circulus omnes heterogeneas partes à mixtione animali procul arcet, putredinemque egregie avertit.

## §. X.

*– contagium.*

Denique cauſis ulcerum remotis jure etiam acceſeri debet contagium, cujus beneficio plurimæ exulcerationes in ſana corpora transferuntur. Enimvero, exiſtimare quis poſſet, annon ulcera infectionis contagioſæ ſint expertia: at vero, quod ipſa perfacile, accedente immediato contactu, ſui indolem propagent atque multiplicent, non modo innumeris confirmatur exemplis, verum etiam vel unice ex comparatione morborum, qui eandem cum ipſis originem agnoſcunt, elucere poteſt. Non enim rarum, ſed in artis exercitio frequenter obvium eſt, phthiſin, ſcorbutum, luem veneream, ſcabiem, variolas &c. per familiare conſortium & immediatum contactum in alios derivari; & SEVERINUS *tract. de vipera pag.* 350. mirabilem refert hiſtoriam puellæ, oſculo corpora inficientis, ut plures adhuc alios notatu dignos caſus ſilentio prætereamus. Neque adeo obſcura eſt hujus phænomeni ratio. Etenim, quum omne contagium à ſola putredine proveniat, omnesque morbi, qui putredinem ulceroſam junctam habent, contagioſi habendi ſint; nihil certe dubii eſt, quin etiam ulcera, quæ putredinoſi quid intus alunt, contagio inficere, aliisque corporibus vapore exhalante teterrimo ſimilem inteſtinum motum imprimere poſſint.

## §. XI.

*Deſcriptio cancri occulti.*

Proviſis omnibus, quæ ad univerſa ulcerum genera pertinere viſa ſunt, jam ad ſingulorum explicationes tranſeam. Ex his autem præcipua ſunt, & quam maxime medicam deſiderant conſiderationem, ulcera cancriformia ſive cancri, qui nihil aliud ſunt, quam tumores ſcirrhoſi duri, in putridam corroſivam corruptionem partis ſolidæ, quam occupant, abeuntes, & plerumque lethales. Ita vero oriri & ſuccreſcere ſolet cancer: Primo nodulus ſentitur duriuſculus ſatis exiguus, vix piſi, aut avellanæ nucis magnitudinem ſuperans, qui tamen ob ſpaſticam fibrarum adjacentium nervearum ſtricturam ſubinde puncturas, ardentes & lancinantes dolores, per intervalla recrudeſcentes, inferre ſolet, ſatisque diu in hoc ſtatu perſiſtere poteſt; donec majori humoris viſcidi & impuri acceſſu, factaque ibi collectione, canaliculi obſtruuntur, & demum nimium infarcti rumpuntur. Unde tumor non ſolum in ingentem ſæpius molem attollitur, ſed & ſanguine in vaſis coagulato per cutim transparente, colorem prorſus lividum & plumbeum induit, vaſaque circumjacentia in varicoſam turgeſcentiam explicantur. Quæ omnia ſi ita fiunt certiſque ſignis deprehenduntur, cancer adeſſe dicitur occultus.

*... & aperti*

Quod ſi vero, vel propter improvidam emollientium & acrium irritantium applicationem, vel ob majorem maſſæ ſanguineæ orgaſmum, major tenuium humorum adfluxus proritatur, & hoc modo coagulum ſpiſſum & acido corroſivum nimio humido diſſolutum fermentationem concipit putredinoſam, tunc utique circumjacentes, & dein etiam profundius ſitæ partes ſub atrocium dolorum concurſu putrida corruptione depaſcuntur, ſaniesque & ichor ſubcruentus fœtidiſſimi ac vere cadaveroſi odoris funditur; imo quandoque larga ſanguinis ſinceri ex vaſis eroſis contingit emanatio. Atque talia ulcera cancri exulcerati nomine inſigniuntur.

## §. XII.

*Cancri ſymptomata.*

Quo majores vires cancer hic exulceratus recipit, & quo magis corruptio increſcit, eo pejora accedunt ſymptomata, ut fere ſunt: hectica febris cum inſigni corporis extenuatione, ciborum faſtidium, ſumma virium proſtratio, inquietudo, aſſiduæ vigiliæ & anxietates, imo demum crebriora animi deliquia. Etenim, vaporibus putridis per poros & vaſa venoſa reſorptis fluidum tam ſanguineum, quam nervoſum tenuiſſimum & puriſſimum inficitur, adeoque tonus, robur & vis partium ſolidarum ſyſtaltica mirifice labefactatur.

## §. XIII.

*Cur mammas fœminarum præcipue invadat?*

Occupant præcipue peſſima hæc ulcera mammas fœminarum, quæ ex copioſis ſanguiferis, lactiferis, lymphaticis & valde anguſtis canaliculis, in ſpiras & plicas coalitis contextæ ſunt; ubi quam facillime ſive humor ſanguineus, ſive lacteus & lymphaticus ſtagnare, colligi, & infixus manens ſummam acrimoniam & putredinem concipere poteſt. Siquidem ſanguis motu ſuo privatus in anguſtis meatibus non aliam, quam ſphaceloſo-putredinoſam alcalinæ indolis corruptionem induit; lac vero & lympha ſubſiſtens in corruptionem potius acidam & corrodentem abit: quæ dum putredini quodammodo reſiſtit, fieri ſolet, ut non tam ſubito, ſed per eximiam ſæpe moram putrida conſumtio ſerpat, partesque vicinas

nas

nas erodat, & exulceret. Neque vero tantum mammæ, ſed etiam quæcunque aliæ, copioſis vaſculis inſtructæ, glanduloſæ & fibroſo-nerveæ partes, ut facies, labia, genæ, naſus, oculi, lingua, gingivæ, membrum virile & uterus, tam extrinſecus quam intrinſecus ejuſmodi tumoribus malignisque ulceribus tentantur, quæ tamen magis inter excreſcentias & carcinomata corroſiva exedentia referri debent.

§. XIV.

*Cauſa ſunt: hæmorrhoidum & menſium ſuppreſſiones.*

Hactenus generalem cancri hiſtoriam deſcripſiſſe ſufficiat. Verum enim vero, quum omnis cancer in principio verus fuerit ſcirrhus, ſeu partium glanduloſarum tumor præternaturalis, durus, aſper & doloris expers; videamus primum, quænam cauſæ ad hujus generationem, ſive ad materiæ in locis glanduloſis ſtagnationem, ſpiſſitudinem & coagulationem contribuant, & dein, quæ ſcirrhoſam duritiem in ulcus convertant. Ad primum quod attinet, crebriori conſtat experientia, quod fœminæ potiſſimum, quibus menſtrua circa quinquageſimum ætatis annum deficiunt, vel quæ ſpaſmodicis hypochondriaco-hyſtericis pathematibus laborant, facillime diris iſtis tumoribus adficiantur: id quod ſimiliter evenire ſolet virginibus & mulieribus, etiam nondum adeo adultis, ſi quando diuturna menſium ſuppreſſione ægrotant, neque minus iis ſubjectis, quæ fluxui hæmorrhoidali adſueta, hujus defectum ſentiunt. Quod ſi enim ſanguis huc derivatus non excerni amplius poteſt, ad alias partes regurgitat, & deinceps ob languidiorem motum ſpiſſior factus, variaque ad loca glandulis obſita depoſitus, facile ſcirrhum in utroque ſexu producit.

§. XV.

*-- diuturna mœſtitia, & terror*

Maxime autem omnium tale quid contingere deprehendimus, ſi diuturnus mœror & acerba triſtitia, vel etiam terror inopinato excitatus concurrit; quoniam nihil fere magis, quam graviora hæc animi pathemata ſanguinem craſſum, &, ob tranſpirationem aliasque excretiones cohibitas, ſimul impurum ingenerare valet. Et hinc eſt, quod multi longa triſtitia confecti ſcirrhos in pancreate, meſenterio & hepate habeant, atque fœminarum plurimæ ex repentino terrore, circa menſium fluxum oborto ſcirrhoſa mammarum tubercula retinuerint: quale quid etiam in mulieribus ubera præbentibus obſervare mihi licuit, ſine dubio, quia lac per terrorem repulſum & in ductibus lactiferis accumulatum ſtagnando ſpiſſum ſubiit coagulum, & ſcirrhum procreavit, cujus certa ſigna ſæpe non prius, quam deſinente menſtruorum fluxu ſe manifeſtarunt.

§. XVI.

*-- victus & potus inconveniens*

Pertinet huc quoque victus durus, auſterus & ſalſus, ut ſunt carnes fumo induratæ & multum ſalitæ, piſces marini, lentes, piſa, fabæ, acetaria, ut & potus parcus & conſiſtentior, cum omnibus reliquis, quæ crudum ingenerando chylum, ſanguinis maſſam lentore & ſpiſſitudine inficiunt.

*-- vita ſedentaria*

Longe vero major inde noxa redundat, quando ſedentaria & expers laboris vita acceſſerit: unde fieri obſervamus, ut virgines veſtales & cœnobiis incluſæ, ob vitam deſidem facile menſium ſuppreſſionem & cachexiam; abhinc vero non raro in ſcirrhos, inprimis mammarum, incidant.

*-- temperamentum*

Aliquid tamen ſimul temperaturæ hominis in hoc caſu tribuendum eſt, quæ ſi melancholica eſt, & ſucci in corpore viſcidi minusque temperati foventur; major ſemper & certior metus eſt ſcirrhi, quam in aliis, quorum ſucci ſatis ſunt fluidi & in juſta temperie conſtituti.

§. XVII.

*-- hæreditaria diſpoſitio*

Neque præterea in tumoribus glandularum ingenerandis parum ſibi vendicat ipſa hæreditaria diſpoſitio, quæ ſicut morbos in vitio ſolidorum fundatos perſacile ex parentibus in liberos traducit; ita quoque plures ad ſcirrhoſam labem facilius ſuſcipiendam reddit proclives: quod quidem plurimis exemplis familiarum, certa ætate ſcirrhum & cancrum incidentium probare poſſemus, ſi latius excurrere inſtituti ferret ratio.

*-- externa violentia*

Si quid vero denique ex omni cauſarum ſerie ad frequentem horum tumorum generationem contribuit, ſunt profecto externæ violentiæ, per contuſionem, compreſſionem, lapſum, puncturam, vel aliam quamcunque vim illatæ. Sic enim novi fœminas, quæ inter jocos cum marito à ſola fortiori mammarum contrectatione loco jucunditatis perpetuum morbum & luctum reportarunt. Sub tali enim contuſione, utut leviori, vaſcula minima quaſi rumpuntur, & humor folliculis glanduloſis incluſus comprimitur, moraque diuturniori ſpiſſeſcit, & in duram maſſam abit; unde ſcirrhi origo.

§. XVIII.

*Cancri aperti cauſa eſt inflammatio*

Quæ ſcirrhum in ulcus cancroſum convertunt cauſæ, iterum variæ ſunt, & quidem ex his nonnullæ, quas jam attulimus. Tum autem cancer oriri ſolet, quando ſcirrhus, qui colore albus eſt, fit rubicundus, cum dolore lacerante & ſumme urente, ac ſi ferrum candefactum per partem duceretur. Quod enim ſi accidit, indicio eſt, ſcirrhi inflammationem fieri in margine, & vaſis per ipſum decurrentibus, quæ adhuc aliquam admittunt circulationem. Dein tumor fit cineritius & lividus, & vaſa ſanguinea varicoſa atro ſanguine turgida intra cutim & pinguedinem apparent. Demum talis tumor aperitur & labia acquirit prætumida, aſpera, retorrida, dura & inæqualia, ſaniem fundens putridam tetri odoris atque tam acrem, ut adjacentes partes & lintea exedat, quaſi eſſent combuſta. Unde facillimum judicatu eſt, quod inter cauſas cancrum inducentes primo omnium referenda ſit inflammatio, & ad hanc quæ conferunt cauſæ, ſcirrhum quoque in cancrum poſſint convertere.

*Inflammationis cauſa.*

Ex harum vero numero ſunt: ſanguinis, ob deficientes menſes & hæmorrhoides major ad partem debilem adfectam regurgitatio, nimius animi & corporis motus; ex alimentis dura, ſalſa, acria, alliacea, aromata, piperata, fructus acidi, acerbi, auſteri & immaturi copioſius comeſti, item quæ alvum conſtringunt; ex potulentis ſpirituoſa, ut vinum & ſpiritus vini, ad ebrietatem uſque hauſta; ex medicamentis internis omnia exagitantia tam ſudorifera, quam fortiora purgantia, ex externis omnia cauſtica, veſicantia, humectantia & emollientia; & ex reliquo vitæ regimine aër frigidus borealis, improvide laboranti parti admiſſus. Namque hæc omnia ita ſunt comparata, ut humorum motum ad partem ſcirrhoſam magis determinando, facile inflammationem, quæ proxima veri cancri cauſa eſt, excitent atque accendant.

§. XIX.

## §. XIX.

*Quæ amplius recenſentur.* Longe vero citius longeque certius ſcirrhi in cancrum fit mutatio, ſi ægroti ſunt cachectici, vel ad talem provecti ætatem, quæ impuris & terreſtribus ſuccis in corpore progignendis favet: quoniam ſub tali corporis diſpoſitione indies malum augetur, tantum abeſt, ut medicamentis obediens quicquam de ferocia ſua remittat. Contrarium vero contingit in euchymis, ſeu bonos humores habentibus, in quibus cancer occultus per plures annos tolerari poteſt, ſi modo omnia motum ſanguinis nimis augentia provide caveantur. Ita Tulpius recenſet exemplum fœminæ, quæ per plurimos annos in ſiniſtra mamma durum & inæquale geſſit carcinoma, ſine ulcere, ſine ulla graviori noxa; donec tandem increſcente poſt tot annos dolore & pruritu malum hactenus quietum à medicamento erodente per empyricum applicato in carcinoma ulceratum brevi degeneraverit, cum labiis inverſis, cruſta cinerea, ſinu deformi, tubere inæquali, colore livido, ſanie cadaveroſa, acerbiſſimo dolore, vigiliis, animi deliquiis, aliisque conclamati cancri notis. Præter hæc, notatu dignum eſt momentum, quod in ſequiori ſexu ſcirrhi ut plurimum non prius in cancrum inclinent, quam menſibus per ætatem terminatis, ſine dubio, quia tum temporis plurimæ fœminarum fiunt cachecticæ & ſanguis, qui antea ſalutariter excretus fuit, nunc retinetur. Quantum autem ſaluberrima menſium excretio in tali caſu præſtet commodi, inter alios teſtis eſt Ballonius, qui *lib. I. epid. pag.* 57. exemplum profert abbatiſſæ, mammarum ſcirrho laborantis, cui ſub nimio menſtruorum fluxu mammæ detumuerunt, & malum miteſcere viſum eſt, ſuppreſſis autem menſibus denuo increvit.

## §. XX.

*Scirrhi & cancri uteri deſcriptio.* Quod ſpeciatim ad malignum uteri ſcirrhum & cancrum attinet, hujus quoque cauſæ breviter erunt ſuppeditandæ, præmiſſa tamen antea diri hujus mali hiſtoria, quæ ita ſe habet. Primo dolor oritur in inguine continuus, qui ſenſim paullatimque totum hypogaſtrium ab oſſe pubis ad umbilicum uſque occupat; hunc poſtea ſequitur glandularum, circa collum uteri, & maxime orificium ejus internum conſidentium tumor durus, compreſſioni renitens, rotundus, inæqualis, qui, ſi contrectetur, ad ægræ ſenſum dolore pungitivo moleſtus eſt. Urina redditur craſſa, confuſa, & alvus ingeſtis minus reſpondens adſtricta eſt. Si inflammatio accedit ulceroſa, crebra ad lipothymias, utut leviores adeſt propenſio, materia profluit putrida, fœtida & ſanioſa, flavi & cineritii coloris, cum ſanguine mixta, quæ adeo acris eſt, ut non modo uteri membranas arrodat, ſed & ad inteſtinum rectum deſcendens hoc exedat, ut ſtercora cum fluore uterino prodeant. Ingraveſcente demum malo, pulſus fit magnus & celer, accedit tabida corporis conſumtio, ſeu atrophia, jungitur febris hectica, & tandem omnium miſeriarum finis, mors. Sectione poſt mortem inſtituta uterus inflammatus & ſphacelatus cum infami odore deprehenditur, & perrupto utriusque pariete, in veſicam & inteſtinum rectum aditus ſæpiſſime patet; unde urinæ cum fœda uteri ſanie, vel cum alvi excrementis commixtio.

## §. XXI.

*& cauſa.* Inter cauſas ad teterrimam hance adfectionem concurrentes præcipue referri meretur diuturnum fluoris albi ſtillicidium, vel menſium fluxus ſuppreſſus in fœminis melancholicis, hypochondriacis, cachecticis & ætate provectioribus. Sæpe etiam talis ſcirrhoſa uteri labes ſuboritur, ſi nimius menſium fluxus adſtringentibus improvide fuerit cohibitus; unde etiam ovarium & Fallopianas tubas ſcirrhus occupat & ſæpe ſterilitatem mulierum perpetuam infert; ſicut aliquot mihi cognita ſunt exempla. Præcedit quoque, præſertim in puerperis, uteri inflammatio: quare in artis exercitio frequenter annotare licet, quod pars uteri inflammata, ob frigus externum accedens, quam facile in ſcirrhum abeat, qui dein exulceratus cancer uteri fit inſanabilis. Idem quoque malum experiuntur mulieres poſt exantlatum difficiliorem partum, quo uteri, ejus colli & vaginæ parietes nimis compreſſi perfacile duritiem contrahunt, quam ſucceſſu temporis verus cancer ſequitur.

## §. XXII.

*Prognoſis ulcerum in genere.* His ita expoſitis, quæ ad ulcerum cujuſcunque generis generandi modum pertinent, ſequitur jam, ut in prognoſi ferenda proprias notas explicem, quæ vel ſpem, vel metum injiciant. Hoc autem in genere notari velim, omnia illa ulcera, quæ in articulis, capitibus muſculorum, malleolis, tibiis, partibusque tendinoſis & nervoſis tam pedum quam manuum oriuntur, temporisque diuturnitate vel in fiſtulas, vel cariem & conſumtionem totius partis abierunt, nullius, aut difficillimæ eſſe ſanationis; quoniam ob doloris acerbitatem in ejuſmodi locis nec ſecare, nec canales ampliare licet, ſed partem adfectam abſcindere præſtat, ſi quando æger talem operationem ſuſtinere & velit & poſſit. Pariter quoque in lingua difficillimæ ſunt ſanationis ulcera, ob continuum, quod jungi ſolet ſputum viſcidi & glutinoſi laticis, difficilemque deglutitionem & dolorem lancinantem, qui ad aurem lateris adfecti quandoque porrigitur: unde veriſſime ſcripſit Celsus *lib. VI. cap. XII. quæ in latere linguæ naſcuntur ulcera, diutius durant.* Peſſima quoque ſunt aurium ulcera. Præcedere hæc ſolent inflammationes & dolores intolerabiles fere, qui teſte Celso ad dementiam mortemque ipſam non raro præcipitant: id quod potiſſimum de juvenili & virili ætate, non item vero de infantili valet. Protinus itaque inter initia ſuccurrendum eſt hiſce ulceribus, quia, ſi inveterata fuerint, & putredo jam ipſa oſſa infecerit, plerumque ſanationi nullus ſupereſt locus. Pertinaciter quoque medelæ reſiſtunt ulcera, quæ narium & faucium oſſa, uvulam, oſſiumque capitis ſinuoſitates, in nares ſe terminantes occupant, præſertim ſi ex luis venereæ, & ſcorbuti male confirmati reliquiis oriuntur, quod genus morbi Græci ozænam appellant. Plurimum vero crutas odoremque fœdiſſimum habent, & tenerrima oſſicula per cariem in fragmenta reſolvunt, quoniam ad affecta loca latentia virtus externorum minus apte poteſt pertingere. Demum quoque prava ſunt inveterata parotidum & glandularum maxillarium ulcera: perfacile enim in fiſtulas degenerant.

## §. XXIII.

*Prognoſis ulcerum veſicæ & urethræ.* Præter hæc curatu difficillimis accenſeri debent, quæ veſicæ innidulantur ulcera, & ex aſſiduo pen-

perinæi dolore, crebriori, & dolorifico mictu atque ſedimento urinæ ſanioſo graveolente cognoſci ſolent. Aegerrime enim ad ipſa remediorum accedit virtus, & non modo liquorum injectiones facile lædunt partes, ſed & perpetuus urinæ acris affluxus conſolidationem impedit. Accedit, quod veſica veterum loquendi idiomate pars frigida, ſeu pauci ſanguinis particeps ſit, ad quam nec interna quidem remedia facile poſſunt penetrare. Ardua identidem eſt inteſtini recti prope ſphincterem ulcerum ſanatio. Facile enim calloſa, profunda & fiſtuloſa fiunt; & ob continuum ſordium & humiditatum adfluxum & tranſitum extergentium & conſolidantium energia labefactatur. Ulcus quoque in urethra ex gonorrhoea natum non exigui eſt momenti, & niſi cito curetur, peſſimæ junguntur carunculæ, quæ urinæ meatum obſtruentes multum faceſſunt negotii. Ne tamen veſicæ & urethræ ulcera, ut facile fit, inter ſe confundantur, ſciendum eſt, in hiſce pus urinam præcedere, & dolorem inter omnem mictionem acerbum adeſſe, membrum tenſum fieri, & ad infernum curvari, cum è contrario in veſicæ ulcere non tam ſævus & continuus inter mejendum in urethra adſit dolor, nec pus ſenſim, ſed cum urina excernatur, lotiumque fœteat.

§. XXV.

*..ulcerum à cauſa interna.*

Tandem in genere & axiomatis inſtar practici habendum eſt, omnia iſta ulcera, quæ ex cauſa proveniunt interna, & magna ſuccorum ſeroſorum impuritate ſuſtentantur, nunquam fere non difficilis eſſe ſanationis. Teſtantur hoc ulcera ſenū, ſcorbuticorum, hydropicorum, cachexia laborantium, vel ex hæmorrhoidum & menſium defectu ægrotantium, quibus depravata & à naturali craſi longe multumque deflectens ſanguinis & humorum eſt conditio, quam niſi quis auferat, quod tamen longum requirit tempus, incaſſum laborabit. Optimus medicinæ parens HIPPOCRATES ſua jam ætate id ipſum ſatis intellexit; quare de hydropicis ſpeciatim *Sect. VI. aphor. VIII.* ita cenſet: *aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facile ſanantur.* Cui adſentitur GALENUS, qui *lib. V. de atra bile* pereleganter ſcribit: *ubi adeſt calida intemperies, aut lienis vitium, maligna ſunt ulcera, & difficiles curationes, quia corruptis viſceribus ingens continuo impuritas ſuccis infunditur.*

§. XXVI.

*Prognoſis cancri.*

De cancro utroque breviter ſequentia annotaſſe juvabit: ſcirrhus quo cordi eſt proximior, & quo majora habet vaſa arterioſa, eo plus eſt periculi, ne in cancrum abeat; quo minor vero eſt, & quo minus aſper, eo melior. Cancer quo deteriorem ſpirat odorem, & quo magis corroſivam fundit ſaniem, eo pejor eſt. Tum enim vera adeſt putredo. Æſtimandum autem eſt cancri periculum ex loci, in quo reſidet dignitate & ad vitam neceſſitate. Sic enim pejus eſt cancroſum ulcus internum, quam externum, idque eo magis, quia intrinſecus non licet ſecare, nec urere, nec aliud quidquam tentare. Præterea, omnis cancer in ea parte, ubi glandulæ plures communicant, eſt peſſimus, & facile ad aliam partem tranſit. Ita ſcimus, quod mamma una exſtirpata malum ad alteram ſerpſerit, ſive axillares glandulas occupaverit. Hæmorrhagiæ quo largiores ſunt, ut ſæpe fit ex utero cancroſo, eo celerius ægroti interimuntur; id quod ſimiliter fit, ſi febris lenta & hectica accedunt, & crebriora animi fiunt deliquia, quæ mortem plerumque poſt ſe ducunt.

*CURATIO.*

§. I.

*Curatio interna abſolvitur ſanguinis miſſione.*

Qui ulcerum curationem ſuſcepturus eſt medicus, primo omnium debet animadvertere, num à cauſa interna foveantur, & utrum plethora ſive cacochymia præſens ſit. Hæc enim niſi prius amoveatur, omnis externorum uſus, vel exigui, vel nullius erit effectus. Quod ſi igitur ſimplex adeſt plethora, quæ felicem curationis ſucceſſum impedire videtur, ſanguinis copiam vel venæ ſectione, vel in laxioribus ſubjectis ſcarificatione juvabit detrahere: ſanguine enim defluente ſecundum HIPPOCRATEM *lib. de humoribus ſect. XI. §. 7. ulcera graciliſcentia, ſicciora fiunt, & minora: prohibet enim hoc maxime, talia ulcera humectari.* Quin etiam in nonnullis ſola fonticulorum applicatio ulcerum conſolidationem permultum adjuvat, quia tali ratione ex parte ſeri impuri fit derivatio, ne tantus fiat humorum ad ulcera adfluxus. Quoniam tamen à conſuetis ſanguinis evacuationibus ſive per menſes, ſive per hæmorrhoides ſuppreſſis ut plurimum moleſtæ illæ cutis & carnis defœdationes oriuntur; videndum eſt, ut, quantum licet, ſolennes iſtæ excretiones in ordinem reducantur. Quo fine vel venam pedis aperire, vel in viris hirudines ano adponere expedit, quarum uſum jam probatum innuit AVICENNA teſte *Guidone tract. VII. de phlebot. cap. I. hirudines,* inquit, *proſunt in ulceribus malis emunctoriorum & difficilis maturationis, inque partibus, quas teneritudine veremur attingere, quales oculi ſunt & nares, & gingivæ, pudenda, manus, pedes & partes denudatæ carne, ut juncturæ, & denique in pueris.* Neque dein præter hæc omittenda ſunt medicamenta interna, ſalutares has excretiones revocantia; qua virtute inprimis pilulæ leniter aloeticæ, ad BECHERI, STAHLII & noſtram methodum confectæ, ſplendere ſolent.

*..fonticulis*

§. II.

*..evacuantibus*

Tum quoque, præſertim in rheumaticis ſubjectis ſerum copioſum impurum, quod nocente ſuo adfluxu conſolidationem moratur, per alvum debet educi: quam in rem egregia ſunt verba HIPPOCRATIS *loc. cit. ſect. IV. §. VI. depurgatio ventris deorſum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum eſt, & in his, quæ conſuta ſunt, & in exedentibus ac ſerpentibus, & in aliis inveteratis ulceribus.* Quoniam tamen non omnia promiſcue pharmaca hoc fine proſunt, ea maxime in uſum decet vocare, quæ balſamica & ſimul aperiente pollent virtute, ut fere ſunt infuſa vinoſa, ex ſpeciebus balſamicis & leniter laxantibus confecta, nec non pilulæ ſic dictæ balſamicæ, ex extractis amaricantibus & gummatibus balſamicis paratæ, atque interdum cum mercurio dulcificato remixtæ, quæ repetito uſu eximiam præſtant opem. Quod ſi autem in ulceribus curandis purgationem vel phlebotomiam variæ prohibent circumſtantiæ, magnum profecto præſidium reſidet in abſtinentiæ, ſeu inediæ cura, quæ humores ſuperabundantes minuit, impuros depurat, lentosque & viſcidos diſſolvendo, hos ad trajiciendum per minimos viſce-

viſcerum canaliculos aptiores reddit: quam ob rem ab antiquiſſimis medicinæ temporibus ſimplex hæc curandi methodus magno in pretio fuit habita, & à nobis quoque in omni cachochymia evertenda ſummo cum fructu adhibita ſæpiſſime.

## §. III.

*--decoctis purificantibus.*

Quando ſpeciatim ſcorbutica, ſalino-viſcida humorum dyſcraſia cauſam ulceribus & nutrimentum ſuppeditat, vel ſi peſſimæ luis venereæ reliquiæ accuſandæ ſunt, nec datur melior, neque ſecurior hiſce malis occurrendi methodus, quam per decocta ſanguinem depurantia, largiori in copia haurienda, quibus in languidioribus ſubjectis, ſi præſertim venereæ ſcintillulæ emicant, guajacum poteſt adjici, cujus ſal tenue reſinoſum cum copioſa aqua in ſanguinem delatum, fibras vaſorum animando, viſcoſos humores attenuat, & per omnis generis emunctoria egregie educit. Qua quidem in re & mea ipſius experientia, & *Nic.* MASSÆ ſubactum judicium, *in epiſt. XXIX.* prolatum, ſatis me confirmat, ubi inſignis hic auctor ita diſſerit: *decoctio ligni indici per conveniens tempus, videlicet per quadraginta dies ſumme neceſſaria eſt. Darem veſperi & mane cyathum unum aquæ primæ decoctionis; ſecundæ vero decoctionis aquam darem ante prandium & per totum diem ad lubitum, etiam in nocte, ſi bibere voluerit, quoniam hoc univerſale eſt, maxime in ulcere diuturno, quod quanto plus æger biberit, tanto melius liberabitur.* Non raro autem incidit, ut in fœdiſſimis ulceribus, ex venerea maxime lue oriundis hæc decocta non ſufficiant: quare tum omnino ad potentiora tam antimonialia, quam mercurialia remedia deveniendum eſt, quibus ſine moleſto ſalivæ profluvio graviſſimi hi morbi ſanantur tutiſſime. Spectant autem ex mineralium familia huc maxime tinctura antimonii acris, regulus antimonii medicinalis, ceruſſa antimonii &c. & mercurius noſter diaphoreticus, cujus parandi & adhibendi modum ſupra jam *in cap. de lue venerea* ſatis oſtendimus.

*--remediis ex mineralium familia.*

## §. IV.

*--aqua communi & minerali.*

Si quid vero ex omni internorum remediorum claſſe ad curationem ulcerum feliciter peragendam multum contribuit, eſt profecto aqua vel pura, vel ſpiritu minerali imbuta, quæ liberalius hauſta ſcorbuticæ ſanguinis impuritati emendandæ apprime quadrat, atque ideo ab HIPPOCRATE *lib. de ulcer. ſect. I.* §. 8. eximie commendatur, dum adſerit: quod modicus cibus & aqua quam maxime omnibus ulceribus conducerent, magis tamen recentioribus, quam vetuſtioribus, & ſi quod aliud ulcus inflammatum eſſet, aut inflammationem minaretur, vel ſi periculum eſſet corruptionis. Nobiliorem autem virtutem utique exſerunt in ulceribus omnibus, iiſque maxime à viſcerum quadam labe proficiſcentibus ſanandis acidulæ & thermæ, ut nominatim ſunt acidulæ Egranæ, Pyrmontanæ, Spadanæ, Selteranæ, & thermæ Carolinæ, quarum uſus in tali caſu penes omnes ſcriptores eſt decantatiſſimus, & effectus longe ſaluberrimus; ſiquidem copia & fluxilitate ſua obſtructos meatus reſerant, viſcidos & ſalſos humores diluunt, & impuritates per alvum & urinam commodiſſime eliminant. Exemplo ſit vel ſolum ulcus veſicæ, quod inter rebellia & pertinaciſſima ſolet referri, & nihilo minus fontis Spadani, vel Selterani cum lacte uſu perſæpe feliciter ſanatur.

## §. V.

*Inflammationis & affluxus humorum remedia externa.*

Perluſtravimus hactenus ea, quæ internæ ulcerum curationi ſubveniunt; nunc, quæ extrinſecus opem ferant, diſpiciamus. Jam vero in omnibus fere ulceribus quædam occurrunt impedimenta, uti ſunt ſordities, inflammatio, humorum adfluxus, carnis excreſcentia, ſcirrhus, nimia cavitas, labiorum durities, caries, oſſis fragmenta & ſimilia, quæ prius ſunt removenda, ante quam à ſarcoticis & exſiccantibus laudabilis ſperari poſſit conſolidatio. Primo autem omnium expedit inflammationem tollere, de qua GALENUS *meth. lib. IX. cap. XII.* hæc præcipit: *Si ulcus carum junctum eſt cum inflammatione partis circumſtantis, niſi inflammationem auferes, ulcus fiet ſordidius & magis carum.* Atque tali in caſu confert interne diaphoreticum nitroſum cum aqua florum ſambuci exhibitum; extrinſecus vero parti adfectæ ſaturnina cum camphora decet admovere, quæ omnibus reliquis in tali negotio ſunt anteferenda: ſicut contra in rheumaticis ulceribus, ubi perpetuus in partem imbecillem ſeri adfluxus conſolidationi reſiſtit, faſciæ ſive ligaturæ, vino auſtero rubro imbutæ, totique membro involutæ, partem firmando & hoſtile humidum avertendo, omne abſolvunt punctum.

## §. VI.

*Remedia ulceris mundificantia.*

Si ulcera ſunt dyſepulotica, & labia nimis tumida cum cavitate paulo majori, vinum cum lithargyrio, thure, myrrha, bolo &c. coctum excellenter ſe gerit. Quod ſi autem nimia, quæ in apoſtemate magnoque ulcere adeſt, cavitas impuris ſcatet ſordibus, quæ agglutinationem prohibent, ad mundificandum tetroſque ichores abſtergendos ſpiritus vini injectio, præſertim in putridis & ſenſus expertibus antiquis ulceribus optima eſt, cujus uſum in tali caſu efficaciſſimum deprædicat VALLERIOLA *lib. V. obſ. I.* his verbis: *mira profecto vis eſt in detergendis ulceribus & glutinandis, præſertim nervoſarum partium, ut diuturna obſervatione nobis eſt comprobatum, qua nihil præſtantius.* Idem quoque probatiſſimus auctor loco citato in ſinuoſis magnis ulceribus efficacem commendat injectionem, quæ quia utiliſſima, crebroque uſu à nobis explorata eſt, huc tranſcribi meretur: Rec. ligni ſancti ſubtiliſſime pulveriſati, corticis ejuſdem ana uncias duas, ariſtolochiæ longæ, centaur. min., abſynthii, agrimon. caudæ equinæ, fol. oleæ, myrthi, pimpinell. conſolid. maj. ana manipul. unum, cort. thuris, myrrhæ, ſarcocoll. ana unciam dimidiam, vini rubri libras tres, mellis deſpumati uncias quatuor. M. fiat omnium decoctio: ex cujus colatura fiat injectio in ulcus, addendo hora injectionis aquæ vitæ el. unciam unam pro qualibet vice. Quandoque etiam, ubi ingens ſordities, putredo & corruptio adfuit, ego aquam, cum viride æris decoctam, aut lixivium ſcoriarum reguli antimonii, eximiam tuliſſe opem memini. Mox enim hæc ipſa corrodunt & nigredinem inferunt, ſicut in unguento ægyptiaco animadvertere licet, quod dentibus admotum, hos protinus nigro colore inficit.

## §. VII.

*Remedia excreſcentiæ, cariei & duritiei [illegible]rum.*

Ad duritiem & carnis excreſcentiam exſtirpandam, nihil adhuc præſtantius innotuit lapide infernali, & mercurii præcipitati, alumi-

niſque uſti pulvere. Caries autem, quæ tam oſſibus quam ulceribus ſummæ eſt perniciei, feliciſſime ſæpe, licet difficillime tollitur oleo puro & minus fucato caryophyllorum, quocum aliquoties, non neglecto internorum uſu, inveterata & pro inſanabilibus habita narium & faucium ulcera ex voto perſanavi. Mirifice enim oleum hocce æthereum putredini reſiſtit, & ſubtilitate ſua in minimos oſſium tubulos penetrando, ulteriorem putredinis progreſſum impedit. Sed neceſſe eſt, ut in tempore & proxime adfectæ parti adhibeatur, ſi inde auſpicatus obtineri velit effectus. Quod ſi autem admodum magni & profundi adſunt ſinus, & ſicut in fiſtulis, canaliculi occulti hinc inde diſtorti, tum certe res majorem exigit dexteritatem, & optimum ſolet eſſe auxilium, ut occultæ & latebroſæ hæ viæ vel diſcindantur & aperiantur, vel etiam opportunis turundis, amplientur, quarum omnium optima & per diuturnam experientiam probata eſt, ex oleo & cera aſſatis facta & compreſſa. De ſcirrhis autem & fiſtularum calloſitatibus in ſequentibus ſeorſim dicetur.

## §. VIII.

*Sarcotica an pus moventibus præmittenda?*

Remotis igitur obſtaculis, quæ ſanationem præpediunt, aggredienda eſt ipſa ulcerum occluſio & curatio, ubi ſtatim ſe offert quæſtio, an ſtatim ſarcoticis exſiccare, an prius pus movere conveniat. Quod ſi vero meam interponere licet ſententiam, minime certe pro ſanando ulcere protinus topicis ſiccantibus uti ſtatuo; qua quidem in re inter alia plura exempla confirmat me inſignis SANCTORII locus, quem *de indicantium æquilibrio lib. XV. cap. VII.* habet: *vidimus in Hungaria empiricum, qui ob hujus methodi inſcitiam miſerrime ulceratum hominem tractavit. Hic erat miles ulcere ſordidiſſimo cum phlegmone correptus, empiricus utebatur exſiccantibus. His ulcus modo videbatur ſanari, at modo ſordidius & magis cavum effici, & nunquam poterat ad ſanitatem pervenire. Tandem me in conſilium vocavit. Novi inflammationem magis valere, quam ulcus & cavitatem, eamque alio modo non tolli quam ſuppurantibus. Juſſi itaque, ut farinæ, lac, & pinguedines applicentur, poſt quorum uſum brevi apparuit album pus, quod erat ſignum, humores eſſe concoctos & ſuppuratos.* Atque utiliſſima hæc cautio, in quavis ulcerum curatione merito debet attendi, puriſque generatio exſiccationi præmitti, ſi modo caveamus, ut ne unguentis pinguibus id perficiamus, prout rectiſſime docet HIPPOCRATES *lib. de ulcer.* §. *IV.* qui oleum & quæcunque mollia aut oleoſa medicamenta ulceribus applicare negat, niſi jam valde ad ſanitatem tendant. Multo magis totum curandi negotium eo redit, ut in ulceribus, quæ nervoſas, tendinoſas & membranoſas partes occupant, mera balſamica adhibeamus, ex quibus eminent eſſentia ſuccini, balſamus Peruvianus, ſulphuris, oleum hyperici & ſimilia, quæ vel ſola, vel melle temperata omnia explent, quæ ad expeditam conſolidationem contribuunt. Si vero carnoſa loca patiuntur, unguentum ex terebinthina, gummi elemi, myrrha, vitello ovi & melle confectum omne abſolvet punctum. Demum, ad incarnationem præſtantiſſimum eſt balſamum Peruvianum; & ſi nimia adfuerit humiditas, terra vitrioli dulcis, oculi cancr. vel antimonium diaphoreticum inſperſum in exſiccando egregie ſe gerunt. Neque emplaſtris carere poſſumus, ex quibus ſaturninum, diapompholygos, opodeldoch & ſtipticum maxime in præſenti negotio debent commendari.

## §. IX.

*Cataplaſmatum uſus.*

Sunt quoque, præſertim chirurgorum plurimi, qui cataplaſmata in ſanandis ulceribus multum prodeſſe contendunt. At vero, quid de horum uſu ſtatuendum ſit, edocere nos poterit HIPPOCRATES, qui *lib. de ulcer.* ita perite diſſerit: *quædam ulcera cataplaſmata ferre nequeunt, magis autem recentia, quam vetuſtiora & quæ ſunt in articulis*, & in *lib. de medico ſect. X.* §. *IV.* hæc habet: *cataplaſmate per ambitum ulceris utaris. Nam hic uſus cataplaſmatis & artificioſus eſt, & multum prodeſſe poteſt. Videtur enim ulcera opitulari vis eorum, quæ circumponuntur. Linteum autem conterendum eſt, ac emolliendum, quia partibus extra vulnus circumſitis cataplaſma prodeſt.* Quibus divus ille ſenex videtur innuere, non eſſe hoc remedii genus proxime parti adfectæ, quam potius ad ambitum ejus adplicandum. Siquidem cataplaſmata, ex herbis diſcutientibus, ſale tenui oleoſo turgidis & in vino coctis parata magnam obtinent potentiam, humores in vaſis vicinis ſtagnantes corrigendi, & balſamica virtute ad promtiorem motum melioremque temperiem reducendi, ſicut vel unice in diſcutiendis tumoribus licet animadvertere.

## §. X.

*Scirrhi & cancri curatio interna.*

Aggredimur jam morbos difficillimos ſanandos, ſcirrhum atque cancrum, qui ubi ſemel vires ſumſerunt, omnem reſpuentes artem ad lethum ducunt miſerrimos ægrotos. In ipſis autem, ſi internam ſpectamus opem, omnia prope ſimiliter conveniunt remedia, quæ in generali ulcerum curatione prodeſſe diximus. Proſunt enim decocta diluentia & ſanguinem purificantia, proſunt diaphoretica & leniora laxantia, ut ſere ſunt potiones, quæ ex folior. ſennæ ſ. ſtipit. drachma una, rhabarb. electi ſcrupulis duobus, cremor. tartari drachma una & dimidia, mannæ elect. uncia una & ſemis, invicem in aquæ commun. unciis octo ſolutis pro una doſi confici poſſunt; non excluſis demum bene præparatis mercurialibus, quæ ad lympham viſcidam & acrem diſſolvendam ac corrigendam poſcente neceſſitate tam laxantibus in forma pilulari, quam ſudoriferis poſſunt admiſceri, ita tamen, ut ne corpus fortiter commoveant, ſed ut tantum humores ſpiſſos & ad coagulum pronos liquefaciant: nam omnia motus augentia hic cane pejus & angue ſunt fugienda.

## §. XI.

*Scirrhi medela externa.*

Quod attinet ad uſum externorum, quæ in duris & ſcirrhoſis glandularum tumoribus, cancroſum virus in ſinu foventibus, ullo modo ſuppetias ferre, verumque ulcus cancroſum avertere poſſunt; ſcire licet, ſi unquam, certe in hiſce carcinomatibus ancipitis eſſe eventus remedia externa; utpote oleoſa, pinguia & emollientia, corroſiva acria, ſpirituoſa volatilia & camphorata, quæ alias in inflammationibus & ſphacelationibus arcendis præſtantiſſimi ſunt uſus, malum plerumque exaſperant & citius interficiunt. Ex omnibus vero, quæ innoxia deprehendimus, eminet emplaſtrum Barbette ſaponatum, cum camphora & oleo hyoſcyami malaxatum, nec non reſolvens *Joannis Agricolæ*, quod in *chirurgia ejus parva* deſcriptum exſtat. Quo etiam

perti-

pertinent emplaſtra & linimenta reſolventia temperatiora, ab Hildano commendata, quæ neque ex nimis calidis & acribus; neque ex nimis mucilaginoſis & pinguibus conflata medio quaſi modo ſe habent, & ita parantur. Rec. gummi ammon. unciam unam, olei amygd. dulcium, lilior. alb. pingued. gallinæ ana uncias duas, ſucci cicutæ uncias quatuor, aceti ſcillitici uncias duas. Miſce & digere per diem & noctem, leniſſimo igne tractes, ne nimis cito ſuccus & acetum abſumantur, & ſpiſſum fiat linimentum. Sic etiam tale præſcribit emplaſtrum: Rec. emplaſtri de mucilag. & meliloto anatica portione uncias duas, gummi ammon. in aceto ſcillitico ſoluti unciam unam & dimidiam. M. & ſi opus eſt, ceræ adde parum. Nonnulli etiam ad impediendum tumoris incrementum, doloremque & ardorem leniendum mirifice æſtimant plumbi laminam, mercurio vivo inunctam & impoſitam; alii iterum fumos acidos parti ſcirrhoſæ admittendos reſolvendi fine commendant, & hujus generis plura. Si ullum vero remedium tuto & cum emolumento poteſt applicari, eſt profecto ſimplex cataplaſma milii in lacte cocti, pluribuſque linteaminibus involuti, ut ab omni humiditate liber maneat locus adfectus. Et à domeſtico hoc remedio, ſi ter vel quater in die ſub cura thermarum Carolinarum fuerit adhibitum, ego in principio tumorum cancroſorum in duabus virginibus mirum vidi effectum, quem antea nec pretioſiſſima ſummoque ſtudio excogitata medicamenta præſtare potuerant.

§. XII.

*Diætæ ſimul ratio habenda.* Singula hactenus dicta provide adminiſtrata interdum efficiunt, ut non modo inflammatio, quæ proximus ad cancrum gradus eſt, ſatis diu à ſcirrhis avertatur, morbuſque tolerabilis fiat; verum etiam, ut materia ſtagnans folliculiſque glanduloſis impacta ſæpe in principio per venas reſorbeatur, & ſic ſcirrhus vel evaneſcat, vel in ulcus benignum abeat. Idque eo magis poteſt obtineri, ſi diæta conveniens jungatur, quæ in eo potiſſimum conſiſtit, ut in ſex rebus non naturalibus juſta ſervetur temperies; quo fine omnia debent caveri, quæ noxia eſſe in theoria ulcerum docuimus.

§. XIII.

*Cancri aperti cura in- & externa.* Longe vero ſtrictius ſervari debent duriores diætæ regulæ, quando cancer jam apertus in ulcus mali moris depaſcens abiit, quoniam præter accuratiorem diætam pauca ſunt medicamenta, quæ ſufficientem opem præſtant; niſi id ſatagat medicus, ut pro circumſtantiarum ratione ſupra commemorata interna præſcribat. Extrinſecus vero, ubi verus multumque protuberans cancer, facta per cutim apertura, inſtar fungi excreſcit, & à parietibus compreſſus ichorem fundit tenuiſſimum ſummeque rodentem, non ſine fructu inſperguntur antimonium diaphoreticum, ceruſſa antimonii, crocus martis aperitivus, & pulvis ranarum exſiccatarum, ſuperpoſito emplaſtro diapompholygos cum ſaturninis, vel emplaſtro Barbette cum camphora & hyoſcyami oleo ſubacto, quæ partim ichorem imbibendo exſiccant, partim ſcirrhoſam materiam reſolvunt, putredinemque arcent. Ad dolores, qui per intervalla graviſſime ſæviunt, leniendos, externe in locis quæ admittunt, cum inſigni levamine applicatur aqua ſolani cum albumine ovi & ſacchari ſaturni pauxillo conquaſſata, extracto ſimul croci, papaveriſque rhœados addito. Quod ſi vero, ut ſæpe fit, ramus vaſis ſanguiferi apertus largam ſanguinis copiam ſtillat, nimiumque fluxum cohibentia expoſcit, cum fortiter adſtringentia hic locum minime inveniunt, ſed præſtat ſpiritum vini rectificatum adhibere, vel terram vitrioli edulcoratam, quæ ex ſpiritus vitrioli deſtillatione remanet, cum ovi albumine miſcere & adponere, vel etiam ſanguinem draconis, cum albumine ovi mixtum, itemque pulverem radicis conſolidæ major. ſauciatis vaſis admovere.

§. XIV.

*Exſtirpatio an & quando admittenda?* Nunc peculiaris excutienda eſt quæſtio, an ſcirrhus & cancer exſcindi poſſint? Nos in ferendo judicio ita ſentimus, quod omnino talis exſtirpatio in certis caſibus admitti debeat, quia non modo graviſſimi rerum chirurgico-medicarum auctores eandem aliquoties feliciter peractam commemorant, verum etiam ex veriſſimo Celsi effato remedium anceps experiri præſtet, quam nullum. Si quis vero ſcirrhum & cancrum eradicare cogitet, cogitare ſimul debet, an nullo alio medicamento poſſit mitigari, aut curari, & annon æger in pejorem ſtatum conjiceretur, ſi malum exſtirpandum præberet, quam ſi retineret. Deinde magnitudo & duratio horum adfectuum debet attendi. Parvus enim & incipiens ſcirrhus vel cancer operationem admittunt, magni autem & vetuſti recuſant. Neque minus locus debet examinari, in quibus ſcirrhoſa labes reſidet. Sunt enim loca, ut præſertim inguina, uterus, nares internæ, fauces, parotides &c. quæ exſtirpationem plane denegant ob arterias, venas & nervorum ſurculos circumſitos, ſive ſuppoſitos; unde facile hæmorrhagia ſuſcitatur lethalis. Tum quoque vires ægri decet explorare, an tali operationi ſuſtinendæ ſint ſuppares, & qualis interna humorum ſit conſtitutio. Hæc enim ſi cacochymica eſt, nihil juvabit exſtirpatio, quia in alia parte malum facile repullulat; ſicut ego ſcirrhum in una mamma abſciſſum, poſtea in altera mamma & glandulis axillaribus renatum vidi. Idem valet, ſi ſcirrhus & cancer duas partes, licet inæquali magnitudine, ſimul occupat. Tum quippe in uno loco exciſus, in altero incrementum ſumit. Imo denique multum refert ſcire, an mobilis adhuc & liber ſit ſcirrhus & cancer, quod cognoſcitur, ſi digitis preſſus in omnem partem poteſt moveri, & ſi cutis manu arrepta poteſt elevari. Quæ ubi aliter ſe habent, indicio eſt, quod jam cum aliis vaſis & membranis calloſis in unam coiverit maſſam, ideoque minime debet attingi, maxime cum ignoremus, annon magna vaſa per ejus corpus divaricentur, quæ diſſecta ſanguinem ad mortem uſque fundant.

§. XV.

*Exſtirpationis modi.* Varii autem hactenus innotuerunt exſtirpandi modi, quorum omnium optimus videtur, qui ferro peragitur, dum ſcirrhus v. g. in mammis manu, vel inſtrumento quodam prehenſus, & à corpore abſtractus una ſectione totus abſcinditur; vel ſi facta tranſverſali in crucis formam inciſione ex integumentis, in quibus libere hæret, eximitur, & a membrana adipoſa, cui interdum in inferiore ſui parte adhæreſcit, ſeparatur; quod facile fit, quando hæc nondum vitioſa eſt. Alii, in magno ſcirrho e. g. mammarum eradicando infra ſcirrhum furcam, vel magnas acus filis inſtructas

inſtructas transfigunt, & tum mammam infra elevationem cultro abſumunt; alii iterum, facta cruciformi in integumentis ſectione, ſcirrhum per fila ceracea, cum duabus acubus ipſi transverſim inducta elevant eo fine, ut hac tractione panniculus adipoſus eo melius citiuſque ſeparetur. Reliquæ operandi methodi, quæ per partis ſcirrhoſæ compreſſionem, per ligaturam, per corroſiva & ignem abſolvuntur, raro inveniunt locum, niſi in minoribus ſcirrhis & cancris, quales e. g. in labiis oriuntur. Ita enim ab uſtione & corroſivis mox eſchara emergit, quæ vim ignis vel corroſivi ulterius adhibendi in magno ſcirrho minuit; dein ſcirrhus & cancer admodum raro tam anguſto prominent collo, ut ligatura poſſint conſtringi & ſenſim removeri: in compreſſione autem metus eſt, ne adjacentes ſanæ partes ſimul emoriantur.

## §. XVI.

*Scirrhi & cancri uteri tractatio.*

Maligni uteri ſcirrhi & cancri magis poſſunt præcaveri, quam curari. Proſunt autem in principio, ante quam malum vires receperit, ex conſilio Maierne balnea aquæ dulcis cum herbis emollientibus parata & ſemel de die adhibita. Tum nos cum eodem auctore commendamus venarum hæmorrhoidalium in fœminis apertionem, ſi menſium fluxus reſtitui nequit, ad quem alias reparandum, præter leniora interna tali in caſu uſitata proficiunt peſſi uterini, qui apparari poſſunt, ſi pulveres artemiſiæ, gentianæ rubræ, ariſtolochiæ, myrrhæ, ſabinæ & hellebori nigri tenui ſacculo incluſi & vino malvatico humectati utero admoventur. Quo etiam referri merentur fumi, ex lixivio ſcoriarum antimonii in uterum excepti: quibus remediis omnibus egregia ineſt facultas obſtructa vaſcula reſerandi, humores tenaces minimiſque tubulis inhærentes diſſolvendi, ipſaque venarum oſcula aperiendi, ut ſanguis menſtruus, vel fluor albus, quorum ſuppreſſio plerumque cauſam præbuit, rurſus ſuum ſortiatur exitum. In ipſa ulceroſa uteri labe, quam ex ſanioſæ pariter ac fœtidiſſimæ materiæ profluxione cognoſcere licet, non tantum pudenda à roſione ſunt defendenda, & à tumore, qui plerumque jungitur, liberanda per emplaſtrum Barbette cum flor. ſulphuris vigoratum, verum etiam cum fructu ſuſcipiuntur injectiones liquorum balſamico conſolidantium hujus compoſitionis: Rec. aquæ d'arquebuſade uncias quatuor, eſſent. ſuccini, myrrhæ, balſami de copaiva, gummi elemi ana drachmas duas, mellis roſati unciam M. D.

## §. XVII.

*Carolinarum uſus in tali caſu.*

Præter hæc vero, circa hanc curam probe debet attendi, quod non melior ſalus, quam ex thermis Carolinis in tempore potatis poſſit obtineri. Etenim hæ aquæ, prout innumeris conſtat obſervationibus, in uteri vitiis, à quacunque fere cauſa obortis divinam plane opem exſerunt, dum obſtructiones removendo, liberiorem ſanguinis & humorum circuitum, ſicut per univerſum corpus, ita etiam per vaſculoſum uteri viſcus efficiunt, adeoque in impuris ſordibus per omnis generis emunctoria eliminandis excellenter ſe gerunt. Et licet ſolæ non ſemper ſufficiant, nec totum curationis opus abſolvant, ſcire tamen licet, quod ad reliquam curationem felicius peragendam commodam ſternant viam; niſi jam morbi vis ita invaluerit, ut omnem hominum medelam penitus ſpernat.

## §. XVIII.

*Tumores glandularum benigni quomodo generentur.*

Coronidis loco de reliquis glandularum tumoribus & ulceribus pauca addere placet. Probe enim ſciendum eſt, non omnes glandularum glanduloſarumque partium tumores in ulcerationem abeuntes ſtatim pro cancroſis habendos eſſe, ſed ab iiſdem in eo maxime differre, quod laudabile album, coctumque pus fundant, dolorem mitiorem minuſque pungitivum habeant, neque venas circa tumorem varicoſas gerant & curationem admittant. Minime tamen negari poteſt, quod hi tumores inter ſe ipſi diſcrepent, & plus minus benigni vel maligni æſtimandi ſint. Ita malignis acutis accenſeri debent peſtilentiales, malignis chronicis bubones, ex gonorrhœa quocunque modo ſuppreſſa, vel ex impuro coitu ſuborti: alii enim à prohibita tranſpiratione, vel dolore colico excitati inguinum tumores melioris ſemper indolis eſſe ſolent. Sæpe ejuſmodi glandularum ſubaxillarium, parotidum, maxillarium & inguinalium tumores morbis præſertim acutis ſuperveniunt, & vel cum febris ſymptomatumque decremento critici ſalutares, vel cum augmento ſymptomatum juncti, ſymptomatici eſſe ſolent: ſæpe etiam ſine omni febre, licet non ſine febrilibus commotionibus ſua ſponte exſurgunt. Id quod ſæpiſſime fieri deprehendimus in corporibus impuris cacochymicis, ſive ſcroſoſo-ſcorbuticis, ſi conſuetæ & criticæ excretiones per menſes, hæmorrhoides, ſudores largiores, coryzam & rheumatiſmos deficiunt, item in iis, quibus ex utroque ſexu eryſipelas fœdaque ſcabies ad habitum corporis propelli deſinit. Similes tumores, præſertim in parotidibus experiuntur infantes, pueri & adoleſcentes, ſucculentiores, qui coryza, vel narium hæmorrhagiis non amplius tentantur, & qui à primis annis longo tempore tinea capitis vexati fuere.

## §. XIX.

*Quomodo tractandi.*

In curatione rite peragenda aut diſcuſſio, aut ſi hæc obtineri nequit, ſuppuratio eſt promovenda. Atque ideo interne conveniunt decocta ſanguinem purificantia ſudoriſera, interpoſitis laxantibus cum mercurio dulci vigoratis; externe vero diſcutiendi fine ſub ipſa ſudoris exſpectatione applicare expedit cataplaſmata, quæ optime fiunt, ex radice ſigill. ſalom. farina fabarum, herbis chærefol. petroſelini, flor. ſambuci, ſemine cymini, baccis lauri, juniperi, croco &c. in vino coctis. Neque uſu ſuo caret, præmiſſis emollientibus & antiſpaſmodicis, qualia ſunt emplaſtrum de meliloto cum ſpermate ceti, croco, oleo hyoſcyami & camphora ſubactum, poſtea demum cataplaſmata diſcutientia adhibere, quia ſic ſtagnans humor tenuior & mobilior factus dein per poros melius vel tranſpirare, vel per vaſa poteſt refluere. Quod ſi vero non amplius diſcuſſionis locus eſt, ſed propter auctam magnitudinem, dolorem, & majorem humorum affluxum, natura ſuppurationem molitur, hæc non melius poterit promoveri, quam per emplaſtrum diachylon ſimplex, vel cum gummatibus, vel rectius adhuc & citius per cataplaſma, ex cepis ſub cineribus coctis, radice lil. alb. ficubus, farina fabarum, melle, croco, vitello ovor. invicem mixtis conflatum. Quando maturus eſt abſceſſus, cito aperiatur, ne materia acris purulenta ad interiora converſa vix ſanabile ulcus producat. Facta apertura purificatio ulceris & conſolidatio optime perfi-

perficitur balſamo vulnerario, quod ex aloe hepatica, ſuccino, myrrha, gummi elemi, floribus roſarum, balſamo Peruviano & de copaiva, melle, cum ſpiritu vini extractis, & cum oleo hyperici vetuſto, paucisque guttis balſami ſulphuris antimoniati, vel terebinthinati remixtis parari poteſt; vel etiam balſamus Arcæi, item oleum vitellorum ovorum & hyperici vetuſtum, in quibus myrrha ſoluta, vel cui terebinthina & liquidambra admixta ſunt, in tali caſu adhiberi poſſunt, ſuperpoſito ſemper emplaſtro Barbette emolliente.

## §. XX.

*Quid proſit, ſi curationi reſiſtunt.*

Sæpe accidit, ut propter magnam duritiem & materiæ immobilitatem tumor ad ſuppurationem pervenire nequeat; tum vero videndum, ne cancroſæ indolis fiat, ut maxime metuendum eſt in parotidibus & glandulis colli, ſi in cacochymicis, ſcorbuticis & ætate provectioribus oriuntur. Optime autem averti poteſt periculum, ſi præter remedia interna depurantia, extrinſecus emplaſtra ex gummis, ut eſt emplaſtrum manus Dei, vel emolliens quoddam cum oleo cornu cervi, vel tartari fœtido malaxatum, item emplaſtrum Agricolæ ex cepis, imponuntur. Quod de parotidibus valet, valet etiam de reliquis glandularum tumoribus, ſi in imo deliteſcentes magis ad interiora vergunt, & ſi valde duri, renitentes & dolorifici ſunt. Hi enim omnes difficilius diſcutiuntur & ſuppurantur, quam qui molliores ſunt, & non adeo dolent, ut in ſanguineis, ſanguineo-phlegmaticis & ætate junioribus.

## §. XXI.

*Tumores teſtium quomodo curandi?*

Nec denique omitti debent moleſti teſtium tumores. Licet autem teſtes glandulis accenſeri non poſſint, nihilo tamen minus, quia in eo cum glandularum fabrica conveniunt, ut ex innumeris fere capillaribus vaſculis invicem convolutis contexti ſint, pariter ac ipſæ glandulæ duris & ſcirrhoſis tumoribus ſunt obnoxii. Conferunt autem externe fotus ex lacte cum floribus ſambuci & chamomillæ cocto affectæ parti crebrius admiſſi, nec non emplaſtra emollientia, cum floribus ſulphuris, ipſoque balſamo ſulphuris & mercurio præcipitato albo remixta, quæ cum internis diluentibus & purgantibus combinata eximiam reſolvendi, incidendi & diſcutiendi præſtant energiam. Plura ad hanc rem pertinentia reperire licet in capite de lue venerea.

## *CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.*

## §. I.

*Cautela circa interna in ulceribus.*

Ulcera, quæ à cauſa præſertim interna originem & ſuſtentationem recipiunt, curationem raro admittunt, niſi hæc convenientibus internis adjuvetur. Peccant in hoc maxime chirurgorum plurimi, qui nimis audaces utplurimum ſine medico ſoli perarduum curationis opus aggrediuntur, & poſthabitis internis ſanguinem purificantibus remediis ſecant, urunt, ungunt, & quævis alia tentant: qua ratione non modo nihil proſunt morbumque diutius protrahunt, ſed ægros quoque in majorem ſæpe perniciem conjiciunt. Quod vero ſicut malitioſum proboque viro indignum eſt; ita ego, ne quis ſolis externis fidens interna negligat, etiam atque etiam moneo.



## §. II.

*-- circa conſolidationem.*

Ulcera cujuſcunque generis in ſubjectis impuris minime cito debent exſiccari: his enim ſæpe ſanitati ſunt, & non ſecus ac fonticuli corpus a mille aliis malis immune præſtant. Qua quidem in re audiendus eſt SEVERINUS, *de noviſſ. obſervatis abſceſſibus capite XXX.* ita diſſerens; *ſingulare genus eſt eorum ulcerum, quæ conſilio naturæ providentis parantur, quæ quoniam in noſtram ſalutem excitata ſunt, facinus eſſet, ipſa aut amoliri aut temere cohibere. Tametſi etiam haud criticum eſt illud opus; nihilo minus quia cum profectu animalis fit, amplectendum eſt beneficium.* Si quis vero temerario auſu conſolidationem inſtituit, morbos ſæpe pejores eoſque inſanabiles accerſit; unde ego poſt talia ulcera intempeſtive occluſa pleuritidem, aſthma, cœcitatem, vertiginem, mentis alienationem aliaque plura mala vidi ſubnata. Et hinc etiam eſt, quod inter peſſimas notas & inſtantis mortis præſagia referri ſoleat, ſi ulcus, quod antea fluxit, ſiccum & vel lividum vel pallidum evadit. Hoc enim ſi fit, deſignat vim naturæ nimis depreſſam; qua pereunte motus & influxus ſanguinis membra à corde remota deſerit; unde hæc coarctantur, horrent, frigent & arida fiunt; adeoque etiam ulcera manare deſinunt.

## §. III.

*Quid ante exſtirpationem faciendum?*

Si à ſignis ſupra recenſitis ſcirrhi indicatur exſtirpatio, corpus antea bene eſt præparandum commodo victu debitiſque medicamentis, quia corpore non repurgato, facillime ſanguis impurus in alio loco ſcirrhoſam labem reſuſcitat. Animus quoque ægroti ſpe boni eventus eſt lactandus & prudenter firmandus ad operationem fortiter ſuſtinendam. Quo autem vires refocillentur, porrigere decet analeptica, quæ inter eminet vinum bonæ notæ Rhenanum, cum cancrorum lapidibus & theriaca remixtum.

## §. IV.

*Quid poſt eandem?*

In ipſa operatione omne morboſum eſt eradicandum; alioquin ſi quam minimum relinquatur, malum recrudeſcit, & ex ſcirrho dein cancer fit. Si quid vero præter culpam chirurgi operantis remanſerit, ad radicitus exſtirpandam labem pulverem mercurii præcipitati adhibere expedit, cavendo tantum, ne ſalivatio excitetur. Tum quoque poſt exſtirpationem per ſat longum temporis ſpatium interna ſanguinem depurantia & relictum ſeminium corrigentia cum accuratiori vivendi ratione ſunt continuanda, ne pus, quod tum generatur, per venas ſanguinem ingrediatur, aut ſi quid forte ingreſſum ſit, denuo eluatur. Quod vero ut eo melius fiat, cavendum ſimul eſt, ne per remedia fortiter ſuppurantia nimia fiat puris generatio. Ceterum conſolidatio, ſicut in alio ulcere fiat.

## §. V.

*Et ſi febris lenta, vel lipothymia accedunt.*

In cancro patente & exulcerato ſi febris lenta accedit & hectica, commendari merentur ad nimium calorem refrænandum, emulſiones temperantes, lac aſininum & juſcula nutritiva medicamentoſa, nec non gelatinæ oſſium, ex raſura cornu cervi & eboris cum ſucco citri & vino Moſellano confectæ. Denique, ſi crebriora animi deliquia mortis periculum indicant, potiones analepticæ ex aquis deſtillatis paratæ, & modicus vini hauſtus cum externis refocillan-

refocillantibus languentes ſpiritus pauſſummodo ſuſcitant.

## §. VI.

*Cautio circa anodyna.*

Interne, ſi dolor cancri exceſſivus eſt, & ægri opem nimis urgent, ad hunc placandum admitti poſſunt leniora anodyna. Sic ego in acerbiſſimo uteri cancroſi dolore mitigando, ſummam anodynorum ad tempus vidi efficaciam, atque inprimis potiones, ex aquis papaveris rhœados, flor. pœon. lilior. convall. ſyrupo papav. alb. & paucis guttis eſſentiæ anodynæ præſens attuliſſe levamen. Qua quidem in re me confirmat experientia Riverii, qui *in praxi lib. XV.* hæc habet: *vidimus*, inquit, *mulierem cancroſa mamma laborantem, quæ ſingulis noctibus per quatuor menſes laudani opiati grana duo vel tria innoxie & cum maximo ſolatio ſumſit.*

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### Observatio I.

*Tumor ſanguineus apertus & feliciter conſolidatus.*

Vir generoſus ſeptuagenario major, robuſtæ & obeſæ conſtitutionis, non niſi ſemel in anno venæ ſectionem admittens, nocte aliquando in tenebris urinæ reddendæ gratia aſſurgens in humum proſternitur conclavis, gypſeo lapide ſtrati; unde ingenti percuſſus terrore non multo poſt de gravi cruris dextri circa genu dolore conqueritur. Intra biduum ſubſequebatur tumor, qui paucorum dierum intervallo ita increſcebat, ut capitis humani magnitudinem æquaret. Vocabantur auxilii ferendi cauſa chirurgus & medicus, qui conſpectum tumorem, doloris expertem paucaque rubedine cinctum extrinſecus tractabant emplaſtro de ſapone camphorato, deſuper impoſito cataplaſmate, ex herbis rutæ, ſcordii, cardui benedicti, floribus ſambuci, chamomillæ, baccis lauri, juniperi, &c. in vino coctis, & cum ſpiritu ſalis armoniaci remixtis. Interne tinctura offerebatur bezoardica camphorata & pulvis lapidum cancrorum cum vino, ſed nihil inde æger ſentiebat levaminis; ut potius, aucta tumoris magnitudine, totius corporis laſſitudinem experiretur. Ego itaque cum re probe penſitata, cutim inter & muſculos materiam extravaſatam judicabam, tumorem ſcalpello aperiendum præcipiebam; unde purus ſanguis effluebat ad libras fere duas, ſubſequente ſero purulento ſanguine tincto. Tumor detumeſcens facta cum filo ceraceo (*einen Wachs-Stock*) exploratione, amplitudinem cavitatemque ſat magnam nactus videbatur: quare conficiendum curavi liquorem traumaticum, ex myrrha, aloë roſata, gummi elemi, tacamahaca, floribus roſarum, hyperici, millefolii & balſamo Peruviano cum ſpiritu vini rectificato digeſtis, & in eſſentiam redactis vulnerariam, quæ cum melle roſato remixta, ad uncias fere duas quotidie ſiphonis ope injiciebatur, ſuperpoſitis emplaſtro & cataplaſmate jam laudatis. Internam ferebamus opem elixirio noſtro balſamico pulveribuſque bezoardicis; & ad vires reficiendas, quæ cum appetentia ciborum, intercurrente ſudore frigido & anxio, valde labaſcebant, modicus lubinde hauſtus vini optimi Hungarici permittebatur. Vinculis poſtea laxatis, loco ſanguinis indies magis magiſque pus effluebat optimi coloris & conſiſtentiæ, & intra quinque ſeptimanas æger conſolidato ulcere exoptatæ reddebatur ſanitati.

### Observatio II.

*Tumor ſanguineus apertus lethalis.*

Non poſſum, quin obſervationem ſubjungam aliam, præcedenti non niſi eventu diſſimilem, quæ ita ſe habet. Vir ſexaginta annorum podagricus, vitæque ſedentariæ & anxiis ſemper curis addictus in dextro brachio tumore corripiebatur, duro, dolorifico, lividumque colorem referente, qui fruſtra adhibitis varii generis externis, mutata ſede, ad dextri lateris pectus circa mamillam proſerpebat, exigua tantum duritie liveſcente in brachio relicta. Jungebantur brevi poſt virium & appetitus defectio, pedes tumidi & tuſſis cum ſpirandi difficultate vehementiſſima. Accerſitus medicus atque chirurgus apertionem tumoris confidenter ſuadebant, quam ego ægro, cum & meum flagitaret conſilium, ſerio diſſuadebam, quoniam perſcrutata ipſius conſtitutione morbique indole, non purulentam inibi materiam, ſed potius humorem valde rodentem putridum contineri prævidebam, & externi aeris admiſſione internam putredinem adauctum iri augurabar. Atque eventus reſpondit præſagio. Medicus enim, amicum reſpuens conſilium, me abſente tumorem ſat magna inciſione ipſe aperuit; unde loco exſpectati puris, ſanguis valde dilutus cum acri ichore mixtus ultra menſuram effluxit. Injecta quidem eſſentia myrrhæ aquoſa, quæ etiam interne adſumebatur, ſed altero die rurſus ſimilis promanavit materia, donec tertio die tanta ſucceſſit hæmorrhagia, quæ nullo ſiſti auxilio poterat, ſed ſanguinem cum vita exhauriebat. Tumore aperto cavitas ſat ampla reperiebatur ſphacelo corrupta: in thorace & abdominis cavitate ſerum conſpiciebatur collectum, & pulmo in latere ſiniſtro putrida ac purulenta materia totus conſumtus.

#### *Epicriſis utriuſque caſus.*

Varii generis tumores in corpore oboriuntur, quorum naturam & tractandi modum & medicus & chirurgus probe debet callere periteque diſtinguere. Noſtri quos adduximus, dicendi ſunt ſanguinei, qui à ſtagnante ſanguine enati largam hujus copiam per ſectionem fundere ſolent. Atque in eo diſcerni debent ab abſceſſibus vel apoſtematibus, quæ ex præcedente inflammatione oborta pus intus fovent, ideoque minus alunt periculi. Merito autem ejuſmodi tumores diſtingui debent in benignos & malignos. Benigni ſunt, qui, ſicut in priori caſu obſervavimus, in ſubjectis ſanis à contuſione, vel alia quacunque externa cauſa prægreſſa, intra breve tempus ſubnaſcuntur, ne ullis quidem internæ inflammationis notis præcedentibus. Atque hi maxime eveniunt in ſanguineis, quorum minima vaſa ſanguine repleta turgent, quæ vi externa diſrupta brevi tempore effuſo ſanguine in muſculorum & tunicarum interſtitiis ingentem formare tumorem poſſunt. Niſi tum extravaſato ſanguini per inciſionem paretur exitus, non modo hic longiori ſtaſi corruptus & acrior factus partis læſæ conſolidationem impedit, verum etiam à putrido humore per vaſa reſorpto, corporis viriumque debilitas & lentus hecticus calor ſubſequuntur. Neque in ſano homine, cujus humores blanda gaudent temperie, pertimeſcenda eſt apertio, ſed ſperanda inde potius melior ſalus & exoptata conſolidatio; idque eo magis, ſi in cavitatem balſamici injiciuntur

ciuntur liquores, qui non modo putredinem arcent vaſculaque aperta occludunt, ſed & conſolidationis negotium eximie promovent. Alia vero tumorum malignorum eſt ratio, qui non tam in corpore puro & ſano, ſed in impuro, cacochymico & ſcorbutico, per varias antea ægritudines debilitato emergunt, neque externam læſionem, ſed potius internam humorum depravationem pro cauſa agnoſcunt, qui extravaſati ſummamque acredinem adepti vaſa & ſubſtantiam fibrarum erodunt. Accedit, quod maligni hi tumores non in inſtanti, ſed ſenſim paulatimque producantur, ſicut in poſteriori caſu animadvertere licet, ubi tumor per plures menſes ſubſtitit, ante quam humore ad pectus translato mamillam occupavit, id quod utique internam ſubſtantiæ carneæ eroſionem per totum brachii tractum oſtendit, qui etiam corroſus, facta ſectione inventus eſt. Enim vero, negari minime poteſt, quod omnes hi tumores lethales habendi ſint certoque certius mortem inferant, quæ tamen eo citius accedit, ſi apertio acceleratur. Namque admiſſo aëre atmoſphærico vel humorum putredo partiumque adjacentium ſphacelatio promovetur, vel hæmorrhagia excitatur incompeſcibilis, quæ vires cum vita breviſſime adimit. Quod vero ſi metuendum eſt, nulla in re magis reperire licet auxilium, quam in injectione liquoris balſamici non aquei, ſed ſpirituoſi, quo non modo ſauciata vaſa conſtringuntur, ſed ulterior quoque putredinis progreſſus & ſphacelatio ad tempus avertitur.

## Observatio III.

*Ulcus peſſimi moris in collo.*

Vir generoſus ſexagenario proximus, habitu corporis pingui & ſpongioſo præditus, jam per decennium viduus, lautæ ſemper & vinoſæ diætæ indulſit, nullaque ſontica valetudinis incommoda, præter catarrhales defluxiones expertus eſt, maxime cum bis in anno circa æquinoctia venam ſecandam præbuerit, fontemque ſoterium Pyrmontanum per aliquot annos potaverit. At vero cum officii, cui admoveretur ratio poſceret, ut ſub vere maxime & autumno, tempeſtate frigido-humida & nebuloſa in ſylvis circa aquarum ſtagna commoraretur, & inſuper quoque venæ ſectionis ſtrictiorisque diætæ impatiens ad genium ſuum inordinate viveret, accidit proh! dolor ſuperiori anno menſe Novembris, ut circa tempora ſupra aurem dextri lateris tumore afficeretur inflammatorio & ulceroſo inſtar ciceris, quem dicunt furunculum, *einen Schwären.* Leve videbatur malum & vix medela dignum, ſed brevi poſt, cum noſter in convivio ſe cibo & potu nimium repleverat, aeriſque veſpertini injuriis expoſuerat, tumor iſte cum dolore valde increſcebat, qui ante maturitatem à chirurgo apertus, ichorem fundebat ſanguineum, labia recipiens ſubtumida & fere cruſtoſa. Fugit me, quam ſibi in medendo viam medicus æque ac chirurgus tum temporis elegerint; poſtea vero, cum ego conſilii ferendi cauſa advocarer, hæc erat rerum facies: tumor ille dolorificus denuo valde auctus, jam glandulas occupabat parotides, quare ex meo conſilio emplaſtrum imponebatur diachylon, item Barbette cum camphora oleoque hyoſcyami ſubactum. Ex aure dextra materia promanabat ſanioſa, & maxillam tumore compreſſam æger nec poterat movere, nec ſolidi quicquam deglutire. Exacto triduo poſt aures ingens fiebat abſceſſus, qui denuo quidem aperiebatur; ſed nihilo minus materia purulenta ad colli glandulas deſcendens, ibi novum formabat tumorem, qui recuſata inciſione ſponte diſruptus in ulcus abibat vere cancroſum, tamque profundum, ut ibi decurrentes nervi, arteriæ & venæ, imo denique œſophagus & aſpera arteria, abſumta ſenſim pinguedine, denudata conſpicerentur. Dabantur in principio ad alvum, quæ clauſa erat, ducendam, impetumque humorum à capite divertendum leniora laxantia, medicamenta ſanguinem purificantia, & juſcula herbarum antiſcorbuticarum medicamentoſa; extrinſecus vero liquores balſamici ſyphonis ope infundebantur. Sed omnia hæc ac ſingula imminentem ſanguinis corruptionem avertere vix poterant, ut potius invaleſcente calore, ſiti & inquietudine, hinc & inde in toto corporis ambitu ulcuſcula prodirent ſublivida, ipſorumque digitorum extremitates inflammatione prehenderentur. Tandem ſub inſigni virium decremento, crebriores accedebant lipothymiæ, & imminens moriendi neceſſitas nono die omnium miſeriarum exoptatum afferebat finem.

### *Epicriſis.*

Varia in præfata morbi hiſtoria occurrunt momenta, quæ ſingularem merentur conſiderationem.

1) Si tot tantorumque in noſtro ægroto malorum ſcrutamur originem, nullam certe aliam invenire licebit, præter ſcorbuticam ſanguinis & humorum dyſcraſiam, quam ſibi procul dubio lauta & inordinata vivendi ratione, aeris frigido-humidi uſura, & omiſſa conſueta ſanguinis miſſione contraxit. Tali enim ratione ſanguis in viro, ætate jam multum provecto non ſolum copia & ſpiſſitudine increvit, verum etiam, cohibita tranſpiratione facile pravam induit diatheſin, quæ deinde variis tumoribus & exulcerationibus anſam præbuit faciliſſimam.

2) Merito reprehendenda videtur chirurgi in aperiendo primo tumore feſtinatio, qua proh! dolor factum eſt, ut ichor tenuis acrior & magis nocivus redditus vicinas partes arroſerit ſimilique labe infecerit. Id quod in ſubjecto ſenili, ac impuro in partibus multa pinguedine obſitis, ut collum eſt, eo citius potuit obtingere. Namque digna notatu obſervatio eſt, quod corruptio in pinguedine oborta, & a ſanguine inibi ſtagnante illata celerrimo ſerpat progreſſu, vixque ulla poſſit ratione cohiberi: quare non mirum eſſe debet, cur etiam in præſenti ægroto ſubnata in pinguibus locis corruptio mox tantas ſumſerit vires, ut conſumtis partibus ſuppoſitis, arteriæ, venæ & nervi in conſpectum prodierint.

3) Notabilis eſt ulcuſculorum in variis locis proventus, digitorumque inflammatio, quæ ſummam ſanguinis corruptionem indicat luculentiſſime. Augmentum vero ipſa recepit a materia purulenta in ſanguinem delata, quæ hunc tetra putrilagine inquinavit, & in motum conjecit putredinoſum; unde febris, inflammatio, lipothymiæ & vitæ clauſula mors.

## Observatio IV.

*Tumor cancroſus per corpus [illegible].*

Fœmina generoſa, octo ſupra trigeſimum annos nata, temperamenti phlegmatici, & integra ſemper valetudine gaviſa, ante ſeptem

circiter annos in puerperio à nimio lochiorum fluxu varia experta fuit ſymptomata, maximeque hemicraniam dextri lateris, paſſiones hyſtericas, cordiş palpitationes, & rheumaticas faciei artuumque defluxiones per tres fere annos ab eo tempore perferre debuit. Conſuluit itaque harum pertæſa moleſtiarum medicaſtrum, qui ſalivationem ſuaſit mercurialem eo effectu, ut admodum vehemens frigoris ſenſus, quem ne calidiſſimum quidem conclavis vel lecti regimen mitigare poterat, remaneret, atque moleſtæ artuum defluxiones, cum tumore & exulceratione junctæ ægram miſerrime diſcruciarent. Adhibita lignorum decocta cum inedia parum tulerunt levaminis, ut potius dein in media mammæ ſiniſtræ regione ſupra papillam durus acceſſerit tumor, qui ſpreta externorum ope brevi ita increvit, ut ovum anſerinum magnitudine æmularetur, & innumeris venarum ramificationibus cœruleis cinctus dolores pungitivos & prope lancinantes, præſertim ab applicato emplaſtro de cicuta inferret. Ceterum, ægra nondum lecto affixa bene appetit, & quantum per dolores licet, animi eſt hilaris; præſervandi autem ſcopo meum poſtulavit auxilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

Affectus, quo præſens laborat fœmina, tumor eſt cancroſus, qui non modo ex colore livido & lapidea duritie partis glanduloſæ, verum etiam ex doloribus pungitivis ſat clare cognoſcitur. Prima hujus mali origo deducenda videtur à puerperio, ex quo plurimæ mulieres reſurgunt morboſæ, ſi vel ſaluberrimæ diætæ præcepta quoad victum, regimen & animi affectus minus rite fuerunt ſervata, vel ſi lochiorum fluxus quocunque modo peccaverit. Potiſſimum vero in præſenti caſu largiſſima ſanguinis in partu profuſio accuſari debet, qua corpus debilitatum poſtea loco ſanguinis boni ac laudabilis multas ſeroſas & excrementitias collegit cruditates, quæ minus recte a maſſa ſanguinis ſegregatæ variis ſubinde moleſtiis, & ſpeciatim quidem rheumaticis faciei & artuum defluxionibus, glandularumque tumoribus anſam dederunt. Jam quidem hoc fine utiliſſima ſunt lignorum decocta cum inedia, omniumque remediorum vim longiſſime ſuperat tempeſtivus thermarum Carolinarum uſus. Si quis vero in tali cacochymico corporis ſtatu ſalivæ profluvium mercurialibus temere molitur, plus ſemper nocet, quam prodeſt. Etenim, cum validiora hæc medicamenta ſpaſtica partium nervoſarum & glanduloſarum ſtrictura agant, fieri aliter non poteſt, quin ſpaſmi, ſi jam in corpore ſenſibili & debilitato adſunt, mirum in modum augeantur: unde non modo præſentes vaſculorum minimorum obſtructiones confirmantur, verum etiam occluſis in cute vaſculis frigoris ſenſus inducitur, & à cohibito tranſpirationis negotio majores in corpore impuritates accumulantur. Res autem quo clariorem accipiat lucem, probe meretur attendi, quod ſalivatio plerumque frigus partium extremarum junctum habeat, quod eo quidem fine fieri arbitror, ut per inferiorum partium ſtricturam lympha & ſaliva majori niſu ad ſuperiora, maximeque ad glanduloſam faucium compagem delata eo melius excernatur. Sæpe vero peracta etiam ſalivatione, ſi hæc vel nimia, vel intempeſtive adhibita fuerit, externæ partes moleſto tentantur frigore, quod niſi mitigatur & ad juſtam redigitur temperiem, multa ſuccedunt incommoda, quæ in præſenti etiam caſu metuenda ſunt, ubi durante frigore ad adfectam mammam major humorum fiet affluxus. Ego itaque in conſilio ferendo primo omnium ſuaſor & auctor fui, ut alvo, quæ ſæpe ſimiliter clauſa erat, ſubducta extrinſecus diligentes adhibeantur frictiones, & ægra per intervalla in balneum aquæ dulcis deſcendat, ut ſanguinis in externas partes influxus revocetur. Deinde, commendavi curam cum fonte Egrano tepido inſtituendam, & ſervandam præcepi accuratiorem diætam, vitando ſalſa, acria, dura & motus augentia, ſubſtituto in potus locum decocto purificante. Extrinſecus tumori duro imponendum ſuaſi emplaſtrum Barbette ſaponatum & probe camphoratum cum hyoſcyami oleo malaxatum, ſuperpoſito cataplaſmate ex ſemine milii cocto; unde abſceſſus benignus fiebat, qui ſecundum artem tractabatur.

Observatio V.

Fœmina generoſa quadragenaria, temperamento cholerico-ſanguineo prædita, ſemel tantum felici partu filiam excluſit ſanam & vegetam, cui ipſa mammas per annum præbuit. Ablactato infante in ſiniſtra mamma tuberculum retinuit parvum, & avellanæ magnitudinem vix accedens, quod doloris expers per quinquennium ſine moleſtia tulit; donec ante aliquot menſes poſt perpeſſum triſtitiæ affectum tumor ſenſim increſcens per intervalla dolore adficiebatur pungente, majuſque præſagiebat periculum. Chirurgus acceſſebatur artis probe peritus, qui tumorem durum, ſcabrum, & duobus in margine tuberculis cinctum extrinſecus ſpiritu vini camphorato & crocato, aliquoties in die applicato tractabat. Interne à medico infuſum præſcribebatur vinoſum laxandi virtute pollens, & veſpertino tempore pulveres abſorbentes nitroſi offerebantur: neque decocta inſtar Theæ potanda, neque pilulæ leniores balſamicæ ad menſium fluxum, qui adhuc integer erat, in ordine conſervandum omittebantur. Tantum vero aberat, ut vel minimum tumor ille ſcirrhoſus magnitudine decreſceret; ut potius cum tuberculis noviſſime obortis in unum corpus coaleſcens inſtar manus latus & longus appareret, colorem ex bruno rubicundum punctiſque albidis interſtinctum referret, & doloribus pungitivis per intervalla redeuntibus magnas crearet moleſtias. Quare ego in conſilium adhibitus ægram ab omnibus tam corporis quam animi commotionibus abſtinere, cibos acidos, ſalſos, duros & multis conditos aromatibus evitare, bis in hebdomade ad alvum laxandam pulverem rhabarbarinum ſumere, & in potus locum decoctum ex *rad.* chin. ſcorzoner. & raſura ligni ſaſſafras ana unciis tribus, raſur. ligni ſantali rubri & citrini ana uncia una & dimidia confectum ſubſtituere juſſi. Quo vero univerſa ſanguinis & humorum maſſa eo melius diluta ab impuritatibus liberaretur, ſerum lactis caprini cum cremore tartari paratum, ſuccisque herbarum antiſcorbuticarum cochleariæ, beccabungæ & naſturtii aquatici expreſſis remixtum per menſem & ultra primo mane haurire, & ventriculum juvandi gratia elixirium meum temperate balſamicum inter epulas ad octoginta guttas capiendum commendavi. Externe tumori ſcirrhoſo, qui in perpetuo tepore conſervari debebat, impo- *Cancer exulceratus.*

imponendum ſuaſi emplaſtrum emolliens camphoratum, ſuperpoſito ſemine milii ex lacte coćto, duplicatiſque linteis involuto, ne humiditas ad partem adfećtam pertingens noxam inferret. His ita per tempus obſervatis mitiora videbantur omnia. At vero, brevi poſt in infima tumoris extremitate exiguus locus cuticula denudatus paucam plorare humiditatem videbatur, & circa inſtans menſium tempus prægreſſis phlogoſibus, pećtoris anguſtiis, partiumque infernarum refrigerationibus, in ipſo tumore vas aperiebatur ſanguineum; unde ſanguinis circiter ocło profluebant unciæ, ante quam ſpiritu vini rećtificato ſiſti poterat. Quæ cum animadverterem, ſuaſor eram, ut alvus clyſteribus crebro ſubduceretur, ad ſanguinis ebullitionem ſedandam pulveris temperantis, ex oſſe ſepiæ, conchis præp. ſuccino præp. & nitro confećti drachma circiter dimidia cum paucis liquoris anodyni guttulis ex aqua, vel emulſione temperante interdum ſumeretur; circa menſium vero periodum pilulæ ad methodum Beccheri confećtæ una cum pulveribus temperantibus exhiberentur. Singula hæc tamen prohibere vix poterant, quin ſcirrhoſa hæc excreſcentia in ea parte, ubi humidum ſtillabat, in veram abiret putredinem, verumque ulcus cancroſum formaret; quod labiis valde tumidis ac duris præditum, brevi tempore magnam acquirebat cavitatem, magnamque materiæ ichoroſæ, odore teterrimæ fundebat copiam. His accedebat, quod per periodos ſat larga recurreret hæmorrhagia, quæ multum ſemper ſanguinis exhauriens non inane minabatur periculum; maxime cum virium robur cum ciborum adpetentia magis & magis decreſceret, & ambo pedes tumore obſiderentur oedematoſo. His ita conſtitutis ego denuo conſultus ad avertendum, quantum licebat, putredinis progreſſum, externe oleum myrrhæ per deliquium applicandum, & alternis diebus antimonium diaphoreticum ulceri inſpergendum commendabam, ſuperimpoſito ſemper emplaſtro Barbette ſaponato & probe camphorato. Interne ad vires reſuſcitandas ordinabam mixturam analepticam, ex aquæ cinamomi ſine vino, meliſſæ, cort. citri ſine vino, roſar. lilior. convall. ceraſor. nigror. ana æqua portione unciis tribus, matris perlar. drachmis duabus & ſyrupi acetoſitat. citri uncia dimidia, invicem probe mixtis paratam, & denique juſculis alimentoſis, ex juſculo gallinaceo cum raſura cornu cervi decoćtis, ſuccoque citri vel aurantior. alteratis ægram reficiendam præcipiebam. Verum enim vero, converſis in pejus ſymptomatibus, ægra vi morbi ſuperata ſuccubuit, & ſicut audivi, lethali ſyncope exſtincta eſt.

*Epicriſis.*

Siſtit hic caſus integram cancri tam occulti, quam patentis ulcerati hiſtoriam, ut eo melius inde cognoſci poſſit, qua ratione hic corpori humano infenſiſſimus morbus oriatur, latiuſque proſerpendo ſeſe multiplicet. Primo autem omnium quoad originem notari meretur, quod hoc mali genus in illa corpora præcipue cadat, vel in iis exacerbetur, quæ longa triſtitia premuntur. Nam inter decem cancro laborantes vix unum datur individuum, ubi non gravis mœſtitia prægreſſa fuerit. Deinde plenius inde confirmamur, quod ſatis diu ſcirrhoſa durities, niſi irritetur, in glanduloſa parte geſtari poſſit, ante quam periculum corpori intentet. Quam primum vero pellicula ſumma eroſa humor tenuis & aquoſus plus minus acris exſudat, jam cancer ſerpere incipit, atque tum caro quæ procedit, putris apparet, dolor cum calore intenditur, & oræ rubent, tument ac fere exulcerantur, veniſque diſruptis multum ſanguinis effundunt. Ubi notabile eſt, quod, quo calidiora adhibentur medicamenta, eo color magis ad livorem tendat, tumorque & dolor augmenta ſumat. Tandem febris jungitur, quæ paullatim cum reliquis omnibus vires ſumens tot malis obrutos ægrotos interficit. In tali rerum ſtatu cura tantum palliativa tam in quam externa locum invenit. Interna talis eſt, quam ſupra commendavimus, vitando tam in diæta, quam in medicamentorum oblatione omnia exagitantia. Externa eo maxime abſolvitur, ut partem adfećtam tepide habentes medicamentum præſcribamus lene, quod ulcus ſordidum repurget, cavitatemque repleat; licet dolendum, quod raro, imo nunquam fere hi ſcopi obtineri queant. Parari autem tale medicamentum poteſt ex olei olivar. parte una, aceti vini & lithargyrii ana parte dimidia, ſub leni ignis gradu & continua agitatione ad lithargyrii ſolutionem & aceti conſumtionem cońtis, & dein cum oleo roſarum, plumboque uſto ac loto in mortario plumbeo in unguenti formam redaćtis, & applicatis. Expedit quoque eodem fine, niſi jam dićtum medicamentum ad ima ſatis pertingere poteſt, liquorem infundere, qui ex aqua ſpermatis ranarum, roſarum, ſucci ſolani recenter expreſſi ana uncia una, mellis depurati uncia dimidia, & ſacchari ſaturni aliquot granis confećtus eſt, cui interdum etiam, ſi opus eſt, unguenti baſilici portio addi poteſt. Sic ſæpe humor ſat multus elicitur, qui linteo multoties contorto ſuperpoſito excipiendus eſt, ne partes adjacentes aggrediatur. Quod ſi vero ob orificium anguſtius ſordes elui nequeant, ſcalpello dilatatio debet inſtitui. Ubi labia ulceris ita intumeſcunt, ut in iis venæ diſruptæ, ſicut in præſenti ægrota, multum ſanguinis ad plures uncias & libram uſque emittant, ſpiritus vini rećtificatus vel ſolus, vel cum terra vitrioli dulci mixtus prodeſt, maxime ſi linteum multiplicatum, quod ſuperponitur, commoda faſcia ſatis adſtringatur. Sed quid juvant omnia vel acutiſſime excogitata remedia, niſi ut vitam miſeram tolerabilem reddant? Moriendum eſt abominabili hoc affećtu certiſſime: gerunt enim eodem laborantes putredinem, quam alii poſt mortem demum ſubeunt, in corpore adhuc animato, quæ paullatim ſanguinem & tenuiſſimum nervorum ſuccum inquinans lacerum corpus humo tradit.

Observatio VI.

*Ulcus uteri cum metu cancri.*

Erat hic loci fœmina, ex gente Judæa, quæ ab onere dorſo impoſito, indeque forſan una alteraque vertebra ſubluxata nimium uteri profluvium experiebatur, ita ut fere continua ſanguinis profuſio extra ſtatum menſium tempus cum dolore hypogaſtricæ regionis circa umbilicum & matricem ſummas crearet moleſtias. Medicamentis internis adhibitis mitigabatur quidem fluxus, ſed in locum ipſius fluor albus ſuccedebat ſanioſus, cum ventriculi inflatione, dolore inteſtinorum flatulento, alvi ſtrićtura & abdominis dura inſtar tympani elevatione junctus.

Poſt-

Poſtquam varia ſine effectu medicamenta per dimidium anni ægra adhibuerat, auctor eram, ut thermas adiret Carolinas, quibus per menſem & ultra ſub debito regimine uſa, magnam materiæ tenuioris, ac minus quam antea fœtidæ ex utero excrevit copiam, unde ſimul alvus aperta flatus liberius emittebat, dolores exſpirabant & abdominis tumor ex voto detumeſcebat. Curatione hac peracta infuſum theiforme, ex agrimon. conſolid. ſaracen. ſalvia, meliſſa, millefolio, & flor. hyperici ſingulis diebus mane bibendum, & bis in ſeptimana medicamento alvum ducendam commendabam. Ante omnia vero ſiphonis ope injiciendum curabam liquorem balſamicum & conſolidantem cum melle remixtum, & extrinſecus emplaſtrum emolliens flor. ſulphuris nuptum imponendum: qua methodo per ſingularem Dei gratiam priſtinæ reſtituta ſanitati denuo concepit.

*Epicriſis.*

Siſtit hic caſus uteri ulcus feliciter ſanatum, quod raro contigiſſe exemplo arbitror. Tractavi enim plures ſimiliter laborantes feminas, ſed ſine fructu, ſine ſucceſſu; ut potius hectica ſupervenienie deceſſerint. Interim diſcere inde licet, ejuſmodi uteri ulcera non ſemper unius ejuſdemque eſſe indolis, aliaque præ aliis eſſe maligniora, ut potiſſimum evenit, ſi ſumma humoribus cacochymia inſidet, à qua tamen ægrota noſtra, quæ ſibi malum ab externa cauſa contraxit, libera adhuc fuiſſe videtur. Alias in curando, multo vero magis in avertendo hoc morbo ſummam merentur commendationem thermæ Carolinæ, quæ in obſtructionibus uteri referandis ſordibuſque impuris eluendis egregiam præſtant energiam, ſicut ego aliquoties vidi. Sed adhiberi debent in tempore, ante quam ſubſtantia uteri nimis eroſa, & depaſcens corruptio præſens eſt, item ſi nondum febricula jungitur. Nec ſpernendi ſunt effectus decocta vulneraria, qualia huic ægrotæ finita Carolinorum cura præſcripſimus, quæ, ſi nimius genitalium ardor urget, cum radic. altheæ, glycyrrhizæ, pœoniæ, & aliquot papaveris capitibus poſſunt temperari, vel cum lacte alterata adhiberi. Externe proſunt injectiones balſamicæ & putredini reſiſtentes; ſi dolor vero ardorque infeſtant, liquorem inſtar emulſionis, vel etiam lac chalybeatum tepide infundere præſtat. Nec omittenda plane ſunt ulcus purgantia, ſi hoc ita ſitum eſt, ut talia commode admittat: quo fine commendari merentur peſſaria, ſive linteola contorta, cum eſſentia quadam balſamica, ex gummi elemi, myrrha, maſtiche, aloe hepat. & ſimilibus in ſpiritu vini extractis madefacta.

OBSERVATIO VII.

*Ulcus labii inferioris ſanatum.* Vir illuſtri loco natus, ſeptuaginta annorum, iracundiæ deditus & calidiori ſemper conclavi adſuetus, qui magni principis conſiliarius complures annos vita ſedentaria in conſiliis dandis ac conſcribendis conſumſerat, ex improviſo per dentis acuti morſum inferiori labio illatum tuberculum ſibi contrahebat durum & dolorificum, quod ſenſim paullatimque diſruptum ulcuſculum formabat non adeo bonæ indolis ſerpens, ichoremque purulentum fundens. Qui auxilii ferendi cauſa aderant medicus & chirurgus, neglecta curatione interna, ſolis externis curationem moliebantur, eoque fine potiſſimum digeſtivum cum balſamo de Copaiva & melle roſato mixtum adplicabant. Ego autem, cum per litteras & meum requireretur conſilium, primo omnium venæ ſectionem, quam vir illuſtris ob invaleſcens ſenium diu omiſerat, in pede adminiſtrandam ſuaſi; poſt hæc vero totum curationis negotium eo direxi, ut univerſa ſanguinis & humorum maſſa, quæ in ſenili corpore, & ſub vita motus experte non exigua impuritatis labe inquinata videbatur, debitis internis remediis depuraretur; idque eo magis erat neceſſarium, cum totus corporis ambitus inſtar ictericorum flavo colore defœdatus minoribus puſtulis ſummoque pruritu vexaretur. Quare ego, præmiſſis & interpoſitis laxantibus rhabarbarinis & mannatis, decoctum ordinavi purificans, ex radice pareiræ bravæ, ſarſaparillæ & chinæ cum paſſulis confectum, quod tum mane ad ſudorem movendum calide, tum potus ordinarii loco frigide hauriri debebat; ſubjunctis interdum veſpertino tempore pulveribus diaphoretico-cinnabarinis. Externe oleum myrrhæ per deliquium, liquidambræ nuptum commendavi, atque hæc omnia tam felici ſucceſſu, ut æger intra menſem integra gauderet valetudine.

*Epicriſis.*

Præſens labii ulcus, à cauſa externa ſubortum, non adeo multum aluit periculi, licet non negandum ſit, quod ab interna ſanguinis & humorum impuritate pabulum ſubinde & augmentum receperit. Quare non ſine fundata ratione curationem internis ſimul adornandam & perficiendam commendavi, ut ſubtracto morbi pabulo externa remedia eo liberius operari potuerint. Præter hæc ſciendum eſt, quod ejuſmodi labiorum ulcera non adeo expeditæ ſint ſanationis, partim quod non omnia ferunt remedia in aliis ulceribus proficua, partim quod loquendo ridendoque labia facile irritantur, ut inde non raro diductis cum dolore rimis ſanguis cieatur. Accedit demum, quod continuo ſalivalis laticis affluxu tale ulcus madefactum non adeo bene à ſordibus poſſit repurgari; unde non poteſt non diutius protrahi conſolidatio.

OBSERVATIO VIII.

Virgo erat generoſa, viginti annorum macilenta, quæ ob vitæ genus ſedentarium, parciorem potum & largiorem acetariorum inter cibos uſum inordinato menſium fluxu & ſymptomatibus cum eodem conjunctis laborabat. *Ulcus in mamma benignum.* Brevi poſt in altera mamma tumor exſurgebat duriuſculus, qui ex parvulo incipiens ſenſim paulatimque increſcebat. Circa ejus ambitum, quin aliquando in ipſo, aliqua quaſi puncta ſentiebantur, quæ brachium illius lateris in doloris conſenſum ducendo, optimam virginem de ſalute valde ſollicitam reddebant. Veniebat itaque ad me ſupplex, ut ipſi & conſilio & auxilio ſuccurrerem: unde ego petitis annuens ad ſanguinis maſſam depurandam menſiumque fluxum, qui ultimis periodis penitus ceſſaverat, revocandum, thermas Carolinas cum debito regimine potandas; externe vero emplaſtrum emolliens camphoratum cum cataplaſmate milii imponendum commendabam. His ita per tempus adhibitis redeunte menſtruo, tumor quidem detumeſcere

tumeſcere videbatur, ſed paulo poſt in ulcus terminabatur, quod interpoſitis internis decoctis ſanguinem depurantibus, ſubjunctoque ad catamenia in ordine ſervanda elixirio balſamico, externe balſamicis, & deinceps unguento tractabatur, quod oleum recipiebat roſaceum in mortario plumbeo, donec nigreſcebat, tritum, & cum ceruſſa & lithargyrio remixtum, ſuperpoſito emplaſtro manus Dei. Atque hac ratione ægra ſucceſſu temporis exoptatæ reddebatur ſanitati.

*Epicriſis.*

Variis, & mammarum quoque affectibus premuntur mulierculæ, cum menſtrua non bene reſpondent, vel ex toto ferri deſinunt, non autem illæ, quæ, quia lac præbent, à menſibus defectæ ſunt. Quod ſi enim ſanguis ſuperfluus per uterum excernendus intus retinetur, tum ipſe ad alias, maximeque ſuperiores partes regurgitans varii generis incommoda, ut in imo ventre ſpaſmos & flatus, in pectore anguſtias cum difficili reſpiratione, in capite gravitatem, vertigines, cephalalgias, imo non raro in mammis, quibus magnus cum utero conſenſus intercedit, tumores ſcirrhoſos ulceraque tam benigna quam maligna ſuſcitat. Idem tulit fatum præſens virgo, quæ ex menſium fluxu propter vitam ſedentariam, potus inopiam & acidorum comeſtionem ſuppreſſo moleſtum mammæ tumorem & ulceroſam labem obtinuit. Erat autem hoc ulcus benignæ indolis, licet in comparatione cum aliis ulceribus curatu difficilius, quod vel ex eo unice apparet, quia pus aluit & cicatricem recepit. Tantum enim abeſt, ut omnes partium glanduloſarum tumores & exulcerationes in cancrum, ſeu malignum ulcus ſemper abeant; ut potius felici omine abſceſſum ſæpe benignum faciant, curationemque admittant. Id vero potiſſimum ſolet contingere in ſubjectis ſanis, vegetis nullaque ſontica, vel tamen facile emendanda humorum dyſcraſia infectis; ſicut quidem in noſtra ægrota animadvertere licet, quæ reſtituto menſium fluxu depuratiſque paululum ſuccis alacrior reddita vim morbi felix ſuperavit.

Plures obſervationes evolvi poſſunt in obſervat. & reſponſis meis medicinalibus caſu LVIII. LIX. CIX. CLXXI. & alibi.

---

## CAPUT VII.

### *De circumſpecta ulcerum fiſtuloſorum curatione.*

### *THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Inſtituti ratio.* Si ulla externarum partium læſio medicis æque ac chirurgis plurimum faceſſit negotii, ſummiſque operandi difficultatibus preſſa eſt, eſt profecto ipſa fiſtularum curatio. Nam præterquam quod hæc ulcera ſpecie valde ſint diverſa, admodumque difficile ab aliis ulceribus diſtinguantur; quam maxime etiam hoc accedit impedimentum, quod ſæpe in iis locis ſedem occupent, ubi remediis & operationi, manu peragendæ vel difficilis vel nullus plane datur acceſſus. Verum enim vero, quum frequentius hoc mali genus occurrat, plurimumque interſit, qua ratione rite cognoſcatur, & ad ſanationem perducatur; operæ facere pretium exiſtimo, ſi ſuccinctam, ſed experientia fundatam de fiſtulis doctrinam huic operi ſubjungam.

§. II.

Eſt autem fiſtula ulcus ſinuoſum, inveteratum, oblongum & circa orificia arctum, interius non minus quam exterius calloſum, doloris maxime expers. *Fiſtularum definitio.* Suum accepiſſe nomen videtur fiſtula à cavitatibus iſtis oblongis & induratis, quæ in longum reptando, aliqua ex parte cum aliis arundinum vel fiſtularum cavitatibus conveniunt; unde etiam à Græcis σύριγξ, à germanis *eine Fiſtel, einen Röhr-oder Hohl Geſchwär, ein fiſtulirter Schade* non inepte hactenus appellari conſuevit. Quo tamen eo melius adhuc de peculiari fiſtularum indole conſtet, ſcire omnino licet, fiſtulas ideo maxime ad ulcerum genera referri, quia fœdam continui ſolutionem, ſeu filamentorum, quibus ſolidæ partes conſtant, dilacerationem junctam habent, quæ deinde cavitatem, lenta, putrida & mali odoris lympha repletam progignit. Atque in eo etiam ab abſceſſibus vel alii generis ulceribus diſcrepant, quia non tam bonum coctumque pus fundunt, ſed potius ichoroſam & acrem materiem ſtillant. Verum oblongæ quoque ſunt, varioſque & multiplices ſinus formant fiſtulæ, ita quidem, ut in principio ſuo cum oris præduris, tumentibus & quaſi inverſis, arctius coeant, in profunditate ampliora fiant, & latius ſe extendant. Imo demum callus, ſeu concretum præternaturale durum & membranaceum à fiſtularum natura non debet excludi, quo ſuperficies ductuum ſinuoſorum obducitur, ipſaque mali ſanatio non parum impeditur. Licet enim quandoque oræ præduræ & calloſæ cicatrice induantur, hæc tamen denuo diſrupta ulcus facile renovat, vel etiam materia acris contenta, alias quærendo vias, per novum orificium foras prorumpit.

§. III.

Omnes fere ac ſingulas machinæ humanæ partes ſolidas invadere ſolent fiſtulæ. *...ſedes* Neque enim ſolum in carnem exedendo ſæviunt, ſed glandulas quoque earumque vaſa, arterias, venas & nervos, tendines & cartilagines occupant, & acerbo ſæpius dolore commovent, ne oſſibus quidem exceptis, quorum primo tenella, dein ſolidiora putrida carie ita diſſolvunt, ut materiam peſſimi odoris fundant, difficillimamque ſanationem efficiant. Enimvero, dubitare quis poſſet, an omnes, quas enumeravimus, partes fiſtularum ſubjectum conſtituant. Sed qui altius ſecum perpendit, quod tota corporis fabrica ex meris fibris artificioſiſſime inter ſe connexis & coalitis conflata ſit, quarum prima ſtamina & filamenta prout magis vel minus craſſa, vel tenera exiſtunt, laxiuſque vel compactius cohærent, varia conſtituunt organa; facile profecto concedet, omnes ſolidas partes, quia ex uno conſtant principio fibroſo, fiſtulis poſſe adfici. Unicum tantum remanet dubium, an fiſtulæ etiam oſſa aggrediantur, quæ dura ſunt, fortiterque reſiſtunt. Sed reſpondemus, quod omnino in mali conſortium trahi poſſint oſſea corporis fulcimenta: ſiquidem plurimæ auctorum chirurgicorum obſervationes fidem faciunt, ex ulcere fiſtuloſo fragmenta oſſea fuiſſe extracta. Imo,

Imo, ſi meam ipſius experientiam interponere licet, ego vere adſeverare poſſum, me aliquot ſimiles annotaſſe caſus, qui de fiſtularum in oſſeis partibus ſede certiores nos reddere poſſunt; quamvis libens lubenſque concedo, quod non tam in principio, quam potius in mali incremento tale quid ſoleat contingere.

§. IV.

*... differentia.* Differunt fiſtulæ ſecundum partes, quibus infenſæ ſunt, & in ſingulis quidem propria quædam ſigna habent, quæ annotari merentur. Hinc etiam diverſa pro partibus affectis fiſtularum fluxerunt nomina, ut habeamus lacrymales, maxillares, genæ, colli, pectoris, abdominis, ani, & ejuſdem generis alias, quas nunc ſeorſim ſpectabimus, orti à fiſtula lacrymali, cujus vera ſedes eſt ſacculus ille lacrymalis, qui in majori oculi angulo ſitus oſtium quaſi refert canalis, per quem liquor promanans à lacrymali glandula in naſi cavitatem prolabitur. Neque labe vacant partes proxime adjacentes, maximeque ſinus ethmoidales, qui in naſum producti mucoſam ibi materiam deponunt. Quo etiam ſpectat os unguis appellatum, quod totidem interdum perforatur. Namque tenue illud eſt & exile circa internum oculi angulum, ad oſtium canalis naſalis ſitum, ubi etiam poſiti ſunt rami ex arteria carotide & vena jugulari decurrentes, itemque nervi à quinto & ſexto pari emiſſi. Quandocunque igitur canales lacrymales, & ſic dictus ſaccus, una cum partibus, quæ his proxime adjacent, ulcere manante, ſinuoſo & calloſo occupantur, vera adeſt fiſtula lacrymalis, adeoque hæc commode ſimul diſtinguitur à ſimplici, quæ fiſtulam plerumque antecedit, obſtructione & ſuperficiali exulceratione viarum lacrymalium, nec non à tumore quolibet inter oculos & naſum conſpicuo, quem anchilopem dicunt, neque minus ab ægilope, ſeu anchilope verſus exteriora aperto & leviter exulcerato, nondum tamen callo obducto differt.

*Deſcriptio lacrymalis*

§. V.

*... colli* In fiſtulis maxillaribus & genæ totum tractum à glandulis parotidibus & apophyſi maſtoidea ad annulum primum arteriæ aſperæ pro ſubjecto agnoſcimus. Quo referri etiam debent præter cutem externam & pinguedinem vaſa ſanguinea, muſculi buccinatoris portio, muſculi labiorum maſſeter & biventer, qui omnes vel labiis movendis, vel motui maxillæ inferioris dicati ſunt; neque minus poſitæ ibi glandulæ cum inſignibus ductibus & vaſis ſalivalibus. Conglobatarum enim innumeræ in labiis & palato deprehenduntur, conglomeratæ autem ſunt parotides, quæ totum illud ſpatium replent, quod angulo poſteriori mandibulæ inferioris & apophyſi maſtoideæ interjicitur: imo infra quoque maxillares internæ, ſeu Warthonianæ locatæ ſunt, quæ ſi læſæ fuerint, lympham puram eamque copioſam fundunt. Neque demum inepte huc referri poſſunt dentium fiſtulæ; ſiquidem in vulgus uſque notum eſt, nullam ferme genæ fiſtulam abſque dente carioſo fieri, quo per artem extracto ſponte malum evaneſcit.

§. VI.

*... maxillaris & genæ* Sequitur ordine fiſtula in collo, per quod productionem thoracis, ab atlante, ſeu prima prope caput vertebra, uſque ad primam thoracis vertebram, quæ eminens dicitur, exporrectam ſignificamus. In duas autem partes, alteram anteriorem, alteram poſteriorem collum diſpeſcitur, quarum illa guttur, hæc cervix appellari ſolet. In cervice fiſtula rarius, in gutture frequentius gignitur, utpote quod præter vaſa ſanguinea jugularia & carotidalia, lymphatica ac nervoſa, œſophagum quoque & arteriam aſperam complectitur, quæ poſterior ſimiliter nonnunquam diro huic malo ſubjecta eſt, ſicut teſtis eſt MARCHETTE *in obſ. chir. obſ. XXXVII.* qui fiſtulam per duos arteriæ aſperæ annulos tranſeuntem deſcribit. Atque notandum eſt, quod interdum talis fiſtula multis ſinubus ad ipſas claviculas ſubrepat, qualem obſervationem deſcriptam legere licet apud SCULTETIUM *armament. chirurg. part. II. obſ. L.* Præter hæc vero ſævum hoc morbi genus pectus quoque ſolet adfligere, quod ex triplici ſubſtantia, oſſea, cartilaginoſa & carnea eo maxime fine coalitum eſt, ut non modo cordi & pulmonibus tuendis inſerviat, ſed etiam alternæ ſui ipſius extenſioni ac compreſſioni congruenter ſufficiat. Sæpe etiam tale fiſtuloſum ulcus per pectoris cavitatem tranſiens ipſam cordis ſubſtantiam erodit & perforat, quale notabile exſtat exemplum apud MARCHETTE *l. cit. obſ. XLVII.* Neque umbilicalis ad inteſtina pertingens fiſtula rariſſima eſt, ſed jam antiquiſſimis *Hippocratis* temporibus celebrata fuit. Id quod inter alia inſignis locus, *epid. lib. VI.* reperiundus indicat, ubi mentio injicitur fiſtulæ umbilici ex vulnere ſubnatæ, ex qua per intervalla magnus prodiit lumbricus, indeque judicatum fuit, inteſtinum ſimul fiſtula eſſe tactum, ex quo perforato lumbricus ille prodierit.

*... pectoris*

§. VII.

*... ani* Reſtat adhuc exploranda illa fiſtula, quæ circa ſedem oritur, & ani fiſtula nuncupatur. Occupat hæc maxime vaſa venoſa hæmorrhoidalia, quæ anum corona quaſi cingunt, ſanguinemque per arterias allatum revehere debent. In his enim facile ſanguinis contingit ſtagnatio propter ſitum perpendicularem, ubi adſcenſus ſemper eſt difficilis. Accedit laxior inteſtini recti compages: unde ob toni debilitatem ſanguis ibi ſubſiſtens tenues vaſorum tunicas diſtendit, & incarceratus corroſivam induit naturam. Sequuntur hinc ſæpe preſſo, ut aiunt, pede hæmorrhoides cœcæ, ſeu dolorifici tumores inflammatorii, qui ſi non cito diſcutiuntur, vel à grumoſo ſanguine per ſcarificationem aut inciſionem liberantur, facillime in apoſtema abeunt, quod ſi ſcalpello inciſorio non tempeſtive aperiatur, ac deterſivis & traumaticis conſolidetur, in ulcus degenerat; unde dein ſæpe originem ſumunt fiſtuloſi ani & partium circumjacentium, ut muſculorum ipſiuſque ſphincteris ſinus. Cruor enim ſeroſus extrinſecus ſumma acredine imbutus inteſtini recti membranas, reliquaſque conterminas carnes facile perrodit atque exedit, unde fiſtulæ origo.

§. VIII.

*Cauſa proxima fiſtularum* His ita perſpectis videndum eſt, quænam cauſæ horum ulcerum generationi velificentur. Ex his autem præcipuum obtinet locum, ſuccorum vitalium, maximeque lymphæ impuritas, ex improbo victu, vitioque viſcerum & emunctoriorum enata. Quod ſi enim ab incongrua diæta multæ impuritates in corpore accumulantur, & emunctoriis oppilatis ſordes excrementitiæ

ſalino-

ſalino-ſulphureæ à ſuccis vitalibus minus rite ſecernuntur, non tantum ſanguinis & humorum maſſa ſanitati adverſam induit diatheſin, verum etiam concitatiores motus & fibrarum irritationes producuntur, quibus dein peregrinæ indolis ſalia fortius attrita & ab involucro ſuo nudata majorem acredinis vim acquirunt, ut carneas fibras diſcindant, anguſtiſſimos glandularum aliorumque vaſculorum tubulos, quibus ſe inſerunt, arrodant, nerveaſque & membranaceas partes magno cum dolore & cruciatu conſumant; imo demum ipſas oſſium lamellas acrimonia ſua exedant atque carie depaſcant. Probe tamen hoc loco notari velim, ſicut omne ulcus; ita etiam in principio fiſtulas, inflammationem partis antecedere, quæ nil niſi minimorum vaſculorum à ſtagnante ſanguine vel lympha obſtructio eſt, cui dolor, ardor, rubor, tumor & arteriolarum diſtenſio junguntur: unde dein corruptio & pus generatur, quod acrimonia ſua partes magis corrodit, cavitatemque & ſinum format.

## §. IX.

*Cauſæ mediatæ ſunt diætæ errores.* Ex dictis jam facile patebit ratio, cur ſcorbutici, hypochondriaci, cachectici, lue venerea adfecti & alii, quibus viſcera minus ſalva, ſed infarcta vel corrupta ſunt, ob ſuccos impuros & largam ſordium ſalino-ſulphurearum progeniem tam frequenter varii generis ulceribus, ipſiſque fiſtulis corripiantur. Neque dein minus conſtabit ratio, cur omnia illa, quæ ad viſcidam & acrem humorum impuritatem contribuunt, ut fere ſunt, aer craſſus & vappidus, victus ſalſus & viſcidus, potus parcus vel conſiſtentior, omniumque maxime excretionum naturalium retentio vel ſuppreſſio, ulcera ejus generis non modo producant, verum etiam producta foveant. Ita non raro evenit, ut à ſuppreſſis menſibus vel hæmorrhoidibus, ob retenti ſanguinis ſtagnationem, fiſtulæ uteri & circa anum prodeant, ſicut exemplis docuit Hildanus *centur. II. obſ. 61. & 75.* & Dolæus *in encyclopæd. chirurg.* qui poſt lochiorum fluxum ſuppreſſum vidit mulierem copioſiſſimis, iiſque fiſtuloſis crurum ulceribus infeſtatam.

## §. X.

*- ulcera & abſceſſus.* Sæpiſſime etiam fiſtula natales ſumit ab ulceribus præpoſtere tractatis, ut inter alia fiſtula lacrymalis ex ægilope, & ani, ex hæmorrhoidibus exulceratis docet; neque minus ab abſceſſibus maturis vel non ſatis cito, vel in loco inconvenienti ſublimiori apertis, item, ſi non legitime depurantur. Materia enim purulenta ichoroſa non ſatis commode educta & per moram acrior reddita partim gravitate, partim acredine, fibrillas, membranas & vaſcula diſcontinuando, ſinus ſibi efformat variæ figuræ ac magnitudinis, ichoroſa materia repletos, & vel introrſum, vel extrorſum patulos. Maxime autem tale quid ſolet contingere in abſceſſibus & ulceribus glandularum maxillarium, parotidum, inguinalium &c. ubi, ob diſciſſos ductus lymphaticos perpetuus eſt affluxus humorum, quibus niſi liber conceditur exitus, vapeſcunt, acredinem contrahunt, & perfacile ſinus anguſtos, oblongos & callis obductos producunt.

## §. XI.

*- vulnera* Tum quoque ex vulneribus progigni ſolent fiſtuloſi ſinus; quod potiſſimum uſu venit, ſi quis in ſitu curvo vel inflexo conſtitutus ita vulnus accepit, ut inſtrumentum lædens non recta, ſed obliqua via transfixum fuerit. Tum enim facile cavitates formantur, quæ non ſatis rite à ſtagnantibus humoribus depuratæ callos recipiunt, & materia in alio loco decliviori prorumpit. Idem accidit, quando curationem vulneris chirurgus protrahit, quia tum non raro ſymptomata complicantur, quæ ſanationem multis modis impediunt, fiſtulamque ingignunt. Sic hic locorum in filiolo quodam Gallicæ linguæ informatoris fiſtulam lacrymalem olim obſervavi, quæ originem debebat vulneri per caſum ab alto excitato; unde os unguis naſale, quod valde rarum ac ſpongioſum eſt, carie perforatum medelæ nullum relinquebat locum. Spectant huc quoque remedia acria & nimis calida in ulceribus & vulneribus adhibita, quæ partim majorem humorum adfluxum ac ſtaſin producendo, partim tenues fibrillas conſtringendo, occaſionem fiſtulis præbent. *- remedia acria & calida.*



## §. XII.

*Cauſæ fiſtulæ lacrymalis.* Singulæ tamen fiſtulæ ſpeciales quaſdam cauſas habent, à quibus originem ſuam mutuantur. Videre hoc maxime licet in fiſtula ani & lacrymali. Hæc enim non ſemper ab externis læſionibus, vulneribus & ictibus provenit, ſed ſæpiſſime inflammationem faciei eryſipelatoden, quæ ſimul texturam viarum lacrymalium turbavit, excipit, vel etiam ophthalmiam ſequitur, quia ductus lacrymales non ſolum proxime cum perioſtio, ſed & cum ipſa oculi tunica adnata cohærentes in ophthalmiis & cephalalgiis facile in conſenſum abripiuntur. Idem malum contingere ſolet poſt variolas, quæ meatuum in naſo & palpebris orificia vel mole ſua, vel ichoroſa materia comprimendo, conſuetam ſeri excretionem impediunt; unde facile obſtructio, & ex hac neglecta ſæpe exulceratio oritur, quæ fiſtulam parere poteſt, ſi ulceroſa ſanies ſtagnans ſaccum lacrymalem, & quod ſubeſt, perioſtium erodit, novoſque ſubinde ſinus format, qui ſenſim callo inveſtiuntur. Interdum etiam, ut in ſcorbuticis & lue venerea infectis videmus, polypi & ozæna, aliaque ulcera ſerpentia naribus innidulantur, quæ ductum naſalem rodendo, vel ſanie ulceroſa implendo, ſerum lacrymale exitu prohibent; unde hoc diutius ibi ſubſiſtens has partes facile arrodit, corrumpit & exulcerat: ſicut hæc omnia perdocte oſtendit celeberrimus Academiæ Lipſienſis profeſſor D. Platner in eleganti diſſertatione de fiſtula lacrymali olim habita. Ad fiſtularum ani generationem multum plerumque facit fortior motus, equitando præſertim inſtitutus. Siquidem hac ratione facile nimia vaſorum hæmorrhoidalium diſtenſio & apertio efficitur, quæ in ulcus deſinit. Idem in ſequiori ſexu ciere valet geſtatio fœtus, & nimius parturientium niſus, dum a venis compreſſis & inde retardata ſanguinis per ipſas circulatione, hæmorrhoides cœcæ in nonnullis excitantur, quæ perperam curatæ ſæpe principium ulcerum fiſtuloſorum in ano conſtituunt. Aliæ fiſtulæ pro ſitu ſuo iterum alias agnoſcunt cauſas, quas nunc, quia ſcopo noſtro minus inſervire videntur, ſtudio prætermittimus. *- & ani*

## §. XIII.

*Calloſitatis cauſa & indoles.* Jam etiam pauca dicenda videntur de rationibus phænomenorum, quæ fiſtulas aſſidue comitari ſolent. Primo autem omnium ſe offert callus,

ſeu caro indurata, indolens, ulceriſque conſolidationem impediens, cujus naturam paucis evolvemus, videndo primum, quæ ad duritiem concurrant cauſæ. Hæc autem me judice deducenda videtur ab externi aëris acceſſu, qui ſinus & cavitates fiſtularum intrans immediate fibris carneis incumbit, poros coarctat, & circulationem humorum per has partes compreſſas retardat, vel penitus ſufflaminat: unde ipſæ ſenſu ac motu privatæ calloſitatem contrahunt. Namque ſatis, ut arbitror, ex phyſiologicis conſtat, quamdiu per omnes corporis canaliculos & poros fluidum juſta in copia fertur, tamdiu partes mollitie ſua, debitaque textura gaudent; ſimul ac vero pori, ut ab atmoſphæræ ambientis pondere fit, comprimuntur, fibrillæ, ex quibus partes conflatæ ſunt, arctius conjunguntur, fluidique itus ac reditus impeditur, tum protinus illæ partes majorem reniſum, & duritiem acquirunt. At vero, ad duritiem iſtam calloſam in fiſtulis, etiam vis acidi ulceroſi coagulans permultum contribuit; quod fluidas partes coagulando in motu ſiſtit; unde hæ ſibi invicem magis ac magis appoſitæ callo originem & incrementum ſuppeditant. Præter hæc vero notabile eſt, quod callus ſenſatione careat; quod quidem exinde derivandum arbitror, quia ipſe ex fibrarum lamellis firmius ſibi per compreſſionem connexis conſtat, per quas nullus neque ſanguinis neque aliorum ſuccorum vitalium viget tranſitus, adeoque ſenſu & motu non poteſt non deſtitui. Denique etiam callus in fiſtulis omni reſiſtit ſanationi, quia materia nutritia, quæ partium ad ſe invicem conglutinationi inſervire debet, per calloſos poros non penetrare, neque fibras coadunare valet: quare niſi callo per artem remoto nulla fiſtularum contingit ſanatio.

## §. XIV.

*Ratio ſinuum*

Sequitur jam cavernarum ſinuumque obliquorum conſideratio, qui à materia acri, rodente, in partium ſolidarum tubulis ſtagnante, & exitu ſuo præcluſa proficiſcuntur. Tum enim, ut ſupra jam meminimus, materia tam ſua ipſius gravitate, quam aëris incumbentis preſſura viam ſibi præparat, & poros vicinæ carnis intrando, filamenta ipſius dilacerat, & quia duriora oſſa, cartilagines, arterias, nervos tam ſubito perforare nequit, novam ſibi cavernam efficit, ex qua deinde iterum novi canales prodeunt. Quod vero orificium fiſtularum exterius multo durius, multoque anguſtius ſit, quam canalis inferior, non alia eſt ratio, quam quod materia acris ichoroſa gravitate ſua in profundum magis & ad latera ſerpens non tam facile ad orificium ulceris pertingat. Cui accedit, quod aër frigidus exterior ipſas ulceris oras plerumque tumidiores krarerioresque efficiat; unde orificium magis coarctatur, cui ſe facile viſciditates applicant, quæ materiæ ſanioſæ effluxum impedientes, hanc ad internas cavitates magis determinant.

*..orificiorum anguſtia*

## §. XV.

*Ratio materiæ variæ &c.*

Præter hæc quoque pro diverſitate ſubjectorum & partium affectarum materiæ variæ cernitur effluxus, ita fere, ut in nonnullis pus album coctum, in aliis nigricans & graveolens, in aliis tantum ichor tenuis & acris, malo odore varioque colore præditus appareat. Album coctumque pus, quod bono indicio eſt, plerumque in recentibus fiſtulis, vel tum temporis conſpicitur, quando materia partes ſanguineas & carneas occupaverit; albedo vero puris debetur commixtioni particularum acidarum cum gelatinoſis & ſucci nutritii oleoſis, non aliter, atque extra corpus contingere videmus, ſi forte acidum cum oleoſa ſubſtantia miſcetur, ubi mox albicans prodit color. Graveolentia, quæ jungitur, intimæ partium ſalino-ſulphurearum combinationi, ſeu putredini diſſolventi in acceptis ferenda eſt, quia indubitata experientiæ fide conſtat, quod ipſa putredinis labes ab ulceribus, præſertim vetuſtioribus, excludi minime poſſit. Denique conſideranda venit ſumma materiæ effluentis acredo, quæ ſæpe tanta eſt, ut linteamina arrodat, & vix aliunde, quam ab humorum ſtagnatione & corruptione progignitur. Omnes enim corporis animalis ſucci extra legem circulationis poſiti & diutius ſubſiſtentes, ſtagnando, plane alienam induunt craſin, maximamque acquirunt acrimoniam: unde non mirum eſſe debet, cur etiam in fiſtulis ſimilia videamus contingere.

## §. XVI.

*Fiſtularum exploratio univerſalis*

His ita expoſitis, proximum eſt, ut accuratius determinemus, qua ratione exploranda ſit fiſtularum præſentia & propria cujuſque indoles. Optime autem id primo efficitur, ſi digitis exploramus, an dura adſit productio, an illa per lineam rectam vel curvam in cute proſerpat, & an paucus vel nullus doloris ſenſus percipiatur. Dein formam fiſtularem ſpecillo, ſive inſtrumento exploratorio inquirimus; unde facili negotio cognoſcitur, quantam fiſtulæ faciant productionem, quamque habeant directionem ſive ſurſum, ſive deorſum, vel ad latera tendentem. Quam in rem egregia ſunt, quæ protulit Paræus *lib. XII. cap. XXIII. multis*, inquit, *cuniculis & in labyrinthum anfractuoſæ judicantur fiſtulæ, ſi non alte deſcendit ſpecillum, & nihilo minus plus ſaniei effluit, quam tam exigui ulceris ratio ferat: an vero tortuoſa ſit, opus eſt, ut id recte cognoſcamus. Præſtamus autem id ipſum virgula quadam cerea vel inſtrumento tali, quo ſolet vulgus purgare ſuas tabaci fiſtulas: hæ enim ad quæcunque latera ſe flectere & ad fiſtulæ figuram ſe accommodare poſſunt.* Quod vero ſpecillo, vel inſtrumento exploratorio explorari jubent Celsus atque Paræus, id Hippocrates *lib. de fiſtulis* per allii recentem ſcapum experitur, quam ego methodum auctori ſuo relinquo, & illis, quibus occaſio obſervandi favet, experiundam commendo, id tantum commonefaciens, quod præter hæc omnia de fiſtularum præſentia aliqua ex parte certiores fiamus, ſi ulcus jam diu duraverit: quæ enim annua ſunt ulcera, in iis cicatrices cavas fieri neceſſe eſt.

## §. XVII.

*.. & ſpecialis*

Speciales fiſtulæ iterum ſpeciales habent notas, ex quibus cognoſcuntur. Ita fiſtulæ lacrymalis indicium eſt, ſi circa angulum oculi internum fiſtuloſa carunculæ exulceratio deprehenditur. Sæpius tamen ſola intumeſcentia cum rubore conſpicitur, qua compreſſa ſanies ulceroſa aut ſerum acre, album & viſcidum vel oculum verſus vel nares prorumpit. Neque omittenda eſt peculiaris Anellii vias lacrymales explorandi methodus, quam ſpecillo argenteo quoad extremitates exiguis globulis munito perficere ſolet, cujus delineationem & uſum tradidit excell. Platnerus. Fiſtulam maxillarem indicat plerumque

rumque materiæ inter manducandum & oſcitandum effluxio, præſertim ſi vaſa lymphatica jam ſint corroſa. Ani fiſtulam manifeſtant ante apertionem maxime dolores, rupto vero abſceſſu ichor exſtillat ſummi fœtoris. Si ulcus inteſtini recti ſubſtantiam tantum perforat, partibus externis intactis, ichoroſa materia per anum tam ante, quam poſt fæcum alvinarum rejectionem profunditur, prout fundus fiſtulæ, vel ſuperius, vel inferius latitat. Supra autem fundus ſolet hærere, quando ante fæcum leniter ſaltem induratarum ſeceſſionem ichoroſa acris materia expellitur; inferius autem, quando ichoris ſtillicidium excrementorum dejectionem ſequitur, vel ſi tuberculum ad rubedinem vergens exterius prope ani foramen conſpicitur, eo præſertim tempore, cum fundus ichore repletus eſt, quo effuſo tumor evaneſcit. Sin intra inteſtini tunicas fiſtula proſerpat, foramine exterius conſpicuo, dignoſcitur exploratione candelæ cereæ, vel inſtrumento accommodato; ſi hoc intra membranas urgetur, lamella digitis immiſſis & ſtylo interjacet. Inteſtinum ſi interius quoque apertura gaudeat, inſtrumentum adactum digitos proxime attingit, materiaque partim per ani foramen, partim excrementa & flatus per orificium fiſtulæ prodeunt, itemque liquor per ani foramen injectus regurgitat, & per fiſtulæ oram apertam exſtillat. Fiſtula ſphincterem ani perforans apparet, quando digiti apex ano conſtricto intruſus haud fortiter comprimitur, ſed in ampliorem valdeque dilatabilem cavitatem recipitur. Quæ vero fiſtula multis cuniculis prædita eſt, exploratur candela cerea, vel inſtrumento flexili. Præterea fiſtulæ ani partes ſæpe conterminas infeſtant: nam multoties non ſolum ad veſicam tendunt, ubi vel urina per anum prorumpit, vel ichor & excrementa cum urina proſiliunt, verum etiam in ſequiore ſexu ad uterum reptant, in quo caſu fæces cum ſanie ichoroſa per uterum egrediuntur. Quæ vero ad coxendicis vel coccygis oſſa pertingunt, difficilioris ſunt cognitionis, niſi os carie infectum, quod ex ichore graveolente & nigricante effuſo concluditur.

## §. XVIII.

*Prognoſis fiſtularum ratione loci.*

Reſtant jam pauca de prognoſi, ſive eventu affectus noſtri dicenda. In quo quidem perficiendo primo omnium attendi meretur ſedes fiſtulæ, partiumque affectarum ſtructura. Summatim tamen adſerimus, fiſtulas ad interiora pertingentes periculi nunquam eſſe expertes, admodumque difficilem admittere ſanationem, quoniam non adeo facile à ſordibus poſſunt mundari, nec omnibus ſine diſcrimine remediis adjuvari; unde facile fit, ut pars quædam nobilior arrodatur. Sic lethalis eſt illa, cujus mentionem facit MARCHETTE *obſ. XLVII.* ubi ex vulnere oſſis ſterni fiſtula exorta ad ipſam cordis ſubſtantiam penetravit. E contrario fiſtulæ extrinſecus ſpectantes & viſui obviæ non tantum in ſanando habent diſcriminis, ſed iiſdem, ſi ſuperficiales & cutaneæ ſunt, ſæpe intra quatuordecim dierum ſpatium contingit ſanatio. Quæ ad muſculorum tendines, arterias, venas & nervos penetrant fiſtulæ, periculo non vacant; cum contra curatu faciliores ſint, quæ in mollibus carnoſiſque partibus exiſtunt: unde jam HIPPOCRATES *in Coac.* hoc tulit judicium, quod fiſtulæ, quæ in cartilaginoſis & excarnibus locis ſubnatæ multum ſaniei funderent, & carunculam in oſculo continerent, omnem fere medelam reſpuerent. Similiter etiam quæ circa articulos oriuntur fiſtulæ, ægerrime ſanantur, partim ob moleſtiſſimum ſynoviæ adfluxum, partim ob continuum harum partium motum. Hinc inſanabilia pronuntiat ulcera fiſtuloſa HILDANUS *obſ. XLVIII. cent. IV.* quæ circa juncturas mandibularum contingunt; quod tamen ita limitamus, ut ipſa potius curatu difficillima declaremus, quam ut omnem ſanationis ſpem iiſdem præſcindamus; ſiquidem nos ejuſmodi fiſtulam circa juncturas maxillarum obortam, & continuo lymphæ inter cibos maſticandos oſcitandumque adfluxu moleſtam in virgine olim feliciter ſanatam novimus. Denique difficilis, admodumque diuturna eſt illarum fiſtularum ſanatio, quæ oculi canthum, inteſtina, veſicam & canalem urinarium occupant, quoniam non tantum ſingulæ hæ partes exquiſitum habent ſenſum, verum etiam medicamentorum applicationem difficulter admittunt.

## §. XIX.

*– ratione aliarum circumſtantiarum.*

Porro diverſa quoque naſcitur prognoſis quoad amplitudinem vel anguſtiam cavitatum. Sic enim fiſtulæ, ampliori præditæ orificio, majorem ſpem ſanationis oſtendunt, quam quæ in anguſtum coeunt. Quæ in breves deſinunt cavernas, unum quaſi ductum in alium immittentes magnam in medendo moleſtiam creant, & vix abſque manus opera medelam recipiunt. Quamdiu os carioſum & callus in fiſtula remanet, fruſtra ſperatur ſalus, quia os ſideratum ſemper partes vicinas in labis conſortium trahit. Hinc etiam fiſtulæ, à carie oſſis ſubnatæ omnem reſpuunt ſanationem, niſi prius caries fuerit ſublata: cum contra aliter res ſeſe habeat in iis, quæ ab ulceribus, abſceſſibus & vulneribus originem duxerunt, utpote quæ curationi facilius obtemperant. Præter hæc vero, permultum quoque intereſt, ut in prognoſi ferenda ſubjectorum fiſtulis laborantium rationem habeamus, quia regulæ inſtar practicæ tenendum eſt, in ſcorbuticis & cachecticis, ut omnia vulnera & ulcera, ſic etiam fiſtuloſa difficilius cicatricem recipere. Siquidem largiori ſuccorum inutilium adfluxu continuum malo pabulum ſuppeditatur, quo nondum ſubtracto, irritus eſt omnis medentis labor. Denique de accidentibus quibuſdam, in fiſtulis obviis hæc eſto prognoſis, quod, ſi e. g. lapides ex fiſtuloſis ſinibus excernuntur, ut SCHULZIUS *in ephem. N. C. anno IX. & X. obſ.* 185. annotavit, vel ſi vermes iiſdem innidulantur, ut BORELLUS *in obſ. medico-phyſic. cent. II. obſ.* 48. teſtis eſt, & ego ipſe obſervavi, item ſi hæmorrhoides per fiſtulam inteſtini recti, & menſes per fiſtulam uteri excernuntur, nunquam fere non longum requiratur tempus ad curationem ex voto perficiendam.

## *THESES THERAPEUTICÆ CUM CAUTELIS.*

## §. I.

*Fiſtulæ antiquæ an conſolidandæ?*

Ante quam ad ipſam fiſtulis medendi methodum nos accingimus, operæ eſſe pretium ducimus, nonnulla prælibare & excutere, quæ circa fiſtularum curationem objici à quibuſdam ſolent. Plurimi enim & medicorum & chirurgorum in dubium vocare auſi ſunt, utrum fiſtulæ antiquæ tuto conſolidari queant, & annon potius,

ſicut à fonticulis diu manantibus & occluſis major inde noxa in ægrotantes redundet? Equidem de componenda hac lite ſollicitus probe ſcio, quod ſplendidiſſima illa medicinæ ſidera, Galenus, Paræus, Hildanus, Barbette, *Vidus* Vidius, *Fabricius ab* Aquapendente, Scultetus, & Ammannus negativam ſuſtinuerint, multiſque funeſtis exemplis noxiam harum fiſtularum occluſionem comprobaverint. Verum enim vero, licet lubentiſſime concedam, quod ulcera illa antiqua & fonticuli diu geſtati, in corpore impuro ante debitam ſanguinis & humorum depurationem occluſi ſæviſſima inducere ſymptomata valeant; neminem tamen inficias ire confido, quod citra ullum ſanitatis detrimentum conſolidatio poſſit inſtitui, ſi prius internis remediis tam corrigentibus, quam evacuantibus, & aliis depurationi inſervientibus impura humorum maſſa ad meliorem, blandiorem & naturæ magis amicam reducta fuerit temperiem. Qua quidem in re pleniſſime me confirmat & fide digna peritiſſimorum medicorum, & mea ipſius experientia, quæ plurimis me exemplis docuit, citra ullam noxam, aut ſubſequentem graviorum ſymptomatum ſyndromen, ſæpe etiam ſine ſcrupuloſo internorum uſu fiſtulas etiam antiquiſſimas fuiſſe ſanatas. Multo vero magis ponderoſis inductus rationibus credo, fiſtulas neglectas & ſine curatione relictas in ingens vitæ diſcrimen ægrotantes conjicere. Exemplo ſit fiſtula lacrymalis, quæ niſi opportune tractatur, humorem oculi aqueum nutrimento ſuo privat & in perfectam denique cœcitatem deſinit. Accedit tandem, quod in fiſtularum ſinubus continua generetur acredo, quæ exedendo & corrodendo innumeros ſibi canaliculos efficit; unde ſucceſſu temporis ingens humorum corruptio, imo ipſa demum ſphacelatio produci poteſt.

## §. II.

*Indicationes curatoriæ.*

Ipſa ulcerum fiſtuloſorum ſanatio his maxime abſolvitur indicationibus: ut I) ſi quædam humorum dyſcraſia peccat, hæc commodis remediis corrigatur; II) ut callus & ſcirrhoſa durities, ſine cujus remotione nulla exſpectanda eſt conſtans curatio, perite tollatur; III) oſſium, ſi adeſt, caries auferatur, & denique IV) ut fiſtulæ mundentur, fibræ conglutinentur, & cavitas nova carne repleatur.

## §. III.

*Curatio interna*

Primo quidem ſcopo, ſive debita humorum correctione optime potiri licet, ſi in id maxime incumbit prudens medicus, ut nimiam ſanguinis redundantiam vel venæ ſectione, vel in ſpongioſis pinguibuſque ſubjectis cucurbitulis cum ſcarificatione appoſitis imminuat; quod eo magis videtur neceſſarium, quia ſub plethorico corporis ſtatu non modo ſuccorum impuritas promovetur, ſed major quoque, quam par eſt, humorum adfluxus ad affectam partem proritatur. Poſthæc vero in humoribus acribus contemperandis, ſeroſis per commoda emunctoria ejiciendis, & ſanguinis univerſa maſſa depuranda ſummam merentur commendationem decocta radicum, lignorum & corticum tam leniora, quam ſaturatiora, per longius temporis ſpatium haurienda, quorum integra laus & utilitas ab antiquiſſimis temporibus ad noſtram uſque ætatem ſe propagavit. Quo etiam ſpectant infuſa vulneraria, ex herbis & floribus ſic dictis vulnerariis, hederæ terreſtris, agrimoniæ, urticæ mortuæ, ſaniculæ, ſcordii, floribus chamæmeli, millefol. bellidis, rad. ariſtoloch. rotund. altheæ, raſura ligni ſaſſafras & ſimilibus confecta, quæ prioribus virtute minus cedunt. Tum quoque interponere decet leniora laxantia rhabarbarina, mannata & ſennata, vel etiam in nonnullis pilulas cum mercurio dulci vigoratas, quarum ope depurationis opus perbelle ſæpe perficitur. Nec denique omnino carere poſſumus probe paratis mercurialibus, ſi lympha inſigni peccat coagulo, & pertinaces ductuum minimorum obſtructiones adſunt, vel ſi luis venereæ ſubeſt ſuſpicio. Sed modo videndum eſt, an viſcerum imbecillitas & reliqua ægrotantis conſtitutio hæc remedia tuto admittat. Quæ alias ad internam fiſtularum curationem adhuc ſpectant, ex capite præcedenti de ulceribus poſſunt deſumi.

## §. IV.

*Calli ſanatio poſtulat orificii dilatationem.*

Secunda indicatio, quæ calloſitatem tollendam præcipit, non poteſt expleri, niſi remedia callum abſumentia immediate callis applicentur, quod tamen exterior fiſtularum anguſtia plerumque prohibet: quare primo omnium orificia debent dilatari, ut per viam magis patentem medicamenta commodius poſſint pertingere. Dilatant autem præduras & arctas horum ulcerum oras, quæ humorem imbibendo ſe latius expandunt, ut fere ſunt medulla ſambuci, ſpongia cera probe imbuta, quæ mihi videtur optima, radix conſolidæ & gentianæ in figuram pyramidalem efformata, parteque acuminata in fiſtulam intruſa. Sed proſpicere decet, ut in extractione harum turundarum cauti eamus, ne illæ forte frangantur & portionem ſui relinquant, unde ſæva & dolorifica oriri ſymptomata poſſent. Quapropter perite monet *Dominus à* Solingen *in chirurg. part. II. cap. III.* turundas ex fragili materia nunquam eſſe conficiendas, eaſque filo alligandas, ne intimius ſeſe fiſtulis inſinuent.

## §. V.

*Medicamenta ſeptica.*

Dilatato, quantum ſatis eſt, orificio de ipſa calli remotione cogitare expedit, quam quidem chirurgi vel medicamentis, vel inſtrumentis præſtare ſolent. Medicamenta in iis locis adhibenda ſunt, ubi nec inciſio, nec uſtio commodum invenit locum, vel ſi recentes ſunt fiſtulæ, & callo non adeo duro & craſſo munitæ. Verum enim vero, quum varii ſint generis ſeptica eaque vel magis vel minus acria & corroſiva, quæ pro ipſa calli conditione applicare decet: unde breviter jam præcipua enarrabimus. Inter mitiora, ad tenuem recentemque callum eximendum proficua, referri maxime debet ſuccus nicotianæ, radix ari & helleborus albus, cui poſteriori ad tertium diem fiſtulæ immiſſo Hollerius *in inſtitut. chirurg. libr. III.* inſignes tribuit laudes. Mediæ indolis ſunt ammoniacum, alumen uſtum, vitrum antimonii, unguentum ægyptiacum, rubrum *Felic.* Wurzii, apoſtolicum, aqua viridis Hartmanni, crocus metallorum, lapis corroſivus & butyrum antimonii cum limatura martis ad temperiem redactum. Ex valentiſſimis ſunt mercurius ſublimatus, lapis infernalis, & ſimilia. Præter hæc vero huc etiam pertinent aqua à Tagaultio *lib. III. de ulceribus* commendata & ex mercurio ſublimato, unguento ægyptiaco, aqua plantaginis & roſar. confecta, nec non ex *Domini* Solin-

Solingen conſilio turundæ ex pergameno liquore quodam corroſivo imbutæ. Neque reticere poſſum, quod ſæpe mercurius ſublimatus cum unguento camphorato remixtus, item emplaſtrum ex butyro antimonii & cera conflatum egregium præſtiterint effectum. Probe tamen circa ſingula hæc remedia notari velim, quod liquida ſint injicienda, ſolida autem, ut pulveres, cum unguentis in ſpiſſam formam redacta ſub ſpecie turundarum applicanda; idque tamdiu, donec callus mortificatus ſe à carne ſeparet, exitumque affectet. Deinceps acria illa ſalina cauſtica in partibus membranaceis, tendinoſis ac nerveis cautiſſime debent adhiberi, ne forte inflammatio cum dolore acerbiſſimo accerſatur, quod ſimiliter tenendum eſt de mercurialibus, quæ certe, ubi oſſa adfecta ſunt, magnam requirunt cautionem.

§. VI.

*-- inprimis viride æris.*

Præter dicta reſtat adhuc aliud remedium, in abſumendo callo præſtantiſſimum, cujus uſum ſæpius iterumque probatiſſimum inveni. Eſt autem illud ſimpliciſſimum viride æris, quod nulla manifeſta acrimonia corroſiva imbutum nec graviorem dolorem inflammatorium, nec alia excitat ſymptomata, ſed intra tres quatuorve dies callum duriſſimum non modo ita exedit, ut totus ſeparatus extrahi queat, verum etiam acidum ulceris corroſivum egregie abſumit, ut extracta calloſa ſubſtantia optimum generetur pus & ex voto ſuccedat conſolidatio. Uſus vero ita debet adornari: viride æris in pulverem contuſum & cum liquido, vel ſola ſaliva ſubactum in turundas redigitur, quæ in cavitates fiſtularum calloſas, quantum licet intruduntur. Secus autem fit, ſi recepto inter chirurgos more viride æris cum unctuoſis, oleoſis permiſcetur. Licet etiam una vice totus callus hoc remedio non poſſit eximi, ob obliquum & anfractuoſum cuniculorum ductum, poterit tamen repetitis vicibus feliciter auferri, ſi modo profundius turundæ in cavernam immittantur. Sed cauta ſit in locis nervoſis applicatio.

§. VII.

*-- inſtrumenta.*

Inſtrumentis quoque vel acutis, vel ignitis calloſitas ſolet tolli; & his quidem dum eſchara callo inducitur & ipſe mortificatur, illis econtrario, dum circulus ille calloſus è medio tollitur, ut poſtea fibræ carneæ ſe iterum poſſint connectere. Ex acutis optima ſunt cultri falcati, qui ſe ad tortuoſam fiſtularum figuram facile accommodant, quale eſt ſyringotomum *Dni* Solingen, modo id prudenter & circumſpecte obſervetur, ne arteriæ vel nervi reſecentur. Quomodo ignita applicanda ſint, optime docuerunt Solingen, Vigo, Paræus, Scultetus & alii, qui de inſtituto hanc curandi methodum tractarunt.

§. VIII.

*Caries oſſis quomodo tollenda?*

Operam haud minorem requirit tertia indicatio, quæ eo tendit, ut caries oſſis, ſi quæ adeſt, dematur; ſiquidem hac durante ſanies pinguis & copioſa ex oſſe plorans ſemper novum generat ulcus, quod etſi ad cicatricem perducitur, caro tamen ſuperveniens eſt flaccida, mollis & minus bona. Cognoſcitur autem oſſis caries, ſi vel nudis oculis ſe manifeſtat, vel ſi ſpecillo in fundum ulceris immiſſo aſperitas percipitur, vel exinde concluditur, ſi os denudatum fiat pinguius & ſucceſſu temporis nigrum, poſt nigredinem vero hinc & inde perforatum. In tali rerum ſtatu vel ipſi oſſi immediate medicamenta debent applicari, vel ſi os profundius eſt, ſiphonis ope infundi. Quo nomine commendari merentur medicamenta ſale volatili oleoſo inſtructa, quæ non modo minimos tubulos, ex quibus oſſa conſtant, penetrantia ſua facile intrant, ſed quoque acidum ulceris corrigunt, ut præcipue ſunt oleum caryophyllorum, cochleariæ, cinamomi, & præſentiſſimum omnium pulvis euphorbii. Sæpe etiam neceſſe eſt, ut prius os carioſum lima teratur, vel ſcalpello tamdiu rodatur, donec punctula apparent rubicunda. Neque dein minus utiliſſime & funditus quaſi cariem delere ſolet ferrum candens, oſſi crebrius adhibitum, quod tum ratione evaporationis acidi, tum ratione alterandi acidum operari videtur, quia fœdus odor poſt ferri applicationem plerumque ſolet evaneſcere. Oſſi autem ſic denudato adſpergatur pulvis maſtichis, myrrhæ, aloes, rad. ireos florent. ariſtolochiæ, vel pulvis ad cariem *Sculteti* ex balſamicis confectus: quibus ſuper imponi poſſunt filamenta carpta & dein unguentum digeſtivum. Si liquore opus eſt, optime is poteſt confieri ex aqua calcis vivæ, aloe, myrrha, eſſentia euphorbii & ſpiritu vini camphorato. Interdum tamen accidit, ut feſtucæ os ſponte ſua relinquentes firmiter lateribus carneis & calli adhæreſcant; ubi expedit, cum inſtrumento chirurgico flocculis linteis obvoluto, quod dicunt *ein Schraub-Eiſen*, os ſæpius attingere, ut illud liberum inde evadat & forcipe eximi queat.

§. IX.

*Conſolidatio.*

Remotis itaque obſtaculis cura adhibenda eſt, ut fiſtuloſa cavitas repurgetur, bona carne impleatur, & cicatrice orificium obducatur, quod ſponte ſæpe accidit, ſi fibræ non adeo nimis à ſe diſtant & ſerum bonum nutritium præſens eſt, ſuperpoſito tantum emplaſtro, tonum partis firmante & ab aeris injuria defendente. Quod ſi autem fiſtula nimis ampla eſt, decoctum ex vino, myrrha, aloe, floribus roſarum rubr. rad. ariſtolochiæ rotundæ, ſcordio, centaur. min. ſyringa ſæpius injiciendum eſt, ad ſordes plenius detergendas, putredinemque arcendam & occluſionem promovendam. Sed tunc temporis fiſtulæ apertæ ſervari debent, quo pus exire poſſit, quod alias ſtagnando facile novos facere ſinus, novumque producere callum poteſt. Hoc autem perficitur commodis turundis, vel canalibus argenteis, tamdiu in ulcere ſervatis, donec durities omnis ablata, & cavitas novis fibris ad orificium uſque eſt repleta, quo peracto cicatrix emplaſtro ſaturnino inducitur. Ipſa carnis generatio ſolius quidem laudabilis materiæ nutritiæ, bonique ſanguinis opus eſt, nihilo minus à medicamentis ſarcoticis, quæ vi balſamica humidum exceſſivum abſumunt, partes roborant, acidaſque & ſalſas partes contemperant, inſigniter adjuvatur. Qua virtute inprimis pollent balſamum Locatelli, Peruvianum, Copaivæ, gummi animæ, elemi, ſtyrax liquida, maſtix, myrrha & ſimilia. Neque laude ſua caret eſſentia incarnans elegantiſſima, quæ ex floribus roſar. rubr. hyperici, millefolio, aloe, myrrha, maſtiche, gummi elemi, balſamo Peruviano cum ſpiritu vini digeſtis & cum melle remixtis, optime componitur.

## §. X.

*Curatio fiſtulæ lacrymalis.* Jam demum, quæ de ſingulis fiſtulis, maxime de lacrymali & ani ſeorſim tenenda ſint, breviter tradam. In lacrymali nondum perfecta commode locum invenit methodus illa, à beato celeberr. STAHLIO deſcripta & ab Anello magis exculta, quæ in eo conſiſtit, ut partim ſpecillis argenteis in puncta lacrymalia immiſſis materia ſacco lacrymali impacta amoveatur, partim ut ſubtili ſyringa huic uſui idonea liquores ulcus purgantes, quas ex ſolutione ſalis neutrius cum aqua vel communi, vel deſtillata, addita aloe & myrrha conficiunt, injiciantur: qua ratione, in leviori exulceratione, ſi vel plane nulla, vel exigua tantum calloſitas adeſt, permultum proficitur, malumque deterius præcavetur. Ipſa autem operatio peragitur, ſi ægro in ſella demiſſiore collocato palpebræ ſiniſtra manu diductæ verſus canthum oculi externum retrahuntur, & dextra ſuſpenſa ſpecillum paulo incurvatum per puncta lacrymalia ſenſim trajicitur; modo id poſt inflammationem ſuperatam, & poſt ophthalmiam correctam demum inſtituatur. Major tamen ſalus contingit, ſi abundanti ſeri lacrymalis adfluxui & tenacitati ſimul proſpicitur: quo ſcopo præter interna derivantia & reſolventia, externe ſternutamenta, vel veſicatoria nuchæ appoſita proſunt. Si verum adeſt ulcus fiſtuloſum, ſectione eo magis opus eſt, quæ præmiſſa per laxantia, venæ ſectionem & ſimilia præparatione, & oculis per collyria defenſis in ægro demiſſius collocato mediante ſcalpello falcato vel ancipiti in ſemi circulum à radice naſi per medium fiſtulæ tumorem ad radicem uſque palpebræ inferioris inſtituitur, vitando, ne tendinea muſculi orbicularis particula lædatur. Poſt hæc ſcalpello obtuſo vulnus dilatetur, ſanguiniſque profluvium ſiſtatur. Neque vero ipſius lacrymalis ſacci remotio negligi debet, tranſverſim incidendo ad locum, quo ductus lacrymalis eidem inſeritur, quia alioquin deſtillantes lacrymæ denuo ſtagnantes facile corrumpuntur, & novæ fiſtulæ anſam præbent. Tum quoque vel ferro ignito, vel ſpecillo ſulcato os unguis eſt pertundendum, & novus canalis formandus, qui turunda foramini immiſſa, aut tubulo argenteo inſerto apertus ſervatus lacrymis ad nares devehendis inſervit. Impoſitis remediis inflammationem & hæmorrhagiam ſedantibus callus abſumatur, vel per ejus inciſionem, vel per ſcarificationem, vel per uſtionem aliaque remedia corroſiva. Ulcere a callo & ſordibus per debitas injectiones purgato cogitandum eſt, qua ratione præſtare velimus, ut latex lacrymalis per illum ductum arte excitatum ad nares ſtillet. Quo fine cannula minor ex argento fabrefacta, exterius clauſa novo ductui accommodatur, poſtea vero conſolidatio promovetur, & illud inſtrumentum quiete per tempus geritur. Alii vero hujus moleſtiæ pertæſi diligentiori puris per puncta lacrymalia expreſſione impedire poſſunt, quo minus pus noceat. Urgente oſſis unguis carie cauterium actuale prodeſt, cavendo per cannulam argenteam in forma nuclei olivæ adhibitam, ne oculus à ferro candente lædatur.

## §. XI.

*— & ani per ligaturam & corroſiva.* Ani fiſtulæ curatio peragitur vel ligatura, vel cauteriis & corroſivis, vel inciſione. Quæ ligatura fit, ita inſtituitur, ut ægri ventre inflexo cubantis femora miniſtrorum ope diducantur, & operator indicem digitum oleo amygd. dulc. inunctum intrudat, altera vero manu ſtilum vel acum flexilem ex argento optimo paratam, lino quintuplicato ad palmam longo & pilo equino circumdato, vel filo ex pilis equinis contorto munitam in fiſtulam dimittat, eamque pertundat; poſtea vero extracta acu, filoque relicto extremitates filorum extra anum pendulas deliget, ſinguliſque diebus reſtrictionem ſuſcipiat tamdiu, donec fiſtula fuerit diſciſſa, & calloſitas poterit removeri. Corroſivum medicamentum calloſo fiſtulæ ori turunda ex linteo carpto exceptum applicatur, poſtea vero alia turunda, ex ſpongia compreſſa cera imbuta ad dilatandum fiſtulæ ſinum intruditur. In fiſtula profundiori ſepticum linteo carpto tamdiu eſt admovendum, donec calloſitas abſumta, & ulcus conſolidari queat.

## §. XII.

Omnium autem optima fiſtulas ſanandi ratio eſt, quæ inciſione ita perficitur. *— per inciſionem.* Ægroto commode collocato operator indicem & medium digitum, oleo lil. alb. madidum intrudit, altera manu cultrum inciſorium vagina reconditum, ſtiloque flexili argenteo præditum recipit, & hunc fiſtulæ ori immittit, donec ad fundum fiſtulæ ſinus ſtili acies pervenerit. Hoc facto ſtili aciem ad digitos vertit intruſos, eamque per illorum interſtitium adigendo fiſtulæ ſinum pertundit, poſtea digitorum apicibus ſtilum recurvat, & cultri aciem manubrio abſconditam altera manu detegit, cultrumque manubrio arreptam protrudit, & digitis extractionem ſtili molientibus ſuccurrit. Stilum extractum ſequitur cultri acies, qua, cooperante utraque manu, uno ictu fiſtuloſum ulcus diſcinditur. In fiſtulis externis & in ſphincterem terminatis hanc præſtat inſtituere operationem. Chirurgus acum ex finiſſima luna paratam, ſpithamæ longitudinis conſtanti manu ſinui fiſtulæ aperto intrudit, ejuſque fundum pertundit, poſtea cuſpide recurvata acum per fiſtulam traducit, & ad ejus medium extremitates acus committit, commiſſaſque firma tenet una, altera vero manu mediante cultri inciſorii fiſtulæ partem ab extremitatibus acus compreſſam reſcindit, ut portio acui adhæreſcat. Neque demum laude ſua caret Dom. Beſſieres ſecandi methodus, quæ per cultrum, acie quadantenus incurvata, dorſo rotundo & polito, collo oblongo & rotundo, inferius lato, ſuperius in mucronem ſenſim abeunte, globuloque parvo piſi magnitudinis munitum in fiſtulis externis ani ſphincterem obſidentibus peragitur.

## *ENARRATIONES MORBORUM.*

### OBSERVATIO I.

*Fiſtula genæ curata.* Matrona illuſtriſſima diu olim vexabatur ulcere genæ fiſtuloſo, quod omnibus fruſtra adhibitis remediis ad ſanitatem perduci non poterat. Ego igitur conſultus ſuſpicabar primo dentem carioſum, ſed hoc non invento, & levi tantum gingivæ tumore conſpecto, hunc protinus lanceola aperiendum curabam. Unde mox in conſpectum ſe dabant duæ feſtucæ & radices à dente olim extracto relictæ, quibus extractis demebatur ſimul longa ac rotunda membrana, fiſtuloſum ulcus externe guttulas aliquot ſanguinis fundens brevi tempore ex voto ſanabatur.

*Epicriſis.*

Habent id peculiare & quaſi proprium fiſtulæ genæ, ut plerumque a carioſis dentibus foveantur, quibus exemtis ſponte ſæpe aut levi tantum medicatione adjutæ ſaneſcunt. Idem evenit in præſenti caſu, ubi fragmenta à dente quondam evulſo relicta impediverunt, quo minus facilior feliciorque obtigerit ſanatio. Simile quid olim obſervavi in virgine, quæ fiſtula lacrymali laborabat, cujus orificium in eminentia oſſis maxillaris ad latera colli exſtans, & per medium glandulæ Warthonianæ tranſiens in dente molari extremo terminabatur, quo evulſo primum ſanguis, tum lympha exſtillabat pura, & tandem ſanatio, licet ob lymphæ fluxum difficilius procurabatur.

### Observatio II.

*Fiſtula mammæ.* Fœmina ex gente Judæa tumorem mammæ ſiniſtræ habebat, qui ſuppuratione facta à chirurgo aperiebatur. At vero, cum inſignes ductus lactei læſi erant, continuo fere lympha cum pure mixta chyloſa exſtillabat. Neglecta purificatione humor exedendo ingentem formabat ſinum intus leviter, ſed non adeo graviter durum, qui totam prope mammæ ſubſtantiam fiſtuloſam reddebat. Quare ego in auxilium vocatus brevem canalem argenteum orificio fiſtulæ, ad puris fluxum derivandum, immitti, & ulcus decocto, ex myrrha, aloe, flor. roſar. & vino parato aliquoties de die ſyringa injici præcipiebam, eo effectu, ut ægra ſimul internis depurantibus adjuta exoptatæ redderetur ſanitati.

*Epicriſis.*

Hoc quidem ulcus nondum vera fuit fiſtula, quia callo duro adhuc caruit, nihilo minus in parte cordi propinquiori periculo non vacavit. Mali autem origo debetur chirurgi imperitiæ, qua commiſſum fuit, ut humor purulentus non rite eductus ſibi ſinus effecerit: ſicut plerumque fieri deprehendimus, ſi materia intus retenta per ſtagnationem majorem acquirit acredinem majoremque profundius penetrandi potentiam.

### Observatio III.

Corripiebatur olim vir plebeius malo, ut putabatur iſchiadico lateris dextri, cui nulla ſervata diæta, nulliſque adhibitis remediis ulcus ſuperveniebat, quod quinque digitis infra articulationem oſſis femoris cum coccyge apertum ingentem materiæ copiam fundebat, & neque internis, neque externis tractatum remediis in fiſtulam deſinebat, qua æger per longum temporis ſpatium ſummis cum torminibus vexatus, accedente tandem tumore ſcroti & adjacentium partium aquoſo miſerrime moriebatur. Per ſectionem cadaveris, maximeque ulceris, circa caput oſſis femoris, & ipſo capite acetabulo oſſis coccygis acerrima caſeoſa, & tartarea materia inſigni in copia deprehendebatur, qua ligamentum illud, os femoris cum coccygis acetabulo connectens exeſum, imo, quod maximum eſt, ipſa cartilaginoſa ſubſtantia, qua hæc oſſa in articulationibus inveſtiuntur, conſumta, ipſaque oſſa ſumma carie corrupta cernebantur, luculento indicio, potentiſſimum & acerrimum ibi latitaſſe acidum. Ut ideo plenius adhuc confirmentur, quæ de ſumme acredinis in fiſtulis præſentia ſupra commemoravimus. *Fiſtula lethalis.*

# FRIDERICI
# HOFFMANNI
# SUPPLEMENTUM
## MEDICINÆ RATIONALIS
## SYSTEMATICÆ
### DE
### *MORBIS INFANTUM PRÆCIPUIS.*

---

## CONSPECTUS CAPITUM.


CAP. I. *De morbis infantum in genere.*

II. *De regimine recens natorum & præſervatione à morbis infantilibus.*

III. *De torminibus infantum & flatulentiis.*

IV. *De aphthis.*

V. *De pathematibus ex dentitione difficili.*

VI. *De epilepſia, & convulſione.*

VII. *De variolis & morbillis.*

VIII. *De tabe ſeu atrophia infantum.*

IX. *De rachitide.*

X. *De vermibus.*

XI. *De aliis infantum morbis.*


CAPUT I.

# CAPUT PRIMUM

## *De morbis infantum in genere.*

§. I.

*Inſtituti ratio.* TOT tantiſque proh! dolor miſeriis undiquaque cinctum eſt mortale hominum genus, ut pervideri nequeat, quæ cura, quæ ſollicitudo & diligentia ſufficere poſſit ad impetum tot ſimul & diverſimode invadentium morborum avertendum, aut quis artium apparatus jam intricatas malignitate partes expedire, ſuæque reſtituere integritati valeat. Docent hanc noſtram fragilitatem ſuo inprimis exemplo infantes recens nati, qui vix cum ejulatu miſeriam hanc ſalutarunt, quum jam innumeris obſeſſi periculis de ſalute quotidie decernere coguntur. At vero, quo majora & frequentiora impendent pericula, eo ſane minus huic teneræ & tantum non omni orbatæ præſidio ætati conceſſum eſt, remedia tollendis morbis idonea conquirere, aut mali ſui conditionem & magnitudinem indicare; niſi forte miſerrimo ploratu, aliiſque obſcuris ſignis aliorum miſericordiam moveat. Quæ cum ita ſint, quam maxime videtur medico ſalutis humanæ cupido convenire, ut ingenuo attentoque ſtudio imbecillæ ætatis cauſam ſuſcipiens perite diſquirat, quæ mala hanc ætatem adgredi ſoleant, quibus ſignis dignoſci & quaſi prædici queant, qua cautione præcaveri, & demum qua arte, quibuſque præſidiis debellari debeant? Atque his inductus rationibus ego poſt tot labores in medicina perpolienda feliciter exantlatos non potui omittere, quin etiam opuſculo de infantum ægritudinibus conſcribendo mentem manuſque admoverem; præſertim cum ab aliis, qui in eodem ſtudiorum genere deſudarunt, multa aut intacta & non ſatis digeſta, aut certe emendatione quadam digna relicta deprehenderim. Nec minorem mihi fructum ex hoc meo ſuſcipiendo labore polliceor, quam quem, Deo annuente, jam ex reliquis medicinæ meæ ſyſtematicæ tomis ſatis abundeque conſpexi: ſiquidem non vana, non imaginaria & falſis opinionum commentis fundata, ſed vera, & tum rationi, tum experientiæ conformia proponam, quæ in artis exercitio per dimidium ſæculi & ultra occupatus conſtanti meditatione & obſervatione didiciſſe gaudeo.

§. II.

*Hiſtoria morborum infantum ex Hippocrate.* Primo autem omnium præcipui infantum morbi erunt indicandi, antequam ad cauſarum nexum, ex quo illi prodeunt demonſtrandum, nos accingamus. In quo quidem perficiendo ducem eligere placet præſtantiſſimum artis noſtræ parentem, HIPPOCRATEM, qui ætatis morbos *lib. III. aphor. XXIV. XXV. & XXVI.* ita pro more ſuo eleganter & conciſe deſcribit: *Qui in ætates cadunt morbi, hujuſmodi fere ſunt: puerulis & nuper in lucem editis aphthæ, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium ſordes humidæ*, quibus nos ventris tormina addimus, *ſunt familiares: cum jam dentire cœperint, gingivarum moleſti pruritus, febres, convulſiones, diarrhœæ maximeque cum edunt caninos dentes, & iis præſertim, qui inter pueros craſſiſſimi ſunt, alvoque adſtricta, eveniunt. At vero, cum ætate proceſſerunt*, quod ab anno quarto ad decimum uſque & longius intelligendum eſt, *tonſillarum inflammationes, vertebræ, quæ eſt ad occiput, introrſum luxationes, aſthmata; calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ & alia tubercula, præcipue vero prædicta male adficiunt.* Hæc qui altius ſecum reputat, facile perſpiciet, cuivis infantum ætati morbos quoſdam eſſe familiares, qui corpus aliter atque aliter adficiunt, longius vel brevius durant, & plus minus periculi præſagiunt. Siquidem mutata corporum propter ætatem textura mutatoque vivendi genere, non poteſt non ipſa ſubjectorum ad ſuſcipiendos morbos diſpoſitio immutari & poſtera ægritudinum ratio à priſtina valde recedere. Quamobrem etiam, ſi de infantum adfectibus diſſerendi animus eſt, ſimul omnes ætatum periodos debemus complecti, minimeque omnium ſtrictiori tantum ſenſu infantes in lucem vix editos conſiderare; ſed provectiores etiam, qui ad decimum uſque annum pervenerunt, intelligere, ne forte aliud morbi genus explicemus, aliud ſilentio prætereamus.

§. III.

Sic igitur ex HIPPOCRATE puerorum morbos enarravimus præcipuos, quorum nonnulli quidem per ſe ſtatim patent, nonnulli autem difficilius cognoſcuntur; quare proxime jam ſuppeditanda erit accuratior illorum diagnoſis; quæ tamen adeo difficilis, abſcondita & inexpedita eſt, ut ſæpe vel oculatiſſimi in dijudicando hallucinentur. *Diagnoſis.* Neque enim pueruli ipſi ob vocis articulatæ defectum, morbi ſui indolem & nocendi potentiam nobis poſſunt enarrare, neque ex urina vel curioſiſſime examinata, neque ex pulſuum ictibus, vel accuratiſſime obſervatis, neque tandem ex habitu externo, qui ut facile in pejus, ita ſubito in melius mutatur, firmum ſtabileque judicium poteſt deſumi. Nam urinæ minimorum recte valentium perinde ac morbo quodam laborantium ſæpe ſunt craſſæ & turbidæ, & pulſus ab innumeris fere cauſis poteſt mutari, & vel accelerari vel retardari, ut explorantibus plerumque imponat. Ne autem utraque ex parte dubius relinquatur artifex, mulierculæ adſtantes, quæ curam puſillorum gerunt, probe ſunt explorandæ: an infantes ejulatus edant, corpus inquieti jactitent, & vigiles diem noctemque tranſigant; an ructus ſive acidos ſive nidoroſos explodant, vomendi conatus ipſoſque vomitus, & quales habeant; an ſingultu nervorumque agitationibus convellantur, an tuſſi & reſpirandi difficultate laborent, an flatus & feces libere dimittant, quem excrementa colorem referant, quam conſiſtentiam habeant & ſimilia? Præter hæc vero, inquirenti medico permultum accendetur lucis, ſi corpus à capite ad calcem inſpiciens probe examinet, an extrinſecus rubedo cujuſdam partis inflammatoria, an quædam exanthematum ſpecies, aut aliud vitium

ſe

ſe manifeſtet; item ſi ore diducto diſquirat, num fervidum halitum tenelli emittant, fauces puſtulis obſeſſas habeant, vel gingivæ quadam intumeſcentia & phlegmone laborent. Siquidem ex his omnibus tanquam ex principiis cognitis ad incognita non obſcure licet concludere.

§. IV.

*Cauſſa proxima eſt 1) debilitas & ſenſibilitas generis nervoſi.*

In cauſarum ſerie explicanda à vero haud aberrabimus, ſi cauſam adfectuum infantilium formalem & materialem 1) tam in habitu corporis laxo & molliori, quam in redundante ſuccorum pituitoſorum copia admodumque delicato fibrarum & membranarum ſenſu reponimus. Etenim, quum in prima hac ætate ſolidæ partes propter molliſſimam, qua gaudent teneritudinem fluida non ſatis vegete poſſunt propellere & per tenuiſſimos canaliculorum ductus circumagere; facile inde poteſt ſanguinis & humorum circuitus retardari, & ſaluberrimum excretionum negotium cohiberi; quod ſi accidit, non tantum ſucci magis magiſque copia increſcunt, verum etiam ſpiſſi evadunt, & craſin plane alienam ſalino-acrem adſumunt. Quid vero inde? ex tali humorum plenitudine non modo fiunt ſtagnationes variæque fluidorum ſubſiſtentium corruptelæ, ſed etiam à nervorum ſubjacentium preſſione aut diſtenſione violenti concitantur ſpaſmi, quorum vehementia omnes tam ſolidæ quam fluidæ partes cum tota functionum œconomia perturbantur, & tenella infantum corpora, quæ ad recipiendas vel leviſſimas impreſſiones valde diſpoſita ſunt, in morbos & repentinos & vehementes conjiciuntur facillime. Neque adeo difficilis erit labor, ex jam allegatis phænomenis præcipuarum ægritudinum infantilium veras reddere rationes. Suppoſita enim humorum pituitoſorum abundantia & ſtagnatione, facile poteſt concipi, quam ob rem ad crebriores defluxiones catarrhales, rheumatiſmos, pectoris oppletiones, liquidas alvi dejectiones & diarrhœas, tumores glandularum, aurium ſordes humidas & ſimiles affectiones tenera ætas ſit proclivis. Suppoſita ſuccorum depravatione & acrimonia facile patet, cur frequentius aphthis, variiſque cutis exanthematibus pueruli adficiantur, & ſuppoſita demum exquiſita nervoſi generis ſenſatione, clare apparet, cur tam vehementibus partium tam internarum quam externarum torſionibus ac ſpaſmis torqueantur, ſi vel leviſſima irritationis cauſſa præceſſerit. Ita enim propter ſenſibilem fibrillarum inteſtinalium texturam in dolorifica ventris tormina, in permoleſtas ventriculi & inteſtinorum diſtenſiones, atque periculoſas anguſtias incidunt; propter facilem membranarum, cerebrum & ſpinalem medullam inveſtientium irritationem percrebro motus epilepticos & convulſivos artuum ſubſultus experiuntur; propter tenuiſſimas nervorum propagines ad pulmonum viſcus decurrentes ſæpiſſime tuſſi convulſiva & aſthmate cum ſuffocationis metu conjuncto, ac demum, ob exquiſitum tunicarum ſenſum, quæ intus ori obtenduntur, peſſimis ſymptomatibus ex dentitione difficili laborant.

§. V.

*2) acidum prævalens.*

Neque dein 2) in conſtituenda cauſſa materiali parum valet acidum longe multumque præpollens, cui optimus morborum infantilium interpres D. D. Harris tantum tribuit, ut omnes fere ac ſingulos adfectus teneræ ætati familiares inde deducere nullus vereatur. Et profecto in plurimis tam ex ructibus & vomitibus acidum redolentibus, quam ex fecibus poteſt ſuboleri, aut vel ex eo ſatis dijudicari, quod non modo lac, unde vivunt infantes, perfacile aceſcit & coagulum ſubit, verum etiam ipſorum ſucci, qui tenues atque lymphatici ſunt, vix magis in aliam, quam in aceſcentem diatheſin inclinant. Sicut enim paulo provectioris ætatis homines, phlegmatica temperatura præditi, magnaque ſuccorum pituitoſorum copia turgidi, in nocivam lymphæ coagulationem præ aliis proni exiſtunt, admodumque facile in purpuram albam, quæ ejus progenies eſt, incidunt; ita eo minus dubitandum eſt, quin in infantibus acida humorum intemperies longe citius faciliuſque poſſit contingere.

§. VI.

*Cauſſæ remotæ debilitatis ſunt: diſpoſitio hæreditaria*

Proxime nunc etiam cauſas inſpiciamus procatarcticas. Jam quidem, ſi debile ſolidorum robur intuemur, deprehendimus, omnes omnino infantes ex ſua ipſius natura adultis eſſe debiliores, & ſenſatione magis exquiſita præditos; nihilo minus tamen cauſæ quædam ſubeſſe debent ſpeciales, quæ præcipue ad inſignem generis nervoſi debilitatem & mobilitatem contribuant, ut in his magis, in aliis minus perverſi motus cieantur. Nihil vero, me judice, ex omni cauſarum claſſe magis huc confert, quam diſpoſitio quædam hæreditaria, à parentum alterutro in ſobolem propagata: quare ſæpiſſime uſu venire ſolet, ut à parentibus non ita bene valentibus, aut crebriori veneris uſu & rerum abſtruſarum inveſtigatione confectis, aut ſenio fractis, aut luxu corruptis infantes progignantur, qui à primo conceptionis actu infirma valetudine utuntur, ex vitia quædam connata habent, quæ nulla unquam arte aut ſolertia poſſunt removeri. Id quod niſi obſtaret, minime nos haberemus tot ubique podagricos & calculoſos, qui ſuæ miſeriæ ſolatium anxii apud medicos fruſtra quærunt.

§. VII.

Si qua autem labes mediante generatione in teneram progeniem traducitur, à matre profecto uterum gerente hoc maximam partem fieri ſolere deprehendimus. Dici enim vix poteſt, quantum prægnantium plurimæ, niſi maximo virtutis ſtudio teneantur, in appetitus omnino depravatos pronæ ſint, quamque inanibus curis, vagis deſideriis & imaginationibus, terrore, timore, mœſtitia, iracundia, faſtu, vindictæ cupidine, aliiſque mentis motibus agitentur: unde non poteſt non ſanguinis circulus vario modo turbari atque tenerrimis & quaſi adhuc tremulis fœtus ſtaminibus inimica quædam vis imprimi. Idem mali pertimeſcendum eſt, ſi genitrices intemperantiæ deditæ multis cibis, iiſque ſæpe incongruis, ventriculum obruunt, aut potibus ſpirituoſis plethoram ſub graviditate collectam ſæpe commovent, nec tamen ejus copiam venæ ſectione detrahi patiuntur. Quo etiam illæ pertinent fœminæ, quæ motibus hyſtericis valde ſunt obnoxiæ, & peracta conceptione viros crebrius admittunt; ſiquidem frequentior coitus, nonnullorum teſtimonio, ad morboſam debilemque prolem gignendam permultum conducere creditur.

§. VIII.

### §. VIII.

*.. debilitatio in ipſo partu*

In ipſo etiam partus labore tenera proles ſæpe infirmatur, dum aut matres ſegnitie ſua fœtus excluſionem retardant, aut impatientia accelerant. Idem perficitur remediis calidis partum promoventibus, aut ab inconſulto obſtetricum miniſterio per violentam fœtus extractionem, & qualemcunque læſionem; ſiquidem ab improvidis iſtis mulierculis futuræ capitis laxe cohærentes ita ſæpe comprimuntur, ut inde epilepſiæ, paralyſes aliaque horrenda mala cum mortis periculo conjuncta concitentur.

### §. IX.

*.. Animi affectus in matre & prole*

In infantibus utero jam excluſis perfacile etiam ſenſibiles nervorum fibrillæ ad anomalos motus ſtimulantur, ſi quando aut ipſi puſilli terrore quodam inopinato, ut per repentinos clamores, excitationem ex ſomno, item per jocoſam nutricum impreſſionem, verbis & geſtibus factam, percutiuntur; aut ſi lactantes pravo quodam animi affectu & maxime quidem terrore ac iracundia perturbatæ ſugentibus mammas nimis cito offerunt. Hinc nihil eſt ſolennius, quam quod varii generis ſpaſmi, nervorum vellicationes, arroſiones, ardores, torminoſi inteſtinorum dolores & inflationes &c. preſſo, ut aiunt, pede excipiant, quæ ſe per inquietudinem, vigilias, manuum pedumque jectigationes, pavores, ejulatus, imo etiam per epilepticas convulſiones abunde ſatis manifeſtant.

### §. X.

*.. aeris mutationes inprimis frigus*

Præter hæc vero in debilitando commovendoque ſolidorum robore multum ſibi vendicat exceſſiva aeris, præſertim frigidi intemperies, aut ſubitaneæ caloris & frigoris ſe invicem excipientium viciſſitudines, quæ ſicut natu grandioribus nervorum quadam imbecillitate laborantibus, ob tranſpirationem ſuppreſſam, ingentem in modum adverſantur: ita longe magis infantibus, qui aetis injurias ipſi proletare neſciunt, maxima minantur damna. *.. regimen nimis calidum & medicamentorum uſus* Nec denique è contraria parte excludendum eſt nimis curioſum, calidum & delicatum tenellorum regimen, item crebrior medicamentorum ſine neceſſitate uſus. Tali enim ratione non modo infantes liberioris aeris inſueti vel leviſſimas auras ægrius ferunt, verum etiam à medicamentis, præſertim activioribus ipſorum natura valde plerumque alteratur, & in moderandis motibus perturbatur. Et cum honoratiores præcipue ac divites peſſimum hunc morem teneant, plane non mirum eſt, cur ipſorum liberi longe debiliores ſint, longeque frequentius ægrotent, quam pauperum, his adminiculis deſtitutorum.

### §. XI.

Hæc autem omnia non ſolum de pueris lactentibus valent, ſed etiam eodem jure de illis intelligenda erunt, qui ætate jam paullo proceſſerunt. Debilitato enim ſolidorum robore & concepta aut in utero materno, aut ex vitio nutricis ad morbos diſpoſitione; facile judicari poterit, nec minores nec pauciores morbos, facta etiam ablactatione, poſſe ſuccedere; ſicut proh! dolor innumera puerorum male adflictorum exempla docent luculentiſſime.

### §. XII.

*Cauſſæ re..*

Cauſſæ, quæ ad ingignendum acidi proventum conferunt, iterum variæ ſunt, atque ex his etiam nonnullæ, quas jam enumeravimus. *.. materia ad acidum contribuentes ex parte lactantis* Quam maxime autem huc referre decet omnia, quæ lac aut in ipſa nutrice aut in ſugentibus corrumpunt, idque craſſum & impurum efficiunt, aut in coagulum prorſus condenſant. Id quod ex parte nutricum variis modis poteſt accidere, & maxime quidem, ſi ipſæ, præter inordinata animi pathemata, fructus horæos, caſeum, acetaria, acida, acria, & ſalſa copioſius ingerunt, vinaque acida & ſpiritum vini liberalius hauriunt. Siquidem his omnibus lac viſcidum & craſſum ingeneratur, quod infantibus oblatum facile aceſcit & non modo ad pertinaces primarum viarum & meſenterii obſtructiones diſponit, verum etiam calculi in veſica generationem, quæ non infrequens huic ætati eſt, oppido promovet: ne dicam largiori ſpirituoſorum uſu lac repente æſtum concipere, & per mammas lactentibus tranſmiſſum febres ardentes poſſe accendere. Neque ſola ciborum qualitas, ſed quoque excedens ipſorum quantitas valde nocere ſolet; dum ſe nutrices cibis, quamquam optimis, ſupra modum ſaginant, vel cereviſias conſiſtentiores eaſque parcius bibunt, neque tamen corpus ſufficienti motu exercent, ſed in alto potius otio commode vivunt: qua ratione non poteſt non craſſior lacti conſiſtentia conciliari, idemque ſalutis diſpendium induci. Similem nocendi potentiam habet validum frigus, improvide mammis admiſſum; utpote quod lactiferos mammarum tubulos coarctando, lac ad ſpiſſitudinem haud parum diſponit. Præter hæc vero lacteus ille liquor ingentem in modum alteratur & ad pravam indolem in ſugentium ventriculo ſuſcipiendam diſponitur, ſi quando matres vel nutrices laſciviores durante lactationis tempore mariti amplexus intempeſtivos admittunt; aut ſi menſtrua, quæ in gravidis & lactantibus ordinario ceſſant fluxu fluere incipiunt. Tum enim parvuli plerumque languidi, lacrymoſi ac imbecilles fiunt, ſuiſque geſtibus ſatis indicare videntur, lactationem tam diu eſſe differendam, donec, obturato hoc fonte ſanguineo, priſtinus matri vigor redeat. Neque demum lac parum corrumpitur, ſi nutrix paſſionibus hyſtericis patet, alvo adſtricta laborat, & ob ſpaſmos ac flatus in primis viis collectos variæ ſanguinis & humorum ad varias corporis partes congeſtiones producuntur.

### §. XIII.

*.. ex parte infantum*

Ex parte infantum multa pariter accuſanda veniunt. Inprimis autem valde lædi ſolent, ſi nimium alimenti accipiunt, & quandocunque male habent, præter voluntatem mammas exhaurire debent, vel etiam ſi pulticulis viſcidioribus plus juſto infarciuntur. Quando enim infantes, iique præſertim teneri ac parvi, tantam molem in ventriculo non ſatis poſſunt ſubigere; hæc plerumque in acidum magma faceſſit, unde tonus ventriculi & inteſtinorum deſtruitur, maximaque ſanitatis damna, ut fere ſunt inflationes ſtomachi cardialgicæ, pectoris anguſtiæ & ſimilia in teneram prolem derivantur. Quam in rem egregia ſunt, quæ B. Ettmullerus in diſſertatione, quam *Valetudinarium infantile* inſcribit, ex vero protulit: *lactis ſuperflua & tantum non coacta infuſione matres pueros ſuos nimis alendo ſæpe necant, &, dum lactant, mactant. Sicut enim omnis nimia repletio, ut panis adultis, ſic lactis recens natis peſſima eſt.* Sic quoque valde pecca-

peccatur, ſi cibi varii & ſæpe incongrui, acidi, acres, ſalſi, multæque carnes præter neceſſitatem devorantur, vel ſi vinum, ut pancraticus mos eſt, ad roborandum & ploratus componendos ſæpius propinatur: ſiquidem hæc lacti admixta coagulationem inducendo, ventriculum valde infirmant, varioſque morbos excludunt. Quo demum pertinet crebrior lactis cum nutricibus mutatio. Sicut enim adulti non æque bene mutationem potus & cibi ferre poſſunt; ita hoc ſimili ratione longeque magis de ſenſibilioribus infantum corporibus prædicandum eſſe per ſe liquet.

§. XIV.

Hæc omnia lactationis tempore commiſſa plerumque etiam in pueros ablactatos redundant, aut certe tum demum temporis vim ſuam ſanitati adverſam exſerunt, maxime cum, neglectis diætæ regulis, à teneriori alimento ad craſſius, ad carnis eſum variaque incongrua ſubito tranſſcendunt; utpote in his omnibus præcipuum morborum puerilium fundamentum reſidet.

§. XV.

*Prognoſis.* In prognoſi ferenda primo omnium probe tenendum eſſe arbitror, quod infantes, qui non à teneris, delicatis corporeque & animo morbidis parentibus, inprimis matribus geniti fuerunt, præ aliis corpore & animo firmi, vegeti atque robuſti eſſe ſoleant, nec tam facile damna à rebus externis rependant, neque morbis tam cito implicentur, aut etiam impliciti felicius inde evadant. Idem fieri deprehendimus, ſi bene valentes non adeo bene & delicate in victu & regimine obſervantur, ſed tempeſtive perferendis mutationibus ſucceſſive adſuefiunt. Poſſunt enim conſuetudine à teneris ita formari & quaſi indurari, ut ne ab externis injuriis tam facile lædantur: ſicut quam maxime in infantibus ruſticorum & ex infima plebe natorum videre licet, utpote qui neque ſanitatis incommoda tam repente ſuſcipiunt, neque morbis tam graviter & tam diu, quam quidem magnatum delicatuli, laborant. Tum quoque ſciendum eſt, omnes infantum morbos, licet innumeri ſint, faciliorem promittere ſanationem, quam adultorum, ſi rite illa inſtituatur. Nam prout tenerrima infantum corpora à rebus adverſis facillime impreſſionem recipiunt nocivam; ita è contrario à medicamentis & rebus naturæ amicis libenter admittunt meliorem, ut ideo tot puerorum funera deplorare non opus eſſet, niſi ſæpe medici ipſi nocendo iſta pararent. Præter hæc conſtantis eſt obſervationis, infantes corpulentiores & ſpongioſiori carne præditos, item qui lacte copioſo veſcuntur, aut nutricem habent ſucci plenam & corpulentam, præ aliis frequentius morbis adfici, maximeque rachitidi, tuſſi convulſivæ & aphthis eſſe obnoxios; cum contra macilentiores frequentius febribus & inflammationibus pateant. Qui alvi ſunt fluxilioris, plerumque melius ſe habent, quam qui ſunt adſtrictæ: & demum cum convulſivi membrorum ſubſultus, epilepſiæ & tormina maximam infantum partem vita privent; ſciendum eſt, peſſimum indicium, ſi iſta mala cum diuturnis vigiliis ſint ſtipata.

---

## CAPUT II.

### *De regimine recens natorum & præſervatione à morbis infantilibus.*

§. I.

*Inſtituti ratio.* Quicunque avertere cogitat graviores infantum morbos, præcipue omnium eo debet reſpicere, ut à primo nativitatis momento omnes abigat cauſas, quæ morbos poſſunt ingenerare, teneraque infantum corpuſcula periculis objicere. Operæ itaque pretium fore confido, ſi in præſenti capite breviter ſtrictimque doceam, quæ circa victum, regimen cæteraſque res non naturales tam ex parte infantis, quam nutricis tenenda ſint, ne forte imprudenti horum uſu innocui infantes peſſimum multorum morborum fomitem extra omnem ſui culpam nimis cito ſuſcipiant, atque prima mox ætate fundamenta valetudinis labaſcentis jaciant. Multo vero magis hæcce doctrina videtur neceſſaria, quia generalia quædam præmonenda ſunt, quæ deinceps in ſpeciali cujuſvis morbi explicatione abhinc repeti & in uſum converti poterunt, ne unum idemque proferre opus habeamus.

§. II.

*Infans abluendus & roborandus.* Quamprimum in lucem editus eſt fœtus, ſtatim debet poſt vaſorum umbilicalium ligaturam & reſciſſionem, in balneo tepido ablui, quod vel ex ſola aqua vel ex aqua & vino ſimul mixtis paratur, huncque ſimul uſum præſtat, ut æqualis ſanguinis diſtributio per totum corpus promoveatur. Inter hæc quoque obſtetrici commodus conceditur locus & tempus, ut, ſi quid à partus laboribus male conformatum in capite aut aliis corporis partibus compareat, ab eadem in melius effingatur & in naturalem formam reſtituatur. Quare artus omnes blande contrectando explicet, crura & pedes ſæpius contrahat & expandat, ut, quid in articulis muci vel lentoris reſidet, diſſipetur: neque minus inferiorem partus ventrem vola manus frequenter mulceat, & partes excretionibus dicatas leniter fricando ad ſordium eliminationem excitet. Tum vero ante omnia diſpiciendum eſt, an firmus, robuſtus & perferendis mortalium viciſſitudinibus idoneus, an vero debilis ac infirmus ſit partus. Id quod vel ex debili ejus voce & reſpiratione, vel exinde judicare licet, ſi ipſa mater puerpera teneræ morbidæque eſt conſtitutionis, & ſub graviditatis decurſu variis corporis animique ægritudinibus male fuit affecta, ſi agitatio fœtus in utero adhuc exiſtentis debilior juſto ſe manifeſtavit, vel ſi partus difficilis & ante juſtum pariendi tempus ſeptimo aut octavo menſe contigit. Siquidem his omnibus infantes multum infirmantur, & ad morbos redduntur proclives, dum ex ſapienti Celsi effato imbecillitas omnibus morbis patet. Quod ſi igitur recens natus præter naturam debilis ex dictis ſignis concluditur, utique eundem refocillare expedit: quod optime perficitur, ſi more inter obſtetrices recepto in vino tepido ablua-

abluatur, leniter fricetur, pectorique, dorſo & vertici ſpiritus quidam analepticus inungatur, vel ſi halitus caryophyllis aromaticis, aliisque aromatibus maſticatis vigoratus ori inſpiretur, vel pauxillum vini Rhenani vel aquæ cinamomi infundatur.

§. II.

*.. decenter involvendus.* At vero, quum tener quoque partus ab aëris injuriis mollibus linteis & commoda faſciarum involutione præmuniendus ſit, probe cavendum eſt, ne ex negligentia vel ignorantia damnum inferatur, & magnorum ſucceſſu temporis malorum cauſſa ſtabiliatur. Præterquam enim, quod infantes ſæpe ex nimia pectoris per faſciam conſtrictione gibbi fiant, & tabem incurrant, vel ſæpius vomant & hernioſi evadant; multa etiam impeditæ circulationis incommoda vagitusque nimii ab imprudenti arctoque nimis corpus tenelli involvendi modo proveniunt.

§. III.

*Meconii expurgatio mediante reſpiratione.* His ita obſervatis proximum eſt, ut infantes, qui ob denegatam alvi in utero exonerationem, inteſtina multis ſordibus repleta in lucem afferunt, tempeſtive expurgentur, jam vero ipſi quam primum ſpiritum ducere aëremque ambientem pulmonibus haurire inchoant, mutua illa & crebrius repetita diaphragmatis muſculorumque abdominis actione non modo ventriculum & inteſtina ſua comprimunt, contentaſque in ipſis feces ad exitum diſponunt, verum etiam hoc ſalutari reſpirationis actu bilem in inteſtina, maximeque in duodenum urgent, quæ dein propter virtutem, qua pollet, abſtergentem & ſtimulantem ſenſibiles inteſtinorum membranas leniter irritando ad majorem contractionem & excernendas ſordes animat, ut non raro vomitibus & alvi dejectionibus ſponte obortis tenacia iſta recrementa ejiciantur. *.. & coloſtro* Quod autem ſi minus etiam contingeret, & debilis tenellorum natura non ſola ſibi ſufficeret, ſingulari divini Numinis providentia factum eſt, ut puerperis lac primum tenue, ſeroſum & ſubdulce, quod coloſtri nomine inſignitur, conceſſerit, cujus abſtergens diluensque facultas melius longe ac tutius, quam ſæpe ſelectiſſima evacuantia, alvum ſubducit. Et licet ex medicis plurimi coloſtrum, ceu lac impurum teneroque infantum ventriculo ſumme nocivum rejicere ſuadeant; aliter tamen ego, contraria inductus experientia, ſtatuo, & nulla inde damna pertimeſcenda credo, niſi fortaſſe lacteus ille liquor ex impuro fonte promanet, dum puerpera vel contagio eſt infecta, vel jam ante partum inſigni quadam ſanitatis labe laboravit, vel ſub duris partus laboribus convulſivis agitata fuit motibus, & adhuc male habet, vel ſi quando aliæ concurrunt circumſtantiæ, quæ tale medicamentum à natura ipſa in mammis mulierum elaboratum interdicant.

§. IV.

*.. mediantibus laxantibus* Quod ſi autem papillulæ mammarum matris lactantis ſint exiguæ, ut tener lactens eaſdem ore ſuo haud commode excipere, & non niſi vehementi attractione quidquam ex iis alimenti elicere poſſit, aut ſi eſſent craſſæ nimis, ut ipſas capere nequeat; vel etiam ſi mater puerpera partum lactare recuſet, aut lac in mammis non ſatis cito concipiat; tum omnino primis viginti quatuor horis aliis interea congruis laxantibus alvum à meconio ſuo liberare præſtat, quam mox poſt partum nutrici robuſtæ & obeſæ infantem ſugendum tradere. Etenim quum lac fœminarum, quæ diu jam lactarunt, plerumque ſpiſſioris ſit indolis multumque alimentoſæ & pinguis ſubſtantiæ contineat, non poteſt non tenellus ventriculus valde eodem obrui, & inde cruditati acidæ lactisque coagulo promtiſſima ſuppeditari occaſio. Sunt autem varii alvum ducendi modi. Sic enim plebs noſtra tum uſu, tum medicorum præceptis edocta mel cum butyro non ſalito vel ſaccharum Penidium cum oleo amygdalarum dulc. primis à partu diebus propinat. Galli ac Batavi vinum cum ſaccharo edulcoratum, alii alia eodem ſcopo haud infelici ſucceſſu offerunt. Sed quia intentioni hæc non ſemper reſpondent, optime tum in parva quantitate efficaciora, ut ſyrupus roſar. ſolutivus, cichorei cum rheo, florum perſicor. manna cum aliquot cremor. tartari granis in juſculo data & ſimilia conducunt. Neque mihi illorum diſplicet ratio, qui eodem laxandi fine leniora ſuppoſitoria, aut, minus his quidquam efficientibus, clyſteres commendant. Inteſtinum enim rectum in infantibus tam exquiſitæ eſt ſenſationis, ut leviter ſaltem vellicatum feces contentas cito reddere ſoleat. Unde B. *Boerhaavius* in *aph. de cognoſcendis & curandis morbis* §. 1347. clyſma ex ſero lactis ſaponato aut mellito recte injicere ſuadet.

§. V.

Enimvero ſunt ex medicis nonnulli, qui meconium non tam cito expurgandum eſſe contendunt; *Objectio diluitur.* quia nulla facile impuritas ante conceptam acrimoniam & nocendi aptitudinem è corpore ejicienda eſſet, nullaque ratione oſtendi poſſet, quomodo hæ infantum feces, quæ per tot menſes ſine ulla noxa inteſtinis inhæſiſſent, ſtatim ut noxiæ cathartico expelli deberent. Et, profecto, re penitius examinata, deprehendimus, qualitatem tam acrem & venenatam meconio non ineſſe, ut vulgo putatur. Illud enim per tot menſes in tenerrima alimentari fiſtula fovetur, neque tamen inteſtinorum inflammationem aut roſionem parit, neque ad excernendum illa irritat, nec colon, quod ſua copia potiſſimum replet, ad cellularum elevationem valvularumque contractionem ſtimulat: neque etiam putredine concepta fœdas flatus & exhalationes emittit, nec calore exſiccatur, ſed, ut ſectiones infantum ſtatim à partu mortuorum inſtitutæ docent, conſiſtentiam mellis habet & odore caret. At vero licet ipſe ego præmaturam & coactam infantum purgationem jure rejiciam; aliud tamen ſtatuendum eſſe arbitror, ſi neque infantes ſuo ipſius robore, neque coloſtri adminiculo impuras ſordes à matris nutrimento reſiduas eliminare valent. Tunc enim omnino leni ſtimulante ſuccurrere expedit, maxime cum ex ſegniori meconii evacuatione graviſſima tormina, inquietudines, vigilias, cardialgicas paſſiones, hernias, pertinaciſſimam alvi obſtructionem, motus ſpaſticos & convulſivos aliaque ſymptomata originem duxiſſe noverim; quia ſordes iſtæ non modo inteſtinorum tunicis ſe tenaciſſime inſinuant & ipſa non raro

raro conglutinant, ſed etiam concurſu lactis vel optimi craſin plane alienam, eamque nocivam induunt: unde etiam muliercularum plurimæ permotæ recens natos per viginti quatuor horas eſurire, & interea mel cum butyro propinare jubent, metuentes, ne purgato nondum corpore lac in coagulum denſetur.

## §. VI.

*Mulierum lactantium diæta.*

His ita proviſis commodus infantibus victus debitumque regimen ordinandum eſt. Merito autem lac præcipuum & quaſi univerſale conſtituit alimentum, quia & cibum & potum ſimul ſuppeditat, ventriculo arridet & hoc fine ab optimo creatore tam ſapienter conſtitutum eſt, ut mulieres ſanæ ſtatim poſt partum ſufficientem ejus copiam in mammis accumulent. Quum autem vel à matre vel à nutrice, hunc in finem conducta, infantes è mammis nutriantur; eo certe à parentibus, & quibus tenellorum concredita eſt ſalus, reſpiciendum eſt, ut lac purum & temperatum generent. Id quod vix melius obtinetur, ac ſi lactantes fœminæ exactam diætæ rationem obſervant, eaque omnia fugiunt, quæ ſui veſtigia, vel ut ſenſibus abſcondita, in dulci lacte relinquunt, & à notis in ſuperiori capite ceu noxia inter cauſſas morborum ſunt relata. Speciatim vero nutrix, ſi hanc eligendi neceſſitas poſtulat, ſit ſana, ætatis vigentis ab anno vigeſimo ad trigeſimum, gracilis potius quam obeſa, bonis quoque moribus inſtructa, animi tranquillitati dedita, nec melancholica, iracunda, vel ebrioſa: neque ſi occaſio fert, primipara, nec demum lac nimis vetuſtum alat. Præter hæc vero ſimiliter bona utatur diæta: & quum plerumque pauperes ac vilioris conditionis mulierculæ nutricum munere fungantur, ſedulo videndum eſt, ne ſubito à priſtino vivendi genere, ſeu victu duriori & parco ad mollem delicatum & plenum tranſeant, ſed paulatim potius ei adſuefiant. Si quando ipſis ob infantum inquietudinem ſomno per noctem ſatis frui non licet, eundem matutino tempore reſarciant, cavendo tantum, ne nimium juſto ipſi indulgeant, vitamque otioſam ac deſidem agant.

## §. VII.

*Pericula ex nutricibus mercenariis pertimeſcenda.*

Hæc qui ſecum perpendit, facile perſpiciet, quantum iſtæ matres delinquant, quæ citra periculum vel ob humorum impuritatem & virium debilitatem, vel alias ob cauſas, quas prætexunt, teneram ſuam progeniem nutricibus mercenariis in dubias valde manus immiſericordia quadam, brutam ſuperante, tradunt, & ne penſi quidem habent, an ſanam, an cacochymicam, an bene moratam an protervam nutricem conducant. Quid igitur mirum, quod fidem faciant, innumera probatiſſimorum auctorum teſtimonia, infantes à nutricibus malo victu utentibus ulcera, ſcabiem, tineam capitis, cruſtam lacteam, aliaque cutis vitia reportare; à lue venerea infectis, eadem lue, aut ut ego obſervavi, puſtulis & cruſtis contaminari, imo quoque mille aliis modis miſerrime adfici. Et quum mediante lactis vehiculo & pravo conſortio non tantum corporis, ſed & animi vitia latius ſerpant, prorſus non rarum, ſed frequenter proh! dolor obvium eſt, infantes ab optimis etiam parentibus genitos peſſimis nonnunquam moribus corrumpi. Sic ſcio infantes admodum ſiticuloſos ex nutrice bibula: neque magnatum quorundam bibacitatem & crudelitatem multi auctores aliunde, quam à nutricibus eadem vitiorum pravitate inquinatis derivare contendunt. Egregia hanc in rem ſunt verba *Wirdig* in *medic. ſpirit. lib.* 1. *cap.* 25. §. 6. *alieno lacte nutriti*, inquit, *ut plurimum degenerant, & ad nutricum naturam naturaliſantur; ex lacte & ſpiritibus nutricum adſumunt naturas nutricum & mores: lacte humano cicurantur ferociſſima animalia, ob ſpiritus temperatos, quos una cum lacte ſugunt, ut contra homines ferino lacte educati ferini fiunt & feroces, ut Romuli teſtatur exemplum & Remi.*

## §. VIII.

*Quantitas ſugendi lactis.*

Quantitas ſugendi lactis exacte determinari nequit, ſolent tamen mulierculæ plerumque infanti primis à partu menſibus ſubinde à bihorio; poſt tres quatuorve menſes ſexies aut ſepties, & demum bis tantum vel ter in die mammas præbere, donec anni ſpatium fuerit emenſum. Hic tamen in genere notari velim, ſerio cavendum eſſe, ne nimis crebro & præter neceſſitatem mammas offerant mulierculæ, ſed omni potius ratione nimis appetentes abſtrahant, quia ipſi quouſque bibere debeant ignorent, alias iſta mala poſſunt ſuboriri, quæ in ſuperiori capite evenire diximus.

## §. IX.

*Præſervatio damni in lac redundantis ex terrore.*

Sæpe incidit, ut lactis temperies variis ex cauſis corrumpatur: quare ne damna inde impendeant, præcavendum erit. Maxime vero omnium, ut ſupra diximus, lac à terrore lactantis ſolet vitiari; unde, ne ſtatim à terrore mammæ offerantur, optimum terroris noxam avertendi præſidium eſt. Idem ſcire licet de iracundia: & quum labes à vehementi ira lacti inſinuata poſt longiorem etiam moram tam lactenti, quam ipſi nutrici e. g. in mammis, varia minetur pericula, opus eſt ad ipſa præcavenda tempeſtiva lactis emulſione.

*.. & iracundia*

*Alimenta lacti ſubſtituenda.*

Nonnunquam etiam accidit, ut vel infans ad lac è mammis ſugendum impotens, vel nutrix ob morbum aliasve cauſas ad lactandum minus capax ſit: quo in caſu alia nutrimenta appropriata debent propinari, inter quæ referenda ſunt ſerum lactis dulce, juſcula hordeata, avenacea, emulſiones amygdalinæ lactiformes, vel ex crepatura hordei, addito vitello ovorum emulſioni ſimilis mixtura & ſimilia.

## §. X.

*Pulmentorum uſus & abuſus.*

Eadem proſunt, & in uſum duci poſſunt, ſi lac ſolum ad nutriendum non ſufficit, licet eodem fine pro varia regionum & populorum conſtitutione etiam alia excogitata ſunt alimenta. Maxime autem hoc ſcopo apud noſtrates celebrantur varia pulmentorum genera, dum farina cum lacte vel aqua cocta in pultis tenacis ac glutinoſi conſiſtentiam redigitur. An vero infantes, præſertim illuſtrium teneriores, ob ventriculi debilitatem, cibis his viſcidioribus probe reſolvendis ſuppares ſint, hoc eſt, de quo valde dubito; ut potius inde ſæpiſſime viam ad viſcerum & meſenterii obſtructiones ſterni credam; ſicut etiam HILDANUS *Cent. VI. obſ.* 34. deſperatam pylori obſtructionem a tali pulticula obſervaſſe legitur. Multo minus debilis ventriculus tali pulticula debet valde repleri, intempeſtive priori alimento nondum ſubacto nova ejuſdem quantitas denuo obtrudi, quia

quia hac ratione innocuam prolem multum lædi docuimus. Neque probare ago vellem perverſam muliercularum conſuetudinem, dum infantibus pulmenta ore prius voluta & ſaliva commixta exhibere ſolent. Et licet hæc maſſa, ſaliva ſanæ matris impрægnata in chylum infantili ætati amicum facilius converti poſſe videatur; ego tamen vix poſſum adduci, ut huic opinioni penitus ſubſcribam, his motus rationibus; quia tali maſticatione non modo tenuiſſima pulmenti portio ſugendo abſumitur, ſed etiam ſalivæ dentiumque corruptorum vitia, quæ ob ſummam materiæ peregrinæ ſubtilitatem vix poſſunt percipi, facile cum teneris communicantur.

## §. XI.

*Poſt ablactationem infantum quæ obſervanda?*

Quando ſub hac diæta infantes ad talem pervenerunt habitum, ut aliis alimentis capiendis & digerendis apti videantur, quod intra anni ſpatium aut ſerius adhuc contingit, ablactari poſſunt. Tum vero non minus, quam antea curioſe ſunt obſervandi, ne mala antea evitata pleno nunc agmine irruant. Inprimis autem ciborum multitudo, varietas & conſiſtentia fugienda eſt; ſiquidem cibi nimis ſalſi, viſcidi, auſteri, acidi & pingues copioſius ingeſti minusque rite concocti largiorem cruditatum acido-viſcidarum proventum fovent. Sic etiam æſtate nocent fructus horæi, crudi & immaturi, qui plerumque in particularum ſuarum contextu acidum recondunt, quod fibras inteſtinorum irritando & ſpaſmodice affligendo, diarrhœas, dyſenterias, tormina & alia mala, adventante præſertim autumno, excitare valet. Quo demum pertinet panis non rite fermentatus, aut nimis recens, non excluſis ſaccharatis & dulcibus, quorum interventu chylus ex facili in viſcidum abit magma, quo dein lumbrici, ventris tormina atque durities &c. invitantur.

## §. XII.

*Remedia præſervativa lactantibus proficua.*

Nunc propius quædam de præſervandi methodo dicenda reſtant, quæ paucis explicabimus. Nihil vero ad præcavendos infantiles morbos deprehendi utilius, quam non modo nutrici, ſed & tenello, paullo etiam largiori quantitate frequentius offerre infuſa herbarum ſanguinem edulcorantia cum aqua facta. Quem in finem non poſſumus non vehementer laudare infuſum herbæ veronicæ, rad. ſcorzoneræ, liquiritiæ, ſeminis fœniculi & ſimilium. Ita enim lac tenue ac fluidum redditur, quo minus anguſtiora vaſcula obſtruere, ſed per omnes corporis tubulos & anfractuoſos glandularum ductus ferri poſſit liberius. Neque etiam illæ ſibi male conſulunt, quæ quandoque poſt paſtum ſeminis fœniculi & aniſi lac augentis, atque tormina infantum præcaventis portionem comedunt.

## §. XIII.

*Remedia lactis coagulum impedientia.*

Quoniam in ventriculo & duodeno lac ſtagnans facile aceſcit, corroſivum evadit & coagulatur, ſicque mille gravia excitat mala; omni profecto cura & diligentia proſpiciendum eſt, ut lactis illa tam periculoſa coagulatio præcaveatur. Cui quidem ſcopo egregie ſerviunt pulveres, qui lapides cancror. ovorum teſtas, radicem ireos florent. crocum, ſemen aniſi vel ejus oleum, ſperma ceti, cinnabarim & ſolutionem ocul. cancri recipiunt, de quibus bis vel ter in hebdomade doſis cum euphoria poteſt offerri. Sed quum exoptatum ſanitatis infantilis negotium maxime etiam in debita & ſufficiente fecum per alvum egeſtione verſetur, & tonus ventriculi ac inteſtinorum conſervetur, interdum quoque leniora laxantia, ſi opus eſt, ſunt interponenda, quibus lactis coagulati noxæ haud parum quoque avertuntur.

## §. XIV.

*Noxa purgantium.*

Hic vero omnia purgantia fortiora & acria; ut reſinam jalappæ, ſcammonium, elleborum nigrum & ſimilia, infamia & infantibus abſolute noxia declaro; ſiquidem non modo ad tormina & alvi adſtrictiones, ſed & ad atrophiam & adfectus convulſivos diſponunt. Ab aloe quoque ob nimium, quem excitat fervorem & ebullitionem, item à ſennæ foliis abſtineant infantes, quia quo plus remediis alvus ad excretionem irritatur, eo major egerendi poſtea difficultas alvique tenſio ſubſequitur. Imo quoque non tantum puerulis, ſed etiam nutricibus talia exhibita plurimum nocent; ſiquidem lacti admixta tenellos ſæpe convellunt. Hinc recte Sydenham *epilepſia*, inquit, *puerorum primo menſe ſæpe aggreditur à frequentibus nimis alvi dejectionibus*, & *Galenus* ſua jam ætate prudenter adſeruit, quod corpora puerorum non oporteant purgantibus exſiccari, quin alioquin incremento prohiberentur. Et profecto quantum recens natorum ventriculus tener ac debilis à purgantibus lædatur, dici vix poteſt. Hæc enim medicamenta propter ſuam, qua pollent, acrimoniam fibras irritant, ventriculum & inteſtina ad ſpaſmodicas conſtrictiones diſponunt, eademque tandem ſuo tono ac robore privant, ut dein, turbata digeſtione, facili negotio lac aceſcat & corrumpatur.

## §. XV.

*Noxa mercurialium.*

Ex mercurio quocunque etiam modo parata remedia, præſertim in pulvere ac paulo majori & repetita doſi infantibus lactantibus oblata, jure meritoque deleteria judicamus; partim quod gravitate ſua hinc inde plicis ventriculi & œſophagi firmius adhæreſcunt, partim etiam, quod acceſſu bilis acrioris, & corroſivi acidi, vehementiorem, eamque plane corrodentem naturam induunt: unde tonus inteſtinorum mirifice non tantum læditur, ſed ad morbos quoque ex debilitate generis nervoſi & ſpaſmis oriundos via panditur; idque eo magis, ſi infantibus, qui corroſivam colluviem, ex fecum virore & torminibus judicandam, fovent, temere propinantur. Idem valet de aliis metallicis remediis, ut auro fulminante, martialibus, venereis & antimonialibus, ut mercurio vitæ, pulvere Monckii & ſimilibus, quibuscum profecto cautiſſime agendum eſt, quia admodum infida & inſecura ſunt remedia, quæ quatenus ab humoribus in prima regione reſidentibus ſolvuntur, operationes vel mitiori, vel vehementiori modo exſerunt, imo fere prorſus enecant.

## §. XVI.

*Noxa ex lenioribus perperam adhibitis.*

At vero non ſola potentiora hactenus recenſita gravium malorum cauſam ſubminiſtrant, verum etiam ipſi ſyrupi & pulveres nimis crebro & copioſius oblati, infantum corpuſcula ſæpe valde lædunt. Qua de re audiendus eſt *Cardanus*, qui *de malo recentium medicorum medendi uſu cap.* 18.

graviter ſui & noſtri temporis morem de ſyrupis & pulveribus exhibendis ita reprobat: *error eſt*, inquit, *cum noviter natis, auxiliandi ſcopo, alii ſyrupos, alii pulveres, alii aliud conſulunt, cum tamen conſtet, tam mollia membra nulla debere permutari qualitate, ſive purgante, ſive adſtringente. Tenella enim iſta membrorum compages, nihil fere innoxium, lacte excepto, recipere poteſt.* Temperatum quoque oleum amygdalarum dulcium cum ſaccharo ſæpe exhibitum haud penitus noxa caret, prout fidem facit *Harderus in apiario obſ. med.* 99. ubi refert, infantem quendam, cui mulierculæ à partu oleum amygdal. ſaccharo nuptum frequentius exhibuiſſent, torminibus fere continuis, & demum epilepſia correptum elapſis aliquot ſeptimanis obiiſſe; in eoque poſt ſectionem non ſolum viridia, qualia etiam vivus egeſſerat, excrementa fuiſſe inventa, ſed etiam inteſtini ilei portionem inferiorem manifeſta gangrænoſi adfectam. Nec diſſimile exemplum infantis ex oleo amygdal. dulc. alternis diebus dato ſimili morbo defuncti recenſet *Weiſius in diſſert. de abuſu purgantium in recens natis.*

---

## CAPUT III.

### *De torminibus infantum & flatulentiis.*

§. I.

*Torminum ſigna*

EX cunctis, quæ teneros cruciant infantes, adflictionibus vehementes abdominis dolores & inflationes frequentiſſime occurrunt, quæ his maxime ſignis ſe manifeſtant. Primo ægri valde inquieti huc illuc ſe jactitant & torquent, pedibusque calcitrant; mammas averſantur, & continuum fere ploratum edunt, venter flatibus turgidus conſpicitur cum ſpirandi anguſtia: ructus interdum impetuoſe ex ore erumpunt, alvus plerumque eſt adſtricta, & ſi deponitur, excrementa ut plurimum viſcida, tenacia, plus minus colore viridi & æruginoſo tincta, mox aquæ inſtar leviter flaveſcentis fluida reddit, mox vero inſtar albuminis ovi indurati grumoſa dimittit, quod vernacula *vie Eyergehacktes* exprimunt; ſæpe etiam tam acria & corroſiva ejiciuntur, ut inde podex cum perpetuo teneſmo excorietur.

§. II.

*— cauſſa proxima*

Cauſſam immanium harum paſſionum proximam & continentem potiſſimum ſpaſticæ inteſtinalium membranarum, quæ nervoſæ valdeque ſenſibilis naturæ ſunt, ſtricturæ conſtituunt, quibus præſentibus & diu perſeverantibus naturale robur, tonus & motus periſtalticus ita labefactatur & pervertitur, ut non modo excretiones tam flatuum quam excrementorum retardentur, ſed ingeſtorum quoque digeſtio, correctio & conveniens ſecretio impediatur. Quamvis vero hæ intenſiores membranarum nervoſarum conſtrictiones & criſpaturæ per ſe valde dolorificæ ſint; nihilo minus, quia flatus, ceu effectus ſpaſmorum ſubſequentes magnam inteſtinorum diſtenſionem inducunt; fit omnino, ut omnium in toto corpore functionum œconomia mirum in modum perturbetur.

§. III.

*Cauſſa mediata ſunt 1] animi adfectus*

Cauſſam harum adfectionum mediatam ut plurimum graves animi commotiones per iram, terrorem, metum & triſtitiam in lactantibus ſuppeditant, quæ proxime & immediate in partes corporis nervoſas, maximeque ventriculi & inteſtinorum, ſuam exſerunt potentiam, dum naturalem & æquabilem ipſorum tonum, vel majori relaxatione, vel auctiori conſtrictione pervertunt. Et quandocunque matres, durante graviditate, ſonticas iſtas animi perturbationes crebrius graviusque expertæ ſunt; infantes mox à partu & gravius & diutius diris ventris doloribus adficiuntur.

§. IV.

*2] Dolores & ſpaſmi*

Sunt etiam ventris torminum & inflationum haud infrequentes cauſſæ graves aliarum partium dolores & ſpaſmi. Ita enim ordinario fere dentitionem infantum difficilem & dolorificam moleſtæ abdominis flatulentiæ & tormina cum excretione alvi præternaturali & penitus immutata comitantur. Neque raro accuſari debet frigus, improvide ventri pedibusque admiſſum, quo non modo liberior tranſpirationis ſucceſſus impeditur, verum etiam ipſa fibrillarum nervearum textura læditur, & ad ſtaſes concipiendas diſponitur.

*3) frigus externum*

§. V.

*4] crebrior laxantium & purgantium uſus*

Sæpiſſime etiam fit, ut crebrior laxantium, multoque magis incautus purgantium uſus commodam huic malo occaſionem ſuppeditet. Idque non tantum in infantibus, ſed etiam adultis obſervare mihi licuit; quippe qui, ſi quid gravativi ſentientes purgantibus fuerunt tractari non modo intolerabilibus ventris doloribus ſunt cruciati, verum etiam abdomen tumidum & inſtar tympaniticorum inflatum ſæpe receperunt, ut poſtea ſenſibilis alimentorum canalis in ſtatum naturalem vix maxima cura potuerit reſtitui.

§. VI.

*Cauſſæ remotæ ſunt 1] meconium diu retentum*

Si cauſas intuemur remotiores, deprehendimus, torminoſos inteſtinorum dolores ſæpenumero à meconio diutius retento, neque ſatis per coloſtrum vel aliud lene evacuans expurgato proficiſci; utpote quod tum mora & copia accumulatum fibras inteſtinorum diſtendit & flatulentias excitat, tum à lacte ſuperingeſto acrius redditum ſenſibiles inteſtinorum membranas ad dolorificam conſtrictionem ſtimulat. Eundem ſubire cenſum videtur lac ipſum in primis viis corruptum, aceſcens & in grandinoſos quaſi globulos coactum, quod bilis & ſuccorum fermenteſcibilium admixtione cauſticam induens naturam inteſtina pungit, rodit, lancinat. Satis autem hæc nociva ſecum acredo & acido-cauſtica indoles ſe manifeſtat non modo per viridem, quo ipſæ tinctæ ſunt, colorem, & per vaſorum, quibus excipiuntur, arroſiones, verum etiam per illud maxime experimentum, quum ab olei tartari per deliquium adfuſione viridis excrementorum color in flavum convertitur; ut taceamus denique, canes; qui alioquin lacteas infantum ſordes lubenter abſorbent, plane tum a viridibus his excretis abhorrere.

*2] lac in primis viis corruptum*

§. VII.

## §. VII.

*3] varia diætæ vitia.* Tandem in infantibus præſertim ablactatis permultum ad dolores inteſtinorum ſpaſticos contribuunt fructus horæi, mellita, nimis ſaccharata & alia, quibus pueruli libenter ſe obruunt. Facta enim inde in primis viis fermentatione, facile ſucci acerrimi generantur, & accedente iracundia, corporisque refrigeratione, magna ſordium inutilium copia accumulatur; unde præcordiorum anguſtiæ, vomitiones, vehementes inteſtinorum lancinationes; imo ipſæ febres bilioſæ ſuam mutuantur originem.

## §. VIII.

*Prognoſis.* Quoad prognoſin hæc maxime annotanda cenſemus. Quo diutius atrocia inteſtinorum tormina ſæviunt, & quo crebrius ſenſibilia tenellorum corpora infeſtant, eo ſolent eſſe graviora & periculoſiora: quam facile enim febres, paralyſes, aſthmata, epilepticæ convulſiones & alia funeſta junguntur mala, quæ, niſi cito convenientibus compeſcantur remediis, facile ad lethum miſeros ducunt. Qui à verminoſa colluvie proveniunt inteſtinorum dolores, raro feliciter ceſſant, niſi vermibus ipſis exturbatis. Neque in eventu præſagiendo parum intereſt, ut ſubjectorum laborantium ratio habeatur; quæ ſi à parentibus imbecillioribus & matribus inprimis ad ſpaſmos hyſtericos diſpoſitis prognata fuerunt, metus eſt, ne malum & vehementius infantes torqueat, & crebrius recurrat.

## *CURATIO CUM CAUTELIS.*

## §. I.

*Acidum corrigentia nutrici proſicua.* Medico torminoſos infantum cruciatus curaturo primo omnium incumbit, ut acidum primarum viarum corroſivum abſorbere, corrigere & blande educere ſatagat. Quo fine, ſi malum, ut plerumque fit, à lacte corrupto & quibuscunque cauſis vitiato originem traxerit, quam primum neceſſe eſt, ut nutrix vel prorſus mutetur, vel ſerio caveat, ne tum temporis cibis flatulentis, fructibus horæis, leguminibus, vinis, acidis, feculentis, aliisque lactis temperiem immutantibus indulgeat, quia his omnibus vel multum augetur, vel pertinacior redditur affectus. Tum quoque nutrici, ſi alvi adſtrictione laborat, leniora proſunt laxantia, inter quæ maxime recenſemus rhabarbarina, ſi e. g. drachma dimidia extracti rhabarb. in uncia dimidia liquoris terræ foliat. tartari & aquæ cinamomi ſoluta mane & veſperi ad LX. & plures guttas adſumitur. Neque tum minus nutricem adjuvant medicamenta carminativa, item infuſa theiformia, in paulo majori quantitate hauſta; utpote quæ in lactis craſſitie diluenda & reſolvenda excellenter ſe gerunt. *... & infantibus ſalubria* Ipſis vero infantibus, ad acidum in primis viis hærens temperandum, hic qui ſequitur pulvis expertæ virtutis meretur commendari, qui ex lapidum cancror. matris perlar. antimonii diaphoretici, rad. ireos florent. ana drachma dimidia, croci granis tribus, olei aniſi, macis guttis duabus conficitur, & ſingulis bihoriis ad grana quinque vel ſex in decocto cornu cervi, vel aquis antiſpaſmodicis & analeptica virtute præditis flor. tiliæ, ceraſ. nigror. meliſſ. &c. cum pauxillo diaſcord. Fracaſtorii remixtis, cum fructu propinatur.



## §. II.

Nihil autem fere magis miſere adflictos ſolatur, præter clyſteres, qui tum blando tepore ſuo ſpaſmum inteſtinorum relaxant, tum etiam flatus, qui plerumque torminum cauſſa vel comites ſunt, egregie diſcutiunt & evehunt. *Alvum ducentia.* Quo fine ego laudatiſſimo ſæpe effectu applicari juſſi enemata, ex herba major. flor. chamomill. ſeminibus carminativis cum juſculo tenui avenaceo decoctis parata, & addita olei chamomill. vel anethi cocti ſufficiente quantitate, adjectisque aliquot olei aniſi guttulis efficacius reddita. Interne eodem fine rhabarbarina optime conferunt, ut ſyrupus de cichor. cum rhabarbaro, medicamentum nutrici ſupra præſcriptum in minori doſi oblatum, & electuarium, quod ex rhabarbari electi & lap. cancror. æquali portione cum ſyrupo cichorei vel roſatum ſolutivo ſubacta compoſitum in decocto hordei, adjecta convenienti mannæ quantitate, per intervalla propinatur. Neque poſſum, quin hoc loco approbem valdeque laudem methodum *Heurnii*, qui *in method. ad praxin lib. II. c. 26.* adſerit, ſe uſu comperiſſe, a ſeminis aniſi ſcrupulo uno, groſſo modo comminuto, jam recens natos puerulos commodiſſime à viridi bile & pituita fœda purgari, ſimulque clamoſos ventris dolores ſedari, ſi cum primo cochleari pultis ſaccharatæ offeratur.

## §. III.

*Quid vermes peſtilent.* Si vermium in inteſtinis nidulantium ſuſpicio adeſt; ea omnino dare expedit, quæ inimicis hiſce hoſpitibus enecandis & educendis infra in peculiari capite accommodata ſuppeditabimus remedia.

## §. III.

*Remedia externa.* Tandem etiam externis contra vim morbi ſimul pugnare expedit. Quo ſcopo egregie ſe gerunt emollientia, ut ſunt flores chamomillæ, ſambuci, meliloti, verbaſci, ſemen fœnu græci, anethi, crocus &c. ex lacte cocta & vel veſicæ ſuillæ indita, vel linteo excepta abdominique applicata. Nec mihi illorum diſplicet methodus, qui exterius ventris regionem circa umbilicum oleis deſtillatis cumini, carvi, aniſi, fœniculi, chamomill. & ſimilibus; oleo nuciſtæ expreſſo, chamomillæ cocto & axungia quadam exceptis ac temperatis inungunt.

## §. IV.

*Cautelæ circa purgantia.* Quod tandem ad cautelas in hoc morbo neceſſarias attinet; utique conſultum eſt, ab omnibus ſalſis, acribus & fortiter ſtimulantibus, præſertim purgantibus abſtinere: admodum enim intutum eſt, ſaburram acerrimam non rite prius correctam per longum inteſtinorum canalem educere. Inprimis autem omnium inſigni nocendi qualitate pollent, reſinoſa, ut reſina jalappæ, quæ ſane imprudentiſſime infantibus ex lacte corrupto & acri laborantibus propinatur; & licet copiam humorum aliquoties ejiciat, continuo tamen ſtimulo & inteſtinorum irritatione vehementer nocet. Multo magis purgandi intentione, quæ tamen raro expoſcitur, pulvis mechoacannæ albæ cum ſyrupo datus prodeſt, collectamque ventriculi & duodeni ſaburram abſor-

Ss 3 ben-

bentibus & corrigentibus alterare, & dein mannatis, rhabarbarinis vel clyſteribus educere præſtat.

§. IV.

*..circa tormina per conſenſum inducta.*

Sæpenumero hæc inteſtinorum tormina non tam à cauſſa materiali primis in viis latitante, quam potius à formali, ſeu vehementi nervorum agitatione, e. g. à gravi in aliis membris dolore per conſenſum producuntur: quo in caſu, remotis laxantibus, primo omnium ad ſpaſmos & dolores ſopiendos dirigenda eſt curatio.

§. V.

*.. circa clyſteres*

Si ullum remedii genus ob inſignem, quam præſtat, utilitatem meretur commendari, ſunt profecto, ut ſupra jam innuimus, clyſteres, qui immediate ad inteſtina pertingunt, & tam ſedando quam flatus diſcutiendo inſigniter opem ferunt, ſi modo attendatur indicatio, ob quam tepida hæc fomenta injicimus, ut in iis apparandis aliquem habeamus delectum. Ita enim, ſi excreta alvi ſunt liquida inſtar laticis acerrima, ut non modo gravia ventris tormina, ſed & podicis excoriationem inferant, proſunt clysmata ex lacte & ſaccharo, vel terebinthina in vitello ovi ſoluta, quæ acrimoniam temperando, inteſtini craſſi & podicis roſionem avertunt. Quod ſi vero amurca viſcida in inteſtinis oberrans, torminibus & flatulentiis anſam ſuppeditat, locum potius inveniunt enemata majori quadam reſolvendi virtute prædita, quæ ſtimulo inteſtinis craſſis addito efficiunt, ut qui in reliquis inteſtinulis hæret mucus, eo facilius poſtea deſcendat. Ita parari poteſt clysma ex decocti flor. chamomillæ uncia una vel duabus, additis mellis rutacei una alterave drachma, ſaponis veneti drachma dimidia, oleique aniſi aliquot guttulis.

§. VI.

*.. circa ſedativa.*

Solent tandem mulierculæ plurimæ ejulatuum pertæſæ ad ſomnum in hoc morbo provocandum, varia ſedativa, ut mithridatium, requiem Nicolai & alia propinare; ſed peſſimo plerumque auſu & effectu; nam præter multa gravia mirifica mentis hebetudo improvidum opiatorum uſum ſolet excipere.

---

## CAPUT IV.

### *De aphthis.*

§. I.

*Aphtharum definitio*

Quæ infantum os, fauces & œſophagum obſident puſtulæ cum inflammatione quadam conjunctæ, in medicornm ſcholis dicuntur aphthæ, & nil niſi ulcuſcula ſunt parva, vix milii aut cannabis ſemen excedentia, quæ nonnunquam, propter ardorem & dolorem, non modo inquietudines & clangoſos clamores excitant, ſed lactis quoque ſuctionem ipſamque deglutitionem valde reddunt difficilem.

§. II.

*.. differentia*

Differunt hæc oris puſtulæ ratione graduum; ſiquidem aliæ ſunt indolentes, rubræ vel flavæ, & tantum per gingivas, linguam & buccas in ſuperficie diſperſæ, ideoque benignæ dicendæ; aliæ contra ſunt lividæ, nigræ & valde dolorificæ, ad uvulam, fauces & œſophagum uſque extenſæ, ut ſæpe totus oris ambitus exulceratus videatur. Atque harum indoles plerumque eſt maligna, adeo, ut carnes ſæpe ſubjectæ profundius ad oſſa uſque exedantur.

§. III.

*Cauſa materialis proxima.*

Materia, quæ aphthas excitat, omnino eſt acerrimæ, penetrantis & cauſticæ indolis, quæ in ſanguine prognata, & in glanduloſo faucium periſtromate ope glandularum ſegregata tenerrimam palati carnem rodit, inflammat, exulcerat: unde puſtularum & complicatorum cum ipſis ſymptomatum origo.

§. IV.

*Cauſa mediata.*

Inter cauſſas vero mediatas, quæ ad ingignendam tam virulentam materiam diſponere ſolent, maxime omnium referri debet lac vel in puerperis & nutricibus per incongruam victus rationem, per morbos complicatos, & turbulentos animi adfectus corruptum, vel in ipſis lactentibus variis ex cauſis coagulatum, & acceſſu bilis impurum, valdeque corroſivum redditum. Hoc enim quando cum ſanguine communicatur, non poteſt non totam ejus maſſam acrimonia quadam nociva imbuere, & ſicut malis pluribus aliis, ita & aphthis occaſionem præbere largiſſimam.

§. V.

*Phænomeni explicatio.*

Quæ cum ita ſint, haud mirandum eſt, cur aphthæ varii generis morbis a ſanguinis impuritate provenientibus vel jungi vel ſupervenire ſoleant, ut fere fit in febribus acutis & malignis, tuſſi, diarrhœis cholerodeis, aſthmate, dentitione difficili & ſimilibus. In febribus enim, ob nimium calorem, ſanguis plerumque temperata & gelatinoſa ſui portione privatur, admodumque facile ſalſo-ſulphuream diatheſin acquirit; in reliquis vero morbis antea nominatis acris quædam & vellicans materia peccat, quæ tuſſim, diarrhœas, aſthmata, excitat, adeoque etiam aphthis progignendis apta nata exiſtit.

§. VI.

*.. cauſæ occaſionales remotæ*

Sæpe etiam aliæ quædam cauſſæ externæ ad aphtharum progeniem conferunt; & maxime quidem intermiſſæ faucium & linguæ abſterſiones, perverſa febrium & aliorum morborum per calidiora medicamenta curatio, aut ſi corpora infantum æſtuantia frigido exponuntur aëri, qui tranſpirationem cohibendo, ſordium ſalino-ſulphurearum accumulationi inprimis favet. Neque hic excludenda ſunt alia, quæ immediate laxiori faucium compagi vim quandam inferunt, ut fere faciunt turundæ ex linteo contorto cum mica panis vel ſaccharo repletæ, nec non fruſtula panis cereviſiæ intincta, & infanti ad ſugendum oblata: quem morem non modo noſtrates vilioris conditionis mulierculæ perperam ſequuntur, ſed *Lentilius* quoque *Ephemerid. German. Dec. III. anno* 3. *appendice obſ.* 94. in Suevia potiſſimum annotavit, graviterque reprehendit. Nec ſine ratione; ſiquidem partim fortiori horum affrictu, partim mutata ſalivæ temperie facile mollior oris interni cuticula arroditur, & puſtulæ excitantur; quæ tamen, niſi interna humorum acrimonia concurrat, placide decurrunt, & medentibus anſam dederunt, ut aphthas vel a cauſſa interna, vel externa deduxerint.

§. VII.

## §. VII.

*Prognoſis.*

Aphthæ per oris ſuperficiem rarius diſperſæ, indolentes, rubræ & flaveſcentes remediis facilius obſecundant, quam quæ totas fauces occupant, ad nigredinem vergunt, profunde exulcerant, fœtidumque odorem ſpargunt. Neque multum periculi alunt, ſi ab externa potius cauſſa, quam ab interna proficiſcuntur, pravamque ſuccorum diatheſin pro fundamento agnoſcunt; quales ſunt, quæ ſymptomatice febribus acutis aliiſque gravioribus morbis junguntur. Peſſimis quoque accenſeri debent, quæ magnam inflammationem, ſpirandi & degluriendi difficultatem junctam habent, quæ in morbis malignis funeſtum prænuntiant eventum, & ſæpe poſt mortem per totum œſophagum ad ventriculum uſque diſperſæ ſub ſectione conſpiciuntur.

### *CURATIO.*

## §. I.

*Curatio mali ex vitio nutricis*

Curatio aphtharum pro ratione cauſarum variat. Nam, ſi ſuſpicio ſubeſt lactis vel in matre vel in nutrice corrupti, tum hoc omnino debet corrigi, quod optime perficitur, ſi non tantum nutriens fœmina omnia ſalſa, acria, ſpirituoſa & acida, animique adfectus ſerio fugit, ſed & remediis utitur ſanguinem purificantibus & temperantibus, ut fere ſunt: decocta radicum & herbarum temperatiora, diaphoretica, abſorbentia, & alvum leniter ſubducentia, quorum a nobis jam ſæpius facta eſt mentio.

## §. II.

*.. ex vitio infantis*

Si ipſe infans mali fomitem continet, per intervalla ſyrupo mannato, vel cichorei cum rhabarbaro juſta doſi aliquoties dato debet purgari, & iis tractari, quæ lactis coagulum impediunt, ejuſque acrem intemperiem emendant, vitando ſimul omnia, quæ aphthis anſam præbere ſupra docuimus. Tum vero, ad acrimoniam humorum temperandam optime proſunt decocta avenacea cum ſaccharo cando & oleo amygdalarum dulcium mixta & propinata, item decoctum raparum, vel dauci vulgaris ſubinde potus loco oblatum.

## §. III.

*Remedia externa.*

Sed quoque externis rodentem aphtharum acrimoniam placare decet; quem in finem laudem merentur linctus ex diamoro, ſucco granatorum & melle parati; itemque ſuccus raparum cum vitello ovorum & ſaccharo ſubactus, vel cremor lactis cum ſyrupo papaveris albi, vitello ovi & tantillo nitri mixtus, & vel digitis linteo involutis, vel penicillo applicatus. Nec minorem præſtat opem vitellum ovi, aqua roſarum & ſaccharo cando ſubactum, item mucilago ſeminis cydoniorum cum melle & pauxillo croci remixta puſtuliſque illita. Quæ denique ad os colluendum præſcribuntur gargariſmata, puſillis ſuadere nollem, utpote qui ad gargariſandum minus ſunt apti.

## §. IV.

*Curatio aphtharum ſymptomaticarum.*

Quæ morbis acutis vel aliis morbis junguntur aphthæ, nunquam curantur, niſi morbo ipſo, cujus ſymptoma ſunt, vel mitigato vel penitus ſuperato. Minime vero in acutis multis laxantibus natura in opere ſuo debet turbari, ſed potius leniora diaphoretica & emulſiones temperantes ex ſeminibus IV. frigidis & papaveris pauxillo paratæ omne abſolvunt punctum.

---

# CAPUT V.

## *De pathematibus ex dentitione difficili.*

## §. I.

*Dentium generatio.*

Noluit provida natura hominem cum dentibus naſci, ſed optimo potius conſilio, ad præcavendas lactantium inter ſugendum moleſtias, providere, ut dentes ſenſim paullatimque ſuccreſcant; quorum prima, & jam in utero poſita rudimenta initio quaſi mera ſunt filamenta membranacea, quæ ſucco nutritio repleta, in mucum inſpiſſantur, ex muco in cartilaginem indurantur, & ex cartilagine demum in oſſeam firmitatem abeunt. Quamvis vero non unus idemque in omnibus dentitionis ſit terminus, ſed ipſe pro ſubjectorum ratione differat, dum alii ſeptimo vel nono menſe, alii autem vix intra anni ſpatium dentes accipiant; nihilo minus tamen hic ſolet in eruptione ordo plerumque ſervari, ut dentes inciſores, qui etiam riſorii & lactei dicuntur, a papillarum inter ſugendum affrictu præ cæteris maturentur, & in inferiori maxilla primo omnium erumpant, his deinceps canini ſuccedant, & hos iterum molares excipiant.

*-- terminus eruptionis*

## §. II.

*Hiſtoria dentitionis difficilis.*

Licet hæc dentium eruptio opus & res plane naturalis ſit, infantibusque nonnullis ſine ulla graviori moleſtia eveniat; pluribus tamen propter varia, quæ jungi ſolent, ſymptomata, ingentes creat moleſtias; unde dentitio difficilis ſuboritur, quæ non niſi tardior & dolorifica dentium per gingivas eruptio eſſe ſolet, atque his maxime ſignis cognoſcitur: infantes calore præternaturali exardeſcentes pavoribus tentantur, in ſomno, qui inquietus eſt, ſubſiliunt, ploratibus defatigantur & vigiliis, lac ex uberibus avidius ſugunt, ipſasque mammarum papillas mordent, & manus ori crebrius admovent. Tum quoque gingivæ in anteriori oris parte intumeſcunt, tumentes aut albicant aut rubent, ſaliva ad fauces copioſius deſtillat, ductiliſque lympha ex ore ſæpe pendet, & alvus vel obſtruitur, vel per diarrhœam colliqueſcit. Imo demum his ſymptomatibus junguntur alia, eaque longe graviora, ut fere ſunt acutæ febres, motus convulſivi & epileptici, graves maxillarum torſiones & ſimilia, quæ tamen aliter atque aliter adficiunt, prout gradu ſolet differre ipſa dentitionis difficultas, & ſubjectorum ſenſibilitas.

## §. III.

*-- cauſa.*

Cauſa dentitionis difficilis aliquando in dentibus ipſis, aliquando in gingivis eſſe deprehenditur. In illis reſidet, quando dentes exitum molientes vel grandiores acutioresque ſunt, ut canini & oculares; vel quando ſeptimus excreſcendo, gingivas diutius rodunt, vellicant & terebrant, vel etiam quando plures ſimul impetuoſiori motu protruduntur. In gingivis vero cauſa eſt quærenda, ſi ipſarum craſſities firmiorque textura pertinaciter obſtat, quo minus

 den-

dentes, in maxillarum loculis latentes, libere poſſint exitum moliri.

§. IV.

*Ratio ſymptomatum.* Quum vero à tali violenta dentium protruſione valde ſenſilis gingivarum caro, quæ ex variis fibris nerveis & membranis contexta eſt, non poteſt non inſigniter lædi, pungi & inflammari; haud mirum eſſe debet, cur non tantum pruritus, calor & dolor gingivarum cum ſegniori dentitione conjungatur, verum etiam ob irritationis vehementiam, factamque inde ſyſtematis nervoſi commotionem, pavores, ſubſultus, inquietudines, vigiliæ, vomitiones, aſthmata, tuſſes, imo ipſi convulſivi & epileptici motus concitentur; idque eo magis, ſi infantes nativa quadam vel acquiſita cerebri nervoſique generis debilitate & ad ſpasmodicas conſtrictiones diſpoſitione jam antea laboraverint, quæ dein, dolore acuto cum febre urgente, in actum deducitur, multumque augetur. Neque ex longinquo repetenda erit ratio, cur præter naturam alvus ſub dentitionis difficultate vel ſupprimatur, vel fluida nimis exſiſtat. Etenim, ſicut omnis vehementioris doloris, ita etiam ejus, qui ex dentibus naſcitur, ea ſolet eſſe natura & indoles, ut univerſum corpus ſpaſmis exagitando, ſimul etiam primas vias male adficiat; unde lac facile aceſcit & corrumpitur, indeque pendens libera alvi exoneratio aut retardatur aut nimis acceleratur.

§. V.

*Prognoſis.* Quoad prognoſtica dentitionem in pueris periculoſam ſæpe ac funeſtam eſſe, ſatis proh! dolor comperimus. Graves enim & atroces iſti adfectus, quos non raro aut ſupervenire aut jungi eidem diximus, ſæpe tantam virium imbecillitatem adducunt, ut expediundæ dentitionis pugnæ infans evadat impar, & perinde reliqua ſymptomata majus incrementum ſumant. Inprimis vero gravis dubiique eventus eſſe ſolet dentitio infantibus plethoricis & ſucci plenis, itemque iis, qui immodico ſomno velut marcent, utpote quibus malum omen adfuturæ convulſionis prænuntiat *Hippocrates lib. de dentitione.* Tum quoque idem graviſſimus auctor dentientes cum tuſſicula tardius producere dentes, inque perforatione corpuſcula laborantium magis extenuari adſerit; ſine dubio, quia tum per ſe tuſſis vires ad protrudendum neceſſarias enervat, tum etiam magnam ſuccorum viſcidorum & acrium in corpore præſentiam indicat, qui non poſſunt non dentientibus, gingivas vehementius irritando, graviter obeſſe. Similiter etiam pejus adficiuntur, qui alvo adſtricta laborant, quam qui alvum laxam & fluidam ſæpe deponunt; licet pariter experientia confirmatum habeamus, quod non minus hi, quam illi præ dolore in ipſo febrili paroxyſmo convulſi moriantur. Porro multum quoque intereſt noſſe, an ſubjecta ægrotantia valde ſint ſenſibilia & forte à parentibus iracundis genita: quod enim ſi ita fuerit, ſemper certiores ſunt convulſiones, magisque dubii eventus, quamvis non omnes convulſione correpti moriantur. Denique, quo difficilius & quo longiori tempore dentes erumpunt, eo majus eſt periculum, ne natura nimis debilitata tandem ſuccumbat: quæ autem divus ille ſenex *Hippocrates* citato loco amplius prodidit, quod febre acuta laborantes convulſionem effugiant, & hiberno tempore dentientes facilius convaleſcant, id aliis experiundum committo.

*CURATIO.*

§. I.

Qui conſilio & auxilio imminentibus infantum morbis vult ſuccurrere, primo omnium tempus dentitioni à natura dicatum, ut fere eſt ſeptimus menſis, accurata computatione debet advertere, operaque laudabili ante ipſam dentitionis difficultatem infanti adeſſe, ut ne huic quicquam cibi vel ſolidioris, vel calidioris ad mandendum porrigatur, ſed tenuiſſimus potius victus; maximeque tenuiores ſorbitiones propinentur. Quum vero inſigni ſimul auxilio eſſe ſoleat nutricis ſugentis temperantia, & conveniens præceptorum diæteticorum obſervatio, eo ſane pariter reſpiciendum eſt, ut hæc omnia calefacientia, vinum, aromata, & quæ ſunt ejuſmodi alia maxime fugiat, & ſibi potius uſum alterantium & humectantium, ipſiuſque aquæ potum ſedulo familiarem habeat. Neque vero hactenus dicta tantum ante moleſtam dentium eruptionem locum inveniunt, verum etiam ſub ipſa poſſunt ac debent adhiberi. *Diæta ante dentitionem & ſub ea tenenda*

§. II.

In ipſa curativa methodo id maxime agendum eſt, ut dolor & inflammatio, quæ febriculas, convulſiones & diarrhœas plerumque comites habet, placide ſiſtatur, gingivæ laxentur & emolliantur, ſicque dentium eruptio promoveatur. In quo quidem ſcopo obtinendo, ſi interna primum ſpectamus, præcipitantia & maxime quidem gelatinæ C. C. in potu diſſolutæ, cum eſſentia papav. rhœados, item liquor noſter anodynus mineralis, ad aliquot guttulas interdum oblatus, omnibus palmam reddunt dubiam. Neque præclaro ſuo uſu caret mixtura crebrius exhibita, quæ ex aquæ lil. convall. flor. tiliæ, primulæ veris ſingulorum uncia una, pulveris Marchionis & antimon. diaph. ſcrupulo uno, croci granis aliquot, & ſyrupi de pœonia, ſ. papav. rhœad. drachma una, additis liquoris & ſpiritus ſalis ammoniaci paucis guttis, conflari poteſt. *Curatio infantis per interna*

§. III.

Sicut autem in gravibus infantum morbis nutrici ſæpe, quam infanti medicamenta dare præſtat; ita quoque hoc ſimiliter obſervandum eſt in vehementioribus retardatæ dentitionis ſymptomatibus: quo fine ego inſignem ſæpe opem vidi ex medicamentis antiſpaſmodicis nutrici oblatis, ut ſunt pulveres, qui radicem pœoniæ, C. C. ſine igne, unicornu foſſile, ſuccinum, caſtoreum & ſimilia continent. *... nutricis per interna*

§. IV.

Nihil fere magis humorum ad ſuperiora impetum concitat & auget, quam diuturnior alvi adſtrictio, & quæ inde pendet flatuum atque ſpaſmorum in nervoſo inteſtinorum tractu progenies. Quamobrem nihil prius eſſe debet medico, nihil poſterius, quam ut tum infanti clyſteribus emollientibus & oleoſis, tum ipſi nutrici convenienti medela alvi libertatem reſtituat, ne forte reliqua morbi præſentis curatio a tali ſontica cauſſa retardetur vel prorſus ſuſpendatur. *alvus aperta ſervanda*

§. V.

§. V.

*Remedia externa*

Sed externis quoque remediis ad ipſas gingivas applicatis juvare decet, quo fine ad gingivas emolliendas & relaxandas egregie confert lactis cremor, item butyrum inſulſum tam ſolum, quam cum melle mixtum; neque minus prodeſt, in ipſa illa parte, ubi dens prorumpere conatur, & tumorem, dolorem & ardorem gignit, ficum per medium diſſectam admovere, medullam crurum vituli, vel mucilaginem ſem. cydonior. cum vitelli ovorum tantillo, aqua roſacea & ſyrupo violarum diſſolutam, vel etiam cerebrum leporinum, quod ſpecifice in tali caſu laudari ſolet, adhibere: ſicut pariter inſigni juvandi energia pollet linimentum, ex ſpermate ceti, ſyrupo papav. albi oleo amygd. dulc. croco & nitro paratum, carnique gingivarum dolenti inunctum. Quo demum pertinet mica panis albi cum lacte cocta, additoque oleo roſar. & croco remixta, quam nonnulli, ſi anodyna propter dolorem & inflammationem poſcuntur, mirifice commendare ſolent.

§. VI.

*Sectio gingivarum*

Quod ſi vero dentes erumpere plane renuant, ſectione ipſis parandus eſt exitus, & ſcalpello membrana, cui extremitates dentium incumbunt, incidenda: quod ego experimentum ſæpe ex voto ſucceſſiſſe memini.

*CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautelæ circa nonnulla medicamenta*

In dentitione difficili inprimis nocent omnia calidiora, purgantia, externa quoque valde ſpirituoſa naribus oblata, vel adſtringentia gingivis inuncta, quia, dum in toto corpore motus auctiores ſunt, hi facile exacerbantur, & febris, quæ frequentiſſimus & fere individuus doloris comes eſt, magis adhuc accenditur. Unde ſimili ratione peccant matres, quæ in his morbis, cum dolore, febre & inflammatione junctis, infantes nimis calido regimine tractant, & lectis aut conclavibus nimis calidis includunt.

§. II.

*.. circa alvi fluxum*

Quum alvi libertas, etiam paullo major, nunquam fere non majorem facit ſpem ſanitatis recuperandæ, nulla ſane ratione tum temporis alvum roborantia vel adſtringentia debent propinari. Alias enim res periculi eſt pleniſſima, & convulſiones cum aliis ſymptomatibus longe citius certiusque ſubſecutas eſſe recordor.

---

## CAPUT VI.

### *De epilepſia & convulſionibus.*

§. I.

*Inſtituti ratio*

Veram tam epilepſiæ quam convulſionum ideam jam in parte III. tomi IV. med. ſyſtemat. fuſius ſuppeditavimus, ibique argumentis ſat ponderoſis evicimus, cauſſam morbi alterius in ſpaſmo duræ matris; alterius in ſpaſtica membranarum medullam ſpinalem inveſtientium ſtrictura ponendam eſſe. Nihilo minus tamen, ut ſeorſim innoteſcat, quænam maxime cauſæ infantes horrendis hiſce adfectibus ſubjiciant, quibusque remediis depelli iſtæ debeant; è re fore arbitror, ut, in præſenti morborum infantilium diſquiſitione, ſpecialia quædam, & magis ad infantes pertinentia adjiciam.

§. II.

*Epilepſiæ & convulſionum ſubjecta*

Solent autem epilepſiæ & convulſiones teneram ætatem, quam ab anno primo ad ſeptimum uſque extendimus, præ ceteris frequentiſſime torquere; non aliam ob cauſſam, quam quod in infantibus partes nervoſæ membranaceæ ſenſuque exquiſitiori præditæ ex teneriimis, admodumque mobilibus fibrillis ſunt compoſitæ, quæ leviſſime tantum irritatæ in ſpaſticas & irregulares commotiones conjiciuntur facillime. Quam ob rem etiam uſu venire ſolet, ut quo tenerior & ætate minor eſt infans, & quo majorem à parentibus vel animi adfectibus deditis, vel eodem olim morbo adfectis, obtinuit ſenſibilitatem; eo etiam facilius ac vehementius tam epilepſiis quam convulſionibus corripiatur.

§. III.

*.. orta à matre & nutrice*

Tum quoque truculenti hi adfectus facile ſolent accidere, ſi non modo matres uterum geſtantes, ſalutares diætæ leges neglexerunt, ſed etiam nutrices lactantes hyſtericis vel aliis nervoſi generis pathematibus laborant; ſi acetaria, acria, fructus horæos aliaque incongrua copioſius devorant, ſpirituoſa liberaliori manu aſſumunt, vel lacte copioſo æque ac craſſo puſillos ſibi demandatos nutriunt. Neque adeo rarum, ſed mihi aliquoties obvium fuit, perfacile ſugentes in epilepticas convulſiones easque difficulter curabiles incidere, quando nutrices vehementi animi adfectu, præſertim ira, terrore & timore percuſſæ mammas ſtatim ante debitam lactis emulctionem & correctionem offerunt; aut ſi quando menſtruas purgationes, quibus ab initio lactationis ad tempus caruerunt, denuo experiuntur.

§. IV.

*.. à ſpaſmis & doloribus aliarum partium*

Deinceps experientia demonſtrat, nonnunquam tam comitialem, quam convulſivum morbum ſuboriri, ſi partes quædam nervoſæ ſpaſmis vel doloribus agitantur, & ſimul conſenſus lege ipſæ meningum & medullæ ſpinalis membranæ adficiuntur. Fieri hoc maxime deprehendimus à meconio in primis viis retento, & per moram acrius reddito; item à ventris torminibus & vermibus, ſenſibiles inteſtinorum tunicas lancinantibus, nec non à doloribus ex dentitione difficili ſubortis & à purgantibus fortioribus iisque præſertim crebro oblatis; ſiquidem hæc omnia ita ſunt comparata, ut in ſubjectis ſenſatione paulo majori præditis facili negotio motus epileptico-convulſivos ciere valeant.

§. V.

*.. ab exanthematibus repulſis*

Sicut illi denique pueri ab epilepſia & convulſionibus præcaventur vel liberantur, quibus favi, cruſta lactea & ſcabies cum puſtulis ſuperveniunt; ita hiſce impuritatibus improvide retropulſis ſæpe ſæpius hi graviſſimi morbi originem debent; quod ſimiliter valet de variolis & morbillis, quorum vel impedita eruptio & nociva retroceſſio, vel improvida cura infantes numero plurimos epilepſiis & convulſionibus enecat.

§. VI.

§. VI.

*Prognoſis.* Quæ febribus acutis, petechialibus & varioloſis ſuperveniunt convulſiones & epilepſiæ, mali ſunt ominis, nec etiam periculo carent, quando ex dentitione difficili & ventris torminibus ſubortæ diutius adfligunt. Quibuſcunque hi morbi, teſte *Hippocrate ſect. III. aph.* 28. & experientia, circa annum ſeptimum non ſolvuntur, iis plerumque uſque ad aliam ætatis periodum miſere inhærent. Nec denique minus ex ipſa paroxyſmorum frequentia prognoſis petenda; ubi ſciendum, quod quo crebriores ſunt acceſſiones, eo magis timendum ſit, ne natura demum ſuperata ſuccumbat.

*CURATIO.*

§. I.

*Curatio mali à nutricis lacte* Sicut in omni morbi genere, ita non minus in noſtris adfectibus tota medentis intentio ad cauſſas debet eſſe directa. Quod ſi itaque ex vitio nutricis per terrorem aut vehementem iracundiam commotæ malum originem repetit, ſepoſitis omnibus ſpirituoſis, acribus & irritantibus, ea dare expedit, quæ inordinatos & ſpaſticos nervoſi generis motus placide compeſcunt; ut inprimis faciunt clyſteres ex emollientibus & carminativis parati, item pulveres antiſpasmodici, ex pulvere Marchionis, cinnabari & moſchi tantillo confecti & vel ſoli, vel in vehiculo aquarum, ſedante quadam virtute præditarum, tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, aurantiorum &c. propinati.

§. II.

*-- à lactis corruptione* Neque parum differt curatio, quando malum à lacte in ipſo infante corrupto & corroſivo reddito proficiſcitur; ſiquidem tum pariter, præter clyſteres demulcentes, egregius pulverum abſorbentium cum croco, moſcho vel momento extracti caſtorei remixtorum eſt uſus; maxime ſi ſimul decoctum cornu cervi paulo ſpiſſius pro potu adſumatur. Quod ſi vero ſimul primæ viæ a ſordibus acido-corroſivis ſunt purgandæ, fieri id commode poteſt decocto mannato ſucceſſive dato, cui aliquot guttulæ olei tartari per deliquium ſint inſtillatæ.

§. III.

*-- à lacte coagulato ſtagnante* Quando lac craſſum & copioſum mali cauſſam ſuppeditat, infans pauciori lacte alendus, & talia nutrimenta præbenda ſunt, quæ illud fluidius & ſeroſius efficiunt. Sæpe etiam in tali ſtatu ventriculus à lacte ſtagnante & coagulato multum eſt infarctus, ubi ſæpe lene emeticum extra paroxyſmum oblatum prodeſt, quod ex tertia vel quarta grani parte tartari emetici cum ſyrupo violarum & aqua quadam deſtillata remixta componi poteſt.

§. IV.

*-- à meconio retento* Meconium primis menſibus non rite expurgatum & ſubſiſtendo acrius factum, quando anſam malo porrigit, debet illud lenioribus laxantibus cum abſorbentibus junctis evacuari, maxime vero per electuarium, ex ſyrupo cichorei cum rhabarbaro, lapidibus cancrorum & pulvere Marchionis compoſitum. *-- & vermibus* Vermes contra per remedia ipſis accommodata ſunt interficiendi & expellendi.

§. V.

*-- ex repulſione cutis exanthematum.* Si quando epilepticum malum ex repreſſione ſcabiei, tineæ capitis, vel aliorum exanthematum ſuboritur; ea debent propinari, quæ materiam impuram ad habitum corporis revocandi virtute pollent; inprimis autem veſicatoria nuchæ applicata in tali caſu ſæpe uſum præſtitiſſe novimus. Atque hoc etiam experientia Fernelii videtur confirmatum, qui multos epilepticos per fonticulos & ſetacea curatos refert.

§. VI.

*Cautio circa opiata & volatilia.* Solent nonnulli, nec adeo incelebres medici ad vehementiſſimos ſolidorum motus placandos interdum opiata, ut maſſam pilularum de cynogloſſa, theriacam cœleſtem & alia commendare; ſed quia ſæpe infauſtum inde vidi effectum, cum hiſce cautiſſime mercandum eſſe cenſeo. Idem valet de volatilibus, quæ etiam extrinſecus adhibita ſæpe ſæpius nocent.

---

## CAPUT VII.

### *De variolis & morbillis.*

§. I.

*Inſtituti ratio.* EQuidem jam in quarta medicinæ ſyſtematicæ parte, ubi de omnis generis febribus agitur, variolas atque morbillos ſeorſim conſideravi, mihilo minus tamen de ſingulis pauca jam addere placet, quæ partim allata magis dilucidabunt, partim eo ſervient, ut totum rei negotium, quo exoptata horum adfectuum curatio abſolvitur, breviter in conſpectum veniat.

§. II.

*Variolarum & morbillorum differentia* Variolæ quidem & morbilli, ſi primum invadunt, ratione ſymptomatum valde inter ſe conveniunt, dum utraque morbi ſpecies cum febre accedit, exanthematica contagioſa eſt, epidemice graſſatur, & univerſum corporis habitum cum aliquali cutis elevatione deformat; progrediente vero morbo differentia facile advertitur, dum in morbillis longe minor cutis elevatio apparet, pectus maxime maculis obſidetur, tuſſis excitatur atque totus morbi decurſus mitior & benignior deprehenditur, citiuſque terminatur: cum contra variolæ caput, manus & pedes potiſſimum occupent, maculæ in dies majores fiant, & rubræ, quæ deinceps ſuppurantur albeſcunt, exulcerantur & exſiccantur, ad quod non ſolum plures dies requiruntur, ſed vehementiora quoque ſymptomata accedunt, & veſtigia ſæpe indelebilia in cute remanent.

§. III.

§. III.

*-- difficilis eruptionis ſigna.* Nunquam aut variolæ, aut morbilli ſine febre eveniunt, certisque temporibus plus minus benignæ vel malignæ ſunt; nihilo ſecius tamen ſi ægrius erumpunt, laborantes ut plurimum delirant, ſomnia in ſomno terrifica experiuntur, magnas pectoris anguſtias ipſiusque gutturis dolores ſentiunt, urinam albam mingunt, nihilque alvi deponunt, quia diverſis aliunde humoribus feces exſiccatæ remanent; imo ſæpe epilepticis convelluntur ſubſultibus & mortis periculo expoſiti ſunt; niſi his omnibus in melius converſis ſymptomatibus quietiores fiant, & liberior exanthematum eruptio facilius ſuccedat.

§. IV.

*-- ſymptomatum ratio* Symptomata cum utroque adfectu conjuncta ut plurimum à febre & abhinc pendente ſanguinis impuri ebullitione proveniunt; quam ob rem non mirum eſſe debet, cur ſanguinis curſu ad ſuperiora impetuoſius directo pectoris anxietates, tuſſes & cordis palpitationes, in capite cephalalgiæ, deliria, oculorum & faciei inflammationes, lacrymarum fluxus, raucedines, ſalivationes &c. eveniant, & præterea, propter nervorum à materia cauſtica rodente vellicationem tormina, epilepſiæ, tremores, nervorum ſubſultus & ſimilia peſſimam ludant tragœdiam.

§. V.

*-- malignitatis & benignitatis ſigna in variolis.* Multum omnino refert, ut ſciamus, quam variolæ præferant indolem, & an malignæ, benignæ, an mediæ ſint naturæ. Peſſimæ autem ſunt, ſi depreſſæ cum foveis, vel etiam valde ardentes, acuminatæ & ſimul confluentes conſpiciuntur; ſi violaceæ, lividæ aut prorſus nigræ & vel petechiis vel purpura, præſertim alba, interſtinctæ apparent; ſi febris poſt eruptionem magna cum anhelitus difficultate permanet, & vel mictus cruentus, vel narium hæmorrhagiæ, vel cruentæ alvi dejectiones ſociantur. Peſſimæ quoque indolis ſunt, ſi in veſiculas ſero vel acri, vel ſanguinolento repletas dehiſcunt, & ad ſuppurationem tendere renuunt, aut ſi demum in lentas & hecticas febres deſinunt, malique moris ulcera & abſceſſus relinquunt. Benignas contra dijudicare licet ex remiſſiori ſymptomatum vehementia, puſtulis debito modo & tempore erumpentibus, ſuppurantibus & areſcentibus; quæ vero mediæ naturæ dicuntur variolæ, inter utrasque obtinent medium malignitatis gradum; uti nos pluribus in capite citato de variolis oſtendimus.

§. VI.

*-- in morbillis* Morbilli perinde gradu differunt, ſemperque mali haberi debent, ſi quando ipſis alia exanthematum genera immiſcentur, ſi tuſſis nimia, raucedo, & febris diutius durant, morboque declinante gravia remanent ſymptomata, quæ morbis chronicis anſam præbent faciliimam.

§. VII.

*Gradus variant ſecundum ſubjecta.* Pendent autem hi diverſi malignitatis gradus ab ipſa ſubjectorum laborantium conſtitutione & natura. Ita enim ſæpius iterumque obſervare mihi licuit, quod pueri ſucculenti ſanguineque copioſo præditi, maxime ſi a parentibus morbidis fuerint prognati, & propter victum incongruum impuros in corpore humores collegerint, ſub morboſa cœli iniquitate præ ceteris variolas & morbillos malo omine decurrentes incidere ſoleant. Etenim, quo major materiæ impuræ intus latitat copia, & quo minus naturæ robur eidem foras propellendæ ſufficit; eo etiam difficilior eſt morbus, cujus unica certe medela in decenti materiæ peregrinæ ad habitum corporis propulſione conſiſtit.

§. VIII.

*-- & alias circumſtantias.* Tum quoque ad augendam horum adfectuum malignitatem non parum conferre ſolent perverſum ægrotantium regimen & commiſſi in diæta errores, itemque aliæ, quæ præter morem junguntur circumſtantiæ, ut præcipue ſunt vermes, qui naturam in motibus ſalutariter inſtitutis ſæpe adeo turbant, ut omnia in pejus ruant ſymptomata, ſiquidem ego non raro ſpaſmodicas artuum tractiones, cum aphonia, ventris torminibus & nimia ſalivatione concitatas novi, quæ nunquam ſubſecutæ fuiſſent, niſi verminoſa progenies anſam ſuppeditaſſet. Sæpe etiam diarrhϾ & ſalivationes nimiæ, incongruo tempore obortæ ſtatum pejorem afferunt; licet moderatæ hæ evacuationes, ſi in principio & fine morbi critice incidunt, plus plerumque proſint, quam obſint.

§. IX.

*Cauſa mortis & prognoſis.* Qui pernicialibus his morbis pereunt, ut plurimum inflammatione partium internarum, & ſubſequente ſphacelatione, vel ſuffocatione, per anginam & catarrhum ſuffocativum moriuntur, quando acris cauſtica materia vel non ſatis expellitur, vel expulſa recedit, & in ſenſibili nervorum ſyſtemate graves ſpaſmos, imo epilepticas convulſiones excitat, quæ ſi poſt factam eruptionem aut perdurant, aut revertuntur, multum plerumque alunt periculi. Non raro in dubium mortis præbet indicium, quando materia ad partes nobiliores revertitur; unde extrema frigent, & ſubito faciei, totiuſque cutis intumeſcentia ſubſidet.

§. X.

*Sectio anatomica.* Demortui cultro anatomico diſſecti perſæpe exhibent viſcera pluribus puſtulis & maculis lividis obſeſſa, vel etiam ventriculum cum inteſtinis magna copia variolarum quoad ſuperficiem conſperſum; ut ipſe ego non ſolum crebrius annotavi; ſed alii quoque auctores obſervarunt ſæpiſſime. Vid. *Kerkring. Spicileg. obſ.* 62. *Fernel. lib. II. c.* 12. *de abditis rerum cauſis.*

*C U R A T I O.*

§. I.

*Curatio per [illegible]* Totus curationis cardo in eo potiſſimum vertitur ut materia acris & cauſtica temperetur,

tur, corrigatur, & à partibus internis ad externas propellatur. Quo ſcopo præcipuam merentur commendationem pulveres abſorbentes & diaphoretici, qui acrimoniam corpori infeſtam in variolis & morbillis non modo contemperant, ſed optimo etiam effectu eandem ad externum corporis habitum propellunt. Hi vero ex cornu cervi philoſophice præparati, uſti, lapidum cancror. antimon. diaphoret. ana drachma una, ſuccini præparati, nitri purif. ana drachma dimidia, cinnab. cortic. cascarillæ ana granis octo commode poſſunt parari, & proetatis ratione debita doſi exhiberi. Neque tum laude ſua carent emulſiones temperantes, vel dictis pulveribus interponendæ, vel cum iisdem conjunctim propinandæ, quales ex ſeminum cardui mariæ, frigidorum majorum, papaveris albi ana drachma una, aquæ cardui benedicti, flor. ſambuci, ceraſorum nigrorum, roſarum, florum tiliæ ana unciis duabus conficere hactenus conſuevimus. Huc quoque eadem intentione pertinent decocta cornu cervi & hordei, avenacea, ptiſanæ hordeaceæ cum ficubus paratæ, ſerum lactis dulce & ſimilia, quæ in acrimonia temperanda, & placidiori exanthematum eruptione promovenda maxime merentur laudari.

§. II.

*.. per alia combinata remedia.*

Hactenus recenſitis abſorbentibus, diaphoreticis & demulcentibus, ſi prudenter adminiſtrantur, totum curationis negotium feliciter abſolvitur, niſi vel in retardata exanthematum eruptione dictis pulveribus bezoardicis tantillum myrrhæ & croci adjicere, vel parum liquoris bezoardici, ut ſpiritus Buſſii cum liquore noſtro anodyno mixtus eſt, propinare, vel durante ſuppuratione liquorem myrrhæ aquoſum cum ſale tartari paratum ad acrimoniam temperandam offerre velimus, quod medicamentum ſimul pectus, ſi tuſſis valde urget, egregie ſolatur.

§. III.

*Curatio ventris torminum.*

Inter ſymptomata cum variolis & morbillis conjuncta inprimis referri debent torminoſi inteſtinorum cruciatus & teneſmi, quibus vix melius poſſumus mederi, ac ſi oleum amygdalarum dulcium recenter ſine igne paratum ad cochlear unum cum decocto cornu cervi, vel juſculo avenaceo ſubinde propinatur.

§. IV.

*.. raucedinis & tuſſis*

Quando raucedo cum tuſſiculoſa pectoris concuſſione valde urget, optime conducit electuarium, ex oleo amygdalarum dulcium recenti, ſpermate ceti, ſyrupo violarum & croco paratum, & cum potu calido crebrius exhibitum, non excluſis decoctis avenaceis cum ſaccharo cando & vitello ovi parandis.

§. V.

*.. hæmorrhagiarum*

Hæmorrhagiæ ſi incidunt, cautiſſimus ſit adſtringentium uſus; ſed tantum, ad impetum ſanguinis moderandum, proſunt mixturæ ex aquis antiſpaſmodicis cum diaſcordio Fracaſtorii nuptæ, & cum pulveribus præcipitantibus leniter nitroſis oblatæ.

§. VI.

*Oculorum defenſio.*

Variolæ præcipue faciem petunt, aciemque oculorum facile lædunt: quare, præſervandi fine, commendari meretur lac muliebre aqua roſarum dilutum & cum modico myrrhæ & croci remixtum, vel aqua roſarum & florum ſambuci cum tertia parte liquoris noſtri anodyni mineralis, & momento camphoræ vigorata, oculisque applicata.

§. VII.

*Faciei pulchritudo quomodo conſervanda.*

Nihil plerumque magis à medico expoſcitur, quam ut faciei nitoris & pulchritudinis conſervandæ curam gerat, ne profundæ relinquantur cicatrices faciem deturpantes; quod fieri plerumque videmus, ſi materia acris nimis profunde cuti inhæret. Licet autem raro in totum evitari poſſint tædioſæ iſtæ cutis deſœdationes; aliquid tamen petitionibus dandum, & linimentum commendandum eſt, quod ex axungia humana recenti, cum ſolutione lythargirii in aceto facta paratur; modo caveatur, ne nimis cito, ſed areſcentibus demum papulis adhibeatur.

§. VIII.

*Nares quibus defendendæ?*

Nares ſæpe internæ variolis obſidentur & obſtruuntur, quo minus dein liberior aëris in & exſpiratio rite poſſit ſuccedere; quam ob rem, ſi opus eſt, illæ commode poſſunt illiniri oleo amygdalarum dulcium cum oleo ligni Rhodii & tantillo camphoræ remixto: quod remedii genus locum pariter invenit, ſi fauces exulceratæ opem expoſcunt.

§. IX.

*Reliquiæ morbi quibus tollendæ?*

Sæpe, licet omnia diligentiſſime obſerventur, in fine morbi nocivæ permanent reliquiæ, quæ peculiarem opem expoſcunt. Ita ſi ulcera mali moris reſtitant, unguento de ceruſſa camphorato vel lythargirii ſunt tractanda, vel iiſdem balſamica, ex eſſentia ſuccini, myrrhæ, balſamo Peruviano confecta, vel balſamum noſtrum vitæ aquæ ſclopetariæ nuptum injicienda. Quicquid vero mali evenit; ſemper continuationem cum internis purificantibus requirit. Quem in finem non modo alvus lenioribus laxantibus, ut tinctura rhabarbari, per intervalla debet ſubduci, & ſaluberrimum tranſpirationis negotium debito regimine infuſis herbarum calidis veronicæ, ſcordii, ſcabioſæ, radic. glycyrrhizæ & ſem. fœniculi, pulveribusque diaphoreticis leniter myrrhatis promoveri, verum etiam temperatis balſamicis, e. g. eſſentia myrrhæ aquoſa & aliis, deperdita ſanguinis temperies reſtitui. Juvat hic quoque exacta diætæ ratio, quæ in eo conſiſtit, ut inter cibos dura, ſalſa, flatulenta fugiantur, potuique decoctum radicis chinæ, ſarſaparillæ, glycyrrhizæ &c. ſubſtituatur.

§. X.

*Præſervandi ratio.*

Hactenus commendata interna remedia ſimiliter præſervandi ſcopo ex uſu ſunt, ſi quando propter inordinatam aëris conſtitutionem vel

vel propter aliorum jam ægrotantium contagium, hæc exanthemata ſunt pertimeſcenda. Nam multum omnino refert, ut corpus ad morbi impetum felicius ſuſtinendum antea bene præparetur.

### *CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautelæ circa regimen* Si ullo in morbo accuratum vitæ regimen tenendum eſt, obſervari quam maxime debet in variolis & morbillis. Præſertim autem aeris regimen ita moderandum eſt, ut nec ægrotantes nimis calidis tegumentis prope fornacem cooperiamus, nec in hypocauſtis humilioribus & frigidis detentos frigoris injuriæ exponamus. Utrumque enim periculoſiſſimum eſt, dum altera ex parte, ob facilem internorum inflammationem & auctam materiæ peccantis acrimoniam, hæmorrhagiæ & alia mala concitantur; ex altera vero exanthematum eruptio vel retardatur, vel puſtulæ retroaguntur.

§. II.

*— circa diætam* In principio & ſtatu morbi carnes vitare decet, omniaque alimenta multum ſucci præbentia; niſi majorem accerſere velimus putredinem. Vitentur quoque nimis dulcia, eaque præſertim viſcida, quia humorum viſcoſitatem augent. Id quod in morbillis ſimiliter valet de acidis temperandi ardoris gratia cum potu datis; ſiquidem tuſſim, quæ fere individuus hujus morbi comes eſt, plerumque vehementiorem reddunt.

§. III.

*Uſus frictionum* Veteres medici inter morbi initia, ad materiam hoſtilem à partibus internis evocandam, externe frictiones partium extremarum cum pannis calidis valde commendarunt; quod remedii genus nec ego rejicere auſim; quoniam ad meliorem cutis perſpirationem haud parum conferre arbitror.

§. IV.

*Cautela circa laxantia* Remedia alvum ducentia magis præſervandi, quam curandi ſcopo utilia ſunt; nihilo minus tamen crebrius ego in morbi principio, ſi propter ſummam ſanguinis ebullitionem humores vehementius ad caput & pectus propelluntur, clyſteres ex decocto hordei, ſaccharo, & oleo amygdalarum dulcium paratos applicari juſſi; idque inde obtinui, ut exoptata ſymptomatum remiſſio ſubſecuta fuerit.

---

## CAPUT VIII.

### *De tabe ſeu atrophia infantum.*

§. I.

*Atrophia definitio* INter morbos infantibus familiares non infimum tenet locum tabes, quæ eſt paulatina univerſi corporis conſumtio cum abdominis inflatione & inſigni functionum læſione plerumque conjuncta.

§. II.

*— hiſtoria* Incipiente malo artus tam inferiores quam ſuperiores incipiunt flacceſcere & marceſcere, abdomen vero diſtendi, adeſt ſpiratio difficilior, laſſitudo corporis, alvus modo ſtrictior modo ſolutior, appetitus vagus, cibis maxime frigidis dicatus: increſcente malo facies propter tempora collapſa eſt adſpectu miſera & pallida, palpebræ poſt ſomnum tument, coſtæ protuberant, ſcapulæ alarum inſtar prominent, cibi plerumque ſemidigeſti excernuntur, & dolores circa umbilici regionem lancinantes ſæpe percipiuntur; urina mingitur craſſa modo, modo rubicunda; ſomnus eſt turbulentus & circa noctem lentus calor cum oris ſiccitate & ſiti accedit.

§. III.

Minime vero hic noſter adfectus debet confundi cum gracilitate corporiſque macilentia, quæ a pinguedinis defectu oriunda, ſæpe unam tantum partem occupat, neque tamen totius corporis functiones lædit. Tum quoque probe debet diſcerni a rachitide, in qua partes quidem nonnullæ contabeſcunt, ſed artus ſimul tumore, contractura, incurvatione deformantur. Dein cavendum eſt, ne tabes ceu primarius adfectus, pro illa tabeſcentia habeatur, quæ ceu ſymptoma aliis morbis, ut febribus, variolis, morbillis diarrhoeis & lumbricis ſupervenit. Differt tandem vera tabes à marcore, qui à defectu lactis dependet; id quod cognoſci poteſt ex nutricis uberibus, ſi flaccida ſunt & lactis omnino egena, ſi ipſæ nutrices non bene appetunt, ſi infantes parum mingunt, plorant, vagiunt, ſique alimento accepto, conquieſcunt, & mammas cupidi arripiunt. *— differentia ab aliis morbis*

§. IV.

Qui pereunt hoc morbo, in horum ſectione pleruinque glandulæ meſenterii tumefactæ, ſcirrhoſæ, vel ipſi abſceſſus deprehenduntur; hepar quoque & lien raro ſine labe, infarctu & magnitudine aucta conſpiciuntur: muſculi, præſertim abdominis tam extenuati ſunt, ut vix membranam referant; inteſtina contra valde inflata & amurca fœtida, quandoque nigra ſunt referta. *— ſectio anatomica*

§. V.

Cauſſam hujus mali proximam in ſucci nutritii temperati & gelatinoſi defectu, vel ejuſdem inſufficienti ad partes ſolidas appoſitione reponimus: mediatas vero cauſſas in depravata alimentorum digeſtione, chylo impuro & craſſo, ejuſque denegato per vaſa lactea ad ductum thoracicum & ſanguinem tranſitu collocandas eſſe ſtatuimus. Quam maxime autem hoc loco accuſari etiam debet bilis defectus, vel inertia, à præternaturali hepatis conſtitutione inducta, ob quam non modo digeſtio valde læditur, ſed oſcula quoque tunicæ inteſtinorum villoſæ minus rite a mucoſitate ſua liberata chylum ægrius recipiunt & tranſmittunt. *— cauſa proxima*

§. VI.

Cauſſæ remotæ & occaſionales iterum variæ ſunt; plerumque tamen obſervavimus, poſt perpeſſos varii generis morbos, ut variolas, morbillos, motus ex dentitione difficili convulſivos, & alios, gravem hanc & chronicam paſſionem fuiſſe ſubſecutam; præſertim quando convaleſcentes gulæ nimium indulgentes alimenta craſſioris texturæ ut caſeum, panem non rite fermentatum, farinacea, placentas, fructus *— cauſæ remotæ ſunt prægreſſi morbi*

quoque horæos, cibos acidos & vina acida adſumſerunt. *..frigus* Nihil vero, prout frequenti habemus experientia, magis nocet, quam ſi infantes calefacti & ſudore madidi noctu frigidum potum ſæpius accipiunt, vel à ſomno in lecto calentes in frigidiorem auram transferuntur. A ſuppreſſa enim tranſpiratione & conſtrictis extremorum ſubtiliſſimis tubulis non modo ſuccus nutritius divertitur, & à peripheria ad centrum & inferiores partes reprimitur, verum etiam prava, ſalſa & acri intemperie imbuitur

§. VII.

*..omiſſæ lotiones.* Neque cum clariſſimo Dno CHUDEN dubitamus adſerere, infantes, niſi bene fuerint loti & à ſordibus ſuis mundati, ob pororum cutis occluſionem, tabem poſſe incurrere: qui vero ex omiſſa lotione vermiculos in cute neonatorum generari ſtatuunt, quos comedones vocant, magnamque boni nutrimenti partem ſubtrahere credunt, hi me eo adducere non poſſunt, ut ipſis fidem penitus tribuam, quia novam hanc adſertionem ſufficienti experientia nondum ſatis habeo confirmatam.

§. VIII.

*..perverſa medicatio* Neque inficiandum, ex præpoſtero medicamentorum, præſertim terreorum, abſorbentium & adſtringentium, in diarrhœis, febribus intermittentibus, torminibus, variolis &c. uſu tabidos ejuſmodi adfectus infantibus poſſe accidere. Nam teſtantur, qui corpora hoc morbo defunctorum anatomice diſſecuere, ſe tum in ventriculo, tum in adnexis inteſtinis tenuibus cruſtas quaſdam ſolideſcentis materiæ inveniſſe, quæ vix ab horum ſubſtantia divelli potuerunt: quod indicio eſt, non modo liquoris gaſtrici ſeparationem inde fuiſſe prohibitam, ſed chyli quoque colaturam, oſculis lacteorum occluſis, retardatam.

§. IX.

*..diſpoſitio à parentibus & nutrice accepta* Tabes quoque recte ſtatuitur ſcorbutica, ſi à parentibus impura humorum dyſcraſia laborantibus progenerantur, vel à nutricibus morbidis vel cachexia & alio ſcorbutico affectu ægrotantibus lactantur. Sæpenumero etiam venerei quidpiam complicatum eſt, unde atrophia tanquam effectus à cauſa dependet.

§. X.

*..vermes* Sæpe etiam vermes, inteſtinorum volumini innidulantes atrophiæ cauſſam conſtituunt, qui non modo partem alimentorum & chyli optimam præripiunt, ſed pravis quoque exhalationibus ipſum imbuunt. Notabile ſane exemplum A. N. C. *vol. III. append. p.* 161. de puero atrophia defuncto & diſſecto referunt, in cujus inteſtinis plures vermium nodi alii majores, alii minores, interiori tunicæ villoſæ tam firmiter adhærere viſi ſunt, ut cum eadem veluti concreti conſpicerentur, nec ſine læſione ipſius tunicæ ſeparari potuerint.

§. XI.

*..prava diæta poſt ablactationem.* Non raro porro infantes antea ſani, & per omnia recte valentes abſque aliqua prægreſſa manifeſta cauſſa languere, corporeque extenuari incipiunt. Atqui hoc patiuntur, quando à lacte matris vel nutricis ad ſolidiorem deferuntur cibum; cumque jam antea bene pedibus inſiſtere, ſuamque corporis molem ſuſtentare valuerunt, nunc minus poſſunt conſiſtere & terram attingere detrectant; ſed mox genuina morbi indoles clarius ſe manifeſtat, quando penduli artus in ſenſus incurrunt, habituſque corporis flaccidus & rugoſus fit, ut in natibus maxime & femoribus conſpicitur. Interea cibos ſic laborantes continuo ingerunt, ut vix ſaturari poſſint.

§. XII.

*De faſcinatione judicium.* Nihil magis ſolenne & inter vulgus receptum eſt, quam, ut plurimi, adeoque etiam medici, diutius perſeverante hoc malo, cauſam in faſcinationes rejiciant. At vero, ſicut hæc ludicra & inanis excuſatio non obſcure indicat, hos homines, qui ad tam abſurdum ignorantiæ aſylum confugiunt, nec genuinas morbi cauſas cognoſcere, nec commodis poſſe remediis eaſdem abigere; ita nos hanc judicandi rationem ineptam & medico philoſopho indignam merito rejicimus.

§. XIII.

*Prognoſis.* Quando ab imprudenti adſtringentium, nimio ſalinorum & abſorbentium uſu malum originem ſuam repetit, multum ut plurimum temporis ad curandum requirit; quod ſi vero materia terreorum abſorbentium jam ſoliditatem quaſi acquiſivit, ſpes ſalutis dubia eſt, & multi ante cauſſæ ſublationem morte præripiuntur. Quando inveteratus eſt morbus, & meſenterium, hepar, lien, pancreas, renes ac pulmones jam infarcta & ſcirrhoſa, tunc raro aut nunquam curatur. Salutem contra promittit, ſi coctione ciborum emendata, appetitus magis conſtans & regularis redit, tumor abdominis decreſcit, & vires recolliguntur. Si diarrhœa adeſt, & materia purulenta admodum fœtida cum ſanguine mixta per anum excernitur, atque corpus inſuper valde emaciatum eſt, malum difficili aut nullo plane negotio poteſt tolli; ſiquidem diarrhœa reliquas adhuc vires conſumit, & materia fœtida jam corruptionem in abdomine indicat, quam mors plerumque ſatis cito excipit. Quando infarctus vel ſcirrhus in exulcerationem abit, & febris ſupervenit hectica, quam ex urina flammea & rubicunda, æſtu ac phlogoſibus poſt cibum ut plurimum cognoſcimus, tunc infantes certo certius ſuccumbunt. Tandem ſæpenumero per febres intermittentes tabem feliciter ſublatam obſervationes teſtantur.

## *CURATIO CUM CAUTELIS.*

§. I.

*Curatio per commodam diætam* Curatio multum pro differentia cauſſarum differre ſolet, generatim tamen in ablactatis eo maxime reſpiciendum eſt, ut ejus generis cibi ſuppeditentur, qui corpuſculo languido partibuſque emarcidis nutrimentum & robur addunt. Egregia hunc in finem ſunt juſcula ex conquaſſatis gallinis & caponibus ſine pinguedine & evidenti ſalſedine parata, item pulmenta ex pomis Borſtorffianis cum vitello ovorum & ſaccharo confecta, quibus cinamomi, macis & vini pauxillum addi poteſt.

§. II.

*..juſcula aperientia* Quando oſcula vaſorum lacteorum & ductus glandularum meſeraicarum ab amurca tenaci obſtructionem patiuntur, brodia gallinæ veteris cum radice graminis recenti, fœniculi, petroſelini, aſparagi, ſellerie &c. decocta, pinguedine remota

mota ſunt omnium utiliſſima, quibus in refracta doſi ſpiritus nitri dulcis vel vitrioli martis aliquot guttæ, vel ſolutio ocul. cancror. addantur. Sed debet per plures dies imo ſeptimanas continuari ita, ut ſingulis quatuor horis elapſis, tres vel quatuor unciæ ad ſorbendum offerantur.

§. III.

*--per medicamenta aperitiva*

Inter medicamenta magnæ in hoc morbo efficaciæ deoppilativa præcipue etiam locum tenent liquores ſalini mediæ naturæ, ſi v. g. ex ſolutione oc. cancri cum ſucco citri, terra fol. tartari, arcano tartari cum aqua petroſelini vel fœniculi parantur, & juſta doſi aliquoties de die offeruntur; à quibus remediis ſummam & mirabilem ſæpe energiam expertus ſum.

§. IV.

*--per balſamica ſtomachica*

Ad laudabilem alimentorum digeſtionem promovendam, præſertim ubi bilis balſamica deficit, & acidum ac viſcidum prædominatur, elixir noſtrum balſamicum temperatum inter cibos ſumtum laudatiſſimum præſtat effectum. Ubi vero tormina, dolores, inquietudines &c. complicantur, liquor noſter anodynus mineralis, cum ſolutione ſalis tartari tenuiori mixtus & oblatus, remedium præbet optatiſſimi effectus.

§. V.

*--per balnea*

Quando ab obſtructis & infarctis tubulis ſubcutaneis, ſeu tranſpiratione prohibita, malum dependet, balnea ex rad. alth. filic. herbis malvæ, meliloti, flor. chamomill. & ſapone Veneto, addita lactis portione parata præſtantiſſimam opem exſerunt; modo non nimis calida adhibeantur. Et obſervatum ſæpius eſt, balnea iteratis vicibus primo poſt partum menſe adhibita inſigni præſervandi energia pollere.

§. VI.

Externe, ad diſcutiendum tumorem, oleum chamomill. vel anethi coctum, & moderate camphoratum non ſua laude caret.

§. VII.

*Curatio tabis à nutrice contractæ*

Quando ex impuro ſcorbutico lacte ortum traxerit ejuſmodi tabes, nutrix eſt removenda, & ſerum lactis dulce, vel etiam lac aſininum cum aliquot guttulis olei tartari per deliquium offerendum. Jungenda quoque infuſa diluentia theiformia ex veronica, hedera terreſtri, rad. glycyrrh. cichor. cum liquore ex ſolutione ſalis tartari & arcani duplicati. In ablactatis cereviſiæ ſemper alius diluens potus eſt ſubſtituendus, ipſique ſimiliter oleum tartari per deliquium inſtillandum.

§. VIII.

*--ab abſorbentibus ortæ*

Si à nimio abſorbentium uſu adfectio oritur, infuſa diluentia, junctis laxantibus ex manna, rhabarbaro, vel ſyrupo cichorei cum rhabarbaro proficua erunt. Juvat etiam interdum ventriculum à ſordibus viſcidis per pulverem ireos Florentinæ in paulo majori doſi exhibitum deplere.

§. IX.

*Cautela circa purgantia*

Purgantia adfectum hunc magis exaſperant, & ad hecticam diſponunt, præſertim ſi ſubjecta ſint ſenſibiliora. Nam ſæpe inde inflammatur ventriculus cum inteſtinis & poſt ſequitur mors.



---

## CAPUT IX.

### *De Rachitide.*

§. I.

*Rachitidis deſcriptio*

EXplicata jam tabe univerſali, progredimur ad particularem, quæ rachitis appellatur, & non niſi inæqualis nutritio eſt, qua partes aliæ debito ſuo nutrimento orbatæ contabeſcunt; aliæ plus juſto nutritæ augmentum recipiunt, & cum oſſium ſpinæque dorſi incurvatione majores fiunt.

§. II.

*--hiſtoria & decurſus*

Novum eſt morbi genus, & vix ſæculo priori ad exitum properante in Anglia obortum; poſthinc vero per reliquas Europæ regiones ſeptentrionem ſpectantes diſſeminatum, quod his maxime ſignis ſe manifeſtat. Accedente malo circa menſem ætatis nonum, aut ſerius adhuc, ſenſim paulatimque irregularis fit plurimarum corporis partium proportio, cutis laxa, abdomen macrum, & quaſi flatibus turgidum: muſculi atrophia conſumuntur, juncturarum contra articuli in brachio, manibus, genu & pedibus protuberant; oſſa ad ſuſtinendum corpus minus firma & cum ſpina dorſi ſæpe incurvata obſervantur: unde motus & ingreſſus debilis, qui ſæpe in movendi impotentiam terminatur. Tum quoque arteriæ jugulares & carotides intumeſcunt, caput eſt magnum, & ob colli ſuſtentantis flacciditatem ſæpe nutans: ingenium ſupra ætatem acutum, pectus vero anguſtum & à lateribus quaſi compreſſum cum ſterno acuminato & extremis coſtarum nodoſis. Invaleſcente demum malo jungitur febricula lenta, tuſſis, reſpirandi difficultas & alia, quæ plerumque ad mortem perdurant. Sed probe omnino tenendum eſt, quod certi dentur rachitidis gradus & durationis modi, qui non eadem in omnibus ſymptomata, ſed in nonnullis graviora, in nonnullis leviora producunt.

§. III.

*Sectio anatomica*

Qui hoc morbo defunctorum diſſecuerunt corpora, aliud atque aliud viſcus vitale labe corruptum invenerunt; ſiquidem alii hepar naturale grandius, ſcirrhoſum & diaphragmati coalitum, meſenterium glandulis induratis obſitum, & cum pancreate obſtructum; alii pulmones pleuræ vel tergo adnatos, eoſque vel lividos, vel vomicis refertos; alii pericardium aqua repletum ſe reperiſſe teſtantur. Plerique tamen, inter quos ſolertiſſimos corporum ſcrutatores GLISSONIUM, BONETUM & inter recentiores celeb. HEISTERUM referimus, unanimi fere conſenſu adſerunt: principium medullæ ſpinalis in hoc morbo ſolito eſſe durius & obſtructum, caput inter duram piamque matrem aqua perfuſum, cerebrum mole majus, venas vero carotides & jugulares arteriis minores.

§. IV.

*--cauſa proxima*

Quod ſi igitur his viris laude dignis fidem adjungere, noſtramque ipſius experientiam interpo-



terpo-

terponere licet; non poſſumus non cauſſam hujus diri adfectus proximam in impedito ſucci nervei in ſpinalem medullam vel compreſſam vel obſtructam influxu reponere; unde neceſſario earum partium omnium, ut brachiorum, pedum &c. perit nutritio, quæ nervos ex ſpinali medulla recipiunt: contra vero illæ plus nutriuntur, quæ vias habent apertas & ſufficientem ſucci nutritii admittunt copiam, ſicut, teſte anatomica experientia, in capite rachiticorum conſpicimus, quod ob denegatum lymphæ nutritiæ in medullam ſpinalem influxum, plus nutrimenti accipit, atque ideo non ſolum in majorem molem excreſcit, ſed & faciem bene coloratam exhibet. Neque aliunde derivandum eſt vividum ingenii acumen, quam à cerebro & cerebello illæſo, riteque ſuis muniis fungente; quare etiam partes, ad quas nervi inde abeunt, plerumque recte ſolent eſſe conſtitutæ.

§. V.

*Ratio ſymptomatum.* Facile quoque patet, cur oſſa incurventur & circa epiphyſes nodis deformentur. Nam quia muſculi eorumque ligamenta, quibus oſſibus annecti ſolent, minus rite in hoc adfectu nutriuntur, ſed alimentum copioſius per arterias ad oſſa devehitur; fieri ſolet, ut eorum extrema, quæ in infantibus mollioris plerumque texturæ ſunt, ob minorem reſiſtentiam diſtendantur, & tubercula accipiant. Quoniam vero, perſeverante hac nutritione, oſſa perpetuo increſcunt, & muſculi contra minores, brevioreſque fiunt; facile omnino ipſa oſſium extenſio à muſculis alligatis retardatur, & incurvatio contingit, idque eo magis, cum oſſa in hacce ætate admodum ſunt mollia & flexibilia. Nec denique diſtorſio ſpinæ dorſi aliam agnoſcit cauſam, quam proceſſuum oſſeorum, cartilaginum, ligamentorum & muſculorum vertebras dorſi connectentium flacciditatem, tonumque naturalem depravatum: quo præſente hæ partes ſub corporis inclinatione latius à ſe invicem ſecedunt magiſque diſtenduntur, quam iterum recedere, & in priſtinum ſtatum poſſunt reſtitui.

§. VI.

*Cauſa mediata.* Cauſſam hujus morbi mediatam conſtituit viſcida ſuccorum tenacitas, qui à ſanguine ſpiſſo ſegregati ad medullam ſpinalem deponuntur, ejuſque meatus comprimendo vel occludendo impediunt, quo minus liquidum nervorum tenuiſſimum in ſpinæ medullam rite poſſit influere, & abhinc per nervos amplius diſpenſari.

§. VII.

*Cauſæ remotæ ſunt diætæ errores* Ex cauſſis vero remotioribus ad humores inſpiſſandos ex diætæ vitio huc fere conferunt omnia, quæ inter cauſſas atrophiæ in priori capite à nobis ſunt relata. Quæcunque enim digeſtionis negotium turbant, chylumque craſſum, viſcidum & ad nutritionem ineptum ingenerant, ſuffragante experientia, huic noſtro adfectui etiam velificantur.

§. VIII.

*1. aeris prava conſtitutio* Si quid autem ſpeciatim ad ingenerandum hoc malum potens exiſtit, eſt profecto aer, qui teneros ambit, frigidus, nebuloſus, variiſque exhalationibus peregrinis refertus; qui partim cutis tonum debilitando, ſordes pituitoſas in corpore retinet, partim pulmones relaxando impedit, quo minus in hoc viſcere intima ſanguinis mixtio, ejuſque per totum corpus diſtributio rite poſſit ſuccedere. Luculentum hujus rei teſtimonium illuſtre totius Angliæ emporium exhibet Londinum, quod non tantum propter maris circumfluentis exhalationes, ſed etiam propter minerales quaſdam ex carbonibus foſſilibus emiſſas particulas inprimis rachitidi producendæ & ſuſtentandæ idoneum deprehenditur. Neque ideo mirum eſſe debet, cur ex eadem cauſſa in locis paludoſis & maritimis, itemque vere & autumno frequentior hujus mali ſit proventus; & cur hic Halæ, quæ tam ob ſalæ præterlabentis & ſalinarum effluvia, quam ob ſulphureum carbonum foſſilium fumum atmoſphæra valde humida cingitur, tam multi pueri rachitici ſe nobis ſanandos offerant.

§. IX.

Neque dubitarem adferere, quod ad faciliorem humorum in medulla ſpinali ſtagnationem multum contribuat prava quarundam mulierculárum conſuetudo, qua infantes pallio involutos ſæpe diu noctuque brachiis geſtant, & non modo ſpinam dorſi in ſitu incurvato diutius retinent, ſed pedes etiam inæqualiter flectunt; unde non tantum gibbera & pedes vari producuntur, ſed & noſtro morbo occaſio datur aptiſſima. Quod ſimiliter fieri deprehendimus, quando teneri ex improvido ictu vel lapſu externam vim & ſpinæ torſionem patiuntur, quare etiam gibboſi facile fiunt rachitici. *2. externa violentia.*

§. X.

Morbos quoque prægreſſos ad tabem non minus quam rachitidem diſponere nihil dubii eſt; ex omnibus tamen ii præcipue huc concurrunt, qui humorum ad medullam ſpinalem decubitum efficiendo, liberum fluidi tenuiſſimi itum reditumque ſuſpendere valent. Ita in artis exercitio non raro ſolet occurrere, quod hanc ob cauſſam poſt variolas non rite tractatas, item poſt ſcabiem cruſtamque lacteam & capitis tineam retropulſam dirus hic adfectus originem receperit. *3. morbi prægreſſi.*

§. XI.

Morbus invaleſcens ſi ſuper quintum ætatis annum aut diutius inhæret, difficulter curatur, & corpus plerumque languidum ac deforme juventuti tradit, & niſi accedentibus juventutis annis, ubi totum corpus maximam patitur mutationem, penitus tollitur, per totam vitam nullam ſanationis ſpem admittit. Nec minorem habet difficultatem ſanatio, ſi per hæreditariam diſpoſitionem fuit inductus, aut mox primis à nativitate menſibus obortus. Denique ſi phthiſis cum hectica febre, hydropicus tumor, aſthma vel diarrhœæ ſuperveniunt, ſpes in anguſto eſt poſita. Quæ vero ab aeris aut victus vitio oritur rachitis, aut variolas, ſcabiem, aliaſque cutis efflorеſcentias ſubſequas habet, nec à tanta oſſium incurvatione & motus impotentia comitatur, faciliorem recipit medelam. *Prognoſis.*

CURA-

*CURATIO.*

§. I.

*Curatio per laxantia & emetica* Quum humores viſcidi, lenti & pituitoſi ad ſpinalem medullam depoſiti cauſſam & fomitem rachitidi præbeant: primo omnium eo reſpiciendum eſt, ut lentor ſuccorum reſolvatur, obſtructiones referentur, & liber fluidorum motus per totum corpus promoveatur. Quo fine ante omnia, ad fomitem mali, qui in primis viis reſidet, præſcindendum, conferunt leniora laxantia, non omiſſis, ſi opus eſt & tenera infantum conſtitutio admittit, lenioribus emeticis, ex radicis ipecacuanhæ aliquot granis cum ſaccharo & aqua cinamomi ſine vino datis, aut cum ſyrupo in electuarium redactis. Siquidem hac ratione non modo ſordes viſcidæ, in ventriculo & inteſtinis collectæ, perbelle educuntur, ſed etiam, addito hoc ſtimulo, debita humorum reſolutio & tubulorum obſtructorum recluſio egregie obtinetur; ſi modo caveatur, ne talia ſtimulantia in ſubjectis jam valde exhauſtis, & magna viſcerum labe vel pertinaci meſenterii obſtructione laborantibus adhibeantur; quia tum potius ea commendare expedit, quæ inter medicamenta deoppilativa & reſerantia in ſuperiori capite de atrophia retulimus.

§. II.

*.. per reſolventia* Hactenus dictis commode poſſunt interponi alia leniter reſolventia, ut fere ſunt diaphoretica, tinctura tartari, antimonii acris, & cinnabarina, mercurialibus in hoc caſu anteponenda, quæ partim per cutim, partim per urinam ſeroſas impuritates evehendo, inſigniter juvant, maxime ſi cum infuſis ſanguinem diluentibus & purificantibus adhibeantur.

§. III.

*.. per externa* Speciatim vero ad obſtructionem medullæ ſpinalis reſerandam & liberum fluidi nervei influxum reſtituendum à variis auctoribus frictiones cum linteis calidis in ſpina dorſi brachiis, pedibuſque inſtituendæ, item ſuffimigia ex thure, ſuccino, maſtiche, olibano &c. commendantur. Si quid vero, mea ipſius experientia, commendationem meretur, ſunt profecto balnea aquæ dulcis, cum herbis nervinis, majoranæ, lavendulæ, ſerpilli, roriſmarini, chamomillæ, meliſſæ &c. decoctæ; quibus ſi laborantes crebrius immittuntur, & poſtea linimenta nervina, ex axungiæ humanæ, olei nuciſtæ expreſſi ana uncia dimidia, balſami Peruviani drachma una, olei rutæ, lavendulæ, caryophyllorum ana guttis XXX. compoſita una cum frictionibus ſpinæ dorſi & artuum adhibentur, ſæpe tam exoptatus ſequitur effectus, ut ego plures inde viderim mirum ſublevatos, & tandem, cæteris paribus, ex voto reſtitutos.

§. IV.

*.. per diætam* Ante omnia vero ſimul conjungendum accommodatum vitæ victuſque regimen, quod in eo conſiſtit, ut pueri, remotis omnibus flatulentis, concoctu difficilibus, & viſcidis, crebrius juſcula gallinarum & vitulorum tenuia cum radicibus aperientibus, aſparagi, fœniculi, cichorei, apii, ſellerie, petroſelini & cancris fluviatilibus contuſis decocta adſumant, & ventriculi roborandi gratia temperata elixiria ſtomachica, ut noſtrum viſcerale eſt, inter cibos capiant. Tum quoque potus offeratur tenuis, & durante lactatione lac bonum ſatiſque dilutum, conjuncto convenienti & ætati accommodato motu, qualis vectura eſt, ut corpus ſegne paulum modo excitetur. Alvi libertas ſi deficit, leni promoveatur laxante vel clyſtere. Et ſi demum prava nutricis diſpoſitio malum vel induxerit, vel ſuſtentet, huic ſimiliter ea exhibeantur medicamenta, quæ infantibus in minori doſi propinanda commendavimus.



§. V.

Nec denique reticendum eſt, ad ſpinam dorſi incurvatam & membra diverſimode diſtorta commendabilem eſſe ligaculorum & thoracum applicationem, ſi modo caveatur, ne loco auxilii vim inferamus, & infantes ex uno vitio in alterum ſæpe gravius præcipitentur. *.. per ligacula.*

---

## CAPUT X.

### *De Vermibus.*

§. I.

VErmes ſunt animalcula viva variæ figuræ, ſtructuræ & magnitudinis, quæ ex ſeminio ſeu occulo inſecti cujuſdam cum alimentis adſumti in cavo inteſtinorum naſcuntur, & putrido quodam corrupto ſucco increſcunt, corporiſque univerſi functiones mirum in modum labefactant & lædunt. *Vermium definitio*

§. II.

Quamvis nulla hominum ætas ab exitialibus hiſce hoſpitibus plane ſit libera, maxime omnium tamen infantilis & puerilis, hoc eſt ab ablactatione ad decimum quartum annum iiſdem obnoxia eſt; quapropter etiam inter morbos infantiles de lumbricis tractatio præcipue meretur inſtitui. *.. ſubjecta*

§. III.

Variæ lumbricorum ſpecies, ipſa experientia teſte, in corpore humano obſervantur, quæ potiſſimum à medicis tam veteribus, quam recentioribus in numero tres diſpeſcuntur. Primo ſe offerunt rotundi, qui etiam teretes, Germanice *Spuhlwürmer* vocantur, & magnitudine, quæ vix ſpithamam æquat, ab aliis ſe diſtinguunt, maximeque ſedem ſuam in tenuibus ſuperioribus jejuni & ilei occupant; unde interdum ad ventriculum progreſſi oretenus prodeunt, vel vomitu ejiciuntur. Atque hi fere ſunt, qui teſte HILDANO *cap.* I. *obſ.* 57. pueris maxime innaſcuntur, & magno nonnunquam numero in globum quaſi conglomerati ileo firmiter inhærent, cujus membranas perſæpe ore ſuo acuto perrodunt, atque rependo in abdominis cavitatem penetrant. *.. tres ſpecies 1) rotundi*

§. IV.

Altera vermium ſpecies eſt eorum, qui ob figuram ſuam inſtar faſciarum latam, lati & tæniæ appellantur, admodumque longi ſunt, ut duos, imo decem interdum pedes menſura excedant, & à PLATERO in adultioribus quadraginta pedes longi obſervati ſint. *vid.* M. N. C. *anno III. obſ.* 29. BARTHOLINUS *Hiſtor. anatom. Cent. III. obſ.* 14. Hi plerumque totum inteſtinorum tractum, præcipue vero ileon, occupant, & raro ſine cauda & capite conſpiciuntur; *2) lati*

ſiquidem non toti, ſed fruſtulatim per ramenta, cucurbitæ vel cucumerum ſemen referentia, prodire ſolent, quæ interpretante Spigelio *cap. XV.* nihil aliud ſunt, quam nodus lumbricorum medius craſſus, à lateralibus & membranaceis ſuis appendicibus, putredine jam abſumtis ſuperſtes.

§. V.

*3) Aſcarides* Tertiam lumbricorum ſpeciem conſtituunt aſcarides, ſeu vermes parvi, exigui, graciles, Germanice *Maden*, qui inteſtinis craſſis maximeque recto innidulantes, hoc plerumque graviter cum teneſmo & moleſto ad deſidendum ſtimulo rodunt, vellicant & incredibili ſæpe copia cum excrementis exeunt.

§. VI.

*-- ſigna* Vermium in inteſtinis præſentia cognoſcitur, ſi pueri in ſomno pavent & excitati ab eo trepidant, ſi narium adſunt pruritus, oris fœtor, ſitis, ſalivæ fluxus, facies intercurrentibus phlogoſibus pallida, extremorum frigus, urina turbida, ventris inflatio, appetitus modo nimius modo dejectus, irregularis alvi apertura & ſimilia. Verum enim vero, cum ſigna hactenus recenſita aliis etiam morbis ſint communia: nullum ſane melius nullumque certius datur criterium, ac ſi vermes ipſi per alvum prodeuntes ſui præſentiam indicant.

§. VII.

*-- ſymptomata* Symptomata verminoſis familiaria pro ratione partium, ubi ſedem peregrini hoſpites obtinent, admodum plerumque variant; ſæpe tamen graviſſima ſunt: ſiquidem nonnunquam tam horrendæ artuum convulſiones excitantur, ut incantamenti ſuſpicio non raro plebeiis incutiatur. Potiſſimum vero, ſi in ventriculo reſident, nauſeam, cardialgiam, ſyncopen, corporis jectigationes, dentium ſtridorem, deliria, imo mortem denique ipſam inferunt: in inteſtinis tenuibus tormina, morſus circa umbilicum, famem caninam, ventris intumeſcentiam, & alvi fluxus concitant; in inteſtino autem recto moleſtas titillationes, roſiones fereque perpetuum teneſmum efficiunt.

§. VII.

*Morbi quibus junguntur.* Vermibus ſæpe junguntur febres putridæ, anomalæ, lentæ, quotidianis ſimiles: ſæpius autem infeſta hæc animalcula aliis ſe morbis, ut variolis & morbillis, immiſcent, vel iiſdem ſuperveniunt, & non tantum ſymptomata valde augent magnumque virium decrementum adferunt, ſed indicia quoque diagnoſtica & prognoſtica, imo ipſam curandi methodum valde reddunt difficilem.

§. VIII.

*Vermium generationi favent certa anni tempora* Certis anni temporibus, præſertim autumno, quando ſub valde humida & inæquali aeris temperie, febres catarrhales, variolæ & morbilli epidemice graſſantur, copioſior vermium ſolet eſſe proventus, non aliam ob rationem, quam quod tunc temporis humana corpora, ob labefactatum ſolidorum robur plus humiditatis inertis, viſcidæ & ad corruptionem pronæ accumulant, unde ſeminium illud verminoſum plus alimenti & ſuſtentationis recipit. Et inde quoque ratio petenda, cur infantes, pueri & ſequior ſexus, ſi præſertim vita ſedentaria & prava diætæ ratio accedunt, frequentius graviuſque vermibus & inde oriundis morbis laborent, quam quidem juvenes, ætate provectiores & ſexus nobilioris homines, qui majori ſolidorum robore, circuloque ſanguinis vegetiore prædıti non tam facile ſuccos inertes & viſcidos alunt.

§. IX.

*-- certa alimenta* Ex omnibus vero cauſis certa alimenta lumbricorum generationi favent, ut fere ſunt ea, quæ partim copiam ſuccorum pituitoſorum & inertium ingenerant, partim inſectorum ovula & ſeminia ſecum recondita in corpus invehunt; quorſum pertinent lacticinia, caſeus, fructus horæi, panificia cum melle & ſaccharo condita, legumina, farinacea, & hujus cenſus alia, quæ præ ceteris intus continent nociva inſectorum ovula, ſine quibus nulla fit in rerum natura animalculorum progenies. Comprobant hoc optime experimenta à *Franciſco* Redi & Malpighio ſolerter inſtituta, qui laudatiſſimi viri media quondam æſtate res putredini ſubjectas, ut piſces & carnes, diverſis lagenis, quarum altera fortiter clauſa, altera aperta ſervabatur, immiſerunt, & præterlapſo non ita longo temporis ſpatio in eo vaſe, cujus orificium inſectis & muſcis patulum relictum erat, contentas res vermibus valde ſcatentes invenerunt: in ea vero lagena, quæ clauſa erat, ne unicum quidem vermem obſervarunt. Similiter quoque Malpighius commemorat, ſe ſæpius carnis fruſtula humo ſepeliviſſe, in quibus tamen nunquam, licet per longum tempus in terra condita fuiſſent, animalcula deprehendiſſet. Quæ ſi ita ſunt, ut nullus dubito, in aprico jam poſita videtur ratio, cur infantes ſolo lacte victitantes non prius lumbricis tententur, quam ſi demum alia edulia, verminoſo ſeminio fœtida, accipiunt.

§. X.

*Prognoſis.* Pro diverſitate corporum magis vel minus valentium & ſenſibilium, item pro diverſa materiæ corruptæ & vermium indole, ipſa quoque differunt ſymptomata ſupra §. VII. enumerata. Sæpius tamen iterumque annotare mihi licuit, quod, ſi exanthematicis febribus, ut purpuræ, variolis, morbillis &c. ſe vermes immiſcent, placidus horum morborum decurſus valde plerumque perturbetur, & præter extremorum frigus, pulſus inæquales ac debiles, animique deliquia, mors ſæpe ipſa accerſatur: quod tamen in pueris crebrius, in ætate provectis rarius contingit. Lumbrici variegati coloris, rotundi nunquam fere non deterioris ſunt notæ; ſiquidem ad ventriculum ſæpe adſcendunt, ejuſque orificia lancinando, & interdum perforando, epilepticas convulſiones, ſuffocationis periculum, imo mortem repentinam inferunt. Tæniæ, ſive longi longiores inducunt morbos, & quandoque nondum cogniti vita privant. Aſcarides minus periculi alunt, quia in inteſtinis craſſioribus, ſenſu non adeo acuto præditis, reſidentes roſionibus ſuis minus nocere valent. Circa meridiem & veſperam plerumque acerbiora obſervantur verminoſorum ſymptomata; quoniam tum temporis animalcula nervoſum inteſtinorum canalem à cibis vacuum morſicando fortius adgrediuntur. Vermes mortui ſi dejiciuntur, ob ſummam, quam arguunt, putredinem, periculum portendunt; niſi forte à datis medicamentis fuerint enecati & expulſi. Ex ore prorepentes lumbrici in morbis gravioribus morituros indicant ægrotantes; maxime ſi frequens & frigidus adſit anhelitus: neque tamen omnino mortem ſemper prænunciant, quia varia teſtantur exempla, omnis generis febres expulſione vermium fuiſſe ſolutas. Quam in rem legi merentur

M. N.

M. N. C. *Vol. III. in append. obſ. IV. p.* 163. ubi febris tertiana & continua pluribus expulſis oretenus vermibus ſanata legitur.

### *CURATIO.*

§. I.

*Inſtituti ratio*

Quamvis in ingenti vitæ diſcrimine infantes verminoſi verſentur, nunquam tamen deſperandum eſt, quandocunque pro diverſitate ſymptomatum, naturarum & rerum circumſtantium debito tempore & ordine commoda adhibeantur remedia. Jam vero in nullo fere morbo tam diverſa & activæ indolis medicamenta a medicis laudantur & applicantur, quam in morbis, ubi vermes vel ſunt expellendi, vel enecandi; quare operæ pretium fore confido, ſi in præſenti de anthelminticorum natura, virtute & uſu ſollicitus, breviter demonſtrem, quæ in iis exhibendis à medico prudentia & circumſpectio ſit adhibenda.

§. II.

*Anthelminticis accenſenda acida*

Primo autem omnium inter remedia vermibus & morbis inde oriundis dicata referri ſolent acida, qualia ſunt ſuccus citri, aurantiorum, limonum, ribium, berberum, granatorum, phlegma & ſpiritus vitrioli, cremor tartari, vinum præſertim acidulum Rhenanum ipſumque tandem acetum. Quæ ſingula profecto eo tempore, ubi æſtus & calor præternaturalis jungitur, & febriles complicantur motus, commode locum inveniunt: ſiquidem non modo æſtum egregie temperant, ſed putredini quoque, quæ ſemper fere comitatur, mirifice reſiſtunt, & periculoſam ſymptomatum malignitatem avertunt.

§. III.

*— amara*

Anthelminticis quoque remediis amara, ut abſynthium, centaurium minus, ſcordium, trifolium fibrinum, ruta, & multo adhuc magis, quæ ſimul purgante facultate pollent, ut aloe, rhabarbarum, colocynthis, & parati ex ipſa trochiſci alhandal &c. accenſentur. Licet vero hæc remedia vermibus non penitus ſint adverſa, dum non modo in rhabarbaro, & abſynthio, ſed in ipſa quoque veſica fellea, *teſte* HILDANO *cent. I. obſerv.* 160. vermiculi proveniunt; minime tamen negari poteſt, quin amara inſignem contra hæc animalcula præſtent effectum: quia partim materiam crudam & viſcidam, qua nutriuntur, vi ſua balſamica corrigunt, & fibras inteſtinorum ſtimulando, corruptos humores una cum verminoſa colluvie nonnunquam evehunt, partim vero bilis inertiam, quæ ſæpe cauſſam vermium mediatam conſtituit, in pueris & ſubjectis humidioribus emendant.

§. IV.

*— oleoſa*

Tum quoque oleoſis magna tribuitur efficacia, quæ maxime experimento *Franciſci* RHEDI videtur confirmata, dum muſcas & alia inſecta variis liquoribus immerſa in vivis permanſiſſe refert, exceptis aliis oleo perunctis & infuſis, quæ invicem mortua vitam non receperunt, licet radiis ſolaribus fuerint expoſita. Equidem libenter concedo, hæc omnia veritati eſſe conſona, atque etiam oleoſa, ut oleum olivarum, raparum & amygdalarum dulcium, non ſine fructu adhiberi: ſed ſcire licet, minime illa eo unquam ſcopo poſſe offerri, ut vermes enecent, quia admodum magna oleorum copia requireretur, ſi immediate vermes, per totum inteſtinorum volumen diſperſos, deberent exſtinguere. Multo magis oleoſa in gravibus à lumbricis ſymptomatibus ideo cenſerem utilia, quia ſenſibiles inteſtinorum tunicas ſpaſmo conſtrictas relaxant, & mucilagine quaſi oblinunt atque defendunt, ut poſtea acriora quædam & purgantia remedia magis ſecure & ſine læſione exhiberi poſſint. Ita ego ſæpius mirabili cum effectu, ad vermes enecandos & ſymptomata lenienda, oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia, imo unciam unam vel duas circa lecti introitum, vel ſummo mane pueris præſcripſi ſumendum, ſubjungendo aliquot horas poſt pilulas ex extracto panchymagogo Crollii, reſina jalappæ, & mercurio dulci paratas.

§. V.

*— ſalina*

Eximia etiam laude, ad exturbanda noxia hæc animalcula celebrantur ſalina, tum quod tenerrimæ horum animalculorum ſtructuræ infeſta ſunt, tum etiam eorum exitum, inteſtina ſtimulando, promovent; idque eo magis, ſi in ſufficiente aquæ quantitate fuerint ſoluta. Valet id potiſſimum de ſalibus iſtis neutrius generis amaris, & nominatim de ſale Glauberi, Epſonienſi, Sedlicenſi, Egranarum & Carolinarum aquarum quæ, cum vehiculo ſufficienti ſumta continuato uſu egregium præſtant effectum, maxime ſi pueri & juvenes ea vermium ſpecie, qui tæniæ & lati appellantur, laborant; quoniam hi non tam promte purgantibus, quæ ſpaſmo agunt, quam potius per ilia & fontes ſalinos feliciter exterminantur. Quam ob rem non ſine ratione fonti Sedlicenſi, qui ſale amaro ſcatet, egregia vermes enecandi energia adſcribitur, eademque virtus anthelmintica noſtris ſalinis Halenſibus a plebe tribuitur, quæ ſubinde largum ſalſæ potum pueris contra vermes propinare ſolet. Neque male ſibi conſulunt populi maritimi, qui eadem intentione marinam potant, aut, ſi divites ſunt, aquam ex oſtreis recentibus, adjecto limonum ſucco & pipere, ebibunt, atque ſic expulſis iſtis beſtiolis à tabe aliiſque pluribus morbis infantes liberantur feliciſſime. Et quis denique aliis ſalibus, præſertim vitriolicis, ſuam in his morbis efficaciam antiquitus comprobatam denegabit, cum per experientiam ſatis ſuperque cognitum ſit, aquas Pyrmontanas, quæ de ſubtili martis vitriolo participant, adverſus tænias vermeſque turbinatos ſeu cucurbitinos tanto cum ſucceſſu uſurpari, ut ægri pluries inſtar incantamenti ab omnibus ſymptomatibus liberi evadant.

§. VI.

*— varia ſpecifica*

Si ullum morbi genus ſpecifica admittit remedia, ea certe me judice in vermibus enecandis & ex corpore eliminandis locum inveniunt. Quo nomine inprimis commendanda ſunt ex gummoſis aſa fœtida, opoponax, ſagapenum, myrrha; ex herbis tanacetum, ſcordium, abſynthium, ex radicibus bulboſis ceparum & allii genera, ex fructibus amygdalæ amaræ & ex his elicitum oleum expreſſum, ex ſeminibus ſemen ſantonici, caiputiæ & ſimilia; quæ omnia ſulphureo illo graveolenti & ſpecifico, quem exhalant odore, vermibus inimiciſſimo eos vita privant. Et profecto hæc appropriata tam neceſſaria ſunt, ut niſi convenienti doſi, aliis, jam ſupra memoratis, fuerint admixta, rariſſime optatus reſpondeat effectus.

§. VII.

*— imprimis mercurialia*

Reſtat vero adhuc aliud non minoris energiæ ſpecificum ex minerali regno petitum. Eſt illud

Tt 4 ipſum

ipſum argentum vivum, quod peculiari quadam proprietate his animalculis adverſum vitalem iſtorum motum deſtruit; quamvis non tam accurate ex principiis mechanicis hæc operandi ratio poſſit deduci. Hactenus autem varii hoc anthelminticum propinandi innotuerunt modi, quos paucis conſiderabimus. HELMONTIUS forſan primus fuit, qui experimentum cum hoc remedio inſtituit, dum illud aqua vel pura, vel quadam deſtillata decoxit, talemque aquam ſubtiliſſimis mercurii particulis imbutam maximo cum emolumento verminoſis propinavit. *Henricus* MEIBOMIUS ſenior alium modum ſecutus, vinum Rhenanum argento vivo infuſum per viginti quatuor horas ſine decoctione leni digeſtioni expoſuit, & poſtea præſentiorem adhuc effectum vidit. Chymicis magis hactenus placuit mercurius dulcis rite præparatus, quem, pro diverſa ſubjecti natura, ad aliquot grana cum purgante, v. g. ſcammonio ſulphurato, reſina jalappæ, extracto panchymagogi Crollii &c. in pilulis non ſine laudatiſſimo effectu obtulerunt, vel etiam eundem muſco corallino nuptum cum & ſine purgante dederunt. Alii ſecuriorem ingreſſi viam æthiopem mineralem ex accurata mercurii vivi & ſulphuris mixtione, confectum cum ſaccharo, ſicut HARRIS, utiliter propinarunt. Nos denique ipſum argentum vivum bene depuratum cum ſaccharo cando in mortario exacte miſcuimus, &, præmiſſis præmittendis, ſub accuratiori diæta longe efficacius deprehendimus; maxime ſi poſtea ægri, ut præſervandi fine commendavimus, a carne, piſcibus, lacticiniis, dulcibus, caſeo aliiſque nocivis abſtinuerunt, & pro potu aquam puram, cum cornu cervi uſti decoctam, ſubſtituerunt.

§. VIII.

*..præparata*

Inter alia denique præparata multiplici experientia pilulis uſi ſumus ſequentibus: recipe aſæ fœtidæ, extracti rhabarbari, tanaceti, aloes depuratæ, myrrhæ electæ, mercurii dulcis ana ſcrupulum unum, extracti croci, caſtorei ana grana quatuor, M. f. ex ſcrupulo uno pilulæ numero XV. quibus pro ſubjectorum & ætatis ratione ad no. V. VI. VIII. datis, plures vermibus miſere vexatos ex voto ſanavimus. Qui à pilulis abhorrent, iis in ſyrupo offerantur, vel bis in die juſta doſis propinetur hujus medicamenti, quod ex liquoris terræ fol. tartari uncia una, extracti rhab. tanaceti & abſynthii ana drachma dimidia compoſitum. Nec denique minorem vidi effectum à ſequenti pulvere: Rec. mechoacann. alb. ſem. ſantonici, corallinæ, rhabarbari, mercurii dulcis, ſcordii, cornu cervi uſti, nitri purif. ana drachmam dimidiam, camphor. gr. VI. M. f. pulvis, qui pro ratione ætatis in varias doſes diſpeſcendus, vel in electuarium redactus offerendus.

*CAUTELÆ.*

§. I.

*Cautela circa purgantia & mercurialia*

Sed ut omnia recte adminiſtrentur, quaſdam ſubjungere placet cautelas, quarum præcipua eſt, ut nunquam purgantia acriora, vel calidiora propinentur remedia, ſi febrilis calor ſubeſt, niſi hunc augere velimus. Similiter quoque à mercurialibus, omnibuſque fortioribus abſtinendum eſt, quando duodenum acri & cauſtica bile ſcatet; ſiquidem inde ſymptomata non modo exacerbata, ſed inteſtinorum quoque inflammationes accerſitas novimus.

§. II.

Ad vermes ex tenuibus inteſtinis exturbandos prodeſt ante purgantium & ſpecificorum uſum clyſterem ex lacte & melle paratum ano infundere, ut beſtiolæ iſtæ dulcedine allectæ ex loculis ſuis ad inteſtina facilius deſcendant. *..circa vermes tenuibus inſidentes*

§. III.

Aſcarides, ſi recto innidulantur, clyſteres detergentes lactei, quibus tanacetum, allium, vel ſcordii folia incocta ſunt, optimum præſtant effectum: quod ſimiliter etiam de illis valet, qui ex muria, cum marrubio, centaurio minori & ſcordio decocta additoque electuario hieræ compoſito à non nullis parari ſolent. *..circa aſcarides*

§. IV.

Neque minus tum temporis enemata commodum inveniunt locum, ſi, quando verminoſa progenies poſt purgationem per alvum non ejicitur, quod ſæpius uſu venit, ſi in cœco inteſtino nidum obtinet, quod purgans non valet attingere. *..circa vermes poſt purgationem relictos*

§. V.

Optime quoque dantur anthelmintica in electuario vel ſyrupo, qualis eſt cichorei cum rhabarbaro: quod optime norunt mulierculæ, quæ pueris verminoſis ſemen ſantonici ad ſcrupulum circiter unum cum melle ſubactum ante lunæ vel increſcentis vel decreſcentis mutationes in lacte propinant; nec ſine effectu, modo caveatur, ne ſemen illud ſit carioſum. *..circa anthelminticorum oblationem*

§. VI.

Non nunquam cum internis externa utiliter poſſunt conjungi; quo fine laudem merentur emplaſtra vel epithemata epigaſtrii & umbilici regioni applicanda, quæ ex abſynthio, felle tauri, aloe, colocynthide, ſucco centaurii minoris & oleo florum ſpicæ conflari poſſunt; quorſum etiam ſpectat unguentum de artanita cum aliis. *Externorum uſus*

§. VII.

Si quid vero utile & inprimis neceſſarium datur monitum, eſt profecto hoc, quod coronidis loco adjicere lubet, ut ſcilicet medicus ante omnia vermium præſentiam certis ſignis habeat cognitam, ſi remedia iis vel enecandis vel exſtirpandis appoſita adhibere ſtudet, ne forſan, ſi ægri ex alia cauſſa, alioque morbo ægrotant, plus noxæ quam utilitatis adferat.

---

## CAPUT XI.

### *De aliis infantum morbis.*

§. I.

*Inſtitutum*

PLacet nunc pauca de adfectibus non nullis in uno capite collectim ſumtis ſubjicere; non quidem eo animo, ac ſi eaſdem leviores, & ſpeciali diſquiſitione indignos haberemus, ſed quia non tam longam & ſcrupuloſam cauſarum evolutionem poſtulant, admodumque pauca ex medendi methodo ad ſanationem requirunt, ſi modo recto tempore, ordine & debito regimine adhibeantur.

§. II.

§. II.

*Cardialgiæ ſigna*

Primo loco ſe offert cardialgia, quæ ſe maxime per inſignes pectoris anguſtias cum reſpirandi difficultate junctas, per abdominis & præcordiorum ſub coſtis ſpuriis inflationes, per inquietudines & ſæpe conjunctos ructus manifeſtat; quibus etiam non raro febriculæ & convulſiones ſuperveniunt.

§. III.

*— cauſa*

Oritur hoc morbi genus à violenta & ſpaſtica ventriculi orificiorum ſtrictura, & flatibus inde incluſis, qui ſenſibiles ventriculi membranas diſtendendo, ſummas anxietates, inquietudines, & ob impeditum diaphragmatis deſcenſum, reſpirandi difficultatem cum reliquis producunt ſymptomatibus. Ad hanc vero cauſſam conſtituendam maxime omnium meconium non rite evacuatum, vel lac coagulatum & ſtagnans, vel alii etiam humores viſcidi in prima regione ſtabulantes, & in flatus reſoluti contribuunt; non excluſis demum aliis, quæ nervoſas ventriculi tunicas irritando, ad ſpaſmodicam conſtrictionem animare, & nocivam flatuum retentionem inducere valent.

§. IV.

*— curatio per antiſpaſmodica*

Præſente paroxyſmo parum lactis offeratur, & tam nutrici, quam infanti pulveres antiſpaſmodici abſorbentes cum aqua quadam carminativa propinentur, datis ſimul potus loco decoctis cornu cervi gelatinoſis, & emulſionibus temperantibus. Quum vero debita flatuum diſcuſſio & eductio optimum in tali caſu præſtet auxilium, neceſſe eſt, ut per clyſteres leniter carminativos & emollientes huic ſcopo quamprimum ſatisfiat. Extrinſecus quoque adhibita paregorica multum huc faciunt; quo fine inunctiones abdominis cum linimento, ex oleo chamomill. & anethi cocto, additis aliquot guttulis olei cumini, menthæ vel caryophyllorum & aliquot granis camphoræ, merentur commendari.

§. V.

*— per carminativa*

Alvo clyſterum ope reſerata, leniora carminativa proſunt; niſi febricula auctior obſtet: quamobrem nutrici eſſentiam corticum aurantiorum, carminativam Wedelii cum liquore noſtro anodyno mixtam; infanti vero æleoſacharum ex aliquot guttulis olei aniſi & chamomillæ veri paratum offerre expedit, ſuperbibendo decoctum avenæ excorticatæ calidum.

§. VI.

*— poſt paroxyſmum.*

Extra paroxyſmum ad fomitem mali ſubtrahendum non modo nutrix, ſed infans quoque leniter debet à ſordibus depleri; quod in hoc caſu optime perficitur, ſi per intervalla ad ſex, octo vel decem grana pulvis porrigitur, qui ex rhabarbari electi, lapid. cancror. ana drachma dimidia, ſemin. cymini gr. VI. componitur; non omiſſis demum remediis roborantibus ſtomachicis, ut eſt elixirium noſtrum balſamicum viſcerale.

§. VII.

*Urinæ ſuppreſſio.*

Quando pueri vel nihil urinæ reddunt, vel guttatim & cum ploratu mingunt, urinæ adeſt ſuppreſſio, quæ horrendis ſæpe cruciatibus adfligit, quia tum plerumque teneri præ anxietate & inquietudine lac avidius ſugunt, neque tamen ab ejus copia per mictionem ſe exonerare valent. Oritur hæc anxia mingendi difficultas, quando lac nutricis per craſſa, acida & acria edulia eſt corruptum, vel ſi ipſa, ob potus inſalubres, difficulter mingit; ſiquidem talis ſolet eſſe infantis urina & mictio, quales ſunt ejus humores, atque ea deprehenditur humorum conſtitutio, qualis lacteus nutricis ſuccus, quem nutrimenti loco, durante lactatione, ex mammis puſillus recipit.

§. VIII.

*Calculi origo, & ſigna.*

Sæpe etiam cauſa iſchuriæ eſt calculus in veſica obhæreſcens, quo facile infantes, ob largiorem ſuccorum acidorum progeniem, laborant; maxime ſi per hæreditariam diſpoſitionem à parentibus acceptam ad calculi generationem inclinant. Hæc vero cauſſa ſi ſubeſt, exinde cognoſcitur; ſi infantes genitalia digitis ſcalpunt, & urina non modo guttatim ac cum gemitu emittitur, ſed ſabuloſæ quoque particulæ ſimul prodeuntes in urina adſervata fundum petunt. Quod ſi vero ſigna hæc omnia non ſufficerent, per artificialem explorationem præſentia calculi facile poterit detegi.

§. IX.

*Curatio iſchuriæ per diætam & alia*

In curatione id maxime curandum eſt, ut diæta nutricis, durante adhuc lactatione, aut ipſius infantis, ſi ablactatus eſt, emendetur: quod optime fit, ſi omnes cibi incongrui, & potus minus ſalubres ſerio fugiuntur. Dein vero, malum plerumque ſuſtentatur ab impedita alvi exoneratione: quare hæc ante omnia debet promoveri; niſi impetum humorum ad vias urinarias majorem efficere velimus. Quo fine vel paſſulæ rhabarbarinæ inter cibos datæ, vel clyſmata ano injecta proſunt.

§. X.

*— per potum*

His præmiſſis commodus nutrici, vel etiam infanti potus eſt præſcribendus, qui non modo diluens, ſed leniter quoque diureticus eſt; qualis eſſe ſolet, ſi aqua levis cum radicibus aſparagi, dauci, petroſelini, graminis, fœniculi, ſaxifrag. cichorei decocta mane calide, & dein frigide potus loco exhibetur. Nec minor eſt efficacia ſeri lactis aciduli cum cancrorum lapidibus correcti, quod ſimul temperantem habet virtutem.

§. XI.

*— calculi per interna*

Quando à calculoſis ramentis urethram obſtruentibus, & ſenſibilem ejus tunicam irritantibus urinæ fluxus cohibetur, & horrendi dolores calculoſi concitantur, itidem proſunt clyſteres emollientes; interne vero, ad ſpaſmum compeſcendum, dare convenit decoctum dialtheæ Fernelii cum ſapone Veneto, & oleum amygdalarum dulcium cum aliquot liquoris anodyni guttulis in decocto hordei vel avenæ calido; quibus, relaxato ſpaſmo, ſubjungi poſſunt pulveres ex lapidibus cancrorum, teſtis ovorum uſtis, ſolutione oculorum cancri, & alia urinam leniter pellentia.

§. XII.

*— per externa.*

Extrinſecus, ſi dolor à calculo & iſchuria valde urget, balnea quoque aquæ dulcis, cui emollientia, ut malva, radix althææ, flores chamomill. &c. incocta ſunt, uſum haud ſpernendum præſtant. Neque de nihilo eſt, ſacculos cum talibus ſpeciebus repletos regioni pubis tepide imponere, vel eidem oleum ſcorpionum inungere.

§. XIII.

*Morbi catarrhales unde?*

Maxime quoque tenera progenies, ob largam ſuccorum pituitoſorum copiam, catarrhalibus &

& ſeroſis tentatur adfectionibus, quas inter coryzam, gravedines, raucedines, tuſſim, aſthmata, pectoris infarctum cum roncho & ſibilo, parotides, oculos & aures manantes, cruſtamque lacteam recenſemus, & jam breviter conſiderabimus. Singuli hi morbi generatim in eo conveniunt, quod ut plurimum ab aeris vitio, & ſubitanea tempeſtatum mutatione, nec non à ſuppreſſo tranſpirationis negotio ſuam nanciſcantur originem.

§. XIV.

*Tuſſis & aſthmatis generatio*

Quod vero ſpeciatim ad aſthma & tuſſim, eamque ferinam & ſiccam attinet, ſciendum eſt: hæc vitia cum magna anhelitus difficultate & ſuffocationis metu non ſolum ſæpe epidemice graſſari, ſed inprimis etiam, experientia teſte, dentitionis difficultatem comitari, ſi conſenſus lege ipſi reſpirationis nervi tenduntur & vellicantur. Neque raro eveniunt, à variolis & morbillis improvide tractatis, &, quando ſuperato jam morbo, nec alvi excretio, nec inſenſibilis tranſpiratio debito modo promovetur; vel etiam, ſi acris quædam excrementitia materia in eryſipelate, purpura, cruſta lactea &c. ad interiora fuerit repulſa. Tum enim ab humore viſcido acri libenter pulmonum infarctus, & moleſtæ nervorum pulmonalium irritationes, quæ aſthma & tuſſim concitant, produci ſolent. Denique, inprimis etiam hæc mala ſolent adfligere, ob nimiam ventriculi inflationem à lacte viſcido ibi copioſe ſtagnante & diaphragmatis deſcenſum impediente inductam; unde etiam non raro uſu venit, ut vomitus vel ſponte obortus, vel arte provocatus tam tuſſientibus, quam ægre ſpirantibus exoptatum ferat levamen.

§. XV.

*.. curatio per reſolventia pectoralia*

Quoàd ſanationem tuſſis & aſthmatis hæc maxime tenenda erunt, quod interius pulveres abſorbentes cum radice iridis Florentinæ, ſpermate ceti & ſaccharo cando mixti & oblati, item elixir balſamicum, ex tinctura tartari, eſſentia myrrhæ, croci, nuciſtæ, corticum aurantiorum & ſpiritu ſalis ammoniaci confectum, inſigniter proſint. In ſubjectis vero ſiccioribus & magis ſenſibilibus melius adhuc elixir pectorale temperatum, ex extracti croci granis IV. aquæ veronicæ & hyſſopi ana uncia dimidia, & ſyrupi papaveris albi vel de eryſimo Lobellii drachmis duabus compoſitum, convenienti doſi propinatur.

§. XVI.

*.. per demulcentia*

His commode interponi & ſubjungi poſſunt infuſa herbarum pectoralium calida, quibus, regnante præſertim humida & frigida aeris intemperie, non modo tranſpiratio egregie promovetur, ſed & reſolutorius effectus perbelle obtinetur. Atque hæc ſimiliter conducunt, quando contumax & ſicca tuſſis à lympha acriori laryngem irritante vel provenit, vel cum ea jungitur; maxime quando ſimul, ad acrimoniam demulcendam, ſperma ceti in juſculo ſolutum propinatur, vel cum oleo amygdalarum dulcium, ſaccharo cando, ſyrupo dialtheæ Fernelii, croco & guttulis aliquot aniſi in electuarium redactum per intervalla deglutitur.

§. XVII.

*.. per leniora emetica*

Si quando aſthma cum tuſſi conjunctum à cruditatibus acido-viſcidis in ventriculo fluctuantibus, & inde inducta ejus inflatione dependet, cum fructu ſæpius datur lene emeticum, ex grano dimidio vel quarta tantum parte tartari emetici cum ſoluta manna paratum, aut ex granis aliquot rad. ipecacuanhæ cum aqua calida, infuſis & ſyrupo quodam addito edulcoratis: quem uſum etiam quam optime clyſteres præſtant emollientes & carminativi, qui flatibus infra exitum parando, ad feliciorem morbi decurſum haud parum contribuunt.

§. XVIII.

*.. & veſicatoria*

Si repulſa materia acris excrementitia anſam malo ſuppeditat, præter interna diaphoretica, ſæpe mirabilem præſtant effectum leniora veſicatoria nuchæ appoſita. Extrinſecus vero in hiſce pectoris adfectibus ſuppetias ferunt inunctiones cum axungia humana & ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo inſtitutæ.

§. XIX.

*Achorum, tineæ &c. origo*

Achores, vari & tinea, tubercula ſunt ulceroſa, à vitio & corruptione ſeri ſalſi, viſcidi in glandulis tubuliſque ſubcutaneis ſubſiſtentis oriunda, & plerumque à nimia voracitate, lacte nutricis corrupto, & ſuppreſſa per frigus admiſſum tranſpiratione, ſuam nanciſcuntur originem. Quod ſimiliter valet de parotidibus, auribuſque & oculis manantibus.

§. XX.

*.. curatio*

Singuli hi adfectus, ut & reliquæ defluxiones catarrhales, optime ſanantur, ſi nutricibus partim infuſa ſanguinem & lympham diluentia ex radice liquiritiæ, cortice & ligno ſaſſafras, ſemineque fœniculi parata; partim pilulas de ſuccino Cratonis cum & ſine mercurio dulci, item elixir pectorale ſuperius deſcriptum propinamus: infanti vero pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, iride Florent. lacte ſulphuris, pauxillo croci & oleo aniſi confectos; nec non laxantia, & mercurio dulci, rhabarbaro & manna conflata porrigimus. Parotides vero, præter interna reſolventia, externe emplaſtro diachylo ſimplici cum camphora remixto volunt tractari, & ſi tumor diſcuti renuit, cataplaſmate emolliente ad maturitatem deduci. Sed hæc ſufficiant, quia jam in quarta Medic. Syſtem. parte Tomi IV. de his adfectibus fuſius egimus.

§. XXI.

*Singultus & vomitus cauſa proxima*

Singultus æque ac vomitus ex ſtomacho & cruditatibus in ipſo coacervatis oriuntur. Quod ſi enim tenacior acidiorque mucus ſuperiori ventriculi orificio firmius inſidet, non modo ipſe ventriculus ad contentorum depletionem, ſive vomitum ſtimulatur, ſed etiam propter conſenſum diaphragma quaſi convellitur, & facta hujus ſub inſpirando contractione, ſingultus, ſubinde contumaciſſimus, proritatur; unde etiam non raro ſingultus & vomitus ſimul tenellos cruciare ſolent.

§. XXII.

*.. & remedia*

Evenit ut plurimum utrumque malum à nimia lactis repletione, vel ejuſdem in ventriculo corruptione. Hæc autem ſi præſto eſt, materia plerumque lactea vitioſi coloris malique odoris vomitu ſolet rejici. Sæpe vero externum frigus debet accuſari, vel etiam dentitio difficilis & dolorifica anſam poteſt ſuppeditare, ſi propter conſenſum diaphragma & ventri-

ventriculus in mali conſortium trahitur.

§. XXIII.

*.. prognoſis* Si à copia lactis adſumti vomitus & ſingultus proveniunt, nihil fere periculi præſagiunt, cum jam in vulgus notum ſit, vomitu in hoc caſu infantes plerumque levari. Si vero lactis corruptio cauſſam mali conſtituit, pejus eſt, quia ſæpe epilepſiæ & convulſiones accerſuntur, quæ vitam haud raro auferunt.

§. XXIV.

*– curatio generalis* Ad rectam ſanandi methodum ipſæ nos cauſſæ deducunt. Quod ſi enim lac copioſe ſumtum peccat, in poſterum ejus quantitas debet ſubtrahi; ſi vero depravata ejus qualitas in vitio eſt, debitam ejus excretionem tam in nutrice, quam in infante procurare decet. Qua autem ratione hoc perficiendum velimus, iterato in hac tractatione docuimus.

§. XXV.

*– & ſpecialis* Speciatim vero in utroque adfectu prodeſſe ſolent, ſyrupus menthæ vel betonicæ cum aliquot olei macis vel liquoris anodyni guttis datus, vel etiam aqua florum chamomillæ, millefolii, menthæ, ceraſorum nigrorum cum prædicto liquore minerali oblata. Extrinſecus non modo frictiones cum pannis calidis, ſed & inunctiones regionis ventriculi cum oleo anethini uncia una, menthæ drachma dimidia croci ſcrup. I. vitelli ovi no. I. egregio ſunt levamini.

§. XXVI.

*Alvi adſtrictæ cauſſæ* Alvus infantibus modo adſtricta modo nimis ſoluta eſt. Adſtrictio contingit, quando infantes nimis ſunt voraces, aut ipſæ nutrices, ſi adhuc ſugunt, victu craſſo & acido, potibuſque ſpirituoſis delectantur. Licet vero ex tardiori fecum excretione non ſtatim noxa redundet; ſæpe tamen, ſi diutius retinentur, magnis gravibuſque malis anſam ſuppeditant.

§. XXVII.

*– ſanatio* Ad alvum igitur rite ſolvendam, eo præcipue dirigenda eſt intentio, ut nutrix victu levi & emolliente utatur, interpoſitis in cibo paſſulis minoribus cum rhabarbaro & ſaccharo in electuarium redactis, vel cum pomis Borſtorffianis decoctis. Infanti vero ſuccurritur partim ſyrupo cichorei rhabarbarino, cum aliquot granis mechoacannæ albæ per intervalla dato, partim clyſteribus ex decocto avenaceo cum melle & butyro factis, vel ex ſero lactis & ſapone Veneto paratis. Neque uſu caret infimi ventris circa umbilicum inunctio cum oleo amygdal. dulc. pulveri trochiſc. alhandal nupto inſtituta.

§. XXVIII.

*Diarrhœa geneſis* Alvi adſtrictioni oppoſita eſt diarrhœa, ſeu nimium alvi profluvium, quod infantibus numero pluribus ab ira & perverſa nutricis diætâ, à tranſpiratione prohibita, à vitiata ciborum digeſtione & inde inducta bilis acrimonia evenit; unde feces varii coloris, odoris & conſiſtentiæ, imo ſæpe ſanguinolentæ crebrius dejiciuntur: non alia ex cauſſa, quam quia inteſtina vel ſpaſmo conſtricta contentas ſordes exprimunt, vel propter atoniam ſponte dimittunt. Quare ſæpe ſæpius uſu venit, ut ejuſmodi alvi dejectiones non modo graves dolores e. g. ex dentitione difficili comitentur, verum etiam atrophicis & paralyticis valde ſint familiares.

§. XXIX.

Licet vero ſordidum hoc malum tum infanti, tum aliis valde ſit moleſtum, ſæpeque timorem funeſti eventus injiciat; minime tamen ſtatim debet ſiſti; præſertim ſi illud bene ferant pueri, nec inquietudine, vigiliis, ventris torſione, atrophia, aliiſque ſignis opem ſibi ferendam expetant. Quod vero ſi accidit, primo omnium ad lac nutricis, ſi eodem adhuc utitur, eſt reſpiciendum, atque nutrix, ſi mali cauſſam fovet, permutanda, ſubſtituendo in potus locum ptiſanam cum ſucco cydoniorum, vel juſcula gallinacea cum oryza & milio decocta. *– tractatio reſpectu nutricis*

§. XXX.

Ipſi infanti laboranti pulveres ex bolo armeniæ lapid. cancror. cum aliquot granis cort. caſcarillæ interne dati proſunt: quibus etiam pro circumſtantiarum ratione ſuccinum, vel tertia pars theriacæ cœleſtis pro doſi poteſt addi. Extrinſecus autem linimentum ex olei nuciſtæ expreſſi, olei jeſmini ana uncia dimidia, balſami Peruv. drachmis duabus, olei menthæ drachma I. compoſitum, ventrique calide inunctum commendari meretur. *– ratione infantis*

§. XXXI.

Præter hæc vero in tali morbi ſtatu inſignis eſt uſus clyſterum ex ſero lactis dulci cum milio & oryza cocto & tranſcolato paratorum; quæ ſimul teneſmum frequentiſſime junctum egregie ſolantur: licet etiam huic ipſi diutius duranti optime & quaſi ſpecifice proſint ſuppoſitoria, ex vitello ovi aſſato, cum croco, thure & uno grano opii conflata. *Clyſterum uſus*

§. XXXII.

Atque hæc ſunt, quæ de morbis infantum præcipuis cum B. L. communicare volui. Deus O. M. qui non ignorat, me, præter ſui gloriam, artis noſtræ incrementum, & ægrotantium ſalutem, nihil unquam magis curæ cordique habere, hæc omnia reddat ſalutaria, ut ſuo tempore fructus ferant uberrimos. *Concluſio*

*F I N I S.*

# FRIDERICI
# HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

# OPERA OMNIA
# PHYSICO-MEDICA

Denuò reviſa, correcta & aucta,

*IN SEX TOMOS DISTRIBUTA;*

QUIBUS CONTINENTUR

DOCTRINÆ SOLIDIS PRINCIPIIS PHYSICO-MECHANICIS,
& anatomicis, atque etiam obſervationibus clinico-practicis ſuperſtructæ.

*METHODO FACILI AC DEMONSTRATIVA DEDUCTÆ,*
*& per experientiam LVII. annorum ſtabilitæ.*

CUM VITA AUCTORIS,

Et ejus PRÆFATIONE de differente medicinæ & medicorum ſtatu atque conditione,
& criteriis boni ac periti medici.

## TOMUS QUARTUS.




GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXL.

# CONSPECTUS
## TOMI QUARTI.

Conſultationum & Reſponſorum Medicorum Centuriæ tres.

I. *De Morbis Capitis & Pectoris.*
II. & III. *De Morbis abdominis & artuum externorum.*

Obſervationes Phyſico-Chymicæ ſelectiores.

Diſſertationum Phyſico-Chymicarum Trias, quarum
I. *De generatione ſalium.*
II. *De analyſi chymico-medica reguli Antimonii Medicinalis.*
III. *De Mercurio & medicamentis mercurialibus ſelectis.*

# PRÆFATIO

## *De egregio conſultationum & obſervationum medicinalium uſu.*

EN benevole Lector! prodeunt conſilia ac reſponſa quædam medicinalia, eorumque prior, binis ſectionibus morbos capitis atque pectoris complectens centuria. Quanta ex hiſce laboribus in totam medicinam redundent emolumenta; quam ſolida ac rationalis exinde reſultet theoria, quamque felix, & ad ſpecialiſſimos caſus probe accomodanda praxis: cuilibet in arte paululum verſato erit manifeſtum. Neque tamen videtur alienum, præfaminis loco inſignem, quam obſervationes ac conſultationes medicæ ſpondent utilitatem, paucis perluſtrare; harumque ſtudium vehementer commendare. Eo namque redactum eſt poſt deplorandum lapſum mortalium genus, ut ipſi non ſolum certiſſima machinæ animalis deſtructio, ac dura moriendi neceſſitas immineat; verum etiam durantem adhuc miſeram vitam varii morbi, dolores, ærumnæ atque calamitates premant, crucient, infeſtent. Et ſi dicendum, quod res eſt, plurimi ſane hominum ipſi fortunæ ſuæ fabri exiſtunt, multasque ægritudines haud ſecus, ac ipſam ſæpenumero præmaturam mortem ſibimet ipſis inſipidi contrahunt. Etenim homo, brutæ adhuc animalitatis jugo ſuccumbens, ignorat omnino ea, quæ ſibi vel proſint, vel noceant, nec novit ſubſidia, quæ ad conſervandam vitam ac ſanitatem, tanquam omnis, qua in hac rerum vanitate potiri licet, felicitatis verum fundamentum, almus ordinavit creator. Neque etiam plerique de iis addiſcendis ſunt ſolliciti; ſed ipſorum duntaxat curæ ſe totos tradunt atque confidunt, qui illi ſcientiæ ſe penitus, & ut vocant, ex profeſſo conſecrarunt, & vocantur vulgo Medici atque Phyſici. Enim vero acerbe omnino dolendum eſt, & horum pleroſque haud tanta ſolertia ac meditatione illis incumbere ac incubuiſſe ſemper artibus, quanta quidem opus eſſet. Licet enim per quam plurima ſecula quam plurimi etiam medicæ arti operam navaverint: nihilo tamen ſecius tot adhuc reſtant opiniones, totque in theoreticis veritatibus pariter, ac medendi rationibus diſſenſus, ut non ſolum magna adhuc artem ſalutarem actu premat incertitudo, verum etiam multi doctiſſimi viri de adipiſcenda certitudine omnino dubitaverint. Hujus rei cauſſam in ipſis medicis hærere arbitror, quippe quorum plurimi iſtum haud callent ordinem, quo incedere debemus, ſi errores evitare, ac ad auream pertingere veritatem velimus. Neque minus eadem eſt ratio, quod in reliquis etiam ſcientiis, veluti ſunt Theologia, Juriſprudentia, atque Philoſophia tot adhuc occurrant diſſenſus, tot rixæ, totque opinionum commenta. Relinquam aliorum induſtriæ, ut qua ratione in omnibus diſciplinis recto veritatis tramiti inſiſtere liceat, edoceant: mihi duntaxat paucis eſt oſtendendum, qua potiſſimum methodo noſtra ars ſalutaris ad majorem evehi poſſit certitudinem.

Ad unum omnes medici clamant, experientiam atque rationem duo eſſe medicinæ fulcra atque fundamenta: & cum pauciſſimi nec experientiam acquirendi, nec rationem excolendi verum calleant modum; magno ſane medicinæ opprobrio, experimentum fallax, judicium difficile ad hanc uſque pronunciantur diem. Mihi quidem experientia medica eſt attenta, & completa obſervatio earum rerum ac mutationum, quæ fiunt circa corpus humanum: ſub ratione vero comprehendo, ſolidam theoriam phyſicam atque medicam, quæ ad completas obſervationes rite adplicata, certas ac indubitatas gignit veritates. Tali enim ratione innoteſcunt nobis ea, quæ ad conſervandam, ac reſtituendam ſanitatem apta ſint vel inepta; & ſic vero totius medicinæ feliciter potimur fine. Quo latior autem eſt campus, quo amplior multitudo eorum obje-

objectorum, quæ ſanitati noſtræ vel noxia ſunt vel convenientia: eo majori ſtudio attendere oportet medicum, ne quædam commendet ſubſidia, quorum certus effectus ipſi nondum innotuit, & ideo majus ſanitati inferat damnum, quam emolumentum. Hanc ut obtineamus certitudinem, operæ eſt pretium, ut obſervationes medicas, tanquam verum illius fundamentum, rite inſtituere ſciamus, easque completas à minus talibus diſcernere. Non enim omnes ita ſunt comparatæ, ut illis certum ſuperſtruere queamus judicium. Sic ſi diſpiciamus, an cortex chinæ in febribus intermittentibus tuto poſſit adhiberi, nec ne? deprehendemus tot hanc quæſtionem negantes, & ex multiplici experientia comprobantes, corticem illum non ſolum febrium illarum periculoſos recurſus, verum etiam longe graviores, eosque ſæpius funeſtos induxiſſe morbos; quot è contrario illius uſui calculum adjiciunt. Eadem ſors premit pleraque remediorum genera; & eadem ambiguitas prognoſin in diverſas, ac contrarias ſæpe numerò abire partes facit, quarum quævis & experientia & ratione ſuffulta eſſe perhibetur. At quæ quæſo tanti diſſenſus cauſſa? Mihi certe nulla alia ſe offert, quam immaturum & incompletis obſervationibus ac mutilæ theoriæ ſuperſtructum judicium, quo bonus malusve effectus ſoli adſcribitur remedio, qui ſæpius aliis debetur cauſſis.

Quamobrem quo ſolidum ſit medici conſilium; neceſſe eſt, ut partim obſervationes ac hiſtoriæ morborum ſint completæ, partim ut mens vera cognitione imbuta, & ad judicandum apta ſit. Quod ſi vero obſervationes completæ eſſe debeant; in illis primum commemoranda eſt tota ægri natura, ac indoles. Deſcribantur igitur ægrotantis ſexus, ætas, temperamentum, ſtructura corporis, diſpoſitio vaſorum atque nervorum, ſenſibilitas corporis ac animi, partium conſtitutio, conſuetudines, victus ratio, ac omnium rerum, quas non naturales vocant, adplicatio. Recenſeatur inter has porro, quo loco commoretur æger, quo aëre, quibus cibis, potibusve utatur, quibus animi indulgeat adfectibus, quibus excretionum vel ſanguinearum vel aliarum ſpeciebus adſueverit; quo fruatur ſomno, an corpus motu exercere ſoleat; quibus denique laboraverit olim morbis, quo hi eventu potiti, quibus remediis profligati ſint, atque quinam medicamina exceperint effectus? Ex hiſce etenim momentis rationalis medicus totam ægroti naturam, ejusque varias ad hos vel illos motus proclivitates facile cognoſcet; & hinc in ſuppeditandis tam præſervatoriis, quam curatoriis conſiliis erit feliciſſimus.

Deinceps vero ipſum, quo æger premitur, morbum probe perſcrutari oportet, ac attendere, quinam illius ſit ortus atque progreſſus, quæ ſymptomata; quantum læſæ actiones naturales, vitales ac animales à ſtatu ſano receſſerint; quæ ſint vires, qualis ſomnus, quæ ciborum adpetentia, qui pulſus, quæ ſpiratio; quomodo ſe habeant excretiones, maxime quæ per cutim, alvum ac urinam fiunt; qui viſcerum & generis nervoſi ſtatus? qualis humorum per viſcera abdominis atque caput ſit circuitus; num ſanguis abundet, anne dyſcraſia quadam laboret; quæ primarum viarum, ventriculi nimirum ac inteſtinorum ſit conſtitutio; qualis tonus partium nervoſarum; num partium internarum periculoſæ inflammationes vel ſiderationes immineant? An malum ſit hæreditarium; an epidemium, & à communi cauſſa, vel aëris ac alimentorum corruptione productum? anne potius endemium, ſive ex climate, aëre, ac victu incolarum generatum? an ab animi affectibus, aut contagio inductum? utrum remiſſiones, intervalla, intermiſſiones vel exacerbationes exhibeat? an denique ſit ſimplex, an complicatum, an & quando perverſa quadam medicatione corruptum? Quum enim ex hiſce circumſtantiis vera morbi origo, generatio, cauſſæ læſionum ac ſymptomata eluceſcant: ex iis peritus medicus non ſolum morbi eventum accurate præſagire, verum etiam, quæ ipſi ſint profutura, feliciter judicare poterit.

Tum in completis obſervationibus medico-practicis adnotare convenit, quæ remedia, quo tempore, qua doſi, ac ordine, morbo hactenus fuerint oppoſita? quænam corporis mutationes ea exceperint? anne potius omne opus ſoli naturæ abſque ullo medicinarum uſu fuerit relictum? an remedia domeſtica ſint adhibita, & quo effectu? Ex quibus omnibus percipiet medicus, qua ratione, quoque ordine Deus ſanitatem recuperari voluerit; quibus viis noxia depellantur, & è corpore proſcribantur; & quæ denique ſpecificæ remediorum ſint virtutes, quamque diverſæ in tam variis hominum naturis, morbis ac aliis circumſtantiis. Quis enim præſtantior obſervationum medicinalium ſcopus eſt, quam ut eorum ſubſidiorum vires diſcamus ac virtutes, quibus morbi ſint profligandi? Et quisnam earum expers, his promte medebitur? Enim vero haud ignorari oportet, vires uti generatim corporum, ita & remediorum non eſſe abſolutas, ſed relativas tantummodo atque conditionatas: aut,

 quod

quod idem eſt, nulla dari medicamina, quæ per ſe, abſolute, ac neceſſario corpori vel proſint vel noceant; ſed eorum operationem pro diverſa corporis diſpoſitione admodum variam exiſtere. Ex eodem fundamento explicandum eſt illud momentum, quod unum medicamen huic ſuppetias, alteri noxam ferat in uno eodemque morbo; quin uni eidemque ſubjecto hoc tempore proſit, alio noceat. Inde vero ulterius eorum adparet ignorantia, qui dari medicinas univerſales, vel in certis morbis ſpecificas reputant. Perarduum potius ac difficillimum eſt: nam certe in eo maximum artis noſtræ momentum exiſtit, ſi vires remediorum relativas, in tam inſigni circumſtantiarum varietate probe habeamus cognitas atque perſpectas. Quod ſi vero contigerit, ut ſub noſtra curatione æger perierit: neceſſe eſt, ut ad impetrandas completas obſervationes, cadaver diſſecetur, & viſcerum internorum ſtatus præternaturalis probe deſcribatur. Ita enim in conſpectum veniunt cauſſæ morbi ac mortis; quibus cognitis, major ſcientiæ noſtræ accenditur lux, quo ſi inciderit ſimilis caſus, nos ipſi majori certitudine obviam ire queamus. Ex his eluceſcet, quantum completæ ac accuratæ morborum hiſtoriæ toti medicinæ, adferant emolumentum. Hæ namque detegunt primum occulta naturæ, deinde revelant earum rerum cauſſas, quæ nos latuerunt hactenus; & denique verum & ſolidum fundamentum præbent omnium & medicarum & chirurgicarum veritatum, atque problematum. Quando enim cunque à chirurgo deſideratur, ut de violentia externe facta renunciare, illiusque eventum ſuppeditare debeat; nihil certe præſtabit, niſi accurata inſtructus ſit morbi hiſtoria. Neque etiam medicus morbum dijudicare, ac quæ ipſi congrua ſint remedia commendare poterit; niſi ex completa morbi relatione, illius cauſſas atque ſymptomata cognoverit, iiſque curandi rationem adaptaverit. Et quomodo accuratum de præſervanda à morbis ſanitate judicium ferre poteſt, qui ægrotantis naturam, indolem, diætam &c. ignoraverit? Nec denique poſſibile eſt, ut remedia cum fructu à medico poſſint ordinari, niſi ex ſolidis obſervationibus eorundem vires ac virtutes rite perſpexerit.

Quemadmodum vero extra omne poſitum eſſe credo dubium, obſervationes primum artis noſtræ ſalutaris præbere fundamentum: ita nemo quoque ire poterit infitias, quin illæ ſolæ ſufficiant minime. Niſi enim acceſſerit bene exercitatum judicium medici, quod ex dictis obſervationibus utiles veritates recta ratione elicere poteſt; nullus vel ſane exiguus earundem erit fructus. Hinc etiam occurrunt quam plurimi medici, qui licet per quinquaginta & ultra annos fecerint medicinam, & innumeras collegerint obſervationes, tamen falſas omnino ſtruunt concluſiones, ac de veris remediorum viribus erroneas admodum fovent opiniones. Nec ſufficit ſolum judicium; ſed requiritur etiam ſolida theoria phyſico-mechanico-chymico-medica. Quæ ſi defecerit, nullæ omnino ex obſervationibus veritates, nec cauſſæ effectuum atque phænomenorum poterunt clare detegi ac explicari. Sic edocti ex Anatomia eſſe debemus, quæ ſit fabrica noſtri corporis, quæ ſtructura, ſitus, connexio ac uſus ſingularum illius partium; quæ functiones, quatenus illæ vitæ ac ſanitati inſerviant? Deinceps etiam per experimenta chymica, phyſica atque mechanica perſpectum nobis eſſe debet, quæ ſint indoles, vires, facultates externarum rerum, ſive ſint alimenta, ſive elementa ſive medicamenta, ſive alia corpora, quæ in noſtram machinam aſſidue agunt, ac inſignes ſanitati, vitæ, morbis ac morti inferre valent mutationes: ex quibus cognoſcimus, quæ ſalubria ſint, quæque nobis ruinam minentur. Quomodo ergo de lethalitate externæ violentiæ judicare poteſt medicus, qui expers Anatomiæ, ſitum uſumque partium haud callet? quomodo in morbis partem affectam, ac ſedem cauſſæ morbificæ indagabit, quem ſitus viſcerum, & horum functiones latent? quis perſpiciet morbum, ejuſque non minus ac mortis cauſſas, qui theoriam motuum, maxime circulationis ſanguinis per totum corpus, & ſingulas illius partes ignorat? Et quem principia mechanica haud docuerunt naturam, ſpecies, proprietates ac effectus motuum; quomodo quæſo poterit is ex pulſuum eximia varietate morbi conditionem cognoſcere?

Certe ſi talis theoria phyſica ad completas obſervationes adplicatur; tum demum reſultant veritates, quarum plures pariunt certas regulas ac axiomata, ex quibus denique vera proficiſcitur ſcientia medica. Hinc porro eluceſcit, theoriam phyſicam & anatomicam matrem quaſi eſſe theoriæ medicæ; & hanc ſine illa nunquam eſſe ſolidam. Veritatum enim ea eſt conditio, ut una in altera ſuum habeat fundamentum; & ex comparatione jam cognitarum veritatum cum iis quorum cauſſæ adhuc latent effectibus, novæ reſultant. Ad inveniendas autem non ſecus ac dijudicandas veritates limatum oportet eſſe judicium; quale cum natura non datum ſit nobis, adparet

ſimul,

ſimul, quantum theoria mathematica medico præſtet uſum. Hæc enim acuit intellectum, ac methodum demonſtrandi ac inveniendi egregie docet: & veram praxin logicam ac ſyllogiſticam nobis tradit.

Ex dictis ergo luculenter patet, quantum completæ obſervationes, & in vera theoria fundatæ conſultationes præbeant uſum. Nam crebris obſervationibus ſtabilitur theoria, & a falſa diſcernitur vera. Hanc vero ſi probe calluerit medicus; incredibilem ſane præ aliis in dijudicandis non ſolum, verum etiam præſervandis atque curandis morbis habebit prærogativam. Namque meo quidem arbitrio haud melius explorare poterit quiſquam cognitionem ſuam, ac judicandi facultatem; quam ſi caſus quoſdam medicos vel chirurgicos, eoſque rariores ſcientifice reſolvere ac dijudicare allaboraverit: tum enim perſpiciet, quanta ſint, quæ neſciat, quibuſve adhuc laboret præjudiciis. Quæ cum ita ſint, facile adparebit, quæ ſint cauſſæ incertitudinis, quam per tot ſecula exculta noſtra ars adhucdum retinet. Namque primum nec antiquis, nec noſtris temporibus veræ morborum hiſtoriæ ſufficienter deprehenduntur explicatæ: deinde vero priſcis temporibus non rite fuit exculta theoria phyſica ac anatomica; quæ licet noſtro ævo ad altius evecta videatur faſtigium; dolendum tamen eſt, quod plurimi eandem cum obſervationibus rite comparare, & exinde veram theoriam medicam formare nec didicerint, nec allaborent. Hinc adhuc manca eſt morborum hiſtoria, imperfecta vera theoria. Quamobrem non ſolum monſtravi viam ſtudioſæ juventuti, qua ad rectam veritatum inventionem pervenire poteſt; ſed etiam ille idem ſcopus eſt omnium meorum ſcriptorum. Hinc neque alienum mihi viſum fuit, haſce conſultationes publici facere juris; quas partim ex medicina mea Conſultatoria deſumtas, partim novis adauctas juxta ordinem partium corporis noſtri diſpoſui. Harum primam Lectori jam trado centuriam: quam, ſi Deus vires & vitam dederit, adhuc binæ ſequentur. Interea navabo operam, ut medicinæ ſyſtematicæ Tomus quintus mox lucem aſpiciat. Precor cæterum divinum Numen, velit & hos labores bono publico eſſe fauſtos atque ſalutares. Halæ XII. Calend. Oct. MDCCXXXIII.

# CONSPECTUS
## CASUUM.

### SECTIO I. DE MORBIS CAPITIS.


CAS. I. De cephalalgia diuturna cum dolore artuum vago.
II. cephalalgia rebelli.
III. rara hemicrania.
IV. hemicrania febri tertianæ ſuccedente.
V. hemicrania cum ophthalmia conjuncta.
VI. memoriæ debilitate.
VII. memoriæ debilitate ſingulari ex terrore.
VIII. vertigine idiopathica cum congeſtione inflammatoria circa renem ſiniſtrum.
IX. vertigine caduca in gravida.
X. vertigine caduca, levioris apoplexiæ ſpecie.
XI. vertigine cum hæmoptyſi, aliisque gravibus malis ſtipata in hypochondriaco.
XII. vertigine ex ſtomacho.
XIII. ſereniſſima ex affectione hypochondriaca & vertigine laborante.
XIV. Rara lipothymiæ ſpecie in ſene.
XV. Num in affectu ſoporoſo uſus Carolinarum conferat.
XVI. Inſultu apoplectico, cum reſponſo, an in eo thermarum Carolinarum uſus ſit ſalubris.
XVII. Debilitate generis nervoſi & præcavenda apoplexia.
XVIII. diſpoſitione ad affectum paralyticum & apoplectic.
XIX. Camphoræ ad duos ſcrupulos per errorem ſumtæ effectu in apoplexia hypochondriaco-ſpaſmodica.
XX. Hemiplexia cum curatione fruſtra tentata.
XXI. Hemiplexia ex affectu rheumatico arthritico.
XXII. Paralyſi dextri lateris.
XXIII. Paralyſi ſiniſtri lateris.
XXIV. Paralyſi cum purpura.
XXV. affectu paralytico.
XXVI. affectu paralytico principis.
XXVII. affectu ſemiparalytico cum dyſuria.
XXVIII. De atroci affectu epileptico convulſivo.
XXIX. affectu epileptico & brevi alienatione mentis ex male curata febre intermittente.
XXX. Epilepſia inveterata cum vermibus implicita.
XXXI. Epilepſia inveterata cum lypothimia.
XXXII. Epilept. convulſivo malo inveterato valde raro.
XXXIII. affectu melancholico.
XXXIV. affectu melancholico.
XXXV. affectu melancholico.
XXXVI. affectu melancholico-maniaco.
XXXVII. Primipara ex terrore facta maniaca, & feliciter reſtituta.
XXXVIII. Delirio periodico cum motibus epilepticis à menſium retentione.
XXXIX. Tinnitu aurium pertinaci.
XL. Auditus difficultate cum fluxione ſeroſa.
XLI. Auditu gravi cum imbecillitate generis nervoſi aliisque ſymptomatibus.
XLII. Cœcitate ſubito ſuborta.
XLIII. de Viſus imminutione ex humorum oculi, potiſſimum aquei conturbatione.
XLIV. humor. oculi conturbatione cum gutta ſerena.
XLV. Viſus imbecillitate ex turbatione humor. oculi.
XLVI. Dolore & imbecillitate oculorum cum ſuffuſione incipiente.
XLVII. Ophthalmia ſcorbutica diuturna in lippitudinem ſeroſam & ſcotomiam degenerante.
XLVIII. Gutta ſerena unius & obſcuratione periodica alterius oculi.
XLIX. Viſus obſcuratione ex paralytica nervi optici reſolutione.
L. difficultate viſus & ſcabie.
LI. Cataracta.
LII. Sapore ſalſo & affectu ſpaſmodico.
LIII. Sapore corrupto.
LIV. Impotentia ambulandi & loquendi in puero novem annorum.
LV. De ſpaſmo muſculorum maxillarium febri continuæ benignæ ſporadicæ ſuperveniente.
LVI. Rejectione pituitæ nimiæ ex ore cum pathematibus hypochondriacis.
LVII. Salivatione præternaturali in cachectica.


LVIII.

# *CONSPECTUS CASUUM.*


CAS. LVIII. Ulcere linguæ cancroſo.
LIX. Ulcere mali moris in interioribus labii ſuperioris.
LX. affectu capitis cum efflorelcentiis in pede.


## *SECT. II. DE MORBIS PECTORIS.*


LXI. Exulceratione faucium cum ingenti fluxu ſalivali.
LXII. Singulari colli dolore ex ſtomachi vitio.
LXIII. Spaſmo œſophagi, illiusque atonia.
LXIV. affectu œſophagi & ventriculi ſpaſmodico.
LXV. affectu œſophagi paralytico.
LXVI. Difficili deglutitione ex ſumma muſculorum pharyngis atonia.
LXVII. Tumore in mamma cum menſium obſtructione diuturna.
LXVIII. Diuturna raucedine cum tuſſi & copioſa lentæ pituitæ excretione.
LXIX. Hæmoptyſi.
LXX. Hæmoptyſi hypochondriaca.
LXXI. Hæmoptyſi cum febre lenta poſt tuſſim graviorem.
LXXII. Hæmoptyſi cum metu hecticæ.
LXXIII. Hæmoptyſi cum labe pulmonum.
LXXIV. Refractario pectoris catarrho.
LXXV. Tuſſi pulmonali phthiſica cum calore hectico, demum funeſta.
LXXVI. Tuſſi habituali cum panno oculi & nativa ſuccorum impuritate.
LXXVII. Tuſſi diuturna ſine Pulmonum labe.
LXXVIII. Suſpicione labis pulmonum ex tuberculis ſcirrhoſis.
LXXIX. Phthiſi pulmonali funeſta.
LXXX. De deſcenſu pulmonum vivi infantis in aquam.
LXXXI. Vulnere pulmonum.
LXXXII. Vulnere diaphragmatis & hepatis cum ſubſequuta morte, non tamen abſolute lethali.
LXXXIII. Aſthmate & ſpaſmo præcordiali à motu corporis.
LXXXIV. Aſthmate humido.
LXXXV. Aſthmate flatulento.
LXXXVI. Aſthmate flatulento.
LXXXVII. Aſthmate flatulento cum Colica.
LXXXVIII. Aſthmate ſpasmodico flatulento.
LXXXIX. Aſthmate ſpasmodico flatulento.
XC. Aſthmate ſpasmodico convulſivo.
XCI. Aſthmate ſpasmodico & hypochondriaco.
XCII. Aſthmate ſpasmodico cum tumore teſtis ſiniſtri.
XCIII. Cura aſthmatis ſpasmodici & hydropis perperam inſtituta.
XCIV. Aſthmate ſpasmodico à potu & victu poſt iram ſumto, & inde adhibitis incongruis medicamentis orto.
XCV. Empyemate feliciter curato.
XCVI. Rheumatiſmo pulmonali.
XCVII. Pleuritide ſpuria ac vera feliciter ſanata.
XCVIII. Pleuritide.
XCIX. Phthiſi ex hæmoptyſi.
C. Tuberculis pulmonum.
Appendix exhibens judicia & reſponſa medicorum, an purgans ex reſina jalappæ & mercurio dulci lactentibus infantibus ſit proficuum.


# CENTURIA SECUNDA.

## *SECTIO III. DE MORBIS ABDOMINIS.*


CAS. I. De occulto abſceſſu muſculorum hypochondrii ſiniſtri.
II. Apoſtemate muſculorum abdominis & dorſi ex tumore glandularum inguinalium orto.
III. Ventriculi, inteſtinorum & partium genitalium, nec non veſicæ & ureterum ſtrictura ſpaſmodica cum inſigni generis nervoſi debilitate.
IV. Ventriculi affectu ſpaſmodico chronico vehementiori.
V. Ventriculi ſpaſmo hypochondriaco.
VI. Uſu Carolinarum & Tœplicenſium in affectu ventriculi ſpaſtico inflativo.
VII. Ventriculi inflatione cardialgica cum hemicrania.
VIII. Inflatione ventriculi & duodeni hypochondriaco-ſpaſmodica.
IX. Cardialgia ſpaſmodica cum colica flatulenta.
X. Cardialgia ſpaſmodico flatulento hypochondriaca.
XI. Inteſtinorum dolore ex ſuccorum ſtagnatione & acrimonia.
XII. Inteſtinorum affectu ſpaſmodico hæmorrhoidali.
XIII. Colico-ſpaſmodicis affectibus ex defectu fluxus hæmorrhoidalis rite tractandis.
XIV. Infelici colicæ hæmorrhoidalis tractatione.
XV. Colica hæmorrhoidali ex obſtructo hæmorrhoidum fluxu.

# CONSPECTUS CASUUM.


XVI. Colica ſpaſmodica ex podagra retropulſa.
XVII. Colica ſpaſmodica cum ſubſequente ictero.
XVIII. Colica ſpaſmodico-convulſiva cum tumore & dolore pedum per Carolinas ſanata.
XIX. Colica ſpaſmodica chronica cum calculo veſicæ felleæ conjuncta.
XX. Colica flatulenta cum dolore nephritico.
XXI. Præſervatione & curatione illuſtris fœminæ ex coli & calculi doloribus laborantis.
XXII. Gravi ſpaſmo & dolore in recto inteſtino, cervice & vagina uteri cum ſanguinis ſtillicidio.
XXIII. De Eroſione ulceroſa tunicarum recti maxime inteſtini.
XXIV. Debilitate generis nervoſi cum excreſcentia ani.
XXV. Fluxu inordinato hæmorrhoidali in fœmina.
XXVI. Fluxu hæmorrhoidali nimio.
XXVII. Pathematibus ex hæmorrhoidum turbis.
XXVIII. An pathemata ſpaſmodico-hæmorrhoidalia à pilulis Becheri cum reſina jalappæ permixtis prognaſci poſſint.
XXIX. Malo hypochondriaco.
XXX. Malo hypochondriaco.
XXXI. Malo hypochondriaco in fœmina.
XXXII. Malo hypochondriaco cum tumore pedis eryſipelaceo.
XXXIII. Malo hypochondriaco hyſterico.
XXXIV. Malo hypochondriaco ſpaſmodico.
XXXV. Malo hypochondriaco ſpaſmodico cum febrili commotione & intercurrente purpura.
XXXVI. Malo hypochondriaco ſpaſmodico cum debilitate vaſorum ſpermaticorum & partium generationi inſervientium.
XXXVII. Malo hypochondriaco ſpaſmodico flatulento.
XXXVIII. Malo hypochondriaco ſpaſmodico flatulento.
XXXIX. Malo hypochondriaco ſpaſmodico & flatulento functiones animales ſimul turbante.
XL. Malo hypochondriaco - melancholico.
XLI. Melancholia hypochondriaca ex retenta purpura.
XLII. Melancholia hypochondriaca cum hæmorrhoidibus nimiis.
XLIII. Paſſione hyſterica.
XLIV. Paſſione hyſterica cum fluore albo.
XLV. Paſſione hyſterico-ſcorbutica.
XLVI. Paſſione hyſterico ſpaſmodica.
XLVII. Variis ſymptomatibus hyſterico-ſpaſmodicis ex lochiorum & menſium retentione.
XLVIII. Pathematibus hyſterico-ſpaſmodicis cum tumore pedum œdematoſo.
XLIX. de Affectu ſpaſmodico-hyſterico hypochondriaco cum concretione calculoſa in veſica fellea.
L. Hyſterico malo, convulſivis & epilepticis motibus ſtipato.
LI. Paſſione hyſterico-melancholica.
LII. Melancholia hyſterica.
LIII. Morbo ſpaſmodico flatulento cum excretione ciborum indigeſtorum.
LIV. Hernia inteſtinali paſſionem iliacam minante.
LV. Hernia inguinali.
LVI. Singulari hydroceles ſpecie.
LVII. Ictero diuturno contumaci, emeticis expugnato.
LVIII. Atrophia cum febre lenta.
LIX. Atrophia luxationem femoris ſequente.
LX. Oedemate & debilitate pedum ſumma.
LXI. Affectu cachectico ex atonia ventriculi & inteſtinorum.
LXII. Affectu rariori cachectico cum tumore uteri ſcirrhoſo, & fluxione dolorifica in malleolo pedis ſiniſtri.
LXIII. Cachectica corporis conſtitutione ex ſoda diuturna.
LXIV. Cachexia cum aſthmate, & tumore hydropem minante.
LXV. Affectu cachectico tympanitico.
LXVI. Morbo tympanico.
LXVII. Tumore hydropico cum metu tympanitidis.
LXVIII. Aſcite cum tympanitide.
LXIX. Hydrope præcavendo.
LXX. Relatio ſectionis magni principis, hydrope defuncti.
LXXI. Rara abdominis intumeſcentia.
LXXII. Subita renis & veſicæ excoriatione à ſuppreſſo fluxu hæmorrhoidali.
LXXIII. Calculo renum.
LXXIV. Affectione calculoſa renum cum podagra.
LXXV. de Calculo renum inveterato cum hernia ſcrotali.
LXXVI. Affectu nephritico ſimplici.
LXXVII. Dolore nephritico cum numeroſa calculorum excretione.
LXXVIII. Mictu cruento.
LXXIX. Mictu cruento perquam raro.
LXXX. Mictu cruento, & urinæ incontinentia ex tumore pedum præpoſtere tractato.
LXXXI. Difficultate mictionis à calculo veſicæ.
LXXXII. Mictione dolorifica cum crebro ſtimulo.
LXXXIII. Continuo ad mictum ſtimulo ex ſpaſmo veſicæ.
LXXXIV. Dyſuria cum teneſmo & excretione materiæ flavæ per anum.


LXXXV.

# CONSPECTUS CASUUM.


CAS. LXXXV. Diabete ex hæſione calculi in uretere.
LXXXVI. Curatione veſicæ excoriatæ.
LXXXVII. Exulceratione veſicæ cum mictu cruento.
LXXXVIII. Pravo veſicæ morbo hæmorrhoidali ex male tractata purpura ſcorbutica.
LXXXIX. Calculo veſicæ cum incontinentia urinæ, dyſuria, ſtranguria ac hernia ſcrotali conjuncto.
XC. Spaſmo veſicæ urinariæ.
XCI. Spaſmo & ulceratione veſicæ cum calculo.
XCII. Spaſmis veſicæ & hypochondriorum ex incerta graviditate ortis.
XCIII. Raro veſicæ affectu.
XCIV. Gonorrhœa ſimplici ex impura & immodica venere.
XCV. Gonorrhœa inveterata.
XCVI. Gonorrhœa inveterata ex intempeſtivo veneris uſu.
XCVII. Gonorrhœa inveterata cum variis ſymptomatibus, ex inquinamento venereo.
XCVIII. Gonorrhœa virulenta cum tophis conjuncta.
XCIX. Gonorrhœa diuturna cum inflatione ventriculi.
C. Gonorrhœa cum exulceratione renis dextri, colli veſicæ, & proſtatarum.
CI. de Tumore teſtis dextri ex gonorrhœa improvide ſuppreſſa.
CII. Pollutione nocturna.
CIII. Pollutione nocturna, & excretione ſeminis involuntaria.
CIV. Infirmitate ob nimiam ſeminis effuſionem.
CV. Affectu ſingulari partium genitalium.
CVI. Fluore albo cum hæmorrhoidibus cœcis.
CVII. Fluore albo continuo ex plenaria menſium obſtructione.
CVIII. Fluore albo ex ſuppreſſis lochiis.
CIX. Ulcere uteri.
CX. Hæmorrhagia uteri.
CXI. Hæmorrhagia uteri enormi cum fungoſa excreſcentia in vagina.
CXII. Menſium totali ſuppreſſione à male curata febre.
CXIII. Diuturna & male tractata menſium obſtructione.
CXIV. Menſium pertinaci obſtructione poſt quartanam intermittentem.
CXV. Menſium inordinato fluxu, graviſſimis ſymptomatibus ſtipato.
CXVI. Menſium immodico fluxu, cum frequenti abortu, & molarum ſanguinisque concreti excretione.
CXVII. Frequenti abortu cum continua ciborum per vomitum rejectione.
CXVIII. Gravi valetudine ex crebro partu, abortu, & animi commotione.
CXIX. Gravidæ regimine ad partum feliciter obtinendum.
CXX. Conjugio ſterili, cum quæſtione: an ſpes ſit prolis.


## SECTIO IV. DE MORBIS ARTUUM EXTERNORUM.


CXXI. Atrocibus & pertinacibus doloribus cum artuum exulceratione.
CXXII. Maculis & tuberculis totum corpus faciemque pertinaciter occupantibus.
CXXIII. Affectu puſtulari pruriginoſo.
CXXIV. Atonia partium poſt inſultum apoplecticum.
CXXV. Defluxionibus ſeroſis diuturnis ex hæreditaria diſpoſitione.
CXXVI. Affectu arthritico vago ſæpius recrudeſcente.
CXXVII. Præſervandis doloribus arthriticis.
CXXVIII. Affectu arthritico cum peculiari manuum calloſitate.
CXXIX. Malo arthritico ſcorbutico.
CXXX. Arthritide lumbari.
CXXXI. Malo venereo.
CXXXII. Reliquiis luis venereæ.
CXXXIII. Cacochymica corporis conſtitutione.
CXXXIV. Pathematibus multis ex ſuccorum abundantia & impuritate.
CXXXV. Spaſmis vagis ex repulſa podagra.
CXXXVI. Affectu ſpaſmodico chronico.
CXXXVII. Affectu ſpaſmodico cum purpura.
CXXXVIII. Affectu ſpaſmodico ex relicta generis nervoſi debilitate, cum iſchuria & apoplexia conjuncto.
CXXXIX. Affectu generis nervoſi ſpaſmodico, per Selteranas cum lacte curato.
CXL. Affectu ſpaſmodico, gravibus & multis ſymptomatibus ſtipato, cum conſilio, an thermæ Carolinæ ſint profuturæ?
CXLI. Affectu ſpaſmodico in fœmina, cum conſilio, quænam poſt potum thermarum ex uſu ſint?
CXLII. Variis pathematibus ſpaſtico-hyſtericis cum corporis conſumtione.
CXLIII. Malo ſpaſmodico flatulento.
CXLIV. Malo ſpaſmodico flatulento per lac aſininum & Selteranas feliciter curato.
CXLV. Malo ſpaſmodico flatulento poſt puerperium.
CXLVI. Malo ſpaſmodico rheumatico, ſæpius recurrente.
CXLVII. Rheumatiſmo ſcorbutico.
CXLVIII. Rheumatiſmo ſcorbutico.
CXLIX. Malo rheumatico ſcorbutico.


CL

# CONSPECTUS CASUUM.

CAS. CL. De Affectu ſpaſmodico convulſivo.
CLI. Aflectu nervorum ſpaſmodico convulſivo.
CLII. Affectu ſpaſmodico convulſivo.
CLIII. Affectu ſpaſmodico convulſivo, diris ſymptomatibus ſtipato.
CLIV. Singulari quodam affectu ſpaſmodico convulſivo.
CLV. Singulari generis nervoſi affectu ſpaſmodico convulſivo.
CLVI. Affectu ſpaſmodico convulſivo chronico.
CLVII. Affectu ſpaſmodico convulſivo cum epilepticis motibus.
CLVIII. Affectu ſcorbutico.
CLIX. Scorbutica humorum impuritate cum nervoſarum partium debilitate.
CLX. Malo ſcorbutico inveterato.
CLXI. Affectu ſcorbutico cum effuſione ſeri acris in humeris & dorſo.
CLXII. Affectu ſcorbutico male tractato cum pedis rigiditate.
CLXIII. Affectu ſcorbutico ſpaſmodico.
CLXIV. Affectu ſcorbutico ſpaſmodico.
CLXV. Affectu ſcorbutico, rheumaticis & arthriticis ſymptomatibus ſtipato.
CLXVI. Malo ſcorbutico pathematibus hypochondriaco ſpaſmodicis ſtipato.
CLXVII. Catarrhis in veram podagram terminatis.
CLXVIII. Podagra adoleſcentis.
CLXIX. Podagra ſanguinea hæmorrhoidali.
CLXX. Topicis, inprimis camphoratis in podagra & eryſipelate noxiis.
CLXXI. Pertinaci ulceratione femoris.
CLXXII. Abolitione motus pedis ex prava curatione poſt lapſum.
CLXXIII. Impotentia ambulandi ex lapſu in regionem iſchiadicam, oſſe femoris nec fracto, nec luxato.
CLXXIV. Impotentia ambulandi ex imbecillitate naturali.
CLXXV. Tumore cruris ſanguineo.
CLXXVI. Efficacia olei caryophyllorum in ſphacelo ex cauſſa interna nato.
CLXXVII. Febre tertiana male curata, ſæpius recidiva, inque eryſipelas cum moleſtis ſymptomatibus tranſeunte.
CLXXVIII. Febre tertiana male curata, ſpaſmi hypochondriaci cauſſa.
CXXIX. Tertiana duplici cum purpura in gravida.
CLXXX. Febre quartana in gravida.
CLXXXI. Febre bilioſa intermittente.
CLXXXII. Febre lenta ex male curata tertiana.
CLXXXIII. Febre lenta cum cachexia.
CLXXXIV. Febre lenta deſperata per lac aſininum curata.
CLXXXV. Febre lenta cum nimio menſium fluxu.
CLXXXVI. Metu febris lentæ poſt catarrhalem & purpuratam.
CLXXXVII. Hectica cum pathematibus hypochondriacis.
CLXXXVIII. Febre hectica poſt partum.
CLXXXIX. Maraſmo ſenili.
CXC. Maraſmo ſenili funeſto.
CXCI. Purpura contumaci chronica.
CXCII. Pertinaci purpura ſcorbutica.
CXCIII. Purpura alba & rubra cum ſumma generis nervoſi debilitate conjuncta.
CXCIV. Febre purpurata puerperarum pro novo & incognito morbo habita.
CXCV. Purpura alba puerperis plerumque funeſta.
CXCVI. Variolis.
CXCVII. Comite variolis extincto.
CXCVIII. Virgine inflammatoria febre defuncta.
CXCIX. Febre maligna petechiali.
CC. Hiſtoria febris epidemicæ per annum MDCCXX. graſſantis.

FRIDE-

# FRIDERICI HOFFMANNI CONSULTATIONES ET RESPONSA MEDICINALIA.

## SECTIO PRIMA DE MORBIS CAPUT POTISSIMUM OCCUPANTIBUS.

### CASUS PRIMUS.

### *De Cephalalgia diuturna cum dolore artuum vago.*

#### *Hiſtoria morbi.*

ILLUSTRIS matrona, quadraginta ſex annos nata, ſanguineo-melancholici temperamenti, à teneris juventutis annis variis oculorum æque ac hypochondriorum ægritudinibus infeſtata fuit. Perpetui fermè dolores caput tanta adfecerunt atrocia, ut non ſolum ante aliquot annos capillorum defluvium paſſa fuerit, verum etiam tormentis illis adeo inſueverit, ut abſque querelis illa toleraverit. Hæc admodum adoleſcentula conjugii leges ſubiit, decemque prolium fœcunda fuit mater; quarum primam cum ederet, atroces adflictiones, præſertim larga ac diuturna ſanguinis ex utero profluvia ipſam prehenderunt; reliqua autem puerpuria, cum ipſa infantibus præberet ubera, omni calamitate vacua, ex voto ſucceſſerunt. Verùm enim vero pleriſque harum prolium præmatura morte defunctis, eximiæ ſollicitudines mœroreſque mentem occuparunt; & non minus caput debilitarunt, quàm varias maxillarum & oculorum congeſtiones; & periculoſas febres catarrhales; reliquerunt. Menſtrua ipſi rite fluunt; ex aliquot annis aliquantulum imminuta; ut inde bis quotannis ſanguinem ex venis pedum mittere decreverit: & cum præterea alvi obſtructionibus ſæpius laboret, pilulis contra obſtructionnes frequenter uti debuit. Vere proxime elapſo moleſtus ventriculi ardor, eique junctus faucium ac œſophagi ſpaſmus atrox miſeram præter omnem ſpem invaſerunt; poſt liquoris anodyni mineralis cum eſſentia caſtorei mixti, uſum autem, & datos pulveres præcipitantes; mox evanuerunt. Nihilo tamen ſecius ſub Junii finem rediit acerbus ille ventriculi ſpaſmus; & adhibitis contra obſtructiones pilulis; & Caſtorei eſſentia ſe iterum depelli paſſus eſt. At verò vix octiduum eſt elapſum, cum ſcindentes lancinanteſque dolores dextræ manus corriperent articulationem: ægra, manum luxatam reputans, eam extendi curat; ſed poſt aliquot dies iidem dolores ad ſiniſtram devoluti manum, inde ad genas; oculos, femora protracti; & per totum ferme corpus diſtributi, tandem ad caput & oculos redierunt, ibidemque fixum ceperunt locum. Jam igitur adgravati oculi ardent; in vertice ſpatium tranſverſæ manus latitudinem explens, tenaciſſimæ ſtricturæ ſenſum refert; ægra capite ad terram paululum inclinato protinus vertiginoſa, omnia obſcu-

obſcuris intuetur oculis; alvum, niſi pilulis adjuta, non deponit; & vini aſſumto hauſtu mox volatico faciei rubore, capitiſque vertigine adficitur; urina clara, tenuis & pallida. R. d. 23. Auguſt. 1731.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Intelligo ex tranſcripto caſu, cujus omnia momenta probe ponderavi, illuſtris ægrotæ corpus valde tenera, ſenſibilique gaudere textura, eamque à prima ſtatim infantia inſigni capitis debilitate fuiſſe adfectam. Quid ergo mirum, ſi humores juſto majori quantitate eo ferantur; irregulari per corpus diſtribuantur circuitu, & hinc tantam capiti relinquant humiditatem, quanta continuis illius cruciatibus, oculorum adflictionibus, defluxionibus ac catarrhalibus febribus excitandis ſatis par eſt ac idonea? Neque vero hæc unica cauſſa eſt, ſed ſi conſideres, quantis debilitatibus natura ex crebro partu, ex largo cruoris ſub puerperio profluxu, & ex mœroribus, ab infantum crebra morte inductis, fuerit infeſtata; haud ſane miraberis quod recenſita pathemata, nimirum hypochondriaca, hyſterica, ſplenetica, ſanguinis congeſtiones ad caput, alvi obſtructiones, flatulentiæ atque anxietates exinde propullulaverint. Acceſſit præterea illa ætatis periodus, in qua menſium fluxus, antea regulari ſucceſſu erumpens, naturali ordine parcior redditur & imminutior: inde vero cruor, cum non amplius depuretur, non ſolum in quantitate coacervatur, ſed acriorem quoque ac ſpiſſiorem induens qualitatem, plures eaſque periculoſiores producit adflictiones. Ex eodem igitur fundamento ægra noſtra currente anno ventriculi ardore, phlogoſi, pertinaci alvi obſtructione, & jam defluxione ſcorbutica ſatis acri, corporis omnes partes pervagante, ac tandem in oculis fixata, in iiſque pariter ac in vertice acutam lancinationem & ſtricturam producente, detenta fuit ac cruciata.

Ne autem periculoſius exinde capitis malum, aut plane hemiplexia, ſuboriatur; haud immerito tempeſtivis medicinis his pathematibus obviam eundum, eaque, quantum poſſibile erit, præcavenda ſunt. Quo fine ante omnia ſuadeo, ut ægra ſtatim ex vena pedis tuſa quatuor circiter aut quinque ſanguinis uncias detrahi; & aliquot diebus poſt ſcarificatas cucurbitas nuchæ adplicari curet. Neque erit incongruum, ſi nuchæ vicinia pannis aſperis, bene calidis ſedulo fricentur, ac deinde ſpiritu quodam, ſub litt. A. communicato, inungantur; cujus externa applicatio ipſis quoque proderit oculis. Quum autem ſimul ad purpuraceam materiam, in hiſce morbis tantum non ſemper intra humores reconditam, reſpiciendum eſſe arbitrer: inter interna medicamina pulverem meum bezoardicum & præcipitantem, pari portione commixtos, & mane æque ac veſperi ſub lecti introitum larga doſi, cum decem liquoris mei anodyni mineralis guttulis, adſumendum commendo; ſubinde vero aliquot vaſcula infuſi theiformis ſub litt. B. deſcripti haurienda, ut mador lenis ſequatur, ſuadeo.

Tum alvus ſemper libera ſervanda, non pilulis, quæ nimium exſiccant corpus, ac perverſa imbuunt conſuetudine; ſed clyſmatibus domeſticis, quæ ex tenui avenæ juſculo, oleo chamomillæ & carvi, tantillo ſalis communis, & mellis præparantur. Non minus Elixir meum viſcerale, 50 vel 60 guttis inter epulas adhibitum egregiam concoctioni feret opem, & laudabilis chyli confectionem adjuvabit. Tandem vero potulentorum exacta ratio habenda, quæ omne fere curationis in his morbis abſolvunt momentum: nocent enim omnes cereviſiarii ac calidiores potus; & in eorum locum decocta ex cornu cervi raſpato, radice cichorei, ſcorzoneræ, ſemineque fœniculi compoſita, & cum vini vetuſtioris Moſellani parte mixta feliciori ſorbillantur effectu. His denique ſi acceſſerit bonum regimen, & præſertim ab animi commotionibus, & aëre frigido abſtinentia: haud dubito, quin exoptata ſanitas ſit reditura.

Litt. A.

Rec. Spiritus vini rectificatiſſimi uncias duas, olei macis, fœniculi ana drachmam unam. M. D. S. *Nervenſtärckender* Spiritus *äuſſerlich zu gebrauchen.*

Litt. B.

Rec. Herbæ veronicæ, meliſſæ, betonicæ, ſcordii ana manipulum, radicis liquiritiæ, ſeminis fœniculi ana drachmas duas. C. C. D. S. Species *zum Kräuter-Thee.*

---

## CASUS II.

### *De Cephalalgia rebelli.*

Princeps quidam sereniſſimus ſatis longo abhinc tempore in anteriore capitis parte atroces valde expertus eſt dolores. Corporis illius habitus omni fere vitio vacare videtur: nihilo ſecius inſignes primum tempora torſerunt cruciatus, & Sereniſſimus æger ſpiſſam mucaginem à capite delapſam excernere cœpit: quibus ſubſultantes nervorum acceſſere motitationes; & jamjam gravativi dolores regionem, quæ eſt ſupra oculorum orbitam tenent. Harum partium obſtructiones, quæ ex membranarum ſinus frontales involventium obſtructione, primos congeſtoriis ſanguinis & ſeri ibidem ſtagnationibus natales debente, oriuntur, ſubeſſe ſimul videntur. Quibus incommodis licet hactenus variæ cephalicæ, nervos confortantes, & obſtructiones ac ſtaſes reſolventes medicinæ, evacuationes per laxantia, venæ ſectiones in brachio æque ac pede inſtitutæ, fuerint oppoſitæ: in eodem tamen malum permanſit tenore. Quamobrem doceri avet Princeps Sereniſſimus, qua ratione morbus hic ſit tractandus, aut utrum minerales aquæ, quibus partim adſuevit, illi tollendo futuræ ſint idoneæ?

*Conſilium.*

Ut deſideratum à me ſuper diuturno anterioris capitis dolore conſilium ſuppeditem, & congruas ipſi medicinas proponam: morbi hiſtoriam ſedulus perpendi, illumque ex ſeri viſcidi & acris ſtagnatione tam in oſſium frontalium ſinubus, quam inter cranium & pericranium facta derivandum autumo. Quas vero ſtagnationes cruditates potiſſimum ex depravata concoctione in ventriculo generatæ produxerunt. Quod ſi enim tenacior juſto, ac multo acore infectus chylus ſanguini commiſceatur; hic inde ſpiſſeſcit, ac libero per minima pericranii & membranarum ſinus capitis inveſtientium vaſcula circuitu excluſus, ſubſiſtit ibidem, ſtagnatque; hinc non niſi ſubtile dimittit ſerum, quod nervorum fibrillas ſenſibiles valde, pungit, rodit, ac eorum dolores ſubſultuſque producit. Quæ cum ita ſint, eo potiſſimum dirigenda erit curatio, ut

non

non minus ſtagnatio ſeri viſcidi acrioris in nerveis capitis membranis reſolvatur, & diſcutiatur; quam ventriculo reſtituatur debita concoquendi vis, & alvi ſucceſſus promoveatur. Hunc in finem pilulas meas balſamicas commendo, quarum quatuordecim ſemel vel bis ſingulis ſeptimanis proxime ante prandium, quo tempore haud adeo ſiccant, ac paulatinos effectus præſtant, adſumi poſſunt. Dein hic pulvis nervinus, reſolvens & diaphoreticus, egregie juvabit diſcuſſionem: Recipe antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum ana drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrupulos duos, ſalis volatilis cornu cervi, pulveris caſtorei ana grana decem. M. f. pulvis, dividatur in doſes quatuor; quarum una mane & veſperi ex aqua cum vino mixta exhibenda, mane vero infuſum herbæ Théebois, aut aliud theiforme, inſuper bibendum, & intra lectum lenis diaphoreſis inſtituenda. Eidem ſcopo externa ſalis volatilis ammoniaci ſicci, cum tantillo olei majoranæ veri remixti, ad nares admotio ſatisfaciet; non minus balſami mei vitæ cum duplicatis linteis facta fronti adplicatio conducet; aut pulvis quidam cephalicus, inſtar ſternutatorii adhibendus: Recipe herbæ majoranæ, florum liliorum convallium ana ſcrupulos duos, mari veri, florum benzoes ana ſcrupulum, pulveris caſtorei grana decem, olei caryophyllorum guttas quatuor. M. D. Tum vero concoctricem ventriculo vim egregie reſtaurabit eſſentia corticum aurantiorum, quæ ex corticibus his recentibus concifis, cum ſale tartari in pultis formam contuſis, tantillo olei de cedro italici permixtis, & tandem cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, aut, quod præſtantius, ſpiritu vini Hungarici per nycthemeron digeſtis conficitur: hæc enim ſub epularum fine 60 vel 70 guttis ex potu adſumta flatus diſcutit, acrimoniam præcipitat, & virtutem leviter balſamicam exſerit.

Præterea exactum vitæ regimen ſervandum erit, & maxime ab omni refrigeratione, præſertim pedum, ſedulo cavendum: quo enim hi ſunt frigidiores, eo magis humores ad ſuperiora rapiuntur, in iiſque eo acerbiores excitant dolores. Hinc valde proficuum erit, ſi ad circulum ſanguineæ maſſæ æqualiter promovendum pedes veſpertino tempore calidis fricentur pannis, aut leviori pediluvio ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, roſarum æque ac chamæmeli floribus concinnato immittantur. Hæc ſunt, quæ ſuadenda duxi; quæ ſi obſerventur, de felici, exoptatoque eventu haud dubito, illumque ex animo adprecor.

---

## CASUS III.

### *De rara hemicrania.*

VIr ſexagenarius autumno anni MDCCXVIII. narium deſtillatione, quam coryzam vocant, correptus; primis diebus tenuem per nares ſtillavit pituitam: quæ vero mox gravedine intus adeo obſtructæ fuerunt, ut abſque ſternutatorii pulveris ope nihil ferme muci ploraverit, caput autem multum grave exſtiterit. Malum hoc non ſolum per inſequentem hyemem, verum etiam integrum 1719. annum adflixit, majoraque in dies ſumens incrementa adeo debilitavit caput, ut ſæpius muniorum ſuorum non niſi pauciſſimis, ſæpius nullo plane defungi potuerit. Hunc rerum ſtatum medici conſulti leviorem æſtimantes, coryzam duntaxat ſubeſſe putabant mox plane evanituram. Aſt hyemali anni 1719. tempore mali vehementia crevit; ciborum enim adpetentia paulatim abolita; vireſque capitis & corporis deiecerunt incredibilem in modum, ut denique à 10. Martii die anni 1720. lecto fere affixus hærere debuerit. Tum penitus obturatæ ſunt nares, iiſque nec aërem trahere, nec muci quidpiam excernere potuit: acceſſere ſimul ſpaſmodici poſtici dextrique capitis cruciatus, qui non more cephalalgiis ſolito interius adfligebant, ſed inter cranium & externam cutem torquere videbantur; & per caput ad collum, frontem, dextri lateris tempora, oculum, dimidium naſum, os, linguam, maxillamque ad cervicem uſque protenſi, veram conſtituerunt hemicraniam: quæ dextrum faciei latus intus extuſve intumefactum & ſtupefactum fœdo deturpavit ſpectaculo. Dexter oculus viſu tantum non omni privatus ſi cum ſiniſtro ſimul ad videndum aperitur, omnia objecta ſiſtit duplicata: hinc aliquid lecturus, ſcripturus aut exacte conſideraturus, dextro clauſo ſolo ſiniſtro uti valet oculo, cujus acies pariter magis magiſque infringitur. Hi ſpaſtici dolores primum horrore ac æſtu alternantibus ſtipati circa ſeptimam veſpertinam ſemper invaſerunt, & ægrum ſumma atrocia ad nonam, & quod excedit, diſcruciarunt; poſt bis de die, mox ter recurrerunt, tandemque ſine ulla ferme remiſſione ſævierunt. Ille vero tormenta hæc ferre neſcius ſummis medicum orabat precibus, ut dolores iſtos ſi abolere penitus non poſſet, ſaltem ſopiret paululum & mitigaret; ordinavit hic pulveres præcipitantes cinnabarinos cum extracto opii remixtos; quorum quotidie unum, dein duos, & acerbitate nihil remittente tres aſſumere debuit æger. Neque autem ſecius eodem tempore cibos prorſus averſari cœpit; ventriculus & inteſtina acerbe torquebantur, maximeque prandendi tempore; appetiit quidem interdum edulia, illa autem ori oblata ſumma nauſea iterum abigebat; juncta ſpiratione difficiliori. His incommodis per 4 aut 6 hebdomadas toleratis, varias natura molita eſt excretiones: inter quas primum tenax ſanguineaque mucago per nares delapſa, manibus, ulnarum ſæpe longitudinem ſuperans extrahi debuit: elapſis autem quibuſdam ſeptimanis fluxilior tenuiorque ferebatur mucus, tanta quidem copia, ut nec nocte nec die ceſſaret, ſed ſomnum valde perturbando per tres ægrum adfligeret menſes. Interea largiſſima hæc fluxio nullum prorſus naribus attulit levamen: hæ enim obſtructæ ac quaſi coalitæ ne minimum quidem aëris perſpirare valebant: quid? quod aliud adhuc ſatis curioſum acceſſerit incommodum, quo vena in palati fornice ſponte rupta multum cruoris mox per os ſolum, mox ſimul per nares effudit. Tum & hæc ſanguinolenta effuſio ceſſavit quidem; attamen coagulatus cruor adhæret infundibulo, & per ſcreatum ac ſputationem effunditur: ſaliva inſuper per quaſdam ſeptimanas tenax & viſcida tanta ſpuitur copia, ut ſalivatio ſubeſſe videatur; & alvus, quæ antea fuit libera ac regularis, jam obſtrui incipit. Diris olim tormentis crura, femora & totum corpus laceravit arthritis vaga; quæ ſub præſenti morbo evanuit, fixamque in capite obtinuit ſedem. His itaque ægritudinibus quam plurima æger opponi curavit medicinarum genera, laxantia nimirum, decocta lignorum exſiccantia ſanguinemque depurantia; nullam tamen conſtantem inde reportavit valetudinem; quin licet æſtivo tempore, ſereno clementique cœlo quadam ſanitatis larva gaviſus ſacras frequentare potuerit ædes; nihilo minus jamjam autumnali tempeſtate priſtino agitatur malo; ſalivam reddit valde copioſam, dextrique capitis diros perſentit dolores. Omnis aëri per

narium meatus præcluditur aditus; quibus cum aliquando ſpiritus vini non adeo rectificatus ſyphonis ope injiceretur, inſignes inde capitis cruciatus evenere, adeo, ut cum præ iis ſomnum capere neſcierit, apoplexiæ aut convulſionum metus ſuboriretur, qui, dolore poſt 48. horas mitigato, evanuit. Hinc porro pulveres cephalici, decocta lignorum cephalicis mixta ſudorem promotura, infuſa dilutiora potum ordinarium ſubminiſtratura, ac pediluvia ordinabantur; malo nequicquam ſoluto. Quam ob rem tandem quæritur: num hujus morbi aliquod levamen aut ex mineralium, præſertim Carolinarum aquarum uſu, aut ex mercuriali cura rite inſtituta queat expectari?

*Epicriſis.*

Affectus, qui in hac hiſtoria deſcribitur, eſt graviſſima & inveterata hemicrania, quæ cum ſæviſſimis ſymptomatibus juncta dimidium caput dextri lateris occupat; ſiquidem non modo pericranium hujus lateris, partemque capitis ſuperiorem, ſed ipſum quoque oculum, dimidiam partem naſi, oris, linguæ, mandibulæ, occipitis gravi dolore pungitivo exercet, harumque partium functiones lædit, ita, ut oculus viſu privetur, omniaque ægrotanti duplicata appareant. Sæviunt ſymptomata per periodos, dum primum præcedente levi horrore ac frigore, ut in hoc affectu fieri conſuevit, circa tempus nocturnum facta fuit exacerbatio; deinde creſcente malo intra diei ſpatium bis vel ter dolor acceſſit; quumque hoc vitium diutius ægrum detineret, non ſolum inappetentia cum ciborum faſtidio, viriumque proſtratione & imminuto vigore ingenii ſuborta, ſed etiam concoctio & egeſtio excrementorum inſigniter perturbata fuit. Quum itaque ſub hoc affectu maxima cerebro & nervis inducta ſit debilitas, nullum ſane eſt dubium, quin haud leve periculum ægro immineat. Nam ejuſmodi graves valdeque diuturnos capitis dolores periculoſiores ſubinde affectus, paralyſes, hemiplexiæ, apoplexiæ, morbique ſoporoſi ſubſequi ſolent; id quod multiplici experientia nobis compertum eſt. Si primam hujus mali originem diſpiciamus, ea potiſſimum ad ſuppreſſam coryzam, ſeu impeditam ſeri per nares & fauces excretionem referenda eſt: unde à ſtagnante ſero tunicæ pituitariæ, quæ totam faucium & narium regionem inveſtit, nata fuit obſtructio, ita ut nares penitus obturatæ præter odoris abolitionem aëris aditum ad laryngen interceperint. Et quoniam in coryza & catarrhalibus ejuſmodi defluxionibus humorum motus atque impetus ab extremis partibus, ſpaſmo quodammodo conſtrictis ad interiora, & præcipue ad glanduloſos faucium & aſperæ arteriæ tractus, convertitur; hinc non ſolum acceſſit alvi & tranſpirationis ſegnities, ſed etiam copioſior humorum ad partes internas affluxus concitatus fuit, qui copioſam, ſalivationi ſimilem valdeque diuturnam ſeri viſcidi per os & nares excretionem commovit, nulla tamen inde ſequuta narium obſtructarum apertione. Neque mirari oportet, quod ſanguis interdum cum ſero exſtillaverit: ſiquidem humorum affluxus vaſa ſanguifera ita diſtendit, ut ſanguini accumulato & cum impetu irruenti facile exitum concedant.

Videtur autem ad generationem hujus mali haud parum contuliſſe ſalſa acris lymphæ intemperies, arthritidis genetrix, quæ ægrotantem noſtrum alias crebro infeſtavit, jam vero hoc malo correptum deſeruit. Nam ab ejuſmodi ſero ſalſo acri, quo arthriticorum humores imbuti ſunt, membranis nerveis inhæreſcente, major ſit dolorum & ſpaſmorum vehementia, ſub qua utique liber humorum circuitus debitaque eorum ſecretio & excretio in vicinis partibus magnopere labefactatur & pervertitur: ex quo factum putamus, ut huic malo & augmentum & diuturnitas acceſſerit. Perpetuæ enim obſervationis eſt, ceſſantibus conſuetis doloribus arthriticis partes nerveas & membranaceas graviter affligi, quod videre licet in colica & aſthmate convulſivo, in tuſſi, rheumatiſmis, aliiſque doloribus, quibus arthriticorum corpora infeſtantur.

Præterea circa hanc morbi hiſtoriam id monendum duco, quod naſcente hoc malo ſi omnia recte & prudenter fuiſſent adminiſtrata, hæc ſymptomatum vehementia facili negotio averti potuiſſet. Sed morbo & à medicis, & ab ægrotante neglecto, partim etiam copioſis exhibitis opiatis, indeque nervorum ac membranarum tono mirifice debilitato, non mirum videri debet, auctam eſſe procedente tempore hujus mali acerbitatem, adeo ut jam utique major circumſpectio, prudentia, ampliuſque temporis ſpatium ad reſtituendam valetudinem requiratur.

Quum autem hoc loco maxime in quæſtionem venire videam, an thermarum ſeu aquarum mineralium uſus, vel etiam cura, ut vocant, mercurialis hoc in tollendo adfectu aliquid auxilii conferre poſſit, breviter hac de re ſententiam noſtram exponemus. Ac primo quidem omni modo & aquarum mineralium uſum & curam mercurialem diſſuademus, quoniam utrumque medicationis genus per omnia & perpetuo integrum vigorem corporis, maximeque illibatum ventriculi robur deſiderat. In noſtro autem jam ſexagenario ſumma capitis, generiſque nervoſi debilitas cum magna ſtomachi infirmitate animadvertitur. Deinde non ſemel, ſed frequenter obſervavimus, thermas præſertim Carolinas nunquam conducere in iis adfectibus, qui à debilitate nervorum & ſtagnatione humorum in capite naſcuntur; & quidem ob hanc rationem, quoniam hujus generis aquæ paulò graviores difficilius per debilitata cerebri vaſa tranſeunt: hinc etiam eſt, quod in idiopathicis capitis affectibus v. g. hemiplexia, paralyſi, gutta ſerena, ſurditate, auditu difficili, nunquam has aquas prodeſſe experti ſimus.

Quod vero curam mercurialem attinet, eam ideo non admittendam putamus, quoniam ex mercurio parata remedia ſpaſmo & conſtrictione fibrarum agunt, præſertim in partibus externis, quas fortius ſtringendo humores cum impetu ad faucium glandulas appellunt, unde major affluxus atque ex eo ſeri in cerebro ejuſque partibus extravaſatio metuenda eſt. Accedit etiam illud, quod ætate provectioribus ejuſmodi medicatio, ob corporis infirmitatem, vix tuto præſcribi poſſit. Noſtrum potius conſilium eo collineat, ut excretionibus per alvum & tranſpirationem, quod tamen remediorum temperatiorum ope peragendum eſt, reſtitutis impetus humorum à capite derivetur: quod per pediluvia, balnea, blanda laxantia & diaphoretica commode fieri poſſe exiſtimo. Poſtea partem affectam roborare oportet ſuffimigiis balſamicis, maximeque beneficio temporis utendum eſt, proſpiciendumque, ut ne quid inconſulto & præcipitanter in tam inveterato malo agamus.

*Appendix.*

Notandum hoc loco, quod ægrotus ſalutari hoc conſilio neglecto, curà mercuriali uſus fuerit: unde quidem primo dolorum levamen ſenſit, ſed poſtea crevit

crevit morbi vehementia, tandemque hemiplexia & ſuffocatio aſthmatica, brevi poſt inſequuta, vitam abſtulit.

## CASUS IV.

### *De hemicrania ſuccedente febri tertianæ.*

VIr quadraginta ſex annorum, proceræ ſtaturæ, ad iram facillimus, Tabaci ſugendi ſpirituoſosque potus bibendi amantiſſimus, ſeptimo calendarum Novembris febre corripiebatur: quæ cum primum exiguo horrore ac ſpinæ dorſalis lancinationibus ægrum adorſa eſſet, alteroque die abſque horrore rediret, ardoremque per ſedecim horas protractum inferret, acutæ ſpeciem retuliſſe viſa eſt. Vocatus hinc medicus protinus ſub morbi initio venam tundi juſſit, variaque dedit medicamina; quo factum, ut intra quatuordecim dierum ſpatium febris evanuerit. Verum haud ita multo poſt dextrum capitis latus immanes prehenderunt dolores, qui, veſpertino ſemper reverſi tempore, per integram ſævierunt noctem, & non modo ſomnum eripuerunt ægro, verum etiam adeo labefactarunt caput, ut viſus ferme fuerit abolitus. Remittit interdiu doloris atrocitas; nulla vero eſt adpetentia, ſed ſummum ciborum faſtidium. Prior medicus iterum accerſitus epithema ex aqua roſarum, aceto roſaceo, nitro, camphora & quibuſdam olei ligni rhodii guttis confectum adplicari jubet; ſed tantum aberat, ut æger inde melius haberet, ut potius dolorum atrocia increſceret: quid? quod præterea ſicca moleſtiſſima tuſſis ægrum exagitet, caputque magis reddat temulentum, alvo manente libera. Quum itaque hi cruciatus jam per octiduum adfixerint, omneſque vires dejecerint; illorum congrua anhelatur medela.

### *Conſilium Medicum cum curatione.*

Aegroti conditionem litteris mecum communicatam ſedulo perſcrutatus; dolorum, quibus caput illius nocturno potiſſimum tempore cum plenaria ferme ſomni abolitione occupatur, originem à febrilis ſaburræ haud penitus foras actæ reliquiis derivandam eſſe cenſeo; & hinc cauſſam eorum maxime in primis viis, ventriculo nimirum & inteſtinis, reſidere arbitror. Quamobrem cum præſcribendæ ſint congruæ medicinæ; eo reſpiciendum eſt, ut malum exſtirpetur funditus. Quo fine mitto laxativam potionem, quæ ſimul abſque omni laborioſiore & anxio conatu lenem ducet vomitum: cujus altera pars mane, ſubjuncto decocti tenuioris ex avena parati hauſtu capiatur, altera elapſo horæ quadrante aſſumatur, iterumque avenaceus potus hauriatur. Nec etiam erit incongruum, ſi ſuccedentes per alvum aut vomitum excretiones continuatis avenæ juſculis magis promoveantur; reliqua vero potulenta æque ac edulia hac die fugiantur. En vero ipſam potionem: Recipe mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari drachmam unam, radicis hypecacuanhæ ſcrupulos duos: ſolve & coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque, colaturæ adde olei de cedro italici guttas tres. M. D. S. Laxir-*Tränck-lein.*

Adjungo porro pulverem diſcutientem & anodynum, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe ceruſſæ antimonii, lapidum cancrorum, cornu cervi philoſophice præparati ana drachmam unam, cinnabaris præparatæ drachmam dimidiam, ſalis volatilis cornu cervi, pulveris caſtorei ana ſcrupulum unum, croci auſtriaci grana X. M. f. pulvis div. in X. doſes. Sumatur hujus una doſis altero poſt aſſumtum laxans die, matutino tempore, commodo ex vehiculo: proin quædam ſcutellæ decocti Thée bois aut Coffée, aut alius theiformis ex foliis ſaturejæ, meliſſæ, ſalviæ & ſemine fœniculi parati ſorbillentur; & quo lenis ſequatur tranſpiratio, per aliquot tempus lecto immoretur æger.

Sed circa veſperam tribus circiter ante dolorum acceſſionem horis, ejuſdem pulveris portio cum 40. guttulis liquoris mei anodyni mineralis, ex debita aquæ florum ſambuci quantitate, capiatur iterum: tum deſcendatur in pediluvium ex aqua fluviatili, furfuribus tritici & chamomilla paratum, eique haud adeo fervente pedes ad ſuras uſque & ultra immittantur. Denique lectum petat æger, placidique ſudoris exſpectet eruptionem.

His medicinis dicta ratione per quatriduum uſurpatis, ut de ulteriori ægrotantis ſtatu certior fiam, cupio; quo porro, quæ è re ſunt, commendare queam.

### *Appendix.*

Elapſis quibuſdam diebus æger præſcripta medicatione uſus retulit, laxativam potiunculam ex voto alvum duxiſſe; pulverem autem poſtridie matutino ſolum, veſpertino tempore cum anodyno liquore ſimul adſumtum moleſtos capitis cruciatus effectu fugaſſe feliciſſimo: quin eodem pulvere & ſpiritu, ſubjuncto pediluvio, tertio die poſt adhibitis, ſe largo ſudore perfuſum proxima nocte fauces flavis veſiculis ſarctas reportaſſe; caput tamen haud amplius doluiſſe nec noctes ſomno fuiſſe privatas. Hinc ipſi, quid medicinæ adſumeret, quo faucibus ſuccurreret, conſulenti, ut mane infuſum theiforme ſorberet, veſperi pulveris doſin caperet, ac nonnunquam balſamum meum vitæ & naribus admoveret, & loco, quem occuparat dolor, illiniret commendabatur: veſiculas autem faucium ad dolores earum leniendos, & acrimoniam temperandam, mucilagine cydoniorum & aqua roſarum inungi curaret, & lactis flores nitro permixtos ore detineret ſuadebatur. Sic dicto audiens ægrotans adeo felici curationis potitus eſt eventu, ut divina favente gratia à dolorifica ægritudine penitus fuerit liberatus.

## CASUS V.

### *De hemicrania cum ophthalmia conjuncta.*

SAnguinei temperamenti vir, annos quadraginta ſeptem natus, lauta quidem ſemper uſus fuit diæta; ſed cum ſufficienti corporis motui indulſiſſet ſimul, ad trigeſimum ætatis annum illibatam protraxit ſanitatem. Cum autem aliud vitæ genus ingreſſus, perpetuo ſedere, litterarumque commercio & acceptorum expenſarumque computationibus vacare deberet: variæ hypochondriacæ adflictiones, ſpirandi anguſtiæ, flatulentiæ, borborygmi, tenſiones inteſtinorum, & oſſis ſacri dolores ipſi inhærere cœperunt. Has omnes vero hæmorrhoidum fluxus, arte medica provocatus, ſuſtulit: hoc enim per integrum decennium ſingulo menſe ſatis larga cruoris portio evacuata, & nonnunquam, maxime diætæ errore accedente, diarrhœa quædam eidem

juncta eſt. Neque eo ſecius ſeptem annis abhinc ob ventriculi quandam imbecillitatem Sedlicenſi fonte uſus, alvi incurrit profluvium, quod per totum continuans annum eximiam induxit virium proſtrationem, adeo ut contra illud Egranas aquas cum vino mixtas ſub epulis potare debuerit, eo effectu, ut diarrhœa inde ſedata hæmorrhoides fuerint perturbatæ. Hinc per periodos podagrici acceſſerunt dolores, & his quoque ante biennium abactis arthritica tormenta vago impetu mox digitos manuum, mox pedum, mox ſcapulas occuparunt: quin & his denique evaneſcentibus elapſo proxime ſemeſtri pertinax congeſtio inſigni dolore ruboreque prehendit dextrum oculum, ſimulque dimidium capitis naſique latus eximio exercuit cruciatu; qui per octiduum ibidem protracti, ad ſiniſtrum latus oculumque demigrarunt; dein & in eo quatuordecim diebus ſævi erant, & ad dextram iterum redierunt regionem: qualis alternatio ſingulis fere quatuordecim diebus contigit. Neque autem ſilentio prætereundum, ægrotanti olim largos, eoſque valde fœtidos pedum ſudores eveniſſe, quos, dum inter piſcandum calceis ac tibialibus indutus per aquas ambulavit, protinus amiſit. Quare cum medela eſſet adplicanda, & hujus ſudoris, & hæmorrhoidalis fluxus revocatio medicis fuit curæ cordique: Illum quidem reſtituere allaborarunt, dum vaporem ſpiritus lumbricorum terreſtrium, formicarum & ſalis ammoniaci candentibus lateribus infuſi pedibus admiſerunt. Hæmorrhoidalem autem fluxum excitare, variis modis anniſi ſunt: partim enim ſpecies ex radicibus & herbis anti-hypochondriacis cum cereviſia bene fermentatas, loco ordinarii potus commendarunt, & tincturam metallorum mane ex decocto Thée bois hauriendam ordinarunt; partim Elixirium viſcerale ex extractis amaricantibus & balſamicis cum liquore terræ foliatæ tartari & ſpiritu corticum aurantiorum extractis, & anima rhabarbari, elixirio proprietatis ac ſpiritu nitri dulci combinatis paratum, 70 guttis bis de die capiendum exhibuerunt. Hiſce revocato fluxu, ea in uſum vocata ſunt medicamina, quibus facultas quædam medica dato reſponſo uti juſſit: decoctum nimirum ex radice ſarſaparillæ, chinæ & ſemine fœniculi paratum calidum bis quotidie ſorbillabatur, & frigidum loco ordinarii potus hauriebatur; tinctura martis in vicem tincturæ metallorum ſub dolorum remiſſione capiebatur; blandiora laxantia propinabantur; in ſura veſicatorium excitatum per aliquot hebdomadas in fluore ſervabatur; & externe aqua ſclopetaria (*l'eau d'arquebuſade*) ſubjuncta accurata diæta adplicabatur. Tantum vero abeſt, ut ex exacta hujus methodi obſervatione levamen quoddam perceperit æger, ut potius male habere pergeret, & oculorum perpetuis angeretur doloribus. Hinc tandem viribus exhauſtis, corpore macie confecto, & appetentia ciborum plane abolita, poſt uſum decocti & tincturæ martis, alvi æque ac hæmorrhoidum obſtructionem iterum incurrit. Quamobrem relicta hac medicatione, & repetito tam ſpecierum anti-hypochondriacarum cum cereviſia fermentatarum, quam fomentationum uſu redierunt hæmorrhoides internæ, & ſæva ſymptomata, maxime oculorum capitiſque dolor, adeo remiſerunt, ut per ſemeſtre tempus itineribus fungi valuerit. Sed notatu dignum eſt, ægro acetum ſaturninum, oculis duntaxat adplicandum fuiſſe ordinatum; quod cum ille, errore inductus, toti admoviſſet capiti, exinde potiſſimum dolores videbantur evanuiſſe. Aſt falſa hac dolorum quiete gaviſus ex medici cujuſdam conſilio pediluvia furfuracea, & æſtivo tempore acidulas Egranas in uſum vocavit, interque prandendum Pyrmontanas cum vino potavit: quibus per 14 dies uſurpatis ophthalmicus non minus ac hemicranicus recruduit dolor, &, quamquam hæmorrhoides per integrum fluxerint menſem, 14. diebus dire ſævìit. Prior enim medicus licet venæ ſectionem, pilulas balſamicas ſalino liquore ſolutas, & eſſentiam antimonii tartariſatam, pimpinellæ & ſuccini ægro ordinaverit: id quidem effecit ut ſanguis per anum flueret, dolorum autem atrociam minime mitigavit.

*Conſilium.*

Hemicrania periodica cum ophthalmia conjuncta, qua noſter laborat ægrotans ceu homo plethoricus & hypochondriacus, hæmorrhoidali fluxui per multos annos obnoxius non ſolum reſtricto huic ſanguineo fluori, & pedum ſudori repreſſo; verum etiam debilitatæ ventriculi concoctioni natales ſuos debet. Experientia enim comprobatum habemus, horum hemicranicorum & periodicorum dolorum fomitem plerumque in primis hærere viis, eoſque à ſaburra ibidem generata potiſſimum foveri & augmentari. Quamquam igitur accitus medicus cereviſia laxativa & balſamico elixirio hæmorrhoidum revocationem potiſſimum tentaverit; haud infelici quoque affectus levamine: attamen ſubſequutus decoctorum & acidularum, maxime Pyrmontanarum uſus majorem iterum ventriculo induxit infirmitatem, more hiſce potulentis conſueto. Hinc conſultum duco, ut hæmorrhoidibus haud ſuccedentibus, ſingulis octo hebdomadibus vena pedis ſecetur, iiſque promovendis pilulæ Becherianæ, & pulvis præcipitans nitroſus quandoque capiantur. Alvi obſtructio pulvere ex rhabarbari binis ſcrupulis, & duodecim nitri antimoniati granis confecto reſeretur: & ventriculo per Elixirium ſupra memoratum balſamicum, elixirio proprietatis & rhabarbari omiſſis, 50 guttis cibis interpolandum, robur addatur. Cereviſia tenuis & paululum amaricans potui inſerviat, & omnis vini, niſi rhenani parcus inter prandendum uſus fugiatur. Externis vero remediis in hiſce ophthalmicis & hemicranicis doloribus parum fidendum; ſi tamen quid tentandum, experientia mihi commendavit cucupham ex radice ireos florentinæ, floribus chamæmeli, pulvere caryophyllorum, ſtoracis calamitæ, benzoe & ſuccino paratam; aut fomentationem affectæ partis vel per calidos ſacculos, vel eoſdem floribus chamæmeli, ſambuci, croco & camphora repletos. Denique corpore bene præparato magnum ex leniori ſudore expectandum eſt auxilium; qui pulvere ex cornu cervi uſto, antimonio diaphoretico, cinnabari & ſuccino compoſito, mane & veſperi aſſumendo, & inſuper mane infuſo theiformi ſorbillando, promoveri, & intra lectum commoratione adjuvari poteſt.

---

## CASUS VI.

### *De Memoriæ debilitate.*

VIr celebris Juris peritus annorum XXXI. cholerico-ſanguinei temperamenti, ſtaturæ brevis, & conſtitutionis teneræ ac valde bilioſæ, exacta quidem ſemper diæta fuit uſus, tamen ſedentariæ vitæ nocturniſque lucubrationibus nimium vacavit. Exinde vero per quinque jam annos tanta adficitur memoriæ debilitate, ut ſæpius actarum

tarum rerum nullam fere habeat recordationem. Ipſi valde ſenſibili ex animi motibus facillime commoventur humores, caput dolere incipit, & corporis exercitio parum indulgenti imminutior ciborum eſt adpetentia. Ante quinquennium enim acuta febre ſuperata conjugium iniit; quo tempore fonticulus, per ſex annos ob oculorum caliginem brachio inhærens, ultimo autem biennio officio ſuo haud ſatis functus, penitus conſolidatus fuit, & moleſtam memoriæ adfectionem reliquit. Hinc quidem ſuaſum ipſi fuit, ut exſiccati fonticuli fluxum reſtitui curaret; nullas autem conſiliis præbuit aures; & licet varia medicamina, & repetitum ſelteranarum aquarum uſum malo ſuo oppoſuerit; illud tamen nequicquam levatum majora in dies capit incrementa. Ille igitur vigorem memoriæ recuperaturus, ſalutare anhelat conſilium, & doceri cupit; quæ mali ſui ſit origo? quæ methodus, quæque diæta tollendo morbo ſint convenientiſſimæ?

*Conſilium Medicum.*

Intellexi morbi ſtatum ex tranſcripto caſu, & quæſtiones, quarum ſolutio deſideratur. Harum priori ſatis facturus, mox deprehendo, ægrotum conſtitutione valde tenera ac ſenſibili eſſe adfectum. Ubi autem hæc ſubeſt, & accedunt animi pathemata non minus, quam perverſum vivendi genus: facillime nervoſum genus, æque ac vires, facultates & operationes animales, in cerebro peragendæ, debilitari poſſunt. His vero adfectis perturbatur etiam partim cruoris vitalis circuitus, partim fluidi nervorum lymphatici ſecretio ſumme neceſſaria læditur: hinc tandem ſtagnationes ac decubitus humorum contingunt, & ex his non ſolum infirmitates ac dolores capitis, oculorumque caligines, verum etiam eximium memoriæ decrementum enaſci obſervantur. Quæ cum ita ſint, & in noſtro ægroto naturali ipſius debilitati diuturnum otium, motus neglectio, crebræ lucubrationes, nimium mentis ac ingenii exercitium, inſignis ad mœrores aliaſque animi commotiones promptitudo, & tandem acuta febris, toti corpori, maxime cerebro debilitando ſatis apta, acceſſerint: non mirum, ſi memoriæ imbecillitas ipſum prehendit, indieſque aucta fuit; quid? quod fonticuli in humorum ſtagnantium derivatione efficaciſſimi, ſubſequuta exſiccatio majus adhuc mali pabulum ſuppeditavit. His ſi forſan libidinis intemperantia & immodicum veneris exercitium jungeretur: memoriæ ingeniique robur omnino magis magiſque peſſumdabitur.

Quæ autem tali ægritudini medela ferenda, quæve diæta ipſi erit convenientiſſima? Minerales ſane aquæ, ac calidiores medicinæ parum efficient; ſed omnis ſalutis ſpes in diæteticorum remediorum prudenti exhibitione erit collocanda. Quo fine omnes occaſiones, quæ humores commovere, mentemque ad iracundiam aut ſollicitudinem incitare valent, ſtudio fugiendæ; cum meditatione juncti labores moderandi; venere parca utendum & à calidioribus potulentis, maxime triticeis, vinoſiſque ſedulo cavendum. Contra vero ſub epulis hauſtus vini Rhenani optimi haud nocebit; cui cœlo ſereno amicoque, quinta circiter hora veſpertina, corporis moderata motitatio jungenda; veſperi ad quietem ſe compoſituro pediluviis utendum: loco decocti Theeboy infuſum calidum ex meliſſa & citri corticibus hauriendum; ac ex illo quandoque ſex balſami mei vitæ guttæ ſaccharo exceptæ capiendæ: tandemque bis de hebdomade ante lecti introitum bezoardici mei pulveris doſis cum decem eſſentiæ ſuccini, ambræ tinctura permixtæ, guttulis aſſumenda. Quæ rite obſervabuntur; de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS VII.

*De Memoriæ debilitate ſingulari ex terrore.*

VIr XLII. annorum epulis aſſidens, ex filioli natu minimi in cubili tranſcurrentis inopinato lapſu ante aliquot dies tanto adficiebatur terrore, ut protinus memoriæ vigore amiſſo, verba ſine ordine loqueretur. Nec tamen ſimul reliquæ mentis vires evanuere; dum non ſolum ab aliis dicta rite intelligere, & actorum reminiſci valuit; verum etiam ipſe in hoc rerum ſtatu medicum chirurgumque accerſi juſſit: hunc quoque primum advenientem, ut ſibi venam in brachio aperiret, ac integram cruoris libram emitteret, coëgit. Nihilo ſecius præcordiorum adflixerunt anxietates, & alvi profluvium ad noctem uſque durans non minus ac vomitus ad tertiam ſequentis diei matutinam horam extenſus, acceſſere. Ex his vocatus medicus primum judicavit, cholericam ſubeſſe febrim, & loquendi ſuppoſitam impotentiam ex delira derivavit imaginatione; qua æger non ſolum ante ſeptennium laboravit, verum etiam hereditaria diſpoſitione, patre avoque hypochondriacis, imbutus fuit. Verum enim vero cum mox appareret, quid monſtri aleret morbus; alter ſimul conſultus fuit medicus, qui eſſentia Stahlii tonica exhibita, naribus ſcarificatis, hirudinibus ad aures admotis, veſicatoriiſque brachiis cruribuſque adplicatis, tandem ipſam capitis arteriotomiam, irrito quanquam effectu, inſtitui, multumque cruoris mitti curavit. At vero nullum ſequebatur levamen; æger enim, judicio ſenſibuſque integris, nec ordine loqui, nec ſcribere nec legere valet: pulſus ſanis ſimilis fertur; ipſeque cum medicis malum ſuſpicatus eventum, fore ut hoc malo interimatur, notis quibuſdam ſignificavit, celebriſque Hoffmanni mentem cognoſcere cupit ac conſilium.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Docuit me tranſcripta morbi hiſtoria, ægrum inſigni capitis imbecillitate, & actionum, viriumque animalium, memoriæ, nexus idearum, ſermoniſque ordinarii eximia laborare impotentia; qua, prævio terrore, tanta correptus fuit vehementia, ut miſſa licet mox ſub morbi initium integra cruoris ex vena libra, naribus ſcarificatis, hirudinibus ad aures admotis, arteria capitis tuſa, & veſicatoriis admotis, malum adhuc magna inhæreat atrocia. Cujus medendi methodum, & à gravioribus malis præſervationem ſuppeditaturus; mox intueor ægroti ex hæreditaria paterna avitaque diſpoſitione natam hypochondriacam conſtitutionem. Quum enim hæc abdominis, maxime ventriculi inteſtinorumque flatulenta expanſione æque ac ſpaſmodica conſtrictione potiſſimum abſolvatur: clariſſime patet, noſtro robur ventriculi ac inteſtinorum, chylum ex alimentis ſeparantium, fœceſque per alvum educentium, valde fuiſſe debilitatum. Hinc autem turbatur æqualis humorum circuitus, iique juſto copioſiores ad partem quandam, maxime caput rapti, graviſſimarum cauſæ fiunt adflictionum. Auxit hunc humorum ad caput raptum in hoc caſu inopinatus vehemenſque terror, cujus indoles ea ſemper eſt, ut ſanguinem ab externis ad interna

viſcera, cor præcipue & caput, reſtringat: illi vero intra vaſa ſtagnantes, ſeroſas dimiſerunt partes, quæ, ad cerebri ſubſtantiam atque baſin delapſæ, ſenſuum internorum produxerunt hebetudinem. His igitur capitis adfectibus, inſigniori ſanguinis abundantia fultis, tempeſtiva & ſufficiens venæ ſectio ſæpius opem attuliſſe obſervata eſt; eandem autem ſubjectis ſanguine haud adeo turgidis, hypochondriacis, ad animi commotiones, terrores & excandeſcentias facillimis, majus eorum, qui caput nervoſque occupant, morborum augmentum induxiſſe haud raro deprehendi, & ne tales cruoris evacuationes ſalutari deſtituantur eventu, exquiſito ſane medici judicio opus eſſe animadverti. Hinc in præſenti caſu eo potiſſimum reſpicerem, ut primarum viarum roborato tono, concoctrix vis reſtitueretur, alvique liber conſervaretur ſucceſſus: chylus enim laudabilis puros bonoſque generabit humores, quibus vitio vacuis reliqua partium capitiſque labes ſponte reſtituetur. Obtinebitur hæc intentio, ſi in rebus ſex non naturalibus congruo obſervato ordine; Elixirium nervinum ac ſtomachicum, quod ſub litt. A. deſcripſi, quotidie per 4. hebdomades inter epulas ſumetur. Proinde drachma pulveris nervini ſub litt. B. communicati, ægro cubitum ituro ex aqua fluviatili & cераſorum nigrorum propinata; & pediluvia temperata ex aqua fluviatili & tritici furfuribus parata eodem tempore egregie proderunt. Alvi obſtructionem paſſulæ rhabarbarinæ ſatis commode reſerabunt; & potui ordinario ipſa fontana aqua, cum ſelteranæ aut Tœnſtadienſis dimidia, rhenani vini quinta parte commixta optime inſerviet. Inter externa denique remedia pulvis ſuccini capiti inſperſus; aut balſamus meus vitæ binis guttis ſaccharo inſtillatus, ac ſub lingua detentus locum habent principem. Quibus rite adhibitis, cum junior vegetiorque ægrotantis accedat ætas, haud dubito, quin morbus felicem nacturus ſit eventum.

Litt. A.

Recipe tincturæ tartari unciam, eſſentiæ ſuccini, ligni aloes, liquoris anodyni mineralis noſtri, eſſentiæ corticum aurantiorum, ſpiritus ſalis ammoniaci ana drachmas tres, olei macis guttas duodecim. M. D. S. Elixir *zu* 30. *bis* 40. *Tropffen.*

Litt. B.

Recipe cornu cervi ſine igne, uſti, antimonii diaphoretici, pulveris marchionis, ſuccini præparati ana drachmam unam, cinnabaris præparatæ drachmam ſemis. M. F. pulvis D.

---

## CASUS VIII.

### *De Vertigine idiopathica cum congeſtione inflammatoria circa renem ſiniſtrum.*

VIr ſanguineo-cholericus 47. annorum ad gubernacula reipublicæ ſedens, juſtus, probus, profunde eruditus, difficillimiſque & maxime intricatis rebus extricandis, ad illum pene ſolum redundare ſolitis, addictus, hoc tempore vertigine, ad tres annos jam ſine intermiſſione durante, vexatur graviſſima, ita ut vix publicum ſine lapſus metu frequentare & terram verſus caput flectere queat, juncta ſimul oculorum preſſione, lectionem maxime difficultante, viſumque non ſolum obtuſum reddente, ſed & nuper ante aliquot menſes per tres & plures ſeptimanas illum duplicante, quo omnia objecta duplicata ſe ipſi offerebant, præcipue remotiora. Sub tali vertigine torpor capitis, nonnunquam plus minus gravior accedit, ſomnolentum illum oculoſque madidos reddens. Narium etiam obſtructio pertinax, à primo viſus duplicati atque vertiginis acceſſu, anno 1718. facto, præſens, nulla arte ſolvenda: genæ conſtanter rubent. Preſſionibus pectoris ſæpe, & ante aliquot annos adhuc ſæpius angitur, ad unam & plures horas durantibus, ſub quibus in latere ſiniſtro prope ſternum, inter coſtam quintam & ſextam circiter, aliquem læſionis ſenſum percipit, qui cedente preſſione etiam ceſſat, & hanc utplurimum excretio calculorum renalium flavorum friabilium ſequitur; levis tamen corporis, ſive per motum, ſive aliam cauſſam, facta exæſtuatio, potulentorum theiformium fervidorum uſus, pediluvia temperate calida ſub aëre æſtivo calido adhibita, eſſentiæ ſpirituoſæ facillime etiam ejuſmodi preſſionem, ſanguiniſque ebullitionem producere queunt: plerumque etiam poſt redditam finito ſomno urinam, immediate talis, ſed brevi ſaltem tempore durans ſequitur. Aſthma nullum, neque ulla tuſſis, niſi hæc invitata fuerit, ex mane aſſumto cochleatim juſculo avenaceo aut hordeaceo, aut ubi micæ panis fuerunt inditæ; quo ſemper ea inſecuta cum expectoratione pituitæ viſcidæ, nonnunquam valde cruentæ, imo per aliquot dies ſanguinem purum ſecum ferente; quæ omnia tamen nunc ceſſant, poſtquam juſcula ejuſmodi ſepoſita, & alia tepida potulenta e. g. Chocolada, jura carnis cum vitello ovi, in eorum locum potando ſurrogata, aut etiam pulmenta aſſumta ſunt: procul dubio ob deficientem (ſub levi & tarda tali non ſufficienter epiglottidem deprimente juſculorum cum cochleari aſſumtione) arctiorem laryngis occluſionem; ſiquidem ad ſolidorum deglutitionem, aut hauſtus ſe invicem cito inſequentes, talia nunquam ſequuntur. Appetitus ſemper integer, digeſtio ciborum facilis, ſomnus, extra præſentiam preſſionis pectoris, tranquillus, alvus nonnunquam tarda, utplurimum tamen ſingulis XXIV. horis ſemel libera: urina ſanæ ſimilis, calculi tamen renales ſunt frequentes, licet ſine ſingularis doloris ſenſu excernantur, & ſæpius ſanguis cum urina emittitur hæmorrhoidalis. Seminis ejaculatio ſub præſtando debito conjugali ab aliquot annis nulla, licet membri erectio non deficiat. Pedum vacillatio magna, ſemper fulcro ſub inceſſu opus habens ſatis firmo. Sunt hæc ſymptomata urgentia, quæ cauſſa autem hiſce viam paraverit, nulla ægrotanti conſtat: à ſanis enim parentibus natus uſque ad annum 1718. ſanus vixit, niſi quod rheumaticis defluxionibus ad caput & pectus nonnunquam laborarit; quæ autem ceſſarunt, materia morbifica limpida per nares ſæpiſſime excreta: quo critico beneficio autem nunc à multis annis caret. Dicto anno 1718. inopinato viſu duplicato prima vice invadebatur, qui autem mox poſt aliquot dies, applicatis ad vaſa hæmorrhoidalia hirudinibus, relicta tamen oculorum imbecillitate, ceſſavit. Ante XIV. circiter annos laboravit quodam affectu pectorali, pro phthiſico habito, antiphtiſicis etiam remediis tunc temporis tractato in continuo ſonitu vel ſibilo, *röcheln oder raſſeln*, conſtante, proxime ſub larynge percipiendo & ad quinque annos pene durante, nec prius cedente, uſque dum apparentibus per alvum ſignis cruentis, hæmorrhoidum molimina clarius indicantibus, venæ ſectio pedis, & tunc temporis accedente ſimul viſu duplicato hirudinum adplicatio

fuerit

fuerit adminiſtrata. Remedia huc uſque adhibita fuerunt varia, & quidem inter primaria acidulæ Egranæ, venæ ſectio pedum, nec non hirudinum adplicatio menſtrua, à dolore nuchæ preſſionem pectoris ante aliquot annos menſtruatim concomitante, imo ſemper anteponente indicata: qua frequente autem ſanguinis emiſſione ægrotus ſe valde enervatum percepit; & totus fortean enervatus fuiſſet, niſi ante duos annos largiorem hirudinum applicationem ſepoſuiſſet, & ex uſu lactis caprini floribus acaciæ infuſi interpoſitis ſimul pulveribus abſorbentibus ex radice altheæ, ſuccino, caſtoreo compoſitis gravis nuchæ dolor, ceſſaſſet, & preſſio pectoris ad longius tempus intermiſiſſet. His duobus annis, quibus mihi phyſici munus oblatum fuit hac in urbe, Venæ ſectionem pedis æquinoctialem, interpoſita, pro rei neceſſitate ſemel hirudinum applicatione obſervavi, & nitroſa ceu optimam medelam reperi, cum pectoris preſſionem, tum capitis à ſanguine infarctum moderantia. Aliquoties potiunculam mannatam propinavi, interpoſitis aliquibus cephalicis, tonicis &c. ſcarificationes ſupra genua & in dorſo menſtruas ordinavi: hauſit aliquot vicibus parca doſi aquam amaram Sedlicenſem, & quidem ultimâ vice cum lacte miſtam; ſed cum preſſio pectoris ſupra memorata accederet, ab ulteriore uſu deſiſtere malui. In quolibet bracchio fonticulum gerit: veſicatoriis nonnunquam fuit uſus, utiturque nunc tragea ex cephalicis, nervinis conſtante temperatâ. Vinum nunquam purum; ſed cum decocto avenaceo, addita radice ſarſaparillæ miſtum bibit, ſine incommodo & libenter, licet parcius bibere ſolitus ſit. Jam ordinabo juſculum herbaceum ex radicibus & herbis cephalicis, valerianæ, pœoniæ, fœniculi paratum, aliquot unciis omni mane calide ſorbillandum &c. Interim alii putant pro tanta ſanguinis congeſtione circa caput, quam fere infarctum vaſorum cephalicorum nominare poſſem, moderanda hirudines temporibus eſſe adplicandas: an non autem hoc remedium raptum ſanguinis verſus caput magis promoveat, non minus ac de cucupha iſta à B. D. Wepfero inventa veſicatoria (vid. Roſin. Lentil. miſcell. P. I. p. 74. & P. II. p. 314.) & ab aliquot viris nobis magnis encomiis commendata, timendum eſſe credo, Tuoque, Vir illuſtris, judicio relinquo. Ambiguus enim hoc in remedio huic ægro adplicando hæreo: ſiquidem Wepferum tale in affectibus capitis humidioribus, & quaſi hydropicis adplicaſſe, in noſtro autem magis ſanguineam congeſtionem quam hydropicam affectionem capiti adeo inimicam exiſtere video: licet & hoc non negandum, quod ex tali congeſtione & ſtaſi ſanguinis, ſerum ſimul ſecerni, & cerebrum iſto ſucceſſive inundari poſſit: id quod ex alias aſſueto, nunc autem à multis annis intercepto ichoris tenuis fluxu per nares, ex multo oculorum madore, nec non ex continuo ſalivæ profluxu & effluxu ſub ſomno apparet. Hunc in finem etiam remedium iſtud Wepferianum, in ejus hiſtoria apoplect. obſ. 33. p. 517. recenſitum, quod in maſticatione agarici, maſtichi involuti conſiſtit, ſuaſi, ſed huc uſque adhuc ſine ſingulari effectus nota. Quicquid ſit, malo prius tuum judicium expectare, quam dubium experimentum adplicare, quo ut mox ſuccurras, ex intimis rogo rogitoque.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ægrotus noſter duplici laborare videtur vitio, quorum primum vertigo idiopathica, alterum congeſtio inflammatoria circa renem ſiniſtrum conſtituit. Sæpe quidem vertigo aliis adfectibus, ut hypochondriacis, & debilitatæ ventriculi concoctioni, ceu malum ſymptoma, adjungi deprehenditur. At vero ſi conſiderem, præſens malum, nulla periodorum habita ratione, ſine intermiſſione adfligere, & non ſolum oculorum viſuſque vitio, quo & lectio impeditur, & objecta adparent duplicata, verum etiam capitis gravitate, & perpetua ad ſomnum propenſione, ex quo ſcilicet nares obturatæ nullam muci permiſerunt excretionem, ſtipatum eſſe: illud in capite potiſſimum, ipſoque cerebro idiopathice reſidere arbitror. Alterum autem affectum, preſſionem nimirum in ſiniſtro ſpinæ dorſi latere inter quintam ſextamque coſtam moleſtam, & calculis per urinam excretis evaneſcentem, non congeſtioni ſanguinis in pulmonibus; ſed potius ſiniſtro reni & coli flexuræ, ſanguine aut flatibus farctis & ſeptum tranſverſum afficientibus, adſcribendum eſſe cenſeo. Ægrotans enim ſanguinis in hæmorrhoidalibus vaſis ſtagnationes olim expertus, cruorem hæmorrhoidalem non ſolum per venas in anum explicatas, verum etiam adhucdum cum urina ſæpius reddit: quid? quod ſpirituoſa, pediluvia paulo calidiora, infuſa theiformia fervidius hauſta, corporis ac animi vehementiores commotiones, & quæ modo humores exagitare valent, pectori nec tuſſim, nec ſpirandi anguſtiam relinquant, ſed dictam ſiniſtri lateris preſſionem adaugere obſerventur. Quum itaque his ægritudinibus Egranæ aquæ, venæ ſectiones, hirudinum adplicationes, medicinæ abſorbentes, nitroſæ, antiſpaſmodicæ, cephalicæ, leniora mannataque laxantia, Sedlicenſes aquæ cum lacte mixtæ aliaque fruſtra fuerint oppoſita: jam in quæſtionem potiſſimum venit, num emplaſtrum veſicatorium, quod Wepferus in cucuphæ forma adplicuit, & à Lentilio in miſcellaneis deſcribitur, illis conveniat? Haud ita pridem de uſu veſicantium medicinarum ventilavi diſputationem; in qua quidem hujus remedii mentionem injeci, memet ipſum autem eo nunquam uſum fuiſſe, ingenue fateor. Neque tamen illius uſum in hoc morbo capitis idiopathico, cujus cauſſa à colluvie quadam ſeroſa in medullari cerebri ſubſtantia derivanda eſt, diſſuadere poſſum; quo magis Wepferi experientiam ſatis comprobatam habeo, & ex hoc medicamine minime majorem ſeri ad caput attractionem futuram autumo, maxime ſi illius adplicatione ſanguinis per venæ ſectionem in pede ventilatio, & alvi per mannatum laxans, aut rhabarbarum, cum tartari cremore combinatum, reſeratio præmitteretur. Occurrerunt mihi præterea ægri, & inter eos Vir quidam ampliſſimus à regis Poloniæ ſervitiis, qui iiſdem ſymptomatibus, vertigine, nephritide, & pectoris anguſtia correpti, ſimulque hæmorrhoidibus expoſiti, bina præſertim remedia ſibi valde proficua repererunt, eaque fere domeſtica. Quorum primum fuit ſuccus ex dauco hortenſi recens expreſſus, cui mane ea, quam octo capiunt cochlearia, quantitate aſſumto infuſum theiforme ex veronica, meliſſa, betonica, radice liquiritiæ & fœniculo paratum ſuperbiberunt; alterum pulvis ex lapidum cancrorum, radicis pimpinellæ nigræ, iridiſque florentinæ æquali pondere compoſitus, cujus drachmam veſperi bis ſingulis hebdomadibus ex commodo adhibuerunt vehiculo; quibus factum eſt, ut nominatus ille ægrotans, vertigine ac nephritide diu excruciatus, elapſo anni quadrante, à ſuis ſymptomatibus liberatus fuerit. Quæ cum ita ſint, harum medicinarum, excretiones per alvum, urinam & diaphoreſin ſalutares promoventium uſum & in noſtro ægro per aliquod tempus

tempus commendarem; & externe ſal volatile ammoniacum ſiccum, oleo majoranæ & rutæ vero imprægnatum naribus admoverem. Ordinario potui inſerviret hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ ana uncias quatuor, caryophyllatæ, liquiritiæ ana unciam unam cum dimidia. M. C. C. D. S. Species pro decocto, cujus binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquantur. Acidularum aut Sedlicenſium aquarum uſum in his idiopathicis capitis adfectibus ideo non admittendum puto, quoniam ex illis, propter atoniam membranarum vaſorumque cerebri, major humorum ſeroſorum generari ſolet copia. Laxandi vero ſcopo hic pulvis egregius erit: Recipe rhabarbari optimi drachmam ſemis, cremoris tartari ſcrupulos duos, olei de cedro guttas tres. M. f. pulvis mane alternis diebus ex aqua vino permixta bis per ſingulos menſes capiendus; qui autem, ægro valde ſenſibili aut imminutiori doſi, aut mechoacanna deſtitutus, exhiberi poteſt. Neque minus ſanguinis ebullitiones optime ſedabit pulvis præcipitans ex lapidum cancrorum, matris perlarum drachmis duabus, nitri depurati drachma una, ſuccini præparati drachma dimidia, olei aniſi guttis VI. præparatus, & ad unam datus drachmam &c.

---

## CASUS IX.

### *De Vertigine caduca in gravida.*

*Status morbi.*

UXor mea, 36. annorum variis huc uſque morboſis ſymptomatibus infeſtata, ante 14. circiter dies ex itinere redux, lecto plane adfixa fuit, tantaque infirmitate correpta, ut ne quadrantem horæ extra lectum commorari valeat. Omnes illius ægritudines non ſolum parciori potui, & hinc enatæ minimorum vaſorum, alvique obſtructioni, verum etiam ipſi alvinæ excretionis neglectui, quo illa negotiis occupata ſtimulis iſtis haud ſatis fecit, adeoque ſæpe per biduum alvum deponere non potuit, natales ſuos debere exiſtimo. Menſium fluor olim valde irregularis, ſæpius per 10. vel 15. hebdomades fuit ſuppreſſus; ut ante 10. aut 12. annos monaſterio incluſa ſuaſu medici quotannis & venæ ſectiones inſtituere, & laxantibus uti debuerit; quibus vero moniali vita relicta ſuperſedere cœpit. Verum enim vero mihi anno 1721. nupta, venæ ſectionibus iterum adſuevit; variaque adhibuit laxantia, & pilulis ob nauſeam vomitu rejectis, potiones laxantes, mannam, ac Hallenſium laxantem pulverem ſæpius largis doſibus aſſumſit: quæ omnia tamen ob parciorem potum ſufficienti effectu fuerunt deſtituta. Quatuor præterlapſi ſunt anni, cum illa gravida vertigine prehenſa fuit, ex qua inter ſtandum aut eundum protinus concidit; ſedens vero inter ipſam vertiginem, ratione integra, ſermones cum aliis miſcere, cibos potuſque aſſumere valuit. Ut primum hic morbus invadere vult; prehendit pedem ſiniſtrum formicans ſenſus, qui tractu temporis magis magiſque adauctus in fortiorem illius motitationem deſiit, qua ille magna vi ſurſum atque deorſum agitabatur. Hæc adfectio vero ſucceſſu temporis adeo invaluit, ut mentem ſimul perturbaverit; quid? quod anni præteriti menſe Auguſto illam curru mecum iter facientem gravis acceſſio epilepticorum ſimilis prehenderit, & inſequente hyeme ter redierit. Sub his enim mentis ſimul incidebat læſio; loquendi aderat impotentia; pollices quidem non in manum colligebat, ſpuma tamen ante os erumpebat. Idem ſiniſtri pedis formicans ſenſus mali hujus ſemper erat nuntius, qui ad præcordiorum regionem pertingens, ſubito induxit acceſſionem, ab omnibus pro vera epilepſia habitam. Hanc quædam generoſa matrona, tranſmiſſis 5. pulveribus oppugnare tentavit: quarum cum ægra quotidie unum capeſſeret, evanuit quidem illud malum, rediit tamen vertigo priori longe gravior; eadem prænunciata formicatione ex pedibus ad cor aſcendente: quam ſentiens illa protinus ſpiritum ſalis ammoniaci naribus admovit, eoque meo arbitrio effecit, ut à priori epileptico fere impetu immunis manſerit. Verum enim vero epilepticam eam fuiſſe haud credo: ſiquidem vertigine ſemper ſtipata, attonitum prænunciare morbum mihi viſa eſt. Præcurrit eam inſignis anguſtia, ac graviſſimi in præcipitia lapſus idea, quem evitatura, undique ſe continere cupit, neque ſecius autem ſe præcipitatam imaginata omni ſenſu, ratione ac loquela privabatur. Comitatur hos paroxyſmos gravis ſpaſmus; quo etiam extra illos maxime in manibus pedidusque graviter torquetur; quid? quod pedes ad leviſſimum contactum acutiſſimis doloribus, furunculorum inſtar prehendantur. Jam ipſi ſeptimo menſe gravidæ vaſa adeo turgent ſanguine, ut ſuaſu medici brevi temporis ſpatio ter vena fuerit tuſa: neque vero minus ſex circiter abhinc hebdomatibus tanta ſimul memoriæ debilitate, ſenſuumque ſtupore occupata fuit, ut actionum ſuarum fere neſcia, ad quæſita quidem rite reſpondere, actorum vero reminiſci haud potuerit. His denique immanes capitis dolores, æſtu ſtipati acceſſere; quibus oppugnandis intra menſis ſpatium ter pilulas intra pruna cocta ob ſolitam averſationem abſconditas aſſumſit. Sufficiens equidem has ſubſequuta eſt evacuatio; nullum tamen mali levamen; tantum abeſt, ut corporis infirmitas incredibili augeſcat ratione, & ægra nec pedibus marcidis inſiſtere, nec ſola cetera membra agitare & movere valeat. Præterea intra decem dies tribus vomitibus, iiſque ſpontaneis multum biliosæ, mucidæque ſaburræ excrevit; cujus adhuc major quantitas ventriculo inhærere exinde videtur, quod capitis dolores ac perpetua nauſea, læſi dubio procul ventriculi progenies, majori per intervalla acerbitate adhuc adfligant. Præſens igitur ægrotantis tribus potiſſimum abhinc annis, frequenti excandeſcentia agitatæ conditio ea eſt, ut præter inſignem corporis, maxime pedum imbecillitatem, interiorum ardore, anguſtia & capitis dolore cum periodica exacerbatione vehementer crucietur. His quidam medicus ventriculi per laxantia purgationem fore congruam ratus (emeticum enim gravidum ſtatum, & inſignem imbecillitatem diſſuadere exiſtimabat) nudius tertius pilulas quaſdam exhibuit: quæ quidem bis alvum duxerunt, omnes vero vires, omnemque cibi ac potus appetentiam prorſus peſſumdederunt. Verum enim vero hodie melius paullo habere cœpit; cibos aſſumſit, & ob inſignem ſitim largiter bibit.

Nec autem alienum erit, hæc adhuc recenſere momenta: Nimirum anguſtiæ capitiſque cruciatus tanta ſæviunt atrocia, ut omnium, quæ agit, oblità inſignem patiatur temulentiam; æſtus per periodos urget, haud adeo gravis: vertigo evanuit per quaſdam ſeptimanas; potulenta deglutiendi quædam difficultas; poſt alvinam excretionem, quam ex pilulis nudius tertius habuit, heri hodieque obſtructa eſt: quid? quod hodierno die hora ſeptima matu-

matutina animi inciderit deliquium; quo finito ter vomuit bilemque muco permixtam reddidit: poſt vomitum pergit præcordiorum anguſtia, ſaburræ adhuc majorem copiam indicans, quæ ſæpius tanta exiitit, ut præ vehementia manibus lectum agitet, laceretque ac ſi convulſa eſſet: junguntur tormina ventris, pedumque tenſio ſpaſmodica.

*Epicriſis cum conſilio medico.*

Adfectus ille, qui ægrotam ante aliquot annos gravidam prehendit, epilepſiæ levioris, à medicis vertigo caduca vocari ſolitæ ſiſtit ſpeciem. Inducere hoc vitium ſolet vehemens ſpaſmus, qui inferiores primum corporis partes, aut pedes formicationis ſenſu occupans, per univerſum nervorum ſyſtema, dorſalem ſpinam, caſque potiſſimum partes, quæ ex pari vago ac intercoſtali habent ramulos, continuatus, in capite finitur; junguntur tum gravis vertigo, mentis læſio, epilepticæ artuum agitationes abſque pollicum in pugnum collectione, ipſiuſque rationis ac loquelæ impotentia: atque poſt acceſſionem hanc artus ſpaſmo trahuntur. Hiſce autem in noſtra ægrotante nervorum diſtenſionibus parcior olim potus, vita ſedentaria, & alvinorum ſtimulorum neglectus, eique, inducto inteſtinorum motu inverſo, ſuperveniens alvi obſtructio præbuerunt originem: menſium vero ſuppreſſio olim per 10. & 15. hebdomades inhærens, humoreſque impuritatibus imbuens, majus addidit augmentum: quid? quod ægrotam aliquot abhinc annis ſcabiem, qua infeſtata fuit, mercurialibus repuliſſe unguentis mihi relatum ſit. Verum enim vero quantas mala talis ulceroſæ ſaburræ, à natura per cutim excuſſæ repreſſio noxas inducat, maxime impuris humoribus, nervoſique generis debilitate adfectis, quantiſque nervorum ſyſtema ſpaſmodicis, convulſivis ac epilepticis motibus excruciet: quotidiana ſatis docet experientia. His demum omnibus inſignis ægræ ad mœrores & iracundias proclivitas juncta eximiam nervorum imbecillitatem excitare, dirorumque morborum fomitem ſuppeditare valuit. Neque autem mirandum, ægritudinem hanc, ſub impregnationis tempore ſemper recurrentem, non ſolum graviſſimos capitis dolores, ejuſque nec non memoriæ atque rationis infirmitatem; verum etiam tantam totius corporis imbecillitatem, ut extra lectum commorari non potuerit, comites habuiſſe; quum in gravidis plerumque humorum major dyſcraſia, nervorumque inſignior deprehendatur debilitas. Hinc enim innumeris obſervationibus comprobatum habeo, fœminas & corpore firmo robuſtoque & animo bene compoſito præditas, cum utero gererent, ad iracundias, terrores, ac imaginationes fuiſſe facillimas. Quibus ergo ſuppoſitis, ſi ea, quæ è re hujus ægræ futura ſunt, diſpiciamus: ante omnia jamjam largiorum ſanguinis miſſionum, ſub initio quidem proficuarum, multo magis emeticarum uſum medicinarum cane pejus & angue fugiendum ſuadeo. Contra vero non ludetur opera, ſi alvi ſegnities per clyſteres aut blandas balſamicas pilulas oppugnetur; ac pulvis antiſpaſmodicus ex pulveris marchionis drachmis duabus, cornu cervi philoſophice præparati, nitri depurati, cinnabaris nativæ præparatæ, lumbricorum terreſtrium ana drachma dimidia, olei macis deſtillati guttis tribus confectus, & pondere dimidiæ drachmæ ex aqua analeptica, qualis eſt meliſſæ, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, & cinnamomi cydoniata, quandoque capiatur. Nec erit incongruum, liquoris mei anodyni mineralis quindecim guttas, totidem ſpiritus ſalis ammoniaci meliſſati guttulis nuptas nonnunquam exhibere: aut externo ſpiritum ſalis ammoniaci vinoſum cum oleo meliſſæ eſſentificatum naribus admovere; eoque ſub dolorum acerbitate externos inungere artus.

Nihil præter dicta ante partum propinare licet, eo minus cum haud dubitem, fore ut hoc malum in purpuraceum aut aliud exanthema tandem finiatur.

---

## CASUS X.

*De vertigine caduca levioris apoplexiæ ſpecie.*

Quadraginta ſeptem annos natus vir illuſtris, temperamenti leviter cholerici, maxime ſanguineo-phlegmatici, magna laborat ægritudine, qua gravi vertigine ſubito ſæpius in terram proſternitur. Nec vero ulla malum præcedunt indicia, quo à lapſu cavere ſibi poſſit; ſed omni ſenſuum uſu protinus orbatus illico concidit, hincque non immerito veritus, ne aliquando vitæ incurrat periculum, mali ſui medelam ac præſervationem anhelat. Sciendum autem de hoc ægro eſt, quod à teneris ad 30. ætatis annum frequenter, largiterque ſanguinem per nares fuderit; hunc vero fluxum, intra octo annorum ſpatium neſcio num ex annuo medicatorum fontium uſu, num matrimonio contracto paulatim imminutum plane amiſerit; niſi forte ſub vehementiori corporis agitatione, vini calidioris uſu aut gravibus catarrhis adhuc quandoque redeat. Poſt hæc ad ſiniſtram aurem pertinaciter decubuerunt humores, ac auditum fere obturaverunt: ventriculum vero gravis occupavit colica: quarum adflictionum per biennium protractarum prior de ſua quidem acerbitate aliquantulum remiſit, periodicum tamen aurium ſuſurrum tinnitumque reliquit; altera penitus evanuit. At enim vero has tanti dorſi, renum, coxæque dolores exceperunt, ut per aliquot ſeptimanas æger inflexus quaſi ac incurvatus incedere debuerit; qui num flatuum collectioni natales debeant, numne ad iſchiadicum malum pertineant, determinare non audeo, & potius illorum acceſſiones haud adeo crebras fuiſſe gaudeo. Jam triennium eſt, ex quo vertiginoſa, cujus cauſſa ægrum latet, accedere cœpit perturbatio. Ut primum invaſit, alvi levior fluxus, nauſea, largus ſudor, vomituſque inciderunt: inhæſit ſudor, donec vomere deſiit; & denique inſignis virium proſtratio acceſſionem clauſit, tanta quidem, ut vix poſt binas ad ſe redierit horas. Recruduit malum ſingulis quatuor aut ſex menſibus; quandocunque vero aut cibi concoctu difficiliores aſſumti, aut flatus intra corpus retenti ſunt, ſæpius redire ſuevit. Progrediente tempore nec alvi profluvium, nec nauſea, nec vomitus antecedunt; ſed abſque ullis acceſſuri mali notis præviis ſubito incidit vertigo tanta vehementia, ut ſenſibus privatus æger omnia rotatione quadam circumferri ratus, ſtatim concidat; breviſſimo tamen interpoſito tempore ad ſe redit, & præter relictam capitis temulentiam, ſenſuum pariter ac rationis uſum recuperat. His non raro calores volatici, humorum ebullitiones, ſuſpiria inter anguſtias expreſſa, & oſcitationes jungi obſervantur; ex quibus malo quoddam levamen accedit. Ejuſdem propinqui acceſſionem quandoque arcere valet æger, ſi ſella relicta leniori intra muſæum obambulatione feratur, aut hac ob convivas præſentes prohibita, aliqualem capitis, pedum ac corpis agitationem inſtituat. Non minus à crebriori librorum, minoribus maxime litteris ſcriptorum lectione, imprimis

ad

ad accenſam lucem facta, multa meditatione, corporis ſubita gyratione, capitiſque ad terram inclinatione ſtudio cavere debet, niſi ſubitanea vertigine rapi velit. Siniſtræ auris ſuſurrus quotidie adhuc adfligit, pro concoctionis varia conditione modo mitior, modo gravior; non autem tanto auditui eſt impedimento, quin voce paullo elatiori dicta percipere poſſit: cibi integra adpetentia, ſomnique nullum vitium, interna nulla labe adfecta denotare videntur viſcera.

Olim morbus per 10. vel 12. continuos annos ſelteranarum aquarum uſu fuit oppugnatus; quibus autem ob alvi largius profluvium inde ſequutum intermiſſis; per proximum biennium Amaſianæ & Schwalbacenſes, hæque ob martiale, quod fovent principium adhibitæ ſunt, eo quidem effectu, ut ad hyemis uſque initium à malo ſuo immunis vixerit æger. Quamobrem denique conſilium efflagitatur, quænam remedia huic morbo futura ſint idonea, num ne à Deinacenſibus aquis levamen expectari queat?

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Ægritudinem, cujus cauſa conſultus ſum, haud ſolam vertiginem, ſed leviorem inſultus apoplectici ſpeciem eſſe, certo perſuaſus credo: quippe quæ ægrotum omni ſenſuum exercitio orbum ſubito præcipitem reddit, &, niſi tempeſtiva feratur medela, gravioris apoplexiæ metum incutit. Leviorem dixi apoplexiæ ſpeciem, cum in ea ſeri & ſanguinis extravaſatio, graviori apoplexiæ fere propria, præſto non eſt; ſed quæ cruoris in vaſis meningum, cerebri & plexu choroideo ſtagnationi duntaxat natales ſuos debet. Hæc enim vaſa diſtendit, medullam oblongatam comprimit, atque ſecretionem & influxum nervei liquidi in nervos remoratur. Quod ſi vero & hujus vaſorum cerebri à copioſo ſanguine diſtenſionis cauſam perſequamur: illa non niſi à ſpaſmodicis partium, quas imus venter continet, maxime ventriculi ac inteſtinorum conſtrictionibus, hypochondriacis perquam familiaribus derivanda mihi videtur. Hi enim ſpaſmi quum liberum cruoris vitalis circuitum quam maxime retardant; cruor ille tum ab extimis partibus, acceſſionis tempore plerumque rigentibus, cum ab interioribus abdominis viſceribus tanta ad caput rapitur vehementia, ut ob difficiliorem per venas regreſſum ibidem ſtagnet, vaſa expandat, robur & tonum eorum dejiciat, eaque varicoſa ſæpius reddat: quæ vero omnia libero progreſſu ſanguini reſtituto, iterum ceſſant. Quanquam igitur ex his patere credam, cauſſam horum adfectuum non ſolum in abdomine, verum etiam in ipſa canalium cerebri ſanguiferorum debilitate quærendam eſſe: quis tamen negabit, quin in præſenti caſu imi ventris ſpaſmi principalem, quæ ſanguinem ad caput agit, conſtituant cauſſam; quum æger pertinaci colica, ventris torminibus, alvi fluxu, borborygmis ac flatulentiis non minus laboravit, quam etiamnum ſanguinis ebullitiones ac æſtus volatici mali eruptionem antecedunt, quæ ſymptomata à ſpaſmodicis conſtrictionibus unice dependent? Neque minus eadem ſanguinis ſtagnatio, ac ſeri in aure interna, labyrintho, cochlea, etiam in ipſa concha collecti ſeceſſio tinnitum ſuſurrumque aurium produxit: conſtat enim partes has auditorii organi oſſeas membrana multis ſanguiferis vaſis præditа inveſtiri; & humores, ſi per Euſtachianum ductum aut plane obſtructum aut juſto breviorem excerni nequeunt, in halitus reſolvi, qui tympano meatus auditorii majori pariter ac ovalis foraminis ſuſurrantem atque tinnientem inducunt ſenſationem. Quis vero in dubium vocabit, quin crebriores, quæ ægro juveni obtigerunt ſanguinis per nares fluxiones non ſolum naturam eo perduxerint, ut abundantes humores ad nares pepulerit; verum etiam eo ipſo cerebrum cum membranis atque vaſis ſuis haud parum debilitaverint? Hancce enim capitis infirmitatem magnum huic malo addere augmentum, vel exinde adparet, quod ex multa lectione, profunda meditatione, lucubratione, capitiſque ad terram inclinatione major ſemper facta fuerit exacerbatio. Eadem quoque cauſſa haud dubia prænunciat fide, fore, ut ſi æger animo vehementer commoveatur, longe gravius ac periculoſius tandem capitis vitium incurrat.

Quum itaque ſpaſmis hiſce ac ſanguinis ad caput congeſtioni, ſuperflui humores in vaſis infimi ventris ſtagnantes, atque in ſpongioſo ſanguinei temperamenti corpore facillime generandi originem ſuppeditant ac fomitem: clariſſime eluceſcit, nullum majorum malorum exinde fore pertimeſcendum, ſi ea juſto copioſior humorum quantitas vel ab ipſa natura, uti in juventute per narium hæmorrhagias, ita progrediente ætate per hæmorrhoides imminuatur; vel illius incremento per tempeſtivas venæ ſectiones, corporis ſufficiens exercitium, ciborum temperantiam, ac à potibus nutritivis & calidioribus abſtinentiam arte ponatur obex. His enim neglectis præſens malum in paralyſin, apoplexiam veram, & ſoporoſos affectus certiſſime terminabitur. Quæ cum ita ſint, eo meum collineat conſilium, ut ter ad minimum quotannis, nempe initio martii, fine Aprilis, & medio Octobris, cœlo ſereno & amico venæ pedis, debito ſubjuncto regimine, aperiantur; æger à largiori cœna abſtineat, à vino caveat, flatulentos cibos arceat, corpus ſedulo, & ſi fieri poteſt, per equitationem moveat, frigus fugiat, ac omnia ſtudio evitet, quæ mentem turbare valent atque commovere. Tum vero è re erit, ut cubitum iturus quandoque pediluviis ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis & chamæmeli floribus paratis, moderate calidis, ne nimio corpus inde perfundatur ſudore, utatur, iiſque pedibus ad genua immiſſis per horæ dimidium immoretur. Nec minus maximopere curandum, ne alvus ſit clauſa; quæ ſi forſan præſto ſit, nequaquam purgantibus, quæ nimis ſiccant ac commovent, aperienda; ſed mannæ binis unciis, duabus cremoris tartari drachmis nuptis, niſi æger reſpuat dulcia, ſolvenda erit: cui eidem ſcopo duæ vel tres ſalis anglicani drachmæ, in acidularum dimidia menſura ſolutæ, interdum hauſtæ facient ſatis. Præterea vero mihi ex uſu eſt, ut in chronicis ejuſmodi cerebri adfectionibus ad genus nervoſum roborandum, & ſpaſticas partium nervearum conſtrictiones ſopiendas hoc exhibeam electuarium: Recipe viſci quercini, chinæ chinæ ana unciam dimidiam, pulveris florum chamæmeli, lumbricorum terreſtrium ana drachmas duas, ſuccini præparati, extracti cardui benedicti ana drachmam unam, caryophyllorum, cinnabaris nativæ præparatæ ana ſcrup. duos, ſyrupi berberum uncias duas. M. F. l. a. electuarium: cujus binæ drachmæ tribus circa quadras lunæ ſucceſſive diebus mane æque ac veſperi uno capiantur hauſtu. Neque erit incongruum, ſi inſuper veſpertino tempore pulveris præcipitantis ex oculorum cancrorum uncia una, nitri depurati uncia dimidia, & olei de cedro guttis XII. parati, quantum duo fovent cultri cuſpides, quandoque aſſumatur.

Denique ſi mentem meam aperiam, an deinacenſes

cenſes aquæ præſenti malo futuræ ſint opportunæ? candide profiteor, me hunc fontem nunquam nec acceſſiſſe, nec examinaſſe. Neque tamen ſecius expertorum medicorum, illius probe gnarorum relatio me docuit, hunc fontem ſecuri æque uſus, ac leniſſimi effectus eſſe, ſal alcali fovere, leviſſimas, ut hecticis etiam ac febre lenta correptis tuto exhiberi queant, aquas continere, & denique parum vitriolici ac martialis principii poſſidere: hujus ratione in hypochondriacis & melancholicis morbis, capitiſque pertinaciſſimis ac habitualibus doloribus egregia præ aliis virtute pollere deprehenditur. Quamobrem has aquas noſtro ægro non minus profuturas exiſtimo: maxime ſi earum interno uſui inter externa balnea, quæ in ejuſmodi ægritudinibus ad æqualem & liberum ſanguinis circulum reſtituendum multum faciunt, illud quod ferinum audit, & tribus duntaxat à dicto fonte milliaribus diſtat, adjungatur; hæcque medicatio medio Auguſto inſtituatur; cui divinam apprecor benedictionem.

*Appendix.*

Factum eſſe percepi, ægrotum, poſtquam præſcriptis medicaminibus, & in vicem Deinacenſium aquis Schwalbacenſibus lecto quidem affixus, rite fuit uſus, ac diætam commendatam exacte obſervavit, à malo ſuo per divinam gratiam prorſus evaſiſſe.

---

## CASUS XI.

### *De vertigine cum hæmoptyſi, aliiſque gravibus malis ſtipata in hypochondriaco.*

VIr 26. annorum parentibus arthritide infeſtatis genitus, ſtrictioris habitus ac teneræ conſtitutionis, à teneris fere variis expoſitus fuit ægritudinibus. Præter enim, quod quinque annorum puer atrocibus calculi doloribus, à medico tamen exhibita quadam tinctura ita fugatis, ut non amplius redierint, corriperetur: anno ætatis decimo quinto, cum Gieſſæ, cujus clima ſibi infenſum deprehendit, ſtudiis vacaret, gravis totum corpus per integrum annum detinuit pſora, & pedes à genubus ad taleolos uſque fædis deturpavit exulcerationibus. His vero malis per purgantia, balnea ac emplaſtra depulſis, novum incurrit: quum enim aliquando ſacris intereſſet, oborta ſubito tuſſiculoſa commotione ore reddidit cruoris eam, quam vaſculum potui thee bois vulgo deſtinatum continet, quantitatem. Hanc autem effuſionem, nullis ſymptomatibus, niſi forte periodicis capitis doloribus ac ventriculi debilitate quadam ſtipatam; nec & illam, quam anno 1716. Rintelii degens, variique generis cibis indulgens menſe Decembri inter cœnandum eodem modo toleravit, non tanti fecit, ut ad præcavendos ulteriores inſultus medicinis uteretur: maxime cum nec pejora ſequerentur mala, nec florido colori, augmentoque corporis ullum accederet decrementum. Hinc porro anno 1719. ex nimio ventriculi acore gravem cephalæam ſibi contraxit ſcorbuticam: quæ etiam medici periti ope mox evanuit. Verum enim vero adultior factus, variiſque mœroribus implicatus vivido deſtitui cœpit colore; eo magis cum temperamento cholerico-melancholico præditus, ſcholaſticis ab anno 1721. præficeretur officiis, ibidemque crebram iracundiæ haberet occaſionem. Namque abhinc fere vultus pallere cœpit; vires langueſcebant; capitis dolores ſæpius per 14. dies cruciabant, ægrumque lecto affigebant; poſt aſſumtum mane potum thee bois hora decima roſionem ventriculi ſentiebat; magnaque ciborum appetentia urgebat, eo moleſtior, quo diutius & ad primam plerumque meridiei horam prandendi tempus protrahebatur; aſſumtis epulis ventriculus gravabatur, maxime cum poſt eas prima ſtatim hora ſcholaſticum munus, ſedendo potiſſimum abſolvendum adgredi deberet; quibus cachectica jungebatur tuſſis. Iniit porro anni 1723. menſe Junio matrimonium; omnia vero in deterius omnino vergebant ſymptomata: præter enim virium decrementum inſignis circa decimam matutinam fuit dicta roſio ventriculi, quæ ex illo veluti auræ raptus ad caput adſpirans ipſas ex oculis preſſit lacrymas; ut taceam & cephalæam omni ſemeſtri periodico quaſi circuitu per 14. adfligentem dies, & ſpaſmos renum poſt aſſumtum prandium adeo diros, ut præ doloribus ſe totum in terram proſterneret, mali levamen inde expectaturus. Eodem quoque anno tertiam hæmoptyſin, eadem ratione ac copia, ut olim, toleravit; ac inſuper ſalivam ſtriis cruentis permixtam reddidit: ſed& illam, ſicuti priores conſultus Medicus non pro vera hæmoptyſi, ſed cruoris è venis faucium aut aſperæ arteriæ eruptione reputans, diſcutientibus & conſolidantibus debellavit medicinis. Quum vero anno 1724. circa paſchatos feſtum cephalæa ſua ſcorbutica per decem iterum dies torqueretur: ordinavit medicus Pyrmontanarum uſum aquarum; hinc ipſe Pyrmontum petiit, ibidemque medico loci, numne hæmoptyſi tentatus, variiſque, quas recenſuit ægritudinibus debilitatus, iis aquis tuto uti poſſit, conſulto, ſuaſu illius Junio menſe iſtas potavit tepidas. Nec quoque effectu deſtituebantur ſalutari: quanquam enim ſub initium tuſſim excitare viderentur, hac tamen ſponte iterum evaneſcente, iis per urinam magis, quam alvum, niſi forte ſale quodam acuatæ fuerint operantibus per duodecim duntaxat dies ob ſtrictiorem habitum utebatur, ac inde paulo melius habens, coloris ad minimum aliqualem recuperavit vivacitatem. Verum enim vero domum reverſus, haud ita multo poſt atroci capitis dolore prehendebatur, cervicis nervi ſpaſmo rigebant, & vertigo ex leviſſima cauſa accedebat. His perterritus, medicamentis à medico ordinario fruſtra adhibitis, Theologum quendam, empyricam medicinam facientem conſuluit; qui fontis uſus improbans, mali cauſſam in ſplenis, jecinoris, renum ac meſenterii obſtructionibus, facillime reſerandis hærere putavit. Quare largas ſudationes per mixturam quandam albicantem ex aquis deſtillatis & ſpiritu ſalis ammoniaci paratam binis cochlearibus devorandam excitandas ter imperavit; dedit inſuper Elixirium ſtomachicum, hora una ante epulas 40. guttis capiendum, paſtamque acidulam, adpetitum reſtaurantem ex acaciis confecit; & mane veſperique 30. guttas olei therebinthinæ & aniſi ex infuſo florum bellidis hauriendas ordinavit. Quum autem hanc medicationem ſex diebus uſurpatam ſibi nimium æſtuoſam infenſamque perciperet; ea miſſa ad priorem confugit medicum, maxime cum nocturnos inter ſcapulas, quandoque per totum corpus jam pateretur ſudores. His quoque ille curatis, eo perduxit ægrum, ut muneri ſuo præeſſe iterum valeret; ſed Octobri menſe anni 1724. continuus ardor, moleſtaque tenſio prehendebat dorſum, inde per ſcapulas bracchiaque, præcipue dextrum pergebat, ac denique pectus occupabat, illudque comprimebat graviter, ſubſequuta tandem inopinata inter Ta-

bacum ſugendum hæmoptyſi. Nulla equidem hanc ſtipabat ſpirandi anguſtia; attamen non ſolum ſaliva ſtriis cruentis permixta iterum adparebat, verum etiam inſignis virium languor cum nocturno mox inter ſcapulas, mox in toto corpore erumpente ſudore excipiebat. At enim vero his etiam debellatis, ſex hebdomadibus interpoſitis gravis denuo pectus infeſtavit preſſio, ejuſque crebra per ſpontanea ſternutamenta concuſſio, omnibus puncturis libera: & cum XIV. Calend. Januarii anni 1725. expergefactus collectum in faucibus noctu mucum more conſueto exſcreare vellet, en iterum cruor ex pectore erumpebat. Ceterum mitis interdiu aderat tuſſis, noctu nulla: abſoluta digeſtione & matutina decima hora multum exſcreatur muci: non minus hora poſt ſumtum prandium præterlapſa manuum volæ incaleſcunt, dorſum earum licet ſudore madidum frigeſcit; tribus poſt concoctionem horis vires langueſcunt, ac largus ſub leviſſimis laboribus accedit ſudor, cœna ab his ſymptomatibus fere immuni; appetentia ciborum vehemens, multumque voratur, nullo corporis augmento inſequente. Non unquam miſerat æger ſanguinem ex venis; cum proxime elapſis paſchalibus feriis illius ex utroque pede binæ; dein ante fontis Pyrmontani uſum, ſex, totidemque menſe Decembri poſt noviſſimam hæmoptyſin unciæ ex pedibus fuiſſent evacuatæ; cruore quidem rubicundo, ſimul tamen craſſo, coagulato & parum humiditatis continente, ut inde à medico multo farctus muco judicaretur. Neque vero unquam ſanguinis per nares aut hæmorrhoides evacuationes habuit: urinam autem mingit, ſanis ſimilem, quæ verſus meridiem turbatur, matulæ relinquit rubicundum tartarum, multum ſabuli ſecum ducit, ac ſedimentum deponit. Tabaco fumando ab ætatis decimo octavo anno nimium adſueverat; jam vero illius uſum, ſibi inimicum plane omiſit. Alvus quotidie ſolvi ſolet, licet magno conatu, paucis, duriſque excrementis: contra lotium majori, maxime poſt ſumtas epulas redditur quantitate; præcipueque cum ex medici ſuaſu, ad humorum fluxilitatem reſtituendam, plus jam potus aſſumat, quam olim. Pedes ipſi à prima ſtatim infantia eſſe ſueverunt frigidi; ſub hiſce autem ægritudinibus eo ſenſibilius eſt hoc frigus, quo magis in calidiſſimis etiam locis adfligit, quanquam æger pellitis indutus ſit tibialibus. Mucus, quem exſcreat, tenuis albicanſque fœtorem ſcorbuticæ, quæ à dentibus abraditur, impuritatis refert; quem ægrotans ex pulmonum ulceratione, medicus autem, cum nulla ſpirandi obſervetur difficultas, ex ſcorbuto derivat; at vero cruor, quem ex pectore ejicit, primum ater, mox rubicundior, maxime ſi violento ſcreatu tuſſique eliditur, apparere ſuevit.

Præter hæc ſymptomata accidit, ut IV. Calend. Febr. 1725. anni hæmoptyſis iterum recruduerit, licet pediluvia quavis ſeptimana fuerint adhibita; modica ſanguinis erat excretio, major ſalivæ ſanguine intermixtæ; ipſe cruor nigricans ſcorbuticum ſpirabat odorem; quem ex capite delapſum æger ſuſpicabatur, quoniam eo antehac valde dolente, poſt aliquot dies ex naribus aliquantulum ſtillavit. Inſuper mox pectus vel lancinatoria, ac ſi omnia cultro ſecarentur, vel tenſiva ex brachiis aſpirans moleſtia infeſtat; mox dorſum urente occupatur ſenſu; mox caput maxime ſumtis epulis, ingenti torquetur dolore, & ipſæ meningum tunicæ humorum decubitu infarctæ videntur; vaſa enim temporum turgent ſanguine; à vertice ad oculos protenditur dolor, quorum vaſa diſtenta, graviterque compreſſa eminent; ipſaque cutis capitis ac ſi undique contuſa eſſet, vehementer dolet, & quandoque puſtulis aqueum liquorem plorantibus obſidetur. Ciborum quamcunque aſſumtionem ſpaſmi circa cordis ſcrobiculum & hypochondria ſequuntur; poſt ſomnum rigent brachia, & inſignes regionem umbilicalem, hypo-&-epigaſtricam cruciant torſiones: ſomnum nocturnum comitantur pulſus celerior, cordis palpitatio, neque tamen illum turbant, diurno præter dicta ſymptomata accedit tuſſicula, qua mucus, ſæpius ipſe cruor, ejicitur, graviorem ominans, frequentioremque hæmoptyſin.

Ceterum exactam æger obſervat diætam; nec enim ſale conditos cibos, nec ſuillam, nec fumo induratam carnem comedit, vitulina duntaxat, juſculiſque gallinaceis ac avenaceis contentus: nec vinum amat, nec vinoſa, cereviſiario tantummodo minus quidem defæcato uſus potu: mane infuſum theiforme ex trifolio fibrino, ariſtolochia rotunda & veronica bibit; & ad ventriculi acorem contemperandum decima hora juſculum haurit avenaceum: ex pediluviis autem omni hebdomade ſuaſu medici uſurpatis ebullitiones ſuboriri percipit. d. 8. Febr. 1725.

## *Conſilium.*

Morbus, cujus hiſtoriam mecum communicatam probe perſcrutatus ſum illiuſque ſymptomata, maxime cruenta per os ejectio, non ſolum univerſæ humorum maſſæ, ſalſa, acri & acida dyſcraſia imbutæ, verum etiam graviſſimis nervoſarum totius corporis partium, præcordiorum, ventriculi & diaphragmatis diſtenſionibus natales ſuos debet, & hinc hypochondriaco-ſpaſmodicum involvit affectum. Scorbuticum equidem illud humorum vitalium inquinamentum altas jam egiſſe radices, & per parentes arthriticos hæreditaria labe communicatum videtur: quippe quod olim pſora, fœdiſque pedum exulcerationibus ſe prodidit, jam autem ex corporis languore, rigore, gravitateque brachiorum, doloribus vagis, puſtuliſque aqueum ichorem plorantibus cognoſcitur. Neque vero minus hypochondriaca ſpaſmodicaque illa, quæ jungitur, moleſtia omnino inveteravit: ex qua non ſolum ventriculi acrimonia, concoctio depravata, præcordiorum anxietates, ventris & hypochondriorum poſt paſtum inflationes, alvi ſegnities, pedum frigus &c. originem trahunt; verum etiam ipſa hæmoptyſis propullulat, ſi ſcilicet partibus abdominis extimiſque ſpaſmo conſtrictis ſanguis violento raptu ad ſuperiora, maxime pectus fertur, ibidemque erumpit. Non autem hanc cruoris eructationem ex ipſa pulmonum ſubſtantia factam; ſed ex interiori potius faucium vel principii aſperæ arteriæ parte, ceu morbi principalis ſymptoma quoddam, deducendam eſſe, exinde puto, quoniam nec pectoris anguſtiam, nec ſpirationem difficilem habuit comites, ipſeque cruor teter fuit ac male olens: quæ etiam eſt ratio, cur pulmonalis tabis metum inanem credam. Quod ſi porro illas diſpiciamus cauſſas, quæ hiſce malis adaugendis magis, quam excitandis inſervierunt; inter illas vitam ſedentariam, intenſas meditationes, crebras lucubrationes, mœrores, ærumnas, graveſque excandeſcentias, medicinas calidiores ab empiricis exhibitas, nimiumque Tabaci uſum invenimus potiſſima.

Quæ cum ita ſint, hiſce ægritudinibus nec certiorem nec convenientiorem fore credo curationem, quam quæ ſub Aprilis finem per aquas Selteranas caprillo, aut potius aſinino lacti nuptas fiet. Harum ſcilicet aquarum binæ partes cum una lactis permixtæ mane ad menſuram unam cum dimidia tepidæ per 4. vel 5. hebdomades hauriantur, ac veſperi hora circiter quinta in balneum ex ſola fluviatili

viatili aqua temperate & ita calida, ne ſudorem moveat, paratum deſcendatur; quibus, obſervatis iiſdem, quas Pyrmontanæ exigunt, diætæ legibus, frequens ac moderatus corporis motus adjungatur; omniaque negotia, maxime mentis commotiones evitentur. Conſulto autem ut prius quam tempus huic curationi opportunum accedat, æger cubitum iturus, pediluvio, quod habet furfures triticeos, chamæmeli flores & aquam fluviatilem, tepido duntaxat utatur, eique, pedibus ad genua fere immerſis, aliquamdiu immoretur, ita tamen, ut hujus aquæ tepor ſucceſſiva calidioris affuſione idem ſemper conſervetur. Dein in locum cereviſiæ ordinario potui inſerviat hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, ſarſaparillæ uncias duas, radicis cichorei unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas tres, conc. cont. D. S. Species, quarum uncia una & dimidia ex tribus aquæ menſuris, cum hordei mundati manipulo per tres ferme horæ quadrantes decoquantur. Mane vero, & poſt meridiem ſequens ſorbilletur juſculum medicatum: Recipe radicis ſcorzoneræ binas uncias, cichorei, aſparagi, fœniculi ana unciam unam, Veronicæ, urticæ urentis minoris, naſturtii ana manipulos duos. M. f. Species quarum manipulus in menſura una cum dimidia juris ex carne bovina parati coquatur. Non minus pulvis mox recenſendus ad dimidiam drachmam brevi ante prandium & veſperi ex commodo vehiculo ſumtus inſignem feret opem: Recipe lapidum cancrorum unciam unam, nitri depurati, tartari vitriolati ana drachmam ſemis, pulveris cardamomi ſcrupulum unum. M. f. pulvis. Denique mannæ binæ circiter unciæ loco ſacchari infuſo thee bois cum lacte parato conjunctæ matutino tempore quandoque ſumtæ non ſolum alvum ſervabunt liberam, verum etiam ſaburram mucidam acidamque optime eliminabunt.

## *Relatio de curationis ſucceſſu.*

Commendatam præterito anno curationem cum aquis Selteranis & balneis per quinque hebdomadas rite adhibuit æger, & mali ſui inſigne percepit levamentum. Namque intenſior olim æſtus cum pulſu citatiore fere evanuit; capitis poſt paſtum dolores remiſerunt aliquantulum, eoſque ſeri per oculos ſtillatio matutino ſemper tempore excepit: tenſio tamen vaſorum temporalium ſumtis epulis adhuc urget, capitiſque cutis moleſtum contuſionis refert ſenſum: ſed & pedum frigus eſt imminutum, adeo, ut jam ſcholaſtico munere fungi ac ſub cœli clementia in publicum prodire queat. Quo vero medicationis effectus eo melius eluceſcat; haud alienum videtur, illius ſucceſſum ulterius explicare.

Potaverat nimirum æger per Majum, Juniumque menſes Selteranas cum lacte caprino mixtas aquas, adjuncto balneo: decoctum loco potus ordinarii huc-uſque bibit, & præſcriptum pulverem adhuc ſumit: Mannam ob nimiam alvi ſegnitiam ſæpius antea adhibuit, jam vero alvo paululum liberiori rarius capit; nec minus pediluviis crebro utitur. Accedente autumno iter ipſi in patriam faciendum erat, quo, cum primum præternaturalis æſtus recrudeſcere videretur, nihilo ſecius continuato id effecit, ut ille iterum evanuerit, & adhuc dum ab illo vivat immunis. Hinc reverſus, ſanitatis præ ſe ferens ſpeciem, cereviſiæ dulci rurſus indulſit, maxime cum floridus color, viriumque robur inde augeri viderentur: at enim vero vix tribus hebdomadibus illo uſus erat, cum hæmoptyſis, à qua per decem fere menſes liber fuerat denuo erumperet; quo viſo illius potus, quem ardoris in dorſo ſenſus preſſo ſemper inſequebatur pede, uſum depoſuit, & pediluvia ac ordinatum decoctum in uſum revocavit.

Neque vero acuti pectoris dorſique cruciatus penitus remiſerunt; quin adhuc per intervalla recrudeſcant, & à ſiniſtro potiſſimum aſpirantes latere, ſplenis indicare credantur labem: at ſternutando tanta dorſi tenſio excitatur, ac ſi pleura uno impetu magna vi à coſtis divelleretur. Ad iram jam facillimus æger exinde pariter ac ex inopinato terrore non ſolum magnos ardores circa colon, ſplenem & umbilicum incurrit; verum etiam animo redditur piger, laſſus, omniaque graviter advertit. Pectoris dolor fixum tenet locum in ſiniſtro verſus brachium latere, ejuſque muſculis: ut inde pulmonis in ea parte vitium, & vel accretionem vel vomicam ſubeſſe putet, maxime cum ſiniſtra gena ſub humorum ebullitione, capitiſque tortura majori quam dextra ſuffundatur rubore: nec tamen anguſta jungitur ſpiratio; nec hæ lancinationes atque tenſiones continua ſerie adfligunt, ſed ſæpius per 14. dies evaneſcentes integerrimos innuere videntur pulmones. Ceterum matutino tempore, nonnunquam ſumtis epulis multæ ſunt muci exſcreationes, tuſſis nulla: at multa, licet magis magiſque extenuetur corpus, urget appetentia, pluriumque cupiditas epularum; à ventriculi humorumque acrimonia procul dubio oriunda. Hæc enim jejunum ventriculum ad ructuoſas commotiones proritat; quas ſi nulla ſequitur eruptio, graves in præcordiis ſentiuntur moleſtiæ. Quare ne jejunus ſit, hocque incidat malum, mane infuſum theiforme ex millefolio, ſcordio, ſcabioſa, betonica, ſanicula atque fibrino trifolio paratum haurire; eique ventriculum nimis diſtendenti, interpoſito horæ intervallo, panem butyro illitum ſuperingerere ſuevit. Urina mejitur naturali fere ſimilis, niſi quod nubecula imum matulæ petat, ibidemque paulo poſt ſalinas particulas deponat, poſtridie rubicundo colore lateribus adhæreſcentes. His jungebantur antea nocturni ſudores, maxime abdomen pedeſque occupantes, nullo autem corporis languore ſtipati, & forte à pediluviis excitati; qui eo certius ingruebant, ſi aut cœna largior aut primæ viæ ſordibus onuſtæ haud purgatæ fuerint; jam vero longo tempore non infeſtantes. Inſomnia, quæ diurnum ſomnum frequentius comitantur, anxias ſiſtunt ideas, ac ſi æger ſclopeto transfodi, aut alio mortis genere occidi deberet. His igitur recenſitis circumſtantiis denuo ſalutare ſibi expetit conſilium, præcipueque harum quæſtionum benevolam reſolutionem:

1. Num ſelteranæ aquæ hac æſtate iterum repeti debeant; numne ab alio medicato fonte, ut Triburgenſi, par ſalutaris expectari poſſit effectus?

2. Utrum ſit poſſibile, ut abſque rediture hæmoptyſeos metu cereviſiæ potus iterum aſſumi queat?

3. Anne potius ex perpetuo aquarum uſu hydrops, aut majus periculum ſit verendum?

4. Quibuſnam ſimplicibus hectica, phtiſis aut ſcirrhus viſcerum, quæ tandem malo finem impoſitura videntur, ſint præcavenda? numne convenientius ſit, miſſis interdum medicinis, ipſiſque pediluviis, omne naturæ committere negotium? R. pridie Calend. Febr. 1726.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Lætus ex tranſmiſſa mihi curationis, ejuſque ſucceſſus hiſtoria intellexi, quantum illa morbo levamen attulerit, & quod inde non ſolum inſignior

æſtus, nocturni ſudores, pedumque frigus fuerint debellata; ſed quoque hæmoptyſis ſub non interrupto decocti uſu haud redierit. Quum autem capitis cervicisque poſt epulas moleſtiæ, pectoris illiusque ſiniſtri lateris & dorſi per intervalla recurrentes dolores, mucoſa exſcreatio, & ventriculi acrimonia adhuc urgeant: non poſſumquin & hisce ſymptomatibus oppugnandis ulteriorem proponam medelam. Ipſis verò quæſtionibus, earumque primæ ſatisfacturus; eundem Selterani fontis lacti nupti uſum hoc anno, ejuſque Majo menſe denuo adoriendum, ſub iiſdem diætæ regulis, laborum cum meditatione junctorum, animique commotionum ſedula evitatione continuandum, ac ut paulatim univerſa humorum vitalium maſſa contemperetur atque corrigatur, per octo hebdomadas protrahendum ſuadeo, certamque fere felicis eventus ſpem exinde foveo. Non enim ſolum harum aquarum eximii, quos præterlapſo anno præſtiterunt effectus, id innuere videntur: verum etiam nullæ reliquarum acidularum mihi ſuppetunt, quæ in acrimonia humorum edulcoranda pariter, ac partibus nervoſis, quas ſpaſticæ detinuerunt ſtricturæ, maxime ventriculo inteſtiniſque roborandis majorem præſtarent utilitatem, quam hæ ipſæ Selteranæ lacte permixtæ. Etenim quamvis lac cum reliquis quoque acidulis magno emolumento combinari poſſit, ſoleatque: attamen præſenti ægrotantis, ejuſque tam ſolidarum quam fluidarum partium conſtitutioni, non convenientiores aptioreſque Selteranis unquam inveni: ſiquidem hæ leviſſimas aquas, purumque ſal alcali continent, & vi elementi ætherei ſulphureique ipſis Pyrmontanis obſervantur temperatiores; adeo ut in ſubjectis tabe pulmonali, hectico calore, & corporis ob lympham ſalſam, ſcorbuticamque extenuatione laborantibus, per crebram experientiam omnibus aliis palmam præripuiſſe deprehendantur.

Ut vero ad alteram reſpondeam quæſtionem, numne cereviſiæ uſui abſque hæmoptyſeos metu iterum adſueſcere liceat? crebra longaque docuit experientia, in chronicis, qui inveterarunt, affectibus, nihil præſtantius eſſe, nihilque reliquam curationem magis adjuvare, quam perpetuam à cereviſia abſtinentiam, & ei ſubſtitutum decocti temperantis, quod nec ventriculum onerat, nec difficulter emunctoria permeat, uſum. Rariſſima enim talis eſt cereviſia, quæ & ægritudini conveniens, & medica virtute prædita ſit; & quamvis ea nonnunquam detur, quæ morbo congruat; plerumque tamen aut nimis recens ac fœculenta, aut nimis vetuſta ſpirituoſa, & acidula, redditam corpori ſanitatem affligere deprehenditur. Cur ergo decocti per longum tempus utiliter uſurpati, uſus jam omitti debet, atque cum cereviſia commutari? Neque tamen alienum foret, ſi ſub acidularum cum lacte mixtarum adſumtione ipſæ Selteranæ, quatuor partibus cum una vini rhenani combinatæ aquæ ordinario potui inſervirent: hoc enim vinum, licet acorem quendam foveat, per ſal earum aquarum alcalinum ac lixivioſum adeo contemperatur, ut etiam ſub ipſa ſolius lactis cura tuto exhiberi queat.

Quod ſi vero tertiam quæſtionem, anne ex continuo aquarum potu hydrops, graviuſve malum pertimeſcendum ſit diſpiciamus: tantum abeſt, ut in illis, quæ jam ægrum comitantur ſymptomatibus ex decoctorum aquarumque mineralium aſſiduo uſu tumori œdematoſo aut plane hydropi prænuntiando locus relinquatur; ut potius hoc medicationis genus, ſpiſſos, tenaces, mucidoſque humores diluendo, vaſculaque viſcerum minima reſolvendo & aperiendo, illis morbis præcavendis dici mereatur convenientiſſimum. Aliter res ſe habet, ſi hydrops primas jam egit radices, vaſorumque, quæ viſcera ingrediuntur, quædam obſtructio infarctuſque præſto eſt: quæ corporis conditio impedit, quo minus juſto largior aquarum, diluentium ac humectantium exhiberi debeat quantitas.

Sed ad quartam denique quæſtionem: quæ cura hecticæ, phtiſi, ac ſcirrho viſcerum ex præſenti morbo tandem metuendis, debeatur, ne actu tandem eveniant? & annon conſultum ſit, medicinis quandoque intermiſſis, naturæ rem totam permitti? regero: non utique dari ſpecifica nec compoſita, certos morbos avertentia; omnemque præſervationis rationem ex corporis ægrotantis, & morbificæ cauſſæ varia conſtitutione eſſe dijudicandam. Quanquam enim ea tam eruditorum, quam vulgi animis inhæreſcat opinio, naturam aut artem nobis ſuppeditare quædam medicamina, huic vel illi morbo ſpecifice opportuna: ea ipſa empiricæ medicinæ fucum arguit, & talia jactantem ignorantiæ ſuæ accuſat. Proinde tamen non cum iis facio, qui aſſiduum remediorum uſum, maxime æſtiva calidaque nimis tempeſtate, ſuadent: at vero ſi omnia medicamina abolere, ſoliuſque naturæ viribus fidere vellemus; deprehenſuros nos omnino vereor aut hanc morbo debellando minus ſufficientem fore, aut ſub ea à medicinis abſtinentia morbum invaluiſſe, atque nimis altas & inexpugnabiles fere egiſſe radices. Commendata à me remedia naturæ ſunt quam maxime amica, & non niſi diætetica: hinc nec ullam naturæ inferent moleſtiam, nec felicem præſtabunt effectum, niſi temporis diuturnitate adjuta. Certus enim ſum, præſentem ægritudinem magis diæteticis, quam è pharmacia deſumtis auxiliis eſſe oppugnandam: quibus mentis tranquillitas, corporiſque temperatum exercitium jungenda, omnis vero periculi metus probe excutiendus. Quibus prælibatis id adhuc monendum duxi, ut evitatis antea per 3. vel quatuor dies aëre inimico, cibis crudioribus, animique pathematibus, ſub finem hujus menſis ex tuſa vena quatuor vel quinque ſanguinis emittantur unciæ: iiſque rite adhibitis divinum affore auxilium, non dubito, ſed ex animo precor.

### *Ulterior morbi relatio.*

Quiſquis ex adjecto medici conſilio ea cognoverit ſymptomata, quæ ægrum huc uſque infeſtarunt: mirabitur ſane, illum penitus extenuatum & viribus fere confectum iis tolerandis fuiſſe parem: Quæ licet in dicto conſilio aliquantulum ſint expoſita; ea tamen hiſce litteris uberius explicare, haud alienum videtur. Poſtquam igitur anno 1728. potatis acidulis Selteranis vertiginis inſultus valde gravis acceſſerat, ipſaque recrudeuerat hæmoptyſis: bini menſe Junio conſulti ſunt medici, qui venæ ſectionibus, laxantibus & temperantibus hos diros depulerunt affectus. Verum enim vero XI. calend. Septembris hora matutina decima prævio aurium ſuſurru tanta ægrum rapuit vertigo, ut animi ſimul inciderit deliquium, & ſenſuum, loquendique potentia quidem integra, ſpirationis tamen ſummam anguſtiam, extremorumque refrigerationem toleraverit. Abhinc tota hyeme lecto affixo, decima quavis matutina hora vertiginoſa rediit moleſtia, mox graviori, mox leviori æſtu ſtipata: quid? quod cruenta exſcreatio ab illo fere ad hoc uſque tempus per intervalla ingruat; cujus acceſſionem XIV. Calend. Februarii anni 1729. tanta ſimul comi-

comitabatur humorum expanſio, ut febris inde accenderetur, à medico demum temperantibus ac roborantibus expugnanda medicinis. Vertigo autem eo frequentior erat, & à leviſſimis cauſis, ipſoque alicujus libri intuitu, excitabatur: quæ tamen, æſtiva tempeſtate appropinquante, aliquantulum remiſit; & ſuccedentibus temporibus raro gravioribus adflixit invaſionibus, levioribus (quotidie fere recurrit. Illæ ex humorum nimia commotione, interniſque ſpaſmis, præviis immoderato corporis motu, multa ſermocinatione atque exæſtuatione induci; hæ à retentis flatibus & ructibus augeri deprehenduntur, atque hoc caſu à corticum citri recentium maſticatione præſens ſubſequitur mali imminutio, cum ructuum promotione. His inſuper aurium per totam hebdomadam protracti tinnitus ſæpius junguntur. Elapſo proxime vere acidulis, per proximum ſexennium potari ſolitis, ſuperſedit, & infuſum theiforme ex ſpeciebus balſamicis bis quotidie, nec non juſculum cum radice ſcorzoneræ paratum, adhibuit: exinde vero crebras tenſiones, (jam quidem ſub larga muci expectoratione ceſſantes) ardoreſque ac torſiones circa regionem epigaſtricam ſenſit, ad felleæ veſiculæ regionem uſque protractas; quibus ſi flatuum moleſtiæ acceſſerint, in eadem regione ſenſus quidam percipitur, ac ſi interna ſpinis leviter lacerarentur. Ubi autumnus ingruit, ſucceſſerunt crebræ largæque muci, haud ſordidi quidem per os ſputationes, primum levi ſcreatu redditæ, nocturniſque ſtipatæ ſudoribus; tum vero tuſſi promovendæ & emoliendæ, qua, ſatis miti, primo mucus ſolutus, dein leviſſima exſcreatione, matutino præſertim tempore, excernebatur, & ex ſiniſtro potiſſimum hypochondrio aſcendere obſervabatur: hic enim locus, multa reſtitante mucagine, acerbo aſſiduoque torquetur dolore; qui ea evacuata, paulo remittit, & in hoc latus decumbere iterum permittit. Neque vero minus eadem pituita, quandoque circa mediaſtini, ſternique regionem oriunda, per pectoris membranam aſſurgere percipitur, ac eo uſque iis locis ardoris inferre ſenſum, donec fuit reddita: jungitur hiſce ſpirandi major ac olim anguſtia, cubantem magis quam euntem adfligens, & pro reliquæ ægritudinis ratione modo gravior, modo levior. Ipſum quidem mucidum ſputum medicus, omnem pulmonum adhuc ulcerationem negans, ex ſcorbutica deducit putrilagine, ejuſque cauſſam ab induratis meſenterii glandulis derivat; tuſſim vero epidemicæ adſcribit ſtragi: attamen veretur æger, ne ipſa pulmonum tabes aut jam præſto, aut in propinquo ſit, & quum pituitam ſputo redditam ex imo ventre circa eam, in qua chylus elaboratur regionem oriri ac inde aſcendere percipit, omnem chylum in talem mucum mutari, hinc ad pulmones ferri, ibidemque, niſi affluxus divertatur, vaſa exulceraturum eſſe, ſibi perſuaſum habet.

Ceterum fluxu hoc per fauces tam copioſo, fonticuli, quos in pedibus gerit, fere ſunt exſiccati: alvi excrementa quotidie dejiciuntur, ſatis dura, præceduntque ſæpius atroces circa umbilicalem regionem ſpaſmi; ea vero plane obſtructa, internus invaleſcit æſtus; quam ob cauſſam quater quotannis laxante uti ſolet medicina. Lotium, abſente nimio calore, naturali redditur ſimile, nubecula ſalino-ſcorbutica, ſæpe ſedimento conſpicuum: pulſus quidem æqualis, juſto tamen celerior, & ſub ſpaſmorum tempore debilis. Humorum accedentes commotiones ſequuntur oſſis ſacri dolores, hæmorrhoidum quaſi indicia; quibus ceſſantibus, multum pituitæ exſpuitur. Epulis ſupervenire ſolent ventriculi & ſiniſtri hypochondrii ſpaſmodicæ conſtrictiones, nec minus capitis dolores, temporum, ſiniſtri maxime lateris tenſiones ac pulſatiles pone aures motitationes. Frigus eſt maxime inimicum; capiti enim admiſſum prævio aurium ſuſurru vertiginem inducit: eadem, quæ exſcreatur, fertur quoque per nares pituita, matutino tempore cruentis intermixta ſtriis: ſub ructibus ipſa amara bilis fauces adſpirat; & cœna plerumque parcior magis à moleſtiis immunis obſervatur, quam prandium, ſub quo multum voratur: ipſa vero diæta exactiſſima eſt. Mane theiforme aſſumitur decoctum, & inſuper decima hora juſculum ſorbillatur: calori vero præternaturali pulvis ex Hoffmanni conſultatoria deſumtus medicina opponitur, qui ſic ſe habet: Recipe lapidum cancrorum unciam dimidiam, cornu cervi philoſophice præparati, concharum, nitri depurati ana drachmas duas, cinnabaris rite præparatæ, ſuccini ana ſcrupulos duos, olei de cedro Italici guttas octo. M. capiatur veſperi aut ante epulas. Pediluvia, licet provido ſatis tepore adhiberentur, nihilo ſecius ex quo vertigine tentari cœpit, malum irritare videbantur; hinc iis, quotidiano uſu intermiſſo, quater quotannis utitur æger, maxime cum pedum frigus olim conſuetum jam remiſerit.

Hiſce denique malis Selteranas iterum opponere aquas ideo veretur, quoniam eas ante biennium hauſtas grave excepit ſymptoma, quo cordis motus fere interruptus, ſpirationi viam præcludere videbatur: quod vero an ipſi aquarum uſui, an potius gravi ſub illo mentis commotioni adſcribat, ambiguus hæret. Quare ſalutare iterum anhelat conſilium.

### *Copia conſilii à medico quodam dati.*

Vir quidam, cujus temperamentum, ætas, vitæ genus, antecedentes morbi, illorumque curationes à Friderico Hoffmanno Med. Conſult. P. V. Dec. II. Caſ. V. uberius exponuntur, per aliquot annos ſatis bene valuit, ſuiſque muneribus rite fungi potuit. Ille circa anni 1728. æquinoctium unico vini hauſtu aſſumto cruentum iterum incidit ſputum: eoque per aquas Selteranas lacte caprino permixtas ac brachii venæ ſectionem debellato, Vto nonar. Julii denuo prehenſus, tendentes ſimul pungenteſque in regione intercoſtali, hypochondriorum, dorſi & circa claviculas dolores percepit. Huic à ſuo medico hactenus uſitatis pectoralibus ac traumaticis ſublevato medicinis cum & ego opem laturus requirerer: ipſum vehementi humorum ebullitione, volatico æſtu, gravique vertigine laborare deprehendi. Quamobrem pedum venis protinus tuſis, aſſiduum conſuetorum huc uſque pediluviorum uſum commendavi, medicinas pectori opportunas & antiſpaſmodica virtute præditas ex pulvere marchionis, lapidibus cancrorum, ſpermate ceti, caſcarilla, millepedibus, nitro arcanoque duplicato propinavi; infuſa theiformia ex herbis veronicæ, betonicæ, meliſſæ, millefolio, floribus bellidis &c. ac pilulas balſamicas exhibui. Nec ſine eximio ſymptomatum levamine hæc remedia in uſum fuere vocata. Verum enim vero cum more conſueto Vto Calend. Auguſti, cœlo auſtero ventoſoque equo feciſſet iter: veſperi gravis vertigo, animi conjuncta deliquio, ipſum prehendit; quæ nervinorum ac cinnabarinorum remediorum frequenti expugnata uſu, X. Calend. Septembris decima hora matutina tanta rediit vehementia, ut præter animi defectionem, tremulus maxillæ inferioris motus, idemque nec non debilis valde pulſus accederent, ac omnia mortem ſimulare vide-

viderentur. Quamvis autem & hæc acceſſio ex modo dictarum medicinarum uſu poſt aliquot horas remiſerit: nihilo tamen minus abhinc ad anni uſque finem levis vertigo, calore mox volatico, mox continuo, ſanguiniſque ebullitione ſtipata quotidie fere recurrit, tandemque naturæ magis quàm artis ope aliquantulum evanuit. Ceterum cum ex inſigni ciborum appetentia, digeſtione fere integra, bonoque excretionum ſucceſſu, viſcera labe quadam nondum adfecta conjiciam, & omne malum ſola humorum expanſione & enatis inde ad caput pectuſque ſpaſmis ac congeſtionibus abſolvi credam: eo meum tendit conſilium, ut æger proximo vere venam in pede ſecandam præbeat, pediluviis adhibendis inhæreat, ſupra memoratarum cephalicarum & pectoralium medicinarum, infuſorum ſcilicet theiformium, & ad humorum nimios motus, nitroſorum, ſalium digeſtivorum uſui indulgeat, inque diætæ legibus rite obſervandis ſedulus pergat &c. d. 18. Jan. 1729.

### *Reſponſum cum Conſilio.*

Docuerunt me tranſmiſſa & morbi hiſtoria & medici conſilium, quæ porro ægrum infeſtaverint adflictiones, & qualis exhibitorum in iis remediorum fuerit effectus. Quamvis igitur haud inficias ire queam, tam intricatam morbi conditionem rariſſime deprehendi: attamen malo hypochondriaco, aut ſpaſmodico flatulento, magna capitis nervorumque imbecillitate, ſputo cruento, virium ſummo defectu, ac inſigni humorum vitalium acrimonia ſtipato principales deberi partes, extra omne poſitum credo dubium. Quantis vero horum adeo inveteratorum morborum exſtirpatio ſubjecta ſit difficultatibus; illos, qui in arte ſoteria bene ſunt verſati, haud fugiet: uno enim ſymptomate mitigato, alterum inſurgit atrocius. Quicquid autem ſit, nullum in his malis præſtantius eſt auxilium, quam quod diæta & vitæ regimen ſuppeditant; quo quilibet, quid ſibi utile, quid noxium ſit, probe obſervet, hocque fugiat, illi indulgeat: quod curationis ſupereſt, optime vere proximo, menſe Majo præſtabitur. Ejuſdem ceterum cum Medico ante citati conſilii auctore ſum ſententiæ: ille enim rem acu tetigit, & exigente neceſſitate præ aliis erit conſulendus. Quo vero etiam inſtante hyeme malo aliquod deferatur levamen, illudque à gravioribus præmuniatur: ſuadeo ut decoctum mox communicandum grati æque ſaporis ac eximiæ virtutis ſub epulis loco ordinarii potus, mane vero calidum ad menſuram dimidiam hauriatur. Sic autem paratur; cornu cervi raſpati binæ unciæ, uſti una, & radicis ſcorzoneræ una cum dimidia ex tribus aquæ menſuris per horam dimidiam decoquantur, tum percolentur, aqua colata cum tribus amygdalarum excorticatarum unciis ad emulſionis formam conteratur, & ut amœniori imbuatur ſapore, ſaccharo ac aqua ceraſorum nigrorum permiſceatur. Non minus quotidie, mane vel veſperi viginti harum anti-ſpaſmodicarum pilularum devorentur: Recipe extracti florum chamomillæ, ſummitatum millefolii ana drachmas tres, rhabarbari, centaurii minoris, corticis chaccarillæ pulveriſati ana drachmam ſemis, cinnabaris rite paratæ ana duos ſcrupulos. M. f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo no. XX. Tùm vero mitto pulveris mei præcipitantis portionem, cujus bini ſcrupuli, accedente ſanguinis ebullitione, metum hæmoptyſeos faciente, ex emulſione ſupra citata aſſumendi ſunt.

Denique omnis refrigeratio, cibi ſalſi acidique, omnes animi & corporis commotiones cane & angue pejus fugiantur: quæ ſi rite fuerint obſervata, de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS XII.

### *De vertigine ex ſtomacho.*

PErilluſtris comes annorum LVII. temperamenti ſanguineo-cholerici, ſtaturæ mediocris, conſtitutionis ſatis firmæ, capacioribus vaſis, nerviſque inſtructus, juventutis ſuæ annis à morbis fere immunis vixit; procedente vero ætate variis capitis, ventriculique moleſtiis occupatus, & ab iis magis naturæ beneficio, quam artis ope liberatus fuit. Quadraginta ſex annos natus acuta febre per ſex fere hebdomades lecto affigebatur, & adeo debilitabatur, ut poſt ſatis longum temporis intervallum vires demum recuperaret; quæ febris tribus poſt annis, levioribus tamen ſymptomatibus ſtipata iterum infeſtavit. Anno 1723. ſcabies ſicca pruriginoſa cutim obſidere cœpit tanta pertinacia, ut omnibus ſanguinem purificantibus, aliiſque medicinis irritis, ipſiſque Pyrmontanis aquis bis nequicquam potatis, per integrum triennium moleſtam intulerit affectionem. Hanc tandem fugatam bona per binos annos excepit valetudo, niſi quod graves quandoque ſub regiminis adminiſtratione animi commotiones acceſſerint: quæ ne bilioſas ſordes ventriculo relinquerent, emetica remedia ſemel aut bis quotannis, haud ſine inſigni muci evacuatione ac ſalutari effectu adhibere ſuevit. Nihilo tamen minus his per intervalla vertiginoſi demum inſultus, primum leviſſimi, paulatim vero adeo invaleſcentes irrepſerunt, ut proximi anni menſe Junio illuſtriſſimus, epulis finitis, hilaris ac optime valens ex improviſo gravi vertigine ſubito raptus, ad terram concidiſſet, niſi aſſidentes ipſum continuiſſent atque ſublevaſſent: quam gelidiſſimi ſudores, membrorum tremores, omniumque partium emortuales quaſi rigores cum vomitibus acris acidiſſimæ ſaburræ repetitis exceperunt. Hinc artus fricabantur, iiſque incaleſcentibus ſanguis è pedibus large mittebatur; quo factum ut intra paucas horas prorſus ad ſe rediret. Vix autem ſex præterlapſæ erant ſeptimanæ, cum eadem adflictio, eadem periodo depulſa recrudeſceret: & denique adeo ingraveſceret, ut trium ſpatio menſium ter quoque longe citior ac vehementior recurreret, nullaſque ſuæ acceſſionis præmitteret notas: ſub qua ratio ſenſuſque manent quidem illæſi, capiti vero gravitas ac temulentia quædam relinquitur. Jam eo perductum eſt malum, ut nulla dies ab eo, licet plerumque mitiori ſit immunis, & hinc omnis lectio, meditatio, ſubitanea corporis gyratio, capitiſque ad terram inclinatio ſtudio evitari debeat.

Sub hoc rerum ſtatu perilluſtris æger mentis commotionibus maxime expoſitus eſt, aſſiduoque mœrore cruciatus; adeo ut ſæpius anxiis turbetur ideis, & ad ſuſpiria facillime moveatur. Somno gaudet ſatis profundo; cibiſque, quorum integra eſt adpetentia, ordinario dimidiam vini rhenani menſuram, quandoque Hungaricum Tockæanum interponere ſuevit, per omnia ceterum ſanus. Venas in pedibus bis quotannis circa utraque æquinoctia ſecandas biſque corpus ſcarificandum præbere ſolet: Pyrmontanis autem acidulis, quibus olim ſæpius erat uſus, noviſſimo biennio ſuperſedit,

perſedit, numne eas aut forſan alias inſtanti vere adhibere congruum ſit, doceri avet. Lotium per proximas abhinc ſeptimanas redditur valde turbulentum, lateritio ſedimento conſpicuum, quod ad matulæ latera rheumaticam materiam largiter alluit. Nec denique ſilentio prætereundum, ſub vertiginoſis acceſſionibns liquorem quendam vomitu reddi, aquæ forti ſimillimum, fauces excoriantem & lintea arrodentem. Quamobrem ne moleſtum hoc malum graviora inducat damna; ſalutare efflagitatur conſilium, ac morbo funditus debellando congruum auxilium.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Illuſtriſſimi comitis adflictionem dum probe ac penitius examinavi; illam gravi vertigine à ſpaſmo imi ventris, maximeque ventriculi inducta abſolvi deprehendo: quo ſcilicet cruor vitalis ad caput magno impetu propulſus, illius vaſa ſui ſtagnatione graviter diſtendit, & niſi tempeſtiva feratur medela, futuræ apoplexiæ metum omnino incutit. Ab eadem enim earum partium diſtentione, quæ ex crebris mœroribus, & clandeſtinis ærumnis majus acquiſivit pabulum, inſignis acor & multa bile permixta acrimonia, quæ ventriculum & duodenum inteſtinum obſidet, ſuos mutuatur natales. Neque minus humorum vitalium eximium mucidis ſordibus, ſcorbuticiſque ſalibus inquinamentum ſubeſſe, non ſolum urina ſignificat, verum etiam pruriginoſa, quæ olim cutim ſatis diu occupavit, ſcabies teſtatur. Hiſce vero ægritudinibus diætæ potiſſimum vitia viam ſtraviſſe arbitror; hinc pro ſanitate recuperanda ſuadeo, ut excellentiſſimus æger omnes ſpirituoſos potus, cereviſias valde lupulatas, calidiora maxime Tockæana vina, morbis capitis vertiginique admodum inimica omni ſtudio fugiat; & pro ordinario potu ſolam aquam, aut potius Selteranas acidulas, quarum binæ treſve partes cum una vini rhenani generoſi ſint permixtæ, hauriat. Dein omnem curam eo dirigendam puto, ut inſignis acrimonia, ac cauſtica bilis, quæ hepatis, pancreatiſque obſtructorum vitio enata, animi vero commotionibus concitata videtur, corrigatur æque ac eliminetur: priori ſcopo optime ſatisfaciet pulvis hic: Recipe lapidum cancrorum, pulv. marchionis ana unciam unam, ſuccini præparati, nitri purificati ana drachm. unam cum dimidia. M. f. pulvis, cujus drachma quavis veſpera ante lecti introitum ex aqua fontana capiatur: alteri fini impetrando præſtantiſſimus erit rhabarbarinus pulvis, e. g. Recipe rhabarbari alexandrini, lapidum cancrorum ana ſcrupulos duos, nitri purificati grana decem; qui ſemel ſingula ſeptimana mane ex aqua vino nupta ſumatur, eique ſuper ingeratur decoctum Coffee. Tum vero venæ in pedibus præſenti mox tempeſtate, dein Junio menſe, & ſub finem Septembris tundendæ, & octo ſemper cruoris unciæ emittendæ; pedes ipſi ab omni frigore muniendi, & in moderato ſemper calore conſervandi, hinc ſæpius intemperata pediluvia veſperi immittendi ſunt, & denique cœna parciori utendum. Quod ſi autem vernale tempus acceſſerit, Selteranas aquas in uſum vocandas perquam commendo; quas adhibendi modum tum docebo. Ceterum à nimio medicaminum, maxime calidiorum, quæ vulgo capiti ventriculoque confortandis exhibentur, uſu omni modo dehortor: & ſi commendatæ methodo diætæ, cujus neglectus omnem medicinarum vim redderet irritam, exacta jungetur ratio; haud dubito, quin eximium mali levamen ſit inſequuturum.

## CASUS XIII.

*De Sereniſſima ex affectione hypochondriaca & vertigine laborante.*

Sereniſſima quædam perſona XXXIV. annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, habitus corporis inter macilentum & ſucci plenum medii, tenerrimæ ac valde ſenſibilis conſtitutionis, extra matrimonium vivens, à multis jam annis, autumnali maxime, hyemalique tempeſtate acerbos capitis dolores, catarrhales defluxiones, tonſillarumque inflammationes, & has quidem ultimo abhinc triennio ex uſu cujuſdam pulveris ſalini fere evaneſcentes, nec non ſpaſmodicas ſiniſtri potiſſimum lateris, olim atrociores toleravit tenſiones. His noviſſima hyeme perpetua quidem, mane vero decima, veſperi quinta circiter hora adeo ingraveſcens, ut ſubito deſidere teneretur, vertigo acceſſit, ægrotamque impedivit, quo minus in publicum prodire valuerit; quid? quod inſuper ventriculi ardor, occipitis frigidulus ſenſus, & proximis aliquot diebus crebra ſalivæ nimium acris, internaſque faucium partes arrodentis ſputatio tanquam moleſti jungantur comites. Appetitus integer, ſæpius juſto major, ut hauſto mane decocto herbæ Theebois aut fabarum Coffée lacte permixto, panem bis coctum aſſumere teneatur. Venas in pedibus per XIV. jam annos, prima quidem vice, ob diros capitis dolores, ſingulo ſemper menſe Majo haud ſine eximio levamine aperiendas præbere ſuevit: à calidioribus vero medicinis inſignes humorum incurrit commotiones, quas pulvis Hallenſium antiſpaſmodicus plerumque ſedavit, inſuperque in mitigandis quoque ſiniſtri lateris tenſionibus, alvoque tantum non ſemper ſegni aperienda præclaros exſeruit effectus. Locum ordinarii potus per ultimum quadriennium vinum rhenanum æquali portione cum acidulis Pyrmontanis combinatum, & ad quartam menſuræ partem quotidie hauſtum ſupplevit; unde quoque longe melius, quam olim habere cœpit. Menſium denique fluxus in quantitate pariter ac qualitate integer, juſto recurrit tempore. Quum itaque ſplendidiſſima ægrotans hiſce malis minerales opponere aquas decrevit: ſcire avet, quales futuræ ſint convenientiſſimæ, quave ratione adhibendæ?

*Conſilium.*

Intellexi ex tranſmiſſa morbi, qui Sereniſſimam perſonam infeſtat, hiſtoria, quales hæ fuerint ægritudines, ſimulque quæſtionem, quæ iis medicatæ aquæ futuræ ſint optimæ? propoſitam deprehendi. Hinc ergo conſulturus malis, omnia capitis ſymptomata tam vertiginoſa, quam catarrhalia ex mala omnino digeſtione originem traxiſſe arbitror. Ventriculus enim multis acribus, acidiſque ſordibus onuſtus non ſolum vehementioris appetentiæ, ardoris, ac lateris ſiniſtri tenſionis, olim magis adfligentis exſiſtit cauſſa: verum etiam acida illius ſaburra, abſoluta concoctione, longe acrior reddita membranam ſtomachi nerveam vellicat, & vi conſenſus, quo partes nervoſæ invicem gaudent, vertiginem & tenſivas capitis ſtricturas excitat. Ne-

que vero minus idem digeſtionis vitium, hincque enata ventriculi acrimonia ſpiſſos impuroſque gignit humores, qui malis recenſitis majus pabulum ſuppeditare valent ac augmentum. Hinc enim prima hypochondriacæ adfectionis ponuntur rudimenta, ſuccorumque vitalium per abdominis viſcera circuitus difficilior redditur ac impeditior.

His ſuppoſitis curatio quoque erit adaptanda; quæ, quo felicior evadat, ante omnia exactam diætæ requirit obſervationem. Cibi enim acidi, dulces, lacticinia, poma, ſimilaginea; animi commotiones ac mœrores; frigoriſque liberalior admiſſio quam longiſſime ſunt fugienda: contra vero cœna ſit parcior; corpuſque, ne ſit vita ſine motu deſes, binis circiter ante epulas horis aut curru vehendo aut obambulando placide moveatur. Potui ordinario loco Pyrmontanarum, Selteranæ vino rhenano permixtæ acidulæ, ob earum alcalinum principium feliciori inſervient effectu: nec opera ludetur, ſi ad humores à capite derivandos, veſperi temperata pediluvia ex aqua pluviatili, furfuribus tritici & tantillo lactis parata adhibeantur. Præter has vero diætæ regulas, acrimoniæ involvendæ, ventriculoque conſortando præſtantiſſimus erit hic pulvis, aut matutina decima aut veſpertina quarta hora ex hauſtu aquæ fontanæ capiendus: Recipe lapidum cancrorum, matris perlarum, pulveris marchionis ana drachmas duas, tartari vitriolati, magneſiæ albæ ana drachmam unam, nitri depurati drachmam dimidiam, olei de Cedro Italici guttas VIII. ſachari Canarienſis ad pondus omnium. M. D. S. *Pulver zu einem halben Quentlein auf einmahl.* Neque minus è re erit, mane quaſdam ſcutellas Decocti Chocoladæ tenuioris, aut Theebois ſorbillare; ſub epulis vero ultimo hauſtu 80. vel 90. guttas Elixirii balſamici temperati aſſumere, quod ſic ſe habet: Recipe extracti abſynthii, cardui benedicti, myrrhæ electæ, ſuccini, ſalis tartari ana drachmas duas, corticum aurantiorum unciam unam M. & digere cum libra vini Hiſpanici aut Hungarici.

Alvi vero obſtructioni nihil convenientius opitulabitur, quam vel enematum adplicatio, vel pilularum mearum aut Stahlianarum frequens uſus: nec incongruus erit pulvis Hallenſium antiſpaſmodicus, humorum ebullitioni oppoſitus. Externe capiti confortando egregiam opem feret ſequentis cucuphæ perpetua capiti impoſitio: Recipe radicis ireos florentinæ unciam unam, ſuccini, benzoes electæ, ſtoracis, cariophyllorum aromaticorum ana drachmas duas, herbæ majoranæ manipulum unum, florum lavendulæ, anthos, chamomillæ romanæ ana pugillos quatuor. M. f. pulvis. D. S. Species *zum Kräuter-Mützgen.* Denique medicatarum aquarum, menſe Junio adhibendarum uſum ſatis ſalutarem fore credo; inter quas Schwalbacenſes acidulas, ſubtiliores longe Pyrmontanis, iiſque efficacia haud cedentes, convenientiſſimas judico: Harum enim ordinaria doſis mane haurienda, ſub epulis autem Selteranæ vino rhenano nuptæ bibendæ, ac ex his commendatum ſupra balſamicum elixirium aſſumendum. Quæ ſi rite obſervabuntur; felicem inde effectum & ſpero & apprecor.

---

## CASUS XIV.

### *De rara lipothymiæ ſpecie in ſene.*

Generoſiſſimus vir, ſeptuagenario major, gravioribus ac perpetuis fere, uti ſemper, ita præcipue per aliquot dies obrutus negotiis, die quadam Sabbathi ſacris interfuit; quibus finitis, rus petiit, atque redux factus ea veſpera hilaris ac optime valens lætos cum filiis ſociavit ſermones. At circa ſeptimam circiter veſpertinam horam ſine evidenti occaſione tanta ſenſuum obnubilatio ipſum prehendit, ut nec videre, nec audire, nec loqui, nec cognoſcere quicquam valuerit. Circumſtantes filii attoniti morbi acceſſionem ſubeſſe rati, protinus & medicum & verbi divini miniſtrum accerſi curant: quorum ille aquis apoplecticis fruſtra naribus admotis, & ipſis veſicatoriis irrito conatu adplicatis, nullum fere arteriarum animadvertens motum, ægrotantem una cum Paſtore tanquam mortis candidatum hora nona dereliquerunt. Hora duodecima revertens medicus, eundem deprehendit morbi ſtatum; niſi quod externi artus fortiter agitarentur, totumque corpus ſudore gelido ac copioſiſſimo fere difflueret; hinc iterum triſtis abiit. At enim vero haud ita multo poſt æger ex alto quaſi ſopore excitatus ad ſe redire cœpit, & interrogatus, quomodo haberet? non niſi placido profundoque ſe gaviſum fuiſſe ſomno reſpondit: cujus cupiditate raptus, iterum obdormivit, & mane ſponte expergeſactus, ſequenti non ſolum die lunæ ſatis alacer viſus à multis inviſebatur; verum etiam noctem, quæ excepit, tranquillo confecit ſomno, dieque martis eadem alacritate accedentium conſortiis amicorum interfuit. Horum autem omnium, quæ his acta fuere diebus, nulla prorſus ipſum ſubiit recordatio; donec mercurii demum die omnium fieret conſcius, ac progrediente tempore integræ reſtitueretur ſanitati. Medicus hunc affectum ſpirituum ex aſſiduis negotiis factæ comſumtioni attribuit: & ægrotans potiſſimum doceri avet, num forte hujus mali recrudeſcentes timendæ ſint acceſſiones?

### *Judicium Medicum.*

Quem ex miſſis litteris generoſiſſimi viri cognovi morbum, adeo eſſe comparatum ingenue fateor, ut mihi ultra XL. annos medicinam facienti nondum obvenerit: licet haud rara ſint exempla eorum hominum, qui ex inſigni poſt toleratas febres acutas infirmitate altos inciderunt ſopores, iiſque ſuſcitati haud inconcinnos equidem cum aliis miſcuerunt ſermones, & ad quæſita rite reſponderunt; attamen recuperatis viribus omnium fuerunt inſcii. Neque vero minus affectus ille ad mentis defectiones, quas lipothymias vocant, referri poteſt: quæ à virium non juxta veteres vitalium, ſed potius animalium, & fluidi illius mobiliſſimi & ſimpliciſſimi, quod ſub nomine ſpirituum animalium nervis & cerebro vehitur, defectu quodam, aut ſaltem ceſſante & ad tempus ſufflaminata ſecretione ac influxu in organa ſenſuum; vel ſi mavis, ex magna vaſorum & ſubſtantiæ cerebri imbecillitate & atonia natales ſuos mutuantur. E minus autem ad hoc morbi genus in ſenili maxime ætate multum diſponere videtur irrequieta illa diurna nocturnaque mentis fatigatio: quæ ſicuti animæ aciem

aciem adauget, ita quoque corporis vigori enervando admodum opportuna deprehenditur: & quum tantis mentis laboribus tam provectæ ætatis homines raro indulgere obſervantur: ipſi etiam tales morbi rariſſimi occurrunt. Quibus ſuppoſitis cum ſpirituum duntaxat inopia huic malo præbuit originem: haud mirandum eſt, iis mora temporis, maximeque cordialium ac analepticorum uſu refectis, naturam quoque refocillatam fuiſſe; neque ideo recurſus illius adeo pertimeſcendus erit, niſi forte aſſiduæ mentis cogitationes, eæque occaſiones, quæ vires dejiciunt, iterum acceſſerint omni modo fugiendæ. Ipſe egomet ſatis deprehendi, imbecillam ſenectutem minus aptam eſſe illis laboribus tam corporis quàm animi perficiendis, quos alacris juventus facillime peragit; ac recte dixiſſe Hippocratem arbitror, quod æquam inter vires & labores, cibum ipſum ac potum ſervare oporteat proportionem. Præterea vero ſenibus nihil magis curæ cordique eſſe debet, quam ut ventriculo, ejuſque vi concoctrici robur addant: cui ſcopo optime ſatisfaciet Elixir meum ſtomachicum, ſæpius quidem & alternis diebus XX. tantummodo guttis capiendum: aromata enim & ſpirituoſa, uti illis ſunt proficua, ita nec larga ſimul aſſumenda doſi. Eandem quoque cautelam vini requirit uſus; quod licet ætate provectioribus vires egregie corroboret, eamque ob cauſſam lac ſenum appelletur: attamen & parca quantitate & generoſum, quale eſt Hungaricum, potari debet. Quod reliquum eſt, excellentiſſimo viro ut Deus vitam diu ſervet incolumem, eſt quod ex animo precor.

---

## CASUS XV.

### *Num in affectu ſoporoſo uſus Carolinarum conferat?*

Generoſus vir, XLVI. annos natus, calidioris quidem ac ſtrictioris temperaturæ, conſtitutionis tamen vividæ ac integræ, anno 1712. Principem quendam in itinere comitatus, dolente pedis ſiniſtri tumore prehendebatur. Derivabat hunc primum à multa pedum ſtando eundoque defatigatione non minus, quam pernionibus calcanei diuturnis, omni fere hyeme exulcerari ſolitis: quum autem ille aliquot ſeptimanis cum immani ſæpius dolore inhæſit, à medico, cujus, donec vivere deſiit, conſilio uſus fuit pro podagrica acceſſione habitus, ſibique relictus abſque medicinis ſponte evanuit. Sequentis 1713. anni menſe Majo accidit, ut dum noctu iter faceret, & currui ex viæ inæqualitate remorato revehendo ipſe manum admovere deberet, ex hoc labore ſudore perfuſus, mox vero refrigeratus, pectoris inciderit defluxionem, ac crebra tuſſi, raucedine, anhelituſque difficultate vexatus fuerit. Remiſerunt autem hæ moleſtiæ & adhibitis medicinis, & accedente podragra mitiori; ægerque pro confirmanda ſanitate per binos annos Pyrmontanis ac Amaſianis uſus aquis, præter ſpirandi levem anguſtiam egregie valere cœpit. Sed anno 1714. Auguſto menſe cruor parcus ex venis in anum explicatis ſtillavit: qui fluxus primum dyſentericæ dejectioni, tum temporis epidemicæ, tribuebatur, piluliſque adſtringentibus bis oppugnabatur; errore vero detecto nullo modo quidem turbabatur hoc hæmorrhoidale profluvium, attamen mox ceſſavit, & non niſi ſub Septembris finem unica rediit vice. Abhinc autem fere artuum aſſidua gravitas, pectoris moleſtia, ſomnique naturali major cupiditas acceſſere; quæ ſymptomata, interveniente nonnunquam podagrico dolore, protinus quidem remiſerunt, hoc tamen vago, & licet redierit, vix per horulam incerto loco infeſtante, pejora evaſerunt. Præcipue auxit ſomni deſiderium; cui, cum ſub anni 1715. finem venando humores graviter commoviſſet, capitis pulmonumque variæ deſtillationes, coryza, tuſſique manifeſtatæ, labiorum intumeſcentia mox efflorefcentia, & catarrhalis febris ſupervenerunt. His licet varias oppoſuerit medicinas, tantum tamen aberat, ut malo tulerint ſuppetias, ut potius anhelitus ille difficilis, viriumque decrementum cum reliquis ſymptomatibus per aliquot hebdomadas magis fere increverint: quibus demum veſicantia pedibus adplicata levamen quoddam addiderunt, aſthma vero & præternaturalem ſoporem haud penitus exſtirparunt. Hic enim non ſolum nocte, verum etiam hora decima matutina accedens multis ludibriis, corporis agitationibus, vehementi roncho, largoque ſudore moleſtus eſt, & finitus gravem cordis palpitationem poſt ſe trahit. Oppugnavit ergo hæc mala Egranis Pyrmontaniſque acidulis noviſſima æſtate in uſum vocatis, tantumque effecit, ut ſopor æque ac difficilis ſpiratio, membrorumque inſignis torpor ad aliquot fere ſeptimanas remiſerint; nulla tamen valetudinis conſtantia: ſiquidem ſymptomata recenſita, repetito fruſtra inſequente autumno dictarum aquarum uſu, magis invaluerunt. Somno enim nunquam ad ſatietatem frui poteſt; & quanquam ad 8. vel 10. horas fuerit protractus, tanto languore, perpetuo dormituriens adficitur, ut ſub ipſa ſæpius matutinarum precum recitatione iterum obdormiſcat: quibus denique totius ferme corporis dolor & tenſio, ac ſi fuſtibus percuſſus eſſet, ſociantur: matutino quoque tempore multi ante oculos verſantur vapores, quos autem aſſumtum theiforme, aliudve decoctum cito diſpellit; & denique ciborum appetentia nullo laborat vitio. Neque vero ignorari oportet, ægrotantis generoſæ familiæ proprium veluti ac hæreditarium eſſe hydropem; cujus initia ipſe jam deprehendit: ſiquidem non ſolum abdomen ſæpius diſtenditur; verum etiam poſt aſſumta purgantia virideſcentis ichoris multam reddit copiam, ipſumque fit tenuius. Ceterum bis quotannis venam in pedibus incidendam præbere ſuevit, ex qua cruor valde rubeus, ſiccior ac ſcorbuticus mittitur: inde quidem revocari videtur arthritis, at juncturis aliquantulum excruciatis, mox inſidioſa recedit. Corporis motus, maxime per equitationem malo admodum conducere, nimiumque ſomni deſiderium imminuere obſervatur: pedes autem omni veſpera tument, digitique impreſſi veſtigia relinquunt, tumore ſuo anhelitus libertatem reſtituentes. Has ægritudines præſenti 1719. anno non medicatis aquis, ſed variis decoctis ex appropriatis herbis, confectis, ſpiritibus volatilibus aliiſque medicinis, omni autem effectu deſtitutis oppugnavit: & hinc conſilium petit, num futuro vere acidulæ Carolinæ, aut quæ aliæ ſint profuturæ?

### *Conſultatio.*

Ex iis, quæ de præſenti caſu tranſcripta ſunt intellexi, omnem calamitatum, qua generoſiſſimus vir premitur, catervam in nimia ad ſomnum proclivitate variis ſymptomatibus concomitata conſiſtere: ſoporem enim illum gravibus inſomniis, motitatione corporis, inſigni dolore, ſtertore, largoque ſudore vitiari, expergefacto cor vehementer palpitare, ſomni deſiderium inſatiabile, perpetuamque ad illum eſſe proclivitatem, iiſque omnibus artuum atque totius

tius corporis immanes cruciatus, contuſionis ſenſum referentes jungi, ample ſatis percepi. Hinc autem clariſſime patet, cerebrum ejuſque membranas non minus quam univerſum nervorum genus potiſſimum lædi; ſeroſumque laticem ex humoribus largiter ad caput compulſis ſeparatum, & dictis cerebri membranis, nervorumque principiis inhærentem, recenſitarum proximam cauſam exiſtere adflictionum. Namque omne & ſoporis & ſpirationis vitium nimia humorum vitalium ad caput & pectus congeſtioni natales ſuos debere; hanc vero ex ſpaſmodicis flatulentiſque imi ventris, maxime inteſtinorum moleſtiis originem trahere omnino arbitror; quas & hæmorrhoidum impeditus fluor, & hinc enata cruoris circa has partes ſtagnatio, & arthritica materia intus retenta excitaverunt. Quis enim hæc negabit, qui attendet pectoris æque morbum ac ſoporem profundum ex recrudeſcentibus pedum doloribus, aut imminente ſanguineo per anum fluxu inſigne reportaſſe levamen? Quiſnam, qui multas flatulentias, ſpaſmos, alvique obſtructiones, & egregiam in hiſce malis Pyrmontanarum & Egranarum acidularum efficaciam intuebitur, non primariam horum vitiorum cauſam in abdomine ac inteſtinorum canale mecum collocabit? Omnibus vero hiſce adflictionibus primam anſam dediſſe videtur cruentæ excretionis, pro dyſenterica habitæ, per adſtringentes pilulas cohibitio ac plenaria ſuppreſſio; hanc enim protinus torpor, difficilis anhelitus, ſomnique inexplebile deſiderium exceperunt. Quorum ſymptomatum exſtirpatio quanquam venarum ſectionibus, laxantibus, derivantibuſque medicinis ſub primo acceſſu inſtitutis abſolvi fere potuerit: iis tamen neglectis malum increvit, & jam potiſſimum in quæſtionem venit, num illi tollendo Carolinæ ſint profuturæ acidulæ?

Neque vero eas diſſuadere poſſum. Namque licet omnes fere minerales aquæ, maxime Carolinæ, tanquam duriores aliiſque ponderoſiores per cerebri vaſa difficilius paulo vehantur, adeoque illis ejuſdem affectibus, quos ſeroſa produxit colluvies, potius nocere quam prodeſſe, & plerumque ſomnolentiam inducere ſoleant: attamen pectoris oppreſſionem & ſoporoſum affectum, qui noſtrum ægrum vexant, ex cruoris circa imi ventris viſcera ſtagnatione, primarum viarum diſtentionibus, atque podagræ & hæmorrhoidalis excretionis retentione originem ſuam habere eſt animadvertendum. Hinc cum longa mihi compertum ſit experientia, congruum harum thermarum uſum & in revocando hæmorrhoidali fluxu, & in foras pellendis arthriticis podagriciſque motibus, & denique in ſpaſmis ac flatulentiis primarum viarum, viſcerumque imi ventris infarctibus expugnandis eſſe præſtantiſſimum ac fere divinum: haud facile video, cur diſſuadenda ſit earum potatio, eo magis, cum jam Pyrmontanæ & Egranæ eximiam exſeruerunt virtutem. Verum enim vero cum binæ potiſſimum inter fontes Carolinas reperiantur aquæ, interno æque ac externo uſui opportunæ, ordinariæ nimirum, quas *den Brudel* vocant, & molares, *der Mühlbrunnen*: harum uſum in præſenti morbo illis præferendum conſulo. Differunt enim hæc ſtillicidia & elementis & virtutibus: prius quippe, cujus à pluſquam centum annis ordinarius eſt uſus, inſignem ſcaturit ferventium aquarum quantitatem; multaque fovet principia tum ſalia alcalina neutra, cum terras calcareas martiales, quæ ochræ nomine in canalibus, quas perfluit aqua, promte copioſeque in tophaceum concreſcunt lapidem: quorum principiorum una earum libra poſt evaporationem unicam ſuppeditat drachmam.

Alvum movent hæ thermæ ad ſedes quinque, ſex, aut plures; cum vero ob largam terreſtrium particularum copiam crudæ ſint ac ponderoſæ, difficilius per corporis habitum tranſire obſervantur; & hinc in ſpongioſis maxime corporibus pedum aliqualem relinquunt intumeſcentiam. Eandem quoque ob rationem difficilius per caput progrediuntur, & in iis affectibus, qui ex atonia & debilitate cerebri ac nervorum oriuntur, magis obeſſe, torporemque ac ſomnolentiam inducere deprehenduntur. Externe autem inter balnea adhibitæ adſtringentem exſerunt efficaciam; dum cutim mirifice conſtringunt, tumores diſcutiunt, repellunt, omneſque cutis ſordes, maxime ſcabioſas, quin & ulceroſas citiſſime exſiccant.

Contra vero longe alia molarium thermarum eſt indoles. Harum enim internus uſus ante XX. annos nemini adhuc innotuerat; ſed olim equi male habentes iis lavabantur, ac demum ab hominibus inter balnea duntaxat adhibebantur. Cum autem XX. abhinc annis primum Carolinos fontes acceſſiſſem, eorumque omnium elementa ac virtutes accurato indagaſſem examine: hos molares longe ſubtiliores levioreſque aquas, puriora ſalia ac minorem terreſtrium & calcarearum particularum copiam vehere, quam quidem ante memoratas thermas mox deprehendi. His enim tepidiores ſunt, & majori quantitate aſſumi queunt; ſaporem magis martialem exſerunt; ex gallarum pulvere obſcuriori imbuuntur colore; ipſaſque ſapiunt acidulas, quarum calefactarum nomen omni merentur jure: nec denique tantum ochræ, tophaceique lapidis ad canalium balneorumque latera deponunt, ac priores, eoque præclariorem ſui levitatem ac ſubtilitatem ſufficienter demonſtrant.

Non minus quoque virtutes molarium aquarum longe ſunt præſtantiores: alvum enim copioſius ducunt, nec tamen caput aggravant; nec torporem relinquunt; nec tumores excitant, nec in balneis uſurpatæ repellentem vim exſerunt. Ipſe ego primum earum præſtantem efficaciam in meo corpore expertus, illas prioribus prætuli, & medicis æque ac multis illuſtrioribus ægrotis admodum commendavi; qui etiam majorem inde utilitatem in malo hypochondriaco, affectibus nervorum ac hæmorrhagiis perceperunt, quam quidem ordinarius fons hactenus præſtiterat.

Hoc harum thermarum diſcrimine explicato, ipſe facile generoſiſſimus æger judicabit, quare molares ipſi convenientiſſimas ordinaverim. Ipſa vero curatio hac potiſſimum ratione erit inſtituenda:

Altero poſt acceſſum die veſperi capiantur viginti pilularum mearum balſamicarum; ac poſtridie aquarum potus inchoetur adeo ut matutino tempore intra unius horæ ſpatium primum XIV. vaſcula (quæ binas Hallenſium menſurarum circiter adimplebunt) ſequenti die XVIII. tertio XXV; quæ niſi quinquies ſexieſve alvum moverint, quarto XXX. totidemque ſequentibus ad nonum uſque diebus hauriantur; veſperi vero pediluvium ex iiſdem aquis confectum adhibeatur. Tranſactis hiſce 9. diebus per biduum mane balneo immittatur corpus; tum adſumtis iterum veſperi pilulis, eadem potandi ratio, protinus à XXV. vaſculis inchoando per 8. dies repetatur: quibus præterlapſis rurſus per biduum in balnea deſcendatur; hinc prior potatio ſeptem continuis diebus inſtituatur, & denique balnea ſubjungantur. Omnibus abſolutis corpus hoc laxante, quod licet purgantibus ſit vacuum, tamen reſtitantes adhuc in inteſtinis, glandulis ac vaſculoſo corporis habitu aquoſas mucidaſque ſordes egregie ducet, purgetur: Recipe mannæ electæ uncias

uncias tres, foliorum ſennæ ſ. ſt. cremoris tartari ana drachmam unam ſemis, coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque; colaturæ adde extracti rhabarbari, nitri depurati ana grana decem, aquæ cinnamomi unciam ſemis. D. S. Potio laxans, cujus una mane, & interjecto juſculi avenacei potu poſt horam dimidiam altera capiatur portio. Subinde vero eſſentia corticum aurantiorum balſamica, æquali pondere cum tinctura gentianæ rubræ combinata ad LX. guttas aut ante epulas aut ſub iis ſumta egregiam feret opem.

Quæ ceterum victus ratio ſub his medicationibus habenda ſit, eo magis jam non explicabo, cum ample ſatis ac exacte in tertia ſcriptorum, quæ edidi, diæteticorum parte, ubi de rationali mineralium aquarum uſu eſt expoſitum, memoriæ ſit prodita. Neque vero ignorari oportet, ægro, priuſquam Carolinas accedit fontes, venam in pedibus ſecandam, & ſeptem vel octo cruoris uncias emittendas eſſe.

His adhibitis mihi fuit nunciatum, generoſiſſimum virum ſub ipſo quidem thermarum uſu graves ſoporoſæ adflictionis acceſſiones toleraſſe, ab iis autem abſoluta curatione fere immunem evaſiſſe, corporis proceritatem diminutam fuiſſe, tantumque vigoris acceſſiſſe, ut per tres horas obambulare, ipſoſque montes aſcendere valuerit; ipſam denique anhelitus difficultatem penitus evanuiſſe.

---

## CASUS XVI.

### *De inſultu apoplectico cum reſponſo, an in eo thermarum Carolinarum uſus ſit ſalubris.*

SI morbum intueor, cujus hiſtoria mecum fuit communicata, ut mentem meam, num Carolinæ ipſi forent congruæ aperiam; maxime ſi noviſſimam illius acceſſionem, qua arteriis adhuc pulſantibus, oculis rubentibus, toto corpore calente, ægro per binas horas omnis ſenſus cum motu periit, & abhinc dextri lateris artus priſtino vigore ac firmitate orbati, memoriæque vis imminuta fuit: eam minime à mentis defectione derivare, ſed potius inter morbi attoniti primordia recte collocare mihi videor. Hujus enim tres fere ſunt gradus: ſub quorum primo leviſſimoque humores vitales ab extimis & infimis corporis regionibus vi vehementiſſimarum diſtentionum ad caput, ejuſque tam externas partes per carotides exteriores, quam per has interiores ad cerebrum, hujuſque membranas magno impetu compelluntur, expanſiſque harum partium vaſis libero circuitui remoram injiciunt. Tum vero inhærente hac cruoris ſtagnatione ſenſus interni æque ac externi pereunt, eaque paulatim diſcuſſa ſenſim reſtituuntur. Et hæ ſunt fere acceſſiones, quæ viros hypochondriacos, fœminaſque hyſtericas ſæpenumero infeſtare ſolent. Alter apoplexiæ gradus eſt, ſi nimiæ illi ſanguinis in vaſis cerebri ſtagnationi, ac circulo impedito ſeroſi laticis ſeceſſio accedit & extravaſatio. Hic enim dum vaſorum poros penetrat, & propter ſuam gravitatem lateri cuidam medullæ oblongatæ vel ſpinalis inſidet: nervei fluidi influxum remoratur, ac hemiplexiam vel paralyſin inducere obſervatur. Quæ ſtagnatio ac extravaſatio quo eſt vehementior; eo gravior nervorum reſolutio, eoque magis memoriæ vis, loquelæ facultas, ac ſenſuum internorum non minus quam externorum vigor deperditur.

Summus denique hujus affectus gradus exoritur, quando ex violento humorum impulſu ſubtiliſſima piæ maxime meningis vaſa rumpuntur, ipſeque extravaſatus cruor baſin cerebri occupat. Prior tempeſtiva venæ ſectione facillime ſanatur; alter licet minime ita gravis ſit, ut ſubito occidat, infirmos tamen per totam vitam reddit ægrotantes, & ſi fuerit levior, ætaſque junior, medelæ locum relinquit: tertius vero tantum non ſemper lethalis deprehenditur.

His ſuppoſitis præſentem ægritudinem inter primum apoplexiæ gradum refero & hinc egregiam, quam tempeſtiva venæ ſectio tulit, opem derivo. Verum enim vero cum experientia doceat, hoſce violentos caput verſus motus, & inde reſultantes paralyticos & hemiplecticos inſultus ex leviſſimis cauſſis facillime rurſus excitari ac recrudeſcere: haud inconſultum erit non ſolum originem eorum rimari, verum etiam medelam hæc mala præſervatricem perſcrutari. Ex cauſarum igitur huc facientium cenſu deprehendo, ægrum longo tempore multis mœroribus occupatum, variiſque occaſionibus plus juſto commotum ac perturbatum, noctes fere inſomnes tranſegiſſe, interdiu nimiis animi defatigationibus vacaſſe, & pro triſtium idearum depulſione ſæpius ultra modum vini potationi indulſiſſe; hinc per aliquot menſes anxietate præcordiorum, alvi obſtructione, ructibus magis quam flatibus, intentis cogitationibus ac inſigni triſtitia affectum fuiſſe. Exinde vero facile eluceſcit, omne nervorum genus debilitatum, ſummamque ad motus ſpaſmodicos atque hypochondriacos eſſe proclivitatem; quibus nihil opportunius ad ſanguinis verſus caput pectuſque congeſtiones invitandum deprehenditur.

Quæ cum ita ſint, omnem curationis nervum eo intendere oportet, ut ſpaſmis primarum viarum conſopitis caput nervique roborentur: quod num ex prudenti Carolinarum thermarum uſu impetrari queat, jam erit diſpiciendum. Hæ igitur aquæ corpore rite præparato ſub recta victus ratione ac convenientium medicinarum uſu adhibitæ in omnibus ſpaſmodicis ac hypochondriacis affectibus, ex ſanguinis ſtagnatione & libero per viſcera imi ventris, nominatim meſenterii, lienis, inteſtinorum, hepatis, & uteri circuitu impedito originem trahentibus miram omnino præſtant utilitatem; maxime ſi dicta ſanguinea viſcera cruore nimio ſint infarcta, ſecretio bilis, ſucci pancreatici & inteſtinalium glandularum vitiata, digeſtio ac chylificatio læſæ, alvinæ non minus quam ſanguineæ per anum uterumque evacuationes ſuppreſſæ, & multæ acidæ, mucoſæ bilioſæque ſordes, veræ flatuum origines intra inteſtinorum canalem coacervatæ. Verum enim vero quandocunque hi perverſi motus ex præviis animi commotionibus, diuturniſque mœroribus, caput nervoſumque genus mirifice debilitantibus natales ſuos mutuati ſunt: iis non minus Carolinas, quam alias acidulas mineraleſque aquas minime quadrare, aut ſaltem cautiſſimo uſu opponendas eſſe longa compertum habeo experientia. Ratio in aprico eſt: illæ enim aquæ, & præſertim ordinariæ Carolinarum thermæ, quas *den Brudel* dicunt, difficillime per caput progrediuntur, ideoque inſignem temulentiam torporemque relinquere deprehenduntur. Hinc quoque eſt, quod ſub earum potatione peritiores medici ægros ab omnibus mentis defatigationibus, multo magis commotionibus, & omni, quod caput labefactare valet ſedulo dehortari ſoleant: quid? quod ex eodem fundamento in iis, qui, ut dicunt, idiopathice caput atque cerebrum infeſtant affectibus, maxime paralyſi & memoriæ debilitate horum fontium uſus ab omnibus diſſuadeatur.

His

His præmiſſis in præſenti ægritudine cautam providamque dictarum thermarum potationem eo minus prorſus improbare poſſum, quo magis notiſſimum eſt, iter, aëris mutationem, omnem à mentis corporiſve laboribus abſtinentiam, jucundum conſortium, & exactam victus rationem, quæ ſub illa curatione obſervantur, multum valere ad nervoſum genus confortandum. Tum autem haud ignorari oportet, non ordinarias thermas, ſed molares, illis longe leviores ac ſubtiliores in uſum vocandas, nec ſub earum potu diurno nimium indulgendum ſomnō: contra vero omni mœrori curiſque ſuperſedendum, finitaque curatione à frigore, calidiori potu, ac omnibus, quæ mentem turbare poſſunt, ſedulo cavendum & denique nervinas, tonicas, cephalicaſque medicinas eſſe ſubjungendas. Quod ſi autem hiſce curate obſervandis æger ſe haud parem putaverit; ab ea medicatione, majus periculum minitante penitus erit abſtinendum.

---

## CASUS XVII.

### *Siſtens conſilium in debilitate generis nervoſi & præcavenda apoplexia.*

Ægritudinum, quas Virum generoſum de D. ſtrenuum chiliarcham prementes ab ipſo coram percepi, omne fundamentum in generis nervoſi capitiſque inſigni per nimiam refrigerationem, corporis animique vehementes commotiones excitata debilitate ſitum eſſe arbitror. Ex hac enim non ſolum ventriculus labefactatus loco legitimi chyli multum mucidæ acidæque generat pituitæ, alvum reddit ſegnem, moleſtamque gignit flatulentiam: verum etiam ſucci vitales ad caput rapiuntur, ejuſque imbecillitatem non minus, quam viſus, auditus & memoriæ vitia torporemque inducunt. His igitur ſymptomatibus conveniens omnino medela apponatur neceſſe eſt, ut majora damna prævertantur, & apoplexiæ metus diſcutiatur: quam cum & mihi impoſitum ſit proponere, ante omnia ſuadeo, ut ne quidquam ab inſtituta & hactenus rite obſervata vitæ ratione æger deflectat. Maxime vero cereviſiæ potum prorſus abolere oportet; & in ejus locum ſelteranas acidulas, aut decoctum ſub litt. A. communicatum, quorum partes quatuor cum una vini rhenani generoſi mixtæ ſint, ſubſtituere convenit. Nec ludetur opera, ſi per aliquot ſeptimanas alternis diebus cubitum iturus in pediluvia ex aqua fluviatili, furfuribus tritici & dimidia cinerum clavellatorum uncia confecta deſcendat. Inter medicamina autem conſulo, ut pulvis meus bezoardicus pari portione cum præcipitante combinatus ante lecti ingreſſum ad drachmam dimidiam in præcitato decocto capiatur: mane vero quædam vaſcula deſcripti ſub litt. B. infuſi theiformis ſorbillentur, ac lenis inde intra lectum expectetur ſudor; & denique ſub epulis ex ultimo hauſtu XXX. Elixirii viſceralis guttulæ aſſumantur. Tum imprimis alvi lenitio maximopere curanda, quam optime præſtabunt pilulæ meæ balſamicæ, quarum bis per quamvis ſeptimanam numero IV. veſperi, totidemque mane inſequentis diei deglutiantur, & juſculum ſuperingeratur. Eidem ſcopo pilulis miſſis, conveniet manna, ſingula hebdomade ſemel ad unciam unam cum dimidia mane loco ſachari in decocto Theebois aut juſculo ſoluta avenaceo, niſi adverſetur, devoranda. Nec erit incongruum, eſſentiæ meæ ſtomachicæ guttas XX. ante prandium ex ſupra laudato decocto haurire. Vena in pedibus ter quotannis, primum Martio menſe quinque circiter ante æquinoctium diebus, dein fine Maii & denique medio Octobris tempeſtate ſerena incidenda, ſex circiter cruoris unciæ mittendæ, & proximo poſt triduo maxime ab aëre frigido & cibis incongruis abſtinendum. His peractis, menſe Majo uſus acidularum Selteranarum erit præſtantiſſimus, quarum tepidarum una cum dimidia menſura matutino per 5. vel 6. ſeptimanas bibantur, eæque vino nuptæ potui ordinario ſub epulis inſerviant. Hanc vero curationem & antecedat & excipiat potus ſeri lactis dulcis, quod nervis tenſis exſiccatiſque humectandis egregiam feret opem, ſic præparandum: Recentis lactis menſura ſuper prunis ſub continua, ne adurat, agitatione ad pulveris fere conſiſtentiam coquatur; tum aquæ puræ menſura una adfundatur; ebulliant invicem, ac ut caſeoſa remaneat portio, percolentur, cujus mane calefacti in locum potus Thee bois una, poſt meridiem frigidi altera portio hauriatur. Hoc remedii genus præterlapſis circiter 8. diebus corpore per pilulas aut mannam bene purgato ſub reliquarum medicinarum uſu inchoetur, & per aliquot tempus adhibeatur. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem generoſi viri proponenda duxi, quæ Deus reddat felicia atque ſalutaria precor. d. 10. Mart. 1727.

Litt. A.

Recipe radicum ſaſſaparillæ, chinæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, cichorei, liquiritiæ, corticis ligni ſaſſafras ana uncias duas, ſeminis fœniculi unciam dimidiam. C. C. D. S. Species pro decocto ordinario, cujus binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquantur.

Litt. B.

Recipe herbæ veronicæ, millefolii, meliſſæ, ſalviæ ana manipulum, florum papaveris rhæados, tiliæ ana manipulum ſemis, corticum ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana drachmas tres. C. C. D. S. Species *zum Kräuter-Thee.*

*Ulterior relatio.*

Quatuor jam aguntur anni, cum ſalutari pro tuenda ſanitate conſilio inſtructus, egregiiſque potitus ſui medicinis: quarum quidem effectus, cum primum non omnino voto reſpondiſſet, doſi tamen imminutiori fuit præſtantiſſimus. Abhinc Pyrmontanis acidulis, irregulari methodo uſus, multos excrevi calculos, quorum maximus orificio veſicæ impactus hæſit, ac haud ſine immaniſſimis doloribus, ipſiuſque vitæ periculo tandem excretus fuit. Neque vero jamjam illis premor, niſi quod nonnunquam ſabulum cum lotio reddatur; cruentaque mictio ac ardor urinæ, maxime ſi equo vel curru vectus corpus nimium commovi, graviter urgeat. Hæc oppugnaturo mala pilulæ ſunt datæ numero XV. devorandæ; quarum binas treſve duntaxat, lectum petiturus aliquot ſucceſſive diebus ſumſi; (aloes enim juſto largiorem eas ingredi quantitatem ratus, illas ſimul tranſmitto, numne parca hæc doſis ſit continuanda, doceri cupio:) & exinde hæmorrhoides bis quotannis commoveri deprehendi; quæ cum mox licet parcius fluerent, mox in ſolis motibus acquieſcerent, diras mihi ſemper

ſemper excitarunt moleſtias. His ſæpius oppoſui hirudines, quæ ſemper inſigne præſtiterunt levamen, ultima tamen vice, neſcio an ipſarum, an illas adplicantis culpa ſpem fefellerunt. Denique noviſſimo autumno Carolinas in uſum vocavi thermas, quæ licet primum ardori urinæ nihil mederentur, continuatæ tamen inſignem limoſi lotii eduxerunt quantitatem, & hoc excreto ab omnibus me liberarunt ſymptomatibus. Verum enim vero dum ſuaſu medici aquarum uſum abrumperem, iiſque adſumta ſalis Anglicani doſi finem imponerem: en rediit preſſio & ardor urinæ, & ad hunc uſque diem mox levior mox gravior aſſidua me exercet moleſtia. Nec ſilentio prætermittendum eſt, ſub dictarum aquarum potatione catarrhales humores è capite ad fauces lapſos huc uſque adfligere, & non minus raucedinem, nullo gargariſmate, nec aqua ſcabioſæ debellandam, quam etiam inſignem capitis inducere gravitatem. Et hæ fere ſunt, quibus premor ægritudines, quarum medelam cupidiſſimus anhelo, & ſcire aveo, num Pyrmontanis, iiſque tepidis ad fontem uti liceat acidulis? Namque ſeptuagenarius fere ventriculi adhuc illibato gaudeo vigore, niſi forte frigidis indulgeam potibus. Nec minus denique cognoſcere geſtio, num venæ ſectione circa proxime elapſum æquinoctium noviſſime inſtituta, illam more hactenus ſolito, ter quotannis repetere oporteat?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Traditis litteris, quibus præſens viri generoſi valetudo exponitur, mox me ſubiit priſtinorum, qui ipſum exercuerunt morborum memoria: & cum jam potiſſimum in quæſtionem veniat; an Pyrmontanis aquis hac æſtate tuto liceat uti? non poſſum non, quin ab illis candide dehorter. Non enim ſolum hæ acidulæ præter ſpirituoſas, quas fovent partes, graviores vehunt aquas & ventriculi viſcerumque integrum ſupponunt robur: verum etiam, teſte diuturna experientia, ætate provectioribus non omnino conveniunt. Contra vero multo utilior tutiorque erit curatio, quæ cum Selteranis aquis per quatuor hebdomades inſtituetur; ea quidem ratione, ut quotidie matutino tempore tertia lagænæ his aquis repletæ pars calida hauriatur; & non minus ante, quam poſt eam potationem corpus potiuncula mannata purgetur, idemque fiat ſub ipſo potu per pilulas meas balſamicas XI. numero ſingulo quatriduo veſperi devorandas. Hæ enim acidulæ in iis, quæ pectus reneſque infeſtant ægritudinibus, nephritide, mictione cruenta, & humoribus denique edulcorandis pereximiam edere ſolent virtutem. Deſtillationes autem faucium, tuſſim, ſanguiniſque acrimoniam partim infuſo theiformi, olim communicato, vel cum vel ſine lacte ſorbillando, partim Elixirio meo pectorali veſperi XL. guttulis ex hauſtu aquæ frigidæ capiendo oppugnandam eſſe duco. Deinde pilularum mihi tranſmiſſarum uſum diſſuadere omnino cogor: quippe quas examinatas multa ſcatere aloe, humores graviter commovente deprehendi; iiſque meas pilulas præferendas conſulo. Temperandæ denique ſanguinis acrimoniæ, ejuſque ebullitioni ſopiendæ utiliſſimus erit pulvis meus præcipitans, veſperi antequam lectus petitur, ad unam drachmam aut ſolus, aut cum ſupra laudato pectorali Elixirio ex frigidæ hauſtu quandoque capiendus.

*Relatio.*

Generoſo ægro commendata medicationis ratione probe uſo, inſigne morbi levamen acceſſiſſe percepi, & non dubito, quin ex diuturniori medicinarum præſcriptarum uſu omnem ſit recuperaturus ſanitatem.

## CASUS XVIII.

*De diſpoſitione ad affectum paralyticum & apoplecticum.*

VIr annorum XXVI. temperamento largiter ſanguineo, corpore ſpongioſo, teneroque permultis, iiſque exilioribus vaſis conſpicuo inſtructus, & inde ad humorum majorem, quam natura vegeto circuitu movere potuit, quantitatem generandam valde opportunus, à prima fere infantia ventriculi debilitate, nauſea, vomitibus, capitis doloribus, quandoque vertigine, & dextri lateris inſigni gravitate ſtipatam præ ſe tulit valetudinem: quæ ſymptomata, maxime artuum gravativa moleſtia, ætate progrediente magis magiſque increbuerunt, ut etiam nonnunquam manibus, inter obambulandum rigida diſtentione ſubito correptis, nihil firmiter continere ſæpius valuerit. Præterea pectoris oppreſſio, anhelitus, maxime ſub aſcendendis ſcalis difficultas, & vernali autumnalique tempeſtate humoroſa tuſſis jungebantur: neque tamen aliis infantiæ familiaribus morbis, præter variolas, morbillos & purpuram facillime ſuperatas, fuit divexatus. His malis variæ & evacuantes & ſtomachicæ medicinæ fuerunt oppoſitæ, & pectoris adflictiones binis abhinc annis potu ſelteranarum acidularum oppugnatæ: ſub quarum uſu fracturam tibiæ ſiniſtræ incidit, adeo rebellem, ut viginti ſeptimanas intra cubile omni corporis motu deſtitutus ſedendo cubandoque tranſegerit. Tum vero inſigniter aucta fuit ciborum adpetentia, hinc humorum copia mirifice increvit, corporiſque nimia obeſitas; quibus corporis exercitio minus idoneus largum Tabaci uſum oppoſuit. Verum enim vero noviſſimo vere ex avidiori murænularum ingurgitatione capitis diro dolore, vertigine, & nauſeabunda correptus commotione, emeticam ſub debito regimine aſſumſit medicinam, & tribus vomitibus multas reddidit ſordes: ſubjungebantur ſtomachica ex balſamicis temperatioribus cum nervinis, cephalicis & cinnabarinis maritata; & appropinquante æquinoctio, venæ ſectio, quæ olim in brachio inſtituta per biennium neglecta, erat, in pedibus iterum adminiſtrabatur eo effectu, ut ſi accederet repetitus ſelteranarum uſus, æger omnem ſanitatem recuperandi indubiam ſpem foveret. Inchoabatur quoque, corpore rite præparato, earum potatio: at enim vero quarto die vix duos ſorpſerat cyathos, cum leviori apoplexia ſubito corripetur, tenebræ oculis objicerentur, & omnis auditus ſermoniſque potentia evaneſceret; quam acceſſionem copioſiſſimi exceperunt vomitus, omniſque fere adpetentiæ amiſſio: Hæc ſymptomata accerſitus medicus laxantibus equidem, divertentibus & roborantibus medicinis oppugnavit, non autem adeo debellare potuit quin matutino maxime tempore quotidie redirent; ut hinc à potu aquarum deſiſtere aliiſque remediis uti debuerit. Vena nimirum in pedibus incidebatur, parumque cruoris emittebatur, & alternis diebus pediluvia in uſum vocabantur: quibus effectum eſt, ut ſopito vomitu, appetitus rediret, oculorum autem caligo & auditus gravitas penitus evaneſcerent. Neque tamen minus gravativus in dextro latere ſenſus adhuc urget, ipſamque interdum linguam attinge-

attingere videtur: ut ideo non ſolum ſcire aveat ægrotans, quo morbo laboret; quæ illius ſit cauſſa? atque num ſelteranæ aquæ noviſſimam acceſſionem excitaverint? verum etiam ad depellendas has ægritudines, majoraque damna avertenda ſalutare anhelet conſilium.

*Conſultatio.*

Poſtquam non ſolum præmiſſam hanc morbi hiſtoriam diligenter perpendi, verum etiam ipſum generoſi ægrotantis ſtatum oculis intueri mihi licuit: inſignem jam ad effectum paralyticum & apoplecticum diſpoſitionem, omnibus modis tam exacta diæta quam congruis medicinis merito oppugnandam timeo. Namque longo tempore gravitate ac languore dextri lateris, vertigine, capitis dolore, præpedito ſermone ſolicitatus, proxime elapſo vere ſub ipſo ſelteranarum aquarum potu levem incidit apoplexiæ inſultum cum viſus, auditusque amiſſione, linguæ hæſitantia, nauſea, vomitu, & quadam veluti paralytica dextri lateris reſolutione ſtipatum, venæ tamen ſectione, congruiſque medicinis iterum expugnatum. Omnibus vero his ſymptomatibus inſignem generis nervoſi, cerebri ac ventriculi debilitatem, quæ plethoricæ ac ſpongioſæ nimium corporis conſtitutioni, cereviſiæ craſſæ lupulatæque potui, ac fervidæ ciborum adpetentiæ ſuos debet natales, proximam ſtraviſſe viam nullus dubito; & eandem ob rationem maximam quoque curandi ac majora mala præſervandi vim in pertinaci victus obſervatione, qua in diuturnis hiſce morbis nihil fere præſtantius habetur ac fructuoſius, eſſe poſitam arbitror. Hujus intuitu ante omnia ſolitum huc uſque craſſioris cereviſiæ potum non minus, quam juſto largiorem Tabaci, maxime à cibis inimici uſum penitus abolere oportet: edulia nec avidius nec liberalius ingurgitare, & inter ea à pomis, acidis, ſalſis, ſimilagineis, lacticiniis, fumo induratis, ſaleque conditis carnibus æque ac piſcibus ut plurimum abſtinere, aut ſaltem parciſſime veſci convenit: aër frigidus, ſeptentrionalis, venti vehementes, animique curæ quam longiſſime fugiantur, & cœlo ſereno aliquot ante paſtum horis corpus & equitationibus & ambulationibus moderate moveatur. Præterea vero inter alia auxilia hiſce ægritudinibus convenientiſſimum judico, ut ob inſignem humorum abundantiam, ter omnino quotannis, nimirum Februario, Junio & octobri menſibus ſub tempeſtate ſerena cruoris ſeptem circiter unciæ è vena in pedibus tuſa detrahantur: quo potiſſimum tempore per aliquot dies cibi non niſi molliores ac concoctu faciliores comedantur, & omne frigus ſtudio arceatur. Tum omnis curationis nervus eo eſt intendendus, ut ventriculo robur ac vis concoctrix reſtituatur, & hinc legitimus chylus, capiti confortando maxime opportunus generetur: cui ſcopo optime ſatisfaciet Elixirium meum viſcerale balſamicum, quod nullo ſpirituoſo paratur menſtruo & L. vel LX. guttis aut ante epulas ex aqua vino permixta, aut ſub iiſdem ex ultimo hauſtu adſumtum & acrimoniam ſimul temperat, & alvi conſervat libertatem. Nec minus operæ erit pretium, ut omnes ſanguinis commotiones, ad quas æger ob calidioris cereviſiæ potum, videtur facillimus, conſopiantur: id quod ſequens pulvis pondere unius drachmæ veſperi alternis diebus ex aqueo vehiculo v. g. aqua ceraſorum nigrorum, aut florum tiliæ devoratus egregie præſtabit: Recipe lapidum cancrorum, pulveris Marchionis ana unciam ſemis, nitri depurati, arcani duplicati, ſuccini præparati ana drachmas duas. M. f. pulvis. Matutino vero tempore adhuc intra lectum ſorbillanda ſunt quatuor vel ſex vaſcula decocti calidioris ex his ſpeciebus conficiendi: Recipe herbæ veronicæ, betonicæ, meliſſæ ana manipulum unum cum dimidio, ſeminis fœniculi, cubebarum ana drachmam. C. C. M. f. ſpecies. Externe dextri lateris debilitati confortandæ inſignem ferent opem, cervicis, ſpinæ dorſi, ſcapularum, pedumque frictiones mane pannis aſperis calidioribus peractæ; aut inunctio articulorum per hoc balſamicum linimentum: Recipe axungiæ humanæ uncias duas, olei lavendulæ drachmas duas, nuciſtæ, caryophyllorum ana drachmam. M. d.

Hæc ſunt, quæ in hoc caſu proponenda duxi, haud dubitans, quin ſi rite fuerint adhibita, exoptatus inde ſequuturus ſit effectus, quem Deus reddat ſalutarem.

---

## CASUS XIX.

*De camphoræ ad duos ſcrupulos per errorem aſſumtæ effectu in apoplexia hypochondriaco-ſpaſmodica.*

Verbi quidam divini miniſter paſſione hypochondriaca, tanquam malo ipſi hæreditario diu ſolicitatus immaniſſimis capitis doloribus, hemicrania, temulentia, gravi vertigine, mentis deliquiis, hypochondriorum inflationibus & ſtricturis olim laboravit, & adhuc per intervalla torquetur, ſimulque narium eximiis obturationibus vexatur, quæ emunctæ haud raro coagulatum atrumque reddunt cruorem, nulla inſequente hæmorrhagia. Non minus olim diuturnis alvi obſtructionibus obnoxius, illius jamjam detinetur magis profluvio, quo copioſi, tenues, ſpumoſi, ac anum rodentes vellicanteſque funduntur humores; aut hoc ceſſante gravi teneſmo, & oſſis ſacri doloribus, quaſi frigidum quid illud perreptaret, agitatur, hæmorrhoidum ſuſpicionem moventibus. Premitur frequenti inſuper incubo, & inſomniis terretur turbulentis, ſomno, quamdiu viduus fuit, ſatis parco fruitur, & continuis animi curis angitur atque ſolicitudinibus.

Noviſſima vero ægritudo hiſce ſe manifeſtavit ſymptomatibus: Primum deglutiendi difficultas incipiebat, & adeſſe ſemper in faucibus aliquid percipiebatur, quod ad continuam ſtimulabat deglutitionem: fauces ipſæ excoriatæ videbantur, & inſpectæ uvulæ relaxatæ tumidæque ſeroſum tumorem repræſentabant, mitiſſimo corporis calore, ac pulſu lotioque fere naturalibus ſtipatum. Oppugnabantur hæ moleſtiæ partim mixtura ex eſſentia alexipharmaca Stahlii, ſcordii, ſuccini lignorumque parata, partim pulvere diaphoretico reſolvente ex antimonio diaphoretico, nitro, cornu cervi ſine igne, & cinnabari nativa confecto, alternis propinatis vicibus: externe vero collum fovebatur & oleo amygdalarum dulcium camphora permixto inungebatur: verticique oleum ſuccini admovebatur; ex quorum uſu, poſtquam balneator inſuper aromaticum pulverem ſpatula adſperſerat uvulæ, hæ remiſerunt adfectiones. Verum enim vero XV. Calend. Julii per mediam noctem omni repente rationis ſenſuumque exercitio deſtitutus, pectore, ac ſi vinculo quodam adſtrictum eſſet, oppreſſo & attolli & vocem edere prohibebatur, ſimulque œſophago & aſpera arteria conſtrictis, nec ſpiritum libere trahere nec deglutire quicquam valebat; quin, licet rationis uſus mox rediret, omni tamen movendi corpus & vociferandi potentia privatus, ſub nulla auxilii ſpe ſe totum Deo naturæque committere debebat. Tum ſudores oriebantur copioſiſſimi & malum adeo

adeo ſolvebant, ut mane lætus ſurrexerit, ac largam infuſi theiformis ſatis calide aſſumſerit quantitatem. At enim vero vix ſeptima matutina hora audiebatur, cum eadem acceſſione denuo veluti attonitus percelleretur, & poſt horæ demum intervallum, ſpiritibus ad nares admotis, frictionibus, aliiſque quæ in promtu erant, adminiculis iterum excitaretur. Excitatus autem omnem penitus loquendi potentiam amiſerat; ſigniſque animi cogitata ſignificare tenebatur; hinc digitis pectus, collum linguamque laborare innuebat, & denique calamo ac atramento datis, litteris ſatis inconcinnis ſe nihil deglutire poſſe, pectuſque, gulam & aſperam arteriam graviter conſtringi explicabat, atque medicum accerſi deſiderabat. Accitus ille eadem deprehendebat ſymptomata: æger enim vix liquida ac medicamina deglutire valebat, venæ in manibus, facieque ſolito calidiori atque rubicundiori admodum turgebant, pedibus refrigeratis; pulſuſque ferebatur tardus ac languidus, & magis à ſanguinis inſigni abundantia viriumque oppreſſione, quam harum defectu derivandus videbatur. Inde medicus, qui affectum pro leviori apoplexiæ ſpecie declaratum à ſpaſmis ſanguinem ab infimis extimiſve partibus ad caput atque pectus compellentibus deducebat, protinus venam in ſiniſtro brachio tundendam, & octo cruoris, inſigniter atri & adeo ſpiſſi, ut vix ſtillaret, uncias emittendas curavit; externas partes, maxime nucham & dorſi ſpinam cum ſpiritibus apoplecticis, nerviniſque, juncto ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo fricari juſſit; interne liquorem cornu cervi ſuccinatum cum eſſentia caſtorei & liquore anodyno Hoffmanni mixtum propinavit, linguæ quaſdam balſami vitæ ſaccharo inſtillatas guttulas impoſuit; eamque ſalvia, theriacaque perfricavit: cujus quoque theriacæ tantillum folio ſalviæ incluſum ſub lingua detinendum exhibuit, ac herbam roriſmarini maſticandam ordinavit. Has medicinas larga muci tenaciſſimi inſequebatur exſcreatio; cui magis fluxili reddendo fauces gargariſmate reſolvente nervinoque tepido eluebantur: clyſterum autem commendatam injectionem æger reſpuebat. Neque minus raninarum venarum ſectionem, quam medicus malo diutius inhæreſcenti opponendam cenſebat, inſigniter abhorruit, maxime cum recordaretur, quendam olim febre acuta, forſan phreneſi laborantem ex illa in incompeſcibilem & lethalem omnino ſanguinis effuſionem incidiſſe: nec quoque emeticam dare medicinam conſultum videbatur, ex qua æger olim tertiana febre detentus animi defectionem paſſus fuerat. Sed ecce! ſub ancipiti hoc rerum ſtatu ſponte excitati quidam vomitus inſignem pituitæ reddiderunt quantitatem, & ſub iis linguæ vincula, per ſeptem horas conſtricta, protinus relaxata ſermonis facultatem reſtituerunt. Jam adhuc vexabant calor internus, vertigo, torpor, ſomnolentia, & faucium ſtomachique ſpaſmodica detentio: quando enim liquida ſummo labore & difficultate deglutita ad ſuperius ventriculi orificium pertingebant, ibi ac ſi obex fuiſſet poſitus ſubſiſtere obſervabantur; quibus ſymptomatibus præter ſupra memoratas eſſentias eodem die pulveres antiſpaſmodici ex nitro depurato, antimonio diaphoretico, cinnabari antimonii, & pulvere marchionis compoſiti opponebantur. Eorundem uſus ſequenti quoque die, cum noctem pauco, ſed turbulento tranſegiſſet ſomno, compreſſio atque conſtrictio gulæ, aſperæ arteriæ, thoracis ac ſtomachi adhuc urgerent, caput exiſteret temulentum ac vertiginoſum, pulſuſque citatior eſſet, protrahebatur; adjunctis partim mixtura ex eſſentia ſuccini, ſcordii, pimpinellæ, ambræ & liquore anodyno confecta, partim ad derivandos humores, motuſque perverſos compeſcendos temperato pediluvio. Non minus torpori capitis ac inſigni temulentiæ mitigandæ veſicantium remediorum, quorum egregium effectum æger jam antea in vertigine expertus fuerat, adplicatio ſuadebatur; & invito licet medico, qui ne genus nervoſum inde magis læderetur, & ſpaſmodicæ increſcerent ſtricturæ, valde timebat, haud ſine fructu inſtituebatur.

Quum autem nihilo ſecius recenſitarum partium rigidæ diſtentiones in eodem tenore perſiſterent; ad illas relaxandas binæ ſpermatis ceti drachmæ in olei amygdalarum dulcium recentis uncia dimidia ſolutæ, ac tribus hauſtibus ex juſculo carnis bovinæ pinguiori capiendæ ordinabantur. Hauſit etiam unam portionem ægrotans, eaque nihil efficiente, alteram aſſumturus, in locum olei amygdalarum, quod abhorrebat, ſua ſponte oleum olivarum cum ſpermate ceti dicta ratione ac quantitate commiſcendum ex pergula accerſendum curavit. Tum vero vel ancillæ vel tabernarii errore accidit, ut loco ſpermatis ceti binæ Camphoræ drachmæ datæ, illæque cum olivarum oleo levi calore ſolutæ fuerint ac combinatæ: quarum tertia pars, duo nimirum camphoræ ſcrupuli ægro ſunt propinati. Hos vix devoratos inſigne vertiginis excipiebat incrementum; extremorum frigus, vultus mortui inſtar pallidus, pulſus parvus ac valde languidus, præcordiorum anxietates, gelidus capitis ſudor jungebantur; mentis error incidebat, ſeque per omnia ſanum reputans, mirabatur circumſtantium hominum actiones, & graviter advertebat, quod ipſum ægrotantem pronunciantes, inſtar ſimulati à Moliere in Comœdiis ægri attondere velint; nihil niſi ſomnum anhelabat; mox aſſiduo riſu agitabatur, mox iterum mortis imminentis metu percellebatur. Naribus admota volatilia & vitæ balſamus Hoffmanni temulentius reddebant caput, gravioremque vertiginem: membra languida apparebant ac fere contuſa, & miſer ſe valere demonſtraturus, intra cubile inſigniter titubans obambulabat: ſpaſmodica vero pectoris & œſophagi conſtrictio, infallibili virtutis, quam camphora habet, antiſpaſmodicæ documento, protinus evanuerat. Medicus camphoram datam ignorans ob inſignem vertiginem, torporem, languorem & incredibilem ſomnolentiam verebatur, ne ipſa omnino accederet apoplexia; hinc protinus clyſma emolliens & nervinum cum oleo rutæ, liliorum alborum & nitro antimoniato, haud ſine fructu injici juſſit: quo facto membrorum rigore, & recenſitis ſymptomatibus per binas horas detentus æger, ad ſe paululum redire cœpit, deprehenditque, quam infirmus ſit languiduſque; tum vero corporis æſtus, copioſuſque ſudor cum urina rubicundiori, pulſuque celeriori inſequebantur, & gravioris morbi quandam adferebant ſolutionem; ipſe ægrotans inſequente nocte placidiſſimo fruebatur ſomno. Poſtridie, cum clyſtere noviſſime adplicato materia tenax, viſcida, grumoſa, lateritii coloris, quam medicus concrementum quoddam ex acido ventriculi hypochondriacis familiari, & oleo amygdalarum dulcium cum ſpermate ceti atque cinnabari coagulatum eſſe pronunciavit, ſatis larga quantitate expurgata, & hinc inſigne levamentum inductum fuiſſet; ille denuo in uſum vocatus non niſi ventrem naturali modo ſubduxit. Mingebatur adhuc rubrum lotium; calor erat mitior; & inſignis laſſitudo, aſſiduaque in ſomnum propenſio adfligebant. Tum demum caſu accidit, ut medicus vaſculum, quod oleum olivarum cum ſpermate ceti continebat, inſpiciens camphoræ odorem perciperet, & adeo errorem commiſſum detegeret.

geret: hinc quo præverteret acutam febrem, ipſiuſque camphoræ ardorem mitigaret, ſupra memoratis pulveribus nitrum, ceu verum camphoræ corrigens, majori doſi admiſcuit. Nec minus, ægro cruorem nigrum coagulatum, more olim ſolito, naribus adhuc emungente, illi reſolvendo, ac ſtaſi diſcutiendæ mixturam ex ſpiritu nitri dulci, eſſentia ſcordii, arnicæ veræ, pimpinellæ cum balſamo vitæ paratam oppoſuit. Et ſic convaluit æger, niſi quod aliquot poſt ſumtam camphoram diebus puſtulæ copioſiſſimæ totum corpus, maxime femora obſederint: hæc vero non in ulcus abierunt, ſed apertæ parum ſeri ſtillabant, exſiccatæ autem punctulum nigrum, quale ex pulvere pyrio cuti intruſo deprehenditur, relinquebant; quo furfuris inſtar decidente, cicatrix adparebat, ſponte demum evaneſcens.

Ex hac igitur obſervatione quid quæſo de camphoræ vi calefaciente ſtatuendum? Certe eam tantam eſſe non adparet, quanta à quibuſdam medicis, internum illius uſum timide & cautiſſime admittentibus, prædicatur: quod ſi enim eſſet, majorem omnino in noſtro ægro XL. granis aſſumta excitaſſet ardorem, maxime cum in melancholicis affectibus binis duntaxat granulis, iiſque nitri ſimul larga doſi permixtis propinari ſoleat. Eo magis autem hanc commoventem vim amittere camphoram, ſi oleis ſoluta fuerit, eluceſcit: & denique ipſam provide datam egregia pollere virtute anti-ſpaſmodica, vel ex eo patet, quod exinde omnis ſpaſmodica thoracis conſtrictio protinus evanuit, & extremorum languor, frigus, atque dolor exceperunt &c.

*Judicium.*

Præſentem caſum, qui Theologi cujuſdam & vitæ integritate & eruditione ac inſigni naturalis hiſtoriæ cognitione venerandi adverſam tradit valetudinem, publici juris facere eo minus alienum duxi; quo magis & ipſi morbo & ſingulari camphoræ efficaciæ quædam debetur animadverſio. Morbum equidem non alium eſſe judico, quam leviorem apoplexiam paſſioni hypochondriaco-ſpaſmodicæ ſupervenientem; cujus certe acceſſio hypochondriacis frequentior, quam à medicis dijudicatio deprehenditur. Hoc vero apoplexiæ genus tempeſtivis venæ ſectionibus, clyſteribus, pediluviis, aliiſque ſæpius ſanatur, & natales ſuos debet violentis extremarum partium & imi ventris diſtentionibus; quibus cruor ſpiſſus juſto majori copia ad caput rapitur, in illo per minima vaſcula progredi neſcius ſubſiſtit, & externorum æque ac internorum ſenſuum potentiam per aliquod tempus aufert. Hinc quandiu nulla vaſorum ruptio, aut ſanguinis ſerique extravaſatio accedit, curationi locus relinquitur; ſero autem jam ad cerebrum delapſo, ægerrime morbus tollitur, & ſanguine plane extravaſato ſanari omnino nequit. Sed præſentis mali principiis, incrementis, ſymptomatibus & curatione recenſendis jam eo magis ſuperſedeo; quo amplius & elegantius ea omnia à peritiſſimo medico in præmiſſa morbi hiſtoria ſunt explicata. Id ſolummodo, quod ex ea notatu digniſſimum mihi videtur, eſt ſingularis, quem camphora in oleo olivarum ſoluta, & binis pro una doſi ſcrupulis ægrotanti ſumma cerebri ac virium imbecillitate adfecto propinata edidit, effectus. Multi ſane, hujus maxime ævi ſunt medici, qui præconcepta magis opinione, quam conſtanti experientia inducti huic remedio nimis calefacientem, humoreſque commoventem attribuunt efficaciam, illudque tamquam plane noxium, quod nullis omnino morbis conveniat, ac pejora excitet ſymptomata, plane rejiciunt. Verum enim vero, ex quo in Mindano maxime & Halberſtadienſi principatibus medicinam feci, auctoritate Riverii, quem ſui ſeculi præſtantiſſimum judico medicum, & Craanii celeberrimi Batavorum Profeſſoris inductus, camphora cum nitro combinata in inflammationibus, peripneumonia, pleuritide vera, rheumatiſmis, febribus inflammatoriis, nimia ſanguinis profuſione, nec non in morbis hyſtericis æque ac venereis, ipſaque gonorrhœa, maxime corporis peripheria perſpirabili, & ipſo à ſanguinis abundantia vacuo & frequentiſſime & feliciſſime uſus ſum. Hinc etiam anno 1714. in diſputatione de uſu camphoræ interno ſecuriſſimo & præſtantiſſimo ventilata demonſtravi, eam, licet inflammabiles, oleoſas, ſulphureaſque foveat partes, nihilo tamen minus ad ſcrupulum unum in oleo ſolutam & propinatam homini ſano & alvi libertate gaudenti nec calorem excitare nec ſitim. Hujus rei veritatem quilibet in ſemet ipſo experturus, ex drachma una ſpiritus vini rectificatiſſimi, aut guttis quinque olei cinnamomi vel caryophyllorum, aut hauſtu vini Hungarici longe majorem excitari percipiet æſtum, quam quidem ex uno camphoræ ſcrupulo. Hæc enim ſicuti crocus, opium, caſtoreum &c. efficaciam ſuam vi ſulphuris anodyni evaporabilis potiſſimum exſerit; & eandem ob rationem nitro nupta in ſpaſmodicis, dolorificis, iiſque adiectibus, in quibus interna diſcuſſione opus eſt, ſecuriſſimi reperitur uſus. Quemadmodum autem omnia medicamina, maxime anodyna incongrue uſurpata damna inducere ſolent; ita quoque eadem ſors premit camphoram. Hæc etenim in morbis, qui ex virium & cerebri imbecillitate originem trahunt, & alvi ſegnitiem habent comitem, larga potiſſimum doſi propinata facillime vertiginem, ſtuporem ſenſuum, aliaque ſymptomata, quæ præmiſſa morbi hiſtoria uberius docet, excitare obſervatur. Præterea vero haud raro contingit, ut vaporoſa hæc remedia, ut crocus, caſtoreum, opiata, aliaque anodyna à quibuſdam hominibus omnino abhorreantur, iiſque adhibita periculoſas excitent adfectiones: à quibus ad alios nulla valet conſequentia. Neque tamen ſtatuo, tam largam camphoræ doſin eſſe propinandam; ſed illius duo grana pro doſi data ſufficient, & nunquam ullam creabunt noxam. Confirmant id idem & recentium & veterum medicorum quam plurimi, qui tantum abeſt, ut internum camphoræ reformidaverint uſum, ut potius illam in nimiis hæmorrhagiis, & febribus malignis ſæpiſſime commendaverint & ſuis immiſcuerint compoſitionibus, quales ſunt ſpecies de hyacintho, trochiſci de Carabe, ſperniola Crollii, pulvis Heurnii contra hæmoptyſin, quem ille L. V. aph. 50. deſcribit, pulvis pannonicus ruber, tinctura bezoardica Michaëlis, per tot annos ſummo fructu uſurpata &c. Namque hæc præcipue mixturæ ſimplici nupta in febribus cujuſcunque generis longe tutiorem feliciorem que præſtabit effectum, quam quidem conſuetæ hiſce temporibus alexipharmacæ eſſentiæ ex radicibus calidioribus, enulæ, angelicæ, vincetoxici, imperatoriæ &c. paratæ; quæ ſane majorem, quam camphora nitro aut acidis maritata, humoribus inducere obſervantur ebullitionem.

CASUS

## CASUS XX.

### *De hemiplexia cum curatione hactenus fruſtra tentata.*

Foemina annum agens primum & quadrageſimum, temperamenti melancholico-ſanguinei, habitus corporis inter macrum & pinguem medii, dum in flore ætatis eſſet florido, jam vero pallido faciei prædita colore, in fœcundo viginti duorum annorum matrimonio quatuordecim vicibus puerpera facta, vivos enixa fœtus eſt, & inter eos bis gemellos, ut abortivos aliquot taceam fœtus, in lucem edidit. Natura parentibus ſuam alendi ſobolem inditus amor & noſtram eo impulit, ut ſeptem, ni fallor, priores fœtus ipſa lactaret, reliquos autem partim lacte deficiente, partim ſuperveniente, dum uterum gereret, diuturna tuſſi cum ſomni defectu & ſudore, vertigineque gravi per intervalla accedente, nutricibus committere oportuerit.

Quum anno 1729. noviſſime gravida eſſet, per omne illud tempus de inſigni femoris debilitate eſt conqueſta, pro ratione aucti fœtus ac imminentis partus majus adaucta, & cum frigore cruris ejuſdem inſueto conjuncta. Bis eo tempore vena inciſa cruorem reddebat denſa, viſcida, tenacique variegati, griſei præſertim coloris tunica, qualis pleuriticorum eſſe ſuevit, tectum, ſubtuſve atriorem.

Brevi ante partum pariter ac ſub ipſo, die 14. Martii 1730. contingente, vix credibilem aquarum copiam effudit uterus, puerperaque tandem gemellos edidit, puellam alteram, alterum puerum. Illa viva, ex omni parte integra; hic mortuus fere dimidio minor cum cuticula lutei coloris molliſſima, ad tactum quaſi diffluente, non obſcuro indicio, eum jam ante, quandiu? dubium in utero fuiſſe exſtinctum, adparebant: reliqua, imprimis etiam purgamentorum matricis, quæ lochia appellant, excretio ſatis ad naturæ leges accommodata. Nec ſilentio præteriri debet, puerperam ſecum perpendentem, quod omnes infantes, quotquot nutricibus lactandos dederat, poſt diuturnos morbos tandem mortui fuiſſent, prioribus illis, quibus ipſa mammas exhibuerat, in vita manentibus, conſilium cepiſſe, fœtui huic propria admovere ubera, licet fere exſucca. Conſtituerat enim defectum, ſi quis foret, lactis alia ſupplere convenienti alimonia. Neque à propoſito ſuo ullis ſe averti rationibus paſſa eſt. Inde factum, ut non modo majori juſculorum copia pro generando lacte, quam è re ſua eſſet, corpus oneraret, verum etiam dies noctesque plerumque omnes inſomnes tranſigeret, ſicque corporis, nervoſique præſertim generis robur admodum minueret. Tempore tamen puerperii nihilo minus ſine notabili incommodo finito, puerpera ad reddendas benigniſſimo numini gratias templum adiit, ſacriſque interfuit. Quinto vero vel ſexto die poſt, qui primus erat ſeptimæ à partu hebdomadis, poſt quartam meridianam horam ægra gravi ex improviſo animi pathemate, ex terrore partim, partim mœrore mixto percellitur. Expalleſcit mox miſera, oculi illachrymantur, labia liveſcunt & tremunt, nauſeat ipſa, & ab adſtantibus pulverem quendam anti-ſpaſmodicum, qui in promtu erat, poſcit. Accedentes filiæ in os matris pulverem indere conantur, ſed ægra deglutire nequit; potius inani corripitur vomendi conatu, oculi rigent, ipſa obmuteſcit, mortuæque ſimillima ex ſella, cui inſidebat, in terram prolapſura vix ſuſtineri, ægreque elevari poteſt. Me tum abſente mox alius accitur medicus juxta ac chirurgus, & ægram quidem ad ſe rediiſſe vident, loquelam vero amiſſam, ſiniſtrique lateris reſolutos artus.

Juſſu medici inciditur ſiniſtri brachii vena (ſiquidem dextrum latus paralyſi affectum eſſe putaverat) ſanguiniſque aliquot mittuntur unciæ: interne mixturæ ex liquore cornu cervi ſuccinato cum eſſentia caſtorei larga ori ingeritur portio: quam tamen brevi poſt magno revomit ægra conatu ac ſimul ingentem variorum copiam. Externe pariter ſpirituoſa, nervina, excitantia in uſum vocantur. Poſt ſeptimam veſpertinam ipſe domum reverſus ægram pallentem cum naſo acuminato, pulſu debili, ſed æquali, reſpiratione ſatis integra, viribus tamen valde defectam reperi. Ad hæc loquela difficillima, vox minus ſonora, ſed ſubmiſſa & intra voculas *Ja* & *Nein* ſubſiſtens, ceterum ita comparata, ut rationis integrum oſtenderet uſum. Os ad dextrum ſive ſanum latus tantiſper vergit, & imprimis iſthuc trahitur, dum loqui ægræ animus eſt. Oculi ſiniſtri palpebra ſuperior ad modum debilitata adparet, hinc ſemper dextro magis connivere ſiniſter obſervatur oculus, manetque ſemiclauſus, dum utrumque aperire ac libere circumſpicere conatur. Ceterum ſenſus interni pariter ac externi cum rationis uſu vigebant: ſolum latus ſiniſtrum, ejuſque artus adeo erant reſoluti, ut nec motus nec ſenſus ullum in iis ſupereſſet veſtigium: nec enim impreſſæ brachio acus vim miſera percipiebat. Calore tamen naturali & paralytici perfundebantur artus, arteriarumque motus æque ac in ſano micabat brachio. Quæſita, num ex capite doleat ægra? utique ſe dolere reſpondit, admotaque ad dextrum ſive ſanum capitis latus manu, hoc potiſſimum dolore affici ſignificavit: quin & ſequentibus diebus, ſermone per Dei gratiam integre reddito, ſemper de dextri capitis moleſtiſſimo dolore eſt conqueſta, non item de ſiniſtri lateris. Tuſſis ſubinde humida cum ſonitu hærentis intra pulmonum veſiculas muci ægram prehendit; & reliquæ corporis excretiones, præter menſes à partu emanentes rite ſe habent.

In hoc triſti rerum ſtatu, dum, quid potiſſimum agendum ſit, circumſpicio, ac imprimis in cauſam hujus ſontici affectus materialem inquiro, probe gnarus, hunc demum recte curaturum, quem mali origo haud fefellit: animum præprimis ſubiit quæſtio: Num apoplecticus hic inſultus à ſanguinis copia excedente, & hinc facta ejus ad caput congeſtione, ſtagnatione, hancque ſubſequente lymphæ extra ſuos alveolos effuſione ad medullæ ſpinalis principium, illamque imprimis partem, quæ ſiniſtro nervos ſuos impertit latere, ortum ſuum trahat? & num adhuc etiam à ſanguinis exſuperante copia foveatur? hinc pro remedio iteratam poſtulet ſanguinis miſſionem, ſive evacuandi, ſive revellendi id fine fiat? Quæ dum animo agito & ſimul antecedentia & concomitantia momenta probe expendo; id denique rationali deprehendo conjectura, quod tametſi morbi acceſſio utique à ſanguinis craſſi præternaturali ad caput compreſſione ſtagnationeque poſt vehementem illam animi commotionem fuerit excitata, præſens tamen hemiplexia minime à ſanguinis laudabilis copia & abundantia foveatur, hinc nec ſanguinis evacuatio repetita indicetur, nec ab ea auxilium expectandum ſit. Ut enim taceam, ægrotantem per omnem ſuam vitam

vitam omni fere vino, quin & ipſa fortiore abſtinuiſſe cereviſia, ſolamque bibiſſe ſecundariam; neque urgeam, illam frequentibus non ſolum puerperiis, verum etiam abortibus, imprimiſque illo, qui noviſſimam ingravidationem non multo ante præceſſerat, ſtupendis ſanguinis profuſionibus fere exhauſtam, ultimoque etiam partu ſufficientem uteri purgationem fuiſſe expertam; & præſens illius ſtatus adeo videatur comparatus, ut defectu potius boni ſanguinis quam exceſſu laborare appareat; corporis ſane totius & faciei extenuatio mira ac pallidus exſanguiſque color, pulſus nec plenus nec fortis, ſed potius debilis ac languens, virium denique proſtratio ſatis plene evincunt, non adeſſe quæ iteratam urgeat venarum inciſionem, ſanguinis copiam nimiam. Qualitatem vero ejus vitiatam, & inertiam, ſerique dyſcraſiam, non modo cruoris è vena extracti conditio; verum etiam frequentiſſimæ illæ maculæ ſcorbuticæ fuſcæ majores, ſugillationibus ſimillimæ, aliaque ſymptomata ſatis comprobant.

Omiſſa ſic, tanquam minus conveniente remedio, venæ ſectione repetita, alterum illud generoſum remedium, à non paucis magnis medicis inter palmaria contra ejuſmodi affectus numeratum, vomitorium intelligo, ſe offerebat, nec pauca pro ejus exhibitione militabant momenta. Ipſum enim malum haud ita multo poſt prandium ægram prehenderat, quæ ad augendam lactis inopiam plus potus & juſculorum, quam olim ſueverat, ſorbillaverat: quid? quod ipſa natura nauſeas vomituſque cum maximo conatu movens viam quaſi digito monſtraret, quam ingredi & ſequi miniſter ejus deberet, recte ſuo perfuncturus officio. Et profecto expeditiſſima fuiſſet res & inventa clavis ex hypotheſi agenti. Verum cum mecum perpenderem, ægrotam ab aliquot jam annis idiopathico quodam capitis vitio & debilitate laboraſſe, jam etiam de dextri lateris hemicrania conqueri; apoplecticos inſuper morbos æque ac alios capitis ſonticos affectus, ab externa etiam læſione ortos, ſtomachi mala, nauſeam, ſubverſionemque ventriculi per ſympathiam producere conſueviſſe; ac porro ventriculum ipſum repetitis, iiſque vehementibus ſuccuſſionibus jam omni ſaburra evacuatum, & denique ipſam miſeram jam à paroxyſmo excitatam, adeoque tam potenti & periculoſo remedio ad excitationem opus non habere: tutius me & ab hoc medicamine abſtinere, quam fortiſſimo ejuſmodi niſu humores ad caput magis urgere, hujuſque functiones turbare judicavi; maxime cum vix appareat, qua ratione incarceratum illud, oſſeiſque cranii & vertebrarum repagulis incluſum vitium vel leviſſimam opem inde expectare queat: Quid? quod nec ſpontanei hi & ſymptomatici vomitus quidquam levaminis attulerint.

Quapropter omiſſo & hoc periculoſæ aleæ pleno opere, tutiore via incedere, ac potenti mox acrique clyſtere revellendo, caput ac ſupremas partes ab incumbente onere liberare tentavi: non minus autem partim ad ſeri coagulati diſcuſſionem, partim ad fibrarum elanguidum motum ac elaterem exſtimulandum veſicantia ampla nuchæ & utrique brachio adponi curavi; intus quoque pulveres potenter incidentes ex ſalibus mediis, cinnabari, ſuccino & caſtoreo ex convenienti dedi vehiculo, hiſque & ſequentibus pugnavi diebus.

Clyſteres quotidie repetiti optime reſponderunt, nullo tamen alio allevamento, niſi quod mox ſecundo die articulatus magis & ſonorus & ex pluribus contextus voculis ſermo, tametſi non ſine difficultate & languore, oriſque ad dextrum detorſione deprehenderetur. Veſicæ per plures dies apertæ multum ſeri acris cutim circumcirca cum pruritu erodentis ſtillarunt. Aegra, ſomnolenta licet plerumque eſſet & dormire viſa, ſomnum nihilo minus, de cujus defectu querebatur, anhelabat: *Wenn ſie nur ſchlaffen könnte*: quem quidem affectum maxime non ſolum cerebri nervorumque à morbo labi, verum etiam liquidi nervoſi, quod ſpiritus vocant, defectui, ejuſque influxui imminuto, hinc virium ortæ debilitati in acceptis ferebam. E re tamen ægræ erat, animæ ſedem & nervorum principia, quantum depreſſæ patiebantur vires, ab incumbente ſero magis magiſque purgare. Quare mox tertio die dato pharmaco alvus aliquoties evacuata, idque etiam pluries ſub morbi curſu, datis varia forma purgantibus minus acribus factum. Ipſa inſuper poſteris diebus ſponte natura multum ſed ſine ullo ſudavit levamine. Ciborum appetentia plane fuit dejecta, potus vero majus deſiderium, ſed inter deglutiendum facilis ejus ad aſperam arteriam, dummodo tantiſper ſiniſtrorſum flecteret vaſculum, deſcenſus cum tuſſi: & præter capitis dextri dolores artus quoque illius lateris ſatis acriter torqueri cœperunt; adeo ut ſuræ cruris affecti epiſpaſticum ad plures dies fuerit adpoſitum. Quarto morbi die copioſiſſima hinc inde erupit purpura rubra, maxime in brachio paralytico, quin toto ſiniſtro latere; quæ licet ſucceſſive totum fere corpus occupaverit, nihil tamen attulit emolumenti.

Quinto die ſermo ſatis promtus erat & expeditus; quo ſimul ſe obtulit occaſio de ægræ conditione cum D. D. E. archiatro R. P. colloquendi. Hic in hiſce affectibus omnibus reliquis medicaminibus anteferebat cauterium actuale nuchæ inter primam & ſecundam, vel hanc & tertiam colli vertebram per momentum impreſſum; hujuſque operationis effectum optatiſſimum ſe Varſaviæ non ſolum vidiſſe in puella epileptica, & milite paralytico; verum etiam uſum hujus chirurgiæ Italis maxime familiarem eſſe ac notiſſimum deprædicabat; monebatque, id mox inter mali principia, antequam firmiores egerit radices, fieri debere, & jam, cum quintus circiter morbi dies eſſet, nondum exſpiraſſe commodum hujus medicinæ tempus aſſerebat. Inveni etiam illud experimentum in laudati viri libro, cui titulus: Varſavia phyſice illuſtrata pag. 185. & de illo cum doctiſſimo ac experientiſſimo ſene D. D. S. communicavi. Hic, quamvis rationi utique conſentaneum hoc remedii genus, mecum judicaret; non tamen audebat ſibi minus expertum tentare, ne eo haud feliciter ſuccedente occidiſſe, quàm nos ſervaſſemus, videremur. Paſſus tamen denique fuit, convocari duos experientiſſimos chirurgos, ut de hac manuali operatione, & num eam unquam adminiſtraverint? interrogarentur. Neuter tamen horum ad hæc loca applicaverat olim ferrum candens, parati nihilo minus utrique erant, juſſu noſtro urere partem deſideratam. Dum vero explorandi ſolum loci cauſa intuebamur cervicem, totam ejus cuticulam ab impoſito veſicatorio adhuc eroſam undiquaque ac leniter inflammatam deprehendentes, nec quidem adplicare ferrum auſi fuimus. Elapſa ſic occaſione commoda ac principio, in quo, ſi quid movendum eſt movere jam ſuo tempore juſſit Hippocrates, elapſo, nulla hujus medicinæ amplius ratio habita fuit. Spem interea faciebat & fidem alter chirurgorum, fore ut gravis licet hæc hemiplexia, abſque concurſu remedii ejuſmodi violenti ac trucis, aliis ſolum adjuta commodis externis ſolveretur. Hunc in finem quam maxime commendabat,

dabat, qui ſequitur, litum externum, propria ſua in ſimili caſu experientia comprobatum, quo calefacto ſpinæ pariter ac reſolutæ partes, harumque imprimis commiſſuræ, panno prius calido frictæ, quotidie inungantur: Recipe ſaponis Hollandic. virid. libram, therebinthinæ communis libram dimidiam, ſalis ammoniaci uncias duas, camphoræ unciam, cinerum clavellatorum uncias quinque, calcis vivæ uncias duas, baccarum juniperi manipulos ſex; quæ cum ſpiritu formicarum digerantur per noctem. Hujus autem deficientis in locum ſpiritum juniperi ſumſerat chirurgus.

Hoc igitur externo remedio diu ægra uſa eſt, datis ſimul interne pulveribus ex ſalibus neutris, imprimis arcano duplicato, tartaro vitriolato, cum regulo antimonii medicinali, ſuccino, hujuſque ſale & cinnabari: nec non tinctura metallorum cum liquore cornu cervi ſuccinato, eſſentia fuliginis Clauderi &c. alvus vero ſegnior & plerumque compreſſa ſubinde pilulis balſamicis, & clyſtere ad officium excitata. Aegra, quæ hactenus & ſenſu membrorum paralyticorum caruit, emplaſtri, quod eroſæ à veſicatoriis cuti erat impoſitum, detractionem in brachio percepit; minus autem aculeos phœnigmi ad pedem adpoſiti. Urina fulvi coloris ſaturatior & denſioris paulo conſiſtentiæ mejebatur: ſudores copioſiſſimi, calidi, non levantes: purpura rubra agmine denſiſſimo corpus omne, magiſque paralyticos, quam ſanos artus occupat cum ſomni defectu, partim ex pruritu, partim ex dolore, qui femora & crura, maxime dorſum & lumbos excruciat. Sitis ſatis vexat, pulſus languidus quidem, nec tamen vel ordine vel numero aut frequentia ictuum à naturali valde recedit: potui datur aqua pura cortice citri condita, ac ſexta vini minus meraci parte remixta: urina, quæ ſub morbi initium copioſa ferebatur, parcius fluere, & omnino ſupprimi cœpit; ſimulque ſitis imminuitur, parumque bibitur. Huic vero ſymptomati clyſter therebinthinatus adhibitus medelam attulit, alvumque ſimul copioſe ſubduxit. Inſuper dextri, illiuſque integri lateris hemicrania pertinaciter inhæret cum ſenſu preſſionis ab internis ad exteriora molientis capitiſque ſimul gravitate; quæ maxime die inclinato urgent.

Die VI. Maii ægra iterum cum Decocto Manageti, quod conſtat ex manna, cremore tartari & ſyrupo violarum, addito jalappæ pulvere ac ſale neutro purgata. Die VII. hemicrania multum remiſit, ſed urina ægre deſtillat ſine ſtranguria, tametſi plenam eſſe veſicam ægra ſentiat; ſemel vero intra diem reddita, naturalis aurei coloris fuit, opaca ac denſioris conſiſtentiæ, brevique in liquorem limoſum fatiſcebat. Ad hanc urinæ difficultatem liquorem terræ foliatæ tartari cum quarta parte liquoris anodyni mineralis Hoffmanni mixtum dedi bis terve per diem ad guttas 80. ſub noctem vero pulverem ſalino-cinnabarinum; unde quoque illa tenuior ferebatur: ſomnus ciborumque aliqua appetentia rediere. Nec tamen minus dolores lancinantes hinc inde corpus, parteſque etiam affectas male habent, & pruritus quoque, procul dubio à frictione partim cum pannis, variis gummis fumigatis, partim cum liquore dicto ſpirituoſo ſaponaceo moleſtus eſt.

Alvum quartum diem compreſſam elixirio quodam proprietatis cum rhabarbaro, foliis ſennæ, agarico, ſale tartari & vino Hungarico parato laxavi; quumque & paulo acriorum vim in poſterum eluderet, clyſtere demum cum melle & ſale duriora eduxi ſcybala. Hactenus menſes à partu nondum rediere; quorum promovendorum non minus, quam vario alio fine die 17. Maii has præſcripſi pilulas: Recipe maſſæ pilularum de tribus Ruffi ſcrupulos duos, tartari vitriolati, ſcammonei puri, extracti rhabarbari, hellebori nigri, gummi galbani ana ſcrupulum, extracti trochiſcorum alhandal grana ſex, olei deſtillati carvi guttas duas, cum tinctura ſuccini f. pilulæ, pondere grani unius, conſpergantur pulvere cinnabaris nativæ d. ſ. *Pillen davon* 15. *Stück Abends zu nehmen.* Mercurium dulcem admiſcere nolui, non tam quod in affectibus nervoſi generis multis male audiat, quam quod ægra quotidie pulvere utatur, ad quem larga ſatis cinnabaris antimonii quantitas adjecta non ſecus, ac grana duo ſalis volatilis viperarum; quod tamen ſal adeo Waldſchmidio laudatum, ob ſudores quibus fere diffluebat ægra, capitiſque dolorem, & redeuntem per intervalla, nihilque levantem purpuram ad paucos ſolum dies continuavi. Ad corrigenda vero lymphæ vitia, juxta alia etiam decoctum ex radice ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, chinæ, ſymphyti majoris, liquiritiæ & pauco Guajaci in uſum fuit vocatum, alvuſque ex intervallo aliquot dierum clementer purgata: urina hactenus decenter fluxit.

Die 31. Maii celebris ille Budiſſæ medicus D. B. forte huc venerat, quem quum apud familiarem quendam deprehenderem, & ſermo etiam de ſtatu ægræ meæ incidiſſet, id ejus conſilium fuit: nimirum interne eſſentiam alexipharmacam Stahlii cum parte quarta ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinati remixtam bis de die dare juſſit; externe balneum Radebergenſe, & poſt illud litum cum ſpirituoſis commendavit. Ante vero, quam hanc eſſentiam propinarem, præmiſſo prius infuſo ex purgantibus, nervinis, ac ſalinis parato cum vino, craſſos imprimis nerviſque impactos humores diſſolvere ac facta revulſione per organa ac colatoria iis convenientia ſenſim evacuare conſtitui. Bibit proinde hoc per dies aliquot, biſque purgata quotidie fuit, ſed ejus correpta tædio tandem abſtinuit eodem, & medicinas à D. D. B. commendatas in uſum vocavit.

Die VII. Junii domi balneo egelido ex aqua, cui pars acervi formicarum incocta, fuit impoſita, eique valde tepido umbilico tenus inſedit, cervice interea, & quod deficiebat, latere eadem calente aqua perfuſis: cujus in uſu cautiſſimo per tres perſtitit ſeptimanas ægra, ſed ſine ullo levamine; neque etiam dolores illi lacerantes, qui per intervalla extremum pedem affectum occupabant, auxilium quoddam attulere. Dum hæc fiebant, convenit me Junior quidam medicus commendans mirum in modum externum aliquod remedium, cujus virtutem in paralyſi ſibi & alii cuidam medico plus ſimplici vice expertam dicebat, fidemque dabat, me hujus remedii opem & effectum intra octiduum deprehenſurum. Miſit etiam ipſe remedii hujus circiter menſuram unam, indicato ſimul adhibendi modo, qui erat, ut parte hujus liquoris ex commota prius probe lagena effuſa calefactaque, laborantes partes calido prius panno fricatæ, ſuperne ſemper inungerentur. Examinans hoc medicamen deprehendi eſſe ſpiritum frumenti vulgarem cum ſale communi mixtum, ſedimentum tamen illud ſalſum nigricantem carbonis colorem exhibebat: quam conjecturam medico illi cum exponerem, confitebatur ille nihil aliud eſſe, quam ſalem culinarem ligno juniperi excavato incuneatum, poſt combuſtum, dehinc una cum carbone pulveriſatum, ac cum ſpiritu frumenti vulgari commixtum. Sed nihil præſtitit hæc medicina, ultra octiduum ſolerter adhibita:

 quod

quod idem fatum, proh dolor! manebat & eſſentiam illam alexipharmacam, & alia omnia, ſic ut & in medicina illud verum eſſe deprehendatur: Homines plus ſæpe de facultatibus ſuis ſperant, quam ipſis ineſt. Tantum enim aberat, ut ægra quidquam levaminis acciperet, ut potius inter ipſos hos medicos auſus manus affecti lateris primum, tum quoque pes extremus œdematoſo, & qui impreſſi veſtigia ſervabat digiti, tumore diſtenderetur, & purpura ſimul integrum latus denſo agmine, nullo levamine, magno pruritu occuparet. Nec minus alvus evadebat ſtrictior, ſupra recenſitarum pilularum, quandoque uno aut altero reſinæ jalappæ vel auri fulminantis grano commixtarum uſu relaxanda.

Quum igitur domeſticorum remediorum exhibitio hactenus irrita fuerat: thermas tandem adire naturales fuit conſtitutum. Has cum omnes omnino docti uno commendarent ore, dubia fuit ægra, ad quas potiſſimum accederet: alii enim Radebergenſes, alii novitate ſe commendantes Gishibelenſes, alii denique antiqua fide & ſeculorum aliquot experientia confirmatas, nativoque ſuperbientes calore Tœplicenſes anteferebant, prout unicuique vel proprius vel aliorum reſponderat uſus. Ipſa tandem miſera omnem ſpem in Tœplicenſes ob inſitum, naturalemque earum calorem collocavit: quod inſtitutum, probe gnarus, quantam in corpus humanum imaginatio haberet efficaciam haud improbavi; quamvis me non fugeret, D. D. Wolfſium tr. de fonte Radebergenſi calorem naturalem thermis inhærentem earum virtutem magis infringere perhibeat. Sic VI. Iduum Julii bono cum Deo ingreſſi ſumus iter ad Tœplicenſes: vix autem unum alterumve confeceramus milliarium, cum nauſea moleſtiſſima corripi cœperit miſera, quam demum maxime conatus vomendi, per intervalla repetiti ſequebantur, ultra horam excruciantes, & denique ventriculi contenta omnia, & varias cruditates repetitis inſultibus excutientes. His partim ob vehementiſſimos vomendi conatus, partim corporis à carpento per ſalebroſam aſperamque viam ducto concuſſiones, inſignes dorſi, cervicis, lumborum, artuumque jungebantur dolores; qui etiam moleſtiſſimo hoc itinere exantlato noctem fere inſomnem reddiderunt.

Sequenti die mane elixir proprietatis cum rhabarbaro & vino Hungarico paratum propinavi: & veſpera, alvo inde non reſerata doſin pilularum dedi, quarum hæc eſt deſcriptio: Recipe aloes violatæ unciam dimidiam, gummi ammoniaci depurati drachmas duas, tartari vitriolati drachmam, myrrhæ electæ drachmam dimidiam, extracti radicis imperatoriæ, valerianæ, ſalis ſuccini ana grana quindecim, olei deſtillati carvi guttas octo, cum tinctura ſuccini f. pilulæ ponderis grani unius, obducantur argento. d. ſ. *Pillen* 15. *Stück des Abends zu nehmen.*

Sequuta nox quietior, menſiumque ſimul fluxus à puerperio huc uſque ſuppreſſus rediit, conſpirantibus hunc in affectum variis cauſis, corporis nimirum vehementiſſima concuſſione partim ab itinere gravi per integrum diem protracto, partim à repetitis illis violentiſſimis vomitionibus, nec non purgantibus illis, emmenagoga ſimul virtute præditis, poſt corporis illas inſuetas commotiones propinatis. Continuavit hic fluxus ad quintum diem, primo biduo copioſus, reliquis diebus parcior: nec minus primo die fuit ater, coagulatus, viſcidus cruor, ſequentibus naturali ſimilior, ſimul vero crus affectum exquiſitiſſimos noctu dolores patitur lacerantes, à ſura ad calcaneum cum tremore protractos; tremor ipſe interdiu quoque, ſed abſque dolore, maxime dum ægra paulo diutius ſellæ inſideret, adfligebat: œdematoſus præterea tumor pedem æque ac manum adfecti lateris adhuc occupabat, cum naturalis caloris defectu, qui arte ſuppleri debuit.

Sic demum finita, quæ balneorum uſum huc uſque remorata erat, menſtrua purgatione, primum corpus purgabatur ſale Sedlicenſi ad unciam unam cum fervente aqua ſoluto die XVI. Cal. Auguſti mane exhibito: quod dum eodem die ter alvum movit, ſequenti prima vice balneo inſidere cœpit. Neque tamen vel virium defectus, vel plenaria motus impotentia, vel alia ſymptomata permittebant, ut ipſos ingrederetur fontes; ſed in aquas ex ſcaturigine ad proprium domicilium allatas, & ad eum teporis gradum, quem facillime & ſine ulla ferret incaleſcentia, redactas bis quotidie deſcendebat, & primo die vix ultra horæ quadrantem in iis commorari valuit; poſt in lectum deportata, quædam decocti ſarſaparillæ vaſcula ſorbillavit. Poſtea vero ſine ullo incommodo per tres horæ quadrantes aquis inſidere valuit; ſub qua mora è cervice brachium paralyticum calida ſedulo perfundebatur; & in lectum repoſitæ ægræ artus calidis fricabantur pannis, ipſique demum cervici epiſpaſticum latum ex gummi aliiſque acribus & oleis nervinis confectum imponebatur, ſæpius renovatum. Quum autem perpetuus ille ac curioſiſſimus effectuum, quos Tœplicenſes thermæ præſtant, obſervator celeberrimus Z. archiater regius ſuo etiam ſalubri conſilio meam benigne adjuvaret operam; pro ſua is humanitate commendavit, miſitque balſamum quoddam nervinum, quod in caſibus non diſſimilibus inſigni olim uſu adminiſtraverat. Palmaria hujus virtus oleo illi ex India allato Cajeputi, de quo conf. D. Schendo in epiſtola ad Schrœckium de quibuſdam Indiæ rarioribus E. N. C. anno 1727. in appendice inſerta, debebatur, reliqua ex axungiis humana, taxi, oleis expreſſis nucis moſchatæ & deſtillatis aromaticis & nervinis conſtare dicebat. Hoc igitur balſamico litu partes reſolutæ poſt quodvis balneum, calido prius panno frictæ, cum nucha dorſique ſpina ungebantur, omiſſo, quod ego cervici adplicaveram, emplaſtro epiſpaſtico. Protracta fuit hæc curatio per tres ſeptimanas, omni cura, diætæque convenienti regimine; ſed eheu! abſque ullo emolumento, niſi quod tumor œdematoſus diſcuſſus, animoque major vigor, & cibi aliquod deſiderium ventriculo fuerit redditum.

Quum vero plurimi ex iis, qui thermas has frequentaverant, uſum illius fontis, qui extra urbem ſcaturit, & *das Schwefel-Bad* appellatur, longe anteferebant balneis intra mœnia proſilientibus: ægra ſanitatem anhelans & illos fontes experiri cupiebat, obtinebatque etiam, ut ſibi ſoli per horulæ ſpatium lavacri uſus permitteretur. Hinc per dies novem continuos exportata, aquis his inſedit, nec tamen ultra horæ dimidium earum vim, calorem, ſudoreſque, quos movebant, perferre potuit: ipſis vero his diebus poſt meridiem ſuas intra ædes balnea ingreſſa. Tandem huic thermali curationi ad quatuor ſeptimanas extractæ finem impoſuit profecto non exoptatum: nec enim inde ullum in hemiplexia levamen experta eſt, artuſque ſine omni motu manebant. Senſus vero tactus brevi poſt mali principia jam redierat, imo in acerbos cruciatus cum inſigni tremore adfecti cruris à violenta corporis per viam ſalebroſam ſub reditu concuſſione intendebatur.

Poſtquam igitur domum reverſa fuit miſera, unctio cum balſamo Z. continuabatur, eoque conſumto, frictiones cum aliis nervinis ſtudioſe ad nervorum principia & artuum commiſſuras adhibitæ,

ſiccæ

ſiccæ cucurbitæ ad temporis quoddam ſpatium dorſo ejuſque ſpinæ admotæ, de hinc per octiduum ſumma cutis urticis cæſa fuit, exaſperata, & neſcio quæ non tentata, verum incaſſum omnia. Nec ſtrenuus internorum uſus omiſſus: corpus ex intervallo purgatum, elixirium ex plantarum nervinarum extractis, millepedibus, ſale tartari, ſale ammoniaco & vino Hungarico paratum, ſubinde & pulvis ſalino-cinnabarinus fuerunt exhibita.

XI. Cal. Sept. menſium fluxus reverſus, quatriduum perſtitit, dieque ſecundo ac tertio largus fuit, qui effectus, num ſit infuſo herbæ ſaponariæ cum floribus, quod ſecundo tertioque hujus fluoris die ſorbillavit, adſcribendus? in medio relinquo. Ceſſante hoc corpus balſamicis iterum evacuatum fuit pilulis. Brachium vero læſum à ſupremo humero contabeſcere, flacceſcereque cœpit, haud ita notabiliter manus; pulſus quoque minor videbatur ac in dextro carpo: ipſum tamen brachium calore gaudebat naturali. In tanta mali pertinacia æthiopis mineralis vim lympham viſcidam coagulatamque diſſolvendi experiri tentavi: cujus ad mentem Harriſii & Hoffmanni Aldorffini abſque deflagratione ſulphuris parati ſcrupulum cum elæoſachari cinnamomi ſcrupulo dimidio mixtum bis quavis die, mane veſperique dedi, ita tamen ut ex intervallo paucorum dierum ſordes alvinæ leni purgante ſubducerentur. At capitis accedens dolor, ut elæoſacharum cinnamomi removerem, (ægra enim calida minus fert) & ſuccedens etiam hujus medicinæ faſtidium, ut eam ſemel tantum per diem dare, nec ultra decem vel duodecim dies continuare potuerim, in cauſa fuerunt: quo tempore elapſo alvum iterum pilulis blandis biduo laxavi.

Sub idem tempus tuſſis epidemica ex tempeſtatis ſubita mutatione, ortoque repente acri & inſueto frigore meos invadens domeſticos, & ægram prehendit moleſtiſſima ac pertinaciſſima, ſiccior inter principia, procedente malo humidior, poſt plurimos demum laborioſiſſimos conatus mucum flaveſcentem ex imo pectore excutiens: inhæſit ſimul per plures ſeptimanas jactura virium cum ſomno admodum parco, & ſudoribus nocturnis; tandem tamen ſenſim decocto conveniente & pulvere reſolvente cum floribus ſulphuris devicta eſt. Elapſis quinque hebdomatibus rediit menſtruum profluvium, ſed parcum, nec ultra triduum perſiſtens: quo finito, firmius radicatum malum potentiore quaſi vecte ſuis movere ſedibus conatus ſum; & ad mentem celeberrimorum medicorum, & inter hos etiam Bœrhavii purgantia paulo potentiora experiri conſtitui. Has igitur parari pilulas decrevi: Recipe mercurii dulcis, ſcammonii puri ſcrupulum, trochiſcorum alhandal, reſinæ jalappæ ana ſcrupulum dimidium, olei deſtillati ſuccini guttas quinque, cum ſyrupo corticum aurantiorum f. pilulæ ponderis unius grani, inaurentur d. ſ. *Pillen, davon 7. Stück früh auf einmal zu nehmen.*

Septem proinde hujus maſſæ grana quater purgarunt alvum, non tamen ſine tormento; nox ſecuta quietior; interpoſitis aliquot diebus has iterum pilulas aliquoties deglutivit, iiſque bis duntaxat cum torminibus modo majoribus, modo minoribus purgata eſt. Sic diuturna illa tuſſis cum ſcreatu muci ex imo pectore excuſſi ſenſim rarior facta menſe octobri demum conquievit. Quum etiam matrona quædam famoſiſſimam illam Hallenſium eſſentiam dulcem ad cœlum efferret laudibus, ægra ſpe auxilii inflata ejus concentratæ portionem per octiduum bis de die ad guttas decem ex infuſo Thee, vel herbarum convenientium ſumſit, eodem, quo reliqua medicamina, effectu.

— — —

Menſium fluxu VI. Cal. Nov. poſt emanſionem ſeptem hebdomadum revertente, ægra à remediorum uſu abſtinuit; Fuit ille primo biduo ſatis impetuoſus, cruor naturalis coloris ac conſiſtentiæ; poſt tertium vero diem iterum diſparuit. Quo facto pilulas acriores ſupra dictas iterum propinavi; ſimul vero in uſum vocavi medicinam quandam externam ab amico commendatam, qua princeps quidam in ſimili affectu magno ſui commodo fuerat uſus. Erat illa lixivium ex cineribus faginis paratum, cum ſerpillo coctum, atque cum oleo olivarum diligenti conquaſſatione mixtum; quo calefacto femur & crus læſa trium ſeptimanarum ſpatio, bis quotidie ad tempus perfundebantur; abſterſaque dein linimento quodam ex ſpiritu vini, oleo lumbricorum cocto, oleis chymicis juniperi, lavendulæ & ſapone veneto parato inungebantur. Nec & hæc opem adferebant; nihilo minus ægra non deterreri ſe paſſa eſt, quin & poſt in humero idem tentaret remedium. Sic alternatim modo litu illo balſamico ſpirituoſo à me parato, modo unguento jam expoſito, has illaſve partes fricat miſera ſanitatem exoptans. Urina hactenus ſufficienter fertur aurei fere coloris, denſioris paulo conſiſtentiæ; alvus poſt thermarum uſum rectius ſuo fungitur officio, quies variat; verbo: functiones & naturales & vitales pro ſtatu ægræ naturæ ſatis ſunt convenientes. Tumor vero œdematoſus extremum iterum occupavit pedem, quod tum imprimis ipſi accedere obſervatur, cum ſellæ inſidens ad plures horas tibias in perpendiculari ſitu conſervat: inde eſt, quod plurimum temporis lecto, incumbendo tranſigat.

Incedere enim ſola nequit, nec pede niti valet; ſiquidem debilia & laxa ſunt juncturarum femoris & genu, hæc imprimis, quæ tibiam cum femore conjungunt, ligamenta & vincula, ut corpori fulciendo plane ſint imparia. Quod ſi tamen ſemel elevata eſt, ut ſano brachio adſtanti ancillæ poſſit incumbere; tunc tibiam affectam antrorſum movere valet, uti eandem etiam in lecto decumbens retrahere & ad ſe iterum extendere, ſed lente admodum & non ſine labore poteſt. Brachium vero adfectum ſine omni omnino motu eſt, digitique rigidiores ad volam implicantur abſque tamen tali violentia, quæ ſpaſmos comitari ſolet, ſed qui facile explicari poſſint, mox priorem iterum occupantes ſitum. Hactenus ægra à Vto Iduum Nov. quovis mane guttas duas balſami de Mecha cum ovi vitello ex infuſo Thee ad aliquot ſeptimanas ſumit, & ex intervallo lenioribus expurgatur pilulis. Ex eodem quoque balſamo de Mecha linimentum quoddam ad partes paralyticas, earundem juncturas ac ſpinam dorſi ab aliquo fuit quam maxime commendatum, & pariter ad aliquod tempus bis de die in uſum vocatum; cujus hæc eſt compoſitio: Recipe balſami de Mecha partem unam, olei amygdalarum dulcium partes duas, continua ac diuturna conquaſſatione, affundendo ſubinde parum aquæ puræ tamdiu, donec hæc non amplius abſorbeatur, fiat linimentum nivei coloris; ad cujus conſervationem ſemper affunditur aqua pura, uſus tempore decantanda, iterumque poſt uſum affundenda. VII. Cal. Decemb. menſtrua rediit purgatio, parcior tamen & intra quatriduum finita.

Quæ cum ita ſint, Tuum vir Excellentiſſime imploro auxilium, ac ſcire potiſſimum aveo, anne iterum thermæ in uſum ſint vocandæ? aut num Carolinis, quas licet ex tractatu tuo de Thermis Carolinis in capitis adfectibus idiopathicis incongruas cognoverim, tamen, illuſtris quædam matrona ex propria admodum commendavit experientia, uti liceat? Nonne ex mercurio diaphoretico ſolari abs

Te

Te parato levamen mali expectandum? & denique nonne fonticulus in nucha vel brachio excitatus utilitatem polliceatur?

*Reſponſum.*

Vidi diligenter ac perſpexi, quæ de morbo cariſſimæ conjugis ample eleganterque perſcripſiſti, quæque circa morbi ſtatum, cauſas & curandi rationem docte ſatis ac optime diſſeruiſti: in omnibus enim me tibi conſentientem habes, & imprimis affectum, quo ſolicitatur ægra, hemiplecticum haud magis à ſanguinis abundantia & ad caput congeſtione, quam potius à ſeri impuri, vaſa in cerebro ejuſque anfractibus ſita nimium diſtendentis ſtagnatione omnino derivandum eſſe, tecum perſuaſus credo. Nec vero te fugiet, quantis hujus mali & pertinacia & vetuſtate moleſti ac tere radicati, ſubjecto tenerrimo univerſali humorum dyſcraſia polluto inhærentis exſtirpatio ſubjecta ſit difficultatibus, quamque adeo omnis remediorum ac conſiliorum vis eludatur. Quæ adhuc ſperari poteſt ſalus, meo quidem arbitrio, in eo ſita eſt, ut ne nimiis natura oneretur medicinis, maxime externis atque linimentis; quippe quæ non minus ac thermæ Carolinæ exiguam omnino ac fere nullam polliceri videntur opem. Has etenim in capitis vitiis, quæ ex ſeri cerebro incluſi inundatione oriuntur, & fibrarum medullarium inducta per inſpiſſatam lympham flacciditate, tonoque imminuto nituntur, cum omnibus reliquis medicatis aquis nunquam profuiſſe deprehendi. Contra vero non ludetur opera, ſi ægrotans pilularum mearum balſamicarum, quæ ventriculi non ſolum & inteſtinorum tonum roborant, alvumque ſimul lubricam reddunt, verum etiam menſium ſucceſſum promovent, tribus circiter aut quatuor ante cruoris uterini eruptionem diebus omni veſpera undecim vel tredecim devoraverit; atque inſuper elixirii cujuſdam tonico-nervini ex eſſentia gentianæ rubræ, corticis caſcarillæ, tinctura antimonii acri & liquore meo anodyno minerali æquali portione mixtis, & duabus olei macis & cinnamomi guttulis parati XL. guttulas mane ex infuſo meliſſæ cum corticibus citri confecto, totidemque veſperi cubitum itura ex decocto quodam hauſerit. Antimonii namque tinctura acres viſcidoſque humores inſigniter reſolvit, & urinam egregie promovet; cujus promotionem in gravioribus, inveteratiſque capitis affectibus, ex obſtructo infundibulo, & ſeri circa has cerebri partes ſtagnatione oriundis utiliſſimam obſervavi. Nec minus operæ erit pretium, hunc errhinum pulverem quandoque naribus attrahere: Recipe herbæ majoranæ, florum liliorum convallium ana drachmas duas, herbæ mari ſyriaci, florum benzoes, caryophyllorum aromaticórum ana drachmam dimidiam, caſtorei pulveriſati grana decem. M. d. ſ. *Schnupfftoback.* Potui vero ordinario decoctum ligni ſaſſafras cum paſſulis confectum exhibere convenit. Externe pulvis caryophyllorum, cardamomi atque cubebarum aut capiti inſperſus, aut in ſacculo adplicatus non levem ſpondet opem; nec alienum erit, cervicem, dorſi ſpinam, brachia ejuſque juncturas calide fricare, & frictas vel infuſo ex floribus anthos & lavendulæ cum vino veteri rhenano parato vel balſamo meo vitæ inungere. Capitis doloribus liquoris mei anodyni mineralis quædam guttulæ ſacharo exceptæ, & in ore, donec ſolvantur, detentæ inſigne conferent allevamentum; quod etiam expectari poteſt ex juſculis carnis gallinaceæ, aut vitulinæ cum radicibus cichorei, ſcorzoneræ ac apii paratis, & ſucco citri aut aurantiorum permixtis.

Verum enim vero, cum harum ægritudinum curatio diuturnum remediorum uſum requirat, commendatas quoque medicinas, quamvis earum effectus haud protinus votis reſpondeat, diutius tamen adhibere oportet; eo magis quum autumnus horum malorum exſtirpationi minime opportunus obſervatur. Nec enim dubito, quin, ſi laudata curandi ratio ſub aſſidua mentis tranquillitate rite & pertinaciter protrahetur, proximo potiſſimum vere ſi non tota morbi exſtirpatio, ſaltem inſigne ſymptomatum levamen ſit inſequuturum.

*Ulterior morbi relatio.*

Simul ac litteræ ac conſilium tuum ad manus meas pervenerunt; protinus commendatas medicinas ægræ propinare cœpi. Bis nimirum quotidie mixturam ex eſſentia radicis gentianæ rubræ, corticis caſcarillæ, tinctura antimonii acri & liquore anodyno confectam ex infuſo meliſſæ cum citri corticibus aſſumſit: bis quavis hebdomade pilularum balſamicarum XV. dein XVIII. veſperi deglutivit, quæ primum binas, dein unam duntaxat moverunt ſedem: ſub epulis decoctum ex aquæ ſimplicis menſura una, raſuræ ligni Saſſafras drachma, & paſſularum minorum uncia dimidia paratum, deinde vero ob ſubortam nauſeam paſſulis deſtitutum potavit. Neque minus per longum ſatis tempus cervix, dorſi ſpina, brachium, ejuſque juncturæ prævia frictione infuſo ex floribus roriſmarini atque lavendulæ cum vino rhenano generoſiori confecto bis quavis die inungebantur. Conſumta quoque ſupra laudata mixtura, alia parabatur ex liquoris anodyni, tincturæ antimonii ana uncia dimidia, oleorum deſtillatorum macis ac cinnamomi ana guttis quatuor; & poſt hanc liquore anodyno deficiente, tinctura metallorum ſuccinata, dictis eſſentiis nupta adhibebatur: pilulis deficientibus aliæ leviſſimæ cum rhabarbaro confectæ ſubjungebantur: in decocti ſaſſafras vero per plures hebdomadas aſſumti locum cereviſiæ tenuioris ac ſecundariæ potus ſubſtituebatur, & meliſſæ quoque ob nauſeam omiſſo uſu, alia liquida mane ſorbillabantur.

Verum enim vero quamvis miſera omnium functionum & naturalium & vitalium exercitio ſatis integro gaudeat, ipſique uterinus cruor regulari tempore & ſatis copioſe per triduum ſemper fluat: attamen læſio animalis functionis & hemiplexia, ſiniſtri maxime brachii remanet pertinaciſſima: hoc enim, licet integro ſenſu polleat, omni tamen non ſolum movendi potentia privatum, ſed etiam à ſummo humero ad juncturam cum brachio aridura eſt adfectum. Contra vero cruris, quod ſemper aliquantulum movere valuit, jam majorem movendi facultatem recuperare videtur; adeo ut ſi dextro brachio alterius humeris inniti liceat, lentis jam paſſibus ſola incedere queat. Nullum enim in junctura femoris cum oſſe iſchio ſubeſſe vitium, ſed illud potiſſimum in genu imbecillitate hærere videtur: qua expugnata, illam firmius ingreſſuram eſſe credo.

Brachii reſolutioni & aridurae opponendum commendavit chirurgus quidam unguentum, cujus ex unguento altheæ, aregon. martiat. agrypp. oleo petræ, juniperino, laurino, ſapone veneto, axungia canis, pipere nigro pulveriſato, euphorbio & eruca compoſiti mirum in hiſce morbis prædicavit effectum. Nec quoque illius uſum variis rationibus ductus improbavi, ſed illud bis quotidie loco prius probe fricto inungendum, alternis inſuper

per diebus ſummo humero æque ac cervici ſiccas cucurbitulas admovendas; tumque unguentum adplicandum curavi: nihil vero auxilii inde obſervavi, niſi quod aridum fere brachium magis auctum carnoſiuſque fieri videretur. Denique amicæ ſuaſu ad genu confortandum unguento quodam viridi fuit uſa, & majus inde robur acquiſiviſſe ſibi imaginatur. Quæ cum ita ſint, Giſhublenſes hac æſtate fontes accedere decrevit, num cœli, loci & aquarum mutatio ipſi futura ſit ſalubris tentatura: de his vero & ulteriori medendi ratione ſalutare anhelat conſilium. Pridie Cal. Maii 1731.

Conſultum inde fuit, ut cum tam radicato malo aëris mutatio multum conferre deprehendatur, olim commendata medicamina, ac balnea in uſum rurſus vocaret ægrotans.

---

## CASUS XXI.

### *De hemiplexia ex affectu rheumatico arthritico producta.*

Generoſiſſimus vir de P. annos LXVII. natus, longo abhinc tempore podagræ chiragræque tormentis obnoxius; ſub hujus potiſſimum anni auſpiciis tantas cervicis atque pectoris conſtrictiones inciderat, ut per ſex hebdomadas nocte dieque ſellæ inſidere teneretur, & demum hirudinibus ad anum adplicatis ab iis fuerit liberatus. Accidit autem proxime elapſis pentecoſtes feriis, ut cum aſſumtis integra adpetentia epulis cœlo ventoſo ac inimico feneſtræ aliquamdiu immoratus in ſellam ſubſideret, inſigni ſubito apoplexia corriperetur, qua amiſſo rationis uſu ſiniſtrum latus, dimidium caput artuſque iſtius lateris paralyſi reſolvebantur, ſiniſtrique oculi viſus penitus deperdebatur. Rediit equidem poſt congruorum remediorum uſum rationis integritas; verum oculi, brachii, pediſque paralyſis adhucdum inhæret, pectuſque ſimul multo muco infarctum detinetur: quin quamvis etiam quinto ab ea acceſſione die ſuaſu medicorum chymicum quoddam medicamen adſumeret, inde quidem aliquoties vomuit, multumque pituitæ reddidit cum eximio levamine; tantum tamen aberat, ut reſolutioni quoddam accederet allevamentum, ut potius affecto pariter ac integro lateri ſpaſmodica ſuperveniret conſtrictio.

In hoc rerum ſtatu poſt 14. circiter dies in dextro pede prope pollicem ſponte exortum ulcuſculum fonticuli inſtar per quatuor ſeptimanas inſignem primum tartarei recrementi, poſt aquei ichoris ploravit quantitatem. Nec impeditus fuit hic fluor; ſed ordinata ſunt ſemicupia ex aqua fluviatili tepida, lactis quatuor menſuris & furfuribus parata; quibus generoſus æger bis quavis hebdomade ad horæ quadrantem inſedit, ab iiſdem vero duodecim vicibus uſurpatis, cum nullam ferre opem, & magis virium languorem inducere viderentur, penitus abſtinuit. Abhinc quoque ſiniſtrum paralyticum pedem idem, ac in dextra regione obſedit ulcus, non quidem tartarea ſaburra, verum acris pituitæ fluxu huc uſque madidum, junguntur præterea non minus inſatiabilis pedis cruriſque reſoluti pruritus; quam capitis humoroſa defluxio, qua plurimus mucus & naribus redditur & faucibus exſcreatur.

His denique omnibus ante biduum hora nona matutina violentius malum, veluti recidivum, acceſſit, quo æger omni ratione privatus tanta rapiebatur convulſione, ut dextrum genu ad os fere contraheretur. Accerſitus medicus cruorem ſimul ex ore ferri videns, derivatoriam inſtitui juſſit venæ ſectionem; qua pariter ac aliis medicinis hæc dira acceſſio fuit expugnata. Verum licet per totius morbi decurſum integer adpetitus, largæ epulæ, pulſus naturali ſimillimus, alvuſque quotidie reddita fuerint: attamen ſummo generoſus vir jam laborat virium defectu, omnis motus impotens à miniſtris ſolum moveri debet, atque huc illucve portari, & ſomno fruitur plane nullo.

### *Conſultatio.*

Quod ſi viri generoſi morbum valde radicatum ac habitualem rite intueor: non ſane poſſum, quin illum in tam confirmata ætate graviſſimum ac maxime arduum declarem. Non enim ſolum omnes vitales ſucci ſordibus tartareis ſcorbuticiſque inquinati; verum etiam partes nervoſæ, tendineæ ac fibroſæ violentis ſtricturis ac ſpaſmodicis motibus detineri videntur. Hinc autem circulus humorum per vaſa corporis impeditur, ſalutares excretiones maxime quæ per cutim fiunt, imminuuntur, & cruor ſpaſmis illis tam externis quam internis copioſius ad pectus & ſuperiores partes rapitur: ex cujus ſtagnatione in capite apoplecticæ acceſſiones, in principio medullæ ſpinalis hemiplecticæ ac paralyticæ reſolutiones; & denique catharrales per nares fauceſque deſtillationes, ac pectoris muco oppletiones originem trahunt. Eminus ad hæc vitia non niſi ſeri impuri tartareique colluvies, padagricorum & chiragricorum dolorum vera cauſſa diſpoſuiſſe videtur. Namque hoc externos olim artus, eorumque articulos occupans per quaſdam forte cauſſas intra corpus depulſum eſt, in quo primum per metaſtaſin, ut dicunt, ad colli cerviciſque muſculos delatum, hos ad rigidas diſtentiones proritavit; dein vero ad ipſum caput atque cerebrum depulſum, apoplecticum paralyticumque procreavit inſultum. His denique certo virium adhuc validarum documento ſingulari naturæ beneficio ulcuſcula pedum, acre tartareum ſerum plorantia ſupervenere; quam naturæ ſordes ſcorbuticas foras pellendi proclivitatem inſignis quoque demonſtrat pedum pruritus. Hi vero motus, quamdiu ſunt moderati, ſalutares omnino ac utiliſſimi deprehenduntur.

Quam ob rem ut inveterato huic malo, ætate adeo provecta, ſi non penitus expugnando, ſaltem aliquantulum ſublevando proſpiciatur; omnes meo quidem arbitrio ſcopi ad tria potiſſimum erunt dirigendi. Nimirum ante omnia eam victus rationem obſervare opus erit, quæ acribus depravatiſque humoribus corrigendis, ac edulcorandis ſit opportuna: deinde excretiones naturales per alvum æque ac cutim promovere, & humorum ad externum habitum rejectiones adjuvare conveniet; & denique ea propinare oportebit medicamina, quæ nimiam ventriculi acrimoniam, vehementis adpetentiæ cauſam involvant, & concoctricem reſtituant roborentque vim, quo tandem legitimus generetur chylus, & ex hoc reliquorum ſuccorum ad partium nervoſarum nutritionem atque motum valde neceſſariorum depuratio obtineatur. Hiſce finibus conſequendis nihil erit præſtantius quam conveniens potus: abſque hoc enim omnem curationem fore irritam experientia compertum habeo. Hujus vero ſelectus pro ventriculi conſtitutione dijudicandus eſt: quæ ſi permiſerit, in hiſce morbis ſerum lactis in locum ordinarii potus commendare

aut ſub epulis decocti ex radice chinæ, paſſulis & cinnamomo parati uſum, matutino vero & meridiano tempore dicti ſeri inſtar aquarum medicatarum potationem ſummo fructu ordinare conſuevi. Serum ipſum hac potiſſimum paratur ratione: Lactis vaccini menſura una cum dimidia, ſucco citri, quantum cochlear capit, permixta, leni igne coquatur, donec coaguletur, dein percoletur, & ad aciditatem temperandam una circiter oculorum cancrorum drachma ſub levi agitatione adjiciatur; tum ſacchari Canarienſis fruſtum corticibus citri, ut oleo ejus imbuatur, probe perfrictum addatur, ut ſerum amœniorem inde ſaporem odoremque nanciſcatur: quod vel matutino vel meridiano tempore octo ſemper unciis hauriendum eſt.

Dein alvi libertatem iis adjuvare oportet remediis, quæ ſimul acrimoniæ ventriculi inteſtinorumque temperandæ inſerviunt. Huic ſcopo, ſi ventriculi vigor permiſerit, in hiſce adfectibus ſeroſis tartareiſque mannam arbitror præſtantiſſimam, cujus una aut binæ unciæ quavis hebdomade ex ſupra dicto lactis ſero devorandæ; aut in eorum locum paſſulæ rhabarbarinæ vel mane vel brevi ante paſtum quandoque aſſumendæ ſunt. Impurum autem ſerum corrigendi, & laudabiliorem chylum ſuppeditandi inſignem efficaciam poſſident juſcula ex carne vitulina aut gallinacea cum radice graminis, cichorei, ſcorzoneræ aut fœniculi compoſita; cui eidem ſcopo non minus, quam ipſi concoctioni adjuvandæ inſigniter ſatis faciet Elixirium meum viſcerale ex blandis balſamicis, & extractis amaris ſine menſtruo ſpirituoſo paratum; cujus & ante epulas & hora quinta veſpertina L. guttulis ex aqua vino nupta capiendi uſus per quoſdam menſes protrahendus eſt. Nec ludetur opera, ſi ad tranſpirationem promovendam æger cubitum iturus hujus mixturæ unciam quandoque aſſumat: Recipe aquæ florum ſambuci, cardui benedicti, ceraſorum nigrorum ana uncias quatuor, cinnamomi ſine vino, aquæ theriacalis, aceti ſquillitici ana unciam unam, lapidum cancrorum drachmam unam cum dimidia, antimonii diaphoretici ſcrupulos duos, mixturæ ſimplicis guttas XXX. Julepi roſarum q. ſ. cujus quoque locum pulvis Marchionis, cinnabari, nitro & caſtoreo permixtus egregie ſupplebit.

Pedum vero moleſto pruritui conveniet, eos ſæpius lactis flore lavare, iterumque abſtergere; & denique ſpaſmis afflictarum partium conſopiendis admodum conferet hoc linimentum: Recipe aquæ Anhaltinæ, ſpiritus lumbricorum terreſtrium ana unciam unam, ſpiritus cornu cervi ſale volatili ſaturati, eſſentiæ nuciſtæ, croci, caſtorei ana drachmam unam. M.

Hæc ſunt, quæ in ſalutem generoſi ægrotantis proponenda duxi; quæ ſi à medico, qui curationi præeſt, probabuntur, haud ſine fructu in uſum ponentur: neque enim alienum fuiſſet, ſi ex tranſmiſſa morbi hiſtoria percepiſſem, num hæmorrhoidibus vel cæcis vel fluentibus, aut hypochondriacæ paſſioni obnoxius ſit æger? num venæ ſectioni, aut pedum aut brachiorum adſueverit? num ſanguine turgeat, aut vini ingurgitationi indulſerit? Horum enim momentorum cognitio ipſius morbi curationi haud levem ſuppeditat opem.

### *Ulterior relatio.*

Poſtquam morbi ipſius ac conſtitutionis generoſiſſimi ægrotantis exquiſitior hiſtoria fuit deſiderata: eam hiſce ſuppeditare, haud alienum videtur.

Jure conſultus illuſtris, annorum LXVII. temperamenti ſanguineo-cholerici, ingenii vivaciſſimi, judiciique acutiſſimi, ſtaturæ ac habitus mediocris, capacioribus vaſis inſtructi, robuſta ſatis à teneris fere gaviſus eſt valetudine; nec tamen unquam, licet inſigni ſemper humorum laboraret abundantia, Helmontii forte imbutus principiis, cruorem ex venis trahi permiſit: Ante 14. vero annos, cum podagræ acceſſionem graves cervicis diſtentiones exciperent, illamque per tres menſes rigidam detinerent, primum venam tundendam præbuit; & hinc eximium ſpaſmi levamen expertus, bis quotannis circa utrumque æquinoctium venæ ſectionem in pedibus inſtitui curavit.

Jam vero XL. ſunt anni, ex quo aſſiduis corporis otiis, & mentis perpetuis laboribus indulgens, primum mitiori, poſtea vero graviori frequentiorique podagra & chiragra, ſæpius ad tres, quatuor vel quinque menſes ſummis doloribus inhærente, excruciari cœpit, cui quoque calculoſa nephritis juncta fuit, & miſerum calculorum ſpongioſorum & albicantium & rubicundorum excretione ſæpius ſolicitavit. His nunquam topica, ut dicunt, & repellentia oppoſuit; ſed externe farina avenacea calefacta; interne decocto Behrenſii antiarthritico, in Eph. Nat. Cur. Vol. 1. & 2. obſ. 18. pag. 152. ſummis celebrato laudibus fuit uſus; nec unquam diætæ erroribus, aut vinoſarum potationum exceſſibus indulſit, niſi quod ad iracundiam vel ex leviſſimis cauſis ſit facillimus.

Ex uſu quoque ipſi fuit, ut per XL. annos quavis æſtate per 5. circiter hebdomades Schwalbacenſes acidulas potaverit; in quarum locum proximo biennio Selteranas lacte caprino mixtas ſubſtituit: tantum vero abfuit, ut inde mali ſui levamen deportaverit, ut illud potius ſtatis temporibus pertinaciter redierit, & noviſſime ſub hujus anni auſpiciis ſummis tormentis per tres menſes ſævierit. Ab his cum quatuordecim circiter dies immunis fuiſſet, inſatiabilis totius corporis cutem prehendit pruritus; laxantibus æque ac humorum acrimoniam temperantibus oppugnatus medicinis.

At enim vero brevi poſt, cum ex ambulatione ad corporis obtinendum exercitium ipſi valde commendata reverſus, cubili cuidam, in qua lintea humida fuerant exſiccata, per horæ circiter ſpatium immoraretur: gravis rigor, ſpaſmuſque cervicem occupavit, & hinc admotis ſpiritibus reſolventibus ac nervinis depulſus pectus obſedit, illudque tanta ſpirandi anguſtia oppreſſit, ut per ſex hebdomades præ ſuffocationis metu ſellæ ſemper inſidere debuerit. Nec tamen ullas huic malo aperientia, incidentia, nervina & antiſpaſmodica tulerunt ſuppetias: cum autem ægro, ipſi hæmorrhoidum fluori quidem nunquam obnoxio, moliminibus tamen ad illas ſpectantibus, hypochondriacis paſſionibus ac flatulentiis diu multumque ſolicitato, hirudines ad anum fuiſſent adplicatæ; omnes protinus à pectore evanuerunt conſtrictiones.

Hinc per integrum menſem ſatis firma valetudine, ciborum inſigni adpetentia, ſomnoque placido gaviſus ſpem præbuit, fore ut ab omnibus liber viveret ægritudinibus: Verum enim vero cum ſub ipſis pentecoſtes feriis, tempeſtate horrida & inimica, epulis ſatis vegete aſſumtis, & meridiano ſomno, quo ex conſilio & exemplo Brunneri, archiatri Moguntini, quotidie uti ſueverat, abſoluto feneſtræ inter adſpirationem auræ frigidæ aſſideret: gravi ſubito apoplexia cum omni ſenſuum abolitione, magnoque ſtertore abſque tamen oris ſpuma percellebatur. Adhibitis protinus tum

externe

externe venæ ſectione, veſicatoriis, frictionibus & acrioribus clyſteribus, tum interne propinatis reſolventibus, temperantibus, analepticis; & humorum circuitum promoventibus rediit equidem rationis ac ſenſuum vigor: at lateris ſiniſtri non ſolum motus omnis manſit abolitus, audiendique & videndi potentia prorſus deperdita; verum etiam ſub initium ipſe evanuerat harum partium ſenſus, adeo ut æger ſe in iſto latere habere artus plane ignoraverit. Hiſce acceſſit continuus ſopor, perpetuaque dormiendi cupiditas, ac tanta œſophagi & epiglottidis reſolutio, ut ne tantillum quidem liquidorum abſque ſuffocationis metu aſſumi potuerit. Oppugnabantur hæc ſymptomata pulvere quodam à quibuſdam commendato, qui non niſi ex ſulphure antimonii aurato ſecundæ præcipitationis à multis medicorum in ſeroſa apoplexia & catharris præfocantibus admodum laudato compoſitus videbatur; & in noſtro non ſolum multum tenaciſſimæ pituitæ per alvum vomitumque duxit, verum etiam ſpirandi quandam libertatem, eamque firmitatem reſtituit, ut & cibos, potus atque medicamina abſque deglutitionis impedimento devorare, & ſomno quietiori frui potuerit.

Tantum vero abeſt, ut motus impotentiæ ullum acceſſerit robur, ut potius æger ab ipſis pentecoſtes feriis ad hunc uſque diem lecto penitus affixus abſque miniſtrorum auxilio nullo modo ſe movere valuerit. Reſoluto tamen pedi quædam rediit ſenſatio, ejuſque ſubſultantes agitationes & inſignis pruritus ſupervenerunt; quibus denique dextri pedis prope pollicem, deinde ſiniſtri quoque paralytici ulcuſculum ſponte excitatum jungebatur, quod in dextro fonticuli inſtar primum tartareum, poſt aquoſum recrementum, in ſiniſtro autem ſerum acre cutim arrodens copioſe ploravit, & in hoc fluore huc uſque conſervatum eſt. Recruduit quoque calculoſa adflictio cum moleſta quorundam calculorum excretione; quæ juxta methodicorum in obſervationibus Wratislavienſibus anno 1702. pag. 36. candide deſcriptam methodum balneis emollientibus ex aqua fluviatili & lacte paratis, quibus tepidis per horæ quadrantem inſedit æger, oppugnabatur. Nec irritus illorum effectus fuit in debellanda ex calculo moleſtia; at cum paralyſi nullam afferrent opem, majoremque inducere viderentur imbecillitatem, eorum uſus fuit omiſſus. Hinc pugnabatur tonicis, nervinis, cephalicis, analepticis, confortantibus, ambratis, reſolventibus, incidentibus, temperantibus, antiſpaſmodiciſque medicinis, interne pariter ac externe in uſum vocatis: ſed omnia nequicquam juvabant, nec impedire poterant, quo minus paralyſis æque ac eximius pruritus, nullis frictionibus demulcendus reſtiterint; & lateris dextri ſpaſmodica conſtrictio pertinaciter inhæſerit. Quin ante quinque circiter ſeptimanas hora nona matutina ex improviſo gravis acceſſio, inſtar comitialis morbi ægrum prehendit, qua dextrum genu ſubito ad pectus uſque convellebatur, caput circumagebatur, oculi diſtorquebantur, cruor ore reddebatur, omniſque rationis uſus evaneſcebat: quæ tamen ſymptomata tuſa in dextro brachio vena, aliiſque medicinis adhibitis brevi tempore depellebantur.

Abhinc commendatorum medicaminum uſu inchoato & viſcerale Elixirium & externus ſpiritus, & flores lactis ad pedum pruritum per 14. dies rite adhibebantur, nec minus pedes bis ſcarificabantur. Potare inſuper cœpit ægrotans ſerum lactis, at ob ventriculi infirmitatem iterum deſiit, maxime cum X. Calend. Dec. eadem iterum epileptica concuſſio iiſdem ac antea ſymptomatibus prævia quadam nauſea ſubito accederet, ſub qua per horæ quadrantem inhærente totum corpus gelido frigore rigebat, & copioſo madebat ſudore. Tum illud calidioribus frictum pannis naturalem recuperavit calorem, & miſſis ex vena in brachio iterum inciſa cruoris ſpiſſi, tenacique muco obducti quatuor unciis priſtina ſanitatis rediit conſtitutio.

Tertio Calend. Decembris hora nona veſpertina prævia denuo nauſea pectus occupavit aſthma convulſivum, cum ſumma præcordiorum anxietate, & muci tenaciſſimi per alvum vomitumque rejectione; à quo per totam noctem inhærente mane poſt aſſumtas antiſpaſmodicas medicinas iterum liberatus, huc uſque nullum amplius violentorum horum motuum, præter ſpaſmodicos pedum ſubſultus toleravit.

Somnus ceterum parcus ac interruptus eſt; ſub quo ſæpius oculi convelli deprehenduntur, & non niſi album oſtendunt cavum: appetentia pro morboſæ conſtitutionis ratione ſatis vegeta, nullaque cibos concoctu faciliores aſſumtos ſequitur moleſtia; neque ea, quæ olim, urget ſitis, ut hinc ſub epulis non niſi dimidiam vini rhenani aquis Schwalbacenſibus permixti menſuram, mane vero duo infuſi Theébois vaſcula haurire ſueverit. Spirandi quædam vexat anguſtia; at tranſpiratio integra ac alvus cum flatuum excretione libera quotidie ſuo fungitur officio, & ſi ſegnior fuerit, ſuppoſitoriis promoveri ſolet. Pulſus obſervatur validus, ſemper æqualis, in affecto latere paulo debilior, & plerumque juſto celerior: urina fertur ſatis ſufficienti quantitate, colore ſanorum ſimili, conſiſtentia craſſa turbidaque, & non ſolum tartareum ſabuloſumque deponit ſedimentum; ſed etiam haud ita pridem quoſdam calculos ſemen milii magnitudine referentes, unumque rubicundum piſo majorem abſque omni fere dolore ex ſiniſtro rene delapſum ſecum duxit.

Ipſe æger noviſſimis maxime abhinc annis inſigni nervoſi generis debilitate laborat, & ſub præſenti præcipue ægritudine eximia præcordiorum anxietate, tantoque languore & virium defectu ſollicitatur, ut extra lectum commorari nequeat, memoriæque ſimul imbecillitatem ſentiat: imus venter macie confectus, caput autem integrum, oculique videntur vivaciſſimi. Quæ cum ita ſint, & nulla valetudinis affulgeat ſpes; ulterius efflagitatur conſilium, & præcipue in quæſtionem venit: An ex uſu mineralium aquarum, maxime Amaſianarum, quas ordinarius medicus maximopere diſſuadet, aliquod mali expectari queat allevamentum?

*Conſilium.*

Quæ mihi ulterius de graviſſima viri excellentiſſimi de P. ægritudine & commendatorum in illa medicamentorum effectu perſcripta ſunt, ut meam de ea penitus expugnanda mentem exponam, in ea, quam priori conſultatione explicavi ſententia, me omnino confirmarunt, quod ſcilicet ob nervoſi generis ſummam imbecillitatem, humorumque vitalium univerſalem corruptionem, & confirmatam valde ægrotantis ætatem ex medicamentorum uſu nulla mali exſtirpatio ſit expectanda; ſed omnem curationis nervum eo intendere oporteat, ut vita ſolummodo, quantum poſſibile, diutius protrahatur. Omne enim ventriculi robur, & concoctricem vim inſigniter vitiatam eſſe arbitror: unde non ſolum lactis ſerum fuit inimicum; verum etiam ex hoc ipſo primarum viarum vitio, & crudorum ſuccorum colluvie malum rheumatico-arthriticum, & exinde per metaſtaſin aſthma convulſivum & veho-

vehementes dextri pedis ſpaſmi ſuos mutuantur natales. Hanc quoque ob rationem in id ſummo incumbendum erit ſtudio, ut corpus à ſordibus purgetur, tranſpiratio promoveatur, nervorumque corroboretur genus: quibus ſcopis obtinendis meum conſilium à medicis ægro præſentibus & eruditione & experientia clariſſimis altetius dijudicandum in medium paucis proferam. Ante omnia igitur hactenus conſuetum vini rhenani aquis Schwalbacenſibus permixti potum abolere convenit; quoniam, ne ſpirituoſæ vini aquæque partes capiti nervisque inimicæ ſint, valde timeo; & omnes minerales aquas hemiplecticis affectibus, niſi forte ad præſervandum, ob ventriculi metuendam inde debilitatem minus convenire compertum habeo; hinc quoque harum atque balneorum uſum in præſenti ægritudine minime commendo.

Potui vero ordinario decoctum ex radice chinæ, cortice ligni ſaſſafras, paſſulis & cinnamomo paratum ſubſtitui, omnemque vini potationem vitari mallem; & nervis ſtomachoque confortandis liquoris mei anodyni mineralis tribus partibus cum una balſami mei vitæ mixti 15. vel 20. guttas aſſumendas opponerem. Alvum in hiſce caſibus optime reſerabit, ſordesque evacuabit pulvis Cornachini hac parandus ratione: Recipe cremoris tartari ſcrupulos duos, antimonii diaphoretici grana decem, cinnabaris nativæ præparatæ, diagrydii ſulphurati ana grana quinque vel ſex; qui ſingulis quatuor diebus capiatur. Tranſpirationi vero promovendæ hic pulvis veſperi ſub lecti introitum reliquis diebus aſſumtus erit convenientiſſimus: Recipe cornu cervi uſti drachmam ſemis, antimonii diaphoretici, cinnabaris ana grana ſex, extracti croci & caſtorei ana granum ſemis: ſequentique mane infuſum Theebois cum citri corticibus paratum ſorbillandum eſt. Neque minus abs re erit, ſanguinem quandoque è vena mittere, aut hirudines ad anum adplicare: & ad cervicem dorſique ſpinam inungendam hoc nervinum commendarem unguentum: Recipe axungiæ humanæ unciam unam, olei nuciſtæ expreſſi unciam dimidiam, olei rutæ, roris marini, majoranæ, lavendulæ ana guttas XX. balſami peruviani drachmas duas. M. Nec denique alienum erit, juſcula tenuiora gallinacea cum radice cichorei graminiſque confecta, & ſucco citri aut aurantiorum permixta largiter ſorbere: quæ conſilia languorum ſummus medicus non ſinat eſſe irrita, ex animo precor.

---

## CASUS XXII.

### *De paralyſi dextri lateris.*

VIr annorum 48. temperamenti cholerico-ſanguinei, vivaci vultu, multoque ſanguine præditus, cum aliquando judicio intereſſet conſiſtoriali, in eoque procul dubio quadam mentis commotione excandeſceret: accidit ut præter omnium opinionem apoplectico raperetur inſultu; quo ab imis partibus aſpirante primum pes dexter, dein quoque brachium, maxillaque illius lateris reſolvebantur, omnique movendi potentia deſtituebantur; &, ratione quidem integra, ſermonis impedimentum, ſomnique per ſex hebdomades defectus jungebantur. Inſtituta equidem ſex circiter ante hanc acceſſionem ſeptimanis fuerat venæ ſectio; attamen hujus æque ac ſcarificationis uſum inſuper habuerat, & inordinate adminiſtraverat. Conſulti ergo & celebris Jenenſium medicus W. & ordinarii civitatis medici protinus in lateris affecti pede venam ſecari juſſerunt; variiſque in & externis remediis ægrum eo perduxerunt, ut poſt 4. ſeptimanas ſermonis, motuſque pedis aliquam recuperaverit potentiam. Tum præterlapſis 9. hebdomadibus Tœplicenſes adiit fontes, iiſque per integrum menſem uſus non niſi majus pedis reſoluti robur obtinuit: reverſus ex dato emetico novies vomuit, neque ullam aciditatem reddidit; non minus venam ſecari, biſque ſcarificari curavit, & abhinc tres manus dextræ digitos movere valuit. Jam ea illius eſt conditio, ut in planis equidem locis fulcro innixus lentis incedere queat paſſibus, ſomno fruatur pauco, cibis veſcatur parciſſimis, & ſermonis, quamvis maxillæ vitio aliquantulum adhuc præpediti, majori tamen, quam olim gaudeat libertate: at enim vero dextrum brachium manumque prorſus movere nequit; quid? quod à prima morbi acceſſione hucuſque artus affecti lateris tam ſuperiores, quam inferiores gravis ſemper adfecerit ſpaſmus, adeo ut per novem aliquando dies digiti præcipue pertinaci rigore fuerint detenti; & hæ diſtentiones jam integri quoque lateris manum corripere minentur, quæ noctu & rigore & ponderis ſenſu occupatur. His denique & dextri pedis uſque ad taleolos intumeſcentia, & hæc noviſſime ſupervenit moleſtia, ut ſub quacunque pedis quiete nerveæ dextri poplitis partes admodum obrigeſcant, ut vix pedi inniti valeat.

### *Conſultatio.*

Dextri lateris reſolutionem, de qua in tranſmiſſis litteris agitur, nimiæ abundantiæ ſanguinis, ob inſignem mentis commotionem magna vi ad caput compulſi natales ſuos debere, extra omne poſitum eſſe credo dubium. Quandocunque enim ille ad caput raptus, ibidemque ſtagnans cruor per vaſorum poros ſubtile dimittit ſerum, illudque vi ſuæ gravitatis ad principium medullæ ſpinalis vel dextri vel ſiniſtri lateris decumbit: fit inde, ut hi ſtagnantes humores fluidi, quod nervi cerebrumque continent ſubtiliſſimi influxum in partes dextri lateris remorentur, & harum partium vigorem, agilitatem atque motum impediant. Tum vero, quod pauci medicorum attendunt, ipſa hujus lateris viſcera, maxime hepar, ventriculus ac inteſtina in morbi conſenſum rapiuntur, & ob multos, quos ab intercoſtalibus nervis mutuantur, ramos tono atque robore ſuo dejiciuntur; ut ideo haud rara mihi occurrerint exempla, quod in paralyticis morte defunctis hepar inſignem retulerit magnitudinem. Ex hac demum toni deſtructione humorum circulus mirifice impeditur, tranſpiratio non minus ac nutritio læduntur, cruor ipſe hinc inde, maxime in manibus pedibuſve ſtagnat, hiſque partibus torporem, gravitatem, & motus contractorios vermiculares inducit, quos exprimunt; *Die Hände ſchlaffen mir ein.* Quum autem hæcce ſeri ad radicem & principium nervorum ſtagnatio & extravaſatio difficillime ſe removeri patiatur; quoniam non ſolum medicamentorum effectus ob partes eas ſanguine atque calore privatas redditur irritus, verum etiam ipſæ nervoſarum partium membranæ ex longiori mora labefactantur: facile conjici poteſt, hoſce morbos valde rebelles exiſtere atque diuturnos.

Hinc ſi curandi rationem diſpiciamus; illa partim ob morbi pertinaciam chronica ac difficilior obſervatur; partim etiam ipſa ægrotantium culpa impediri ſolet, quippe qui ob temporis diuturnitatem redduntur impatientes, ut incerti modo his modo illis medicinis, modo hoc modo illo utantur medico,

medico, eaque varietate & ſæpius intempeſtivo remediorum uſu, ventriculi, aliarumque partium robur magis magiſque peſſumdant. Ut itaque candide meam de curatione exponam mentem; ante omnia conſulo, ut à ſanguinis miſſionibus (quæ in morbi duntaxat principiis & ſcopo magis præſervatorio utilitatem ſuam præſtant) purgantibus, vomitoriis, calidioribus diaphoreticis, volatilibus, ambratis, moſchatis, caſtorinis & maxime opiatis ſtudio abſtineat æger medicamentis. Thermæ atque acidulæ majus minantur damnum, quam emolumentum; nec balnea, utut nervina ſufficiunt: contra vero convenientiſſimum erit, ea duntaxat adhibere medicamina, quæ balſamica, roborante & ſpirituaſcentiam chylo, lymphæ & ſanguini reddendi pollent virtute; quorum tamen uſus, licet haud ſtatim voto reſpondeat, non interrumpendus, ſed ad aliquot menſes protrahendus eſt, ut partim ſucci vitales corrigantur, fluxilioreſque fiant, partim debilitatis partibus priſtinum reſtituatur robur.

Quamobrem hiſce ſcopis apprime convenientem tranſmitto ſpiritum quendam balſamicum, cujus XXX. guttæ mane ex aqua vino permixta capiendæ, inſuperque quædam infuſi Thée, Coffeé aut meliſſæ cum ſalvia vaſcula hauriantur: id quod ſi adhuc intra lectum fiat, & lenis ſudor expectetur, majorem præſtabit utilitatem; præſertim ſi hora 5ta veſpertina iterum viginti hujus ſpiritus guttulæ ex eodem aſſumantur vehiculo. Deinde vero non minus operam exſeret egregiam tinctura aurantiorum ſub prandio LX. guttis, totidemque non nunquam veſperi haurienda; & denique præſtantiſſimus erit hic pulvis, alternis diebus ſub lecti introitum ad drachmæ pondus devorandus: Recipe lapidum cancrorum, cornu cervi ſine igne præparati, antimonii diaphoretici, corticis caſcarillæ, chinæ, ſuccini præparati ana drachmas duas, olei cinnamomi, macis ana guttas octo, miſce f. pulvis d. ſ. *Stärckendes Pulver.* Inter externa ſubſidia operæ erit pretium partim extremas partes pannis aſperis ad calorem uſque & rubedinem fricare, partim ſpinam dorſi, maxime juncturas manuum pedumque, & horum plantas linimento ex ſpiritus roſarum unciis quatuor, olei lavendulæ uncia ſemis, olei deſtillati nuciſtæ drachmis duabus, axungiæ humanæ unciis duabus, ſpiritus ſalis ammoniaci uncia dimidia parato ſedulo inungere.

Quum denique victus ratio, & præcipue illi potus, qui nec caput onerant, nec acorem fermentatum ventriculo inducunt, reliquam curationem mirifice adjuvant; huic ſcopo decoctum hordei cum maſtiche & cinnamomo paratum, & inter epulas hauſtum vini generoſi Anglicani, quod ſect vocant, commendo.

Ceterum ab omni reliquorum vinorum, ſpirituoſorum, Tabaci, acidorum ciborum, lacticiniorum, & quicunque flatus gignunt & alvi obſtructiones, uſu penitus abſtinere convenit: neque minus ab animi commotionibus, & nimiis laboribus ac meditationibus maximopere cavere oportet.

---

## CASUS XXIII.

### *De paralyſi ſiniſtri lateris.*

Vir quidam cœlebs integra ceteroquin ſanitate gaviſus, per noviſſimum quinquennium membrorum debilitate capitiſque dolore ſolicitatus, hiſce moleſtiis & Wolckenſteinenſes ſemel, & Carolinas bis oppoſuit acidulas, earumque magis per urinam quam alvum expertus fuit operationem. Tum ab empyrico quodam datam tincturam per novem menſes uſurpavit, & exinde alternis diebus largos ſuſtinuit ſudores: cum autem & artuum, maxime ſiniſtri lateris languores, & capitis dolores magis magiſque increviſſent, illius uſum omiſit; & auctis in dies ſymptomatibus, ac alvi pertinaci obſtructione accedente, non niſi ſemel circiter intra 4. aut 8. dies laborioſa & difficili ſcybalorum expreſſione reſerata, ordinarii conſilium imploravit medici. Putavit ille omnia organa chyli ſecretioni dicata ſpiſſis, viſcidis, acidiſque recrementis eſſe obturata; hinc tenuiorum ſuccorum ſeparationem, & ad partes affectas progreſſum impediri: inde vero non ſolum totum corpus debilitari, ac obeundis functionibus impar reddi; verum etiam omnia ſymptomata ex abundantia viſcidorum, defectu autem ſpirituoſorum humorum derivanda eſſe aſſeruit. Oppugnavit hæc quoque vitia ea curatione, qua ægro matutino & meridiano tempore infuſum Theébois ſorbillare, prandio liberaliori, cœna parciori, & ſub epulis loco potus ordinarii decocto ex radice liquiritiæ & ſcorzoneræ parato uti licuit: bis quotidie hunc dedit pulverem: Recipe antimonii diaphoretici, matris perlarum, ſuccini, coralliorum rubrorum, eboris ana drachmam, gummi benzoës drachmam ſemis, corticum aurantiorum, macis ana ſcrupulum unum cum dimidio. M. d. Veſperi quoque harum pilularum binas propinavit: Recipe extracti hellebori nigri drachmam unam, reſinæ jalappæ ſcrupulos duos, mercurii dulcis drachmam unam, gummi benzoës ſcrupulos duos, croci, macis ana ſcrupulum unum, gummi ammoniaci in vino albo cocti q. ſ. m. f. pilulæ, quæ ſequenti die bis alvum moverunt. His per aliquot dies uſurpatis, iiſque præparatis humoribus aſſumſit quandoque pulverem ex ſulphuris antimonii, & mercurii dulcis ana quindecim granis, qui ſemper binos pituitæ viſcidæ excitavit vomitus, & ventrem ſexies ſubduxit; tum quoque quavis hebdomade interpoſuit uſum elixirii ex radice enulæ, aſari, hellebori nigri, jalappæ, liquiritiæ, ſemine aniſi, coriandri, juniperi, corticibus aurantiorum, mace & paſſulis minoribus compoſiti, & exinde duas vel quatuor habuit ſedes.

Quamvis igitur hiſce medicaminibus inſignis pituitæ copia fuerit evacuata: tantum tamen aberat, ut remitterent inde ſymptomata, ut potius membrorum languor magis magiſque ingraveſceret, & ipſa lingua intumeſceret: quid? quod proximo Decembri menſe convulſivæ muſculorum faciei agitationes acceſſerint, quæ tamen haud redierunt amplius. Ceterum ciborum appetentia integra, ſomnoque ſatis placido fruitur: capitis vero eximii urgent dolores, & tanta corporis imbecillitas, ut ſi in terram ipſum proſterni contingat, ipſe ſolus ſe ſublevare haud valeat. Quare jam potiſſimum doceri avet, num noviſſimi medici medendi ratio legibus artis reſponderit; dein ea ſibi proponi anhelat remedia, quæ nimio internarum partium muco expellendo ſint idonea, & denique ſcire cupit, num ex uſu aquarum Sedlicenſium, aut Carolinarum mali levamen expectari queat; anne potius venæ ſectio, quam non minus ac largiores ſudationes, ne ſpirituoſas & fluidiores corpori detrahant partes, præſens medicus maximopere diſſuadet, aliquam ſpondere valeant mali ſolutionem?

*Conſilium.*

Pervenerunt equidem ad manus meas litteræ, in quibus excellentiſſimi Comitis de S. G. adverſa traditur valetudo, meaque ad illam debellandam deſideratur ſententia: doleo autem hiſtoriam morbi adeo fuiſſe mancam, ut primaria momenta & ipſum morbum & ægrotantis indolem ſignificantia fuerint omiſſa. Hinc quantum ex nuntii ore percepi, perilluſtris æger, annos XL. natus, temperaturæ ſanguineæ ac robuſtæ conſtitutionis octo circiter abhinc annis gravi lapſu ab equo præcipitatus, exinde debilitate lateris, maxime brachii ſiniſtri laboravit inſigni, ut nec manu quid tenere, nec illam ad caput elevare valuerit. Contra hoc malum ex conſilio empyrici cujuſdam tinctura ſic dicta ſolis pugnavit, & ex illa per 9. integros menſes aſſiduo maduit ſudore; nihilque effecit, niſi quod membrorum imbecillitas, capitiſque ac dorſi dolores majus incrementum ſumſerint, & inſuper pertinax alvi obſtructio acceſſerit. Hinc alterum vocari juſſit medicum, qui organa chyli ſecretioni dicata ſordibus mucidis, viſcidiſque infarcta ratus, illaque reſoluturus mane infuſum Theébois, & loco ordinarii potus decoctum quoddam potari juſſit; à meridie pulverem præcipitantem & aromaticum, veſperi pilulas purgantes cum extracto hellebori nigri, reſina jalappæ & mercurio dulci permixtas per aliquot ſucceſſive dies propinavit; tum pulverem ex ſulphuris antimonii & mercurii dulcis XV. granis quater, interpoſitis ſemper aliquot diebus, & denique quavis hebdomade elixir purgans exhibuit. Quæ medicamina quamvis multum pituitæ evacuaverint, tantum tamen abſuit, ut ipſi malo ſuppetias tulerint, ut potius languor membrorum magis magiſque invaluerit, lingua intumuerit, & ipſa convulſionum primordia ſupervenerint.

Hinc itaque in quæſtionem venit: num hæ medendi rationes legibus artis reſpondeant? Quod ſi prioris medici curationem intueamur, illa omni modo rejicienda atque damnanda eſt: ille enim copioſiſſimis ſudationibus per novem menſes medicamine ſuo provocatis laudabiles corporis ſuccos evacuavit, humores nimium exagitavit, & ſordes per alvum eliminandas intra ſanguineam maſſam rapuit; quæ nervis jam labefactatis inſidentes, eos debilitarunt magis, & inteſtinis hiſce ſudoribus fere exſiccatis, alvi pertinacem induxerunt obſtructionem, hinc morbum omnem magis reddiderunt confirmatum. Illa autem, quæ alter medicus ordinavit, medicamina in ſe conſiderata haud contemnenda ſunt, & aliis ſubjectis, morborumque cauſis prudenter, tempeſtive & debita doſi oppoſita inſigne producere valent emolumentum. Verum enim vero hoc in caſu erraſſe mihi videtur, quod omnem morbi & languoris cauſſam in nimio muco, lymphatica chyliferaque vaſa obſtruente ſitam eſſe arbitratus, hunc purgantibus, vomitoriis, fortioribuſque remediis, quale ſulphur antimonii & datæ pilulæ ſunt, per alvum, vomitumque exturbare tentaverit. Hæc enim medicamina, maxime mercurius dulcis & ſulphur antimonii tanta doſi exhibita ventriculum, & univerſum nervorum genus inſigniter adfecerunt, ſtimularunt & ad ſtricturas proritarunt; præcipue vero mercurius dulcis majorem lymphæ & ſalivæ ad os atque fauces concitavit affluxum: ut ideo haud mirari oporteat, quoſdam apoplexiæ & convulſionum acceſſiſſe prodromos, & ipſam intumuiſſe linguam.

Quare ſi ad alteram quæſtionem: qua ſcilicet ratione ſuperfluus ille mucus eliminari queat? reſpondeam; monendum prius eſt, morbum præſentem minime ſoli humorum dyſcraſiæ ſuos debere natales, & ex uſu vomitoriorum, purgantium, ſudoriferorum, vel plane ſalivantium, quæ fluxiliores humorum partes magis magiſque expellunt, longe deteriorem reddi ac intricatiorem. Contra vero omne morbi fundamentum in nervorum lateris ſiniſtri nimia debilitate, & robore ob fluidi lymphatici ſpirituoſi defectum deſtructo ſitam eſſe exiſtimo; hinc quoque ea commendo remedia, quæ partim huic robori reſtituendo, partim ſuccis laudabilibus generandis ſunt idonea; & ab omnibus, quæ hoſce ſuccos magis evacuant, valde dehortor.

Neque vero arridet mihi, quod in noviſſima curatione ægro ſanguine turgido, & ejus miſſionibus adſueto, venæ ſectio fuerit interdicta, & hinc per cruorem in debilitatis vaſis accumulatum major inducta imbecillitas; nec denique placet, quod externa remedia, uti balnea vaporoſa ex herbis appropriatis, linimenta temperate ſpirituoſa & balſamica, nec non frictiones fuerint intermiſſa.

Tertiæ quæſtioni: num è re foret Sedlicenſes huic morbo opponere aquas? non niſi negativam reddere poſſum reſponſionem: quippe quæ nimis evacuant, & inteſtina exſiccant, quæ in noſtro ægro ſatis exſiccata ſunt. Contra vero ad quartam: an potius venæ ſectio ſit proficua? eam omnino commendo proximo vere in pede inſtituendam, & ſex circiter ſanguinis uncias emittendas: pulſum enim ſatis magnum fore credo, & cum ob ſanguineam temperaturam, ciborum integram adpetentiam, corporis autem exercitii defectum cruor magis magiſque accumulatur & ſpiſſeſcit, metuo ne exitus nulla via data, ille ad caput compulſus aliquando inducat apoplexiam. Illo vero tempore, quo vena ſecatur, maxime à frigore cavendum, & non niſi cibis mollioribus ac concoctu facilioribus veſcendum erit.

Ut autem de ulteriori curatione mentem meam explicem, difficillimum fore credo, ut Perilluſtris æger à malo ſuo & vetuſtate & perverſis medicationibus fere corrupto penitus vindicetur. Præſertim nimia remediorum farrago nihil certe præſtabit, neque vero acria, calida, ſudorifera atque purgantia ullum pollicentur allevamentum: ſed omnis potius cura eo eſt intendenda, ut partim nervi roborentur, partim laudabilis generetur chylus. Hiſce ſcopis obtinendis duo potiſſimum commendo medicamina, nimirum Elixir meum balſamicum poſt epulas 50. guttis capiendum, & pulverem temperantem ac nervinum, cujus quantum duo cultri cuſpides tenent, veſperi ex aqua ceraſorum nigrorum aſſumendum eſt. Alvi libertas una cum dimidia mannæ uncia in infuſo Theébois ſemel quavis hebdomade devorata eſt conſervanda: mane infuſum calidum ex herbis nervinis hauriendum; & loco potus ordinarii decoctum Scorzoneræ adhibendum, cui quandoque hauſtus vini Hungarici vel Rhenani interponi poterit. Inter externa vero balſamus meus vitæ mane ac veſperi juncturis pedum manuumque inunctus egregiam conferet utilitatem. Quæ ſi malo debellando haud ſuffecerint; ad balnea denique ſulphurata, quæ Tœplicenſes ſcaturiunt fontes, recurrendum, & internus Sedlicenſium aquarum uſus conjungendus: quibus divinum apprecor auxilium.

## CASUS XXIV.

### *De paralyſi cum purpura.*

VIr cœlebs triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici pridie Iduum Auguſti anni præterlapſi, cum paternas celebraret exequias, ſubito in dextri lateris reſolutionem incidit quandam, ut nec pedem nec manum movere valeret: quæ primum levior ſucceſſiva partium inflatione invaluit, ac trium dierum ſpatio perfecta reddebatur. Verum enim vero, cum affecta membra movundi quidem potentia deſtituta, ſenſum tamen obſcurum retinuiſſent, judicavi hanc leviorem ſolummodo & ſcorbuticam fore paralyſin. Hinc ægro ſumma humorum abundantia turgido protinus in ſiniſtro brachio venam tundi, & octo cruoris uncias detrahi juſſi: reſolutum brachium pedemque, omni calore privata, calidioribus pannis, & mixtura ex ſpiritu formicarum, lumbricorum terreſtrium, ſpiritu cochleariæ, ſerpilli, roriſmarini, ſpiritu ſalis ammoniaci, caſtoreo & camphora parata fricari; ſpinam dorſi, cervicem, juncturaſque unguento nervino & martiato ex oleis deſtillatis ſalviæ, anthos, ſuccini &c. compoſito calide inungi, & denique linteis, gummi anima fumigatis foveri curavi. Linguæ ſuppoſui caſtoreum, vel balſamum apoplecticum Cellenſe vel elæoſacharum aniſi; nec minus mithridatium ac herbam roriſmarini maſticari ac ſub lingua detineri imperavi; & loquela nondum redeunte venarum raninarum ſectionem ordinavi ac congrua adplicui gargariſmata. Nec interna medicamina cephalica, nervina, antiſpaſmodica, confortantia, aperientia, abſorbentia, temperantia, cinnabarina & antiſcorbutica temperata fuerunt omiſſa; ſed propinata potius eſſentia caſtorei, ſuccini, croci, ſpiritus ſalis ammoniaci aromatiſatus, ſpiritus balſamicus N. eſſentia ligni aloes, tinctura antimonii tartariſata, balſamus vitæ Hoffmanni, apoplecticus Cellenſis, eſſentia dulcis Hallenſium, pulvis cephalicus Michaëlis, pulvis nervinus N. elæoſacharum confortans N. pulveres abſorbentes cum cinnabari juncti &c.

Quum præterea frequentes acidi & auſteri ructus, flatus & borborygmi primarum viarum acidam viſcidamque indicarent ſaburram, & æger ad iram eſſet facillimus: propinavi ipſi leve ex tartaro emetico vomitorium, & ſub epulis eſſentiam carminativam Wedelii, aut corticum aurantiorum cum ſpiritu nitri dulci capiendam exhibui: nec minus ob alvi profluvium ſponte obortum pilulas Becheri balſamicas per quoſdam ſucceſſive dies dedi. Neque irrita fuit hæc medicatio; ſiquidem paulatim adeo remiſit morbus, ut æger & loquendi & manum commode movendi & ambulandi recuperaverit potentiam, niſi quod adhuc paululum claudicaret nec digitos pedum movere poſſet, nec in his ac manuum extremis perfectam haberet ſenſationem. Verum enim vero cum proxime elapſo die S. Martino ſacro in publicum iterum proditurus & ſuborto in vicinia incendio vehementi terrore percelleretur, & ſimul multæ indulgeret iracundiæ: accidit, ut animi crebris deliquiis, temulentia atque dolore capitis, ſuſurru, tinnituque aurium, inquietudine & aſſiduis per aliquot nycthemera corriperetur vigiliis, & tandem purpurea dextrum brachium occuparet efflorescentia; quæ datis juxta naturæ motus & expellentibus & corrigentibus humores mox quoque dextrum pedem, tum collum faciemque & denique abdomen ſiniſtrique lateris artus ſucceſſive obſedit. Pectus autem diu immune manſit, & poſt puncturas, ardores & inſignes anxietates demum maculis ſcorbuticis, oboli magnitudinem referentibus cingebatur. Hæc excretio per anni quadrantem ægro inhæſit, & mox uno loco evanuit, mox altero iterum erupit; quam eruptionem ſæpius frigus, calor volaticus, aurium ſuſurrus tinnituſque, puncturæ pectus & dextrum hypochondrium occupantes comitabantur. Maxime quadam vertiginis ſpecie ſolicitatur, qua quidem objecta in gyrum moveri ipſi non videbantur, ſed matutino præſertim tempore paulatim corripiebatur, & temulentus quaſi uſque ad meridiem reddebatur. Pulſus tempore acceſſionis valde debilis, & fere ſuppreſſus vix percipi poteſt: urina mingitur rubicunda, mox ſpiſſa, largoque ſedimento conſpicua, mox matulæ lateribus adhærens, & bullulis diu durantibus obſeſſa.

Quum itaque ex hiſce ſignis & ſymptomatibus ſummam humorum & abundantiam & dyſcraſiam, cerebri nervorumque imbecillitatem, ſanguinis ad caput & pectus congeſtiones & ſtagnationes, nec non partium nervoſarum vellicationes judicarem; ea quidem omnia congruis medicinis, venæ ſectione ac ſcarificationibus oppugnavi; nondum vero debellare potui. Hujus equidem curandi difficultatis principalem cauſſam in calido nimis regimine, quo æger ex ſuaſu alterius medici me invito uſus erat, omnino ſitam eſſe arbitror: non enim ſolum nocte dieque inſigniter calefactum eſt cubile, ipſe lectus prope fornacem poſitus,ægerque pellitis veſtimentis, multiſque integumentis atque ſtragulis obruebatur; verum etiam ad expellendam purpuram roob ſambuci, aliaſque calidiores aſſumſit medicinas, & hinc aſſiduis maduit ſudoribus. Jam autem Tuo, vir illuſtris, judicio relinquo, numne hoc calidum regimen majores omnino ſanguinis ebullitiones, & ad caput, pectus, aliaſque partes congeſtiones induxerit? anne his continuis ſudationibus laudabiles ſucci evacuati, & ſpiſſi, acres, ſtagnanteſque humores intra corpus relicti fuerint? & denique numne ea medicatione naturæ motus magis perturbati, crebrior purpuræ efflorescentia proritata, ac reliqua ſymptomata excitata ſint? Nec denique exiguum dictæ ſanguinis dyſcraſiæ & ſcorbuto, gingivarum potiſſimum cruentatione manifeſto, augmentum vita ſub hac ægritudine ſine motu deſes, copioſus ſomnus, & larga ciborum adpetentia & ingurgitatio dediſſe videntur. Quæ cum ita ſint, commendavi ægro aquarum Sedlicenſium, in purpura chronica ac dyſcraſia ſanguinis præſtantiſſimarum uſum: quas quoque per ſeptem dies potavit, adeo, ut iis per quatuor continuos dies, adhibitis, ſequentibus binis diebus ſuperſediſſet, & denique per triduum iterum bibiſſet. At vero licet hæ aquæ alvum optime ſubduxerint; tantum tamen abfuit, ut ægro levamen attulerint, ut potius vertigo magis invaluerit, frigus, calorque acceſſerint, in digitis manus pediſque dextri formicationem ſenſerit, & puncturas pectoris ac dextri hypochondrii majores perceperit. Ultimis quoque, cum dictis uteretur aquis, diebus imus venter tumidus adparuit & gelidus, & nova purpuræ in pectore ſequebatur eruptio: ut hinc ab uſu aquarum deſiſteretur. Hic abdominis vero tumor & algor huc uſque inhæſit, & eximia extremarum partium refrigeratione ſtipatur, adeo ut media hac æſtate cubile debeat caleferi, & nihilo ſecius totum corpus gelido fere diffluat ſudore. Urgent inſuper perpetua capitis temu-

temulentia, torpor, aurium tinnitus, cordis palpitatio, flatulentia, ructus, crebræ oſcitationes & vagæ corporis punctura: urina redditur pauca cum inſigni ardore rubicunda, quæ mora temporis ſæpius turbida fit atque limoſa, cuticula obſidetur, multiſque bullulis. Quamobrem efflagitat tuum, vir Illuſtris, de ſua ægritudine conſilium & medendi rationem; nec minus doceri cupit, num fontes Lauchſtadienſes ipſi in hac paralyſi & purpura chronica ſint profuturi?

*Conſultatio.*

Ex tranſmiſſa morbi hiſtoria ægrotantem duplici malo, nimirum paralyſi & purpura ſcorbutica exerceri intellexi: quod jam radicatum cum non minus fluidas, ac ſolidas partes, maxime nervoſum genus inſigniter debilitavit; arduum omnino videtur, ut penitus exſtirpetur, ſaltem diuturnum ac providum remediorum uſum expoſcet. Neque vero contra paralyſeos curationem habeo quod moneam; at purpuræ per tam calida ac expellentia remedia, & regimen externum valde æſtuoſum tractationem nullo modo approbare poſſum: inde enim factum eſt, ut ſalibus humorum ſcorbuticis acrioribus redditis, magiſque commotis, non ſolum omnia increverint ſymptomata, verum præcipue ob auctos ſpaſmos frigus & calor extremarum partium acceſſerint, corpuſque exſiccatum & vires proſtratæ fuerint. Nec quoque Sedlicenſium aquarum tanta quantitate per ſeptem dies protractæ potationi ſubſcribo; quippe quæ multa ſecum vehunt ſalia, iiſque partim adaugent humorum dyſcraſiam, partim morbificam materiam à corporis ſuperficie ad interiora, maxime inteſtina repellunt. Hinc etiam eas in ſcriptis meis ad ipſam purpuram præſentem nunquam commendavi; licet ad hanc præſervandam ſint utiliſſimæ: huc potius quadrant Selteranæ acidulæ, quas etiam binis partibus cum una lactis caprini mixtas præſenti morbo convenientiſſimas fore judico; &, ſi arriſerint ægro, modum illis utendi proxime tranſcribam. Namque ſolus pharmacorum uſus in hoc tam corrupto morbo haud omnino ſufficiet: inter quæ tamen inſignem ſpondet utilitatem hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias quatuor, chinæ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, radicis cichorei, liquiritiæ ana unciam unam & ſemis, ſeminis fœniculi drachmas tres. Cont. conc. m. d. f. ſpecies, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquantur, idque decoctum mane tepidum inſtar infuſi Theé, & per diem loco potus ordinarii bibatur. Deinde vero in hiſce affectibus præter temperatum lecti atque hypocauſti calorem eximii uſus deprehendi liquorem meum anodynum XL. guttis, & pulverem meum bezoardicum pondere drachmæ dimidiæ bis quotidie ex prælaudato decocto alternatim ſumenda; quippe quæ remedia & ſpaſmos mitigant, & materiæ peccantis acrimoniam contemperant, & denique lenem promovent tranſpirationem. Ceterum præſenti ægrotantis conſtitutioni, cum valde ſit debilitatus, balnea Lauchſtadienſia minus congrua puto: quod ſi vero ex commendatis medicinis melius, uti ſpero, habere cœperit, tunc eorum uſum haud diſſuadeo.

---

## CASUS XXV.

*De affectu paralytico.*

VIr aliquot ſupra quinquaginta annos natus, temperamenti ſanguinei, habitus corporis plethorici, carnoſi & obeſi, vitæ ſedentariæ, in juventute ſua affectibus catarrhalibus capitis ſæpius obnoxius, ceterum bene valens, coloreque faciei rubicundo præditus. III. Cal. Oct. horis matutinis (cum antecedentibus non minus diebus, quam proxima nocte optime ſe habuiſſet) derepente debilitate quadam pedis, maxime genu ſiniſtri corripitur adeo, ut niſi aliorum ope ſuffultus, ambulare non poſſet. Tranſiit autem brevi tempore hic affectus; epulas meridianas bene aſſumſit, noctemque inſequutam tranſegit ſatis tranquillam. Advocatus ego ſequenti die cum venam poſt æquinoctium autumnale more ſolito inciſam non ſatis fudiſſe cruoris intelligerem, eam in dextro brachio iterum ſecandam, & octo ſanguinis, qui erat floridus, uncias detrahendas curavi: interne horis matutinis & pomeridianis eſſentiam diapnoicam & nervinam; veſperi & per noctem pulveres temperantes cinnabarinos cum aquis deſtillatis appropriatis propinavi; externe vero pedem affectum ſpiritibus formicarum, ſerpilli, & aliis nervinis, oleo ſuccini & balſamo vitæ Hoffmanni imbutis inungi juſſi. Adparuit equidem in utroque, maxime vero ſiniſtro pede aliqualis tumor; nihilo tamen ſecius poſt datas medicinas æger ſatis bene ſe habuit, cibos cum adpetitu adſumſit, ac ſatis tranquille dormiit. At XIV. Cal. Nov. vigeſimo ſcilicet primo morbi die denuo hoc eodem affectu corripiebatur, & præter pedem brachium quoque ſiniſtrum aliquali debilitate & inſenſibilitate afficiebatur; ſed adhibitis remediis temperantibus & nervinis internis & externis, poſt horulam hic inſultus plane ceſſavit. Verum enim vero VII. Cal. Nov. & vigeſimo octavo morbi die iterum rediit morbus, & relicto pede libero non ſolum brachium adfecit, ſed quoque linguam reddidit difficilem. Quamvis igitur & hæc acceſſio remediis ante dictis externis non minus quam internis intra duas horas per Dei gratiam expugnata fuerit: attamen III. Cal. Nov. trigeſimo tertio utpote morbi die non ſolum majori recruduit impetu, dum pede iterum immuni, brachium majori debilitate, lingua inſigni immobilitate atque difficultate, caput quoque magna perturbatione & denique os aliquali ad dextrum latus tortura prehendebantur; verum etiam longius & ad ſex fere horas inhæſit. Declinante hoc inſultu acceſſit conatus vomendi, quem flatuum eructatio, ac largus exceperunt ſudor: mali tamen levamen inſequutum, & tranſacta nocte paulo turbulenta, non vero plane inſomni, altero die ſatis bene valuit; pulſu gaudebat bono ac æquali, urina ſana, alvo libera, nulluſque in affecto brachio adparebat tumor: levis duntaxat brachii relinquebatur debilitas, digitorum quædam inſenſibilitas, ac ructuum aliqualis moleſtia. Quæ cum ita ſint, æger de morbi acceſſionibus partim ſæpius, partim gravius recurrentibus valde metuit, & hinc conſilium ac auxilium efflagitat. Cal. Nov. 1729.

*Reſponſio*

*Reſponſio Conſultatoria.*

Vidi ex communicata mecum morbi hiſtoria, præpoſitum cœnobii H. graves paralyticos inſultus, ex convenientium quidem medicinarum uſu ſemper depulſos, ſæpius autem recidentes toleraſſe; & ideo haud immerito timeo, ne ipſa aliquando ſuperveniat apoplexia. Quod ſi igitur ad mali cauſſam indagandam primum me accingo, neceſſarium omnino duco, ut non ſolum ad ſanguinis abundantiam generatim reſpiciamus; verum potiſſimum attendamus, numne motus occulti hæmorrhoidales ſubſint, qui cum exitu per anum deſtituantur, hac maxime anni tempeſtate magis commoveri ſolent, & vel ad primas vias tendunt, vel accedente imprimis nervoſarum partium debilitate, paralyticos utique, hemiplecticos, quin & apoplecticos producunt inſultus. Neque vero pauca ſunt, quæ hæc in noſtro ægroto ſuſpicari ſuadent: Siquidem id vel ſolum vitæ, quo in cœnobio forſitan utitur, genus innuit; quo corpus ab omni, aut ſaltem ſufficienti exercitio remotum, ac largis potius ac plerumque vinoſis enutritum alimentis, ſuperfluis non minus ac impuris imbuitur humoribus. Haud raro etiam ſerum acre ſcorbuticum hiſce recidentibus paralyticis affectionibus fundamentum præbere ſolet; quid? quod purpuracea ſæpius colluvies ſubeſſe obſervetur, quæ partim nervoſis incumbit partibus, partim liberum ſanguinis & lymphæ remoratur circuitum. Quare quæ huic malo præſervando forſan inſervient, paucis proponam, eaque ampliori præſentis medici dijudicationi relinquam.

Primum quidem venæ ſectionis ulterioris uſum haud ſuadeo, cum mihi compertum ſit, eam ſæpius repetitam malum plerumque exacerbare, illiuſque frequentioribus acceſſionibus viam ſternere: in ejus verò locum ſcarificationes ſex vel octo cucurbitulis adminiſtrandas commendo. Deinde ad alvi, licet jam liberæ, majorem reſerationem reſpiciendum erit: ſiquidem morbi radicem in primis potiſſimum viis reſidere, & ex humorum vitioſorum tam in vaſis quam canale inteſtinorum ſtagnatione flatus æque ac ſpaſmos exſurgere credo, qui ſanguinem ad partes ſuperiores maxime nervoſas magna vi compellunt. Quum autem huic ſcopo in hiſce nervorum vitiis obtinendo omnia acria, ſalina ac fortiter ſtimulantia, præprimis draſtica nunquam conveniunt, nec amaræ Sedlicenſes aquæ congruæ deprehenduntur: majorem utilitatem ex clyſteribus domeſticis ex juſculo avenaceo, floribus chamomillæ, ſemine cumini, oleo amygdalarum dulcium & ſyrupo dialtheæ Fernelii parandis, & ſemel vel bis quotidie injiciendis ſperare licebit: nec opera ludetur, ſi vel ſingulis vel alternis diebus decem pilularum Stahlianarum aut mearum balſamicarum in aqua pura decem guttis olei tartari per deliquium permixta ſolutæ veſperi aſſumentur. Tum abs re erit, liquoris mei anodyni mineralis XX. vel XXX. guttulas bis terve de die ex hauſtu aquæ fontanæ, & veſperi pulverem marchionis cum cinnabari, nitro, & aliquot extracti croci granis combinatum capere; quippe quæ medicinæ, conjuncto tepidiori regimine in ipſius purpuræ præſentia ſunt convenientiſſimæ. Omnis vero cereviſia fugienda eſt, in ejuſque locum decoctum ex hordeo, cornu cervi raſpato, radice ſcorzoneræ & cichorei paratum hauriendum, ſub epulis autem hauſtus Moſellani vini concedendus eſt. Neque minus ex uſu mihi eſt, in hiſce caſibus ab omnibus nervinis, cephalicis, & ſpirituoſis tam interne quam externe abſtinere, nec balneis fotibuſque niſi cautiſſime uti; ſed potius moderatas & ſæpius repetitas affectæ partis frictiones deprehendi præſtantiſſimas. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem reverendi ægri proponenda duxi, quæ ſummus languorum medicus fauſta reddat & proſpera, ex animo precor.

---

## CASUS XXVI.

### *De affectu paralytico Principis.*

Dediſti, vir excellentiſſime, contra ægritudinem sereniſſimi Principis A. D. ante aliquot hebdomades, hoc cujus copiam ſimul tranſmitto, conſilium; cujus valetudo cum & mihi concredita fuerit, ac à ſereniſſimo parente injunctum, ut Tecum ulterius communicarem: haud potui, quin curatius omnia morbi momenta perſcrutarer, eorumque duo potiſſimum, quæ in priori relatione ſunt prætermiſſa, tibi ſignificarem. Suevit nimirum tenellulus princeps in cunis & largo ſudore perfundi, & copioſiſſimum reddere lotium; quas excretiones inſuper habuit minus provida nutrix, eumque ſudore æque ac urina madidum frigido aëri ad apertas feneſtras expoſuit. Hæc altera miniſtra graviter advertens emendare quidem ſtuduit, madidumque corpus ſiccioribus veſtimentis indui curavit; non tamen impedire potuit, quo minus princeps eadem veſpera in largius alvi profluvium, & paralyticum inciderit affectum.

Dein quoque motus convulſivos, qui in priori relatione morbo dediſſe natales dicuntur, pro illius cauſa declarare non poſſum: cum nullum eorum unquam ſe exſeruit veſtigium, & princeps, quem natura vegeto hilarique donavit animo, expergefactus optime ſemper valuit; niſi forte huc referre velis, quod quandoque ſub ſomno manum pedemque ſiniſtri lateris agitaverit. At vero hæ motitationes partim ex tranſpiratione impedita, & hinc turbato humorum motu, partim ex terribili ſub inſomniis idea originem trahere, & non minus infantibus per omnia ſanis, quam adultioribus abſque malo omine contingere obſervantur. Quod ſi etiam ad dentium, quorum hoc tempore quatuor in noſtro adparuerunt, eruptionem reſpicere vellemus; haud quidem negandum, quin hæc excretio in plurimis infantibus vel diarrhœa, tanquam ſalutari criſi, vel motibus convulſivis ac epilepticis ſtipari ſoleat: attamen rariſſimi deprehenduntur caſus, quod hæc dentitionis ſymptomata paralyticum reliquerint affectum. Contra vero & ratio & experientia confirmant, corpora ætatis virilis, utut robuſta, apertis & ſudore fere repletis porulis aëri expoſita mox colicis doloribus, mox alvi profluvio, mox apoplexia, mox variis pro diverſa corporis conſtitutione febribus infeſtari: quæ vitia multo magis teneris infantibus iiſdem cauſis obnoxiis contingere poſſe vero eſt ſimillimum. Quæ cum ita ſint, hanc potiſſimum quæſtionem tuæ, vir illuſtris, ſubjicio dijudicationi: Anne adverſa principis valetudo ſuppreſſæ ſubito tranſpirationi, & hinc ſordium excrementitiarum tendinum, nervorum, muſculorumque tonum & vim elaſticam relaxantium retentioni in acceptis ferenda ſit? cum ſatis conſtet, excretiones per cutis emunctoria longe copioſiores eſſe debere, quam eas, quæ per alvum & urinam fiunt.

Ut autem de præſenti ægrotantis conditione

quædam referam: in uſum quidem vocata ac rite obſervata fuerunt medicamina ac balnea abs Te commendata; verum enim vero tantum abeſt, ut ullum inſequutum ſit mali levamen, ut potius totius ſiniſtri pedis ab oſſe coxendicis per integrum femur & tibiam ad pedis uſque plantam aliquantulum intumefactam inſignis adhuc adpareat flacciditas & aridura. Valet equidem ad ſe retrahere adfectum pedem, ejuſque digitos movere, & illis inniti; ſolus autem ſtare nequit, & ipſe pes tactu frigidus dextro eſt longior; ſimul quædam effloreſcentia faciem occupat & dextram tibiam; appetentia vero integra & hilaris ſemper mentis conſtitutio. Hæc cum perpenderem, & eximiam tendinum, muſculorumque flacciditatem ac relaxationem, nec non totius generis nervoſi debilitatem deprehenderem: lintea quadruplicata vino calidiori imbuta, & iterum expreſſa calide ad loca affecta interdiu admovere; noctu vero ne ſomnus turbaretur, & relaxati tendines corroborarentur, linteolum balſamo vitæ impraegnatum ad juncturas adplicari commendavi. Eo quoque lubentius hæc auxilia in uſum fuere vocata, cum jam olim ſua ſponte artus reſolutos cereviſia ſaturatiori vino permixta lavare ſueverunt, & inde ſpinæ dorſi, dextrique pedis debilitatem inſigniter allevatam perceperunt. Quare ex mandato ſereniſſimi principis hæc Tibi ſignificanda duxi, Tuumque ulterius exopto conſilium.

## *Conſilium.*

*Datum Halæ Xmo Calend. Sept.* 1732.

Affectus præter naturam, quo infantem ſereniſſimum ſeptem anni quadrantes natum binis abhinc menſibus tentatum fuiſſe litteræ miſſæ docuerunt, fuit alvi profluvium, à dentium eruptione procul dubio inductum, quod calore interno ac convulſis motibus ſtipatum, cervicis ac dorſi rigorem ac immobilitatem reliquit. Abhinc vero tanta corporis imbecillitas fuit obſervata, ut æger in ſellam collocatus corpore protinus collapſus fuerit, nec ſe in erecto continere valuerit ſitu: quod vitium licet ope cujuſdam medici maximam partem eſſet ſublatum, relicta tamen ea eſt infirmitas, ut nec pedibus inniti, nec ipſis commode uti, nec corpus ſemel inflexum erigere iterum potuerit, & ſiniſter potiſſimum pes flacceſcere videatur. Hinc demum haud ſine ratione conjicitur, ex convulſivis, quos ante binos menſes toleravit motibus, inſignem ſpinæ dorſi debilitatem, & motus impotentiam aut paralyſin fuiſſe relictam; à qua cum vindicari cupiant ſereniſſimum ægrotum, in quæſtionem potiſſimum venit: Num Carolinæ huic malo ſint profuturæ aquæ, aut quæ medela ipſi ferenda?

Ad hæc candide regero, mea quidem ſententia Carolinas acidulas huic tenellulo minime eſſe convenientes; quippe quarum virtus non ſolum in interno magis quam externo uſu ſita eſt, verum etiam longe diverſis à præſenti morbis debetur. Mallem Tæplicenſes in his externis affectibus commendare aquas; ſed non minus fateri teneor, omnes haſce curationes tam teneræ ætati eſſe inimicas, malumque ſæpenumero magis exaſperare. Namque natura in his infantibus valde debilis atque ſenſibilis, fortioribus ejuſmodi curis ſuſtinendis haud idonea exiſtit: quid? quod hi affectus temporis diuturnitate ſponte ſanari deprehendantur. Quare eo potius meum collineat conſilium, ut niſi forte ſubluxatio in inferiori oſſis medullæ ſpinalis parte præſto ſit, temperata balnea ex chamomilla, mentha, & meliſſa parata mane vel veſperi longe majori adhiberi queant utilitate: maxime ſi poſt illa juncturæ pedis ſiniſtri ac ſpina dorſi linimento quodam nervino inungantur, quod non nimis ſpirituoſum ſit, ne exſiccet, ſed adeo temperatum ut tendines in naturali temperie ac robore conſervet, quale id eſt, quod ſimul mitto. Interne vero mane infuſum Theebois cum herba meliſſæ permixtum ordinarem, & alternis diebus XIII. grana pulveris marchionis cum tribus ſuccini præparati veſperi propinarem. Ceterum non poſſum, quin medici ordinarii operæ & curandi rationi adplaudam, eique divinum apprecer auxilium.

## *Conſultatio.*

Docte ſatis ac eleganter de morbo ſereniſſimi Principis paralytico, ejuſque cauſa diſſeruiſti, cumque merito magis ab impedita tranſpiratione, quam convulſis motibus derivaſti. Notatu enim dignum omnino eſt momentum, in priori relatione penitus omiſſum, quod princeps ſudore madidus frigido expoſitus fuerit aëri; unde nimirum factum eſt, ut obſtructis cutis poris acres humores nervis inſederint eoſque male adfecerint: neque tamen negari poteſt, quin convulſivis motibus ſimul aliquantulum debeatur, quippe qui haud raro affectis partibus imbecillitatem ac atoniam relinquere obſervantur. Deinde vero non improbare audeo curandi rationem abs Te propoſitam, qua loca reſoluta cereviſia calidiori fuerunt fomentata: majori tamen utilitate hanc fomentationem inſtitutum iri credo, ſi loco cereviſiæ vinum vetus rhenanum recipietur, illudque cum roremarino, floribus chamomillæ romanæ, ſpicæ & caryophyllis aromaticis pulveriſatis in vitro probe clauſo ſuper fornace digeretur, & ſic linteis quadruplicatis imbutum juncturis, ſpinæ dorſi & oſſi ſacro inungetur. Sub hujus uſu balnea omitti poſſunt; neque minus balſamo vitæ, quod in hiſce caſibus juſto calidius deprehendi, hoc linimentum calide inungendum longe utilius ſubſtituetur: Recipe unguenti nervini martiati uncias duas, balſami peruviani drachmas tres, olei roriſmarini, caryophyllorum ana drachmam unam M. d. Tum quoque cura habenda eſt acrimoniæ ſcorbuticæ, qua ſerum more in his morbis ſolito ex faciei tibiæque efflorеſcentiis imbutum eſſe videtur, cui temperandæ præſtantiſſimum erit hoc decoctum loco potus ordinarii bibendum: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi, radicis ſarſaparillæ ana uncias quatuor, corticis ligni ſaſſafras drachmas tres, Conc. d. ſ. ſpecies, quarum uncia in binis aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquatur. Eidem denique ſcopo ſatisfaciet mixtura diaphoretica moderatior, veſperi ante lecti introitum, & mane quandoque intra lectum haurienda, cujus hæc ſit compoſitio: Recipe aquarum cardui benedicti, florum ſambuci, ceraſorum nigrorum ana uncias quatuor, antimonii diaphoretici, cornu cervi philoſophice præparati ana drachmam unam, cinnabaris præparatæ ſcrupulum unum, mixturæ ſimplicis guttas XXX. ſyrupi acetoſitatis citri drachmas tres. M. f. mixtura, cujus probe agitatæ hauſtus quandoque aſſumatur. Hæc pro ſalute ſereniſſimi principis reſpondenda duxi, quæ immortalis Deus ipſi reddat ſalubria ex intimis foveo.

CASUS

CASUS XXVII.

*De affectu ſemi paralytico cum dyſuria.*

Foemina generoſa XXXVII. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, ſtaturæ magnæ proceræque, vaſis vero exilioribus inſtructa, ad animi commotiones & iracundiam facillima, vitæ ſedentariæ addicta, alvi perpetuæ ſegnitiei obnoxia, & in locum ordinarii potus aqua ſimplici, & infuſo fabarum Coffeé uſa, à prima infantia ad menſium uſque eruptionem perpetua corporis, maxime genu tibiæque efflorefcentia inſtar achorum, variis oppugnata remediis ſolicitata fuit. Octavo ætatis anno rotulas adhibuit anthelminticas, mercurialibus procul dubio remixtas, & ex his male habuit: menſes autem ipſi ad conjugii uſque tempus rite per quatuor vel quinque ſemper dies fluxerunt. Neque tamen minus, cum adhuc cœlibem ageret vitam, eximia ſæpius præcordiorum anguſtia, & ſplenetico malo laboravit, eique ex conſilio D. K. varias medicinas, maxime ſpleneticas oppoſuit: quid? quod anno ætatis XXVII. denuo in ſupra memoratas efflorefcentias, in facie præſertim conſpicuas reciderit; quæ primum aqueas referentes bullulas, dein exulceratæ, mox cruſta obductæ & denique cum cute ſimul abraſæ fuerunt. Adflixit inſuper pectoris anguſtia, nec ex venæ ſectionum uſu ſe depelli paſſa eſt, ut demum acidulas Veteraquenſes aliquoties potare decreverit: ex quibus quidem anguſtia illa remiſit, puſtulæque penitus evanuerunt, membrorum tamen aliqualis debilitas, manuumque tremor ſucceſſerunt.

Tres jam cum dimidio excurrerunt anni, ex quo matrimonii leges ſubiit, in eoque binis puerperiis duos haud ſine magno labore fœtus feliciter enixa eſt: quorum autem noviſſimum ſub anni 1726. auſpiciis menſium per binos menſes obſtructio excepit, non niſi uteri profluvio, fruſta cruoris coagulati excernente reſerata. Sed abhinc adeo invaluit membrorum imbecillitas, ut vix ſola incedere nec manibus niſi tremulis quicquam continere valuerit. Oppugnavit hæc mala balneis ex herbis convenientibus, aut ſpiritu vini paratis; tantum vero abfuit, ut debilitas inde remiſerit, ut potius inter eundum baculo inniti debuerit: hinc D. D. M. auxilium imploravit, ab eoque varias eſſentias, pilulas, infuſumque theiforme accepit, & balnea ex multis ſpeciebus parata uſurpavit, minus tamen fauſto effectu, quippe poſt hæc nec baculo ſuffulta progredi potuit, ſed à miniſtris ſublevari tenebatur. Tum ſuaſu medici cujuſdam & amicorum thermas adiit Hirſchbergenſes, variiſque ſimul & internis medicaminibus, & externis oleis ſpiritibuſque uſa vix in unum alterumve deſcenderat balneum, cum non ſolum vires dejicerentur adeo, ut à miniſtris geſtari omnino debuerit; verum etiam menſium obſtructionem incideret; quorum tamen fluor, balneo quod vocant *das Probſt-Bad* in uſum vocato mox rediit, & per quindecim dies aſſiduus inhæſit. Fruſtra itaque adhibitis tam variis adminiculis, & accedente ſimul pedum ad genua uſque tumore ac refrigeratione, per inſequentem hyemem fotibus, frictionibus, unguentis, ſpiritibus & balneis artificialibus pugnatum fuit. Verum enim vero appropinquante vere increvit magis pedum tumor, & pectoris anguſtiæ, continuuſque ad urinam reddendam ſtimulus, ſed parcior juſto excretio ſupervenere, ut ægra hydropem pectoris aut aſcitem omnino vereretur. Hinc conſuluit R. practicum S. famoſum, qui ipſi tincturam metallorum cum eſſentia ſummitatum pini, ligni ſaſſafras mixtam, eſſentias ſtomachicas calidiores, pulveres diapnoicos, & infuſum theiforme ex arnica, chamæpyti ac chamædrio potiſſimum paratum exhibuit, idque effecit, ut lotium quidem copioſiſſime redderetur, frequentior vero mingendi conatus accederet: non minus pediluvia ex ſurculis pini recentibus confecta, majori vero damno quam emolumento adhibuit; & denique aquas Sedlicenſes ob alvi pertinacem ſegnitiem noviſſimo vere potavit. Omnibus autem in caſſum adhibitis per octo hebdomades ab omni remediorum uſu abſtinuit, & denique me in conſilium accivit; qui hanc illius deprehendi conſtitutionem: Non valet ſe loco movere, ſed pedibus vacillans à miniſtris magis trahi quam geſtari debet, ſummam in regione oſſis ſacri ſentit imbecillitatem; ſedens pedes extendere æque ac movere poteſt; at ſimul ac aſſurgere conatur, contremiſcunt pedes, qui etiam tremor manus quicquam apprehenſuras occupat. Siniſtram tibiam torporis quandoque ac formicationis ſenſus prehendit; utrumque vero pedem non minus ac brachium ſtricturæ quædam ſenſatio ſæpius infeſtat, ac ſi vinculo eſſent conſtricta, aſſidueque frigent: neque tamen poſt pediluviorum ex furfuribus triticeis & ſale confectorum uſum inferiores artus, niſi forte interdiu aliquando tumere conſpiciuntur. Ciborum exigua gaudet cupiditate, nec niſi juſcula mane ac inter prandium aſſumuntur; reliqua victus ratio ſervatur pertinaciſſima, & per proximum biennium cereviſiæ iterum indulgere cœpit; ſomnus vero eſt placidiſſimus, pulſus æqualis, durus atque tardus. Menſium irregularis vexat ſucceſſus, dum mox tertia, mox quarta, mox ſexta redeunt hebdomade, & per unum alterumque duntaxat diem parca fluunt copia. Non minus adfligit alvi obſtructio; abdomen nec durum, nec tumidum, circa ventriculi autem regionem inſigniter tenſum; ſudoris difficillima, nec per pulveres diaphoreticos provocanda eruptio; corpus magis magiſque extenuatur, vireſque dejiciuntur. Denique ab ultima medicatione gravis ac frequentiſſimus urget mingendi conatus, ut quavis fere hora alvum quaſi exoneratura deſidere teneatur; ſub quo niſu mox facillime, parca licet quantitate redditur urina, mox diutius ſupprimitur, ſæpiuſque ardore in urethra complicatur, & vel dyſuria vel incontinentia accedit. Ipſum lotium rubicundum turbidumque conſpicitur, nec ſalinas bullulas, nec odorem ſcorbuticum exhibet; niſi forte quod nubecula hinc inde diſperſa & demum ad fundum matulæ depoſita adpareat.

Quod ſi igitur de hocce morbo meum ſuppeditare liceat judicium; illum inſigni totius generis nervoſi imbecillitate & toni atque roboris partium nervoſarum ac muſculoſarum reſolutione abſolvi crederem: unde partim ambulandi impotentia & extremorum tremores, partim ſpaſticæ artuum conſtrictiones, ac ſi vinculo ligarentur, tenſiones in regione ventriculi ac frequens mingendi conatus dependere videntur. Huic autem partium imbecillitati non ſolum acria & ſalſa illa exanthemata, quæ olim ægrotæ corpus occuparunt, verum eorundem incongruam per balnea ac inunctiones ſuppreſſionem originem dediſſe arbitror. Exinde enim factum eſſe puto, ut ſanguine magis inſpiſſato, ejuſque circulo turbato ſeroſus latex per vaſorum porulos ſeceſſerit, tum ad medullam ſpinalem decubuerit, nervos compreſſerit, & fluidi nervei influxum in illos, hinc horum agilitatem motumque impedierit. Hoc vitium cum potiſſimum nervos intercoſtales,

les, brachiales, ac crurales, à paribus lumborum oriundos infeſtavit, & ex eadem partium ſolidarum debilitatione, fluidorum quoque progreſſus & tranſpiratio impeditiores ſuccedunt: non ſane miror, ſi ob cruorem in vaſis minimis pectoris ſtagnantem olim præcordiorum anxietas ægram ſolicitavit. Ipſa demum natura hiſce malis per criticam effloreſcentiam anno ætatis XXVII. erumpentem mederi tentavit: ſed hac quoque perverſe ſanata, gravitas, tremor ac motus contractorii membrorum omnino invaleſcere debuerunt. Quum denique puerperia, nervoſo generi perquam inimica acceſſerunt; fieri non potuit, quin etiam in præſenti ægrota nervorum ſyſtema magiſque debilitatum, ſanguinis circulus turbatus, & hinc ipſa menſtrua purgatio ſuppreſſa fuerint; quæ violenter reſerata, reliqua vero minus convenienti medicatione oppugnata neceſſario gravitatem, torporem, motus contractorios, vermiculares, & quaſi ligantes in manibus pedibuſque adaugere debuerunt. Neque tamen minus affectum veſicæ, quo premitur miſera, nervorum tono per noviſſime data diuretica magis debilitato natales ſuos debere; & rebus ſic ſe habentibus circulum ſanguinis, ſecretiones ſuccorum utilium, noxiorum autem per alvum, tranſpirationem & urinam excretionem, ipſamque nutritionem inſigni laborare vitio arbitror. Jam itaque quamquam difficillimum mihi videatur, malum hoc penitus expugnare: attamen cum partim natura haud prorſus victa ſit, partim ægra nulla medicaminum præter pilulas averſetur, nec decocta in uſum ordinarii potus aſſumere recuſet; ſpem foveo, fore ut ſi debita curatione malo obviam eatur, & digeſtio, tranſpiratio, alvi excretio & partium debilitatarum roboratio promoveatur, inſigne mali levamen obtineatur. Nondum enim adhibita fuit ea medicatio, quæ hunc affectum imminuere potuiſſet, quam abs Te, vir excellentiſſime, proponi cupit generoſa ægrota.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Litteras, quibus adverſam generoſiſſimæ Baronis de Kl. valetudinem deſcripſiſti, ejuſque originem non minus ac cauſas docte ſatis ac eleganter explicaſti, diligenter perlegi; & cum rem acu tetigeris, me tibi in omnibus conſentientem habes; nec opus erit, ea omnia copioſius repetere. Quod ſi vero præſentem ægritudinem intuear, eique medendi rationem proponam: ante omnia conatum illum mingendi frequentiorem, cum dolore atque teneſmo ſtipatum, quem dyſuriam vocant, ex menſium irregulari fluore derivandum eſſe cenſeo. Namque dum priores medici, ne hydrops pectoris aut abdominis ſuboriretur veriti, multa diuretica ac juſto calidiora exhibuiſſe videntur medicamina: vero eſt ſimillimum, ſeri excrementitii pariter ac ſanguinis, quorum excretio & per uterum tempore menſtruo, & per venas hæmorrhoidales fuit impedita, ad veſicæ vaſa factam eſſe congeſtionem; quam ſpaſmodicæ ipſius veſicæ & ſphincteris conſtrictiones, & lymphæ mucidæ ex tunica veſicæ villoſa expreſſio exceperunt, & moleſtam illam mictionem induxerunt. Ventilavi haud ita pridem diſputationem de morbis ex ſpaſmo veſicæ, cui deplorandus venerandi ac meritiſſimi Theologi Franckii, ex immani veſicæ ſpaſmo, dyſuria, & inſequuta illius inflammatione cum febre exanthematica defuncti obitus occaſionem dedit. Neque tamen minus in noſtra ægrotante conſiderari quoque merentur & nervoſi generis eximia imbecillitas, & ſcorbutica impuritas, quæ altas jam egiſſe radices, & habitualis quaſi facta videtur, crebriſque ſe prodidit efflorescentiis. At vero quam arduum ſit, quamque difficile talia recrementa humoribus fermenti inſtar pertinaciter inhærentia eliminare, vel ſola purpura, hiſce temporibus adeo familiaris demonſtrat. Neque enim in dubium vocandum eſt, quin noſtra pariter ſcorbutica ejuſmodi ac purpuracea ſaburra ſit imbuta; quæ dyſuriæ, nervorum debilitati, membrorum atoniæ, corporis decremento, & virium jacturæ occaſionem ſuppeditavit, & foras protruſa inſigni mali pollicetur allevamentum.

Quæ cum ita ſint, omnem curationis vim in eo ſitam eſſe credo, ut partim hæ impuritates corrigantur ac eliminentur, partim menſium ſucceſſus promoveatur. Priori ſcopo ſatisfacturas credo acidulas Selteranas lacte aſinino permixtas; quæ ſi defecerint, in earum locum Egranas duabus partibus cum una lactis caprini maritatas commode ſubſtituere, & hac tempeſtate per tres ſeptimanas, tres quotidie libras hauriendo, adhibere licebit. Ante, ſub & poſt harum uſum operæ erit pretium, hanc potiunculam laxantem mannatam mane aſſumere, ſi præcedente veſpera pilularum mearum aut Becheri balſamicarum XVI. fuerint deglutitæ: Recipe mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari drachmam, aquæ florum acaciæ uncias quatuor, colaturæ adde olei de cedro guttas quatuor. M. D. S. Laxier *Tränckleín.* Quod ſi vero ægrotanti hæc aquarum potatio haud arriſerit, aut etiam ante vel poſt earum uſum commendarem hoc infuſum vinoſum: Recipe rhabarbari electi unciam unam, radicis pimpinellæ albæ, zedoariæ, vincetoxici, cichorei ana unciam ſemis, ſummitatum centaurii minoris pugillos quatuor, limaturæ martis, corticis ligni ſaſſafras, aurantiorum, fibrarum hellebori nigri ana drachmas tres, paſſularum minorum uncias duas. Conc. Cont. M. D. S. ſpecies cum una & dimidia vini menſura infundendæ. Ordinario potui optime inſerviet decoctum ex cichoreo, ſcorzonera & paſſulis minoribus paratum; & denique in roborandis partibus affectis balſamus meus vitæ ſpinæ dorſi, genubus ac taleolis pedum inunctus eximiam præſtabit opem.

---

## CASUS XXVIII.

### *De atroci affectu convulſivo-epileptico.*

NOvendecim annos natus adoleſcens, cholericæ temperaturæ, habitus ſtrictioris, capaciorum vaſorum, acutique judicii ante triennium poſt male curatam ſcabiem primum in hæmoptyſin, dein epilepſiam incidit, quam medicus quidam per aliquot menſes fruſtra oppugnavit, nec medicaſtra debellare valuit. Quamquam enim ex datis ab hac remediis malum per tres fere hebdomades evanuiſſet; attamen poſthæc atrocius, variiſque ſymptomatibus ſtipatum rediit, adeo ut cum antea intra biduum vel triduum bis duntaxat adflixiſſet, jamjam quotidie ſexies ſeptieſve cum ſubitanea rationis amiſſione eruperit, haud vero ultra duo vel tria temporis momenta inhæſerit. Tum conſultus fuit chirurgus quidam, qui variis medicinis per tres menſes in caſſum datis ipſam denique adhibuit ſalivationem, eo tamen effectu, ut non ſolum quavis fere hora bis recruduerit malum, verum etiam æger inſigniter debilitatus vix ſolus incedere valuerit. Hinc alius quidam caſtrenſis chirurgus in uſum

vocaba-

vocabatur, qui morbi extirpationem promittens, bis quovis menſe mox in brachio, mox pedibus venam incidit, aliiſque medicinis id quidem præſtitit, ut per quatuor ſeptimanas æger ab omni acceſſione liber ſanitatis quandam præ ſe ferret ſpeciem: at vero haud ita multo poſt ſub ipſo meridiano ſomno recidit iterum epilepſia, & noctu potiſſimum bis terve prehendit ægrum; cui ſimul immaniſſima tuſſis, ac præfocans fere catarrhus nocte præcipue adfligens ſupervenit cum fœtidiſſimi ichoris copioſa rejectione, ægrumque penitus affixit lecto. Quare medici rurſus implorabatur auxilium, qui hæc noviſſima ſymptomata epilepſiam graviorem pronuncians, illis quidem ſuppetias tulit, hanc vero licet per quatuor menſes oppugnatam debellare haud valuit: hinc alter percelebris practicus conſultus per integrum menſem variis pugnavit ſpecificis: iis autem nihil proficientibus, malum idiopathicum, in cerebro reſidens ac curatu difficillimum pronunciavit, attamen fonticulum capiti infligendum, cauterium verò aut ſetaceum nuchæ adplicandum commendavit. Tum ne natura nimium adſueſceret medicinis, earum uſus per tres hebdomades plane fuit omiſſus; at malo ingraveſcente, tribus abhinc ſeptimanis iterum quidam advocabatur medicus. Hic ſi revocaretur ſcabioſa excretio, & alvus obſtructa quotidie ſolveretur, malum ſanatum iri arbitratus, ordinavit infuſum theiforme ex herba veronicæ, marrubio albo, chamædri, radice ſaſſaparillæ, chinæ, ſcorzoneræ, pœoniæ, floribus papaveris rhoeados, ſemine pœoniæ & aniſi paratum, matutino tempore hauriendum, in eoque eſſentiam alexipharmacam Stahlii cum eſſentia ſuccini, caſtoreique mixtam aſſumi juſſit; & pectoris moleſtiæ pulverem temperantem cum pulvere lumbricorum, marchionis & caſtorei maritatum, veſperi capiendum oppoſuit. His quoque effecit, ut intra octiduum multæ circa os & nares efflorеſcerent puſtulæ, malumque ſimul aliquantulum imminueretur: at vero illis exſiccatis hoc quoque recruduit, adeo ut nocte decies, diebus octies acceſſerit, inſuper vaſa facieſque intumuerint, pectus valide attolleretur, artus concuterentur & caput varie contorqueretur: ſed hæc ſymptomatum vehementia dato pulvere temperante cum pulvere marchionis remixto, & miſſis ex vena in pede tuſa ſeptem vel octo cruoris unciis aliquantulum remiſit.

Ceterum haud ignorâri oportet, ægrum olim ſub morbi acceſſione adeo colliſiſſe dentes, ut etiam aliquando cujuſdam digitum ipſius ori intruſum penitus demorderet, & baculo iiſdem interpoſito binos dentes forti morſu ſibi evelleret; quæ vero morſus vehementia jam ceſſavit. Neque vero unquam pollices in manum comprimit, nec ſpumam ore reddit: at memoriæ vigor imminuitur; appetitus ſibi conſtat; facies olim macilenta jam carnoſior adparet; & ipſa acceſſio maxime ipſi paſtui, ſæpius poſt illum ſupervenire ſolet. Somnus veſperi ſubito artus occupat, & per noctem adeo profundus eſt, ut licet ſub eo malo ſuo rapiatur, id tamen expergefactus neſciat, tum vero inſigniter laſſus, ac veluti fuſtibus percuſſus deprehendatur. Alvus diu obſtructa, nec referata fuit; hinc ani procidentia complicata per annum inhæſit, & adhuc urget. Ipſe denique morbus admodum varius eſt; mox æger mordet, mox vociferat, mox pectus attollitur; paroxyſmus modo levior exiſtit, numquam tamen ultra unum temporis punctum extenditur, & circa lunæ mutationes, tempeſtateſque pluvioſas ac inimicas invaleſcit: nulla ſub illo ſenſatio, nullæque præcedunt notæ, niſi quod brevi ante acceſſionem nares fricet, ſiniſtrum pedem ad ſe trahat, & tunc protinus concidat.

*Conſultatio.*

Intellexi equidem ex litteris ad me datis, quæ potiſſimum ægritudines juvenem noſtrum ſolicitent; ſed doleo eas per incongruas ac perverſas curationes adeo intricatas atque corruptas eſſe redditas, ut jam univerſum nervoſarum partium genus, maxime caput, ſpinam dorſi ac ventriculum in conſenſum rapuerint, ac ſpem perfectæ curationis fere irritam faciant. Si primam illarum originem diſpiciamus, illam procul dubio in ſcabie unguentis mercurialibus improvide retro pulſa inveniemus: quippe quæ hæmoptyſin non minus quam epilepſiam eo facilius inducere valet, quo tenerior ac ſenſibilior corporis eſt conſtitutio, aut quo magis præmaturum ac nimium veneris acceſſit exercitium. Hinc conſultum admodum fuiſſet, ſi ſcabies intus repreſſa illico congruis remediis foras eſſet provocata: at dolendum omnino, hac indicatione neglecta ſalivationem potius adhibitam, eaque univerſum nervorum genus magis debilitatum fuiſſe atque deſtructum; quem eundem quoque effectum venæ ſectio ſæpius repetita præſtitit. Eo majus vero augmentum huic ſpaſmodico convulſivo malo dedit humorum vitalium dyſcraſia atque acrimonia quæ ſub crebris paroxyſmis, nervorumque nimiis diſtentionibus inducta videtur. Quamvis ergo iis malis à perito medico varia ſpecifica & antepileptica fuerint oppoſita: hanc tamen curandi rationem, partibus & ſolidis & fluidis vitiatis, minime ſufficientem exiſtimo: contra ſi à medicinis in tam vegeta ætate quandam adhuc ſalutem expectare licet, eam omnem in eo ſitam eſſe credo, ut integra natura corroboretur, humores acres ac impuri attemperentur, & ſpaſmodicæ nervorum diſtentiones in habitum fere degeneratæ conſopiantur. Hi vero ſcopi non magis pharmacis ac chymicis, quam diæteticis potiſſimum adminiculis, maxime patientia & temporis diuturnitate adjutis obtinebuntur; eo quidem feliciori eventu, ſi vernum nobis adeo adpropinquaret, quam hyemale tempus, hoc enim nervorum morbis curandis minime deprehenditur opportunum. Hinc ut meam in hiſce caſibus methodum candide aperiam; convenientiſſimum ante omnia judico, ut ſi fieri poteſt, locus & aër mutentur; omnes animi commotiones laboreſve cum meditatione juncti ſedulo evitentur, omnis cereviſiariorum, vinoſorum, calidiorumque potuum uſus fugiatur, & in eorum locum hoc ſubſtituatur decoctum: Recipe radicum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, radicis cichorei, pœoniæ ana unciam unam, ſeminis fœniculi unciam ſemis. Conc. Cont. d. ſ. ſpecies, cujus binæ unciæ in tribus aquæ menſuris, manipulo hordei permixtis per tres horæ quadrantes coquendæ; colaturæ autem ſuccus & cortices citri, nec non tantillum ſacchari addi poteſt. Deinde corpus quidem frequenter, ſed non nimis vehementer movere, parciſque & magis crebris uti oportet epulis; inter quas ab eduliis allio, pipere, ſale imbutis, acidis, piſcibus marinis & fumo induratis ſtudio cavendum, & inſuper omnis aëris inimica temperies longiſſime arcenda. Mane conveniet hoc infuſum theiforme cum dimidia parte florum lactis, in quorum libra una ſalis, quod ſimul mitto, ſcrupulus dimidius ſit ſolutus permixtum ſorbillare: Recipe ſummitatum millefolii manipulos duos, florum tiliæ, hyperici, chamomillæ vulgaris, herbæ meliſſæ ana manipulum unum, ſe-

minis

minis fœniculi drachmas tres. Conc. Cont. d. ſ. ſpecies pro infuſo, cujus quoque potatio meridiano tempore erit utiliſſima. Tum ut ſanguinis acrimonia forſitan purpuracea corrigatur ac eliminetur, operæ erit pretium, veſperi aut ſingulis aut alternis diebus drachmam dimidiam pulveris mei bezoardici ex aqua florum ſambuci, vel tiliæ, vel liliorum convallium adhibere. Non minorem in ſpaſmis ſedandis utilitatem exſeret ſpiritus nervinus, cujus copiam tranſmitto, & qui viginti guttulis ex aqua vel ſimplici vel florum tiliæ bis vel ter de die maxime verſus acceſſionis tempus aſſumi poteſt. Nec ludetur opera, ſi æger cubitum iturus in pediluvia ex aqua fluviatili & furfuribus triticeis parata, nec nimium calida, ne ſudorem moveant, nec frigida, ſed affuſione ſucceſſiva aquæ calidæ in juſto tepore conſervanda quotidie pedes ad ſuras uſque immittat, iiſque per horam dimidiam immoretur. Alvi obſtructioni ſummo cum fructu opponentur binæ circiter mannæ unciæ, mane ex infuſo theiformi loco ſachari devorandæ, aut ſapo quidam ex oleo amygdalarum dulcium & tartari per deliquium confectus, & pondere drachmæ dimidiæ ex eodem infuſo cum lactis floribus poto ſumendus, qui & alvum lubricat & ſpaſmum demulcet. Quæ ſi per aliquot tempus rite adhibebuntur, haud dubito fore ut ſalutaris inſequatur effectus, quem ex animo apprecor. Halæ VII. Calend. Nov. 1726.

Vix elapſæ erant quatuor ſeptimanæ, cum mihi nunciaretur, ægrum commendatis medicinis per 14. dies uſum mali ſui acceſſiones & rariores & longe leviores ſuſtinuiſſe; abhinc vero gravi perculſum iracundia, ſubito apoplexia fuiſſe extinctum.

---

## CASUS XXIX.

### *De affectu epileptico & brevi alienatione mentis ex male curata febre intermittente.*

Vir juvenis XXIII. annorum, juventutis ſuæ tempore ſatis integra ſanitate tranſacto, ſeptem circiter abhinc annis gravi de ſcala lapſu in humerum præcipitatus, hujus equidem quoſdam dolores ſenſit, iiſdem vero per data congrua remedia feliciter depulſis optime valuit. Sed prætèrlapſo unius anni ſpatio læſus humerus altero magis elevatus deprehendebatur, doloribus tamen vacuus; & nullis medicaminibus nec externis nec internis in naturalem reducendus ordinem. Poſthæc febris intermittens ipſum prehendit adeo pertinax, ut licet peritos medicos non minus, quam congruas medicinas in uſum vocaſſet, ea tamen ultra annum dimidium inhæſerit, & non niſi juſto largiori remedii cujuſdam multo cortice chinæ permixti doſi tandem evanuerit. Abhinc autem male habere cœpit, appetentia imminutior reddebatur, ſimulque affecti humeri dolores & ſpirandi anguſtia accedebant; neque minus febris ſæpius recidebat, & ipſa ſatis varia erat valetudo. Tum denique tribus cum dimidio abhinc annis ſatis gravem incidit affectionem, qua inter ſermones, aut quaſcunque actiones ſubito ratione orbatus celeriter huc & illuc ambulavit, brachia agitavit, veſtimenta pervulſit, & non niſi verbum *Ne Ne* pronunciavit: ſub his facies primum rubicundo intumuit colore, vultuſque auſterus adparuit, tum expalluit & ridere videbatur. Tranſiit autem hæc acceſſio momento citius, & omnis rationis rediit integritas; haud tamen exprimere valet, quæ ſub hac ipſi contigerunt, quid? quod memoriæ vigor magis magiſque imminuatur. Hoc malo per annum dimidium ſolicitatus, ſubinde ſponte liberabatur, & per quadrantem fere anni optime habuit, hilariſque ac ſatis vegetus vixit. Verum enim vero poſthæc citra omnem opinionem vera epilepſia, cum omnibus ipſi propriis ſymptomatibus conjuncta ſæpius infeſtabatur; quæ tanta varietate ſcenam luſit, ut mox per aliquot menſes evanuerit, mox iterum recruduerit; quid? quod noviſſimo abhinc anno penitus ceſſaverit. Tum autem in ejus locum iterum ſucceſſit affectio illa momentanea ſupra deſcripta; & denique rediit epilepſia vera, ac cum illa quandoque alternavit. Uterque affectus cito tranſit; poſterior autem priori diuturnior eſt: neutrum quædam præcedunt ſigna, niſi quod abdominis & artuum tenſio, murmura ac flatus imi ventris quandoque obſerventur, quæ tamen ſæpius abſque inſequente malo adfligunt. Sub utroque mentis error incidit, & epilepſia ordinariis ſymptomatibus, nimirum ſubitanea in terram procidentia, ſpuma oris, & pollicis in pugnum compreſſione ſtipatur, à nimia autem vociferatione & violenta membrorum agitatione immunis deprehenditur; relicto poſt paroxyſmum eximio corporis languore ac vertiginoſa moleſtia. Ceterum vultus aſſidue fere pallet, maxime ſub mali acceſſione; cruor interdum naribus redditur; appetentia exigua eſt, & poſt aſſumtos cibos pravus ſapor os occupat; ſitis urget matutino potiſſimum tempore; æger facillimus ad ſudorem, eoque quavis nocte copioſiſſimo madet; & denique nuper alvi profluvio per tres ſeptimanas inhærente, ſponte vero remittente laboravit. Ab epileptica acceſſione jam per integrum menſem immunis vixit; altera vero ſpaſmodica convulſio intra nycthemeron quater vel quinquies olim, ultima autem ſeptimana ter duntaxat in ipſum inſultavit, nec quod mirum, ſub noviſſima ſolis defectione, cui non minus lunæ mutatio acceſſerat, recruduit.

Hæ ergo ſunt ægrotantis moleſtiæ, contra quas variis remediis à multis medicis exhibitis non minus, quam Egranis acidulis per proximum triennium potis, & pedum repetita venæ ſectione fruſtra pugnatum fuit.

### *Conſilium Medicum.*

Ex tradita morbi hiſtoria deprehendi, duos eſſe præternaturales, qui ægrotum premunt, affectus, nempe moleſtam ſpaſmodicam diſtentionem, cerebrum & univerſum nervorum genus occupantem, & leviori mentis alienatione ſtipatam, ac veram epilepſiam. Utraque hæc mala non niſi à febre per copioſum corticis chinæ uſum intempeſtive ſuppreſſa natales ſuos mutuantur: hoc etenim cortice motus quidem febriles fuerunt conſopiti; fomes autem febrilis haud exturbatus intra corpus reſtitit, ac varia ſymptomata, nimirum languorem corporis, appetitus proſtrationem, dolores & tenſiones imi ventris, anhelitus difficultatem, & ipſius febris recidentes ſæpius inſultus procreavit. Cum autem hæ mali origines non ſatis perſpectæ, multo minus congruis adminiculis expugnatæ videantur: non mirum ſpaſmos adeo increviſſe, ut humoribus ad cerebrum potiſſimum compulſis, & hinc obnubilatis ſenſibus, in ipſos denique convulſivos atque epilepticos degeneraverint motus. Verum enim vero hi morbi, qui altas in cerebro nerviſque egerunt radices, & conſuetu-

ſuetudinem fere ac habitum induerunt, curatu ſunt difficillimi, & pro ſui expugnatione non ſolum medici peritiam, verum etiam pertinacem victus obſervationem exigunt: haud tamen animum abjicere, ſed omnes eo intendere oportet nervos, ut ſi non exſtirpetur morbus, ſaltem à gravioribus malis præſervetur. Huic autem ſcopo contrarias omnino fuiſſe Egranas acidulas arbitror, cum omnes minerales aquas hiſce cerebri adfectibus magis inimicas eſſe quam proficuas crebra doceat experientia. In id potius ſummo incumbendum erit ſtudio, ut nervoſum genus roboretur, neceſſariæ excretiones, maxime quæ per cutim fiunt promoveantur, & quæcunque capiti nerviſque noxam minantur, ſedulo arceantur.

Quæ ut obtineantur, operæ pretium fore arbitror, quovis menſe prævia fomentatione hirudines ad ani venas adplicare; & ex infuſo nervino, mox deſcribendo, quotidie octo vel decem vaſculis mane intra lectum ſorbillando levem expectare ſudorem. Infuſum ipſum ſic ſe habet: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, baſilici ana manipulos tres, florum tiliæ, ſalviæ, chamomillæ vulgaris ana pugillos quatuor, cubebarum drachmas duas conc. cont. irrorentur olei tartari per deliquium drachma una. M. d. ſ. ſpecies *zum Kräuter-Thee*. Veſperi adjungendus eſt pediluviorum ex herba abrotoni, meliſſæ, floribus chamomillæ & cineribus clavellatis confectorum uſus; quibus juſto tepore moderatis pedes ad ſuras uſque immittantur: nec levem operam ſpondet pulvis ſternutatorius, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe herbæ majoranæ, baſilici, florum liliorum convallium ana drachmam dimidiam, mari veri, florum benzoes ana grana duodecim, pulveris caſtorei grana decem, olei caryophyllorum veri guttas ſex, M. d. ſ. *Schnupftoback*. Præprimis vero alvi libertas perpetuo conſervanda ac victu lubricante adjuvanda eſt; quæ ſi forte ſegnior fuerit, clyſteribus domeſticis cum decocto florum chamomillæ ſaturatiori, aut ejus oleo cocto, vel deſtillato, hujuſque XXX. guttis, nec non manna ac ſale Epſonienſi permixtis commode reſerabitur. Tum demum tribus circiter aut quatuor ante lunæ mutationem diebus drachma una ſpecifici mei antepileptici mane ex aqua ceraſorum nigrorum quotidie aſſumenda eſt; quod corpore à ſordibus purgato & humoribus præparatis incredibilem in epilepſia inveterata præſtat effectum, & in hac per 16. annos inhærente miram tulit opem. Tandem victus ratio medicinarum vim inſigniter adjuvabit: hinc ab omnibus mentis commotionibus, potu calidiori, vino, ſpiritu vini, cereviſia craſſa, frigore, epulis largis, cibiſque flatulentis probe cavendum eſt: & cum cœli & aëris mutatio in hiſce capitis nervorumque morbis exoptatiſſimam efficaciam exſerere deprehendatur, haud alienum fore credo, ſi proxima æſtate ſub cœlo ſereno peregrinatio inſtitueretur.

*Appendix.*

Cum huic curandi rationi æger per tres menſes inhæſiſſet, relatum fuit, epilepticas has acceſſiones magis magiſque imminutas, tandem penitus evanuiſſe.



## CASUS XXX.

*De epilepſia inveterata cum vermibus implicita.*

Virgo annum agens vigeſimum tertium, temperamenti ſanguinei, cholerico & melancholico multum prævalentis, ſtaturæ mediocris, texturæ teneriuſculæ, non tamen gracilis, ingenii docilis atque ſolertis, judicii ſatis acuti, ad labores promta & indefeſſa, animi valde ſenſibilis, ad iram, terrorem ac metum & triſtitiam admodum proclivis, amori tamen non indulgens, ſequentes patitur moleſtias.

Biduo, triduo, aut etiam quatriduo, antequam menſium erumpit fluxus, male ſe habere & in cervice dolere incipit, cum magna præcordiorum anguſtia & pectoris oppreſſione, animi alacritate ſenſim pereunte, atque appetitu in faſtidium tranſeunte, ingruente diarrhœa ſpontanea frequenti, & moleſta preſſione, dolentibus lumbis. Hinc fit ut noctem tranſigat admodum inquietam, plus vigilans quam dormiens, aut quando ſubdormit, qualiſcunque fuerit decubitus, inſomniis agitetur terrificis & anxiis, nimirum de incendiis, lapſu ab alto, actione in fugam &c. etenim extra hoc etiam tempus ſomnus leviſſimus & brevis ipſi eſt. Tum ex improviſo, aut è ſomnolentia, vel ab inſomnio evigilanti augetur præcordiorum pectoriſque compreſſio, & ſpaſmo altius aſcendente, nuchæ dolor, protinus ſuccedente horripilatione per corpus univerſum & artus, cutis corrugatione, faciei expalleſcentia, pulſu debili ac tenui: hinc extraordinario perculſa timore & anxietate ſonum edit tremulum, anxium, qui à dilatatione & depreſſione laryngis & compreſſione labiorum formatur, ac ſi terror & pavor vocem ordinariam atque articulatam impediret. Inſimul oculi torvi ſunt, artus laborioſi hinc inde moventur, manus pugnos efformant. Prædicta voce ſonora & quaſi clangoſa verba aliquot exprimit, ſed fere mutila magis, quam integra; mox tamen rurſus mutatur in ordinariam qua ad quæſitu aut dicta reſpondet congrua, ſed celerrimo verborum flumine. Frontem, quæ frigide ſudat, tangit, de capitis immani querula dolore, vittam aut capitis integumentum huc illuc flectit, aut nudat caput: pulſus dein evadit citatior, celer ac durus, & facies rubore, itidem magis, quam alias ipſi in genis eſt, inſigni ſuffunditur. Tali modo comparatus eſſe ſolet paroxyſmus, & à primo inſultu ad finem uſque durare per duo, quandoque diutius ad quatuor, quinque horulæ minuta. Ante biennium tamen ſæpius ad horæ quadrantem ſubſtitit, ita ut totum corpus cum artubus rigeret, ipſaque plane ſileret. Imo ante unum atque alterum annum res eo jam proh dolor! devenerat, ut inſtante tum menſium periodo, more epileptico, in humum prociderit, pollices in pugnum impreſſerit, os ſpumaverit, corpus rigidum jacuerit, ſingultuſque adfuerit vehementiſſimus, caput intumuerit & tota facies apparuerit quaſi ſuggillata. Hic paroxyſmus ipſam illis diebus aliquoties fuit adorſus; ſed præceſſerat enormis animi commotio iracunda, & gravis in potu error: quippe ſuperata prima acceſſione, quæ non alia, quam qualem antea deſcripſi, fuerat, vehementem ſuam ſitim reſtinxerat nimio & ſimultaneo vini hauſtu.

E Talis

Talis autem, quæ Dei gratia eſt, poſthac paulo rarius rediit, malo hactenus ita rurſus depreſſo, ut modus ei jam ſit, quem ſuperius dixi; imo inſtantem paroxyſmum non ſolum præſentit, atque dum adfligit, mentis manet compos, adeo ut mandata poſſit exſequi v. g. ſi adſtans petat, ut januam aperiat, aut ſi quid ex ipſa quærat, promte reſpondeat; ſed & vel conſortio hominum ſeſe ſubducere, & remotis arbitris eum ſola ſuſtinere; vel tacite illum quaſi opprimere & velare poteſt, ita ut adſtans alienus plane nihil deprehendat; conſcius ex pallore faciei, celeriterque ſuccedente ejuſdem ſuffuſione, & ex aſpectu cutis in manibus conſtrictæ, quam vulgus *eine Gänſehaut* appellare ſolet, harioletur, ipſam pati ſolemnem paroxyſmum ſpaſmodico anxium, & ſenſum auræ frigidiuſculæ totum corpus perfundentem. Finito paroxyſmo pulſus jam tertia vice immutatur, & parvus eſt; diapnoë ſi in lectum ſe confert, eſt auctior, membra cuncta laſſa ſunt, & ſitis affligit. Primus paroxyſmus plerumque noctu, uti dictum, invadit, & repetit ſæpius tam in lecto, & quidem, uti ait, eo certius, ſi ſomnolentiæ vult vacare, quam extra lectum, quem ſummo fere mane deſerit, per dictos illos unum, duos, tres aut plures dies, quibus menſtruum ſanguinis profluvium expectat, & quandoque etiam per ſubſequentes, quibus manare ſolet. Redit modo pluribus, modo paucioribus, v. g. intra nycthemeron ſemel, bis aut ter tantummodo, prout ſcilicet prævia ira, aut terrore aut diætæ errore commota fuit. Hæc enim pathemata affectum etiam extra menſium periodum revocaſſe, tempore inſultuum conſueto exacerbaſſe & protraxiſſe, pluries jam obſervatum eſt. Hiſce diebus ad aliquot juſculi cochlearia aſſumenda vix perſuaderi poteſt; è contrario ſitis magis urget, quam modo decocto quodam, modo cereviſia, rarius vino aqua diluto reſtinxit. Quamquam lecto non affigatur, ſaltem ægerrime in eo contineatur, prætendens melius ſe extra eum habere, niſi interdum per ſemihorulam poſt inſultum, ubi ſomnolenta leniter ſudat: à laboribus tamen arcetur, ſed levibus nihilo ſecius indulget negotiis, aut meditabunda ac triſtis incedit. Superioribus annis poſt ſingulos fere paroxyſmos ſtimulus etiam adfuit ad reddendam urinam, licet ſæpe parciſſimam, qui vero nunc ceſſat; ſed copioſior illa jam, atque ſub moleſtiſſimo ardoris ſenſu ſecedit limpida, qui tamen urethræ dolor aliquantulum obtunditur, ſi multum liquidi, vel aquæ vel cereviſiæ biberit: tum vero ſentit ventriculi debilitatem majorem atque flatulentias. Quo expeditius menſtrua manant, eo mitiores eſſe aut plane ceſſare obſervantur paroxyſmi, non niſi nuchæ & lumborum dolore, pectoriſque anguſtia ſuperſtite. Fluxus ipſe defectu peccare videtur, quia plerumque nares ſemel aut bis ſanguinem ſimul ſtillant, unde cephalalgia, & cervicis dolores paululum remittunt: quæ narium hæmorrhagia olim longe crebrius & majore rediit copia. Terminum quatuor hebdomadum nunc anticipat, nunc poſtponit tributum lunare, & ſolvitur modo per tres, modo per plures ad ſex dies. Tempore, quo hiſce inſultibus non eſt expoſita, de reliquo optime valere videtur, niſi animi pathemata deflectant. Jejunium non ſemper fert, licet exiguo panis domeſtici fruſtulo, quod prima ſtatim, ubi lecto ſurrexit, hora comedit, contenta ſit, & alias quoque panis plus, quam aliorum ciborum aſſumat. Ceterum appetitus exiguus eſt; quæ digeſtionem reddunt difficiliorem, ſtomachum ipſius gravant per unum aut plures dies. Non minus plures ſunt anni, ex quo in plantis pedum perſentiſcit ſenſum urentem & ſudorem largum peſſimum, cutem in digitis arrodentem, ut ægre incedat verſus veſperam: quæ moleſtiæ appropinquante lunari periodo increbeſcunt magis, & ſurarum ſpaſmo, pediſque totius pruritu complicantur.

His igitur conſtituentibus morbum & concomitantibus momentis explicatis, è re fore puto, ut ad ſupplendam morbi hiſtoriam ſubjungantur antecedentia. Nata nimirum eſt parentibus per omne conjugii ſui tempus, quod annos hujus ſeculi adæquat, cum nullo, Deo ſint laudes, morbo graviori hactenus conflictatis, & aëre, climate, aquis & alimentis fruitur admodum ſalubribus. Fratres & ſorores habuit duodecim; quorum unus tantum frater natu major in vivis ſupereſt, qui ne leviſſimi quidem convulſivi motus per totam ſuam vitam meminit, ſed tum domi, tum apud exteros vegeta ſemper uſus eſt valetudine: reliquorum eodem ſanguine natorum nullus tres ætatis complevit annos: nam quos difficilis dentitio ſupervenientibus convulſionibus non peremit, variolæ eripuerunt. Hinc etiam de hujus filiæ infantis, à nativitate teneræ, longævitate deſperaverunt parentes. Mater tum temporis, quo ipſam utero geſtabat, variis de rebus domeſticis, negotioque mercatorio bene gerendis curis & ærumnis ob prægreſſi & adhuc dum durantis belli Gallici calamitates fuit exagitata, quas ſolicitudines ipſamet animi ſui ſenſibilis vi adauxit. Nec ignorari oportet, quod paulo ante, quam hancce concepit filiam, rumore de nova hoſtium invaſione in urbem delato, anxie perterrita, ideoque abortum paſſa fuerit. Edita igitur hæc puella in infantia, quoties dentium eruptionem molita eſt natura, convulſiones paſſa eſt: morbillis graviter decubuit, & brevi poſt paucis variolis. In infantili & puerili ætate talibus paroxyſmis ſed levioribus modo atque animum magis quam corpus affligentibus ſomnum ipſius interpolatum fuiſſe, parentes referunt. Videlicet interdum noctu, præſertim quando die præcedente ex inopinato perterrefacta, vel ad iram percita fuit, aut parens indignabundus ipſam reprehendit, quaſi in ſomnio terrifico evigilata, voce clangoſa, verbiſque acceleratis parentibus acclamavit: O valde timeo, porrigatur mihi quæſo manus. Hac pro viribus prehenſa ſtatim acquievit & timor evanuit, ſudans vero & æſtuans deprehenſa eſt, querula de inſigni totius capitis dolore, atque mox iterum ſomno ſe dedit, donec denuo ita expergefacta fuerit: qui panicus terror etiam interdiu recurrit, prout id tulerunt animi commotiones. Non minus recruduit ſæpius in ſchola, templo, alibi, iſtiuſmodi paroxyſmus anxius, iiſdem fere moleſtiis ſtipatus, quæ hodienum illum comitantur, niſi quod ſucceſſu temporis gravior, frequentiorque factus, quin & in motus epilepticos exaltatus, at vero iterum longe mitior factus fuerit: quibus denique ſæpius hæmorrhagiæ narium acceſſerunt.

Cauſam mali jam olim partim in vermes, partim in hæreditarium vitium rejecit Excellentiſſimus D. B. loci tum phyſicus, nunc archiater, ſed pertinacem atque rebellem fore affectum haud vane auguratus eſt. Hujus ſucceſſor eadem in ſententia ſtetit D. D. W. M. qui diu curam ejus geſſit fruſtraneam: nec non alii duo patriæ phyſici catholici. Vermes in inteſtinis latitantes non ſemel prodidit excretio lumbricorum, aſcaridum, imo nonnunquam cucurbitinorum ſive ſpontanea ſive medicamentis procurata. Ante octennium, ni fallor, quum rurſus malo ſuo laboraret, naris ſiniſtra per aliquot dies valde tumuit, & doluit, aëremque tranſitu excluſit. Mater mane quodam narem tumidam attentius contemplans mucum copioſum & tenacem

cem intus hærere rata (nam tantum non ſemper & ante & poſt obſtructæ fuerunt, quare eaſdem ſæpius fricare ſoluit, & emungere, ut aër liberius tranſiret, tentavit, id quod ſucceſſive diſparuit, & nunc nares magis habet liberas) portiunculam parum prominentem evellere conata eſt. At vero putatitius hicce albicans mucus dum extrahitur, longus eſt & cohæret, illiuſque loco attonito ſpectaculo, manuque tremula lumbricus admodum longus è nido hoc protrahitur vivus: ita demum, unde aliquot ante diebus difficultatem & moleſtiam in faucibus ſub ſomno ſenſerit, ægra aſſecuta eſt: alio tempore lumbricum vomitu, & proximo abhinc biennio per anum rejecit fruſtum lumbrici inter excluſionem abrupti, ſeſquipedem longum; à quo excreto aliquot dies poſt correpta fuerat paroxyſmo anxietatis & pavoris jam ſæpius dicto, ſed huic è veſtigio ſucceſſerunt motus epileptici, ut parentibus jam actum eſſe de ipſius vita videretur. Aderat dolor capitis intolerabilis, æſtus intenſus, plenaria virium proſtratio & diarrhœa frequens, corpus ſudore madidum, facieſque præter modum inflata fuit. Melius autem ſe habuit à ſequenti mixtura, quam etiam ante aliquot menſes eo cum fructu ordinaveram, ut tunc bis aut ter non niſi unicus paroxyſmus triduo ante menſium fluxum præceſſerit: Recipe aquæ ceraſorum nigrorum uncias duas, florum tiliæ unciam, epilepticæ Langii, hirundinum cum caſtoreo ana unciam dimidiam, liquoris cornu cervi ſuccinati ſcrupulum, pulveris epileptici marchionis, lapidum cancrorum præparatorum, cornu cervi philoſophice calcinati ana drachmam dimidiam, ſyrupi de pœonia unciam ſemis M. d. ſ. Singulis VI. horis duo cochlearia. Sed revertor ad annos pueritiæ diu jam exactos, referens nunquam neglectum eſſe uſum anthelminticorum, neque contra pavores antepilepticorum, quorum vero deſideratus effectus votis non reſpondit, niſi quod ægrè inducias acceſſionum tulerit. Quo propius anni pubertatis accedebant, eo exactius tempus novæ aggreſſionis eſſe menſtruum obſervare licuit: unde ſpes obtinuit, fore ut menſibus erumpentibus ceſſaturæ ſint moleſtiæ. Quum igitur annum ætatis decimum ſextum ageret, tempore autumnali anno 1723. menſtruari cœpit, fluxum prægreſſis acceſſionibus ſæpius jam memoratis; dein libera ab his per complures menſes, tributum illud lunare non ſtato perſolvit tempore. Sequenti anno 1724. T. miſſa eſt, ut celeberrimi D. D. A. hujuſque patrui D. D. E. C. auxilium ad manus haberet, tum ad promovendum lunare debitum, cum ad arcendos ſub alieno climate priſtinos meticuloſos inſultus. Hæc præcellentiſſimorum virorum biga ob hyemale tempus multorum medicaminum continuationem, ſeu ita dictam curam, ſuadere noluit; ſed ad ſingulos imminentes menſes facilitandos pediluvia & lenia pellentia ordinavit, & Martio menſe venam in pede ſecari juſſit. Redeuntibus autem brevi poſt venæ ſectionem moleſtiis, tranſactis ibidem tribus menſibus patriam repetiit. Medicus ex ægrotæ oculorum aſpectu, qui ſatis clare haud reſplendebant tum temporis, atque halone paullulum livido circumducti erant, jejunio matutino ægre perferendo, panis uſu præ aliis cibis frequentiore, ejectione vermium aliquoties prægreſſa &c. colligens, vermibus adhuc dum inteſtina ſcatere, in eoſque maximam culpæ partem, reliquam in negotium menſium nondum ſatis ordinatum redarguens, præſcripſit medicamenta anthelmintica ex amaris, quorum baſis fuit radix valerianæ, domi uſurpanda; eiſque ſubjungenda præparantia ad acidulas. Has quoque menſe dicti anni Junio cum parente ſuo adiit, & quidem Teinacenſes, quibus ſal acidum purum volatile æque ac fixum, dein ſal alcali fixum & volatile, tum ſulphuris ſubtiliſſimam ſubſtantiam ſive gas ſulphuris, porro ferrum embryonatum volatile, & denique terram quandam ſubtiliſſimam ſive virgineam ineſſe adſtruxit diſſertatio quædam Tubingenſis anno 1727. ſub præſidio illuſtris D. D. Zelleri habita de his ipſis acidulis: ſub quarum potu nihilo ſecius inſtantibus menſibus redierat inſultus pavidus. Domum reverſa diu immunis vixit, donec menſe Januario anni 1725. à vicino quodam ſpectrum malitioſe & nequiſſime agente vehementer perterrefacta, eodemque die longe graviores mali recurſus ſimul & ſemel paſſa, in lectum dejecta fuit, die nocteque ut plurimum ſomnolenta jacens, parum aut nihil ad quæſita reſpondens, atque de acerbiſſimis capitis doloribus, & ingentibus anxietatibus præcordiorum, pectoriſque ſtricturis querula. Veſicatoriis tamen in nucha & ſuris adplicitis adhuc magis divexata ſenſim ſenſimque intra menſis ſpatium mortis faucibus erepta fuit. Verno tempore datus ipſi eſt à prælaudato D. D. A. C. ipſe mercurius in forma bolari aliquoties, ſed nec ex hoc multi vermes depulſi fuere: æſtiva dein tempeſtate denuo Teinacum remigravit, ibique iterum verſus menſtruum tempus paroxyſmo per nycthemeron ter recurſante occupata fuit. Abſoluto acidularum per ſex hebdomades potarum uſu, domi aſſumſit aliquot vicibus olei animalis Dippeliani, famoſi illius antepileptici guttas triginta, juſſu D. A. C. qui præmiſſis univerſalibus id, tanquam ſpecificum ſubordinaverat. Somnus autem, quem alias conciliare dicitur profundum, adeo non inſequutus eſt, ut potius agrypnia, non quidem continua, inquietudine tamen, novis conſuetæ moleſtiæ acceſſionibus, cephalæa, æſtu, moleſtoque propinati medicamenti ſenſu ardente in ore & œſophago turbata fuerit afflicta. Sed reminiſcor, oleum illud non ſatis rectificatum fuiſſe, & empyreuma ad vitri latera & fundum depoſuiſſe. Poſt hæc vero ad anni uſque finem à malo ſuo libera, æſtate anni 1726. ſerum lactis caprini bibit. Tum anno 1727. ſuper hocce caſu conſului A. honoratiſſimos meos præceptores, celeberrimos D. D. S. & S. quorum prior altero haud diſſentiente, vermes hanc tragœdiam ludere, & præſertim tineam latitare ratus, lac alliatum per aliquot dies ſolum, præſcripto omni alio cibo & potu, veſperi clyſteres è ſaccharo thomæo & lacte injici, quinto die potiuncula laxante uti, reliquo tempore quovis mane lac alliatum, loco potus ordinarii aquam mercurialem aſſumi, & unguento anthelmintico abdomen illini, emplaſtrumque vermifugum imponi juſſit, præmiſſa & tandem ſubjuncta eadem potiuncula laxante; id quod per quindecim dies luna decreſcente præſtitit. Quid boni inde redundaverit, fere neſcio, niſi quod relatum fuerit, eam excreviſſe lacinias & quaſi exuvias vermium cucurbitinorum & lumbricorum. Verſus æſtatem iterum conceſſit W. ad agnatum paſtorem in diœceſi S. ibique acidulas Jebenhuſæ ſcaturientes, & cum Gœppingenſibus fere convenientes, teſte clariſſimo Lentilio *in der Beſchreibung des Göppinger Sauerbrunnens* 1725. edita hauſit. Ibidem quoque aliquoties aſſumſit pulveres ſpecificos antepilepticos, unum à generoſiſſima quadam vidua, alterum ab expertiſſimo quodam chirurgo caſtrenſi ipſi venditos, qui diuturniores reliquerunt inducias, quam mithridatium Democratis, quod ſuaſu cujuſdam ex aqua lavendulæ acceperat: autumno juſſu illuſtris D. D. Z. propinatum iterum fuit oleum animale ex ſanguine humano rectificatiſſimum, & ſpi-

ſpiritu vini dephlegmato dilutum , neque alio , quo ſupra effectu. Sub finem ejuſdem anni ſcabies humida è contagio ſuſcepta ipſam occupavit per aliquod tempus: anno inſequente, qui erat 1728. iterum hauſit aquas Lebenhuſanas: in autumno vetula quædam , medicinam empyricam B. faciens duas venas ſimul tundi juſſit, unam in manu, alteram in pede optimum ſpondens effectum: ſed ab illo tempore rediit paroxyſmus alternis ſeptimanis, qui antea ſemper ſtatam periodum menſium imminentium obſervaverat, imo ſæpius prorſus præteriverat: ut de aliis venæ ſectionibus , variis medicaminibus, fonticulo ex ſuaſu D. E. C. gerendo, imo ipſa ſalivatione ab eodem , propoſita, haud vero adhibita taceam. Hæc quum ita per plures annos agerentur, atque tot tamque varia variorum medicamina magnis quidem impenſis , ſed abſque conſtanti auxilio adhiberentur, ego nunquam non auctor ſuaſorque fui ut tuæ, vir illuſtris, magnificentiæ conſilium imploraretur, nullus dubitans, quin per Te, tanquam principem medicorum , Deus aliquando tam diri tamque rebellis affectus finem ſit facturus; ſed neſcio, quamobrem parentes ad hoc faciendum perſuaderi haud potuerint. Quapropter ego pro mea tenuitate menſe Martio anni 1729. ſubnexum hocce conſilium domum tranſmiſi; erant enim tot de variis morbis ſpaſmodico-convulſivis exaſciatiſſimi *Tuæ medicinæ conſultatoriæ* inſerti caſus, mihi totidem fontes, è quibus genuinam ægræ pathologiam æque ac therapiam depromere ſtudui, atque habita circumſtantiarum ratione ad hujus curam & uſum, divino fretus auxilio, applicare in animum induxi.

### *Reſponſio conſilii medici.*

*In affectu ſpaſmodico convulſivo inveterato ſub finem Februarii* 1729. *exarati.*

Quod ſi primum diſpiciamus , qualis ſit , quo ægra detinetur affectus, & unde ſuam traxerit originem? illum omni jure vitium nervorum ſpaſmodico-convulſivum adpellare licebit; cui quod à teneris infantiæ annis obnoxia fuerit, procul dubio matri graviditatis tempore aſſiduo terrore, timore, curis atque ærumnis exagitatæ in acceptis ferendum eſt. Dein autem hiſce malis progrediente ætate vermium colluvies pabulum, & immanis ex ſimulato ſpectro terror inſigne augmentum dederunt: nativa enim animi fere eſt imbecillitas at timiditas, ac radicata jam ad convulſivos motus diſpoſitio; quibus fit, ut temperamentum æque ac nervoſum genus exquiſita ſenſibilitate potiatur , qua ægra non ſolum ad iracundiam atque terrorem eſt facillima, ſed ipſum malum longe gravius redditur, altioreſque agit radices.

Deinde ardua ſatis incidit quæſtio, cur omnes acceſſiones menſtruo potiſſimum invadant tempore? Cui explicandæ haud ſine fundamento ſupponere licebit, primas vias partim ob nervoſarum harum partium imbecillitatem , partim incidentes diætæ errores, partim ipſam vermium præſentiam officio ſuo cibos concoquendi , chylumque præparandi haud rite fungi. Exinde vero menſium quoque ſucceſſus irregularis factus eſt: cruor enim ex imi ventris viſceribus ad uterum congerendus , per eumque excernendus, aliquali equidem exitu potitur: at accedentibus perverſis motibus ſimul ſurſum ad pectus cervicemque compellitur, & circa medullam ſpinalem ſtagnans nervorum diſtentionibus, convulſivo ac anxio pavori , capitis dolori, ipſique narium hæmorrhagiæ efficaciſſimam ſuppeditat occaſionem. Quid ergo iniquius eſſe potuit, quam ſubjecto huic ſanguinis inordinatis motibus ac ſpaſmodicis agitationibus ſolicitato binas ſimul in brachio atque pede tundere (ſicuti noviſſimo autumno factum eſt) venas, & hinc motibus iſtis perverſis longe majus addere augmentum atque incrementum?

Si porro quæritur, an adhuc vermes, & quales ſint præſumendi? meo quidem arbitrio ex morbi hiſtoria adparet, illos adhuc in inteſtinis & quidem ſuperioribus omnino hoſpitari: num vero tinea ſubſit, determinare vix audeo, ſaltem ex fruſto lumbrici ulnam fere longi olim excreto colligi poſſe credo, eos, quicumque ſint, ſatis inveteratos & inſigniter longos eſſe debere.

Alvi profluvium, quod pronuper ſupervenit, natales ſuos mutuatur à ſpaſmodica glandularum inteſtinalium conſtrictione; qua humores illarum majori copia in inteſtina expreſſi, frequentes illas dejectiones, muco verminoſo procul dubio permixtas induxerunt; unde quoque ratio elucefcit, cur ægra tum temporis à cibis ſolidioribus abſtinuerit, magis fluidis & potibus indulſerit.

Quod ſi ergo ad prognoſin accedam, & num ſanitatis recuperandæ ſpes reſtet, perquiram: non ſane poſſum, quin mali hujus ſatis diuturnam ac difficilem curationem præſagiam: Non enim ſolum ipſe morbus nativus & nimium vetuſtus, ac ægræ eximia ſenſibilitas id ſpondent; verum etiam ipſi vermes, temporis diuturnitate adeo increviſſe , ac jus fere hoſpitii obtinuiſſe videntur, ut vix quidem poſſible fuerit, eos penitus exturbare. Verum enim vero, cum medicamentorum exhibitorum vis non ſemper irrita fuerit, ſed ſæpius mali inducias induxerit, vermeſque depulerit; & ipſa ægrotæ ætas adhuc junior , vegetiorque deprehendatur : non omnem animum abjicere oportere exiſtimo , maxime ſi victus pertinaciſſima obſervatio , longum tempus, & medicinarum aſſiduus uſus acceſſerint.

Neque vero ſcopo huic obtinendo matrimonium profuturum exiſtimo; quippe quod, præcipue ſi conceptio ac graviditas ſucceſſerint, inſignem œconomiæ vitali infert mutationem, adeo comparatam , ut huic malo majus damnum minetur, quam emolumentum: ut periculoſa ſymptomata ſilentio prætermittam , quæ ex partu ſunt pertimeſcenda. Hinc potius in tam diri affectus ſublatione optandum foret, ut ſoteria ars ſuggereret nobis medicamina, in exſtirpandis hiſce hæreditariis ac inveteratis morbis efficacia: at vero cum his deſtituamur, nihilo tamen ſecius ſpero, fore ut niſi perfectam mali exſtirpationem, ſaltem inſigne obtineamus allevamentum. Huic autem impetrando neceſſarium eſſe duco, ut nervi debilitati corroborentur, dein ſucci laudabiliores generentur, tum alvi perpetua libertas conſervetur, porro humorum æqualis progreſſus adjuvetur, & congeſtio ad certa loca revellatur , & denique vermes expellantur.

Quoniam ergo exploratum eſt , rectam atque longam victus rationem ingens ſæpius attuliſſe curationis augmentum : huic uni ante cetera ſedulo atque diligenter incumbatur , etiam atque etiam hortor. Ergo animi præprimis tranquillitas, atque ab omni mœrore , timore , terrore, aliiſque commotionibus ſolutio amplectenda, atque ab iis, qui ægræ præſentes ſunt promovenda eſt; contra vero omnis mentis labores cum meditatione juncti, ſolicitudines ac multa librorum lectio ſummopere fugiantur.

giantur. Inter cibos ab iis omnibus abſtinere convenit, qui concoctu difficiliores, & flatibus, crudiſque humoribus ac ſaburræ generandis ſunt idonei; quo ſpectant acida, dulcia, ſalſa, obſonia, poma, fructus horræi, ſimilaginea, braſſica, muria condita, caro ſuilla &c. in eorumque locum eduliis mollioribus ac tenerioribus moderate veſcendum. Potui nullum vinum nec cereviſia convenit, ſed fructuoſius inſerviet hoc decoctum: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias duas, chinæ, ſarſaparillæ ana drachmas ſex, pœoniæ, cichorei, viſci querni ana unciam, ſeminis fœniculi, cinnamomi acris ana drachmas duas, tartari vitriolati, nitri antimoniati ana drachmam dimidiam, M. d. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia in binis aquæ menſuris leni igne decoquenda eſt. Tum omne frigus, maxime pedum ſedulo arcendum; nec proficuum erit tam ſummo mane, uti hactenus ſuevit ſurgere: & ſicuti nimium corporis exercitium ac incandeſcentia certam minatur noxam; ita quoque vita ſemper deſes ac otioſa haud congrua erit: hinc corpus quandoque ſub ſerena tempeſtate ambulatione leniter movere oportet. Neque minus porro egregiam ſpondet operam cœli mutatio proximo vere inſtituenda; & denique omnia aliorum, maxime medicaſtrorum conſilia ac auxilia minime in uſum ſunt vocanda.

Deinceps vero inter medicamina primum commendo infuſum theiforme ſex circiter vaſculis hauriendum, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ, betonicæ, meliſſæ, ſummitatum millefolii, florum chamomillæ romanæ ana manipulum, florum primulæ veris, anthos, lavendulæ, tiliæ, ſalviæ ana pugillos duos, cubebarum ſcrupulos quatuor, flavedinis corticis citri recentis ſubtiliter ſeparatæ drachmas tres, ſeminis aniſi ſtellati drachmam cum dimidia, olei tartari per deliquium drachmam. D. quod mane intra lectum potandum, & quandoque lenis inde ſudor expectandus. Prius vero, quam hoc ſorbilletur in uſum, nervinus pulvis ea, quam duo cultri cuſpides tenent, quantitate aſſumendus eſt. Recipe pulveris epileptici marchionis unciam dimidiam, lapidum cancrorum præparatorum drachmas tres, cornu cervi philoſophice præparati, antimonii diaphoretici, ungulæ alcis præparatæ, unicornu veri præparati ana drachmas duas, lumbricorum terreſtrium præparatorum, ſuccini albi ana drachmam, nitri puriſſimi ſcrupulos quatuor, cinnabaris nativæ ſcrupulos duos, extracti croci ſcrupulum dimidium, caſtorei liquidi guttas XXX. olei deſtillati macis, de cedro Italici ana guttas XV. M. F. pulvis, qui alternis diebus, tempore vero paroxyſmi quotidie modo deſcripto, & veſperi ex XV. guttis Spiritus bezoardici Buſſii correcti drachmam, ſpiritus nitri dulcis drachmas tres. M. D. Præterea hora quinta veſpertina LX. guttas elixirii balſamici ex vino malvatico, corticibus aurantiorum, ſale tartari & extractis amaris parandi devorandas conſulo: nec minus XIII. pilularum balſamicarum mane quavis ſemel ſeptimana deglutiendas; quo die pulvis & Spiritus allegati omitti debent: prægreſſa vero veſpera drachma circiter hujus aperitivi ſalis præmittatur; Recipe ſalis Sedlicenſis drachmas duas, tartari vitriolati, arcani duplicati, tartari ſolubilis ſingulorum drachmam, nitri purificati drachmam dimidiam, olei deſtillati macis guttas III. M. D.

Denique haud ludetur opera, ſi ægra quavis veſpera in pediluvia ex aqua, in qua furfurum triticeorum manipuli tres, florum chamomillæ bini manipuli, & manipulus dimidius cinerum ſacculo incluſi decocti fuerint, parata, moderate tepida, in eoque tepore affuſione ſucceſſiva calidioris conſervanda pedes ad genua uſque immiſerit, ac per horam dimidiam detinuerit. Tum ſemper cervix & dorſi ſpina calidis pannis probe fricentur & hoc nervino linimento calide inungantur: Recipe unguenti martiati, pinguedinis humanæ ana uncias duas, olei deſtillati lavendulæ drachmam cum dimidia, florum anthos, ſalviæ ana drachmam, nucis moſchatæ expreſſi drachmas tres, ſuccini deſtillati, rutæ ſingulorum drachmam dimidiam, balſami peruviani drachmas duas. M. D. Quod ſi menſes immineant; binis diebus ante, totidemque poſt eorum fluorem nec non ſub ipſo fluxu melius omittitur hujus linimenti uſus, in ejuſque locum quotidie XIII. pilularum balſamicarum veſperi deglutiantur: neque minus hoc tempore pulvere, ſpiritu, ac infuſo theiformi ſupra citatis ſuperſedere licet, niſi forte ſpaſmodica adflictio crebrius urgeat. His ergo medicinis per integrum menſem adhibitis, biduo ante novilunium XIX. harum pilularum laxantium mane devorare oportet: Recipe extracti panchymagogi Crollii grana ſex, rhabarbari, aloes gummoſæ, myrrhæ, aſæ foetidæ, mercurii dulcis rite parati ana grana XII. olei deſtillati Tanaceti guttam unam. M. F. pilulæ pondere grani unius, d. Præcedente autem veſpera & inſequente biduo operæ erit pretium enemata ex lacte ac ſaccharo parata injicere: altero poſt ſumtas pilulas die mane ex infuſo theiformi olei amygdalarum dulcium recentis unam cum dimidia unciam ſorbillare; tertio iterum pilulas, & quarto idem oleum adhibere; ac attendere, num ſub horum uſu vermes excernantur. Nec alienum erit, proximis ante harum pilularum diebus aperitivi ſalis unam alteramve drachmam veſperi aſſumere: quæ curandi ratio non minus circa plenilunium repetenda eſt. Accedente denique Majo aut Junio menſe Selteranas acidulas lacte aſinino mixtas commendo, eaſque in principatu Würtembergenſi potandas ſuadeo; ceterum ex toto pectore precor, velit Deus hancce curationem reddere ſalutarem.

Quantum igitur recordor, medicamenta hæc, quæ nervis roborandis dicata fuerunt, in emolumentum ægræ ceſſerunt; quamvis recidentes mali acceſſiones non penitus præpedierint. Anthelmintica autem dicebantur alvum reddidiſſe quam maxime lubricam, & dejectas eſſe iterum quaſi exuvias & pelliculas vermium; ventris doloribus junctam fuiſſe inſignem nauſeam ac ſenſum, ac ſi œſophago aliquid inhæreret, quod vomitum cieret. Poſtea menſe Junio uſa eſt aqua Selterana cum lacte caprino æquali portione mixta & ante & pomeridie, præmiſſa & aliquoties interpoſita laxatione à pilulis balſamicis, quæ numero XV. duodecies alvum ſubducebant: interjuncta quoque ſunt ad interſtitia hebdomadaria balnea ex aqua fluviatili cum ſacco ex furfuribus, floribus chamomillæ, & cineribus, ibidem aliquot vicibus per V. dies repetita. Permiſi, ut tum acidulas vino Necarino remixtas loco potus ordinarii biberet, nam infuſa theiformia & decocta non tolerare videbatur ventriculus. Idem quoque linimentum nervinum è balneo exeuntis nuchæ & dorſo fuit illitum: & quum hoc quoque tempore reverterentur acceſſiones, iteratus eſt uſus pulveris antiſpaſmodici, datus ſpiritus antepilepticus; cervici tam graviter atque indeſinenter dolenti impoſitum emplaſtrum regium Burrhi, atque hoc diu cum levamine geſtavit. Sed diffitendum haud eſt, regulas diæteticas ne vix quidem ab ægra fuiſſe obſervatas, id quod non potuit

tuit non eſſe ſumme nocivum & convaleſcentiæ obſtaculum maximum. Hinc re tantum non infecta in patriam rediit, priſtino morbo, licet mitiori nondum ſublato. Ita domi ſub continuatione incongrui regiminis malum ſucceſſive ita increbeſcebat, ut verno tempore anno elapſo poſt paſchatis ferias inſultus rurſus adorirentur epileptici. Porrigebantur quidem medicamenta, iteratoque potui acidularum Selteranarum cum anatica lactis caprilli portione interponebantur balnea ex aqua fluviali & lacte parata. At vero priſtina ſemper ludebatur fabula. Pro ſpecifico antepileptico celeberrimi Stahlii mihi quondam venditatus eſt ſequens pulvis: Recipe lumbricorum terreſtrium in Majo & Junio in coitu captorum ante ſolis exortum prægreſſa pluvia, Spiritu vini ablutorum toties, donec Spiritus vini non amplius turbetur, ſiccatorumque in aëre; tum pulveriſatorum ac cribratorum unciam, radicis pœoniæ maris unciam dimidiam, cinnabaris antimonii drachmam. M. F. pulvis: hujus ſæpius propinari curavi doſin; remiſcui quoque cum pulvere bezoardico, nec non ad fallendam immanem, quæ paroxyſmorum tempore ægram infeſtat ſitim cum pulvere præcipitante nitroſo. Verum ſub hujus uſu frequentiores fuiſſe ait acceſſiones. Ad negotium menſium facilitandum non neglectæ ſunt pilulæ balſamicæ, quæ vero ob diarrhœam, quam crebrius proritare videbantur, parcius ſumtæ ſunt. Haud ita diu abhinc parentes ipſi propinaverunt ſpiritum quendam antepilepticum, quem pro inſigni arcano pharmacopoeus quidam venditavit; qui, uti ex odore, colore & ſapore conjicio, non niſi eſt ſpiritus volatilis alcalinus compoſitus, cujus baſis ex regno animali petita, & cum ſpiritu Buſſiano multum convenire videtur. At rumpendum tandem erit filum & ad finem properandum; quanquam inter allegata tot remedia ob innumeram eorum farraginem longe plurium oblitus fuerim.

Quandoquidem ergo ex hactenus commemoratis abunde pateat, ægram ab incunabulis herculeo hocce morbo, ſucceſſu annorum magis exaſperato afflictam fuiſſe; & non paucas florenorum centurias ad eum debellandum fruſtra impenſas, atque ob tantum tamque ineffabilem fere medicaminum jam aſſumtorum numerum metus omnino ſit, ne nihil opis humanis viribus ſuperſit, ſed malum in dies ingraveſcat, itemque ægrota ob id ipſum nondum auſa fuerit matrimonium inire: eo jam tendunt preces recentiſſimæ, atque ſuſpiria, ut divina adjutus gratia etiam de tragico hocce caſu tibi renunciare placeat, Vir Magnifice! qui genuinis philiatris longe major es, quam olim veteres coluerunt Machaonem. Expone, obſecro, quæcunque ad penitiorem hujus morbi, ejuſque ſymptomatum cognitionem, atque, quam Deus Te interprete faxit, curationem pertinent.

Nuperrime ægra hanc in urbem ad me pervenit, ut iterum curam ejus ſuſcipiam, quam te directore, habebo exactiſſime. Dum autem exoptatæ tuæ ad nos appellant reſponſoriæ, curabo ut proxime vena ſecetur, & ſanguis educatur tempore menſium intermedio in brachio ad ſex uncias: præferrem quidem illam in pede, ſed ſemper inde pejus, inciſa vero mediana melius habuit. Bis de die ante paſtum aſſumit cochlear unum elixirii cujuſdam amari ſtomachici; paroxyſmorum tempore dabo pulverem bezoardicum. Sitim atque veſicæ ſpaſmum, unde urinæ ardor meo arbitrio exoritur, placabo emulſione amygdalina & pulveribus nitroſis: pedibus proſpiciam tepidis pediluviis, & poſt ſingula ſebum cervinum cum larga ſpiritus frumenti quantitate mixtum inungi jubebo. Nuchæ item imponam emplaſtrum regium Burrhi; ventriculo aliud è theriaca, oleo nuciſtæ & balſamo peruviano &c. Sanguinem menſtruum expediam pilulis balſamicis, quarum pridie XV. noctu aſſumtæ poſtridie duodecies alvum lubricarunt; acceſſerat quidem levis terror ex inopinato audita in vicinia exploſione bombardæ, quem mox ſubſequutæ ſunt frequentes horripilationes & leviſſimæ acceſſiones, quarum indivulſus fere comes alias quoque alvi fluxus crebrior eſſe ſuevit; licet præterita demum ſeptimana menſes, malique invaſiones fuiſſet experta. Subſtiteram hic heri: jam igitur de hodierno die in pede ſiniſtro è vena ſecta prope minimum digitum ſita emiſſo ſanguine ad ſex uncias refero; fuiſſe illum ſatis floridum & rubicundum, proſiliiſſe vegete, ſerumque ſecedens à thrombo aliquantum rubuiſſe. Accepi etiam hodie viginti vaſa fonte Selterano repleta, quem lacti caprillo commiſcendum, quia aſinas regio noſtra non alit, ægrotæ deſtinaveram: prius vero Tuum, Vir Magnifice, conſenſum deſideramus.

*Conſultatio.*

Ex iis, quæ copioſe ſatis atque eleganter de ſororis tuæ dilectiſſimæ adverſa valetudine perſcripſiſti; illam inſigniter debili ſenſibilique genere nervoſo præditam eſſe intellexi; ex quo ſcilicet fit, ut vel leviſſimæ animi commotiones omnes corporis functiones perturbare, & mali acceſſionem excitare valeant. Hæc autem nimia nervorum imbecillitas partim tenerrimæ harum nervoſarum ac fibroſarum partium, quæ motuum vitalium vera ſunt organa, texturæ; partim hæreditariæ ad motus ſpaſmodicos per matrem propagatæ diſpoſitioni; partim denique vermibus in acceptis ferenda eſt; qui nerveas inteſtinorum membranas vellicando jam longo abhinc tempore, accedentibus imprimis animi affectibus, motus illos ac inſultus epilepticos produxerunt; Quid ergo mirum, ſi rebus ſic ſe habentibus concoctio aſſumtorum læſa, inſignis crudorum humorum copia in primis viis collecta, hinc minus laudabilis ſanguis generatus fuerit? Inde vero vaſcula uteri minima, quæ ordinario cruorem uterinum fundunt, obſtructa ſunt; & ipſa menſtrua purgatio ſuppreſſa; quæ ſuppreſſio humorum dyſcraſiæ adaugendæ non minus, quam eorum congeſtionibus atque regurgitationibus ad ventriculum & caput vi ſpaſmodicarum diſtentionum factis efficaciſſimam ſubminiſtravit occaſionem; ideoque has hyſtericas, ſpaſmodicas ac epilepticas neceſſario inducere debuit acceſſiones.

Quantæ autem hiſce ægritudinibus, quarum cauſa ac fixa ſedes membranis capitis ac ſpinalis medullæ nervoſis inhæret, inveteratis ac temporis diuturnitate in conſuetudinem ac alteram quaſi naturam degeneratis medendi ſint difficultates, non ſolum ratio docet, verum etiam experientia confirmat: quid? quod ipſæ medicinæ, menſibus promovendis alias efficaciſſimæ hæcce mala magis exaſperare deprehendantur. Hinc quoque, quamvis ſuppreſſa lunaris excretio epilepticorum motuum vera ſit cauſa, tamen hiſce nondum ſedatis nec ea propinare licet medicamina, quæ menſibus provocandis ſunt opportuna.

Si igitur candide aperiam, quæ mea in hiſce morbis debellandis ſit methodus; egregiam primum utilitatem ex uſu lactis aſinini cum acidulis Selteranis commixti, & tribus menſuræ partibus mane, totidemque hora quinta veſpertina ſumti polliceor. Huic autem potationi accurata viven-

di

di ratio accedat, ac omnia vinoſa, acida, aliaque minus congrua evitentur neceſſe eſt; contra vero bis quavis hebdomade poſt abſolutum lactis potum unum alterumve aquarum Sedlicenſium hauſtum, aut veſperi XI. mearum balſamicarum pilularum aſſumere; neque minus corpus moderato exercitio ſub ſerena tempeſtate movere, & amœno conſortio uti oportebit. Deinceps commendarem, ut ægra cubitum itura in balnea temperata ex aqua vel pluviali, vel fluviatili cum triticeis furfuribus parata deſcendat, & ex illis egreſſa nucham dorſique ſpinam hoc linimento probe inungi curet: Recipe axungiæ humanæ unciam, olei nuciſtæ expreſſi unciam dimidiam, olei lavendulæ, roriſmarini, balſami peruviani ana drachmam. M. d. Non minus egregiam operam ſpondet ſequens pulvis veſperi ex aqua ceraſorum nigrorum quandoque capiendus: Recipe pulveris marchionis unciam, ſuccini pulveriſati, lumbricorum terreſtrium ana drachmas duas, cinnabaris præparatæ drachmam, olei roriſmarini, macis ana guttas ſex. M. d. ſ. XXX. pro doſi. Nec denique negligendus eſt enematum uſus: lactis vero potu abſoluto infuſum florum tiliæ atque meliſſæ hauriendum eſt.

Hac medicatione per quatuor vel quinque hebdomades protracta, & conſopitis inde aliquantulum motibus iſtis epilepticis, elixirii mei viſceralis, in menſibus blande ciendis efficaciſſimi uſum ter quotidie repetendum ſuadeo; quod etiam ſub ipſa illa curatione, ſi per 14. circiter dies continuata fuerit, veſperi pondere LX. vel LXXX. guttarum aſſumere licet. Ordinario ceterum potui commendo decoctum ex cortice ligni ſaſſafras ac citri paratum; & ſi præſto ſit ſanguinis evidens abundantia, præmiſſis pediluviis venæ ſectionis haud improbo uſum. Hæc ſunt, quæ in ſalutem ægrotantis proponenda duxi; quibus ſi morem geſſerit, de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS XXXI.

### *De epilepſia inveterata cum lypothimia.*

Adoleſcens octodecim annorum generoſus, temperamenti phlegmatico-ſanguineo-cholerici jam quarto ætatis ſuæ anno vehementem humorum ad oculos congeſtionem paſſus erat; quæ ætate progrediente caput occupavit fœdis efflorescentiis. Quamvis autem hæ morboſæ diſpoſitiones prioribus infantiæ annis haud adeo manifeſtis ſe prodiderint notis: illas tamen jam ex utero originem traxiſſe, ac hæreditaria labe propagatas fuiſſe, ipſa morbi docebit hiſtoria: æger enim à teneris fere præcordiorum anguſtiis quandoque ſolicitari fuevit, quæ cum ætate magis magiſque increvit, donec dicta capitis efflorescentia inunctione olei amygdalarum & capillorum evulſione fuerit depulſa. Tum quidem à ſordibus liberatum eſt caput; at vero abſcondita hactenus lerna jam demum apparere cœpit, & cum repulſa per hanc intempeſtivam inunctionem materia ulceroſa acris ad nervoſum procul dubio decubuerit genus, decimo ætatis anno epileptici acceſſerunt motus. Conſultus ego perſcrutata morbi cauſa, morbum medicinis alterantibus, abſorbentibus, laxantibus, acrimoniam humorum temperantibus, expellentibus, nervinis ac antepilepticis oppugnavi: quibus, licet achores haud revocaverint, id tamen obtinui, ut epileptici motus fere remiſerint, & non niſi ſub forma levioris animi deliquii per biennium adhuc quandoque inſultaverint. Sed & hæ lipothymiæ poſthæc adeo ſunt imminutæ, ut vix per quædam temporis momenta inhæſerint leviſſime, & ſæpius per quandam pectoris anguſtiam ſui acceſſionem manifeſtaverint.

Hinc quidem omiſſus eſt per aliquod tempus medicamentorum uſus; at vero cum malum cum ætate recrudeſcere videretur, iterum in auxilium vocatus, eo, quæ Dei eſt gratia, perduxi ægrum, ut per integrum menſem ab omni & anxietate & mentis defectione immunis extiterit. Verum enim vero accedebant diætæ errores pariter ac animi pathemata, maxime taciturna excandeſcentia, ad quam facillimus tum erat ægrotans; ac eximio utique erant impedimento, quo minus à morbo ſuo penitus vindicari potuerit: nihilo tamen ſecius ſanitatem anxie anhelans varios conſuluit medicos, eorumque opera per tres fere annos incaſſum uſus fuit. Quidam eorum affectum eſſe hyſterico-hypochondriaco-ſcorbuticum, à lympha tenui, acri, auſtera, elaſtica oriundum pronunciavit, eique ſcopo varias internas non minus quam externas oppoſuit medicinas: tantum vero abfuit, ut malum debellaret, ut illud potius falſa non nunquam ſanitatis ſpecie imponens, alias induerit larvas, & demum paroxyſmos anguſtiæ præcordiorum, phlogoſes ac extraordinarius timor exciperent: quid? quod denique in ipſam mutaretur catalepſin, qua æger in eo, quo erat, ſitu ac motu, ſubito immobilis rigebat, aliquoties ſingultiebat, tumque iterum liber erat. Neque hæc affectio ullis paruit medicinis, ut illæ igitur ad aliquot tempus iterum omitterentur. Tum denique noviſſime abhinc elapſo anno alter medicus ſe malum funditus extirpaturum pollicitus advocabatur, qui illius ſedem in ſolo ſanguine hærere ratus, ægrum crebris venarum tam in pede quam brachio ſectionibus, ac largis cruoris ad lipothymiam uſque miſſionibus fatigavit; nec aliorum remediorum uſum neglexit, ac præſertim in balnea cum formicis parata per integrum menſem bis quotidie deſcendere juſſit, in quorum ob ægri debilitatem omiſſorum locum balnea ex furfuribus confecta ſubſtituebantur. Sed nec hæc conamina votis reſponderunt; ſiquidem malum in ſpaſmum fere hyſtericum commutari cœpit, ac tanta ægrum prehendit celeritate, ut protinus omni rationis uſu deſtitutus concidat: neque tamen epilepticæ ſimilis hæc eſt acceſſio, ſed ſimul & ſemel veluti attonitus proſternitur, & ubi ad ſe redire incipit, ſermones per octavam circiter horæ partem cum circumſtantibus miſcet, quorum tamen deinceps haud conſcius eſt; & tandem memoriæ vigor inſigniter diminuitur. Hiſce demum malis, maxime cum caput infeſtarent ſimul, diriſque doloribus adficerent, qui ſicuti omnes congeſtiones ex irregulari motu & circulo humorum natales ſuos mutuari mihi videntur, ante anni circiter quadrantem fonticulus brachio ſiniſtro inflictus opponebatur; exiguo tamen levamine, quippe cruciatus illi capitis nihilo minus quandoque recurrunt.

Quæ cum ita ſint, meam rurſus implorarunt opem, quam quidem haud denegaturus Tuum prius, vir illuſtris, ſuper hoc diro ac pertinaci malo, quod jam per octo annos omnem medicorum, & remediorum vim eluſit, efflagito conſilium, & doceri potiſſimum aveo; num ipſi penitus depellendo ſpes adhuc ſuperſit, & quæ huic ſcopo profutura ſint medicamina?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Quantum quidem reminiſcor, generoſus æger à prima fere infantia ex repulſis achoribus epilepticis correptus fuit motibus; qui adhibitis medicinis de ſua atrocia per aliquot quidem annos inſigniter remiſerunt, & primum in nauſeam ſolummodo cum leviſſimo mentis deliquio ſtipatam, deinde in quandam duntaxat anxietatem deſierunt: accedentibus autem & victus erroribus & animi commotionibus graviter recruduerunt iterum. Hinc varios medicorum conſultos fuiſſe relatum lego; quorum alter, cum ipſam mali acceſſionem anguſtiæ præcordiorum, phlogoſes & timor inordinatus exciperent, & æger in eo, quo erat ſitu, immobilis veluti catalepſi prehenderetur, affectum declaravit eſſe hyſtericum: alter vero ea ſymptomata largis venæ ſectionibus & cruoris ad mentis uſque deliquia miſſionibus, aliiſque medicinis oppugnavit; ſed non niſi exaſperavit malum, illudque longe pertinacius reddidit, adeo ut vigor memoriæ ſimul imminueretur.

At vero, ſi ingenue fatear, hæ nervorum affectiones tam diuturnæ, inveteratæ ac in conſuetudinem veluti ac habitum degeneratæ, curatu omnino ſunt difficillimæ; & qui illas funditus expugnaturus multis variiſque pharmacis, maxime inconvenientibus pugnaverit, ſe non niſi oleum camino addidiſſe deprehendet. Hinc in hiſce ægritudinibus ab omnibus potius abſtinere mallem medicamentis, & majorem ſpem in loci aëriſque mutatione & victus accurata obſervatione collocarem: cum præterea experientia compertum habeam, ea vitia circa pubertatis annos, decimum quartum ſcilicet ac vigeſimum primum ſæpius ſponte evaneſcere, ſaltem in melius mutari. Fugiantur ergo longiſſime fonticuli, balnea, venæ ſectiones, purgantia, vomitoria, ſpirituoſa atque volatilia: nec ullum vinum aut cereviſia ordinario inſerviat potui, cui potius commendarem hoc decoctum: Recipe radicum chinæ, ſcorzoneræ, viſci querni, raſuræ eboris ana uncias quatuor, ſantali rubri, ſuccini præparati, radicis cichorei, liquiritiæ ana drachmas ſex, feminis fœniculi, corticis ligni ſaſſafras ana unciam dimidiam. C. C. d. S. ſpecies, quarum binæ unciæ cum tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes in vaſe clauſo decoquendæ ordinarium conſtituant potum. Nec incongruum erit ad temperandam ventriculi acrimoniam ſola quandoque aqua uti. Deinceps operæ erit pretium, ut æger quotidie liquoris mei anodyni in hiſce morbis efficaciſſimi XXX. vel XL. guttulas ex hauſtu aquæ fontanæ & hora meridiana, & cubitum iturus aſſumat; nec non quavis hebdomade haſce pilulas antiſpaſmodicas devoret: Recipe gummi galbani, opoponacis, myrrhæ electæ, extracti millefolii, rhabarbari ana unciam dimidiam, caſtorei, cinnabaris præparatæ ana drachmam. M. f. pilulæ ex ſcrupulis duobus No. XXV. quarum quindecim per diem, non uno quidem hauſtu, ſed quavis hora tres earum capiendæ ſunt. Alvo ſegni opponantur enemata domeſtica: nec alienum erit, temperatis pediluviis ex furfuribus tritici paratis non nunquam uti; ventriculi vero regio balſamo meo vitæ inungi poteſt. Horum remediorum uſui per tres vel quatuor hebdomades inhærere oportet ægrum, & tum eorum effectum ſcire aveo. Nec ſilentio prætermittere poſſum, horum morborum medicationi vernum tempus longe opportunius eſſe hyemali; quo etiam Selteranarum acidularum potum haud ſine fructu adhibitum iri credo. Ceterum diætæ regulæ pertinaciter ſunt obſervandæ; fugiendi acidi, ſaliti, flatulentique cibi: evitandæ mentis nimiæ commotiones, maxime iracundæ; nec otio indulgendum nimis, ſed corpus cœlo ſereno vel ambulando vel curru vehendo leviter movendum: quibus omnibus ſi rite morem geſſerit æger, haud dubito, fore ut, niſi perfecta exſtirpatio, ſaltem inſigne mali inſequatur allevamentum.

*Ulterior relatio.*

Accepimus, Vir excellentiſſime, quæ nobis miſiſti conſilium ac medicamina: recte vero pronunciaſſe videris, hiſce morbis debellandis minus opportunam eſſe hyemalem tempeſtatem. Malum enim magis magiſque pertinacius adparet; & quo eo melius innoteſcat, quos remedia exſeruerint effectus, hos prout ſingulis diebus conſignavit æger, ſignificandos eſſe duxi.

*Diarium à Decembri menſe* 1730.

Quarto Iduum Dec. congeſtio occupabat dentes ſiniſtri lateris, nocte vero ſequenti ad dextrum vergebat latus, neque tamen ſomnum inquietum reddebat, nec terrificis turbavit inſomniis. III. Id. Dec. bene habui; veſperi autem caput dolere & poſt mediam noctem dentes ſiniſtri lateris iterum adfici cœperunt, ſomno pariter tranquillo.

Pridie iduum non minus valui, niſi quod flatulentis moleſtiis fuerim ſolicitatus, quas an potui non defæcato, an alii cauſæ adſcribam, anceps hæreo; attamen ſomno fruebar placidiſſimo, quem ſummo mane anxium quoddam excuſſit inſomnium.

Ipſis idibus optime habui, ſed veſperi cum fœtidiſſimo forſan oleo, cujus odorem inſigniter abhorreo, veſtes perfunderem, capitis dolore ac languore quodam correptus ſui; noctem nihilo minus ſuavi tranſegi ſomno.

XVII. Cal. Jan. Diem conſumſi ſatis vegetus; veſperi vero dolor dentes occupabat, flatuſque abdomen infeſtabant, inſequuta alvi ſolutione depulſi. At decima veſpertina hora, cum lecto vix quædam momenta immoratus eſſem, conſueti mihi mali quidam acceſſit inſultus, quem ex capitis perturbatione collegi: excipiebat hunc iterum alvina excretio, & denique tranquillus ſequebatur ſomnus.

XVI. Cal. iterum bene habui, niſi quod dentium dolore tentarer admodum vago; qui etiam XV. Cal. accedebat quandoque, languore corporis ſtipatus; ſomno tamen ſatis bono, licet inſomniis quibuſdam turbato frui permiſit.

XIV. Calend. aſſumſeram præſcriptas pilulas; ex quibus matutino tempore capitis temulentiam & imi ventris tormina toleravi: at tertia meridiana hora recruduit malum meum ſatis graviter; & nocte timorem quendam ac anxietatem reliquit; nec vero ſomnum penitus turbavit.

XIII. Cal. inſigniter valui, niſi quod dentium cruciatus per intervalla accederent; qui vero XII. Cal. iterum evanuerunt.

XI. Cal. autem rediit paroxyſmus vehementer ex improviſo; mox vero remiſit, nec timiditatem reliquit, nec inſomnem noctem: ſed X. Calend. aliquoties me leviter turbavit, & ſub prandio tanta celeritate ac vehementia prehendit, ut nec acceſſionis ipſius conſcius fuerim; eademque vehementia poſtridie.

IX. Cal.

IX. Cal. cum ſacris intereſſem, recruduit, ut elata voce loqui cœperim, & corpus procul dubio jactitaſſem, niſi me continuiſſent: ſatis diu quoque inhæſit, meque omnium, quæ acta erant, reddidit neſcium. Neque minus abhinc continuas minabatur acceſſiones, ac timidum me relinquebat, ut hoc æque ac poſtero die

VIII. Cal. in publicum prodire haud auderem; ceterum tamen bene valui, noctemque egi placidam.

VII. Cal. Epilepticus ille inſultus bis me prehendit inſigni atrocia, & non ſolum timorem ac anxietatem reliquit, verum etiam dentium dolores, qui

VI. Cal. dextrum potiſſimum adfligentes latus, epilepſia, capitiſque temulentia accedentibus ſolvebantur; hiſce vero remittentibus iterum ingruebant, & ſic invicem alternabant; ſed ſomnus fuit placidiſſimus, &

V. Cal. integra valetudo, quæ quidem IVto. Cal. adhuc continuabat: at veſperi & ſummo mane recruduit malum; nec minus III. Calend. me adfecit, & admodum anxium reddidit atque meticuloſum.

Pridie vero Calend. ipſis Calendis ac VIto. Nonar. Januar. anni 1731. optima uſus valetudine:

V. Nonar. circa horam quartam veſpertinam tanta me rapuit imbecillitas, ut vix me movere valerem: ſed paulatim iterum remiſit; nec

IV. Non. habui de quo conquererer, niſi quadam nauſea, quæ poſt leviorem corporis motum mox evanuit.

III. Nonar. hora tertia meridiana acceſſit ex improviſo malum, ut ſupinus proſternerer, ac caput allidere graviter: tum ad ſomnum me compoſui, & atrocibus capitis doloribus expergefactus laboravi; noctem denique placidam habui, & ſummo mane malum meum denuo incidi.

Pridie nonar. bene habui; nec minus ſequentibus ad VII. Iduum diebus valui, niſi quod inſultus epilepticus ſæpius, licet leviter ingrueret, ac immineret.

*Conſilium.*

Intellexi ex morbi ulteriore relatione, quod illius diræ acceſſiones nondum ſunt expugnatæ: & fateor pertinaciſſimas eſſe has jam corruptas, hæreditarias ac diuturnas ægritudines, quæ omnem remediorum vim eludunt, & majus emolumentum ex aëris, potus, ætatiſque mutatione ac animi tranquillitate reportare obſervantur. Maxime vero fugiantur vaporoſa quæcunque, ſive ſuave ſive grave quid redoleant; quoniam illa ægro inimica eſſe relatio docet. Si quæ adhuc expectanda eſt ſalus, illam ex uſu Selteranarum acidularum lacte aſinino permixtarum, partim potu ordinario aquæ purioris fontanæ polliceor: hæc autem levis ſit, nec calcarea, & talis eſſe credenda eſt, ſi ex inſtillato oleo tartari per deliquium nec turbatur, nec albeſcit; longe meliorem vero effectum præſtabit aqua pluvialis, quæ omnes reliquas levitate ſuperat. Hinc prius quam Selteranæ acidulæ adhibeantur, conſulo ut mane atque veſperi aqua levis fontana pondere unius menſuræ quotidie ita frigida, ſicuti naturaliter eſt, bibatur: hoc enim frigus nervis roborandis aliquantulum inſervit. Cum præterea acrimoniam quandam primis inhærere viis credam; commendarem, ut veſperi quandoque bini ſcrupuli pulveris, qui pulverem marchionis, matrem perlarum præparatam, nitrum, ſuccinum præparatum ac cinnabarim præparatam habeat, aſſumantur. Nec denique ludetur opera, ſi nuchæ veſicatorium quotidie recens imponatur per quatuor ſeptimanas, quod ſic ſe habet: Recipe emplaſtri de meliloto unciam, pulveris cantharidum drachmam, balſami peruviani drachmam dimidiam. M. f. Quæ conſilia Deus reddat ſalutaria precor.

---

## CASUS XXXII.

### *De malo convulſivo epileptico inveterato perquam raro.*

Litteratus XIX. annorum, ſanguineo-cholericus, brevis ſtaturæ, carnoſi tamen habitus & ſanguine turgidus in primis infantiæ annis præter variolas dimidio ætatis anno rariſſime adparentes, octavo vero morbillos, febremque intermittentem per integrum ſemeſtre inhærentem, nullis ſuccubuit morbis. Sed quotannis verno tempore maculæ rubicundæ latæ pectus corpuſque obſidere ſueverunt: quæ etiam ſponte abſque ulla noxa evanuerunt, & poſt noviſſimum malum tribus abhinc annis obortum haud amplius redierunt. Nimirum dum ſaltu corpus exercere didiciſſet, & averſa facie in equum inſilire vellet; ille ferox pedibus calcitravit inſidentem, pectuſque potiſſimum petiit; nec vero magni fecit hunc ictum, cum præter leviorem quandam ſpirandi anguſtiam nihil inde mali perciperet. Haud ita multo poſt H. P. adiit; in quo cum XIV. circiter eſſet dies, ſanguinem cum difficili ſpiratione è pectore eructare cœpit, ac huic moleſtiæ infuſum urticæ minoris oppoſuit. Hinc vero liberatus hypochondriaco malo corripiebatur, quod quidem inſtituto ſæpius corporis motu paululum remiſit; mox autem atrocius rediit: namque dum ante tres circiter anni quadrantes vehementi terrore percelleretur, eodem die gravi vertigine mentiſque deliquio tentabatur: quid? quod inſequuta nocte adeo difficilis fuit ſpiratio, ut ſuffocari fere vellet. Hic paroxyſmus per integrum horæ quadrantem inhæſit abſque tamen convulſionibus; & ita per integram ſeptimanam quater uſque ad decies quotidie rediit. Nec ſine omni effectu pulveres cinnabarini O. tinctura ſolaris ſimplex, pulvis vitalis, ſolaris & digeſtivus in uſum vocati, malum quidem conſopierunt: at haud ita multo poſt magis invaluit, mox ipſis omnino convulſionibus ſtipatum, quæ primum leviores brevioreſque, dein vero atrociores, diuturniores ac frequentiores bis terve de die recruduerunt, & quatuor vel quinque horis inhæſerunt. Contra has quoque variis pugnatum fuit medicinis; aſſidue nimirum aqua veronicæ vinoſa potabatur, mane eſſentia caſcarillæ, veſperi XVIII. pilularum polychreſtarum capiebantur, & ob pigram alvum ſingulis quatuor horis quatuor pilulæ contra obſtructiones aſſumebantur, quibus haud ita promte alvum ducentibus aliæ dabantur, & hæc ſcena quotidie per tres fere menſes ludebatur. Sed fruſtra. Malum potius hac fere ratione ingruit: poſt quendam languorem & brevem oſcitationem protinus æger omnium neſcius concidit, & tum ſiniſtrum hypochondrium tactu frigidum, artus externos vero calidos, gelidoque ſudore madidos adparere dicunt. Ipſe ſub acceſſione pollices haud in manum colligit, ſed totum corpus & omnes artus horrendo ſpaſmo contrahuntur, & immani impetu huc illuc-

ve agitantur: præcedit eam acceſſionem brevis punčturæ in ſiniſtro latere ſenſus; ſequuntur imbecillitas ac ſpaſmodica totius hujus lateris diſtentio, obtuſuſque dolor. At vero hæ puncturæ jam olim ſæpius ex improviſo acceſſerunt, & ſub coſtis potiſſimum iſtius lateris ſpuriis adeo ſævierunt, ut præ dolore ſe movere nequiverit, nec ab illis levari potuerit, niſi valida loci compreſſione. Conſultus ergo Dn. P. I. ad affecta loca lintea adplicavit calida, & vini ſub epulis potum ad dimidiam menſuram conceſſit: namque adpetentia per totum morbum integra ac tanta fruebatur æger, ut omnino pingueſceret. Ipſa mali acceſſio per 5. ſæpius dies in P. intermiſit, neque tamen minus recruduit, ſub qua multa loquebatur, quorum ſibi poſtea haud conſcius fuit; quid? quod eodem temporis puncto nec adſtantes ſibi familiares cognoverit. Ter ſub hoc morbo vena ſecata fuit, quam prima vice St. M. inciſurus tredecies fruſtra ſine ullo ſanguinis fluore tudit; alter vero S. demum rite detrahere valuit cruorem. Neque vero exinde, ſicuti ex nimia aliorum remediorum farragine, quorum tandem tæduit ægrum, nec ex pulvere lumbricorum terreſtrium, quorum XXXVI. devoravit, ullum percepit levamen. Hinc in patriam redire permotus, ibidemque D. D. T. conſilio primum uſus, ab illo eſſentiam caſtorei cum ungula alcis accepit; ſimul vero binos alios conſuluit medicos, qui cum diſſentirent invicem, tandem curæ medici junioris haud incelebris D. D. E. ſe credidit. Hic vena ſemel inciſa, olei animalis Dippelii cum eſſentia aſæ fœtidæ combinati LXX. guttulas bis quotidie, dein ter aſſumi, corpuſque ſedula equitatione moveri juſſit; & id obtinuit, ut expugnatis fere convulſionibus non niſi mentis defectiones ſepties octieſve quotidie acceſſerint. Tum æger ſtudiorum cauſa L. adiit, ibidemque abſque ullo mali inſultu, præter frequentiores languores per octo degit hebdomades; poſtea vero ob quaſdam cauſas huc ſe contulit, & primis poſt acceſſum diebus ſatis integra uſus fuit valetudine. At enim vero VI. Nonar. Auguſt. capitis dolores ac vertiginem incidit, noctem tranſegit inſomnem; & denique V. Nonar. hora quinta matutina recruduit priſtinum convulſivum malum per integram horæ quadrantem inhærens, ac quotidie ter quaterque repetens: tempore quod acceſſiones intercedit, inſigni debilitate, ac immanibus tendentibus ſcindentibuſque utriuſque pectoris doloribus ſolicitatur; multiſque flatibus, & alvi obſtructione tentatur. Halæ pridie Nonar. Auguſti 1731.

*Epicriſis.*

Ut huic diro morbo ſuppetias ferrem conſultus, licet probe perſpectum habuerim, tales capitis nervorumque adfectiones, maxime ab animi commotionibus ac terrore proritatas, aut plane perverſis medicationibus oppugnatas curatu eſſe difficillimas: attamen quorundam petitionibus commotus adii ægrum, eumque ipſo paroxyſmo, viſu horribili conflictatum vidi, ac conſilio adjuvare decrevi. Nemo itaque, qui in medicinæ rationalis theoria pariter ac praxi diutius verſatus fuit, in dubium vocabit, quin morbus ille ſit epileptico-convulſivus; quo non ſolum cerebrum, medulla ſpinalis ac membranæ has partes ambientes, verum etiam totum nervoſarum partium genus adficiuntur, tanta atrocia, ut malum quotidie ſepties quin novies ingruat, nec aliquot viri vehementibus membrorum motitationibus coercendis ſufficiant. Primam autem originem procul dubio ex nimio terrore traxit; Namque cum æger ſanguineum nactus temperamentum cruore admodum turſit, hinc etiam olim hæmoptyſin incidit, & inſuper pertinaciſſimis alvi obſtructionibus fuit obnoxius: non fieri potuit, quin flatus ventriculo & coli flexuræ pertinaciter inhæſerint, & cruor ad caput compulſus fuerit; qui meningum diſtentionem, proximam motuum epilepticorum cauſam, & reliqua ſymptomata proritavit. Neque vero, niſi quæ in morbi hiſtoria recenſentur, mihi nota ſunt remedia huic malo oppoſita: quæ inter pilularum polychreſtarum, & quæ ſunt contra obſtructiones, importunum ac juſto frequentiorem uſum omnino culpandum eſſe duco: num autem ſolares medicinæ hocce caſu effectum quendam præſtiterint, in medio relinquo: mihi enim nunquam voto reſponderunt, ſaltem innoxiæ ſunt. Oleum animale Dippelii nondum quidem in uſum vocavi; aut cum ſatis ſubtile ſit atque volatile, poros corporis efficaciſſime recludat, ac tranſpirationem potenter promoveat; illud habita temperamenti, temporis ac ipſius morbi ratione haud ſine fructu adhibitum iri credo.

Interim hac methodo præſentem oppugnavi morbum: Omnem nimirum cereviſiæ ac vini potum interdixi, & non niſi ſerum lactis recens, vel aquam fontanam puram potari juſſi: dein ex vena in pede tuſa XII. cruoris uncias detrahi; nec non duo mitiora veſicatoria utrique malleolo imponi curavi: tum liquoris mei anodyni mineralis XXX. guttas bis quotidie ex hauſtu aquæ frigidæ propinavi: porro ſpinam dorſi atque nucham ter de die, matutino nempe, meridiano atque veſpertino tempore unguento quodam inungi, & deinceps calidis pannis probe fricari imperavi. Unguentum hoc erat: Recipe olei nuciſtæ expreſſi, axungiæ humanæ ana unciam dimidiam, pinguedinis caſtorei, olei lavendulæ, ſalviæ ana drachmam, rutæ, roriſmarini ana drachmam dimidiam. M. D. Neque minus elixirii mei viſceralis LX. guttas ab epulis dedi, & denique bis quotidie mane atque veſperi quinque ſemper harum pilularum deglutiendas exhibui: Recipe aſæ fœtidæ, myrrhæ electæ, caſtorei, mercurii dulcis, gummi ſagapeni, limaturæ martis, extracti hellebori nigri ana drachmam, camphoræ ſcrupulum M. F. cum eſſentia tanaceti l. a. pilulæ ex drachma una no. XX. d. His per tres hebdomades adhibitis æger à malo ſuo omnino liberabatur, ut & in publicum iterum prodire, & officiis ſuis rite defungi potuerit: nec dubito, fore ut conſtans permaneat valetudo, ſi æger congruas victus regulas pertinaciter obſervaverit, ac præcipue ab omnibus mentis affectibus, maxime iracundia ac terrore probe ſibi caverit.

---

## CASUS XXXIII.

### *De affectu melancholico.*

Juvenis generoſus XXII. annorum, melancholico-phlegmatici temperamenti à primis jam infantiæ annis tam debilem nactus eſt corporis conditionem, ut jam ſeptem expleverit annos, cum primum ingredi diſceret, nec ullis ob eandem infirmitatem artibus imbui potuerit. Hinc ephebus factus ab omni hominum conſortio remotus vixit & omne tempus Tabaci fumo & vini aduſti potatione tranſegit. Tredecim annorum juvenis ab infami & plebeja meretrice in ejus amorem allectus, & non ſolum variis malis artibus imbutus, verum etiam eo adactus fuit, ut ipſi & litteris ſanguine

guine ſuo ſcriptis, & diro jurejurando matrimonii fidem dederit. Verum enim vero cum partim matris, partim confeſſionatoris ſeriis adhortationibus à deperdito hoc vitæ genere ac familiari proſtibuli uſu avocatus, hujus quidem ſocietatem evitaret, & datam conſignationem vi atque verberibus iterum extorqueret: tantis inde conſcientiæ tormentis ſolicitatus eſt, ut tandem ciborum, potuum, aliorumque adiaphororum uſum ſibi religioni duxerit; nec niſi perpetuis precibus atque ſuſpiriis in frequentiſſimo etiam hominum congreſſu ingemuerit.

Ubi ingruit malum; cruor ſubito à corporis ſuperficie ad interiora rapitur, externæ partes perfrigeſcunt, ac totum ſæpius corpus horrore contremiſcit: quo finito humores à corde ad ſuperficiem, eo rapidius iterum propelluntur, æſtus fit inſignis, auctior tranſpiratio, gelidusque haud raro ſudor, atque ſic evaneſcit malum ac omnis anguſtia. Sub hac acceſſione, quæ non nunquam decies vel duodecies de die recidit, æger magis mutus eſt quam piſcis; nec ſummis laboribus à loco, quem occupat, dimoveri poteſt; quoniam ſi pedem moveret, ſe Deum violare arbitratur: non minus ſi maſticaverit quidpiam, bolum ore rurſus reddere ſolet, cum ſe illo ſuffocatum iri credat.

Ceterum parentes habuit patrem magni ingenii, & melancholico-cholerici temperamenti; matrem moderatæ & tranquillæ mentis, quibus in florentiſſima ætate conſtitutis natus fuit. Adpetitu gaudet admodum vario: mox enim immodica urgetur fame, tantaque vorat aviditate, ut cibos nec cultro comminuat, nec dentibus mandat: mox vero per binas ſeptimanas nihil prorſus comedit, niſi panem vino aduſto perfuſum, ex quo ſpiritum illum vinoſum tantummodo ſugit. Pulſus regulariter durus & tardus, in paroxyſmo pro ſymptomatum varietate varius fertur: urina mingitur alba ac cruda: alvus officio ſuo quotidie fungitur, nec unquam pigra evadit, niſi poſt aſſumta fortiora purgantia. Somnus ſatis tranquillus ægrum vix ingreſſum lectum protinus occupat, cum olim ad ſeram uſque noctem inter Tabaci fumum vigilias protrahere ſuev
erit.

Conſultus igitur contra hanc ægritudinem Dn. L. W. diu pugnavit; quatuor cruoris è vena miſit uncias; bis emeticum dedit, aliquoties purgans propinavit, nec minus ſal volatile oleoſum, tincturas martiales, infuſaque vinoſa exhibuit: nihil vero effecit, & malum magis exacerbatum eſt. Quæ cum ita ſint, Tuum, vir illuſtris imploro conſilium, ac doceri potiſſimum volo, quinam ſit morbus, quam habeat cauſam, & an illa pro matris opinione faſcino cuidam debeatur; quam foveat prognoſin, & quam rationalem curam expoſcat?

*Conſilium.*

Pluribus intellexi ex tranſmiſſo mihi caſu, generoſum quendam juvenem à teneris imbecillo valde corpore ac infirma mente præditum, præmaturo Tabaci atque vini aduſti uſui adſuetum ex quadam occaſione tantam conſcientiæ incurriſſe torturam, ut vel innocentiſſimis rebus uti recuſet, & perpetuis precibus, gemitibusque conſumatur. Hæc vero ſymptomata per intervalla redire, ſub eorumque acceſſionibus frequentiſſimis extrema perfrigeſcere, tum æſtum inſequi, & denique ſudorem excipere, malumque ſolvere; ſimul vero taciturnum reddi ægrum, & adpetitu vel inſigniter aucto urgeri, vel per aliquot tempus nihil plane comedere; urinam mingi crudam & albam, alvo ſemper libera, ſomnoque placido frui percepi. Quod ſi hæc omnia mecum perpendam; ipſum morbum non niſi affectum eſſe melancholicum, ex inſigni totius machinæ, maxime cerebri nervorumque imbecillitate oriundum deprehendo. Namque hæc nervoſi generis infirmitas non ſolum nativa & per hæreditariam labem acquiſita; verum etiam malo victus genere, nimio Tabaci vinique aduſti uſu, conſcientiæ tormentis ac diuturna mœſtitia magis adaucta & ad motus irregulares diſpoſita eſſe videtur. Inde vero factum eſſe credo, ut humores ab externis corporis partibus ad internas, maxime cor & cerebrum compulſi melancholicas haſce acceſſiones excitaverint; quas ſpaſmodicis potiſſimum abſolvi motibus, horror & frigus corporis, urina alba atque cruda & pulſus durities demonſtrant. Quum ergo hiſce malis explicandis naturales ſufficiant cauſæ, non ad ſupranaturales atque magicas confugere licet. Quod ſi vero ad prognoſin tranſgrediamur; haud ignorari oportet, hocce malum & temporis diuturnitate & frequentiſſimis inſultibus in habitum fere ac alteram naturam degeneratum, vix ac ne vix quidem medicationi eſſe obſecuturum. Quin haud immerito timeo, ne ſi forte vehementiores mentis commotiones, maxime iracundæ, aut irregularis diæta, ſpirituoſorum abuſus aliaque acceſſerint, hæc affectio in ipſum furibundum raptum, aut epilepſiam, aut plane veternum aliquando tranſeat. Hinc ut ipſi ſuppetiæ ferantur, opus omnino eſt: quo ſcopo ante omnia cavere oportet, ne natura multitudine remediorum, maxime purgantium, vomitoriorum, aliorumque vehementium & calidiorum, vires magis peſſumdantium obruatur; ſed eo potius intendendi nervi, ut enervata natura, debileque nervorum genus tam pharmacis convenientibus, quam accurato victus genere roborentur atque confortentur. Id impetratum iri confido, ſi primum ex vena in pede tuſa ſex circiter cruoris emittantur unciæ; deinceps decoctum ex radice chinæ, Scorzoneræ, ſarſaparillæ, polypodii, ſemine fœniculi paratum mane calidum ad octo vel decem vaſcula ſorbilletur, reliquo die frigidum loco potus ordinarii bibatur. Tum operæ erit pretium, ut æger quavis veſpera in pediluvia ex meliſſa, floribus roſarum, cineribusque clavellatis præparata pedes ad ſuras uſque immittat, ac per horam dimidiam deſideat; ſub prandio L. vel LX. guttas eſſentiæ meæ Aurantiorum aſſumat, & veſperi alternis vicibus mox pulveris mei bezoardici, mox temperantis nitroſi doſin, mox XVI. mearum pilularum capiat. Nec denique minus XII. guttulæ liquoris mei anodyni, tribus partibus cum una balſami vitæ mixti mane ex infuſo Théebois hauſtæ eximiam ſpondent utilitatem. Ceterum, ne vita ſit ſine motu deſes, matutinis æque ac veſpertinis quinta vel ſexta horis cœlo ſereno corpus ambulando, curru vel equo vehendo moveatur, neceſſe eſt: Fugiantur vero quam longiſſime potus calidiores, vinoſi, Tabacus, cibi acidi, concoctu difficiles atque flatulenti; & cœna parciori utendum. Quæ remedia per 5. vel ſex hebdomades uſurpata ſi voto forſan haud reſponderint; Egranas acidulas interno uſui commendarem; quas cum reliquis Deus ægro reddat ſalutares, ex pectore precor.

## CASUS XXXIV.

*De affectu melancholico.*

VIr quidam haud incelebris XXX. & quod excurrit annorum, cholerico-melancholici temperamenti, indolis ſenſibilis valde ac ambitioſæ, ſtaturæ longioris, habitus ſtrictioris, capacioribus vaſis, robuſtis nervis muſculiſque, nec minus validis inſtructus viribus, ſtirpe prognatus eſt ad melancholicum malum admodum proclivi. Ipſe ceterum adpetentia gaudet ſatis integra, alvo libera, nec unquam flatulentiis, ructibus, inflationibus atque torminibus imi ventris obnoxius fuit; diætam ſervat ſtrictiſſimam, nec ullis indulget exceſſibus, niſi forte nimiæ iracundiæ & loco potus ordinarii hactenus aqua vino permixta uſus eſt. Verum enim vero paucis abhinc annis ſomno frui cœpit leviſſimo; ipſe quandoque vel ſine ulla vel ſane exigua cauſſa meticuloſus redditur triſtiſque; maxime ſi adverſas res perceperit, inſigni mœrore, mentiſque perturbatione ſolicitatur; hominum conſortium ipſi eſt inimicum, præcipue veſtibus rubicundis aut cœruleis indutorum; quos colores ſummopere averſatur; non minus tanta animi eſt ſenſibilitas, ut vel leviſſimo ſono inſigni percellatur terrore, hinc quoque ſolitudinem amans, omnemque clangorem & campanarum & vigilum nocturnorum fugiens, rus petiit. Hæ vero acceſſiones intervalla habent, ut iis mox ad omnia officia ſubeunda reddatur impar; mox vero ſumma cum mentis alacritate iis fungi valeat; ab omnibus ceterum immunis ſymptomatibus. Multos contra hæc mala conſuluit medicos, varias thermas acidulaſque in uſum vocavit, peregrinationes inſtituit, vino utitur parciſſimo, in ejuſque locum aquam puram levemque bibere, ac ter quotannis venam ſecandam præbere ſuevit: nihilo tamen minus per tres jam annos hoc affectu ſolicitatus doceri avet, quinam ille potiſſimum ſit; quæ ejus cauſa ac medela convenientiſſima.

### *Conſilium Medicum.*

Probe volutavi mecum ægritudinem, cujus cauſa conſultus ſum, eamque minime in læſione & obſtructione viſcerum, nec humorum vitioſa colluvie reſidere; hinc nec primarum viarum ſpaſmis, nec ſanguinis inflationibus aut congeſtionibus complicari exinde colligo, quod æger alvo libera, ciborum integra adpetentia non minus quam concoctione gaudeat. Neque enim aciditatis cujuſdam in ventriculo præſentiam, malo hypochondriaco familiarem ſuſpicari poſſum: ſed omnem morbi vim in nervorum atque ſpirituum affectione colloco. Namque procul dubio meninges cerebri æque, ac nervoſas totius corporis membranas nimium tenſas, ſtrictas atque ſenſibiles eſſe arbitror: unde non ſolum motibus ſpaſmodicis facillime fiunt obnoxiæ; verum etiam mentis ſenſibilitas, & peculiaris ad anguſtiam, timorem, terrorem, mœſtitiam, aliaſque commotiones proclivitas natales ſuos mutuatur. Quum autem inſignis deprehendatur animi efficacia in motus tam fluidarum, quam nervoſarum noſtri corporis partium: non fieri poteſt, quin ex illius perturbationibus humorum partim libero circuitui, partim & excretionibus eximium inferatur impedimentum. Inde vero depravatur naturalis atque legitima eorum temperies, & ob præpeditas maxime bilis in hepate ſecretiones, acria ac ſulphurea recrementa intra ſanguineam maſſam reſorbentur, ab iiſque laudabiles ſucci, cerebro ejuſque membranis & lubricandis & nutriendis deſtinati, magis magiſque læduntur atque corrumpuntur. Nimiæ vero fibrarum nervearum tenſioni in acceptis ferendum eſt, quod æger nec placido, profundoque ſomno fruatur, nec vel leviſſimum ſonitum perferre queat: at hæ diuturnæ vigiliæ humorum tenuitatem magis adauxerunt: hinc cruor è vena miſſus tenuiſſimus ac rubicundo colore imbutus adparuit; neque tamen refrigeratus ullum dimiſit ſerum; ſed fervidiſſimus fuit, vaporemque exhalavit. Quod ſi porro cauſam ſenſibilitatis illius, qua membranæ cerebri nervoſæ pollent, eximiæ perſpiciamus: eam potiſſimum partim in temperamento cholerico-melancholico, ac corporis habitu ſtrictiori, partim in nativa diſpoſitione ſitam eſſe arbitror, cui denique multum momentum addidit vitæ genus, quo æger fungitur, multa meditatione mentiſque commotionibus, iracundia atque mœroribus complicatum. His ergo ſuppoſitis facile adparet, nullum in morbo curando locum habere evacuantia, ut emetica, purgantia, ſudorifera nec veſicatoria, cucurbitulas, fonticulos, martialia, abſorbentia, ſtomachica, carminativa, quæ vulgo, malo hypochondriaco opponi ſolent: neque etiam ullum emolumentum ab aquarum mineralium uſu expectare licet: cum nec viſcerum infarctus, nec humorum craſſities ac impedita circulatio, nec acida in primis viis colluvies, nec glandularum obſtructio præſto eſſe videantur. Omnis potius curandi nervus eo intendendus erit, ut motus partium nervoſarum irregulares conſopiantur; tenſio præternaturalis nervorum demulceatur, & menti reſtituatur tranquillitas. Hiſce vero obtinendis ſcopis pharmacorum certe nimia farrago minime ſufficiet: ſed omnem, quæcunque eſt, ſalutis ſpem à recto vivendi genere & congruo rerum non naturalium ad vitam conſervandam ſumme neceſſariarum uſu dependere arbitror.

Quæ cum ita ſint, eo meum collineat conſilium, ut æger ante omnia muneribus ſuis, abſque mentis perturbatione haud abſolvendis ad aliquod tempus ſuperſedeat, & potius jucundo conſortio, & quicquid ad animi delectamentum conferre poteſt, ſedulus utatur. Subinde non abs re erit, ut locum cœlumque mutet: ille enim, in quo jam degit, aër juſto frigidior, nervorumque ſiccitati admodum inimicus eſt; hinc temperatum ſeligere oportet, qui nec ſiccus valde, frigiduſque, nec nimis ſit humidus; & meo quidem arbitrio id commode obtinebit, ſi ruri magis vitam degerit: namque in his nervorum adfectibus aëris mutatione nihil unquam deprehendi fructuoſius. Tum in id ſummo incumbendum erit ſtudio, ut ſomnus concilietur, à quo & animi requies & corporis temperies multum dependet. Neque vero huic fini aſſequendo conveniunt ſopientia, papaveracea aut plane opiata: quippe quæ majorem inducent torporem, melancholiam augebunt, & forſitan in furorem omnino commutabunt: Melius eſt, ut æger cubitum iturus in tepida deſcendat pediluvia. Hiſce autem rite parandis flores chamæmeli, papaveris rhæados, roſarum rubrarum, artemiſia, nitrum, ſalque commune linteo includantur, iiſque in vas ligneum profundius impoſitis aqua fluviatilis fervens infundatur: ſtent per aliquot tempus ut horum vis extrahatur: tum addatur aqua frigida, donec fervens reddatur tepidior; cui pedes ad genua uſque immittantur, & per horam dimidiam ſudore madidi in illa detineantur; iſque

iſque tepor affuſione calidioris conſervandus eſt. Neque minus operæ erit pretium, ut æger paulo maturius ſe ad ſomnum componat: quoniam concubius ſopor profundior, magiſque reficiens deprehenditur, quam quo poſt mediam noctem aut ſummo mane fruimur. Nec denique levem in quiete inducenda præſtabit operam, ſi cubitum iturus juſcula avenacea vitello ovi, paſſulis minoribus, atque amygdalis dulcibus permixta veſperi ſorbillaverit, & inſuper hauſtum cereviſiæ lupulatæ, bene defæcatæ aſſumſerit.

Inter medicamina in hoc morbo nitroſis atque præcipitantibus non ſunt præſtantiora: hæc enim ebullitiones ſanguinis, & partium ſulphurearum inteſtinum motum potenter coërcent; æſtum attemperant; nec ſolidis partibus humiditates detrahunt; nec levem in promovendo ſomno ſpondent utilitatem. Hoc ſcopo præſtantiſſimus erit hic pulvis: Recipe matris perlarum, lapidum cancrorum ana drachmam unam, nitri regenerati grana duodecim, olei deſtillati nuciſtæ, olei de cedro ana guttas duas, miſce fiat pulvis, div. in duas partes, quarum quævis vel veſperi ex aqua ceraſorum nigrorum aut florum tiliæ, vel ante prandium aſſumenda eſt. In locum oleorum eſſentia ambræ veræ, Moſcho atque zibetho deſtituta ſubſtitui poteſt: quippe quæ ob blandam ſulphuream, qua pollet, anathymiaſin, genus nervoſum roborandi ac ſomnum conciliandi inſignem poſſidet efficaciam.

Porro vena in pedibus bis ad minimum quotannis tempeſtate ſerena, menſe Martio & Septembri; &, ſi haud acceſſerit hæmorrhoidalis fluor, quater omnino, nempe Februario, Majo, Auguſto atque Novembri menſibus ſecanda eſt: hujus autem fluxus ſi adparuerint indicia, ille frictionibus, fotibuſque maxime vaporoſis promovendus; quod ſi vero inanis anum adflixerit dolor, hirudines ad illam adplicandæ ſunt. Poſtea, ut eo certius exſtirpetur malum, aut ſaltem, ne in furorem deſinat, præcaveatur; præſtantiſſimus erit balneorum tepidiorum, ſimulque leviorum uſu: quæ inter Tœplicenſia ſulphurata præ illis quæ intra urbem ſcaturiunt, palmam obtinent. Balnea enim juſto calidiora ob inſignem, quam excitant, humorum ebullitionem, majus damnum minantur, quam emolumentum: contra vero quæ tepida & temperata ſunt, egregiam vim fibras membranaſque totius corporis nerveas emolliendi, humectandi, tenſaſque relaxandi poſſident: quid? quod corporis ſuperficiem blande fomentando, poros cutis aperiendo, atque tubulos ſeriferos dilatando non ſolum ipſam promoveant tranſpirationem, verum etiam humores à capite & internis partibus ad externas magis alliciant. Et incredibilis omnino eſt efficacia, quam hæ thermæ, quarum aquæ ſubtiles leveſque ſunt, rite & diu adhibitæ in hiſce melancholicis non minus, quam maniacis ipſis recentioribus exſerunt affectibus.

His denique omnibus pertinax victus obſervatio accedat, neceſſe eſt: Ergo ſummopere ſibi caveat æger ab aëris frigida, humidaque temperie, maxime ventis borealibus ac ſeptentrionalibus. Ante omnia pedes ab omni frigore muniendi ſunt: hi enim quo frigidiores exiſtunt, eo magis humores ad caput rapiuntur. Inter cibos fugere oportet omnes acidos, cepis conditos, ſalitos, omneſque aromatiſatos (quos vulgo dicunt: *Die von einen hohen* gout *ſind*:) nec alios aſſumere convenit, ſi mens commota fuerit: Nam generatim ſciendum eſt: Nec epulis, nec ſomno, niſi ſub animi tranquillitate fruendum eſſe. Potui ſub prandio inſerviat vinum generoſum una parte cum tribus aquæ vel ſimplicis, vel quod melius, Selteranæ, Spadanæ, Dunſtadienſis aut Wildungenſis permixtum; quod vero ſub cœna omitti, in ejuſque locum cereviſiæ bene coctæ atque levioris uſum ſubſtitui mallem. Neque vero infuſorum Thée vel Coffée potû, nimis exſiccantem, nerviſque infenſum commendarem; ſed potius juſculum vitello ovi & ſucco aurantiorum permixtum mane ſorbillari ſuaderem, quod partim ventriculum roborat, partim acrimoniam attemperat: nec alienus erit potus Chocoladæ cum aqua paratus, quandoque hauſtus, maxime ſi ex eo quædam eſſentiæ ambræ aſſumantur guttulæ; hunc enim ob blandum, quod fovet, oleamentum nervoſo generi perquam amicum deprehendi. Ne vero ab illius viſcoſitate tunica ventriculi villoſa obſtruatur; abs re non erit, illi abluendo hauſtum aquæ fontanæ ſuperingerere. Sed cavendum ceterum eſt à nimio pharmacorum uſu; & ipſam curationem per aliquot menſes, quin integrum annum protrahere; maxime rectæ vivendi rationi diutiſſime inhærere; & balnea non niſi vernali vel autumnali tempeſtate in uſum vocare oportebit: quæ ſi rite obſervaverit æger, de felici eventu haud dubito.

Nunciatum quoque fuit, ægrum hac medicatione per aliquot tempus uſum optime habuiſſe, ac inſigne mali ſui deportaſſe allevamentum.



---

## CASUS XXXV.

### *De affectu melancholico.*

Virgo viginti annorum generoſa, ingenii olim hilaris ac perfaceti, tribus potiſſimum abhinc anni quadrantibus, gravem incidit mentis affectionem, cujus hi fuerunt natales. Quædam pariter generoſa virgo, cujus arctiſſima familiaritate uſa erat, in mortis articulo verſata, noſtram ad ſe adhuc ſemel viſendam invitari jubet; quæ ſub hac invitatione epulis aſſidens, nec tantum in mora periculum eſſe arbitrata diutius remoratur domi, donec improviſum de hujus amicæ inſequuta morte acciperet nuntium. Abhinc vero inſigniter contriſtata, mœroribus magis magiſque indulgere cœpit, & ſomnus quoque imminui turbarique videbatur: maxime vero mox à prandio inſigni quotidie mœſtitia, tantiſque angoribus torquebatur, ut vix reſpirare potuerit, & copioſiſſimas ploraverit lacrumas; neque minus appetentia deſtrui & concoctrix vis lædi cœpit. Huic malo licet tempeſtivas ferri ſuppetias parentes voluerint, omnem tamen medicinarum uſum recuſavit ægra; nec niſi quaſdam temperantes ex ſuaſu celebrioris medici aſſumſit: quem cum pariter adverſa raperet valetudo, ipſa ab omnibus remediis abſtinuit, malumque magis magiſque increvit. Tum enim conſcientiæ tormenta acceſſerunt, ac ſpirituales angores perpetui, tantique, ut furibundæ inſtar aſſiduo curſu atque ambulatione ſe fatigaret, mentiſque inſuper errores inciderent. Secabatur vena, dabantur variæ eſſentiæ, præſertim carminativæ, pulveres, infuſa theiformia atque pilulæ: quæ quidem alvum egregie duxerunt, multumque recrementorum mucidorum expulerunt, malo autem ne quicquam detraxerunt. Somnus enim, licet quandoque per duas treſve horas oculos occupet, tamen præternaturalis eſt, aſſiduaque membrorum agitatione ſtipatus: neque minus tanta vehementia vigil etiam membra jactat motitatque, ut inde ſudore

ſudore fere diffluat inſignique humorum ebullitione afficiatur: nec hominum ſermones ferre poteſt, quin ab illis ſtatim excandeſcat, & pedibus manibuſve contremiſcat. Appetitus jam augeri, alterniſque potiſſimum diebus integrior videtur: menſes ſtato tempore, non tamen ea, qua olim quantitate fluunt; caput à prima morbi acceſſione hucuſque eximio torquetur dolore, & omnia in pejus ruunt.

### *Conſultatio.*

Generoſæ virginis ægritudo, cujus hiſtoria mecum fuit communicata, in animo, ac vitio capitis, ſpirituumque animalium magis, quam humorum læſione hærere, & à vehementi mentis commotione, inſignique triſtitia originem traxiſſe videtur. Docet enim proh dolor! crebra experientia, hoſce ſubitaneos graveſque animi affectus, integrum motuum vitalium ordinem pervertendi; hinc ſomnum, mentis requiem, vires corporis, appetentiam, concoctionem ac excretiones naturales, quæ per alvum, tranſpirationem, & menſtruam in ſexu ſequiori purgationem fiunt, peſſumdandi eximiam poſſidere efficaciam. In hiſce autem morbis, quorum cauſſa nec in viſceribus, nec humoribus ſita eſt, nullam nec à pharmacis, purgantibus, aperientibus, emeticis, & ſanguinem depurantibus medicinis; nec à venæ ſectione, utut in aliis deliriorum generibus utiliſſima, expectare licet ſalutem: ſed quæ adhuc è re erunt, hiſce potiſſimum abſolvi credo momentis. Ante omnia operæ erit pretium, aërem cœlumque mutare, & balnea ex aqua fluviatili, vel quod melius, pluviali, furfuribus triticeis, & lacte parata ſæpius in uſum vocare. Hiſce nimirum tepidiſſimis ægra prima hebdomade bis quotidie, mane veſperique umbilico tenus inſideat; poſtea autem matutino duntaxat immittatur tempore, probe tamen cavendo, ne capitis exinde ſudor erumpat. Non minus porro egregium effectum præſtabit lac aſininum, cujus binis circiter, antequam ingrediatur balneum horis primum dimidiam potare menſuram; dein ſucceſſive ad integram aſcendere, ejuſque pariter ac balnei uſum per quatuor vel quinque hebdomades protrahere poteſt. Aſinino deficienti caprinum lac una parte cum duabus acidularum Selteranarum mixtum ſubſtituere licet: ex quo etiam, ſi alvus fuerit ſegnis, uncia una cum dimidia Mannæ mane eſt haurienda. Tum vero ab omni cereviſiæ vel vini potu abſtinere, & in horum locum hoc decocto uti convenit: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias quatuor, pœoniæ, caryophyllatæ, cichorei ana unciam, cardamomi minoris drachmas tres. M. Conc. cont. d. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam in vaſe clauſo decoquendæ ſunt. Neque negligendum eſt corporis exercitium, illudque potius vel ambulando vel curru vehendo ſub tempeſtate ſerena aliquot aut ante aut poſt paſſum horis probe inſtituendum; & denique haud ludetur opera, ſi cubitum itura vaſculum potiunculæ nervinæ hauriat, quæ ſic ſe habet: Recipe aquæ florum liliorum convallium, primulæ veris, tiliæ, acaciæ ana uncias duas, meliſſæ citratæ cum vino, cinnamomi cum vino ana unciam unam cum dimidia, pulveris marchionis drachmas duas, cinnabaris nativæ præparatæ, ſuccini præparati ana drachmam ſemis, ſyrupi corticum aurantiorum drachmas tres. M. d. S. *Haupt und Nerven ſtärckende* potion. His rite adhibitis ſalutarem eventum haud defore credo; quem Deus reddat proſperum ex animo precor.

---

## CASUS XXXVI.

### *De affectu melancholico-maniaco.*

Comes quidam illuſtriſſimus per tres jam annos affectu quodam melancholico-maniaco, ac rationis uſu depravato ſolicitatus, meam contra hoc malum requiſivit opem. Is namque viginti duos annos natus, temperamenti melancholico-cholerici quatuor abhinc annis tertiana febre, ſub cujus qualibet acceſſione leve patiebatur delirium, laboraverat: qua ſuperata proximo anno poſt, cum ipſi ob inſignem plethoram ſanguis è pedibus mitteretur, tanto maniaco furore rapiebatur; ut & acidulis Egranis, & Carolinis, maxime pediluviis ex his paratis, & temperantibus, refrigerantibus, blande ſedativis ac emeticis fruſtra omnino adhibitis, ad hoc uſque tempus cum aſſiduis vigiliis ſtipatus inhæſerit. Quamvis etiam ob eximiam, qua æger pollet, humorum abundantiam quotannis vena in pedibus fuerit ſecata: tantum tamen aberat, ut inde melius haberet, ut potius tribus ſemper poſt venam tuſam diebus rabies magis increverit, dein iterum remiſerit. Neque vero memoriæ vis penitus periit, quin homines cognoſcere, & latinam quandoque gallicamque linguam ſtrepere valeat: tamen ſermo ſine ordine fertur. Appetentia ceterum varia eſt, mox avidiſſima, mox plane proſtrata; alvus aſſidue ſegnis, perpetuumque partium externarum frigus. Binis abhinc annis cœcæ adparebant hæmorrhoides: quæ quidem hirudinibus ad anum adplicatis oppugnabantur, eodem tamen minus felici eventu, qui fonticulum brachio inflictum ſequebatur. Jam corpore magis fit obeſus, & ob ventriculi debilitatem vino cum aqua mixto in locum ordinarii potus uti ſuevit. Nec denique ſilentio prætermittendum eſt, fratrem illuſtriſſimi comitis gemellum eadem tentari ægritudine; à qua tamen & parentes & priores fuerunt liberi.

Quæ cum ita ſint; facile adparet, morbum hunc melancholico-maniacum inſigni generis nervoſi, maxime partium capitis nervoſarum imbecillitati æque ac hypochondriorum malæ diſpoſitioni ſuos debere natales. Hæc vero vitia ex pravo potiſſimum vivendi genere, potuum calidiorum uſu, mentis frequentioribus commotionibus, multiſque laboribus cum meditatione ac vita ſedentaria junctis originem traxiſſe vero eſt ſimillimum: neque minus dubito, quin febris intermittens olim tolerata, & nimis præcociter forſitan ſuppreſſa huc contribuerit. Non enim ſolum experientia docet, haſce febres incongrue adſtrictas ad ventriculi, generiſque nervoſi debilitatem & hypochondriaca ſymptomata producenda eſſe perquam opportunas: verum etiam ipſa ad hæmorrhoidalem fluxum molimina, quibus æger ante binos annos tentatus fuit, ſatis firmo ſunt documento, quod ſpaſmis atque flatulentiis imi ventris, hypochondriacis valde familiaribus obnoxius; his autem liber humorum per inteſtina & viſcera abdominis circulus fuerit impeditus. Quandocumque autem hiſce cum artuum externorum, tum nervoſarum abdominis partium, maxime ventriculi atque inteſtinorum violentis diſtenſionibus cruor ſpiſſus vehementer ad caput atque cerebrum compulſus, nullo per nares potitur exitu; ſed intra membranarum cerebrum ambientium vaſa ſtagnans, ea nimium diſtendit, & ad varicoſas diſponit expanſiones; haud mirum, ſi partim ſenſus interni pertur-

perturbantur; partim ipſa læditur imaginatio, iiſque imbuitur objectis, quæ rationis uſum deſtruunt, mentemque ad ambitioſas, inviſas, turibundas iracundaſque ideas, atque ad ipſam proritant rabiem. Quemadmodum enim ſenſuum internorum integritas ab æquali liberoque humorum vitalium per vaſcula cerebri minima circuitu potiſſimum dependet: ita quoque omnes mentis perturbationes, memoriæque, ingenii atque judicii læſiones cruoris in iiſdem cerebri vaſis ſtagnationi in acceptis ferendæ ſunt. Hinc vero ipſa cerebri fabrica vitiatur, ejuſque ductus ac pori deſtruuntur, & ipſe fluidi nervorum tenuiſſimi influxus impeditur; qui, ſi in cor, arterias, ventriculum, inteſtina, aliaſque tam internas, quam externas partes congrua quantitate ac juſto vigore ſucceſſerit; omnes harum partium functiones, motum atque pulſum cordis nimirum & arteriarum, digeſtionem ciborum, chylificationem, alvinas omneſque reliquas ſe & excretiones in debito atque naturali conſervat ordine. Ex his denique adparet, cur pulſus inæqualis, appetentia ciborum inconſtans, digeſtio eorum impedita, alvi excretio ſegnis, corporis decrementum, extremorum frigus, ructuoſæ moleſtiæ, ſomnus turbulentus multiſque terrificis ſtipatus inſomniis frequentiſſima morborum melancholicorum atque rabidorum ſint ſymptomata.

Quod ſi autem prognoſin aggredior, non poſſum, quin morbi præſentis jam per triennium inhærentis ac fere inveterati curationem admodum difficilem arduamque pronunciem: neque enim bonum præbet præſagium, ſed graviorem cerebri læſionem denotat, quod malum abſque ulla intermiſſione aſſidue ſæviat; cujus plerumque ea eſſe ſolet indoles, ut circa æquinoctia vel ſolſtitia atrocius adfligat, reliquo autem tempore obſervetur leviſſimum. Nec denique mihi placet, quod frater cum illuſtri ægro uno editus partu eadem detineatur ægritudine: quamvis enim parentes ab ea liberi fuiſſe perhibeantur; nihilo tamen ſecius hanc cerebri imbecillitatem jam in utero hiſce gemellis fuiſſe communicatam vero videtur ſimillimum; cum compertum ſit, liberos ab ebriis etiam parentibus genitos inſigni capitis debilitate, morbiſque exinde oriundis admodum eſſe opportunos. Contra vero cum ægrotans ætate ſit adhuc junior; jam iterum pingueſcat, malique aliquale obſervetur decrementum; nec uſum medicinarum, more alias melancholicis conſueto averſetur; nec denique ea adhuc aſſumſerit remedia, quæ malo expugnando ſunt idonea: non omnem omnino ſi non perfectæ ſanitatis, ſaltem eximii levaminis ſpem abjicere oportet.

Venio ergo ad auxilia, perilluſtri Comiti ferenda, quæ magis diæteticis remediis, quam pharmacis, chymiciſque abſolvi credo: illis enim diu, pertinaciter ac patienter adhibitis in hiſce nervorum vitiis nihil unquam deprehenſum fuit efficacius. Eo itaque omnes intendere oportet nervos, ut primum nervoſum genus admodum debilitatum corroboretur, dein ſpaſmodicæ diſtentiones conſopiantur, tum raptus humorum ad caput derivetur; porro cerebrum, ejuſque membranæ confortentur, & denique concoctrix ventriculi vis non minus ac alvina excretio promoveatur.

Quibus ſcopis ſub divina gratia obtinendis, circa venæ ſectionum adminiſtrationem ante omnia moneo, ne illa fiat in pedibus; hancce enim in hiſce ſpaſmodicis morbis pedum frigore continuo ſtipatis magis deprehendi noxiam; quippe quæ ſpaſmum externarum partium magis augendo, majori humorum ad caput regurgitationi efficaciſſimam ſuppeditat occaſionem. Neque etiam convenit ſanguinem circa æquinoctia mittere; ſiquidem eo tempore horum morborum graviores eſſe ſolent acceſſiones, humorumque vehementiores commotiones. Magis è re fore arbitror, ut ſub ſerena tempeſtate amicoque cœlo non ſolum vena bis quotannis, nempe Februario menſe, & binis ante autumnale æquinoctium hebdomadibus in brachio ſecetur, & ſex inde cruoris detrahantur unciæ: verum etiam cum hæ binæ venæ ſectiones plethoræ imminuendæ ac humorum in vaſis cerebri ſtagnationi diſcutiendæ minus ſufficient, duabus quoque quotannis vicibus, Junio ſcilicet Decembrique menſibus quatuor cucurbitæ ſcarificatoriæ dorſo, totidemque pedibus admoveantur.

Deinde operæ erit pretium, corpus ſedulo movere, maxime equitatione, quæ bis quotidie, & tribus ante paſtum, & quatuor poſt illum horis inſtituenda eſt, ut tranſpiratio promoveatur, & humores ad externam magis invitentur corporis ſuperficiem; cavendum tamen ne impetuoſior ſit hic motus, neque tantus, ut humorum inducat ebullitionem. Tum vero etiam atque etiam hortor, ut perilluſtris æger locum aëremque mutet: hæc enim cœli mutatio non ſolum ipſi morbo apprime conveniens eſt, verum etiam eo inſervit, ut ingrata, & excitandis ideis adverſis opportuna objecta removeantur: ſiquidem notum eſt, hoſce ægros ob arrogantiam, cujus opinione laborant, & parentes & omnes, quorum imperio ſubjacent, ferre haud poſſe. Porro ægrotantem nunquam ſolum relinquere; ſed potius muſica, ludis, venationibus &c. excitare; multo minus ipſi quicquam contradicere, aut gravius forſitan reprehendere oportet; ne inde in majorem agatur rabiem atque furorem.

Præſertim vero vivendi ratio ſit accuratiſſima, nec largis indulgendum epulis, quas inter fugiantur & acriora aromata, & calidiores potus atque cereviſia. Hujus enim in locum commendarem decoctum ex hordeo, cornu cervi raſpato, & citri corticibus paratum; vel ſolum, ſi illius binis menſuris decem nitri depurati addantur grana, bibendum; vel tribus partibus cum una vini Neccarini mixtum: vel denique hujus loco Selteranæ acidulæ eadem quantitate cum dicto vino maritatæ potari poſſunt; ſed ipſe potus ſicuti tepidior, ita larga copia hauriendus eſt. Deinceps in hiſce morbis acidulis Selteranis lacte caprino vel aſinino permixtis nihil deprehenditur præſtantius: quarum aquarum tribus partibus cum una lactis nuptarum uſus bis quotannis, verno pariter ac autumnali tempore per 5. vel 6. hebdomades protrahendus; & veſperi balneum ex aqua dulci temperatum adjungendum eſt. Neque minus thermæ egregium ſpondent emolumentum, & non ſolum conſtrictas nervoſas partes relaxant, verum etiam inſigniter roborant: quas inter balnea ſulphurata Tœplicenſia commendo. Nec irrita erit efficacia pediluviorum ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli & furfuribus triticeis paratorum; quibus tepidioribus duntaxat, & ſucceſſiva aquæ calidioris affuſione moderandis æger quavis veſpera cubitum iturus pedes ad ſuras uſque immittat: hæc enim partim humores à capite ad partes inferiores derivant, partim nervoſum genus emolliunt, & ſanguinis æqualem promovent circuitum. Porro adhuc fonticulum in altero brachio excitari mallem; & humorum ebullitioni ſopiendæ, acrimoniæ bilioſæ attemperandæ, ventriculoque roborando hunc opponerem pulverem: Recipe pulveris marchionis, lapidum cancrorum

rum ana drachmas duas, cinnabaris nativæ præparatæ, nitri purificati, tartari vitriolati, ſuccini præparati ana drachmam ſemis, olei de cedro italici guttas IV. M. f. pulvis; cujus drachma veſperi, aut ſimul mane ex aqua ceraſorum nigrorum capienda eſt. Non minus egregium erit, quotidie aut alternis diebus mane quædam vaſcula infuſi Théebois, aut alius theiformis ex meliſſa & abrotano parati, cujus menſura dimidia ſexta parte florum lactis & ſex nitri granis permixta ſit, haurire.

Alvi libertas perpetuo eſt conſervanda, cui inſervient mala Borsdorffienſia cum paſſulis cocta; juſcula ex prunis Damaſcenis cum drachma cremoris tartari parata; pruna ipſa cocta; aut duæ unciæ Mannæ loco ſacchari in decocto Succoladæ ſolutæ, & mane devoratæ; aut ſal Anglicanum, vel Sedlicenſe quandoque ſumendum, cujus uncia dimidia, aut ſex drachmæ in quarta aquæ fontanæ menſuræ parte ſolutæ aſſumantur, & tum aliquot vaſcula infuſi Théebois aut fabarum Coffée ſorbillentur.

Hæc ſunt, quæ in ſalutem perilluſtris ægri proponenda duxi; quibus, ſi morem geſſerit haud dubito, quin mali eximium levamen ſit inſequuturum.

Rite quoque hæc omnia adhibuerat ægrotans; unde poſt aliquot menſes malum inſigniter imminutum fuiſſe mihi nunciatum eſt; ad quod penitus expugnandum, commendatarum medicinarum uſum diutius protrahi juſſi.

## CASUS XXXVII.

### *De primipara ex terrore facta maniaca, & feliciter reſtituta.*

Viginti annorum, temperamentique ſanguineo-melancholici fœmina, ad terrorem facillima, venerique deditiſſima cum in primo vix quatuor hebdomades tranſegiſſet puerperio; accidit, ut noctu ex motu feneſtræ apertæ & à vento agitatæ illa placide dormiens evigilaret, & ſpectri ſuſpicione perterrita, cuſtodi acclamaret. Hunc clamorem quædam fœmina ipſi conſanguinea in proximo cubili percipiens, putat incendii metum ſignificari, & hinc induſio duntaxat induta accurrit januæ cubiculi, in qua degebat puerpera, eamque tacita aperit. Quam cum videret hæc, graviori percellitur terrore, ipſamque ſuam matrem, longis jam abhinc annis mortuam, ſpectri larva cubiculum intraſſe anxia ſibi imaginatur. At vero triduo elapſo factum eſt, ut mentis errorem, ipſamque rabiem inciderit; qua omni ſomno deſtituta, perpetua loquacitate res alienas atque inconcinnas ſermone plerumque ligato garrit, & omnia fere alimenta aſſumere recuſat; neque tamen æſtu torquetur febrili. Lochia ab ipſo partu haud fluxerunt rite & hoc potiſſimum tempore ipſi olim menſes erumpere ſueverunt. Infante ergo protinus alii nutrici tradito, ipſi ægrotæ ter ſucceſſive vena in pedibus ſecabatur; & quantum ob aſſiduam rabiem erat poſſibile, medicinæ ſanguini à capite derivando, menſibuſque promovendis idoneæ exhibebantur, maxime pulveres ex nitro, cinnabari, & camphora parati & emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis confectæ. Tantum autem abeſt, ut inducias furori induxerint, ut ille potius quotidie ingraveſcat, ac ægra jam vinculis omnino conſtringi debeat.

Ego in conſilium accitus, præter recenſita remedia ægram bis quotidie in balnea ex aqua tepidiori parata immitti juſſi. Hæc inſignem tulerunt opem; non enim ſolum corpore, quod antea totum cum artubus tactu frigidum erat, poſt quodvis balneum admodum incaluit; verum etiam ipſa mens quietior facta ad ſe redire cœpit: quid? quod utero mox iterum conceperit, partum ediderit feliciter, & adhuc valeat optime.

*Epicriſis.*

Licet ex hoc caſu animadvertere, 1. quod valde infenſus ſit gravis terror puerperis, iis præſertim, quæ per uterum non ſatis expurgatæ fuerunt. Tanta enim terroris fuit vehementia, ut gravioribus partium externarum ſtricturis ſanguinem ad caput repellendo, in ægra noſtra affectum maniacum provocaverit.

2. Notatu dignum eſt, quod major adhuc terroris potentia ſit in fœminis circa illud tempus, quo menſes fluere conſueverunt; quoniam horum evacuatio nunquam ſine præcedente generis nervoſi ſtrictura perficitur. Nam quum terroris ea ſit natura ac indoles, ut ſanguinem ab ambitu ad centrum ſive interiora corporis forti partium externarum conſtrictione retrovertat; facile patet, eum majori pollere efficacia & præſentiſſimam noxam inferre tunc temporis, quando corpus jam jam ſpaſmo adfligitur.

3. Illud etiam ad obſervationem inſigne eſt, quod balnea moderate calida, ex aqua dulci parata, & profundiores in iis inſeſſus ad affectum maniacum, ſi non adeo inveteraverit tollendum opem ferant deſideratiſſimam. Nos ſane pluribus experimentis compertum habemus, præferenda eſſe balnea omnibus aliis remediis, quæ vulgo in ejuſmodi caſibus commendari ſolent. Ratio operationis & feliciſſimi ſucceſſus hæc nobis eſſe videtur. Eſt in affectu maniaco converſus ſanguinis motus à partibus externis ad caput, ob ſtricturam, quæ hiſce partibus à terrore inducitur. Nihil vero tam promte & expedite conſtrictum corporis habitum relaxare, & tubulos ſubcutaneos, vaſaque ſanguinea aperire, & ſanguinem à capite ad ambitum corporis rurſus derivare, atque adeo æqualem humorum motum reſtituere poteſt, quam balnea moderate calida, pauloque diutius uſurpata: quod remedii genus, quamvis recentioribus medicis incognitum vel potius neglectum videamus, vetuſtis tamen temporibus celebratiſſimum fuit. Ita enim legimus apud Cornelium Celſum, homines qui rabie ex morſu canis vel aliorum animalium correpti fuerunt, vel qui hydrophobia laborarunt, balneo aquæ dulcis fuiſſe reſtitutos.

## CASUS XXXVIII.

### *De delirio periodico cum motibus epilepticis à menſium retentione.*

Virgo quædam XIX. annorum, ſanguineo-melancholica, cum ante aliquod tempus ſub ipſo menſium fluxu gravi percelleretur iracundia: accidit, ut illi fluor protinus ſubſiſteret. Nec quoque rediit ad regularem ſucceſſum, licet nonnunquam parcior appareret: quo factum eſt, ut noſtra inſigni præcordiorum anxietate, doloribus capitis, languore corporis, & matutinis vomitibus ſatis graviter ſolicita-

ſolicitaretur. His magis ingraveſcentibus ſymptomatibus imploravit medici auxilium, qui quidem illa aperientibus, leniter laxantibus, & uterinis exhibitis, nec non venæ ſectione circa initans menſium tempus in pede inſtituta oppugnavit; tantum tamen abeſt, ut illa debellaret, ut potius malum majora in dies ſumeret incrementa. Namque non ſolum dicta ſymptomata aſſidue inhærent; verum etiam calor præternaturalis cum pulſu celeri tribus abhinc hebdomadibus adparere cœpit, quem motus epilepticus per tres adfligens horas preſſo comitatur pede. Stipatur hæc acceſſio mentis errore, & per intervalla veſpertino potiſſimum, nocturnoque tempore redire ſuevit; ægra circa meridiem ſatis bene habente. Quamvis igitur & hiſce malis varia & antiſpaſmodica & antifebrilia oppoſita fuerint remedia: remiſerunt equidem ex horum uſu & epileptica agitatio & æſtus præternaturalis; nihilo tamen ſecius quavis veſpera prægreſſis gravi cardialgia atque vomitu mentis defectiones incidit ægra; quibus nec pulſum, nec reſpirationem penitus intercipientibus per tres quatuorve detinetur horas. Ceterum appetentia fit imminutior, & inſuper denique per intervalla vehementes cordis palpitationes cum ſpirandi anguſtia ac ſuffocationis metu accedunt, per horam circiter dimidiam inhærentes. Quæ cum ita ſint, Tuum vir excellentiſſime, imploramus judicium, ac doceri avemus, quinam ſit hic affectus? quæ ipſi profutura medicamina? & quinam illius eventus ſit ſperandus?

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Quod ſi circumſtantias in tranſmiſſa morbi hiſtoria obvias rite perpendo mecum; haud quidem ignoro, hoſce ſpaſmodicos motus, ſi ex menſium anomaliis ſuos mutuati fuerint natales, vulgo nomine hyſtericæ vel uterinæ paſſionis venire; quoniam in utero eorum princeps reſidere videtur cauſſa. Verum enim vero cum præſenti morbo quædam complicentur ſymptomata, quæ ab hyſterica paſſione omnino ſunt aliena, & in mentis alienatione periodica cum corrupta phantaſia ac epilepticis motibus ſtipata conſiſtunt: mallem illum à potiori ſymptomate delirium periodicum cum motibus epilepticis à menſium retentione oriundum vocare. Neque enim quenquam fugiet, menſium maxime à gravi mentis commotione, vehementi iracundia, ut immani terrore inductam ſubitaneam retentionem atque ſuppreſſionem, graviſſima ac periculoſa comitari ſymptomata. Namque cruor, critice ac ſalutariter per uterum evacuandus, ſi exitu ſuo deſtitutus intra vaſa corporis reſtiterit, non ſolum moleſtam illam, ac variis ægritudinibus producendis idoneam admodum plethoram gignit: verum etiam accedente animi affectu motus partium vaſculoſarum, fibroſarum atque carnoſarum à naturali recedit ordine, & primum fluidorum circulus redditur inæqualis, deinceps hic æque ac ſolidorum motus magis interiora verſus tendit. Hinc ipſæ ſalutares ſe & excretiones, quarum debito ſucceſſu vita atque ſanitas conſervatur, perturbantur; & exinde denique cruoris in his vel illis partibus ſtagnationes oriuntur; quæ pro diverſis, quas occupant regionibus, varia atque gravia inducunt ſymptomata. Quod ſi enim humores ad nervoſas ventriculi membranas compelluntur; hujus inflationem, appetitus proſtrationem, cardialgiam, nauſeam, vomitumque excitant: & ipſe ſtomachus flatibus onuſtus, ſepti tranſverſi liberum motum deſcenſumque impedit; hinc ad ſanguinis circuitum per pulmones remorandum potenter diſponit, & inde ſummam præcordiorum anxietatem, difficillimam & anxiam ſpirationem, tuſſimque aridam progenerat. Quum præterea ventriculus ex pari octavo & ramo intercoſtali nervos ſuos adipiſcitur vique horum cum omnibus totius corporis nervoſis partibus arctiſſimo jungitur vinculo atque conſenſu; fit inde, ut illo ſpaſmis flatibuſque graviter diſtento, caput ſimul, pericranium, & maxime membranæ cerebrum medullamque ſpinalem cingentes vehementer afficiantur, conſtringantur, ideoque ipſa ſanguinis per vaſa cerebri circulatio admodum retardetur. Huic autem per vaſcula cerebri cruoris progreſſui in externis partibus impedito capitis dolores; in internis vero retardato vertigines, corrupta phantaſia, mentis alienatio & animi deliquia ſuos debent natales; & à ſpaſmo membranarum, quæ cerebrum ac medullam ſpinalem ambiunt, motiones epilepticæ ac convulſivæ ſuam trahunt originem. Quæ cum ita ſint; formalis horum ſymptomatum ratio conſiſtit in ſpaſmodica nervoſarum partium, maxime ventriculi capitiſque diſtentione: qua fit, ut humorum in viſceribus circuitus impediatur, inæqualis reddatur; ipſe cruor hinc inde ſtagnet, ac mala jamjam præſentia inſigniter foveat non minus, quam adaugeat.

Quamvis vero affectus noſter menſium retentioni in acceptis ferendus ſit: attamen in illo oppugnando horum reſerationem minime tentare, nec remedia huic opportuna in uſum vocare convenit. Hæc enim, ut ut ſint incidentia, evacuantia, menſes pellentia, roborantia &c. violentis hiſce ſpaſmis, qui præcipue mali paroxyſmos comitantur, tantum abeſt, ut ſuppetias ferant, ut potius præternaturales motus atque ſymptomata magis exacerbent: quid? quod ipſa venæ ſectio vel in pedibus vel brachiis inſtituta parum adferat emolumenti. Namque crebra compertum habemus experientia, illam in motibus ſpaſmodicis ac irregularibus minus provide adminiſtratam, hos magis adauxiſſe; & præſertim brevi ante febrium intermittentium, aut epilepticas acceſſiones inſtitutam, has reddidiſſe longe atrociores. Hinc potius eo omnis dirigatur cura, ut ſpaſmi conſopiantur, & partibus nervoſis, muſculoſis atque vaſculoſis naturalis tonus & pulſus reſtituatur: tum enim ſanguinis irregulares ad caput, ventriculum & pectus congeſtiones, ipſique paroxyſmi ſponte ceſſabunt, aut ſaltem imminuentur inſigniter. Quæ ſi rite fuerint obſervata, tunc menſium fluor congruis adminiculis in naturalem redigendus erit ordinem.

Quo igitur proponantur remedia, hiſce ſcopis conſequendis idonea: ante omnia alvi libertatem promovere oportet. Huic, cum humores à capite derivent, ſpaſmoſque inteſtinorum mitigent, optime inſerviunt clyſteres emollientes, qui ex furfuribus triticeis, floribuſque chamæmeli coctis, & binis unciis olei amygdalarum dulcium, tantillo mellis, drachmis duabus ſalis, ac una nitri permixtis conficiantur. Neque minus huic fini reſpondet ſal Sedlicenſe aut Epſomenſe, drachmis duabus circiter in aqua pura fontana ſolutum, & mane quandoque hauriendum, infuſum quoddam calidum ſuperbibendo. Hoc enim abſque ulla humorum exagitatione præſtantiſſimum exſerit effectum; nec exſiccat genus nervoſum, nec illud vellicat, nec ad ſpaſmos proritat inteſtina. Deinceps operæ erit pretium, ut ægra tribus aut quatuor ante quamvis acceſſionem horis balnea, aut duntaxat pediluvia ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis & floribus chamæmeli parata, non nimis calidiora, ne humores commoveant, ingredia-

grediatur, iiſque per horam dimidiam immoretur. Tum hanc commendo mixturam: Recipe liquoris noſtri anodyni mineralis unciam ſemis, eſſentiæ caſtorei, ſpiritus bezoardici Buſſii ana drachmam unam, laudani opiati liquidi guttas X. cujus 40. vel 50. guttulæ ſtatim poſt egreſſum è balneo ex potu calidiori aſſumantur, & inde levior expectetur ſudor. Porro ſuadeo, ut mane æque ac veſperi hujus pulveris capiatur doſis: Recipe pulveris Marchionis, antimonii diaphoretici ana drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrupulum, caſtorei, nitri grana decem. M. f. pulvis, div. in 6. partes æquales. Mane ſimul ſorbillandum eſt infuſum theiforme, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, ſalviæ ana manipulum unum, aniſi ſtellati drachmam unam, Conc. Cont. d. ſ. ſpecies *zum Kräuter-Thee*. Neque minus inſignem operam ſpondet hoc decoctum: Recipe viſci querni unciam unam, radicis pœoniæ, valerianæ ana unciam ſemis, herbæ betonicæ, verbenæ, meliſſæ ana manipulum dimidium, florum hyperici, papaveris rhæados, chamæmeli vulgaris ana pugillos tres. Conc. cont. d. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in duabus aquæ menſuris vaſe clauſo per tres horæ quadrantes decoquendæ ſunt. Hujus vero decocti largus hauſtus, binis ſemper olei amygdalarum dulcium cochlearibus remixtus ter quotidie aſſumendus, ejuſque uſus per binas ſeptimanas protrahendus eſt. Quod ſi autem harum medicinarum congruus uſus ſpem fefellerit, nec malo penitus exſtirpando ſufſecerit: eo meum tendit conſilium, ut proximo vere Egranæ acidulæ potentur, & externe balnea Tœplicenſia adhibeantur. Has enim minerales aquas in ejuſmodi ſpaſmodicis affectibus funditus expugnandis deſideratiſſimam edidiſſe opem, ſæpius deprehendi.

Ut denique de morbi eventu quædam præſagiam; hunc, ſi uſui exacto commendatorum remediorum pertinax vivendi ratio acceſſerit, omnino ſalutarem fore ſpondeo ac exoptatiſſimum. Quod ſi autem ægra medendi eam rationem neglexerit, victui irregulari, maxime animi commotionibus indulſerit, frigori ſe ſæpius expoſuerit, aut ſub aëre humido, udiſque habitaculis degerit; porro incongruis cibis, parco potu, minuſque ſufficienti corporis motu uſa fuerit: facillimum erit, ut hic affectus vel in epilepſiam chronicam vel ſoporoſos ac paralyticos affectus, cum abolitione ſenſuum atque memoriæ ſtipatos; vel denique in ipſam tranſeat apoplexiam.

---

## CASUS XXXIX.

### *De tinnitu aurium pertinaci.*

Foemina XXX. annorum, quæ nunquam menſium fluorem paſſa, nec variis remediis, ac frequenti venæ ſectione incaſſum adhibitis, unquam gravida; nec gravioribus malis, niſi ſpaſmodicis ac tenſivis dorſi, artuum, capitiſque doloribus, alvique ſegnitiei olim obnoxia fuit; à proxime elapſis paſchatos feriis aſſiduis ærumnis atque ſolicitudinibus cruciata, ſomno abhinc minus placido fruita, ſed de inſigni capitis debilitate atque temulentia conqueſta fuit. Has ægritudines ante ſemeſtre tempus exceperunt graves aurium tinnitus, à capitis adhuc immunes doloribus: qui quidem mox ſponte evanuerunt; ſex autem poſt hebdomadibus noctu redierunt, & abhinc matutino potiſſimum tempore per integrum menſem acerbe ſævierunt. Neque vero his lecto affixa ægra, epulis indulſit ſatis largis, inſuperque frigidulam in vertice percepit ſenſationem. Oppugnavit hæc mala uſu acidularum Wisbadenſium mane calide potarum per tres hebdomades protracto: quæ quidem alvum ſubduxeruut egregie; tinnitum illum vero tantum abeſt, ut ſublevaverint, ut ille potius atrocior inhæſerit atque vehementior. Neque enim noctu ab illo fuit jam libera, & ad leviſſimam capitis motitationem, inſignem in illo ſonitum, ac ſi campanæ pulſarentur, percepit. Jungebantur etiam tenſivi dolores capitis, oculorum, digitorum & omnium artuum, horumque debilitas: in vertice gelidiſſimus eſt ſenſus; appetitus proſtratus; alvus pigra, & ſingulo triduo pilulis balſamicis ſolvenda. Ipſe tinnitus ſiniſtram potiſſimum occupat aurem, ex qua ſpaſmus per integrum caput ſævire, ac tandem ipſum cor adoriri videtur, ut fere lypothymica adpareat; gravius adfligit malum, ſi in dextro ægra decumbit latere: pedes eximio languore afficiuntur, ut vix incedere queat; nec denique ſermo eſt ſatis expeditus, nec auditus facilis.

Propinata ipſi fuere varia medicamina, & interna, & externa; vena in pede ſecata, veſicatoria adplicata: Sumſit ſæpius balſamicas pilulas, pulverem bezoardicum cum liquore anodyno, infuſum theiforme ex herbis cephalicis &c. auri admovit balſamum vitæ; panem recens piſtum & adhuc ferventem; ſuccumque ceparum; naribus plerumque ſiccis & obſtructis attraxit pulverem errhinum ex herbis cephalicis paratum. Ad conciliandum ſomnum temporibus adplicavit unguentum ex unguento de alabaſtro, croco, camphora, oleo nuciſtæ, & oleo ligni rhodii confecto: quo quidem id obtinuit, ut ſomnus placidus ſit, nec turbetur ſuſurru, nihilo tamen ſecius evigilantem corripit iterum tinnitus ille cum reliquis moleſtis ſymptomatibus.

### *Epicriſis.*

Tinnitus aurium, præcipue gravioris & contumacioris, cauſſas & generationem explicare & opportunam medendi rationem monſtrare, non tam facilis eſt negotii, quam quidem vulgo putant. Nemo enim, qui interioris auris artificioſiſſimam ſtructuram & fabricam, mirificamque ſoni formationem non penitus cognitam perſpectamque habet, id feliciter tentabit. Neque alius facile intelliget, cur contumacis ejuſmodi mali ſanatio tot tantaſque ſibi adjunctas habeat difficultates. Compertum ex anatomicis eſt, per tubam Euſtachianam aërem intrare interiorem auris cavitatem, quæ eſt inter tympanum & auditus oſſa, interque veſtibulum labyrinthi & cochleæ, quod clauditur foramine ovali. Hic aër internus externe per aurem, meatum auditorium ac tympanum miris modis commotus ac repercuſſus, foramine ovali aperto ad veſtibulum, atque ad membranam nervi auditorii, quæ labyrinthi ſemicirculos & cochleam inveſtit, delatus ſoni ideam menti exhibet. Ad circulationem vero aëris interni, quæ conſiſtit in ejus purioris per tubam Euſtachianam introitu & exitu, promovendam, nec non ad variam tympani tenſionem ac remiſſionem plurimum contribuit motus muſculorum, quibus auditus oſſa reguntur. Quando igitur accidit, ut fibrarum nervearum compages, quibus univerſa auris cavitas, ejuſque oſſicula præcinguntur, à tono ac tenſione ſua naturali varias ob cauſſas dejiciatur: tunc non modo facillime fiunt hac in parte ſanguinis atque humorum decubitus ac ſtagnationes, ſed etiam liberior

aëris

aëris itus ac reditus intercipitur. Tum vero aër internus calore expanſus, multiplici alliſu & compreſſione exquiſitiſſimi ſenſus membranæ, quæ auditus inſtrumentum conſtituit, motum inducit tremulum, vibrantem ac pulſatorium, quo menti tinnitus offertur perceptio. Atque hæc tremula nervorum, qui auditui inſerviunt commotio ob viciniam & conſenſum reliqua etiam nervorum paria, & membranas cerebri moleſte afficit, ingentemque iis infert debilitatem: unde major ſubinde fit ad congeſtiones & ſtagnationes humorum diſpoſitio; quam cephalalgiæ ac dolores tenſivi in vertice ac nucha, noctesque inſomnes inſequuntur.

Quod curationem attinet, ea in præſenti ægra hoc modo inſtituta eſt. Dedimus primum pilulas, quæ habebant extracti hellebori nigri, panchymagogi Crollii, mercurii dulcis, cinnabaris præparatæ ana drachmam ſemis, balſami peruviani ſcrupulum unum, ſalis ſuccini, pulveris caſtorei ana grana decem; de quibus ægra viginti ſumſit alternis diebus circa lecti introitum. Ab harum uſu factis ſex ſedibus, non tamen ſine torminibus, magnam viſcidi & bilioſi humoris copiam dejecit. Deinde ordinavimus medicamentum nervinum & diaphoreticum ex tinctura antimonii acri, ſpiritu noſtro bezoardico (cui ſubſtitui poteſt ſpiritus eboris vel cornu cervi ſuccinatus) & liquore noſtro minerali anodyno æqualiter mixtis, mane in lecto ad quinquaginta guttas ſumendum, ſubjuncta largiori herbæ meliſſæ ſorbitione. Juſſimus præterea capiti externe adplicari cucupham pane, ſale toſto, caryophyllis, ſemine cumini, baccis lauri & floribus chamæmeli romani repletam. Diſſuaſimus etiam omnia flatulenta, acida, aëris frigidi admiſſionem, & graviores animi, quibus ægra alias obnoxia fuit, commotiones. Externe autem, pluribus incaſſum adhibitis, optimam præſtitiſſe opem obſervavimus unguentum ex anodynis concinnatum, temporibus & auris lateribus adplicatum; cujus uſum ſomnus tranquillior cum inſigni ſymptomatum levamine, viriumque refectione ſequutus eſt. Hujus enim generis remedia, veluti ſunt Zibethum, ambra, moſchus & crocus decenter ſoluta, & auribus indita, virtute, qua pollent, ſedativa ac demulcente præternaturales fibrarum nervearum commotiones ſufflaminant, atque ideo etiam in ſiſtendo ejuſmodi tinnitu omnibus aliis, quæ vulgo externe adhiberi ſolent, anteferenda ſunt. Ceterum ad curationem pertinacis aurium tinnitus haud facile ſuaſerim aquas medicatas, ſive thermæ ſint, ſive acidulæ; crebriori edoctus experientia, in affectibus ex debilitate cerebri ac nervorum ortis, & ubi languidior eſt humorum per capitis vaſa circuitus, copiam aquarum mineralium plerumque parum commodi ac levaminis afferre; quoniam tenuiſſima cerebri vaſa ægre tranſeunt, atque adeo majoribus ſtagnationibus amplam præbent occaſionem.

---

## CASUS XL.

### *De auditus difficultate cum fluxione ſeroſa.*

VIr litterarum ſtudioſiſſimus, XXVII. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, tenerioris ac ſtrictioris corporis habitus, ad iram proclivis, à teneris in moleſtias imi ventris torminoſas, colicas, capitis dolores, ſomnum turbulentum, ventriculique debilitatem pronus, & olim auditu difficili tentatus fuit. Hunc contra variis pugnatum eſt adminiculis, & præter varios medicos Chirurgi cujuſdam famoſi auxilium imploratum, qui ſe malum exſtirpaturum promittens, & aliquid præternaturale auri intruſum ratus; hoc forcipe ceraſi magnitudine extractum, cognovit eſſe cerumen inſpiſſatum, fere gypſeum, ac adeo durum, ut vix cultro ſecari potuerit. Tum reſtituta quidem eſt auditus libertas: at è ſiniſtra aure, quam obſederat cerumen illud, humor tenuis, paullo rubicundus, lymphatico ſimilis effluere cœpit. Oppugnavit hunc fluorem dictus chirurgus ſpiritu quodam in ipſum auris meatum inſtillato; qui vero tantum ardorem excitabat ægro, ut illum omitteret. Increvit inde effluxus ille copioſiſſimus, auditumque prorſus reddebat liberum. Hinc medicus quidam conſultus dedit medicamina interna pariter ac externa: ſed nec hæc ob ægri negligentiam partim in ipſis medicinis ſumendis, partim in regimine & capitis maxime ab aëre frigido munitione commiſſa; nec inſequuti pubertatis anni juxta medicorum prognoſes deſideratam tulerunt opem.

Tum J. imploravit æger auxilium D. W; ejuſque medicatione per duos annos uſus nihil deportavit levaminis: neque votis reſpondit fonticulus ſiniſtro inflictus brachio. Hunc enim per aliquod tempus geſtatum ſequebatur copioſa muci purulenti, fœtidi, viſcidi, coloris citrini ex dextra aure, hactenus ab omnibus ſymptomatibus immuni, excretio: quæ dolorem in meatu auditorio, inſignemque pruritum excitabat, & ad aëris conſtitutionem ſe habebat. Namque ab hoc frigido & humido conſtrictus quaſi ac obturatus videbatur meatus, ut ichoris equidem minorem copiam funderet, majorem autem auditus pareret difficultatem: contra vero cœlo exiſtente ſereno liberius audiebat, ſed ſaniem aure largius reddebat; quæ denique in humorem tranſiit ſero haud diſſimilem.

Binis abhinc annis ſub horrida hyeme ac auſtera tempeſtate itineribus quibuſdam functus, inſigni corpus expoſuit refrigerationi; & hinc vere accedente podagram incidit, atque chiragram. His intra trium ſeptimanarum ſpatium poſt exhibita interna remedia feliciter depulſis, ſucceſſit rubedo, moleſtuſque ardor in volis manuum pedumque plantis: tum ipſa cutis elevabatur, abſcedebat, ac denique reddebat largam tartareæ materiæ quantitatem.

Hæc itaque præſens eſt ægri conſtitutio; ut ex dextra aure ichor fœtidus, ſæpe viſcidus, aſſidue, majorique copia fluat, minori vero ex ſiniſtra feratur quantitate, auditusque ſit admodum difficilis. Ipſe putat, hanc materiam præternaturalem ac copioſam, in meatu auditorio ſecretam; nec conſiſtentiæ, nec colori ceruminis ſimilem impedire, quo minus ſonus ad tympanum queat allidere: ſed aërem primum mucum illum ferire, qui cum molle corpus conſtituat, tam validum ſonum omnino referre non poſſet, quem aër ad tympanum alliſus formaret. Hinc etiam veretur, ne temporis diuturnitate ab hoc humido ipſius tympani contingat relaxatio. Sperat autem, fore ut ex inſtrumento Dekkeri acuſtico, externe auri adplicato, & ſub capillis factitiis geſtato ſoni determinatio ad auditus organa accuratior, hinc auditus facilior reddi queat.

Ceterum victum jam obſervat pertinacem; cereviſiam fugit, & quavis die unam duntaxat vini gallici menſuram, atque loco potus Theébois, qui ventriculum aggravat, decoctum Coffeé ſaturatius bibere ſuevit; ſomno fruitur placido; nec curis indulget amplius, nec ſolicitudinibus. Alvo gaudet lubrica; flatibus ac murmuribus imi ventris admodum ſolicitatur; urinam reddit citrinam cum ſedimento.

dimento. Tinnitum dextræ potiſſimum auris ſublevare poteſt compreſſione narium ac oris, qua fit, ut flatus per ductum Euſtachii & tympani foramen erumpant: hinc anceps hæret, num forſitan ichor ille præternaturalis in viciniis proceſſus maſtoidei reſideat? Denique nec ignorari oportet, ægri patrem non minus difficili laborare auditu; reliquos autem fratres ſororeſque ab illo vivere immunes.

### *Conſultatio.*

Intellexi ex communicata mecum morbi hiſtoria, ægrum longis jam abhinc annis fluxione ſeroſa è ſiniſtra primum dein dextra ſimul aure facta detineri. Contingit illa procul omni dubio ex nimia glandularum circa aurem poſitarum, & in naturali ſtatu cerumen ſeparantium relaxatione: unde non ſolum ſerum illud, quod in ſpiſſam ac gypſeam fere materiam, meatum auditorium obturantem tranſiit; verum etiam liquor ille tenuis ac limpidus jam auribus fuſus effluxerunt. Hiſce vero moleſtiis fundamentum ſuppeditarunt capitis refrigerationes, malum vitæ regimen, & maxime impura humorum dyſcraſia, ventriculique imbecillitas: qua jam adhuc laborat æger, & hinc infuſa calidiora ferre nequit, multiſque abdominis borborygmis vexatur. Quandocunque enim chylus minus laudabilis ſanguineæ admiſcetur maſſæ, generantur humores impuri, tartarei, ſalſi; qui accedente refrigeratione in noſtro ægrotante non ſolum podagræ chiragræque cauſa fuerunt, verum etiam fluxionem illam aurium ſeroſam magis foverunt, atque ſuſtinuerunt. Denique vero eſt ſimillimum, tympani membranam, aliaſque partes ad auditum neceſſarias intra auris cavitatem ſitas multa humiditate nimium eſſe relaxatas: unde partim auditus difficilis, partim tinnitus aurium ſuos mutuatur natales.

Hæc ergo funditus expugnaturus mala, non externis ſolum medicamentis, verum etiam internis, quæ ſanguinem purificent, humores à capite derivent, & ventriculo tonum reſtituant, pugnare debet. Quæ ut obtineantur, præter rectam vivendi rationem operæ erit pretium, ut alvi libertas promoveatur pilulis blandis balſamicis, ventriculum ſimul roborantibus, quarum alternis diebus novem veſperi deglutiendæ ſunt. Deinde potui ordinario decoctum ſubſtituerem, quod & humores depuret, & ſtomachum confortaret; cujus hæc ſit compoſitio: Recipe radicis ſaſſaparillæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, glycirrhizæ, cichorei ana unciam unam, maſtiches, ſeminis fœniculi ana drachmas duas. C. C. d. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquendæ ſunt. Tum autem conſulo, ut ſub epulis ex ultimo allegati decocti hauſtu LXXX. guttæ Elixirii mei ſtomachici aſſumantur. Ut porro caput confortetur & affluxus diſcutiatur, haud alienum erit, ſaccharum pondere unciæ dimidiæ pulveriſatum, & viginti balſami mei vitæ guttis permixtum quandoque ſternutatorii pulveris inſtar naribus attrahere, aut in ore detinere, ut ſolvatur. Non minus inſignem utilitatem ſpondet balſamus Peruvianus, aut goſſypio exceptus & auribus inditus; aut illis ſuper prunis per infundibulum admiſſus: nec denique levem feret operam hoc emplaſtrum: Recipe emplaſtri de meliloto unciam unam, pulveris cantharidum drachmam unam. M. d. quod corio inunctum magnitudine nummi, quatuor groſſos valentis, nuchæ ſingulo triduo recens adplicetur per quatuor hebdomades, ipſumque collum faſcia probe muniatur. His ſi morem geſſerit æger, inſuperque ab animi affectibus, cibiſque flatulentis ſibi caverit, corpus moderate moverit, calidiores potus evitaverit, & regionem ventriculi balſamo meo vitæ quandoque inunxerit: non dubito, fore ut ille adhuc junior vegetuſque à malo ſuo penitus vindicetur. Nec denique adprobo, quod integram vini gallici menſuram quotidie potet; cujus ſexta pars ſufficit.

### *Ulterior relatio.*

Percepimus, virum illuſtrem fluxionem illam ſeroſam, qua auditus difficilis in noſtro ægrotante ſtipatur, ex glandularum circa aures poſitarum relaxatione derivare, ejuſque principem cauſſam in cacochymia ſeroſa, ac debilitato ventriculi tono collocare. His oppoſita medicamina rite quoque uſurpavit æger, & præcipue ex commendato decocto largiter hauſto optime habuit, & copioſiorem abhinc urinam reddi percepit. Præſcriptæ pilulæ alvum duxerunt ſatis bene; at aliqualem illius reliquerunt adſtrictionem. Hæc remedia cum Elixirio ſtomachico imminuerunt quoque borborygmos, leviores ructus atque dolores inteſtinorum, circa umbilici regionem excruciantes aliquantulum; ſed nondum penitus ſuſtulerunt. Externis non minus remediis, nimirum pulvere ſternutatorio ex ſaccharo & balſamo vitæ parato, balſamo peruviano, & veſicante emplaſtro uſus fuit: quod cum moleſtam glandularum colli ſubcutanearum intumeſcentiam excitaret, per binos quidem dies abſque cantharidibus impoſitum; dein vero, tumore illo congruis diſcutientibus calide adplicatis ſublato, per tres hebdomades continuatum eſt cum cantharidibus. Nec ſpem fefellit hoc veſicatorium; ſiquidem exinde non ſolum affluxus ad aures, maxime dextram imminutior factus; verum etiam ipſa ſeri effluentis acrimonia magis fuit temperata.

Ceterum flatibus torquetur æger inſigniter; qui aures æque ac ventriculum & inteſtina occupant: non minus capitis tormentis, præcipue in dextro latere circa frontem auremque ſæpius exercetur: ſi aſſumſerit acida inter cibos, mox colicos, ſpaſmodicoſque circa umbilicum ſentit dolores. Somnus, quo per decennium minus placido fuit fruitus, jam quoque admodum turbulentus eſt, nec niſi per ſex vel ſeptem horas protrahi poteſt. Pedes à leviſſimo frigore graviter afficiuntur: urina fertur coloris citrini, vel magis aurantii abſque ſedimento. Appetentia, uti ſemper, ita jam præcipue exigua valde eſt; nec niſi piſces edere cupit, carneſque maxime bovinas averſatur, cum exinde protinus inſletur ventriculus. Tabaci vero fumo largius indulget, hac potiſſimum pluvioſa tempeſtate; ſub qua cubiculo veluti carceri incluſus in publicum prodire recuſat. Quæ cum ita ſint, ulterius efflagitat conſilium, ac potiſſimum doceri cupit: num vino generoſo Sect dicto ad ventriculum roborandum, parca quantitate uti liceat?

### *Conſilium.*

Quum commendata remedia in auditus vitio felici effectu haud fuiſſe deſtituta intellexi: tranſmitto jam & priſtinum ſtomachicum & ſimul viſcerale meum Elixirium; quod utrumque ventriculum roborat, flatuſque diſcutit; & alternatim ita eſt adhibendum, ut quod ventriculo ſuo convenientius deprehenderit æger, magis in uſum vocet. Neque minus decocti potatio protrahenda; pilulæ ter quavis hebdomade ſumendæ, & veſicatorium jam omittendum eſt. Contra vero operæ erit pretium, col-

collum auremque affecti lateris balſamo meo vitæ ſedulo fricare, aut illius quaſdam guttulas goſſypio exceptas auribus indere: non minus ad caput roborandum inſignem feret opem ſuccinum pulveriſatum, alternis diebus capiti inſperſum, & dein iterum pectine abſtergendum. Nimius autem Tabaci uſus noxius eſt: dulce vinum Sect ventriculo confortando omnino opportunius erit vinis acidulis. Hæc ſunt, quæ in ſalutem ægri proponenda duxi, quæ Deus reddat ſalutaria precor.

---

## CASUS XLI.

### *De auditu gravi cum imbecillitate generis nervoſi, aliiſque ſymptomatibus.*

PErilluſtris quidam comes, jam diu viduus, LXIX. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ad iram pronus, corporis, ob duriorem educationem, multoſque belli labores in juventute perpeſſos, ſatis firmi atque robuſti, nullis diætæ exceſſibus indulgens non ſolum olim, verum etiam jam, maxime cum à ſcalis deſcendat, ſæpius vertigine ſolicitatur, & poſt prævias meditationes, & acriores animi intentiones de cervicis dolore ac capitis debilitate conqueritur. Unus cum dimidio elapſus eſt annus, ex quo aliquando humido frigidoque cœlo peregre domum reverſus, adfectu quodam ſiniſtri faciei lateris ſpaſmodico ac quaſi paralytico noctu corripiebatur ſubito, cum informi oris & labiorum diſtorſione, eorumque inflatione, oris ſiniſtri contractione, ejuſdemque verſus ſiniſtrum angulum inflammatione. Neque vero ulla aderat febrilis commotio, nec oculi affecti ac ſanguine ſuffuſi acies lædebatur, quin viſus illius pariter ac dextri permanſerit integer: attamen linguam obſederunt puſtulæ quædam, ardentem inferentes dolorem.

Oppugnabatur hic in tam confirmata ætate ſatis gravis affectus moderatis diaphoreticis, diſcutientibus, nervinis, blande laxantibus, ſiccis fomentis ac frictionibus, & Deo ſint grates, tanto cum fructu, ut oculus æque ac os paulatim priſtinum ac naturalem recuperaverint ſitum. Verum enim vero quædam adhuc reſtare videtur muſculorum oris relaxatio: ſiquidem eo non valet more alias conſueto tibiarum ſonum imitari: cui etiam eximia auditus difficultas ac fere abolitio ſupervenit. De hac autem notari meretur, quod ſereno exiſtente aëre eadem gravitas urgeat, ac ſub pluvioſa tempeſtate; quæ in aliis ſubjectis malum plerumque exacerbare ſolet: nec quoque more huic vitio conſueto tinnitu aut ſuſurru aurium ſtipatur. Sub aëre libero liberior quoque eſt auditus, quam intra cubile; & in fornicatis locis, ſono propagando alias convenientiſſimis, gravior ac plane nullus: contra vero, quod peculiari adnotatione dignum, facillimus, ſi æger à puncto ſonoro aliquantulum remotior ſuperiorem dextræ auris regionem à capite paullulum reclinaverit. Quod ſi enim v. g. prope ad horologium pendulum fuerit, ejus pulſum haud audit: ſi vero quatuor vel quinque paſſibus ab eo diſtat, & dicto modo aurem à capite elevat, illius motus forſitan ob commodiorem tympani ad recipiendum ſonum ſitum diſtinctius percipere valet. Denique etiam ſiniſtræ auris longe gravior deprehenditur auditio, quam dextræ, nec ulla adjuvari poteſt arte.

Ceterum bene habet illuſtriſſimus æger, & pro ætatis ratione optime viget: equo vehi, venatum proficiſci, omneſque functiones ſtrenue adminiſtrare valet. Diætam obſervat ſtrictiorem, nec largis indulget epulis: cœna utitur parciori, nec niſi juſculo quodam veſcitur; ſub prandio vinum Rhenanum debilius, & aſſumtis cibis durioribus, hauſtum Hungarici; ſub cœna non niſi cereviſiam aſſumit: ſomno fruitur placido, viribuſque gaudet ſatis robuſtis, niſi quod deſcenſus à ſcalis ob memoratam vertiginem difficilior fiat atque moleſtior. Neque unquam obnoxius fuit excretionibus ſanguinis naturalibus per nares aut hæmorrhoides: nec niſi alvi ſolutionem critice olim expertus eſt quandoque, quæ ſub præſenti affectione evaneſcere fere videtur. Bis quotannis circa æquinoctia venas in brachio tundendas præbere ſuevit, cum venæ ſectionem in pedibus, quam olim ſæpius inſtitui curavit, ſibi magis noxiam deprehendit. Denique nec ignorari oportet, mentis alacritatem poſt ſumtas epulas longe majorem eſſe, quam ubi jejunus eſt ventriculus: à prandio enim laboribus cum meditatione junctis commode fungitur, quos mane abſque inſigni capitis debilitate perficere nequit, nec tum niſi tremula manu ſcribere valet.

Quanquam igitur arduum ac difficile valde videatur, ut æger partim ob ætatem provectiorem, partim eximiam nervoſi generis imbecillitatem, atque membranarum cum cerebri, tum meatus auditorii ac tympani debilitatem à malo ſuo vindicetur penitus: non tamen dubitat, fore ut ex Tuo, Vir Excellentiſſime, conſilio affectus ſui levamen, ejuſque & à perfecta ſurditate & ab aliis hac maxime inimica tempeſtate metuendis gravioribus malis præſervationem obtineat. Hinc mentem tuam ocyſſime cognoſcere cupit, ac doceri potiſſimum avet, quæ thermæ externo uſui, quæve interne acidulæ aut minerales aquæ ipſi futuræ ſint ſalubres; quas meo quidem arbitrio cautiſſime adhibendas eſſe cenſeo.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Poſtquam ægritudinis, qua perilluſtris Comes à R. ſolicitatur, omnia momenta probe mecum perpendi: ex relatis judico, non ſolum paralyticum illum affectum, quo uno & dimidio abhinc anno fuit infeſtatus, cujuſque adhuc quædam in movendo ore oſtendit veſtigia; verum etiam vertiginem, auditum gravem, & capitis poſt acres meditationes debilitatem nimiæ ſeri colluviei, & inde productæ nervoſarum partium cerebrum ac organa ſenſibus dicata ambientium imbecillitati atque atoniæ ſuos debere natales. Hiſce autem partim ætas confirmata, partim ſubitanea aëris mutatio ac refrigeratio, cui ſub venationibus fuit obnoxius, cauſſam ſuppeditaſſe videntur. Quod peculiaria momenta, quæ difficilem auditum comitantur, attinet: ea ex membranarum nervoſarum auditus organa involventium tam internarum quam externarum nimia ſiccitate derivarem ideo, quod obauditio illa gravis & humida & ſerena tempeſtate eadem ſit, nec ullo aurium ſuſurru ſtipetur, licet non negarem, ſub initio nimiam nervorum auditus laxitatem fuiſſe præſto. Neque vero dubito, quin difficilis ille auditus etiam à cerumine aurium inſpiſſato, indurato ac tympani membranam occupante dependeat: id quod experientia ſæpius comprobatum habui, & hoc in caſu operæ fuiſſe pretium deprehendi, ſi lac calidum, cujus ea, quam cochlear capit portio cum quatuor olei tartari per deliquium guttulis permixta ſit, ſæpius immittatur auri, & per aliquot tempus in

in ea detineatur; quod decubitu corporis ad latus inclinato eo melius obtinebitur. Non minus regionem circa aures balſamo meo vitæ frequentius fricare oportet; aut os cum calido vino, balſamo vitæ maritato matutino tempore colluere, eodemque fauces gargariſare; quod capitis confortationi egregie inſerviet ſimul.

Inter medicamina interno uſui opportuna ſoliciti ante omnia eſſe debemus, ut alvus ſit libera, quæ in hominibus ætate provectioribus, partim cum in illis bilis haud ſatis balſamica eſt, ac multæ in ventriculo generantur aciditates; partim glandulæ ac unicæ inteſtinorum glanduloſæ non ſufficientem fundunt humiditatem, plerumque obſervatur pigrior atque adſtrictior. Id eo magis in noſtro ægrotante videtur neceſſarium, cum olim lubrica magis alvo uit gaviſus. Namque haud rara mihi occurrerunt exempla, alvum ſiccam ſegnemque hos capitis affectus excitaſſe non ſolum, verum etiam exacerbaſſe. Sed arduum eſt, hoc ſcopo in ſenibus potiri; Purgantia enim magis nocent, quam proſunt. Meo quidem arbitrio in uſum frequentiorem vocandus eſt pulvis quidam abſorbens, cujus hæc ſit compoſitio: Recipe lapidum cancrorum unciam dimidiam, nitri antimoniati drachmas duas, extracti rhabarbari tenuioris cum menſtruo aqueo & ſale tartari parati drachmam unam. Hæc commiſceantur invicem & exſiccata mane vel veſperi bis quavis hebdomade pondere drachmæ unius exhibeantur: & præterea inter epulas ſæpius poma Porſdorffienſia cum paſſulis minoribus cocta aſſumantur. Deinde ad capitis nervorumque roborationem commendo eſſentiam ſuccini cum tinctura tartari æquali pondere mixtam, & cum dimidia parte ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi maritatam, mane æque ac veſperi L. vel LX. guttulis hauriendam. Cum porro magna vis in congruo potu ſita eſt: ejus ordinarii loco exhiberem æſtate acidulas Selteranas cum tertia vel quarta vini parte commixtas; hyeme decoctum quoddam: nec denique à venæ ſectionum bis quotannis adminiſtratarum uſu deſiſtendum eſſe ſuadeo. Ceterum in tam provectiori ætate non tam circa perfectam mali exſtirpationem, quam potius vitæ conſervationem ſolicitum eſſe oportet: cui minerales aquas aut thermas minus fore convenientes judico.

---

## CASUS XLII.

### *De cœcitate ſubito ſuborta.*

STudioſus triginta & ſeptem annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici à teneris ſe prorſus ſtudiis dedit, lucubrationibus admodum indulſit, maxime cum ante biennium erudiendis liberis operam navaret. Namque tum ad ſeram uſque noctem protraxit meditabundos labores; hora quarta matutina iterum ſurrexit; ad prandium uſque jejunus manſit, aut ſaltem vini aduſti hauſtum aſſumſit, & ſub epulis parco potu uſus alvum ſemper habuit ſegnem. Hoc vitæ genere per annum cum dimidio continuato, accidit, ut dum gravi aliquando percelleretur iracundia, primum capitis dolores, ac ſenſum formicationis in fronte, & tum ſubitaneam incidit cœcitatem, cum gravi auditu, ſermone præpedito, ac tenſivis dextri brachii pediſque tormentis. Adhibita protinus ſunt pediluvia, & vena in ſiniſtro pede ſecata; quæ non minus ac ea, quæ elapſis poſt binis hebdomadibus in brachio ſiniſtro tundebatur, nullum fudit cruorem. Hinc ſcarificatio, cui olim adſueverat, per biennium vero ſuperſederat, in nucha ac vertice capitis inſtituebatur; & alvi obſtructio clyſtere emolliente oppugnabatur. Tum viſus quædam rediit potentia, qua ſub accenſam lucem melius, quam lunæ ſplendorem videre valuit; legere tamen nondum poteſt; ac nubeculas adhuc ante oculos verſari aſſerit.

Ego in conſilium vocatus primum ordinavi hunc pulverem: Recipe cinnabaris nativæ præparatæ, lapidum cancrorum, ſuccini præparati ana drachmas duas, ſalis volatilis ſuccini, cornu cervi ana grana decem. M. f. pulvis. S. *Pulver zu einem Quentchen auf ein mahl.*

Deinceps commendavi has pilulas: Recipe mercurii dulcis, maſſæ pilularum noſtrarum ana drachmam unam, extracti panchymagogi Crollii drachmam ſemis, extracti caſtorei grana quatuor. M. f. pilulæ ex ſcrupulo XX. Harum nimirum pilularum XX. tribus ſucceſſive diebus mane ſumſit; tum per quinque dies mane pariter ac veſperi pulverem adhibuit; poſtea iterum pilulas per 3. dies, & demum pulveres cepit, & ſic alternavit. Porro hoc decoctum dedi: Recipe radicis valerianæ unciam unam, herbæ meliſſæ manipulum unum, ſeminis fœniculi drachmas duas Conc. cont. d. S. ſpecies inſtar Théebois uſurpandæ: hujus enim vaporem mane oculis admittere, & poſt ſumta medicamina commendata octo vel decem vaſcula ſorbillare debuit. Non minus exhibui balſamum meum vitæ, ut illum & naribus admoveret, & eodem tempora inungat, & tandem VIII. illius guttas mane ex allegato infuſo hauriat. Denique etiam quotidie in pediluvia ex furfuribus tritici & floribus chamæmeli pedes ad ſuras uſque immiſit: & his per aliquot hebdomades rite adhibitis viſus perfectam recuperavit potentiam.

### *Epicriſis.*

Cœcitas, quæ ſubito invadit, ſpeciem præ ſe fert paralyſeos, ac potiſſimum fit à ſtagnatione & ſeceſſione ſeri à ſanguine circa thalamos nervorum opticorum; quorum compreſſio liquidi illius nervei animalis liberum in nervos opticos influxum impedit: hinc oritur viſus privatio, ſalva & illibata ſtructura oculorum; ſiquidem exterius in iis nullum alicujus labis veſtigium deprehenditur. Proficiſcitur autem hæc ſeri ſtagnatio potiſſimum à debilitate cerebri, nimiaque ejus fibrillarum relaxatione, quæ ſanguinis curſum per hanc partem difficiliorem reddit: unde is cerebri vaſis impactus hærens ſeroſitates dimittit, quæ certo in loco imi cerebri copioſius congeſtæ hæc vel illa nervorum paria comprimunt, earumque partium, ad quas hæc paria feruntur, functiones depravant, vel penitus deſtruunt. Præſenti in caſu nimia animi contentio in meditando, nimiæ vigiliæ ac diuturnus mœror animi cerebrum, atque ex eo oriunda nervorum paria magnopere debilitarunt. Eſt enim harum rerum ea natura ac indoles, ut conjunctæ ad graves capitis morbos, melancholiam, paralyſin, apoplexiam & affectus ſoporoſos facillime diſponant. Accedit huc ſanguinis craſſities atque impuritas, ejuſque ad caput congeſtio; quæ omnia ad nimiam potus abſtinentiam, matutinum ſpiritus vini uſum, contumaces alvi obſtructiones & intermiſſas ſanguinis per venæ ſectionem aut ſcarificationem evacuationes referenda ſunt. Non itaque mirum videri debet, quod ſub tali humorum ſtatu ac diſpoſitione cerebri ſanguis à graviori animi commotione cum impetu ad cerebrum congeſtus ibique ſubſiſtens non modo gravativum capitis dolorem ac cœcitatem, ſed etiam pungitivum & lancinantem dolorem in dextro pede ac brachio excitaverit.

rit. Quum autem hic affectus nondum inveteratus, ſed adhuc recens ſit; facile judicare licet, ægrum non extra ſpem viſum recuperandi poſitum eſſe, ſi modo accommodata huic malo remedia convenienti ordine ac tempore adminiſtrentur.

Quam ob rem præter venæ ſectionem, ſcarificationes, alvique laxationes, utiliſſimam tali in caſu opem ferunt ea remedia, quæ ſtagnantes humores reſolvunt, atque diſcutiunt, eoſque à capite & partibus ſuperioribus ad inferiora divertunt, ac denique univerſum genus nervorum valde debilitatum corroborant. Quum vero mercurialia rite præparata, & cum primis cinnabarina, decenti modo ac tempore uſurpata, plurimum valeant ad lympham ſtagnantem in partibus etiam remotioribus removendam atque in convenientem motum reducendam, quemadmodum id ſatis abundeque adparet in lue venerea; hinc in gravioribus longis paſſionibus, in paralyſi & epilepſia non ſine inſigni fructu iis uſi ſumus non ſolum ſcopo purgandi, ſed etiam ſine diaphoretico, qui facillime obtineri poteſt, ſi infuſa calida, diaphoretica virtute imprægnata ſuperbibantur. Remotis igitur cauſis & reſolutis ſtagnantibus circa thalamos nervorum opticorum humoribus, nihil utique conſultius eſt, quam cerebrum atque univerſum genus nervorum præſtantiſſimis balſamicis cum interne, tum externe adhibitis corroborare, fibriſque nimium relaxatis priſtinum tonum ac robur reſtituere, quam ad rem uſus balſami noſtri liquidi quam maxime commendandus eſt. Ceterum ex hujus morbi hiſtoria, ejuſque felici ſanatione illud imprimis cognoſcere licet, ad tollendam cœcitatem, ſeu guttam ſerenam non adeo inveteratam, cinnabarina ac mercurialia cum ſubjuncto balſamicorum uſu maximam habere efficaciam: neque dubitandum eſt, quin ſimilis medendi ratio in aliis gravibus cerebri capitiſque affectibus, qui à ſtagnante & extravaſata ſeroſa ſanguinis portione naſcuntur, ſi non jam altiores radices egerint, opportunum locum inveniant.

---

## CASUS XLIII.

### *De viſus imminutione ex humorum oculi, potiſſimum aquei conturbatione.*

POſtquam de affectione oculorum, qua Reverendiſſimus quidam ac illuſtris vir tentatur, conſultus, & ipſos oculos coram inſpexi, & ægri temperaturam ac corporis conſtitutionem rite exploravi; & denique varia celeberrimorum medicorum conſilia perluſtravi: illud vitium nec paralyſi nervorum opticorum, aut guttæ ſerenæ, quam vulgo vocant *den ſchvvartzen Staar*, accenſere poſſum, cum pupillam pro diverſa radiorum luminoſorum receptione adhuc conſtringi, dilatarique video; neque etiam ad ipſam cataractam, acu auferendam, pertinere arbitror, quamvis haud negaverim, illud demum in cataractam terminari poſſe. Eſt potius hic affectus conturbatio humorum, maxime aquei oculorum, à ſuccorum vitalium curſu per oculum turbato ac imminuto, & tunicarum vaſorumque oculum conſtituentium robore labefactato derivanda.

Huc partim ætas provectior, partim mentis labores acriores, forſitan nocturnis potiſſimum lucubrationibus ad candelæ lucem adminiſtratæ eximium procul dubio contulerunt momentum. Hiſce enim integrum nervorum genus cum liquido eorum tenuiſſimo valde debilitatum fuiſſe, exinde colligo, quod illuſtris æger de vertigine, variis imaginibus ante oculos obverſantibus, olfactus nimia ſenſibilitate, qua graveolentia ferre nequit, ac ſomno turbulento conqueratur. Neque vero minus hæc vitia adauxit ventriculi deſtructum robur: quo, ut multæ acidæ, bilioſæ, mucidæque ſordes generentur, digeſtio impediatur, & illegitimus chylus, ex cujus integritate non ſolum ſanguinis bona temperies, verum etiam elater partium ſolidarum maxime cordis, & inde factus humorum liber curſus dependent, producatur; contra vero multi flatus enaſcantur, qui accedente alvi obſtructione, per ſuperiora eructant, & cruorem, vappidaſque exhalationes ad caput rapiunt.

Quibus ſic ſe habentibus cum ventriculi vigor imminutus, lympha tanquam totius corporis & humorum oculos obſidentium nutrimentum, ſpiſſa ac impura, caput imbecillum, oculi debilitati & ætas confirmata præſto ſint: facile judicare licet, nullum eſſe locum violentis remediis, veluti ſunt vomitoria, ſetacea, veſicatoria, martialia, millepedes, aliaque calidiora cephalica ab exteris medicis, maxime D. Wolhuyſen commendata. Hæc enim junioribus perſonis, ubi vitium oculorum ex aliis cauſſis originem traxit, provide adplicata quendam quidem pollicentur effectum: at in noſtro caſu majus ſanitatis atque vitæ minantur damnum. Quare potius vellem, ut medicinis blandis ac naturæ convenientibus integræ corporis temperiei ſuccurratur, & maxime generando chylo laudabili proſpiciatur. Quod ſi enim concoctrix vis reſtituatur ventriculo, vireſque naturæ confortentur; haud dubito fore, ut ad oculorum affectionem deſiderata redundet opera.

Hiſce autem ſcopis obtinendis conſulo, ut bis quotannis tempeſtate ſerena vena in pede ſecetur, & ſanguinis quatuor extrahantur unciæ: quo etiam tempore aërem frigidum, humidumque evitare, cibos duriores fugere, ac animi tranquillitatem amplecti oportet ægrum reverendiſſimum. Deinde eximium pollicentur uſum pediluvia ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis, ſacculo incluſis parata, & aliquot lactis menſuris permixta; quæ temperata, & ne refrigeſcant, ſucceſſiva aquæ calidioris affuſione in tepore conſervanda per aliquot hebdomades quotidie circa ingreſſum in lectum adhibenda ſunt, iiſque per horam dimidiam inſedendum: poſtea pedes vino Rhenano calidiori cum floribus lavendulæ & chamomillæ Romanæ infuſo inungendi, & denique cubitum eundum eſt. Tum ſemel circiter intra 14. dies hauriendam ſuadeo hanc laxantem potionem: Recipe mannæ electæ uncias duas, terræ foliatæ tartari drachmam ſemis, aquæ veronicæ, florum acaciæ ana uncias tres, coque & ſolve leni calore; colaturæ adde olei de cedro italici guttas tres M. d. Hujus dimidia portio mane capienda, dein quædam juſculi avenacei vaſcula ſorbillanda: tum elapſa hora dimidia altera pars aſſumenda, & iterum avenæ decoctum ſuperbibendum erit. Summo enim cum fructu acidas bilioſaſque ſordes blande expurgabit; nec timendum erit, ſi forſitan ob ventriculi imbecillitatem vomitum ſimul excitaverit. Pridie ante ejus aſſumtionem pulverem infra communicandum aſſumere convenit; & præterea ſingulo quatriduo pilularum mearum balſamicarum XIV. veſperi devorare; quæ magis ventriculum roborandi, quam laxandi virtute pollent.

Mane loco infuſi Théebois aliud è meliſſa, betonica atque corticibus citri concinnatum, haud adeo ſaturatum ſex vel ſeptem vaſculis potandum; &

& ſub epulis ex ultimo hauſtu XL. vel L. guttulas Elixirii mei balſamici viſceralis capiendas ſuaderem. Neque minus præſtantiſſimam opem exſeret levior corporis motus, aut hora una ante, aut tribus poſt paſtum inſtituendus. Tum operæ erit pretium alternis diebus vel una ante prandium hora, vel à meridie hora quinta veſpertina pulverem quendam & acorem attemperantem, & ventriculum roborantem, & digeſtionem adjuvantem ex aqua ceraſorum nigrorum pondere unius drachmæ aſſumere, qui ſic ſe habet; Recipe radicis aaronis, pimpinellæ albæ ana drachmam unam, lapidum cancrorum unciam unam, ſuccini ſcrupulos duos, olei de Cedro, aurantiorum per expreſſionem parati, nuciſtæ deſtillati ana guttas quatuor. M. f. pulvis.

Pro localibus remediis ad confortandos oculos idoneis laudarem eorum lotionem cum aqua Hungarica, dimidia aquæ roſarum parte permixta ter quotidie inſtituendam; quæ etiam externe balſamo peruviano nupta abdomini inungi poteſt. Ipſi oculi ab immediato luminis acceſſu muniantur probe; caput ſedulo pectinetur, & nucha cum dorſo frequentius fricetur. His rite obſervatis ſpero, fore ut & toto corpori, & maxime oculis inſigne accedat levamen, quod ex toto pectore precor.

*Appendix.*

Non ignorari oportet, ægrum noſtrum ſplendidiſſimo munere eccleſiaſtico functum & annos ſeptuaginta duos natum noviſſime elapſo anno, mihi cum Ducem Brunſvicenſem valetudinis cauſa acceſſiſſem, retuliſſe, ſe binis abhinc annis in eam viſus abolitionem incidiſſe, ut quidem lucem à tenebris diſcernere, hominesque diſtinguere, lecturus vero litteras minime dignoſcere poſſit. Huic vitio cauſam dediſſe recenſebat lucubrationem ac lectionem ad mediam uſque noctem olim protractam, capitiſque ſimul factam refrigerationem. Multorum, quos in hoc morbo jam conſuluerat, medicorum, maxime celeberrimi Lutetiæ medici, D. Wolhuyſen conſilia mihi oſtendebat, qui omnes circa morbi denominationem diſſentiebant. Hic enim cataractam veram, alter ſpuriam, ille guttam ſerenam, alius paralyſin nervorum opticorum ſubeſſe declarabant, iiſque cauſis varia, partim violenta proponebant remedia. Quum ergo ipſe oculos inſpicerem & ſerena tempeſtate, & luce obſcuriori: motum pupillæ conſtrictorium ac dilatatorium ſalvum adhuc deprehendi & integrum, ipſamque pupillam paullo conturbatam. Præterea inſigni ventriculi debilitate laborabat, cum extra tum inter epulas crebris ructuum moleſtiis tentabatur, quas muci atque ſalivæ copioſa ſequebatur exſpuitio: mane nauſea ac acore ventriculi ſolicitabatur; alvus ſegnis & ſæpius obſtructa erat, vertiginoſa caput turbabat adflictio, ſomno fruebatur turbulento & gravativus frontem oculoſque occupabat dolor. Appetentia gaudebat ſatis integra, corpore nihilo ſecius emaciato, cibis magis durioribus adſueverat, quam mollioribus, & inter epulas potui vini Rhenani magis indulgebat quam cereviſiæ.

Quibus ſic ſe habentibus, hanc viſus imminutionem magis ad ſymptomata referendam duxi, cujus princeps cauſſa partim in capitis atque ventriculi debilitate, partim lympha impuriori hærebat. Hiſce etiam cauſſis accommodavi curationem, variiſque argumentis demonſtravi, maxime fore neceſſarium, ut concoctio promoveretur, reſtitueretur, & in corpore boni generarentur ſucci: & ſatius futurum, ut ipſa vita hujus illuſtris ægri, ex cujus eruditione, experientia ac integritate inſigne reipublicæ accedebat emolumentum, conſervaretur, quam ut habita duntaxat ad oculorum vitium ratione violentis medendi rationibus pugnaretur, iiſque vita magis deſtrueretur. His morem geſſit, & deſideravit, ut meam de curatione mentem proxime conſignarem litteris; quas etiam domum reverſus, mox ad illum dedi. Rite inhæſit commendatis à memet remediis, & ab iis, maxime ab Elixirio balſamico in ventriculo ac concoctione roborandis deſideratum obtinuit effectum: licet viſus imminutio nullam adhuc reſtitutionis ſpem exhiberet.

---

## CASUS XLIV.

### *De humorum oculi conturbatione cum gutta ſerena.*

MAtrona quædam XLIX. annorum, cholerico-melancholica, jam per ſedecim annos, extra conjugium vivens, illibatam ſemper præ ſe tulit valetudinem, niſi quod à teneris ſpirandi quadam anguſtia fuerit ſolicitata. Interim variis refrigerationibus atque moleſtiis expoſita, per binos annos menſium irregularem habuit fluxum, mox largum, mox per tres menſes ſuppreſſum, & noviſſimo anno plane ceſſantem. Abhinc vero ſæpius oculorum inflammationibus tentata, illas quidem ſemper ſuperavit: ſed menſe Decembri anni 1726. illæ redierunt gravius cum puncturis atque doloribus ſtipatæ, & primum dextrum, mox etiam ſiniſtrum prehenderunt oculum. Has inſequebatur iridis quædam dilatatio, & viſus obſcuratio, quæ paulatim adeo invaluit, ut jam nihil omnino diſcernere valeat. A doloribus quidem, non autem penitus ab inflammatione liberi ſunt oculi; horumque dextri cryſtallinus humor naturali adparet albicantior; nec tamen liquet, an cataractam, anne glaucoma portendat: in ſiniſtro non niſi pupilla dilatata, & humores conturbati obſervantur. Multis contra hæc mala pugnatum fuit remediis, nimirum venæ ſectionibus in pede pariter ac brachio inſtitutis, veſicatoriis, fonticulis in brachio & nucha excitatis, pediluviis, collyriis, ſacculis diſcutientibus, purgantibus, mercurialibus, ſudoriferis, millepedibus cum cinnabari nativa mixtis, & commendatæ etiam ſunt aquæ Spadanæ. Tantum vero abeſt, ut malum hiſce fuerit ſublevatum, ut potius magis magiſque ingraveſcat, & ægram admodum anxiam reddat, ſolicitamque.

*Conſilium.*

Intellexi ex caſu ad me tranſmiſſo, ægram viſu fere privatam meum implorare auxilium. Quod ſi ergo primum illius affectionis cauſam intuear: illam partim in humorum oculorum cryſtallini vitreique naturaliter pellucidorum ab effluxu lymphæ ſpiſſæ ac impuræ facta corruptione atque turbatione; partim nervorum opticorum læſione reſidere arbitror. Hi enim ex appulſis & ſtagnantibus impuris ſuccis compreſſi, liquidi nervei aditum ad tunicam retinam denegant, & hinc ablato viſu guttam ſerenan induxerunt; quemadmodum ex nimia & fere paralytica pupillæ atque iridis dilatatione cognoſcere licet. Quum igitur hæc vitia nimio ad caput, & oculos, maxime harum partes prope cerebrum ſitas facto affluxui debeantur, teſtantibus id rubedine, dolore ac inflammatione eorundem;

rundem; hic vero affluxus partim à menſtruæ purgationis ceſſatione, partim à crebris refrigerationibus, animique commotionibus & inductus fuerit, & adhuc foveatur: imprimis curandum erit, ut primum oculi ab humoribus in iis ſtagnantibus liberentur, affluxus ad illos divertatur, tumque partes eorum nerveæ ac membranaceæ corroborentur, & humoribus priſtina reſtituatur pelluciditas.

Quod vero conſequi perarduum judicandum eſt in malo hoc inveterato; ſaltem ea, quæ his affectibus vulgo opponuntur medicamina, veluti ſunt ſetacea, veſicatoria, fonticuli, mercurialia, collyria, diſcutientia, ſudorifera atque purgantia, incaſſum adhibebuntur. Attamen minime omnem abjicere oportet ſpem, maxime cum ea nondum uſurpata videam remedia, quæ in hiſce vitiis, ratione & experientia duce, haud aliena deprehendi. Hinc ſuaderem, ut geſtato aſſidue in nucha ſetaceo, alvi ante omnia conſervetur libertas; cui ſcopo Manna binis unciis cum una cremoris tartari drachma permixta bis quavis hebdomade devorata inſerviet egregie. Dein omnem vini atque cereviſiæ potum ſedulo evitare, ejuſque in locum hoc decocto uti oportet: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi, ſarſaparillæ ana uncias ſex, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas tres, radicis liquiritiæ unciam. C. C. d. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia ex tribus aquæ menſuris decoquatur. Externe oculis adplicandus eſt ſacculus radice valerianæ, ſemine fœniculi, floribus roſarum repletus, & aqua arquebuſadæ impraegnatus; aut quandoque naribus attrahendus hic pulvis: Recipe ſalis volatilis ammoniaci ſicci unciam unam, olei ſalviæ, majoranæ, balſami peruviani ana drachmam ſemis. M. Nec levem ſpondet operam infuſum theiforme ex radicis valerianæ uncia una, herbæ meliſſæ, betonicæ, ſalviæ, baſilici ana manipulo, ſeminis fœniculi, cubebarum ana drachmis tribus paratum: cujus partim vapor mane admittendus oculis, partim minus ſaturati decem vaſcula ſunt hauriendam: & denique operæ erit pretium, ut ægra cubitum itura drachmam dimidiam hujus aſſumat pulveris: Recipe cinnabaris rite præparatæ, radicis pœoniæ, oculorum cancri, antimonii diaphoretici, ſuccini præparati ana drachmas duas, ſulphuris antimonii N. correcti ſcrupulum M. f. pulvis.

Horum remediorum uſui per quatuor hebdomades inſiſtatur, neceſſe eſt, eique quavis veſpera pedeluvium ex aqua fluviatili & furfuribus tritici concinnatum adjungatur. Quod ſi vero hæc votis haud reſponderint; tunc conſultum duco, ut pro excitanda leniori ſalivatione ter quavis hebdomade juncturæ pedum atque genua unguento mercuriali illinantur; & ægra quotidie per tres horæ quadrantes inſeſſum ex aqua fluviatili cum hordeo ac tritici furfuribus decocta ingrediatur: & hac cura abſoluta priori iterum inhæreat. Ex his, ſi reſtitutioni ſanitatis adhuc locus fuerit, deſideratum effectum ægram eſſe conſequuturam, nullus dubito.

---

## CASUS XLV.

*De viſus imbecillitate ex turbatione humorum oculi.*

QUæ jam triginta duos annos extra matrimonium vixit, matrona ſeptuaginta ſex annorum, per quinque jam luſtra plenaria dextri oculi cœcitate ſolicitata fuit; qui ſiniſtro major extra orbitam prominet plerumque, humoribus turbulentis, & aliquot in pupilla maculis conſpicuus. Verum enim vero aliquot abhinc annis ſiniſtrum quoque oculum quædam obſcuratio obſidere cœpit; quæ poſt inſtitutam vel venæ ſectionem, vel ſcarificationem ſemper quidem evanuit iterum; at proxime elapſo ſemeſtri, nec quicquam oppoſita venæ ſectione magis invaleſcere videbatur, ſimulque macula quædam in pupilla adparebat. Humores oculi clari adhuc ſunt atque pellucidi, & quod notatu dignum eſt, ægrota matutino tempore litteras craſſiuſcule ſpriptas legere, meridiano nihil prorſus cognoſcere, & veſpertino iterum paullo melius videre poteſt: quæ videndi potentia alternis etiam diebus plus minus imminuta deprehenditur. Oppugnaturus hoc vitium primum laxans ex extracto panchymagogo Crollii, mercurio dulci & reſina Jalappæ confectum quavis hebdomade exhibui; quotidie pulverem ex radice valerianæ ſylveſtris, ſuccino, millepedibus & cinnabari antimonii paratum dedi; externe balſamum cephalicum Weisbachii oculis adplicui, iiſque collyrium cum ſale ammoniaco, tutia præparata & ſaccharo combinatum indidi: alternis veſperis pediluvia ex aqua dulci ordinavi; fonticulum in pedibus excitari juſſi, & bis pedes, nucham, atque brachia ſcarificanda curavi; ubi notandum, quod nullus è pedibus, largus autem ex brachiis fluxerit cruor. Nec fefellit ſpes haſce medicinas, ſaltem malum majora haud ſumſit incrementa: at cum illarum uſum ob intervenientes dies caniculares omitteret, illud increſcere iterum videtur, ægramque reddit ſolicitam, ne perfecta ſuboriatur cœcitas.

### *Reſponſio.*

Poſtquam ex litteris tuis intellexi, ægram ſeptuagenariam, dextri oculi viſione penitus deperdita, jam quoque eximia ſiniſtri obſcuratione ſolicitari; qua ipſa circa meridiem potiſſimum omni viſu deſtituta, macula quædam pupillam obſediſſe, humores autem adhuc eſſe pellucidi perhibentur: haud potui, quin tuis petitis faciam ſatis, quidve hac in re ſentiam, exponam. Primum ergo hujus affectionis cauſſam minime in vitio nervi optici, aut tunicæ retinæ, ſed potius in turbata humorum oculi, maxime aquei pelluciditate ſitam eſſe arbitror. Quum vero hæc viſionis imbecillitas per intervalla duntaxat redeat, & à prandio præcipue adfligat: facile colligere licet, illam à fortiori ſanguinis ad caput, & internas oculi partes congeſtione natales ſuos mutuari: cum conſtet, ſumptis epulis ob novum ſucci chyloſi acceſſum, majorem humorum ad caput fieri raptum; & huic quoque cauſſæ torporem & ſomnolentiam multis hominibus poſt paſtum familiarem deberi. Quod ſi enim ſubtiliſſima oculorum vaſcula ab acceſſu nimiæ humiditatis violenter diſtenduntur: fit inde, ut non ſolum puriſſimi atque ſubtiliſſimi, ad nutritionem humorum oculi, maxime aquei ſumme neceſſarii ſucci, per tunicam choroideam, admodum poroſam ac vaſculoſam veluti per filtrum tranſeant; verum etiam quædam minus tranſparentes & opacæ ſimul abripiantur moleculæ, & aquei humoris turbationem introducant. Non minus macula oculum obſidens concretioni harum craſſiuſcularum particularum in humore aqueo factæ in acceptis ferenda eſt, eo magis, ſi inter tunicam uveam ac corneam conſpiciatur. Neque ideo improbare poſſum adhibitorum remediorum uſum, quæ humoribus à capite & oculis revellendis dicata eſſe videntur: circa pediluvia autem monendum adhuc duxi, quod per aliquot hebdomades quo-

quotidie ſub lecti ingreſſum adhiberi, & moderato duntaxat tepore imbuta eſſe debeant. Alvi præterea lubricitati omnino ſtudendum eſt, quam ſequens pulvis alternis diebus ante prandium pondere duarum drachmarum ex aqua vino permixta ſumtus egregie præſtabit: Recipe foliorum ſennæ ſine ſtipitibus unciam ſemis, agarici trochiſcati drachmas duas, radicis valerianæ, ſeminis aniſi, fœniculi ana drachmas duas, cubebarum drachmam, ſacchari canti uncias duas, olei de cedro guttas decem. M. f. pulvis. Deinde ſi ventriculi conditio permiſerit, mane infuſum theiforme ſatis larga quantitate quotidie ſorbillare convenit; quod ſic ſe habeat: Recipe herbæ meliſſæ, euphraſiæ, betonicæ ana manipulum, ſeminis fœniculi drachmas duas. conc. cont. m. d. ſ. ſpecies *zum Kräuter-Thee*. Non minus vena circa utrumque æquinoctium in pede ſecanda eſt; & ceterum ab epulis largis, cereviſia, vino, potibuſque calidioribus cavendum, & pro potu ordinario decoctum ex radice ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, hordeo & ſemine fœniculi paratum hauriendum.

Externe nihil eſt præſtantius oculorum frequenti lotione cum aquæ arquebuſadæ, & roſarum ana uncia una, cum granis ſex vitrioli martis permixtæ peragenda: ipſi vero maculæ pinguedo recens viperarum, oculo immiſſa erit convenientiſſima.

---

## CASUS XLVI.

### *De dolore & imbecillitate oculorum cum ſuffuſione incipiente.*

HAud incelebris quidam vir, defluxionibus catarrhalibus & humorum dyſcraſiæ ſcorbuticæ obnoxius per aliquot annos verno potiſſimum tempore congeſtionem ad ſiniſtrum oculum tolerare ſuevit, cum ejuſdem rubedine, dolore, preſſione ac inſigni pruritu: quæ ſymptomata, oculo verſus lumen aperto, aut ventis vel fumis expoſito, magis augebantur. Ipſe prope flumen habitat, & olim eximia corporis refrigeratione non minus quam animi gravioribus affectionibus, ac iracundia, maxime ſub hac ægritudine ſolicitatus fuit. Jam quoque caput aſſiduo fere dolore, præſertim gravativo in fronte, & cervice cruciatur, & aliquot abhinc menſibus ipſi vel lecturo vel ſcripturo ſcintillulæ atque imagines oculis obverſari, & lectionem impedire cœperunt; quæ primum ſiniſtrum duntaxat, dein quoque dextrum oculum cum majori mali augmento occuparunt. Ipſi oculi turbidi adparent, nec amplius rubent: at à frigore ac ventis protinus afficiuntur graviter; & accedente vel alvi obſtructione vel iracundia inſigniter dolent. Poſtquam igitur huic adfectioni multa medicamina, ſed omnia in caſſum oppoſuit æger: jam ſalutare anhelat conſilium, num forſitan Carolinæ aut aliæ acidulæ ipſi futuræ ſint ſalubres; aut quæ remedia huic ſuffuſioni tollendæ, ac ab ipſa cœcitate præcavendæ forent idonea?

### *Conſultatio.*

Affectionem oculorum, qua æger detinetur, chronicam & in habitum fere degeneratam à circulatione ſanguinis per oculos ob harum ſenſibiliſſimarum partium nimiam debilitatem ac relaxationem impedita, & ſeri impuri reſtagnatione ſuos mutuari natales vero eſt ſimillimum. Quemadmodum enim omnes machinæ humanæ partes integræ, ac functionibus perficiendis idoneæ deprehenduntur, ſi per eas naturali tono atque motu inſtructas, humores vegete circulantur: ita quoque hiſce ſicuti omnium partium, ita præcipue oculorum functionibus pervertendis variiſque ſymptomatibus inducendis nihil eſt opportunius, quam labefactatus eorum tonus, & ſanguinis circuitus, à quo ſe & excretiones dependent, impeditus. Noſter itaque ægrotans non ſolum ex naturali ad defluxiones catarrhales proclivitate; verum etiam nimia corporis capitiſque refrigeratione & diuturno mœrore partim humorum vitalium ſcorbuticam ſibi contraxit dyſcraſiam, partim capitis, ejuſque ſenſibiliſſimarum partium, maxime oculorum tonum atque robur inſigniter debilitavit. Hinc non mirum, ſi ſucci impuriores ad regiones illas labefactatas compulſi, earum dolores, pruritum atque rubedinem inflammatoriam excitarunt, & verno potiſſimum tempore gravius adflixerunt; cum commotiones atque turbationes humorum, niſi congruis evacuantibus præcaveantur, ea maxime tempeſtate obſerventur frequentiſſimæ. His noviſſime accedente gravi mentis ſolicitudine, debilitas harum tenerrimarum partium adeo fuit adaucta, ut vaſcula, quæ humorem aqueum, tenuem, pellucidum naturaliter ſecernunt, magis relaxata, particulas etiam graviores, tenaces & minus pellucidas tranſmittant: quæ humori aqueo innatantes illius pelluciditatem obſcurarunt, hinc viſus imbecillitatem & oculorum conturbationem induxerunt.

Quum autem hæ opacæ ac impuræ humoris aquei particulæ accumulatæ paulatim coaleſcere, atque pelliculam quandam, aut ſaltem inſignem conturbationem vel in aqueo vel cryſtallino humore, hinc denique ipſam cataractam inducere valeant: omnes omnino nervi eo ſunt intendendi, ut ab hoc imminente malo præcaveatur æger, ac in præſenti congruis ſublevetur medicinis. Huic vero ſcopo thermas Carolinas minime convenientes eſſe judico; quoniam experientia me docuit, eas omnino eſſe inimicas capitis ac nervorum morbis idiopathicis, qui à partium capitis ac cerebri, ſenſibus maxime dicatarum robore labefactato, aut ut græco termino explicem, earum atonia chronica ac habituali, humorum liberum circuitum impediente, variiſque cruoris ſtagnationibus anſam præbente ſuos mutuantur natales. Namque Carolinæ fovent aquas ob terreſtres ſalinoque alcalinas ipſis intermixtas partes admodum ponderoſas; hinc partes corporis noſtri jam debilitatas ægre tranſgrediuntur, & in hominibus laxioris ac ſpongioſi habitus pedum intumeſcentiam relinquunt, poſt uſum balnei externum mox evaneſcentem. Longe difficilior earum, maxime quas *den Brudel* dicunt, eſt per caput tranſitus; quare tantum non ſemper torporem & ſomnolentiam excitant, doloreſque capitis gravativos exacerbant. Si quæſtio eſt de acidulis, veluti ſunt Egranæ; earum uſus foret opportunior, cum leviores continent aquas, & calore nativo deſtitutæ nec humores tam graviter commovent, nec caput turbant, & denique in acribus oculorum defluxionibus decenter uſurpatæ egregium ſæpius præſtiterunt effectum. Verum enim vero, cum earum frigus non conferat cuilibet, nec oculis valde ſenſibilibus amicum ſit; timendum potius, ne ſpiſſi humores exinde magis compellantur ad oculos: hinc ſuaderem, ut ſaltem corpus ante earum acidularum uſum rite præparetur, ac illi reddatur idoneum. Neque autem dubito, quin earum potationi prorſus ſuperſedere potuerit æger; ſi ſequenti medicationi

cationi per aliquot menſes pertinaciter inhæſerit; quæ his potiſſimum abſolvitur momentis, ut primum humores ſuperflui à capite deriventur, & copioſus eorundem ad oculos adfluxus divertatur: deinde oculi ac reliquæ capitis partes conſortentur, vaſaque nimium debilitata corroborentur, ut eo vegetius propellant humores circulantes; & denique integra ſuccorum vitalium maſſa depuretur.

Hæc ut conſequamur, neceſſe eſt, ut alvi lubricitati his proſpiciatur pilulis: Recipe maſſæ pilularum de ſuccino Cratonis drachmam unam, mercurii dulcis, cinnabaris præparatæ, extracti rhabarbari ana ſcrupulum unum, ſalis ſuccini bene depurati grana octo, miſce fiant l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno XXV. quot etiam alternis diebus veſperi devorentur. Pedes non minus veſperi quotidie per horam dimidiam in pediluvia ex furfuribus triticeis, floribus chamæmeli, & aqua parata, atque calidioris aquæ affuſione in tepore moderato conſervanda immittantur. Tum infuſi calidi ex herbæ veronicæ atque meliſſæ manipulis duobus, ſalviæ manipulo uno, ſeminis fœniculi drachmis binis confecti, non nimium ſaturati ſex vaſcula mane intra lectum, totidemque hora quinta veſpertina ſorbillare conveniet; cujus etiam vapor, capite linteis probe velato, oculis eſt excipiendus. Non minus operæ erit pretium, temporibus admovere hoc emplaſtrum: Recipe ſucci chamomillæ, roſarum, herbæ betonicæ ana unciam ſemis, alabaſtri drachmas tres, maſtiches drachmam unam & ſemis, aluminis drachmam ſemis, camphoræ grana decem, olei ligni rhodii guttas XXX. M. fiat lege artis emplaſtrum. Ipſi denique oculi ſingulo mane aqua roſarum & fœniculi, in qua ſpiritus vini camphoratus ſit inſtillatus, fovendi ſunt atque lavandi.

Hæc vero curatio bis terve repetita uſum demum ſpondet præſtantiſſimum; & ſi venæ ſectio verno pariter ac autumnali tempore in pedibus inſtituta, ac recta vivendi ratio, maxime à potibus caput aggravantibus abſtinentia acceſſerint, fere certiſſimam. Morem geſſit his omnibus æger, & ex cura aliquoties repetita à malo ſuo ſe penitus liberatum fuiſſe nunciavit.

---

## CASUS XLVII.

### *De ophthalmia ſcorbutica diuturna in lippitudinem ſeroſam & ſcotomiam degenerante.*

VIr quinquagenarius, corporis obeſi & ad cachexiam proni, ſpirationi inter aſcendendas ſcalas difficili obnoxius, negotiis cum meditatione junctis obrutus, & vitæ ſedentariæ atque lucubrationibus deditus, per aliquot annos vere vel hyeme potiſſimum, pertinaci rheumatiſmo mox tibiæ, mox brachii, mox pectoris adfligi cœpit; qui quidem ipſum lecto haud affierunt, ſemper autem per duos circiter inhæſerunt menſes, ac demum efflorеſcentia quadam purpuræ ſcorbuticæ ſoluti ſunt. Currentis anni menſe Januario dextrum quoque oculum prehendit congeſtio. Adparebant enim quædam vaſcula in albo oculi, ſiniſtro paullo lividiori, cruore ſpiſſo turgida, pupilla intumeſcebat aliquantulum; gravativus urgebat dolor; ſplendorem lucis refugiebat æger, & lectioni pariter ac ſcriptioni reddebatur impar; ipſe oculus erat ariditimus, nullaque & vix irritatione provocandas plorabat lacrumas, quas ſiniſter reddebat copioſius. Hic vaſculorum infarctus atque rubedo quotidie invaleſcebat magis; pulſus nullum, intenſior autem ſitis aliqualem denotabat æſtum; caput quandoque gravativo torpore cruciabatur; ſub corporis decubitu tenſivus ac premens ſenſus totam occupabat oculi orbitam, qui ſæpius etiam ad maxillam deſcendebat dentium dolores referens; & denique copioſior mucus & ore & dextra nare fundebatur.

Hæ adflictiones tum oppugnabantur crebris pediluviis; aliquoties alvus ducebatur, bis ſcarificabatur; dextro brachio veſicans remedium imponebatur, vena in dextro pede ſecabatur; interne pulveres antiſpaſmodici cum bezoardico, vel antimonio diaphoretico mixti propinabantur; non minus decoctum ſarſaparillæ porrigebatur; & externe oculo unguentum de nihilo inungebatur. Tum rubedo imminui, livor remittere, preſſio evaneſcere, oculus ad lucem ferendam aptior reddi, majoremque ſplendorem recuperare videbantur, malique citiſſimam ſpondebant ſolutionem. At enim vero recruduit iterum ex improviſo malum: non enim ſolum inflammatio albugineæ, ac radiorum luminoſorum impatientia redierunt atrocius: verum etiam corneam tunicam pellicula tenuis lactei coloris obſidere cœpit, viſumque adeo obſcuravit, ut vix majora objecta diſcernere, minora plane non videre potuerit. Huic autem recidenti malo vini potus, ac lucubratio dederant occaſionem. Pugnabatur prioribus remediis, nimirum decocto ſarſaparillæ, pulveribus bezoardicis & antiſpaſmodicis Hallenſium & pediluviis ſalino ſtimulo acuatis: neque minus localia in uſum vocabantur; veluti ſacculus diſcutiens ex radice valerianæ, & ſequens collyrium linteis adplicatum oculis: Recipe aquæ liliorum unciam unam, fœniculi unciam ſemis, majoranæ drachmas duas, tutiæ præparatæ drachmam unam, boli armeniæ ſcrupulum unum, camphoræ grana ſex, extracti croci granum unum. M. cui etiam primum ſoli adhibito, deinceps grana quatuor vitrioli albi addebantur. Palpebræ inſuper illinebatur quinta eſſentia roriſmarini italici: cujus adplicationem integro oculo ſtatim ſentiebat, ex eoque multas fundebat lacrumas; dextro vero & læſo poſt repetitum demum uſum remedii vim percipiebat, & tum ex illo quoque quaſdam reddebat lacrumas. Taceo alia amuletorum inſtar appenſa, veluti erant camphora, radix imperatoriæ, alceæ, bardanæ, folia paridis aliaque: quæ inter actu frigida ſedulo evitabantur. Quamquam vero his omnibus impediri non potuerit, quo minus rubedo tunicam corneam intenſior occuparet: attamen panniculus oculi magis tenuior fit, & paululum evanuit, adeo, ut ea libera fere ſit pupilla & pellucida, nec non ipſa viſio acutior deprehendatur atque diſtinctior.

Jam ergo auriculæ Judæ in aqua Sambuci infuſæ tepide adplicantur oculo; & noctu ſacculus ex floribus chamæmeli & croco imponitur; interne vero uſus dictorum pulverum & decocti ſaſſaparillæ cum radice valerianæ & ſemine fœniculi continuatur: VIto Id. martii æger dorſum, brachia atque genua ſcarificari, ſanguine pauco, craſſo ac viſcido detracto; poſtridie ſiniſtro pedi fonticulum infligi curavit, quia dexter olim fracturam erat paſſus: ſingulo mane ſudore levi, ad quem natura inclinat ſponte, rite perfungitur; Pridie iduum laxans ſumebat, & in dextra ſura iterum veſicam excitari permiſit. Nec ignorari oportet, ipſum

ipſum quatuor abhinc annis circa utrumque æquinoctium venam in pedibus tundendam præbere ſueviſſe.

Quamvis igitur inflammatio oculi aliquot abhinc diebus imminui videatur; verendum tamen eſt, ne pertinax hic affectus iterum recrudeſcat: cui timori ut ſuperſedere poſſit ægrotus, ſalutare anhelat conſilium, quo hoc malum funditus queat exſtirpari. XV. Cal. April. 1731.

*Conſilium.*

Affectionem oculi, cujus cauſa conſultus ſum, ex acri ſcorbutico rheumatiſmo, olim externas partes occupante ſub hujus autem anni auſpiciis, prævia procul dubio refrigeratione in oculum deſinente originem traxiſſe arbitror: quo factum eſt, ut ſubtiliſſimis illius vaſculis, ductibuſque lymphaticis obſtructis, humorum liber curſus impeditus, fibræ nerveæ vellicatæ, & hinc earum diſtentio ſpaſmodica, æſtus, tenſio oculi & maxillarum ac capitis dolores inducta fuerint. Quæ cum ita ſint, affectus ille ophthalmiæ ſcorbuticæ diuturnæ, in lippitudinem ſeroſam ac ſcotomiam degenerantis nomen omni meretur jure, & niſi opportunis proſpiciatur medicinis, viſus omnino minatur abolitionem. Quanquam enim multa hactenus variaque huic malo oppoſita ſint remedia, quorum plura omitti potuiſſent; ea tamen non ex omni parte votis reſpondiſſe percepi. Totum potius curationis fundamentum in eo ſitum eſſe credo, ut integrum corpus à ſero acri ſcorbutico liberetur, & ſordes inimicæ ac purpuraceæ per cutim eliminentur leniter; deinde materiæ ad oculos fluentis impetus derivetur ad inferiora; ac ipſa denique oculo jam impacta materia prudenter diſſipetur, oculuſque corroboretur.

Hiſce ſcopis ſub divino auxilio obtinendis, ut humores acres bis quavis hebdomade dato leviori quidem, ſed tamen adæquato laxante purgentur, conſulo: cui inſerviet hæc potio: Recipe Mannæ electæ uncias duas, rhabarbari electi, cremoris tartari ana drachmam unam, aquæ florum acaciarum uncias octo, coque & ſolve leni calore, colaturæ adde extracti centaurii minoris grana duodecim, olei de cedro guttas quatuor. M. d. S. potiuncula laxativa, quæ mane tribus ſucceſſive hauſtibus capienda eſt, interponendo juſculi avenacei ſorbitionem. Poſtea egregium erit auxilium, ſi quotidie loco cereviſiæ aliquod ſanguinem purificans decoctum potetur, hac ratione parandum: Recipe radicis ſarſaparillæ, ſcorzoneræ ana unciam unam cum dimidia, ſeminis fœniculi drachmam unam, antimonii crudi in petia ligati drachmas duas, ſalis tartari ſcrupulum unum. M. infundantur aquæ menſuris quinque, & per horam integram in probe clauſo vaſe bulliant: cujus decocti quartam menſuræ partem mane etiam haurire, ac lenem exinde ſudorem expectare conveniet. Hic ut eo melius promoveatur, ex eodem decocto mane æque ac veſperi drachmam unam pulveris ſequentis bezoardici aſſumere expediet: Recipe cornu cervi uſti, radicis pimpinellæ, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, cornu cervi philoſophice præparati ana drachmam unam, cinnabaris præparatæ drachmam dimidiam. M. f. pulvis. Denique in uſum quoque omni veſpere vocanda ſunt temperata pediluvia.

Inter localia pauca ſunt, quæ oculis conferunt; quæ inter præſtantiſſimæ utilitatis deprehendi hoc diſcutiens cataplaſma: Recipe radicis valerianæ unciam unam, florum ſalviæ, lavendulæ, anthos, chamomillæ Romanæ ana pugillos tres, ſeminis fœniculi drachmas tres, cardamomi drachmam unam. Conc. cont. d. S. Species, quarum quarta pars ſacculo incluſa vino cum dimidia parte aquæ ſambuci permixto immergatur, & oculo, fronti atque temporibus imponatur. Non minus operæ erit pretium, naribus admovere ſæpius ſal volatile Anglicanum, quod ex ſale volatili ſicco ammoniaco, oleo lavendulæ imprægnato componitur.

Denique quod attinet victus rationem; ante omnia labores cum meditatione juncti, multæ lucubrationes, mentis commotiones, corporis refrigerationes, nimius vini potus maximopere evitari debent; & ſi tali ratione hac vernali tempeſtate curatio per ſex circiter hebdomades protrahetur, de felici illius effectu haud dubito.

*Ulterior relatio.*

Antequam conſilium Tuum ad noſtras perveniret manus; oculorum ægritudo in melius mutari videbatur: namque rubedo evaneſcebat fere; cuticula lactea, corneæ inſidens magis magiſque minuebatur; objecta adparebant paulo diſtinctius, palpebræ ob moleſtum radiorum luminoſorum illapſum olim aſſidue clauſæ, jam liberius abſque ulla difficultate aperiebantur, & per unam alteramque horulam apertæ ſervabantur cum certiſſima perfectæ reſtitutionis ſpe. At enim vero pridie Calend. Aprilis alia rerum facies adparuit; nam prehendebat primum inſignis dolor orbitam oculi, & ad ejus minorem tendebat angulum; tunica albuginea circum circa erat inflammata, ac cruore ſuffuſa, palpebræ abſque moleſtia haud diducebantur, & nihil ferme cognoſcere poterat æger. Repetebantur illico pilulæ laxantes, pulveres antiſpaſmodici & decoctum; externe auriculæ Judæ cum aqua florum ſambuci infuſæ admovebantur; & factum eſt, ut mox melius inde haberet æger, & dolorum levamen pariter ac rubedinis inflammatoriæ imminutionem præ ſe ferret. Neque vero minus, cum accederet Tuum, vir illuſtris, conſilium, mox curationem abs Te propoſitam aggroſſus, omnibuſque remediis rite uſus fuit. Ex laxante potiuncula ter plerumque alvum depoſuit; decoctum autem mane cum pulvere bezoardico hauſtum nullum movit ſudorem. Pulveris hujus, ob largam nimis doſin mox tæduit ægrum, illiuſque uſum nauſea & tarda alvus cum teneſmo excipiebant: hæc quidem ſucceſſive liberior facta eſt; nauſea vero continuabat; quid? quod ipſe aliquando vomitus accederet. Hinc per aliquot dies nec pulverem hunc, nec laxans illud aſſumſit, & tum abſque nauſea optime habuit: dein eorum uſum revocavit, pulveris duntaxat drachmam dimidiam aſſumendo, idque ſine ulla moleſtia continuavit. Ipſe vero oculus, adplicato ipſi ſæpius commendato cataplaſmate ad melius redire cœpit: rubor enim in dies imminutior ad corneam contrahi, & fere evaneſcere videtur, niſi quod perexiguum illius ſub cornea remaneret veſtigium; læſus oculus ſano ferme ſimilis adparet, & radios luminoſos facilius ferre poteſt. Attamen nondum adeſt clara & diſtincta viſio, & tantillum ſupra memoratæ cuticulæ adhuc in cornea reſidet; quæ duo momenta nullam admittunt mutationem. Ceterum fonticulus noviſſime adplicatus multas edu-

eduxit ſordes; & cucurbitulis ſcarificatoriis larga iterum quantitas cruoris ſpiſſi viſcidi detracta fuit: in dextro autem pede, quem veſicatorium occupat, ſpaſmodicæ agitationis indicia deprehenduntur.

Quæ cum ita ſint, & oculus læſus ſano videatur ſimillimus; nihilo tamen ſecius radiorum luminoſorum illapſum ferre nondum queat, nec ideo palpebræ ſine moleſtia aperiantur, & denique viſio minime fiat diſtinctior, quippe qua nec litteras diſtinguere, nec compreſſo oculo ſano legere, nec ſcribere valet: ordinarii medici internas potiſſimum oculi partes, maxime tunicam retinam vitio quodam laborare judicarunt.

## *Reſponſio.*

Quanquam ex adhibitis medicinis externas oculi affectiones, ruborem nempe ac defluxionem ſcorbuticam fere debellatas intellexerim: tamen relatum adhuc lego, ipſum oculum ad lumen recipiendum nondum ſatis idoneum, nec ejus viſionem eſſe diſtinctiorem. Hæc vero me in ea ſententia, quam medici ordinarii fovent, pariter confirmarunt, quod nimirum vitium in oculi interioribus, & vel humoribus vel tunica retina, vel nervo optico utique hæreat. Attamen non omnem abjicere ſpem, ſed eo maxime nervos intendere oportet, ut appropriatis medicinis hæc ægritudo paulatim extirpetur. Quod conſequi, licet perarduum videatur; tamen huic inſiſterem curationi, ut ſcilicet commendatus decocti pro potu ordinario uſus continuetur; ſingula hebdomade præſcripta potio laxativa capiatur; & mane infuſum calidum ex meliſſa, cortice citri ac Cardamomo confectum potetur.

Extrinſecus conveniet hoc emplaſtrum corio inunctum magnitudine nummi octo groſſos valentis temporibus adplicare: Recipe reſinæ ſtyracis, corticis thymiamatis, ladani, balſami peruviani ana drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi drachmas tres. M. f. l. a. emplaſtrum. Naribus quoque attrahendum laudo hunc pulverem ſternutatorium: Recipe herbæ baſilici, majoranæ, florum liliorum convallium ana drachmam unam, raſuræ ligni aloes, mari veri ana drachmam ſemis, florum benzoes grana XII. caſtorei grana octo. M. f. pulvis. Neque minus conſulo, ut nuchæ veſicans adhibeatur ex emplaſtri de meliloto uncia dimidia, & pulveris cantharidum drachma dimidia: quod magnitudine nummi quatuor groſſos valentis quotidie recens imponatur, & exſiccatis pedum ulcuſculis per quatuor geſtetur hebdomades. Denique vero balſamus meus vitæ, mane XI. guttulis ſaccharo inſtillatus, ſub potu Thée aſſumtus inſignem roborantem pollicetur virtutem.

---

## CASUS XLVIII.

### *De gutta ſerena unius, & obſcuratione periodica alterius oculi.*

Vir annorum LVII. temperamenti cholerici, corporis robuſti ac integræ ſemper valetudinis, novem abhinc annis, vino forſitan fartus, gravi lapſu caput adeo percuſſit, ut non ſolum duabus poſt horis gravi viſus obſcuratione corriperetur ſubito; verum etiam inciderit crebras animi defectiones, & apoplexia tactus, mortique vicinus videretur. Quanquam vero inſtituta venæ ſectione, frictionibus, nervinis externe nuchæ ac capiti admotis, reſolventibus interne datis viſus & vires reſtituerentur in integrum, feliciori ſane eventu, quam ille puer ſortitus erat, cujus Hildanus C. V. obſ. 3. meminit: attamen abhinc capitis doloribus, vertigini, nebulæ oculorum, eorumque maxime ſiniſtri, inflammationibus, hemicraniis, aurium ſuſurrui, variiſque capitis affectionibus fuit obnoxius. Elapſis quatuor annis oculi ſiniſtri inflammatione ſolicitatus, cum gelidiſſima hyeme iter in traha aperta faceret, ſub eoque inſigni refrigerationi exponeret læſum oculum; hic adeo debilitatus, ejuſque humores corrupti fuerunt, ut ab illo tempore illius viſionem penitus perdidiſſet. Ille tamen externo aſpectu ſano adparet ſimillimus, niſi quod pupilla paullo magis dilatata, ad lucem immobilis & coloris ſit gryſeo lucidioris. Tum vero dexter gravius affici, & crebra caligine tentari cœpit, quæ modo per aliquot horas, modo per integrum inhærere ſuevit diem, & ſemper vel ſomno ſive diurno, ſive nocturno, vel etiam pediluviis, aut ſuffitibus capitis cum reſinis catarrhalibus & herbis nervinis depulſa fuit.

Noviſſimo abhinc anno, cum pariter duriſſima hyeme peregre factus caput frigori expoſuiſſet; accidit, ut dexter oculus inſigni inflammatione, gravibus ſymptomatibus, vertigine, dolore capitis, nebula ac caligine ſtipata adficeretur. Inflammatio quidem adhibitis debitis auxiliis intra paucos dies evanuit: at viſus obſcuratio, eo gravior inhæſit, cum dolore in ipſa oculi orbita, nec ſomno ſe depelli paſſa eſt, quem tamen alias ſumma videndi acies ſequebatur: quid? quod demum periodice adflixerint hæ tenebræ, & tribus circiter poſt finitum ſomnum horis invadentes, ad tertiam meridianam protraherentur horam, viſu tempore veſpertino acutiſſimo. Neque vero ſemper more olim conſueto, vertigine, nec ſi accederet, tam gravi, ut antea ſtipabantur. Sed adpropinquante vere, & ſubſidiis variorum nervinorum, cephalicorum interne ſub forma vel infuſi vinoſi, vel eſſentiarum, vel in ſubſtantia adhibitorum, nec non purgantium medicamentorum, pediluviorum, veſicatoriorum, imprimis lati inter ſcapulas adplicati hæc adfectio adeo fuit expugnata, ut non niſi meridiano tempore modo per quinque, modo per tres duntaxat leviſſime inhæreat horas. Oppugnavit hanc porro moleſtiam æger potu acidularum Aquiſgranenſium, earumque intra quatuor hebdomades CXXX. lagenas, quarum ſingula quinque aquarum libras continebat, potavit. Neque vero alvum movit hæc aqua, niſi ſale Epſonienſi adjuta: qua cum multas quotidie ſedes haberet, capitis quidem dolores levabantur, tantum vero abeſt, ut caliginem illam, viſuſque obſcurationem fugarent, ut illa potius adhucdum quotidie recurrat, abſque ullis ſymptomatibus. Non tamen ſimul atque ſemel invadit, ſed per gradus augetur, ut ſæpius nec homines diſcernere valeat. Oculus veſpertino tempore lucis ſplendorem non fert, & cœlo ſereno æſtivaque tempeſtate melius habet, aëre autem vappido & nebuloſo, atque hyeme gravius adficitur. Et notatu dignum eſt, axungiam gallinæ ſub mali acceſſione oculo inſtillatam, illud ad aliquot horas, quin aliquoties plane diſſipaſſe: illam enim oculo quendam ardorem, pruritumque excitare, & tum viſionem reddere clariſſimam aſſerebat æger. Ceterum ille corpore robuſto, carnoſus, nervoſus eſt, epulis indulget largis, nec ex cibis concoctu difficilioribus ventriculi moleſtiam ſentit; & quotidie vino Burgundiaco, aut alio Gallico, ſæpius

ſæpius ad exceſſum uti ſuevit. Quatuor abhinc annis hæmorrhoidalis ipſi obtigit fluor, & ſtato adhuc redire ſolet tempore.

Hanc contra ægritudinem varios celeberrimos partim loci, partim exteros conſuluit medicos, varia adhibuit medicamina; bis quotannis venam vel in pede, vel brachio, vel jugulo, vel fronte ſecandam præbet: tribus abhinc annis arnicam in infuſo bibere cœpit, quia malum à caſu, & hinc forſitan reſtitante ſanguine mucoſo originem trahere videtur. Quidam propoſuerunt ſalivationem mercurialem, quæ vero ob incertum ſucceſſum nondum fuit admiſſa; neque ab aliis commendata arteriotomia ob chirurgorum imperitiam, & incertum emolumentum in uſum fuit vocata: de quibus duobus remediorum generibus tuam, vir excellentiſſime, ſcire cupit mentem, nec minus doceri avet, num ex Carolinarum vel aliarum acidularum uſu quoddam ſibi polliceri queat emolumentum?

Meo quidem arbitrio ſedes mali, quæcumque ſit vel irritans, vel obſtruens, vel ſtimulans, optico olim inhæſit nervo; jam vero conſumta per longam temporis moram materia hos opticos nervos atonia paralytica laborare, & ex hac vicinas nervoſas partes afficiente vertiginem ſuboriri credo. Inſuper oculum quandoque eſſe rigidum refert æger, ex quo cataleptici quid ſuſpicor. Ceterum quanquam multi ſint, qui læſum oculum cataracta affici credunt; eam tamen minime adeſſe, ſaltem haud talem, quæ deponi poſſit, certe affirmo.

*Conſultatio.*

De gravi affectione, quam vir quidam generoſus patitur, ſentio, illam diuturna ac inſigni capitis, nervoſarumque ejus partium niti imbecillitate: qua cum æqualis ac vegetus ſuccorum vitalium per caput, cerebrum, ejuſque membranas curſus impeditus, tum eorum in vaſis harum partium ſtagnationes ac diſtenſiones ſunt inductæ. Hinc enim non ſolum capitis dolor, gravativus torpor, aurium tinnitus, aliaque proficiſcuntur ſymptomata; verum etiam, cum cruor accumulatus carotides potiſſimum in baſi cerebri ſitas nimium diſtendit, nervoſque opticos comprimit, vertiginis ratio petenda eſt. Eidem quoque ſtagnationi & preſſioni ſanguinis circa nervos, & thalamos nervorum opticorum & viſus ſiniſtri oculi privationem & dextri obſcurationem natales ſuos debere arbitror. Quandocunque enim impedito humorum circulo cruor in alveis vaſorum ſtagnat: facillime fit, ut per horum porulos ſeroſa ſecedat colluvies; quæ nervos ingreſſa opticos cum tenuiſſimo illorum liquido commiſcetur, viſuſque imbecillitatem progenerat atque caliginem. Quoniam autem certis omnino affectus redeat intervallis; certum eſt indicium, congeſtionem illam ſanguinis ad viſus organa, tanquam veram mali cauſam, minime perpetuam eſſe, ſed duntaxat tranſitoriam: ſub qua exigua tantum ſeri copia ſecedit, quæ diſcuſſa iterum caliginem depellit, atque viſionem reſtituit.

Quod ſi vero hujus, quæ nervoſas membranoſaſque capitis partes afficit, imbecillitatis cauſſam diſpiciamus: ea procul omni dubio ex ventis frigidis, crebra refrigeratione, gravi lapſu capitis, nimio calidiorum atque vinoſorum potuum uſu, & forſan animi commotionibus originem traxiſſe videtur. Nec etiam inficias ire poſſum, quin intervallorum ratio, quæ hæc oculorum adfectio habet, non niſi primarum viarum maxime ventriculi ac inteſtinorum vitio, more affectibus hiſce periodicis conſueto, in acceptis ferenda ſit. Quum enim harum partium robore deſtructo, ac vi concoctrice læſa, multæ acidæ, bilioſæ, viſcidæ generantur ſordes, illæque haud debite eliminantur; ſit inde, ut non ſolum humores reddantur ſpiſſi ac impuri, verum etiam ventriculus nimium diſtendatur, diſtenſus partes vicinas, earumque ſanguifera vaſa violenter comprimat, & hinc cruori copioſius ad caput compellendo, accedente imprimis vinorum calidorum ſub epulis potu, cauſſam ſuppeditet efficaciſſimam. Quod autem in noſtro ægrotante ſymptomata hypochondriaca revera præſto ſint, vel hæmorrhoidale profluvium indicat: & cum non ſolum vegeta cibos appetit cupiditate, verum etiam eos concoctu difficiliores abſque moleſtia concoquit, facile colligi poteſt, ventriculum illius ſaburra acida viſcida eſſe onuſtum: licet enim digerantur illi crudiores cibi, tamen non niſi rudem tenacemque chylum præbent, qui ſanguini permixtus illum inſpiſſat æque ac tranſitui per vaſcula minima reddit ineptum.

Quapropter, ſi affectionem hanc inveteratam, ac veluti in habitum degeneratam funditus tollere; & dextrum oculum à plenaria obſcuratione aut gutta ſerena vindicare volumus: ſummo ſtudio evitanda erunt ſanguinis miſſiones copioſiores, venarum jugularium inciſiones, arteriarum ſectiones, veſicatoria fortiora, purgantia calidiora, nervina, cephalica &c. hactenus fruſtra adhibita. Contra vero operæ erit pretium, eo omnem impendere laborem, ut primum concoctio promoveatur, ac chylo legitima conſiſtentia ac ſpirituaſcentia reſtituatur; deinceps autem caput & oculi rite corroborentur.

Quæ ut obtineantur, candide proponam, quæ me hoc in caſu facienda diuturna docuit experientia. Primum itaque, cum æger & plethoræ & fluori hæmorrhoidali obnoxius videatur, conſulo, ut bis quotannis circa utrumque æquinoctium vena in pede ſecetur; tempore vero intermedio bis quoque quotannis cucurbitulæ cum ſcarificatione ad nucham & femora adplicentur. At arteriarum ſectionem & minus neceſſariam, & ob chirurgorum imperitiam haud ſecuram judico. Deinde pedum lotiones cum aqua fluviatili, in qua ſacculus furfurum triticeorum decoctus ſit, tepidiori factas frequenterque uſurpatas non exiguum ferre auxilium ſcio. Tum ad caput & ventriculum roborandum præſtantiſſimus erit hic pulvis: Recipe radicis ari, pimpinellæ albæ, ſalis abſynthii ana drachmam unam, lapidum cancrorum unciam dimidiam, ſuccini præparati, cardamomi ana drachmam ſemis, olei de cedro italici, macis ana guttas IV. M. f. pulvis, cujus drachma quotidie una circiter ante prandium hora capienda eſt. Quod ſi vero capitis exæſtuatio, humorumque ebullitio acceſſerint; pulvis ille alternis duntaxat diebus ſumendus, & cum ſequenti alternandus eſt: Recipe lapidum cancrorum, concharum præparatarum ana drachmam unam. M. f. pulvis, pondere drachmæ unius devorandus.

Nihil porro eſt conſultius, quam alvi lubricitatem aſſiduam conſervare, cui ſcopo & clyſteres emollientes, & victus opportunus inſervient. Nec alienum erit, ſingulis circiter decem diebus alvum moliri hac laxante potione: Recipe mannæ electæ uncias tres, cremoris tartari drachmam ſemis, coque & ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis ſeptem, colaturæ adde olei de cedro italici guttas IV. M. quæ mane aliquot hauſtibus aſſumenda eſt, interponendo ſorbitionem juſculi tenuioris avenacei.

Non minus eidem ſcopo convenient pilulæ Becheri, Stahlii, aut meæ balſamicæ, quinque vel ſex ante

ante fluxus hæmorrhoidalis eruptionem diebus, numero XV. capiendæ. Inter localia egregiam opem ſpondet genuina viperarum pinguedo, binis vel tribus guttulis inſtillata; aut extrinſecus aqua arquebuſadæ, aut reginæ Hungariæ cum æquali aquæ roſarum portione remixta inter lintea duplicata oculo impoſita.

Ut poſtea recta ſit vivendi ratio, neceſſe eſt, ut æger cœna utatur parciori, à cibis acidis, ſalſis atque flatulentis, vinis calidioribus, ac cereviſia ſpiſſiori probe caveat; & pro potu ordinario decoctum tenuius ex radice ſcorzoneræ, liquiritiæ, ac raſura cornu cervi confectum, interpoſito vino rhenano potet. Sedulo non minus ſibi temperet ab omni aëre frigido, maxime capiti vel pedibus admiſſo; & quo lenis ſemper ſuccedat tranſpiratio, mane hauriat infuſum calidum, quod ſic ſe habeat: Recipe herbæ betonicæ, meliſſæ, veronicæ ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, radicis valerianæ ana drachmam ſemis. Conc. cont. d. S. Species, quarum drachma aquæ ferventis menſura una infundatur, & inſtar potus Thée bibatur.

Horum remediorum uſui ſi æger per aliquot tempus pertinaciter inhæſerit, de felici eventu vix dubito: in hiſce enim adfectibus nihil cum impetu moliri oportet, ſed & blandis naturæque convenientibus auxiliis, & temporis diuturnitate uti convenit. Fortiora atque vehementiora remedia majus minantur damnum; quod præcipue à cura ſalivali, in præſenti ſubjecto & morbi circumſtantiis certo metuendum eſt. Vere autem adventante aquæ Spadanæ loco Aquiſgranenſium, duabus partibus cum una lactis aſinini mixtæ feliciſſimo ſucceſſu adhibebuntur; quippe quas in hiſce capitis nervorumque debilitatibus, humorum dyſcraſia ſtipatis deprehendi præſtantiſſimas. Et hæc ſunt, quæ in generoſi ægrotantis ſalutem proponenda duxi; quæ ſummus languorum noſtrorum medicus proſpera reddat, precor.

---

## CASUS XLIX.

### *De viſus obſcuratione ex paralytica nervi optici affectione.*

DEcreveram equidem meorum oculorum ægritudini fontes Aquiſgranenſes opponere; at vero cum oculi fomentatio iis aquis ex medicorum conſilio facta nihil omnino mihi ferret levaminis, & inſuper ocularii gallici mihi laudarentur egregie: contuli me Lutetias Pariſiorum, varioſque viros haud incelebres conſului; quarum mentem, curationem ac remediorum effectum Tibi, Vir illuſtris, perſcripturus, Tuam reſcire cupio ſententiam. Concredidi me primum Domino St. Yves, & tum quoque in auxilium vocavi archiatros regios, D. D. du Molin, Sylva & Ancedo: qui cum convenirent, illis D. St. Yves hanc de mea affectione relationem dedit:

Cum, inquit, æger noviſſime elapſo menſe Decembri huc accederet, deprehendi pupillam oculi ſiniſtri admodum dilatatam, iridem immobilem, nervum opticum plane obſtructum, & ipſam guttam ſerenam; humor quoque cryſtallinus erat opacus, & tunica albuginea vaſis ſanguine turgidis ac varicoſis farta. Dexter oculus pupillam monſtrabat pariter dilatatam; motumque conſtrictorium iridis valde exiguum: ipſe humor cryſtallinus adhuc pellucidus, at membrana illius anterior aliquantulum opaca videbatur; reliquæ autem hujus oculi partes erant integræ, niſi quod pauca vaſa varicoſa hinc inde in albuginea adparuerint. Hinc cum perpenderem, ægrum ex gravi lapſu olim in caput facto inſignem cerebri commotionem, & abhinc dolorem, gravitatem, torporemque capitis, aurium tinnitum, aliaque ſymptomata incidiſſe: hanc oculorum adfectionem non niſi ex ſanguine craſſo ac inflammatorio derivare potui. Dum enim cruor per capitis arterias, & maxime harum internarum ramos ad oculum tendentes ſummo ac rapidiſſimo impetu agitatus videtur; factum eſſe credo, ut ille vaſa nimium dilataverit, eaque eo potiſſimum loco, quo oculi compagem ingrediuntur, nimirum circa nervos opticos reddiderit veluti varicoſa. Hæ vero diſtenſæ arteriæ compreſſerunt nervos opticos, lymphæ circulationi per illos nervos poſuerunt obicem, hinc horum obſtructionem induxerunt, ac ſpirituum viſivorum in oculos influxum præpedierunt. Tum ex hac impedita ac difficiliori ſanguinis circulatione generata eſt lympha acris; quæ obſtructis vaſis eorum poros tranſſudans, & ad vicinas extravaſata partes non ſolum varios excitavit dolores; verum etiam in oculorum humores delapſa, hos, inſtar aquæ fortis conturbavit, ac opacos reddidit. His ergo probe exploratis neceſſarium putavi, ut integra humorum maſſa debitæ reſtituatur fluxilitati; quod vero haud prius impetratum iri ſperavi, quam ubi æger perferendis remediis activioribus fuerit opportunior. Interim ſtatim poſt ejus ad nos acceſſum lac per balneum mariæ deſtillatum, & naſturtio aquatico, hepatica nobili & ſcolopendria permixtum ipſi potandum dedi: quo etiam obtinui, ut membrana, quæ humorem cingit cryſtallinum, ab opacitate ſua fere liberaretur, iris reciperet motum liberiorem, & ipſa viſio redderetur acutior. Non minus etiam obſtructioni nervorum tollendæ ſal quoddam volatile, haud ſine levamine exhibui. Verum enim vero, haud ita multo poſt ſomnolentiam quandam incidit æger, & humores illius ad inflammationes proclives retardarunt ſanationem, ut viſu iterum imbecilliori facto, humorum non ſolum opacitatem omnino metuerem, verum etiam ob tranſpirationis defectum ipſam vererer cœcitatem. Hinc corpore bene præparato ſetaceum adplicavi, eo effectu, ut humores dextri oculi fierent pellucidiores, iridis dilatatio imminueretur, eique liberior motus accederet. Cum autem periodica oculi obſcuratio nihilo ſecius adhuc adfligat: expectandam eſſe puto tempeſtatis opportunitatem, & tum incipiendam iterum curationem arbitror.

Hæc cum dixiſſet, rogavi, ut rationem medendi, quam mihi putaret proficuam in hoc amplo medicorum congreſſu etiam proponeret. Nec defuit meæ petitioni, ſed mentem ſuam hiſce ulterius expoſuit verbis: Quum itaque conſtitutio nervorum opticorum in noſtro ægrotante minime ea ſit, quæ in gutta ſerena obſervatur; ſed non niſi à ſanguine inflammatorio ramos arteriarum carotidum internarum ad latera nervi optici oculos ingredientium comprimente originem trahat: duos potiſſimum curandi ſcopos eſſe cenſeo, nimirum, ut primum cruor fluxilis reddatur, ejuſque ebullitio contemperetur; deinceps nervorum obſtructio auferatur. Hoc obtinebitur, ſi arteriis nimia dilatatione debilitatis priſtinum reſtituetur robur: quo impetrato compreſſio nervi optici ſponte ceſſabit, & ſpirituum liber in oculum reddetur influxus. Tum quoque, ſi cœlum acceſſerit ſerenum, operæ erit pretium, lactis deſtillati uſum revocare, quod jam

exoptatum in acuendo viſu edidit effectum: quo poto dijudicari poterit, num aquis mineralibus ſaponariis, aliiſque in tollenda obſtructione efficaciſſimis, aut decocto viperarum uti licuerit. Neque vero ſolis reſolventibus ac humectantibus hæc adflictio curabitur: ſed conſultum erit, volatilia ſimul uſurpare remedia, quæ fluido nervorum attenuando pariter ac amiſſo fibrarum arterioſarum per obſtructiones tono reſtaurando ſunt præſtantiſſima. Denique attenta conſideratio effectuum, quos adplicanda medicamina exſerent, eo clarius docebit, quæ ulterius abs re erunt.

His prolatis reliqui medici, hanc explicationem mei mali exactam æque ac elegantem collaudantes, pleno aſſenſerunt ore; eadem remedia commendarunt, & cum periculum in mora eſſet, temporis opportunitatem haud expectandam eſſe putarunt; ſed ſtatim lac deſtillatum adhibendum; tum hæmorrhoidibus haud rite ſuccedentibus, hirudines ano admovendas, hiſque evacuato cruore bis terve aſſumenda emetica, & denique veſicantia pone aures adplicanda ſuaſerunt. Hinc protinus incepi lactis, adeo commendati uſum, ejuſque quotidie hauſtum potum per integram hyemem continuavi. Ita vero parabatur: Lactis menſura circiter una ad ſiccitatem decoquebatur, tum eadem aquæ portio, in qua hepaticæ nobilis, ſcolopendrii atque meliſſæ ana pugillus unus decoctus erat, affundebatur, & additis XL. mille pedibus contuſis ſingulo mane potabatur. Æſtate adventante aquas minerales Borbonienſes adhibebam, quas, cum eſſent ſulphureæ, tollendæ obſtructioni aptiſſimas judicabant medici: hanc enim nervorum oculi paralyſin illi, quæ nervos brachiorum vel pedum occupare ſolet, ſimilem, & hinc eadem ratione oppugnandam eſſe putabant. Poſtea III. Iduum Januarii ano admovebantur ſanguiſugæ: quæ tantam cruoris detraxerunt quantitatem, ut protinus mentis deliquium incidiſſem; medici autem XII. circiter aut XIV. duntaxat cruoris evacuatas eſſe uncias ſpondebant. Paucis poſt diebus tartari emetici quinque aſſumſi grana, & inde bis vomui, octies alvum reddidi: denique veſicatoria mihi adplicari curavi: quæ vero omnia in caſſum adhibita, me inſigni remediorum adfecerunt tædio. Jam ergo quovis mane lac cum millepedibus infuſum haurio; reliquo die pulverem olim abs Te vir illuſtris, mihi commendatum (vid. Caſ. præc.) aſſumo.

Ceterum cum thermæ Borbonienſes ceu ſulphuratæ & antiparalyticæ mihi ſuadeantur iterum: Tuum prius de illis conſilium, quo mihi nihil eſt antiquius, expecto, & doceri cupio, num potius ex aquis mineralibus Germaniæ quædam ſint, quæ majus mihi pollicerentur emolumentum? Denique haud alienum videtur. Tecum communicare quoddam alicujus medici conſilium, quod in explicanda nervorum obſtructione putat eſſe certiſſimum, & ſic ſe habet.

Ex gravi lapſu, quem generoſus æger octo abhinc annis cum inſequutis animi defectionibus toleravit, recte concludere mihi videor, oculorum affectionem gravi totius cerebri & principii nervorum commotioni in acceptis eſſe ferendam: id quod inſignis dolor oculum occupans, viſus obſcuratio abſque ullis cruoris extravaſati indiciis accedens, ejuſdem invaſio periodica, & ſomnus turbulentus confirmare videntur. In ſiniſtro equidem oculo minime graviori humores laborant vitio, quam in dextro: at in illo ſubſtantia rami nervoſi magis indurata eſt, quæ & ſub initio immanes dolores excitavit, & hos jam quoque producit &c. De his vero omnibus Tuam efflagito ſententiam, ac proponi cupio, quæ ulterius è re mea fore credideris?

*Conſilium.*

Intellexi, vir generoſiſſime, ex datis ad me literis, quæ de Tua valetudine ſenſerint, quæ remedia ipſi oppoſuerint, & quo effectu illa propinaverint celebris quidam ocularius ac regii archiatri; & cum meam quoque ſcire cupis ſententiam, maxime num thermas Borbonienſes, aut quas alias in noſtra Germania aquas minerales malo tuo quippiam auxiliari poſſe exiſtimem: haud deeſſe Tibi potui, quin candide proponam, quæ ſentiam. Primum quidem deprehendi, Dn. St. Yves & reliquos medicos de origine, cauſſa & conditione mali tui ſubtiles reddidiſſe rationes; illudque demum in obſtructione nervi optici ſitum eſſe concluſiſſe. At enim vero ſicuti nullos totius corporis nervos, ita nec opticos obſtructioni obnoxios eſſe poſſe perſuaſus ſum. Namque omnes nervi ex tenerrimis ac ſubtiliſſimis fibrillis ſunt compoſiti; qui non niſi fluidum ſpirituoſum, lymphaticum, ſubtiliſſimum, à veteribus nomine ſpiritus animalis inſignitum, in cerebro ſecretum, ſenſus in partibus nervoſis atque membranoſis, motus autem in muſculoſis verum auctorem & cauſſam tranſmittunt; neque humores craſſiores recipere, nec ab iis obſtrui poſſunt: ſed ſi quodam vitio adficiuntur, illud vel in ſpaſmo, vel paralytica eorundem reſolutione conſiſtit.

Quemadmodum vero ſpaſmus à ſero acri incumbente nervis, eos vellicante & ad ſtricturas proritante originem trahit: ita paralyſis potius ab influxu ſucci liquidiſſimi haud ſatis vegeto dependet; qui vel à nervorum, maxime principii eorundem ab incumbente humore extravaſato facta gravi compreſſione; vel thalamorum ad nervos opticos pertinentium, & ad ipſam cerebri ſubſtantiam pertingentium nimia humectatione ac veluti inundatione impeditur atque læditur; ſicuti cadaverum gutta ſerena exſtinctorum ſectio demonſtrat. Hanc quoque nervorum opticorum paralyſin in præſenti caſu præſto quidem eſſe credo, nondum autem conſummatam; ſed duntaxat aliqualem, eamque in dextro oculo adhuc mitiorem, cum malum per intervalla redeat. Primam enim hæc originem ex gravi lapſu atque capitis alliſu traxiſſe videtur; quo partim humorum liber per caput progreſſus impeditus, partim eorum major ad caput impulſus fuit concitatus: ex quibus quædam portio thalamis nervorum impacta, ſucci nervoſi in illos influxui injecit remoram. Hinc inanis eſt medicorum, quam de ſanguine inflammatorio fovent, ſententia; qui ſi præſto eſſet, venæ ſectionibus, remediiſque humectantibus ac refrigerantibus expugnaretur facillime. Multo vero minus concedenda eſt nervi optici induratio: quæ, licet in reliquarum partium contracturis nervi tendineſque ſæpius indurari ſoleant, tamen in nervis capitis, qui à cerebro aſſidue humectantur atque lubricantur, minime locum invenit. Quod attinet commendata remedia, non laudo veſicantium ac ſetaceorum uſum: hæc enim quamvis humoribus, qui ſtagnant, derivandis maxime ſint opportuna; eoſque evacuando in oculorum caligine, quæ ex dolore, rubore ac congeſtione palpebrarum atque tunicæ albugineæ excitatur, inſignem polliceantur utilitatem: attamen ſi paralytici, hemiplectici, aliique tales affectus ex humorum ſeroſorum in ipſo cerebro ſtagnatione originem trahunt, externa hæc remedia hos nec derivare, nec ullum

ullum præſtare valent emolumentum. Non minus mihi diſplicet emeticorum exhibitio: quæ, cum violentos motus excitent, & non ſolum humoribus impetuoſe ad ſuperiores partes rapiendis, verum etiam eorum extravaſationi in capite inducendæ ac augendæ efficacem ſubminiſtrent occaſionem; multis variiſque & à me in meis ſcriptis & ab Hildano paſſim allegatis obſervationibus conſtat, ea ſola guttam induxiſſe ſerenam. Borbonenſium aquarum uſum nec adprobare, nec diſſuadere audeo; cum præter ea, quæ de illis paſſim ex auctoribus intellexi, elementa ac virtutes earum me lateant. Quamvis autem externe adhibitæ ob vim exſiccantem atque ſulphuream membris reſolutis conferre deprehendantur: attamen de illarum efficacia in morbis, quorum cauſſa intra cerebrum reſidet, valde dubito. Hinc etiam atque etiam hortor, ne ſolis conjecturis, quæ in arte medica ſæpiſſime fallunt, confidas; ſed probe explores, num proſtent caſus, quod hæ aquæ deſideratum ediderint effectum. Mihi ſaltem nullum ſuppetit exemplum, quo gutta ſerena nec perfecta, nec incipiens ex uſu tam interno quam externo acidularum, thermarumque, quas noſtra fovet Germania, & ego ferme omnes ſedulo examinavi, fuerit ſanata. Si ullæ minerales aquæ hunc ſponderent effectum, certe forent Aquiſgranenſes, quæ & maxime ſulphureæ ſunt, & in membris paralyſi tactis haud raro mirificam præſtiterunt virtutem; Tuæ vero affectioni nullam tulerunt opem.

Commendarem ergo potius, ut cum ſanguine ſicco ac ſpirituoſo Te gaudere, ac ſeroſa portio in capite videatur ſtagnare, ex qua ſomnolentia, capitis dolores, vertigo, languor corporis ac affectionis oculi exacerbatio derivanda eſt; uſui ſeri lactis & pulverum nitroſorum atque cinnabarinorum ulterius inſiſtas, aut ſi Tibi volupe fuerit, aquas Selteranas lacte aſinino permixtas in noſtris potes regionibus. Et ſi quæ ceterum ſalutis reſtat ſpes, eam, corpore prius ſero lactis ſatis humectato ſolummodo vel in remediis ſudoriferis ac diſcutientibus paullo activioribus, haud tamen ſanguinem commoventibus, veluti eſt ſulphur antimonii correctum ad meam methodum præparatum; vel in temperatis mercurialibus, qualia ſunt cinnabarina, ſitam eſſe arbitror. Hæc enim profundas ſtaſes, tenacemque lympham reſolvunt efficaciſſime. Quamobrem nec incognita mihi ſunt exempla, quod diuturna obſcuratio ac tenebricoſitas viſus atque humorum oculi in hominibus ob veneream ſimul ſuſpectis luem, ex leviori ſalivatione, mercurio ad juncturas pedum inuncto excitata & ordinatis lignorum decoctis fuerit diſcuſſa atque ſanata. Hinc nec Tibi hanc diſſuaderem curationem, quam optime inſtitues, ſi ſumto primum laxante per ſex ſucceſſive dies pulverem ex lapidibus cancrorum, cinnabari, & mercurii dulcis rite præparati grano uno confectum quotidie capies; tum laxans repetes, iterumque pulverem per ſex dies adhibebis; denique eodem lavante devorato tertia vice pulveris uſui ſex diebus inſiſtes; atque ſub iis remediis decoctum ſanguinem mundificans bibes, & tandem balnea leniora ſæpius ingredieris; quibus & poſt abſolutam medicationem haud ſine fructu inſidere poteris. Extrinſecus operæ erit pretium, ſal volatile ammoniaci ſiccum, oleo majoranæ vero imprægnatum ſedulo admovere naribus, quod capitis & oculorum vitiis eſt convenientiſſimum. Et hæc ſunt, quæ proponenda, ac cum divini auxilii voto præſentium medicorum ulteriori dijudicationi relinquenda duxi.

## CASUS L.

### *De difficultate viſus & ſcabie.*

PUella tredecim annorum, phlegmatico-melancholici temperamenti, à teneris illibata valetudine gaviſa, & nunquam ne in variolis quidem, quas ante aliquot annos modo rariſſimas toleraverat, ullis remediis uſa; uno cum dimidio abhinc anno media hyeme ſaltare didicit, & abhinc ſudore madida ad linguæ gallicæ magiſtram per frigidum aërem ſe conferre ſuevit. Tam ſubitaneis vero aëris mutationibus, dum primum corpus ſudore perfuſum frigori, deinceps illud refrigeratum æſtui hypocauſti nimis calefacti exponeret, non potuit, quin ſibi noxam concitaret. Læſa enim tranſpiratione ſcabioſam incidit efflorescentiam, qua primum tubercula cum pruritu cutim occupant, quæ invaleſcentes in puſtulas albas majores abeunt, & poſtquam fuderunt ſaniem, iterum coaleſcunt. Prioribus exſiccatis novæ propullulant aſpredines, ſæpe numero inflammatione ſcorbutica atque eryſipelacea ſtipatæ, & maxime artus, faciem ac pudenda obſident. Hæc ſcena per novem jam luditur menſes. Adhibita ſunt varia remedia, nimirum purgantia, ſudorifera, decocta lignorum, antimonialia, cinnabarina, mercurialia, & ipſa denique ſalivatio per inunctionem carporum atque tarſorum excitata: quibus licet nonnunquam obſecundare videretur malum, tamen inter ipſam recruduit ſalivationem. Neque etiam mirum, quoniam ob matris & ancillarum indulgentiam diætæ regulas haud obſervavit, præſcriptas mannatas potiones raro aſſumſit, ſub ſalivatione cereviſiæ potui indulſit, & inter aërem verſari ſuevit. Ceterum quemcumque ſudorem nova ſequitur efflorescentia; ille vero nunquam rite obſervatur. Jam malum plerumque circa novilunia recrudeſcit, & eruptionis menſtruæ ſuſpicionem movet; hinc omiſſis reliquis medicaminibus non niſi unguento ex unguento diapompholygos, balſamo ſulphuris therebinthinato, oleo tartari per deliquium pugnabatur, ex quo evanuit ſcabies.

At enim vero annus circiter effluxit, ex quo verno tempore oculorum quandam incidit affectionem, qua ipſis ſemper aliquid obverſari videbatur, quod abſtergere conabatur cum viſus imminutione. Sponte vero intra octiduum ſine ullis medicinis remiſit hæc moleſtia. Sed poſt aliquot ſeptimanas rediit ſubito, qua aſſidue abſtergebat obverſantes falſo imagines, & videbat quidem craſſiuſcula objecta, neque vero minora diſcernere, nec legere valebat, niſi impoſito naribus perſpicillo, aut oculis coarctatis. Hoc igitur vitium licet in hoc impuro corpore nervo optico & ſuccis ſpiſſioribus, ſpirituumque irregulari influxui adſcriberetur: tamen ei adverſabatur, quod per perſpicilla & compreſſis palpebris litteras dignoſcere ac minutiora videre poterat. De nullis præterea ægrotans capitis doloribus, oculorum preſſionibus, inflammatione aut congeſtione conqueritur: pupilla adparet paullo dilatata & adhuc pellucida; ſed in aqueo humore, obſcuriora punctula & ad iridis latera floſculi opaciores conſpiciuntur: ut inde vereamur, ne ex humorum coagulatione ipſa denique cataracta, aut ob impuros ſuccos læſio nervi optici ſuboriatur. Et ſane habemus, cur hujus puellæ valetudini timeamus, cum nulla ferme aſſumat medicamina, niſi forte vina medicata,

nec horum debitam hauriat quantitatem; dein poſt data expellentia mox ſcabioſa efflorefcentia in pedibus, manibus & facie corripiatur, nec corporis debito fruatur motu; & denique aſſiduo fere indulgeat ſomno, eoque ſuccos vitales ſpiſſiores, impuriores, eorumque curſum reddat tardiorem.

Quantum igitur fieri potuit, dedimus ipſi præmiſſo pulvere digeſtivo ex tartaro nitrato, purgans ex extracto panchymagogo, mercurio dulci, reſina jalappæ cum tinctura tartari confectum: tum per quatriduum mane ac ante epulas ſumendam ordinavimus mixturam ex tinctura martis tartariſata, ſpiritu Buſſii, liquore cornu cervi ſuccinato, & eſſentia euphraſiæ paratam; & veſperi exhibuimus pilulas ex extracto majoranæ, ſcordii, bezoardico minerali, & ſale ſuccini volatili concinnatas. Poſtea per tres dies ſumſit pilulas laxantes, quæ habebant gummi ammoniacum, tartarum vitriolatum, extractum hellebori nigri, aloën & elixirium proprietatis Paracelſi; porro mixturam in uſum revocavit, & infuſum theiforme. Extrinſecus oculis adplicavimus infuſum croci metallorum cum aqua chelidonii majoris, fœniculi & camphora paratum, & veſperi inunximus palpebris unguentum ex extracto rutæ, myrrha, melle anthoſato, camphora, ſpiritu lumbricorum terreſtrium, ſale ſuccini volatili & cinnabaris antimonii aliquot granis; ſuperpoſito ſacculo ex radice valerianæ, hyſſopi, rutæ & fœniculi in vino coctis concinnato.

Verum enim vero recruduit quidem efflorefcentia copioſius; at in oculos nullum adhuc redundavit emolumentum. Hinc tuum, vir illuſtris, conſilium pro viſu conſervando imploramus, & cum partim interna ſudorifera ſcabiei oppoſita nullum præſtiterint effectum, & jam ab Helmontio rejiciantur, partim externa mercurialia oculis videantur inimica: in quæſtionem potiſſimum venit, numne puris exſiccantibus, veluti ſunt unguentum diapompholygos cum oleo tartari per deliquium tuto pugnare liceat? Nec minus ſcire avemus, numne fonticulus in nucha excitatus uſum ſpondeat, cum licet nec capitis dolores urgeant, nec oculi plorent lacrumas, multum tamen pituitæ naribus reddatur? & denique num ſub uſu decocti ex fœniculo, cinnamomo, corticibus aurantiorum & ſarſaparilla parati, quod jam pro potu ordinario bibere ſuevit, etiam modico vino uti liceat?

*Conſilium.*

Poſtquam communicatam mecum morbi hiſtoriam probe perpendi: haud dubito, fore ut accedente menſtrua purgatione & viſus difficultas & ſcabioſa cutis defœdatio ſponte evaneſcat. Neque vero conſultum eſt, excretionem illam vi provocare velle; ſed patienter naturæ molimina expectanda erunt. Ipſam autem humorum dyſcraſiam & efflorefcentiæ fomitem partim variolarum raritati, qua ſucci vitales haud ſatis depurati fuerunt, partim ſuppreſſæ tranſpirationi per corporis ſubitaneam refrigerationem, partim denique diaphoreticorum calidiorum & mercurialium ad ſalivationem ciendam abſque ulla regiminis obſervatione exhibitorum uſui inconvenienti natales ſuos debere, vero eſt ſimillimum. Namque crebra compertum habeo experientia, quod mercurialia remedia ſalivationis ſcopo abſque congruo regimine tam interne quam externe uſurpata morbos vel cum dolore vel exulceratione ſtipatos longe deteriores reddiderint atque pertinaciores. Quoniam enim mercurius virtute intimiorem nexum ac texturam partium fluidarum reſolvendi pollet ſatis efficaci; materia autem illa reſoluta impura intra corpus remanet: fit inde, ut illa fermenti inſtar chyloſum reliquoſque vitales ſuccos corrumpat & inquinet: ut multa ſæpius opera, quin & ipſa iterata ſalivatione opus ſit pro damnis inde excitatis rurſus abolendis. Hinc etiam viſionis defectum ex eadem impura lympha derivandum eſſe cenſeo; cui externa remedia nullum pollicentur emolumentum. Quapropter potius conſulo, ut omnia fere remedia, maxime activiora diaphoretica ac purgantia penitus omittantur; contra vero ſpiſſorum humorum attenuatio & per cutim evacuatio non niſi medicinis blande ac placide diluentibus atque demulcentibus tentetur. Huic ſcopo vel ſolum infuſum veronicæ cum ſemine fœniculi paratum paullo tenuius mane ac veſperi larga quantitate hauſtum ſufficiet; maxime ſi corporis motus ac bonum regimen acceſſerint. Nec ludetur opera, ſi ægra cubitum itura quotidie pulverem ex aqua florum ſambuci ſumſerit, qui ſic ſe habet: Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, cornu cervi ſine igne, ceruſſæ antimonii ana drachmas duas, æthiopis mineralis drachmam, olei de cedro vel ligni ſaſſafras guttas quinque. M. f. pulvis div. in doſes XVIII. Pro potu ordinario cum fructu potabitur ſequens decoctum: Recipe radicum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, chinæ, cichorei, glyzirrhizæ ana unciam unam. conc. d. S. ſpecies, quarum binæ unciæ per tres horæ quadrantes cum tribus aquæ menſuris decoquendæ ſunt. Vini uſum plane denego, & eo magis motum corporis laboribus, curru vehendo, ambulando factum commendarem. Alvum ſi haud rite ſucceſſerit, manna pondere unius circiter unciæ ex infuſo veronicæ, aut fabarum Coffée ſumta commode reſerabit. Localium denique uſu haud opus eſſe credo: ſiquidem ex commendatarum medicinarum recta obſervatione exoptatum conſequutum iri effectum non dubito.

---

## CASUS LI.

### *De cataracta.*

*Judicium medici ordinarii cum relatione morbi.*

Cum ægri reverendiſſimi ſtatum pronuper intuerer; deprehendi illius utrumque oculum, qui ambo olim obſcuratione duntaxat ac imbecillitate quadam laborarunt, jam in gryſeam tranſiiſſe cataractam. Hujus quidem in auxilium promta ſubſidia lubens proponam: ſed cum ardua ſit affectio, meam de illa ſententiam aliis celebrioribus medicis dijudicandam relinquo. Primum ergo extra omne dubium eſſe poſitum credo, quippe ocularis id docet inſpectio, veram cataractam utriuſque oculi pupillam æquali magnitudine obſediſſe, adeo ut licet pupilla quam maxime dilatetur, ea tamen ſemper conſpiciatur. Jam itaque in quæſtionem venit, num remediis hoc vitium depellere conveniat, aut magis præſtet, illius maturitatem expectare, & tum acu aufferre? Multa quidem ſunt medicamina, quæ in cataracta incipiente commendant noſtrorum temporum medici; & multi extant caſus de illa medicinis omnino ſanata. Sed in

in noſtro ægrotante adeo comparatum eſſe videtur vitium, ut quantum rationali conjectura aſſequi licet, remediorum uſu minime expugnari potuerit. Taceo rariores illas obſervationes de cataracta medicaminibus curata paſſim ab auctoribus allegatas hirundinum inſtar eſſe, quarum paucæ ver nunquam facere dicuntur. Et ſane longe certior erit ſpes à manuali depoſitione, quam quæ ex curationibus ejuſmodi expectari poteſt; de quibus jam Galenus dixit: Promiſſiones horum medicamentorum magnæ ſunt, verum effectus aliquando nullus, aliquando valde exiguus. Meo quidem arbitrio ad hanc quæſtionem in præſenti caſu decidendam vel id ſolum ſufficere poſſet, quod cum præſtantiſſima remedia à celebratiſſimis medicis commendata, ne quidem viſus obſcurationem tollere potuerint, ea multo minus ipſam hanc cataractam aufferre valebunt. Quamobrem cum omnis auxilii ſpes in manuali hujus vitii maturi acu facta ablatione collocata eſſe videtur: conſultum puto, ut fugiantur omnia remedia, ne ipſorum uſu cataractæ præpediatur maturitas. Quod ſi vero reverendiſſimo ægro minus volupe fuerit, huic ſe ſubjicere operationi: omnino ſuaderem, ut congruis medicinis cataractæ incrementum retardetur, ac quantum poſſibile erit, impediatur.

Si ergo verum eſt, longe majorem operationis manualis, præ medicaminibus eſſe prærogativam; haud immerito ulterius quæritur, num illa abſque ullo periculi aut noxæ metu in noſtro ægro locum inveniat? Quod ut diſcutiatur; ante omnia notari meretur, hanc operationem minime tantis difficultatibus atque doloribus complicatam eſſe, ac vulgo creditur; quando nimirum manu perita adminiſtratur. Omne momentum enim abſolvitur percuſſione tunicarum oculi; quæ cum ſubtiliſſimo peragitur inſtrumento, non majorem parit dolorem, quam qui ex venæ inciſione percipi ſolet. Hinc Domini du Cros verba de hac operatione in dextro oculo inſtituta ſequentia ſunt: *L'Oculiſte, qui m'a fait l'œil droit, & en moins de deux minutes ne m'a pas fait autant de mal, que pourroit le faire l'égratigneure d'une épingle, & je fus tout étonné, quand il me banda l'œil, car je croyois, que l'opération étoit à peine commencée.* Quemadmodum ergo hoc manuale auxilium doloribus vacuum eſt; ita multo magis omni vacat periculo: & facilius foret de damnis ex venæ ſectione, quam de noxis ex cataractæ depoſitione exempla allegare. Mihi ſaltem nullum ejuſmodi ſuppetit exemplum; licet me non fugiat, pleroſque noſtræ Germaniæ ocularios, audaces eſſe homines, qui majori temeritate cataractas auferre ſolent, quam decenti providentia. Quid? quod ſæpe numero contingat, ut hæc operatio, ſi vitium ſuccreverit iterum, aliquoties abſque ullo repetatur damno. Neque vero ætas ægrotantis provectior huic operationi impedimento eſſe videtur; cum cataracta ſit plerumque morbus ſenilis, & in ſenibus feliciſſime deponi deprehendatur ſæpenumero. Dux noſter piæ memoriæ Auguſtus octuageſimo ætatis ſuæ anno cataractam acu ſibi aufferri paſſus eſt, & inde inſignem viſus aciem recuperavit, eamque ad ultimum vitæ momentum, quam ad annum octuageſimum ſeptimum protraxit, retinuit incolumem. Sed nonne porro in ægro noſtro reliquæ ægritudines, quibus tentatur, veluti ſunt nauſea, eructatio aſſumtorum, pituitæ copioſa exſcreatio, & alvi ſegnities obſtare videntur, quo minus operatio felici potiatur exitu? Ipſi quidem actui hæc nequicquam obeſſe crederem; at ſucceſſum illius turbare poſſent: ſi quidem non ſolum aſſidua eructatio depreſſæ cataractæ iterum elevandæ occaſionem præbere; verum etiam perpetua muci exſcreatio debitam corporis requiem turbare, & continuus decubitus alvi ſegnitiem magis adaugere valerent. Verum enim vero hæc non tanta credo momenta, quæ operationis adminiſtrationem vetarent: poſſem enim, ſi opus eſſet, multis confirmare teſtimoniis, eam in magis arduis dubiiſque inſtitui caſibus. Deinde etiam allegata ventriculi eructatio non tanta eſt vehementia ſtipata, quanta in vomitu obſervatur; ſed aſſumta ſine ulla ferme moleſtia aſcendere ſolent. Et denique huic affectioni congrua diæta mederi poſſumus, qua ægro prioribus poſt operationem diebus non niſi liquidiora atque juſcula concederemus, quæ etiam ordinario ad præpediendam maſticationem exhiberi ſolent: pituita exſcreata, niſi abſque faſtidio, & inde excitandæ vomitionis metu deglutiri poſſet, linteo excipienda foret atque abſtergenda; & denique alvi lubricitas convenientibus medicinis conſervari poſſet.

Remotis ergo depoſitionis cataractæ impedimentis, ſuboritur omnino tertia quæſtio: Num ab ea operatione viſus perfecta reſtitutio ſit ſperanda? At enim vero quemadmodum, ablata licet exactiſſime cataracta, plerumque tamen quædam oculorum debilitas ac viſus imbecillitas relinquitur: ita quoque in præſenti caſu ea operatio nihil ſpondet aliud, quam ut plenaria præcaveatur cœcitas, & viſio maximam ſaltem reſtituatur partem. Quum autem ſub viſus difficultate priſtina oculi apparuerunt pellucidi, nonne forſitan præter cataractam gutta etiam ſerena oculos occupare & ſæpius citatæ operationi impedimento eſſe poteſt? Vix crediderim: namque dum pupilla ad lumen æque ac tenebras & conſtringitur & dilatatur, æger quoque lucem à tenebris, quin & ipſos colores diſcernere valet; merito concludere licet, non adeſſe revera guttam ſerenam, aut obſtructionem nervorum opticorum; qui quamvis vi ætatis aliarumque, quæ oculos adfecerunt cauſſarum debilitati aliquantulum videantur, ea tamen imbecillitas minime tanta eſt, quæ adverſetur cataractæ depoſitioni.

Quum ergo nihil eſt, quod meæ repugnet ſententiæ, denique diſcutiendum erit, an cataracta manuali depoſitioni jam opportuna ſit, numne potius ejus maturitas ſit expectanda? Hancce autem rem optime ocularius in arte ſua peritus & à turpis lucri ſtudio alienus determinabit. Vulgo quidem tum illi operationi opportunum putatur tempus, ſi ſub pupillæ per objectas tenebras facta dilatatione cataracta manet immobilis; id quod in noſtro ægro jam deprehenditur. Celebris ocularius Gallorum de St. Yves ſex demum poſt menſibus, quam æger facie à luce averſa nulla amplius diſcernere valet objecta, ad operationem eſſe properandum credit. Et hæc ſunt, quæ pro mea cognitionis tenuitate in ſalutem reverendiſſimi ægri proponenda duxi; quæ Deus reddat ſalutaria ex animo precor.

### *Conſultatio.*

Pervenerunt, Vir Reverendiſſime, ad manus meas litteræ cum conſilio medici ordinarii eleganti pariter ac erudito: ex quibus deprehendi affectionem tuorum oculorum, quæ olim non niſi in viſus obfuſcatione atque obnubilatione ex humorum oculi conturbatione orta conſtitit, jam in veram & gryſeam tranſiiſſe cataractam. Jam itaque à me cognoſcere cupis, num vitium illud ſolis medicaminibus

nibus vel interne vel externe exhibitis curari, aut illis ſaltem perfecta cœcitas arceri queat? anne potius his obtinendis ſcopis manuale auxilium citra periculi metum adminiſtrari poſſit? Ad primam quæſtionem regero, impoſſibile fore, ut hæc adfectio medicaminibus exſtirpari vel ſaltem imminui queat. Quamvis enim multa remedia ad hunc ſcopum paſſim commendentur; docet nihilo minus crebra experientia, ea nec interna nec externa illa pollere efficacia, ut ad affectum locum penetrent, & coagulatos ibidem humores reſolvant. Hoc vel unico exemplo viri cujuſdam generoſiſſimi, qui annuo abhinc tempore ob viſus obſcurationem meum imploravit auxilium, confirmare liceat. Huic, cum mali radicem in hypochondriis & mala ventriculi digeſtione ſitam eſſe cognoſcerem, commendavi congrua ſtomachica atque acidulas. At ille certa ſanitatis ſpe fretus adiit Lutetias Pariſiorum, ibidemque per integrum fere commoratus annum & celeberrimos medicos, & verſatiſſimos conſuluit ocularios: à quibus quidem variis remediis, veſicatoriis, ſetaceis, hirudinibus ad anum adplicatis, emeticis, ſudoriferis, ſanguinem depurantibus internis pariter ac externis malum oppugnabatur; tantum vero abeſt, ut debellaretur, ut potius invaleſceret, & ægri vires magis magisque dejicerentur.

Ipſam quod attinet operationem; neceſſe eſt, ut peritus quidam conſulatur ocularius, qui oculos exploret atque dijudicet, num ad operationem ſint idonei. Hæc enim expedita manu peracta nullam nec noxam, nec periculum minatur; ſed potius certiſſimam ſanationis ſpem pollicetur; niſi forte humores cryſtallinus atque vitreus perfecta opacitate laborent; quos adhuc pellucidos & ſubtili duntaxat pellicula obductos ſuſpicor. Namque ſi humores fuerint opaci; tunc omnino cataractæ depoſitio ipſi viſus obfuſcationi nullam feret opem. Sed neceſſe utique eſt, ut conſulatur vir honeſtus; quoniam alias ocularïis in more eſt poſitum, ut turpis lucri cauſſa ad ipſam cataractæ depoſitionem accedant, inſuper habentes num illa huic operationi apta ſit, nec ne? Nec vero nos deterrere ab hoc auxilio poteſt metus guttæ ſerenæ, qui cum pupilla adhuc motu ſuo atque ſenſibilitate gaudeat, inanis omnino evaneſcit.

Id ergo tantum modo reſtat, ut cum ob malam ventriculi digeſtionem multæ acidæ viſcidæque cruditates generantur, quæ partim alvi obſtructioni, partim aſſiduis per ſuperiora eructationibus, partim chylo crudo atque vitioſo generando efficacem ſubminiſtrant occaſionem, hiſce vitiis debitis remediis opitulemur, atque majora, quæ hinc oculis accedere poſſunt, damna arceamus. Hiſce ſcopis obtinendis etiam atque etiam hortor, ut fugiantur medicinæ calidiores atque purgantes; & commendo partim pulverem ſtomachicum atque cephalicum; partim linimentum nervinum. Pulvis ſic ſe habet: Recipe corticum aurantiorum, pulveris radicis pimpinellæ albæ, iridis Florentinæ, rhabarbari electi, foliorum ſennæ ſine ſtipitibus pulveriſatorum ana unciam ſemis, ſummitatum centaurii minoris, ſeminis cumini, fœniculi, aniſi ſtellati, cinnamomi acuti, cardamomi, caryophyllorum ana drachmas duas, cremoris tartari unciam unam, ſacchari Canarienſis uncias quatuor, olei de cedro guttas XV. M. f. pulvis, cujus drachmæ binæ ex vino aqua permixto mane vel veſperi alternis aſſumantur diebus. Linimentum hoc eſt: Recipe aquæ Anhaltinæ uncias duas, olei caryophyllorum, menthæ, nuciſtæ deſtillati ana drachmam, balſami peruviani drachmas duas. M. f. linimentum, quo ſæpius regio ventriculi, maxime circa cordis ſcrobiculum inungatur, ſuper impoſito linteo probe calefacto. Pro potu ordinario acidulas Selteranas, quarum binæ partes cum una vini Rhenani ſint combinatæ, commendo. Alvo pigræ reſerandæ ſi pulvis commendatus haud ſufficerit, præſtantiſſimi erunt clyſteres domeſtici. Ceterum ab epulis largis, maxime liberaliori cœna abſtinere, & corporis moderato exercitio per equitationem aut ambulationem ſub cœlo ſereno peragendo ſtudere convenit.

---

## CASUS LII.

### *De ſapore ſalſo & affectu ſpaſmodico.*

Poſtquam ægritudinem tuam cum omnibus illius ſymptomatibus, veluti ſunt motus ſpaſmodici capitis, ejuſque potiſſimum partium externarum, ſapor acris & ſalſus, exſpuitio pituitæ ſalſæ, tinnitus ſuſurruſque aurium &c. ſedulo mecum perpendi: horum omnium fundamentum in malo hypochondriaco, quod Tibi ex nimiis mentis laboribus, immodicis lucubrationibus, & vita ſedentaria contraxiſti, ſitum eſſe facile perſpicio. Quandocunque enim copioſis flatibus atque ſpaſmis abdominis æque ac pedum cum frigore ſtipatis, qui hoc in morbo deprehenduntur, humorum æqualis circulus impeditur, hique maxime ex partibus extremis ad caput compelluntur; fieri non poteſt, quin illius in externis capitis partibus ſtagnationem ſpaſmodicæ contractiones, agitationes cervicis, oculorum, oris & labiorum, dolores pungentes & æſtuantes frontis, laborum animi languor, meticuloſitas atque pavor ſequantur. Cum præterea naturales excretiones, maxime quæ per alvum & cutem fiunt, haud rite ſuccedunt in his adfectibus: ſordes acres & ſalinæ per dicta potiſſimum proſcribendæ emunctoria intra ſanguinem remanent, & cum illo ad caput copioſius delati, ibidemque tardius ac difficilius per vaſcula minima circulantes tandem per glandulas faucium ac ſalivales procul dubio nimium relaxatas transſudant, ſaporemque depravatum atque ſalſum inducunt. Neque vero levioris eſt præſagii hæc adfectio: ſiquidem facillime in paralyticum vel apoplecticum terminatur malum: quod ut partim præcaveatur, partim præſens morbus à moleſtiis, quæ comites habet, liberetur ſymptomatibus: eo jam dirigenda erit curatio, ut ventriculus roboretur, vis digeſtiva reſtituatur, excretiones naturales per alvum, ſudorem & urinam promoveantur, humorumque raptus à capite ad inferiores & extimas derivetur partes.

Hiſce ſcopis obtinendis egregiam opem ferent pediluvia ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, floribus chamæmeli, & cineribus clavellatis parata. Hiſce enim tepidioribus cubitum iturus æger omni veſpera pedes ad genua uſque immittere, & per horam dimidiam detinere; eaque per quatuor hebdomades uſurpare debet. Deinde conſultum erit, circa utrumque æquinoctium venam in pede tundere, & ſingulis binis menſibus quatuor cucurbitulas ſcarificatorias, earumque duas genubus, duas vero ſuris adplicare. Porro commendo, ut mane intra lectum infuſum theiforme potetur, & exinde levis expectetur ſudor; quod ſic ſe habeat: Recipe herbæ meliſſæ, cardui benedicti, baſilici, betonicæ, ſaturejæ ana manipulum unum, florum anthos, primularum veris, ſalviæ, tiliæ ana pugillos ſex, cubebarum, ſeminis

nis fœniculi ana drachmas duas. M. conc. cont. d. S. Species *zum Kräuter-Thée*. Ex hoc infuſo mane, vel etiam veſperi aſſumatur drachma circiter hujus pulveris: Recipe Oſſis ſepiæ, lapidum cancrorum, magneſiæ ana drachmas duas, cinnabaris vulgaris, nitri purificati ana drachmam unam, caſtorei grana quatuor. M. f. pulvis. Alvus obſtructa reſerabitur commode uncia dimidia ſalis Epſonenſis cum uncia mannæ permixta uno hauſtu devoranda. Non minus pro potu ordinario ſequens adhibeatur decoctum: Recipe radicis Scorzoneræ, polypodii ana uncias duas, chinæ, ſarſaparillæ ana unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. cont. d. S. Species, quarum uncia cum dimidia ex binis aquæ menſuris decoquenda eſt. Et denique Elixir meum ſtomachicum, LXX. vel LXXX. guttulis poſt epulas ſumtum egregiam feret opem.

Quod vero moleſtum illum ſalſumque ſaporem attinet, qui non niſi à nimia vaſorum & glandularum ſalivalium relaxatione proficiſcitur: haud ludetur opera, ſi balſamo meo vitæ mane veſperique collum ac aurium regio externe inungatur, ejuſque decem guttulæ ex hauſtu vini Rhenani in ore detineantur, ac dein iterum exſpuantur. Hujus enim remedii virtutem in ſapore deperdito atque vitiato deprehendi præſtantiſſimam; ſiquidem tubulos ſalivales præternaturaliter relaxatos leviter conſtringendo, glandularum earum tollit atoniam.

---

## CASUS LIII.

### *De ſapore corrupto.*

Generoſus vir LVIII. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, præter narium hæmorrhagias, in quas à teneris admodum pronus fuit; illibata valetudine gaviſus: ſimulque ob muneris rationem eximiis corporis defatigationibus ac refrigerationibus obnoxius; nec minus diætæ erroribus ac exceſſibus indulgens, ante aliquot annos ex improviſo gravi faciei convulſione, & ſiniſtri pedis paralyſi corripitur; adeo ut hunc non ſolum movere nequiret, verum etiam dextrum brachium in conſenſum raperetur, nec elevari poſſet. Evanuit equidem poſt adhibitas convenientes medicinas hæc afflictio, ac rediit perfecta motus pedis potentia: at vero haud ita multo poſt inſignem incidit ſalivæ ad fauces affluxionem, qua illa perpetuo reddebatur ore, ac ſapor corrumpebatur penitus. Primum enim aſſumta quævis dulcem adverſumque; dein putrem omnino referebant ſaporem: & hæc moleſtia, nequicquam adhibitis præſtantiſſimis remediis, per duos jam inhæſit annos. Appetentia cæterum exigua, totumque corpus languidum eſt: & ſi manus pedeſve moverit, ſtrepitus cujuſdam ſenſum in iis percipit. Nec ignorari oportet, ſub hujus mali principio cruorem large frequenterque fluxiſſe è naribus; inſtitutis autem venæ ſectionibus jam non amplius reddi. Et denique paucis abhinc ſeptimanis acceſſit alvi profluvium cum dolore ventriculi ardente ſtipatum; quo ſaporis vitium magis fuit exacerbatum. Hinc petit conſilium ægrotans, ac ſcire avet, quæ ſui mali cauſſa ſit, quæve medela convenientiſſima.

### *Epicriſis.*

Corruptus ac depravatus ille ſapor, de quo æger maxime conqueritur, & cujus potiſſimum tollendi cauſſa conſilium flagitat, non reſpiciendus eſt ut morbus primarius, ſed potius tanquam ſymptoma affectionis ſcorbuticæ, atque ex hac oriundæ paralyſeos. Ex iis enim, quæ in hiſtoria morbi propoſita ſunt, maniſeſto perſpicimus, ægrum ante aliquot annos & ſpaſmo, ut vocant, cynico, & lateris ſiniſtri reſolutione fuiſſe affectum; cujus origo omni procul dubio ad pravam & ſcorbuticam humorum diatheſin, partiumque nervoſarum debilitatem, ex variis prægreſſis cauſſis, animi ſcilicet commotionibus, nimiaque corporis refrigeratione subortam referenda eſt. Et quoniam ſtrepitus oſſium imbecillitatem ligamentorum, quibus artus vinciuntur; nec non humorem ex glandulis articulorum pinguedinoſis exſtillantem minus lubricum ac benignum deſignat; haud parum utique mali ſcorbutici, in maſſa humorum deliteſcentis, augetur ſuſpicio.

Quum vero corruptus ille ſapor paralyticum affectum ſtatim exceperit, non dubitare licet, quin illius generatio huic malo tribuenda ſit. Derivamus igitur moleſtiſſimi hujus ſaporis cauſſam à depravata conſtitutione glandularum, quæ ſalivalem laticem ſecernunt, & maxime ab earum atonia nimiaque vaſculorum relaxatione, quæ lateris ſiniſtri paralyſin inſequuta eſt. Purum enim & ſincerum ſaporem efficit maxima ex parte benigna ac temperata ſalivalis lymphæ indoles, quam inprimis à convenienti glandularum ſeu vaſorum ſecernentium ſtructura ac motu proficiſci putamus. Nam ſecretione humoris v. g. bilioſi in hepate imminuta vel impedita hic alienus latex ad glandulas ſalivales transfertur, ibique ſeparatus ſalivam contaminat; unde omnia, quæ ingeruntur, amaricantem ſaporem exhibent. Ita in malo ſcorbutico; imo etiam in febribus ſaporem penitus interdum vitiari videmus; quoniam pravitas ſuccorum, qui per congrua emunctoria non ſeparantur, omnes alios ſecernendos humores atque adeo etiam ſalivam coinquinat; ex quo fit, ut omnia ſub hiſce morbis ingeſta putridi & faſtidioſi ſaporis ſenſum inferant. Quam ob rem ſi quis hunc affectum tollere ex toto inſtituat, eum hanc medendi rationem inire oportet, ut primo univerſa ſanguinis & humorum maſſa bene depuretur, quod apertis emunctoriis & liberiori reddito humorum circulo commode obtineri poteſt. Deinde diſpiciendum, ut oris & faucium glandulis, quæ ſalivam plorant, robur priſtinum reſtituatur. Quum autem medici, more pleriſque conſueto, neglectis hujus mali cauſſis, varia remediorum genera ad hunc affectum tollendum promiſcue & ſine delectu, tentaverint; non mirum videri debet, quod ægrotus noſter à tot exhibitis remediis nullam prorſus opem perceperit. Curam igitur hunc in modum inſtituendam ducimus.

1. Exhibendæ ſunt ad aliquot dies pilulæ, balſamica & laxante virtute inſtructæ, quæ ex aloë, rhabarbaro, agarico, maſtiche & ariſtolochia rotunda parari & vel mane vel verſus noctem aſſumi poſſunt.

2. Primis viis leniter expurgatis in uſum vocare oportet

oportet decocta diaphoretica, & diuretica, quæ confici poſſunt ex lignis & radicibus v. g. raſura ligni ſaſſafras, ligno juniperi, radice ſarſaparillæ, cichorei, chinæ, ſcorzoneræ, maſtiche, tartaro tartariſato vel arcano duplicato, adjectis paſſulis Corinthiacis. Hujus decocti octo unciæ quovis mane ad minimum per ſeptem dies calide ſumi debent, diſponendo corpus ad lenem ſudorem. Cum hoc decocto alternis diebus ſumi poteſt ſpiritus noſter diaphoreticus, ex partibus tribus liquoris noſtri anodyni mineralis, & parte una ſpiritus bezoardici mixtus ad guttas 50. Dici vix poteſt, quam egregias & excellentes hic ſpiritus poſſideat vires in pellendo ſudore, tubuliſque cutis aperiendis, & depuranda humorum maſſa. Ex hiſce ſpeciebus etiam confici poteſt decoctum ſecundarium, quod loco potus ordinarii uſurpandum eſt. Deinde alvum denuo pilulis ſolicitare convenit, iterumque decoctum haurire, quod etiam tertia vice repetendum.

3. Ad glandulas ſalivales, quibus vitium maxime inhæret, roborandas commendamus gargariſmata & linimenta, quæ balſamica & roborante virtute laxatis fibris tonum reſtituunt; quo nomine laudari meretur balſamus noſter vitæ ſpirituoſus, externe collo, faucibus & maxillarum regioni, ubi ſitæ ſunt parotides, illinendus, vel etiam naribus, temporibus, imo nuchæ adplicandus, ut ejus vis eo melius ad principium nervorum pertingat. Utile etiam erit, eundem aquæ ſalviæ infundere, eaque os frequentius colluere. Quæ remedia ſi convenienter & paullo diutius uſurpentur, certam reconvaleſcentiæ ſpem promittimus.

---

## CASUS LIV.

### *De impotentia ambulandi & loquendi in puero novem annorum.*

Novem annorum puer à teneris unguiculis ad ſecundi ætatis anni auſpicia vegetus incolumiſque vixit, & corpore obeſus fuit. Quinque vero anni quadrantes natus febre acuta abſque tamen epilepſia corripiebatur; ſub qua tanta urgebat alvi obſtipatio, ut nullis ferme nec internis remediis niſi demum fortiori clyſtere reſerari potuerit. Abhinc æger aſſidue languidus manſit, & primis poſt ſuperatum morbum menſibus per intervalla crebra ſpirandi anguſtiam ferme ſuffocantem paſſus fuit. Non minus ad hoc uſque tempus alvus eſt ſegnis, æſtuſque præternaturalis adfligit, abſque tamen ſiti, & potius potus faſtidio, quod tribus prioribus ætatis annis majus fuit, quam præſenti tempore. Contra vero integra gaudet appetentia, & præter varios, quos in vita ſua toleravit morbos, febres, morbilloſque duobus potiſſimum ſolicitatur vitiis. Horum primum eſt, ut licet corpus ſatis firmum ac bene conformatum præ ſe ferat, ambulare tamen nequeat; nec genua diducere, nec pedes extendere valeat. Videntur enim nervi ac muſculi femoris & poplitis juſto eſſe breviores, & genubus externa violentia diductis, pedibuſque extenſis, rigidiſſime tenduntur. Alterum vitiorum eſt loquendi impotentia; quæ licet olim lingua bis ſcalpello fuerit ſoluta, adhuc adfligit. Non valet linguam extra os extrudere, quæ intrinſecus inferiuſque tota ori accreta videtur, & ſi violentius exeritur, intumeſcit: frenulum aliàs ſub lingua obvium vix deprehenditur. De hoc ergo malo varii medici atque chirurgi conſulti in varias abierunt partes; quidam enim illud vitium inciſione tolli poſſe & impoſſibile, & ob vaſa ſub lingua ſita periculoſum putant: alii manualem hanc operationem, ſi ab expedito fieret Chirurgo, omnino commendant. Hinc conſilium flagitatur, numne hæ adfectiones & pedum & linguæ adhuc ſanari queant, & quæ ei ſcopo vel interna vel externa ſint adhibenda remedia?

### *Conſilium.*

Duo præcipue ſunt vitia, quibus æger, cujus morbi hiſtoria mecum fuit communicata, detinetur; quorum primum eſt ambulandi impotentia, qua genua præternaturaliter ad ſe invicem contracta non diduci, nec extendi poſſunt, & muſculi, nervi ac tendines oſſis femoris atque poplitis juſto ſunt breviores: alterum conſiſtit in ſermonis quaſi naturali difficultate, ſub qua lingua juſto latior, tumida, ori firmiter accreta nec commode moveri, nec ex ore poteſt exeri, licet illa bis ſcalpello fuerit liberata. Horum vero malorum originem ſi diſpiciamus; poſterius procul dubio magis naturale & ab ipſa nativitate contractum; prius autem febri acutæ olim toleratæ, nec vero ſufficienter deſcriptæ natales ſuos debere videtur. Hoc confirmant ſymptomata dictam acutam febrem quondam concomitata, veluti fuerunt alvi obſtructio pertinaciſſima, vix ullis medicinis reſeranda, ejuſque adhuc inhærens ſegnities, languor corporis & ſpirationis præfocans quaſi anguſtia. Quum enim hæ omnes adfectiones non niſi à violento ſpaſmo dependent, qui præter caput (nulla enim adfuit epilepſia) totum genus nervoſum occupavit: nullum eſt dubium, quin ſpaſmus ille etiam nervos femoris poſticos prehenderit, ac violenter conſtrixerit: qui dum forſitan medicinis relaxantibus, maxime antiſpaſmodicis ac balneis haud ſatis opportune oppugnatus fuit; paulatim in nervis externarum potiſſimum partium altiores egit radices, ac præprimis tendines muſculorum, qui tibiam flectunt, quaſi induravit.

Quibus ſic ſe habentibus cum utrumque malum valde inveteratum, & quod linguam occupat, omnino nativum videatur: facile adparet, illius ſublationem fore admodum difficilem atque perarduam. Neque tamen ſecius cum æger junior, appetitus integer, corpus firmum, robuſtumque ac vires ſatis ſint validæ: non dubito, quin ſaltem motus impotentiæ ac pedum contracturæ hac potiſſimum ratione opem ferre queamus. Primum ergo ægrum ab omni cereviſia, vino, potu calidiori, cibis ſalitis, acidis, lacticiniis atque farinaceis penitus abſtinere oportet, & hoc præcipue pro potu ordinario uti decocto: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias tres, chinæ, ſcorzoneræ ana uncias duas, ſeminis fœniculi drachmas tres, Conc. Cont. d. S. ſpecies, quarum uncia in binis aquæ menſuris decocta & calide loco infuſi Théebois & frigide loco potus ordinarii inſerviat.

Deinceps vero omne curationis momentum balneis ac inunctionibus abſolvetur; quibus ſequenti ratione utendum eſt. Prioribus binis diebus æger cubitum iturus ſeptem harum pilularum aſſumat: Recipe extracti panchymagogi Crollii, extracti rhabarbari, mercurii dulcis ana drachmam ſemis, M. f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno numero decem

decem formandæ. Hæ enim alvum ducent egregie, & præſtantem vim humores viſcidos tenaceſque diſſolvendi obtinent. Altero poſt earum uſum mane ſemper quinque vel ſex præſcripti decocti hauriantur vaſcula. Tertio die æger ad pectus uſque immittatur balneo, leni tepore moderato, ne exinde violentius ſudet, in eoque per tres horæ quadrantes deſideat. Hoc vero ex aqua fluviatili, aut quod melius pluviali, in qua furfures triticei ſacculo incluſi, manipuli tres ſeminis lini, flores chamæmeli & herba artemiſiæ decocta ſint, paratur. Egreſſus illud balneum æger ſe in lectum conferat; hauſto ibidem prælaudato decocto leviorem ſudorem expectet, & hoc finito os femoris atque genua, omnemque regionem, in qua muſculi adparent breviores, ſequenti linimento calide inungi curet: Recipe axungiæ humanæ uncias tres, picis albæ unciam unam, miſce & ſolve in aqua fervida, adde olei lavendulæ drachmas tres. d. Hæcce curatio matutino ſemper inſtituenda tempore per ſex circiter vel ſeptem protrahatur dies; & veſperi ſub ingreſſum lecti pulveris præcipitantis drachma dimidia ex aqua ceraſorum nigrorum aſſumatur; cujus hæc eſt compoſitio: Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, ſuccini præparati, cinnabaris nativæ præparatæ, nitri purificati ana drachmam unam. M. f. pulvis. Tum iterum per biduum ſupra allegatas pilulas devorare, & denique balneis per ſex dies inſiſtere convenit: ex quorum uſu certam reconvaleſcentiæ foveo ſpem.

Quod autem vitium linguæ atque loquelæ attinet, illius curatio majoribus implicita videtur difficultatibus, cum ipſam linguæ ſubſtantiam ori firmiter concretam eſſe vero eſt ſimillimum. Quæ adhuc ſperari poteſt ſanatio, ea omnis provida à prudenti chirurgo vel potius medico anatomico facta ſectione abſolvetur; ſub qua probe obſervandi ſunt ductus ſalivales Wartoniani, ne lædantur. Verum enim vero cum affectas partes ipſe coram haud inſpexerim, nec ſciam, num linguæ ſubſtantia interiori gingivæ ſit accreta; hoc meum de ſectione judicium ulteriori medici præſentis relinquo conſiderationi.

---

## CASUS LV.

*De ſpaſmo muſculorum maxillarium febri continuæ benignæ ſporadicæ ſuperveniente.*

Communicatus mecum eſt caſus, cujus hæc fuerunt ſumma momenta; Fœmina nimirum XXXIV. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, febre quadam acuta cum prævio horrore & inſequuto æſtu corripitur, quæ primum nullis remediis convenientibus, niſi laxante quarto morbi die propinato oppugnata majora in dies ſumſit incrementa. Hinc accitus ſexto morbi die D. D. G. datis pulveribus, emulſionibus atque tincturis præparantibus, temperantibus & diaphoreticis materiam febrilem per cutim eliminare intendit, & aliquantulum obtinuit. Nono autem morbi die ex improviſo gravis ſpaſmus muſculos maxillares prehendit, cum ſermonis quadam difficultate, rationis vero integro uſu: pro quo ſymptomate debellando abſente prælaudato medico alter D. N. conſultus, priorem accuſavit, ac ſi narcoticis remediis ſoporoſum excitaverit affectum, & protinus venam in fronte tundi curavit. Reverſus denique medicus prior ordinarius veſicans emplaſtrum ægræ adplicuit, & priorum remediorum uſum continuavit, eo effectu, ut illo ſymptomate depulſo totus morbus feliciter tolleretur. Cum autem hic famæ ſuæ accuſatione D. N. multum detrahi putet; pro ea vindicanda ad ſequentes potiſſimum judicium meum deſideravit quæſtiones.

Dum itaque primum quærit: an hic affectus fuerit febris continua? haud poſſum, quin ex ſymptomatum ratione, veluti fuerunt horror cum inſequuto æſtu, dolores capitis, præcordiorum anxietates, vigiliæ &c. omnino concludam, febrem hanc fuiſſe continuam benignam; illi, quæ hiſce temporibus epidemicam, aut rectius ſporadicam edidit ſtragem, haud abſimilem. Neque vero inficias ire poſſum, quin hæc febris inopportuna alvi commotione quarto morbi tanquam indicatorio die ante acceſſum D. G. facta utique in typo perturbata fuerit: dum enim exinde alvi lubricitas quidem inducta, diaphoretica vero excretio ſuppreſſa eſt, ſaltem minus ſufficienter ſucceſſit; non mirum, ſi ex hiſce cauſſis oris ſpaſmus originem traxerit.

Hinc ſi altera incidit quæſtio: Num hæc ſpaſmodica translatio nono die, quo diaphoreſis optima & reſpiratio fuit libera, ad maxillas facta, malum portendat omen? hunc ſpaſmum febris irregularis progeniem ex dictis cauſſis productam fuiſſe arbitror. Haud enim raris obſervationibus compertum habeo, quod hiſce febribus ex leviſſima corporis ſudantis refrigeratione vel internis vel externis cauſſis excitata, aut maxime colli atque brachiorum denudatione, eædem ſpaſmodicæ maxillarum, colli atque nuchæ conſtrictiones, quin & rheumaticæ affectiones ſupervenerint.

Hinc ſpaſmum illum, cum ad irregularem febris ſucceſſum pertineat, minime ſalutarem judico; ſed, licet haud funeſtus ſit, tamen perarduum, & ſi acceſſerit diaphoreſeos in toto corpore repreſſio, ad inducendum lethalem eventum ſatis idoneum arbitror.

Tum vero ad tertiam quæſtionem: Num D. N. juxta regulas æquitatis & leges prudentiæ medicæ abſentem D. G. invidioſe criminari, ejuſque medicamina contemnere licuerit? omni jure reſpondeo, quod hoc ipſi omnino vitio ſit tribuendum: ſiquidem medici providi ac prudentis eſt, ut ne unquam iniquas de aliorum actionibus ſententias foveat, multo minus calumniam adhibeat; & ſi quædam actu cenſenda occurrerint, omnia potius bene interpretetur; nec niſi requiſitus judicium ſuum proferat.

Quod eo magis cenſuram meretur in præſenti caſu, cum juxta quartam quæſtionem: An ſalva conſcientia nono demum morbi die venæ ſectio commendari potuerit, & numne veſicatorii uſus fuerit rejiciendus? utique ex multis ſuffragiis non ſolum veterum & recentiorum medicorum, verum etiam ex propria experientia & ipſa ratione compertum habeamus, venæ ſectiones in febribus acutis continuis nono die inſtitutas majus damnum induxiſſe quam emolumentum. Quamvis enim præſto etiam fuerit in hoc morbo ſoporoſa affectio, de qua tamen nulla exſtant ſigna; nihilo tamen ſecius tam ſerotina venæ ſectio plus noxæ intulit libero febris decurſui, quam utilitatis affectui ſoporoſo adferre potuit. Sed hæc venæ ſectio in præſenti caſu eo minus opportuna, nec per ullas indicationes ſignificata videtur, cum adfectio non ſoporoſa, ſed verus ſpaſmus, nec tamen ſimul urgens adfuerit plethora. Contra vero veſicantis medicinæ adpli-

cationi ſubſcribere omnino teneor; quum illa partim ſpaſmo proſpexit medicus, partim etiam adjunctis temperantibus atque bezoardicis febriles excretiones adjuvavit: ut taceam felicem eventum, qui illius uſum excepit.

Quod denique ultimam quæſtionem attinet: an ex allegatis in morbi hiſtoria momentis lethargum tam per ſe, quam à narcoticis inductum ſuſpicandi ullus ſit locus? meo quidem arbitrio nullas illius deprehendo notas; & mentales angores, qui ſpaſmo forſitan acceſſerunt, à lethargo probe diſtinguendas eſſe credo. Neque enim ulla lethargi adparet ratio, quippe cui producendo ſemen papaveris albi ſub emulſione propinatum minime fuit ſufficiens; neque præſens ſymptoma, ſi lethargus fuiſſet, non eodem die debellari potuiſſet, uti factum eſſe legi. Soporoſi enim affectus plerumque ſunt diuturniores; ſpaſmi autem cito generati, citius quoque depelluntur. Et quid denique multis? Eſſentialis omnino ſpaſmos & ſoporoſos affectus intercedit differentia, notis ſibi propriis facile cognoſcenda; quarum ad lethargum pertinentium in noſtra ægrotante ne unica quidem occurrit.

---

## CASUS LVI.

### *De rejectione pituitæ nimiæ ex ore cum pathematibus hypochondriacis.*

Generoſiſſimus Dominus de M. G. tuum, vir illuſtris, flagitat conſilium de ſua ægritudine, quæ ſic ſe habet: Matutino præſertim tempore copioſa pituitæ ad fauces fertur copia, ut eam omnem vix exſcreare valeat: adfligit ſimul dolor obtuſus premens in ſterni regione, & tuſſis non niſi rariſſima, maxime quando tenax eſt materia, cum vomendi conatibus accedit. Somnus præterea eſt placidus; æger muneribus ſuis abſque difficultate fungitur; prandio liberaliori, cœna parciori utitur, & poſt hanc Tabacum fumo reddere ſuevit. Olim vinum potavit ſolum; poſtquam autem ophtalmia, inflammationibus ac exulcerationibus aurium ac faciei ſæpius tentatus fuit, cereviſiæ Naumburgenſis potui per aliquot annos indulgere, ſimulque vini Rhenani dimidiam circiter menſuram ſub epulis bibere cœpit. Cæterum licet ad animi affectus, mœrorem, terrorem ac excandeſcentiam ſit facillimus; ab illis tamen ſibi cavet quam maxime. Neque vero ſpiratione difficili ſolicitatur, ſed etiam acclivia loca libere aſcendere valet: & veretur denique, ne copioſus ille mucus tandem cordis polypum, vel pectoris hydropem, vel plane apoplexiam inducat.

Hujus diuturnæ adfectionis, quam quidam hæreditariam putant, cauſſam in hypochondriis, ac digeſtionis vitio ſitam eſſe credidi; hinc etiam ventriculum ac viſcera roborandi pariter ac aperiendi finem habui; & ſtomachicis, aromaticis, carminativis, ſpiritu nitri dulci, tincturis martialibus, helleboratis, tartaro vitriolato, terra foliata tartari, pulveribus pepticis, cum ſalibus digeſtivis poſt paſtum pugnavi: nec omiſi cephalica, maxime ſi defluxio catarrhalis ſupervenit, cinnabarina, ſpecificum cephalicum Michaëlis, eſſentiam ſuccini, pimpinellæ albæ etiam ſine vehiculo ſumtam; & denique crebrius exhibui laxantia, pilulaſque tartareas cum & ſine mercurio dulci. Neque minus æger quotidie ante epulas pulverem Hallenſium antiſpaſmodicum ſumere, & mane loco potus Caffée decoctum ex radice trifolii fibrini, vel marrubii albi paratum haurire ſuevit. Ille porro aſſiduis mentis laboribus, inter ipſum etiam paſtum occupatur; corporis admodum parco indulget exercitio; nec tamen more olim conſueto ſomnum capit meridianum.

Cæterum quotannis adhibuit olim acidulas, maxime ante biennium Schwalbacenſes cum balneo; nullum vero exinde retulit emolumentum; hinc quoque anceps hæret, num commendatis Pyrmontanis hoc anno utatur? Nec ullum ſolatium percepit ex venæ ſectione, quæ noviſſimo autumnali æquinoctio ob metum mali iſchiadici adminiſtrata fuit. Non minus quoque ſæpius dolores in ano ac ſenſum tuberculorum ibidem præſentium ſentiit; nunquam autem ipſæ fluxerunt hæmorrhoides.

Et hæc ſunt, quæ de morbo ægrotantis tibi perſcribenda duxi; cui convenientiorem medelam ex recta vivendi ratione, quam ipſis pharmacis latum iri perſuaſus ſum. Quod ſi enim à nimiis mentis laboribus ſibi temperavit, motui corporis per equitationem magis indulſerit, prandio minus liberali, & cœna parciori, vel plane nulla uſus fuerit, & denique cibos molliores comederit: haud dubito, quin ætate adhuc vegetiori gaviſus, & quadraginta ſex duntaxat annos natus à nimia pituitæ generatione penitus poſſit vindicari.

### *Conſultatio.*

Quantum ex perſcripta morbi hiſtoria, illiuſque momentis intelligere licet; duplex potiſſimum in generoſiſſimo ægrotante notari meretur vitium, quorum unum in nimia pituitæ matutino maxime tempore facta exſcreatione, alterum in ſymptomatibus hypochondriacis conſiſtit. Primum quidem ex nimia tunicæ glanduloſæ, quæ interiorem faucium regionem, laryngem ac aſperam arteriam inveſtit, relaxatione ac atonia; & hinc ſuborto humorum decubitu, ac pituitæ generatione, quæ ab aëris frigidioris per reſpirationem admiſſione fit, natales ſuos mutuari videtur. Alterum vero vitiorum genus, quod motibus hypochondriorum ſpaſmodicis, inſigni generis nervoſi ſenſibilitate, ac inde dependente eximia ad varios animi affectus, maxime ad magni periculi formidinem proclivitate abſolvitur, ex turbato impeditoque humorum vitalium per viſcera imi ventris circuitu, ejuſque denegato per venas hæmorrhoidales exitu proficiſcitur. Inde enim fit, ut cruor hinc inde ſtagnet, nec à ſordibus ſuis in hepate vel liene ſatis liberetur: quæ ſalſa, acriſque ſanguinis impuritas fauces ſtimulando, majoremque ad illas humorum affluxum proritando, pituitæ exſcreationem inſigniter auget, & inflammationibus quoque ac exulcerationibus aurium olim toleratis pabulum dedit & occaſionem.

Hæcce vero mala, maxime ſi altiores egerint radices, curatu ſunt difficillima, & imprimis multis variiſque pharmacis, quæ vulgo adhiberi ſolent, tantum abeſt, ut tollantur, ut potius exacerbentur, magis ac pertinaciora reddantur. Non tamen omnem reconvaleſcentiæ abjicio ſpem; ſed potius partim ad debellandam paſſionem hypochondriacam, partim promovendum hæmorrhoidalem fluorem, partim denique ſuccos mucidos ac vitiatos per congrua emunctoria proſcribendos thermarum Carolinarum internum magis, quam externum uſum etiam atque etiam ſuadeo. Acidulæ enim, licet hypochondriorum vitiis ſatis opportunæ deprehendantur; attamen in affectibus congeſtoriis, iiſque ſeroſis cum ob naturale earum frigus, tum elementum, quod fovent, vitriolicum longe minorem ſpondent utilitatem, quam quidem thermæ. Carolinarum autem effectus eo præſtantior erit, cum & corpo-

corporis motus ſub itinere impetrandus, & aëris in Bohemia ſaluberrimi mutatio accedant: & denique ſub ipſa curatione cum animi labores atque fatigationes, tum vinum rhenanum, quod multum fovet aciditatis, & præſenti ægritudini inſigne nutrimentum addidit, evitandi optatiſſima offeratur occaſio.

Reliqua certe medicatio, quæ remediis humectantibus, blande laxantibus ac diaphoreticis inſtitui ſolet, maxime ſi pertinax diætæ obſervatio haud acceſſerit, exiguum pollicetur fructum. Ne vero laudatus Carolinarum potus ſpem fallat, neceſſe eſt, ut æger à nimio medicaminum uſu abſtineat, corpus ſedulo moveat; loco Rhenani acidique vini generoſum Burgundiacum potet; & pro potu ordinario decocto ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ atque chinæ parato utatur. Alvi ſegnities minime aggredienda eſt fortioribus purgantibus; ſed potius uncia dimidia ſalis Epſomenſis in aqua ſoluti aſſumta, & ſuperingeſto potu Theebois ſolvenda. Quod attinet pulverem Hallenſium antiſpaſmodicum; ejus quidem uſus haud alienus eſt, ſed ſi crebrius ac ſæpius capitur, & ventriculo nimium refrigerando, & vim digeſtivam lædendo, & ideo pituitæ generandæ ſatis exiſtit idoneus.

Neque vero ludetur opera, ſi generoſus æger omni veſpera pedes ad genua uſque in pediluvia ex aqua fluviatili ac cineribus clavellatis parata tepidiora immiſerit: hæc enim ad circuitum humorum liberiorem reddendum, tranſpirationem promovendam, ac ſanguinem à ſuperioribus ad inferiores detrahendum partes inſigne conferunt momentum. Denique conſultum erit infuſi theiformis ex herba veronicæ, meliſſæ & ſemine fœniculi confecti decem vel duodecim vaſcula mane intra lectum ſorbere, & inde expectare ſudorem.

## CASUS LVII.

### *De ſalivatione præternaturali in cachectica.*

FOemina annorum LVI. unicum duntaxat fœtum enixa, corporeque obeſo prædita, vivente adhuc marito, quem duodecim abhinc annis mors eripuit, variis obnoxia fuit ægritudinibus. Sæpius ani pruritu, ſæpius quoque cœcis laboravit hæmorrhoidibus, quæ ſemel tantum modo apertæ largam fuderunt cruoris quantitatem: hyemali tempeſtate ſemper fere coryzam diuturniorem toleravit; maxime colicos haud raro perpeſſa dolores, & ab illis violento vomendi conatu, ac multa muci viſcidi rejectione liberata fuit; & denique olim fluor albus ſæpenumero adflixit; qui vero ceſſante ante decennium menſtrua purgatione ſimul evanuit. Mortuo autem marito quandam omnino præ ſe ferre videbatur ſanitatis ſpeciem; & non niſi quinque abhinc annis prævia corporis refrigeratione moleſtis colli pectoriſque rheumatiſmis, per aliquot hebdomades pertinaciter inhærentibus tentabatur. His demum convenienti curatione ſublatis proſpera gaudebat valetudine; niſi forte interdum de ſpirandi quadam difficultate, preſſionis in regione ventriculi ſenſu, & accedentibus pedum œdematoſis tumoribus diurnis duntaxat conquereretur. Sed & illis ſymptomatibus feliciter depulſis, noviſſimo abhinc anno gravis ſucceſſit moleſtia, qua primum inſignes dolores os & fauces, maxime palatum, linguam atque labia, ac ſi fervente combuſta fuiſſent aqua, occupabant, & tandem in copioſam deſinebant ſalivationem. Hæc per integrum jam ſemeſtre pertinaciter inhæret, & per intervalla redit: mox enim ſaliva redditur copioſiſſima, ejuſque uno die binæ exſpuuntur libræ: mox per quoſdam dies nulla eſt illius effluxio; major vero tum & intolerabilis dolorum oris atrocia; quibus tonſillarum intumeſcentia, & deglutitionis ſupervenit impedimentum. Notari vero meretur, noctu pariter ac ſub epulis omnes remittere & dolores, & exſpuitionem. Cæterum ab omnibus immunis eſt ſymptomatibus, cibos appetit egregie, ſomno fruitur placido, & largis ſtipato ſudoribus, omnibuſque corporis functionibus utitur optime: nec ullus urget corporis languor; nec adfligit amplius ſpirationis anguſtia; nec adhuc dolor ventriculi premens poſt datum pronuper ex drachma dimidia hypecacuanhæ confectum vomitorium ſentitur.

Quum ergo hoc malum pro ſalutari naturæ criſi habuerim; fluxionem illam moderari pariter ac diſcutere tentavi. Hinc circa vernale æquinoctium vena in pedibus, ſecabatur; blanda laxantia ex infuſo foliorum ſennæ cum manna parata; leniora diaphoretica ex pulvere bezoardico anglicano, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, nitro & cinnabari concinnata, vel ex mixtura ſimplici ſine acido, vel eſſentia centaurii minoris exhibebantur; decocta ex ligno ſaſſafras, Guajaco, radice chinæ, ſarſaparillæ, liquiritiæ confecta pro potu ordinario dabantur, & gargariſmate adſtringente ex floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum cum vino rubro coctis fauces eluebantur, ſed omnia felici deſtituebantur effectu. Maximum interim levamen percipit ex ſpiritu vini Gallici in os ſumto; qui tamen dolores haud tollit: hinc anxia Tuum, Vir illuſtris, implorat auxilium.

### *Conſilium.*

Affectus præter naturam, qua ægrota per tres jam anni quadrantes ſolicitatur, nomen ſalivationis criticæ & periodicæ in corpore cachectico & ſcorbutico omni jure tuetur. Cachecticam enim eſſe ægram, temperamentum ſanguineo-phlegmaticum, habitus corporis laxior & ſpongioſior, vita ſedentaria, fluor albus & hæmorrhoidalis ſuppreſſus, ſpirandi anguſtia, pedumque tumor ſatis atteſtantur. Quandocunque vero in hiſce corporibus & tranſpiratio ſub aëre forſitan humido frigidoque ſupprimitur, & alvus pigra redditur: tum ſerum excrementitium copioſius æque ac impetuoſius ad glanduloſas capitis atque faucium partes rapitur, & inde fluxiones colli acres ſeroſæ cum multa pituitæ rejectione ſtipatæ ſuboriuntur. Quod cum in noſtra quoque contigerit ægrota, & hæ crebriores fluxiones dictas faucium glanduloſas partes plane debilitaverint ac relaxaverint: eaſdem partes natura jam retinet, ut per eas certis temporibus impurum ſerum atque humiditatem per copioſiorem ſalivæ effluxum proſcribat ac eliminet. Hic autem motus humorum ab exterioribus ad interiores partes & maxime fauces converſus eo magis & à ſuppreſſa tranſpiratione & repulſo pedum tumore fovetur atque ſuſtentatur.

Dum ergo natura hac, licet moleſta via corpus ab impuris ſuccis liberare intendit, recte judicavit medicus ordinarius, eam excretionem minime vi adſtringendam, ſed placide eſſe moderandam. Namque cohibita hac effluxione facillimum eſt, ut excernenda impura colluvies vicinas, eaſque nobiliores

liores occupet partes; hinc vel ſpirationis anguſtiam ac ſummam difficultatem; vel capitis immanes dolores, vel ſoporoſos vel denique paralyticos omnino excitet affectus. Hinc prudenter egit medicus, quod excretionem illam ad loca magis conſueta & ordinaria emunctoria, veluti ſunt alvus, cutis atque renes, medicinis convenientibus derivare, & per hæc ſuccos ſuperfluos eliminare ſtuduerit: neque ideo habeo, quæ circa inſtitutam medendi rationem & propinata remedia moneam. Cum vero nondum remiſit malum, & ex dictis elucescit, veram illius originem in nimia ſeri impuri abundantia eſſe ſitam; ad hanc quoque diminuendam omnis curatio erit dirigenda; & ea adhibenda remedia, quæ ventriculum roborant, vim digeſtivam reſtituunt, chylum laudabilem generant, & excretiones per naturalia emunctoria in juſto ordine ac ſucceſſu conſervant.

Hiſce ſcopis obtinendis neceſſe ante omnia eſt, ut ægra evitato omni cereviſiæ potu, non niſi decocto ex radice chinæ, ligno ſaſſafras ejuſque cortice, paſſulis atque cinnamomo parato utatur, & corporis exercitio ſedulo ſtudeat. Deinceps quoque conſultum erit, bis quotidie, nimirum una ante, & quatuor poſt prandium horis Elixirii mei viſceralis LXXX. guttulas ex hauſtu vini aſſumere, illiuſque uſum per aliquot menſes protrahere; tum quavis hebdomade corpus à ſordibus purgare, ac eo fine pilularum mearum balſamicarum novem veſperi, totidemque mane deglutire. Neque levem ſpondet fructum, ſi ægra aliquot ante fluxus ſalivalis eruptionem diebus corpus ad lenem diaphoreſin præparaverit; quod obtinebit, ſi veſperi L. guttas ſpiritus cornu cervi ſuccinati ex aqua vino permixta ſumſerit, eademque portione mane iterata, quædam infuſi ex herba veronicæ biberit vaſcula: tum enim ſudabit egregie, eoque felicius, ſi hanc medicinam per tres dies uſurpaverit, & quo urina cieatur ſimul, tincturam antimonii acrem æquali pondere cum ſpiritu cornu cervi miſcuerit.

Extrinſecus fauces ſpiritu vini rhenano, aliquot balſami mei vitæ guttis remixto ſæpius colluere; nec non mane æque ac veſperi collum, cervicem & maxillarum regionem ſpiritu vini camphorato affuſa duodecima dicti mei balſami parte acuato perfricare expediet; & demum venam bis quotannis in pede ſecare, quaterque ſcarificatione uti convenit. Quod denique vivendi rationem attinet; fugiantur refrigerationes, maxime pedum; epulæ haud nimis largæ ſint & ab omnibus cibis acidis, concoctu difficilioribus atque flatulentis alienæ: veſcatur potius eduliis alvum lubricantibus, veluti ſunt paſſulæ, pruna, poma Borſdorffienſa &c. caveat ab animi affectibus, maxime mœrore, & in loco humili ac udo nec habitet, nec dormiat. Quæ omnia ſi rite obſervaverit, de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS LVIII.

### *De ulcere linguæ cancroſo.*

Vir ſplendidus annorum LIII. olim robuſtus vegetuſque, per binos vero jam annos corporis debili ac macilenta conſtitutione præditus, patitur vitium aliquod linguæ admodum grave; quo non ſolum loquelæ uſus impeditur, verum etiam totum ſimul corpus adficitur. Ille nimirum aliquot abhinc annis ingenti ſanguinis & humorum dyſcraſia ſcorbutica laboravit, & quotannis fere immanibus podagræ doloribus excruciatus fuit. Hæc mala tantum abeſt, ut ſolida ac rationali methodo exſtirparentur, ut potius palliative duntaxat remediis externis oppugnarentur, & æger, nulla diætæ ratione habita inſignibus illius erroribus indulgeret atque exceſſibus. Tum vero factum eſt, ut natura acres humores ad linguam potiſſimum compulerit; cujus primum apex certis horis, maxime nocturno tempore mox ardore moleſto, mox pruritu inſigni, mox tenſivo dolore per intervalla prehendebatur. Haud ita multo poſt tuberculum ſubtus linguam adparuit, modo majus, modo minus: & gingivas occupavit eroſio quædam cum earum cruentatione ac exeſione, ſimulque multa ſalſæ mucidæque pituitæ expuitione. Contra has itaque moleſtias primis potiſſimum duobus annis multorum chirurgorum imploravit opem; qui minus perſpecta morbi cauſſa variis pugnarunt remediis, & calidioribus corroſivis, & adſtringentibus, iiſque effecerunt, ut depulſo illo tuberculo ſonticæ vaſorum ſalivalium læſiones, ac linguæ glandularumque colli pertinaces ſucceſſerint indurationes. Hinc porro fermentum malignum atque putredinoſum altius ſerpere; & ex eo loco, quem tuberculum occupaverat, non minus quam ex linguæ apice certis horis mox tenuis ſanguis, mox vero ater coagulatuſque cruor plorari cœpit. Tum conſultus quidam celeberrimus J. Profeſſor variis quidem remediis malum aggreſſus, illud tamen funditus expugnare haud potuit. Hinc æger ſe Z. ad celebrem non minus medicum, D. H. contulit, ejuſque curatione, quam purgantibus, ſalivantibus, aliiſque fortioribus remediis inſtituerat, per ſex hebdomades fruſtra uſus fuit. Verum enim vero tam violentus ac enormis erat ſalivæ effluxus, ut æger omnibus deſtitutus viribus, ac toto corpore emaciatus, domum reverteretur meamque tandem requiſiverit opem. Nec ipſi defui, ſed malum remediis naturæ convenientibus, ejuſque motus haud turbantibus oppugnare tentavi. Hinc mox deprehendi, turundas hactenus à chirurgis adplicatas, aſſiduaſque cum adſtringentibus medicinis injectiones, linguam duriorem, breviorem, & ad maſticationem atque deglutitionem magis inopportunam reddidiſſe; æger enim alimentorum nulla ferme, niſi liquidiora, juſcula avenacea, aliaque & decoctum ſuccoladæ aſſumere valebat. Quam ob rem illis protinus omiſſis, extrinſecus ſingulare emplaſtrum atque gargariſma emolliens adhibui, quod excellentiſſimus Hoffmannus in annot. ad opera Poterii pag. 292. commendavit: interne vero propinavi balſamica, humorum acrimoniam contemperantia, confortantia, eſſentiam balſami peruviani & elixir balſamicum inde paratum, à prælaudato Hoffmanno diſſ. de balſamo peruviano pag. 26. in ſcorbuto, ubi humorum adeſt coagulum, commendatum. At enim vero, quamvis exinde lingua liberiorem movendi potentiam recuperaverit; illius tamen durities, ac gingivarum ipſiuſque linguæ cruentatio in eodem adhuc perſiſtunt tenore. Et haud ignorari oportet, poſt adplicata contra hæmorrhagiam extrinſecus à chirurgis adſtringentia medicamina tenſivum, ardentem ac ſpaſmodicum linguam obſediſſe dolorem; qui evacuato iterum cohibito cruore protinus remiſit. Ab his ergo malis cum æger vindicari cupiat; tuum, Vir illuſtris, anhelo conſilium, ac rationem proponi flagito, qua huic ægritudini commode atque tuto mederi liceat?

*Conſultatio.*

De ulcere, quod æger ſubtus linguam patitur, ſentio illud cancroſum ſeu carcinoma appellari omnino mereri: quod a dyſcraſia humorum ſcorbutica, ob cohibitam podagram ad linguam veluti concentrata primam traxit originem; deinceps vero remediis acribus, calidioribus, corroſivis ac adſtringentibus ab imperitis chirurgis in uſum vocatis, & denique in opportuna ſalivatione mercuriali magis exacerbatum eſt. Hoc vero malum, quamvis perarduum & curatu difficillimum exiſtat; non tamen penitus deſerere oportet ægrum, ſed rectam inſtituere curationem; in qua ante omnia potum ſeri lactis commendo ſequenti ratione parandum: Lactis recentis quædam portio in parvulo vaſe ſuper prunis ſub aſſidua agitatione, ne aduratur, ad ſpiſſiorem decoquatur conſiſtentiam; tum affuſa eadem aquæ quantitate iterum ebulliat leviter, & denique, ut caſeoſa ſubſtantia remaneat, percoletur. Hujus percolati ſeri menſura una cum naſturtii atque cochleariæ conciſorum atque contuſorum ana manipulo uno denuo decoquatur, & percolata tribus quotidie hauſtibus, quorum unus mane, alter circa meridiem, & tertius veſperi capiendus eſt, aſſumatur. Sub hujus per quatuor vel quinque hebdomades protrahendo uſu conſultum erit, ſingulis diebus quatuor ex primo ſeri hauſtu mannæ ſolutæ unciam devorare; & veſperi doſin pulveris ſequentis bezoardici adhibere: Recipe antimonii diaphoretici, cornu cervi philoſophice præparati, ſuccini, lapidum cancrorum, cornu cervi uſti ana drachmam unam, cinnabaris rite præparatæ drachmam ſemis. M. d. Loco potus ordinarii decocto ex ſarſaparilla, radice ſcorzoneræ, cichorii, liquiritiæ & paſſulis parato uti expediet.

Inter topica commendo balſamum meum vitæ cum ſyrupo corticum aurantiorum mixtum gingivis inungendum; aut ſi ulcus tulerit, linimentum ex mellis roſarum uncia & ſpiritus vitrioli guttis L. confectum, quod purificat & putredini reſiſtit egregie. Neque minus efficax in hiſce caſibus eſt ſpiritus cochleariæ, ſuper herbam cohobatus & melle roſaceo permixtus: aut denique unguentum ex therebinthinæ uncia dimidia, florum ſulphuris drachma, & olei juniperi guttis XXX. paratum. Collo vero imponatur hoc emplaſtrum: Recipe emplaſtri diachyli cum gummatibus uncias duas, pulveris croci drachmas duas, florum ſulphuris, camphoræ ana drachmam unam. M. Nec demum ludetur opera, ſi brachio dextro non minus, quam pedi ſiniſtro infligetur fonticulus: &, maxime ſi abundaret ſanguis, tres cucurbitæ ſcarificatoriæ inter ſcapulas apponentur. Denique cum Podagra olim tentatus fuit æger; operæ foret pretium, humores ſcorbuticos, qui jam ulcus linguæ ſuſtinent, ad pedes derivare iterum poſſe; quod forſitan pediluviis ex aqua fluviatili & furfuribus tritici paratis, omni veſpera adhibitis obtinebitur. Et hæc ſunt, quæ in arduo hocce caſu proponenda duxi, quæ Deus reddat ſalutaria.

Nota.

His per quatuor circiter hebdomades uſurpatis, nunciatum fuit, ægrum habuiſſe optime; dolorem linguæ ac cruentationem remiſiſſe, carnem gingivarum ſuccreviſſe, linguam ad motum atque ſermonem redditam fuiſſe idoneam, totique corpori inſigne acceſſiſſe incrementum.

---

CASUS LIX.

*De ulcere mali moris in interioribus labii ſuperioris.*

Vir quidam dentem habuit acuminatum, qui quidem ſuaſu medicorum atque chirurgorum evellebatur; reliquerat tamen quandam perexiguam labii ſuperioris in parte interiori læſionem; quam, cum nullam ipſi pareret moleſtiam, nihili fecit, & per 14. dies haud deligari curavit. At vero cum in ulcuſculum omnino abiret, & cruſta ſpiſſiori magnitudine minimi nummi obduceretur: conſultus chirurgus illud lanceola ſcarificavit, & mel roſaceum, unguentum ægyptiacum & ſpiritum vitrioli adplicuit. His fruſtra adhibitis alter chirurgus impoſuit oleum cornu cervi fœtidum a ſemet ipſo elaboratum; quod & purgavit & ad ſuppurationem perduxit ulcus: tantum autem abeſt, ut illud coaluerit, ut potius eodem loco exterius moleſta quædam cum dolore ſtipata efflorеſceret puſtula. Hæc primum oleo ovorum camphora permixto oppugnabatur; ſed haud ita pridem demum poſt inunctum balſamum de ſtyrace liquidum cum oleo myrrhæ per deliquium combinatum depellebatur. Interno vero vulneri ope balſamum cum myrrha & balſamum Arcæi inſtillabatur; quibus quidem conſolidari videbatur, haud tamen coaleſcebat penitus; & cum ad obtinendam cicatricem ſpirituoſa quædam ex camphora atque therebinthina adplicarentur, omnia ruebant in deterius. Namque vulnus reddebatur majus, intenſa rubedine tinctum, & nullam plorabat ſaniem, fruſtra adhibitis balſamo peruviano cum melle roſato, gargariſmate ex aqua ſalviæ parato, fomentis ex ſpiritu ſambuci, camphoræ aliiſque, nec non aqua calcis cum oleo hypericonis, quæ potius dolorem, tumorem, ardoremque labii adaugebant. Interim tribus abhinc hebdomadibus critico ac ſalutari naturæ conatu, puſtulæ rubicundæ copioſiſſimæ in toto eſfloreſcebant corpore; quæ mox obſcuriori tinctæ colore, elapſis binis ſeptimanis cum pruritu & omnibus ſymptomatibus penitus evaneſcebant. Tum ſtorax liquida cum liquore myrrhæ vulneri adplicata, illud ad laudabilem perduxit ſuppurationem, & egregie purgavit: nihilo tamen ſecius in quibuſdam locis purum haud eſt, nec etiam prorſus ſuppuratum, quin cruſtæ albæ quædam adpareant veſtigia. Et quod deterrimum eſt, ulcus altius profundiuſque ſerpere cœpit: namque fiſtuloſa veluti cavitas à naribus ad angulum labiorum obſervatur, quæ maſticationi pariter ac loquelæ eſt impedimento; at uno loco conſolidari, & caro ſupercreſcere videtur. Deprehenſum quoque fuit, inimica huic malo eſſe ſpirituoſa, illudque magis exacerbare.

Quæ cum ita ſint, hæ potiſſimum incidunt quæſtiones: 1. quænam ulceris ſpecies dicendum ſit hoc malum? Namque haud ignorari oportet, illud quidem ſatis amplum atque profundum, & ſi adhuc reliqua cruſtula continuata ſuppuratione removebitur, capacius eſſe futurum: nullum vero tumorem cancroſum exhibere, nec malum odorem referre, nec pus tenue fœtidum plorare.

2. Num ſpes ſit, fore ut ulcus hoc ſola ſuppuratione ſanari poſſit; anne potius alia ſimul in uſum vocanda ſint remedia? & denique

3. Qua ratione præcaveri queat, ne ulterius ſerpat, ac vicinas partes, gingivaſque adhuc immunes ſimul occupet? Cæterum ætatem nactus eſt æger valde provectam, corpore tamen pariter ac animo ſatis vegetus, & temperamento ſanguineo-melancholico potitus.

*Conſilium.*

Ulcus illud, quod ſuperius labium occupavit, cujuſque hiſtoriam ac curationem hactenus inſtitutam & mecum communicatam probe perpendi, non equidem proprie cancroſum appellari meretur: verum tamen mali moris, valde refractarium & difficilis atque admodum circumſpectæ tractationis exiſtit, & diuturnitate temporis, neglectiſque congruis ſubſidiis, in corrodentem omnino ac cancroſam degenerare poteſt naturam. Pars enim affecta non ſolum ſubſtantiam habet valde poroſam, tubuloſam, glanduloſam atque ſenſibilem; verum etiam præ aliis affluxui humorum ſcorbuticorum, conſolidationem inſigniter retardantium obnoxia eſt. His adhuc magis favet ſenilis ægri ætas, quæ ad generandos ſuccos impuros maxime opportuna deprehenditur: & denique ulcera, quæ interiorem labii ſuperioris partem occupant, plerumque contumaciora & curatu difficiliora eſſe ſolent, quam quæ labium inferius obſident.

Quapropter ſi generoſus æger ab hoc turpi malo liberari cupit: ex ſolo externorum remediorum uſu illum voto ſuo nunquam potiturum credo. Namque principalem mali cauſſam in ſcorbutica humorum diatheſi potiſſimum ſitam eſſe, vel ex efflorеſcentia puſtularum rubrarum per totum corpus ſatis eluceſcit: & leviſſima illa ab acuminato dente inducta læſio non niſi occaſio fuit, qua impurorum ſuccorum major ad eam partem affluxus concitatus malum ſuſtentavit ac exacerbavit. Hinc neceſſe omnino eſt, ut integra humorum maſſa depuretur, illius craſis vitiata corrigatur, & particulæ acres ſalinæ diluantur & edulcorentur. Niſi enim hoc impetraverimus, nullam conſequemur laudabilem ſuppurationem; ſed potius ulcus ſerpet latius, & periculoſiora excitabit damna. Licet autem ex morbi hiſtoria haud adpareat, quæ jam adhibita fuerint remedia interna, nec eorum deſideretur explicatio: non tamen poſſum, quin candide aperiam, quam medendi rationem in hiſce ulceribus & tumoribus cancriformibus faciei, labiorum ac mammarum feliciter expugnandis deprehenderim efficaciſſimam.

Primum ergo, corpore ſuccorum abundantia turgido, cruor ex vena in pede tuſa detrahendus eſt; & tum primæ viæ blando laxante, humores non commovente, ab impuris ſordibus repurgandæ ſunt; veluti hoc eſt; Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari drachmam unam & ſemis, aquæ florum acaciæ uncias ſex; coque & ſolve leni calore, colaturæ adde extracti rhabarbari grana decem, olei de cedro italici guttas tres. M. d. S. potio laxativa, quæ mane aliquot hauſtibus, interpoſita juſculi avenacei ſorbitione, aſſumta alvum ſine ulla moleſtia, quinquies circiter ducet, vel ſexies. Hoc adhibito per ſeptem dies ſingulo mane decocti mundificantis calidi menſura dimidia potetur, quod ſic ſe habet: Recipe ſarſaparillæ electæ uncias quatuor, radicis chinæ uncias duas, radicis pimpinellæ albæ, pareiræ bravæ ana drachmas tres, ſeminis fœniculi drachmam unam: conc. cont. d. S. ſpecies, quarum pars dimidia in quatuor aquæ fluviatilis menſuris per tres horæ quadrantes decoquenda eſt. Quo poto in lectum ſe conferat æger, ibidemque lenem expectet ſudorem, tumque fricetur. Elapſis his ſeptem diebus laxans potio iterum capitur; deinceps per ſeptem dies rurſus decoctum potatur, & denique ea curatio ſumto tertia vice laxante abſolvitur. Sub hac autem operæ erit pretium, quavis veſpera pulveris bezoardici ac temperantis doſin ex hauſtu aquæ ceraſorum nigrorum, vel florum acaciarum devorare; cujus hæc eſt compoſitio: Recipe ceruſſæ antimonii bene præparatæ, lapidum cancrorum præparatorum, cornu cervi ſine igne præparati ana drachmas duas, ſuccini præparati, nitri purificati, cinnabaris nativæ præparatæ ana drachmam ſemis. M. f. pulvis, div. in 8. partes. Tum quoque omnem cereviſiæ atque nimium vini potum evitare, & de hoc, ſi Rhenanum fuerit, modicam quantitatem ſub epulis duntaxat ad confortandum ſtomachum & reparandas vires potare conveniet; pro potu autem ordinario ſequenti decocto, ſaporis grati utendum erit: Recipe radicis chinæ, ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, ſeminis fœniculi, corticis ligni ſaſſafras ana drachmas duas. Conc. cont. d. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia, addito paſſularum minorum manipulo uno in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquitur, & corticibus citri recentibus permiſcetur. Cæterum probe cavere expediet, ut mens ab omnibus commotionibus atque ſollicitudinibus maneat libera, labores cum meditatione juncti fugiantur, ſomnus capiatur plenior, & ab omnibus cibis ſalſis, acidis ac concoctu difficilioribus ſibi temperet æger. Sic probe depuratis humoribus, curam lactis aſinini commendo: quippe quod in ſenibus ad magis purificandos humores, eorum acrimoniam attemperandam, ac laudabiles generandos ſuccos præſtantiſſimum confert emolumentum.

Inter externa remedia ea, quæ hactenus fuere adhibita, balſamica ſunt, & putredini reſiſtunt; mallem tamen, ne tanta varietate fuiſſent alternata, & ſolum oleum cornu cervi fœtidum adplicatum, quod aliquoties rectificatum, & æquali pondere vitelli ovorum permixtum hiſce in caſibus obſervatur efficaciſſimum. Jam commendarem ſtyracem liquidam cum myrrha; aut aquam calcis vivæ cum binis ſolutionis myrrhæ partibus combinatam & in aqua florum ſambuci labio affecto inunctam; quæ vim purificantem, exſiccantem ac conſolidantem poſſidet egregiam. At enim vero pinguia, oleoſa, acria ſpirituoſa, oleoſa & maxime unguentum ægyptiacum hiſce affectibus omnino inimica ſunt; & ipſa camphora, licet in tumoribus præſtantiſſima, in ulceroſis tamen morbis minime confert: neque vero plane luditur opera, ſi eſſentia croci & ſpiritus vini camphoratus æquali pondere infundantur linteolo, & evaporato ſpiritu, calide adplicentur. Et hæc ſunt, quæ in ægrotantis ſalutem monenda duxi; quibus ſi morem geſſerit, de felici eventu non dubito; ſed illum ex toto pectore apprecor.

---

## CASUS LX.

*De affectu capitis cum efflorеſcentiis in pede.*

Liceat mihi, Vir Excellentiſſime, adverſam, quæ me tentat, valetudinem tibi perſcribere, tuumque in eadem implorare auxilium, quæ his potiſſimum

mum abſolvitur ſymptomatibus. Quinque abhinc annis, ætatiſque meæ viginti ſeptem præterlapſis, cum temperamenti melancholico-ſanguinei eſſem, ex improviſo dolore pulſatili dextræ auris corripiebar, qui cum inſigni tinnitu poſt tres vel quatuor hebdomades in gravem ſuſurrum ac ſpaſmum otalgicum deſinebat. Hic quidem haud ita multo poſt evaneſcebat; verum tamen ſuſurrus ille moleſtus ad hoc uſque tempus, noctu potiſſimum in dextra aure continuat. Vix duo ab hoc malo exceſſerunt anni, cum oculi quoque male adfici cœpiſſent; & ante illos punctula nigra, atque nubeculæ inſtar muſcarum ac minorum inſectorum obverſari videbantur: quæ vitia majus ſucceſſive capiebant incrementum, & adhuc me ſolicitant. Putabam quidem, mali ſedem in humore aqueo & cryſtallino hærere, & cataractam minitari: ſed poſthæc & ex propria experientia, & doctis peritorum medicorum demonſtrationibus deprehendi, cauſſam potius in lympha halituoſa atque viſcida, circa nervorum opticorum thalamos ſtagnante ſitam eſſe. Hiſce autem acceſſit demum vertiginoſa atque temulenta capitis perturbatio, maxime à paſtu adfligens, ſub cœlo ſereno levior, ſub nebuloſo autem, turbido ac pluvioſo aëre gravior. Neque falſa erat quorundam medicorum ſuſpicio, qua hæc ſymptomata ex labe & atonia ventriculi derivarunt: à prandio enim non ſolum inſigni rapior temulentia; verum maxime à cœna eximia preſſio ac ructuoſa affectio me ſolicitat. Præterea per aliquot annos in tibiis, & præcipue extremis pedibus vehementis frigoris ſenſum percepi; quem adhibitum balneum Hirſchbergenſe quidem fugavit, capitis autem affectionem magis adauxit. Denique vero quatuor abhinc annis dextrum pedem circa internum malleolum occupavit efflореſcentia, primum nummi ternarii magnitudinem referens, dein vero latius ſerpens, & ad imperialis magnitudinem evecta. Hæc olim verna duntaxat adparebat tempeſtate, hyemali evaneſcebat: jam vero aſſidua eſt, & ſerum perpetuo plorat, dolorem excitat, ipſamque arrodit cuticulam. Quum itaque varias ægritudines, quibus à teneris obnoxius fui, in hoc jam ulcuſculum deſinere velle, hocque ipſum muſculoſas etiam, oſſeaſque partes adficere videatur: & denique omnia medicorum auxilia fruſtra huc uſque adhibuerim: vereor ſane, ne pejora incurram ſymptomata, & tuum adhuc conſilium, Vir illuſtris, reſcire ſum cupidiſſimus.

*Conſultatio.*

Duo ſunt, qui Te ſolicitant affectus, quorum alter caput, alter pedes occupat. In capite nimirum obſervantur non ſolum tinnitus, ſuſurruſque aurium ac difficultas auditus, ſub pluvioſo potiſſimum cœlo adfligentes; verum etiam oculis obverſantur imagines, nubeculæ, muſcæ, atque viſionem aliquantulum lædunt; & denique vertigo ac temulentia capitis, ſenſuumque procul dubio torpor infeſtant. Pedes autem moleſtis ulcuſculis circa internum dextri pedis malleolum obſidentur; quæ ſerum aſſidue ſtillant, multiſque ſtipata ſunt doloribus. Horum vero omnium ſymptomatum prima ſedes ac origo procul dubio in primis viis quærenda eſt; quæ dum multis acidis, viſcidiſque ſcatent ſordibus, non ſolum flatus ac diſtentiones imi ventris generant, verum etiam vitales ſuccos ſpiſſitudine ac impuritate quadam imbuunt. Hi autem difficilius per vaſcula capitis progreſſi, ac fluidum nervorum lymphamque tenuiſſimam inquinantes recenſitas in organo viſus audituſque progenerant affectiones. Quod ſi porro lympha nutritia dyſcraſia quadam polluitur, & in inferiori pedum parte, per quos ob perpendicularem ſitum ægerrime tranſit, ſtagnationes atque extravaſationes ſubit: illa ibidem acrior facta, cutim arrodit, & fœdam illam produxit ulcerationem. Quæ cum ita ſint, & ab illis malis funditus liberari cupias; non niſi palliativa fruereris curatione, ſi ſola duntaxat ſymptomata, ſicuti auditus, viſuſque vitium, vertiginem ac pedum efflореſcentiam adgredi volueris. Magis è re erit, ut tonus ac robur ventriculi reſtituatur, ac vis digeſtiva promoveatur: quo demum chylus blandus ac laudabilis generetur, & alvina excretio debito gaudeat ſucceſſu. Hæc ut conſequaris, non efficacius Tibi commendare poſſum auxilium, quam thermas Carolinas, maxime aquas, quas ſcaturiunt, molares adventante vere potandas: ſub quarum uſu ſimul habebis occaſionem corpus ſedulo movendi, ac aërem mutandi; quæ duo momenta ad morbum tollendum inſigne conferunt emolumentum. Præter enim haſce thermales curationes in hypochondriaca affectione, & humorum inquinatione non præſtantius inveni auxilium; quæ tamen vitia Tu quoque ex nimia lucubratione, meditatione, vita ſedentaria ac quodam animi mœrore tibi contraxiſſe mihi videris.

Ante vero, quam incipiatur hæc medicatio; neceſſe eſt, ut congruis & pharmaceuticis & diæteticis remediis præparetur corpus, corroboretur ventriculus, ac depuretur maſſa humorum. Huic ſcopo inſerviet hic pulvis: Recipe rhabarbari electi drachmas duas, ſummitatum centaurii minoris pulveriſatarum, ſalis abſynthii, tartari vitriolati, ſeminis cymini ana grana quindecim. M. f. pulvis, div. in 3. partes, quarum ſingula bis quavis hebdomade mane ex aqua vino permixta ſumta & ventriculum roborabit, & ſordes evacuabit egregie. Mane vero ex decocto Thée vel Coffée L. guttas Elixirii mei balſamici viſceralis, æquali pondere cum liquore meo anodyno maritati capies; & quandoque veſperi quædam vaſcula decocti ſuccoladæ hauries. Deinceps pro potu ordinario, cujus inſignis eſt efficacia, aquam cum pane deſtillatam ſuadeo, quæ paratur, quando aqua pondere ſex librarum cum duabus libris panis bene triti ex veſica deſtillatur, ejuſque novem partes cum una vini generoſi mixtæ potantur. Non minus huic ſcopo faciet ſatis decoctum ex radicis ſcorzoneræ, cornu cervi ana uncia una, radicis cichorei drachmis ſex, hordei manipulo uno & aquæ menſuris duabus paratum: quibus corporis moderatum exercitium, ac recta vivendi ratio accedat, neceſſe eſt.

Pedis denique efflореſcentiæ ſummo cum fructu adplicabitur linteolum aqua arquebuſadæ, tutia præparata permixtæ madidum; cui etiam imponi poterit ſaccharum ſaturni in aqua roſarum. Quibus rite adhibitis ſalutarem eventum haud defore credo, quem ex toto pectore precor & voveo.

SECTIO

## SECTIO II.

## DE

# MORBIS PECTORIS.

## CASUS LXI.

### *De exulceratione faucium cum ingenti fluxu ſalivali.*

Illuſtris matrona XXXII. annorum, tenerrima corporis conſtitutione prædita, adhuc juvencula morbo virgineo, quem chloroſin vocant, laboravit. Poſtquam autem leges matrimonii ſubiit; deſiit illud vitium in fluorem album. Noviſſimo abhinc biennio, cum ſexta vice utero gereret, paucis ante puerperium hebdomadibus eximia defluxione catarrhali narium æque ac faucium tentabatur, ipſo demum partu terminata. Exinde vero hanc catarrhalem affectionem ſingulo verno & autumnali tempore tolerare debuit; qua non ſolum fauces puſtulis rubris obſidebantur, verum etiam copioſa muci per nares, ſalivæque per os effluxio accedebat, cum ſermonis non minus ac deglutitionis quodam impedimento. Inhæſit hæc moleſtia per ſex ſemper vel octo hebdomades; ſub qua quidem menſium fluor rite ſuccedebat, fluor vero albus, cui obnoxia eſt, evaneſcebat, & illa finita iterum redibat. Proximo abhinc autumno ineunte ſeptimo fœtu gravida, recruduit hæc denuo ægritudo, majori tamen ac olim vehementia. Namque accedebant capitis dolores immaniſſimi, cervicisque inſignis ſpaſmus, deglutitionem æque ac ſermonem impediens, noctu atrocior; ſalivæ expuitio erat copioſiſſima, ejusque quotidie binas ferme reddebat libras. Decima ſexta geſtationis hebdomade venam in brachio ſecandam præbuit, effluente ſero mucilaginoſo ac viſcido, nullo ferme ſanguine tincto. Et licet plurima huic malo oppoſuerit remedia; nullum tamen ex omnibus ſenſit levamen: propterea conſilium anhelans doceri cupit, quæ hujus ſalivalis fluxus cauſſa, quæque convenientiſſima medela.

### *Epicriſis.*

Liceat ex hoc caſu quædam animadvertere momenta: 1. Fœminæ, quæ exiliora poſſident vaſa, teneriorésque fibras, & chloroſi & fluori albo maxime ſunt obnoxiæ: eo quod ob circulationem ſanguinis in ejuſmodi corporis habitu languidiorem & ſegniorem ſerum præ partibus ſanguinis rubicundis ſulphureis, quæ motum inteſtinum cauſſantur, prædominium accipit: inde malus corporis habitus, & color faciei lividus increſcit, ſecretio inutilium particularum, imo ſanguinis ſuperflui deficere incipit: hinc docet experientia, quod chloroſi laborantes vel plane menſibus careant, vel fluore albo infeſtentur.

2. Multiplici experientia compertum habemus, ſuppreſſo vel cohibito fluori albo, quo ſerum corruptum, impurum atque vitioſum ſalutari ſæpe conſilio eliminatur, ſuccedere in aliis & remotis locis ulcera, tumores, puſtulas, quæ ſummam exaſperant cutim, interdum etiam purpuram chronicam, oriſque & faucium exulcerationes cum copioſa muci & ſalivæ excretione; quemadmodum id in noſtro caſu animadvertimus: Reſtituto vero uteri fluxu iſto ſeroſo ſponte hæc mala evaneſcere; ut inde liquido pateat, ob metaſtaſin vitioſorum humorum in alia loca unum morbum ex alio prodire, dum nempe ex eadem cauſſa uterque fovetur, & tamen ratione loci eſt differentia.

3. Tempore geſtationis, quia colluvies humorum ſeroſorum ob defectum menſium increſcit, non mirum eſt, defluxiones iſtas & decubitus copioſi ſeri & impuri ad loca glanduloſa faucium & oris in noſtra ægra fuiſſe aucta.

Quibus ſic ſe habentibus ordinatum fuit, ut tribus à partu hebdomadibus ægra ſequenti inſiſteret curationi. Nimirum per decem ſucceſſive dies quavis veſpera XIV. pilularum balſamicarum aſſumere debebat, quarum hæc erat compoſitio: Recipe Myrrhæ electæ, maſtichis, ſuccini præparati, extracti ariſtolochiæ rotundæ, cardui benedicti, Gummi ammoniaci depurati ana drachmam unam, extracti rhabarbari ſcrupulos duos, hellebori nigri cum aqua parati ſcrupulum unum, florum ſalis ammoniaci martialium, ſalis ſuccini ana grana duodecim. M. f. cum eſſentia caſtorei pilulæ ex ſcrupulo uno, No.XX.

Deinde commendavi hoc decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias duas, herbæ cardui benedicti manipulum unum, radicis caryophyllatæ, aniſi ſtellati ana drachmas duas, conc. cont. d. S. Species, quarum unciæ duæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquantur, & intra decem illos, quibus pilulæ ſumuntur, dies loco potus ordinarii hauriantur. His diebus finitis illius decocti calefacti menſuræ dimidiæ addatur drachma una harum ſpecierum: Recipe radicis pimpinellæ albæ, raſuræ ligni ſaſſafras ana unciam unam, herbæ ſcordii manipulum unum cum dimidio, ſeminis fœniculi drachmas tres: ebulliant invicem, & inſtar potus Thée mane intra lectum bibantur cum ſudoris expectatione.

Iiſdem decem diebus hora quinta, & non nunquam etiam veſperi ex deſcripto decocto propinatæ fuerunt L. guttulæ eſſentiæ balſamicæ hujus: Recipe eſſentiæ ligni aloes, ſuccini, tincturæ tartari, antimonii acris ana unciam dimidiam, olei ligni ſaſſafras deſtillati guttas octo. M. Extrinſecus ſuadebatur, ut ſuffimigii ex raſuræ ſuccini, maſtichis, ac tacamahacæ ana uncia dimidia parati fumus ore ſæpius exciperetur; aut alternetur cum ſequenti gargariſmate: Recipe florum roſarum rubrarum, balauſtiorum, herbæ menthæ, meliſſæ ana manipulum ſemis, maſtiches drachmas duas. M. C. C. d. S. Species pro decocto, cui ſyrupus granatorum, vel roob Sambuci admiſceatur.

Cæterum commendata fuit recta diætæ obſervatio, ut nimirum ægra ſibi caveret à cœna liberaliori, cibis pinguibus, ſimilagineis, dulcibus, nutrientibus, obſoniis, nimio carnium uſu, animi commotionibus atque refrigerationibus; contra vero magis ſtuderet corporis moderato exercitio, potui plus indulgeret, quam ſueverat; & deniqué crebris uteretur pediluviis.

CASUS

## CASUS LXII.

### *De ſingulari colli dolore ex ſtomachi vitio.*

Uxor mea in dextro colli latere, ſemper aliquantulum tumido, pronuper inſignem dolorem ſentire cœpit, cujus hæc ſunt ſymptomata: Dolor ille non ſolum totum collum, verum etiam totum iſtius lateris caput occupat; & quoties illum locum ægra manibus comprimit, ſonitum quendam intus ad ventriculum deſcendentem percipit; continuiſque infeſtatur ructibus. Interdiu, & ubi erecta ſedet, levior eſt dolor, puncturis per intervalla ſtipatus; noctu vero, & ubi decubuerit, intolerabilis eſt cruciatus, ructuſque horrendi, maxime ſi affectum locum compreſſerit. Putabam primum, febrile quid ſubeſſe, cum noctu potiſſimum invaderet moleſtia: at mox deprehendi flatus duntaxat, affecto loco incarceratos culpandos eſſe. Hinc mox per aliquot ſucceſſive dies ægræ propinavi pilulas Stahlianas, pulverem bezoardicum & liquorem anodynum Hoffmanni, ut inde ſudaret: nullum vero mali levamen percepit: neque opem tulit ſacculus ex floribus chamomillæ & emplaſtrum diſcutiens extrinſecus adplicata, ſed hoc dolorem magis exacerbare videbatur. Cæterum alvo gaudet libera, ciborumque adpetentia integra; cui ſi nimium indulſerit, majores inde moleſtias à flatibus, atrocioremque incidit dolorem. Verentur conſulti medici, ne tympanitidis ſubſint prima rudimenta: quam etiam eo magis metuo, cum ægra per binos annos ſæpius febriles inſultus toleravit, nunquam funditus debellatos, ſed ſponte ſemper deſinentes. Quidam in hoc rerum ſtatu aquas Sedlicenſes, earumque ſal; alii balnea Lauchſtadienſia commendant: quæ autem num adhibenda, aut quæ alia uſurpanda ſint, ex Tuo conſilio doceri avemus.

### *Conſultatio.*

Intellexi ex litteris ad me datis, quæ potiſſimum ægritudines cum acerbo colli dolore generoſam ægram infeſtaverint. De quibus, ſi mentem meam exponam; dolores illos omnino à flatibus intra ventriculum contentis natales ſuos mutuari credo, qui exinde inter membranas œſophagi ad collum uſque aſcendunt. Rariſſimus ſane eſt caſus, pauciſſimis medicorum cognitus, quem tamen ſæpius obſervavi. Huic ſi mederi volemus, remedia haud ad locum affectum atque dolentem, ſed potius ad ventriculum debilem, & à flatibus diſtenſum adplicare oportet: quæ inter præſtantiſſimum eſt ſequens emplaſtrum ad ſiniſtram ventriculi regionem impoſitum: Recipe emplaſtri de cruſta panis uncias duas, olei nuciſtæ expreſſi, balſami Peruviani ana drachmas duas, olei carvi, ligni ſaſſafras, menthæ ana drachmam. M. f. l. a. emplaſtrum. Interne vero commendo elixir meum ſtomachicum atque carminativum, ejuſque L. guttulas ex ultimo hauſtu inter epulas aſſumendas. Alvus ſi ſegnior fuerit; ei lubricandæ ac flatibus ad inferiora derivandis, expediet pilularum Stahlianarum, aut mearum balſamicarum novem veſperi deglutire. Præterea vero operæ erit pretium, ut ægra parcis utatur epulis, & inter illas omnes flatulentos cibos, maxime poma probe fugiat, ac corpus ſedulo moveat.

### *Appendix.*

Generoſa hæc ægrota ex uſurpatis hiſce remediis optime habuit; ac cum marito per aliquot milliaria itinere perfuncta, primo die illibatam præ ſe tulit ſanitatem. Verum enim vero poſtridie ex improviſo ingenti horrore per integram horam perculſa, incidit in conatum vomendi ac inſignem æſtum cum ſumma præcordiorum anxietate, pectoris conſtrictione, ſpiratione difficili ac cordis palpitationibus ſtipatum; à quibus vero ſymptomatibus, per ſex horas inhærentibus ſudore inſequuto liberata bene habuit. Conſultus medicus febrem tertianam, eo tempore graſſantem ſuſpicabatur, deditque pulveres ſalinos atque laxantia. Tertio die recruduit eadem acceſſio cum longe gravioribus ſymptomatibus, ac ipſa mentis defectione: qua feliciter ſuperata, ſequenti die adhuc vehementior rediit paroxyſmus, cum inſigni anxietate, pectoris agitatione convulſiva, ſuffocationis metu, extremorum refrigeratione ac gelido ſudore, pulſuque valde inæquali & duro ſtipatus; cui demum ſupervenit mentis deliquium, atque mors ſubitanea. Perculſus ſummo terrore de tam ſubitanea morte maritus, quam ex tertiana ſimplici ſuſpicari nunquam poterat; deſideravit, ut meam de tam inopinati eventus cauſſa exponerem opinionem. Quam ut traderem, haud ignorari oportet, ægram fuiſſe habitus corporis repleti atque ſpongioſi, vitæ ſedentariæ admodum indulſiſſe, potum ſufficientem neglexiſſe, hinc ſub quocunque corporis motu, maxime cum acclivia ſcanderet loca, ſpirandi anguſtiam incidiſſe, & ſæpius cordis palpitatione cum pulſu inæquali ac intermittente laboraviſſe: neque minus multis annis tumoribus pedum infeſtatam fuiſſe, quæ ſub ultima febre evanuerunt. Ex his vero ſemper judicavi, polypoſum forſitan concrementum in corde vel pulmonum vaſis deliteſcere; cui quoque cauſſam ſæviſſimorum, quæ febrem comitabantur, ſymptomatum, ipſiuſque mortis adſcribendam eſſe puto. Quod ſi enim ſub rigore febrili & ingenti partium extremarum ſpaſmo humores copioſius ad pectus & cor compelluntur; & exinde ob ventriculos cordis, maxime dextrum more conſueto polypoſis concretis obturatos non debite repelluntur: fit omnino, ut cruor majori copia intra auriculam ventriculumque cordis dextrum ſtagnans, has partes diſtendat inſigniter, ideoque præcordiorum anxietates, cordis palpitationes, lypothymias ac ſuffocationes inducat. Occurrerunt mihi tres in mea praxi caſus huic non diſſimiles, quod viri, qui pedibus tumidis affecti ac ſuſpicionem polyporum in præcordiis moventes, ubi febrem tertianam inciderunt, ſub illius rigore, retrolapſo œdemate, inopinata ſuffocatione fuerint extincti.

## CASUS LXIII.

### *De ſpaſmo œſophagi, illiuſque atonia.*

Vir quidam annorum novendecim, ſtrictioris corporis habitus, conſtitutionis admodum ſenſibilis ac bilioſæ noviſſimo abhinc anno poſt hauſtum potum Thée vehementi ac tanta excanduit iracundia, ut protinus contremuerit ac nauſea adfectus fuerit. Tum ſtatim adiit officinam pharmaceuti-

maceuticam, ibidemque portionem alicujus nigricantis liquoris aſſumſit; & veſperi XX. guttas balſami vitæ Hoffmanni ex vino aduſto potavit. Nocte inſequuta cum pejus haberet, iterum ingurgitavit ſpiritum vini: & deinceps amiſſa penitus adpetentia, huic excitandæ largam ſardenarum aceto conditarum devoravit quantitatem. Hinc conſultus medicus propinavit ipſi pulveres ſalinos, & quosdam purgantes, ex quibus inſigne incidit alvi profluvium cum omnium virium proſtratione. Sub hoc ipſo profluvio acceſſit in faucibus moleſta inſtar pali infixi ſenſatio, ac ſi quidpiam inde proſerpere vellet; ut etiam cum medico putaret æger, vermem obſidere fauces. Hinc ipſi datæ fuerunt pilulæ ex extracto aloes, rhabarbari, mercurio dulci & corallinæ pulvere concinnatæ: quæ bis quotidie ſumtæ alvum quidem ſatis potenter duxerunt, malum autem ita exacerbarunt, ut vix amplius deglutire quicquam valeret: fruſtra comeſtis intra XIV. dies plus quam L. pomis citrinis. Invadit vero hoc malum per intervalla; ſub quo extrema perfrigeſcunt inſigniter, nec ſatis foveri poſſunt: ipſa corporis refrigeratio malum exaſperat; ſomnus eſt exiguus, virium decrementum ac incredibilis ad iram proclivitas, qua vel leviſſima commovetur occaſione. Alvo pertinaciter obſtipata, flatus ad ſuperiora eluctant, & clyſteribus derivantur optime: purgantia enim oretenus exhibita augent malum, ſicuti quoque omnia calidiora, ut adeo ab omni cereviſiæ atque vini uſu abſtinere debeat. Hinc demum alius medici imploravit opem; à quo cum emulſionem amygdalinam cum ſemine papaveris albi accepiſſet, & pulveres præcipitantes nitroſos, melius quidem habere videbatur; mox autem in priſtinam relapſus calamitatem, meum flagitavit conſilium.

Re itaque penitius perſpecta, hunc morbum non niſi ſpaſmo vehementiori œſophagi ventriculique abſolvi credo, qui ab inſigni mentis commotione & excandeſcentia ortus, & incongruorum remediorum, partim calidiorum, partim acriorum atque purgantium uſu magis auctus fuit atque exacerbatus. Quum enim conſultus medicus, vermem inhærere faucibus ratus, illi enecando anthelmintica ac ſuccum citri propinavit: his non ſolum diſtentionem tunicarum nervearum atque muſculoſarum in œſophago adauxit, verum etiam effecit, ut ſpaſmus ille per univerſum genus nervoſum fuerit propagatus. Hinc quoque derivanda ſunt mala ſymptomata, veluti frigus partium externarum, maxime pedum, anxietas præcordiorum, inquietudo, urina pallida, pulſus durities, & eximia ad iracundiam proclivitas. Illud autem ſymptoma, quo palus faucibus videtur infixus, ex muſculorum, qui œſophagi principium conſtituunt, ſpaſmodica conſtrictione dependet; qua ex eorundem tunicis quaſi globus formatur in infundibulo, qui illam pali infixi ſenſationem conſtituit. Præterea autem vero eſt ſimillimum, partim bilis ſub iracundia in ventriculum facta effuſione, partim acrium medicinarum, partim ſucci citrorum acidi nimio uſu nerveas ventriculi tunicas, maxime villoſam fuiſſe arroſas: unde etiam venit, quod æger nulla acriora, nec calidiora alimenta, nec vinoſos potus perferre queat.

Quamobrem eo collineavit meum conſilium, ut æger ante omnia ab omni cereviſiæ, vinique potu & largis epulis abſtineret, & per aliquot hebdomades pro potu ordinario juſculum tenuius ex avena & floribus chamæmeli decoctum hauriret, ex illo quandoque hauſtum olei amygdalarum dulcium ſumeret, aut decoctum ex raſura cornu cervi, ſcorzonera & paſſulis minoribus paratum potaret. Deinceps operæ pretium duxi, quotidie cubitum ituro ægro XX. ſequentium pilularum exhibere: Recipe extracti millefolii, chamæmeli ana drachmas duas, extracti hyperici, mithridatii ana drachmam ſemis, croci, caſtorei pulveriſatorum ana grana XV. olei deſtillati macis gutt. VI. M. f. pilulæ ex ſcrupulo uno no. XX. quibus ſumtis quotidie pediluvio ex floribus chamæmeli, furfuribus triticeis & aqua fluviatili confecto uti debuit. Neque minus mane & poſt meridiem 40. guttulas hujus ſpiritus propinavi: Recipe liquoris noſtri anodyni mineralis unciam unam, olei chamæmeli veri, olei abſynthii, olei de Cedro ana guttas XII. Et denique externe faucibus, collo ac regioni ventriculi balſamum meum vitæ intra lintea adplicari juſſi. Quibus per aliquod tempus uſurpatis factum eſt, ut æger à moleſto ſuo morbo penitus vindicaretur.

*Appendix.*

Non alienum hoc loco videtur, ob materiæ affinitatem caſum pariter rariorem ſubnectere, qui in atonia ac reſolutione pharyngis, ſive principii œſophagi conſiſtit, & ſic ſe habet:

Studioſus XVIII. annorum, temperamenti ſanguinei, animique hilaris, qui crebris narium hæmorrhagiis & capitis doloribus, maxime ſi nimio corporis motu, & largiori vino humores exagitavit, ſolicitari, ac præterea focali collum arctius, & ad vaſorum faciei inflationem uſque conſtringere ſueverat, noviſſimo vere tumore glandularum colli corripiebatur, emplaſtro de meliloto diſcuſſo. Brevi abhinc tempore percipiebat, quæcunque aſſumta vel eſculenta, vel potulenta in ultimis faucibus veluti ſubſiſtere, ac ſi nimis cito deglutire conabatur, conatu reddi vomibundo; attamen per intervalla hæc moleſtia gravius mitiuſve infeſtavit. Poſt aliquod tempus evaneſcebat hæc affectio, & ipſe cibos deglutire quidem valebat: verum tamen ubi profundius per gulam deſcendebant, ac ventriculum ingredi volebant; obex quaſi ibidem videbatur poſitus, ut aſſumta vomitu reddere debuerit; liquidiora autem nonnunquam libere penetrant ventriculum. Vomitus ipſe cum non ſine anxio conatu contingeret, temperavit ſibi æger ab omni fere ciborum uſu; & hinc in eximium corporis delapſus decrementum, meum flagitavit conſilium.

Hujus ergo mali cauſſam exploraturus, ſuſpicabar primum conſtrictionem circa orificium ventriculi ſiniſtrum ſpaſmodicam; & hinc ordinabam antiſpaſmodica remedia, maxime oleum amygdalarum dulcium recens ex juſculo avenaceo hauriendum, quod quidem abſque inſequuto vomitu ventriculum penetravit, ipſum autem malum tollere haud potuit. Nam aſſumtis alimentis videbatur ægro ventriculi ſuperius orificium repagulo quodam clauſum, ea haud tranſmittere: quare, ſi nihilo ſecius aſſumebantur, & œſophagum implebant, ore iterum eructabantur.

Hinc in mentem mihi veniebant illæ medicorum obſervationes, quibus conſtat, non ſolum in cavitate œſophagi, verum etiam externe inter œſophagum & aſperam arteriam generatos ſucceſſive fuiſſe tumores ac excreſcentias, quibus liberum ciborum per gulam in ventriculum iter adeo interclusum fuit, ut

ut miſera homines perierint morte, teſte Tulpio Lib. 1. cap. 44.

Verum enim vero nec hanc in præſenti morbo cauſſam ſuſpicari permiſit repentina morbi generatio, quæ in allegatis obſervationibus fuit ſucceſſiva: hinc putavi, ſubeſſe forſitan inſignem ventriculi acrimoniam, quæ ſuperius ventriculi orificium ac inferiorem partem gulæ ad ſpaſmodicas proritaret conſtrictiones. Ordinavi itaque potiunculam ex mannæ uncia una & ſemis, ſolutæ cum aquæ florum acaciæ unciis tribus, olei amygdalarum dulcium uncia ſemis, & cremoris tartari drachma una paratam; quæ ingreſſa ventriculum, vomitum excitavit, eoque non ſolum multum pituitæ; verum etiam fruſtulum ſolidum nucis avellanæ magnitudine evacuavit. Hoc rite examinatum fuit fruſtum carneum fœtens, & male olens, quod æger ante quatuor hebdomades minus manſum deglutiverat, & in ſuperiori ſtomachi regione obhæſerat: excretum autem protinus malo dedit inducias, liberumque rurſus iter quibuſcunque concedebat aſſumtis.

At vero paucis poſt hebdomadibus recidit eadem moleſtia, qua ægro videbatur, ac ſi quid in gula interiori hæreret, quod deſceſſum alimentorum impediret, ac efficeret, ut aſſumta vomitu reddantur. Jam ergo cauſſam mali in atonia muſculorum pharyngis, ex ſtagnatione ſeri viſcidi ſuborta collocabam: hinc imperabam ut æger mane quinque vel ſex balſami mei vitæ guttulas ſaccharo exceptas aſſumeret, & infuſum Theiforme ſuperingereret: corpus vero purgavi datis tribus ſalis Anglicani drachmis in aqua ſolutis, quæ alvum duxerunt octies; & externe denique ſpiritum vini camphoratum balſamo vitæ permixtum collo circumdari juſſi; iiſque obtinui, ut moleſta hæc ægritudo penitus debellaretur.

Dignus omnino eſt hic caſus, qui publici fiat juris, dum partim ob obturationem œſophagi à fruſto cibi ſolidi inhærente, partim ob atoniam pharyngis inter rariſſimos collocari meretur. Conſtat enim ex anatomicis, pharyngem ſeu principium œſophagi ex variis muſculis & conſtrictoribus & dilatatoribus componi: illi vocantur œſophagæi; horum autem tria potiſſimum ſunt paria, quæ nomine cephalopharyngæorum, ſphænopharyngæorum & ſtylopharyngæorum venire ſolent. Hi dilatatores ſi agunt, poſteriorem infundibuli partem elevant, & antrorſum trahunt, hinc anteriori regione depreſſa ac aperta, maſticati cibi ope linguæ maxillarumque truſi, in pharyngis deferuntur orificium. Tum relaxatis hiſce, conſtringuntur œſophagæi, & ciborum per œſophagum in ſtomachum deſcenſum promovent. Hinc adparet, omnem deglutitionem horum potiſſimum muſculorum actione ac motu abſolvi; qui à debito & ſubtilioris ſanguinis & fluidi nervei influxu in nervos eorum muſculorum, ex ſurculis paris octavi oriundos dependet. Quod ſi igitur dictorum muſculorum tonus atque robur ab externis cauſſis, maxime nimio humorum affluxu læditur atque vitiatur, non poteſt fieri, quin exinde impediatur ac difficilis reddatur deglutitio. Quando autem denegato penitus ab internis cauſſis nervei fluidi influxu, vera horum muſculorum paralyſis ſuboritur, qualis à Tulpio Lib. 1. Cap. 12. allegatur: fit inde, ut penitus aboleatur vis deglutiendi, & ipſa omnino inducatur mors.

Ex quibus demum eluceſcit, evacuatis in hiſce adfectibus per congrua laxantia ſuperfluis humoribus, non præſtantiora eſſe remedia, quam nervina, tonica, atque balſamica & interne & externe uſurpata.

## CASUS LXIV.

### *De affectu œſophagi & ventriculi ſpaſmodico.*

VIr LIV. annorum, ſtrictioris corporis habitus, vaſiſque ſanguine ſemper turgidis conſpicuus, proximo abhinc anno omnem potum averſari cœpit: quem cum ſub epulis aſſumere conaretur, ille intra œſophagum, qui veluti conſtrictus videbatur, ſubſiſtebat. Olim per aliquot annos fluxus hæmorrhoidalis inſultus toleravit: qui autem noviſſima hyeme atrociſſimis dorſi, dextri hypochondrii & inter ſcapulas doloribus, alvi obſtructione pertinaci, viriumque decremento, abſque inſequuto ipſo fluore abſolvebantur; poſt adhibita autem interne congrua remedia, externe ſpiritum vini camphoratum crocatum & emplaſtra debellabantur. Stipatæ autem ſemper fuerunt hæ adfectiones ſupra memorata ventriculi moleſtia, qua quidem cibos integra adpetiit cupiditate, poſt potum autem parciſſima licet quantitate aſſumtum, protinus replebatur, diſtendebatur, flatibuſque ac preſſionis ſenſu adficiebatur ventriculus; quæ ſymptomata tribus circiter à paſtu horis demum remittebant. Et notatu dignum eſt ſymptoma ante aliquod tempus accedens, quo extra epulas tanta ſubito corripiebatur fame, fere canina, ut gelido omnino, anxioque perfunderetur ſudore, donec cibi quidpiam aſſumſerat. Poſtquam demum more ſibi conſueto circa noviſſimum vernale æquinoctium venam in pede aperiendam præbuerat, remiſerunt quidem pleraque ſymptomata; at ventriculi moleſtia eodem continuavit tenore, adeo ut circa prandendi potiſſimum tempus vix ambulare potuerit, ſine ſtomachi dolore ſub quocunque greſſu excitato; non minus pauca comederit, & multum mucum eructare debuerit. Quamobrem, cum à reſtagnante hæmorrhoidali cruore ventriculi preſſiones derivarent medici, provocaturi illum fluorem, ano ante tres hebdomades adplicuerunt hirudines. Tum vero excepit pertinaciſſima alvi obſtipatio cum tantis flatulentiis, ut præ iis vix enemata injici potuerint: & hæc demum poſt aliquot dies ſponte deſiit in alvi profluvium, quo, dejecto omni penitus adpetitu, inſignis pituitæ copia excernebatur. Hinc datæ fuerunt balſamicæ pilulæ, quæ intra nycthemeron abſque ullis torminibus alvum viginti quatuor vicibus moverunt: quibus ſedato alvi profluvio, ſucceſſerunt imi ventris dolores ac flatulentiæ, per intervalla adfligentes. Neque minus bis abhinc poſt aſſumta potulenta acceſſit vomitus, cum tenacis pituitæ rejectione. Quare tuum, vir illuſtris, flagitat conſilium, & imprimis doceri avet, num commendatæ iterum hirudines abſque metu majorum ſymptomatum tuto adplicari queant?

### *Conſultatio.*

Ex communicato mecum caſu, ægrum ſpaſmis circa œſophagum, ventriculum & inteſtina ſolicitari perſpicio. Spaſmos œſophagi atteſtantur dolores in dorſo atque inter ſcapulas adfligentes, & potuum frigidorum in gula, quæ conſtricta videtur, ſubſiſtentia. Exinde vero adparet ſimul frigoris eximia in exacerbando ſpaſmo œſophagi efficacia; ſiquidem æger calidiora potulenta commode ac ſine moleſtia aſſumere valet. Ventriculi porro

ac inteſtinorum diſtentionem comprobant reliqua ſymptomata, veluti ſunt moleſtæ ac dolorificæ ventriculi poſt aſſumtos cibos inflationes, flatulentiæ, tormina imi ventris, & pertinaces alvi obſtructiones. Neque minus ex eodem dictarum partium ſpaſmo derivanda eſt multa pituitæ exſcreatio, poſt paſtum maxime vehementior. Et quum denique ob vitiatum atque labefactatum ventriculi inteſtinorumque tonum & periſtalticum motum non rite concoquuntur cibi, & ideo acres acidoſque ſuccos atque ſordes in ventriculo relinquunt: factum inde eſt, ut non ſolum fames ferme canina extra epulas acceſſerit; verum etiam alvi profluvium; & mucoſi vomitus pronuper ſupervenerint.

Quod ſi vero ulterius diſpiciamus, unde hi violenti primarum viarum ſpaſmi ſuam originem traxerint: hanc ex ſuppreſſione hæmorrhoidum, & hinc ſubortis cruoris in partibus imi ventris ſtagnationibus derivandam eſſe arbitror. Hoc confirmant habitus ægri ſtrictior; vaſa cruore turgida; hæmorrhoides cœcæ olim toleratæ; dolores noviſſima hyeme dorſum occupantes, & ſanguinis miſſione ſublevati, & denique vita ſedentaria, ac multis mœroribus complicata, cui obnoxius eſt æger, quæque præcipue circulum humorum uti per totum corpus, ita maxime per abdominis viſcera reddidit inertem. Ex his ergo cauſſis prima ſpaſmorum, qui canalem inteſtinorum, ventriculumque obſident, origo derivanda eſt. Hiſce autem cum debita humorum utilium ſecretio, recrementitiorum autem excretio impediri; & ideo multæ ſordes acidæ, acres ac bilioſæ in primis viis coacervari deprehendantur: inde quoque novum generatur pabulum, quod eas ſtricturas magis fovet atque ſuſtentat.

Quamobrem, cum metus ſit, ne ex hiſce vitiis aliquando univerſi corporis cachexia, hecticus calor, atque abdominis intumeſcentia ſuboriantur: omnes ad debellanda ea mala intendere omnino oportet nervos. Quod ut fiat, ante omnia conſultum duco, ut ſingulo mane intra lectum æger de ſequenti infuſo theiformi potet: Recipe herbæ ſalviæ, veronicæ, ſummitatum millefolii, florum chamæmeli vulgaris ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. Conc. Cont. D. Hoc enim infuſum ad diluendos & humectandos humores pariter, ac demulcendos motus ſpaſmodicos eximium conferet momentum. Deinde operæ erit pretium, omittere conſuetum cerevиſiæ Lœbeginenſis potum, quippe quæ adauget ſaburram primarum viarum, nec per alvum aut urinam commode excernitur; & in ejus locum cereviſiam Martisburgenſem, leviter tepidam potare. Neque porro poſſum, quin & repetitam hirudinum adplicationem, & venæ ſectionis adminiſtrationem ſuadeam: quippe quæ, ſi haud acceſſerit hæmorrhoidalis fluor, ter ad minimum quotannis in pedibus erit inſtituenda. Tum quoque brevi ante epulas drachmam dimidiam hujus pulveris aſſumendam hortor: Recipe radicis ari, pimpinellæ, corticis caſcarillæ, cinnamomi acuti, ſuccini præparati ana drachmam unam, lapidum cancrorum drachmas tres, ſalis tartari, nitri purificati ana ſcrupulos quatuor, olei de cedro guttas decem. M. f. pulvis. Ut denique alvus ſervetur aperta, & corpus à corruptis crudiſque liberetur humoribus; ſuadeo, ut ſingula hebdomade veſperi XIV. pilularum mearum balſamicarum deglutiantur, & poſtridie mane drachma una ſalis Anglicani vel Sedlicenſis aſſumatur. Nec ludetur opera, ſi ad diſcutiendos flatus, clyſteres injiciantur ſedulo, & liquoris mei anodyni, aut ſpiritus nitri dulcis cum tinctura tartari, eſſentia caſtorei, croci, & aliquot guttis olei fœniculi vel chamomillæ veri permixti LX. guttulæ quandoque adhibeantur. Quibus, ſi rite inhæſerit æger, de exoptato eventu nullus dubito.

---

## CASUS LXV.

### *De affectu œſophagi paralytico.*

IN præſenti, qua excrucior, ægritudine, veneror divinam miſericordiam, quod mihi viſionem, antea imminutam reddiderit, qua quæ eloqui haud valeo, per litteras tamen tremebunda manu ſcriptas ſignificare poſſum. D. D. S. morbum meum ex lienis vitio derivaturus, rem acu non tetigit; à quo tamen vi temperamenti mei cholerico-melancholici prorſus aliena videor. Quamvis enim ob oculorum meorum labem hactenus in publicum prodire haud potuerim, & hinc ſedentariam vitam egiſſe videar: attamen intra meum habitaculum ſedulo obambulare ſuevi, animoque ſemper hilari, & ſub ipſa hac calamitate tranquillo ſum, quippe licet omnino magis divinæ gratiæ, quam ſoli temperamento ſit adſcribendus; tamen in melancholici temperamenti hominibus rariſſime deprehenditur. Hinc recte judicaſſe puto quoſdam medicos, tranquillitatem mentis, qua fruor, ad ſuſtentandam vitam & ſublevandam ægritudinem multum contribuiſſe: neque etiam ullas labis viſcerum aut humorum notas, maxime cum per aliquod tempus nullis fere veſcor alimentis, in me deprehendo. Ipſa vero mea calamitas hæc eſt, quod ſatis longo abhinc tempore nulla alimenta, imprimis minutiora deglutire valuerim. Hujus mali cauſſam, juxta L. Z. opinionem non ſolum in epiglottidis vitio, quæ poſt ſaccharum ante unum & dimidium annum inauſpicato deglutitum aliquantulum tumida eſt, & inter deglutiendum non rite claudi videtur; verum etiam in totius œſophagi intumeſcentia ſita eſt. Hinc primum opponebam calida gargariſmata, quæ vero adeo exacerbabant malum, ut me ſuffocari crediderim; poſthæc autem continuato eorum uſu, ea quidem ferre poteram, nullum vero nec ex iis, nec ex emplaſtro de meliloto percepi allevamentum: nec opem denique ferebant ſacculi calidi, quin potius defluxionem ſatis gravem ad pectus excitaverint. Abhinc incidi febrem quartanam; qua hora quarta veſpertina gelido ſudore totum perfundebatur corpus, conjuncta inſigni nauſea, ac omnium, præter auditum, ſenſuum obnubilatione: tum perhorreſcebant omnia membra, ut vix fomentari potuerint; inſequuta nocte ſomnus erat turbulentus; poſtridie æſtus invadebat cum ſudore, qui hora XII. meridiana ad ſtatum pertingens iterum decreſcebat, ac hora quarta remittebat cum toto paroxyſmo; hinc tertio quartoque die præter leves capitis dolores melius habebam, & denique quarto die hora veſpertina quarta recidebat acceſſio.

Ut autem ad principalem morbum, nimirum deglutitionem difficilem revertar: haud ignorari oportet, me jam olim ea ſolicitatam fuiſſe moleſtia, ut cibi maſticati in ultimis obhæſerint faucibus, nec niſi ſuperingeſto potu deglutiri potuerint. Jam vero plerumque nihil prorſus, non nunquam tamen ſolidiora magis, quam liquidiora aut juſcula deglutire poſſum. Sub hujus moleſtiæ auſpiciis commendabant medici ad reſtaurandas vires gelatinam cornu cervi, ex qua, interpoſito quandoque hauſtu vini Hungarici, unicum habui nutrimentum: at per binas circiter hebdomades cereviſiam calidam

calidam potare didici, quæ mihi magis conferre videbatur. Hujus mali cauſſam in atonia partium deglutitioni dicatarum collocavi, quam magis comprobatam dedit partim vertebrarum colli ſtrepitus, partim linguæ tenſiva diſtentio, qua vix quædam eloqui poſſum verba ſine linguæ, vicinarumque partium tenſione ac intumeſcentia. Præterea ante ſex circiter hebdomades acceſſit uvulæ & tonſillarum relaxatio ac inflammatio; palatique à velo pendulo ad dentes uſque protenſus tumor; qui licet aliquantulum remiſerit, attamen ciborum deglutitionem magis reddit difficilem. Sub hac igitur ægritudine prioribus quinque anni quadrantibus, cum adhuc ſimilaginea deglutire valerem, nullius omnino medici imploravi opem, niſi demum D. L. Z. Ab hoc acceperam tincturas ſtomachicas ac infuſum theiforme; à quibus tamen nullum levamen percepi, niſi aliquale ex oleo bezoardico externe inuncto. Tum D. L. L. conſului, qui cum pulveres deglutire haud valerem, propinavit eſſentias diſcutientes, & anodynas, ac oleum amygdalarum dulcium: putavit præterea, hærere forſitan ſub capite aſperæ arteriæ quandam excreſcentiam, quæ impediret, quo minus pulverulenta deglutire potuerim. Adplicui porro externe emplaſtrum de meliloto, quod autem noctu intolerabiles excitat capitis dolores; impoſuiſſem etiam ex ſuaſu Chirurgi W. emplaſtrum Oppodeldoch, ſi illius genuini particeps facta eſſem. Non minus haud ſine fructu eſſentiam pimpinellæ cum melle aut oleo amygdalarum ſumſi, & externe, ſi poſt multos ſermones ſenſu ardoris in collo in eſtabar, ſpiritum camphoratum adplicui. Denique etiam unguento ex mucilagine cydoniorum, ſyrupo violarum, perſicorum, aut roob diamoron parato fauces illivi; & gargariſmata adhibui, quorum unum ex variis ſpeciebus & alumine confectum, malum exacerbabat, ac ſalivæ fluxum impediebat; alterum ex rapis paſſis, herba hyſſopi, floribus papaveris rhœados, & nitro depurato concinnatum egregiam fert opem.

*Appendix.*

Non alienum videtur, aliquam hujus caſus addere explicationem. Quod ergo attinet viſus vitium, de quo fit mentio; illud meo quidem arbitrio ex impedito humorum per oculos circulo originem ſuam traxit, nec aliis notis, niſi perpetua oculorum ſiccitate ſe manifeſtavit. Præterea ſenſibilitas & vis imaginatrix eximia eſt in noſtra ægrota: quare licet ipſa ſe eſſe melancholicam negaverit, & juxta externum etiam aſpectum magis videatur ſanguineo-cholerica; attamen eam de melancholico temperamento re participare vera, vel ex ea mentis pertinacia eluceſcit, qua à ſemel propoſita ſibi opinione nullis averti poteſt argumentis. Hinc nec medici ſententiam rejicere poſſum, qui illius malum ex vitio lienis derivavit: ſiquidem ad ejuſmodi lienoſos ac hypochondriacos morbos inducendos non ſemper mœſtum duntaxat animum requiri; ſaltem omnia noſtræ ſymptomata à ſanguine ſpiſſo ad fauces compulſo natales ſuos mutuari credo.

Inauſpicata ſacchari deglutitio, de qua refert, ſic ſe habet: uno ac dimidio abhinc anno ſub potus Théebois ſorbitione fruſtum ſacchari forſan deglutiverat, cujus portio in arteriam aſperam delapſa, moleſtum faucium dolorem per aliquot horas excitavit: quod autem præſens malum induxerit, vix credere poſſum, cum ſaccharum in ore ſolvatur facillime.

Neque ignorari oportet, ægram perilluſtrem poſt aſſumta calidiora pejus habere; quoniam, uti mihi videtur, cruor illius ſpiſſus illis commovetur, non tamen facile tranſgreditur vaſcula minima. Cereviſiæ, quam bibit, calidioris uſus mihi plane non arridet; & magis placeret, ſi duntaxat tepidior eſſet. Olim per multos annos puram aquam bibere ſuevit; deinceps ſolo Rhenano vino uti, ſimulque cibis dulcibus, farinaceis ac ſimilagineis indulgere cœpit, quibus non ſolum ſicciores ac calidiores, verum etiam longe ſpiſſiores reddidit ſuccos vitales. Unde etiam ſuaſi, ut omnia edulia delicatula, veluti ſunt emulſiones amygdalatæ, gelatinæ, placentæ, ſimilaginea &c. probe fugeret, & eorum loco cibis ordinariis & pane veſceretur. Sed illa ſuo indulget genio, & denique etiam vinum Rhenanum exoſa, purum Hungaricum bibere cœpit; & inde humores ſuos omnino reddidit ſpiſſiores; ſiquidem interpoſitus nonnunquam decocti Thée vel Caffée uſus ad humiditatem inducendam minime ſufficiens fuit: maxime cum noviſſime ad vinum Hiſpani cum deveniret. Interim, cum hiſce fortioribus potibus jam ſueverit, ac ſolidorum parum aſſumat; crederem proficuam ipſi fore cereviſiam, quæ in loco pura eſt ac tenuis. Nam autem fonticulus, quem quidam ægræ XXX. annos natæ, commendarunt, ſit adhibendus; Tuæ, Vir excellentiſſime, relinquo dijudicationi.

*Conſilium Medicum.*

Quantum ex iis, quæ mihi de adverſa illuſtriſſimæ Comitis valetudine perſcripta ſunt, colligere licuit; illam haud in ſola imaginatione aut melancholia, ſed potius reſolutione partium nervoſarum ac muſculoſarum, quæ principium œſophagi & aſperæ arteriæ ambiunt, paralytica, ac hinc impedita deglutitione ſitam eſſe perſuaſus ſum. Occurrerunt mihi ejuſmodi affectiones, ex ſolo terrore ſubortæ, in quibus alimenta ad vitam conſervandam neceſſaria vix deglutiri potuerunt. Sæpius cum ejuſmodi paralyſi complicata eſſe ſolet ſpaſmodica interioris œſophagi diſtentio, qua fit, ut, deglutita ægre alimenta in ipſo ſubſiſtant œſophago, & demum vomitu rejiciantur. Huncce ſpaſmum in noſtro quoque caſu ſubeſſe ſimul, vel ex dolore tenſivo & intumeſcentia linguæ, partiumque vicinarum, quæ ſub ſermone ac deglutitione fit, adparet. A paralyſi autem nervorum, muſculorumque, & denegato in illos liquidi nervei influxu, dependet & uvulæ relaxatio, & palati poſterioris tumor.

Hanc hujus ægritudinis veram cauſſam medicos hactenus conſultos haud perſpexiſſe, hinc nec rectam curationem inſtituiſſe deprehendo. Emplaſtrum enim de meliloto, quod majorem ad affectas partes humorum ad fluxum inducere ſolet, pariter incongruum fuit, ac oleum amygdalarum: contra vero magis arridet ſpiritus vini camphoratus. Magna vis curationis in externis omnino ſita eſt remediis; quæ inter commendo balſamum meum vitæ, ſæpius externis affectis partibus & cervici inungendum; & gargariſma nervinum, quod ſic ſe habet: Recipe aquæ deſtillatæ ſalviæ, florum Sambuci ana menſuram dimidiam, roob diamoron unciam ſemis, nitri depurati drachmam, balſami mei vitæ guttulas LXXX. M. f. gargariſma, quo cum octies & pluries quotidie colluantur fauces. Deinceps, ne alvus ſit pigra, operæ pretium erit, ſingula hebdomade XIV. mearum pilularum deglutire. Emulſionum, gelatinarum, aliorumque mucilaginoſorum uſui haud ſubſcribo, & magis

magis commendo juſcula cum radice cichorei, ſcorzoneræ, petroſelino & ſucco aurantiorum parata. Nec adhuc properandum exiſtimo ad fonticuli inuſtionem, cui forſan ſuperſedere poterimus.

Verum enim vero cum ventriculi imbecillitas & generandis pravis ſuccis, & augendo hocce malo ſit ſatis idonea: illi quoque ſuccurrere convenit. Huic ſcopo commendo elixir meum ſtomachicum balſamicum, LX. guttulis ſub epulis capiendum; & denique hortor, ut illuſtriſſima ægra loco potus ordinarii, aqua pura decocta cum tantillo Cinnamomi, ac tertia vini rhenani parte permixta utatur. Atque hæc habui, quæ in Comitis excellentiſſimæ ſalutem proponerem, quæ Deus reddat fauſta ac proſpera, ex toto pectore precor.

Nec ſpem fefellit commendata medicatio; ſiquidem ab illa, maxime balſamo meo vitæ inſigne ægra percepit levamen.

## CASUS LXVI.

### *De difficili deglutitione ex ſumma muſculorum pharyngis atonia.*

FAber quidam ferrarius, annorum LXIV. habitu corporis ſtrictiori, vaſiſque capacioribus præditus, & à teneris variis rheumatiſmis, mox totum, mox dimidium caput, mox artus, mox & præcipue ſiniſtrum corpus occupantibus ſæpenumero ſolicitatus, proxima abhinc ſeptimana cum poſt prævios ſub tempeſtate pluvioſa fortiores corporis labores ac exæſtuationes ſudore madidus aſſideret epulis, inter edendum braſſicam muria conditam affectu ſuffocativo protinus corripitur. Hic enim non ſolùm ſpirandi induxit ſummam anguſtiam; verum etiam inſignem præcordiorum anxietatem, ſudorem, ac vehementem faucium dolorem excitavit. Videbatur illi, ac ſi fruſtulum oſſeum obhæſerit in infundibulo, quod in earum partium membranis dolorificum excitaret ſenſum. Poſt horæ quadrantem, rediit equidem liberior ſpiratio; inſiſtebant autem adhuc præcordiorum anxietas, dolor faucium, capitis dolores & capitis inſignis languor; quid? quod nec ſolida nec fluida abſque ſuffocationis metu deglutire potuerit. Conſultus ergo medicus collo adplicuit veſicam lacte calido repletam; nullo autem effectu; dedit porro laxans, analepticum, ſudoriferum, & denique venam tundi juſſit, ſanguine extracto florido. Quum autem nihilo minus pertinaciter inhærerent ſymptomata, meum demum imploravit conſilium, de dolore faucium pungitivo, omnem deglutitionem præpediente, ſiti ingenti, capitis doloribus, anxietate præcordiali, ſpirandi difficultate, pectoris compreſſione, pituitæ exſcreatione ſtipata, tuſſi per intervalla accedente, ſomnoque turbulento querulus: ſub quibus adpetitus ſibi conſtabat rite.

Quæ omnia cum mecum volutarem, maximeque deglutitionis impedimentum, ac copioſam muci rejectionem perpenderem: non potui, quin tam ſubitanei affectus cauſſam in eximia atonia ac reſolutione muſculorum pharyngem conſtituentium, collocarem. Hinc quoque binos curandi ſcopos habui, ut nimirum partim tonum labefactatarum partium reſtituerem, partim pectus ab humoribus in illo ſtagnantibus liberarem. Quapropter imperavi, ut balſamo meo vitæ externa faucium regio inungeretur, eoque mane fauces colluerentur, & denique illius decem guttulæ Saccharo inſtillatæ ter quotidie deglutirentur. Hoc per quatuor circiter dies continuato non ſolum dolores remittebant; verum etiam æger liquidiora, juſcula, cereviſiam abſque impedimento deglutire cœpit. Tum vero congeſtio ſiniſtram occupavit aurem, cum illius vehementi tinnitu ſuſurruque; & pectoris moleſtia, pituitæque rejectio adhuc inhærebant. Hinc ægro infuſum theiforme ex herba veronicæ, radice glycyrrhizæ & ſemine fœniculi paratum bis quotidie potandum dedi; alternis diebus liquoris mei anodyni cum ſpiritu bezoardico mixti XL. guttas propinavi; ſudoremque ſub moderato regimine expectari juſſi. Quibus factum eſt, ut reſoluta tenaci materia, ac copioſe rejecta æger intra binas hebdomades à moleſtis ſymptomatibus vindicaretur, priſtinæque reſtitueretur valetudini.

## CASUS LXVII.

### *De tumore in mamma cum menſium obſtructione diuturna.*

HOneſta fœmina, XXXVI. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, facie florida, habitu corporis ſpongioſo & ad ſenſum obeſo, venis exilioribus, cuteque tenerrima, in qua vel leviſſima emplaſtra veſiculas excitant, prædita, ad animi commotiones, terrorem æque ac excandeſcentiam facillima, quatuor in priori conjugio liberorum mater, multas ægritudines, veluti fuerunt morbilli, febris petechialis, affectus arthriticus, dyſenteria, purpura &c. toleravit. Ex quo febre maligna infeſtata fuit, menſium defectui eſt obnoxia, qui quidem regulari tempore erumpunt, vix autem per horulæ ſpatium fluentes, parcum admodum cruorem fundunt: neque in eo, quo jam mecum per ſexennium vixit, matrimonio unquam gravida facta eſt. Contra vero ob dictum menſtruæ purgationis defectum variis ſolicitatur ſymptomatibus, quorum potiſſima ſunt præcordiorum anxietates, ſpirandi difficultas, cordis palpitationes ac præternaturalis calor, nocturno tempore maxime adſiigentia; alvus ſegnis, quæ vix omni triduo ſolvitur, & inde ſuborta abdominis intumeſcentia, adpetitus dejectus, ſomnus turbulentus ac fere nullus; & denique in mamma ſiniſtra per noviſſimum annum obſervatur tuberculum ſenſibiliſſimum, abſque rubore, & magnitudine nummum octo groſſos valentem referens; ſimulque ex illa liquor lacti ſimilis ſæpius exprimitur. Hinc conſultus medicus, eam eſſe gravidam arbitratus, curandi rationem ipſi congruam per ſex menſes inſtituit, neque minus pectoris moleſtiis convenientibus medicinis obviam ivit. Commendavit quoque potum cereviſiæ Islebienſis nimis ſaturatæ; quem cum præviis calore, anxietatibus præcordiorum, & cordis palpitatione, ſudor exciperet, ille naturæ motus ſequuturus crebrius & plus quam decies fortiora ſudorifera ægræ propinavit, iiſque omnes ferme vires dejecit. Quare alter medicus in conſilium vocatus, aphoriſmum: natura quo tendit, eo ducenda, minus recte adplicatum, nec opportune ſatis cereviſiam illam calidiorem pro potu ordinario commendatam fuiſſe aſſeruit; omnia potius ſymptomata cachexiæ ex menſium defectu ſubortæ deberi,

&

& hinc pro potu ordinario decoctum quoddam, aut ſaltem leviorem cereviſiam ſeligi oportere putavit. Neque minus ad provocandum menſtruæ purgationis fluorem commendavit pediluvia ſicca, ex arena, cineribus ac ſale confecta, alternis diebus adhibenda: calorem, ſudoreſque præternaturales tinctura papaveris rhœados conſopiendos; & denique alvi ſiccitatem eſſentia rhabarbari oppugnandam decrevit. Tuam vero prius, vir illuſtris, de propoſita hac medendi ratione ſententiam expectamus, & doceri potiſſimum avemus:

1. Num in ſubjectis ex menſium defectu cachecticis, neque vero hæmorrhoidum fluori obnoxiis locum habeant curæ derivatoriæ; numne ex iis menſium aut hæmorrhoidum provocatio expectari queat?

2. An allegata ſymptomata, maxime liquor lacteus ex mamma ſiniſtra propullulans, menſium imminutioni debeantur?

3. An ægrotæ conferat, cereviſiam Islebienſem evitare, ejuſque in locum decocto aut potu leviori uti? anne potius adventante vere uſus acidularum Pyrmontanarum aut Carolinarum emolumentum quoddam polliceatur?

4. Quænam in præſenti rerum ſtatu adhibenda ſint remedia, & an pediluviis ſiccis porro inſiſtendum?

5. Num denique tumor ille ſiniſtræ mammæ carcinomatoſus, quo ægræ mater fuit mortua, appellari mereatur, quaque ratione oppugnandus ſit?

*Conſultatio.*

Quod ſi moleſta, quæ cariſſimam tuam conjugem ſolicitant ſymptomata mecum perpendo: ea omnino non niſi à defectu menſium derivare poſſum, qui ex habitu ſpongioſo, vaſis exilioribus, & tono totius corporis per toleratos tam varios morbos, maxime febrim petechialem labefactato natales ſuos mutuatur. Inde enim debilitatæ ſunt vires, quæ cruorem uterinum ſtatis terminis expellere debent. Quum autem humores ſuperflui exitu ſuo deſtituti ad interiora, cor, pulmones, ventriculum ac inteſtina majori compelluntur copia: inde proficiſcuntur omnia ſymptomata, nimirum præcordiorum anxietas, ſpiratio difficilis, cordis palpitatio, languor, proſtratio adpetitus, ſomnus turbulentus, ac æſtus præternaturalis. Quibus omnibus cum alvi accedat obſtructio: fit ut flatus quoque ad ventriculum, & ſuperiora regurgitent inteſtina omneſque affectiones magis exacerbent. Ut autem ad ſingulas reſpondeam quæſtiones, & quidem harum primam: Num curatio derivatoria in præſenti ægritudine locum inveniat? neſcio ſane, quid per eam intelligas. Quod ſi forſan ſudorifera putaveris, ea in his affectibus minus ſunt opportuna: cum humores magis commoveant, & ipſam lentam febrem inducere poſſint. Magis è re erunt remedia, vias, per quas uterinus cruor fertur, aperientia, motuſque naturales ad ea loca invitantia.

Ad ſecundam autem quæſtionem, & tumorem mammæ ſiniſtræ, & lacteum humorem, ex illa ſtillantem ex eodem omnino menſium defectu proficiſci arbitror: quoniam cruor, per uterum excernendus, ad glanduloſam & ſpongioſam mammarum compagem rapitur. In omnibus enim hiſce humorum congeſtionibus, maxime poſt partum, inſignis uteri cum mammis deprehenditur conſenſus: quid? quod attenta doceat experientia, hæcce mammarum tubercula ex menſium ſuppreſſione ſubortа, his inſtantibus plerumque exacerbari magis, ac doloribus pungitivis adfici.



Quod autem tertiam attinet quæſtionem: haud ignorari oportet, cereviſias craſſiores atque calidiores in hiſce morbis minime eſſe opportunas: neque vero conferunt tenuiores atque triticeæ, quippe quæ pituitam adaugent, ac acidam ſaburram progenerant: Præſtat ergo potius cereviſiam hordeaceam temperatam ſeligere. Neque autem corpore præparato, & calore præternaturali conſopito alienas puto acidulas Carolinas, maxime molares, futuro vere potandas. Crebra enim comprobatum habeo experientia, harum mineralium aquarum congruum ac rationalem uſum, cum omnes ductus ſecretorios æque ac excretorios potenter aperiant, in irregulari menſium negotio eſſe præſtantiſſimum.

Ante vero, quam inſtituatur hæc curatio; juxta quartam quæſtionem corpus omnino præparandum eſt. Huic ſcopo commendo balſamica, amara, ex extractis centaurii minoris, gentianæ rubræ, aquis deſtillatis, & liquore terræ foliatæ tartari concinnata; & contra calorem præternaturalem pulveres abſorbentes nitroſos, verſus noctem capiendos. Non minus circa menſtruum tempus, ad menſes promovendos pariter ac alvum lubricandam eſſentia rhabarbari ſaturata cum terra foliata tartari permixta, aut pilulæ balſamicæ Becheri, Stahlii vel noſtræ bis quavis hebdomade ſumtæ inſignem ſpondent utilitatem, maxime ſi corporis moderatum acceſſerit exercitium. Inter epulas, ſi remiſerit calor lentus, hauſtus vini Hungarici concedi poteſt: mane vero infuſum theiforme ex herba meliſſæ, veronicæ, cardui benedicti, fœniculi, & tantillo croci confectum potare; & veſperi pediluviis ex aqua fluviatili paratis (ſicca enim exiguum pollicentur fructum) uti conveniet.

Denique ultimæ ſatisfacturus quæſtioni, tumorem illum mammæ ſiniſtræ non omnino inſuper habendum eſſe judico; probe conſcius, hoſce tumores, maxime ſi in corpore impuro ad ulcerationem pervenirent, haud raro in ulcera cacoëthea, cancroſa ac ipſa lethalia terminari. Quare conſulo, ut mamma illa continuo foveatur calore, eique imponatur ſacculus milio calido impletus.

---

## CASUS LXVIII.

### *De diuturna raucedine cum tuſſi & copioſa lentæ pituitæ excretione.*

Triginta trium annorum vir, à teneris ferme aſſiduis catarrhis vexatus fuit, qui oculos primum occupantes, abhinc aures, maxime ſiniſtram obſederunt, cum auditus difficultate, & continuo fœtidæ materiæ effluxu. Quamobrem per ſedecim annos omni æſtate acidulis Pyrmontanis uſus, obtinuit equidem, ut fœtidi ichoris effluxio ceſſaret; auditus autem gravitas huc uſque inhæret. Menſe vero Decembri anni 1724. accidit, ut dum in itinere conſtitutus, corpus calidum hauſtu aquæ frigidæ refrigeraſſet; raucedinem gravem, ſermonem præpedientem inciderit, eaque ad hunc uſque diem conflictetur. Contra hanc variis remediis, & iterum acidulis Pyrmontanis pugnatum fuit; tantum autem aberat, ut illis levaretur malum, ut potius moleſtia ventriculi ac gulæ à pituita copioſa, tamque acri, ut fauces arroderet, repletio accederet, ac ſimul deglutitionem impediret. Huic tandem affectioni

I 3 opem

opem tulit Chirurgus quidam per ſic dictam ventriculi excutiam; quam aqua ſua mercuriali, uti vocabat, madidam ter intruſit gulæ, & effecit, ut ſtupenda pituitæ albæ tenaciſque eructaretur quantitas. Eadem pituita & antea crebro vomitu, & dato laxante evacuata fuit, ut crederemus, malum inde iri ſolutum: nihilo tamen minus muci excretio adhuc continuat, & noviſſime etiam tuſſis acceſſit, noctu potiſſimum adfligens. Hæc quamvis ſit violenta ſatis, nullos tamen in pectore, quoſdam in ventriculi regione relinquit dolores: nec præterea urget anhelitus difficultas, nec ſitis, nec æſtus vexat, nec adpetentia imminuta, nec ſomnus, niſi accedente tuſſi, vitiatus.

Denique vero tribus abhinc hebdomadibus oculos quoque infeſtavit quædam moleſtia; qua illi matutino præſertim tempore conglutinati ferme videbantur: ſed hæc, adplicato nuchæ veſicatorio, inſigniter remiſit.

Medicus ergo conſultus morbum in vehementi ac pertinaci catarrho conſiſtere, & ab acidularum Selteranarum uſu penitus profligatum iri aſſerit. Quum autem ægrotans à nullis remediis aliquam percepit utilitatem, & potius veretur, ne malum tandem in ipſam hecticam, qua illius parens, ac bini fratres fuerunt peremti, terminetur: tuum, vir Excellentiſſime, anhelat conſilium, & ſcire avet, num ipſi vino, cui à teneris adſuevit, uti liceat? R. 1729.

## *Conſultatio.*

Ut percepi ex datis ad me litteris, variæ ſunt, quibus æger infeſtatur affectiones, nimirum diuturna raucedo, quam binos ante annos ex aqua frigida corpore calente hauſta ſibi contraxit; dein copioſa pituitæ collectio intra œſophagum; tum tuſſis cum nimia muci rejectione & ventriculi preſſione; & denique oculorum defluxio catarrhalis, ex veſicantis adplicatione paululum ſublevata.

Raucedinem quod attinet; illa omnino ex vitio laryngis ac aſperæ arteriæ dependet: quarum partium tunicæ glanduloſæ nimis relaxatæ nimium humorum patiuntur affluxum, iiſque madidæ aëris repercuſſionem, quæ claram efformat vocem, obtundunt. Ut leve videatur hoc malum; adeo tamen, ſi fuerit inveteratum, curationi, quam ullum aliud reſiſtit. Efficaciſſimam autem in illo opem ferre deprehendi ſpiritum ſalis ammoniaci aniſatum, æquali pondere cum eſſentia croci atque ſuccini remixtum, ter quotidie, mane nimirum ex calido, circa meridiem & veſperi ex frigido XXX. guttulis ſumendum vehiculo. Nec minorem uſum ſpondet fumus ſuccini, capite probe velato, faucibus nonnunquam excipiendus. Eadem remedia conferent etiam œſophago ventriculoque pituita obductis; cui vitio quoque ſpiritus meus vitæ XXX. guttulis unciæ uni ſacchari pulveriſati inſtillatus, ore ſolutus & deglutitus admodum conducet.

Violenta porro tuſſis cum viſcidi muci rejectione ſtipata ex ventriculi vitio proficiſcitur: in quo cum generentur multæ viſcidæ ſordes, illæ bile ac acido humore commixtæ non ſolum ipſam ventriculi ſubſtantiam vellicant, ſed etiam intra maſſam ſanguineam receptæ & ad pulmones delatæ, hoſce ſtimulant, & bronchia ad ſtricturas proritant; quibus per canalem aſperæ arteriæ protractis tuſſis excitatur, eaque hæc ſaburra eliminatur. Huic autem tuſſi convenientiſſimum auxilium ex laxante mannato ferri deprehendi, quod paratur, ſi mannæ unciæ binæ cum dimidia, & drachma una & ſemis cremoris tartari ad lenem ignem in ſex aquæ fluviatilis unciis ſolutæ, ſex circiter olei aniſi guttis permiſcentur: quæ mixtura mane aliquot hauſtibus, ſorbitione juſculi avenacei interpolatis aſſumitur. Hæc enim alvum ſexies circiter ducet, ac inſignem muci copiam exturbabit: hinc ſingulis ſex diebus capienda erit. Præterea bis quavis hebdomade XVII. pilularum mearum balſamicarum veſperi aſſumendas ſuadeo; & mane quandoque XX. grana erucæ, in reſolvendo muco efficaciſſimæ deglutienda hortor. Tum quoque operæ erit pretium, ſingulo mane quædam vaſcula infuſi theiformis ſorbillare, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, herbæ ſalviæ manipulum unum, florum anthos, lavendulæ ana pugillos tres, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. conc. cont. d. S. Species *zum Kräuter-Thée.* His porro ægritudinibus non minus quam oculorum affectui debellandis conſultum erit, omni veſpera pedes in pediluvia ex aqua fluviatili, & tritici furfuribus parata tepida duntaxat immittere, oculiſque aquam Hungaricam, cum dimidia aquæ roſarum parte permixtam intra lintea calide imponere.

Vini potum, niſi ſit parciſſimus, haud probare poſſum; illud enim maxime rhenanum ob aciditatem, quam fovet, & pectori & ventriculo inimicum eſt. Adventante autem vere vehementer hortor, ut curatio cum acidulis Selteranis, in lagenis probe obturatis ac in loco frigidiori, ne inertes fiant, cuſtodiendis inſtituatur: hæc enim præſenti ægritudini admodum ſunt opportunæ. Cæterum placeat ſummo languorum noſtrorum medico, ut hæc, quæ propoſui, in ampliſſimam ægri ſalutem proſpere cedant.

---

## CASUS LXIX.

### *De hæmoptyſi.*

Studioſus XXIV. annorum, habitus corporis inter pinguem & macrum medii, nullis unquam nec capitis doloribus, nec poſt venæ ſectionem per aliquot annos inſtitui ſolitam, narium hæmorrhagiis, nec malo hypochondriaco obnoxius, menſe octobri circiter anni præteriti rus petiit, tenuique amictu indutus flante aquilone adeo perfrigeſcebat, ut vix incaleſcere iterum potuerit. Neque tamen minus prandio ſatis liberali uſus, poſt illud corporis movendi gratia cum aratoribus ſacculos frumento repletos bajulare cœpit. Abhinc hora meridiana quarta iterum profectus ſub itinere violenta rapiebatur tuſſi, quæ ſedata veſperi, cum conſcendiſſet lectum, tanta recruduit vehementia, ut cruorem ſimul per totam noctem è pectore ſpueret. Poſtridie parcus ex tuſa vena mittebatur ſanguis, & dabatur ſequens pulvis: Recipe radicis liquiritiæ, ireos florentinæ, boli armenæ ana ſcrupulum unum, gummi arabici, tragacanthæ, florum ſulphuris ana grana XV. elæoſacchari aniſi ſcrupulum dimidium. M. f. pulvis, div. in 4. partes æquales: ac propinabatur hæc tinctura balſamica: Recipe olei amygdalarum dulcium recentis unciam ſemis, ſpermatis ceti recentis drachmam dimidiam, balſami de Copaiba, therebinthinæ venetæ ana ſcrupulum unum, ſanguinis draconis, quantum ſufficit pro tinctura; cujus XL. guttæ bis de die ex cereviſia ſumebantur. Sedato hinc cruento ſputo, re-

manſit quædam ſpirandi anguſtia: quare dabatur balſamus quidam ex balſami Locatelli recentis unciis ſex & pulveris virgæ aureæ drachmis ſex paratus, quavis veſpera pondere nucis juglandis deglutiendus; & mane potandum ordinabatur ſequens infuſum theiforme: Recipe radicis chinæ electæ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, polypodii querni unciam unam, florum acaciæ, bellidis minoris, farfaræ, herbæ virgæ aureæ, veronicæ, pulmonariæ, ſcabioſæ ana manipulum unum, corticis Peruviani unciam dimidiam, raſuræ ligni ſaſſafras unciam unam, aniſi ſtellati drachmas tres. Inc. d. S. Species *zum Kräuter-Thée.* Verum enim vero præterlapſis binis menſibus, & quod notatu dignum eſt, poſt inſomnia terrifica recrudeſcebat cruenta exſpuitio; non autem niſi duobus circiter diebus continuabat, & reddita ſingulo paroxyſmo ſanguinis ea quantitate, quam vaſculum dimidium capit, ſponte remittebat. At ultima vice vehementius & diuturnius rediit malum: ſiquidem per quatuordecim dies inhærens, quater, quinquieſve quotidie ejectus fuit ſanguis, neque conſopiri poterat mixtura ex aquæ florum ſcabioſæ unciis octo, aceti deſtillati uncia ſemis, coralliorum rubrorum præparatorum drachma dimidia, terræ catechu ſcrupulo dimidio, ſyrupi papaveris rhœados drachmis decem parata, ſæpiuſque exhibita. Tandem remittebat ſponte malum, & tum ordinabatur partim infuſum pectorale ex radicis hellenii drachmis duabus, pimpinellæ albæ drachma una, herbæ millefolii manipulo dimidio, capilli veneris, pyrolæ, ſaniculæ ana pugillo uno, & aniſi ſtellati drachma dimidia confectum; partim eſſentia pectoralis ex eſſentiæ millefolii drachma dimidia, balſami indici drachma una concinnata. Cæterum ipſa acceſſio nec cordis palpitatione, nec extremorum refrigeratione ſtipatur; ſed pulſus duntaxat arteriarum fertur aliquantulum citatior. Alvus licet quandoque pigra ſit, plerumque tamen lubrica obſervatur: & denique notari meretur, ægrum ante hoc malum venæ ſectionem ſuetam omiſiſſe, & ſub illius acceſſione ſanguinem quidem ſæpius, ſed ſemper parciſſima quantitate detractum fuiſſe. Ipſe quoque ſub hoc affectu eximium incidit corporis viriumque decrementum; & cum adhuc ſpiratione difficili, & tuſſi ſicca nonnunquam cum muci viſcidi rejectione ſtipata infeſtetur, metuit omnino ne in tabem pulmonalem delabatur. Hinc doceri avet, quænam hujus mali ſit origo, quæ medela? & num phthiſis exinde ſit pertimeſcenda?

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Sputum cruentum, quo æger per intervalla ſollicitari ſuevit, non niſi nimiæ humorum exæſtuationi, poſt præviam corporis refrigerationem factæ natales ſuos debere arbitror. Poſtquam enim ille tenui veſtitu indutus ab auſtero aquilone inſigniter refrigeratus, deinde mox in tepidiori loco calefactus fuerat, & denique ſaccos frumentaceos bajulando, humores admodum commoverat: factum omnino eſt, ut poſt violentam tuſſim cruenta ſequeretur exſpuitio. Neque vero dubium eſt, quin in ægro ob ſuetam venæ ſectionem per aliquod tempus intermiſſam, vaſa ſanguifera cruore turſerint. Quum igitur accedens frigus externas corporis partes conſtringendo humores vitales ex illis ad interiores magis, & majora cordis & pulmonum vaſa potenter compulit; deinceps inſpiratus aër borealis vaſa, quæ in veſiculari & membranacea pulmonum ſubſtantia continentur, ſanguine turgida magis preſſit; & denique vehementi artuum in elevandis ſaccis agitatione cruor vitalis ex muſculis brachiorum majori quoque copia ad cor atque pulmones protruſus fuit: non mirum, ſi minima pulmonum vaſcula cruore admodum farta ac diſtenta, membranaceas ac nervoſas partes ad tuſſiculoſam commotionem proritaverunt, hacque vehementiori tandem penitus diſrupta ſanguinem ex ore eructarunt. Poſtquam autem vena tuſa, & datis pectoralibus ſanguineus hic fluor conquievit, & non niſi quandam ſpirandi anguſtiam reliquit: attamen præterlapſis octo hebdomadibus poſt terrorem ſub inſomnio toleratum iterum recruduit. Ita enim eſt: quandocunque in hiſce caſibus vaſcula pulmonum minima ſanguine farta, vel nimis relaxata, vel obturata, vel denique plane diſrupta ſunt, ac inde liberum humorum per illud viſcus circuitum impediunt: facillimum eſt, ut ſanguineæ effluxiones ſæpius recrudeſcant; præſertim ſi tanquam occaſionales cauſæ vel nimia corporis commotio, vel refrigeratio aut per motum, aut potum frigidiorem, aut aërem frigidum inſpiratum facta, vel animi affectus, terror, iracundia acceſſerint, & venæ ſectio præſervativa fuerit intermiſſa. Quo vero frequentiores hujus profluvii ſanguinei ſunt recurſus; eo major pulmonum ad illud ſubeundum inducitur diſpoſitio; ideoque etiam curatio redditur longe difficilior.

Quod ſi ergo ab his malis vindicari cupiat ægrotus; ut frequentiores recurſus debite præſerventur, neceſſe eſt. Obtinebit hunc finem, ſi primum impedire ſtuduerit, quo minus tam copioſus generetur ſanguis; & hoc ſcopo haud largis epulis indulſerit, maximeque omnes nutrientes cibos vitaverit, veluti ſunt carnes recentes, vina dulcia, cereviſia calidior, ſimilaginea, farinacea, butyracea, ſaccharata, largior ovorum uſus &c. & denique, ſi manifeſta adeſt humorum abundantia, ſanguinem ex vena mitti curaverit, quod quater quotannis, maxime in pede repetendum eſt. Deinde vero curandum eſt, ut impetus humorum à pectore divertatur: hinc fortiores corporis commotiones, ac extremarum maxime partium refrigerationes ſtudio evitentur, ac omnes occaſiones, quæ vel alvum obſtruere, vel tuſſim excitare valent, maxime fugiantur. Ex eodem fundamento inſignem opem pollicentur pediluvia tepidiora, ex aqua fluviatili paranda, & per aliquod tempus ita, ut pedes ipſis paullo altius immittantur, adhibenda: hæc enim humores ab internis ad externas partes invitant, & ad inferiores derivant. Neque vero ignorari oportet, omnes eructationes cruentas ſpaſmodicis ſtipari ſymptomatibus, veluti ſunt refrigeratio extremorum, conſtrictio cutis & vaſculorum cutaneorum, flatulentiæ & alvi obſtructiones. Quapropter, ſi imminent hæc profluvia, vel actu jam adſunt, haud ſine fructu commendare ſuevi, ut ægri protinus utantur tepidiſſimis pediluviis, aut brachia ſimul aquæ tepidiori immittant, aut toto corpore in mitiora deſcendant balnea: & hinc obſervavi, mox infringi impetum humorum ac ipſum profluvium. Tum quoque alvi habenda eſt ratio; cui ſcopo operæ erit pretium ſingulo menſe luna decreſcente corpus purgare ſequenti potiuncula: Recipe mannæ electæ uncias duas, Rhabarbari ſcrupulos duos, cremoris tartari drachmam unam; coquantur leni calore in unciis quinque aquæ veronicæ; colaturæ adde elæoſacchari citri drachmam dimidiam. d. Præterea vero ad relaxandas ſpaſmodicas ſtricturas egregii effectus eſt liquor meus anodynus mineralis, guttulis XX. vel XXX. cum drachma una pulveris mei nitroſi præcipitantis mixtus alternis, aut ternis diebus ex aqua

vel ſimplici, vel florum acaciarum, aut Sambuci propinandus; & maxime circa lunæ mutationes, quibus plerumque irregulares ſanguinis fluxus recrudeſcere ſolent, in uſum vocandus. Cæterum ab aliis remediis cavendum eſt: conſtat enim, pleroſque medicorum nec veras excretionum ſanguinearum cauſſas, nec remediorum principia ac modum agendi callere; hinc affectus eos pro pectoralibus ſolummodo habentes, non niſi pectorales medicinas ordinare modo has modo illas: quo fit, ut ſæpius majus ægro damnum inferant, quam emolumentum.

Ut autem tandem exponam: num tabes pulmonalis ex præſenti malo pertimeſcenda ſit? haud omnino negari poteſt, quin cruentas ejuſmodi è pectore eructationes, maxime ſi nec recta curatio, nec congrua vivendi ratio acceſſerint, ſæpius pulmonum corruptiones, exulcerationes, & hinc ipſa tabes excipere ſoleat. Hanc eo magis timere oportet, ſi ſanguineus fluor remediis adſtringentibus fuerit cohibitus: quippe quæ intra vaſcula ac veſiculas pulmonum relinquunt grumulos ſanguinis, qui vel ea vaſa obſtruunt, vel in corruptionem abeunt. Eundem noxium effectum exſerunt pleraque medicamenta pectoralia, ſive ſint demulcentia, inviſcantia ac expectorantia, ſive etiam ſtimulantia: hæc enim majorem ſuccorum affluxum cauſantur, & illa largius data tonum pulmonum relaxant; quid? quod etiam vim ventriculi concoctricem admodum lædant, eumque ad generandam pituitam, ac fovendos flatus reddant peropportunum. Contra vero ad præcavendam tabem nihil magis deprehendi proficuum, quam ut præter jam commendatam curandi rationem, adhibeantur herbæ balſamicæ ac leniter traumaticæ; quas inter commendari merentur veronica, ſcabioſa, ſcordium, pulmonaria, hedera terreſtris, capillus veneris, urtica mortua, ſummitates millefolii, flores bellidis, ſemen fœniculi, radix cichorei &c. quæ ſpecies vel in decocto cum cereviſia aut aqua, vel in infuſo theiformi ſummo cum fructu potari poſſunt. Et hæc habui, quæ circa præſentem ægritudinem monerem; quæque Deus reddat ſalutaria, precor.

---

## CASUS LXX.

### *De hæmoptyſi hypochondriaca.*

VIr XXVIII. & quod excurrit annorum, ſtrictioris corporis habitus, facie pallida & temperamento cholerico-melancholico præditus, per ſexennium variis ægritudinibus fuit ſolicitatus, veluti fuerunt capitis dolores, ventriculi inflationes, duritics in regione meſenterii, cordis palpitationes, tenſiones circa umbilicum & hypochondria, maxime ſiniſtrum, ſpirandi difficultates, pectoris dolores tenſivi, eique in regione renum, & abhinc per totum dorſum ad humeros protenſi &c. Has contra variis pugnavit remediis, thermis, & noviſſime Carolinis: quæ licet malo quaſdam induxerint inducias, tamen inſignes humorum excitarunt commotiones. Neque minus ſemper male habuit, & præſertim pectoris conſtrictionem, ac ſpirandi anguſtiam toleravit; ac denique abſque ulla violenta cauſſa X. Cal. Jul. 1724. proxime elapſi in gravem ſanguinis per pulmones incidit rejectionem, qua cruoris, quantum capit vitrum cereviſiarium, eructavit. Præceſſit hanc eruptionem titillans ſecundum aſperæ arteriæ tractum ſenſatio; nec niſi exigua tuſſis extravaſati cruoris reliquias eructans ſequuta eſt; ipſe ſanguis primum ater & coagulatus, dein floridus atque ſpumoſus erupit. Hinc mox vena in brachio ſecabatur, licet præcedente æquinoctio vernali jam tuſa fuerit; & dabantur remedia conſolidantia. Conquievit inde cruentum ſputum, & non niſi ſtriæ ſanguineæ cum muco quandoque rejectæ ſunt: verùm tamen dolor in pectore, & ab illo ad dorſum uſque protenſus continuavit, & febricula lenta, noctu plerumque multo horrore invadens ſupervenit; quid? quod octo præterlapſis hebdomadibus cruenta evacuatio, licet priori parcior recruduerit. Propinata protinus fuerunt & conſolidantia & antifebrilia remedia; iiſque & hæmorrhagia & febris ſublatæ ſunt. Verum enim vero quater abhinc rediit ſanguinis eructatio, quæ noviſſime III. Id. Martii anni currentis ſummo impetu ſatis copioſa fuit: iterumque poſt ſecatam venam, & leniora traumatica ſubſtitit. Interim varia reſtant exinde ſymptomata, nimirum inſignes pectoris dolores tenſivi, languor totius corporis, ſomnus turbulentus, dejecta adpetentia, preſſiones oculorum, gravativus ſenſus in fronte, crebri angores, durities circa ſcrobiculum cordis &c. & præcipue vehemens dolor occupat pectus ac dorſum, qui ſub ſternutatione vel oſcitatione admodum exacerbatur, ac quendam quaſi reniſus in pectore ſenſum exhibet. Cæterum urina mingitur tenuis; & matutino præſertim tempore pituita viſcida, à materia purulenta prorſus aliena exſcreatur: & denique diæta ægri eſt exactiſſima, neque minus moderato corporis indulget exercitio. Quæ cum ita ſint, Tuum, vir illuſtris, conſilium petit æger, & doceri potiſſimum avet, quo teneatur affectu? quæ illius origo? num cruor è pulmonibus, vel hepate, vel venis ſpleneticis eructetur? an crebra venæ ſectio in malo forſan recidente conferat? numne illud ab uſu thermarum Carolinarum ſit inductum? quæ ægro ſint facienda, quæ fugienda? & num adventante vere lacte caprino uti liceat?

### *Conſultatio.*

Poſtquam mecum communicata eſt quædam morbi hiſtoria, meumque ad illum debellandum judicium deſideratum: illa ſedulo perluſtrata, mox deprehendi, ægrum, qui admodum ſenſibilis ac melancholici eſt temperamenti, à ſex jam annis ſymptomatibus infeſtari hypochondriacis; veluti ſunt ventriculi inflationes, abdominis tenſiones, durities hypochondriorum, conſtrictiones pectoris, ſpirandi anguſtia &c. Namque omnes hæ adfectiones à ſpaſtica ſtrictura partium nervoſarum, partim diaphragmatis ac vicinarum regionum, partim primarum viarum, ventriculi nimirum ac inteſtinorum, & incluſis hiſce flatibus proficiſcuntur: & his dictarum partium diſtentionibus eſſentia mali hypochondriaci abſolvitur. Quamvis ergo ægrotans has calamitates variis medicaminibus, thermis & maxime Carolinis oppugnaverit, haud ſine quodam levamine: attamen eas haud penitus expugnare potuit, quin noviſſimo anno cruenta omnino excreatio ſupervenerit; quæ, cum tuſſi ſtipata fuerit, minime ex hepate vel liene, ſed potius ruptis aſperæ arteriæ vaſis ſanguiferis derivanda eſt. Ad hujus autem mali generationem contribuit potiſſimum dolor ille pectoris compreſſorius, vel potius muſculorum intercoſtalium ac ſepti tranſverſi ſpaſmodica diſtentio. Inde enim impe-

impedita ſpiratione æquabilis ac liber ſanguinis per vaſa pulmonalia progreſſus, ac ex uno cordis ventriculo in alterum tranſitus turbatur, ſanguis in capillaribus arteriæ pulmonalis vaſis accumulatur, tandemque rupto quodam in aſpera arteria ramulo excernitur. Eadem quoque ratione ſputum cruentum, quod octo poſt primum inſultum hebdomadibus minori, menſe autem Martio hujus anni majori recruduit impetu, contigiſſe putandum eſt. Quæ vero hæc noviſſima excretio reliquit ſymptomata, nimirum angor perpetuus, durities circa cordis ſcrobiculum & hepatis regionem, dejecta adpetentia, turbulentus ſomnus, ac pectoris compreſſio: ea omnia ex ſpaſmodica fibrarum nervearum & orificiorum ventriculi conſtrictione, flatibuſque in eo contentis ſuam trahunt originem: quemadmodum vehemens ille pectoris dorſique dolor, qui à ſternutatione ac oſcitatione exacerbatur, ſpaſmo partim ſepti tranſverſi, pleuræ, muſculorumque intercoſtalium, partim nervorum, qui ad pleuram ac muſculos dictos abeunt, diſtentioni debetur. Ex his denique adparet, cruentam hanc evacuationem, nec ab exulceratione pulmonum, nec obſtructione vel induratione vaſorum pulmonalium, ſed ſolummodo à ſpaſtica partium earum ſtrictura ſuos mutuari natales, & hinc hæmoptyſis hypochondriaca appellari mereri.

Ab hoc ut vindicetur malo, neceſſe eſt, ut quotannis bis vel etiam ter, circa æquinoctia nimirum & ſolſtitium hybernum luna decreſcente vena incidatur in pede, & cruoris ſex unciæ detrahantur: quo maxime tempore à refrigeratione, & ciborum durorum & concoctu difficiliorum uſu probe cavendum eſt. Hæc vero venæ ſectio duplicem pollicetur utilitatem: non enim ſolum impetum humorum à pectore divertit, ſed etiam ſtagnationi ſanguinis circa præcordia, à qua & flatulentiæ primarum viarum & ſpaſmi nervoſarum partium dependent, inſignem feret opem. Non minus excellentis ac fere divinæ virtutis ſunt pediluvia, ex pluviali, vel etiam fluviatili aqua, furfuribus tritici, & floribus chamæmeli concinnata, ea cautione uſurpanda, ut & tepidiora ſint, & pedes altius immittantur. Quum enim illa præſtantem vim, humores à pectore derivandi poſſideant; facile apparet, quantam in hoc hæmoptyico æque ac hypochondriaco affectu ſpondeant utilitatem, maxime ſi eo tempore ſæpius & bis quotidie adhibeantur, quo nova ſanguinis imminet eruptio.

Carolinas quod attinet thermas; illæ quidem in paſſione hypochondriaca, quæ ab infarctu viſcerum proficiſcitur, præſtantiſſimas exſerunt virtutes; quas in præſenti caſu haud pollicentur, in quo conſtrictio ſpaſmodica magis occupavit pectus; quid? quod externus illarum uſus majorem minetur noxam. Crebra enim compertum habeo experientia, balnea aquarum mineralium, licet ſint tepidiſſima ac maxime temperata, tamen adfectibus nervoſarum ac internarum partium ſpaſmodicis omnino fuiſſe infenſa; quoniam illæ ipſæ vim cutim conſtringentem poſſident. Idcirco vellem potius, ut æger aquis Selteranis cum lacte caprino vel aſinino permixtis, quæ pulmonum vitiis admodum ſunt opportunæ, uteretur. Earum nimirum aquarum, binis partibus cum una lactis combinatarum menſura una mane, & dimidia hora meridiana quarta tepide potatur, iſque potus per quatuor vel quinque protrahitur hebdomades. Hoc tempore eo magis recta vivendi habeatur ratio, neceſſe eſt; fugiantur cibi acidi, omniſque cereviſia atque vinum, & in horum locum pro potu ordinario adhibeatur decoctum ex ſcorzonera, & cornu cervi raſpato paratum, interpoſito quandoque hauſtu vini Hungarici. Ut etiam alvi libertas conſervetur aſſidua, operæ eſt pretium, partim ſub initium, partim in fine curationis, ac ſub ea ipſa quavis hebdomade aſſumere potiunculam laxantem, quæ ſic ſe habet: Recipe mannæ electæ uncias duas, ſalis Epſonienſis drachmam unam cum dimidia, extracti rhabarbari grana ſeptem, aquæ florum acaciæ uncias quinque, coque & ſolve leni calore, adde olei de cedro italici guttas tres. M. D. S. *Laxir Tränckgen auf einmahl.*

Inter pharmaca, quorum promiſcuus uſus probe evitandus eſt, ſpectatæ virtutis eſt infuſum ſequens theiforme, mane & poſt meridiem ſex vel octo ſorbillandum vaſculis: Recipe florum chamæmeli, ſummitatum millefolii ana manipulos duos, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmam unam cum dimidia, conc. cont. d. Neque minus confert, vel ante epulas, vel veſperi drachmam unam pulveris temperantis, qualis noſter eſt, ex aqua deſtillata chamæmeli devorare; & circa ingreſſum in lectum quater ſingula hebdomade Elixirii mei balſamici pectoralis cum pari pondere liquoris anodyni mineralis mixti XL. vel L. guttulas aſſumere.

Cæterum omni ſtudio ſibi caveat æger ab animi affectibus, refrigeratione, cibis inconvenientibus atque flatulentis, potu ſpirituoſo & fumo Tabaci: ac corporis exercitio moderato, ne corpus inde commoveatur, ſtudeat. Quæ ſi rite obſervaverit, de felici effectu remediorum nullus dubito.

---

## CASUS LXXI.

### *De hæmoptyſi cum febre lenta poſt tuſſim graviorem.*

Vir celebris, ſexageſimum quartum ætatis annum egreſſus, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſuccis & ſanguine plenus incidit, poſtquam binis abhinc hebdomadibus gravi afficiebatur tuſſi, in hæmoptyſin; cui protinus acceſſit febris lenta, & adhuc durat. Mitior equidem tuſſis eſt, & parcior ſanguinis ſinceri, floridi, ſpumoſi ac interdum grumoſi rejectio: verum tamen, adhibita partim revulſoria in pede venæ ſectione, partim datis efficaciſſimis remediis, nondum omnino conquieſcere videtur. Noviſſimo abhinc triduo tuſſis erat levior; at heri cum nocte placido ſomno tranſacta ſurgeret, protinus vertigine, mentis deliquio, & gelido rapiebatur ſudore, cum pulſu debili, inæquali, ac urina ſatis tincta; ſanguinis autem parciſſima rejectione. Hæc vero cruenta excretio non ex ſolo pectore proficiſci videtur: ſiquidem æger ſæpius & abſque tuſſi ſanguinem exſcreat, & naribus reddit maxime inter emungendum illas. Cæterum de calida ebullitione ac undulatorio in ſiniſtro pectoris latere motu conqueritur; neque tamen adhuc purulenta exſpuitur materia: nihilo minus lobus pulmonum ſiniſter ob congeſtorias ſanguinis ſtaſes videtur læſus. Quapropter remedia pectoralia, balſamica, traumatica, reſolventia & abſtergentia, ſaccharum lactis, corticem caſcarillæ, ſpecies de hyacintho, antihecticum Poterii, lapidem manati, corallia rubra, nitrum, cinnabarim, maſſam pilularum de cyno-

cynogloſſa aliaque ordinavimus : nullam autem veram impetravimus ſanationem. Quod reliquum eſt, æger utitur diæta lauta, opipara, vinoque generoſo ; & olim calculo ſolicitatus, non ſolum doloribus nephriticis adhuc infeſtatur, verum etiam ſæpius minores reddit calculos. Jam juſculum medicatum ex herba pulmonariæ, cichorei, nummulariæ, floribus bellidis, hederæ terreſtris, chærefolii, hepaticæ nobilis &c. paratum ſorbillare cœpit ; cum autem nulla ſequitur reconvaleſcentia, tuum, Vir Excellentiſſime petitur conſilium.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de morbo ac curatione illius, quo laborat vir quidam celeberrimus, mihi perſcripta ſunt; non habeo, quæ circa curandi rationem moneam, quippe quæ & naturæ ſubjecti, & cauſſis morbi eſt accommodatiſſima : non tamen miror, quod malum exinde nondum fuerit ſublatum, quippe in quo exſtirpando patientia opus eſt, & temporis diuturnitate. Ipſa vero, qua detinetur, ægritudo juvenili magis, quam ſenili familiaris eſſe ſolet ætati : quare etiam principalem noſtri ægrotantis ſub initio morbum febrem fuiſſe catarrhalem ſuſpicor, ex qua, cum ſpaſmodicis partium nervoſarum conſtrictionibus, & eximiis humorum ad pectus & caput ſtipata videatur congeſtionibus, non ſolum diuturna tuſſis, verum etiam ſanguinis grumoſi ex capite, floridi autem ex minutiſſimis bronchiorum vaſis rejectio ſuos omnino mutuantur natales. Haud enim infrequens obſervatur, quod febres caturrhales, quæ maxime verno tempore homines, venæ ſectionem negligentes & lautæ diætæ indulgentes poſt impeditam tranſpirationem ſolent corripere, ejuſmodi congeſtiones ſeri ſalſi & acris comitentur. Hoc eo magis in noſtro ægrotante contingere potuit, cum olim calculo renum ac nephriticis laboravit doloribus ; ſiquidem experientia conſtat, hoſce homines propter acrimoniam ſeri tartaream, & ſpaſmodicas imi ventris conſtrictiones, ad rheumatiſmos pectoris atque pulmonum maxime eſſe proclives ; præſertim ſi cruor vitalis per hæmorrhoides haud eruperit.

Quod ſi igitur præter illa, quæ jam adhibita ſunt, curationem quandam proponerem ; vellem ut æger acidulis Selteranis, cum lactis caprili dimidia parte commixtis uteretur, earumque tepidarum mane libras duas, & poſt meridiem unam cum dimidia potaret. Neque vero deſiſtendum eſt ab uſu juſculorum commendatorum ; ſed præterea pro potu ordinario decoctum ſcorzoneræ & cornu cervi cum corticibus citri bibendum, & ſingulis quinque diebus ſequens potio mannata aſſumenda erit : Recipe mannæ electæ uncias duas, terræ foliatæ tartari ſcrupulos duos, rhabarbari electi drachmam ſemis, coque & ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque, colaturæ adde olei de Cedro Italici guttas tres. M. d. S. *Laxir-Tranckchen auf einmahl.*

Præterea operæ erit pretium, pediluviis temperatis ac tepidioribus omni veſpera pedes profundius immittere: quippe quæ in ipſo ſputi cruenti paroxyſmo ſummo cum fructu adhibere ſuevi ; mallem vero, omitterentur pilulæ de cynogloſſa, in ætate provectioribus minus proficuæ. Harum in locum commendarem potius pulverem temperantem ac præcipitantem meum ; ejuſque drachmam dimidiam cum ſucco citri permixtam ex aqua ceraſorum nigrorum hora quinta veſpertina ſumendam. Cum autem præſens tempus potationi acidularum Selteranarum minus exiſtat opportunum ; haud ludetur opera, ſi interim mane æque ac poſt meridiem quædam vaſcula infuſi theiformis, lacti caprino nupti ſorbillarentur, cujus hæc eſt compoſitio : Recipe ſummitatum millefolii, florum chamæmeli vulgaris, herbæ veronicæ, marrubii albi ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmam unam. conc. cont. d. ex quo etiam mane XV. guttulas liquoris terræ foliatæ tartari ſumere expediet. Quæ cæterum vivendi ſit obſervanda ratio, eam à præſentibus medicis jam ordinatam fuiſſe ſpero.

---

## CASUS LXXII.

### *De hæmoptyſi cum metu hecticæ.*

Plurimum reverendus & perilluſtris Vir, ætatis annorum prope quadraginta quatuor, ſtaturæ ac habitus corporis mediocris, temperamenti ſanguineo ſeroſo-bilioſi, elapſo anno MDCCXXIX. tempore menſis Martii contraxit ſub diuturna aëris tunc rigidioris aſperitate affectum catarrhalem cum tuſſi ; quæ quam moleſta frequenter & graviter de die adfligebat cum magna concuſſione pectoris, & quadam circa illud gravitate ; tam mitis erat per noctem ſub quiete & lecti calore. Poſtquam tuſſis hæc per plures continuaverat dies ; in ſuccedente melius excretione humoris mucido-ſalivalis ſæpe obſervabantur intermixtæ ſanguinis ſtriæ. Verum circa medium menſis Aprilis ex improviſo acceſſit ipſa cruenta ſanguinis exſpuitio ; quæ licet notabilis fuerit, tamen brevi poſt, eadem nimirum die & quadrante ejuſdem horæ ſponte ceſſabat. Remanebat interim catarrhalis diſpoſitio cum priſtina tuſſi ; donec poſt factum ſemel negotiorum cauſſa celeriorem greſſum, non procul quidem, ad anhelam tamen reſpirationem, rediit ſecunda vice ſanguinis eructatio, ſi non largiori, eadem ſaltem, uti jam prius menſuranda quantitate, ita ut ſtrophium, quo ſputum excipiebatur, à ſanguine tuſſi ejecto tantum non totum tingeretur, ſed etiam portio quædam in terram rejiceretur. Ceſſavit autem denuo brevi, & licet poſt unam vel alteram diem iter per multa milliaria conficeretur ; attamen neque tunc ultra, neque in hodiernam uſque diem quædam vel ſanguinei, vel flaveſcentis, vel alio præternaturali colore corrupti ſputi veſtigia apparuerunt : ſed ſola tuſſis à menſe Martio ad finem Auguſti moleſtior, ſenſim tamen remiſſior, nunc ferme per ſpatium anni ſic continuata in ſuo pergit curſu, cum crebra multi ſputi ſeroſo-mucidi aut pituitoſi excretione. Tuſſis hæc præſertim poſt tempus peractæ digeſtionis ciborum, ut bene obſervatum fuit, nimirum verſus nocturnum & ſub matutinum tempus notabilius infeſtat ; ita quidem, ut jam pluribus vicibus circa horam ſeptimam nocturnam cum tuſſi contigerit vomitus ſpontaneus cum rejectione multi humoris mucidi non quidem ſine levamine. Interim ciborum adpetitus, qui per tres ſeptimanas exiguus, imo plane nullus fuerat, nunc ſatis bonus eſt ; ſitis plane naturalis, pro potu diu fuerunt aquæ decoctæ pectorales ; ſed cum languidior inde eſſet ſtomachus, & ſub potu aquarum deficeret magis adpetitus ; ſubſtitutus fuit potus vini albi aqua pane toſto correcta temperati, qui melius huc uſque profuiſſe viſus eſt. Somnus à fine men-

menſis Novembris noviſſime elapſi ad medium uſque Januarii aut plane nullus, aut per horarum intervalla graviſſimus fuit; ab illo tempore huc uſque à potiori, non quidem ſolius tuſſis cauſſa interruptus & inquietus: reſpiratio ſub quiete eſt facilis; ſed dum in aëre libero verſatur perilluſtris æger, vel per gradus aſcendit, difficilior & anhela. Sub occurſu aëris frigidi ſicut facile horridulas patitur commotiones: ita & circa tempus veſpertinum, vel nocturnum corporis debilitatem & laſſitudinem ingruentem obſervat. De reliquo, quanquam nullus in toto corpore percipiatur dolor, & color faciei ſanus & naturalis ſit; tamen quædam ſenſim notabilis in vegeto alias corpore advertitur carnoſæ illius ſubſtantiæ imminutio aut depaſcentia. Alvi beneficium ſicuti prius à tempore præfatæ infirmitatis optimum ſemper erat, ita nunc illius frequentiſſima eſt conſtipatio: urina alioquin intenſius tincta, nunc coloris mingitur aurantii, & turbata ſedimentum deponit multum mucido-chyloſum. Hæmorrhagiam narium in juventute raro; poſtea nunquam paſſus eſt; ſic & neque de moliminibus hæmorrhoidalibus, minus de actuali fluxu ſenſit quid unquam. Venæ ſectiones tempore vernali & autumnali præſervationis & curationis cauſſa, uti & laxationes omiſſæ non fuerunt: ſicut & remedia multa & varia, prout exigebat ſtatus morbi & neceſſitas, fuerunt adhibita; nempe antifebrilia, abſorbentia, nitroſa, pectoralia, diluentia, diſcutientia, abſtergentia, ſtomachica & alia, eaque ſingula temperatiora: ſed nondum eo, qui huc uſque quærebatur & ſperabatur ſucceſſu & effectu: futurum proſperet è cœlo numen, votumque ſecundet.

### *Judicium Medicum.*

Quod certæ temporum anni mutationes certos pariant morbos, eoſque, qui vel ratione habitus corporis, vel temperamenti diſpoſiti magis ſunt, facilius alterent aut afficiant; jam olim agnovit primus medicorum *Hippocrates in libello aphoriſtico, ſectione tertia, aphoriſmo ſecundo*; hæc addens: *naturarum hæ quidem ad æſtatem, hæ vero ad hyemem bene maleve ſe habent*: id quod etiam hodiedum re ipſa frequentiſſime obſervatur. Senſit talem in ſe mutationem auſteriori tempore elapſi anni menſe Martio plurimum Reverendus, perilluſtris, & perquam gratioſus Dominus, dum ſub diuturna rigidioris aëris aſperitate, auræque inclementia contraxit affectum vere catarrhalem cum tuſſi; cujus cauſſa antecedens vel diſponens videtur fuiſſe temperamentum ſanguineo ſeroſo-bilioſum, & inclinatio quædam vel proclivitas ad catarrhos. Cauſſa procatarctica ſive movens erat diuturna aëris intemperies ac rigor; à quo credibile eſt, non tantum imminutum fuiſſe debitum neceſſariæ tranſpirationis opus, ſed & non leviter alteratas, & veluti aſperatas vias ſpirabiles; unde humores lymphales & ſeroſi, ceu cauſſa materialis intra ſtrues glanduloſas & tubuloſas gutturis, aſperæ arteriæ, aliarumque vicinarum partium collecti, diſpoſitionem catarrhalem induxerunt; ita quidem, ut ab affluxu humorum ſeroſo-mucidorum ubertate, gravitati pectoris, à ſalſedine acri ſenſibiles fibrillas nerveas ac membranas ſtimulante, anſa fuerit data moleſtæ nimium tuſſi ac concuſſioni pectoris: qua occaſione natura, quæ cauſſa tuſſis efficiens à multis dicitur, ſub ſolito majori fibrarum intenſione, ſub fortiori muſculorum pectoris ac diaphragmatis concuſſione, humores mucidos reſolvere, congeſtos diſcutere, intra glandularum anguſtias ſubſiſtentes propellere, per tubulos aut poros excretorios pluribus, ſæpiuſque interruptis ſtricturæ vicibus velut exprimere, & frequentiori niſu concuſſorio excutere coacta fuit. Etenim ſicut, quouſque illa moleſtum aliquid ſentit, præſertim circa teneriores & ſenſibiliores aſperæ arteriæ, partiumque ſpirabilium vias, uti e. g. luculenter patet in miculis rerum etiam tenuiſſimis, vel guttulis potus laryngem & tracheæ ductum caſu illapſis, eo uſque tuſſiculoſo niſu, & motu pectoris concuſſorio inſurgit, nec quieſcit, donec res inſuetas vel moleſtas cum aëre fortius exſpirato emoverit, exploſerit: par ferme ratio eſt cum humoribus intro quantitate vel qualitate has circa partes moleſtis. Quæ tuſſis, quam moleſta frequenter & graviter de die, tam mitis erat de nocte, nimirum ob meliorem ſub quiete lectique calore ſeroſæ cujuſdam partis tranſpirationem, lymphæ mucidæ à calore extenuationem, & leniorem aëris quietioris vel calidioris fibras minus ſtimulantis inſpirationem. Interim ſicut ſub frequentiori fortique tuſſiculoſa pectoris concuſſione ſputum largius ſenſim emotum ſuccedebat; ita ſub iteratis toties fibrarum pneumonicarum & muſculorum pectoris ſtricturis ſpaſticis, magnoque ac crebro concuſſionis niſu ſanguis in corpore, eo ipſo plethorico verſus pulmones fluctuans, validius compulſus, intra vaſcula congeſtus fuit, & lentiori undulavit motu, atque ſub quadam ſucceſſiva tunicarum dilatatione quædam ſenſim portio velut guttatim vaſorum oſculis elapſa per anaſtomoſin, uti vocant medici, intermixtas ſputo ſtrias ſanguineas conſtituit: donec circa medium menſis Aprilis à majori preſſione, congeſtione diſtentis plus ultra oſculis aut poris, vel rupto uno alterove vaſculo vel ramulo, hæmoptoë, vel ſputio ſanguinis floridi ſpumoſi notabilis ex improviſo acceſſit: quæ cum brevi duraſſet, ſponteque eadem die ceſſaſſet; vero eſt ſimillimum, hiſcentiam vaſculorum, vel aperturam aut ruptionem non adeo magnam ſub quiete & diæta facile adductam & occluſam fuiſſe. Manſit vero catarrhalis diſpoſitio; quia muciditas humorum nondum attenuata, ſalſedo correcta, congeſtiones reſolutæ erant: hinc eo facilius poſt factum ſemel celeriorem greſſum & motum ad anhelam uſque reſpirationem auctum, aggeſto noviter ad majorem vaſorum turgeſcentiam ſanguine, recruduit notabile ſputum cruentum, vaſculis prius læſis, nec dum ſatis conſolidatis, aut aliis denuo hiantibus: quæ tamen vel remediorum ope, vel naturæ beneficio brevi rurſum tempore reſtricta fuit. Et mirum eſt, quod negotium ſanitatis ſine inſigniori interius labe viſcerum poſthæc ſucceſſerit, & bonum eſt, quod in hodiernam uſque diem nulla vel ſanguinei, vel flaveſcentis, vel alio præternaturali colore corrupti ſputi apparuerint veſtigia: cum doceat *Hippocrates ſectione quarta aphoriſmo* 24. ſanguinem ſupra ferri, qualiſcunque ſit, malum, item quod à ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo phthyſis: quæ malæ conſequentiæ licet gratia Dei, & providentia naturæ uſque huc emanſerint; reſtabat ſaltem tuſſis à menſe Martio uſque ad finem Auguſti moleſtior, ſenſim dein remiſſior, nunc ferme per ſpatium anni continuata in ſuo pergens curſu; quoniam, licet vis & impetus congeſtionum mitigaretur, extravaſatio ſanguinis ulterior emaneret, corruptiva parenchymatis ſeu ſubſtantiæ pulmonum infirmitas, aut labes quædam averteretur;

tur; immanebat ſaltem ſub diuturna nimis tuſſi aliqua circa glandulofas partes laxitas, circa fibroſas atonia; in ſero autem ac lympha mucoſitas, & falſedo non ſatis attemperata & correcta; unde frequens adhuc multi ſputi pituitoſi excretio videtur hactenus perſeveraſſe. Quod autem tuſſis poſt peractum tempus digeſtionis ciborum plus minus adhuc infeſtaverit; ita ut jam pluribus vicibus circa tempus nocturnum cum tuſſi contigerit vomitus ſpontaneus; videtur cauſſa originalis magna ex parte à ſtomacho, ejuſque vicinia dependere: quatenus chylus mucido crudior poſt tempus digeſtionis ſanguini infuſus non ſolum aliquam in ejus inteſtino motu turbationem concitare poteſt; ſed & quatenus portio ejus lymphatica vel ſeroſa intra glandulas partium ſpirabilium, ductuſque cibarios delata, ſenſimque noviter congeſta, iteratas ſemper ad tuſſim irritationes cauſſare ſolet. Sic etiam à ſalſedine per moleſtiorem & profundiorem pectoris & ſepti tranſverſi concuſſionem, tracto in conſenſum ſtomacho, vomitus non tamen ſine levamine ſubortus fuit: quod & urina in calore diu rubicundior, ſenſim vero, dum in aëre libero ſtetit, turbidior facta in ſedimento mucido chyloſo albicante, copioſis ſalinis miculis intermixto ad ocularem pluribus vicibus inſpectionem declaravit & confirmavit. Quare tuſſis tam diuturna ſtomachico-pectoralis nominari poſſet; ſtomachalis ex rationibus prius allegatis; pectoralis ex paſſa quondam hæmoptoë & diſpoſitione catarrhali circa vias ſpirabiles maxime obſervata, eo magis cum perilluſtris æger adhucdum ſub aſcenſu per gradus difficiliorem & anhelam ſentiat reſpirationem. Teſtata ſunt originalem ex ſtomacho vel vitio chyli cauſſam tuſſis tam diuturnæ, paſſa per plures ſeptimanas ciborum nauſea, & inadpetentia, potuum aquoſorum non facilis tolerantia, & perceptus inde ſtomachi languor, faciles ſub occurſu aëris frigidi vel veſpertini commotiones horridulæ, ceu febriformes, pedum, genuum, totiuſque inferioris ſolum ventris debilitates, & laſſitudines non parum ſenſibiles, & carnoſæ vegeti alias corporis ſubſtantiæ imminutio notabilis &c. Quatenus hæc omnia videntur fuiſſe & eſſe ſymptomata, aut conſectaria ob malam diſpoſitionem humorum chyli, & præſertim lymphæ non ſatis fluidæ, ſubdulcis, roridæ, leniter humectantis, nutritiæ. Quare juſta eſt ſolicitudo, ne affectus hic catarrhalis diuturnus altiores agat radices: quanquam enim de præſenti metuendus non ſit, de futuro ſaltem ſub perſeverantia, aut accidentali, quod Deus ter optimus avertat, ingraveſcentia degenerare poſſit in hecticam, maxime cum jam notabilis hactenus ſubſtantiæ corporis imminutio obſervata fuerit. Et ſic melius eſt prævenire, & obſtare principiis.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Quanquam ex communicata mecum morbi hiſtoria perſpexerim ægritudinem, qua vir plurimum reverendus detinetur: mallem tamen ut in ea adhuc relata eſſent quædam momenta ſcitu neceſſaria; nimirum quo vitæ genere olim uſus fuerit? num diætæ, maxime vini exceſſibus; anne animi affectibus, mœroribus, atque ſolicitudinibus indulſerit? Num olim vere vel autumno catarrhis laboraverit? numne venæ ſectionibus ſueverit, eaſque ante noviſſimum catarrhis inſultum inſtituerit &c. Interim, quantum ex relatis adparet, eximia humorum abundantia noſter ægrotus laborat: quæ niſi forte tempeſtiva venæ ſectione vernali ventilata fuerit; accedente ſub inimico aëre frigore humores majori copia ad caput atque pectus compulſi ſunt, ideoque tuſſim pariter ac ſputum cruentum produxerunt. Faciliimum enim eſt, ut in hominibus plethoricis, quibus ſanguis non eſt miſſus, ex inſigni vel refrigeratione vel exæſtuatione corporis, ejuſmodi ſimplex hæmoptyſis ob raptum humorum violentiorem ad pectus, & inde diſrupta quædam minima vaſcula ſuboriatur; quæ autem, niſi perverſæ accedant medicationes, nullum minatur periculum, ſed cito tranſit, uti & in præſenti caſu eluceſcit. Cum autem hanc ſanguinis eructationem muci viſcidi exſcreatio diuturna, ac ferme annua exceperit; quæ maxime poſt abſolutam digeſtionem infeſtat, & cum frequentiori vomitu, ſomno turbulento, viriumque ac corporis decremento inſigni ſtipata eſt: exinde non ſolum colligo, quod ventriculi robur ſimul ſit debilitatum, ac vis digeſtiva læſa; verum etiam admodum vereor, ne febris hectica cum majori virium proſtratione ſubſequatur. Quando enim pituitoſi ejuſmodi humores pectus obſidentes non tempeſtive derivantur, nec eorum affluxus intercipitur: fit inde frequentiſſime, ut adeo relaxetur ac debilitetur pulmonum ſubſtantia, ut humores magis magiſque irruant, eamque penitus corrumpant. Hanc autem catarrhi pectoris diuturnitatem atque pertinaciam æger ipſe, diætæ quos tuſſi infeſtatus commiſit, erroribus, magis ſuſtentaſſe videtur; in tali enim tuſſiculoſa adflictione & cereviſiam, & vinum, licet ſit aqua dilutum, & corporis commotiones & refrigerationes, & omnes aëris mutationes ſummo evitari oportet ſtudio; contra vero impetum humorum ad pectus, blandis laxantibus, quorum præſtantiſſima ſunt mannata & rhabarbarina, derivaſſe, & loco pectoralium, quæ magis debilitant ventriculum, leniora aromatica adhibuiſſe operæ fuiſſet pretium.

Quæ igitur jam jam facienda ſunt, ea omnia his potiſſimum momentis abſolvi credo, ut nimirum alvi conſervetur lubricitas, ventriculus confortetur, calor præternaturalis attemperetur, & denique pectus ab inhærente muco liberetur. Hiſce ſcopis primum commendo Elixir ſtomachicum, quod ſimul laxans eſt, & ſic ſe habet: Recipe rhabarbari electi unciam, mannæ electæ uncias duas, foliorum ſennæ, agarici ana drachma tres, terræ foliatæ tartari, extracti cardui benedicti ana drachmas duas, nitri drachmas binas cum dimidia, olei fœniculi, ligni ſaſſafras ana guttas XII. affunde aquæ ceraſorum nigrorum libram, ſpiritus vini aniſati tantundem, digerantur & ſolvantur leni calore. D. quod per octo continuos dies ſingulo mane ea, quam tria cochlearia capiunt quantitate ſumendum erit. Proinde expediet cereviſiam abolere, & pro potu ordinario ſeligere quoddam decoctum: v. g. Recipe cornu cervi raſpati, radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, radicis cichorei, glyzyrrhizæ, fœniculi ana unciam. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquendæ ſunt. Huic ſi interponere velit vinum, illud nec Franconicum, nec Rhenanum, ſed ob ventriculi languorem potius Hungaricum eſſe debet vel Burgundiacum. Mane ſorbillandum ſuadeo infuſum theiforme, cum tertia parte lactis commixtum, cujus hæc ſit compoſitio: Recipe herbæ veronicæ, ſalviæ, millefolii cum ſummitatibus ana manipulum, ſeminis fœniculi drachmas tres. M. D. S. ſpecies *zum Kräuter-Thée.*

*ter-Thée.* Neque minus conveniet, quavis veſpera quatuor vel quinque harum deglutire pilularum. Recipe maſſæ pilularum aloëphanginarum drachmam, de ſtyrace, cinnabaris rite paratæ ana ſcrupulum, extracti croci grana ſex, olei nuciſtæ deſtillati guttas quatuor. M. f. pilulæ ex ſcrupulo uno numero decem formandæ. Has vero omittere & in eorum locum pulverem temperantem cum ſex nitri granis permixtum adhibere præſtat, ſi calor præternaturalis nimium inhæſerit. Cæterum quod victus rationem attinet, eam à præſentibus medicis rite ordinatum iri confido; & id duntaxat moneo, ut corpus in perpetuo conſervetur calore, & leniori ſub cœlo ſereno moveatur exercitio. Quod ſi denique hæc commendata remedia ſpem feſellerint; conſultum erit, adventante vere, acidulas Selteranas lacti aſinino nuptas in uſum vocare.

---

## CASUS LXXIII.

### *De hæmoptyſi cum labe pulmonum.*

Generoſus juvenis XXIV. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, leviter melancholici, corpore tener ac debilis, à teneris variis ægritudinibus, maxime febribus continuis conflictatus fuit. Namque anno ætatis decimo quarto poſt toleratum ſub ſomno graviſſimum terrorem incidit in delirium diuturnum periodicum; quo per ſeptem anni quadrantes ſolicitatus, non niſi crebris, & alternis ferme diebus inſtitutis venæ ſectionibus demum ſanitati fuit reſtitutus. Hinc autem tanta hujus evacuationis conſuetudo inducta eſt, ut ea ter quaterque quotannis adminiſtrari debuerit. Superato hoc gravi morbo per tres continuos annos acidulis Pyrmontanis uſus; noviſſimo ab hinc quadriennio pleuritide vera; & denique hyeme præterlapſi anni, gravi præcordiorum convulſione, per totum corpus ac artuum externorum nervos extenſa laboravit; ſed ab iis quoque affectibus feliciter liberatus fuit. Non minus præterita æſtate contra dolores oſſis ſacri, ac ſtranguriam aquas Selteranas, ſed abſque levamine potavit: inſequuta hyeme menſe Octobri, longinquo itinere per quadraginta milliaria ſub aëre horrido perfunctus, febre catarrhali corripiebatur; qua vix curata menſe Novembri iterum triginta milliarium iter adgredi debebat. Quo abſoluto vehementi tuſſi agitari, eaque per intervalla floridum ſanguinem ſpuere cœpit: ſed & hæc excretio poſt inſtitutam in pede venæ ſectionem, & data partim infuſum, partim Elixirium pectorale cum eſſentia traumatica remixtum conquievit. Verum haud ita multo poſt, cum vehementer corpus commoviſſet, nocte incidit in copioſum ſanguinis ſputum; quo intra dies quatuor ad minimum duas floridi ſpumoſique ſanguinis reddidit uncias. Propinabantur protinus remedia leviter adſtringentia, cum temperantibus, reſolventibus ac antiſpaſmodicis combinata; & iterum vena in pede tundebatur, quæ, prima quoque vice, cruorem obſcure rubicundum, ſpiſſum, ſine ullo ſero fudit. His ſedata hæmoptyſis, & non niſi mucus quidam reſtitante cruore coagulato permixtus per aliquot dies tuſſi rejectus eſt. Omittebantur ergo adſtringentia; & ad præcavendum partim mali recurſum, partim ſopiendam tuſſim violentam, veſperi pilulæ de ſtyrace, & de die ſcopo reſolvendi pulvis ex ſpermate ceti, lapidibus cancrorum, coralliis rubris & ſaccharo cando albo confectus porrigebantur: neque minus accedente leviori febricula veſperi pulvis è lapidibus cancrorum, conchis, antimonio diaphoretico, nitro & cinnabari nativa paratus propinabatur. Verum enim vero cum nihilo minus vehemens tuſſis, ſpirandi anguſtia, & largus ſudor inhærerent; cura lactis caprini, cum aſininum haud in promtu eſſet, in uſum vocabatur. Aſſumta nimirum primum potiuncula mannata, per quatuor hebdomades æger mane æque ac poſt meridiem menſuram dimidiam lactis caprini cum infuſo theiformi ex herba milleſolii, marrubii albi, veronicæ, floribus chamæmeli, ſemine aniſi & fœniculi parato permixtam potavit, ex eoque portionem liquoris terræ foliatæ tartari adhibuit. Non minus ſub epulis, quas larga comitabatur adpetentia, finitas autem preſſio in ventriculi regione atque flatulentia excipiebat, eſſentiam corticum aurantiorum cum eſſentia cinnamomi & quibuſdam olei de Cedro guttulis commixtam uſurpavit: pro potu ordinario decocto ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, cinnamomo, corticibus citri, nitro antimoniato & aniſo ſtellato concinnato uſus fuit: loco potionis mannatæ, quam averſari cœpit, omni ſeptimana veſperi binos rhabarbari ſcrupulos cum mucilagine tragacanthi in formam pilularum redactos deglutivit, & poſtridie ſex drachmas Mannæ in potu theiformi inſtar ſacchari ſolutæ mane devoravit; ac denique quavis veſpera pedes in pediluvia immiſit.

Neque vero ſpem fefellit hæcce curatio; quippe qua finita præter tuſſim, qua tenax mucus ſaliva permixtus parca quantitate rejiciebatur, & ſudores nocturnos, omnia evanuerant ſymptomata. Ad debellandas igitur has adfectiones commendabat Vir quidam perilluſtris naſturtium; cujus ſucci, quantum ex binis manipulis herbæ exprimitur, æger ſingulo mane haurire, tum olei amygdalarum dulcium, quantum cochlear unum capit, ſuperingerere, & denique juſculum gallinaceum ſorbere, hancque curationem per integrum menſem protrahere debebat. Vix autem per binas hebdomades ea uſus erat, cum inſignis dolor pungitivus dorſum ſub ſcapula ſiniſtra prehenderet, cum tam violento præcordiorum ſpaſmo, ut æger protinus ſuffocari videretur. Fricabatur ergo locus affectus linteis calidis, inungebatur oleo chamomillæ, adhibebantur pediluvia atque clyſteres; iiſque conſopiebatur ſpaſmus. Abhinc æger T. profectus ſatis bene habuit, niſi quod tuſſi, qua parca pituitæ, ab indole materiæ purulentæ longe alienæ quantitas, exſcreatur, & ſudoribus nocturnis adhuc ſolicitaretur.

At enim vero Vto Calend. Martii currentis anni cruentam iterum exſcreare cœpit pituitam, & ad hanc uſque diem per intervalla continuat: ipſa tuſſis adhuc eſt violenta, & ob muci tenacitatem ſæpius ipſum movet vomitum. Exteriora membra horridulo ſenſu aſſidue perfunduntur, & ſæpius horripilatio accedit: caput frequentius occupat volaticus æſtus cum dolore oculorum atque frontis gravativo; qui lancinans ac pungitivus in dorſo ſub coſtis ſpuriis, tanta ſæpenumero urget vehementia, ut ne ambulare quidem tum queat. Ciborum eſt integra adpetentia; at poſt ſumtos cibos flatus adfligunt inſigniter: alvus quotidie ſuo fungitur officio, & ſatis quieto fruitur ſomno, niſi quod ſudores nocturni eum ſæpius turbent. Urina mingitur rubicundior, cum albo, eoque copioſo ſedimento; pulſus naturali ſimilis, & non niſi paulo celerior fertur, qualis à teneris obſervatus fuit: depaſcitur carnoſa corporis ſubſtantia; vireſque decreſcunt quotidie. Cæterum latus ſiniſtrum magis

læſum videtur: quippe quod non ſolum frequentior ſpaſmus occupat, verum etiam ſi in eo decumbit, tuſſis fit vehementior. Nec denique ignorari oportet, ægroti patrem calculo laboraſſe, & anno ætatis ſexageſimo quinto hectica febre peremtum fuiſſe.

Adhibuit hactenus æger lapides cancrorum cum ſucco citri ſaturatos, emulſiones nervinas, pro potu ordinario decocta ex hordeo, radice ſcorzoneræ & paſſulis minoribus concinnata; veſperi pilulas de ſtyrace, vel pediluvia: externe loco affecto unguentum adplicuit ex unguento de althæa, axungia caſtorei, oleo aniſi, fœniculi, cymini, chamæmeli & ſuccini paratum, & ſuperimpoſuit ſacculos diſcutientes calidos. Non minus denique regulas victus accurate obſervat; niſi forſan iracundiæ aliquantulum indulgeat.

Quæ cum ita ſint, Tuum, Vir Excellentiſſime, pro funditus exſtirpando malo efflagitamus conſilium, ac doceri avemus: unde præſens adfectio originem traxerit? quibuſnam debellanda ſit remediis? etiam num futuro vere cura acidularum Selteranarum cum lacte ſit adhibenda? & num denique dolores oſſis ſacri calculum renalem denuncient, vel hæmorrhoidalem diſpoſitionem ſignificent?

### *Conſultatio.*

Poſtquam morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, probe perpendi mecum: illum non ſolum ſimplici cruoris ſpuitione, verum etiam inſigni pulmonum labe, partim in obſtructione, partim corruptione vaſculoſæ pulmonum ſubſtantiæ quærenda abſolvi deprehendo. Hanc enim ex violenta tuſſi, abſque notabili rejectione, & frequentiori potius vomitu ſtipata, virium decremento, largis ſudoribus, urina rubicundiori, refrigeratione extremarum partium, æſtu volatico, & decubitu in latere ſiniſtro difficiliori colligo, & omnino vereor, ne magis ingraveſcant hæc ſymptomata, & in veram hecticam degenerent. Quod ſi autem hujus mali primam perſequamur originem; ex corporis conſtitutione pariter ac multis in juventute toleratis morbis merito ſuſpicari licet, integram illius naturam debilitatam, & à teneris motibus inordinatis, ſpaſmis, & frequentibus ſanguinis ad ſuperiores partes congeſtionibus admodum eſſe opportunam. Hoc confirmant delirium periodicum decimo quarto ætatis anno per ſeptem anni quadrantes inhærens; pleuritides ſpuriæ atque veræ, dolores pectoris ſpaſmodici, ſputum cruentum, & tormenta oſſis ſacri lancinatoria: neque etiam minus augmentum languori corporis addidit tam ſæpius repetita junioribus annis venæ ſectio. Docuit enim me experientia, quod crebræ miſſiones ſanguinis in malo hypochondriaco eximium quidem inferant ſymptomatum levamen; verum tamen adeo labefactent corpus, ut illud admodum imbecillum, & variis humorum commotionibus, ac congeſtionibus hæmorrhagicis, maxime hæmorrhoidalibus reddatur obnoxium. Huic vero corporis conditioni vehementius vitæ genus plane non quadrat: quare etiam itinera crebra ſub aëre frigido ac auſtero facta ægrotanti non minus nociva fuerunt, ac curatio per naſturtium inſtituta, quippe quod humorum commotiones magis adauxit. Contra vero nihil eſt, quod in medicatione abs Te adminiſtrata reprehendere poſſim: eam enim omnino pulvere ex lapidibus cancrorum ſucco citri imprægnatis, vel leniter nitroſo, emulſionibus verſus noctem exhibendis, & decocto pro potu ordinario propinando continuandam eſſe judico. Quod oſſis ſacri dolores attinet, qui ex inſigni plexus vaſorum meſaraicorum ſpaſmo enata, humorum æquabilem circuitum turbare valent: illis conducet ſequens emplaſtrum loco affecto imponendum: Recipe emplaſtri ſpermatis ranarum uncias tres, camphoræ drachmam unam cum dimidia, nitri ſoluti drachmas duas, olei hyoſcyami drachmas tres. M. f. l. a. emplaſtrum.

Cæterum toti malo præſtantiſſimam opem pollicetur curatio per acidulas Selteranas lacti aſinino nuptas adventante vere inſtituenda. Scilicet aquarum earum æquali cum lacte portione mixtarum una cum dimidia menſura quotidie potatur, idque, interpoſita alvi per laxans mannatum vel rhabarbarinum ſubductione, per ſex hebdomades continuatur. Ante vero, quam ad hanc accedamus curationem; operæ erit pretium, ſerum lactis dulce ſequenti ratione in uſum vocare: Lactis nimirum vaccini recentis menſuræ binæ ſub continua agitatione ad leniorem ignem ad pulveris ferme conſiſtentiam decoquantur; tum cum binis menſuris aquæ ex pane deſtillatæ permiſceantur, ebulliant leviter & percolentur. Aqua vero panis deſtillata paratur, ſi panis domeſtici linteo incluſi duæ libræ, cum ſex vel ſeptem aquæ libris, & tantillo corticum aurantiorum ex veſica deſtillentur. Hujus itaque ſeri, quotidie recens parandi mane tepidi, poſt meridiem frigidi tertia menſuræ pars haurienda eſt: adjungenduſque veſperi uſus pulveris temperantis ex lapidum cancrorum drachmis duabus, & nitri granis decem parati. Ad compeſcendam denique ferinam veluti tuſſim commendo ſequens electuarium drachmæ pondere quandoque capiendum: Recipe olei amygdalarum dulcium recentis unciam ſemis, ſpermatis ceti drachmas duas, ſyrupi dialtheæ Fernelii unciam ſemis, extracti croci grana ſex, olei nuciſtæ, ligni ſaſſafras ana guttas quinque. M. f. electuarium. Hæc ſunt, quæ proponenda habui, quorum effectum Deus reddat proſperum precor.

### *Relatio.*

Non alienum mihi videtur, Vir illuſtris, de eventu curationis quædam referre. Poſtquam enim æger, commendatis remediis uti inchoaverat; remiſerant & tuſſis, & dorſi dolores: at invaleſcebat febris hectica cum vomitibus ac alvi fluxu bilioſo ſtipata. Hinc omiſſo ſeri lactis dulcis uſu, in idem, quod juvenis toleravit delirium, recidebat; eoque per 14. dies infeſtatus, diem obiit ſupremum. Secatum corpus monſtrabat ſubſtantiam pulmonum, maxime ſiniſtri lobi totam ſcirrhoſam, & hinc inde purulenta refertam materia; ipſoſque pulmones pleuræ, ſepto tranſverſo ac pericardio adeo accretos, ut vix cultro ſeparari potuerint. Arteriam pulmonalem polypus digitum longus, & calamum craſſus obſidebat; reliqua viſcera nihil alebant monſtri, præter veſiculam felleam bile tenaciſſima repletam. Exinde vero adparet, dolores dorſi intolerabiles à tenſione diaphragmatis ſuam traxiſſe originem; quod pulmonibus accretum, illis tuſſi agitatis, pariter conſtrictum fuit, & inde dolorem vi tendinum ad lumbarem propagavit regionem: Hinc etiam factum eſſe credo, ut pulmonibus plane exulceratis, & facilior muci exſcreatio ſucceſſerit, & tuſſis doloreſque remiſerint.

CASUS

## CASUS LXXIV.

*De refractario pectoris catarrho.*

ILluſtriſſima quædam Comitiſſa, annos LX. nata, corpore admodum obeſa & phlegmatica à multis jam annis, hyemali maxime ac autumnali tempeſtate variis affectibus catarrhalibus, raucedine, tuſſi ſicca ferme ſuffocativa, cum purpura ſcorbutica & tumore pedum ſtipatis ſolicitari ſuevit. Hæc ſymptomata congruis remediis adeo fuerunt mitigata, ut purpura pariter ac pedum tumor per aliquot annos haud redierit amplius: verum tamen, cum ante annuum tempus aquas Sedlicenſes potaſſet, iterum abhinc gravi catarrho, tuſſi ſicca violenta, ſpirandi anguſtia, atque raucedine prehendebatur; iiſdemque adhuc laborat ægritudinibus. Pugnatum eſt contra eas omni ſtudio, iiſque quæ inferius allegantur, medicaminibus, quæ quidem ſæpius malo inducias tuliſſe videbantur; at illud accedente vel tempeſtate inimica, vel veſpertina refrigeratione rurſus recrudeſcebat, ac denique cum cruento ſputo ſociari cœpit. Quum ergo ſicca illa & anhela tuſſis, cum rauca voce, ſpiratione difficili, ſibilo & ſono acuto, & pectoris ſpaſmodica conſtrictione conjuncta, partim ab affectione hypochondriaca; partim à dyſcraſia ſanguinis ſcorbutica, quam tumor pedum ac purpura ſcorbutica confirmabat; partim denique a pulmonum vitio, quod ex raucedine & tuſſis ab inſpiratione aëris frigidi exacerbatione adparet natales ſuos mutuari videtur; & verebar, ne tandem in aſthma ſiccum convulſivum, vel ipſam pulmonum exulcerationem, vel apoplexiam terminentur; hiſce præcavendis acidulas Selteranas lacte commixtas pronuper commendavi. Quibus cum ægra aures dare recuſaverit, tuum Vir illuſtris, flagitamus conſilium, ac remedia malo convenientiſſima proponi rogamus.

*Recenſio adhibitorum remediorum.*

Recipe radicum V. aperientium ana drachmas duas, cichorei, hellenii, liquiritiæ ana drachmam unam, jalappæ drachmas quatuor, ſummitatum centaurii minoris manipulos duos, foliorum ſennæ ſine ſtipitibus unciam unam & ſemis, rhabarbari Alexandrini unciam ſemis, cryſtallorum tartari drachmas ſex, cinnamomi acuti drachmas duas, aniſi ſtellati drachmam, croci orientalis ſcrupulum, corticum aurantiorum unciam ſemis. Conc. Cont. D. S. Nodulus pectoralis cum menſura una & dimidia vini rhenani infundendus.

Recipe ſpecierum diatragacanth. frigidarum drachmas duas, diaireos ſimplicis, ſuccini albi, florum ſulphuris, ſpermatis ceti recentis ana drachmam ſemis, extracti liquiritiæ ſcrupulos duos, cinnabaris rite paratæ ſcrupulum unum, maſſæ pilularum de cynogloſſa grana VI. M. d. S. pulvis pectoralis, mane & veſperi ex infuſo Théebois ſumendus.

Recipe olei amygdalarum dulcium recenter expreſſi, ſyrupi capilli veneris ana unciam ſemis, ſpermatis ceti, ſacchari candi albi ana drachmas duas, extracti ſcabioſæ, veronicæ ana grana IV. d. S. linctus pectoralis.

Recipe conſervæ veronicæ, tuſſilaginis, ſcordii, roſarum ana unciam ſemis, ſpecierum diairidos drachmam, diatragacanthæ frigidarum drachmam unam & ſemis, extracti liquiritiæ drachmas duas, veronicæ, hellenii ana grana V. cinnabaris rite præparatæ ſcrupulum, ſyrupi hyſſopi, jujubarum ana drachmas ſex, oxymellis ſquillitici unciam. M. D. S. electuarium pectorale.

Recipe ſpecierum diairidos drachmam ſemis, diatragacanthæ frigidarum drachmam, ſuccini albi, florum ſulphuris, cinnabaris præparatæ, extracti liquiritiæ ana ſcrupulum, enulæ grana V. nitri depurati grana XV. M. d. S. pulvis pectoralis mundificans.

Recipe antimonii diaphoretici, matris perlarum, ſuccini albi ana ſcrupulum, cinnabaris antimonii, lapidis bezoardici orientalis ana ſcrupulum dimidium, extracti veronicæ grana II. foliorum auri no. 1. M. f. pulvis, div. in 3. p. S. Bezoardicus & pectoralis pulvis.

Recipe eſſentiæ catarrhalis drachmas, lignorum, elixir pectoralis ana drachmam. M. D. S. eſſentia catarrhalis L. guttulis ſumenda.

Recipe eſſentiæ catarrhalis drachmas duas, hellenii, liquiritiæ, gummi ammoniaci ana ſcrupulos duos, croci ſcrupulum. M. D. S. eſſentia reſolvens.

Recipe antimonii diaphoretici, ſpermatis ceti recentis, ſpecierum diatragacanthæ frigidarum, diaireos ſimplicis ana drachmam ſemis, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrupulum, extracti hellenii grana IV. M. D. S. pulvis reſolvens.

Recipe radicis liquiritiæ unciam, altheæ, conſolidæ majoris ana drachmas duas, herbæ veronicæ manipulum, chæreſolii manipulum ſemis, paſſularum minorum unciam, caricarum pinguium numero VI. ſeminis fœniculi ſcrupulum, croci orientalis drachmam ſemis. C. C. d. S. Species pro infuſo pectorali.

Recipe olei amygdalarum dulcium, ſyrupi capilli veneris, conſolidæ majoris ana drachmas ſex, ſacchari candi albi drachmam unam & ſemis, ſpermatis ceti drachmam, extracti veronicæ ſcrupulum ſemis, glycyrrhizæ ſcrupulum, elæoſacchari, balſami Peruviani ſcrupulum ſemis, cinnabaris nativæ præparatæ grana XV. m. terantur in mortario vitreo diligenter D. S. balſamus pectoralis.

Recipe conſervæ tuſſilaginis, coſti, roſarum ana unciam ſemis, looch de farfara, oxymellis ſquillitici ana drachmas tres, ſpecierum diairidos, diatragacanthæ frigidarum ana drachmam unam & ſemis, ſpermatis ceti recentis drachmam, extracti veronicæ, liquiritiæ ana ſcrupulum, enulæ ſcrupulum ſemis, ſyrupi jujubarum, hyſſopi q. S. M. D. S. Extractum pectorale balſamicum.

*Conſultatio.*

Affectiones præter naturam, quæ illuſtriſſimam Comitiſſam ſolicitant, & nullis debellari potuerunt pectoralibus medicinis, in refractario pectoris catarrho, violenta tuſſi, ſpirationis anguſtia, raùcedine ac gravi anhelitu conſiſtere perſpexi. Jam vero videtur mihi corpus ſcorbutico ſcatere ſero, ſicuti ex purpura chronica eluceſcit: cui cum aquarum Sedlicenſium, forſitan minus debito ordine ac regimine adhibitarum uſus acceſſerit, quæ ſalſedine ſua ventriculum & partes nerveas admodum afficiunt; & præterea perilluſtris ægra veſpertino tempore ſub aëre frigidiori verſari ſueverit: factum inde eſſe arbitror, ut impedita ſalutari tranſpiratione, humores acres ad partes interiores

atque debiles fuerint compulſi. Tum autem ventriculum quoque ac inteſtina debilitata, & hæc flatibus, illum ſordibus imbuta eſſe credo; & hanc ventriculi atoniam à nimio remediorum dulcium, pectoralium, oleoſorum ac incraſſantium uſu potiſſimum originem traxiſſe puto: unde facillime aſthma pituitoſum & ipſam denique cachexiam ſuboriri, crebra deprehendi experientia. Optaſſem etiam, ut morbi hiſtoriæ additum fuiſſet, num perilluſtris matrona ſanguine turgeat; anne venam ſecandam præbere ſueverit? frequentiſſimum enim eſt, ut in fœminis, quæ poſt menſium ceſſationem parco corporis motui, largis autem epulis indulgent, major generetur humorum vitalium abundantia & inde quoque major ad catarrhales pectoris affectus proclivitas. Quo igitur à præſentibus malis vindicetur, & ab aſthmate vel hydrope præcaveatur illuſtriſſima mulier: operæ ante omnia erit pretium, ut partim humorum acrimonia attemperetur, partim primæ viæ à ſordibus depurentur atque corroborentur. Huic ſcopo convenientiſſimas deprehendi pilulas meas balſamicas polychreſtas, alternis diebus numero XIII. vel XV. veſperi deglutiendas; quibus, ſi defecerint, ſequentes ſubſtituendæ: Recipe aloës roſatæ, myrrhæ electæ, ſuccini ana drachmam unam, extracti croci, ariſtolochiæ ana ſcrupulum. M. f. L. a. pilulæ, ex ſcrupulo uno no, XV. Deinceps mane potandum ſuadeo hoc theiforme infuſum: Recipe herbæ veronicæ, ſcordii ana manipulos duos, radicis liquiritiæ unciam, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. Conc. Cont. d. S. Species *zum Kräuter-Thée*. Non minus egregium exſeret effectum Elixir pectorale ex eſſentiæ liquiritiæ, croci, ſpiritus ſalis ammoniaci, tincturæ tartari ana uncia dimidia, olei aniſi, ligni ſaſſafras, macis ana guttulis XV. paratum; cujus L. guttæ ex ultimo ſub epulis hauſtu, hora quarta meridiana, vel etiam veſperi, ſi omittantur pilulæ, capiendæ ſunt; aut veſperi quandoque cum pulvere bezoardico diaphoretico alternandæ. Tum etiam neceſſe eſt, ut cereviſiæ uſus evitetur, & ejus loco pro ordinario potu ſequens adhibeatur decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias quatuor, chinæ, ſarſaparillæ ana uncias duas, liquiritiæ unciam, cichorei unciam ſemis, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. d. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per dimidiam horam decoquantur. Fugiatur denique omne vinum, præter generoſum Hungaricum; arceatur frigus, cibique acidi ac ſaliti evitentur. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi: cognita enim morbi cauſſa, promiſcuum remediorum uſum omittere, & ea duntaxat adhibere ſuevi, quorum vires comprobavit experientia.

---

## CASUS LXXV.

### *De tuſſi pulmonali phthyſica cum calore hectico, demum funeſta.*

Quatuordecim annorum puer, à teneris unguiculis corpore ſtrictiori, tenero ac debili, ingenio tamen vivido, & illibata ſanitate præditus fuit, niſi forte annis ætatis quinto, ſexto & ſeptimo tuſſi crebra ac narium hæmorrhagiis, nullis unquam adſtringentibus tractatis, & ſexto anno variolis benignioribus, mox evaneſcentibus laboraverit. Septimo ætatis anno, cum ordinarium cereviſiæ hordeaceæ potum, cum triticea commutaret; et animo alacrior, & corpore robuſtior factus, nullas amplius hæmorrhagias toleravit; verum præter morbillos facillime ſuperatos, abſque ulla ægritudine per ſex annos optime valuit. Fuit præterea ſtudiorum amantiſſimus, moribuſque egregiis; nec unquam, more infantibus conſueto, voracitati nimis indulſit. At enimvero noviſſimo abhinc anno, abſque ulla cauſſa prævia, tumor ſcirrhoſus, nucis juglandis magnitudine glandulas ſubaxillares in dextro latere obſidere cœpit; qui cum nullis doloribus ſtiparetur, & pro intumeſcentia, quam vulgo vocant *Wachs beulen*, haberetur, nullis primum oppugnabatur remediis. Verum cum ingraveſceret magis; adplicabantur externe varia emplaſtra diſcutientia cum unguento mercuriali; interne dabantur tinctura antimonii acris, pulveres reſolventes ex ſemine aniſi, fœniculi, radice ari, antimonio crudo, tartaro vitriolato, Cinnamomo parati, atque laxantia ex pulvere jalappæ & mercurio dulci concinnata: ſed glandula manebat indurata. Hujus anni menſe Februario ſub intenſiſſimo frigore traha vectus, poſtridie vehementi corripiebatur tuſſi: contra quam infuſo theiformi ex veronica, tuſſilagine, radice liquiritiæ & ſemine aniſi parato pariter, ac elixirio pectorali Wedelii, & denique linctu ex oleo amygdalarum dulcium recenti, ſpermate ceti ac ſyrupo papaveris rhœados compoſito pugnabatur. Sed mitigata quidem tuſſis, non autem adeo ſublata fuit, quin noctu inhæreret; quam nec pilulæ de cynogloſſa interdum datæ, nec interpoſita purgantia penitus ſedare potuerunt. Adventante igitur vere ſerum lactis caprilli, cum herba bellidis, chærefolii, aquilegiæ, taraxaci decocti adhibebatur, & conſerva roſarum dabatur; neque vero his etiam depellebatur tuſſis. Ubi enim ſub frigido verſatus erat aëre, illa violentior facta, noctu potiſſimum adfligebat inſequente; omnemque turbabat ſomnum, cum corporis viriumque decremento. Hinc tabem pulmonalem ſuſpicatus, me cum ægro ad acidulas Amaſianas contuli; probe conſcius, & aëris mutationem, & corporis motum ſub itinere obtinendum, & ipſas acidulas malo ipſius fore convenientiſſimâ. Potavit etiam eas cum tertia lactis caprini parte mixtas cum debito regimine per tres hebdomades; &, cum cutis brachiorum arida eſſet ac aſpera, inſtar pellis anſerum; ac adhuc glandularum ſubaxillarium urgeret intumeſcentia, balneis quoque harum aquarum tepidiſſimis ex conſilio medicorum præſentium uſus fuit. Verum enim vero licet ex horum uſu vires & corpus augerentur, & æger longe melius habere videretur; tuſſis tamen perſiſtebat, & crepuſculi potiſſimum tempore cum rejectione tenuis pituitæ accedebat. Hinc in patriam profectus, puerum ibidem ſuaſu medicorum per binas hebdomades acidulis Selteranis lacti caprino mixtis uti juſſi; quas, cum ipſi conferre viderentur, domum reverſus ad Septembrem uſque hujus anni menſem, interpoſitis ſubinde laxantibus, potare debuit. At pertinax inſiſtebat tuſſis, & menſibus Octobri, Novembrique cum pituitæ viſcidæ rejectione magis invaleſcebat; pulſus ferebatur citatior, carnoſa corporis ſubſtantia conſumebatur adeo, ut jam ſceleto videatur ſimillimus, & hora quinta potiſſimum veſpertina moleſto in capite, manuumque volis ardore, pedum autem refrigeratione ſolicitaretur. Noviſſimam hebdomadem ſub continuo frigoris tranſigebat ſenſu, nec ullo foveri poterat calore; capite tamen manibuſque æſtuantibus. Urinam hactenus minxit citrinam, naturali paullo pallidiorem abſque ulla cuticula hectica & ſedimento: jam autem aurantii coloris cum copioſo ſedimento lateritio redditur.

Cibo-

Ciborum etiam adpetentia, huc uſque ſibi conſtans, jam imminui cœpit; eoſque aſſumtos ſpirandi excipit anguſtia: tuſſi ſæpius excitatur vomitus, eoque languor corporis magis augetur: alvus quotidie ſuo fungitur officio, nondum vero cita fuit; nec ſudores adhuc adparuerunt hectici, niſi qui nonnunquam in capite à tuſſis violentia erumpunt. Neque etiam unquam ſanguinem è pectore reddidit; quandoque tamen è naribus.

In hoc ergo rerum ſtatu revocabantur in uſum ſupra memorata & infuſum theiforme & elixir pectorale: dabaturque pulvis ex lapidibus cancrorum, ſpermate ceti, & ſaccharo cando confectus; à quo & expectoratio facilior, & ſomnus reddebatur quietior. Non minus bis quotidie aquam veronicæ vinoſam hauſit, priuſquam calor accedebat hecticus: hoc vero præſente circa meridiem & veſperam pulverem temperantem ex oculis cancrorum citratis, conchis præparatis & nitro paratum; ſub epulis eſſentiam corticum aurantiorum cum eſſentia gentianæ rubræ mixtam, & tuſſi remittente, mixturam ex tinctura tartari, & ſpiritu cornu cervi ſumſit. Sponte abſtinuit porro à potu cereviſiæ triticeæ, *Brühan* dictæ; & pro potu ordinario decoctum ex hordeo, cornu cervi, liquiritia, aniſo atque fœniculo paratum tepide haurire cœpit, ac ab omni refrigeratione probe ſibi cavet. Tantum autem abeſt, ut ab illis omnibus ullum perciperet levamen, ut vehementiſſima tuſſis omnem eriperet ſomnum: qui dato pilularum de cynogloſſa cum pulvere temperante unico alternis veſperis granulo aliquantulum reſtituebatur. Supervenit inſuper haud ita pridem & illud ſymptoma, quo ſæpius nares & oculi copioſum plorarunt ſerum; & videtur ægro, ac ſi pituita è faucibus in pulmones delapſa tuſſim provocaret, capite & abdomine integris.

Quæ cum ita ſint, & abdomen factu nunquam durum fuerit, nec adhuc eſt: vix crediderim, cauſſam mali in hypochondriis, aut atrophia ex induratione hepatis, vel glandularum abdominis hærere. Neque etiam pulmonum exulcerationem ac veram tabem ſuſpicari poſſum, quoniam nec cruentam, nec ſanioſam æger exſcreavit materiam, nec pectoris doloribus ac difficultate anhelitus infeſtatur, nec rauca clangoſaque voce, tabidis plerumque propria, laborat: & denique nec hæreditariam labem admittere poſſum, cum parentum ejus, fratrumque nullus eo malo detentus fuerit. Cæterum victu utitur molliori; infuſo theiformi cum lacte & ſequenti pulvere in tabe ac hectica admodum laudato: Recipe muſci pulmonalis, herbæ veronicæ, ſcordii ana manipulum unum, radicis liquiritiæ unciam ſemis, radicis hellenii, ſeminis aniſi, fœniculi ana drachmas duas, nucis moſchatæ drachmam unam, macis drachmam ſemis, pulmonum vulpis fœminæ exſiccatorum no. 1. M. f. pulvis ſubtilis, adde ſaccharum ad pondus omnium. S. *Bruſt-Pulver*. Neque vero ullam tulit opem, quam nec balſamum pectorale Meibomii, tantis vulgo commendatum laudibus præſtitit. Quare cum periculum in mora videatur; peto Tuum ſalutare conſilium, & ſcire cupio, quisnam præſens ſit affectus? quæ cauſſa & origo? & quæ adhuc inſtitui queat curatio?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Tuſſim pulmonalem, jure phthyſicam dicendam, quæ filiolum tuum, puerum bonæ indolis ac ſpei cum calore hectico excruciat, haud quidem ex vero ulcere ſeu abſceſſu pulmonum ſuboriri credo, quoniam exſcreatio muci non adeo copioſa obſervatur: ſed potius ex tuberculis ſubſtantiæ pulmonalis ſcirrhoſis proficiſci exiſtimo; unde etiam omnia ſymptomata, tuſſis violenta, calor hecticus ac corporis conſumtio natales ſuos mutuantur. Mali autem hujus remotiores cauſſæ collocandæ videntur partim in aëris frigidioris inſpiratione, præterita hyeme facta; partim in lymphæ ſpiſſitudine, quam tumor ſubaxillaris indicat; partim denique in ſanguinea corporis temperie, teneraque vaſorum & fibrarum conſtitutione, quam crebrius toleratæ olim ſanguinis per nares fluxiones comprobant, & inde ſuborta inſigni ad affectus phthyſicos diſpoſitione atque proclivitate. Namque haud raræ ſunt obſervationes, quod ſola aëris inimici ac frigidioris inſpiratio, corpore potiſſimum calente facta morbos ejuſmodi phthyſicos cum continua & violenta tuſſi ſtipatos produxerit; ut taceam pleuritides veras ac ſpurias ab hac unica cauſſa ſæpiſſime excitatas. Neque minus permulti proſtant caſus, juvenes XV. vel XVIII. annos natos ex tumoribus glandularum pone aures & in collo ſitarum, externis remediis repreſſis aut imminutis, in diuturnam tuſſim ac hecticos incidiſſe calores. Horum notabile exemplum mihi noviſſimo abhinc anno obtigit in juvene XVIII. annorum, tenerrimæ conſtitutionis ac vivaciſſimi ingenii. Hujus enim maxillam obſidebat tumor ingens ac durus, qui, impoſitis à chirurgo quodam variis externis remediis, imminutior quidem reddebatur; diuturnam autem poſt ſe trahebat tuſſim cum calore hectico, ac virium jactura ſtipatam ac demum lethalem. Exinde vero mihi videtur ſimillimum, quod ſicuti hi tumores duri externas corporis glandulas obſidere deprehenduntur; illi quoque internas partes, maxime pulmones occupare poſſint. Et hinc crebra proh dolor! docet experientia, præſtantiſſimos pueros ex atrophicis ejuſmodi ac phthyſicis affectionibus, quæ tantum non ſemper obſtructionibus ac tumoribus glandularum nituntur, præmatura eripi morte. Hæc quoque eodem modo rapuit filium meum natu minimum; qui conſtitutione tenera atque ſanguinea præditus cum poſt corporis incaleſcentiam frigido ſemet expoſuiſſet aëri, ac frigidum potaſſet hauſtum; in moleſtum inciderat affectum, quo aſſumta œſophagum quidem libere ingrediebantur, ventriculum autem intrare haud poterant; quoniam procul dubio glandulæ quædam vel intra vel extra gulam intumefactæ fuerant: abhinc autem atrophia correptus, demum in febrem continuam incidit, eaque extinctus eſt. Inde vero didici, quantum dilecti filii obitus parentibus inferat dolorem; quem Deus abs Te avertat, precor.

Quod autem præſentis mali curationem attinet; eam jam præſtantiſſimis remediis fuiſſe adminiſtratam video: quæ ſane, ſi ulcus quoddam obſederit pulmonum cavitatem, majorem tuliſſent opem, quam re tulerunt vera, cum tubercula potius vel vomicæ præſto eſſe videantur, quæ aſſiduis irritationibus nervoſas afficiunt partes, ac liberum ſanguinis per pulmones circuitum impediunt. Hiſce in caſibus efficaciſſimos deprehendi flores ſulphuris cum antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum & croco permixtos; externe vero ſequens emplaſtrum pectori ac dorſo imponendum: Recipe myrrhæ electæ, ceræ flavæ ana unciam unam, pinguedinis humanæ drachmas ſex, ſpermatis ceti, therebinthinæ ana unciam ſemis.

ſemis, florum ſulphuris drachmas duas, croci, camphoræ, olei aniſi ana drachmam unam. M. f. l. a. emplaſtrum. Hæc vero medicamina in mali principio adhibere ſuevi; quæ num in præſenti filii tui ægritudine adhuc conferant, determinare vix potuerim. Commendarem potius ſerum lactis dulce largius & ad unam cum dimidia menſuram quotidie potandum; quod paratur, ſi lactis vaccini recentis menſura una ſuper prunis ſub continua agitatione ad ſiccam decoquatur conſiſtentiam; tum affuſa aquæ ſimplicis menſura ebulliat; & demum, ut caſeoſa remaneat ſubſtantia, percoletur, ſerumque percolatum bibatur. Quum præterea hæc violenta tuſſis à pituita acri ad laryngis partes nerveas delapſa ſuſtentari videtur; qua ſæpius integer thorax ad convulſivam proritatur tuſſim: haud alienum erit, fauces decocto ex gelatina cornu cervi & radice liquiritiæ parato ſæpius colluere; aut aqua florum ſambuci, cum ſpiritu vini gallici permixta gargariſare, quæ deſcenſum lymphæ acrioris impedire valet. Pilularum de cynogloſſa uſui haud ſubſcribo; ſed in horum locum unum vel duo pilularum de ſtyrace granula veſperi propinare ſuevi; & denique commendo infuſum veronicæ theiforme cum floribus lactis & tantillo nitri ſorbillandum.

## *Ulterior relatio.*

Brevi poſt relatum mihi fuit, ægrum ex commendatis remediis bene habuiſſe, ac urinam reddere cœpiſſe naturali ſimilem; tuſſim autem in eodem perſiſtere tenore: pulſum ferri celerem, & corpus magis magiſque conſumi: contra vero nondum nec alvi profluvium, nec pedum tumores, nec alia funeſta acceſſiſſe ſigna; ſed exſcreatam materiam adhuc ſalivalem, animumque ſub ſpe recuperandæ ſanitatis erectum eſſe. Suaſi igitur, ut laudatæ curationi ulterius inſiſteretur; qua, ſi ſpes adhuc reſtitaret ſanitatis, nullam fore putavi convenientiorem: deinde axungiam canis recentem cum decocto florum hyperici, ſummitatum millefolii, foliorum veronicæ, ſcordii & florum chamæmeli vulgaris ad ſaturatiorem conſiſtentiam decoctam bis quotidie ea, quam cochlear dimidium capit, quantitate ſumendam ordinavi; ac denique futuro menſe Martio fore ut adpareat, quid monſtri alat morbus, exiſtimavi. Et accidit quoque, ut æger per quatuordecim dies ſumma anxietate divexatus, III. Iduum Februarii expiraverit; cujus corpore aperto adparuit, tumorem ſubaxillarem multis continuationibus ſub muſculo pectorali ad ſternum uſque protractum fuiſſe, & induratas glandulas inciſas caſeoſam reddidiſſe materiam. Neque minus in ſecato pectore glandula thymus intumefacta, indurata, eademque caſeoſa ſubſtantia referta in conſpectum veniebat; pulmones pariter caſeoſis tuberculis obſeſſi, rigidi, duri, non collapſi, & multis locis cum pleura obſervabantur concreti. Pericardium durius ac inſtar ſuillæ pellis ſpiſſum, ſterno adhærebat firmiter; ipſum cor ad corporis reliqui proportionem juſto majus erat. Abdomine aperto glandulæ meſenterii haud diſcedebant à ſtatu naturali; ubi autem illud lumborum vertebris adhærebat, tumor tunicaceus, caſeoſa ſaburra repletus pugni magnitudine conſpiciebatur. Hepar naturali majus, nullis nec tuberculis, nec tumoribus fartum videbatur, nec figura ac conſiſtentia à naturali abludebat ordine: nec denique in reliquis abdominis viſceribus præternaturale quidquam adparebat.

---

## CASUS LXXVI.

### *De tuſſi habituali cum panno oculi, ex nativa ſuccorum impuritate.*

Viginti annorum virgo, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis ſtrictioris, animi ſenſibilioris, venis exilioribus prædita, & à prima infantia variis ſcorbuticis affectibus obnoxia, non ſolum matre genita eſt, quæ primis geſtationis menſibus, violenta & abortum minitante tuſſi laboravit; verum etiam nutricem habuit per totum lactationis tempus tuſſi ſolicitatam. Ipſa primo biennio illibata valetudine & inſigni corporis incremento gaviſa, tertio demum anno de tuſſi, & maculis rubicundis oculum ſiniſtrum obſidentibus conqueri cœpit. Hæ magis invaleſcentes, & premente rodenteque dolore ſtipatæ oppugnabantur aqua quadam ophthalmica, penna oculo inſtillata: quæ vero cum ingentem oculi excitaret dolorem & roſionem, cum reliquorum externorum adplicatione omittebatur, & interna magis propinabantur. Verum non tantum maculæ in utroque oculo majus ſumebant incrementum, & exulcerari demum cœperunt; verum etiam dolores accedebant tam immanes, ut aliquando vel ipſa epilepſia ipſis ſuperveniret, per integrum nycthemeron alternantibus paroxyſmis inhærens, omnemque adpetitum profligans.

In hoc rerum ſtatu medicus ordinarius fonticulum in dextro brachio excitari juſſit; eoque effecit, ut rediret viſio, & demum dolores quoque remitterent. Et cum ſic optime haberet tenellula; accidit, ut ex improviſo ſymptomate quodam corriperetur; quo illa, ſi conſederat, nec ſurgere, nec pedibus inniti valebat: ſed & illud adplicato unguento nervino intra aliquot hebdomades debellabatur. Abhinc quintum ſextumque ætatis annum ſub leviori oculorum dolore ac defluxione, & periodica tuſſicula ſatis bene tranſegit: at ſeptimo anno inflammatio oculorum ſuppuratoria cum ardore & dolore adeo recrudeſcebat, ut præ tormentis faciei incumbere deberet; & lacrymæ, ſi has plorabat, præ acrimonia faciem excoriarent. Inflictus iterum fruſtra fonticulus, ſponte collapſus, nihil opis attulit, ſed miſera per tres menſes eo malo excruciata, tandem ope aquæ cujuſdam ophthalmicæ, ab honeſta matrona commendatæ ab eo liberabatur, adeo ut pure conglutinatæ palpebræ aperirentur denuo, & in ſiniſtro oculo pannus tenuis adpareret; tuſſis autem aſſidue inhæreret. Octo annos nata morbillos cum purpura alba & rubra complicatos incidit, ſub quibus non ſolum vehementes toleravit vomitus, verum etiam læſus oculus ſuppuravit, ſuppuratuſque nigricantem ploravit ſaniem. Deſiccatis morbillis atque purpuræ ſupervenit in ſiniſtro brachio effloreſcentia cum inſigni pruritu, ac puſtulis tam fœdis ſtipata, ut mater ſphacelum verita, chirurgum advocaret, qui variis epithematibus fœdam ſerpiginem depellebat, cujus adhuc veſtigia conſpiciuntur. Tum apertis palpebris oculus panno albo obductus & dextro longe minor adparuit. Contra hanc pelliculam variis pugnatum eſt remediis maxime internis; & conſolidato dextri brachii fonticulo alius in ſiniſtro excitatus; qui tamen nec oculi vitio, nec tuſſi perpetuæ levamen afferebat, & proximo abhinc anno coaluit. Remanſere ergo recenſiti duo affectus ad hunc uſque diem, ſub reliqua ſatis integra ſanitate.

Tuſſis

Tuſſis ipſa, quæ olim verno ac autumnali duntaxat recidebat tempore, jam perpetua eſt; olim ſicca, jam humida. Quamdiu lecto immoratur, ab ea immunis omnino deprehenditur; ſimul ac autem ſurrexit, ea corripitur ſatis violenta, donec mucum in pectore viſcidum excuſſerit: tum ab illa libera eſt ad horam uſque veſpertinam quintam. Cæterum adpetentia eſt integra; ſomnus tranquillus; reſpiratio, ſi per acclivia ſcanderit loca, anguſtior; nullus æſtus volaticus, nulli capitis dolores; nulli ſudores nocturni urgent, ſed ad hos nulla eſt proclivitas. Menſes rite fluunt, cruoremque fundunt inſigni acrimonia imbutum; alvus olim obſtructionibus obnoxia, jam quotidie ſuo fungitur officio. Rectæ vivendi rationi pertinaciter inhæret ægra; omnem frigidum aërem, corporis refrigerationem, cibos acidos, atque vinum, tuſſim exaſperans ſummo fugit ſtudio. Tribus abhinc annis pariter, ac noviſſime elapſo Selteranas acidulas cum ſero lactis caprini potavit, ſed ſine regimine; & denique obſervavit, alternis annis utrumque oculum rubore ſuffundi, eumque ex uſu aquæ ophthalmicæ, quam ipſa ex albumine ovi, lapide calaminari & pulvere caryophyllorum præparare ſuevit, protinus remittere.

*Conſultatio.*

Vitia, quæ patitur caſtiſſima virgo, nimirum & oculorum acris defluxio & tuſſis diuturna, raro exemplo ab ipſa nativitate, & utero materno acquiſita eſſe videntur: quæ cum jam inveterata, in alteram veluti naturam degenerarint, communi medendi ratione haud exſtirpabuntur; ſed pro ſui curatione integræ humorum maſſæ depurationem & congruis remediis, & recto victus genere inſtituendam expoſcunt. Quod ſi enim humores acres ſalſi ſcorbutici funditus exturbati, ac lymphatici maxime ſucci benigniores fuerint redditi: tuſſis pariter ac oculorum vitium ſponte remittent. Neque enim dubito, fore ut adhuc viſcera vitalia, maxime pulmones ab omni obſtructione, induratione, vel ſcirrhis ſint libera. Ut ergo à malo ſuo vindicetur, ſuadeo, ut ægra per ſex circiter hebdomades aquis Selteranis, & quidem primum ſolis, dein ultimis tribus ſeptimanis cum lacte aſinino permixtis utatur; earumque tepidarum ſingulo mane menſuram hauriat. Si inciderit menſium fluor, per tres dies à potu dictarum aquarum abſtinere, & deinceps ante inchoatam eam curationem pariter ac poſt eam finitam, nec non ſub ea omnibus decem diebus ſequenti potiuncula corpus purgare oportet: Recipe mannæ electæ unciam unam & ſemis, terræ foliatæ tartari ſcrupulos duos; coquantur & ſolvantur leni calore in aquæ veronicæ unciis quinque, colaturæ addantur extracti rhabarbari grana duodecim. M. d. Pro potu ordinario ſemper potare conveniet hoc decoctum: Recipe radicum altheæ, ſcorzoneræ, glyzyrrhizæ, cichorei, fœniculi ana uncias tres, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana drachmas duas. Conc. cont. d. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam ſunt decoquendæ: præſtat etiam ſub epulis aquas Selteranas, quarta vini generoſi Rhenani parte mixtas haurire. Non minus porro ad temperandam humorum acrimoniam, conſultum erit, alternis diebus veſperi ex decocto avenaceo ſequentem aſſumere pulverem: Recipe lapidum cancrorum, pulveris glyzyrrhizæ, boli armenæ ana drachmas duas, iridis florentinæ drachmam unam, florum ſulphuris drachmam ſemis, olei fœniculi, macis, ſaſſafras ana guttas quatuor. M. f. pulvis, dividatur in duodecim partes. Conveniet ille utrique affectui, quoniam uterque uni cauſſæ, nimirum ſero acri ſcorbutico debetur. Denique vero corpus ac maxime pedes in moderato perpetuoque conſervare oportet calore; cibos acres, ſalitos, acidos ſedulo evitare, alvique aſſiduæ lubricitati ſtudere: cui ſcopo purgantia haud quadrant, ſed potius clyſteres domeſtici, vel pilulæ meæ balſamicæ numero ſex vel ſeptem quandoque ſumtæ facient ſatis.

---

## CASUS LXXVII.

*De tuſſi diuturna ſine pulmonum labe.*

Vir generoſus, quadraginta octo annos natus temperamenti phlegmatico-ſanguinei, corporis robuſti, humorumque pleni, à prima juventute fortiori corporis motui & ſub itineribus, & venationibus indulgens, hinc crebris largiſque ſanguinis è naribus profluviis obnoxius, quotannis autem bis terve ſecandam præbere venam ſolitus, nullis omnino gravioribus ſuccubuit morbis, præter diſpoſitionem ad calculum & podagram hæreditariam. Hujus quidem nullos adhuc expertus inſultus; ab illo tamen per ſeptem jam annos varias toleravit moleſtias. Sed aliquot abhinc annis peculiari infeſtatus fuit febre, quam *ein Fuſſ-Fieber* vocavit: quoties nimirum cunque perfrigeſcebant pedes; dolor prehendebat primum calcaneum, & ab hoc auræ inſtar per dorſi ſpinam ad caput adſpirabat, in ejuſque acerbos terminabatur dolores. Inhærebat hæc moleſtia per dimidiam circiter, vel integram horam; & redibat aliquoties de die: cui ſæpius jungebantur capitis defluxiones ſeroſæ, quæ per infundibulum ad fauces delapſæ ſomnum turbabant, & tuſſim pariter ac coryzam inducebant. Inſuper, quod notatu dignum eſt, quæcunque objecta utrique oculorum non niſi dimidia adparebant. Poſtquam autem Pyrmontanas potare cœpit acidulas; evanuerunt hæ moleſtiæ, capitiſque defluxiones longe mitiores factæ fuerunt; ſed calculi renalis excretio major. Quare præter pediluvia inſiſtebatur uſui earum aquarum; quarum intra ſeptem circiter horas octo libras haurire ſuevit, inde tamen, non niſi bis terve alvum depoſuit; quæ alias ſatis laxa fuit, & à leniſſimarum pilularum doſi quater, quin ſexies ſolvebatur. Præterea autem ſub harum acidularum potu caput ſæpe numero temulentum reddebatur, ac ſi vino fartus eſſet: ſub quo etiam ante aliquot annos accidit, ut mane expergefacto fauces coagulato cruore repletæ fuerint; quod ſymptoma abhinc ſæpius recidit: & meo quidem arbitrio hæmorrhoidum ex palato profluentium nomen meretur. Neque enim ullis ſtipabatur moleſtiis hæc ſanguinis extravaſatio; ſed ex palato, ejuſque ſiniſtra magis parte prope uvulam abſque omni dolore, & inſigni levamine prorumpere videbatur.

Anno 1727. circa Paſchatos ferias incidit æger in violentam tuſſim, cum dorſi doloribus pungitivis, ſpaſmodiciſque, pectus verſus, magiſque deorſum tendentibus, & anhelitus difficultate: verum datis remediis convenientibus, & evaneſcebant dolores, & remittebat aliquantulum tuſſis. Huic penitus exſtirpandæ cum Pyrmontanæ acidulæ nimis violentæ viderentur, Junio dicti anni menſe

Selteranæ opponebantur; nec ſpem fefellerunt, niſi quod tuſſim nondum ſuſtulerint. Hac enim durante, calculi dolores aberant: qui cum autumno recrudeſcerent, tuſſim quidem ceſſaturam credebat æger; illa tamen nihilo minus perſiſtebat paullo mitior. Præterea ſub inimica tempeſtate coryza, & auditus, maxime in dextro latere ſuccedere cœpit difficultas; quæ cruore per nares erumpente, protinus levatur. Fluit autem è naribes ſæpe numero ſanguis; etiamſi ter quotannis ſecetur vena, ac ſemper octo cruoris mittantur unciæ. Noviſſimo abhinc anno loco Selteranarum iterum Pyrmontanas potavit aquas; quæ tuſſi nullam tulerunt opem, ſed calculo duntaxat quaſdam induxerunt inducias. Ille vero nihilo ſecius recruduit iterum, & huc uſque cum ſabuli, & calculorum rubicundorum excretione per intervalla adfligit. Redierat præterea octo abhinc diebus, illud oculorum ſymptoma, quo objecta videbantur non niſi dimidia; tuſa autem vena iterum evanuit. Sanguis detractus cuticula mucoſa obductus fuit, ſub qua coagulum ſeroſum tenax, nullo rubore tinctum adparuit inter reliquum cruorem.

Quod vitæ genus, quo utitur ægrotans, attinet: haud ignorari oportet, illum poſtquam hora quinta, ſexta vel ſeptima matutina è lecto ſurrexit, quædam vaſcula infuſi theiformis vel potius Caffée ſorbillare, Tabacumque, quem vocant Canaſter, fumo reddere ſolere; deinceps jejunum officiis fungi, ac denique hora undecima eximia adpetentia prandere. Pro potu ſub epulis cereviſiæ menſuræ quartam partem, vini Moſellani menſuram, ac binos circiter hauſtus Hungarici vel Gallici aſſumere ſuevit. Abhinc corporis movendi cauſſa pila ludere ſolet in menſa luſoria, quam vocant billard: tum hora quarta Tabacum iterum fumat, ſimulque unam circiter cereviſiæ menſuram bibit; veſperi hora ſeptima cœnæ indulget inſigni pariter adpetitu, ſub eaque iterum præter cereviſiam vini Moſellani menſuram haurit. Hora denique decima lectum conſcendit, ſupinuſque dormit; ſub quo decubitu ſæpius pituita ad fauces deſtillare, ſomnumque turbare deprehenditur. Verum ſub tam diuturna tuſſi loco Moſellani vini Hungarico uti cœpit; & demum ambulando, vel equitando corporis exercitio probe ſtudet. Cæterum tuſſis vel ab aëre frigido, vel victus errore inſigniter exacerbatur; & veſpertino potiſſimum tempore haud raro excitare ſolet vomitum.

Idcirco jam doceri avet: 1. num hæc diuturna tuſſis à pulmonum vitio dependeat; an funditus exſtirpari queat; anne periculoſioribus malis viam ſternere poſſit? 2. Unde oriatur oculorum ille adfectus, quo dimidia cernuntur objecta; quidve præſagiat? Quodnam judicium & quæ prognoſis ex coagulo mucoſo, cruori inexiſtente ſit ferenda? 4. Qua ratione hæc ſymptomata commode debellari, aut præcaveri poſſent? 5. Num adventante vere thermis vel acidulis, & quibuſnam, vel Pyrmontanis vel Selteranis uti liceat? & 6. quid denique circa diætam ſit monendum.

*Conſilium.*

Variæ ſunt, quibus Generoſiſſimum virum vexari, litteræ tuæ me docuerunt ægritudines; ut enim ſilentio prætereaam ſtatum illius plethoricum, qui partim ex habitu corporis robuſto, ſpongioſo & turgido, partim crebris narium hæmorrhagiis & olim & jam jam circa æquinoctia ſæpius accedentibus, partim ex lauta vinoſaque diæta eluceſcit: perſpicio ipſum jam per ſeptem annos doloribus ex calculo laborare, cui ex hæreditaria labe obnoxius eſſe videtur. Deinde diuturna & annua tuſſi, cum pectoris preſſione, & pituitæ rejectione ſolicitari ipſum legi; qua præſente antea calculi dolores remiſerunt, jam vero ſimul urgent, tuſſi paullo mitiori. Tum adhuc ſingulares duas, quibus infeſtatus eſt, adfectiones percepi; quarum prima in capitis dolore, vertigine, ac eo oculorum adfectu, quo omnia dimidia adparebant; altera in cuticula viſcida ſanguinem è vena miſſum inveſtiente, & ſub illo contento coagulo mucido, nucem avellanam magno conſtiterunt. Nec denique minus intellexi, quæ remedia hiſce malis fuerint oppoſita; quorum effectus cum voto nondum reſponderit; meum imploratur jam conſilium, ac imprimis quædam proponuntur quæſtiones.

Ut ergo ad earum primam reſpondeam; tuſſim equidem illam diuturnam haud ex phtyſica exulceratione vel læſione pulmonum; ſed potius vaſorum ac veſicularum, quæ pulmones conſtituunt, membranacearum nimia atonia proficiſci arbitror; qua fit, ut humores vitales in eorum vaſa ac bronchia majori copia irruant, ibidem ſtagnent, eaque ad ſtricturas ac commotiones tuſſiculoſas proritent. Major autem ille humorum ac pituitæ ad pulmones affluxus variis debetur cauſſis: primum enim æger cibis nutrientibus, & multos humores generantibus, iiſque majori, quam ventriculus concoquere valet, copia veſci videtur; ex quibus deinde tam multi humores generantur, ut pro ea quantitate tranſpiratio inſenſibilis non fiat ſufficiens, maxime ſi ab aëre humido vel frigido, præſertim veſpertino adhuc magis impediatur. Tum quoque pedes forſitan haud probe muniuntur à frigore; ex quorum ſola refrigeratione non tantum totius corporis perſpiratio perturbari, verum etiam humores ad loca debilia, quæ in noſtro caſu renes potiſſimum ſunt atque pulmones, compelli poſſunt, & frequentiſſime ſolent.

Quod deinceps attinet ſymptoma illud oculorum, de quo in altera quæſtione exponitur; illud haud raro obſervavi in hominibus, ubi humores ex partibus externis frigore conſtrictis ad interiores atque ſuperiores fuerunt rapti. Haud enim ignorari oportet, capaciſſimos arteriæ carotidis, ſanguinem ad caput vehentis ramos, prope nervos opticos eſſe ſitos: qui cruore farti ac expanſi hos comprimunt, & æqualem fluidi nervei in partes viſioni ſervientes influxum remorantur; unde & vertigines, & viſio læſa, qua objecta adparent dimidia, proficiſcuntur. Hanc vero jam remiſiſſe affectionem gaudeo, & inde nimium humorum ad caput impetum fuiſſe fractum colligo; qui ſolus ſufficere poteſt ad reſolutionem nervi optici, ac ipſam guttam ſerenam inducendam.

Juxta tertiam autem quæſtionem, mucum in ſanguine obvium à crudo ac illegitimo chylo, læſæ ſanguificationis ſobole originem trahere arbitror: dum enim calor nativus languet, ac vigor motuum vitalium deſtructus eſt; non rite depuratur chylus, ſed craſſior manet, taliſque etiam ſanguinem ſubintrat, eumque reddit mucidiorem. Hi quoque viſcidi mucoſique ſucci, ſi in pectore vel renibus ſtagnaverint, ac in coagulum abierint, calculoſas progenerant concretiones.

Quæ cum ita ſint, & uterque morbus, nimirum & tuſſis humida, & calculi dolores, à ſtagnatione humorum crudorum in pulmonibus pariter ac renibus

nibus relaxatis dependeat ; hæc vero ſtagnatio à majori eorundem humorum, quorum ſalutaris per cutim excretio impedita fuit, ad dictas partes debiles appulſu natales ſuos mutuetur : facile patet, omnem felicis curationis vim ac ſcopum iis indicationibus, ut nimirum tranſpiratio promoveatur, bonus chylus generetur, ac relaxatis partibus debitus tonus ac robur reſtituatur, omnino abſolvi. Et ſi candide meam aperiam mentem ; omnes hi ſcopi recta ac pertinaci vivendi ratione longe facilius impetrari poterunt, quam ſolis multiſque pharmacis ac chymicis medicaminibus.

Ante omnia igitur curandum eſt, ut corpus & maxime pedes in æquali conſerventur calore ac perpetua tranſpiratione ; hinc nunquam nudi ſint, ſed & noctu tibialibus goſſypinis induti. Namque cum & pater ægrotantis podagra laboravit, & ipſe æger à refrigeratione pedum, eorum quodam olim adflictus fuit affectu, quem vocavit *ein Fuſs-Fieber* : vero eſt ſimillimum, tranſpirationem in pedibus, ſpaſmodica diſtentione conſtrictis eſſe impeditam. Et ſi forſan aliquando ipſa podagra vel hæmorrhoidum fluore corriperetur æger, quas tamen excretiones inferiorum partium refrigerationes remorari videntur: haud dubito, quin & pectoris & renum affectiones ſi non penitus, attamen aliquantulum remiſerint. Deinde vero Tabaci parcior uſus, licet mane æque ac veſperi concedi queat ; tamen meridiano tempore plane non quadrat, & vim digeſtivam magis labefactat. Non minus probe cavere oportet ægrum generoſiſſimum, ne aëri liberiori ac frigidiori, mane vel veſperi, maxime vernali & autumnali tempore ſemet exponat: ille enim poros corporis, ut ut veſtibus induti, facillime penetrat, aut per inſpirationem attrahitur, & ſic totum nervoſum genus, maxime pulmones afficit atque debilitat. Neque denique regulis exactæ diætæ conveniens eſt, ſub epulis integram menſuram Moſellani, & quoſdam Hungarici vini potare hauſtus : licet enim non omnem in hoc affectu potum vini denegaverim ; attamen haud adeo largus eſſe debet, quippe quod ſanguineam nimium commovet maſſam, eamque ad ſubeundum vaſcula minima, ideoque debitis excretionibus omnino reddit ineptam.

Quod vero deinceps ad ipſam curationem attinet ; ipſi convenientiſſimæ erunt acidulæ. Has inter Selteranæ affectibus pulmonum atque calculoſis admodum opportunæ quidem obſervantur ; ſed vereor, ne in præſenti ſubjecto valde ſpongioſo, multoque muco abundante, hunc minus ſufficienter ſubduxerint : quod licet à Pyrmontanis ſperari poſſit, hæ tamen ob copioſum, quod fovent ſulphur, nec capiti nec pectori ſunt amicæ. Quamobrem ſuadeo, ut æger primum per binos dies hauſtis aquis ſedlicenſibus, tum per decem dies potet Selteranas ; & has aquas ita quatuor vel quinque vicibus alternet : ſimul vero uſum & Elixirii pectoralis, & pilularum balſamicarum quavis ſemel hebdomade interponat. Illud parari poteſt ex eſſentia corticum aurantiorum, pimpinellæ, gentianæ rubræ, tincturæ tartari, quibuſdam olei de cedro & macis guttulis, & aliquot extracti croci granis : harum vero loco pilulæ meæ balſamicæ cum extracto croci permixtæ egregiam ferent opem. Nec ludetur opera, ſi æger thermis Carolinis, maxime molaribus per tres vel quatuor hebdomades uſus, balnea Tœplicenſia per octo dies intraverit : quippe quæ remedia in illis affectibus deprehendi præſtantiſſima. Et quo denique calculoſæ ac mucidæ renum ſordes ſubducantur ; conſultum erit, bis quavis hebdomade drachmam dimidiam pulveris ex lapidum cancrorum, & terræ foliatæ tartari æquali pondere parati aſſumere. Quæ ſi rite obſervaverit generoſiſſimus ægrotans ; de felici eventu haud dubito.

---

## CASUS LXXVIII.

### *EXHIBENS CONSILIUM.*

### *In ſuſpicione labis pulmonum ex tuberculis ſcirrhoſis.*

GEneroſa mulier, XXII. annorum, ſtaturæ mediocris, corporis tenerioris, magis ſtricti quam obeſi, pallido vultu ac venis exilioribus prædita, vitæque addicta ſedentariæ, anno ætatis decimo quinto primum menſes experta fuit : qui tum ſemel erumpentes, iterumque per unum cum dimidio annum ſuppreſſi, abhinc ſtato tempore redire ſueverunt, ac mediocri quantitate per quatuor ſemper fluxerunt dies. Præterea ſpirandi anguſtiæ obnoxia, & quondam febrem tertianam perpeſſa, tribus abhinc annis matrimonii leges ſubiit, & protinus utero concepit. Duos menſes gravida, poſt prævium lenteſcentem calorem incidit in febrem continuam, veſpertino potiſſimum tempore exacerbatam, & cum ardore manuum moleſtiſſimo, ingenti ſiti, capitis doloribus, aſſiduis vigiliis, anhelitus difficultate, fauciumque inſigni æſtu ſtipatam. Hæc cum per quatuor inhæſiſſet hebdomades ; parcus è vena in dextro brachio fuſa detrahebatur ſanguis, colore admodum niger, & cruſta albicante inflammatoria obductus : ulteriorem enim hujus effluxum animi defectio, qua corripiebatur, impedivit. Tum vero ſpaſmodica pectoris conſtrictio, difficilis ſpiratio, mentis defectiones, puncturæ lateris ſiniſtri in regione cordis, hujus palpitationes, præcordiorum anxietates, tuſſis ſicca, & ſæpius totius corporis refrigeratio accedebant. Hæc ſymptomata demum ſub multis conatibus, puncturis pectoris, refrigerationibus, æſtu volatico totius corporis, deliquiis, ac omnium membrorum conſtrictionibus excipiebat excretio materiæ primum aterrimæ, ſpumoſæque, deinceps lividæ, & ſtriis permixtæ ſanguineis : ſub qua ardens ſenſus os, fauces, & aſperam arteriam obſidens, ad cordis uſque ſcrobiculum propagabatur, ac cuticulam oris internam excoriabat. Tribus poſt menſibus remiſit quidem hæc moleſta expectoratio : at difficultas ſpirandi per totum geſtationis tempus, cum perpetua alvi ſegnitie, clyſteribus ſublevanda adfligebat. Neque tamen minus partum feliciter enixa, cruorem uterinum quidem reddidit parciorem ; neque vero lacteo, ut vocant, horrore, nec ulla mammarum moleſtia infeſtata fuit. Binis à partu hebdomadibus autem poſt corporis refrigerationem, præviis cervicis, abdominis, brachiorum, pedumque ſpaſmodicis ſtricturis, æſtu ac lipothymiis corripiebatur iterum febre acuta irregulari : quippe quæ primum per integrum nycthemeron excrucians, dein per quatuor dies remittens, tum denuo per biduum inhærens, tandem in vertiginem, ſpirationis anguſtiam, lateris puncturas, & partium ſpaſmos deſinebat. Accedebant inſuper ſub ipſo puerperii tempore hæmorrhoides cœcæ : & tribus poſt

illud

illud menſibus, prævio ex infantis obitu mœrore ſuperveniebant tremor totius corporis, crebra mentis deliquia, gelidus corporis rigor, atque raucedo vocis: quam poſtridie eructatio pituitæ nigræ, lividæ, ſtriiſque cruentis intermixtæ excipiebat; & poſt octo circiter hebdomades recidebat. Hinc menſe Junio anni 1728. acidulæ Selteranæ, irregulari regimine potabantur, earumque dimidia lagæna mane hauriebatur tepide; quæ expectorationem quidem imminuebant; verum, utut acuatæ ſæpius uncia ſalis Sedlicenſis, non moverunt alvum; ſed vertiginem, lateris puncturas, reſpirationem anhelam, quin & pedum induxerunt tumores. Neque etiam mirum: nam neque ante hanc curationem, neque ſub ea ipſa ulla dabantur laxantia, licet alvus ſemper fuerit obſtipata. Hinc tribus abhinc menſibus recruduit iterum moleſta exſcreatio, mitioribus autem ſymptomatibus juncta; & denique ſub initium menſis Decembris dicti anni laterum puncturæ, artuum extremorum torpor, atque tremor, capitis dolores, vertigines, raucedo, dolores pectoris, narium obſtructio ac alvi ſegnities acceſſerunt. Tuſſi præterea ſatis parva quantitate, quæ per integrum nychthemeron vix cochlear implet, matutino maxime tempore excutitur pituita alba, ſpumoſa, muco tenaci, livido vel rubicundo & ſtriis cruentis permixta, aquæ ſupernatans nec facile ſolvenda. Quæ cum ita ſint; ſalutare anhelamus conſilium ac doceri avemus, quinam ſit præſens morbus, quæ illius ſedes ac origo, quæ mala præſagiat, an funditus exſtirpari poſſit, quibusnam oppugnandus, ac à majoribus malis præcavendus ſit remediis; & num laxantia vel venæ ſectiones adventante vere vel autumno in uſum vocare conferat?

*Conſilium.*

Morbum, quo generoſa laborat mulier, ipſi pulmonum labi, ac præcipue tuberculis ſcirrhoſiſque in veſiculari & vaſculoſa eorundem ſubſtantia collectionibus natales ſuos debere; & hinc quoque violentæ tuſſis, ſingularis expectorationis, ac ſpirandi difficultatis rationem dependere arbitror. Hæc vero labes ac diſpoſitio pulmonum ad recipiendam humorum ſtagnationem atque obſtructionem jam ex graviditatis tempore, quo pleuritide quadam ſanguinolenta cruciata fuit, inducta eſſe videtur. Neque minus vel ex calore lenteſcente, motibuſque febrilibus eluceſcit, maſſam ſanguineam in noſtra ægrota ſuccis impuris, ſcorbuticis, quin & purpuraceis eſſe coinquinatam: & denique ipſam genere nervoſo admodum debili ac imbecillo gaudere, non ſolum ex teneriori corporis textura ac habitu, ſed etiam eximia ad animi adfectus, deliquia, & artuum dolores proclivitate vero ſit ſimillimum. Quam ob rem ſi felici curationis fine potiri velimus; cavendum probe ab omnibus fortioribus remediis, ne iis malum exacerbetur magis. Neque ideo venæ ſectionum adminiſtrationi calculum addere poſſum: niſi forte menſtrua purgatio parcior, & pro ſanguinis abundantia, quam ex pulſus magnitudine cognoſcere licet, minus ſufficiens fuerit. Tum enim adhibitis per aliquot dies pediluviis, ſanguis triduo circiter ante menſium eruptionem ex vena in pede tuſa, unciis quatuor detractus, omnino pollicetur inſignem fructum. Præterea vero omnes curationis nervos eo oportet intendere, ut nimius humorum impetus à pectore derivetur; ne exinde ipſa pulmonum exulceratio, tabes ac hectica febris ſuboriantur. Hoc fine operæ erit pretium, alvi lubricitati ſtudere: eamque minime purgantibus tentare, ſed potius cibis emollientibus, acorem lenientibus, ac blande laxantibus, veluti ſunt paſſulæ minores ſub epulis quandoque capiendæ, aut pruna, pomaque Borsdorffienſia cum paſſulis decocta, ac veſperi aſſumenda, moliri; vel etiam clyſteribus domeſticis ex decocto avenaceo, floribus chamæmeli, ſale & melle confectis blande ſubducere. Neque ludetur opera, ſi ſingulis circiter decem vel quatuordecim diebus devoretur potiuncula laxans, qualis eſt hæc: Recipe mannæ electæ unciam, rhabarbari electi ſcrupulos duos, terræ foliatæ tartari ſcrupulum: coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quatuor. M. d. S. *Laxier-Tränckchen auf einmahl.* Egregiam porro virtutem exſerent pediluvia tepidiora ex aqua fluviatili, furfuribus tritici, & tantillo cinerum clavellatorum concinnata, ſæpius adhibenda: & cum magna vis in potu ſita eſt, præſtat per aliquod tempus ab omni cereviſia abſtinere, & pro potu ordinario hoc decocto, ſanguinem edulcorante uti: Recipe radici. chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, cornu cervi raſpati ana uncias quatuor, radicis glyzirrhizæ, fœniculi, cichorei ana unciam. M. c. d. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes coquendæ ſunt. Conteret pariter ad humorum acrimoniam attemperandam alternis diebus veſperi ſequentem aſſumere pulverem: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmam, nitri puriſſimi drachmam ſemis, extracti croci grana ſex. M. f. pulvis, div. in ſex partes æquales. Mane infuſum theiforme ex veronica & liquiritia paratum potare convenit; & denique corpus in æquali calore conſervare, moderato exercitio movere, & ab omnibus animi commotionibus cavere expediet. Quod ſi acrimonia nimium vellicaverit pectus, & tuſſis violentior exſtiterit; olei amygdalarum dulcium recentis eam, quam cochlear capit quantitatem, cum totidem ſyrupi capillaris permixtam quandoque ſorbere, haud erit inutile; &, ſi ventriculus tulerit, cum infuſo commendato lac haurire. Adventante denique vere acidulæ Selteranæ cum lacte aſinino ſub debito regimine potatæ, egregium ferent emolumentum. Placeat autem Deo, hæc quæ ſcripſi, ſalutarem adipiſcantur finem.

---

## CASUS LXXIX.

*De phthyſi pulmonali funeſta.*

POſtquam ipſis Julii Calendis anni 1730. ad virum quendam celeberrimum accitus, ægritudinem illius inveſtigavi; deprehendi ipſum tabeſcentia corporis, viriumque languore, calore depaſcente, lento, magis hectico laborare. Violenta nimirum, noctu præſertim ſollicitatur tuſſi, qua multo anxioque conatu pituitam è pulmonibus, licet mobilem, uti ex roncho ſibi oque pectoris adparebat, exſcreare debet, fœdam lividamque. Ipſe ſentit in latere pectoris ſiniſtro, preſſionem tenſivam, mucum reſolventem; qui majori redditur copia, ſi ſupinus decumbat: neque unquam ſanguinem ſputo reddidit, niſi ante aliquot dies ſtrias cruentas muco commixtas. Adpetentia fruitur perquam exigua; ſomno turbulento, à valida tuſſi

magis

magis turbato; vires dejectæ penitus, ut nec in hypocauſto obambulare queat; pulſus celerior & languidus; capitis vero nulli dolores; urina redditur ſaturato rubore tincta, turbida abſque ſedimento; alvus quotidie ſuo fungitur officio; ſitis exigua urget, & quædam faucium ariditas; & denique animo eſt admodum ſenſibilis.

In hoc rerum ſtatu conſuluerat ante aliquot tempus D. D. S. qui pulmones jam ulceroſos reputans, ægrum per decem dies aquis Selteranis uti; ab omni vino ac cereviſia abſtinere, & in horum locum decoctum ex radicis chinæ unciis quatuor, & paſſularum majorum unciis octo paratum potare juſſerat: & ad tuſſim demulcendam ac pituitam in pectore hærentem reſolvendam, linctus ex ſyrupo altheæ Fernelii, de Eryſimo Lobelii, capillorum veneris ordinaverat; nec non ad roborandum ventriculum propinaverat ſub epulis elæoſaccharum, quod, uti judicare potui, olea deſtillata calidiora v. g. cinnamomi, caryophyllorum &c. habuerat. Imperaverat quoque pertinacem victus obſervationem; curamque lactis vaccini, uti & hoc in juſculis cum vitellis ovi paratis ſumendum commendaverat. Cum autem ex hac curatione nullum morbo accederet allevamentum, ſed majus potius corporis ac virium decrementum: meæ curæ ſe tradidit æger. Erat ille quadraginta annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis texturæ teneræ ac mediocris, ingeniique olim admodum vegeti. Inſuper à juventutis annis vino, ſpiritui vini, & Tabaci fumo ad abuſum indulſerat; & olim gonorrhœa, quæ, cum conjugium in juventute ipſi prohibitum fuiſſet, procul dubio à retentione & hinc orta corruptione ſeminis originem traxit, laboraverat. Neque minus multis catarrhalibus pectoris defluxionibus antea ſolicitatus fuit; quæ nonnunquam obſtructæ gravativum in fronte dolorem produxerant, & non niſi excretione fruſtorum mucidorum è naribus facta ſolutæ fuerant. Ipſe quidem ſe nunquam paſſione hypochondriaca affectum fuiſſe affirmat: verum tamen, cùm conſiderem, quod alvus olim ſæpius obſtructa, concoctio ciborum admodum debilis, mente aliquot abhinc annis ſemper triſti ac ſolicita, & variis animi mœroribus affectus fuerit; non poſſum, quin ipſum omnino eo malo laboraſſe credam; cui diuturna tuſſis acceſſerat.

Quamobrem commendatam à D. D. curationem omnino adprobare haud potui; ſed potius lac aſininum, primum cum acidulis Selteranis mixtum, dein ſolum per binos circiter menſes potare juſſi. Pro potu ordinario commendavi decoctum ſequens: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, ſeminis fœniculi unciam ſemis. Conc. Cont. d. S. Species, quarum binæ unciæ cum hordei manipulo in aquæ tribus menſuris per tres horæ quadrantes decoquantur. Selteranas enim aquas, quas cum quinta vini Rhenani parte mixtas eidem ſcopo propoſueram, æger ob vini faſtidium, potare recuſavit. Deinceps ad roborandum ventriculum propinavi hanc mixturam: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum drachmas tres, ſpiritus nitri dulcis drachmas ſex. M. d. S. mixtura, cujus LXXX. guttulæ ſub epulis ex commendato decocto aſſumendæ ſunt.

Hinc, accedente VIII. Cal. Aug. aſina, corpus purgavi pulvere ex mannæ depuratæ uncia, cremoriſque tartari drachma confecto, & mane ex decocto avenaceo propinato; qui ter ſubduxit alvum. Tum VI. Calend. Auguſti aquas Selteranas cum lacte aſinino potare cœpit; & quidem primum ſingulorum tepidorum quartam menſuræ partem; reliquis diebus menſuram dimidiam mane hauſit; ac hora meridiana quarta menſuræ duntaxat quartam partem aſſumſit. Bono etiam fiebat omine, ut, cum antea ob ciborum faſtidium ac continuam tuſſim omnia reddiderit vomitu, jam tamen aquas illas lacti nuptas commode retinere potuerit: neque minus poſt earum per ſex dies adhibitarum uſum, ſitis ſedari, alvus lubrica fieri, & urina ab intenſa rubedine in aurantium colorem abſque ſedimento, quod antea copioſum deponebatur, commutari cœpit. At vero cum tuſſis magis ingraveſceret, omnemque ferme ſomnum eriperet; ad hanc demulcendam ſæpius exhibui hunc pulverem: Recipe ſpermatis ceti recentis, ſacchari candi albi ana unciam ſemis, pulveris croci orientalis ſcrupulos duos. M. f. pulvis ſubtiliſſimus.

Sexto Nonarum Auguſti averſari cœpit* aquas minerales lacte permixtas; hinc illas minori quantitate potavit: externe vero naribus admovendum accepit hunc ſpiritum: Recipe aquæ apoplecticæ drachmas tres, Anhaltinæ, ſpiritus anthos ana drachmas duas, liquoris volatilis oleoſi Sylvii drachmam unam & ſemis, balſami vitæ Hoffmanni drachmam dimidiam, olei deſtillati lavendulæ guttas decem. M. D.

Verum enim vero increſcebat tuſſis magis magiſque, ac noctem, quæ præceſſerat IV. Nonar. Aug. plane reddebat inſomnem: cui ſopiendæ ordinavi hunc pulverem: Recipe margaritarum occidentalium præparatarum, ſpecierum diatragacanthæ frigidarum recentium ana drachmam, nitri depurati grana XV. M. f. pulvis, div. in tres partes, quarum cuilibet adde maſſæ pilularum de ſtyrace grana tria. M. D. & hora octava veſpertina ſingula ex emulſione exhibeatur. Nec ſpem fallere videbatur hic pulvis; inſequutam enim noctem æger placido & nulla ferme tuſſi interrupto tranſegerat ſomno; ſed eo violentior illa rediit III. Nonar. Aug. hora XIma meridiana, cum tam difficili muci ſcreatu, ut metus adeſſet ſuffocationis. Hinc præter commendatos pulveres, gelatinam cornu cervi, & flores lactis veſperi inter juſcula ſumendos; externe fauces aqua vino & ſaccharo permixta ſæpius colluendas; & ad roborandum fibrarum pulmonalium tonum, cujus relaxationem pro cauſſa exſcreationis difficilis habebam, ſequens emplaſtrum & pectori, & dorſo inter ſcapulas admovendum curavi: Recipe pinguedinis humanæ recentis drachmas tres, ſpermatis ceti, therebinthinæ ana drachmas duas, myrrhæ electæ, ceræ flavæ ana unciam ſemis, florum ſulphuris drachmam, olei aniſi, camphoræ, croci orientalis ana drachmam ſemis. M. f. l. a. emplaſtrum, extendatur ſuper duo lintea. Neque denique minus uſum lactis jam duabus partibus cum una aquæ mixti continuari juſſi.

Ipſis Nonis Auguſti, & ſequentibus diebus varia ſe monſtravit urina; mox enim pallida & ſedimento ſubtili, furfuraceo, inſtar albuminis ovi imbuta; mox coloris magis aurantii & tum nullo ſedimento conſpicua erat: ſomnus quoque hiſce diebus ſatis tranquillus manſit; nec ullus ſudor colliquativus, nec diarrhœa adhuc acceſſerunt. Contra vero tuſſis continuat vehementiſſima, & ut libere dicam, ſub hac curatione magis invaluit; licet mucus jam facilius reſolvatur, ob virium tamen ſummam proſtrationem haud commode exſcreari poſſit. Calor ſiccus hecticus eodem perſiſtit tenore; & ſub hac curatione aliquantulum alternare videtur; pulſus paullo vegetior fertur; ſed vires dejiciuntur magis. Tenſiva in ſiniſtro latere preſſio, quæ primum aderat, jam remiſit; ſicuti quoque

que tuſſis magis imminuta eſt: contra vero finito ſomno fauces ſunt aridæ, & labia aſperitate quadam, fiſſuras minante occupantur, quam ſublevat inuncto amygdalarum oleo. Nec ignorari oportet, ægrum hoc tempore ab omnibus abſtinere cibis, & ſolo lacte cum aqua eſſe contentum; quoniam hoc retinere, illos autem protinus vomitu debet reddere. His omnibus VII. Iduum Auguſti raucedinis vox & ſenſus in pectore, ore ac faucibus acceſſit cum deglutitionis impedimento: inſpectæ fauces circa uvulam adparebant leviter inflammatæ, abſque ullo tumore, ulceratione vel excoriatione; hinc dabatur ſequens linctus: Recipe mucilaginis ſeminis pſyllii, radicis altheæ, gummi tragacanthi albi ana drachmam, olei amygdalarum recenter expreſſi, ſyrupi violarum optimi ana unciam ſemis, ſpermatis ceti recentis, ſacchari candi albi ana drachmam, croci orientalis optimi ſcrupulum. M. D. S. linctus, cujus quædam portio in ore probe volutata, deglutiatur ſenſim. Cæterum averſatur gelatinas, juſcula, flores lactis &c. nec aſſumſit commendatum Elixirium ſtomachicum, cum nullis veſcatur cibis.

Jam igitur variis inductus rationibus decrevi, ægro ſolum lac aſininum, omiſſa aqua propinare: nam 1. brevi ante jam recenſitam curationem ille ſolis Selteranis acidulis uſus inde percepit levamen, 2. deinde perſuaſus ſum, iis acidulis hucuſque cum lacte potis, vaſcula muco obſtructa jam ſatis reſerata, ac humorum acrimoniam attemperatam eſſe; hinc quoque 3. lac aſininum feliciori eventu reſerata ea vaſcula ingredi, ac quæ adhuc reſtaret, acrimoniam obtundere poſſe: præcipue 4. lac illud, dum ſubtili ſua caſeoſa, vel magis mucilaginoſa ſubſtantia, omnes humorum ſalinorum aculeos obtundere valet, tuſſi illi pertinaci atque raucedini eximiam laturum opem ſpero; eo magis cum 5. lac aſininum ſufficienti polleat ſero, nec ideo opus ſit, ut magis diluatur aquis, iiſque ſubſtantia lactis caſeoſa diſſolvatur. Non minus 6. ſæpius memoratas acidulas raucedinem æque ac tuſſim exacerbaſſe puto; eaſque tandem 7. corpori calore hectico ac humorum acrimonia magis conſumto minime proficuas; hinc lactis aſinini ſolum uſum admodum opportunum judico.

Verum enim vero cum ægrotus meis conſiliis aures dare recuſavit, nec ſolo lacte vehementiſſimam tuſſim ſublevatum iri credit: tuum, vir illuſtris, anhelo conſilium, ac doceri aveo, quæ in hoc rebelli malo ulterius ſint adhibenda.

*Conſilium.*

Legi diligenter, quæ mihi de valetudine adverſa viri conſultiſſimi perſcripſiſti: optaſſem autem, ut certam reconvaleſcentiæ ſpem polliceri poſſem. Credo enim, veram ac radicatam jam ſubeſſe tabem pulmonalem; quam non ſolum ingens virium proſtratio, & corporis contabeſcentia; verum etiam omnis fere adpetitus dejectio, ac æſtus lentus hecticuſque teſtatam faciunt. Cauſſa hujus mali omnino in pulmonum vitio hærere, & maxime in tuberculis ſeu vomicis caſeoſa materia repletis, atque ſiniſtrum lobum obſidentibus ſita eſſe videtur: ex quibus etiam diuturna, magis ſicca, quam humida, omnemque ſomnum atque vires peſſumdans tuſſis originem ſuam mutuatur. Notatu vero dignum eſt, hancce tuſſim à largiori lactis aqua Selterana permixti potu magis fuiſſe exacerbatam; cujus ratio hæc eſt: quandocunque ille liquor celerius ac copioſius per ductum thoracicum, ac dextrum cordis ventriculum in pulmones delatus, libero per minima horum vaſcula obſtructa progreſſu deſtituitur; fit inde, ut tunicæ bronchiales pariter ac pulmonum veſiculæ magis infarciantur, vellicentur, & ad has violentas & tuſſiculoſas proritentur concuſſiones. Hinc etiam in iſtis caſibus nec demulcentia nec anodyna remedia ullum præſtant allevamentum. Neque enim habeo, quæ circa curationem, abs Te inſtitutam monere poſſim; quippe quæ & morbo & ipſius cauſſæ admodum fuit accommodata: nec etiam dubito, quin ſi dictam eam curationem ſub mali principiis adhibuiſſet prior medicus, illa obſtructiones pulmonum reſerari potuiſſent; id quod omne curæ momentum abſolvit.

Peſſimum jam, quod nos male ſperare jubet, ſymptoma eſt, averſatio ab omnibus cibis, etiam nutrientibus, & deinceps raucedo faucium; quippe quæ inſignem lymphæ roſcidæ atque nutritiæ in maſſa humorum defectum ſignificat, illamque potius vi motus inteſtini calidioris in ſerum acre excrementitium commutatam eſſe indicat: quod ſi forſan inteſtinorum canalem obſederit, & alvi profluvium, & intenſiorem excitabit calorem. Quare tecum ſentio, ut æger ſolo lacte aſinino utatur, ita quidem, ut illius binas aut tres circiter uncias una vice ſingulis tribus horis aſſumat. Præterea operæ erit pretium, lateri ſiniſtro, quam olim vehemens occupaverat dolor, hoc adplicare emplaſtrum: Recipe emplaſtri de meliloto uncias duas, florum ſulphuris drachmas duas, camphoræ, croci ana drachmam. M. f. l. a. emplaſtrum d. Potui ordinario commendarem ſequens decoctum: Recipe radicis cichorei, ſcorzoneræ ana uncias duas, paſſularum minorum uncias ſex: coquatur dimidia pars in menſuris duabus aquæ communis per tres horæ quadrantes: decant. d. Nec inutile erit ſaccharum roſatum, ſi ventriculus tulerit. Cæterum conſultum erit, hiſce omnibus uſum potionis analepticæ interponere, quæ ſic ſe habet: Recipe aquæ ſcorzoneræ, roſarum, primulæ veris, florum acaciæ, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum ana uncias duas, florum naphæ unciam, matris perlarum, coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmam, ſucci citri, ſyrupi acetoſitatis citri ana drachmas tres. M. d. Faxit Deus, ut ægro contingant ſalutariter.

*Relatio.*

Nunciatum porro fuit, ægrum pridie Iduum Auguſti alvi profluvium ſeroſum, intenſioremque incidiſſe calorem; fruſtra adhibitis omnibus remediis: abhinc vero viribus magis magiſque dejectis commendatam potionem analepticam quidem ſumſiſſe; altero vero, poſt acceptum meum conſilium die animam exſpiraſſe placide.

CASUS

## CASUS LXXX.

*De deſcenſu pulmonum vivi infantis in aquam poſt ſectionem.*

NOtiſſimum eſt in medicina forenſi experimentum, quod in perquirendis infanticidiis cum mortui ſecatique infantis pulmonibus inſtitui ſolet. Hos etenim vel in tota ſua compage, vel in fruſta diſciſſos, & in aquam projectos obſervamus, vel fundum petere, vel aquæ ſupernatare. Si fundum petunt, concludimus vulgo, pulmones aëre nondum fuiſſe expanſos, hinc nec infantem ſpiraſſe unquam, nec ideo vixiſſe extra uterum: ſi vero ſuper aqua fluctuant, infantem vivum lucem aſpexiſſe conjicimus. Verum enim vero, quanquam hæc argumenta ſufficienti fundentur ratione, & in perquirendis infanticidiis inſignem accendant lucem: magna tamen cautione, ac prudenti circumſpectione opus eſt, ne illis fallamur. Multiplici enim experientia, & crebris auctorum obſervationibus conſtat, pulmones vivi infantis fundum petiiſſe; & ſuper aqua nataſſe, cum tamen infans mortuus fuit excluſus. Hoc nimirum plerumque fit, ſi fœtus jam in utero materno putredinem ſubierit, eaque pulmones eorum aqua ſpecifice leviores reddantur: hoc contingit in cujuſcunque ætatis ſubjectis, ſi ſuffocatione perierint. Quare etiam ſæpius obſervavi, pulmones peripneumonia defunctorum non ſolum admodum inflatos ac duros fuiſſe, verum etiam & totos & fruſtatim in aquam projectos petiiſſe fundum: Nec obſcura eſt ratio: qui enim pulmonum inflammatione occiduntur; iis pulmones ſanguine atro, ſpiſſo, coagulato infarcti, eorumque vaſa partibus ac humoribus craſſioribus obſtructa, ac veluti indurata, ideoque pulmones inſigniter ponderoſi eſſe deprehenduntur. Id quod mox allegandum medicorum atteſtatum, de infante à matre melancholica intra lectum ſuffocato pluribus comprobabit.

*Atteſtatum Medicorum.*

Poſtquam legalis inſpectio infantis ſubito mortui Vitzeburgi requiſita, & noſtrum de tam ſubitanea morte judicium fuit deſideratum: contulimus nos quoque ad locum illum, & inter externa ſigna, infantem multum cruoris naribus reddidiſſe, qui & faciem & lintea, quibus implicatus erat, inquinaverat, deprehendimus. Deinceps latus corporis dextrum à brachio ad femur uſque, ſanguine ſuffuſum, ac cœruleo colore imbutum conſpeximus; & aperta iſtius regionis cute, muſculus abdominis oblique deſcendens pariter ac intercoſtales muſculi ſanguine ſuffuſi, ac atro induti colore adparebant. Secato thorace, & in ejus cavitate duo circiter cochlearia ſeri ſanguinolenti; & in pericardio ejuſdem dimidiam partem reperimus. Pulmones magni, inflati, duri, & ab extravaſato in iis cruore ex bruno rubicundi videbantur, & in aquam projecti mox petebant fundum: reliqua autem viſcera atque partes, quin ipſum caput ab omni labe ac violentia erant libera.

Quæ cum ita ſint, & infans quatuor ante mortem horis adhuc illibata ſanitate fuerit gaviſus: vero eſt ſimillimum, eum violenta morte, ac procul dubio ſuffocatione fuiſſe extinctum. Hinc enim factum eſt, ut vi pulſus cordis & arteriarum cruor vitalis majori copia in vaſa pulmonum pulſus, deficiente inſpiratione, cujus ope ſanguinea pulmonum vaſa comprimuntur, hinc cruor ex iis in ſiniſtrum cordis thalamum protrudi ſolet, in iis ſubſtiterit, & ſtagnaverit: ſub qua mora ſeroſus latex partim per dextram cordis auriculam perrupit, ac ſic in pericardio collectus fuit; partim etiam ex poris fartorum cordis vaſorum in ipſam thoracis cavitatem penetravit. Tali ratione impeditus humorum circulus reliquis etiam ſymptomatibus originem dedit, veluti fuerunt cruoris è naribus effluxio, & lateris dextri ſuffuſio, ſanguiniſque in ſubſtratis muſculis extravaſatio: dum enim ſuccis vitalibus tranſitus per quoſdam canales majores eſt denegatus, illi vi validi cordis motus majori vi ac impetu in minora vaſcula protruduntur, eaque facillime perrumpunt, & in ſubſtantiam muſculorum extravaſantur.

## CASUS LXXXI.

*De vulnere pulmonum.*

REquiſitus, ut de M. L. morte poſt inflicta ipſi à C. K. duo vulnera inſequuta mentem ac judicium meum exponam; deprehendi ex relatione medici atque chirurgorum, M. L. binis ſauciatum fuiſſe plagis, quarum una ſub dextro hypochondrio inflicta, panniculum adipoſum, muſculoſque abdominis & lumborum penetravit, & cavum abdominis haud offendens, ſuper peritonæo in lumborum regione, latitudine trium à ſpina dorſi digitorum exiit: altera in pectoris latere dextro inter tertiam coſtam facta, lobos pulmonum minores ſauciavit, & in dorſo inter ſextam ac ſeptimam coſtam exitu potita eſt. Et cum præterea in ipſa pectoris cavitate pluſquam quatuor libræ cruoris extravaſati adparuerunt; ſuſpicio fuit, vaſa ſanguinea majora pulmonum ſimul fuiſſe læſa.

Quamobrem incidit quæſtio: num hæc vulneratio per ſe ſit lethalis? Primum quod attinet vulnus, quod in dextrum hypochondrium penetravit; illud tantum abeſt, ut lethale fuerit, ut potius haud adeo magni ſit faciendum: omnis ergo lethalis eventus cauſſa in pectoris ac pulmonum ſauciatione ſita eſſe videtur. Hac vero ratione multa occurrunt, quæ in denunciatione medici ac chirurgorum fuere omiſſa, ſcitu tamen neceſſaria. Namque 1. vaſcula pulmonum læſa non indicantur nominatim; ſed 2. probabili duntaxat conjectura aſſeritur, quod majora eſſe debuerint, eo 3. ſolummodo argumento, quoniam à die vulnerationis ad obitum uſque quatuor cruoris libræ in pectoris cavitatem fuerunt extravaſatæ. Neque etiam 4. mentio injicitur, qua ratione læſus & arte medica & chirurgica fuerit tractatus; nec 5. quæ ſymptomata læſionem exceperint, cum tamen ex Actis innoteſcat, læſum in primo examine ob inſignem præcordiorum anxietatem nihil valuiſſe eloqui. Deinceps quoque 6. non relatum eſt, an vulnus intimam pulmonum texturam penetraverit, anne duntaxat in exteriore ſubſtiterit ſuperficie; nec 7. defuncti ætas, temperamentum, aliaque ad dijudicandam vulnerum lethalitatem neceſſaria momenta ſunt allegata. Nec etiam 8. exinde conſtat, an inflictæ plagæ cruentum profluvium ſupervenerit; ſed illa duntaxat punctim tenui gladio facta aſſeritur; de quali exigua, tamen periculoſa ſauciatione conſtat, quod cruorem haud emittat, & ideo per

per accidens lethalis fiat. Et denique 9. ſilentio prætermittitur, an pulmones jam corruptionem ſubierint; quod momentum, cum quinta demum poſt vulnerationem die mors ſucceſſit, omnino locum invenit.

Quamobrem, cum adeo manca ac mutila ſit relatio vulneris; hæc ſunt, quæ de illius lethalitate judicare licet. Non omnia pulmonum vulnera eſſe lethalia, præter quotidianam medico-chirurgicam experientiam, varia probatiſſimorum auctorum atteſtantur ſuffragia. Hinc etiam *Welſchius in rationali vulnerum lethalium judicio* pag. 58. & 59. quid, inquit, de vulnere pulmonum ſtatuendum ſit, ſequitur ſcilicet ſubſtantiam eorum; quod attinet vulnera ipſius, etſi vaſa pariter minora læſa ſint, vulnuſque penetret, pro lethalibus non habeo. Quæ vero profunda ſunt, & ſubſtantiæ & vaſis pulmonum pariter majoribus infliguntur vulnera, venæ puta arterioſæ, vel arteriæ venoſæ, ea utplurimum lethalia eſſe certum eſt.

Huc quoque pertinent ea, quæ *Guldenklee Reſponſ.* 16. allegat: etſi enim ſubſtantia pulmonum, imo & vaſa ejus minora ſine hominis internecione quandoque vulnerata eſſe conſtet; in majoribus tamen, vena ſcilicet arterioſa, & arteria venoſa hoc non ſuccedit. Idem confirmat *Dolæus*, dum *in Encycl. chir. lib.2. c.6.* vulnus, inquit, penetrans per pulmones, niſi majora vaſa fuerint læſa, ſpes eſt ſanationis. Porro *Ruyſchius Cent.* 1. *Obſ. anatom. chirurg. Obſ.* 53. *ait*: Non ſolum hepar, verum etiam pulmo quandoque perferre poteſt affectus ſine vitæ diſpendio, modo ex arte tractentur.

Non minus *Foreſtus Obſ. chirurg. lib. 6. Obſ.* 4. *Scholio ex Fallopio* hæc verba recenſet: vulnera pulmonum per ſe mortem inferunt ex æquo, & ex æquo etiam poſſunt ſanari; & denique *Sennertus prax. Med. lib.5. part.4. C.3.* dicit: omnia vulnera pulmonis lethalia non eſſe ſæpe docuit experientia, qua conſtat, multos per thoracem totum & pulmones fuiſſe perfoſſos, & nihilo minus convaluiſſe. Et ipſe vidi exemplum in ſtudioſo quodam &c.&c. Pulmonis vulnera lethalia non ſunt, in quibus ſaltem pulmonis ſubſtantia, non vero magna vaſa læſa ſunt, neque adeo magna ſunt. Contra ſi vulnus pulmonis ſit magnum, & non ſolum ſubſtantia pulmonis, ſed & magna in eo vaſa, venæ ſcilicet arterioſæ & arteriæ venoſæ inſignes rami vulnerentur, vulnera ea lethalia ſunt: Ut ſilentio prætermittam multorum aliorum Medicorum, *Bohnii*, *Ammanni*, *Barbette*, *Munnick*, *Sebitzii*, *Suevi &c.* teſtimonia; ex quibus adparet omnibus, non omnia pulmonum vulnera abſolute eſſe lethalia.

Proinde etiam non paucis obſervationibus medico-chirurgicis innoteſcit, quod ſæpius periculoſa quoque pulmonum vulnera ſanationem admiſerint; uti videre licet in *Fontano Obſ. & curat. med. lib.* 1. *pag.* 2. *Platero Obſ. pag.*735.736. *Rhodio Cent.2.Obſ. Valeriola lib.4. Obſ.*10. *Sennerto loc.cit. Glandorpio ſpecul. chirurg. Obſ.*24. *Zittmanno Med. Forenſ. cent.* 1. *Caſ. II.* 13. *Foreſto Lib. 6. Obſ. chirurg.* 4. *Petro Fuhrmanno in Greg. Horſtii epiſt. Med. ſectione* 19. *l.* 1. *Horſtio lib.3. Obſ.2. Pechlino hiſt. vuln. thorac. Bartholino hiſt. anat. cent.* 5. *hiſt.*96. ubi dicit: vulnerati pulmones curari poſſunt, niſi majora vaſa lædantur. Conferantur porro *Scultetus in armam. chirurg. Obſ.* 43. *Hildanus Cent.2. Obſ.*32. *Cent.*1. *epiſt.*52. *Tulpius lib.2. c.*17. *M.N.C. dec.*1. *anno* 3. *Obſ.*189. *dec.3. anno* 1. *Obſ.*141. *Bohnius de officio medici duplici part.*1. *Cap.2. p.*23. *vulnerum lethalium exam. pag.* 132. *ſequ. Guldenklee caſ. Med. lib.6. Caſ.*39. *Schenckius lib.* 2. *Obſ. de vulneribus pulmonum*, *Rolandus chirurg. lib.*3. *cap.*25. *Nic. Maſſa*, *Fr. Arceus*, *Fallopius* aliique. Quamvis igitur ex hiſce caſibus ac obſervationibus eluceſcat, non lethalia omnia pulmonum eſſe vulnera, ſed & periculoſiora ſæpius admittere curationem: attamen cum *Ammanno Prax. Vuln. lethal. p.* 281. adfirmare licet, quod de vulneribus reſtitutorum nihil certi determinari poſſit; & hinc ex illis caſibus docemur tantummodo, ut in dijudicandis pulmonum vulneribus caute procedamus.

Quæ cum ita ſint, & ad præſentem caſum adplicentur: varia in hoc occurrunt momenta, quæ abſolutæ hujus vulneris lethalitati repugnant. Namque 1. ea cruoris quantitas, quæ in cavitate pectoris extravaſata adparuit, minime tanta fuit, ut inde læſio majorum vaſorum judicari queat: 2. quæ ſi contigerit, & repentina mors fuiſſet inſequuta; & 3. longe major extravaſati cruoris in conſpectum veniſſet copia. 4. Inſuper etiam ſatis commode fieri potuit, ut quatuor illæ cruoris libræ intra quinque, quibus adhuc vixit ſauciatus, dies ex ſola pulmonum vulneratorum ſubſtantia ſucceſſive exſtillaverint. Deinceps 5. ea plaga ſeſquiunciali duntaxat profunditate, & quidem 6. in minores pulmonum lobos penetravit; in quibus majora vaſa haud reperiuntur: hinc quoque 7. vulnera, quæ ſuperficiem pulmonum offendunt, haud tantum inferunt periculum, quam quæ ipſam profundius occuparunt ſubſtantiam. 8. Tum quoque cruoris intra pectus retenti impedita evacuatio vel ſola ſufficit ad inducendum lethalem eventum, teſte crebra obſervatione; & tandem 9. ex plagæ deſcriptione non patet curandi ratio, atque num ratione curæ vel regiminis error fuerit commiſſus. Nec denique 10. determinatur, an vulnus mox collapſum fuerit, an cruorem reddiderit, numne æger ore eructaverit ſanguinem. Ex quibus demum omnibus adhuc certum eſſe liquet, vulnus non abſolute lethale appellari mereri.

---

## CASUS LXXXII.

*De vulnere diaphragmatis & hepatis cum ſubſequuta morte, non tamen abſolute lethali.*

Quidam ſtudioſo VIII. Calendarum Decembris anni præterlapſi inter certamen plaga cæſim infligebatur; quæ pectus, illæſis pulmonibus, muſculoſam ſepti tranſverſi partem, prope ſextam coſtam, & hepar penetrabat; ac primum, partim ob læſa intercoſtalia vaſa, partim inſignem ſauciati vino farti crapulam permultum; ſequenti biduo autem parum, & dein nihil plane cruoris fudit. Neque tamen minus, poſtquam edormiverat vinum, ſemel vomuerat, ac de aliquali ſpirandi conqueſtus erat difficultate; inſequentibus diebus ſatis bene habuit, adeo ut medici nihil mali ſuſpicarentur. Cum autem nec commendata remedia rite adhiberet, nec regimen obſervaret exactum, ſed potius potui cereviſiæ triticeæ frigido ſatis larga indulgeret quantitate: pridie Calend. Decembris anhelitu difficili ac præcordiorum anxietate corripi cœpit, cui demum eximius corporis languor acceſſit, ac ipſis Decemb. Calend. hora ſexta veſpertina vitæ finem impoſuit. Poſt legalem corporis inſpectionem, pulmones ac reliquæ partes internæ adparebant illæſæ; ſeptum ſaltem tranſverſum atque hepar vulnus penetravit latitudine unciæ

unciæ dimidiæ; omentum ac ſuperiora inteſtina juſto rubicundiora, & ſub hepate juxta ventriculum binæ cruoris coagulati, totidemque in pelvi unciæ conſpiciebantur; quemadmodum ex relatione medici atque chirurgi, ſub Litt. A. & B. pluribus adparebit.

Quum igitur defunctus octava demum poſt acceptam plagam die perierit: quæſtio incidit: num vulnus per ſe & abſolute lethale fuerit? anne vita vulnerati niſi penitus conſervari, tamen diutius protrahi potuerit? numne porro vulnus per ſe haud lethale ſepti tranſverſi, à quo & præcordiorum anxietas, & ſpirandi difficultas dependent, magis per accidens, diætaque ac regimine minus accurato mortem acciverit? Namque recenſitis binis duntaxat ſymptomatibus adflictus æger, ab iis per quatuor dies prorſus immunis fuit: quæ vero poſt largum, frigidioris potus uſum recruduerunt, & ægrum ſuffocarunt. Denique etiam vero eſt ſimillimum, inſequutam mortem magis à neglecto ſepti tranſverſi, quam jecinoris vulnere fuiſſe ſubortam. Quamvis enim jecinoris læſio non minus perardua videatur: tamen quædam ſunt momenta, quæ in eam mortis cauſſam conjicere prohibent. Namque 1. rami venæ cavæ ac portæ, qui forſitan diſciſſi ſunt, ſatis exiles fuiſſe debuerunt, quoniam parcus cruor, ejuſque non niſi quatuor unciæ intra octo dierum ſpatium exſtillarunt, quæ nec virium jacturam, nec corporis languorem inducere valuerunt. Neque 2. huic ſententiæ, quod nimirum minores duntaxat læſi ſint ramuli, adverſatur experimentum ſufflati ac per hiatum hepatis exeuntis aëris: ſiquidem vi legum mechanico-hydraulicarum neceſſe eſt, ut minorum ramulorum vaſculoſorum plures, eadem tam ratione permeabilitatis, quam perſpirabilitatis ſeu capacitatis cum uno majori poſſideant proportionem, hinc illi tantumdem perſpirent aëris, quam unus major: ſicuti in vulneribus pulmonum, ubi minores aſperæ arteriæ ramuli percuſſi ſunt, videre licet. Quamvis autem 3. hæc minorum ramulorum numero plurum, cum uno majori proportio ratione extravaſationis humorum locum non inveniat, & ſanguinis ex minoribus vaſculis fluxus facilius ſiſtatur, quam in majoribus: tamen 4. hoc momentum noſtræ hypotheſi eo magis favet, qua cum parcior cruoris quantitas effluxerit, legibus circulationis humorum hydraulico-mechanicis conſentaneum putamus, quod minores duntaxat læſi fuerint rami. Verum enim vero non equidem 5. negamus, quin cruor talis extravaſatus, ſi exitu per externam plagam deſtituitur, periculoſa atque lethalia poſt ſe trahere ſoleat ſymptomata; dum nimirum accedente corruptione in putrilaginem diffluere, ac ſæpius per alvum evacuari deprehenditur: verum tamen 6. ea in præſenti caſu adfuiſſe, nec ſigna mala, dum vixit, ſupervenientia, nec inſtituta poſt mortem ſectio confirmant. Namque maculæ præternaturales in omento atque inteſtinis repertæ, quæ à ſero ſanguinolento ex cruore circa eas partes extravaſato ſeparato, dictaque viſcera penetrante productæ eſſe videntur, nec veram inflammationem, multo minus ſphacelum intulerunt; & forſitan aliis cauſſis, veluti immodico vini ac cereviſiæ potui, iracundiæ atque terrori, in acceptis ferendæ ſunt: ut 7. taceam, colorem harum partium præternaturalem integro demum poſt mortem nycthemero præterlapſo adparuiſſe. Denique vero 8. jecinoris vulnera, niſi percuſſa ſimul fuerint vaſa majora, ac hinc copioſus profundatur ſanguis, licet etiam ſint periculoſa & tantum non inſanabilia: attamen non tam repentinam inferre mortem, ſed potius in lentam ulcerationem degenerare obſervantur; qua ægroti diuturna ſolicitantur valetudine.

Ex his itaque adparere exiſtimo, defunctum non jecinoris percuſſi, ſed potius ſepti tranſverſi icti cauſſa, ex propria culpa ſibi contraxiſſe mortem. Quum autem vulnera diaphragmatis leviora, ejuſque muſculoſæ tantummodo inflicta parti, minime quidem tanta ſint, ut abſolutam perniciem inferant; attamen vitio curationis, regiminis atque diætæ facillime funeſtum nanciſci ſoleant eventum: vero videtur ſimillimum, & conſulti quoque quidam medici confirmant, ſauciatum ex vulnere per ſe minus lethali, inordinata victus ratione exacerbato, proprio vitio periiſſe. Quod, ut eo clarius pateſcat, judicium medicum deſideratur.

A.

## *Relatio ſectionis.*

Poſtquam ſtudioſi vulnere heri peremti cadaver hodie cultro anatomico ſubjeci; ipſam octo abhinc diebus inflictam plagam pollicis latitudine ſub dextra papilla obliquo, ſimul declivi verſus cordis ſcrobiculum itinere profundius in pectus penetraſſe deprehendi; uti ex adnexa inferius vulneris renunciatione pateſcet.

Aperto abdomine inteſtina ſuperiora ac omentum colore ex atro rubicundo, ac ſi ſanguine tincta eſſent, imbuta conſpiciebantur; ac inter hepar, ubi ventriculo accumbit, ipſumque ventriculum cruoris coagulati, quantum duæ capiunt palmæ, adparebat; cujus etiam notabilis portio & ſuperiori poſteriorique ventriculi parti, & concavæ hepatis regioni tam firmiter adhærebat, ut vix ſeparari potuerit. Hoc cruore partim digitis, partim ſpongia aqua calidiori imbuta ſubtiliter abſterſo; plaga pollicem magna inferiori hepatis parti inflicta, in quam digitus minimus intrudi poterat, conſpectui ſe ſiſtebat. Immiſſum ipſi inſtrumentum exploratorium per ſuperiorem & convexam hepatis partem rurſus exibat, ubi cum ſepto tranſverſo connectitur; & hinc non ſolum in ea regione vulnus unciam dimidiam magnum; verum etiam ſeptum illud pari ictu in muſculoſa ſui parte, ubi ſextæ coſtæ circiter adhæret, percuſſum detegebat. Quare detecto vulneris tractu adparebat, illud dicto modo ſub dextra papilla inflictum, inter quintam ſextamque coſtam diaphragma atque convexam hepatis partem penetraſſe, & in concava exiiſſe. Ut autem viderem, quæ in hepate vaſa ſint læſa; primum ramo venæ portæ meſenterico per tubulum aërem inflari juſſi, qui protinus per utrumque hepatis hiatum erupit: tum ligata in pectore vena cava, in ejus truncum pariter immittebatur flatus, qui non minus per utrumque jecinoris vulnus cum ſpuma redibat: unde colligebam, majores & venæ cavæ & venæ portæ ramos fuiſſe percuſſos. Præterea etiam in inferiori abdominis regione, ac ſic dicta pelvi binæ circiter extravaſati cruoris erant unciæ. Neque vero talis in pectoris cavitate exiſtebat; ſed cor æque ac pulmones nullo laborabant vitio; nec lien, præter coagulatum cruorem, quicquam præternaturale exhibebat. Ventriculus ac inteſtina à læſione libera, ſed flatibus farta ac diſtenſa, & obſcuro tincta colore adparebant: quid? quod omentum, ubi ventriculum ac hepatis inferiorem attingit regionem, aliquantulum corruptum videbatur.

batur. Num itaque hæc vulneratio lethalis fuerit; anne cruor in abdomen extravaſatus, maxime ille, qui inter hepar ac ventriculum tam tenax hæſit, per vulnus pectoris, diaphragmatis atque hepatis, expurgari iterum potuerit ac eliminari? arbitrio atque judicio aliorum relinquo medicorum. Cæterum adhuc in dextro brachio quædam leviores plagæ, una carpo, altera in antibrachio, tertia in brachio inflictæ adparebant.

Neque etiam ignorari oportet, altero & tertio poſt acceptum vulnus die cruorem adhuc large fluxiſſe ex illo; dein quidem ceſſaſſe, ſauciatum vero adeo habuiſſe bene, ut non niſi de ſalute ſperaremus. Septima autem die recruduerunt & difficilis ſpiratio, & præcordiorum anxietas; tum acceſſit virium languor, qui octava morbi die magis magiſque auctus, cum anima hora ſexta veſpertina exſpiravit.

B.

*Vulneris denunciatio.*

Inſtituta ſauciati ſtudioſi inſpectione deprehendi, vulnus illius tenui enſe punctim factum, pollicis latitudine ſub papilla dextra tractu obliquo deorſum inter coſtas verſus ſcrobiculum cordis penetraſſe, & inſtrumentum exploratorium profunditate quatuor circiter unciarum in pectoris cavitatem intrudi potuiſſe. Præterea laboravit æger ſumma præcordiorum anxietate ac anhelitu gravi; vulnuſque ſanguinem fudit. Neque vero ille ore fertur; claro indicio, ipſum pulmonem integrum, vaſa vero intercoſtalia, & carnoſam ſepti tranſverſi ſubſtantiam læſione eſſe adfecta. Quin quamvis æger melius habere videatur; illum tamen nondum extra omne periculum poſitum eſſe exiſtimo.

*Reſponſio Conſultatoria.*

In relatione vulneris, quo quidam ſtudioſus percuſſus, & poſt aliquot dies peremtus eſt, principalis occurrit quæſtio: Num deſcripta in carnoſam diaphragmatis partem atque hepar penetrans plaga per ſe, abſolute, & ſine concurſu aliarum cauſſarum ſit lethalis? Si conſideremus vulnera tranſverſi ſepti, inveniemus ex omnium fere ſcriptorum medico forenſium conſenſu, quod quæ nerveam ipſius partem offenderunt, jure pro abſolute lethalibus habeantur; quoniam hæc pars non ſolum principale ſpirationis organon conſtituit; verum etiam in nervea ſubſtantia icta inſignes thoracis ſpaſmos excitat, qui partim ipſum ſpirandi negotium impediunt, partim venam cavam ſeptum illud perforantem valide comprimunt, hinc ſanguinis ad cordis ventriculos remorantur progreſſum; & ideo congeſtionibus, ac extravaſationibus cruoris in imo ventre anſam ſuppeditant. Contra vero vulnera, quæ lædunt carnoſam diaphragmatis partem, licet pariter ob ſpaſmos per intervalla recurrentes, utut leviores, & hinc dependentem ſpirandi difficultatem, non omni vacent periculo; tamen cum facilius in hac parte admittant conſolidationem, minime ſunt abſolute lethalia, niſi forte vel nimis magna, vel parti nerveæ admodum vicina, vel denique cum læſione ramorum vaſculoſorum paullo majorum ſtipata fuerint. Quum igitur ex relatione præſenti eluceſcit, defunctum in carnoſa diaphragmatis parte ictum, & per intervalla duntaxat de ſpaſmis & inde pendente difficili & anxia ſpiratione conqueſtum, quarto, quinto, & ſexto autem diebus ab iis ſymptomatibus omnino immunem fuiſſe, illaque ſeptimo demum die ex perverſo regimine atque diæta ſibi contraxiſſe iterum, ac inde periiſſe: vero eſt ſimillimum, hoc diaphragmatis vulnus minime pro cauſſa mortis vel abſolute lethali agnoſcendum eſſe.

Quod igitur plagam hepati inflictam attinet; haud ignorari oportet, ab omnibus in anatomia ac praxi forenſi peritis medicis, ea tantum modo viſcerum, maxime hepatis vulnera pro abſolute lethalibus haberi, quæ ſimul majores vaſorum ſanguiferorum ramos percuſſerunt, & hinc enormem cruoris copiam in cavum abdominis plorarunt: quæ autem leviora ſunt, & non niſi minores vaſorum ramos lacerarunt cum extravaſatione cruoris parciori, ea quidem periculoſa ſunt, non tamen ſubitaneam perniciem inferre deprehenduntur. Si ergo præſens vulnus, prout in ſectionis relatione deſcribitur, diſpiciamus; in ea quidem relatum legimus, illud per concavam pariter ac convexam jecinoris partem penetraſſe, tanto hiatu, ut ipſi digitus minimus intrudi potuerit; at vero non accurate deſignatus eſt læſionis locus, num ille in media aut extremis jecinoris partibus fuerit &c. Hinc ſi perpendimus, plagam pollicis latitudine à dextra papilla, inter quartam & quintam coſtam inflictam, tractu obliquo deorſum verſus cordis ſcrobiculum per diaphragma in hepar penetraſſe: haud ſine fundamento colligere licet, lobum jecinoris minorem & anteriorem, cujus haud adeo craſſi, & ventriculo accumbentis in hac regione ſitus eſt, percuſſum eſſe. Hæc autem ſauciatio, cum non niſi minores vaſorum in eo loco reperiuntur ramuli, non potuit enorme ſecum ferre ſanguinis profluvium; & ideo intra octo dierum ſpatium, quantum duabus capimus palmis, exſtillavit cruoris in imi ventris cavum; quæ quantitas quatuor circiter, vel quinque uncias expleret. Quamvis enim immiſſus in venam cavam atque portæ flatus per vulneris hiatum eruperit: non inde ſequitur, majora vaſa fuiſſe percuſſa, dum & minora aërem reddere valeant. Neque vero minus probe notandum eſt, vulnera hepatis longe citius atque facilius conſolidari, quam quæ in aliis fiunt partibus: non enim ſolum cruor per hepar progrediens per ſe valde ſpiſſus & ſero privatus obſervatur, verum etiam ob deficientem venæ, quæ arteriæ officio fungitur, pulſum minori impetu atque tardius provehitur; unde à craſſis iſtis humoribus minores canales facillime obturari, ac veluti conglutinari poſſunt. Quæ cum ita ſint; facile adparet, nec hoc hepatis vulnus pro abſolute lethali judicari poſſe.

Jam ergo ulterius recenſetur, ventriculum ac inteſtina, colore obſcuriori atro tincta, & omentum, ubi accumbit ventriculo, nigrum atque corruptum, & ideo ipſam inflammationem ſphaceloſam, tanquam proximam & immediatam mortis cauſſam fuiſſe præſto: unde videri poſſet, ac ſi hæc corruptio ſanguini extravaſato in putredinem abeunti in acceptis ferenda ſit. Verum enim vero attenta docet experientia, cruorem, ſi minori copia in cavitatem abdominis fuerit extravaſatus, abire quidem omnino in putredinem; hanc vero longe leviorem, & magis ſucceſſive contingere, ac non niſi febri lenta, viriumque dejectione ſtipari, maxime ſi remediis tam internis, quam externis diſcutientibus ſuccurratur. Hoc adfirmant exempla eorum, qui abſque læſione viſcerum internorum & nobiliorum per totum corpus transfoſſi, aut in omento vel jecinore leviter ſauciati fuerunt; in quibus ſanguinem in cavum abdominis effuſum eſſe, omnino creden-

credendum eſt. Quam ob rem cruoris extravaſati quinque unciis, qui in defuncto in conſpectum venerunt, inflammatio illa ſphaceloſa nullo jure adſcribi poteſt. Eandem potius variis internis cauſſis ſuos debere natales credo; quas inter præter leviores ex læſo diaphragmate ſpaſmos, & cruoris coagulum ventriculo adhærens, collocari merentur læſi ſub accepto vulnere crapula, neglectum regimen, atque potus frigidæ cereviſiæ: quæ in præſenti corporis atque partium imbecillitate, inducendæ inflammationi, & ex hac ſuborto ſphacelo omnino ſuffecerunt. Ex quibus recenſitis momentis, partim ambiguis clariſſime patere credo, vulnus defuncto inflictum pro valde quidem periculoſo, non autem abſolute pernicioſo eſſe habendum.

*Judicium medico-chirurgicum privatum.*

Poſtquam requiſitus, ut judicium meum ad quæſtionem: Num læſo ex inflicto ipſi vulnere, niſi diætæ error acceſſerit, neceſſario fuiſſet moriendum? ſuppeditem, omnia momenta probe diſquiſivi: quantum quidem ex illis judicare licuit, vulnus illud minime abſolute lethale renunciare poſſum. Quod enim attinet vulnus carnoſæ diaphragmatis ſubſtantiæ; quæ longe minori ſenſibilitate gaudet, quam quidem centrum illius tendineum; ſicuti etiam ſpaſmi leviores & mox remittentes indicant: illud, more plagis carnoſarum partium conſueto, omnino admittere ſolet curationem; quales obſervationes *Glandorpius ſpecul. chir. obſ.* 27. *& Hollerius in Hipp. Lib. VI. aph.* 18. allegant. Ut taceam, ſæpius hepar cum læſa diaphragmatis ſubſtantia carnoſa coaleſcere, & hinc vulnus ad cicatricem perducere. Quod ſi vero ulterius hepatis læſionem diſpiciam; illud ex plaga verſus cordis ſcrobiculum tendente, in lobo ſuo minori ſive anteriori, ubi ventriculo accumbit, percuſſum eſſe videtur. Cum autem hic lobus tenuis, minoribuſque ſanguineis vaſis obſervetur inſtructus; & ſanguinis per hujus viſceris vaſa progreſſus ob ejus ſpiſſiorem texturam admodum languidus deprehendatur: faciliime fieri potuit, ut exigua illa læſio ab effluente glutinoſo cruore, cujus quinque circiter extravaſatæ fuerunt unciæ, iterum conſolidata fuerit. His cum accedant obſervationes *ab Hildano Cent. II. obſ.* 37. *Glandorpio L. c. obſ.* 33. *& Foreſto Lib. VI. obſ.* 3. *allegatæ*, quod graviora etiam lobi majoris vulnera, in quibus majora vaſa fuerunt læſa, curata ſint: omni jure & præſenti hepatis fauciationi abſolutam lethalitatem denegari poſſe arbitror. Reſtant itaque dijudicanda, quæ poſt acceptam plagam acceſſerunt ſymptomata, anxietas præcordiorum ſcilicet, & gravis anhelitus: quæ tertio poſt vulnerationem die remiſerunt; deinceps autem ingurgitatis cereviſiæ triticeæ frigidæ quatuor menſuris recruduerunt, cum inſequuta morte; poſt quam denique ventriculus, inteſtina ac omentum ſiderata adparuerunt. Non equidem negari poteſt, quin ſideratio harum partium, proximam & neceſſariam mortis cauſſam conſtituerit: huic vero hepatis & ſepti transverſi læſiones remotiorem duntaxat ſuppeditarunt occaſionem. Hæ enim ventriculum ac vicinas partes ſpaſmo corripi effecerunt; quo conſopito nihilominus remanſerunt earum partium debilitates; quibus factum eſt, ut accedente victus incongrua ratione, ſpaſmus recruduerit, ac ſtaſin humorum inflammatoriam, cum ſubſequente lethali ſphacelo introduxerit. Quod ſi enim hanc inflammationem ab ipſo vulnere immediate derivare velles; facilius fuiſſet, ut ipſum diaphragma vel alia viſcera eam ſubierint. Neque vero etiam hæc ventriculi, omenti ac inteſtinorum ſideratio cruori in abdomine extravaſato adſcribi poteſt: tum enim non ſolum veſica urinaria & inteſtinum rectum, quibus etiam incubuit extravaſatus humor, inflammationem ſuſtinuiſſent; verum etiam putredinoſus odor nares feriiſſet; quod utrumque momentum minus adfuiſſe perhibetur. Multo minus hic effectus lethalis à tam pauca extravaſati ſanguinis quantitate proficiſci potuit; quæ ope motus tonici per poros partium facile reſorberi potuiſſet. Quamobrem concludo, vulnus & hepatis & diaphragmatis non per ſe, ſed per accidens fuiſſe lethale.

## CASUS LXXXIII.

### *De aſthmate, & ſpaſmo præcordiali à motu corporis.*

Vir quidam ſeptuagenarius, ſanguineæ conſtitutionis, quanto exercitio in juventute multis itineribus, aliiſque negotiis corpus commovere ſueverat; tanto quoque otio, vitæ ſedentariæ, multiſque laboribus mentis ſtipatæ, ætate magis provectiori indulgere cœpit. Sub hoc vivendi genere vires corporis pariter ac animi ſemper manſerunt integræ, bona ciborum adpetentia, ſomnus quietus, ac ſatis regulare alvi officium; & inſuper ad præſervanda majora mala quotannis bis venam præbuit ſecandam. Neque tamen minus aliquot abhinc annis de dolore tenſivo atque gravativo, à ſcrobiculo cordis per ſterni tractum aſcendente, ac præcordiorum anxietate, ſpirandique difficultate ſtipato conqueri cœpit. Ingraveſcunt hæc ſymptomata potiſſimum ſub quocunque corporis motu; ſi nimirum vel obambulet æger, vel ſcalas aſcendat, vel etiam veſtes induat; adeo, ut ſæpius penitus inter ipſum motum ab illo abſtinere teneatur: & hinc quietus, ab eo ſymptomate prorſus immunis ſit. Neque minus poſt cibos flatulentos aſſumtos, vel potam cereviſiam, inſignis conſtrictio atque dolor circa ventriculum atque pectus percipitur, & non niſi eructatis ructibus allevatur: quare etiam ſi hauſtum vini Rhenani, vel tantillum panis butyro illiti, vel etiam eſſentiam ſtomachicam mane aſſumſerit, optime habet. Huic ergo moleſtiæ præterito anno oppoſuit uſum acidularum Egranarum; quæ licet paullo ſublevaverint malum, illud tamen penitus haud expugnare valuerunt; quamobrem meum per litteras flagitavit conſilium.

Optavi igitur, ut plura momenta ſcitu neceſſaria in hac morbi hiſtoria fuiſſent allegata; nimirum quomodo pulſus maxime ſub motu corporis, ſe habeat, an ſit inæqualis & interruptus, an intermittens aut paullo durior, vel contractior? annè quoque tremor vel palpitatio cordis illum affectum comitari ſueverit? &c. Nam crebra experientia conſtat, in ſubjectis plethoricis, vitæ ſedentariæ, ſed largis, nutrientibus ac vinoſis epulis indulgentibus ob ſpiſſos humores, eorumque languidiorem per cor & pulmones progreſſum, facillime in venis polypoſas generari concretiones, ex quibus ſtricturæ pulmonum, vicinarumque partium nervoſarum ſpaſmodicæ cum difficili reſpiratione ac præcordiorum anxietate propul

propullulant. Hoc eo facilius contingit, ſi ſub motu corporis muſculi præſertim brachiorum pedumque commoventur, & hinc humorum copia eo magis verſus præcordia compellitur. Quod ſi deinceps ventriculi vitium acceſſerit, & ille, vi concoctrice læſa, à flatibus diſtenditur: inde liber ſepti tranſverſi motus, & hinc æquabilis humorum per thoracem circuitus admodum impeditur.

Quod ſi itaque ægrotantis conditionem intueor, hanc adeo comparatam eſſe ex perſcriptis judico, ut, niſi coagula polypoſa jam revera præcordia obſideant, ea tamen in propinquo eſſe credam. Quamvis enim in illius corpore plethorico ac ætate provecto, ventriculus pariter labefactatus videatur; in illum tamen ſolum omnem mali cauſſam collocare haud licet, maxime cum æger uſu ſtomachicorum, flatus diſcutientium atque vinorum generoſorum ei jam proſpexerit. Quam ob rem ut à ſuo malo vindicetur, operæ eſſet pretium, ut & ipſa conſopiantur ſymptomata, & humorum circuitio adjuvetur. Quibus ſcopis obtinendis conſultum fuit, ut ter vel quater quotannis larga cruoris ex vena in pede tuſa detrahatur quantitas; quo humorum impetus à præcordiis divertatur, eaque ab inhærentibus liberentur ſymptomatibus. Mane potandum commendavi infuſum theiforme ex herba veronicæ, corticibus citri recentibus & cardamomo paratum; & tum caryophylla ad ventriculum roborandum ſuaſi maſticanda. Non minus ad reſtaurandam vim digeſtivam ſub epulis data fuit eſſentia Zedoariæ & corticum aurantiorum cum ſpiritu nitri dulci, & ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, nec non aqua ex millefolio ac floribus chamæmeli cum cereviſia triticea deſtillata permixta. Eidem ſcopo propoſui emplaſtrum ſtomachicum ex emplaſtri cruſtæ panis uncia una, olei nuciſtæ moſchati drachmis duabus, balſami Peruviani drachma una & olei caryophyllorum drachma dimidia confectum & ventriculo imponendum. Tum etiam valde hortatus ſum, ut alvi lubricitati ſuccurratur, & huic fini commendavi uſum pilularum balſamicarum, ad Becheri methodum parandarum, bis quavis hebdomade matutino tempore aſſumendarum; ſi pridie veſperi pulvis abſorbens nitroſus ex ſolutione oculorum cancrorum, magneſia, nitro purificato, & tartaro vitriolato fuerit propinatus. Adventante denique vere haud alienum putavi, ut æger acidulis Egranis, conjunctis amaricantibus atque ſtomachicis medicaminibus utatur. Cæterum ad ſervandam rectam vivendi rationem, ut à largis epulis, maxime veſpertinis, cibiſque flatulentis, ac concoctu difficilioribus abſtineat, corpus equitando vel curru vehendo ſedulo moveat, & denique ſepoſito omnis cereviſiæ atque vini uſu, pro potu ordinario aquam cum cinnamomo decoctam potet, imperavi.

---

## CASUS LXXXIV.

### *De aſthmate humido.*

ILluſtriſſimus atque excellentiſſimus quidam Dominus, LVIII. annorum, atque antea temperamenti ſanguineo-cholerici, jam vero atrabilarii magis exiſtens, vitæ ſedentariæ plurimum addictus, cui hæmorrhoides antea præſentes ceſſarunt, in primis noctu ſub ſomno incurrit laborioſam, difficilem ac brevem ſpirationem, de qua etiam de die ſub aſcenſu ſcalarum conqueritur. Huic ſeſe jungit noctu ſibilus vehementior, & ſonus ſpumidæ quaſi ebullitionis, tempore matutino vero concurrit tuſſis, quæ magnam quidem muci quantitatem excutit, ſed ſine magno levamine; cum congeſtio in pectore tanta ſit, ut brevi mora prior muci quantitas denuo in pulmones deferatur. Præterito tempore æquinoctiali frigido & pluvioſo hæc ſpirandi difficultas augebatur; pejuſque ſe habuit illuſtriſſimus æger; cum ceſſante magis adpetitu vires quoque deficere cœpiſſent. Etſi autem has deinceps, intemperie aëris mutata, non ſolum mox denuo reſumſerit; ſed etiam recenſita ſymptomata ſatis moleſta adhibitis decentibus remediis multum imminuta fuerint: eo minus tamen penitus à medicamentis eſt abſtrahendum, quo citius iis ſe poſitis denuo augmentum capiunt recenſitæ calamitates. Ex dictis patet, adeſſe aſthma humidum, cum humorum tenacium in bronchiis hærentium notabili concurſu ſe manifeſtans. Nec ſoli pectori proprium, ſed & in hypochondriis ſedem ſuam habens, ut adeo dyſpnœa hypochondriaca ſimul jungatur, cujus effectus in partes pectoris redundat, ob nervorum recurrentium cum negotio reſpirationis connexionem: de qua re notabile eſt Galeni de cane, his nervis interceptis, aſthmatico facto, experimentum per Lowerum in Actis Anglicanis repetitum. Porro malum hocce antea quidem fuit ſymptomaticum magis, cum tuſſi humidæ ſupervenerit; jam autem idiopathicum evaſit, atque chronicum. Ratione recurrentium acceſſionum eſt periodicum magis & nocturnum; ratione gradus vero medium locum occupat inter dyſpnœam & orthopnœam. Cauſſa hujus affectus continens atque immediata eſt materia mucido-viſcida, circa pectus copioſius collecta. Cauſſa mediata proxima, ſive antecedens & concomitans eſt flacciditas texturæ pulmonalis membranaceæ, & nervulorum pulmonalium, ex prægreſſis pectoris congeſtionibus ſuborta: unde paucis momentis talis humorum affluxus contigit; quod fieri non poſſet, ſi nervi illi in debito tono ſervarentur.

Cum his cauſſis conſpirat, atque mediatam proximiorem conſtituit activa humorum verſus pectus congeſtio, evacuationi hæmoptyicæ deſtinata, atque à ſuppreſſione hæmorrhoidum antea ſemel præſentium ortum ducens: quæ evacuatio ſanguinis ſuppreſſa cauſam occaſionalem, ſive mediatam remotam conſtituit; quas inter porro referri meretur & tuſſis antea ſæpius præſens, & mutatio vitæ generis laborioſi in ſedentarium, & mutatio ſubitanea aëris frigidioris cum calidiori. Ratione prognoſeos ſicuti in genere hic affectus pertinax magis exiſtit, præſertim in annoſis: ita in ſpecie hic invaleſcens minatur ſuffocationes pectorales; quin, ſi acrimoniam concipiat materia in bronchiis hærens, exulceratio & phthyſis ſequi poteſt, niſi tempeſtive ſuccurratur. Quemadmodum autem hæc ratione prognoſeos funeſtæ adducta ſunt: ita ratione ſalutis ſciendum, aſthma concurrente tuſſi facilius curari, quam eadem abſente; cum tuſſis, quando non adeo enormis eſt, materiæ excretionem aliquo modo promoveat. Hæmorrhoides aſthmati ſupervenientes malum notabiliter ſæpius mitigant: id quod eo certius hic contingeret, cum affectus præſens ab earum ſuppreſſione ſimul ortum trahat.

Jam ſi totam morbi hiſtoriam hic recenſitam percurramus, probeque nexum hujus mali cum ad-

dctius

ductis cauſſis ponderemus: ſtatim patebit, viſcidum in bronchiis pulmonum hærens ante omnia eſſe reſolvendum, reſolutum vero ex corpore excernendum. Hinc non ſine ratione per tempus adhibita ſunt tam reſolventia ex vegetabilibus blandioribus, huic affectui appropriatis, aliiſque gummatibus potentioribus parata, quam laxantia. Neque etiam contrarius inde obſervatus eſt effectus, cum ſub eorum medicaminum uſu liberior ſpiratio ſub ſomno acceſſerit. Quare non mirum, illuſtriſſimum ægrotantem uſu laudatorum remediorum ceſſante, ſtatim priora ſymptomata denuo incurriſſe, cum cauſſa antecedens ſuperius recenſita nondum fuerit ſublata. Nam licet per annum materiam mucido-viſcidam circa pectus collectam reſolvamus, reſolutamque educamus; malum tamen ſemper recrudeſcet, pauciſſima etiam mora; niſi cauſſam antecedentem, nempe flacciditatem pulmonum, ob quam paucis momentis tantus fit humorum affluxus, tollamus, atque nervos in ſuum tonum reſtituamus. Hoc autem impetrabimus, ſi congeſtiones atque decubitum humorum ad partem affectam inhibeamus. Quibus remediis hic opus ſit, ſuperiores cauſſæ nobis indicant, cum primo intuitu pateat, illa ea eſſe, quæ & motum humorum aliorſum, inprimis vero ad partes remotas derivent, & fibrarum decentem ſtricturam promoveant. Sanguinis ergo ob vitam ſedentariam accumulata quantitas eo magis indicat ſui depletionem, cum excellentiſſimus æger huic non ſolum aſſuetus ſit; ſed eadem inſtituta etiam ſtrictura fibrarum relaxatarum, ſicque ipſe tonus partium promoveatur. Hinc poſt æquinoctium vernale venæ ſectio ad aliquot uncias celebrata eſt in pede, & ob hanc cauſſam, quod tali ratione humorum affluxus ad partes ſumme remotas derivetur. His vero ita ſecundum ordinem adhibitis, poſt venæ ſectionem inſtitutam non modo multo melius ſe habuit illuſtriſſimus æger: ſed & ſanguis emiſſus tam ratione conſiſtentiæ, quam ratione coloris ſine labe conſpicuus erat: fuit enim eleganti rubedine tinctus, pauciori ſaltem ſero præditus. Similem effectum revulſorium obtinebimus, tam ſi tuſſim, majorem ad pectus adfluxum cauſſantem interdum præmiſſis præmittendis, pulvere convenienti cum grano uno maſſæ pilularum de cynogloſſa juncto mitigemus; quam ſi excellentiſſimus æger tempore hyemali ſubitaneam aëris calidioris cum frigidiori mutationem vitaverit: Cum humoribus in hypocauſto calidiori magis reſolutis non ſolum intimior aditus ad pulmones pateat; ſed & accedente frigore fibris ſtrictis difficilior reditus concedatur; ſicque congeſtio, atque per conſequens ipſe morbus augeatur. Uti autem hæc omnibus medicamentis palmam præripiunt ratione revulſionis humorum: ita meo judicio optime ſtricturæ atque ſcopo tonico inſerviemus mixtura ex ſpiritu cornu cervi, tinctura antimonii tartariſata, eſſentia ſuccini & ligni ſaſſafras; decocto ex radice gentianæ rubræ, herba veronicæ, hederæ terreſtris, hepaticæ nobilis, Scordii, ſemine fœniculi, corticibus citri & cinnamomi, item ſuccis tam laudatarum, quam herbæ beccabungæ, naſturtii aquatici, cum tantillo balſami Peruviani, aut de Copaiba. Cæterum adpetitus ſemper reſpiciatur, atque decentibus remediis temperatis reſtituatur; & ulterius diæta moderata, animus quietus, motuſque corporis ſufficiens commendentur.

Jam per aliquod tempus illuſtris æger nullis amplius utitur remediis. Cum autem priora ſymptomata, licet minori gradu, ſemper tamen denuo redeant: utique ulterius medicamentis erit inſiſtendum, imprimis cum extra paroxyſmum optima ſit medicatio. Unde hic laudarem aliqualem ſaltem continuationem adductorum medicamentorum, vel ſi hæc in affectu hocce chronico haud ſufficiant, potentiora reſolventia ſuaderem e. g. radicem petaſitidis, angelicæ, imperatoriæ, ariſtolochiæ, leviſtici, bardanæ, apii, dracunculi; ſpeciatim vero radicem ari ob aſthma humidum. Ex herbis antiſcorbuticis laudarem trifolium, naſturtium, beccabungam; hiſque modo ſemen dauci, ammios, baccas juniperi, modo gummi ammoniacum jungerem. Ex compoſitis ſumi poſſet ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, liquor cornu cervi ſuccinatus, vel etiam potiuncula Brunneri è gummi ammoniaci uncia ſemis, in aceti ſquillitici uncia ſoluti, aquæ veronicæ unciis duabus, olei tartari per deliquium guttis XII. atque ſacchari uncia ſemis parata: cui quoque adderem aquam hyſſopi, cum in aſthmate ſenili & flacciditate pulmonum, atque aliis humidis pectoris conſtitutionibus chronicis egregie conveniat uſus diuturnior ſimilium aquarum vinoſarum. Quæſtio jam incidit: an tuta ſit acidularum potatio? Reputatur quidem aſylum hypochondriacorum; cum tamen phthyſicis, quocunque etiam gradu conſtitutis, magis ſit nocivus, & illuſtriſſimus æger ad talem diſpoſitionem phthyſicam admodum proclivis ſit, neque ex Egranis, quibus ſæpius uſus eſt, atque Selſtetſenſibus ſufficientem effectum reportaverit; non facile earum ſuaſor eſſem, aliorum conſilio id relinquens. Atque uti hæc de præſenti ſtatu magis valent, atque curationis gratia adducta ſunt: ita præſervandi fine deinceps circa æquinoctia denuo ventilationes ſanguinis juſto loco inſtituendæ ſunt; vel loco earum hirudines in locis hæmorrhoidalibus adplicandæ; deinceps evacuationes ſeroſo-mucidæ catharcticæ tolerabili quantitate & motu adminiſtrandæ, & pro circumſtantiarum ratione repetendæ: tandem vero alia ſelectiora ex ſuperioribus ſubjungenda, & de reliquo tempus aliquod reſpirandi naturæ ſubinde concedendum, ne medicationibus adſueſcat. Ante omnia illuſtriſſimus æger hac notabili ſublevatione contentus ſit, cum plenaria reſtitutio in malo hocce chronico obtineri nequeat. Dabam Viennæ tertio Calend. May 1726.

## *Conſilium.*

Ægritudo, qua ſolicitatur vir illuſtriſſimus, omnino aſthma humidum adpellari meretur; quod meo quidem arbitrio minime ex affectione hypochondriaca, ſuppreſſione fluxus hæmorrhoidalis, vel congeſtione ſanguinis ad pectus, hæmoptyſin intendente dependet; ſed potius ex prava ventriculi digeſtione, & viſcidis ſordibus, tam in primis viis, quam maſſa ſanguinea hærentibus natales ſuos mutuatur. Verum cauſſæ huc facientes vita ſedentaria, largior victus, ac mentis labores cum meditatione juncti utique fuerunt; quæ & labefactando ventriculi tono, & humorum abundantiæ generandæ ſatis ſunt opportunæ. Quare ut ab eo malo vindicetur æger excellentiſſimus; neceſſe ante omnia eſt, ut in vivendi ratione motui corporis magis ſtudeat, cœlum aëremque mutet, cœna minus liberali utatur, cibos probe mandat, ac mentis labores evitet. Deinceps operæ erit pretiū, acidulas Egranas cum debito regimine per quatuor, vel quinque hebdomades potare; ſimulque loco potus ordi-

ordinarii aquas Selteranas cum quarta vini parte remixtas adhibere. Nec ludetur opera, ſi ter ad minimum quotannis, nimirum Februario, Majo, ac Octobri menſibus ſanguis ex vena in pede tuſa mittetur; præterea ſingulo mane ſex vel ſeptem vaſcula infuſi theiformis cum ſaccharo cando ſorbillabuntur; & omni triduo larga doſis ſequentis pulveris veſperi adſumetur: Recipe pulveris liquiritiæ unciam, radicis pimpinellæ albæ, iridis Florentinæ unciam ſemis, balſami de Copaiva drachmam ſemis. M. f. pulvis d. Infuſum theiforme ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ, hyſſopi ana manipulos duos, dracunculi manipulum unum, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. M. D. S. ſpecies *zum Kräuter-Thée*. Denique conveniet ſingulis decem diebus mane devorare ſequentem potionem laxantem: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari drachmam unam & ſemis, aquæ florum acaciæ uncias quinque; coque & ſolve leni calore: colaturæ adde olei de cedro italici guttas quatuor. M. D. S. potio laxans. Quæ ſi rite fuerint obſervata, de felici eventu nullus dubito. Quod cæterum medici judicium ſatis doctum attinet; illud ex D. D. Junckeri tabulis medicis maximam partem concinnatum videtur; farrago autem remediorum ibi commendatorum præſenti morbo minus eſt conveniens.

---

## CASUS LXXXV.

### *De aſthmate flatulento.*

Unus cum dimidio circiter elapſus jam eſt annus, ex quo noctu inſigni præcordiorum anxietate, cum tenui ſibilo ac difficili ſpiratione ſtipata ſubito corripiebar. Hinc protinus è lecto ſurgens, & paululum obambulans ſumſi pulverem temperantem; ex quo melius habui, noctemque placido tranſegi ſomno. Eadem adfectio aliquot poſt ſeptimanis recidens, eadem ratione facile ſuperabatur. At vero Auguſto menſe anni noviſſime elapſi, cum mane hora ſeptima lectum deſererem, inter ſurgendum, pungitivus dolor cor adficere videbatur, eumque difficultas ſpirandi excipiebat: alvum exoneraturus, eam reddere haud valebam. Hinc veſtes induens tanta anhelatione, ingenti pectoris ſibilo conjuncta adficiebar; ut adſtantes medicum atque chirurgum advocari curaverint. Hi ſanguinem è venæ miſſuri, eam fruſtra & in brachiis & pede dextro tundebant; quippe quæ partes inſigni conſtrictione rigebant; donec tandem è ſiniſtro pede parum cruoris detraxerint. At nihilo minus ronchus & anhela ſpiratio adeo invaleſcebant, ut facies ſanguine farta ac turgida appareret, oculi prominerent, ac omnes vel ſuffocationem vel apoplexiam vererentur. Interim propinata ſæpius in infuſo theiformi mixtura ex eſſentia corticum aurantiorum, pimpinellæ, ſaſſafras, cardamomi, ac ſpiritu carminativo de tribus parata ad me redire cœpi; ſed urgebat adhuc ronchus; qui demum, evacuatis per injectum clyſterem multis flatibus, ructibuſque cum reliquis ſymptomatibus paulatim remittebat; poſtquam per quinque duraverat horas. Poſtridie uſurpavi mixturam ex gummi ammoniaco, in aceto ſquillitico ſoluto, aqua veronicæ, hyſſopi, aſthmatica, nitro depurato, ſyrupo capillorum veneris, & de eryſimo Lobelii concinnata; & hinc per aliquod tempus præter anhelam ſpirationem, maxime ſub aſcenſu ſcalarum moleſtam, non habui, de quo conquererer. Menſe vero Novembri, cum noctu ſub largo ſudore ac crebra anhelatione evigilarem & ſurgerem eodem paroxyſmo cum pectoris anxietate, ſibilo ac gravi anhelitu ſtipato infeſtabar; ab eoque per quinque horas inhærente, adplicato clyſtere, & data priori mixtura, divina favente gratia iterum liberabar. Eadem moleſtia paulo levioribus ſymptomatibus menſe Januario currentis anni poſt liberaliorem cœnam eadem hora matutina tertia recrudeſcebat, priſtinis profligata præſidiis. Aliquot abhinc hebdomadibus ex vena in brachio tuſa optimus ac floridus effluxit ſanguis: & poſthæc ſæpius deſcripta acceſſio bis adhuc ſemper levior, eandemque ſervans horam recidebat. Tum à cœna penitus abſtinere cœpi; & ejus loco aſſumtis aliquot vini Rhenani vel Moſellani hauſtibus, Tabacum fumare ac cereviſiam potare ſuevi. Abhinc licet pectoris adfectio haud amplius redierit; tamen alia ſucceſſit ferme moleſtior. Quotidie enim hora veſpertina ſeptima, tanquam concoctionis tempore, quo alias cœna uti ſuevi, præviis cordis palpitatione, extremorum, ac maxime digitorum refrigeratione, & denique largo corporis ac præcipue capitis ſudore, ructus inſigni anxietate præcordia occupant, & non niſi ſumma vi atque moleſtia erumpunt: quibus excretis, ſatis bene habeo: Per alvum autem nulli unquam redduntur flatus. Quid? quod hæc ructuoſa moleſtia præter veſpertinum, quod ſervat, tempus, noviſſime binis vicibus media nocte præviis levi ſudore, cordis palpitatione, ac celeriori pulſu, redierit, meque per integram horam cruciaverit; donec iis eructatis ab omni moleſtia liber eram. Neque minus interdiu hi ructus quandoque erumpunt, ſed leviores & non tantis, ut priores ſtipati ſymptomatibus. Inter ipſum paroxyſmum inſignem ventriculi ardorem percipiebam antea atque acrimoniam; ſed ſumto bis quotidie pulvere ex matris perlarum præparatæ, lapidum cancrorum præparatorum, antimonii diaphoretici ana drachma una & olei ligni ſaſſafras, ac Cinnamomi guttis tribus confecto & in tres doſes diviſo, remiſit ea adfectio. Alvus, quæ à teneris ſoluta eſſe ſuevit, jam ſegnior, & non niſi datis purgantibus vel laxantibus redditur. Sæpius ſubito accedunt cordis palpitationes, quibus durantibus pulſus eſt intermittens. Cæterum quamvis pertinaciter obſervem victus rationem, omneſque cibos flatulentos ac nocivos fugiam, nec illos unquam ad plenam ſatietatem aſſumam; quamvis etiam moderato corpus moveam exercitio; & pro potu ordinario vino generoſo & cereviſia utar, quoniam intermiſſa cereviſia alvus fit magis adſtricta: nihilo tamen minus omni veſpera redit moleſtum malum. Sub hoc abdomen quidem contabeſcit; & totum corpus flacceſcit; ſed vires ſunt integræ, & vultus ſanorum ſimillimus ac vivaciſſimus. Mane veronicam in infuſo potare ſuevi; alvo ſolvendæ ex ſuaſu medici ſæpius capiebam pilulas ex mercurio dulci confectas; veſperi mixturam ex eſſentiæ abſynthii compoſitæ, liquoris terræ foliatæ tartari ana uncia ſemis, elixir proprietatis uncia una paratam ex vino ſumebam; & ad roborandum ſtomachum varias eſſentias cardamomi, coſti veri, piperis longi, gentianæ, millefolii &c. adhibebam: quibus omnibus nullam opem ferentibus, medicus meus mali cauſſam in ventriculi atonia collocat.

Con-

*Conſilium.*

Ex iis, quæ mihi de adverſa generoſiſſimi viri valetudine ſunt perſcripta, facile collegi, illam omnino nomen aſthmatis flatulenti mereri; quod teſtantibus crebris ructibus à ventriculi atonia, & hinc ſuborta illius expanſione flatulenta, ſeptum tranſverſum moleſte afficiente natales ſuos mutuatur. Quum autem morbi, qui ex ſola ventriculi atonia, & flatibus in illo retentis dependent, convenientibus carminativis, nervinis & ſtomachum roborantibus facillime curari ſolent; & præſens, adhibito nequicquam horum uſu per integrum jam inhæſit annum: neceſſe omnino eſt, ut hujus ructuoſæ ventriculi inflationis præter illius imbecillitatem, adhuc plures ſubſint cauſſæ. Has inter potiſſimum referendus eſt difficilis humorum vitalium per viſcera abdominis, maxime hepatis, meſenterii & lienis circuitus: hunc enim in hominibus ætate provectioribus, ſanguineæ temperaturæ, lautæ vinoſæque diætæ ac vitæ ſedentariæ indulgentibus, animique commotionibus obnoxiis frequentiſſimum deprehendimus. Exinde, maxime ſi nulla adſit ad fluxum hæmorrhoidalem proclivitas, nec corpus ſufficienter movetur, nec ſanguis è pedibus regulariter detrahitur, multi morbi hypochondriaci, ſpaſmodici, flatulenti & aſthmatici propullulant. Namque dum ſanguis, per imum ventrem ægre progrediens in vaſis tunicarum inteſtinalium ſtagnans, eas diſtendit; inferiora inteſtina ſpaſmodica convelluntur ſtrictura; qua non ſolum flatus, conſtricto inferius exitu, ad ſuperiora repelluntur, ſed & cruor ad ventriculum pariter ac pectus atque caput regurgitat majori quidem copia, quam quæ à venis revehi poteſt. Quam ob rem ad tollendos funditus, qui ex tali cauſſa proficiſcuntur morbos, neceſſe eſt, ut hypochondriorum ratio habeatur, & ſtagnantes in illis humores reſolvantur atque diſcutiantur. Hoc fine, non præſtantius eſt aquis mineralibus ſubſidium; quas inter vel thermæ Carolinarum molares, vel acidulæ Egranæ ſub debito regimine, cœli mutatione ac convenienti diæta ad 18. lagænas potæ reliquis palmam præripiunt. Deinceps etiam conveniet, potum mutare, ac in ejus locum aquas Selteranas, binis partibus cum una vini rhenani generoſi mixtas adhibere: pediluviis temperatis & fere quotidie uti; ac denique quater quotannis ſanguinem ex vena, non in brachio, ſed pede tundenda detrahere. Quod pharmaca attinet; ab illis calidioribus atque purgantibus probe cavere oportet; quippe quæ tonum ventriculi atque inteſtinorum admodum labefactant. Alvum magis clyſteribus carminativis & emollientibus moliri præſtat; quæ etiam ſponte ſuo fungetur officio, quando calor internus, & acrimonia humorum atque ventriculi fuerint attemperata. Huic vero ſcopo egregie faciet ſatis pulvis ſequens, pondere drachmæ unius & brevi ante epulas, & veſperi ex aqua ceraſorum nigrorum capiendus: Recipe lapidum cancrorum unciam, tartari vitriolati, nitri purificati, ſuccini præparati ana drachmas duas, ſeminis cymini drachmam unam & ſemis, macis, cardamomi ana drachmam. M. f. pulvis d. Hæc remedia ſicuti ante potum acidularum, ita & hoc abſoluto in uſum vocanda; quæ cum acidulis iſtis, niſi jam polypoſa concretio in pulmonibus vel corde præſto ſit, quin malum penitus ſint exſtirpatura, nullus dubito.

*Relatio.*

Nec ſpem fefellit hæc curatio; ſiquidem ab illa, maxime acidulis Egranis æger aſthmatis ſui inſigne reportavit levamen; & obſervata dein recta vivendi ratione, ad hanc uſque diem ſanus vivit.

---

## CASUS LXXXVI.

### *De aſthmate flatulento.*

Intellexi ex communicato mecum caſu, virum quendam illuſtriſſimum per aliquot annos gravi ſolicitari ægritudine, quæ aſthmatis flatulenti atque ſpaſmodici nomen ſummo tuetur jure. Noctu enim potiſſimum, raro de die gravi ac anxio anhelitu, difficilique ſpiratione adeo corripitur, ut fere ſuffocari videatur: ipſe vero paroxyſmus per unam duntaxat, alteramve horæ quadrantem durat ac copioſa muci viſcidi per vomitum rejectione ſemper terminatur; & denique hyemali magis, quam alia tempeſtate adfligit. Hujus ſi cauſam diſpiciam, illam in pulmonibus copioſo, ſtagnanteque ſanguine fartis ſitam eſſe & inde liberum humorum ex uno cordis in alterum ventriculum tranſitum impediri arbitror. Quandocunque enim vaſa pulmonum ſanguinea à ſtagnante humore nimium diſtenduntur, atque dilatantur: aër nec inſpirari, nec exſpirari libere poteſt, & hinc ſuffocationis metus proficiſcitur. Verum enim vero ad indagandas cauſſas remotiores, quæ malo præſenti viam ſtraverunt, tria potiſſimum notanda occurrunt momenta. Namque primum haud ignorari oportet, ægrum inſigni humorum abundantia turgidum, cibis veſci nutrientibus, copioſo vino uti, vitæ indulgere ſedentariæ, nec hæmorrhoidale unquam, nec aliud ſanguinis profluvium toleraſſe, nec venam ſecandam præbuiſſe: unde omnino ingentem ſuccorum abundantium quantitatem ſibi contrahere debuit. Deinceps notari meretur, ægrum multis flatulentiis agitari ſueviſſe. Quando vero cunque flatus, qui ex vitiata digeſtione, ac inde relictis in ventriculo ſordibus mucidis atque tenacibus, noctu præſertim vi caloris in halituoſos vapores reſolutis originem trahunt, ventriculum nimium diſtendunt: fit inde, ut & diaphragmatis liber motus, & pulmonum expanſio, & hinc æquabilis humorum per has partes impediatur circulatio. Quamobrem tam ipſum aſthma, quam præſertim paroxyſmi illius & in noſtro ægro à flatulenta ventriculi diſtenſione eo magis derivari debent; cum eructatis iſtis vaporibus ſtatim remittat ſpirandi difficultas. Nec denique leve huic malo generando addidit momentum materia acris tartarea, quæ olim juncturis partium inhærens, arthritidem ac podagram excitavit, jam vero intra maſſam ſanguineam reſtare videtur. Namque crebra compertum habeo experientia, arthriticam hancce materiam, ſi vel in maſſa ſanguinea oberrans haud debite foras protrudatur; vel ab externis partibus intro repellatur, tantum non ſemper nervoſas pulmonum obſidere partes, earumque ſpaſmodicas diſtenſiones, anhelitu gravi ac ſpiratione anguſta ſtipatas excitare; eaſdem vero protinus evaneſcere moleſtias, ſi articularis recruduerit morbus. Quum itaque ex præſenti caſu intellexi, generoſiſſimum ægrum ſex abhinc

hinc annis dolore atque tumore digitorum, & externi pedis circa illius malleolos laboraſſe, ut Podagra affectus videretur: non dubito, fore ut à præſenti pectoris adfectione penitus liberetur, ſi veram inciderit Podagram.

Quod igitur prognoſin attinet; facillimum omnino eſt, ut niſi tempeſtivæ ferantur ſuppetiæ, moleſtum aliquando atque periculoſum ſuboriatur aſthma convulſivum. Etenim in hiſce morbis temporis diuturnitate ex ſtagnante, & magis coagulato cruore in corde pariter atque pulmonibus polypoſæ concretiones generari ſolent: quæ, dum in dies majora ſumunt incrementa, liberum denique & ad vitam conſervandam ſumme neceſſarium humorum circulum remorantur; & hinc inducendo aſthmati convulſivo & præfocanti, aut plane pectoris hydropi perquam ſunt opportunæ.

Quare ſi à tali malo vindicari cupit perilluſtris æger; eo ſummo niti oportet ſtudio, ut remotis primum cauſſis, ipſa mitigentur ſymptomata. Quibus ſcopis obtinendis, neceſſe ante omnia eſt, ut imminuatur humorum abundantia, ac impediatur, quo minus increbeſcat, ipſumque magis adaugeat morbum: hinc bis ad minimum quotannis, nempe vere & autumno vena in pedibus eſt ſecanda. Neque minus longe feliciori ſucceſſu curatio potiretur, ſi hæmorrhoidalis excretio, vel ſponte naturæ vel arte promoveri poſſet; quo fine, ſi tumor vel dolor in ano adparuerit, hirudinum adplicatio ingentem pollicetur fructum.

Tum quoque operæ erit pretium, cœna penitus abſtinere, & corpus ſedulo movere, quod & ambulando & equitando & curru vehendo ſub tempeſtate ſerena vel horis matutinis, vel veſpertinis poſt abſolutam digeſtionem optime fiet. Ad vitæ enim pariter ac ſanitatis conſervationem, victu tenui ac parco, moderato corporis exercitio & uſu aquarum mineralium non præſtantiora deprehenduntur ſubſidia; quippe quæ partim debitam humorum fluxilitatem conſervant, partim eorum vegetam circuitionem adjuvant, partim ſalutares excretiones, maxime quæ per cutim fiunt, egregie promovent; & ideo ad præcavendos morbos ſunt convenientiſſima.

Quibus momentis probe obſervatis, reſtat, ut nimia flatuum generatio inhibeatur, & hinc ventriculo ſuum reſtituatur robur: quare conſulo, ut ſub epulis XL. guttulæ eſſentiæ ex corticibus aurantiorum recentium cum tinctura tartari præparatæ ex aqua hauriantur; & bene ſaturatæ & quavis hebdomade vel mane vel veſperi XX. mearum pilularum balſamicarum capiantur; quæ & vim digeſtivam adjuvant, & flatus diſcutiunt, & corruptos humores leviter ſubducunt. Ex eodem fundamento, alternis diebus, vel brevi ante prandium, vel facta digeſtione hora quinta veſpertina drachma dimidia ſalis noſtri aperitivi ſumenda eſt; quippe quod flatus diſcutit, bilis acrimoniam attemperat, humorum orgaſmum mitigat, & excretiones per alvum ac urinam inſigniter promovet. Quo tandem materia arthritica ad externos invitetur artus, & humores, nocturno potiſſimum tempore in pectore coacervati, ad inferiores partes deriventur: ſuadeo ut æger quavis veſpera cubitum iturus in pediluvia ex ſola aqua parata pedes immittat. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi; quæ quin ſalutari potitura ſint eventu, haud dubito.

## CASUS LXXXVII.

### *De aſthmate flatulento cum colica.*

Vir quidam quinquagenarius, temperamenti ſanguineo-cholerici, plethoricus, vinoſis potibus à juventute deditus, & à teneris alvi pigritiæ obnoxius, quam vix ternis diebus reddere ſuevit; nec ullis morbis ſolicitatus unquam, niſi febre tertiana ante ſexennium tolerata, & abhinc ſingulo æquinoctio venæ ſectione in pede adſuetus, per quindecim jam annos non ſolum gutta roſacea, verno maxime tempore, ac luna plena exacerbata; verum etiam per octennium inſigni manuum laboravit tremore. Is jam per ſex hebdomades moleſta colica ac alvi obſtructione abſque intervallis fere ſolicitatus fuit; & non tantum vagos in abdomine dolores percepit, ſed quoque tantam ſpirandi difficultatem ſuſtinuit, ut ſæpius ipſum erecta duntaxat cervice ſpiritum trahere oportuerit: horum vero omnium poſt erumpentes ructus inſigne ſenſerit levamen. Pulſus cæterum naturali fertur ſimilis; & urina, quæ durante paroxyſmo obſcure rubicunda mingitur, poſt aliquot horarum moram rubrum, illudque copioſum deponit ſedimentum; quibus omnibus denique crebri conatus vomendi ſuperveniunt. In hoc rerum ſtatu, ſanguine protinus ſub morbi initium è vena in pede tuſa detracto, injecti ſunt ſæpius clyſteres, deinde pulveres digeſtivi, aperitivi ac antiſpaſmodici; quæ quidem alvi lubricitatem, ac malo quaſdam induxerunt inducias, illud autem funditus expugnare non valuerunt, quin frequenter recruduerit. Quare cum vereatur æger, ne plane iliaca accedat paſſio; tuum, vir illuſtris, anhelat conſilium.

### *Conſultatio.*

Poſtquam præmiſſam morbi hiſtoriam ſedulo mecum perpendi; ægrum inſigni ventriculi ac inteſtinorum atonia, & hinc ſubortis earum partium flatulentis diſtenſionibus infeſtari deprehendi: quæ ventriculum occupantes moleſtam anhelationem, inteſtina autem obſidentes colicos induxerunt dolores. In hiſce caſibus, hepar potiſſimum vitio quodam laborare, crebra me docuit experientia: in quo cum ſanguinis circuitus juſto tardior exiſtat atque languidior, humores non ſolum vitales in tunicis ventriculi ac inteſtinorum ſtagnantes, earum partium diſtenſionibus cauſſam ſuppeditant; verum maxime bilis haud rite ſeparatur, nec ſufficienter in inteſtinum effunditur duodenum. Neque ideo præſtantiora in iis morbis deprehendi remedia, quam amara & temperate balſamica: quæ inter eminet Elixirium ex extracto centaurii minoris, cardui benedicti, millefolii, croco, myrrha electa & lixivio alcalino paratum, & bis quotidie LXXX. guttis propinatum; quod alvi quoque ſuccurrit ſegnitiei. Idem Elixirium cum ſpiritu vini phlegmatico extractum, & quatuor partibus cum una tincturæ martis Zwœlfferi permixtum, in colicis, atque aſthmaticis affectibus, iiſque diuturnis, egregium præſtat uſum. Nec minori fructu adhibebitur ſal aperitivum ex lapidibus cancrorum, arcano duplicato atque nitro, cum tantillo olei de Cedro, vel chamæmeli veri paratum. Tum quoque frequentem pediluviorum, & venæ ſectionis

nis in pede uſum commendo; & mane denique potandum ſuadeo infuſum theiforme ex herba meliſſæ, veronicæ, floribus chamæmeli vulgaris, ſemine fœniculi & aniſi ſtellati concinnatum.

## CASUS LXXXVIII.

### *De aſthmate ſpaſmodico-flatulento.*

VIr cœlebs obeſus, XLVI. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici jam dudum difficili ſpirationi obnoxius, quinque abhinc ſeptimanis ex improviſo media nocte ingentes in regione muſculi pſoas ſentire cœpit dolores, qui ad pubem progredientes frigidulo dorſi ſenſu, alvi obſtructione, & orgaſmo ſanguinis ſtipati admodum ſævierunt. Conſultus hinc quidam medicus, calculum renum ſubeſſe ratus, exhibet ipſi abſorbentia antiſpaſmodica, cum nitroſis ac tartaro vitriolato; decoctum ex radice ſcorzoneræ & raſura cornu cervi paratum, atque clyſteres injici curat. Ex his remiſerunt omnia ſymptomata, & multæ ſordes acres atque ſalinæ, nullus autem calculus, cum urina ſunt redditæ: verum in aliam æger incidit moleſtiam, quæ ſic ſe habet. Simul ac corpus aliquantulum commoverit, aut caput in terram inclinaverit, maxime ſumtis epulis; protinus inſigni præcordiorum anxietate, cordis palpitatione, vehementi æſtu, ac reſpiratione difficili corripitur: noctu intra lectum præ nimio æſtu ac anxietate commorari nequit; hinc ſæpius ſurgens melius habet; neque minus poſt alvi, vel flatuum excretionem eximium percepit levamen. Ciborum inſuper exigua adpetentia eſt, urina rubicunda cum multo ſedimento rubro. Ipſi paroxyſmo jungitur commotio ſpaſmodica circa ventriculi regionem, ac ſi quidquam in illo agitaretur; abhinc ad caput protrahitur cum copioſo ſudore. Cæterum perpetuus dolor gravativus occupat ventriculum; & ardor, licet intenſiſſimus, nullam tamen ſitim habet comitem: nec tolerare valet decocta ac infuſa aquoſa, quippe quæ ſenſum ſtomachi gravativum adaugent; alvus autem quotidie ſuo fungitur officio; & denique nullus nec ardor, nec cardialgicus ventriculi dolor adfligit.

Accitus ego, omiſſa jam bis à priori medico inſtituta venæ ſectione, propinavi pulverem ex lapidibus cancrorum, tartaro vitriolato, antimonio diaphoretico, & cinnabari nativa confectum; mane hauſtum laxantem ex rhabarbaro, polypodio, cremore tartari, ſemine fœniculi & manna calabrina concinnatum dedi: ad promovendam digeſtionem mixturam ex eſſentia carminativa Wedelii, rhabarbari, corticum aurantiorum, zedoariæ & ſpiritu nitri dulci paratam exhibui; & denique pediluvia ex plantis emollientibus ſæpius adhibenda ordinavi. Quæ remedia, licet quoddam levamen, non tamen perfectam mali ſolutionem præſtiterunt; & cum æger vereatur, ne illud adhuc gravius recrudeſcat, ſalutare flagitat conſilium.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Docuerunt me tuæ litteræ, virum quendam, ſuperato ante aliquot hebdomades affectu quodam nephritico, poſthæc in aſthma ſpaſmodico-flatulentum ſatis grave incidiſſe. Hoc autem natales ſuos concremento polypoſo, cordi vel vaſi cuidam cordis inhærenti, & ſubjectis obeſis, vitæ ſedentariæ, largis epulis, ac animi ſolicitudinibus obnoxiis ſatis familiari, debere, exinde potiſſimum colligo; quoniam æger poſt motum corporis, ejuſque ſitum in lecto horizontalem pariter, ac alvo exiſtente adſtricta, & inteſtinis flatibus expanſis inſigni cordis palpitatione ac præcordiorum anxietate corripitur. Quando enim cunque cruor ad dextrum cordis ventriculum congeritur, eoque jam polypo farcto haud debite per arteriam pulmonalem propellitur: ſtagnat in corde, illud diſtendit, & ad validam ſui conſtrictionem proritat; unde & cordis palpitationes & præcordiorum anxietates proficiſcuntur. Hæc vero ſymptomata ventriculo flatibus diſtenſo magis exacerbantur; dum exinde & liber ſepti tranſverſi motus, & ideo ſanguinis æqualis per vaſa cordis ac pulmonum tranſitus admodum impediri ſolet: quare etiam pulſus ſub tali paroxyſmo procul dubio feretur inæqualis & intermittens. Talis autem morbus curatu eſt difficillimus; cui etiam manus haud libenter admovere ſoleo; quoniam tantum abeſt, ut felici potiamur eventu, ut potius malum haud raro in hydropem aſciten, vel pectoralem tranſeat, & cum ſuffocatione plerumque terminetur.

Quod ſi vero ipſe polypus adhuc præſto haud fuerit; & gravis illa anhelatio ſolis ventriculi flatibus ſuſtineatur: ſpes adhuc reconvaleſcentiæ reſtat, cui impetrandæ, ut alvus ſervetur libera, & tonus ventriculi pariter ac inteſtinorum corroboretur, neceſſe eſt. Sub ipſo igitur paroxyſmo clyſterem carminativum protinus adplicare convenit; qualis eſt ſequens: Recipe florum chamæmeli vulgaris manipulos duos, ſummitatum centaurii minoris pugillos quatuor, ſeminum quatuor carminativorum majorum ana drachmam: coque in aquæ communis libra una cum dimidia; colaturæ adde olei chamæmeli cocti, ſyrupi dialtheæ Fernelii ana unciam unam & ſemis, ſalis gemmæ drachmas tres. M. f. enema. Extra paroxyſmum operæ erit pretium, veſperi drachmam ſalis noſtri aperitivi ex hauſtu aquæ frigidæ aſſumere; mane alternis diebus pilularum mearum XII. deglutire, & tribus circiter ab epulis horis LX. guttas eſſentiæ carminativæ adhibere, quæ ſic ſe habet: Recipe eſſentiæ carminativæ Wedelii unciam, ſpiritus de tribus, nitri dulcis ana drachmas duas. M. d. S. *Blehungs*-Eſſentz. Denique vero accuratam diætam obſervare oportet ægrotum; in qua omnes ſalitos, flatulentos ac concoctu difficiliores cibos, omnemque corporis refrigerationem probe vitare; potum eligere leviorem, ac denique ter quotannis ſanguinem è vena in pede inciſa detrahere expediet. Hæc ſunt, quæ proponenda duxi, quæ Deus reddat ſalutaria precor.

## CASUS LXXXIX.

### *De aſthmate ſpaſmodico-flatulento.*

NArciſſus, vir XXXVIII. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, tribus circiter abhinc menſibus Francofurtum ad Viadrum profectus, ſub itinere febre multo vomitu ſtipata corripitur: à qua datis à quodam medico potiunculis diaphoreticis & temperantibus liberatus, ſub diſceſſu de crebris in latere dextro puncturis conqueri

queri cœpit. Redux, & per ſex circiter dies domi commoratus, Stetinum, quinque milliaribus à loco, in quo degebat, diſtans, nave aperta proficiſci decrevit. Conſcendit quoque illam hora veſpertina ſexta levi indutus amictu; & non ſolum ſuborta mox tempeſtate pluvioſa, verum etiam aëre ac cœlo per totam noctem inclementi atque horrido inſigniter refrixit. Accedens Stetinum, & biduo ibidem ſub illibata ſanitate commoratus, tum de inſigni præcordiorum anxietate & omnium artuum laſſitudine conqueri cœpit. Hinc protinus domum reverſus, mox corripitur prævio horrore brevi, æſtu inſigni, cum ingenti anhelatione, ac ſi ſuffocari vellet, aliiſque ſymptomatibus ſtipata; quæ inſequenti nocte magis invaleſcebant, cum puncturis ſiniſtri lateris. Quare vena in dextro pede ſtatim inciſa, mox evanuerunt dictæ puncturæ: ſed cum reliqua ſymptomata non ſolum inſiſterent, verum etiam dyſuria pariter ac flatulentia accederet: medicum abſentem accerſi curat æger, qui congruis medicaminibus noviſſimas binas adfectiones profligavit quidem; at conſtrictionem pectoris aſthmaticam debellare haud potuit. Hinc æger ex imperio medici ad locum, ubi hic degebat, per ſeptem milliaria in curru tecto devehitur: quo pertingens, denuo puncturis præcordiorum, ac violenta tuſſi agitari cœpit. Hæc enim noctu præſertim adfligit, omnemque ſomnum eripit; tanta quidem vehementia, ut, ubi ingruit, æger lectum deſerere, ac erecta cervice violenter tuſſire teneatur: cum nulla plane muci rejectione, & potius copioſiſſimo ſudore. Contra hæc mala nulla, quæ è re erant, prælaudatus medicus omiſit remedia; ſed nec tuſſim mitigare, nec hinc turbatum ſomnum conciliare potuit. Tum conſenſu illius medici peregre abientis, alius D. Reimari auxilium implorabatur; qui tuſſim ferinam, prævia refrigeratione ab humore tenui, acri, & ſalſo à capite ad fauces & pectus delabente ſubortam ratus, eam minime nec volatilibus, nec anodynis; ſed potius expectorantibus, emollientibus, reſolventibus & conſolidantibus oppugnari debere putavit. Hinc ordinavit pulveres pectorales ex ſpermatis ceti uncia dimidia, ſeminis Angelicæ drachma dimidia, ſacchari Canarienſis uncia una cum dimidia, olei deſtillati aniſi guttis decem concinnatos. Nec ſine egregio fructu, & pectoris levamine dedit potiunculam mannatam ex mannæ electæ uncia una & ſemis, ſolutæ in aquæ florum ſambuci & acaciæ ana unciis duabus cum dimidia, & olei aniſi guttis quatuor permixta confectam; & denique pectori dorſoque hoc imponi juſſit emplaſtrum: Recipe myrrhæ electæ, ceræ flavæ ana unciam unam, pinguedinis humanæ drachmas ſex, ſpermatis ceti, therebinthinæ ana unciam dimidiam, florum ſulphuris drachmas duas, croci, camphoræ, olei aniſi ana drachmam unam. M. f. l. a. emplaſtrum. Ex his remediis eximium tuſſis levamen deportavit æger: ſed redeunte priori poſt tres dies medico, cum ab hoc iterum acceperit medicinas, ingraveſcere rurſus cœpit malum. Tuſſis enim aridiſſima, nocte dieque eadem vehementia adflixit; & ſex abhinc hebdomadibus tumor pedum acceſſit; qui quo majora ſumebat incrementa, eo mitior erat tuſſis; cum autem jam imminui videatur, tuſſis iterum exacerbata eſt. Cæterum ciborum integra fruitur adpetentia; bona digeſtione; pulſu ordinario, & ſub tuſſi paulo citatiori, & alvo aperta. Quum autem tuſſiculoſa moleſtia adhuc urgeat, ſalubre anhelat conſilium, & doceri potiſſimum avet, quo laboret morbo? quæ ejus cauſſa? anne medicatio hactenus inſtituta ſit conveniens, & quæ alia in uſum vocanda? Nec denique ignorari oportet, ægrum Tabaci, vinorum calidiorum, ac crapularum fuiſſe amantiſſimum, ac fortiori corporis motui indulſiſſe; ut hinc & cruor vitalis acrimonia quadam imbutus, & viſcera vitalia obſtructa videantur. Et quod notatu dignum eſt, jam intra ſpatium duorum menſium Centum & ſexaginta formulæ medicamentorum ipſi ſunt præſcriptæ; quas etiam omnes aſſumſit.

## *Conſilium Medicum.*

Quanquam ægritudo, quæ virum ſpectatiſſimum immaniter tractat, ex litteris ſatis copioſe mihi ſit perſcripta: optaſſem tamen, ut his additum fuiſſet; quanam æger primum laboravit febre, num acuta, numne intermittente, aut quotidiana aut tertiana; quæ ſymptomata toleraverit, quæ remedia adhibuerit? anne dolorem, cujus mentio fit, pungitivum in pectore, an hepatis, an hypogaſtrica regione percepit? num ſit plethoricus, & fluxui hæmorrhoidali obnoxius? an venam ſecandam præbere ſueverit, anne potius neglexerit? num cruda uſus diæta, ſcorbuticam ſibimet contraxerit dyſcraſiam? & num denique ſub præſentis mali acceſſione pulſus fuerit intermittens, an inæqualis, & qualis urina &c. Interim quantum ex perſcriptis ſymptomatibus judicare licet; æger ſpaſmodico atque flatulento infeſtari videtur aſthmate; ſub quo, impedito humorum vitalium ex dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum tranſitu, & per pulmonum vaſa progreſſu, ſanguis in dextro cordis thalamo ſubſiſtit, ſtagnat, illum diſtendit, & hinc præcordiorum anxietatem pariter ac ſpirationis difficultatem inducit. Huic autem malo binas potiſſimum ſubeſſe credo cauſſas, nimirum partim concretionem membranaceam ac polypoſam, in cordis ventriculo vel vaſis pulmonalibus generari inchoatam; partim tubercula quædam duriora, in veſiculoſa pulmonum ſubſtantia ab hujus obſtructione ſuborta; ex quibus tuſſis nimia ariditas eſt derivanda. Harum ſi primam diſpiciam originem; eam in magna corporis refrigeratione poſt toleratam febrem facta ac inde prohibita tranſpiratione ſitam eſſe arbitror. Namque cum humores, à febrili ſaburra per liberam tranſpirationem nondum penitus depurati, attamen ab extremis partibus ad cor & pectus magno impetu compulſi, ibidem ſtagnationes ſubierunt: produxerunt primum anxietatem præcordiorum, & dolorem in latere thoracis dextro preſſorium; quæ ſymptomata, derivato per venæ ſectiones ad inferiores partes cruore, mox remiſerunt. Verum cum deinceps infarctui ac ſtagnationi earum partium ulterius diſcutiendæ haud ſtuduerit æger; ac inſuper quædam illarum regionum atonia relicta fuerit: major omnino ad illas humorum affluxus invaluit; & exinde procul dubio prima rudimenta & polypi & tuberculorum in pulmonibus ſcirrhoſorum poſita fuerunt. Hæc enim non ſolum ipſius tuſſis pertinacia, verum etiam accedentes pedum tumores atteſtantur, qui aſthmati ſpaſmodico ex polypoſis concretionibus enato plerumque ſupervenire ſolent.

Cæterum inſtitutæ hactenus curationis nolo eſſe arbiter; interim nimia farrago ac varietas propinatorum remediorum mihi haud arridet. Hæc enim tam promiſcua & ſæpius heterogenea medicamina partim ſolidarum partium, maxime ventriculi robur

robur atque tonum deſtruunt, partim fluidarum temperatam texturam pervertunt, atque ideo plus damni inferunt, quam emolumenti. Si libere dicam, quæ ſentiam; medendi methodus, quam habuit D. Reimarus, longe mihi videtur convenientior, quam qua uſus eſt medicus ordinarius. Quicquid ſit, ego certe ſpem integræ ſanitatis haberi poſſe valde diffido, cum partim cauſſa morbi in partibus ſolidis jam altiores egerit radices; & perarduum ſit, polypoſa concrementa, aut ſcirrhoſa tubercula penitus diſcutere; partim ob debilitatos pulmones inſignis humorum ad illos contingat affluxus, de quo timeo, ne catarrhum aliquando inducat præfocantem; partim denique tumores pedum jam acceſſerint, quæ in aſthmate plerumque vel hydropem pectoris vel aſcitem minari ſolent. Quod ſi autem ob ætatem juniorem, ac adpetentiæ integritatem, adhuc quædam curationis ſpes ſuperſit: fore ut ſequenti ratione eam impetrare liceat credo. Nimirum ſi quædam ad hæmorrhoides adparuerit proclivitas, prævia fomentatione hirudines ano admovendas hortor; & pro potu ordinario Selteranas acidulas vel hoc decoctum commendo: Recipe radicis chinæ, ſarſaparillæ ana uncias duas, corticum ligni ſaſſafras drachmas tres, herbæ cardui benedicti manipulos duos. Conc. Cont. irrorentur cum olei tartari per deliquium uncia dimidia. d. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in quatuor aquæ menſuris per integram horam in vaſe probe clauſo decoquantur. Cum autem præterea, licet integer ſit adpetitus, tamen ob multum remediorum dulcium, atque anodynorum uſum vim ventriculi digeſtivam aliquantulum læſam eſſe, ac flatus in illo generari ſuſpicer: haud alienum erit, ſub epulis ex ultimo hauſtu vel balſami mei vitæ guttas decem, vel Elixirii viſceralis guttas ſexaginta ægro propinare; & ad derivandos à pectore humores, quavis veſpera ſex vel ſeptem pilularum mearum balſamicarum exhibere. Et ſi denique anhelatio nimium invaluerit; liquoris mei anodyni viginti guttæ ut ex aqua veronicæ ſumantur, ac mane quatuor præſcripti decocti vaſcula calide ſorbillentur, conſulo. Hæc ſunt, quæ longa experientia edoctus, in tam gravi malo proponenda duxi: quæ, ſi adhuc ulla reconvaleſcentiæ ſpes foveri poterit, quin voto ſint reſponſura, nullus dubito.

---

## CASUS XC.

### *De aſthmate ſpaſmodico convulſivo.*

Poſtquam anno 1713. ineunte autumno, peregre factus triticeam cereviſiam potaveram, & inde ſub nebuloſa tempeſtate reverſus, iter octo milliarium una die equo confeceram: inſequente nocte tanta corripiebar anhelatione, ut præ anxietate præcordiorum, ac ſpirandi difficultate lecto immorari haud potuerim. Hinc accitus D. D. L. ordinatis pediluviis, & datis eſſentia ac infuſo pectorali intra aliquot dies malum profligavit. Sed vix elapſo ſemeſtri, recruduit illud longe atrocius, & quidem magis per intervalla, ut ſæpius per aliquot hebdomades, quin & menſes ab eo immunis fuerim; licet multos conſuluerim medicos, multa adhibuerim medicamina, & ſæpius mox in brachio, mox pede venam tundendam præbuerim. Sic ad hoc uſque tempus miſere adfligor hac moleſtia; quæ tamen haud raro hauſto unico infuſi calidioris vaſculo, aut moto aliquantulum vel equo vel obambulatione corpore remittere ſoluit; poſtquam mucum ſolutum libere exſcreare potui: Hoc enim excreto protinus libera gaudeo ſpiratione. Neque tamen minus, licet ventriculus admodum videatur languidus, ſatis integra fruor adpetentia: nec ab illo tempore graviores toleravi morbos, niſi ante novem annos intermittentem, & ante ſeptem continuam bilioſam febrem. Præterea alvo ſegni, & vix omnibus tribus, quin & ſex diebus ſoluta, nec non crebra flatulentia ſolicitor; quam pectoris vitium ſæpius exacerbare credo: hinc etiam remedia ſalina, antiſpaſmodica, præcipitantia, ac carminativa egregium mihi ferunt levamen. Contra vero omnia vina acidula, & omnia acida ac ſalita edulia mihi admodum infenſa deprehendo: dulcia autem vina, maxime Hungaricum moderate ſumtum & confortando ſtomachum, & aperiendo alvum inſigniter conferunt. Non minus alvo ſolvendæ inſerviunt quædam vaſcula potus ſuccoladæ, vel Coffée, vel etiam Thée mane aſſumta: ſed herba Thée copioſius & crebrius adhibita, progenerat acrimoniam, debilitat ſtomachum, ac imminuit adpetitum; herba Thécbois frequentius uſurpata cauſſatur æſtum præternaturalem; at potus ſuccoladæ roborat ventriculum, alvum ſolvit, ac mitigat dolores dorſi ac lumborum, qui violentam anhelationem ſæpius comitari ſolent. Quare etiam hoſce potus alternatim ſumere ſuevi, ne forſitan natura uni vel altero adſueſcat.

Ut adhuc pauca de aſthmate meo moleſto addam: haud ignorari oportet, illud jam per unum cum dimidio annum haud tanta quidem me exagitaſſe vehementia, quam quidem antea; noviſſimo autem menſe atrocius iterum infeſtaſſe. Nimirum ipſe paroxyſmus nocte potiſſimum, hora circiter tertia vel quarta ſolet ingruere cum anxietate præcordiorum ac anguſtia ſpirationis; tum expergefactus largo ſudore ac nimio languore proſternor, qui alias ſub ſomno non accedit. Simul ac vero vel inſtituto leviori corporis motu, vel ſumtis remediis convenientibus ſolvitur mucus pectus occupans, ut exſcreari poſſit; tum ab omni liber ſum moleſtia. Neque etiam minus vehementem illam ſpirationis difficultatem inſignes comitantur dorſi, lumborum, ac omnium fere nervorum dolores; qui jam jam ob morbi diuturnitatem, extra paroxyſmum quoque me cruciare cœperunt. Præterea malum ſemper ſtipatur moleſtia flatulenta atque alvi obſtructione: quæ tamen, ſi ingens fuerit aſthma, vi reſeratur cum excrementis lubricis, ſed admodum acribus. Cæterum omnem frigidum, humidumque maxime veſpertinum aërem; animi adfectus graviores, & fortiorem corporis motum, maxime ambulando valde mihi adverſari deprehendo; hoc enim in vehementem ſudorem, ac inſignem humorum conjicior ebullitionem; quid? quod exinde olim, cum ad ſpaſmodicas diſtentiones pronus eſſem, haud raro tantum dextræ manus, atque femorum incidi ſpaſmum, ut immobilis ſtare, nec ulterius progredi potuerim.

De præſenti liber ſum ab aſthmate, & non niſi dictis dorſi doloribus agitor; ſomno fruor placido, & exigua ciborum adpetentia; ſed cum verear, ne recidat malum; tuum imploro conſilium, ac ab illo vindicari anhelo.

*Conſultatio.*

Ex iis, quæ de tua valetudine adverſa mihi perſcripſiſti, probe ponderatis, conjeci Te aſthmate ſpaſmodico convulſivo laborare; quod nocturno præſertim tempore, maxime hyeme per intervalla ingruit, & poſt inſequutum pituitæ ſcreatum remittit. Hujus autem cauſſam in dyſcraſia humorum ſcorbutica collocandam eſſe credo; quæ partim ex obſtructione ductuum bilioſorum in jecinore; partim reliquarum excretionum ſuppreſſione, ac ſanguinis in imo ventre ſtagnatione ſuam traxit originem. Hæc enim ſuccorum acrimonia, accedente præprimis tranſpirationis per aërem frigidiorem repreſſione, aut animi commotione, nervoſis corporis partibus, maxime ſepto tranſverſo, & nervis pneumoniacis incumbit, hoc vellicat, & hinc præcordiorum anxietates, ſpirandi impedimentum, gelidumque corporis inducit ſudorem. Licet enim hæc moleſtia poſt exſcreatum mucum remittere ſoleat: haud tamen inde hic mucus pro cauſſa mali eſt agnoſcendus; ſed id duntaxat exinde colligere licet, quod ſpaſmodica bronchiorum conſtrictio fuerit mitigata.

Quod ſi ergo ab iſto malo liberari cupis; ante omnia eo erit reſpiciendum, ut acrimonia humorum attemperetur, eorumque æquabilis per omnia viſcera reſtituatur circuitus, & denique ſpaſmodica conſopiatur ſtrictura. Hiſce vero ſcopis obtinendis non præſtantius mihi thermis Carolinis, maxime molaribus, ſuppetit præſidium; quo etiam vir generoſiſſimus de D. eodem & longe graviori infeſtatus affectu intra binos annos priſtinæ reſtitutus fuit ſanitati. Quare etiam atque etiam hortor, ut cum iſtis aquis ſub finem Auguſti curationem, quam vocant autumnalem inſtituas; iiſque per tres circiter hebdomades potis, balneis Tœplicenſibus per decem dies utaris. Quod ſi Tibi arriſerit, tum te docebo modum illas potandi. Interim non ludi operam credo. ſi hac æſtate acidulas Selteranas adhibueris, earumque tepidarum ſingulo mane integram hauſeris lagænam per tres circiter hebdomades. Ante uſum autem earum non minus, ac illo finito, nec non bis ſub ipſo potu alvum moliri oportet; quod pilularum mearum XV. veſperi ſumtis, & poſtridie drachma ſalis mei aperitivi ex hauſtu acidularum iſtarum devorata optime præſtabis.

Deinceps operæ fore pretium exiſtimo, ut bis quotannis ex vena circa æquinoctia in pede tuſa ſex vel ſeptem cruoris uncias detrahi cures; & evitata omni cereviſia, ſequens pro potu ordinario adhibeas decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias quatuor, altheæ, pœoniæ, ſarſaparillæ, chinæ ana uncias duas, cichorii, liquiritiæ, raſuræ ligni ſaſſafras ana unciam unam. Conc. mixta d. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes coquendæ ſunt. Ex eodem decocto ſumta bis vel ter quavis hebdomade pulveris mei bezoardici veſperi doſis egregiam feret opem. Nec denique minus liquoris mei anodyni viginti guttæ in & extra paroxyſmum bis quotidie veſperi ex allegato decocto; mane ex infuſo Theiformi capere conveniet, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ manipulum unum, ſummitatum millefolii, florum tiliæ, chamæmeli vulgaris, ſambuci ana pugillos quatuor, ſeminis anethi, fœniculi ana drachmas duas. Conc. cont. d. S. Species *zum Kräuter-Thée*. Intra paroxyſmum autem alvum clyſtere protinus ſolvere expediet.

---

CASUS XCI.

*De aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco.*

Divini verbi miniſter, annor. XLIX. ſtaturæ longioris, ac ſtrictioris, temperamenti melancholico-cholerici, patre genitus arthritico, & arthritide intra corpus retrograda (a) anno ætatis quadrageſimo tertio defuncto, animoque ſatis ſenſibili, & ad commotiones admodum proclivi præditus, in ſua juventute ſæpius (b) ad vigeſimum uſque ætatis annum ſanguinem è naribus fundere ſuevit, & tum, licet ſub dura educatione variis obnoxiis fuerit totius corporis refrigerationibus, (c) ſub illibata vixit ſanitate. Poſtquam autem ceſſantibus his hæmorrhagiis, nec venæ ſectionibus, nec ſcarificationibus ventilata fuit humorum abundantia: male habere cœpit, & primum anno ætatis vigeſimo ſexto, cum vix per unum annum duxiſſet uxorem, febre acuta, & proximo abhinc anno arthritide eſt infeſtatus; quæ tum per aliquot ſeptimanas inhærens, (d) poſthæc ſingulo vere recruduit (e). Hanc ſæpius præcedere ſoluerunt efflorefcentiæ herpeticæ (f), aut potius ſcabies ſicca, pruriens & ardens artuum extremorum; quæ erumpente arthritide ſponte evanuerunt. Adhibitis ergo variis multiſque remediis, venæ ſectione, ſcarificatione, acidulis Pyrmontanis, ac inflicto brachio fonticulo arthritis æque ac ſcabies remiſit. (g) Illa cum ultima vice tenſivo ac gravativo in inteſtini circiter duodeni regione dolore, ac alvi obſtructione fuiſſet ſtipata: viſum ægro fuit, ac ſi arthritis per dorſi ſpinam ad cervicem aſcenderit. (h) Abhinc obtuſum preſſionis in occipite percepit ſenſum, qui admiſſo aëre frigidiori longe fit acutior: & præterea materia mucida atque tenax per infundibulum ad fauces delabi, ac ſaliva ſæpius frigida ac glutinoſa eſſe cœpit. Neque minus, ceſſante arthritide, perfecta ſanitate nunquam eſt potitus, licet ſuaſu medicorum ſufficienti motu corpus exercuerit, diætam obſervaverit accuratam, poſt ſumtos calidiores potus Thée vel Coffée, aut epulas ad avertendam ventriculi preſſionem vinum moderate aſſumere ſueverit. Tandem tribus abhinc annis ſpiratio anguſta (i) maxime ſub ambulatione, aut aſcenſu per loca acclivia eſſe cœpit, & per intervalla levior graviorque fuit; nunquam autem penitus remiſit. Hanc moleſtiam nunquam nec pituitæ rejectio, nec ſibilus in pectore excepit: ſed tuſſis nonnunquam ſicca acceſſit. Potæ ante biennium acidulæ Pyrmontanæ tantum abeſt, ut huic malo tulerint ſuppetias, (k) ut potius aliquando acciderit, quod, cum æger poſt aſſumtos veſperi cibos pinguiores inſigni excandeſceret iracundia, poſtridie vehementi vomitu, ac ſuffocativa ferme corriperetur anguſtia; & ab hoc paroxyſmo mox liberatus ſub illo potu de continua nauſea, ac conſtrictione pectoris conquereretur; hinc ab ulteriori illarum uſu abſtinuit.

Tandem verno præteriti anni tempore meæ curæ ſe tradidit ægrotus, quem cum ex ventriculi imbecillitate ac flatulentiis hypochondriacum judicarem, præter conſuetam venæ ſectionem infuſo vinoſo ex amaris, aperientibus, ſtomachicis atque laxantibus parato tractavi. Remiſerunt inde omnes ferme moleſtiæ, ſed reſpirationis vitium in eodem manſit tenore; & aliquot abhinc hebdo-

hebdomadibus poſt prævias varias ſolicitudines atque mœrores, admodum increvit. (l) Nec ullum ex inſtituta venæ ſectione, & datis laxantibus, uti antea, reſultavit levamen; & potius malum hoc tempore atrocius ſic ſe habet: Ægrum dormiturum, vel nonnunquam per unum alteramve horam ſomno fruitum corripit ſpirandi anguſtia; ſub qua omnia veluti conſtricta videntur, & ipſe vel ſedendo aërem attrahere, vel plane ſurgendo & obambulando ſpiritum anhelare debet: ipſa vero exſpiratio nullo laborat vitio. Hic paroxyſmus proximis abhinc diebus hora veſpertina quinta vel ſexta ingruit, & paullatim ingraveſcens ad mediam uſque noctem inhæret; ſubſequuto tum, quanquam turbulento ſomno. Stipatur ille prætérea ſudore faciei gelido, extremorum refrigeratione, & venarum alias ſanguine maxime turgentium, aliquali ſubſidentia: nec minus jungitur tuſſis primum ſicca, mox humida. Mucus, quem matutino maxime exſcreare ſolet tempore, nec multum viſcidus, nec pravi, ſed albicantis coloris, nec adeo copioſus eſt. Neque etiam anhelatio illa atque tuſſis penitus intermittunt; ſed de die duntaxat remittunt, ac veſperi iterum cum moleſtiſſima tuſſi exacerbantur: non minus ſub humiliori decubitu, aut ſi lateri ſiniſtro incumbit, fortius obambulat, aut diutius ſermonem protrahit, exaſperantur; ac noviſſime leviori ſtipantur raucedine. Porro ſub ipſo paroxyſmo obſervatur palpitatio ac tremor cordis; pulſus arteriarum fertur aſſidue parvus, durus, inordinatus, vel intermittens, vel tremulus: quid? quod aliquando digitum ſubterfugerit; & proximo poſt venæ ſectionem die magnus fuerit cum ſpiratione anxia elevatis alis.

Cæterum haud ignorari oportet; ægro planum eſſe pectus, ac prominentes ſcapulas; ipſumque inclinato pectore & incedere, & ſedere ſueviſſe. Regio epigaſtrica à ſcrobiculo cordis ad umbilicum fere uſque nec inflata, nec tumida; ſed tenſa eſt, & preſſa fortiter dolet; in qua videtur ægro, ac ſi palus hæreret, (m) qui impediret reſpirationem: ibidemque ſub tuſſi reniſus quidam ſentitur, cum pulſatili ac palpitatorio ejuſdem regionis dolore. Hanc moleſtiam æger, qui totum morbum à debilitato derivat ventriculo, flatibus adſcribit, quos ſub decubitu in ſiniſtro latere ad pectus aſcendere, illudque male afficere affirmat: cum autem cum cordis palpitatione atque tremore accuratam obſervet temporis rationem, cumque illis exacte reſpondeat; illam potius eandem cum his agnoſcere cauſſam exiſtimo. Nihilo minus ex hac ſibi imaginata cauſſa, ructus vi quadam explodere annititur; qui eructati levamen miſero ferunt, ſuamque magis confirmant opinionem: poſtquam autem coactam hanc eructationem interdixi; flatus illi non niſi ſumto potu, vel ſub paroxyſmo, vel ſub ambulatione erumpere ſueverunt ſponte, cum nullo mali allevamento. Porro ſub graviori paroxyſmo nauſea quadam corripitur æger; nullo nec vomendi conatu, nec ipſo vomitu, nec copioſiori ſalivæ affluxu ſtipata: alvus naturali gaudet ſucceſſu, & quotidie ſemel vel bis redditur, nec urgent flatus, nec borborygmi; quod ſi autem forſan pigra evadat, ſpirationem magis reddit difficilem. Integra ciborum fruitur adpetentia; neque ullo præternaturali, vel acido vel ſalſo ſapore os afficitur; urina mingitur rubicunda, rubrum ſedimentum & cryſtallos tartareas ad latera matulæ deponens. (p) Languor corporis eo magis creſcit, quo magis ſomnus ab interpolato anhelitu turbatur: hic quoque ſæpius eſt naturalis, nunquam ſine anxia ſpiratione, & plerumque multis jactitationibus corporis ac vigiliis ſtipatus. Nec ignorari oportet, ægrum jam diu cum terrore è ſomno ſæpius ſuſcitari; ſub hoc autem affectu uxor obſervavit, quod antequam evigilet, valida cordis percipiatur palpitatio, poſt quam ille ſemet inquietus jactare incipit. Vigil abſque ulla moleſtia in horizontali ſitu cubare poteſt; dormiens vero capite magis elevato decumbere tenetur. Porro vultus eſt livido-pallidus, (q) oculi vivaces, ſed triſtes; animus in mœrorem ac excandeſcentiam admodum pronus.

Neque ullum malo infert levamen victus pertinax obſervatio; quid? quod contra adpetitum (r) à cœna jam abſtinere prorſus debeat, cum ſomnus inde reddatur magis inquietior. Poſt inſtitutam nuper venæ ſectionem tumor aliqualis pedes occupare videbatur; qui autem mox evaneſcens, noviſſimo biduo iterum adparere cœpit. Hæmorrhoidibus nec cœcis, nec fluentibus, nec imi ventris torminibus unquam fuit obnoxius; multi ſermones, maxime quos ex ſuggeſtu facit, non minus ac meditationes, quas die ſaturni inſtituere ſolet, anhelationem exacerbant; quare dicto die pilulas Francofurtenſes adſumere ſuevit. Poſt omnem corporis & refrigerationem & exæſtuationem inſigniter invaleſcit ſpirandi anguſtia: non minus hæc majora ſumit incrementa cum majori virium jactura ex uſu vini, laxantium, quin & clyſterum. Nec conducunt ſtomachica, ac balſamica; contra vero majori cum fructu propinantur pulveres antiſpaſmodici, cinnabarini, nitroſa, & externe linimentum antiſpaſmodicum ad pectus & coſtas ſpurias adplicatum. Melius etiam habet ex obambulatione, quam decubitu. Urina noviſſime pauca redditur quantitate, cum parum bibat; at multi ſub gravi ſomno fluunt ſudores. Ipſe denique nonnunquam veluti flammam per pectus aſcendere aſſerit. Quæ cum ita ſint, Tuum anhelat conſilium, & doceri cupit, quonam infeſtetur morbo? quæ illius cauſſa? quæ curatio? ac num aquæ minerales, vel Pyrmontanæ vel Selteranæ ipſi futuræ ſint ſalubres?

*Epicriſis.*

Quum in hoc caſu multæ occurrant notatu dignæ obſervationes, quæ ad illuſtrandam affectuum ſpaſmodicorum rationalem pathologiam egregie faciunt: haud alienum putavi, quædam ex illo notabiliora momenta penitius explicare. Ipſe itaque morbus ad affectus ſpaſmodico-aſthmaticos, quorum ſoboles cachexia eſſe ſolet, referri meretur. De hoc itaque notetur:

(a) *Ægrum à parente arthritico, arthritide retrograda peremto fuiſſe genitum.* Quoniam igitur natura arthritidis in ſpaſmo nervoſarum partium circa articulos potiſſimum conſiſtit; facile adparet, noſtrum à nativitate genus nervoſum admodum debile & ad ſpaſmos atque motus irregulares valde proclive obtinuiſſe.

(b) *Ipſum eximia ſenſibilitate, & ad mœrores ac iracundias proclivitate pollere.* Ita eſt: namque animi affectus à diſpoſitione generis nervoſi ac fibroſi maxime dependent: & hinc attenta & crebra docet experientia, in omnibus affectibus, ubi nervoſæ partes ſpaſmis ac ſtricturis irregularibus agitantur, mentem ad terrorem, timorem, excandeſcentiam atque ſolicitudinem abſque nulla vel leviſſima cauſſa eſſe facillimam: hanc vero ſenſibilitatem protinus ceſſare, ſi diſtentiones partium internarum ac nervoſarum remiſerint. Hinc in ipſis paroxyſmis mens eſt longe ſenſibilior; & inde denique arctiſſimum, quod corporis motus, & animi affectus intercedit, commercium luculenter adparet.

(c) *Ægrum à juventute ad annum ætatis vigeſimum ſæpius ſanguinem è naribus reddidiſſe cum inſigni fructu.* Excretio ſanguinis per nares, quæ in infantia fit, certum inæqualitatis circuitus humorum, à ſpaſmodica diſtentione & generis nervoſi debilitate natales mutuantis, præbet indicium: & huic evacuationi obnoxii in juventutis annis plerumque ſputo ſanguineo, aut tabe pulmonum; ætate autem provectiore, niſi accedat hæmorrhoidalis fluor, aut humores venæ ſectionibus evacuentur, haud raro aſthmaticis, arthriticis vel podagricis cruciari ſolent affectibus.

(d) *Hinc ceſſante narium hæmorrhagia, nec alio modo ventilatis humoribus, æger male habere cœpit, & præter continuam febrim, arthritidem incidit vagam.* Quando enim cunque corpus quoddam ſpaſmo obnoxium eſt; omnes motus atque functiones vitales inordinate ſuccedunt. Fiunt nimirum hinc inde ſtagnationes ac congeſtiones humorum, maxime ſi hi abundaverint; & imminuuntur motus ſecretorii, & excretorii, præprimis qui per cutim ſalutari conſilio contingunt: inde vero generatur impuritas humorum ſalſa ſulphurea, acris, quæ & febrium & dolorum arthriticorum pabulum exiſtit, atque nutrimentum.

(e) *Singulo vere redierunt motus arthritici.* Conſtans confirmat obſervatio, omnes morbos ſpaſmodicæ indolis, veluti ſunt arthritides, aſthmata convulſiva, febres phreneticæ, paroxyſmi hypochondriaci, melancholici, maniaci, affectus rheumatici, pleuritides ſpuriæ &c. circa vernale potiſſimum recrudeſcere æquinoctium; maxime ſi tempeſtivis venæ ſectionibus, aut congruis evacuantibus haud præveniantur. Hoc enim tempore turgeſcunt ac commoventur humores; fluidi nervei influxus in partes muſculoſas atque nerveas fit copioſior; hinc motus intenduntur, ac irregulares iterum excitantur.

(f) *Præceſſerunt arthritidem efflореſcentiæ herpeticæ & rodentes manuum; quibus evaneſcentibus ſucceſſit arthritis.* Ex hoc momento clariſſime patet, cauſſam dolorum atque ſpaſmorum arthriticorum eſſe ſerum impurum, ſalinum, ac ferme cauſticum: quod per habitum corporis foras propulſum, internas partes nervoſas relinquit, eaſque ab omni ſpaſmo liberas eſſe ſinit; idem vero intra corpus remanens incumbit dictis partibus, & illas ad ſtricturas proritat.

(g) *Inſtituta venæ ſectione pariter ac ſcarificatione, inflicto fonticulo, & potis Pyrmontanis acidulis remiſerunt & ſcabies, & arthriticæ acceſſiones.* Ratio in aprico eſt: namque iis ſubſidiis abundantia humorum imminuta, & per acidulas excretiones per omnia emunctoria fuere adjuta, hinc univerſa humorum maſſa depurata.

(h) *Obſervavit æger, ac ſi arthritis per ſpinam dorſi ad cervicem aſcenderit, ibidemque firmas egerit radices.* Nimirum in omnibus ſpaſmodicis ac convulſivis affectibus, medullæ ſpinali, ſenſibiliſſimis ac nervoſis admodum membranis inveſtitæ, multoſque nervos emittenti ſingularis debetur animadverſio; quippe quæ principalem motuum ſpaſmodicorum ſedem conſtituit, unde hi per omnes corporis partes diſtribuuntur. Hoc eo clarius confirmatur exemplo rigoris, qui in febribus occurrit intermittentibus, paroxyſmorum hypochondriaco ſpaſmodicorum, ac omnium ferme hæmorrhagiarum: ubi primum obſervantur dorſi, & maxime circa lumbos dolores; artus externi refrigeſcunt; humoreſque ad interiora, cor potiſſimum & pectus compelluntur, & varia inducunt ſymptomata. Quare etiam vero videtur ſimillimum, quod in præſenti caſu materia arthritica cauſtica ad membranas medullæ ſpinalis ſuperioris decubuerit, & hinc partim externas capitis partes, maxime occipitis muſculos, partim internos faucium muſculos ſpaſmis adfecerit.

(i) *Tribus abhinc annis ſpiratio anguſtior eſſe cœpit, cum tuſſi ſicca, quæ magis magiſque invaluit.* Frequentiſſimum eſt, affectibus arthriticis atque podagricis remittentibus, vel retropulſis plane ſuccedere morbos aſthmaticos. Arthriticum enim ſerum ad partes ſepti tranſverſi nervoſas, tunicas bronchiorum nerveas, & muſculorum intercoſtalium membranas devolvitur; quas convellendo non ſolum ſpirationem impedit, verum etiam liberum ſanguinis per pulmones & cordis ventriculos remoratur circuitum: unde non ſolum functiones naturales inſigniter turbantur, ſed & ipſa viſcerum læſio metuenda eſt.

(k) *Poſt aquarum Pyrmontanarum, licet tepide potarum uſum affectus aſthmatico-ſpaſmodicus adeo increvit, ut æger ſuffocari fere videretur.* Non enim ignorari oportet, aquas minerales in aſthmate ſpaſmodico graviori, maxime ſub illius paroxyſmo aut cautiſſime aut plane non adhibendas eſſe. Namque ut taceam, ſpaſmodicas in hiſce morbis ſtricturas liberum earum aquarum per vaſa ſanguinea impedire tranſitum, ac hinc facillime hydropem pectoris inducere poſſe: conſtat minerales, maxime Pyrmontanas aquas principium partim martiale, adſtringens, partim ſpirituoſum aëreo æthereo elaſticum fovere, ideoque omnes motus potenter excitare. Quamobrem ſicuti in temperamentis languidis, & ubi progreſſus humorum eſt torpidior, divinam fere exſerunt operam: ita in motuum intenſione majus damnum inferre ſolent.

(l) *Hac hyeme poſt excandeſcentiam præcordiorum anxietas majus ſumſit incrementum.* Neque etiam mirum; nihil enim in affectibus ſpaſmodicis ex vitio nervoſarum partium ſubortis majorem parere poteſt noxam, quam corporis refrigeratio, & animi affectus; qui cane pejus & angue ſunt evitandi.

(m) *Tribus noviſſimis ſeptimanis affectus ſpaſmodicus atque aſthmaticus, verſus nocturnum maxime tempus admodum fuit exacerbatus; nimirum pectus valide conſtringitur, artus extremi refrigeſcunt, venæ ſubſident, tuſſis urget ſicca atque moleſta, cordis palpitatio, pulſus durus, inæqualis, parvus & intermittens.* Omnia hæc ſymptomata ſpaſmis debentur, partim qui præcordia occupant, partim qui cor & tunicas arteriarum nerveo muſculoſas obſident, ideoque motum cordis & arteriarum alterant. In hoc autem rerum ſtatu facillime in ventriculis & canalibus cordis generari ſolet polypus: namque dum cruor in corde, ejuſque vaſis ſtagnat, valido cordis motu fit, ut partes ſolideſcentes ſanguinis comprimantur, ac polypoſum forment concrementum; fluidiores autem per poros auricularum cordis in pericardium veluti percolentur, & mora temporis ex hac lymphæ ſeceſſione ac extravaſatione hydrops pectoris ſuboriri poteſt.

(n) *Videtur ægro, ac ſi in regione epigaſtrica fruſtum quoddam inſtar pali eſſet infixum, quod impediret ſpirationem liberam.* In aſthmate ſpaſmodico ventriculus atque ſuperiora inteſtina plerumque ſimul ſolent eſſe conſtricta. Quandocunque igitur orificia ventriculi ſpaſmo ſunt occluſa: flatus, exire neſcii, in eo cumulantur, eundem diſtendunt, hinc deſcenſum ſepti tranſverſi impediunt, & reſpirationem reddunt difficilem; adeo ut ſub inſpirationis actu reniſus quidam in iis ſentiatur regioni-

regionibus, & exploſis per apertum ſiniſtrum ventriculi orificium ructibus, aërem liberrime attrahere liceat.

(o) *Alvi ſucceſſus eſt naturalis, nec ſtipatur multis flatulentiis.* Ex hoc ſymptomate eluceſcit, ſpaſmos ſuperiores duntaxat regiones, pectus, ventriculum atque transverſum obſediſſe ſeptum; & ab his libera inteſtina, bono ſane præſagio, naturali adhuc pollere tono atque robore.

(p) *Urina redditur rubicunda, & cryſtallos tartareos ad latera matulæ deponit.* Hinc patet, inſignem adhuc humorum impuritatem, intemperiem, & dyſcraſiam ſalſam, ſulphuream, ſcorbuticamque eſſe præſto; quæ novum continuumque ſtricturis ſpaſmodicis ſuppeditat pabulum.

(q) *Vultus eſt ex livido pallidus.* Hic indicat cachexiam imminentem; quæ ſi hepatis, cujus officium eſt ſordes ſulphureo-ſalino-alcalinas à maſſa ſanguinea ſeparare, obſtructio forſitan acceſſerit, facile in tumores œdematoſos, ac ipſum hydropem aſcitem tranſire poteſt.

(r) *Cœna ægrotanti multas progenerat moleſtias.* Nam propter ſpaſmos primarum viarum vis digeſtiva vitiatur, flatuſque generantur, qui præcordiorum anxietates magis adaugent.

(s) *A pulveribus antiſpaſmodicis levamen percepit æger; contra vero ab omnibus calidioribus remediis, vino, quin & laxantibus majus ſentit virium decrementum.* Neque etiam mirum: Cum enim totus morbus cum omnibus ipſius ſymptomatibus à ſpaſmodicis tunicarum nervearum conſtrictionibus, & hinc impedito tranſitu humorum per pectus ſuam traxit originem: mox liquet, omnia remedia, quæ vel fluidorum commotionem excitant, vel ſolidorum motum adaugent, nociva eſſe; quæ autem relaxant ac blande demulcent, veluti ſunt diaphoretica fixa atque nitroſa, egregias omnino edere debere virtutes.

*Conſilium.*

Ex præmiſſa epicriſi ſatis perſpiciet æger, quo laboret morbo, & quæ illius ſit cauſſa: reſtat ergo, ut curandi rationem addam. Verum enim vero hujus felicem eventum obtineri poſſe, tantum non deſpero; cum malum inveteratum non in fluidis tantum, ſed & in ſolidis partibus altas egiſſe radices, extra omne exiſtit dubium. Non tamen ideo plane deſerere oportet ægrotum, ſed eo potius ſummis anniti viribus, ut ſaltem aliquod ipſi feratur levamen, ac majora mala, veluti ſunt hydrops & aridura partium ſuperiorum arceantur. Quos ut conſequamur ſcopos; internum aquarum mineralium uſum prorſus interdico, & illas magis externe in balneorum forma adhibenda ſuadeo; quas inter balnea Tœplicenſia, Amaſiana, & Wisbadenſia reliquis palmam præripiunt. Quod ſi autem iis uti haud placuerit: conſulo ut per quatuor circiter hebdomades, bis quotidie, mane ſcilicet, ac veſperi uſurpentur balnea artificialia, ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, & triticeis furfuribus ſacculo incluſis concinnata. Hæc temperata ac tepidiora duntaxat æger ingrediatur, iiſque, capite probe munito, ne vapor illud feriat, per dimidiam horam umbilico tenus inſideat; tum lectum conſcendat, in eoque aliquot ſequentis infuſi hauriat vaſcula: Recipe herbæ ſalviæ, betonicæ, veronicæ ana manipulum unum, florum chamæmeli, ſummitatum millefolii ana manipulum dimidium, ſeminis fœniculi drachmas duas; adſperge olei tartari per deliquium guttas XXX. Conc. Cont. D.

Præterea laudo uſum lactis aſinini, duabus partibus cum una aquarum Selteranarum permixti; cujus tepidioris binas libras mane pariter, ac hora veſpertina quinta aſſumat; ſimul vero omnes acidos, ſalitos, ac concoctu difficiliores cibos evitet, vinum fugiat, & pro potu ordinario ſequenti utatur decocto: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, radicis cichorei, pœoniæ ana unciam unam, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas tres. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquantur. Quæ ſi arriſerint, ſuaderem, ut per ſeptem dies æger primum potaret lac commendatum cum acidulis; deinceps ſeptem dies balneis tranſigeret; & hæc ita invicem alternaret aliquoties. Alvo ſegni vel paſſulis rhabarbarinis, vel, ſi ſtomachus tulerit, manna in lacte ſoluta ſuccurretur commode: & ante omnia rectæ vivendi rationi incumbere, hinc corpus ſub ſerena tempeſtate modice movere, ab omnibus mentis affectibus, meditationibus, ſermonibus &c. abſtinere oportet. Denique vero pulverem meum bezoardicum cum nitro mixtum, & liquorem anodynum mineralem valde commendo; quoniam hæc bina remedia in ejuſmodi affectibus ſemper deprehendi præſtantiſſima.

## CASUS XCII.

### *De aſthmate ſpaſmodico cum tumore teſtis ſiniſtri.*

Perſona Sereniſſima LI. annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, ſtaturæ mediocris, habitus pinguioris, ac robuſti corporis, octodecim abhinc annis de tenſivo pectoris ſiniſtri dolore, ac anguſta ſpiratione conqueri cœpit. Hæc ſymptomata poſtquam ſatis diu duraverunt, poſt uſum denique aquarum Amaſianarum remiſerunt quidem, & æger illibata gaviſus eſt ſanitate: verum tamen ſub fortiori corporis motu adhuc urget ſpirandi anguſtia, & ſingulo inſuper vere vehementiore tuſſi, eaque humida ſolicitari ſuevit. Elapſo noviſſime autumno increvit anhelitus difficilis ſine tuſſi, ſed cordis palpitatione ſtipatus, & ad hanc uſque diem tanta adfligit vehementia, ut inter eundum pariter atque ſedendum abſque ulla data cauſſa cor vehementer pulſare incipiat, adeo ut adſtantes hunc motum ipſi videre queant. Imminente paroxyſmo inſpiratio ægro videtur frigidior; atque fauces cum linguæ apice ſunt frigidæ: tum ſequitur acceſſio, quæ de die mox ſæpius, mox rarius ſupervenit. Præprimis obſervatum fuit, mane potiſſimum hora quinta, qua evigilat æger, compreſſionem pectoris, ſpirandi difficultatem, cordis palpitationem cum largo ſudore accedere; tum poſtquam ſurrexit, cordis motum admodum augeri; poſt ſumtum cibum aut hauſtum vini, jentaculum, prandium, cœnam remittere, deinceps recrudeſcere iterum. Veſperi nocturnoque tempore omnia exacerbantur, & per totam noctem continua eſt pectoris preſſio, ac reniſus veluti quidam, qui pulmonum expanſionem prohibet: quibus demum accedit flatulentia, malum exaſperans, illudque exploſis ructibus levans.

Cæterum æger per duodecim jam annos ſingula æſtate hæmorrhoidum ſatis largum fluorem, octo dies inhærentem tolerare ſuevit: adpetitu gaudet integro, ſomno placido; pro potu ordinario utitur vino vel Moſellano vel Burgundiaco, &

decocto ex radice ſarſaparillæ, chinæ & cinnamomo parato: alvus quotidie bis vel ter ſuo fungitur officio; & ipſe corpus ſuum vel ambulando vel equitando ſedulo movet. Vena circa utrumque æquinoctium in pede tunditur, & qui noviſſime detractus fuit cruor, admodum fibroſus adparuit; iiſdem temporibus, vere nimirum & autumno ineuntibus per ſex ſemper dies decoctum antiſcorbuticum ex herbis atque radicibus potare, ac omni æſtate aquis Amaſianis haud ſine fructu uti ſuevit. Præterea nullas adhibet medicinas, niſi pulverem præcipitantem, tuaſque nonnunquam balſamicas pilulas, non ſine levamine. His denique moleſtiis ante ſeptennium acceſſit tumor teſticuli ſiniſtri; qui cum noviſſimo abhinc biennio ad pugni magnitudinem increvit, & durus ſit abſque doloribus: ſereniſſimum ægrum adhuc magis reddit ſolicitum. Quare tuum conſilium ſcire cupit, & doceri potiſſimum avet, quo laboret morbo? quibus ille tollendus ſit remediis? & quomodo teſtis tumor tractandus?

*Conſultatio.*

Accepi litteras, quibus adverſa Sereniſſimi Principis deſcribitur valetudo: de qua ut mentem meam exponam, & primæ quæſtioni: quiſnam ſit, quo laborat, morbus? faciam ſatis: non dubito quin illum aſthmatis convulſivi ſeu ſpaſmodici nomine inſigniam; quod in ſpaſmodica tam ſepti tranſverſi, quam membranarum nerveo-fibroſarum, quæ bronchia ac veſiculas pulmonum conſtituunt, & denique partium vicinarum, œſophagi atque faucium conſtrictione conſiſtit. Quando enim cunque organa ſpirationi inſervientia, veluti ſunt pulmones ac diaphragma, violenter conſtricta debitam ſubire expanſionem interdicuntur: ſit inde, ut æquabilis humorum ex uno cordis ventriculo in alterum circuitus, eorumque per vaſa coronaria ac ipſam cordis ſubſtantiam progreſſus impediatur, hinc ſyſtole atque diaſtole cordis vitietur, & denique non ſolum præcordiorum anxietates, pectoris compreſſiones, ac ſpirationis difficultates; verum etiam ob ſpaſmum ad vicinas partes protenſum, refrigeratio linguæ atque faucium inducantur. Quod ſi vero ulterius diſquiram, quænam horum pectoralium ſpaſmorum cauſſa ſit: hanc in polypoſo vel ſiniſtri cordis ventriculi, vel arteriæ magnæ concremento, quod teſte cadaverum his morbis peremtorum ſectione, frequentior aſthmatis convulſivi cauſſa eſſe ſolet, quærendam eſſe, vero mihi videtur ſimillimum. Multa enim ſunt, quæ hoc credere jubent, momenta: nimirum primum tenſivus ille ac premens in pectore ſiniſtro ſenſus, ac ſi quicquam hæreret ibidem, quod prohiberet ſpirationem; deinceps hujus ſenſationis diuturnitas, quæ per ſedecim jam annos cum anhelitu gravi inhæſit: tum cordis conjuncta palpitatio, quæ tantum non ſemper cordis polypos imitari ſolet. Quod ſi enim affluus per venam pulmonalem cruor, in ſiniſtro cordis ſinu haud amplum ſatis ſemet expandendi inveniat ſpatium: diſtendit ille violenter cor æque ac vaſa illius, maxime arterioſa, hinc inducit convulſivum cordis motum, ſive palpitationem. Interim cum pulmones ab humoribus per arteriam pulmonalem aſſidue in illos compulſis ſe non ſufficienter liberare poſſunt: enaſcuntur exinde ſpirationis ſimul impedimenta. Non minus quoque juſtam polypum ſuſpicandi occaſionem præbet illud momentum, quo præcordiorum anxietas ac pectoris compreſſio à multa ſermocinatione, vel aſcenſu per ſcalas magis exacerbantur; quoniam hiſce cauſſis major ac velocior cruoris per cor & pulmones fit circulatio. Hinc quoque in præſenti morbo, ejuſque paroxyſmo pulſum fore inæqualem ac intermittentem, polypo laborantibus familiarem, omnino credo. Porro etiam, ut polypi præſentiam ſuſpicer, fecit habitus corporis obeſus & ſanguine plenus, quo ſereniſſimum gaudere ægrum legi: in hiſce enim ſubjectis facillimum eſt, ut poſt aſſumtum corpore calente frigidiorem potum, vel etiam pota calidiora vina, valde acida, veluti Rhenanum eſt, polypoſa generentur, & augeantur concrementa. Et denique non leve pro demonſtrando polypo eſt argumentum, cruor ex vena miſſus fibroſus; qui ad conglutinationem polypoſam admodum eſt opportunus. Hæc vero ſymptomata, quod in ſereniſſimo principe poſt ſumtos cibos vel potus remittant; ſæpius obſervavi in aſthmate convulſivo infeſtatis ſubjectis; cujus momenti ratio in ventriculo quærenda eſt. Hic etenim, tanquam nervoſa admodum, & cum reliquo nervoſo genere inſigni conſenſu gaudens pars, ſi vacuus à cibis eſt, ob eundem conſenſum pariter conſtringitur ſpaſmis; hinc malum pectoris, ac ſpirationis vitium magis adauget: quando vero aſſumtis cibis vel potibus ille repletur, fit major humectatio, relaxatio ac expanſio tunicarum; hinc remittit ſpaſmus ventriculi, & per conſenſum etiam pectoris. Ex iiſdem denique ſtricturis vi conſenſus ad inteſtina propagatis, horumque motum periſtalticum labefactantibus generantur flatus; qui hinc inde in flexuris inteſtinorum ſubſiſtentes, pectoris moleſtiam magis exacerbant.

Quod itaque attinet hujus mali curationem; illam penitus aſſequi, admodum erit difficile. Non enim ſolum polypoſæ id indicant concretiones, quæ ægerrime reſolvi poſſunt; verum etiam mali diuturnitas, qua irregulares ac violenti hi motus in habitum ferme ac alteram degenerarunt naturam. Quamobrem hi duntaxat ſuperſunt curationis ſcopi; ut præpediamus majus mali incrementum, & arceamus metuendum pectoris hydropem, ſuffocationem, vel cachexiam cum livido faciei colore, aridura ſuperioris & tumore inferioris corporis ſtipatam; quæ vitia plerumque noſtrum affectum ſequi ſolent. Hiſce ſcopis obtinendis haud alienum fuiſſet, thermis Carolinis, maxime molaribus, & poſthæc balneis Tœplicenſibus tempeſtive uti: haud enim rara ſunt exempla, hypochondriacos, hæmorrhoidarios, aſthmate laborantes his ſubſidiis perfecte fuiſſe ſanatos. Cæterum major reconvaleſcentiæ ſpes affulget, ſi nullus adhuc præſto fuerit polypus; id quod ex pulſu æquali & minus intermittente cognoſcetur. Quare omne curationis momentum abſolvi credo, ſi genus nervoſum corroborare, ſpaſmodicas ventriculi pariter ac pectoris ſtricturas conſopire, & liberum humorum per viſcera abdominis, maxime pulmones circulum promovere annitamur.

Quos ut conſequamur fines; operæ erit pretium, ante ſingulum novilunium binas cucurbitulas femoribus, totidemque ſuris cum ſcarificatione admovere: has enim ſecurioris uſus eſſe, quam venæ ſectionem deprehendi; quoniam nimia, quæ per hanc emittitur, cruoris copia nervoſas partes magis debilitat, & ad ſubeundos ſpaſmos magis reddit idoneas. Deinceps, niſi tumor occupaverit pedes, egregiam pollicentur opem

opem pediluvia temperata, atque tepidiſſima, qualia continua aquæ calidæ affuſione conſervari poſſunt. Parantur illa ex aqua fluviatili, cinerum clavellatorum uncia circiter una & floribus chamæmeli: & omni veſpera adhibentur ita, ut ad ſuras uſque pedes per horam dimidiam iis immittantur. Hæc enim excellentem vim humores à pectore ad inferiores partes derivandi poſſident; cum in hiſce morbis plerumque pedes frigidi, & urina pallida eſſe ſoleant: & eo præſtantiorem exſerent virtutem, ſi forſitan ſubfuerit retropulſio materiæ arthriticæ vel podagricæ, quæ ſæpius partibus nervoſis ſpirationi inſervientibus incumbere, ideoque difficultatem ſpirandi inducere deprehenditur. Præterea ſuadeo, ut ſereniſſimus æger omnem fugiat cereviſiam, & pro potu ordinario utatur decocto ex radice ſarſaparillæ, cortice ligni ſaſſafras & corticibus citri vel aurantiorum parato: ſub epulis autem vinum Moſellanum bibat; quoniam vinum rubrum, quod vocant Pontac, & Burgundiacum in his affectibus minus eſt opportunum.

Inter pharmaca hortor, ut brevi ante epulas ſequentis pulveris doſis ex aqua ceraſorum nigrorum aſſumatur: Recipe lapidum cancrorum, nitri purificati, ſolutionis oculorum cancri, tartari vitriolati ana drachmam unam. M. f. pulvis div. in octo partes: & præterea alternis diebus veſperi hæ deglutiantur pilulæ: Recipe extracti ſummitatum millefolii, florum chamæmeli, pulveris chinæ ana drachmas duas, extracti centaurii minoris drachmam unam, extracti hellebori nigri, pulveris caryophyllorum, cinnabaris nativæ præparatæ ana drachmam ſemis, croci, caſtorei ana grana decem. M. f. l. a. pilulæ ex drachma dimidia no. XX. Circa vivendi rationem evitare oportet omnes cibos flatulentos, concoctu difficiles, ſalitos, acidos; nec alios nimis avide ingurgitare; arcere frigus, humidumque aërem, ac ab omnibus mentis affectibus probe cavere.

Si denique juxta tertiam quæſtionem teſticuli tumorem diſpiciam; illum, cum jam inveteratus ſit, omnem remediorum vim eluſurum credo. Quod ſi autem recentes ſint ejuſmodi tumores; eos ſæpenumero fomentis calidis, ac emplaſtro de ranis cum mercurio Vigonis, cum emplaſtro de meliloto, ac diachylo cum gummatibus permixto diſcuſſos vidi ac profligatos. Fomentatio nimirum ter quotidie ſequenti inſtituitur ratione: Æger inſideat ſellæ perforatæ, cui in patina quadam ſuppoſitum ſit decoctum ex Semine lini, floribus chamæmeli, liliorum alborum & rapis confectum: hujus vapor admittendus eſt ano atque pudendis; & ut ille continuus ſit, decocto allegato ſæpius injiciantur candentes lateres. Sic fomentato ſcroto imponitur commendatum emplaſtrum. Neſcio autem, num ſpirandi anguſtia permiſerit hanc fomentationem: quæ ceteroquin non ſolum teſtis tumori, verum etiam ipſis ſpaſmis relaxandis inſignem feret opem.

*Relatio.*

Hæc medicamina à Sereniſſimo Principe rite uſurpata egregium præſtiterunt levamen: ſiquidem poſt pediluvia potiſſimum podagra in pedibus erupit, hæmorrhoides fluere cœperunt per quatuor hebdomades, & hinc cordis palpitatio ac ſpiratio difficilis admodum remiſerunt, ut æger abſque moleſtia ſcalas ſcandere potuerit. Verum cum adhuc compreſſionis ac tenſionis in pectore ſenſus inhæreret, ſuaſi, ut commendatis inſiſteretur remediis, ac præterea elixirium alcalinum temperatum amarum cum tinctura tartari ac eſſentia corticum aurantiorum remixtum ſub epulis adhiberetur.

---

## CASUS XCIII.

*De cura aſthmatis ſpaſmodici & hydropis perperam inſtituta.*

Notatu ſane eſt digniſſima, quæ mecum communicata fuit, morbi hiſtoria, qui virum quendam illuſtrem infeſtavit, ac penitus tandem è medio ſuſtulit. Ille nimirum LII. annos natus, gibboſus, debilioris conſtitutionis, cibiſque concoctu difficilioribus abſque maſticatione veſci ſuetus, à prima ferme infantia & crebro ſalivæ effluxu, & frequentibus catarrhis ſolicitatus fuit. Et quamvis per viginti jam annos ſingulis menſibus fluor hæmorrhoidum, per binos vel quatuor ſemper dies inhærens acceſſerit: attamen hoc tempore frequentes podagræ, chiragræque inſultus, & anno 1711· iterum nigrum toleravit. Menſe anni 1722. Auguſto, cum per tres hebdomades podagræ tormentis excruciatus, ab eaque nondum penitus liberatus, iter aliquot milliarium ſub aëre humido, ac inimico inſtitueret, diætæque indulgeret irregulari: nihilo minus à doloribus factus eſt ſucceſſive immunis; ſed proximo abhinc ſemeſtri uterque pedum, altera manus atque facies intumeſcere cœperunt. Conſultus medicus, hæc ſymptomata, à retrocedente podagra derivans, hanc pediluviis, hirudinibus adplicatis, & admotis plantis pedum cucurbitulis revocare intendit. Verum haud ita multo poſt veſperi ex improviſo de compreſſione, ac tenſione pectoris, tuſſi ſicca, & inſigni languore totius corporis conqueri cœpit æger, noctemque tranſegit turbulentam. Poſtridie, cum aſſumto prandio liberaliori in horto obambularet; ſubitaneo quodam affectu veluti ſuffocativo corripiebatur; ſub quo ægre trahebat ſpiritum; labia expalleſcebant; vultus rubebat, pulſus ferebatur debilis & intermittens, oculi adparebant concavi, gelidus ſudor perfundebat corpus, vomebat, manus atque facies leviter convellebantur, ac ipſa quaſi mortis ſigna accedebant per tres dies inhærentia. Adhibitis ergo remediis maxime confortantibus, melius quidem habere videbatur; at cum corporis urgeret languor, alter vocatus medicus præter medicamina à priori commendata ordinavit aliquot croci martis grana, & infuſum ex herbis amaricantibus ac limatura martis paratum bis quotidie capiendum dedit. Sed & his nequicquam proficientibus, tertius accitus medicus, aquam in abdomine extravaſatam contineri putavit, & ideo aquæ laxativæ Viennenſis uncias duas cum uno arcani duplicati ſcrupulo exhibuit, quæ novies alvum movit, & præterea quoſdam pulveres abſorbentes propinavit. His per triduum uſurpatis, ejuſdem aquæ laxativæ unciæ tres cum dimidia, & una mannæ porrigebantur: unde iterum novies ſubducebatur alvus, ac abdomen ſubſidebat aliquantulum. Quarto Iduum Junii, poſtquam exhibiti erant pulveres abſorbentes ſalini, denuo accepit purgans ex cremoris tartari, radicis jalappæ ana granis XV. Scammonii ſulphurati granis duobus & ſalis abſynthii ſcrupulo uno paratum: ex quo undecies depoſuit alvum. XV.

Cal. Julii repetebatur haud ſine levamine aqua laxativa cum manna; & poſtridie ab extero medico commendabantur hydragoga, ac in illis gummi guttæ: cujus etiam X. grana in pilularum formam redacta, fruſtra contradicente medico ordinario, quotidie per quinque dies dabantur; ſequenti autem octiduo ad tredecim quotidie exhibebantur grana: quæ quidem alvum potenter ſolverunt, ſed inextinguibilem induxerunt ſitim. Tum ab eodem medico commendatum lac aſininum per quinque dies, interpoſita alternis diebus ex millepedibus potione potabatur: ex quo in ardorem præternaturalem, capitis dolores & faucium aciditatem incidebat illuſtris æger. Pridie Non. Auguſti tredecim pilularum hydragogarum granis iterum adſumtis, ſequentibus XII. diebus continuabatur potus lactis aſinini: XIV. Cal. Sept. ſumebat eaſdem pilulas hydragogas, eodemque die de convulſiva pectoris compreſſione conquerebatur, & in illud tranſiiſſe podagram credebat. XII. & XI. Cal. Sept. præter lac ſæpius memoratum vorare debebat electuarium ex gummi ammoniaco, millepedibus, antimonio diaphoretico, extracto abſynthii & centaurii minoris, ſyrupo & conſerva abſynthii confectum. X. & IX. Calend. præter idem lac exhibebantur rurſus pilulæ hydragogæ, & reliquis hujus menſis diebus uſus lactis protrahebatur: quarum tribus ultimis peſſime habere cœpit ægrotans, noctes habuit inſomnes, ingenti ſiti ac faucium ariditate torquebatur, vomituriebat & denique ipſam lienteriam incidebat. Hinc finita lactis curatione, ad curam cum viperis inſtituendam deſcendebatur. Nimirum ſumta ipſis Septembris Calendis Rhabarbari drachma dimidia, & inde alvo quinquies ſoluta, vomituque concitato, ſequentibus novem diebus quotidie pulvis viperarum cum abſorbente mixtus dabatur; ex quibus non niſi nauſea, crebri vomitus, ac ingentia imi ventris tormina ſuboriebantur. Quarto iduum Septembris adhibuit rhabarbari ſcrupulos duos cum ſalis Epſonienſis drachmis quinque: unde quinquies alvum depoſuit, & abdomen magis intumuit; poſtridie pulvis viperarum; pridie iduum pilulæ ſupra recenſitæ hydragogæ granis XIV. & uncia ſalis Epſonienſis dabantur, vomitum concitantes, & alvum quater moventes. Tum repetebatur pulvis viperarum, ſed XVII. Calend. octobris intumeſcebat venter, rubebat facies, arteriarum pulſus erat languidus, ac æger ſuffocari ferme videbatur. Quare XVI. Calend. propinabatur laxans ex aquæ laxativæ unciis tribus, & dimidia, & mannæ, ſyrupi de ſpina cervina ana uncia, arcani duplicati uncia dimidia concinnatum; quod duodecies alvum movit, ingentia ventris tormina, vomitus, ac incredibilem excitavit languorem. Nec detumuit abdomen, licet XV. XIV. & XIII. Calend. oct. pulvis viperarum repeteretur, & XII. Cal. pulvere laxante ex rhabarbaro, reſina Jalappæ & ſcammonio ſulphurato ingens aquæ per novem ſedes ſubduceretur quantitas. Nihilo tamen minus reliquis hujus menſis diebus, mox ſupra allegatum electuarium, mox juſcula viperarum, mox pulveres laxantes infelici ſemper effectu adhibebantur.

Sub auſpiciis menſis Octobris deveniebat medicus abſoluta viperarum cura, ad uſum Tincturæ cujuſdam ſolis; cujus arcana erat compoſitio. Dabatur ea per totum menſem, interpoſitis modo pilulis, quæ continebant gummi guttæ, modo manna cum tartaro ſolubili, modo clyſteribus; ſed tantum abeſt, ut levamen ſequeretur, ut potius præter omnium ſymptomatum exacerbationem continua vomituritio, ac nonnumquam animi deliquia accederent. Hinc pridie Calendarum Novembris exhibebatur ſecretum pro hydrope, quod intra nycthemeron ter ſumtum inſignem præcordiorum anxietatem, aſſiduam nauſeam, copioſos ſudores excitabat: quibus, cum clyſteres cum therebinthina mixti opponerentur, mentis defectiones, continua ad movendum proclivitas, ſalivæ fluxio, pulſus debilis ac perpetuæ ſuperveniebant vigiliæ; atque ad diem IV. Nonarum Nov. perſiſtebant. Tum III. Nonar. ſubducta per injectum clyſterem, aterrima ſaburra, melius paullo habuit: ipſis Nonis melancholicæ cogitationes mentem cruciabant; quibus poſtridie paullulum remittentibus, Quinto Iduum dabatur infuſum laxans ex hellebori nigri, & ſeminis aniſi ana uncia una, herbæ abſynthii manipulo dimidio, cum vini Moſellani unciis tribus & aquæ fontanæ libra infundendum: quod bis quotidie pondere IV. unciarum ſumſit. IV. Iduum pilularum ex gummi guttæ hydragogarum XV. grana iterum propinabantur; quæ quidem largam ſubducebant aquarum copiam; æger autem male habere cœpit, noctem habebat inſomnem, & mane veternum incidebat. Neque tamen minus III. Iduum repetebantur XIII. grana dictarum pilularum, ex quibus major reddebatur vomendi conatus, pulſus celer ac ſuppreſſus, calor intenſus & ſitis accedebat; quid? quod poſtridie omnia ruerent in deterius, & quamvis adhuc mane mixtura confortans, circa meridiem juſculum viperarum porrigerentur, tamen hora octava veſpertina illuſtris æger ſuffocatus exſpiravit animam.

Secatum poſtridie defuncti corpus, in imo ventre, plus quam decem aquæ menſuras continebat: hepar erat flaccidum, colore fuſcum, & ne quidem veſtigium præſentis felleæ veſiculæ oſtendebat: contra vero cholidochus ductus adeo erat conſtrictus, ut vix ſtylum admitteret. Ventriculus pariter flaccidus, ab uno orificio ad alterum inflammatus, obſcure rubicundus, veniſque ſanguine fartis præditus adparebat: eadem erat facies inteſtinorum, flatibus inſuper ultra modum diſtentorum. Pancreas tantum non totum ab ulcere conſumtum; & in rene ſiniſtro fere putrido calculus magnitudine amygdalæ in conſpectum veniebat. Pulmones parvi, flaccidi ac veluti exarefacti videbantur; ſpina dorſi figuram litteræ S. repræſentabat; ſed reliqua denique viſcera, cor, ſeptum tranſverſum, meſenterium, caput & cerebrum nihil monſtrabant præternaturale. Hac igitur præmiſſa morbi & mortis hiſtoria, quæſtio incidit: num inſtitutæ medicationes juxta regulas artis & rationales indicationes fuerint adminiſtratæ? anne potius alia medendi ratione vita defuncti adhuc conſervari potuiſſet? Quamvis autem haud iverim inficias, me in hiſce caſibus, in quibus ſæpius unus medicus alterius famæ quid detrahere cupit, & qui demum contemtum artis pariunt, malle ſuſpendere meum judicium: verum tamen cum & illuſtris defunctus, & concurrentes medici mihi ſint ignoti; & præterea hic caſus multos forſitan cautius mercari docuerit; haud potui, quin, quæ ſentiam, libere eloquar.

Multa ergo occurrunt momenta, quibus calculum meum addere non poſſum; & præprimis cenſendus mihi videtur intempeſtivus ac nimium copioſus purgantium draſticorum, maxime gummi guttæ per totum morbi decurſum adhibiti uſus. Namque 1. hoc gummi inter purgantia validiora, quæ

quæ ex principio virulento, motibus vitalibus admodum infenſo agunt, eſſe collocandum; non ſolum unanimis omnium medicorum conſenſus adfirmat, verum etiam ex ſymptomatibus, quæ X. vel XV. granis datum excitavit, ſatis eluceſcit: ſiquidem membranas ventriculi ac inteſtinorum nerveas potenter vellicavit, nauſeam, vomitus, alvinas dejectiones, languorem corporis, tuſſim, æſtum præternaturalem, & animi deliquia induxit. Neque etiam mirum: nam 2. juxta *Bontii* librum *de medicina Indorum* hoc gummi eſt ſuccus eſulæ Indicæ concretus; & de eſulis generatim conſtat, quod foveant ſuccum lacteum, virtutis valde corroſivæ, inflammatoriæ & veſicas excitantis. Hinc quoque 3. hoc purgans, majori quantitate ſumtum, omnes vitales motus pervertere, ac ipſam mortem inferre poteſt: quemadmodum M. N. C. dec. I. anno VIII. obſ. 82. recenſent caſum de hydropico, qui adhibita hujus gummi drachma dimidia, ἄνω καὶ κάτω vehementer purgatus, animi incidit defectiones cum inſequuta morte. 4. Certum enim eſt, quod omnia ejuſmodi draſtica purgantia ſua natura non tantum partibus corporis noſtri ſubtilioribus, motum & impetum facientibus inimica valde ſint; verum etiam ſolidas partes, maxime ventriculi & inteſtinorum nerveas potenter adficiant, & illas vi principii, quod fovent ſulphurei, ad violentos & irregulares motus proritent. Eo clarius adparet, hoc purgans in noſtro caſu, maxime tam larga copia propinatum admodum fuiſſe nocivum; ſi ægrotantis conſtitutio conſideretur. Fuit enim ille gibboſus jam LII. annos natus, tenerioris habitus, catarrhis obnoxius, jam dudum hypochondriacus, arthriticus ac hæmorrhoidarius: in quibus ſubjectis genus nervoſum plerumque debile, & in ſpaſmos pariter ac atoniam valde pronum obſervatur; circulus vero humorum per viſcera abdominis, maxime hepar, languidus, & denique tonus primarum viarum labefactatus deprehenditur. Deinceps vero ſi præſentis morbi originem perſcruter; cachecticum illum atque hydropicum affectum minime, more ſæpius conſueto, ex defectu ſanguinis, vel obſtructis ac induratis viſceribus, vel denique polypoſis concrementis natales mutuaſſe; ſed potius ex fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo pariter ac materia arthritico-podagrica retenta ac repulſa, & hinc ſubortis aſthmate ſpaſmodico atque oppreſſione pectoris propullulaſſe deprehendo. Nihil enim in praxi medica obſervatur frequentius, quam quod ſuppreſſionem ac repulſionem dictorum motuum atque excretionum ſpaſmodicæ partium nervoſarum, ventriculi, inteſtinorum, diaphragmatis atque pulmonalium bronchiorum ſtricturæ, hinc ſpiratio anguſta, anxia, difficilis, imi ventris tormina, flatulentiæ, collectio multarum ſordium, & denique pedum ac abdominis tumores, cachecticus color, & ſuperiorum corporis partium ariduræ preſſo inſequantur pede. Nam aſthma ſpaſmodicum in violenta ſepti tranſverſi conſtrictione conſiſtere, notum eſt; neque minus porro Anatomia docet, illius parti nerveo tendinoſæ adnexum eſſe jecur, atque venam cavam illud penetrare ac tranſire. Hinc vero clariſſime patet, impedito diaphragmatis à ſpaſmo, quo agitatur, aſcenſu atque deſcenſu, non ſolum ſanguinis quoque per hepar ac vicina viſcera impediri progreſſum; verum etiam venam cavam valide comprimi ac coarctari. Inde demum cruor ab extremis partibus, ac abdominis viſceribus, jecinore, ſplene, ventriculo, inteſtinis atque meſenterio per venam cavam ad cor refluus retardatur, ac in dictarum partium vaſis ſtagnare cogitur. Sub hac porro ſanguinis ſtagnatione ſeroſa colluvies partim extravaſatur in poroſam partium ſubſtantiam; partim eo majori copia vaſa lymphatica ingreditur, ea replet, diſtendit, perrumpit, in cavitatem abdominis profluit, & hinc hydropem, tali ratione ex aſthmate ſpaſmodico derivandum producit. Eadem vero ſcena in noſtro defuncto fuit acta; namque primum de ſpirandi difficultate, ac ſpaſmodicis præcordiorum ſtricturis conqueſtus, mox in ipſum incidit hydropem. Hinc eo clarius eluceſcit, purgantia draſtica, tam larga doſi, tamque frequenter uſurpata nullum omnino hocce in morbo invenuiſe locum: cum illa ſubſtantia ſubtili, volatili, acri, ac fere corroſiva partes nerveas totius corporis violenter vellicarunt, ideoque ſpaſmos adauxerunt, liberum humorum progreſſum eo magis retardarunt, hinc ad vitam conſervandam ſumme neceſſarias utilium humorum ſecretiones, & inutilium excretiones ſufflaminarunt, & majores humorum congeſtiones atque ſtagnationes induxerunt. Hæc proh dolor! infelix eorum in defuncto noſtro effectus ſatis confirmat: quippe qui ſub continua ac vehementi alvi dejectione magis intumuit, pejoribuſque implicatus fuit ſymptomatibus. Non minus ab ingentibus abdominis ſpaſmis dependet tam arcta ductus cholidochi conſtrictio, poſt mortem reperta.

Non equidem negari poteſt, dari multa in praxi medicorum exempla, quod in hydrope datum purgans vehementius v. g. elaterium, extractum eſulæ, quin & gummi guttæ &c. copioſiori quoque doſi egregium ediderit effectum, & aquas in poroſa partium ſubſtantia, & viſceribus ſtagnantes large ſubduxerit. Verum enim vero haud ignorari oportet, hunc effectum non niſi 1. in corporibus robuſtis, 2. viſceribus adhuc integris, neque obſtructis, neque induratis, 3. ſi ſeri congeſtio haud à ſpaſmis generata ac ſuſtentata fuerit, & 4. in leucophlegmatia ſive anaſarca tantummodo, ubi totum intumuit abdomen; non vero in aſcite, in qua ſuperioribus partibus aridis, inferiores fiunt tumidæ, duntaxat inſequi. Et deinceps in hiſce caſibus hæc cathartica draſtica, nec in mali principio, nec nimis frequenter propinari debent: ſed prius humores præparare ac fluxiles reddere, & poſt purgantia roborantibus uti oportet. Quare illorum uſus ad præſentem caſum minime adplicari poteſt; ubi aquoſus tumor magis à ſtrictura partium nervoſarum, à materia arthritica ipſis incumbente producta ſpaſmodica ſubortus, & æger hypochondriacus fuit, uti ex avidiori appetitu, ſputatione & flatulentia adparet. Riverius, dum de curatione hydropis loquitur, & purgantium meminit, in hæc erumpit verba: *In purgantium adminiſtratione obſervandum eſt, omnia purgantia fortiora non eſſe frequentius uſurpanda, uti docet Galenus Lib. IX. de locis, quia corpus debilitant, ut poſtea major aquarum proventus exoriatur, ideoque roborantia & aperientia, frequentius quam purgantia erunt præſcribenda: & experientia nos docet, evacuationem in hoc morbo, quæ fit per urinam, melius ſuccedere ea, quæ fit per alvum. Purgationum vice clyſteres injici poſſunt, quibus flatus diſcutiuntur, aquæ educuntur, & venter imminuitur.* Quam obrem meo quidem arbitrio longe felicius ſucceſſiſſet negotium, ſi ſuaſu medici ordinarii eo tempore, quo defunctus in horto aſthma præcordiorum inciderat, eo omnes curationis ſcopi fuiſſent intenti, ut materia arthritica foras propulſa, ſpaſmus nervoſarum partium conſopitus, ac hæmor-

rhoidalis

rhoidalis fluor revocatus fuiſſet. Hos vero fines impetrare licuiſſet, tam congruo vivendi genere, quam convenientibus remediis, diaphoreticis cum cinnabari & caſtoreo; pilulis balſamicis ad mentem Becheri paratis, pediluviis, venæ ſectione in pede, hirudinum adplicatione, & ſufficienti motu corporis.

Neque etiam ſubſcribere poſſum uſui lactis aſinini, qui per totum menſem Auguſtum, interpoſitis purgantibus, maxime gummi guttæ protractus fuit. Quamvis enim hocce lac, decenter uſurpatum, in phthiſi, atrophia, arthritide, atque podagra haud levem præſtare opem deprehendatur: attamen in præſenti caſu, ubi tonus ventriculi ac inteſtinorum per crebra purgantia magis labefactatus, & ad has partes inſignis vitioſorum humorum ſaburra invitata fuit, ac denique ipſa cachexia jam invaluit, minime fauſtum ac ſalutarem ex illius uſu eventum ſperare licuit.

Porro quod attinet curationem; quæ per menſem Septembrem, cum viperis, ac interpoſitis pariter purgantibus inſtituta fuit: illa ſane majorem excitaſſet uſum, ſi ſub morbi principio menſe Julio fuiſſet adminiſtrata. Namque crebra conſtat experientia; viperas & in pulvere & decocto datas virtutem poſſidere antiſpaſmodicam, acres humores attemperare, tranſpirationem promovere, ideoque maſſam ſanguineam ab omnibus purgare ſordibus.

De effectu autem tincturæ ſolaris poſitivum ferre judicium, eo minus valeo, cum illius compoſitio mihi ſit incognita. Interim haud ignorari oportet, nullam adhuc repertam fuiſſe tincturam ſolarem, quæ revera continuit aurum ſolutum; quin ſimul fuerit aliquantulum corroſiva; talemque maxima cautione adhibendam eſſe. Contra vero, quæ non eſt corroſiva, nullum omnino continet aurum; ſed hoc ea, qua ſumtum fuit, quantitate ex reſiduo ſeparari poteſt; & ejuſmodi tincturæ virtus vel menſtruo aurum ſolventi, vel aliis ingredientibus debetur. Quæ ergo in noſtro caſu adhibita fuit tinctura, videtur fere fuiſſe corroſiva, quoniam ſub ejus uſu omnia ſymptomata majus ſumſerunt incrementum. Cæterum ſi libere dicam, quæ ſentio: vero ſimillimum mihi eſt, quod curatio in perilluſtri ægro conſulto tam pompoſis fuerit inſtituta remediis, quæ inſignem undique fovent applauſum; quo poſt inſequutam mortem in vulgus propagari poſſet, omnia ac pretioſiſſima in uſum vocata eſſe ſubſidia.

Quicquid ſit, optaſſem ſaltem, ut noviſſima curatio cautius fuerit inſtituta; & ſecretum illud antihydropicum omiſſum eſſet, quod procul dubio corrodens fuit ac mercuriale; ſiquidem exinde peſſime habuit æger; copioſius ſalivam reddidit, ac per anum materiam teterrimam, ſanguinis extravaſati progeniem excrevit. Et haud ſatis mirari poſſum, quod, poſtquam defunctus ex tam violentis remediis omnibus deſtitutus fuit viribus, ipſi adhuc vehementiora purgantia, & quidem infuſum helleborinum pariter ac XVI. grana gummi guttæ ſint propinata. Hæc enim medicamina, eo tempore, eaque ratione adhibita ſola ſuffecerunt, lethalem ventriculi ac inteſtinorum inducere inflammationem: quæ cum poſt mortem cum ingenti harum partium inflatione, more hydropicis alias minus conſueto, reperta fuerit, ex dictis omnino derivanda eſt remediis; de quibus omni jure prædicare licet, quod mortem acceleraverint.

## CASUS XCIV.

*De aſthmate ſpaſmodico à potu & victu poſt iram ſumto, & inde adhibitis incongruis medicamentis orto.*

Vir annum ætatis agens XXX. conſtitutionis ſanguineæ, vegetæ, habitus corporis ſpongioſi, & ſucculenti, poſt vehementiſſimam ab ira commotionem, & corporis & artuum tremorem, mox capit cibum in convivio; & præterea potu vini liberaliori ventriculum replet. Hinc noctem habuit valde inquietam cum ſtricturis anxiis præcordiorum junctam; niſuſque vomendi continuus erat, & univerſi corporis languor. His ſymptomatibus per aliquot dies inhærentibus ſuperveniunt porro ciborum inadpetentia, pulſus debilis & celer, tabes, febris lenta; ſed oris adeſt ſiccitas, & humidi adpetentia; color faciei cum albo oculorum flaveſcit, urina mingitur pauca, ſed colore fuſca, rubicuna, brunna, valde ſaturata; alvus eſt dura, tenſaque, difficilius ſtercus & flatus reddit. Quare plures in conſilium vocavit medicos, qui præſcripſerunt copioſa & varii generis remedia aperientia, emetica, amaricantia ſtomachica, carminativa; obſtructionem hepatis horum malorum cauſſam eſſe rati, & ſtomachum valde imbecillum, debilitatum, & viſcida ſaburra repletum; ſed omnia incaſſum dabantur. Perdurarunt hæ potius moleſtiæ per tres menſes; quorum ultimo acceſſit ingens aſthma ſpaſmodicum, quod nocturno tempore ita adflixit ægrum, ut non in lecto commorari, ſed per aliquot horas in conclavi obambulare, & feneſtras aperiendo ſpiritum haurire debuerit. Corpus erat valde tenue, viribus & ſanguine conſumtum, alvus valde clauſa; & in tali rerum ſtatu meum petiit conſilium.

Sanatus etiam eſt ſub divino auxilio feliciſſime à liquore anodyno noſtro minerali, 2. uſu pulveris præcipitantis nitroſi, 3. infuſo theiformi ex floribus chamæmeli vulgaris & romanæ, ſummitatibus millefolii, floribus ſalviæ, verbenæ, veronicæ & ſemine fœniculi præparato; & frequenti uſu pediluviorum ex ſola aqua dulci paratorum. Poſtea uſus eſt elixirio balſamico temperato viſcerali, quod confici curamus ex extracto rhabarbari & herbarum amaricantium, gummatibus reſinoſo-balſamicis temperatis; quæ cuncta diſſolvuntur in lixivio tenui ſalis tartari; clyſteribus quoque emollientibus ſub initio alvum conſtrictam ſolvimus; iiſque remediis ad menſem uſurpatis priſtinam reſtituimus ſanitatem.

### *Epicriſis.*

Hic morbus difficilibus complicatus ſymptomatibus & diuturnior non recte à medicis tractatus fuit, quoniam cauſſam & originem mali non rite perveſtigarunt. Plurimi medicorum hac verſantur in opinione, humorum maxime in morbis peccare vitia, copiam, craſſitiem, vel ſalſam vel acrem erodentem qualitatem, & inde fieri infarctus, obſtructiones vaſorum, ſtagnationes & roſiones partium: minime vero attendunt, à ſolo motu ſolidorum vehementer vitiato ac inverſo, ſine præcedente omni noxa humorum, mirifice totam functionum

ctionum animalium œconomiam perturbari poſſe. Inde fit, ut cauſſa humorum non recte cognita ac perſpecta huic removendæ idonea nec invenire, nec opponere ſciant ſubſidia. Exemplum nobis præbet præſens morbi hiſtoria, cum vir ille perfecte antea ſanus ex ſolo animi affectu vehementiori, & cibo potuque largiori ſtatim ſuperingeſto incidit in grave & diuturnum malum. Medici non attendentes cauſſam, pugnabant contra hoc malum medicamentis, quæ ad tollenda humorum vitia alias non inepta ſunt, nimirum ſalibus aperitivis, decoctis quoque ex aperientibus, amaris, laxantibus, purgantibus, emeticis, venæ ſectione, veſicatoriis, carminativis, ſtomachicis, & id genus pluribus, ſed penitus ſupervacaneo labore; cum omnia hæc ſymptomata unice à ſpaſtica conſtrictione generis nervoſi, & imprimis ventriculi, maxime pylori, & ductuum biliariorum, ſepti transverſi, ac inteſtinorum originem ſuam traxerunt, & poſtea etiam ex imprudenti remediorum adplicatione magis ſuſtentata & aucta fuerunt. Unde mirum non eſt, ægrum non potuiſſe convaleſcere. Dici enim vix poteſt, quanta noxa & pernicies repetente in deſtruendo functionum naturalium ordine naſci poſſit à ſolo graviori animi affectu, ira vel terrore; ſi quis mox poſt eum capit cibum vel potum, multo magis, ſi hiſce nimium repleat corpus. Quotidiana in eo confirmamur experientia, graves & lethales inde provenire afflictiones. Nam ea eſt omnis affectus natura, & conditio, ut vehementer in ſyſtema partium nervoſarum operetur, motus ſyſtoles & diaſtoles æquabiles penitus pervertendo: Hinc fit, ut non modo progreſſus & circulus humorum, ſed & inde dependentes motus ſe & excretorii vitium contrahant, & per conſenſum afficiantur: quid? quod omnia in corpore humano tum ſint perturbata; ſub quo ſtatu utique peſſimum eſt, cibo vel potu onerare naturam: Neque enim digeſtio, concoctio, ſe & excretio, quæ requiruntur ad cibum & potum naturæ noſtræ amicum reddendum, recte fieri poſſunt. Inde vero cruditates, ſtagnationes ſordium in primis viis ſuboriuntur, & vera materialis cauſſa morbi, quæ jam imbecille nervorum genus magis adfligit, progignitur. Ex quo etiam facile reddi poteſt ratio, cur ante paroxyſmum intermittentis febris cibus ſumtus ingenti ſit detrimento; & potus fontium medicatorum paullo copioſius aſſumtus poſt omnem affectum animi interdicendus ſit. Præterea ex curatione hujus morbi à nobis facta id in uſum practicum depromi poteſt, ſola ſtrictura ſpaſtica & icteritiam paſſionem, & aſthma diuturnum fieri poſſe; & hac ſublata per efficacia & probatiſſima antiſpaſmodica, inter quæ merito eminent liquor noſter anodynus mineralis, pulveres nitroſi, pediluvia & clyſteres ex chamomilla confecti, ejuſmodi morbos curari poſſe.

Notandum denique hoc loco eſt quam maxime, in ejuſmodi morbis, qui naſcuntur vel foventur à vehementi ſtrictura nervoſarum partium, ab iracundia, uti v. g. in cardialgia, ictero, aſthmate convulſivo, conatu ad vomendum, alvi ſtrictura &c. purgantia fortiora, & emetica venenum eſſe mortiferum.

## CASUS XCV.

### *De empyemate feliciter curato.*

Juvenis generoſus XVII. annorum, tolerata febre acuta, cum æſtu atque doloribus in latere ſiniſtro ſtipata, incidit in diarrhœam & purpuram albam cum ſumma virium proſtratione, tuſſi ſicca, ſudoribus nocturnis & tumoribus œdematoſis pedum ſociatam. Hinc à loco, ubi commorabatur, domum per ſeptem milliaria morti ferme vicinus deportabatur, curæ cujuſdam medici tradebatur; ejuſque opera fruſtra uſus, ad me confugiebat. Deprehendi ægrum gibboſum, viribus plane deſtitutum, & ſiniſtro pectore tumorem quendam; ex quo materiam purulentam in pectoris cavitate fluctuari ſuſpicabar. Quare adplicui ipſi emplaſtrum de meliloto cum ſpermate ceti: ex quo maturatus ille tandem lanceola incidebatur, & plorabat inſignem materiæ purulentæ quantitatem cum egregio ægrotantis levamine. Ex hac porro apertura aër ſpirabat, perque eam inſtrumentum exploratorium per quatuordecim uncias in pectoris cavitatem adigi poterat. Elapſis octo diebus, duorum ab hac inciſione digitorum latitudine, altera ſponte adparuit apertura, pariter in pectoris cavitatem penetrans. Sed poſtquam interne decoctum ex ſarſaparilla mane & veſperi bibendum dabatur; & primum injiciebatur ſimul, deinceps vero mixtura balſamica ex eſſentia ſuccini, myrrhæ, aloës & balſamo de Peru injectio facta erat; æger intra annum dimidium perfecte convaluit.

## CASUS XCVI.

### *De rheumatiſmo pulmonali.*

Generoſus vir, triginta jam ſeptem annos natus, præter variolas in prima infantia facillime ſuperatas, illibata ſemper gaviſus fuit ſanitate. Decimo tertio ætatis anno fœdam incidit ſcabiem, cum turpi pedum exulceratione; ex qua pariter poſt ſatis longum tempus liberatus, optime valuit; & non niſi quandoque puſtulas in dorſo inter ſcapulas toleravit, moleſtum inferentes pruritum. Hinc juvenis ſeptemdecim annorum inter Gallos nomen dedit militiæ; & protinus quibuſdam bellicis expeditionibus partim verſus Romanum imperium, partim verſus Belgium factis interfuit. Sub his belli laboribus præter dentium dolores ſæpius adfligentes ſatis bene habuit: anno MDCCVIII. autem, dum in Belgio Gallico ad urbem Condé degeret, tertiana ſimplici & duplici, invicem alternantibus ſolicitatus eſt; ab eaque ſatis emaciatus, per diuturnum corticis chinæ uſum convaluit. At exinde ſæpius colli doloribus, phlogoſi ac febre erratica infeſtatus, ſimulque aliqualem maciem ac catarrhalem corporis diſpoſitionem paſſus fuit: quæ tamen omnia haud impedierunt, quo minus quandam præ ſe tulerit ſanitatis ſpeciem. Tandem anno MDCCXXV. Febre acuta, à medico pro pleuripneumonia habita prehenſus, & ab illius principio ad ſtatum uſque delirus, denique non niſi largis, iiſque repetitis venæ ſectionibus in tantum fuit reſti-

reſtitutus, ut nihilominus quidam capitis dolores reſtiterint; qui denique diuturna ac convenienti profligati ſunt medicatione. Attamen relicta fuit macies, tuſſis ſicca atque pectoris oppreſſio. His ergo ſymptomatibus opponebantur juſcula medicata ex cancris ſiccatis, & appropriatis herbis confecta; &, cum felici haud deſtituerentur effectu, per integrum continuabantur triennium. Quum vero tandem quædam ventriculi accedere videretur debilitatio: alter conſultus medicus hoc remedii genus diſſuaſit, & anno MDCCXXIX. curam lactis aſinini commendavit. Hæc vernali tempore inſtituta, egregie prodeſſe videbatur; per autumnum vero ſub adverſa tempeſtate proſequuta, varias excitavit moleſtias. Quare hac quoque miſſa increbuit tuſſis ſicca; corpus macilentius redditum, variiſque à capite ad pectus defluxionibus obnoxium fuit, cum crebris phlogoſibus. Hiſce autem malis tantum abeſt, ut regulari cura obviam iretur, ut potius hinc inde vagum arriperetur ſubſidium.

Hinc tandem & ego ſub auſpiciis præcedentis anni MDCCXXXII. in conſilium vocatus, ſequentem rerum deprehendi faciem: æger ſtaturæ longioris, habitus macilentioris, temperamenti ad melancholiam proclivis, & ad iracundiam facillimi, tuſſi inter humidam & ſiccam media, quaſi convulſiva, non ſolum de die, ſed & noctu ſomnum turbante infeſtabatur; adpetitu fruebatur irregulari, viribuſque ferme exhauſtus, tum temporis præſcriptis à medico ordinario infuſis theiformibus & abſorbentibus utebatur. Suſpicabar phthyſeos hypochondriacæ initium cum ſcirrhoſa pulmonum diſpoſitione; & ex crebris catarrhalibus ad fauces & pectus defluxionibus, ſeri acrimoniam ſubeſſe judicabam: hinc etiam contra aliorum opinionem, ſi præſcriptis aures daret, felicem curationis eventum pollicebar. Eo fine loco Majalis curæ, ſerum lactis dulce, cujus præparationem ac uſum ex ſcriptis Illuſtris Hoffmanni didiceram, ordinavi. Namque tres illius libras quotidie mane aſſumebat æger, & inde egregio cum fructu, & abſque ullo virium decremento ter quaterve quotidie alvum deponebat; appetitu ac ſomno per quadraginta dies ſatis integro gaudebat, equo corpus movebat quotidie, ac optime habebat. Licet etiam ſub hac curatione ex terrore ob inopinatum filii unici ab alto caſum ſuborto, motus febriles incurrerit: illi tamen dato analeptico mox remittentes, non niſi leviorem tuſſiculam, cum pauca pituitæ rejectione reliquerunt. Abhinc finita lactis potatione, proponebam acidulas Selteranas; quarum primum una cum tribus lactis aſinini partibus mixtarum, deinceps æquali combinatarum pondere tres quatuorve ſingulo mane potabantur libræ. Eædem aquæ cum vino ſociatæ potus quoque ordinarii loco ſub epulis inſerviebant; donec XXVIII. earum lagænæ fuiſſent exhauſtæ. Sub hac medicatione æger quotidie vel ambulando, vel equo vehendo ſub cœlo ſereno corpus movebat; cæterum egregio fruebatur adpetitu, nullamque præter leviſſimam tuſſim, ſtato tempore hora tertia matutina recurrentem tolerabat moleſtiam. Neque vero ullum huic curationi interpoſui laxans, quoniam alvus æque ac aliæ excretiones inſigni ſuccedebant fructu ſponte, & primæ viæ ſub ſeri lactis uſu ſatis purgatæ videbantur; nec alia dabam remedia, nec ipſum Elixirium viſcerale balſamicum Excellentiſſimi Hoffmanni propinabam, cum æger illud ſibi nimis æſtuoſum putaret. Sic vero finita utraque curatione appetitus vigebat optime, corpus augebatur, vires redibant, tuſſiſque plane evaneſcebat; & licet adventante hyeme recruduerit, adhibitis tamen pectoralibus & laxante mannato ceſſabat iterum. Circa æquinoctium autumnale, cum æger ſanguine abundare mihi videretur, venam in pede ſecari curaveram; ex quo ipſe, tum temporis athletice ſanus nullam percepit moleſtiam. Nec enim antea, niſi ſumma neceſſitate coactus venam tundendam præbuerat, ſed potius per aliquot annos ab ea operatione abſtinuerat; & referebat, cruorem, olim è vena miſſum ſemper cruſta inflammatoria fuiſſe inveſtitum. Cæterum hac hyeme, ſub ſedulo corporis exercitio, præter leviſſimam quandoque tuſſim, valuit integre; nec à febre catarrhali, quæ ſub hujus anni auſpiciis ob humidam ac nebuloſam tempeſtatem cum variis, iiſque gravioribus hic locorum graſſabatur ſymptomatibus, corripiebatur. Verum enim vero ante quatuordecim dies de muſſitante colli dolore, & appetitus imminutione conqueri cœpit, & hinc laxans remedium, ſibi ſemper amicum deſideravit; quod etiam ex temperatis aperientibus, & pectoralibus demulcentibus confectum perbiduum cum felici ſumſit ſucceſſu. Altero die, cum cœlum eſſet ſerenum, meridianis horis equo profectus rus, ibidem ad veſperam uſque in conclavi valde calefacto commorabatur; & poſt ſolis occaſum domum reverſus male habere cœpit. Poſtridie magno interfuit ſynedrio & deinceps inter convivium luſu chartæ luſoriæ ad veſperam uſque tempus conſumſit. En! autem ſub hoc ipſo luſu primum frigus dextrum capitis latus occupabat; collum obrigeſcebat, aureſque dolore prehendebantur inſigni; tum refrigeſcebat ſpina dorſi, & denique tremulus horror totum concutiebat corpus. Hinc in lectum deportatus, mox lenem percepit æſtum, cui protinùs leve ac brevius jungebatur delirium. Sed datis demulcentibus, abſorbentibus atque diaphoreticis, lenis erumpebat ſudor, & morbus intra triduum ſolvebatur. Abhinc ergo ſatis quidem bene habet; ſed dolor colli adhuc muſſitat, adpetentia cum ſomno haud rite ſibi conſtat, & tuſſis excretione pituitæ ſtipata adhuc adfligit.

### *Conſultatio.*

Poſtquam morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, cum omnibus ſymptomatibus atque momentis ſedulo perpendi; illum veræ phthyſeos nomen adhuc minime mereri, exinde conjicio, cum nec ulceratio, nec ſcirrhoſitas, nec occultæ vomicæ aut tubercula quædam in pulmonibus ſe exſerant. Libera enim adhuc eſt ſpiratio, tuſſis interdum plane evaneſcit, nec purulenta ſpuitur materia, nec febris lenta jungitur. Hanc potius tuſſim rheumatico-ſcorbuticam dici debere exiſtimo; quæ à colluvie & congeſtione ſeri impuri acrioris in vaſis & canalibus bronchiorum orta; à tranſpiratione vero per frigidum humidumque vere & autumno aërem prohibita, & à diætæ erroribus magis ſuſtentata, & denique ab accedente mala digeſtione, ac fortibus animi commotionibus adhuc magis adaucta fuit. Nec leviori documento, quod maſſa humorum vitalium multis ſcorbuticis ſcateat ſordibus, ſunt ipſæ moleſtiæ, ægrum tam diu, tamque graviter excruciantes: quæ ſane temporis mora, niſi tempeſtiva feratur medela, facillime in atrophiam cum febre lenta atque hectica tranſire poſſunt. Quod ſi vero primam horum malorum originem perſcruter; illam meo quidem arbitrio ex venæ ſectionibus, quæ in juventutis annis bis terve ad minimum inſtituendæ fuiſſent, tum temporis neglectis derivandam eſſe cenſeo; quippe quæ juvenes ab affectibus tam acutis, quam longis

longis optime præſervare valent. Forſitan etiam nec febres tertiana, aliæque ab ægro toleratæ haud rite fuerunt perſanatæ; & hinc viſcerum ſeparatoriorum abdominis, glandularumque meſaraicarum malam reliquerunt conſtitutionem: quo factum eſſe potuit, ut humores acres impuri magis augmentatæ increverint. Exinde vero adparet, medicum illum, qui hactenus ægrotantis valetudini remediis diluentibus, demulcentibus, lacte aſinino, ſero lactis, aquis medicatis &c. proſpexuit, & corporis commendavit motum, morbum, illiuſque cauſſas egregie perſpexiſſe. Quare reſtat duntaxat, ut paucis complectar, qua ratione inſtanti vere ulterior medela ferri debeat. Hinc ante omnia neceſſarium duco, ut quam primum fieri poteſt, ex vena in pede tuſa octo cruoris emittantur unciæ, idque ſingulis octo menſibus repetatur. Hoc præſertim tempore æger in victu, potu, aliiſque rebus non naturalibus probe ſibi caveat, cibos concoctu difficiles fugiat, aërem frigidum humidumque arceat, & ab omnibus mentis affectibus ſedulo abſtineat. Deinceps per quinque vel hebſex domades ſerum lactis adhuc potari ſuadeo; quod ſic paratur: Lactis vaccini aut caprilli ſex libræ medicæ, igni admoveantur leniſſimo, ut parum ebulliant; tum addito citri ſucco, quantum bina capiunt cochlearia, iterum ebulliant, donec coaguletur; hinc percoletur & addatur oculorum cancri præparatorum drachma: quæ invicem probe agitentur, ut aciditas infringatur; & denique ſyrupi papaveris rhœados uncia una immiſceatur: ex quo mane calide bibat æger, reliquum ſub prandio hauriat frigidum. Non minus inter hanc medicationem ſingulis quatuor diebus lene laxans rhabarbarinum ſumatur, quod ſic paretur: Conteratur una cum dimidia rhabarbari uncia, affundantur ferventis aquæ unciæ octo, ebulliant leviter, percolentur cum libra una paſſularum Corinthiacarum bene mundatarum; addantur ſacchari albi candi unciæ tres; evaporentur leniter in patina ſtannea ad humiditatis conſumtionem, & denique addatur cinnamomi drachma una. Hujus enim laxantis uncia una cum dimidia mane aſſumatur, & vel juſculum, vel infuſum theiforme, vel ſerum lactis calide ſuperbibatur: quod & ſub initium, & ſub finem curationis aſſumatur. Ceterum uti ſemper, ita præcipue ſub hac curatione accurata obſervetur diæta: corpus ante prandium moderate moveatur; ſub epulis loco vini rhenani vinum de Tinto, cujus octava menſuræ pars cum una Hungarici permixta ſit, potetur. Non minus egregiam pollicentur opem juſcula ex carnibus gallinarum, vitulorum, chærefolio, radice cichorei, naſturtio & tantillo macis confecta. Reliqua medicamina parum efficient, & in iis non niſi ſequentem pulverem ab ægro cubitum ituro ſumendum ſuadeo: Recipe lapidum cancrorum, pulveris marchionis ana drachmam unam, ſuccini præparati unciam dimidiam, pulveris caſcarillæ, ſalis abſynthii ana grana quindecim. M. f. pulvis, div. in 3. partes. Potui ordinario convenientiſſima eſt aqua, eaque fontana, pura, leviſque; quæ ſi durior fuerit, ſic attemperetur: Amygdalarum dulcium uncia dimidia contundatur in mortario, infundantur aquæ quatuor libræ, coletur, bibaturque. Nec alienæ erunt vel aqua cum pane ſimilagineo, ac cornu cervi uſto decocta, vel acidulæ Selteranæ vino Moſellano nuptæ. Externe ſequens emplaſtrum longo uſu habeo comprobatum: Recipe myrrhæ electæ, bdellii, ſuccini, maſtychis ana unciam dimidiam, axungiæ humanæ, ceræ, minii ana uncias quatuor, ſaponis veneti, camphoræ ana drachmam unam & dimidiam. M. f. emplaſtrum, quod pectori, collo & ſpinæ dorſi imponatur. Nec denique contra tuſſim, ſi vehementior fuerit, contemnendum effectum præſtant pilulæ de ſtyrace, ſeptem granis cum totidem alœphanginarum mixtæ & veſperi exhibitæ. Quæ omnia ſi cum recto vivendi genere per aliquot tempus uſurpaverit æger, de felici eventu nullus dubito.

Nec ſpem fefellit hæc medicatio; ſiquidem poſt aliquot menſes mihi nunciatum eſt, generoſum ægrum à commendatis remediis inſigniter ſublevatum, & perfectæ tantum non ſanitati fuiſſe reſtitutum.

---

## CASUS XCVII.

### *De pleuritide ſpuria ac vera feliciter perſanata.*

Vir illuſtris quinquagenarius litteratus, corporis paullo firmioris, victui duriori magis, quam molliori aſſuetus, ob nimiam in ſtudiis, lectionibus & meditationibus, etiam mox à paſtu intemperantiam, & ob vitam motus valde expertem, ingentem & univerſo corpori, & præſertim capiti atque ventriculo contraxit debilitatem; quam quotidiano, moderato tamen vini generoſi potu emendare per aliquot annos tentavit. Tantum autem abeſt, ut illud obtinuerit, ut potius inde ſibi accerſerit purpuram ſcorbuticam; quæ ipſum mox leviter, mox graviter infeſtavit, & lecto affixit variis ſtipata ſymptomatibus: quæ inter illud notari meretur, quod partes extremæ manus, pedes, nares, ipſumque ſcrotum glaciali quaſi corripiuntur frigore, fervidiſſima licet æſtate. Purpura vero ad corporis ſuperficiem exeunte, calorem naturalem hæ partes recipiunt. Cum ſuperiori vere ſatis graviter & acute purpuræ morbo laboraverit, & feliciter convaluerit: ad eradicandum & funditus exſtirpandum ex maſſa ſanguinea hocce vitium commendavi ipſi uſum fontis Selterani, quem etiam per menſem bibit egregio cum levamine, & virium reſtauratione. Inde etiam adpetitus ciborum evaſit longe fortior, nihilo minus cum leviter veſtitus, in horto ſole occidente, auræ paullo humidiori & frigidiori ambulando corpus exponeret, incidit in novum morbum. Nimirum poſtridie veſperi vehemens univerſum corpus percutit frigus, per horæ ſpatium & ultra durans, quod mox excepit maxima præcordiorum anxietas cum vomendi conatu, inquietudine, & dolore dextri lateris acuto, ſpirandi difficultate juncto: quæ ſymptomata ipſum per totam noctem detinuerunt graviter. Ego mox venam ſecari, & ex affecti lateris parte ſanguinis circiter quinque vel ſex uncias detrahi juſſi; ac pulveris bezoardici cum aliquot granis nitri mixti aliquot doſes, ſingulo triduo unam ſumendas ordinavi, ſuperbibendo aliquot infuſi Théebois vaſcula: inde copioſe ſudavit per totum corpus. Præterea lateri dolenti applicandam curavi veſicam bovinam, ultra dimidium decocto ex floribus ſambuci, meliloti, verbaſci, chamæmeli officinalis, millefolii, ſemine anethi, croco & lacte vaccino repletam. Effectum etiam eſt hiſce remediis, ut non modo dolor ab initio ſatis acutus cum ſpirandi difficultate; ſed & acris febrilis calor cum omnibus ſymptomatibus intra duos dies ex toto ſublata fuerint; adeo ut æger lectum deſeruerit, & poſtridie cibum largiorem cum potu ſumſerit. Verum enim vero circa noctem ex improviſo ſumma præcordiorum anxietas, ſine prævio frigore cum febrili ardore,

dore, conatu vomendi, ſpirandi ſumma anguſtia, tuſſi valida, ſed ſicca, & dolore lateris antea affecti revertebantur: quæ cuncta ſymptomata ab initio ſpeciem febris intermittentis præ ſe ferebant, ſed cum ſine remiſſione & intermiſſione durarent, & ſputum tertio die cruentum accederet, cum expectoratione valde difficili: adparuit, ex notha pleuritide, quæ antea tantum membranæ coſtas cingenti nerveæ, quæ pleura dicitur, inſidebat, jam redditam fuiſſe veram, quæ in ipſa pulmonum ſubſtantia ſedem ſuam habet fixam; ſicuti indicabat ſputum cruentum cum valde difficili ſpiratione & dolore magis interno, qui antea potius fuit externus. Alvus firmiter clauſa, & præcordia flatibus turgida anxietates augebant.

Ego ad removendum hunc difficilem & gravem affectum nihil convenientius reperi, quam præſcribere mixturam, quæ ex aqua cardui benedicti, florum ſambuci, acaciæ, ſcorzoneræ, aceto deſtillato, lapidibus cancrorum & diaſcordio Fracaſtorii, addito ſyrupo papaveris albi erat compoſita, qualem multoties in ejuſmodi morbis utiliſſimam notavi. Deinde pulvere uſus eſt diaphoretico & antiſpaſmodico, qui conficiebatur ex cornu cervi philoſophice præparato, lapidibus cancrorum, ceruſſa antimonii, mandibulis lucii piſcis, addito nitri pauxillo, & cinnabaris nativæ: quem crebrius cum decocto avenaceo amygdalino ſumſit. Ante vero, quam adhibuiſſet hæcce medicamina, clyſtere emolliente ad diſcutiendos flatus & ſolvendam alvum uſus eſt: interne vero ad removendas præcordiorum anxietates, à flatibus ventriculum diſtendentibus obortas, ſumſit liquoris mei anodyni mineralis guttas XXX. cum aliquot guttis liquoris bezoardici Buſſii. Continuavit ſputum ex fuſco nigroque colore ſanguinolentum per quinque & ultra dies; & cum expectoratio valde eſſet gravis, operam dedi, ut hanc faciliorem redderem crebriori uſu Electuarii, quod ex julepo roſarum cum æqua portione olei amygdalarum dulcium recentiſſimi mixto, additis guttis aliquot elixirii noſtri pectoralis confici curo; quod per plures dies ſumſit egregio cum effectu. Præſcripſi quoque infuſum theiforme aliquoties inter diem ſumendum, ex herba veronicæ, ſcordii, floribus bellidis, chamæmeli vulgaris, ſummitatum millefolii, radice liquiritiæ, ſemine fœniculi: quibus remediis intra ſeptimum diem feliciter ſanatus eſt, paulatim evaneſcentibus gravibus illis ſymptomatibus. Nihilominus intra tres dies cum ſomnus & appetentia ciborum redierint, ut è lecto etiam ſurgere, & ſtudiis rurſus vacare potuerit; purpura iterum adparuit cum ingenti pruritu & univerſum corpus, maxime partes inferiores, pedes, crura & dorſum occupavit: adeo, ut nunquam antea tanta copia eruperit in corporis ſuperficie; ſed tamen cum ſomno propter pruritum paullo inquieto; ſine tamen languore, & ſine pulſus ac urinæ mutatione.

*Epicriſis.*

In hac propoſita morbi hiſtoria plura ſunt adnotatione digna 1. quod pleuritis ſpuria, quæ non niſi eryſipelas muſculorum intercoſtalium & pleuræ eſt, à perfrigeratione corporis & cruditatibus primarum viarum cito poſſit ſuboriri, cum frigore præcedente ſatis vehementi, inclinatione ad vomendum, calore acri præternaturali; non ſecus ac eryſipelas iiſdem ſymptomatibus invadit: atque intra duos dies feliciſſime in hoc corpore, congruis remediis, venæ ſectione, diaphoreticis ſublata fuit. Dubio procul, quoniam illuſtris vir ante aliquot ſeptimanas curam cum fontibus Selteranis, quos per menſem & ultra bibit, finivit; unde ſanguis redditus, quod ex venæ ſectione adparuit, fluidior, ut firmiorem ſtaſin in membranis nervoſis concipere vix potuerit.

2. Perquam notatu dignum eſt in hac hiſtoria, quod curatam ſpuriam pleuritidem ſecundo poſt die pleuritis vera exceperit, & hæc ipſa cum inflatione ventriculi, ſumma præcordiorum anxietate, alvo adſtricta propter victum mox poſt morbum paullo pleniorem oborta fuerit. Sæpius namque obſervavi, quod vera pleuritis ortum ſuum ac initium ſumat ex vitio primarum viarum, ſi illæ flatibus, vel ſpaſmis ſunt obſeſſæ. Non ſemel notavi, colicam flatulentam & convulſivam, quæ aliquot diebus afflixit, conſequutam fuiſſe pleuritidem veram & peripneumoniam. Nec deficit ratio: nam propter flatus & ſpaſmos liber ſanguinis tranſitus per abdominis impeditur viſcera; atque adeo cum impetu & copia per arterias ruit cruor ad ipſos pulmones, eorumque minima capillaria vaſa; qui ſpiſſior ibi ſubſiſtens inflammationem parit. Accedit hoc maxime in plethoricis, quorum in venis copioſus & tenaci glutine refertus ſanguis continetur.

3. Diſcuſſa inflammatione hic morbus fuit brevi, & intra ſeptimum diem convenientibus remediis propter ſanguinis fluiditatem profligatus. Nam inſtar generalis regulæ practicæ hæc tenenda eſt, quod quo tenacior ſanguis, & ejus ſeroſitas eſt, eo gravius omnis inflammationis & maxime pleuritidis periculum eſt, & contra.

4. Denique etiam notandum hoc loco venit, quod diſcuſſo pleuritico affectu aliquot dies poſt à purpura univerſum corpus obſeſſum fuerit, ſine tamen virium jactura.

---

## CASUS XCVIII.

*De pleuritide.*

FOEmina LIV. annorum nocte, præcedentibus aquilonibus ventis, qui exceperant humidos auſtrales diu ſpirantes, corripitur dolore ſiniſtri lateris, ſpirandi difficultate, & quodam horrore; ſubſequitur mox pulſus celer & frequens cum calore præternaturali. Accedit altero die tuſſis vehemens, aſpera, & ſputum ejicitur ſanguine tinctum, cum ſymptomatum exacerbatione. Hinc judicatum fuit, ſubeſſe pleuritidem, cui remedia diaphoretica ac diſcutientia opponebantur. Tertia die valde conquerebatur de dolore ſub coſtis nothis lateris ſiniſtri: quare externe adplicabatur ſpiritus vini camphoratus, cum eſſentia croci & balſamo peruviano mixtus, qui non tantum lateri thoracis ſiniſtro, ſed & coſtis & hypochondrio ſiniſtro forinſecus fuit admotus. Interea tuſſis continuabat vehemens cum ejectione pituitæ craſſæ; noctes erant inſomnes, & ſudor fluebat largior. Dati igitur nitroſi & reſolventes pulveres, quibus mitigatus eſt æſtus, & facilior reddita ſpirandi anguſtia: externe vero ad dolorem, qui valde adfligebat, compeſcendum, unguentum ex oleo hyoſcyami, camphora, & oleo carvi adplicatum; unde omnis in thorace remiſit dolor, & ſomnus fuit quietior. Sed poſt ſomnum peſſime ſe habuit; æſtus invaſit intenſior, magna virium poſtratio, inſignis pectoris oppletio, at vero difficilior illius expectoratio; adeo, ut adſtantes rem fore conclamatam crederent.

Omiſſo

Omiſſo igitur unguento, externe adplicabatur iterum ſpiritus vini camphora probe ſaturatus; interne dabatur pulvis ex lapidibus cancrorum ſolutis, nitro, camphora mixtus, & ſingulis quatuor horis cum aqua ſcordii propinatus. Hinc dolor rediit, æger ſudavit, & excretio materiæ pituitoſæ liberior facta eſt, ita ut optima ſpes reconvaleſcendi apparuerit, quæ etiam die ſeptimo, largiori ſudore ſequuto implebatur. Interim ægrota de dolore hypochondrii ſiniſtri, qui ad umbilicum uſque pertingebat, gravativo, nonnunquam pungitivo conqueri cœpit; qui cum corporis debilitate, urina rubicunda cum ſedimento, pectore vero ſalvo ac integro, fruſtra adhibitis clyſteribus, carminativis, aliiſque per tres adhuc inhæſit hebdomades. Tandem denique per alvi profluvium ſublatus eſt; quo quotidie ſepties quin & decies alvum depoſuit, cum excrementis non modo odoris fœtidiſſimi, ſed & materia purulenta, & quandoque ſanguineis grumis permixtis. Quare ordinabantur pulveres ex nitro, myrrha, antimonio diaphoretico, croco parati; decoctum ex veronica, ſcordio & hedera terreſtri confectum; oleum amygdalarum dulcium cum juſculo quotidie ſumendum; externe inungebatur axungia taxi, cum oleo nuciſtæ, chamæmeli atque carvi maritata; & his, ſedato alvi fluxu, doloribuſque ſopitis ægra convaluit.

*Epicriſis.*

Præſens affectus eſt Pleuritis: in quo notetur primum, quod ægra poſt unguentum pejus habuerit. Nec obſcura eſt ratio: dum enim per iſta anodyna ſpaſmus cum dolore ſiſtitur; hinc robore atque tono fibrarum, quo excutitur materia, dejecto, expectoratio inhibetur: manet nihilo minus perpetuus humorum ad pectus affluxus, ſed nulla ſubſequitur ejectio. Ex quo diſcimus, oleum hyoſcyami, & reliqua anodyna, licet valde urgeat dolor, non eſſe exhibenda, præſertim in perſonis annoſis. Majori vero ſecuritate ea poſſumus uſurpare in juvenibus: hinc etiam patet, ſomnum pleuritide laborantibus non eſſe ſuadendum, quia ſic materiæ præpeditur ejectio.

2. *Ægra conqueritur de dolore hypochondrii ſiniſtri, qui ad umbilicum pertingit.* Ratio hujus ſymptomatis hæc eſſe videtur: dum ſanguis per pectoris partem ſiniſtram non bene circulatur; ſtagnat in liene & meſenterio: hinc dolor gravativus, quandoque pungitivus percipitur, & propter affectum meſenterium ad umbilicum uſque protenditur. Hic vero ſtagnans ſanguis tandem degenerat in pus, quod per vaſa meſaraica intrat inteſtina, & per ea eliminatur. Inde diſcimus, quid ſit, quando auctores ſcribunt de empyemate thoracis per anum ejecto; quod nonnulli per poros diaphragmatis, quos tranſiret empyema, fieri falſo aſſerunt. Poſſe autem contingere ſtagnationem ſanguinis, ſi in una parte illius circulatio eſt impedita; teſtatur Meckren, qui obſervavit, ex contuſione capitis ſubſequutam fuiſſe inflammationem hepatis.

## CASUS XCIX.

### *De phthyſi ex hæmoptyſi.*

FOEmina jam agens annum ætatis vigeſimum ſeptimum, à ſex jam annis tuſſi humida, expectoratione materiæ copioſæ craſſæ ſtipata ſolicitata, & de alvi adſtrictione, doloribus ſiniſtri, quandoque etiam dextri lateris tenſivis diu conqueſta; ex improviſo tribus abhinc annis ſanguinem cum tuſſi rejecit copioſum. Medicus vocatus ad hunc fluxum compeſcendum præſcripſit pulveres ſtypticos, quibus hæmoptyſis ſedata fuit, nec amplius rediit: ſubſequuta autem eſt ſpiratio difficilis, & largus menſium fluor acceſſit; ſed remiſerunt dolores gravativi cum hypochondriorum inflationibus. Jam annus agitur, ex quo magnam materiæ purulentæ viſcidæ ſpuere cœpit copiam; corpus externa macie conficitur & debilitatur; pulſus poſt paſtum, & circa noctem valde citatus fertur; parum comedit. Quod autem notabile eſt, per medium ferme annum creberrime ejicit una cum ſputo calculo duros & albicantes in larga ſatis copia; & denique jam fruitur alvo molli ac fluida.

*Epicriſis.*

Quantum detrimentum ad illos, qui bono naturæ inſtituto, copioſis ſanguinis excretionibus ſunt adſueti, ex intempeſtiva illarum per ſtyptica ſuppreſſione redundet, vel hic caſus docet. Hæc enim fœmina, quæ hypochondriorum vitio, & obſtructionibus circa regionem hypogaſtricam laborabat; ex ſanguinis motu præpedito lentoque, quia tunc ſanguis alias exeundi vias quærit (nam hæmoptyſis ſæpe ab obſtructo quodam viſcere oritur) tandem experta eſt hæmoptyſin, dum ſanguis circa pulmones congeſtus fuerat. Hanc ſi continuaſſet natura; motus ſanguinis fuiſſet compoſitus. At ubi hæc hæmoptyſis parum prudenter ſublata fuit; nihil erat certius phthyſi; cum ſic conſtrictis pulmonibus, & motu ſanguinis inverſo, ſtagnatio pariter ac infarctus humorum ſuboriatur. Quum vero ſanguis ipſe in noſtra ægrotante, quæ malo laboravit hypochondriaco, viſcidus & acidus; dein tranſitus bilis interceptus, & ideo illius cum ſanguine commixtio interturbata fuit: inde ſanguis viſcidior magis redditus, ad generationem calculorum in pulmonibus poſt ſublatam hæmoptyſin, quæ ſine prævia ſpaſmodica conſtrictione fieri nequit, multum contribuit. Quod vero in pulmonibus calculi reperti fuerint, non mirandum; quippe qui in omnibus fere corporis partibus occurrere ſolent.

Vitanda cane pejus & angue eſt tinctura antiphthyſica Gramanni, quæ magis procurat phthyſin & maturat; quod etiam faciunt liquores martiales, hæmatites, ſaccharum ſaturni, croci martis, opiata, auſtera, adſtringentia, frigida, quæ omnia, ut & acida malum hoc valde augent. Cura hujus morbi potius in eo conſiſtit, ut 1. per expectorantia materiæ purulentæ ejectio promoveatur, & 2. ipſa pulmonum conſolidatio reſtituatur. Prius ut è voto ſuccederet, aliquantulum ſpero; poſterius non abſolute polliceor. Exhibeat itaque medicus decocta & infuſa herbarum, ut chærefolii, ſcordii, veronicæ, glycirrhizæ; ut

& decocta folius hederæ terreſtris; quæ expectorationem humorum promovent, & humores ſervant fluxiles. Convenit etiam lac aſininum aqua probe dilutum, non coctum; ſi nimirum alvus eſt aperta, cui addi poteſt parum ſacchari. Præterea quoque prodeſt arcanum duplicatum; quod abſtergit, obſtructiones tollit; non minus mater perlarum, nitrum, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii; quæ verſus noctem, ubi æſtus eſt auctior, ſunt exhibenda. Non minus è re ſunt oleum aniſi, nuciſtæ, fœniculi, macis, uti & eſſentia ex tinctura tartari, croco, oleo deſtillato aniſi, macis parata; quæ tempore prandii ad guttas XX. vel XXX. propinetur. Nux moſchata cum ſaccharo in tuſſi præſtans eſt remedium; ſpiritus ſalis & acida tuſſim promovent; & dulcia denique tonum ventriculi deſtruunt, & viſcidam relinquunt ſaburram.

---

## CASUS C.

### *De tuberculis pulmonum.*

JUvenis 24. annorum, corporis robuſtioris, pectoris demiſſi, humeroſque gerens altos, multis abhinc annis difficilem expertus reſpirationem, vocemque ſemper raucam toleravit. Profectus aliquando in Belgium, duroque ibidem piſcium marinorum, & carnium fumo induratarum victu utens, ventriculi aliquoties gravativum exinde ſenſit dolorem. Hunc frequenter corrigere tentavit & concoctionem adjuvare uſu ſpiritus vini Franconici, quem paullo largius inter epulas hauſit. Verum enim vero accedente autumno incidit in tuſſim, ſpirandi anguſtiam & difficultatem, pungitivos in pectore dolores, & ingentem totius corporis laſſitudinem: non minus dolores circa lumbos acutiſſimos, & in artubus pungitivos ſenſit, ut medici, vagam ſubeſſe arthritidem credentes, venæ ſectionem ordinarent, & reliquam venæ ſectionem ad dyſcraſiam humorum ſcorbuticam dirigerent ſubigendam. Reverſus in patriam iiſdem ſymptomatibus, ſed longe atrocioribus afficiebatur: creſcebat enim tuſſis mirum in modum, & erat vehementiſſima, per integram ſæpenumero adfligens noctem, adeo ut ferme ſuffocari videretur. Quod autem notabile erat, nihil pituitæ vel purulentæ materiæ rejiciebat; ſed tuſſis aridiſſima erat, pulſus ſemper celer & frequens, appetitus nullus, urina rubicunda, nox ſine ſomno & perpetua ſpirandi difficultas. Neque minus poſt uſum ſalium volatilium, ac infuſi veronicæ graviſſima fuit reddita; nec ullæ opem ferebant medicinæ, ſive fuerint nitroſæ, ſive decocta pectoralia, ſive myrrhata, ſulphurata, ſperma ceti, ſive electuaria pectoralia &c. Optime autem conquievit tuſſis poſt data anodyna: tunc enim ſomnus erat quietior, ſudores largiores & calor remittebant; ſed virium debilitas inde increſcere videbatur. Ex quibus judicavi, procul dubio tubercula ſcirrhoſa pulmones obſediſſe, bronchia ſemper ſtimulantia; & ſanguinis cum impetu ad pectus delati refluxum impedientia; quæ cum nec emolliri, nec reſolvi potuiſſent, mors tandem, ultima rerum linea ſupervenit.

#### *Epicriſis.*

Recte monet Hippocrates, multiplici confirmatus experientia, eos, qui altos gerunt humeros, ad aſthma, alioſque pectoris affectus inclinare: quod & in hoc caſu accidit, ut juvenis iſte ad phthiſin primum diſpoſitus, mox exinde pulmonum incurrerit ſcirrheſcentiam, & tumores naſcerentur ſive tubercula.

Hanc diſpoſitionem foverunt cum victus ratio, tum regio, quam petiit: illa erat craſſa admodum & inſalutaris, dum præter cibos mali nutrimenti, ſpiritu vini Franconico inter cibos uſus eſt, qui ſanitati minime confert, quia chylum ſtatim præcipitat, & in coagulum compingit; & maxime illis, qui ad ſcorbuticam inclinant dyſcraſiam, minus conveniens, quia jamdum humorum laborant craſſitie. Regio, quam petiit, ab aëre vappido repleta fuit, qui ſanguinis mixturam, craſin atque motum non parum turbare valet. Iſta præcipue pulmonum tubercula poſſunt protrudere; quibus dum ſanguinis circuitus pervertitur, eique remora injicitur, partim tuſſis, dum natura id, quod ſibi moleſtum eſt, ejicere laborat, partim anguſtia & difficultas ſpirandi fiunt; ita ut ob lentiorem ſanguinis progreſſionem laſſitudo corporis, & ob veſicularum pulmonalium diſtenſionem pungitivi dolores conjungantur. Quod vero lumborum dolores orti fuerint, haud ignorari oportet, quod illi dyſcraſia ſcorbutica laborantibus familiares; quoniam & ſanguinis tardior motus, tum etiam concurrens ſalina intemperies membranas pungit vellicat & irritat. In itinere autem æger melius habuit, eo quod motu tali motus ſanguinis quodammodo liberior redditur; ſimul ac vero requievit, ſymptomata invaluerunt.

In curatione eo quidem reſpiciendum fuerat, ut pulmonum tubercula emollirentur ac reſolverentur, quæ autem omnem eludit operam. Inter illa emollientia & reſolventia ſunt variæ radices & herbæ v. g. fieri poteſt decoctum ex radice chinæ, paſſulis, raſura ligni ſaſſafras, carduo benedicto, veronica, ſcabioſa, ſcordio, floribus ſambuci, radice Angelicæ (ut ut enim hæc ſit alexipharmaca & calida; tamen in decocto diffuſa ejus virtus ſanguinem non adeo commovere poteſt) herba malvæ, altheæ, radice enulæ &c. Non minus pulveres parari poſſunt, ex lacte ſulphuris, antimonio diaphoretico, antihectico Poterii &c. Conveniunt porro terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancrorum, crocus, myrrha in ſubſtantia comeſta. Quæſtio autem incidit, num venæ ſectio locum habere poſſit? Nihil omnino obſtat, ſi modo ſanguis fuerit præparatus. Sed omnia ſalia volatilia oleoſa non niſi præſervative locum habent: nam alias poſt horum & calidorum uſum malum & tuſſis invaluit: ex quo ſanguis majori in copia ad pulmones vectus, ibique haud inveniens liberum tranſgreſſum, anguſtiam atque difficultatem ſpirationis adauxit. Cum autem nulla in hoc ægro ſpes tubercula reſolvendi ſupereſſet; hinc ad deliniendum affectum blanda anodyna, uti crocus cum aqua papaveris rhœados &c. adhibita fuerunt.

APPEN-

# APPENDIX.

## EXHIBENS

*Judicia & Reſponſa Medica, an purgans ex reſina jalappæ & mercurio dulci lactentibus infantibus ſit propinandum?*

PUerulus unicus, parentibus cariſſimus, tres anni quadrantes natus, primo ætatis ſemeſtri, abſque ulla ægritudine ſanus vixit ac incolumis, ubera rite traxit, placide dormivit, alvi excretiones habuit liberas, & vegeto ſemper, vivacique floruit ingenio. At vero menſe Decembri inquietus eſſe, continue clamare, faciei calore uri, ac ore ſpumam crebrius reddere cœpit; ut medicus dentitionem ſuſpicaretur. Hinc ordinavit tenellulo pulveres purgantes, quorum ſingulus grana duo mercurii dulcis, & reſinæ jalappæ præparatæ, i. e. ex reſinæ jalappæ partibus binis & tribus amygdalarum dulcium confectæ granum habebat. Horum uno aſſumto, infans vomuit, & decies alvum depoſuit: quare reliquorum uſus fuit intermiſſus. Abhinc vero male habere cœpit; dum præſertim ſpiratio anhela accedere, ipſe ſæpius ſuffocari, ac crebriori digitorum convulſione corripi obſervabatur. Sexto demum Iduum Maii vehementi inquietudine, anxietate ac ſpaſmo prehendebatur: contra quæ à priori medico ordinata fuit hæc compoſitio: Recipe reſinæ jalappæ præparatæ grana ſex, ſacchari canti pulveriſati grana XII. mercurii dulcis grana XV. M. f. pulvis in ſex partes dividendus. Harum binas aſſumtas, crebræ alvi dejectiones, ac dictorum ſymptomatum major ferme excepit exacerbatio; adeo, ut adſtantes convulſiones veriti, tenellulo propinarent pulveres quoſdam antepilepticos. Neque tamen minus XI. Calend. Junii ipſa erupit epilepſia cum horrendis convulſionibus; quæ multis remediis antepilepticis & internis & externis, clyſteribus, & pulvere purgante ex mercurii dulcis duobus granis, & unico reſinæ jalappæ confecto, qui repetebatur V. Calend. cum uno duntaxat mercurii dulcis grano, oppugnabantur. Et poſtquam VI. & V. Calend. ex his remediis exacerbare videbatur epilepſia; ea tamen, IV. & III. Calend. evacuata per alvum copioſa, fœtida, ac mali coloris ſaburra, paululum remiſit. Verum enim vero cum Nonis Junii recrudeſcerent motus epileptici atque convulſivi, præter clyſterem, VIII. Iduum & infanti & nutrici quandoque data eſt hæc potio: Recipe reſinæ jalappæ grana quinque, diſſolve in uno ovi vitello recenti, adde aquæ chamæmeli romani unciam unam & ſemis, ſyrupi roſarum ſolutivi drachmas tres. M. D. ex qua large alvum depoſuit, ſimulque manſit inquietus. Circa diem tertium Iduum Junii non ſolum crebrius alvi profluvium acceſſit; verum etiam tam anguſta ſupervenit ſpiratio, ut ſuffocari omnino videretur puerulus, & rauca voce peculiarem ediderit ſonitum. Quamobrem dati interne ſunt pulveres adſtringentes, externe ſtomacho impoſitum ceratum theriacale: ex quibus bene habere cœpit, nullaque à XIV. Cal. Junii, ad Vtum uſque Iduum accepit medicamina

Has interim moleſtias partim à difficili dentitione; bini enim ſub illis dentes, iique maxillares in mandibula ſuperiori eruperant, partim ab impuro nutricis, hanc ob cauſſam abactæ, lacte derivarunt. Cum vero nihilominus V. Iduum Julii male iterum habuiſſet infans; iterum exhibitus eſt pulvis ex tribus mercurii dulcis granis, & uno reſinæ jalappæ confectus, ſed ipſe à III. Iduum ad V. diem ante Calendas Auguſti, æſtu, inquietudine, tuſſi, roncho pectoris miſere ſolicitus, ante memoratum anxium ſæpius edidit ſonitum. Hæc contra ſymptomata varia pectoralia, veluti fuerunt loch ſanum & expertum, lac ſulphuris cum ſaccharo albo in ſex dupla doſi, & electuarium ex oleo amygdalarum dulcium, ſpermate ceti & ſaccharo Canarienſi paratum &c. exhibebantur; intra ultimum quatriduum pulveres laxantes ex mercurii dulcis granis duobus cum dimidio & uno reſinæ jalappæ præparatæ bis dabantur; ac duo linctus pectorales propinabantur, quorum unus ſyrupi de manna ſolutivi unciam ſemis, pulveris jalappæ ſcrupulum unum, aquæ veronicæ drachmas duas; alter ſyrupi de manna ſolutivi unciam unam, jalappæ grana XII. & aquæ veronicæ drachmam unam habebat. Tum Vto Calendarum Auguſti violenta erupit epilepſia, & per tres dies abſque remiſſione, cum perpetua dicti anxii ſonitus ex pectore exploſione, alvo ſoluta, tetriſque excrementis vehementer inhæſit; donec denique pridie Calend. Auguſti ipſa mors inſequeretur. Hoc tempore multis remediis antepilepticis, internis pariter ac externis; clyſteribus, ad ſedandam diarrhœam pulvere theriacali, aliiſque, quorum intra triduum viginti duo numerabantur, remediis purgatum fuerat. Altero denique poſt mortem die, bini in ſuperiori maxilla obſervabantur dentes, eruptionem minantes, atque fauces aphthis & puſtulis inflammatoriis obſeſſæ deprehendebantur.

Neque vero ignorari oportet, defuncti fratrem binis abhinc annis, eadem ætate, iiſdemque ſymptomatibus infeſtatum, iiſdemque remediis tractatum periiſſe; quippe cui & præſervandi & curandi fine ſæpe numero & laxantes pulveres modo recenſiti, & alia remedia cum jalappa commixta propinata fuerant. Quamobrem, dum adhuc viveret hic puerulus, ab alio medico hæc curandi ratio in dubium vocata eſt: quippe qui tam acria, irritantia, atque purgantia, copioſa quantitate & crebro data, in tam tenero ſubjecto, quod & natura ſenſibiliſſimum, ad ſpaſmodicos ac convulſivos motus proclive, & ob difficilem dentium eruptionem doloribus, ac violentis generis nervoſi diſtenſionibus obnoxium fuit, minime proficua, ſed ſumme potius nociva judicavit. Hinc etiam, vi conſcientiæ permotus hic medicus, cui pariter ac priori defuncti cura erat tradita, ad quaſdam quæſtiones medicorum celebriorum flagitavit reſponſa ac judicia; eo duntaxat fine, ut prior medicus, frequenter, ſed fruſtra ne lactentibus infantibus tam acria propinaret purgantia, commonefactus, convinceretur, hanc medendi rationem & arti medicæ & conſcientiæ omnino repugnare.

*Reſponſum Wittenbergenſe.*

Propoſitæ nobis fuerunt quædam quæſtiones, ut de iis, quid ſentiremus, reſponderemus; quarum quinque potiſſimum occurrerunt nobis; nimirum 1. num infanti, tres anni quadrantes nato, dentitioni difficili obnoxio; & ex lacte corrupto dejectionibus alvi virideſcentibus cruciato, hinc anxietatibus, ſpaſmis, & epilepticis correpto motibus, purgans ex tribus mercurii dulcis granis & uno reſinæ jalappæ præparatum, tuto & cum fructu, præſertim repetitis vicibus propinari potuerit?

2. Anne conſultius fuiſſet, in locum mercurii dulcis, ac reſinæ jalappæ, lenius laxans vel ſolum, vel cum pulvere abſorbente antiſpaſmodico commixtum exhibere?

3. Utrum rationes hanc in cauſſam allegatæ cerebrinæ ſint, anne potius veræ atque ſolidæ?

4. Num ex ullo probato ſcriptore medico probari queat, mercurium tribus granis, cum purgante mixtum in tam tenera ætate fuiſſe propinatum? &

5. Anne denique ex ſæpius repetito hoc laxante, mox inſequuti epileptici motus debeant derivari?

Quamobrem, omnibus perluſtratis diligentia collegiali probe momentis, ad primam quæſtionem poſitivam magis dare reſponſionem potuiſſemus; ſi allegatus fuiſſet effectus, quem recenſitum purgans in eo tenellulo ſemper edidit. Neque tamen minus, ſi ætatem ſubjecti tenerrimam, anxietates, ſpaſmos epilepticos, dejectiones alvi virides, dentitionem difficilem, reliqua ſymptomata, & ſæpius repetitum purgantis uſum conſideremus; non poſſumus, quin hunc auſum nimis temerarium declaremus.

Melius factum fuiſſe putamus, ſi in tali rerum ſtatu & mercurius dulcis & reſina jalappæ omiſſa fuiſſet; eo magis, cum longe tutiora proſtent purgantia, quæ in infantibus cunctis evacuandi ſcopis faciunt ſatis. Præſertim autem in noſtro ſubjecto longe convenientius fuiſſet, clyſteribus ac blandioribus laxantibus, cum abſorbentibus mixtis acrimoniam primarum viarum temperare & leniter eliminare. Quod ſi enim in iſtis multæ ſordes acidæ, atque bilis, ut vocant, æruginoſa hoſpitentur; quas in noſtro ſubjecto dejectiones virides, & reliqua ſignificant ſymptomata: mercurius dulcis propinatus cum iis combinatur, hinc ſtimulationem magis adauget, ac periculoſa concitat ſymptomata.

Neque ideo juxta quæſtionem tertiam adductæ rationes pro cerebrinis habendæ ſunt: omnis enim curationis fundamentum in ratiocinio medici ſitum eſſe oportet; quod cum omnes ſcriptores medici præfixum ſibi habuerint, maxime in remediorum mercurialium exhibitione; nemo eorum nobis adhuc innotuit, qui in recenſitæ ætatis ſubjectis, ac allegatis ægritudinibus ea doſi propinavit mercurium dulcem, uti quidem in præſenti caſu factum eſſe legimus.

Quæ cum ita ſint, & mercurius in ea portione, ætate, ac ſymptomatibus haud tuto exhiberi poſſe videatur: nec adeo à veritatis ſpecie abludit aſſertum, ex illius uſu inſequutos motus epilepticos niſi excitatos, ſaltem magis adauctos fuiſſe ac ſuſtentatos.

## *Reſponſum Jenenſe.*

Ex propoſitis nobis quæſtionibus, ut de iis mentem noſtram exponeremus, prima eſt:

Num infanti, tres anni quadrantes nato, dentitioni difficili obnoxio, & ex lacte corrupto dejectionibus alvi viridibus cruciato, hinc anxietatibus, ſpaſmis & epilepticis correpto motibus, purgans ex tribus mercurii dulcis granis, & uno reſinæ jalappæ confectum, tuto & cum fructu, repetitis præſertim vicibus propinari potuerit? Si reſpondere ad hanc debemus, haud ignorari oportet, in omnibus hiſce dubiis caſibus, leges medendi, & quoad indicationes, & quoad indicata eſſe reſpiciendas. Cum vero in præſenti caſu & dentitio difficilis, abſque alvi obſtructione ac æſtu febrili, & dejectio copioſior minime indicent evacuantia, ſed potius temperantia ac roborantia: facile patet, eorum uſum haud fuiſſe congruum. Namque licet etiam indicata fuerint evacuantia; attamen hoc ſcopo mercurialia & reſina jalappæ minus tuto ſunt propinata. Quam ob rem alteram & tertiam quæſtionem:

Anne conſultius fuiſſet, mercurium dulcem & reſinam jalappæ omittere, & in horum locum lenius laxans vel ſolum, vel cum pulvere abſorbente & antiſpaſmodico v. g. Marchionis mixtum propinare? omnino adfirmamus, & operæ magis pretium fuiſſe credimus, in tam tenera ætate alvum blandioribus moliri laxantibus, veluti ſunt rhabarbarum electum, pulvis mechoacannæ, vel ipſa cinnabaris nativa. Neque etiam extra omne poſitum eſt dubium, num mercurius dulcis rite & juxta leges artis fuerit præparatus? Et licet etiam lympha viſcida peccaverit, cui mercurialia ſulphure puriori non cicurata optime opitulantur: tamen huic dictis lenioribus laxantibus, in noſtro quidem caſu, ſuppetiæ ferri potuiſſent eo tutiores.

Non equidem, ad quartam replicantes quæſtionem, inficias ire poſſumus, quin quidam autores infantibus bimulis mercurium propinaverint dulcem; veluti adparet apud Riverium atque Rhodium: quod autem ille in eodem caſu, eadem ætate, iiſque ſymptomatibus ſtipato uſurpatus ſit, nuſquam relatum legimus. Et ſi denique conſideremus ultimam quæſtionem:

Anne ſubſequuti motus epileptici ab uſu dicti purgantis crebriori ſint derivandi? eo certius omnino affirmativam ferre poſſemus ſententiam, ſi certi eſſemus, quod mercurius minus legitime fuerit præparatus. Jam autem cum non ſolum dentitio difficilis, quæ ſola, teſte experientia, hæc ſymptomata producere valet, verum etiam aliquid ſpaſmodici fuerit præſto ante uſum ſæpius citati purgantis: non omnino convulſionum cauſſam in ſolum hoc collocare poſſumus, niſi forte nimis copioſe ſubduxerit alvum, & hinc virium proſtrationem, ac ipſam concitaverit mortem.

## *Reſponſum Lipſienſe.*

Ad communicatum nobiſcum caſum, & propoſitas in ipſo quæſtiones, quas ex antecedentibus repete, ſententiam noſtram explicaturi: ad earum primam reſpondemus, quod mercurius dulcis in præſenti ſubjecto, recenſitis ſymptomatibus adfecto, dicta doſi tam ſæpius repetita haud tuto potuerit propinari; cum ille cum primarum viarum ſaburra permixtus hanc reddit acriorem, & ad inducendos affectus ſpaſmodicos magis idoneam. Hinc 2. fuiſſet utique convenientius, omittere hoc remedium, & aliis magis appropriatis, maxime clyſteribus uti. Atque 3. ideo hanc in cauſſam allegatæ rationes minime cerebrinæ habendæ ſunt: 4. ſiquidem varii quidem ſcriptores medici, uti Riverius ac Ettmullerus, Harris &c. mercurium dulcem in affectibus infantum commendant; ſub illis vero, quæ in præſenti caſu juncta fuerunt momentis iſtum à nemine laudatum deprehendimus. Num autem hoc remedium inſequuta ſymptomata epileptica induxerit, vel ſaltem ſuſtentaverit: haud certo aſſerere audemus.

Judi-

*Judicium Medicum.*

Subjectus fuit meo judicio caſus quidam ſatis arduus, cum quibuſdam quæſtionibus, quarum tres ſequentes potiſſimæ ſunt:

1. Num ad infantes ſex vel novem menſes natos purgandos laxante ex mercurii dulcis binis vel tribus granis cum uno reſinæ jalappæ præparatæ, i. e. ex tribus amygdalarum dulcium partibus & una reſinæ dictæ compoſitæ parato, tuto & abſque omnis periculi metu uti liceat?

2. Præprimis num illud infanti tenero, qui ſenſibilioris conſtitutionis, quinto jam ætatis menſe ob dentium eruptionem ſymptomata epileptica, ſpaſmodica pectoris, ſuffocativa, digitorum rigorem toleravit, jam vero & lac corruptum, aliaſque in primis viis ſordes fovet, & iterum ex difficili dentitione ſpaſmis, anxietatibus, inquietudine, dejectionibus viridibus ſolicitatur, tam intra quam extra paroxyſmum tuto exhiberi poſſit? &

3. Anne denique tam illud purgans, quam etiam alia ex pulvere jalappæ parata, & crebro nimis propinata in dentitionis difficilis negotio plus damni induxerint, quam emolumenti?

Quæ ut eo clarius explicentur, neceſſe eſt, ut indolem atque naturam earum notionum rite intelligamus, de quibus vel adfirmare vel negare quidpiam volumus. Quum igitur mercurius dulcis, & reſina jalappæ, nec non hujus pulvis noſtræ potiſſimum ſubjiciantur conſiderationi: diſpicienda nobis eſt 1. natura ac eſſentia harum medicinarum; deinde 2. perſcrutanda diſpoſitio corporis in infante tam teneræ ætatis; nec non indoles lactis corrupti, porro dentitionis difficilis idea ſuppeditanda & 3. denique inquirendum, quid ſibi velint notiones inſecuri, noxii & periculoſi.

§. I. Quod ergo naturam ac indolem mercurii dulcis attinet, ſciendum eſt, illum parari ex mercurio ſublimato, tanquam penetrantiſſimo animantium veneno, & modica duntaxat portione perniciem mortemque inferente & mercurio vivo, qui quidem nullum conſtituit venenum, ſed externe illitus, niſi conveniens acceſſerit diæta, periculoſa infert ſymptomata. Ex his ergo binis vehementioribus ſubjectis lege artis inter ſe commixtis, reſultat tertium, nimirum mercurius dulcis; qui, licet non ſemper, omnibuſque circumſtantiis tuto poſſit uſurpari, tamen reſpectu ingredientium, ac aliorum medicaminum mercurialium, caute atque provide adhibitus à medicis pro tuto, ſecuro & non formidando habetur remedio. Notari hoc loco merentur, quæ doctus ac celebris Italorum Medicus *Ramazzini tr. de morbis artificum pag.* 28. refert, dum, *Mercurius dulcis*, inquit, *remedium non adeo metuendum; cauto tamen opus eſt uſu; equo enim indomito perſimilis eſt, quoties in manus imperitas inciderit.* Et paullo eſt: *adeo ſuſpecta ſunt beneficia, quæ ab hoſte tam infido ac verſipelle proveniunt, ut de medicorum mercurio apte dici poſſint, quæ de ſuo commentus eſt poëtarum princeps: animas ille evocat orco pallentes, alias ad triſtia tartara mittit, dat ſomnos, redimitque, & lumina morte reſignat.* Neque minus *Welſchius, ſi decad.* 3. *curat.* 1. *pag.* 113. *de* mercurio dulci agit, hæc bene monet: *Quamvis omnium optima hydrargyri præparatio & ſecuriſſima pleriſque putetur, attamen ne ſic quidem, aut alia quacunque ratione præparatum, malignitatem ſuam plane exuere, etſi vel aurum addatur, quin ad ingenium, nequitiamque ſuam redeat, notavimus.* Conf. Wachnitzii, medici Serveſtani diſſ. de mercurio dulci pulveriſato ad grana XV. ab adoleſcente XV. annorum aſſumto, & ſexto die inde mortuo.

No. 2. Mercurius dulcis, juſta quantitate aſſumtus, ea pollet efficacia, ut ob glandularum, quam inducit, ſtricturam, lympham propellat, & ſalivæ copioſiorem fluxum, ſive ſalivationem excitet: quare etiam luem veneream, alioſque ex lymphæ coagulo, & glandularum obſtructionibus ſubortos morbos ſæpius feliciter expugnare deprehenditur. Neque minus certa portione propinatus vellicat inteſtina, aliquo modo alvum ducit, ſed flatulentias progenerat, atque tormina. Nec etiam levem ſpondet operam, ſi in infantibus, non quidem tenerioris ſtricturæ; ſed juxta *Ettmullerum in valetudinario infantili pag.* 41. habitioribus paululum, & ubi ablactati fuerunt, vermibus infeſtatis provide, & tot granis, quot annos ſunt nati exhibeatur.

No. 3. Notandum vero eſt, quod idem mercurius dictos affectus, veluti ſunt ſalivatio, tormina, anxietates, & longe deteriora ſymptomata eo facilius atque citius excitet, ſi parciſſima licet doſi cum ſalibus cujuſcunque generis, maxime ammoniacalibus & alcalinis probe fuerit commixtus atque ſubactus. Quemadmodum enim mercurius vivus per ſalium admixtionem corroſivus redditur ac quaſi venenatus: ita quoque idem dulcificatus, ſi denuo ſalibus permiſceatur, virtute iterum potitur acri, corroſiva, licet mitiori, quam quidem poſſidet mercurius ſublimatus.

No. 4. Hinc etiam crebra docet experientia, quod in iis, quorum ventriculus ac inteſtina, aut ipſa lympha ſordibus acribus, ſalſis, bilioſis, ſulphureiſque ſcatent, veluti ſunt ſcorbuto, paſſione hypochondriaca, hyſterica, podagra, arthritide &c. laborantes, parca etiam doſi exhibitus mercurius dulcis facillime ſalivationem, nervorum debilitatem, tormina, præcordiorum anxietates, pectoris ſpaſmos & inducat & magis foveat & exacerbet. Hæc enim ſubjecta in recenſitas moleſtias jam prona deprehenduntur; ideoque hujus remedii uſum utique contraindicant.

No. 5. Neque etiam ullum, præter aurum fulminans reperitur medicamen, quod tam diu inhæreat inteſtinis, & ſucceſſu demum temporis propter gravitatem, qua firmiter plicis ventriculi ac inteſtinorum impingitur, effectum ſuum exſerat, quam quidem mercurius dulcis, maxime in pulvere ſumtus: id quod vel ex ſalivatione, quam nimis tarde excitat, elucescit.

No. 6. Et denique haud ignorari oportet, medicamina ex mineralibus atque metallis parata, hinc etiam mercurium dulcem, non niſi liquida vel ſoluta in noſtram agere machinam. Hæc ſolutio extra noſtrum corpus menſtruis appropriatis, in corpore autem lympha ſalivali, & in ſtatu præternaturali, acrimonia ſalina, acri, in primis viis hærente peragitur. Sicuti vero in hoc ultimo caſu ſuccorum præternaturalium indoles admodum varia exiſtit: ita etiam mineralium eorum remediorum valde diverſus, hinc incertus obſervatur effectus; ſicut id crebra experientia in uſu mercurii vitæ, auri fulminantis, limaturæ martis, antihectici Poterii, omniumque ex mercurio præparatorum medicaminum luculenter demonſtrat.

§. II. Sic ergo perluſtrata mercurii dulcis natura, neceſſe eſt, ut perſcrutemur indolem reſinæ & radicis jalappæ. Primo quidem nullum eſt purgans, quod tanta celeritate alvum moveat, quam dicta illa reſina; quæ pariter ac radix jalappæ ſal

acre ſubtiliſſimum fovet, atque vi illius tunicas ventriculi ac inteſtinorum nerveas vehementer ſtimulat. Hinc quoque ſæpius contingit, ut hujus remedii nimius uſus, aut potius abuſus tormina, ſpaſmos, quin & periculoſas dictarum partium producat inflammationes: quam jalappæ vim inflammatoriam præcipue *Wepferus tr. de cicuta aquatica* multis in cane inſtitutis experimentis ſolide demonſtrat; & ideo *Pechlinus obſ. 65. pag. 369.* vim reſinæ jalappæ in pulvere vocat impetuoſiorem.

No. 2. Deinde vero ea eſt reſinæ jalappæ indoles, ut vi ſubſtantiæ, quam fovet, reſinoſæ in calore facile coaguletur, hinc plicis inteſtinorum firmiter adhæreſcat, & ideo continua irritatione vehementia inteſtinorum tormina, paralyſes, convulſiones, vomitus, & hypercatharſes moveat, mitius ſi in forma eſſentiæ vel emulſionis exhibeatur. Inde referunt *M. N. C. dec. II. anno VII. obſ. 162. quod fœmina generoſa biduo poſt aſſumtam jalappæ reſinam, præter dolores fere intolerabiles, & copioſiſſimas alvi excretiones, paſſa fuerit convulſiones epilepticas, aliquot ſeptimanas durantes, ut vix morti eripi potuerit. Idem alias gratioſiſſimum purgans, reſina nimirum jalappæ ſoluta in quinta eſſentia Matthioli vel elixirii citri, alteri cuidam tormina creavit miſeranda, & quidem ſine ulla fæcum excretione purgatoria, verum tertio tandem die ſola per alvum excreta reſina in globum compacta & incraſſata.* Plures obſervationes de noxia reſinæ jalappæ, aliorumque acriorum purgantium efficacia reperies in diſſ. mea de purgantibus fortioribus è medicina ejiciendis.

No. 3. Dicta vero reſinæ jalappæ in pulvere efficacia longe citior atque vehementior deprehenditur, ſi ipſi ſcrupulum unum arcani duplicati, aut tartari vitriolati, & tantillum antimonii diaphoretici admiſcueris: hinc etiam Pechlinus refert, quod duo reſinæ jalappæ grana cum drachma dimidia cremoris tartari mixta vigeſies alvum duxerint. Unde omni jure colligi poterit, quod in ſubjectis, quæ multas ſalinas in primis viis fovent ſordes, mercurius dulcis haud ſecus, ac reſina jalappæ non ſolum vehementius operari, ſed & hypercatharſes excitare valeat.

No. 4. Neque etiam ignorari oportet, experientiam docere, quod mercurius dulcis cum reſina jalappæ, aut alio purgante extracto permixtus, & vel in pulveris, vel pilularum forma datus, non ſolum vehementer alvum moveat, ſed etiam ſtimulum alvi ad excretionem, per aliquot dies inhærentem poſt ſe relinquat. Unde iterum merito conjicere licet, mercurium dulcem cum purgante non protinus è corpore exturbari, ſed propter gravitatem ſuam diutius inteſtinis immorari.

No 5. Doſin jalappæ quod attinet, de hac Cl. D. Wedelius diſp. de jalappa ſic ſcribit: Qui rarioris ſunt texturæ, ventriculi villos habent teneros & delicatos, humoribuſque acribus biliosis abundant, cautius & delicatius ſunt tractandi; unde his grana ſex, vel ad ſummum ſcrupulus ſemis pulveris jalappæ ſuffecerint; qualia exempla tota in praxi occurrentia plurima allegari poſſent, ſi id opus foret.

No. 6. inde denique omnes, quibus valetudo curæ cordique eſt, probe ſibi caveant ab acrioribus hiſce remediis; & ſi opus fuerit, alvum potius per alimenta humectantia, vel leniter ſtimulantia vel laxantia moliantur. Qui enim præſervandi duntaxat ſæpe crebris utuntur purgantibus; teſte experientia, non niſi ventriculi ac inteſtinorum imbecillitatem, flatulentiam, ac inſignem ad colicas ſibi contrahunt proclivitatem. Hinc etiam *Hippocrates Lib. IV. aph. 16. purgationem iis periculoſam judicat, qui ſunt integra valetudine; quoniam, teſte eodem ſect. 2. aph. 36. ſana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exſolvuntur.* Namque omnia acriora purgantia, ſimulque Jalappa, vi principii cujuſdam cauſtici inflammatorii operantur, hinc deſtruunt tonum ventriculi ac inteſtinorum, & inde dependentem motum eorum periſtalticum; in cujus debito vigore totum digeſtionis, chyli ſecretionis, & alvinæ excretionis negotium, maxime in infantibus ſitum eſt ac abſolvitur. Ex eodem quoque fundamento contingit, ut poſt horum purgantium uſum major plerumque ad alvi obſtructiones, ſpaſmos & flatulentias inſequatur proclivitas: quid? quod crebra compertum habeam experientia, quod ex ſolo, eoque repetito horum purgantium uſu malum ſpaſmodico-flatulentum, quod vocant hypochondriacum, ſuboriatur.

§. III. Sed ordo noſtræ tractationis poſtulat, ut perſcrutemur conditionem ac indolem infantum, ſex vel novem menſes natorum, adhuc lactentium, ſenſibili ac tenera textura præditorum. & ex difficultate dentitionis ſpaſmis, convulſionibus, aliiſque gravioribus obnoxiorum ſymptomatibus.

No. 1. Quare notari meretur, omnes membranoſas, maxime ventriculi ac inteſtinorum partes in ejuſmodi infantibus admodum nerveas, ſubtiles, & ad ſpaſticas ſtricturas eſſe faciliſſimas: quemadmodum inter alia, ſymptomata ex vermium colluvie propullulantia, uti ſunt tormina ventris, inquietudines, pavores, convulſiones, epilepſiæ luculenter demonſtrant. Quin cum ex dicta primarum viarum irritatione ſæpius convulſiones, & aſthmaticas incurrant ſuffocationes: facile adparet, omnia purgantia, quoniam dictas nerveas, in ſpaſmum pronas partes vehementer vellicant, infantibus admodum eſſe inimica. Et hanc primarum viarum ſenſibilitatem, vel illud etiam comprobatam dat momentum, quo teneri infantes ex purgante nutrici dato, cujus acres particulæ cum lacte tranſeunt in illos, copioſas tolerare deprehenduntur alvi dejectiones. Ex eadem ventriculi ſenſibilitate infantes non poſſunt tolerare cibos acriores atque ſapidos; ſed juxta ipſius naturæ ductum liquore temperato, blando, dulci, veluti lac exiſtit, nutriendi ſunt. Ipſi vero infantes ratione teneritudinis, ſenſibilitatis, atque proclivitatis ad ſpaſmos inſigniter diſcrepant.

No. 2. Deinde nec ignorari oportet, cur & quomodo lac in nutricibus corrumpatur. Hoc nimirum contingit, ſi illæ cibis incongruis, aut valde nutrientibus veſcantur, motu vero corporis ſufficienti deſtituantur, hinc impedita tranſpiratione partes acres, ſulphureas, excrementitias in corpore ſuo ac lacte retineant. Tale ergo ſpiſſum, & impuris ſordibus imbutum lac, ſi in ventriculum infantis pertingat, ac diutius ipſi inhæreat, redditur magis acre ac acidum, & accedente ipſa bile, corroſivam indolem, ac virideſcentem nanciſcitur colorem. Hinc fæces, quæ lac illud aceſcens & corruptum continent, tam acres atque corroſivæ deprehenduntur, ut ſæpius, inſtar ſpiritus vitrioli lintea corrodant; nec à canibus, qui alias infantum excrementis libenter veſcuntur, aſſumantur. Illo autem corrupto lacte teneræ primarum viarum membranæ ſpaſmodice conſtringuntur; & inde tormina, flatulentiæ, anxie-

anxietates, ſpirandi anguſtiæ, ſpaſmi & ipſæ convulſiones ſuboriuntur.

No. 3. Quod denique dentitionem attinet difficilem; ſciendum eſt, inter dentes caninos potiſſimum eſſe, qui teſte *Caſparo Bauhino theatr. anat. L. 3. c. 6.* nervos ac vaſa ſanguifera conſpectiora poſſident, quam reliqui dentes, & hinc ſub perruptionem majores etiam procreant dolores. Generatim enim omnes dentes, maxime numero plures ſi ſimul perrumpant gingivas; harum ſubſtantiam nervoſam admodum vellicant, ac inſignem earum pariunt dolores; qui cum adultos, exemplo odontalgiæ immaniter tractant, eo magis teneros infantes graviter afficiunt, & per conſenſum in motus totius generis nervoſi admodum irregulares terminantur. Inde ſuboriuntur enim febres, epilepſiæ, inquietudines, ſpirationes difficiles, anxietates, alvi obſtructiones, nec non & profluvia, pavores in ſomno, aliaque ſatis ſontica ſymptomata.

§. IV. Sed reſtat tandem, ut quid in medicina inſecurum, noxium ac periculoſum ſignificet, paucis explicemus.

No. 1. Inſecurum itaque remedium appellatur, quod quidem minime ex ſua eſſentia neceſſario atque ſemper damnum infert; attamen pro varia ventriculi, fibrarum nervearum, humorum, ipſiuſque morbi diſpoſitione, noxam utique excitare valet. Tali ratione omnia activiora medicamina, nec non mercurialia, vitriolacea, venerea, ſaturnina &c. non ſemper tuto potiuntur effectu: quoniam pro diverſa partium ſolidarum atque fluidarum conſtitutione mox bonam, mox perniciosam exſerunt virtutem. Hinc remedium inſecurum non quidem ſemper & abſolute exiſtit noxium; verum tamen ſæpius noxium fieri poteſt, & ideo ſumma cautione uſurpandum eſt.

No. 2. At vero noxium illud eſt, quod actu cauſſam morbi atque ſymptomata adauget & exacerbat; quemadmodum opiata in paralyſi, affectibus ſoporoſis, atonia & imbecillitate ventriculi ſemper deprehenduntur noxia.

No. 3. Periculoſa denique ea dicuntur medicamina, quæ in morbis acutis, ubi anceps eſt eventus, vires ad ſuperandum morbum neceſſarias peſſumdant, & cauſſam morbi adaugent: qualia ſunt vomitoria atque purgantia fortiora in internis inflammationibus circa morbi ſtatum exhibita.

§. V. Quibus prælibatis, facilior jam erit propoſitarum ſupra quæſtionum ſolutio. Quod ſi enim primum quæritur: Num infantibus lactentibus, nondum integrum annum natis, ſenſibilioribus, purgandi fine, mercurius dulcis cum reſina jalappæ permixtus tuto, & abſque ullo exhiberi poſſit periculo? reſpondeo, illius uſum omnino & inſecurum, & non ſine periculo eſſe. Namque juxta §. 3. no. 1. omnes membranoſæ in hiſce infantibus partes, maxime ventriculi ac inteſtinorum tunicæ admodum teneræ, ſenſibiles, & ad ſpaſmos proclives ſunt: quum autem omnia purgantia ſint nimis acria ac irritantia, & inteſtina admodum vellicantia; ſimulque totum nervorum genus ad irregulares excitare valent commotiones; facile adparet, ea in infantibus eſſe periculoſa. Deinde ex §. 1. n. 6. patet, mercurium dulcem non niſi ſolutum in corpus operari; ſolvitur autem non niſi per ſalia, & ſic ſimul redditur acris & corroſivus. Hinc adparet ulterius, quod cum in primis infantum viis multæ ſæpius ſint ſalinæ ſordes, iis mercurius dulcis perſæpe reddatur corroſivus, & noxius: quare etiam celebris Academiæ Aldorffinæ Profeſſor, *Johannes Mauritius Hoffmannus in Actis Laborat. Chym. Proceſſ. 153. pag. 137. Doſis mercurii dulcis*, inquit, *pro infantibus equidem à nonnullis auctoribus deſignatur grani I. vel II. pondere cum lacte, ſed non ſatis tuto.* Quod attinet reſinam jalappæ, illa non ſolum juxta §. 2. no. 1. acrimoniam fovet ſubtilem ac ferre cauſticam, verum etiam accedente calore intra corpus coagulatur, plicis inteſtinorum adhæreſcit, & cum ab affluis humoribus haud facile ſolvatur, continuo ſtimulo vellicat teneras illas atque ſenſibiles partes, jam per ſe ad ſtricturas ſpaſmodicas pronas, & hinc denique ſpaſmos ac omnia ex illis propullulantia magis exacerbat ſymptomata. Neque porro minus ex §. 2. n. 2. eluceſcit, omnia purgantia, maxime jalappam, tonum ventriculi ac inteſtinorum, à cujus vigore alvi quoque dependet ſucceſſus, inſigniter labefactare, ac alvum adſtrictam relinquere: quo reſpectu eo magis nocent in infantibus, quorum ſanitas in debita alvi excretione potiſſimum conſiſtit. Quæ cum ita ſint, & hoc purgans in dicta corporis & fibrarum conſtitutione noxam inferre poſſit; illud juxta §. 4. n. 1. etiam inſecurum exiſtit: in cujus locum, re exigente leniora laxantia, veluti ſunt pulvis vel extractum rhabarbari, ſyrupus de manna rhabarb. cum temperantibus ac antiſpaſmodicis combinata longe feliciori ac tutiori effectu uſurpari poſſunt. Prout enim *Riverius L. V. p. 1. ſect. 2. inſtit.* bene monet; pueri, multo magis infantes benigniora tantum ferre poſſunt purgantia.

Hinc quoque juxta ſecundam quæſtionem purgans allegatum in infante dictæ ætatis, teneræ conſtitutionis, quinto jam ætatis menſe ob dentitionis negotium ſymptomatibus epilepticis ſuffocativis, ſpaſmodicis pectoris, rigoreque digitorum infeſtato, jam vero à lacte corrupto ventriculum ipſius & primas vias occupante, & conjuncta dentitionis difficultate, à ſpaſmis anxietate, inquietudine ac viridibus dejectionibus divexato, tam intra, quam extra paroxyſmum, nec utile nec ſecurum exiſtit. Namque illud 1. in infante tam tenero ac ſenſibili vi allegatarum ſuperius cauſſarum, partes in ſpaſmos jam pronas magis irritat atque vellicat; 2. deinde fibræ partium ſolidarum ex dentitionis difficultate, dolore ac febre jam tenſæ, & inde irritatum totum genus nervoſum, juxta § 3. n. 3. leviſſima quoque de cauſſa, multo magis acri & irritante ejuſmodi purgantium ſtimulo vehementius ſtimulantur, hinc ſpaſmi magis exacerbantur. 3. Accedunt & illa momenta, quod mercurius dulcis non ſolum juxta §. 2. n. 4. propter gravitatem ſuam in teneris ventriculi ac inteſtinorum plicis, etiam poſt præſtitum purgantem effectum diutius commorari ſoleat; verum etiam admixtione acrimoniæ ex lacte corrupto in ventriculo ſubortæ (quæ ſecundum §. 3. no. 1. ſola ad vellicandas primarum viarum tunicas, & inducenda earum partium tormina, anxietates, ſpaſmos ac epilepſiam ſufficit) & contentorum in illa ſalium vi §. 1. n. 3. & 4. corroſivam nanciſcitur indolem; cujus ope graves membranoſarum partium diſtentiones magis adauget, ac hinc malum reddit deterius. Neque vero commemorabo, quod teſte *Wolffio in obſ. chirurg. pag.* 179. mercurius dulcis in pulvere datus ad partem in gingivis, vel alibi in ore hærere & moleſta ſymptomata concitare valeat. Idem confirmat *Sennertus*, dum *Lib. de conſenſu & diſſenſu chymicorum cap. XVIII.* dicit. Medicus quidam, cum mercurium dulcem rite præparatum, ſine noxa aliis exhibitum, ipſe uſurpaſſet, in graviſſimum incidit morbum: gingivæ enim, fauces & lingua intumuere, ac nigredinem contraxere, ut per integrum menſem nihil cibi ſolidi aſſumere, imo nec juſculum cochleari ſorbere potuerit ob ſupervenientem ſalivationem &c. Quamvis autem

tem opponi poſſet, quod purgans hoc lac corruptum, tanquam peccantem ac irritantem materiam uno impetu proſcribat è corpore; ac hinc omnino utile aliquo modo videatur: attamen nec ignorari oportet, hæc acria purgantia, teſte crebra experientia, irritare quidem, vellicare, ac vehementer conſtringere glandulas inteſtinorum, & contentas in illis fluidiores partes vi expellere, ſed craſſiores in inteſtinis fœces ſæpius relinquere. Et quid opus eſt his fortioribus uti purgantibus, cum materia illa peccans longe tutioribus ac blandioribus eliminari poſſit laxantibus? Namque tutiora ſemper præferenda ſunt infidis & ancipitibus remediis, præſertim in perſonis illuſtribus, quibus ſecundum Galenum tutiſſima ſemper admovenda ſunt remedia.

Quod denique tertiam attinet quæſtionem: án in dentitione difficili & allegatum purgans, & alia purgantia ex reſina & pulvere jalappæ parata, & ſæpius repetita noxam inferre queant? non poſſum, quin purgantia repetita & continuata in hiſce circumſtantiis omnino noxia pronunciem. Namque 1. nihil eſt, quod acriora purgantia indicet, cum dolores ejuſmodi, ex irritatione, aut ut cum veteribus loquar, inanitione ſuborientes, minime purgantibus, ſed potius blandis ſedativis, diaphoreticis ac diſcutientibus ſint adgrediendi. 2. Eo magis fugienda in tali ſtatu ſunt purgantia, cum omnes dolores, quos repletiones vel ſtagnationes humorum non produxerunt, ab iis magis exacerbentur. Nam natura doloris conſiſtit in vehementi partium membranoſarum conſtrictione: purgantia vero acriora irritatione ac conſtrictione tunicarum inteſtinalium operantur, & benignum humidum, quod tenſas à dolore fibras blande relaxare debet, ſimul ejiciunt. Hinc naturalis eſt conſequentia, dolores augeri purgantibus, & ſymptomata graviorum dolorum, veluti ſunt lipothymiæ, febres, vigiliæ, inquietudines, ac convulſiones &c. eo facilius induci illis ac excitari.

3. Tum notari meretur, omnem fere dolorem ſtipari febricula, pulſu citatiori, ac ſiti: omnis vero immoderata evacuatio, teſte experientia & Avicenna, febrem accendit. Hinc ratio peti debet, quod in ſanis etiam perſonis poſt uſum purgantis fortioris ſymptomata febrilia, pulſus frequens, tenſio hypochondriorum, ſitis, urina rubra &c. deprehendantur; & ex eodem fundamento Harderus obſ. 69. ſcribit: Notavimus ſane, dejectiones creberrimas à purgante ortas cum ſiti; ex extracti catholici cum mercurio dulci in pilulas formati aſſumtione frequentiſſime ipſi dejecimus cum ſubſequente febre ſynocha.

4. Deinceps quoque ſoli dolores, etiam in adultis convulſiones proritare poſſunt, id quod ex colica, dolore nephritico, quin & dentium, & innumeris aliis ab Hildano Cent. 3. obſ. 100. allegatis exemplis luculenter adparet: quanto magis illæ in infantibus timendæ ſunt, cum conſtet, eos plerumque vel ex ventris torminibus, vel dentitionis doloribus convelli. 5. Neque porro minus ipſa purgantia convulſiones producere poſſe, multis comprobari poſſet exemplis, maxime de helleborinis &c. Inde eorum uſus eo magis in infantibus eſt evitandus, qui urgente dentitionis dolore per ſe ad convulſiones proni ſunt. Quare Hippocrates commendat, ut nutricibus potius exhibeantur purgantia; & quanta in iis ſeligendis opus ſit cautione, docet Ballonius, dum epid. Lib. I. pag. 27. ſcribit: ſcammoniata nutricibus data aliquando convulſiones efficiunt. 6. Denique vero dicta purgantia ſerum laudabile, in tam teneris infantibus admodum neceſſarium, ſimul exturbant, vireſque dejiciunt, adeo, ut ii, quibus ex crebrioribus alvi dejectionibus vires conſumtæ ſunt, tandem ſuccumbant: conf. Primeroſius de morbis puerorum P. II. p. 58. Ex quibus demum omnibus ſatis luculenter adparet, in dentitione difficili acria, & quidem repetita purgantia eſſe noxia; id quod etiam Riverius confirmat, Inſtit. Med. 5. L. p. 1. ſect. 2. dicens: purgatione vires aliquatenus infringuntur, ideo ſi valde labefactatæ fuerint, non eſt tentanda purgatio, ne ab illa plane dejiciantur.

Quamvis ergo haud abſolute pronunciare vellem, quod inſequuta mors in præſenti caſu incongruæ curationi ſit adſcribenda; verumtamen cum experientia doceat, multos infantes epilepſia, à difficili dentitione ſuborta perire; neceſſe eſt, ut quilibet verus medicus eo reſpiciat ſummo ſtudio, ne in dubiis ejuſmodi morbis remedia inſecura, ac ipſam morbi cauſam exacerbantia propinet, maxime in ſubjectis, quorum conſervatio præ aliis curæ cordique nobis eſſe debet.

Neque vero tandem ignorari oportet, ſed quotidiana experientia, & unanimis medicorum conſenſus adfirmant, quod in lactentibus teneriſque infantibus, ob partium ſenſibilitatem ad convulſiones pronis, tempore dentitionis melius ſit, à multis, maxime commoventibus remediis plane abſtinere; & potius alvum clyſteribus demulcentibus, oleoſis, abſterſivis moliri, ac pulveribus præcipitantibus, ſedativis, antepilepticis, cinnabarinis ex aquis appropriatis uti, & reliqua naturæ relinquere; quæ remediis ſæpius & ſingula ferme hora propinatis ad vehementiores excitatur motus.

Qui ulterius cognoſcere cupit, purgantia acria ac mercurialia teneris infantibus ſumme periculoſa eſſe ac noxia; conſulat Medicinam meam rationalem Tom. 2. cap. V. de medicamentis vim veneni habentibus, & Cap. VI. de noxa mercurialium.

FINIS.

FRIDERICI

# FRIDERICI HOFFMANNI CONSULTATIONUM ET RESPONSORUM MEDICINALIUM CENTURIA SECUNDA ET TERTIA COMPLECTENS MORBOS ABDOMINIS ET ARTUUM EXTERNORUM.

## SECTIO TERTIA DE MORBIS IMI VENTRIS.

### CASUS PRIMUS.

*De occulto abſceſſu muſculorum hypochondrii ſiniſtri.*

JUDÆORUM magiſter quidam præclare doctus, XXXVIII. annorum, cum totus huc uſque ad ſtudia incubuiſſet, multiſque meditationibus ac librorum lectionibus partim ſedendo, partim corpore ſtante, ſed valde ſemper incurvato indulſiſſet: accidit, ut ſex abhinc hebdomadibus, in hypochondrio ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis tenſivum ſentire cœperit dolorem. Hic brevi tempore adeo increvit, ut lecto penitus adfigeretur, aut ſaltem non niſi corpore ad dolens latus incurvato obambulare potuerit; erectus ſtare nequiverit. Obnoxius porro alvi obſtructioni, eam vix ſingulis ſex diebus deponere ſuevit: quo factum, ut retenti flatus adauxerint magis dolorem. Lotium reddit juſta quantitate, nec ſabulo, nec ullo ſedimento conſpicuum; adpetitus vero ciborum proſtratus plane; liquidorum parum aſſumit; à calore tamen præternaturali immunis eſt: contra viribus privatur magis magiſque, nec ullo noctu, pauco de die fruitur ſomno. Præterea obſervarunt adſtantes, ipſum noctu quandoque ſermonem ſine ordine facere, adeo ut mentis quædam, mox iterum evaneſcens, ſubeſſe videatur alienatio. Cæterum melancholicum ſe habet, ſemperque taciturnus non niſi ad quæſita reſpondet, ſæpius indignabundus. Accitus ergo medicus, dolorem hypochondrii pro nephritico reputans, propinavit interne pariter ac externe remedia contra calculum: & ægrum balneum ingredi, affectum locum unguentis, emplaſtris, cataplaſmatibus foveri, ac clyſteres injici juſſit. Sed irrita fuerunt omnia; dolor potius continuus ac fixus in eodem permanſit loco; & externe nec tumorem refert, nec inflammationem. Hinc non potuimus calculum ſuſpicari amplius; nec dolorem illum malo iſchiadico imputare, cum hoc dictam regionem haud ſoleat occupare; nec flatibus unicam cauſſam adſcribere, licet exacerbent malum; nec denique ullæ ſunt notæ, quæ apoſtema indicarent. Quare præſens medicus aliorum celebriorum flagitat conſilium, & doceri avet, num forſitan præſentem moleſtiam à paſſione hypochondriaca cum pituita tenaci & viſcida, dicto loco infixa derivare liceat? aut quæ alia ſubſit cauſſa? & quæ medendi ratio?

*Reſo-*

*Reſolutio celebris medici.*

Quod ſi ægritudinem, qua quidam Judæorum magiſter ſolicitatur, mecum perpendam: ipſum temperamenti ſicci ac melancholici eſſe credo; cujus ratione cum procul dubio bilis ſit ſicca ac acris, & præterea acceſſerit vita ſedentaria cum corpore incurvato; vero utique eſt ſimillimum, hiſce cauſſis non ſolum ciborum digeſtionem fuiſſe depravatam, verum etiam ſaburram exinde reſultantem in inteſtino colo, ejuſque flexura ſupra valvulam ſubſtitiſſe. Hancce enim ſaburram ab intermixta bile fere piceam, & dicto loco firmiter impactam partim hypochondriorum obſtructionem, flatulentiam & dicti loci inflationem produxiſſe, partim humoribus nutritiis aditum præcluſiſſe arbitror: & ideo, cum cauſſa ſupra allegatam coli valvulam hæreat, non miror, clyſterum vim eo haud penetraſſe, nec hinc ullum acceſſiſſe ægro levamen. Quare malum pro colica à ſaburra ex male digeſtis cibis ſenſim collecta, & intermixta atra bile indurata producta habeo: de qua vereor, ne diuturniori mora totius corporis conſumtionem inducat & contabeſcentiam.

Ab illo igitur ut vindicetur æger; operæ fore pretium credo, ut evitatis omnibus calidioribus ac purgantibus medicinis, alvus per aliquot ſucceſſive dies leniori laxante ex manna, oleo amygdalarum dulcium, & ſaccharo Thomæo ſolvatur, & hac ratione indurata ſtercora emolliantur: tum vero à tertio ad octavum uſque diem quotidie doſis ptiſanæ laxativæ Viennenſis exhibeatur. Non minus ſerum lactis caprini cum uncia cremoris tartari circa meridiem propinatum; & veſperi datus pulvis digeſtivus ex cryſtallis tartari, nitro, & ſale Epſomenſi egregiam ferent operam. Pro potu ordinario inſerviat aqua pura cum tartaro crudo, nitro, ſaccharo, aniſo, & flavedine citri decocta. Porro ſuadeo, ut æger ſæpius deſcendat in balnea tepida; ac præter dictam ptiſanam laxativam quotidie clyſterem ex ſero lactis, Therebinthina, vitellis ovi, electuario benedicto, & unguento clyſmatico paratum ſibi injici curet. Cæterum abſtinendum eſt ab omnibus externis epithematibus; & non niſi juſculis herbaceis, gallinaceis, avenaceis, & mucilagine hordei veſcendum.

*Conſilium.*

Dolorem illum tenſivum in hypochondrio ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis, qui celebrem Judæorum magiſtrum per ſex hebdomades tanta cruciavit vehementia, ut non potuerit erectus ſtare, ſed vel continue decumbere, vel incurvatus incedere debuerit, minime pro colico dolore à flatibus orto habendum eſſe, ſed eundem potius in externis corporis integumentis ſedem ſuam habere arbitror. Namque dolor in uno loco fixus, & per ſex hebdomades continuus inhæſit: nec præterea aliis ſymptomatibus, colicæ ſpaſmodicæ vel flatulentæ familiaribus, veluti ſunt vomitus, extremorum refrigerationes, præcordiorum anxietates, vertigo, capitis dolores, ſtipatus fuit. Neque vero & illi ſententiæ ſubſcribere poſſum, qua cauſſa illius doloris à bile acri ſpiſſa intra coli, vel potius cœci inteſtini canalem ſupra valvulam impacta derivatur: ſiquidem ex anatomia conſtat, colon cum valvula ſua pariter ac cœcum juxta os ileum dextri lateris eſſe ſitum; in præſenti vero caſu dolor in ſiniſtro hypochondrio ſub ſpuriis percipitur coſtis. Quare cum nec calculi proſtent ſigna, occultum in exterioribus integumentis ſuſpicor apoſtema. Quamvis enim externe nullus adpareat adhuc tumor, cujus proventus ab adplicatione ſpirituoſorum impeditus fuit: ille tamen admotis emplaſtris ac cataplaſmatibus emollientibus mox veniet in conſpectum. Namque haud raro obſervavi, in externis muſculoſis, maxime abdominis partibus ſæpius atrocem, continuum ac diuturnum fuiſſe dolorem, qui haud prius demulceri potuit, quam donec adplicatis emollientibus in abſceſſum tranſierit. Proficiſcitur autem talis dolor, ab humore extravaſato, membranis muſculorum abdominis incumbente, & nervoſas illius partes vellicante: id quod eo magis confirmatur, cum æger erectus incedere nequit, ſed ad dolens latus incurvari tenetur. Quum itaque omnia carminativa, laxantia, enemata, antinephritica, externa ac interna diſcutientia hactenus fruſtra fuerint adhibita: conſulo, ut epithema ex melle, farina hordeacea, cepis toſtis, caricis & croco invicem tritis paratum calide ad affectum locum adplicetur, in eoque per aliquot dies detineatur. Neque vero ludetur opera, ſi ſimul interne alvus ſegnis oleo amygdalarum dulcium, cum manna & cremore tartari ſolvatur; nonnunquam pulvis temperans, & diaphoreticus cinnabarinus capiatur; & pro potu ordinario decoctum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ & ſeminis fœniculi adhibeatur. Ex horum uſu ſi forſitan tumor adparuerit; ille perita manu tempeſtive erit aperiendus, ne ulceroſa materia profundius ſerpat, & tum ulcus mundificantibus juxta leges artis tractandum eſt.

*Appendix.*

Nec ſpem fefellit hæc curatio: poſtquam enim æger adfecto loco cataplaſmata & emplaſtra emollientia adplicuerat: adparuit tumor à ſiniſtro hypochondrio verſus dorſi ſpinam inter integumenta progreſſus; qui ſenſim major ac rubicundior factus, tandemque apertus, prima vice quartam circiter menſuræ partem de pure fœtido fudit, deinceps ejuſdem largam adhuc ploravit quantitatem. Cum autem injectionibus balſamicis ac vulnerariis hic abſceſſus debite fuiſſet tractatus; ille intra tres hebdomades rite coaluit, & æger perfecte convaluit.

---

## CASUS II.

### *De apoſtemate muſculorum abdominis & dorſi ex tumore glandularum inguinalium orto.*

Viginti quatuor annorum ſtudioſus, temperamenti melancholico-ſanguinei, habitus corporis ſtrictioris, multis per totam vitam infeſtatus fuit ægritudinibus. Has inter novem abhinc annis in malum hypochondriacum incidit; illud autem obſervato recto vivendi genere, & datis congruis medicinis in prima, ut dicunt, herba ſuffocavit. Noviſſime quoque dyſenteria laboravit; ſed & ab illa intra octiduum convaluit. Tum noſtram adiit academiam, & mox inſigni flatulentia torqueri cœpit; quam conſultus medicus eſſentia corticum aurantiorum, & pilulis quibuſdam, alvum tamen haud ſolventibus oppugnavit; externe abdomen oleo chamæmeli cocto inungi, ac clyſteres injici juſſit. His vero haud in uſum vocatis, cum à prioribus remediis quoddam ſenti-

ſentiret levamen, mox in publicum iterum prodiit. At eadem veſpera domum reverſus, prævio horrore tanta pedum rigiditate prehenditur, ut vix incedere valuerit; & denique inſignis dolor atque tumor os iſchion ſiniſtrum occupat attactu duriſſimus. Hic ſcilicet dictæ primum regioni, & inguini, digiti duntaxat latitudine inhærens, brevi tempore magis increvit, & tandem abdomen ſimul, ac pudendorum regionem, palmæ magnitudine obſedit: dolor autem ab affecto loco per totum dorſum, & integrum ſiniſtrum pedem, ad plantam uſque, dextro immuni, extendebatur; & in extremo pede inſigni ardore ſtipatus erat, adeo, ut ipſi nec inniti, nec contactum ferre potuerit æger. Præterea urgebant flatus, urinaque parca quantitate, & guttatim tantummodo mingebatur intenſe rubicunda, cum albo, turbido, ſabuloſoque ſedimento: quæ ſymptomata, adhibitis fruſtra permultis remediis, magis augebantur.

Accitus ego IV. Iduum Januarii, malum habui pro iſchiadico, & ſequenti uſus ſum medicatione. Alternis nimirum diebus veſperi harum quindecim dedi pilularum: Recipe extracti fumariæ, abſynthii, gummi ammoniaci, mercurii dulcis, cinnabaris factitiæ ana drachmam ſemis, reſinæ jalappæ grana quindecim: f. l. a. pilulæ, div. in 3. doſes. Mane viginti guttas liquoris anodyni Hoffmanni ex ſequenti propinavi decocto: Recipe radicis ſarſaparillæ, chinæ ana unciam ſemis, herbæ veronicæ manipulos duos, ſeminis fœniculi drachmas tres, conc. cont. d. ſ. ſpecies pro decocto. Ex his percepit quidem æger aliquale dolorum ſuorum levamen: at cum alvus eſſet obſtructa, clyſterem ex herbis antiſpaſmodicis & emollientibus, ſummo cum fructu curavi adplicandum. Tumori diſcutiendo ordinavi cataplaſma ex herbis emollientibus paratum; quod cum omni deſtitueretur effectu, ad dolores ſopiendos, & urinæ fluxum promovendum præſcripſi interne tincturam tartari cum ſpiritu nitri dulci LX. guttis ſumendam; externe ſpiritum arthriticum lumbricorum cum camphora tumori adplicandum; & denique ſingulo mane ac veſperi doſin pulveris præcipitantis exhibui: ex quibus, mitigatis aliquantulum ſymptomatibus, lotium rite fluere cœpit.

Verum enim vero X. Calend. Februarii veſperi ex improviſo ingenti dolore, æſtu volatico, præcordiorum anxietate, pulſu celeri ac duro corripiebatur, hiſque per integrum torquebatur diem. Hinc, cum intolerabilis in inguine eſſet dolor, impoſui iſti loco emplaſtrum oxycroceum cum pice & ſulphure: ex quo primum auctus dolor, mox iterum remiſit aliquantulum. Poſtridie hora quarta veſpertina recidit febris cum præcordiorum anxietate: ſed datis & pulvere præcipitante, & pilulis polychreſtis VIII. Calend. remiſit. Interim VII. Calend. dolor ad lumbos magis extendebatur, & urina deponebat ſedimentum farinaceum. Repetebatur iterum pulveris præcipitantis nitroſi uſus, ſimulque dabatur tinctura antimonii acris. Poſtridie mollior erat tumor; urina manebat turbida, & IV. Calend. Febr. ſabulum dimittebat: at cum alvus ſimul eſſet ſegnis, injecto clyſtere eam ſolvi, ſimulque dolores aliquantulum mitigavi. Sed nihilo ſecius Pridie Calend. Februarii peſſime habuit æger: ab adplicato iterum emplaſtro oxycroceo immanes ſenſit dolores; tumor ad membrum virile extenſus comparuit; urina reddebatur rubicunda abſque ſedimento, pulſus ferebatur celer & durus; flatuſque urgebant cum ſumma anxietate. Hæc omnia augebantur Calendis Februarii, tumor vero in apice evadebat mollior, adeo ut illum cum chirurgo W. pro apoſtemate habentes aperiremus, & exinde ultra binas menſuras puris lividi, odoris fœtidiſſimi inſtar putrium ovorum detraheremus; quod demum cruoris putridi, moleculis pinguibus intermixti integra menſura cum inſigni fœtore ſequebatur. Hinc cum ingentem virium languorem incidiſſet, præſcripſi hanc analepticam potiunculam: Recipe aquæ roſarum, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ, cinnamomi ſine vino ana unciam unam & ſemis, pulveris bezoardici Hoffmanni unciam ſemis, ſyrupi acetoſitatis citri uncias tres. M. D. S. mixtura, cujus ſingulis binis horis, quantum vaſculum capit, adſumatur, & hauſtus vini Rhenani ſuperingeratur. Sed eadem veſpera recruduit febris, noctemque reddidit inquietam cum aliquali delirio.

Quarto nonarum Februarii vulnus plorabat menſuram circiter materiæ lividæ, cruore ac moleculis pinguibus remixtæ, pariter fœtidiſſimæ: unde abſceſſum meſenterii ſuſpicabar. Pulſus erat celer ac debilis, urina oleaginoſa cum copioſo ſedimento: inſiſtebam uſui mixturæ dictæ. Circa horam quartam meridianam deligatum denuo vulnus fundebat cruorem primum coagulatum, & ſaniem fœtidiſſimam: urina reddebatur intenſe rubicunda, turbida, & demum pinguis, ac nigra adparebat cum ſabuloſo ſedimento: redibat quoque nocturna febris, cum pulſu celeri ac debili: at ciborum adhuc quædam reſtabat adpetentia, & aliqualis ſomnus.

Tertio nonarum Februarii melius habebat, ſomno & adpetitu fruebatur integro, urinam reddebat citrinam cum ardore urethræ; & vulnus bis deligatum plorabat coagulati cruoris, quantum quatuor capiebant manus, & parum puris. Pridie nonarum idem erat rerum ſtatus; & ſanies magis albicans videbatur: veſperi vero ſub altera deligatione iterum magis nigra adparebat, quantitate octo unciarum excreta, & compreſſa ſuperius regione umbilicali majori fluebat copia. Ipſis nonis gryſeo colore imbuta ſanies ſatis large effluxit; imminui vero videbatur fœtor: quare ſequens præſcripſi decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, liquiritiæ ana unciam ſemis, herbæ pyrolæ, veronicæ, hederæ terreſtris ana manipulos duos, ſeminis aniſi, fœniculi ana drachmas duas. conc. cont. D. S. Species cum IV. aquæ menſuris decoquendæ. Dedi porro pulverem bezoardicum Hoffmanni, & ſub epulis ejuſdem Elixirium balſamicum. Sed ſub ſecunda deligatione in animi deliquium incidit; quod hora nona rediit, & noctem reliquit inſomnem. Poſtridie quoque pejus habebat, vires dejectæ, adpetitus proſtratus, ſomnus nullus, pulſus celer & debilis, urina flavi coloris cum ardore, ac floccis albis conſpicua erant: alvus accedebat obſtructa, flatulentia, tuſſis ſicca, præcordiorum anxietas cum gelido ſudore. Ulcus veſperi deligatum tenuem fundebat ichorem, minus fœtidum; & urinam largum obſidebat ſedimentum, inſtar lintei carpti cum cuticula, cujus dimidiam unciam binæ urinæ continebant unciæ. Hinc dedi pilulas polychreſtas; ex quibus ſeptimo Iduum Februarii ingentia primum imi ventris tormina incidebat, quæ vero ſubſequutis tribus ſedibus remittebant. Redibant etiam ſomnus & adpetentia, & evaneſcebat ardor urethræ ſub lotii miſſione: ipſum autem lotium retinebat ſedimentum copioſum, ac totum erat limoſum; vulnus denique binas reddebat uncias puris tenaciſſimi, inſtar muci narium, minus tamen fœtentis,

Eadem rerum facies VIto Iduum adparebat, & pus male olere cœpit; inſequuta nocte ichoris tenuis quatuor circiter effluebant unciæ; qui vero ſub deligatione poſtridie facta iterum ſpiſſior & magis gryſeus reddebatur. Æger ipſe habebat optime; egregio fruebatur adpetitu; urina nec cuticulam, nec ſupernatantem monſtrabat pinguedinem, ſed copioſum adhuc fovebat ſedimentum. Propinavi igitur hanc laxantem potionem: Recipe mannæ calabrinæ unciam unam, tartari crudi drachmas duas, ſolve in aquæ florum acaciæ unciis duabus. M. D. Hæc poſtridie alvum bis ſolvit: cum autem deligaretur vulnus, illud ultra dimidiam menſuram materiæ gryſeæ, viridiſque inſtar chymi ploravit, cui intermixtæ erant tres circiter cruoris fœtidiſſimi, pinguibus moleculis combinati unciæ. Neque ob inſequentem cruoris copioſiorem effluxum, chirurgus ulcus penitius explorare poterat, niſi quod deprehenderet, illud ſurſum juxta os iſchion verſus abdomen aſcendere. Sub altera deligatione ejuſdem puris ultra octo unciæ reddebantur; & æger ſe ulcus juxta os iſchion ad dorſi vertebras penetrans percipere affirmabat. Neque tamen minus bono ſomno, ac integra ciborum fruebatur adpetentia: pulſus erat aliquantulum celer atque debilis, & aliqualis adhuc ſudor cum præcordiorum anxietate. Quarto iduum deprehendebatur languidior; ſed poſtridie iterum vegetior; & cum hiſce diebus cibos duriores, ac concoctu difficiliores aſſumſiſſet; pridie Iduum de adpetitus proſtratione, ac ſenſu preſſionis in ventriculi regione conqueſtus, multum vomitu reddidit mucum; vulnere autem pus fundebat paucum, albicans, cum nullo fœtore. Adplicato itaque enemate, ipſis Februarii Idibus longe melius habebat: mane ex ulcere idem pus albicans; verſus veſperam autem ſanies iterum viridis, livida, fœtidiſſima larga quantitate effluebat, cui erant intermixta fruſtula obſcuriora, odore excrementis ſimili nares ferientia: æger quoque pejus habuit, debilis fuit, pulſus celerior ferebatur, urina intenſa rubedine tincta, ac ferme flammea reddebatur, cum ſinceri ſanguinis molecula, piſum magna permixta; & ipſe flatulentiis, ac imi ventris torminibus infeſtabatur.

Verum enim vero ſequentibus diebus iterum vigere cœpit; & vulnus plorabat pus coctum, album ſine fœtore. Quare XIV. Calend. Martii flatibus & alvi obſtructioni obviam iturus, ſequens præſcripſi decoctum: Recipe radicis cichorei, enulæ ana unciam ſemis, herbæ veronicæ, millefolii, pyrolæ, hederæ terreſtris ana manipulos duos, radicis polypodii, tamarindorum, foliorum ſennæ abſque ſtipitibus ana unciam unam, rhabarbari optimi drachmas tres, corticum citri recentium, aurantiorum ana drachmas duas, paſſularum minorum unciam unam, tartari crudi unciam ſemis, conc. cont. D. S. Species, cum binis aquæ, & dimidia vini menſuris decoquendæ.

Abhinc ulcere reddebatur materia mox cocta purulenta, mox ſanioſa fœtida, modo larga, modo parca quantitate: ipſe tamen æger bene habebat, integro fruebatur adpetitu, & à ſudoribus nocturnis quoque liber evadebat. Nihilo tamen minus, cum VII. Calend. Martii ſanies iterum livida, inſtar ſebi ex vulnere excerneretur, conſultus Illuſtris Hoffmannus oculos cancrorum interne dari, & ſupra deſcripto decocto conſolidam ſaracenicam addi juſſit. Quibus uſurpatis, puris effluxus ſenſim imminutior fuit factus, vulnus coaluit, & æger intra aliquot ſeptimanas perfectæ reſtitutus fuit ſanitati.

*Judicium de hoc caſu.*

Communicatus mecum fuit hic caſus, ut quæ de eo ſentiam, exponerem. Quem cum probe mecum perpendiſſem, deprehendo, affectum primum in tumore glandularum inguinalium lateris ſiniſtri conſtitiſſe: qui ad ſuppurationem tendens, cum haud tempeſtiva inciſione fuerit apertus, putrida intus eſt generata materia. Hæc vero non ſolum abdominis muſculos, nec non gluteos & dorſi, quin & vaſa ſanguinea conſumſit, & hinc inſigniores formavit cavitates; verum etiam diuturna mora ac ſtagnatione putrida, fœtens ac livida evaſit, & larga effluxit quantitate. Et cum denique partim ab acri materia corroſa fuerint, partim improvida inciſione forſitan læſa vaſa ſanguifera; non mirum, ſi vulnus cruorem coagulatum atque putridum cum ſanie quandoque ploraverit. Huic quoque materiæ putridæ ac fœtidiſſimæ, & hinc ſubortis doloribus in acceptis ferenda ſunt huic ulcerationi complicata ſymptomata, veluti fuerunt horror, æſtus internus, virium & corporis conſumtio, urina flammea, rubicunda, cum largo ſedimento &c.

Affectum autem hunc ſub mali principio revera fuiſſe tumorem glandularum inguinalium, non ſolum ex loco affecto, qui fuit in flexura femoris, in qua glandulæ inguinales ſitæ ſunt, adparet; verum etiam à dolore valde pungente, ibidem pronato conjicere licet. Eorundem enim tumorum, niſi ex impura venere producti fuerint, primi natales ſæpius ex colicis imi ventris doloribus ac flatibus ſunt derivandi; à quibus cum vaſa iliaca in iis partibus admodum comprimuntur, & hinc liber humorum circuitus per illas aliquantulum impeditur: enaſcitur inde ſanguinis ac humorum ſtaſis, in tumorem abiens ac ulcerationem. Neque etiam raro obſervavi, à diarrhœa nimis adſtringente medicina ſuppreſſa ejuſmodi tumores fuiſſe ſubortos; dum nimirum natura febrili ac critico veluti quodam motu materiam acrem ex abdomine in maſſam ſanguineam, & ex hac ad dictas glandulas, earumque ductus ſenſibiles compulit: id quod in febre eryſipelacea etiam, & eadem ratione in præſenti contigit affectu. Verum cum medicus hoc malum pro iſchiadico primum habuit, hinc acriora purgantia ac calidiora emplaſtra ex pice & oxycroceo adplicavit; emollientia vero atque maturantia omiſit, nec ſatis tempeſtive tumorem incidi curavit; haud ſane mirum, ſi tam cacoëtheum quaſi exortum fuit apoſtema. Id autem admiratione dignum eſt, quod ex eo vulnere, in hoc ſubjecto, quod admodum fuit macilentum, & ſceleto ferme ſimile, tanta humoris purulenti, fœtidiſſimi, quæ XXV. libras excedit, quantitas effluere potuerit. Et hinc ſimul eluceſcit, quod externarum partium læſiones ac ulceroſæ corruptiones, utut ſint vehementiſſimæ, ſi modo interna viſcera ſalva fuerint & integra, haud facile ipſam œconomiæ vitali inferant deſtructionem atque mortem.

*Appendix.*

Dum hæc litteris conſigno, occurrit mihi caſus, priori haud diſſimilis, quem cum notatu dignum judico, etiam hic adnectendum eſſe puto. Fœmina nimirum XXXIV. annorum plethorica, habitus ſucci pleni atque ſpongioſi, inciderat forſan ſub ipſo menſium fluore in vehementem terrorem, quo ſuppreſſis protinus menſibus, inſigni

&

& duos pugnos magno glandularum inguinalium tumore corripiebatur. Hunc ut depelleret, varias per quinque hebdomades adhibuit medicinas domeſticas; ſed fruſtra: tumor enim reddebatur magis durus; accedebant dolores dorſi & oſſis ſacri, & quotidie augebantur, pedes intumeſcebant, corpus conſumebatur, ac adpetentia ciborum magis magiſque dejiciebatur. Hinc medicum conſulit, qui uſurpatis primum, ſed fruſtra diſcutientibus, camphoratis ac ſpirituoſis, tandem adplicat cataplaſmata & emplaſtra emollientia; & his emollitum tumorem, pus ipſi ineſſe ratus, lanceola incidi jubet. Effluit autem loco puris, ichor ſanguinolentus, putridus ac fœtidiſſimus ad menſuræ ferme quantitatem: quo quidem ipſe tumor imminuitur, in confiniis autem durus manet, & continuo plorat ſaniem ejuſmodi magis ſanguineam, quam purulentam. Haud vero ignorari oportet, huncce tumorem tempore menſium magis elevari, & ſub horum fluore cruorem aquoſum, ſed admodum fœtentem plorare. Quare medico meum tandem imploranti conſilium, ſuaſi, ut adhibitis per aliquot dies laxantibus, decoctum vulnerarium per octiduum circiter potaretur; deinceps iterum laxantia repeterentur, & ſic cum decocto illo alternatim exhiberentur; vulneri autem ſpiritus vini haud adeo rectificatus injiceretur, illudque externe emplaſtro diachylo muniretur. Quibus etiam poſt aliquod tempus ægra convaluit.

Hicce vero tumor ab apertione vaſorum iliacorum externorum circa glandulas inguinales originem ſuam traxiſſe videtur; quæ repreſſo ſub menſium fluore per terroris vehementiam cruore, primum dilatata, expanſaque, mox dilacerata effuderunt ſanguinem, ac tumori huic ſanguineo tam cito generando occaſionem præbuerunt: extravaſatum vero ſerum ſanguineum temporis demum mora in corruptionem abiit. Unde adparet ratio, qua tumores ſanguinei generantur, & quomodo ab abſceſſibus diſtingui debeant.

---

## CASUS III.

*De ventriculi, inteſtinorum, & partium genitalium, nec non veſicæ & ureterum ſtrictura ſpaſmodica, cum inſigni generis nervoſi debilitate.*

Vir litteratus, XXXVIII. annorum, ſtaturæ macilentioris, vitam quidem ſemper egit ſedentariam; victum autem obſervavit valde regularem; nullis potus exceſſibus indulſit, nec cibos ſibimet incongruos, acidos, pingues, ſalitos, fumo induratos, ſaccharo conditos, lacticinia, poma aſſumſit, nec unquam Tabaci uſui adſuevit. Neque tamen minus ad præcavendum ſub tali vitæ genere, hypochondriacum malum à medicis ipſi olim commendatum fuit, ut potu herbæ Théebois largius uteretur, & quotidie tres cereviſiæ menſuras potaret. Et cum præterea crebris animi commotionibus, & bilis forſitan in ventriculum effuſionibus fuiſſet obnoxius; ac denique medicamina partim abſorbentia cum nitro & cancrorum lapidibus, partim ſpirituoſa & antiſcorbutica, v. g. eſſentiam pini, largius aſſumere ſueverit: incidit demum in ſymptomata hypochondriaca, quæ preſſione in regione ventriculi, ejuſque orificii poſterioris, doloribus ad dorſum & ſcapulas extenſis, flatulentia ac torminibus inteſtinorum ſeſe exſerebant potiſſimum. Tum ab omni herbæ Théebois potu abſtinere, ſtudiis poſt epulas vacare, vitæ genere ab animi affectibus magis libero uti, & ad ventriculum roborandum vino largius indulgere cœpit: quibus effecit quidem, ut remitterent paullo recenſita ſymptomata; cum autem ſub epulis binas cereviſiæ menſuras potare, & potui fabarum Caffée crebrius indulgere continuaret, nulla vero purgantia adhiberet, & pauca medicamina, maxime cinnabarin antimonii uſurparet: inhærebant adhuc quædam moleſtiæ. Namque ventriculi debilitas, extremorum corporis frigus, atque capitis ad omnes labores torpor adeo excruciabant ægrum, ut ſi paulo largius epulis indulſerit, aut pinguia comederit, protinus ventriculi preſſione ac inteſtinorum corriperetur torminibus. Poſtquam autem cereviſiam parcius bibere, vinum largius, nunquam tamen ad exceſſum adhibere, cœna parciori uti, & ſi quoque moleſtiis ventriculi infeſtaretur, has ſola fame expugnare cœpit: inde non ſolum ab omnibus liber evaſit ſymptomatibus, verum etiam majorem mentis alacritatem, & floridiorem vultus colorem recuperavit. Neque etiam leve ex purgantibus nonnunquam, ſed rariſſime datis percepit levamen. Nihilo tamen minus, quotieſcunque conviviis interfuerit, ibidemque varios cibos aſſumſerit, aut potibus vinoſis calidioribus aliquantulum indulſerit, non tantum incidit ventriculi moleſtias gravativas ac inflativas: ſed etiam peculiari ſpaſmo corripitur, qui in muſculis, nervis ac ſuris pedum tenſionis ſenſu incipiens, abhinc per omnes corporis extremitates, brachia, pedeſque incerto circuitu vagatur, & denique per digitorum articulos, gravi dictarum partium pruritu ſtipatus evaneſcit. Præterea alvi ſegnitie ſolicitatur; quæ tantum abeſt, ut potu Coffée, prout imaginatur ſibi ægrotans, ſublevetur; ut ille potius exinde vehementiori adpetitu potiatur, ventriculi preſſionibus afficiatur, & inſomnis reddatur. Quare conſilium anhelat, qua potiſſimum ratione ab his paſſionibus liber evadere, & abſque moleſtia conviviis intereſſe queat?

Deinceps autem adhuc eſt affectus, quo graviter afficitur ægrotans. Ille nimirum ſedecim abhinc annis, ex præjudicio, ac ſi nihil ſeminis poſt ejus excretionem reſtare deberet, poſt ſpontaneam ac naturalem aliquam illius emiſſionem, magna vi, quicquid forte reſtiterit, exprimere conatus, urinam mox reddidit. Hinc, licet nunquam concubitum celebraverit, in continenti tamen tenſivos in glande atque præputio percepit dolores, abſque ulla externa læſione. Quanquam vero hoc malum ſponte remiſerit; attamen poſthæc per intervalla, & maxime poſt uſum potuum vinoſorum aliquoties rediit. Et quum forſitan ſub itinere vinum aduſtum adſumſiſſet; abhinc in gravius malum incidit. Poſt naturalem videlicet ſeminis ejaculationem tendentem glandis, ac ſi flatibus diſtenderetur, dolorem, & puncturam in exteriori præputii cute percipit; cui, ſi urinam mox reddit, jungitur ſtranguriæ quædam ſpecies; & hanc excipiunt puſtulæ ac lancinationes inter crura prope pudenda obviæ, ac denique ardoris ſenſus circa exitum ſpinæ dorſi, & utriuſque renis regionem, ad lumbos uſque protenſus: quid? quod largiorem ſeminis excretionem, ſæpius capitis dolores inſequi obſervantur. Non minus ſi forſitan ab aſpectu objectorum libidinoſorum penis erectio ſuborta; nulla vero ſeminis excretio inſequuta, & æger brevi poſt curru vectus fuerit: videtur ipſi, ac ſi ſemen eructare vellet; & tum primum in urethra, abhinc circa crurum commiſſuras, ad lumbos uſque & ad utriuſque renis regionem, & deni-

denique ad ſpinam dorſi protenſum quendam obtuſi doloris ſenſum percipit. Hic ſenſus non prius remittit, quam donec inſequentibus diebus largiorem aſſumſerit cibum: quod ſi vero à cœna abſtinuerit, ſequitur ſub ſomno ſatis copioſa ſeminis excretio, & tunc ab omni fere immunis eſt dolore. Reducto pronuper præputio in medio glandis obſervatum fuit tuberculum, nummi minimi magnitudine, cœruleum inſtar vaſculi intumefacti; & externa cutis ſanguine aliquantulum ſuffuſa videtur cum dolore. Contra hæc mala ante decennium conſultus medicus varia ordinavit medicamina; quæ vero tantum abeſt, ut illa ſublevaverint, ut ea potius exacerbaverint. Neque ideo hactenus de ineundo matrimonio conſilium cepit: de quo vero cum jam cogitare incipiat, Tuum prius, Vir Illuſtris, de exſtirpando hocce malo flagitat conſilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

Utrumque morbi genus, quo ægrotus ſolicitatur, & cujus cauſſa conſultus ſum, primum habet fundamentum in generis nervoſi debilitate, qua præſertim ventriculus, inteſtina, partes genitales, veſica ac ureteres, tanquam nervoſæ ac valde ſenſibiles partes, ad ſubeundos motus irregulares ſpaſmodicos admodum ſunt proclivia. Exinde autem vero eſt ſimillimum, ægrum à teneris, & forſitan per hæreditatem, admodum ſenſibili ac tenera corporis conſtitutione fuiſſe præditum: cui cum acceſſerint animi commotiones, vita ſedentaria, & remediorum purgantium ac calidiorum crebrior uſus; non mirum, ſi recenſitæ, aliæque nervoſæ partes inſigniter debilitatæ, ac ad ſpaſmodicas ſtricturas proritatæ fuerint. Huc denique haud parum contribuit nimis frequens ſeminis emiſſio; & chyli minus laudabilis generatio, quæ deſtructo ventriculi tono in acceptis ferenda eſt. Et ex hiſce etiam cauſſis omnia propullulant ſymptomata, nimirum ventriculi debilitas, atque preſſio; cibos largiores vel pingues excipiens, tormina inteſtinorum, capitis languor, & minor ad ſtudia promtitudo, frigus extremorum, maxime pedum, & denique ſpaſmus externarum partium, ipſorumque digitorum. Quod autem partium genitalium, & vicinarum affectum attinet, quo interdum tenſio & dolor in membro virili, ſtranguria, lumborumque atque renum ardor percipitur, cum involuntario ſeminis profluvio: hæc omnia ſymptomata humoribus acribus atque impuris per relaxata affectarum partium vaſa ad eas copioſius compulſis natales ſuos debere, vel ex puſtulis, femora nonnunquam obſidentibus adparet. Ab his ergo malis ut vindicetur æger; operæ erit pretium, ut loco potus ordinarii, decoctum ſanguinem purificans potet; quod tale eſſe poteſt: Recipe radicis chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias tres; ſeminis fœniculi, nitri antimoniati, corticis ligni ſaſſafras ana drachmas tres, herbæ cardui benedicti manipulum unum. M. C. C. D. S. Species, quarum binæ unciæ cum tribus aquæ puræ menſuris per tres horæ quadrantes in vaſe clauſo decoquendæ ſunt. Hoc vero decoctum & frigidum per diem, & mane calidum loco potus Théebois ſorbillari poteſt. Deinceps non ludetur opera, ſi æger quavis veſpera cubitum iturus pedes ad ſuras uſque in pediluvia tepidiora, quæ ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis ſacculo incluſis, floribus chamæmeli, & cinerum clavellatorum uncia circiter dimidia parata ſint, immittat, ac per integram detineat horam: hæc enim & ſpaſmos conſopiunt, & humorum circuitum æquabilem reddunt. Et quo humorum temperetur acrimonia, alvus ac tranſpiratio promoveatur, & internus demulceatur ardor: conſultum erit, quavis veſpera pulveris mei bezoardici drachmam ex allegato aſſumere decocto.

Alterum ſpeciatim malum, atque tuberculum inter glandem & præputium conſpicuum quod attinet: illud pariter ab humorum impuritate proficiſcitur, ac minime multo ac promiſcuo topicorum uſu tractandum eſt; quippe quæ malum ſæpius exacerbare ſolent. Sufficient ipſi ſæpius intra linteola adplicare cataplaſma ex lacte, in cujus menſura una florum ſambuci manipulus, & croci drachma decoquantur, paratum. Quæ remedia per quatuordecim dies uſurpata niſi deſideratam tulerint opem; ulteriorem morbi relationem mihi expecto.

---

## CASUS IV.

### *De ventriculi affectu ſpaſmodico chronico vehementiori.*

VIr generoſus XXVII. annorum temperamenti cholerico-melancholici, à teneris ferme multis in vini ac Tabaci abuſu exceſſibus, & excandeſcentiæ nimium indulgens, per tres jam annos variis obnoxius fuit ægritudinibus: quas dum multis quidem, omnibus autem tumultuariis oppugnavit curationibus, priſtinam nondum recuperare valuit ſanitatem. Quare ante quatriduum circiter denuo malo ſuo infeſtatus, meum quoque flagitavit conſilium. Accedens ægrum moleſta cardialgia cum dolore lancinante & tenſivo, à cordis ſcrobiculo ad mammam uſque & ſcapulam ſiniſtram pergente, & difficili ſpiratione ſolicitari deprehendi: pulſus erat æqualis, quandoque intermittens; urina tenuis ac citrina. Datis protinus carminativis atque nervinis remiſit equidem paroxyſmus; ſed circa mediam noctem iterum recruduit. Obſidebat nimirum preſſionis ſenſus regionem ſplenis; quem protinus ſequebatur motus ſpaſmodicus circa cordis ſcrobiculum & mammam ſiniſtram, qui ad laryngem extenſus ſpirationem impediebat: tum quoque oculi caligine obducebantur, cum mentis alienatione, & tinnitu auris ſiniſtræ, & quod notatu dignum eſt, per totum paroxyſmum penis rigebat erectus. Quare ego malum à cruditatibus pituitoſo-acidis, in primis viis hærentibus ortum fuiſſe ratus, propinavi abſorbentia, cum ſtomachicis ac nervinis mixta: ex quibus æger tertio poſt die convaluit. Quum autem reſtitutus ille firmiter perſuaſum ſibi habet, ſemet apoplexiæ aut catarrhi ſuffocativi ſpecie laboraſſe; nec ullis à ſua ſententia deflecti poteſt rationibus: ſequentes proponendas duxi quæſtiones, quas ut benevole reſolvas, eſt quod vehementer rogo. Primum enim doceri aveo, anne hic affectus potius fuerit hypochondriacus, quam inſultus apoplecticus, aut catarrhus ſuffocativus? 2. numne funditus exſtirpari poſſit, quibuſve hunc ſcopum aſſequi liceat remediis? 3. utrum ſit impoſſibile, tales acceſſiones à cruditatibus pituitoſis acidiſque primarum viarum ſuboriri? 4. anne ad obtinendam valetudinem neceſſarium ſit, pertinacem obſervare victum? & num 5. denique eorum ſententiæ ſubſcribi queat, qui malum à phthyſi, aut plane faſcino derivare voluerunt?

Con-

*Conſultatio.*

Acceptis tuis litteris, in quibus adverſam valetudinem viri cujuſdam generoſi deſcripſiſti, & de illa quinque mihi propoſuiſti quæſtiones: omnia bene perluſtravi momenta, & ad primam quæſtionem, morbum illum minime apoplecticum, vel catarrhum ſuffocativum pronunciare poſſum, cum ſigna horum affectuum pathognomonica nullibi recenſita reperiam. Videtur ille potius fuiſſe gravis ventriculi ſpaſmus, nervos octavi potiſſimum paris occupans, & hinc eas partes, quibus illud nervorum par ſurculos impertitur, in ſiniſtro maxime latere in conſenſum rapiens. Quare etiam ſenſus ille preſſionis, quo cum incepit paroxyſmus, minime in ſplene quærendus eſt; quippe quod viſcus ex meris ſanguineis vaſculis conſtat, & ideo ob paucas, quas habet, nerveas atque muſculoſas membranas, minus ſenſibile deprehenditur. Vera potius ſedes ac domicilium veluti morbi in ventriculo latet, qui magis verſus ſiniſtrum hypochondrium ſitus eſt, & ob valde membranaceam ac nerveam ſtructuram inſignem cum nervoſis univerſi corporis partibus fovet communionem. Hinc etiam ſedes hypochondriaci mali, ac ſpaſmodicarum, quæ illud comitantur, paſſionum falſo attribuitur lieni, cum magis in ventriculo hæreat; à cujus flatulenta inflatione plurima hypochondriacorum dependeant ſymptomata. In præſenti autem malo minime inflatio ventriculi, ſed potius gravis illius ſpaſmus ſubeſſe videtur; qui partim ex inſigni ad iracundiam proclivitate, partim potuum ſpirituoſorum abuſu natales ſuos mutuatur.

Quod autem alteram attinet quæſtionem, num morbus ille penitus extirpari queat, & quæ huic ſcopo proſint medicamina? non omnino poſſum, quin curationem hujus mali fore perarduam pronunciem: quoniam ille jam diu duravit, ac in habitum veluti degeneravit; porro à continuis animi commotionibus ſuſtentatur; non minus vires corporis jam inſigniter proſtratæ videntur; unde nec vegetus adpetitus, nec bona digeſtio locum invenire poteſt. Nec denique ſine ratione ſuſpicor atque vereor, ne ſcirrhoſitas atque exulceratio ventriculi, niſi jam actu ſit præſto, tamen certe immineat. Neque tamen ideo prorſus eſt deſperandum, maxime cum ætas adhuc ſit junior; hinc ad inſtituendam rite curationem, ſuadeo, ut ſingulo mane quædam vaſcula hujus infuſi hauriantur: Recipe herbæ baſilici, betonicæ, meliſſæ, veronicæ, ſalviæ, florum chamæmeli vulgaris ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. C. C. D. S. Species *zum Kräuter-Thée.* Deinceps operæ erit pretium, quavis veſpera XX. pilularum antiſpaſmodicarum deglutire, quæ ſic ſe habent: Recipe extracti florum chamomillæ, millefolii, ſalviæ, cardui benedicti, mithridatii ana drachmam unam, croci, pulveris caſtorei ana ſcrupulum unum. M. F. pilulæ ex ſcrupulo uno numero XX. Hiſce ſingulo triduo interponi poteſt uſus pilularum Becheri, quarum ſedecim veſperi, & tum viginti antiſpaſmodicarum circa meridiem ſumendæ ſunt. Neque minus conſultum erit, bis terve quotidie decem vel quindecim pulveris antiſpaſmodici grana ex aqua deſtillata florum chamæmeli aſſumere; cujus hæc eſt compoſitio: Recipe pulveris marchionis, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum ana drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ, nitri depurati ana drachmam ſemis, extracti caſtorei liquidi guttas octo. M. F. pulvis, cujus doſis eſt ſcrupulus unus. Nec levem præſtabit opem liquor meus anodynus mineralis: quibus denique creber pediluviorum, & alvo pigra, clyſterum uſus accedat, neceſſe eſt.

Ut autem ad tertiam quoque reſpondeam quæſtionem; ex ſuperioribus patet, cauſſam mali principalem in vitio ſolidarum potiſſimum partium hærere, & quidem in perverſo motu, ac ſpaſtica conſtrictione ventriculi aliarumque nervearum partium. Neque tamen ideo negari poteſt, quin ſaburra quædam acida, viſcida ac biliosa ventriculi & inteſtini duodeni, ceu cauſſa materialis malum illud foveat atque ſuſtentet. Quando enimcunque periſtalſis ventriculi ac inteſtinorum læſa fuit ac deſtructa; alimenta nec intime ſolvi, nec debita chyli, ſuccorumque utilium ſecretio, nec inutilium expulſio fieri poteſt: hinc omnino reſtant in canale inteſtinorum excrementa inutilia, quæ diuturniori mora majorem contrahunt acrimoniam, & ſpaſmos magis exacerbant.

Juxta quartam porro quæſtionem omnino neceſſe eſt, ut æger, ſi à malo ſuo vindicari cupiat, recto vivendi ordini inſiſtat; maxime omnem ad excandeſcentiam occaſionem ſedulo evitet; potus vinoſos, calidiores atque Tabacum probe fugiat; omne frigus arceat, nec denique cereviſia utatur. Hæc enim hiſce morbis plane non eſt conveniens, & majori fructu ejus in locum decoctum ex raſura cornu cervi cum corticibus citri recentibus; aut juſculum avenaceum cum vitellis ovi ac floribus chamæmeli paratum ſubſtituetur. Et denique vix opus eſt, ut ad quintam reſpondeam quæſtionem: dolendum potius eſt, quod ii morbi, quorum cauſſa cognitu difficilior, & curatio ardua eſt, mox à faſcino deriventur; ſicuti cum affectibus ſpaſmodicis, qui fixam in genere nervoſo obtinuerunt ſedem, vulgo quidem fieri aſſolet.

*Relatio.*

Elapſis tribus menſibus relatum mihi eſt; ægrum adeo ſenſibilem factum eſſe, ut ferme quotidie ira exarſerit, & animi affectibus nimium indulſerit: hinc ipſum incidiſſe in ingentem hypochondrii ſiniſtri dolorem, cum aſſidua nauſea, vomitu, ac præcordiorum anxietate; & denique hectico calore conſumtum periiſſe. Secatum poſthæc corpus ventriculum exhibuit admodum parvum, ejuſque tunicas valde craſſas, induratas, & materia putrida repletas.

---

## CASUS V.

### *De ventriculi ſpaſmo hypochondriaco.*

Vir annos natus triginta quinque, temperamenti ſanguineo-cholerici, à primis juventutis annis ad trigeſimum fere ſæpius & large ſanguinem è naribus fundere ſolitus, cæterum ſanus vixit, niſi quod perpetua ferme laboraverit ſcabie. Olim quoque tertiana infeſtatus febre, omnes medicinas eludente, tandem ope cujuſdam ſacerdotis per ſpecificum, quod hic poſſidebat, convaluit. Scabies vero licet quatuordecim abhinc annis draſticis purgantibus, ſudoriferis, ſcarificatione ac externa inunctione à chirurgo quodam exhibitis repulſa fuerit, quotannis tamen circa autumnum fœdis recruduit puſtulis, & ad vernam uſque inhæſit tempeſtatem. Huic quoque ſæpius acceſ-

acceſſerunt maculæ, inſtar lichenum, quæ moleſto ſtipatæ pruritu dorſum potiſſimum atque manus occuparunt, & ineunte vere inſimul diſparuerunt. Et denique proximis hiſce annis ſpaſmus utriuſque pedis ſupervenit, qui hoſce noctu potiſſimum prehendit, & ad abdomen uſque retraxit. Hic demum anno 1707. menſe Martio in veram mutatus eſt podagram, quæ pedis primum pollicem, mox totam plantam acerbo invaſit dolore, & per quatuor ſæviit menſes. Conſultus ergo chirurgus, præter varia unguenta atque topica extrinſecus admota, ægrum per quatuordecim dies infuſum purgans vinoſum potare juſſit: quod, poſtquam alvo violentius ſubducta, vires ferme proſtraverat, id quidem effecit, ut evanuerit podagra; moleſta vero tenſio, & creber ſubſultus pedum reſtiterunt. Verum enim vero menſe Junio anni 1730. rediit iterum podagra; quæ tamen pertinaci victus obſervatione, ac bono regimine, brevi ceſſavit tempore.

Præter haſce moleſtias per quatuordecim jam annos graviori infeſtatur malo. Dum enim eo tempore inimica ac horrida tempeſtate itinere fungeretur; ex improviſo gravi corripitur pectoris dolore, qui à cordis ſcrobiculo per pectus ad laryngem uſque protenſus, ſpirationem reddit difficilem, ac copioſa ſalivæ ex faucibus excretione ſtipatur. Hæc deinceps moleſtia quotidie mox poſt epulas recidit, & per tres inhæſit horas: quam aliquantulum mitigare potuit æger ſumto ſub paroxyſmo vini adusti hauſtu. Tali ratione per tres hebdomades adflictus, tandem obſervata recta vivendi ratione liberatus, ac per quinque annos ab eo malo immunis fuit. His elapſis illo iterum nonnunquam, licet mitiori infeſtari; & denique proximo biennio, quo primos podagræ inſultus toleravit, atrociori, & fere quotidie ab epulis corripi cœpit. Jungitur etiam inſignis ſalivæ effluxus cum anxio gulæ ſpaſmo; nulla tamen nauſea, nec vomendi conatu ſtipatus; ceſſante vero paroxyſmo, ceſſat quoque ſalivatio, & relinquit tenacem in trachea mucum, quem laborioſo conatu demum exſcreare debet. Tum optime habet ægrotus; appetentia ciborum fruitur integra; cui tamen haud liberalius indulgere debet, niſi atrociori malo adfligi velit. Ipſe cæterum affectus, gravi abdominis flatulentia ſtipatur; quæ illo remittente, protinus etiam remittit. Alvus quoque olim pigra atque ſegnis eſſe ſuevit: jam vero ſub podagræ tortura, rite ſuo fungitur officio. Urina mingitur rubicunda, atque copioſum, mucidum, rubicundum deponit ſedimentum.

Quod attinet ægroti conſtitutionem; ille olim Bacho pariter atque veneri aliquantulum indulſit; humoribus abundat, colore vultus florido gaudet, atque copioſis, exilioribus tamen inſtructus eſt venis. Neque tamen minus à venæ ſectionibus abhorret inſigniter; eamque non niſi ter adminiſtrari curavit: primum nempe duodecim abhinc annis, cum febricula quadam cum vomitu, languore corporis, ac dorſi lancinationibus ſtipata adfligeretur, ex vena inciſa protinus convaluit; deinde hoc anno ad præcavendam podagram bis circa utrumque æquinoctium venam in brachio ſecandam præbuit. Mater illius pertinaci ventriculi ſpaſmo diu laboravit; fratres colicis obnoxii fuerunt doloribus, eorumque alter tanta olim infeſtabatur colica ac alvi obſtructione, ut medici iliacam veriti paſſionem, morbum pro deplorato habuerint. Diætam, quantum poteſt, obſervare annititur exactam; ſæpius autem vi muneris, quod ambit, refrigerationibus ſemet exponere tenetur. Proclivis non minus eſt ad iracundiam; decoctum autem ex radice ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, radice cichorei & ſemine fœniculi confectum, & in locum cereviſiæ, ibidem locorum craſſæ, atque fœculentæ pro potu ordinario commendatum potare recuſavit, cum exinde ventriculum debilitari ac nauſea corripi putet.

Hiſce ergo variis ac diuturnis moleſtiis nullam adhuc congruam æger oppoſuit curationem; maxime cum conſultus brevi abhinc tempore medicus, malum pro deplorato habuerit, illudque non niſi Elixirio quodam ſtomachico, atque trifolio fibrino in forma infuſi theiformis, ſed fruſtra tractaverit. Invaleſcit autem jam affectus, & ſic meum quoque imploratum eſt auxilium. Ponderatis igitur omnibus morbi momentis, eundem & in ſolidis & fluidis hærere partibus putavi, & hanc de ipſo mihi formavi ideam. Ægrum videlicet, matre motibus ſpaſmodicis atque hyſtericis obnoxia natum, & ideo hæreditario quaſi jure admodum ſenſibilem, ac ad violentas partium nervoſarum ſtricturas proclivem, fovere in corpore ſuo humores multis impuris ac ſcorbuticis ſordibus imbutos; & tolerata podagra, & contumaciſſima ſignificat ſcabies. Variæ autem ſunt cauſſæ, quæ generandæ huic dyſcraſiæ viam ſtraverunt. Namque cum olim ſanguinis abundantia per narium hæmorrhagias ventilata, poſt trigeſimum vero annum nec per hæmorrhoides, nec regulares venæ ſectiones depleta fuit: non fieri potuit, quin accumulatis nimium humoribus æquabilis eorum circuitus perturbatus, ac ſalutaris imminuta fuerit tranſpiratio. His cum accederet alvi ſegnities, quid mirum ſi retentæ undique ſordes ſanguineam maſſam admodum inquinaverint; quæ violentorum motuum cauſſæ, ſalutari naturæ conatu partim per cutim atque ſcabiem excretæ, partim ad pedes in podagra depoſitæ fuerunt. Quum igitur ſicuti omnes ſucci vitales, ita & gaſtrica lympha acore quodam ac aciditate laborat: facile patet, cur hæc jejunum ventriculum vellicando, fortiorem excitet adpetitum; illo autem cibis repleto, horum majorem motum fermentativum inducat. Inde dependent obvii ſub paroxyſmo in abdomine flatus, qui ventriculo incarcerati, hunc partim ad ſpaſmodicas ſtricturas proritant, partim nimium diſtendunt. Sic adparet ratio paroxyſmi, ac inflationis ventriculi, quæ ſumtis epulis incidit: hac vero cum & diaphragmatis deſcenſus impeditur, & pulmonum expanſioni remora injicitur; clarum inde fit, cur ſub eo paroxyſmo ſpiratio ſimul ſit anguſta. Unicum autem illud copioſiſſimæ ſputationis ſymptoma haud ſatis mirari poſſum: quamvis enim hypochondriacos plerumque ſputatores eſſe probe ſciam; nullos tamen tanto veluti flumine ſalivam reddere obſervavi. Quare glandulas ſalivales vel ſumma atonia affici; vel inſigni ſpaſmo à ventriculo vi nervorum conſenſus propagato conſtringi, & ideo ſalivam ſummo impetu expelli arbitror. Quæ cum mecum perpendiſſem, ipſum malum antiſpaſmodicis ac nervinis aggreſſus ſum remediis. Mane nimirum poſt exhibitas liquoris mineralis Hoffmanni, cum quinta balſami vitæ parte remixti XL. guttulas, dedi infuſum theiforme ex herba veronicæ, melliſſæ, ſalviæ, ſummitatibus millefolii, floribus chamæmeli vulgaris, ſemine fœniculi & aniſo ſtellato confectum, & quinque vaſculis potandum. Neque minus ſæpius vel ſolum liquorem anodynum, vel cum eſſentia corticum aurantiorum remixtum propinavi; & veſperi exhibui pulverem ex pulvere marchionis, lapidibus cancrorum, cornu cervi ſine igne parato, antimonio diaphoretico,

retico, nitro depurato, cinnabari nativa, & extracto caſtorei concinnatum: atque ſubinde pediluvia, quæ habebant aquam puram, flores chamæmeli ac furfures triticeos, commendavi tepidiora. Ut porro primas vias à ſordibus repurgarem crudis ac corruptis, ſingulo octiduo veſperi dedi pilulas balſamicas, in *Med. conſult. Tom. II. pag.* 80. deſcriptas, hiſque poſtridie adjunxi drachmam unam cum dimidia ſalis Sedlicenſis.

Hiſce ſubſidiis cum primum pertinax hic affectus mitigari videretur, ac ſæpius per aliquot dies remitteret: attamen ſemper rediit vehementior. Quamobrem flagitamus Illuſtris Hoffmanni conſilium, ac doceri avemus, 1. anne hoc malum funditus exſtirpari queat? 2. num curationi obtinendæ magis proſint thermæ & acidulæ, quam pharmaca? & 3. quænam præſidia poſt potum thermarum in uſum ſint vocanda?

### *Conſultatio.*

Poſtquam communicatum mecum caſum animo probe volutavi; ægrum atroci ventriculi ſpaſmo hypochondriaco, ſumtis potiſſimum epulis cum magna præcordiorum anxietate, ructibus moleſtis, ac copioſiſſima ſputatione invadente laborare deprehendi. Hunc primam originem ex inſigni nervoſi generis imbecillitate traxiſſe, extra omne poſitum eſt dubium; quam non tantum ex hæreditaria diſpoſitione, verum etiam inordinato victu, exceſſu in potibus, venere, animi affectibus, corporis refrigeratione, ſcabiei, podagræ & febris incongrua curatione, atque remediis repellentibus æque ac purgantibus ſibimet contraxit. Hiſce enim cauſſis non ſolum maſſa ſanguinis ac lymphæ corrupta, multiſque ſcorbuticis impuritatibus imbuta eſt; ſed eadem humorum acrimonia, nervoſis ventriculi ac inteſtinorum partibus incumbens, illas vellicavit, & ad ſpaſmodicas proritavit conſtrictiones. Inde vero labefactata eſt ciborum digeſtio, alvus obſtructa, & flatuum excretioni obex poſitus; qui ad ſuperiora inteſtina atque ventriculum regurgitantes, malum exacerbarunt. Et his denique omnibus majus augmentum addidit intermiſſa, ob ægroti abhorreſcentiam venæ ſectio: qua humorum abundantia, olim per narium hæmorrhagias imminuta, plus invaluit & accumulata eſt. In tali vero rerum ſtatu, cum tota ferme œconomia vitalis videatur perturbata, perarduum omnino eſt, malum funditus exſtirpare. Quæ adhuc reſtaret ſalutis ſpes, præter pertinacem victus obſervationem, omnis in congruo thermarum Carolinarum uſu ſita eſt; quibus in allevandis hiſce morbis nihil deprehenditur præſtantius. Quum autem præſens autumnale tempus huic curationi minus eſt opportunum: conſultum erit, convenientibus medicinis corpus ad illam, ſequenti vere inſtituendam rite præparare. Cui ſcopo obtinendo, eo jam omnes intendere oportet nervos, ut ventriculo ſuum reſtituetur robur, digeſtio promoveatur, humorum acrimonia attemperetur, & per alvum blande educatur. Hinc operæ erit pretium, ſub epulis pariter ac hora veſpertina quinta, XL. guttas ſequentis Elixirii ex aqua vino permixta aſſumere: Recipe eſſentiæ gentianæ rubræ, pimpinellæ albæ, corticum aurantiorum, caſcarillæ, corticis chinæ, liquoris anodyni mineralis ana unciam dimidiam, olei de cedro, macis ana guttas X. M. D. Alvi libertati conſervandæ perquam opportunas commendo pilulas balſamicas aut meas, aut Stahlianas, ab ægroto cubitum ituro numero XI. cum lapidibus cancrorum & nitro devorandas. Mane potare conveniet infuſum theiforme ex herba veronicæ, ſummitatibus millefolii, floribus chamæmeli vulgaris, papaveris rhœados, ac ſemine fœniculi compoſitum. Præterea à pedibus præcipue atque ventriculo omne arcere oportet frigus: quo fine ventriculus ſacculis calidis foveri, aut ſequenti linimento nonnunquam inungi poteſt: Recipe aquæ Anhaltinæ uncias duas, eſſentiæ nuciſtæ drachmas duas, balſami peruviani drachmam, camphoræ grana duodecim, olei lavendulæ guttas xx. M. D. Neque minus crebris utendum eſt pediluviis; & foret optandum, ſi his revocari poſſet podagra. His vero ſi acceſſerit exacta diæta, & potus loco adhibitum fuerit vinum Moſellanum atque ſecundaria cereviſia: de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS VI.

### *De uſu Carolinarum & Tœplicenſium in affectu ventriculi ſpaſtico inflativo.*

Ex miſſis ad me litteris, quibus eleganter deſcripta perſonæ ſereniſſimæ ægritudo, & quæſtio: num ipſi tollendæ Carolinarum internus, & Tœplicenſium aquarum externus uſus futurus ſit proficuus? propoſita fuit; facile intelligo, omnia, quibus male habetur, ſymptomata, veluti ſunt pectoris compreſſio, hypochondriorum tenſio, æſtus volaticus, ac totius corporis languor, non niſi tenſivæ & ſpaſmodicæ ventriculi inflationi natales ſuos debere. Inde enim fit, ut partim diaphragmatis motus ac libera ſpiratio impediatur; partim ſucci vitales ad caput atque pectus, maxime ſumtis epulis copioſius compellantur. Quod ſivero dictæ ventriculi inflationis originem perquiram: illam non tantum cruditatibus primarum viarum acidis atque viſcidis, ex mala diæta ſubortis; verum etiam difficiliori ſanguinis per hepatis viſcus tranſitui deberi, vero eſt ſimillimum. Hinc enim venæ ventriculi, ob impeditum cruoris regreſſum, hoc admodum infarciuntur; & inde ſpaſmodica orificiorum ventriculi conſtrictio inducitur, ideoque flatus retinentur. Huic vero ſanguinis in hepate ſtagnationi anſam dederunt ſereniſſimæ mulieris vita ſedentaria, ſanguineum temperamentum, & plethorica conſtitutio; quæ ex menſium adhuc continuato fluore eluceſcit; qui tamen vi legum naturæ ac ætatis jam ceſſare deberet.

Quod igitur Carolinarum thermarum uſum attinet: illum hiſce ægritudinibus omnino admodum opportunum judico. Hæ enim aquæ copioſum non ſolum alcalinum, verum etiam neutrum ſal, atque terram alcalinam leniter martialem fovent; & ideo præclara virtute humores tenaces ac viſcidos reſolvendi, acidos attemperandi, eoſque vi ſalis medii per alvum eliminandi pollent, atque hinc alvum octies vel decies, ſine ulla virium proſtratione, ſed potius cum ventriculi roboratione ac adpetitus excitatione movere ſolent. Sedecim jam vicibus frequentavi hoſce fontes, eorumque maxime in hypochondriacis, cachecticis, ac viſcerum infarctu laborantibus egregiam ac fere divinam deprehendi efficaciam: quare etiam illorum virtutem in præſenti ægrota fore ſpero præſtantiſſimam. Eo magis hoc polliceri poſſum, cum mihi jam conſtet exemplum principis cujuſdam ſereniſſimi, ſenſibiliſſimi atque tenerrimi, qui ex inordinata diæta tantam inciderat ventriculi inflationem, ut hyemali potiſſimum tempore mox à prandio inſigni

ſigni præcordiorum compreſſione, ſpirandi anguſtia, & totius corporis languore correptus lectum petere debuerit; in quo probe calefactus & ſudore perfuſus poſt tres quatuorve horas, ab eo paroxyſmo liberabatur: poſtquam autem thermis Carolinis ter fuerat uſus, ab hac moleſta ægritudine penitus fuit reſtitutus.

Harum ergo mineralium aquarum uſum valdopere commendo; qui, ut eo felicius cedat, ſequenti ratione inſtituendus erit. Primum enim neceſſe eſt, ut ſereniſſima mulier, quæ licet menſtruo adhuc gaudeat fluore, tamen ob ſedentariam vitam, copioſiori ſanguine turgere videtur, mox ſanguinem ex vena in pede tuſa ſibi detrahi curet: eodemque præſertim tempore corpus probe moveat, tempeſtatem frigidam ac auſteriorem fugiat, cibos incongruos evitet, ſimulque ſtomachicis utatur medicinis. Quod ſi vero ſanguine nimium turſerit, ac capacioribus vaſis inſtructa fuerit: operæ erit pretium, accedente vere triduo circiter ante diſceſſum ad thermas, ſanguinem denuo, & quatuor duntaxat unciarum pondere detrahere. Sic enim præcaventur humorum ebullitiones; quæ ſub itinere plethoricis contingere ſolent; & ipſarum thermarum, imminuta plethora, longa felicior erit operatio. Deinceps ſimul ac pertigerit ſereniſſima ægra ad thermas illas; per aliquot dies ab uſu earum abſtinere debet; & tum aquas molares in uſum vocare. Hæ enim ſunt ſubtiliores, quam ordinarii fontes, quos *den Brudel* vocant; hinc facilius minima corporis vaſcula transgrediuntur, nec torporem inducunt, nec tumorem pedum. Quare ad ipſum fontem per infundibulum lagænis lapideis, quales vehendis acidulis Egranis vel Tonſtadienſibus inſerviunt, excipiendæ ſunt, ne ſpirituoſum earum principium evaporet: & tum in aquas fontis ordinarii immittendæ, ut iterum incaleſcant. Earum aquarum XII. circiter vaſculis curæ initium fieri poteſt, & ſucceſſive ad XX. aſcendere licet: ita tamen, ut, ſi alvus quinquies vel ſexies ſubducatur, ea aquarum doſis ſit ſufficiens, in eaque ſubſiſti debeat. Tali ratione aggredienda & tribus intervallis abſolvenda erit curatio: adeo ut ante illam ſumantur veſperi undecim pilularum balſamicarum, ad meam, vel Stahlii, vel Becheri methodum paratarum, & poſtridie inchoëtur potus aquarum, in quarum primo vaſculo uncia dimidia ſalis Anglicani, aut Sedlicenſis capienda eſt. Tum per ſeptem dies protracto thermarum potu, biduo illis erit ſuperſedendum; deinceps ſumtis iterum pilulis, per ſex dies aquæ bibendæ; & denique poſt intervallum duarum dierum, deglutitis denuo pilulis, ultima vice per quinque dies potationi earum thermarum inhærendum erit.

Quod autem externum Carolinarum in balneis uſum attinet; de eo, cum ſereniſſimæ perſonæ conſtitutio ac partium ſolidarum conditio mihi haud adeo innotuerit, nihil certum adfirmare poſſum. Quorum enim nervoſum genus admodum ſenſibile eſt, & partes internæ nerveæ atque membranaceæ ad ſpaſmodicas conſtrictiones pronæ; iis nocent hæc balnea: contra vero corporibus ſpongioſis, vaſis exilioribus præditis, & ad pedum intumeſcentiam proclivibus, ingens pollicentur emolumentum. Quamobrem deſcendendum ſemel in illa ſuadeo: & ſi profecerint, inhærendum uſui eorum: quod ſi vero minus reſponderint votis; præſtantiſſimam virtutem in confortando corpore, illiuſque imbecillitate ſublevanda præſtabunt temperata balnea Tœplicenſia, per novem dies adhibita; ſi & ante, & poſt, & inter eorum uſum aquæ Sedlicenſes fuerint potæ.

Nihil cæterum de victus ratione, ſub potatione Carolinarum inſtituenda addam; quippe quæ in ultimo capite partis tertiæ ſcriptorum meorum diætæticorum fuſius eſt explicata. Id tantum adhuc monendum duxi, ut inter potus cereviſia Schnebergenſis, & vinum Rhenanum vetus, generoſumque ſeligantur; cœna ſit parcior; & denique veſperi nunquam ultra nonam horam in libero aëre verſetur ſereniſſima, ne exinde ſalutaris prohibeatur tranſpiratio. Porro vero neceſſe eſt, ut abſoluta curatione reſtitantes in abdomine ſordes aquoſæ eliminentur; quo ſcopo vehementiora purgantia minime inſerviunt, quæ majus plerumque pariunt incommodum. Præſtantiſſimam potius operam manna exſeret, quæ ſaburram primarum viarum uberrime educet, neque tamen inteſtinorum tonum deſtruet. Uſurpari nimirum poterit in hacce formula: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari drachmam unam & ſemis, rhabarbari Alexandrini drachmam dimidiam: coque & ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis ſex, colaturæ adde olei de Cedro italici guttas tres. M. D. S. potio laxans mane aſſumenda. Nec denique ignorari oportet, ſub ipſo aquarum potu ventriculo confortando egregie convenire eſſentias ſtomachicas; vel ante, vel poſt epulas XL. vel L. guttulis ſumendas; qualis ex eſſentia gentianæ ſaturata, centaurii minoris, corticum aurantiorum recentium, tinctura tartari, & quibuſdam olei de cedro guttulis parari poteſt. Et hæc ſunt, quæ circa propoſitam quæſtionem, & in ſalutem ſereniſſimæ ægrotantis reſpondenda duxi: quæ ſummus languorum noſtrorum medicus reddat ſalutaria, ex animo precor.

Nunciatum abhinc eſt, mulierem ſereniſſimam, menſe Majo ad fontes Carolinos profectam, iiſque & interne & externe rite uſam fuiſſe: unde etiam exoptatiſſimam reportavit valetudinem.

---

## CASUS VII.

*De ventriculi inflatione cardialgica cum hemicrania.*

Triginta & novem annos nata generoſa mulier, temperaturæ melancholicæ, habitus corporis carnoſi, ſtaturæ mediocris, alvo pigræ obnoxia, poſtquam per aliquot annos menſium imminuto ac in ordinato fluore, nec non cœcis interdum laboravit hæmorrhoidibus: paſſa quoque hoc tempore eſt hypochondriacas atque ſcorbuticas affectiones. Maxime circa quodvis æquinoctium ingruere ſueverunt obtuſi dolores, ſiniſtrum primum occupantes, & ex hoc ad dextrum excurrentes hypochondrium: quibus tuſſicula quædam ſicca, nullum tamen ſpirationi adferens impedimentum; horror ac ſubſequens æſtus, oris ſiccitas abſque tamen ſiti, crebri ructus, & aſſiduus ardoris, doloriſque in regione oſſis ſacri ſenſus ſæpenumero junguntur. Datis congruis medicinis remiſerunt quidem nonnunquam hæ moleſtiæ; at brevi poſt iterum recruduerunt, & præſertim Januario præſentis anni menſe gravioribus ſtipatæ ſymptomatibus invaſerunt. Accedebant videlicet gravis dextri capitis hemicrania, glandularum colli intumeſcentia, ac ingens dolor ad pectus & ſcapulas uſque protenſus, capitiſque inducens torporem; inſignes pectoris anguſtiæ; acuti circa cordis ſcrobiculum dolores, reſpirationem impedientes, ventriculumque

que inſigniter diſtendentes; vehementes in ſiniſtro hypochondrio ſub coſtis ſpuriis lancinationes; eximius languor, febris vaga ſcorbutica, atque corporis quædam conſumtio. Hæc ipſi hæreditario veluti jure videtur propria; & notabile eſt, ſororem ipſius febre hectica periiſſe. Conſultus ego aſthma hypochondriaco-ſcorbuticum atque convulſivum ſubeſſe ratus, ordinavi remedia antiſpleneticа, carminativa cum nervinis ac martialibus, leniora laxantia, ac venam in ſalvatella ſiniſtri pedis tundi curavi: unde etiam malum aliquale admiſit levamen. Verum enim vero cum ob viſcerum atoniam, vaſorum anguſtiam & exilitatem, humorumque tenacitatem, nondum rite ſuccederent naturales excretiones: accidit, ut menſe Martio malum atrocius rediret, cum vehementiſſimo pungitivo in ſplenis regione dolore, & moleſtiſſimo ventriculi ardore, ad pharyngem uſque propagato. Suſpicabar ergo lienis abſceſſum, & hinc præſtantiſſima propinabam remedia: ſed medio Martii hora ſecunda nocturna præter omnium opinionem incidit ægra in vehementem horrorem, qui pectus duntaxat, abdomen, & femora occupans, reliquas corporis partes reliquit immunes. Hunc exceperunt calor febrilis, imi ventris tormina, & ardor ventriculi, totiuſque gulæ; vires proſternebantur, & ſalſiſſimus ſapor cum dolore adficiebat linguam: tum ſequebantur binæ, eæque copioſiſſimæ alvi dejectiones, urinaque reddebatur tenuis, abſque interni caloris nota. Poſtridie lotium adparebat coctum; ſed alvus per triduum manebat obſtipata: ægra tamen melius habebat, & quotidie hora quinta veſpertina paroxyſmo, per tres circiter horas inhærente corripiebatur. Hinc exhibui potionem purgantem, quæ ſepties alvum movit, & per vomitum eduxit tenacem mucum, ſaporis vitriolacei, dentes obtundentem. Inde excitatus adpetitus fuit, & ægra optime habuit, quin & paroxyſmus, tertio die recurrens, multo levior adparuit. Hunc vero ſequebatur iterum alvi ſegnities, cum flatuum retentione: quare potionem carminativam, antiſpaſmodicam ac abſorbentem haud ſine fructu exhibui. Neque tamen minus malum nondum penitus eſt ſublatum; ſiquidem jam non ſolum hypochondrii ſiniſtri, verum etiam capitis atroces urgent dolores, pectus ſimul in conſenſum trahentes; infeſtant quoque calores interni, anguſtia circa cordis ſcrobiculum, oris ſiccitas; paroxyſmi olim per aliquot dies intermittentes, jam quotidie, licet leviores recurrunt; vires, & carnoſa ſubſtantia magis magiſque conſumuntur; urina mingitur tenuis, pallida, & pituitoſum deponit ſedimentum; alvus, more ipſi conſueto & ferme connato vix omni redditur triduo; flatus retenti, vexant. Interim adpetitus, penitus olim proſtratus, redire aliquantulum videtur; ægra cæterum ad hæmorrhoides cœcas admodum eſt proclivis, & diætæ regulas accurate obſervat, niſi quod deſidi ſine motu vitæ nimium indulgeat.

*Conſilium.*

Duplex eſt, quo generoſa mulier laborat, morbus; nimirum gravis inflatio cardialgica in epigaſtrica regione; & pertinax hemicrania, à priori potiſſimum ſuſtentata malo. Cardialgici doloris ſymptomata ſunt preſſorius ac ardens dolor circa cordis ſcrobiculum, ſub quo dextrum ventriculi orificium ſitum eſt, inflatio ventriculi, ac ſi penitus præcluderetur, ſumma præcordiorum anguſtia, conſtrictio faucium, æſtus volaticus, nauſea, ructus, ſpiratio brevis. Ab hemicrania autem dependent crebri, aſſiduique dolores, qui à capite ad humeros & brachia extenduntur, ſudores faciei gelidi, refrigerationis in capite ſenſus, ſiccitas oris & ſalſus ſapor: quibus demum omnibus adpetitus proſtratio, digeſtionis languor, virium decrementum, urina tenuis, ac alvi obſtructio, tanquam moleſti junguntur comites. At vero primos omnium horum ſymptomatum natales menſium inordinato fluori deberi, extra omne poſitum eſſe credo dubium. Namque dum uterinus cruor parcius evacuatur: ille non ſolum in ipſis uteri venis ſubſiſtit; ſed etiam vi connexionis arctiſſimæ intra inteſtini recti vaſcula ſtagnat. Hinc cœcas producit hæmorrhoides, atque nerveas inteſtini hujus, ac vicinarum regionum partes ad ſpaſmodicas proritat ſtricturas; quibus alvus occluditur, flatuum excretioni obex ponitur, & denique ardoris ſenſatio in oſſe ſacro pariter ac inteſtino recto infertur. Quum ergo & humoribus & flatibus liber per inferiora denegatur exitus; utrique comprimuntur magis ad ſuperiora; & ſic diſtendendo ventriculum ac colon inteſtinum, dolores illos pariunt, quos ægra in ſiniſtro percipit hypochondrio, nec non pectoris compreſſionem, præcordiorum anxietates, ſpirandi difficultatem, & cætera inducunt ſymptomata. Quæ licet ſæpius remiſerint, & jamjam adhibitis congruis remediis leviora videantur; attamen cum adhuc inhæreant, & inde digeſtio labefactetur, chylus minus legitimus generetur, ac denique univerſa humorum maſſa inquinetur; juſtus omnino metus eſt, ne cachectica conſtitutio, & phthyſica exinde ſuboriatur diſpoſitio. Quare ut ab illis vindicetur malis; non opportunius commendare ſcio ſubſidium, quam thermas, quæ in Carolinis ſcaturiunt, molares, ſub exacta victus ratione per quatuor hebdomades adhibendas: quas in revocando menſium fluxu, crebra experientia deprehendi præſtantiſſimas. Ut autem ad hanc curationem corpus ipſi reddatur opportunum: neceſſe eſt, ut præter rectum vivendi genus, ea quoque in uſum vocentur ſubſidia, quæ nervoſum genus, maxime ventriculum corroborent, ciborum digeſtionem promoveant, ac ſalutarium excretionum adjuvent ſucceſſum. Quo fine operæ erit pretium, protinus ex vena in pede tuſa ſeptem cruoris detrahere uncias; veſperi crebris pediluviis, ex aqua fluviatili & furfuribus tritici paratis uti; ac alvum ſegnem clyſteribus domeſticis, ex juſculo avenaceo, cumino, oleo chamæmeli, ſale ac melle confectis ſæpius moliri. Inter pharmaca commendo, ut bis vel ter quotidie, præſertim mane ac veſperi vaſculum, quo potus Theé ſorbillari ſolet, ſequenti potione plenum hauriatur: Recipe decocti ſcorzoneræ, cornu cervi ana menſuram, aquæ menthæ criſpæ menſuram dimidiam, pulveris marchionis, lapidum cancrorum ana drachmas duas, nitri depurati drachmam, liquoris anodyni mineralis unciam dimidiam. M. D. Sopiendis porro capitis doloribus conveniet cucupha, ſequenti ratione paranda: Recipe radicis iridos florentinæ unciam, ſtoracis calamitæ, benzoes, ſuccini præparati, caryophyllorum aromaticorum ana drachmas duas, florum lavendulæ, roſarum, chamomillæ romanæ ana pugillos quatuor. M. F. pulvis ad cucupham. Præterea loco potus ordinarii, cum inſigni fructu adhiberi poterit decoctum ſequens: Recipe radicis ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, radicis chinæ, ſcorzoneræ, liquiritiæ ana uncias duas, cichorei, ſeminis fœniculi ana unciam. C. C. D. S. Species, quarum

binæ

binæ unciæ in tribus aquæ menſuris decoquendæ ſunt. Inter diætam denique proderunt juſcula cum radice cichorei, ſpinachia, acetoſa, chærefolio, aſparago, naſturtio &c. decocta, ſæpiuſque adhibita. Quibus ſi morem geſſerit generoſa mulier; de felici curationis eventu nullus dubito.

*Relatio.*

Brevi poſt relatum mihi eſt, ægram ſumtis, quas commendavi, medicinis inſigne ſymptomatum ſuorum percepiſſe levamen, & per integrum octiduum optime habuiſſe: his autem elapſis, priſtinas recruduiſſe affectiones. Nimirum ardores, dolores ac compreſſiones in cordis ſcrobiculo ſæpius ipſam invadere, & per dimidiam, quin integram immaniter tractare horam; his remittentibus tenſivos artuum duntaxat ſuperiorum cruciatus, ſenſationem refrigerationis, capitis torporem, ejuſque in parte potiſſimum dextra atroces dolores ad mediam uſque oſſis humeri regionem protenſos, atque hos ſiniſtrum etiam pectoris latus, cum ſubſequente ventriculi imbecillitate occupantes ſuccedere: & his denique quandam oſſis ſacri ſupervenire atoniam, maxime ſi è ſella ſurgere anniteretur. Quamobrem meam ulterius imploravit opem, atque doceri deſideravit, num præſcriptis medicinis, atque pediluviis diutius inhærere, venam in pede, ante anni quadrantem inciſam, iterum ſecandam præbere deberet, & hiſce ſubſidiis abſque Carolinarum uſu priſtinæ ſanitati reſtitui poſſet?

Ad hæc reſponſum dedi, venam in pede omnino ſecandam, & ſeptem cruoris detrahendas eſſe uncias; & tum continuato medicinarum uſu, & corporis motu probe inſtituto, fore, ut generoſa mulier potui thermarum ſuperſedere poſſit Carolinarum. Præterea ſuaſi, ut commendatæ antea mixturæ, cui loco pulveris marchionis, lapides cancrorum addendos juſſi, quotidie menſura ad minimum dimidia capiatur; & denique ſingula hebdomade undecim mearum balſamicarum pilularum cum drachma dimidia pulveris præcipitantis aſſumantur.

## CASUS VIII.

### *De inflatione ventriculi & duodeni hypochondriaco-ſpaſmodica.*

Perilluſtris vir, LII. annorum, gibboſus, tenerioris, atque tenuioris, ſimulque ſtrictioris corporis habitus, fibris robuſtioribus, nervis vaſiſque capacioribus inſtructi, conſtitutione præditus eſt ſenſibiliſſima, adeo ut vel blandiora laxantia, aliaque remedia ipſum potenter afficiant. Hinc etiam vel leviſſimus morbus aut dolor immaniter eum tractat; naturæ vero beneficio mox ſponte remittit. Inſigni appetentia largas aſſumere ſolet epulas, & æſtivo tempore nimium, jejunus etiam, fructibus indulget refrigerantibus, perſicorum, ceraſorum, fragorum &c. Contra vero parcior eſt humidorum cupiditas; namque mane vix duo potus Caffée vaſcula ſorbillare; ſub epulis unam circiter vini Hungarici, vel Moſellani, vel Burgundiaci, vel Campanienſis menſuram haurire; nec cereviſiæ Rupinenſis ultra duos aſſumere ſuevit hauſtus. Poſt epulas nec corpus movere, nec potus calidiores ſorbere debet: nam priori caſu vomitus incurrit, poſteriori autem præcordiorum anxietates, & flatulentas incidit moleſtias. Hinc potius à prandio ſomno per horam circiter dimidiam, haud ſine fructu utitur. Eodem quoque per noctem ſatis profundo gaudet; niſi forſan pridie aut animo commotus graviter, aut cœna liberaliori uſus fuerit: hanc enim largiorem noctes inſomnes, cum ardente atque tenſivo præcordiorum dolore excipiunt; quas etiam vinum calidius veſperi potum poſt ſe trahit. Hoc porro ſequenti mane ſequitur pulſus arteriarum celerior; qui, nocte tranſacta tranquilla, obſervatur debilior paullo atque tardior. Alvus quotidie ſemel vel etiam bis ſuo fungitur officio, & ſtercora redduntur magis albicantia, quam flava: ac, quod ſingulare eſt naturæ beneficium, ſi ventriculus ſaburra quadam fuerit repletus, ſpontanei cum euphoria ſubſequuntur vomitus. Lotium ſufficienti die pariter ac noctu mingitur quantitate, & plerumque albidum lacteumque deponit ſedimentum: tum enim egregie valet æger; ſed ſpaſmis agitatur internis, ſi urina adparuerit tenuis abſque ſedimento. Contra vero major eſt ad ſudandum difficultas, quæ inde magis augeri videtur, quod pedum calori haud ſatis ſtudeat: adhibitis autem Carolinis non ſolum optime ſe habet, verum etiam facilius ſudat. Nec quoque ad ſanguinis effuſiones, ſive per hæmorrhoides fiant, ſive per nares, inclinat: licet adhuc juvenis crebras narium toleravit hæmorrhagias. Porro abhorret inſigniter & remedia ſapidiora ac fragrantia, & omnia ferme aromata, veluti ſunt cinnamomum, caryophylli, nux moſchata, aniſum, cuminum, zibethum, roſæ &c. ſed poma citrina, aurantiorum, ambram, lavendulam ac rutam bene fert, & præſertim corii illius, ſucco betulæ inuncti, quod vocant *Juchten-leder*, odore veluti recreatur. Lectum conſcendere ſolet, non niſi calefactum, fervidiſſima etiam æſtate; ac exinde haud ſecus, atque ab inunctione ventriculi cum balſamo ſtomachali, oleo rutæ nupto egregium percipit levamen. Sub æſtiva ac calidiori tempeſtate vaſa gerit ſanguine turgida; & ſanguis è vena miſſus, fluidus exiſtit, & floridus: nec denique levem ipſi uſum præſtant balſamica laxantia ex aloë, myrrha, croco, gummi ammoniaco, auro fulminante confecta, & granis duodecim duntaxat exhibita.

Ita conſtitutus vir illuſtriſſimus, per noviſſimum quinquennium ægrotare cœpit. Nimirum ſimul ac largioribus indulſit epulis, corripitur præcordiorum anxietate, flatulentia, tenſivis artuum doloribus, nauſea, atque totius corporis languore: quibus, ſi præſertim cibos pinguiores, piſces marinos, cochleas &c. aſſumſerit, aut dulcia acidaque vina ſimul potaverit, mox à paſtu jungitur inſignis dextri hypochondrii ſub coſtis ſpuriis inflatio, haud ſecus, ac ſi veſica inflata ibidem hæreret: accedunt totius corporis refrigeratio, ſpaſmodicæ omnium membrorum contractiones, rubor vultus &c. quæ tandem ſymptomata, ſi lectum conſcenderit, & totus incaluerit, pulſu celeri, ructibus, vomituque terminantur. Hæ autem paſſiones quemadmodum ex dictis ſolummodo ſuboriuntur cauſſis: ita aliæ adhuc ſunt, quæ quotidie abſoluta digeſtione hora circiter quinta ipſum invadunt, & ad nonam uſque veſpertinam graviter ſolicitant. Tum enim dolore ardente, pungitivo ac inflativo dextri hypochondrii afficitur, quem protinus præcordiorum compreſſiones, faucium conſtrictiones, vultus rubedo, turbatio viſus, ſitis, oris ſiccitas, atque crebra ſputatio excipiunt, & iterum ſublevantur ructuum flatuumque exploſione. Ardoris ſenſatio datis ex aqua frigida cancrorum lapidibus; flatulentæ autem moleſtiæ hauſta aqua vitæ de cedro aliquatenus mitigantur;

gantur*; ſicuti omnibus iſtis ſymptomatibus dorſi frictiones egregie opitulantur, maxime flatus diſcutiendo. Matutino tempore, ſumto potu Coffée, ſæpius ex ventriculo lympham eructat acidiſſimam; quæ vaſe argenteo excepta, illud arodit, viridique imbuit colore: ipſi vero ructus atque vomitus nunquam amaro ſtipantur ſapore.

Hæcce ſymptomata autumnali tempeſtate, præſertim Decembri, Januario ac Februario menſibus, ob parcius tum inſtitutum corporis motum, deprehenduntur atrociora; ac cœnam prorſus interdicunt. Iiſdem temporibus, ſi frigus ſit nimium, facile in catarrhales pectoris æque ac capitis affectiones, cum crebris vomitibus, & alvi ſegnitie incidit; neque minus interdum chiragrico, aut iſchiadico ex bono regimine mox evaneſcente infeſtatur dolore. Contra vero æſtate, ſi tempeſtas calidior, ac crebrius corporis exercitium fuerit inſtitutum, ſatis bene habere obſervatur.

Quod ſi porro Vir Illuſtriſſimus, ſub ſanitatis ſpecie per aliquod tempus gulæ indulſerit liberalius, alvus haud rite reſponderit, inſigniter refrigeratus, aut mœrore ac animi affectibus commotus fuerit: præter allegata ſymptomata haud raro ſpaſmis internis, ac convulſivis artuum contractionibus, nec non ſuffocativis veluti affectionibus graviter infeſtatur. Si paſſiones illæ vehementiores, catarrhalibus defluxionibus ſtipatæ fuerint, & alvus obſtructa: ſæpius contingit, ut ſaburram ex fuſco nigram, ea quam duo capiunt cochlearia, quantitate, cum ructibus ejiciat. Eadem poſt datum aliquando lene vomitorium, ex unico tartari emetici grano confectum, totius menſuræ quantitate, haud ſine inſigni levamine eructata fuit: quam noviſſimo duntaxat anno, per intervalla excerni deprehenderunt medici, variaſque de illa foverunt opiniones. Quamobrem cum meum quoque de toto morbo judicium deſideravit perilluſtris perſona; illud ſequentibus ſuppeditare haud alienum videtur.

*Judicium & Conſilium.*

Ex præmiſſa hac morbi hiſtoria facile adparere confido, præſentem ægritudinem affectionis ventriculi ſpaſmodico-flatulentæ, aut potius morbi ventriculi & duodeni hypochondriaci nomen omni tueri jure. Ipſam enim hypochondriacam paſſionem primariam in nervoſis ventriculi ac inteſtinorum membranis habere ſedem, & ratione & experientia edoctus credo: quippe quæ partes mox ſpaſmodica diſtentione, mox flatulenta inflatione agitatæ, univerſum nervorum genus, omneſque nerveas totius corporis partes, in perverſorum motuum ſocietatem rapiunt, ac ſic malum illud tam variis ſymptomatibus ſtipatum, atque in eximiam cum aliis morbis complicationem, valde opportunum conſtituunt. Præſertim autem motus ille conſtrictorius ac dilatatorius inteſtinorum, quem Græci vocant periſtalticum, in hoc affectu vitio quodam laborat: qui naturalis & integer ſicuti ciborum digeſtioni, chyloſi ſucci ſequeſtrationi, ac humorum inutilium excretioni egregie inſervit; ita læſus atque deſtructus impedit quoque ciborum concoctionem, humorum utilium ſecretionem, ac noxiorum eliminationem. Hi ergo excrementitii ſucci, in ventriculi cavitate, atque canale, flexuris ac valvulis inteſtinorum hinc inde ſtagnantes, bilis, & aliorum humorum affluxu, ipſaque temporis mora acriores redduntur, & hinc ſpaſmis, ac inflationibus earum partium novam cauſſam ſuppeditant, novumque pabulum.

Quod ſi vero ſtrictius noſtrum affectum conſiderem; illum in flatulenta ventriculi potiſſimum inflatione, ciborum, maxime pinguium largiorem aſſumtionem excipiente conſiſtere deprehendo. Hanc enim non ſolum tumor, ovi magnitudine inſtar veſicæ ſub cordis ſcrobiculo dextrum verſus hypochondrium conſpicuus indicat; verum etiam frequentes ructus, aliquod malo levamen adferentes ſignificant. Neque vero minus inteſtinum duodenum, quod meo quidem arbitrio ventriculus ſuccenturiatus adpellari meretur, relaxatum, flatibuſque diſtenſum eſſe; partim ex doloribus, dorſum verſus extenſis, (hic enim eſt ſitus duodeni) partim ex eorum facta per dorſi frictiones ſolutione colligere licet. His denique cauſſis junctam eſſe ſaburram primarum viarum inſigniter acidam, teſtantur continuus ventriculi ardor, ructus atque vomitus acidiſſimi, argentea arrodentes vaſa, ex qua etiam tardior alvi ſucceſſus, atque ſtercorum albus color ſuos mutuantur natales. Id autem meretur admirationem, quod hujus aciditatis tam uberrimus ſit proventus, & illa nondum attemperari potuerit; licet cancrorum lapides larga copia, eorumque ſæpius tres in una die exhibeantur drachmæ.

Eadem hæcce acida ſaburra cauſſa omnino eſt, cur dictarum partium inflationes cum conjunctis ſymptomatibus à paſtu potiſſimum ſemet exſerant. Illa videlicet cibis concoquendis majorem infert fermentativum motum; quo ſi aſſumta fuerint duriora & crudiora, ex illis acres ac halituoſi generantur vapores, qui conſtrictis ventriculi orificiis, exire neſcii, latera illius expandunt atque diſtendunt. Tali ratione inflatus ventriculus, liberiorem ſepti tranſverſi deſcenſum remoratur, & ſic impedit, quo minus pulmones ac organa ſpirationi inſervientia rite queant expandi: hinc ſpiritus trahitur anxius atque difficilis, & vitales ſucci copioſius compelluntur ad caput. Hac quoque violenta ventriculi expanſione, rami illius nervei, à plexu paris octavi & nervi intercoſtalis oriundi ſimul graviter afficiuntur, atque diſtenduntur: qui ſtricturam hancce, vi conſenſus ad reliquas, quæ ab eodem plexu nervos ſuos mutuantur, partes propagando, præcordiorum anxietates, capitis gravitatem, ſomnum turbulentum, alvi ſegnitiem, urinam tenuem, atque moleſtum vomendi progenerant conatum. Et hæ ſunt adfectionum illarum, quibus illuſtriſſimus æger autumnali potiſſimum tempore immaniter tractatur, cauſſæ: quæ etiam veras ſuppeditant indicationes, quibus illæ debellari poſſint. Potiſſimæ illarum ſunt, ut primum nimiam partium nervearum & membranoſarum ſenſibilitatem demulceamus; deinceps fortiorem ventriculi fermentativum motum moderemur, ac aciditatem attemperemus; & denique tonum atque robur ventriculi corroboremus, quo partim cibi concocti celerius expellantur, partim vapores generati in ructuum forma facilius explodantur. Hiſce ſcopis obtinendis, & victus ratio, & congruus remediorum uſus inſerviet. Quod diætam attinet; ante omnia mentis tranquillitati ſtudere oportet. Ad animi enim conſtitutionem, totius corporis, affectarum maxime partium motus ſe habent; adeo ut tranquillo exiſtente animo ciborum concoctio humorumque ſecretiones pariter ac excretiones rite procedant; illum autem turbatum protinus & digeſtionis, & excretionum conſequatur vitium.

Deinceps etiam aër purus atque temperatus in moderandis machinæ animalis motibus ac ſanitate conſervanda, inſignem obtinet virtutem; quem

* admo

admodum ille frigidus, ſiccus, humidus, ventoſus poros corporis occludit, ſalutarem tranſpirationem impedit, majoremque generis nervoſi inducit ſtricturam. Hinc etiam eſt, quod in præſenti caſu auſtera ac frigidior tempeſtas omnia exacerbet ſymptomata atque dolores, alvum reddat pigram, catarrhales affectiones, tuſſim, coryzam, tenſivos ac gravativos artuum dolores, pectoris compreſſionem, ſomnum turbatum, largiorem lotii tenuioris mictionem, producat & exaſperet. Contra vero temperatus calor recludit obſtructos poros, atque membranis nerviſque debitam flexilitatem reſtituit; hinc etiam hypochondriacis tantum infert emolumentum, quantum ipſi ex frigore percipiunt damnum. Quamobrem etiam atque etiam hortor, ut perilluſtris æger omne frigus, maxime à ventriculo & pedibus, quantum fieri poteſt, arceat.

Tum quoque ſomnus, & quies maxime in calefacto lecto ad vires reficiendas, & genus nervoſum roborandum, præſtantiſſimam pollicetur opem: neque tamen minus corporis indulgendum eſt exercitio, tanquam potentiſſimo contra hoſce morbos remedio. Hoc enim velociorem reddit humorum vitalium circulationem, hinc calorem reſtituit & adauget naturalem, atque ſumme neceſſariam promovet tranſpirationem. Optime autem vel matutinis horis ante aſſumtum cibum, vel veſpertino tempore abſoluta digeſtione ſub cœlo ſereno, aut equo, aut rheda inſtituitur.

Poſtea à largiori ciborum, præſertim qui concoctu ſunt difficiliores, aut multis acidis ac fermenteſcibilibus ſcatent principiis, ingeſtione ſummo abſtinere convenit ſtudio. Prioris commatis ſunt piſces marini, lacuſtres, aſelli, cochleæ, conchæ, oſtreæ frixæ, pinguia, ova duriora, protrimenta inteſtinorum bovinorum, fungi, farcimina, carnes fumo induratæ &c. Ad poſteriorem claſſem pertinent fructus recentes, poma, piſa, rapæ, raphani, braſſica muria condita, olera; ſaccharata &c. Neque minus edulia aceto macerata, atque panis large fermentatus nocent.

Inter potus omnia recentia, dulcia, atque fermenteſcentia vina, & omne muſtum ſanitati officiunt: contra vinum Moſellanum, quod alvum ducit, & urinam movet, nec non Hungaricum, quod ventriculum roborat, & nervis amicum eſt, optima ſunt. Cereviſiæ laudem merentur, quæ minus dulces, nec fermenteſcentes ex aqua pura decoquuntur, veluti eſt Moſcavienſis vel Forſtenſis. Aqua fontana levis ac pura, qualis eſt Freyenwaldenſis, pondere menſuræ dimidiæ, æſtivo maxime tempore poſt motum corporis horis meridianis pota egregium inferet emolumentum; hyeme decocta medicata conducent. Infuſum vero Succoladæ pariter ac fabarum Coffée largius potare haud decet; hoc enim ob oleum, quod fovet, vaporoſum nervis eſt inimicum; ſed illud humores inſpiſſat, ac ſtomachum obviſcat.

Nihil denique magis ad ſanitatem conſervandam prodeſt, quam legitimus alvinæ excretionis ſucceſſus; quem & liquidorum ſufficiens aſſumtio, & motus corporis conveniens egregie promovent: quam etiam, ſi minus rite ſucceſſerit, clyſteribus domeſticis ex juſculo avenaceo, melle, vitellis ovorum, oleo amygdalarum atque ſalis tantillo paratis moliri expediet.

Quod ſi porro ad pharmaceuticum, chirurgicumque medendi fontem accedamus; prima omnino ſe nobis offert quæſtio: num in allegatis adfectionibus venæ ſectiones ſint proficuæ? Sanguinis equidem miſſiones, tantum abeſt, ut per ſe, ac directe cruditates primarum viarum evacuent, flatus diſcutiant, ac partium atoniam tollant; ut potius illæ crebrius largiuſque inſtitutæ majorem partium ſolidarum pariant languorem. Verum enim vero, quicunque conſideraverit, illuſtriſſimum virum largiſſimis indulgere epulis; vinis uti calidioribus, parum moveri, imminuta tranſpiratione laborare, hinc inſignem ſuccorum abundantiam ſibimet contrahere, vaſis ſanguine turgidis conſpicuam; non minus ipſum olim cruorem è naribus fudiſſe largiter; jam vero nullis ejuſdem excretionibus, neque hæmorrhoidalibus, quæ ſæpius hypochondriorum ſpaſmos mitigare obſervantur, gaudere; quicunque etiam perpenderit, talem humorum abundantiam vaſculis ſanguiferis nimium dilatandis, circulo eorum per corpus, maxime abdominis viſcera retardando, ac ideo lymphæ in pancreate ac tunica ventriculi villoſa hoſpitantis aciditati generandæ efficaciſſimam præbere occaſionem: is omnino mecum ſtatuet, ipſi ſanguinis miſſionem & circa vernale, & autumnale æquinoctium inſtituendam, fore utique convenientiſſimam. Crebra enim docet experientia, omnes affectiones ſpaſmodicas humorum abundantia inſigniter foveri ac exacerbari; & hac imminuta, circuitum eorum promoveri, ſalutares excretiones expediri, & hinc ipſos illos morbos & mitigari, & à gravioribus ſuffocativis & apoplecticis præcaveri malis.

Vomitoria quod attinet; nec illa ſunt rejicienda: in tali enim caſu, ubi malum ex cruditatibus primarum viarum originem duxit, & ubi ſaburra acida, bilioſa, viſcida in ventriculo, ac ſuperioribus hoſpitatur inteſtinis, præclaram exſerunt virtutem. Eo magis horum providus ac opportunus uſus in noſtro ægrotante commendari meretur: quo magis ille inſigne jam ex illis percepit levamen: quod à purgantibus, quorum vis ad duodenum haud pertingit, minime ſperare licet. Cavendum vero probe eſt, ne nimis crebro eorum uſu, perverſa inducatur conſuetudo, ac motus flatuſque magis ad ſuperiores retrahantur partes. Contra vero purgantia, eaque potentiora majorem omnino minantur noxam; illa enim intactam relinquunt mali, quæ in duodeno eſt, ſedem; ſed potius utiles humiditates è vaſis detrahunt, & motum ventriculi ac inteſtinorum periſtalticum deſtruendo, pertinaces ſæpius poſt ſe trahunt alvi obſtructiones. Præſtat ergo potius blandis laxantibus balſamicis, & clyſteribus emollientibus, alvi promovere lubricitatem.

Alcalina, abſorbentia, lapides cancrorum, conchæ, oſſa ſepiæ, aliaque magni omnino obſervantur uſus; quippe quæ acrimoniam acidam inſigniter attemperant, & in præſenti caſu intra nycthemeron collectim pondere drachmæ unius data, non levem pollicentur fructum. At vero non ſufficiunt ſola, nec impedire poſſunt, quo minus accedente novo liquore acido, temperata jam aciditas, veluti reſuſcitetur iterum: id quod magis confirmatur eo experimento, quo acetum, cujus vis additis cancrorum lapidibus obtuſa fuerat, adfuſo ſpiritu vini priſtinam vim recuperat & aciditatem.

Quod porro attinet acidularum uſum; has inter Pyrmontanas & Egranas, ob graves & minerales, quas fovent, aquas ægrotanti minus ſalutares exiſtimo: magis è re forent Wildungenſes, Tonſtadienſes, ac Freyenwaldenſes, quæ obſtructiones vaſculorum capillarium reſerant, & acidam

dam biliofamque ſaburram eliminant, ſaltem temperant, præſertim ſi earum potationi uſus pilularum balſamicarum interponeretur, ac illæ, ſi frigus ventriculo fuerit infenſum, biberentur tepidiores. His longe præſtantius ſpondent emolumentum thermæ Amaſianæ, vel Carolinæ; quippe quæ ob copioſum, quod continent, alcali, acidam primarum viarum ſaburram potenter infringunt, & per alvum uberrime educunt. At vero cum ponderoſiores vehant aquas, quæ difficilius capitis transgrediuntur vaſa: admodum providum earum eſſe oportet uſum, ac accuratam obſervare diætam; ſaltem in noſtro ægrotante earum potus menſibus æſtivis foret ſaluberrimus, nimirum vel Majo vel Auguſto, ut tali ratione imminentes hyeme potiſſimum paſſiones præſervarentur. Saluberrimæ denique ſunt etiam acidulæ Selteranæ, & minorem quidem alcalini principii quantitatem, quam Carolinæ, leviores tamen aquas poſſident; quarum vi nullam viſceribus minantur noxam, ſed & tabe pulmonum laborantibus cum inſigni fructu exhibentur.

Contra vero opiata, ac theriacalia remedia certiſſimum præſenti malo inferent damnum; ſiquidem promovendas omni ſtudio excretiones ſufflaminant, & vires proſternunt, hinc in ætate tam confirmata cautiſſime uſurpanda ſunt. Interim ſi nimia fuerit tuſſis ſiccæ vehementia, commendarem pilulas de Styrace, granis uno vel duobus cum aliis laxantibus commixtas. Tandem etiam cane pejus & angue fugienda ſunt medicamina calidiora, atque ſpirituoſa; quorſum etiam talia vina haud bene fermentata pertinent: quippe quæ cruditatum acidarum copiam non ſolum adaugent, verum etiam eaſdem intra maſſam humorum magis rapiunt.

Quæ cum ita ſint; ea remedia præſenti malo fore arbitror convenientiſſima, quæ ſaburram acidam attemperandi, viſcidam reſolvendi, chylo blandam ſpirituaſcentiam reſtituendi, alvum blande laxandi, ac primas vias confortandi virtutem obtinent. Hiſce ſcopis egregie ſatisfaciunt amara cum balſamicis, tonicisque combinata: quæ inter divina ferme efficacia ſequentibus debetur pilulis: Recipe extracti cardui benedicti, centaurii minoris, abſynthii ana drachmam ſemis, aloës ſuccotrinæ, extracti rhabarbari, myrrhæ electæ, olibani ana grana quindecim, florum benzoës grana octo, extracti Zedoariæ liquidi, caſtorei, croci ana grana tria, olei de cedro recentis guttas decem, m. f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno no. viginti; quarum duodecim ſingula ſemel hebdomade veſperi ſumtæ, alvum leniter ducent, ſuccos vitales corrigent, ac robur ventriculo, atque inteſtinis reſtituent. Præterea inſignem in flatibus diſcutiendis operam præſtabit ſpiritus ex ſpiritus nitri dulcis uncia dimidia, & ſalis ammoniaci drachma una compoſitus, atque L. circiter guttulis ex aqua ceraſorum nigrorum, balſami peruviani ſyrupo nupta, veſpertino potiſſimum, quo flatus urgent, tempore capiendus. Cui quoque fini pariter, ac ſpaſmis ſopiendis aqua liliorum convallium, haud adeo ſpirituoſa inſerviet. Ex hiſce ſubſidiis haud dubito, quin egregium in ægrum illuſtriſſimum redundaturum ſit emolumentum: quibus ſi acceſſerint parciores epulæ, & congruus vinorum ſelectus, vitando nimirum dulcia atque Gallica, quæ caput turbant, & corpus exſiccant; de feliciſſimo eventu certam foveo ſpem ac opinionem.

*Appendix.*

Commemoratum in ſuperius recenſita morbi deſcriptione fuit, ægrum ſæpius atram è ventriculo eructaſſe ſaburram, eamque præcipue dato vomitorio uberrime reddidiſſe. De hujus indole varias medici foverunt opiniones: quidam enim illam pro atra corruptaque bile, partim diuturniori in inteſtino duodeno mora, partim acrimoniæ acidæ commixtione atro hoc colore imbuta habuerunt; alii ex vomitu cruento derivarunt, & cruorem ex ruptis vaſis brevibus in ventriculum extravaſatum, contentas in eo cruditates hocce colore induiſſe putarunt; alii denique vomitus hæmorrhoidales criticos accuſarunt, & cruorem exitu per venas in anum explicatas privatum, motu retrogrado ad ventriculum compulſum, & inde eructatum crediderunt. Quare meum quoque deſideratum fuit de natura hujus materiæ judicium; quam exploraturus, iſtius à muco & pituita ſeparati eam, quam cochlear capit, quantitatem in argenteo vaſe ad ſiccitatem uſque evaporavi, ſiccam ignis flammæ admovi & in prunas conjeci; quo facto illa concepta protinus flamma, tota deflagravit; nec fœtore quodam, nec odore ſali volatili ſimili nares feriit. Exinde eam neutiquam cruorem coagulatum fuiſſe conjeci; quippe qui combuſtus ſemper refert odorem ſalis volatilis fœtidum. Deinceps eidem ſiccæ materiæ ferventem infudi aquam; quæ exinde obſcuriori paullo colore imbuta fuit, ſed inſipida manſit; tantum abeſt, ut amarulentum vel bilioſum exhibuerit ſaporem. Hinc interrogatus, quidnam eſſet? publice & coram aliter ſentientibus medicis, judicavi, eſſe hanc materiem pingue aliquod coagulum. Haud ita multo poſt, à miniſtris Illuſtriſſimi Viri percepi, ipſum quandoque potum ſuccoladæ aſſumere ſueviſſe. Inde protinus conjeci, dictam ſæpius ſaburram nihil eſſe aliud, quam concretum in ventriculo ſuccoladæ pulverem: notum enim eſt, illam ex fructu pingui, oleoſo, inflammabili parari; talia autem pinguia, terreſtribus nupta ſubjecta facillime ventriculi lateribus adhærere; & ibidem ab accedente aciditate longe magis coagulari, quam ſolvi. In ea denique adhuc magis ſum confirmatus opinione, cum attenderem, hujus materiæ excretionem tum demum ſucceſſiſſe, quando æger catarrhalibus obnoxius defluxionibus, ad compeſcendam tuſſim theriaca cœleſti, aut maſſa pilularum de ſtyrace uſus fuit, & antea potum ſuccoladæ ſorbillavit.

## CASUS IX.

### *De cardialgia ſpaſmodica cum colica flatulenta.*

FOEmina quadraginta novem annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, animi valde ſenſibilis, corporis tenerrimi, ſucci pleni, & admodum plethorici, variis adhuc junior moleſtiis, partim catarrhalibus, partim febrilibus, partim flatulentis ſolicitata, ſed congruis ſemper ab iis vindicata fuit remediis. Neque tamen minus ipſi nondum maritatæ menſes ſtato quidem tempore, ſed parca quantitate fluere ſueverunt; ut ideo bis quotannis venam in pede ſecandam præbere debuerit; idque etiam viro nupta continuaverit. Melius ergo tempore conjugii habet, atque duorum mater facta fuit liberorum. Verum enim vero cum ante biennium ex inopinato mariti obitu diuturno

adficeretur mœrore : incidit exinde non ſolum menſium irregularem excretionem ; verum etiam cruor per venas hæmorrhoidales erupit. Potis igitur contra has moleſtias ante quinque anni quadrantes acidulis Egranis ; protinus ab earum uſu nimiam paſſa eſt uteri hæmorrhagiam ; quæ tamen ſponte ſedata deſiit primum in imminutionem, tandem etiam ipſam ceſſationem lunaris tributi. Haud ſecius autem quandam præ ſe tulit ſanitatis ſpeciem, maxime cum per aliquot annos ter quotannis venæ ſectionem inſtitui curaverit : quam tamen noviſſimo autumnali neglexit æquinoctio.

Quamobrem octo abhinc hebdomadibus ſub alvi depoſitione ardoris doloriſque in inteſtino recto ſenſum, & ſub urinæ miſſione ſtranguriam percepit, neque minus flatulentæ, eæque dolorificæ ſenſationes imum ventrem exercere cœperunt. Adhibitis carminativis, eſſentia caſtorei, corticum aurantiorum, pilulis balſamicis remiſerunt quidem aliquantulum hæc ſymptomata ; non tamen penitus ceſſarunt. Et ante aliquot dies accidit ex improviſo, ut mane ſumto juſculo farinaceo, ſubito inciderit nauſeam, vomendi conatum, vomitum, pectoris compreſſionem, & atrocem in dextro hypochondrio ſub ſpuriis coſtis dolorem, adeo ut ferme ſuffocari videretur. Acceſſit ſubinde preſſorius circa cordis ſcrobiculum ſenſus cum difficultate ſpirandi ; anxii vomitus quidem per intervalla duntaxat recurrebant ; ſed dolor dextri hypochondrii perpetuus inhærebat, adeo ut in eo loco nec leviſſimum contactum ferre potuerit. Idem occupabat etiam umbilicalem regionem ; abdomen flatibus diſtendebatur, cum alvi obſtructione, & aliquali urinæ retentione: his denique veſperi jungebatur æſtus præternaturalis cum levi delirio, & tandem hora octava veſpertina ſequebatur ſymptomatum remiſſio. Poſtridie vero cum alvo nondum reſerata, in victu committeret forſan errorem, veſperi dolor dextri hypochondrii, cum anxio vomendi conatu, aliiſque ſymptomatibus recruduit, & per totam noctem ſæviens, mane laxata alvo remiſit. Fæces primum albæ, inſtar albi græci reddebantur, ſubinde autem naturales adparebant: remanebant quoque corporis languor, ſitis, flatulenti ac tenſivi abdominis dolores ; at datis medicinis omnia brevi tempore evaneſcebant ſymptomata, ac ægra priſtinæ reddebatur ſanitati.

Conſultus medicus, morbum contra aliorum ſententiam pro colica flatulenta, ex tardiori humorum per imum ventrem circuitu ſuborta declaravit ; eique curationem adaptavit ; & adeo pulveribus antiſpaſmodicis, potionibus carminativis, ac anodynis, internis pariter ac externis, atque clyſteribus voto ſuo feliciter potitus eſt. Neque tamen minus veretur ægra, ne recrudeſcat aliquando hæcce colica, ac forſitan gravioribus malis ſtipata recurrat. Quare flagitat tuum, vir illuſtris conſilium, & doceri potiſſimum avet 1. num ipſi vino, cui à teneris adſueta fuit, & quali uti liceat? 2. qualis ipſi præterea conferat potus: à triticeis enim cereviſiis flatulentias, & acrimoniam incidit ; & ab ea, quæ noſtro loco coquitur, dolorem ventriculi preſſorium incurrit ? 3. num futuro vere ſuadendus ipſi ſit aquarum mineralium uſus ? 4. An ſub præſenti frigidiori tempeſtate ob ebullitionem humorum, qua ſolicitatur, ſanguinem è vena detrahere liceat ; anne conſultum ſit, tribus id quotannis repetere vicibus? 5. num denique præſtet, loco carminativarum, atque ſtomachicarum eſſentiarum, elixir viſcerale balſamicum cum menſtruo alcalino ad mentem Hoffmanni paratum adhibere, & nonnunquam pulverem nitroſum cinnabarinum propinare ?

*Conſilium.*

Morbus, quo lectiſſima infeſtatur mulier, meo quidem judicio non alius eſt, quam Cardialgia ſpaſmodica, quæ inferius potiſſimum ventriculi orificium, tanquam veram hujus mali ſedem, & adnexum inteſtinum duodenum occupat, & more doloribus cardialgicis conſueto, cum flatulenta colica ſtipata, flatibus nec per anum, nec pylorum libere exire permittit. Affectum autem revera eſſe pylorum, dolor ingens preſſorius dextri hypochondrii ſub coſtis ſpuriis, ubi pylorus ſitus eſt, & circa cordis ſcrobiculum, cum vomendi conatu, ac præcordiorum anxietate ſtipatus indicat. Debetur enim ille ſpaſmodicæ earum partium ſtricturæ ; quæ per conſenſum viciniis communicata partibus, reliquorum cauſſa fit ſymptomatum. Sic conſtrictum diaphragma ſequitur ſpirandi difficultas cum ſuffocationis metu : & à ſpaſmo-cholidochi ductus dependet fæcum alvinarum albedo. Neque etiam dubito, quin artuum refrigerationes, pulſus durus ac frequens, & gelidus ſudor paroxyſmum ſtipaverint. Omnia autem hæcce ſymptomata, ex humorum vitioſorum, acido bilioſorum in inteſtino duodeno hoſpitantium colluvie ortum traxerunt : cui generandæ difficilis ſuccorum vitalium per ventriculum, inteſtina, meſenterium atque hepar circuitus, fœminis plethoricis, ſanguineiſque, quibus nec menſes fluunt, nec hæmorrhoides, nec venæ ſectio rite inſtituitur, admodum familiaris, permultum contribuit. Quamobrem, cum feliciter ſuperato gravi paroxyſmo, ægra ipſius recurſum verita, conſilium deſiderat, quo præcaveatur illud malum : ante omnia conſulo, ut quam primum illa vires collegerit, venam in pede tundendam præbeat, & ſubinde ter quotannis, Februario videlicet, Junio, ac Septembri menſibus cruoris quinque vel ſex ſibi detrahi curet uncias. Deinceps autem dorſum præcipue atque ventriculum ab acceſſu frigidi, humidique aëris probe munire, cœna parciori uti ; à cibis acidis ac flatulentis abſtinere, & maxime ab animi affectibus probe cavere convenit. Quod vini potum attinet, haud alienum erit, vinum Moſellanum, vel Wertheimenſe, ejuſque ſextam circiter menſuræ partem ſub epulis potare : inter cereviſias autem vitare oportet triticeas, quippe quæ fermentativum ventriculi motum adaugent ; & potius lupulatis uti, maxime ſi cum tertia aquæ puræ parte fermentatæ fuerint. Mane loco potus Coffée vel Thée, infuſum theiforme ex herba cardui benedicti, ſummitatibus millefolii, & ſemine fœniculi confectum ſorbillare expediet. Inter pharmaca omnino ſuadeo, ut quandoque pulvis præcipitans nitroſus, & elixirium viſcerale, ad meam methodum abſque ſpirituoſo menſtruo paratum exhibeantur : & denique futuro vere acidulæ Egranæ, cum tertia lactis parte remixtæ, tepidiores potentur. Quibus ſi rite inhæſerit ægrotans ; ſpero fore, ut ab ulteriori mali inſultu maneat libera.

## CASUS X.

### *De cardialgia ſpaſmodico flatulento hypochondriaca.*

*Cum variis Medicorum Reſponſis.*

Morbi hiſtoria.

Affectio, qua vir quidam generoſiſſimus hactenus laboravit, eſt ventriculi potiſſimum & ſepti tranſverſi ſpaſmus, qui ſequenti ipſum adoritur ratione: Circa cordis ſcrobiculum moleſtam percipit preſſionem, quæ invaleſcens copioſum movet ſudorem, ſpirationis anguſtiam infert, caputque ſimul afficit, adeo ut temulentus veluti & vertiginoſus evadat, & inunctione aquarum ſpirituoſarum demum ad ſe redeat. Præterea flatus abdomen diſtendunt, & tanta ventriculi regionem occupant pertinacia, ut clyſterum infuſionem copioſæ quidem fœces, nulli autem flatus inſequantur: cæterum ſomno fruitur turbulento, adpetitu irregulari, ac ſudoris difficili eruptione. Ipſe paroxyſmus modo vehementiſſimus per binas duntaxat inhæret horas; modo mitior per aliquot dies vexat; & primum longiora habuit intervalla, noviſſime vero intra ſex hebdomadum ſpatium quaſdam quidem ſæpius admiſit remiſſiones, per aliquot dies durantes; ſed obtuſus in ventriculi regione dolor, ac capitis temulentia aſſidue adfligunt.

Ipſe cæterum æger, XLVI. annos natus, obeſus, ſucci plenus, largis indulgere epulis, & ſub illis menſuram vini Gallici aſſumere ſuevit; & fortioribus corporis defatigationibus olim obnoxius fuit. Poſtquam elapſo proxime hyeme, varias res adverſas tulerat, & menſe hujus anni Aprili, in gelidum flumen præceps factus, inde vero totus refrigeratus, veſtibuſque humidis indutus, domum reverſus fuerat: abhinc in moleſtum, quo adhuc laborat, incidit malum. Hoc primum mitius & rarius recurrens, menſe demum Junio, prævia iterum refrigeratione, atrocius & crebrius invaſit: hinc adhibitis balneis Cantianis denuo quidem mitigatum eſt, at poſt errorem in victu, & præſertim potu vini Gallici commiſſum gravius recruduit. Heri noviſſimus fuit paroxyſmus, qui ægrum cubitum iturum largo ſudore, puncturis & anxietate præcordiorum prehendit: quæ ſymptomata ſequuta ſponte alvi dejectione remiſerunt paullulum; at protinus prævio ingenti horrore, totiuſque corporis valido tremore recruduerunt, ac per aliquot horas cum inſigni artuum, maxime pedum refrigeratione inhæſerunt; qua pediluviis ſublata, demum ceſſarunt.

Hæc oppugnaturo mala, hi hactenus fuerunt curationis ſcopi, ut imminuta primum humorum abundantia, eorum motus à ſuperioribus ad inferiores derivarentur partes; deinde lenioribus antiſpaſmodicis ac nervinis, ſpaſmi ventriculi, partiumque vicinarum ſopirentur; ac denique æqualis per hepar, & infimi ventris viſcera ſanguinis promoveretur circuitus. Quibus obtinendis indicationibus uſurpata ſunt hactenus pediluvia, atque venæ ſectiones, hæque jam quatuor vicibus ad novem ſemper uncias repetitæ: adhibiti pulveres antiſpaſmodici ex pulvere epileptico Marchionis, ſpecifico cephalico, conchis, tartaro tartariſato, vitriolato, nitro depurato, cinnabari parati; data infuſa theiformia modo ex radice cichorei, ſummitatibus millefolii, floribus chamæmeli, & ſemine fœniculi, modo ex betonica & ſcolopendria, modo ſolo millefolio compoſita. Pronuper cum violentior eſſet acceſſio: æger per biduum mane in balneum tepidum ex cineribus clavellatis, & ſurfuribus triticeis paratum, adplicato ad ventriculi regionem ſacculo ex herbis emollientibus & diſcutientibus, nerviniſque parietaria, mercuriali, chamomilla, verbaſco, floribus meliloti, ſambuci &c. concinnato, deſcendere, & inſuper pulverem bezoardicum uſurpare debuit: tum iterum biduo ab his abſtinuit, & adhibuit infuſum aperiens, leniter laxans ex radice cichorei, zedoariæ, herba cardui benedicti, centaurii minoris, ſcordii, rhabarbari, ſale epſomenſi cum vino & aqua; veſperique eſſentiam cardui benedicti, centaurii minoris, carminativam Wedelii cum tartari ſpiritu guttis quinquaginta ſumſit: & hæc ita alternata per quinque vel ſex hebdomades in uſum vocavit. Sed varia nihilo minus & inconſtans manſit valetudo. Hinc adhibita alia medendi fuit ratio, & mane ſupra allegatum infuſum, ſub epulis eſſentia ſtomachica, veſperi pulvis antiſpaſmodicus, uſurpata ſunt, neque minus alvus quandoque vel pilulis balſamicis, vel clyſteribus ſoluta. Porro in locum eſſentiæ ſtomachicæ, pulvis ejuſmodi ex radice galangæ, ari, calami aromatici coſti veri, ſeminis leviſtici, ſeſeleos, cubebis & duplo ſacchari paratus, mox à paſtu propinabatur. Ex his per aliquot dies melius quidem habebat; at cum flatus ſubſiſterent, & alvus eſſet obſtructa; ſingulis decem diebus laxans vel ex manna, vel rhabarbaro, vel tartaro tartariſato porrigebatur; & præterea Elixirium ſtomachicum ex extractis amaris, liquore nitri fixi, terræ foliatæ tartari cum vino infuſis quotidie ſub epulis XX dabatur guttulis. Neque minus duranti adhuc obſtructioni clyſteres interdum opponebantur: at vero res eo eſt perducta, ut vel à leniſſimo laxante pariter ac clyſtere tenſiones imi ventris ac flatulentiæ magis invaleſcerent. Quamobrem alimentis lenientibus alvi lubricitati ſuccurrebatur, & mane juſcula hordeaca vel avenacea cum paſſulis majoribus ac minoribus decocta exhibebantur. Cum vero & hæc ſpem fefelliſſent, ad uſum ſeri lactis deſcendebatur; quod primum ventrem ſubduxit egregie, at continuatum nihil amplius effecit; hinc cum cremore tartari paratum, cum ſimplici alternabatur, & ita inſignem præſtabat effectum. Sub hujus uſu æger inter epulas eſſentiam ſtomachicam amaram uſurpare ſuevit; & loco potus ordinarii decoctum ex raſura cornu cervi, radice cichorei, ſcorzoneræ, ſemineque fœniculi paratum, & cum tertia vini Gallici parte remixtum potavit. Mane quoque decoctum ex cichorio, pœonia, angelica, raſura ligni maſtiches, viſci querni, ſemine fœniculi, & lumbricis terreſtribus, ſatis larga quantitate ſorbillare ſoluit. Hæc ſunt, quibus hactenus, ſed fruſtra oppugnatum fuit malum, remedia; quibus adhuc accenſeri meretur eſſentia quædam, quæ tanquam ſecretum ſub nomine *Printzens-Tropffen*, Holmia ipſi tranſmiſſa, non niſi liquorem cornu cervi ſuccinatum continebat, & per aliquot tempus haud ſine fructu uſurpata eſt. Commendavit quoque chirurgus quidam balſamum vitæ ipſius, quod ex oleis deſtillatis concinnatum, vehementem concitavit paroxyſmum, & ideo ſemel duntaxat aſſumtum eſt. Maſticavit porro ſæpius ſemen leviſtici, vel amomi veri, ſed abſque ullo effectu; contra vero bene habuit, ex inunctione affecti hypochondrii, & abdominis cum ſebo bovino factæ, earum-

earumque partium frictione, pannis calidis inſtituta. Neque tandem ignorari oportet, omnia calida ac ſpirituoſa medicamina nullum adferre levamen, ſed malum exacerbare; ut ideo à ſpiritu ſalis ammoniaci, paucis tantummodo guttis inter eſſentiam ſtomachicam aliquando exhibito peſſime habuerit. Cæterum pulſus ipſi fertur durus & celer; & urina redditur rubicunda, cum copioſo ſabuli ſcorbutici ſedimento St. X. Calend. Novembr. 1731.

*Relatio ipſius ægrotantis.*

Ad illuſtrandam pariter ac ulterius continuandam priorem morbi mei relationem, haud potui, quin adderem ſequentia: Cantiana balnea non ſolum in loco eorum natali quater & vigeſies, menſibus anni elapſi Junio ac Julio ingreſſus ſum; verum etiam iiſdem ſubinde aquis, huc vectis, atque cineribus clavellatis & furfuribus tritici permixtis, triginta ſex inſedi vicibus. Venam anno elapſo ter, nimirum menſe Aprili, Auguſto & Octobri ſecandam præbui: & cum poſt pota eo uſque decocta vino Gallico nupta, Decembri menſe forſitan aſſumſiſſem vinum Hungaricum; ſubito, epulis aſſidens, gravi corripiebar paroxyſmo, qui cum præcordiorum conſtrictione, flatulentiis, ac capitis torpore invadens, in gelidum faciei ac extremorum ſudorem deſiit, & poſt inductam artuum externorum refrigerationem, brevi tempore remiſit. Ex quo pariter, ac aliis momentis deprehendi, omnia calidiora & medicamina & potulenta, malum ac ſpaſmos meos inſigniter exacerbare. Præter recenſita autem ſuperius ſymptomata, nova ſunt, quibus præſenti anno ſollicitor. Sentio nimirum per intervalla roſionem quandam in ventriculo ac ſepto tranſverſo, majoremque flatuum ad ſuperiora regurgitationem; qui quidem ſæpius per ructus, nunquam autem per anum exploduntur; &, quod notatu eſt dignum, quamdiu alvus obſtructa tenetur, nullam à flatibus percipio moleſtiam; quæ autem, quam primum alvus ſua gaudet libertate, protinus ſatis ſenſibilis accedit; & ſenſatione pali ab umbilico ad jugulum uſque infixi ſtipatur. Cæterum adpetentia ciborum valde varia, modo integra, modo proſtrata fruor. Mane ſurgens vomendi conatu ac rodente ventriculi ſenſu afficior, qui à juſculis avenaceis aut hordeaceis, binis circiter ante paſtum horis ſorbillatis minime mitigantur; iiſdem autem, vel decocto ordinario ſub prandio ſumtis ſtatim acquieſcunt. Sub epulis ipſis omni ſtudio crudiores ac flatulentos cibos fugio; neque tamen minus iis finitis, ventriculi debilitas, capitis temulentia, corporis languor, flatulentia, pedumque tremores ſuperveniunt. Quod reliquum eſt, diætam obſervo ſtrictiſſimam; ſummopere evito aërem frigidum & inimicum: nihilo ſecius corpus moveo vel intra meum conclave, vel rheda ſub cœlo ſereno vectus. Lectum ingreſſus veſperi, anxio ſæpius perfundor ſudore; ſomno tamen tranquillo fruor: & ſi verum fatear, à cœna, quæ ſemper prandio longe eſt parcior, optime habeo. Unicum, quod tenſionibus abdominis atque flatulentiis adfert, levamen percipio ex unguentis ventriculo illitis, hujuſque per lintea calida fomentatione. Maximam autem crucem mihi figit potus: decoctum enim illud, quod hoc fine hactenus adhibui, ſi nimia aqua permixtum fuerit, magis debilitat ventriculum; ſi autem ex dimidia vini parte conſtet, humorum parit ebullitionem. Hinc per aliquot hebdomades potavi ſerum lactis, quod primum optime mihi conducere videbatur, & alvum movebat egregie, at continuatum nullam jam opem præſtat. Noviſſime ex aliorum experientia commendatæ mihi ſunt pilulæ, ex extractis amaris & incidentibus paratæ; quarum ſingula doſis, granis duobus limaturæ martis permixta, quotidie foret aſſumenda. Illas autem nondum in uſum vocavi; ſed potius menſe currentis anni Februario, venam iterum in pede ſecandam curavi. Denique nec ignorari oportet, me nunquam fluxus hæmorrhoidalis ulla in me obſervaſſe indicia.

*Reſponſum medici.*

Intellexi probe ex medicorum litteris, quæ virum generoſiſſimum premant ægritudines, quamque adeo convenienti medendi ratione hactenus fuerint oppugnatæ; ſed doleo, morbi tantam eſſe vehementiam, ut omnem adhuc remediorum vim eluſerit. Ipſe vero morbus meo quidem arbitrio, extraordinariis, & in conſuetudinem degeneratis, circa regionem venæ portæ potiſſimum ſævientibus ſpaſmodicis motibus abſolvitur, & nihil eſt, niſi conamen hæmorrhoidale; quod eo certius ſuſpicor, cum mihi conſtet, ægrotum adhuc juvenem uberrimum ſæpenumero è naribus fudiſſe cruorem. Licet etiam hancce cauſſam non attenderint medici ordinarii; attamen ſufficit, quod motum ſanguinis verſus ſuperiora tendentem, ſpaſmodicis contractionibus ſtipatum accuſantes, eundem venæ ſectionibus, pediluviis, aliiſque congruis remediis ad inferiora derivare allaboraverint. Præſens autem tempeſtas autumnalis exſtirpando funditus malo minus eſt opportuna: quare etiam à nimio remediorum uſu abſtinere, & præſervantia duntaxat adhibere ſuaderem. Hæc inter commendo infuſum theiforme ex herba & ſummitatibus millefolii, quod egregium eſt antiſpaſmodicum, bis quotidie ſorbillandum; quo etiam fine antemeridianis horis XV. vel XX. guttæ liquoris cornu cervi ſuccinati, bene ſaturati; aut illius cum eſſentia pimpinellæ albæ remixti XXX. vel XL. guttæ ex allegato infuſo aſſumi poſſunt. Non minus egregiam opem præſtabit pulvis antiſpaſmodicus ex conchis præparatis, tartaro vitriolato, nitro depurato, & tantillo cinnabaris præparatæ confectus, ægro cubitum ituro propinandus: quo etiam tempore bis terve ſingula ſeptimana pediluvia ex aqua ſimplici & ſale parata in uſum vocari poſſunt. Et inſigni denique cum fructu loco potus ordinarii decoctum hordeaceum cum raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ & paſſulis minoribus potabitur: quibus ſi mentis tranquillitas acceſſerit, eximium abhinc curatio acquiret augmentum.

*Reſponſum ejuſdem medici ulterius.*

Admodum conſternatus ſum animo, quod vir generoſus, uti ex datis denuo ad me litteris percepi, novis ac gravioribus infeſtatus ſit ſymptomatibus. Neque vero mirum; nam recte judicavit ipſe ægrotans, cauſſam mali nondum penitus eſſe ſublatam. Hæc autem in abundantia potiſſimum, ac ſpiſſitudine humorum, eorumque impeditiori per venam portæ, & viſcera cum hac connexa circuitu reſidet. Quem cum in ordinem redigere conetur natura, variis inſurgit ſpaſmodicis motibus, iiſque humores partim ad ventriculum compellit, teſtante & roſione ejuſdem, & perpetuo ad vomendum conatu; partim ad caput copioſius cogit, unde hujus temulentia, ac crebra faciei phlogoſis ſuboriuntur. At vero quum ſcopo ſuo potiri nequit natura; eo reſpiciendum omnino in curatione

tione eſt, ut mali fundamentum tollatur. Namque quod nulla adſit ad hæmorrhoidalem fluxum proclivitas, ab humorum copioſiori ad ſuperiora raptu derivandum eſt; quo niſi obtineantur narium hæmorrhagiæ; ob perpetuam ventriculi roſionem, & ad vomitus inclinationem metus omnino eſt, ne ipſe tandem inſequatur vomitus cruentus. Quamobrem ſopiendi ſunt erronei naturæ motus; quo fine ſanguinis laudarem miſſiones, proxime poſt elapſum plenilunium inſtituendas, maxime eas, quæ per hirudinum adplicationem ad anum obtinentur: has autem congrua ratione, & ægro ſellæ perforatæ ſuper aqua calidiori inſidenti admoveri oportet. Vid. Stahlii diſſ. de ſanguiſugis. Interponendi ſubinde ſunt ter quotidie pulveres antiſpaſmodici, & per intervalla potio ex mannæ uncia, rhabarbari drachma dimidia, terræ foliatæ tartari ſcrupulo uno, & aquæ florum acaciarum unciis duabus exhibenda eſt. His corpus ad fontis cujuſdam mineralis potationem præparari poterit; quo nomine inter cæteros acidulæ Pyrmontanæ in Pomerania uſurpandæ mihi arrident. Cæterum pertinaci victu utendum ſuadeo, & maxime motui potuique ſtudendum cui decoctum ex hordeo, raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, acetoſæ & graminis paratum, ac vino nuptum optime inſerviet.

D. L.

*Ulterior morbi relatio.*

Mentio jam ſuperius facta eſt de ſero lactis, ab ægroto generoſo noviſſime per ſeptem hebdomades uſurpato. Sub hujus uſu ab omnibus abſtinuit remediis, præter eſſentiam ſtomachicam ex radicibus & herbis amaricantibus inter epulas aſſumtam; & ſequentem mixturam veſperi hauſtam: Recipe aquæ ceraſorum nigrorum, florum tiliæ ana unciam unam, fœniculi, meliſſæ ana unciam unam cum dimidia, zedoariæ cum vino, cinnamomi ana unciam dimidiam, pulveris epileptici Marchionis drachmam dimidiam, cryſtalli montanæ drachmam unam, cinnabaris nativæ drachmam dimidiam, ſyrupi balſamici drachmas duas. M. D. Ex hac enim acrimoniam temperante, flatus diſcutiente, ac ſpaſmos ſopiente melius habere videbatur æger, placidoque fruebatur ſomno. Sub hujus ſeri lactis potu alvus non ſolum regularis, & quotidie ſoluta fuit, verum etiam reliqua aliquantulum ſunt mitigata ſymptomata, maxime ventriculi roſio, pectoris conſtrictio, atque capitis temulentia. Neque minus tenſio, olim ſcrobiculi cordis & hypogaſtricam occupans regionem, magis ad hypochondria extendebatur. Nihilo ſecius ad eliminandam penitus in primis viis hærentem ſaburram; IVto Cal. Aprilis, dato prius ad incidendam illam pulvere ex ſalibus mediis & magneſia parato, veſperi viginti grana pilularum balſamicarum ex gummatibus reſinoſis, & amaricantibus extractis concinnatarum exhibebantur. Has poſtridie excipiebant quatuor ſedes, quarum binæ priores cruoris hæmorrhoidalis ea, quam duo cochlearia capiunt, quantitate erant permixtæ: & cum ad promovendam hancce excretionem, ſpaſmodicaſque ac flatulentas moleſtias mitigandas, pulveris temperantis & antiſpaſmodici ex tartaro vitriolato, nitro antimoniato, & ſolutione oculorum cancrorum parati quindecim grana ſingulis ſex horis exhiberentur; eadem veſpera tertia quartaque, cruore libera ſequebatur alvi dejectio. Nec ſequentibus diebus ſanguis amplius cum ſtercore reddebatur, nec malum inde mitigabatur; ſed æger magis languidus videbatur; ſiquidem à regione epigaſtrica, & ſecundum tractum muſculorum abdominis rectorum ad hypogaſtricam uſque, veluti palum infixum, cum imi ventris murmuribus, ac tenſivis doloribus percipiebat. Hinc ab omnibus ferme remediis & ipſo lactis ſero abſtinebat, nihilque uſurpabat, niſi eſſentiam ſub epulis ſtomachicam, veſperi mixturam temperantem, & pro ordinario potu decoctum conſuetum vinoſum. Cæterum nec ignorari oportet, ægrum ſub mali ſui exacerbatione, moleſtiam quandam in pharynge percipere, ac ſi palus ipſi eſſet infixus: quæ difficili, non vero penitus ſublata deglutitione, atque aëris veluti quadam ibidem ſubſiſtentia, ac quodam ſonitu ſtipata, ſymptoma videtur eſſe, quod conſtrictioni tunicæ œſophagi muſculoſæ, per conſenſum factæ in acceptis ferendum eſt. Quæ cum ita ſint, doceri potiſſimum geſtit ægrotans, 1. an ipſi conferant Selteranæ acidulæ, anne potius præſtent Pyrmontanæ cum lacte potæ: aut num juxta D. F. ſententiam ex hiſce paullo gravioribus aquis diſpoſitio ad cachexiam metuenda ſit? 2. an recenſitæ ſuperius pilulæ cum limatura martis tuto, & quo ordine uſurpari poſſint? & 3. quæ denique ad exſtirpandum funditus malum in uſum vocare liceat?

*Reſponſum alterius medici.*

Ex communicatis mecum morbi hiſtoria, ac variis medicorum judiciis, deprehendi generoſum ægrum paſſione hypochondriaca, cum ſpaſmis ac inflationibus ventriculi potiſſimum ac inteſtini coli conjuncta laborare. Neque etiam miror, acceſſiſſe ipſi hunc morbum, ſi vivendi rationem, cui indulſit, probe conſideravero. Non enim ſolum ciborum duriorum ac concoctu difficiliorum uſu; verum etiam copioſiori potuum cereviſiariorum, atque vinoſorum ingeſtione, concoctionis negotium turbavit, fibroſaſque ventriculi ac inteſtinorum tunicas nimis debilitavit, ut jamjam in concoquendis cibis, & expellendis ſordibus flatibuſque ſuo haud amplius rite fungi poſſint officio. Inde vero impuri humores ad maſſam ſanguineam rapiuntur, hujuſque æqualis circulatio impeditur: quo tandem fit, ut infarctus ac obſtructiones hinc inde in glanduloſis imi ventris viſceribus oboriantur, & exinde omnia recenſita proficiſcantur ſymptomata. Quæ cum ita ſint; facile adparet, totius morbi fundamentum in partium ſolidarum debilitate ſitum eſſe; & ideo primarios curationis ſcopos eo dirigendos, ut debilitatæ partes corroborentur, concoctio & chylificatio promoveantur, & reliquæ ſe & excretiones in naturalem reducantur ordinem: tum enim humorum quoque æqualis reſtituetur circuitus. Hinc etiam à fluxus hæmorrhoidalis provocatione non majus emolumentum polliceri poſſum, quam quod à venæ ſectione expectare licet. Hiſce enim ſanguinis miſſionibus neutiquam cauſſa morbi tollitur; ſed illæ potius copioſiores, partium ſolidarum robur deſtruendo, hiſce morbis generandis magis deprehenduntur opportunæ. Neque vero ſolo remediorum uſu ſublatum iri hocce malum credo; ſed omnem ſalutis ſpem in pertinaci victus obſervatione, animi tranquillitate, ac aëris mutatione ſitam eſſe perſuaſus ſum. Inter pharmaca ad roborandam concoctionem, & confortandum inteſtinorum motum periſtalticum, operæ erit pretium, ſingulo mane tria circiter ſequentis infuſi theiformis vaſcula ſorbillare: Recipe radicum quinque aperientium ana drachmam unam, ſarſaparillæ, chinæ, glyzirrhizæ, ſeminis aniſi ſtellati

ſtellati ana drachmas duas, herbarum betonicæ, meliſſæ, cardui benedicti, ſalviæ ana manipulum unum, tartari vitriolati drachmam unam. M. F. Species. Ante epulas eſſentiam ſtomachicam, cum extractis amaris & vino paratam adhibere, & ad ducendam leniter alvum, ſingulis ternis diebus veſperi duo circiter cultri cuſpides de ſequenti pulvere aperitivo aſſumere oportet: Recipe pulveris ſtomachici Birckmanni, deaſen. mont. terræ foliatæ tartari ana drachmam unam & ſemis, magneſiæ albæ drachmam unam, elæoſacchari fœniculi drachmam dimidiam. M. D. Si fuerint vehementiores ſpaſmi; oppugnandi ſunt pulvere antiſpaſmodico. Cibos inter evitare convenit omnes acidos, pinguiores, muria conditos, ac fumo induratos, lacticinia: & pro potu ordinario retinendum decoctum hactenus uſurpatum, cum vino Gallico, aut Burgundiaco. Omnis enim cereviſia non minus, ac potus Thée atque Coffée fugiendus erit: contra vero omni ſtudio à refrigeratione corporis, maxime pedum, & mentis affectibus cavendum. Quod denique attinet acidularum potationem; illæ quidem in hiſce morbis curandis egregia pollere deprehenduntur virtute: at vero cum in præſenti caſu tonus partium ſolidarum deſtructus eſt; vereor omnino, ne tota ea quantitas aquarum, quæ vulgo potari ſolet, magis adhuc debilitet ventriculum, ac cachexiam plane inducat. Quare commendarem equidem Pyrmontanas; namque Shônhuſanarum nec principia, nec vires mihi innotuerunt: ita tamen ut earum, tertia lactis vaccini parte permixtarum, ſingulo mane octo duntaxat hauriantur vaſcula; & cæterum ſimul eſſentia ſtomachica, ac pulvis mannatus quandoque capiatur. D. F.

*Judicium medici ordinarii.*

Poſtquam deſideravit generoſiſſimus æger, ut ad quæſtionem potiſſimum: an ex hæmorrhoidum fluore mali curatio expectari poſſit, & hunc in finem ano admoveri debeant ſanguiſugæ? mentem meam aperiam: haud potui, quin præmiſſa accurata morbi deſcriptione, meum ſubnectam judicium. Ille nimirum XLVI. annorum, ſpongioſi atque ſucci pleni corporis habitus, venis exilioribus, & florido vultus colore præditus, ab omnibus olim morboſis moleſtiis immunis, octodecim circiter abhinc annis, aſſidua regionis præcordialis roſione laborare cœpit; ab ea vero poſt uſum ſeri lactis mox liberatus fuit. Neque vero hæreditarium ſubeſt malum, nec conformationis vitium, niſi quod cartilago enſiformis; maxime ſi alvus obſtructa, aut flatibus diſtenſum abdomen, aut denique incalefactum fuerit corpus, magis extrorſum prominere deprehendatur. Cæterum corpus ſuum duris belli laboribus, multiſque ſub inimica tempeſtate perfunctis itineribus admodum defatigavit; crebriſque ſubinde victus indulſit erroribus. Variis quoque vulneribus, maxime ſclopetariis, iiſque levioribus duntaxat, & nunquam in corporis cavitatem penetrantibus percuſſus: multis corporis refrigerationibus obnoxius: cibis craſſioribus, maxime piſcibus marinis, uſus fuit; atque cereviſiam valde nutrientem, & vina calidiora, ſæpius ad exceſſum potare ſuevit. Neque tamen calidiores potus, Thée vel Caffée ſorbillare, nec nicotianæ fumum fiſtula ſugere ſoluit: quippe quam ſibi deprehendit inimicam. Somno, ſub præſenti etiam malo, ſatis profundo per octo vel decem horas fruitur; ad quem verſus mediam demum ſe componit noctem. Olim porro alvo quæ jam adſtricta eſt, ſatis libera gaviſus; ac crebris largiſque ſanguinis per nares effluxionibus fuit obnoxius. Quibus ceſſantibus bis quotannis venam ſecandam præbuit, detractis ſemper XVI. quin XX. cruoris unciis. In tali autem rerum ſtatu ſanus vixit cæteroquin, niſi quod ſex abhinc annis febre tertiana intermittente, mox vero per uſum corticis chinæ profligata, eademque iterum ante triennium laboraverit.

Hiſce ex cauſſis non fieri omnino potuit, quin univerſum nervorum genus inſignem debilitatem, & ad ſpaſmodicos motus proclivitatem obtinuerit. Poſtquam etiam annuo abhinc, & quod excurrit, tempore multos & ſpaſmos & flatus primarum viarum toleraverat: accidit, ut dum menſe elapſi anni Februario, ſub tempeſtate gelidiſſima, ſimulque ſerena ad maris littora obambulaſſet, ex improviſo in frigidam inciderit aquam. Inde quidem ope miniſtrorum protinus extractus; ſed inſigniter refrigeratus, & veſtibus madidis adhuc domum reverſus, male habere cœpit. Cum ſubinde acceſſerint vehemens excandeſcentia, diuturnus mœror, ac victus inordinatus: enata ſunt illa ſymptomata, de quibus ſupra & à medicis, & ægro mentio facta fuit. Tum vero hic conſtituit, malum ſuum uſu aquarum Cantianarum oppugnare: quæ nulla principia mineralia, ſed paucam duntaxat ſalis alcali continent quantitatem. Has & interne potavit, & externe in balneorum forma adhibuit: potæ ſubſliterunt primum, & abdomen inſigniter diſtenderunt, donec tandem largiori copia hauſtæ, & ſale Sedlicenſi adjutæ ventrem ſubduxerint. Abſoluto earum uſu melius habere videbatur; at poſtquam vino calidiori nimium indulſerat, omnia ſymptomata magis exacerbabantur. Hinc denique opera medici ordinarii uſus, pertinacem vivendi rationem obſervavit; & adhuc obſervat, niſi quod ſomno nimis diuturno indulgere mihi videatur. Ita effecit, ut jam totum malum longe ſit mitius, ac leviora ſymptomata. Quo vero funditus ab hiſce vindicaretur; exterorum medicorum conſilium flagitavit; quorum alter vitium in cruore ſpiſſo, viſcido, per vaſa venæ portæ difficilius progrediente conſiſtere putavit; & ideo hæmorrhoidalem fluxum non ſolum pro naturæ declaravit beneficio; ſed eodem quoque, ope hirudinum ano admotarum rite provocato, omne malum ſublatum iri aſſeveravit.

At enim vero, pace Clariſſimi viri, illius ſententiæ calculum addere minime poſſum. Namque verum equidem eſt, quod humores vitales ex viſceribus imi ventris, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, ſplene, omento atque pancreate per venam portæ ad hepar revehantur. Illorum autem per hepar circulus, quo tardior in ſtatu naturali vi ſtructuræ mechanicæ exiſtit: eo difficilior in ſtatu præternaturali, maxime malo ſpaſmodico flatulento redditur. Sub hac circulationis difficultate cruor ad recenſita viſcera regurgitat, in iis ſtagnat, eorumque ſenſibiles tunicas ad ſpaſmodicas proritat ſtricturas. In præſenti caſu hancce ſtagnationem in ventriculo potiſſimum, ac inteſtinis contigiſſe; atteſtantur morbi ſymptomata, veluti ſunt aſſidui ructus, vomendi conatus, inflatio abdominis, anxietates præcordiorum, alvi ſegnities, flatuum retentio, & hinc pendentes lancinatorii, tenſivique dolores. Ex iis enim luculenter patet, veram totius mali ſedem in ventriculi ac inteſtinorum ſpaſmodica conſtrictione, & hinc relicta eorundem debilitate, & flatulenta diſtenſione reſidere.

Hiſce

Hiſce vero vitiis, primam occaſionem dedit inopinatus ante annuum tempus in aquam frigidam lapſus: tum enim non ſolum frigus aquæ corpori admiſſum, & per madidas veſtes diutius ſuſtentatum, ſed etiam vehemens terror, procul omni dubio humores à corporis ſuperficie ad interiores, & eas præcipue compulerunt partes, quæ minus valent reſiſtere, veluti ſunt meſenterium, ventriculus, inteſtina &c. Illi igitur in dictis partibus ſtagnantes, & vaſa earum diſtendentes, eas & ad ſpaſmos, & ad flatulentias proclives reddunt: quæ debilitatæ alimentorum concoctionem haud rite perficiunt; hinc cibi in primis viis diutius ſubſiſtunt, mora temporis aceſcunt, corrumpuntur, & in halituoſos denique vapores, novum ſpaſmorum pabulum, reſolvuntur. Accedit & illud, quod æger haud ita multo poſt vehementi exarſerit iracundia, quæ in ventriculum maxime ac ductus bilioſos violentam exſerit vim; & præſertim, ſi victus aut potus ſuperingeratur, uti quidem in præſenti caſu factum eſt, veneni inſtar ſe gerit. Et hæ cauſſæ collectim ſumtæ, eo majorem in noſtro ægrotante ediderunt ſtragem, quo magis nervoſum genus, detracto antea tam copioſiſſima quantitate ex venis cruore, diuturno mœrore, aliiſque cauſſis antecedentibus debilitatum jam fuit: quibus cum denique exceſſus in vini potu acceſſerint, non mirum, ſi malum illud à tot variiſque cauſſis generatum, majora in dies ceperit incrementa.

Quæ cum ita ſint, & principalis morbi cauſſa, in flatulenta ac ſpaſmodica ventriculi & inteſtinorum diſtentione hæreat: facilis exinde reliquorum etiam ſymptomatum reddi poterit ratio. Impedito enim per abdominis viſcera humorum circuitu, inductus inde ſpaſmus non ſolum ad pectus vi conſenſus nervorum redundavit, & illius anxietatem atque compreſſionem peperit; verum etiam ad alias, eaſque externas tranſmigravit partes, & ſic artuum externorum refrigerationes, labiorum tremores, æſtum volaticum, ac reliquas introduxit affectiones. Hinc porro hæmorrhoidalis fluxus ratio patet: namque dum difficilior per venas hæmorrhoidales, ob ſitum earundem perpendicularem, humorum progreſſus, & ad venam portæ, ipſumque hepar reditus ſupponitur; facile adparet, illos in vaſis ſedalibus ſtagnantes, ea adeo diſtendere, ut tandem dehiſcant, cruoremque fundant. Talis autem ſanguinis per ſedis venas receſſus, cum morbi principalis effectus ſit, non niſi ſymptomaticus adpellari meretur: qui, quod morbo levamen, aut plane curationem inferre valeat continuato fluore, nondum perſpicio. Aliter ſe rem habere credo, ſi hæmorrhoidalis evacuatio morbis, qui à ſanguinis mole aucta uniee dependent, ſupervenerit; tum enim remoto cruore abundante reliquus expeditiorem nanciſcitur progreſſum, ſtagnationes ac infarctus humorum diſcutiuntur, & adeo remota ſpaſmorum cauſſa ipſi ſpaſmi ceſſant. Hæc excretio omnino ſalubritatem pollicetur inſignem; & longe diſcrepat à priori ſymptomatica, quæ morboſæ viſcerum conſtitutioni, atque ſæpiſſime paſſioni hypochondriacæ ob allegatas cauſſas ſupervenire ſolet; nullumque infert fructum, ſed potius metum incutit, ne nimia contingat, atque vires proſternat. Quod ſi igitur præſentem conſiderem morbi ſtatum; in eo nec plethoræ vitium deprehendo, quippe quæ ſanguinis miſſionibus quater quotannis repetitis ſatis imminuta videtur; nec ea ſymptomata obſervo, quæ hæmorrhoides à mole ſanguinis excitatas comitari ſolent, veluti ſunt dorſi & lumborum dolores preſſorii atque gravativi, ani teneſmus, venarumque ſedalium intumeſcentia: ſed potius, ſolam ſolidorum labem malum ſuſtentare, probe perſpicio. Quamobrem nulla ſe mihi offert ratio, cur profluvium illud hæmorrhoidale arte, & adplicatione ſanguiſugarum provocare velimus; eo minus, cum adhuc dubium ſit, anne hæc inſecta, externis duntaxat hæmorrhoidibus admota, internarum fluorem promovere valeant. Quamvis vero ex his dictis concludam, fore utique, ut præſentia adhuc inhæreant ſymptomata, licet etiam accedat ſanguinea per anum evacuatio: hancce tamen, ſi forſan ſupervenerit, minime cohibendam, ſed potius, quantum fieri poterit, ad legitimum ſucceſſum eſſe promovendam, omnino ſum perſuaſus.

Cæterum duo præcipue jam ſunt curationis noſtræ ſcopi; quorum alter ſymptomatum mitigationem, alter vero plenariam exſtirpationem reſpiciunt. Priorem nos aſſecuturos ſperamus, ſi ſpaſmos mitigaverimus, flatus diſcuſſerimus, atque primarum viarum acrimoniam, moleſtæ roſionis cauſſam, attemperaverimus: poſteriori nos ſatisfacturos credimus, ſi ordinatis bene venæ ſectionibus humorum incrementum præpediamus, & ſic æqualem ſanguini circuitum reſtituendo, omnium ſecretionum pariter ac excretionum ſucceſſum promoveamus, & totam denique naturam roboremus. His vero ſcopis obtinendis præter pharmaca, rectam vivendi rationem, & acidularum uſum commendamus: quæ noſtra conſilia, ut ſummum numen reddat ſalutaria, ex animo precamur.

D. T.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Affectus præternaturalis, quo generoſiſſimus æger male habetur, nomen Cardialgiæ ſpaſmodico flatulento-hypochondriacæ omni meretur jure. Hæc autem à periſtalſi ventriculi ac inteſtinorum perverſa plane ac perturbata ſuos omnino mutuatur natales. Quando enimcunque inferiora inteſtina, veluti ſunt colon potiſſimum, & ileon, ſpaſmis conſtricta, liberum & excrementis, & flatibus tranſitum denegant: fit inde, ut regurgitantes vapores occupent ventriculi cavitatem, eamque, conſtrictis præſertim orificiis, violenter diſtendant. Cum autem ventriculus, cum capite, pectore, aliiſque noſtri corporis nobilioribus partibus, vi octavi nervorum paris, quod pleriſque partibus ramos impertitur, arctiſſimo gaudeat conſenſu atque communione: non mirandum eſt, illius quoque ſpaſmum ad alias regiones, maxime gulam, pectus, caput, & externas propagari partes; unde anxietatum præcordialium, preſſionis circa cordis ſcrobiculum, ſpirationis difficilis, vertiginis, alvi obſtructæ, ac pulſus, procul omni dubio durioris rationem facile licet aſſequi. Læſo præterea ac deſtructo ventriculi ac inteſtinorum robore, labefactatur etiam digeſtionis ciborum atque chylificationis negotium; hinc excernendæ per alvum ſordes, intra corpus retinentur, nec legitimus chylus, nec laudabiles ſucci generantur; & ideo non tantum debita corpori ſubtrahitur nutritio, verum etiam novum ſpaſmorum, & reliquorum ſymptomatum ſuppeditatur pabulum. Neque vero miror, tam atrox malum noſtrum corripuiſſe ægrotantem; ſi conſideravero, ipſum tot, tamque gravibus obnoxium fuiſſe cauſſis, quarum fere ſingula ad inducendas has ægritudine

tudines ſatis opportuna deprehenditur. Ut enim taceam temperamentum ſanguineum, atque ſenſibilem corporis conſtitutionem; errores diætæ, crebri in potibus ac cibis exceſſus, animi graves commotiones, nimiæ corporis refrigerationes, ſatis omnino efficaces ſunt ad genus nervoſum, maxime membranoſas ventriculi & inteſtinorum partes, inſigniter debilitandum, & ſpaſmodicis ſtricturis afficiendum. Quam arduum autem ſit, quamque difficile, hoſce morbos funditus exſtirpandi negotium, quamque minus commendata hoc ſcopo medicamina ſufficiant; experientia proh! dolor ſatis docemur. Quoſdam medicorum illa ſymptomata ex defectu fluxus hæmorrhoidalis derivare, & ad huncce promovendum curationis ſcopum dirigere; ex reſponſis eorum probe intellexi. Neque etiam negare poſſum, quin haud raro in ſubjectis diſpoſitis fluor ille hæmorrhoidalis ſuppreſſus, aut per diætæ errores cohibitus ad recenſitas calamitates potenter contribuere valeat. Verum enim vero talis diſpoſitio in noſtro ægrotante locum non invenit; & præterea plures ſunt cauſſæ, quæ naturalem inteſtinorum motum periſtalticum deſtruere poſſunt, atque peſſumdare. Et in tali malo hypochondriaco, ab hiſce cauſſis inducto ſæpiſſime contingit, ut impedito per ſpaſmos atque flatulentias humorum per venam portæ circuitu, variæ hinc inde ſtagnationes ſuboriantur, & exinde fluor ſanguineus per ſedales venas ſymptomatice progeneretur. Hinc etiam eſt, quod multi in praxi medica minus verſati, hypochondriacæ paſſionis cauſſam ſemper in profluvii hæmorrhoidalis ſuppreſſione quærant: quali præjudicio D. D. L. imbutus eſſe videtur. Melius arridet mihi ſententia reliquorum medicorum: neque etiam habeo, quæ circa medendi rationem ab iis inſtitutam monere poſſim. At vero ſolis pharmacis impetratum iri ſanitatem, valde dubito: ego potius in hiſce adfectibus, thermis Carolinis per quatuor hebdomades potis, & tum ſubjunctis balneis Tœplicenſibus nihil unquam deprehendi præſtantius. Prius autem, quam hæc curandi via ineatur, corporis præparationi ſtudere oportet. Cui quidem ſcopo præter ſanguinis miſſiones, bis vel ter quotannis inſtituendas, alvi ſolutio egregie inſerviet. Hanc vero acrioribus purgantibus moliri neutiquam convenit; ſed potius præſtabit, bis quavis hebdomade pulverem rhabarbarinum, ex rhabarbari, lapidum cancrorum & cremoris tartari ana dimidia drachma paratum exhibere; qui alvum movet, & primas vias ſubinde roborat. Præterea ſuadeo, ut quavis veſpera Elixirii mei viſceralis, liquori minerali anodyno nupti LX· guttulæ, ex largo aquæ frigidæ hauſtu aſſumantur: & mane quædam vaſcula infuſi theiformis, ſi ventriculus tulerit, cum dimidia parte lactis mixti, ſorbillentur, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, ſalviæ, menthæ ana manipulum unum, ſummitatum millefolii, chamæmeli ana pugillos tres, ſeminis cymini drachmam unam. M. D. Potui ordinario convenientiſſimas judico Selteranas acidulas cum quarta vini parte maritatas; vel decoctum ac juſculum medicatum. Quod reliquum eſt, animi tranquillitati ſtudendum, corpus moderate movendum, ac cæteris victus regulis ſedulo inſiſtendum erit. Et denique; ſi forſan Carolinæ thermæ minus arriſerint ægroto; harum in locum Ægranas acidulas, lacti vaccino nuptas commendo; & fauſtum curationis ſucceſſum apprecor.

Relatum mihi abhinc eſt, generoſiſſimum ægrotantem, adhibitis remediis, quæ commendavi, abſque thermarum uſu, ferme convaluiſſe.

---

## CASUS XI.

### *De inteſtinorum dolore ex ſuccorum ſtagnatione & acrimonia.*

VIr honoratior, annorum octoginta, ſtrictioris corporis habitus, cibos duriores, infumatos, ſalitos ſemper præ mollioribus in delitiis habens, vini quoque modico indulgens potui, ac cæterum ordinato vivendi genere, præter crebros animi affectus, utens, atque per noviſſimos quoſdam annos venam bis quotannis ſecandam præbere ſolitus, nullos unquam, maxime graviores toleraverat morbos, nec ullas ab hæmorrhoidibus, aut calculo perceperat moleſtias. Verum enim vero hoc anno frequentes incidit Colicæ inſultus; qui, nequicquam adhibitis variis remediorum generibus, ſæpius recurrerunt, atque noviſſimis hiſce ſeptimanis ſingula nocte hora circiter ſecunda invaſerunt. Paroxyſmi infuſis clyſteribus, & adplicatis externe ſacculis, interne datis carminativis pariter ac antiſpaſmodicis oppugnabantur; & inde poſt quinque circiter horas ſemper remittebant, adeo ut ſatis bene haberet, bono ciborum adpetitu frueretur, & de nullis amplius conquereretur anxietatibus. Extra paroxyſmum data ſunt laxantia, & diæta exactiſſima obſervata, nec non oleum amygdalarum dulcium propinatum; ſed tantum abfuit, ut inde colicæ recurſus præcaveretur, ut illa potius magis invaleſceret, ac denique cum atrociſſimis doloribus, cardialgiis, ructibus acidis, ac nidoroſis, nonnunquam ipſo vomitu, atque mentis deliquiis ſtipata quotidie rediret. Ante tres circiter dies ſtercora reddebantur, primum ovis putridis, minutim conciſis ſimilia, ac deinde aterrima: qualia adhuc dum excernuntur. Inde quidem judicatum fuit, reſidere forſitan ſaburram acido-nidoroſam in ipſa ventriculi cavitate, cui eliminandæ convenientiſſimum foret vomitorium: ſed hoc propinare, & ætas nimium provecta, & vires admodum proſtratæ prohibuerunt. Sentit æger dolores non tantum circa umbilicalem regionem, verum etiam circa renem dextrum; ut ideo medici nephriticam ſuſpicarentur colicam, eo magis, cum poſt data antinephritica ſabulum in lotio adparuiſſet. Conſultus quidam medicus molimina hæmorrhoidalia ſubeſſe credidit, & illis promovendis remedia ſua accommodavit; ſicuti ex adnexo illius reſponſo patebit: at vero ex venæ ſectione, hirudinum adplicatione, aliiſque ab eo commendatis medicinis atrociores æger percepit dolores. Quamobrem ut ab hoc acerbo vindicetur malo, tuum, Vir Illuſtris, implorat auxilium.

*Copia conſilii medici.*

Colica, quæ virum graviſſimum per integrum jam infeſtavit annum, nullis remediis obſecundans, quæ poſt antinephritica ob dolorem ad renem dextrum extenſum, & hinc præſumtum calculum, exhibita remedia, mictione ſabuli, mox iterum evaneſcente ſtipata fuit, tumque mutato doloris loco circa umbilicalem duntaxat regionem tyrannidem ſuam exercuit, atque noviſſime certis

ſtatiſque

ſtatiſque rediit intervallis, omnino ad moliminum hæmorrhoidalium pertinere videtur cenſum. Quam crebro enim colici dolores à nephritide, maxime in corporibus obeſis, generantur, qui tum plerumque vomitus habent comites: tam frequenter, quin & longe frequentius iidem cum motibus hæmorrhoidalibus complicantur, quamvis non ipſe ſemper accedat cruentus fluor. Interim utriuſque colicæ, ſive nephritidi, ſive hæmorrhoidibus ſuperveniat, eadem eſt curatio: motus enim hæmorrhoidales cum nephritide, maxime quæ nondum eſt calculoſa, malo iſchiadico, vitiis viarum urinariarum, ſæpius in mictum cruentum erumpentibus, doloribus coxendicum lateralibus, gonagra, podagra, crurum eryſipelate, varicibus &c. inſigniter conſpirare, quotidiana ſatis oſtendit experientia. Quamvis autem objici poſſet, ægro noſtro nunquam fluxiſſe hæmorrhoides: attamen eadem ratione prædicari poteſt, illum nullis unquam nephriticis laboraſſe paſſionibus, niſi quæ ante quatuor circiter hebdomades poſt data diuretica obtigerunt. Sabuli autem proventum, atque calculoſas concretiones ſæpiſſime per remedia, quæ vulgo ad calculum exhibentur, maxime ſi jam quædam, vel leviſſima præſto fuerit diſpoſitio, excitari; medicis paululum in praxi verſatis erit notiſſimum. Nimirum in omnibus iſtis humorum ſtagnationibus, quæ decubituum nomine veniunt, ad acquirendam ſolidiorem tam cauſſalem, quam curativam cognitionem, probe attendi meretur inſignis, quæ materiam atque motus intercedit diverſitas. Sic enim ſæpiſſime obſervamus, motus præternaturales, maxime ſi in conſuetudinem degeneraverint, extra omnem cum materia proportionem ſolis animi affectibus concitari. Quod ſi vero noxia materia actu fuerit præſto, deprehendimus primum inanes humorum commotiones expanſorias ſuboriri, quibus nomen ebullitionum imponitur, & plerumque gravativa artuum tenſio atque defatigatio ſupervenit; has excipiunt motus congeſtorii, & humorum reſtrictiones ad certam regionem; & denique ſequuntur contentiones circa illam partem, cum phlogoſi plus minus ſenſibili, aliiſque ſpaſmodicis tenſionibus ſtipatæ. Hæc ſymptomata niſi irritentur, intra paucos dies iterum conquieſcere ſolent: irritata autem magis exacerbantur, & in varios motuum errores commutantur: quemadmodum exempla frequentiſſima comprobant. Quamobrem ſi votis potiri velimus, neceſſe eſt, ut in hiſce caſibus primum humorum conſopiantur ebullitiones; id quod nitro depurato certiſſime obtinebitur. Deinceps lenioribus diſcutientibus atque diapnoicis particulares humorum ſtagnationes reſolvendæ, ac æqualis eorundem circuitus promovendus eſt: cui denique ſcopo diſcutientia circa ipſam partem affectam adplicata egregie inſerviunt. Hæ namque indicationes niſi debito ordine ac juſta ſubordinatione adminiſtrentur; non ſolum iis affectibus nullam ferunt opem, ſed etiam illos exacerbant, & majores commotiones, regurgitationes, inflationes, aut plane ulceroſas introducunt corruptiones.

Quod attinet præſentem caſum; in eo ſtatim ſub initio convenientiſſimi fuiſſent clyſteres, revellendi magis, quam ſtimulandi ſcopo infuſi: qui etiam adhuc dum, ubi ſub crebro inſultuum colicorum recurſu ſtagnationes jam habituales videntur, majorem ſpondent utilitatem, quam laxantia interne propinata. Cavendum autem à carminativis, ſicuti vulgo exhibentur, quæ juſto calidiora majus minantur damnum: multo magis ab opiatis penitus abſtinendum, quæ non tantum motus ſalutares plane pervertunt, ſed etiam lethales ſæpe numero inducunt eventus. Et eo certe majori in ſeligendis aliis quoque remediorum generibus in præſenti caſu opus eſt providentia: quo provectior ægroti eſt ætas. Nec autem alienum fuiſſet, commemoraſſe, an æger jam diu venæ ſectionibus adſueverit? atque quænam potiſſimum cauſa, ſive error vel in diæta, vel affectibus animi primam malo dederit occaſionem? Quicquid ſit; præſtat in noſtro caſu, ubi an nephriticum, an hæmorrhoidale, an aliud ſubſit vitium, adhuc dubium videtur, ea adhibere medicamina, quæ neutri eorum malorum noxia ſunt. Deinceps iterum inculco, probe diſtinguendum eſſe inter motus hæmorrhoidales, & eruptiones actuales; neque minus inter motus nephriticos, & ipſum calculum. Porro ſicuti nemo medicorum motus nephriticos in ipſum calculum commutare laborabit: ita nec licet hæmorrhoidum nondum fluentium eruptionem temere moliri. Quantum enim ſolida motuum hæmorrhoidalium cognitio, ad rationalem eorundem curationem confert emolumentum: tantum ex improvida illorum provocatione redundat incommodum. Quod ſi vero jam facta ſit cruoris hæmorrhoidalis eruptio, & in conſuetudinem degeneraverit: tum illius ſuppreſſio non minora minatur damna, quam quæ calculi revera præſentis improvida commotio ac propulſio ſolet excitare. Hirudinum adplicatio in præſenti caſu non equidem periculoſa eſt; ſed requirit præviam generaliorem humorum evacuationem; quæ ſi prætermittatur, contumacior ad affecta loca metuendus eſt affluxus. Cæterum ſequenti inſiſterem curandi viæ, ut præſente obſtructiore alvi, clyſteres leniter abſtergentes, copioſo ſale imbuti, repetito infunderentur; deinceps in carminativorum locum ter quotidie viginti circiter guttulæ mixturæ ex eſſentiarum pimpinellæ albæ, caſcarillæ ana drachmis duabus, croci drachma dimidia paratæ propinarentur; veſperi XX. grana pulveris ſalini porrigerentur; eique tandem, ſi præſto fuerit febrilis commotio, quinque grana antimonii diaphoretici adderentur. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem ægri, cum voto felicis effectus proponenda duxi.

*Conſultatio.*

Doleo ſane, virum conſultiſſimum tam atroci hactenus laboraſſe inteſtinorum dolore, qui ab umbilico ad dorſum uſque & renum extenſus regionem, omnem remediorum vim eluſit; atque medicos reddidit ancipites, num ipſum ad ſimplices Colicas, aut nephriticas referre debuerint? Non equidem negari poteſt, quin doloribus dorſi atque renum, ſive à cruoris ſtagnatione, ſive ipſo calculo ortum duxerint, maxime in ſucci plenis atque plethoricis corporibus, haud raro ſuperveniant dolores inteſtinorum, qui vulgo colici vocantur, atque vomitibus, ſaltem conatibus ad vomendum ſtipati obſervantur: cum autem in noſtro ægrotante, neque olim ulla diſpoſitio, aut ſignum renalis præſto fuerit calculi; nec præſens malum vomendi cupiditate conjunctum ſit; vero videtur ſimillimum, dolorum, quos tolerat, ſedem in renibus aut ureteribus neutiquam eſſe quærendam. Neque etiam obſtat, quod poſt remediorum calculum pellentium uſum ſabuli facta ſit excretio: namque plus ſimplici vice obſervavi, ſpaſmis hypochondriacis, hyſtericis, cardialgicis, immanibus ventris torminibus, quorum mater fuit menſium in ſubjectis plethoricis retentio;

tio, non ſolum horrendos dorſi dolores, ſtranguriam, ac mingendi difficultatem acceſſiſſe; verum etiam, mitigatis ſpaſmis, mucidum ac rubicundum ſedimentum, & ipſum denique ſabulum cum urina fuiſſe redditum, abſque ulla ad calculum diſpoſitione. Horum vero ſymptomatum ratio in arctiſſimo, quem inteſtina ac tubuli viarum urinariarum nervei, veluti ſunt ureteres, veſica & urethra, mutuo gaudent conſenſu, ſita eſt: vi cujus ureteres ſpaſmis atque doloribus ex impacto ipſis calculo natis affecti, inteſtina quoque in dolorum ſuorum rapiunt ſocietatem; & viciſſim inteſtina ſpaſmis agitata, nerveas quoque viarum urinariarum partes ſuorum tormentorum reddunt participes. Et hinc adparet, quanto opus ſit judicio atque prudentia, ad dijudicandos hoſce adeo complicatos affectus, & ad determinandum, uter eorum ſit idiopathicus, uterque ſymptomaticus? Ejuſmodi vero dolores, quales noſter patitur ægrotus, ſæpius occurrunt in ſenibus, atque humorum ſtagnationi in vaſis meſaraicis & inteſtinalibus, partes inteſtinorum nerveas comprimenti atque diſtendenti debentur. Hinc etiam frequentiſſimi ſunt fœminis ſanguineis, quibus menſtrua ceſſarunt, aut viris ad hæmorrhoidalem fluxum proclivibus, & hujus retentionem paſſis, aut utriſque, ſi ſuetas venæ ſectiones neglexerint. Quare præſtantiſſimum in hiſce morbis remedium ſunt venæ ſectiones, bis vel ter quotannis repetitæ; atque nitroſa diaphoretica, demulcentibus nupta: contra vero nocent ſpirituoſa atque calidiora carminativa. Præterea crebra etiam experientia compertum habui, dolores iſtos inteſtinorum non minus à materia acri, ſcorbutica, nervoſis inteſtinorum partibus incumbente ſæpiſſime ſuos mutuari natales. Hodiernis nimirum temporibus, cum potus calidiores Thée vel Coffée invaluerunt, ſcorbutica ejuſmodi ſaburra, magis volatilis reddita, ſub purpuræ nomine cutim penetrare ſolet: quæ ſi vel minus vegete expellatur, vel improvide repulſa fuerit, obſidet ac vellicat nervoſas inteſtinorum tunicas, & ſic progenerat colicam ſpaſmodicam ac convulſivam, non niſi poſt foras pulſam purpuraceam colluviem conquieſcentem. Quamobrem hoc meum eſt judicium, quod præſentes inteſtinorum dolores non ſolum à congeſtione & decubitu humorum in vaſis inteſtinorum: verum etiam ab acri atque ſcorbutica ſanguinis & ſeri intemperie, ætate provectioribus fere propria, ſint omnino derivandi. Quod ſi enim ſola ſanguinis peccaret quantitas; ſanguinis miſſio per venæ ſectiones, aut hirudines inſtituta procul dubio levamen inferret malo. In præſenti caſu acidulas Egranas, cum una lactis aſinini parte commixtas, & per quinque ſeptimanas potas præ aliis commendarem: quippe quas in doloribus ſpaſmodico-ſcorbuticis deprehendi fructuoſiſſimas; maxime ſi corpus per decoctum mannatum, oleo amygdalarum dulcium nuptum ſæpius purgetur. Non minus è re futura credo balnea aquæ dulcis omni veſpera adhibenda: quibus ſubſidiis uti, ſi vires ægro permiſerint, de felici curationis eventu nullus dubito.

*Relatio.*

Nunciatum mihi ſubinde eſt, ægrum omnibus privatum viribus, & ulteriorem remediorum uſum omnino pertæſum, haud adhibuiſſe commendata à me ſubſidia; ſed ante aliquot hebdomades unum & octaginta annos natum, animam expiraſſe placide.

---

## CASUS XII.

### *De inteſtinorum affectu ſpaſmodico - hæmorrhoidali.*

Poſtquam gravem morbum, quo perilluſtris Comes immaniter tractatur, cum omnibus ſymptomatibus ſedulo mecum perpendi: facile intellexi, illum mereri nomen colicæ hæmorrhoidalis, ex ſanguinis intra tunicas inteſtini coli ſtagnatione ortum ſuum ducentis. Ita enim ſolet fieri, quod humores abundantes, ſi in libero ſuo per viſcera imi ventris, maxime hepatis vaſcula præpediantur circuitu, regurgitent omnino ad partes ramis venoſis à vena portæ inſtructas, & præſertim ad vaſa inteſtini coli, nervoſis admodum præditi tunicis. Tum equidem iter ac exitum ſuum, per orificia venarum, quæ in inteſtinum rectum ſub nomine hæmorrhoidalium internarum explicantur, affectant: hoc autem denegato, magis accumulantur in vaſis recti pariter ac coli inteſtini, ea vehementer diſtendunt, atque tunicas harum canalium admodum ſenſibiles, ad ſpaſmodicas ſtricturas cum acutiſſimis doloribus ſociatas proritant: quæ vi conſenſus ad alias machinæ partes nerveas propagatæ, varia ac moleſtiſſima univerſi corporis progenerant ſymptomata. Hæc in illuſtriſſimo ægro ita contigiſſe, morbi docet hiſtoria: ille enim quadraginta duos annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, vitæ ſedentariæ ob ardua negotia fuit addictiſſimus, profundis meditationibus indulſit, cibos cum magna ſumſit adpetentia, nec venam regulariter tundendam præbere ſuevit. Hinc per aliquot jam annos, menſibus præſertim Martio ac Octobri grave ſuſtinuit ſemper malum. Invaſerunt enim ipſum præcordiorum anxietates, dolores gravativi circa dorſum, & os ſacrum, alvi ſegnities, extremorum refrigerationes, ſenſatio contuſionis in artubus, proclivitas ad vomendum, ſingultuoſa ſepti tranſverſi concuſſio, præternaturalis calor, vertiginoſa capitis perturbatio, cum pulſu celeri, & urina ſaturatiori: quæ vero ſymptomata, evacuato cum fecibus alvinis cruore, longe mitiora fuerunt. Neque enim obſecundarunt remediis à medicis hactenus propinatis; ſed à purgantibus, atque carminativis calidioribus, ab ipſis exhibitis, majora ſumſerunt incrementa, ac graviori humorum ebullitione, anxietate ac cruciatu fuerunt conſtipata.

Inde vero, ſicuti etiam ex quotidiana experientia luculenter patet; hoc morbi genus, quod turbato hæmorrhoidum fluori in acceptis ferendum eſt, licet ſit frequentiſſimum; attamen à pauciſſimis medicorum cognoſci, hinc nec præſervative rite oppugnari. Neque etiam mirum: namque apud plurimos tam veteres, quam recentiores rerum medicarum ſcriptores, vel nulla vel obſcura ſatis hujus morbi injicitur mentio. Meminit equidem HIPPOCRATES *Lib. de intern. affect.* §. 49. ilei cujuſdam hæmatitis: ſub quo, cum Hippocrates pariter ac Galenus per vocem ilei omnes inteſtinorum dolores ſignificent, quidam clariſſimus vir dolorem inteſtinorum, ſive ſanguineam noſtram colicam, intelligi perhibet. Verum enim vero, quicunque hujus morbi ſymptomata, cit. loc. recenſita, ac rationem illis medendi conſideraverit: facile

facile perſpiciet, ileum illum Hippocratis cum noſtro affectu neutiquam eſſe comparandum. Mihi vero, cum medicinam facere inchoarem, ſæpiſſime contigit; ægros, quibus hæmorrhoidalis cruor ſubſtitit, in atrociſſimos inteſtinorum dolores incidiſſe, qui à medicinis calidioribus atque ſpirituoſis exacerbati, ex nitroſis vero refrigerantibus cum caſtoreo mixtis, atque venæ ſectione mitigati fuerunt atque conſopiti; quemadmodum in notis ad Poterium Cap. 26. § 310. fuſius explicavi. Nimirum in iſtis caſibus protinus venam in pede tundi, nonnunquam iterato ſecari juſſi; interne medicamina præcipitantia, nitroſa, liquori meo anodyno minerali nupta; & ad alvum laxandam ſequentem ſummo cum fructu exhibui potionem: Recipe mannæ electæ uncias tres, ſalis Epſomenſis, cremoris tartari ana drachmas duas, coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis ſex, colaturæ adde extracti rhabarbari, nitri purificati ana grana octo, olei de Cedro Italici guttas duas. M. D. Et ano denique clyſteres pure oleoſos, aut eoſdem ex decocto florum chamæmeli vulgaris ſaturato, cum nitri ac ſalis communis portione confectos infundendos curavi. Hanc medendi rationem cum ſæpius, in conventu celebriorum medicorum commendaſſem; mirati illi ſunt primum, venæ ſectionem colicis affectibus opponi; deinceps vero, cum ſpes vota haud fefellerit, illius uſum oculis viderunt, atque comprobarunt, præſertim cum ipſis oſtenderem, hujus methodi jam RIVERIUM *Cent.* 1. *obſ.* 45. & *Cent.* 2. *obſ.* 33. meminiſſe.

At vero jam inſtituti mei ratio exigit, ut proponam, qua potiſſimum ratione atrox hoc malum præcaveri poſſit. Hocce fine procul omni dubio potiremur, ſi legitimum evacuationis hæmorrhoidalis ſucceſſum promovere poſſemus. Sed optandum foret, ut ea nobis ſuppeterent remedia, quæ hunc cruoris per venas ſedelas fluorem, certo effectu, & debito tempore excitare valerent: tum enim efficaciſſimum, ad plurimarum paſſionum, maxime chronicarum præſervationem haberemus præſidium. Cum autem medicamina hoc fine vulgo commendari ſolita, majus plerumque damnum concitare ſueverint: omnis præſervationis ratio in eo conſiſtit, ut imminuta humorum abundantia, eorundem æquabilis per viſcera abdominis, ac præſertim venam portæ reſtituatur circuitus. Quos ut conſequamur ſcopos; operæ erit pretium, ut illuſtriſſimus Comes, ineunte Martio, atque Septembri, quibus potiſſimum menſibus infeſtant ſymptomata, nec non etiam medio Maii, ſub temperata ac ſerena tempeſtate, detrahendas ex vena in pede tuſa, ſeptem vel octo cruoris uncias curet. Deinceps commendo potum thermarum Carolinarum, aut acidularum Egranarum, quotannis menſe Majo cum debito uſurpandarum regimine. Hæ enim aquæ in præſervandis chronicis morbis, omnium pharmacorum vim longiſſime ſuperant: quippe quæ partim ob uberiorem liquidi copiam, partim ſalina, quæ fovent principia, & partim denique ſpirituoſum illarum ingrediens, tonum ac elaterem partium ſolidarum roborant, tenaces atque viſcidos humores reſolvunt, ſpiſſos attenuant, ductus emunctoriorum excretorios recludunt, & hinc ſuccorum vitalium circulationem, maxime ſi balnea interponantur, reddunt æquabilem.

Quod victum attinet; ante omnia corporis motus, vel mane ante prandium, vel abſoluta digeſtione, ambulatione, equitatione vel vectione inſtituendus eſt; ſub epulis nimias carnes, maxime pinguiores, cibos dulces, atque fructus evitare oportet, ac cœna parciori, aut nulla uti. Fugiatur etiam cereviſiæ potus, & ejus loco decoctum ex aqua pura, leviori, cortice ligni ſaſſafras, ſemine fœniculi, & aliqua vini Burgundiaci parte confectum adhibeatur. Porro cubitum iturus æger in pediluvia ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, ſale & cineribus clavellatis parata deſcendat: ut illis humorum motus à ſuperioribus ad inferiores derivetur partes. Namque præterea pedes inſigni cum inteſtinis gaudent communione; adeo ut illis frigido pavimento incedentes, ſæpius in colicos dolores incidere obſerventur: contra vero calor humidus, qualis in pediluviis deprehenditur, fibras tenſas relaxando, internis etiam nervoſis partibus admodum amicus exiſtit. Mane adhuc intra lectum ſex vel octo vaſcula infuſi theiformis ſorbillanda ſuadeo, quod ex herbis diſcutientibus, veluti ſunt ſcordium, veronica, meliſſa, ſalvia, betonica, baſilicum, millefolium, marrubium, ſemen fœniculi, aniſum ſtellatum &c. parari poterit. Neque minus alvi lubricitati maxime ſtudere convenit; cui quidem ſcopo pilulæ balſamicæ noſtræ, vel Stanlianæ, ſingulis octo diebus, veſperi numero quindecim ſumendæ, & altero mane binæ ſalis Anglicani drachmæ ex largo aquæ fontanæ hauſtu ſuperingerendæ, egregie facient ſatis. Hæc enim medicamina, tantum abeſt, ut more cæteris purgantibus conſueto, inteſtinorum tonum deſtruant, ut illum magis corroborent, atque ſaburram acido bilioſam, tunicæ inteſtinorum villoſæ adhærentem blande educant. Denique vero commendo pulverem præcipitantem ex quatuor partibus lapidum cancrorum, una nitri depurati, aliquot olei de Cedro guttulis confectum, & pondere drachmæ unius, & ante prandium, & veſperi ex aqua frigida ſumendum; quippe qui acidas ventriculi ſordes involvendi, bilis acrimoniam attemperandi, & humorum ebullitiones conſopiendi inſignem obtinet virtutem. Quæ ſi rite obſervaverit, ac præterea omnes calidiores ac ſpirituoſas eſſentias ſedulo vitaverit perilluſtris Comes; ſpero utique, fore ut à moleſtis ægritudinibus liberetur.

---

## CASUS XIII.

### *De colico-ſpaſmodicis affectibus ex defectu fluxus hæmorrhoidalis, rite tractandis.*

PErſona quædam ſereniſſima, annorum viginti & octo, temperamenti ſanguinei, robuſtioris corporis conſtitutionis, contra paſſiones, quas nonnunquam toleravit, & quæ partim colica ſpaſmodica, partim melancholia ex hypochondriorum vitio ſuborta fuerunt, meum deſideravit conſilium. Quamobrem ponderatis omnibus morbi momentis; ſingula ſymptomata ex nimia humorum abundantia, quam Medici plethoram vocant, originem traxiſſe deprehendi. Accumulati enim præter naturam ſucci vitales diſtendunt, expanduntque nimium, vaſorum illos vehentium ac propellentium latera, & eorundem tonum atque elaterem debilitant; hinc liberam ac æqualem circulationem ipſa ſua copia remorantur: unde fit, ut hinc inde in vaſculis ſanguiferis, maxime viſcerum imi ventris, veluti ſunt hepar, lien, renes &c. ſtagnantes, eorundem infarctus ac obſtructiones inducant, ac corpus ad affectus ſpleneticos, hypochondriacos, cachecticos & calculoſos diſponant. Quando vero

cunque natura ejuſmodi humorum abundantiam, ſalutari ac critico veluti conamine, per hæmorrhoidalem excretionem imminuit; tum recenſita mala omnia præcaventur: contra vero eo atrocius recrudeſcunt, ſi evacuatio illa ſanguinea haud ſucceſſerit, aut plane cohibeatur. Namque cruor, impedito illius per venas ſedales exitu, reſtagnat in vaſis inteſtinorum inferiorum, maxime coli atque recti, & hinc nerveas eorum tunicas graviter afficit: unde dolores ac tormina inteſtinorum, pertinax alvi obſtructio, refrigerationes extremorum, humorum ebullitiones, præcordiorum anxietates, nauſea, ventriculi inflatio, adpetitus proſtratio ſuboriuntur. Sæpius vero ſpaſmodicæ illæ conſtrictiones vi conſenſus nervorum per univerſum corpus propagantur, & ſic ſuccos vitales majori impetu ad pectoris capitiſque cavitatem propellentes, ſpirandi difficultatem, cordis palpitationem, capitis dolores, vertiginem, pectoris anguſtiam, pavores, inquietudinem, tremorem artuum, aliaque graviora introducunt ſymptomata, quæ omnia, evacuato ſuperfluo ſanguine vel per hæmorrhoides, vel etiam venæ ſectionem protinus remittunt. Et hæc eadem ratione in ſereniſſimo noſtro ægrotante contigiſſe; varia ſunt, quæ atteſtantur, momenta. Ille enim ſanguineo gaudet temperamento, ad ingenerandos copioſos humores admodum opportuno; largis indulget epulis, & has inter cibos nutrientes, boni ſucci aſſumere ſuevit: contra vero vitam amat ſedentariam, ſomnumque diuturniorem, & ſic deficiente corporis ſufficienti motu, nec per inſenſibilem tranſpirationem, nec etiam per ſanguineas evacuationes ex narium aut inteſtini recti venis factas, humorum imminutionem adeptus, ſed illorum majorem nactus fuit quantitatem. Accedit & illud, quod ad annum uſque vigeſimum ætatis ſextum corpus adhuc creverit; cujus augmentum præſtans ad imminuendos ſuperfluos humores fuit ſubſidium. Poſtquam autem vi ætatis incrementum illud corporis ceſſavit, & hinc ſucci fuerunt accumulati: haud fieri potuit, quin uberrimam toleratis paſſionibus dederint occaſionem. Neque vero ignorari oportet, in ſereniſſimo noſtro præter humorum abundantiam, ſaburram quoque primarum viarum, acido-viſcidam, à vitiata ciborum digeſtione generatam, paſſionum ſuarum eſſe cauſſam: quæ eo facilius inducitur, ſi cibi minus maſticati, nimia aviditate devorentur, & deinceps ſalutares excretiones per alvum atque cutim, ingeſtorum moli haud reſpondeant. Tales enim acidæ & viſcidæ cruditates, flatulentias, tenſiones ac preſſiones hypochondriorum, ventriculi ardorem, & gravativum dolorem, ructus, atque etiam febriles excitare ſæpiſſime ſolent commotiones.

Explicatis itaque præſentis mali cauſſis; facillimum jam erit, opportunam illis curationem commendare; quippe quæ in ſublatione cauſſarum unice conſiſtit. Quare primum eſt conſultiſſimum, ut plethora imminuatur, ac illius incrementum præpediatur. Huic ſcopo obtinendo convenientiſſimæ in tam lauta diæta ſunt venæ ſectiones, in brachio, vel pede, ter quotannis, nimirum medio Februarii, initio Maii & Septembris ante autumnale æquinoctium inſtituendæ, detrahendo ſemper ex inciſione paullo capaciori ſex vel octo cruoris uncias. Ipſa operatio ſub tempeſtate amica atque ſerena inſtitui debet; & brevi ante infuſum theiforme ſorbillari, quo humores reddantur fluxiliores. Neque minus eo præſertim tempore omne frigus arcere, atque cibos duntaxat molliores, ac concoctu faciliores comedere oportet.

Deinde vero legitimus hæmorrhoidalis excretionis ſucceſſus eſt promovendus. Obſervamus autem, pleroſque huic evacuationi obnoxios menſe Martio ac Octobri, ſæpius etiam circa inſigniores lunæ mutationes molimina ſentire hæmorrhoidalia, quæ inter potiſſima ſunt gravativus circa dorſum, & os ſacrum dolor, ardor, & tumor ani, corporis totius languor, refrigeratio partium extremarum, ac imi ventris flatulentæ moleſtiæ. Quamobrem eo maxime tempore rectam vivendi rationem obſervare, cibos acidos, dulces, fermentantes, & adſtringentes evitare, à potibus calidioribus abſtinere, & præſertim à corporis refrigeratione, ac animi affectibus probe cavere oportet. Contra vero ante fluxus illius eruptionem ſereniſſimus æger quavis veſpera in pediluvia tepidiora, ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, tantillo ſalis ac cinerum clavellatorum parata, pedes ad ſuras uſque immittat; ſed erumpente ſanguine protinus ab illis abſtineat. Neque etiam minus octo circiter ante erumpentes hæmorrhoides diebus aſſumat veſperi octodecim mearum pilularum, ac mane ſequentis diei drachmam unam ſalis mei aperitivi ex aqua vino nupta capiat; hæcque alternis diebus continuet. Quod ſi vero loco ſinceri fluxus, tubercula dolorifica anum obſederint; huic admovendæ erunt hirudines, poſtquam eidem ope ſellæ perforatæ vapor ex decocto florum chamæmeli cum lacte, per injectionem prunarum candentium calefacto, admiſſus fuit; qui etiam ad provocandum ipſum fluxum egregie conducit. Tandem quoque, ſi circa congruum tempus ipſa diſpoſitio ad cruentum illud profluvium præſto fuerit, nullus autem fluor acceſſerit; operæ erit pretium, ex vena in pede tuſa quatuor circiter cruoris uncias detrahere; unde provocatas ſæpius vidi hæmorrhoides.

Non vero ad ſubtrahendam nimiam ſanguinis molem efficacius eſt ſubſidium, quam accurata diætæ obſervatio. Cujus ratione conſulo, ut ſereniſſimus æger cœna utatur parciori, aut plane nulla; & inter epulas fugiat cibos valde nutrientes, pinguiores, carnoſos, juſcula nutritiva; contra vero veſcatur ſæpius carnibus fumo induratis, obſoniis, atque eduliis aromatiſatis; (*Die von einem hohen* gout *ſind*) hæc enim haud adeo copioſos ſuppeditant ſuccos, & naturales promovent excretiones. Inter potus, qui largius aſſumi debent, fugiendæ ſunt craſſiores ac ſpiſſiores: & ſeligendæ leviores, cereviſiæ, quæ per vias urinarias facile redduntur, qualis eſt noſtra Lœbeginenſis, cujus tres menſuræ ſummo cum fructu quotidie potari poterunt. Vina quod attinet, ea, ſi fuerint calidiora, exotica, aut Hungarica, hyemali duntaxat tempore, magis veſperi & poſt ciborum concoctu difficiliorum ingeſtionem, bibere licet; quoniam ad generandos humores haud ſecus, ac illos commovendos multum valent. Ordinario potui vinum Moſellanum, quod minus acidum exiſtit, & excretiones per alvum & urinam egregie promovet, præ reliquis inſervire poterit. Tum quoque nec nimium ſomno indulgere, nec otio marceſcere convenit; ſed potius corpus, quibuſcumque exercitiis, vectione, equitatione, multa ſermocinatione movere præſtat. Incredibilis enim eſt virtus, quæ motui corporis in præſervandis cujuſcunque generis morbis debetur: quippe quo & circulatio humorum vegetior, &

transp:

tranſpiratio fit expeditior; hac vero & moles ſanguinis imminuitur, & ſordes illius ſalſæ ac acres è corpore proſcribuntur. Neque autem ſumtis epulis, & ventriculo cibis repleto, corpus moveri oportet; ſed potius abſoluta penitus digeſtione vel matutinis, vel veſpertinis horis. Tandem etiam, quæcunque tranſpirationem promovent, in uſum vocanda ſunt; fugienda vero cuncta, libero illius ſucceſſui contraria. Quo quidem fine conſultiſſimum erit, mane quædam vaſcula infuſi calidioris intra lectum ſorbere, & exinde levem expectare ſudorem: contra cane pejus & angue vitare aërem frigidum, humidumque, maxime veſpertinum; nec in locis udis commorari; ac denique corpus veſtibus bene munire, ac noctu ab aëris injuriis probe tueri, ſummo oportet ſtudio.

Accedimus autem ad alterum curationis noſtræ momentum, quod cruditatum primas vias occupantium remotionem ac præſervationem reſpicit. Hoc ſcopo egregiam pollicentur operam pilulæ meæ balſamicæ, ſi ſingulis decem diebus numero octodecim veſperi ſumantur, & ſequenti mane uncia dimidia ſalis Anglicani ex aqua pura, ſuperingeſto potu theiformi, capiatur. Pridie ante pilularum uſum adhiberi poterit drachma una pulveris præcipitantis; quo acrimonia primarum viarum attemperetur, & ad alvinam excretionem magis diſponatur. Idem pulvis etiam præſtantiſſimo cum fructu propinari poteſt, ſi poſt nimium vini potum, aut alias cauſſas, humorum quædam præſto fuerit ebullitio; non minus eodem, cum viginti liquoris anodyni guttulis maritato, uti conveniet contra tormina ac dolores imi ventris. Ex diætæ regulis huc pertinent, ne minus maſticati, avidius juſto devorentur cibi: nec ſtatim à cœna lectus petatur; nec etiam diutius protrahantur vigiliæ; quippe quæ admodum impediunt ciborum digeſtionem.

Hiſce vero omnibus ſubſidiis, ad omnes noſtros ſcopos conſequendos, palmam longiſſime præripiunt aquæ minerales, maxime thermæ Carolinæ: quas quotannis vel vere, vel Auguſto menſe potandas admodum commendarem. Quod ſi vero iis uti, occaſio defecerit, locum earum ſupplebunt acidulæ Egranæ, cum dimidia parte Selteranarum mixtæ, & æſtivis menſibus adhibendæ. Tandem etiam haud ludetur opera; ſi ad meliorem tranſpirationis promotionem, ac partium externarum roborationem, balnea Lauchſtadienſia, quæ ſunt martialia, in uſum vocentur. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi; quæ ſi rite obſervaverit perſona ſereniſſima, certam foveo ſpem, fore, ut non ſolum à paſſionibus hypochondriacis, ſpaſmodicis, atque calculoſis vindicetur; verum etiam nervoſo generi, & toti naturæ ſuum reſtituatur robur.

---

## CASUS XIV.

*De infelici colicæ hæmorrhoidalis curatione.*

Duos & ſexaginta annos natus Juris conſultus quidam celeberrimus, habitus corporis ſtrictioris, conſtitutionis debilioris, ſtudiis ac vitæ ſedentariæ deditiſſimus, diætæ obſervator exactiſſimus, ſatis longo abhinc tempore circa utrumque æquinoctium hæmorrhoidalem fluxum, ſæpius per aliquot menſes inhærentem pati conſuevit. Poſtquam autem ante aliquot annos ſalutaris ille fluor, incongrua medicatione cohibitus fuit; abhinc inordinatus ſuccedere cœpit; & ſæpius vanis molis minibus, maxime circa plenilunium, atque gravioribus ſymptomatibus, nimirum animi deliquiis, præcordiorum anxietatibus, & conſtrictionibus, tenſivis circa dorſum & hypochondria doloribus, crebris colicis, quin & cruentis è pulmonibus ſputis ægrum cruciavit. Tali quoque ratione, noviſſima æſtate, luna exiſtente plena, accidit, ut noctu ex improviſo ingentes imi ventris dolores tenſivos, pungitivos ac lancinatorios incideret, quos anxia compreſſio circa cordis ſcrobiculum, proclivitas ad vomendum, & ipſi denique vomitus excipiebant. Vocabantur protinus in uſum efficaciſſima contra Colicam præſidia, carminativa, enemata, linimenta ac cataplaſmata emollientia pariter, atque diſcutientia: ſed omnium efficaciam eludebat mali vehementia. Quare medicus quidam hancce colicam, cum abſque ullo victus errore prægreſſo, circa plenilunium, tanquam illud tempus, quo alias hæmorrhoidum molimina accedere ſueverant, invaſiſſet ægrum, nec remediis ipſi ſatis opportunis obſecundare vellet, non pro ſimplici, ſed hæmorrhoidali, ex ſtagnatione, vel potius ſtaſi ſanguinis intra membranas inteſtinorum ſuborta habuit. Hinc venæ ſectionem commendavit, aſſeruitque, fore ut ex illa magnum redundaret commodum; eo magis, cum olim ægrotantem à gravioribus malis ſemper vindicaverit. Verum enim vero nullas huic conſilio aures præbere voluerunt reliqui medici; ægrum ob ſummam virium debilitatem, tolerandis ſanguinis miſſionibus minus parem fore exiſtimantes. Interim exacerbabantur omnia ſymptomata, & haud ita multo poſt vehemens horror cum ſubſequente æſtu jungebatur, quem poſt paucas horas gelidus ſudor, pulſus admodum debilis ac inæqualis, & ipſa denique mors excipiebat: adeo, ut defunctus per binos duntaxat male habuerit dies. Quamobrem doceri jam cupio: 1. anne ſymptomata illa ſuppreſſo hæmorrhoidum fluori, & inde ſubortæ inteſtinorum inflammationi, ſideratione ſtipatæ debeantur? 2. utrum illa tempeſtiva venæ ſectione ſublevari potuerint? & licet etiam hæc dubium videatur remedium, 3. numne conſultius fuiſſet, hoc, quam nullum amplecti?

*Conſultatio.*

Ad communicatum mecum caſum, & primam quæſtionem in eo propoſitam: anne morbus, quo æger affectus periit, ex ſanguinis ob ſuppreſſas hæmorrhoides inducta circa inteſtina ſtagnatione, ac hinc ſuborta inflammatione, & denique ſideratione ſit derivandus? reſpondeo, quod ille omnino nec vulgaris colica, quam retenti flatus pariunt, nec colica torminoſa fuerit, quæ ex humorum corrodentium atque bilioſorum ſtagnatione ortum trahere, ac crebris alvi dejectionibus ſtipari ſolet. Verum potius inflammationem inteſtinorum, quæ cruori intra horum tunicas nerveas ſtagnanti ſupervenit, præſto fuiſſe arbitror. Namque haud ignorari oportet, ſanguinem libero per ani venas exitu præcluſum, vi ſpaſmorum, qui hanc excretionem tantum non ſemper comitantur, ſuperiora verſus compelli: qui cum in ventriculo ac inteſtinis ſtagnaverit, membranas eorundem nerveas violenter diſtendit, atque tali ratione non ſolum hiſce partibus ſpaſmum infert, & dolorem; verum etiam vicinas ope nervorum connexas regiones in ſpaſmorum ſocietatem rapit, & ſic cordis præſertim, ſeptique tranſverſi muſculos afficiendo, gravioribus anſam præbet ſymptomatibus, veluti ſunt inſignes præcordiorum anxietates, conſtrictiones circa cordis ſcrobiculum, proclivitates ad vomendum, animi deliquia, ſudores gelidi, atque febriles com-

commotiones. Quare ſi conſideremus, ægrotanti noſtro diu hæmorrhoidario, criticum huncce fluorem fuiſſe cohibitum: nullum eſt dubium, quin inflammatio, qua laboravit, ex cruore retento atque ſubſiſtente ſuos natales mutuaverit. Hinc etiam, juxta alteram quæſtionem, omnino adſerendum eſt, venæ ſectionem, tempeſtive in pede adminiſtratam convenientiſſimum fuiſſe præſidium: ſiquidem multiplici comprobatum habemus experientia, illa in vicinis partibus inſtituta tam ad imminentes præcavendas, quam præſentes inflammationes mitigandas, nec præſtantius, nec certius reperiri ſubſidium. Præſertim inſignem pollicetur operam in partium nervoſarum, uti ſunt ventriculus ac inteſtina, inflammatione; quippe quæ longe gravioribus ac perículoſioribus ſtipata ſolet eſſe ſymptomatibus. Eo magis in præſenti caſu operæ fuiſſet pretium, ſanguinem ex vena tuſa detrahere; quo certius exinde levamen in ejuſmodi affectibus olim percepit ægrotans. Remedia certe calidiora atque carminativa, hiſce morbis vulgo opponi ſolita, majorem omnino minantur noxam, quam utilitatem; quippe quæ humorum ſtaſin, tanquam proximam morbi cauſſam, minime tollunt; ſed potius humores commovendo, ac fibris per ſpaſmum atque dolorem jam tenſis, majorem inducendo rigiditatem, omnia ſymptomata magis exacerbant. Conſultius igitur fuiſſet, remedia propinare inflammationibus opportuna, qualia præter venæ ſectionem ſunt refrigerantia nitroſa, cinnabarina, leniter diaphoretica, diluentia & antiſpaſmodica: quibus feliciter debellatos fuiſſe ejuſmodi morbos, non ſolum Riverius in obſervationibus ſuis paſſim teſtatur, verum ego quoque in notis ad Poterium annotavi. Neque etiam minus varias de hoc argumento diſſertationes conſcripſit celebris Stahlius; in quibus oſtendit differentiam, quæ vulgarem intercedat, & hæmorrhoidalem colicam; & huic admodum convenientem venæ ſectionem in pede collaudat. Quare denique luculenter patet, quod juxta tertiam quæſtionem, utique fuiſſet convenientius, allegatum hocce remedium, omnis damni expers, adhibuiſſe, quam illud, uti factum eſt, irreparabili ægroti noxa omiſiſſe.

---

## CASUS XV.

### *De colica hæmorrhoidali ex obſtructo hæmorrhoidum fluxu.*

VIr generoſus, LVIII. annorum à multis jam annis hæmorrhoidalem expertus fuerat fluxum cum euphoria. Hic cum ante quatuor annos ſubſiſteret; incidit ille ſæpius, maxime brevi ante novilunium in ani moleſtum ſub excrementorum dejectione ardorem, quem capitis dolores, & atroces inteſtinorum cruciatus excipiebant, cum ſubſequuto vomitu, & pituitæ ſanguine permixtæ rejectione. Licet igitur contra hæc mala circa utrumque æquinoctium, non ſine inſigni ſemper ſymptomatum levamine, venam in pede tundendam præbuiſſet: non tamen impedire potuit recurſum eorundem. Imprimis vero deprehendit, quod ſimul ac ſtudiis operam dedit, aut capite paullulum inclinato, meridianum ſomnum cepit, protinus floridus ſanguis cum ſaliva effluxerit. Illud præterea cruentum ſputum exceperunt plerumque preſſiones ac puncturæ pectoris, ad ſiniſtram ſcapulam tendentes, ſiniſtræ manus refrigerationes, gelidique ſudores. Neque etiam minus efflorefcentia miliaris ſæpius occupavit pedes; ſæpius quoque rurſus evanuit, & tum languorem corporis, frigoriſque ſenſum in pedibus æque, ac dorſo reliquit. Quamobrem, cum adpetentia ſubinde fruatur inſigni, & copioſo ſanguine quaſi turgeat; metuit omnino, ne tandem in hæmoptyſin, aut plane apoplexiam incurrat; & ideo ſalutare anhelat conſilium.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Quicunque omnia in recenſito morbo obvia momenta probe conſideraverit: facile perſpiciet, cuncta ſymptomata retento hæmorrhoidum fluori in acceptis eſſe ferenda. Hinc enim humorum ſtagnatio in abdomine, ac maxime inteſtinis orta fuit: ex qua non ſolum ſpaſmi doloreſque colici, ardores inteſtini recti, atque vomitus dependent; verum etiam ſanguinis vi ſpaſmorum copioſior ad pectus compulſio, & per os ejectio originem trahit. Et quomodo in tanta motuum vitalium, maxime progreſſivi ſanguinis irregularitate aliter poteſt fieri, quam ut ſalutares, quibus maſſa ſanguinea depurari ſolet, excretiones impediantur, & inde ſcorbutica ſuccorum vitalium progeneretur dyſcraſia? unde etiam purpuracea efflorefcentia pedum, refrigeratio, languor atque corporis decrementum ſuos mutuantur natales. Neceſſe igitur omnino eſt, ut oppugnentur hæc ſymptomata, & à gravioribus præcaveantur malis. Cui quidem ſcopo obtinendo, ante omnia commendo venæ ſectionem quater quotannis, nimirum circa æquinoctia pariter ac ſolſtitia ſub ſereno cœlo in pedibus inſtituendam, qua octo ſemper cruoris unciæ detrahi debent. Deinceps ut promoveatur tranſpiratio, & depuretur ſanguis; ægrum ſingulo mane ſex vel ſeptem vaſcula infuſi theiformis potare oportet, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, ſummitatum millefolii pugillos quatuor, radicis glycyrrhizæ drachmas ſex, ſeminis fœniculi drachmam. M. C. D. Eidem ſcopo egregie conveniet pulvis meus præcipitans, mane ante potum infuſi pondere drachmæ unius ex aqua frigida capiendus. Tum quoque operæ erit pretium, ut æger liquoris mei anodyni quadraginta guttulas, tam hora quinta pomeridiana, quam veſperi cubitum iturus ex largo acidularum Selteranarum hauſtu aſſumat. Nec minorem ad ſanguinem à capite derivandum, & æqualem humorum circulationem promovendam ſpondent efficaciam pediluvia tepidiora, ex aqua fluviatili & triticeis furfuribus conficienda, & veſperi in uſum trahenda. Alvi porro libertatem perpetuam conſervare decet; quod non ſolum manna, prunis coctis, ut clyſteribus domeſticis obtineri poterit; ſed etiam pilulis meis balſamicis, ſi earum ſedecim cum pulvere meo præcipitante mixtæ veſperi quandoque deglutiantur. His denique ſi recta vivendi ratio, & præſertim moderatus corporis motus per ambulationem aut vectionem acceſſerit: haud dubito, fore ut profligentur cuncta morboſa ſymptomata.

## CASUS XVI.

*De colica ſpaſmodica ex podagra retropulſa.*

Litteratus vir quadraginta, & quod excedit, annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ad excandeſcentiam facillimus, acquiſitam per vitium hæreditarium podagram crebris in diæta erroribus, quin & exceſſibus magis adauxit, & ſæpius toleravit. Hanc tandem pertæſus, ſex circiter abhinc annis, impoſito ad pedes quodam empiaſtro adeo profligavit, ut per totum hoc tempus ſiluerit. Interim ex memoratis illis, quos juvenis maxime commiſerat, diætæ erroribus, contraxerat ſibimet ventriculi imbecillitatem; quæ ætate increſcente, magis etiam adaucta fuit. Hinc exigua frui cœpit adpetentia, qua acidos potiſſimum cibos, haleces cum aceto ac cepis conditos, aliaque deſideravit, & ſæpius quoque aſſumſit. Exinde vero non ſolum adhuc magis debilitavit ventriculum; ſed etiam acidas primarum viarum cruditates collegit. Quare primum vehementem incidit ventriculi ardorem; quem quidem ſumto ſæpius pulvere præcipitante Hoffmanni mitigare voluit: neglecto tamen recto victu nihil effecit; ſed potius majorem humorum vitalium ſpiſſitudinem, pariter ac dyſcraſiam acquiſivit, adeo ut cruor ante aliquot dies ex vena tuta miſſus, fuerit admodum craſſus, atque teterrimus, & vix per aperturam fluere potuerit. In tali rerum ſtatu, cum noviſſimis hebdomadibus vino Rhenano ad exceſſum ai quoties indulſiſſet, & abhinc ſub intenſo frigore equo vectus, inſigni ſemet expoſuiſſet refrigerationi: accidit, ut ante aliquot dies, aſſumtis ſub prandio aliquot oſtreis, cubitum iturus vehementiſſima corriperetur colica. Spaſmi enim non ſolum infimum ventrem vehementer contrahebant; ſed etiam veſicam urinariam, atque teſticulos afficiebant; aderant præcordiorum anxietates, vertigines, inflatio ventriculi flatulenta, nulla ructuum exploſio, & tanta denique inteſtini recti conſtrictio, ut injecti à quodam ſtudioſo clyſteres emollientes minime penetraverint inteſtina, ſed dolores potius magis exacerbaverint. Quamobrem memoratus ille medicinæ ſtudioſus, præter clyſteres exhibet potiunculam laxantem ex manna & reſina jalappæ; de qua ſingula hora ſumeret ægrotus, quantum cochlear capit. Verum cum nullum ederet effectum, impatiens ille totam uno hauſtu devoravit potionem, & doſin pilularum balſamicarum ſuperingeſſit. Inde quidem ter ſoluta fuit alvus; ſed dolores eadem, ſi non majori inhæſerunt atrocia: nec ſublevabantur data ab eodem ſtudioſo emulſione quadam, cum liquore anodyno Hoffmanni permixta, ex qua potius, cum acida in primis viis hæreret ſaburra, magis aucta fuerunt tormenta. Quare conſultus ego ſingulis horis interne propinavi tincturam rhabarbari cum aqua cichorei paratam, interpoſui eſſentiam carminativo-ſtomachicam, liquori anodyno mixtam, & extrinſecus abdomini ſacculos calidos diſcutientes adplicui. His per ſeptem horas adhibitis, ano clyſterem ex floribus chamæmeli, decocto avenaceo, oleo chamomillæ, & amygdalarum dulcium paratum; & paulo poſt ſuppoſitorium ex melle, farina hordeacea, ſale communi & oleo chamæmeli adplicandum curavi. Inde ſoluta alvus multa excrementa, cruore tincta reddidit, & copioſos flatus; quæ adhuc ter eodem die depoſita fuit, cum ſtercoribus fœtidiſſimis, ac ſincero ſanguine. Remiſerunt etiam dolores; & nox inſequuta eſt quieta: cum, licet quoque malum poſtridie videretur recrudeſcere; datis tamen prioribus remediis evanuit iterum. Tum conſultum duxi, ut vena ſecaretur; quam etiam, ſed inciſione nimis anguſta tudit quidam imperitus chirurgus, adeo ut tres duntaxat cruoris unciæ effluxerint: neque perſuadendus erat moroſus æger, ut alteram ſecandam præberet venam. Interim id obtinui hac venæ ſectione, ut podagra, quæ olim ſiniſtrum modo pedem occupaverat, jam recrudeſceret, & utrumque eorum obſideret: inteſtinorum vero protinus remitterent dolores. Per diem quoque ſatis bene habebat æger, niſi quod de corporis conquereretur languore: nox autem calore mitiſſimo, præcordiorum anxietate, ac flatuum retentione adhuc reddebatur inquieta. Quare propinatis pilulis balſamicis, bis quotidie exhibui pulverem præcipitantem ac bezoardicum Hoffmanni pondere unius ſcrupuli; & veſperi dedi eundem pulverem cum ſpiritu nitri dulci. Pro potu ordinario quoque decoctum ex ſcorzonera, ſarſaparilla, radice chinæ, cichorei & raſura cornu cervi ordinavi; & ad roborandum ventriculum Elixir ſtomachale ad modum Poterii paratum exhibui. Cum autem immorigerus æger remitteret mihi pulverem bezoardicum, & ſpecies ad decoctum, illa averſatus; & præter pulverem præcipitantem atque ſpiritum nitri dulcem, liquida boni ſaporis deſideraret remedia: indulſi ipſi, ac tincturam antimonii cum eſſentia alexipharmaca Stahlii mixtam ſingulo mane ad triginta guttas cum regimine propinavi. Inde magis invaluit podagra; urina deponebat rubicundum ſedimentum, & cum per alvum copioſa excreta fuiſſet ſaburra: ſpem fovi certiſſimam, fore ut mox priſtinam recuperaret ſanitatem. Verum enim vero hodie ad me pervenit nuntius, qui referebat, ægrum nec rite adhibere commendata remedia, nec debitum obſervare regimen, ſed potius ad debellandos penitus flatus, proprio inſtinctu pilulas balſamicas aliquoties ſumſiſſe, & abhinc podagram iterum retroceſſiſſe. Nullas equidem in abdomine inde ſentit moleſtias, nec niſi præcordiorum anxietate nocturno duntaxat tempore ſollicitatur: at cum gravius omnino metuendum ſit malum, doceri potiſſimum cupio: anne, ſi recurrerint forſam inteſtinorum dolores, conſultum ſit, ſanguinem iterum è vena detrahere, cum pronuper tam pauca illius miſſa fuerit quantitas? & quæ cæterum in uſum vocanda ſint remedia?

*Conſultatio.*

Poſtquam caſum, cujus cauſſa conſultus ſum, ſedulo mecum volvi, ac revolvi: facile deprehendi, omnia, quibus æger infeſtatur, ſymptomata ex materiæ podagricæ retroceſſione, per impoſita emplaſtra producta, primam trahere originem. Cum autem huic ſatis arduæ cauſſæ adhuc errores diætetici ac animi graviores affectus acceſſerint: haud ſane mirum, ſi tandem ſupervenerit colica ſpaſmodica, alvi obſtructione, præcordiorum anxietate, ventriculi inflatione, inquietudine, & virium proſtratione ſtipata; quæ magis exacerbata eſt intempeſtivo purgantium maxime reſinæ jalappæ uſu. Neque vero in arte ſalutari verſatis incognitum erit, quam arduum ſit atque difficile, tam grave malum funditus exſtirpare; eo magis, cum immorigera ægrotantis indoles accedat. Recte equidem egit conſultus medicus, quod ad præcavendam inteſtinorum inflammationem, venam in pede tundendam curaverit, & carminativa pro inde aliaque congrua ſatis ordinaverit remedia: ſed quum adhuc anxietates, ſpaſmi atque flatus urgeant, vero mihi videtur ſimillimum, inteſtina inferiora excrementis viſcidis eſſe obſeſſa, quæ quamdiu præſto fuerint,

fuerint, perfectam podagræ eruptionem omnino remorabuntur. Hæc ut emoveantur, in locum pilularum, à quibus abſtinendum duco, ſequens commendo infuſum mannatum: Recipe mannæ electæ unciam unam & ſemis, cremoris tartari drachmam unam, nitri grana duodecim, aquæ florum acaciarum uncias ſeptem: coque leni calore, adde olei aniſi guttas quinque, olei amygdalarum dulcium unciam unam & ſemis. M. quod matutino tempore binis circiter a ſumi poterit hauſtibus. Elapſis abhinc binis horis injiciendus eſt clyſter ex decocto avenaceo, floribus chamæmeli, ſeminis cymini ana drachmis duabus, olei chamæmeli unciis tribus, & tantillo ſalis communis ac nitri paratus. Sic alvo ſufficienter ſoluta, operæ erit pretium, ut extrinſecus abdomen ſpiritu vini camphorato inungatur; interne vero ſingulis binis horis, quadraginta guttulæ ſequentis exhibeantur mixturæ: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum unciam ſemis, tincturæ tartari, ſpiritus nitri dulcis ana drachmas duas, ſpiritus tartari drachmam unam. M. D. Veſperi exhibeatur pulvis bezoardicus, cum dimidia parte præcipitantis remixtus: & quavis veſpera pedes in temperata immittantur pediluvia. Loco potus ordinarii commode inſerviet ſerum lactis cum cremore tartari paratum, ſi illius binæ menſuræ cum hujus drachma una decoctæ ac percolatæ fuerint: nec ludetur opera, ſi æger ex juſculo quodam hauſtum olei amygdalarum dulcium aſſumſerit: ac præviis fomentationibus, ano hirudines adplicari curaverit. Sed ante omnia patientia, ac temporis diuturnitate opus eſt; & major reconvaleſcentiæ ſpes ex congrua ſex rerum non naturalium obſervatione, quam nimio pharmacorum uſu concipi poterit.

*Appendix.*

Haud ita multo poſt relatum eſt, ægrum adhibitis, quas commendavi, medicinis, maxime ſero lactis, & bono victus genere obſervato, abſque podagra recrudeſcente, & ab inteſtinorum doloribus liberatum, optime habuiſſe, ac muneribus iterum vacare potuiſſe.

---

## CASUS XVII.

### *De colica ſpaſmodica cum ſubſequente ictero.*

Perilluſtris quidam comes, XLVIII. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis robuſti ac ſucci pleni, vigeſimo primo ætatis anno ex pota poſt corporis exæſtuationem aqua frigida primum incurrit colicos inſultus. Duobus poſt annis iidem majori recruduerunt vehementia, & per biduum ſævientes, tandem repetita clyſterum injectione ſunt profligati: interim ne reciderent, curatius diætæ regulas obſervare, & cœna parciori uti debuit. Neque tamen minus bis abhinc alvi profluvio ſponte ſuborto ſupervenerunt illa tormina, quæ antea non niſi obſtructam alvum exceperunt. Hoc etiam fine potum Thée, ex quo alvi ſegnitiem obſervaverat, omiſit, & in ejus locum decoctum fabarum Coffée potare cœpit: ſub cujus uſu, cum alvum haberet apertam, à colica ſua per ſatis longum tempus manſit immunis. Ante decem circiter annos poſt illuſtriſſimæ uxoris, purpura peremtæ obitum, noſter quoque purpuram incidit: quæ brevi quidem tempore iterum evanuit, ſed elapſis annis quinque poſt atrociſſimam colicam iterum effloruit, & abhinc non deſeruit perilluſtrem virum, ita quidem, ut æſtivo tempore, quo copioſior fit tranſpiratio, largior adparuerit, quam quidem hyeme. Sub hac effloreſcentia rarior fuit colica, & longe mitior. Verum proximo hocce anno crebrius & vehementius infeſtare cœpit, & noviſſimo tempore ſingulis binis hebdomadibus, ſtatum veluti obſervando tempus recruduit. Ipſi paroxyſmi flatulentis moleſtiis, alvi obſtructione, vehementi conſtrictione inteſtinorum, pectoris anxietate & continuo hypochondrii dextri dolore ſtipantur: & nec clyſterum ope, licet ventrem ſubducant, mitigantur; nec topicis olim proficuis, veluti fuerunt ſpiritus vini camphoratus, ac olea paregorica &c. conſopiuntur. Excitantur illi plerumque vel à cibis incongruis, acidis, flatulentis; vel corporis refrigeratione, vel animi affectibus; & bilis ſubeſſe vitium, ructus amari, matutino exploſi tempore atteſtantur. Anne denique acrimonia quædam purpuracea, inteſtinis incumbens ſimul concurrat, & eo fine promotio tranſpirationis foret proficua? medicorum celebrium relinquitur dijudicationi.

*Ulterior relatio.*

Annuum eſt tempus, ex quo præmiſſa morbi hiſtoria fuit concinnata. Abhinc vero colicus affectus & crebrius rediit, & atrocius: & ante binos circiter menſes deſiit ejuſmodi paroxyſmus in icterum, totum corpus, exceptis oculis, occupantem. Hic vero paroxyſmorum colicorum habuit rationem: namque hos ſemper excepit, & deinceps brevi tempore evanuit. Conſultus inde fuit D. D. W. qui datis remediis id quidem effecit, ut dolorificæ illæ inteſtinorum paſſiones longe mitiores, licet eadem adhuc frequentia, redire cœperint: at noviſſimis tribus hebdomadibus longe graviores recruduerunt. Namque non ſolum diutius, & nonnunquam ultra triginta horas inhæſerunt; ſed etiam atrocioribus ſymptomatibus, inſigni inteſtinorum atque ventriculi torſione, ac tanta pectoris conſtrictione, ut ſpiratio ſimul eſſet difficilima, ſtipatæ fuerunt; & denique quotidie fere recurrentes, perilluſtrem ægrum lecto affixerunt. Singulum paroxyſmum excepit aurigo, brevi poſt iterum evaneſcens. Hoc tempore continua vexat flatulentia pariter ac alvi obſtructio: & cibos, licet maxime molles ac concoctu difficiles, protinus inſequitur colica. Neque etiam minus ciborum adpetentia deficere incipit; hinc ab illis ferme abſtinet. Contra vero à potu cereviſiæ nullas ſentit moleſtias; nec à decocto fabarum Coffée mane ſorbillato; quod vero à meridie ſumtum excitat omnino dolores. Somnus eſt interruptus, corporis accedit decrementum, & animi nimia ſenſibilitas. Præterea acutus ille in hypochondrio dextro, tanquam hepatis regione dolor, omnes paroxyſmos comitatur, & abſque ulla tuſſi aut anhelitu gravi, ſenſibiliſſimos infert cruciatus: extra paroxyſmum vero nullus ibidem ſentitur dolor, nec ullus extrinſecus tumor, aut durities. Si ad ſiniſtrum latus decubuerit, mitigatur paululum ille dolor, & flatus etiam expeditius redduntur: quod longe fit aliter, ſi dextro incumbat lateri. Siniſtrum porro hypochondrium olim ab omni dolore immune fuit; jam vero noviſſimis diebus eodem prehendi videtur. Nullæ tamen nec tabis cujuſdam, nec alicujus tumoris adhuc præſto ſunt notæ. Urina ſub dolorum tormentis mingitur pauca, ſed turbida, obſcure rubicunda, & ſedimentum rubrum, ſæpius mucoſum deponit. Stercora ſunt inſtar fecum alba; & non niſi ſumto laxante, paullulum livida adparent. Hæmorrhoides nunquam fluxerunt; ſed

venæ

venæ ſectiones bis quotannis circa utrumque æquinoctium inſtituuntur; & ante paucos dies noviſſime ſanguis fuit miſſus. Denique haud ignorari oportet, perilluſtrem ægrum capitis dolores, quos olim ſatis graves toleravit, jamjam dum colica infeſtatur, nullos omnino pati; ſed in eorum locum dentium tormenta ſucceſſerunt, quæ cum colicis doloribus ita alternant, ut his adfligentibus, illa ſileant, & viciſſim. Cæterum omnes averſatur cibos; & iis aſſumtis male habet. Quæ cum ita ſint, vero videtur ſimillimum, omnia hæc ſymptomata excretioni bilis impeditæ deberi; & ab hujus effuſione non ſolum inteſtinorum conſtrictiones, verum etiam dolores illos, dextrum hypochondrium occupantes, atque colorem auriginoſum proficiſci. Hinc etiam licet adhuc nulla hepatis induratio fuerit præſto, juſta tamen eſt ſuſpicio, ne illa tandem conſequatur. Quamobrem operæ fore pretium arbitramur, ut remota ex inteſtinis bilioſa ſaburra, bilis excretio promoveatur, tonus viſcerum roboretur, ac præſertim ventriculi digeſtio, quæ maxime videtur labefactata, adjuvetur. Sed hæc aliorum medicorum judicio relinquimus, & doceri denique cupimus, anne in hoc gravi malo ex uſu aquarum mineralium, & qualium, quoddam levamen expectare liceat?

*Epicriſis cum conſilio.*

Morbus, qui deſcribitur, non niſi eſt colica ſpaſmodica, cum ictero non tam ex obſtructione, quam potius conſtrictione ductuum biliariorum ſpaſtica originem trahente, ſtipata. Liceat autem ex hac morbi hiſtoria ſequentes adnotare practicas obſervationes:

1. Potus frigidus calenti corpori ingeſtus, adeo ſæpius omnem inteſtinorum tonum deſtruere valet, ut eorum functiones, ciborum concoctio, chyli ſeparatio, excrementorum per alvum ejectio, quæ in ſtatu naturali abſque ulla perficiuntur moleſtia, ſimul & ſemel peſſumdentur. Hinc etiam nullum omnino eſt dubium, quin eadem cauſſa præſenti malo primos ſuppeditaverit natales.

2. Sic inductos vero dolores inteſtinorum adhuc magis auxit & ſuſtentavit materia acris ſcorbutica, ad cutim ſubinde in forma purpuræ devoluta. Notari etenim meretur, colicas ejuſmodi ſpaſmodicas, crebris inſultibus per intervalla recurrentes, non ſemper craſſis primarum viarum ſordibus deberi; ſed potius cruori intra vaſa meſaraica & inteſtinalia ſtagnanti, eadem diſtendenti, & nerveas earum partium tunicas moleſte afficienti, ſæpenumero in acceptis eſſe ferendas. Talis autem cruor, ſi particulis ſalſis, acribus atque rodentibus, quales purpuram gignunt, imbutus fuerit, dolores inducuntur eo ſenſibiliores. Quamobrem quam plures mihi innotuerunt caſus, ubi purpura ſcorbutica, per refrigerationes, purgantia, ac animi affectus retroacta, graves induxit inteſtinorum dolores; qui protinus remiſerunt, ſi effloreſcentia illa purpuracea vi auctæ tranſpirationis ad cutim denuo fuerit compulſa.

3. Notatu etiam dignus eſt icterus ille momentaneus, qui omnes colicos paroxyſmos excepit, & brevi tempore iterum evanuit; & minime à materia mucida aut tophacea, poros vel ductus biliarios obſtruente, ſed ab eorum ſpaſmodica duntaxat conſtrictione originem traxit. Cum autem bilioſus & amarus ille humor, multis ſulphureis & alcalinis imbutus principiis inſigniter adjuvat concoctionis negotium; ſiquidem aſſumtorum partes acidas contemperat, viſcidas reſolvit, excretionem alvinam promovet, & ſtercora flavo induit colore: facile adparet ratio ſymptomatum, ex denegata bilis ſecretione propullulantium. Quod ſi enim biliarii ductus ſpaſmo tenentur occluſi, ac bili aditus ad inteſtina præſcinditur: illa per vaſa lymphatica revehitur adſanguineam maſſam; interim accumulantur cruditates acidæ in ventriculo ac inteſtinis, horum membranas ſtimulant, dolores pariunt, & excrementa relinquuntur alba. Hinc etiam ceſſantibus ſpaſmis illis atque doloribus, ceſſant etiam allegata ſymptomata, & ipſe auriginoſus color evaneſcit. Inde vero patet, quam ſit facillimum, ut icterus ſuperveniat colicæ ſpaſmodicæ. Quod attinet denique dolorem illum, quem illuſtriſſimus comes in dextro percepit hypochondrio: ille meo quidem arbitrio ex ſpaſmo, qui ſubſtantiam duodeni, quod tranſit cholidochus ductus, membranaceam occupavit, & abhinc per ductum cyſticum ac hepaticum ſemet propagavit, ſuam traxit originem.

Quum igitur malum hocce in ſolo inteſtinorum vitio conſiſtere videatur, & nec induratione hepatis, nec pedum tumore, nec denique hectico calore ſtipatum ſit: ſpem foveo certiſſimam, fore ut adhuc curationi locus ſit. Quæ ut recte inſtituatur; ſuadeo, ut per tres priores dies liquor meus anodynus mineralis, cum tinctura tartari, ac ſpiritu bezoardico Buſſii permixtus bis quotidie adhibeatur. Mane videlicet oportet illum intra lectum ex aqua vel fontana, vel ceraſorum nigrorum aſſumere, tum infuſum calidum vel fabarum Coffée, vel ex millefolio ac liquiritia paratum ſuperingerere, & inde ſudorem expectare; veſperi autem ex ſola aqua capere. Inſignem enim virtutem obtinet, dolores ac ſpaſmos ſopiendi, humores ſtagnantes diſcutiendi, & ſaburram purpuraceam per cutim eliminandi; quos ſcopos ſi impetraverimus, tum leniori laxante primas vias purgare conveniet. Quare operæ erit pretium, mane undecim pilularum mearum balſamicarum deglutire, ac veſperi duos ſalis aperitivi ſcrupulos aſſumere: quibus per triduum adhibitis, iterum inſiſtendum eſt uſui liquoris anodyni per tres dies, & denique repetendæ denuo pilulæ. Sub epulis vero ex ultimo hauſtu XL. guttæ Elixirii mei viſceralis capiantur; & loco potus ordinarii acidulæ Selteranæ aut ſolæ, aut cum dimidia parte aquæ fontanæ, & elæoſaccharo ex oleo de cedro permixtæ potentur. Hæc ſi minus ſuffecerint remedia, balneum aquæ dulcis, mane ac veſperi uſurpatum commendo; cujus efficaciam deprehendi præſtantiſſimam. Præterea rectam victus rationem obſervare convenit, & hoc fine omnem corporis refrigerationem, animi affectus, vina auſtera, adſtringentia, fructus acidos, atque cibos incongruos vitare; contra vero corpus, matutinis præſertim horis ad udorem uſque movere oportet. Quod ſi vero votis haud reſponderint hæc ſubſidia, tum nihil præſtantius commendare poſſum, quam aquas thermarum Carolinarum molares cum debito regimine potandas: has enim ante biennium in perſona ſereniſſima, colica ſpaſmodica ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus laborante deprehendi fructuoſiſſimas.



CASUS

## CASUS XVIII.

*De colica ſpaſmodica convulſiva cum tumore, & dolore pedum per Carolinas ſanata.*

PRinceps quidam ſereniſſimus, ann. XXXVIII. temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis plethorici atque ſucculenti, non ſolum crebris olim narium hæmorrhagiis, ſed etiam febribus intermittentibus, paſſionibus hypochondriacis, cordis palpitationibus, & doloribus dorſi ac oſſis ſacri tenſivis ſæpius fuit obnoxius. Noviſſime elapſo anno inciderat quoque in febrem quartanam; cum qua tamen, ſuperatis ſeptem paroxyſmis, felici eventu abſque ullo adſtringentium uſu, in gratiam rediit. Sed ſub præſentis anni auſpiciis prehendebant imum ventrem tormina, atque tenſivi dolores, quin etiam dorſum occupabant, & cum adpetitus proſtratione primum, & animi mœrore juncti, tandem in hæmorrhoidalem colicam deſinebant. Hæc vero per tres dies inhærebat vehementiſſima, cum acutiſſimis tenſionibus, atque lancinationibus abdominis, ad dorſum uſque protenſis; urgebant flatus, & non niſi per ſuperiora eructabantur; accedebant ſuffocationes hypochondriacæ, & inanes ad vomendum conatus, ſæpius ipſe vomitus. Dabantur protinus remedia temperantia, carminativa temperatiſſima, eſſentia dulcis Hallenſium, cum quadam eſſentia balſamica mixta; injiciebantur enemata ac ſuppoſitoria: ſed tertio demum die remittebant paululum ſymptomata. Adplicabatur ſubinde ex alumine paratum ſuppoſitorium: quod ſequebatur cruoris per alvum excretio, quæ per aliquot dies inhærebat, & ſereniſſimum ægrotum ab omnibus liberabat doloribus cum perfecta reconvaleſcentia. Sed ſequenti menſe cum novilunium immineret, recurrebat eadem colica cum priſtinis ſymptomatibus; quid? quod dolores inteſtinorum, ſuffocationes hypochondriacæ, atque vomitus longe vehementiores fuerint. Hæc iterum per aliquot durabat dies; & propinatis prioribus remediis, nec non laxante mannato & pilulis polychreſtis, erupit denuo ſanguis per venas hæmorrhoidales. Tum accedebant copioſæ alvi dejectiones, iisque multa mucoſa reddebatur ſaburra: ſed ſimul omnes dolores evaneſcebant; redibat ſomnus ac ciborum adpetentia, & abhinc optime habet ſereniſſimus, niſi quod circa lunæ mutationes adhuc leviora imi ventris ſentiat tormina. Cum autem vererentur medici, ne, niſi hæmorrhoidalis evacuatio rite ſuccederet, colici dolores ſæpius reciderent; in hiſce præcavendis, & illa promovenda operæ duxerunt pretium, ut ſingulis menſibus, luna decreſcente pilulæ polychreſtæ; tempore vero intermedio remedia tonico-nervina, veluti tinctura vitrioli martis Ludovici, eſſentia millefolii &c. adhiberentur; & ſubinde circa utrumque æquinoctium vena non in brachio, ſed in pede, more hactenus ſueto incideretur. Neque tamen minus tuum, vir illuſtris, tam præſervatorium, quam curativum flagitant conſilium; & potiſſimum ſcire cupiunt, num in hocce caſu acidulis Egranis, aut thermis Carolinis, quas illis præfert ſereniſſimus, cum fructu uti liceat; & qua ratione illæ ſint uſurpandæ?

*Conſilium.*

Quantum ex iis, quæ mihi de adverſa ſereniſſimi principis valetudine, perſcripta ſunt, ſedulo mecum perpenſis judicare potui; dolores illos, qui hactenus aliquoties occuparunt inteſtina, omnino à cruore intra nervoſas, & admodum ſenſibiles inteſtinorum tunicas ſtagnante originem trahere, & hinc nomen colicæ ſanguineæ, aut cum ſoluti fuerint hæmorrhoidali fluxu, hæmorrhoidalis potius omni jure mereri arbitror. Neque enim deſunt variæ cauſſæ, quæ hunc affectum generare potuerunt, cujus cauſſa proxima ſemper eſt humorum abundantia. Has inter primum ſe offert temperamentum ſanguineum; quod ſicuti ad molem ſanguinis fovendam admodum eſt opportunum; ita etiam anſam dedit narium hæmorrhagiis, quas ſereniſſimus olim ſæpius toleravit, & quibus deficientibus, procul dubio capitis doloribus laboravit. Non minus etiam notari meretur habitus corporis plenus & ſpongioſus: cui quin acceſſerit diæta lauta, atque vinoſa, plethoræ fœcunda nutrix, extra omne poſitum credo dubium. Ipſe vero colicus, ab humorum ſtagnatione oriundus morbus illi potiſſimum ætati proprius eſt, in qua degit princeps ſereniſſimus. Hiſce enim annis hæmorrhoidalis excretio in ſubjectis plethoricis erumpere obſervatur: quæ ſi ob vaſa inteſtini recti exiliora, vel alias cauſſas, felici deſtituatur exitu; haud fieri poteſt, quin cruor in vaſis inteſtinorum, maxime coli, quod prope ad dorſum ſitum eſt, ſubſiſtat, ſtagnet, & inde preſſionis, tenſionis, ac lancinationis ſenſum inducat. Præterea etiam inteſtinum rectum in ſpaſmorum ſocietatem rapitur, & conſtrictum nec ſtercoribus, nec flatibus tranſitum permittit: hi ergo una cum humoribus ad ſuperiores corporis partes compulſi, anxietatem præcordiorum, inflationes cardialgicas, nauſeas, vomitus, in quibuſdam etiam mentis perturbationes, aliaque progenerant ſymptomata. Sed debetur quoque in præſenti caſu febri quartanæ, brevi debellatæ quædam animadverſio. Moleſta equidem eſt hæc febris, ſi diutius inhæreat: at in ſubjectis plethoricis, quæ multo, atque ſpiſſo ſanguine pollent, & ſæpius obſtructione quadam vaſorum minimorum laborant, inſigne ad has reſolvendas, & cruorem attenuandum conſtituit remedium. Hinc etiam non penitus negarem, quin & illa tam brevi tempore ſublata ad inducendam colicam eminus quaſi contribuerit.

Quamvis igitur atrox illud malum hactenus ſatis provide ac convenienter blandis laxantibus, clyſteribus atque carminativis fuerit oppugnatum, nec non debellatum: recte tamen eo ſtuduerunt medici, ut peterent conſilium præſervatorium, ne illud iterum invaleſcat. Quo quidem ſcopo conſultum duco, ut protinus ſeptem vel octo cruoris unciæ ex vena in pede tuſa detrahantur: quod ſi enim parcior ſanguinis mittatur copia, frequentiſſime fit, ut major inſequatur humorum ebullitio. Sed pridie ante venæ ſectionem, mane æque ac veſperi pedes in pediluvium ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis paratum ſunt immittendi: quo partim humores reddantur fluxiliores, partim ad inferiores partes magis invitentur. Eo autem tempore probe vitandus eſt aër frigidus, & fugiendi cibi flatulenti ac concoctu difficiliores. Deinde alvi lubricitati ſtudere convenit; quam minime pilulis, quæcunque etiam fuerint, moliri licet: quippe quæ humorum adfluxum ad inteſtina provocant, &

& horum dolores magis exacerbant. Præſtat potius huic ſcopo vel clyſteribus facere ſatis, vel potiuncula mannata, quæ ſic parari poteſt: Recipe mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari drachmam, aquæ florum acaciæ uncias ſex, coque & ſolve leni calore, colaturæ adde olei de cedro guttas quinque. M. F. potio, quæ pro una doſi, interponendo potum decocti avenacei, oleo amygdalarum dulcium nupti, quandoque eſt aſſumenda. Tum eo reſpiciendum ſuadeo, ut humorum ebullitio conſopiatur, & ſpaſmodicæ inteſtinorum ſtricturæ demulceantur: quibus ſcopis impetrandis egregie inſerviet pulvis præcipitans, & Elixirium carminativum antiſpaſmodicum, liquorem meum anodynum continens. Ille nimirum pondere duorum ſcrupulorum ex aqua florum ſambuci aut ceraſorum nigrorum brevi ante prandium capiatur; hoc vero guttulis quinquaginta & mane ex infuſo Théebois, & veſperi ex potu ordinario aſſumatur. Non minorem virtutem præſtabit liquor meus anodynus ſolus, ſi ingruente denuo malo, aliquoties de die guttis quadraginta ex aqua quadam deſtillata adhibeatur. Cæterum pro potu ordinario nulla convenit in hiſce morbis cereviſia: ſed conſultius erit, præter vinum Rhenanum, ſequenti decocto, quod grati ſaporis eſt, uti: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, ana uncias quatuor, ſarſaparillæ uncias duas, chichorei unciam, ſeminis fœniculi unciam ſemis, conc. cont. D. S. Species, quarum binæ unciæ cum tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ. Quod victum attinet, ante omnia cavendum eſt ab animi affectibus, & refrigerationibus, maxime abdominis atque pedum; his enim refrigeratis, protinus inteſtina ſpaſmis contrahuntur; & contra inteſtinis convulſis, ſtatim perſrigeſcunt pedes. Quare etiam ineunte potiſſimum vere corpus leviori veſtitu haud ſit indutum, ne tranſpiratio impediatur. Quum autem denique non poſſit perfecta mali ſanatio expectari; niſi ſublatis omnibus, quæcunque adhuc fuerint ſtagnationibus, æqualis humorum circulus reſtitutus, atque legitimus fluoris hæmorrhoidalis, in hiſce temperamentis admodum ſalutaris ſucceſſus provocatus fuerit: non efficacius atque præſtantius ad hos fines obtinendos mihi ſuppetit præſidium thermis Carolinis, earumque tam ordinariis, quas *den Brudel* vocant, quam molaribus aquis, interne uſurpandis. Harum autem potationi cum præſens tempus minime ſit opportunum: inſiſtendum interim erit commendatis remediis; & ſi demum arriſerit, accedente Majo thermis illis uti, tum proponam rationem, quomodo cum fructu potari poterunt.

*Relatio de modo adhibendi thermas Carolinas.*

Simul ac ſereniſſimus princeps acceſſerit ad fontes Carolinos; elapſa die, qua corpus ab itinere defatigatum reficiatur, primæ viæ à ſordibus, quas forſan continent, ſunt repurgandæ; vel pilulis meis balſamicis, vel iiſdem in naturis ſegnioribus paullulum acuatis, vel potiuncula quadam mannata, prout nimirum hæc vel illæ ipſi magis videntur convenientes. Tum vero reperiuntur ibidem duplices thermæ; quarum priores ordinariæ, quas *den Brudel* dicunt, penetrantes, fervidiores ſunt, & multum terræ calcareæ ac alcalinæ, quam ad canalem copioſe deponunt, ſecum vehunt. Deinde ſunt aliæ aquæ, molares adpellatæ, quæ illis tepidiores, atque leviores nec ochram talem calcaream fovent; attamen eadem evacuandi pollent efficacia, & ante duodetriginta annos à me primum in uſum vocatæ ſunt. Quemadmodum autem curatio hiſce thermis inſtituenda, tribus plerumque abſolvi ſolet intervallis: ita prioribus binis vicibus potationem molarium commendare ſuevi, quæ humores reddunt fluxiliores, vaſa minima reſerant, & capiti pariter ac nervis amicæ, nullam unquam pariunt ſomnolentiam; tum autem tertia vice adhibendas aquas priores ordinarias permitto. Eadem ratione ſereniſſimo noſtro congruam fore hanc curationem arbitror: nimirum operæ erit pretium, ut evacuatis per alvum ſordibus, prima die aquarum molarium decem vaſcula, prout ibidem locorum adhibentur, matutinis horis inter ambulandum aſſumat; altera ſedecim; tertia viginti quatuor potet; quæ niſi quater vel quinquies alvum duxerint, poſtridie triginta hauriat, & denique illum vaſculorum numerum, ex quo alvus quater redditur, per omnes reliquos dies retineat. Elapſis ſic quinque diebus, per duos ſequentes à potu aquarum abſtineat, & harum ultima ſeptemdecim pilularum mearum balſamicarum adhibeat. Poſtridie continuet iterum aquam eadem quantitate per ſex dies potare; quibus finitis, interponat denuo duos dies, & ſumtis iterum pilulis, per inſequentes ſeptem dies, thermas ordinarias, *der Brudel* dictas, eadem ac priores copia bibat; & denique curationi per adhibitum rurſus laxans finem imponat.

Sed obſervandæ in hac medicatione ſequentes probe ſunt cautelæ. Primum quidem haud eſt conſultum, thermas illas molares, more ſolito, vaſis apertis, quæ linteis duntaxat obtegunt, excipere: ex his enim ſpirituoſum aquarum earum principium; quod eſt efficaciſſimum, facillime evaporat. Præſtat potius, ut juxta ipſum fontem lagænis, in quibus acidulæ Tonſtadianæ aut Egranæ aſſervantur, per infundibulum excipiantur; in iis probe munitis detineantur; earumque dimidia duntaxat hauriatur portio; quoniam reliqua magis inertior deprehenditur.

Deinceps cum aquæ illæ molares, ceu tepidiores, quibuſdam moveant nauſeam; melius eſt, ut lagænæ ipſis repletæ vel in aquam ferventem, vel thermas ordinarias, quæ natura ſunt fervidiſſimæ imponantur, & ſic in uſum vocentur. Sub ea potatione brevi ante ſingulas epulas, ſexaginta guttulæ Elixirii ſtomachici atque balſamici, ex aqua vino nupta ſumendæ ſunt. Nec opus eſt aliis remediis, niſi nova acceſſerint ſymptomata: Quod ſi vero aqua intra corpus ſubſtiterit, & flatulentiam excitaverit: tum è re erit vel ſalis ex thermis ipſis præparati drachmam unam ex primo hauſtu adhibere; vel ano clyſterem carminativum, ſtimulo ſalino acuatum infundere. Balneorum uſum commendare non poſſum, quoniam hæ thermæ adſtringentes ſunt, poros cutis occludunt; & hinc ſubjectis, quæ ad ſpaſmos, dolores colicos, & tenſiones hypochondriacas prona ſunt, minime conveniunt.

Aliter ſe res habet cum balneis Tœplicenſibus; quæ vocant *das Fürſtenbad*, & in affectibus nervorum dolorificis, maxime qui à corporis refrigeratione proficiſcuntur, eximiam exſerunt virtutem. Nec alienum erit, finita Carolinarum potatione, ad balnea hæc accedere; & purgato per ſal Sedlicenſe corpore, iis per novem dies uti. Singulo nimirum mane deſcendere ſolent in tale balneum, & eidem per tres circiter horæ quadrantes immorari;

tum lectum petere, in illo, hauſto infuſo calidiori, leniter ſudare; & denique corpus linteis calidioribus fricandum præbere.

Quod vero ad victum pertinet ſub ipſo thermarum potu; ſeligendi præ aliis ſunt cibi molliores, & concoctu faciles; fugienda poma & acetaria; interim edulia ſucco citri permiſcere licet; ſed cœna ſit parciſſima. Inter potus optimum eſt vinum Burgundiacum, cum duabus acidularum, quæ ibi ſcaturiunt, & vocantur *der Buch Sáuerling*, partibus permixtum; neque minus Rhenanum vel Hungaricum potare licet. Præterea cereviſia Schnebergenſis, aut decoctum ex cornu cervi, radice ſcorzonetæ, & aniſo ſtellato paratum ſub epulis bibi poteſt. Interim nihil certi determinare audeo: cuicunque enim potui vel vinoſo, vel cereviſiario quis eſt ſuetus, & ex quo bene habet; illum quoque pro ordinario retineat. Circa aëris uſum notari meretur, quod omnis frigidus, veſpertinus omni ſtudio vitari debeat, nec poſt ſolis occaſum ſub libero cœlo verſari liceat: inde enim multas in corpus redundaſſe noxas obſervavi. Neque tamen minus corpus moderate movere oportet, quod vel mane, vel hora pomeridiana quarta vel quinta, aut ambulando, aut curru vel equo vehendo commode fiet.

Haud denique ignorari debet, quod ii, qui calculo vel podagra laborant, ſub harum thermarum potatione plerumque malorum ſuorum experiantur exacerbationes; quæ vero, cum leviores ſint; ab ulteriori potu minime deterreant ægrotantes. Contra ubi inciderint forſan febriles commotiones; abſtinendum à potu, & adhibendi pulveres abſorbentes & nitroſi, aut emulſiones ex aquis analepticis, & ſeminibus quatuor frigidis majoribus confectæ.

*Relatio de ſucceſſu curationis.*

Poſtquam ſereniſſimus æger thermis Carolinis methodo præſcripta uſus fuerat, & ex his feliciſſimo cum ſucceſſu majus virium & adpetitus incrementum, tumoris autem in pedibus ſublationem impetraverat: ad confirmandam ulterius ſanitatem, ſequens ſuppeditavi conſilium præſervatorium. Cui cum morem gereret; tam à dolore vehementi colico-convulſivo, quam rheumatico partium externarum adfectu liberatus, perfecte convaluit.

*Conſilium Præſervatorium.*

Expoſuit nimirum princeps ſereniſſimus judicio meo aliquot quæſtiones de tuenda illius valetudine; quarum hæc eſt prima: Anne ob crurum pedumve tumorem, qui per quinque menſes continuus fuit, conſultum ſit, venam ſecare in pedibus, anne potius illam in brachio tundere præſtet? Videtur equidem ad præſervandum præſentem morbum ſumme neceſſaria ac inevitabilis venæ ſectio: cum ſereniſſimus temperamento gaudeat ad ingenerandum ſanguinem admodum promto, & ſola humorum copia, exitu per venas ſedales deſtituta, & intra nerveas inteſtinorum tunicas ſtagnans, ſpaſmodicorum, quas hactenus toleravit, paſſionum unica exiſtat cauſſa. Verum enim vero cum partim morbi diuturnitate, partim reliqua curatione ac thermarum uſu ſatis imminuta videtur moles ſanguinis: extra omne poſitum eſt dubium, quin jamjam magis ad viſcerum, præſertim ventriculi ac inteſtinorum atoniam ſit reſpiciendum. Præter habitum enim corporis ſpongioſum, qui ad ſubeundam atoniam inſigniter eſt proclivis, ipſe diuturnus morbus ac crebri dolores totum nervorum genus admodum debilitarunt: ut ideo humores, non quidem ob nimiam molem, ſed potius partium ſolidarum imbecillitatem, tardius circulentur, & hinc in pedibus ſtagnantes, horum inducant tumorem. Quamobrem futuro autumno omittendam eſſe puto ſanguinis miſſionem; quæ debilitatem partium ſolidarum, maxime ventriculi jam magis adaugebit, tranſpirationem remorabitur, & omnia plane exacerbabit ſymptomata. Quod ſi vero reciderit forſan dolor colicus, atque ſpaſmodicus; arrideret mihi potius hirudinum adplicatio; qua ſtagnans in inteſtinis cruor, breviſſima pariter atque tutiſſima via eliminabitur. Adventante denique vere, ſi refocillatis viribus, naturæ robur fuerit reſtitutum, ac tumor pedum evanuerit; tum feliciori ſucceſſu vena in pedibus iterum ſecabitur.

Ad alteram quæſtionem: Num in tanta crurum, pedumve debilitate, ſi à rubore fuerit vacua, liceat ſpirituoſa adplicare; eo magis cum talia in ſimili affectu pedum ante aliquot annos fuerint adhibita eo effectu, ut per biennium & quinque menſes remiſerit intumeſcentia? omnino ſum perſuaſus, externa roborantia ad confortandos pedes inſigniter fore proficua; quo ſcopo aquam arquebuſadæ cum linteis calidis adplicandam commendo. Et ſi tertio quæritur: quænam remedia ad colicam pariter, atque pedum affectionem præcavendam ſint idonea? non mihi præſtantius ſuppetit præſidium, quam pilulæ meæ balſamicæ, numero quatuordecim cum pulvere præcipitante nitroſo ſingula ſeptimana veſperi aſſumendæ: quo iiſdem ſordes primarum viarum bilioſæ, atque viſcidæ perpetuo eliminentur. Neque etiam minus inſignem ſpondet utilitatem Elixirium meum ſtomachicum, XL. guttulis ex ultimo ſub epulis hauſtu capiendum; quod roborando ventriculum, concoctionem adjuvat, & ideo ad generandum legitimum chylum, atque bonum ſanguinem permultum contribuit.

Tum quoque juxta quartæ quæſtionis argumentum: an futuro vere in uſum ſint vocandæ quædam acidulæ? utique commendo Selteranas vel Schwalbacenſes. Præterea non ludetur opera, ſi loco potus ordinarii Selteranæ aquæ cum binis vini Rhenani partibus remixtæ adhibeantur. Quod porro quintam quæſtionem: an proficuæ ſint pilulæ? attinet; illas, ſi acre purgans foverint, minus omnino ſalutares credo, cum majorem humorum ad inteſtina affluxum invitare, & hæc magis debilitare deprehenduntur. Contra vero balſamicæ pilulæ, veluti meæ ſunt, tantum abeſt, ut noxiæ exiſtant, ut præter vim blande laxantem, ventriculum roborent cum ſucceſſu feliciſſimo.

Et denique ſi ſextam quæſtionem intuear: Quænam remedia ad avertendam podagram, arthritidem, & alias pedum crurumque affectiones ſint opportuna? huic quidem ex aliqua parte in reſponſo ad tertiam quæſtionem jam ſatisfeci; partim vero haud conſultum mihi videtur, multis variiſque pharmacis naturæ ſuetudinem inducere. Hic potius finis pertinaci victus obſervatione impetrabitur: ſummo enim ſtudio omnes animi affectus, cibos flatulentos, dulces, acidos, poma, lacticinia, potus calidiores, ſpirituoſos, aëremque frigidiorem evitare convenit. Contra vero cibi ſint molliores, juſcula; cœna parcior; omnia edulia probe maſticentur; mane ſæpius poſt hauſtum in lecto calidius infuſum expectetur lenis ſudor; & denique corpus moderato exercitio ſæpe moveatur. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem ſereniſſimi ægrotantis proponenda duxi; quæ Deus fauſta reddat, ac ſalutaria ex animo precor.

CASUS

## CASUS XIX.

### *De colica ſpaſmodica chronica cum calculo veſicæ felleæ conjuncta.*

Vir quidam quinquagenarius, temperamenti ſanguinei, à prima ſerme juventute ſæpenumero tolerare ſuevit dolores colicos, qui quidem vehementiores, ſed breviores ſemper fuerunt; & ante duodecim circiter annos rariſſime, & vix ſemel quotannis redierunt: quo vero tempore alvi perpetua laboravit ſegnitie. Quatuor abhinc annis facto itinere, ex improviſo vehementiſſimam rurſus incidit colicam, atrociſſimis in regione hepatis ſtipatam doloribus. Datis convenientibus medicinis remiſerunt quidem hæc tormina: ſed vix elapſo menſe atrocius recruduerunt. Hinc conſulti ſunt plures celeberrimi medici; neque vero impedire potuerunt, quo minus malum per ſatis longum tempus, crebris recideret acceſſionibus. Et quum denique ſolius D. D. W. medicamina adhiberentur, iſque non niſi martialia exhiberet: adeo increvit morbus, ut æger lecto plane affixus, ſingula hebdomade violentum pateretur paroxyſmum, ſæpius ultra triginta horas inhærentem. Hunc demum aurigo inſequebatur, cum inſigni corporis languore, aſſiduiſque circa regionem hepatis, atque cordis ſcrobiculum doloribus conjuncta; quam evaneſcentem denuo excipiebat colicus inſultus, & ſic per aliquod tempus alternatim ſibimet invicem ſuccedebant hi duo affectus. Protracto remediorum à D. D. W. præſcriptorum uſu evanuit demum icterus, ſed colica nihilominus ſingulis quatuor vel ſex rediit hebdomadibus. At vero cum tribus abhinc annis, iter facere, & illud, licet colico dolore prehenderetur, nihilo tamen minus curru celeriori inter ingentes corporis concuſſiones continuare deberet: factum eſt, ut omnis dolor remiſerit, & ab illo tempore non niſi rariſſimus, atque mitiſſimus reciderit. Circa æquinoctium autumnale præteriti anni autem poſt inſtitutam more ſueto venæ ſectionem, æger prævia refrigeratione dolorem rurſus in hepatis regione ſentire cœpit; qui ſubinde in ipſam deſiit colicam, elapſis ſedecim horis ſublatam. Poſtea ſiluit per totum hyemem; at verſus vernale æquinoctium dolor iterum in regione hepatis ac cordis ſcrobiculo magis obtuſus, quam acutus recruduit; quem, miſſo pro more ex vena ſanguine, protinus excepit colica paſſio. Hæc quidem non adeo vehemens fuit; ſed adpetitus imminutionem, carnium ac juſculorum faſtidium, ac tantam virium proſtrationem reliquit, ut per binas hebdomades intra lectum commorari teneretur.

Quanquam vero uſurpatis à D. D. W. commendatis remediis obſecundaret aliquantulum morbus: attamen adhuc reſtant languor corporis, virium decrementum, adpetitus jactura; color vultus antea floridus commutatur in luridum atque lividum, & pedes juxta malleolos intumeſcere videntur. Quare cum remedia illa, maxime martialia haud ſatis facerent votis; illis miſſis, alia à quodam medico propoſita, quæ inter infuſum rhabarbarinum fuit, in uſum vocata ſunt: & ex his colica pariter ac dolor in hepate remiſerunt: ſed ciborum adpetentia remanet exigua, & flatus aſſidui urgent. Hancce vero adfectionem, quæ nullo unquam extrinſecus tumore aut induratione ſtipata fuit, multi medicorum pro ſcirrho, ſaltem infarctu hepatis, ex calculo in cyſtide fellea ſuborto habuerunt; & acidulas, tanquam unicum ſalutis ſubſidium commendarunt. Contra alii harum uſui plane non ſubſcribunt, eaſque in læſione tam nobilis viſceris admodum periculoſas reputarunt.

### *Conſilium.*

Poſtquam omnia morbi, cujus cauſſa conſultus ſum, ſymptomata, & præſertim pallidum vultus colorem, pedum tumorem, virium atque adpetitus proſtrationem rite mecum perpendi: mox conjeci, ægrotantem noſtrum cachectica corporis conſtitutione laborare cœpiſſe. Huic procul omni dubio primam occaſionem dedit hepatis infarctus, à ſanguinis per illud ac alia imi ventris viſcera tardiori circuitu inductus: quo non ſolum bilioſus humor ſpiſſior fuit redditus; verum etiam in calculoſas demum concretiones, cum cyſtidem felleam, tum ductus hepatis biliarios obſidentes abiit. Inde enim dolorum in regione hepatis ratio liquet; & ob nervi intercoſtalis cum ventriculo, veſicula fellea, ductibuſque hepatis biliferis communicationem cardialgia; nec non alvi ſegnities, & denique à bile in maſſam ſanguineam retrocedente, auriginoſus color ſupervenerunt. Quando vero ſuccorum vitalium tardior per hepar progreſſus eſt; non fieri poteſt, quin illi ad partes vicinas, maxime nerveas inteſtinorum tunicas regurgitantes, ſenſibiles haſce partes diſtendant, & ad ſpaſmodicas ſtricturas proritent: unde etiam inteſtinorum tormina ſuos mutuantur natales. Quibus ſic ſe habentibus, cum ob hepar infarctum, legitima bilis ſecretio, nec congrua cum alimentis permixtio locum inveniat; hinc autem nec laudabilis chylus, nec bonus ſanguis generari queat: facile patet, quæ inſequutæ cachexiæ ſit ratio.

Quæ cum ita ſint, quæſtio incidit: num in hiſce morbis proſint remedia martialia? Meo quidem arbitrio, ea rite præparata liquida, veluti ſunt tinctura martis Zwœlfferi, tinctura martis cum ſucco citri, aurantiorum, vel pomorum Borſdorfſianorum concinnata, omnino locum inveniunt; maxime ſi medicinis amaris, reſolventibus permixta, cum ſufficienti diluentium quantitate exhibeantur, & motus corporis conjungatur. Contra vero eadem vel in pulvere, vel abſque ſufficienti liquidorum potu, vel denique parco corporis motu uſurpata, humores magis inſpiſſant, majuſque inferunt detrimentum. Quod deinceps attinet venæ ſectionem; ea videtur eo convenientior, quo magis ipſi adſuevit jam ægrotus. Neque etiam eſt alienum, in colica hæmorrhoidali, aut quæ à ſanguinis ſtagnatione circa inteſtina ortum traxit, ſanguinem per venæ inciſionem, aut quod utilius obſervatur, hirudinum adplicationem detrahere. Verum enim vero ubi, præter hepatis infarctum, atque ſpaſmos & dolores inteſtinorum, horum tonus jam labefactatus, digeſtio alimentorum læſa, & virium jactura præſto fuerit; uti quidem in præſenti caſu deprehendimus: neutiquam ſubſcribo venæ ſectionis uſui; ſed ab illa majus metuo damnum, quam emolumentum.

Quare potius ad debellandam hanc gravem ægritudinem, eo meum tendit conſilium, ut ægrotus per integrum menſem acidulis Egranis, ſed tepidioribus utatur. Ante harum autem uſum per aliquot dies, ſumtis mane pariter ac veſperi centum guttis

guttis ſequentis animæ rhabarbari, corpus purgare convenit: Recipe rhabarbari Alexandrini pulveriſati unciam dimidiam, ſalis tartari, terræ foliatæ tartari ana drachmam, aquæ ligni ſaſſafras deſtillatæ uncias duas. M. & digere leni calore. Deinceps ſub epulis ex ultimo hauſtu, atque veſperi cubitum iturus æger ſumat ſexaginta Elixirii viſceralis guttulas: cæterum à cibis durioribus, acidis, ſalitis atque flatulentis abſtineat, animi affectus fugiat; corpus ſæpiuſcule moveat, atque crebris juſculis cum ſcorzonera, cichoreo, & jure carnium gallinacearum aut vitulinarum paratis utatur. Quoniam porro in hiſce morbis nihil convenienti potu eſt fructuoſius: hujus in locum commendo, vel Selteranas acidulas vino nuptas, vel hocce decoctum: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias ſex, radicis cichorei, fœniculi ana uncias duas, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana unciam dimidiam. C. C. F. Species, quarum unciæ duæ cum tribus aquæ menſuris, ac paſſularum Corinthiacarum manipulo uno per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ. Contra colicas ac flatulentas moleſtias non opportunius mihi ſuppetit præſidium, quam liquor meus carminativus, anodyno nuptus, & mane vel veſperi quinquaginta guttulis exhibendus. Et extrinſecus denique parti dolenti adplicandum ſuadeo hoc emplaſtrum: Recipe emplaſtri de meliloto unciam, camphoræ, croci ana drachmam. M. l. a. emplaſtrum.

*Appendix.*

Prius quam commendata à me remedia in uſum vocaſſet æger; conſuluit adhuc alterum, eumque haud incelebrem medicum; cujus hæc fuit conſultatio:

Ex tranſmiſſa morbi hiſtoria probe intellexi, virum quinquagenarium, temperamenti ſanguinei, colicis inſultibus à prima quidem juventute obnoxium; noviſſimis autem aliquot annis maxime infeſtatum fuiſſe. Hiſce enim ante quatuor circiter annos non ſolum acceſſit moleſtus in hypochondrio dextro dolor; verum etiam paullo poſt icterus ſupervenit; qui adhibitis quibuſdam remediis iterum evanuit. Abhinc ſiluerunt equidem colici dolores per ſatis longum tempus; at noviſſime circa bina æquinoctia poſt inſtitutas venæ ſectiones, recruduerunt, non tanta vehementia, quanto potius corporis languore ſtipati. Sed his quoque mitigatis ſucceſſerunt denique, & adhuc inhærent flatulentia, virium decrementum, color faciei luridus, pedumque aliqualis, forſan œdematoſa intumeſcentia.

Optaſſem vero, ut adhuc allegatum fuiſſet, utrum æger nunquam toleraverit hæmorrhoides; anne colicæ nuper cum ictero complicatæ ſupervenerint vomitus; & quæ jam ſit urinæ conditio, an reddatur ſufficiens, numque ſatis tincta ſit, an potius lixivioſa? Interim quantum ex jam dictis colligere licuit, præſentem morbum, qui radicatus, habitualis, & niſi hæreditarius, ſaltem connatus, hinc curatu videtur difficillimus, pro colica bilioſo ſcorbutico hypochondriaca, eaque periodica habeo: cujus ſedem in hepate, ejuſque parte concava pariter ac in inteſtino duodeno collocandam arbitror; ipſumque ab impedito hæmorrhoidum fluore ſuſtentari, nullus dubito. Neque vero adhuc ipſum ſcirrhum hepatis, aut calculum in veſica fellea ſuſpicor; ſed infarctum duntaxat inſigniorem ſubeſſe credo; de quo, cum crebris colicæ recurſibus ventriculi robur labe affectum, digeſtio deſtructa, & ideo laudabiles ſucci videantur corrupti, valde metuo, ne tandem cacochymicum, cachecticum ſtatum, & hinc plane hydropem, tympanitidem, febrem lentam & icterum nigrum poſt ſe trahat. Quamobrem conſultum omnino duco, ut jam in curatione omnia purgantia, evacuantia, venæ ſectiones, nitroſa, martialia, aquæ minerales, aliaque potentiora remedia fugiantur; & in horum locum blandiora balſamica, aperitiva, amara, rhabarbarina, adhibeantur. Idcirco accommodatiſſimam puto ſequentem medicationem, per tres ad minimum hebdomades in uſum vocandam. Primum nimirum vehementer commendo ſaponem quendam balſamicum, cujus D. BIANCHI, celebris Italorum medicus in ſua *hiſtoria hepatica pag.* 320. meminit, tanquam præſtantiſſimi hiſce morbis remedii, & quî ſic ſe habet:

Recipe cinerum abſynthii, juniperi, agrimoniæ ana manipulos quatuor, cum ſufficienti quantitate aquæ fontanæ fiat lixivium forte, in cujus menſuris ſex coque radicis rubiæ tinctorum, filicis ana uncias duas, bardanæ uncias tres, foliorum marrubii albi manipulos tres, florum centaurii minoris manipulos duos. Colatura coquatur ſ. a. cum ſebo bovillo ad conſiſtentiam ſmegmatis, adjiciendo ſub finem croci auſtriaci pulveriſati ſcrupulos duos: effundatur in capſulas ligneas, & aſſervetur uſui. Hujus saponis drachmam unam, in infuſo rhabarbarino, cui ſit addita herba trifolii fibrini, ſolutam ſingulo mane capiet æger. Deinceps ſub epulis ex vino ſumet quinquaginta guttas Elixirii balſamico-ſtomachici, quod ſic ſe habet: Recipe Elixirii aperitivi Clauderi drachmas ſex, eſſentiæ corticis caſcarillæ, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſati ana drachmas duas, tincturæ rhabarbari unciam dimidiam. M. D. ad vitrum. Non minus inter paſtum pro primo hauſtu ſequentis infuſi vinoſi, quantum ſexta menſuræ pars capit, adhibeat: Recipe radicis enulæ, pimpinellæ albæ, caryophyllatæ ana drachmas ſex, herbæ marrubii albi, hepaticæ nobilis, agrimoniæ cum floribus ana manipulum, florum hyperici, ſalviæ ana pugillum, cinnamomi optimi drachmas duas, corticum citri & aurantiorum, ana no. 1. C. C. D. S. Species, quæ linteo incluſæ immittantur lagænæ, & infundantur cum duabus vini Rhenani menſuris. Hoc infuſum in cella aſſervare oportet; & tum quotidie tantum vini iterum affundendum eſt, quantum infuſi ſub epulis potatur. Veſperi autem cubitum iturus æger de conſerv. ſpagyr. aug. quantum duo cultri cuſpides capiunt, aſſumat. Nec ludetur opera, ſi ſingulis quatuor aut octo ſeptimanis, maxime ſi quædam hæmorrhoidum apparuerint veſtigia, loco venæ ſectionis tres vel quatuor hirudines adplicentur, iiſque quatuor vel quinque cruoris detrahantur unciæ: ac denique crebri infundantur ano clyſteres, qui ex mucilagine hordei, butyro, & ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro uncia una ſint compoſiti. His adhibitis, ſi ea deprehendatur corporis conſtitutio, quæ uſurpandis aquis mineralibus idonea eſt, operæ erit pretium, interjectis aliquot hebdomadibus, thermas Carolinarum molares in uſum vocare, ea quidem methodo, quam illuſtris HOFFMANNUS *Med. Conſul. Tom. I. pag.* 260. ſuppeditat, & quæ præſenti libro *Sect. I. Caſu XV. pag.* 65. *ſeqq.* exhibetur. Tandem vero nunquam non rectam vivendi rationem ſervare oportet: hinc omnes cibos

bos crudos, frigidos, acidos, ſalitos, ſimilagineos, aromatiſatos, fumo induratos, flatulentos, concoctuque difficiles; nec non potus ſpirituoſos, vina adulterata, cereviſiam recentem, nimium uſum infuſorum calidiorum Coffée, vel ſuccoladæ; & denique vitam nimis ſedentariam, ac multas meditationes evitare convenit. Contra vero haud alienum erit, ſub epulis unum vel alterum hauſtum vini Burgundiaci, vel Tockavienſis aſſumere; & denique loco potus ordinarii decoctum ex ligno ſaſſafras, ſarſaparilla, corticibus citri, ſemine fœniculi, cinnamomo & caſcarilla paratum adhibere.

### *Judicium Medicum.*

Poſtquam præmiſſum celeberrimi cujuſdam medici conſilium meo quoque judicio fuit expoſitum: non poſſum, quin profitear, medicum illum cauſſas ac originem præſentis morbi optime perſpexiſſe, meque cum illo ex omni parte ſentire. Neque etiam habeo, quæ circa commendata ab ipſo remedia moneam: quamvis enim aquas minerales non omnino laudare videatur; attamen, cum poſt abſolutam curationem aquas molares ſuadeat, vero eſt ſimillimum, ipſum utique vereri, ne abſque eorum uſu viſcerum obſtructiones ac infarctus ſolis remediis omnino tolli nequeant. Ego vero longe conſultius fore puto, ſi acidulæ Egranæ tepidiores, ſub ipſo reliquorum medicaminum rhabarbarinorum, amarorum & viſceralium uſu ſimul bibantur; & tunc efficaciam earundem longe præſtantiorem credo. Cæterum ex ipſa ægrotantis conſtitutione à præſentibus medicis dijudicandum erit, quantum propoſitarum aquarum quotidie potare, & quamdiu earum potationem protrahere debeat.

---

## CASUS XX.

### *De colica flatulenta cum dolore nephritico.*

Vir quidam ſummæ dignitatis, ſexagenario major, à juventute ſua ſub multis corporis defatigationibus, robuſta ac admodum vegeta conſtitutione gaviſus, temperamenti cholerici, ſtaturæ proceræ, per longum ſatis tempus prandere duntaxat, atque cibos minus maſticatos eximia aviditate, ac larga quantitate devorare; eas vero die veneris, qua ferias eſuriales celebrat, non niſi veſperi aſſumere ſuevit. Præterea ſub epulis præter vinum Rhenanum, quod extra convivium modice bibit, cereviſiam triticeam, quæ hic locorum non adeo bonæ notæ exiſtit, potare; meridianum tempus ſedendo, ſcribendo, legendo vel ludendo conſumere; loco cœnæ modo nominatam cereviſiam ſorbere; & hora plerumque undecima lectum petere ſoluit, ſomnum corpore minus tecto capiens. In tali rerum ſtatu ante aliquot hebdomades ſuaſu cujuſdam curam præſervatoriam cum acidulis Selteranis inſtituere cœpit; quæ quidem primis diebus imi ventris inflationem, & quandam inter ambulandum ſpirandi difficultatem induxerunt, poſtquam autem per urinam rite abierunt, cum euphoria potæ ſunt. Sub earum potatione larga quidem cibos ſumſit adpetentia; ſed pomorum, aliorumque fructuum, quorum alias eſt amantiſſimus, omni ſtudio vitavit uſum. Neque tamen minus, cum hauſtis per quatuor circiter dies hiſce acidulis, forſan more conſueto jejunium celebraſſet, & non niſi hora veſpertina ſexta, largis indulſiſſet epulis; accidit, ut hora duodecima nocturna doloribus ſpaſmodicis, regionem dextri renis, ubi inteſtino colo connexus eſt, occupantibus, & cum alvi obſtipationibus, flatuum pertinaci retentione, nauſea, conatibus ad vomendum, tenſionibus ventriculi atque vigiliis ſtipatis ex improviſo corriperetur. Surgit protinus ex lecto, & pavimento ſupinus incumbens, dolorum quidem aliquale levamen ſentit; at aſſidua in imo ventre murmura percepit, cum tanta inteſtinorum à flatibus expanſione, ut abdomen eſſet inſtar tympani. Vocatus medicus, cum non adeſſet febrilis commotio, in ipſo paroxyſmo exhibet ſal catharcticum amarum, & clyſterem ano infundi jubet. Paullo poſt & ego accitus, morbum in torſione atque contractione inteſtinorum laxatorum, & à flatibus expanſorum conſiſtere deprehendo; & alvum nondum apertam, clyſteribus emollientibus ac carminativis movendam curo. Sopitis etiam per antiſpaſmodica interne data, ſpaſmodicis inteſtinorum doloribus, oretenus propino blandum laxans; quod poſt aliquot horas copioſos flatus, & quandam acetarii crudi, & nondum digeſti educebat copiam. Licet autem alvus tali ratione ſuo fungeretur officio, & urina ſatis copioſa redderetur, cum multo ſabuloſo, ac mucido ſedimento; attamen dolores circa dictam dextri renis regionem adhuc per aliquot dies muſſitabant. Quare morbum fuiſſe colicam nephriticam ratus, venam in pede tundendam curavi: quo quidem factum eſt, ut remitterent paullo dolores; ſed iiſdem verſus veſperam, priſtinis ſtipati ſymptomatibus majori recrudeſcebant atrocia, & nullis plane obſecundabant remediis. Hinc poſtridie exhibebam lene vomitorium ex radicis Ipecacuanhæ ſcrupulo uno, tartari emetici grano uno, & tartari vitriolati granis ſex concinnatum: quod cum copioſam mucidam æque ac bilioſam ſaburram ἄνω καὶ κάτω duxiſſet, omnes protinus ſiluerunt dolores; & non minus ciborum adpetentia, ſomnus atque vires redierunt; quam etiam alvina excretio naturalem recuperavit ordinem. Sic ergo per aliquot dies optime habuit æger; & animi laxandi cauſſa, quædam itinera feliciſſimo fecit ſucceſſu. Verum enim vero pridie Nonarum Auguſti, cum inter prandendum acetarium ac ceraſa aſſumſiſſet, veſperi eodem malo prehendebatur: quod quidem, evacuatis per alvum, data ſalis cathartici amari uncia, & injectis enematibus ſolutam, permultis cruditatibus, ceraſa ac acetarium adhuc cruda foventibus, mox remittebat; ſed elapſis quatuor diebus poſt ſumtum vinum Rhenanum, cum eo, quod ex ceraſis paratur, mixtum, iterum recrudeſcebat. Injectis denuo clyſteribus evaneſcebat ſtatim, ſed adhuc urgent obtuſi circa renes dolores. Idcirco conſilium anhelat, ut ab iſto morbo penitus vindicetur, atque ſubinde præſervetur.

### *Conſultatio.*

Recte judicavit medicus, morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, nomen colicæ nephriticæ mereri; quæ non ſolum calculo ex rene dextro in uretherem impacto, verum etiam flatibus in inteſtinis oberrantibus in acceptis eſt ferenda. Calculum re adeſſe vera, atteſtantur dolor ſenſibiliſſimus in hypochondrio dextro ſubito obortus, qui fit, ſi calculus in pelvim ac principium uretheris tranſgreditur;

ditur; alvi obſtipatio, flatuum retentio, nauſea, conatus ad vomendum, appetitus proſtratio, vigiliæ, inquietudo, atque ſedimentum in urina ſabuloſum. Flatus autem ſubeſſe, patet ex continuis in imo ventre murmuribus, ac tympanitica abdominis inflatione. Inſignis nimirum per quotidianam ferme experientiam inter flatulentam ac nephriticam colicam deprehenditur conſenſus: quando enimcunque inteſtinum colon, & præſertim flexura illius, prope renem dextrum ſita, à flatibus infarctum diſtenditur; facillime fit, ut calculus in renibus commoveatur: quemadmodum etiam frequentiſſimum eſt, ut dolores renum calculoſi, vi conſenſus nervorum, ad ſenſibiles inteſtinorum tunicas propagentur. In tali caſu inferior potiſſimum inteſtini coli atque recti portio ſpaſmis adeo conſtringi ſolet, ut nec flatibus concedat exitum; qui ad ſuperiora magis vergentes, inteſtina non minus ac ventriculum mirum in modum diſtendunt, & hinc ſymptomata admodum exacerbant; contra vero ex ſupino decubitu, aut clyſterum infuſione plerumque ſublevantur. Ad huncce vero morbum in noſtro ægrotante variæ contribuerunt cauſſæ: veluti ſunt partim crebrior ac diuturnus pomorum, atque fructuum uſus, quippe quæ flatus gignunt, atque refrigerant; partim minus legitima ciborum maſticatio, qua ciborum digeſtio nimium læditur atque deſtruitur; partim denique ipſa provectior ætas, quæ in hoſce morbos admodum prona eſt, & vel leviſſimis cauſſis ad illos commovetur. Cujus igitur quod attinet curationem, ac præſervationem; laudo vehementer, quod medicus in paroxyſmo interna antiſpaſmodica exhibuerit, clyſteres emollientes ano infundendos curaverit, & denique venam tundi juſſerit. Procul enim dubio plethora laborabit ægrotus, quæ dolores ejuſmodi ſpaſmodicos admodum ſuſtentare, febriles commotiones, aliaque ſubinde ſymptomata excitare ſolet. Eo convenientior erit venæ ſectio, ſi æger forſitan hæmorrhoidum fluori fuerit obnoxius. Tum vero ad præſervandum hunc affectum, conſultum valde judico, ut diæta curatius in poſterum obſervetur, præſertim omnes cibi flatulenti ac refrigerantes ſedulo fugiantur, ac cuncta, quæ pedes potiſſimum atque ventriculum refrigerare, aut animi affectus excitare valent, omni ſtudio evitentur. Neque porro minus cibos probe maſticare; atque corpus ſedulo movere oportet. Præterea huic fini accommodatiſſimæ ſunt aquæ minerales; quas inter acidulæ Selteranæ in colicis atque calculoſis affectibus admodum efficaces quidem obſervantur: at ubi tonus ventriculi ſimul labefactatus exiſtit, uti in noſtro caſu; minus ſunt ſufficientes; & ideo magis commendarem Egranas, futuro vere potandas. Quum autem præſens tempus huic curationi minus ſit opportunum: aliam in uſum vocare oportet medicationem. Hæc meo quidem judicio feliciſſime inſtituetur; ſi bis quavis hebdomade quatuordecim mearum pilularum balſamicarum, quæ blande alvum movent, atque ſubinde tonum ventriculi roborant, veſperi capiantur, & ſequenti mane drachma una ſalis mei aperitivi aſſumatur: porro ſingulo mane quædam vaſcula infuſi theiformis hauriantur, & hora quinta meridiana ſexaginta guttulæ Elixirii ſtomachici adhibeantur. Quod ſi vero ipſe paroxyſmus nephriticus reciderit forſan: tum partim liquoris mei anodyni mineralis triginta guttas ſingulis duabus horis, partim pulveres antiſpaſmodicos ex pulvere marchionum, nitro & tantillo caſtorei concinnatos exhibere; partim denique clyſteres emollientes atque carminativos large oleoſos ano infundere expediet.

---

## CASUS XXI.

*De præſervatione atque curatione illuſtris fœminæ ex coli & calculi doloribus laborantis.*

Illuſtris matrona XXXVI. annorum, temperamenti ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi ac ſuccipleni, ante menſium eruptionem crebris animi deliquiis, ac cordis palpitationibus infeſtata eſt. Hi vero cum anno ætatis decimo quarto primum cœpiſſent fluere; ſatis largi ſemper fuerunt, & per novem inhæſerunt dies. Annos nata novem decim matrimonii leges ſubiit, & ſub illo octo fœtus cum inſigni ſemper virium proſtratione enixa eſt. Geſtationis enim tempore ad quintum uſque menſem crebris vomitibus, ac perpetua ciborum nauſea plerumque laboravit; nec ab illis curata eſt, licet ſub quavis graviditate venam ter ſecandam præbuerit: quid? quod eo tempore nunquam lateribus incumbere potuerit, ob dolorum, quos tum ſenſit, atrociam; ſed ſupina ſemper jacere debuerit. Ipſa puerperia nunquam non variis ſymptomatibus, mentis defectionibus, adpetitus proſtratione, calore præternaturali, cordis palpitationibus, atque vigiliis ſtipata fuerunt: quin poſt partum ante duodecim annos editum inſignis cruoris copia cum crebris deliquiis ex utero fluxit; & abdomen aliquantulum intumuit. Sed adhibitis poſthæc Aquiſgranenſibus balneis, detumuit venter, & dolores pedes ac genua occupantes evanuerunt. Amavit præterea à teneris diætam acidam atque ſalitam; & perpetuam alvi ſegnitiem perpeſſa eſt, adeo ut illa nunquam abſque clyſterum aut mannæ uſu, ſuo fungeretur officio.

In tali rerum ſtatu quatuor abhinc annis ex calculo potiſſimum laborare cœpit: ſiquidem exinde non ſolum crebris dorſi doloribus, atque vomitibus cruciata fuit, verum etiam copioſum ſabulum, & multos calculos, quorum noviſſime ex ſiniſtro potiſſimum latere cum multis doloribus excretus, inſtar amygdali fuit, cum urina ſæpe numero reddidit: nunquam autem ſanguinem ſimul minxit. Sed binis abhinc annis cœcas incidit hæmorrhoides; olim non niſi ſub puerperio adfligentes. Præterea noviſſimo ſemeſtri conqueritur de inflationibus atque doloribus in dextro hypochondrio ſub coſtis ſpuriis vehementiſſimis, ut nec attactum ferant; qui etiam ad femora atque pedes protrahuntur; cum aſſiduis flatibus.

Cæterum ex calidioribus ac ſuaveolentibus male habet; ſiti urgetur perpetua; nullo corporis indulget motui; hora nocturna duodecima ad ſomnum ſe componit, & matutina nona ſurgit: pro potu ordinario utitur vino Moſellano, aut Burgundiaco aquæ nupto; neque enim vina, nec alia ferre poteſt dulcia. Sanguis è vena miſſus, (mittitur autem bis quotannis) nec non ille, qui per menſes debito adhuc ſucceſſu gaudentes fluit, fœdus, pallidus ac viſcidus adparet. Sæpius ſub ipſis paroxyſmis balnea conſcendere ſuevit; nec ſine inſigni fructu, ac egregia alvi ſolutione, aquis

aquis Wisbadenſibus aliquoties uſa eſt. Contra vero à Pyrmontanarum acidularum, quas larga quantitate, & pondere quatuor menſurarum ſemper bibit, potatione majorem ventriculi inflationem, abdominis intumeſcentiam, atque inſigniores dorſi & à calculo dolores incidit. Currente hoc anno aquas Carolinas, & quidem ordinarias, quas *den Brudel* vocant, & interne potavit, & externe in balneis adhibuit; non ſine levamine, & copioſa muci per urinam excretione. Abſoluta autem hac curatione, cum forſan corpus nimio frigori expoſuiſſet ſub veſpertino aëre, inſigni calore poſt prævium horrorem, & horrendis in dextro hypochondrio doloribus prehenſa, ſed congruis remediis intra biduum ab illis liberata eſt. Eundem febrilem paroxyſmum, doloribus ſtipatum incidit poſt uſum balneorum Tœplicenſium, quæ ipſi minus prodeſſe videbantur, quoniam procul dubio thermæ iſtæ juſto calidiores fuerunt, & ipſis ad ventriculi uſque regionem inſederat. Quare jam ſalutare flagitat conſilium, qua potiſſimum ratione ab ulteriori malorum iſtorum inſultu præcaveri, & priſtinæ reſtitui queat ſanitati?

### *Conſilium.*

Quod ſi cuncta ſymptomata morbi illius, cujus hiſtoria ad me tranſmiſſa eſt, veluti ſunt dolores dorſi, inflativa moleſtia, quæ in dextro hypochondrio, ubi inteſtinum colon latet, percipitur, muci atque calculorum mictio, inſignis virium proſtratio, corporis debilitas &c. rite mecum perpendam; ea omnia à labefactata ventriculi digeſtione, & magna nervorum debilitate natales ſuos mutuari, facile perſpicio. Inter cauſſas vero, quæ hæcce mala in illuſtri matrona induxerunt, potiſſimæ ſunt temperamentum ſanguineum, habitus corporis ſpongioſus, vaſis exilioribus, per quæ tardius vehuntur humores, inſtructus, crebra puerperia, & multa ſymptomata ſub iſtis tolerata, vita ſedentaria, vigiliæ diutius protractæ, & denique irregularis acidularum Pyrmontanarum potatio. Quum autem ob inductam tali ratione ventriculi imbecillitatem, nec legitimus ex aſſumtis cibis chylus parari, nec inutiles humores atque cruditates per alvum, aut tranſpirationem ſeparari queant: inde quoque nec laudabilis ſanguis, nec ſpirituoſum ſatis fluidum nerveum, à quibus virium & functionum homini propriarum integritas dependet, generari poſſunt; ſed ſucci vitales redduntur inertes, viſcidi; ex quibus per renes circulantibus, accedente præſertim vita ſedentaria, & ſupino decubitu, calculoſæ ſubinde naſcuntur concretiones. Neque porro minus ex deſtructo inteſtinorum tono alvi ſuboritur ſegnities; qua fit, ut retentæ ſordes multam viſcidam tenacemque in inteſtinorum canale relinquant ſaburram, quæ flatuum vera eſt materies. At hi exitu deſtituti, ſi in flexuras inteſtinorum maxime coli impingantur, uti quidem in præſenti caſu circa coli principium atque flexuram prope hepar ſitam factum eſſe videtur; producunt atrociſſimos dolores, totum nervoſum genus in ſocietatem ſpaſmorum ſæpenumero rapientes.

Ut ergo à tantis malis vindicetur illuſtris fœmina; à recta victus ratione, quæ in curandis hiſce morbis magnam habet poteſtatem, inchoandum eſt. Hoc fine operæ eſt pretium, ut corpus vel ante vel poſt cibum, ambulatione pariter ac vectione ſub amico aëre exerceatur; atque crebris itineribus cœlum mutetur. Deinceps quoque cibos pingues atque nutrientes fugere; cœna parciori uti; vigilias nunquam ad ſeram noctem protrahere; & loco potus ordinarii ſequens aſſumere oportet decoctum: Recipe radicis chinæ uncias duas, radicis cichorei drachmas tres, herbæ cardui benedicti manipulum ſemis. M. C. D. F. ſpecies, quarum uncia una & dimidia cum tribus aquæ menſuris in vaſe clauſo per horam dimidiam coquantur, & tum drachma una Cinnamomi, totidemque corticum citri recentium admiſceatur. Hocce vero decocto non ſolum frigido vel ſolo, vel vino Burgundiaco nupto; ſed etiam calido mane intra lectum cum regimine uti licet.

Inter medicamina ad robur ventriculo inducendum, & naturalem alvi ſucceſſum promovendum nihil eſt præſtantius Elixirio meo ſtomachico atque balſamico, quod haud ſpirituoſo, ſed temperate lixivioſo menſtruo paratum eſt, & guttis LX. vel LXX. ex ſupra allegato decocto aut ante epulas, aut veſperi hora ſexta aſſumere expediet. Non minus egregium præſtabit fructum pulvis meus aperitivus & bezoardicus, pondere drachmæ unius bis vel ter quavis hebdomade capiendus: & denique futuro vere uſus Carolinarum repetendus erit. Hæc per aliquod tempus uſurpata, præſervando malo egregie facient ſatis. Quod ſi vero ipſi calculoſi dolores cum crebris vomitibus forſan reciderint: tum protinus clyſterem ex juſculo quodam, floribus chamæmeli, olei chamæmeli unciis duabus, ſalis Epſomenſis drachmis tribus, & nitri drachma una paratum ano infundere oportet. Interne vero pariter ex juſculo, olei amygdalarum dulcium, quantum duo vel tria capiunt cochlearia, capiatur; & liquor meus anodynus, qui ad infringendam dolorum calculoſorum atrociam divinam ferme obtinet virtutem, guttis quadraginta bis vel ter de die ex aqua ceraſorum nigrorum exhibeatur. Si dolores nihilo minus inhæſerint, & calculus ob vehementiam ſpaſmorum progredi nequeat: aliquoties de die in balneum temperatum, quod ex floribus chamæmeli, malvæ, ſemine lini, furfuribus tritici & aqua fluviatili paratum ſit, deſcendere conveniet. Deinceps quod colicos inteſtinorum dolores attinet; in his præter infuſionem clyſterum; extrinſecus loco affecto inungendum erit ſequens unguentum calidum: Recipe olei liliorum alborum unciam unam, olei carvi deſtillati, hyoſcyami ana drachmas duas, camphoræ drachmam ſemis. M. F. unguentum. Non minus ſummo cum fructu, maxime ſi æſtus fuerit præternaturalis, ſumetur quandoque pulvis bezoardicus cum antiſpaſmodico mixtus: nec minorem effectum pollicetur ſequens Elixirium, L. guttulis ſæpius adhibendum: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum recentium, tincturæ tartari ana drachmas tres, liquoris anodyni mineralis drachmas duas, eſſentiæ caſtorei drachmam unam, olei chamomillæ veri guttas ſex. M. D. Ad caput denique roborandum, præſertim ſi illius dolores atque vertigo acceſſerint; uſus balſami mei vitæ, cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixti erit accommodatiſſimus.

## CASUS XXII.

*De gravi ſpaſmo & dolore in recto inteſtino, cervice & vagina uteri cum ſanguinis ſtillicidio.*

Quadraginta novem annos habens matrona illuſtris, temperaturæ ſanguineo-cholericæ, obeſi valde corporis habitus, jam vero ob dolorum diuturnitatem atque ſomnolentiam paullo ſtrictioris, ad hanc uſque diem legitimo menſium gaudet ſucceſſu; & licet octodecim fœtus, quorum quinque mortui lucem aſpexerunt, fuerit enixa, à teneris tamen illibatam præ ſe geſſit valetudinem. Sed octo circiter abhinc annis ſcorbutica efflorefcentia mentum occupare cœpit; quæ vago circuitu mox evanuit, mox & præſertim verno tempore iterum recruduit. Multa huic malo oppoſuit medicamina, ſed fruſtra: quid? quod magneſiam albam, quam ſuaſu cujuſdam medici per octo ſucceſſive dies ſumſit, gravior exceperit adfectio. Namque mox poſtridie teneſmus primum levior occupavit inteſtinum rectum, qui brevi poſt adeo increvit, & tanto ſpaſmo ſtipatus fuit, ut horrendis cruciatibus totum contorſerit abdomen. Acceſſit inſuper tuſſis ſicca, de die gravior, quam noctu, quæ per aliquot hebdomades inhærens, tandem ſubito evanuit. Contra vero dolores illi in inteſtino recto magis invaluerunt; & tandem inſigni uteri ſpaſmo conjuncti ſunt, qui doloribus parturientium ſimiles, eo uſque ſævierunt, donec ſanguis vel floridus, vel coagulatus ex utero fluxerit. Tum enim per aliquod tempus remiſerunt; ſed brevi poſt, eandem ſcenam ludentes recruduerunt. Atque tantum abeſt, ut ex uſurpatis contra iſtas moleſtias, variis remediis levamen percepiſſet, ut potius adhuc ſuperveniſſent atrociſſimi dolores in lumbis, oſſe ſacro atque femore, qui in latere potiſſimum dextro ad genu uſque, cum pertinaci alvi obſtructione, extenſi ægram cruciarunt. Neque enim alvi ſolutio malo dedit inducias, ſed hanc plerumque vehementiſſimi denuo exceperunt cruciatus; ſæpiuſcule cruorem ex utero propellentes. Non minus ex inteſtino recto pariter ac utero haud raro ſeroſa fluxit colluvies, modo cum flatuum exploſione, modo ſola. Contra hoc malum variis etiam medicinis uſa eſt, & inter alia aquas Radmanſdorffenſes frigidas potavit: ſub quarum uſu alvum habuit ſolutam, & inſigne ſymptomatum percepit levamen. Verum abſoluta potatione alvus iterum obſtructa eſſe cœpit, & priſtini dolores redierunt, ſub quibus matutino præſertim tempore, cum alvum deponeret, cruor ſimul excretus fuit. Hinc devenerunt medici ad laxantium atque clyſmatum uſum; quæ quidem alvum duxerunt ſemper; ſed finita operatione, horrenda iterum tormenta dorſum pariter ac inteſtina obſederunt. Hæc equidem ſæpius ſponte per aliquot dies remiſerunt; at protinus illis ſucceſſerunt moleſtæ ventris à flatibus diſtenſiones: quas ſi vel medicinis oppugnaret, vel flatus per alvum excernere anniteretur, ſubito exceperunt dolores priſtini. Quamobrem meam tandem imploravit opem: hinc cum partim ob virium proſtrationem, partim in opportunum tempus, completam curationem adhibere non poſſem; exhibui mane juſcula medicata; ab epulis eſſentiam corticum aurantiorum, cum ſale volatili oleoſo Sylvii, & ſæpius eſſentia ambræ permixtam; nec non pulveres abſorbentes cum liquore anodyno maritatos; & loco cereviſiæ, decoctum ex radice ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ & ſemine fœniculi potandum juſſi. Sed cum ex his aliquale equidem per vices, minus tamen perpetuum inſequeretur levamen; acidulas Selteranas, lacti aſinino nuptas per tres hebdomades potari juſſi; verum nec alvum, niſi manna adjutæ, moverunt, nec dolores mitigarunt. Hinc tandem hirudines, quarum præſtantiſſima virtus in pertinacibus congeſtionibus hypochondriaco-iſchiadico-hæmorrhoidalibus mihi ſatis innotuit, binis ſucceſſive menſibus ano adplicandas curavi: quas quidem dolorum per aliquot horas remiſſio, haud conſtans vero ſequuta eſt ſublatio. Cæterum pulſus eſt ſatis regularis, & magnus; urina citrina abſque ſedimento; & ciborum integer adpetitus. Quum ergo ab iſtis malis vindicari cupiat illuſtris fœmina; tuum vir excellentiſſime implorat auxilium, & doceri avet, quonam laboret morbo, quænam illi, & præſertim doloribus dorſi, ac pertinaci alvi obſtructioni conferant remedia, & quænam convenientiſſima ſit diæta?

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de præſenti caſu perſcripta ſunt, intellexi; omnem calamitatum, qua illuſtris matrona premitur, catervam in vehementi inteſtini recti, atque cervicis pariter ac vaginæ uteri ſpaſmo atque dolore conſiſtere, qui ex cruoris in vaſis hæmorrhoidalibus internis, non ſolum inteſtinum rectum, verum etiam ramulis quibuſdam uterum cingentibus ſtagnatione primam traxit originem. Dum enim ob nimiam horum vaſorum ab infarctu ſanguinis copioſi factam diſtenſionem, membranæ nerveæ inteſtini recti pariter, ac uteri admodum comprimuntur, & diſtenduntur: ſuboriuntur inde dolores & ſpaſmi acutiſſimi, qui os ſacrum, femur, regionem lumbarem & pedes, vi conſenſus, quem hæ partes cum inteſtino recto, veſica urinaria, & utero, ob nervos ex oſſe ſacro prodeuntes invicem habent, acerbe ſimul afficiunt. Quod ſi vero in cauſſas, quæ huic ſtagnationi primam occaſionem dederunt, inquiram: has inter præter temperamentum ſanguineum, vitam ſedentariam ſexui ſequiori admodum familiarem, uſum ciborum nutrientium, ac vinorum procul dubio calidiorum, maximi facienda eſt ætas illa ægrotantis, in qua menſes ceſſare ſolent. Hoc enim tempore frequentiſſimum eſt, ut humores circa uterum & vaſa hæmorrhoidalia coacerventur; & ſæpiuſcule etiam hæmorrhagiæ conſequantur. Cum igitur in noſtra ægrotante, cruor copioſius ad dictas inferiores partes, intra pelvis cavitatem incluſas compulſus, vaſa quidem valde laxaverit; nihilo tamen minus per conſtricta eorundem orificia exitu potiri nequiverit: haud mirum, ſi ipſa preſſorios atque tenſivos illos inciderit dolores, qui totum corpus labefactarunt, vires peſſum dederunt, & ſomnolentiam induxerunt.

Quæ moleſtiæ ut recta ratione debellentur: operæ erit pretium motum congeſtorium, qui inferius ad uterum & inteſtinum rectum vergit, revellere & ad ſuperiora revocare. Quo quidem fine eo utilior erit venæ ſectio in brachio; quo magis pulſus magnus atque validus eximiam humorum indicat abundantiam. Hac nimirum de præſenti ſex cruoris uncias; poſtea vero ſingulis ſex hebdomadibus tres vel quatuor circiter detrahere oportet. Deinceps inſignem pollicetur opem emplaſtrum, ad os ſacrum, coccygis, & infimas dorſi vertebras adplicandum, quod ſic ſe habet; Recipe ceræ

ræ

ræ albæ, ſpermatis ceti ana unciam unam, croci, camphoræ ana drachmas tres. M. F. l. a. emplaſtrum. Circa os pubis vero atque perinæi regionem bis quotidie tepide admovendam intra lintea ſuadeo aquam arquebuſadæ; quæ ſtagnantes humores diſcutiendi, & laxatas partes roborandi, egregiam virtutem obtinet. Interne laudo uſum pulveris ſequentis: Recipe lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, pulveris marchionis ana drachmas duas, nitri purificati drachmam unam, cinnabaris præparatæ drachmam ſemis, eſſentiæ caſtorei guttas triginta. M. F. pulvis, qui pondere drachmæ dimidiæ vel unius veſperi ex emulſione cum ſeminibus quatuor frigidis majoribus, atque papaveris albi parata aſſumi poteſt. Alvi pigritiæ non præſtantius remedium eſt decocto mannato, cum olei amygdalarum dulcium uncia una permixto: cui etiam ſcopo accommodatiſſimæ ſunt pilulæ meæ balſamicæ, numero quatuordecim verſus imminentes menſes ſumendæ; maxime ſi ſtatim poſt earum ingeſtionem clyſter emolliens ex juſculo avenaceo, oleo chamæmeli & amygdalarum concinnatus, ano ſimul infundatur.

Quod denique diætam attinet: ſummo ſtudio arcere oportet omne frigus, maxime ab imo ventre & pedibus. Cavendum eſt ab animi affectibus, atque mœroribus; fugiendi cibi craſſiores, flatulenti, potus ſpirituoſi, triticei pariter ac lupulati; & horum loco decocto ab ordinario medico præſcripto utendum. Futuro denique vere aquas Schwalbacenſes in uſum vocandas hortor. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem illuſtris fœminæ proponenda duxi: quæ, niſi jam ipſa corruptio partes ſolidas occupaverit, deſideratam præſtabunt opem.

*Relatio.*

Poſtquam ægrotans commendata hæcce remedia per octo circiter uſurpaverat dies; aliquale quidem exinde percipere videbatur levamen; neque tamen minus adhuc inhærebant vehementiſſimi inteſtinorum, dorſi, oſſis ſacri atque femoris dolores; quid? quod vires magis magiſque imminui, & adpetitus proſterni cœperint. Quare iterum conſultus, præter ſuperius commendatum pulverem, ordinavi infuſum theiforme, ex herba millefolii, meliſſæ, veronicæ, floribus chamæmeli, & ſemine fœniculi concinnatum, mane ſex vel ſeptem vaſculis forbillandum: ſub epulis eſſentiam carminativam ex eſſentia corticum aurantiorum & ſpiritu de tribus paratam exhibui; & veſperi pilularum de ſtyrace & aloephanginarum ana grana ſex propinavi. Non minus extrinſecus partim ad diſcutiendos humores ſtagnantes, partim laxatas partes confortandas, ano quotidie injici juſſi clyſterem ſpecificum, balſamico temperantem, cujus hæc erat compoſitio: Recipe herbæ centaurii minoris, hyſſopi, agrimoniæ, ſummitatum millefolii, florum chamæmeli vulgaris ana manipulum unum: coque leni calore in aquæ communis libra una; colaturæ adde vini rubri Gallici uncias ſex, maſtichis, myrrhæ electæ ana drachmam unam cum dimidia: colatum div. in tres partes. Quum autem præterea tubercula quædam anum obſederant; illa unguento de linaria inungi, atque hirudines adplicari juſſi. Non equidem adhuc ſuſpicabatur medicus ordinarius internam corruptionem, quoniam dolor non in uno loco fixus erat, ſed vago circuitu mox os ſacrum, mox femur, mox inteſtina, mox regionem umbilicalem, mox inteſtinum rectum occupabat. Verum cum efficaciſſima remedia ſpem fefelliſſent, verebar omnino, ne labes ac corruptio quædam circa uterum lateret; & hinc hortabar medicum, ut eam regionem curatius viſitaret. Ille etiam brevi poſt in meam deſcendens ſententiam, ſcirrhoſitatem cervicis uteri ad ulcerationem & corruptionem cancroſam uteri vergentem metuebat: quam non ſolum ex alvo obſtructa, fœcum ſumme dolorifica excretione, cum ſanguinis ex genitalibus expreſſione ſtipata, & perpetuo ſeri ſubcruenti tam ex ano quam utero profluvio conjiciebat; verum etiam quoniam facta viſitatione, uteri orificium admodum inæquale, dolore tamen vacuum, & ad levem contactum, cruorem fundens deprehenderat. Quamobrem conſului, ut externis potiſſimum remediis ipſis affectis locis ſuccurreretur: quo fine externe regioni pubis intra lintea duplicata ſæpius adplicandam ſuaſi mixturam ex aquæ roſarum, Hungaricæ, & ſpiritus vini camphorati æquali pondere concinnatam. In ipſam vero uteri vaginam atque cavitatem, tepide injiciendum commendavi liquorem balſamicum & traumaticum, qui ſic ſe habet: Recipe gummi elemi, benzoes, maſtiches, myrrhæ, aloes, ſuccini ana unciam ſemis, florum roſarum rubrarum, hyperici ana pugillos quatuor, croci, balſami Peruviani ana drachmam unam; affunde ſpiritus vini rectificatiſſimi libram unam, & leni calore extrahe. Hujus eſſentiæ balſamicæ recipe unciam ſemis, affunde vini Gallici libram ſemis, aquæ roſarum, plantaginis, florum ſambuci ana uncias duas, adde mellis roſati unciam ſemis. M. D. Verum licet primum ex horum uſu quædam ſanitatis ſpes affulgeret: attamen recidebant omnia ſymptomata, & magis increſcebant, ut adeo non potuerim, quin lethiferum præſagirem eventum.

---

## CASUS XXIII.

### *De eroſione ulceroſa tunicarum recti maxime inteſtini.*

Vir ſexagenarius habitu olim erat ſucci pleno; per noviſſimum autem biennium, quo perpetuo ad alvum reddendam ſtimulo ſolicitatus eſt, contabeſcere cœpit corpus. Accidit autem ante aliquod tempus, ut cum alvum, quæ ſemper fluxilior fuit, fortiori niſu aliquando deponeret; poſt præviam ſonitus cujuſdam in dorſo perceptionem, larga cruoris copia cum fæcibus ejiceretur, & abhinc frequentiores fierent deſidendi pruritus. Inanes ſæpenumero ſunt illi conatus; neque excrementa, niſi ſumtis concoctu difficilioribus aut frixis cibis, ſpiſſiora egeruntur; ſed plerumque pituita duntaxat, inſtar albuminis ovi, interdum ſanguine tincta, primum evacuatur, & tum ſequitur ſtercorum duriorum, ſæpius excrementis ovillis ſimilium, nunquam vero lientericorum egeſtio. Haud etiam raro ſolus cruor ater, coagulatus, qui craſſitie pennarum anſerinarum in notabilem extenditur longitudinem, abſque ſcybalis emittitur: neque minus purulenta nonnunquam adparet materies; qualem præſertim ſub injectione clyſterum, fiſtulæ adhæſiſſe obſervavit chirurgus. Deſidendi pruritus adeo infeſtat ſæpius, ut fæces prius effluant, quam latrinam attigerit; præterea vero extra dejectionem excrementorum, regio circa anum aſſiduam, eamque loturæ carnium ſimilem plorat humiditatem; ut ideo induſia perpetuo madeant, ſiccata rigeant, & ita eliquentur, ut facillime dilacerari poſſint. Adparuit inſuper ante aliquot hebdomades tuberculum quoddam lividum in

in ani confiniis; ſed ſucceſſive ſponte evanuit. Cæterum adpetitus ſibi conſtat; nec concoctio laborat vitio; vinum fugit, ſed cerevisiam cum fructu bibere ſuevit. Obnoxius autem eſt fluori hæmorrhoidali: quod licet ipſe negaverit; attamen retulit, ſe olim ſæpius cruorem cum excrementis reddidiſſe, & tum non ſolum dolorum, quos in dorſo ac abdomine tolerare ſoluit, inſigne levamen percepiſſe, verum etiam podagram, qua ſæpiuſcule, & per octo nonnunquam hebdomades fuit infeſtatus, mitiorem fuiſſe, & vix per unam alteramve inhæſiſſe ſeptimanam.

Conſultus ego, ægrotum, qui temperamenti erat cholerici, cachectico morbo ex hæmorrhoidibus irregularibus, ſimulque nimiis, & partim exulceratis ſuborto laboraſſe deprehendi; hinc bis quavis hebdomade pulverem dedi ex rhabarbari ſcrupulo uno, ſaphiri præparati ſcrupulo dimidio, atque olei aniſi guttula concinnatum; iiſdemque diebus mane pariter ac veſperi clyſterem ex radice altheæ, fabariæ, herba & floribus verbaſci, hyperici, melle roſato, & oleo hyperici ano infundendum curavi. Non minus ordinavi eſſentiam ſtomachico-theriacalem cum liquore martiali; animam rhabarbari antimoniatam; pulverem cachecticum Wedelii; & cum hunc averſaretur æger, electuarium ex pulvere caſcarillæ, pimpinellæ albæ, antimonio martiali Ludovici, electuario de baccis lauri, aqua cinnamomi cydoniata, & tantillo theriacæ Andromachi paratum, veſperi aſſumendum; & denique trageam ſtomachicam, non adeo ſaccharatam, ab epulis capiendam. Inde remiſit aliquantulum teneſmus; cum autem ſanguinis decubitus ad venas ſedales per venæ ſectionem olim bis quotannis inſtitutam, per noviſſimum biennium vero intermiſſam, magis invitatus videretur: quatuor circiter cruoris unciæ ex mediana in ſiniſtro brachio revulſionis cauſſa tuſa detrahebantur. Sanguis, qui ater, & ſpiſſus erat, magno proſiliebat impetu; & ubi refrixit, inſtar corii adparebat tenaciſſimus. Interim poſt venæ ſectionem haud magis cruentæ reddebantur dejectiones; ſed potius podagra recrudeſcebat; quam brevi tempore ſponte evaneſcentem, exceperunt vehementes in latere ſiniſtro puncturæ, cum tanta ſpirandi difficultate, ut æger ſuffocari ferme videretur. Verum & hæc moleſtia poſt crebras pectoris cum linteis calidis frictiones brevi remittebat, & copioſo alvi profluvio ſolvebatur. Abhinc etiam paullo melius habere videbatur; & non ſolum ſomnus quietior accedebat, verum etiam teneſmus, atque deſidendi cupiditas imminui cœperunt. Inſuper aſſidua imi ventris murmura adfligebant, cum nulla flatuum excretione; urina vero citrina, nubeculam in medio, & ſpumam in ſuperficie fovens, abſque ullo mingebatur ſedimento. Neque ideo diſcedebam ab uſu priorum remediorum; & adjungebam tantummodo loco pulveris ſtomachici eſſentiam pimpinellæ albæ, cum eſſentia ambræ, & guttis aliquot balſami ſulphuris aniſati remixtam, guttatim ſine vehiculo adhibendam; & pro potu herbæ Théebois ſummitates millefolii ordinabam. Et hæ ſunt affectiones, quibus afficitur generoſus æger; quarum etiam medelam ab illuſtri Hoffmanno proponi flagitamus.

*Conſilium.*

Conſiderata morbi, cujus cauſſa conſultus ſum, hiſtoria; deprehendo, ægrotum eroſione ac exulceratione tunicarum inteſtinalium internarum, præſertim recti & inferioris coli laborare. Namque inter horum inteſtinorum tunicam nerveam ac muſcularem, capaciores rami vaſorum hæmorrhoidalium internorum, quæ per meſeræum tranſeunt, excurrunt: quorum à ſanguine ob impeditum per venam portæ regreſſum ſtagnante infarctorum, tandem inſequutæ diſruptioni, quæ tum temporis, cum ſub fortiori inter deſidendum niſu ſonitus in dorſo perceptus fuit, contigiſſe videtur, & eroſionis & exulcerationis natales debentur. Hæc vitia facilius forſan debellata fuiſſent, ſi protinus vena tuſa, decocta vulneraria data, & clyſteres conſolidantes infuſi eſſent: jam vero, cum ob temporis diuturnitatem tunicæ partim exulceratæ, partim eroſæ atque calloſæ videantur, difficillimam omnino admittent curationem. Conſuluerat me haud ita pridem Judæus quidam, quem ſimilis affectus eodem modo invaſerat, iiſdemque cruciaverat ſymptomatibus. Laboraverat autem illo, cum iſchiadicis doloribus ſtipato, per octo integros annos; ac denique atrophiam, appetitus proſtrationem, & colica inciderat tormina, atque tandem hectico calore conſumtus periit. Interim eo tempore, præter rectam vivendi rationem, à nullis majus levamen percepit ſubſidiis, quam acidulis Selteranis, balneis Amaſianis, ac crebra infuſione clyſterum lacteorum, cum oleo amygdalarum dulcium, vitellis ovorum, Therebinthina, floribus chamæmeli & ſaccharo permixtorum. Vix igitur credo, quod in noſtro caſu perfectæ ſanationi futurus ſit locus; ſed omnes nervos eo duntaxat intendere oportebit, ut graviora ſymptomata mitigemus & arceamus. Cui quidem ſcopo ſicuti pharmaca ac multa medicamina minus ſatisfactura arbitror: ita è contrario ſequens medicatio fore, ut magis inſerviat, ſpero. Conveniet nimirum quandoque alvum purgare blando laxante, quod ſic parari poteſt: Recipe mannæ electæ uncias duas, rhabarbari Alexandrini ſcrupulos duos, cremoris tartari drachmam unam: ſolve & coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque, colaturæ adde olei de cedro italici guttas tres. M. D. In locum potus ordinarii commendo hoc decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ, conſolidæ majoris, ſcorzoneræ, ſantali rubri ana uncias tres, radicis liquiritiæ unciam unam, ſeminis fœniculi, nuciſtæ ana drachmas duas. M. F. ſpecies, quarum unciæ binæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquantur. Mane vero infuſum herbæ atque ſummitatum millefolii, quinque vel ſex vaſculis loco herbæ Théebois ſorbere expediet; nec alienum erit vinum Rhenanum, maxime ſi cum drachma dimidia coralliorum atque lapidum cancrorum quilibet hauſtus fuerit permixtus. Denique oſſi ſacro ac ſiniſtro lateri adplicandum ſuadeo emplaſtrum, quod ſic ſe habet; Recipe emplaſtri de ſpermate ranarum unciam unam cum dimidia, camphoræ, croci, aluminis ana ſcrupulos duos, olei hyoſcyami guttas viginti. M. F. l. a. emplaſtrum. Et hæc ſunt, quæ reſpondenda duxi; non enim alia ratione ſanitatem, ſi adhuc reſtiterit ſpes quædam, impetrari poſſe arbitror: faxit Deus, ut cedant feliciter.

*Relatio.*

Adhibitis hiſce præſidiis, primum æger melius habere videbatur: verum haud ita multo poſt recruduit malum immedicabile, & tandem hectico calore, pedum tumore ac corporis ſuperioris conſumtione ſtipatum, elapſis quinque menſibus, ægrum è medio ſuſtulit.

CASUS

## CASUS XXIV.

### *De debilitate generis nervoſi cum excreſcentia ani.*

Vidua, novem ultra quadraginta annos nata, ſanguineo-cholerica, habitus corporis ſpongioſi, ſed animi valde ſenſibilis, ſub recta vivendi ratione juventutis annos in proſpera tranſegerat valetudine. Neque etiam tempore matrimonii, in quo quinque liberorum felix erat mater, gravioribus infeſtata fuit ægritudinibus; at crebram mœrorum atque ſolicitudinum habuit occaſionem. Quadraginta annos nata ex vehementi terrore ſubitaneam menſium paſſa eſt ſuppreſſionem; quam, cum nihil curaret, horrendi capitis dolores, vertigine & apoplecticis inſultibus ſtipati exceperunt; ſed cum ex facta, gravi lapſu, frontis ſupra orbitam oculi ſiniſtri percuſſione, largam ploraſſet cruoris copiam, protinus evanuerunt. Abhinc venæ ſectio in uſum vocata eſt; verum admodum irregulariter; nam modo bis uno anno celebrata, modo per duos intermiſſa fuit. Neque tamen minus, elapſo poſt menſium ſuppreſſionem biennio, hæmorrhoides erumpere cœperunt, & ſubinde per multos annos, ſtatis periodis cum inſigni levamine fluxerunt; donec tandem noviſſima æſtate, neglecto debito ſub fluxus tempore regimine ſubſtiterint. Tum vero ſucceſſerunt ſpaſmodici dorſi & inteſtinorum dolores; quos oppugnaturus medicus, hæmorrhoidum revocationem tentavit. Exhibuit hunc in finem interna antiſpaſmodica, nitroſa, præcipitantia, reſolventia, laxantia, pilulas balſamicas Hoffmanni pariter ac Stahlii, & pediluvia cum triticeis furfuribus commendavit. Rediit etiam ſatis largus hæmorrhoidum fluor, & per illum ſanguis modo floridus, modo grumoſus, modo etiam albo fœtidoque muco remixtus effluxit: nihilo tamen ſecius inhæſerunt imi ventris ſpaſmi, qui ſæpius totum ſiniſtrum latus atque caput, in conſenſum rapuerunt, quin & apoplecticos ſimularunt inſultus. In tali rerum ſtatu, elapſo proxime autumno, alter medicus ad derivandas hæmorrhoides, venam in manu juxta pollicem tundi jubet; detrahebatur ſanguis, more in affectibus ſpaſmodicis conſueto, admodum floridus: at malum ingraveſcebat magis magiſque, & non ſolum ægram lecto penitus affigebat; verum etiam atrociſſimis in dorſo ac oſſe ſacro doloribus, alvi ſegnitie, inquietudine, refrigeratione extremorum, & intolerabili ardoris in ano ſenſu ſtipatum ſæviebat. Adhibebantur priora denuo remedia, & cum ſub horum uſu cœcæ intumeſcerent hæmorrhoides, his prævia fomentatione adplicabantur hirudines. Hæ licet multum cruoris detraxerint, tantum tamen aberat, ut malo ſuppetias tulerint; ut potius internæ hæmorrhoides adeo ſimul turſerint, ut etiam clyſteres, ad alvum movendam, aut ſpaſmos ciendos injecti, vehementem induxerint dolorem. Hinc farctæ admodum manebant internæ hæmorrhoides; aſſidui inteſtinorum ſpaſmi inhærebant; alvi perpetua erat obſtructio, ut non niſi data Manna exonerari potuerit; ac denique nova ſuperveniebat moleſtia, doloris pariter ac periculi plena. Externe nimirum circa ani orificium, dura, ac nucem juglandem magna excreſcentia ſuborta eſt; in cujus apice efloreſcunt ſæpius puſtulæ albæ, ſponte vero etiam evaneſcunt. Cæterum in ſuperiori parte mollior eſt; ſed durius compreſſa, dolorificam exhibet duritiem. Hanc excreſcentiam chirurgus pro tumore hæmorrhoidali habens, primum injectionibus atque ſacculis diſcutiendam curavit; quibus nihil proficientibus, emollientia adplicuit; ſed nec hæc duritiem imminuerunt, ſed longe atrociores intulerunt dolores. Meo quidem judicio condylomatis nomen hoc tuberculum meretur; quod ab humoribus ibidem ſtagnantibus generatum, per aſſiduum in lecto decubitum duritiem ſuam acquiſivit.

Præterea ægrotans quotidie hora quinta veſpertina horrorem incidit, qui cum ſubſequente mox leniori, mox graviori æſtu ad mediam uſque noctem inhæret: matutino tempore melius habet. Tum quoque pulſus eſt naturali ſimilis, qui veſperi durus ac celer fertur; urina mingitur rubicunda, cum pauco ſedimento; ciborum adpetentia vaga; ſitis nulla; ſomnus irregularis, abſque tamen ſudoribus. Neque ullis jam utitur remediis, præter liquorem anodynum mineralem, ad ſopiendos dolores mane ex juſculo tenuiori ſumtum: & quum nihil in votis magis habeat, quam ut à moleſtis hiſce ſymptomatibus tandem aliquando liberetur; tuum, vir illuſtris, flagitat conſilium; & doceri avet, unde ſuborta fuerit illa ani excreſcentia? quibuſnam remediis illa pariter, ac reliquum malum ſit oppugnandum? & num huic fini convenientes ſint acidulæ?

### *Conſultatio.*

Morbus, cujus mecum communicatam hiſtoriam probe perpendi, valde eſt corruptus, ac inveteratus: ſiquidem non ſolum tota humorum maſſa impura exiſtit, atque ſcorbutica, & eorundem circulatio per abdomen & meſenterium læſa videtur; unde etiam ſanguinis in inteſtino recto ſuboriuntur ſtagnationes; verum univerſum quoque nervorum genus, atque caput inſigni affectum eſt debilitate. Optaſſem ergo, ut conveniens ſubſidium mihi in promtu eſſet, ex quo ægrota certum expectare poſſet levamen. Ani quidem excreſcentiam curæ expeditioris chirurgi relinquo; qui omni ſtudio eo reſpiciat, ne in moleſtam ani fiſtulam degeneret. Ego ſaltem in tali caſu egregiæ virtutis, tam purificantis atque conſolidantis, quam etiam dolores ſopientis deprehendi ſequens unguentum: Recipe olei ex vitellis ovi recentibus unciam unam, olei hyoſcyami drachmas duas, florum ſulphuris ſcrupulos duos, extracti croci ſcrupulum unum, camphoræ grana ſex. M. D.

Quod reliquum attinet morbum: operæ erit pretium, omnem fugere cereviſiam, & ejus loco pro potu ordinario vel decoctum quoddam, vel acidulas Veteraquenſes cum quarta vini Rhenani parte remixtas ſeligere. Sub epulis ex ultimo hauſtu ſexaginta guttulas Elixirii mei viſceralis aſſumere convenit, quod minus ſpirituoſum, ventriculum roborat, & acrimoniam temperat: veſperi autem alternis diebus portionem quandam pulveris mei bezoardici, cum præcipitante & quindecim liquoris anodyni guttis remixti ex acidulis Veteraquenſibus capiat. Cæterum corporis moderato exercitio ſtudere, omnes animi affectus cane pejus evitare, ac recto vivendi genere uti oportebit.

## CASUS XXV.

*De fluxu inordinato hæmorrhoidali in fœmina.*

Matrona triginta quatuor annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, vitæ ſedentariæ à teneris dedita, & modico vini uſui adſueta, menſium fluorem, & dum virgo eſſet, & conjugii tempore, ſemper imminutiorem paſſa eſt. Alvi ſubinde obſtructioni per aliquot jam annos obnoxia, & contra illam Elixirio Proprietatis ſæpiuſcule uſa fuit. Primum gravida, multum cruoris è naribus reddidit: altera vero & tertia vice utero gerens, hæmorrhoidum ſatis largum fluorem, cum dolorifico tumore, flatulentiis & alvi ſegnitie ſtipatum incidit. Hic licet ſub noviſſima graviditate per binos menſes ſiluerit, abhinc tamen ſæpenumero, cum recenſitis ſymptomatibus, calore interno, & inſigni oris ſiccitate junctus rediit; & plerumque per tres vel quatuor inhæret dies. Conſultus medicus venam tundi juſſit; pulveres temperantes nitroſos exhibuit; externe fomenta ac linimenta ordinavit; & cum ægra clyſterum injectionem recuſaret, ad movendam alvum, infuſum ex foliis ſennæ præſcripſit. Non minus variorum exterorum ope uſa eſt medicorum: ſed cum nihilo ſecius pertinaciter inſiſtat malum, illuſtris Hoffmanni conſilium flagitat.

### *Conſultatio.*

Ex præſenti morbi hiſtoria facile patet, quantus inter hæmorrhoidum irregularem fluxum, ac menſium inordinatum ſucceſſum ſit conſenſus: illum enim horum imminutioni in acceptis eſſe ferendum, extra omne poſitum eſt dubium. Namque primum ex ſedentario vitæ genere humorum ſpiſſitudinem ſibimet contraxit ægrota: cui cum acceſſerit frequens Elixirii Proprietatis uſus, quod aloën fovet crudam & minus correctam; inde non ſolum humores inſigniter commoti, verum etiam loca hæmorrhoidalia valde ſtimulata, earumque ſpaſmodicæ ſtricturæ admodum adauctæ ſunt. Hinc vero alvi ſegnities, more remediis aloëticis conſueto, magis invaluit, & menſium ſucceſſus impeditus fuit. Inde non fieri potuit, quin motus menſtrui ad alias corporis regiones regurgitaverint, & tandem geſtationis tempore in narium hæmorrhagias non minus, ac hæmorrhoidales eruperint profuſiones. Hæ cum moleſtis admodum & dolorificis ſtipatæ ſunt ſymptomatibus; neceſſe omnino eſt, ut illis opem feramus, & eo fine perverſos motus in naturalem ordinem redigamus, craſſitiem humorum attenuemus, & denique ipſa ſymptomata mitigemus. Cavendum autem probe eſt, ne motus illos hæmorrhagicos remediis adſtringentibus, narcoticis internis irritemus, aut incorrectis aloeticis, aliiſque ſtimulantibus commoveamus; quorſum præſertim uſus vinorum recentium, maxime Thuringicorum ſpectat. Contra vero, ut votis noſtris potiamur, operæ ante omnia erit pretium, alvi regularem promovere ſucceſſum. Cui ſcopo licet accommodatiſſima obſerventur enemata: attamen cum eorum injectionem abhorreat ægra, pari ſucceſſu ſubſtitui poterunt leniora laxantia, veluti ſunt paſſulæ laxativæ, infuſum rhabarbari cum paſſulis majoribus & minoribus; aut idem infuſum cum corticibus aurantiorum & arcano tartari. Deinceps venæ ſectionem, bis vel ter quotannis, pro circumſtantiarum ratione celebrare expediet, & quidem ſemper in pede: quoniam motus & menſtrui & hæmorrhoidales irregulares ſunt, & niſi deriventur, ad alias, eaſque nobiliores partes, majori ſanitatis detrimento vergere ſolent. Neque porro minus crebriori corporis exercitio ſtudere, ac copioſiori potui indulgere oportet: qui minime ſit flatulentus; ſed v.g. theiformis, cum corticibus citri, cinnamomo, aut aniſo ſtellato permixtus.

Quod ſi vero hæmorrhoidalis fluor acceſſerit: crebro aſſumendi ſunt pulveres antiſpaſmodici ex oculis cancrorum, antimonio diaphoretico, nitro atque cinnabari concinnati; quibus alternis circiter diebus duo vel tria grana extracti caſtorei, vel caſcarillæ addi poterunt. Non minus proficuum erit, ſemel vel bis quotidie quadraginta guttas eſſentiæ roborantis ex eſſentia caryophyllatæ, gentianæ rubræ, caſcarillæ atque millefolii confectæ. Quo vero etiam dolorificis hæmorrhoidum protuberantiis ſuppetiæ ferantur: commendo cataplaſmata ex emollientibus, ac reſolventibus cum lacte, croco atque camphora parata: aut unguentum florum verbaſci, oleo chamæmeli, liliorum alborum, hyoſcyami, maſtiches ac tantillo camphoræ atque croci nuptum. Pari ratione proderunt fotus emollientes, ac leniter nervini tam humidi, quam vaporoſi: nec non emplaſtrum Vigonis cum mercurio, quod tantillo camphoræ, croci, floribus ſulphuris ac oleo hyoſcyami permiſceri poteſt; aut porro linimentum ex oleo florum verbaſci, liliorum alborum, laurino, ovorum, ſpermate ranarum, oleo expreſſo papaveris, mucilagine ſeminis pſyllii, tantillo olei hypericonis, camphora & croco concinnatum. Nec minorem ſpondet operam ſcrophularia cum lacte decocta, & intra linteamina tepide adplicata: quam HENRICUS ab HEER *Lib. I. obſerv. medicin.* admodum commendat. In uſum quoque vocari poterit experimentum à WEDELIO in *M.N.C. dec. I. anno 5. obſ.* 195. allegatum: ubi fabariam, aut telephium, collo vel pedibus appenſum, tanquam certiſſimum contra mariſcas hæmorrhoidales remedium atque amuletum collaudat.

Præterea vero tam pharmaceuticis remediis, quam recta vivendi ratione, in qua fugiantur cibi concoctu difficiliores, ſufficiens autem potus, & modicus vini uſus concedatur, menſium ſucceſſum promovere oportet; quo quidem ſcopo, ſi alvus aperta fuerit, moderata balnea & inſeſſus præclaram omnino præſtabunt opem. Quæ omnia ſi rite obſervaverit ægrota, de felici curationis eventu nullus dubito.

## CASUS XXVI.

*Siſtens conſilium in fluxu hæmorrhoidali nimio.*

Cum ad illuſtriſſimum quendam Comitem, variis huc uſque moleſtiis infeſtatum vocatus eſſem: ipſe coram inſpexi corporis conſtitutionem. Erat enim temperamenti ſanguinei, atque naturæ robuſtæ; quare etiam à teneris ferme nullis unquam obnoxius fuerat ægritudinibus. Quum autem ætate ingraveſcente diætæ lautæ, opiparæ, vino-

vinoſæque nimium indulſiſſet, vitam vero ſedentariam amaviſſet, & venæ ſectiones neglexiſſet: non fieri potuit, quin accumulati humores, æquabili circulationi fuerint impedimento. Hinc naturæ factum eſt beneficio, ut hæmorrhoidalis tandem accederet fluxus; quo per multos annos ſingulis ferme menſibus, ſufficiens ſanguinis abundantis cum inſigni fructu excreta fuit quantitas.

Verum enim vero, poſtquam perilluſtris Comes noviſſimo abhinc hyeme, corpus ſub itinere vehementi refrigerationi expoſuerat, & hac tranſpirationis ſalutarem prohibuerat ſucceſſum: accidit, ut cœcæ hæmorrhoides, inſigni dolore ac ardore ſtipatæ anum obſederint. Curatæ quidem debitis remediis hæ fuerunt moleſtiæ: ſed circa vernale præſentis anni æquinoctium, hæmorrhoides fluere cœperunt copioſiſſimæ, & per tres ferme menſes inhæſerunt. Supervenit inſuper dolorifica & inflammatoria oculorum congeſtio; quam congruis medicinis debellatam exceperunt ſucceſſive crebræ pectoris & abdominis tenſiones, gravativi atque preſſorii in oſſe ſacro dolores, ſæpius ad femora ac pedes extenſi, frequentes ad mictum conatus, appetitus proſtratio, ac denique concoctionis vitium.

Ex hiſce vero ſymptomatibus judicatu eſt facillimum; quod ſucci vitales non tantum dyſcraſia quadam laborent; verum etiam tardiori ac difficiliori progreſſu per viſcera abdominis, ac venam portæ ferantur: hinc ob debilitatum partium ſolidarum tonum in inferioribus inteſtinis ſtagnent, & per alvum copioſius egerantur. Quum autem in tali rerum ſtatu vires corporis magis magiſque proſternantur, & futuræ cachexiæ omnino metus ſit: eo reſpiciendum erit, ut hæc mala remediis pharmaceuticis pariter ac diæteticis quam ocyſſime tollantur. Hoc fine conſultiſſimum erit, humores, qui abundantia ac ebullitione, teſtante pulſu, peccant, tuſa in brachio vena imminuere; & ſic eoſdem à partibus inferioribus, quæ inſigniter labefactatæ videntur, derivare. Tum ad uſum aquarum mineralium deſcendere oportet: quas inter Carolinas thermas, licet jam antea inſigni cum emolumento fuerint potæ, iterum commendare haud poſſum; quoniam de illis metuo, ne debilitatas jam partes magis labefactarent, atque hæmorrhoidum fluorem redderent copioſiorem. Magis arrident acidulæ Schwalbacenſes aut Spadanæ; quippe quæ deſtructum partium ſolidarum robur iterum reſtituendi, præclaram vim obtinent. Has autem parciori quantitate, & prioribus diebus mane menſuræ circiter dimidiæ pondere potare conveniet, deinde portionem augere: non minus ſub earum potatione inter paſtum acidulis Selteranis, ſi illarum binæ partes cum una vini Rhenani aut Moſellani parte fuerint permixtæ, uti; & ex ultimo hauſtu ſexaginta Elixirii balſamico-ſtomachici guttas adſumere expediet. Et denique ſub hac curatione, abſoluta ciborum digeſtione, in aëre ſereno corpus movere præſtabit; probe arcendo omne frigus, ne exinde pori corporis conſtringantur. Quod ſi vero haud arriſerint hæ acidulæ; in earum locum Selteranæ commode ſubſtitui poterunt.

Pridie autem, antequam inchoëtur hæc curatio, alvus ducenda erit leni laxante, quale drachma una magneſiæ bene præparatæ, cum eadem quantitate ſalis amari permixta conſtituit. Hoc etiam ipſi aquarum potui, ſingulis ſex vel ſeptem diebus interponi; & abſoluta potatione repeti debet. Poſt hanc vero medicationem conſultiſſimum fore judico, ut illuſtriſſimus æger ob nimiam ſanguinis abundantiam bis vel ter quotannis, maxime circa æquinoctia, venam vel in brachiis, vel pedibus tundendam præbeat, & inde ſex vel octo cruoris uncias detrahendas curet. Non minus operæ erit pretium, quavis hebdomade bis vel ter doſin quandam pulveris mei præcipitantis, liquoris anodyni quindecim guttulis nupti, veſperi ex hauſtu aquæ frigidæ adhibere: quippe qui acres humores attemperandi, æſtum internum ſopiendi, & placidum ſomnum reſtituendi, egregiam poſſidet virtutem. Hungaricum autem vinum, cum ſanguinem vehementer commoveat, aut plane fugiendum, aut parca ſaltem bibendum eſt quantitate: nec nimium indulgendum meditationibus, aliiſque mentis laboribus; ſed potius corporis exercitio eo magis ſtudendum. Quæ ſi rite obſervaverit perilluſtris æger; non dubito, quin voti ſui in recuperanda ſanitate futurus ſit particeps.

---

## CASUS XXVII.

### *De pathematibus ex hæmorrhoidum turbis.*

VIr quidam, ſeptem & quadraginta annorum, illibata olim gaviſus valetudine, tribus abhinc annis colicis inteſtinorum doloribus, alvi obſtructione, ac humorum orgaſmo ſtipatis laborare cœpit. Hos magis invaleſcentes, ac ſæpius recurrentes conſultus medicus modo refrigerantibus, modo calidioribus, maxime caſtorinis oppugnavit remediis: ſed cum ſpes vota fefelliſſet; æger ipſe medicos ſcriptores aggreſſus, relatum legit, colicam hæmorrhoidalem ex ſanguine cum excrementis reddito potiſſimum cognoſci. Hinc cum ipſe ſua ſtercora cruore permixta obſervaſſet; ſe tali omnino laborare colica credidit; ſed negavit id ordinarius medicus, & ſanguinis excretionem ex arroſis forſan ob humorum acrimoniam inteſtinorum vaſculis derivans, pertinax inhæſit ſuæ medicationi; quam remediis humores mundificantibus, eſſentia antimonii, lignorum, ſpirituoſis, aliiſque in flatulenta colica adhiberi vulgo ſolitis hactenus inſtituerat. Malum interea magis magiſque increvit, & æger aliquando peregre factus, lecto plane affixus fuit. Quare alterius medici opem flagitavit, qui omiſſis calidioribus medicinis, ac ipſo cereviſiæ potu, ipſum aquam vino nuptam potare, ac præviis Sedlicenſibus aquis, Selteranas acidulas adhibere juſſit; & denique pilulas Stahlianas propinavit: quæ cum acidulis iſtis multam ſaburram, cruore coagulato, corruptoque permixtam per alvum eduxerunt. Inde perſuaſus æger, morbum ex hæmorrhoidum turbis fuiſſe ſubortum, alius iterum medici curæ ſe tradidit: ex cujus conſilio, quod ſub Litt. A. adnexum deprehendetur, uſum pilularum Stahlianarum continuavit; & hocce anno circa utrumque æquinoctium venam præbuit tundendam. Verum enim vero cum negotiis obrutus, crebris animi affectibus indulſiſſet; non omnino potuerunt rite ſuccedere hæmorrhoides: licet etiam noviſſimo menſe Julio, cruor copioſus circa novilunium ſponte dejectus, ſpem futuri fluoris facere videretur. Tum enim brevi poſt, accedente forſan diætæ vitio, redierunt alvi obſtructiones pariter, ac colici dolores. Neque tamen minus ſperavit

æger, fore ut miſſo circa inſtans autumnale æquinoctium ſanguine evaneſcerent hæ moleſtiæ: & factum etiam eſt, ut eodem die, quo vena erat inciſa, circa veſperam, alvus fieret fluxilior. Vocatus poſtridie prior ac ordinarius medicus conſervare voluit alvi fluxum, & hoc fine dedit Elixirium proprietatis cum Rhabarbaro; non minus loco pilularum Stahlianarum, quas improbavit, infuſum atque pulverem, ſub Litt. B. recenſitum ordinavit. Sed male exinde habere cœpit æger; omnibuſque viribus deſtitutus, extra lectum commorari haud valuit: nihilo tamen ſecius præſcripta hæc remedia per quatuor hebdomades uſurpare debuit; donec tandem eadem pertæſus, ad uſum pulverum vitalium, antiſpaſmodicorum, ac eſſentiæ amaræ Hallenſium confugeret. Cum autem ex hiſce etiam remediis graves humorum ebullitiones, quin & narium hæmorrhagias incurriſſet: iis quoque miſſis, ſolum antiſpaſmodicum pulverem, ſub Litt. C. deſcriptum, adhibere cœpit. Neque vero hic ſolus ſuffecit; ſed potius moleſtiſſimi ructus, qui omnem eripiebant ſomnum, & ægrum ſedendo in lecto noctem tranſigere cogebant, aſſidui inhærebant. Hinc in manus ejus forſan veniebant remediorum Hoffmannianorum recenſiones; ex quibus, cum primas vias multis cruditatibus obſeſſas crederet, primum adhibuit ſal minerale aperitivum, quod etiam multas fæces atque ſordes per alvum duxit. Tum quoque Elixir ſtomachale atque viſcerale uſurpare cœpit, interpoſito quavis veſpera, pulvere antiſpaſmodico: & inde optime habuit, præſertim cum loco cruoris atri coagulati, quem antea per alvum reddiderat, noviſſimis diebus larga pituitæ, florido ſanguine permixtæ excerneretur copia. Hinc ſpem fovet certiſſimam, fore ut ex Illuſtris Hoffmanni conſilio ſanitatem recuperaret; quod hiſce anxie flagitat. Ipſe cæterum ab omnibus capitis doloribus immunis deprehenditur, nec ulla viſcerum labe laborare videtur: contra vero à tenaci muco, aſperæ arteriæ incumbente, & pharyngis dolorem inducente multas patitur moleſtias. Hic enim laborioſo conatu exſcreari debet; excretus ſalſum refert ſaporem, atque noctu ſæpiuſcule, tuſſim excitando, ſomnum turbat; qui alias ſatis tranquillus obſervatur. Sed appetitus tantum non totus eſt proſtratus; abhorret omnem carnem, ac juſcula inde confecta; nec niſi pulte farinaceo, juſculis hordeaceis, ac cereviſia calidiori veſci poteſt. Denique nec ignorari oportet, ipſum ex pediluviis, aut clyſteribus domeſticis, quibus nonnunquam uti ſuevit, egregium percipere allevamentum.

Litt. A.

*Conſilium Medici.*

Moleſta, quibus æger immaniter tractatur, ſymptomata non niſi ex hæmorrhoidum minus felici ſucceſſu originem ſuam trahunt. Quæcunque enim illorum huic cauſſæ minus propria videntur ac eſſentialia; ea certe perverſæ medendi rationi in acceptis ferenda ſunt. Hinc ante omnia hortor, ne contraria in uſum vocentur remedia, nec talia uſurpentur, quæ hæmorrhoidalem fluxum vel nimis promovendi, vel ſuſſlaminandi facultate pollent, aut humores graviter commovent: ſed conſultum potius erit, blandis temperantibus, diſcutientibus, ac evacuantibus uti. Cui quidem ſcopo accommodatiſſimas judico pilulas balſamicas, numero quindecim matutinis interdum capiendas horis: quippe quæ non quidem violenter alvum movent, ſed blande moliuntur, & omnes præterea humorum ſopiunt commotiones. Præterea in orgaſmis ſanguinis compeſcendis egregium uſum ſpondet pulvis antiſpaſmodicus; granis quindecim vel viginti bis vel ter quotidie aſſumendus. Et ſi forſan, more his adfectibus, incongrua medicatione tractatis conſueto, flatulentæ ſupervenerint moleſtiæ: bis quotidie triginta guttulæ mixturæ carminativæ, quæ ex eſſentiæ pimpinellæ albæ uncia dimidia, & caſcarillæ drachmis duabus conficitur, adhiberi poterunt. Cavendum autem à medicaminibus ſpirituoſis, pariter ac multo aquarum mineralium maxime Sedlicenſium uſu: quippe quæ majorem inferent noxam, quam utilitatem. Contra vero diætæ, non quidem nimis ſcrupuloſæ, ſed tamen exactæ, & præſertim corporis motui inſiſtere; & bis quotannis ex vena in pedibus ſecanda, quinque vel ſex cruoris uncias detrahere oportet. Quæ rite obſervata felicem mali exſtirpationem pollicentur.

Litt. B.

Recipe radicis taraxaci, ſcorzoneræ, graminis, polypodii ana unciam, cichorei, lupuli ana unciam ſemis, herbæ ſcolopendrii, agrimoniæ, cuſcutæ, hepaticæ nobilis, chamædrios ana manipulum, ſummitatum abſynthii Pontici, fumariæ, florum Bugloſſæ, cichorei ana manipulum ſemis, ſeminis fœniculi drachmas tres, paſſularum minorum unciam ſemis: inciſa coquantur vaſe clauſo, in ſeri lactis, aquæ cichorei ana libra una cum dimidia ad ſufficientem extractionem: colentur unciæ quindecim: d. ad vitrum.

Recipe tartari vitriolati drachmas duas. Div. in 6. p. S. *Eröffnende Pulver.*

Litt. C.

Recipe tartari vitriolati, nitri depurati ana unciam ſemis, cinnabaris antimonii præparatæ grana quinquaginta. M. F. pulvis antiſpaſmodicus.

*Conſultatio.*

Quantum quidem ex morbi hiſtoria, copioſe pariter ac eleganter deſcripta colligere licuit: omnia, quibus æger adficitur ſymptomata, dolores, ſpaſmi & flatulentiæ ex humorum ſtagnatione, in vaſis meſaraicis, maxime hæmorrhoidalibus, inteſtinum colon atque rectum cingentibus facta, ſuos omnino mutuantur natales. Stagnationi vero huic generandæ ſatis efficaces cauſſæ fuerunt temperamentum ægri ſanguineum, vita ſedentaria, multi mentis labores cum meditatione juncti, ac frequentes animi commotiones. Vehementer autem doleo, morbum iſtum à medico primum, qui illius cauſſas minus recte perſpexiſſe videtur, tractatum; deinceps vero per tot, varioſque medicorum auſus ferme corruptum fuiſſe: cum meo quidem arbitrio ſtatim ab initio, venæ ſectione in pede, moderato corporis exercitio, acidulis Egranis, pulveribus nitroſis, atque balſamicis pilulis, feliciter ſuperari, & hæmorrhoidum ſucceſſus promoveri potuiſſet. Quemadmodum enim in hiſce adfectibus fluxu hæmorrhoidali nihil ſalubrius deprehenditur: ita nec ejuſdem perverſa tractatione eſt pernicioſius quicquam: quorſum mala vivendi ratio, remedia calidiora, atque commoventia pariter,

riter, ac copioſa refrigerantia; nitroſa, ac denique cuncta, quæ tonum ventriculi labefactant, pertinent. Hac etiam ratione, decoctum illud ſub Litt. B. communicatum, licet in certis caſibus virtute ſua minime deſtituatur, tamen in præſenti malo majorem ventriculi debilitatem induxit, & ideo, vitiata digeſtione, ructuum generationi inſignius dedit augmentum. Idcirco cum non ſolum ventriculus, ac inteſtinorum canalis atonia laborant, verum etiam totius corporis vires proſtratæ videantur: perarduum omnino erit, funditus exſtirpare malum, præſertim quum hyemalis accedat tempeſtas, quæ horum morborum curationi minus deprehenditur opportuna. Neque tamen minus, quo dictis regionibus naturale reſtituatur robur; conſultiſſimum judico, ut æger mane intra lectum pariter, ac hora quarta pomeridiana liquoris mei anodyni mineralis, binis partibus cum una Elixirii ſtomachici remixti triginti guttulas, ex ea, quam ſexta menſuræ pars capit, aquæ frigidæ quantitate, ſucceſſivis tamen aſſumat hauſtibus. Extrinſecus regionem ventriculi balſamo meo vitæ aliquoties de die inungere; & alvum ſegnem injectione clyſterum domeſticorum moliri conveniet. Potui ordinario minus idoneam exiſtimo cereviſiam; ſed hujus in locum, ſi tulerit ventriculus, commendarem decoctum ex hordei excorticati manipulo uno, radicis ſcorzoneræ, & cornu cervi raſpati ana uncia una, radicis cichorei drachmis duabus confectum; quæ ſpecies in tribus aquæ menſuris ad conſumtionem tertiæ partis coquuntur, percolantur, tum quinque olei de cedro guttulæ adduntur, & hoc decoctum quarta vini Rhenani parte permixtum pro potu inſerviat. Præterea animi tranquillitati, quantum fieri poteſt, ſtudere; corpus in æquali calore conſervare; ac inter cibos crebro juſculis, ex carnibus gallinarum, vitulinis cum ſucco citri paratis, aut ex aquæ duabus partibus, vini una parte, mica panis, cumino & ſaccharo confectis veſci oportet. Et hæc ſunt quæ proponenda duxi; optaſſem tamen, ut adhuc in morbi hiſtoria commemoratum fuiſſet, qualis matutino præſertim tempore feratur pulſus? qui ſi forſan fuerit celer, indicaret calorem lentum & hecticum, & ſpem reconvaleſcentiæ longe minorem faceret.

---

## CASUS XXVIII.

*An pathemata ſpaſmodica hæmorrhoidalia à pilulis Becheri cum reſina jalappæ permixtis prognaſci poſſint?*

Strenuus quidam Centurio, annorum quadraginta, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis ſpongioſi & ſucci pleni, nullis unquam naturalibus hæmorrhagiis adſuetus, niſi quod ſemel ante quatuor annos hæmorrhoides fluentes, ſed mox iterum evaneſcentes paſſus fuerit, nec venas ſecandas præbere ſolitus, quatuor circiter abhinc menſibus incidit in nauſeam, mane potiſſimum vomendi conatu junctam, nec non adpetitus proſtrationem, alvi obſtructionem, atque lancinantes tenſivoſque dorſi & abdominis dolores. Conſultus medicus exhibuit protinus quindecim grana pilularum balſamicarum Becheri, cum quatuor granis reſinæ jalappæ præparatæ, ſive cum pineis tritæ acuatarum: ex quibus aliquoties alvum ſatis large depoſuit. Neque vero ullum ſymptomatum exinde percepit levamen; ſed accedebant præterea ſpaſmodicæ dorſi ac imi ventris tenſiones, circa os ſacrum maxime adfligentes, ſtupor crurum, continuus teneſmus, anorexia, ructus, vomitus, alvi obſtructio, atque quædam circa anum irritatio, ac ſi ſolidius ipſi inhæreret corpus, quod excrementorum exitui obicem poneret. Superveniebat denique febris lenta, & poſt dictorum ſymptomatum remiſſionem adhuc perdurabat inſtar tertianæ: ſiquidem alternis diebus, horis pomeridianis brevi horrore, cum ſubſequente notabili calore adoriebatur. In tali rerum ſtatu protinus ab initio, ad imminuendam plethoram, & præcavendam inflammationem, vena in pede tundebatur, non ſine inſigni ſymptomatum levamine. Nec extrinſecus ſine fructu in uſum vocabantur frictiones abdominis cum ſpirituoſis, clyſteres, fomentationes per inſeſſum: ad febrim extinguendam propinabantur potiones ex aquis diapnoicis cum ſucco citri, conchis, antimonio diaphoretico, liquore anodyno minerali confectæ; & cum nonnunquam pavores ac ſubſultationes tendinum accederent, pulveri lumbricorum terreſtrium nuptæ: non minus dabantur pulveres ex abſorbentibus, ſalibuſque neutris concinnati, & ob dolorum vehementiam verſus noctem cum uno vel altero maſſæ pilularum de Cynogloſſa grano permixti. His paulatim obſecundabant ſymptomata, & deſinebant tandem in cœcas hæmorrhoides, parum cruoris fundentes: ſed adhuc reſtabat, ut poſt quamvis, etiam naturalem, eamque largiorem alvi excretionem, dolores inteſtinorum commoverentur. Quamobrem, ut partim relaxatis venæ portæ vaſis robur reſtitueretur, partim febris lenta præſcinderetur; adhibebantur roborantia, & quidem modo pulveres ex ſalibus neutris, abſorbentibus, aliquot croci martis antimoniati granis, & flavedine corticum aurantiorum parati; modo tinctura martis tartariſata Ludovici & Lemery; modo electuaria ex conſerva roſarum rubrarum, corticum aurantiorum, pulvere caſcarillæ, tartaro vitriolato Tachenii, floribus ſalis ammoniaci, & ſyrupo cinnamomi confecta. Hinc etiam factum eſt, ut remittente febre, æger priſtinæ redderetur ſanitati, atque ſuis muneribus vegetus iterum fungi potuerit. Verum enim vero haud ita pridem, prævia corporis incaleſcentia, eadem revertebantur ſymptomata; ſed poſt datos pulveres ex conchis citratis, & ſalibus neutris protinus remittebant. Tum adhibuit æger quædam ab alio medico remedia; ex quibus non ſolum pejus habebat; ſed quoque poſt aliquod tempus, bis ex improviſo gravi mentis deliquio prehendebatur. Quod licet factis præcordiorum frictionibus, ac calidis fomentationibus brevi tempore expugnaretur: tamen ſuccedebant vertigo, ructus crebri, dorſi dolores, atque coryza. Hinc miſſo ob inſtans æquinoctium ex vena in pede inciſa ſanguine, ventriculi regioni imponebatur emplaſtrum de cumino & cruſta panis, cum oleo menthæ malaxatum; interne dabatur ſal digeſtivum Sylvii, oleo corticum aurantiorum nuptum; & eſſentia corticum aurantiorum, ſpiritu nitri dulci, & ſalis ammoniaci aniſato permixta. Et ſic debellata ſunt hæc ſymptomata; niſi quod ructus ac vertigo adhuc nonnunquam infeſtent. Neque tamen minus ad ſalvandam medici famam in quæſtionem venit:

1. Num memoratum laxans, quod pilulæ balſamicæ cum reſina jalappæ acuatæ conſtituebant, adeo violentum ac draſticum vocari mereatur pur-

gans?

gans, ut excitandis, quæ ægrum cruciarunt, ſymptomatibus ſolum ſuffecerit?

2. Anne potius præſens affectio fuerit colica hæmorrhoidalis?

3. Utrum in illa venæ ſectio fuerit ſalubris, nec ne?

4. Num ex fontium medicatorum, præſertim Triburgenſium, aut Pyrmontanorum uſu, perfectam mali curationem liceat expectare?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Communicatus mecum caſus, & in illo quædam quæſtiones fuerunt propoſitæ; quarum primæ ſatis facturus, non poſſum allegatum purgans, in viro quadragenario exhibitum, pro tam violento habere, ut præſentem morbum excitaverit, aut magis adauxerit: cum non ſolum pleraque ſymptomata, jam ante illius uſum præſto fuerint; verum etiam reſina jalappæ cum amygdalis ſive pineis trita in inteſtinis haud coagulari potuerit. Contra vero ſi conſideravero, ægrum noſtrum ob ſanguineum temperamentum, diætam lautam, intermiſſam venæ ſectionem, & alias forſan cauſſas, inſignem ſibimet contraxiſſe ſanguinis abundantiam, quam natura etiam aliquot abhinc annis per hæmorrhoidalem fluxum imminuere tentavit: facile intelligo, omnium ſymptomatum cauſſam ex cruore in vaſis hæmorrhoidalibus internis accumulato eſſe derivandam. Dum enim ille in dictis regionibus ſtagnavit, tumorem primum in inteſtino recto progeneravit; exitu vero per hanc viam denegato, ad vaſa venæ portæ ſubinde regurgitavit, & ſic humorum circulum in viſceribus imi ventris reddidit inæqualem. Quamvis igitur dictæ pilulæ tantæ haud fuerint efficaciæ, ut ſanguinis per venas ſedales excretionem promovendo, mali ſymptomata ſuſtulerint: tamen nullo modo pro horum cauſſis haberi poſſunt. Et rectiſſime egit omnino conſultus medicus, quod per venam in pede tuſam, humorum molem imminuere; atque clyſterum & fomentationum ope fluxum hæmmorrhoidalem revocare tentaverit. Enim vero neminem, in frequenti artis exercitio verſatum fugiet, quanta diuturna pariter ac periculoſa mala ſuboriri ſoleant, ſi cruor in inteſtinis inferioribus ſtagnaverit, & exitu per anum deſtitutus, inteſtinorum tunicas nimium diſtenderit. Inde enim pleraque ſpaſmodica hypochondriacorum, ad quorum claſſem noſter etiam ægrotus pertinet, ſymptomata, curatu difficillima ſuos mutuantur natales.

Quamobrem præſentem morbum, juxta alteram quæſtionem, non tantum pro colica hæmorrhoidali, ſed etiam affectu ſpaſmodico, totum inteſtinorum volumen, ventriculum atque meſenterium occupante habendum eſſe arbitror. Mentis vero deliquia non niſi à cruoris circulo per cordis ventriculos retardato originem trahunt; quod circuitus impedimentum humoribus magno impetu, in cordis dextrum ventriculum pariter ac auriculam compulſis, & has partes inſigniter diſtendentibus debetur. Neque enim polypoſa adhuc metuo concrementa, cum pulſum nondum intermittentem, nec ſpirationem poſt corporis motum anxiam ac difficilem eſſe, ex morbi hiſtoria percipio.

In tali rerum ſtatu, ad tertiam reſponſurus quæſtionem, adeo neceſſariam judico venæ ſectionem in tam ſanguineo ſubjecto, ad hæmorrhoidalem evacuationem prono, ut ejus omiſſionem pro principali omnium ſymptomatum cauſſa, omnino agnoſcendam eſſe credam.

Et quod denique quartam attinet quæſtionem: certiſſimum eſt, præſens malum abſque thermarum, balneorumque uſu, nec non aëris mutatione & pertinaci victus obſervatione nunquam ſublatum iri. Quare commendo thermas Carolinas, futuro vere potandas, & tum balnea Tœplicenſia adhibenda: quippe quæ ad tollendos hoſce morbos ſæpius deprehendi præſtantiſſima. Cæterum à potu vinoſo atque cereviſiario abſtinere, & ſola aqua uti; ac præter venæ ſectiones, pulveres abſorbentes interdum adhibere conveniet.

---

## CASUS XXIX.

### *De malo hypochondriaco.*

VIr annos triginta natus, decimo jam quinto ætatis anno peculiari affectu infeſtari cœpit. Nimirum ſingulo vere ac autumno, mane potiſſimum ſub frigidiori tempeſtate, moleſti ardores, ac puſtulæ ſcorbuticæ faciem, manus atque pedes obſidere ſueverunt; quibus ventriculi roſio, ac inſignis edendi cupiditas ſupervenit; ſumtis autem cibis, vel radice ariſtolochiæ rotundæ protinus remiſerunt omnes moleſtiæ. Succeſſu temporis narium hæmorrhagiæ, non ſine levamine, acceſſerunt: ex quibus æger, qui præterea ſtaturæ longioris, habitus ſtrictioris, vaſiſque capacioribus inſtructus eſt, pro tabis pulmonalis candidato judicabatur. Hinc ſingulo mane lac caprinum, poſtea vaccinum calide potare debebat: ſed paullo poſt in hypochondriacas incidebat paſſiones. Quæ, licet primum corporis exercitio mitigari potuerint, tamen paulatim magis magiſque invaleſcebant; & accedente ob cholericum, quo pollet, temperamentum crebra iracundia, tandem æſtu potiſſimum volatico, ac oculorum caligine, ſemet exſerebant. Potavit igitur, ſuaſu quorundam, per binos ſucceſſive annos, acidulas Egranas, & quidem frigidas ſatis copioſa quantitate, cum addita martis limatura; ſed tantam exinde ventriculi debilitatem ſibimet contraxit, ut jejunus inſigni præcordiorum anxietate, artuum tremore, ac canina ferme fame corriperetur; neque etiam minus ſumtis epulis male haberet. Hinc variis porro curationibus improvide tractatus, majorem ſucceſſive ſymptomatum hypochondriacorum vehementiam tolerare cœpit; niſi quod alvus nunquam obſtructa, ſed ſemper laxa fuerit. Tandem ob atrocem utriuſque hypochondrii tenſionem, medici immedicabilem jecinoris atque ſplenis infarctum ſuſpicabantur. Nihilo tamen minus, cum poſt adhibitas tincturas, ac pulveres antihypochondriacos ſemper aliquale mali levamen ſequeretur; & inſtitutis circa æquinoctia in pedibus venæ ſectionibus, catarrhales plerumque narium ac pectoris affectiones ſuccederent, cum ſubſequente corporis & animi alacritate: non omnem ſalutis ſpem abjecit æger. Quare potius, quoniam crebri ructus, ac vomendi conatus ipſum invadebant, purgantibus primum ſibi conſulere putabat: quæ cum magis debilitare viderentur ventriculum, ad vomitoria confugiebat; neque vero ex his obſtructiones atque tenſiones ventriculi ac hypochondriorum penitus remittebant. Tum forſan incidebat in lectionem ſcriptorum Hoffmanni diæteticorum, & cum legiſſet, præſtantiſſimam ac univerſalem ferme in aqua latere medicinam: ſingulo mane infuſum theiforme, quod veronicam, ſcordium, atque trifolium

folium habebat, larga & ſere duarum menſurarum quantitate, inter obambulandum, & fumum Nicotianæ ſugendum potare cœpit. Hinc mucus, qui antea in ventriculo ac circa cordis ſcrobiculum, veluti impactus erat, emolliri videbatur; & licet præcordiorum anxietates accederent, tamen gaudebat, quod majori facilitate abſque nauſea, ſi capite inclinato hypochondria comprimebat, vomere potuerit. Non minus veſpertino tempore poſt leviſſimum corporis motum, ſaburra acidiſſima ſponte eructabatur: qua excreta, ſpiratio faciliima ſuccedebat, atque præcordia quaſi exinanita videbantur. Idcirco continuabat decocti illius potationem mane pariter ac veſperi; & inde matutino tempore copioſiſſimam pituitam, meridiano autem acidam duntaxat ac bilioſam ſaburram vomitu reddebat. Sic emollita ventriculi regione, reſtabat adhuc hepatis pertinaciſſima obturatio, ac vehementiſſima inflatio: ſed hanc etiam tandem relaxabat, dum illam regionem, vinculis perpetuis conſtrictam, poſt potas calidiores aquas, manu fortius comprimebat, & ſic incarceratum ibidem mucum, vomitu excernere poterat. Abhinc noviſſima æſtate ad thermas Carolinas adiit, iiſdem mali reliquias expugnaturus: at his nunquam ducebatur alvus, niſi veſperi pilulas balſamicas, mane ſal Epſomenſe ſumeret, aut clyſteres ſibi infundendos curaret; ſed omnis aqua, quam ſingulo mane quadraginta vaſculorum quantitate potabat, cum multo viſcido ac bilioſo mucu per vomitum eructabatur. Hinc domum reverſus iterum, potationem infuſi theiformis ſupra allegata ratione continuavit, & nonnunquam pulveres abſorbentes interpoſuit: quo tandem factum eſt, ut utrumque hypochondrium, ac regio circa cordis ſcrobiculum ab omni muco libera, & quaſi vacua redderentur. Non minus vomitus jam fiunt rariores; & mane atque veſperi ſæpius nulli: contra vero poſt corporis motum à meridie inſtitutum, plerumque bilioſa acris ſaburra ex ore fertur; licet tum non potetur infuſum. Interim nondum ab omni moleſtia liber eſt; ſed his potiſſimum adhuc infeſtatur ſymptomatibus.

Namque primum tonus ventriculi ac reliquorum viſcerum adeo labefactatus eſt, ut, ſi per aliquod tempus ſederit æger, protinus inflativis ventriculi atque ſcrobiculi cordis doloribus, ſpirandi difficultate, ac preſſorio in oculis ſenſu afficiatur, & inter reſpirandum flatus in ſiniſtro hypochondrio inſtar aquarum fluctuent: donec vel per ſuperiora, vel inferiora eructentur. Quæ vero ſymptomata, præcordiorum atque abdominis fortiori conſtrictione aliquantulum mitigare poteſt. Hora nona matutina, poſt præviam oſcitationem, atque corporis languorem, moleſta ventriculi roſione infeſtatur; quæ quidem ſumto ſimilæ fruſto, vel pulvere abſorbente paululum remittit, ſed remanet tamen avida ciborum adpetentia ad prandium uſque. Tum vero excipiunt ventriculi inflationes, gravis ſpiratio, & omnium actionum torpor: ac denique hora pomeridiana quarta, poſt inſtitutum corporis motum, acris bilioſa ſaburra eructatur. Si ſub epulis potaverit vina dulcia, aut Hungaricum; moleſtam in œſophago ſentit titillationem: quæ, ſumto Rhenano invaleſcit, & avidiori fame ſtipatur. Fortiorem ingreſſum inſequuntur obtuſi & tenſivi utriuſque hypochondrii dolores: ſæpius quoque, laxata potiſſimum alvo, moleſtæ tractiones ab humeris ad cervicem aſcendunt, quæ collum diſtorquendo, caput inſtar emproſtothoni, deorſum & ſimul antrorſum flectunt. Neque porro minus tenſiva titillatio nonnunquam percipitur in dextro hypochondrio juxta ventriculum, ubi forſan veſicula fellea reſidet; quæ ſæpenumero ad ipſa uſque extenditur labia, cum peculiari eorundem motitatione, ſuctionem fumi Nicotianæ æmulante; atque violenta pedis dextri agitatione. Videtur ea regio adhuc muco quodam obſtructa; ſpaſmis ab hoc veluti liberanda: quod ſi vero acida ac bilioſa eructetur materies, aut ſternutamenta accedant, remittunt hæ moleſtiæ. Mitiſſimæ non minus obſervantur poſt ſumtas pridie pilulas balſamicas; ſed, quod notatu dignum eſt, acerbiores antecedunt alvi dejectionem, qua facta iterum mitigantur. Neque etiam ignorari oportet, haſce affectiones pro varia tempeſtatis ratione admodum diverſas exiſtere: hac enim pluvioſa, torpidus ac languidus obſervatur æger: ſicuti etiam, cœlo exiſtente ſereno, longe vegetior deprehenditur. Jam quoque abſque ulla moleſtia infuſum theiforme ex veronica, meliſſa, fœniculo, ſalvia & millefolio confectum potare poteſt: cum ventriculus olim non niſi amarulentas tulerit herbas, aut agrimoniam. Diætam cæterum per aliquot annos exactiorem obſervat, nec acida, lacticinia, poma &c. ob inde inductam vehementiorem ventriculi fermentationem, nec eundem ob finem cereviſiam Löbeginenſem aſſumit; ſed pro potu ordinario, cereviſia lupulata, cornu cervi raſpato permixta, cum fructu uti ſuevit.

*Conſultatio.*

Ex iis, quæ de adverſa ægri cujuſdam valetudine, mihi perſcripta ſunt, facile intellexi; illam omni jure paſſionis hypochondriacæ, quæ maximum medicorum eſt ſcandalum, mereri nomen. Quamvis autem hiſce temporibus frequentiſſimum deprehendatur illud malum: attamen pauci ſunt medicorum, qui illius originem, cauſſam, ac veram ſedem rite perſpexerint; quemadmodum ex variis, quas fovent, opinionibus luculenter patet. Quidam enim paſſionem eam ex obſtructione vaſorum in meſenterio capillarium, alii ex infarctu ſplenis; alii ex ſaburra acida, viſcida atque bilioſa ventriculi derivant; alii denique omnia ſpaſmodica, quæ præſto ſunt, ſymptomata pro ſalutaribus naturæ habent moliminibus, quibus humores ſuperfluos ac ſtagnantes per venas ſedales eliminare intenderet, ſed voto ſuo ſæpius privaretur. Verum enim vero, mea quidem ſententia, atrox hoc malum non niſi perverſo, quin imo inverſo ventriculi ac inteſtinorum motui periſtaltico debetur, qui in harum valde nervoſarum partium ſpaſmodica ac convulſiva contractione non minus, quam earundem atonia atque reſolutione conſiſtit. Quemadmodum enim ab integra, & naturali ventriculi ac inteſtinorum periſtalſi, debita ciborum concoctio, ſucci chyloſi legitima ſecretio, ac fæcum alvinarum ſalutaris excretio dependet: ita è contrario ab eodem motu periſtaltico, per humores in flexuris, plicis atque valvulis inteſtinorum ſtagnantes, perverſo ac labefactato, non ſolum dictæ harum partium functiones admodum deſtruuntur, verum etiam multi flatus atque ſpaſmi progenerantur, qui per conſenſum cum reliquis nervoſis partibus, univerſum corpus in triſtem violentorum motuum rapiunt ſocietatem.

Quamobrem crebra compertum habeo experientia, hypochondriacam hanc paſſionem ab iis cauſſis, quæ nervoſarum illarum partium tonum ac elaterem deſtruendi facultatem poſſident, facillime gene-

generari. Hujus generis ſunt diuturnus mœror, gravis terror, vehemens refrigeratio, potus frigidus, maxime poſt iram, terrorem, violentos vomitus ac alvi dejectiones, aut corporis incaleſcentiam ingeſtus, largior ciborum acidorum aſſumtio, frequens purgantium fortiorum uſus, inordinatus aquæ frigidæ & acidularum potus, ac denique opiatorum & adſtringentium in cohibendis fluxionibus ſanguinis, alvi profluviis, & febrium acceſſionibus abuſus. Non minus huc ſæpenumero contribuit nativa generis nervoſi, & præſertim ventriculi & inteſtinorum debilitas; quæ etiam nimiis ſanguinis profuſionibus, multis vigiliis, immodicis meditationibus, laboribus mentem fatigantibus, vitæ ſedentariæ, maxime quæ corpore incurvato fit, vehementi hypochondriorum compreſſioni, quæ maxime in ſexu ſequiori per veſtimenta compreſſoria locum habet, haud raro in acceptis ferenda eſt. Hæ nimirum cauſſæ, præſertim ſi plures illarum concurrant, adeo deſtruere valent ſaluberrimum ventriculi & inteſtinorum elaterem; ut, niſi tempeſtivæ ferantur ſuppetiæ, noxioſiſſimum illud, quod hypochondriacum vocant malum, preſſo inſequatur pede. Quam arduum vero ſit, ejuſmodi ex vitio partium ſolidarum propullulantes morbos funditus exſtirpare; iis, qui in frequenti artis verſantur exercitio, erit notiſſimum.

Quod ſi igitur eas perpendam cauſſas, quæ morbum iſtum in noſtro produxerunt ægroto: has inter ſemet offerunt crebræ narium hæmorrhagiæ, in juventute toleratæ, vita ſine motu deſes, multi mœrores ac ſolicitudines, perverſus acidularum Egranarum cum limatura martis, nimia quantitate, & frigide potarum uſus, & ſæpius data purgantia. Hiſce enim tonus ventriculi & inteſtinorum adeo læſus ac inverſus fuit; ut flatus ad ſuperiora compulſi, in flexuris coli potiſſimum inteſtini, quæ in utroque hypochondrio deprehenduntur frequentiſſimæ, ſubſtiterint, & tali ratione alvinæ obſtructionis, ructuum, anxietatum, vomendi conatuum, atque tam violentarum dextri maxime hypochondrii inflationum, luculentas ſuppeditent rationes. Hinc vero, cum flatus ac motus humorum ad ſuperiores magis regurgitarunt partes, æger ex vomitibus ſe levatum iri putavit: ſed nec his conatibus ſubſcribere poſſum. Licet enim vomitus illi lenioribus duntaxat ſubſidiis, atque copioſo infuſorum calidiorum potu provocati, & nonnunquam etiam ſymptomatum levamen intuliſſe fuerint viſi: nihilo tamen ſecius inverſio motus periſtaltici iiſdem longe pertinacior reddita eſt. Neque ideo mirum, quod thermæ Carolinæ, per vomitus ſemper redditæ, ſpem fefellerint.

Ut vero deſiderio ægrotantis ſatis fiat, & præſertim labefactatus ventriculi ac inteſtinorum tonus, qui omnium ſymptomatum primum eſt fundamentum, corroboretur: convenientiſſimam judico ſequentem medicationem. Primum quidem rectæ vivendi rationi, uti hactenus factum eſt, ulterius inſiſtere; & præſertim animi tranquillitati, ac corporis moderato exercitio probe ſtudere conveniet. Deinceps bis quotannis, Martio nimirum ac Septembri menſibus, ſub cœlo ſereno, prævio pediluviorum uſu, quinque, vel ſex cruoris ex vena in pede tuſa detrahantur unciæ; ſed eo potiſſimum tempore cibi concoctu difficiliores fugiantur, & aër frigidus omni arceatur ſtudio: alias enim facillime defluxiones, quin & febres catarrhales ſuboriuntur. Poſt venæ ſectionem autumno inſtitutam, per decem dies ſingula veſpera decem mearum pilularum balſamicarum capiantur: mane vero drachma una ſalis mei aperitivi, in hauſtu aquæ mineralis, vel Tönſtadianæ, vel Selteranæ, vel Egranæ tepidioris ſoluti aſſumatur; & tum quædam vaſcula infuſi Theiformis ex veronica, Salvia, meliſſa, & fœniculo parati hauriantur. Denique ex ultimo ſub epulis hauſtu adhibeantur ſexaginta guttulæ mixturæ balſamicæ, quæ ſic ſe habet: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum recentium, tincturæ tartari, eſſentiæ gentianæ rubræ ana drachmas duas. M. Ex hac enim curatione idem reſultabit emolumentum, quod ab uſu thermarum vel acidularum expectare licet. Præterea ſingulo octiduo memoratæ ſuperius pilulæ ſemel aſſumantur mane; & poſt meridiem non minus, ac circa veſperam præcedentis diei, drachma una ſalis aperitivi, cum dimidia lapidum cancrorum capiatur. Contra ventriculi inflationem, & præcordiorum anxietatem, non efficacius erit ſubſidium, quam tinctura corticum aurantiorum, cum ſpiritu nitri dulci, aut liquore meo anodyno, eſſentia caſtorei, ac oleo florum chamæmeli, vel millefolii vero permixta, & ſexaginta guttis ex aqua menthæ, vel fœniculi propinata. Iiſdem moleſtiis convenientiſſimam etiam opem feret cataplaſma, ex pane ſecalino, abſynthio, mentha, baccis juniperi, caryophyllis, cumino & chamomilla Romana cum vino paratum, & calide circa ventriculi regionem adplicatum: quippe quod non ſolum flatus diſcutiendi, verum etiam lenem ſudorem movendi, egregiam poſſidet virtutem.

Ad infringendum porro, quod in ventriculo hoſpitari videtur, acidum, abs re erit, nonnunquam vel ante epulas, vel hora quinta pomeridiana drachmam dimidiam lapidum cancrorum præparatorum, unicæ olei de cedro guttulæ nuptorum ex aqua frigida adhibere. Si vomitus, alvi profluvium, aut dolores inteſtinorum acceſſerint; operæ pretium erit, decem vel mearum balſamicarum, vel aloëphanginarum pilularum, extracto rhabarbari permixtarum, unicum theriacæ cœleſtis, ſicuti illam in notis ad Poterium parandam docui, granum addere, & nonnunquam devorare. Quod ſi denique hæmorrhoidalis fluxus indicia, aut tumores ani adparuerint: partim ani vi ſellæ perforatæ fomentationes, partim hirudinum adplicationes inſigniter proderunt.

## CASUS XXX.

### *De affectu hypochondriaco.*

ILluſtriſſimus quidam comes, annum jam agit ætatis ſuæ quadrageſſimum primum, temperamenti eſt ſanguineo-melancholici, habitus corporis ſtrictioris, ſucci pleni, ſed pallidi faciei coloris. Prandio utitur opiparo; cœna nulla; & pro potu ordinario aquam bibit vino nuptam, vernali autem ac autumnali tempore infuſum theiforme ſorbillare ſuevit. Veſperi poſt cœnam indulget fumo Nicotianæ, quantum illius, quam Canaſter dicunt, quatuor vel quinque fiſtulis ſugere poteſt: exinde enim alvum non minus quam flatuum eruptionem promoveri obſervat. Solet porro ſub tempeſtate ſerena, corpus, præſertim equitatione movere; cum ex intermiſſo ſub cœlo pluvioſo hocce motu, inſignes in hypochondrio ſiniſtro moleſtias,

&

& artuum languorem percipiat. Juvenis adhuc nullis morbis, nec hæmorrhagiis, nec catarrhis unquam obnoxius; niſi quod frequenter dentium dolore, ac febre acuta aliquando laboraverit. Viginti novem annos nato hæmorrhoides fluere cœperunt; ſub quarum excretione per binos adhuc annos illibata gaviſus eſt ſanitate. Verum enim vero cum corpus, primum vino largiter hauſto, & mox juncta inter venandum fortiori equitatione inſigniter commoviſſet: poſt effuſum exinde nimium per venas ſedales cruorem, hæmorrhoides ſiluerunt. Tum vero ſucceſſerunt febres intermittentes, & per integrum annum triſtem ſcenam ludentes, non niſi potis tandem, anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo primo, thermis Carolinis curatæ fuerunt. Neque autem rediit ſanguineus per anum fluor; quamobrem venæ ſectiones in uſum vocatæ, & vero ſemper tempore in pede, detracta ſatis larga ſanguinis floridi quantitate, inſtitutæ ſunt. Abhinc quidem hæmorrhoides quotannis proruperunt, ſed nec ſufficienti copia, nec cum levamine ægrotantis fluxerunt: quid? quod ab eo potius tempore variæ moleſtiæ, præſertim preſſiones in hypochondrio ſiniſtro, mentis anguſtia, atque melancholia, quas omnes flatuum excretio, uſu Tabaci egregie adjuta, mitigat inſeſtare cœperint. Hæc ergo ſymptomata cum magis, magiſque invaleſcerent: iterum annis 1726. & 1727. uſu thermarum Carolinarum oppugnata ſunt; quæ malo quidem quaſdam intulerunt inducias; nec vero hæmorrhoides revocare, nec ideo impedire potuerunt, quo minus per intervalla recrudeſcerent moleſtiæ. Et hac æſtate noviſſime elapſa, ex ingenti ob duorum liberorum intra ſex hebdomades variolis peremtorum obitum, ſuborto mœrore, longe majus ſumſerunt augmentum. Namque mox ſupervenit, & per decem dies inhæſit largum alvi profluvium: quo ſopito, animi laxandi cauſſa iterum Carolinos fontes adiit periluſtris æger. Domum reverſus, ſanguinem per alvum reddere cœpit aliquantulum; ſed brevi poſt dolorificus ac inſigniter ardens furunculus, inguinis regionem occupavit, ovi gallinacei magnitudine, & crebris horroribus, nocturnis ſudoribus, adpetitus proſtratione, vigiliis, virium jactura, & corporis contabeſcentia ſtipatus, metum injecit, ne forſan viſcerum labes ſubeſſet, ac hectica febris jungeretur. Evanuit autem ille metus, cum apoſtemate hoc congruis emollientibus maturato, aperto, purificato, ac denique conſolidato, corpus iterum pingueſceret, vires reſtaurarentur, ſomnus atque ciborum adpetentia redirent. Recruduerunt nihilominus priſtinæ moleſtiæ; quæ jam partim in flatulentia, & hinc ſuborta præcordiorum anxietate, partim ſplenis affectione quadam conſiſtunt. In hujus enim regione, ab omni tumore ac duritie libera, ſentiuntur tenſivi atque preſſorii dolores; qui nonnunquam verſus abdomen inſtar auræ calidioris, cum ſubſequente euphoria, extenduntur. Neque vero alia, hypochondriacis propria ſymptomata adfligunt, uti quidem ſunt capitis dolores, nauſea, ructus, ſudores nocturni &c. neque etiam lecto affixus tenetur æger. Cæterum notari meretur, hæmorrhoides olim verno ſemper fluxiſſe tempore: & illuſtriſſimum Comitem à potu vini, licet largiori, accedente potiſſimum grato conſortio, paſſionum ſuarum egregium percipere levamen. Interim cum ab iſtis malis vindicari cupiat, atque ne ſucceſſu temporis graviora accedant, vereatur: ad Te confugit, Vir Excellentiſſime, & doceri geſtit, quinam ſit, quo laborat, affectus, & qua potiſſimum ratione expugnari queat?

*Conſultatio.*

Morbus, quo per illuſtris Comes male habetur; non alius eſt, quam hypochondriaco-ſpaſmodico flatulentus. Debetur ille ſanguinis nimiæ moli, ejuſque excretioni per vaſa hæmorrhoidalia denegatæ, ac irregulari: qua fit, ut ſucci vitales intra vaſcula inteſtinorum, maxime inferiorum ſtagnantes, horum elaterem debilitent. Tum vero multi flatus, præſertim in flexura inteſtini coli, ſub hypochondrio ſiniſtro ſita generantur, ac partes haſce nerveas admodum diſtendunt; à quarum diſtenſione dolores, angores, anxietates cardialgicæ, digeſtionis vitia, & melancholicæ acceſſiones, ſuos mutuantur natales. Inter cauſſas autem horum ſymptomatum remotiores, merito referri debent diæta lauta, vita motus expers, diuturnus mœror, & forſitan nativa generis nervoſi debilitas. Neque igitur ex repetito thermarum Carolinarum uſu, paſſiones iſtæ penitus debellari potuerunt; quoniam ex illis legitimum hæmorrhoidalis fluxus ſucceſſum impetrare haud licuit. Potius notabilis abſceſſus in inguine, ac procul dubio in concurſu tendinum muſculorum abdominis, quem lineam albam vocant, ſubortus fuit: quales hoc anno frequentes, & vel ab impuro ſanguine, vel retropulſa podagra inductos obſervavi. Ut autem à reſtitantibus adhuc moleſtiis liberetur comes illuſtriſſimus: ſuadeo, ut primum crebriori corporis exercitio ſtudeat; & ad minimum ter quotannis, nimirum Februario, Junio ac Septembri menſibus, venam in pede tundendam curet. Potui ordinario per æſtatem egregie inſervient acidulæ Selteranæ, cum quarta vini Rhenani parte mixtæ; hyeme vero hoc decoctum: Recipe radicum graminis, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, cichorei unciam unam & ſemis, corticis ligni ſaſſafras drachmas tres. Conc. D. S. Species, quarum unciæ binæ in tribus aquæ menſuris per horam dimidiam ſunt decoquendæ. Quod ad herbæ Nicotianæ uſum pertinet; illa tantum abeſt, ut turbet digeſtionem, ut potius alvi ſucceſſum adjutura ſit, ſi parcius ac repetitis vicibus, nimirum mane ſub potatione infuſi calidioris, deinceps hora quinta pomeridiana, denique veſperi fugatur. Inter pharmaca vero haud congruum erit, multis variiſque remediis uti: ſufficient ex illis Elixirium meum viſcerale, atque pilulæ balſamicæ. Illius nimirum ſeptuaginta vel octoginta guttas vel mane ex infuſo calidiori, vel ex ultimo ſub epulis hauſtu capiet; harum quatuordecim, una cum duobus pulveris præcipitantis ſcrupulis ſingulo octiduo ſemel cubitum iturus aſſumet; nec non tempore fluxus hæmorrhoidalis, ſi minus recte ſucceſſerit, uſurpabit. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem illuſtriſſimi Comitis proponenda duxi, quæ Deus reddat ſalutaria, ex animo precor.

*Relatio.*

Ex Elixirio viſcerali in confortando ventriculo inſignem fructum percepit illuſtris æger; quare continuato illius per tres menſes uſu, ſequenti anno Carolinas iterum adiit thermas, iiſque ſub recta victus obſervatione potis, egregie habere ac valere cœpit.

## CASUS XXXI.

### *De paſſione hypochondriaca in fœmina.*

MAtrona quædam XXXI. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus ſtrictioris, in ſterili per decem jam annos vivens conjugio, & alvi obſtructioni, ſæpius per octo dies inhærenti obnoxia, haud raro fluorem album patitur, concubitu fungitur magis dolorifico, quam jucundo; & ſub lotii mictione, vehementes in urethra ardores ſentit, ac lancinationes. Menſes ſtato fluunt tempore, ſed parca quantitate; & cruorem fundunt primis diebus atrum; tertia autem, quæ ſimul ultima eſt, lividum, & putri materiæ ſimilem. Ad congeſtiones, præſertim oculorum valde proclivis eſt; ſiquidem dexter potiſſimum oculus haud raro rubore inflammatorio, occupatur, & ex cantho interno multum pus plorat; ut ſæpiuſcule metus fiſtulæ lacrymalis fuerit.

Gravioribus morbis nunquam fuit infeſtata: at quinto ætatis anno ſcabies obſedit corpus; cui intempeſtivo unguentorum uſu repulſæ, ſucceſſerunt variolæ. His curatis, ſcabioſa materia oculis incubuit, illoſque gravi congeſtione affecit, ut per ſex integros menſes, lucem abſque ingentibus adſpicere nequiverit doloribus. Licet etiam hæ moleſtiæ, ſetaceo nuchæ adplicato obſecundantes remiſerint: attamen inſignis oculi præſertim dextri relicta fuit imbecillitas, adeo ut ſæpiſſime illius inflammationem patiatur. Hinc tribus abhinc annis fonticulum in brachio excitandum curavit; neque tamen minus noviſſimo hyeme, graves ad eundem oculum congeſtiones, bis toleravit. Et quum ſymptomata illa, nimirum alvi obſtructio, fluor albus, ardor & acrimonia urinæ, atque ophthalmia majora in dies ſumant incrementa: ſalutare anhelat conſilium, ut ab illis vindicetur.

Cæterum animo ſatis tranquillo, & ad irregulares affectus minus proclivi fruitur; cibis concoctu difficilioribus, atque ſalitis magis indulget, quam mollioribus; ſub epulis vino recentiori Gallico, haud adulterato; aut nonnunquam eo, quod vocant Pontac utitur; pro potu ordinario aquam adhibet, rariſſime cereviſiam; vita gaudet mobili; & bis quotannis venam ſecandam præbet.

*Conſilium Medici.*

Symptomata, quibus generoſiſſimam mulierem graviter infeſtari, hiſtoria mecum communicata docuit, ſatis ſuperque teſtantur; ſuccos vitales non ſolum impuros, corruptos, atque ſcorbuticis ſordibus imbutos eſſe; verum etiam difficiliori ac irregulari circuitu, per uterum, meſenterium ac reliqua imi ventris viſcera ferri; & in nervoſis partibus hinc inde ſtagnare. Neque vero minus partium ſolidarum, præſertim ventriculi ac inteſtinorum vitio, ac atoniæ quædam debetur animadverſio: unde non tantum craſſus ac illegitimus generatur chylus, verum etiam flatus atque ſpaſmi excitantur, qui humores impuros ad ſuperiores partes, pectus, caput, & præſertim oculum dextrum, tanquam partem debilem magno compellunt impetu. Hæcce autem fluidarum pariter ac ſolidarum partium vitia à nativa potiſſimum generis nervoſi debilitate, primos mutuata natales; minus ſufficienti corporis motu, ac perverſo forſitan rerum non naturalium, ciborumque acidorum & ſalitorum uſu magis aucta videntur atque ſuſtentata. Quæ jam radicata, & inveterata licet difficillimam promittant curationem; attamen cum illuſtris ægra florida adhuc conſtitutione, ac vegetiori ætate gaudeat; minime eſt deſperandum. Idcirco ad impetrandam ſanitatem operæ pretium fore credo, ut futuro vere thermæ, quæ in Carolinis ſcaturiunt, molares per quatuor hebdomades potentur, & ſubinde balneâ Tœplicenſia per decem dies adhibeantur. Huic vero curationi ut aptum reddatur corpus; ineunte vere, prævio pediluviorum uſu, vena in pede ſecanda; & ſingulo triduo pulvis laxans, ex pulveris rhabarbari drachma dimidia, nitri & terræ foliatæ tartari ana granis ſex confectus erit capiendus. Deinceps potus in locum ordinarii, miſſa omni cereviſia, decocto quodam cum vino Rhenano veteri permixto, aut acidulis Selteranis, ejuſdem vini tertiæ parti nuptis uti conveniet. Non minus frequenti atque moderato corporis exercitio indulgere; contra vero à cibis crudioribus, ſalſis, acidis; refrigeratione, & animi affectibus probe cavere decet: & denique Elixir meum viſcerale, guttis ſexaginta & ſub epulis, & hora pomeridiana quarta, etiam inter Carolinarum potationem aſſumere expediet. Quæ ſi rite in uſum traxerit generoſa mulier; de felici curationis eventu nullus dubito.

## CASUS XXXII.

### *De affectu hypochondriaco cum tumore eryſipelaceo pedis.*

VIr quidam litteratus, Theologiæ Profeſſor, annorum quinquaginta, temperamenti ſanguineo-cholerici, à teneris illibata ſanitate gaviſus, anno ætatis quadrageſimo primo ob crebros & vehementiores, quos ex ſuggeſtu pariter, ac cathedra fecit, ſermones, levi tuſſicula atque raucedine, per intervalla ſolicitari cœpit. Tuſſis invaluit ſubinde, ac inveteravit: quid? quod ſex circiter abhinc annis inſultus mali hypochondriaci acceſſerint. Hos ſuaſu medici cujuſdam primum venæ ſectionibus oppugnavit; quas, licet ob vehementem averſionem ſemper comitarentur mentis deliquia, tamen bis in pedibus, ſemel in brachio celebrandas curavit. Poſtea infuſum vinoſum, haud ſine levamine quodam potavit; & anno 1724. acidulas Triburgenſes in uſum vocavit, ac ob earundem egregium effectum ſequentibus annis continuavit. Tum anno 1726. catarrhales affectiones, graves non minus ac moleſtas toleravit; quæ poſt ſex hebdomadum decurſum remiſerunt quidem, ſed difficilem anhelationem, atque tuſſim humidam, cum excretione muci reliquerunt; adeo, ut ceſſante nonnunquam ea tuſſi, pejus habuerit æger. Noviſſimo hyeme acceſſit vocis raucedo, & tandem Xmo Calend. Martii accidit, ut circa horam ſeptimam veſpertinam, prævio ingenti horrore, magno æſtu per triginta horas, cum ſopore, & contabeſcentia carnoſæ in facie ſubſtantiæ ſtipato cruciaretur: quem ſubinde paullo remittentem, ſcorbuticus ac inflammatorius pedis dextri excepit tumor. Conſulti medici æque ac chirurgi nulla exhibuerunt remedia, fore ut hic tumor ſponte evaneſceret, arbitrati. Hinc ægrotus ipſe ſibimet conſulturus, adplicuit flores ſambuci cum farina ſecalina mixtos, eo quidem effectu, ut imminuto tumore, iterum ſermones ſacros ex ſuggeſtu facere valeret. Sequenti ſolis die denuo adminiſtraturus ſacra; præcedente veſpera, ſumtis epulis eundem incidebat febrilem affectum: & cum nihilo minus poſtridie inter ipſos calores ſuggeſtum conſcendere, ac ſermocinari teneretur, eo vehementior finitis ſacris evadebat ardor, cum ſoporoſo affectu per viginti quatuor inhærens horas; ac tandem in ſcorbuticum ſiniſtri pedis tumorem cum duritie ac rubore ſtipatum deſinebat. Medici conſulti iterum opem ſuam recuſabant,

ſabant, eam putantes ſupervacaneam; ut ideo domeſtica eligere ſubſidia, & tandem aquas Triburgenſes in uſum revocare æger cogeretur. Hæ per undecim dies potæ, humores primum vehementer commovebant; & tandem cœcas hæmorrhoides, admodum dolentes, & adhuc durantes inducebant. Præter illas malo hypochondriaco per intervalla infeſtatur; & ob ſcorbuticum pedis tumorem in publicum prodire nequit.

Cæterum adpetentia ciborum aliquantulum viget; neque tamen periſtalticus inteſtinorum motus ab omni vitio immunis videtur. Nullis, quantum quidem reminiſci poteſt, victus erroribus unquam indulſit: mane aliquot vaſcula decocti herbæ Thée-bois ſorbillare: inter prandium cujuſcunque generis eduliis veſci, & parciſſime vino Rhenano uti ſuevit. Ab epulis ad exſtinguendam ſitim, ob multam ſermocinationem ipſi familiarem, cereviſiam, ut ut malæ notæ, potare ſolet; quoniam decocta ipſi ſubſtituta ſitim delere haud valuerunt. Cœna utitur parciori; & cubitum iturus parcam doſin aquæ aſthmaticæ aſſumit. Somno gaudet tranquillo, niſi quod ſub noviſſima aquarum medicatarum potatione, crebra ad mingendum ſtimulatione fuerit turbatus: alvinæ fæces modo craſſiores, modo tenuiores redduntur. Nec denique ignorari oportet, ipſum commorari in humido habitaculo; ac herbæ Nicotianæ Bremenſis, quæ leviſſima eſt, fumum parciſſime ſugere ſueviſſe.

*Conſilium.*

Affectus principalis, qui ſumme Reverendum immaniter tractat virum, procul omni dubio eſt hypochondriacus: ex quo tanquam fonte reliqua ſymptomata, tuſſis nimirum atque raucedo diuturna, ſcorbutica humorum dyſcraſia, inſultus febriles, & hos excipiens tumor pedum eryſipelaceus ſuos mutuantur natales. Hæc inter pedum affectio maximam crucem jam figere videtur: cui non minus, ac reliquo hypochondriorum vitio accommodatiſſimas fuiſſe judico aquas Triburgenſes. Has præſertim æſtate futura quoque adhibendas ſuadeo, ita tamen ut earum, tertia parte lactis vaccini permixtarum, ſingulo mane menſura una tepide potetur & hic potus per quatuor hebdomades continuetur. Notari autem meretur circa hanc curationem, quod prima die dimidia duntaxat illius aquæ menſura, in qua mannæ uncia una cum dimidia ſit ſoluta, aſſumi: & manna illa ſingulis ſeptem inter potandum diebus, ac denique ſub curæ finem adhiberi debeat; conjunctis corporis exercitio, temperantia ab animi affectibus, & recta victus obſervatione. Tali enim ratione fontes iſti in attemperanda humorum acrimonia, ac ſiti mitiganda, præclaram exſerent virtutem. Potum quod attinet; omnem cereviſiam evitare, aut ſaltem veſperi potare decet; ſub epulis autem ſequenti decocto, cujus tres partes cum una vini Gallici ſint combinatæ, uti conveniet: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam, corticis ligni ſaſſafras drachmas tres. M. C. D. S. Species, quarum binæ unciæ in tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes, additis ſubinde citri corticibus, ſunt decoquendæ. Ad pedum denique tumorem topica adplicare haud prius licet, quam donec humores depurati ac fluxiles redditi fuerint. Operæ magis eſt pretium, aſſiduo calore affectum illum pedem fovere; & tum, potis per quatuordecim circiter dies aquis, hoc emplaſtrum admovere; Recipe minii, ceruſſæ ana libram dimidiam, olei olivarum libram unam, aceti vini uncias quatuor, ceræ albæ uncias ſex. M. coquantur ad conſiſtentiam emplaſtri; in fine adde camphoræ drachmas tres. D. Hæc ſunt, quæ commendare volui; quæ Numen ſecundet, & felicia eſſe jubeat, precor.

Neque vero ſpem fefellit hæc curatio; poſtquam enim æger non ſolum commendata remedia probe adhibuit, verum etiam Elixirium meum viſcerale bis quotidie, ante prandium nimirum, ac hora ſexta veſpertina per aliquot menſes uſurpavit: imminuto ſenſim pedum tumore, inſultus & hypochondriaci & febriles penitus remiſerunt.

---

## CASUS XXXIII.

*De affectu hypochondriaco-hyſterico.*

FOEmina generoſa, duos & viginti annos nata, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, habitus corporis laxi atque plenioris, in conjugio, quo jam per quinquennium fungitur, ſterili vivens, viro nupta cruorem ex utero menſtruum, qui antea nunquam fluxerat, partim ope ipſius matrimonii, partim multorum remediorum, reddere demum cœpit. Accidit autem aliquando, ut dum menſes fluerent, ſub itinere, gelidiſſimo hyeme facto, ex rheda in nivem præcipitata, vi frigoris pariter ac terroris, protinus lunare tributum perſolvere deſierit. Quod cum primum ex puerili verecundia, vel ignorantia reticuiſſet; abhinc circa tempus menſtruum diris ſolicitata eſt ſymptomatibus. Imminente videlicet ea periodo incidit ſubito in nauſeam, anxietates præcordiorum, ſive cardialgiam nauſeoſam, atque cephalalgiam, cum extremorum frigore, pallidoque & exſanguioris colore: mox ſpaſmi atrociſſimi hypochondriorum, & acutiſſimi dolores in dorſo, præcipue circa regionem imi ventris, & os ſacrum, cum vomitu, & crebriore deſidendi conatu, artuum laſſitudine, vago tenſivoque manuum, crurum, atque femoris dolore adeo torquent conficiuntque ægram, ut lipothymiis aliquoties graviſſimis, frequenterque repetentibus tentata, & parum abfuerit, quin convulſivis concuteretur motibus. Hæc ſymptomata, quæ inter tenſivi dolores imi ventris & vehementiſſimi vomitus frequentiſſima non minus, ac graviſſima deprehenduntur, per aliquot horas violentam tyrannidem exercere ſolent; donec tandem cruor ex utero prorumpat. Tum remittunt per quinque vel ſex circiter horas, quibus ſcilicet ſanguis fluit: cujus excretioni iterum ſufflaminatæ, novus clementior tamen atque brevior ſuccedit paroxyſmus. Hæc ſcena per nycthemeron luditur; quo elapſo, vis ſpaſmorum imminuitur, & ægra priſtinas recuperat vires. Sæpius ſudores copioſiſſimi, ac odore nares ferientes acidiſſimo comitantur paroxyſmum, illumque modo mitigant, modo plane non levant: haud etiam raro ſuborta ſitis intenſior, mali remiſſionem ſignificat. Ante illius acceſſionem urinæ redduntur tenues, ac pallidæ; atque menſes, ſtatum obſervantes tempus, ſub ipſo paroxyſmo, tenues fluunt & aquoſæ. Omnia denique hæc ſymptomata pro ratione prægreſſi victus, animi paſſionum, anni temporum admodum variant, & hyeme ſunt ſæviſſima. Cæterum extra fatalem illum menſtruæ excretionis terminum, optime habet ægra, colore vultus florido gaudet, ſomno fruitur egregio, & adpetentiæ plus indulget, quam quidem ratione motus corporis liceret; ut ideo ad hypochondriacam paſſionem prona,

prona, de capitis doloribus, ac ventriculi moleſtiis ſæpenumero conqueratur. Potas æſtate noviſſime elapſa acidulas Egranas excepit vehementiſſimus paroxyſmus; licet binis ante diebus, pilulis Stahlianis cum aliquot extracti panchymagogi Crollii granis acuatis, acidularum reliquiæ largiter fuerint ſubductæ. Neque etiam venæ ſectiones, relaxantia, antiſpaſmodica, balnea, aliaque remedia congruo tempore, ac ordine uſurpata, quamvis mitigaverint ſæpius malum, illud valuerunt penitus debellare. Quare juſtus eſt metus, ne convulſiones, contracturæ, preſſiones ſanguinis verſus ſuperiora, & hinc pendentes vaſorum diſruptiones tandem aliquando ſuboriantur; & hinc ſalubre flagitatur conſilium, quomodo imminens paroxyſmus mitigari, præcaveri, ac totum malum expugnari queat.

*Conſilium medici celebrioris.*

Conſideratis probe omnibus, quæ ægram excruciant ſymptomatibus; non poſſum, quin ea nomine affectus hypochondriaco-hyſterici, ex humorum dyſcraſia, & hinc ſuborto partium ſolidarum vitio propullulantis, omnino digna pronunciem. Facillime videlicet demonſtrari poſſet, quomodo à cruore abundante, viſcido, atque mucoſo, in orgaſmum deducto, tubuli menſtruum vehentes ſanguinem obſtruantur, ſpaſmodice conſtringantur, & occluſi univerſum nervorum genus in acerbam motuum violentorum rapiant ſocietatem. Verum cum illuſtri ægræ jucundius pariter ac fructuoſius erit, rationem hiſce malis medendi percipere, quam illius amplam explicationem audire: paucis expediam, quæ hoc fine ipſi erunt convenientia. Meo quidem arbitrio omnis curandi vis in remotione cauſſarum, cruoris uterini profluxum remorantium conſiſtet: quæ cum partim in nimio, viſcido, & ad orgaſmos proclivi ſanguine, partim ſpaſmodica tubulorum uterinorum ſtrictura videntur eſſe ſitæ; operæ pretium judico, remedia attenuantia, ebullitiones ſopientia, aperientia, ac divertentia in uſum vocare. Quibus ſcopis licet medicus ordinarius ex parte omnino ſatisfecerit; pace tamen ipſius, ſequentem adhuc proponam medicationem. Conſultum videlicet credo, ut ægra tribus ante menſium eruptionem hebdomadibus, ſingulo mane undecim pilularum balſamicarum devoret, quarum hæc eſt compoſitio: Recipe maſſæ pilularum Becheri unciam dimidiam, extracti chamæmeli, caſcarillæ, millefolii ana drachmam unam, caſtorei, alcohol limaturæ martis, cinnabaris nativæ depuratæ ana ſcrupulum unum, M. F. cum eſſentia anthos pilulæ ex ſcrupulo uno, numero undecim. His ſumtis, adhuc intra lectum, cum leni regimine capiantur quædam vaſcula infuſi theiformis, quod ſic ſe habet: Recipe radicis cichorei, polypodii ana unciam unam, herbæ arnicæ, millefolii cum ſummitatibus, roriſmarini ana manipulum dimidium, aniſi ſtellati drachmas duas. Inc. cont. d. Deinceps brevi ante paſtum pulveris incidentis, qui ex arcani duplicati drachmis duabus, tartari vitriolati & ſalis abſynthii drachma una ſit concinnatus, quantum duo cultri cuſpides continent, ex juſculo quodam aſſumatur; & tribus ab epulis horis, quinquaginta guttulæ ſpiritus ſalis ammoniaci galbanati cum infuſo, ſuperius memorato ſorbillentur. Veſperi adhibeatur pulvis ſtomachicus Hallenſium; & pedes in pediluvia ex floribus chamæmeli & liliorum convallium parata, ad ſuras uſque immittantur. Tum noviſſimis, qui fluxum uterinum antecedunt, octo diebus adplicentur hirudines ad loca hæmorrhoidalia: quoniam horum vaſorum cum uterinis eadem origo exiſtit: ac denique pedes probe fomentati, pannis calidis ſedulo fricentur.

Quod autem ipſius paroxyſmi mitigationem attinet: ad humorum orgaſmum ſopiendum, & præcavendas convulſiones nihil præſtantius deprehendi, quam ſpiritum nitri caſtoriſatum, ſi illius quadraginta guttulæ ter quotidie exhibeantur, ac veſperi ſemper pulvis antiſpaſmodicus propinetur. Quod ſi vero ipſæ acceſſerint convulſiones hyſtericæ; convenientiſſimum erit & accommodatiſſimum galbanetum Paracelſi correctum, ſingulis tribus horis novem guttulis cum ſaccharo aſſumtum. Ad leniendos in abdomine ſpaſmos, atque tormina, nihil efficacius eſt clyſteribus emollientibus, maxime, qui ex fumo Tabaci fiunt. Nec aliena erunt linimenta, atque præſertim balſamum Scherzeri, cum oleo carminativo Mynſichti; & folia hyoſcyami cum lacte ad conſiſtentiam cataplaſmatis decocta. Cæterum nec nocebit parcus veneris uſus, nec motus corporis moderatus, cœlo ſereno inſtituendus: animus ſit tranquillus, vitetur aër frigidus ac humidus, potus nimis exæſtuans, ac vinum dulce, & fugiantur cibi, qui ſunt digeſtionis difficilioris, flatulenti atque pingues.

*Reſponſum alterius Medici.*

Qui præmiſſi morbi cauſſas in vitio humorum pariter, ac exilitate vaſorum uterinorum poſuerunt medici; me eo magis conſentientem habent, quo magis inſignem, qua illuſtris ægrota pollet, obeſitatem conſidero. Neque etiam habeo, quæ circa remedia in præmiſſo conſilio propoſita monere poſſim; niſi quod ſpiritus ac eſſentiæ in eo commendatæ mihi haud arrideant. Ut enim taceam, ea remedia legitime præparata in nullis proſtare officinis; quam maxime de illis, maxime de Galbaneto Paracelſi correcto vereor, ne majorem humorum inducant ebullitionem. Meum potius eo collineat conſilium, ut ægra, miſſo omnis cereviſiæ potu, per quatuordecim circiter ante menſium eruptionem dies, pilulis, infuſo theiformi, ac pulvere in priori conſilio deſcriptis, dicta ratione utatur. Proxime ante vernale æquinoctium venæ ſectio derivatoria, ac depletoria inſtituatur; & ſub paroxyſmo ſingulis tribus horis larga doſis pulveris antiſpaſmodici Hallenſium, aut Stahlii aſſumatur. Potui ordinario inſerviat decoctum ex radice chinæ, ſcorzoneræ, raſura cornu cervi, corticibus citri vel ſeminis fœniculi paratum: de cujus pariter ac repetito thermarum Carolinarum atque Tœplicenſium uſu, ample ſatis & eleganter agit Hoffmannus in medicina conſultatoria.

*Relatio ulterior.*

Commendata in priori conſilio remedia, præter ſpiritum ſalis ammoniaci galbanatum, nitri caſtoriſatum, & galbanetum Paracelſi rite quidem adhibuit generoſa mulier; ſed malum poſt illorum uſum magis exacerbari videbatur. Hinc Carolinos adiit fontes, ac illorum thermas ordinarias, *den Brudel* vocatas per tria potavit intervalla; molaribus autem non niſi bis in balneo uſa eſt. Abſoluta prima potationis periodo, cum menſium eruptione ingruebat paroxyſmus vehementiſſimus: ſed finita tota curatione, in ipſo itinere recrudeſcebat longe mitior atque brevior, adeo ut effectum thermarum haud irritum fore, crederemus. Verum enim vero ſpes vota fefellit: ſiquidem ſequentes paroxyſmi

xyſmi non ſolum violentiores, & horrendis doloribus, ſpaſmis, imminentibus convulſionibus, ac mentis deliquiis ſtipati redierunt; verum etiam extra hunc paroxyſmum ſpaſmodicæ manuum pedumque, præſertim lateris ſiniſtri contractiones, capitis dolores, pectoris conſtrictiones, anxietates, ac veluti excoriationes, quin & melancholicæ acceſſiones, ſomno & adpetitu integris, ægram exercere cœperunt. Nihilo tamen minus poſt potas Carolinas nulla ferme adhibuit medicamina: & noviſſime à crebris vomitibus collum quaſi intumeſcere videtur, ut metus ſit ſcrophulæ. Tandem ultimus paroxyſmus, quo ante octo circiter laboravit dies, mitior recurrebat; quoniam aliquot ante illius invaſionem diebus, alvum, ad obſtructiones alias proclivem, pulvere rhabarbarino ſubduxerat.

*Conſultatio.*

Poſtquam hiſtoriam morbi, qua illuſtris fœmina exercetur, & adnexa celebrium medicorum conſilia probe perluſtravi: non dubito, quin omnia morbi illius ſymptomata, veluti ſunt anxietates præcordiorum nauſeoſæ, vomitiones, cephalalgiæ, mentis defectiones, tormina imi ventris lancinatoria, ingentes dorſi & oſſis ſacri dolores, teneſmus, corporis languor ac extremorum refrigerationes, non niſi ſpaſmodicis partium membranoſarum, maxime ventriculi ac inteſtinorum, atque nervoſorum ex vertebris dorſi prodeuntium plexuum conſtrictionibus debeantur. His enim non ſolum æquabilis humorum circuitus impeditur, verum etiam ſecretiones pariter ac excretiones pervertuntur, & hinc omnes partium ſolidarum atque viſcerum functiones labefactantur. Primaria vero horum irregularium motionum cauſſa omnino menſium fluori cohibito, & ideo inductæ ſuccorum vitalium circa membranas nerveas inteſtinorum, ventriculi, & maxime medullæ ſpinalis ſtagnationi in acceptis ferenda eſt: namque partim exilitas & anguſtia vaſorum uterinorum; partim ingens terror ac refrigeratio, menſibus fluentibus ſupervenientes, ſatis potentem obtinuerunt facultatem, ſupprimendi hanc criticam evacuationem, & vaſa uterina pertinaciter conſtringendi. Qui motus ſpaſmodici cum temporis diuturnitate jam altas in ſyſtemate partium nervoſarum ac membranacearum, à cujus integritate motus fluidorum vitalis dependet, radices egiſſe videantur: difficillimum erit, eos penitus expugnare. Quin imo, ſi diætæ crebri errores, refrigerationes, animi affectus, mœrores, nimiæ venæ ſectiones, aut improvidus remediorum juſto calidiorum uſus acceſſerint; metuendum utique eſt, ne tandem convulſiones inſequantur epilepticæ.

Neque vero improbare audeo medicamina, à medicis doctiſſimis exhibita atque propoſita, quippe quæ hiſce morbis deprehendi accommodatiſſima: illorum autem efficacia longe feliciſſima foret, ſi convenienti ordine atque tempore adplicarentur. Mea quidem ſententia operæ erit pretium, ut primum nervoſo generi, ad irregulares motus proclivi, naturale reſtitueremus robur, atque illius ſpaſmodicas ſtricturas demulceremus: tum enim longe fructuoſior erit illarum medicinarum effectus, quas relaxandis, quæ conſtricta ſunt uteri vaſis, reſtituendo humorum circulo, & menſtruo fluori in ordinem redigendo, opportunas judicamus. Quos ut conſequamur ſcopos, ante omnia corpus infuſo mannato rhabarbarino purgandum eſt; quod ſic ſe habet; Recipe mannæ electæ uncias duas, terræ foliatæ tartari, cremoris tartari, rhabarbari Alexandrini ana drachmam ſemis, aquæ florum chamomillæ vulgaris uncias quinque, coque & ſolve leni calore, colaturæ adde olei de cedro Italici guttas duas vel tres. M. D. S. potio laxativa mane, interpoſito juſculi avenacei potu, aliquot hauſtibus capienda. Deinde commendo ſequens infuſum theiforme: Recipe florum tiliæ, chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii, artemiſiæ ana manipulum dimidium, aniſi ſtellati drachmam unam & ſemis. Conc. Cont. D. Cujus infuſi, haud adeo ſaturatioris, & tertia parte cremoris lactis permixti, menſura una, additis ſex nitri granis ſingulo mane ſorbillanda eſt. Non minus decoctum medicatum, loco cereviſiæ, vel vini, potui ordinario ſubſtituendum eſt; quod hoc ſit: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias tres, radicis cichorei, pœoniæ, raſuræ cornu cervi ana unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas tres. Conc. Cont. D. S. Species, quarum uncia una cum dimidia in tribus aquæ menſuris per dimidiam horam, additis hordei bene mundati manipulo & ſub finem corticibus citri recentibus, decoquatur. Tum quoque ægram, cubitum ituram, in pediluvia, quæ ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, & floribus chamæmeli parata, nec juſto calidiora ſint, ne humores commoveant, deſcendere oportet. Mane vero, vel etiam veſperi vertebras dorſales, os ſacrum & regionem pubis in calido loco linimento nervino & antiſpaſmodico perfricare decet, quod ex pinguedinis cati ſylveſtris, axungiæ humanæ ana uncia dimidia, olei lavendulæ drachmis duabus, & roriſmarini veri guttis triginta concinnatum ſit. Cavendum tamen, ne hoc linimento ſub ipſo menſium fluore, aut proximis, qui illum præcedunt, aut ſequuntur diebus, utamur. Eodem tempore corpus, præſertim inferius atque pedes in perpetuo calore conſervare, uti & potus non niſi tepidiores aſſumere expediet; ac proximis tribus, qui menſtruam purgationem antecedunt, diebus, ſingulo mane unciam unam cum dimidia Roob ſambuci, cum octo granis croci maritati ex menſura circiter dimidia cereviſiæ tepidioris, intra lectum adhibere conveniet. Ceſſante vero uterini cruoris fluxu cum inſigni fructu uſurpabitur Elixirium balſamicum ſequens: Recipe radicis gentianæ rubræ, corticum aurantiorum recentium ana unciam ſemis, extracti cardui benedicti, millefolii, chamomillæ vulgaris ana drachmas duas, ſalis tartari drachmas tres, croci, myrrhæ electæ, ſuccini pulveriſati ana drachmam unam & ſemis: infunde cum libra una vini Hungarici, digere & extrahe. Hujus Elixirii, quantum cochlear capit, & ſub epulis ex ultimo hauſtu, & veſperi ex ſupra commendato decocto adſumatur. Quod denique vivendi rationem, qua in his morbis expugnandis nihil eſt fructuoſius, attinet: neceſſe eſt, ut illuſtris ægra cœna utatur parciori; cibos acidos, flatulentos, ſimilagineos, atque etiam nimium infuſi Coffée potum fugiat; omnes animi paſſiones ſedulo evitet, & frigus præſertim ab inferioribus corporis partibus, quantum fieri poteſt, arceat; nec nimio ſomno indulgeat. Contra vero egregiam præſtabit operam frequentior, ac moderatus corporis motus; & alvi perpetua libertas; quam ſufficienti potu, aut potione mannata, aut clyſteribus conſervare licet.

Quod ſi autem commendata hæc remedia votis haud fecerint ſatis: conſultiſſimum fore judico, ut vernali, vel etiam autumnali tempeſtate thermæ Carolinarum molares, & ſubinde balnea Tœplicenſia, quæ ſunt ſulphurata adhibeantur: quibus

relaxatur uteri ſubſtantia, & vaſcula capillaria dilatantur iterum ac reſerantur. Nullum enim eſt dubium, quin totius morbi cauſſa in ipſa uteri ſubſtantia hæreat; quæ ab inſigni, quod ſub ipſo menſium fluore contigit, frigore atque terrore niſi indurata, ſaltem vehementer conſtricta videtur.

## CASUS XXXIV.

### *De paſſione hypochondriaco-ſpaſmodica.*

SEreniſſimæ Principis ægritudo non niſi ad affectionem hypochondriacam, aut ſi mavis, hyſterico-melancholicam reduci poteſt: nihil enim aliud ſignificare videntur juncta ipſi ſymptomata, veluti ſunt inflatio ventriculi, præcipue à paſtu, tenſio frequens in regione epigaſtrica, cum ſpirandi difficultate, ac ſenſu veluti præfocationis, cordis tremor, & inſuperabilis illa, inter res feliciſſimas, ad mœrorem propenſio; quibus accedunt capitis gravitas, oculorum obnubilatio, mentis obtuſio cum rerum oblivione. Hæ autem affectiones primam originem ex ſubitaneo terrore, & gravi animi pathemate duxerunt: quibus depreſſa ſpirituum volatilitate, & valde turbata ſanguinis mixtione, motus in corpore, quicunque ſunt, ſive mechanici, ſive fermentativi, inſigniter læſi fuerunt, & hinc coctiones in ſtomacho, ſecretiones in cerebro, & fluidorum circulatio à ſtatu naturali receſſerunt.

Hanc autem ſymptomatum cohortem nunquam diſſociari, imo & augeri crediderim à ſpaſmodica nervorum, præcipue ſextæ conjugationis, & phrenicorum contractura; ſicuti manifeſtum fit à dolore ſtomachi, & præcordiorum anguſtia, quam ægra ſereniſſima, tanquam habituale vitium patitur. Prædominans enim fluidorum aciditas, quæ à vitiata chyloſi perennem ſuſcipit fomitem, ſuccum nerveum pariter inficiens, irritationes convulſivas hinc inde producit in fibrillis nerveis, à fine uſque ad principium, medullarem ſcilicet ſubſtantiam, ſeſe extendentes. Hinc magna cerebri compaſſio à regione inferiori ſymptomatice potius, quam primario affecti: imbecillitas vero generis nervoſi ſuſpicionem affert non contemnendam de labe aliqua hæreditaria, quæ utinam nequeat vim ſuam ulterius exſerere. Uteri purgationes non rite fluentes, etſi ſupra dicta fovere poſſe, pro certo habeatur: attamen, cum ſanguinis craſſities, & inquinata diatheſis cauſſæ ſint diminutæ ejuſdem excretionis, non aliam ſane merentur medelam.

Diſcuſſis itaque morbi cauſſis & natura, ne quidem verbo facto de prognoſi; quam ægrotæ meritiſſimæ fauſtiſſimam à ſuperis precor: tranſitum facio ad id, quod morbum tollat, ingenue affirmans, tuo penitus regimini, vir acutiſſime, fore inſiſtendum. Quapropter deſumtis indicationibus laxandi ſolida, depurandi fluida, atque inter cætera chylificationem juvandi, auſus ſum Te duce & judice ſequentia exponere. Retento magni Hippocratis documento aph. LXXIV. Sect. VII. *corpora, cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*: potiones largas ex juſculo ſimplicibus appropriatis alterato ſuaſi, iterumque ſuadeo, ea ductus ſententia, ſuccorum acredinem & lentorem nunquam melius inverti poſſe, quam diluente vehiculo, tranſeunte in ſubſtantiam aliti, & finitimos ductus penetrante. Cum vero ſereniſſima princeps à vini potu ut plurimum, non ſine fructu, abſtineat, ob aciditatem vinoſam, nervis infenſiſſimam: laudarem decoctum ex ſarſaparilla, raſura eboris, & radice chinæ; cujus uſu ad longum tempus expectanda erit dulcoratio, & magis libera irradiatio ſpirituum animalium.

Reddita fluidiori humorum compage, ad aliquod placidiſſimum laxans, ſæpius repetendum deſcendere, opportunum judicarem, ut nempe viæ meſentericæ reſerentur, & viſcerum glandulæ detergantur, cui ſcopo ſatis poſſent facere pilulæ de ammoniaco Quercetani, vel de ſuccino Cratonis, in capitis affectionibus valde commendatæ. Poſtremo, tanquam ad ſacram anchoram, ad martialia confugerem: habito enim reſpectu ad ſtatum morboſum, & vix non cachecticum ſereniſſimæ principis, & inſpecta neceſſitate reſtaurandi acido-auſterum, nihil fortaſſe præſtantius. Utrum vero eligenda ſint in tinctura potius, quam in forma ſolida, vel extracto; ſicut & ſingula hic peragenda decernet vir celeberrimus. De victus ratione, deque mentis alacritate valde ſum ſolicitus, ac fere importunus: quibus exacte obſervatis, nunquam de optatiſſima valetudine deſperandum. Cremonæ XIV. Calend. Septembr. 1722.

### *Conſultatio.*

Pertinax, tædiique plenus affectus, quo ſereniſſima princeps de L. jam inde ab aliquot annis excruciata fuit, dici à medicis ſolet paſſio hypochondriaco-ſpaſmodica, cujus natura & eſſentia, ſpaſtica quadam & inflativa ventriculi & inteſtini præſertim coli, earumque partium, quæ circa hypochondriorum regionem flexuram efformant, affectione potiſſimum abſolvitur. Hujus ea eſt indoles, ut ob exquiſitum illum, quo nervoſæ ac membranaceæ corporis partes mirifice inter ſe conſpirant, conſenſum ſpaſticas præternaturales commotiones per univerſam nervorum ac membranarum compagem longe lateque diffundat, omniſque generis excretiones, quæ corporis integritatem tuentur, inſigniter perturbet: unde ſanguis & humores à blanda ſua deflectunt temperie, atque noxiarum impuritatum contaminantur inquinamentis.

Nimirum videtur mihi paſſio, ut vocant, hypochondriaca morbus maxime ſymptomaticus, qui per omnes fere totius corporis partes graſſatur, atque inprimis nervoſas infeſtat, pervertendo earum functiones, quæ ſecundum naturam ſub convenienti ſolidorum tono, robore ac motu, & fluidorum libero, temperato & æquabili circuitu recte & ordine ſuccedunt. Inde enim labefactantur actiones animales, dum animus vel leviſſima cauſſa laceſſitus in perverſas commotiones abripitur, ac ſubinde in terrorem, triſtitiam, timorem, anxietatem & in iram propendet, vanaſque ſæpius accipit imagines, labaſcit memoria, & vis rationis pervertitur: adeſt capitis gravitas, ſomnus interruptus, difficilis, terriculamentis plenus; aures moleſto tinnitu ac ſibilo torquentur, & oculorum lumina haud raro triſti ſcotomia obnubilantur.

Non minus detrimentum ſentiunt actiones, quibus vitæ negotium gubernatur. Concidit enim ſenſim paulatimque vigor partium, & languor ac laſſitudo totum corpus occupat; difficilis & anxius ſpiritus eſt cum pectoris anguſtia, & præcordiorum conſtrictione: cor ſubinde palpitat, moleſtiſque contremiſcit vibrationibus, ac denique etiam

venæ admodum languide, & magnis intervallis moventur. Eandem calamitatem patiuntur functiones naturales; in quibus ſub tanto concurrentium ſymptomatum adparatu ingens perturbatio animadvertitur. Ventriculus cum inteſtinis flatu diſtenditur, perit ciborum cupiditas, ingeſta male conficiuntur, ingens fit cruditatum, præſertim acidarum prima in regione proventus; crebræ exſurgunt ructationes, alvinæ excretionis ſucceſſus ſufflaminatur; urina alienum & habitum & colorem refert; atque etiam menſtrua purgatio in molliori ſexu, aut hæmorrhoidalis fluxus in viris vel ſupprimitur, vel ſupra modum fertur.

Ex quibus omnibus ſatis, puto, luculenter patet, hunc affectum inter chronicos eſſe ſymptomaticum, & quaſi univerſalem, perinde ac febrem inter paſſiones acutas; indeque recte colligitur, cum paullo ægrius plenam vel ſubitam ſanationem admittere, præſertim ſi inveteratus quendam fere in habitum degeneraverit: id quod etiam ipſius ſuffragantis experientiæ teſtimonio ſatis ſuperque commendatum habemus.

Si diſpiciamus genuinos hujus mali natales, primaſque origines; utique fateri oportet, eas non ſolum in præſenti caſu, ſed etiam fere ſemper & ubique maximam partem arceſſendas eſſe ab iis rebus, quæ totius naturæ vim, atque univerſum partium nervoſarum atque membranacearum genus debilitant, inque primis robur, tonum, ac motum, qui in ventriculo & inteſtinis celebratur, periſtalticum ſingulariter pervertunt ac deſtruunt; & nobiliſſimis hiſce partibus peculiarem quandam ad ſubeundas mutuas & ſucceſſivas conſtrictiones ac reſolutiones habitudinem inferunt. Jam vero ex iis rebus, quas medici non naturales vocare ſolent, fere nihil eſt, quod magis infringat generis nervoſi robur ac firmitatem, atque adeo ad generationem hujus mali plus contribuat, quam pertinax, ac diuturnus mœror animi, vel inopinatus, iſque vehemens terror: qui ſæpius tantum valet, ut univerſi corporis vires, uno quaſi ictu proſternat. Accedit magna corporis debilitas, inducta ex variis cauſſis antecedentibus, veluti ſunt graves prægreſſæ paſſiones, parum convenienter tractatæ, nimiæ ſanguinis effuſiones, victus incongruus, vita ſedentaria, & motus expers, intempeſtiva ſanguinis miſſio, frequentiores ac per fortiora purgantia excitatæ alvi dejectiones, ſiniſtra emeticorum, opiatorum, adſtringentium, martialium, & corticis chinæ de china adplicatio, ac frigidus potus, corpori moto & calore æſtuanti nimis liberaliter ingeſtus. Præterea hunc in cenſum veniunt nativa quædam, & à parentibus accepta corporis infirmitas, atque in fœminis frequens puerperium, ac partus laborioſus, in ætate præſertim admodum tenera; quæ omnia omnino eum in modum comparata ſunt, ut ſi plures ex his cauſſis conſpirent, partes exquiſitiori ſenſu ac motu præditas, maximeque ventriculum cum inteſtinis enervent mirifice, earumque tonum ac robur vehementer deſtruant.

Quamobrem, cum ſereniſſima princeps ab ipſa nativitate tenerum & imbecillum corpus obtinuerit, quod crebra fœtuum geſtatio, partuſque difficiles & operoſi, ea imprimis ætate, quæ nondum ad plenum robur, perfectumque vigorem pervenit, cum inſequuto mœrore magis magiſque debilitarunt; ſane non mirum eſt, eam in hanc moleſtam incidiſſe affectionem. Nihil enim vires, & ſuccos, adoleſcentiæ incremento à natura deſtinatos, perinde abſorbet, atque exhaurit, ac præcox & nimis feſtinata imprægnatio: nihil etiam vigorem naturæ, qui ventriculi actionem ſecundat, & ſanguini ad habitum corporis diffundendo velificatur, magis languidum, & inertem reddit, quam diuturnior triſtitia, quæ ideo jure meritoque cruditatum mater, & fœcunda longarum paſſionum genitrix appellatur.

Quum igitur ſereniſſima princeps à me flagitavit, ut meum de inſtauranda ejus valetudine conſilium aperiam, paulloque explanatius declarem; qua ratione difficile hoc malum eluctandum ſit: non poſſum non gratioſiſſimo ejus mandato devotum præſtare obſequium, lubente & ſincero animo conſulturus, quicquid ad farciendum affecti corporis detrimentum utile ac proficuum mihi videtur.

Ante omnia vero illud monendum habeo, in ſanatione hujus morbi maxime eſſe allaborandum, ut enervato corpori vires ſubtractæ omnibus modis reſtituantur, ſimulque diligenter & curioſe evitentur omnia & alimentorum, & medicamentorum genera, quæ vires corporis limare, & atterere valent: quorum in numero ſunt fortiora evacuantia, tam emetica, quam purgantia, atque etiam ea, quæ ſanguinem vehementer exagitant, vel nervis & ſubtiliſſimo eorum fluido adverſantur, ut fere ſunt omnia vaporoſa, opiata, & quæ fibras in ſpaſmum pronas ulterius ſtringunt; quod vitriolacea & martialia perperam & inconſiderate uſurpata efficere ſolent. Multo minus delicatus morbi genius præcipitem ac feſtinatam medicinam deſiderat, neque ampla & multiplici remediorum farragine perſanatur, ſed potius temporis beneficium expectat, nec niſi molliſſime, & quaſi levi brachio tractandus eſt.

Longe autem majus emolumentum afferet conveniens uſus rerum non naturalium, nimirum moderatior motus corporis, cœli mutatio, animi hilaritas, ejuſque ex gratis rebus quæſita delectatio, alimenta congrua, quæ facile conficiuntur à ventriculo, ſuccoſque laudabiles, & generoſos corpori ſuppeditant. Inſuper abſtinendum eſt à cereviſiis, ac vinis auſterioribus; quorum loco aquam puriſſimam, in vaſe clauſo leviter coctam, eamque vel ſimplicem, vel adjecta cinnamomi, aut corticis ligni ſaſſafras particula temperatam, iterum iterumque commendo.

Ex remediis vero nec tutiora, nec efficaciora, utque vim ipſius morbi magis adgrediantur, & ejus quaſi arcem invadant, ſuadere poſſum, præter ea, quæ acidas cruditates primarum viarum incolas deſtruunt, quæ nervoſas ventriculi & inteſtinorum partes blande corroborant, ac denique ſuccis chyloſis & lymphaticis, ſpirituoſam conciliant tenuitatem. His enim illud efficitur, ut natura ſalutares motus, qui ciborum digeſtionem, humorumque ſequeſtrationes, & excretiones, ad recuperandam ſanitatem unice neceſſarias gubernant, rectius adminiſtrare adſueſcat. Quem in finem ea, quæ ſequuntur, etiam atque etiam commendata velim:

Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, radicis ari, ſuccini præparati, ſalis abſynthii, ana drachmam unam, corticis caſcarillæ, cinnamomi acuti, caryophyllorum ana drachmam ſemis. M. F. pulvis, ad ſcrupulum, vel drachmam dimidiam ſumendus. Hoc genus remedii maxime locum habet tempore, impetu morbi vacuo; vim acuit ventriculi, ejuſque digeſtionem egregie promovet.

Sub ipſo autem paroxyſmo, & motuum exacerbatione

batione abſtinendum puto ab iis, quæ irritandi & commovendi facultatem habent: quo tempore pulveres bezoardici, vel abſorbentes, mixti refracta portione cum nitro, caſtoreo, & cinnabari, atque cum aquis antiſpaſmodicis, lenientibus & analepticis, v. g. florum chamæmeli vulgaris, millefolii, acaciæ, vel tiliæ, primulæ veris, ceraſorum nigrorum, vel nucleorum ex ceraſis propinati opportunum præbent auxilium. Ejuſmodi enim pulveres præter clyſmata, quæ congruis ingredientibus inſtructa, præcipuum curationis punctum abſolvunt, omnibus aliis remediis ſuperiores ſunt, adhibendi imprimis acceſſionis tempore, & quando mali ſævitia & medicis & ægrotantibus terrorem injicit.

Quieſcente autem morbi impetu, ad negotium digeſtionis ſecundandum, & ſuperiores indicationes adimplendas accommodatiſſimum mihi videtur elixir meum temperate balſamicum, & ſtomachicum hoc modo parandum: Recipe extracti cardui benedicti, centaurii minoris ana drachmas duas, corticum aurantiorum recentium, corticis chinæ ana unciam ſemis, myrrhæ electæ, caryophyllorum ana drachmas duas, croci drachmam unam, ſalis tartari unciam ſemis. M. ſpeciebus in pulverem redactis affundatur vinum Tockavienſe ad libram unam, & in cucurbita clauſa in arena levis fiat decoctio, ſolutio, ac poſtea, magmate craſſiori in fundo remanente, decantetur.

Hoc præſtantiſſimi uſus remedium ad octoginta, vel centum guttas poſt cibum ſumtum in ultimo aquæ vel vini hauſtu, vel etiam dimidia hora ante prandium uſurpari poteſt, ejuſque uſum per aliquot menſes continuare oportet; Expedit etiam, ſi placeat, hanc nobilem medicinam cum ſyrupo corticum aurantiorum, vel roob ſambuci, transformare in electuarium, omiſſo ſale tartari, & addito pulvere florum chamomillæ, & parca quantitate mithridatii; quod ad nucis juglandis magnitudinem ter vel quater in ſeptimana ſumtum, roborando ventriculi & inteſtinorum tono, atque in ſpaſmis leniendis, virtutem exſeret efficaciſſimam.

Præterea ad vim morbi infringendam non ſatis laudare poſſum fontes minerales, præſertim thermas Carolinas, vel acidulas tepidas, quarum conveniens uſus, ſingulis fere annis reiterandus, magnum levamen promittit. Denique etiam in ejuſmodi affectionibus ſpaſmodicis magni facio balnea ex aqua dulci parata, quorum virtus eſt excellentior, ſi internus mineralium aquarum uſus, & primarum viarum expurgatio præceſſerint. Hæc enim vim habent relaxandi contractas fibras; hæc motum ſanguinis promovent, eumque ad externas partes alliciunt, perſpirationem quoque egregie adjuvant, & congeſtionibus ſanguinis, quæ à ſpaſmis inferiorum partium hoc in morbo frequenter fiunt, ſatis valide obluctantur. Poſſunt horum vicem ſubire pediluvia, ex ſola aqua tepida, mane vel circa tempus ſomni ea cum cautione adhibenda, ut pedes paulo altius in aquam demittantur. Atque hæc ſunt, quibus ſereniſſimæ ægrotantis ſaluti conſulere volui: nec dubito, quin commendata medendi ratio, ſi rite & ordine adhibeatur, multum levaminis ſit allatura.

---

## CASUS XXXV.

### *De affectu hypochondriaco-ſpaſmodico cum febrili commotione & intercurrente purpura.*

VIr unius & triginta annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, conſtitutionis debilioris, habitus corporis carnoſi, à prima infantia ad decimum uſque quartum ætatis annum, præter capitis achores, ſcabiem manuum, ac frequentiores dentium dolores, illibata ſanitate ac florido vultus colore præditus, decimo quinto demum anno, quo herbæ Nicotianæ fumum ſugere cœpit, febrem acutam ſatis gravem toleravit. Hac ſuperata, inordinatum denuo vivendi genus ingreſſus, bis in tertianam febrem incidit, cujus noviſſimam cortice chinæ de china ſuppreſſam, pedum tumor excepit, mox vero iterum diſparuit. Tum ab anno ætatis decimo octavo ad vigeſimum uſque ſextum vitam in Academiis degit, ibidemque, licet multis compotationibus, largiori herbæ Nicotianæ uſui, atque nimiæ infuſi Théebois potationi indulſiſſet; nec unquam ſub tam frequentibus humorum, quas paſſus eſt, ebullitionibus, ſanguinem per nares aut alia loca reddidiſſet, præter leviores odontalgias, & tonſillarum intumeſcentias, ſanus ceteroquin vixit. Unicum, quo inde à decimo ſeptimo anno ſæpius, & ſingulo ferme octiduo tentabatur incommodum, erant nocturnæ pollutiones, quas ſemper inſignis corporis languor, artuum relaxatio, atque ſudor inſequebantur. Præbuit eo tempore quidem venam nonnunquam ſecandam, ſed nullum circa hanc excretionem obſervavit ordinem. Hinc ergo anno ætatis vigeſimo ſexto, publico functus munere, ex mobili in ſedentarium, & tale quidem vitæ genus pervenit, in quo multis animi paſſionibus, iracundiæ atque mœrori crebram obtinuit occaſionem. Quapropter variis ſolicitari cœpit moleſtiis, nimirum ſanguinis ebullitionibus, preſſionibus in pectore, doloribus tenſivis ac lancinatoriis cervicis, & capitis, præſertim vero ſiniſtri illius lateris, frequentique coryza, ſub quavis aëris mutatione accedente; quibus ſymptomatibus, Martio inprimis vel Aprili menſe ſupervemiebant febres catarrhales, cum urticata corporis efflorescentia. Neque minus ſingula hebdomade moleſtæ illæ pollutiones nocturnæ jungebantur; quæ cum anno 1724. ob ingentem, ex obitu cujuſdam propinqua cognatione conjuncti inductam animi commotionem, una cum reliquis ſymptomatibus admodum invaleſcerent, & cum virium defectu, & copioſiori lateris potiſſimum ſiniſtri ſudore ſtiparentur: eodem anno matrimonium inire decrevit. Sed vix aliquot hebdomades in conjugio tranſegit, cum non ſolum eædem moleſtiæ quemvis concubitum comitarentur, verum etiam plane lecto affigeretur per ſatis longum tempus. Namque matutinis horis, præter leviores corporis tenſiones, ſatis quidem bene habebat, & prandium cum adpetitu capiebat; ſed hora pomeridiana ſecunda primum refrigeratio quædam extremas corporis partes occupabat; quam moleſta formicatio, preſſio, tenſio, & ſpaſmodica contractio capitis, atque cervicis, & præcordiorum anguſtiæ excipiebant. Venæ, cruore antea turgi-

dæ

dæ concidebant; corpus, ejuſque præſertim ſiniſtrum latus expalleſcebat; dextrum naturali colore præditum, ſanum videbatur. His per duas circiter horas durantibus, ſuccedebant æſtus, ac ſudores copioſiſſimi totius corporis; quibus factum eſt, ut non ſolum carnoſa ſubſtantia admodum conſumeretur, verum etiam, continuantibus ſemper pollutionibus, vires inſigniter proſternerentur. Poſtquam vero ab hoc gravi morbo, quo per ſeptem hebdomades laboraverat, ope trium medicorum vindicatus, lectum deſerere, & in publicum rurſus prodire poterat: incurrebat tandem in hæmorrhoidales paſſiones, & primum dolorifica in ano tubercula ſentiebat, deinceps ipſum cruoris per ſedales venas, magis ſtillicidium, quam fluorem patiebatur. Hinc autem denuo male habere cœpit; namque frigus extremorum, gravativa ac temulenta capitis moleſtia tanta, ut ſæpius deſipere videretur; lateris ſiniſtri tractiones ſpaſmodicæ, humorum ebullitiones, & copioſus ſiniſtræ duntaxat manus ſudor, quotidie ingruebant. Propinabantur varii generis medicamina nervina, abſorbentia, nitroſa, cinnabarina, pulvis antiſpaſmodicus Stahlii pariter ac Hallenſium, & horum eſſentia dulcis concentrata, copioſiſſima quantitate; nec ſine quodam mali levamine: neque enim ſpirituoſa, vel mitiſſima, vinum puriſſimum, aut ſpiritum vini, abſque majori ſymptomatum exacerbatione ſumere poterat. Obſervabatur præterea, naturam ſæpius tentaſſe ſanguinis eruptionem: namque mox quædam cruoris guttulæ, prævio capitis gravativo dolore, ac formicationis in naribus ſenſatione, ex his ſtillabant, cum momentaneo allevamento; mox poſt vehementiſſimam pectoris compreſſionem, ſaliva tincta adparebat: & urina vel ſedimentum lateritium deponebat, vel latera matulæ ſabulo conſpicua erant. Medici ulterius conſulti vel acrimoniam humorum ſcorbuticam, ſanguinem inertem, vel febrem lentam, vel affectum nervoſum, diæteticis magis quam pharmaceuticis remediis expugnandum accuſabant; vel naturam per venas hæmorrhoidales, ſanguinis eruptionem moliri aſſerebant. Hinc ſuaſu quorundam, decoctum lumbricorum terreſtrium cum radice fœniculi paratum, mane ſorbillare debebat æger, & inde ſudorem expectare: unde etiam egregiam mali remiſſionem percipiebat. Quamobrem quatuor abhinc ſeptimanis ſibi conſulturus, iterum potare cœpit decoctum illud: ſed vix biduo ſorbillaverat, cum hora veſpertina ſexta febrili corriperetur paroxyſmo, cum prævia refrigeratione, & ſubſequente æſtu ac ſudore. Adhibebat ideo pilulas Stahlianas; quarum uti ſemper, ita hac etiam vice, eum obſervabat effectum, ut dolores tenſivos, preſſorios atque lancinatorios magis excitarent. Febris nihilo minus continuabat, & brevi poſt non ſolum purpura urticata; verum etiam ingentibus inteſtinorum doloribus, atque hæmorrhoidum paſſionibus, cum parco cruoris ſtillicidio junctis, ægrum quotidie infeſtabat. Notatu vero dignum eſt, tenſivos ac ſpaſmodicos artuum dolores remiſiſſe, quamdiu purpuracea corpus obſidebat efflorescentia: hac vero diaphoreticis, aliiſque medicaminibus diſcuſſa, recidebant illi rurſus dolores. Tandem evaneſcebant pleraque hæc ſymptomata; niſi quod ſingula veſpera, prævio horrore ſpaſmodicæ capitis, ac brachii potiſſimum ſiniſtri torſiones adfligant, & accedente demum ſudore, terminentur.

Cæterum æger ad flatulentas moleſtias admodum proclivis eſt; adpetentia fruitur ſæpius vehementiori; potu vero utitur parciori, & ex infuſo theiformi melius habet, quam decocto herbæ Thée-bois, quippe quod ſpaſmos adaugere videtur. Non minus excretionibus diaphoreticis, ac diureticis, ad quas facillimus eſt, inſigniter levatur; at laxationes, utut ſint leviſſimæ, ſpaſmos exacerbant; & purgantia, medicamina calidiora ac ſpirituoſa, cibi aromatiſati, atque eſſentia caſtorei promovent pollutiones nocturnas. Ex his igitur omnibus ſatis ſuperque patebit, an vitium in corruptis humoribus, numnam partibus ſolidis, ac nervoſis hæreat; anne ſymptomata recenſita impedito hæmorrhoidum fluori debeantur? Et his perſpectis anhelat æger ſalutare conſilium, cupitque doceri, num, ſi hæmorrhoidum indicia forſan accederent, proficua foret hirudinum adplicatio; aut utrum venæ ſectiones, quæ ſingulo vere celebrantur, iterum ſint inſtituendæ? Ad fontes quidem minerales accedere, officium, quo fungitur, haud permittit; ſed ex Medicina Conſultatoria edoctus, magnam in acidularum cum lacte mixtarum potatione, ſi ipſi congrua judicaretur, ſpem collocat.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Omnia ſymptomata, quibus ægrum immaniter tractari, ex datis ad me litteris percepi, inſigni generis nervoſi debilitati primario debentur; qua fit, ut non tantum omnes fere ſolidæ ac nerveæ corporis partes irregularibus ſpaſmis, atque doloribus tenſivis & tractoriis afficiantur, verum etiam liber, temperatus ac æquabilis liquidorum circuitus deſtruatur, & ideo legitimus omnium functionum animalium, vitalium, ac naturalium ſucceſſus admodum perturbetur. Harum vero præternaturalium motionum plures exſtiterunt cauſſæ; quarum prima crebris compotationibus, atque exceſſibus tam in potu cereviſiario atque vinoſo, quam aquoſo Thée ac Coffée commiſſis; altera febri tertianæ, præmaturo corticis chinæ uſu ſuppreſſæ, unde teſtante experientia ineluctabilis ſæpius in ſanitatem redundat noxa; & tertia vehementioribus animi commotionibus, excandeſcentiæ atque diuturno mœrori in acceptis ferenda eſt. Neque etiam minus huc contribuerunt frequentes nocturnæ pollutiones, quibus tenuiſſimum ac ſpirituoſum fluidum, quod nervorum atque corporis vigori conſervando egregie velificatur, ſenſim paullatimque diſſipatum, & totum corpus debilitatum eſt: & denique vehementia malorum debetur quoque multorum, quæ adhibita ſunt remediorum, maxime humores exæſtuantium uſui; quorum in cenſum præſertim veniunt pillulæ illæ balſamicæ ac polychreſtæ; quibus morbos nervorum ſpaſmodicos magis exacerbari, quam mitigari, multiplici doctus ſum experientia. Hiſce igitur cauſſis non ſolum nervoſæ generatim partes, & maxime in latere corporis ſiniſtro, admodum debilitatæ, & ſpaſmodicis ſtricturis affectæ ſunt; verum etiam ventriculi præſertim ac inteſtinorum tonus naturalis adeo labefactatus videtur; ut læſa digeſtione, multæ cruditates in primis viis reſtiterint, quæ non modo flatulentiæ, ſed quoque febrilium acceſſionum, peracta potiſſimum digeſtione invadentium, cauſſæ ſunt ac primi natales. Tali porro ratione haud fieri potuit, quin illegitimus chylus generatus, ſanguinem quoque crudum, impuris, ſalinis, atque ſcorbuticis ſordibus imbutum produxerit: unde partim urticata purpura, partim inſignis ad orgaſmos proclivitas, & virium atque nutritionis decrementum ſuam traxerunt originem.

Quæ

Quæ cum ita ſint, & fluidæ non minus quam ſolidæ partes à blanda atque naturali craſi & conſtitutione penitus receſſiſſe videantur; ipſe quoque morbus diuturnitate temporis in habitum veluti ac conſuetudinem degeneraverit: difficillimum utique erit, illum funditus exſtirpare, eo magis, cum natura ob nimiam remediorum jam datorum farraginem, iis adeo ſit adſueta, ut jam vel præſtantiſſima eludat ſubſidia. Quamobrem major omnino ſpes ex præſidiis diæteticis foveri poteſt; ex quibus præ aliis commendo acidulas Selteranas, cum tertia lactis aſinini, aut etiam caprini parte maritatas. Hoc vero excellens remedii genus ſingulo mane, quantitate unius, aut hujus & dimidiæ menſuræ potare decet, per duos menſes continuando: poſtquam corpus antea infuſo mannato fuit purgatum, quod etiam ſingulis quatuordecim diebus illi potationi interponendum, & ſub finem illius iterum ſumendum eſt.

Deinceps haud ſine fructu adhibebitur pulvis meus bezoardicus, alternis diebus circa veſperam, pondere drachmæ dimidiæ ex aqua ceraſorum nigrorum, vel emulſione nervina ſumendus. Hic enim non ſolum acredinem in ventriculo ac humoribus hoſpitantem attemperat, alvum lubricat, & tranſpirationem adjuvat, verum etiam præternaturales & fluidarum & ſolidarum motiones mitigat atque demulcet. Eidem ſcopo etiam inſerviet liquor meus anodynus mineralis, cum tertia parte eſſentiæ carminativæ mixtus; quem ſub Selteranarum potatione guttulis viginti hora quarta pomeridiana ex aqua deſtillata capere; extra illam vero mane ex infuſo theiformi aſſumere conveniet. Præterea nec ludetur opera, ſi æger cubitum iturus quotidie deſcendat in pediluvia, temperato tepore prædita, & ex aqua pluviatili, vel tantum ſimplici, furfuribus tritici & ſapone veneto parata. Potui vero ordinario proponendas duxi aquas Selteranas, tertia vini Rhenani parte permixtas; aut decoctum ex ſcorzonera, cornu cervi, hordeo, ac corticibus citri recentibus concinnatum. Quod denique diætam attinet; omnes animi affectus, cibi acidi, ſaliti, duriores, ac flatulenti, potus ſpirituoſi, ac refrigerationes ſummo fugiantur ſtudio; epulæ ſint parciores, & inter illas comedantur ſæpius juſcula medicata, ex jure carnis gallinaceæ, chærefolio, acetoſa, ſpinachia, naſturtio, aſparago, cancris contuſis, & ſucco aurantiorum confecta; ac denique corpus, maxime horis veſpertinis, moderate moveatur. Quæ medendi ratio, ſi rite fuerit adhibita, non dubito, quin aliquale ſaltem malo allatura ſit emolumentum.

*Relatio.*

Poſtquam æger, cum acidulas Selteranas obtinere haud potuiſſet, ſolos pulveres, quos commendavi, & liquorem meum anodynum uſurpaverat, ac rectam vivendi rationem obſervaverat: nunciavit mihi, pleraque ſymptomata inſigniter fuiſſe mitigata. Et cum tandem harum acidularum particeps fuiſſet factus, iis per octo hebdomades potis, priſtinam recuperavit ſanitatem.

---

## CASUS XXXVI.

*De affectu hypochondriaco-ſpaſmodico, cum debilitate vaſorum ſpermaticorum, & partium generationi inſervientium.*

Vir, officiis bellicis ac aulicis à prima juventute defunctus, annorum triginta quatuor, crebris diætæ erroribus, ac potuum exceſſibus indulgens, quatuor abhinc annis quartanam incidit febrem, cum hæmorrhoidibus cœcis, quibus & antea fuit obnoxius, ſtipatam. Hac perſanata, nec redierunt amplius hæmorrhoides; & ipſe ægrotus viribus integris, corpore robuſto, coloreque vultus florido gaudens, omnibus illibata ſanitate videtur præditus. Neque tamen minus matutino potiſſimum tempore, nauſeam quandam, ac cardialgiam toleravit: quæ vero, fruſtra primum adhibitis variorum remediorum generibus, tandem intermiſſo ſpiritus vini, quem ſub prandio pariter atque cœna potare ſueverat, uſu admodum mitigata eſt. Præterea juſto majori ciborum, maxime duriorum cupiditate fruitur; quæ tamen, aſſumta eorum parciſſima quantitate, protinus ſatiatur, & hauſto præſertim vino, aut calidiori cereviſia, anxium atque volaticum faciei maxime æſtum, pedum autem moleſtam poſt ſe trahit refrigerationem. Hypochondria cum toto abdomine tenſa videntur; alvus plerumque ſicca exiſtit, qua lubrica, aut blandis laxantibus ſoluta ab omnibus immunis eſt moleſtiis. Sæpius etiam colicis doloribus infeſtatur; noctemque ſomno turbulento, variis terriculamentis pleno, ac crebris pollutionibus ſtipato tranſigit. Sentit inſuper perpetuam ferme ad concumbendum proclivitatem: ſed dum coitum celebrat, ſemen juſto citius, flaccido ſæpius pene ejaculatur; quin haud etiam raro inter grata cum ſexu ſequiori conſortia, ſenſim abſque jucunda ſenſatione exſtillat, & ideo non ſolum corpus enervat, verum etiam memoriæ vim inſigniter labefactat. Hocce vero malum ex nimio veneris exercitio, cui ante aliquot annos indulſit æger, originem traxiſſe, & inde præter aliqualem ſeminis acrimoniam, vaſorum ſeminalium debilitatem inductam eſſe putat; nec ab illo, licet varia medicamina, præſertim balnea ex vino & aqua ferrariorum parata uſurpaverit, hactenus liberari potuit. In tali rerum ſtatu ipſe animus turbari videtur, ut mox ad nimium mœrorem inclinet, ac ſolitudines quærat, mox juſto hilarior atque jucundior deprehendatur. Conſulti medici omnem morbi fomitem in primis regionibus latere exiſtimarunt; & hinc curationem vomitoriis, ſtomachicis, atque carminativis inſtituerunt: ſed cum nullis eorum obſecundaverit malum, ſalutare ad illum oppugnandum flagitatur conſilium.

*Conſultatio.*

Poſtquam morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, probe perpendi mecum; illum omnino hypochondriaco-ſpaſmodicum, qui in ventriculo & canale inteſtinorum nerveo-membranaceo ſedem ſuam obtinet, eſſe arbitror. Quemadmodum enim hæ ſenſibiles admodum ac nerveæ partes, juſto robore ac naturali tono præditæ, maximum fere momen-

tum

tum ad ſanitatis conſervationem contribuunt ; dum illarum virtute generoſi ex alimentis ſucci eliciuntur, inutilia vero recrementa per alvum rejiciuntur : ita è contrario nulla totius machinæ pars eſt, quæ majores corpori, & functionibus ipſi propriis noxias inferre poteſt , quam ipſe ventriculus ac inteſtina, ſi periſtalticus ipſorum motus à ſtatu & ordine naturali receſſerit. Tum enim hi membranacei canales partim diſtentionibus ſpaſmodicis, partim flatulentis relaxationibus afficiuntur ; ita quidem, ut in uno loco ſpaſmus vexet, in altero reſolutio deprehendatur. Quum autem hæ partes, ope nervi intercoſtalis, & paris octavi, ſive vagi, cum reliquis, iiſque nobiliſſimis corporis noſtri viſceribus, arctiſſima gaudeant communione: cognitu facillima eſt ratio, cur præternaturales primarum viarum affectiones, reliquas, etiam remotiſſimas partes in ſpaſmorum atque motuum violentorum ſecum abripiant ſocietatem.

Quod noſtrum attinet caſum ; vero videtur ſimillimum, ſpaſmodicos motus adhuc in ventriculi ac inteſtinorum canale maximam partem reſidere; eumque multis à turbata digeſtione generatis ſcatere cruditatibus. Inde enim pleraque natales ſuos mutuantur ſymptomata, veluti ſunt nauſea, cardialgia, ciborum adpetentia cito ſatiabilis, paſtum excipiens calor ac æſtus faciei volaticus, eduliorum concoctu difficiliorum cupiditas, partium extremarum refrigerationes, obſtructio alvi, inflatio hypochondriorum &c. Neque vero minus caput in præſenti caſu male affectum eſt ; hujus enim nervoſæ partes, maxime involucra cerebri membranacea, ſæpiſſime à ventriculo ſpaſmis occupato, ad eoſdem vi mutui conſenſus proritantur. Unde quoque dependent ſomnus turbulentus, inſomnia terrifica, & mox nimia mentis inquietudo, & anguſtia, mox ſolito major hilaritas, atque perverſa imaginatio : quæ ſymptomata cuncta debilitati generis nervoſi debentur.

Quod ſi vero de iis noſtri affectus cauſſis diſpiciam, quas remotiores vocant : has inter magna debetur animadverſio cruori in inteſtinis inferioribus ſtagnanti, & exitu per vaſa hæmorrhoidalia deſtituto. Neque minus in earum cenſum veniunt inordinatum vivendi genus, frequentes crapulæ, refrigerationes, vehemens iracundia, diuturni mœrores, atque medicamina nervoſum genus commoventia, purgantia, vomitoria, aliaque nimis ſpirituoſa: quippe quæ illius ſunt indolis, ut tonum partium nervoſarum, maxime ventriculi, ac inteſtinorum mirifice deſtruant atque labefactent. Et ſane plerorumque medicorum, qui verum horum morborum genium minus habent perſpectum, mos eſt, ut eos purgantibus potiſſimum, emeticis, calidioribus ſtomachicis, carminativis, quin & martialibus ac opiatis adgrediantur : quibus majorem noxam inferunt, quam utilitatem, præſertim cum ejuſmodi ægrotantes meticuloſi, inconſtantes, inquieti deprehendantur, & ideo ab uno medico ad alterum confugientes, inſignem variorum remediorum farraginem, irreparabili ſanitatis damno, devorare ſoleant.

Mihi vero in more eſt poſitum, ut in hiſce morbis ineunte vere, aëris mutationem, itinera, ac mineralium aquarum uſum commendem, ea quidem ratione, ut quibus ſtrictior eſt corporis habitus, atque cholericum temperamentum, acidulas ; iis autem, quorum corpus multis viſcidis, impuriſque ſcatet humoribus, thermas magis idoneas exiſtimem. Huic vero curationi opportunum prius reddere ſtudeo corpus, dum non ſolum ſanguinis nimiam molem, ſi præſto fuerit, imminuendam ; verum etiam impuros humores corrigendos, & per alvum leniter expellendos curo. Abſoluta demum ea potatione, diæteticis pariter, ac pharmaceuticis blandis remediis, ventriculo robur ſuum reſtituere, legitimum excretionum naturalium ſucceſſum promovere, ac æquabilem humorum per imum ventrem circulationem adjuvare, curæ mihi cordique eſt. Quæ ſi votis nondum reſponderint, conſultiſſimum duco, ut ſequenti anno iterum ad minerales fontes iter inſtituatur: hos enim in natali loco adhibuiſſe, longe ſaluberrimum eſt, cum ibidem animus à rebus ſeriis eo melius detrahi, & corpus convenientius moveri poſſit ; nec non ipſa aëris mutatio, quam tali modo conſequimur, egregium ſpondet emolumentum.

Quæ cum ita ſint ; noſtro quidem ægrotanti thermarum, quæ in Carolinis ſcaturiunt, molarium commendarem uſum: & corpus præpararem detractis, ſub cœlo ſereno, ex vena in pede tuſa ſex vel octo cruoris unciis. Deinceps proponerem pilulas meas balſamicas, alternis diebus circa veſperam, numero ſedecim ſumendas : ſequenti vero die ſalis mei aperitivi drachma dimidia ex aqua vino nupta mane hauriatur ; & tum aliquot vaſcula infuſi theiformis, quod ſic ſe habet, ſorbillentur : Recipe florum chamæmeli vulgaris, hyperici, ſummitatum millefolii, herbæ cardui benedicti, ſalviæ, meliſſæ, betonicæ, veronicæ, verbenæ ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. conc. cont. d. Et denique ſub ipſa etiam curatione inter epulas Elixirium meum ſtomachicum, triginta guttulis capiendum commendarem. Præterea vero, cum recta vivendi ratione nihil in hiſce morbis reperiatur fructuoſius ; etiam atque etiam hortor, ut ægrotus aliquot ab epulis horis corpus moderate & ad incaleſcentiam, vel ambulando, vel equitando moveat ; atque ſingulis veſperis pedes in tepidiora immittat pediluvia : cæterum à vinis juſto calidioribus, cibis incongruis, animi paſſionibus, ac multis laboribus cum meditatione junctis ſedulo ſibi caveat.

Quod denique attinet debilitatem illam vaſorum ſpermaticorum, & partium generationi inſervientium, atque præmaturam ſeminis effuſionem: hæc non minus ex hypochondriaca paſſione natales ſuos mutuatur. Dum enim in illa partes nervoſæ corporis tantum non univerſi, robore ſuo deſtitutæ ac debilitatæ exiſtant: non fieri poteſt, quin nec ſeminalis humor naturalem ac ſpirituoſam adipiſcatur temperiem, ſed juſto tenuior, ac acrior factus, vaſa ſeminalia ſtimulet, & ad præcocem ejaculationem proritet. Nihil vero in tali caſu præſtantius eſt, quam eſſentia ſuccini rite præparata, ſi illius quindecim guttæ & mane & veſperi, ex ſyrupo acetoſitatis citri, aqua permixto aſſumantur. Extrinſecus roborandis genitalibus partibus egregie inſerviet ſequens ſacculus : Recipe florum roſarum rubrarum, balauſtiorum, anthos, lavendulæ, ſalviæ, chamomillæ Romanæ ana manipulum unum, cubebarum, cinnamomi, caryophyllorum ana unciam dimidiam, benzoes, ſtoracis, maſtichis ana drachmas ſex. M. C. D. S. Species, quæ in vino rubro decoctæ ſacculo includantur, & mane aut veſperi regioni pubis imponantur. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi, quibus ægrum votis ſuis potiturum eſſe, haud deſpero.

CASUS

## CASUS XXXVII.

*De malo hypochondriaco ſpaſmodico-flatulento.*

JUris quidam peritus, quadraginta annorum, conſtitutionis olim ſtrictioris, jam magis obeſæ, vitam amans ſedentariam, ſtudiis ac meditationibus deditiſſimus, ac variis animi paſſionibus, præſertim curis atque ſolicitudinibus indulgens, menſe Auguſto anni 1722. in eam primum incidit moleſtiam, ut hauſtos mane potus calidiores, non minus ac ſingulas epulas niſi ipſe vomitus, ſaltem laborioſi vomendi conatus exceperint. His per aliquot annos toleratis, accidit, ut vere anni 1725. mane expergefactus dolores in toto corpore contuſorios perceperit; quos vero, cum eodem die evaneſcerent, parum curavit. Sed elapſo octiduo hi dolores recrudeſcebant atrociores, cum ea ſenſatione, ac ſi totus fuſtibus fuiſſet percuſſus; ac ſi totus fuſtibus fuiſſet percuſſus; ac omnium fere actionum voluntariarum impotentia. Accitus medicus commendabat venæ ſectionem; qua inſtituta, & adhibitis quibuſdam remediis, largus noctu erumpebat ſudor, cum eoque varia tubercula ulceroſa efloreſcebant, & dolores protinus remittebant. Interim moleſti illi vomitus adhuc recurrebant quotidie; & tandem, cum circa utrumque æquinoctium venam præberet ſecandam, & ſub epulis vino Gallico generoſo uti cœpiſſet, autumnali anni 1725. tempore ceſſabant aliquantulum. At vero novus ſuccedebat affectus, longe moleſtior; namque dolor ſatis acutus caput in regione frontis, præſertim ſupra orbitam ſiniſtri oculi, occupabat quotidie; & ab hora nona matutina ad tertiam pomeridianam inſtar hemicraniæ inhærebat. Huic affectioni obviam ivit æger pilulis polychreſtis, atque quotidiano pulverum præcipitantium uſu; ex quibus non quidem perfectam ſublationem, at inſignem dolorum remiſſionem conſequutus eſt. Præterea vero ſingulo & vere & autumno, vehementes accedebant ſanguinis orgaſmi, adeo ut tum per quatuordecim fere dies largiſſimos ſudores nocturnos, & crebram mingendi cupiditatem ſub ſomno toleraverit ægrotus.

Quæ ſymptomata cum nullis obſecundaſſent remediis; menſe octobri anni 1731. in atrocius demum abierunt malum. Namque dum poſt prævias animi graviores commotiones, veſpertino tempore viri cujuſdam, ſumma dignitate conſpicui intereſſet exequiis; ibidemque partim piceos ex facibus fumos inſpiraſſet, partim corpus inſigniter refrigeraſſet: accidit, ut poſtridie ſuffocativum incurrerit affectum, cum ructuum flatuumque pertinaci retentione. Quandocunque reſpirabat, videbatur veluti obex in imo ventre poſitus, qui præpediebat ſpirationem: atque tanta urgebat alvi conſtipatio, ut clyſterum ope ipſam moliri oportuerit. Adhibuit contra has affectiones varia medicamina, infuſa vinoſa, præſertim pulverem contra acredinem, & antiſpaſmodicum Hallenſium, nec non eorundem pilulas polychreſtas, & eſſentiam antihypochondriacam; atque circa vernum currentis anni tempus venam curavit incidendam: quibus quidem mitigatæ, ſed neutiquam adeo ſublatæ ſunt, quin adhuc per intervalla redeant, & ſæpenumero moleſtis vomitibus, aut ſaltem dolorificis ad illos conatibus junctæ deprehenduntur.

Cæterum pro potu ordinario loco cereviſiæ Gardelebienſis, hactenus potæ, ſuaſu medici jam utitur ea, quæ Luteræ regiæ ſub nomine *Tuchſtein* coquitur, ſed inde alvi ſegnitiem magis obſervat confirmari. Doloribus corporis, quos anno 1725. in ſiniſtro potiſſimum latere paſſus eſt, tum acceſſerat frigida ſenſatio in occipite, ac artibus lateris ſiniſtri; quæ abhinc aſſidua inhæſit, neque per inflictum ſiniſtro brachio fonticulum debellari potuit. Vultus color, plerumque floridus ac rubicundus, ſæpiſſime præſertim circa oculos commutatur in variegatum, ac ſi quidam digitorum ſuorum veſtigia ipſi impreſſerit. Non minus pectus muco videtur repletum, quem quidem exſcreare conatur; at adeo tenax inhæret, ut inter tuſſiendum ſæpiſſime metus ſit, ne ſuffocetur, atque dorſi percuſſione adjuvari debeat. Diætam, cum officii ratione crebris fungatur itineribus, haud obſervare poteſt accuratam; ſed promiſcuis & cibis & potibus uti cogitur, neque etiam ab omni animi paſſione, licet ſummo nitatur ſtudio, cavere ſibi valet. Nicotianæ fumum, quam olim in delitiis habuit, jam parciſſime fugit; & ſi opus fuerit, omnium etiam vinorum, maxime Rhenani potum evitabit eo lubentius, cum exinde ſanguinis ebullitionem, ac ventriculi acrimoniam ſuboriri ſentiat. Neque etiam ignorari oportet, fauces atque linguam per ſatis longum tempus, perpetuo ardoris ſenſu, ac ſi nimio Tabaci uſu fuiſſent excoriatæ, affici; quas ope gargariſmatum, ac juſculi avenacei cum ſaccharo cando permixti, aliquantulum mitigavit. Saliva vero viſcida, tenaxque ſpuitur, adeo ut quidam pulmonalem tabem metuant, præſertim cum carnoſa corporis ſubſtantia aliqualiter imminui videatur; & ſub exſcreatione fœtidus odor nonnunquam percipiatur. Ipſe autem ægrotans, qui circa ventriculi ac diaphragmatis regionem præcipuas ſentit moleſtias, ibidemque impactam quaſi pituitam, ſemet aſthmate laborare credit, ſeque curatum iri ſperat, ſi ſtagnationes ſanguineæ diſcuterentur, debilitas ventriculi reſtitueretur, alvus lubrica fieret, atque præſertim pectus à nimia muci copia liberaretur. Noviſſime ſpaſmi arthritici per intervalla videntur accedere; ſed inſequuto ſudore mox diſſipantur.

Quæ cum ita ſint, ſalubre jam æger ad recuperandam ſanitatem efflagitat conſilium, & præcipue doceri geſtit, num commendatus ſibi à medico quodam vini inter epulas Burgundiaci, atque aquarum Sedlicenſium uſus futurus ſit conveniens?

### *Conſultatio.*

Affectus præter naturam, quo vir conſultiſſimus infeſtatur, non alius eſt, quam qui à medicis hypochondriaco ſpaſmodico-flatulentus adpellatur. Quum enim in illo ventriculi concoctio læſa deprehenditur, & ideo loco generoſi chyli, cruditates acidæ, bilioſæ, atque viſcidæ generantur: cognitu omnino facilis fit cauſſa omnium, quibus æger premitur ſymptomatum, veluti ſunt vomitus, flatulentæ diſtenſiones ventriculi, ructus, conſtrictiones & anxietates præcordiorum, ſanguinis ebullitiones, alvi ſegnities, atque dolores, qui artus occupant, arthritici. Hujus autem hypochondriacæ paſſionis primi natales partim vitæ generi ſedentario, motus experti, atque nimiis mentis laboribus cum meditatione junctis; partim diuturnis curis, atque mœroribus; partim denique inordinatæ victus rationi debentur; maxime ſi nativa generis nervoſi

nervoſi debilitas, uti quidem videtur, acceſſerit. Atque difficillimum ſane eſt, hiſce vitiis ſolo pharmacorum uſu mederi; ſi votis potiri velimus, omnis curandi vis ex pertinaci vivendi ac rerum non naturalium obſervatione expectari debet. Idcirco ante omnia nimias mentis fatigationes atque meditationes moderari, & corpus potius crebris, ſed temperatis exercitiis movere oportet. Præſertim vero omittere convenit omnem cereviſiæ potum, ventriculo in hiſce morbis vehementer inimicum: in cujus locum vel acidulis Selteranis cum quarta vini Rhenani parte maritatis, vel ſequenti decocto uti præſtabit: Recipe radicum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ, raſuræ cornu cervi ana uncias ſex, radicis cichorei, glycyrrhizæ ana uncias duas, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana unciam ſemis. M. C. C. irrorentur cum olei tartari per deliquium uncia ſemis, D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquendæ ſunt. Nec alienum erit, hujus potationi parcum vini veteris aut Moſellani, aut Rhenani uſum interponere.

Ex remediis commendo Elixirium meum viſcerale, octoginta circiter guttulis ſub finem prandii ſumendum; & pulverem laxantem rhabarbarinum, cujus ope ſingulo octiduo alvus purgetur, neceſſe eſt. Et hiſce denique futuro menſe Junio adjungendum eſſe Pyrmontanarum vel Egranarum uſum, omnino ſum perſuaſus.

Relatum abhinc eſt, ægrum ex commendata medendi ratione, præſertim Elixirio viſcerali, ſymptomatum ſuorum egregium deportaſſe allevamentum.

---

## CASUS XXXVIII.

### *De affectu hypochondriaco-ſpaſmodico-flatulento.*

Vir duos & quadraginta annos natus, debilioris ac ſtrictioris corporis, variis ab incunabulis fere graviter infeſtatus fuit ægritudinibus. Præter varii generis febres enim, ac dyſenteriam, decimo quinto ætatis anno perniones exulceratos paſſus eſt; & cum abhinc inordinato vivendi generi, atque crebris indulgeret crapulis, anno vigeſimo ſeptimo in Galliis degens, gravem toleravit pectoris affectionem. Ab hac cura lactis aſinini liberatus, denuo perverſam victus rationem ſubiit; & cum præſertim nimium vini potum, atque calidioris Nicotianæ uſum ad ſeram uſque noctem protrahere ſueviſſet: exinde omnes fere generoſos ſuccos exſcreavit, & hinc tandem & fluidarum, & ſolidarum partium labem ſibimet contraxit, ut nulla ſpirituoſa, vel cibos aromatiſatos abſque moleſtia ferre potuerit, ſed crebris vomendi conatibus, quin & ipſis vomitibus ſæpius laboraverit. Atque tali ratione ſanitas magis magiſque vacillare, & ventriculi robur adeo debilitari cœpit, ut jamjam ex leviſſimo diætæ errore, graves ventriculi preſſiones, ructus frequentiores, flatus ac murmura imi ventris, atque ſæpius vehementem cordis palpitationem patiatur. Pedes perpetuo ſunt frigidiſſimi; haud raro matutino præſertim tempore nauſeam incidit, cum tanto vultus pallore, ut mortuo videretur ſimilis; adpetitu fruitur vario, & plerumque cibos duriores, & concoctu difficiles cupit, qui vomitum ipſi movent; ſomnus eſt turbulentus, terrificis inſomniis ſtipatus, quem verſus diluculum copioſus ſudor, cum ſubſequente laſſitudine excipit; vigor memoriæ, & audiendi facultas ſenſim imminuuntur; hyeme graves catarrhales affectus, coryzam atque tuſſim tolerat cum excretione muci largiſſima; quæ vero noviſſimis annis, cum pectoris calori magis ſtuderet, longe fuerunt mitiores. In hoc rerum ſtatu venam ſæpius tundendam præbuit, nec non vomitoria, purgantia, variique generis medicamina uſurpavit; quæ inter à lactis uſu efficaciſſimam ſemper deprehendit opem. Noviſſimo hyeme meæ ſe tradidit curationi; & adhibuit pulveres temperantes ex nitro, arcano duplicato atque cinnabari nativa concinnatos, magneſiam albam, eſſentiam ſtomachicam ex eſſentia corticum aurantiorum, pimpinellæ, tinctura proprietatis, ac oleo tartari per deliquium confectam. Non minus circa vernale æquinoctium, præviis pediluviis, venam incidendam curavi, & per ſex ſucceſſive dies pilulas de Gummatibus Conerdingii propinavi. Neque male ex his habuit; ſed cum nondum penitus debellatum ſit malum, & animus jam in diverſas atque graves rapi videatur cogitationes: ſalubre anhelat conſilium.

### *Conſultatio.*

Ex communicata mecum morbi hiſtoria probe intellexi, ægrum ex affectu hypochondriaco ſpaſmodico-flatulento laborare; qui ex perverſo vivendi genere, calidiorum potuum, atque Tabaci nimio uſu, animi affectibus, & forſitan corporis refrigerationibus ſuam traxit originem. In hoc vero morbi genere non ſolum fluidæ noſtri corporis partes, impuris, viſcidis, ſcorbuticiſque ſalibus ac ſordibus imbutæ; verum etiam ſolidæ atque nervoſæ, præſertim ventriculi & inteſtinorum regiones deſtructæ & labefactatæ deprehenduntur. Unde ſpaſmodicæ primarum viarum diſtentiones ſuboriuntur, quæ per alias nervoſas partes propagatæ, cruorem vitalem majori impetu atque copia à corporis ſuperficie ad caput & præcordia cogunt compelluntque: quibus etiam cauſſis omnia ſymptomata, veluti ſunt preſſiones ventriculi, ructus, flatulentiæ, borborygmi, cordis palpitationes, frigus partium extremarum, nauſea, inſomnia terrifica, ſudores nocturni, laſſitudo, atque memoriæ debilitas in acceptis ferenda ſunt. Quæ mala cum jam longo durarunt tempore, adeo ut fluidæ non minus ac ſolidæ partes à ſtatu naturali receſſerint: neceſſe eſt, ut congruis ſubſidiis oppugnentur, & hæc diu cum patientia adhibeantur. Idcirco præ aliis laudem merentur Egranæ, quarum vel cum una parte lactis vaccini, vel æquali pondere aſinini, ſi fuerit in promptu, permixtarum, ſingulo mane per quinque hebdomades menſura una cum dimidia potetur. Verum ante non minus, quam poſt illarum potum, ſumenda erit potio laxans, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe mannæ electæ unciam unam & ſemis, rhabarbari drachmam, terræ foliatæ tartari ſcrupulos duos, aquæ florum acaciæ uncias quinque, coque & ſolve leni calore, colaturæ adde olei de cedro guttas tres. M. D. Sub ipſa curatione, ſingulo triduo quatuordecim pilularum mearum balſamicarum veſperi devorandas commendo; quippe quæ tonum atque robur partium ſolidarum confortando, flatus potenter diſcutiunt. Præterea inter epulas ex ultimo hauſtu ſexaginta guttas Elixirii mei balſamici adhibere convenit; & in vicem potus ordinarii, ſequenti decocto uti: Recipe radicis ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam unam & ſemis, caſſiæ caryophyllatæ, corticis ligni ſaſſafras ana unciam ſemis. Conc. Conſ. M. D. S. Spe-

S. Species, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per horam dimidiam, addito paſſularum minorum uno manipulo decoquantur. Neque vero incongruum erit, hujus decocti potui hauſtum vini Rhenani, aut Burgundiaci nonnunquam interponere.

Hæcce curatio eo auſpicatior erit, ſi æger ſub illa ab omnibus durioribus, concoctu difficilioribus, ſale conditis, aut fumo induratis eduliis probe ſibi caverit; corpus, cœlo exiſtente ſereno, ſedulo moverit; nec non abſoluta ea curatione rectum vivendi genus obſervaverit, ac ſubinde bis quotannis venam in pede tundendam præbuerit, & pilulas meas balſamicas, ſtomachicumque Elixirium continuaverit. Quod ſi humorum commotiones acceſſerint, pulveres temperantes à medico ordinariö commendati in uſum trahi poſſunt. Cæterum operæ erit pretium, juſculis cum herba petroſelini, aſparago, radice ſcorzoneræ, atque graminis, nec non ſucco citri ac aurantiorum aut cancris paratis ſæpius veſci; & pedes ſingula ferme veſpera in temperata immittere pediluvia. Quæ ſi rite obſerventur, de felici curationis ſucceſſu nullus dubito.

---

## CASUS XXXIX.

### *De affectu hypochondriaco-ſpaſtico, atque flatulento, functiones animales ſimul turbante.*

Vir trium & quinquaginta annorum, ſtaturæ mediocris ac tenerioris, ingenii vivaciſſimi, temperamenti ſanguinei, ſub præſenti morbo ad melancholicum vergentis, adoleſcentiæ annos inordinato tranſegit vivendi genere. Namque non ſolum omnis generis cibis durioribus, acidis, ſalitis, pinguioribus promiſcue veſci, viniſque acidis, ac fæculentis cereviſiis ad exceſſum uti ſuevit; verum etiam corpus ſaltando, vel aliis cauſſis commotum ſæpiſſime refrigeravit, quin haud raro totus calens frigidos ingurgitavit potus. Neque etiam minus ſub multis, quibus interfuit juvenis altercationibus, caput præſertim variis percuſſum eſt plagis atque læſionibus: & abhinc crebris defunctus itineribus, gelidiſſimi aëris tulit injurias, atque paſſionibus animi ſæpiuſcule indulſit. Interim in juventute poſt leviſſimam commotionem, ſanguinem è naribus reddere ſuevit: qui increſcente ætate per vaſa hæmorrhoidalia, large atque ſtatis temporibus fluxit. Nihilo tamen minus non fieri potuit, quin ex tam irregulari diæta ſanitatis ſibimet contraxerit labem: namque primum moleſto aurium tinnitu infeſtabatur, & huic junctum eſt ventriculi vitium atque digeſtionis læſio; qua tanta pituitæ atque cruditatum copia in primis regionibus increvit, ut poſt intruſam faucibus excutiam ventriculi, qua per aliquot annos quavis hebdomade bis vel ter uti ſuevit, ſemper plus quam libra ſaburræ crudæ, acidæ, viſcidæque eructata, & præterea per ſpontaneos, quos ſæpe toleravit vomitus, inſignis quoque copia reddita fuerit. Non minus vehementes in nucha atque brachiis percepit olim dolores pungitivos, qui jam evanuerunt: ac præſertim poſt acidorum vel dulcium ciborum uſum ingentes, eoſque rodentes circa umbilicum ſenſit cruciatus, quæ ſubſequuta alvi dejectione mitigati, tandem vero evacuatis per ſæpius adhibitum infuſum rhabarbarinum, multis mucidis, ac nigris ſordibus, prorſus ſublati ſunt. Has equidem moleſtias, multis variiſque remediorum generibus, purgantibus, tincturis, eſſentiis, aquis mineralibus ſtrenue oppugnavit; ſed tantum abeſt, ut iiſdem malum ſuum debellaverit, ut illud potius ſæpenumero recruduerit longe atrocius. Et ut illas, quibus jam cruciatur, affectiones tantummodo recenſeam; has inter maximam crucem figit, aurium tinnitus, noctu præſertim tanta vehementia inhærens, ut omnem fere ſomnum ægro eripiat, aut ſaltem ſoporem variis terriculamentis turbatum relinquat. Immaniter non minus ſolicitatur capitis temulentia, atque dolore gravativo; quem quidem attracto per nares pulvere nervino, & hinc emuncto tenaciſſimo muco nonnunquam mitigare, non vero penitus depellere poteſt. Nec conſtans levamen percipit ab infuſo laxante pronuper uſurpato; licet evacuatis per illud multis acidis, viſcidiſque ſordibus, per aliquod tempus ſublevatus fuerit. Quæ cuncta ſymptomata meo quidem arbitrio ex ventriculi cruditatibus natales ſuos mutuantur; quibus etiam procul omni dubio catarrhalis gravitas capitis, atque aurium tinnitus debentur. Et cum in hiſce tollendis omnia hactenus uſurpata remedia ſpem fefellerint; confugimus ad Te Vir Illuſtris; & à tuis conſiliis certum ſperamus auxilium.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Quæ mihi de gravi, qua vir quidam Conſultiſſimus premitur ægritudine perſcripſiſti, ita ſunt comparata, ut duo potiſſimum indicent vitia, quibus omnium ſymptomatum primi debentur natales. Primum enim nervoſæ capitis partes admodum debilitatæ, & vaſcula ſanguifera cruore ſpiſſo atque viſcido infarcta videntur: unde æqualis humorum per cerebrum, membranaſque illud cingentes circulatio impedita, capitis doloribus, ſomno turbulento, terrificis inſomniis, ac melancholicis moleſtiis, originem ſuppeditavit. Cum autem ex viſcidis illis humoribus ſeroſa potiſſimum colluvies per diuturnam ſtagnationem ſeparari ſoleat; non ſane mirum, ſi mucoſa ac viſcida pituita per nares ſæpius excernatur. Quin ſeparatum illud in organis auditus, maxime concha, cochlea ac labyrintho auris ſerum, reſolvitur in vapores halituoſos; qui exitu per tubam Euſtachianam deſtituti, ſuſurrum tinnitumque aurium, ſomnum turbantem progenerant. Multæ autem fuerunt cauſſæ, quibus capitis imbecillitas, dictorum mater ſymptomatum, in acceptis ferenda eſt; quas inter vel graves illius contuſiones, refrigerationes in juventute toleratas, atque crebras animi commotiones allegaſſe ſufficiat.

Deinceps deſtructo etiam ventriculi tono quædam debetur animadverſio: hinc enim digeſtio læditur, alvi ſegnities inducitur, & in ventriculi ac duodeni potiſſimum inteſtini cavitate generantur multæ acidæ, viſcidæque cruditates, quæ non ſolum flatulentas anguſtias, inflationes, doloreſque imi ventris pungitivos pariunt; verum etiam ſpaſmos excitando, ſuccos vitales majori copia ad caput compellunt. Quæ cum ita ſint, præſens affectus nomen hypochondriaco-ſpaſmodico-flatulenti, caput ſimul occupantis, & functiones animales perturbantis omni tuetur jure; qui, niſi congruis remediis tempeſtive adhuc oppugnetur, metum omnino incutit, ne tandem in ſoporoſos affectus, vel melancholiam, vel etiam apoplexiam terminetur.

Curatio vero tam fontici mali duabus iterum abſolvitur indicationibus; quarum prima eſt, ut robo-

roborato ventriculi elatere, digeſtionis vigor naturalis reſtituatur, & hinc nimia cruditatum acidarum mucidarumque generatio præpediatur: altera, ut caput confortetur, impetuoſus humorum ad illud raptus derivetur, eorumque liber ac æquabilis per cerebrum reſtituatur circuitus. Quibus ſcopis impetrandis convenientiſſimam puto hanc medendi rationem:

Quo nimirum impetus humorum à capite revellatur, operæ erit pretium, ſingulis menſibus luna decreſcente, binas cucurbitulas nuchæ, totidemque brachiis atque pedibus cum ſcarificatione admovere; & quavis veſpera pediluviis ex ſola aqua fluviatili paratis, tepidioribus duntaxat uti, tumque lectum conſcendere ac lenem ſudorem expectare.

Deinceps in capite roborando non minus, ac moleſto aurium tinnitu conſopiendo, egregiam præſtabit opem pulvis cephalicus, ex herbæ majoranæ, ſuccini præparati ana uncia una, caryophyllorum aromaticorum uncia dimidia paratus, & pondere drachmarum duarum alternis diebus capiti inſpergendus.

Tum vero ad acrimoniam temperandam, humorum ebullitionem demulcendam, tranſpirationem promovendam, atque ſordes flatuſque primarum viarum eliminandos, pulverem temperantem & pilulas meas balſamicas commendarem. Illius hæc eſt compoſitio: Recipe lapidum cancrorum unciam unam, cornu cervi philoſophice præparati, concharum præparatatum, nitri depurati ana drachmas duas, cinnabaris nativæ præparatæ, ſuccini præparati ana ſcrupulos duos, olei de cedro Italici guttas octo. M. F. pulvis, qui pondere drachmæ unius brevi ante epulas ex aqua, vino nupta aſſumatur. Veſperi autem octodecim pilularum mearum balſamicarum capiantur, & inſequenti mane aliquot vaſcula decocti fabarum Coffée, aut infuſi theiformis ſorbillentur, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, majoranæ, ſalviæ, ſummitatum millefolii ana manipulum unum, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. D. Hæc duo medicamina alternare etiam licet, adeo ut veſperi ſumatur pulvis, mane devorentur pilulæ; & hac ratione per quatuordecim dies continuandum eſt: atque interpoſitis tum quinque diebus, iterum commendatæ curationi inſiſtendum ſuadeo.

Quod autem diætam attinet, qua ad debellandos ejuſmodi morbos nihil eſt fructuoſius; neceſſe eſt, ut æger ante omnia ab animi affectibus, curis ac ſolicitudinibus, quantum fieri poteſt, ſibi caveat; aërem frigidum humidumque fugiat, & præſertim veſperi omne frigus à capite & auribus arceat.

Non minus à vino, præſertim Bohemico, cereviſiis ſpiſſioribus, ſpirituoſis, atque ſic dictis aquis deſtillatis calidioribus ſedulo ſibi temperare debet: & potius pro potu ordinario, ſequenti uti decocto: Recipe radicis ſcorzoneræ unciam unam, cichorei, liquiritiæ ana drachmas duas, herbæ cardui benedicti manipulum ſemis, hordei mundati manipulum unum: M. coquantur per horæ dimidium in quatuor aquæ menſuris; ſub finem addantur cortices citri recentes. Quod decoctum ſufficienti quantitate potare, & ſub epulis hauſtum vini veteris Rhenani, aut Moſellani interponere decet. Præterea cibi fugiantur acidi ac flatulenti, cœna ſit parcior; corpus ante paſtum moderate moveatur, & grato conſortio animus erigatur. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem ægrotantis proponenda duxi: quæ Deus reddat fauſta ac ſalutaria, ex animo precor.

## CASUS XL.

### *De affectione hypochondriaca & melancholica.*

Juvenis eſt XXII. annorum, cui à quatuor jam annis, & amplius ſtomachus eſt debilis. Verum à novem aut decem præſertim menſibus, ventriculi ac primarum viarum graviores ſe manifeſtarunt affectiones, ita ut à paſtu ſuperveniant illi ventriculi gravitas, & anguſtiæ & cordis palpitationes, quæ non ceſſant niſi duabus aut tribus, quin ſæpius quatuor & quinque ab epulis horis: tum flatibus replentur inteſtina, quandoque eſt vertiginoſus, ordinario triſtis & melancholicus, ita ut dum adſunt iſtæ anguſtiæ, nec verba, nec conſortia ſufferre poſſit; viſus ſit debilis, & quod magis funeſtum, alvus ad tres vel quatuor dies conſtipatur, valde emaciatur, genua flacceſcunt, & viribus privatur. Interim ſuperveniunt dies, quibus prædictæ ſtomachi anguſtiæ ceſſant; tum etiam melancholia remittit, & eſt hilaris, ac quaſi ſanus, appetitus ſemper conſtat. Sunt dies, quibus comedit; gravatur tamen ſemper ſtomachus; ſunt autem, quibus comedere non audet, quia, uti dicit, redeunt ac augentur anguſtiæ atque gravitas ventriculi: urinæ quandoque rubræ, turbidæ, cum ſedimento lateritio, quandoque citrinæ minguntur. Ad hunc ergo morbum, qui à medicis affectio hypochondriaca dicitur, debellandum, jam à quatuor menſibus præſcripta fuerunt 1. decocta ſplenetica laxativa, tum 2. martialia in infuſo, cum cremore tartari ac herbis amaris, 3. in forma electuarii, ſumtis per intervalla pilulis ex gummatibus cum trochiſcis alhandal acuatis; diætamque ſervavit, nihil comedendo, niſi concoctu faciliora. Interim hæc nihil proficiunt, remanent prædicta ſymptomata, corpus magis emaciatur, nec alvus niſi arte laxatur, magis melancholicus & moroſus fit, dormit autem ſecure, & nulla eſt febris.

### *Conſilium.*

Tradita mihi eſt cum litteris hiſtoria, quam conſultiſſimus vir ad me miſit, rogans ſimul, ut meum de morbi genere judicium cum conſilio medico, quam primum fieri poſſet, redderem. Cui quidem deſiderio lubens ſatis facturus, caſum iterato perlegi, eodemque probe penſitato, intellexi, juvenem, de quo ſermo eſt, paſſione hypochondriaca, ſpaſmodico-flatulenta, ſimulque melancholica affligi. Sedes hujus tam gravis mali in ventriculo potiſſimum, & canale inteſtinorum quærenda: ventriculus quippe repletus eſt flatibus multis, ex prava digeſtione, & inde oriundis crudis, acidis & viſcidis ſuccis, prognatis. Inteſtina autem, præſertim inferiora, atrocibus ſtringuntur ſpaſmis, ut nec flatus, nec excrementa, rite tranſmittantur & egerantur. Unde poſtea alvus obliviſcitur officii, & flatus retrocedunt ad ſuperiora, ipſumque ſtomachum, eundem diſtendunt nimium, diaphragmatis deſcenſum impediunt, & ſanguinem ſurſum, maximeque ad caput agunt & congerunt. Atque hinc repetenda origo omnium adeo infeſtorum ſymptomatum, anxietatis præcordiorum, doloris conſtrictorii in pectore, capitis & oculorum vertiginoſæ perturbationis, cordis palpitationis, reſpirationis difficilioris, angoris, metus & inquietudinis animi. Quæ vero antecedentes externæ morbi fuerint cauſſæ, in ejuſdem deſcriptione eſt quidem omiſ-

ſum: interim tamen multiplici confirmatum habeo experientia, in ejuſmodi ægris, autnativam quandam debilem cum exquiſitiori ſenſu diſpoſitionem, à parentibus hypochondriacis, maximeque matre hyſterica acceptam, aut febrem intermittentem, cito nimis ac præpoſtere ſuppreſſam, aut graviora animi pathemata, aut etiam nimia & intempeſtiva Veneris exercitia ut plurimum fuiſſe accuſanda. Sed quæcunque ex his præceſſerint cauſæ, jam curatio eo unice erit dirigenda, quo primæ viæ à crudorum ſuccorum ſentina, & acido-viſcida colluvie liberentur; tonus ventriculi, & inteſtinorum, cum inde pendente digeſtione firmetur, flatus infeſti diſcutiantur, maximeque omnium alvus libera ſervetur, & aperta. Quæ cuncta, ut eo rectius perfici queant, præmittenda, niſi brevi facta fuerit, ſanguinis in pede miſſio, ad ſex vel ſeptem uncias inſtituenda. Tum uſurpanda medicamenta, & quidem methodo hac: Initium faciendum emetico leni, uti habet formula ſub Litt. A. quod mane ſumendum, & aqua tepida cum butyro liberalius condita ſuperbibenda, idque vomitorium dandum ter alternis diebus. Dein quotidie veſperi dimidia drachma ſalis aperitivi, in ſchedula Litt. B. deſcripti, in aquæ puræ fontanæ unciis duodecim ſoluti ſumenda; mane autem alterno die pilularum balſamicarum ex præſcripto formulæ ſub Litt. C. præparatarum ſeptem vel novem numero deglutiendæ. His per decem aut quatuordecim dies inſiſtendum, ſimulque interea in fine prandii, ad roborandum ſtomachum aſſumendæ quinquaginta guttæ Elixirii, cujus præparationem docet ſchedula ſub Litt. D. Tum circumacto hoc tempore ſingulis diebus mane & veſperi exhibendæ ſpiritus nitri dulcis guttæ viginti vel triginta, ex unciis octo aquæ puræ fontanæ, tanto magis, ſi forſan ſanguinis præſto fuerit ebullitio. Quoad vitæ, victuſque regimen, è re erit, ut æger abſtineat à potu exæſtuante calido, cibis crudis, acidis, maximeque è lacte paratis, ac in cœna parum capiat; evitet animi pathemata, intenſius frigus, imprimis pedibus admiſſum, viciſſim animum oblectandi occaſionem captet, frequentius inter homines amicos verſetur, aërem mutet, corpus ſubinde motu exerceat, eumque in finem iter ſuſcipiat. Quod ſi autem morbus fuerit adeo rebellis, ut his penitus cedere nolit; ego longa & multiplici experientia edoctus, certius & efficacius nullum fore auxilium cenſeo, quam ex uſu acidularum: inter quas huic morbo quam maxime conducibiles erunt Schwalbacenſes; aut ſi forſan harum non foret copia, Spadanæ. Hæ potandæ non domi, ſed optime ad ſcatebram, nec nimis frigidæ, ſed impoſita in aquam calidam lagena obturata, pauliſper tepefactæ, potatio inſtituenda mane, & bibendæ ſucceſſivæ inter obambulandum duæ aut tres libræ medicæ; idque per quatuor, aut quinque hebdomades. Ante vero, quam hæc per potum acidularum curatio ſuſcipitur, die antecedente alvus ſubducenda per potionem laxantem, cujus formula adjecta ſub Litt. E. idque in media, ac finita ipſa repetendum: & præterea quotidie, quamdiu potatio durat, atque etiam aliquamdiu poſt eam, prandio finito, ſumenda doſis Elixirii ſtomachici, ſupra laudati. Quæ omnia, ſi ex præſcripto rite ſervabuntur, ſpem ego foveo haud dubiam, ægrum inde expectatum levamen fore experturum, & ſanitatem recuperaturum: quod, ut Deus ita omnino evenire jubeat, ex animo precor.

Litt. A. Recipe radicis Ipecacuanhæ grana XXIV. tartari vitriolati, nitri depurati, ſalis tartari ana grana quatuor. M. F. pulvis pro una doſi.

Litt. B. Recipe nitri puriſſimi, arcani duplicati, lapidum cancrorum ana unciam ſemis, terræ foliatæ tartari drachmas duas. M. F. ſal aperitivum.

Litt. C. Recipe gummi ammoniaci, extracti centaurii minoris, rhabarbari, hellebori nigri, limaturæ martis, cinnabaris rite paratæ ana drachmam, extracti croci drachmam ſemis. M. F. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno no. XX.

Litt. D. Recipe eſſentiæ gentianæ rubræ, corticum aurantiorum, caſcarillæ, tincturæ tartari ana unciam ſemis, ſpiritus ſalis ammoniaci drachmas duas. M. D.

Litt. E. Recipe mannæ electæ unciam, rhabarbari drachmam ſemis, terræ foliatæ tartari, nitri puri ana grana XIII. coque & ſolve leni calore in aquæ veronicæ unciis ſex, colaturæ adde olei de cedro guttas IV. M. D.

---

## CASUS XLI.

### *De melancholia hypochondriaca ex purpura retenta.*

VIr haud infimæ dignitatis, quadraginta annorum, temperamenti ſanguinei, ſpongioſi corporis habitus, aſſidua hactenus mentis tranquillitate gaviſus, neque præter purpuram æſtivo ſæpius tempore abſque moleſtia toleratam, ullis unquam morbis obnoxius, ſub hujus anni auſpiciis crebram mœrorum, atque ſolicitudinum habuit occaſionem, & abhinc circa vernale æquinoctium venæ ſectionem, quæ ſingulis antea æquinoctiis inſtituta fuerat, negiexit. Inde ex officii ratione per triginta milliaria peregre factus, in medio itinere noctu ex improviſo inſigni præcordiorum anxietate, angore & inquietudine mentis ineffabili, corporis laſſitudine, & omnis adpetitus proſtratione corripiebatur; adeo ut domum redire cogeretur. Reverſus perpetua animi turbatione, ac corporis anguſtia excruciatur; pulſus fertur inæqualis atque celer, humorum aſſidua vexat ebullitio, abſque manifeſtis cauſſis. Tunditur protinus in pede vena & detrahuntur octo cruoris unciæ; neque tamen minus præter continuam inquietudinem veſperi præſertim æſtus accedit præternaturalis, pulſus fit citatior, & erumpit anxius ſudor. Talis paroxyſmus alternis potiſſimum diebus obſervatur atrocior; ſub quo flatus etiam ac murmura in imo ventre percipiuntur, ac animus adeo contriſtatus, meticuloſus, ac puſillanimis eſt, ut erigi nequeat, nec ullam admittat conſolationem: & præterea ciborum exigua fruitur adpetentia.

Pugnatum ergo fuit omnis generis medicaminibus, infuſi clyſteres, data præcipitantia, nitroſa, carminativa, ſtomachica, balſamica; cereviſiæ Martisburgenſi, qua pro potu ordinario uſus fuerat, ſubſtitutæ acidulæ Selteranæ; atque corpus crebris exercitiis, maxime vectione in rheda motum: non minus ſanguis denuo miſſus eſt, conjuncto pilularum polychreſtarum, ſaliumque nitroſorum ac aperitivorum uſu. Sed malum quidem paulo mitigare, non vero penitus tolli potuit. Hinc ego tandem conſultus percepi, ægrum olim purpura, ſub præſenti vero affectu efflorescentia quadam in collo ac pectore, mox denuo evaneſcente laboraſſe, venæ ſectionem neglexiſſe ſuetam, multis indulſiſſe curis ac ærumnis, atque ſub itinere corpus inſigni expo-

expoſuiſſe refrigerationi. Idcirco affectum, quo laborabat ille, nec pro hypochondriaco, qui à tardiori ſpiſſorum humorum circuitu originem trahit; nec pro febre anomala lenta declarare potui. Credidi potius, illius natales materiæ acri cauſticæ inflammanti, quæ purpuræ effectrix eſt, ex corporis ſuperficie ad internorum humorum maſſam redundanti, & membranis tunicisque cerebri nerveis incumbenti deberi: unde ſpaſmodicæ dictarum partium ſtricturæ excitatæ, hinc animales totius corporis functiones deſtructæ, ac mentis ideæ fuerunt turbatæ. Quare malum oppugnaturus, pro potu ordinario, in cujus locum aquis Selteranis, intermixto vino, hactenus uſus fuerat, ſed inde ventriculi debilitatem contraxerat, ordinavi decoctum, quod ita habebat: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias ſex, ſarſaparillæ, chinæ, raſuræ cornu cervi, ana uncias quatuor, radicis cichorei, glycyrrhizæ, fœniculi ana unciam ſemis. Conc. d. S. ſpecies; quarum binæ unciæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ. Dedi præterea ſequentem pulverem, ut duos illius ſcrupulos quavis veſpera aſſumeret: Recipe pulveris marchionis, matris periarum ana drachmas duas, antimonii diaphoretici, nitri purificati ana drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ, corticis caſcarillæ ana drachmam ſemis. M. F. pulvis Tum quoque hora quarta pomeridiana triginta liquoris mei anodyni guttulas ex hauſtu aquæ frigidæ propinavi; & corpus pilulis meis balſamicis quandoque purgavi, ſubjuncto ſub tempeſtate amica corporis exercitio. Tandem ſub finem Auguſti acidulas Egranas commendavi; quas æger per tres hebdomades, bibendo quotidie integram earum tepidarum lagenam uſurpavit; ſimulque inter prandium eſſentiam corticis caſcarillæ, & veſperi liquorem anodynum adhibuit. Sub hac potatione multæ puſtulæ, aqua repletæ in toto corpore effloruerunt, & per quatuordecim dies cum ingenti pruritu, omnium vero ſymptomatum remiſſione inhæſerunt: quibus tandem deſiccatis, continuatus eſt pulveris ſupra allegati, atque liquoris anodyni uſus, & ſic æger perfecte convaluit.

*Epicriſis.*

Diſcimus ex hac morbi hiſtoria, ſymptomata, quæ melancholiam hypochondriacam comitantur non ſemper ab obſtructionibus, vel ſtagnationibus ſanguinis in vaſis meſaraicis, atque viſceribus imi ventris; aut à conaminibus vel contentionibus naturæ ad fluxum hæmorrhoidalem tendentibus, quibus à multis noſtri ævi medicis omnium ferme ſpaſmodicorum atque chronicorum morborum cauſſæ tribuuntur, derivanda eſſe. Sæpiſſime enim ſuboriuntur à dyſcraſia ac intemperie humorum acri, ſcorbutica, ac fere cauſtica: quæ ad corporis ſuperficiem propulſa, purpuram conſtituit. Hæc nimirum, cum olim in noſtris ac aliis Germaniæ regionibus, quæ ſcorbutum fovent, plane incognita fuit, jamjam univerſalem edere obſervatur ſtragem, multis morbis ſupervenit, & graviſſima inducit ſymptomata. Quin, ubi ſemel purpuraceum ejuſmodi ſeminium locum occupavit, ægerrime ſe denuo expelli patitur; ſed ſenſim altiores agens radices, nervoſis totius corporis partibus ſemet inſinuat, & univerſæ machinæ graves excitat paſſiones. Sic in capite obſervantur vertigo, vehementes dolores, tinnitus atque ſuſurrus aurium, idearum confuſio, memoriæ debilitas, gravia inſomnia, meticuloſitas ac inquietudo: in pectore percipiuntur ejuſdem graves oppreſſiones, conſtrictiones, anxietates, ſpiratio difficilis, anhelitus graves; in imo ventre ſentiuntur adpetitus proſtratio, nauſea, ructus, cardialgia, inteſtinorum flatulentiæ, borborygmi ac ingentia tormina; & denique totius corporis languor, moleſtus cutis pruritus, copioſiſſimi ac male olentes ſudores, virium jactura, artuumque dolores, ac ſi fuſtibus eſſent percuſſi ſæpenumero deprehenduntur. Hæc ſymptomata, purpura foras propulſa, inſigniter mitigantur, quin plane remittunt: contra vero, ſi ea intus fuerit acta, iterum recrudeſcunt; quid? quod veram inſaniam, melancholiam, motus epilepticos ac convulſivos inde propullulaſſe, haud raro obſervavi.

Neque vero ullus eſt morbus, cujus curatio tantam expoſcit cautionem, atque providentiam, quam ipſa hæc purpura. Namque nec vini, nec cereviſiæ potum, nec calidiora, nec refrigerantia medicamina, nec alvi obſtructionem, nec nimium ipſius profluvium abſque damno perferre ſolet: præſtantiſſimam autem opem à temperatis bezoardicis, humectantibus, expellentibus, atque leniter ſedativis, præſertim liquore meo anodyno minerali conſequitur. Non minus aquæ minerales temperatæ egregiam in hoc affectu poſſident virtutem: de quibus obſervavi quoſdam ex aquis Selteranis; alios ex Egranis, & quidem vel ſolis, vel lacte permixtis optime habuiſſe. Namque hæ, licet alvum copioſius moveant: ex hoc tamen profluvio tantum abeſt, ut malo damnum accedat, ut potius efflorescentia purpuracea cum maximo emolumento, exinde largius ad cutis ſuperficiem propellatur. Non vero ſolum in noſtris locis deprehenditur hæc moleſtiſſima adfectio; ſed ante aliquod tempus Illuſtris Auguſtiſſimi noſtri Imperatoris Archiater, D. D. Garelli, & Experientiſſ. Regis Sardiniæ Archiater D. D. Bianchi me fecerunt certiorem, illud morbi genus in Auſtriæ ac Sardiniæ oras ex noſtris regionibus deportatum, magnam ibidem edidiſſe ſtragem; & ideo, qua in illo debellando medendi ratione uterer, ſcire deſiderarunt.

Meo quidem arbitrio purpura chronica, terris noſtris borealibus ac humidioribus, quibus familiaris etiam eſt ſcorbutus, ferme endemia, ex nimio potuum calidiorum, præſertim decocti fabarum Coffée uſu ſuos mutuatur natales: quibus ſalia fixa ac ſcorbutica, quæ in humoribus hoſpitantur, in acriorem, ſubtiliorem ac volatilem quaſi commutantur indolem, & tum impedito per cutim exitu, intra corpus remanentia, purpuraceos hoſce affectus inducunt. Ex eodem fundamento contagioſum utique hunc morbum credo: dum enim putrida effluvia, quæ oris potiſſimum fœtore cognoſcuntur, poros aliorum corporum penetrant, atque humoribus pro varia eorundem ad putredinem proclivitate, intimius inſinuantur; producunt ac propagant ulterius chronicam hancce paſſionem. Qui ulteriorem illius cognitionem acquirendi cupidus eſt; adeat diſſertationem, quam olim de purpuræ genuina origine, indole, ac curatione habui.

## CASUS XLII.

*De melancholia hypochondriaca cum hæmorrhoidibus nimiis.*

Vir temperamenti ſanguinei, à primis incunabulis ad vigeſimum ætatis annum, præter leves, quas ex diætæ erroribus ſibimet contraxerat, moleſtias, ſub crebris itineribus, & vitæ genere laborioſo, illibata fruitus eſt ſanitate. At cum poſt annum vigeſimum, vitam inſigniter mobilem vi officii in valde ſedentariam, non interruptis mentis laboribus ac meditationibus ſtipatam commutare teneretur; præterea variis non ſolum animi affectibus, verum etiam perverſæ victus rationi indulgeret: non fieri potuit, quin accederent inſultus paſſionis hypochondriacæ. Namque melancholiæ quædam ſymptomata, veluti adpetitus proſtratio, inſoliti angores & inquietudines, ac inſignes artuum languores, ſemet exſerere cœperunt; ob vivaciſſimum autem ingenium haud adeo invaleſcere potuerunt: neque etiam minus cœcæ hæmorrhoides multam ipſi crucem fixerunt. Elapſis quatuor annis, aliud ſuſcepit munus, quod quidem priori longe quietius, & ab omni moleſtia vacuum erat; ſed ratione laborum, lucubrationum, ac deſidis ſine motu vitæ illud longiſſime ſuperabat. Hinc ſanguineum temperamentum ſenſim in melancholicum mutari cœpit: primum enim expergefactus mane artuum externorum inſignem ſentiebat gravitatem, ſomnoque fruebatur leviori, quem ſæpius totius corporis moleſti horrores conturbabant, & ægrum cum ſummo terrore evigilare cogebant. Alvi ſucceſſus antea naturalis deficiebat, præcordiorum anguſtia nocte dieque inhærebat aſſidua, ciborum adpetentia proſternebatur, flatus admodum infeſtabant, ac maximi dolores ſplenis atque ſepti tranſverſi regionem acerbe excruciabant. His moleſtiis per tres anni quadrantes miſere ſolicitatus; protinus ex improviſo horrendas in dorſo & oſſe ſacro percipiebat puncturas, quæ ſtatis potiſſimum horis invadebant, & fruſtra adhibitis variis remediis, fruſtra quoque inſtituto corporis motu per tres hebdomades immaniter ſæviebant: quibus tandem evaneſcentibus, atrox ſuccedebat melancholia, ac tanta animi abjectio, ut nulla admitteret ſolamina. Neque vero ullis, utut pretioſiſſimis remediis mitigabantur hæ adfectiones; ſed potius, cum aſſiduis, horrendiſque doloribus magis increſcebant. Incredibilis enim adfligebat mentis angor, quem memoria peccatorum puerilium mirum in modum exacerbabat; adpetitus adeo dejiciebatur, ut ſæpius per aliquot dies nihil cibi adſumeret; flatus vexabant inſigniter, nec ullis cedebant remediis, quin & caput occupare videbantur, tantiſque adficiebant tormentis, ut memoriæ pariter ac judicii vis paulatim periret; ac denique atrociſſimi dolores circa diaphragmatis regionem inhærebant. Hi enim horrendis ſingultibus per quaſdam quotidie horas ſæviebant, ſermonem interrumpebant, & manum pectori admotam in altum elevabant. Præ ineffabili anguſtia æger nec ſtare, nec ſedere, nec decumbere valebat, ſed per diem vectione in rheda aut equo corpus fatigare; noctu in perpetuis vigiliis obambulare debebat, ut ſæpius languore exanimis in terram concidiſſet; atque ſi nonnunquam obdormiſcebat, protinus vehementiſſimis agitationibus iterum evigilabat.

Poſtquam igitur in tam miſerando ſtatu per integrum fere annum, morti vicinus vixerat æger, & omnium remediorum uſum fruſtra adhibuerat, nec niſi lethiferam à Medicis perceperat prognoſin: animum tandem deſpondebat, & quæcunque à vetulis pariter ac empyricis commendabantur, medicinas in uſum trahebat. Has inter erat tinctura quædam amarulenta, ex cujus uſu tantum percepit levamen, ut memoriæ ac judicii vigor, major fere ac antea rediret; licet melancholia ac reliquæ moleſtiæ adhuc urgeant. Quamvis vero ex hac tinctura, cujus cochlear unum quotidie aſſumebat, copioſiſſima ſordium viſcidarum pariter ac flatuum colluvies per alvum excerneretur; attamen in ægro, ad cœcas hæmorrhoides proclivi, cum forſan juſto calidior eſſet, hæmorrhoidum nimium concitavit fluorem. Hic enim per tres jam menſes admodum copioſus inhæret, adeo ut ſingula hebdomade fere dimidia cruoris reddatur menſura, cum incredibili corporis languore, & virium proſtratione, & metu fiſtulæ ani. Neque tamen minus, licet alvus quotidie reſpondeat, pertinaciter adhuc inſiſtit flatulentia; artus externi gravativo dolore ac ſenſu afficiuntur; melancholia utut mitior continuat, adpetentia manet proſtrata, & ſomnus terriculamentis plenus obſervatur. Nec ignorari oportet, ipſum etiam quoſdam religionis articulos in dubium jam vocare, & præſertim carnis reſurrectionem, quam olim egregie defendit, pertinaciter negare. Quum ergo anxius anhelet vir triginta quinque annorum, ut mentem ſanam pariter ac corpus ſanum recuperet; tuum, vir illuſtris flagitat conſilium.

### *Conſultatio.*

Communicatam mecum morbi ſatis gravis hiſtoriam, cum omnibus ſymptomatibus probe ponderavi; atque deprehendi, univerſum nervorum ſyſtema partim ipſius morbi vi, partim perverſa medicatione, inſigniter eſſe debilitatum. Præſertim vero nervoſarum ventriculi ac inteſtinorum partium naturale robur, quod ad perficiendam ciborum concoctionem, ac eliminandos vapores haud ſecus ac humores inutiles ſumme eſt neceſſarium, prorſus deſtructum eſſe videtur. Hinc enim inteſtinorum canalis & moleſtis, copioſiſque flatibus repletus, & acerbis ſtricturis agitatus fuit ſpaſmodicis; quarum ope cruor ſpiſſus majori copia ad partes ſuperiores, maxime caput, cor & pulmones compulſus, & in capite præcipue difficilius progrediens, phantaſiam turbavit, multiſque anxiis, terrificis atque erroneis ideis pariter ac inſomniis anſam dedit. Quanquam igitur natura ope remedii cujuſdam, procul dubio aloetici excitata, abundantes atque ſpiſſos humores per fluxum hæmorrhoidalem imminuere tentaverit: hic tamen, cum juſto copioſior fuerit, omnino malum penitus tollere haud valuit. Atque tali ratione inveteratum, totque calamitatibus ſtipatum malum, curatu ſane eſt difficillimum, ſaltem cautiſſimam expoſcit medicationem. Quam ut rite adgrediamur, neceſſe eſt, ut ante omnia nimium ſanguinis per hæmorrhoides ſeceſſum congruis ſubſidiis refrænemus, ne diutius perſiſtente fluxu omnes prorſus vires dejiciantur; ac deinceps labefactatum ventriculi ac inteſtinorum tonum, blandis remediis, quæ non exæſtuant humores, corroboremus.

Hiſce

Hiſce ſcopis obtinendis convenientiſſima remedia fore arbitror liquorem meum anodyno-mineralem, atque Elixirium temperatum balſamicum, ſi hujus tres partes cum una tincturæ martis Zwœlfferi fuerint permixtæ. Mane nimirum liquoris anodyni triginta guttulæ ex hauſtu aquæ frigidæ ſumantur; paullo poſt quædam vaſcula infuſi theiformis ex veronica, meliſſa atque mentha parati ſorbillentur; atque veſperi, aut hora quinta pomeridiana Elixirii dicti ſexaginta guttæ ex decocto inferius deſcribendo capiantur, cum ſubjuncto corporis motu. Hæc per quatuordecim dies adhibeantur, purgato bis quavis hebdomade corpore, per hunc pulverem laxantem: Recipe rhabarbari electi ſcrupulos duos, ſolutionis oculorum cancri, nitri purificati ana ſcrupulum ſemis. M. D. In locum porro cereviſiæ pro potu ordinario commendo ſequens decoctum: Recipe ligni ſantali rubri, citrini, radicum cichorei, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, ſeminis fœniculi, corticis ligni ſaſſafras ana drachmas tres. M. Conc. D. S. Species, quarum binæ unciæ ex tribus aquæ menſuris per horæ dimidium decoquantur. Cæterum hortor, ut omnes cibi flatulenti, acidi, ſaliti, & qui ex farina, ſimila, vel lacte parantur, omni ſtudio evitentur, animique graviores commotiones, ac omnis corporis refrigeratio, ſedulo fugiantur.

## CASUS XLIII.

### *De paſſione hyſterica.*

Matrona generoſa, quinquaginta quinque annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ingenii vivaciſſimi, ſed animi valde ſenſibilis & ad iracundiam proni, habitus corporis carnoſi, & maxime ſpongioſi, teneris tamen membris, ac exilioribus vaſis prædita, ſanguine ac ſuccis plena, anno ætatis vigeſimo primo matrimonii leges ſubiit. Sub hoc novem fœtus feliciter enixa eſt, quorum tertium, geſtationis tempore variolas paſſa, ſemeſtrem duntaxat, mortuum, ac à variolis, quæ in utero materno totum embryonis corpus occupaverant, putrefactum excluſit. Neque etiam præter febres acutas atque pleuriticas, nec non dyſenteriam ex terrore ſedecim abhinc annis toleratam, gravioribus per totum vitæ ſuæ tempus laboravit morbis; niſi colicis adhuc doloribus, qui vero ſpontaneo alvi profluvio ſemper ſublati fuerunt: & præterea lunare tributum, ſtato tempore ac legitimo ordine ad quinquageſimum quartum ætatis annum rite perſolvit. Quum autem ante biennium maritus diuturno morbo, quo etiam periit, infeſtabatur; noſtra ipſi inſerviendi cupidiſſima, corpus noctu dieque admodum fatigavit, ac crebris refrigerationibus expoſuit; tum ex inſequuto obitu inſigni luctu ac mœrore affecta, & abhinc variis cauſſis, quas vocant proceſſus, coram judicibus ſententias minus æquas ferentibus implicita, multos mœrores, ærumnaſque ſibimet contraxit. Hinc ſenſim crebris animi inquietudinibus turbari cœpit; corpus ſæpenumero horridula perfudit ſenſatio, & tandem gelidiſſimus ventriculi regionem occupavit ſenſus. Conſultus Medicus affectum habuit pro hypochondriaco, & præter varia medicamina commendavit uſum acidularum Pyrmontanarum. Has etiam & interne per quatuordecim dies potavit, & externe in balneorum forma adhibuit: ſed tantum abfuit, ut inde ſublevaretur, ut ſenſim plura, gravioraque irrepſerint ſymptomata, quorum tertio Nonarum Auguſti anno 1731. hæc potiſſimum deprehendi: Ingentes ac ſuffocantes ferme anxietates atque conſtrictiones pectoris ac colli, animi deliquia, alvi obſtructiones, dolores tenſivi circa regionem lienis, anxia ac laborioſa muci tenaciſſimi, quaſi vitrei, & acidæ ſaburræ per vomitum eructatio, imi ventris tormina, ventriculi inflatio ac dolorificus ſpaſmus, dolores capitis, atque dorſi inter ſcapulas, pulſus admodum imminutus & obſcurus, tantumque ventriculi ac artuum externorum frigus, ut gelu inſtar, nec frictionibus, nec ſacculis calidioribus potuerint caleſieri. Haſce moleſtias, quæ per intervalla incidebant, horripilationes, oſcitationes, ac pandiculationes præviæ; mox in æſtum volaticum deſinentes antecedebant.

Contra tantas itaque paſſiones pugnavi clyſteribus emollientibus, atque remediis reſolventibus, demulcentibus, antiſpaſmodicis internis pariter ac externis, nimirum liquore anodyno minerali Hoffmanni, ſpiritu bezoardico Buſſii, eſſentia caſtorei, croci & anodyna, pulvere marchionis, cinnabari nativa, ſale abſynthii, nitro, laudano hyſterico, ac externo linimento ex aqua Anhaltina, eſſentia ſuccini, caſtorei, anodyna; ſpiritu vini camphorato, balſamo peruviano, oleoque lavendulæ ac nuciſtæ parato, regioni ventriculi inuncto. Quibus etiam factum eſt, ut paroxyſmos egregie mitigare, ſæpius plane avertere potuerit. Præterea vero cum ægra quindecim abhinc annis fluorem hæmorrhoidalem tuliſſet, nec venam ante Pyrmontanarum potationem tundendam præbuiſſet: omnia ſymptomata à cruore circa ventriculum, inteſtina atque pectus copioſius congeſto derivanda eſſe putavi. Idcirco, præviis pediluviis tepidioribus, poſt æquinoctium autumnale ſanguinem ex vena in pede ſecata detrahendum curavi; & poſtea quaſdam aquæ Sedlicenſis lagenas, parca duntaxat quantitate potari juſſi; qua inſignis pituitæ copia per alvum educta, & malum quodammodo mitigatum fuit.

Sed inconſtans erat valetudo: namque menſe Octobri affectus recruduit longe atrocior, cum ſuffocationis metu: neque vero perferre poterat balſamum vitæ Hoffmanni, nec odorem remediorum ex galbano, aſa fœtida atque caſtoreo præſcriptorum; quare naribus admovendum dedi ſpiritum ſalis ammoniaci; pectori ac ventriculo inungendam exhibui aquam Anhaltinam cum oleo lavendulæ & nuciſtæ mixtam, atque præter clyſteres, interne propinavi conſueta antiſpaſmodica pariter ac antiaſthmatica. Nihilo tamen minus, ſequentibus Novembri atque Decembri menſibus, memorata ſymptomata per temporis intervalla recrudeſcebant; præſertim vero ventriculi ſpaſmus, ac laborioſiſſimus muci tenacis acidique vomitus immaniter infeſtabat, quem copioſior ſalivæ viſcidæ fluor ſemper antecedebat. Quum ergo tam pertinax inhærebat malum, commendavi internum thermarum Carolinarum, externum vero balneorum Tœplicenſium uſum. Interea ex medicaminibus ſingulo octiduo unciam dimidiam ſalis Anglicani, cum drachma una oculorum cancrorum præparatorum permixtam exhibui; quæ alvum ter vel quater ducendo, inſignem pituitæ vacuavit copiam. Non minus hora quarta pomeridiana pulverem abſorbentem dedi; & ſub epulis ſumendum Elixirium ſtomachicum, quod ex corticibus aurantio-

rantiorum, radice gentianæ rubræ, extracto cardui benedicti, millefolii, florum chamomillæ vulgaris, ſale tartari, croco, myrrha & ſuccino cum vino Canarienſi paratum erat. Bis quoque ſingula hebdomade veſperi deglutiendum propinavi ſcrupulum pilularum balſamicarum, quæ habebant extractum cardui benedicti, centaurii minoris, abſynthii, millefolii, florum chamomillæ vulgaris, rhabarbarum electum, aloen ſuccotrinam, myrrham, olibanum, flores benzoes, crocum, caſtoreum, oleum de cedro & chamæmeli. Loco potuum herbæ Thée, vel fabarum Coffée, qui protinus movebant vomitum, ordinavi infuſum theiforme ex ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ vulgaris, tiliæ, artemiſia, & aniſo ſtellato concinnatum; & in vicem cereviſiæ, quam plane nequit ferre, præſcripſi decoctum ex radice ſcorzoneræ, cichorei, pœoniæ, raſura cornu cervi & ſemine fœniculi confectum: cui ſub epulis interponit vinum Rhenanum. Interdum ano infundi juſſi clyſterem ex chamomilla, millefolio, & ſclarea in vini Gallici ac aquæ puræ æquali portione decoctis, atque cum oleo chamæmeli cocto, melle, nitro, balſamo vitæ & pilulis balſamicis Hoffmanni paratum: qui ſemper multum pituitæ, ſtercorum ac flatuum ſubduxit. Et denique, ſi phlogoſes ac æſtus volatici, qui crebro comitabantur paroxyſmos, accedebant, exhibui mixturam ex aqua florum tiliæ, liliorum convallium, pulvere epileptico Marchionis, & bezoardico Sennerti, cum antimonio diaphoretico, arcano duplicato, & theriaca cœleſti compoſitam; quæ movebat ſudorem, acido odore nares ferientem.

Verum enim vero horum omnium efficaciam eludebat malum; &, quod notabile fuit, tamdiu ſilebat, quamdiu urina, quæ citrina eſt, ſedimentum mucoſum deponebat; quæ ſi tenuior eſſe cœperit, altero vel tertio die poſt recrudeſcunt cardialgiæ nauſeoſæ, anxietates, conſtrictiones ventriculi ſpaſmodicæ atque vomitus cum motibus tam violentis, ut metus omnino ſit, ne diſrumpantur quædam ſanguifera vaſa, maxime in cerebro. Ante horum ſymptomatum vero invaſionem tenſivi circa præcordia, atque dorſum ſentiuntur dolores, & ſenſibilis in manibus ac ventriculi regione formicatio, atque roſio, ac ſi ſubeſſent vermes. Finito paroxyſmo totum corpus languet, & tandem paulatim redeunt vires, ut in ſuo cubili obambulare poſſit ægra; appetitu fruitur vario, mox avidiori, mox exiguo, mox nullo; ſomnus quoque mox placidus, mox turbulentus eſt. Præterea in ſiniſtro hypochondrio tenſivus dolor percipitur aſſiduus; alvus ſine arte nunquam redditur; regio ventriculi, quin totum abdomen ſæpius adeo intumeſcit, ac ſi utero gereret; exploſis vero flatibus, imminuitur ea inflatio: & noviſſime tubercula dolorifica in inteſtino recto, inſtar hæmorrhoidum cœcarum adparuerunt. Mea quidem ſententia affectus hic non alius eſt, niſi hypochondriaco-hyſtericus, atque ſpaſmodico-flatulentus; quo non tantum fluidæ partes depravatæ, verum etiam ſolidæ nervoſæ regiones, præſertim tunicæ ventriculi ac inteſtinorum adeo deſtructæ ſunt, ut loco generoſi chyli, humores viſcidi acidique generentur, & per inverſum inteſtinorum motum periſtalticum ad ſuperiora compellantur, excitatoque ventriculi ſpaſmo, tandem per vomitum rejiciantur. Neque etiam ignorari oportet, uſurpata hactenus remedia, egregias malo dediſſe inducias; illud vero propria ægrotantis culpa ſemper iterum recruduiſſe. Namque illa admodum eſt ſenſibilis, & à leviſſima cauſſa ad vehementiſſimam concitatur iracundiam: deinde adpetentiæ, quæ ob abundans acidum auſterum ſæpius juſto avidior eſt, nimium indulget, & plus ciborum aſſumit, quam ventriculus concoquere valet. Tum quoque inter epulas vino Rhenano majori, quam ipſi convenit, utitur copia; nec temperat ſibi à potu decocti Caffée, licet exinde ſemper ſentiat ſymptomatum ſuorum exacerbationem; nec denique à cibis incongruis ac oleribus abſtinere poteſt. Carolinis vero thermis uti recuſat, & ſolis medicaminibus reſtitui cupit.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de morbo generoſæ mulieris ſatis ample mecum communicata ſunt, luculenter omnino patet, eam laborare affectu hyſterico-ſpaſmodico ſatis gravi, cujus ſedes in ventriculo potiſſimum ac inteſtino duodeno, ſaburra acri, acida, viſcida, billioſa repletis reſidet. Hæ namque ſenſibiles ac nervoſæ partes, ſi vel ſpaſmis conſtringantur, vel flatibus diſtendantur, vi conſenſus, quo cum toto nervoſo genere gaudent, has adfectiones ad alias, eaſque nobiliores transferunt regiones. Hinc per externum corporis habitum ſentiuntur horripilationes ac oſcitationes; circa ventriculi regionem intenſiſſimi frigoris ſenſatio; alvi pertinaciſſima adſtrictio; accedunt vomitus muci viſcidi ac acidi, ſuffocativæ præcordiorum anguſtiæ, faucium conſtrictiones, animi deliquia, dolores tenſivi circa lienem, tormina imi ventris, dolores capitis atque dorſi, ſcapulas ſimul occupantes; pulſus eſt durus ac intermittens, urinæ albæ tenueſque. Inter remotiores vero, quæ hoc malum induxerunt cauſſas, potiſſimæ ſunt, temperamentum ægræ ſanguineum, ſanguinis miſſiones parciores, diſpoſitio ad fluorem hæmorrhoidalem, ceſſatio menſium, & vehementes ex obitu mariti mœrores. Accedit præterea temperamentum cholericum, & crebra iracundia: quibus nervoſum genus inſigniter debilitatur, bilioſa ſaburra generatur, & humores magis commoventur.

Quod autem attinet medicationem hactenus inſtitutam, de illa ſane, cum ſit accommodatiſſima, non habeo, quæ moneam: hujus autem effectus, quod votis nondum reſponderit; partim inordinato vivendi generi, partim nimiis animi affectibus in acceptis ferendum eſſe arbitror. Si igitur libere eloquar, quæ ſentiam; ſequentem proponerem curationem:

Primum quidem ter quotannis, nimirum circa æquinoctium utrumque, & ſolſtitium menſe Junio vena in pedibus ſecanda erit; atque cum ex tuberculis, anum jam obſidentibus, ægra inſigni ad hæmorrhoides proclivitate pollere videatur, magnam opem pollicentur hirudines, ano nonnunquam numero quinque vel ſex admovendæ. Tum vero præcipua medendi intentio, ad eliminandas, quæ in ventriculo ac inteſtino duodeno ſtabulantur, cruditates bilioſas atque viſcidas ferri debet: cui ſcopo apprime faciet ſatis pulvis laxans, ex rhabarbari electi drachma dimidia, lapidum cancrorum granis quindecim, nitri depurati granis ſex, oleique macis gutta una paratus. Hic alternis diebus circa veſperam aſſumatur; ſequenti vero mane ſerum lactis caprilli, cum ſucco citri confectum, ad ſex vaſcula, tepide potetur, eique interdum, ſi tulerit ventriculus, uncia dimidia mannæ addatur. Reliquis

liquis diebus in hujus locum mane vel decoctum herbæ Théebois, cum corticibus citri ac aniſo ſtellato mixtum, vel infuſum theiforme, à medico ordinario commendatum ſorbilletur. Præterea etiam pro potu ordinario vel acidulis Seiteranis, cum tertia vini parte commixtis, vel propoſito jam decocto uti convenit; ex quo ſub epulis octoginta guttas Elixirii mei viſceralis capiendas ſuadeo. Non minus operæ erit pretium, veſperi ante lecti introitum, ſequentis pulveris doſin ex hauſtu aquæ frigidæ adhibere: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum, corticis chinæ ana drachmam unam, nitri purificati, tartari vitriolati ana grana quindecim, extracti caſtorei ſolubilis grana quatuor. M. F. pulvis, div. in ſex partes. Quod ſi vero vomitus, atque ſpaſmus ventriculi acceſſerit: quindecim guttulas liquoris mei anodyni mineralis ex pura aqua aſſumere; & contra nimiam flatulentiam, clyſterem emollientem carminativum ano infundere expediet.

Tandem vero exactam diætæ, qua in hiſce morbis nihil eſt fructuoſius, rationem habere oportet: fugiantur itaque omnes animi affectus; quo ſcopo egregium erit, ut menſe Maio ægrota itineribus animum laxet. Inter cibos omnes ſaliti, acidi, flatulenti, olera, aliique concoctu difficiliores; ac omnia vina calidiora, maxime Gallica evitentur; atque potius juſcula gallinacea cum radice cichorei, chærefolii, acetoſa, & ſucco aurantiorum permixta crebro ſumantur. Cœna ſit parcior; omnia edulia probe maſticentur; ac potus Coffée parcius bibatur: & denique ante ſingulas epulas corpus ſedulo moveatur. Extrinſecus ob vehementem cardialgiam ſequens emplaſtrum ſtomachale ventriculo adplicetur: Recipe theriacæ, olei nuciſtæ expreſſi ana unciam dimidiam, camphoræ, balſami Peruviani ana drachmam unam. M. D. Quæ rite obſervata, quin malum ſint mitigatura, nullus dubito.

---

## CASUS XLIV.

### *De paſſione hyſterica cum fluore albo.*

Opem meam imploravit generoſa quædam mulier, annorum triginta, vultu florido prædita, ſtaturæ mediocris, habitus corporis ſtrictioris, animi vero admodum ſenſibilis, & ad iracundiam faciliimi. Hæc decimo ſeptimo ætatis anno viro nupta, ſed conjugio ob maritum paullo moroſum parum jucundo fruita, multos toleravit mœrores: quibus etiam crebra accedebant puerperia, & tandem fluxus menſium imminutior. Tribus abhinc annis, cum utero geſtaret, ultimis circiter menſibus, videbatur fœtus in utero è loco ſuo moveri, & ad pubis regionem procumbere: quam ſenſationem protinus excipiebat fluor albus, ad hanc uſque diem inhærens; & inſequutum puerperium ob inſignem embryonis magnitudinem admodum erat laborioſum. Ante biennium denuo gravida, primis geſtationis menſibus pertinaci laboravit ictero; cui poſtea quartana febris ſupervenit, nullis remediis obſecundans, & tandem brevi ante partum copioſo corticis chinæ uſu ſuppreſſa. Tum vero male habere cœpit, partus erat valde difficilis, fluxus uterinus, quem Lochia vocant, tertia die ſubſiſtebat, albus autem fluor magis increſcebat, & abhinc aſſiduis tentata fuit ægritudinibus. Neque tamen minus Julio elapſi anni menſe, iterum partum edidit, ſucceſſu feliciſſimo, & cum lochiorum ſatis regulari ac ſufficienti excretione: ubi notari meretur, quod brevi ante puerperium, ingentis frigoris ſenſationem in imo ventre perceperit, epithemate ex ſpiritu roſarum & balſamo peruviano confecto ſublatam. Abhinc ægrotare cœpit, & poſtquam multorum medicorum ac medicaſtrorum ope, variiſque remediis fruſtra fuerat uſa, me tandem in conſilium accivit. Moleſtiæ, quibus infeſtabatur, erant hypochondriaco hyſtericæ: namque accedit incredibilis præcordiorum anxietas, cum tenſionis ſenſatione, ſingulo mane primam ventriculi regionem obſidente, deinde ad cor, & tandem per dorſum ac omnia fere corporis membra ſeſe diffundente; jungitur nauſea, gelidus ſudor, anxii ad vomendum conatus, ſæpius eructatio multæ pituitæ, ac nonnunquam ructuum exploſio cum levamine: quæ ſymptomata per intervalla aliquot horas adfligentia recurrunt. Et, quod memorabile eſt, tantum abeſt, ut alvus obliviſcatur ſui officii, ut potius ex hæreditaria diſpoſitione non ſolum laxa ſemper obſervetur; ſed etiam ſingulo mane ſub ipſo paroxyſmo copioſum accedat illius profluvium, abſque ulla mali remiſſione. Unicum vero, in paroxyſmo mali ſolatium, ex odore aſæ fœtidæ habet. Ego cum tribus adhuc aliis medicis decrevimus ægræ pilulas ex extracto millefolii, florum chamomillæ vulgaris, aſa fœtida, galbano, ſagapeno, opopanace, caſtoreo, croco &c. concinnatas propinare; quæ mitigabant quidem, haud vero penitus tollebant affectum. Namque ventriculi tonus adeo debilitatus erat, ut nec retineret aſſumta remedia, ſed pleraque vomitu redderet: accedebat tuſſis ſicca moleſtiſſima, linctu ex oleo amygdalarum dulcium, ſpermate ceti, croco & pulvere radicis ireos Florentinæ parato aliqua tantum conſopita; & urinæ mingebantur tenues & aquoſæ.

Tandem æſtus volaticus ſenſim ſuccedebat menſe Decembri, & paullo poſt in febrem acutam deſinebat longe graviſſimam, adeo ut morti videretur vicina. Ab hoc ſontico morbo ope temperantium miſturarum, intra quatuordecim dierum ſpatium vindicata, incidit denuo in priſtinas affectiones: fluor enim albus quotidie per intervalla invadit, cujus acceſſionem ſpaſmodica agitatio, inſtar arthritidis vagæ, omnes corporis artus occupans præcedit; neque etiam minus nauſea atque præcordiorum anxietas ſingulo mane illam adoritur, eo magis, ſi terrore, aut aliis animi affectibus perculſa fuerit. Hinc conſultum putavi, ab omni remediorum uſu abſtinere, & non niſi eſſentia ſtomachica temperata uti: quo etiam factum eſt, ut paroxyſmi & mitiores & rariores reciderint. Pilulas autem balſamicas exhibere non audebam, quoniam laxantia vel leviſſima ſtatim movebant diarrhœam, & ipſa quovis mane ter quaterve alvum dejicere ſolebat.

Cæterum ab hæmorrhoidibus cœcis ſæpius inſignes patitur moleſtias; circa quævis æquinoctia, maxime geſtationis tempore venam tundendam præbere ſuevit, & inde ſemper bene habuit, ſed cum de præſenti ſumma ſit virium dejectio, nec ſanguis nimia mole peccare videatur, prætermittendam in futuro æquinoctio arbitror venæ ſectionem. Olim inſigni lateris ſiniſtri, maxime brachii atque pedis laboravit debilitate, ac ferme reſolutione paralytica; quæ quidem maximam partem ceſſavit, ſupereſt tamen adhuc ejuſdem lateris quædam infirmitas, quippe quod dextro frigidius deprehenditur,

henditur, & ſiniſter oculus nonnunquam lippitudine afficitur. Pro potu ordinario utitur infuſo theiformi, vel juſculis, præſertim avenaceis; decocta enim, ſicuti quoque cereviſiam ventriculus non fert: ſub epulis bibere ſuevit vinum Rhenanum vetus; jam vero Moſellanum haurit: nec interdixi lactis caprini uſum, cui à teneris adſuevit, & haud ſine fructu mane pariter ac veſperi indulget. Ciborum adpetentia non penitus eſt proſtrata; neque vero veſcitur cibis durioribus, neque alios in diæta committit errores, quippe qui paroxyſmos admodum exacerbant. Somno fruitur ſatis tranquillo; variiſque modis corpus intra conclave movere ſtudet; quoniam in libero verſari aëre, ob nimiam ad catarrhales defluxiones proclivitatem haud audet. Non denique ſilentio prætermittere poſſum, quod olim inſignem aſcaridum copiam excreverit: unde etiam vereor, ne fortaſſe præſens malum adhuc ſuſtentent hi vermes.

## *Conſultatio.*

Affectus præter naturam, cujus cauſſa conſultus ſum, corruptus valde, ac inveteratus exiſtit; & ejus omnino eſt indolis, ut præſidiorum alias efficaciſſimorum opem eludat, præſertim cum ægra conſtitutionem corporis valde imbecillam, ſenſibilem, & ad ſuſcipiendos motus irregulares admodum proclivem obtinuerit. Meo quidem arbitrio in hiſce morbis, qui in habitum degenerarunt, non fructuoſius ac efficacius eſt præſidium, quam quod ex ordinato vivendi genere, & recto rerum non naturalium uſu deſumitur: multiplici enim edoctus ſum experientia, ejuſmodi ſubſidia, temporis diuturnitate ac patientia adjuta, omnium pharmacorum efficaciam quam longiſſime ſuperare. Quod ſi ergo proponam, quæ abs re futura judico; commendarem vehementer, ut ægra futuro vere cœlum, aëremque permutet, atque inter jucunda conſortia, ubi animus à curis domeſticis, aliiſque paſſionibus liber ſit, aqua quadam minerali utatur. Hoc nomine ſuadeo acidulas Pyrmontanas, quarum dimidia parte lactis aſinini aut vaccini tepidioris permixtarum, ſingulo mane menſuram unam ſucceſſive potet, & per quatuor vel quinque hebdomades continuet: ſub hac potatione alternis diebus circa veſperam balnea temperata, quæ ex tribus aquæ pluviatilis vel fontanæ partibus, & una Pyrmontanæ confecta ſint, ingrediatur; & poſtquam per tres circiter horæ quadrantes illis inſedit, in lectum ſe conferat, levem expectatura ſudorem. Ex remediorum cenſu non alia commendare poſſum, quam Elixirium viſcerale meum, atque pilulas balſamicas: illius enim ſexaginta guttas inter epulas adhibere; harum, pulveri præcipitanti nuptarum undecim, ſingula hebdomade ſemel deglutire conveniet. Præterea operæ pretium erit, corpus ſedulo movere, animi tranquillitati ſtudere, juſculis ex carne gallinarum, naſturtio atque cichoreo paratis crebro veſci, abdomen aqua Hungarica, in cujus libra una, uncia dimidia balſami Peruviani ſit ſoluta, ſæpius lavare, atque ſuffimigiis ex ſuccino frequenter uti. Tali ratione æquabilis humorum per uterum, ac reliqua imi ventris viſcera circuitus promoveri, menſium regularis ſucceſſus reſtitui, atque fluor albus commode debellari poterit: præſertim, ſi nonnunquam liquor meus anodynus, cum quarta eſſentiæ caſtorei parte maritatus adſumatur. Cæterum uſum aſæ fœtidæ haud laudo; utpote quæ palliativum duntaxat præbet auxilium, & inſignem nervorum relinquit infirmitatem: commendarem potius in hujus locum odorem corii illius, quod vocant *Juchten leder*; hujus enim odor magis roborat nervos, & ab oleo betulæ, quo corium iſtud in Moſcovia imbuitur, ut à vermibus muniatur, dependet. Et hæc ſunt, quibus ægrotæ ſaluti conſulere volui, quæ Deus fauſta reddat, ex animo precor.

---

## CASUS XLV.

### *De morbo hyſterico-ſcorbutico.*

MAtrona quædam illuſtris, annorum triginta novem, temperamenti melancholico-ſanguinei, ad animi affectus, & paſſiones hyſtericas proclivis, quotannis ſemel venæ ſectionem celebrare, & thermis Carolinis uti ſuevit. Has vero noviſſime elapſa æſtate, ordine minus debito, ac inordinato regimine potavit; atque etiam venæ ſectionem præterivit. Quare ſeptem circiter abhinc ſeptimanis, præviis quibuſdam animi ac corporis commotionibus, de dolore gravativo ac tenſivo pedum cum cephalalgia ſtipato conqueri cœpit, cui paullo poſt moleſtus ani teneſmus atque ſtranguria ſupervenit. Conſultus medicus hanc affectionem pro febre catarrhali, epidemice tum graſſante habens, præter decoctum quoddam tenuius, mixturam anticatarrhalem pariter ac pulveres bezoardicos ordinavit. Cum vero ægrotans nullum inde levamen perciperet; alterius medici opem imploravit, qui memoratum illum ani teneſmum, unguentis atque fotibus mox quidem debellavit; ægram vero immanibus pedum doloribus tenſivis, præcordiorum compreſſionibus, cum perpetua inquietudine atque vigiliis inſigniter torqueri deprehendit. Oppugnavit ergo has moleſtias frictionibus, pediluviis tepidioribus, pulveribus antiſpaſmodicis, oleo amygdalarum dulcium ex juſculis gallinaceis ſumto, infuſis theiformibus, decoctis modo ex radice ſcorzoneræ, cichorei, tamarindis, ſemine aniſi & corticibus citri recentibus, modo ex aqua ſimplici, mica panis toſti, & citri corticibus paratis; atque inſuper moderatum corporis calorem, & à panificiis, placentis, cibis flatulentis, pinguibus ac frigidis abſtinentiam commendavit. Verum cum malum nihilo minus perſiſteret, & medicus illud non pro catarrhali febre, cujus nullæ aderant notæ, ſed potius affectu ſpaſmodico-hyſterico-hæmorrhoidali haberet, atque pulſum magnum & plenum deprehenderet: venam in ſiniſtro pede ſecari, & inde ſex cruoris uncias detrahi juſſit. Sed ægra ſub ipſa venæ inciſione, vehementi cardialgia ſuffocativa, cum anxia & difficili ſpiratione, moleſta in regione ſcrobiculi cordis preſſione, & totius corporis horrore ſtipata corripiebatur; quæ quidem brevi tempore evanuit, noſtram autem, vano præjudicio prioris medici, ac ſi venæ ſectio mortiferum in hiſce morbis eſſet remedium, occupatam, in ſuo magis confirmavit errore, adeo ut per totam hancce diem vehementer contriſtata eſſet, & hora demum ſeptima veſpertina in eundem paroxyſmum hyſterico-cardialgicum, cum mentis errore, ac priſtinis ſymptomatibus junctum incideret. Inhærebant hæ affectiones per octo horas, & tandem ope liquoris anodyni mineralis, cum quarta eſſentiæ caſtorei parte remixti ita mitigabantur, ut non ſolum placidus inſequeretur ſomnus, ſed etiam altera dies

ſub

ſub quieta mentis alacritate, & corporis incolumitate tranſigeretur. Neque tamen minus præter dicta medicamina, adhuc propinabatur pulvis antiſpaſmodicus cum oculis cancri citratis, & antimonio diaphoretico mixtus; & veſperi pondere unius ſcrupuli ex aquis diapnoico-pectoralibus datus. Hinc videbatur melius habere, & menſes etiam copioſiores ac olim revertebantur: ſed inconſtans tamen erat valetudo. Namque licet ægra per aliquot ſæpius dies optime vigeret; attamen ex improviſo paroxyſmo ſuo hyſterico affligebatur, quem plerumque vehemens brachiorum pruritus, digitorum formicatio, & notabile pedis ſiniſtri frigus comitabatur. Neque alia, quam prius recenſita in uſum vocabantur remedia; niſi quod interdum, alvo exiſtente ſegniore, blanda laxantia exhiberentur, & cum moleſta præcordiorum compreſſio urgeret, infuſum pectorale ac reſolvens ordinaretur. Hujus potum, octo circiter abhinc diebus, excepit effloreſcentia purpuracea, totum corpus, præter faciem occupans cum tanto omnium ſymptomatum levamine, ut ægra per proximum biduum optime haberet, urina copioſum deponeret ſedimentum, & magna ſpes fuerit reconvaleſcentiæ. Quare, injuncto bono ac temperato regimine, infuſum pectorale continuabatur, & inſuper pulvis temperans diapnoicus dabatur. Sed tertia nocte ægra denuo inquieta eſſe cœpit, & hora octava matutina recruduit paroxyſmus cum ſpirandi difficultate, corporis languore, gravi ſingultu, & atroci conſtrictione tam circa cordis ſcrobiculum, atque claviculas, quam in regione umbilicali ſtipatus; cui etiam novum ſymptoma, quod in ſonitu quodam momentaneo, ac ſi fiſtula caneret, per nares edito conſiſtebat, ſupervenit. Cæterum ſcire licet, ægram clyſterum infuſionem vehementer averſari; ciborum adpetentia ſatis integra frui: ſæpius moleſto ad alvum non minus ac urinam reddendam adfligi ſtimulo, cum nulla vel exigua excretione; & denique ſæpenumero pungentem ardentemque in inteſtino recto percipere dolorem. Quare graves ac periculoſas ſibi fingit ideas; & doceri avet, qua ratione hæ affectiones ulterius oppugnari debeant, & num periculum minentur?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de gravi matronæ cujuſdam ægritudine mihi perſcripta ſunt, probe intellexi, illam in affectione ſpaſmodico-hyſterica, cum ſcorbutica ſuccorum vitalium dyſcraſia, & inſigni generis nervoſi debilitate ſtipata conſiſtere. Ad hanc vero generandam, præter nimiam animi ſenſibilitatem, graveſque paſſiones, multum contribuit menſium irregularis ac imminutus fluor, qui impedito humorum per viſcera imi ventris circulo debetur. Quando enim cruor vitalis in abdomine ſtagnans, nec per uterum, nec venas ſedales ſuo potitur exitu; cauſſa plerumque fit vehementiſſimorum imi ventris ſpaſmorum, qui ventriculum imprimis occupantes, cardialgias, præcordiorum anxietates, ſpirandi difficultatem, & totius corporis frigus poſt ſe trahunt. Acrimoniæ vero humorum ſcorbuticæ non modo tenſivi artuum, maxime pedum atque capitis dolores, ſed etiam purpuracea effloreſcentia in acceptis ferendi ſunt: neque vana eſt ſuſpicio, quin variæ tempeſtatum mutationes, quas præterito Novembris menſe obſervavimus, tanquam morborum epidemicorum ac febrium catarrhalium cauſſas, quam plurimum etiam in noſtra ægrotante fecerint, ad producendam humorum impuritatem, præſertim cum vanus miſſionum ſanguinearum metus acceſſerit.

His adfectionibus oppoſitam hactenus medicationem quod attinet; nihil eſt, quod circa illam reprehendere poſſim; quippe quæ, acres humores temperando, evacuando, ſpaſmoſque mitigando, naturæ utique fuit congrua. Effectum autem illius longe auſpicatiorem fuiſſe credo, ſi illuſtris mulier clyſteres ſibi injici permiſiſſet; qui in demulcendis imi ventris ſpaſmis, ac diſcutiendis flatibus, præclaram poſſident virtutem. Ipſe quidem morbus non tantum minatur periculum, quantum ſibimet imaginatur ægra: ſed cum jam quidam infarctus in hypochondriis, maxime liene adeſſe videantur, curatio omnino erit diuturnior. Quæ ut rite inſtituatur; conſultiſſimum duco, ut ante omnia ab animi affectibus, quantum fieri poteſt, probe ſibi caveat illuſtris matrona; corpus, ventriculo à cibis vacuo, moderate exerceat; atque in vicem potus ordinarii, acidulis Selteranis vino nuptis utatur. Ex remediis commendo liquorem meum anodyno-mineralem, cum eſſentia caſtorei, & pulvere præcipitante maritatum, & ſub ipſis paroxyſmis cardialgicis ſumendum. Non minus inſignem pollicetur opem Elixirium meum viſcerale, ex temperatis balſamicis ac amaris abſque ſpirituoſo menſtruo paratum: quod per aliquod tempus quotidie ſub epulis ad ſexaginta guttas uſurpatum, ventriculum roborabit, vim digeſtivam, & alvi excretionem adjuvabit, atque fluxus uterini, quin & hæmorrhoidalis, ſi ad hunc inclinaverit natura, legitimum conſervabit ſucceſſum. Extrinſecus denique haud ſine fructu utrique hypochondrio circa coſtas ſpurias adplicabitur emplaſtrum ſaponatum Barbette, bene camphoratum, quippe quod in ſanguineis viſcerum infarctibus efficaciſſimum deprehendi: quo etiam ſcopo emplaſtrum de cicuta cum gummi ammoniaco permixtum in uſum trahi poterit.

---

## CASUS XLVI.

*De affectu hyſterico-ſpaſmodico.*

Virgo honeſta, XXVI. annorum, in prima jam infantia ea crurum imbecillitate affecta fuit, ut, quando erecta ſtabat, pedem unum ſuper altero decuſſatim ponere, & abdomen eo conatu, quo ad alvum exonerandam utimur, comprimere invita deberet. Hoc quidem vitium increſcente ætate paulatim remiſit; at eo, quo menſtrua acceſſit purgatio, tempore longe atrocius iterum rediit. Præterea veſtimentis compreſſoriis, more huic ſexui conſueto, à primis fere incunabulis uſa eſt; iiſque ab octavo præſertim ætatis anno, cum ſpina dorſi paullo prominere videretur, eo arctius per diem pariter atque noctem, ingenti ſanitatis detrimento, incluſa fuit, ac veluti incarcerata. Sedecim tandem annos nata, inſignem circa pectus, & in ventriculi regione ſentire cœpit preſſionem, quæ cum magnis doloribus, præcordiorum anxietatibus, vehementi mentis angore, atque continua mœſtitia majus in dies ſumſit incrementum. Acceſſitus medicus, cum menſium obſtructionem ſubeſſe percepit, hanc calidioribus emmenagogis ac fortioribus purgantibus reſerare

ſerare fruſtra conatus eſt. Ægra potius anno ætatis vigeſimo primo febrem acutam, gravi delirio ſtipatam incidit; quod, ſuperata licet febre, per integrum anni quadrantem, omnium remediorum opem eludens, inhæſit pertinaciſſimum; donec tandem ſponte evaneſceret, & ratio rediret. Poſt elapſum abhinc ſemeſtre uterinus quoque adparuit iterum fluor; ſed admodum irregularis, mox per aliquot menſes ſuppreſſus, mox denuo ſuccedens, parca ſemper quantitate. Quamobrem ea rurſus fuit medendi intentio, ut ordinatus hujus excretionis ſucceſſus conſervaretur; ideoque pediluvia crebro adhibebantur; ſanguis ex vena in brachio tuſa ſæpius mittebatur; & præter varii generis medicamina, acidulæ Selteranæ, lacti nuptæ uſurpabantur: ſed omnia in caſſum, quia fortaſſis temporis opportunitas haud fuit obſervata. In tali rerum ſtatu, affectiones, quarum ſuperius mentio fuit facta, magis magiſque invaleſcebant; & cum primum menſibus rite fluentibus vehementer mitigarentur, anno proxime elapſo ſub ipſo etiam uterino fluxu, utut copioſo, violenter infeſtabant. Namque menſe præſertim Maio præcedentis anni, dum poſt præviam venæ ſectionem, & multa medicamina, maxime purgantia, & menſes cientia, copioſus & fere nimius ex utero redderetur ſanguis: ſub hoc ipſo profluvio anguſtiæ atque compreſſiones pectoris vehementer inſiſtebant, cum ſenſatione ponderis in abdomine, quod quaſi aſcenderet, ac fauces ſtrangularet. Accedebant gravativi ac preſſorii capitis dolores, & tanta cruciabant ſævitia, ut geſticulationes faciei atque ſermones confuſi exinde originem trahentes, priſtini metum injicerent deliramenti. Et hæ affectiones per quatuordecim inhærebant dies; abhinc ad hanc uſque diem ita alternantes, ut ſi per binas hebdomades ſiluerint, denuo per idem temporis ſpatium adfligant: noviſſimus paroxyſmus vero per tres ſæviit ſeptimanas, ſub quo etiam cruoris uterini, qui per ſatis longum tempus haud ſucceſſerat, aliqualis fluxus, per tres duntaxat horas durans obſervatus eſt. Ipſam mali acceſſionem prænunciant maculæ rubræ, faciem obſidentes, quas excipiunt gravativi in vertice dolores, & tunc reliqua ſymptomata: quæ inter adhuc notari meretur inſignis ardor, quem ſæpius in imo ventre atque pudendis percipit; & quod valde memorabile eſt, ſub ſumma mali exacerbatione, ciborum cupiditas obſervatur vehementiſſima. Nec denique ignorari oportet, alvum per totam hanc ægritudinem fuiſſe laxam; & ægram per novem jam annos albo laborare fluore.

In tali rerum ſtatu omnium, quotquot conſulti ſunt, medicorum opera fuit fruſtranea; nec & ego certam ſanitatis ſpem facere potui, quoniam timui, ne forſan in hepate, ac reliquis viſceribus, præſertim meſenterii ac meſocoli glandulis gravis ſubeſſet obſtructio, difficillime reſeranda. Quamobrem manus admovere nolui, niſi Tuo, vir illuſtris, conſilio adjutus; & interea mixturam ſtomachicam ex eſſentia corticum aurantiorum, gentianæ rubræ & tinctura tartari, ſexaginta guttulis inter epulas ſumendam ordinavi. Non minus contra magnos angores dedi remedium, cujus hæc erat formula: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum drachmas duas, caſtorei, ſpiritus nitri dulcis ana drachmam unam, olei florum chamæmeli ſcrupulum unum. M. cujus doſin ſexaginta conſtituebant guttulæ: ſingulo mane viginti quinque guttas liquoris terræ foliatæ tartari exhibui; & ob ingentem ſitim, ſerum lactis cum tamarindis paratum commendavi.

*Conſilium.*

Ex litteris ad me datis cognovi, morbum pariter, quo virgo quædam honeſta miſere cruciatur, ac medendi rationem, qua ipſum oppugnavit medicus noviſſime conſultus, quamque etiam vehementer laudo ac adprobo. Morbum vero ipſum, qui motibus violentis atque ſpaſmodicis, ex debilitate partium nervoſarum, ſuam originem trahentibus abſolvitur, merito ad affectus fœminarum hypochondriaco-hyſtericos, quorum præcipuum fundamentum in irregulari menſtruæ excretionis ſucceſſu conſiſtit, referendum eſſe arbitror. Horum vero morborum indoles ac verus genius pleroſque medicorum fugit; & ideo multis, quas ordinare ſolent, medicinis purgantibus, emmenagogis, ſtomachicis calidioribus, carminativis, martialibus &c. majorem ſane noxam, quam utilitatem induci, quotidie deprehendimus; ſicuti etiam in præſenti caſu factum fuiſſe, recte judicavit medicus. Ego quidem in hiſce paſſionibus, magis diæteticis pugnare ſoleo præſidiis; quibus naturæ vires optime refocillari, crebra doctus ſum experientia. Præſertim vero ad potum reſpicere ſuevi; cui nulla prorſus convenit cereviſia; ſed potius vel acidulæ Selteranæ, cum quarta vini Rhenani parte commixtæ ſubſtitui poſſunt, vel hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam unam & ſemis, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana unciam ſemis. M. C. C. D. S. Species, quarum binæ unciæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ.

Præterea, cum in noſtro caſu primæ officinæ multis acidis ſordibus, quæ avidioris cauſſæ ſunt adpetitus, ſcatere videntur; eo maxime curatio dirigenda erit, ut hæc acrimonia temperetur, ac robur ventriculi confortetur: hinc enim laudabilis generari poteſt chylus, ex quo generoſus ſanguis, ac lympha ſpirituoſa ſuboriuntur. Hunc finem reſpexiſſe medicum ordinarium, formulæ, quas præſcripſit, teſtantur: & ego eundem impetratum iri confido, ſi cibi probe maſticentur, & parca quantitate, licet ſæpius aſſumantur. Tum quoque huic ſcopo accommodatiſſimum erit Elixirium hac ratione conficiendum: Recipe extracti centaurii minoris, abſynthii, corticis caſcarillæ, chinæ ana drachmas duas, radicis gentianæ rubræ unciam unam, corticum aurantiorum recentium drachmas ſex, ſalis tartari drachmas tres, aquæ meliſſæ ſeu menthæ uncias ſex. M. ſtent pro digeſtione. F. Elixirium, cujus cochlear unum ſub epulis capiatur. Non minus ſuadeo, ut bis circiter quavis hebdomade primæ viæ blando purgentur laxante, quod eſſe poteſt ſequens pulvis: Recipe rhabarbari electi ſcrupulos duos, lapidum cancrorum ſcrupulum unum, terræ foliatæ tartari grana octo. M. F. pulvis, div. in duas partes, quarum una veſperi circa ſomni tempus, altera mane aſſumatur; ſuperbibendo infuſum theiforme ex ſummitatibus millefolii, florum chamomillæ, aniſo ſtellato, & cortice ligni ſaſſafras concinnatum. Reliqua curæ medici relinquo; neque vero meis conſiliis unquam deero.

CASUS

## CASUS XLVII.

*De variis ſymptomatibus, hyſterico-ſpaſmodicis ex lochiorum & menſium retentione.*

Generoſiſſima mulier, de cujus ægritudine Excellentiſſimus Hoffmannus ante ſex jam annos conſultus, dedit reſponſum, quod ſub Litt. A. adnexum eſt, & ex quo etiam ſatis bene habuit, denuo ſæviſſimis per viginti jam hebdomades cruciatur ſymptomatibus. Nimirum cum ante dictum tempus puerpera, varios animi affectus toleraſſet; non ſolum lochia, parca jam antea quantitate plorantia, penitus ſubſtiterunt: verum etiam menſtrua excretio abhinc prorſus ſiluit. Idcirco ab eo tempore, præter perpetuam fere alvi obſtipationem, flatulentis atque ſpaſmodicis affectionibus miſere agitatur, præſertim ſi cibos aſſumat. Tum enim ſpaſmus maxime ventriculum occupat, tanta quidem vehementia, ut aſſidens epulis, nihil quicquam deglutire valeat, ſed in ſtando comedere cogatur: aſcendunt ſimul flatus, atque fauces adeo conſtringunt, ut ſuffocari videatur. Neque enim ab alvi ſolutione, vel ſpontanea, vel blandis clyſteribus procurata, ullum percipit ſolatium; tantum abeſt, ut facta excretione, inflativæ imi ventris paſſiones atrocius adſ igant. His demum moleſtiis noviſſime acceſſerunt atroces tenſivi ac lancinatorii brachiorum dolores, & tanta totius corporis imbecillitas, ut vix obambulare valeat.

In puerperio, cum ſupprimerentur lochia, venæ ſectio in pede celebrata, & quatuor poſt finitum puerperium hebdomadibus, iterata; atque in præſenti rerum ſtatu, vinum medicatum per octo dies uſurpatum eſt; ſed nullo effectu. Quamobrem ſalutare jam flagitatur conſilium, qua ratione hiſce moleſtiis mederi liceat, & num conferant aquæ medicatæ?

Litt. A.

Morbus, quo cruciatur generoſiſſima mulier, uti partim ex communicata mecum illius hiſtoria percepi, partim coram exploravi, in inveteratis, & in habitum fere degeneratis motibus ſpaſmodicis partium nervoſarum admodum irregularibus, & abhinc pendentibus humorum motus turbis, ac impeditis excretionibus conſiſtit. Quam arduum vero ac difficile ſit, haſce perverſas totius œconomiæ animalis motiones in ordinem redigere; ii norunt optime, qui in frequenti artis verſantur exercitio. Namque in iis præternaturalibus fluidarum potiſſimum partium motibus, mens etiam affici ſolet, & ad inordinatos affectus, iram, atque terrorem facillima deprehenditur; quæ ſola animi paſſionum intemperantia, ſalutarem medicamentorum effectum remorari poteſt. In præſenti caſu adhuc accedit peculiaris remediorum idioſyncraſia; qua illas medicinas abhorret ægrota, quæ alias hiſce adfectibus deprehenduntur convenientiſſimæ. Quas inter cum præſertim aquoſa, & infuſa theiformia averſetur; non poſſum etiam aquarum mineralium potationem commendare. Balneorum vero temperatiſſimorum uſum haud diſſuadeo; quippe quæ, ſi tepidiora ſint, ne ſudorem moveant, ac per aliquot hebdomades adhibeantur, cum motu corporis, peregrinatione, ac aëris mutatione, in debellandis hiſce ſpaſmodicis morbis, omnium remediorum virtutem longiſſime ſuperant. Interim ex pharmacorum cenſu proponendum duxi Elixirium meum ſtomachicum, quod ex herbis radicibuſque amaris, & temperate balſamicis cum menſtruo lixivioſo paratur, & ſexaginta vel octoginta guttulis aut brevi ante prandium, aut hora quinta pomeridiana exhibetur. Hoc enim remedii genus, præſertim per ſatis longum tempus uſurpatum, inſignem virtutem obtinet, tonum ventriculi roborandi, acrimoniam temperandi, digeſtionem promovendi & alvi ſucceſſum adjuvandi. Præterea ex uſu mihi eſt, ſal Epſomenſe aut potius Sedlicenſe, æquali pondere cum cancrorum lapidibus maritatum; cujus drachma una bis vel ter quavis hebdomade aut mane, aut brevi ante epulas ex vino aquæ nupto capienda eſt. Hocce ſal alvum reſerat, mucum reſolvit, acrimoniam temperat, & flatus diſcutit. Et denique etiam venæ ſectionem in pede commendo, qua quinque vel ſex cruoris unciæ mittendæ ſunt: quo tempore omne frigus à corpore arceatur, humidus aër evitetur, & cibi emollientes, ac concoctu faciles aſſumantur. Hæc ſunt, quibus ægritudinem generoſiſſimæ mulieris niſi debellatum, ſaltem inſigniter ſublevatum iri confido.

*Conſultatio.*

Quæ mihi de præſenti matronæ generoſiſſimæ affectione perſcripta ſunt; confirmarunt me in priori ſententia, quod nimirum altas jam egerit radices morbus, & non ſolum fluidæ dyſcraſia laborent ſcorbutica, verum etiam ſolidæ ac nervoſæ partes admodum debilitatæ, perverſis motibus ſpaſmodicis, cum mentis turbatione, afficiantur. Et hanc ob cauſſam haud conſultum duco, malum per potum aquarum mineralium, aut curam lactis oppugnare; quoniam metus eſt, ne ob deſtructum ventriculi robur hæc fluida intra corpus ſubſiſtant. Eo potius reſpiciendum eſſe judico, ut ventriculus roboretur, motus partium nervoſarum irregulares ſopiantur, & naturales excretiones, viis ad iſtas probe diſpoſitis, reſtituantur. Hiſce ſcopis conſequendis, tria potiſſimum proponerem remedia, nimirum pilulas meas balſamicas, pulverem præcipitantem, ac Elixirium ſtomachicum. Pilularum cum drachma dimidia pulveris præcipitantis mixtarum novem ſub lecti introitum ex convenienti vehiculo, primum alternis diebus, poſtea fracta paululum morbi vehementia, ſingulo triduo, vel quatriduo aſſumantur: mane vero, & hora quarta pomeridiana triginta vel quadraginta Elixirii guttæ capiantur. Quod ſi vero ſpaſmodicæ acceſſerint agitationes, operæ pretium erit, ſequentis pulveris, quantum duo cultri cuſpides capiunt, interdum adhibere: Recipe pulveris Marchionis drachmas duas, antimonii diaphoretici ſcrupulos duos, cinnabaris rite paratæ, nitri puri ana ſcrupulum ſemis, pulveris caſtorei grana ſex. M. F. pulvis, D.

Potui ordinario nulla convenit cereviſia, ſed magis accommodatum erit decoctum ex radice ſcorzoneræ, cornu cervi, hordeo mundato, & corticibus citri recentibus confectum, & quarta vini parte permixtum. Tum vero, quantum fieri poteſt, corpus ſub tempeſtate ſerena, vectione in rheda movere oportet; quoniam motus ille pariter, ac aëris mutatio in ejuſmodi morbis curandis, maximum confert momentum, inprimis ſi animi graviores affectus ſedulo fugiantur. His per quatuordecim dies uſurpatis, acidularum Selteranarum pota-

potationem, operæ omnino pretium eſſe facturam confido: quæ tali ratione inſtitui poterit. Mane nimirum aquarum iſtarum, quantum dimidia lagena continet, cum tertia lactis aſinini parte adhuc intra lectum tepide hauriatur; & hora pomeridiana quarta ſex duntaxat earundem unciæ potentur. Hæc curatio per ſex circiter hebdomades protrahenda eſt, ita tamen, ut ſub illius initium pariter ac in fine, quin & ſingulo inter potandum octiduo novem pilularum mearum devorentur; atque etiam Elixirium balſamicum quotidie uſurpetur. Cæterum nec alienum erit, juſculis, quæ ex jure carnis vitulinæ, cum radice ſcorzoneræ & cichorei decocto parantur, crebro uti; niſi illa averſetur mulier generoſiſſima. Neque enim dubito, quin propoſita medendi ratio egregium ipſi latura ſit allevamentum.

*Relatio.*

Poſtquam illuſtris ægrota commendata remedia per tres hebdomades præſcripta ratione uſurpaverat; menſtrua excretio, cum inſigni mali levamine, primum denuo rediit. Et cum deinceps horum medicaminum uſum continuaſſet, & Selteranas acidulas rite adhibuiſſet, factum eſt, ut perfectæ reſtitueretur ſanitati.

---

## CASUS XLVIII.

### *De pathematibus hyſterico-ſpaſmodicis cum tumore pedum œdematoſo.*

Sereniſſima quædam Princeps, annos quinquaginta tres nata, ſemeſtri circiter abhinc tempore, crebris agitari cœpit vomitibus, quibus nullos unquam cibos, ſed plerumque mucum glutinoſum, tenacemque, nonnunquam bile permixtum parciſſima reddidit quantitate. His juncta ſæpius fuit inſignis præcordiorum anxietas, atque tanta cardialgia, ut in lecto commorari haud potuerit: quæ vero ructuum exploſione mitigatur. Siniſtrum ſubinde pedem occupavit quædam intumeſcentia œdematoſa; quæ per vices evanuit, jam autem utrumque ad genua uſque obſidet. Ciborum adpetentia, prorſus dejecta, jam redire videtur; atque ſomnus ſæpenumero per aliquot dies nullus fuit. Accedunt interdum capitis dolores magis obtuſi atque tenſivi, quam pulſatiles, cervicem ſimul occupantes: ac ſub ſpuriis coſtis per intervalla tenſio quædam ac inflatio percipitur; qualis in ſubjectis, viſcerum obſtructione laborantibus deprehendi ſolet. Menſes ante aliquot jam annos per ætatis rationem ceſſarunt; ſed quinque abhinc hebdomadibus magis albi ac mucoſi adparuerunt, & ante aliquot dies rubicundiores iterum per tres dies fluxerunt: quibus evaneſcentibus ſpaſmodicæ ſucceſſerunt paſſiones. Alvus nunquam, niſi clyſteribus, aut globulis moſchatis ſolicitata reſpondet; pulſus debilis fertur & durus, qualis in hypochondriacis ac hyſtericis manum ferit; fauces ſæpenumero ſenſationem pali ipſis infixi patiuntur; in imo ventre crebra ſentiuntur murmura, cum flatuum excretione nonnunquam inſequente; & haud raro ani teneſmus adfligit. Quæ ſymptomata cum hactenus varii generis remediis aperientibus, nervinis, reſolventibus, antihypochondriacis, cardiacis interne pariter ac externe uſurpatis nondum debellari potuerunt: abs Te, Vir Illuſtris, doceri cupit Sereniſſima, qua ratione ab illis vindicari queat?

*Conſilium.*

Graviſſima, quæ Principem ſereniſſimam per ſemeſtre jam tempus cruciarunt ſymptomata, nimirum conatus vomendi, ipſæ pituitæ tenaciſſimæ vomitiones, nauſea, præcordiorum anxietates, inquietudines, capitis dolores, conſtrictiones faucium, ac alvi pertinaces obſtructiones, non alia certe ſunt, quam hyſterico-ſpaſmodica, & à tributo lunari, poſt quinquageſimum ætatis annum ceſſante ſuos mutuantur natales. Frequentiſſime enim fit, ut humores exitu ſuo per loca uterina, per ætatis rationem deſtituti, niſi tempeſtiva ſuccurratur venæ ſectione, ad imi ventris viſcera regurgitent; & diſtendendo præſertim tunicas ventriculi ac inteſtinorum nervoſas, ingentes ſpaſmos ac anxietates progenerent; quin ſpaſmis iſtis per conſenſum ad alias membranaceas regiones propagatis, conſtrictiones faucium, dolores capitis, atque dorſi, ad ſcapulas uſque extenſos, imi ventris murmura, retentionem flatuum, inflativas ac tenſivas abdominis moleſtias, atque ſenſibilem inteſtini recti ſtricturam atque teneſmum cauſſentur. Hiſce ſymptomatibus, ſereniſſimam Principem diu jam infeſtantibus, cum pedum œdematoſa acceſſerit intumeſcentia: vero videtur ſimillimum, quod in hepate aut liene quidam humorum infarctus aut obſtructio præſto ſit: quæ non ſolum diuturniorem ac difficiliorem promittit curationem; verum etiam metum omnino incutit, ne ob humores inertes hanc ob cauſſam generatos, tandem virium decrementum, calor hecticus, aut hydropica ſuperveniat affectio. Quare tempeſtivum malo ferendum eſt auxilium, & niſi jam inſtituta fuerit, in pede adminiſtranda venæ ſectio. Quæ ſi ob pedum tumorem locum haud invenerit; operæ erit pretium ſex cucurbitulas ſcarificatorias, duas videlicet dorſo, duas lumbis, duaſque in femoribus ſupra genua admovere. Quando enim humorum moles nondum fuerit imminuta; irritus erit omnium remediorum effectus: nec parca ſanguinis quantitas, ſed, ſi poſſibile ſit venam ſecare, quinque vel ſex cruoris unciæ ad minimum detrahi debent. Tum vero in ejuſmodi ſpaſmodicis, hyſtericiſque paſſionibus excellentem præſtabit uſum liquor meus anodynus mineralis; ſi ad guttas quindecim vel ſolus ex aqua ceraſorum nigrorum, vel cum aliquot guttis eſſentiæ caſtorei, vel corticum aurantiorum mixtus, bis quotidie ſumatur. Egregiæ porro virtutis eſt ſequens pulvis: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachmam unam, cinnabaris nativæ bene præparatæ, nitri purificati ana ſcrupulum unum. M. F. pulvis, div. in ſex partes. Non minus mirificam vim poſſidet infuſum theiforme ex millefolio, floribus chamomillæ vulgaris, & ſemine fœniculi paratum, quod minus ſaturatum mane loco decocti herbæ Théebois ſorbillari poteſt.

Præterea vero alvi libertati ſummopere ſtudendum eſt, quo flatuum excretio rite ſuccedere queat: cui quidem ſcopo vel clyſteres domeſtici, ex juſculo avenaceo, floribus chamæmeli vulgaris, binis olei amygdalarum unciis, & tantillo ſalis communis confecti; aut pilulæ meæ balſamicæ, numero quatuordecim, ſub dolorum ac vomitionum remiſſione circa veſperam ſingulo triduo aſſumendæ facient ſatis. Has ſi reſpuerit ventriculus, triginta earum in aqua deſtillata ſolvi, & cum clyſtere ano infundi poſſunt: & denique eo

reſpi-

reſpiciendum ſuadeo, ut ventriculus atque pedes, ſub paroxyſmis plerumque frigidiores, in temperato conſerventur calore.

*Relatio.*

Elapſo quodam abhinc tempore relatum mihi eſt, ſereniſſimam ægrotam ex commendatis remediis non niſi præſcripto pulvere, & liquore meo anodyno uſam, magnam quidem ſymptomatum remiſſionem percepiſſe, & vomitus omnino ſiluiſſe; at pedum tumorem majora in dies ſumſiſſe incrementa. Hinc non potui, quin de viſcerum labe ſolicitus, minus auſpicatum morbi eventum præſagirem; qui etiam proh! dolor, brevi poſt eſt inſequutus.

---

## CASUS XLIX.

### *De affectu ſpaſmodico-hyſterico-hypochondriaco, cum concretione calculoſa in veſica fellea.*

QUæ annos habet quadraginta tres, virgo generoſiſſima, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſtaturæ mediocris, conſtitutionis tenerioris, habitus ſanguine & ſucco pleni, vaſiſque exilioribus inſtructi, ingenii vero vivaciſſimi, circa ſerias res, ac meditationes ſemper occupati, vitam à teneris geſſit, variis utut levioribus ægritudinibus contaminatam. Harum potiſſimæ fuerunt capitis dolores, atque paſſiones hypochondriaco-hyſtericæ, quæ matrem ægrotantis etiam diu multumque cruciaverant: neque tamen menſtrua purgatio ſub his affectionibus ſuppreſſa fuit, ſed ſueto ſemper tempore, licet juſto minori quantitate rediit. Quatuor autem vel quinque circiter excurrerunt anni, quibus poſt prævias graviores mentis ac corporis defatigationes, ſudores nocturnos toleravit ſatis copioſos: quos ſenſus in cute formicans præcedere, ſæpius corporis refrigeratio comitari, & congruo regimine tractatos. per diem integra valetudo excipere ſolet. Acceſſerunt inſuper per intervalla vehementes cordis palpitationes; & moleſtæ roſionis in cordis ſcrobiculo ſenſatio, cum anxia inquietudine ſtipata, clyſterum autem injectione plerumque mitigata. Denique per noviſſimum biennium, quo labores mentis pariter ac corporis magis increverunt, pejus habere; ciborum adpetentia imminui, digeſtio labefactari, & alvus officii ſui cœpit oblivifci; adeo ut pulveribus ſalinis ex nitro, arcano duplicato & auro fulminante confectis ſolicitari debuerit, quoniam alia purgantia atque laxantia, maxime pilulæ, quæ vel tantillum aloës continent, inſignes ipſi crearunt moleſtias. Supervenerunt quoque, præter virium decrementum, tenſivi ac preſſorii in dextro hypochondrio dolores & mox per aliquot hebdomades inhæſerunt, mox per integros ſiluerunt menſes. Neque vero votis reſponderunt ulla remedia hactenus uſurpata; nec acidulæ Amaſianæ, nec Egranæ; quarum has noviſſima æſtate, ſed haud ſine variis ſolicitudinibus atque mœroribus potavit.

Verno currentis anni tempore incidit præter conſuetudinem in catarrhalem narium defluxionem, quæ ingentem pituitæ copiam per octo hebdomades è naribus ploravit. Hac ceſſante, cum adeſſet æquinoctium, venam in pede more ſolito tundendam curavit; & accidit, ut eodem die, quo vena ſecabatur, menſes eruperint, & ſatis larga quantitate fluxerint; cum è contrario, elapſo menſe, & copia parciores, & conſiſtentia ſpiſſiores redderentur. Octo abhinc diebus accedebant atroces capitis dolores, hiſque brevi poſt moleſtæ circa cordis ſcrobiculum roſiones, cum inſigni corporis languore, alvi obſtipatione, & imminuta mictione, ſtipatæ ſuccedebant, nec clyſterum ope mitigari poterant. Quin imo poſt aliquot dies jungebantur his moleſtiis, anxii & inanes vomendi conatus pariter, ac ipſæ vomitiones, pectoriſque vehementes conſtrictiones, & ineffabiles præcordiorum anxietates: venæ ſubſidebant, brachia & femora vinculis quaſi ligata videbantur, pedes frigebant inſigniter, vultus expalleſcebat, ſanguis ebulliebat; pulſus ferebatur ater, tamen oppreſſus; alvus erat obſtructa & urina pauca, rubicunda, poſt aliquot horas ſedimentum deponens turbidum ferebatur: quæ ſymptomata per vices redibant, & ſeptem dies ſæviebant.

Acceſſitus medicus ad ſpaſmum demulcendum atque componendum partim pulveres temperantes antiſpaſmodicos, cum nitro, cinnabari ac magneſia mixtos, partim liquorem Hoffmanni anodyno-mineralem, partim liquorem terræ foliatæ tartari cum ſpiritu carminativo de tribus, ſpiritum nitri dulcem, partim clyſteres lenientes, carminativos, oleoſos ordinavit. Sectionem autem venæ, quæ in ipſis ſpaſmorum paroxyſmis hos exacerbare ſolet, eò minus commendare voluit; cum ſymptomata mitigari viderentur, effloreſcentiæ purpuraceæ pectus, dorſum, brachia ac femora copioſæ obſiderent, ac denique ſtato ac ordinario tempore uterinus fluor, cum ſanguine magis, ac antea ſeroſo accederet. Interim elapſis ab hac ſanguinea excretione ſeptem diebus, eadem ſymptomata, paullo tamen mitiora recrudeſcebant, & alternis duntaxat diebus invadebant. Omittebatur denuo cruoris ex vena detractio, quoniam non ſolum vernale imminebat ſolſtitium; verum etiam tanta ſanguinis moles, copioſis ſudoribus admodum imminuta, haud aderat, quæ ipſam indicaret. Idcirco ad ſedandam humorum ebullitionem, & congeſtorios motus revellendos, inſiſtebant medici pulverum temperantium, antiſpaſmodicorum, ac arcani tartari cum ſpiritu carminativo mixti uſui; primas vias per potiones mannatas, & cremori tartari ac rhabarbaro nuptas, iterato purgabant; & tum robori ventriculi conſulebant eſſentia carminativa Wedelii, corticum aurantiorum cum ſpiritu nitri dulci; atque pilulis ex extracto centaurii minoris, pimpinellæ, corticibus aurantiorum & rhabarbaro confectis. Non minus ad relaxandas penitus ſtricturas ſpaſmodicas, pediluvia ac balnea ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis confecta commendabant; quorum primum, juſto calidius, inſignem humorum ebullitionem, cum pulſu velociori ac capitis doloribus excitabat; reliqua vero magis prodeſſe videbantur, adeo ut ſub horum pariter, ac ante dictorum remediorum uſu, ægra melius haberet, & denique extra lectum poſſet commorari.

Neque tamen minus aſſiduæ inhærebant pectoris compreſſiones, atque dolorificæ in dextro hypochondrio, ſub coſtis ſpuriis, ac circa cordis ſcrobiculum tenſiones, mox inferius ad umbilicalem regionem extenſæ, mox totum pectus, maxime latus ſiniſtrum occupantes, adeo ut præcordia arctiſſimis vinculis conſtricta viderentur & ſpiratio fieret difficilis. Accedebant inſuper per intervalla calores præternaturales, magis volatici, cum pulſu citatiore ac febrili: urina, quæ mane primum reddebatur, rubicunda erat, & poſt aliquot horas turba-

turbata, deponebat album mucoſumque ſedimentum. Cæterum adpetitu gaudebat ſatis integro, ſervata tamen recta victus ratione; bibendi vero deſiderio fruebatur admodum exiguo; pro potu ſub epulis aquis Amaſianis vino nuptis, ordinario autem aqua cum Caſſia lignea decocta utebatur; alvus poſt uſum infuſi mannati, ac paſſularum rhabarbarinarum quotidie reſpondebat, & copioſam ſaburram, quandoque fruſta indurata reddebat; ſæpius ſaliva paullo tenacior ferebatur; ſomnus plerumque placidiſſimus erat, niſi nonnunquam moleſta circa cordis ſcrobiculum roſione turbaretur; in nullo latere abſque ſpirandi anguſtia decumbere poterat; ac denique menſes etiam ſatis regulares ſuccedebant, niſi quod aliquot demum poſt tempus ordinarium eruperint diebus.

Medicus igitur, hunc morbum funditus expugnaturus, habuit illum pro ſpaſmo hypochondriaco-hyſterico; quem partim à turgeſcentia ſanguinis circa imi ventris viſcera, ejuſque circulatione impedita, & reſtrictione ad partes ſuperiores facta; partim ab atonia ventriculi ac inteſtinorum, & hinc oriunda earum partium inflatione, ac præternaturali verſus diaphragma preſſione, natales ſuos mutuari judicavit. Quamobrem humorum vitio proſpexit, venæ ſectione convenienti tempore in pede ad uncias ſeptem facta, ſubjunctiſque remediis temperantibus, antiſpaſmodicis, nitroſis, ac cinnabarinis. Tum ad roborandum ventriculi & inteſtinorum tonum, omnes cruditates ex primis viis penitus eliminandas, atque viſcera, maxime hepar ab infarctis humoribus prorſus vindicanda, commendavit uſum thermarum, quæ in Carolinis ſcaturiunt molarium, & cum hæ non arriſerint, potationem aquarum Amaſianarum per quatuor intervalla, quorum quodvis ſeptem dies habebat, propoſuit: & denique ad confortandum viſcerum, atque nervoſi generis tonum ſubjungenda ſuaſit balnea Freyenwaldenſia, aut Radebergenſia.

Morem quoque his conſiliis geſſit ægra generoſiſſima; & licet ſeptimo iterum poſt menſium fluorem die, paroxyſmo ſibi ſueto, & ſuperius recenſito, longe mitiſſimo prehenderetur: tamen poſtea venam ſibi tundendam curavit, & abhinc ad fontes Amaſianos ſe contulit, quos etiam tepidos convenienti ordine ac ratione jam potare cœpit. Neque tamen minus adhuc continuant tenſiones ac conſtrictiones pectoris, & præſertim in latere dextro, magis autem remiſſiores; & per aliquot dies dextrum illud latus, ſiniſtro tumidius adparuit, abſque ullo rubore: artus externi conſtricti, ac quaſi ligati videntur, & motus corporis oppreſſionem pectoris exacerbat. Hæc ſymptomata ſub ipſo paſtu mitiora, tempore vero digeſtionis atrociora obſervantur. Noviſſimis porro diebus in utroque latere non impeditus eſt decubitus: ſupinus autem malum adauget; quin denique excretiones naturales per alvum, ſudorem ac urinam rite ſuccedunt; & hæc mingitur citrina, rarius pallida, nec turbatur, nec deponit ſedimentum, ſed quandam tantummodo nubeculam. Quæ cum ita ſint, & hæc pathemata nullis obſecundent remediis; veretur generoſiſſima Virgo, ne graviores, quam quidem medicus pronunciavit, ſubſint cauſſæ; atque ſuſpicatur vel hepatis indurationem, quoniam dolor magis in dextro hypochondrio percipitur, & decubitus in illo nonnunquam moleſtus obſervatur; vel diaphragmatis, pleuræ, muſculorum intercoſtalium, aut ipſius ventriculi ac inteſtinorum ſive ulcerationem, ſive excreſcentiam præternaturalem, quia graviſſimam pectoris conſtrictionem ſentit, ejuſque dextrum latus paullo tumefactum videtur. Non minus valde eſt ſolicita de pectoris hydrope, & cum urina jam feratur tenuis ac naturali ſimilis, naturam nimis debilitatam, ſordibus cum lotio expurgandis minus ſufficere exiſtimat; hinc etiam aquarum Amaſianarum potationem continuare recuſat. Et quamvis etiam medicus ordinarius, ex præſentibus morbi ſymptomatibus illos, quos ægra ſibimet imaginatur eventus, nondum præſagire queat, ſed ſperet omnino, fore, ut malum congruo aquarum Amaſianarum interno, balneorum vero externo uſu, conjunctis balſamicis, nervinis, & antiſpaſmodicis remediis, temporis diuturnitate expugnetur: attamen generoſiſſima Virgo aliorum etiam doctorum virorum judicium ſcire avet, & præſertim doceri cupit: 1. Utrum morbus, quo laborat, ſit ſolus ſpaſmus hypochondriaco-hyſtericus, & num curatio hactenus inſtituta fuerit conveniens? 2. Quæ ſit vera illius cauſſa, quæ prognoſis, & an denique metuenda ſit viſcerum labes?

### *Conſultatio.*

Morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, probe perluſtravi, ejuſque cuncta momenta ſedulo mecum perpendi: nec habeo, quæ circa medici ordinarii judicium de cauſſa illius latum, & medendi rationem, legibus artis apprime reſpondentem monere poſſim. Ut autem meam ſimul mentem proponam; nullus quidem dubito, quin morbus iſte gravis inter ſpaſmodico-hyſtericos & hypochondriacos ſit referendus; verum ſunt adhuc quædam ſymptomata, quæ, quod attinet ſedem mali, altiorem omnino requirunt indaginem. Hæc inter numerare licet perpetuas illas tenſiones, roſiones atque preſſiones, quas ægra in dextro hypochondrio, circa regionem hepatis & cordis ſcrobiculum, cum inſigni laſſitudine, alvi ſegnitie, vomendi conatu, & ipſis vomitibus ſtipatas ſentit: deinde ſpaſmodicas tractiones, totum pectus, cum ſummo angore, occupantes, cum venarum ſubſidentia, artuum conſtrictione pertinaci, pedum frigore, vultus pallore, ſanguinis ebullitione, pulſu celeri, ac oppreſſo, & mictione imminuta; & denique pectoris aſſiduas compreſſiones & conſtrictiones, ac ſi vinculis ligatum eſſet, maxime in dextro latere, cum hujus intumeſcentia, ac ſpirandi difficultate obvias. Quæ inſolita plane in hoc morbo ſymptomata, digna omnino ſunt, ut veram illorum ſedem atque cauſſam rite perquiramus. Quanquam enim minime negari queat, quin orificium ventriculi dextrum, principium duodeni, ea coli portio, quæ hepati ac duodeno adhæret, ſeptum tranſverſum, nervi pneumonici, & aliæ nervoſæ partes graviter in præſenti morbo à ſpaſmodicis ſtricturis afficiantur: reſtat tamen adhuc explorandum, quænam horum ſpaſmodicorum motuum, ac præſertim doloris ſub cordis ſcrobiculo rodentis, vera ſit & materialis cauſſa. Quamdiu ego medicinam feci, (feci autem per quinquaginta jam annos) occurrerunt mihi aliquot noſtro ſimiles caſus; quorum cauſſa, uti ex nonnullorum defunctorum ſectione deprehendi, in calculoſis concrementis, veſiculam felleam obſidentibus ſita fuit: dum nimirum bilioſus humor, per poros veſiculæ felleæ perſpirans, vicinas partes, maxime colon inteſtinum, orificium dextrum & fundum ventriculi, flavo colore imbuerat, & procul dubio illas ad ſpaſmodicas ſtricturas proritaverat. Quamobrem firmiter ſum perſuaſus, in præſenti malo præcipuum vitium in hepate, & quidem veſicula fellea, calculoſis concretionibus repleta hærere. Quemadmodum

modum enim in calculo renum fieri ſolet, ut ille ureteres ingrediens, horum non minus ac vicinarum regionum atrociſſimos pariat dolores: ita quoque contingit, ut, ſi calculus felleus in ductum cyſticum irruperit, ibidemque ſubſtiterit, hic nerveus admodum canalis dolorificis ſtricturis agitetur: quæ vi conſenſus ad partes adjacentes, veluti præcipue ſunt ventriculus, inteſtinum colon, ſeptum tranſverſum, pleura, muſculi pectorales &c. propagantur, variaque in his mala machinantur.

Quod ſi vero de cauſſis remotioribus, quæ hoc malum induxerunt, diſpiciam; eas partim in connata ac hæreditaria, ex vitio matris acquiſita ſenſibilitate ægrotantis, & inſigni ad motus irregulares proclivitate; partim in crebris, quos paſſa eſt, mœroribus, atque excandeſcentia ſæpius ſuppreſſa collocare haud vereor. Dum enim affectus iracundiæ illius eſt indolis, ut ductus biliferos præſertim graviter afficiat, & bilioſum humorem valde commoveat: facile patet ratio, cur iis adfectibus obnoxii, morbos ex bile ſubortos plerumque patiantur. Et cum præterea propter graviores illos ſpaſmos, ac violentos motus, qui à teneris fere cruciarunt ægram generoſiſſimam, partium fluidarum temperatus ac æquabilis circuitus perturbatus; excretiones ſalutares, quæ per alvum, cutim, & urinam fiunt, imminutæ; & ideo recrementa intra corpus retenta fuerint: vero omnino eſt ſimillimum, ſuccos vitales in noſtra ægrotante impuros & ſalibus ſcorbuticis imbutos exiſtere. Præſertim vero lympham materia acri, purpuracea contaminatam eſſe, certus credo; quæ nervoſas partes vellicando, calorum præternaturalium, defluxionum catarrhalium, dolorumque per caput & artus errantium præcipuam ſuppeditat cauſſam.

Quæ cum ita ſint; clariſſimum eſt, omnes curationis ſcopos his potiſſimum abſolvi indicationibus, ut nimirum irregulares partium nervoſarum motus conſopiantur; deinde humores acres, ſalini, ſcorbutici demulceantur, & viſcidi diluantur; tum excretiones ſalutares per alvum & tranſpirationem promoveantur; & denique concretiones calculoſæ, quæ, cum nihil niſi mucus compactus ſint, aqua ſolvi poſſunt, quantum fieri poteſt, diſſolvantur. Hiſce ſcopis ſatisfacturus, laudo vehementer uſum empiaſtri, quod ex diachyli ſimplicis unciis duabus, ſpermatis ceti drachmis ſex, croci, camphoræ ana drachma una concinnatum, dextro hypochondrio ſub ſcrobiculo cordis adplicetur. Deinceps inter aquas minerales convenientiſſimas judico acidulas Selteranas; quæ ob ſal earum alcalinum non ſolum in omnibus calculoſis affectibus inſignem laudem merentur; verum etiam ſcorbuticas ac purpuraceas humorum impuritates attemperandi, egregiam poſſident efficaciam. De his ergo tepidioribus ſingulo mane lagenam unam bibendam, & hanc potationem per quatuor hebdomades, ſub recta vivendi ratione continuandam ſuadeo; neque minus eaſdem, cum quarta vini generoſi parte permixtas, in locum potus ordinarii commendo. Et ſi tulerit ventriculus, majus adhuc ex hiſce acidulis ſpero emolumentum ſi binæ earum partes cum una lactis aſinini maritatæ per ſex hebdomades potarentur. Tum quoque operæ facient pretium balnea temperata ex furfuribus triticeis, lacte, aqua pluviatili aut fluviatili parata, tepidiora: quorum virtus in relaxandis ſtricturis ſpaſmodicis, ſopiendis doloribus, & reſtituendo humorum æquabili circulo deprehenditur excellentiſſima. Et denique ex pharmacis, non niſi ſequentem pulverem propono: Recipe cornu cervi ſine igne, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum ana drachmas duas, ſummitatum centaurii minoris, cinnabaris, ſuccini, ſeminis cymini ana drachmam ſemis, nitri purificati drachmam. M. F. pulvis, cujus drachma dimidia, aut ſcrupuli duo pro doſi nonnunquam ſumantur.



---

## CASUS L.

*De malo hyſterico, convulſivis & epilepticis motibus ſtipato.*

Virgo honeſta octodecim annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi, animi ſemper hilaris, & nullis affectibus gravioribus obnoxii, admodum plethorica, haud ita pridem, menſibus per ſex hebdomades ſuppreſſis, poſt præviam refrigerationem, tuſſi convulſiva cum metu ſuffocationis ex improviſo corripiebatur. Adhibitis congruis & diaphoreticis, & antiſpaſmodicis, & inſequuto ſudore remittebat quidem penitus hæc adfectio; at vix elapſo triduo, majori fere recidebat acerbitate, ut præter vehementem ſtrangulationis ſenſationem, perpetuo, ſed inani ad vomendum angeretur deſiderio. Alvus ſimul erat ſtrictiſſima; cutis aridiſſima: urina ſubſiſtebat; extremæ corporis partes, maxime pedes frigebant, cor palpitabat vehementer, facies rubicunda intumeſcebat, arteriæ capitis, temporumque pulſabant validiſſime, & ægra ſub ſummo angore & inquietudine in lecto ſe jactitabat, adeo ut omnes apoplexiam timerent. Sed poſt horæ quadrantem conquieſcebant omnia, niſi quod de vehementi cordis ac diaphragmatis, ubi jungitur tranſverſo ſepto, conquereretur dolore. Interim remanebat tam arcta pharyngis conſtrictio, ut nec fluida, nec ſolida abſque ſumma moleſtia deglutire potuerit; pulſus tangebatur debilis, parvus, & inæqualis; & ipſe paroxyſmus ſingula ferme hora recrudeſcebat vehementiſſimus. In tam periculoſo igitur rerum ſtatu, detrahebantur protinus ex vena in brachio tuſa, ſeptem cruoris unciæ, qui ſub ipſo effluxu ſtatim coagulabatur, nullo ſupernatante ſero. Tum ſiluit per octo horas paroxyſmus; at his tranſactis, crudelior rediit, & poſtridie in veros epilepticos motus, quorum acceſſiones per duas durabant horas, deſiit. Quamobrem cum periculum in mora ſit; ſolidum flagitatur conſilium, atque huic malo debellando opportunum auxilium.

### *Conſilium.*

Poſtquam morbi hiſtoriam, mecum communicatam, ſedulo perluſtravi; probe intellexi, motus illos ſpaſmodico-convulſivo-epilepticos, qui miſere diſcruciant virginem nobiliſſimam, non niſi ad paſſionem & epilepſiam hyſtericam eſſe referendos. Mirandum vero utique eſt, quod cum ægra nec ſenſibilioris, & ad commotiones proclivis ſit animi, nec menſes niſi per ſex hebdomades fuerint ſuppreſſi, nihilo minus tam graves ſpaſmodico-convulſivæ acceſſerint affectiones; veluti ſunt tuſſis convulſiva ſicca, arctiſſima faucium conſtrictio, quæ nec liquidis deſcenſum permittit, nauſea, urinæ retentio, alvi obſtructio, cordis palpitationes, ac violentæ artuum externorum agitationes. Quicquid ſit, omnia hæc ſymptomata ſtagnanti circa uterum, tunicas inteſtinorum, & interiorem me-

læ ſpinalis partem ſanguini unice debentur. Quo in rerum ſtatu licet ſumme neceſſaria ſit ſanguinis miſſio: attamen multiplici edoctus ſum experientia, eam minime in ſuperiori corporis regione aut brachiis eſſe inſtituendam. Optaſſem igitur, ut in præſenti etiam caſu in pedibus detractus fuerit cruor; unde in affectibus ſpaſmodico-hypochondriacis vel hyſtericis magnum redundare ſolet emolumentum: neque etiam ſecanda vena, ſi pedes adhuc conſtricti ac à paroxyſmo frigidi fuerint, ſiquidem tum longe major humorum ad caput raptus atque congeſtio plerumque inſequi obſervatur. Eadem moleſtia comitatur venæ ſectionem in brachiis celebratam; & ideo notabile eſt in noſtro caſu, quod licet poſt illam protinus conquieverint motus violenti, illi tamen haud ita multo poſt ſæviores redierint, & in ipſam eruperint epilepſiam. Ut ergo proponam, quæ profligando huic malo convenientia futura ſint præſidia; monendum ante omnia duco, parum auxilii ab internis medicaminibus expectandum, ſed externis potiſſimum fore dimicandum. Hæc inter commendo clyſterem antihyſtericum, ex juſculo avenaceo, florum chamæmeli manipulis duobus, olei chamomillæ unciis binis, aſæ fœtidæ drachmis duabus, & ſalis communis uncia dimidia conficiendum, & ſi opus fuerit, iteratis vicibus ano infundendum. Tum vehementer laudo unguentum nervinum, nuchæ ac ſpinæ dorſi inungendum, cujus hæc ſit formula: Recipe ſpiritus vini camphorati uncias duas, ſpiritus ſalis ammoniaci, cornu cervi ana unciam ſemis, olei rutæ drachmam dimidiam. M. D. Nec ludetur opera, ſi veſica bubula, juſculo avenaceo tepidiori repleta, collo ac pectori adplicetur: quo fit, ut humores ſtagnantes reſolvantur, & conſtrictæ partes ſolidæ blande relaxentur. Quo porro fine efficaciſſima ſunt pediluvia tepida duntaxat, ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, floribus chamæmeli, ac malvæ concinnata; quibus pedes paullo profundius imponantur; in quorum locum etiam pedum fomentatio, ſuppoſito vaſe, aqua calida pleno, aut aliis modis impetranda ſubſtitui poteſt.

Sic relaxatis ſtricturis, ſi libera redierit deglutitio, in uſum vocandam hortor ſequentem mixturam: Recipe ſpiritus bezoardici Buſſii, liquoris anodyni mineralis ana unciam dimidiam, eſſentiæ croci, caſtorei ana drachmas duas, camphoræ grana quatuor: M. F. mixtura, triginta vel quadraginta guttulis nonnunquam ſumenda; cui etiam drachma dimidia pulveris temperantis interponi poteſt, qui ſic ſe habet: Recipe pulveris Marchionis unciam ſemis, cinnabaris nativæ præparatæ, ſuccini præparati, nitri depurati ana drachmam unam, extracti caſtorei grana quatuor. M. D. Et denique vulgatum quidem, ſed uſus egregii ſubſidium ſunt plumæ perdicum accenſæ, & vapor naribus admittendus; quo motus ille violenti ſtatim ſedari ſolent. Hæc ſunt, quibus ægræ conſulere volui; quæ felici à Deo ſecundentur eventu, ex animo precor.

*Relatio.*

Nunciatum mihi eſt, adhibitis iis, quæ commendavi, remediis, intra binos dies & convulſivos motus, & ſpaſmos hyſtericos, & reliqua ſymptomata penitus remiſiſſe. Quum autem, ſuperato hoc gravi paroxyſmo, ægra gulæ nimium indulgeret; priſtinis affectionibus iterum infeſtari videbatur; quæ tamen, dato tandem blando laxante, prorſus conquieverunt.

## CASUS LI.

### *De paſſione hyſterico-melancholica.*

MAtrona, duos ultra quadraginta annos nata, aliquot liberorum felix mater, jam vero per decem annos vidua, vitæ ſedentariæ, curarumque plenæ deditiſſima, & à leviſſimis cauſſis in mœrorem conjecta, temperamenti ſanguineo-melancholici, alvi obſtructionibus, per aliquot ſæpe dies inhærentibus, & hyſtericis paſſionibus obnoxia eſt. Accidit autem ante tempus aliquod, ut veſperi lectum petens, & alto ſomno gaviſa, ſubito expergeficeret; & defunctum maritum, ſibi adſtantem videre putaret; recte vero conſideratam, non niſi vanam deprehenderet imaginem. Quare iterum ad ſomnum ſemet compoſuit; in quo admodum turbulento, vir quidam longioris ſtaturæ, ac proceri corporis, illius lectum conſcendere, ipſi os comprimere, ut nec loqui, nec clamare poſſet, tum cum ipſa verum coitum celebrare, & demum diſcedere, viſus fuit. Vocavit tum protinus ancillæ & filiabus, quæ nihil nec viderunt, nec audiverunt: ipſa vero ab eo tempore ſe gravidam reputavit, eo magis, cum perpetuo quaſdam motitationes ac murmura in imo ventre percipiat. Neque tamen, licet jam nonus exinde agatur menſis, abdomen intumuit; & uterinus cruor ſingulis menſibus, etſi parciori quantitate, fluxit, vireſque magis magiſque dejiciuntur. Quare nemo quidem graviditatem ſuſpicatur; at ægra à ſua opinione nullo modo deflecti poteſt, noctesque perpetuis ærumnis, ac querelis inſomnes, aut terrificis inſomniis turbatas tranſigit. Hinc medicum de hoc caſu judicium flagitatur, præſertim, unde motitatio illa abdominis valde flaccidi ſuboriatur; & quomodo toti malo mederi liceat?

*Judicium cum Conſilio.*

Morbus, cujus cauſſa conſultus ſum, non alius eſt, niſi paſſio hyſterico-melancholica: quæ cauſſam agnoſcit, in ſanguine craſſo atque ſpiſſo, ex abdomine ad caput copioſius compulſo. Hic enim per minima cerebri vaſa difficilius progrediens, hæc valde diſtendit, atque tali ratione ipſam turbat phantaſiam, ut inde & terrifica inſomnia, & falſæ imagines ac ideæ de viro robuſto, ægram imprægnante, ſub ſomno leviori, & pertinax graviditatis imaginatio, ſuos mutuentur natales. Ad hoc vero malum inducendum præter temperamentum melancholicum, contribuerunt quam plurimum vita ſedentaria, perpetui mœrores, atque curæ, menſium imminutus fluor, & alvi pertinax conſtipatio: quæ cauſſæ non ſolum inteſtinorum volumen ad ſpaſmodicas conſtrictiones proritant, quarum vi humores majori ad caput rapiuntur copia; verum etiam has nerveas regiones relaxando, generandis flatibus efficacem ſuppeditant occaſionem, quorum murmura, motitationem embryonis mentiuntur. Et cum in tali rerum ſtatu, deſtructa ciborum digeſtione, humores generentur minus laudabiles; ſomnuſque eripiatur, ſaltem haud reficiat: clariſſime patet, cur magis magiſque dejiciantur vires, & carnoſa corporis conſumatur ſubſtantia.

Ut igitur ab hac gravi ægritudine vindicetur ægra; operæ erit pretium, ut protinus, adhibitis per aliquot

aliquot dies pediluviis, octo cruoris unciæ ex vena in pede tuſa detrahantur: tum elapſo biduo, drachma una ſalis mei aperitivi, in aqua ſoluti mane ſumatur, ſuperbibendo quædam infuſi theiformis vaſcula; & ſubinde quotidie brevi ante epulas ſeptuaginta Elixirii mei viſceralis guttulæ, veſperi vero undecim pilularum mearum balſamicarum, per quatuordecim ſucceſſive dies capiantur. Sub hac curatione ſolitudines fugere, atque jucundis conſortiis uti; non minus juſculis tenuioribus crebro veſci, & in vicem cereviſiæ pro potu ordinario, ſequens decoctum ad binas quotidie menſuras potare oportet: Recipe radicis cichorei, ſarſaparillæ, glycyrrhicæ ana uncias quatuor, ſeminis fœniculi unciam ſemis. Conc. Cont. D. S. Species, quarum binæ unciæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ. His ſi malum cedere recuſaverit, ſuadeo, ut matrona nobiliſſima ad fontes Egranos adeat, iiſque, quotidie lagenam unam bibendo, per quatuor circiter hebdomades utatur; cujus potationis initium ab uſu ſalis aperitivi capiendum; & deinceps ſingulo octiduo veſperi pilulæ balſamicæ, quotidie ſub epulis ſexaginta Elixirii commendati guttulæ adſumendæ, & quavis veſpera pediluvia temperata, ex aqua fluviatili, & furfuribus tritici adhibenda ſunt. Quæ ſi, accedente recta vivendi ratione, probe obſerventur: certam reconvaleſcentiæ ſpem foveo.

Et relatum abhinc quoque fuit, ægram propoſita medendi ratione, ac acidulis Egranis uſam, & à melancholica, & hyſtericis perfecte vindicatam fuiſſe paſſionibus.

---

## CASUS LII.

### *De melancholia hyſterica.*

Virgo ſenſibiliſſima, viginti duos annos nata, maximam temporis partem ſedendo, atque nendo conſumens, per annum fere dimidium de crebra nauſea, ructibus, dolore crurum gravativo, ſpirandique difficultate, inter ſcandendum per ſcalas, & loca acclivia, maxime urgente conqueſta fuit: quorum ſymptomatum cauſſam, à piſcibus cum faſtidio ante ſemeſtre comeſtis, & poſtridie per vomitus ſpontaneos, maximam partem rejectis derivare volunt. Neque ideo, cum ciborum adpetentia integra, ſomnus naturalis ſit, & alvus rite reſpondeat, ea magni fecerunt; ſed ceſſatura putarunt, ſi mobilis vita inſtitueretur, eo magis cum menſes debito tempore, atque bono ſucceſſu, licet parciores, ac olim fluerent. Verum enim vero cum hi & imminutiores, & pallidiores reddi cœpiſſent; ante eorum fluorem præter blandum laxans, infuſum ex radicibus aperientibus, herba marrubii albi, ſummitatibus centaurii minoris, corticibus aurantiorum concinnatum porrigebatur, & ſub ipſo fluxu mixtura ex eſſentia pimpinellæ albæ, helenii, & myrrhæ parata propinabatur. Quum autem præterea eructationes ventriculi, abdominis inflatio, alvi ſegnities, ardor faucium ex cordis ſcrobiculo aſcendens, dolores capitis ac vertigines urgerent; his opponebatur Elixirium ſtomachicum, & pulvis Stahlii antiſpaſmodicus. In tali rerum ſtatu ægra ſolitudines amare, hominum ſocietatem fugere, ſaltem ægre ferre, mœroribuſque indulgere cœpit. Præſertim judicia de hominibus ſibi amicis paullo iniquiora graviter advertit, & inde aliquando in ſummum mentis angorem & ſpirandi difficultatem conjecta, quin matris ad hortationibus in majorem triſtitiam, ac eam opinionem perducta fuit, ac ſi mater ſe amare deſineret. Interim brevi iterum ceſſabant hæ mentis adfectiones, & pro effectibus irregularis diætæ habitæ, nullis oppugnabantur medicaminibus. Poſtea in convivio quodam, fructus perſicorum ac nuces juglandes recentiores juſto majori aſſumebat copia; & inde protinus de nauſea, ructibus, inflatione abdominis, anxietatibus præcordiorum, & difficili ſpiratione conquerebatur. Hinc conſultus medicus poſt pulveres incidentes ordinavit pilulas laxantes, quæ extractum panchymagogum Crollii, & pilulas tartareas habebant, multumque ſaburræ mucidæ educebant; tum præſcripſit mixturam ex eſſentia carminativa Wedelii, corticum aurantiorum, caſtorei, & ſale volatili oleoſo compoſitam. At anguſtiæ, & anhelitus gravis inhærebant; & accedente menſtruo tempore, præviis tenſivis imi ventris torminibus, cruor uterinus parcior, & valde pallidus reddebatur. Inſequente termino, idem ſanguis ferebatur, prioribus diebus pallidior, ultima vero craſſus, & ater, odoris nauſeoſi; & præterea albus ſæpenumero mucus ex uteri vagina effluebat. His maxime contriſtata, & ab amicis perterrefacta, ſe vel catarrho ſuffocativo, vel apoplexia perituram, niſi ſanguinem curaret mittendum; venam præbuit in pede tundendam: ex qua cruor ſtillabat parciſſimus, eo tamen effectu, ut melius haberet. Sed vix elapſo biduo recidebant denuo graves anguſtiæ, cum ſuffocationis metu; & abhinc per paroxyſmos invadebant, qui ſequentem in modum ægram prehendebant: Antecedunt crebræ oſcitationes, excipiunt horrores, & brevi poſt velociſſima, ac difficillima anhelatio; quæ emanentibus, quod ſæpe fit, horroribus, poſt unius, quandoque duarum horarum intervalla demum inſequitur gravem anhelitum; tum ſuccedit ſingultuoſa agitatio; anxia colluctatur manibus, iiſque pectus percutit, ac ſi quid ex illo removere vellet, ac luctuoſa lacrymas fundit. Revertitur hic paroxyſmus quotidie, ſub quo pulſus mox fortis, mox intermittens fertur; neque vero facies rubet, nec æſtu perfunditur, neque etiam ronchus, aut ſibilus in pectore auditur; ſed ſola præcordiorum conſtrictio graviſſime angit. Alvus cæterum aperta eſt, & flatus per ſuperiora pariter ac inferiora eructantur, cum nullo inſequente levamine: nec hypochondria obſervantur præternaturaliter tenſa.

Noviſſime paulo aliter ſe habebat paroxyſmus: namque præviis oſcitationibus, excipiunt ventris ac præſertim colli vehementes inflationes, cum eo ſonitu, quem columbi ſemet intumeſcentes referunt, atque rubore vultus, per horæ quadrantem inhærentes. Tum facies expalleſcebat; tenſivi dolores vagi mox humeros, mox manus prehendebant, nunc ridebat, nunc inter fletus deplorabat miſerandum ſtatum, in quo vivit, & quod præter riſum ſine cauſa, ſpaſmis exerceatur. Accedens hinc quædam generoſa matrona, commendabat venæ ſectionem, cujus egregiam virtutem in ſimili caſu ſe vidiſſe affirmabat: quæ etiam in pede celebrabatur, detractis ſex circiter cruoris ex atro rubentis unciis. Sed nihilo minus recurrebant quotidie ad hanc uſque diem mali acceſſiones, cum oſcitationibus ac tenſionibus, riſu ac fletu ſtipatæ. Cæterum ſomnus eſt turbulentus, ideis anxiis atque terrificis conjunctus; adpetentia naturalis; animus ſubtriſtis, melancholicus; urina plerumque tenuis mingitur, ſed hodie turbari cœpit;

pit; & ex utero ſæpius fertur mucus albus, inſtar ſeri lactis; abſque ulla tamen veneris cupiditate. Quamobrem, cum parentes ægram ab hac gravi valetudine vindicari cupiant; tuum vir illuſtris anhelant conſilium: quod priuſquam ad nos perveniat, adhibentur pulveres antiſpaſmodici ex pulvere Marchionis, antimonio diaphoretico, cornu cervi, ſpecifico cephalico, & nitro confecti; mane datur infuſum theiforme ex herba meliſſæ, atque abrotani paratum; pro potu ordinario decoctum quoddam; & quavis veſpera uſurpantur pediluvia.

### *Conſultatio.*

Ex iis, quæ mihi de adverſa valetudine virginis cujuſdam nobiliſſimæ perſcripta ſunt, ægre percepi; eam gravi partium nervoſarum ſpaſmodico affectu, ex menſium ac uteri vitio originem trahente, & animæ functiones ſimul turbante laborare. Nihil enim aliud innuunt ſymptomata, quibus adficitur, veluti ſunt præcordiorum anxietates, perverſa phantaſia, falſæ ac inanes rerum imagines, animi affectus, metus, triſtitia, diffidentia, involuntarius riſus, fletus, planctus, ſolitudinis amor, & quod nullas admittat conſolationes; quæ cuncta non niſi cerebri ac nervorum debilitati debentur. Languor vero corporis, tenſivi ac lancinatorii dolores, ſomnus turbulentus, mutabilis vultus color, pulſus mox tardus, mox velox, horrores, æſtus &c. non niſi ſpaſmodicarum motionum clara ſunt documenta.

Meretur hic morbus omnino nomen melancholiæ hyſtericæ, quæ ex ſanguinis menſtrui excretione magis magiſque imminuta ac turbata ſuos mutuatur natales. Inde enim motus humorum magis ad interiora convertuntur; qui ad inteſtina, ventriculum, caput, pulmoneſque majori regurgitantes copia, ructuum, flatuum, inflationis ventriculi, tenſionum ac lancinationum imi ventris, conſtrictionis pectoris, oſcitationum, ac ſingultuum veram ſuppeditant rationem. Et ſi de cauſſis hujus mali remotioribus diſpiciam, has inter corporis textura ſenſibilis, vaſorum ſanguineorum exilitas, vita ſedentaria, potus parcior, uſus fructuum ac pomorum, forſitan etiam acidorum nimius, & frequentiores animi commotiones ſeſe offerunt.

At vero neminem fugit, quam arduum ſit, ejuſmodi morbos, in quibus anima cum corpore afficitur, penitus debellare; cum præſertim animi pathemata, ſalutarem medicaminum effectum iterum deſtruere, ſæpiſſime obſerventur. Neque vero proficuum eſt, ſolis ac multis pharmacis hos adfectus oppugnare, quippe quorum nimio uſu hos magis perverſos fuiſſe, ex crebra didici experientia: omnem potius paginam abſolvet rectum, ac caute inſtitutum vivendi genus, interpoſitis blandis atque leniſſimis remediis. Atque, ut verum fatear, præcipua curationis indicatio hæc erit, ut ad demulcendos atque ſiſtendos partium nervoſarum motus irregulares, omnem impendamus operam. Huic vero ſcopo non præſtantius conveniet ſubſidium, quam acidularum Selteranarum, æquali pondere cum lacte aſinino permixtarum potatio, futuro vere per ſex circiter hebdomades, ſingulo mane menſuram unam cum dimidia, tepide ſorbillando, inſtituenda. Curationis initium ab aſſumto infuſo mannato ac rhabarbarino capiendum eſt: quod etiam ſub ipſo aquarum potu, ſingulis decem diebus iterato adſumi, atque ſub finem denuo adhiberi debet. His etenim ſubjectis aëris mutationes, & peregrinationes ad alia loca, ubi amicis ac jucundis conſortiis uti poſſunt, conjuncto corporis motu, inſigniſſimum ſpondent emolumentum. Potus porro ſit facilis, atque ſummo ſtudio fugiatur cereviſia craſſa fœculenta, cujus in locum ſubſtituere præſtat decocta ex hordeo mundato, cornu cervi, radice ſcorzoneræ, cichorei ac ſemine fœniculi concinnata.

Prius vero, quam tempus laudatæ medicationi opportunum accedat; operæ credo pretium, ut ægra ſingulo mane adhuc intra lectum, corpore probe tecto, menſuram dimidiam aquæ frigidæ fontanæ cum triginta liquoris mei anodyni guttis hauriat; veſperi autem cubitum itura, de eadem aqua, totidem liquoris guttulis nupta, quartam menſuræ partem potet, & per integrum menſem continuet; quo etiam tempore in pediluvia tepidiora veſperi pedes immittat. Sub hujus aquæ potu, bis quavis hebdomade, loco liquoris anodyni, pulvis laxans ex rhabarbari drachma dimidia, tartari vitriolati ſcrupulo dimidio, & ſex nitri granis compoſitus mane adhibeatur; ſuperbibendo quædam infuſi calidi theiformis vaſcula.

Et ſic ſedatis ſpaſmodicis partium ſolidarum affectionibus, majori fructu ac feliciori ſucceſſu, menſtruam excretionem promovere licebit: quo quidem fine, paucis ante illius fluxum diebus, mane quatuordecim pilularum balſamicarum aut mearum, aut Stahlianarum devorare, & veſperi drachmam unam borracis venetæ aſſumere conveniet. Circa hoc quoque tempus utiliſſimus erit corporis motus, pediluviorum uſus, & interpoſitus nonnunquam vini generoſi, præſertim Hungarici hauſtus. Denique etiam, octo circiter ante fluxum menſtruum diebus, ſanguis ex vena in pede tuſa mittendus eſt; ſed probe obſervandam ſuadeo proportionem inter vires & habitum corporis, ut debita quantitas, nec juſto major, nec minor cruoris detrahatur; utroque enim modo, majus induci damnum, quam emolumentum, experientia perſuaſus ſum. Neque etiam dubito, quin ex hac medendi methodo, rite obſervata, magnum ægra conſequutura ſit levamen.

### *Ulterior relatio.*

Acceptis tuis litteris, & conſilio, protinus inchoabatur curatio cum potu aquæ frigidæ, liquore anodyno, pulvere laxante, & pediluviis inſtituta. Et licet quidam uſum aquæ frigidæ in dubium vocarent, & inde metuerent, ne major ventriculi debilitas, ac virium jactura inſequeretur; attamen eventus docuit contrarium; ſiquidem ſymptomata moleſta, anhelitus gravis, fletus, riſus, tenſiones ac motitationes brachiorum, non ſolum mitiſſima, ſed etiam rarius, & ſæpe poſt aliquot demum dies revertebantur. Antecedebant quidem menſium eruptionem, mutatio coloris in vultu, cordis palpitatio, difficilis ſpiratio, brachiorumque tenſiones; ſed leviſſimæ erant, brevique ceſſabant: tum quoque cruor rubicundus, mucoque viſcido permixtus, largior ferebatur, ac antea. Dabatur inſuper ſub epulis hauſtus vini Hungarici, & ex præſcripto alterius medici, durante fluxu uterino quadraginta guttulæ mixturæ ex eſſentia pimpinellæ, helenii, centaurii minoris, ac corticum aurantiorum confectæ quotidie propinabantur. Pilulæ vero balſamicæ & borrax veneta haud in uſum vocabantur; quoniam dubium videbatur, num hæc remedia ſub ipſa aquæ potatione, aut potius ea finita, & hinc conſopitis ſpaſmis eſ-

ſent

ſent adhibenda; & præterea metus erat, ne aliquantulum mitigati motus, iterum excitarentur. Interim ſcire licet, ſomnum jam plerumque admodum quietum eſſe, niſi ab ingratis objectis, mœrore, aut alio quodam mentis affectu perturbetur. Ciborum adpetentia ſibi conſtat, & in edulia minus convenientia, panificia, & ex ſimila piſta major fertur. Contra vero alvus, non niſi clyſteribus admonita reſpondet, & tum ſub continuis borborygmis, largam viſcidæ, tenaciſque ſaburræ reddit quantitatem. Urina mingitur plerumque citrina, ſedimentum ad fundum & latera matulæ deponens; mox turbida, mox vero tenuis, & tunc ſpaſmorum recurſum prænunciat. In hoc rerum ſtatu commendat quidam medicus, ut finita aquæ frigidæ potatione, quavis veſpera pulvis incidens, ex lapidibus cancrorum, & radice aronis ſumatur; veſperi mixtura ex eſſentia pimpinellæ, ſuccini, ac ſpiritu cornu cervi parata capiatur; interpoſitis pilulis Stahlianis; verſus menſtruum tempus pulveres ex borrace veneta, myrrha & cinnamomo adhibeantur; & tum thermæ Carolinæ uſurpentur. De his vero, & quæ adhuc in uſum ſint vocanda; tuum vir Experientiſſime, expectamus judicium ac conſilium.

## *Conſilium.*

Ex imo pectore gaudeo, quod nobiliſſima Virgo, ex commendatis remediis, & præſertim potu aquæ frigidæ, melius habuerit, menſes debito ordine, & abſque gravioribus moleſtiis fluxerint, atque paſſiones hyſterico-ſpaſmodicæ paululum conquieverint. Quod vero jam attinet commendatum à medico quodam thermarum Carolinarum uſum; huic ſubſcribere non poſſum, cum illæ in morbis, qui magis in motuum vitio hærent, deſideratam opem ferre haud deprehendantur; & præterea eo minus neceſſarium reputem, hoc pretioſo uti præſidio; quo certiorem foveo ſpem, fore ut in loco votis noſtris potiamur. Quum potius ſenſibilis ægrotantis natura, aquæ frigidæ, liquori anodyno nuptæ potum bene ferre videatur; & eo ipſo viam quaſi ulterioris curationis monſtret: nec ea commendare audeo remedia, quæ quandam fovent acrimoniam, & ſuccos vitales exæſtuare valent, qualia omnino pulvis & eſſentia, à medico propoſita exiſtunt. Licet etiam de his prædicari poſſit, quod ſint innoxia; attamen jam non de iis agitur, quæ innoxia ſunt; ſed quæ revera morbo convenientia, & efficacia deprehenduntur: quæ diſtinctio à pleriſque medicorum, qui ſectatores ſunt, nec proprio in medendo utuntur judicio, rariſſime obſervatur. Quare jam non niſi duo medicaminum genera proficua judico, quorum alterum eſt liquor meus anodynus, triginta guttulis cum aquæ frigidæ ea, quam quarta menſuræ pars capit, quantitate, alternis veſperis aſſumendus; alterum Elixirium meum balſamicum viſcerale, abſque menſtruo ſpirituoſo paratum, quod ſexaginta guttis ex ultimo ſub epulis hauſtu capiatur. His ſi recta vivendi ratio acceſſerit, & cibi è farina ac ſimila confecti evitentur; de exoptato curationis eventu nullus omnino dubito.

## CASUS LIII.

### *De morbo ſpaſmodico-flatulento cum excretione ciborum indigeſtorum.*

Binis abhinc annis; medio hyeme copioſiſſimo alvi profluvio, quo multi flatus pariter ac ſordes acres & bilioſæ reddebantur, correptus; multorum medicorum opem requiſivi; qui fruſtra datis varii generis remediis, ad opiatorum demum uſum deveniebant; atque crebris vomitoriis, purgantibus, & ſtomachicis, quotquot fere fovent officinæ pharmaceuticæ, malum oppugnabant. Non minus mihi propinabant multa oleoſa, aromatica, volatilia, quin & martialia; ſed tantum aberat, ut inde levamen perceperim, ut potius quotidie pejus habere cœperim. In caſſum quoque annuo abhinc tempore domi potabam acidulas Schwalbacenſes; & hac æſtate aquis Amaſianis, & interne, & externe in forma balneorum per tres hebdomades uſus, iterum bibi Schwalbacenſes. Hinc mitigabantur quidem ſymptomata; atque nimiæ anxietates, ardores, ac flatulentiæ paululum remittebant: at cum hyems jam appropinquat, recrudeſcunt moleſtiæ, eadem, ac antea, acerbitate. Nam flatulentiæ nocte dieque, cum ſummis angoribus, æſtu volatico, imi ventris torminibus, nauſea, continuis ructibus, rejectione muci acidiſſimi, laſſitudine, dolore contuſorio artuum, maxime pedum ſtipatæ, inſigniter me adfligunt; & omni biduo diarrhœa quædam, cum omnium ſymptomatum exacerbatione, ciborumque indigeſtorum excretione accedit. Præterea alvus ſemper eſt liquida; hypochondria veluti conglutinata videntur; ſomnus plerumque turbatus; atque ſub motu leviſſimo, flatus inſtar aquarum in abdomine fluctuant; qui ex ſiniſtro potiſſimum hypochondrio progredientes, circa ventriculi regionem ſubſiſtunt, meque immani ferocitate excruciant. Licet etiam copioſiſſimi per inferiora non minus, ac ſuperiora explodantur; eadem tamen quantitate ſubito regenerantur. Sub his calamitatibus à tuſſi quidem immunis ſum; ſed, quamvis vehementi fruar ciborum adpetentia, magis magiſque contabeſco. Abdomen molle, ventriculi vero regio inflata nonnunquam cernitur; à leviſſimis laxantibus, quin & ſalibus alvus movetur inſigniter; clyſteres cauſſantur & alvi profluvium, & flatuum retentionem, quem etiam effectum pilulæ Stahlianæ relinquunt. Longe majores moleſtias procreant remedia fortiora & calidiora, & veneni inſtar ſunt adſtringentia: diætam obſervo ſtrictiſſimam, & pro potu ordinario inter paſtum bibo vinum generoſum Sect parciſſima quantitate, extra epulas utor aqua fontana cum ligno ſaſſafras & cinnamomo decocta. Atque nulla ſane in officinis amplius proſtant remedia, etiam abſorbentia, quæ non adhibuerim: omnium vero effectus adeo fuit irritus, ut niſi junior ætas, ac naturæ vigor aliquam adhuc relinquerent ſpem, prorſus utique deſperarem. Annum enim jam ago trigeſimum primum, & juxta floridum vultus colorem, ingeniumque vivaciſſimum, quo olim gaviſus ſum; nullas etiam per totum vitæ tempus, præter leves tuſſes ac catarrhos, toleravi ægritudines. Jam vero miſer expalleſco, marceſco, triſtis ſum, nec officiis meis fungi valeo; & tuum vir Excellentiſſime, anhelo conſilium.

Con-

*Conſultatio.*

Graviſſimus affectus, quo Te Vir Generoſiſſime immaniter tractari, vehementer doleo, tunicarum, quæ inteſtina cingunt, villoſæ ac glanduloſæ per ſuccos acidos, corroſivos, bileque permixtos factæ arroſioni, procul omni dubio in acceptis ferendus eſt. Exinde enim primum reſultat motus harum partium periſtaltici inſignis perturbatio, atque partim ſpaſmodica diſtentio, partim flatulenta reſolutio: quibus cauſſis cuncta ſymptomata, nimirum copioſa flatuum generatio, eorumque in ventriculi cavitate, ac coli præſertim flexuris, circa hypochondriorum regionem ſitis retentio, & inde dependentes præcordiorum anxietates, æſtus volatici, dolores inteſtinorum, ructuum frequens exploſio, ac ſpirandi anguſtia omnino debentur. Neque porro minus ex depravato ventriculi ac inteſtinorum tono ſuam originem trahit ciborum indigeſtorum excretio; unde in inteſtino duodeno multæ cruditates relinquuntur, quæ ſtagnando aceſcentes, & acri bili aut aſſumtis pinguibus nuptæ, calori præternaturali, ardori ventriculi, æſtui volatico, capitis temulentiæ, ac ſepti tranſverſi ſpaſmo, fomitem ſuppeditant perennem. Et cum deſtructa tali ratione concoctione, generataque ſic humorum impuritate, univerſum nervorum genus magis magiſque debilitetur: non fieri poteſt, quin vires conſumantur, corpus contabeſcat, ſomnus ſit minus reficiens, ac animus triſtis, inquietus atque meticuloſus reddatur.

Ad hanc vero inſignem ventriculi ac inteſtinorum atoniam inducendam pariter ac confirmandam, quam plurimum contribuit incongruus, ac perverſus remediorum opiatorum, purgantium acriorum, vomitoriorum, adſtringentium, martialium, ſalium volatilium, aliorumque irritantium uſus, & frigidarum acidularum potatio. Hæ enim in hiſce morbis plane non conveniunt; quoniam blandam quæ inteſtina obducit, mucaginem ſimul exturbando, nervoſam eorum tunicam à ſic dicta mucoſa fere denudant, eamque tali modo vellicationibus, ſtricturis, & atoniis magis reddunt obnoxiam. Nec immerito inter remotiores hujus mali cauſſas collocare licet, nativam generis nervoſi debilitatem, habitum corporis ſpongioſum, & forſitan errores ac exceſſus in diæta, corporis refrigerationes, animi commotiones, ac denique cruoris per venas hæmorrhoidales denegatam evacuationem.

Quamquam autem hæc adfectio plus incommodi, quam periculi involvat; attamen omni ſtudio eo reſpiciendum eſt, ut tempeſtive debelletur; ne altiores agat radices, aut in tympanitidem tranſeat. Sed opus eſt patientia, conſtantia, ac temporis diuturnitate; quoniam blandis ac diæteticis duntaxat ſubſidiis, deperditus inteſtinorum ac ventriculi tonus reſtaurari debet. Mea igitur ſententia ſequens medicatio erit convenientiſſima. Sub epulis videlicet quadraginta guttæ Elixirii mei balſamici ac viſceralis capiantur; & hora pomeridiana quinta, quo tempore, peracta digeſtione, cruditates acidæ potiſſimum ſtimulare ſolent, ex hauſtu aquæ florum chamæmeli, cum cereviſia triticea, *Brühan* deſtillatæ aſſumatur drachma una ſequentis pulveris: Recipe lapidum cancrorum, cornu cervi philoſophice præparati, oſſis ſepiæ, matris perlarum, ſuccini præparati ana drachmam unam, corticis caſcarillæ ſcrupulum unum, olei cinnamomi, nuciſtæ deſtillati ana guttas quatuor. M. D. Cujus pulveris drachma dimidia, etiam brevi ante epulas ad demulcendam ventriculi acrimoniam, ex eadem aqua chamomillæ poteſt adhiberi. In mali exacerbatione, ac nimia ſymptomatum ferocitate, commendo porro grana quatuor mithridatii probe parati, aut duodecim confectionis de hyacintho, mane ſumenda.

Quod ſi vero hæmorrhoides perruptionem tentaverint, uti ex oſſis ſacri doloribus, ardore ac inflatione venarum ſedalium adparebit: ano, prius vapore ex decocto florum malvæ, chamæmeli, & ſambuci cum lacte, fomentato adplicandas ſuadeo hirudines; quarum in locum, ſi forſan ſymptomata exacerbaverint, ſectio venæ in pede erit ſubſtituenda. Præterea, quod potum attinet, cujus in morbis ejuſmodi chronicis, cum atonia primarum viarum plerumque ſtipatis magna vis eſt; omni ſtudio fugiantur & cereviſia, & vinum, maxime acidulum. Præſtat potius vel vino generoſo Hungarico, vel Burgundiaco, vel illo quod vocatur Pontac, aquæ puræ atque leviori nupto uti. Levioris autem aquæ notæ ſunt, ſi ex inſtillato oleo tartari per deliquium haud albeſcat, nec turbetur: qualis ſi obtineri nequeat, illius defectum reſarciet aqua fluviatilis ex veſica, addito pane ex farina ſecalina, ſemine fœniculi, ac cymini piſto deſtillata. Mane intra lectum cum blando regimine ſex vel octo vaſcula infuſi theiformis, quod habeat meliſſam, veronicam, ſalviam, ac cortices citri, potare decet: herba meliſſæ enim nervoſis partibus, has roborando, & leniter adſtringendo valde amica eſt. Tale infuſum interdum etiam alternare juvabit cum juſculis, ex carne gallinarum, ſucco aurantiorum, radicibus petroſelini, apii, ac naſturtio aquatico paratis, non nimis pinguibus. Et his denique moderatum corporis exercitium, cœlo exiſtente ſereno aut curru, aut equo vehendo, peracta demum digeſtione conjungere oportet. Tum futuro vere abs re erit, thermas Carolinas interne potare, & poſthæc balneis Tœplicenſibus, iiſque ſulphuratis uti expediet. Quibus ſi acceſſerit recta vivendi ratio, ſub qua refrigeratio fugiatur, epulæ, maxime cœna ſint parciores, potuum exceſſus, Tabaci largior uſus, & iracundia cane pejus & angue fugiantur: non dubito, quin moleſto malo deſideratam ſint allatura opem.

---

## CASUS LIV.

*De hernia inteſtinali, paſſionem iliacam minante.*

Quinquagenarius vir quidam, anno pueritiæ circiter quinto, more pueris ſueto, equo ligneo inſidens luſit, & inde deportavit in inguinum regione tumorem, magnitudinem ovi columbini ſuperantem. Increſcente ætate, evanuit quidem hæc intumeſcentia; at decem abhinc annis poſt lapſum graviorem, rurſus adparuit. Geſtato igitur ſubligaculo introactus iterum fuit tumor, & in ſitu ſuo naturali manſit; donec miſſis iſtis ſubligaculis, denuo proruperit, & præſertim ſcrotum in latere ſiniſtro magnitudine ovi gallinacei obſederit. Abhinc vario modo ſe habuit hæc hernia; ex decubitu ægri ſupino retroivit; poſt uſum dulcium aut acidorum ciborum increvit cum doloribus; & cum aliquando acida comediſſet, corpus ſimul refrigeraſſet, & mœroribus indulſiſſet; præ-

prægrandis facta, non potuit in naturalem reduci ſitum, ſed dolorem tenſivum moleſtiſſimum, cum pertinaci alvi obſtructione poſt ſe traxit. Quare ſumſit lene laxans, ex manna, rhabarbaro, & tartari cremore confectum; quod accedente perverſo regimine, loco deſideratæ evacuationis, pertinaciorem reddidit conſtipationem, doloreſque & in parte adjecta, & inteſtinis peperit. Poſtridie ano clyſterem infundi curat; cujus cum etiam inanis fuiſſet operatio, tres ſalis Epſomenſis drachmas ex aqua pura capit, & inde vehementes vomitus incurrit, nulla inſequente alvi dejectione. Tandem loco adfecto, veſica decocto ex herbis emollientibus repleta imponitur, & partes inguinis dolentis tendinoſæ axungia humana inunguntur: unde factum eſt, ut dolor remitteret, & hernia manu reponi poſſet. Hinc decoctum fabarum Caffée larga ſorbet quantitate, & inde alvum ſepties deponit; cujus ſolutione, ſale Epſomenſi adjuta, poſt magnum languorem iterum conſanuit æger; de quo adhuc notari meretur, quod patre, herniam per multos annos paſſo fuerit generatus.

*Epicriſis.*

Ex hac morbi hiſtoria, origo herniæ inguinalis, & poſtea inteſtinalis optime addiſci poteſt; videlicet, quod ſit divaricatio crurum in infantia, item diſpoſitio à parentibus hæreditaria. Inguinalis vero ſubligaculis commode adaptatis in ſitu retinetur, quæ ſi negliguntur, & aliis cauſſis accedentibus fortiori nempe niſu in deponenda alvo, vel ventre cibis inflantibus repleto, majori peritonæi dilatatione facta, inteſtinum profundius deſcendit in ſcrotum, & gignitur enterocele.

Subligacula, quibus in ſitu contineri ſolet ilei portio prolapſa, non ſemper eundem, atque laudabilem, ut antea præſtant effectum, quia variat diſpoſitio corporis, dum homo ratione ætatis creſcit, pinguis & craſſior evadit, unde amplius corpori aliter diſpoſito adaptari commode nequeunt; quare ratione circumſtantiarum ſubligacula in herniis ſæpius mutari oportet.

Si tumor autem flatibus & ſtercoribus infarctus prorſus renuit, in locum naturalem compelli, & intro ferri, eumque dolor, tenſio & alvi conſtrictio comitatur, præpoſtere laxantia ſtimulantia, infeliciſſime vero purgantia dantur, eo quod fortiter conſtricta per ſpaſmos ilei portione incarcerata, motus periſtalticus invertitur, neque per alvum flatus, neque excrementa tranſmittuntur, ſed potius ad ſuperiora hæc omnia regurgitant, & vomitiones efficiunt.

Prima & præcipua intentio eſſe debet, partis affectæ membranas & fibras tenſas, duras & conſtrictas emollire, relaxare, & dolores placare; poſtea repoſitionem placide tentare; quo fine commodiſſime unguentum ex axungia humana recenti paratum, nec non fotus emollientes conferunt.

Repoſito inteſtino prolapſo in ſuum ſitum, ſedatoque dolore & ſpaſmo, non modo tormina, quæ antea abdomen valde excruciabant, ceſſant; ſed & ſponte tunc incipit alvus ferri, & laxantia & ſtimulantia ante aliquot dies exhibita, nunc demum operationem per inferiora ſatis feliciter, & bene exequuntur.

## CASUS LV.

*De hernia inguinali.*

Vir generoſus, annorum quinquaginta ſex, temperamenti ſanguineo-cholerici, olim cruorem per venas hæmorrhoidales ſæpius excernere ſuevit; cujus fluoris jam ſuppreſſi in locum, ſenſatio ani exquiſite ardens, abſque tumore, & tormina inteſtinorum ſucceſſerunt. Decem abhinc annis in dextro inguine tumor adparuit, qui pro hernia inguinali à quibuſdam habitus; ſed à perito Chirurgo potius pro congeſtione quadam declaratus fuit. Potavit ergo ex præſcripto Medici ordinarii acidulas; & inde optime habuit. At per noviſſimum biennium recruduit tumor, inſtar globi durioris, in dextro inguine ſupra membrum virile conſpicuus, & nonnunquam teſticulum dextrum cum dolore occupans. Interim poſt urinæ excretionem, aut corporis incaleſcentiam plerumque imminuitur; & ſi in latus ſiniſtrum decubuerit, videtur etiam tumor ad illud latus devolvi, atque tunc haud raro ſemen præter voluntatem effluit; tumque urina cum lancinatorio in urethra dolore redditur. Alvus tantum non ſemper aperta eſt; & poſt diuturniorem ſeſſionem, memoratus ille globus veſicæ regionem obſidet, doloreſque cauſſatur tenſivos, donec urinam, licet difficili conatu, reddere poſſit; tum enim ceſſat hæc moleſtia, quæ noviſſime nocturno ſæpius tempore redire obſervatur. Urgent præterea flatus, noctemque reddunt inquietam, quamvis cœna utatur parciori: ad ſomnum ſe compoſiturus, ſupinus obdormiſcere tenetur; ſed poſt aliquot horas expergefactus, demum abſque moleſtia in utrumque latus decumbere poteſt. Junguntur præterea colici dolores, ſumtis potiſſimum epulis per tres plerumque horas ſævientes; exploſis vero per anum flatibus, non ſolum hi mitigantur, ſed tumor ille globoſus in inguine ſæpe ſimul evaneſcit. Cæterum generoſus æger pertinaciſſimam ſervat diætam; & cum multa in caſſum adhibuerit remedia; ex tuo, Vir Illuſtris, conſilio ſe ſublevatum iri ſperat, illudque anxius flagitat.

*Conſultatio.*

Poſtquam gravem, qua vir quidam generoſus adfligitur, moleſtiam percepi, ejuſque hiſtoriam probe mecum perpendi; non poſſum, quin tumorem illum inguinis dextri globoſum, pro hernia inguinali habeam. Videtur ſcilicet portio quædam inteſtini ilei per tendinoſos muſculorum abdominis annulos, ob debilitatum peritonæum nimium dilatatos prolapſa, non quidem intra ipſam ſcroti cavitatem penetraſſe, ſed intra peritonæi duntaxat duplicaturam, ſub qua veſica urinaria ſita eſt, deſcendiſſe, ibidemque tumorem globiformem conſtituiſſe. Quod ſi ergo hæc incarcerata portio flatibus expanſa, vicina vero veſica urina fuerit repleta; neceſſe omnino eſt, ut ſpaſmi atque dolores in affecto loco excitentur; & viciſſim, miſſo lotio, aut flatibus vi caloris diſcuſſis, iterum mitigentur; poſtquam prius ſphincterem veſicæ, urethram, atque vaſa ſpermatica, per conſenſus rationem, graviter adfecerunt. Ex eodem conſenſu, quo vaſa atque tunicæ nervoſæ invicem

vicem gaudent, & cujus ratione in præternaturalium motionum ſocietatem ſæpiſſime abripiuntur, ratio etiam petenda eſt, cur à ſpaſmis ilei incarcerati, dolores ac flatulentiæ ad reliquorum inteſtinorum, maxime coli, ſive potius ilei volumen propagentur, atque ſub colicæ forma ſeſe manifeſtaverint. Præterea vero nullum eſt dubium, quin dolores inteſtinorum, ac flatulentæ moleſtiæ ſimul cruoris hæmorrhoidalis impedito fluxui quam plurimum debeantur. Atque in tali rerum ſtatu, ubi inveteratum eſt malum, parum utique ſpei ſupereſt, ad illud penitus debellandum, atque partes debilitatas in naturalem ſitum reducendas. Neque tamen minus, ut partim mitigentur ſymptomata, partim graviora arceantur; ſequentem valde opportunam fore credo medicationem.

Nimirum ob ſuppreſſam hæmorrhoidum excretionem, ante omnia venam in pede ſecare conveniet. Deinceps operæ erit pretium, ut æger ſæpiuſcule in balnea temperata, ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis parata deſcendat, iiſque per duas horas inſideat; tumque affectam partem ſequenti unguento tepido inungi curet: Recipe axungiæ humanæ, ſpermatis ceti, ceræ albæ ana unciam ſemis, olei hyoſcyami drachmas duas, camphoræ drachmam. M. D. in fictili. Poſthæc accerſendus eſt peritus Chirurgus, qui inteſtina blanda manu reponere, eaque ope adaptatorum ſubligaculorum in ſitu naturali continere ſtudeat; ne forſan, accedente refrigeratione, aut graviori animi affectu, inflammatio inteſtini, aut morbus plane iliacus ſuperveniat. Cæterum probe cavendum eſt ab omni corporis refrigeratione, cibis flatulentis, ac purgantibus; & interne uſurpanda eſſentia carminativa, qualis eſt Wedelii, aut zedoariæ, cum ſpiritu de tribus, atque nitri dulci permixta. Et hæc ſunt, quæ in ſalutem generoſiſſimi ægrotantis proponenda duxi; quæ ſummus languorum noſtrorum medicus fauſta ac felicia eſſe jubeat, ex animo precor.

---

## CASUS LVI.

### *De ſingulari quadam hydroceles ſpecie.*

VIr generoſus, quadraginta annorum, habitus corporis ſtrictioris, anno ætatis duodecimo præternaturalem ſcroti ſiniſtri tumorem, magnitudine ovi gallinacei minoris toleravit: quem conſultus chirurgus pro hernia inteſtinali habens, primum blanda repoſitione removere tentabat; hac vero in caſſum adhibita, variis fomentationibus, ac cataplaſmatibus adeo depellebat, ut ſenſim evanuerit. Abhinc per ſedecim annos immunis ab hac moleſtia vixit; ſaltem quibuſcunque corporis exercitiis, equitatione, ſaltatione, aliiſque militum muneribus commodiſſime defungi potuit; licet etiam aliqualem in affecto loco per intervalla ſenſerit intumeſcentiam. Verum enim vero, poſtquam anno milleſimo ſeptingenteſimo nono per integrum ferme nycthemeron equo vectus, corpus inſigniter commoverat; accidit, ut inſequuta nocte recrudeſceret ex improviſo tumor, atque ſubito ad pugni magnitudinem increſceret. Conſulti celeberrimi Chirurgi, morbo nomen imponere neſcierunt; donec tandem quidam artifex anno 1711. Hagæ Comitum ipſi indicaret, morbum eſſe hydrocelen, ſeu herniam aquoſam, atque aquam in ſcroto contentam ope inſtrumenti, quod Galli vocant Proiſquart, evacuaret. Sed cum brevi poſt increſceret denuo aquarum moles; hæc, facta anno 1712. ſcroti inciſione, detrahebatur eo effectu, ut per biennium abeſſet tumor. Hoc autem elapſo, inter tunicam vaginalem atque teſticulum iterum collecta eſt ſeroſa colluvies, tanta copia, ut teſticulus nullo tactu explorari potuerit. Hinc cum æger ipſius teſtis exſtirpationem renueret; palliativa tantummodo curatione, & aquæ per ſcroti lanceola factam, & quotannis repetitam puncturam inſtituenda vacuatione ſibi conſulere debuit; qua menſura ſemper dimidia, ſæpius integra ſeroſi laticis effluxit.

Quum autem ante tres circiter hebdomades eadem operatio à chirurgo, qui illam jam quinquies feliciter peregerat, denuo inſtituebatur: factum eſt, ut vix facta deligatione, prægrandis aquarum moles ſubito afflueret ac ſcrotum in ingentem elevaret magnitudinem: quæ etiam ſucceſſive per recens adhuc vulnus ſtillabat, & adjuto per ſacculos calidos effluxu, intra octo dies tota excernebatur, vulnuſque coaleſcebat. Brevi poſt, cum in horto obambulaſſet, iterum intra pauca momenta ab irruentibus aquis non ſolum ſcrotum diſtendebatur inſigniter, verum etiam regio ſuperior inguinis cum horrendis doloribus inflabatur; donec per recentem ſcroti cicatricem, inſtrumento exploratorio irritatam, exitu potiretur aqua, omneſque tum ceſſarent dolores. Neque tamen minus notabilis adhuc lymphæ quantitas in ſcroto reſidet; ad quam evacuandam, nec cicatricem ampliare, nec novum quiſquam infligere audet vulnus. Quare jam ſequentes reſultant quæſtiones:

1. Unde aquarum tam ſubitanei profluxus provenerint; an vaſis lymphaticis nimis relaxatis aut plane diſruptis debeantur, an lymphæ collectioni, in certo loco prope peritonæum factæ, & poſthæc, qua data porta erumpenti in acceptis ſint ferendi?

2. Num ſpes ſuperſit, hoc inveteratum malum penitus expugnandi, & qua ratione votis potiri queamus?

3. Neque enim credit æger, ſe operatione quadam chirurgica iri ſublevatum: namque ſi etiam totum teſticulum, cum omnibus ſpermaticis pariter ac lymphaticis vaſibus ſibi amputari permitteret; ſcire avet, anne nihilo minus verenda ſit ſeroſi laticis in confiniis peritonæi collectio, & ipſa denique hydropica affectio?

4. Numnam nimius lymphæ affluxus, ope internorum remediorum intercipi, aut vaſa lymphatica læſa, vel relaxata conſolidari queant?

5. Utrum denique liceat, cultro inguinis regionem pertundere, in eaque, ligatis per filum orichalceum iis, quæ ad ſcrotum abeunt, vaſis, aperturam aſſiduam conſervare, ex qua humores affluentes ſenſim vacuari poſſent? Talis enim punctura in ſcroto facienda, parum auxilii ferre videtur; cum aquarum moles non in ipſa ſcroti cavitate, ſed potius inter teſticulum, ejuſque tunicam vaginalem collecta eſt. De his vero, aliiſque convenientibus præſidiis ſalutare flagitatur conſilium.

*Judi-*

*Judicium & Conſilium Medicum.*

Notatu ſane digniſſimus, quem ex communicatis mecum litteris percepi, eſt caſus; cujus reſolutionem ſuppeditaturus, & ad primam quæſtionem: unde copioſus ille, atque ſubitaneus lymphæ ad cavitatem ſcroti ortum traxerit profluxus? reſponſurus; ante omnia monendum duco, herniam ſcroti aquoſam, quam vocant hydrocelen, duplicis potiſſimum eſſe indolis, duplicemque fovere cauſſam. Prior ſedem ſuam in ipſa ſcroti cavitate habet: aut enim aqua propter ſeri in abdomine extravaſati deſcenſum, prolabitur in ſcrotum; & inter hujus tunicas, ac ipſum teſticulum, involucris ſuis adhuc rite involutum ſtagnans fluctuat; uti fit in hydropicis: aut ex ſanguine per vaſa venoſa, in tunica vaginali & muſculo cremaſtere contenta, ob eorundem perpendicularem ſitum, ſuamque craſſitiem, difficilius regrediente, portio ſeroſa in vaſa lymphatica, aut potius poroſam hujus tunicæ ſubſtantiam ſecedit, & ex hac in ipſam ſcroti cavitatem extravaſatur. Talis hernioſus tumor ſubjectis cachecticis admodum familiaris eſt, & per remedia hanc lympham diſcutientia, carminativa, & ſanguinis circuitum per teſtium tunicas promoventia, facillime tollitur. Altera hydroceles ſpecies conſiſtit in ſeroſa colluvie, intra tunicam vaginalem, ſeu erythroideam, ac ipſam teſticuli ſubſtantiam, ſive tunicam illius albugineam contenta: quæ non minus diverſam agnoſcit originem.

Quo autem vera herniæ ſcroti aquoſæ generatio eo melius diſpaleſcat; haud ignorari oportet, tunicam ſic dictam vaginalem externam, quæ teſticulum cum epididymide, vaſis ſpermaticis & deferentibus involvit, ex peritonæi duplicatura, in qua, veluti ſacco, cuncta fere interna abdominis viſcera includuntur, proficiſci, quin imo hujus prolongationem eſſe. Deinceps generatim tenendum eſt, omnes aquoſos tumores, & ſeri, vel lymphæ in quandam corporis cavitatem factas extravaſationes, primos natales à juſto tardiori ſanguinis per venas refluxu mutuari. Hinc enim fit, ut fluidior ac ſeroſa portio à ſanguine ſeparetur, & vel in poroſam partium ſolidarum ſubſtantiam extravaſetur, vel vaſa lymphatica copioſius ſubintret: cumque porro lymphatici laticis refluxus per vaſa ſua ad ciſternam lumbarem, ob ſitum perpendicularem retardetur ac impediatur; hæc tandem nimium diſtenduntur, & plane dilacerantur. Tum quoque ex principiis anatomicis notari meretur, quod venæ ſpermaticæ, ſanguinem ex teſticulis revehentes, maxime in latere ſiniſtro, in quo hydrocele obſervatur frequentiſſima, à vena emulgente, tanquam ſua origine, quam longiſſime ſint remotæ; neque etiam recto itinere, ſed variis contorſionibus ac incurvaturis deorſum tendant. Hanc ob cauſſam cruor per has venas vectus, præſertim, ſi in perſonis, quæ vitam amant ſedentariam juſto ſpiſſior fuerit, refluit ægerrime; & hinc inter tunicam vaginalem, vaſa ſpermatica & teſticulos ſtagnans, lympham ſubtiliorem dimittit, quæ vel per poros transſudat, vel vaſa lymphatica diſrumpit, atque ſic extravaſata prægrandem tumorem cum dolore cauſſatur. In tali vero tumoris genere funditus exſtirpando, non ſufficit ſcrotum duntaxat, ac tunicam vaginalem inſtrumento illo, quod dicunt troquart, pertundere; ſiquidem hac operatione non niſi tenuior ac ſubtilior portio emittitur; ſpiſſior vero & gelatinoſa lymphæ pars remanet, ac preſſione ſua regreſſum ſanguinis impediendo, novæ tumoris generationi amplam ſuppeditat occaſionem. Præſtat potius ope lanceolæ ſcrotum æque ac tunicam vaginalem paullo majori inciſione diſſecare, & contentam lympham ſpiſſiorem, vi quadam exprimere: quo ſæpiſſime fit, ut hic morbus niſi penitus depellatur, ſaltem ejus recurſus per aliquot annos præpediatur.



Jam vero in quæſtionem potiſſimum venit: Unde tunicæ vaginalis lanceola factam inciſionem, vix vacuatis aquis tantus humorum affluxus exceperit, ut tumor ſcroti priori longe major redierit? Meo quidem arbitrio ratio hujus momenti, à vaſis lymphaticis, quæ circa inguina in peritonæi duplicatura continentur, diſruptis derivari debet: unde factum eſt, ut lympha ibidem collecta, dato inferius exitu, uno quaſi impetu deſcendens ſcrotum irruperit. Hæcce vero vaſa jam eo tempore, quo poſt diuturnam & per 24. horas continuatam equitationem tumor primum apparuit, violentiam quandam paſſa ac dilacerata fuiſſe videntur. Et recte annotavit Celeberrimus Nuckius, quod ex ruptura vaſorum dictorum lymphaticorum, quæ intra peritonæi duplicaturam copioſa reperiuntur, facillime hydrops peritonæi, quem ſaccatum vocat, ſuboriatur; de quo valde timeo, ne, denegato humorum per ſcrotum exitu, noſtrum etiam ægrotum aliquando corripiat.

Quod autem juxta ſecundam quæſtionem, hujus mali curationem attinet: illam in tumoribus ejuſmodi aquoſis ſcroti, qui ſunt inter tunicam vaginalem atque teſtes, perarduam, & abſque recidivarum metu, impoſſibilem eſſe arbitror. Namque partes affectæ, cum extra corpus propendeant, nec tanto caloris vigore, nec tam vivaci humorum affluxu, quam quidem aliæ interiores partes gaudent: earumque debilitates, à nimia fibrarum extenſione inductæ, difficillimam admittunt reſtitutionem. Quamobrem præcipua medendi intentio jam ea ſit, ut imminentem cachexiam, aut hydropem præcaveamus: eoque fine blandis laxantibus atque balſamicis flatus diſcutiamus, alvum lubricemus, & præterea lenioribus diureticis & alcalinis pugnemus; quæ inter crebrum tincturæ tartari, antimonii acris, cum oleo balſamici de Copaiva deſtillato maritatæ, ac pilularum balſamicarum, vel Becheri, vel Stahlii, vel mearum uſum, etiam atque etiam laudo atque commendo. Porro vita ſit mobilis, ac victus facilis, in quo cibi craſſiores, flatulenti, acidi atque ſaliti, nec non potus acidi cane pejus, ac angue fugiantur, & omnes animi commotiones, meditationes, & acriores mentis labores ſedulo evitentur. Quod ſi æger fuerit plethoricus, gulæ nimium indulſerit, quin & aliquam ad hæmorrhoidalem fluxum ſenſerit proclivitatem; conſultum erit, bis quotannis venam ſecare; atque, ut alvus maneat libera, ſingulis quatuordecim diebus, per biduum ſemper adhibere aquas Sedlicenſes, ſingulo mane dimidiam earum menſuram bibendo. Deinceps operæ etiam erit pretium, externas partes, ſcrotum ac regionem inguinalem, externis quoque remediis corroborare, ac æquabilem humorum per illas circulum reſtituere. Quo fine regionem hypogaſtricam, ac inguinalem balſamo meo vitæ in loco calido inungere præſtat; & ſcroto adplicare epithema ex herba menthæ, meliſſæ, foliis roſarum rubrarum, cum vino Pontac decoctis confectum.

Plenariam vero teſticuli exſtirpationem, de qua in tertia quæſtione mentio fit, ſuadere minime poſſum; quippe quæ non ſolum periculi plena eſt; verum etiam metum incutit, ne aquæ tunc extra

tra ſcrotum in duplicatura Peritonæi ſubſiſtant, & graviora mala inducant.

Quæſtioni quartæ, ſub reſponſione ad ſecundam jam ſatisfeci; & quod quintam denique attinet; inguinis inciſioni, atque vaſorum ad ſcrotum abeuntium ligaturæ, cum relicta perpetua apertura, calculum addere, ob magnum, quod inde vereor, periculum interdicor. Quare commendata potius medendi ratione malum oppugnandum eſſe arbitror; quam ut Deus reddat felicem, vehementer opto.

## CASUS LVII.

### *De ictero diuturno contumaci, emeticis demum expugnato.*

VIr generoſus, annos quadraginta natus, vitæ ſedentariæ ac librorum lectionibus deditiſſimus, cibos duriores, ſalitos, fumo induratos in deliciis habens, atque ſub epulis vino aduſto uti ſolitus, neque ullis, niſi ante annuum tempus, diuturnæ febri quartanæ, obnoxius morbis; intra noviſſimum ſemeſtre ex conjugis cariſſimæ, & duorum liberorum obitu inſignem paſſus eſt mœrorem. Binis, & quod excedit, abhinc menſibus vehementi excandeſcebat iracundia; quam protinus præcordiorum anxietates, auriginoſus cutis color, ac denique contumaciſſimus icterus, ad hanc uſque diem, fruſtra adhibitis cujuſcunque generis medicinis durantes exceperunt. Namque, ut præſentem ægri ſtatum deſcribam; facies, album oculorum, atque totius corporis cutis, veluti tinctura croci ſuffuſa flaveſcit; quin faciei color flavus, noviſſime in viridem commutari videtur, metumque icteri nigri incutit. Urgent quotidie ructus, putrem ſpirantes odorem, nauſea, ciborum faſtidium, præcordiorum anguſtiæ, adpetitus dejectio; crebri vexant conatus ad alvum pariter ac urinam reddendam; ſed ſicuti per illam pauca, eaque cinereo colore imbuta dejiciuntur ſtercora; ita lotium quoque mingitur parcum, inſtar craſſioris cereviſiæ opacum, abſque omni ſedimento, lintea flavo pingens colore, & adeo ſaturatum, ut illius tres duntaxat unciæ cum integra aquæ menſura permixtæ, vix naturalem urinæ exhibeant conſiſtentiam. Si vel exiguam cibi ſumſerit portionem, preſſionem ventriculi, & pectoris anxietatem cum gelido totius corporis ſudore ſentit; extra lectum commorari nequit; atque ſæpius, prævio horrore, æſtu præternaturali ac oris ſiccitate torretur. Arteriarum pulſus languidus fertur, ac debilis; ſomnus eſt inquietus & turbulentus; regio ſiniſtri hypochondrii & circa cordis ſcrobiculum tenſa obſervatur, & à paſtu paululum inflata; contra dextrum hypochondrium, & hepatis regio, ab omni dolore, tumore, atque duritie eſt liberum.

Conſuluit in hoc rerum ſtatu varios medicos; ab iiſque infuſis purgantibus, pilulis Stahlianis, polychreſtis, amariſque eſſentiis fruſtra tractatus, meam tandem implorabat opem. Dabam ſpiritum nitri dulcem, ſalia digeſtiva ex terra foliata tartari, & arcano duplicato parata, ac clyſteres ex amaris, carminativis, ſaponeque Veneto confectos injici jubebam. Ex his nonnunquam ſymptomatum levamen percipiebat; fæces quandoque flavo colore tinctæ reddebantur: at brevi poſt accedebat alvi obſtructio, & tum priſtina ludebatur ſcena. Neque vero vomitoriis uti ſum auſus, quoniam verebar, ne illis præcordiorum ſpaſmi exacerbentur, & cauſſa mali, quæ procul omni dubio in ductuum biliariorum obſtructione, aut calculorum felleorum vitio latet, augeatur pariter ac exaſperetur. Quamobrem cum conſilii jam inops ſim; ad Te, vir illuſtris confugio, tuumque judicium exſpecto.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Ex communicatis mecum litteris probe intellexi, Virum quendam generoſiſſimum gravi ac pertinaci laborare ictero. Quemadmodum vero variæ ſunt, quæ icterum inducunt, cauſſæ; ita medicum, illius curationem aggreſſurum, veram ante omnia perſcrutari oportet originem. Scilicet frequentiſſima icteri cauſſa, in ventriculi, ac ductus cholidochi ſpaſmo, præſertim circa hujus orificium, fibroſo cinctum ſphinctere, per quod bilis in duodenum fertur inteſtinum, ſeſe exſerente reſidet, & potiſſimum ab iracundia fortiori excitatur. Hinc quam plurimæ ſuppetunt mihi obſervationes, ubi vehementem animi excandeſcentiam, maxime ſi brevi poſt ciborum, aut vini quid capiatur, non ſolum atroces ventriculi ſpaſmi cum ictero exceperunt, verum etiam aſthma convulſivum, cum corporis decremento, virium jactura, & adpetitus proſtratione ſtipatum, per aliquot menſes durans fuit inſequutum. Huc quoque illi pertinent caſus, quorum non paucos novi, quod fortioribus emeticis, vel purgantibus, vel etiam vehementiori colicæ, ac præſertim cardialgiæ, quam vulgus nomine *der Ober*-Colique exprimere ſolet, ſupervenerit color faciei, oculorum, quin totius corporis icteritius, cum urina ſaturatiori, præcordiorum anxietatibus, nauſea, ructibuſque junctus. Tales autem affectus intra paucos dies profligari poſſunt, ſi interne congrua antiſpaſmodica, veluti eſt liquor meus anodynus, aut pulvis ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionum, nitro ac rhabarbaro confectus, aut emulſiones ex cannabis, quatuorque frigidis ſeminibus, & abſorbentibus concinnatæ &c. adhibeantur, extrinſecus abdomen ac ventriculi regio, balſamo meo vitæ inungatur.

Meam opem tribus circiter abhinc annis flagitabat, tali affectu infeſtatus Vir quidam generoſus, in eximia dignitate conſtitutus. Afferebat ſecum binas & octoginta medicamentorum, fruſtra hactenus, & cum majori ſanitatis detrimento uſurpatorum formulas; quæ continebant emetica, purgantia, ſudorifera, antiaſthmatica, aperientia ac amara remedia. Morbus erat corruptiſſimus, & cum præterea longo & ultra viginti milliarium itinere, quod huc fecerat, vires adeo exhauſtas conſpicerem, ut ſane ipſe de ſalute deſperarem; recuſabam primum, manus admovere. At precibus fatigatus, explorabam, quæ tanto malo originem dederat, cauſſam: quam, cum generoſus æger recenſeret, ſe poſt vehementem excandeſcentiam, mox ſub epulis multum ciborum pariter ac vini aſſumſiſſe, & brevi poſt ictero contaminatum fuiſſe, in violentis præcordiorum, ventriculi ac inteſtinorum ſpaſmis ſitam eſſe, facile intelligebam. Conſulti antea medici hanc plane non attenderant cauſſam, & vel ad cachexiam, vel hepatis obſtructionem, curandi intentionem direxerant. Hinc ſpem felicioris eventus fovere cœpi, atque paucis remediis, videlicet liquore meo anodyno minerali, ſale aperitivo, & Elixirio viſcerali balſamico, miſere cruciatum ægrum intra paucas hebdomades ab omnibus vindicavi ſymptomatibus, priſtinæque, quæ Dei eſt gratia, reſtitui ſanitati.

Dein-

Deinceps vero icterus haud raro natales ſuos à calculo veſicæ felleæ mutuatur. Scire autem licet, hunc in cyſtide ſua immotum, atque quieſcentem nunquam generare auriginem, ſed moleſtam duntaxat preſſionem, & gravativum in hepatis regione excitare ſenſum. At ſi eorum calculorum portio ductum cyſticum irruperit; tunc non tantum dolores præcordiorum rodentes, ardentes, nauſea, vomitiones, partium externarum refrigerationes, anxietates ac inquietudines ſuboriuntur; verum ipſe etiam icterus reſultat; qui non niſi ſpaſmos ſedantibus, internis pariter ac externis oppugnari debet medicinis.

Non minus icterus bili ſpiſſæ, viſcidæque, intra ductus hepatis bilioſos ſtagnanti, hoſque diſtendenti frequentiſſime debetur; & pro cauſſa remotiori, qui uti in canale inteſtinorum, ita quoque in ductibus biliferis locum habet, nimiam horum reſolutionem agnoſcit. Tali ex cauſſa ſubjecta vitæ ſedentariæ, motuſque experti addicta, fluidorum potationem reſpuentia, ciborum vero duriorum, viſcidorum atque acidorum amantiſſima, mœroribuſque, curis ac ſolicitudinibus obnoxia, ſæpiſſime deprehenduntur ictero contaminari. Quo in rerum ſtatu, ſi ſimul obſtructio quædam vaſorum hepatis ſanguiferorum, atque ſanguinis per ramos venæ portæ tardior circulatio præſto fuerit: difficillima ſane eſt curatio; quoniam vel cachexia hydropica tandem accedit; vel, licet etiam auriginoſus color evaneſcat nonnunquam, illius tamen vix evitabilis eſſe ſolet recurſus, & niger denique arquatus, fœdo ſpectaculo jungi obſervatur.

Quod igitur præſentem, cujus cauſſa conſultus ſum, attinet caſum: calculum in tubulis biliferis, aut felleo ſacculo hærentem ſuſpicari neutiquam poſſum. Hunc enim metum & ſymptomata adhuc mitiora, & morbi diuturnitas, & denique excrementorum color, qui interdum cernitur, flavus omnino depellunt. Credo potius, icterum, quo vir laborat generoſus, à bile copioſiori, viſcida, & in ductibus bilioſis non minus ac inteſtino duodeno ſtagnante, ſuam trahere originem: & cum nec hepatis induratio, nec œdematoſus pedum tumor, nec aſthma ſpaſmodicum aut convulſivum adhuc jungi videam, haud dubiam ſanationis ſpem foveo. In tali caſu non præſtantiora emeticis ſunt præſidia; quæ licet in malo, ab iracundia vehementiori inducto, & adhuc recentiori majus minentur detrimentum; tamen in eo diuturniori ac inveterato, feliciſſimo adhibentur ſucceſſu. Hinc ſæpius ex unica emetici doſi dimidiam, quin & integram bilis craſſæ & obſcurioris menſuram eructatam fuiſſe, & inde cuncta ſymptomata remiſiſſe, ciborum adpetentiam rediiſſe, fæces ac urinam colorem naturalem recuperaſſe, & cutis inquinamentum penitus evanuiſſe vidi. Non tamen raro opus eſt, ut iterato detur vomitorium, eoque reſtitantes adhuc fordes, quæ novum malo pabulum præbent, prorſus eliminentur. Obſervavi etiam plus ſimplici vice, quod poſt emetica ictericis data, calculi fellei cum alvo fuerint excreti; & vix quidam excurrerunt menſes, ubi haud incelebris mercator, ictero, aſthmate convulſivo & hydrope diu ſolicitatus, poſt ſumtum corticis ſambuci medii infuſum, non modo aliquoties vomuit, ſed etiam per alvum, aliquoties exoneratam, ultra tredecim calculorum, qui erant triangulares, & partim quatuor, partim duodecim grana pendebant, reddidit: unde quidem malorum ſuorum per aliquod tempus levamen percepit, nihilo tamen minus hydrope poſt aliquot menſes recidente periit.

Hinc ergo luculenter patere exiſtimo, quanta emeticorum ſit efficacia in reſerandis tubulis jecinoris bilem vehentibus, atque ipſa coagulata, & in lapideam fere duritiem commutata bile attenuanda & è corpore proſcribenda: quem effectum ab aliis incidentibus, aperientibus ac amaris medicaminibus, teſtante etiam præſenti caſu, fruſtra expectamus. Ex claſſe vero emeticorum in uſu mihi eſt tartarus emeticus, quem granis duobus vel ex hauſtu vini generoſi, vel ex infuſo mannato, ſuperbibendo juſculum avenaceum, propinare ſuevi. Præterea pulveres præcipitantes ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari, & nitro depurato concinnatos, atque temperatum amarumque Elixirium meum commendare; pro potu vero ordinario decoctum ex paſſulis, radice cichorei, chinæ, carduo benedicto, tartaro vitriolato, & nitro antimoniato confectum ordinare ſoleo. Idcirco noſtro quoque ægrotanti lene emeticum exhibere, conſultiſſimum duco; cum illius uſum non tantum ſecuriſſimum fore ſpondeo; ſed ad debellandum hoc pertinaciſſimum malum non aliud ſubſidium ſuadere poſſum.

*Relatio.*

Elapſis quatuordecim diebus, nunciavit mihi medicus, ſe ex præſcripto meo Generoſiſſimo ægrotanti, ſcrupulum unum radicis Hypecacuanhæ, cum unico tartari emetici grano permixtæ exhibuiſſe; & hinc vacuata per quinquies iteratum vomitum, inſigni ſaburræ viſcidæ, ac bilis atræ craſſæque quantitate, ipſum melius habuiſſe; ſomnumque tranquillum, ac egregiam ciborum adpetentiam recuperaſſe. Tum in uſum vocatis pulvere rhabarbarino, pulvere digeſtivo ſalino, ac decocto paſſularum, fæces ac urina naturali colore imbui, ac cutis paullo nitidior fieri cœpit. Quare, ægro ſic deſiderante, iteratum prius emeticum, & inde ultra dimidiam menſuram bilis vomitu reddita eſt, eo effectu, ut icteritius color magis magiſque diſparuerit, & æger ad priſtinam redierit ſanitatem.

---

## CASUS LVIII.

### *De atrophia cum febre lenta.*

Perſona quædam Sereniſſima, virginitatis flore adhuc conſpicua, annorum quinquaginta quinque, ingenii vivaciſſimi, venis potita haud adeo exilibus, cardialgia, & hyſtericis ſuffocationibus junior olim graviter per intervalla laboravit. Ab his ope remediorum martialium, & frequentioris corporis exercitii ita conſanuit, ut ad annum ætatis uſque quadrageſimum quartum, qui anno mundi milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo primo celebrabatur, proſpera ac illibata gauderet ſanitate. Hujus autem anni autumnali tempore febrem incidit continuam, & hac die ſeptimo remittente, quotidianam intermittentem toleravit, adeo pertinacem, ut non ſolum per aliquot hebdomades inhæſerit, verum etiam ſequenti vere recruduerit; tumque primum cortice chinæ de china tractata, poſthæc pilulis cujuſdam celebrioris medici confortantibus ac pulveribus temperantibus penitus debellata fuerit.

Anno 1723. præternaturali alvi profluvio, crebris vomitibus ſtipato prehendebatur; &, fruſtra uſurpatis variis remediorum generibus, ope pilularum Stahlianarum prorſus ſanabatur; ut abhinc per

per aliquot annos optima frueretur ſanitate, neque ullis, præter pilulas confortantes, quas ad conſervandum uterini fluxus ſucceſſum, quavis ſumebat hebdomade, medicinis uteretur. Verum anno 1728. de crebris phlogoſibus, ac ſudoribus, magis magiſque in valeſcentibus conqueri cæpit; quibus, præſertim cum uterina purgatio per ætatis, cujus jam binos & quinquaginta annos expleverat, rationem ceſſaret, & vehemens ac diuturna accederet mœſtitia, hæmorrhoidalis fluor quotidianus jungebatur. Sub his adfectionibus, quibus per integrum biennium ſingula die cruoris, quantum cochlear capit, ano reddebatur, carnoſa corporis ſubſtantia, edendi cupiditas, ſomnus atque vires cœperunt imminui.

Elapſo noviſſime anno, menſe Julio cum tempeſtatem calidiſſimam ac aridiſſimam, horrida frigidaque aëris exciperet conſtitutio, phlogoſes pariter ac ſudores ſponte remittebant; at Auguſto menſe circa horam veſpertinam nonam, tam atroces ægram ſereniſſimam invadebant capitis dolores, ut mens turbaretur, ſenſus vacillarent, extrema perfrigeſcerent, vultus ruberet, ſcintillæ oculis obverſarentur, ac hora demum nocturna prima ea rationis potentia rediret, qua ægra ſignificare poterat, ſe torqueri cephalalgia. Hæc vero cum nauſea, vomendi conatu, ardore doloreque manus & pedis ſiniſtri, ac pulſu celeri ſtipata, urina exiſtente naturali, ad quartum adfligebat diem; quo largo totum corpus perfundebatur ſudore, & lotium rubicundius, album deponebat ſedimentum. Tum remittentibus ſenſim capitis pedumque doloribus, ſuccedebat febris quotidiana, quæ ſingula veſpera, oſcitationibus, manuum atque pedum refrigeratione, cum ſubſequutis pulſu celeriore, æſtu mitiſſimo, & corporis inquietudine invadebat, & hora matutina quarta, in copioſum deſinebat ſudorem. Per diem ab omnibus libera erat ſymptomatibus; ſed languor virium adeo increſcebat, ut opus fuerit, cortice chinæ febri obicem ponere. Elapſo poſt ſumtum hunc corticem biduo, efflorescentia quædam cum inſigni pruritu lumbos potiſſimum obſidebat: quare miſſo illius uſu, pulvis, quem de Kente vocant, primum ſolus, deinde ſalibus nuptus, atque mixtura ex liquore terræ foliatæ tartari & eſſentia gentianæ rubræ compoſita adhibebantur, eo effectu, ut febris pedetentim conquieſceret, ſomnuſque ac adpetitus redirent.

At vero preſſo pede ſequebantur phlogoſes, ac ſudores; neque nocte tantum, ſed etiam die aliquoties, cum ſummo virium decremento ſereniſſimam cruciabant. Præterea obnubilus oculos prehendebat ſenſus, qualis eorum eſt, qui intentius ſolem intuentur; atque epulas potiſſimum præcedit, abſque ullo illorum rubore, aut externo vitio. Quo loco notari meretur, ſcintillas ac imagines à multis jam annis, modo ante alterutrum, modo utrumque oculorum obverſari ſueviſſe; & viſionem quidem impediviſſe, ſed brevi poſt ſemper diſparuiſſe.

Cæterum adhuc per intervalla cruor hæmorrhoidalis egeritur; at alvi obſtructio tanta vexat pertinacia, ut, niſi ſuccurratur globulis ſaccharinis, vel pilulis Stahlianis, vel contra obſtructionem, vel etiam liquore terræ foliatæ tartari, vel ſero lactis tamarindinato, quod nuper per quatuordecim dies potavit, illa ſui officii plane obliviſcatur. Appetitus aliquantulum viget; ſed cibos paullo pinguiores, aut concoctu difficiliores, ſtatim ventriculi preſſio ac ructus acidi ſequuntur. Somno fruitur plerumque placido ac reficiente; attamen ſæpius turbulento, ſudoribuſque interrupto; & urina mingitur copioſa, inſtar aquæ tenuiſſima.

Vires non adeo dejectæ ſunt, quam quidem à tantis morborum cohortibus fuiſſet expectandum; at carnoſa corporis ſubſtantia, non obſtante victu pleniore, magis magiſque depaſcitur. Sanguis etiam ſingulis æquinoctiis, ſex unciarum quantitate, per longos jam annos ex vena in pede tuſa detrahi ſolet.

Quæ cum ita ſint, ſalutare jam deſiderat Princeps Sereniſſima conſilium, ac doceri præſertim cupit, qualis ſit, quo laborat morbus? quibuſnam remediis gravia illa ſymptomata, veluti ſunt oculorum caligo, alvi obſtructio, ſudores copioſi, & corporis conſumtio debellari debeant? & num à medicinis martialibus, quæ olim ſatis ſecerunt votis, ſolamen poſſit expectari?

## *Conſultatio.*

Poſtquam graviſſimam, qua Sereniſſima quædam Princeps male habetur, affectionem, cum omnibus momentis probè mecum penſitavi: illam non niſi pro atrophia, ex diatheſi humorum calidiori, ſcorbutica inducta, ſymptomatibus hypochondriacis, debilitate ventriculi, ac univerſi nervorum generis ſtipata declarare poſſum. Scorbuticam enim humorum acrimoniam non modo ſudores copioſi, ſalutari conſilio excitati, calores volatici, pruritus & effloreſcentiæ, lumbos potiſſimum poſt ſuperatam febrem occupantes; verum etiam ſomnus turbulentus, laſſitudo corporis, hujuſque conſumtio, ob inopiam chyli generoſi magis increſcens, ac denique capitis ac oculorum moleſtæ affectiones luculenter ſignificant. Nec obſcuro paſſionum hypochondriacarum documento, inter alia ſunt pertinaces alvi obſtructiones; quæ uterini fluxus ceſſationi, hæmorrhoidalis vero evacuationis inordinato debentur ſucceſſui. Hinc quoque cephalalgiæ atrociſſimæ, ac imaginum ante oculos obverſantium patet ratio; quippe quæ non niſi à cruore, vi ſpaſmorum ac reſolutionum flatulentarum, inteſtina obſidentium, ad capitis cavitatem, & nervos opticos compulſo ſuos mutuantur natales. Harum vero omnium affectionum primum fundamentum, in ventriculi debilitate, ac proſtrata vi concoctrice collocandum eſſe puto; quam acidi poſt ciborum pinguium, ac concoctu difficiliorum uſum inſequentes ructus teſtantur, ex qua etiam alvi obſtructio, ac chyli minus laudabilis, humorumque impurorum dependet generatio.

Quod ergo attinet horum ſymptomatum curationem; hanc ſane inſignis ventriculi debilitas, humorumque vitalium ſpiſſitudo & acrimonia, reddent difficillimam, ac valde diuturnam: & quæ ex victus ac rerum non naturalium pertinaci obſervatione deſumentur ſubſidia, maxime ſi temporis beneficio ac patientia adjuvetur, inſigniſſimam ſpondebunt operam. Præcipuæ vero medendi indicationes ſunto, ut primum ſanguinis circuitus per viſcera imi ventris, meſenterium, lien ac hepar æquabilis reddatur, tum ſordes partium fluidarum impuræ per debita emunctoria proſcribantur; & denique ventriculi digeſtio, ſervata ubique alvi lubricitate, temperatis ſtomachicis confortetur.

Quos ut conſequamur ſcopos; ante omnia illa remedia cane pejus & angue fugienda ſuadeo, quæ inteſtina magis exſiccant, ſanguinem & humores exæſtuant, & hæmorrhoidalem fluxum ſtimulando provocant; quorſum pilulæ Becheri, polychreſtæ, aliæque medicinæ, quæ multam fovent aloen,

aloen, copioſius ſumtæ pertinent. Præſtat potius, ſi quædam ad excretionem hæmorrhoidalem præſto fuerit proclivitas, novem pilularum vel Stahlianarum vel mearum balſamicarum, pulveri præcipitanti nuptarum per vices devorare; utpote quæ ſanguineum illum fluorem & promovendi, & ſi nimius ſuccedat, tutiſſime coërcendi egregiam obtinent virtutem. Huic quoque ſcopo convenientiſſimum judico, ſanguinem frequentius mittere; ejuſque ex vena alternatim mox in pede, mox in brachio tuſa, ſingulis octo hebdomadibus, ſi vires permiſerint, quatuor circiter detrahere uncias. Neque etiam minus excellentiſſimum fructum, partim in promovendo ſanguinis circuitu, partim adjuvanda transſpiratione, & hujus ope eliminandis è corpore acribus, ſalſiſque humoribus, partim denique roborando ſtomacho expectare licet, à moderato, tamen crebriori corporis exercitio, quocunque fiat modo, ventriculo à cibis vacuo, & vel matutinis, vel veſpertinis horis inſtituendo. Et ne ſalutares ex hiſce ſubſidiis ſperandi effectus, perverſa vivendi ratione impediantur, aut plane iterum deſtruantur: iis veſcendum eſt cibis, qui concoctu ſunt faciles, nec flatus progenerant; & potu utendum, qui humorum acrimoniam temperat, & per vias urinarias promte redditur. Quo quidem fine in locum potus ordinarii vel acidulas Selteranas vino nuptas, vel ſerum lactis, ſi tulerit ventriculus, commendo. Præſtantiſſimum eſt hoc remedii genus in ſcorbutica potiſſimum atrophia, & febribus lentis, & paratur, ſi lactis vaccini recentis menſura una igni admoveatur, & addito citri ſucco coquatur, donec coaguletur; tum percoletur, & additis cancrorum lapidibus, ad uſum aſſervetur. Quod ſi vero neutrum arriſerit; in eorum locum ſubſtitui poteſt ſequens decoctum: Recipe radicis chinæ, ſcorzoneræ ana unciam unam, cichorei, liquiritiæ ana drachmas duas. M. F. ſpecies, & in quatuor aquæ menſuris, cum paſſularum minorum manipulo permixtis, per tres horæ quadrantes coquantur.

Tum ut confortetur ſtomachus, ac concoctrix vis reſtituatur; operæ erit pretium, Elixirium quoddam balſamicum, ex herbis amaris abſque ſpirituoſo menſtruo paratum, quale eſt meum viſcerale, aut quod in notis ad Poterium deſcripſi, adhibere, ejuſque ſexaginta guttas, per octo hebdomades continuando, ex ultimo ſub epulis hauſtu capere. Hoc enim medicamen, & tonum ventriculi ac inteſtinorum reſtaurandi, & acrimoniam primarum viarum obtundendi, & alvi lubricitatem adjuvandi vi pollet egregia.

Ad alvum porro ſolvendam, præſtans auxilium ſpondent paſſulæ rhabarbarinæ, quarum hæc eſt compoſitio: Rhabarbari pulveriſati uncia una, cum quatuor aquæ veronicæ unciis leniter coquatur, percoletur, & additis paſſularum Corinthiacarum libra dimidia, ſaccharique candi duabus unciis, ſuper prunis inſpiſſetur; cujus remedii duo circiter cochlearia mane ſumantur interdum, ſuperbibendo infuſum theiforme. Quo denique humorum acrimonia demulceatur, & ſtricturæ ſpaſmodicæ leniantur, ſimulque phlogoſes conſopiantur; conſulo, ut bis quavis hebdomade veſperi liquor meus anodynus, ad viginti guttas, cum drachma dimidia pulveris abſorbentis, quod oculorum cancrorum præparatorum, pulveris Marchionis ana drachmam, nitri depurati ſcrupulum, & binas olei deſtillati macis habeat guttas, maritatus, ex aqua florum tiliæ, vel ceraſorum nigrorum capiatur. His ſi futuro vere potatio acidularum Selteranarum, vel Schwalbacenſium, ſub recto vivendi genere adjungatur; de auſpicatiſſimo curationis ſucceſſu nullus dubito. Quum autem in ejuſmodi diuturnis ægritudinibus, ſymptomata ſæpius commutari ſolent; horum conveniens tractatio præſenti Medico curæ cordique eſſe debet: cæterum nec ego conſiliis meis unquam deero.

---

## CASUS LIX.

### *De atrophia luxationem femoris ſequente.*

Puer generoſus novem annorum, ingenii vivaciſſimi ac temperamenti ſanguineo-cholerici, uno cum dimidio abhinc anno, dextro pede claudicare cœpit. Accitus medicus mali ſedem in genu collocabat; quam ego, cum tandem vocarer, potius in oſſe femoris dextri hærere putabam. Namque ſub ingreſſu nullos quidem dolores percipiebat; at tota corporis moles, verſus dextrum magis propendebat latus. Adplicuerat interim chirurgus quidam, ſpiritus varios ac emplaſtra per ſex integras hebdomades; ſed non ſolum claudicatio invaleſcebat, verum etiam genu affecti pedis horrendi prehendebant dolores; alvus, niſi clyſteribus ſolicitata, non reſpondebat, & lenta accedere videbatur febricula. Ordinabam igitur contra has moleſtias varia medicamina, inuncto extrinſecus oſſi femoris ſpiritu nervino; ex quorum uſu & dolores remittebant, & febris evaneſcebat, & alvus rite ſuccedebat. Viſitabam quoque os femoris, atque pedem dextrum ſiniſtro longe breviorem deprehendebam. Continuato autem ſpiritus nervini ac diſcutientis uſu, luxatum os femoris in priſtinum ſitum reponebatur, peſque affectus naturalem recuperabat longitudinem. Remanebat tantum in poſtica femoris parte, ejuſque junctura tumor quidam; qui medicinis diſcutientibus obſecundans, brevi poſt mediam illius regionem occupabat; & mox evaneſcens, mox iterum rediens, fruſtra adhibitis externe ſpiritu ac emplaſtro diſcutientibus, interne diaphoreticis, diureticis, ac lenioribus laxantibus, per integrum inhærebat ſemeſtre. Tandem, abſque præviis nec inflammatione, nec doloribus, ſponte ſuppuratus, intra paucos dies integram puris ſpiſſi, viſcidi, virideſcentis menſuram plorabat, & abhinc fruſta ſimul fibroſa, omni fœtore vacua fundebat. Injiciendum ergo curabam balſamum quoddam vulnerarium: unde poſt diuturnum tempus coaleſcebat vulnus. Interim aridura, quæ à primo mali initio pedem affectum ad talum uſque obſederat, facta jam conſolidatione magis invaleſcebat; & tendines muſculorum, qui tibiam movent, in poplite, veluti indurati cernebantur, ut puer pedem extendere haud valeret. Conabar hanc contracturam unguento quodam demulcere, eodemque ariduram oppugnare: nec ſine felici ſucceſſu: ſed ſuaſu chirurgorum, me invito, puer ter quavis hebdomade in balnea, ex herbis emollientibus, & aqua, in qua antea canis diſſectus, & caput cum pedibus vitulinis decoquebantur, parata deſcendere debebat; hiſque relaxatis magis partibus, graviorem ſibimet contrahebat ariduram. Noviſſime igitur contra hæc vitia commendabam ſpiritum quendam, ad mentem Purmanni, ex radice angelicæ, zedoariæ, galangæ, herba majoranæ, gummi ammoniaco, ladano, ſtorace, maſtiche, benzoe, ſuccino, euphorbio & camphora, cum ſpiritu vini infuſis & deſtillatis paratum: atque unguentum nervinum, ex

ex axungia humana, cati ſylveſtris, canis, maſtyche, gummi ammoniaco, benzoe, therebinthina, balſamo Peruviano, atque camphora, in olei formam deſtillatis concinnatum. Quæ cum votis nondum fecerint ſatis; ſalubre flagitatur conſilium.

*Conſilium.*

Femoris luxatio, cujus cauſſa conſultus ſum, internam potiſſimum cauſſam, nimirum humores acres ſcorbuticos agnoſcit; quibus etiam atroces in genu dolores, femoris tumor ſuppuratus, & ſeri impuri viſcidi effluxus debentur. Eidem vero ſcorbuticæ humorum vitalium acrimoniæ procul omni dubio, aridura quoque affecti pedis in acceptis ferenda eſt; ſiquidem ſero exiſtente acri, ſalſo atque viſcido, non ſolum tenuiſſimi canales, qui ſuccum vehunt nutritium, obſtruuntur; verum etiam ſubtiliſſimi nervorum ramuli ad ſpaſmodicas proritantur ſtricturas. Quamobrem cum interna cunctorum ſymptomatum ſit cauſſa; internis quoque medicaminibus eo eſt reſpiciendum, ut eliminatis impuritatibus ſucci vitales naturalem temperiem, ac blandam ſpirituaſcentiam recuperent; inque partes atrophicas, majori ubertate, deriventur. Hiſce ſcopis non convenientius mihi ſuppetit auxilium, thermis Emſenſibus, in balneo ſub decenti regimine uſurpatis; quæ ſi minus arriſerint, ſequentem operæ pretium facturam credo medicationem:

Primum quidem hoc commendo decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, ana unciam dimidiam, M. c. decoquantur ex binis aquæ menſuris per duas horas. Hoc mane calidum loco infuſi Theiformis; reliquo tempore frigidum pro potu ordinario potetur. Deinceps bis quavis hebdomade corpus purgetur leni laxante; cui drachma dimidia rhabarbari pulveriſati, cum ſcrupulis duobus ſalis Epſonenſis, ac binis drachmis mannæ ex commendato decocto ſumta, optime inſerviet: tumque ſingula veſpera pulveris ex cornu cervi, lapidibus cancrorum & cinnabari confecti ſcrupulus unus capiatur. Præterea balnea vaporoſa ex aqua pura, floribus chamæmeli & ſemine lini parata, in uſum vocare decet; & ab his pedem affectum linteis perfricare, uſque ad rubedinem. Nec denique ludetur opera, ſi ad roboranda loca affecta pes ille, vino calidiori, aquæ Hungaricæ, & oleo Lavendulæ nupto, probe inungatur. Quæ, niſi nimis inveteratus fuerit affectus, quin opem ſint allatura, non dubito.

---

## CASUS LX.

### *De œdemate & debilitate pedum ſumma.*

Viginti ſeptem annorum virgo, quæ gaudet ſanguineo-cholerico temperamento, decem abhinc annis pulmonum abſceſſu, cum capitis intolerabili dolore, ac ſumma pedum debilitate laboravit, eaque ægritudine per novem integros menſes lecto fuit affixa. Debellatis feliciter hiſce tandem moleſtiis, ſuccedebat œdematoſa pedum intumeſcentia; & hac etiam congruis præſidiis ſublata, remanebat perpetua, & ad hanc uſque diem perdurans pedum infirmitas. Quæ per noviſſimum triennium tanta ſumſit incrementa, ut ob muſculorum fibras penitus relaxatas in publicum prodire interdicatur, ac ſi in conclavi forſan obambulaverit, repente ſtrepitus circa pedum taleolos audiatur, & illa brevi poſt, nemine accedente, in terram proſternatur. Per proximum ſemeſtre, circa menſium tempus, qui per octo vel novem circiter dies quantitate ſatis copioſa, ſed loturæ carnium ſimili colore imbuti fluunt, accedere obſervantur atroces capitis dolores, nucham ſimul atque dorſi ſpinam occupantes. Et his adfectionibus ſolicitata, quærit auxilium.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Vidi probe ac intellexi ex præmiſſa morbi hiſtoria, quæ virginem nobiliſſimam exerceant ægritudines: at optaſſem, ut adhuc quædam momenta, ſcitu neceſſaria, fuiſſent memorata; nimirum quo ægra utatur vitæ genere, quo adpetitu, quo ſomno? an menſes olim debito ordine ſucceſſerint? an pedes adhuc tumeant? an ad animi affectus prona ſit? & quo vultus colore, num pallido, anne florido gaudeat? Quidquid vero ſit; ex iis, quæ allegata ſunt, ſymptomatibus facile adparet, genus partium nervoſarum ac membranacearum natura inſigni pollere debilitate; quæ diuturno, quem decem abhinc annis toleravit morbo, & accedente poſthæc pedum œdemate, magis utique adaucta eſt. Præſertim hiſce cauſſis robur partium ſolidarum ac muſculoſarum, quæ pedes conſtituunt, deſtructum ac valde relaxatum videtur: quibus vitiis, diætæ forſan errores, ac uterinæ excretionis irregularis fluor, ſatis amplum dederunt pabulum; & menſes adhuc ſeroſum ſolum modo plorantes humorem, inſigne ſubminiſtrant nutrimentum.

Ut ergo debellentur hæ moleſtiæ; operæ erit pretium, ante omnia ventriculum corroborare, ſucco chyloſo blandam conciliare ſpirituaſcentiam, & debitum purgationis menſtruæ ſucceſſum adjuvare; tumque externis nervinis ac balſamicis, deperditum pedum robur reſtituere. Hiſce ſatisfacturus indicationibus, primum commendo Elixirium balſamicum, cujus hæc ſit formula: Recipe radicis zedoariæ, galangæ, coſti veri, corticis caſcarillæ, extracti centaurii minoris, cardui benedicti, gentianæ rubræ, myrrhæ electæ, croci, ſuccini, ana drachmas duas, ſalis tartari unciam ſemis, vini Hungarici libras duas, M. digerantur, F. elixirium, cujus quantum cochlear capit, ex aqua vino nupta inter epulas adſumatur. Hoc remedii genus partim ventriculum confortat; partim etiam menſes ciendi, vi egregia pollet; præſertim ſi inſuper quavis hebdomade pilularum balſamicarum, aut meæ compoſitionis octodecim veſperi devorentur. Eædem pilulæ proximis ante menſium eruptionem diebus ſingulo mane capiantur; & hora quinta pomeridiana pulvis digeſtivus, qui ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari, tartaro vitriolato & nitro, componitur, adhibeatur; conjunctis omni veſpera pediluviis. Et ſi denique plethorica fuerit ægra, ſanguiferaque cruore turſerint vaſa, ſuadeo ut vena in pede incidatur, & ſex circiter cruoris unciæ detrahantur: quibus ſubſidiis legitimus evacuationis uterinæ ſucceſſus procul omni dubio reſtituetur.

Quod vero pedum attinet roborationem; ei nec ſola ſpirituoſa, nec multa unctuoſa medicamina ſatisfacient. Magis abs re erunt vel linimenta, quæ habeant ſaponem venetum, aquam reginæ Hungariæ, ſpiritum ſerpilli, & eſſentiam balſami Peruviani, ter quotidie, juncturis genuum, atque talis inungenda; vel ſi tulerit, emplaſtra, & ex his aut illud, quod manus Dei nuncupant, aut ſaponatum Barbette, cum camphora, & oleo lavendulæ ſubactum. Quæ cuncta ſummum ſecundet precor Numen.

CASUS

## CASUS LXI.

### *De affectu cachectico ex atonia ventriculi ac inteſtinorum.*

NOſtra Princeps Sereniſſima, quæ vitam agit motus expertem, & decoctum fabarum Caffée valde ſaturatum quotidie ſorbillare ſuevit, per aliquot jam menſes, hypochondriorum inflationibus, tenſivis doloribus, & quadam ventriculi duritie cruciata fuit. Quæ autem moleſtiæ, hiſce noviſſimis hebdomadibus adeo increverunt, ut ob flatulentam imi ventris expanſionem, ſpiratio fieret anguſta, atque regionem dextri potiſſimum lateris hypogaſtricam dolor occuparet atrociſſimus. In uſum vocabantur pulveres abſtergentes, ac digeſtivi, clyſteres, ac unguenta nervina; hiſque in caſſum adhibitis, ſubſtituebantur, præter pulveres abſtergentes, partim infuſum aperitivum laxans, ex radice pimpinellæ, galangæ, ari, bryoniæ, rhabarbari, hellebori nigri, ſummitatibus meliſſæ, centaurii minoris, ſemine carvi, aniſi, fœniculi, corticibus aurantiorum cum vino Rhenano paratum; partim mixturæ tonicæ, liquor terræ foliatæ tartari, aliaque; eo quidem effectu, ut libera ſpiratio rediret, venterque detumeſceret, & veſtimentis compreſſoriis denuo includi poſſet. Verum, cum pauco interjecto tempore, inſigni mœrore, ac paullo poſt vehementiori excandeſcentia percelleretur mulier Sereniſſima; redire cæpit ſpirandi difficultas; atque ſecata tum in pede vena, tuſſis ſuperveniebat humida, quæ primum aſſidua fere, ac tanta muci viſcidi tenaciſque expectoratione vexabat, ut omnem penitus eriperet ſomnum; poſt aliquot autem dies mitior facta, per intervalla duntaxat, ejiciebat pituitam. His noviſſime jungebantur inſignis corporis languor, ſitis, adpetitus jactura, inflatio ventriculi, præcordiorum compreſſio, interpolata reſpiratio, & alvi obſtructio. Quamvis etiam hæc ſymptomata mixturis balſamicis, ex eſſentiis ſcordii, ſuccini, pimpinellæ confectis, pulveribus nitroſobezoardicis, infuſis theiformibus; & alvi ſegnities potiunculis laxantibus, non omiſſis extrinſecus balſamis, unguentis ac ſacculis nervinis oppugnata fuerint; & antea ſingulis æquinoctiis, præmiſſo pilularum balſamicarum uſu, ſecata ſit vena: attamen ad hanc uſque diem miſere diſcruciant ægram, & metum tympanitidis omnino incutiunt.

### *Conſultatio.*

Quæ Principem Sereniſſimam graviter infeſtarunt ſymptomata, inflatio ſcilicet ventriculi flatulenta, liberam præpediens reſpirationem, alvi obſtructio, corporis decrementum, adpetitus proſtratio, bibendi deſiderium &c. & quæ, convenientiſſimis remediis, interne pariter ac externe fruſtra uſurpatis, adhuc immaniter adfligunt; ita ſunt comparata, ut prima eorundem origo ex atonia, ſive robore membranarum nervearum ac muſcularium, quæ ventriculum & inteſtina cingunt, dejecto omnino derivari debeant. Neque leves ſe quærentibus offerunt cauſſæ, quæ dictarum partium relaxationem ſenſim procreare valuerunt; quas inter mœrores ac ſolicitudines diuturniores, vitam ſine motu deſidem, cereviſiæ ſpiſſioris, ac decocti fabarum Caffée ſaturatioris potum, & denique menſium, per ætatis, quæ quinquageſimum annum attigit, rationem, factam ceſſationem memoraſſe ſufficiat. Non ſane parvi æſtimanda eſt canalis iſtius membranacei, qui alimenta noſtro corpori adaptare debet, atonia; quippe qua ciborum digeſtio labefactatur, laudabilis chyli ſequeſtratio, & ſordium excrementitiarum rejectio vitiatur, & hinc ſucci vitales, maxime ſanguis, lympha nutritia, fluidumque nervorum tenuiſſimum, inertes, craſſi ac viſcidi generantur: unde non vires tantum proſternuntur, ſed etiam temporis ſucceſſu viſcerum labes inducitur, ut ideo graviores tandem morbi, præſertim cachexia, tympanitis, vel hectica febris non immerito ſint metuendi.

Qui ut arceantur, & præſentes expugnentur; ante omnia uſus rerum non naturalium ita dirigendus eſt, ne ſanitas quid detrimenti inde capiat. Nimirum corpus, cœlo exiſtente ſereno, ſedulo movere; cereviſia leviori, ac tenuiori, quæ ſimul ſit diuretica, uti; juſculis ex carne gallinarum, vel vitulina, radice petroſelini, cichorei, ſcorzoneræ, & ſucco aurantiorum paratis crebro veſci; ac loco potus Caffée infuſum theiforme, quod tale eſſe poteſt, ſorbere decet: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, cardui benedicti manipulum unum, florum urticæ mortuæ, chamomillæ vulgaris ana pugillos quatuor, cardamomi minoris drachmas duas. M. conc. d. f. ſpecies.

Ex remediis pauca ſunt, quæ commendo; præter enim pilulas meas balſamicas, quarum novem alternis diebus veſperi, ad alvum ducendam pariter, ac tonum inteſtinorum roborandum aſſumantur; & balſamum vitæ, regioni ventris mane ac veſperi inungendum; opem præclaram ſpondet eſſentia carminativa, cujus hæc ſit formula: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum, tincturæ tartari ana unciam, corticis caſcarillæ, ſpiritus nitri dulcis, ana drachmas tres, olei de cedro, ligni ſaſſafras, macis ana guttas ſex. M. D. Hujus eſſentiæ quinquaginta guttæ ex largiori aquarum Selteranarum hauſtu veſperi capiantur; & inter prandium quinquaginta guttulæ Elixirii viſceralis aſſumantur. His denique, ſi forſan calor præternaturalis acceſſerit, interponatur pulvis nitroſus, & pariter ac eſſentia in cyatho acidulis Selteranis pleno adhibeatur. Opto cæterum, ut hanc medendi rationem almus Deus Sereniſſimæ Principi jubeat eſſe fauſtam ac ſalutarem.

## CASUS LXII.

### *De affectu rariori cachectico, cum tumore uteri ſcirrhoſo, & fluxione dolorifica in malleolo pedis ſiniſtri.*

POſtquam ego vocatus ſtatum ac valetudinem Illuſtris & Generoſiſſimæ Baronis coram inſpexi, & penitius exploravi; tria potiſſimum calamitatum, quibus per decennium graviter infeſtatur, genera occurrerunt conſideranda. Horum primum atque maximum eſt tumor regionem epigaſtricam, infra umbilicum occupans, prægrandis, magnitudinem capitis infantilis ferme adæquans, attactu duriſſimus, ex puerperio, quo novem abhinc annis defuncta eſt, ſubortus, & ſenſim ſenſimque majus nactus incrementum; adeo, ut abdomine flatibus expanſo, in majorem increſcat molem, ipſamque umbilici regionem obſideat;

contra vero, vacuo à vaporibus ventre, imminuatur, ac mollior fiat. De hoc ergo tumore in quæſtionem venit, quænam illius ſit ſedes, quæ origo, & quæ ab illo noxæ ſint metuendæ? Medicorum quidam accuſarunt ſcirrhum, intra uteri ſubſtantiam hærentem; quorum opinionem vero menſium regularis fluor, quo mulier illuſtris gaudet, videtur oppugnare. Quamobrem alii crediderunt, inteſtinorum canalem, veluti induratum, flatibus nullum permittere tranſitum; hinc in tantum elevari tumorem, tympanitidis utique ſignificantem primordia. Sed & huic ſententiæ partim morbi diuturnitas, partim ipſius tumoris rotunda figura valde repugnant: namque prioris ratione vero eſt ſimillimum, totum abdomen intumeſcere debuiſſe, & reſpectu poſterioris momenti, conceptu eſt difficillimum, qua ratione inteſtina, halituoſis vaporibus diſtenſa, globoſum ſemper formarent tumorem. Hinc denique alii ulcerationi uteri, vel etiam pinguedinoſæ illius excreſcentiæ attribuerunt cauſſam. Verum utraque ratio locum non invenit: priorem enim mali refutat diuturnitas, quippe quæ ab ulceroſis tumoribus admodum aliena deprehenditur; alteram autem refellit anatomica ſtructura, quæ uterum nulla adipoſa pollere membrana, neque ideo ad ejuſmodi excreſcentiam opportunum eſſe demonſtrat.

Quod ſi vero mecum reputavero, affectum hunc à noviſſimo puerperio ſuam traxiſſe originem; illuſtrem fœminam & ante, & poſt illud puerperium aſſiduo fluore albo laboraſſe; atque flatulentia, ut ita loquar, uterina, qua copioſi per uterum exploduntur flatus, inſigniter cruciari, neque etiam, more alias ſueto, poſt ſuperatum partum, uterum unquam blandis laxantibus fuiſſe repurgatum: in eam omnino inducor opinionem, ut ipſum uterum ab inhærentibus ipſi viſcidis, ſpiſſis, coagulatiſque ſordibus, infarctum, expanſum ac veluti induratum, pro cauſſa admirandi illius tumoris habeam. Sæpiſſime enim obſervavi, ex fluore albo, vel abdominis refrigeratione, vel remediis adſtringentibus improvide datis cohibito, ſubortos fuiſſe tales imi ventris tumores: qui adhibitis internis pariter ac externis diſcutientibus, ac emollientibus, hiſque intra cavitatem uteri injectis, & inde materia mucida, gelatinæ inſtar tenaci excreta, protinus diſparuerunt, ut illis affectæ rurſus utero geſſerint, feliceſque partus ediderint. In tali vero affectu, ubi ſimul uteri ſubſtantia indurata, illiuſque pori obſtructi, hinc perſpiratio humorum impurorum impedita eſt; non fieri poteſt, quin flatus in illius cavitate generentur; qui accumulati, & exitu ſuo deſtituti, expandunt matricem, & accedente præſertim inteſtinorum flatulentia, tumorem conſtituunt attactu perquam durum; exploſis autem flatibus, paullo molliorem. Atque hæc in noſtro etiam ſic contigiſſe caſu, cuncta docent ſymptomata: neque vero fugiet in arte pauliſper verſatum medicum, quanta ex hoc affectu in reliquum corpus redundare poſſint detrimenta? Proximum enim eſt, ut ſanguinis circuitus per uteri ſubſtantiam, ob vaſcula minima à tumore ſcirrhoſo compreſſa & obſtructa, retardetur: hinc ſtagnando acrimoniam quandam contrahunt uterini ſucci, quam cum reliqua ac univerſa humorum maſſa, ad illam reverſi communicant. Ob eandem rationem cruor ille, qui menſtruo tempore adhuc effluit, non ſolum quantitate paulatim imminuitur, verum etiam à naturali temperie recedit, ſordibuſque viſcidis imbutus fertur: neque etiam in tali rerum ſtatu, ulla futuræ imprægnationi ſpes relinquitur.

Alterum, quod Illuſtri ægrotæ moleſtiam creat, malum, eſt fluxio dolorifica in malleolo pedis ſiniſtri. Ex illo enim loco, certis temporibus ichor acerrimus ac corrodens exſtillat, tantuſque jungitur dolor, ut nec inſiſtere pedi valeat, ſed lecto affixa teneatur: cujus calore ſi affecta pars fomentata fuerit, intra paucos dies ſponte evaneſcit omnis dolor non minus ac fluxio. Tum vero protinus excipiunt atrociſſimi in ſemore cruciatus, qui non prius mitigantur, quam donec pedis tumor ſaniem plorare atque dolere rurſus cœperit. Pes adfectus ſimul contabeſcit; & turbata quoque totius corporis nutritione, omnes langueſcunt vires. Exinde vero adparet, quantus ſit infimi pedis cum oſſe ſemoris conſenſus; nec dubium eſt, quin acre ſerum, quod ulcus pedis per intervalla plorat, ab oſſe femoris ad pedem derivetur; & ad illud ex vicini uteri indurata, ac muco obducta ſubſtantia deferatur.

Tertium denique morbi genus, cui inſignis debetur animadverſio, conſtituunt paſſiones hypochondriaco-hyſtericæ, quæ fœminam generoſiſſimam miſere diſcruciant. Has innuunt flatulentæ diſtenſiones, ac ſpaſmodica imi ventris tormina, quæ verſus menſtruum tempus atrociora obſervantur, anxietates præcordiorum, cordis palpitationes, inquietudo ac angor animi, ejuſque ad terrorem, & graviores affectus inſignis facilitas; ventriculi debilitas, digeſtio turbata, atque tanta alvi ſegnities, ut non niſi pilulis ſolicitata reſpondeat. Et cum ventriculi robore tali ratione labefactato, in vicem ſanguinis ac chyli laudabilis, humores impuri, acres, bilioſi generentur; non ſolum vires totius corporis proſternuntur, & pulſus arteriarum cordiſque admodum languidus fertur, verum etiam omnes ſolidæ partes, debito nutrimento orbatæ contabeſcunt.

Quæ cum ita ſint; eo jam dirigere oportet omnes curandi ſcopos, ut quæ præſto ſunt mala, convenientibus remediis debellentur, majora vero atque futura, maxime tympanitis aut hectica præcaveantur. Verum funditus exſtirpare omnem calamitatum cohortem, vel ob ſcirrhoſum uteri tumorem, qui cunctis originem præbet ſymptomatibus, erit difficillimum, & ſufficiet, ſi atroces paſſiones mitigaverimus pauliſper. Quod ergo ipſum illum uteri tumorem attinet; illum emollire, ejuſque incrementum impedire conveniet. Quam ob cauſſam experientia fultus commendo ſemen milii cum lacte, ad conſiſtentiam pultis craſſioris coctum, & intra lintea duplicata, ne humectet ventrem, nocturno præſertim tempore tumori illi adplicatum, continuando per aliquod tempus, & inſuper omne frigus, uti generatim ab imo ventre, ita præcipue ab affecto loco probe arcendo: namque hoc remedii genere tumores mammarum ſcirrhoſos, ac fere carcinomatoſos emollitos pariter atque curatos vidi.

Ut porro flatulentæ expanſiones diſcutiantur, ſimulque ventriculus cum inteſtinis corroboretur; nihil eſt præſtantius balſamo meo vitæ, extrinſecus abdomini inungendo, & ſuperimponendo lintea calefacta. Quo eodem ſcopo, & ad præcavendam cruditatum in ventriculo generationem, egregiam exſeret opem, viſcerale meum atque balſamicum Elixirium; quod ut quotidie ſub epulis ad quadraginta guttas ex hauſtu vini Hungarici capiatur, auctor ſum ſuaſorque.

Quum

Quum autem præcipuum, ut cunctarum adfectionum, ita maxime dolorificæ fluxionis in pede fundamentum, in ſcorbutica, viſcida ac bilioſa humorum vitalium intemperie latere videatur: ab interno, ac bene ordinato thermarum Carolinarum uſu, ſequentem in modum inſtituendo, præſtantiſſimum expectare licet auxilium. Poſtquam nimirum hoſce fontes acceſſerit illuſtris mulier; poſt unius diei, ad recuperandas vires permiſſæ otium, ſumtis veſperi pilularum mearum undecim, inchoëtur poſtridie aquarum potatio. Hujus ſint tria intervalla, quorum binis prioribus per ſex ſemper dies molares thermæ; ultimo per ſeptiduum ordinariæ, quas *den Brudel* dicunt, hauriantur: molares enim longe leviores magiſque ſpirituoſas fovent aquas, quam quidem ordinariæ; quippe quæ multa terreſtri ac calcarea ſcatent ſubſtantia. Primo die mane undecim aquarum vaſcula, prout ibidem ex uſu ſunt, potentur; altero quindecim vel ſedecim, tertio viginti duo: qui ſummus eſto numerus. Nimia enim aquarum moles præſenti morbo minus eſt conveniens; & hanc ob cauſſam, ſi thermæ per alvum ac urinam rite operentur, melius eſt ſequentibus diebus numerum vaſculorum imminuere. Finita ſex dierum periodo, abſtineat ægra per unam diem à potu; & ſumtis eadem veſpera iterum pilulis, alteram, ſicque etiam tertiam adgrediatur periodum. In fine curationis per biduum ſucceſſive devorentur dictæ pilulæ, ita ut veſperi ſeptem earum, totidemque mane deglutiantur. Sub hac autem potatione, præter commendatum ſuperius Elixirium, inter paſtum capiendum, pedes, ut corroborentur, quavis veſpera in pediluvia ex aquarum molarium & lactis vaccini æquali portione parata immittantur, inque eo per horæ dimidium detineantur. Non minus alternis diebus pulvis meus præcipitans cum quindecim guttis liquoris mei anodyni, ex aqua ceraſorum nigrorum adhibeatur: & denique pro potu ordinario vel acidulæ Selteranæ inſerviant, vel ſequens decoctum: Recipe hordei mundati manipulos duos, radicis ſcorzoneræ, cornu cervi raſpati ana unciam unam. M. coquantur in vaſe clauſo cum tribus aquæ menſuris; percolentur, additiſque olei de cedro ſeptem guttis, & ſacchari una uncia, in uſum adſerventur.

Poſtquam igitur, feliciter abſoluta thermarum iſtarum potatione, redux facta fuerit Baro generoſiſſima: conſultiſſimum erit, ut autumnali præſertim ac vernali tempeſtate, per aliquot hebdomades, ſingulo mane menſuram unam acidularum Selteranarum lacti aſinino nuptarum hauriat; aut ſero lactis utatur, cujus hæc eſt præparatio: Lactis recentis vaccini menſura una, additis vel vini Rhenani binis cochlearibus, vel ſucci Citri dimidio cochleari, leviter coquatur, ut coaguletur, tum percoletur, ejuſque menſura una quotidie ſorbeatur, cujus portio dimidia mane tepida, à meridie frigida potetur. Neque levem præſtabunt operam, juſcula medicata mane vel loco infuſi theiformis capienda, vel cum ſero lactis alternanda. Ad ea conficienda ſumuntur gallina in fruſta diſciſſa, tres cancri, dum vivunt, in mortario contuſi, radicum cichorei, ſcorzoneræ, chinæ, petroſelini, eboris raſpati ana uncia una, coquuntur in vaſe ſtanneo cum menſura una aquæ puræ, ſub finem tantillum ſalis communis, florum macis, ac ſucci aurantiorum additur, & ſic ſorbillatur. Præterea ter quovis anno, ſub finem ſcilicet Februarii, Septembris, ac ineunte Junio, venam in pede ſecare, atque quatuor vel ſex cruoris uncias detrahere oportet.

Et quod denique ad pharmacorum uſum ſpectat; ex iis Elixirium ſæpius dictum quotidie ab epulis ſumendum; ac per vices liquorem anodynum cum pulvere præcipitante ex aqua frigida veſperi capiendum, pilulaſque meas quandoque interponendas ſuadeo. Inprimis, inſtante menſtrua periodo, ad fluxum promovendum, per aliquot dies quavis veſpera ſeptem dictarum pilularum, vel ſolas, vel pulveri præcipitanti nuptas vehementer laudo deglutiendas. Quibus omnibus, ſi mentis tranquillitas, omniumque mœrorum atque curarum evitatio, & moderata corporis exercitatio acceſſerit: haud dubito, quin dirorum ſymptomatum exoptatum ſint allatura levamen.

---

## CASUS LXIII.

### *De cachectica corporis conſtitutione ex ſoda diuturna.*

Vir generoſus, quinquaginta quinque annorum, temperamenti cholerico-melancholici, adoleſcentiæ ſuæ periodum ſub perpetua animi hilaritate, ac illibata corporis valetudine, felix tranſegit. Verum cum partim in Academiis degens, partim in vita militari, cui nomen dederat, multis victus, potuſque exceſſibus, atque erroribus indulſiſſet, variiſque corporis defatigationibus obnoxius fuiſſet: ipſe non miratur, quod virium robur ſucceſſive labaſcere cœperit. Præſertim adhuc junior, vinis calidioribus, fumo Nicotianæ largiori, & quotidiano ſpiritus vini uſui adſuetus, id effecit, ut per triginta jam annos, moleſtam ſæpiſſime patiatur ſodam. Ab hac liberari cupiens, multos conſuluit medicos, & quam plurima uſurpavit medicamina; ex quorum numero non præſtantius ſolamen, quam ab ipſa creta percepit. Hac per viginti annos uti ſuevit, dum illius quindecim grana, vel ſcrupulum unum, imminente malo aſſumit, cum ardoris iſtius momentanea remiſſione. Quod ſi vero illam haud ceperit; horrendo cruciatu infeſtat ſoda, nec remittit, niſi vomitu vel ſponte inſequuto, vel digitis in fauces intruſis procurato. Redduntur per illum ſordes acidiſſimæ, dentes fere arrodentes; tumque per aliquot dies, prout cibos incongruos evitaverit, à malo ſuo liber eſt: quare etiam per multos jam annos, ab omnibus acidis, pinguibus, ſimilagineis, quin & potu ſpiritus vini abſtinuit, nec amplius herbam Nicotianæ ſugere ſuevit. Contra vero pulveres ſternutatorios ad hanc uſque diem, largiſſima quantitate naribus attrahere ſolet; iiſque tantum humorum ſalivalium ad glandulas pituitarias ac ſalivales adfluxum ſibimet contraxit, ut non tantum de die multum ſalivalis humiditatis & ſpuat, & naribus ploret, verum etiam noctu limpidi ſucci ex ore fluant. Præterea ciborum adpetentia magis magiſque imminui cœpit; quam reſtauraturus, ſuaſu medicorum, ſex abhinc annis acidulas Egranas, ſequenti anno Teinacenſes potavit, cum ſucceſſu feliciſſimo. Sed poſthæc vires corporis, cum adpetitu paulatim evanuerunt, maxime per noviſſimum triennium: quo, ſingulis epulis, nihil niſi aliquot juſculi, aut lactei pultis cochlearia aſſumere; carnium vero, vel ſolidioris cibi rariſſime quicquam, aut non

ultra unciam comedere valet. Neque ventriculus fert cereviſiam; in cujus locum quotidie ultra binas vini Neccarienſis menſuras potare ſoluit, quo vires aliquantulum refici putavit. Poſtquam autem tantam vini quantitatem, ventriculo à cibis vacuo, admodum inimicam diſſuaſiſſent medici, idque alvi obſtructione, qua ſæpius per aliquot dies laborat, comprobaſſent: paruit ipſorum conſiliis, vinumque tertia aquæ cum aniſo ſtellato decoctæ parte permixtum bibit. His denique moleſtiis noviſſimo anno ſupervenit violenta tuſſis, qua ſingulo mane albam tenacemque exſcreat pituitam, cum corporis contabeſcentia, ac adpetitus in dies aucta proſtratione. Quæ cum vernali hujus anni tempore, atrocioribus lateris puncturis, dorſique doloribus complicata invaleſceret: meum tandem auxilium flagitavit vir generoſus.

Datis ergo congruis medicaminibus, remiſerunt dolores, & tuſſis paullulum mitigata eſt; quam penitus conſopire eo minus conſultum judicavi, quo magis æger ſub rejectione muci, optime habet. Interim moleſtus ventriculi ardor, licet ſtrictiſſimam ſervet diætam, quotidie ferme, & tempore ſecundæ in duodeno concoctionis urget. Hinc putavi, ſodam illam ac vomitionem ex ſaburra ventriculi acida, vitio ſucci pancreatici ſuſtentata, originem traxiſſe; & poſtea partim crebris vomitibus, partim etiam continuo cretæ uſu, ventriculi robur adeo labefactatum fuiſſe, ut inde & adpetitus jacturæ, & infirmæ digeſtionis ratio poſſet ſuppeditari. Quamobrem, rejecto cretæ uſu, commendavi ad aciditatem temperandam, & ſtomachum confortandum, mixturam ex liquore terræ foliatæ tartari, tinctura ſalis tartari, & martis tartariſatæ Ludovici concinnatam: quam vero, dum non ferret ſubitaneam opem, omiſit æger, & cretæ rurſus indulgere cœpit. Adventante æſtate, & ventriculo ad potandas minerales aquas exiſtente inepto, haud alienum credidi, ad primas vias ab omni ſaburra viſcida non minus ac acida repurgandas, potationem aquarum Sedlicenſium commendare. Annuit quoque conſilio meo generoſus æger, & intra tres dies earum aquarum unam duntaxat bibit lagenam, ſumta die quarta, ex aqua ſimplici, dimidia ſalis Sedlicenſis uncia. Verum cum ſub hac curatione, ſemel tantummodo ſingula die depoſuiſſet alvum, & aquas, ſimul ac potæ erant, protinus per urinam fuiſſe redditas affirmaſſet; deſtitit ab ulteriori potatione; nec minus commendatis loco cretæ pulveribus, qui crocum martis aperitivum, oculos cancrorum citratos, terram foliatam tartari, & arcanum duplicatum habebant, uti recuſavit. Deſideravit potius exterorum ac celebrium medicorum de ſtatu illius morboſo judicium; quod inprimis abs Te, Vir Experientiſſime, flagitamus, & doceri præſertim avemus:

1. Quinam ſit præſens morbus; quæ illius cauſſa, atque origo; & num ex aſſidua tuſſi, corporis contabeſcentia, inſignique languore, ac perpetua refrigerationis ſenſatione, hecticam ſuſpicari liceat febrem.

2. Qua ratione ea mala curari ac præſervari poſſint.

*Conſilium Medicum.*

Cuncta, quæ virum generoſum graviter ſolicitant, ſymptomata, veluti continua, & per triginta annos inhærens ſoda, quam demulcere, ſeque à ſævis tormentis, vomitibuſque acidiſſimis præſervare ſolet cretæ uſu; porro copioſa ſalivæ pituitoſæ per nares fluxio, atque ſputatio, tuſſis diuturna, adpetitus jactura, alvi ſegnities, corporis contabeſcentia, viriumque decrementum, clariſſimo ſunt documento, vim ventriculi digeſtivam, à copioſa ſaburra acri & acidiſſima, in primis viis ſtabulante, admodum eſſe labefactatam. Inde vero chylus non niſi crudus, indigeſtus, ſemiacidus ac minus temperatus generatur, ac reliquis humoribus permiſcetur; à quo non tantum turbata nutritio, viriumque jactura ſuos mutuatur natales; verum etiam, dum ſeroſa tenuiorque ſanguinis portio copioſius ſecedit, largior ſputatio, multaque pituitæ è naribus ac pectore rejectio ſuam trahit originem. Eadem præterea acida humorum acrimonia præcipitat, ac veluti coërcet particulas ſpirituoſas ſulphureas, quæ bilem conſtituunt; quare ipſe ſuccus bilioſus, ad cicurandum in primis viis contentum acidum utiliſſimus, redditur iners; viſcera ſanguinea, maxime hepar, atque pancreas à craſſo ſanguine obſtruuntur, & hinc nec ex hepate ſufficiens ſpirituoſæ bilis ſecretio, nec ex pancreate lymphæ tenuioris fermentalis legitima ſequeſtratio, irreparabili digeſtionis damno, contingere poteſt.

Ad horum vero malorum, præſertim moleſtiſſimæ ſodæ tantam diuturnitatem, quotidianus ac nimius cretæ uſus contribuit: hæc enim, licet acidum promte abſorbeat, ac præcipitet, attamen nocivum adſtrictionis effectum relinquit; unde non modo graviores tunicæ glanduloſæ, quæ ventriculum, ac inteſtinum duodenum ambit, conſtrictiones, ſed alvi quoque pertinaciſſimæ inducuntur obſtipationes. In quo rerum ſtatu hectica quidem nondum præſto eſſe videtur; at quin ob digeſtionem vitiatam, & viſcera male conſtituta, cachectica corporis conſtitutio utique jam invaluerit, nullum prorſus eſt dubium; nec vanus ſane metus, ne tandem lenta febris, cum tumore pedum, ac corporis contabeſcentia inſequatur.

Quare cum periculum in mora ſit; conſultiſſimum puto, ut malo quam ocyſſime ferantur ſuppetiæ, & hac intentione cruditates primarum viarum eliminentur, blanda chylo ac ſanguini reſtituatur ſpirituaſcentia, & obſtructa reſerentur viſcera: quo ſcopo remedia amara, viſceralia, roborantia, aperitiva, & ſic dicta anticachectica uſus ſunt præſtantiſſimi. Commendo igitur vinum laxativum, quod ſic ſe habet: Recipe radicis cichorei, rhabarbari ana unciam unam, radicis pimpinellæ, gentianæ, corticis ligni ſaſſafras, limaturæ martis ana drachmas tres, paſſularum minorum uncias tres, terræ foliatæ tartari drachmas duas. C. C. M. D. S. ſpecies, quæ cum una & dimidia vini menſura infuſæ, intra ſex dierum ſpatium, mane adſumantur. Hoc potu abſoluto, ter quavis hebdomade pilularum balſamicarum, ad modum Becheri, vel Stahlii confectarum quatuordecim, cum pulvere abſorbente maritatæ veſperi devorentur. In locum potus ordinarii, feliciſſime ſubſtituantur acidulæ Selteranæ, earumque binæ partes cum una vini Rhenani commixtæ; aut etiam decoctum ſcorzoneræ ac cichorei cum vino paratum. Præterea corpus ſedulo moveatur; ac ſub epulis capiantur quadraginta guttæ Elixirii temperati, quod ex extractis amaris, cardui benedicti, centaurii minoris, ſuccino, myrrha, ſale tartari, cum vino Hungarico fit concinnatum. Quod ſi denique vires permiſerint; prævia hac commendata curatione, inſigniſſimum ab uſu thermarum,

marum, quæ in Carolinis ſcaturiunt, molarium, polliceor auxilium.

---

### CASUS LXIV.

*De cachexia cum aſthmate & tumore hydropem minante.*

QUi jam ago quadrageſimum ſextum ætatis annum, ſtatura corporis longiori prædіtus ſum, ac olim vegeta ſanitate, & integra ciborum adpetentia gaviſus fui: octo circiter abhinc annis, inſignem ſcroti pruritum, ſtillicidio quodam lymphæ tenuioris, ex affecto loco inſtar ſudoris tranſpirantis ſtipatum tolerare cœpi. Expugnaturus hanc moleſtiam, quotannis potavi acidulas Pyrmontanas, vel Schwalbacenſes; ante binos annos balneis Wisbadenſibus uſus ſum; & extra haſce curationes, acidulas Wildungenſes, vino nuptas pro potu ordinario adhibui. Quum autem hæc & alia remedia ſpem fefelliſſent; tandem ante tres circiter menſes, aquas adſtringentes loco adfecto adplicui, eo effectu, ut pruritus non minus ac lymphæ acrioris ſtillicidium brevi tempore remitterent. At vix ſublatis his adfectionibus, aliæ ſucceſſerunt longe graviores, quæ ad hanc uſque diem me habent ſolicitum. Nimirum gravi præcordiorum compreſſione cum ſibili ſenſatione, cordis palpitatione, inſignique ſpirandi difficultate, noctu præſertim diſcrucior; quibus ſymptomatibus hora matutina quinta, æſtus præternaturalis, & oris ſiccitas ſuperveniunt. Abdomen eſt tenſum, alvus obſtructa, flatuumque urget retentio, ut ſæpius clyſtere vel purgante uti cogar remedio. Mictio fit difficilior, ſed urina redditur tenuis, ac juſto rubicundior, & poſt diuturniorem paullo moram, ſedimentum deponit mucoſum ex albo roſeum, quantitate ſatis copioſa. Ciborum adpetentia ſenſim proſternitur; pedes quavis veſpera intumeſcere videntur, & abdomen, non obſtante crebriori alvi fluxu, manet tenſum & expanſum; ſed pectus, caput, artuſque ſuperiores contabeſcere cœperunt. Pulſus fertur languidus, & celer: ac denique ab omni ſpiritus vini uſu abſtineo, proque potu ordinario æſtate aquas Wildungenſes, cum vino Rhenano mixtas, hyeme cereviſiam potare ſoleo.

*Judicium cujuſdam Medici.*

Generoſiſſimus vir, & perquam ſtrenuus Chiliarcha per multos abhinc annos atrocibus ſcorbuticis in dextro pede doloribus, tam tenſivis, quam ardentibus, brachiorum lancinationibus, ac moleſtiſſimo teſtium pruritu, atque lymphæ acrioris ex illis ſtillicidio, miſere cruciatus fuit. Adhibitis præſtantiſſimis remediorum generibus, remiſerunt quidem hæc ſymptomata; at cum generoſus æger procero gaudeat corpore, & paſſionibus hypochondriacis obnoxius, inſignem ad hæmorrhoidalem fluxum poſſideat proclivitatem, teſtantibus tuberculis, haud ita pridem anum obſidentibus; factum utique eſt, ut ante aliquot menſes, aſthmate flatulento hypochondriaco, imi ventris tenſione ac intumeſcentia, pedum tumore, lotiique difficiliori mictione ſtipato corriperetur.

Cuncta vero hæcce mala, partim à ſanguinis, exitu ſuo per venas hæmorrhoidales deſtituti, ſtagnatione circa venam portæ, quæ in corporibus ſanguineis ac obeſis ob vaſorum ſanguineorum exilitatem frequentius ſolet contingere; partim ab obſtructione vaſorum minimorum, ac viſcerum abdominis ſuos procul dubio mutuantur natales: unde quoque tenſionum, preſſionum ſub coſtis ſpuriis, flatulentiarum, ſpirationis difficilis, ac ferme ſuffocativæ, aliarumque adfectionum cauſſæ ſunt repetendæ. Et quamvis horum vitiorum, præſertim inveteratorum curatio tantis circumſepta deprehendatur difficultatibus, ut potius verendum ſit, ne ex illis hydropici, vel alii immedicabiles ſuboriantur affectus: tam inauſpicatam tamen in noſtro ægrotante ferre prognoſin, ciborum adhuc integra concoctio, & color faciei floridus, & à cachectico remotiſſimus minime permittunt; neque ulla præternaturalis lymphæ extravaſatæ congeſtio, hydropis prænuncia, obſervatur. Et præterea, ſicuti probe annotant, ac experimento confirmant Acta Anglicana, ſubjecta ſanguinea, ac procera minus obnoxia exiſtunt morbis hydropicis; quoniam ſeri acrimonia, ſi quæ fuerit, per nimiam pinguedinem attemperatur, atque coërcetur.

Quod igitur tanti mali curationem attinet; in noſtro quidem ægrotante, diuturna ac fere triginta trium annorum experientia ſuffultus, ſequentem commendavi. Primum ut ſtagnationi ſanguinis ſuccurratur, venam in pede ſecandam, eamque ſectionem bis vel ter quotannis repetendam, atque ſimul duas cucurbitas cum ſcarificatione femoribus admovendas curavi. Tum in ipſo aſthmatis paroxyſmo, ad hæmorrhoidalem deſuper reſpiciens fluxum, ano infundi juſſi ſequentem clyſterem: Recipe florum verbaſci, ſummitatum millefolii ana drachmam unam cum dimidia, foliorum ſennæ drachmas duas, tartari tartariſati ſcrupulos duos, trochiſcorum alhandal, aloes lotæ ana grana quatuor, herbæ galeopſidis manipulos duos; infundantur cum ſ. q. aquæ communis ferventis e. g. unciis octo, ſtent per 24. horas in loco calido, vaſe clauſo: Colaturæ adde olei liliorum alborum unciam unam. M. D. Deinceps curæ mihi cordique fuit, ut viſcerum pariter ac alvi obſtructionem reſerarem, flatulentos vapores per inferiora expellerem, atque mictionem redderem faciliorem. Hiſce ſcopis inſervierunt ſalia alcalia, tum media fixa, tum volatilia, magneſia alba cum arcano duplicato mixta, ſal geniſtæ, abſynthii, cichorei, artemiſiæ, tartarus vitriolatus, regulus antimonii medicinalis &c. quæ remedia mane ad drachmam dimidiam propinavi. Non minus alvum purgavi, & hoc fine ſemel quavis hebdomade dedi Extractum eſulæ, vel elaterium, cum manna ſolutum, ac cremore tartari permixtum; aut per aliquot dies exhibui pilulas, quæ habebant gummi ammoniacum, aloem roſatam, extractum centaurii minoris, myrrham, ac nitrum &c. aut etiam mercurium in pilularum forma ordinavi. At ciendum urinæ fluxum, arcanum tartari liquidum, cum extracto fumariæ, & tinctura rhabarbari mixtum, & quotidie ad drachmam dimidiam datum, operæ fecit pretium. Atque, ut flatulentiæ ſuccurrerem, bis quotidie ſub epulis ſumendas juſſi ſexaginta guttas, tincturæ tartari, antimonii, ſuccini, ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato, & aliquot olei fœniculi, corticumque aurantiorum guttis maritatæ; in cujus locum nonnunquam ſubſtitui eſſentiam carminativam, quæ ex ſpiritus nitri dulcis, eſſentiæ aurantiorum ana uncia dimidia, tincturæ tartari, ſpiritus tartari, ſalis ammoniaci ana drachmis duabus, olei chamomillæ

momillæ Romanæ, atque carvi ana guttulis binis erat confecta.

Quod ſi denique aſthmaticus invaderet paroxyſmus; haud ſine ſingulari fructu dedi octoginta circiter guttulas liquoris, qui ſic habebat: Recipe florum ammoniaci in aqua ſcabioſæ ſolutorum unciam ſemis, infundatur pulveris fuliginis unciæ uni, ſtent ad tincturæ extractionem; filtretur, colaturæ adde ſalis cornu cervi drachmas tres. Filtretur & detur ad uſum. Nec irritam in ejuſmodi aſthmaticis paſſionibus deprehendi operam mixturæ, cujus hæc erat formula: Recipe aquæ aperitivæ uncias quatuor, fœniculi, veronicæ ana uncias duas, tincturæ tartari drachmas duas, liquoris cornu cervi ſuccinati, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſati ana drachmam unam, ſpiritus lumbricorum volatilis drachmas tres, ſyrupi veronicæ parum. M. D. S. mixtura, cujus cochlear unum, ſingulis binis horis capiatur.

Cæterum præter thermas ac acidulas, commendavi, ut generoſus æger, ab omnibus alimentis æque ac medicaminibus juſto calidioribus, exæſtuantibus, cibis acidis, ſalitis, aromatiſatis, flatulentis, & concoctu difficilioribus; vinis calidioribus, dulcibus, ſpiritu vini, animique commotionibus, maxime mœrore, omni ſtudio ſibi caveret. Contra vero auctor fui, ſuaſorque, ut corporis exercitatione per equitationem ac vectionem in curru ſedulo uteretur; ac denique ex vinis Moſellanum, ſuper ſale geniſtæ, abſynthii, ac petroſelini infuſum, ob virtutem, quam poſſidet, diureticam potaret.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ex litteris Viri generoſiſſimi, & adnexo ipſis judicio medici ordinarii probe intellexi; ipſum cachexia cum aſthmate, & tumore hydropem minante complicata, graviter infeſtari. Expugnaturus vero hoc malum, non modo ad ipſa morbi ſymptomata, ſed præſertim ad cauſam illius, curandi intentionem dirigere ſuevi. De qua ſi diſpiciam; eam non niſi in lymphæ acrioris ſtillicidio ex ſcroto, per aquas adſtringentes, forſan remediis mercurialibus nuptas, improvide cohibito collocandam arbitror. Hac enim factum eſt, ut acrior illa materia ad nobiliores corporis partes, maxime præcordia, & tranſverſum ſeptum compulſa, illas ad ſpaſmodicas conſtrictiones proritaverit; hinc liberum ac æquabilem humorum vitalium progreſſum impediverit, & graviora illa ſymptomata pro generaverit. Nec pauca mihi ſuccurrunt exempla, ubi ex podagra retropulſa, ſcabie improvide exſiccata, fluore albo adſtricto, & ulceribus præmature conſolidatis &c. ſimiles adfectiones, anhelitus graves, tumores œdematoſi, hydropici, artuum ſuperiorum ariduræ &c. haud ſine vitæ periculo fuerunt ſubortæ. Longe graviora vero ſymptomata, & majus periculum minantur, horum exanthematum improvidæ curationes, ſi nobiliorum viſcerum, maxime hepatis poſt ſe traxerint obſtructiones: quippe quæ curationem quoque reddunt longe intricatiorem, quam quidem eſt, ſi ſolæ adhuc ſpaſmodicæ partium nervoſarum ac membranacearum peccaverint ſtricturæ. Quum itaque in præſenti caſu, viſcera adhuc ſalva, & à labe immunia fore ſpero: nullus quoque dubito, quin curatio felici ſit potitura eventu, ſi illa rite inſtituatur, temporiſque diuturnitate ac patientia adjuvetur. Quod attinet medicamina à medico ordinario commendata; illa quidem generatim in hiſce morbis non aliena deprehenduntur; ſed jam cardo rei in eo conſiſtit, ut jam ea ſeligamus præſidia, quæ ſpeciatim præſenti malo, & viri generoſi conſtitutioni ſint adaptata. Hoc fine ab omnibus purgantibus, ac calidioribus medicinis abſtinendum, etiam atque etiam hortor; & ſequentem medicationem fore convenientiſſimam confido.

Primum quidem ſingulo mane ſex circiter vaſcula infuſi theiformis ſorbillanda ſuadeo, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ cardui benedicti manipulum unum, ſummitatum millefolii, florum chamæmeli vulgaris ana pugillos quatuor, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. D. Ante hujus potationem, pariter ac veſperi quinquaginta guttulæ liquoris mei anodyni mineralis, ex aqua florum ſambuci capiantur; & brevi ante prandium, nec non hora quinta pomeridiana drachma dimidia ſalis mei aperitivi aſſumatur. His per tres dies uſurpatis, quarta mane haud ſecus, atque præcedente veſpera ſedecim pilularum balſamicarum, quæ meæ ſunt compoſitionis, deglutiantur; eademque die à reliquis medicaminibus abſtrahatur. Tum priora per tres dies repetantur; & ſumtis quarto iterum pilulis, hæc medicatio per aliquod tempus, alternatim dicta ratione continuetur. Denique pro potu ordinario commendo ſequens decoctum, cum tertia vini Moſellani parte remixtum: Recipe ſarſaparillæ electæ uncias quatuor, radicis cichorei unciam unam, ſeminis fœniculi unciam ſemis. Cont. Cont. F. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per horam decoquantur dimidiam. Quæ ſi rite obſerventur; effectum procul omni dubio præſtabunt ſaluberrimum.

---

CASUS LXV.

*De affectu cachecticotympanitico.*

VIr quidam conſultiſſimus, annorum quinquaginta novem, temperamenti cholerico-ſanguinei, ſtaturæ procerioris, tam robuſta olim valetudine gaviſus fuit, ut præter variolas, morbillos, & acutam febrem anno ætatis vigeſimo quinto, cum in Italia degeret perpeſſam, nullos unquam toleraverit morbos. Viginti circiter abhinc annis, nocturno tempore, ex improviſo ſpaſmo quodam oris ac narium corripiebatur; quo ſponte remittente, ſanus vixit, nec ideo ullis medicinis, nec venæ ſectione, niſi inordinata uſus fuit. Interim crebram triſtitiæ, iracundiæ, aliorumque animi affectuum habuit occaſionem, ac præſertim ob duarum uxorum, & filii, ſpei optimæ, præmaturum obitum, multis acerbiſque indulſit mœroribus. Hinc ante annuum tempus corpus emacreſcere cœpit; ſed cum præterea bene haberet, ſomno frueretur placidiſſimo, ciborum, præter carnium faſtidium, integra gauderet adpetentia, ſuiſque muneribus vegetus præeſſe poſſet; parvi æſtimavit illam contabeſcentiam. Menſe demum currentis anni Aprili, ſumtis forſan inter convivium, ex ſimila ac butyro piſtis eduliis, & paullo poſt pota cereviſia triticea; accidit, ut inſequente nocte, ſubito preſſorium, vehementemque in pubis regione dolorem, cum ardore urinæ, ac veluti ſtranguria ſtipatum perciperet, & continua mingendi cupiditate, mictione vero parciori

ciori & dolore in urethræ orificio moleſtiſſimo urgeretur: qui ad hanc uſque diem, maxime ſub lotii miſſione, aut ſi curru ſuper ſtratis lapideis vectus, fortius concuſſerit corpus, vehementer affligit. Præterea ſenſit nonnunquam aliqualem ad fluxum hæmorrhoidalem proclivitatem, dum ante decennium non minus, ac circa æquinoctium vernale, noviſſime elapſum, cruoris tantillum cum fæcibus per alvum reddidit; ſed ipſe regularis fluor nunquam ſucceſſit. Quare Augeſto menſe acidulas Egranas potavit; quæ nullum quidem ſudorem, ad quem natura eſt difficillimus, moverunt; at per alvum ac urinam præſtantiſſimum ediderunt effectum; adeo ut ſub earum potatione, optime viguerit. Verum hac finita pedes primum circa taleolos, & brevi poſt ipſum abdomen tumere cœperunt; & reliquum corpus, præſertim facies magis magiſque contabeſcebat; vires proſternebantur; atque inter ſcandendum per ſcalas, ſpirandi accedebat difficultas.

Meum tandem ante quatuordecim circiter dies flagitavit conſilium. Idcirco cum ex bene ponderatis omnibus morbi momentis, non ſine ratione, viſcerum, præſertim hepatis obſtructionem ſuſpicarer, atque cachecticum utique ſtatum vererer; eo curandi ſcopos direxi, ut obſtructa viſcera reſerarentur, tonus eorum confortaretur, ſerum ſuperfluum ac ſtagnans è corpore proſcriberetur, flatus diſcuterentur, ac vis ſtomachi digeſtiva adjuvaretur. Hoc fine adhibui pulveres ſalinos reſolventes, leniter diureticos, interpoſitis martialibus, anticachecticis, ſtomachicis, ac carminativis; & extrinſecus adplicui ſacculos ac emplaſtra diſcutientia. Laxantia oretenus exhibere, & ob inſigne, quo æger illa proſequitur, faſtidium, & virium defectum timui; & potius clyſteres ano infundendos curavi; quibus fæces copioſiſſimæ, nigricantes, induratæ, cum multis flatibus educebantur, & abdomen fiebat mollius. Superveniens quoque tuſſicula, nocturno potiſſimum tempore adfligens, recenſitis remediis cedebat; & poſt topicorum uſum, pedum tumor imminuebatur.

Sed quam maxime vereor, ne aliqua viſcerum labes, & flatus tympanitico-hydropicus actu præſto ſit. Namque venter maximam habet molem; & vacuatis nequicquam clyſterum ope flatibus æque ac copioſis ſtercoribus, manet tumidus: neque minus crurum pedumque tumor, licet ſub decubitu in lectis calidis, pauliſper decreſcat, erecto rurſus corpore protinus adeſt. Urina perpauca mejitur, minimeque aſſumtorum reſpondet quantitati, colorem refert aurantium, obſcuriorem, ac rubrum deponit ſedimentum; quale eorum, qui inflammationibus laborant, lotium dimittit. Noviſſime etiam ſcrotum attollitur; & humorum jam quædam extravaſatio facta fuiſſe videtur. Nec ſilentio prætermitti debet, ægrum ſæpius, cruorem ex atro rubentem è naribus fundere; cæterum animo eſſe ſubtriſtem, & ad commotiones patheticas facillimum: pulſus percipitur debilis, ac frequens, abſque calore præternaturali; ac denique ciborum adpetentia prorſus dejecta, ſomnus turbulentus, corporiſque vires penitus proſtratæ.

### *Conſultatio.*

Symptomata, quibus virum Conſultiſſimum male haberi, ex præmiſſa morbi hiſtoria intellexi, ſunt ſane graviſſima, & magnum portendunt periculum. Niſi enim viſcera imi ventris adhuc à craſſo fœculentoque ſanguine tantum modo infarcta crederem; & ea ab omni induratione immunia haberem, ſane non poſſem, quin imminentem, imo actu præſentem corporis inferioris tumorem hydropicum, ſuperioris vero contabeſcentiam ſuſpicarer. Nec latent cauſſæ, quæ ad ingenerandum hoc grave malum contribuerunt; quas inter vita ſedentaria, motus ſufficientis expers, crebri mœrores, ac animi commotiones, hæmorrhoidum denegatus fluor, & parcior ſanguinis per ſectiones venæ miſſio, ſunt præcipuæ. Curatio porro, quam huic morbo adaptavit medicus ordinarius, ita eſt comparata, ut nihil fere ſuperſit, quod addere poſſim. Unicum adhuc monere liceat, quod nimirum in ejuſmodi tumoribus hydropicis, potentior paullo evacuatio ſit neceſſaria: cui ſcopo cum purgantia draſtica, ac vehementiora minime conveniant, feliciſſimo cum ſucceſſu ſatisfaciet infuſum mannatum, cujus hæc ſit compoſitio: Recipe mannæ electæ uncias tres, terræ foliatæ tartari, cremoris tartari ana drachmam, aquæ florum acaciæ uncias ſex: coque & ſolve leni calore, colaturæ adde eſſentiæ corticum aurantiorum, centaurii minoris ana guttas quadraginta, olei de cedro Italici guttas ſex. M. D. Hæc potio, ſingulis quatuor diebus repetenda, mane ſucceſſivis hauſtibus, interponendo potum juſculi averacei, aſſumatur.

Deinceps ad ſpaſmos demulcendos, & flatus diſcutiendos ingentem opem præſtabit liquor meus anodynus, cum quarta parte balſami vitæ maritatus, & ter quotidie ad triginta guttas ex decocto quodam, vino Moſellano nupto capiendus. Roborat ille ventriculum, & univerſum nervorum genus, urinam flatuſque pellit, & præſertim, cum febrilis nondum præſto ſit calor, egregii eſt uſus. Præterea pilularum balſamicarum, ad Becheri, Stahlii, vel meam mentem paratarum octodecim alternis circiter veſperis deglutiendas ſuadeo, & altero mane drachmam unam ſalis aperitivi ſumendam commendo, cujus hæc eſt formula: Recipe lapidum cancrorum, ſolutionis oculorum cancri, ſalis abſynthii, tartari vitriolati, ſalis Sedlicenſis ana drachmas duas, nitri antimoniati drachmam unam. M. F. pulvis. Potui ordinario conveniet decoctum ſarſaparillæ, corticis ligni ſaſſafras & Juniperini, cum tertia vini Moſellani parte remixtum: quibus, ſi res adhuc integra fuerit, reſtitutum iri ægrum, eo minus dubito; quo plures mihi occurrerunt perſonæ, quæ eodem morbo, iiſdemque remediis tractatæ, priſtinam recuperarunt ſanitatem.

---

## CASUS LXVI.

### *De morbo tympanitico.*

Matrona triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ex odore ſuaveolentium male habens, matre, quæ arthritide, nephritide, & contractura per biennium perſeverante laboraverat, nata, iiſdem articularibus paſſionibus ante aliquot annos miſere cruciata fuit. Menſium cæterum fluore, ſatis regulari, gaviſa, & tempore conjugii (ſecundas autem nuptias jam celebravit) ex vehementiori terrore ac iracundia quater abortus, quorum noviſſimo ante duos annos molam ſimul excrevit, cum copioſo ſemper ex utero cruoris profluvio ſtipatos paſſa eſt. Nihilo tamen minus ante ſeptem anni quadrantes utero gerere cœpit; fœtum geſtationis tempore in dextro abdominis

minis latere, & ultimis menſibus ante partum circa epigaſtricam regionem ſitum eſſe ſenſit; tum legitima periodo poſt vehementes labores feliciter peperit; at ſecundinis rite excretis, imminutiorem lochiorum fluxum toleravit. Et poſtquam infans, cui ipſa ubera præbuerat ſugenda, tredecim hebdomades natus, vitam cum morte commutavit; abhinc menſes & irregulares & parciores fluere cæperunt, & mammæ ad hanc uſque diem lac continent. Senſerat ante hoc puerperium in regione epigaſtrica ad umbilicum uſque, dolores obtuſos; qui, enato poſt partum in eadem regione tuberculo, magnitudine nucem avellanam ſuperante, & magis intrinſecus, quam ab extra percepto, redibant tanta moleſtia, ut ad neutrum laterum, ſed ſupina noctu decumbere cogeretur; & ideo ſomno minus reficiente frueretur. Atque noviſſimo menſe Junio, abſque ullo diætæ errore prævio, accidit noctu, ut vehementiori colica hyſterica, reſpiratione difficili, præcordiorum anxietate, & alvi obſtructione corriperetur; ſed adhibitis interne carminativis, uterinis, balſamicis, cinnabarinis, externe emollientibus, diſcutientibus, atque venæ in pede ſectione brevi tempore ab iis ſymptomatibus vindicabatur; menſes fluebant rite, & criticum alvi profluvium, abſque nullo tumoris interni decremento accedebat. Hinc ſuaſu medici ordinarii menſe Auguſto, balneis Tœplicenſibus uti cœpit; ſimulque acidulas Egranas, licet ipſi vomitum cierent, nec per colatoria iterum ab igerentur, potare debuit. Finita potatione febrem incidebat acutam, quæ balneorum ulteriorem uſum impediebat, ægramque ſanatam domum redire cogebat; ſed ſub itinere tam ob ſolis fervorem, quam æſtum internum ſiti urgebatur, nullo potu, nec aqua extinguibili. Reduci factæ abdomen magis magiſque tumebat, tumor internus fiebat grandior, adpetitus deficiebat, & demum febris intermittens, eaque irregularis ſuperveniebat. Hanc medicus ordinarius primum vomitorio ex radice Ipecacuanhæ, & arcano duplicato confecto, dein Elixirio balſamico viſcerali, & pulvere cachectico, qui habebat ſuccinum, lapides cancrorum, arcanum duplicatum antimoniatum, bezoardicum Joviale, atque olei cinnamomi aliquot guttulas, oppugnabat; alter medicus eſſentiam amaram, pilulaſque Becheri addebat. Malo non remittente, plures conſulebantur medici, quorum alter tumorem uteri ſcirrhoſum cum aſcite junctum accuſabat, & fruſtra per multas hebdomades adhibitis, varii generis medicaminibus, tam alterantibus, quam draſticis evacuantibus, tandem ſuadebat paracenteſin. Verum cum de hac inſtituenda varia moverentur dubia; exterorum medicorum opem noſtra flagitabat; variaque ab illis medicamina uſurpabat, ſcilicet antimonium martiale cachecticum, pulverem ſtomachalem Wedelii, infuſum cum vino diureticum, & anticachecticum cum limatura martis, tinctura martis Zwœlfferi, pilulas laxantes, mixturam carminativam & balſamicam ex eſſentia carminativa Wedelii, amara, & caſtorei cum oleo deſtillato mixtam; externe oleum plantaginis, & aniſi, emplaſtra de cicuta, de galbano, nec non aurum fulminans cum arcano duplicato &c. Balnea autem Laconica, ac fotus commendatos in uſum trahere recuſabat.

Interim, omnibus in caſſum datis, imus venter ad immenſam molem elevatus, expanſus, ac tympani inſtar tenſus, jam eſt; & noviſſime tumor œdematoſus pedes occupavit; ac tuſſicula levior cum aliquali ſpirandi difficultate acceſſit. Præterea adpetitus penitus dejectus, ſomnuſque turbatus, hiſce diebus ſe melius habere videntur; ſed ſumma laſſitudo, & inſigne virium decrementum valde cruciat ægram. Lotium, fruſtra ſumtis variis diureticis v. g. tinctura antimonii acri, tartari, arcano tartari, ſale polychreſto, ſolutione oculorum cancri &c. pauciſſima redditur quantitate; tumque copioſum deponit ſedimentum. Nec menſes legitimo ordine ſuccedunt; & noviſſima eorum eruptio malum exacerbare videbatur: quibus denique adnumerandi ſunt ructus ac vomitus, ſumtis epulis ſæpius ſupervenientes.

Quæ cum ita ſint; ſequentes occurrunt quæſtiones, quarum ſolutio, ab ægrotante nobiliſſima flagitatur:

1. Quonam laboret morbo, an tympania, uti quidem ex quibuſdam ſymptomatibus, borborygmis ſcilicet, inflatione ventriculi, ructibus, hypochondriorum extenſione, abdominis inflatione, ac tenſione inſtar tympani tanta, ut non cedat digitorum preſſioni, colligere licet, præſertim cum nulla aquarum fluctuatio in abdomine ſentiatur: an potius tympanitide cum aſcite complicata, id quod tumor œdematoſus, qui non ſolum pedes, ſed etiam illam abdominis regionem obſidet, cui emplaſtrum de cicuta, de ammoniaco, diachylon cum gummatibus, diaphoreticum Mynſichti &c. fuerat impoſitum, ſignificare videtur; anne denique hydatidibus?

2. Qualis ſit tumor in abdomine, an ſarcoma vel ſcirrhus uteri, anne meſenterii?

3. Num huic tumori interno, reliqua ſymptomata præternaturalia debeantur?

4. Utrum paracenteſis locum habeat? & num ea facta, ipſe tumor quadam operatione ſit tractandus?

5. Et quæ denique in uſum ſint vocanda, ut ægra vindicetur?

*Conſultatio.*

Acceptis litteris, quibus adverſa valetudo matronæ cujuſdam ſpectatiſſimæ deſcribitur, ſtatim ponderavi, perpendique mecum cuncta morbi momenta: & ex illis probe intellexi, quod cum ægra ſit temperamenti cholerici, ſanguine ſucciſque plena, largum cruorem, tam per menſtruum fluxum, quam ſub crebris, quos paſſa eſt, abortibus ex utero fuderit, deinceps vero & lochiorum & menſium parciorem excretionem tulerit, & per longum tempus, variis ſpaſmodicis, arthriticis, nephriticis, colicis, hyſtericis, vomibundis, cardialgicis, ac hypochondriacis paſſionibus agitata fuerit, non omnino fieri potuerit, quin ſub tantis tamque diuturnis ſpaſmis, non modo viſcerum internorum inſignis atonia enata, verum etiam tumor in abdomine ſubortus fuerit. Et forſitan ipſa remedia, quæ his affectibus, & inprimis abortibus, quorum cautiſſima debet eſſe curatio, oppoſita fuerunt, eam obtinuerunt indolem, ut malum magis exacerbaverint: quibus ex cauſſis viſcerum, & præſertim hepatis labem inductam eſſe, haud ſine ratione credo.

Quibus ſuppoſitis, primæ quæſtioni ſatisfacturus, morbum pro tympanitico, cum aſcite complicato habeo; licet nulla adhuc ſeri extravaſati in abdomine deprehendatur fluctuatio; namque tympaniam nimia, dura ac renitens imi ventris expanſio ſignificat. Quod autem tumorem illum internum attinet; de eo nihil certi determinare poſſum, cum nec memoretur, in quo latere hæreat, & mox in epigaſtri-

epigaſtrica, mox hypogaſtrica abdominis regione latere deſcribatur. In tanta enim incertitudine vel pro ſcirrho uteri, vel pro infarctu inferioris hepatis tractus, vel pro ſarcomate omenti, aut membranarum circa inteſtinum colon declarari poſſet; quarum opinionum ſingula vero videtur ſimillima, licet, deficiente exactiori deſcriptione, quæ illarum vera ſit, adfirmare nequeam. Quamobrem juxta tertiam quæſtionem, tumori huic primam morbi originem imputare nollem; ſed illam potius ex crebris abortibus, partu difficili, ſpaſmis nephriticis, lochiorum vitioſo ſucceſſu, paſſionibus hyſtericis, hypochondriacis atque colicis, & hinc relicta viſcerum atonia, vel etiam obſtructione derivarem; allegatum autem tumorem pro cauſſa hæc ſymptomata magis augente, & accelerante haberem.

Et in tanto, tamque periculoſo morbo tantum abeſt, ut proficuam crederem paracenteſin, ut per illam lethalem potius eventum acceleratum iri, crebra experientia edoctus ſtatuam. Neque enim, hac inſtituta, tumori ipſi ſuſpecto, nec remediis, nec manuali operatione ſuccurri poterit; ideoque illam prorſus omittendam, utique ſuadeo. Et ſi ad quintam denique quæſtionem mentem meam aperiam; morbum præſentem valde periculoſum, & fere immedicabilem judico; cum non ſolum peſſimis ſymptomatibus, veluti ſunt virium & adpetentiæ defectus, aſthma, ac urina imminuta, complicatus; verum etiam per binos jam annos tam multis, ex parte incongruis remediis plane corruptus fuerit ac depravatus. Nihilo tamen minus omne auxilium denegare haud decet: ſed ſequenti ratione malum adhuc oppugnare expediet. Primum quidem clyſteres carminativos, & decem granulis pilularum Becherianarum nuptos, ano infundendos hortor. Deinceps decocta ac infuſa vinoſa reſolventia, mediocriter roborantia, cum tartari arcano maritata; nec non ſalia abſtergentia, tartariſata maxime Anglicanum; interpoſito per vices partim pilularum Becheri, partim eſſentiarum vincetoxici, ari, petaſitidis, caryophyllatæ, gentianæ rubræ &c. uſu commendo. Nec alienum erit, trageas ex radicibus ari, hellenii, petaſitidis, diptammi albi, vincetoxici, zingibere, ſquilla, caryophyllis aromaticis, & baccis lauri paratas adhibere; & extrinſecus emplaſtrum ſaponatum Barbette, linteis incluſum, tumori admovere. Quod ſi adhuc ſpes ſalutis reſtiterit; ea ſane hac medendi via obtinebitur; in qua omnia martialia ac opiata medicamina, cane pejus & angue ſunt fugienda.

---

## CASUS LXVII.

### *De tumore hydropico cum metu tympanitidis.*

Vir quidam litteratus, annorum quinquaginta novem, temperamenti ſanguineo-cholerici, præter acutam febrem, anno ætatis decimo toleratam, & feliciter ſuperatam, illibata ac integra olim gaviſus eſt ſanitate. Vigeſimo ætatis anno præſervandi duntaxat, & plethoram imminuendi fine, venam primum ſecandam præbuit; eamque bis abhinc quotannis circa utrumque æquinoctium incidi, ſed proximo quadriennio ſemel tantummodo, ineunte ſemper vere, tundi curavit. Quadraginta annos natus, podagra primum mitiori, ſucceſſu vero temporis, ſenſim atrociori infeſtari cœpit; quæ abhinc ſingulis annis, ſed unica tantum vice rediit, nec ullis medicinis, præter Elixirium quoddam antipodagricum, oppugnata fuit. Noviſſimum illius inſultum ante ter annos menſe Maio toleravit vehementiſſimum; & abhinc omnes dolores, niſi forſan vagi & tranſitorii, penitus ſiluerunt. Verum ſucceſſit habitus corporis cachecticus; & ob diuturnos mœrores, curas, ærumnas, vitam motus expertem, mentiſque continuos labores, cum meditatione junctos, majora in dies ſumſit incrementa. Elapſo abhinc anni quadrante accedebat ſcabioſa corporis defœdatio, quæ crebra horripilatione, abſque tamen inſequente æſtu, ſtipata ad hanc uſque diem adfligit. Jungebatur ſubinde dolor dextri pedis, podagram ſimulans; ſed poſt paucos dies remittebat, & imi ventris aliqualem relinquebat intumeſcentiam. Hæc cum, per dies quatuordecim tolerata, parvi vero curata & pro flatulentia habita, ſenſim increſceret; meam tandem opem requiſivit vir eruditiſſimus.

Accitus ergo, & de retrocedente podagra certior factus, hanc per lenia diaphoretica ad pedes revocare ſtudebam; & cum alvi obſtructionem, atque imminutam mictionem jungi obſervarem; vinum medicatum leniter diaphoreticum, diureticum, ac carminativum, agarico in petia ligato, foliiſque ſennæ nuptum, cum aqua & vino infuſum ordinabam. Hujus, quantum unum vel duo vitra, quibus ad vinum bibendum utimur, continent, ſingulo mane dedi; præterea bis quotidie triginta guttas mixturæ, ex tinctura antimonii tartariſata, atque ſpiritu lumbricorum terreſtrium concinnatæ propinavi, & frequentem corporis exercitationem, præſertim moderata equitatione inſtituendam commendavi. Inde factum eſt, ut carpum dextræ manus dolores, leviſque tumor occuparent, ſpemque rediture chiragræ facerent; ſed intra biduum rurſus evaneſcerent. Hinc alvi conſtipatione perſeverante, ſcopo laxante pariter ac incidente exhibui ſal Epſomenſe, in aqua fontana ſolutum: quod cum neutiquam moveret alvum, ſed vomitu cum larga pituitæ copia redderetur; poſt aliquot dies bolum ex ſpecifici jalappæ ſcrupulo dimidio, gummi guttæ granis ſex, cum ſyrupo cardui benedicti, ac conſerva roſarum paratum, præbui deglutiendum. Alvus inde non niſi binis vicibus dejiciebatur; quare laxante ſcopo, purgantia draſtica abhorrens, non niſi extracti panchymagogi Crollii, in eſſentia alexipharmaca ſoluti, quadraginta guttulas per vices dedi, eo effectu, ut magis lubrica evaderet alvus. Præterea ad roboranda viſcera, vini generoſi hauſtum ſub epulis ſuaſi; quoniam remediorum uſum averſabatur æger: hiſque obtinui, ut melius haberet, ac inſigne ſymptomatum ſuorum perciperet levamen.

Verum paullo poſt recrudeſcebat malum; namque abdomen in majorem ſenſim elevabatur molem; pedes afficiebantur tumore œdematoſo, quæ foveas digito impreſſas, abſque ullo dolore retinebat; decumbens ſpiritum ægerrime trahebat; adpetitus imminuebatur, ſomnus turbabatur; urina mingebatur pauca, coloris aurantii ſaturatioris, cum ſedimento craſſo, roſeo & pingui cuticula, vireſque inſigniter proſternebantur. Quæ ſymptomata magis magiſque exacerbantur; & tympanitis metum incutiunt, licet nullus adhuc præternaturalis calor ſit præſto. Præſcripſi quidem pulveres temperantes, leniter diureticos, cum clyſteribus carmina-

carminativis oleoſis: at, cum malum perarduum videatur, nihil amplius, niſi Tuo, Vir Illuſtris conſilio adjutus, moliri audeo.

*Conſilium.*

Poſtquam omnia ac ſingula morbi, cujus cauſſa conſultus ſum, momenta probe mecum reputavi; virum doctiſſimum tumore hydropico, in tympaniticum tranſituro laborare deprehendi. Illum non modo ventris & pedum œdematoſa expanſio; verum etiam mictio imminuta, urina roſea, cum ſedimento indicant. Et quoniam inteſtinorum tonus adeo deſtructus, & labefactatus eſt, ut alvi aſſidua urgeat obſtructio, nec clyſteres, nec fortiora purgantia deſideratam ferant opem; juſtiſſimus utique metus eſt, ne expanſa magis magiſque inteſtina, tandem poſt ſe trahant gravem tympanitidem. Hæcce vero mala à nulla alia cauſſa, quam materia podagrica, olim ad articulos depulſa, jam vero debilitatis partim per provectiorem ætatem, partim animi affectus, nimiaſque lucubrationes viribus, intra corpus acta, ſuos mutuantur natales. Multiplici enim experientia doctus, firmiterque perſuaſus ſum, ex podagra retenta, vel ob refrigerationem corporis, animi pathemata, maximeque terrorem retropulſa, tumores aſciticos atque tympaniticos ſuboriri. Namque acris tartarea materia vel ad tunicas bronchiorum devolvitur, has ad ſpaſmodicas proritat ſtricturas, & ſic impedito libero ſanguinis per pulmones circuitu, ſpirandi difficultatem progenerat; vel ad nerveas inteſtinorum membranas deponitur, illorum tonum ac motum periſtalticum invertit, & hinc chyli ſecretionem, ſecumque alvinarum excretionem peſſumdat; vel etiam ductibus in hepate biliariis, ac urinariis incumbens, eos graviter conſtringit. Tali igitur ratione humorum noxiorum & excrementitiorum ſecretiones vitiantur, excretiones inhibentur, & maſſa ſanguinea impuritatibus acribus, ſalinis, acidis imbuitur: id quod in præſenti caſu & ſcabioſa cutis defœdatio, & vagi aſtuum dolores, teſtatum faciunt.

Quamvis autem hæc vitia in noſtro ægrotante, jam altiores egiſſe videantur radices, haud tamen abjiciendus eſt animus, ſed ſtrenue oppugnandum malum; cui quidem ſcopo ſequentem curationem deprehendi accommodatiſſimam. Per ſeptem nimirum dies ſingulo mane devorentur quatuordecim pilularum mearum balſamicarum; & veſperi ſumatur drachma una ſalis mei aperitivi, ex decocto, quod in vicem cereviſiæ, his in morbis minus convenientis, pro potu ordinario commendo, & ſic ſe habet: Recipe ſarſaparillæ electæ uncias ſex, radicis chinæ uncias tres, cichorei, glycyrrhizæ, fœniculi ana unciam ſemis. M. C. C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes, additis olei tartari per deliquium triginta guttulis, decoquantur. Quod decoctum etiam vino Moſellano permiſcere licet. Tum iterum per ſeptem dies ter quotidie capiantur ex eodem decocto guttæ quinquaginta Elixirii diuretico-antiſpaſmodici, & carminativi; cujus hæc ſit formula: Recipe tincturæ antimonii acris unciam, ſpiritus tartari, nitri dulcis ana unciam ſemis, ſalis ammoniaci cum calce viva parati drachmas duas. M. D. Et hæc medicamina ſic alternentur per aliquod tempus, ſingula ſeptimana vel pilulas, vel Elixirium adhibendo. Alvi vero ſegnitiei clyſteribus domeſticis eſt ſuccurrendum: quæ cuncta ſi rite adhibeantur; de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS LXVIII.

*De aſcite cum tympanite juncto.*

Vir quidam honeſtus, ante aliquot annos aſſidua fere, tantaque exardeſcere ſuevit iracundia; ut ſæpius in vehementes præcordiorum anxietates, inaneſque vomendi conatus ſub ipſo animi affectu inciderit. Quod ſi nonnunquam pilulis Emmanuelis Norimbergenſibus, ad quarum uſum, tanquam ſacram anchoram confugiebat, ſibimet conſulere vellet; illarum tamen ſalutaris effectus, ſuperveniente nova excandeſcentia, plerumque turbatur, vireſque naturæ adeo proſternebantur paullatim, ut male habere cœperit. Namque primum corpus contabeſcebat, adpetitus evaneſcebat, in ſcrobiculo cordis moleſta ſentiebatur preſſio, ſpirandique anguſtia, ac tanta laſſitudo, ut vix amplius obambulare valeret. Accedens forſan medicus ſectionem venæ commendabat, atque medianam in ſiniſtro brachio aperiendam ſuadebat: quæ bis fruſtra tuſa, tertia demum vice plorabat cruorem aterrimum, ac fere coagulatum, qui vix guttatim exſtillabat. Exhibebat præterea quaſdam medicinas; ſed ſymptomata, maximeque corporis languor adeo invaleſcebant, ut tandem lecto affigeretur.

Tum de æſtu præternaturali conqueri cœpit; qui dato pulvere Hallenſium antiſpaſmodico paulliſper conſopitus, poſtridie intenſior recrudeſcebat, omneſque vires penitus proſternebat, ac à medico quodam pro febre ardente maligna habebatur. Quamobrem præſcribebat coactum valde regimen; ſiquidem lectis non modo obruebatur æger; ſed, licet æſtiva fuerit tempeſtas, conclave etiam, accenſis in fornace lignis, admodum calefiebat; atque cum miliaris efflorеſcentia collum pectuſque occuparet, nec induſia permutari concedebat.

Longo tempore ſic cruciatus, tandem convaleſcebat, ciborumque redibat adpetentia: at tanta remanebat ſtomachi debilitas, ut ſimul ac cibos vel butyro frixos, vel aceto conditos aſſumeret; protinus in atrociſſimos in cordis ſcrobiculo ſpaſmos, doloreſque preſſorios incideret; qui à conſulto medico nomine colicæ flatulentæ bilioſæ inſigniebantur. Hæc ſæpius per duodecim affligebat horas, cum pertinaciſſima alvi obſtructione, & colore oculorum ac faciei icteritio ſtipata: exploſis flatibus vel ructibus mitigabatur, & vel alvi ſolutione, quæ raro fiebat, vel, quod plerumque contingebat, crebris vomitibus, vehementem tuſſim excipientibus, prorſus ſolvebatur. Temporis ſucceſſu ſponte remittebat hæc moleſtia; at in ejus locum ſuccedebat tumor œdematoſus, pedes, crura, ventremque uſque ad præcordia occupans.

Fruſtra adhibitis varii generis medicaminibus, ſuaſu amicorum herbam & radicem chelidonii plantis pedum adplicuit, eo effectu; ut pedes quidem detumeſcerent, at venter molem ſuam retineret. In tali rerum ſtatu per annum fere dimidium miſer vixit; neque tamen minus & equitare, & baculo adjutus obambulare valuit. Tandem vero circa noviſſimum æquinoctium autumnale, poſt præviam inſignem corporis laſſitudinem, increvit denuo tumor, tantaque mole & pedes & ventrem expandit, ut rumpi videantur. Ipſe tumor frigidus eſt, & ſi premi,

premitur, foſſulam, impreſſi digiti veſtigium habet, quæ tarde rurſus impletur; venter tympani inſtar expanſus; attactuque duriſſimus eſt, & umbilicus valde prominet: bibendi urget inexplebile deſiderium, lotium quantitati aſſumtorum haud reſpondet; atque corpus reliquum emacreſcit inſigniter.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Cuncta morbi mecum communicati ſymptomata ita ſunt comparata, ut nihil niſi hydropem aſcitem cum tympanite junctum redoleant, qui ſpaſmodicas ventriculi, inteſtini duodeni & ductuum biliferorum ſtricturas excepit, & ab illis originem traxit. Quando enim nervea ventriculi orificia vi ſpaſmorum conſtringuntur; coërcentur vapores halituoſi, ne exire queant: qui retenti ventriculi inflationem cauſſantur, & liberum ſepti tranſverſi motum ac deſcenſum præpediendo, ſpirationem reddunt difficiliorem. Eædem vero ſpaſmodicæ conſtrictiones, ſi ad inferiorem inteſtinorum canalem propagentur, alvum clauſam efficiunt; ductus autem biliferos occupantes, bilis tranſitum ad inteſtina impediunt; quæ ad ſanguineam reſorpta maſſam, icterum parit. Quod ſi autem orificia ventriculi relaxentur, tumque flatus & ructus libere eructentur; omnium ſymptomatum levamen inſequitur, neque minus ſtabulantes in ventriculo aut inteſtinis cruditates per vomitum rejiciuntur. Continuantibus præterea hiſce ſpaſmis, præcordia, hepar, inteſtina, & tranſverſum ſeptum in conſenſum rapientibus, comprimuntur ſimul vaſa minora venoſa, quæ ſuccos vitales ab extremis corporis partibus ad cor revehunt, horumque liber regreſſus retardatur. Quare ſtagnant in diſſitis primum regionibus, & ob moram diuturniorem dimittunt portionem tenuiorem lymphaticam; quæ in vaſa lymphatica pariter ac habitum corporis majori copia irruens, hydropicum tam pedum, quam ventris progenerat tumorem. Et ſic ratio patet, cur inflationes ventriculi, & aſthmata ſpaſmodica, affectus hydropici ſæpenumero excipiant. Neque etiam obſcura eſt prima tantorum malorum, maxime ſpaſmodicarum ventriculi conſtrictionum in noſtro ægrotante origo; quæ nimirum non niſi nimiæ ad graviores animi commotiones, & præſertim iracundiam debetur proclivitati. Hæc enim illam obtinet indolem, ut ſi præſertim paullo poſt cibi vel potus quidpiam capiatur, vel plane purgantia aſſumantur, totum ventriculi ac inteſtinorum tonum ſubito pervertat, deſtruat, & ad irregulares diſponat motiones.

Verum enim vero hi affectus hydropici, ac tympanitici, præſertim ſi fuerint inveterati, adeo ſunt pertinaces, ut paucam admodum curationis ſpem relinquant, atque remediis neutiquam obſecundent. Interim cum junior adhuc ſit ætas, ciborum ſibi conſtet adpetentia, & hepar ab omni adhuc labe immune videatur: nondum plane deſperandum puto; ſed ſequentem curationem operæ facturam eſſe pretium haud dubito. Ter nimirum quotidie Elixirii balſamici, ex ſaturatiori ſalis tartari ac nitri lixivio, extracto cardui benedicti, & corticibus aurantiorum parati, quantum cochlear capit, ex aqua florum acaciæ, vino Moſellano nupta capiatur. Tum per aliquot dies, mane pariter ac hora quinta pomeridiana adhibeatur balneum vaporoſum, ex aqua, floribus chamæmeli, & ſemine lini confectum, cujus vapor per horam dimidiam abdomini admittatur, pectore capiteque probe velatis.

His emollito corporis tumore, mane capiatur infuſum mannatum, quod ſic paratur: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari drachmam unam & ſemis, ſolve in aquæ florum acaciæ unciis quinque; adde tartari emetici ſoluti gr[illegible] tria. M. D. Poſthæc per aliquot dies iterum in uſum vocentur & balnea vaporoſa, & Elixirium balſamicum; tandemque repetito infuſi laxantis uſu, rurſus uſurpentur. Quæ ut ſecundet divina clementia, ex animo precor.

---

## CASUS LXIX.

*Siſtens Conſilium Medicum*

### *De hydrope præcavendo.*

PEr litteras requiſivit opem meam, vir quidam illuſtris, Viennæ degens, cujus morbi ideam ſequens ſuppeditabit hiſtoria: Eſt ille octo ultra ſexaginta annos natus, temperamenti cholerico-melancholici, proceræ olim corporis conſtitutionis, & in juventutis ſuæ annis ob vitam ſedentariam, multaſque meditationes ac lucubrationes, hypochondriacis obnoxius fuit paſſionibus. Interim hujus mali atrociam variis congruis medicaminibus admodum conſopivit; & præter dorſi dolores, flatulentas moleſtias, pectus potiſſimum afficientes, & uſu ſpiritus vini aniſati fruſtra oppugnatas, ſatis bene habuit, bonoque gaviſus eſt adpetitu. Verum quintus jam agitur menſis, ex quo malum illud flatulentum vehementer invaluit; ſiquidem imus venter aſſiduis vel flatibus, vel diſtentionibus, torquetur; digeſtio prorſus dejecta, adpetitus proſtratus, ſomnus turbatus vexant; & perpetua vomendi urget proclivitas, ſæpiuſque ipſo vomitu albus tenaxque redditur mucus. Imminuitur præterea urinæ excretio, mingiturque fere flammea, cum ſedimento rubro ſabuloſo: accedunt molimina hæmorrhoidalia, & parcus nonnunquam cruor cum fœcibus egeritur; intumeſcunt pedes, & reliquum corpus contabeſcit. Quam ob cauſſam ea jam incidit quæſtio, qua ratione flatulento huic malo mederi, urinæ fluxum facilitare, & illuſtrem ægrum à metuendo hydrope præcavere liceat?

Perpendi quidem mecum cuncta morbi momenta; ſed optaſſem, ut alia adhuc ad formandam prognoſin ſumme neceſſaria, fuiſſent commemorata. Nimirum an æger venam ſecandam præbere ſueverit, ac deinceps intermiſerit? an olim fluxerint hæmorrhoides, anne ſemper cœcæ, ac inordinatæ fuerint? num libera gaudeat ſpiratione, anne potius anxia ſit, ac difficilis? & utrum tumor ad ventrem penetraverit, inque primis dextrum hypochondrium ſub ſpuriis coſtis occupaverit? Quicquid vero ſit; nullum ſane ſupereſt dubium, quin præſens morbus non niſi ex circulo ſanguinis per viſcera abdominis, præſertim hepatis impedito, ac retardato ſuam traxerit originem: unde ſcilicet factum eſt, ut humores in capacioribus imi ventris venis ſtagnaverint, & per venas hæmorrhoidales exitum affectaverint: id quod aſſidui, quos olim in dorſo toleravit dolores, abunde confirmant. Retardato autem tali ratione humorum per vaſculoſum hepar circuitu, & denegato eorundem per ſedales vias exitu; ſæpius fit, ut illi intra tunicas ventriculi ac inte-

inteſtinorum valde nerveas atque ſenſibiles ſtagnantes ſubſiſtant; & hinc flatuum retentionem, alvi obſtructionem, abdominis inflationem, præcordiorum anxietatem, murmura ac tormina inteſtinorum, variaque ſontica machinentur ſymptomata; quæ perverſo vitæ genere, epulis liberalioribus, ciborum minus genuina maſticatione, vel potu incongruo ſuſtentantur magis, ac exacerbantur; & circa hybernum ſolſtitium atrociora infeſtare ſolent.

In hoc rerum ſtatu, nihil eſt convenientius, quam ut fluxum hæmorrhoidalem congruis ſubſidiis promoveamus, & ſanguinis ex pede miſſione facilitemus: quo etiam ſcopo, thermis Carolinis non eſt efficacius præſidium. Neque enim dubito, quin, ſi his aquis ſtatim ab initio morbi rite uſus fuiſſet vir illuſtris, à malo ſuo jam dudum fuerit vindicatus. Verum cum plerique medicorum hæmorrhoidale negotium haud bene perſpectum habeant; communis illorum mos eſt, ut neglecta venæ ſectione, ſtatim ad calidiora ſtomachica, & carminativa confugiant, iiſque flatibus obviam ire contendant; quin alvum, quæ plerumque ſui officii obliviſcitur, per fortiora purgantia reſerare moliantur. Hinc autem cauſſam morbi neutiquam tollunt; ſed potius ventriculi ac inteſtinorum robur, à quo adpetentiæ, concoctionis, chylificationis, & alvinæ excretionis integritas dependet, magis debilitant. Nec pauca novi exempla, ubi ægri, ex repulſa podagra, vel inordinato hæmorrhoidum ſucceſſu, ſpirandi anguſtia, & malo flatulento ſolicitati, repetito purgantium uſu, hydropicos ſibimet contraxerunt affectus: quo nomine noxioſiſſimum illud gummi guttæ, magnis celebratur laudibus, à quo tamen omnes ſinceros viros ſedulo dehortor.

Quod ſpeciatim ad præſentem attinet ægritudinem; vereor, ne cachexia hydropica, obſtructis ſucceſſive viſceribus, altas tandem agat radices; viſcera vero adhuc à graviori labe immunia, & non niſi ſanguinis & humorum ſtagnationem præſto eſſe, ob inhærentia fluxus hæmorrhoidalis molimina vero videtur ſimillimum. Atque ideo haud dubiam foveo ſpem, fore ut congrua medicatione, ab omnibus ſymptomatibus, Deo auſpice, liberari queat æger generoſus. Hæc autem, ut recte inſtituatur; ante omnia eo reſpiciendum ſuadeo, ut evitatis cunctis purgantibus, non niſi clyſterum ope alvus ſervetur lubrica, flatus deriventur & eliminentur, ac hæmorrhoidalis fluor adjuvetur. Enemata alternis diebus ano infundi, & ex florum chamæmeli manipulo uno, ſeminis cymini drachmis duabus, in aquæ menſura dimidia coctis, atque cum viginti quatuor pilularum balſamicarum, ſalis communis drachmis binis, oleique chamomillæ cochleari permixtis parari commode poſſunt. Præterea ad tonum ventriculi roborandum egregiam ſpondet operam Elixirium meum viſcerale, cujus quinquaginta guttulas ter quotidie, mane quidem ex infuſo calido, reliquo tempore ex potu ordinario aſſumere conveniet. Eidem ſcopo ſatisfaciet balſamus meus vitæ, ſi abdomini, ac ventriculo nonnunquam inungatur, ſuperimpoſitis linteis calidioribus.

His per octo circiter dies uſurpatis, abs re erit, ut ſingulo mane pilularum mearum balſamicarum, quæ magis roborante, quam laxante gaudent virtute, viginti deglutiantur; veſperique pulvis antiſpaſmodicus, interpoſito ſub epulis commendato Elixirio, aſſumatur; & hæc medicatio per octo dies protrahatur. Pro potu denique ordinario decoctum, vino generoſo vel Rhenano, vel Moſellano nuptum commendo; cujus hæc ſit formula: Recipe radicis ſarſaparillæ, chinæ, raſuræ cornu cervi ana uncias duas, herbæ cardui benedicti manipulum ſemis, ſeminis fœniculi, arcani duplicati ana drachmas duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia ex binis aquæ menſuris, per horæ dimidium decoquatur. Sed opus eſt patientia, & diuturno commendatorum medicaminum uſu: quæ, ſi res fuerit integra, procul omni dubio feliciſſimum præſtabunt effectum; quem ſummum Numen ſecundet benigniſſime.

## CASUS LXX.

*Continens relationem ſectionis, magni Germaniæ Principis, hydrope defuncti.*

Sereniſſimus Princeps, diſſectus poſt obitum, ob aquam inter cutem, ſequentia oſtendit phænomena: Imus venter, qui magna elevatus mole, inſigniter propendebat, maculis hinc inde cœruleis pictus, ac inferius in utroque inguine paululum excoriatus, aquam plorabat: ſed hæc excoriatio altero demum poſt obitum die in conſpectum veniebat. Ungues utriuſque manus cœruleo pariter ſuffuſi erant colore; atque pedes, tibiæ, genua, femora, abdomen, dorſum, undique tumebant, & foveas manibus digitiſque impreſſas diu retinebant. Nec membrum virile, maxime circa præputium; nec ſcrotum à tumore, magis tamen ventoſo, quam aquoſo, erant libera: ſiquidem diſſecata vapores continebant, & nullam aquam fovebant, quæ alias plerumque ex abdomine in ſcroti cavitatem ſolet deſcendere. Ipſum corpus attactu & intrinſecus, maxime circa hypochondria calidum erat; veluti recens mortuum ſolet eſſe.

Pertuſa abdominis cute, copioſus adparebat adeps, ſpongioſus valde, & aqua permixtus; qualis etiam in dorſo, lumbis, cruribus, ſuris, pedibuſque deprehendebatur, adeo ut adactum cultrum undique ſequeretur aquarum proventus. Secato prope umbilicum peritonæo, larga ſeri extravaſati ex abdominis cavitate proſiliebat quantitas: omentum verſus ſuperiora retractum, cæterum ſanum, more conſueto haud contegebat inteſtina. Ventriculus valde expanſus, ac veſicæ inſtar tenuiſſimus, præter copioſiſſimos flatus, nonniſi paucam pituitæ ex atro rubentis continebat copiam. Inteſtina, meſenterium, pancreas nihil præternaturale, nec ullos ſcirrhos, aut indurationes monſtrabant: neque etiam hepar ullo laborabat vitio.

Loco cyſtidis felleæ occurrebat parvus folliculus, magnitudinem nucis moſchatæ vix adæquans, ſuperius prope hepar ſitus; cujus ductus communis cholidochus, atque hepaticus, nihil alebat monſtri; at ductus cyſticus fovebat calculum felleum in eo circiter loco, ubi cum hepatico commune iter adgreditur; cæterum plane coalitus, ac in ligamentum fere mutatus videbatur. Intra ipſum folliculum tres latebant calculi, alter rotundus, major; reliqui minores oblongi: qui intra corpus hærentes, colorem ex viridi flavum, aëri autem expoſiti aurantium referebant; pondere leviores, inſipidi, conſiſtentia molliores, friabiles,

&

& materia viridescente ſpiſſiori erant obducti; quæ attactu molliſſima, inſipidaque ſub aëre flavum quoque induebat colorem. Neque vero circa hunc folliculum, vicinaſque partes, ullum bilis extravaſatæ cernebatur veſtigium.

In trunco aortæ deſcendente, infra diaphragma; prope arteriam cœliacam, locus quidam rotundus in conſpectum veniebat, qui cartilagineam, quin oſſeam aſſumſerat naturam. Lien naturali minor atque rotundior videbatur: nec non renes, maxime ſiniſter, juſto minores, ex atro bruni coloris, molles, ac flaccidi adparebant; quorum ſiniſter in ipſa ſubſtantia binas cavernulas, calculis ac ſabulo repletas, oſtendebat.

Pectus cavitate gaudebat valde parva ac anguſta; & aquæ unam circiter fovebat menſuram: contra vero pulmones juſto majores, nullam monſtrabant labem, niſi quod in dextro latere cum pleura concreti fuerint. Pericardium multa ſeri mole ſcatebat; cor à ſtatu naturali plane non recedebat, nec ulla oſtendebat concrementa.

Cranium tenue quidem, ſed ſolidum erat, nullumque prorſus ſuturarum nec in convexa, nec concava ſui parte exhibebat veſtigium. Huic tam arctis vinculis adhærebat dura mater, ut abſque vi ac læſione ſeparari non potuerit. Nec in cerebro denique præternaturalis quidpiam conſpiciebatur, niſi quod in fronte circa proceſſum falciformem tuberculum oſſeum, ac paullo poſterius tres adhuc ejuſmodi tumores viſui ſe offerrent; ac præterea ſerum in plexu choroideo extravaſatum; & quædam hyatides in cerebello obſervarentur.

---

## CASUS LXXI.

### *De rara abdominis intumeſcentia.*

MAtrona annorum quadraginta novem, quæ ſub perpetua mentis alacritate, conſtanti quoque ac illibata corporis gaviſa fuit valetudine, ante binos annos hyemali tempeſtate, poſt præviam refrigerationem, inſigni, & plus quam panico percellebatur terrore: quo factum eſt, ut poſtridie dolorificum, ac herniæ ſimilem in dextro inguine tumorem, ovi magnitudinem adæquantem perceperit. Hunc intra annuum tempus tanta excepit abdominis intumeſcentia, ut gemellos utero gerere videretur; pedes ſubinde tumore œdematoſo grandeſcebant, & ciborum deficiebat adpetentia. Cutis colorem naturalem refert, nec nimis denſa eſt, attamen digito percuſſa, tanquam tympanum ſonat: atque menſtrua à primo morbi inſultu ſuppreſſa adhuc retinentur, nec ulla arte poſſunt revocari. Conſulti medici, hydropem ſubeſſe rati, fortioribus purgantibus, ac demum aquis Wisbadenſibus illum fruſtra oppugnabant: accedebat potius febris intermittens, præter ſolita ſymptomata, inexplebili potus deſiderio ſtipata; & tandem frequenti ſalium medicorum uſu, una cum ſiti, ac pedum tumore feliciter profligata. Abhinc cibos rurſus adpetere, ſomnoque tranquillo frui cœpit; mictio pro aſſumtorum quantitate eſt ſufficiens; alvus rite reſpondet, & partes corporis ſuperiores ab omni vitio deprehenduntur immunes. Verum menſes nondum fluunt; abdominis moles eadem manet, ac antea, niſi quod flatuum eruptione paululum videatur imminui; flatus urgent, fruſtra uſurpatis varii generis carminativis; &, quod notabile eſt, ſimul ac obdormiverit, largo ac male olente ſudore tota perfunditur. Quare ſuorum ſymptomatum congruam quærit medelam.

### *Judicium cum Conſilio.*

Eſt hic affectus non unus ex multis, ſed in paucis propemodum ſingularis; qui, quoniam rarius incidit, & notis non adeo diſtincte expreſſis manifeſtatur, quandam ſane in cognoſcendo, dijudicandoque difficultatem exhibet. Poteſt enim ſpecie hydropis, vel tympanitidis oculorum judicio imponere: quo nihil propius fit, quam ut medicus inſcitior, & parum cautus, veri captus ſimilitudine, in erroneam medendi viam abducatur. Has vero hic non ſubeſſe ægritudines, id magno in primis indicio & argumento eſt, quod hydrops, cujus cunque ſit ſpeciei, non ſubito & quaſi ex tempore naſcitur in ſanis & recte valentibus; neque tumor abdominis hydropicus tam lentis incrementis grandeſcit, ut anni ſpatium requiratur: ſequitur etiam plerumque malos ſuccos corporis, & vitioſam viſcerum habitudinem; cujus in ægra noſtra nullum adparet veſtigium. Cernimus inſuper invaleſcente morbo hydropico, ſuperiores corporis partes lenta macie extenuari, & ſubtracto ciborum fructu contabeſcere, qui nutritionis defectus hoc in caſu non animadvertitur.

Quamobrem videmur nobis propius ad verum accedere, ſi huic tumori fixam ſedem, ac domicilium, circa generationis officinam adſignamus, ubi procul dubio emerſit ex ſtagnatione, ſeu potius ſeparatione ſeri nutritii; quod primo in vicinia ovarii excitavit tumorem, qui poſtea latius procurrens, atque per ipſas uteri membranas exporrectus, ibi corpus ſpongioſum, carneo membranaceum efformavit, quale concrementum nonnulli ex recentioribus molam nutritionis vocare ſolent. Cauſſam & originem hujus mali referendam eſſe putamus ad vehementem & inopinatum terrorem, cujus interventu menſtrua ſanguinis per uterum expurgatio, tunc temporis imminens, ex toto compreſſa fuit: unde ſanguis conſueto & ſolenni exitu prohibitus, retroferri, & fixa ſtatione immorari cæpit utero, inque eju- vaſis ſpiſſius, & copioſius, quam pro loci capacitate collectus, liberum humorum iter intercludendo, materiam & cauſſam ſubminiſtravit, ſeceſſioni ſeri à ſanguine, & generationi talis ſpiſſamenti, ſeu molis carneo-membranaceæ; quæ proceſſu temporis in majus extuberans, univerſum abdominis ambitum ingenti tumore implevit. Eſt etiam hic neceſſaria ipſius ætatis animadverſio, quam ſi quis ad generationem hujus mali conſpiraſſe autumet, cum vero convenienter judicari arbitramur. Nam ægra, expletis quadraginta novem annis, attigit utique illam ætatis metam, cui admotas fœminas ſecundum naturæ morem à menſtruis defici obſervamus: ac docet nos conſtans multorum temporum experientia, fœminas ſub illo ætatis flexu, quo lunare tributum ſolvere deſinunt, ſtagnationibus & ſeceſſionibus ſeri ſingulariter fieri obnoxias.

Crediderim inter initia naſcentis morbi averti potuiſſe hujus mali proventum, mature & convenienter adminiſtrata venæ ſectione; cujus præſidii neglectus laboranti utique damno & calamitati fuit. Purgantia vero hic prorſus temere & incon-

inconſulto fuiſſe adhibita, quis non intelligit? nam tumor iſte, qui incumbit abdomini, non ſubnatus fuit ex aquis, extra vaſorum alveos effuſis, ac in ventris ſpatio coëuntibus; ſed potius hæc regio inflata eſt atque intumuit ex infra poſito, & qui ſubtus circa uterum firmo ac ſtabili inhæreſcit, glomo carneo-membranaceo, qui ab exiguis initiis per pauxillos & inobſervabiles auctus, tandem ad grandiorem molem pervenit. Hic vero ætate firmatus non evelli poteſt purgantibus; unde non mirum eſt, eorum uſum nihil attuliſſe emolumenti. Eandem ob rationem fruſtraneus fuit uſus thermarum Wisbadenſium, quæ ad tale concrementum liquandum, extenuandumque plane nihil valent. Subſequutus eſt tumor pedum œdematoſus; quoniam moles iſta niſu & pondere ſuo ſubjecta vaſa illiaca vehementer coarctat, & comprimit; hinc retardato humorum per venas reditu, ſerum à ſanguine ſecedit, quod poſtea in poros ac interſtitia carnis ſeſe inſinuat.

Eſt vero inprimis, qui meditationem noſtram in ſe convertit, ſudor ille exuberans, quo fœmina, quam primum ipſi obrepit ſomnus, propemodum liqueſcit ac reſolvitur. Familiariſſime ejuſmodi ſudore madent, quorum ſucci vitales multis rejectaneis, & à naturali ſanguinis textura alienis humoribus ſunt inquinati, qui poſtea per cuticulares meatus, ſub ſomno inprimis magis laxos ac patulos, cum ſeri vehiculo è corpore effluunt. Hanc vero impuritatis labem, ægrotantis noſtræ ſanguini citra dubium adſpergit, ſordidus ac lutulentus humor, qui ex illo uterino tumore, velut ex ſentina quadam in corpus dimanat: nam quando huc aliquis appellit ſuccus, per ſe ſincerus & integer, protinus ob moram, & cunctatiorem progreſſum à naturali deſciſcit temperamento, & vitium concipit, qui poſtea receptus in venas, putida partium ſqualidarum illuvie ſanguinem univerſum contaminat.

Diſpicienda jam venit ipſa hujus inſolentioris morbi ſanatio, cujus profecto ſpes in anguſto eſt; nam recte rem æſtimantibus nobis, morbi indoles ejuſmodi eſſe videtur, ut certum auxilium plane nequeamus promittere. Quis quæſo tantum ingenio, vel arte valet, ut reſolvere, vel diſcutere poſſit molem iſtam carneo-membranaceam, quæ potius omnem remediorum vim & efficaciam eludit?

Quamobrem erepta morbum ipſum tollendi facultate, id ſaltem agendum eſt, ut vitam tueamur, aliaque incommoda, quorum metus ex neglectu hujus mali naſcitur, ut fere ſunt partium ſuperiorum conſumtio, tumor pedum œdematoſus, torminoſæ flatuum turbæ, præcordia anguſtantes, convenientibus remediis avertamus.

Atque his omnino obviam iri poterit, ſi alvi vacuationem ſalvam præſtemus tam alimentis, quæ id faciunt, quam ſubter datis clyſmatibus, aliiſque, quæ ventrem ſolvunt, eumque duriorem blande emolliunt. Deinde tale medicamentum propinare oportet, quod non provenire ſinit cruditates; quod flatus disjicit, vel foras elidit; ac denique laudabilis ac generoſioris chyli confectionem adjuvat. His autem dotibus, ſi ullum aliud, mirifice excellit Elixir noſtrum temperate balſamicum, quotidie inter cibos ſumendum; in cujus uſu ſi diutius ægra perſeveraverit, non dubitamus fore, ut egregium levamen perſentiat.

Inſuper ex toto circumcidenda ſunt omnia, quæ modo, vel materia nocent, quæ malos ſuccos fovent, quæ difficilius atteruntur à ventriculo, vel denique magnam inflationem habent. His diligenter, & cum cura ſervatis, id omnino ægra conſequetur, ut ſequuturis temporibus vacuitate plurium moleſtiarum frui, & reliquum vitæ ſpatium, melius ſuaviuſque traducere poſſit.

---

## CASUS LXXII.

### *De ſubita renis & veſicæ excoriatione à ſuppreſſo fluxu hæmorrhoidali.*

Vir annorum quadraginta quatuor, temperamenti ſanguineo-melancholici, robuſtioris corporis habitus, lauta ſemper ac opipara uſus diæta, ob narium hæmorrhagias, ſæpius intentatas, & nonnunquam parcius profluentes, juvenis adhuc multis congeſtionibus vertigine, animique deliquiis infeſtatus fuit; ſed cætera ætate provectiore rectiſſime valuit, ſuetiſque congeſtionibus, per venæ ſectiones bis quotannis inſtitutas commode ſuperſedit. Quatuor abhinc annis, poſt prævias inteſtinorum ſtricturas, hæmorrhoidalem fluxum primum expertus, & poſtea ſingulis menſibus ter vel quater abſque ullis moleſtiis paſſus eſt; niſi quod alvum ſub ipſo fluore haud ſatis liberam, mictio dolorifica, ac paullo difficilior exceperit; quæ, cum ceſſante profluvio cruento, etiam remitteret, nec urina unquam mucoſi, purulenti, vel ſabuloſi quid oſtenderet, parvi æſtimabatur, & pro effectu hæmorrhoidum haud rite ſuccedentium habebatur.

Verum ſexta jam agitur ſeptimana, quum poſt horrendum frigus, dolores tenſivi atrociſſimi dorſi ac inteſtinorum ægrum invaderent; &, non ſuccedente ſueta ſanguinis excretione, magis exacerbati, in acutiſſimum tandem renis ſiniſtri ardorem, cum mictu perquam difficili, multiſque preſſionibus ſtipatum deſinerent. Conſultus practicus, qui chirurgiam ſimul exercebat manualem, accuſabat renalem calculum; at quum nec remediis accommodatis, nec intruſo urethræ cathetere, urinæ profluxum ciere valeret; bini adhuc in auxilium vocabantur medici, qui ex accedente mictu cruento, ac vaſis hæmorrhoidalibus externis, ad digiti craſſitiem tribus in locis turgeſcentibus, erroneum naturæ in negotio hæmorrhoidali ſucceſſum ſuſpicati, tribus vaſis adplicabant hirudines. His, licet ultra menſuram ſanguinis detraherent; tantum tamen aberat, ut dolorum levamen procurarent, quin illi potius, inſultu febrili ſtipati, exacerbarentur, & per tres fere dies cruoris per urethram, plus quam lotii redderetur. Quinta tandem die poſt operoſam catheteris adplicationem, pus cum urina effluere cœpit; & horrendi renis ſiniſtri dolores remittebant: hinc removebantur cataplaſmata lumbis hactenus admota, & veſicæ regioni, ad demulcendas ſtricturas, imponebantur. Non minus, cum excreta ſanies fœtorem ſpiraret penetrantiſſimum, mixtura quædam ex decocto liquiritiæ, altheæ, therebinthina, & vitellis ovorum confecta, ope ſyringæ in veſicam mittebatur; eo quidem effectu, ut intra triduum lotium, ab omni pure vacuum excerneretur. Interim abſque catheteris auxilio nulla prorſus redditur urina; licet ſpiſſæ

caſeoſæ

caſeoſæ materiæ, quam antea chirurgus urinam provocaturus, cathetere pertundere debebat, nullæ amplius præſto ſint notæ; & poſt recrudeſcentes hæmorrhoidales paſſiones, heri ex improviſo, dexter teſticulus adparebat inflammatus. Quamobrem juſtiſſime veretur æger, ne in priſtina recidat ſymptomata; ac reſtitans forſan materia, ſpiſſiorem, quin calculoſam aſſumat conſiſtentiam; ideoque ſalutare anhelat conſilium, inque primis doceri cupit, num perforatio colli veſicæ locum habeat?

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Affectio, cujus medela à me fuit implorata, perardua ſane periculique plena eſt: ſiquidem non ren ſiniſter ſolum, ſed quoque veſica, à ſtagnante, retentoque hæmorrhoidali cruore, inflammationem pariter ac ulcerationem jam ſubiiſſe videntur. Clariſſimo hujus rei documento ſunt peracutus & ardens utriuſque regionis dolor, ſanies fœtida, & ipſe cruor cum urina effluentes: juncta vero febris, & dextri teſticuli inflammatio, malum jam altas egiſſe radices, teſtantur. Urinæ præterea retentio non alii debetur cauſſæ, quam orificii veſicæ, ab humorum affluxu, & inflammatione factæ intumeſcentiæ ac coarctationi: & optandum omnino foret, ut in ægrotante noſtro, tanquam ſubjecto ſanguinis ſuccorumque pleno, protinus in morbi principio, vena vel in brachio vel pede ſecata fuiſſet; quo factum procul dubio eſſet, ut ſanguiſugæ turgidis ani venis admotæ, feliciorem præſtiterint effectum. Verum cum neglecta fuerit ſectio venæ; non mirum, ſi hirudinum intempeſtivam adplicationem, major ſanguinis ad veſicam, tanquam ano vicinam partem affluxus exceperit. Nec negligenda ſunt remedia ad infringendum calculum adhibita, & cataplaſmata emollientia: quippe quæ ad inducendam cruoris mictionem, & maturandam ſubitaneam renis ſiniſtri ſuppurationem, quam plurimum contribuerunt.

Quo in rerum ſtatu, ea potiſſimum eſſe debet curandi intentio, ut inflammationis progreſſus omni præſcindatur ſtudio. Pretium operæ hoc ſcopo faciet ſerum lactis, loco potus ordinarii, ſufficienti quotidie ſorbillandum quantitate; quod ſequenti parari poterit ratione: Lac vaccinum recens, addito citri ſucco coquitur, ſub fine manipulo florum papaveris rhœados permiſcetur, tum percolatur, & ad abſorbendam aciditatem, cum cancrorum lapidibus & melle maritatum, uſui deſtinatur. Deinceps convenient pulveres temperantes ac nitroſi, ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum citratis, cornu cervi philoſophice præparato, & nitro purificato parati; quibus interponere expediet infuſum theiforme, quod herbas veronicæ, nummulariæ, pyrolæ, ſummitates millefolii, radicem glycyrrhizæ, & ſemen fœniculi habeat. Ex iis porro, quæ extrinſecus juvant, emplaſtrum ſaponatum Barbette, bene camphoratum, lumbis ac pubis regioni adplicandum; urethræ vero decoctum liquiritiæ, & altheæ, therebinthinæ, mellique nuptum ſuadeo injiciendum. Sed colli veſicæ perforationem, cum periculo haud careat, tanquam ſupervacaneum commendare haud poſſum remedium.

## CASUS LXXIII.

### *De calculo renum.*

Elapſis ab auſpiciis præſentis anni quatuordecim diebus, mane vix expergefactus ex improviſo, leviores primum ſpaſmos in ſcroto, ac maxime teſticulo dextro perſentiebam; quibus jungebantur inteſtinorum tormina, pungitivus in latere ſiniſtro circa regionem renis dolor; iſque ſimul atrociſſimis tormentis os ſacrum, cum ſenſatione pali eidem infixi, occupans; & denique, ſumto prandio, copioſiſſimi ſequebantur vomitus. Hæc ſymptomata ſenſim invaleſcebant, atque ſua ferocitate omnem ferme ſuperabant patientiam: alvus præterea obſtructa erat, & poſt crebros deſidendi conatus, nihil niſi mucum album, tenacemque reddebat, neque etiam flatus tranſmittebat. Imputabam itaque huic alvinæ obſtructioni, omnium adflictionum cauſſam; ad quam referandam, primum aquæ vitæ hauſtum, deinceps quinquaginta guttulas eſſentiæ, quam cortices aurantiorum præbent, & tum ſpiritum carminativum de tribus, cum eſſentia caſtorei, atque corticum aurantiorum maritatum adhibebam. Quorum omnium vim quum eluderet malum, immiſi ano moſchatos globulos; atque tum hora matutina ſecunda, cum alvi quadam libertate, & flatuum exploſione, deſideratum à doloribus obtinebam otium.

Sed ſuccedebat urinæ retentio; ſiquidem hujus aliquot tantummodo guttulas, non ſine ardore ac lancinatione urethræ, poſt magnos niſus exprimere poteram: donec accedente veſpera, per triginta horas immaniter tractatus, à cunctis liberarer moleſtiis. Abhinc ſæpiſſime redierunt memorata ſymptomata; verum nec dolorum atrocia æquiparabant priorem paroxyſmum, nec per tot inhærebant unquam horas; nec denique ſemper vomitibus, aut alvi ſegnitie juncta erant. Interim ſtranguria ſæpius me vexabat; quid? quod aliquando calculus, inſtar viciæ, abſque ullis doloribus, me inſcio cum urina excretus, ſuſpicionem affectionis calculoſæ quibuſdam moveret. At vero, cum calculum abſque doloribus urethram tranſire poſſe, non crederem; nec ullum ex parentibus, vel cognatione mihi junctis cognoſcerem, qui calculo fuiſſet cruciatus; me quoque ab eo adhuc liberum, & inventum in matula calculum, non niſi coagulum in ipſo vaſe ſucceſſive generatum eſſe, certus arbitrabar. Sed ſolitus meus paroxyſmus, qui ſequente menſe Aprili vehementer me invadebat, rei monſtravit veritatem. Poſtquam enim dolores lumborum ac oſſis ſacri ſimul & ſemel ceſſaverant; protinus urethra afficiebatur, & ego lotii retentione, ſtranguriaque acutiſſima miſer torquebar. Sumtis igitur eſſentiæ ſic dictæ dulcis octoginta guttulis, obdormiſcebam; finitoque ſopore, cum urina ſine magna moleſtia reddebam calculum, piſum magnitudine ſua adæquantem; quo excreto, liberum lotio reſtituebatur iter, & ego valebam rectiſſime, convictus, me ex calculo laboraſſe.

Hanc ob cauſſam ab omni caſei uſu, cujus eram amantiſſimus, prorſus abſtinere cœpi: neque tamen minus non modo ſub finem menſis Aprilis, calculum inſtar lentis, facili negotio excernebam; verum etiam ſequenti menſe Maio, vehementiori prehendebar inſultu. Namque ſumto prandio percipiebam in ſolitis regionibus horrendos dolores,

cum

cum vomitibus ſtipatos; nec ab eſſentia dulci mitigatos. Hora veſpertina quinta cynosbati grana, tanquam præſtantiſſimum contra calculum remedium, ex præſcripto cujuſdam amici, quantitate duorum cultri cuſpidum ſumebam; eo effectu, ut protinus ſiluerint dolores, atque cœna non minus, quam ſomno per inſequentem noctem placido uti potuerim. Sed poſtridie ab epulis recurrebant tormenta, & tandem ſequebatur calculus, ovali figura præditus; quo evacuato, in renum regione pondus quoddam impactum videbatur, & poſtquam per aliquot momenta ſederam, tantus dorſum occupabat rigor, ut ægre erectus ſtare valuerim. Hæc dorſi rigiditas per multum continuabat tempus: curabam venam in pede ſiniſtro ſecandam; ac uſurpabam pulverem, à D. Abelio in libro, quem Medicum ſtudioſorum vocant, contra calculum præſcriptum, & ſic ſe habentem: Recipe ſpermatis ceti, lapidum cancrorum pulveriſatorum ana drachmam ſemis, cinnabaris nativæ ſcrupulum, ſalis volatilis ſuccini grana ſex. M. D. Ex hujus pulveris uſu flexilius reddebatur dorſum, multumque ſabuli per lotium excernebam; quod ut omne proſcriberetur, mane hauriebam potiunculam ab eodem Abelio dicto fini deſtinatam, cujus hæc eſt formula: Recipe tartari vitriolati ſcrupulum, ſyrupi de quinque radicibus aperientibus, fragorum ana drachmas ſex, aquæ cinnamomi drachmas duas, lapidum cancrorum ſcrupulum. M. D. Hoc remedii genus illum præſtitit effectum, ut abhinc urina poſt aliquam moram ſemper depoſuerit ſedimentum, muco tenaci ſimile; quod vitro urinatorio probe agitato, inſtar nubis aſcendit, atque tum, ubi requievit, in forma rubicundi ſabuli ad fundum decumbit; ex quo, mea quidem ſententia, calculi ipſius derivo generationem. Cæterum menſe Maio adhuc aliquoties calculos minores ſine doloribus excrevi; nec ad hanc uſque diem ſueti paroxyſmi acceſſum ſuſtinui. Mictio hactenus, mox largior, & aſſumtorum quantitati ſufficiens; mox parcior fuit: neque vero ullum prætermitto ſtimulum, quin ei obſecundans, mingendo me accingam.

Ex remediis, quæ ad infringendum calculi augmentum mihi commendabantur, erat quoque allium, per nycthemeron ſpiritui vini infuſum, & in ipſo, quo luna fit nova, articulo ſumtum: quod etiam, non ſine fructu, & cum inſequente faciliori calculorum excretione, eo lubentius ſumſi; quo magis Abelius loc. cit. illud commendat, & quod acidum coagulans & lapidificans impediat, teſtatur. Quum porro in urina obſervavi ſedimentum mucoſum, ſabulum rubicundum dimittens; conſtitui tinctura ex aqua petroſelini nonnunquam uti; quippe quæ mucum incidere, attenuare, & ad exitum diſponere dicitur. Evolvi non minus varios medicorum libros; & ex quibuſdam malum meum immedicabile fore percepi, ex aliis autem vidi, non omnem adhuc ſpem penitus evanuiſſe; atque ſimul intellexi, quod curationem cautam eſſe oporteat, neque intempeſtiva pellentia, aut reſolventia adhibeantur. Vid. WEDELII *tr. de medicamentorum facultatibus cognoſcendis & adplicandis pag.* 115. Credidi ergo, me operæ pretium facturum, ſi ea uſurparem medicamina, quæ totum corpus, maximeque ſanguineam maſſam à particulis tartareis, calculi nutricibus, repurgarent: cum autem hæc ad impedienda concrementa in renibus calculoſa minus ſufficientia arbitrarer, haud alienum putavi, nephriticas interdum conjungere medicinas; quas inter commendatum ex Zwingeri tr. quem vocat *den ſichern und geſchwinden Artzt*, pulverem, pridie novilunii pariter ac plenilunii pondere unius drachmæ capiebam. Ille ſic ſe habebat: Recipe ſeminis aniſi, fœniculi, cymini, petroſelini, lapidum cancrorum ana unciam unam, ſeminis naſturtii drachmas duas. M. F. pulvis. Nec omittenda duco emollientia, aperientia, ac lubricantia; ut iiſdem viæ, per quas calculi pariter ac ſabulum abirent, fierent magis lubricæ: ac denique egregium fore eorum uſum, quæ calculum imminuunt, perſuaſus ſum: ex quorum cenſu à medicis præſcripta lego, radices ononidis, urticæ, ſemen urticæ rubræ, geniſtæ, baccas juniperi, grana cynosbati, lapidem ſpongiæ, nephriticum, ſanguinem hircinum, leporinum, teſtas ovorum in cinerem reductas, corallia rubra aduſta, lignum nephriticum, gemmas percæ, cremorem tartari cum diagrydio, calculum humanum in pulverem redactum, lapides cancrorum præparatos, ſal calculi humani, volatile ſuccini, volatile tartari, chryſtallum calcinatam &c. Quum autem magna opus ſit in adhibendis hiſce remediis, & providentia, & prudentia: nihil ſponte moliri audeo, ſed tuum, vir illuſtris, conſilium flagito.

*Conſultatio.*

Quantum ex tuis litteris, Vir Reverende, percepi; omnino mihi videris inſigni, ad calculoſam in rene ſiniſtro concretionem pollere diſpoſitione; quæ in eo conſiſtit, quod ren iſte, tono ac robore ſuo naturali privatus, & valde opportunus ſit, ad recipienda, quæ ſecretum lotium ſecum advehit, recrementa tartarea, diuturniori mora in calculum abeuntia. At remedia, quæ paſſim legiſti, & quorum permagnus in ſcriptis Medicorum reperitur numerus, ita ſunt comparata, ut majus fere damnum minentur, quam emolumentum: conſultiſſimum potius eſt, ut à prudenti medico ea ſeligantur, quæ Tuæ conſtitutioni ſint maxime accommodata; & ea ſubinde vivendi ordinetur ratio, quæ Tibi conveniat. Quamobrem ante omnia talem potum ſeligendum ſuadeo, qui levis, nec nimis exſiccans, ac ſpirituoſus eſt, & promte cum urina redditur; quo nomine cereviſiæ triticeæ, præ craſſis lupulatis in calculoſis affectionibus ſemper obtinent palmam. Præterea ex cibis fugienda ſunt cuncta acida, caſeoſa, flatulenta, & quæ alvi inducunt obſtructionem. Contra vero inter remedia duo ſunt, quæ ad præſervationem commendo; quorum alterum conſtituit infuſum theiforme, ex ſummitatum millefolii duobus manipulis, radicis liquiritiæ uncia, ſeminiſque fœniculi drachmis tribus concinnatum, & ſingulo mane ad ſex vel octo ſorbillandum vaſcula. Alterum eſt pulvis, qui ex radicis pimpinellæ nigræ, iridis Florentinæ, liquiritiæ, lapidum cancrorum ana uncia una, & olei macis guttis octo componi, & pondere unius drachmæ bis quavis hebdomade vel mane, vel veſperi adſumi poteſt. Sub ipſo autem paroxyſmo, ſi calculorum excretio difficilior ſuccedat, & dolores pariat; præſtat olei amygdalarum dulcium quatuor vel quinque cochlearia, cum drachmis duabus ſucci citri ex juſculo ſorbillare, nec non liquoris mei anodyni, qui dolores demulcet, vomituſque ſedat, quadraginta guttas nonnunquam adhibere. Quibus addere licet clyſteres oleoſos domeſticos; & ſi malum iis cedere recuſet, balneis

neis aquæ dulcis umbilico tenus per tres horæ quadrantes inſidere oportet. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi; quæ Deus reddat ſalutaria.

## CASUS LXXIV.

### *De affectione calculoſa renum cum podagra.*

Generoſiſſimus vir triginta octo annorum; temperamenti cholerico-ſanguinei, ad animi affectus, præſertim iracundiam facillimus, quam tamen ſupprimere, & artificioſe ſimulare poteſt, primos juventutis annos tam in Academiis, quam in aula Principis cujuſdam, luxu, diætæque erroribus, quos jam adultior ſtrenue fugit, tranſegit. Neque vero juvenis ullis calamitatum generibus, præter gonorrhœam preſſus fuit. Elapſis abhinc ſeptem annis in febrem acutam, tum populariter graſſantem, incidit; quæ poſt aliquot hebdomades feliciter profligata, relinquebat ſudores copioſiſſimos, nullis cedentes remediis. Tandem, ſuaſu amicorum, binas vini rubri menſuras potabat; eo effectu, ut ſudores quidem protinus ceſſarent, horrendi vero dolores, in ipſam denique podagram deſinentes pedes occuparent. Hæc podagrica affectio ſtatis poſthæc redire ſuevit temporibus; & non niſi per aliquot dies inhærens, inſequuto pedum tumore ſemper evanuit. Sed poſt biennium accedebant dolores dorſi, ac lumborum, quos ſabuli ac calculorum mictio ſequebatur. Atque hi duo affectus ſemper conjuncti erant; podagricos enim cruciatus, excipiebant dolores ex calculo; qui licet atrociores eſſent, tamen brevi temporis ſpatio, excreto calculo ac ſabulo, remittebant; & vix omni ſemeſtri recurrebant.

Verum enim vero, hoc noviſſimo anno exacerbari videntur ſymptomata: Namque decem circiter abhinc hebdomadibus invadebat pedes dolor podagricus; qui ab omni quidem tumore vacuus, ſed eo majori præcordiorum anxietate, & pectoris dolore ſtipatus, per tempus diuturnum adfligebat; atque tum in nephriticum dolorem, cum vomitibus, inteſtinorum torminibus, ac alvi obſtructione junctum terminabatur. Quæ adfectiones quamvis variis medicaminibus plurimam partem ſint debellatæ; tamen dolores lumborum per ilia ad coxendicem excurrentes, adhuc urgent, & ſabulum pariter, ac minores calculi quotidie excernuntur. Inter remedia, his malis oppoſita, eſt infuſum vinoſum laxans; & ſal volatile oleoſum Sylvii, quod æger ſub epulis capit; neque minus à tinctura quadam antinephritica, quæ nihil eſt, niſi tinctura ſalis tartari, ſolamen percepiſſe affirmat. Epulæ ob adpetentiam exiguam ſunt parciores; nec niſi boni ſucci comeduntur cibi: ſed potui indulget liberalius, vitando vina & cuncta ſpirituoſa. Abſoluta digeſtione verſus veſperam, corpus moderata equitatione exercere, & ab omnibus lucubrationibus abſtinere ſolet. Alvus, quæ in paroxyſmo clauſa eſt, extra hunc rite fungitur ſuo officio: urina mingitur valde cruda, turbida, & aquoſa, deponitque ſedimentum album mucoſum, cum ſabulo albo, calculiſque rubicundis permixtum: ſed poſt leviſſimum corporis motum, rubicundior adparet, atque cruenta, & jam parcior reddi obſervatur. Quæ cum ita ſint; tuum vir illuſtris, ad hæc mala abarcenda petit conſilium æger generoſus; & in eo determinari cupit, an liceat thermis, vel acidulis uti?

### *Conſilium.*

Recte pervenerunt ad manus meas litteræ, in quibus Viri generoſiſſimi adverſa valetudo, quæ in podagricis potiſſimum ac calculoſis affectionibus conſiſtit, ample ſatis ac copioſe deſcribitur. Quod ſi igitur cuncta morbi momenta, ſedulo mecum reputem; facile intelligo, maſſam humorum à ſalibus ſcorbuticis tartareiſque eſſe contaminatam; quorum ſubtiliora, ac volatiliora, ad articulorum ligamenta nervoſa, tendinoſaque procumbunt, & podagram conſtituunt; craſſiora vero, fixiora, atque terreſtria, in lotii forma excernenda, in renibus ſubſiſtunt; & concretiones calculoſas efformant: quæ in ureteres nervoſos impactæ, dolores, ſpaſmos, vomitus, aliaque cauſſantur ſymptomata. Harum autem ſcorbuticarum ſanguinis impuritatum primum fundamentum, procul omni dubio in hæreditaria diſpoſitione ſitum eſſe videtur; cui deinceps crebri diætæ errores, in juventute commiſſi, ac forſan præmaturum, nimiumque veneris exercitium, longe majus addiderunt augmentum; quippe quibus cauſſis, tonus ventriculi ac inteſtinorum deſtructus, & hinc minus laudabilis generatus fuit chylus. Et ſane præternaturalis ejuſmodi ſolidarum pariter ac fluidarum partium diſpoſitio, quo altiores agit radices; eo difficiliorem ac intricatiorem reddit curationem: quæ in noſtro ægrotante, adhuc omnino locum habet.

Maxima vero curationis præſervatoriæ vis, in recto vivendi genere latet: quo nomine omnes calidiores potus, cereviſias ſpiſſiores, ac valde ſaturatas, liberaliorem vini potationem. cibos crudos, ſalitos, flatulentos, acidos, nimium caſei uſum, fortiorem corporis exercitationem, maxime quæ per equitationem fit, & animi commotiones, inprimis mœrorem, cane pejus ac angue vitare oportet. Contra in locum potus ordinarii, cereviſia triticea, leviori, quæ nullam fovet aciditatem, nec flatus gignit, ſed promte vias permeat urinarias, uti; aut ſi hæc non in promtu fuerit, ſequens decoctum potare expediet: Recipe radicis chinæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, cichorei unciam, ſeminis fœniculi drachmas tres. Conc. cont. D. S. ſpecies, quarum una cum dimidia uncia ex binis aquæ menſuris, per horam decoquatur dimidiam.

Præterea operam præſtabit egregiam, infuſum theiforme mane ad ſex vel ſeptem vaſcula ſorbillandum, quod ſic parari poteſt: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, ſummitatum millefolii manipulum unum, radicis glycyrrhizæ unciam unam. Conc. Cont. D. Tum inter aquas minerales commendo acidulas Schwalbacenſes, per quatuor hebdomades ad ipſam ſcatebram potandas, & tum ſubjungenda balnea, quæ vocant *das Schlangen-Bad*, valde ſuadeo. Quemadmodum porro omnia purgantia, quæ tormina excitant, præſertim folia ſennæ, probe ſunt fugienda: ita è contrario leniora laxantia, maxime infuſum mannatum, etiam ſub acidularum potatione, nonnunquam ſumere conveniet. Tale hoc eſſe poteſt: Recipe

mannæ

mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari, terræ foliatæ tartari ana drachmam ſemis; coque & ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque; colaturæ adde olei de cedro Italici guttas quatuor. M. D. pro una doſi. Nec alienum erit, bis quotannis ex vena in pede tuſa, ſex vel ſeptem cruoris detrahere uncias. Non minus egregio cum fructu, tam præſervandi, quam curandi fine, adhiberi poſſunt liquor meus anodynus, & pulvis præcipitans, humorumque temperans acrimoniam: quibus, ſi defecerint, & ſpiritum nitri dulcem, & pulverem, ex lapidibus cancrorum, matre perlata ac nitro depurato confectum ſubſtituere licet. Contra podagricos dolores, externis emplaſtris ac unguentis uti, nihil eſt niſi oleum camino addere; melius eſt, ſolutis paululum tormentis, ad roborandas debilitatas partes, ſpiritu vini camphorato, balſamo meo vitæ nupto, pedes veſperi inungere. Quibus conſiliis ſi aures dederit generoſus æger; de felici curationis eventu neutiquam dubito.

---

## CASUS LXXV.

*De calculo renum inveterato, cum hernia ſcrotali.*

Vir quidam, duos & quadraginta annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, decimo jam quarto ætatis anno tormenta à calculo renibus illata ſenſit, tumque primum lapidem ex rene ſiniſtro excrevit. Ab eo tempore ad hanc uſque diem ren ſiniſter ab omni dolore manſit liber: atque calculi, quos poſthæc reddidit, præſertim illi duo, ætatis vigeſimo ſecundo anno excuſſi, ex dextro ſemper rene propullularunt; nec niſi levioribus ac brevioribus ſtipati fuerunt paroxyſmis. Octo jam excurrerunt anni, cum inito matrimonio, priſtino malo frequentius agitari cœperit: ſiquidem modo grandiores, modo minores abierunt calculi; verum etiam noviſſime elapſa æſtate urina ſæpius, cum multis arenulis candidioribus, rubelliſque calculis referta, abſque doloribus, fere profluxit. Præterea ante binos annos, autumnali pariter ac vernali tempeſtate, febrem toleravit tertianam; quæ uſu corticis Peruviani ſemper debellata, ultimo vere ſiluit, & non niſi Auguſto rediit menſe. Sed poſt binas acceſſiones ſponte conquievit; & ſuetum poſt ſe traxit calculoſum paroxyſmum. Neque vero priſtinis par erat; verum atrocioribus ſymptomatibus ſtipatus per octo inhærebat hebdomades. Namque dolores in dextrum renem incumbebant aſſidui; frequentes vexabant vomitiones, & ingens omnium ciborum faſtidium; urinæ mingebantur interdum cruentæ, cum nullo calculi proventu; vires ſenſim proſternebantur, & ſanguis, qui ob metum febris ſymptomaticæ, aut inflammationis renum, ex vena detrahebatur, cruſta inflammatoria obductus adparebat. Adhibitis convenientibus medicinis, tandem remittebant & vomitus, & ciborum faſtidium;ægerque adpetitum, ac vires recuperabat adeo, ut abſque moleſtia cunctis muneribus fungi, ambulare, curru vehi, decumbere jam poſſit. At vero urina adhuc eſt diluta, pallida, non nunquam ſubcruenta; dolor ſtabilis in regione dextri renis, lumborumque inhæreſcit, mox levior, mox gravior; nec per tres jam menſes, more alias ſueto, arenulæ abierunt: quæ ſymptomata metum utique faciunt, ne major lapis renem dextrum occupet, eique graviſſimas minetur læſiones.

Præter hunc affectum, alius adhuc eſt, qui permultam ægrotanti figit crucem. Nimirum quam ſibi juvenis contraxit, adhuc geſtat herniam, enteroceles nomine à medicis inſignitam; qua portio omenti ac inteſtini cujuſdam in ſcrotum delapſa videtur. Hæc vero ad trigeſimum nonum uſque ætatis annum, nullam prorſus creavit moleſtiam; & licet teſticulus dexter ſiniſtro ſemper major fuerit, atque durior, ægrum tamen neutiquam impedivit, quo minus equo vehi, ac fœcundis defungi potuerit coitibus. Sed à tribus annis, obtuſum ac quaſi tenſivum dolorem in inguinis dextri regione perſenſit, & ipſe tumor hernioſus magis grandeſcere cœpit: quos effectus æger partim atrocioribus à calculo tormentis, partim catarrhalibus, quas ſæpenumero toleravit, affectionibus imputavit. Et quamvis hi dolores in dextra inguinis regione ſint leviſſimi; attamen cum aſſidui inhæſerunt, & ſiniſtrum quoque latus occupare minantur; veremur utique, ne ex hac hernia ſimpliciori tandem fiat incarcerata. Ea enim, dum valde inveteravit, nec manu perita reponi, nec ullis ſubligaculis coërceri poteſt.

Neque cæterum ignorari oportet, ægrum per plurimos annos circa utrumque æquinoctium venam præbere tundendam; victu uti perquam regulari; non niſi triticeam potare cereviſiam, & ad excandeſcentiam eſſe facillimum. Non minus congeſtiones varias, flatulentias hypochondriacas, & alvi ſegnitiem, abſque ullis hæmorrhoidalis fluxus notis, crebro patitur; aſſiduumque pedum ſentit frigus; qui ſimul intumeſcunt.

Quæ cum ita ſint; judicium conſiliumque tuum, Vir Illuſtris, flagitamus; & ad ſequentes quæſtiones benevolam expectamus reſponſionem:

1. Quæ remedia calculoſæ renis dextri affectioni opponere liceat, ut præſens tuto eliminetur calculus, & imminens renum inflammatio, vel ulceratio arceatur?

2. Quæ in uſum vocanda ſint præſidia, ſi forſan calculus in ureteris intraverit canalem?

3. Anne ſit impoſſibile, herniam reponere; numnam nulla ſint auxilia, quibus debilitati cum toto nervorum ſyſtemate, proceſſus peritonæi adeo roborari poſſent, ut nec major eorundem relaxatio, nec incrementum herniæ, nec inteſtinorum incarceratio debeant timeri?

4. Num naturæ ac conſtitutioni ægrotantis ſit conveniens, præſervatoriam curationem quotannis inſtituere, qua ventriculus, cuncta viſcera, totumque nervorum genus confortetur, alvi excretio promoveatur, flatus diſcutiantur, circulus humorum æquabilis reddatur, & hinc recenſita mala præcaveantur?

### *Conſultatio.*

Gravia ſunt, quæ ſpectatiſſimum ægrotum immaniter tractant, vitia; quibus conſulturus, ſimulque propoſitarum quæſtionum priori: Quæ remedia calculoſæ renis dextri affectioni opponere liceat, ut præſens tuto eliminetur calculus, & imminens renum inflammatio, vel ulceratio arceatur? ſatisfacturus: non omnino poſſum, quin ſatis arduam dextri renis labem, ejuſdemque non modo nimiam relaxationem, verum

etiam

etiam ipſam ulcerationem ſuſpicer: unde partim urinæ ſubcruentæ, & ab extravaſato ſanguine tinctæ, partim ſabuli, calculique mixtio ſuam petunt originem. Jam igitur ea eſto maxima curationis intentio, ut mali tam inveterati ulterius incrementum præpediamus, majorem inflammationis, ulceriſque progreſſum inhibeamus, atque metuendam lentam ac hecticam febrem præſervemus. Quibus ſcopis aſſequendis, conſultiſſimum judico, ut more hactenus ſueto, ter quotannis vena in pede ſecetur, ſanguiniſque ſex vel octo detrahantur unciæ; cui operationi Februarius, Junius ac October menſes ſunt opportuniſſimi. Deinceps egregie conveniet potatio acidularum Selteranarum, lacti aſinino nuptarum: quæ, ſorbillata quotidie menſura una cum dimidia, & interpoſito ſingulo octiduo laxante quodam, per ſex continuandæ ſunt hebdomades. Laxans etiam ſub initium potationis aſſumi debet, & hoc fine vel quindecim pilularum mearum balſamicarum, vel infuſum mannatum erit proficuum, quod ſic ſe habet: Recipe mannæ electæ unciam cum dimidia, rhabarbari electi drachmas tres, cremoris tartari ana drachmam, coque & ſolve leni calore in aquæ petroſelini unciis quinque, colaturæ adde liquoris anodyni guttas XX. olei de Cedro guttas tres. D. pro una doſi. In hiſce ſane renum vitiis acidulis Selteranis, cum lacte aſinino mixtis, nihil deprehendi ſalubrius; quippe quæ ſanguinem à ſordibus purificant, acrimoniam temperant, & ipſi opitulantur ulcerationi: lacti vero aſinino etiam vaccinum ſubſtitui poteſt. Ad roborandas porro debilitatas partes, haud ludetur opera, ſi æger ſcrupulos duos pulveris mei præcipitantis, alternis veſperis ex aqua pura fontana ſumſerit; cui etiam ſcopo utique ſatisfaciet liquor meus anodynus, alternis pariter diebus ad viginti guttas, ex aqua frigida capiendus. Hoc enim remedii genus non modo in ipſis paroxyſmis, horrendos mitigat dolores; verum etiam præſervandi fine ad roborandas debiles partes, magnam poſſidet efficaciam. Neque minus congruum erit, ſingulo mane infuſum theiforme ſorbere, cujus ſequens ſit formula: Recipe herbæ veronicæ, ſummitatum millefolii ana manipulos duos, radicis liquiritiæ unciam dimidiam, ſeminis fœniculi drachmas duas. C. C. D. Et cum denique ad hypochondriacas paſſiones inclinet æger; non ſine fructu ſingulari adhibebit Elixir noſtrum viſcerale, tanquam præſtantiſſimum ſtomachicum, minus ſpirituoſum, quod ter quavis hebdomade vel ſub epulis, vel hora quarta pomeridiana ad ſexaginta guttas ſumi poteſt.

Hiſce ſimul quarta quæſtione ſoluta, ad alteram: Quæ in uſum ſint vocanda, ſi forſan calculus intraverit ureteres? reſpondendum duco: quod tum nihil ſit accommodatius, quam alvo per clyſteres domeſticos, largiter oleoſos ſoluta, aliquot cochlearia olei amygdalarum dulcium, cum viginti liquoris anodyni guttis ex juſculo tepidiori devorare; & loco dolenti veſicam decocto, ex floribus malvæ, ſambuci, chamæmeli vulgaris, ſemine cymini & lacte parato plenam adplicare: quibus ſpaſmi, doloreſque ſopiuntur, & partes paulliſper relaxantur, ut commode tranſire poſſit calculus.

Et quod denique tertiam quæſtionem attinet: Anne proſtent remedia, quibus relaxati proceſſus peritonæi ita queant corroborari, ut præcaveatur herniæ incrementum, & incarceratio inteſtinorum? duo ſunt, quæ hoc fine uſurpanda ſuadeo medicamina. Interne nimirum quatuordecim pilularum balſamicarum vel mane vel veſperi nonnunquam devorentur; ut earum ope ſordes pariter ac flatus, herniæ incrementum procurantes, eliminentur. Extrinſecus vero ad inguinalem regionem emplaſtrum de meliloto, cujus uncia cum binis camphoræ ſcrupulis ſit permixta, imponere; & locum affectum ab omni frigore probe munire expediet.

---

## CASUS LXXVI.

### *De affectu nephritico ſimplici.*

PLurimum Reverendus vir, temperamenti cholerico-ſanguinei, à teneris ſtudiorum amantiſſimus, poſt vitam per ſeptennium in Academiis ſub ſatis integra valetudine abſolutam, ſex annos munere ſcholaſtico, tædii pathematumque pleno tranſegit. Neque tamen minus rectiſſime valuit, niſi quod tandem pectoris adfectionibus premeretur; quæ vero, poſtquam munus, in quo crebra equitatione corpus movere potuit, ſubierat, penitus ceſſarunt; & ille, huic officio per decennium præfectus, præter catarrhalem, & interjecto biennio tertianam febres, nullis ſuccubuit morbis. Tum alio eccleſiaſtico ornatus munere, vitam ingreſſus eſt magis ſedentariam; in qua non niſi autumno, atque vere, ad viſitandas eccleſias, brevibus fungebatur itineribus; nec in hoc vitæ genere, quinquaginta jam annos natus, habebat, de quo conquereretur. Hæmorrhoides nunquam ipſi fluxerunt; ſed nonnunquam tumor fabam magnus, ani regionem occupavit, ſemperque ſponte evanuit. Præterea à quatuordecim jam annis venam ſingulo anno in brachio tundendam curare ſuevit; quæ ſuaſu medici ſemel in pede ſecata, & circa autumnale elapſi anni æquinoctium ob gravia negotia plane non inciſa eſt. Cæterum diætam obſervat ſtrictiſſimam; ſpiritum vini fugit, nec vinum, niſi inter convivia parciſſime bibit; cereviſiæ vero levioris unam cum dimidia ſub epulis potare ſolet menſuram. Natus quoque eſt parentibus ſaniſſimis, præter quod mater ante triginta annos ex calculo laboraverit; quæ abhinc ad hoc uſque tempus bene habet. Neque ipſe calculoſam unquam perpeſſus eſt affectionem, niſi quod interdum ſabulum rubicundum matulæ adhæſerit, quod medici pro ſaburra ſcorbutica habuerunt.

Verum enim vero, elapſo circiter anno, ſumtiſque forſan in prandio tribus vini Franconici hauſtibus, repente veluti ſtranguria prehendebatur; dolores in ſiniſtro lumborum latere gravativi ac tenſivi per dorſi ſpinam, juxta ureterum tractum aſcendebant, & ipſum lecto affigebant; ſed adplicatis ſacculis calidioribus, ſumtiſque pulveris antiſpaſmodici binis portionibus, intra tres horas remittebant. Poſtridie eodem tempore revertebantur eædem paſſiones, nec obſecundabant dictis pulveribus: mictionis potius aſſiduum urgebat deſiderium, urina vero guttatim exprimebatur, & graves dolores, iique tenſivi atque preſſorii ſiniſtro reni incumbebant: ipſum lotium copioſum demittebat ſedimentum, ac tandem ſabulum, cum nullo calculo. Tandem hora matutina tertia remittebant hæc ſymptomata, impoſitoque lumbis ſacculo diſcutiente, qui flores chamæmeli habebat, oleoque nervino illis inuncto prorſus evaneſcebant. Vix elapſo octiduo recrudeſcebant, & per octo horas, utut leviora inhærebant, atque moleſto ad alvum deponendam niſu, atque fæcum primo, tumque pituitæ

albæ excretione ſtipata erant. Talis paroxyſmus poſthæc bis ſingulo menſe rediit, & nec horrores, nec vomitus, ſed largos ſudores ſemper habuit comites: neque etiam extra paroxyſmum à perpetua circa internum urethræ orificium preſſione æger immunis erat.

Conſulti Medici ordinabant infuſum antinephriticum, pilulas polychreſtas, tincturam tartari, varios pulveres, pediluvia, quin & liquorem anodynum mineralem; quibus quidem muneri ſuo fungendo reddebatur idoneus, attamen moleſtam illam preſſionem per intervalla patiebatur: quæ nec tuſa in pede vena, ſed pauco detracto ſanguine, mitigabatur; nec per inſtitutam ſequenti æſtate peregrinationem depelli poterat, licet ſub hac melius haberet, & majori ciborum frueretur adpetitu. Miſſio ſanguinis, quæ noviſſimo æquinoctio autumnali inſtituebatur, mitigare videbatur gravativam illam in orificio veſicæ moleſtiam, cui pungens per vices jungebatur dolor; ſed illa mox revertebatur, & præcipuum eſt incommodum, de quo jam conqueritur æger.

Inprimis verſus epulas invadit; ſed, quamdiu his utitur, penitus ſilet: ſumtum infuſum quoddam calidum, aut potam ordinariam cereviſiam, vehementes excipiunt ad mingendum ſtimuli, cum ardore in urethra, & ſæpenumero tenſivis lumborum doloribus juncti: tumque redditur urina tenuis absque ſedimento. Sed quam jejunus mingit, citrino colore imbuta, & diluta eſt; ac poſt aliquam moram, farinaceum ad matulæ fundum deponit ſedimentum, quod agitato vitro, nubis inſtar aſcendit, tumque arenulas intermixtas oſtendit. Quum itaque malum adhuc recens, tamen pertinax videatur: opportunum utique judicat æger, ut ipſi obviam eatur, & ob illam cauſſam Tuo, vir illuſtris, uti cupit conſilio.

*Conſilium.*

Morbus, quo Vir plurimum Reverendus divexatur, adhuc eſt nephriticus ſimplex; qui niſi tempeſtivis præſidiis oppugnetur, metum omnino facit, ne in calculoſum tranſeat. Hujus autem origo non modo hæreditariæ, & à matre acceptæ diſpoſitioni; verum etiam ipſi ægrotantis ætati, quæ virilis eſt, ac denique intermiſſæ ſectioni venæ debetur. Cauſſa mali hæret in uretere ſiniſtro, ubi in veſicam ingreditur, non à calculo, ſed mucagine ſpiſſa, ſabulo permixta obducto: unde lotii deſcenſus in veſicam impeditur, & violenti ſpaſmi, doloreſque in uretere, veſica, urethra, ac vicino recto inteſtino ardentes, ſuos mutuantur natales. Præterea ſpaſmorum iſtorum atrocia, libero humorum per venas hæmorrhoïdales itineri, obex ponitur; ideoque partim tuberculorum anum obſidentium, partim teneſmi, atque excretionis materiæ pituitoſæ pellucidæ ratio luculenter patet. Præcipuus autem fomes, ex quo ſaburra pituitoſa ac arenoſa, ureteribus impacta, propullulat, non niſi in rene latet ſiniſtro; in quo, malo diutius perſeverante, ob tonum nimis laxum ac debilitatum, calculoſa concrementa facillime poterunt generari.

Quo igitur convenientes ferantur ſuppetiæ; neceſſarium ante omnia duco, ut vena in pede circa quodvis æquinoctium, quin etiam æſtivum ſolſtitium, regulariter incidatur. Deinceps adventante vere, curationem cum acidulis Selteranis oportet inſtituere; quæ etiam præſenti tempore, ſi tres earum partes cum una vini Moſellani fuerint permixtæ, vicem potus ordinarii commode explebunt. Tum excellentem operam pollicetur liquor meus anodynus; cujus quadraginta guttæ, cum pulveris præcipitantis drachma dimidia maritatæ ex hauſtu aquæ frigidæ, tam in ipſo paroxyſmo, quam extra illum alternis veſperis aſſumi poſſunt. Non minus ſingulo mane, ſex circiter vaſcula infuſi theiformis ſorbillare convenit, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ, ſummitatum millefolii ana manipulos duos, ſeminis fœniculi drachmas duas. C. C. D. Præſertim vero alvi lubricitati ſemper ſtudendum eſt; cui ſcopo vel clyſteres, vel manna, pondere unciæ unius cum cremoris tartari drachma aſſumta, optime facient ſatis. Neque minorem utilitatem ſpondent moderatæ corporis exercitationes; ſub quibus pariter ac omni reliquo tempore, pedes & dorſum in æquali conſervari debent calore. Extrinſecus denique, ſi dolorum nimia fuerit pertinacia, convenientiſſime loco affecto adplicabitur veſica, lacte calido, cum floribus ſambuci ac chamæmeli decocto repleta.

*Relatio ulterior.*

Recte & ex præſcripto uſus eſt æger commendatis præſidiis, ſed Selteranas aquas, cum illarum haud fieret particeps, potare non potuit. Accidit autem, ut dum corpus aliquando ſub itinere vehementer concuteretur, hæmorrhoides erumperent, & per octo dies moderatæ fluerent: unde quidem magnum cunctorum ſymptomatum levamen eſt inſequutum; at preſſio circa veſicam, urinæ ardor, atque ſabuli mictio adhuc inhærent. Quare ulterius petit auxilium.

Commendavi itaque, ut uſui præſcriptorum medicaminum diutius inſiſteret, & corporis exercitio ſedulo ſtuderet; quoniam affectus ejuſmodi, temporis diuturnitate potiſſimum expugnantur. Præterea vero, cum acceſſerunt hæmorrhoides; pilularum balſamicarum quatuordecim nonnunquam capiendas ſuaſi.

---

## CASUS LXXVII.

### *De dolore nephritico cum numeroſa calculorum excretione.*

VIr quidam illuſtris, annorum quadraginta ſex, temperamenti ſanguinei, robuſtæ conſtitutionis, parentibus ſaniſſimis natus, & à teneris rectiſſime valens, venatoriæ rei ſemper fuit amantiſſimus, atque ruſticulas venando perſequuturus, in locis humidis ac paludoſis ad ventrem uſque obambulare ſolitus, inſignem non raro toleravit refrigerationem. Hinc ad hanc uſque diem tanto frigore algent pedes, ut nec calidiſſimis foveri queant linteis. Præterea per decem jam annos, ſingulo fere menſe, cruorem per ſedales venas excernere ſuevit copioſiſſimum; neque minus ſemel quotannis, nonnunquam bis venam tundendam præbuit; & per totum illud tempus à cunctis inteſtinorum torminibus, aut ſpaſmodicis vel hypochondriacis ſymptomatibus vixit immunis.

Verum tertius jam agitur annus, ex quo acerbiſſimi, atque more infixi aculei pungentes dolores in renem ſiniſtrum incumbebant, tanta acerbitate, ut æger nec ſtare, nec ambulare poſſet. Interdum excurrebant hæc tormenta ad imum ventrem; vomitibus, ac ſummo ciborum faſtidio ſtipata: & binis abhinc annis calculorum triginta duo

une

uno impetu ſub atrociſſimis doloribus excernebantur; cunctorumque ſymptomatum levamen poſt ſe trahebant. Neque vero ab illo tempore conquieſcebant tormenta à calculo illata, ſed per intervalla cum vomitione, atrocique ad alvum, urinamque reddendam ſtimulo, tanta ſæpius adfligebant ferocitate, ut morti videretur vicinus; donec tandem lapides cum multa pituita excuſſi, ſolamen inferrent. Interim ſingulis binis menſibus fluebant hæmorrhoides; & poſt fortiorem equitationem, cruenta ſæpenumero mingebatur urina.

Victu cæterum ſatis ordinato utitur, niſi quod acidis interdum delectetur cibis; vinique vel Rhenani, vel Moſellani unicam quotidie potet menſuram. Tandem Carolinas thermas ſub recto regimine per viginti duos bibit dies; ſubque hac potatione decem, viginti, quin triginta quotidie excrevit calculos. Urina profluxit craſſa, ac uberrimo muco plena, qui ſiccatus, & candentibus injectus prunis, volatilem ac fœtidiſſimum ſparſit odorem. Calculi fuerunt albicantes, vel potius horum contractæ partes; & quod reliquum eſt, ab uſu dictarum thermarum bene habuit.

Ex his luculenter adparet, atrocium paſſionum, quibus vir illuſtris male habetur, cauſſam, concremento calculoſo, renem ſiniſtrum obſidenti, & inde per meatus urinarios ad veſicam devoluto in acceptis eſſe ferendam. Quum igitur thermæ Carolinæ non ſine inſigni fructu adhibitæ fuerint: ſcire deſideravit æger, num ipſi balnea Tœplicenſia ſint profutura; atque quibus remediis graviora ſymptomata ſubinde poſſint præcaveri?

Quod ergo attinet horum balneorum uſum; ego quidem illum minime diſſuadere poſſum. Namque hæ thermæ ob leviores, ac ſubtiliores, quas fovent, aquas, potenter penetrant cutis poros, tumque fibras tenſas emolliunt, motum ſanguinis ad partes exteriores, totumque corpus egregie promovent, hinc circulum humorum per interiora reddunt æquabilem, omneſque ſpaſmos, ac dolores, vi blandi caloris pariter, ac humiditatis demulcent. Sed probe cavendum, ne juſto ſint calidiores hæ aquæ; quare feliciori ſucceſſu ex ſcatebra intra conclave deportantur; ibidemque illis tepidioribus, & affuſione calidioris in æquali tepore conſervandis, ſingulo mane, umbilico tenus per integram horam inſideatur. Tum lectus petatur, & hauſtis in eo aliquot infuſi theiformis vaſculis, lenis expectetur ſudor. Hæc, ſi contulerint, per ſex continuari poſſunt dies; quod ſi vero ſanguinem nimis commoverint, & urina plane cruenta adparuerit; abſtinendum ab illis, & potius pediluviis, quibus ſingula veſpera pedes ad genua uſque immittantur, utendum ſuadeo; quæ etiam, ſi mane in balnea deſcenditur, veſperi adhiberi licet. Quæcunque horum præſidiorum in uſum vocentur; præſtat, ut eo melius orgaſmi ſanguinis ſopiantur, veſperi, vel portionem pulveris mei præcipitantis, vel quinquaginta liquoris anodyni guttas adſumere; atque ne ſegnis ſit alvus, ſub epulis pruna cocta, vel paſſulas comedere; hiſque minus ſufficientibus, unciam mannæ, cremoris tartari drachmæ uni nuptam mane ex juſculo quodam devorare.

Abſoluta hac curatione, redux factus vir illuſtris, ut ſingulo mane, pariter ac hora pomeridiana quarta per quatuor ſucceſſive hebdomades, quatuor vaſcula ſequentis infuſi theiformis ſorbeat, etiam atque etiam hortor; Recipe radicis altheæ, eryngii ana unciam unam, herbæ veronicæ, hederæ terreſtris, ſcabioſæ, urticæ mortuæ, fragariæ, conſolidæ ſaracenicæ ana manipulum unum, ſummitatum millefolii, florum malvæ, hyperici, chamomillæ vulgaris ana manipulum ſemis, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati, nitri purificati, ana drachmas duas, Conc. Cont. D. S. ſpecies; quarum uncia dimidia cum menſura aquæ puræ dimidia coquatur. Excellentiſſima enim eſt, quam hoc decoctum in purificandis renibus, eorumque ulcere conſolidando præſtat, virtus.

Quod autem jam attinet præſervatricem medelam: notari primum meretur, quod recta ſit ineunda victus ratio. Quo nomine cuncta acida, tam edulia, præſertim acetum, quam potulenta veluti ſunt Rhenana vel Moſellana vina omni ſtudio evitare oportet; quorum in locum ad roborandum ſtomachum, hauſtus vini generoſi dulcioris ſub epulis concedi poteſt. Cavere porro convenit ab omnibus cibis flatulentis, lacticiniis, caſeo, fortiori corporis motu, maxime per equitationem, & omni refrigeratione.

Deinceps conſultiſſimum erit, ter quotannis, nimirum Februario, Maio, atque Septembri menſibus venæ ſectionem in pede celebrare; atque pediluviis, quæ ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, cineribuſque clavellatis parantur, crebro uti. Potus ordinarii loco commode inſerviet hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, graminis, fœniculi, aſparagi ana uncias duas, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi, nitri depurati ana drachmas duas. Inc. cont. D. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia, ex menſura una & ſemis aquæ puræ, addita paſſularum minorum uncia ſemis, per horam dimidiam decoquatur.

Ut porro ſaburra acida, tanquam pabulum concretionis calculoſæ, temperetur, mucus reſolvatur, ac per urinam evacuetur; bis quavis hebdomade, vel mane, vel veſperi drachmam dimidiam ſequentis pulveris capiendam ſuadeo: Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, lapidis lyncis, cochlearum uſtarum, ſeminis lycopodii, arcani duplicati, nitri depurati, ana drachmam unam, olei macis guttas ſex, M. F. pulvis. Alvus ſi fuerit clauſa, tam intra, quam extra paroxyſmum; evitatis omnibus purgantibus, beneficio clyſterum, ex decocto avenaceo, floribus chamæmeli, oleo amygdalarum dulcium, butyro, atque ſale communi confectorum ſolvenda; vel manna interne cum oleo amygdalarum dulcium ſumta molienda eſt.

Et denique in ipſis paroxyſmis, ſi magna urget dolorum vehementia; præſtantiſſimam opem ferent, vel liquor anodynus mineralis; vel ipſum oleum amygdalarum dulcium, ſucco citri nuptum, & ex juſculo capiendum; vel etiam balnea, ex iiſdem, quæ pediluvia conſtituunt, ſpeciebus parata. Quibus, ſi futuro vere, thermarum Carolinarum potatio adjungatur; de feliciſſimo curationis eventu nullus dubito.

---

## CASUS LXXVIII.

### *De mictu cruento.*

Puella duodecim annorum, temperamenti ſanguinei, corporis tenerioris, infantilibus nondum perfuncta morbis, patre ex incoërcibili hæmoptyſi mortuo, matre vero, quæ ſanguinis, ſuccorumque pleniſſima eſt, nata, à teneris ferme ad hoc uſque tempus, ſanguinem cum urina reddere fue-

ſuevit, hiſque ſimul cruciatur ſymptomatibus. Color faciei primum expalleſcit, ipſa toto corpore languet, adpetitus ciborum perit, præſertim carnes abhorret, nauſea fit, mentis incidit deliquium; tum mejitur urina craſſa, inſtar cereviſiæ, & ubi per quietem ſubſedit, ſedimentum nigricans cernitur. Sæpius atrocia junguntur tormenta; tumque antecedit horror, ſequitur æſtus ac ſitis, atque ſuccedunt dolores in regionem ſiniſtri, noviſſime etiam dextri renis, incumbentes, & abhinc ad oſſa pubis, fundumque veſicæ excurrentes. Præterea crus affecti lateris obtorpeſcit; tandemque vomendi ſuperveniunt conatus, ac ipſæ vomitiones, dolorum levamen inferentes. Quando igitur tormenta, infuſis clyſteribus, datiſque convenientibus medicinis, poſt aliquot dies conquieverunt; mictio adhuc per quoſdam dies fertur cruenta, abſque ſabuli nota; tum redeunt vires, lotium fit tenue ac naturale, ægra recuperat adpetitum, ſomnumque ac rectiſſime valet, donec poſt intervalla quatuor, vel ſex hebdomadum, abſque ullis cauſſis datis, revertatur idem paroxyſmus.

Oppugnatum hactenus fuit hoc malum variis medicaminibus; datum nimirum extra paroxyſmos eſt infuſum theiforme ex herba conſolidæ ſaracenicæ, pyrolæ, radice altheæ, ac ſymphyti concinnatum; detractæque ex vena in pede pronuper tuſa, binæ circiter cruoris admodum ſpiſſi unciæ, eo effectu, ut à paroxyſmis longius fuerit otium. Potavit porro ægra acidulas Uberlingenſes, prope Ulmam ſitas, per tres hebdomades, iiſque in balneo uſa eſt. Sub hac curatione ſiluerunt quidem cuncta ſymptomata; at ea abſoluta, omnino redierunt, & præter conſuetudinem, prævio calore præternaturali, effloreſcentia macularum nigrarum, inſtar morſus pulicum ſtipata fuerunt; quæ tamen quinto morbi die cum æſtu ſponte evanuerunt, atque alvi ſolutionem reliquerunt. Abhinc continua ferme fuit ſanguinis mictio; nec ullis paruit medicinis, quas inter trochiſcos de Carabe cum bolo armena mixtos aſſumſit: attamen juncti dolores, adhibito remedio, quod ex pulveribus radicis altheæ, farina hordei, bolo armena, ſpeciebus diatragacanthæ frigidis, ſemine portulacæ, radice liquiritiæ & ſaccharo penidio paratum, inque lacte calido datum fuit, protinus remiſerunt. Nec irritus olim fuit effectus pulverum præcipitantium cinnabarinorum, nitroſorum, liquoris anodyni mineralis, eſſentiæ millefolii ac caſcarillæ nupti, ac tincturæ antimonii acris &c. nihilo tamen minus adhuc inhæret morbus; cujus medelam flagitamus.

### *Conſultatio.*

Rariſſima ſane, notatuque digniſſima eſt mictio illa cruenta, cujus cauſſa conſultus ſum, cujuſque tam diuturnæ, & cum primis fere incunabulis invadentis, mihi per annos quinquaginta facienti medicinam, nullum ſane occurrit exemplum. Namque cum hic morbus, ſenili potiſſimum ætati ſit proprius; admiratione dignum eſt, quod jam in tenera ſe exſeruerit infantia. Et niſi forte corruptio ulceroſa renes occupaverit, ſpem foveo certiſſimam, fore ut accedente menſtrua excretione hæc moleſta ceſſet adfectio. Ut autem interea, quantum fieri poteſt, malo feramus ſuppetias; conſultum judico, ab omni vino ac cereviſia abſtinere, & pro potu uti decocto ſequenti: Recipe ligni ſantalini flavi, rubri, lentiſci ana unciam unam, radicis ſcorzoneræ, chinæ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, florum papaveris rhœados pugillos quatuor, corticis ligni ſaſſafras unciam dimidiam. C. C. D. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia ex binis aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes, additis paſſulis minoribus, decoquatur. Quod ſi haud arriſerit; illud alternari poteſt cum ſero lactis dulci, ſequenti ratione parando: Lactis caprini recentis binæ menſuræ, ſucco citri, quantum cochlear capit, permixti, leniter coquantur, tum, ut caſeoſa ſeparetur ſubſtantia, percolentur, & denique cum drachmis duabus oculorum cancrorum, & dimidia mellis uncia maritentur, proque uſu aſſerventur.

Præterea non ludetur opera, ſi bis quavis hebdomade alvus blande purgetur, cui ſcopo ſequens inſervit pulvis: Recipe rhabarbari ſcrupulum unum, cremoris tartari grana duodecim, nitri grana tria. M. F. pulvis. Nec incongruum erit, alternis veſperis ſequentem pulverem aſſumere: Recipe radicis glycyrrhizæ, oſſium ſepiæ ana drachmas duas, ſuccini præparati, ſeminis lycopodii ana drachmam unam. M. F. pulvis, cujus ſcrupulus pro doſi capiatur. Extrinſecus ad lumborum regionem, ubi renes ſiti ſunt, adplicare juvat hoc emplaſtrum: Recipe emplaſtri ſpermatis ranarum unciam unam, ſacchari ſaturni drachmam unam, camphoræ grana duodecim. M. Cæterum rectam vivendi rationem obſervare oportet, & præſertim à cibis acidis, ſalitis, pomis, omnibus diureticis, utut leviſſimis, & corporis refrigeratione ſedulo cavere.

---

## CASUS LXXIX.

### *De mictu cruento perquam raro.*

VIr quidam ſexagenarius, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, nocte, quæ Calendas Januarii antecedebat, vehementibus coli doloribus, quibus jam antea ſæpius laboraverat, ex improviſo corripiebatur, cum mingendi difficultate ſtipatis. Colica poſt paucos remittebat dies; at mictus deſiderium inhærebat perpetuum, & abſque manifeſta cauſſa exacerbabatur. Accedebat tandem cruenta mictio, & ſæpius per octo, quin quatuordecim durabat dies; tum reddebatur denuo dilutum ac tenue lotium, ſed cum perpetuis doloribus. Hæc ſcena per ſeptem anni quadrantes ludebatur; in caſſum adhibitis varii generis medicaminibus, ipſiſque Egranis acidulis. Anno 1718. menſe Septembri, prævia in pede venæ ſectione, quædam hirudines ano admovebantur, atque laxantia cum mundificantibus juncta propinabantur: quibus factum eſt, ut ſinceri ſanguinis effluxus ceſſaret, ſed urina refrigerata copioſum, idque rubicundum ſedimentum deponeret, & denique moleculas congrumati ſanguinis ſecum veheret. Harum molecularum ultra viginti, quarum nonnullæ digiti minimi longitudinem adæquantes, peculiari membrana inveſtitæ erant, quædam carneam prorſus induerant naturam, menſe Novembri intra paucos dies excernebantur; atque tum quieſcebant quidem cuncta ſymptomata, ſed mictus dolorificus pertinaciter inhærebat. Tandem ſuperveniebat colica nephritica, omnibus, quæ ſolita ſunt ſymptomatibus conſtipata; qua remittente, bini calculi inſtar ſeminis milii excutiebantur: quales etiam poſt quatuordecim abhinc dies, prægreſſa eadem colica, in matula cernebantur.

Ab

Ab eo tempore urina eſt limpida, tenuis, abſque omni ſedimento; attamen frequentiſſimus urget ad eam reddendam ſtimulus; ipſum lotium ægre mittitur, ſed nunquam prorſus retinetur; anum cruciat perpetuus ardor, atque teneſmus; nec minus glandi dolor pungens, ardenſque incumbit, & exinde ſæpenumero ad perinæum uſque excurrit, cum rigida penis tenſione: alvus raro reſpondet; venter ſcatet flatibus, crebri ſunt ructus, ac vitiata ciborum cupiditas. Motus ſuccuſſatorius corporis, & præſertim circa lunæ mutationes, quælibet vel leviſſima malum exaſperat motitatio; ſomnus ob continuum mingendi deſiderium interrumpitur; vires ſibi conſtant, ſed omnium rerum ſummum eſt tædium. Dorſum, oſque ſacrum tormentis caret; at in pubis regione extrinſecus creber ſentitur pruritus; interne gravativus percipitur dolor, in dextro potiſſimum latere conſpicuus, & à tuſſi vel ſternutatione exaſperatur. Glandi ſæpius inhæret ſenſus, ac ſi lotium ſponte exſtillaret; quod tamen non fit; licet interdum præter voluntatem effluat.

Tandem aliquot abhinc diebus redibat cruentus mictus; quo prima die copioſus per intervalla mingebatur cruor; altera fluebat parcior, lotiumque referebat ſpiſſum, atrumque ſedimentum; tertia octo cruoris ſinceri ac coagulati ferebantur unciæ; quarta reddebatur parum coagulati ſanguinis. Hiſce diebus, præter frequentem mingendi conatum, ac preſſorium circa pubis regionem dolorem, non habebat æger, de quo conquereretur: verum poſthæc cum clara tenuiſque cerneretur urina, atrociſſimi redierunt cruciatus.

*Conſilium Medicum.*

Ex præmiſſa morbi hiſtoria, aliiſque mecum communicatis momentis probe intellexi, virum quendam, ſumme plethoricum, ex denegata ſanguinis per vias hæmorrhoidales evacuatione, colica olim ſpaſmodica laboraſſe; & poſtea huc uſque gravi dyſuria, cruentaque mictione vehementer diſcruciari. Peculiaris vero mictui ſanguineo hic debetur animadverſio; quippe quæ neutiquam ex renum vitio, venarumque emulgentium ruptura, tanquam frequentiſſima hujus affectionis cauſſa dependet; ſed potius ex ramo venæ hæmorrhoidalis externæ hypogaſtricæ, qui ſuffragante Anatomicorum, inque primis BAUHINI *Lib. I. Cap. XX.* teſtimonio, in nobilioris ſexus perſonis multos ad veſicæ cervicem ſpargit ſurculos, diſrupto, cruoremque in veſicæ cavum effundente ſuos mutuatur natales. Hæc mictionis cruentæ ſpecies, licet non adeo frequens exiſtat: attamen illius quædam in libris medicorum fit mentio. Sic enim HOECHSTEDTERUS *Obſ. Dec. I. Schol. Caſu II. Fundit ſæpius*, inquit, *hæmorrhois externa ſanguinem in veſicam, ut abſque vitio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre.* Conf. etiam MISC. NAT. CUR. *Dec. I. anno VIII. Obſ. XXIII.* Hujus vero affectionis hæ potiſſimum ſunt notæ: Renum, lumborumque regio dolorum gaudet vacuitate; at perpetua mingendi vexat cupiditas; anum torquet continuus ardor, atque teneſmus; glandem obſidet dolor pungens, ardens, lancinans; & ad perinæi regionem, cum rigida penis tenſione propagatur; atque vi conſenſus alvus pertinaciter ſtringitur, flatuſque ventrem diſtendunt. Quæ cum in noſtro caſu præſto ſint ſymptomata; dolorque gravativus dextrum præcipue inguinis latus, cum moleſto pruritu exerceat; nullum ſupereſt dubium, quin ſedes mali in pelvi, partibuſque ibidem ſitis, veſica nimirum ac inteſtino recto hæreat.

Quando enim cunque cumulati, accedente vita ſedentaria, humores, circa dictas regiones ſtagnant; diſrumpuntur vaſa in cervice veſicæ ſita, magnamque ſinceri ſanguinis plorant quantitatem. Quod ſi vero cruor paucis duntaxat guttulis per vaſorum orificia exſtillaverit; coagulatur ſucceſſive & cum tenaci, qui veſica continetur, muco commixtus, conſtituit moleculas illas ſanguinis congrumati, membrana quadam inveſtitas. Huc quadrant verba, quæ in M. N. C. cit. loc. exſtant, & ſic ſe habent: *Tandem cum maximo cruciatu, & ardore vehementi in ima pube & circa virgam, varios, magnos, ac oblongos ſanguinis grumos, inſtar hepatis lucii piſcis mingendo ejaculabantur; hinc omnes dolores in momento quaſi evaneſcebant, & urina poſtea tota pellucida &c.*

Verum enim vero hos affectus, maxime ſi ſenibus eveniant, & altiores egerint radices, curatu difficillimos eſſe, ipſe jam confirmat HIPPOCRATES, dum *Sect. VI. aph. 6.* ſcribit: *Quæ circa veſicam conſiſtunt affectiones, operoſe ſanantur in ſenibus.* Neque tamen deſperandum eſt, &, quantum poſſibile, malo obviam eundum, ne in ulcerationem, ac lethiferam ſphacelationem tandem tranſeat. Quo fine operæ erit pretium, ter quotannis venam in brachio pertundere; & alvi lubricitatem, vitatis ſedulo purgantibus, & aloëticis, ope paſſularum rhabarbarinarum conſervare perpetuam. Pro potu ordinario utendum eſt decocto ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ſantalo rubro, & citrino ac glycyrrhiza confecto; abſtrahendum ab omni cereviſiæ vinique potatione, niſi quod hauſtus generoſi Burgundiaci inter epulas concedatur. Neque vero conveniunt acidulæ, nec thermæ, nec balnea; ſed extrinſecus roborandi pariter ac diſcutiendi fine, ad perinæi regionem aqua arquebuſadæ intra lintea duplicata noctu præſertim adplicare juvabit.

---

## CASUS LXXX.

### *De mictione cruenta, & urinæ incontinentia ex tumore pedum præpoſtere tractato.*

Vir annorum ſexaginta ſex, ante ſex circiter annos, totus calens ſudoreque perfuſus, libero ſe tradidit aëri; & inde tantum incidit frigus, ac ſi gelidiſſimæ immerſus eſſet aquæ. Mox periit ciborum adpetitus; atque tumor quidam pedes occupavit, brevique tempore uſque ad præcordia aſcendit. Accitus medicus hydropicum ſubeſſe ratus tumorem, flavum dedit pulverem; ex quo venter impetuoſe ſolvebatur, ac intumeſcentia prorſus evaneſcebat. Tribus abhinc annis, denuo grandeſcebat abdomen cum pedibus; & priori pulvere, junctis hydragogis, ac diureticis oppugnabatur. At vero ſuccedebat repente urinæ incontinentia, & elapſo anno ſuperveniebat mictio cruenta; de die non modo adfligens, verum etiam noctem reddens inquietam. Hæc lentis progreſſibus adeo invaleſcebat, ut ante ſex hebdomades grumi cruenti excernerentur; qui ſiccati, pruniſque candentibus inſperſi odorem ſpargebant, accenſis plumis, vel crinibus ſimilem. Alvus plerumque clauſa eſt; & licet ſæpius per totam diem nihil bibatur,

tamen mingendi moleſtat cupiditas. Præterea cœlo exiſtente calidiori paullo, aut conclavi fervidiori, inſignis oris ſiccitas, ac perpetua urget ſitis; cui nocturno potiſſimum tempore, præternaturalis manuum pedumque jungitur calor. Sudor autem ægerrime, nec fortiſſimis diaphoreticis elicitur; adpetitus vergit ad acida; & denique notari meretur, per integrum ſemeſtre anum obſediſſe cœcas hæmorrhoides, ibidemque hærere tubercula, ingenti pruritu ac ardore moleſtiſſima.

*Conſilium Medicum.*

Graviſſima eſt affectio, quæ Virum Reverendum habet ſolicitum; & in primis initiis perverſa ac improvida medendi ratione plane corrupta. Tumor enim pedum, quo ante ſex annos fuit infeſtatus, non niſi à prohibita per vehementiſſimum frigus tranſpiratione originem traxit; atque remediis diſcutientibus, blandiſque ſudoriferis, facillime potuiſſet debellari. Quum autem pro hydropico affectu habitus, & noxio plane conſilio, fortioribus purgantibus æque ac diureticis tractatus fuit: non ſane mirandum eſt, ſi ſpiſſi humores magis exagitati fuerint, & ad urinarias vias majori copia & impetu propulſi, has relaxaverint, dilataverint, urinæque incontinentiam pariter, ac cruentam mictionem progeneraverint. Acceſſit & illud, quod magis accumulatam humorum copiam, nec inſtituta venæ ſectio imminuerit, nec natura per hæmorrhoidalem fluxum ſubtrahere valuerit; & forſitan quoque potus juſto calidior, ſanguiniſque per animi affectus, aut alias cauſſas factæ exagitationes, ſuum contulerunt ſymbolum.

Quæ cum ita ſint; non præſtantior mihi videtur medendi ratio, quam ut æger protinus venam in brachio ſibi incidendam, atque ſex cruoris uncias curet detrahendas; atque tum, miſſo omnis cereviſiæ potu, vel decocto quodam, vel ſaltem ſecundaria cereviſia, vel denique ſero lactis utatur. Hoc parari poteſt, ſi lactis recentis menſuræ duæ, aceto vini, quantum ejus bina capiunt cochlearia, permixtæ, leni calore coquantur; coagulatæ percolentur, tumque addita ſacchari uncia dimidia, oculorum cancrorum drachma una, ad uſum deſtinentur. Hujus ſeri mirabilis ſane eſt efficacia in attemperando ſero ſcorbutico, & æſtu demulcendo.

Speciatim quod attinet urinæ incontinentiam; huic egregias feret ſuppetias aqua Hungarica, in cujus menſura dimidia, uncia ſemis camphoræ ſit ſoluta: qua extrinſecus regio pubis mane pariter ac veſperi lavetur, ut relaxatæ veſicæ, viarumque urinariarum fibræ corroborentur. Tandem vehementer commendo pulverem meum præcipitantem; cujus ſcrupuli duo, cum viginti guttulis liquoris anodyni mineralis maritati, ex hauſtu aquæ frigidæ, alternis aſſumantur veſperis. Quæ, ut ſummum Numen benigniſſime ſecundet, ex animo precor.

---

## CASUS LXXXI.

*De difficultate mictionis à calculo veſicæ.*

Vir generoſus, quinquaginta annorum, habitus corporis ſtrictioris, ac macilentioris, qui variis per multos annos præliis interfuit, multaſque corporis defatigationes, febreſque continuas, ac caſtrenſes toleravit, jam tuſſi moleſta, mingendi difficultate, ac hernia inguinali graviter diſcruciatur. Tuſſi quidem per viginti ſex annos laboravit, vernali ac autumnali tempeſtate longe vehementiori; neque tamen reliquis anni temporibus plane intermittente, & matutinis præſertim horis, cum excretione pituitæ nunc albæ, nunc luridæ flavæque, pertinaciter infeſtante. Octodecim elapſis annis, abſceſſu pulmonum ſatis gravi correptus, & ab illo tandem liberatus, memoratam retinuit tuſſim, ſpirandi difficultate ſtipatam: quæ jamjam inſigniter vexat, ſi vel per ſcalas aſcenderit, vel in frigido obambulaverit aëre: atque materia, quam exſcreat, licet nec purulenta ſit, nec ſanguine tincta, tamen putrem ſæpius in ore relinquit ſaporem; pectore ab omnibus puncturis libero.

Mingendi porro quod attinet difficultatem; ſcire licet, quod ante quinquennium urina copioſam materiam mucidam & viſcoſam, albi plerumque coloris depoſuerit; neque vero, dum non niſi crebra mictio jungebatur, magni æſtimabat hanc affectionem æger, nec eam remediis oppugnabat. Verum tribus abhinc annis, cum ad ſanguinem purificandum infuſa vegetabilium potaret; mictio prorſus, & adeo cohibebatur, ut præ tumore, dolore, & angore, furibundo ſimilis videretur. Ab hoc tempore in eam incidit, ſinguliſque horis aliquoties toleravit moleſtiam, ut primum, maxime ſi potui juſto magis indulſerit, mingendi cupiditate premeretur; deinde lotium guttatim cum magno conatu redderetur; & tum abſque dolore affatim flueret, ſecumque mucum veheret tenaciſſimum. In quo rerum ſtatu, ſaluti ſuæ recto vivendi genere conſulere, vi muneris interdicebatur; ſiquidem noctu, dieque, interdum cœlo exiſtente pluvioſo, ac gelidiſſimo, equo iter facere ipſum oportebat: quo factum eſt, ut ſæpius pertinaciſſima urinæ retentione corriperetur, doloribuſque & anxietatibus atrociſſimis torqueretur, & per noctem diemque anxius diſcurrere cogeretur, donec tandem exſtillaret primum urina, ac paulatim inter magnos conatus largior redderetur. Accedebant præterea vehementes reliqui corporis dolores, magis articulares; atque perennis materiæ purulentæ fluxus, inſtar eorum, qui virulenta laborant gonorrhœa. Et licet etiam noſter, olim juvenis aliquoties gonorrhœa laboraſſet; attamen præſens malum minime ab impuro coitu originem traxiſſe, pertinaciter affirmat.

Poſtquam igitur contra hoc malum, variorum medicorum conſilio fruſtra fuerat uſus; conſuluit tandem noviſſime elapſo menſe Junio quendam medicum, qui ad demulcendos dolores, & pravam virulentæ materiæ acrimoniam attemperandam, partim emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, papaveris & abſorbentibus confectas, partim tincturam antimonii tartariſatam, in qua balſamus Peruvianus niger erat ſolutus, per tres hebdomades uſurpavit; eo effectu, ut materia benignior, ac urinæ facilior fieret exitus. Tum juſſit ægrum per aliquod tempus, cibis non niſi aſſis veſci, pro potu decocto ex radice ſarſaparillæ, chinæ, hermodactylis, ligno ſaſſafras, paſſuliſque minoribus confecto uti, ac interdum leniter ſudare. Unde factum eſt, ut rediret ciborum adpetentia, laſſitudo ac dolores artuum evaneſcerent; urina rite ſuccederet, ſomnus fieret tran-

tranquillus, alvus quotidie reſponderet, atque materia & quantitate parcior, & qualitate benignior excerneretur, veluti in iis eſt, qui benigna ſolicitantur gonorrhœa; & hinc ſpes ſuboriretur, fore ut priſtinam recuperaret æger ſanitatem.

Verum vix per tres hebdomades huic curationi inhæſerat; cum mane ex improviſo rurſus cohiberetur urinæ fluxus; ingentes dolores ardentes, pungitivi, atque preſſorii, veſicæ collum graviter torquerent, ipſe incurvato corpore, ſedendi cubandique impatiens, obambulare teneretur, atque ſub atrociſſimis ſtimulis excrementa quidem per alvum redderet, urinæ vero ne guttulam quidem exprimere poſſet. Tandem poſt totius horæ intervallum, primo guttatim abſque ardore, & paullo poſt uberior ferri cœpit urina; & cuncta protinus ſilebant ſymptomata. At vero per novem dies ſingulo mane recrudeſcebat paroxyſmus; ut ideo miſſo decocti potu, laxans quoddam exhiberetur, atque emulſiones ſupra citatæ, ac tinctura nominata in uſum revocarentur, hiſque malum debellaretur. Abhinc non rediit quidem totalis urinæ ſuppreſſio; nec mictio ardore ſtipatur, nec materia, quæ parcior fluit, ullam redolet virulentiam: attamen lotium in fundo vaſis perpetuo deponit materiam viſcoſam, fibrilloſam, inodoram, & albicantem; & mingendi difficultas, puncturis atque doloribus, in veſica perceptis, brevi vero evaneſcentibus ſtipata, nondum penitus ceſſavit. Namque non niſi ſtans mingere poteſt; & ad mingendum noctu pariter ac die quam ſæpiſſime ſtimulatur: nec in latera decumbere, ſed ſupinus flexis genibus cubare valet; & ipſe ſentit, ac ſi præternaturale quid collum veſicæ occuparet, puncturaſque excitaret. Cernitur in matula copioſiſſimus tartarus, & noviſſime parum ſabuli adparebat. Cæterum vir generoſus lecto nondum affixus eſt, adpetitu gaudet integro, ſed diætam obſervat ſtrictam, ſomno fruitur tranquillo, niſi mingendi deſiderio turbetur, & ſenſim contabeſcit. Ex mercurialibus, quibus raro uſus eſt, melius habet; ſed acriora, tincturæ tartari, aliæque lithontripticæ, nec non inviſcantia, uti lac caprinum, decoctumque radicis ſarſaparillæ malum exacerbant.

Denique quod ad inguinalem ſpectat herniam; illam ex gravi lapſu ante aliquot annos reportavit, à ferina, ac violenta tuſſi magis exacerbatam. Et cum ab ea, adaptatis ſubligaculis probe munita, parum moleſtiæ ſentiat; neque tuſſim, cui jam ſuevit, magni curet: ſola mingendi difficultas multam ipſi crucem figit: cujus quoque cauſſa ſalutare anhelat conſilium, & doceri petit: 1. Quænam ſit cauſſa mictus difficilioris, an ulceratio proſtatarum, anne ſimul colli veſicæ ulcus; aut calculus veſicæ, aut ſaburra viſcida, tartareaque collum veſicæ vellicans? 2. Num ſpes ſuperſit, hoc malum funditus extirpandi? 3. Et quæ huic ſcopo idonea ſint remedia; numnam ex uſu thermarum Carolinarum, aut curæ mercurialis, prout à MAYERNE *Prax. Med. Lib. III. cap.* 19. deſcribitur, ſolamen liceat expectare?

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Ad communicatam mecum morbi hiſtoriam, & adnexas ipſi quæſtiones reſponſurus; quoad primam: quæ cauſſa ſit mictus difficilioris? vero videtur ſimillimum, calculum veſicæ ſubeſſe. Quamvis enim gonorrhœæ ſumme violentæ ſenſibiles in emiſſione urinæ complicentur ardores; tamen inter tot hoc affectu laborantium nullum occurrit exemplum, in quo tanta tormenta ægros diſcrucient, quanta quidem in noſtro conſpiciuntur caſu. Et ſufficit certe pro demonſtranda calculi in veſica præſentia, diuturnus ille ac copioſiſſimus materiæ mucoſæ tenaciſſimæ effluxus, cum vehementi dolorum exacerbatione junctus: quippe qui pathognomonicum quaſi hujus morbi conſtituit ſignum.

Atque in tali rerum ſtatu, ſpes perfectæ curationis, mali in tam provecta ætate inveterati, juxta alteram quæſtionem, profecto in anguſto eſt: & illud momentum, quo æger decumbens, urinam mittere nequit, teſtante crebra obſervatione, juſtiſſimam movet ſuſpicionem, calculum jam firmiter cum veſica eſſe concretum.

Quamobrem, tertiæ ſatisfacturus quæſtioni, aquarum mineralium, tam thermarum, quam acidularum, maxime Spadanarum ac Carolinarum uſum, ſub debito regimine inſtitutum, omnino judico proficuum: quibus adjungendam ſuadeo interne eſſentiam croci, camphora permixtam, atque ter quotidie ad octoginta guttas ſumtam; extrinſecus vero infuſum millefolii, ac ſambuci urethræ injiciendum commendo. Nec alienum erit, ſi ope chirurgi, ac lithotomi peritioris, intruſo in inteſtinum rectum digito, ſedes ac ſitus calculi exploraretur. Contra vero etiam atque etiam hortor, ut ab omnibus mercurialibus medicinis, quæ magis irritant, ſedulo caveatur.

---

## CASUS LXXXII.

### *De mictione dolorifica cum crebro ſtimulo.*

Vir quidam triginta annorum, temperaturæ paullulum phlegmaticæ, conſtitutionis robuſtioris, à prima fere infantia inſignem ſemper muci albicantis copiam, abſque ullis doloribus cum urina ſuevit reddere, neque hodie, variis fruſtra adhibitis remediis, penitus deſiit. Adoleſcentior itineribus in Hollandiam, Galliam & Angliam perfunctus, nullum plane ſenſit ſanitatis decrementum; niſi quod urinæ chyloſus quaſi effluxus, nec ab aëris, nec victus mutatione fuerit imminutus. Redux ante quatuor circiter annos, coactus fuit ſub convivio urinæ fluxum juſto diutius cohibere. Unde factum eſt, ut poſtridie non niſi poſt magnos conatus lotium, cruore coagulato permixtum, mingere poſſet. Et abhinc perpetuum ad mingendum retinuit ſtimulum, adeo ut ſi vel parciſſima lotii quantitas inhæreat veſicæ, ille ſummis urgeatur conatibus, ac horrendis demum eam excernat cruciatibus.

Accitus tum medicus, præmiſſis venæ ſectione, aliiſque remediis, largam limaturæ martis quantitatem fruſtra exhibuit; tumque curam lactis ordinavit: quæ quidem malo levamen ferebat, ſed interveniente febre intermittente abrumpebatur. Hac ope corticis Peruviani ſublata, & poſtea dato electuario ſanguinem purificante, melius habere videbatur æger, & per aliquot horas à mingendi ſtimulo vacuus eſſe potuit: attamen ille nondum prorſus evanuerat, & in urina pituita alba, fibroſa nunquam non cernebatur. Commendabantur acidulæ Pyrmontanæ, ſed vix illis uti cœperat, cum omnia

 ſym-

ſymptomata inſigniter exacerbarentur: mingendi deſiderium urgebat frequentiſſimum, & ipſa mictio ſub atrociſſimis tormentis, interdum cruenta fiebat. Nec juvabant quicquam exhibita multa remedia, nec decoctum Pareiræ bravæ per tres hebdomades potum. Conſultus itaque alter medicus hæmorrhoidale negotium accuſabat; doloreſque ac teneſmum circa collum, ſeu ſphincterem veſicæ, à tenſionibus vaſorum ſanguiferorum adjacentium, & quaſi cœcis veſicæ hæmorrhoidibus derivabat; ideoque interdictis cunctis ſtimulantibus, & calidioribus medicinis, ordinabat venæ ſectionem in pede, balſamica, diluentia, pilulas Stahlii balſamicas, & acidulas Selteranas.

His ab ægro uſurpatis, inſigne mali ſui percipiebat levamen; ſed octavo curationis die febrim incidebat continuam, cum affectus prioris nocturna potiſſimum exacerbatione junctam, quæ vero datis appropriatis medicaminibus, maxime diluentibus, atque decocto Foreſti brevi depellebatur tempore. Qua ſublata acidulæ Selteranæ iterum conjunctis balneis cum furfuribus tritici paratis, adhibebantur, eo ſucceſſu, ut bis fluerent hæmorrhoides, & noſter omnium ſymptomatum vacuitate gauderet. Adventante æſtate nominatæ acidulæ denuo in curæ forma, interpoſitis pilulis Stahlianis uſurpabantur: ſub quarum potatione bene habebat ſed ea finita, recrudeſcebant priora pathemata, cum cruento quandoque mictu ſtipata, at partim vehementia, partim diuturnitate priſtinis longe inferiora.

Præſens itaque valetudinis ſtatus hic eſt, ut non niſi ſingulis circiter duabus horis mingendi ſentiatur ſtimulus: ipſa mictio adhuc paululum dolorifica ſit, & urina cum muco albo, eoque copioſo commixta. Quod ſi invaleſcere videantur paſſiones; has ſumtis pilulis Stahlianis, & una alterave aquarum Selteranarum lagena hauſta, ſtatim mitigare valet; quin ſi per aliquot dies potui harum aquarum ſuperſederit, in atrociores delabitur cruciatus. Quum vero ab hoc moleſto malo prorſus vindicari cupiat; tuum Vir Illuſtris conſilium flagitat.

*Conſultatio.*

Intellexi ex perſcripta, Viri cujuſdam ſpectatiſſimi, ægritudine, quod gravi veſicæ affectu, nimirum dolorifica mictione, cum crebro ad mingendum ſtimulo conjuncta, & per quatuor jam affligente annos, ſoliciteter: & vix unam alteramque horulam, abſque mictionis neceſſitate tranſigere poſſit, urina cæterum inter atroces cruciatus reddita, muco fibroſo permixta, & ſæpius cruenta exiſtente. Inprimis admirationem meretur, quod ante hujus affectus invaſionem, jam à teneris, cum lotio mucum albicantem, nullis expugnandum artibus, reddere ſueverit. Unde vero luculenter patet, ſedem morbi in labe veſicæ, vel potius ſphincteris ejuſdem ſitam eſſe: & vero videtur ſimillimum, quod partim tunica veſicæ interior villoſa, quæ mucum ſecernit ſubtiliorem, nimis relaxata, vel plane eroſa ſit, partim vaſa ſanguinea ob nimium cruoris affluxum, & ſtagnationem nimis diſtenſa, tunicam nerveo-muſculoſam pariter ac fibras ſphincteris, ad ſpaſmodicas proritent ſtricturas; quæ adhuc magis exacerbantur, cum urina ab admixtione muci, ex dicta villoſa tunica ſtillantis ſpiſſior, craſſior, atque acrior redditur.

Quantis autem difficultatibus circumſepta ſit hujus mali curatio, & quam omnium medicaminum, balneorum, aquarumque mineralium virtutem, licet ea per aliquod tempus ſolentur, eludat: innumeris comprobatum habemus obſervationibus. Neque ideo mirum, ſi commendata hactenus à peritiſſimis medicis ſubſidia, veluti ſunt cura lactis, acidulæ Pyrmontanæ, Selteranæ, balnea, pilulæ balſamicæ &c. in caſſum uſurpata: nec à veritate abludit, alterius medici ſententia, qua ſanguinem, exitu per venas ſedales privatum, ad veſicam regurgitaſſe, hujus vaſa diſtendiſſe, & in varices quaſi elevaſſe, atque ideo mucaginem haud ſecus ac ſpaſmos veſicæ exacerbaſſe putavit. Inde quoque petenda eſt mictionis cruentæ ratio, quæ ſicuti ſæpiſſime à retento fluxu hæmorrhoidali natales ſuos mutuatur; ita præſertim potum aquarum Pyrmontanarum, per corpus difficilius progredientium, & ideo vaſa ſanguifera magis diſtendentium excepit.

Optaſſem igitur, ut in promtu mihi eſſet tale remedii genus, quo perfectam mali curationem perficere, ac polliceri poſſem: quod vero neutiquam audeo. Neque tamen minus, cum adhuc ſit junior ætas, omnes intendere nos oportet nervos, ut, niſi penitus vindicemus ægrum, ſaltem calculoſam, quæ imminet, in veſica præpediamus concretionem. Quo quidem fine, vehementer hortor, ut ab omni cereviſia, viniſque Rhenanis, ac Gallicis probe abſtineat; & ad confortandum ſtomachum, hauſtum vini generoſi Tockavienſis, vel Anglicani Sect ſub epulis aſſumat; & loco potus ordinarii vel acidulis Selteranis ſolis, vel cum quarta lactis vaccini parte permixtis, vel etiam, ſi ventriculus tulerit, ſero lactis per aliquot menſes utatur. Deinceps conſultiſſimum judico, ter quotannis venam, & quidem in brachio ſemper incidere, ut ſanguis ad ſuperiora alliciatur, veluti in cœcis fieri ſolet hæmorrhoidibus: quod ſi vero cruentus per anum fluor recte ſucceſſerit, ſanguinem è pedibus quoque detrahere licebit.

Mane, adhuc intra lectum, potandum commendarem infuſum theiforme, ex herba veronicæ, virgæ aureæ, radice liquiritiæ, ſemineque fœniculi confectum, & cum ſyrupo de althea Fernelii edulcoratum. Non minus ad tonum partium nervoſarum, ſpeciatim veſicæ reſtaurandum, ac urinæ temperandam acrimoniam, ſequens pulvis inſigni cum fructu adhibebitur: Recipe corticis Peruviani, oſſis ſepiæ, ſuccini præparati ana drachmas duas, ſeminis cymini drachmam, ſacchari candi unciam unam. M. F. pulvis, cujus drachma una vel per ſe, vel cum ſyrupo de althea Fernelii in bolum redacta per vices propinari poteſt. Extrinſecus nervina remedia parti affectæ admovere decet; cui ſcopo linteum, cum vino Pontac, eſſentiæ ſuccini ac ſantali rubri nupto imprægnatum, & pubis regioni impoſitum faciet ſatis. Cæterum à fortiori corporis exercitio, & equitatione, cavendum; nec nimis frequenti pilularum uſui indulgendum ſuadeo; præſtat potius, ſi ſegnis fuerit alvus, eam prunis coctis, paſſulis minoribus, vel manna moliri.

CASUS

## CASUS LXXXIII.

### *De continuo ad mictum ſtimulo ex ſpaſmo veſicæ.*

Comes quidam illuſtriſſimus per ſatis longum jam tempus, affectu hypochondriaco-hæmorrhoidali, novis indies, & atrocioribus ſymptomatibus ſtipato, graviter fuit ſolicitatus. Natus ille eſt ſexaginta annos, temperamenti cholerico-ſanguinei, & jam magis ad melancholicum vergentis; adpetitu gaudet integro, cibis cujuſcunque generis, minus recte manſis veſcitur, inque primis piſces marinos in delitiis habet, pro potu cereviſia craſſa, ſpiſſaque, & vino vel Rhenano, vel Moſellano, ſæpius ad exceſſum utitur; vitam agit plerumque ſedentariam, ac motus fere expertem; atque ſub continuis mentis laboribus, à mœroribus curiſque neutiquam eſt vacuus. Juvenis adhuc multoties catarrhis, & perpetua ventriculi debilitate infeſtatus, nec adultior ab iis liber fuit: ſiquidem ſæpius coryza, capitiſque doloribus, non raro ciborum indigeſtorum evomitione ſolutis laboravit. Non minus aliquot abhinc annis febrem intermittentem, datis congruis medicaminibus poſt ſeptem paroxyſmos profligatam toleravit; eandemque ante annuum tempus, in itinere conſtitutus, brevi evaneſcentem perpeſſus eſt. Hos febriles inſultus exceperat, & extra illos interdum adflixerat ſcorbutica cutis effloreſcentia, qualem urtica producere ſolet; cum moleſto pruritu, & crebra mingendi cupiditate conjuncta, ſed ſponte ſemper exſpirans. Frequentiſſima vero, quæ Comiti illuſtriſſimo crucem figunt, ſymptomata, ſunt hypochondriaco-flatulenta: quæ olim capitis doloribus, temulentia, gravedine, & ſanguinis è naribus ſtillicidio tyrannidem exercuerunt: per noviſſimum vero biennium, ſilentibus hiſce affectionibus, ſucceſſerunt moleſtæ pectoris oppreſſiones, artuum torpores, tenſiones in iſchiadica, & lumbari regione, & haud ita pridem dolor quidam, veluti podagricus, pedem ſiniſtrum occupare videbatur, à tumore ac rubedine immunis. Alvus erat mox lubrica, ſæpius vero conſtrictiſſima, nec laxantibus in pilularum forma exhibitis rite obſecundans: in urina vero, cujus mittendæ creberrimum ſentiebat deſiderium, larga tartari hypochondriaci per longum tempus cernebatur copia. Noctes accedebant inſomnes; attamen diurno tempore, ſæpius inter epulas ingens urgebat ad ſomnum proclivitas.

Venam tundendam præbere, olim plerumque recuſavit, aut ſaltem in brachio aperiendam permiſit; quæ elapſo demum vernali tempore, cum ultra annum neglecta eſſet hæc operatio, in pede ſecata eſt, detracto cruore tenaciſſimo, atro, multaque mucagine permixto. Tum pugnabatur remediis aperientibus, incidentibus, ac viſceralibus, ſanguiniſque viſciditatem reſpicientibus; iiſque factum eſt, ut per venas hæmorrhoidales cruor ater ac ſpiſſus ſponte proflueret parca quantitate; quem fluxum medicus magis pro ſymptomatico, quam vere critico habebat. Succedebat vero alvi ſegnities, ſæpius per tres dies, non obſtante crebriori, ſed inani ad illam egerendam conatu, inhærens, & nonnunquam copioſum alvi profluvium ſponte poſt ſe trahens.

Verebatur medicus, ne ex infarctu hæmorrhoidali tonus inteſtinorum nimium eſſet læſus; atque, vitatis probe cunctis ſtimulantibus, aloëticis, ac reſinoſis remediis, non niſi lenia digeſtiva, aperientia, reſolventia, tonica ac viſceralia ordinabat; laxandi fine præſcribebat infuſum rhabarbarinum, mannatum, cum cremore tartari, mixtum, & urgente alvi ſiccitate, clyſteres emollientes infundi curabat. Non minus ad diluendam humorum ſpiſſitudinem, Egranas commendabat acidulas, quæ æſtivo hujus anni tempore, ſub debito quidem regimine, at parciori corporis exercitatione, per quatuordecim dies, tepidiores, quotidie unam capiendo lagenam potabantur; eo quidem effectu, ut prioribus diebus alvum pariter ac urinam copioſe cierent, ſequentibus autem per ſolam urinam redderentur, alvo rurſus exiſtente ſegni. Cæterum optime ſub hac potatione ſe habebat illuſtriſſimus comes; ſed cum hæmorrhoidales reverti viderentur motus, conſultius putabat medicus, ab aquarum potu abſtinere, & potius balneis, ex floribus chamæmeli, ſambuci, herba meliſſæ, ac furfuribus tritici cum aqua paratis uti: ex quibus fluere cœperunt hæmorrhoides, & poſt hæc etiam interdum ſuccedebant.

Neque tamen minus remanebat pertinax alvi tarditas, atque perpetuus ad illam pariter, ac urinam reddendam ſtimulus, cum mictu difficiliori ſolicitabat: quare ſerum lactis, ejuſque menſura duntaxat dimidia ſingulo mane porrigebatur per tres hebdomades. Sub hujus potu alvus ſuccedebat, urinaque mingebatur libere; ſed vix eo finito utraque moleſtia redibat, & ad hanc uſque diem, ab omnibus doloribus vacua, ſed claro conſenſus, quem veſicæ collum, ac inteſtinum rectum, mutuo fovent, documento, inhæret. Et tribus abhinc hebdomadibus accidit, ut, cum illuſtriſſimus comes, ſub inimico ac frigidiori cœlo, levi indutus veſtitu, iter peregre faceret, prævio horrore vehementi, æſtu præternaturali, per lenem ſudorem ſoluto corriperetur. Poſtridie, ſequentibuſque diebus, tantus ſequebatur ad mictum & alvi excretionem ſtimulus, ſed vanus, & pertinaci urinæ retentione ſtipatus; ut non modo veſicæ ſpaſmum ſuſpicaretur medicus, verum etiam timeret, ne illius inflammatio in propinquo eſſet: præſertim cum dolores coxendicum, ac teſticulorum pertinaciſſimi, ac nephritis calculoſa accederent, urina excerneretur ferme flammea, ſabulo nupta, quæ die quarta roſeum deponebat ſedimentum, ac ſeptima naturalem recuperabat conſiſtentiam. In hoc rerum ſtatu cum inſigni fructu extrinſecus ad affectam regionem fotus, ac ſpecies emollientes cum lacte in veſica admovebantur; interne temperantia, diapnoica, ac emulſiones propinabantur; & urina poſt quartam diem cocta adparente, infuſum dabatur mannatum ac rhabarbarinum.

Cæterum per alvum jam eliminantur crebri flatus, ac fæces tenuiores, ob diætam, quæ eſt lubricans: creber eſt deſidendi conatus, & frequens mingendi deſiderium; ſanguinea per anum excretio fere quotidie ſuccedit; neque tamen minus reſtant inflationes hypochondriacæ, ſomnus turbatus, viriumque proſtratio.

*Con-*

*Conſilium.*

INtellexi ex præmiſſa morbi hiſtoria, Comitem, de quo ſermo eſt, illuſtriſſimum, ſanguine turgidum, ob malum vivendi genus, neglectamque ſanguinis miſſionem, in affectiones hypochondriacas pariter, ac hæmorrhoidales paulatim incidiſſe. Hinc enim non modo flatulenta, atque ſpaſmodica ſymptomata, quæ cavitatem imi ventris, ac præſertim ſtomachi miſere diſcruciant, ſuam petunt originem; verum etiam à cruore, exitu ſuo per venas ſedales deſtituto, eamque ob cauſſam, circa vaſa veſicæ ſanguifera ſtagnante, & horum ſtricturas procreante, mictus dolorificus, ac perpetuus ad illum ſtimulus dependent. Licet enim ſanguis per hæmorrhoides nonnunquam eliminetur; ea tamen excretio pro imminuendo ſuperfluo, & diſcutiendo, qui intra partes ventriculi, inteſtinorum, ac veſicæ nervoſas ſtagnat, cruore minime eſt ſufficiens.

Sed nolo ulterius inhærere pathologiæ hujus affectus, & potius curationem adgrediar. Hæc in noſtro ægrotante à ſanguinis miſſione incipienda eſt; quam pertuſa quater ſingulis annis in pede vena, & detractis ſemper octo cruoris unciis repetendam ſuadeo; & felicioris fore ſucceſſus credo, ſi poſt ſingulam venæ ſectionem hirudines admoverentur ano. Præterea potus ſeligatur conveniens, neceſſe eſt; cui quidem plane non quadrat ſpiſſa ac gravis, qua æger perilluſtris utitur, cereviſia: hujus vicem melius vel decoctum quoddam, vel acidulæ Selteranæ, cum tertia vini vel Rhenani, vel Moſellani parte permixtæ explebunt; quippe quæ urinæ fluxum promovent, & cum illa ſerum ſalſum, tartareumque proſcribunt. Eo majorem hi fontes ſpondent utilitatem, quo certius imminentes podagram, & renum calculum præſervandi vim obtinent; de quibus valde metuo, ne noſtro morbo tandem ſuperveniant. Non minus alvi ſucceſſum facilitare oportet; quod manna unciæ unius pondere, cum cremoris tartari drachma, & rhabarbari dimidia ſumta optime conficiemus. Ex pharmacis vero operæ faciet pretium, liquor meus anodyno-mineralis, oleo macis nuptus, cujus viginti guttæ, bis quotidie capiantur; hiſque per vices pulvis ex nitro, pulvere Marchionum, & aliquot cardamomi granulis confectus interponatur.

At horum omnium vim longiſſime ſuperabit, recte inſtitutum vivendi genus. Sint ſcilicet parciores epulæ, cibi maſticentur probe; edulia acida, flatulenta, lacticinia, poma, caſei fugiantur: evitetur otium, & corpus equitando, ambulando, vehendo in curru, ventriculo à cibis vacuo, moderate exerceatur. Arceatur omne frigus, omniſque humidus aër; habitatio ne ſit in locis udis, humilioribus, & animi pathemata cane pejus effugiantur. Inter cibos, vel etiam mane loco potus Coffée, juſculis ex carne vitulina, radicibuſque cichorei, ſcorzoneræ, graminis, fœniculi, aſparagi, chærefolio, naſturtio, acetoſa, lactuca &c. paratis veſci; ac denique futuro vere, Carolinis thermis interne, Tœplicenſibus externe uti expediet.

## CASUS LXXXIV.

*De dyſuria cum teneſmo, & excretione materiæ flavæ per anum.*

VIr annorum ſexaginta octo, trigeſimo circiter & ſequentibus ætatis annis, tormenta à renum calculo illata ſæpius paſſus, multos per vices excrevit lapides. Poſtquam autem ſuaſu cujuſdam medici, tam à prandio, quam à cœna, aquæ calidioris, mox cum muſco terreſtri, mox cum trifolio fibrino, mox cum agrimonia infuſi integram libram quotidie ſuevit aſſumere: abhinc ad hanc uſque diem à calculoſis moleſtiis immunis manſit. At annos ſexaginta tres natus, novam incidit affectionem, qua poſt quemvis vel leviſſimum corporis motum, urinam minxit ſanguineo quidem colore imbutam, ſed nullum revera cruorem continentem. Ubi vero corpus requievit, clariſſimum, & aquoſum denuo reddebatur lotium, inter vehementes ardores, & tale per totum adparebat nycthemeron. Præterea ſub omni vectione ingentes in inteſtino recto ſentiuntur dolores: ex quibus medici conſenſu unanimi calculum veſicæ accuſarunt.

Per annum noviſſimum, major acceſſit ſymptomatum exacerbatio, ſiquidem ſingulis menſibus gravi prehendebatur paroxyſmo, qui per ſex, quin decem inhærebat dies, & ſic habebat: Frequentiſſimus urget mingendi conatus, ſub quo inter doloris quendam ſenſum, urinæ aquoſæ parcam quantitatem, primum facillimo exprimit negotio; mox vero major ſupervenit difficultas, & lotium guttatim effluit; ſimul ani ſtimulat teneſmus, cum excretione materiæ tenuiſſimæ, flavæ parciſſima: cæterum alvus naturaliter reſpondet, adpetitus viget, ſomnuſque eſt integer, niſi quod à crebro mingendi deſiderio paullulum turbetur. Hic paroxyſmus poſt aliquot dies, fluxu hæmorrhoidali admodum parco terminatur; tumque per quatuor hebdomades illius vacuitate gaudet æger. Olim hæmorrhoides non niſi bis, anno nimirum quadrageſimo, & quinquageſimo quarto, cruorem fuderunt legitime: unde ſuſpicantur quidam medicorum, quod cuncta ſymptomata ex cœcis ac retentis hæmorrhoidibus propullulent. Neque etiam inanis videtur opinio, ſiquidem ſub quovis paroxyſmo venæ ani turgent, & æger incurvatus incedere tenetur, niſi acerbis inteſtini recti doloribus torqueri velit.

*Conſultatio.*

Affectus præter naturam, quo vir ſpectatiſſimus male habetur, & qui partim moleſta dyſuria, partim teneſmo, & materiæ flavæ per anum excluſione abſolvitur, procul omni dubio in veſica urinaria, & ipſi adnexo inteſtino recto verum habet fomitem ac primariam ſedem. De calculo quidem revera præſente nondum metuendum eſſe arbitror; ſed materialis potius cauſſa in ſanguine circa recenſitas partes ſtagnante erit collocanda, qui exitu ſuo per venas ſedales deſtitutus, diuturniori mora dimittit ſerum acre, tunicas veſicæ pariter ac inteſtini recti ſtimulans, & per hoc effluens. Neque vero flocci pendenda eſt hæc affectio: namque temporis diuturnitate non modo in verum veſicæ calculum abire, verum inteſtini recti inflammationem, quin ulcerationem tranſire poteſt.

Quare

Quare tempeſtiva feratur medela, neceſſe eſt; & ſi æger fuerit ſanguineæ conſtitutionis, ac ſanguinem haud curaverit mittendum; illius ex vena in brachio tuſa mox ſex unciæ detrahantur; & interjecta hebdomade, hirudines ad anum adplicentur. Tum vero ab omni vino vel cereviſia cavendum, ac in ejus locum ſequenti decocto utendum ſuadeo: Recipe radicis altheæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias tres, liquiritiæ unciam unam cum dimidia, aniſi ſtellati drachmas tres. M. Cont. Conc. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquantur. Hujus decocti tepidioris libram circiter dimidiam mane pariter, ac veſperi cubitum iturus hauriat æger; reliquo vero tempore illius binæ partes cum vini generoſi una mixtæ potari poſſunt. Præterea quavis veſpera pulveris mei præcipitantis drachma una ex commendato aſſumatur decocto: hæcque invicem per quatuordecim adhibeantur dies, quibus elapſis, ſi nondum remiſerit malum, ulteriori conſilio adſiſtere haud dubitabo.

---

## CASUS LXXXV.

### *De diabete ex hæſione calculi in uretere orto.*

INtellexi ex litteris ad me datis, matronam generoſiſſimam, annorum viginti octo, tenerrimæque corporis conſtitutionis, calculoſis olim ac hyſtericis paſſionibus excruciatam, ſex abhinc hebdomadibus, preſſorium perennemque in dorſo, atque præſertim ſiniſtro hypochondrio ſenſiſſe dolorem, cum hujus lateris aliquali intumeſcentia, faſtidio, inquietudine, alvi obſtructione ac urinæ pertinaci retentione; tandemque hanc inſequente copioſiſſimo lotii tenuioris, ſedimento carentis profluvio: & ab eo tempore, mictionem aſſumtorum liquidorum quantitate longe uberiorem, cum virium proſtratione, inhæſiſſe.

Ex hiſce vero momentis, probe exploratis, luculenter adparet; adfectum, quo turbatur generoſa mulier, non alium eſſe, quam diabetem, ex renum; maxime ſiniſtri nimia, ob calculum in medio ureteris forſan ſubſiſtentem, facta relaxatione ſubortum. Quum enim tali ratione urinæ tranſitus in hoc ſiniſtro latere fuit interceptus; non fieri potuit, quin pars ureteris pariter ac ipſius renis cavitas ab inhærente calculo, & cumulato ſero urinoſo, nimium expanſa dilatataque, dolorificum lateris ſiniſtri tumorem progeneraverit: ſub qua ſtagnatione multa quoque hujus ſeri quantitas, ad ſanguineam maſſam retroiiſſe videtur. Poſtquam autem ope externorum paregoricorum, internorumque antiſpaſmodicorum, nitroſorum, maxime liquoris anodyni, calculi moles imminuta, ſpaſmique fuerunt mitigati: factum eſt, ut primum collecta in rene, ureteribuſque urina magno impetu per veſicam eruperit, tumque retroactum antea in ſanguinem ſerum, ex hoc iterum per poros renum laxatos, apertoſque, in vias penetraverit urinarias.

Plures ejuſmodi mihi jam occurrerunt obſervationes; quas inter notatu digniſſima illa eſt, quam quatuordecim abhinc annis, cum ad Carolinos degerem fontes, in Comite quodam perilluſtri adnotare licuit. Hic enim intra decem horarum decurſum ultra duodecim urinæ menſuras, incredibile dictu, excreverat: & poſt aliquod tempus, accedente alio graviori morbo defunctus, atque ſecatus, ureterem dextrum, inſigniter & farciminis inſtar expanſum, quin ejuſdem lateris renem, in molem ſiniſtro duplo majorem elevatum oſtendit.

Quod vero præſentis mali curationem attinet; neceſſe ante omnia eſt, ut dum vires generoſiſſimæ mulieris admodum languent, illæ congruis, temperatis, atque placidiſſimis erigantur analepticis medicinis. Ad has ſpectat mixtura, quæ ex aquæ liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ ana duabus unciis, cinnamomi ſine vino uncia una, coralliorum rubrorum, matris perlarum ana drachma una cum dimidia, ſpiritus nitri dulcis guttis triginta, julepi roſarum drachmis tribus concinnari, & quavis tertia hora cochleatim aſſumi poteſt. Præterea autem ſummo ſtudio eo erit reſpiciendum, ut ſanguinis ac ſeri ſtaſin inflammatoriam, ac lethalem plane ſiderationem, ob ſummam renis, viarumque urinariarum atoniam, viriumque proſtrationem facile metuendam arceamus. Quo fine ſacculum diſcutientem ex herbis meliſſæ, ſcordii, floribus myrt. ſalvia, ruta, floribus chamæmeli vulgaris, Romani, lavendulæ, roſarum rubrarum, ac caryophyllis aromaticis, in vino rubro coctis, parare, & dolenti lateri imponere juvabit. Ex internis medicaminibus commendo, liquorem meum anodynum, cujus binæ partes cum una balſami vitæ ſint commixtæ, nonnunquam ſi nullus præſto fuerit præternaturalis æſtus, ſumendum; atque pulveris bezoardici doſin quandoque interponendam. Mane potare decet infuſum theiforme ex mentha, meliſſa, & veronica confectum; & alvum, ſi ſit obſtructa, ex rhabarbaro parata remedia commode reſerabunt. Quæ ſi rite obſervaverit generoſa mulier; curationis eventus votis noſtris procul dubio reſpondebit.

Nec ſpem fefellit hæc medicatio; ſiquidem pauco poſt tempore relatum mihi eſt, ægram penitus convaluiſſe.

---

## CASUS LXXXVI.

### *Siſtens curationem veſicæ excoriatæ.*

HAud incelebris Vir, annorum ſexaginta ſex, robuſta corporis conſtitutione, & multo ſanguine præditus, ante binos circiter annos horrendos in dorſo circa lumbos ſentire cœpit dolores. Fruſtra adhibitis permultis remediorum generibus, Pyrmontanas tandem potavit acidulas; ex quarum uſu ſiluerunt quidem dicta tormenta, ſed preſſo pede ſequebantur preſſorii in pubis regione dolores, & mictio valde dolorifica, per integrum adfligentes annum. Namque primum aſſidua mingendi urget cupiditas; & miſſam tum urinam, tenſivi ac lancinantes ſphincteris veſicæ pariter ac urethræ excipiunt cruciatus: Urina nec arenulas, nec calculos unquam fovit; ſed, ubi conquievit, ſpiſſum, mucidumque deponit ſedimentum, atque fibrillas internatantes oſtendit. Conſulti medici in varias abierunt ſententias: quidam enim gonorrhœam, alii calculum, alii ſtranguriam, à ſcorbutica ſalſaque humorum diatheſi ſuſtentatam accuſarunt.

Ego vero, quum tandem in conſilium vocarer, explo-

exploratis omnibus morbi momentis, veſicæ excoriationem ſubeſſe credidi; quæ, tuſa protinus ab initio vena, datiſque temperatioribus diureticis, facillime potuiſſet expugnari. Sed malo jam inveterato, ſequentem opponere medicationem, viſum fuit conſultiſſimum.

Primum enim commendavi uſum aquarum mineralium, & ex iis vel Wildungenſium, vel Spadanarum. Deinceps mane potandum ſuaſi hoc infuſum theiforme: Recipe radicis eryngii, altheæ ana unciam ſemis, herbæ veronicæ, equiſeti ana manipulos duos, ſummitatum millefolii pugillos ſex, ſeminis aniſi, fœniculi ana drachmas duas. Conc. Cont. D. Tum operæ fore pretium judicavi, ut quotidie in balneum, ex aqua dulci, furfuribus triticeis, & floribus chamæmeli paratum deſcenderet; ac denique ſemel quotidie octoginta guttas eſſentiæ, modo infra poſito concinnatæ, ex vino Hiſpanico aſſumeret: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum recentium drachmas tres, eſſentiæ ambræ drachmam unam. M.

His poſtquam per aliquod tempus recte uſus fuerat æger; nunciavit, ſe inſigniter ſublevatum, & tantum non penitus à moleſto ſuo malo fuiſſe vindicatum.

---

## CASUS LXXXVII.

### *De exulceratione veſicæ, intercurrente mictu cruento.*

Quinquagenarius Vir, temperaturæ cholericæ, atque ſtrictioris, multis itineribus, variiſque corporis fatigationibus defunctus, atque Auſtriacis vinis olim nimium deditus; tribus abhinc annis de ingentibus in lumbari regione preſſoriis doloribus conqueri cœpit. Paullo poſt cum urina ſabulum, & tandem ipſum calculum excrevit; qui magnitudine, figura atque colore, amygdalam adæquabat; & ſuaſu quorundam, in pulverem redactus, ab ægroto aſſumebatur: Verum ab illo tempore non niſi ſub acerbo dolore, ardoreque urethræ lotium mittere potuit, & cum illo ſæpius arenulas, ac minutos calculos reddidit; donec tribus circiter abhinc menſibus loco horum, materia mucida, & vere purulenta, ſæpius in fruſtis mingeretur, atque poſt quemvis, vel leviſſimum corporis motum, aut aliqualem mictus cohibitionem, cruenta flueret urina. Noviſſime ardor atque dolor extra mictionem colem exercet; & in urina majora ſæpenumero fruſta puris cernuntur; mictus eſt difficilis, ani teneſmo ſtipatus; lotium non raro guttatim ſtillat; alvus haud reſpondet, & tantis conatibus deponi debet, quantis vix parturientes opus habent, metum herniæ, in uno latere jam imminentis facientibus; atque dolores urethræ, noctu præſertim ſunt atrociſſimi. Conſuluit varios, eoſque haud incelebres medicos, multaque remedia, quin & aquas Reinboldsgrünenſes interne pariter ac externe, ſed in caſſum adhibuit; nec ex eſſentia dulci, pulvere antiſpaſmodico, pilulis contra obſtructiones &c. ullum levamen percepit: ſed à liquore anodyno minerali bene habet; atque per noviſſimos decem dies purpuram rubram benigniorem, quæ jam deſiccari videtur, patitur.

### *Conſultatio.*

Affectus præter naturam, quo vir quidam reverendus graviter ſolicitatur, non niſi ab exulceratione veſicæ, ejuſque præſertim ſphincteris, cum mictione cruenta ſtipata, originem trahere videtur. Et doleo ſane, quod non ſtatim ab initio perita manu fuerit tractatus: tempeſtiva enim ſectione venæ, atque medicinis temperantibus, decoctiſque acrimoniam humorum tartaream, ſcorbuticamque temperantibus, & evacuantibus, malum hocce potuiſſet præcaveri. Verum cum jam ſit inveteratum, quin in ipſam ulcerationem degeneraverit, perardua erit curatio, juſtiſſimaque ſuſpicio, ne temporis diuturnitate ex muco pure permixto, calculoſum generetur concrementum. Quamobrem, ut præſentes moleſtiæ mitigentur, & graviores, quæ imminent, arceantur; tempeſtiva medela opus eſt. Hanc præſcripturus commodam, ante omnia ſuadeo, ut æger à cereviſia abſtineat, & in potus ordinarii vicem, ſequenti utatur decocto: Recipe radicis altheæ, aſparagi, graminis, eryngii, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, radicis ſcorzoneræ uncias duas, liquiritiæ, cichorei ana unciam unam, ſeminis fœniculi unciam ſemis, caricarum pinguium numero ſex. M. C. C. D. S. ſpecies; quarum unciæ tres, addito hordei bene mundati manipulo uno, cum tribus aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes decoquantur. Deinceps egregium polliceor auxilium à ſero lactis dulci, ſi illius menſura dimidia, mane tepida, & hora pomeridiana quarta potetur frigida. Parari poteſt, quando lactis recentis una circiter menſura, ad lenem ignem, ſub aſſidua, ne adurat, agitatione, ad conſiſtentiam pulveris craſſioris flavi evaporatur, tum affuſa aquæ eadem, quæ lactis fuit, quantitate iterum coquitur, deinde percolatur, & relicta craſſiori ſubſtantia, tenuior uſurpatur.

Quod ſi vero hujus potatio haud arriſerit; operæ erit pretium, ſeptem vel octo vaſcula infuſi theiformis mane ſorbillare, cujus hæc ſit formula: Recipe ſummitatum millefolii manipulos duos, florum chamomillæ vulgaris pugillos tres, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. D. F. ſpecies pro infuſo: ex quo ſingulo mane ſexaginta Elixirii viſceralis guttas aſſumere; alternis vero diebus drachmam unam pulveris præcipitantis adhibere decet. Si nimia humorum urgeat abundantia, aut quædam ad hæmorrhoidalem fluxum præſto ſit proclivitas; præſtat venam in pede ſecare, & ſex vel octo cruoris uncias detrahere. Non minus ante omnia ad alvum, ut ſit lubrica, oportet reſpicere; & hoc fine ſequentem potionem matutino nonnunquam ſorbere tempore: Recipe mannæ electæ uncias duas, terræ foliatæ tartari drachmam unam, aquæ florum tiliæ uncias quinque, coque & ſolve leni calore, colaturæ adde eſſentiæ corticum aurantiorum, croci ana guttas triginta. M. D.

Si dolorum vexet atrocia, non præſtantius ſubſidium eſt balneo aquæ dulcis; cui ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis parato, & tepidiori, umbilico tenus per horam dimidiam inſidere expediet: neque ludetur opera, ſi liquoris mei anodyni quadraginta guttulæ ex aqua pura, aut ſupra allegato decocto capiantur. Cæterum ab omnibus animi affectibus, maxime terrore, & iracundia; nimia corporis exercitatione; potu calidiori, aëreque

aëreque humido & frigido, ſummo cavendum erit ſtudio; ſub epulis vero hauſtum vini Sect aut illius, quod Frontiniac audit, adhibere licebit.

His rite uſurpatis, nunciavit mihi æger, ſe ex illis optime habuiſſe, cruentam penitus evanuiſſe mictionem, filamenta mucoſa in lotio imminui, ac ipſos dolores, paroxyſmoſque fieri mitiores: & ex eorundem continuatione longe majus ſperat auxilium.

---

## CASUS LXXXVIII.

### *De pravo veſicæ morbo hæmorrhoidali ex male tractata purpura ſcorbutica.*

VIr, haud infimæ dignitatis, annorum triginta ſeptem, temperamenti ſanguinei, corpulenti habitioriſque conſtitutionis, ſub auſpiciis anni noviſſime elapſi, febre prehendebatur purpuracea. Accitus medicus regimen imperabat calidiſſimum, ut intra lectorum cumulum ſudore ferme deflueret æger. Sed malum invaleſcebat, & efflorescentia quotidie copioſior erumpebat: donec ope alterius medici remotis ſuperfluis integumentis, ac calore hypocauſti temperato, poſt trimeſtre fere tempus, à ſua moleſtia vindicaretur. Interim urina remanebat, coloris ex atro rubentis, & ſedimentum deponebat, ſulphuri antimonii aurato ſimile. Quare uti cœpit acidulis, eaſque, cum inde melius habere videretur, & urina naturalem recuperaret colorem, per totam æſtatem, ſed quantitate juſto majori potare continuabat; & quotidie ſedecim, quin viginti menſuras hauriebat. Menſe demum Auguſto præteriti anni accidit, ut ex improviſo gravi urinæ ardore corriperetur, ejuſque mittendæ creberrimo ſtimularetur deſiderio. Accedebant atroces in abdomine, veſica, urethra, ac ano dolores, modo lancinantes, modo ardentes: urina mingebatur craſſa, ac dimittebat ſedimentum valde mucoſum, cum internatantibus filamentis, modo tenuioribus, modo craſſioribus, inſtar abraſæ cuticulæ; adeo ut excoriationis, vel plane ulceris veſicæ aut urethræ adeſſet ſuſpicio. Dabantur ergo emulſiones refrigerantes; & extrinſecus injiciebantur, liquores demulcentes, lactei ac mucilaginoſi: iiſque intra paucos dies, cuncta ſymptomata inſigniter mitigabantur, æger per octo horas à mingendi neceſſitate liber erat, urinamque reddebat, ſanæ ſimillimam, & non niſi pauco muco permixtam.

At poſt pauci temporis intervallum, recidebant priores moleſtiæ, à doloribus ardoribuſque veſicæ, & tam copioſo, ut olim, ſedimento vacuæ; ſed ſub mingendi cupiditate, primum puris, quantum cochlear capit, effluebat, tumque reddebatur lotium tenue, nonque niſi filamentis quibuſdam imbutum. Debellata & hac per congrua ſubſidia affectione, ſpes affulgebat perfectæ ſanitatis: ſed malum omnibus octo vel decem hebdomadibus revertebatur, nec adhuc penitus ceſſat. Accedebat noviſſime moleſtiſſimus ani teneſmus, cum vehementibus torminibus, ac rejectione muci albi ſpiſſioriſque conjunctus; atque dyſenteriæ, populariter graſſanti, ſic dictæ albæ haud diſſimilis: quo affectu profligato, redibat prior, inſigni mictus difficultate junctus.

Cæterum ſcire licet, cœcas ſæpenumero hæmorrhoides, anum occupare; neque vero unquam, licet interdum admotæ fuerint hirudines, fluxerunt. Calculi nullæ ſe exſeruerunt notæ; nec in urina ſabulum unquam adparuit. Juvenis adhuc æger laboravit profluvio ſeminis virulento, ſed male curato: & in præſenti curatione cuncta diuretica, calidiora, ac exæſtuantia exularunt. Contra vero decocta ex ſarſaparilla, radice chinæ, altheæ, ligno ſantalino confecta, majorem tulerunt opem; nec fruſtraneæ fuerunt injectiones mucilaginoſæ; de quibus notari meretur, [illegible] iis adhibitis, urina tenuis, iiſdem vero omiſſis, ſpiſſior rurſus fuerit reddita.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Præcipuum, quod virum ſpectatiſſimum, teſtantibus litteris ad me miſſis, diſcruciat malum, eſt fæcum ac urinæ, materia mucoſa permixtæ excretio, cum dolore urethræ ac teneſmo ſtipata: cui noviſſime acceſſit, ſaburræ mucidæ & albæ, per anum dejectio, cum torminibus juncta. Hæcce vero cuncta ſymptomata non niſi cruori, in craſſis inteſtinis, & maxime recto ſtagnanti, & exitum per venas hæmorrhoidales fruſtra affectanti in acceptis eſſe ferenda, certiſſime credo. Quum enim illæ venæ juſto exiliores, ac pro tranſmittendo ſanguine hæmorrhoidali minus idoneæ videantur: ſtagnant non in iis ſolum humores, ſed etiam ad vicinam regurgitant veſicam; haſque partes vellicant, ad ſpaſmodicas proritant conſtrictiones & diutius ſubſiſtentes, ſeroſam dimittunt colluviem, primum fluxiliorem, diuturna vero mora ſpiſſiorem redditam. Talis affectio, ubi mucus albicans cum fæcibus exprimitur, nomine hæmorrhoidum albarum, ſive mucoſarum inſigniri ſolet; & à dyſenteria alba, quæ periculoſa eſt, longiſſime diſcrepat.

Confirmat ſententiam meam, inter alia & illud momentum, quo æger ad cœcas hæmorrhoides, licet nunquam fluxerint, proclivis deſcribitur. Muci vero illius fere purulenti, qui cum urina redditur, filamentis inſtar cuticulæ remixtus, originem ex acidularum, tam copioſa quantitate ſumtarum potatione repetendam eſſe duco. Quum enim vir ſpectatiſſimus humores foveat ſalſos, impuros atque ſcorbuticos, ſicuti ex febre purpurata, & urina craſſiori adparet; atque uberiori aquarum frigidarum potatione, conſtricta corporis ſuperficie, ſalutarem prohibuerit tranſpirationem: factum omnino eſt, ut ſucci acres ac ſalſi, majori quantitate ad vias urinarias, & veſicam compulſi, hujus pariter ac urethræ tunicam interiorem villoſam, ac glanduloſam arroſerint & excoriaverint. Præterea, dum æger olim gonorrhœa, cujus in glandulis proſtatis, prope veſicam ſitis eſt ſedes, minus recte percurata laboravit; nullum fere eſt dubium, quin ex affluxu vitioſorum humorum, nova in hiſce etiam locis facta fuerit ulceratio: unde purulentæ materiæ, quæ interdum ſola abſque lotio profluit, eluceſcit ratio.

Quod hactenus inſtitutam hujus affectus curationem attinet, de ea non habeo, quæ moneam; ſiquidem rectiſſime acriora atque diuretica omiſſa, & potius demulcentia & leniter exſiccantia fuerunt adhibita. Ut vero meam quoque proponam mentem; ante omnia monendum duco, quod conſultum valde fuiſſet, ſi percepiſſem, num æger ſoleat venam ſecandam præbere; an venæ in manibus, pedibuſque turgeant; an nimium gulæ indulgeat; vino

vino utatur; ac vitam agat ſine motu deſidem? Quod ſi enim hæc ita ſe habeant; cuncta ſymptomata, tempeſtiva venæ ſectione ab initio potuiſſent præcaveri, præſertim cum à ſanguinis, aut potius ſeri abundantia ſuſtentari videantur. Neque vero adhuc elapſa eſt commoda hujus operationis occaſio; conſultum enim fore judico, ut protinus ex vena in brachio tuſa, ſex vel octo cruoris unciæ detrahantur; & abhinc ſectio hæc, pro plethoræ ratione, ter vel quater quotannis iteretur; ſanguiſugæ vero fugiantur; quoniam majorem humorum ad affecta loca affluxum concitant. Pro potu ordinario hoc commendo decoctum: Recipe radicis chinæ, ſarſaparillæ, ligni ſaſſafras ana uncias quinque, ſantali rubri, citrini, radicis cichorei ana uncias duas, glycyrrhizæ drachmas decem. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum una cum dimidia uncia, ex tribus aquæ menſuris per horam dimidiam coquatur.

Egregiam porro utilitatem ſpondent ſequentes balſamicæ, ac conſolidantes, ſimulque laxantes pilulæ: Recipe extractorum cardui benedicti, abſynthii, rhabarbari, gummi ammoniaci, maſtichis, therebinthinæ venetæ ana drachmam unam, diagrydii ſulphurati drachmam ſemis, croci martis aperitivi ſcrupulos quatuor. F. l. a. pilulæ, quarum drachma dimidia, quovis tertio ſumatur die. Reliquo tempore, mane pariter ac veſperi drachma una pulveris capiatur, hunc in modum parandi: Recipe oſſium ſepiæ, lapidum cancrorum, pulveris glycyrrhizæ, iridis florentinæ ana drachmas duas, ſuccini præparati, nitri purificati ana drachmam unam. F. pulvis.

Præterea, cum ſcorbutica præſto ſit humorum diatheſis, non ludetur opera, ſi ægro placuerit, ſingulo mane, acidularum Selteranarum, tertia vel quarta lactis aut vaccini, aut aſinini parte permixtarum, menſuram potare. Extrinſecus ad regionem pubis, aquam arquebuſadæ ſæpius intra lintea adplicare juvabit; & denique eam vivendi rationem inire, ex qua ſanitas nullum capiat detrimentum.

---

## CASUS LXXXIX.

*De calculo veſicæ cum incontinentia urinæ, dyſuria, ſtranguria, ac hernia ſcrotali conjuncto.*

VIr generoſiſſimus, rei militaris ſummus præfectus, ſexaginta ſex annos natus, brevioris ac macilentioris ſtaturæ, temperamenti cholerico-ſanguinei, à teneris caſtra ſequutus, multiſque fatigationibus, in Hungaria præſertim debilitatus, præter quartanam, anno ætatis trigeſimo per tres annos toleratam, valuit rectiſſime. Poſthæc ex renum calculo laborare, & per vices atrociſſime cruciari cœpit: ſed illius ferocitatem, potis per viginti annos quotidie aquis Schwalbacenſibus, mitigare ſoluit. Decem abhinc annis ex fortiori vomitorio, herniam ſibimet acquiſivit inguinalem; ex qua, licet ſubligaculis apte ſit munita, inter eundum graves ſentit moleſtias. Ante quatuor annos, cum in horto obambulaſſet, ſubito inſultu apoplectico prehendebatur, cum oris retractione ad latus dextrum, & manus reſolutione paralytica ſtipato; ſed congruis remediis prorſus debellato. At ſequenti anno idem revertebatur inſultus, & faciei potiſſimum, linguæque paralyſin relinquebat, cum fletu invito; quo, ad hanc uſque diem ſæpiſſime, cum vultu lacrymabundo flere tenetur. Senſus externi vigent; ſed interni vacillare videntur, dum memoria admodum hebes exiſtit; &, quod notatu dignum, rerum militarium, & quæ officium ejus attinent, promte reminiſcitur, ſed reliquarum inſignem patitur oblivionem.

Hæc ſymptomata, maximeque fletum invitum permultis, ſed fruſtra, oppugnavit remediis; nec à venæ ſectione, quam bis quotannis adminiſtrari curat, ullum percepit ſolamen. Acceſſerunt potius calculoſæ affectiones: ſiquidem, licet per ſex noviſſimos annos nullum excreverit calculum, aſſidue tamen ſabulum in urina cernitur, & à quatuor proximis annis, dyſuria pariter, ac ſtranguria invicem alternantes ſupervenerunt. Neque hæ moleſtiæ ullis profligari potuerunt ſubſidiis; atque ideo dictam herniam magis exacerbarunt, ut illa grandior omnem impediat greſſum. Tandem duos ante menſes, in horum noviſſime recenſitorum affectuum locum ſucceſſit fluxus urinæ involuntarius; quæ, dum ſedet, aſſidue effluit; ubi vero ſurgit, moleſtiſſimo ad mictum ſtimulo urgetur, non prius ceſſante, quam donec inter obambulandum, vi quadam exprimatur lotium. Quam primum autem ſederit, aut cubaverit, præter voluntatem mox guttatim, mox majori copia profluit; atque partes genitales, præſertim ſcrotum, ab hernia ad magnam molem elevatum, aſſidue humectat. Interdum cum urina alvus redditur involuntario: & à vectura malum exaſperatur.

Cæterum appetitu adhuc integro fruitur; alvi gaudet lubricitate; nec frigore præternaturali, nec æſtu corripitur; licet vires ſint prorſus dejectæ. Sub epulis ob longam ſuetudinem vino Rhenano, parca utitur quantitate; cereviſiam potat, quæ nomine *des Duchſteins* venit; mane quædam infuſi Théebois vaſcula ſorbillat, ſumto deſuper fruſto panis, & veſperi Nicotianam ſugit. Motu corporis ob herniam fere omni interdicitur; crebris adficitur ſternutamentis, atque os ſaliva eſt plerumque plenum. Et in tali rerum ſtatu, ob urinæ præſertim incontinentiam, ſalutarem anhelat medelam; & ſcire avet, an ipſi profuturæ ſint aquæ minerales.

### *Conſilium.*

Morbus, cujus cauſſa conſultus ſum, valde eſt inveteratus atque corruptus; & natales ſuos partim ex inſigni nervoſarum partium debilitate, ac ad inſultus apoplecticos diſpoſitione; partim calculo veſicæ mutuatur, cui ſtranguria, dyſuria, teneſmus, ac involuntarius urinæ fluxus debentur. Quamvis vero ſpaſmodicæ tractiones, ac paralyticæ reſolutiones, à quibus etiam invitus fletus dependet, in externis potiſſimum faciei partibus conſpiciantur: attamen ſummo ſtudio eo eſt reſpiciendum, ut motus ſanguinis à capite derivetur, ne illius aut ſeri major congeſtio, vel extravaſatio in cerebro tandem ſubnaſcatur. Augetur hic metus eo, quod generoſiſſimus æger, ob herniam inguinalem, à corporis exercitio, in hiſce affectibus ſaluberrimo prohibetur.

Quamobrem, tam intricatum malum, funditus extirpare vix licebit; ſed ſufficiet, ſi graviores arceamus adflictiones. Et hunc ſcopum diæteticis magis remediis, quam pharmacis aſſequemur: ex quibus primum potui quædam debetur animadverſio. Huic enim nec cereviſia, nec vinum Rhenanum con-

conveniunt; ſed accommodatius erit ſerum lactis. Hoc apparatur, ſi lac vaccinum, quantitate circiter dimidiæ menſuræ, cum uno cochleari ſucci citri permixtum, leviter ebulliat, donec coaguletur; tum, ut remaneat caſeoſa portio, percoletur, & addita lapidum cancrorum, & cinnamomi ana drachma una, leviſſime decoquatur: quæ portio mane calida, hora pomeridiana quarta frigida potari poteſt. Inter vina ſub epulis concedere licet Hungaricum generoſum, vel Gallicum, Frontiniac dictum, vel illud, quod ſingulari arte ex Hiſpanico conficiunt, & *den vveiſſen Beſſer* vocant. Neque alienum erit, decocto ex radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncia una, corticis ligni ſaſſafras, radicis glycyrrhizæ, cichorei ana unciis duabus, cum tribus aquæ menſuris, addito paſſularum minorum manipulo uno concinnato, ſub paſtu uti: à quo etiam quinquaginta guttas Elixirii viſceralis aſſumere expediet.

Præterea cum inſigni fructu adhiberi poterunt pediluvia, ex aqua, furfuribuſque triticeis parata, quibus tepidioribus veſperi immittantur pedes. Ad compeſcendum vero urinæ profluvium, expediet aquam Anhaltinam intra calidiora lintea ad pubis regionem adplicare: & ſi Deus vitam ad futurum uſque vernale tempus protrahere permiſerit, conſultiſſimum erit, ad fontes Selteranos iter facere, eoſque cum binis lactis aſinini partibus permixtos potare. Ut denique inſultus apoplectici ac paralytici præcaveantur, operæ pretium faciet balſamus meus vitæ, aut nuchæ inungendus, aut vertici inſtillandus: cui quoque ſcopo egregie ſatisfaciet pulvis epilepticus Marchionum, cum pauca cinnabari maritatus. Faxit autem Deus, ut hæc præſidia, ſalutari potiantur eventu.

Vix elapſi erant quidam menſes, cum mihi nunciaretur, virum generoſiſſimum, ex recidente inſultu apoplectico, vitam cum morte commutaſſe.

---

## CASUS XC.

### *De ſpaſmo veſicæ urinariæ.*

Vir annorum triginta octo, ſtaturæ longioris, robuſtæ conſtitutionis, patre podagrico, & anno ætatis trigeſimo ſexto ex perverſo vivendi genere defuncto natus, à teneris caſtra ſecutus, & inter potum parciorem, epulas vero largiores, valetudine minus proſpera gaviſus eſt. Tribus abhinc annis, poſt copioſam vinorum Gallicorum potationem, ſtranguriam, mictumque dolorificum pati cœpit. Hanc pro gonorrhœa habitam, calidioribus medicus oppugnavit medicinis, iiſque magis exacerbavit. Namque per totam inſequentem æſtatem, calorem ſenſit præternaturalem, & tantum inter mingendum ardorem, ut etiam urethra ſæpius excoriaretur; appetentia manente integra, & crebris mœroribus accedentibus. Tum matrimonii leges ſubiit, & ſub illo novam curarum ac ærumnarum habuit occaſionem. Hinc hyeme ex improviſo accidit, ut facto itinere, ſumtiſque largis epulis, cum duabus cereviſiæ menſuris, nocte ingenti ad mictum ſtimulo corriperetur, urinaque cohiberetur adeo, ut candelam ceream urethræ intrudere teneretur; quo facto magna lotii quantitas cum impetu proſiliebat. Ab hoc vero tempore atroces per intervalla in veſica, lumbis, dorſo, & urethra percepit dolores, cum magna quidem mingendi cupiditate, ſed incredibili difficultate, alvi obſtructione, gelidiſque artuum extremorum ſudoribus ſtipatos: qui moleſtus paroxyſmus, alvo per propinatum laxans ſoluta, protinus ceſſat. Sed incerto tempore, moxque ſingulo menſe, mox elapſo trimeſtri demum revertitur: & noviſſimo hyeme primum cœcis, mox fluentibus hæmorrhoidibus, & inſigni virium proſtratione complicatus fuit. Alvus plerumque tardior exiſtit, & venter attactu durior; excrementa vero redduntur indurata, ſpiſſaque mucagine obducta; & denique in corpore ſparſim, & inprimis utroque brachio tubercula quædam adparent. Adpetitu gaudet egregio; vino utitur, & à corporis motu per equitationem, aut vectionem bene habet. Venæ ſectio elapſo noviſſime anno quater inſtituta, & menſe hujus anni Martio iterata eſt: potavit quoque acidulas Wildungenſes, cum inſigni fructu, & multæ ſaburræ calcareæ per anum excretione; cum contra Pyrmontanæ votis haud reſponderunt.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Poſtquam morbi hiſtoriam, mecum communicatam, probe exploravi, atque virum generoſiſſimum ipſe coram inſpexi: non poſſum, quin illius ægritudinem pro graviori veſicæ, ejuſque ſphincteris, ac urethræ ſpaſmo declarem; à quo veſicæ cervicem conſtringente, non modo horrendi dolores, totum fere corpus occupantes, verum etiam ardores in urethra, crebri ad mictum ſtimuli, hujuſque difficultas dependent. Hujus cauſſa proxima, non niſi in ſanguine impuro, ſpiſſo, ſcorbutico, per veſicæ nervoſam ſubſtantiam tardius progrediente, ibidemque ſtagnante collocanda videtur: præſertim cum iſti vitiati ſucci per calidiora medicamina, quæ Chirurgi, gonorrhœam ſuſpicantes, adhibuerunt, ad veſicam & vaſa ſeminalia, majori impetu ac copia compulſi, harum partium tonum inſigniter deſtruxerunt. Accedit præterea & illud, quod æger epulis largioribus, potu vero diluente parciori utatur, & crebrioribus in vinis calidioribus indulſerit exceſſibus; hiſque de cauſſis inſignem humorum ſpiſſitudinem pariter, ac acrimoniam, teſtantibus tuberculis in cute jam adparentibus, ſibimet contraxerit. Nec denique ſilentio prætermittenda eſt proclivitas ad fluxum hæmorrhoidalem, qua humores ad inteſtinum rectum acti, exitu vero per illud deſtituti, ad vicinas magis partes, maximeque veſicam regurgitarunt, atque has ad ſpaſmodicas, ſtagnando proritarunt ſtricturas.

Hoc igitur malum funditus expugnaturus, eo ſtudere debet, ut primum humores acres ac ſpiſſos diluat, attemperet, & depuret; deinceps horum ad veſicam & inteſtinum rectum adfluxum præſcindat, & derivet; atque tum dolores vehementiores mitiget ac demulceat. Quos ut conſequamur ſcopos; ante omnia ſanguinis abundantiæ ſuccurrere oportet, eumque ſectione venæ, ter quotannis, nimirum Martio, Junio, & Septembri menſibus repetita, atque detractis ſemper decem, quin duodecim cruoris unciis imminuere. Eidem ſcopo convenientiſſimum erit, ſi forſan cœcæ adparuerint hæmorrhoides, illis perita manu tres vel quatuor admovere ſanguiſugas. Neque minus, ſi hæmorrhoidalis profluvii quædam acceſſerint notæ, hujus ſucceſſum facilitare expediet; quod optime fiet, ſi pilularum balſamicarum, drachmæ uni pulveris præcipitantis mix-

mixtarum, ſedecim ex aqua ab ægro, cubitum ituro capiantur.

Deinceps ſub hoc morbo, ab omni cereviſiæ potu abſtrahendum ſuadeo; & in ejus locum vel acidulas Selteranas, cum quarta vini parte maritatas commendo; vel hoc decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi, radicis ſarſaparillæ ana uncias ſex, glycyrrhizæ, cichorei ana uncias binas, corticis ligni ſaſſafras, ſeminis fœniculi ana unciam dimidiam. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ.

Præterea cum aquis Selteranis completam inſtituere juvabit curationem; earumque tepidiorum lagenam unam ſingulo mane, per quinque hebdomades continuando, potare. Hujus potationis initium, à ſale Sedlicenſi, pondere ſex drachmatum ſumendo, erit capiendum; hocque quovis ſexto die, & denique ſub finem repetendum: & inter ipſam curationem, ſub epulis ex ultimo hauſtu, octoginta Elixirii mei viſceralis guttæ adhibendæ.

Hac medicatione abſoluta, operæ erit pretium, uti ſub invaſione fucti paroxyſmi, ita quoque extra illum corpus ſingula hebdomade purgare, decocto quodam mannato ac rhabarbarino: quod, cum largior ejus ſit doſis, repetitis vicibus mane ſorbillare licet, hauſtis inſuper aliquot infuſi Théebois vaſculis.

Quod ſi nimia fuerit paroxyſmi atrocia; non efficacius commendare poſſum ſubſidium, quam ut æger protinus in balnea temperata, ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis parata deſcendat, iiſque per horam dimidiam inſideat; ter quotidie iterando. Ex eo egreſſus, locum dolentem ſpiritu vini camphorato, linteis duplicatis inſtillato, probe perfricandum curet; atque intrinſecus pulveris mei præcipitantis portionem, cum viginti liquoris anodyni mineralis guttis, vel ex aqua frigida, vel emulſione, quæ amygdalas dulces, ſemen papaveris, & aquas analepticas continet, aſſumat.

Præſervandi denique fine, nihil erit præſtantius, Elixirio meo viſcerali, jam commendato, cujus octoginta guttas ab epulis vel ex hauſtu aquæ frigidæ, vel decocto ſuperius laudato adhibere præſtabit. Non minorem utilitatem pollicetur ſerum lactis, æſtivo præſertim tempore, poſt finitam Selteranarum potationem, ſingulo mane, quantitate dimidiæ, quin integræ menſuræ potandum. Hoc paraturus, lactis recentis menſuram unam, ſucco citri, quantum cochlear capit, permixtam, igni admoveat, ut leniter ebulliat, tumque percolet. Cæterum rectum obſervare decet vivendi genus, in quo corporis refrigerationes, animi fortiores commotiones, excandeſcentia, ſpirituoſique potus probe fugiantur, epulæ ſint parciores, & à cibis acidis, ſalitis, ac flatulentis vacuæ, & corpus, abſoluta ciborum digeſtione ſedulo moveatur.

Neque vero fruſtranea fuit hæc curatio: nunciatum enim mihi eſt, ægrum ab illa optime habuiſſe, ac convaluiſſe.

## CASUS XCI.

### *De ſpaſmo & exulceratione veſicæ cum calculo.*

Vir generoſiſſimus, temperamenti cholerico-ſanguinei, annorum quinquaginta trium, diætæ moderatioris amantiſſimus, à teneris caſtra ſequutus, multis defatigationibus atque vulneribus ſe expoſuit; nihilo tamen minus ſatis bene valuit; niſi quod anno ætatis vigeſimo, fluxu ſeminis virulento laboraverit; qui à Chirurgo variis medicaminibus tractatus, reliquit tamen ſeminis ſtillicidium per annuum tempus contumaciter continuans, & tandem ſponte deſinens. Tribus autem abhinc annis, ætatis quinquageſimo, ex captivitate, quam diu paſſus erat, redux ſubito doloribus lumborum & oſſis ſacri prehendebatur; quos pro tormentis à calculo illatis habens, pulverem quendam ad calculum ſpecificum, ſuaſu amici, luna exiſtente plena capiebat. Inde cum urina multus mucus, ſabulum, quin & calculi reddebantur; ſed ſimul moleſta veſicæ affectio ſuccedebat. Namque urinam, quæ mox mucum album, tenacemque, mox ſedimentum tartareum rubrum, mox pelliculas albas continebat, non niſi inter horrendos cruciatus, ac tantos ardores, ut externa cutis arroderetur, mittere poterat: mox gravis dolor preſſorius ſphincterem veſicæ, ardenſque ſenſus collum ipſius in perinæi regione exercebat; mox guttatim mingebatur; mox urina ſub ipſo fluxu cohibebatur. Sub decubitu, pondus quoddam ad illud, in quo cubabat, latus devolvi videbatur; atque tum mictus facilior, ſine dolore erat.

Ex hiſce momentis calculum veſicæ, ex renibus eo perductum, & à copioſo, quem irritata tunica villoſa fundit, muco majora capientem augmenta medicus ſuſpicabatur. Hinc præter balnea, pugnabat blandioribus balſamicis, emollientibus, leniterque diureticis, veluti erant decoctum Foreſti, oleum amygdalarum cum ſpermate ceti, & pauca therebinthina. Calidiora diſſuadebat; attamen æger aquam vitæ antinephriticam ſua ſponte ſumebat, quando difficilior erat mictus, quem eo remedio paullo facilitavit. Mittebatur quoque ad plethoram imminuendam ſanguis ex pede: nihilo tamen ſecius recenſitæ affectiones perſeverabant.

Quum ergo integro anno, ſub his affectionibus tranſacto, nullus excernebatur calculus, in perinæi regione ardentes dolores, ad urethram excurrentes ſentiebantur, & tandem urina mingebatur cruenta, ſimul fœtida: juſta quidem erat ſuſpicio, veſicæ ſubeſſe exulcerationem, num vero hæc à calculo, aut teneſmo hæmorrhoidali, aut muco viſcido ac acri originem traxerit, adhuc latebat. Tandem dubium ſolvebat calculus, in urethram irruens, ac forcipe extractus; qui cum fabam minorem magnus, more calculis veſicæ minus conſueto, valde friabilis eſſet, pro recentiori concremento ex materia purulenta, ac tartaro mixto habebatur.

Dirigebatur itaque curandi intentio & ad humorum affluxum derivandum, & ulcerationem conſolidandam: priori ſcopo venæ ſectiones, leniora laxantia mannata, & temperantia inſerviebant; alteri partim demulcentibus, decoctis ex radice altheæ, ſarſaparillæ, liquiritiæ & caricis confectis; partim

partim abſtergentibus, veronica, millefolio, virga aurea, oleo amygdalarum dulcium, atque therebinthina; partim roborantibus, & leniter adſtringentibus, equiſeto, millefolio, ſanicula &c. fiebat ſatis. His effectum eſt, ut mictus fieret facilior, ac dolores perinæi admodum conquieſcerent: attamen inconſtans erat levamen, & per vices cuncta redibant ſymptomata, quibus per totum annum triſtem ſcenam ludentibus, noviſſime ſuperveniebat febris intermittens quotidiana. Non immerito hæc vocari poſſet apoplectica: namque ſub acceſſione frigoris æger per ſex vel octo horas, veluti attonitus, ſine ſenſu ac motu cum ſopore, ſtertoreque jacebat; tum excipiebat æſtus, & per quatuor circiter horas, cum atrociſſimis circa pudenda doloribus, atque moleſtiſſimo ad urinam alvumque reddendam ſtimulo junctus, inhærebat, & denique in copioſiſſimum deſinebat ſudorem. Sub hac febre, ejuſque quarto circiter paroxyſmo, penis cum ſcroto cernebatur tumidus, & ad gangrænam uſque inflammatus; adeo, ut ob colorem plumbeum ſphacelus metueretur: ardentiſſimus ſub mictione, cujus frequentiſſimum erat deſiderium, urethram vexabat dolor, & tandem ſub paroxyſmi finem, purulenta, fœtidiſſimi odoris mingebatur materia. Notari meretur, in hoc febrili affectu inſignem fuiſſe lactis ebutyrati adpetentiam: ex quo etiam bene habebat, & adhibitis aliis convenientibus medicinis, intra quinque hebdomades, ab hoc magno morbo vindicabatur.

Quo ſuperato, priſtinæ revertebantur affectiones; mox enim teneſmus hæmorrhoidalis anum occupabat, mox tormenta graviſſima veſicam exercebant. Idcirco ad avertendum humorum affluxum, molem ſanguinis imminuendam, & affectas partes corroborandas, crebra adhibebantur balnea, vena in brachio ſingulis menſibus tundebatur, & interne temperantia, cum cortice caſcarillæ, vel Peruviano mixta porrigebantur. Verum poſt primam ſanguinis miſſionem, gravis ſequebatur humorum orgaſmus; alteram excipiebat febris irregularis, ſymptomatica, alternis diebus magis exacerbata, quæ huc uſque continuat. Sub hac perpetuum eſt lotii ſtillicidium, quo remittente, teneſmus ani vexat; alvi eſt adſtrictioris, nec ob adverſationem admittit enemata; urina mingitur ſaturata, cum mucoſo ſedimento. Ciborum adpetentia prorſus periit; contra majus eſt bibendi deſiderium; pro potu utitur, mox decocto ex liquiritia, & fœniculo confecto; mox ſero lactis, mox aqua pura, melle edulcorata; mox cereviſia ſecundaria; ſed vinum plane fugit.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Ex præmiſſa morbi hiſtoria omnino patet, morbi, quem vir generoſiſſimus patitur, præcipuam cauſſam in exulceratione veſicæ, ejuſque ſphincteris, ac urethræ eſſe quærendam. Hæc gignit in veſica purulentam, mucoſamque materiem, quæ cum tartarea, atque terreſtri urinæ cohibitæ ſubſtantia permixta, in calculoſam concreſcit conſiſtentiam, mali ſymptomata adhuc magis exacerbantem. Ulcus veſicæ teſtantur ingentes dolores, ſtimuli ad mictum, ardor, qui comitatur & ſequitur emictionem, atque pelliculæ & filamenta, quæ in urina cernuntur. Calculum vero ſignificant, dolor preſſorius ad ſphincterem incumbens, ardens ſenſatio collum veſicæ, ac perinæi regionem vexans, urinæ mox ſtillicidium, mox largior, ſæpius tamen interciſus profluxus; & quod ex ſupino decubitu tormenta mitigentur.

Tanti moleſtiſſimi pariter ac periculoſi mali origo, ex ſanguinis, exitu per venas hæmorrhoidales privati, facta in vaſis veſicæ ſanguiferis ſtagnatione jure meritoque petenda eſt. Hinc enim tanta membranarum nervearum diſtenſio, ſphincteriſque ſpaſmodica conſtrictio ſuboritur, ut non modo urinæ profluvium cohibeatur, verum etiam vehementiori membranarum conſtrictione, ex villoſa mucus copioſus exprimatur; qui per temporis moram acrior factus, ipſam veſicæ ſubſtantiam arrodendo, ulcerationem procreavit.

Quod ſi enim experientiam conſulamus; deprehendimus, ſpaſmum ejuſmodi ac calculum veſicæ, ex ſuccorum vitalium nimia mole & ſpiſſitudine ſæpe numero ſuos mutuari natales: ſiquidem cruor abundans, ſi nec tempeſtiva venæ ſectione, nec fluxu hæmorrhoidali imminuatur, dicta jam ratione circa inteſtinum rectum atque veſicam ſtagnat, ac memorata producit ſymptomata. Neque dubium eſt, quin eadem hæc cauſſa in noſtro ægrotante locum habeat; præſertim ſi atroces, quos ille in lumbis, oſſeque ſacro ſenſit dolores, & teneſmum, quo afficitur hæmorrhoidalem conſideremus.

Tales autem veſicæ affectiones, ubi gravis læſio ipſam illius ſubſtantiam occupavit, ob perpetuum lotii acrioris affluxum, ægerrimam conſolidationem, atque curationem admittunt; atque ſic nihil fere amplius medico ſupereſt, quam ut, quæ præſto ſunt, tormenta demulceat, & graviora mala arceat. Huic ſcopo magis externa, quam interna facient ſatis: quæ inter, ſi vires permiſerint, ſummo cum fructu ano adplicabuntur hirudines, ut earum ope ſuperfluus, & circa hæc loca ſubſiſtens cruor evacuetur. De his notandum, quod tales ſeligi debeant, quæ nec nigricant, nec virideſcente colore pollent, ſed coloris ſunt variegati, ac maculis nigris conſperſæ. Hæ in loco temperato, & aqua munda aſſervandæ, atque, neceſſitate exigente, ano probe mundato apponendæ ſunt; quoniam, hoc ſordibus imbuto, officio ſuo fungi recuſant. Dum ſugunt, minime ſunt irritandæ, quia morſus illarum, forſan ira percitarum, valde noxius obſervatur: ſi ſaturatæ fuerint, ſponte decidunt; & ſi apex caudæ præſcindatur, majorem cruoris attrahunt quantitatem. Horum ergo inſectorum, tria vel quatuor, ſingulo menſe ano apponere; & antea, ſi nimia urgeat plethora, quatuor ſanguinis uncias ex vena in brachio pertuſa detrahere decet.

Præterea non ludetur opera, ſi emplaſtrum ſaponatum Barbette, camphora & oleo hyoſcyami permixtum, ad regionem perinaei, oſſis ſacri, atque pubis, detonſis prius crinibus admoveatur. Ex internis, ſero lactis nihil præſtantius commendare poſſum, quod ex lacte vaccino recenti, cum ſucco citri permixto, ad lenem ignem decocto, atque percolato paratur, & cum æquali pondere acidularum Selteranarum maritatum pro potu ordinario inſerviat. Non minus mane potandum ſuadeo infuſum theiforme, ex radice altheæ, floribus malvæ, & radice glycyrrhizæ confectum, & cum ſyrupo dialtheæ Fernelii edulcoratum: nec alienum erit, vino illo artificiali, quod ex Hiſpanico componitur, & ſub nomine *des vveiſſen Paſſers* exſtat, nonnunquam uti. Et denique alvi ſiccitati per paſtulas rhabarbarinas ſuccurrendum eſt.

## CASUS XCII.

### *De ſpaſmis veſicæ, & hypochondriorum ex incerta graviditate ortis.*

MAtrona illuſtris, quadragenaria, ſanguineo-cholerica, valde plethorica, feliciſſimo per viginti quatuor annos gaudens matrimonio, quinque liberorum, quorum noviſſimum ante quinquennium peperit, fœcunda mater; elapſi anni menſe Martio, rem iterum habuit cum marito. Ab eo tempore per viginti hebdomades ſiluit uterina purgatio, & acceſſerunt quædam ſymptomata, gravidis propria, faſtidiumque ciborum, ut utero videretur gerere. His elapſis menſes non ſolum redierunt, verum etiam hæmorrhoides fluere cœperunt, cum intercurrentibus animi defectionibus, ad quas natura proclivis eſt: quibus non obſtantibus graviditatem ſuſpicati medici, iter longius, quod ægræ faciendum erat, diſſuaſerunt. Verum non hoc ſolum feliciter, & cum magno ſanitatis allevamento confecit; ſed menſtrua quoque purgatio, licet ter vena in brachio fuerit tuſa, quovis menſe, & quantitate ſatis copioſa, & abſque vitiata qualitate rediit; quid? quod tranſactis novem menſibus, loco fœtus, cruor per venas ſedales, inter atroces imi ventris dolores, animique deliquia prorupit uberrimus. Abhinc varia ſucceſſerunt incommoda: namque in hypochondriis ac imo ventre per vices ſæviſſima ſentiuntur tormenta, tenſiva atque lancinatoria; matutino præſertim tempore nauſea vexat moleſtiſſima, & fortiorem animi affectum excipiunt vomitus ſaburræ tenaciſſimæ. Præterea creberrima ad mictum eſt cupiditas, redditurque urina copioſa, turbida, mucoſa, odoriſque fœdiſſimi: alvus poſt prævium ſemper teneſmum, libera eſt ac laxa, cum ſtercorum mucoſorum rejectione. Venter ſuperior grandeſcit, & naturali durior eſt; neque vero motus embryonis ſentitur, niſi quod valde debilis ſenſatio, hunc motum mentiens nonnunquam percipiatur, quando vel animo eſt hilaris, vel roborantia abdomini admoventur. Quamobrem mœrore perpetuo afficitur, incerta, an utero geſtet, nec ne? ſiquidem decem jam elapſi ſunt menſes, quod viro caruit.

Cæterum notari meretur, quod ex uſu clyſterum male habeat, atque ingentia tormina imi ventris, nauſeam, & animi deliquia patiatur: non minus poſt datum aliquando albicantem liquorem, qui adſtringentia habuit ingredientia, in peſſima incidit ſymptomata, ac totius corporis rigorem tetanodeon; à quibus ope eſſentiæ dulcis vindicata eſt. Jam videtur melius habere, & à gravioribus moleſtiis immunis eſſe: namque ſomno fruitur tranquillo; viribus corporis gaudet integris, nec de ſpirandi difficultate quod conqueratur, habet; & ciborum adpetentia naturali eſt avidior. Remediis pauciſſimis, nec niſi pulvere temperante, aut pilulis Stahlianis utitur: & ut demum ab omni præternaturali moleſtia evadat immunis, ſalutare anhelat conſilium, docerique cupit, an pro gravida ſit habenda? anne potius molam in utero gerat, quam eo magis veretur, cum tribus diebus poſt ultimum puerperium, quo ante quinque annos perfuncta eſt, ſimile concrementum ex utero ediderit, quod membranis incluſum, propriaque præditum erat placenta? & quæ in tali rerum ſtatu in uſum ſint vocanda?

#### *Conſilium.*

Poſtquam morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, ejuſque omnia momenta probe mecum perpendi: neutiquam mihi videtur veriſimile, quod illuſtris matrona fœtum in utero gerat. Quamvis enim quædam graviditatis probabilitas, ex menſibus poſt noviſſimum concubitum per viginti hebdomades, cum ſubſequente nauſea, ciborumque faſtidio ſuppreſſis, ſuborta primum fuerit: hanc tamen ſubſequentes per uterum, ac ſedales venas hæmorrhagiæ refellerunt; quippe quæ in gravidis, abſque conjuncto abortu nunquam fiunt. Quare juſtiſſima eſt ſuſpicio, concrementum quoddam cruentum utero inhærere; quod in perſonis ſucci plenis, obeſis, & exilioribus vaſis præditis, facillime & frequentiſſime generari ſolet. Interea, cum medici de graviditate firmiter perſuaſi, ad ſalvandum fœtum, partim venam in brachio ſæpius tundendam curarunt, partim adſtringentes medicinas ordinarunt: factum omnino eſt, ut motu ſanguinis liberiori per uterum ac imi ventris viſcera, meſenterium, hepar ac lienis viſcus impedito, cruor in utero, vaſis hæmorrhoidalibus, ac tunicis inteſtinorum ſtagnaverit, atque haſce nervoſas partes, cum vicina veſica ad ſpaſmodicas proritaverit ſtricturas: unde tormina inteſtinorum, teneſmus, atque creber ad mictum ſtimulus ſuos mutuantur natales.

Veram in utero ſubeſſe molam, nondum determinare audeo: quamvis enim ejuſmodi tunicacea concretio poſt partum, quinque abhinc annis, utero fuerit excluſa; atque experientia doceat, ejuſmodi concretiones ſæpius reverti, præſertim ſi quædam tunicarum reliquiæ in utero reſtiterint; attamen cum in præſenti caſu nec irregularis fluoris menſtrui ſucceſſus, nec alia ſymptomata, quæ plerumque concrementum ejuſmodi comitantur, præſto ſint; nullus ea ſupponendi certus eſt locus. Interim crebra docet experientia, poſſe poſt concubitum abſque inſequente graviditate, menſes ſuppreſſi eſſe, abdomen intumeſcere, quin etiam mammas turgere: quæ ſymptomata ex carne informi, ob vitiatum ſemen in utero enata, ſolent interdum ſubnaſci; & ſi hæc in noſtro caſu fuerit præſto, quod penitus negare nollem, attamen ejus origo recentior eſſe, & neutiquam à noviſſimo puerperio derivari deberet.

Quicquid vero ſit, ea jam decidenda venit quæſtio, quænam in hoc ambiguo caſu in uſum ſint vocanda? Mea quidem ſententia cardo curationis in eo conſiſtit, ut ſtagnantes in abdomine, utero, & veſica humores diſcutiantur, æqualiſque illorum circuitus promoveatur, omnes ſordes, ex utero præſertim repurgentur, atque præternaturales ſpaſmi demulceantur. Hiſce ſcopis obtinendis, non convenientius commendare poſſum ſubſidium, quam pilulas Stahlianas, aut meas balſamicas; quarum quatuordecim bis quavis hebdomade veſperi aſſumantur, verſus menſtruum autem tempus, omni veſpera capiantur. Cum his ad moliendam alvum, alternari quandoque poteſt pulvis, qui ex cremoris tartari ſcrupulo uno, rhabarbari electi drachma dimidia, & magneſiæ granis duodecim conficitur. Præterea uſum præſtabit egregium, Elixir meum balſamicum viſcerale, ad octoginta guttas & ſub epulis, & veſperi, ſi à pilulis fuerit

rit otium, ex aqua vino nupta adhibendum: hoc enim remedii genus, tam acrimoniam temperandi, quam digeſtionem promovendi, & ventriculum roborandi, vim poſſidet excellentiſſimam.

Cæterum ab animi commotionibus, iracundia, atque terrore, quantum fieri poteſt, cavendum ſuadeo; & corpus, ventriculo à cibis vacuo, probe exercendum. Mane infuſum theiforme, ex veronica, meliſſa, & corticibus citri recentibus ſorbere; & reliquo tempore, loco potus ordinarii, decoctum, cum quarta vini parte mixtum potare; cœna vero parciori uti expediet. Quæ ſi votis nondum reſpondeant, conſultiſſimum erit, thermas vel Carolinas, vel Amaſianas, vel Aquiſgranenſes in uſum vocare.

---

## CASUS XCIII.

### *De raro veſicæ affectu.*

Generoſiſſimus vir, quinquaginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, fluori hæmorrhoidali copioſo olim obnoxius, qui per noviſſimam hyemem parcior ferri cœpit, ſex circiter abhinc ſeptimanis, ex improviſo ſtimulum ad matulam ſenſit, tumque inter mingendum, ardore urethræ diſcruciatus, lotium reddidit album, multiſque filamentis plenum; & poſt aliquam moram ſedimentum album largiſſimum deponens. Hanc moleſtiam, quam ſæpius cito tranſientem pati ſueverat, nihil primum curavit; invaleſcentem vero, & diutius perſeverantem, cumque corporis contabeſcentia, ac virium jactura paullatim ſtipatam, variis oppugnare cœpit remediis. Quæ inter præter balſamica, à medico commendata, erat etiam oleum therebinthinæ: quo per quatuordecim dies fruſtra uſurpato, fontes Selteranos potare decrevit, maxime cum tempus incideret, quo his aquis, ob pectoris affectiones, ipſi familiares, uti quotannis ſoluit. Hauſit quidem illas per undecim dies; ſed, cum languor ac conſumtio corporis majora ſumerent incrementa, ſuaſu alterius medici potationi huic per triduum ſuperſedit, & in earum vicem pulveres ex coralliis, ſpodio, ſuccino albo, maſtiche & ſanguine draconis confectos uſurpavit. Verum his quoque in caſſum ſumtis, inchoavit denuo potum acidularum: neque tamen minus, idem manet morbi ſtatus. Namque cum urina ſubſtantia illa quaſi gelatinoſa, ſæpius filamentis inſtar tunicæ abraſæ permixta, mane præſertim, inſigni profluit quantitate; & languor corporis, maxime notabilis pedum contabeſcentia, magis magiſque invaleſcit.

Bini, quos conſuluit medici, in diverſas abierunt ſententias: alter putavit, gelatinoſum illum, qui in urina cernitur mucum, ex veſica profluere, hujuſque calculum, ſaltem imminentem ſignificare; mox vero mentem mutavit, renumque læſionem accuſavit. Poſterior medicus inſignem ſubeſſe credit, renum, vaſorumque urinariorum pariter, ac ſeminalium imbecillitatem; atque mucum illum ſemine permixtum eſſe affirmat. Suſpicatur quoque, ægrum olim morbo quodam venereo laboraſſe, hujuſque reliquiis deberi præſentem affectionem.

Verum ſcire licet, virum caſtiſſimum, nunquam venerea quadam labe contaminatum fuiſſe; ſed adhuc, dum extra matrimonium degit, vitam agere, ſcelerum puriſſimam, & tantum abeſſe, ut venereis indulgeat ſtimulis, ut potius ex ſeminis abundantia, vehementes teſticulorum dolores, cum eorundem tumore patiatur, ſponte evaneſcentes. Cæterum ab omnibus dorſi, & reliqui corporis doloribus immunis eſt, niſi quod levis urethræ ardor mictionem comitetur: neque ullus eſt ſeminis, aut purulentæ materiæ fluxus. Appetitu gaudet integerrimo; ſomno quidem placido fruitur; ſed ſub hoc manus æſtu præternaturali uruntur, & interdum præcordiorum urgent anxietates.

### *Conſilium.*

Rariſſimus profecto eſt affectus, quo Vir generoſiſſimus ſolicitatur, dum mictione valde dolorifica reddit urinam, muco gelatinoſo plenam. Ille enim nec à reliquiis gonorrhœæ virulentæ natales ſuos mutuatur, nec veſicæ, aut renum calculo debetur: ſed meo quidem arbitrio partim gonorrhœæ ſimplicis benignæ, partim hæmorrhoidum veſicæ albarum, nomen juſtiſſime meretur. Namque cum generoſus æger cruorem hæmorrhoidalem per anum olim reddere ſuevit, ille vero, accedente ætate provectiori, per aliquod tempus ſuppreſſus fuit fluor: non aliter fieri potuit, quam ut ſanguis, cujus moles magis augetur, in recto inteſtino, atque vicina veſica ſubſiſtat, ſtagnet, vaſa harum partium ſanguifera infarciat, & ob diuturniorem moram portionem tenuiorem lymphaticam, per tunicam veſicæ villoſam dimittant; quæ in cavitatem veſicæ ſtillans, ibidem coagulatur, acrior fit, atque cum urina, inferendo urethræ ardoris ſenſum, excernitur. Hæc eadem eſt ratio, quod loco cruenti fluxus hæmorrhoidalis, materia alba, inſtar albuminis ovorum, per anum reddatur: quæ in noſtro caſu per veſicam exitu ſuo potita eſt. Præterea vero, cum generoſus æger cœlibem agat vitam, atque teſticuli ob ſeminis abundantiam ſæpenumero intumeſcant; vero eſt ſimillimum, ſanguinis copioſiorem ad vaſa ſeminalia fieri affluxum, & uberiorem lymphæ ſpermaticæ in proſtatas, & veſiculas ſeminales ſecretionem; quæ cum urina emittitur, & contabeſcentiæ, viriumque collapſus præbet cauſſam.

Quod curationem, quæ hactenus, præſertim cum acidulis Selteranis inſtituta fuit, attinet; has in adfectibus renum ac veſicæ ſatis quidem proficuas eſſe credo; in præſenti vero malo, quod ex ſanguinis ſtagnatione circa dictas partes, harumque inſequuta atonia originem traxit, neutiquam ſufficientes arbitror. Arriderent magis aquæ Schwalbacenſes, aut Spadanæ; quæ ob principium, quod fovent, leniter adſtringens, & martiale, inſignem partes debiles roborandi obtinent virtutem; atque generationem calculoſæ concretionis in veſica, ac renibus efficaciter remorantur. Has per quatuor vel quinque hebdomades ſub debito regimine unam quotidie lagenam ſorbillando, potare conveniet.

Ex pharmacis duo ſunt, quæ commendo; unum eſſentia caſcarillæ, cum eſſentia ſuccini maritata; alterum eſt ſuccinum præparatum, cujus uncia una cum dimidia olei tartari per deliquium ſit imprægnata, ſiccataque, ad drachmam dimidiam mane pariter ac veſperi capiendum. Spiſſiores cereviſiæ, & calidiora vina in hoc morbo plane inopportuna ſunt: præſtat in eorum locum decocto ex radice ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, cichorei, liquiritiæ, & ſemine fœniculi concinnato, pro potu ordinario uti. Denique fugiantur fortiores corpo-

poris per equitationem, ac vecturam concuſſiones; atque reliquarum rerum non naturalium uſus rite inſtruatur.

## CASUS XCIV.

### *De gonorrhœa ſimplici, ex impura, & immodica venere orta.*

Litterarum ſtudioſus, viginti ſex annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, tenerioris, debilioriſque corporis conſtitutionis, tuſſi, uti videtur, hypochondriaca infeſtatus, atque parentibus natus ſaniſſimis, menſe elapſi anni Novembri cum fœmina menſtruo fluore polluta ſtando celebrat, & aliquoties repetit coitum. Sentit protinus ardorem in pene, ex quo imminentem metuens gonorrhœam, purgans ſumit medicamen, quod ventrem ſubducit copioſe: at ille ſecurus repetit illicitum concubitum; diætæ irregulari, potationi ſpiritus vini, ipſiuſque calidioris vini indulget; & iterum purgans, quaſi hoc expiaret nefas, adhibet. Sed brevi poſt crebra ſtimulari cœpit tentigine, atque ſemen bis terve quavis hebdomade ſub nocturnis imaginibus elabebatur, cum atrociſſimis pedum, maxime genuum circa articulos tormentis. Hæc non minus, ac pollutiones nocturnæ, propinatis decocto quodam, ac pulvere temperante, brevi tempore remittebant; ſed penis erectus, ubi detumeſcebat, ſeminis quaſdam guttas præter voluntatem exſtillare incipiebat; & priores moleſtiæ per intervalla recrudeſcebant. Neque ferebant deſideratam opem tinctura quædam, ex ſpiritu therebinthinæ, balſamo de Copaiva, & oleo ſuccini confecta, nec emulſiones, nec oſſa ſepiæ in pulvere: potius invaleſcebant ſymptomata, quorum hæc jam eſt idea.

Ubi erigitur colis, protinus elabitur ſemen; mane expergefactus, miſſa urina, inſigni ad venerem urgetur cupiditate; urina deponit flavum ſabulum, quod eo copioſius jamjam in matula cernitur, poſtquam per triginta dies, acidulis Selteranis, lacti nuptis, conjuncto uſu Elixirii balſamici, cum menſtruo lixivioſo parati, & pulveris temperantis, uſus fuit. Attamen poſt hanc potationem, nocturnæ pollutiones rarius contingunt; ardor urinæ, & ſpaſmi pedum tantum non ceſſarunt; nec niſi, ſumtis incongruis potibus adhuc adfligunt. Neque etiam glutinoſa illa, & ſpermati ſimilis materia, quam olim copioſam cum urina reddidit, tam larga conſpicitur.

Cæterum ad ſudorem eſt facillimus æger; & bis quotannis venam tundendam præbere ſuevit; adpetitu ciborum fruitur integro, & ſomno placidiſſimo. Inter medicinas, quas hactenus adhibuit, & ex quibus bene habuit, fuerunt infuſum laxans mannatum, pulvis temperans ex lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, oſſe ſepiæ, & nitro paratus, atque ſpiritus nitri dulcis, ex ſpiritu flammifico Hoffmanni compoſitus, & cum quarta balſami vitæ parte remixtus. Verum cum nondum penitus debellari potuit tædii plenum malum; tuum, vir illuſtris, anhelat æger conſilium, docerique cupit: 1. Anne morbus, quo cruciatur, ſit gonorrhœa ſimplex, à ſumma debilitate partium genitalium ſuſtentata? 2. Num ſpes ſit, illum expugnandi, & quibuſnam remediis hoc ſcopo potiri liceat? 3. Utrum tuto poſſit leges matrimonii ſubire?

### *Conſultatio.*

Vidi probe ac intellexi ex communicata mecum morbi hiſtoria, quæ moleſtiæ ægrum habeant ſollicitum. His ut congruam medelam præſcribam, atque priori quæſtioni: Anne morbus pro gonorrhœa ſimplici, quæ à ſumma partium genitalium debilitate ſuſtentetur, habendus ſit? faciam ſatis: omnino tonum partium, quæ elaborationi ſeminis dicatæ ſunt, labefactatum huic affectui, quem jure gonorrhœam ſimplicem appellare licet, originem ac nutrimentum præbere arbitror. Ob hancce enim harum partium debilitatem, humorum lymphaticorum, ſeminalium, ſalinis, ſcorbuticiſque ſordibus procul dubio imbutorum, major ad illas & copioſior fit affluxus; qui partim interdiu præter voluntatem, partim noctu per pollutiones elabuntur; atque crebram tentiginem, ac urethræ ſub mictu ardorem excitant. Si de cauſſis hujus mali diſpicimus, non alia ſe nobis offert, quam impurus ille coitus, aliquoties repetitus: quippe quo affrictum eſt partibus genitalibus peregrinum & corruptum quaſi fermentum, quod non modo robur veſicularum vaſorumque ſpermaticorum deſtruxit, verum etiam ſemen contaminavit; eo magis, cum in ipſo jam ægro ſcorbutica humorum diatheſis præſto eſſe videatur, quemadmodum dolores vagi, quos patitur, & ſabuloſum lotii ſedimentum atteſtantur. Hinc etiam vehementer laudo, fontis Selterani, lacte permixti potationem; quæ, ſi omiſſa fuerit, longe atrocius eſſet malum.

Quod igitur ſecundam attinet quæſtionem: An ſpes ſalutis ſuperſit, quibuſnam hanc impetrare liceat medicaminibus? haud ignorari oportet, gonorrhœam virulentam, rite tractatam, longe faciliorem brevioremque admittere curationem, quam quidem benignam illam ſimplicem. Hæc enim ſæpiſſime adoritur corpora debiliora, quæ humoribus impuris ſcatent, & medicamina poſcit mitiſſima; cum illa robuſtiora potiſſimum occupet ſubjecta, nec à fortioribus, generoſiſque exacerbetur medicinis. Nihilo tamen minus feliciſſimo curationis eventu in noſtro caſu potiemur, ſi illi, recte adminiſtratæ diutius, & cum patientia inſiſtat æger. Inſtituetur autem commode per potationem aquarum Selteranarum. Haſce enim cum duabus lactis partibus commixtas, per quatuordecim dies ita adhibendas ſuadeo; ut quavis quarta die interponatur pulvis laxans, cujus hæc ſit formula: Recipe rhabarbari electi pulveriſati drachmam dimidiam, cremoris tartari ſcrupulum, antimonii diaphoretici grana decem, diagrydii ſulphurati grana quatuor. M. F. pulvis pro una doſi. Deinceps quotidie cubitum iturus æger, capiat drachmam pulveris, ex ſpecierum de hyacintho, oſſium ſepiæ ana drachmis duabus, ſuccini præparati drachma una concinnati: mane vero ſorbeat infuſum theiforme, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ menthæ criſpæ, meliſſæ, ſummitatum millefolii, florum hyperici ana manipulum, ſeminis fœniculi, anethi ana drachmam. C. C. D. Extrinſecus peni admoveatur ſacculus ſequens: Recipe herbæ menthæ criſpæ, florum chamomillæ Romanæ, roſarum, balauſtiorum, foliorum lauri ana manipulum, baccarum lauri, maſtichis ana unciam dimidiam, caryophyllorum aromaticorum drachmas tres. M. C. C. D. S. ſpecies, quæ in vino rubro ſubadſtringente decoctæ, ſacculo includantur. Denique ſervanda eſt recta vivendi ratio; fugiantur cibi acidi, ſaliti, flatulenti, cepæ præſertim, & allium; evitentur quoque potus calidiores, ſpirituoſi; nec niſi vinum generoſum Sect, ad ventriculum roborandum, parca inter epulas quantitate bibatur. Cæterum, ſtomacho à cibis vacuo, corpus moderate moveatur; & pro potu ordinario ſequens potetur decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias duas, ſcorzoneræ, cichorei ana unciam, liquiritiæ, corticis ligni ſaſſafras ana drachmas ſex, raſuræ ligni ſantali rubri unciam

unciam dimidiam, ſeminis fœniculi drachmam. C. C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris ſunt decoquendæ.

De matrimonio, juxta tertiam quæſtionem, nihil adhuc certi determinare audeo; neque tamen illud ſubire prius licebit quam morbo funditus exſtirpato: quem finem, quin commendata curatione ſit aſſequuturus, non dubito.

---

## CASUS XCV.

### *De gonorrhœa inveterata.*

VIr quinque & quinquaginta annorum, temperamenti cholerico-phlegmatici, olim juvenis in gonorrhœam incidit; quæ abhinc aliquoties, inque primis ante undecim annos cum fluore flavo virulento reverſa & congruis balſamicis, therebinthinatis, cinnabarinis, mercurioque dulci ſublata eſt. Tertius jam agitur annus, ex quo in utroque inguinum venerei adparuere bubones; ægre quidem ob dyſcraſiam humorum acriorem, tamen feliciter perſanati. Præterea per quinque jam annos cutim, maxime in cervice, curvaturis cubitorum, & ano circa oſſis ſacri & coccygis confinia occupant lichenes, ex pallido rubentes, ſquamulas dimittentes, & ubi corpus incaluit, inſigniter prurientes. Pruritum mitigaverunt paulum decocta lignorum, cum tinctura antimonii uſurpata; ſed malum prorſus exſtirpare haud ſuffecerunt. Quare ante biennium commendavi, ut æger, partim ad aërem mutandum, partim cutim emolliendam thermas adiret; quibus uſus, bene quidem habuit, ſed recidit in benignum ſeminis fluxum, nullis huc uſque remediis obſecundantem. Hunc eo certius ab uſu balneorum derivo, cum mihi conſtet exemplum viri cujuſdam, qui ob quandam moleſtiam, balneis aquæ dulcis uſus, gonorrhœa benigna, balſamicis medicinis brevi expugnata, infeſtatus fuit.

Hoc eſt tædii plenum illud vitium, quo adhuc angitur æger, cujuſque medelam flagitat. Semen fertur & ſponte, & ubi colis premitur, prorſus album, lintea duntaxat flavis polluens maculis; colis compreſſus dolorem infert, adeo, ut æger ulcus urethræ ſuſpicetur. Fruſtra datis pilulis, quæ ſuccinum, myrrham, olibanum, gummi hederæ, juniperi, cinnabarim nativam, mercuriumque dulcem habebant; illæ, quæ ex therebinthinæ binis partibus, ſuccini, myrrhæ, florum ſulphuris ſingulorum una conſtabant, ſiſtere videbantur moleſtum fluxum; at ille, celebrato concubitu, ſemper recrudeſcebat. Quum itaque interna medicamina votis haud facerent ſatis, & ea, quæ fortius urinam pellunt, ob graviora, quæ renibus, veſicæque inferre poſſent, damna propinare dubitarem: ad externa deveni, & hæc inter primum mercurium dulcem, cum aqua plantaginis, aut infuſo ex herba plantaginis, ſalviæ, hyſſopi, radiceque caryophyllatæ confecto, urethræ injiciendum curavi; ſed inde fluxus cernebatur virulentior. Hinc ſubſtitui emulſionem ex myrrha, ſuccino, therebinthina, vitello ovorum, decoctoque recenſito paratam, eamque immitti urethræ juſſi: ſed & hæc malum exacerbavit adeo, ut non modo copioſius ſemen, verum etiam ipſe tandem cruor proflueret; cum ſedimento putrido atque cruento. Quare abſtinui à remediis; quo facto fluxus adparuit benignior, ac parcior.

Interim cum ſemen eſſet tenuius, ac ex uxoris mente paullo acrius; multique laudarent uſum emulſionis, ex ſeminibus quatuor frigidis, cannabis, & agni caſti concinnatæ: propinavi hanc, ſed cum ſucceſſu minus felici. Namque protinus excipiebant ſtranguria, colica, ac inſignis dolor dorſi tenſivus, qui corpore horrore perfuſo, admodum invaleſcebat, tantuſque erat, ut nec corpus ſine tormentis movere, ſitumque mutare poſſet; accedentibus febre, ſiti, viriumque collapſu. Præterea poſt adplicatum lumbari regioni linctum, quem ſpiritus cujuſdam ex gummatibus, & plantis aromaticis parati partes binæ, ſpiritus vini camphorati una conſtituebant, profluxit cum lotio materia craſſa, lenta, alba, odoris expers, puri ſimilis, copioſiſſima quantitate. Uſurpatis convenientibus remediis, intra trium hebdomadarum decurſum, remittebant hæc ſymptomata, & priſtinus valetudinis ſtatus, & ſeminis profluvium, ſub his affectionibus parciſſimum, denuo rediit.

Hinc in uſum revocavi injectiones tepidiores, quæ aquæ ſambuci uncias quindecim, vitrioli cyprii calcinati drachmam unam habebant, & primum vehementem ardorem, paullo poſt mingendi cupiditatem excitabant; quam urinæ ſequebatur emictio dolorifica. Ceſſabat ſubinde ſub continuatis illis injectionibus fluxus ſeminis; ſed hunc cohibitum preſſo pede ſequebatur dolor in dextro inguine tenſivus, cum levi febricula catarrhali, atque tuſſi moleſta junctus. Febre diſcuſſa, tuſſique per ſtomachica, & aromatica conſopita, male tamen habere pergebat ægrotus, ut ideo metuens, ne ex ſuppreſſo fluore, periculoſæ ſuborirentur metaſtaſes, ab ulteriori injectionum uſu deſiſtere tenerer. His miſſis mox iterum fluere cœpit ſemen; cujus profluvii præſens hic eſt ſtatus:

Si mittitur urina, mittitur autem ſine dolore; elabitur ſimul materia albicans, ſub decubitu parcior, in erecto ſitu copioſior: tum in matula cernitur mox hæc materia, cretacei fere coloris; mox alia lenta, viſcidior, vitro tenacius adhærens: utrique ſupernatat ſemper levis quædam nubecula flavi coloris: urinæ quidem minguntur citrinæ, nunquam vero ſanorum inſtar limpidæ, ſed ſubjugalium more craſſiores ſemper ſunt, neque tamen turbidæ. Cæterum adhuc notari meretur, ægrum olim hæmorrhoidibus, quas cœcas vocant, obnoxium, per viginti autem annos ab iis immunem, noviſſime in ſuperiori ani parte, circa ſphincterem, ſenſiſſe tumorem, primum valde dolentem, mox ulceratum, puſque fœtidum adhuc plorantem.

### *Conſultatio.*

Morbus ille pertinaciſſimus, cujus cauſſa conſultus ſum, altas jam egiſſe videtur radices: ſiquidem virulentum ſeminis profluvium ægrum non modo juvenem atrociter vexavit, verum etiam undecim abhinc annis valde cruciavit, & noviſſime quoque per varias, eaſque externas ſemper cauſſas revocatum, tyrannidem ſuam exercet. Nullum profecto eſt dubium, quin ejus ſedes atque cauſſa partim in nimia relaxatione, ac debilitate vaſorum ſpermaticorum, partim vero, & præcipue in ulcere ſcirrhoſo proſtatarum debeat collocari; atque ideo difficillimam minatur curationem. Docemur enim experientia, quod ejuſmodi malum inveteratum, omnium balſamicorum remediorum, in hiſce adfectionibus, valde laudatorum, uti ſunt balſamum Peruvianum, de copaiva, ſpiritus therebinthinæ, balſamum ſulphuris therebinthinatum &c. atque etiam traumaticorum, vim longiſſime eludat; ſiquidem ex traumaticis, intempeſtive cohibito fluxu, graviora ſymptomata, quin bubones venereos ſuboriri; ex balſamicis vero validioribus, ardores excitari ac inflammationes, ſæpius obſervamus.

mus. Neque in tali gonorrhœa, licet vere venerea, ac virulenta exiſtat, à ſalivatione mercuriali ullum expectare licet auxilium: neque proficuus eſt thermarum uſus. Namque hæ, magna quantitate bibendæ, in tubulis corporis jam debilitatis hinc inde ſtagnantes, partes ſpermaticas nervoſas valde, ac membranaceas, magis relaxant, & ideo fluxum virulentum revocant ac exacerbant. Eo magis cuncta balnea, & aquas minerales in iis exſulare debent ſubjectis, quorum humores, inque primis lymphaticus latex, miaſmate venereo jam ſunt contaminati; quale inquinamentum in noſtro ægrotante ſignificant efflorelcentiæ ſerpiginoſæ, & lichenes furfuracei, anum circa os ſacrum, atque coccygis, cubitoſque occupantes; & moleſtum pruritum inferentes.

Præcipua potius in exſtirpando præſenti morbo ea ſit cura, ut ſanguis ac humores rite depurentur. Huic operæ egregium faciet pretium eſſentia radicis pimpinellæ albæ, cum eſſentia ſuccini maritata, ita quidem, ut prioribus diebus ſola eſſentia pimpinellæ, deinceps eadem cum tertia, mox æquali, ac denique majori eſſentiæ ſuccini parte commixta, augendo ſucceſſive doſin, ter quotidie exhibeatur, atque mane ſuavis exinde ſudor expectetur. Porro ex herba meliſſæ, menthæ, ſalviæ, floribus roſarum rubrarum, balauſtiorum, chamomillæ Romanæ, & maſtyche apparari poteſt ſacculus, iſque vino rubro calidiori immerſus ad perinæi & inguinalem regionem adplicari. Iiſdem ſpeciebus, cum vino Burgundiaco decoctis pro injectionibus uti licet: quarum etiam ope balſamus meus vitæ, urethræ immiſſus, egregiam præſtabit utilitatem. Quamvis enim ardores ac dolores excitare videatur, mox tamen hi remittunt; & præterea hoc excellens remedii genus, exulceratas partes inſigniter mundificandi, relaxatas vero corroborandi virtute pollet. Contra vero probe cavendum ſuadeo à medicinis acrioribus, maxime venereis, vitriolo cyprio, & adſtringentibus: hæ enim noxam inferunt certiſſimam.

Denique pro potu ordinario commendo decoctum ſarſaparillæ ſaturatius, additis paſſulis, & cinnamomo paratum: quibus, ſi rite depuratos eſſe conſtet humores, tunc ad roborandas partes relaxatas, pulverem, ex antimonio martiali cachectico, coralliis, ſuccino & oſſe ſepiæ paratum, ex aqua ceraſorum nigrorum, ſucco citri, & ſedi majoris nupta nonnunquam adſumere juvabit.

---

## CASUS XCVI.

### *De gonorrhœa inveterata ex intempeſtivo veneris uſu.*

Vir quidam generoſus, in florentiſſima ætate conſtitutus, ob præmaturum veneris exercitium, & inde relaxata vaſa, ſemen vehentia, hujus profluvium, per novem jam patitur annos. Namque propter dictum valde præmaturum veneris exercitium, ab ætatis decimo ſexto ad vigeſimum annum, ſingula fere nocte inter ludibria nocturna ſemen profluxit; cum inſequente corporis contabeſcentia, & colore vultus pallidiſſimo. Tum ipſi accidit gonorrhœa virulenta, & per aliquot menſes cruciavit, quæ relinquebat ſeminis profluvium, ad hanc uſque diem adfligens. Namque ab eo tempore ardentiſſimo in urethra inter mingendum torquetur ſenſu, lotium continet copioſa filamenta; quod miſſurus, aut alvum exoneraturus, teſtium, & maxime ſiniſtri dolorem, ac ſpaſmodicam retractionem ſentit, emictione demum ſolutam; qua facta, ſemen tenue, crudumque latenter profluebat. A grato cum perſonis ſexus ſequioris conſortio, hæc ſymptomata frequentius urgent, majorque teſticulos, veluti excoriati eſſent, vexat dolor: Poſt accedentes forſan nocturnas pollutiones, per aliquot dies à fluxu ſeminali liber eſt: potuit quoque prioribus annis coitum cum voluptate celebrare; qui noviſſime abſque grata titillatione contingit, ſiquidem ſemen acrius videtur, rodit, & abſque ſenſu elabitur. Excretum quoque per nocturnas imagines ſemen, jam cernitur tenuiſſimum, ſpumæ ſimile & odoris expers; neque parum crucis figunt dolores dorſi, renum, atque capitis; cum cæterum rectiſſime valere videatur.

His ergo moleſtiis varias oppoſuit medicinas, quas inter quædam ex antimonio confecta inſigne præſtitit emolumentum: ab hujus enim uſu, per ſex duntaxat dies continuato, coctum evadebat ſemen, & magna copia, cum inſigni levamine excernebatur. Sed cum hoc remedio privatus eſſet, cuncta redierunt ſymptomata, nullis obſecundantia medicaminibus: quare tuum, vir excellentiſſime, petit conſilium.

### *Conſultatio.*

Intellexi ex mihi miſſis litteris, virum quendam generoſum, ſeminis profluvio longiſſimo, fruſtra adhibitis variis remediorum generibus, admodum vexari: quod, cum jam altas radices egit, atque ob perpetuum tam lymphæ nutritiæ, quam ſeri mucidi, à ſanguine ſecedentis affluxum, ad teſtes ac veſiculas ſeminales inſigniter relaxatas, fere conſuetudinalem, materiæ ſeminalis excretio urgeat aſſidua, curationis ſpem anguſtiſſimam reddit. Hocce potius vitio totum corpus labeſit, emacreſcit, vires conſumuntur; & niſi ferantur ſuppetiæ, ipſi tandem ſenſus, externi pariter ac interni, viſque memoriæ labefactantur.

Neceſſe itaque eſt, ut omni ſtudio oppugnemus id malum; quo fine ad roborandum totum nervorum genus, ventriculum, inque primis relaxatas ſeminales partes confortandas, quæ cura eſto præcipua, inſignem polliceor virtutem ex hoc pulvere: Recipe cornu cervi philoſophice præparati, uſti, oſſium ſepiæ, ſuccini præparati, ana unciam dimidiam, maſtiches drachmas duas. M.F. pulvis, cujus drachma dimidia, primum bis quotidie, dein ſemel, vel mane, vel hora pomeridiana quarta, ex juſculo avenaceo, vitello ovi permixto, vel ex aliquot unciis emulſionis, quæ ſic ſe habet capiatur: Recipe ſeminum quatuor frigidorum majorum, papaveris ana drachmas duas, aquæ meliſſæ, plantaginis, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ ana uncias duas. M.F. emulſio, cui adde ſyrupi papaveris drachmas tres.

Pro potu ordinario utendum ſuadeo, decocto leniter adſtringente, atque roborante, quod tale eſſe poteſt: Recipe radicis chinæ uncias ſex, ligni lentiſci, ſantali rubri, citrini, caſſiæ ligneæ, cinnamomi, ana drachmam unam. C.C.D.S. ſpecies, quarum uncia ex binis aquæ menſuris per horam dimidiam decoquatur. Ex topicis emplaſtrum, quod ex emplaſtri ſpermatis ranarum unciis duabus, ſacchari ſaturni, aluminis uſti, & camphoræ ana drachma una paratur, ad renum regionem adplicare juvabit. Præſertim vero alvum purgare expediet, quem finem commode aſſequemur infuſo mannato, & in curationis principio, & quavis decima die mane aſſumendo. Formula hæc eſt: Recipe mannæ electæ uncias duas, rhabarbari pulveriſati, cremoris tartari ana drachmam unam, coque & ſolve leni calore in vini albi unciis ſex, colaturæ adde olei de cedro guttas ſex. M. D. pro una doſi.

Cæterum rectam ſervare oportet vivendi rationem;

nem; & quamvis moderata corporis exercitatio haud noceat, fortior tamen illius commotio per vecturam aut equitationem fugienda eſt. A cibis porro ſalitis, acidis, acrioribus, & aromatiſatis; nec non potibus vinoſis ac cereviſiariis ſedulo cavendum eſt: hauſtus vero vini auſteri Pontac ſub epulis concedatur. Denique ſi his obſecundare recuſaverit malum; operæ erit pretium, aquam plantaginis vel ſolam, vel cum quarta parte aceti fortioris vini, mixtam, eamque frigidam intra lintea, ad regionem pubis ac lumbarem interdum admovere. Quorum remediorum uſus, ſi rite ac diutius protrahatur; non fruſtraneus illorum erit effectus.

---

## CASUS XCVII.

### *De gonorrhœa inveterata cum variis ſymptomatibus ex inquinamento venereo.*

Vir quinquagenarius, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, caſtra à teneris ſequutus, variis, prout id vitæ genus fert exceſſibus, tam in animi affectibus iracundis, quàm crapulis, ac venereis libidinibus juniorem corrupit ætatem. Idcirco multis vitiis, quæ impura venus poſt ſe trahit, laboravit: ſiquidem olim tuberculum carnoſum urinæ ductui innatum erat, unde urina per plures annos impeditior profluxit, quin interdum plane retenta eſt. Non minus ſæpenumero gonorrhœam paſſus, triginta abhinc annis, curam, quàm vocant ſalivalem, bis ſuſtinuit; attamen cum venereæ rei denuo indulgeret, ea recruduit frequentiſſime, facile ſemper perſanata. Ante duodecim annos liberatus eſt à caruncula urethræ inhærente: abhinc liber fuit urinæ curſus, ſed parca ejus quantitas, quæ vix vitrum, quo ad vinum bibendum utimur, implet, quavis vice, ad hanc uſque diem mingitur. Ab hoc quoque tempore virulentus ſeminis fluor ferme ceſſavit; niſi quod illius, mox albi, mox ſubcitrini unica duntaxat guttula, interdum vel cum urina reddatur, vel ante mictionem elabatur; ac urina materiam albam gelatinoſam, filamentis intermixtam, ad matulæ fundum deponat.

Elapſis ſeptemdecim menſibus febrem incidit graviſſimam; qua intra binas hebdomades ope ſalium digeſtivorum, & aliorum antifebrilium remediorum feliciter ſuperata, interjecto bimeſtri, poſt corpus equitando fortius concuſſum, inguinalem ſibimet contraxit herniam. Hanc non ſecus, ac reliqua ſymptomata debellaturus, ſtuphis ſudatoriis inſidere cœpit, & ſuffitu ex herbis roborantibus corpori admiſſo, copioſos movit ſudores. Verum hernia manſit eadem, & potius atroces capitis dolores, à quibus antea liber erat, cum aſſiduis vigiliis ſuccedebant. Hos oppugnavit primum bolis, ex mercurio dulci confectis, iiſque in caſſum ſumtis, adhibuit decocta leniora; & ex his per quatuordecim dies à capitis tormentis liber evaſit.

Mox autem priſtinum vivendi genus agere, atque libidini rurſus indulgere cœpit: hinc protinus repetebant capitis dolores, hocque mox totum, mox in alterutro, mox utroque temporum, mox in vertice, magnis tormentis nocturno potiſſimum tempore exacerbatis, ſomnumque turbantibus obſidebant. Contabeſcebat ſimul corpus; per vices febrilis accedebat inſultus; urgebat tuſſis ſicca; oris halitus erat fœtidiſſimus; & per intervalla immaniſſimi dolores brachiis, pedibuſque, mox circa juncturas, mox partem muſculoſam eorundem inhæreſcebant. Neque tamen minus cuncta hæc ſymptomata veſperam noctemque duntaxat reddebant moleſtam; per diem bene habebat, ciborumque egregio gaudebat adpetitu, iiſque moleſtiis per integrum vexabatur annum; fruſtra uſurpatis pulvere ſolari Hallenſium, antiſpaſmodicis, remediiſque ſanguinem purificantibus.

Hiſce noviſſimis hebdomadibus, capitis tormenta adeo invaluerunt, ut aſſidua per noctem diemque adfligerent. Quamobrem, cum partim ob gonorrhœam tam ſæpius recidentem, partim mercurialia in caſſum propinata, juſtiſſime cuncta ſymptomata & à virulentia venerea, & à mercurio intra corpus retento derivari poſſe viderentur: conſultum putaverunt medici, illa vel ſalivatione mercuriali, vel ea curatione, quæ per famem, atque ſudorem fit, oppugnare. Quod attinet ſalivationem, eam per mercurium externe illitum excitandam eſſe arbitrantur; quoniam cuncta ex mercurio parata remedia, ſi interne propinarentur, ea virtute, qua mercurialia miaſmata ex maſſa ſanguinea repurgarent, minime pollere crediderunt. Quum autem anceps ſit hoc medicationis genus; & ægrotus ad iracundiam vehementiſſimam ex leviori cauſſa facillimus exiſtat; arriſit ipſi magis poſterior curandi via. Hinc, miſſo ante duodecim dies ex vena in pede [illegible] ſanguine, laxandi fine per tres ſucceſſive dies ſumſit pulverem ex auro fulminante, & magneſia nitri paratum, qui ventrem abſque ullis torminibus egregie ſubduxit. Tum, evitato cujuſcunque generis potu; tres quotidie menſuras decocti ſaturatioris, ex radice ſarſaparillæ, chinæ, hermodactylis, pimpinella, paſſulis, & tantillo ligni ſaſſafras concinnati potavit; ſimul bis quotidie tincturam antimonii tartariſatam, eſſentiæ lignorum nuptam ſumſit; cibos non niſi aſſos comedit, & ſingulo mane in ciſta ſudatoria leniter ſudavit.

Sub hac curatione, primo triduo nullum obſervabatur ſymptomatum levamen; at reliquis diebus mitigabantur capitis dolores, tuſſis vehementia remittebat, alvus quotidie reſpondebat, ciborum cupiditas manebat integra, urina, quæ craſſa eſt, coloreque decoctum æmulatur, libere mingebatur, cum copioſo ſedimento; virium nullum accedebat decrementum, nec febrilis motus, & æſtus ardorque capitis pulſatilis, qui antea illius dolores comitabatur, ferme evaneſcebat. Hanc ob cauſſam viſum fuit conſultiſſimum, ut, ſi virium, adpetituſque integritas perſeveraret, nec febrilis, aut aliæ moleſtiæ accederent, eam curationem continuaret. Verum, cum dubius hæreat, num huic conſilio aures præberet, anne potius ſalivationem ſuſtineret; tuam, vir Experientiſſime expectat flagitatque ſententiam. Nec te ignorare oportet. ſanguinem noviſſime ex vena detractum, poſt trium horarum moram, tunica pituitoſa, tam craſſa tenacique obductum fuiſſe, quæ vix cultro diſſecari potuit; atque ſerum bilioſum, cruoremque aterrimum oſtendiſſe.

### *Conſultatio.*

Ex præmiſſa morbi hiſtoria, rite ponderata, luculenter patet, non ſolum ſuccos vitales impuros, corruptos, tenaces, & ab inquinamento venereo contaminatos, cauſſam præbere immaniſſimis, quos æger in capite ac artubus patitur, doloribus; verum etiam partes ſolidas nervoſaſque, per crebros diætæ errores, exercitia venerea, vehementiorem iracundiam, ac nimium mercurialium remediorum uſum, inſigniter vitiatas, labefactatas ac debilitatas eſſe. Quæ cum ita ſint, ſalivationi mercuriali, ſicuti vulgo inſtitui ſolet, ſubſcribere neutiquam poſſum; ſed valde vereor, ne ex illa exacerbetur malum; ne-

que

que vero votis facturam eſſe ſatis eam curationem ſolam, quæ noviſſime per famem, ac decocta fuit adminiſtrata, perſuaſus ſum: ſiquidem tenaciſſima humorum diatheſis, quam inter alia ſanguis ex vena pronuper miſſus teſtatur, potentiora requirere videtur ſubſidia. Commendarem potius eam medendi rationem, qua præter convenientia decocta, & congruam à cibis abſtinentiam, ad reſolvendum humorum coagulum, & ſordes per ſudores eliminandos, remedia mercurialia, ſelecta tamen, & bene præparata in uſum vocarentur. Quam ut preſſius explicem, ſic adornandam eſſe puto:

Primum quidem primæ viæ ſunt repurgandæ, per ſequentes pilulas, binis vicibus, interpoſita una die, ſumendas: Recipe gummi ammoniaci depurati, extracti panchymagogi Crollii, mercurii dulcis, cinnabaris nativæ præparatæ ana drachmam ſemis, pulveris croci, ſalis ſuccini ana grana tredecim. M. F. pilulæ, ex drachma dimidia viginti parandæ, proque una capiendæ doſi. His uſurpatis, incipiat æger ſingulo mane adhuc intra lectum, quartam menſuræ partem decocti tepidioris potare, quod ſic ſe habet: Recipe ſarſaparillæ electæ uncias tres, radicis pimpinellæ, vincetoxici, corticis Guajaci ana drachmas duas. Conc. cont. M. F. ſpecies, cum binis aquæ menſuris in vaſe clauſo decoquendæ. Ex hoc decocto ſumat ſexaginta guttas mixturæ, quæ ex tinctura antimonii acri, ſpiritu bezoardico Buſſii, ac liquore meo anodyno minerali concinnatur: atque hinc, hauſtis inſuper aliquot infuſi herbæ Theæ vaſculis, ſuavem, lenemque expectet ſudorem. Uſus hiſce per octo dies, iterum corpus ope pilularum, ſupra commendatarum bis purgari curet; tum repetat ſudationem per decoctum provocatam ad idem tempus; hancque, interpoſito iterum pilularum uſu, tertia vice inſtituat.

Sub hac vero medicatione, juvabit quibuſdam adhuc uti medicaminibus. Nimirum in vicem potus ordinarii ſubſtituendum eſt decoctum, quod ex radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ſingularum uncia una, cichorei vero drachmis binis, cum tribus aquæ menſuris coctis, & ſub finem paſſulis minoribus, corticibuſque recentibus citri vel aurantiorum permixtis apparatur. Ex hoc veſperi drachma dimidia pulveris cujuſdam, ſequentem in modum conficiendi ſumenda erit: Recipe lapidum cancrorum, ceruſſæ antimonii ana unciam ſemis, cinnabaris nativæ præparatæ, ſuccini ana drachmas duas, nitri purificati drachmam unam. M. F. pulvis. Veſperi porro pedes in pediluvia, ex aqua fluviatili, & furfuribus triticeis confecta, ad ſuras uſque imponendi, inque iis per horam dimidiam detinendi ſunt: illis enim, ſi juſto prædita fuerint tepore, humores redduntur fluxiliores, & à capite ad corporis alliciuntur ſuperficiem.

Cæterum exactiſſimam ſervare conveniet diætæ rationem; cibi plerique aſſi comedantur, copia parciores; animi vehementes commotiones, corporiſque exæſtuationes non minus ac refrigerationes probe vitentur, nec ex vinis quidpiam capiatur, præter hauſtum veteris Rhenani ſub epulis. Alvus ſi fuerit ſegnis, veſcendum eſt juſculis, quæ ex paſſulis minoribus, manna, & una vini, biniſque aquæ partibus conficiuntur: & ſi capitis dolores immaniter vexent, externe naribus admovendum ſuadeo balſamum meum vitæ; & interne liquorem anodynum, octo guttis ſaccharo excipiendum, & in ore fovendum, donec ſolvatur. Hæc ſunt, quibus ſaluti viri generoſi conſulere volui; quæ Deus fauſta reddat, ex animo precor.

*Relatio ulterior morbi.*

Uſurpata hac, quam præſcripſi, medicatione, optime habuit æger: at cum priſtino vivendi generi indulgere rurſus cœpiſſet, recruduerunt omnes moleſtiæ; quarum hanc mecum communicavit medicus hiſtoriam. Cuncta morbi ſymptomata noſtrum denuo invaſerunt ægrotantem; quorum ſedes procul dubio in proſtatarum, veſicularum ſeminalium, collique veſicæ ulceroſa eroſione collocanda videtur, & hæc eſt idea. Lotium, quod large mingit, cum quadam difficultate, ſubcitrinum eſt, turbidumque inſtar cereviſiæ triticeæ; cum quo fertur materia lactea, ex albo flaveſcens. Hæc in urina recens miſſa, vel non adparet, quaſi adhuc ſoluta eſſet, vel in forma alborum filamentorum in ea fluctuat; ubi vero conquievit, ſedimenti inſtar farinacei levioris ad matulæ fundum ſecedit; ſub quo ſæpius tenacior, flavique coloris mucus, vitro adhærens firmiter conſpicitur. Non minus interdum abſque urina, ſemen quaſi virulentum, quale in gonorrhœa eſſe ſolet, ex cole guttatim labitur. Neque vero tam crebra mingendi urget cupiditas, quanta ſtranguria preſſos vexat; ſed ad penis radicem ſub emictione, preſſorius tenſivuſque incumbit dolor.

Præterea noctes ob aſſiduas vigilias moleſtæ ſunt; vix enim per unam alteramque dormit horulam: hinc languent vires, nec in conclavi obambulare ſine laſſitudine poteſt. Sumtis epulis æſtus præternaturalis, cum ſiti, pulſuque celeri interdum obſervatur; qui per totam continuat noctem. Sæpius inter paſtum ex improviſo, corripitur quodam horrore, leviori, atque breviſſimo; quem nullus excipit calor. Noctu frequenti adficitur nauſea, quæ, ubi ſurrexit, ceſſat, & mane recurrit, cum copioſa ſputatione. Dolores capitis, & artuum externorum per vices incidunt; ſed mox ſponte remittunt. Ciborum adpetentia adhuc viget; major autem bibendi cupiditas, ut præter infuſa calidiora, quotidie ultra ſex cereviſiæ menſuras potare teneatur; ideoque copioſiſſimam reddat urinam. Vini potationem calor præternaturalis & ſitis prohibent. Cæterum alvus reſpondet; pulſus mane fertur æqualis, naturalis, ſed paullo languidior: neque vero præſto ſunt ſudores nocturni colliquativi, nec hecticodea corporis conſumtio.

In hoc rerum ſtatu pauca ſunt, quæ adhibui medicamina: ex quibus, cum inſigni dolorum levamine, quandoque potavit ſequens decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ unciam, chinæ unciam ſemis, radicis fœniculi, eryngii, altheæ ana drachmas duas, raſuræ eboris unciam ſemis, Conc. coquantur in aquæ ſimplicis menſuris duabus ad medietatem; circa finem adde radicis liquiritiæ conciſæ drachmam, aniſi ſtellati drachmam ſemis. Colatura D. Ex hoc decocto mane pariter, ac hora pomeridiana quarta ſumſit triginta guttas tincturæ antimonii martialis. Veſperi nonnunquam adhibuit pulverem, cujus hæc erat formula: Recipe lapidum cancrorum ſcrupulum dimidium, antimonii diaphoretici, viperarum ana grana ſex, nitri depurati, cinnabaris antimonii ana grana tria. M. F. ſex pulveres. Infuſum mannatum, quo laxandi ſcopo uſus fuit, bis vomitu reddidit: & contra febriles inſultus, atque nauſeam illam nocturnam, quæ ex primis viis ortum trahere videtur, uſurpavit Elixirium, ad mentem Hoffmanni ex extractis amaricantibus, detergentibus & roborantibus, atque vino Hungarico paratum, quod brevi ante prandium ex hauſtu vini Moſellani, cum inſigni fructu capere ſueverit. Ad ſitim denique extinguendam ſumſit tincturam florum roſarum, cum ſpiritu nitri dulci commixtam;

tam; at brevi ante recenſitæ adhuc ipſum diſcruciant moleſtiæ.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Fundamentum cunctarum adfectionum, quæ Virum generoſiſſimum adhuc immaniter tractant, non niſi in nimia relaxatione, atque eroſione partium genitalium internarum, nominatim glandularum proſtatarum, veſicularum ſeminalium, urethræ, ac veſicæ colli ſitum eſſe, in priori, quod ſuppeditavi conſilio, jam adnotatum eſt. Scilicet propter relaxationem illam, ſucci vitales ad eas partes majori copia ruunt, & ideo ſubſtantiam chyloſam atque feminalem ad proſtatas ſecernunt glandulas; quæ una cum ulceroſa, quam eædem læſæ partes fundunt materia, mixta per colem fertur, ita ut hæc, tanquam ponderoſior fundo matulæ adhæreat; illa chyloſa, ac levior inter urinam fluctuet. Neque vero dolorifica eſſe poteſt mictio; quoniam æger multum potus aſſumit, eoque acrimoniam humorum diluit ac temperat.

Idem porro partium ſolidarum vitium, per impuram pariter ac nimiam venerem acquiſitum, nutritum, & jam inveteratum, reliquis ſymptomatibus, quibus torquetur æger, cauſſam ſuppeditat; & ex illo vigiliarum, dolorum capitis ac artuum, nauſeæ, languoris, horroris, æſtus, ſitiſque ratio commode derivari poteſt. Etenim ulceroſum illud inquinamentum, venereo forſitan adhuc pollutum miaſmate, abſorbetur per venas ſanguiferas, atque tum cum reliquis corporis humoribus, maxime lymphatico latice permiſcetur. Hinc ſicuti totius maſſæ ſanguineæ textura à naturali temperie deflectit, ita præſertim lympha vitiatur; quæ acris ac ſalſa reddita, ardorem, æſtum, ſitim, doloreſque parit, & nutriendo corpori inepta ſit. Quum autem, ob internum ardorem magnum eſt bibendi deſiderium, multumque potus dilutioris ſumitur: fit inde, ut robur ventriculi atque digeſtio deſtruatur, chylus generetur dilutus & aquoſus, & multæ in prima regione relinquantur cruditates, quæ nauſeæ, ructuum, ſomnique turbulenti cauſſam præbent. Nec denique parum momenti ad debilitandum totum nervorum genus contribuunt fortiores animi affectus, & præſertim iracundia, quibus à multis annis nimium indulſit æger.

Quænam igitur eſt, quæ tantis malis opponi poſſet, medela, ut niſi ea exſtirpentur, ſaltem mitigentur? Si percurram cuncta remediorum genera, nullum fere invenio, quod certam ſecuramque polliceatur opem. Salivationem quod attinet, quæ in morbis, ab impura venere ſubortis, vim habere ſolet excellentem, illam in noſtro ægrotante nemo profecto admittet, cum ipſe impatiens ac iracundus admodum exiſtat, atque inſuper partes ſeminales, ac veſica gravi jam notatæ videantur læſione. Neque aquas minerales, inque primis thermas Carolinas abs re fore puto, quoniam illæ ob magnam ſalis calcarii amaricantis, quam fovent, copiam, eroſas partes magis exaſperant. Nec ſecuri uſus ſunt fortiores ſudationes, cum decoctis lignorum inſtituendæ; quippe quæ humores in majorem atque periculoſam commotionem agere valent. Nec denique purgantibus acrioribus atque mercurialibus, ad ſordes per anum eliminandas, locus eſt; cum de iis juſtus ſit metus, ne tonum ventriculi ac inteſtinorum magis deſtruant.

Quamobrem leniſſima incedendum hortor via; & ex ſubſidiis diæteticis efficaciſſimum ſpondeo auxilium. Ex his, ut decoctum pariter ac Elixirium hactenus uſurpata continuentur, ſuadeo. Ad mitigandos præternaturales calores commendo pulveres temperantes, roborandi virtute præditos, qui v. g. ex oſſium ſepiæ, lapidum cancrorum, ſeminis lycopodii ana duabus drachmis, ſuccini præparati, nitri purificati ana drachma dimidia apparari poſſunt. Horum drachmam unam ex ſequenti emulſione per intervalla capere decet: Recipe ſeminum quatuor frigidorum majorum, papaveris albi, ana drachmam unam, aquæ florum tiliæ, acaciæ, roſarum, liliorum convallium ana unciam unam. M. F. emulſio, adde julepi roſarum drachmas duas. M. D. Mane ſorbillare conveniet juſculum tenuius, ex jure carnis gallinarum, radice cichorei, fœniculi, graminis, naſturtio aquatico, ſucco citri, vel aurantiorum, & floribus macis confectum; cui etiam ſubſtitui poteſt infuſum theiforme, quod habeat herbæ veronicæ manipulos duos, ſcordii, ſummitatum millefolii ana manipulum unum, radicis liquiritiæ drachmas tres, & aniſi ſtellati drachmam ſemis. Oportet porro alvum conſervare lubricam, cui ſcopo convenientiſſimum judico ſequens decoctum: Recipe cremoris tartari drachmam unam cum dimidia, ſacchari unciam unam & ſemis, coquantur leni igne cum una aquæ menſura, adde olei de cedro guttas tres. D. Hoc remedii genus bis quavis hebdomade ſub ipſis aſſumi poterit epulis.

Cæterum cereviſiarius potus neutiquam proderit, ſed potius ventriculi tonum magis peſſumdabit: majori cum fructu potabuntur acidulæ Spadanæ, quæ in ulcerationibus veſicæ ac proſtatarum, teſtante HENRICO ab HEER, & ipſa experientia ſuffragante, omnium mineralium aquarum virtutem longiſſime ſuperant. Et denique cavendum ſedulo ab omnibus laſcivis ac venereis cogitationibus, à cibis coctu difficilibus, flatulentis, ab aëre inimico ac humido; potius corpus moderata exercitatione moveatur, & ex vinis Burgundiacum parciſſima bibatur quantitate. Hæc ſunt, quæ in tam intricato morbo commendare licuit; quæ optaſſem, tantæ eſſent efficaciæ, ut ab iis certum expectari poſſet auxilium.

*Appendix.*

Vix vero fieri potuit, ut fauſtus hæc remedia exceperit eventus; quoniam non fluidæ ſolum partes prægravi labe fuerunt affectæ, verum etiam virus venereum ſolidas, maxime genitales regiones corrupit, atque labefecit. Hinc factum eſt, ut licet æger à multis medicis opem conquireret, ille tamen elapſo vix ſemeſtri, ulcere gangrænodeo oppreſſus, purulentam per alvum pariter ac colem reddiderit materiam, atque ſic miſere perierit.

---

## CASUS XCVIII.

*De gonorrhœa virulenta cum tophis conjuncta.*

Vir generoſus, triginta annorum, temperamenti cholerici, ſtrictioris habitus, à prima juventute militiæ nomen dedit, & in hoc vitæ genere in potibus vinoſis, pariter ac venereis libidinibus multos commiſit exceſſus. Hinc incidit olim in varias adfectiones, maxime gonorrhœam venereas; at ab iis convenienti medicatione ſemper liberatus, per aliquot annos immunis vixit. Neque minus tophus, ante quinquennium, magnitudine ovi columbini in medio fronte ſubortus, ope emplaſtrorum mercurialium, decoctorumque ſanguinem purificantium, diſſolutus ac ſublatus fuit feliciter; & ipſe valere cœpit rectiſſime.

Verum unus jam & dimidius effluxit annus, ex quo atroces dolores mox dextrum, mox utrumque temporum, mox oſſa parietalia, mox totum caput acerbe invaſerunt, & noctes præſertim moleſtas,

ſomnoque carentes reddiderunt, ut æger viribus magis, magiſque exhauriatur. Præterea in parietalibus non minus ac frontis oſſibus denuo conſpiciuntur nodoſa tubercula, nec ab emplaſtris mercurialibus, infuſis decoctiſque emollientibus, pilulis purgantibus, atque mercurialibus diſcuti poſſunt. Tormenta, quæ patitur, cœlo exiſtente ſereno, leviora ſunt; ciborum appetentia imminuitur, maximeque ſummum carnium eſt faſtidium.

Et hiſce moleſtiis ad hanc uſque diem adfligitur, tophique tam acutiſſimum referunt ſenſum, ut ab attactu vel leviſſimo doleant atrociter: neque vero ad munera ſubeunda ineptus redditur. At cum ab iis vitiis liberari cupiat; Te, Vir Experientiſſime, ſuaſore ſe votis ſuis potiturum ſperat: petit ergo, ut proponas, unde recenſitæ adfectiones originem trahant, & qua medicatione, num ſalivatione mercuriali, anne thermis Carolinis, balneiſque Tœpliceníibus expugnari queant?

## *Conſilium.*

Gravem affectum, quem patitur Vir generoſus, ab inquinamento venereo, poſt curatam gonorrhœam intra humorum maſſam relicto, natales ſuos mutuari, extra omnem poſitum eſſe credo dubitationis aleam. Docet enim crebra experientia, quod virulentum ejuſmodi fermentum per plurimos annos, in ductibus glandulofis deliteſcere poſſit; tumque, accedentibus cauſſis occaſionalibus ſuſcitetur, & in maſſam ſanguineam, lymphaticum maxime inquinans laticem, abripiatur: unde non modo immaniſſima dolorum in artubus tormenta; verum etiam ulcera, quæ peſſimi ſunt moris, procreantur.

Quæ vitia curaturum, eos habere oportet fines, ut malignum virus, fluidis æque ac ſolidis adhærens partibus, per congrua ſubſidia è corpore proſcribat: cui quidem intentioni nec balnea, nec thermas, nec ſola decocta ac infuſa ſanguinem mundificantia, ſatisfactura arbitror. Neque adhuc opus fore ſalivatione mercuriali, perſuaſus ſum; quoniam malum curatione per remedia antimonialia inſtituta expugnari poſſe confido.

Hanc ſequentem in modum adminiſtrandam hortor: Primum pilulas purgantes alternis diebus, ter iterando devorare decet, quarum hæc eſt formula: Recipe extracti panchymagogi Crollii, gummi ammoniaci, mercurii dulcis, cinnabaris vulgaris ana drachmam unam. M. F. cum balſamo Peruviano pilulæ, ex drachma dimidia numero XIV; quæ pro una doſi ſumantur, hauſto deſuper decocto avenaceo tenuiori. Deinceps per octo dies, ſingulo mane ſcrupulus dimidius pulveris mundificantis, cujus copiam mitto, ex decocti, inferius deſcribendi, calidioris menſura dimidia ſumatur. Tum repetendus pilularum uſus, ac denique iteranda denuo hæc ſudandi ratio. Decoctum, quod in vicem potus ordinarii inſerviat, hoc eſt: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias decem, corticis ligni ſaſſafras, guajaci, radicis liquiritiæ, cichorei ana uncias duas. C. C. irrorentur cum drachmis duabus ſalis tartari ſoluti. Specierum tres unciæ, cum uncia dimidia antimonii in petia ligati, ex quatuor aquæ menſuris probe coquantur. Sub hac curatione abſtinendum erit à cibis acidis, ſalitis, flatulentiſque, nec niſi aſſis, parce tamen veſcendum. Tophis autem imponendum ſuadeo hoc emplaſtrum: Recipe gummi ammoniaci, myrrhæ, opopanacis ana unciam ſemis, ſpermatis ceti unciam unam, balſami ſulphuris therebinthinati drachmas duas, olei tartari fœtidi drachmam unam, ceræ unciam unam & ſemis. M. F. l. a. emplaſtrum. His ſi cedere recuſet malum; tertium repetenda eſt ſupra deſcripta medicatio.

---

## CASUS XCIX.

*Siſtens conſilium in gonorrhœa diuturna cum inflatione ventriculi.*

Flagitavit quondam conſilium opemque meam, vir quidam generoſus, qui binis morborum generibus diu jam ſollicitatus erat, diuturno nimirum ſeminis profluvio, & inflatione ventriculi hypochondriaca. Hæc ab illo ſuſtentari videtur, præſertim cum imperita manu, & incongruis mercurialibus tractatum huc uſque fuerit. Non enim his ſolum, verum ipſa morbi vetuſtate, ſicuti totum nervoſarum partium ſyſtema, ita præcipue ventriculi robur inſigniter eſt deſtructum. Et hanc ob cauſſam ſumma patientia, & temporis diuturnitate opus eſt, ſi iis malis funditus mederi velimus. Hactenus propter ferventiſſimum cœli ardorem nihil moliri licuit, niſi quod venæ ſectione, blandis laxantibus mannatis, decoctis temperantibus, balſamiciſque, & externis emplaſtris, ac injectionibus pugnaverimus; quibus obtinuimus, ut bubones glandularum inguinalium diſſolutos, dolores perinæi mitigatos, & materiam, quæ antea acris, ſpiſſa, lividaque profluxit, jam fluxilem, albam, benignamque conſpiciamus. Ut vero prorſus debellemus adhuc inhærentes moleſtias; in itinere quidem, quod ægro faciendum eſt, priorum remediorum uſui inſiſtendum ſuadeo. Redux autem ſequentem incipiat medicationem:

Quovis octavo die corpus laxandum, per infuſum mannatum: purgantia enim fortiora, inque primis mercurialia, ob labefactatum ventriculi nervorumque tonum, majus minantur damnum quam emolumentum. Reliquo tempore, laudo uſum decocti, ſic parandi: Recipe radicis chinæ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, raſuræ ligni Guajaci, ſaſſafras ana unciam unam cum dimidia, herbæ nummulariæ, fragariæ, uvæ criſpæ, plantaginis, pyrolæ, pulmonariæ maculoſæ, veronicæ, agrimoniæ ana unciam ſemis. M. F. ſpecies, quarum duæ unciæ ex binis aquæ menſuris probe coquendæ ſunt. Hujus autem infuſi, mane tepidioris, hora pomeridiana quarta frigidi menſura dimidia ſorbilletur. Veſperi ex decocto, quod pro potu ordinario pronuper ordinavi, aſſumatur drachma una pulveris ſequentis. Recipe oſſis ſepiæ, pulveris cancrorum fluviatilium uſtorum, lapidum cancrorum præparatorum, ſuccini præparati ana unciam, pulveris radicis liquiritiæ, iridis Florentinæ, pimpinellæ albæ ana unciam ſemis, nitri depurati drachmas duas, olei ligni ſaſſafras guttulas octo. M. F. pulvis; quem etiam cum eſſentia alternare licebit, ſic paranda: Recipe opobalſami, balſami de Mecca ana drachmas duas, tincturæ tartari, liquoris anodyni mineralis ana unciam unam & ſemis, ſolvantur leni calore, & dentur ad 60. guttas.

Præterea ſub hac curatione per quinque circiter hebdomades, gulæ detrahendum pauliſper ſuadeo; nec juſculis ex carne, niſi forſan prunis ac paſſulis permixtis, nec ipſis carnibus, niſi aſſis, paneque bis cocto veſcendum, & ſub epulis vino Burgundiaco parce utendum hortor. Quo diutius huic medicationi inhærebit, eo feliciorem inde ſperare poterit eventum.

Extrinſecus haud alienum erit, regionem perinæi, ipſumque colem, circa ſomni tempus, ad adjuvandam penis erectionem unguento balſamico ſpirituoſo per-

perfricare, quod ſic habet: Recipe olei jaſmini, nucis moſchatæ expreſſi ana unciam ſemis, balſami Peruviani, de Copaiva ana drachmas duas, olei de Cananga guttas triginta. M. D. Contra tenſivas, ſpaſmodicaſque ſtricturas, quæ in glande penis nonnunquam ſentiuntur, non ſine fructu candela cerea, oleo ovorum inuncta urethræ intrudetur, & in ea per noctem conſervabitur: nec ludetur opera, ſi fluxu ſeminali ſublato, ad excernendum abundans ſemen, moderatus celebretur concubitus.

Quod autem hypochondriaco-ſpaſmodicam ventriculi affectionem attinet, quæ præſertim mala ciborum confectione, moleſtiſque ructibus abſolvitur; & poſt diuturnum otium, multas lucubrationes, & mentis perturbationes exacerbatur: debetur illa labefactato uti generatim nervoſi generis, ita ſpeciatim ventriculi ac inteſtinorum robori, & hinc pendenti humorum per imi ventris viſcera tardiori circulo: unde omnium ſymptomatum, conſtrictionis pectoris, anxietatis præcordiorum, nauſeæ, alvinæ obſtructionis, extremorum frigoris, atque phantaſiæ corruptæ origo petenda eſt. Ut ergo hujus quoque mali incrementum præſcindatur, operæ erit pretium, ut bis quotannis circa æquinoctiorum tempus, ex vena in pede tuſa, ſeptem circiter vel octo cruoris unciæ detrahantur. Deinceps alvi libertati proſpiciendum eſt, quippe hujus obſtructio paſſiones hypochondriacas & moleſtiores, & pertinaciores reddit. Neque vero huic ſcopo conveniunt fortiora purgantia, quoniam ventriculi ac inteſtinorum tonum magis dejiciunt, & alvi majorem relinquunt conſtrictionem. Magis opportunum erit, pilularum mearum balſamicarum quindecim mane, aut veſperi quandoque devorare, & cum illis pulverem præcipitantem, ad conſopiendam humorum ebullitionem, aſſumere; cujus etiam drachma una, maxime ſi ex prævio vini potu quædam in primis viis acrimonia præſto fuerit, veſperi ſola ſumta, alvum ducet. Non minus laxandi fine, æſtivo maxime tempore, inter epulas adhiberi poterit potiuncula ex cremoris tartari drachmis tribus, ſacchari candi unciis duabus, in aquæ menſura una ad lenem ignem ſolutis, & ſex olei de cedro guttis maritatis conficienda.

Præterea ad ventriculum roborandum dirigenda eſt curandi intentio; quæ obtinebitur, ſi Elixirium meum viſcerale ad quadraginta guttas, vel mane ex infuſo theiformi, vel brevi ante prandium cum aqua vino nupta capietur. Horum remediorum virtutem recta vivendi ratione ſecundare, atque præſertim ab animi affectibus, mœrore, refrigeratione, nimia corporis commotione, vel per fortiorem motum, vel alimenta ac medicamina calidiora, mentiſque laboribus cum meditatione junctis cavere expediet: contra vero grato cum amicis commercio, crebris itineribus utendum, & pro potu ordinario, vel decoctum conſuetum, vel Selteranas aquas, cum tertia parte vini vel Rhenani, vel Burgundiaci permixtas adhibendas ſuadeo.

Quod ſi forſan paroxyſmus hypochondriacus acceſſerit; protinus ano infundi debet clyſma domeſticum; quod ſic paratur: Recipe decocti avenacei tenuioris menſuram dimidiam, florum chamomillæ vulgaris manipulum unum; coque & colaturæ adde olei amygdalarum dulcium uncias duas, ſalis communis drachmas duas, nitri drachmam. M. F. clyſter. Alvo hujus ope ſoluta, propinare oportet ſcrupulos duos pulveris mei præcipitantis, triginta guttis liquoris anodyni mineralis nupti; & veſperi in pediluvia, ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli, triticique furfuribus parata, atque tepidiora deſcendere juvabit. Quæ ſi rite obſervaverit generoſus æger; ipſum à moleſtiis cunctis liberatum iri confido.

## CASUS C.

### *De gonorrhœa cum exulceratione renis dextri, colli veſicæ, & proſtatarum.*

Vir illuſtris, duos & quadraginta annos natus, temperamenti ſanguinei, robuſtæ conſtitutionis, & nullis fere ægritudinibus preſſus, decem abhinc annis profluvium ſeminis virulentum ſibimet contraxit. Hoc, levioribus conjunctum ſymptomatibus, variis, iiſque ut plurimum adſtringentibus, per integrum ſemeſtre, fruſtra quidem oppugnatum fuit medicinis; adeo, ut illarum tandem pertæſus, ſoli naturæ rem commiſerit. Verum ab eo tempore cum urina non modo filamenta, verum etiam materia craſſa, turbida, ſeminis inſtar, poſt vinorum calidiorum potum largius excreta, cui ſuperſtans lotium ſubcitrinum eſt, ferri cœperunt, & adhuc cernuntur. Præterea per vices ex pene elabitur pus flavum, induſia maculis notans; non minus urina ſecum quandoque ducit ſabulum, & calcaream amurcam, matulæ firmiter adhærentem. Adhæc ante aliquot annos purpura corpus obſedit; qua evaneſcente adhibita ſunt decocta lignorum, balnea Laconica, & mercurialia; & ab horum uſu tubercula nodoſa gingivas occuparunt. Corpus inſuper labefit, & pedum præſertim robur vacillare incipit; circa lumbarem dextri lateris regionem ardens, tenſivuſque dolor ſentitur, qui ad cervicem atque caput excurrit. Innata olim ductui urinæ erant carnoſa tubercula; quibus jam ſublatis, poſt ſumtos ſpirituoſos potus, vel etiam antimonii tincturam, in poſteriorem urethræ partem pruritus, magnuſque dolor incumbit. Vexant quoque vertigo, tantaque ſtomachi imbecillitas, ut appetitus langueat, cœnaque prorſus abſtinere cogatur: ſomno vero fruitur tranquillo, nec alvus ſui muneris oblivi ſcitur. Uſus eſt acidulis, ſed in caſſum; ſiquidem abhinc profluvium ſeminis copioſius fuit obſervatum.

### *Conſilium.*

Variæ ſunt, quibus Virum illuſtrem exerceri, ex litteris percepi, calamitates: non enim ſolum ren dexter, præter naturam relaxatus pariter ac exulceratus videtur; verum etiam collo veſicæ & proſtatis ulcus ineſſe, vero eſt ſimillimum; quibus vitiis, accedit & illa debilitas, quæ generi nervoſo, maxime ventriculo & inteſtinis, per medicamina inconvenientia atque adſtringentia inducta eſt. Quo magis igitur hæc vitia ſunt inveterata; eo diuturniorem, ac placidiorem requirunt curationem: quæ remediis ſanguinem depurantibus unice abſolvetur. Ex horum claſſe præſtantiſſimæ erunt ſequentes binæ formulæ, in decocti forma uſurpandæ: Recipe radicis ſarſaparillæ electæ libram dimidiam, raſuræ ligni Guajaci, ſaſſafras ana uncias duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies pro decocto; quarum portio dimidia, cum uncia dimidia ſpecierum, quæ ex herbis veronicæ, pyrolæ, cardui benedicti, trifolii fibrini, geranii Robertiani, æquali pondere mixtis parantur, in quatuor aquæ menſuris per binas horas coquatur. Decocti hujus calidioris menſura circiter dimidia mane intra lectum, cum regimine diaphoretico ſorbilletur: ex relictis vero poſt decoctionem ſpeciebus, cum paſſularum minorum manipulis duobus permixtis, atque cum quatuor aquæ menſuris denuo infuſis, paretur decoctum ſecundarium, loco potus ordinarii adhibendum. Veſperi ex aqua ceraſorum nigrorum capiatur drachma una pulveris, qui ſic ſe habet:

Recipe lapidum cancrorum, oſſis ſepiæ, pulveris glycyrrhizæ, ſeminis lycopodii, ſuccini præparati, antimonii diaphoretici ana unciam dimidiam, nitri purificati drachmam unam & ſemis. M. F. pulvis. Sub hac curatione, per tres vel quatuor hebdomades protrahenda, à cibis crudis, acidis, lacticiniis, carne elixa, cereviſia, atque vino prorſus abſtinere, & corpus movere expediet.

Ex topicis ad confortandum genus nervoſum præclaram opem feret balſamus meus vitæ, & naribus admovendus, & nuchæ inungendus, & cum ſaccharo oretenus capiendus. Non minus ipſe, licet prima vice ardorem excitaverit, urethræ ope ſyringæ eſt injiciendus; cui etiam ſcopo decoctum, ſupra commendatum tepidius inſerviet.

## CASUS CI.

### *De tumore teſtis dextri ex gonorrhœa improvide ſuppreſſa.*

Per litteras requiſivit opem meam, juvenis viginti annorum generoſiſſimus; quod à gonorrhœa improvide ſuppreſſa, elapſo abhinc anno in durum teſticuli dextri tumorem inciderit, qui ad pugni magnitudinem increvit, atroceſque dolores exhibet; in caſſum adhibitis balneis, acidulis, decoctis lignorum, purgantibus ac mercurialibus. Meo quidem arbitrio non dubito, quin hoc vitium ſimus expugnaturi; quoniam non nimis inveteratum eſt, ægrotique juventus ac floridus corporis habitus nos bene ſperare jubent. Neque convenientiorem fore puto medicationem, quam quæ ſequenti inſtituetur ratione: Primo nimirum triduo corpus repurgandum ſuadeo, quod ſumtis ſingulo mane pilularum, quæ ſequentur, viginti commodiſſime fiet: Recipe extracti panchymagogi Crollii, gummi ammoniaci, mercurii dulcis ana drachmam ſemis, croci Auſtriaci grana decem. M. F. l. a. pilulæ, num. LX. Iiſdem diebus hora quinta pomeridiana in balnea aquæ dulcis temperata deſcendendum eſt, quæ ex aqua fluviatili, cui furfures triticei, cineres clavellati, flores chamæmeli, ſemenque lini ſacculo incluſa immittantur, parari poſſunt.

Elapſis hiſce tribus diebus, per proximos ſex bis quotidie, mane nimirum, ac hora veſpertina ſexta balnea vaporoſa ſunt uſurpanda. Ea parantur, ſi ſellæ perforatæ vaſculum decocto fervidiori, ex lacte, floribus ſambuci, meliloti, chamæmeli, millefolii ac verbaſci confecto plenum ſupponatur. Inſidendum huic eſt ſellæ, & vapor decocti, velato probe ſuperiori corporis parte, ad abdomen, & potiſſimum ſcrotum admittendus: conſervata per candentes lateres, in decoctum illud ſucceſſive injiciendos, perpetua æqualique exhalatione. Hoc fotu per tres horæ quadrantes continuato; petatur lectus, & hauſtis in eo aliquot decocti, infra deſcribendi, vaſculis, lenis expectetur, & rite tractetur ſudor. Decocti vero hæc eſt formula: Recipe radicum ſarſaparillæ uncias duas, ſcorzoneræ unciam unam, corticis guajaci, ſaſſafras, radicis pimpinellæ, ſeminis fœniculi, ſalis tartari ana drachmas binas. M. F. ſpecies, infundantur cum quatuor aquæ menſuris, & in vaſe ſtanneo, probe clauſo per horam coquantur dimidiam. Eædem ſpecies, ſi pondere binarum unciarum, cum totidem paſſularum minorum, & aquæ menſuris quinque decoquantur, exhibebunt infuſum pro potu ordinario adhibendum.

Poſtquam his fotibus per ſex dies uſus fuit juvenis generoſus; repetat priorem curationem per triduum; dum & pilulas ſingulo mane ſumat, & in humida quotidie ingrediatur balnea; tumque denuo per ſex dies ſiccis inſideat balneis; & niſi ſublatus ſic fuerit tumor, tertium iteretur utraque medicatio. Cæterum ab omni frigore, cibis incongruis acidis, ſalitis, flatulentis & aromatiſatis, potu vinoſo, ac cereviſia probe cavendum; cœna parciori utendum, nec niſi hauſtus vini veteris Rhenani capiendus erit.

Præterea, ſi à balneorum tam ſiccorum, quam humidorum uſu otium ſit, conveniet affecto teſticulo ſequens imponere emplaſtrum: Recipe emplaſtri diachyli ſimplicis uncias duas, ſpermatis ceti unciam dimidiam, gummi ammoniaci, croci ana drachmas duas. M. F. emplaſtrum, extendatur ſuper linteum, & adplicetur tepidum. Neque enim dubito, quin hæc rite uſurpata levamen ſint allatura.

*Relatio.*

Prius quam ad ægri manus pervenerant hæ litteræ; ordinaverat ipſi chirurgus quidam pilulas, quarum quatuor quotidie ſumere, ac per quatriduum continuare juſſus erat. Sed ſumta earum unica doſi, alvum dejecerat vehementer, cum pulſu celeri, æſtu, tantiſque torminibus, ut niſi ordinarius medicus, hanc motuum ſævitiam, convenientibus medicinis ſopiiſſet, parum abfuiſſet, quin gravis partium internarum acceſſiſſet inflammatio. Quare omiſit earundem ulteriorem uſum, quæ procul omni dubio ſemen cataputiæ habuiſſe videntur: & recuperatis poſt aliquot dies viribus, curatione à me propoſita uti cœpit, ſimulque in balnea Tœplicenſia deſcendit: unde factum eſt, ut intra quatuor hebdomades à moleſto liberaretur malo.

Hoc loco non alienum erit commemoraſſe, quod ſi ejuſmodi tumores valde indurati ex commendatis ſubſidiis cedere recuſaverint, illi ſalivatione prudenter adminiſtrata ſæpius feliciſſime expugnentur. Verum, ubi malum ſit inveteratum, teſtiſque plane ſcirrhoſus; operæ pretium fore, cum TULPIO *Lib. IV. obſerv. cap.* 32. arbitror, ut teſticulus provida manu prorſus exſtirpetur: quemadmodum Tulpio, teſticulum ſedecim uncias pendentem excidenti feliciter contigit. Cavendum autem eſt, ne hoſce tumores, purulentam iis ineſſe materiam ſuſpicantes, emollientibus tractemus, aut lanceola aperiamus; ſiquidem graviſſimis ſymptomatibus hac operatione, viam ſternemus, uti ſunt febres, ſpaſmi & convulſiones: qua de re digna eſt, ut legatur ſupra memorata Tulpii obſervatio.

## CASUS CII.

### *De pollutione nocturna.*

Viginti quinque annorum juvenis, annum natus vigeſimum, præter opinionem ſub nocturnis imaginibus ſeminis effluxum, quem pollutionum nomine inſigniunt, prima paſſus eſt vice. Abhinc involuntaria hæc excretio ſæpius rediit, & fruſtra adhibitis variis medicaminibus, fruſtra quoque obſervata recta vivendi ratione, ipſum, cuncta cum ſexu ſequiori conſortia, omnemque librorum amatoriorum, quos Romainen dicunt, lectionem ſtudio fugientem, huc uſque ſolicitat. Præſertim ſuaſu medicorum ex odore camphoræ, & uſu olei cymini ſe ſolari putabat; eventu ſpem fallente. Quando infeſtatur hac moleſtia, videtur ſibi ſub inſomniis rem, vel ſaltem jucundum commercium cum fœminis, utut prorſus ignotis, habuiſſe, tumque elabitur ſemen; aut latenter, ipſo inſcio profluit, conjuncta

ſemper

ſemper penis erectione. Nec præcavere valet hoc vitium, licet cœna utatur parciori, & quavis veſpera cubitum iturus, hauſtum aquæ frigidæ capiat, corpuſque noctu leviſſimis tegat ſtragulis. Quod ſi vero incaleſcat noctu, aut per diem ſpirituoſis calidiſque potibus indulſerit, aut corpus fortius commoverit; frequentius urget profluvium. Præterea ſciendum eſt, quamvis pollutionem excipere alvi fluxum, ſed tranſitorium; & poſt tantam mali diuturnitatem, non modo vires labaſcunt, corpus emacreſcit, facieſque expalleſcit; verum etiam memoria labefit. Artus externi porro facile refrigeſcunt; oculorum caligo invaleſcit; & vox redditur rauca; ſed ciborum adpetentia adhuc viget.

*Epicriſis.*

Nullus propemodum affectus ita exercere ægrum, & medenti faceſſere negotium conſuevit, quam pollutio nocturna, quæ diutius perſeveravit, & quaſi habitualis facta eſt; præſertim ſi ægrum quotidie adfligit, & à cauſſis potiſſimum externis, calidis, ſtimulantibus provocatur. Fruſtra tunc atque in caſſum plerumque adhibentur omnis generis remedia, quæ ut plurimum ita ſunt comparata, ut plus incommodi adferant, quam adjumenti. Non enim adſtringentia, neque acida, refrigerantia, aut nitroſa hic conveniunt; neque ſanguinis miſſiones, purgantia, aut balſamica & roborantia calidiora hic ullam promittunt opem; anodyna vero & opiata quam maxime inſecura ſunt.

Peccant nimirum humores nec intemperie, nec quantitate, ſed potius vitium partibus ſolidis inhæret. Adeſt enim ingens vaſorum, quæ ſanguinem ad genitalia ferunt, relaxatio, quæ magnum facit ſeminis proventum. Hujus autem copia, in veſiculis ſeminalibus reſtagnans, eas ob nimiam contractilitatem facillime laceſſit, atque irritat ad lymphæ genitalis expulſionem; præſertim quando ejus ſtagnatio hiſce in partibus, phantaſiam inducit, ut imagines confingat venereas, quæ poſtea ad ſeminis ejectionem multum contribuunt. Conſiderationem vero in primis hoc loco meretur ingens illa cerebri debilitas, quæ in ægro noſtro functiones ingenii, & memoriæ inſigniter læſit; attendenda quoque eſt mira virium proſtratio, quam diuturnum & copioſum ſeminis profluvium excitavit.

Ex quo ſane planiſſime perſpicitur, quantum ſit illud commercium, quod cerebro eſt cum teſtibus. Utraque enim pars ſimili fere officio defungitur; ſiquidem & cerebrum, & teſtes ſubtiliſſimam, & delibatiſſimam lymphæ partem à ſanguine ſeparant, quæ motum ac tonum partibus fœnerat, atque etiam animæ functionibus inſervit. Quamobrem non aliter fieri poteſt, quam ut nimia ac ſuperflua ejus excretio & robur ingenii infringat, & vires corporis labefactet. Ingens hæc virium deſtructio medentem imprimis ſolicitum habere debet; quæ cum admonet, ut abſtineat ab ejuſmodi remediis, quæ imbecillibus minus accommodata ſunt, & enervatum corpus adhuc magis debilitant. Hujus notæ ſunt omnis generis adſtringentia, nimium refrigerantia, ſaturnina, nitroſa, acida, maxime vero narcotica, licet alias pervulgatum ſit, ejuſmodi in caſu talia commendare remedia, quæ tamen hic nocentiſſimam habent facultatem.

Longe ſatius erit diſpicere, ut inſtaurentur vires corporis, & partium robur amiſſum reſtituatur. Cui tamen ſcopo, minime inſervire putamus calidiora, ſpirituoſa, volatilia, aromatica, & ſuaveolentia; ſed potius commendamus leniora nutritiva, quæ ejuſmodi dulcem, ac gelatinoſam ſubſtantiam ſuppeditant, quam nimia ſeminis excretio corpori quotidie ſubtrahit. Præſtant hoc inprimis juſcula, ut vocant, confortantia, quæ ex carnibus bovinis, vitulinis, caponibus, addito modico vini, ſucci citri, ſalis, nuciſtæ & caryophyllorum optime parari poſſunt. Hiſce inſigni cum fructu adjungere licet remedia, quæ tranſpirationem juvant, & languentium fibrarum tonum erigunt. Hinc efficax ac laudabilis opera eſt pulveris cujuſdam bezoardici, qui cum ſuccino, & aliquot granis ambræ mixtus, in vehiculo ſpirituoſo, utiliter uſurpari poteſt. Blanda enim diaphoreſi non ſolum particulæ acres, ſalinæ, ſtimulantes ejiciuntur; ſed etiam nimius humorum affluxus à parte affecta alorſum divertitur. Quo nomine etiam laudem merentur emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, ſemine nympheæ, amygdalis dulcibus, vel nucleis pineorum recentibus, cum aqua ceraſorum nigrorum, cinnamomi cydoniata, & roſarum factæ; quibus tali in caſu plurimum omnino tribuendum eſt.

Præterea quam maxime commendamus infuſum meliſſæ, loco herbæ Theæ uſurpandum; quoniam illa ob ſuaviſſimum oleum, & principium roborans, leniterque adſtringens, nervis roborandis dicata eſt; & memoriam cumprimis juvare celebratur. Externe autem emplaſtrum ex emplaſtro de ſpermate ranarum cum nitro, camphora, & oleo ligni Rhodii regioni lumbari adplicari poteſt. Cæterum monendum duco, continuanda eſſe per aliquod tempus hæc remedia, ſi ſalutarem effectum ab iis expectare velimus: alias omnem curam ac laborem irritum fore prænunciamus.

---

## CASUS CIII.

### *De pollutione nocturna, & excretione ſeminis involuntaria.*

Vir quidam cœlebs triginta annorum, ſtaturæ ac habitus mediocris, animi ad vehementes commotiones ex leviſſima cauſſa facillimi, diætæ vinoſæ à teneris adſuetus, crebriſque in potu exceſſibus indulgens, ante aliquot annos febre acuta graviſſime prehendebatur; eaque ſuperata virulentum incidebat ſeminis profluvium. Hoc per tres adfligebat anni quadrantes, eoque durante in urina ſæpenumero arenulæ cernebantur copioſæ. Notari vero meretur, quod ante hujus mali invaſionem, per aliquot annos, crebris pollutionibus, iiſque nocturnis vexatus fuerit; quæ perſanata gonorrhœa recruduerunt, & multam ipſi hucuſque creant moleſtiam. Concitantur illæ mox ab inſomniis venereis; mox ſponte abſque data cauſſa ſuccedunt. Præterea urinam miſſurus, in glande colis unam vel alteram ſeminis, legitimi tamen guttulam conſpicit interdum, eamque cum lotio reddit: nec non ipſi alvum exoneraturo, ſæpius ſemen copioſe elabitur. Neque vero per longum tempus ob inopportunam verecundiam huic malo quæſivit opem; hinc ſenſim vires, totumque corpus deſtrui ac labefactari cœperunt. Somnus enim gravibus inſomniis turbatur, nec reficit; & toti corpori inhæreſcunt dolores gravativi, ac ſi fuſtibus percuſſum fuiſſet; atque cœcæ per vices anum obſidere deprehenduntur hæmorrhoides.

Cæterum ciborum adhuc viget cupiditas; temperat vero ſibi à cunctis acidis, ſalitis, & aromaticis eduliis; nec niſi nutrientibus, juſculis confortantibus, carnibus bovinis, vitulinis, gallinaceis, ferinis veſcitur, & ad ſtomachum roborandum, vino veteri Rhenano, ſed parciſſimo ſub epulis utitur. Venæ ſectio, quæ

olim aliquoties quotannis inſtitui ſuevit, jam per aliquod tempus intermiſſa eſt: contra vero ex pharmaceutico fonte, ſcopo laxante ſumſit maſſam pilularum de gummatibus, cum aliquot mercurii dulcis acuatam granis; adhibuitque pulveres, partim ex ſemine agni caſti, & oſſe ſepiæ confectos, partim antiſpaſmodicos, hoſque ex emulſione, quæ habebat aquam nympheæ, plantaginis, ſemina quatuor frigida majora ac cannabis, cepit. Sed malo nondum remittente; abs Te, vir Experientiſſime, medelam ſibi proponi cupit.

## *Conſultatio.*

Quantum ex præmiſſa morbi hiſtoria colligere licuit; omnium ſymptomatum, quibus æger premitur, fundamentum, in nimia debilitate ac relaxatione organorum, vaſorumque ſeminalium videtur eſſe ſitum.

Inde enim via panditur uberiori adfluxui tam liquoris ſeminalis, quam aliorum ſuccorum magis craſſiorum, & acriorum; qui eas partes, velificante nimia ſenſibilitate, ad frequentiorem ſeminis excuſſionem, nocturnam potiſſimum ſtimulant. Remotiores autem, & antecedentes hujus mali cauſſæ debentur partim calidiori, & ad motus irregulares admodum proclivi temperamento, partim erroribus diæteticis, & crebrioribus compotationibus, partim pollutionibus, quas ante gonorrhœæ invaſionem, crebro perpeſſus eſt, ac ipſi denique gonorrhœæ, quæ ſemper partium ſpermaticarum relinquit atoniam. Verum cœcis hæmorrhoidibus adhuc debetur quædam animadverſio; quæ luculenter teſtantur, ſanguinis majori copia ad inteſtinum rectum, & veſicam, quæ binæ partes in medio fovent veſiculas ſeminales, irruentis, inſignem ſubeſſe ſtagnationem, quæ debilitatem partium ſeminalium adhuc magis fovet ac ſuſtentat.

Hæ vero adfectiones cautiſſimam profecto expoſcunt medicationem; quam ſequenti ratione inſtitutam, votis reſpondiſſe, crebra me docuit experientia. In noſtro quidem ægrotante cura à ſanguinis miſſione capienda eſt, qua ex tuſa in brachio vena, ſex vel ſeptem cruoris uncias ſuadeo detrahendas. Loco potus ordinarii convenientiſſimum judico ſequens decoctum: Recipe ſantali rubri uncias quatuor, radicis cichorei, ſantali citrini ana uncias duas, ſeminis fœniculi drachmas tres. Conc. Cont. D. S. ſpecies quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris decoquantur. Mane vero, ac hora quarta pomeridiana aliquot vaſcula infuſi theiformis ſorbillare expediet, quod ita concinnari poteſt: Recipe herbæ veronicæ, conſolidæ ſaracenicæ, vincæ per vincæ, meliſſæ, menthæ, ſummitatum mille folii, florum hyperici ana manipulum unum, aniſi ſtellati, nuciſtæ ana drachmas duas. M. F. ſpecies. Externe regioni lumborum adponere juvabit emplaſtrum, quod ex emplaſtri de ſpermate ranarum unciis duabus, aluminis uſti drachmis tribus, camphoræ drachma una componitur: & deſuper aquam arquebuſadæ, cum aqua calcis vivæ dilutiori, & ope aquæ roſarum facta, permixtam, urethræ ſæpius injicere conveniet. Veſperi porro drachma una pulveris, cujus formula ſequetur, ex laudato decocto, cum ſyrupo acetoſitatis citri capienda erit. Pulvis autem ſic ſe habet: Recipe oſſis ſepiæ, coralliorum rubrorum præparatorum, ſpecierum de hyacintho ana unciam ſemis, ſeminis lycopodii, ſuccini præparati ana drachmas duas. M. F. pulvis.

Præterea loco vini Rhenani commendarem potius vinum, quod dicunt Pontac; quod etiam tepefactum cum linteis circa ſomni tempus ad partes genitales, & perinæi regionem adplicari poteſt. Cæterum in diæta cibis nutrientibus, carnibus elixis ac juſculis non nimium indulgere, ſed magis aſſis veſci decet: & alvi ſiccitati ope prunorum coctorum, paſſularum minorum ac mannæ ſuccurrere præſtabit. Quibus ſi rite uſus fuerit ſpectatiſſimus æger; haud dubito, quin votis ſuis ſit potiturus.

Elapſis aliquot hebdomadibus, ille mihi lætus nunciavit, ex præſcripta medicatione ſiluiſſe nocturnas pollutiones, & ſtillicidio ſeminis involuntario, admodum imminuto, vires rediiſſe. Quamobrem ut à continuatione medicaminum perfectam ſperaret reconvaleſcentiam, actor fui ſuaſorque.

---

## CASUS CIV.

### *De infirmitate ob nimiam ſeminis effuſionem.*

Vir juvenis, viginti quinque annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, ab utero fere materno, corpore debili ac infirmo, vultuque pallido præditus, ſeptimo ætatis anno, ob præmaturam forſan vini potationem, atrophicam tabidamque corporis præ ſe tulit conſtitutionem. Sed ab hac ſenſim liberatus, vigere cœpit; & quindecim annos natus, conſilio nebulonis condiſcipuli, ſemen per turpes maſtuprationes provocare didicit: cui quoque exercitio, eique frequentiſſimo, ac fere quotidiano ad viceſimum uſque tertium ætatis annum indulſit; ſimul ſcriptioni minutiſſimarum litterarum operam dedit, tantamque capitis ac oculorum debilitatem ſibimet contraxit, ut hi ſæpius ſub ipſa venerea effuſione, ſpaſmodica conſtrictione fuerint agitati. Quatuor abhinc annis accidit, ut, dum in provocando ſemine occupatus, ejuſque eruptio in propinquo eſſet, quidam ex improviſo fores ejus pulſaret, ſeminiſque ob gravem terrorem ſubito cohiberetur effluxus. Hinc ſtatim in vaſis ſpermaticis, teſticuliſque tantum dolorem, tantamque ſenſit tenſionem, ut vix obambulare potuerit; ſimulque vis ingenii, ac acies oculorum imminui videbantur. Quamvis igitur probe perſpiceret damnum, quod ex deteſtando hoc veneris exercitio immineret; nihilo tamen ſecius, percuratis teſticuli doloribus, illud iteravit; ſed brevi poſt eundem incidit partium genitalium, maxime teſtium dolorem valde tenſivum. Hunc, adhibitis & externis & internis medicaminibus, licet ægre, & vix intra ſemeſtre tempus debellavit quidem; at ſucceſſit vaſorum, quæ ad ſiniſtrum teſtem excurrunt, intumeſcentia quædam, ab epulis major, doloris tamen niſi ſub ſtimulis venereis, expers, & ad hanc uſque inhærens diem. Jungebatur ſubinde inſignis capitis, ac oculorum imbecillitas, adeo, ut lecturus quidpiam, temulentus, ac veluti vino fartus videretur, pupilla mirum in modum dilataretur, oculi exhiberent tenſivos, ac lancinantes dolores, palpebræ gravioris ponderis ſenſum referrent, mane conglutinatæ, lacrimas funderent, & canthum utrumque, præter acutiſſimos cruciatus, materia quædam albicans obſideret. In tali rerum ſtatu ab omnibus meditationibus ac ſtudiis per tria ſemeſtria abſtinere tenebatur; hocque tempore non niſi corporis exercitationi, ac congruæ medicationi operam dabat: unde tandem eam recuperabat facultatem, ut per duas, treſve horulas ad ſtudia incumbere potuerit. Hac adhuc pollet potentia; quod ſi vero ulterius protrahat meditationes, ſupra recenſitis corripitur ſymptomatibus. Præterea corpus eſt macie fere confectum, & licet cibis cum adpetitu utatur, mox tamen ab horum uſu male habet, & quadam temulentia ſollicitatur. Non minus, cum meliora edoctus, à maſtupratio-

prationibus per binos fere abſtinuit annos, & omne cum molliori ſexu fugit commercium, ſæpiſſime patitur nocturnas pollutiones, hiſque corpus magis magiſque labefieri ſentit. Quare ut ab iis vitiis prorſus liberetur; ſalubre anhelat conſilium.

*Conſultatio.*

Docemur ex præmiſſa morbi hiſtoria, quod per præmaturum ac nimium veneris exercitium, uti generatim univerſi corporis vires proſterni, ita præcipue cerebri, ac oculorum functiones adeo labefactari queant, ut damnum vix reparari poſſit. Inſignem vero in præſenti caſu attentionem meretur illud momentum, quo ex nimia illa, ac fere quotidiana ſeminis provocatione, damnum in oculos potiſſimum redundavit. Et ſane non paucos mihi adnotare licuit caſus, ubi etiam ætate provectiores, ex veneris immoderato exercitio, non modo ruborem, dolores tenſivos, lancinatorios, ac preſſorios oculorum, veluti pondus ipſis incumberet, lacrumarum crebram profuſionem; verum etiam tantam viſionis hebetudinem ſibimet contraxerunt, ut nec ſcribere, nec legere quid potuerint. Namque pupillæ, obtonum fibrarum, quæ illam cingunt, muſcularium nervosarumque dejectum, ſemper præſto fuiſſe dilatationem, qualis in iis, qui gutta ſerena laborant, cernitur, deprehendi; quid? quod binæ mihi ſuccurrant obſervationes, de ipſa gutta ſerena, à nimio veneris uſu, accedente diuturno mœrore, inducta. Hinc autem adparet, quantus oculorum, ex ſubtiliſſimis membranis, nervis, & fibris motricibus, perinde ac limpidiſſimis humoribus contextorum fabricam, ac partes ſpermaticas, vel potius liquidum ſeminale ſpirituoſum intercedat conſenſus. Nimirum liquidum hoc lymphaticum ſeminale, cum eo, quod in cerebro ſecretum, per cunctos univerſi corporis nervos diſtribuitur, ejuſdem fere eſt indolis, ac eſſentiæ; quamobrem quo illius evacuatio eſt copioſior, eo parcior liquidi animalis in cerebro contingit ſecretio. Et ſic quoque clariſſime patet, cur juvenes præmaturæ veneri nimium libantes, inſigne memoriæ, ingeniique decrementum ſentiant, & ad ſtudia reddantur inepti; cur quoque adultiores, venereis libidinibus ultra naturæ modum indulgentes, totius corporis vires proſternant, præcocemque mortem ſibi contrahant?

Sed ut ad noſtrum redeamus caſum, notatu porro dignum in eo reperimus, quod ceſſante ſeminis excretione, manu provocata, protinus exceperint nocturnæ pollutiones. Neque vero obſcura eſt ratio: quo enim vi ſtimulorum venereorum, qui modo in ipſa mente primario, modo per partium genitalium titillationem excitantur, copioſior ac frequentior fit humorum, maxime ſeminalium, ad organa generationi dicata adfluxus; eo magis dilatantur, ac relaxantur vaſa ſpermatica, hinc copioſius ſemen illa irruit, ac cauſſam præbet laſcivis ideis, & excretionibus ſeminis ſub nocturnis ludibriis evenientibus.

Quod vero curationem præſentis mali attinet; eam ſequentem in modum adminiſtrandam putavi. Singulo nimirum mane unam menſuram lactis aſinini, cujus binæ partes cum una Selteranarum acidularum commixtæ erant, potari juſſi; & veſperi drachmam unam ſequentis propinavi pulveris: Recipe cornu cervi philoſophice præparati, oſſis ſepiæ ana unciam ſemis, ſuccini cum inſtillatione olei tartari per deliquium præparati drachmas duas, corticis caſcarillæ drachmam unam. M. F. pulvis, ex aqua ceraſorum nigrorum capiendus. Ante hanc curationem non minus, ac ſub ea, quavis quinta die, & ea quoque finita, dedi potionem laxantem, quæ ſic habebat: Recipe rhabarbari electi drachmam unam, mannæ unciam unam, nitri antimoniati grana quindecim, coque & ſolve leni calore in aquæ Selteranæ unciis ſex, colaturæ adde olei de cedro guttas tres. M. D. Præterea pro potu ordinario hoc præſcripſi decoctum: Recipe ligni ſantali rubri, citrini, radicis chinæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor; radicis cichorei unciam unam, cinnamomi unciam ſemis, maſtiches drachmas duas. M. C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris, addito paſſularum minorum manipulo uno, per tres horæ quadrantes ſunt decoquendæ. Cæterum ſuaſi, ut à cibis ſalitis, aromaticiſque, nec non potibus calidioribus abſtineret; juſculis vero ex carnibus vitulinis, radice ſcorzoneræ ac cichorei paratis veſceretur, & mane infuſo theiformi ex herba menthæ, & meliſſæ confecto uteretur. Tandem finita hac curatione, uſum decocti ſupra dicti, & Elixirii mei viſceralis balſamici, adhuc per aliquot tempus continuari juſſi; hiſque obtinui, ut æger intra ſex hebdomades, à cunctis moleſtiis liberatus, & priſtinæ ſanitati fuerit reſtitutus.

---

## CASUS CV.

*De affectu ſingulari partium genitalium.*

Litterarum amantiſſimus Vir, triginta annorum; alvi per multos annos eſt tardioris, quippe quæ non redditur, niſi veſperi circa ſomni tempus Nicotianam ex una vel altera ſuxerit fiſtula. Noviſſimo autem hoc anno inſigne ſenſit artuum, maxime pedum frigus, æſtate etiam adfligens, atque hyeme, non niſi fortiori corporis motu depellendum. Deinceps obſervavit, quod, ſi hyemali tempore in frigidiori loco, & v. g. templo commoratus fuerit, egreſſus, ob colem intra corpus retractum, urinam non prius mittere potuerit, quam donec poſt aliquam corporis exercitationem penis naturalem ſitum recuperavit. Eadem penis retractio, crebriores alvi dejectiones ſequitur; atque pronuper, hauſto veſperi vino Rhenano, ſumtoque juſculo prunato, atque hinc alvo, accedente ſueto Tabaci uſu, ſoluta, adeo intra corpus abſcondebatur membrum, ut vix ullum illius veſtigium adparuerit. Præterea ſæpius ipſi contigit, ut ex venereis cogitationibus, aut jocis, aut oſculationibus, ſemen ſponte profluxerit; atque tum circa teſticulos, & radicem penis aliqualem percipit dolorem. Tandem nocturnis pollutionibus vexatus fuit; atque has demum excepit, ſeminis benigni involuntarium, & membro flaccido contingens profluvium, cum aliquali virium collapſu. Hinc conſuluit medicum, & cum ex ejus præſcripto venam præbuerit tundendam, ac pro potu vinum aqua dilutum, vel cereviſiam ſecundariam adhibuerit; ceſſavit quidem ſeminis fluxus; ſed ſymptomata, quæ ſucceſſerunt, & adhuc moleſta ſunt, ſic ſe habent. In urethra ſemper præſto eſt ſemen, nulla labe infectum; colis, deficientibus plane erectionibus, flaccidus propendet, & circa glandem ſanguis ſtagnare videtur, ægroque metum incutit, ne, ſi forſan concubitum celebraverit, inflammatio inſequatur. Quare ad Te confugit, vir illuſtris, & abs Te tam mali ſui cauſſam, quam medelam doceri cupit.

*Conſilium.*

Rariſſimum ſane eſt vitium, quod partes generationi dicatas in viro nobiliſſimo occupavit: dum nimirum poſt corporis refrigerationem, colis retrahitur

tur, & ægre mingitur; ſemen vero, deficiente membri erectione, præter voluntatem & inter nocturna ludibria, & ſub venereis cogitationibus elabitur. Duplex vocari poteſt hic affectus, & internus & externus; quorum hic vehementi partium nervoſarum, maxime externarum conſtrictioni ſpaſmodicæ debetur; ille vero à nimia relaxatione ac debilitate veſicularum ſeminalium natales ſuos mutuatur. Utriuſque autem vitii unicum eſſe videtur fundamentum, quod in ſanguinis generoſi & ſpirituoſi languidiori ac parciori, ad internas perinde ac externas, generationi dicatas partes influxu, recte collocari poſſe arbitror: neque enim erraſſe me credo, ſi ægrum temperamento phlegmatico præditum, natura debiliorem, & forſan multis curis mœroribuſque obnoxium ſupponam. Verum his non immorabor; ſed brevibus docebo, quæ horum malorum convenientiſſima futura ſit medela. Qua intentione primum monendum duco, ut æger corpus ſuum frequenti, ſed temperato motu, ambulatione, equitatione, vel vectione exerceat, & in perpetua conſervet tranſpiratione: mane vero loco potuum Theæ vel Coffée, aliquot vaſcula decocti ſuccoladæ ſorbeat. Deinceps laudo vinum generoſum Sect, vel Hungaricum, octo circiter guttulis balſami vitæ nuptum, & ſub epulis bibendum; & veſperi aſſumendum ſuadeo pulverem, qui ſic paratur: Recipe oſſium ſepiæ, cornu cervi philoſophice præparati, ſuccini præparati ana drachmas duas, pulveris caſcarillæ drachmam dimidiam. M. F. pulvis div. in 8. partes. Præterea operæ fore pretium judico, ut æger matutino tempore nonnunquam balnea aquæ dulcis, quæ furfuribus triticeis, floribuſque chamomillæ Romanæ ſint permixta, ingrediatur; tumque ſudaturus in lectum ſe componat; ac denique colem cum vicinis partibus, aqua Hungarica, cui ſexta pars balſami vitæ ſit inſtillata, perfricandum curet. Quæ ſi obſervaverit rite; de felici curationis eventu plane non dubito.

## CASUS CVI.

### *De fluore albo cum hæmorrhoidibus cæcis.*

FOEmina, annos quadraginta quatuor egreſſa, ſtrictioris habitus, ad iracundiam proclivis, graviorum morborum olim expers, crebris perfuncta eſt puerperiis; in quorum ſingulo purus ſanguis non niſi primo triduo, reliquo vero tempore, ſerum tantummodo putridum, gravem odorem ſpirans, magna ſemper copia promanavit. Verum poſtquam à quatuordecim jam annis parere deſiit; tumidum præ ſe geſſit ventrem, cujus moles ad illud, in quo decubuit latus, inclinare ſuevit, & in quo ſub ſupino ſitu murmura audiebantur, poſt quamvis potiſſimum inſpirationem. Per quinque circiter annos obſervavit, quod nonnunquam ſerum putre uno impetu ex utero profluxerit: neque tamen minus rite ſucceſſerunt menſtrua. Verum ſub fluxu horum per aliquot dies obſtructa fuit alvus; quæ, deſinente fluore, ſoluta parum ſanguinis ſecum duxit, atque per tres circiter dies, cum dorſi, lumborum crurumque doloribus fudit, quem medicus hæmorrhoidibus adſcripſit. Circa autumnale anni proxime elapſi æquinoctium, cruor menſtruus profuſe, & per duodecim dies, cum magna virium proſtratione effluxit; quem excepit muci albi per muliebria excretio. Hunc jam diu cum urina redditum, & in fundo matulæ obhærentem, nihili curavit; ſed inde turbata eſt, cum ab auſpiciis præſentis anni, aſſidue, niſi ſub menſtruo fluxu, promanaret; hæmorrhoides vero ſubſiſterent. Menſes vero juſtis temporibus, ſed paullo pallidiores, ferebantur; & Aprili demum menſe, immenſo flumine prorumpebant, ac per quinque hebdomades, inter ventris dolores ſuccedebant. His ſilentibus, circa vernale æquinoctium ſanguis ex vena in brachio tuſa mittebatur, qui levis multo ſero, variis coloribus notato, internatabat. Tandem per tres noviſſimas hebdomades adfligunt cœcæ hæmorrhoides cum tanta alvi ſegnitie, ut illa alternis duntaxat diebus, nec niſi blandis laxantibus ſolicitata reſpondeat; & uterus, loco muci albi, olim profuſi, jam aſſidue, niſi in menſtruis, plorat ſerum tenue, quod nec pudenda excoriat, nec gravi odore pollet; ſed lintea inſigniter humectat. Urgent præterea continui in coxis ac dorſo dolores; qui gravativo ſenſu ſtipati ad uterum quoque perveniunt. Non minus crebra mingendi cupiditas, licet parum bibatur, vexat; & urina mox parca quantitate, ſub magnis conatibus; mox vero majori, quam liquida aſſumuntur, copia mitti obſervatur. Moleſtis porro flatulentiis adfligitur; nocturnoſque patitur ſudores, abſque tamen virium collapſu. Venter quoque ſub his adfectionibus detumuit; & ipſa denique adpetitu integro ſomnoque placido fruitur.

Ex remediis, quæ hiſce vitiis oppoſuit, erant primum pulveres vitales ac eſſentia amara Hallenſium; quas medicinas, proprio conſilio contra album fluorem adhibuit. Menſtruorum nimium profluvium, pilularum polychreſtarum uſu oppugnare voluit; ſed ex illis magnum ani teneſmum percepit. Quamdiu pulveres vitales, ac amaram ſumſit eſſentiam; à doloribus immunis fuit, & ſub eorum uſu, inſignem muci cum lotio reddidit quantitatem, ſpermati ranarum ſimilis. Tum uſurpavit pulverem contra acredinem, infuſum theiforme ex millefolio, atque eſſentiam caſtorei; iiſque votis haud reſpondentibus, medicum cōſuluit, qui variis medicaminibus id quidem effecit, ut major alvi eſſet libertas, & hæmorrhoides cœcæ evaneſcerent; at contumax perſiſtit albus fluor, neque ſolum digeſtionem labefacit, verum etiam totum corpus infirmum reddit.

### *Conſultatio.*

Cunctarum adflictionum, quæ fœminam lectiſſimam premunt, origo atque cauſſa, non niſi in uteri, inteſtini recti, veſicæ, viarumque urinariarum relaxatione & atonia collocari meretur. Hinc enim humorum vitalium circuitus per eas partes redditur impeditior: quare ſtagnant ſubſiſtuntque ſucci in vaſis ſuis, & vel per venas ſedales exitum affectant; hocque denegato, aut cohibito, cœcas hæmorrhoides, cum moleſto inteſtini recti ardore, doloreque oſſis ſacri ac lumborum, ſtipatas inducunt; vel per uterum menſtruorum tempore, magno impetu prorumpunt, vel denique mora temporis corrupti, in forma ſeri putridi excernuntur. Quod ſi vero horum humorum evacuatio per anum perinde, ac uterum impeditior ſit; illi majori copia ad veſicam ruunt, inque eam dimittunt copioſum mucum, & ſerum, cum lotio uberrima quantitate redditum. Neque vero, ſi in remotiores & antecedentes horum malorum cauſſas inquiram, aliæ ſe mihi offerunt, quam quod uterus poſt crebros partus, ab amurca cruenta & pituitoſa, ipſi inhærente, non ſatis repurgatus fuerit, & hinc relaxatus tumidum ventrem exhibuerit: ad quem ſubinde, accedentibus cauſſis occaſionalibus, maxime excandeſcentia, major humorum copia ruit.

Quæ cum ita ſint, non ſane mirum eſt, ſi omnes naturæ vires proſtratas, ventriculique potiſſimum robur adeo deſtructum obſervemus, ut producto hinc minus laudabili chylo, corpus contabeſcat; & niſi tempeſti-

tempeſtive ſuccurratur, facilis omnino in cachexiam & hydropem prænunciari debeat tranſitus. Nec raro ſpes, tanta mala, præſertim ſi fuerint inveterata, funditus exſtirpandi, valde anguſta deprehenditur; neque relinquitur alia ſæpius occaſio, quam ut graviores morbos præpediamus. Verum, cum ægrotantis ætas nondum nimis provecta ſit, & vires adhuc ſibi quodammodo conſtent; non deſperandum duco, ſed ſpero, fore ut congruarum medicinarum ope, ſub recta vivendi ratione, priſtinæ reſtituatur ſanitati. Præcipuæ vero medendi intentiones, hiſce potiſſimum abſolvi videntur indicationibus, ut primum debilitatis in imo ventre partibus, naturale reſtauretur robur, ac humorum per eas curſus reddatur æqualis; tum abundantes ſucci, maxime ſeroſi divertantur, ac evacuentur; & denique ventriculi maxime tonus confortetur, ut generoſus conficiatur chylus, & hinc reliqui humores fiant legitimi.

Hiſce ſcopis perquam opportunum fore cenſeo, ut alvus quavis tertia vel quarta die ſolvatur. Neque vero hoc fine uſurpanda ſunt purgantia, quippe quæ humorum ebullitionem cauſſantur, ac robur ventriculi magis deſtruunt; ſed ea ſeligenda erunt laxantia, quæ ſimul roborandi, & mucum reſolvendi virtute pollent. Hoc nomine commendo ſequentem pulverem: Recipe rhabarbari electi drachmas tres, magneſiæ albæ, ſolutionis oculorum cancrorum ana drachmam unam & ſemis, nitri purificati drachmam dimidiam. M. F. pulvis, dividatur in octo partes, quarum una veſperi, altera mane, hauſtis deſuper aliquot infuſi calidioris vaſculis ſumatur.

Deinceps ſingulo mane potari ſuadeo infuſum theiforme, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ veronicæ manipulos duos, conſolidæ ſaracenicæ, ſalviæ, meliſſæ, pyrolæ, ſcabioſæ ana manipulum unum, ſummitatum millefolii pugillos tres, nuciſtæ drachmas binas, cardamomi drachmam unam. M. F. ſpecies. Tum eo tempore, quo ab uſu laxantis pulveris quieſcit, hora quarta pomeridiana, & veſperi drachmam unam pulveris confortantis, cujus copiam mitto, ex aqua vino nupta ſumendam hortor. Non minus in cereviſiæ locum, pro potu ordinario, decoctum commendo, quod ſanguinem mundificat, ſolidaſque roborat partes, atque ſic paratur: Recipe radicis ſarſaparillæ, ligni ſantalini citrini, rubri, ſaſſafras ana uncias quatuor, radicis cichorei, glycyrrhizæ ana uncias duas. C.C.D.S. ſpecies, quarum binæ unciæ, in quatuor aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes decoquantur.

His per unam, alteramve ſeptimanam adhibitis, extrinſecus abdomini adplicentur ſequentes ſpecies, aquæ, aceto vini nuptæ incoctæ, & mane potiſſimum tepide admovendæ: Recipe florum chamomillæ vulgaris, ſambuci, herbæ ſalviæ, ſcordii, menthæ ana manipulum unum, baccarum lauri, juniperi, ſeminum quatuor carminativorum majorum ana drachmas duas. M. F. ſpecies ſacculo includendæ. Cæterum à lacticiniis, cibis acidis, ſalitis, flatulentis, pomis, & vehementi iracundia omni ſtudio cavere, ac corpus moderate exercere conveniet.

---

## CASUS CVII.

*De fluore albo continuo ex plenaria menſium obſtructione.*

FOEmina quadragenaria, pallido luridoque vultu prædita, conjugioque ſterili uſa, menſtruorum fluxum, à prima ferme juventute imminutiorem, ac irregularem, incertiſque temporibus ſuccedentem paſſa, illorum plenaria per noviſſimum annum obſtructione laborat. Verum per totum hunc annum fluore albo vexatur continuo; quem per octo menſes comitantur dolores lumborum & inguinum atroces, ad femora nonnunquam excurrentes. Hi veſpertinum maxime tempus moleſtum reddunt, & paullulum remittentes, copioſiſſimum muci profluvium, poſt ſe trahunt, interdiu ſilentes.

Urina mingitur plerumque citrina, ſanæque ſimillima, cum leviori albicante ſedimento, quod eſt inſtar purulentæ materiæ: ipſa vero mictio, & urethræ regio ab omni dolore immunis obſervatur, nec ullæ venerei inquinamenti præſto ſunt notæ. Corpus ſub hoc fluore langueſcit, non appetit cibos, qui ſumti ſaporem exhibent corruptum; nec ſitis urget, niſi ſub dolorum vehementia; nec æſtus præternaturalis vexat; ſed frequentiores ſunt horrores, & atrociora dolorum tormenta comitatur ſæpenumero ſudor gelidiſſimus; cum ſomno plerumque turbato. Et fruſtra ſane cuncta, utut efficaciſſima hactenus uſurpata fuerunt remedia; nec fallor, ſi dicam, ex eorum multitudine magis fere exacerbatum fuiſſe malum.

### *Conſilium.*

Ex iis, quæ de adverſa valetudine ſpectatiſſimæ fœminæ, percepi; non ſine ratione concludere licet, à parco, & inordinato menſium fluxu, inſignem ſanguinis ac humorum in utero, partibuſque ipſi vicinis ſtagnationem, & quandam corruptionem fuiſſe ſubortam. Namque ob hanc humorum ſtagnationem, dictæ partes tono ac robore ſuo naturali deſtituuntur, & lymphatica maxime vaſa, glandulæque nimium relaxantur, ac diſtenduntur; hinc humores diuturniori mora corrupti, per ductus laterales vaſorum, qui in veſicam, & uteri vaginam hiant, majori copia ſecreti excernuntur; membranæ vero nerveæ à ſubſiſtente & accumulato cruore compreſſæ, dolorem exhibent perpetuum, & acutiſſimum. Quæ vitia, cum jam diu durarunt, atque propterea magis in ſolidarum, quam fluidarum partium labe, hærent; difficilem profecto, atque diuturnam expoſcunt curationem, magis diæteticis, quam validioribus remediis perficiendam. Hanc autem ſequentem in modum feliciter inſtituere ſuevi.

Singula veſpera capiat ægrotans novem pilularum balſamicarum, ad Stahlii, vel meam mentem confectarum; & ſequenti mane adſumat potionem laxantem, hauſto deſuper juſculo avenaceo, quæ ſic præſcribitur: Recipe mannæ electæ unciam unam, rhabarbari Alexandrini ſcrupulos duos, cremoris tartari, ſalis Epſomenſis ana drachmam unam, coque & diſſolve leni calore, in aquæ florum acaciæ unciis quinque, colaturæ adde olei de Cedro Italici guttas tres. M.D. His per triduum uſurpatis, deſcendat ſingulo mane in balnea aquæ dulcis, temperate calida, ne ſudorem moveant, iiſque ſucceſſiva affuſione aquæ calidioris temperandis, per integram horam inſideat, impoſito abdomini ſacculo, ex herbæ menthæ, hyſſopi, meliſſæ, ſalviæ, origani, ſerpilli, menthæ cattariæ, hormini, florum chamomillæ Romanæ, vulgaris, baccarum juniperi contuſarum ana manipulis duobus, aquæ incoctis parato. Egreſſa ex hoc balneo, lectum petat, hauſtiſque in eo aliquot vaſculis, infuſi theiformis, quod ex herbæ meliſſæ manipulis duobus, ſummitatum centaurii minoris, millefolii ana pugillis quatuor concinnatur, lenem per horæ dimidium inſtituat ſudationem. Poſtquam hæc curatio per ſex dies fuit iterata; repetatur per triduum pilularum, laxantiſque potionis uſus; atque tum balnea, per ſex dies, dicta ratione rurſus ingrediatur.

Finita hac medicatione operæ pretium facient martialia, veluti eſt tinctura martis cum ſucco pomorum Borſdof-

Borsdorffianorum parata; nec alienum erit tinctura ſuccini, abſque ſpiritu vini, cum menſtruo lixivioſo confecta uti. Quibus, niſi forſan abſceſſus in lumbis, aut circa muſculos pſoas præſto fuerit, deſideratam procul dubio impetrabimus opem.

## CASUS CVIII.

*De fluore albo ex ſuppreſſis lochiis orto.*

Mulier quædam generoſa, annorum viginti octo, temperamenti ſanguineo - cholerici, habituſque corporis tenerioris, ante quinque annos, ex lochiis poſt partum minus rite ſuccedentibus, album retinuit fluorem. Hunc, cum primum nullas ferme inferret moleſtias, parum curavit, & per longum tempus nullis oppugnavit remediis; tandem vero commonefacta, ne hoc malum invaleſcere fineret, plurima, ſed fruſtra adhibuit medicamina. Interim optime viguit, ac præter integram ciborum adpetentiam, ſomnumque placidum, eo tempore bis feliciter peperit liberos, ultra annum haud ſuperſtites, quorum noviſſimo partu excluſa puella, vultu lurido prædita, à primo lucis aſpectu, materiæ impuræ fœtidæ ex utero ſtillicidium, adeoque hæreditarium fluorem album paſſa fuit. Ab hoc puerperio uterinus cruor gravem fœtidumque ſpiravit odorem; & ejus profluvio ceſſante, albus invaluit fluor, cumque vehementibus imi ventris, maxime in vagina uteri doloribus, ægram cruciare cœpit; ideoque meum requiſivit conſilium.

Exploratis igitur cunctis morbi momentis; fluxionem hancce, cum promanantibus menſtruis ceſſaret, pro maligna ac venerea, declarare haud potui, memor effati, quo BAGLIVUS *prax.med. Lib.II. Cap. VIII.* §.3. *Si durante*, inquit, *menſtruatione fluor albus evaneſcit, & eadem finita denuo regreditur, pro certo habeas, mulierem fluore albo uterino laborare.* Quare, præmiſſa prognoſi, mali jam inveterati, & à vitio partium ſolidarum potiſſimum ſuſtentati, curationem diuturniorem ac difficiliorem fore, hanc inſtitui ope pilularum balſamicarum, balneorum aquæ dulcis, infuſorum ex ſpeciebus laxantibus, diureticis, carminativis & ſpecificis confectorum; eorumque medicaminum, quæ Stabelius diſſ.de fluore albo, celebrat. Quæ medicatio tantum inferebat levamen, ut & tormina remitterent, & ipſa fluxio parcior fieret, nonque niſi per tres circiter à menſtrua excretione dies inhæreret. Hinc ad temperandam ulterius lymphæ acrimoniam, quam adhuc præſto eſſe, concubitus à marito non ſine penis ardore celebratus teſtabatur, præſcripſi conveniens decoctum. Sed ægra remediorum pertæſa, bene habens, & factam ſuſpicata imprægnationem, nec eo, nec aliis medicinis uti voluit. Brevi poſt evanuit graviditatis ſpes; ſiquidem prorumpebat menſtruus denuo cruor copioſiſſimus, fruſtis coagulati ac putridi ſanguinis permixtus; & abdominis pariter, atque mammarum detumeſcentia ſtipatus. Nec abhinc habuit, de quo conquereretur; at vix duo elapſi ſunt menſes, cum albus fluor, licet mitior, & benignior recrudeſceret: cui ſanando manum non prius admovere volo, quam donec tuo, vir Experientiſſime, conſilio, quod peto, ſuffultus fuero.

*Conſilium.*

Inter morbos illos, quibus muliebria occupantur corpora, non ullus eſt, qui majorem medenti faceſſat moleſtiam, quam fluor albus, præſertim ſi inveteratus fuerit, & à partu aut abortu, utero non ſatis repurgato, originem traxerit. Quando enim hac fluxione diuturniori, uterus cum vicinis partibus nimium relaxatur; non modo humorum vitalium circuitus per illas ſuccedit difficilior, ſed major quoque ſuccorum eo compellitur copia, qui per glandulas conglobatas, circa ſphincterem uteri, ac urethram ſitas, valde debilitatas, profuſe excernuntur. In tali vero caſu, tam ad eliminandos ſtagnantes humores, quam roborandas partes ſolidas, ſequenti medicatione feliciſſimo uſus ſum ſucceſſu.

Triduo nimirum à menſtruorum fluxu elapſo, per decem circiter dies ſingulo mane, excepta quavis quarta die, potandum ſuadeo infuſum vinoſum, cujus hæc eſt formula: Recipe radicis zedoariæ, calami aromatici, pimpinellæ ana unciam ſemis, herbæ meliſſæ manipulum unum, centaurii minoris pugillos tres, cardamomi drachmas duas, rhabarbari unciam, fibrarum hellebori nigri, agarici, limaturæ martis ana drachmas tres, ſalis tartari drachmas duas, paſſularum minorum uncias tres. Conc. Cont. D.S. ſpecies, cum binis vini menſuris infundendæ. Hujus vero infuſi, ſex vel octo potentur unciæ, hauſtis deſuper aliquot infuſi calidioris, Theæ vel Coffée, vel juſculi avenacei vaſculis. Iiſdem diebus hora pomeridiana quarta, & veſperi ſuffitus utero admittatur. Nimirum ſpecies ex tacamahacæ uncia una, maſtiches, ſuccini, myrrhæ ana uncia dimidia, cinnabaris vulgaris drachmis binis paratæ, immittantur prunis candentibus, & vapor, quem emittunt, ope inſtrumenti, inferius patuli, ſupra anguſtioris, utero excipiatur.

Tum per quatuordecim dies, interponatur uſus Elixirii ſequentis, octoginta de eo guttas quotidie ter capiendo: Recipe corticis chinæ, caſcarillæ, cinnamomi ana unciam, ſuccini, maſtiches, corticum aurantiorum, corticum ligni ſaſſafras ana unciam dimidiam, ſalis tartari drachmas duas: digere & coque leni calore in libra una vini, Sect dicti.

Deinceps rurſus utendum infuſo vinoſo, atque ſuffimigio; & repetendus denique Elixirii uſus. Præterea inſignem præſtabit operam, epithema ex herba menthæ, roriſmarini, meliſſæ, floribus chamomillæ Romanæ, caryophyllis aromaticis, & foliis lauri ſiccis, vino rubro incoctis paratum, & ad os pubis admotum. Cæterum cereviſia lupulata uti, corpus ſedulo movere; ſed à cibis incongruis, maxime paniſiciis cavere, expediet.

## CASUS CIX.

*Exhibens conſilium in ulcere uteri datum.*

Affectus præter naturam, quem lectiſſima mulier, à noviſſimo partu, ſuppreſſis ſubito per vehementem terrorem menſtruis patitur, ex utero ſuam trahit originem; cujus ulcerationem revera præſto jam eſſe, indicat puris lividi ac fœtidiſſimi, & nonnunquam, maxime poſt concubitum, ſanguinis ex muliebribus profluvium. Quamobrem ut malo, quantum fieri poteſt, ſuccurramus, & graviora ſymptomata præcaveamus; commendo primum infuſum vinoſum, quod ſic ſe habet: Recipe radicum zedoariæ, pimpinellæ albæ, cichorei, fibrarum hellebori nigri, rhabarbari Alexandrini ſingulorum unciam dimidiam, ſummitatum centaurii minoris pugillos ſex, corticum citri, aurantiorum recentium ana drachmas quinque, limaturæ martis drachmas ſex, caryophyllorum aromaticorum, aniſi ſtellati ana drachmas tres, paſſularum minorum uncias duas, tartari crudi unciam, ſalis tartari drachmas duas. C.C.D.S. ſpecies pro nodulo, infundatur vini Rhenani menſura una cum dimidia, ſtent per nycthemeron, in loco

co calidiori. Hujus vero infuſi octo circiter unciæ, mane hauriantur; quippe quod & ſanguinem depurabit, & ventrem blande ſubducet: quo conſumto, ter quotidie, mane nimirum, hora pomeridiana quarta, & veſperi capiantur ſexaginta guttulæ mixturæ, quæ habeat tincturæ antimonii acris unciam, liquoris anodyni mineralis, & ſpiritus bezoardici Buſſii ana unciam dimidiam. Cum hac mixtura, præſertim ſi humores nimium commovere videatur, veſperi nonnunquam alternare licet, pulverem meum bezoardicum, præcipitanti nuptum; atque mane potare expediet infuſum theiforme, ex herbæ meliſſæ, veronicæ, ſummitatum millefolii ana manipulo, ſeminis fœniculi drachmis duabus concinnatum.

Nec ludetur opera, ſi clyſter uterinus injiciatur ſimul, qui ſequentem in modum apparari poteſt: Recipe aloes hepaticæ, myrrhæ electæ, maſtichis, gummi elemi, animæ ana unciam dimidiam, croci drachmas duas, herbæ ſcordii, ſummitatum millefolii, florum hyperici ana manipulum, ſpiritus vini rectificati uncias duodecim. M. & extrahe debita digeſtione. Hic vero liquor, paullo tepefactus, bis quotidie, ad unciam unam, per primum octiduum, in ſolam uteri vaginam, tum nondum ceſſante puris effluxu, ipſam cavitatem ope ſyringæ injiciendus eſt. Cæterum rectam ſervare oportet vivendi rationem, à mœrore, animi affectibus cavere, cibis magis aſſis veſci, & pro potu ordinario, hoc uti decocto: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias ſex, corticis ligni ſaſſafras unciam dimidiam, ſeminis fœniculi drachmas duas. C. C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris in vaſe clauſo, leni coquantur calore.

---

## CASUS CX.

### *De hæmorrhagia uteri.*

MAtrona quædam generoſa, quæ per aliquod tempus irregulari menſtruorum fluori obnoxia fuit, ſex abhinc hebdomadibus, cum poſt vitam curis, ærumniſque plenam, ſubito vehementi percelleretur terrore, in copioſum cruoris uterini profluvium repente incidit. Oppugnavi illud venæ ſectione, pilulis Stahlianis, & pulvere antiſpaſmodico; & quum porro id genus fluxionis, à ſero acriori, parietes uteri valde ſtimulante, ejuſque tonum labefactante derivarem, ideoque ſanguinis acrimoniam ſeroſam, ſcorbuticamque temperare, robur uteri inſtaurare, & ſic fluxum profuſiorem cohibere vellem; propinavi pulveres mox ex nitro depurato, arcano duplicato, lapidibus cancrorum, ac cinnabari nativa, mox ex matre perlarum, nitro depurato, ſpecifico ſtomachico Poterii, ſpeciebus de hyacintho & cinnabari paratos, eoſque ex emulſione anodyno temperante, conjunctis pilulis Stahlianis exhibui. Fluoris curſu nondum remittente, dedi eſſentiam millefolii, cum tinctura martis Ludovici remixtam; & maſſam pilularum de cynogloſſa pulveribus addidi. Cruor nihilo minus pergebat, mox in fruſtis coagulatis, mox ſeroſus cum inſigni fœtore ferri: hinc ulterius oppoſui arcanum tartari, cum tinctura martis cydoniata; & adjunxi potionem diapnoico-temperantem, quæ habebat aquam meliſſæ, millefolii, cordialem, cornu cervi citratam, cinnamomi cydoniatam, antimonium diaphoreticum, matrem perlatam, cornu cervi philoſophice præparatum, cinnabarin, & nitrum regeneratum. Alvinam tarditatem, data bis quotidie ad drachmam unam magneſia alba reſeravi; ad ſalia ſcorbutica diluenda, infuſum theiforme ex radice altheæ, chinæ, cichorei, plantaginis, herba agrimoniæ, centinodii, florum hyperici, millefolii, ligno lentiſci, & aniſo ſtellato, potandum præbui. Quæ cuncta, cum immoderatum ſanguinis fluxum remorari haud valerent; ad mentem Septalii, & propriam experientiam, venam in brachio rurſus tundendam curavi, detracto ſanguine admodum ſeroſo, & ſaporem lixivioſum exhibente. Sed eadem manet hæmorrhagia, atque jam vertigine, capitis doloribus, ac animi deliquiis ſtipatur: quamobrem Tuum, Vir Experientiſſime, ad moderandum hunc fluxum flagito conſilium.

### *Conſultatio.*

Periculi, tædiique plena eſt affectio, qua generoſa mulier premitur. Forſitan attigit illa eam ætatis periodum, qua menſes ceſſare ſolent; tum enim ſæpiſſime fit, ut fortiores motus ac impetus humorum ad uterum, ipſa ætate imbecilliorem dirigantur, ac in profuſiorem ſanguinis fluxum deſinant; præſertim, ſi externæ cauſſæ, maximeque vehementior terror concurrant. Ægre vero ex morbi hiſtoria percepi, ſanguinem ferri fœtidum, ac grumoſum: inde enim colligere licet, humores in utero jam ſubiiſſe quandam corruptionem, quæ metum lentæ, hecticæque febris incutit, inprimis, ſi arteriæ moveantur celerius. Et in his profecto caſibus parum adjumenti ex remediorum farragine ſperare licet, & cuncta, quæ vulgo ad ſiſtendum ſanguinis profluvium celebrantur, in caſſum adhiberi ſolent. Præcipua potius mihi ſemper fuit cura, ut motus ſanguinis ad ſuperficiem corporis revocetur, hocque in perpetua conſervetur tranſpiratione; cui ſcopo inſerviet infuſum theiforme, ex ſummitatibus millefolii, floribus chamæmeli vulgaris, ſambuci ac hyperici, mane ac horis pomeridianis potandum. Præterea manus aliquoties in aquam vino nuptam, paullulumque tepefactam immittere; ad pubis vero regionem ſacculum ex mentha, meliſſa, roremarino, origano, floribus roſarum rubrarum, corticeque caſcarillæ, vino rubro, ſeu quod Pontac dicunt, incoctis paratum calidiorem adplicare juvabit. Epulas oportet eſſe parciores; & crebro veſcendum eſt juſculis; nec denique alienum erit, bis quotidie, de ſequenti mixtura adſumere: Recipe aquæ florum ſambuci, tiliæ, liliorum convallium, cardui benedicti, meliſſæ ana unciam unam & ſemis, theriacalis, cinnamomi ſine vino ana unciam ſemis, aceti deſtillati unciam, lapidum cancrorum drachmas duas, antimonii diaphoretici drachmam, ſpiritus nitri dulcis guttas triginta, ſyrupi acetoſitatis citri drachmas ſex. M. F. mixtura; cujus cochlear unum pro vice capiatur.

Neque vero ſpem fefellit hæc curatio; ſiquidem ab ea, immodicus ſanguinis fluor, cum omnibus ſymptomatibus remiſit; & ægrotans rectiſſime valere cœpit.

---

## CASUS CXI.

### *De enormi hæmorrhagia uteri, cum fungoſa in vagina excreſcentia.*

FOEmina, trium & quadraginta annorum, trium quoque nuptiarum, decem infantum felix mater, animi vivacioris, corporiſque habitioris, venis inſtructi exilioribus, ſub variis defatigationibus, curis ac ærumnis, ſtato ſemper tempore lunare, utut parcius perſolvit hactenus tributum, atque valuit rectiſſime. Verum menſe currentis anni Februario accidit ex improviſo, ut veſperi fruſtum ſanguinis coagulati, magnitudine juglandis nucis, ex utero prorumperet,

ret, metumque abortus faceret. Poſtridie cruor purus, binis congrumati ſanguinis fruſtis permixtus, largo flumine ex muliebribus per aliquot horas promanavit: quod profluvium accitus medicus, datis pulveribus adſtringentibus, ex limatura martis & hæmatite, ſtatim cohibuit. Elapſis aliquot diebus, accedente quadam iracundia, inſigni totius corporis æſtu perfundebatur, ingenti languore ſtipato. Ille, ſumtis aliquot pulveribus antiſpaſmodicis, remittebat; at preſſo pede ſequebatur inanis moleſtaque alvum reddendi cupiditas, atroceſque dolores os ſacrum, & utrumque femorum obſidebant. Hi omnium remediorum vim eludebant, & ab externis fotibus, unguentiſque humidioribus, magis exacerbati, ad hancuſque diem, gravativo ac ardente circa ventriculum ſenſu juncti inhærent. Non minus alvi ſegnities adhuc ſolicitat; nec niſi infuſis altero quovis die clyſteribus, ex lacte, & ſaccharo confectis ſolvitur; qui ſecum ducunt excrementa copioſa, duriſſima, & inſtar ſtercorum ovillorum globoſa. Horum cauſſam adſcribunt tincturæ cuidam purganti, aloe hepatica permixtæ; quam haud ita pridem per aliquot ſucceſſive hebdomades, ſuaſu cujuſdam medici, quotidie cum violentis ac copioſiſſimis alvi dejectionibus ſumſerat.

Præterea undecim circiter, ab enormi illa uteri hæmorrhagia ſeptimanis, ſentiebat ægra in uteri vagina tuberculum aliquod, quod quotidie increſcens, ad ovi anſerini tandem perveniebat magnitudinem; & ab obſtetrice pro fœtu habebatur; adeo, ut & ipſa rudi manu illud violenter tractaret, & ipſa ægrotans vehementioribus conatibus, inſtar parturientis, ſe commovere deberet. Alii declarabant hoc tuberculum pro concremento quodam; alii pro cruore coagulato, tunicis incluſo, quoniam interdum ſanguinem fundebat, moxque durum, mox attactu mollius erat. Huic malo opponebat medicus balnea cum herbis appropriatis parata; quibus paullo calidioribus ægra, quovis tertio die, jugulo tenus inſidere debebat; tum ipſi per quatuor hebdomades dictum ſupra fortius purgans propinabat; & denique idem purgans, alternatim cum balneis iſtis, per quinque ſeptimanas adhiberi imperabat. Hinc vero tantum virium, corporiſque ſuccedebat decrementum, ut vix dici poſſit; totus malum exacerbarunt, & lintea calefacta aliquale, ſed breve inferebant levamen: interim dolores adeo invaleſcebant, ut turbato prorſus ſomno, delirium ſupervenire videretur. Cæterum copioſi ructus, noctu præſertim per ſuperiora, ano clauſa, exploduntur; & inter mingendum, dolor ardorque ductus urinarios vexant; ſed nulli capitis dolores, nec æſtus præternaturalis ſentiuntur. Et in hoc rerum ſtatu adhuc recrudeſcebat uterina hæmorrhagia, ſatis profuſa, inſimulque per muliebria fertur interdum mucus albus, albumini ovorum ſimilis.

Noviſſime in conſilium vocatus fuit chirurgus quidam; qui injecto per ſyringam in uteri vaginam liquore quodam, tumorem illum præternaturalem adeo emollivit, ut non ſolum ipſe ſenſim imminuatur, verum etiam ardor urinæ miteſcat. Idem chirurgus contra atroces dorſi, lumborumque cruciatus, interne exhibuit mixturam quandam, eo effectu, ut illi longe mitiores eſſent, & non niſi per aliquot quotidie horas adfligant, ægraque ſomno rurſus fruatur. At quum nondum penitus ſileant, & præterea gravis ani teneſmus urgeat, vireſque ſucceſſive proſternantur; tuam, Vir Excellentiſſime, de tollendo penitus hoc morbo ſcire avemus ſententiam.

*Conſilium.*

Ex communicata mecum morbi hiſtoria, quatuor potiſſimum reſultant, & decidendæ veniunt quæſtiones: nimirum, quæ fuerit profluvii ex utero cruenti cauſſa; deinceps an illud convenienti curatione oppugnaverit medicus; tum, unde tumor in vagina uteri traxerit originem; & qua denique ratione cuncta hæc mala expugnari queant? Primæ facturus ſatis quæſtioni, præmonendum duxi fœminas habitu corporis ſpongioſo, venis exilioribus, ingenio vivaci, & animo ad iracundiam proclivi præditas, ſimulque calidioribus indulgentes potibus, præ reliquis ad immoderatas uteri hæmorrhagias perquam opportunas exiſtere; præſertim, ſi crebro delectantur concubitu, quo major humorum copia ad vaſculoſam uteri ſubſtantiam allicitur. Conſtat videlicet ex Anatomia, nullam in corpore humano præter uterum eſſe ferme partem, quæ tot ſanguiferis inſtructa ſit vaſis. Ille enim hæc recipit ab hypogaſtricis, ſpermaticis, ac hæmorrhoidalibus, & ab eorum extenſione ac infarctu, uti in gravidis adparet, valde intumeſcit. Quando igitur illa poſt coitum fœcundum, ob majorem, qui inde ſequitur, ſanguinis ad uterum adfluxum, humoribus nimium diſtenduntur; atque, non ſuccedente imprægnatione, à ſtagnante cruore in majorem elevantur molem; facile fit, ut tandem rumpantur, & multum ſanguinis uno impetu effundant. Quum vero tali ratione, robur uteri debilitatur, humorumque liber per illum curſus perturbatur; non raro contingit, ut humores majori copia adpulſi, ad vicinas quoque partes, inteſtinum rectum, atque veſicam ruant; earumque vaſa & nervos diſtendentes ac comprimentes, ingentes dorſi, oſſis ſacris, femorumque dolores, ani teneſmum, atque mictionem inducant doloriſicam. Quæ in noſtra ægrotante ita eveniſſe, cuncta morbi momenta docent.

Quod vero alteram concernit quæſtionem; ea profecto medicatio, qua medicus per fortiora & aloëtica purgantia, atque ſubinde balnea calidiora, malum oppugnavit, inſignem meretur cenſuram. Purgantia enim adauxerunt ſpaſmodicas imi ventris conſtrictiones, humores magis ad uterum compulerunt, ſimulque horum fluxiliorem partem è corpore proſcripſerunt, &, maxime cum fuerint aloëtica, inſigniorem ſanguinis ebullitionem excitarunt. Contra vero balnea robur uteri magis debilitarunt, atque ſic ad copioſiorem humorum in illo ſtagnationem contribuerunt. Satius in hoc ſane caſu fuiſſet, præter pilulas Becheri balſamicas, roborantibus ac leniter martialibus dimicaſſe remediis.

Tumor autem ille in uteri vagina, de quo tertia agit quæſtio, meo quidem arbitrio non eſt, niſi fungoſa excreſcentia, vaſis ſanguiferis inſtructa; quæ in iis ſubjectis facile generatur, quorum vaſa ſanguifera in utero nimium expanſa ſunt, & ſucci non rite circulantur. Quare noxioſiſſimum fuit, quod obſtetrix, fœtum vaginæ inhærere perſuaſa, ægrotam ad pariendi laborem incitaverit.

Quicquid vero ſit, videndum jam juxta quartam erit quæſtionem, qua ratione huic malo mederi liceat. Et ſane non levis eſt opera, in tam inveterato morbo, ubi vires corporis languent, & ciborum periit appetitus, ſuis potiri votis; quæcunque ſaltem reſtiterit ſalutis ſpes, illa potius ab alimentis, & remediis extrinſecus adhibitis, quam internis erit expectanda. Quo quidem fine commendarem, ut juſculis ac cibis nutritivis amiſſas vires inſtaurare, & ægrotam in debita corporis, ac animi requie conſervare anniteremur. Ex topicis multum utilitatis præſtabit ſacculus, è florum chamomillæ vulgaris, meliloti, ſambuci, anthos,

laven-

lavendulæ, herbæ arnicæ, chærefolii, cardui benedicti, ſingulorum manipulo uno, ſeminumque quatuor carminativorum majorum ana drachmis duabus, vino rubello Gallico incoctis paratus, & tepefactus ad uteri pubiſque regionem applicatus. Nec alienum erit, decocti à Chirurgo hactenus uſurpati injectionem continuare.

Interne liquor meus anodynus ad triginta guttas veſperi ex aqua florum acaciæ, vel ſambuci, cum inſigni fructu dabitur; nec ludetur opera; ſi vel mane, vel hora pomeridiana quarta, ex vino aquæ nupto drachma dimidia pulveris exhibeatur, qui hunc in modum confici poteſt. Recipe lapidum cancrorum, arcani duplicati, nitri antimoniati, ſolutionis oculorum cancrorum ana drachmam. M. F. pulvis. Et denique, ſi alvus obſtructa fuerit, conveniet infuſum mannatum atque rhabarbarinum, bis quavis hebdomade ſumendum; cui etiam ſcopo facient ſatis pilulæ balſamicæ Becheri, Stahlii, vel noſtræ, ad viginti grana, tertio quovis die deglutiendæ.

## CASUS CXII.

### *De totali menſium ſuppreſſione à male curata febre.*

FOEmina triginta ſex annorum, habitus corporis ſpongioſi, atque tenerrimi, ſanguine admodum plena, ſex infantum fœcunda mater, menſtrua olim ſatis large, debitoque tempore fundere conſuevit. Verum elapſis octo circiter annis, cum fructus acidulos, maxime cucumeres comediſſet, & ſub aëre veſpertino corpus frigori expoſuiſſet, incidit in febrem tertianam; eaque cum magnis præcordiorum anxietatibus, vomitu, atque ſiti per quatuordecim dies adflicta eſt. Medicus, præmiſſis laxantibus, & pulveribus præcipitantibus ſalinis, exhibuit ipſi electuarium, quod corticem Peruvianum fovebat; at hoc ægra primum, cum menſtrua purgatio accederet, ſumere dubitabat; donec medicus, ſublato dubio, præciperet, ut illius cochlear quater de die, maximeque à febre vacuo adhiberet. Paruit illa præſcripto, & per aliquot dies uſurpavit hoc remedii genus, eo effectu, ut altero ab ejus uſu die, menſtruus cohiberetur fluor, & paullo poſt febris evaneſceret. Abhinc vero male habere, adpetitus imminui, corpus contabeſcere, & ipſa expalleſcere cœpit; atque, quod notari meretur per integros hos octo annos, pertinaci menſtruorum retentione laboravit. Quo tempore doloribus artuum, maxime pedum arthriticis, dorſi tormentis, interdum calculorum excretione, inſigni corporis languore, ac intumeſcentia ventris, atrociter infeſtata fuit: nec ab ullis medicaminibus, venæ ſectionibus, purgantibus, acidulisque deſideratam percepit opem. Quare tandem meum flagitavit conſilium, meæque dijudicationi ſubjecit, eam medendi rationem, quam quidam haud incelebris medicus propoſuerat, ille nimirum ordinaverat, ut per quinque dies ſingulo mane, drachmam unam pulveris, ex limaturæ martis tenuiſſime pulveriſatæ, lapidum cancrorum, arcani duplicati, ſalis abſynthii ana drachma una, olei menthæ veri guttis decem parati ſumeret, tum infuſum meliſſæ ſorbillaret, & ſub epulis eſſentia gentianæ rubræ, centauriique minoris uteretur. Deinceps corpus per biduum purgari juſſerat pulvere, qui jalappæ grana quindecim, antimonii diaphoretici, cremoris tartari ana drachmam ſemis, olei nuciſtæ guttam unam habebat. Atque hæc bina remediorum genera, ter invicem alternanda ſuaſerat.

### *Epicriſis.*

1. Ex præcedenti morbi deſcriptione ortus, & generatio febris tertianæ æſtivæ, à cohibita tranſpiratione, tempore veſpertino, ſub aëre frigido & humido, & à fructibus crudis & illotis, copioſius ingeſtis productæ ſatis clare addiſci poteſt.

2. Omnis generis adſtringentia, quæ inter maxime eminet famigeratiſſimus ille chinæ cortex, non modo febriles motus, ſed & excretiones ſanguineas criticas, ut menſium & hæmorrhoidum, prompte & celeriter ſiſtendi facultate pollent, in maximum ſanitatis damnum, præſertim ſi fomite febris non prius correcto, vel expulſo, largiori doſi exhibeantur.

3. Notari meretur plenaria, & totalis menſium obſtructio, plures annos perdurans, ab imprudenti uſu chinæ chinæ, in febre ſub eorum fluxu inducta. Ex quo adparet, quam potenter adſtringentia in externas, & diſſitas etiam corporis partes, quales ſunt membranaceæ: ex quibus orificia vaſculorum aperta menſtruum ſanguinem ſtillant, operari poſſint; ita prorſus, ut fortiſſima ſtrictura, & induratione, ulteriorem vaſculorum expanſionem, & apertionem impediant. Quam gravia autem defectum menſium in florente ætate inſequantur mala; id ſatis quotidiana experientia notum, perſpectumque eſt, & præſens quoque caſus luculenter declarat.

4. Chronica, & quaſi habitualis menſium obſtructio, difficilioris eſt curationis, quia vitium non amplius in natura & conditione fluidorum, ſed potius ſolidorum verſatur, iis præter naturam conſtrictis, compreſſis, & condenſatis; quare non modo in caſſum, ſed ſæpius magno damno remedia, inprimis, quæ menſibus pellendis dicata ſunt, adhibentur. Unicum auxilium verſatur in emollitione vaſorum conſtrictorum uteri, quam ſatis tempeſtivus internus æque ac externus, mea quidem experientia & judicio, thermarum uſus ſatis feliciter expedit, & præſtat; ac quamvis malo inveteraſcente non ſemper reſtituat fluxum, tamen gravibus ſymptomatibus præcavendis egregie inſervit.

5. Cura ſic dicta martialis, à clare docto medico præſcripta, & commendata, non contemnenda, ſed ſatis eximiæ & inſignis utilitatis, atque effectus in cachexia eſt, ex menſibus cohibitis, ſi recens fuerit malum, ſuborta: In noſtro autem caſu velim ab ea abſtineri, quia non ſatis tutus, ſed admodum infidus & noxius eſt martialium uſus, ubi ſpaſticæ ſtricturæ firmiter nervoſis partibus inhærent. Et hæc eſt generalis practica regula: niſi martialium uſum ſequatur excretio per alvum, urinam, ac tranſpirationem liberior, indicium eſt, virtutis prædominantis adſtrictivæ, quæ plerumque corporis humani naturæ infenſa deprehenditur.

## CASUS CXIII.

### *De diuturna, & male tractata menſium obſtructione.*

UNum & viginti annos nata virgo generoſa, per quatuor jam annos menſtruorum laborat retentione; quam protinus exceperunt totius corporis inflationes, vomendi conatus moleſtiſſimi, muci limpidi per os rejectio, æſtus præternaturalis, & ardens in pectore ſenſus. Mox ſub prima mali invaſione conſultus medicus, infuſis vinoſis, pulveribus, pilulis, tincturiſque ſanguinem mundificantibus, & ſectione venæ in pede, ſed fruſtra, uterinum fluxum revocare tentabat. Sanguinis miſſiones in pede, quovis bime-

meſtri, vel ſaltem trimeſtri, celebrabantur; ſed humorum ebullitionem adaugere videbantur: bis more ſolito potabantur acidulæ Egranæ, dabantur purgantia, & vomitoria, nec negligebantur pediluvia atque balnea.

Tum ægra decoctum aliquod, menſibus ciendis deſtinatum, adhibere, ejuſque, ob inſignem, qua urebatur, ſitim, tres fere quotidie menſuras ſorbere cœpit. Ex hoc decocto, quod per ſex dies potabat, non modo alvum copioſe, & tredecim quotidie vicibus dejiciebat; verum etiam inſigni humorum orgaſmo prehendebatur, vultus rubebat, ardebatque, extrema algebant, & ingens dolor in caput incumbebat, qui hoc verſus tempora comprimere videbatur, cum tinnitu, ſuſurruque aurium, & nervorum ſubſultu. Quæ ſymptomata à medico priori, aquis temperantibus, venæ ſectione, ac ſcarificatione oppugnabantur, ſed fruſtra; hinc, humores vi decocti ſupra citati, majori copia ad caput raptos arbitratus, alia propinabat remedia mundificantia, antiſpaſmodica, aperientia, uterina, attenuantia, & menſes pellentia: at nullum ſequebatur dolorum levamen, quin illi potius prementes, tendentes, lancinantes, vertigine ſtipati gravius inſiſtebant.

Quum ergo ægrotans ex vultu, quo gaudebat, florido, à cachexia adhuc vacua cognoſceretur; confugit rurſus ad acidulas, & poſthæc iterum inſuſis vinoſis, pediluviis atque balneis uſa eſt. Nullum vero ab omnibus miſera ſenſit adjumentum, ſed atrociſſimi capitis dolores, temulentia, ſuſurru, tinnitu, vertigine juncti, adhuc urgent tanta ferocitate, ut poſt leviſſimam capitis motitationem, tormenta primum in vertice veluti concentrata, paullo poſt per totum excurrant caput; nec ex illo, quaſi fixam ibidem ſedem obtinuerint, ulla arte derivari poſſint. Præterea totum corpus tremore, ac inſigni languore afficitur, cor palpitat, arteriæque omnes vehementer moventur; pedes ſunt gelidiſſimi; alvus obſtructa, non niſi arte ſolicitata reſpondet, & moleſta faucium vexat ariditas.

*Epicriſis cum conſilio.*

Graviſſima ſane eſt adfectio, in quam generoſa virgo ex menſium pertinaci, nulliſque hactenus remediis reſeranda obſtructione conjecta eſt. Neque mirum; quotidiana enim docet experientia, longam menſtruorum retentionem, aut eorundem inordinatum ſucceſſum, moleſtiſſimarum fomitem eſſe ægritudinum, omneſque corporis functiones inde proſterni atque labefieri; adeo ut merito dici poſſit, nullum eſſe morborum chronicorum, quin tandem menſium obſtructioni, tanquam ſonticum ſuperveniat ſymptoma. Quod ſi peſſimorum conſectariorum cauſſam inquiramus, vix unquam alia ſe offert, quam perverſa hujus obſtructionis medicatio. Quum enim variæ ſint cauſſæ, quæ inordinato menſtruorum ſucceſſui originem præbent, ideoque diverſam medendi rationem requirant: ſit proh dolor! plerumque, ut nec hæ rite explorentur, nec ſubjectorum, ætatis, temperamentorum, nec viſcerum, ac reliquæ corporis conſtitutionis ratio habeatur. Neque igitur temporis opportunitas in medendo obſervatur; ſed potius imprudenti ſanguineum fluxum provocandi intentione, vomitoria, infuſa purgantia, pilulæ purgantes, venæ ſectiones, ſcarificationes, acidulæ, thermæ, pediluvia, aperientia ſalina, emmenagoga decocta, ex croco, myrrha, baccis lauri, ſabina, pulegio, artemiſia, floribus cheiri, borrace veneta, cinnamomo, nec non ſalia volatilia oleoſa, ſuccinata, therebinthinata, idque genus plura, damno vix reparabili, promiſcue adhibentur.

Exemplar infeliciſſimi horum tentaminum ſucceſſus, præſens exhibet obſervatio. Optandum ſane foret, ut talia remedia ſuppeditarent officinæ pharmaceuticæ, quibus medicus menſium vel hæmorrhoidum excretiones pro lubitu moderari, excitare, ac in naturalem ordinem redigere poſſet! Verum jam Hippocrates ſuo tempore doluit, quod tam certa ſecuraque in ciendis menſibus haud proſtent ſubſidia. Mea quidem ſententia, hæc eſt prudentis providique medici nota, ſi præter rectam febrium intermittentium tractationem, morbos, qui ex hæmorrhoidum, vel menſium retentione originem traxerunt, ita dirigere ac oppugnare, didicerit, ut abſque damno, ſpem votis faciat. Si ergo candide dicam, quæ in præſenti caſu abs re fore arbitrer; rectiſſime me ſaluti ægrotantis conſuluiſſe videor, ſi ſuaſero, ut ab omnibus fere abſtineat medicaminibus: ſiquidem veriſſima ſunt ARETÆI *Lib. VII. cap. V.* verba, dum, *quibuſdam*, inquit, *quamdiu medicatio adhibetur, tamdiu morbus permanet, quamvis labefactatus, ac debilis: at ſi homo carnem reſarciat, & vires reſtauret, ſimul omnia morbi veſtigia obliterantur; nam potentia naturæ ſanitatem, imbecillitas morbum parit.*

Idcirco eo tendit meum conſilium, ut ægra veſcatur juſculis quæ cum naſturtio aquatico, radice fœniculi, petroſelini, & aſparagi parata ſint; corporis exercitationi ſtudeat, eamque vectione potiſſimum, matutinis horis inſtituat; à cibis vero crudis, acidis, pomis, lacticiniis, atque panificiis ſedulo caveat. Ad conſervandam alvi lubricitatem, neutiquam conveniunt purgantia, ſed magis inſervient vel clyſteres emollientes, vel abſorbentia ſalibus acuata, veluti ſunt lapides cancrorum, cum ſale Sedlicenſi, ac nitro permixti: ſub epulis vero Elixirio meo balſamico utendum eſt. His denique, adventante vere, adjungendus eſt thermarum Carolinarum internus, & Tœplicenſium externus in balneo uſus: de quibus non dubito, quin deſideratam opem ſint allatura.

## CASUS CXIV.

*De pertinaci menſium obſtructione poſt quartanam intermittentem.*

Virgo generoſiſſima, ſedecim annos nata, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis ſtrictioris, vaſis exilioribus, ſanguine plenis, ingenioque vivaciſſimo prædita, ob inſignes, quibus indulget, animi adfectus, ſanguinis ebullitionibus valde eſt obnoxia. Hinc à quatuor jam annis, ſingulo fere trimeſtri eryſipelate faciei, præſertim ſiniſtram maxillam occupante, adfligi ſuevit; congruis diſcutientibus, interne pariter ac externe datis, feliciter ſemper profligato. Egreſſæ ipſi decimum quartum ætatis annum, poſt varios dolores conatuſque, menſtrua primum eruperunt, & abhinc ſtato quidem tempore, ſed ſæpius præviis præcordiorum anxietatibus ſtipata, non niſi adhibitis pediluviis, quin non raro fuſa in pede vena, promanarunt; nec impedierunt, quo minus eryſipelacea faciei inflammatio certis periodis acceſſerit.

Elapſo anno, cum in prædio per ſex degiſſet hebdomades, circa autumnale æquinoctium, febre prehendebatur quartana; ſub qua uterina protinus cohibebatur purgatio, & faciei eryſipelas prorſus ceſſabat. Febris illa inhærebat contumaciſſima, typoſque ſuos mox in tertianam, mox quotidianam, mox acutam commutabat; donec ante aliquot demum hebdomades, ope electuarii chinati penitus profligaretur. At cum menſes adhuc retenti eſſent, & crebra anhelatio, fere ſuffocativa urgeret; eo dirigebatur me-

medendi intentio, ut revocaretur ſanguinea excretio. Quo quidem fine præter venæ ſectiones in pede celebratas, pediluviorum, pilularum balſamicarum, aliarumque convenientium medicinarum uſum, ea noviſſime inſtituebatur curatio, qua mane loco infuſi Theæ, brodia, quibus herba pimpinellæ ſanguiſorbæ, artemiſiæ, menthæ, meliſſæ, millefolii, flores cheiri, radices ſcorzoneræ, fœniculi, cichorei, graminis, baccæ lauri, juniperi, flores macis atque crocus Orientalis incocta erant, ſorbillare; præterea mixtura, ex tinctura rhabarbari, eſſentia croci, atque myrrhæ confecta, nec non pilulis balſamicis, pulveribuſque digeſtivis uti jubebatur.

Ex hac medicatione, per dies quatuordecim continuata, redibant quidem vires, ac ciborum adpetentia; ſed menſes ſuppreſſi manebant. Non minus, loco ſueti alias eryſipelatis, poſt ſanatam febrem largæ, atque tantum non quotidianæ, narium vexant hæmorrhagiæ. Noviſſime etiam glandula quædam in dextro latere colli, ad magnitudinem nucis juglandis intumuit; nec non alia mammaria, in eodem latere verſus axillam ſita, ad molem ovi gallinacei increvit. Cæterum adpetitus quidem viget, & naturales excretiones rite ſuccedunt: verum vires nondum prorſus ſibi conſtant, dorſum atque os ſacrum vehementes per intervalla adfligunt dolores; & internus calor, maxime à paſtu teſtantibus ſiti, pulſuque celeri, vexat.

*Conſultatio.*

Ex iis, quæ de pertinaci menſtruorum retentione, ſonticis ſymptomatibus, generoſam virginem diſcruciante percepi; cognitu faciliimum eſt, omnes paſſiones, quibus adfligitur, eryſipelas faciei, ſpirandi anguſtiam, narium hæmorrhagias, tumores glandularum colli, & mammariarum, internumque calorem, non ab alia cauſſa, quam menſium inordinato ſucceſſu, & ſubſequente plenaria obſtructione, ſuam traxiſſe originem. Ex cauſſis vero huc diſponentibus, præter ipſius corporis, vaſis exiliſſimis præditi conſtitutionem, inſignis animadverſio debetur febri quartanæ diuturniori. Namque crebra docet experientia, quod febres intermittentes, diu inhærentes, inque primis quartana, eo magis, ſi adſtringentibus improvide fuerint tractatæ, plerumque menſium retentiones poſt ſe trahant, tam refractarias, ut omnem ſæpenumero remediorum vim utique eludant. Nec obſcura eſt ratio; quartanæ quippe febres, à craſſo viſcidoque ſanguine, & cruditatibus acidis, bilioſis, mucidiſque, in primis officinis ſtabulantibus, atque vehementioris adpetitus cauſſis, ſuos mutuantur natales. Quemadmodum igitur hiſce humorum vitiis ſupervenientes motus febriles, provida manu, debitoque regimine adjuti, diſcutiendo ſtagnantes, ac eliminando impuros humores, inſignem adferre ſolent utilitatem: ita iidem, inconvenienti victu perturbati, ac adſtringentibus medicinis intempeſtive ſuppreſſi, ineluctabile damnum, ac graves viſcerum, nominatim ſplenis, hepatis, ac uteri infarctus ac obſtructiones poſt ſe relinquunt. Hinc quoque ratio patet, cur dictas febres ſuppreſſas, hydropes, tumores œdematoſi, ac menſium obſtructiones, preſſo pede inſequantur.

Ex his vero planiſſime perſpicitur, curationem retentorum à dictis cauſſis menſtruorum, his fere abſolvi indicationibus, ut obſtructa uteri vaſa reſerentur; & æqualis humorum per ea curſus reſtituatur. His obtinendis ſcopis, conſueta ſubſidia; veluti ſunt venæ ſectiones, pediluvia, variaque ſic dicta emmenagoga, non quidem prorſus ſunt inopportuna; ſed illis ſolis, raro deſideratam opem impetrari, plus ſimplici vice obſervavi. Potius vix certius auxilium ulla pollicetur medicina, quam aquæ minerales, inque iis, vel thermæ Carolinæ; vel acidulæ aut Schwalbacenſes, aut in robuſtioribus Pyrmontanæ, tepefactæ, ſub debito regimine, conjunctaque Elixirii mei viſceralis, ex balſamicis, & amaris, abſque ſpirituoſo menſtruo parati, atque pilularum balſamicarum uſu potandæ; iiſque balnea ex aqua fluviatili ac herbis emollientibus ſubjungenda.

Quod igitur ſpeciatim noſtrum attinet caſum; conſultiſſimum fore arbitror, ut generoſa virgo thermis Carolinis, aut ſi hæ non arriſerint, aquis Schwalbacenſibus, iiſque tepefactis utatur. Ex pharmacis, interne uſurpandis, nulla præter pulverem præcipitantem, veſperi nonnunquam capiendum; tincturam rhabarbari cum terra foliata tartari ſolutam; & infuſum conveniens theiforme commendarem; victum vero exactiorem, abſtinentiam à ciborum flatulentorum, fructuum, pomorum, & nimio vini uſu; atque moderatam corporis exercitationem ſuaderem. Tumoribus denique non convenientior erit medela, quam ut illi in calore temperato conſerventur, iiſque emplaſtrum de meliloto, camphora ſubactum imponatur.

---

## CASUS CXV.

*De fluxu menſium inordinato, graviſſimis ſymptomatibus ſtipato.*

FOEmina generoſa, in florentiſſima ætate conſtituta, ſex circiter abhinc annis, cum menſtruo fluore polluta eſſet, fortioribus aliquando indulſit ſaltationibus, hiſque commota, potum hauſit frigidiorem. Hinc ſubito cohibitis menſtruis, tœdas in facie paſſa eſt efflorefcentias. Adhibuit igitur varias medicinas, ipſaſque Carolinas potavit thermas; quæ tamen, niſi eſſentia laxante adjutæ, non moverunt alvum, nec operæ fecerunt pretium. Interim elapſo ſemeſtri, uterina rediit purgatio; at non ſolum atrocioribus capitis doloribus ſtipata, verum etiam valde irregularis fluxit. Namque incerto tempore promanans, per novem circiter dies inhæſit, adeo, ut binis tribuſve prioribus diebus ſanguis profuſe, tum per biduum parciſſimus, aut plane nullus, tandemque iterum copioſus, grumoſus vero, & coagulatus prodierit. Idcirco, quum à Carolinarum potu male habuerit, uti cœpit Egranis acidulis, easque aliquoties adhibuit, cum egregio omnium ſymptomatum, maxime dolorum capitis, vultuſque efflorefcentiæ levamine: neque minus præter crebras ſcarificationes, venam bis quotannis tundendam præbuit.

Effluxerunt bini cum dimidio anni, quum noſtra matrimonii ſubiiſſet leges; & ab eo tempore majorem ſymptomatum ſuorum experta eſt ferocitatem. Præſertim illa menſtruam periodum anteceſſerunt, adeo ut prius, quam erumperet cruor, horrendis dorſi, femorumque, ad genua atque pedes excurrentibus tormentis, nimiiſque præcordiorum anxietatibus cruciaretur; quæ ceſſabant, quam primum menſes fluebant, illum, de quo diximus, continuantes ordinem irregularem. Conſultus medicus, propinabat circa lunare tempus, pilulas polychreſtas; ordinabat pediluvia, cum ſale communi, ac cineribus clavellatis acuatas, hiſque capitis dolores exacerbantibus, ſubſtitui permittebat balnea, ex appropriatis herbis confecta. Ab horum uſu menſtrua adhuc ſemel copioſiſſima promanabant; tumque iis ſilentibus, utero concipiebat ægra.

Primis graviditatis vero menſibus, novas moleſtias, ciborum faſtidium, nauſeam, vehementes vomitus, dolores dorſi torminoſos, inſignem languorem,

ac præcordiorum anxietates patiebatur; hiſque per totum geſtationis tempus adfligebatur; quid? quod vomitus ſub ipſis pariendi doloribus, iiſque violentis, atque poſt partum adhuc continuaverint. Notari quoque meretur, à medio graviditatis tempore ſomnum imminui cœpiſſe, turbatum ad partum uſque, & novem prioribus ab hoc diebus, oculis plane ereptum, tumque fuiſſe reſtitutum. Lochia per quinque fere hebdomades, ſed parciſſima ferebantur; atque primis quatuordecim à puerperio diebus, præter dictos vomitus, nauſeam, ſpaſmos uterinos, compreſſionem pectoris, acutiſſimi, tantique ardentes ac lancinantes in abdomen incumbebant dolores, ut nec leviſſimum ferre potuerit contactum. His quieſcentibus, ſuccedebat dolorificus in oſſe pubis ſiniſtro ſenſus, ac ſi pondus quoddam ibidem hæreret, quod ipſi decumbenti, vel obambulanti valde moleſtum erat, quin adhuc, dum curru vehitur, dolorem quendam in ſiniſtro percipit latere. Tandem non ſilentio prætermittenda eſt alvi ſegnities, qua uti à prima fere juventute, ita etiam graviditatis, puerperii, atque hoc quoque tempore graviſſime premitur. Gravida contra illam pilulas contra obſtructiones, & pulverem antiſpaſmodicum Hallenſium, cum fructu adhibuit; puerpera pilulas polychreſtas ſumſit; atque jam rurſus dictis contra obſtructionem pilulis uti tenetur: quibus ſi ſuperſederit, alvi obſtructio per quinque, vel ſex inhæret dies, tumque cum magno dolore, cruoriſque profuſione reſeratur.

*Epicriſis cum conſilio.*

Quemadmodum potus frigidus, calenti corpori ingeſtus, generatim noxioſiſſimus eſt, & ampliſſimum pandit ægrotandi campum: ita præſertim ineluctabile damnum excitat, ſi ſub fluxu criticarum ſanguinis excretionum, veluti menſtrua ſunt ac hæmorrhoides, improvide capiatur. Inde enim dictæ excretiones ſubito pervertuntur, totaque vitalis œconomia adeo labefactatur, ut vix reparari queant inducta vitia. Clariſſimum hujus rei documentum præbet obſervatio præmiſſa. Docemur ex illa, quod, ſicuti menſtruus fluor, ſi juſto tempore, ordine, ac quantitate ſuccedat, certiſſimum ſit ſanitatis conſervandæ præſidium; ita è contrario inordinatus ejus ſucceſſus, fœcundiſſimum exhibeat fomitem, multarum, graviorumque ægritudinum. Hæc vero menſtruorum anomalia variis fit modis; vel enim per aliquot menſes retinentur; vel parciora feruntur; vel interdum magno impetu, magnaque quantitate, intermixtis cruoris coagulati fruſtis, aut plane maſſulis carneis, ſub hæmorrhagiæ uterinæ nomine funduntur; vel quovis altero, aut tertio demum menſe, nimis parca profluunt, atque per binas, treſve hebdomades inhærent; vel denique loco ſinceri ſanguinis, mox ater nigricanſque cruor, mox ſerum ſanguine tinctum promanant, hiſque ſæpenumero albus ſuccedit fluor.

Cauſſa harum evacuationum irregularium proxima, in turbato ac inæquali humorum per vaſculoſam uteri ſubſtantiam circuitu, tantum non ſemper collocari meretur. Ipſe vero humorum progreſſus variis vitiatur modis: mox enim in fluidis, mox in ſolidis vitium hæret partibus. Fluida, ſi juſto ſint ſpiſſiora, aut nimia mole peccant, per minima uteri vaſcula promte progredi nequeunt; hinc in iis ſtagnant, ea diſtendunt, tandemque aucta nimium mole non raro vi perrumpunt, atque ſic hæmorrhagias uterinas, fruſta cruoris coagulati ſecum ducentes, conſtituunt. Solidis debetur vitium, ſi fibroſa, vaſculoſaque uteri ſubſtantia nimis relaxata, & à tono, roboreque naturali dejecta fuerit: tum enim cruor per arterias vehementius ac copioſius advectus, non vegete ſatis per venas labefactatas refluit, ideo in utero ſubſiſtit, accumulatur, vaſa diſtendit, & pari tandem ratione, ruptis vaſis profluit, enormi non raro quantitate.

Inter cauſſas vero, quæ ad deſtruendum uteri tonum non minus, ac ſuccorum vitalium progreſſum perturbandum contribuunt, remotiores, principem fere locum occupant, vehemens terror, nimia corporis refrigeratio, & ſumtus, calente corpore, frigidus potus: nec diſſimilem effectum obſervavi à vomitoriis, ſub ipſis menſtruis propinatis, atque horum nimii profluvii improvida ope adſtringentium cohibitione. Horum enim omnium ea eſt vis, ut fibras, atque vaſa uteri vehementer conſtringendo, non ſolum ſanguinis debitam prohibeant excretionem, verum eundem potius ad ſuperiora repellant; qui majori copia ventriculum, inteſtina, parteſque in capite perinde ac pectore ſitas occupat, diſtendit, inque iis varia graviaque machinatur ſymptomata.

His ita diductis, facillimum erit, cunctarum moleſtiarum, quæ fœminam generoſam hactenus exercuerunt, rationem ac originem ſuppeditare. Neque tamen minus varia in præſenti caſu occurrunt momenta, quibus peculiaris debetur conſideratio. Hæc inter primum eſt, quod thermæ Carolinæ, quarum alias virtus in hiſce adfectibus eſt præſtantiſſima, minus felicem in noſtra ediderint opem. Ratio non in aquarum illarum vitio, ſed ſingulari partium ſolidarum in ægrota conſtitutione collocanda videtur. Namque probe tenendum eſt, hypochondriacos, ac hyſtericas, in quibus motus partium ſolidarum ſpaſmodici ſunt exacerbati, non prius uti debere hiſce thermis, quam donec hi violenti motus paulliſper conquieverint. Non minus crebra compertum habeo experientia, quod, ſi vel brevi ante, vel inter ipſam horum fontium potationem, ægri gravioribus animi commotionibus indulſerint, aquæ intra corpus ſubſtiterint, adpetituſque proſtrationem, præcordiorum anxietatem, vomitus, ac nauſeas progeneraverint.

Contra vero attentionem meretur, quod acidulæ Egranæ, uti cunctis ſymptomatibus, ita maxime doloribus capitis, & fœdæ faciei effloreſcentiæ, majores tulerint ſuppetias. Nec obſcura eſt ratio; ſiquidem acidulæ potentiorem poſſident vim, ſordes excrementitias, quæ primas vias obſident, per inferiora è corpore proſcribendi, quam quidem thermæ. Namque hæ ob nativum, quo pollent, calorem, cruditatum ſubtiliores partes ſecum ad maſſam ſanguineam abripiunt; & ob hancce cauſſam, in corporibus impuris, quorum primæ regiones non ſatis fuerunt repurgatæ, non raro purpuracea producere deprehenduntur exanthemata, ſponte rurſus diſparentia. Eadem eſt ratio, cur quidam podagricorum vel arthriticorum ex acidularum longe melius, quam thermarum uſu habeant; & ex his dolorum ſuorum exacerbationem ſentiant. Quamobrem in commendandis aquis mineralibus, prudenti individuorum conſideratione opus eſt.

Porro notandum eſt, omnes ſpaſmodicas adfectiones, circa inſtans menſium tempus exacerbari: hi enim nunquam, ſine prævia ſpaſmodica generis nervoſi fibroſique contractione prorumpunt; quamobrem in hyſtericis fœminis, eorum excretionem plerumque dolor dorſi, gravativus artuum ſenſus, conſtrictio anxia præcordiorum, alvi obſtructio, pedumque frigus antecedere obſervantur. Conſtans non minus eſt regula; quod quo major pedum refrigeratio in hiſce morbis eſt præſto, eo vehementior partium externarum ſpaſmodica ſupponi debeat conſtrictio; qua humores eo copioſius ad ſuperiora compelluntur, & graviora inducuntur ſymptomata.

Hinc

Hinc reſultat præſtātiſſium monitum practicum, quod omnes medicinam facientes probe ſibi commendatum habeant; ut nimirum in omnibus & chronicis, & acutis paſſionibus, maxime earum paroxyſmis ad pedes reſpiciant, qualis eorum ſit tranſpiratio, num frigidi ſint, anne vaſa illorum evanuerint. Inde enim ſolidius ſæpe, ac certius, de motuum vigore tam in ſolidis, quam fluidis partibus judicium ſuppeditari poterit, quam quidem ex pulſu arteriarum. Neque minus id probe ſciendum eſt, quod pedibus, nimium gelidis exiſtentibus, nec pediluvia, nec venæ ſectiones debeant inſtitui, niſi ſpaſmorum vehementiam exacerbare velimus. Utrumque enim horum remediorum, licet quam plurimum ad æqualem ſanguinis circuitum contribuat; attamen, quod perpetuæ regulæ inſtar eſſe poteſt, nunquam, niſi ſpaſmis partium inferiorum paullo remittentibus, in uſum vocare decet.

Adhuc notatu dignum eſt, quod ægra in ſiniſtro latere circa os pubis atque coxendicis ſentiat dolorem preſſorium, ac veluti quoddam obſtaculum, quod decubitum ac obambulationem paullo moleſtiorem reddat. Meo quidem arbitrio vel uteri quædam excreſcentia, vel plane tumor ovarii ſiniſtri ſcirrhoſus ſubeſt: quæ vitia ſicut ſæpenumero, teſtante cadaverum ſectione, dictarum ſenſationum cauſſæ exiſtunt; ita quoque ægritudinem fore longiorem, curatuque difficiliorem prænunciant. Denique meminiſſe juvabit alvinæ obſtructionis, quæ fœminam generoſam per ſex nonnunquam dies adfligit, tumque cum magnis doloribus, largaque cruoris profuſione ſolvitur. Ex hoc momento colligere licet, non modo motum inteſtinorum periſtalticum ob vehementiores ſpaſmos inverſum eſſe, atque labefactatum; verum etiam cruorem hinc inde in inteſtinis ſtagnare. Id enim frequentiſſimum deprehenditur, quod ſanguis per uterum ægre progrediens, ad vicinas partes, maxime inteſtinum rectum copioſius ruat, vaſa hæmorrhoidalia infarciat, & ex his, ſub durioribus ad alvum egerendam conatibus ruptis, cum ſtercoribus profluat.

Sed jam progredior ad curationem perquam ſpinoſi hujus affectus; quæ, cum malum ſit inveteratum, motus irregulares ſolidarum æque ac fluidarum partium in habitum quaſi degeneraverint, & uteri ſubſtantia forſan ſcirrhoſa videatur, profecto erit difficillima. Neque tamen in adeo vegeta prorſus deſperandum puto ætate; ſed omnes intendendi nervi, ut ſaltem majora arceantur pericula. Et ut ab ovo exordiar, & primum rectam vivendi rationem qua in debellandis hiſce morbis non quicquam eſt fructuoſius, præſcribam: ante omnia etiam atque etiam hortor, ut generoſa mulier à cunctis animi pathematibus, excandeſcentia, terrore, mœroreque ſedulo ſibi caveat; contra animum jucundis conſortiis, gratiſque objectis erigat, corporiſque exercitationi probe ſtudeat. Hanc vectione, atque inſtitutis animi relaxandi cauſſa itineribus, vel obambulatione, ad levem uſque ſudationem continuata obtinere licebit; ea cautione, ut nec brevi poſt epulas moveatur corpus, ne turbetur ciborum digeſtio; nec ſtatim à motu cibi capiantur; quare opportuniſſimum ei tempus eſt antimeridianum.

Deinceps uti totum corpus, ita præſertim pedes in perpetuo calore conſervare oportet: quo nomine non modo pediluvia tepidiora, ex aqua fluviatili, ſaponeque veneto parata, & veſperi uſurpanda; verum etiam balnea commendo, ex aqua pariter fluviatili, furfuribus triticeis, herba artemiſiæ, ſalviæ, majoranæ, floribus chamæmeli, & malvæ conficienda. His nimirum mane, vel etiam hora pomeridiana quinta, abſoluta digeſtione, per unam circiter horam inſidendum, & ſorbillato ſubinde potu calidiori, leniter ſudandum.

Ex cibis fugiantur, neceſſe eſt, panificia, ſimilaginea, poma, lacticinia, acida, flatulenta, maximeque cœna ſit parcior. Pro potu convenientiſſimum erit ſequens decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, chinæ ana uncias duas, caſſiæ caryophyllatæ unciam dimidiam, cremoris tartari drachmas duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum una cum dimidia uncia in binis aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes decoquatur. Quibuſdam quoque inſigniter confert cereviſia tenuior, quæ per urinam promte redditur, veluti eſt dilutior Martisburgenſis; quo denique ſcopo egregium pollicentur fructum, acidulæ Wildungenſes, aut Selteranæ, vino Neccarino permixtæ.

Inter pharmaca commendo Elixir meum viſcerale balſamicum, quod acrimoniam temperat, alvum leniter ducit, ac digeſtivam vim roborat, atque ad ſexaginta guttulas vel hora quinta pomeridiana, vel veſperi circa ſomni tempus aſſumi poteſt. Mane ſorbillandum ſuadeo infuſum theiforme, quod ſic ſe habet: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, veronicæ ana manipulum unum, florum hyperici, chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii ana pugillos quatuor, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmam unam. M. C. D. Ad temperandum calorem internum veſperi capienda eſt interdum pulveris antiſpaſmodici nitroſi doſis; & pro mitigandis pubis ac dorſi doloribus, dolenti loco adplicare expediet emplaſtrum, cujus hæc ſit formula: Recipe gummi galbani, bdellii, myrrhæ, ammoniaci ana unciam dimidiam, ſpermatis ceti, axungiæ humanæ ana drachmas ſex, florum ſulphuris, croci, camphoræ ana drachmam unam. M. F. emplaſtrum.

---

## CASUS CXVI.

### *De immodico menſium fluxu cum frequenti abortu, & molarum, ſanguiniſque concreti excretione.*

FOEmina quædam generoſa, octo & triginta annorum, per aliquot annos, crebros paſſa fuit abortus; ſub quibus non modo immenſam ſemper cruoris profudit quantitatem, verum etiam abhinc variis, quæ ab inordinatis menſibus originem trahunt, moleſtiis, iiſque potiſſimum arthriticis laboravit. Noviſſime gravida mox anxietates præcordiorum, mox vomitus, mox dolores arthriticos, mox inordinatum menſium fluxum experta, ſed ab iis ope convenientium medicinarum ſemper liberata, feliciter tandem filiolam peperit. Poſthæc menſtrua per aliquot menſes retenta; ex improviſo largo proruperunt flumine, ſecumque duxerunt fruſta congrumati ſanguinis. Mitigatus tandem fluor inſignem virium jacturam, nauſeamque moleſtiſſimam reliquit. Menſe Februario annis abhinc duobus, circa ordinarium tempus, denuo immodicus promanavit cruor, fero fœtidiſſimo permixtus: abhinc vero per integrum biennium ſtato tempore, ac debito ordine comparuit, niſi quod ſemper juſto largior fuerit. Præſenti autem anno immoderatum rurſus eſſe cœpit profluvium, vomitibus, animique deliquiis ſtipatum. Tantum non ſemper concreti ſanguinis fruſta ſimul excernebantur; quibus aliquando immixta conſpiciebatur moles carnea, membranis circumdata, aſpera, intus celluloſa; qua excreta, ſanguinis profluvium ægram, viribus, adpetituque defectam deſerebat.

Interim ex tam inconſtanti hactenus valetudine, juſtiſſima movetur ſuſpicio, ne vel gravis menſtruorum retentio, vel nimius fluor, vel adhuc majus periculum inſequantur. Adhibitis huc uſque roborantibus, temperantibus, confortantibus ac martialibus; jamjam, cum ſileant cuncta ſymptomata, à pharmacis otium eſt, nec niſi corporis, animique tranquillitati; præter rectum victus regimen ſtudetur. Id vero abs Te, Vir Experientiſſime, adhuc flagitamus, ut proponas eam medendi rationem, qua ægrotam à futuris præſervare queamus malis.

*Conſilium.*

Ex communicatis mecum litteris, non minus, quam ipſa generoſæ mulieris, cui coram inſervire mihi licuit, relatione, intellexi; illam inordinato menſtruorum ſucceſſu adfligi; dum hæc mox per aliquot menſes cohibentur, mox vero majori impetu, & quantitate profuſiori, cum coagulati ſanguinis fruſtis, & polypoſis concretionibus, quas molas vocant, prorumpunt. Præprimis vero attentionem meretur moles illa carnea, quæ haud ita pridem aſpera, tunicis incluſa, intuſque celluloſa, utero fuit excluſa, veramque conſtituit molam. Cuncta hæc ſymptomata debentur abortui, quem ægram decem abhinc annis paſſam fuiſſe memini. Hunc enim tum temporis larga comitabatur uteri hæmorrhagia; & quum ſubinde nec uterus à ſordibus rite repurgatus, nec congruus victus obſervatus fuit; factum eſſe recordor, ut abhinc quinquies, quovis tertio menſe abortiverit.

Eo tempore conſultus ego, malum ſequenti curatione, non ſine feliciſſimo oppugnabam ſucceſſu: Per primum triduum, quotidie veſperi quindecim pilularum mearum balſamicarum, mane vero ſal aperitivum propinabam, quod cremorem tartari, lapides cancrorum, tartarum vitriolatum, ſal Epſomenſe, nitrumque depuratum habebat. Tum juſſi, ut fœmina generoſa per quinque dies balneis ex aqua fluviatili, alumine, cineribus clavellatis, mentha, meliſſa, ſalvia, floribuſque chamæmeli paratis inſideret, & ab his leniter ſudaret. Hanc medendi rationem alternatim ter repetendam ſuaſi; atque ſub ea ut concubitum vitaret, ciboſque acidos, refrigerantes, poma fugeret, ſedulo commendavi.

Hinc, quum utero concepiſſet, & moles humorum naturali major videretur; alternis menſibus ſanguinem ex vena in brachio tuſa detrahendum curavi. Sic, adjuvante numine, factum eſt, ut abortire deſineret, immodica ſanguinis profluvia remitterent, & ipſa juſto tempore fœtum eniteretur feliciſſime. Quamobrem, cum jamjam eadem mala recrudeſcere, ægramque generoſam, non modo abortus iterum, verum etiam menſium partim ſuppreſſionem, partim immodicam fluxionem, cum concretionum polypoſarum rejectione ſtipatam, fuiſſe paſſam percepi: eo meum tendit conſilium, ut eadem, quæ olim inſtituta fuit curatio, in uſum revocetur. Eandem vero ſingulo vere pariter ac autumno repetendam, ſimulque ter quotannis præter rectam vivendi obſervationem, celebrandam eſſe venæ ſectionem, hanc ob cauſſam hortor, ut robur uteri, ejuſque vaſorum, quod dejectum videtur, denuo reſtauretur; atque ſic humorum æqualis per uterum circuitus reſtituatur, molarumque concretiones præpediantur. Juncta enim ſymptomata, cardialgiæ, dolores dorſi, & artuum, vomitiones &c. partim à copioſa ſanguinis profuſione, partim ejus irregulari per uterum curſu, & hinc pendente ſtagnatione, natales ſuos mutuantur: & ſublatis per commendatam medicationem hiſce cauſſis, ſponte ceſſabunt.

Denique operæ erit pretium, ut generoſa mulier mane utatur infuſo theiformi, quod ex meliſſa, ſcolopendria, ſalvia, betonica, floribus hyperici, comis millefolii & aniſo ſtellato paratur: non minus eædem ſpecies, cum cereviſia fermentatæ, potum præbebunt, pro ordinario commode uſurpandum. Quibus præſidiis, ſi rectum regimen, & curioſa ab animi commotionibus abſtinentia acceſſerint; non dubito, quin exoptatiſſimo futura ſint emolumento.

---

## CASUS CXVII.

*De frequenti abortu cum continua ciborum per vomitum rejectione.*

FOEmina annorum circiter triginta, temperamenti pituitoſi, mediocriter pinguis, cum decimum ſeptimum ætatis annum ageret, viro nupta fuit, peperitque in tempore fœtum, primo vivum; deinde paſſa fuit abortum trium menſium; tum ſucceſſive tres aut quatuor vivos fœtus in lucem edidit, quorum quemvis, trium, aut ad ſummum quatuor menſium abortus ſubſequutus eſt. Hos abortus ſemper excepit admodum moleſta per octiduum uteri hæmorrhagia, qua ceſſante fluor albus continuus inhærebat, & in hunc uſque diem ægram diſcruciat. Quum autem fœtum vivum, quintum numero, vel ſextum utero gereret; octavo imprægnationis menſe, grave ac immodicum uterini ſanguinis profluvium, per integrum continuans nycthemeron incidit; eoque, elapſis decem diebus, rurſus correpta eſt, cum nauſea atque vomitu, nullo huc uſque remedio ſublato, ſed per annos in hunc uſque diem perſiſtente, & in dies ingraveſcente, adeo, ut non modo cibos, hoſque magis ſolidos, quam liquidos, verum etiam jejuna pituitam inſipidam, albicantem quotidie rejiciat, quam & per nares continuo expurgat: appetit tamen cibos, & eleganti cæterum forma, florido in facie, albicante in reliquo corpore colore prædita.

Hocce in anno bis ſucceſſive abortivit, unumque duorum, alterum trium menſium enixa eſt fœtum; conqueritur de dolore tenſivo in dorſo, circa inferiores thoracis vertebras, & orificium ſtomachi ſuperius, ut & de dolore lumborum, femorumque gravativo; menſes etiam parce & cum dolore pallidi, ſed juſto tempore fluxerunt ſemper; cæterum ipſa ſana eſt, hilaris ac obeſa.

Applicita fuerunt medicamina, pituitam craſſam incidentia, attenuantia, blande expurgantia, viſcera, ac præprimis ſtomachum, & uterum calefacientia, ſiccantia, roborantia, flatus diſcutientia, jam in forma pilulari, jam in tincturis, jam in pulveribus, jam in vinis medicatis; & hæc omnia in caſſum, ita ut tandem in uſum thermarum inciderimus. Nunc tuum, Vir doctiſſime, accuratiorem thermarum notitiam habentis, an & quales ipſi conducere judices? conſilium petimus, aut ſi alia tibi ſint ad manus ſpecifica, ea communicare non dedigneris, etiam atque etiam rogamus.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Poſtquam præmiſſam hanc morbi hiſtoriam cum ægrotantis natura, exquiſitiori & curatiori ſubjeci penſitationi; ea ſum edoctus, duplici ægram urgeri morbo, abortus nempe frequentia, & continua ciborum per vomitum rejectione: quod utrumque malum ſicuti ſatis grave eſt, & diuturnum, ita utique longe exactiorem meretur diſquiſitionem, quo eo certius

certius de tutiſſima, & quam maxime accommodata medendi ratione conſtet.

Eſt autem uterque affectus noſtro quidem judicio, ſpaſmodico-convulſivus, qui intra nervorum, & nervearum præſertim, quæ ſpinalem medullam inveſtiunt, membranarum ſyſtema ſubſiſtens, in ſtomacho maxime & utero vim ſuam hoſtilem exercet. Quum enim abortus nunquam ſine ſpaſmodico-convulſiva uteri agitatione, ac compreſſione contingere poſſit: omnis vero convulſio, ex male affectis nervis, vel potius membranis nervoſis, ad partes ſive ex cerebro, ſive medulla ſpinali pertingentibus ſubnaſcatur: hinc omnia quæ nervoſas partes vehementer exagitant, cujus generis ſunt graves animi commotiones, fortiora purgantia, emetica, & quæ acri ſtimulo agunt medicamenta, abortum faciliime concitant: cui malo etiam fœminæ, ſenſibilioris indolis, & animi, nec non, quæ pronæ ſunt in terrorem, iram, & hyſterico-ſpaſtica pathemata, frequentius ob eandem rationem obſervantur obnoxiæ. Præterea inter cauſas, quas dicunt materiales; nihil magis naturam, ſive potius genus nervoſum, ad abortivas uteri convulſiones armare & incitare valet, quam ſanguinis intra anguſtiora uterina vaſa ſtagnatio, & quaſi incarceratio, quæ ſolemnis valde poſt puerperium fœminis eſt: quum à partu, imo ipſa impægnatione, uteri tonus, ob factam nimiam diſtentionem quoad vaſa & fibras, mirum in modum immutatur, relaxatur, & læditur. Proinde ſi uterus tempore puerperii, & poſt illud, à lochiis, & ſordibus impuris, feroſis, ac ſanguineis ſtagnantibus, balſamicis & laxantibus non rite expurgatur, priſtinumque ac debitum ipſi redditur robur, tam prava, accedente inprimis in vitæ regimine vitio, diſpoſitione imbuitur, ut ſanguinis & humorum valde impeditus præſtetur circuitus, variæque morboſæ inde propullulent adflictiones, inordinatus nempe, decolor, & ſuppreſſus menſium fluxus, copioſi humorum ad debilem hanc partem decubitus, qui cauſſam albo, quo fœminæ ſubinde vexantur, fluori præbent: quid? quod inde evenire ſolet, ut plane ineptus fiat ad retinendum conceptum, ſed frequens, tertio plerumque menſe, contingat abortio. Quando enim uterus naturalem ſuum poſt partum recipit tonum, ſanguis tertio præſertim ab ingravidatione menſe, nimis accumulatus in vaſis & fibris admodum relaxatis congeſtus hæret; & venas ibi exiſtentes varicoſas reddit, ita ut ſubinde in ejus cavitate inſignes grumi, & maſſæ quaſi polypoſæ concreſcant, quæ progreſſivum motum impedientes, non modo alimentum, debitumque nutrimentum fœtui ſubtrahunt; ſed & effrænes hæmorrhagias uterinas, quæ ſemper abortus comitantur, vel ſubſequuntur, cauſſam & occaſionem ſubminiſtrant. Denique ſicuti conſtanti edocemur experientia, omnes nervorum affectus, ſi frequentius occurrant, in conſuetudinem, & habitum quaſi degenerare; ita eadem planum facit, atque teſtatum, idem ſolemne eſſe in abortui obnoxiis: difficulter nimirum tolli diſpoſitionem ad abortivas ejuſmodi excluſiones, ſi repetitis jam vicibus malum infeſtaverit.

Quum itaque ex allata hiſtorica morbi delineatione conſtet, ægram ſpongioſi corporis habitus, copioſis, ſed exilibus vaſis inſtructam, ſubpinguem, floridioris faciei, agilis atque hilaris indolis eſſe, animoque ſenſibiliori imbutam: nullum ſane dubium eſt, quin ad affectus ſpaſmodico convulſivos, cujus generis ſunt abortus, & vomitus, diſpoſita valde ſit, & proclivis; idque eo magis, ſi tempore puerperii ſiniſtram medicationem fuerit experta; vel ipſa etiam diætæ vitium admiſerit. Sub ejuſmodi enim laxiori partium conſtitutione, vaſorumque copia & anguſtia, nunquam non difficulter progreditur ſanguinis iter; cui ſi accedit exquiſita ſubjecti ſenſibilitas, nihil frequentius accidit, quam ut a ſanguinis, & humorum ſtagnatione ſpaſticæ & convulſivæ paſſiones exoriantur.

Vomitus, quo cum ægra quotidie fere conflictatur, identidem convulſionum ſpeciebus accenſendus eſt, utpote quo nervoſo-membranaceus ventriculi fundus gravius adfligitur. Quemadmodum enim nauſeabunda ejuſmodi vomitio familiariſſime contingit in gravidis, tertio præſertim menſe, ob ſanguinis ab utero ad ſtomachum recurſum: ita crebrius idem obſervavimus à nimiis hæmorrhagiis, comprobante id ipſum noſtra etiam ægrotante. Perfacile nimirum diſponi ventriculum ad vomibundas ejuſmodi rejectiones, hanc maxime ob rationem videtur, quod loco ſanguinis impuri ſæpius, ſalſi & feroſi humores ad hujus viſceris membranas ferantur. Neque mirandum eſt, vomitum hunc, per plurium annorum decurſum in dies ingraveſcentem infeſtaſſe; quum, uti ſuperius demonſtratum fuit, vitia nervorum, quæ in motuum anomalia conſiſtunt, faciliime in conſuetudinem & habitum abeant; præterea etiam tenſivus ille in dorſo circa interiores thoracis vertebras, & ſuperius ſtomachi orificium; nec non lumborum, femorumque gravativus ſemper adfixerit dolor, manifeſto utique, ac indubio indicio eſt, nervos ex ſpinali medulla per hæc loca ad partes, maximeque ventriculum, & uterum prodeuntes, vehementiori ſpaſmo affectos, cum hiſce etiam viſceribus, motuum communicare vitium.

Evoluta ſic vera morboſorum, quibus ægra detinetur, affectuum origine, ſede, cauſſa ac generatione, nihil ſupereſt, quam ut de tuta, promta, jucunda, ac facili curandi ratione indaganda ſimus ſoliciti, idque eo magis, quo celeriorem mali contumacia poſtulat opem. Quemadmodum autem ex ſuperius memoratis dilucide patefcit, univerſum ægrotantis genus nervorum admodum eſſe debilitatum; ita in perſanatione id maximopere erit agendum, ut illud quovis modo roboretur, quo ſpaſticæ illæ, & convulſivæ nervoſarum partium tractiones conquieſcant. Proinde præprimis diſpiciendum, quo uterus priſtinum ſuum robur, debitumque tonum recipiat, adeoque liberiori ſanguinis per hujus vaſa circuitu (quem menſes debito tempore, menſura & modo prodeuntes indicabunt) reddito, omnis ulterior abortio præcaveatur, & prævertatur. Dein ventriculi etiam debilitati, ejuſque motu periſtaltico inverſo ſubveniendum eſſe reor, quo reſtitutis his & perſanatis, ingeſta non modo retineantur, ſed in bonos & naturæ blandos ſuccos convertantur.

Hunc itaque in finem commendamus ex aqua dulci balneum, incoctis eidem herbis: Origano, calamintha, balſamina, mentha cattaria, meliſſa, floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ; in quod ægra, duabus vel tribus ante prandium horis, ad pectus uſque deſcendat, inque eo per horæ ſpatium permaneat, cavendo, ne ſuperior corporis pars ſudore perfundatur. Hoc autem balneum, quod mirifice nervoſum ſpaſmo conſtrictum genus, relaxante ſolatur virtute, fibraſque tenſas emolliendo, ſanguinis motum, ab interioribus ad exteriora convertit, & omnis generis excretiones promovet, per aliquot hebdomadum ſpatium, iſto, quo nullum ægra fœtum gerit, tempore, hunc in modum eſt adhibendum: Ante illius uſum pilulas noſtras balſamicas, quibus magna ineſt vis, blande laxans, roborans, ac inprimis uteri vias à ſordibus repurgans, per tres dies matutino vel veſpertino tempore, quatuordecim numero aſſumat. Dein ſeptem diebus admittat bal-

balneum, iiſque exactis iterum in uſum vocet per triduum pilulas; tum modo ſuperius memorato poſt pilulas denique balneum adhibeat. Egreſſa ex illo petat lectum, quo corpus æqualiter incaleſcat, epotis ad promovendum hunc ſcopum aliquot infuſi theiformis vaſculis, parati ex herba ſalviæ, meliſſæ, veronicæ, betonicæ, ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ vulgaris, & aniſo ſtellato.

Perinde etiam conſultum erit, ut alterno huic balnei & pilularum uſui, interponantur remedia ſtomachica, nec poſſum non, quin hunc in finem quam maxime collaudem liquorem noſtrum, anodyno-mineralem, eſſentia caſtorei, vel etiam corticum aurantiorum recentium remixtum; ſi nempe cum infuſo ante commendato guttis viginti, vel triginta poſt balneum, vel etiam mox ante prandium aut cœnam, eadem quantitate, cum aqua ceraſorum nigrorum uſurpetur.

Quum vero in debellandis chronicis ejuſmodi affectibus optima vivendi, ſolicitaque victus ratio plus valeat, ingenti medicaminum copia & farragine; hinc ſerio inculcamus, ut perquam ſtudioſe evitentur omnes inordinatæ animi, ex ira, vel mœſtitia, & dolore factæ commotiones; frigus pedibus inprimis admiſſum, potus ſpirituoſi, minus defæcati, cibi acidi, inflantes, lacticinia, fructus horæi, & omne placentarum genus; uno verbo: omnia, quæ viribus imbecillitatem inferunt, quæ ſtomachum lædunt, quæ nervis inimica ſunt, quæ cruditates prima in regione augent, & ſanguinem plus juſto in vaſis accumulant. Deinde non nimium ſomno, atque quieti eſt indulgendum; ſed corpus moderate potius movendum, ſique commode fieri poteſt, annua peregrinatione agitandum; quippe quæ cœli, aërisque mutatio, affectibus ſpaſmodicis, ex humorum ſtagnatione provenientibus, eximie confert.

Præterea ſedulo alvi habenda eſt ratio, quoniam, quo magis hæc conſtricta eſt, & compreſſa, eo magis ciborum per ſuperiora ingraveſcit rejectio. Quod ſi itaque non rite reſpondeat, clyſtere domeſtico ſubducatur. Potui ordinario commodiſſime inſerviet, decoctum radicis ſcorzoneræ & ſarſaparillæ, cum ſemine & radice fœniculi factum.

Circa venæ ſectionis uſum hæc monemus: ſi parcior, magiſque imminutus fuerit menſtruus fluor, ſanguinis unciæ quatuor vel quinque ex pedis vena educantur; cavendo, ne poſt venam ſectam corpus à frigore lædatur, & ventriculus cruditatibus imbuatur. Perinde etiam ad præcavendum abortum, neceſſaria & perquam tuta erit ventilatoria ſanguinis in brachio, ad uncias circiter quatuor vel quinque, ſecundo ab imprægnatione menſe, inſtituta miſſio, & confidenter admodum quarto vel quinto menſe repetita.

Denique ſi continua urſerit vomitio, nec internis obtemperare velit remediis, externa in uſum vocanda, adhibendo ſtomachale, hunc in modum paratum: Recipe emplaſtri de cruſta panis uncias duas, balſami Peruviani, olei nuciſtæ, maſtychis ana drachmas duas, olei deſtillati menthæ, abſynthii ana drachmam unam; M. F. emplaſtrum, calide adplicandum.

Quamvis vero certiſſima, firmiſſimaque ſpe fruamur, fore ut, quando commendata à nobis auxilia & ſuppeditata conſilia cum cura fuerunt adhibita, ægra conquieſcentibus omnibus, quibus uſque eo affecta fuit malis, exoptatam recuperet ſanitatem; non tamen poſſumus non, quin ſi forte hæc curandi methodus non arriſerit, vel etiam non exacte reſponderit, thermarum Carolinarum tam externum, quam internum uſum magnopere commendemus, quippe quæ mirandam ſane divina favente gratia, in morbidis talis modi mulierum adflictionibus, ſubinde ex conſilio noſtro opem præſtiterunt.

---

## CASUS CXVIII.

*De gravi valetudine ex crebro partu, abortu, & animi commotione.*

Matrona generoſa, duorum ultra quadraginta annorum, cholerico-melancholici temperamenti, alacris indolis, & vivaciſſimi ingenii, noviſſime vero ad iracundiam facillima, tanto ſanguinis adſpectum averſatur horrore, ut vel ſola venæ ſectionis relatio, illam in gravem animi defectionem rapere valeat; nec ideo unquam perſuaderi potuerit, ut ſanguinem mittendum permiſerit. Nihilo tamen minus, ſub regulari menſtruorum ſucceſſu, præter crebros capitis dolores, virgo nullis unquam preſſa eſt calamitatibus. Et in hoc florentiſſimo ſtatu, magis animi laxandi cauſſa, adiit aliquando cum amicis, id ſuadentibus, fontes Pyrmontanos; eoſque ſub minus convenienti regimine, juſto copioſiores potavit. Reverſa male cœpit habere; ingentique corporis languore, gravativo pedum dolore, variiſque, utut levioribus ſe fatigare ſenſit moleſtiis.

Ab his vindicata, viro matura nupſit; inque eo conjugio, ſingulis annis puerpera, duodecim infantes vivos, felici facilique partu enixa eſt, ac quatuor abortivos fœtus, haud ſine vitæ diſpendio excluſit. Neque ullum puerperium abſque morboſis ſymptomatibus, mox febribus lentis, mox præternaturali æſtu, faucium ariditate, ſomnoque turbulento, mox horrendis capitis, temporum, ac cervicis doloribus, cum tinnitu, ſuſurruque aurium, collapſu virium, ac ſenſu pedum gravativo ſtipatis, tranſegit; quæ ſenſim mitigata, accedente nova imprægnatione conquieſcebant, atque hanc, ſi ciborum faſtidia, crebraſque exceperis vomitiones, à moleſtiis gravioribus relinquebant immunem. At vero duodecim abhinc annis, cum ſextum in lucem edidiſſet infantem, tranſacto fere puerperio, à gravi animi per mœrorem facta commotione, adverſam, tamque gravem incidit valetudinem, quæ ad hanc uſque diem ipſam tantum non ſemper lecto affixam tenet, hiſque potiſſimum diſcruciat ſymptomatibus.

Per intervalla, hiſce quidem noviſſimis annis rariora, atrociſſimi odontalgici, & hemicranici vexant dolores, aliquot hebdomadibus non interrupta ferme perſeverantes ſerie, & à corporis refrigeratione novum acquirentes pabulum. Mox ſola capitis tormenta, odontalgicis cruciatibus vacua, ſed pulſatili in capite ſenſatione, pulſu citatiori, ſomnoque turbulento ſtipata adfligunt; quibus ceſſantibus, continuus tamen urget corporis languor, atque cum præternaturali ſæpius complicatur æſtu. Moleſtæ non minus ſunt catarrhales pectoris æque ac capitis defluxiones, cum copioſa muci, non raro à capite, ad aſperam arteriam delapſi rejectione. Interdum dorſi dolores accedunt, ægra in lecto decumbente leviores, eadem vero ſellæ inſidente, immaniſſimi, non raro inteſtinorum torminibus, ani teneſmo, tantiſque tormentis, ad pubis os incumbentibus conjuncti, ut parturiendi conatibus ſint ſimiles. Præterea contuſoriæ artuum ſenſationes, quotidie ſunt moleſtæ; & plerumque frictione per lintea calida mitigari poſſunt; ſed quando febrilis accedit paroxyſmus, crudeliſſima tormenta, nullis demulcenda ſubſidiis inferunt.

Nauſea, vomendi conatus, ipſique vomitus pituitæ tenaciſſimæ, corrupta bile permixtæ miſeram non modo gravidam, ſed extra imprægnationis tempus quoque

quoque exercent. Menſtrua plerumque anticipant, largiſſima ſunt, cruoremque muco viſcido imbutum fundunt, & moleſta humorum ebullitione ſtipantur; albus autem fluor rarius incidit. Cuncta ſymptomata poſt leviſſimum corporis motum inſigniter exacerbantur. Somnus ſæpenumero turbatur, & accedente ſubita cordis palpitatione interrumpitur, aut variis terriculamentis plenus eſt, neque unquam reficit. Mœrorem, aliumque quemvis animi affectum excipit æſtus, & inflativa ſub coſtis ſpuriis moleſtia. Alvus nunquam ſponte ſui reminiſcitur officii, nec niſi vel Stahlianis pilulis, vel ſuppoſitoriis, vel clyſmatibus, multam mucaginem ſecum ducentibus ſollicitata reſpondet. Urina mingitur mox ſanæ ſimillima, mox tenuis ac aquoſa, mox multo muco infarcta. Sub paroxyſmi remiſſione fruitur ciborum aliquali adpetentia; ſed cavet à cibis fumo induratis, aceto maceratis, ſaleque ac aromatibus conditis: neque vero ad ſudores nimium proclivis eſt, niſi quod poſt frictiones corporis iis corripiatur; & omnes haſce paſſiones, magna mentis conſtantia perferre valet.

Multorum medicorum ope uſa eſt, nec pauca adhibuit remedia, ſed in caſſum: elapſo abhinc quadriennio incidit acutam febrim, quam cuncta medicamina reſpuentem, cortice chinæ ſumto debellavit. Paullo poſt tertiana febre laboravit, & hac convenienti methodo profligata, à reliquis ſymptomatibus egregium percepit levamen. Per noviſſimum vero biennium ab omni fere remediorum uſu feriata; non niſi decoctum avenæ, cum radice cichorei, lapideque prunellæ maritatum, ter quotannis loco curæ, non ſine levamine potare ſuevit, & jamjam utero gerit.

## *Conſilium.*

Tranſmiſſæ litteræ, quibus adverſam generoſæ mulieris valetudinem accurate deſcriptam legi, me docuerunt, ægram, natura teneram, valdeque ſenſibilem, crebris puerperiis, abortibus, animique commotionibus valde debilitatam, & nervoſarum partium ſyſtema ita eſſe diſpoſitum, ut continuis ſpaſmis, motuumque anomaliis exagitetur. Exinde vero non promptius ullum in ſanitatem redundat damnum, quam ut ſalutares excretiones, maxime quæ per alvum fiunt, perturbentur, digeſtionis, chylificationis, & ſanguificationis negotium labefactetur, & humores generentur impuri, ſalinis, ſcorbuticiſque ſordibus referti. Et quum ob mali diuturnitatem, in fluidis pariter ac ſolidis partibus hæreat vitium; non ſane mirum, ſi nullæ medicinæ fecerint operæ pretium, nec ideo perfectam reconvaleſcentiam tuto polliceri licet.

Interim, ne ægram plane deſeramus, non præſtantius in hiſce caſibus commendare poſſum remedium, quam lac aſininum, aut hoc deficiente, caprinum, æquali pondere cum acidulis Selteranis maritatum, & per aliquot hebdomades curæ loco potandum. Nimirum ſumtis primum mannæ tribus unciis, drachmæ dimidiæ cremoris tartari nuptis, & in juſculo quodam ſolutis, lactis dicti cum acidulis mixti & tepefacti ſingulo mane menſura una hauriatur; eique potationi & interponatur, & ſubjungatur laudati laxantis uſus. Non minus pro potu ordinario capiantur eædem Selteranæ aquæ, cum tertia vini generoſi parte remixtæ.

Abſoluta hac curatione, in ſopiendis ſpaſmodicis generis nervoſi conſtrictionibus, inſignem præſtabit operam pulvis ſequens, ad drachmam dimidiam ter quotidie ſumendus: Recipe matris perlarum, lapidum cancrorum, pulveris Marchionis ana drachmam unam, nitri depurati, ſuccini præparati ana drachmam ſemis, cinnabaris nativæ grana duodecim, extracti croci grana duo. M. F. pulvis. Sub epulis ex ultimo hauſtu adhibere juvabit triginta guttas Elixirii balſamici, quod ita habet: Recipe eſſentiæ gentianæ rubræ, corticum aurantiorum recentium, tincturæ tartari ana unciam unam, olei de cedro guttas duodecim. M. D. Et denique mane potandum ſuadeo infuſum theiforme ex millefolio, ſemineque fœniculi confectum; & ut à corporis refrigeratione, cibis incongruis, ac animi adfectibus ſtudioſe caveat, etiam atque etiam hortor.

---

## CASUS CXIX.

### *De regimine gravidæ ad partum feliciter obtinendum.*

Mulier lectiſſima, & perquam generoſa, cum dimidium geſtationis tempus ſuperavit, venam in dextro brachio tundendam præbuit, detractis ex illa octo cruoris unciis. Sanguis erat ſpiſſus, & aterrimus, & poſt aliquot momentorum quietem, in ſuperficie oſtendit cuticulam ſpiſſam, flavamque, ſub qua cernebatur cruoris coagulum, ſero tantum non deſtitutum. Elapſo horæ dimidio, in animi deliquia incidebat, poſt aliquoties vomebat, & inde ſatis bene habebat. Interim admirationem movit, fœminam adeo juvenculam, quæ noviſſima abhinc æſtate, Egranis pariter ac Selteranis acidulis, tumque pro potu ordinario, decocto quodam in vicem cerevſiæ uſa fuit, exactam obſervavit diætam, corporis exercitationi ſtuduit, ac rectiſſime valuit, tam ſpiſſum nigrumque fovere ſanguinem: cujus forſan ratio in præſenti hyemali, eaque aſpera tempeſtate collocari videtur. Quum præterea accedat, quod illa binis, quibus jam perfuncta eſt, puerperiis, primum debiliorem, haudque diu ſuperſtitem, alterum plane mortuum excluſerit fœtum, & ante utrumque partum aurigine contaminata fuerit; veretur utique, ne ſimiles forte moleſtiæ imminentem comitentur partum. Quare flagitat tuum, Vir Experientiſſime, conſilium; quo nimirum ab omnibus, quibus forſan obnoxia eſſe queat, ſymptomatibus poſſit præcaveri.

## *Conſultatio.*

Puerperiorum, quibus hactenus perfuncta eſt generoſa ægrotans, minus proſper ſucceſſus, quo ſcilicet brevi ante illa ictero infeſtata, & poſt fœtus primum debiliorem, brevi tempore extinctum, alterum prorſus mortuum enixa fuit, meo quidem judicio, dum ipſe fœminam lectiſſimam pronuper inſpexi, ejuſque pulſum, vaſa, & corporis conſtitutionem exploravi, non niſi à nimia ſanguinis & humorum, qua turget, mole dependet; præſertim cum vitium hæreditarium ſubeſſe videatur, & ejus matrem non minus à plethora male habuiſſe perceperim. Quamobrem conſultus nuper ſuaſeram, ut durante graviditate ter ad minimum, nimirum tertio primum, tum ſexto geſtationis menſe, & binis ante partum hebdomadibus, ex vena pro corporis ratione mox in brachio, mox pede ſecanda, octo circiter cruoris detrahantur unciæ. Commendaveram porro, ut loco craſſæ cereviſiæ, cui ſuevit, non niſi aquam cum citri corticibus, & ligno ſaſſafras decoctam potaret, cœna uteretur parciori, & alvi proſpiceret negotio, idque commodiſſime per paſtulas rhabarbarinas. Has ita parandas docui: Recipe rhabarbari pulveriſati unciam unam, infunde cum aquæ deſtillatæ v. g. veronicæ unciis ſex, ſolve ad lenem ignem, ſolutioni adde paſtularum minorum libram ſemis, ſacchari candi uncias binas, co-

que ad ſpiſſiorem conſiſtentiam: cujus maſſæ cochlear unum, vel duo mane aut brevi ante prandium ſumantur.

Atque hæc eſt methodus, qua hac quoque vice ægrotæ ſuccurrendum, & imminentia mala præcavenda eſſe reor. Cæterum duo adhuc in morbi hiſtoria occurrunt momenta, quæ merentur attentionem; primum eſt, quod noſtra poſt venæ ſectionem nuperrime inſtitutam, animo defecerit, ac aliquoties vomuerit; alterum, quod cruorem profuderit atrum ac ſpiſſum, cuticula tenaciſſima inveſtitum; quæ adſtantes, cum ægra recto vivendi genere, corporis exercitatione, & potu fontium Egranorum fuit uſa, in admirationem rapuerunt.

Verum quod attinet animi deliquia; hæc in gravidis ſæpenumero eveniunt, ſi vena ipſis ſedentibus tunditur, & ex apertura juſto majori, omnis cruoris copia uno impetu detrahitur, unde fit, ut ſufficiens cruoris in cor influxus ſubito imminuatur, illudque moveri ad aliquot temporis momenta deſinat. Quare ego in hiſce caſibus, ubi vena in brachio inciditur, aperturam bis terve pollice comprimendo, ſimultaneam ſanguinis effuſionem interrumpere, & , ut iis, quæ ad animi deſectiones proclives ſunt, lecto decumbentibus, potius è pede ſanguis mittatur, commendare conſuevi. Spiſſitudo vero & craſſities humorum indicat eorundem abundantiam, qua, ſi forſan parcior acceſſerit potus, ob tardiorem circuitum ſanguis fit aterrimus ac tenaciſſimus. Et hæc momenta penitus meam confirmant ſententiam, quod ſcilicet tempore graviditatis ter inſtituenda ſit venæ ſectio. Præterea vero operæ fore pretium duco, ut generoſa mulier veſperi nonnunquam capiat pulverem, qui ex lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis, nitro, arcano duplicato, vel ſale abſynthii conficitur; & mane ſorbeat infuſum theiforme, quod ex herba veronicæ, liquiritia, ſemineque fœniculi paratur. Et hæc ſunt, quæ proponenda duxi, quæ ſi curatius obſerventur, non dubito, quin feliciſſimum ſequuturum ſit puerperium.

---

## CASUS CXX.

*De conjugio ſterili, cum conſilio & reſponſo ad quæſtionem: an ſpes ſit prolis.*

SUnt duo conjuges, qui in conjugio ſine prole vivunt. Quod uxorem attinet, ea eſt quadraginta annos nata, temperamenti melancholici, corporis habitioris, ac conſtitutionis valde ſenſibilis, tenerrimæque, adeo ut à leviſſima corporis fatigatione, aut ſaltem frigore, inſigniter afficiatur, nec æſtate calidiſſima ſatis foveri queat. Quarto ætatis anno incidit in variolas & copioſiſſimas, & valde malignas, ac ab iis retinuit auditus difficultatem, hemicraniam, & memoriæ quandam imbecillitatem, hiſque præſertim, ſi catarrhalibus defluxionibus, quibus obnoxia ſæpius eſt, tentatur, graviter adficitur. Menſtruorum fluxum, quindecim annos nata, primum experta eſt, per aliquot annos ſatis facile, copioſe ac regulariter ſuccedentem, tumque valde ſana vixit, & corpus egregium cepit incrementum. At vigeſimo ætatis anno, ad præcavendam nimiam obeſitatem, infuſum herbæ Theæ, idque frigidum large potavit, eo effectu, ut corpus ſubinde contabeſceret, ac forſan hectica conſumtum fuiſſet, niſi à frigido hoc potu abſtinuerit. Acceſſit tum temporis ingens ac diuturnus mœror, quem ex ſponſalibus conſenſu parentum publice contractis, & à ſponſo contra datam fidem ſolutis, percepit: unde paſſionibus hypochondriaco-hyſtericis infeſtari cœpit. Horum potiſſimæ fuerunt menſium inordinatus ac dolorificus fluor, tormina inteſtinorum, alvi obſtructio, & crebræ vomitiones, nec non albus fluor, proximo poſt menſtrua octiduo durans. Novem abhinc annis, ſubiit conjugii leges, & ſub eo doloribus arthriticis graviter agitata fuit, qui tranſacto jam biennio, & quod excurrit, cum febrili commotione ſtipati, adeo invaleſcebant, ut nulla corporis pars eſſet, quæ non diriſſimis torqueretur doloribus. His ope remediorum interne pariter ac externe exhibitorum feliciter expugnatis, menſtrui tamen fluxus vitia, & hinc ſuborta ſymptomata, continua inhæſerunt; nec ab ullis remediis, pediluviis, imi ventris fomentationibus, venæ ſectionibus mox in brachio, mox pede inſtitutis, aliiſque prorſus debellari potuerunt.

Elapſo biennio, præmiſſa in brachio venæ ſectione, menſe Junio potavit acidulas Pyrmontanas, & balnea adhibuit; cum magno levamine; ſiquidem horrenda fuit pituitæ mucique quantitas, quam ipſa, è balneis egreſſa, forſan ex utero ac glandulis uterinis profluentem, aquis reliquerat. Reverſa domum non modo mente hilarior, verum etiam à morboſis corporis ſymptomatibus immunis fuit, menſtruis rite fluentibus: ſed vix bini elapſi erant menſes, cum primum inordinatus eſſe cœperit uterinus fluor, tum dolores arthritici, licet mitiores, per intervalla recrudeſcerent, & denique dolorifica rurſus evaderent menſtrua, cumque atroci hemicrania ſtipata. Quare commendabatur, ut ſequentibus annis iterum potaret eaſdem acidulas; ſed quum negotia domeſtica haud permitterent, ut iter Pyrmontum faceret, iis anno penultimo, ac deinceps noviſſimo ſubſtituebatur uſus aquarum Sedlicenſium, quarum tres lagenas quavis vice hauriebat. Levamen, quod inde ſequebatur, momentaneum tantummodo erat; & ſic ad hanc uſque diem his potiſſimum exercetur ſymptomatibus.

Circa menſium tempus percipitur ſenſatio ponderis cujuſdam, in imo ventre utero præprimis incumbentis; quæ non niſi ceſſante fluxu evaneſcit: non minus à cute faciei, quæ plerumque ſicca, aſpera, pauco rubore permixta cernitur, ſub uterino fluore ſecedunt ſquamulæ ſubtiliores, inſtar earum, quibus piſces teguntur; quæ majori copia delabuntur, ſi faciem aqua nivis, cum floribus liliorum alborum deſtillata, & ſpiritu vini camphorato permixta abluerit. Ipſe cruor, qui per uterum fertur, ſatis quidem copioſus, ſed coloris ex atro rubentis, & fœtidiſſimi odoris eſt, nec niſi per biduum promanat; tertio die fluor albus ſuccedit; & quarto quintoque cruentus iterum adparet, tumque rurſus per aliquot dies albus ſequitur, & hunc ceſſantem excipiunt dolores artuum arthritici, mox mitiores, moxque, accedente præſertim corporis refrigeratione, acerbiores. Non minus ægrota per plures jam annos ſenſit inflativam uteri moleſtiam; quid? quod ſæpius ipſi flatus ex muliebribus explodantur.

Cæterum mox dejecto, mox avidiori fruitur adpetitu; ſed digeſtio eſt vitiata, ſpiritusque male olet: potu cereviſiæ utitur parciſſimo; mane vero, cum quadam urgetur ſiti, infuſum herbæ Theæ larga ſorbet quantitate. Interdum, & forſan ob tardiorem humorum abundantium circulationem, languor atque torpor totum corpus occupat; nocturno tempore ipſi, maxime pedibus, manibuſque, ardens inhæreſcit ſenſatio; pulſus fertur plenus ac tardus; & urina mingitur naturali ſimilis. Decocti fabarum Coffée amantiſſima eſt, idque ſemel quotidie, ſæpe bis, cum egregio ſymptomatum alleviamento bibit: ſed vinoſis potibus, à quibus optime habet, parciſſime utitur. Olim quoque nimium indulſit

dulſit pomis, lacticiniis, acetariis, aliiſque acidis cibis; at poſtquam per aliquot annos ab eorum uſu prorſus abſtinuit; mucus, qui ſub albo fluore promanat, & quantitate parcior, & magis benignior eſſe videtur. Præterea ſomno fruitur, juſto diuturniori, atque vitæ ſedentariæ, ſolitudini, profundis ſpeculationibus, curis, mœroribuſque nimium dedita obſervatur. Verum jucundum quidem, ſed ſterile eſt conjugium: neque uxor ex concubitu, licet ille à marito promte peragatur atque ſtrenue, ullum capit delectamentum, atque fruſtra anhelat prolem.

Ut autem mariti quoque conſtitutionem explicemus; eſt ille annorum triginta ſeptem, temperamenti cholerico-ſanguinei, ſanguine plenus. Superatis ſecundo ætatis anno benignis variolis, ſeptimoque febre petechiali, decimo quarto ex nimio pomorum uſu contraxit ſibimet febrem intermittentem quotidianam; & ex hac in tertianam duplicem continuam, valdeque acutam incidit, qua per ſeptemdecim hebdomades diſcruciatus, nocturnā urinæ incontinentiam retinuit; non prius ceſſantem, quam donec priſtinas poſt longum demum tempus recuperaſſet vires. Vitam ingreſſus academicam, ob nimias meditationes ac lucubrationes hypochondriacis pathematibus infeſtatus, copioſum ſæpe ex naribus fundere ſuevit cruorem: quæ hæmorrhagiæ partim humorum abundantiæ, partim viſcerum obſtructioni, & hinc ſubortæ ſanguinis acrimoniæ ſcorbuticæ, ac ebullitioni adſcribebantur. Verum miſſo ex vena in pede tuſa ſanguine, datiſque remediis ſalia humorum ſcorbutica diluentibus, & corrigentibus, leniterque aperitivis, ex decoctis vegetabilium, ac pulveribus ex antimonio martiali cachectico Ludovici, lapidibus cancrorum ac nitro concinnatis, & accedente conjugio, hæ ceſſarunt hæmorrhagiæ.

Octo circiter abhinc annis, publico præfectus muneri, ingentemque Collegarum invidiam paſſus, excandeſcentiæ nimis indulgere cœpit; cui cum interdum exceſſus in vinoſis potibus accederet, per binos annos, circa vernale pariter ac autumnale æquinoctium, cruorem è pectore ſuevit ſpuere & inſuper ſymptomatibus hypochondriacis, nominatim aſthmaticis præcordiorum conſtrictionibus vexatus fuit. At uſurpatis poſt paroxyſmos hæmoptyicos, congruis reſolventibus atque conſolidantibus; & inſtituta ſubinde ad illos præcavendos convenienti in pede venæ ſectione, adhibitiſque tandem aperientibus, martialibus, abſorbentibus, nitroſis, ſpeciatim magneſia alba, conjuncto exactiori victus uſu; non modo cruentum ſputum prorſus conquievit, verum nec ab hypochondriaco malo per ſex noviſſimos annos ullas percepit moleſtias. Non minus hoc tempore ab aliis morborum generibus fere vacavit; niſi quod ante quinquennium colica nephritica, eaque breviſſima, & proinde ſub hyemali tempeſtate catarrhalibus mox capitis adfectionibus, cum atrociſſimis illius doloribus, mox pectoris defluxionibus, raucedine vel tuſſi moleſtis, & elapſo biennio, febre catarrhali conjunctis, fuerit vexatus.

Circa præſentis anni auſpicia redire videbantur paſſiones hypochondriacæ, ſed mox evaneſcebant denuo; atque jam, ſub animi perpetua alacritate, ſatis integra fruitur ſanitate. Urinam mingit naturali ſimillimam; pulſus pro temperamenti ratione, celerior fertur, & vehementior; ſomnuſque eſt brevior: frigus externum non tantam infert moleſtiam, quam quidem nimius ſolis ardor; à mentis laboribus ac meditationibus non fatigatur, niſi forſan illis ſtatim ab epulis nimium indulſerit: tum enim motum ventriculi ac inteſtinorum debiliorem ſentit, alvi urgetur ſegnitie, & obſtructione, crebriſque ructibus, valde acidis vexatur. Sed ab hiſce adflictionibus, ſumto vini Hiſpanici, ſimila permixti, hauſtu; (ex Rhenano enim pejus habet) aut hoc minus ſufficiente, adhibito pulvere abſorbente, cum arcano duplicato maritato, aut magneſia alba, protinus levatur. Sub prandio utitur cereviſia, hyeme pinguiori, æſtate tenuiori, ejuſque binas ferme adſumit menſuras; quam non minus pomeridiano ac veſpertino tempore, quantitate moderata potare ſuevit, cum præclaro fructu. Cœna eſt parciſſima, inque ea non niſi juſculis veſcitur; quæ & mane loco infuſi herbæ Theæ, ſorbillare ſolet. Cæterum cavet à cibis nimium nutritivis; ne ab iis ſanguis, ac ſemen, nimis augeantur.

Statura præditus eſt graciliori, corporeque ſtrictiori, neque tamen à venæ ſectionibus, quas olim, dum hæmoptyſi vexaretur, crebras ac copioſas inſtituere debuit, unquam debilitatem ſenſit; nec à veneris frequentiori exercitio, virium jacturam patitur. Sub concubitu ſemen juſto citius, ac inopinato ejaculatur; quem ſi per duas treſve hebdomades haud exercuerit, ſemen inter nocturna ludibria elabitur, cum egregio corporis allevamento. Quod ſi vero pollutiones iſtæ nocturnæ, ob hauſtum pridie liberalius vinum, ſuboriantur, virium imbecillitatem ſecum ducunt.

Junior adhuc, ex quovis formoſæ puellæ aſpectu, aut fortiori corporis motu, inſigniores paſſus eſt colis erectiones, cum inſequuta, poſt leviſſimam penis contrectationem, valida ſeminis ejaculatione. Neque vero ante matrimonium, quod octo abhinc annis ſubiit, ullam cum ſequiori ſexu conſuetudinem habuit. Diætam obſervat ſtrictiſſimam, & immodicum vini potum cane pejus & angue fugit: huic enim ſi præter conſuetudinem indulſerit, præter languorem, ardoremque totius corporis, maxime dorſi dolorem, mox emacreſcit; ſed largius ſumta per aliquot dies gelatina cornu cervi, priſtinum recuperat corporis habitum. Noviſſime Selteranos fontes vino Rhenano addere cœpit, ſicque hoc ſine moleſtia uti poteſt: ſed ab uſu ſpiritus vini, atque herbæ Nicotianæ, tam in fumo, quam pulvere ſternutatorio prorſus abſtinet. Non minus ob frequentes pollutiones, atque præmaturam ſeminis in concubitu ejaculationem, cuncta ſtudioſe fugit aromata, aliaque calidiora, & acriora edulia; ac potius inter cibos lactuca, apio, petroſelino, thymo, majorana, ſalvia, ac ſatureja &c. veſcitur.

Præterea ultra ſeptemdecim jam excurrerunt anni, cum æger à violentiori corporis inter ambulandum motitatione, concurrente forſan temperatura calidiori, ac inſigni ſalacitate, varicoſam teſticuli ſiniſtri ſibimet contraxit herniam: quam tum temporis Chirurgus quidam peritiſſimus, pro epiplocele habitam, ſimul inteſtinalem herniam metuens, unguentis atque hunc in finem aptatis ſubligaculis, ſed fruſtra oppugnavit. Poſthæc vero luculenter adparuit, herniam hanc eſſe varicoſam, ſive cirſocelem; quæ num ad ſterile conjugium, ſymbolam quoque ſuam conferat, in dubio relinquitur. Interim hæc eadem ſterilitas movit hoſce conjuges, ut ejus medelam, ſi forte fuerit poſſibilis, quærant.

Quo quidem loco in mentem revoco, quæ in LANGII *diſſertatione de ſterilitate*, ipſius *operibus theoretico practicis Part.* 3. inſerta, §. 27. de conjugum inæqualitate relata legi: *Sterilis*, enim inquit, *redditur concubitus, ſi ætatis, virium & conſtitutionis ratione impares omnino ſint conjuges: mas enim ubi alacris ad hunc conflictum fuerit, fœmina autem non tam facile in œſtrum venereum rapiatur; extra dubium jam omnia ex parte viri ſunt peracta, antequam, quæ in fœminis requirebantur ad impragnationem, debito modo adornentur.* Quæ momenta, in conju-

conjugum noſtrorum corporibus omnino obvia, ſi mecum reputavero; ſimulque præmaturam ſeminis à marito ejaculationem perpendero; non ſane miror, quod nulla adhuc conceptio locum invenerit.

His vero vitiis obviam iturus æger; humores temperandi, ac partes ſolidas roborandi fine varia adhibuit medicamina: quæ inter fuerunt abſorbentia, nitro, tartaro vitriolato, & antimonio martiali Ludovici nupta; gelatina cornu cervi; magneſia alba; & currentis anni menſe Junio, ad roborandum tonum fibrarum, quæ veſiculas ſeminales, atque vaſa ſeminalia conſtituunt, acidulas Pyrmontanas per quindecim menſes potavit; neque vero exinde ullum ratione pollutionum nocturnarum ſenſit levamen. Illæ autem magis per urinam, quam alvum virtutem ſuam exſeruerunt; nec lacte caprino, uti quidem primum intendebat vir doctiſſimus, permixtæ fuerunt, ne illud cum abundante primarum viarum acido coagularetur. Præterea ante aliquot annos, una cum uxore, aquis Sedlicenſibus, haud ſine fructu uſus eſt: quæ vero, cum ipſi nimium ſubduxerunt ventrem, ejus conſtitutioni minus accommodatæ videntur. Verum de his omnibus, anne potius hiſce conjugibus fontes Selterani, cum lacte caprino maritati conveniant, aut quæ alia in uſum ſint vocanda, ac denique num ſpes prolis reſtet? tuum, Vir Experientiſſime, flagitatur judicium.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de binorum conjugum valetudine, ac reliqua corporis conſtitutione ample ſatis ac eleganter deſcripta cognovi, judicatu facillimum eſt, utrumque conjugum à teneris infirma corporis ſtructura potitum, & ad varios morbos valde proclivem eſſe. Neque igitur mirum, quod in conjugio ſine prole vivant: hoc enim, ut fœcundum ſit, requirit, ac veluti ſupponit, ut in utraque parte non modo recta ſit valetudo, verum etiam partes generationi dicatæ omni labe, atque vitio careant: quæ utraque requiſita à noſtris conjugibus longiſſime abſunt. Etenim primum valde debile natura nacti ſunt nervorum genus: cujus conſideratio in perſanandis morbis chronicis, multum profecto lucis fœneratur; ſiquidem natura debiliores difficilius curantur, quam robuſtiores.

Ejuſmodi vero debilitas cognoſcitur partim, ut vocant, à priori, ex ipſa partium ſolidarum fabrica, partim ab effectibus, & conſueto loquendi more, à poſteriori, ſi ex leviſſimis cauſſis in morboſos motus conjiciuntur. Primum quod attinet momentum, eo fere ſpectat diſquiſitio, quibus æger parentibus natus ſit: nam fortes creantur fortibus, debiles debilibus, valetudinarii valetudinariis. Quando nimirum parentes vel nimium juniores, vel ætate provectiores, vel etiam infirma præditi valetudine procrearunt ſobolem, hæc per totam vitam deprehenditur valde debilis. Deinceps ſignificat debilitatem ea corporis fabrica, qua illud carne molli ac ſpongioſa, vaſis exilioribus, nervis tendinibuſque tenuioribus, dentibus paucis ac vacillantibus, atque oculis minus vivaci ſplendore inſtructis præditum conſpicitur. Namque ſi ſolidæ partes ſic ſe habeant; certo non ſolum concluditur, verum quoque obſervatione confirmatur; eas convenienti robore, humorum circuitum facilitandi, atque hinc ſalutares ſe & excretiones rite adjuvandi, eſſe deſtitutas. Hinc facillima eſt cauſſarum extra corpus poſitarum, ſæpe leviſſimarum in ejuſmodi corporis partes actio: quin & animus facilius afficitur, cujus indolem corporis conſtitutioni apprime reſpondere, multiplici compertum habemus experientia. Unde porro ratio patet, quare infirma ejuſmodi corpora, ex levi quodam victus errore, in præternaturales, ac ſatis graves ſæpius incidant commotiones.

Iiſdem etiam corporibus proprium quaſi, ac familiare obſervamus, ut in juventute copioſum è naribus fundere ſoleant cruorem, eaque excretione minus rite ſuccedente, varias capitis adfectiones patiantur; tum, accedentibus vita ſedentaria, profundiſque meditationibus, ſpaſmis, flatulentiis, aliiſque hypochondriacis paſſionibus infeſtentur; atque ex fortiori quadam humorum, vel per potus vinoſos, vel excandeſcentiam facta exagitatione, in cruentum è pulmonibus ſputum, quod ſæpius tabi pulmonali viam ſternit, incidant. Neque vero hæc ſola ſunt, quibus ſubjici ſolent, incommoda; ſed ob languentem vim digeſtivam, chylus generatur minus laudabilis, lympha elaboratur minus generoſa, atque nervorum fluidum, à quo legitimo vegetus muſculorum dependet motus, minus ſpirituoſum præparatur. Tali ratione tota humorum maſſa, à blanda ac naturali craſi recedit; & propter impuritatem, & acrimoniam, quam fovet, cauſſam præbet doloribus arthriticis, rheumatiſmis, hemicraniis, efflorefcentiis ſcorbuticis, adfectionibus catarrhalibus, tuſſi, coryza, atque febrilibus commotionibus; quæ, quo inconſtantior tempeſtas fuerit, eo certiores incidunt.

Hæc ita diducta, ſi ad ſubjecta, de quibus nobis ſermo eſt, adplicemus; facile cognoſcemus, cur illa debito quoque in generationis negotio deſtituantur vigore. Verum ipſa partium genitalium conſtitutio, quæ in noſtris conjugibus ad obtinendam prolem minus recte comparatæ videntur, aliquam adhuc meretur attentionem. In marito quidem multa ſunt, quæ id teſtantur, momenta. Namque pollutiones nocturnæ, à longis jam annis ipſi moleſtæ, ſeminiſque præmatura, & à leviori idea provocata ejaculatio, luculento ſunt documento, veſiculas ſeminales, aut potius ductus atque canales illos membranaceo-nervoſos, qui ſemen vehunt, inſigniter relaxatos, atque adeo debilitatos eſſe, ut vel à nimia ſeminis abundantia, vel illius quadam acrimonia, ad juſto celeriorem contractionem, ſpermatiſque emiſſionem, facile proritari poſſint. Accedit præterea varicoſa, qua laborat, hernia: quum enim hæc ob cruorem à teſtibus per venas ſpermaticas, quarum perpendicularis, & à principio valde remotus eſt ſitus, difficilius regredientem, atque hinc in dictis partibus ſtagnantem ſuboriri ſolet: facillime fit, ut ſtagnans ſanguis ſeroſam dimittat portionem; quæ permixta ſemini, quod ad obtinendum fœcundum concubitum, coctum, atque maturum eſſe debet, illud reddit iners, nimis tenue; & ad generationis negotium prorſus ineptum.

Uxorem, quod attinet; in ea quoque uterus ad debitam conceptionem neutiquam videtur opportunus. Quod ſi enim conſideravero, eam à multis jam annis, inordinato menſium ſucceſſu, & albo fluore laboraſſe, nonque ſolum cruorem atrum, ſpiſſum, fœtidumque, verum etiam ſub balneis Pyrmontanis inſignem muci quantitatem, ex utero, ejuſque glandulis profudiſſe; neque minus flatus è muliebribus interdum prorumpere, eamque ante menſtruorum perruptionem; grave in abdomine pondus ſentire ſueviſſe: nihil inde aliud conjicere poſſum, quam uterum à tono ac robore ſuo naturali dejectum, & ſanguinis per ejus vaſa circuitum eſſe inæqualem; ideoque ad fœcundum con-

concubitum minus idoneum ; maxime cum hujus nullam utique ſentiat cupiditatem.

Quæ cum ita ſint, explicanda jam erit curatio. At quantis hæc in tollendis vitiis, quæ uti totum corpus, nervoſarumque partium ſyſtema, ita ſpeciatim partes generationi dicatas, jam diu occuparunt, ſit circumſepta difficultatibus: experientia ſatis docet illos, qui in frequenti artis verſantur exercitio. Nihilo tamen minus non omnis, in procurando fœcundo conjugio, ſpes eſt ſemper abjicienda: ſiquidem non pauca mihi occurrerunt exempla, ubi in ejuſmodi caſibus, ætatis mutatio, recte inſtitutum vivendi genus, atque præſertim conveniens aquarum mineralium, maxime quæ leniter tonicam, ac roborantem virtutem poſſident, veluti martiatæ Bebraenſes, ac Lauchſtadienſes ſunt, uſus, votis egregie ſatisfecerunt; atque generandi vigorem reſtaurarunt.

Quod ſi igitur noſtrum præſertim conſideravero caſum; commendarem primum utrique conjugum pro potu ordinario, acidulas Selteranas, vino Rhenano nuptas; iiſque moderatum, ſed quotidie repetitum corporis exercitium, marito quidem per ambulationem magis, quam vectionem ac equitationem inſtituendum injungerem. Deinceps ambobus profutura cenſerem remedia ex ſuccino parata, ſive fuerit ſuccinum præparatum, cum ſale tartari, cancrorumque lapidibus mixtum, ſive illius eſſentia, non nimium ſpirituoſa, i. e. cum ſpiritu vini parum rectificato, & lixivio ſalis tartari confecta: neque minus inſignem præſtabit utilitatem infuſum theiforme ex herba menthæ, pulegii, meliſſæ, ac citri corticibus compoſitum, loco decocti Theæ pariter ac fabarum Coffée ſorbillandum: quibus denique venæ ſectiones, bis quotannis circa ſingula æquinoctia inſtitutæ, jungantur neceſſe eſt.

Speciatim uxori perquam opportunæ erunt pilulæ balſamicæ, ad Becheri, Stahlii, vel meam mentem compoſitæ, quarum quatuordecim per aliquot ſucceſſive dies circa menſtruorum tempus ſumendæ ſunt. Ex topicis vero vehementer laudo balſamum meum vitæ, à marito regioni pubis, atque perinæi inungendum; uxor autem, ut ad roborandum uterum, ipſi imponat epithema, ex vino rubro Gallico, mentha, caryophyllis, chamomilla Romana, ac roremarino coctum, auctor ſum ſuaſorque. Atque hæc commendata remedia, ſi rite fuerint adhibita; non dubito, fore, ut niſi naturale obſit impedimentum, fœcundum inſequatur conjugium.

*Relatio ulterior.*

Ulterius ſignificaturus, quomodo conjuges noſtri poſt adhibitam, quam propoſuit vir Illuſtris, medendi rationem habuerint: præmonenda duxi quædam momenta, ſcitu perquam neceſſaria. Uxoris, de qua ſermo eſt, parentes ambo vix octodecim annos nati fuerunt, cum matrimonii ſubierunt leges; pater robuſtus, corpulentus, ſanguineo-cholericus, alacris, laborioſus, cæterumque ſanus, anno ætatis, demum ſexageſimo octavo, ictero nigro, ex imprudenter repulſo in regione hepatis eryſipelate inducto, peremtus fuit: mater autem, tenerioris conſtitutionis, atque mediocris ſtaturæ matrona, decem collectim fœtus, & ex his noſtram mulierem, octo ultra viginti annos nata excluſit. Mariti pater triginta tres annos egreſſus, nupſit virgini viginti quatuor annorum: quæ binis poſt initum matrimonium annis, vigeſimo ſexto ætatis peperit virum, de quo nobis ſermo eſt; atque tres adhuc filias, hectica peremtas febri; ipſa vero, ſuperato trigeſimo tertio ætatis anno, rectiſſime ſemper valens, febre petechiali maligna occubuit. Pater, licet tenerioris ac ſenſibilioris fuerit conſtitutionis, & olim juvenis intra duodecim annos febre acuta bilioſa, ter recidente laboraverit, perque octodecim circiter annos hypochondriacis, nephriticis, ſcorbuticis, arthriticiſque diſcrucietur pathematibus; attamen ſeptuagenario major, ſatiſque robuſtus adhuc vivit.

Præterea uterque conjugum horum ſine prole viventium, corpore pollent admodum debili; & à levi vel diætæ errore, vel animi commotione, in adverſam conjiciuntur valetudinem. Interim caro corporis non nimium laxa, nec tendines valde imbecilles, nec imminutus oculorum ſplendor, conſpiciuntur; nec dentes in iis vacillant. Verum uxor vaſis exilioribus inſtructa, à leni corporis motu admodum fatigatur; ſed mas, capacioribus præditus venis, à nullis corporis laboribus, licet diuturnis, virium ſentit jacturam; cum è contrario à nimiis meditationibus male habeat.

His præmiſſis, ſciendum jam eſt, accepto Tuo conſilio, tuiſſe ipſiſſe & mari & fœminæ venam, ejuſque inciſionem circa ſingula iterari æquinoctia. Adhibuerunt porro non modo eſſentiam ſuccini non nimis ſpirituoſam, cum ſpiritu vini parum rectificato, & lixivio ſalis tartari paratam; verum etiam pulverem, qui habebat ſuccini præparati uncias duas, lapidum cancrorum unciam unam cum dimidia, ſaliſque tartari unciam dimidiam, cujus drachmam dimidiam pro doſi ſumſerunt. Mas ſubinde perinæi regioni balſamum vitæ inunxit; fœmina præter pilulas balſamicas, circa menſium tempus devoratas, abdomini impoſuit epithema; quod ex herbæ menthæ, roriſmarini, florum chamomillæ Romanæ ana manipulis quatuor, caryophyllorum aromaticorum uncia una, contuſis, vino rubro incoctis, ſacculoque incluſis erat compoſitum: ac denique ambo, commendatum infuſum ſorbillarunt.

Neque vero fructu caruerunt hæc medicamina: ſiquidem ſub eorum uſu, maritus tantum perſenſit ventriculi ac digeſtionis robur, ut jam cibos coctu difficiliores, veluti ſunt carnes fumo induratæ, cochleæ, olera &c. quos tamen raro capit, abſque ulla, aut vix notabili perferre queat moleſtia. Nocturnæ pollutiones obſervantur etiam rariores, vix quavis tertia vel quarta hebdomade recurrentes, & ventriculo cibis crudioribus onerato, plerumque incidentes. Nec per aliquot menſes celebravit cum conjuge ſua amantiſſima, conſuetos antea coitus; & cum illos menſe hujus anni Februario, rurſus exercuerit; ſemen non amplius præmature, ſed convenienti tempore, & utriuſque ſumma delectatione, ſtrenue profudit. Tum quoque per totum hyemem, nullis catarrhalibus ſollicitatus fuit adfectionibus. Unicum vero, quod ipſi adhuc moleſtum deprehenditur incommodum, eſt alvi obſtructio: quam ſumtis vel pilulis balſamicis, vel ſale Anglicano, lapidibus cancrorum nupto, feliciter oppugnat. Non minus, ad confortandum penitus ventriculi, & inteſtinorum robur, uſus eſt Elixirio amaro, temperato, cumque vino Canarienſi confecto.

Conjux, uſurpatis, quæ ipſi præſcripta erant, medicaminibus, ab auditus difficultate, hemicrania, doloribus arthriticis, atque catarrhis, non niſi poſt improvidam corporis refrigerationem, ſolicitatur: adpetitu fruitur avidiori, ſed concoctione languidiori, & alvi ſegnitie vexatur. Contra vero à ſiti ac languore, mane veſperique antea adfligente, ardore manus potiſſimum pedeſque noctu urente, & furfuracea vultus defœdatione, nondum immunis eſt. Fluor albus longe imminutior fertur; menſtruus & ſine doloribus & abſque reliquis moleſtiis ſuccedit; at inordinatus

eſt, & mox anticipat, mox tardius erumpit, quin præterito anno per aliquot menſes prorſus ſiluit. Tum vero, ægra rectiſſime valente, ſpes fuit, eam fore gravidam; ſed mox diſparuit, erumpentibus ex improviſo iterum menſtruis. Hæc noviſſimis vicibus, continua, nec ut olim, fluore albo interrupta, nec ex atro rubentia, promanarunt, & interdum muco albo permixta adparuerunt. Ponderis denique in abdomine ſenſus, qui alias hunc fluxum anteceſſerat, nec non flatuum ex utero eruptio prorſus ceſſarunt.

Acidulæ Selteranæ, vino Rhenano nuptæ, non tanta quantitate hic locorum proſtant, ut in vicem cereviſiæ pro potu ordinario adhiberi potuerint; quare cum inſigni fructu ſubſtitutum fuit ſequens decoctum: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, paſſularum minorum ana uncias quatuor, radicis cichorei, ligni ſantali rubri ana uncias duas, ſeminis fœniculi drachmas ſex. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum binæ unciæ in quatuor aquæ menſuris decoquantur. Præterea maritus, quando vino ſolito magis indulſit, altero mane lagenam aquis Selteranis plenam, tepide, loco potus Theæ haurire ſolet, cum inſigni euphoria. Iiſdem quoque acidulis, menſe Decembri, anni proxime elapſi, poſtquam aliqualem corporis contabeſcentiam, languorem ſudoreſque matutinos percepit, tepefactis per quindecim dies uſus eſt; eo effectu, ut egregie ſuccedentibus diureſi pariter ac diaphoreſi, hæ moleſtiæ remitterent, & ipſe rurſus pingueſcere cœperit: neque minus, quando acida & acris primas regiones occupavit ſaburra, hauſtis his fontibus, egregie habet. Quod balnea attinet Lauchſtadienſia; non permittunt negotia domeſtica, ut iter ad illa inſtituatur; quare conſultum fuit viſum, ſi aſſentitus fueris Vir Doctiſſime, aquis Pyrmontanis, quæ etiam ſunt martiatæ, huc tranſportatis, per tres uti ſeptimanas. Non minus propoſita ſunt balnea, arte ex aqua dulci, floribus chamæmeli, triticique furfuribus parata, in quibus ferrum candens aliquoties fuit exſtinctum: ſed quo ordine, modo, atque tempore illa ſint adhibenda, doceri avemus. Cæterum adhuc notari meretur, virum ægrotantem, ideo, quod ejus pater hypochondriacis, nephriticis, ac arthritico-ſcorbuticis moleſtiis graviter per vices exerceatur, utique timere, ne forſan in haſce ægritudines jure hæreditario incidat; eo magis, cum noviſſime poſt iter ſub cœlo gelidiſſimo factum, dolores utriuſque, maxime ſiniſtræ manus paſſus fuit, quos pro chiragræ prænunciis habet. Neque ignorari oportet, uxorem ejus minus regulari uti victu; nec à decocti fabarum Coffée potu abſtinere poſſe.

Hæc vero ſunt, Vir Illuſtris, quæ Tuo ſubjicimus iterum judicio, etiam atque etiam rogantes, velis ulteriorem nobiſcum communicare medelam: & quum in priori Conſilio, herniæ varicoſæ ſimul imputaveris aliquo modo, quod ſemen excernatur minus ſpirituoſum; huic quoque exſtirpandæ, ut opportunum proponas auxilium, vehementer optamus.

## *Conſultatio.*

Lætus ex miſſis mihi ulterius litteris percepi, conjuges, quorum valetudinis cauſſa eram conſultus, à præſcriptis medicaminibus, inſigne vitiorum, quibus preſſi fuerunt, reportaſſe allevamentum. Quum vero meum porro judicium deſideratur; non poſſum, quin illud proponam. Atque quod primum attinet Pyrmontanos fontes; eos diſſuadere haud poſſum, ſed cum aquas graviores ac ponderoſiores foveant, vellem ut lacte vaccino permiſceantur, ea proportione, ut tres fontium partes uni lactis nubantur. Enim vero tali ratione potæ hæ acidulæ, in affectibus ſcorbuticis, arthriticis, ac ſpaſmodicis, & ubi genus nervoſum valde debilitatum fuit, inſigniorem præſtabunt fructum, quam ſi ſolæ hauriantur. Potatio hæcce ſpatio octodecim, vel unius & viginti dierum abſolvitur; & quovis ſexto die intermittitur; quo ſcilicet in balnea deſcendendum eſt. Hæc ut arte parata adhibeantur, non alienum erit; ſed conveniet, iis non modo ſub dicta aquarum potatione, verum etiam hac finita, per octiduum uti. Neque enim dubito, quin ſi corporis vitia in uxore debellentur, hæc votis ac fœcundo conjugio ſit potitura. Ex pharmacis præter jam commendata, nullis opus fore arbitror: ſed pro potu cereviſiam Gardelebienſem, conjuncto vini Hungarici moderato uſu, collaudo.

Monendum inſuper duco, inanem eſſe metum, quem æger fovet, ne ſcilicet ob hæreditariam diſpoſitionem, arthriticis aliquando, ſcorbuticis, atque nephriticis infeſtetur tormentis: quando enim rectam obſervabit victus rationem, ab iis certiſſime præſervabitur. Et denique contra herniam, quam patitur, varicoſam nihil eſt, quod commendare poſſum, niſi balnea, acidulas, ac infuſa calida, humores viſcidos incidentia, quæ ex herbis arnicæ, veronicæ, radice liquiritiæ, ſemineque fœniculi parantur. Quæ præſidia ut ſummum numen jubeat eſſe ſalutaria, ex animo precor.

SECTIO

# SECTIO QUARTA

## *DE MORBIS ARTUUM EXTERNORUM, & qui totis corporibus inhæreſcunt.*

### CASUS CXXI.

*De atrocibus & pertinacibus doloribus cum exulceratione artuum.*

OCTODECIM annorum virgo, annuo abhinc tempore, athletice ſana, ex itinere domum redux, calente corpore potum frigidum haurit, & hinc, retentis ſtatim menſtruis, horrendis dolorum tormentis per omnes corporis artus diſcruciari cœpit. Illa parum quidem remittebant, at circa horam veſpertinam quintam invaleſcebant, miſeramque cum virium proſtratione, ſomno inquieto, adpetitus defectu, ac corporis contabeſcentia ſtipata, per aliquot ſucceſſive menſes graviter fatigabant; ac brachiorum tandem contracturam inducebant. Conſulti medici ad provocandum menſium fluxum curationem dirigebant; & quidam eorum, ex arteriarum pulſu, veſperi celeriori, quam reliquo tempore, hecticam ſuſpicatus, varia contra illam offerebat medicamina. Verum fruſtraneus erat omnium effectus; quin potius exacerbatis doloribus, cruris tandem ulcus ſuccedebat. Tum alius medicorum accitus, venereum ſubeſſe contagium ratus, dedit ægræ pilulas, ex extractis, gummatibuſque ſanguinem depurantibus, ac turpetho minerali, ea proportione paratas, ut ſingula doſis unum dicti turpethi haberet granum: quas quadraginta vicibus deglutivit. Neque vero ſub hac curatione debitum obſervavit regimen, nec victum; ſed loco decocti lignorum, quod alias in hiſce præſcribere ſolent caſibus, ſuetam potavit cereviſiam, aëriſque parum curavit injurias. Hinc factum eſt, ut ſaliva, matutino præſertim tempore, copioſius proflueret, dentes vacillarent, gingivarum caro exulceraretur, quin & fœda ulcera paſſim in corpore, maxime dextro femore, pedum malleolis, ac ſiniſtro cubito efloreſcerent.

Miſſo igitur pilularum uſu, ordinabantur decocta lignorum, pulvereſque diaphoretici; & accerſitus ſubinde chirurgus fœdas ulcerationes, multis fruſtra adhibitis, tandem ope pulverum terreorum, ac emplaſtri gryſei, ad conſolidationem perduxit. At tum nova calamitatum ſcena ludi cœpit: namque frontem obſidebant nodoſi tumores, brachia horrendis doloribus, ad faciem uſque, cum hujus diſtractione pertingentibus torquebantur, & in ultimis faucibus ſordidum adparebat ulcus. Hoc injectis balſamis, ac uſurpatis gargariſmatibus perſanato, atrocia tamen dolorum tormenta pertinaciter inſiſtebant, & conſumto magis magiſque corpore, ægra moribundæ videbatur ſimillima. Vocatus medicorum tertius, medicinas ordinabat ſudoriferas, decocta nimirum & eſſentias lignorum, cum ſpiritu tartari & cornu cervi permixtas: ſed his quoque in caſſum adhibitis, chirurgus quidam propinabat pulveres, quorum ſingula doſis ſex mercurii dulcis continebat grana, & quovis mane, hauſto deſuper decocto calidiori, cum regimine ſumebatur. Sudores mitigabant paullulum cruciatus; reliqua vero perſiſtebant ſymptomata, nonque ſolum fauces cum gingivis intumeſcebant, atque deglutitionem impediebant, verum quoque totum corpus obſidebant fœda, profundaque ulcera.

Ego tandem in conſilium accerſitus, manus primum tam intricato, ac inveterato malo admovere recuſavi; donec multis fatigatus precibus, ſequentem in modum adgrederer curationem. Dedi primum pilulas, quarum hæc erat formula: Recipe extracti panchymagogi Crollii, cardui benedicti, mercurii dulcis ana drachmam unam, gummi ammoniaci depurati drachmam ſemis, pulveris croci, caſtorei ana ſcrupulum unum. M. F. pilulæ, ex ſcrupulo, numero quinque apparandæ; quas primo biduo, ſingula deglutiebat veſpera; ſorbillatis altero mane infuſi veronicæ decem vaſculis. Sequentibus quinque diebus, juſſi eam quotidie in balnea, ex aqua pluviali, furfuribus tritici, atque cineribus clavellatis parata, non niſi tepidiora deſcendere, iiſque jugulo tenus inſidere. E balneo egreſſa, ut in lectum ſe conferret, imperavi, atque menſuram dimidiam decocti calidioris, quod mox ſequetur, ſorbillaret: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias quatuor; ſcrophulariæ, chinæ, ſcorzoneræ, ligni ſaſſafras ana uncias duas, radicis pimpinellæ, vincetoxici ana unciam ſemis. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ tres, ex binis aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes, in vaſe clauſo decoquantur. Eædem ſpecies, poſt decoctionem relictæ, cum tribus aquæ menſuris infuſæ, additiſque paſſularum minorum uncia, & radicis liquiritiæ drachmis binis, per horam dimidiam decoctæ, præbebant potum ordinarium, invicem cereviſiæ adhibendum.

Hunc alternum pilularum, balneorumque uſum, bis adhuc dicta ratione iterari ſuaſi; atque, ut ſubinde externum, frigidumque vitaret aërem, à cereviſia caveret, cibis magis aſſis, quam elixis veſceretur, ac interdum decoctum avenæ, oleo amygdalarum nuptum ſorberet, præcepi. Sic remittebant ſenſim artuum dolores, ac contractura; ulcera, extrinſecus unguento digeſtivo, interdum cum balſamo vitæ remixto, purgata coaleſcebant: accedentibus copioſiori ſputationi, fauciumque intumeſcentiæ, gargariſmatibus, quæ ex ſalvia, maſtyche, radice glycyrrhizæ, paſſulis majoribus, floribuſque roſarum rubrarum, aquæ & vino rubro incoctis parata erant, ſuccurrebatur; frontiſque tumoribus emplaſtrum imponebatur, balnei tempore duntaxat remotum, quod ſic habebat: Recipe emplaſtri Vigonis cum mercurio unciam unam & ſemis, balſami ſulphuris therebinthinati drachmas duas, camphoræ, croci ana drachmam unam, M. F. l. a. emplaſtrum.

His per quatuor hebdomades rite uſurpatis factum eſt, ut conſolidatis ulceribus, ſopitiſque doloribus, adpe-

adpetitus rediret, corpus pingueſceret, & ægra priorem perfecte recuperaret ſanitatem.

*Epicriſis.*

Exhibet nobis hujus morbi deſcriptio ſymptomata acerbiſſima, quæ procul omni dubio, non tam à cauſſa interna, nimirum corruptione & impuritate humorum, ex impeditis excretionibus, & potiſſimum menſium ſuppreſſione orta; ſed potius à cauſſa externa, ſcilicet miaſmate, ex impuro coitu ſuſcepto, ſuam trahunt originem. Hoc enim non tantum graviſſimi dolores, qui perioſtium, atque artuum ligamenta obſident, & circa tempus nocturnum exaſperantur; ſed etiam exulcerationes, atque tubercula faciei, in fœtidam corruptionem abeuntia, ſatis abundeque teſtantur. Accedit etiam illud, quod hujus mali contumacia, quæ variis remediorum generibus, ſanguinem diluentibus, ac depurantibus, valde reſiſtit, non niſi heroicis, atque ex minerali regno petitis medicamentis expugnari potuit.

Illud extra dubium eſt, malum venereum multo magis exacerbari, & ſævioribus ſtipari ſymptomatibus, ſi corpus muliebre invadit, quod menſium ſuppreſſione ſimul laborat. Creſcit enim, atque augetur ita humorum impuritas, & frequenti conſtat obſervatione, ejuſmodi contagium in corpore impuro cachectico, vel ſcorbutico ſuſceptum, & ægrotantibus & medicis negotium faceſſere: quoniam vehementia ſymptomatum ſubinde invaleſcit, quæ non adeo facile cedit remediis. Longe autem felicius res ſuccedit, quando corpus, quod puris & benignis humoribus gaudet, contagio venereo inficitur.

Perverſa hujus mali medicatio cumulum ipſi addidiſſe videtur. Nihil enim pernicioſius eſt, quam in ejuſmodi morbis mercurialia ſive interne, ſive externe, ſine debito regimine uſurpare, præſertim, quando excretiones non ſatis recte ſuccedunt. Improbamus hoc loco refractum uſum turpethi mineralis, dum quotidie ad granum unum per quadraginta dies ſumtum fuit, neglecto regimine diaphoretico, & intermiſſo uſu diluentium. Ea enim eſt mercurialium indoles, ut intus ſumta fibras nerveas, & maxime glandulas laceſſendo, motum lymphæ adaugeant. Si itaque excretio humorum exagitatorum impedita fuerit, & particulæ medicamenti virulentæ intus remaneant, non ſolum benigni humores magis magiſque corrumpuntur; ſed etiam tonus ac robur ſolidorum labefactatur. Unde plura, eaque triſtiſſima exſtant morborum exempla, qui à ſalivatione mercuriali, non rite adminiſtrata, ſuam habuerunt originem.

Diſcimus vero ex hac male ſuccedente cura mercuriali, luis venereæ ſanationem certa methodo, convenienti ordine, ac debito regimine eſſe adminiſtrandam. Non igitur mirum videri debet, quod medicus in auxilium vocatus, convenienti ordine adhibito, pertinacem hunc morbum cum omnibus ſymptomatibus feliciſſime exſtirpaverit.

---

## CASUS CXXII.

### *De maculis & tuberculis totum corpus, & faciem pertinaciter occupantibus.*

Litterarum cultor, trium ac viginti annorum, habitus corporis ſtrictioris, nullas à teneris ſcorbutici humorum inquinamenti notas exhibens, nec parentibus tali labe infectis natus, binis abhinc annis, cum per biennium Lipſiæ jam commoratus eſſet, in dextra tibia ſupra malleolum, ex improviſo ſine evidenti cauſſa obortum ſenſit dolorem, ruboremque; qui parum curatus, ad totum pedem excurrebat, inque plura illius ulcera deſinebat. Domum reverſus, ope medicaminum internorum pariter ac externorum, decoctorum ex appropriatis herbis ac lignis confectorum, laxantium, ac balneorum, intra octodecim hebdomades ab hiſce vitiis, quæ præter vehementes pedum dolores, nullas intulerant moleſtias, nec adpetentiam, nec ſomnum turbaverant, penitus ac feliciſſime liberabatur.

Perſanatus Halam ſe contulit, ibidemque cœlo exiſtente fervidiori, in corpus pugnando in palæſtra nimis calefactum, cereviſiam frigidam, eamque Lœbeginenſem, larga ingeſſit quantitate. Brevi poſt maculæ purpureæ primum ſparſim in facie, mox copioſiores, ac tandem per totum corpus, inque primis manuum cutim efflореſcebant. Conſultus medicus, ut vena incideretur, dein corpus dato laxante per biduum purgaretur, tum per quinque dies infuſum theiforme cum regimine diaphoretico ſorberetur, atque decoctum conveniens pro potu ordinario adhiberetur, imperavit. Quorum medicaminum uſu quinquies alternato, maculæ magis elevatæ, ſquamulas dimittere cœperunt; tumque partim evaneſcebant, partim pallidiores evadebant: ſub intenſiori vero frigore & latius vagabantur, & magis cœruleæ adparebant; hauſtoque copioſius vino, humorum ebullitionem, vultus ardorem, majoremque exanthematum ruborem perſentiſcebat. Tandem vero tantum non omnes diſparebant: at elapſo bimeſtri denuo recrudeſcebant.

Iterata ſuperius dicta medicatione, rurſus evaneſcebant; ſed incertis nihilominus temporibus, maxime ſi vino nimis indulſerat, iterum propullulabant. Hanc ſcenam ultra annuum tempus ludebant; neque præterea habebat juvenis, de quo conquereretur: etenim ciborum adpetentia, ſomnus, atque cunctæ corporis functiones ſuccedebant optime. Ipſæ maculæ interdum hinc inde moleſtum inſerebant pruritum; cui ſi ſcalpendo faciebat ſatis, furfures ipſis inhærentes ſecedebant, ſub quibus exile ulcuſculum, ſaniem parciſſimam plorans, maxime in mento, ac angulis labiorum, cruſta obductum cernebatur: quod aqua mercurialis, quam mercurius in aqua forti ſolutus, inſpiſſatus, atque cum ſpiritu vini rectificatiſſimo permixtus conſtituebat, felici ſucceſſu conſolidabat. Ejuſmodi maculæ, ubi deſiccabant; colorem primo obſcure rubicundum, mox flavum, tandemque pallidiorem induentes exſpirabant. Præterea in cute brachiorum pedumque tactu explorabantur tubercula minora, ac duriora.

Tandem in uſum revocata ſuperiori curatione, adjunctoque pulvere quodam; totum malum feliciter expugnabatur. Ea vero ut innoteſcat, ſciendum eſt, infuſum, quo æger per binos dies purgabatur, ſic habuiſſe: Recipe radicis polypodii unciam unam, rhabarbari electi, foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ana unciam ſemis, agarici trochiſcati, cremoris tartari ana drachmas duas, ſeminis fœniculi drachmam unam. M. F. ſpecies, quarum drachma una, aqua fervente infuſa, inſtar potus Thée ſorbeatur. Deinceps infuſum, quod pro ſudore eliciendo potaverat, hoc erat: Recipe herbæ veronicæ, ſcordii, cardui benedicti ana manipulum unum, florum ſambuci pugillos ſex, aniſi ſtellati drachmas duas. M. D. Pro potu ordinario utebatur ſequenti decocto: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias ſex, ligni Guajaci, radicis chinæ, ſcorzoneræ ana uncias duas, paſſularum minorum uncias quinque. M. F. ſpecies, quarum unciæ tres cum quatuor aquæ menſuris in vaſe clauſo probe decoquantur. Pulveris denique, cujus noviſſima fit mentio, hæc erat formula: Recipe ceruſ-

ſæ

ſæ antimonii, lapidum cancrorum ana drachmas duas, cinnabaris præparatæ drachmam unam, ſulphuris antimonii rite præparati grana duodecim. M. F. pulvis, cujus drachma pro doſi ſumatur.

*Epicriſis.*

Sunt aliquot egregiæ obſervationes, ad illuſtrandam non minus pathologiam, quam ad praxin ſtabiliendam valde idoneæ, quibus præcedentis caſus commemoratio medentes inſtruit.

Primum enim apertiſſime demonſtrat, efflorescere interdum in facie, & reliquo corporis ambitu maculas purpureas, cum tuberculis, quæ citra ullum venereæ luis contagium cutim exulcerant. Non enim ægro confligandum fuit cum iis ſymptomatibus, quæ alias huic malo conſueta, & familiaria deprehenduntur, veluti ſunt acerbi artuum dolores, potiſſimum noctu infeſti, atque ingens virium languor, qui infectionem hanc preſſo pede inſequitur. Neque harum macularum origo ad ſcorbuticam diatheſin referri poteſt, quoniam ſigna, quibus illa manifeſtari ſolet, nimirum exulceratio, & putredo gingivarum, urina rubicunda, languor corporis, livor faciei, ac denique macularum in cute magnam ſuperficiem habentium, cum cœruleo colore adparentia, hic penitus deſiderantur.

Luculenter exinde perſpicimus, qua ratione in corpore ſano, & puro ingens impuritas ac de fœdatio cutis repente generari poſſit. Hæc enim in præſenti caſu haud aliunde provenit, quam ab immodico hauſtu potus frigidi, in corpus motu & exercitatione calefactum ingeſto; cujus magnam vim eſſe in producenda gutta roſacea, non ſemel, ſed multoties adnotavimus. Videtur autem nobis generatio hujus mali, hunc pœne in modum contingere: Sanguis lentus, ac ſpiſſus vehementiori motu, & exercitatione corporis, rapidiſſimo curſu ad minima vaſcula ſubcutanea propellitur; accedente jam potu frigido, qui ex ſinu ventriculi, cum reliquo ſuccorum alveo ad corporis ſuperficiem fertur, protinus motus humorum ſiſtitur, qui ubi ſtaſin conceperint, relaxatas fibras erodunt, atque exulcerant. Quam difficulter autem cutis textura, quæ tota nervea, ac fibroſa eſt, deſtructa redintegretur; eos haud fallit, qui frequentius in artis operibus verſantur. Quo minus mirari oportet, quod hic affectus adhibitis licet admodum efficacibus, eique appropriatis remediis, laxantibus, diaphoreticis, ſanguinem depurantibus; non tamen ex toto debellari potuerit; quippe quem ternis vicibus repullulaſſe accepimus.

Illud inprimis hoc in caſu notandum eſt, quod tumores quidam ſubcutanei in artubus deprehenſi fuerint; qui ſane nihil ſunt aliud, quam glandularum intumeſcentiæ, quibus efficitur, ut lympha libero ſuo progreſſu ac tranſitu orbata, hinc inde in vaſis ſubſiſtat; ipſaque mora quandam acrimoniam concipiat. Habent enim hæc tubercula communem cauſſam cum maculis, quæ in cute effloruerunt, frigidam ſcilicet potionem, quæ lymphæ coagulum ac ſpiſſitudinem inducendo, obſtructionibus glandularum cauſſam, & occaſionem ſubminiſtrant. Atque hinc eſt, quod ejuſmodi cutis vitia non prius deleri poſſint, quam illi glandularum infarctus reſoluti fuerint, id quod toties totieſque compertum habemus.

Obſervatione dignum eſt, quod contumax ſcabies, aliæque cutis defœdationes, quæ ſæpius revertuntur, fruſtra tentatis omnibus aliis remediis, non faciliori modo exſtirpari poſſint, quam ſi diaphoreticis miſceantur mercurialia, & ſulphura mineralium, quæ externe etiam adhibita præſtantiſſimam opem ferunt. Exquiſitam enim vim obtinent, tenuiſſimos ductus penetrandi, unde & ſubſiſtentes humores potenter reſolvunt, & glandularum obſtructiones promte expediunt, ita prorſus, ut in expugnanda lue venerea omnibus aliis remediis antecellant. Ex quo ſane planum, ac perſpicuum evadit, quam generoſa virtute inſtructa ſint medicamenta chymica, quantumque valeant ad debellandas paſſiones chronicas, quarum contumacia levioribus remediis ægerrime ſuperatur.

---

## CASUS CXXIII.

*De affectu puſtulari pruriginoſo.*

Vir quidam ætatis conſiſtentis, tribus abhinc menſibus, medio hyeme, ſub nuptialibus feſtivitatibus, ſaltando corpus inſigniter commovit, atque poſtridie aëri frigido, humidoque diu expoſuit. Hinc eadem adhuc veſpera catarrhali faucium adfectione infeſtatus, elapſo triduo podagra prehenditur, ſatis miti, & poſt dierum quatuordecim decurſum evaneſcente. Sub hac ex improviſo, dolore quodam circa dorſi ſpinam in latere ſiniſtro noctu corripitur: quem locum, cum expergefactus, leviter inflammatum conſpiceret, linteiſque calefactis foveri curaret, obſidebant puſtulæ cum inſigni dolore. Sequenti nocte à ſpina dorſi per ſiniſtrum abdomen erumpebant efflorescentiæ, inſtar lichenum; tumque ſequebantur puſtulæ, in majores ſenſim veſicas coëuntes; quæ ob inſignem, quem inferebant, pungentem dolorem, diſſecatæ ſerum plorabant lividum. Nullus in externa cute adparuit tumor; moleſta autem intus vexabat ſenſatio, ponderis cujuſdam, cutem inter ac muſculos innati, quod ad levem contactum acutiſſimas exhibebat puncturas; atque jungebantur alvi ſegnities, perpetuæque vigiliæ.

Oppugnabat hæc ſymptomata medicinis leniter diaphoreticis, antiſpaſmodicis, externe cataplaſmatibus ex herbis emollientibus, quæ ingentem excitabant pruritum; & frictiones per calidiora lintea, dolores relinquebant, quales acus cuti inferunt: ſpirituoſa vero prorſus exaſperabant malum. Mane loco infuſi herbæ Théebois, decoctum radicis chinæ, ſarſaparillæ, pimpinellæ, hermodactylorum, atque ligni ſaſſafras potabat; & ex hoc ter quotidie triginta guttas Elixirii nervino-ſtomachici, quod eſſentiam corticum aurantiorum, caſcarillæ, gentianæ rubræ, liquoremque anodynum habuit, adſumebat. Quibus votis nondum reſpondentibus, noviſſime dolenti regioni adplicabat emplaſtrum diachylon compoſitum diaphoreticum, cum ſpermate ceti, caſtoreo, camphora, atque croco ſubactum: quod loci iſtius ſudorem, majoremque pruritum movebat, mox vero inſigne levamen inferebat. Interim quum in dicto ſiniſtro latere adhuc praſſo ſit locus, qui tenſivum, & ad quemvis contactum, pungentem refert dolorem: ad hunc penitus expugnandum, ſalubre anhelat conſilium.

*Conſultatio.*

Singularis, quo cum per aliquot menſes, vir ſpectatiſſimus conflictatur affectus; non alius eſt, quam puſtularis ſcorbuticus, à dyſcraſia humorum, ſalſis, acribus, impuriſque ſordibus refertorum originem trahens. Hanc in ſanguinis maſſa jam diu delituiſſe, vero eſt ſimillimum; quum autem æger ſub memoratis nuptiis, gulæ forſan nimium indulſit, dein corpus vehementiori ſaltatione exagitavit, ac brevi poſt ſub frigido diutius verſatus aëre, ſalutarem perturbavit tranſpirationem; commovit utique,

que, ac quaſi ſuſcitavit ſilentem hactenus hoſtem. Unde catarrhales primum faucium adfectiones, ac podagricos pedum dolores expertus; his per metaſtaſin ad dorſi ſpinam retrocedentibus, in moleſtum illum, quo adhuc laborat puſtularem pruriginoſumque incidit morbum.

Quum vero iſtæ efflorefcentiæ, ſalutari plane conſilio, ad cutis ſuperficiem ſint compulſæ: eo reſpicere decet medentem, ut naturæ ductum ſequutus, iis potiſſimum utatur remediis, quæ integram ſanguinis ac humorum maſſam depurandi, ſaliaque ſcorbutica attemperandi, ad exitum diſponendi, & per alvum cutimque è corpore proſcribendi virtute pollent. Quo quidem fine in hiſce caſibus pro potu ordinario præſcribere ſuevi decoctum, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, liquiritiæ, raſura cornu cervi, ſemineque fœniculi paratum. Deinceps bis quavis hebdomade corpus infuſo mannato, rhabarbarino, cremori tartari nupto purgari; reliquis diebus mane liquorem meum anodynum, cujus tres partes, cum una ſpiritus bezoardici Buſſii, vel tinctura bezoardica ſint remixtæ; veſperi vero, ad promovendam tranſpirationem, pulverem diaphoretico-cinnabarinum adhiberi curo. Non minus iis, quorum ventriculus fert, potum feri lactis cum inſigni fructu commendare ſoleo. Ex topicis emplaſtrum Barbette camphoratum, cum oleo hyoſcyami ſubactum, vel ſolus ſpiritus vini, leviter rectificatus, partique dolenti inunctus, egregium adferre obſervantur adjumentum. Quibus remediis, per aliquot hebdomades continuatis, ſi perſanetur hæc moleſta adfectio; excellentiſſimum in totum corpus inde reſultabit emolumentum.

---

## CASUS CXXIV.

*De atonia partium poſt inſultum apoplecticum.*

Vir quidam ætatis conſiſtentioris, poſt ingentem diuturnumque mœrorem tribus abhinc annis apoplectico correptus inſultu, loquelæ impotentiam per aliquod tempus retinuit, ſiniſtrique brachii paralytodeam reſolutionem. Ab his moleſtiis congruis medicaminibus, unguentis, fotibuſque vindicatus, in novas incidit: Namque primum inſignis muci viſcidi, tenaciſque copia fauces, maxime linguam occupabat, tam largo proventu, ut cultro abradi, nullis vero medicinis exſtirpari potuerit. Succeſſu temporis ſponte imminutus dictæ pituitæ à faucibus affluxus; ad partes, ac viſcera, chyli elaborationi inſervientia verſiſſe, iiſque obturatis, legitimum corpori nutrimentum ſubtraxiſſe videtur: ſiquidem totum corpus adeo contabeſcere cœpit, ut medicus quidam, niſi integra, qua ægrotus fruebatur, ciborum adpetentia, & urinæ ſufficiens mictio obſtiterint, veram ſuſpicatus fuerit atrophiam. Hanc vero alter medicorum, quorum quinque tunc conſuluerat, omnino accuſabat; tertius ſupponebat atoniam glandularum, quæ in ore ſitæ ſunt, & hinc pendentem nimium pituitæ, neque purulentæ, neque fœtidæ, ſed albumini ovorum ſimilis effluxum; quare vomitoriorum uſum commendabat. Quidam haud incelebris vir valde collaudabat aquas Selteranas, lacti nuptas; quas, etiam ægrotans, confirmantibus id conſilium ſcriptis Hoffmanni, quæ in hunc finem legerat, cum lacte caprino, per octo circiter potavit hebdomades; atque tum, accedente pedum tumore, omiſit. Interim id ſequebatur incommodi, ut pingueſceret quidem ſuperior corporis pars, & pedes detumeſcerent; ſed inſimul adeo emarceſcerent, ut nihil fere carnoſæ ipſis ſupereſſet ſubſtantiæ: præterea ardor ventriculi, maxime circa horam tertiam pomeridianam ſæpenumero vexabat, nec cedebat prius, quam donec, intruſo faucibus digito, multa pituitæ quantitas fuerit eructata.

Noviſſime igitur nullus adparet tumor; at vix unus vel alter effluxit menſis, cum ex improviſo gravi colica, eaque flatulenta prehenderetur. Flatus retenti magna in canale inteſtinorum movebant murmura; & alvus claudebatur pertinaciter: donec infuſis ano quinque ſucceſſive clyſteribus, qui habebant lac, oleum olivarum, & ſal commune, copioſiſſimæ moverentur dejectiones, cum ſtercoribus albis, & muci albi tenaciſque inſigni quantitate conſpicuæ. Abhinc vero ciborum urgetur faſtidio; & ſi præter adpetentiam aſſumſerit forſan edulia, eructat primo poſt moleſtos conatus multum muci; tum ſequuntur laborioſi vomitus, & hos excipit inteſtinorum flatulenta diſtentio, & alvi contumax obſtructio. Hæc nullis ſubſidiis, nec nitroſis, nec roborantibus, niſi ſolis clyſmatibus reſerari potuit; ut ideo medici nimiam inteſtinorum atoniam, ab inſultu apoplectico relictam, & roborantibus oppugnandam accuſarent. Nec ſilentio prætermitti debet, haſce colicas ac flatulentas moleſtias, olim cum pedes eſſent tumidi, neutiquam exercuiſſe ægrum; his autem ſponte, abſque ullo adſtringentium medicinarum uſu detumeſcentibus, demum ſucceſſiſſe. Juſtiſſima hinc reſultat ſuſpicio, ne tandem inſequatur tympaniticus tumor; à quo ut præcaveatur, & à præſentibus reſtituatur ægritudinibus, tuum, Vir Illuſtris, flagitat conſilium.

### *Conſultatio.*

Summa ſymptomatum, quibus poſt perſanatam apoplecticam linguæ potiſſimum, atque ſiniſtri brachii reſolutionem, quantum quidem ex datis ad me litteris percepi, Vir conſultiſſimus premitur, ea eſt, quod primum inſignis muci ſpiſſi viſcidique copia linguam fauceſque obſederit; quæ ſubinde cum ſaliva pariter ac cibis deglutita, vim ventriculi digeſtivam labefecit, & corrupto nutritio ſucco, totius corporis tabem induxit. Hiſce tandem acceſſit flatulenta colica, & contumax alvi obſtructio: qua ope clyſterum, multum pituitæ ſecum ducentium, reſerata, crebris vexatur vomitibus, & depravata laborat concoctione. Cuncta vero hæc ſymptomata, meo quidem arbitrio, ab atonia ſive robore ac vigore partium nervoſarum ac fibroſarum, poſt apoplecticam acceſſionem, deperdito, primam traxerunt originem. Namque ob reſolutum partium ſolidarum robur, plerumque fit, ut ſucci vitales per illas tardius progrediantur, ſeroſi autem ac ſalivales humores hinc inde ſecreti ſubſiſtant, & propter diuturniorem ſtagnationem in faucibus, œſophago, ventriculo, ac inteſtinis, ſpiſſam tenacemque acquirant indolem. Hinc porro, deſtructo motu inteſtinorum periſtaltico, alimentorum digeſtio pervertitur, ac chylus iners, minuſque ſpirituoſus generatur: unde uberior flatuum, abdomen & ventriculum diſtendentium proventus, & alvina obſtructio, preſſo ſequuntur pede. Nec itaque vanus ſuboritur metus, ne ætate provectiori exiſtente, niſi congruis remediis malo obviam eamus, cachectica tandem ſuccedat corporis depravatio.

Quare ut recta feratur medela; monendum prius duco, vomitoria, non minus, quam aquas minerales tam Sedlicenſes, quam Selteranas, cum lacte maritatas, in hiſce morborum generibus, plus plerumque damni, quam adjumenti inferre; quippe quæ robur ventri-

ventriculi, ac reliquorum viſcerum jam debilitatum, magis deſtruendi ac pervertendi potentia pollent. Ea potius in uſum vocare decet medicamina, quæ lentam ſpiſſamque pituitam incidendi, tonum ventriculi ac inteſtinorum confortandi, flatus diſcutiendi, & excretiones ſalutares, quæ per alvum, cutim, ac urinam fiunt, facilitandi prædita ſunt virtute. Atque pauca profecto ſunt, quæ hoc fine commendarem remedia; ex quibus primum eſt infuſum theiforme, mane ſorbillandum, quod ſic conficitur: Recipe herbæ veronicæ, ſcordii ana manipulum unum, ſeminis fœniculi drachmas duas, cardamomi minoris drachmam unam. Conc. Cont. F. ſpecies. Ante hujus potationem pariter ac hora pomeridiana quarta, drachmam dimidiam electuarii, in vino aquæ nupto adſumendam ſuaderem; cujus hæc eſt formula: Recipe radicis rhabarbari unciam ſemis, pimpinellæ, ari, ſuccini præparati, ſeminis cymini æthiopici, extracti centaurii minoris, corticis caſcarillæ ana drachmam unam, julepi corticum aurantiorum uncias duas. M. F. electuarium. Tum quoque egregiam præſtabit operam, ſequens mixtura: Recipe tincturæ antimonii acris, eſſentiæ ſuccini ana unciam ſemis, ſpiritus ſalis ammoniaci drachmas duas. M. F. mixtura, cujus ſexaginta guttæ veſperi ſub ſomni tempus capiantur. Et denique, cum cereviſia hiſce morbis prorſus ſit inconveniens, hujus vices commode ſupplebit, & potui ordinario, conjuncto vini generoſi uſu, inſerviet hoc decoctum: Recipe radicum ſarſaparillæ uncias ſex, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. F. ſpecies, quarum binæ unciæ cum tribus aquæ menſuris ſunt decoquendæ. Cæterum ſecundare expediet horum medicaminum effectum recto victus genere; in quo ab animi affectibus cibiſque flatulentis & concoctu difficilibus, veluti ſunt legumina, olera, poma &c. ſtudioſe ſibi cavere; & potius corporis exercitationi, cœlo exiſtēte ſereno, per vectionem, vel equitationem inſtituendæ, probe ſtudere, ægrotum oportebit.

---

## CASUS CXXV.

### *De defluxionibus ſeroſis diuturnis ex hæreditaria diſpoſitione.*

VIr quidam octo & triginta annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, habitus corporis tenerioris, atque ſiccioris, animique ſenſibilioris, parentibus natus eſt valetudinariis: ſiquidem pater poſt varias, quas paſſus eſt, ægritudines tandem aſcite, mater vero arthritide vaga diu cruciata, apoplectico demum inſultu, ter quidemrecidente perierunt. Quare noſter etiam, à teneris, hæreditatis quaſi pœnam luens, ægrotandi onus toleravit: namque puer variis defluxionibus faucium non minus, ac febribus, & tuſſi catarrhalibus divexatus, his remittentibus, nono circiter ætatis anno, in dam incidit capitis tineam. Huic, elapſo demum triennio, perſanatæ, ſucceſſerunt bina duntaxat ulcera ſerpiginoſa, cruſtoſa, crinibuſque inſtar plicæ Polonicæ permixta, quæ utrumque capitis latus obſederunt, ac perpetuo ſeri acris ſtillicidio, ægrum ad decimum octavum ætatis annum exercuerunt: tum vero evulſis crinibus, & impoſito ipſis emplaſtro Norimbergenſi, abſque internorum remediorum uſu, exſiccata coaluerunt.

Abhinc primum ſatis bene habere videbatur; ſed tranſactis tribus annis, ex improviſo vehementioribus corripiebatur ſternutamentis; quæ alvi obſtructione, capitis doloribus, atque ſeri acrioris, vicinas partes arrodentis, ex oculis naribuſque ſtillicidio ſtipata, ſoluta poſt triduum alvo conquieſcebant. Tum rurſus per biennium valuit; quo peracto, eadem ſymptomata ipſum prehendebant, & per paroxyſmos, qui quotidie hora matutina nona incipientes, cum pertinaciſſima alvi conſtipatione, horrendiſque capitis ac oculorum doloribus, ad tertiam pomeridianam inhærebant, octo diebus moleſta erant. Conſultus medicus, catarrhalem ſuſpicatus febrem, dedit pulverem præcipitantem; quo veſperi ſumto, magna inteſtinorum tormina, inque primis gravativum in hypochondrio ſiniſtro dolorem paſſus, per totam noctem inquietus diſcurrebat; donec ſequuto mane alvi profluvio, omnes dolores, atque lymphæ ſalſæ per nares, oculoſque ſtillicidium ſimul & ſemel evaneſcerent, & ipſe prorſus convaleſceret.

Verum ab hoc tempore, anno nimirum ætatis vigeſimo tertio, ad hanc uſque diem dictis moleſtiis obnoxius, eaſque per intervalla, maxime poſt quamvis tempeſtatis mutationem, modo graviores, modo mitiores paſſus fuit. Fonticuli inciſionem à medico quodam commendatam reſpuit; ſed ante quatuordecim annos ex Illuſtris Hoffmanni conſilio, infuſa theiformia, decocta pro potu ordinario, blanda laxantia ac temperata pediluvia, eo effectu adhibuit, ut ſub hac curatione, quam ob ſtomachi, aquæ calidioris potuum neutiquam ferentis debilitatem, haud ultra tres continuare poterat hebdomades, rariſſimam mali ſui acceſſionem ſenſerit. Sed hac abſoluta, eadem ac olim frequentia & vehementia recruduit morbus: quem medicus quidam oppugnaturus, peccantem materiam, datis in hunc finem remediis per urinam, ſudoremque eliminare ſtudebat; at nullo modo fine ſuo potiri poterat. Tandem, elapſo circiter anno, ſponte ſuccedebant hæ excretiones: ſiquidem quovis diluculo, erumpebat per totum corpus, ſudor copioſus, acerrimus, faciem excorians, & pro tempeſtatis ratione plus minus gravem odorem ſpirans. Et quo largior ac expeditior promanabat dictus ſudor; eo certe & rariores, & mitiores recurrebant memoratæ affectiones; præſertim, quum ſub iis ſudoribus, ciborum cupiditas periret, & alvi ſuccederet obſtructio. Namque antehac hæc erat paroxyſmorum idea: antecedebat plerumque juſto avidior adpetentia, ſequebantur extremorum frigus, alvi obſtructio, ſomnolentia, totiuſque corporis languor; tum excipiebat primum narium ſiccitas, dein ſternutatio, & tandem lymphæ acrioris per nares & aures deſtillatio: quæ ſymptomata non niſi crebriori narium emunctione mitigari poterant; & ſub tempeſtate ſerena, ſimul tamen ventoſa ac frigida gravius infeſtabant, quam cœlo exiſtente pluvioſo.

Languentis igitur adpetitus vigorem inſtauraturus, & alvinæ excretionis ſucceſſum adjuturus, præter pulveres temperantes, blanda laxantia, atque venæ ſectiones, acidulis uti cœpit Pyrmontanis, & fullii de Egranis: & licet hæ ante binos annos cum lacte caprino potæ, vertiginem reliquerint, quæ hauſtis Sedlicenſibus, tuſaque vena, prorſus ceſſavit: attamen ægroto quoad reliqua ſymptomata nullum tulerunt ſolamen. Tandem vero menſe præſentis anni Maio accidit, ut in febrem continuam, cum atrociſſima capitis dextri hemicrania ſtipatam delaberetur; quæ cum febris incremento invaleſcebat; & quotidie hora matutina nona invadebat, duodecima acutiſſimum dolorem inferebat, & pomeridiana tertia remittebat. Accedebant præterea in artubus ejuſdem lateris, ſpaſmodici motus, cum levi mentis perturbatione, totiuſque lateris refrigeratione conjuncti: quæ cuncta ſymptomata, cum decreſcente febre mitigabantur, ac denique larga ſolvebantur diaphoreſi.

Abhinc deſiderato à priſtinis moleſtiis gaudet otio; nec illis, niſi leviſſimis, atque vix notabilibus,

ſub tempeſtate inimica, adficitur. Videtur igitur jam rectiſſime valere; & ad præſervandum penitus morbum, pulveribus ſalinis præcipitantibus utitur, diætæque regulas curatius obſervat. Cœna ipſi eſt prandio liberalior; ſub qua hauſtus vini generoſi ſumtus, majus fert emolumentum, quam ſi inter prandium capiatur. Potui ordinario inſervit cereviſia Martisburgenſis. Cæterum pulſus eſt durus, alvus paululum ſegnis, urina naturalis, & tranſpiratio horis matutinis bene ſuccedit: ſed ſomnus obſervatur interruptus, ac inquietus.

*Epicriſis cum conſilio.*

Ex præmiſſa morbi hiſtoria, multa animadvertere licet momenta, quæ morborum chronicorum pathologiæ magnam fœnerantur lucem. Namque notari primum meretur, ægrotantem noſtrum parentibus valetudinariis, & præſertim matre, arthritide vaga ſcorbutica, & inſultibus apoplecticis diu vexata, fuiſſe natum. Hinc enim factum eſſe videtur, ut ille non modo ſuccos acres, ſerumque impurum, verum quoque nervoſum genus valde debile, ex utero quaſi materno ſibimet contraxerit, ac obtinuerit; & hinc à prima ſtatim infantia, ob ſeri impuri nativam veluti in partibus glandulofis ſtagnationem, catarrhis variis, ſerique deſtillationibus laboraverit. Verum nulli fere deprehenduntur morbi, qui tam ægram admittant curationem, omnemque fere remediorum vim reſpuant, quam illi, qui vitiata per hæreditariam diſpoſitionem tam fluidarum, quam ſolidarum partium temperie nituntur. Et inde præclarum reſultat axioma, quod, cum cognitio morborum, quibus parentes laborarunt, in dijudicandis æque ac ſanandis morbis chronicis, inſignioris ſit uſus, omnem medicum de ea ſibimet comparanda, ante omnia eſſe oportere ſolicitum.

Æque notabile eſt, poſt inſequutam capitis tineam, evanuiſſe protinus catarrhales affectiones: quoniam ſcilicet, ſero illo impuro viſcidoque, ad unum locum compulſo, ac quaſi concentrato; reliquæ partes ab ejus copia liberantur. Exinde patet, unam eandemque cauſſam pro varia locorum, quæ occupavit, ratione, diverſas inducere ægritudines. Atque ſic planiſſime perſpici poterit ratio, cur cohibito tandem ſeri impuri per ulcuſcula capitis effluxu, illud magis ad interiores ac membranaceas partes, maxime narium decubuerit, haſque graviter vellicando, horrendos capitis dolores, moleſta ſternutamenta, & copioſum acrioris lymphæ ſtillicidium progeneraverit.

Docet porro hæc obſervatio, morbos hæreditarios, per ſtatos circuitus plerumque recrudeſcere. Hi vero in noſtro ægrotante atrocioribus capitis ac oculorum tormentis, ſe potiſſimum exſeruerunt: quæ præſertim in regione ſinuum, quos frontale os ſupra oculorum orbitas format, tyrannidem exercuerunt. Dependent ejuſmodi dolores à ſæpius memorato ſero, acri, viſcidoque, tunicam illorum ſinuum internam, nervoſam, ac pituitariam obſidente; & ab aëris mutatione, ſlantibuſque præſertim ventis aquilonaribus, admodum exacerbantur; nonque prius ceſſant, quam procurato iſtius ſeri per nares exitu.

Attentione non minus dignum eſt, illos adfectus, quos copia ſeri, in parte quadam ſtagnantis fovet, mitigari, quin curari etiam poſſe, per univerſalem totius corporis ſudorem, qui ſæpius cutim omnino arrodit, ac excoriat. Et hinc adparet, quam ingentem acrimoniam humores concipere poſſint, in iis maxime ſubjectis, quæ à primis incunabulis malignos ac impuros obtinuerunt ſuccos.

Confirmat etiam caſus noſter, quantæ utilitatis ſint ſanguinis miſſiones, & aquarum mineralium; inque iis Egranarum uſus. Certa enim fide aſſeverare poſſum, in hæreditariis, iiſque morboſis diſpoſitionibus tam mitigandis, quam à graviori periculo præcavendis, non præſtantiorem eſſe medicationem, quam quæ per fontes ſoterios, conjuncto recto rerum non naturalium, motus corporis, eorumque remediorum, quæ ſalutares per alvum, ſudorem, ac urinam promovent excretiones, uſu inſtituitur.

Nec ſilentio prætermittendum eſt, paroxyſmos ac dolores cephalalgicos in noſtro ſubjecto à refrigeratione extremorum, ingenti corporis languore, & alvi obſtructione incepiſſe: utpote quod momentum, in omnibus morborum generibus, quæ ſpaſmodicis motibus complicantur, & humores à ſuperficie corporis ad partes compellunt interiores, adnotare licet.

Denique regulæ inſtar perpetuæ tenere oportet, quod ea ſymptomata, quæ partem quandam frequentius exagitarunt, licet, adhibita convenienti medicatione, penitus diuque conquieverint, nihilo minus accedentibus forſan aliis morbis, maxime febrilibus, mox veluti reſuſcitata, iterum jungantur. Sic in noſtro caſu febri continuæ protinus ſupervenerunt hemicranici dolores; qui febriles motus utque reddunt & acerbiores, & moleſtiores.

Quæ cum ita ſint, & à me deſideratum fuerit, ut viam potiſſimum monſtrarem, qua ægrotus ab ulteriori mali recurſu præcaveri poſſit: commendavi acidulas Selteranas, cum lacte aſinino, ſequentem in modum potandas. Sumto ſcilicet veſperi laxante, quod ex magneſiæ albæ drachma una, & ſalis Epſonenſis drachmis duabus concinnatur, ut ſequenti mane dictorum fontium, quantum lagena dimidia capit, tepefactarum ſorberet; ſequentibus vero diebus aquas iſtas, binis partibus cum una lactis aſinini permixtas, lagena, qua ad continendas aquas Tœnſtadienſes utimur, exceptas, & intra aquam ferventem tepefactas, pondere unius libræ hauriret, ſuaſi: qua potatione per tres hebdomades continuata, iterari dictum laxans, tumque finiri curationem imperavi.

Interim, ſi ſub hoc fontium uſu, alvi forſan ſegnities acceſſerit; huic ut mannæ in iiſdem fontibus ſolutæ binis unciis obviam eatur; quavis inſuper veſpera corpus moderate moveatur; & in vicem cereviſiæ pro potu ordinario ſequens adhibeatur decoctum, juſſi: Recipe radicum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, glycyrrhizæ, cichorei, fœniculi ana uncias duas. M. F. ſpecies, quarum binæ unciæ cum tribus aquæ menſuris per horam dimidiam decoctæ, conjuncto vini Burgundiaci hauſtu, potentur. Non minus mixturæ ex eſſentia corticum aurantiorum, ac gentianæ rubræ, æquali pondere permixtæ quadraginta, aut Elixirii balſamici octoginta guttas, ſub epulis ex ultimo hauſtu capiendas ordinavi. Denique contra capitis dolores, ſi forſan reciderint, externe fronti ac temporibus adplicandum ſuaſi balſamum meum vitæ; & ſub eorum acerbitate, ut alvus, ſumtis in hunc finem veſperi drachmis duabus ſalis Anglicani, mane vero quatuordecim pilularum mearum balſamicarum, ſervetur aperta, injunxi.

CASUS

## CASUS CXXVI.

*De affectu arthritico vago ſæpius recrudeſcente.*

VIr quidam fere ſexagenarius, ob varias refrigerationes ac fatigationes corporis, quibus olim ſub itineribus vi muneris ſæpius inſtituendis obnoxius fuit, per viginti jam annos arthritide vaga ſcorbutica laboravit. Mitiores tamen ſemper fuerunt hi dolores, maxime ſi ſub iſtis corpus in quiete, vel in lecto decumbens, vel ſellæ inſidens conſervavit; neque tum ardorem, nec ſitim præternaturalem ſenſit. Hæc articulorum tormenta, aliquot abhinc annis in pleuritidis ſpuriæ forma latus ſiniſtrum divexarunt; ſed adhibitis convenientibus medicinis, ac emplaſtris ſedata, huc uſque ſiluerunt. Sub hujus demum anni auſpiciis ex improviſo atroces in dextrum latus irruerunt dolores, ægrum lecto affigentes, & non modo ob conjunctos vomitus calculum renalem mentiebantur, verum etiam ob accedentem inſigniorem corporis contabeſcentiam, febris lentæ ſuſpicionem movebant. His conſopitis, iter ipſi rurſus erat faciendum; in quo cum rapidiori curſu veheretur, recurrebant dicti lateris dextri dolores tanta vehementia, ut interrupto itinere, lectum petere cogeretur. Ex convenienti methodo hæ moleſtiæ iterum conquieſcebant; at relinquebant tenſivum dolorem, qui mox dextrum, mox ſiniſtrum latus occupans, poſt incurvatum ſcribendi cauſſa corporis ſitum atrocior urgebat; ab obambulatione vero, aut quietiori intra lectum decubitu prorſus ſolvebatur.

Menſe Julio, peracto iterum itinere, articularis recidebat morbus, totumque fere corpus, magnis tormentis diſtorquebat; cum inſigni carnoſæ illius ſubſtantiæ conſumtione: atque vix mitigato hoc paroxyſmo, præter conſuetudinem novus ſuccedebat, longe atrocior, cumque tenſivis dextri lateris doloribus ſtipatus. Hoc quoque poſt longum tempus levato, octobri menſe ex vena in ſiniſtro pede tuſa, cruor larga detrahebatur copia, floridus, & multo ſero permixtus: quo facto, ingens ſequebatur humorum ebullitio, ut aliquot noctes inſomnes tranſigere teneretur. Per novem vero noviſſimos dies ſomno rurſus tranquillo fruitur; & ciborum integra gaudet adpetentia. Interim nec ſæpe memorata illa dextri lateris tenſio penitus ceſſavit; nec vires, nec corpus priſtina ceperunt incrementa: quod fere non miratur æger, cum noviſſimo anno, nullum plane ab arthriticis doloribus, ſub vario morbi genere ſibi invicem preſſo pede ſuccedentibus fuerit otium, hiſque ſemper depaſcens calor, metum febris lentæ injiciens ſupervenerit.

Medicus quidam accuſavit renis dextri exulcerationem, niſi inveteratam, ſaltem incipientem: verum æger calculum huic ſententiæ hactenus addere recuſavit. Namque dolor in dextro latere nec perpetuus, nec fixus eſt; ſed corpore probe calefacto evaneſcit, &, licet levior, ad ſiniſtrum latus tranſit: ex utroque vero laterum non raro ad os ſacrum, & femora decumbit, malumque format iſchiadicum. Neque hunc dolorem ex concuſſione corporis ſub vectione celeriori exacerbari ſenſit; & denique putat, futurum eſſe, ut vehementioribus agitaretur moleſtiis, ſi renum ſubeſſet ulcus.

Quare anceps fere hæret, cui potiſſimum cauſſæ dictum in latere dextro adſcribat ſymptoma: mox enim, ſcorbuticam ſaburram dicto lateri firmius impactam, dolorem iſtum excitare credit: mox ſuſpicatur calculum renalem. Licet enim nunquam excreverit lapillos; attamen poſt uſum pulveris cujuſdam lithontriptici, materiam matulæ adhæſiſſe deprehendit, quæ jamjam inſtar argillæ flava cernitur. Mox porro ſibimet imaginatur, deſtructam à ſuccis eſſe vim digeſtivam, & inde generari chylum minus ſpirituoſum; qui cauſſa eſſet contabeſcentiæ: ſed cum alvus probe ſuo fungatur officio, nec indigeſti excernantur cibi, ab hac quoque recedit opinione. Quicquid vero ſit, tuum, vir Experientiſſime, flagitat conſilium: quo & corporis decremento ac maciei ſuccurrere, & ab arthriticis inſultibus, ipſoque, ſi præſto fuerit, calculo ſe præcavere, ac ſublevare queat.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Corporis totius languor, & contabeſcentia, arthritis vaga, pleuritis ſpuria, podagra, dolores tenſivi in regione dextri renis, ac reliqua cuncta, quæ virum ſpectatiſſimum immaniter tractarunt, ſymptomata, unicum agnoſcunt fundamentum, quod in diatheſi humorum, atque lymphæ ſcorbutica potiſſimum latere videtur. Perpetuæ enim eſt obſervationis, quod, ſi vitales ac nutritii ſucci à blanda & naturali temperie receſſerunt, & partibus ſalinis, ſulphureis, aliiſque excrementitiis imbuti ſcatent, omnis & nutritio, & vigor cunctarum ſenſim imminuatur partium. Neque vero ex iis, quæ ægrum infeſtant, ægritudinibus exitium adhuc metuendum eſſe credo; nec ullæ febris lentæ, vel ulcerationis renum aut veſicæ notæ exinde adparent: ſed tenſivus ille dextri lateris dolor, qui tantum infert metum, à materia acri arthritica, mox ad tunicas inteſtinorum nerveas, mox ad renes atque veſicam decumbente, atque cum urina excreta, natales ſuos mutuatur.

Quare ſi ſpectemus curationem; hujus cardo in eo conſiſtit, ut humores à ſordibus ac impuritatibus ipſis inhærentibus prorſus liberemus. Quod quidem opus, cum arthritica ſcorbuticaque ſaburra, inſtar fermenti, altas jam egiſſe videatur radices, perarduum ac difficile eſt: experientia tamen fultus, minime dubito, quin ope diæteticorum medicaminum non minus, ac pharmacorum convenientium & roborantium & corrigentium, in noſtro ægrotante, votis ſimus potituri. Atque hunc in finem primum cereviſiæ uſum valde improbo, ejuſque in vicem potius commendo ſequens Decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ, chinæ ana unciam, ſeminis fœniculi unciam ſemis. M. Conc. D. S. ſpecies, quarum duæ unciæ ex tribus aquæ menſuris ſunt decoquendæ.

Deinceps hortor, ut ex vena in pede tuſa, bis quotannis ſanguis mittatur, non quidem tam larga, uti ſuevit quantitate; quippe qua vires corporis franguntur, robur ventriculi ac inteſtinorum labefactatur, & tranſpirationis ſalutare negotium retardatur; ſed ſufficiet, quatuor vel quinque cruoris detrahere uncias. Tum quoque vivendi rectam ſervare oportet rationem; & ex cibis, omnes ſalitos, acidos, flatulentos, poma, & omne placentarum genus evitare; contra frequentius juſculis, quæ ex carne vitulina, vel gallinacea, cum radicibus petroſelini, apii, atque graminis coquuntur, veſci; cœna parciori uti, & ſub prandio vinum vetus Rhenanum parce potare; nec non corpus moderate exercere conveniet.

Ex pharmacis bina duntaxat propono; quorum unum eſt pulvis præcipitans, alterum Elixir meum viſcerale balſamicum. Illum, qui acrimoniam temperat, & blandum promovet ſudorem, pondere duorum ſcrupulorum alternis veſperis ex commendato decocto; hoc vero ad quinquaginta guttas ſub epulis

lis aſſumere expediet. Et his denique uſurpatis, adventante vere uſus vel aquarum mineralium, vel ſeri lactis, vel ipſius lactis, præſtantiſſimum feret auxilium.

## CASUS CXXVII.

### *De præſervandis doloribus arthriticis.*

FLagitavit quondam meam opem vir quidam generoſus, atque petiit, ut explorata illius valetudine, de hac tuenda, & à gravioribus periculis vindicanda, meam exponerem mentem. Ponderatis igitur cunctis, quæ attendi merentur, momentis, deprehendi ipſum eſſe temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis tenerioris ac ſtrictioris, ad alvi ac ſudoris excretiones valde proclivem facilemque, ſimul vero in graviores animi pariter ac corporis commotiones, dolores quoque, & acutas febres inſigniter pronum. Notatu ſubinde dignum eſt, quod per naturalem diſpoſitionem æque ac varios diætæ exceſſus ac errores digeſtivam ventriculi vim valde imbecillam obtinuerit; & ideo, poſt leviſſimum diætæ vitium, multæ cruditates acidæ, viſcidæ ac biliosæ in primis cumulari ſoleant regionibus. Hinc porro vitales ſucci ſalibus peregrinis, acribus, ſcorbuticis, tartareiſque referti videntur; quorum fixiora atque craſſiora per urinam in forma ſabuli excernuntur; ſubtiliora vero ac volatiliora ad externos artus eorumque juncturas deponuntur. Ab his itaque articularis morbus, cum ardore ruboreque affectarum partium; ab illis autem nephritici dolores, quorum facilis in calculum renalem eſt tranſitus, excitantur: quæ ſymptomata autumnali ac hyemali tempeſtate, acerbiora potiſſimum ſunt, ingentemque corporis languorem relinquunt.

Quæ cum ita ſint: facile patet, horum vitiorum curationem vel præſervationem aggreſſuro, binas proxime indicationes eſſe obſervandas, nimirum, ut vim ſtomachi digeſtivam reſtituat, ac novum cruditatum in prima officina proventum impediat; deinceps ipſam humorum maſſam depurare, & ipſi inhærentia ſalia, veram arthritidis materiam, per congrua emunctoria è corpore proſcribere ſtudeat. Hiſce ſatisfacturus ſcopis; commendo primum venæ ſectionem; quæ, cum æger ſit ſanguineus, vaſa cruore turgida præ ſe gerat, & ad humorum ebullitiones, circa æquinoctia potiſſimum valde proclivis obſervetur, bis utique quotannis, Martio nimirum & Septembri menſibus, detractis ſex vel octo cruoris unciis, in pede eſt inſtituenda. Atque circa hoc tempus ſtudioſe frigus à corpore arcere, cibiſque nec nimiis, nec coctu difficilioribus uti oportebit.

Poſt ſingulam ſubinde phlebotomiam, ſuadeo, ut per quatuordecim circiter dies, alternis veſperis pilularum balſamicarum, ad Becheri, Stahlii, vel noſtram mentem confectarum quindecim deglutiantur; ſequentique mane ſalis mei aperitivi drachma una ex aqua vino nupta capiatur, hauſtis deſuper aliquot infuſi theiformis vaſculis. Idem hoc infuſum, diebus ab uſu pilularum vacuis, in lecto cum regimine diaphoretico ſorbere præſtabit: nec alienum erit, dictis pilulis & ſale aperitivo, extra hanc quoque curationem, quovis decimo uti die. Ad roborandum porro ventriculum, flatus diſcutiendos, & acrimoniam temperandam, præclaram opem exſerit Elixir ſtomachale, quod ex extractis amaris, abſynthii, centaurii minoris, gentianæ, corticibus aurantiorum recentibus, ſale tartari, myrrha, & vino Hungarico apparatur: & bis terve ſingula hebdomade vel ex aqua vino permixta, vel ea, quæ ex cer... ſis nigris diſtillatur, ad guttas quinquaginta aſſumi poteſt.

Ut vero ſalia ſcorbutica edulcorentur, & à ſanguinis maſſa ſeparentur; de potu ante omnia convenienti ſoliciti debemus eſſe, cujus vices æſtivo tempore decoctum appropriatum, at hyemali cereviſia bonæ notæ, veluti eſt Wuthnauenſis, vel Eulenburgenſis, commode explebit. Tum quoque eidem ſcopo ſerum lactis caprini inſerviet, quod ex dicto lacte, ad lenem ignem decocto, & additis ſucci citri, ac naſturtii aliquot cochlearibus percolato conficitur; & menſibus æſtivis, Maio vel Junio, curæ loco, ſorbendo ſingulo mane illius tepefacti menſuram dimidiam, uſurpari debet; conjuncto dicti Elixirii ſub epulis uſu. Ex aquis mineralibus præſenti affectioni non erunt convenientiores ullæ quam Selteranæ: quas etiam cum lacte caprillo maritatas, quantitate menſuræ unius mane ſorbillare, & quovis tertio die laxans ex manna, rhabarbaroque confectum interponere juvabit. Præterea in temperandis ſalibus ſcorbuticis, & demulcenda bile acri excellentiſſimam utilitatem pollicetur dictum ſal aperitivum, ſi circa ſomni tempus ex hauſtu decocti commendati interdum capiatur.

Cæterum, quum in ſecundanda remediorum virtute, nihil eſt fructuoſius recto vivendi genere; huic exacte ſtudendum erit. In primis cœna ſit parcior, nec niſi forte juſculis, aut ovis ſorbilibus ſub ea veſcatur æger: inter prandium evitentur cibi ſaliti, nimiis aromatibus conditi, fructus, acetaria, & cuncta, quæ fermentativum in ſtomacho augent motum. Seligantur potius coctu faciliores, ex quibus juſcula cum ſpinachia, acetoſa, aſparago, naſturtio, ac cancris contuſis parata, palmam obtinent. Quicunque vero comedantur cibi, probe maſticandi ſunt; quoniam tali ratione facilius concoquuntur, ac laudabiliorem progenerant chylum. Potuum porro recta habenda eſt ratio; ſpirituoſiores enim ac vina calidiora ſedulo fugere decet: interim per hyemem vino Hungarico, æſtivo autem tempore, Moſellano uti licebit.

Proinde corporis non omittenda eſt exercitatio; eaque, quocunque fiat modo, nunquam ſtatim à paſtu, ſed optime matutinis horis inſtituenda; ea cautione, ne ſub inimico fiat cœlo, nec ab ea frigidus hauriatur potus. Hanc ſane iterum iterumque commendo; quoniam ex illius intermiſſione labefactatur digeſtio, cruditates in ventriculo generantur, & via ad hypochondriacam paſſionem panditur. Atque tandem animus quoque à mœrore, ac nimiis meditationibus vacuus, in perpetua tranquillitate conſervari, & grato conſortio erigi debet; non neglecta corporis ſufficienti quiete. Quæ ſi obſerventur rite, non dubium eſt, quin in reſtituenda, tuendaque ſanitate, egregium operæ factura ſint pretium.

## CASUS CXXVIII.

### *De affectu arthritico cum peculiari manuum calloſitate.*

MAtrona quatuor & quinquaginta annorum, temperamenti cholerico-melancholici, ab eo tempore, quo per ætatis rationem menſtrua ceſſarunt, non obſtante in horum locum ſubſtituta phlebotomia annua, variis ſymptomatibus, nimirum doloribus capitis, adpetitus vitiis, pathematibus hypochondriacis, preſſorio & inflativo ſiniſtri hypochondrii dolore, inflatione ventriculi, à paſtu potiſſimum,

tiſſimum, cum inſigni præcordiorum anxietate, & ſudore frigido adfligente fuit conflictata. Non minus tormentis à calculo illatis vexata, & ab his liberata, arthriticis manuum, pedum, dorſi ac oſſis ſacri doloribus cruciari cœpit; eo moleſtioribus, quum ſimul hernia, & ani procidentia corriperetur, & adhuc laboret. Articularis morbus cum increſcente luna plerumque incipit, cum digitorum dolore, ac torpore paralytodeo, atque callo utriuſque manus volam, conjuncto vehementi pruritu, obſidente; qui primum colore reliquam cutim æquat, accedente vero plenilunio, in nigram ac corneam fere mutatur ſubſtantiam. Hæc poſt lunæ plenitudinem, in fiſſuras dividitur, atque tophaceam fundit materiam, qualem nodoſa exhibet podagra. Tum cutis furfurum inſtar ſecedit, tophuſque corneus evaneſcit: donec increſcente rurſus luna, eadem repetatur ſcena.

Quare medici cujuſdam opem imploravit, qui datis interne medicinis diaphoreticis, diureticis, eſſentiis, decoctiſque lignorum, pulveribus antiſpaſmodicis, pilulisque purgantibus, ac balſamicis, extrinſecus vero adhibitis unguentis diſcutientibus, nervinisque id quidem effecit, ut cornea illa ſubſtantia manus desereret; ſed tormenta arthritica contumaciter inhærebant. Tandem, elapſo circiter anni quadrante, incidebat in febrem intermittentem, cum purpura rubra conjunctam; ſub qua ſingulo mane lenem ſudorem paſſa, à cunctis doloribus immunis fuit, & rectiſſime valuit. Verum, cum hac febre ſuperata, & articularis morbus, & nodoſi manuum calli revertantur; noſtrum petiit conſilium.

*Epicriſis.*

Accuratior hujus morbi delineatio ferax eſt utiliſſimis obſervationibus, quas paullo exactius hoc loco perpendere, ab inſtituto noſtro haud alienum putamus.

Certa atque indubia conſtat experientia, fœminis, ſi quinquageſimum annum exceſſerint, ceſſante menſtrua purgatione per uterum, cum variis, potiſſimumque chronicis paſſionibus confictandum eſſe; quibus eo facilius obnoxiæ fiunt, ſi otio indulgent, laute vivunt, parum liquidi aſſumunt, & quod maximum, ſi aſſiduo mœrore animum excruciant. Tunc enim facillime incidunt in affectus hypochondriaco-ſpaſmodicos, qui vulgo, ſed perperam uteri vitio adſcribi ſolent. Sæpius etiam malum ſcorbuticum, & cacheεticum, vel dolores arthritici, aut calculoſi fœminas male habent, quibus provectior ætas hanc uterinam abſtulit purgationem. Quarum calamitatum cauſſa haud aliunde nobis petenda videtur, quam ab exuberante humorum copia, nimiaque ſanguinis ſpiſſitudine, quæ tardiori facto humorum circuitu, abdominis viſceribus labem affricat, eorumque infarctibus, & obſtructionibus, mirifice patrocinatur. Quando enim cunctatior eſt ſanguinis per abdominis viſcera progreſſus, non ſolum ſecretio ſalivalis lymphæ, in pancreate & glandulis inteſtinalibus, quæ chylo conficiendo plurimum ſervit, vitiatur, ſed etiam ampliſſimo hepatis viſcere male affecto, utiliſſima bilis ſecretio depravatur, vel minuitur. Hinc vero ilias malorum pullulat, quæ potiſſimum in ventriculo, ac inteſtinis ſcenam ſuam adornant, ea producendo ſymptomata, quæ hypochondriorum vitio imputantur.

Multoties & pluriſariam animadvertimus, fœminas, quibus ætatis ratio menſtruam ſanguinis rejectionem abalienavit, doloribus ex calculo infeſtari, à quibus tamen antea, vigente hoc fluxu, fuerunt immunes; vel horum loco ſævis artuum doloribus corripi. Nam quæ ejuſmodi in ſtatu collocatæ ſunt fœminæ, in iis potiſſimum ob deficientem laudabilis bilis copiam, ingens fit intra primas vias acidarum cruditatum proventus; quæ ſi integræ, ac immutatæ deferuutur ad ſanguinem, calculoſæ ac tartareæ concretioni cauſſam, & occaſionem ſubminiſtrant. Salia autem hæc fixiora, tartarea, humoribus intime conſociata, quando cum urina non evehuntur, ſed motu inteſtino agitata, ſubtiliora evadunt, exquiſite ſentientes membranas, ac ligamenta, quibus artus vinciuntur, occupant: unde haud inſolens, nec inconſuetum eſt, calculum reſolvi in arthritidem; & hanc rurſus tranſire in calculum. Non eſt igitur, quod miremur, ſi in ægrotante noſtra eaſdem nocentis materiæ tranſlationes obſervamus.

Valde notabilis etiam hoc in caſu eſt callus, utriuſque manus volam obſidens, qui ſub lunæ augmento in plures fiſſuras diductus, materiam tartaream, tophoque ſimilem exſtillavit; manifeſto utique indicio, ſerum ſanguinis glutinoſum, ſalibuſque tartareis refertum, fortiori motu ad externas partes relegatum, atque inprimis defixum fuiſſe in volis manuum, ob tendines copioſos, qui hiſce in partibus deprehenduntur.

Illud etiam animadverſione dignum eſt, quod febre tertiana ſuborta, artuum dolores, cum calli generatione penitus exſpiraverint. Frequens enim ſudor, qui deſæviente febris paroxyſmo, largiter fluere conſuevit, humorum maſſam à ſordibus ſalino-ſulphureis egregie repurgavit. Reverſi autem ſunt artuum dolores, febre pravis forſan artificiis cohibita; cujus rei frequens ejus reditus haud levem nobis facit ſuſpicionem. Ego ſane ſic ſentio; ad ſolvendos viſcerum infarctus, ad vitiatas humorum ſecretiones redintegrandas, imò ad antevertendas chronicarum paſſionum origines, magnum in febrili motu poſitum eſſe præſidium: ſi nimirum certis diſtinctus ſit intervallis; quippe cujus beneficio, & vaſa obſtructa reſerari, & viſcidi humores diſſolvi, omniſque generis excretiones reſtitui poſſunt; præſertim, ſi medicus in id ſedulo incumbat, ut ſaluberrimum hunc motum convenientibus remediis ſalinis, ac ſtimulantibus, debitoque regimine adjuvet. Licet autem hinc intelligere, quam male ægris conſulant, qui hujus motus febrilis beneficio nec uti, nec illud in corporis ſalutem vertere ſciunt; in eo unice occupati, ut male feriatis artificiis hos motus ſupprimant.

Cæterum ad hujus mali ſanationem, vix aliud quidquam magis conducere exiſtimamus, quam fontes medicatos, inprimis autem magnam ſpem ac fiduciam ponimus in interno thermarum Carolinarum, & externo Tœplicenſium uſu, cum decenti regimine inſtituendo. Dici enim vix poteſt, quanta vis inſit aquis mineralibus, tam interne, quam externe uſurpatis, ad eradicandas chronicas paſſiones, quarum pertinacia, maxima ex parte, inveteratis viſcerum obſtructionibus fovetur; quod frequenti & attenta obſervatione nobis innotuit.

---

## CASUS CXXIX.

*De malo arthritico-ſcorbutico.*

VIr quatuor ultra quinquaginta annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, debilioris ac ſenſibilioris conſtitutionis, vitæ ſine motu deſidi, nimiiſque lucubrationibus addictus, per longum tempus ex tuſſi ſicca inſignes percepit moleſtias: quæ vero ab acrimonia lymphæ derivata, & uſu remediorum hanc demulcentium ita ſenſim imminuta eſt,

eſt, ut jamjam non niſi mitiſſime adfligat. Præter omnem vero opinionem ſubito accedebant dolores, primum in latus ſiniſtrum, atque dorſum irruentes; & paullo poſt, adhibito forſan pediluvio, pedis ſiniſtri ſuram tanta vehementia obſidentes, ut pedibus abſque exquiſitiori ſenſu inniti haud potuerit. Habebantur hæc dolorum, magis magiſque invaleſcentium tormenta pro podagricis; maxime, cum eadem ratione tribus abhinc annis ægrum infeſtaverant; attamen ope convenientium remediorum è pedibus tandem profligabantur. Verum recrudeſcebant moleſtiſſimæ lateris ſiniſtri puncturæ, ad dorſum uſque excurrentes; &, fruſtra uſurpatis varii generis antihypochondriacis, ſedativis, ac carminativis medicinis, nec non pilulis balſamicis, atque ſale aperitivo Hoffmanni, ad hunc uſque diem, licet per intervalla duntaxat, maximeque ſub fortiori obambulatione, vel celeriori ſitus corporis in lecto mutatione, adfligunt. Noviſſime hæc, ſed in caſſum inſtituta fuit medicatio: Mane ſorbillabat æger infuſum theiforme, ex veronica, china, ſcorzonera & ſarſaparilla confectum; & cum eo mane non minus ac hora quarta pomeridiana quadraginta guttas mixturæ adſumebat; cujus hæc erat formula: Recipe ſpiritus carminativi de tribus, liquoris anodyni Hoffmanni ana drachmas duas, tincturæ martis Ludovici, eſſentiæ caſtorei ana drachmam dimidiam, olei chamomillæ veri, guttas ſeptem. M. D. Sub epulis porro utebatur eſſentia corticum aurantiorum; & veſperi capiebat pulverem, qui ſic habebat: Recipe lapidum cancrorum, matris perlarum, pulveris lumbricorum, ſuccini, ana drachmam ſemis, corticum aurantiorum, ſalis abſynthii, radicis ari ana ſcrupulos duos, olei macis, cinnamomi ana guttas ſex. M. D. Procurarunt quidem hæc medicamenta longiora dolorum intervalla; illos vero prorſus tollere, haud valuerunt: licet cæterum integra ciborum adpetentia, ſomno placidiori, alvoque ſatis libera gaudeat; at ſanguis, qui ex tuſa more ſolito pronuper in pede vena detractus fuit, ater ſeroque privatus adparuit.

*Conſultatio.*

Morbus, quo cum conflictatur vir doctiſſimus, omni procul dubio hypochondriaci, ex vita motus experti, multiſque mentis laboribus contracti, & noviſſime in arthritico-ſcorbuticum mutati nomen tuetur. Neque enim rarum eſt, quod in malo hypochondriaco-ſcorbutico, ſerum acre, impurum, vernali potiſſimum tempore, & ſalutari conſilio, ad externas nervoſas partes compellatur: quod in præſenti caſu ad tunicam, quæ pectus inveſtit, pleuram, & externarum partium membranas decumbens, harum rheumaticas ingeneravit affectiones. Quamvis itaque remedia, in paſſione hypochondriaca, & primarum viarum vitiis, non contemnendæ ſint virtutis: attamen non miror, ea in præſenti caſu votis neutiquam feciſſe ſatis; ſiquidem affectus arthritico-rheumatici diluentibus potius, humorum acrimoniam temperantibus, blandis diaphoreticis, & temperato regimine expugnari debent.

Hac intentione in vicem cereviſiæ pro potu ordinario commendo decoctum, ex radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncia, ſeminiſque fœniculi drachma una, cum tribus aquæ menſuris per integram horam, in vaſe probe clauſo decoctis parandum. Ex hoc hora quinta pomeridiana, atque veſperi circa ſomni tempus, drachmam unam ſequentis aſſumere expediet pulveris; Recipe lapidum cancrorum, ceruſſæ antimonii, matris perlarum, cornu cervi philoſophice præparati ana drachmas duas, nitri depurati ſcrupulos duos, cinnabaris nativæ drachmam dimidiam, pulveris caſtorei grana duodecim. M. D. Præterea mane capiantur ex aqua ceraſorum nigrorum quinquaginta guttæ mixturæ, quæ hunc in modum concinnatur: Recipe eſſentiæ ſcordii bene ſaturatæ, liquoris noſtri anodyno mineralis ana drachmas duas, tincturæ antimonii acris guttas XXX. M. D. Hac ſumta hauriantur quædam vaſcula decocti ſupra citati tepefacti; & lenis ſudor expectetur. Eadem mixtura tuſſi quoque, ſi recruduerit vehementior, conſopiendæ adprime inſerviet, ſi extracti croci grana duo, oleique aniſi guttulæ binæ ipſi addantur: & alvi denique obſtructio clyſterum domeſticorum infuſione commode reſerabitur. Cæterum de convenienti victu nihil monebo; non dubitans, fore, ut à præſentibus ſufficienter inculcetur medicis: id vero unicum adhuc addam, quod ſicuti in expugnandis penitus chronicis affectibus circumſpectus aquarum thermalium uſus omnibus remediorum generibus, palmam longiſſime eripiat: ita ad præſentem funditus tollendum non opportuniores ſint, quam Carolinæ, præſertim illæ, quæ à molendino nomen habent, adventante vere, ſub convenienti regimine potandæ.

---

## CASUS CXXX.

*De arthritide lumbari.*

Vir ſeptem & quadraginta annos natus, juventutis ſuæ anno decimo ſeptimo, poſt ingurgitatam aliquando, cœlo exiſtente fervidiori, calenti commotoque corpori, cereviſiam, fœdis mox faciei effloreſcentiis contaminatus fuit. Quod vitii genus, variis remediis fruſtra adhibitis, per binos cutim defœdavit annos; atque tandem ope ſcarificationum, frequenter inſtitutarum ex facie diſparuit. Verum brevi poſt inſignis pruritus dorſum occupavit, &, niſi quovis fere menſe cutim præberet ſcarificandam, moleſtiam creavit intolerabilem: reliqua ſanitate, ſub vitæ genere ſatis mobili, illibata exiſtente. Parum ergo curavit hanc affectionem, & anno ætatis vigeſimo octavo matrimonium contraxit; quo vix inito accidit, ut, dum caput forſan ad terram inclinaret, rigidiſſimus ſpaſmus dorſum prehenderet, illudque ægre poſſet erigi. Nec raro recruduit id incommodum; at ſemper brevi rurſus tempore exſpiravit. Annum ingreſſus trigeſimum octavum, phlebotomiam bis quotannis celebrare cœpit; hancque ſufficientem fore ratus, ſcarificationes intermiſit. Hinc autem factum eſſe videtur, ut elapſis abhinc quatuor annis ingens ſpaſmus ad os ſacrum defigeretur; quo nec ſpinam commode flectere, nec niſi baculo adjutus obambulare valebat. Remiſit ille impoſito ad affectum locum emplaſtro ſaponato Barbette; at elapſo anno majori vehementia recruduit, omnemque corporis motum impedivit; nec adeo curari potuit, quin ſenſus ille rigidus, reſtituta licet corpus movendi facultate, contumaciter inhæreſceret. Hoc tandem anno, menſe Julio inſigniter exacerbatus rediit; & à medico pro ſpaſmo-arthritico hæmorrhoidali, ab ægro autem pro dolore iſchiadico habitus fuit. Namque hac vice dolor ad os quoque femoris ſe extendit, quod in dextro latere, cui ineſt malum, intumuit: percipitur etiam ſenſus ſanguinis, inſtar formicarum, per totum pedem diſcurrentis; &, quod notatu dignum eſt, omnes hæ moleſtiæ, ſcarificatis femoribus, vel pedibus, egregie mitigantur. At cum nec ſanguinis ea miſſione, nec decoctis mundificantibus, nec pulveribus antiſpaſmodicis, nec dicto emplaſtro prorſus

ſus tolli poſſit malum: ad Te, Vir Experientiſſime, confugit æger, tuumque flagitat auxilium. Pollet ille cæterum carnoſo valde, ac ſpongioſo corporis habitu; & per noviſſimum tempus, matutinis horis large ſudare ſuevit; nullas vero unquam hæmorrhoidum, nec fluentium, nec cœcarum percepit notas.

*Conſilium.*

Affectus præter naturam, cujus cauſſa conſultus ſum, ſi dicam nomen, ipſi apprime conveniens, rheumatiſmus, ſeu arthritis lumbaris vocari meretur. Conſuevit nimirum benigna natura, in iis corporibus, quæ ſpongioſa ſunt, pluſque ſanguinis ac humorum, quam par eſt, fovent, horum abundantiam varii generis excretionibus imminuere; quas in junioribus per narium hæmorrhagias, ætate vero provectioribus, per hæmorrhoidalem fluxum fieri conſpicimus. Quod ſi vero hæ cruentæ fluxiones, ob locorum, per quæ contingere debent, inopportunitatem, ac minus rectam diſpoſitionem, haud ſucceſſerint: nihilo tamen minus deprehendimus, humorum affluxum ad eas partes continuare. Denegato igitur exitu, cumulati in iis locis ſucci ſtagnant; nervoſaſque, quæ vicinæ ſunt, regiones graviter afficiunt, vellicant, atque ad ſpaſmos & dolores proritant. Eadem in noſtro caſu contigiſſe, vero eſt ſimillimum; & exploratis cunctis morbi momentis, inducor utique, ut credam, cruorem hic circa lumbares vertebras ſubſtitiſſe, & comprimendo nervoſas, quæ cum oſſe iſchii atque coxendicis per conſenſum communicant, partes, ſpaſmum fixum, ac dolorem per totum dextrum pedem excurrentem peperiſſe.

Has ergo moleſtias, nullis nec ſanguinis miſſionibus, nec aliis, eo uſque adhibitis medicaminibus obſecundantes, ut convenienti ratione funditus exſtirpemus: hac potiſſimum medicatione nos voti compotes fieri poſſe exiſtimamus. Primum quidem ad potum reſpicere oportet; cui nulla penitus convenit cerevisia; ſed in hujus vicem ſubſtituendum ſuadeo decoctum ſanguinem mundificans, quod grati saporis eſt, & ſic concinnatur: Recipe radicis chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam unam & ſemis, ſeminis fœniculi drachmas tres. M. F. ſpecies, quarum uncia una & dimidia, cum aquæ puræ menſura per horæ dimidium probe coquatur. Deinceps alvi perpetuam conſervare decet libertatem, qua quidem intentione fortiora purgantia, pilulaſque, quæ multam fovent aloen, ob ſanguinis, quas inducunt, ebullitiones, ſtudioſe vitare; & potius leni laxante mannato ac rhabarbarino, corpus bis quavis hebdomade purgare expediet; quod ita confici poteſt: Recipe mannæ electæ unciam ſemis, cremoris tartari drachmam unam cum dimidia, rhabarbari pulveriſati drachmam: coque & ſolve leni calore in aquæ communis unciis ſex, colatis adde olei de cedro guttas quinque. M. D. S. potio pro una doſi.

Tum vero hirudinum adplicationem proficuam judico; quæ priuſquam fiat, anum fovere juvabit, vapore, quem decoctum ex lacte, floribus ſambuci, atque chamæmeli paratum emittit, ope ſellæ perforatæ, ipſi aliquoties admiſſo: quo non tantum dolores mitigabuntur, verum etiam ſedales venæ intumeſcent, ut ipſis poſthæc hirudines à perita manu, feliciori ſucceſſu admoveri queant. Harum uſus, ſi non arriſerit, ſanguinis ex vena in pede tuſa factam miſſionem laudo; ea tamen cautione, ne affatim, nec nimis crebro fiat, quoniam illa juſto copioſior, & totius corporis vires, & præſertim robur ventriculi labefactare deprehenditur.



Ad hæc, ſi corpus laxante dicto probe purgatum, ſanguiniſque moles imminuta fuerit; operæ pretium faciet ſuffimigium, quod ex gummi animæ, tacamahacæ, elemi, maſtiches, ſuccini ana uncia, balſamique Peruviani drachmis duabus, groſſiori modo contuſis apparare, & ſic adhibere ſoleo: Ægro ſellæ perforatæ inſidenti, ſupponuntur prunæ candentes, & vapor ex dicto pulvere, ipſis inſperſo, emergens, dorſo cruribuſque admittitur, reliquo corpore probe velato; tum lectum petere, & hauſtis in eo aliquot decocti ſupra commendati, ac tepefacti vaſculis, lenem expectare ſudorem oportet. Cui quoque ſcopo inſerviet pulvis meus bezoardicus, ſi pondere drachmæ dimidiæ bis quavis hebdomade veſperi aſſumatur. Et denique extrinſecus ad locum dolentem, unguentum nervinum, ad imitationem emplaſtri diaſulphuris Rulandi confectum, adplicari ſuadeo, cujus hæc ſit formula: Recipe florum ſulphuris unciam ſemis, ſalis tartari drachmas duas; fluant in tigillo, fiat maſſa, quæ coquatur in olei olivarum unciis tribus, hyoſcyami uncia ſemis, adde olei juniperi, templini, therebinthinæ, camphoræ ana drachmas duas. M. D. Quæ cuncta per tres hebdomades uſurpata, ſi malo profligando nondum ſuffecerint; longa edoctus experientia, internum acidularum Sch albacenſium, & externum balneorum Lauchſtadienſium uſum commendo; hæcque conſilia, ut proſpera reddat ſummum numen ex animo precor.

---

## CASUS CXXXI.

*De malo venereo.*

Vir generoſus triginta annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, novem abhinc annis, ex impura venere virulentum ſibimet contraxit ſeminis profluvium: quo per ſalivationem, mercurio extrinſecus illito excitatam curato, tribus poſt annis, ulcus obſedit non colem modo, verum etiam fauces, & ipſam frontem. In hoc rerum ſtatu, variis lignorum decoctis, regimine ob intercedens neceſſarium iter minus rite obſervato, in caſſum adhibitis, redux tandem factus ope mercurii diaphoretici conſanuit. Elapſo ſemeſtri, immanes rurſus in caput & articulos incidere cœperunt dolores, variique nodoſi durique tumores hinc inde obſederunt artus, quorum unus tibiam occupans, inciſus exſtillavit tophaceam amurcam: ſed uſurpatis decoctis, mercurioque diaphoretico, cuncta brevi tempore exſpirarunt incommoda.

Abhinc ſe rectiſſime valere perſuaſus, ex improviſo tumore ſcroti ſcirrhoſo corripitur; quo ope externorum remediorum diſcuſſo, præter opinionem rurſus intumeſcit ſcrotum, & in ſiniſtro latere gravi celeriterqué depaſcente ulceratione afficitur, adeo ut ipſius teſticuli ſuppuratio immineret, & elapſis demum duodecim abhinc hebdomadibus, ulcus coaleſceret. Sed brevi poſt ſcrotum in dextro latere eodem modo ulceratur, ac totum fere depaſcitur, ut nudus in conſpectum veniat teſticulus; neque tamen minus jam ſaneſcere videtur.

Ad hæc cum variis per totam hyemem, conflictatur ſymptomatibus, quorum hæc potiſſima ſunt: Cunctis artubus ſævus ineſt dolor; oſſium in manibus pedibuſque connexiones, rubore inflammatorio afficiuntur, qui in tumorem elevatus dolere deſinit; in capite artubuſque expullulant tubercula duriora; quorum noviſſimum, in vola manus obortum, cum ſuppurare videretur, lanceola à Chirurgo inciſum, ſaniem fœtidam, materia lardo ſimili permixtam, larga ploravit quantitate; & ſubtus carie exeſa

oſſa oſtendit, ſanationem tamen, utut lentam admittens. Pedes, antea circa veſperam intumeſcentes, à tumore jam liberi ſunt; urina mingitur rubra, ſedimentum cinnabaris inſtar rubicundum, ad matulæ fundum deponens; pulſus fertur mox æqualis, mox juſto celerior, atque debilis; atque cœcæ vexant hæmorrhoides. Neque tamen minus integra ciborum gaudet adpetentia; ſomnoque, quantum dolorum tormenta permittunt, ſatis tranquillo ac reficiente fruitur: vires quoque ſibimet conſtant, ut, cœlo exiſtente ſereno, obambulare, atque curru vehi queat; ac denique alvus rite reſpondet, ejuſque non raro accedit profluvium. Remedia, quibus hac hyeme uſus fuit, ſunt infuſa theiformia, tinctura metallorum, eſſentia corticum aurantiorum, & pilulæ balſamicæ Hoffmanni: ſed quum nullis ſe ſublevari ſentiat præſidiis, à Tuo, vir illuſtris conſilio ſolamen expectat, atque anhelat.

*Conſilium Medicum.*

Gallicum morbum non leves in viro generoſo egiſſe radices, neque fluidis ſolum, verum ſolidis quoque partibus magnam intuliſſe labem, ex communicata mecum hiſtoria ſatis eſt perſpicuum. Quum enim miaſma ac quaſi fermentum venereum non ſtatim ab initio, ſufficientibus hunc in finem remediis, ex humorum maſſa penitus expurgatum, & potius graviora ſymptomata, ope decoctorum, atque mercurii diaphoretici, palliative, uti dicunt, duntaxat conſopita fuerunt: non mirum eſt, ſi illud ſerpſerit profundius, ſæviſque doloribus, ac novis ſemper ulceribus repullulaverit. Quamobrem ſi funditus ab eo malo liberari cupit vir generoſus; hac potiſſimum via incedendum eſſe arbitror. Ad alvum primo leniendam, & ſordes craſſiores per illam educendas, hanc laudo potiunculam: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, foliorum ſennæ, rhabarbari Alexandrini ana drachmam ſemis, cremoris tartari, ſalis Epſomenſis ana drachmam unam, coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque; colaturæ adde aquæ cinnamomi unciam ſemis, ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro drachmas tres, olei de Cedro guttas duas. M.F. potio. Hanc in binas partes dividere, & primo biduo adſumere oportebit; adeo, ut mane repetitis hauſtibus, interpoſito juſculo avenæ tenuiori, ſorbilletur.

Tum per ſex ſucceſſive dies in uſum vocandum ſuadeo ſequens decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, chinæ ana uncias duas, ſarſaparillæ electæ uncias quatuor, pimpinellæ unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas tres. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ, addita mercurii dulcis, in petia ligati, drachma una, cum duabus aquæ menſuris, ad conſumtionem partis dimidiæ coquantur: ſub quavis quinta decoctione, renovando mercurii doſin. Hujus decocti calefacti octo circiter unciæ mane bibantur; & elapſa abhinc hora, deſcendatur uſque ad umbilicum, in balneum ex aqua tepidiori, cui flores chamæmeli, ac ſambuci, ſacculo incluſi immittantur, paratum. In hoc per tres horæ quadrantes commoratus æger, atque tunc egreſſus, conferat ſe in lectum, & ſorbillata eadem, uti antea, decocti calidioris quantitate, leniter ſudet. Veſperi vero cubitum iturus, capiat ſequentem pulverem: Recipe ceruſſæ antimonii, lapidum cancrorum ana drachmas duas, cinnabaris nativæ præparatæ drachmam unam, lactis ſulphuris ſcrupulum unum, olei de cedro guttas ſex. M.F. pulvis, div. in ſex doſes.

His per ſex dies uſurpatis, ſupra dictum laxans denuo repetendum; deinceps balneo, decoctoque per ſex iterum dies utendum; ac denique, ſumto laxante, curationem finiendam hortor. Cæterum uti ſemper, ita ſub hac potiſſimum medicatione, rectam vivendi rationem exactius obſervare oportet. Neque enim nimis pinguibus, aut elixis; ſed potius aſſis cibis, aut prunis coctis, aut juſculis, cum naſturtio decoctis veſcendum; & pro potu ordinario, cui nulla nec cereviſia, nec vinum convenit, decocto, quod ex ſupra dictarum ſpecierum unciis duabus, cum quatuor aquæ menſuris, additis, ſi placuerit, caricis vel paſſulis paratur, minus ſaturato utendum erit. Quæ rite adhibita, abſque dubio, ſalutarem allatura ſunt effectum; quem Deus reddat felicem, ex animo precor.

---

## CASUS CXXXII.

*Exhibens conſilium in reliquiis luis venereæ.*

TRiginta annorum, temperamentique ſanguineo-phlegmatici vir, ante octo circiter annos, poſt nimiam, impuramque venerem in variis corporis locis, multos paſſus eſt tumores; quorum, regimine diaphoretico diſcuſſorum, quidam in dextra, eaque anteriori tibia remanebat mollior & nocturno tempore, atroces inferens dolores. Uſurpatis variis remediis, decoctis lignorum, & antivenereis, provocatoque ſæpius per vaporem ex ſpiritu vini admiſſum, totius corporis ſudore, tandem evaneſcere quidem videbatur hoc tuberculum: at inſtituto, quinque circiter abhinc annis, ſub ipſa curatione, cœlo exiſtente gelidiſſimo, neceſſario itinere, efflorеſcebant rurſus varii hinc inde tumores. Hi nullis fere removeri potuerunt remediis, nec emplaſtris, nec unguentis mercurialibus: niſi quod aliquando fiſſa ſumma cuti, erumperit tophacea ac gummatoſa materia.

Conſultus ego tribus elapſis menſibus, deprehendi tumores admodum, & maxime circa noctem dolentes, tibiam potiſſimum dextram obſidere; quorum tres præſertim adnotavi. Alter in ſuperiori, ſimul anteriori tibiæ parte obvius, verus videbatur tophus oſſeus, ex ſaburra viſcida, laminas oſſeas diſtendente generatus: reliquæ duæ minores protuberantiæ inferiorem tibiam, ubi cum tarſo connectitur, occupant, &, cum inæqualem ac aſperam tangentibus digitis exhibeant ſuperficiem, gummatum utique gallicorum, quæ externum os inter ac perioſtium expullulant, nomen merentur. Quare commendavi primum ſalivationem mercurialem; quam cum partim ipſius ægrotantis averſatio, partim hyemale tempus diſſuaderent; hac uſus ſum medicatione. Bis quotidie, matutino ſcilicet, & pomeridiano tempore ſorbillandum dedi infuſum theiforme, ex lignis antivenereis, radice chinæ, bardanæ, ligno ſaſſafras, liquiritia, floribus roſarum, corticibus citri, & aurantiorum confectum; ex quo alternis vicibus, mox panaceam tartaream, mox ſexaginta guttas eſſentiæ lignorum propinavi. Veſperi exhibui pulverem, qui abſorbentis cujuſdam, ac mercurii dulcis, ſingulorum ſex habebat grana; & quovis ſeptimo die interpoſui pilulas, ex mercurio dulci, reſina jalappæ, & extracto panchymagogo Crollii confectas. Ex topicis, mane veſperique unguentum, quod pinguedinem humanam, ſtyracem calamitam, benzoen, mithridatium, theriacam, mercurium vivum, oleum ſpicæ, rutæ, ac juniperi continebat, tuberculis illinendum, illiſque per noctem emplaſtrum de ranis Vigonis, cum triplo mercurii curavi imponendum.

His per quatuor hebdomades, abſque debito regimine, ac ordine uſurpatis, is ſucceſſit effectus; ut dolores prorſus conquieſcerent, tophus imminueretur, gummataque ſenſim molliora, invicem coirent, &

unum in medio oſſis formarent tuberculum. Idcirco omiſit intetnorum remediorum uſum, ſed externa continuavit; attamen exinde nocturnos recrudeſcere ſentit dolores, circa æquinoctiorum tempus exacerbatos; à quibus & reliquo malo ut vindicetur, ſalubre flagitat conſilium.

*Conſilium.*

Ex litteris, quas de gravi Viri cujuſdam valetudine accepi, luculenter patet, gallicæ luis non levia in ipſo ſervari veſtigia, venereaque ſeminia humoribus, & maxime lymphatico latici adhuc inhæreſcere. Pathologicæ hujus mali explicationi haud immorabor; ſed rectam ipſi medendi rationem, duntaxat docebo. De uſurpatis eo uſque medicaminibus, non habeo, quæ moneam; niſi quod ea malo venereo radicitus exſtirpando minime ſufficere arbitrer. Tale enim virus non alia prorſus ratione expurgari poſſe credo, quam ſi levius fuerit, per ſulphur mineralium, & hinc excitatum ſudorem; ſi vero invaluerit, per mercurium, & inde provocatam ſalivationem. Quod noſtrum attinet caſum, non dubito, quin ſine ſalivatione mercuriali, ſolis decoctis, quæ fovent antimonium crudum, poſſit debellari. Atque hanc ſic adornare ſuevi curam:

Decoctum fit, ex radice ſarſaparillæ, antimonio crudo, groſſius pulveriſato, & ſale tartari, in petia ligatis, & adfuſa ſufficienti aquæ quantitate, per unam & dimidiam horam, in vaſe probe clauſo, ad tertiæ partis conſumtionem decoctis: cujus, quantum tres menſuræ partes fovent, mane calide, dimidia vero menſura hora pomeridiana quarta frigide hauriatur. Veſperi ſumatur pulvis, qui ex reguli antimonii medicinalis, cornu cervi uſti ana granis duodecim, cinnabaris granis ſex, olei ligni ſaſſafras grano uno componitur: quæ utraque medicamina, ſub convenienti victus obſervatione, quem præſentibus medicis ordinandum relinquo, per quinque, vel ſex continuentur hebdomades.

Cæterum, ſi alvi ſegnities acceſſerit, hanc data mannæ uncia una cum dimidia ſolvere expediet; & extrinſecus balſamum ex hepate ſulphuris, oleo juniperi, therebinthinæ, rutæ atque tartari per digeſtionem paratum, tophis ac gummatibus inungere, aut idem balſamum, cum cera, pice alba, gummi ammoniaco, ſpermate ceti & croco, in formam emplaſtri redactum, illis adplicare juvabit.

---

## CASUS CXXXIII.

### *De cacochymica corporis conſtitutione.*

VIr annorum triginta quatuor, maris jam accola, temperamenti ſanguineo-cholerici, lautarum, largarumque epularum, & inſimul vitæ ſedentariæ amantiſſimus, primam juventutem in ſanitate tranſegit illibata. Verum cum ex Academiis redux, anno ætatis vigeſimo ſexto matrimonii leges ſubiret, publicoque in urbe maritima fungeretur officio; accidit ut febre intermittente, valde irregulari, & mox quotidianæ, mox tertianæ, mox quartanæ typum ſervante prehenderetur. Multis ad eam debellandam fruſtra adhibitis, cortex tandem chinæ, una cum uſurpatis deſuper acidulis Pyrmontanis, operæ fecerunt pretium. Has quoque ſequenti anno potavit, & tertio hauſit Schwalbacenſes, valens rectiſſime. Sub hac potatione fere finita, febre rurſus intermittente, bis recidente, bis quoque ope Peruviani corticis repulſa corripiebatur. Et ab eo tempore præter catarrhales adfectiones, rariores pariter ac leviores, non habebat, de quo conquereretur: talis autem defluxio, Junio circiter elapſi anni menſe, tanta ſubito vehementia, fauces obſidebat, ut ſuffocari videretur, & medicus catarrhum ſuffocativum utique timeret, ſed excreta, poſt convenientes injectiones in collum factas, inſigni muci partim viſcidi, partim ſeroſioris quantitate, paucis diebus ab hac etiam liberabatur moleſtia. Brevi poſt, prævio horrore, æſtum febrilem incidebat, per aliquot dies continuum; ſub quo, cum ex inciſa vena detraheretur ſanguis, tantum languorem, tantamque virium jacturam protinus ſentiebat, ut præter crebra, quæ patiebatur, animi deliquia, ſudore gelido, eoque copioſiſſimo fere diffflueret. Nihil tamen medicinarum ſumſit: niſi acidulam quandam tincturam, & aliam, cui allium ineſſe videbatur, ex vino Burgundiaco capiendam; quæ tantum ferebat levamen, ut octavo die febris exſpiraret; relicto corporis vehementi languore.

Vix vero ſex vel ſeptem abhinc dies effluxerant; cum à ſomno meridiano expergefactus, pedem dextrum gelu frigidiorem perciperet. Inniti huic non poterat, nec in conclavi, licet adjutus miniſtro, obambulare valebat; hinc illum fricari curabat linteis calidis; neque vero has frictiones abſque horrendis cruciatibus perferebat. Torquebatur potius per quatuor hebdomades atrociſſimis doloribus; qui pro podagricis habiti, ab adplicatione topicorum, veluti erat farina ſecalina, fabarum, aliaque magis exacerbabantur. Accedebat febris intermittens quotidiana; &, quod notabile erat, ſub ejus frigore, ceſſabant dolores; ſed invadente calore, eo acerbiores adfligebant. Hac per corticem chinæ intra ſex dies ſuppreſſa; pedis dicti tormenta nihilo minus inſiſtebant; donec ſenſim, poſt longas frictiones, primum crus ac tibiam, tandemque infimum quoque deſererent pedem; ut æger, innixus baculo, in publicum rurſus prodire potuerit.

Conſultus tum Medicus, haud incelebris, negabat adfuiſſe podagram; ordinabatque infuſum theiforme, & ſpiritum nervinum. Silebant omnia ſymptomata; at facto forſan itinere, denuo recrudeſcebant, cum doloribus, noctem verſus exacerbatis. & ſpaſmodicis membrorum ſubſultibus conſtipata. Poſt binas hebdomades rurſus conquieſcebant; ſomnus, adpetitus, ac vires redibant; & pulvis ſternutatorius, quem ſub hoc malo inſigni averſabatur tædio, cum voluptate in uſum revocabatur. Sic ergo, uti videbatur, perſanatus, ſolitos iterum adgrediebatur labores, atque meditationes; ſed ecce! tantam perſentiſcebat memoriæ debilitatem, ut ab inſtituto deſiſtere cogeretur; quæ vero ſucceſſive priſtinum recuperabat vigorem.

Interim licet ab eo tempore adpetitu egregio, ſomnoque tranquillo gaudeat, & adminiſtrandis muneribus ſatis par ſit: attamen pes ille dexter adhuc vitio quodam laborat, quod ægrum reddit ſolicitum. Namque hora matutina nona incipit refrigeſcere, frigusque hoc uſque ad cœnam retinet adeo moleſtum, ut polleat quidem eundi facultate; ſed ſi celerius atque diutius obambulaverit, dolore afficitur, & tendinum quadam veluti contractura. Ipſe pes paullulum emacreſcit, & non raro puncturis acutiſſimis infeſtatur: tumque totum dextrum latus gelido ſenſu perfunditur. Nec ignorari oportet, dictum pedem, qui olim nulla arte ad ſudandum moveri poterat, jamjam ſæpius madere ſub ipſo gelu. Præterea moleſto ani pruritu adficitur; & mane copioſum mucum exſcreare tenetur. Quæ cuncta ſymptomata medicus quidam ab hæmorrhoidibus derivat; ex quarum procurato ſucceſſu, omnium malorum ſanationem pollicetur.

*Reſponſum Medicum.*

Cuncta ſymptomata, quæ pateris Vir Conſultiſſime, conſtitutioni corporis valde cacochymicæ, ac ſcorbuticæ deberi, minime dubitari oportet. Cujus ſi perquiram cauſſas, ex iis, præter vitam ſedentariam, meditationum ac lucubrationum plenam, atque aërem marinum, impuris exhalationibus fartum, nullæ ſe mihi aliæ offerunt, quam febrium, quibus infeſtatus fuiſti, perverſæ tractationes. Etenim valde importunum fuit, eas per corticem chinæ oppugnare; intempeſtiva ſanguinis miſſione, illius graves commotiones excitare, atque ſuccis ſcorbutica labe contaminatis, tincturas acidulas propinare. Siquidem ob haſce cauſſas humorum craſſities magis augetur, ac ſuſtentatur; neque igitur mirum, ſi illius circuitus, in extremis potiſſimum partibus, veluti ſunt pedes, retardetur; vaſculaque minima obſtruantur. Hinc enim ratio petenda erit, cur pes dexter dolore, frigore, ac contabeſcentia quadam afficiatur.

Tantis vero, tamque inveteratis, ac fixam ſedem nactis vitiis medendi, perardua eſt provincia; & niſi convenientium medicinarum uſus, temporis diuturnitate adjuvetur, omnis opera erit irrita. Meo quidem arbitrio, non contemnendi uſus futuras cenſeo acidulas Pyrmontanas; ſi ea cautione adhibeantur, ut tepidiores ſint, & primum per dies quatuordecim ſolæ, tum per idem tempus, lacte vaccino permixtæ, quantitate menſuræ unius, quæ binas aquarum, & unam lactis partem foveat, ſingulo mane potentur. Conjungenda quoque huic potationi, ſi cum lacte fiat, ſunt balnea, ex iiſdem acidulis confecta, temperata; è quibus egreſſus, lectum petas, inque eo leniter ſudes, hortor. Non minus ſub hac curatione, inter epulas ex ultimo hauſtu adſumere expediet quinquaginta guttas eſſentiæ, quæ ex tincturæ tartari, eſſentiæ caſcarillæ, & gentianæ rubræ ana uncia una, oleique ligni ſaſſafras guttis duodecim concinnatur.

Porro te omittere oportebit omnem cereviſiam; & potius pro potu ordinario uti decocto, ſic parando: Recipe radicis ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, cichorei, glycyrrhizæ ana unciam, ſalis tartari drachmas duas. M. F. ſpecies, quarum duæ unciæ ex tribus aquæ menſuris, per tres horæ quadrantes decoquantur. Pedibus extrinſecus nihil admovere decet; nec iis, niſi externo calore, interne aucta tranſpiratione ſuccurri poteſt: quo fine hortor, ut mane pariter ac à meridie ſorbillentur quædam vaſcula infuſi, quod ex herbarum ſcordii, veronicæ, ſummitatum millefolii ana manipulo, aniſi ſtellati drachmis duabus, conc. contuſiſque componitur. Quæ ſi adhibueris; de felici eventu nullus dubito.

---

## CASUS CXXXIV.

*De pathematibus multis ex ſuccorum abundantia & impuritate.*

VIr generoſus, novem ultra triginta annos natus, temperaturæ ſanguineo-melancholicæ, lautis uti ſolitus epulis, ſub duris corporis defatigationibus, quas in tenera juventute ſuſtinuit, crebras largaſque paſſus eſt narium hæmorrhagias. Juvenis novemdecim annorum, dyſenteria laboravit, quæ præmaturis adſtringentibus cohibita, tumores pedum œdematoſos, & paullo poſt calloſos, malleolis potiſſimum inhærentes, & ægre ſublatos, poſt ſe traxit. Exinde lentis paſſibus hypochondriaca pathemata, quorum præcipuum fuere cordis palpitationes, ir repſerunt: quibus anno potiſſimum vigeſimo tertio ætatis ſuæ, variis decoctis attenuantibus, & inciſione venæ medianæ obviam fuit itum. Eodem anno incidit in febrem acutam; qua perſanata, ſex integros annos continuis itineribus, ac peregrinationibus, nullis fere calamitatibus preſſus tranſegit. Deinceps vero cum matrimonio ſedentariam aggreſſus vitam, anno 1721. ætatis trigeſimo primo, adverſa turbari cœpit valetudine. Namque autumnali dicti anni tempore ex improviſo, gelidiſſimo circa dorſi ſpinam, ſenſu, totum ſiniſtrum latus occupante prehendebatur: qui poſthæc per intervalla redibat cum tanta artuum extremorum refrigeratione, ut nec fotibus ſpirituoſis, nec veſtimentis calidioribus ſatis foveri potuerint; donec ſponte remitteret paroxyſmus. Sequenti anno, dum ſummo mane, tempeſtate uda, ac nebuloſa exiſtente, iter faceret, præter opinionem magna ſeri quantitas ex ſiniſtra promanabat aure; qua fluxione ceſſante, interjectis aliquot hebdomadibus, vehementi dictæ auris tinnitu, ſuſurru, & quadam auditus gravitate corripiebatur: ſed effluente iterum ſero valde acri, cujus excretio per aurem adhuc infeſtat, & hæ remittebant moleſtiæ.

Interim paullo poſt, menſe Auguſto, corripuit ipſum cruentum alvi profluvium, cum acutis inteſtinorum doloribus, & moleſto ani teneſmo conjunctum, quod pro dyſenteria habebat. Abſente medico, campeſtris chirurgus exhibebat fortius emeticum; ex quo ter vomuit, quinquies alvum dejecit, & à malo ſuo penitus convaluit. Tribus abhinc ſeptimanis, iter adgreſſus, per integram noctem, in curru ſuo ſub dio commorari, corpuſque vehementi frigori exponere tenebatur: quo facto, gravem incidit pectoris catarrhum, ope pectoralium medicinarum intra trium hebdomadum decurſum feliciter diſcuſſum. Quum autem adpetitus haud rite ſibi conſtaret, ad hunc inſtaurandum æque, ac morbi reliquias eliminandas, ſuaſu medicorum, per ſex ſucceſſive dies magneſiam albam ſumſit, cum copioſis alvi dejectionibus, & adpetitus reſtitutione. Verum vix octo dies abhinc effluxerunt, cum gravi corriperetur vertigine; ſtomacho jejuno, atrocius adfligente. Adhibitis in caſſum permultis, iiſque etiam caſtorinis medicinis; undecim cruoris unciæ ex inciſa vena mediana detrahebantur; ſumebat quotidie aliquot vini Hungarici hauſtus, & alvi lubricitatem, ope Elixirii Prop. Paracelſi conſervabat; unde factum eſt, ut mitior & rarior recurreret vertigo; non tamen prorſus tolleretur, ſiquidem recurrebat, ſi rheumatica per aurem fluxio forſan cohibeatur.

Conſultus igitur celebris quidam medicus, præter venæ ſectiones bis quotannis circa utrumque æquinoctium celebrandas, ſuadebat pulveres temperantes, antiſpaſmodicos, infuſa laxantia, ac theiformia, nec non pilulas; quæ medicamina binis ſucceſſive annis per integrum menſem adhibuit vir ægrotans; & magnum quidem ſymptomatum ſuorum levamen inde ſenſit, priſtinam vero ſanitatem minime recuperare potuit. Accedebant potius ingens ſitis, nocturnique ſudores, cum notabili virium languore ſtipati: poſtquam vero curatione, quam vocant avenaceam, *die Haber-Cur,* bis quotannis uſus erat, utraque evanuit moleſtia, niſi quod ſudores illi nonnunquam revertantur. Anno 1725. glandulæ parotides circa dextram aurem intumeſcebant, molli tumore, ut ſuppurare viderentur, & iis diu imponeretur emplaſtrum emolliens: anno 1728. vero ſponte diſcuſſus tumor, ad ſiniſtrum latus, ſub maxilla inferiori irruit, bina ibidem formans tubercula, adhuc conſpicua; nec per lignorum decocta, tribus hebdomadibus pota expugnari potuerunt. Denique notari meretur, quod binis

binis abhinc annis, circa vernale æquinoctium, poſt fortiorem corporis motum, cruor per ſedales venas eruperit; ſed ab eo tempore nullis ſubſidiis, nec pediluviis, nec venæ ſectionibus, nec equitationibus, aliiſque, revocari potuerit hæc excretio.

Hic erat rerum ſtatus, quem æger mecum, elapſo anni ſpatio, qui erat 1728. communicaverat: illorum vero ſymptomatum, quæ ego tum obſervavi, hæc eſt idea. Vexabant lumborum dolores; & gelidiſſima ſenſatio, dextrum pariter ac ſiniſtrum latus, cum præcordiorum anxietatibus, ac ſpirandi difficultate obſidebat: atque duo duri tumores ſub maxilla inferiori ſiniſtri lateris comparebant. Judicavi igitur, morbum in ſpaſmodica partium membranaceo-nervoſarum ſtrictura, & inde pendente humorum inæquali circuitu, ac ſtagnatione in imi ventris viſceribus poſitum eſſe; ac ex tali ſpaſtica diſtentione cuncta ſymptomata, ſcilicet ſummas præcordiorum anxietates, difficilem ſpirationem, vertiginem, dolores ac refrigerationem lumborum &c. derivari poſſe putavi. Hinc diuturnam fore curationem prædixi; & primum præter pulveres antiſpaſmodicos, ob alvi ſegnitiem propinavi pilulas polychreſtas; commendavi porro pediluvia, cum floribus chamæmeli, & furfuribus tritici confecta, & venæ ſectionum pariter ac corporis exercitii continuationem injunxi; neque minus, ut hirudines ano admoverentur juſſi. Nec male habuit ex his remediis; quum autem ad malum funditus debellandum minime ſuffecerint; ad Te confugimus, vir Excellentiſſime, nonque niſi Tuo adjuti conſilio, ulterius pugnare audemus.

*Conſultatio.*

Quanquam in præmiſſa morbi hiſtoria, multa momenta ad eam illuſtrandam neceſſaria fuerint omiſſa: attamen ex iis, quæ percepi, utique hariolari licet, ægrum noſtrum ſpongioſo corporis habitu, languido valde nervorum genere, atque copioſis ſuccis præditum, inſigni ad motus anomalos ſpaſmodicoſque proclivitate pollere; concurrente procul dubio hæreditaria diſpoſitione, qua alter parentum, forſitan mater ejuſmodi pathematibus obnoxia fuit. Quum porro juventutem ſuam duro vitæ genere tranſegit; vero eſt ſimillimum, diætam tum minus ordinatam fuiſſe, quin ipſum præmaturæ veneri indulſiſſe. Quæ cauſſæ, ſi concurrerint, ſatis efficaces ſunt, & ſolidarum partium robur pervertendi, & humorum tam abundantiam, quam impuritatem ingenerandi: quo in corporis ſtatu non fieri poteſt, quin ſpaſmodicæ motiones ſuboriantur, & humorum congeſtiones ad varia loca fiant, eorumque, ſi denegetur exitus, graves contingant ſtagnationes. Atque taliſmodi ſpaſmodicis ac congeſtoriis motibus, nituntur profecto, iiſque abſolvuntur, crebriora, quæ noſter in juventute paſſus eſt, ſanguinis è naribus profluvia; hæc excipiens dyſenterica fluxio; inſequentes hypochondriacæ paſſiones, ac cordis palpitationes: iiſdem debentur accedentes, ætate provectiore, paroxyſmi ſiniſtri lateris veluti paralytici, ac illius vehemens refrigeratio; humorumque poſt corporis frigus, & prohibitam tranſpirationem, decubitus ad capitis ſiniſtrum latus; à quibus fluxio ſeri viſcidi ex aure ſiniſtra, hujus tinnitus, ſuſurrus, difficilis auditus, ac tumores parotidum pariter ac maxillarium glandularum, natales ſuos mutuantur. Neque enim cuncta hæc ſymptomata aliam materialem cauſſam agnoſcunt, quam humorum ſtagnationem in vaſis meſaraicis, & imi ventris viſceribus, eorumque impuram valde ac ſcorbuticam diatheſin, à prohibita ob continuum frigus lateris ſiniſtri perſpiratione, multum ſuſtentata.

Hoſce vero morbos, qui præter ſuccorum vitalium vitia, à nervoſi generis debilitate ac promptitudine ad irregulares motus nutriuntur; difficile admodum eſt, radicitus exſtirpare. Ut autem, quantum poſſibile eſt, opem feramus; eo annitendum medico ante omnia eſſe arbitror; ut nimium ſanguinis & humorum incrementum præpediat. Namque ſanguinis nimiam, & vires naturæ, vaſorumque proportionem excedentem molem, præcipuam cunctis, quibus æger eo uſque preſſus eſt, adfectionibus dediſſe cauſſam; exinde luculenter patet, quod natura eam plethoram in juventute narium hæmorrhagiis, deinceps alvi cruentis fluxionibus, quas, cum virium jacturam non habuerint comitem, pro criticis magis, quam ſymptomaticis habendas eſſe reor, ac noviſſime per venas hæmorrhoidales imminuere ſtuduerit; quodve inſtitutæ hactenus venæ ſectiones, levamen tulerint. Huic ergo ſcopo obtinendo perquam opportunum fore arbitror, ut tempeſtivæ phlebotomiæ, convenienti regimine adjutæ, circa æquinoctiorum & ſolſtitiorum tempus continuentur: deinceps cibi valde nutrientes, non nimis larga quantitate aſſumantur; atque corporis exercitationes, ſtomacho à cibis vacuo, ad lenem uſque ſudationem, vel ambulando, vel equitando, vel in rheda vehendo ulterius inſtituantur.

Præterea excellentiſſimam opem ferent, aquæ minerales ſingulo vere ac autumno adhibendæ. Has inter vernali tempore Egranas, autumnali vero Selteranas acidulas, interpoſitis ac præmiſſis & laxantibus rhabarbarinis, & Elixirio balſamico, conjunctoque recto vivendi genere, per tres ſemper hebdomades, unam quotidie hauriendo lagenam, potandas hortor. Reliquo tempore ſtudendum erit maximopere, ut & acidæ in primis viis cruditates, & ſcorbuticæ in humoribus ſordes corrigantur & eliminentur. Cui ſcopo apprime convenient pulveres nitroſi temperantes, conjuncto pilularum mearum balſamicarum crebro uſu; quæ forſan, hæmorrhoidalem fluxum adjuvabunt. Non minus mane ſorbendum ſuadeo infuſum theiforme, quod ex betonica, veronica, ſalvia, ſummitatibus millefolii, cortice ligni ſaſſafras, & ſemine fœniculi apparatur; & bis quavis hebdomade in temperata pediluvia veſperi deſcendendum hortor. Denique pro potu ordinario commendo decoctum, ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, cichorei, & paſſulis minoribus confectum; cui ſub epulis hauſtum vini Rhenani interponere licebit.

---

## CASUS CXXXV.

### *De ſpaſmis vagis ex repulſa podagra.*

Vir quidam eruditus, arduis multiſque negotiis præfectus, ac fere obrutus, annorum quadraginta duorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, corpulentus, ſanguine ſucciſque plenus, & ſpongioſo corporis habitu, cum venis exilioribus præditus, præmaturam juvenis exercuit venerem; & vigeſimo tertio anno matrimonium contraxit, conjuge elapſis abhinc tribus ſemeſtribus orbatus. Præterea crebris agitatus mœroribus, & ad iracundiam facillimus, vitæ genus agit, partim multis laboribus, partim variis itineribus moleſtum; in quibus diætæ regulas non raro offendere, vinoſiſque potibus nimium indulgere tenetur: nec non vino Moſellano in vicem potus ordinarii utitur. In hoc rerum ſtatu paſſus non raro hæmorrhoidales inſultus, ſed nunquam fluxionem per anum cruentam expertus eſt: & pedum malleolos jam exhibet nodoſos. A vi-

A vigeſimo quarto ad ſeptimum ætatis annum podagricis per intervalla tormentis cruciatus; ſuaſu medici, ad conciliandum ſomnum, placandoſque dolores, cataplaſmata pedibus tandem admovit; iiſque, retropulſa podagra, effecit, ut vagis doloribus mox femorum, mox dorſi, mox humerorum, mox cubitorum, mox manuum, atrociter infeſtaretur. A dicto ad quadrageſimum uſque annum, bis vel ter quotannis, hyemali ſemper tempeſtate, per aliquod tempus, mali ſui paroxyſmum paſſus eſt, quem moleſta flatuum retentio, & per ſuperiora eructatio, tanquam perpetuus ſequebatur comes. Neque vero per totum id tempus, priori medicatione perterritus, ullas adhibuit medicinas; ſed opus naturæ relinquens, omnes paroxyſmos ſola ſuperavit patientia. Tandem binis abhinc annis, cum immanes cruciatus nulli fere corporis regioni parcerent, & præter conſuetudinem per binos inhærerent menſes, meam requiſivit opem. Præſentem ergo paroxyſmum, quæ Dei eſt gratia, ope remediorum temperantium ac diapnoicorum, intra ſex dies profligavi; & ſubinde ad præcavendos ulteriores inſultus, præter exactam vivendi rationem, circa æquinoctia, medicinis ſanguinem mundificantibus, temperantibus, carminativis, evacuantibus, pilulis balſamicis, & ſanguinis ex pede miſſione pugnavi; obtinuique, ut dolores articulorum eſſent mitiores. Verum flatulentæ abdominis moleſtiæ & inflationes abhinc vehementius inſiſtebant; & à dicto diuturniori paroxyſmo, carneæ & membranaceæ lateris dextri partes adeo debilitabantur, ut non modo flacceſcerent, & obtorpeſcerent; verum etiam totus pes dexter contabeſceret; & una cum manu dicti lateris, attactu ſemper frigidiſſimus eſſet. Nec debellari potuerunt hæc vitia, ullis remediis, nec nervinis interne datis, nec externis linimentis, ex ſpiritu roriſmarini, ſalviæ, lumbricorum, formicarum, & ſalis ammoniaci paratis. Noviſſimo anno acerbiores quidem recurrebant artuum dolores: attamen flatuum retentio, atque tormenta oſſis ſacri, ac ſiniſtri hypochondrii longe majorem ipſi creabant moleſtiam; & interdum calculorum mictione complicabantur: ſed beneficio eſſentiarum carminativarum, ſpiritu nitri dulci permixtarum; nec non pulverum reſolventium ex oculis cancrorum, tartaro vitriolato, & tartariſato confectorum, facile tollebantur. Notari enim meretur, præcipuam medendi intentionem, magis contra cardialgiam illam flatulentam, ac hypochondriorum tenſiones, quam arthriticas adfectiones directam; & plerumque non niſi carminativis, pilulisque balſamicis pugnatum fuiſſe. Nec ignorari oportet, ægrum hiſce decem noviſſimis annis, novies potaſſe acidulas, mox Pyrmontanas, mox Selteranas, mox Schwalbacenſes; ſed inde pejus habuiſſe ſemper: & ex potis pronuper aquis Sedlicenſibus, vehementem mali exacerbationem, cum pertinaciſſima alvi obſtructione paſſum eſſe. Quum ergo, præter corporis contabeſcentiam, paralyticus jam præſto eſſe videatur affectus; & præterea ægrotantis avia non minus, quam mater, & binæ ſorores hydrope ſint extinctæ: veremur utique, ne ipſi etiam tympaniticus tandem accedat tumor; à quo ut præcaveatur, & à præſentibus malis liberetur, tuum, Vir Experientiſſime, flagitamus auxilium, docerique ſimul cupimus, an ægro liceat ſecundas ſubire nuptias.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Ex iis, quæ de Viri Spectatiſſimi, adverſa relatum legi valetudine; facile intelligere licet, robur atque tonum naturalem, uti generatim partium nervoſarum, ita maxime ventriculi ac inteſtinorum inſigniter læſum eſſe, atque labefactatum. Proximum, quod ex tali atonia reſultat incommodum, eſt digeſtionis vitium; quo fit, ut loco legitimi ac tenuioris chyli, crudi, craſſi, inerteſque ſucci generentur, ac cum maſſa ſanguinis commiſceantur: unde nec ſolidæ partes rite nutriuntur, nec debitas vires recipiunt; quod vitium dextro potiſſimum lateri in noſtro caſu inhæreſcit. Neque vero paucæ ſunt, quæ ad inducendam hancce debilitatem, contribuerunt cauſſæ; quas inter præter exercitia veneris prææmatura, errores diæteticos, crapulas, mœrores, nimioſque mentis labores, improvida podagræ tractatio, ac repulſio, nec non iteratus ſæpius aquarum thermalium, abſque convenienti forſan regimine hauſtarum uſus, ſummo jure referri merentur.

Quod ſi igitur in perſanando tali malo, votis potiri, & graviora pericula arcere cupimus; eo præſertim reſpiciendum erit, ut roborato nervoſi generis, ventriculi ac inteſtinorum tono, vis digeſtiva reſtauretur, atque blandus & ſpirituoſus generetur chylus. Quo quidem fine conſultiſſimum fore judico, hac potiſſimum uti medicatione. Mane aſſumat ægrotus, ex aqua vino nupta, ſexaginta guttas Elixirii noſtri balſamici-viſceralis, hauſtis deſuper aliquot infuſi calidioris, vel Theæ, vel fabarum Coffée, vel etiam juſculi vaſculis: idque remedii genus, totidem guttulis, hora pomeridiana quarta, ex decocto, quod pro potu ordinario commendaturus, infra deſcribam, adhibeat; cum quo etiam, cubitum iturus, triginta liquoris anodyni mineralis guttulas capiat. His, ſingulis quatuor diebus, pilulas noſtras balſamicas, quatuordecim circa ſomni tempus deglutiendo, interponat. Extrinſecus porro, bis quotidie in loco calidiori, regionem ventriculi, totiuſque abdominis, linimento ſpirituoſo perfricandam curet; quod ita conficiatur: Recipe aquæ reginæ Hungariæ libram unam, balſami Peruviani unciam ſemis, olei ſpicæ veri, caryophyllorum ana drachmam unam. M. D. Atque ſi præterea ſanguine nimium abundante turſerit æger, pulſuſque feratur magnus; detrahantur circa inſtans autumnale æquinoctium, ex vena in pede tuſa, quinque vel ſex cruoris unciæ.

Quoniam vero nullum medicamen quicquam emolumenti afferre poteſt, niſi exacta vivendi ratio conjungatur; hortor virum ſpectatiſſimum, ut ab omni cereviſia abſtineat, & pro potu ordinario utatur hoc decocto: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ ana uncias quatuor, glycyrrhizæ, cichorei ana unciam unam cum dimidia, ſeminis fœniculi unciam ſemis. M. Conc. F. ſpecies, quarum unciæ duæ cum tribus aquæ menſuris per horam dimidiam decoquendæ ſunt: neque minus vino Burgundiaco, ſed parce, uti licet. Cibi nec acidi, nec flatulenti, ac coctu difficiles eſſe debent; nec juſto largiores comedantur; & quo frequentius juſculis, quæ ex carnibus vitulinis, vel gallinarum, cum radice cichorei, ſcorzoneræ, aſparagi ac petroſelini coquuntur, veſcetur, eo utilius futurum exiſtimo. Aërem porro frigidum, omnemque pedum ac abdominis refrigerationem; nec non mœrores animi, & acriores intentiones vehementer fugiat; &, cœlo ſereno exiſtente, corpus moderate exerceat, etiam atque etiam hortor.

Quod denique conjugium attinet: certius quidem ſuppeditare liceret conſilium, ſi percepiſſem, num ſemen ſub nocturnis elabatur imaginibus: interim, quantum ex perſcriptis morbi momentis, judicare poſſum, illud neutiquam ſuadeo; ſiquidem vereor, ne exinde nervoſi generis debilitas magis adaugeatur.

CASUS

## CASUS CXXXVI.

*De affectu ſpaſmodico-chronico.*

Novemdecim annorum virgo, ſtaturæ mediocris, animi ſenſibilioris, ſanguinis ſuccorumque plena, à teneris fere continua tuſſi humida laboravit; quæ nulla unquam corporis contabeſcentia fuit ſtipata. Neque vero poſt feliciter ſuperatas anno ætatis decimo variolas, licet præſtantiſſimis, ea tuſſis debellari potuit remediis, tantum aberat, ut roncho, ſpirandique difficultate ſenſim ſtipata, ſæpius in catarrhum præfocantem tranſiiſſe videretur. Infuſa theiformia, juſcula medicata, pilulæ balſamicæ Hoffmanni, nec non ſal ejus aperitivum, ferebant quidem levamen, non vero tollere valebant malum. Tandem quindecim annos nata, tumore œdematoſo extremarum manuum, atque faciei corripiebatur; quo adparente, remittebat tuſſis; ipſo vero evaneſcente, hæc cum ſibilo, ſtertoreque pectoris ſtatim redibat. Miſſo igitur circa vernale æquinoctium ex vena in pede tuſa, ſanguine, qui craſſus ac impurus erat; potiſque menſe Maio acidulis Egranis, menſtrua cœperunt fluere, ita vero irregularia, ut non niſi per unum, alterumque diem parcus promanaret cruor; dein per duos, treſve menſes prorſus ſileret hæc excretio, & hujus in locum, aſthmatica pectoris urgeret adfectio.

Quamobrem, ut promoveretur ea fluxio, bis quotannis in pede ſecabatur vena, per biennium quavis æſtate potabantur fontes Egrani, atque loco potus ordinarii, cereviſia ſecundaria, eaque tenuiſſima hauriebatur. Sed omnis opera erat fruſtranea; namque ſtato quidem tempore profluebant menſes, vix elapſo autem nycthemero excerni deſinebant. Neque illa perferre poterat ulla, quamvis mitiſſima pellentia, nec tepidiora pediluvia; quippe quorum uſum humorum ad caput congeſtio, cephalalgia, vultus intumeſcentia, & fortiores cordis palpitationes preſſo ſequebantur pede; contra vero pulveres præcipitantes ſemper operæ fecerunt pretium. Annuo abhinc tempore, cum gravi ac diuturno ex obitu patris mœrore affecta, corpore contabeſceret, pes ex improviſo, veluti contractura corripi cœpit; & tuſa in eo vena, tumore ad malleolos uſque inflammatorio, doloribuſque arthriticis torquebatur, conjunctis febrilibus commotionibus, iiſque potiſſimum veſpertinis: quæ ſymptomata ejuſdem lateris manum quoque prehendebant. Nuchæ ac pedis integri ſuræ admovebantur veſicatoria; uſurpabantur decocta ligni abietis cum cereviſia parata; hiſque humorum orgaſmum concitantibus, dabantur eſſentiæ mundificantes, pulvereſque præcipitantes; & adventante menſe Maio potabantur acidulæ Egranæ, conjuncta loco pilularum aqua Sedlicenſi; primum ſolæ, atque cum ob alvi ſegnitiem, quam tollere haud ſufficiebant, vehementiorem præcordiorum anxietatem, ſpirandique difficultatem concitarent, cum lacte caprino mixtæ: à quorum remediorum uſu tumor ac inflammatio dictorum artuum quidem evaneſcebant; ſed nec dolores ceſſabant, nec menſtrua purgatio in ordinem revocari potuit. Quin abſoluta hac curatione, menſes debita in periodo plane non fluebant, & horum potius in locum graviſſimum aſthma, cum ſtertore invaleſcebat. Conſultus igitur medicus, iterum venam in pede ſecari jubebat, & ſuccum ſquillæ propinabat; eo effectu, ut eructato per vomitus æque ac ſputationem multo muco, melius haberet.

Elapſo menſe in vicem lunaris tributi ſuccedebat febris quartana contumaciſſima, quæ bis ope electuarii chinati ſuppreſſa recidebat, tandem poſt integrum ſemeſtre, dato purgante jalappino, vehementiorem quidem formabat acceſſionem, ſed propinato tum cortice chinæ cum vino Hungarico infuſo, penitus evaneſcebat. Verum tantum œſophagi, & totius dorſalis ſpinæ relinquebat ſpaſmum, ut hæc ſatis foveri non poſſet, ille ad ſuffocationem uſque conſtringeretur; donec & hoc incommodum, poſt tres demum hebdomades, dato pulvere laxante ex rhabarbaro, oculis cancrorum, & nitro, mitigaretur. His itaque omnibus ſuperatis, priſtina jam ſcena luditur; ſiquidem erupit quidem menſtruus cruor juſto tempore, ſed parciſſimus fertur, & cordis palpitationes, capitis dolores, artuumque gravitatem comites habet: alvus præterea ſegnior eſt, & aſthma moleſtum, ut vix per ſcalas aſcendere valeat. Quare ut tandem à tanto, tamque diuturno liberetur malo, tuum, vir Doctiſſime, imploramus auxilium; & uti generatim morbi, ita maxime aſthmatis originem, medelam ac menſes in ordinem revocandi rationem, numque in iis thermæ Carolinæ ſint profuturæ, doceri avemus.

### *Conſilium.*

Spectatiſſima, de qua ſermo eſt virgo, mea quidem ſententia, affectu ſpaſmodico-chronico, à menſium irregulari ſucceſſu inſigniter ſuſtentato premitur. Præterea vero genus nervoſarum partim à nativa diſpoſitione, dum forſan à matre hyſterica fuit nata, partim à gravioribus animi pathematibus, & diuturno, cui induiſit mœrore, partim denique ab articulari morbo, & quartana febri, quibus cum diu conflictata eſt, mirum in modum debilitatum videtur. Accedit etiam pulmonum, qualecunque ſit, vitium, quo à prima fere infantia, maxime poſt ſuperatas variolas, moleſtum patitur aſthma, quod à retardato menſtruorum fluxu majora utique ſumſit incrementa. Utut vero haud aſſererem, ipſam jam exulcerationem pulmonibus inhærere; attamen non prorſus dubitarem, quin ſcirrhi aut tubercula illos jam obſederint; ſaltem inſignem eorum ſuſpicor atoniam, qua futurum eſſe credo, ut, niſi tempeſtiva feratur medela, utique phtyſica vel hectica corporis accedat conſumtio. Menſtruorum vero irregularem, qui vaſorum uterinorum nimiæ exilitati, ac ſubtilitati debetur, ſucceſſum, omnium reliquarum paſſionum primariam conſtituere cauſſam, extra omne poſitum eſſe reor dubium. Inde enim factum eſt, ut ſucci vitales non ſolum ſpiſſi ac impuri fuerint redditi, verum etiam motus ac impetus eorum magis ad ſuperiora, pectus nimirum ac caput potiſſimum vergat; ex quo capitis dolores, vertigo, ſpiratio anguſta, & magna præcordiorum anxietas, ſuos mutuantur natales.

Quibus præmiſſis, facile jam erit, viam curandi cognoſcere: namque cum humoribus abundare videatur virgo lectiſſima; abs re omnino fore judico, ut circa ſingula æquinoctia, ſueta huc uſque phlebotomia in pede continuetur. Deinceps vero, ad revellendum ſanguinis ad inferiora motum, egregium ſpondent uſum pediluvia, quæ valde temperata ac tepida oportet eſſe; nec ludetur opera, ſi ad alvum expediendam, & attemperandum humorum orgaſmum pulveres, ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari, nitro, & rhabarbaro confecti, crebrius adhibeantur.

Tum quoque præcipua medendi intentio hæc erit, ut menſium fluxum reſtituamus, ſanguiniſque æqualem per imi ventris viſcera procuremus circuitum. Quo quidem fine operæ pretium faciet Elixir balſamicum, quod ex extractorum gentianæ, cardui

benedicti, abſynthii, caſcarillæ, florum chamomillæ vulgaris, ſaliſque tartari ana drachmis tribus, corticum aurantiorum uncia una, cum vini Hungarici menſura parari, & ex ultimo ſub epulis hauſtu, vel etiam hora pomeridiana quarta, aut octoginta guttas cum aqua pura fontana, aut deſtillata quadam aſſumi poterit. Non minus circa inſtans menſium tempus, per aliquot ſucceſſive dies, mane deglutire oportebit undecim pilularum mearum balſamicarum, & veſperi capere drachmam dimidiam pulveris, qui ex lapidum cancrorum, borracis venetæ, nitri antimoniati, ſalis abſynthii, radicis ari, ſeminiſque cymini ana drachma una concinnatur: nec alienum erit, mane pariter ac veſperi pedes, imum ventrem, maximeque pubis regionem, linteo, quod oleo amygdalarum dulcium ſit imbutum, probe perfricare; & ſub ipſo uterino fluxu infuſum theiforme ex herba meliſſæ, atque croco ſorbillare.

Quod attinet thermas Carolinas; ſuadeo, ut ad vitium pulmonum reſtituendum, adventante vere potius acidulæ Selteranæ cum debito regimine, junctiſque laxantibus mannatis ac rhabarbarinis, per quatuor vel quinque hebdomades potentur; & ſub harum uſu veſperi balneum temperatum, ex herbis emollientibus ac nervinis paratum adhibeatur. Tum autem, futuro autumno, eo feliciori ſucceſſu, thermæ Carolinæ, eæque potiſſimum, quæ à molendino nomen habent, in uſum trahi poterunt. Cæterum vivendi rationem, præſentis Medici relinquo dijudicationi; & ut hæc conſilia à ſummo languorum medico reddantur ſalutaria, ex animo precor.

## CASUS CXXXVII.

### *De affectu ſpaſmodico cum purpura.*

MAtrona generoſa, ſuccis plena, habituque corporis ſpongioſo, vaſis exilioribus inſtructo, prædita, ſeptem liberorum felix mater, ex obitu mariti, elapſo ſemeſtri, febre acuta præter opinionem extincti, gravi terrore pariter ac mœrore adficitur; atque mox male habere, & de præcordiorum anxietate, ſpirandique difficultate conqueri cœpit. Paullo poſt maculis per totum corpus purpureis, ipſaque in pectore purpura contaminata; ſeptimo abhinc die, hora veſpertina ſeptima, vehementi corripiebatur paroxyſmo, qui ſic habebat: conſtringebantur ſubito præcordia, adeo, ut, ipſa ſic referente, cor calido cruori innatare videretur; ſpiritus ægerrime trahebatur; manus convulſivis motibus torquebantur, caninus ſpaſmus os prehendebat, ut omnis loquendi facultas evaneſceret, totumque corpus, cum inſigni vultus rubore, velut tetano adfectum obrigeſcebat. Tum ſæviſſimus dolor pungitivus nucham obſidebat; vomendique conatus, & ipſi vomitus, muci tenacis parum excernentes urgebant, hiſque tandem ſuccedebant tormina inteſtinorum in epigaſtrica regione. Durabant hæc ſymptomata per duodecim horas; & elapſo triduo, eadem recidebant ratione, bis quotidie invadendo, & breviori periodo ceſſando. Adhibitis variis medicaminibus remittebant, & horum loco eadem hora prehendebat altus ſopor ægram. Ab hoc quoque ita curata, ut obambulare rurſus ac in publicum prodire poſſet; per tres menſes lunare tributum haud perſolvit; quo tempore inſignem corporis, capitiſque gravitatem perſenſit, ac hypochondriacis infeſtata paſſionibus, ſæpius convulſivos artuum ſubſultus paſſa eſt.

Reſtituto menſium fluxu, ceſſabant convulſivæ agitationes; at ſuccedebat œdematoſus faciei, manuumque tumor; & capitis gravitas, vertigo, nocturnuſque aurium tinnitus pertinaciter inſiſtebant. Tandem febre corripiebatur intermittente, valde irregulari; quippe quæ binas quotidie formabat acceſſiones, ſub quarum ſingula, convulſivis artuum ſuccuſſationibus conſtipata, erumpebat purpura, atque, tribus elapſis horis, ſolutio cum copioſo ſequebatur ſudore. Profligato poſt quindecim dies hoc quoque malo, totum corpus intumeſcere cœpit, maximeque ſiniſtrum hypochondrium, & ventriculi regionem flatulentæ diſtentiones, cum gravi obſtructione alvi obſidebant, atque his atrocia epigaſtricæ regionis tormina jungebantur, quæ noctu dieque graves inferebant cruciatus, perque tres ac plures dies, fruſtra infuſis crebrius clyſteribus, inhærebant. Hæc pathemata per paroxyſmos invadunt, quorum noviſſime adfligentium, hæc eſt idea: obſervantur per aliquot dies ructus acidiſſimi; ſequuntur flatus & murmura abdominis, & his non excretis, excipiunt acuti circa umbilicum dolores, ſubſultus artuum convulſivi, præcordiorum compreſſiones: quæ haud prius conquieſcunt, quam eductis per clyſmata, ſæpius iterata, flatibus. Accedit non raro inteſtini recti moleſtus ardor; & pronuper atrox odontalgia jungebatur, cum dejecto protinus adpetitu. Quum igitur vereatur generoſa mulier, ne partim febris illa denuo recrudeſcat, & habitualis fiat, partim convulſivæ artuum motitationes in ipſam tandem degenerent epilepſiam; anhelat ſalutare conſilium, & ab his moleſtiis liberari cupit.

### *Conſilium Medicum.*

Gravium, quæ fœminam generoſam ultra ſemeſtre tempus immaniter tractarunt, adflictionum origo, procul omni dubio, ingenti terrori, mœrorique, quem ex obitu cariſſimi conjugis percepit, debetur. Quum enim illa ſanguine turgeat, habitumque corporis ſpongioſum, vaſis exilioribus inſtructum præ ſe ferat, & admodum ſenſibilis ſit: facile omnino fieri potuit, ut à dictis animi pathematibus, ſanguinis motus ab exterioribus ad internas potiſſimum corporis partes converſus, ejuſque major copia ad caput, atque præcordia compulſa fuerit; unde pectoris oppreſſio, ſpiratio difficilis, anxietas, ſpaſmodici, ac convulſivi motus ſuam trahunt originem. Hæc ſymptomata temporis ſucceſſu majora utique ſumſerunt incrementa; namque dum iiſdem ſpaſmodicis motibus, naturale ventriculi ac inteſtinorum robur labefactatum, ciborum digeſtio vitiata, atque ſaluberrimum ſe- & excretionum negotium fuit perturbatum; non mirum eſt, ſi flatulenti vapores in primis viis generati, collectique nimium diſtenderunt ventriculi ac inteſtinorum canalem; qua diſtentione factum eſt, ut perturbato humorum æquabili circuitu, his magis magiſque ad interiora invitati, tantos tumultus, ſpaſmodicaſque totius corporis conſtrictiones induxerint. Accedit inſuper trimeſtris menſtruorum ſuppreſſio; ob quam humores impuri, ſcorbutici, moleſtiarum ſpaſmodicarum nutritores magis increverunt; atque ſine dubio purpuraceæ efflorescentiæ, ac irregularis febris cauſſæ fuerunt. Quæ inopportuno forſan adſtringentium uſu ſuppreſſa, atoniam ventriculi, inteſtinorum, atque viſcerum tantam reliquit, ut tumores corporis œdematoſi, & hypochondriaca ſymptomata, flatulentia, & inſignis primarum viarum acrimonia denique exceperint.

Quum igitur generoſa mulier, adhibitis noviſſime thermis Carolinis, ab inhærentibus adhuc adfectionibus penitus vindicari cupit: voti eam futuram

ſpero

[illegible] compotem, ſi ſequentem in uſum vocaverit medicationem. Primum quidem operæ erit pretium, bis quotannis, vere ſcilicet, ac autumno phlebotomiam in pede, interjecto vero tempore ter ſcarificationem adminiſtrare. Deinceps in confortando ventriculo pariter, ac univerſo nervorum genere, inſignem præſtabit utilitatem infuſum theiforme, quovis mane ſorbillandum quod ita paratur: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, veronicæ, ſalviæ ana manipulum unum, ſummitatum millefolii, florum anthos ana pugillos quatuor, corticum aurantiorum recentium drachmas duas, aniſi ſtellati drachmam unam & ſemis, Inf. M. D. Ut quoque ſordes tam ex humorum maſſa, quam primis officinis expurgemus, flatuum proventum impediamus, & ſanguinis per abdomen circuitum promoveamus; egregie inſervient pilulæ meæ balſamicæ, quæ alternis hebdomadibus per binos ſucceſſive dies veſperi, numero quatuordecim capiantur, ſumta ſequenti mane Elixiris mei aperitivi drachma una. Veſpertino quoque tempore crebro uſurpanda ſunt pediluvia, ex aqua fluviatili, floribus chamæmeli & cineribus clavellatis confecta, tepidiora; immiſſis paulo profundius pedibus. In ſopiendis vero ac diſcutiendis, quæ à flatuum retentione propullulant, moleſtiis, non præſentius ac efficacius erit remedium, quam clyſteres ex decocto avenæ, floribus chamomillæ, cymini, ſale communi & oleo chamæmeli concinnati. Et quod denique victus attinet rationem; cibos acidos, flatulentos, potus ſpirituoſos, corporis, & maxime extremorum refrigerationem, nec non animi fortiores commotiones, omni ſtudio vitare oportebit.

## CASUS CXXXVIII.

### *De affectu ſpaſmodico ex relicta generis nervoſi debilitate, cum iſchuria & apoplexia conjuncto.*

Honeſta mulier, quadraginta octo annorum, temperamenti phlegmatico-ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi, ſanguine abundans, & ad affectus animi valde proclivis, quatuor abhinc annis menſtruorum paſſa ceſſationem, &, cum præterea vitæ ſedentariæ nimis indulgeret, ab eo tempore, tam calculoſis, quam aliis, iiſque gravioribus conflictata eſt adfectionibus. Namque primum per tres annos atroci manuum pedumque ſpaſmo, præcordiorum anxietate, & ſpirandi difficultate cruciata, venam tundendam præbere cœpit: tumque his moleſtiis tormenta à calculo illata, ipſaque calculorum mictio jungebantur. Verum quatuor circiter jam effluxerunt hebdomades, cum iterum dextri lateris doloribus prehenderetur; quos à calculo derivans, anodyno-antiſpaſmodicis oppugnavi remediis. Hæc vomitu rejecta, iteravi, eo effectu, ut dolores quidem prorſus conquieſcerent; hos vero pertinax exciperet iſchuria, qua intra nycthemeron ne guttulam quidem urinæ reddere valebat. Datis pilulis laxantibus, tincturaque tartari, liberum urinæ reſtituebatur iter; ſed, qui junctus erat, artuum ſpaſmus, cum ſpiratione anguſta, & loquendi difficultate, per quinque adhuc dies inſiſtebat. Tum melius habere viſa, elapſo vix triduo, tanta ſubito faucium, atque maxillarum conſtrictione prehendebatur, ut, rationis uſu quidem integro remanente, nec os aperire, nec deglutire, nec loqui potuerit. Me abſente, perterriti adſtantes, chirurgum accerſi, & octo uncias cruoris ex tuſis in utroque pedum venis detrahi curant: quo facto prorſus evaneſcebant cuncta ſymptomata, & incolumi ægra in conclavi jam obambulare incipiebat. At vero, tranſactis circiter ſex horis, idem paroxyſmus, priori longe atrocior, cum plenaria loquendi impotentia recrudeſcebat: in quo reverſus ego clyſmata emollientia non minus ac antiſpaſmodica, ano infundi jubebam; ex quibus paullo ſublevata, placido per noctem fruebatur ſomno.

Poſtridie hora prima pomeridiana præter omnem ſpem, ac opinionem in paroxyſmum incidebat epilepticum; quo brevi tempore finito obdormiſcebat, & expergefacta, omnium ſpaſmorum otio gaudebat. Sed veſperi hora ſexta, rurſus atrociter invadebat ſpaſmodica faucium, & muſculorum maxillarium conſtrictio; quam ſiniſtræ manus atque pedis plenaria comitabatur paralyſis. Poſtridie circa meridiem hæ partes, naturalem movendi potentiam recuperabant quidem; at dextrum latus penitus reſolutum, & motus expers deprehendebatur. Quum igitur ob impeditam deglutitionem interna non propinari potuerunt medicamina; externis pugnatum eſt nervinis, ex ſpiritu vini camphorato, ſalis ammoniaci, & cornu cervi paratis; quorum, collo, maxillæ atque nuchæ illitorum ope, relaxati harum partium ſpaſmi, internorum remediorum uſum permittebant; hiſque adhibitis, cum ſomno & adpetitu, integra redire videbatur ſanitas.

De hoc morbi triumpho gaviſa ægrotans, elapſo biduo, hora undecima nocturna ex improviſo in epilepticas recidebat adfectiones, quæ duodecim vicibus invadentes, cum junctis deliriis per totam noctem ſæviebant; alteroque mane ceſſabant, & datis, quæ abs re judicavi, remediis, plane ſilebant. Tum valebat per decem circiter dies; at his circum actis priſtina ludi cœpit ſcena. Namque poſt dolorem gravativum, atque diſtendentem, qui hora ſexta matutina ſubito ad ſiniſtrum irruebat latus, gravi rurſus corripiebatur iſchuria. Hæc, laxantium ac tincturæ tartari vim eludens, cum convulſivis motitationibus, atque tractionibus artuum, capitis, maximeque oris, & temporum ſtipata, ad hunc uſque diem, qui nonus eſt, inhæret, abſque doloribus. Et cum præterea nauſea, mucique pauciſſimi laborioſæ jungerentur vomitiones; ſuſpicabar calculum in cavitate renum hærentem, atque rebellem hanc lotii retentionem, à pertinaci renum veſicæque ſpaſmo derivabam. Quare non niſi antiſpaſmodicis medicinis, clyſteribus emollientibus, balneis, pulveribus anodynis, linimentis, fotibuſque, ad pubis & lumborum regionem inunctis, non omiſſis laxantibus, uſus fui. Sed omnium effectus erat irritus; & quamquam clyſteres atque laxantia, inſignem feri quantitatem ſecum ducerent, lotiique aliquale ſtillicidium, cum euphoria procurarent; attamen libera nondum reſtituta eſt mictio, & recenſita ſuperius ſymptomata, cum languore totius corporis, heri mirum in modum increſcebant.

Interim cum nullus nec dolor, nec tumor, nec ponderis ſenſus, in pubis ac renum percipiatur regione; & ipſa veſica ab omni lotio, atque labe vacua videatur: nullum quidem mihi ſupereſt dubium, quin in renibus omne hæreat vitium. Verum anceps adhuc ſum, num malum calculo renali, anne potius plethoræ, & hinc pendenti nimiæ venarum emulgentium repletioni debeatur? Ad calculum, omnem hactenus curandi intentionem direxi; ſed cum omnia medicamina in caſſum data fuerint, parum abeſt, quin ſolam accuſarem plethoram; & ad hanc imminuendam, venam denuo tundi curarem; maxime quum prior venæ ſectio, in ipſo ſpaſmorum paroxyſmo, inopportune fuerit inſtituta. Quicquid ſit, ſerum in renibus retentum, jam omnino ad maſſam

humorum

humorum retroceſſiſſe arbitror; & illud ne nimia quantitate ad caput vel pectus delatum, repentinam aliquando ſuffocationem, aut ſoporoſos affectus inducat, purgantium ope eliminandum eſſe reor; præſertim, quoniam à laxantibus, in hoc gravi malo exhibitis, optime ſemper habuerit. De his vero, & illis præſidiis, quæ profutura cenſes, tuum, vir Experientiſſime, flagito ac expecto conſilium.

*Epicriſis cum conſilio.*

Peculiaris & rarior hæc morbi hiſtoria, multa exhibet momenta, quibus quædam debetur animadverſio. Primum quidem ea, quæ quotidiana experientia innotuit, confirmatur obſervatio, quod fœminæ, ſanguine plenæ, vitæque ſedentariæ addictæ, poſt menſium ceſſationem, quæ anno circiter ætatis quinquageſimo fieri ſolet, maxime, ſi venæ ſectiones omittant, doloribus calculoſis, variique generis ſpaſmis corripiantur: qui cruori tam per vaſculoſam renum ſubſtantiam, quam reliquas partes ac viſcera, difficilius progredienti, inque iis ſtagnanti, in acceptis referendi ſunt.

Singularem ſubinde attentionem meretur contumax illa urinæ retentio, qua per multos dies laboravit ægrotans. Solent plerumque hoc morbi genus à binis derivare cauſſis; nempe vel à ſpaſmodica uretherum conſtrictione, vel ductuum urinariorum obſtructione, ſive per calculos, ſive materiam mucoſam, tenacemque facta: addiderim adhuc tertiam, quæ in nimia relaxatione vel atonia tubulorum renalium, atque uretherum conſiſtit. Namque perpetuæ inſtar regulæ tenendum eſt, omnes ductus, & canales, qui ſecretionibus humorum ſerviunt, veluti ſunt biliferi & urinarii, pollere motu conſtrictorio & dilatatorio, qui in canale inteſtinorum, peculiari nomine periſtaltici motus inſignitur. Poſſunt igitur hi ductus & vehementi ſpaſmo nimium conſtringi; & atonia relaxari; utroque vero modo, nihil fluidi tranſmittunt: quemadmodum idem obſervamus in inteſtinis, quibus vel nimis ſtrictis, vel nimis laxis exiſtentibus, nulla per alvum ſuccedit excretio. Pari ratione cum urinæ ſuppreſſione, quam iſchuriam vocant, comparatum eſt: quæ ſicuti à remediis opiatis, inopportune uſurpatis excitari, ita ab iiſdem, ſi cauſſa in vehementi ſpaſmo fuerit ſita, debellari poteſt. Quæ cum ita ſint, facile adparet, noſtrum, de quo ſermo eſt in lectiſſima fœmina, morbum ab atonia canalium, quæ urinam ſecernunt, per anodyna & dolores ſedantia medicamina, in affectu, qui anteceſſit, ſpaſmodico, propinata, inducta, eſſe derivandum. Namque experientia docet, omnes nervoſas partes, quæ ſpaſmis ac doloribus affectæ fuerunt, his conquieſcentibus, retinere quendam languorem & atoniam; quæ datis anodynis longe magis invaleſcit. Hinc quoque ratio patet, cur in præſenti caſu, clyſteres atque purgantia, irritando nimirum, & ad motum excitando partes relaxatas, majus levamen attulerint, quam cuncta & emollientia, & antiſpaſmodica. Neque raro adnotavi, urinæ retentionem ab ipſa veſica relaxata, ac nimium expanſa, ſuam traxiſſe originem, quo in caſu congrua purgantia, promovendo urinæ fluxum, ſemper operæ pretium feciſſe deprehendi.

Non minus notatu dignum eſt momentum, quod noſtra mulier ſpaſmodicis, atque hyſtericis affecta fuerit motibus, adeo vehementibus, ut & fauces, & maxillarum muſculos conſtringendo, ſermonis pariter, ac deglutitionis facultatem deſtruxerint; quodve hi paroxyſmi poſt affectiones, ut ita loquar, paralyticas, protinus redierint. Neque vero ab alia cauſſa natales ſuos mutuantur, quam ab humorum in nervoſis ac membranaceis partibus, veluti ſunt ventriculus & inteſtina, ſtagnatione.

Nec denique ſilentio ſunt prætermittendi, inſultus illi epileptici, brevi poſt venæ ſectionem invadentes, delirio ſtipati, & ſponte evaneſcentes, inſequuto ſubinde paralytico ac fere apoplectico affectu, mox quoque ceſſante. Vocari hæc epilepſiæ ſpecies mere ſpaſmodica meretur; quæ ſupervenire obſervatur gravioribus ventriculi ac inteſtinorum doloribus, à quacunque cauſſa, ſive ſaburra atri, ſive vermibus, ſive etiam calculo inductis, & per conſenſum caput, membranaſque cerebrum & ſpinalem medullam cingentes occupantibus. Tales morbi niſi cum inſigniori ſeri in cerebro extravaſatione fuerint conjuncti, ſæpenumero ſponte remittere deprehenduntur: ſimul vero, more omnibus ſpaſmodicis morbis ſolito, facile recrudeſcere, ac certas periodos ſervare conſpiciuntur. Quamobrem ſpaſmodicæ iſtiuſmodi & epilepſiæ, & apoplexiæ, probe diſcernendæ ſunt ab iis, quas adpellamus idiopathicas; ſiquidem hæ ſemper cum ſeri vel ſanguinis extravaſatione complicatæ, periculo haud vacant.

Quod autem attinet curationem iſchuriæ, quæ adhuc cum inſigni totius corporis languore infeſtat; phlebotomiam minime iterandam ſuaſi, niſi forſan nimia ſanguinis moles, vaſorum plenitudo, & pulſus magnus, atque plenus id indicarent. Commendavi potius, ut uſus enematum, quæ cum vino, paucisque guttulis olei juniperi, carvi ac therebinthinæ, nec non ſtimulo ſalino acuanda docui, continuaretur; & ter quotidie triginta circiter guttæ eſſentiæ ſuccini cum tinctura metallorum, aut antimonii acri, & ſpiritu cornu cervi ſuccinato mixtæ, ex aqua menthæ, aquæ ſimplici nupta aſſumerentur. Collaudavi non minus juſcula medicata, cum radicibus petroſelini, cichorei, & aſparago decocta; ac infuſa theiformia, quæ radicem liquiritiæ, atque baccas juniperi toſtas haberent. Denique corporis refrigerationem, animi pathemata, & potus ſpirituoſos, ſedulo vitaret, injunxi. Atque his factum eſſe percepi, ut ægra egregie habere cœperit.

## CASUS CXXXIX.

### *De affectu generis nervoſi ſpaſmodico, per ſelteranas cum lacte curato.*

DUos & viginti annos nata virgo, temperamenti ſanguineo-cholerici, animi ſenſibilioris, corporiſque tenerioris, ſub recta victus obſervatione, ad decimum ſextum uſque ætatis annum, illibata gaviſa ſanitate; tum ex improviſo aſthmate convulſivo prehendebatur: à quo cum graviſſimis ſymptomatibus, per novem hebdomades divexata, ope acidularum Egranarum conſanuit. Nihilo tamen minus, ab eo tempore, varias ægritudines, utut leviores, paſſa eſt; quas omnes, divina favente gratia, concurrente forſan exactiori diæta, feliciter ſuperavit. Quatuor autem abhinc menſibus, cum jam per aliquod tempus de capitis doloribus, ſudoribus nocturnis, & moleſtis in ſiniſtro latere ſub hypochondriis puncturis, non niſi mutatum in lecto corporis ſitum ſtatim excipientibus, conqueſta fuiſſet, accidit, ut altero poſt ſolutum lunare tributum die, gravi percelleretur terrore; unde dictæ moleſtiæ longe majora ſumſerunt incrementa. Conſultus medicus varia exhibuit remediorum genera; quæ nullam ferebant opem, tantum aberat, ut ægra potius ſummam corporis ſentiret laſſitudinem, & lecto prorſus affixa, copioſis ſudoribus, inquietudine, vigiliis, ciborum faſtidio, artuumque

umque doloribus, immaniter vexaretur. Dedit idem medicus pulverem, qui pulveris ſtomachici Quercetani, antihectici Poterii ana grana octo, tartari vitriolati grana quinque habebat, eumque ſingulis quatuor horis iterari juſſit. Ab horum uſu, cum ingentem nauſeam, vomendi conatus, & inteſtinorum tormina percepiſſet; vim remedii potatione infuſi theiformis, digitique in fauces immiſſione adjutura, ter vomuit, terque alvum dejecit. Sed poſthæc ſingultu, capitis doloribus, æſtu, inquietudine, ructibuſque nidoroſis, per tres integras hebdomades diſcruciata; alius medici opem imploravit. Is malum à ſordibus acidis, ac viſcidis, primas regiones obſidentibus ſubortum ratus; lene propinavit emeticum; tumque alternis diebus pulveres laxantes exhibuit, & ſerum lactis, cum mannæ uncia una permixtum, ſingulo mane ad menſuram dimidiam potari juſſit. Non minus horum uſum, confortantibus atque ſtomachicis ſecundavit medicinis: ſed morbus in dies magis exacerbatus, increvit; & abhinc hiſce potiſſimum notis ſe manifeſtavit.

Per intervalla bis, ter, quaterve de die recurrentes patitur paroxyſmos, qui ſic ſe habent: Refrigeſcunt manus atque pedes, facies expalleſcit, ſuccedunt ructus copioſi, atque tum ſingultus, oppreſſio & anxietas præcordiorum, ſenſus infixi faucibus pali, vertigo, capitis dolores, æſtuſque vexant; pulſus fertur debilis, ſed æqualis; ſpiratio paullo difficilior, at nulla tuſſis nec ſicca, nec humida adeſt. Solvitur talis paroxyſmus, per dimidiam circiter inhærens horam, vel inſigni laſſitudine; vel, præviis inquietudine, oſcitationibus, atque pandiculationibus, deſinit in profundum ſoporem, qui, elapſa hora, cum calore corporis, atque ſudore finitur. Notari vero meretur, quod ſi externi artus calorem naturalem retineant, paroxyſmus longe ſit mitior, atque brevior. Cæterum ſomno tranquillo, & integra ciborum cupiditate fruitur, neque vero cibis, niſi coctu facilioribus ac nutrientibus veſcitur; urina mingitur naturali ſimilis, cum quadam nubecula; alvus juſto eſt ſegnior, & vix alternis reſpondet diebus; at ſi liberior fuerit, reddit multos flatus, atque mucum ſpumantem, tumque leviora obſervantur cuncta ſymptomata, ructuſque parciores. Menſtrua debito tempore, juſtaque quantitate pariter, ac qualitate ſuccedunt; & noviſſime ſanguis per nares erupit aliquoties. Hodie demum adnotavi, paroxyſmum ſubſultibus quoque convulſivis, & labii inferioris, & artuum ſtipari, atque ructibus exploſis ſolutum fuiſſe.

*Relatio mali, ejuſque curationis.*

Inhæſit morbus hic, cum recenſitis ſymptomatibus, ultra ſemeſtre tempus; nec ullis expugnari potuit medicinis. Conſultus tandem ego, ex præmiſſa hiſtoria, judicare quidem potui, malum ad affectus nervoſi generis ſpaſmodicos eſſe referendum; & pulverem illum, de quo ſuperius mentio fit, neutiquam tam pernicioſos edidiſſe effectus, quales ipſi noviſſimus imputare voluit medicus. At fateor, me exinde de vera cauſſæ morbificæ ſede nondum ſatis certum fuiſſe redditum. Quare nec judicium meum interponere potui; ſed commendavi duntaxat decoctum conſuetum pro potu ordinario, pulveremque ac pilulas antiſpaſmodicas, illum ex pulvere Marchionis, cinnabari, nitro, & caſtoreo confectum; has ex extracti florum chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii ana drachma, corticis caſcarillæ pulveriſati drachma dimidia, extracti caſtorei, croci ana granis ſex, oleique macis guttis quatuor paratas; hiſque crebro interponi clyſteres imperavi. Verum, licet hæc ſubſidia ſolamen tulerint miſeræ, non tamen prorſus expugnare potuerunt malum; quid? quod illud brevi denuo invaleſceret.

Quamobrem ipſe tandem accerſitus, coram inſpexi ægrotantem; & exploratis omnibus morbi momentis, percepi, eam juveni per aliquot jam menſes eſſe deſponſam, quem ardente proſequebatur amore. Paroxyſmus intra nycthemeron me præſente ſexies illam prehendebat, cum pallore vultus, pulſu celeriori, refrigeratione extremorum, ſpirandi difficultate, anxietate, vertigine, cephalalgia, doloribuſque ac convulſivis fere artuum motitationibus; & ſequuto ſudore ſolvebatur. Ex his itaque judicavi, grave illud malum ſola generis nervoſi debilitate niti; & hinc pendente nervoſarum partium ſpaſmo abſolvi. Hujus autem primam originem à gravi terrore, quo ſtatim poſt menſtruorum fluxum perculſa fuit, derivandam eſſe, eo certius credidi; quo magis quam plurima mihi innotuerunt exempla, quod terror enormioribus ſanguinis profluviis ſuperveniens, iſtiuſmodi produxerit affectiones. Neque dubium eſt, qui neas in noſtra virgine, adfectus amoris inſigniter ſuſtentaverit; & ſubinde tanta medicinarum, quas adhibuit, evacuantium, calefacientium, carminativarum, & ſpirituoſarum farrago exacerbaverit. Idcirco commendavi curam lactis aſinini; quod etiam cum dimidia fontis Selterani parte maritatum, atque tepefactum, mane ad menſuram integram, hora vero tertia pomeridiana dimidiam, per quinque hebdomades potavit. Præterea quovis quinto die undecim pilularum balſamicarum deglutivit; & nonnunquam liquoris mei anodyni viginti guttas, vel pulverem antiſpaſmodicum, ſupra deſcriptum aſſumſit, conjuncto recto vivendi genere. Atque his factum eſt, ut penitus convaleſceret & brevi poſt, viro nupta, ſanitate jam fruatur illibata.

---

## CASUS CXL.

*De affectu ſpaſmodico, gravibus & multis ſymptomatibus ſtipato, cum conſilio, an thermæ Carolinæ ſint profuturæ.*

FOEmina generoſa, annorum triginta ſex, inſigni ſanguinis & ſuccorum mole prædita, ante quindecim annos febrem incidit acutam; ſub qua, per decem fere ſeptimanas cum continuo delirio infeſtante, tantus humorum ad caput fiebat raptus, ut hoc primum intumeſceret, cutis finderetur, capilli defluerent, & tandem eryſipelate afficeretur. Superata febre, ejus reliquias expugnatura, curationem, quæ per famem fit, in uſum vocavit; ſed ob varia, quæ intercedebant, impedimenta, haud ad finem perduxit. Ab eo vero tempore, valetudinariam agere cœpit vitam: namque præter gravedinem, quam aſſiduam patiebatur, per intervalla, eaque crebriora recruduit capitis eryſipelas, quod levius quidem, dextram malam duntaxat, ſpatio exiguo obſedit, nunquam vero febrili commotione vacavit. Non minus dorſo inhæſit moleſtus dolor, ſub coſtis ſpuriis ad ventriculum excurrens, iſque etiam in pectore tenſivus, per certas tantummodo periodos, tota præcordia valde conſtrinxit: quæ tormenta, licet poſt thermarum Carolinarum potum, fere debellata ſint, nihilo ſecius per vices adhuc vexant, totumque dorſum ſemper eſt frigidum. Sex præterea jam effluxerunt anni, cum iterum febre acuta, velut pectorali prehenderetur; quippe quæ non modo oppreſſione

præcor-

præcordiorum, ſibilo ac ſtertore pectoris, verum etiam tam violenta tuſſi erat conjuncta, ut ſæpius ſanguinem exſpueret. Abhinc varias in pectore ſenſit moleſtias; inque primis per noviſſimum biennium, vehementi agitatur tuſſi, quæ à prævia titillatione quadam pulmonum excitata, matutino potiſſimum tempore, cum rejectione ſeri tenuiſſimi adfligit; ſorbillato autem per proximum ſemeſtre appropriato infuſo, longe jam mitior eſt.

Verum enim vero nondum omnium incommodorum vacuitate gaudet; ſed ſpirandi adhuc vexatur anguſtia, ſub aſcenſu per ſcalas, vel etiam ſilente ſeri è pulmonibus ejectione, admodum increſcente. Ad hæc frequens eſt alvi obſtructio; & à fortiori ipſam egerendi niſu, tubercula ſuboriuntur in ano, ac nonnunquam ſanguis cum fœcibus excernitur. Notari meretur, hanc obſtructionem, excipere præſertim menſium fluorem, atque tum jungi ſimul cœcas illas hæmorrhoides, inſigniter ardentes, totumque perinæum excoriantes.

Si menſtrua inſtant, quod fere luna exiſtente plena fit, antecedunt atrocia inteſtinorum tormina, & dolor gravativus in uteri vagina; tumque cruor ſpiſſus & ater, minori, quam olim, fertur copia. Junguntur etiam pedum, maxime ſiniſtri, ad malleolos uſque, inſignis refrigeratio; quæ extra hoc lunare tempus, non niſi plantis pedum inhæreſcit aſſidua. Præterea hoc tempore horrendus oſſis ſacri dolor vexat, iſque non raro ad regionem renum incumbit, à fortiori corporis motu, aut inclinatione ad terram exacerbatus; & in urina, ubi conquievit, ſabulum cernitur rubicundum.

Non minus per intervalla ſubtriſtis evadit ægra, tantoque corripitur angore, ut nihil ſit, quo poſſit erigi: accedunt puncturæ præcordiorum, cor maxime occupantes, cum ſenſu quodam reniſus ſanguinis haud rite propulſi, qui inſtituto corporis vehementiori exercitio, remittit. Nares perpetua gravedo obſtruit; quæ, ſi in libero verſata fuerit aëre, mitior exiſtit; quando vero in calefactis conclavibus commoratur, caput & internæ nares adeo conſtringuntur, ut nec aër, nec pituita has tranſire queat; jungitur aurium tinnitus, & animi cogitationes turbari videntur. Tandem, poſt pulveris ſternutatorii, aliorumque remediorum uſum, fœtida, craſſaque materia, puris inſtar emungitur, cum euphoria, ſed brevi ceſſat hæc excretio.

Elapſo proxime anno, hiſce moleſtiis jungebatur tenſivus capitis dolor, tantaque vertigo, ut vix à lapſu, qui in dextrum præcipue latus imminebat, ſibi cavere potuerit; ac noviſſime pertinaciſſima denuo tuſſis, velut ſuffocativa, cum raucedine, & æſtu præternaturali ſtipata, invadebat, perque totam noctem inhærebat, mane mitior. Senſit quoque olim magna manuum, ſiniſtrique potiſſimum brachii tormenta, quæ hoc tempore remiſerunt. Non raro atrociſſimi capitis dolores eam diſcruciant, &, ſequuto vomitu, protinus ceſſant. Mane in faucibus, maxime circa uvulam, in exiguo quodam ſpatio, inſignem acrimoniam & ſiccitatem, cum deglutitionis impedimento ſentit; quæ, exſcreato muco, evaneſcit. Nonnunquam externis pectoris partibus inhæret, ardens rodenſque dolor, iſque in dextro potiſſimum latere, cutim interdum in veſicam elevavit, quæ ſanguinem fudit: ac denique tanta nares offendit acrimonia, ut ſemper fere ſint excoriatæ. Et hæ ſunt moleſtiæ, quibus eo uſque premitur miſera, & quarum medelam anxie quærit: maxime vero doceri cupit, an iis expugnandis Carolinæ ſint profuturæ.

*Conſilium Medici cujuſdam.*

Ea valetudinis conditio, quam præ ſe fert generoſa mulier, quamque morbi nomine inſignire haud audeo, à nimia ſanguinis & humorum mole, motuque inordinato, unice videtur dependere; & ab eorum inæquali per uterum, ob crebra puerperia male conſtitutum, circulatione primam repetit originem. Namque hanc ob cauſſam cruoris excretio menſtrua haud eſt ſufficiens, nec reſpondet quantitati ſuccorum, qui in toto continentur corpore; quare hi ad ramos hæmorrhoidales regurgitant, perque eos exitum affectant. Hic vero, quoniam deficiente naturali ad hunc fluxum diſpoſitione, non commode obtinetur; ſtagnat cruor non modo in iis, quæ proxime inveſtiunt anum venis, & cœcas gignit hæmorrhoides; verum etiam in ramis hæmorrhoidalibus per os ſacrum, atque dorſum aſcendentibus ſubſiſtit, eoſque diſtendendo, atroces illos in dorſo dolores progenerat. Sub hac ſtagnatione humores redduntur ſpiſſi, atque viſcidi; & ob turgentes venas hæmorrhoidales, alvi quoque ſegnities proficiſcitur; quam in tali caſu nec clyſteres, nec purgantia reſerare ſufficient.

His autem incommodis ut medeamur; duos potiſſimum ſcopos præfixos habeamus, neceſſe eſt; nimirum ut humorum nimiam molem primum imminuamus, deinceps illorum craſſitiem attenuemus. Priori ſcopo venæ ſectiones, motus corporis, & tenuis victus facient ſatis; poſteriori inſervient decocta ex cremoris tartari uncia una cum dimidia, nitri drachmis duabus, ſacchari unciis tribus & flavedine citri cum ſex aquæ menſuris parata; in vicem potus ordinarii large potanda. Nec alienum erit, hac præſertim anni tempeſtate, ſuccum betulæ mane loco infuſi theiformis ſorbillare.

Quod attinet thermas Carolinas, cautiſſimus earum debet eſſe uſus, ne enormiorem excitent per anum vel uterum hæmorrhagiam. Quare commendarem, ut ſolito parcior earundem ſit potatio; ac veſperi præcedente, clyſteres ex iiſdem aquis parati, ano infunderentur. Inſervient præprimis ad reſolvendum ſanguinis coagulum, maximeque reſerandam lienis obſtructionem: quem effectum ab acidulis quoque tepefactis expectare licet; nec non à cibis tenuioribus, non nimis nutrientibus. Eodem ſcopo egregie profutura ſunt balnea ex aqua dulci tepidiora, quæ cutim relaxandi, & ſpiſſos ſuccos attenuandi mirabilem vim poſſident; quorſum etiam frictiones pertinent. Ad imminuendam ſanguinis abundantiam proſunt porro hirudines & ſcarificationes; ſed niſi diæta tenuior acceſſerit, mox nova increſcet copia: nec denique ludetur opera, ſi æſtivis menſibus ſerum lactis caprini adhibeatur. Hiſce ſubſidiis ante omnia moles humorum erit imminuenda; atque tum aliis remediis, iis, quæ reſtiterint, ſymptomatibus, obviam eundum.

*Epicriſis cum conſilio.*

Quam multis, magnis atque diuturnis morbis pateant ſubjecta, ſuccorum plena, maximeque fœminæ, quæ naturæ ſenſibilioris, & ſpongioſi corporis ſunt habitus, præter crebram experientiam, præſens quoque teſtatur caſus. Ingens enim ſanguinis, quæ in iis generatur copia, niſi juſto vigore per debita ac patula loca, quæ in ſexu ſequiori uterus plerumque, interdum etiam venæ hæmorrhoidales ſunt, excernatur, protinus in uteri, inteſtinorum, ac abdominis majoribus vaſis ſtagnat, eaque diſtendendo, gravia ſpaſmodica producit ſymptomata. Hiſce vero non modo

modo circulus ſuccorum inæqualis redditur, ſed illi quoque ad nobiliores partes, ad caput, præcordia, regionem lumbarem ac renalem majori compelluntur impetu, inque iis varia, ac non raro periculoſa machinantur mala. Nulli autem occurrunt fere morbi, qui tam facile in habitum ac conſuetudinem degenerent, quam ejuſmodi ſpaſmodici: quanquam enim in plethoricis ſubjectis primario, à cruoris abundantis ſtagnatione natales ſuos mutuentur; attamen, ſi diutius duraverint, utut remota illa ſtagnatione, à leviori cauſſa, errore diætæ, aëre frigido, humidoque, cibis flatulentis, calidioribus, animique affectibus, facillime revocantur; multumque negotii medico perinde ac ægrotanti faceſſunt. In primis vero obnoxiæ ſunt, hiſce habitualibus ſpaſmorum recidivis, illæ fœminæ, quæ præter habitum corporis ſpongioſum, atque temperamentum ſanguineum, diætæ erroribus indulgent, & veſcuntur alimentis, quæ vel genus nervoſum debilitant, & ad anomalos motus diſponunt, vel criticas ſanguinis per uterum excretiones remorantur. Molle ſiquidem hoc hominum genus plerumque pomis, acetariis, placentis, dulcibuſque cibis delectatur, parco utitur potu, aut hunc frigidiorem in corpus calefactum ingurgitat, vitam amat ſine motu deſidem, ſomno juſto diutius indulget, corpus veſtimentis compreſſoriis paullo arctius includit, & ad vehementiores animi affectus, terrorem, mœrorem, triſtitiam, quin non raro diuturniorem, depaſcentemque amorem proclive deprehenditur.

Quæcunque ex his cauſſæ in noſtra concurrant ægrotante; ſatis eſt, eam nimiis abundare humoribus, & ab horum irregulari circulo, cuncta quibus premitur, pullulare ſymptomata. Neque enim ullum eſt dubium, quin partim capitis eryſipelas, quod cum acuta febre complicatum, quindecim abhinc annis paſſa eſt, partim febris illa pectoralis, paucis poſt annis inteſtans, ſoli ſanguinis abundantiæ, & inordinato circuitui debeantur. Quum autem ejuſmodi affectiones, eas, quas obſederunt partes, valde debilitant, earumque robur adeo labefactant, ut ſub quavis vel leviſſima occaſione, humores in illis ſubſiſtant, ac priſtinos reſuſcitent affectus: ratio facile patet, cur in noſtra eryſipelas faciei, gravedo, tuſſis & aſthmatica pectoris adflictio ſæpius recruduerint, & adhuc moleſtias creent. Reliqua, quæ in imo ventre tyrannidem exercent ſymptomata, veluti ſunt tormina inteſtinorum, dolor gravativus in uteri vagina, alvi ſegnities, tormenta oſſis ſacri atque renum, & hæmorrhoides cœcæ, utique ab inæquali humorum per viſcera abdominis progreſſu, & ſanguinis in uteri & hypogaſtricis vaſis ſtagnatione ſuos mutuantur natales.

A quibus malis cum liberari cupiat generoſa matrona; nihil ſane eſt, quod ipſi convenientius judicarem, quam ipſas thermas Carolinas, binis ſucceſſive potandas annis: quippe quarum vis, in ſpaſmodicis affectibus, omnium remediorum virtutem longiſſime ſuperat. Ganeratim notari oportet, thermarum internum uſum, perſonis, quæ ſequioris ſunt ſexus, magis eſſe accommodatum, quam quidem acidulas: hæ enim, ſi quid adjumenti inferre debent, calefactæ ſint, & cum externo balneorum Tœplicenſium uſu conjungantur, neceſſe eſt. In noſtro caſu eo certius emolumentum ab uſu Carolinarum ſpondeo; quo inſignius inde levamen jam antea percepit ægrotans. Tantum enim abeſt, ut hæ thermæ, juxta medici, cujus judicium præmiſſum eſt, ſententiam, quam refutare inſtituti mei ratio neutiquam exigit, ad violenta & vehementiora remedia ſint referendæ; ut potius, longa experientia edoctus, tutiſſimas eas pronunciare, & natura quoque debilioribus, fœminis, junioribus, quin & gravidis ſecure commendare queam; maxime ſi ſub regimine prudentis medici adhibeantur. His ergo ſub decenti victu uſurpatis, ſi quicquam moleſtiarum adhuc reſtiterit, quæ abs re futura ſint, docebo.

---

## CASUS CXLI.

*De affectu ſpaſmodico in fœmina, cum conſilio, quænam poſt potum thermarum ex uſu ſint?*

MAtrona quadraginta novem annorum, ſubpinguis, & ſpongioſi corporis habitus, decimo ſexto ætatis anno, menſtrua primum profundere cœpit, ſequenti viro nupſit, vigeſimoque ſexto primum excluſit partum, qui ſimul ultimus fuit. Tribus autem abhinc vicibus, ſub falſa imprægnationis ſpe, per tres ſemper menſes haud perſolvens lunare tributum, his elapſis, cum enormi cruoris per uterum profluvio, excrevit rudem, carneamque maſſam. Per noviſſimum triennium menſtrua ab ordine naturali receſſerunt; ſiquidem mox per unum alterumve menſem ſuppreſſa fuerunt, mox juſto copioſiori quantitate promanarunt; & per proximum trimeſtre albus comparuit fluor. Quare non ſine levamine hactenus ter quovis anno venam ſecandam, cutimque ſingulo menſe ſcarificandam præbuit; detractumque ſanguinem ſemper inveſtit cuticula quædam. Neque tamen minus valde infirma fruitur ſanitate: alvus ſegnis eſt, & vix omni biduo, vel triduo reſpondet, aſſidui vexant capitis dolores, nervorumque cervicis diſtractiones; crebræ adfligunt præcordiorum anxietates, cordiſque palpitationes, quæ, ſi forſan ad ſiniſtrum latus decubuerit, cum ſuffocationis metu invaleſcunt, adpetitu fruitur avidiori, ſed ſumtis epulis, dolor gravativus in ventriculo percipitur, ciborumque languidior concoctio. Præterea duodecim abhinc annis, in ſiniſtro abdominis latere prope umbilicum, tumor, cum dolore, ardoreque adparuit, & poſt quatuor hebdomades, excreto per alvum multo pure, in abſceſſum degeneravit: quo loco ad hunc uſque diem ingentem dolorem, maxime ſi retinentur flatus, perſentiſcit. Paucis poſt annis vultus intumuit, junctis æſtu febrili, capitiſque doloribus; qui tumor, ſanie per nares profuſa, evanuit quidem, ſed inſignem memoriæ debilitatem reliquit. Denique per aliquot annos calculo laboravit, multoſque per intervalla ex utroque renum excrevit lapillos, præcipue poſt thermarum Carolinarum uſum, quas elapſo anno potavit. Ab harum vero potatione ſiluerunt hi dolores; ſed in eorum locum pedum œdematoſus ſucceſſit tumor. Contra has igitur affectiones, tuum, Vir Excellentiſſime, efflagitat conſilium.

### *Conſultatio.*

Ex iis, quæ de infirma mulieris generoſæ valetudine, mecum ſunt communicata, probe ponderatis, luculenter diſpaleſcit, omnes, quibus ſolicitatur, adfectiones, à nimia ſanguinis ac humorum mole, tardiorique per vaſa, quæ exilia ſunt, & ab incumbente multa pinguedine comprimuntur, circuitu proficiſci. Hinc enim non ſolum partium ſeroſarum & excrementitiarum conveniens per debita emunctoria ſecretio ac excretio, verum etiam ipſa cruoris per uterum evacuatio, accedente præſertim ea ætatis periodo, qua ceſſare ſolent menſtrua, nec legitime, nec vegete ſatis ſuccedere poteſt. Idcirco irregulares humo-

humorum motus ſuboriuntur, hique majori copia ac impetu, ad partes ſuperiores, dorſum, caput & præcordia compelluntur; qui, earum regionum vaſa nimium diſtendendo, dolores dorſi, lumborum, atque capitis, cordis palpitationes & anxietates machinantur.

Atque non vanus profecto eſt metus, ne ex hiſce vitiis, ſucceſſu temporis cachexia, hydrops, quin & apoplexia ſubnaſcatur: quæ mala, ut præcaveantur, ac præſentia debellentur; eo dirigendi ſunt curationis nervi, quo ſanguinis abundantia imminuatur, circulatio promoveatur, & ſtagnationes diſcutiantur. Quibus ſatisfacturus ſcopis, phlebotomiam & ſcarificationem, more huc uſque ſolito, continuari jubeo; &, adhibitis ſalutari conſilio, Carolinis fontibus, ea in uſum vocanda ſuadeo medicamina, quæ alvum leniunt, ſtomachum roborant, vim digeſtivam inſtaurant, & tranſpirationis ſucceſſum facilitant. Egregiam hoc nomine præſtabit virtutem, pulvis aperitivus, & præcipitans, ſequentem in modum parandus: Recipe lapidum cancrorum unciam unam, arcani duplicati unciam ſemis, nitri depurati drachmas duas, olei de cedro Italici guttas ſex. M. F. pulvis, cujus drachma dimidia, ex aqua vino nupta, quovis tertio die, vel brevi ante epulas, vel circa ſomni tempus capiatur. Deinceps collaudo uſum Elixirii ſtomachici, quod ſic componitur: Recipe radicis gentianæ rubræ unciam unam, herbæ cardui benedicti, corticum aurantiorum, ſalis tartari ana unciam dimidiam, M. infundantur cum menſura dimidia ſpiritus vini Rhenani, & leni calore digerantur. Hoc remedii genus, quod ventriculum roborat, acrimoniam primarum viarum temperat, & alvinam excretionem ſecundat, ad ſexaginta guttas vel mane ex infuſo calidiori, vel veſperi aſſumi poteſt.

Non minus ad promovendum æqualem humorum progreſſum, eorumque affluxum a pectore derivandum, non contemnendum effectum poſſident pediluvia, ex furfuribus triticeis, ſale communi, cineribuſque clavellatis paranda, & veſperi adhibenda. Omnis quoque cereviſia, maxime lupulata nocet, cujus vicem commode explebit decoctum, ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, ſemineque fœniculi confectum. Et ſi denique alvus fuerit obſtructa, miſſis, quæ noxia ſunt, cunctis purgantibus, eam per ſal Anglicanum, pondere dimidiæ unciæ ex aqua capiendum, hauſta deſuper larga infuſi calidioris quantitate, reſerare oportebit.

---

## CASUS CXLII.

*De variis pathematibus ſpaſtico-hyſtericis cum corporis conſumtione.*

Celſiſſima Princeps, temperamenti melancholici, corporis gracilioris, annorum viginti trium, tempore pubertatis matrimonium contraxit, in eoque ſine prole vixit. Multis potius, durante hoc conjugio, preſſa fuit & timoribus, & terroribus, cum vitæ nonnunquam periculo conjunctis. Dum enim aliquando una cum marito in curru veheretur; equi fugam arripuerunt, laxatiſque habenis, & præcipitante curru, metus erat, ne una cum lectiſſimo marito, fatis cederet. Evaſerunt equidem, quæ Dei eſt gratia, uterque ab hoc gravi periculo; ſed noſtra cordis tremorem, vel potius palpitationem, vultus pallorem, & anguſtias præcordiorum retinuit. Ab his, ut vindicaretur, choreæ inſtitutæ fuerunt, aliaque muliebri ſexui familiaria ſolamina: at nullum ex omnibus percepit levamen, tantum abeſt, ut ſequuto poſt aliquot menſes dilectiſſimi mariti, variolis extincti obitu, pejus habere cœperit. Hinc enim longe plura propullularunt ſymptomata; ſiquidem accedebant vertigo ſæpius recurrens, dolores ſtomachi, ejuſque tenſiones, menſtruorum parcior fluxus, & laſſitudo quædam, totum & muſculoſarum & nervoſarum partium genus occupans, adeo ut ſeſe vix pedibus ſuſtinere poſſet. Interim ad ſecundas tranſiit nuptias, inque his filium peperit unicum; nihilo ſecius autem perdurarunt recenſitæ calamitates, quin accedente primum matris, & brevi poſt dilectiſſimi filioli, qui trimulus erat, morte, majora in dies ſumſerunt incrementa. Acceſſit demum muliebris fluor, modo albus, modo ad flavum vergens colorem, cum frequenti membrorum languore. quo ingraveſcente, lecto affigi tenetur; ipſe hic fluxus, promanantibus menſibus, per quatuor vel quinque dies ceſſat; hiſque rurſus ceſſantibus, denuo prorumpit. Sub finem defluxæ æſtatis, cum in Italiam rediiſſet, in duplicem incidit tertianam, cum capitis, ſtomachique dolore conjunctam; quæ unius menſis ſpatio profligata, tamen recurrit per intervalla, & tandem uſu tincturæ Chinæ de china, aliorumque amarorum, exſpiravit, relictis ſemper iis, de quibus ſermo fuit, ſymptomatibus. Rerum non naturalium exactam ſervat rationem, niſi exceperis, quod animi affectibus nimium indulgeat, eoſque potius occultos foveat. Cæterum, licet toto vitæ ſuæ tempore parum carnoſa fuerit, jam tamen ſenſim ſenſimque emaciatur; pulſuſque arteriarum mox juſto frequentior, mox vero æqualis, ſimul vero durus fertur.

Hæc eſt morbi, ſymptomatumque, quibus Celſiſſima Princeps premitur, idea; quorum explicationem pathologicam lubens omitto, tuamque, vir celeberrime, exopto ſententiam. Haud vero ſilere debeo, me ſemper de ſpiſſitudine humorum judicaſſe, & eos curandi ſcopos habuiſſe præfixos, ut humores attenuentur, & menſium fluxus ad naturalem ſtatum redigatur. Terrores enim, timores, atque mœrores tonum partium exteriorum conſtrinxerunt: hinc ſanguis ad interiora congeritur, nec æquali progreſſu ubique diſtribuitur. Unde non mihi mirum videtur, quod ſereniſſima Princeps pallorem, & præcordiorum anguſtiam patiatur, quod ſanguis magis magiſque ſpiſſeſcat, non legitime depuretur, non nutriat, corpuſque ſenſim contabeſcat. Fluor albus, quamvis ſit excretio, qua natura ſæpiſſime menſium defectum ſupplet, attamen in præſenti caſu altioris videtur indaginis quoniam inſignem virium languorem, aliaſque affectiones habet comites.

Quod attinet curationem, commendarem primum pilulas, ex pilulis Muſitano familiaribus, extractis hellebori nigri, artemiſiæ, matricariæ, betonicæ, hypericonis, bellidis minoris, cinnabari nativa, caſtoreo, extracto viſci quercini, magiſterio corticum ovorum, oculis cancrorum, oſſibus ſepiæ, & balſamo de Copaiva compoſitas; quas ſibi proficuas deprehendit ſereniſſima mulier. Deinceps deſcenderem ad uſum decocti, ex ſarſaparilla, radice chinæ, raſura eboris, lignorum lentiſci, viſci quercini, glycyrrhizæ, & hordei, addita carne vituli, parati; quod mane per triginta dies, cum viperarum carne præberem. Uterer etiam ſero lactis caprilli, herbis balſamicis, & cichoraceis alterato & ſecundum artem in balneo Mariæ deſtillato; & denique in lacte aſinino totam curationis ſpem reponerem.

Diebus canicularibus proponerem thermas Maſini, quæ optimæ ſunt, tam pro uſu balnei, quam potus, ad tonum ſtomachi, aliarumque partium reſtituendum & roborandum, cujus beneficio concoctio alimentorum, ſuccique chyloſi per corpus diſtributio fiat. Nec alienam contra fluorem album crederem

injectio-

injectionem alicujus Decocti balſamici cum pulvere Vern. ab Helvetio deſcripto: phlebotomiam vero, ob corporis gracilitatem, viriumque imbecillitatem, haud ordinarem. In rebus non naturalibus optimum ſemper ſervabitur regimen; & ab his cuncta fauſta auſpicor. Mediolani, VIII. Calend. Aprilis 1724.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Intellexi ex communicata mecum hiſtoria morbi, quæ diſcrucient Celſiſſimam Principem, cujus jam novi conſtitutionem, ægritudines, atque quam hiſce profuturam cenſeat celebris quidam medicus medelam. Fateor, ea medicamina, quæ propoſuit laudatus medicus, ita comparata eſſe, ut ea minime noxia prædicare poſſim: vix autem crediderim, quod tanta illorum farrago ægrotanti ſit profutura. Mea potius ſententia paucis remediis adgrederer curationem; nec alias haberem intentiones, quam ut robur ventriculi ac inteſtinorum reſtaurarem, vimque concoctricem ita roborarem, quo legitimus ac ſpirituoſus generaretur chylus. Quem ſi impetraverimus; reliqui quoque ſucci fient benigni, eorum circulus reddetur æquabilis, & omnes excretiones legitime ſuccedent: hinc vero cuncta, quæ morboſa ſunt, ſymptomata, ſponte remittent. Nec dubito, quin iis ſcopis potituri ſimus, ſi hac potiſſimum incedemus via: Mane in lecto adhuc conſtitutæ ægrotæ propinarem decoctum, ex pullis gallinarum, carne viperarum, radice fœniculi, aſparagi, cichorei & petroſelini paratum, quantitate menſuræ dimidiæ. Sub epulis ex ultimo hauſtu, nec non hora quinta pomeridiana exhiberem quadraginta guttas Elixirii ſtomachici, quod ſic habet: Recipe extracti cardui benedicti, centaurii minoris ana unciam ſemis, corticis chinæ, aurantiorum recentium in pulveres redactorum ana unciam unam, ſalis tartari drachmas ſex; affunde vini Hungarici, vel Canarienſis libras duas, digerantur. Præſtans enim eſt, qua in roborando ventriculo, abſorbenda acrimonia, & diſcutiendis flatibus, hæc eſſentia pollet efficacia. Non minus ad leniendam alvum, & humorum ebullitionem conſopiendam, bis quavis hebdomade, ex aqua vino nupta, porrigerem drachmam dimidiam pulveris ſic parandi: Recipe lapidum cancrorum unciam ſemis, fœcularum aronis, ſuccini præparati, tartari vitriolati, nitri purificati ana drachmam ſemis, corticis caſcarillæ grana duodecim, olei de cedro guttas quatuor. M. F. pulvis.

Hiſce per quatuor circiter hebdomades uſurpatis, binas hebdomades tranſigere ſuaderem, uſu balnei ex aqua dulci & lacte parati, cui matutinis pariter ac veſpertinis horis erit inſidendum; atque huic remedio, ſubjungerem denuo, ſupra dictam medicationem. Quæ cuncta, niſi adhuc votis ſatis fecerint, tandem collaudarem curam lactis aſinini, ſub integra animi tranquillitate, & crebra corporis exercitatione peragendam; ac denique loco potus ordinarii, vel acidulas, vel aquam puram fontanam, cum vino mixtam ſubſtituerem. Nec ullus dubito, quin, ſi placuerit Celſiſſimæ Principi, commendata in uſum vocare medicamina, exoptatam inde ſit recuperatura valetudinem; quam Deus ſartam tectamque reddat, ex animo precor.

## CASUS CXLIII.

*De malo ſpaſmodico-flatulento.*

Verbi divini miniſter fideliſſimus, ætatis conſiſtentioris, temperamentique cholerico-melancholici, vera olim melancholia, & moleſtiſſima hemicrania diſcruciatus, ſed ab hiſce vitiis, ope acidularum Egranarum vindicatus, multas jam patitur affectiones, quarum hæ ſunt potiſſimæ: Pectus continuo preſſionis ſenſu afficitur, cui noctu interdum tantæ junguntur tenſiones, ut ſedendo ſpiritum trahere oporteat, præſertim cum ſpiratio per ſe ſit difficilior, & ſub adſcenſu per acclivia magis anguſta fiat. Alvi pertinax urget obſtructio, & flatus maximas diſtenſiones pariunt, ſummamque cum aſthmate præcordiorum anxietatem; &, ut verbis Illuſtris HOFFMANNI *diſſ. de Medic. Select. pag.* 11. utar, primas vias habet ſenſibiliſſimas, unde & anxietatum, ſpaſmorum, flatuumque ingens apud eum eſt proventus: quæ cuncta ſymptomata, cum autumnali pariter, ac hyemali tempore ſint mitiora, ab æquinoctio vernali inſigniter exacerbantur.

Præterea mens etiam afficitur, gravibuſque ac anxiis nonnunquam terretur ideis, quas ſtatim incredibilis angor pectoriſque tanta conſtrictio ſequitur, ut ſermonis impedimentum accedat, ſudoreſque frigidi jungantur. Ab epulis ſentit faucium conſtrictionem, tumque non modo ſermo ſit difficilis, verum etiam tantus manum occupat torpor, ut vix valeat ſcribere. Quod notabile eſt, accedente coryza, vel eryſipelate faciei, cuncta hæc ſymptomata egregie mitigantur. Plurimi medicorum accuſant paſſionem hypochondriacam, & eorum quidam acido auſtero, ſpiritus turbanti, figentique malum adſcribit. Alii obſtructioni pectoris ſcorbuticæ cauſſam tribuunt, & quidam morbum complicatum ex ſcorbuto & malo hypochondriaco ſuſpicantur. Mox ſanguinis ad pectus congeſtionem crepant; mox nimis ſubtilem, ac volatilem ſpirituum, atque bilioſi ſucci temperiem allegant, & inde tam ſubitam vocis interceptionem, motuumque à leviori cauſſa anomaliam deducunt. Cui quoque ſententiæ, ipſe ægrotans addit calculum; atque, præter cereviſiam, quam bibit, ſpiſſiorem, ventriculi debilitatem horum malorum eſſe nutritorem arbitratur. Namque, ſi cibos coctu difficiliores, aut vinum auſterum aſſumſerit, protinus cum ineffabili angore, inſignem pectoris oppreſſionem patitur; ſed ſi veſcatur alimentis, quæ boni ſunt ſucci, ab omnibus liber eſt paſſionibus. Uti non minus ſuevit aquis deſtillatis, iiſque vinoſis, menthæ, meliſſæ, fœniculi, roſarum atque cinnamomi; hiſque cauſſam conſtrictionis, quæ poſt paſtum laryngem obſidet, attribuit.

Neque vero cuncta ferre poteſt remediorum genera; ſiquidem à calidioribus, carminativis, pectoralibus, volatilibus, martialibus, herbis acrioribus, veluti ſunt trifolium fibrinum, abſynthium, ſalvia &c. opiatis, caſtorinis, cinnabarinis, tartariſatis, atque pulverulentis male habet. Poſt calidiorum diaphoreticorum uſum, ulcera in pedibus effloruerunt; nec venarum in pedibus inciſiones ſolamen tulerunt. Ex cibis abhorret dulcia pariter ac acida, tanquam infenſa ipſi, & potius amarulenta v.g. cichoreum cum juſculis &c. cum fructu adhibet. Contra vero amica ipſi videntur remedia temperate calefacientia, confortantia, humectantia, & ſedativa, maxime liquoris anodyni mineralis uſus; & inſigne ſentit adjumentum, ab oleis roſarum, citri, millefolii, aurantiorum, ad duas treſve guttulas ſumtis.

*Conſilium.*

Cuncta, quæ Viro ſumme Reverendo infeſta ſunt, ſymptomata, meo quidem arbitrio, à vitio & ſpaſmodica conſtrictione, ut totius nervoſi ſyſtematis, ita maxime ſepti tranſverſi, ventriculi ac inteſtinorum proficiſcuntur, & jam in habitum, ac conſuetudinem tranſiiſſe videntur. Inde enim alvi obſtructiones, pectoris aſſiduæ oppreſſiones, ægra ſpiratio, præcordiorum anxietas, & conſtrictiones aſperæ arteriæ, cum vocis interceptione, ſuos mutuantur natales. Proximum vero, quod ex ſpaſmodicis ejuſmodi ſtricturis reſultat, incommodum, eſt inteſtinorum moleſta contractio, qua nec excrementis, nec flatibus liber permittitur exitus: quamobrem hi regurgitant ad ſuperiora, & non ſolum ventriculum diſtendunt, ideoque deſcenſum ſepti tranſverſi impediendo, difficultatem ſpirandi adaugent; verum etiam comprimendo ſanguifera imi ventris vaſa, ſuccos vitales ad caput majori quantitate compellunt, qui difficilius per cerebrum progredientes, variis, gravibuſque ideis, & nimio mentis angori cauſſam præbent. Præterea ex ſpaſmo primarum regionum ſuboritur vitium concoctionis, chylificationis, & conſequenter ſanguificationis: hinc ſanguis generatur impurus, ſalibuſque ſcorbuticis fœtus, qui nervoſis partibus perennem ſpaſmorum materiam ſuppeditat, earumque nutritionem deſtruit; qui etiam crebrarum exulcerationum, atque eryſipelatum cauſſam præbet.

Neque vero adeo invaluiſſe arbitror hæc vitia, quin medelam admittant; ſed credo, fore ut debellentur, ſi his æger utatur remediis. Primum quidem cereviſiam, quam ſibimet inimicam deprehendit, prorſus omittendam, & ei hoc decoctum ſubſtituendum eſſe puto: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias tres, ſarſaparillæ uncias duas, radicis cichorei unciam, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum uncia una & dimidia cum binis aquæ menſuris per horam dimidiam ſunt decoquendæ. Deinceps operæ pretium facient pediluvia, ex aqua fluviatili, furfuribuſque triticeis parata; quibus, tepidis tantum, veſperi immittantur pedes. Brevi ante epulas, & ſi anxietates invaleſcant, aſſumantur ex aqua chamomillæ, vel acaciarum, viginti guttæ mixturæ antiſpaſmodicæ, quæ ex uncia dimidia liquoris anodyni & drachma una balſami vitæ concinnatur: neque minus liquoris dicti triginta guttæ, alternis diebus circa ſomni tempus ex commendato decocto capiantur; & bis quavis hebdomade, cum pulvere præcipitante alternentur.

In primis vero alvi habenda erit ratio, ut ſemper conſervetur lubrica; quo fine manna, pondere unius cum dimidia, aut duarum unciarum, vel in lacte caprino, ſi tulerit ventriculus, vel in juſculo avenæ tenuiori ſoluta, quovis decimo die ſorbilletur; aut mane paſſulæ minores Corinthiacæ comedantur. Ex alimentis proficua valde ſunt juſcula, cum radice cichorei, naſturtii, ac petroſelini parata; vel etiam ex lacte confecta; quorum uſui, ſi præſto ſit acida primarum viarum ſaburra, præmittantur lapides cancrorum, pondere drachmæ dimidiæ aſſumendi.

Neque vero ſpem fefellit hæc curatio; ſiquidem ex adhibitis, quæ commendata ſunt, remediis, tantum ſolamen expertus eſt ægrotans, ut muneri ſuo abſque moleſtiis fungi potuerit; & quum præterea Elixirii mei viſceralis uſum ſibi haberet commendatum, ſanitate jam fruitur illibata.

## CASUS CXLIV.

*De affectu ſpaſmodico-flatulento in perſona ſereniſſima, per lac aſininum & ſelteranas feliciter curato.*

Quum perſona quædam ſereniſſima, contra varias, eaſque graviores moleſtias, quibus uſque eo male habetur, meum deſideravit conſilium & auxilium: hoc devota & ſubmiſſa mente ſuppeditaturus, haud alienum putavi, ipſam morbi hiſtoriam præmittere. Eſt igitur gratioſiſſima Princeps annorum triginta, corpore tenerrima, ſtrictior, multis nervis, exilibuſque vaſis inſtructa, ſed animo valde ſenſibilis, ingenioque vivaciſſimo prædita. Tranſacta ſub exoptato à gravioribus morbis otio juventute, per decem jam annos, alvi obſtructiones, flatuumque moleſtias patitur. Menſtrua juſto tempore, ſed parciori copia feruntur; nulla ad ſudorem eſt proclivitas, & ciborum languens adpetitus. Somnus non reficit, & brevior eſt; ſiquidem ad mediam uſque noctem, ſub lectione librorum, protrahuntur vigiliæ: neque animus ab adfectibus, maxime mœroribus liber eſt.

Per aliquot annos ſæpius de torpore, ac languore totius corporis, artuumque dolore contuſorio conqueritur; cui non raro præcordiorum anxietates, nauſeæ, quin ipſa animi deliquia junguntur. Regio ventriculi & hypochondriorum inflata, atque tenſa adparet; & alvus niſi clyſmatibus, vel pilulis polychreſtis ſolicitata, nunquam reſpondet. Corpus contabeſcit, & crebræ phlogoſes, cum pedum refrigeratione vexant: quæ cuncta ſymptomata, inſtante menſtruorum fluxu, magis ingraveſcunt.

Præterea pulſus plerumque languidus & tardior eſt; nonque raro tuſſes, coryzæ, aliæque catarrhales adfligunt defluxiones; & elapſo circiter anno, febre laboravit acuta exanthematica, cum diuturna tuſſi. Cæterum à quacunque corporis exercitatione, atque peregrinatione, nec non à venæ ſectione convenienti tempore celebrata optime habet; & ab uſu thermarum vel acidularum, inſigne ſemper percepit ſolamen. Contra medicamina calidiora exacerbant malum; & ſopiendo humorum orgaſmo, nihil eſt convenientius, quam pulvis præcipitans nitroſus.

Quæ cum ita ſint, cognitu facillimum erit, totum nervoſarum partium, quæ ſenſationibus, motibuſque perficiendis unice ſerviunt, ſyſtema valde debilitatum, & ad motus irregulares pronum eſſe. In primis autem robur ventriculi ac inteſtinorum, valde languidum atque deſtructum videtur: unde, his partibus ſpaſmis pariter ac flatibus diſtentis, nec ciborum legitima concoctio, nec debita chyli diſtributio, nec vegeta partium excrementitiarum per alvum excretio poteſt contingere. Quare, cum noxii, flatulentique vapores, ſufficienti exitu deſtituantur; illi regurgitant ad inteſtina ſuperiora, atque ventriculum; hunc graviter diſtendunt; viciniſque non ſolum, ſed quoque ob conſenſum remotiores nervos afficiunt, vellicant, & ideo nauſeam, anxietatem, dolorem diſtendentem, ac inflativum ventriculi, ac hypochondriorum, quin totius corporis languorem & laſſitudinem cauſſantur. Neque mirum, haſce adfectiones quotidie augeri; ſiquidem non paucæ ſunt cauſſæ, quæ eas fovent, ac ſuſtentant: quas inter pertinent corporis tenerior, animique ſenſibilior conſtitutio, graviora pathemata, parcior ſomnus, & nimiæ mentis intentiones, ac meditationes.

Non

Non equidem negaverim, quin ejuſmodi calamitates, ſi inveteraverint, & altas egerint radices, magnam medenti faciant moleſtiam, & diuturnam requirant curationem: attamen, cum ſereniſſima mulier partim juniori fruatur ætate, partim viribus, nondum prorſus proſtratis, nec omnem medicinarum vim reſpuentibus gaudeat, haud dubiam foveo ſpem, fore ut illis, quæ jam ſum commendaturus, remediis, votis potiatur, perfectamque recuperet ſanitatem. Tres nimirum præfixi mihi ſunt curationis ſcopi, quorum prior reſpicit totius nervoſi generis, maximeque ventriculi confortationem; alter flatuum remotionem, & alvinæ excrecretionis promotionem; & tertius æquabilis humorum circuitus reſtitutionem. Quibus ſatisfacturus indicationibus, primum commendo venæ ſectionem, medio intra menſtruorum fluxum tempore, cœlo exiſtente ſereno inſtituendam, & ter quotannis, nimirum menſe Martio, brevi ante æquinoctium vernale, dein menſe Septembri, circa æquinoctium autumnale, & denique ante ſolſtitium menſe Decembri repetendam, detractis ſemper quatuor vel quinque cruoris unciis. Proſpiciendum vero probe erit, ut ante phlebotomiam alvus ſit aperta, poſt eam autem omne frigus arceatur, cibique coctu faciliores, atque juſcula comedantur, ne vitietur tranſpiratio, & digeſtio labefactetur.

Deinceps non præſtantius in perſanandis ejuſmodi ſpaſmodicis, flatulentiſque, ſi diuturniora fuerint, malis, quidpiam ferre deprehenditur auxilium, quam aquæ minerales, tam interno, quam externo uſu adhibendæ: quippe quæ non ſolum innata ipſis virtute, verum etiam vi exercitationum corporis, mutationum aëris, tranquillitatis animi, ejuſque à minus gratis objectis abſtractionis, quæ momenta cum tali curatione nunquam non conjuncta ſunt, ſolantur miſeros, his ægritudinibus adflictos; adeo ut verum omnino ſit, quod dulcius & fructuoſius ad ipſum fontem aquæ bibantur medicatæ. Quare ſuaderem, ut ſereniſſima quovis vere ad fontes ejuſmodi accedat; qui, cum diverſis valde virtutibus, & effectibus ſunt inſtructi, nec iidem in omnibus ſubjectis, atque morbis, commendari poſſunt, in noſtro caſu tales ſeligendi ſunt, qui nervis, quocunque fiat modo non adverſentur, ſed humorum fluxilitatem, alvique lubricitatem facilitent. Quo nomine interne acidularum Schwalbacenſium potationem, externe balneorum, quæ vocant *das Schlangenbad*, uſum; aut utrique ſcopo fontes Wisbadenſes cunctis reliquis præferrem. Ipſa hæc curatio ſub finem menſis Maii adgredienda, & ita adornanda erit, ut commendatæ aquæ per tres vel quatuor hebdomades ſub convenienti regimine tepefactæ, potentur: & hora pomeridiana quarta, in collaudata deſcendatur balnea; quæ valde temperata eſſe oportet, ne exagitent ſanguinem. Poſt balneum fricandi ſunt artus, atque tum lenis in lecto expectandus ſudor. Cæterum ſub hac medicatione à reliquis medicaminibus abſtinere licet, nec ullis uti opus eſt, quam eſſentia corticum aurantiorum, quadraginta guttis inter epulas, ad confortandum ventriculum capienda. Quod ſi vero ex uſu balneorum ſanguinis ſuboriatur ebullitio; veſperi pulverem præcipitantem nitroſum ex aqua ceraſorum nigrorum aſſumere expediet. Præterea cum ſymptomata dictarum ægritudinum, autumnali potiſſimum tempore ſoleant exacerbari: non ludetur opera, ſi ad ea præcavenda, præmiſſa venæ ſectione, eædem Schwalbacenſes acidulæ per decem duntaxat dies tepidiores hauriantur, iiſque balnea Lauchſtadienſia ſubjungantur.

Verum enim vero, ut partim ad haſce curationes legitime diſponatur corpus, partim iis abſolutis, ulteriora avertantur incommoda: operæ pretium erit, per quatuor circiter ante fontium potationem hebdomades, ſequentem in uſum vocare medicationem. Sub epulis quotidie ſumantur quinquaginta guttulæ Elixirii mei viſceralis, quod cum lixivioſo alcalinoque menſtruo paratum, & balſamicum eſt. Pro potu ordinario uſurpentur vel acidulæ Selteranæ vino nuptæ; vel ſequens Decoctum: Recipe radicis Scorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias tres, aniſi ſtellati, ſeminis fœniculi ana drachmam unam cum dimidia, arcani duplicati drachmam ſemis. Conc. cont. D. S. Species, quarum unciæ binæ ex tribus aquæ menſuris per horam decoquantur dimidiam. Tum quoque, ſi forſan nauſea, & præcordiorum anxietates invaluerint, capiantur protinus ſcrupuli bini pulveris bezoardici, qui æquali pondere cum præcipitante mixtus ſit, una cum viginti guttis liquoris mei anodyno-mineralis: quod remedii genus etiam quavis hebdomade ſemel circa ſomni tempus, ex allegato decocto adhibeatur. Ad hæc inſigne pollicetur emolumentum corporis exercitatio, quæ vectionis ope, & ante prandium & cœnam inſtitui debet; nec alienum erit, à ſuetis hactenus vigiliis abſtinere, & maturius lectum conſcendere, ut, niſi ipſe ſomnus plenior capi queat, animus tamen à nimiis meditationibus avertatur. Atque eandem medendi rationem, per integrum ab acidularum potatione menſem continuare conveniet; nec dubito, quin iis rite obſervatis, exoptata ſit reditura valetudo.

*Relatio.*

Quum Sereniſſima Princeps, ob varias cauſſas, ad fontes Schwalbacenſes, aut Wisbadenſes iter facere interdicta fuiſſet; deſideravit, ut ea proponerem remedia, quæ advertante Maio domi poſſet adhibere. Quare commendavi lac aſininum, cum aquis Selteranis maritatum; & ex illo eo illuſtrius promiſi auxilium, quo magis internus, atque depaſcens, qui acceſſerat, calor, hecticæ metum faciebat, & humectantium ac demulcentium medicinarum uſum indicabat. Recuſavit primum mulier ſereniſſima lactis uſum, quoniam ab hoc ſe ſemper pejus habuiſſe affirmabat: at cum oſtenderem, quod lac aſininum, à reliquis lactis generibus longiſſime diſtaret, & præter copioſum ſaccharum, parciſſimam caſeoſæ ſubſtantiæ quantitatem foveret, ideoque cum acidis ægerrime coagularetur; quodque præterea ab ad mixtione acidularum Selteranarum, quæ copioſo pollerent ſale alcalino, magis innocentiorem obtineret indolem; præbuit aures meis conſiliis, & accerſita, cujus pabulum erant medicatæ herbæ, aſina, hunc in modum curam inſtituebat.

Per primum biduum, ad corpus purgandum, ſolas Selteranas ad menſuram dimidiam potavit, & inde ter vel quater alvum dejecit: ſequentibus diebus, eaſdem tepefactas, quantitate integræ menſuræ, cum lactis recens mulſi dimidia mixtas, mane intra lectum adhuc conſtituta, ſpatio trium horæ quadrantum hauſit: neque ullas præter eas ſumſit medicinas, & ſub epulis loco potus ordinarii dictas acidulas, cum quinta vini veteris Rhenani parte maritatas adhibuit. His per quatuordecim dies uſurpatis, egregius ſuccedebat effectus: ſiquidem gratioſiſſima Princeps, ſomnum, vires, & adpetitum recuperare cœpit, alvus bis quotidie reddebatur, & flatulentia, anxietates, & æſtus interni ſenſim evaneſcebant. Idcirco ipſi placuit, huic curationi ulterius inſiſtere, quam etiam per octo continuavit hebdomades, ita ut ſingulis tribus per biduum circiter, ad ſubducendum fortius ventrem, ſolis acidulis uteretur. Inde factum eſt, ut abſoluta medicatione valeret opti-

optime, menſtrua rite fluerent, & alvus tantum non ſemper officio ſuo perfungeretur: quare commendavi, ut ſequenti anno, ad avertendas penitus mali reliquias, hæc cura iteraretur.

## CASUS CXLV.

### *De affectu ſpaſmodico-flatulento poſt puerperium.*

FOEmina, triginta annos egreſſa, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſtaturæ mediocris, habitus laxioris, vaſorum exiliorum plena, unicum filium, undecim abhinc annis enixa, & in puerperio haud convenienter tractata fuit. Inde menſium irregularem, & juſto parciorem paſſa eſt fluorem; & cum varii mœrores, aliique, quibus luxuriant negotia domeſtica, animi adfectus accederent, ſenſim hyſterica facta, in varias incidit ſpaſmodicas paſſiones, cum alvi obſtructionibus, flatuum retentione, ſpirationem impediente, capitis doloribus, animique crebris ſtipatas deliquiis. His per intervalla corripitur, nonnunquam tam ſubito, ut vegeta, ſellæ inſidens, præter omnem ſpem ac opinionem, in terram præceps ruat: remittente vero paroxyſmo, optime, ac ſanæ inſtar ſe habet. Extremi artus continuo frigore, maxime in paroxyſmo affecti ſunt; quo ſoluto, gelido perfunduntur ſudore. Præſertim atrociſſimus ſpaſmus regionem inteſtini coli, vel interdum etiam tenuium, hinc inde obſidet, adeo ut de clavo quaſi iſti loco infixo conqueratur: quam ſenſationem eo magis ſpaſmodicæ ſtricturæ attribuo, ſi conſideravero, reperiri in cadaveribus his morbis defunctorum, inteſtina variis in locis arctiſſime conſtricta, vicinas vero partes mirum in modum expanſas. Adhibuit in hoc rerum ſtatu per aliquot jam annos multa remedia, multoſque conſuluit medicos; quorum quidam, cum in toto corpore maculæ ſcorbuticæ efflorеſcerent, ipſam ſalivatione mercuriali tractare auſus eſt. Hinc per noviſſimum annum abſtinuit fere à pharmacorum uſu, nec niſi ob ructus acidiſſimos, qui per vices invadebant, interdum pilulas laxantes, pulvereſque abſorbentes ſumſit. At cum pronuper invaleſcerent ſymptomata, & pedes, manus, atque facies intumeſcere viderentur, me vocavit in auxilium.

Ego vaſorum minimorum, maxime circa uterum, obſtructionem ſuſpicatus, miſſo jam ante octo ſeptimanas ex vena in pede tuſa ſanguine, clyſteres commendavi; quos cum renueret, leniora laxantia propinavi, & in paroxyſmo pulveres antiſpaſmodicos, cum liquore anodyno dedi; extra illum pulveres reſolventes, & mixturam, quæ eſſentiam aurantiorum, millefolii, & ſpiritum ſalis ammoniaci vinoſum habebat, exhibui: motuſque febriles, qui veſpertino jungebantur tempore, pulveribus oppugnavi temperantibus. Inſtante etiam menſium fluxu, pilulas balſamicas porrexi, eo effectu, ut prorumperet cruor, cum ſymptomatum levamine, & macularum ſcorbuticarum effloreſcentia. Et ideo jam in eo ſum, ut futuram curationem, ad promovendum lunare tributum dirigam; quo etiam fine, cum rationes ægræ haud permittant, adeundi fontes medicatos, adventante vere, acidulas Selteranas proponere, eſt animus; neque vero, niſi Tuo, Vir Illuſtris, conſilio adjutus, quicquam tentabo.

### *Conſultatio.*

Morbum, cujus cauſſa conſultus ſum, adeo perſpexit medicus noviſſime in auxilium vocatus, ut & cauſſas illius rite exploraverit, & curationem ipſis convenientiſſimam adornaverit. Verum ſicuti omnes ejuſmodi inveterati affectus, qui totam jam ſanguinis & humorum maſſam corruperunt, curatu ſunt difficillimi: ita quoque cum noſtro ſpaſmodico-flatulento malo, quod à vitioſa uteri poſt partum conſtitutione, & hinc pendente inordinato menſium ſucceſſu, originem traxit, comparatum eſt. Nihilo tamen ſecius, cum ægrotans ætate adhuc ſit junior, & vires ipſi conſtent, non deſperandum erit de ſalute, nec dubitandum, quin convenienti medela, debito victus regimine adjuta, priſtinam ſit recuperatura ſanitatem: etſi recuſata clyſterum, qui in mitigandis horum malorum paroxyſmis egregium ferunt ſolamen, infuſio, inſignem utique remoram curationi injiciet. Interim, ut meam aperiam mentem; ex internis nihil ſupereſt, quod majori fructu commendare poſſim, quam pulveres præcipitantes nitroſos, cum cinnabari, & extracto caſtorei permixtos, atque liquorem meum anodynum, viginti guttis pro doſi ſumendum.

Deinceps ad promovenda menſtrua, & ſopienda ſpaſmodica pathemata, admodum laudo ſequentes pilulas: Recipe myrrhæ, gummi opopanacis, aſæ fœtidæ, croci, cinnabaris, aloës roſatæ, caſtorei, trochiſcorum alhandal, aut extracti hellebori nigri ana drachmam dimidiam, camphoræ ſcrupulum dimidium. F. l. a. pilulæ, ex ſcrupulo viginti formandæ; quæ ante fluxum uterinum, per quatuor circiter dies, decem quotidie ſumendo, uſurpari poſſunt. Non minus ad temperandam ſcorbuticam humorum acrimoniam, pro potu ordinario, decoctum conſuetum; & mane infuſum theiforme ex herba artemiſiæ, ſummitatibus millefolii, herba meliſſæ, floribus chamæmeli vulgaris, ſemineque fœniculi, ſummo cum fructu potabitur. His adjungenda eſt ſufficiens corporis exercitatio, & mentis perpetua tranquillitas.

Vix autem ab his omnibus deſideratus obtinebitur finis, niſi acceſſerit uſus aquarum mineralium; quas inter thermas Carolinas in hiſce adfectibus, omnes reliquas ſuperaſſe deprehendi. His vero cum certæ rationes non permittant uti; earum locum explebunt Selteranæ, tepide potandæ; & ut ventrem eo efficacius ſubducant, cum ſale thermarum Carolinarum acuandæ.

## CASUS CXLVI.

### *De affectu ſpaſmodico-rheumatico, ſæpius recurrente.*

GEneroſus vir, quadraginta ſex annorum, tenerioris & ſtrictioris corporis habitus, temperamenti ſanguineo-cholerici, crebris in pueritia ſanguinis è naribus profluviis, ac ebullitionibus vexatus, ad has temperandas acidulis uti debuit. Tum juventutis annos ingreſſus, variis exercitiis, ſaltatione, equitatione &c. corpus inſigniter commovere; nec non vinoſis compotationibus, ad feram uſque noctem indulgere, atque in veneris caſtris ſtrenue pugnare ſuevit, adeo, ut plus ſimplici vice, ſeminis virulento laboraret fluxu. Neque tamen minus ſanus vixit, ac incolumis, donec quatuordecim demum abhinc annis, prima vice ſpaſmis doloribuſque tenſivis, ac lancinantibus omnium artuum, maxime capitis,

pitis, dorſique puſtulis inflammatoriis, cum turbulento ſomno corriperetur. Quæ ſymptomata cum per integrum annum crebris inſultibus recurrerent, & multorum medicaminum vim eluderent, tandem ſalivatione, quæ per externam fit inunctionem, oppugnabantur, eo effectu, ut idem maneret rerum ſtatus. Namque, prægreſſis potiſſimum diætæ erroribus, ſpaſmodici dolores plerumque ſuras, tum & alias partes, vago circuitu, abſque tumore vel rubore externo, prehendebant: quibus ceſſantibus, ciborum adpetentia redibat, & egregie habebat. Et hæc ſcena per longos ludebatur annos; quorum ſingulo, venam in pede tundendam præbuit; & interne Schwalbacenſibus aquis, externe balneis, quæ à ſerpentibus nomen habent, uſus, ſed in caſſum fuit.

Ante quatuor circiter annos conſuluit forſan medicum, qui improbato calidiorum, ac vehementiorum medicaminum uſu, in paroxyſmo ſequentem pulverem, mane veſperique ſumendum ordinabat: Recipe matris perlarum, ceruſſæ antimonii, pulveris lumbricorum terreſtrium ana drachmam, cinnabaris nativæ drachmam dimidiam, pulveris caſtorei grana ſeptem. M. F. pulvis, div. in ſeptem partes. Extrinſecus vero dolentem partem ſpiritu nervino perfricari jubebat, cujus hæc erat formula: Recipe ſpiritus vini ſimplicis unciam unam, lumbricorum volatilis, formicarum ana unciam dimidiam, eſſentiæ caſtorei, nuciſtæ ana drachmam unam cum dimidia. Profligato horum ope intra paucos dies paroxyſmo, extra illum ſingulis quatuordecim diebus, ad alvum leniendam, vel doſin pilularum Becherianarum, vel rhabarbari drachmam dimidiam exhibebat, effectu feliciſſimo: nec non tincturam ex eſſentiæ corticum aurantiorum uncia dimidia, tincturæque ſalis tartari drachmis duabus confectam, ab epulis ſumendam propinabat. Non minus ordinabat, ut adventante vere, præmiſſis venæ ſectione & laxantibus, lac aſininum per binos menſes potaret, & balneis, ex furfuribus triticeis, floribus chamomillæ, herba parietariæ & malvæ, aqua fluviatili, ac lacte paratis, ad umbilicum uſque iis inſidendo, per quatuordecim dies uteretur. Qua curatione adhibita, dolores & longe mitiores, & rariores recurrebant.

Verum enim vero, elapſo abhinc biennio, cum menſe Aprili, aëre exiſtente frigido, ſimul humido, venationi diutius intereſſet, accidit, ut atrociſſimus rheumatiſmus, horrendis doloribus ſtipatus, collum & brachia occuparet; quæ vero moleſtiæ, regimine calidiori, lenibus diaphoreticis, & veſicatoriis nuchæ admotis, brevi tempore diſcutiebantur. Menſe Octobri ejuſdem anni in itinere conſtitutus, febre tertiana corripiebatur; quæ cortice Peruviano quinquies ſuppreſſa, toties recidit, & tandem in continuam, ſævis convulſionibus conjunctam, cum vitæ periculo deſiit. Ab hac ope alterius medici liberatus, retinuit febrem lentam cum nocturnis ſudoribus; quæ primum juſculis gallinaceis, quibus viva vipera erat incocta, ſingulo mane ſorbillatis per decem dies oppugnata, cum magis invaleſceret; tertius medicus, primas vias à ſordibus haud ſatis repurgatas eſſe ratus, miſſis iſtis juſculis, pilulas Becherianas, aliaque aperientia & amara medicamina dedit, iiſque febrem ſuperavit feliciſſime. Reſtabant adhuc tumores artuum extremorum œdematoſi, qui in manibus emplaſtro exſiccante diſcuſſi, pedes contumaciter obſidebant; & cum matutinis horis diſparerent, dolorum rheumaticorum levamen inferrent, nullaſque præterea moleſtias crearent, nullis amplius oppugnabantur remediis.

Currentis anni menſe Aprili, vi officii iterum per quatuordecim dies, ſub cœlo humidiori, tres vel quatuor quotidie horas, ſummo mane, venando tranſigere debebat. Quo quidem tempore ſumtis ante venationem juſculis, quæ ex jure carnium, cancris vivis contuſis, herbiſque antiſcorbuticis, & aperientibus confecta erant, cuncta prævertere ſtudebat ſymptomata; non tamen impedire poterat, quo minus rheumaticas humerorum, brachiorum, totiuſque colli paſſiones, cum rigore earum partium pateretur. Accedebat inſuper lenta febris, veſperi invaleſcens, & media demum nocte, ſudore copioſo, ſimul viſcoſo ſoluta; languebat adpetitus, vires imminuebantur, corpus contabeſcebat; & urina, naturali quidem ſimilis, ſubpingui tamen cuticula cincta adparebat. Medicus porrigebat diaphoretica fixa, nitro permixta, ac nervina cum regimine diaphoretico; quibus in caſſum datis, cucurbitas dorſo adplicari jubebat, nuchæ veſicans emplaſtrum adponi, illamque unguento nervino ter quotidie perfricari curabat, eo effectu, ut dolores ceſſarent, liberaque artus movendi potentia rediret. Interim quam maxime veretur generoſus æger, ne forſan ſæpius recrudeſcant hæc pathemata; atque tandem in habitum ac conſuetudinem degenerent: quare conveniens auxilium quærit, & flagitat.

## *Conſultatio.*

Affectus præter naturam, qui diu graviſſimis doloribus generoſum ægrotantem diſcruciavit, eſt ſpaſmodico-rheumaticus; & primam originem ab inordinato ac perverſo victus genere, cui à primis pueritiæ & juventutis annis indulſit, omnino repetit. Inde enim Vir generoſus, qui natura tenerioris, ac ſenſibilioris eſt corporis conſtitutionis, robur atque tonum partium ſolidarum atque nervoſarum, maxime primarum viarum valde debilitavit, vim digeſtivam ventriculi deſtruxit, ſalutares noxiorum ſuccorum excretiones, præſertim, quæ per cutim fiunt, perturbavit, atque ſic ſanguinis impuri ingentem copiam ſibimet contraxit. Hinc non modo narium hæmorrhagias, verum etiam puſtulas & efflorescentias ſcorbuticas, nec non dolores & ſpaſmos artuum vagos, qui ægro per multos annos inhæſerunt, derivare licebit. Acceſſit demum tertiana febris, quæ ſicuti legitime tractata, id emolumenti ſecum ferre ſolet, ut reſerando obſtructa viſcera ac emunctoria, totam humorum maſſam egregie depuret; ita inopportune, & ut vulgo fit, cortice Peruviano ſuppreſſa, debilitatem partium nervoſarum, & motricium, ut & humorum impuritatem, magis nutrit & adauget. Quare non mirandum, quod in noſtro non ſolum convulſivi motus acceſſerint, qui perſonis ſenſibilioribus ex tali cauſa facillime eveniunt; ſed quoque febris lenta cum nocturnis ſudoribus exceperit.

Qui vero, hiſce gravioribus malis, divina favente gratia, feliciter ſuperatis, denuo ſupervenerunt rheumatici dolores; non niſi à tranſpiratione per aërem frigidum ac humidum, cui corpus aliquoties expoſuit Vir ægrotans, cohibita, natales ſuos mutuantur. Et hinc clariſſime patet, non præſtantius fore, hoſce moleſtiſſimos affectus præſervandi ſubſidium, quam ſtudioſam cujuſcunque refrigerationis evitationem. Neque enim, adgreſſurus hujus mali curationem, alias mihi commendatas habeo indicationes, quam ut paucis medicaminibus, & recto regimine earum rerum, quas ad conſervandam ſanitatem ſumme neceſſarias, non naturales vocamus, debilitatas & ad irregulares motus proclives partes corroborare ſtudeam.

Hiſce vero ſcopis obtinendis, recta vivendi ratio omnium pharmacorum vim longiſſime ſuperabit. Quare ante omnia quaſvis occaſiones, quæ animum perturbare, & ad mœrorem, iracundiam, alioſque adfectus concitare valent, probe vitare oportet. Deinceps corpus in perpetuo calore, ac naturali tranſpiratione, omnem frigidum, humidumque, maxime matutinum ac veſpertinum aërem fugiendo, conſervare; eoque fine, crebris exercitationibus, quotidie vel equitatione, vel vectione ad lenem uſque ſudorem continuandis, illud movere expediet; cavendo probe, ne mox ab epulis, ſed ante has, ventriculo à cibis vacuo, inſtituantur. Namque motus corporis, prudenter adminiſtratus, incredibilem, in debellandis morbis chronicis, poſſidet virtutem, omnemque remediorum vim longiſſime antecellit; ſiquidem roborat ventriculi tonum, vimque digeſtivam, inſtaurat ciborum adpetentiam, confortat elaterem partium ſolidarum, languidumque humorum circuitum promovet, hinc omnes excretiones, præſertim tranſpirationem egregie facilitat, atque ſic obſtructiones ac infarctus viſcerum, inſigniter præoccupat, & avertit. Illuſtrior autem ejus erit effectus, ſi binis circiter horis ante, ad juvandam humorum fluxilitatem, vel infuſum aliquod theiforme, cui herba meliſſæ cum citri corticibus inſerviet, ſorbilletur, vel juſculum medicatum aſſumatur, quod ex jure carnis bovinæ, vel gallinarum, cum radice cichorei, ſcorzoneræ, naſturtio, atque ſucco citri, vel aurantiorum parari poteſt. Ex cibis porro, qui ſaliti ſunt, aut nimia fovent aromata, vel lacticinia, ſedulo evitentur; & pro potu ordinario vinum generoſum Burgundiacum, aquis Selteranis dilutum adhibeatur.

Præterea operæ erit pretium, bis quotannis ante ſolſtitia ſcarificationibus uti, atque bis, circa æquinoctia venam in pede tundendam præbere; quo præſertim tempore omne frigus arcendum, cibiſque coctu facillimis veſcendum erit, ne catarrhales inducantur defluxiones. Cæterum ex pharmacis pauca ſunt, quæ præter ordinata à Medico remedia, commendare poſſum; vellem autem, ut generoſus æger loco fontium Selteranorum, lacti aſinino nuptorum, ſingulo vere pariter ac autumno, aquis Amaſianis, cum balneis, quæ *das Schlangen-Bad* dicuntur, utatur. Nec ludetur opera, ſi bis quovis menſe venter ſubducatur; cui ſcopo inſervient pilulæ balſamicæ vel Stahlianæ; vel noſtræ, numero undecim mane deglutiendæ, ſi præcedente veſpera pulveris digeſtivi drachma una fuerit ſumta, qui ſic ſe habet; Recipe ſalis polychreſti, ſive arcani duplicati, terræ foliatæ tartari, lapidum cancrorum ana drachmam, nitri depurati drachmam ſemis. M. F. pulvis. Quovis denique tertio die veſperi ex hauſtu aquæ frigidæ capere expediet drachmam dimidiam pulveris nervini, cujus hæc ſit formula: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachmas duas, cinnabaris præparatæ, ſuccini præparati; nitri purificati ana drachmam ſemis, olei macis guttas tres. M. F. pulvis. Quæ ſi rite adhibeantur, de felici eventu nullus dubito, ſed illum ex animo precor.

---

## CASUS CXLVII.

### *De rheumatiſmo ſcorbutico.*

HOneſta quædam matrona, mercatoris uxor, annos ſexaginta octo nata, temperamentique ſanguineo-phlegmatici, totum fere conjugii tempus adverſa tranſegit valetudine; mox enim atrociſſimis odontalgiis, mox dorſi ſævis doloribus, mox quoque, præſertim hyemali tempeſtate, tuſſi, & ſpirandi difficultate, graviter infeſtata fuit. Binis abhinc annis, dorſi tormentis, magis invaleſcentibus, accedebant rheumatici etiam cruciatus, per varios artus diſcurrentes; ſed dato pulvere antiſpaſmodico, qui ex lapidibus cancrorum citratis, lumbricis terreſtribus, ſuccino præparato, tartaro vitriolato, nitro depurato, atque cinnabari nativa compoſitus erat, brevi tempore conquieſcebant. Elapſis quibuſdam hebdomadibus, morbo articulari vago prehendebatur; qui, uſurpatis præter allegatum pulverem, mixtura ex eſſentia trifolii fibrini, ac ariſtolochiæ rotundæ, nec non infuſo theiformi ex radicibus ac herbis reſolventibus, & ſic dictis antiarthriticis confecto; & adplicato extrinſecus ſpiritu lumbricorum terreſtrium, cum ſpiritu vini camphorato permixto, intra paucos quoque dies profligabatur. Verum brevi poſt recrudeſcebat, atque tum dictorum remediorum pertæſa ægrotans, alium conſuluit medicum, qui ſe dolores protinus debellaturum pollicitus, præter infuſum ex radicibus reſolventibus concinnatum, ordinavit Electuarium, quod diaſcordium Fracaſtorii, & corticem Peruvianum habebat. Hoc præſens, ſed momentaneum dolorum inferebat levamen; & ad octo jam uncias uſurpatum, meo ſuaſu omittebatur. Nihilo minus loco ejus, ex ejuſdem medici præſcripto, utebatur maſſa pilularum de cynogloſſa: quæ ſumta, ſolamen quidem præbebat, ſed vix per binas horas durans. Potius dolores magis magiſque invaleſcebant; artus, qui ipſis patebant, contracti ac immobiles reddebantur; pulſus erat durus, urina reddebatur pauca, & crebræ jungebantur animi defectiones. Interim remittebant ſenſim tormenta perpetua; & jamjam, cum ex meo conſilio per integrum fere annum, ab omni remediorum uſu vacaſſet, in eo eſt ſtatu, ut lecto ſemper affixa hæreat, & facultate manus pedeſque movendi prorſus deſtituta ſit; neque minus noctu immanes interdum patiatur dolores. Ab iis ergo vitiis, ut liberetur, tuam, Vir Experientiſſime, implorat opem; & licet etiam non funditus exſtirpari poſſint; ſatis tamen levaminis ſe percepiſſe putabit, ſi extra lectum commorari, ac ſellæ inſidere potuerit.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Graviſſimi, qui lectiſſimam fœminam moleſtant, dolores articulares, cum contractura, induratione, ac paralytica reſolutione; tanta quidem, ut corpus lecto ſemper affixum, nec flecti, nec moveri queat, cumque mictione imminuta, pulſus duritie, ſomnoque turbato ſtipati, non convenientius, quam rheumatiſmi ſcorbutici merentur nomen. Huic cauſſam præbet humorum, maximeque lymphæ depravata diatheſis; quippe quæ particulis ſalinis, & acribus imbuta, in articulis oſſium ſubſiſtit, coagulatur, atque ſic ligamenta & tendines valde nervoſos, partim nimis relaxando, partim indurando corrumpit & vitiat. Perquam opportunæ autem hiſce malis deprehenduntur fœminæ, quæ temperamenti ſunt ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi, quæ ætatem lunari tributo onuſtam emenſæ, vitæ deſidi, animi affectibus, & inordinato victui indulgent, atque ſanguinis decentes miſſiones neglectui habent. Nec levem curationi remoram injiciunt hæc vitia, præſertim ſi ætate provectiores invaſerunt, diuturnitate ſua partes ſolidas jam deſtruxerunt, aut plane craſſis adſtringentibus, vel opiatis oppugnata fuerunt; quæ ſopiunt quidem tormenta, ipſam vero cauſſam neutiquam tollunt, ſed ei majus addendo pabulum, morbum reddunt contumaciorem ac habitualem.

Quare ſi præſentem caſum diſpiciamus; ſpes ſane recon-

reconvaleſcentiæ in anguſto eſt; neque alia, quam ſequenti ratione curationem adgrediendam arbitror. Primum quidem valde neceſſariæ ſunt ſanguinis imminutiones, quas, niſi jam fuerint inſtitutæ, admotis decem vel duodecim cucurbitulis cum ſcarificatione perficiendas ſuaderem. Tum ad purificandos humores omnis cura erit dirigenda; quo fine commendarem, ut hac per tres vel quatuor hebdomades utatur medicatione. Hauriat, ad purgandum corpus, potiunculam laxantem, cujus hæc ſit formula: Recipe mannæ electæ unciam unam cum dimidia, rhabarbari Alexandrini, cremoris tartari ana drachmam; coque & ſolve leni calore in aquæ veronicæ unciis ſeptem, colaturæ adde olei de Cedro guttas quinque. M. F. potio, pro una doſi, ſucceſſivis hauſtibus ſorbillanda: quam ſingulis quinque diebus iterare, & curam cum eo claudere conveniet. Deinceps quavis veſpera, drachmam unam ſequentis capiat pulveris: Recipe cornu cervi uſti, ſine igne præparati, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmas duas, cinnabaris nativæ præparatæ, nitri depurati, ſuccini præparati ana drachmam, extracti croci grana octo, olei de Cedro guttas ſex. M. F. pulvis. Mane denique menſuram dimidiam decocti, quod mox ſequetur, calefacti potet, & ad ſudorem ſe componat: illud vero ſic ſe habet: Recipe raſuræ ligni ſaſſafras uncias duas, guajaci tantundem, radicis chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, cichorii, liquiritiæ ana uncias duas, ſeminis fœniculi unciam, M. F. ſpecies, quarum unciæ tres, cum ſex aquæ menſuris, per horæ quadrantem, addito ſub finem paſſularum minorum manipulo uno, decoquantur.

Pro potu ordinario, cui plane non convenit cerevisia, vehementer laudo decoctum, ex radice ſcorzoneræ, cichorei, raſura cornu cervi, hordeo, corticibuſque citri confectum; aut, ſi illud haud arriſerit, acidulas Selteranas vino nuptas. Nec ludetur opera, ſi abſoluta priori medicatione, fontis Selterani aquæ, cum binis lactis aſinini partibus remixtæ, curæ loco, per quatuor adhibeantur ſeptimanas. Balnea in præſenti rerum ſtatu, cum humorum maſſa non ſatis ſit depurata, neutiquam proficient; nec abs re erunt topica, quæ vulgo his affectibus opponi ſolent. Unicum, quod ex iis abſque noxæ metu, uſurpari poterit, eſt emplaſtrum ſaponatum Barbette; quippe quod affectam partem ad ſudorem proritando, interdum levamen ferre obſervatur. Et denique inter cibos, crebro veſcendum erit juſculis medicatis, quæ ex jure gallinarum, cum radice graminis, cichorei, ac ſcorzoneræ decocto parantur; nec erit alienum, ſub epulis uti Elixirio viſcerali ſtomachico. Tot ſunt, quæ in tam gravi malo proponere poſſum: quæ, ſi adhuc medelæ fuerit locus, inſigniſſimum pollicentur auxilium.

---

## CASUS CXLVIII.

### *De rheumatiſmo ſcorbutico.*

Matrona illuſtris, triginta quatuor annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, primum ætatis ſeptenarium, variis catarrhis, ac rheumatiſmis pectoris moleſtum tranſegit; & ab anno decimo quinto ad vigeſimum ſecundum, maxime poſt fortiorem corporis motum, vehementemque ſaltationem ſæpenumero ſanguinem ex pulmonibus rejecit: quod cruentum ſputum, adhibitis dicto anno Tœplicenſibus balneis, ceſſavit. Tredecim annos nata, lunare tributum perſolvere cœpit; idque ad hanc uſque diem, præviis per binos ſemper dies doloribus, ſtato tempore, licet jam paullo parcius, reddit. Præterea bis quotannis venam ſecandam, bis quoque cutim ſcarificandam præbere; & per ſatis longum tempus, quovis altero vel tertio anno acidulis Egranis uti ſuevit. Hæ, annuo abhinc tempore noviſſime potæ, more alias ſolito, votis haud fecerunt ſatis, ſed adeo debilitarunt ventriculum, ut exinde ardores volatici ſemper epulas inſequantur; neque minus ab earum uſu, tumores, qui jam diu obſederant pedes, magis invaluerunt. Crebros porro per multos olim annos, & omni fere mane pati ſoluit vomitus, pituitæ bile permixtæ: qui omiſſo cereviſiæ potu, protinus ſiluerunt.

Tres vero jam effluxerunt anni, cum gravioribus mœroribus, animique pathematibus vexata, tribus ſucceſſive vicibus, enormem ſanguinis quantitatem, cum ſumma virium proſtratione & inſigni languore corporis, ex utero profunderet: unde corpus adeo contabeſcebat, vultuſque lurido colore induebatur, ut metus eſſet cachexiæ. At poſtquam mentis tranquillitatem recuperabat; bene habere, iterumque vigere cœpit. Elapſo demum anno, incidit febrem catarrhalem, quæ uſurpatis convenientibus medicinis profligata, tribus abhinc menſibus recrudeſcebat, doloribus artuum ſcorbuticis, tam atrocibus ſtipata, ut vix movere potuerit ullum membrum: attamen & hac vice uſui diapnoicorum, diaphoreticorum, abſorbentium, maximeque liquoris anodyno-mineralis obſecundabat, & ex his cedebat.

Tandem tres ante ſeptimanas, de capitis doloribus, atque phlogoſibus per aliquot dies conqueſta, cœlo exiſtente ſereno, venam, more ſolito, in pede tundendam curavit; & cum paullo poſt corpus inſigniter refrigeraſſet, accidit, ut quarto abhinc die, ſana ceteroquin & incolumis, ex improviſo, tenſionibus & tractionibus convulſivis capitis ac cervicis, tremore totius corporis, conſtrictione & anxietate præcordiorum, tinnitu aurium, viſus obſcuratione, vertigine graviſſima, vomendi conatu, ipſoque vomitu, atque tanta totius ſpinæ debilitate prehenderetur, ut ſe erigi haud poſſet, quin in dextrum mox laberetur latus. His per tres circiter horas adfligentibus, è præcordiis ad ſplenis regionem uno impetu devolvi videbantur conſtrictiones, conjuncto crebro flatu; donec infuſis clyſmatibus, & propinatis nervinis, tonicis, uterinis, ac temperantibus remediis, hæc ſymptomata ſenſim remitterent; & intra ſex dies prorſus conquieſcerent.

Verum, cum brevi poſt corpus iterum exponeret frigori, recurrebant eædem moleſtiæ, licet & leviores, & breviores: quæ, ne ſæpius propullulent, & in habitum degenerent, convenientem cognoſcere cupimus medelam, & rectam cuncta mala præſervandi rationem. Cæterum ſcire licet, ægram exactiſſimam ſervare diætam; & miſſa cereviſia, pro potu ordinario uti aqua ſimplici, vino Rhenano, vel Moſellano, vel etiam illo, quod Pontac vocant, nupta; eique nonnunquam interponere hauſtum generoſi Hungarici. Ante quatuor annos viro juncta eſt, ætate provectiori, qui elapſo anno unico mortuus, noſtram reliquit ſine prole viduam.

### *Conſultatio.*

Affectiones atrociſſimæ, quas noviſſime paſſa fuit illuſtris mulier, & quarum præſervatoriam anhelat medelam, non niſi ad dolores rheumaticos, motibus partium internarum, maxime ventriculi ac inteſtinorum ſpaſmodicis conjunctos referri merentur. Primam hæ repetunt originem à colluvie ſeri impurioris, in ſanguinea maſſa accumulati; & à cohibita poſt

venæ

venæ ſectionem tranſpiratione in eum motum acti, qui motus ſpaſmodicos, febriles, varioſque decubitus ac ſtagnationes in externis partibus procreare valuit. Neque raro obſervavi, materiam purpuraceam, quæ ſalſæ & acris eſt indolis, horum malorum eſſe cauſam. Quod ſi vero de iis cauſſis diſpiciamus, quæ ad ingenerandam ſeri ſcorbuticam impuritatem contribuerunt, has inter diuturni mœrores, vita ſedentaria, & largiora cruoris, ex utero profluvia, ſummo jure collocari poſſunt. Sed his non immorabor, & oſtendam duntaxat, quomodo, mea quidem ſententia hæc mala in poſterum præcaveri queant. Et hoc nomine præcipuam intentionem ad alvi conſervandam lubricitatem dirigere oportet; quam ſumto aliquoties, alternis veſperis, ſequenti pulvere, obtinere licebit: Recipe rhabarbari, lapidum cancrorum, cremoris tartari ana ſcrupulum unum, diagrydii ſulphurati grana tria. M. F. pulvis, D. pro una doſi. Alvo ſoluta, tranſpiratio erit promovenda; quo fine veſperi pulveris bezoardici, præcipitante remixti ſcrupulum ſumere, & hauſtis, altero mane, decocti calidioris, ex china, cichoreo, ac paſſulis parati, aliquot vaſculis, leniter in lecto ſudare conveniet. Qua curatione per ſex continuata dies, alvus iterum ope dicti laxantis ſolvenda, atque tum per aliquot dies rurſus ſudandum eſt.

In ipſo, ſi forſan revertatur, paroxyſmo, hanc mixturam, quantitate unius cochlearis, frequentius propinare juvabit: Recipe aquæ menthæ ſine vino uncias ſex, lapidum cancrorum drachmas tres, antimonii diaphoretici drachmam unam, ſyrupi acetoſitatis citri drachmas tres, liquoris anodyni guttas ſexaginta, aquæ puræ fontanæ menſuram unam. M.D. Ad roborandum denique ſtomachum ſub epulis ſexaginta guttas Elixirii mei viſceralis capere; pro potu, decocto ſupra allegato frigido uti; corpus in æquali calore ſervare, ſedulo movere, & mentis tranquillitati probe ſtudere expediet.

---

## CASUS CXLIX.

### *De malo rheumatico-ſcorbutico.*

Vir quadraginta quatuor annorum, temperamenti cholerico-melancholici ſanguinei, ſtaturæ mediocris, & habitus corporis ſtrictioris, ex mobili, ſedentarium, ac meditationibus plenum vitæ genus ingreſſus, hypochondriacis laborare cœpit affectionibus: quas annuus acidularum Pyrmontanarum uſus egregie mitigavit. Quum vero harum potatio, binis abhinc annis, accedentibus forſan vinoſis compotationibus, ac nimiis per ſaltationem corporis commotionibus, inſigniores ſanguinis ebullitiones, vehementem languorem & ſomnolentiam concitaret: defluxa proxime æſtate, ab earum uſu abſtinuit; & ſatis bene quidem habuit, at ſequenti autumno rheumaticos colli & ſcapularum incidit dolores. Caput ſubinde, contra voluntatem, anterius trahebatur; inſtar eorum, qui dormituri nictitant. Accedebat gravis excandeſcentia; qua non modo convulſivus ille capitis motus invaleſcebat; verum etiam ſermonis quoddam impedimentum, omniumque artuum ſubſultus ac tremores inſequebantur. Triduo ab hac iracundia elapſo, imminente æquinoctio vernali, vena ipſi in pede ſecabatur: unde tormenta colli quidem remittebant, ſed in ſiniſtrum pedem, in quo tuſa erat vena, eo atrocius irruebant, ut lecto inhærere perpetuo debuerit. Quælibet pedis motitatio inſigniter adaugebat hunc dolorem, adeo, ut à digitis incipiens, per totum pedem ad genu uſque graviſſimus excurreret.

Hujus dolorifici affectus cauſſam, imputabant primum ſectioni venæ, improvide adminiſtratæ; at quum nulla extrinſecus adpareret læſio, & illa ſymptomata, his, quæ nervi aut tendinis puncturam comitantur, valde diſſimilia eſſent, accuſabant rheumatiſmi à ſcapulis ad pedem decubitum. Jungebatur paullo poſt febris catarrhalis, quam pulſus celerior, & urina fere flammea veſpertino potiſſimum tempore ſignificabant. Hac ope digeſtivorum ac temperantium remediorum, nec non eſſentiæ alexipharmacæ Stahlii, cum eſſentia ſuccini, & ſpiritu cornu cervi mixtæ profligata; occupabant affectum pedem, maculæ obſcure rubicundæ, & paullo poſt totus ille pes copioſiſſimas dimittebat ſquamulas. Præterea in hujus pariter, ac alterius pedis digitis efflorescebant ulcuſcula, ichoroſam materiem plorantia; accedebant interdum furunculi, quin & tumor œdematoſus, maxime poſt motum corporis. Neque tamen minus perdurabant dolores, qui ſi remittebant interdum, protinus excipiebant tenſivi ac gravativi in dextra abdominis parte cruciatus, anxietates præcordiorum, & obtuſi omnium artuum dolores. Somnus eſt turbulentus, & mane moleſta vexat nauſea, non niſi ſumto cibo, levata. Adhibuit varia remediorum genera, venæ ſectiones, & acidulas Pyrmontanas; neque alium inde ſenſit effectum, quam ut in conclavi obambulare queat. At quoniam ab omni, quæ adhuc reſtat, moleſtia penitus liberari cupiat; ſalutare flagitat conſilium.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Artuum externorum, maxime ſiniſtri pedis ſpaſmodici, ac tractorii, quibus atrociter vexatur vir ſpectatiſſimus, dolores, debentur, ſi primam diſpiciamus originem, dyſcraſiæ ſanguinis & ſeri ſcorbuticæ, cum inſigni generis nervoſi debilitate conjunctæ; Quando enim ſerum illud acre, à maſſa ſanguinis ſeparatum, membranis nerveis & tendinoſis muſculorum incumbit, eaſque vellicat, & arrodit: ſubnaſcuntur dolores ejuſmodi ſpaſmodici, & præternatu rales commotiones. Dictæ vero ſeri impuritati non minus, ac partium nervoſarum nimiæ ad motus irregulares proclivitati, cauſſam utique præbuit, hypochondriaca paſſio, quæ diu vexavit virum ægrotantem; quippe quæ ejus eſt indolis, ut vim ventriculi digeſtivam deſtructam ſemper habeat comitem; qua fit, ut ſucci minus legitimi generentur, qui ſanguineæ permixti maſſæ, cunctis abdominis viſceribus, nec non univerſo generi nervoſo, labem affricant. Hinc via panditur ſpaſmodicis motibus, quibus præ reliquis partibus, ventriculus & inteſtina patent; & hanc ob cauſſam languent ſe- & excretiones, atque ingens impuritatum fit proventus. Favent præterea gignendo huic malo, variæ externæ cauſſæ, quas inter regio, in qua degit æger, aëre inimico plena, victus craſſior, & in eo commiſſi errores, nec non animi affectus, jure merentur collocari.

Quum igitur hi morbi ſint moleſtiſſimi, & quo diutius durarunt, eo contumaciores reddantur: opus omnino eſt, ut ipſum mali fontem, dyſcraſiam nempe fluidorum, & imbecillitatem ſolidorum adgrediamur; quibus ſublatis, cuncta, quæ inde pullulant, ſymptomata ſponte ceſſabunt. Hujus autem voti per uſum aquarum mineralium compotes fiemus: ex quibus Pyrmontanas, lacte caprino vel aſinino permixtas commendarem; ſiquidem illæ, tali ratione potæ, in morbis, qui à ſeri & ſanguinis acrimonia proficiſcuntur, excellentiſſimæ ſunt virtutis. Iis equidem, qui

qui acidum acidulis tribuunt principium, valde alienum videbitur, eas cum lacte commiſcendas ſuadere; at, quum alcalinum potius elementum iis ineſſe credam, non abs re fore putavi, ſi cum lacte combinarentur. Nec me fefellit hæc ſententia; ſiquidem multiplex experientia eam adeo confirmatam dedit, ut nullus jam dubitem, eas ſic permixtas in uſum proponere.

Modus his utendi, ſequens eſto: Tribus iſtis partibus, adjundantur binæ lactis calefacti, ea proportione, ut hujus mixturæ ſingulo mane menſuræ una cum dimidia hauriatur. Ante hanc potationem, ad corpus repurgandum, pridie ſumantur ſex drachmæ ſalis Anglicani, in menſura dimidia aquæ puræ fontanæ ſoluti, tum per ſeptem dies potentur aquæ dicto modo, octava die capiatur rurſus idem ſal; repetatur per ſeptiduum aquarum potus; tertium adhibeatur ſal, atque hauſtis iterum per ſeptem vel novem dies acidulis, ſale illo finiatur curatio.

Cæterum ſtudioſe ſub hac potatione ſervare oportet victus rationem. Conceditur ſub epulis hauſtus vini generoſi Rhenani, vel Burgundiaci, ex quo ſub prandio non minus, ac veſperi capiantur octoginta guttulæ Elixirii balſamici, quod ſic parari poteſt: Recipe extracti cardui benedicti, centaurii minoris, ſalis tartari, nitri depurati ana drachmas duas, corticum aurantiorum recentium unciam ſemis, vini Sect, ſive Hungarici libram dimidiam; coque & extrahe leni calore, colaturæ adde olei de Cedro Italici guttas quindecim. M. D. Quod remedii genus, abſoluta quoque curatione diutius continuari poterit: neque minus, omiſſa cereviſia, pro potu ordinario adhibere juvabit decoctum aliquod, cujus hæc ſit formula: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, radicis cichorei unciam unam, herbæ cardui benedicti, cochleariæ, hepaticæ nobilis ana manipulum unum, corticis ligni ſaſſafras, tartari vitriolati, nitri depurati ana drachmam unam. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ ex quatuor aquæ menſuris per horæ decoquantur dimidium. Nec erit alienum, finito acidularum potu, hoc decocto tepefacto mane, loco infuſi theiformis, vel ſolo, vel tertia parte lactis caprini permixto uti. Cæterum corporis exercitationi ſtudere conveniet, quam & matutinis, & veſpertinis, abſoluta digeſtione, horis inſtituere licebit; fugiendo omnes animi pariter ac corporis vehementiores commotiones. Quæ ſi rite & juxta præſcriptum ordinem obſervaverit æger ſpectatiſſimus; certiſſimam foveo ſpem, fore ut inſigne malorum ſuorum ſit percepturus allevamentum.

*Ulterior relatio.*

Adhibuit vir ægrotans commendatas acidulas, aliaque medicamina. Sal Anglicanum, pondere unius unciæ prima vice ſumtum, ſexies ſubduxit ventrem, cum magna virium jactura; altera vice ad drachmas tres datum, vix movit alvum; & tertia doſis, quæ priori erat ſimilis, quater eam duxit, abſque ulla moleſtia, nulloque virium collapſu. Acidulas cum egregio corporis viriumque potavit incremento; licet magis urinam moverint, quam alvum. Dolores, qui antea abdomen per vices invaſerant, penitus ceſſant; & ipſe pes affectus liberiori jam gaudet movendi facultate. Interim nondum omne ſublatum eſt vitium: torpor enim & debilitas in flexura circa tarſum, eadem ac olim eſt, neque adhuc valet, iſtius pedis inniti digitis. Ubi extenditur, totus contremiſcit, continuato ad ſuras uſque motu, ac formicationis ſenſatione: malleolum non raro obſidet ardens dolor acutiſſimus, nullum ferens contactum. Accedunt per intervalla ſubſultus convulſivi, per ſuram ad femora aſcendentes, quin etiam brachia ac ſcapulas interdum occupantes: & notabile eſt, quod mitigatis quandoque pedis moleſtiis, inteſtinorum dolor, cum anxio ſequatur ſudore. Sentit quoque matutinis nonnunquam horis nauſeam, & inflativum ac gravativum ventriculi dolorem, cum rejectione lymphæ ex ore. Quare ulteriorem petit medelam, & quoniam phlebotomiam indigniter jam horret, doceri cupit, annon huic ſcarificationes liceat ſubſtituere?

*Conſilium.*

Percepi ex datis noviſſime ad me litteris, remiſiſſe quidem ab uſu collaudatarum acidularum, multa pathemata; nihilo tamen minus adhuc quædam ſupereſſe, quæ multam faciant crucem, veluti ſunt debilitas ac torpor tarſi, ardens affecti pedis dolor, ſubſultus ſurarum, femorum, & brachiorum, nec non nauſea cum ventriculi inflatione, mane potiſſimum invadens. A quibus cum liberari prorſus cupiat ægrotans vir; a ſanguinis miſſione jam capiendam eſſe curam hortor. Et quoniam averſatur venarum ſectionem; non improbare utique poſſum ſcarificationis uſum, quam ſingulis binis menſibus, appoſitis vel ipſi pedi, vel ſupra genu, atque dorſo cucurbitulis inſtituendam ſuadeo. Præterea vero pediluvia commendo, quibus ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, & floribus chamomeli paratis, ac tepidis duntaxat, pedes immittendi, & ſubinde ſapone veneto, in ſpiritu vini camphorato ſoluto, fricandi ſunt.

Quum vero ventriculi robur, ac vis digeſtiva languere ſimul videatur, operæ erit pretium, Elixirii viſceralis, quod ſupra commendavi, uſum ſub epulis continuare; quod jam a nitro vacuum eſſe decet. Proinde alvi habenda ratio; cui ſiquando laxo, incongrua plane ſunt purgantia; quippe quæ in affectibus ſcorbuticis, cum imbecillitate generis nervoſi complicatis, inſigne ſæpe damnum deprehendi. Conveniet potius huic ſcopo decoctum laxativum, quod frequentem in modum concinnare ſuevi: Recipe rhabarbari electi, cremoris tartari ana drachmam unam, mannæ uncias duas, coque leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque, colaturæ adde olei de cedro guttas tres. M. D. Hoc pro una doſi ſucceſſivis hauſtibus, interpoſito juſculo avenaceo, ſorbillare oportebit. Cæterum etiam atque etiam hortor, ut futuro vere acidulæ Pyrmontanæ cum lacte, eadem ac antea ratione adhibeantur: quæ cuncta præſidia, ut ſummum Numen ſecundet, ex animo precor.

---

## CASUS CL.

*De affectu ſpaſmodico-convulſivo.*

Virgo, viginti duos annos nata, ingenio vivaci prædita, ambitione inflammata, & lectione librorum, omne fere terens tempus, à prima juventute, variolarum morbillorumque, perfuncta morbis, valuit rectiſſime. Sed ante aliquod tempus accidit, ut fur, ob quadraginta circiter thaleros, clam ablatos, laqueo ſuffocaretur. Noſtra, fore ut tam levis furti cauſſa neutiquam ſtrangularetur ille nebulo, ſed ſaltem mortis terrore à ſceleribus avocaretur, perſuaſa, cum percepiſſet, ipſum utique peremtum fuiſſe; tanta mota eſt commiſeratione, ut factum matri nunciatura, delira loqueretur. Admonita vero, furem patibulo ac morte dignum fuiſſe

pœnam

pœnam ad ſe rediit, ſumtoque, quem contra caſum vocant, pulvere, bene habuit. Paullo poſt à parentibus ob levem cauſſam, vehementioribus reprehenſa verbis, graviter exarſit; & elapſis inde aliquot diebus, atrox incidit malum, quod ſic habuit: Cœnæ aſſidens, inter gratas collocutiones, ſubito expalleſcebat, ſe inclinabat ad ſiniſtrum latus, veluti lapſura in terram, mox vero iterum erigebat, atque tum caput ad dextrum contorquebat latus, hiabant oculi, mox huc & illuc vertebantur, os modo claudebat, modo aperiebat, ſonitumque edebat, manibus percutiebat dextrum latus, variiſque geſtibus vultum deformabat. Brevi poſt rubebat, ac intumeſcebat facies: unde parentes ſuffocationem, ex illapſo forſan in aſperam arteriam cibi fruſto, imminere, & quod ſibi conſultura, brachia elevaret, arbitrati, dorſum ejus, more in hiſce caſibus ſolito, manibus percutiebant; atque brachii elevationem adjuvabant. Hoc in elevato ſitu rigidum permanebat, nec niſi multo labore deprimi poterat; quare ligamenta, quibus veſtimentum compreſſorium, quo induta erat, connectebatur, ſubito laxabantur, eo effectu, ut abdomen intumeſceret, vehementeſque paullo remitterent motitationes. Erecta ſtabat rigidiſſima, moribundæ ſimilis; & lecto impoſita, ſponte ad ſe redibat, inter ſectionem venæ in ſiniſtro brachio ſitæ. Mirata confluxum hominum; (aderant enim tres medici, & bini chirurgi) ſurgebat, nec niſi de dolore ſtomachi gravativo conquerebatur. Mox vero aſſumta haud ita pridem juſcula, ruſticulas frixas, poma cydoniorum ſaccharo condita, atque placentulas vomitu reddebat; tumque lectum petens, placido ſomno totam tranſigebat noctem.

Poſtridie bene habebat, niſi quod vultus color ſolito eſſet rubicundior; & ſermo, ob os quaſi conſtrictum, impeditior videretur, ſed hæc incommoda intra paucos dies penitus evaneſcebant; adpetitus ac ſomnus ſibi conſtabant, alvus rite reſpondebat, nec morboſi quicquam amplius obſervabatur, niſi quod ſub epulis facies mox expalleſceret, moxruberet. Verum ante aliquot dies, ſumto prandio, eodem prehendebatur paroxyſmo; qui, laxatis veſtium vinculis, & adſperſa pedibus aqua frigida, vix elapſo horæ quadrante, remittebat, & puncturas præcordiorum, caliginem oculorum, ac vomendi conatus relinquebat. Dabatur ergo, vomendi ſcopo, radix Ipecacuanhæ; qua tribus vicibus reddebat paullo ante comeſta, atque tum inciſa in dextro pede vena, valere cœpit, & ad hanc uſque diem, præter rubicundiorem vultus colorem, non habet, unde conqueratur.

Neque vero ignorari oportet, eam nonnunquam, veſpertino potiſſimum tempore, ideis melancholicis turbari, omniumque rerum oblivione, ſed breviori, vexari. Cæterum menſtrua ſingulis quinque hebdomadibus promanant, vitam amat ſedentariam; adpetitui vero largius indulget; & per aliquot ſeptimanas, pro potu, ſola utitur aqua.

### *Conſultatio.*

Intellexi ex præmiſſa morbi hiſtoria, virginem quandam eo uſque inſultum ſpaſmodico-convulſivum, utut leviorem, cum capitis & oculorum contorſione, rictu oris, rubore ac intumeſcentia vultus, rigore membrorum, loquelæ difficultate, & animi deliquiis aliquoties fuiſſe paſſam. Quemadmodum vero proxima harum adfectionum cauſſa, in ſpaſmo membranarum cerebrum, medullamque ſpinalem cingentium eſt collocanda: ita variæ quoque remotiores occurrunt cauſſæ, quæ ad id mali genus contribuerunt. Videtur ſcilicet generoſa virgo, valde ſenſibili, atque debili nervoſarum partium ſyſtemate prædita; demonſtrante id inſigni, qua pollet, ingenii vivacitate. Ejuſmodi vero ſubjecta, ab animi vehementioribus adfectibus, quam facile in motus irregulares conjiciuntur, qui caput potiſſimum occupant. Neque igitur dubium eſt, quin in noſtro caſu commiſerationes, & excandeſcentia tacita, cum mœrore juncta, primam malo dederint originem.

Accedit inſuper ventriculi imbecillitas, ob quam non modo cibi, quos majori, quam par eſt, quantitate aſſumere ſolet, non rite digeruntur; verum inde quoque multæ acidæ, atque viſcidæ cruditates in primis viis generantur: quæ in vapores halituoſos reſolutæ, diſtendunt ſtomachum, ejuſque nervoſas vellicando tunicas, ſpaſmum excitant, ad totum nervorum, quod jam debilitatum eſt, genus, maximeque dictas cerebri membranas, vi conſenſus earum partium propagatum. Atque hæc in noſtro caſu ita contigiſſe, tria ſunt, quæ teſtantur, momenta; quod nimirum paroxyſmi mox ab epulis, ſtomacho cibis farto, invaſerint; quod redditis per vomitum cibis, conquieverint, quodve ſumtum lene emeticum inſigne præſtiterit levamen. Ex hac porro ventriculi debilitate, & acrimonia, quam avidior quoque adpetitus ſignificat, vero fit ſimillimum, imminere, quin adeſſe jam prima paſſionis hypochondriacæ rudimenta; quæ à nimiis, quibus indulget meditationibus, ac librorum lectionibus majores utique cepit vires.

Quæ cum ita ſint, conſultum omnino erit, tempeſtivas huic malo ferre ſuppetias, eo magis, cum ſibi relictum in melancholiam hypochondriacam, quin & epilepſiam facile tranſire queat. Præcipui vero curationis ſcopi hi erunt fere, ut confortemus totum nervorum ſyſtema, vim ventriculi digeſtivam reſtauremus, atque primas regiones ab omni viſcida, & acida ſaburra repurgemus. Quibus conſequendis indicationibus, ante omnia inſerviet, aëris ac cœli mutatio: quare ſuadeo, ut generoſa Virgo, æſtate exiſtente ſerena, diuturniores ſuſcipiat peregrinationes; deinceps à cunctis animi adfectibus, meditationibus, & librorum lectionibus ſibi caveat, & potius gratis interſit conſortiis; atque ex cibis fugiat acidos, dulces, ex lacte, ac farina paratos, poma, & cuncta, quæ gignunt flatus; vino parco, epuliſque parcioribus utatur.

Mane, loco potuum calidorum herbæ Theæ, vel fabarum Coffee, ſorbillanda commendo quædam vaſcula infuſi theiformis, quod ſic habet: Recipe radicis chinæ, ſcorzoneræ ana drachmam unam, herbæ meliſſæ, betonicæ, borraginis ana manipulos duos, florum anthos, lavendulæ ana pugillos tres, ſeminis fœniculi drachmam unam. Conc. Cont. D. Ad temperandam ſubinde primarum viarum acrimoniam, inſignem præſtabit utilitatem hic pulvis: Recipe lapidum cancrorum, cornu cervi philoſophice præparati, teſtarum ovorum præparatarum ana drachmam unam, pulveris Marchionis drachmas duas, nitri purificati ſcrupulum unum, extracti caſtorei grana octo, olei macis guttas ſex. M. F. pulvis, cujus drachma una, & brevi ante epulas, & hora pomeridiana quinta ex aqua menthæ capiatur. Præterea quavis hebdomade quatuordecim pilularum balſamicarum veſperi aſſumantur; quoniam & alvo liquandæ, & menſtruis facilitandis egregie inſerviunt. Non minus inſignis uſus erit eſſentia corticum aurantiorum, ſexaginta guttis inter epulas adhibenda; nec denique levem in derivandis à capite humoribus præſtabunt operam pediluvia tepidiora, ex floribus chamomillæ, cineribus clavellatis, ſaleque communi conficienda, & crebro uſurpanda. Quæ rite obſervata, quin votis ſint ſatisfactura, nullus dubito.

CASUS

## CASUS CLI.

*De affectu nervorum ſpaſmodico-convulſivo.*

VIr triginta annorum, temperamenti melancholico-cholerici, ſtrictioris corporis habitus, ſed humoribus abundans, & hypochondriacis obnoxius ſymptomatibus, duro in juventute vitæ genere, ob valde curtam ſupellectilem, uti, multaſque corporis defatigationes pati debuit. Correptus inde ſcabie ſicca, ſeptemdecim annos natus, dura ſubire coactus fuit ſervitia; ſub quibus multis in caput plagis percuſſus, variis ſeſe expoſuit refrigerationibus, atque ſic paullo poſt, ex ſicca humidam ſibimet contraxit ſcabiem. Hanc pertæſus, hauſta ſingulo mane, quam ipſe mittebat, urina; & uſurpato extrinſecus unguento, quod ex oleo raparum, ſulphure ac mercurio vivo paratum erat, protinus repulit; at mox graviorem incidit morbum, quo cum per decem annos ad hanc uſque diem conflictatur, hiſce ſemet exſerente notis: Per intervalla, quæ quotidie crebra ſunt, perſentiſcit primum in dextro latere motum quaſi undulatorium, qui brevi tempore ad caput uſque aſcendens, omnem ſenſuum ac rationis uſum tollit, atque omnis motus in dicto toto latere poſt ſe trahit abolitionem. Dum adhuc ſibi conſtant ſenſus, junguntur vehementes præcordiorum anxietates, & vomendi conatus: turbatis vero jam ſenſibus, diſcurrit cancrorum in morem retrorſum, atque tum ſubito in terram concidit, immobiliſque prorſus, extenſo dextro pede, ejuſdemque lateris manu contremiſcente, jacet. Vultus præterea rubet, & venæ intumeſcunt valde; neque vero pollices in manum comprimit, nec ſpuma ex ore prorumpit, nec ullæ ſunt artuum motitationes. Ipſe paroxyſmus, vix temporis minutum explet, atque tum ceſſat, ægro exſiſtente vegeto, & de nullis amplius conquerente moleſtiis.

Variorum medicorum conſiliis, multiſque remediis uſus eſt: quæ inter fuit electuarium quoddam, à cujus uſu id quidem ſolaminis percepit, ut in paroxyſmo nec recurrat, nec concidat, ſed ſtatuæ inſtar immobilis perſiſtat; verum abhinc epileptici inſultus acceſſerunt; qui incertis quidem, nocturnis tamen ſemper invadunt temporibus; atque altum ſoporem cum copioſiſſimis ſudoribus relinquunt. Notari vero meretur, utriuſque mali paroxyſmos, à levi in diæta, & potu exceſſu averti poſſe; ſed ſequenti periodo, eo majori recrudeſcere vehementia. Prior affectus, intentiores meditationes ſtatim excipit; & ſi diu ſederit, ſurgens protinus eo corripitur: quod ſi vero obambulet, ab eo liber eſt. Obſervatur quoque hic morbus frequentior luna decreſcente, quam quidem increſcente; & hic non minus, ac epilepſia circa æquinoctia, quando venam ſuaſu medicorum tundendam præbuit, crebrius & vehementius invaſerunt. Cæterum præter dextri lateris reſolutionem, memoriæ debilitatem, ac torvum vultus aſpectum, nullis adfligitur paſſionibus; ſed adpetitu integro gaudet, alvuſque nunquam non reſpondet.

Hæc eſt ſævarum adfectionum idea; quarum cauſſas penitiores nondum eruere valui. Scio equidem, quod ſicuti totius nervoſi generis debilitas iſti malo remotam; ita motus ſpirituum irregularis, exploſivus, à ſpaſmodica partium membranaceo-nervoſarum conſtrictione, ſanguinem plus juſto copioſius ad caput propellente, efficientem proximam; & ſanguis viſcidus, acris, & vellicans, mediatam cauſſam præbeat. Nec me fugit, quod temperamentum melancholico-cholericum, ærumnoſa victus ratio, corporis crebra refrigeratio, capitis ac cerebri à verberibus contuſio, atque commotio, mœrores, triſtitiæ, & ſcabies inopportune retropulſa, tanquam occaſionales contribuerint cauſſæ. Verum occurrunt quædam momenta v. g. quod malum ſequatur meditationes, & ægrum à ſella ſurgentem adoriatur &c. quæ valde dubium ancipitemque me reddunt; quorum ratione, ſi cordis palpitatio, pulſus irregularis, & impedita ſpiratio jungerentur, utique polypoſa ſuſpicarer concrementa.

Interim his in curando uterer indicationibus, ut genus nervoſum per roborantia interna pariter ac externa confortarem, ſanguinis molem per hirudines ano admotas imminuerem, qualitatem per alterantia, & ea, quæ ſalutares adjuvant excretiones, emendarem, ejuſque congeſtiones ad caput ope pediluviorum derivarem, & denique irregulares ſpirituum motus congruis remediis ſopire ſtuderem. At hæc omnia Tuo, Vir Experientiſſime, acutiſſimo judicio ſubmitto; nec niſi eo adjutus, quicquam tentabo.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Dirus affectus, cujus cauſſa conſultus ſum, utique eſt ſpaſmodico-convulſivus, qui primario quidem à ſtrictura membranarum, quæ cerebrum & medullam ſpinalem inveſtiunt, dependet, omnes vero totius corporis nervoſas ac membranaceas partes in conſenſum trahit. Ex cauſſis vero, quæ huc contulerunt, ſola ſufficit ſcabiei per unguentum, ex oleo raparum, ſulphure ac mercurio vivo facta repulſio; quæ remedia tubulos nerveo-membranaceos cutis graviter conſtringendi, & ſerum acre cauſticum, quod in glandulis ſubcutaneis hoſpitatur, intus agendi, potenti pollent efficacia. Quum autem retroacta iſta materia, veneni inſtar nervoſis incumbit partibus, iiſque, quoniam ſubtilis eſt, profundius, ac intimius inſinuatur: facile patet, cur ex ea cauſſa graves nervorum, atque cerebri affectus, quos ſpirituum morbos vocare ſolent, pullulare poſſint ac ſoleant.

In noſtro quidem caſu vero videtur ſimillimum, quod ſpaſmodicæ ſtricturæ circa ventriculũ maxime & inteſtinorum canalem, nominatim pylorum, inteſtinum duodenum, canaleſque, qui valde nervei ſunt, bilioſos, fixam primum obtinuerint ſedem: quæ coarctatis inferioribus, humores majori copia ac impetu ad ſuperiora, maximeque caput compulerunt. Inde vero id reſultat incommodi, ut cruor à capite per venas rediturus, ob nimiam molem in iis ſtagnet, eaſque interdum, ſicuti teſtantur cadaverum ſectiones, varicoſas reddat. Hinc carotides, quæ oculum ingrediuntur, ſanguine turgidæ, compreſſerunt nervos opticos, iis vicinos; ideoque viſus obnubilationem ac vertiginem induxerunt: & quum eidem fato reliqui, qui ſenſui motuique ſerviunt, nervi fuerunt obnoxii, non mirum eſt, quod ſenſuum motuſque voluntarii in dextro potiſſimum latere, quod cauſſis mali forſan, præ ſiniſtro patet, abolitio exceperit, & æger in terram delapſus, manum pedemque dextrum tremebundum extenderit.

Præterea vehementiori ſanguinis ad caput raptui debetur vultus rubor, venarumque ſanguine fartarum turgeſcentia; neque minus ab ejuſdem copioſiori ad præcordia compreſſione, horum ineffabilis anxietas ſuos mutuatur natales. Conatus vero vomendi partim à materia peccante, quæ in primis viis ſtabulatur, partim à ſpaſmodica nervorum ac membranarum cerebri conſtrictione proficiſcuntur: ſiquidem crebrior experientia teſtatur, quod violentas, & à cauſſa externa factas capitis læſiones, per conſenſum, non raro vomendi conatus, & ipſi vomitus comitentur. Atque ſic exponenda erit ratio paroxyſmorum,

morum, quos malum noſtrum formare ſolet, cujus diuturnitas confirmat eam obſervationem, qua docemur, ejuſmodi ſpaſmodicos nervorum morbos, non modo diutius inhærere, & in conſuetudinem degenerare; verum etiam in morbum tandem tranſire comitialem; qui noſtri quoque mali moleſtiſſimus jam deprehenditur comes.

Verum ſunt adhuc quædam momenta, quæ attentionem merentur; nimirum quod diætæ errores, circa mali acceſſionem commiſſi, paroxyſmos remorentur, illi tamen poſthæc vehementiores revertantur. Non raro obſervavi, quod in iis, qui aſthmate convulſivo, vel doloribus ventris ſpaſmodicis laborarunt, ſi ante conſuetas mali acceſſiones, vel gulæ nimis indulſerint, vel vinoſos potus copioſius ingeſſerint, illæ vel prorſus per aliquod tempus ſiluerint, vel valde mitiores fuerint. Ratio hujus phænomeni mea quidem ſententia hæc eſt: Per nimiam ingeſtorum, præſertim ſpirituoſorum molem, partes nervoſæ infimi ventris, maxime ventriculus ac inteſtina, juſto violentius dilatantur & extenduntur; quum vero ab earum ſpaſmodica conſtrictione plerumque incipere ſolent præternaturales motus; facile patet, cur ea per contrariam extenſionis motionem, impedita, hi motus fieri nequeant.

Notabile eſt, profundiores meditationes, illico ſuſcitare malum. Atque hunc effectum quotidiana confirmat experientia: ubi enim cunque nervoſæ partes jam debilitatæ, & ad motus irregulares ſunt pronæ; inſignem & affectus animi, & acriores cogitationes obtinent vim, non modo ſpaſmodicas affectiones revocandi, verum etiam ad ipſam inſaniam, melancholiam, epilepſiam, quin apoplexiam permagnam conferunt ſymbolam.

Neque minus animadverſione dignum eſt; quod ſi ſederit aliquandiu æger, tumque ſurgat & progrediatur, mox in malum vertiginoſum incidat. Exinde diſpaleſcit, cauſſas externas vel leviſſimas, qualis hic eſt ſola corporis motitatio, adaugendo motum ſanguinis progreſſivum, in revocandis nervorum morbis eſſe efficaciſſimas.

Æque meretur attentionem, quod malum luna decreſcente invaleſcat. Perpetuæ nimirum regulæ inſtar eſt, graviores capitis morbos, qui per certos temporum circuitus redeunt, velut ſunt melancholicæ, maniacæ, epilepticæ, paralyticæ ac apoplecticæ affectiones, plerumque lunæ mutationes ſequi, & ea mox decreſcente, mox increſcente exacerbari; aut ſub eodem lunæ ſitu, quo primum invaſerunt, poſthæc ſemper reverti. Hinc vero docemur, quantam potentiam, mediante noſtra atmoſphæra, in corpus humanum, ejuſque ſenſibiliores potiſſimum partes, quales ſunt nerveæ, ac membranaceæ, alterandas poſſideat luna: & quoniam à tam levi externa cauſſa, ægritudines nervoſi generis revocari ac exacerbari poſſunt; illud exinde reſultat monitum practicum, ut medentes ſtudioſe caveant, ne ejuſmodi affectiones fortioribus ac violentis adgrediantur medicaminibus.

Denique non ſilentio erit prætermittendum, quod acceſſiones & vertiginoſæ, & epilepticæ, tuſa circa æquinoctia vena, acerbiores pariter ac diuturniores infeſtaverint. Quare non ignorari oportet, ſanguinis miſſiones in hiſce adfectibus, qui tantum non ſemper vel nimia mole, vel ſpiſſitudine humorum foventur ac nutriuntur, convenientiſſimum quidem præbere ſubſidium; attamen inſigni cautione atque prudentia opus eſt, ut probe diſcernatur, quantum cruoris, quonam tempore, & in qua corporis regione ſit detrahendum. Adnotamus enim, perniciosum eſſe, ſanguinem in paroxyſmo, vel brevi ante eum mittere, aut ejus, ſi nimium abundaverit, parciorem evacuare quantitatem. Neceſſe porro eſt, ut mox ab inſtituta phlebotomia tepidiora pediluvia & interna diaphoretica in uſum vocentur: quo nimirum hiſce præſidiis ſanguis per totum corpus æqualiter diſtribuatur, maximeque ad inferiores partes invitetur, & tali ratione nova ſpaſmorum cauſſa, quam humorum inæqualis circuitus præbet, illico præſcindatur.

His præmiſſis, ad curationem mali præſentis, vetuſtate ſua in conſuetudinem jam degenerati, tranſeundum erit. Neque aliæ hoc ſcopo mihi ſunt intentiones, quam illæ, quas medicus hiſtoriæ morbi adpoſuit; at optaſſem, ut ejuſmodi remedia exhiberet ſupellex medica, quæ his indicationibus adprime facerent ſatis. Certe officinæ pharmaceuticæ hiſce remediis fere vacuæ ſunt; at ſi adhuc ſalutis in hoc diro malo quædam reſtiterit ſpes, ea magis ex curatiori victus obſervatione, & prudenti rerum non naturalium uſu erit repetenda. Idcirco ea, quæ commendare in hiſce caſibus ſoleo, medicamina in aëris mutatione, peregrinationibus ad loca ſalubria, corporis exercitationibus, præſertim per equitationem inſtituendis, balneis aquæ dulcis, pediluviis, abſtinentia à vino, & ſpirituoſis, rebuſque mentem fatigantibus unice conſiſtunt: quibus ex pharmacis addere juvabit uſum nitroſorum cum potu tenui, atque lactis aſinini; ac denique alvi perpetuam conſervare expediet lubricitatem. Hæc, licet funditus neutiquam exſtirpare valeant, ejuſmodi contumaces morbos, quorum vis omnem medicinam ſuperat; attamen ipſis egregium ſolamen intuliſſe, crebriori doctus ſum experientia.

---

## CASUS CLII.

### *De morbo ſpaſmodico-convulſivo.*

Decem annorum puella incidit elapſo abhinc anno, vernali quidem tempore, in febrem intermittentem; quæ ſumta per aliquot dies tinctura quadam, colore pellucido vinum recens Franconicum adæquante, & à Chirurgo, ipſam præſcribente, pro ſale abſynthii in aqua ſoluto, venditata, protinus ceſſavit; & licet poſt octiduum reverteretur, ejuſdem tamen tincturæ ope, prorſus debellata eſt. Dederat allegatus Chirurgus id genus remedii, aliis quoque eo tempore febrientibus; qui ad unum omnes teſtantur, ſe ab ejus uſu, ructus, vomendi conatus, & lymphæ limpidæ ex ore rejectionem fuiſſe paſſos. Interim puella, ab hac febre liberata, paullo poſt lenta contabeſcere videbatur: qua ope medici cujuſdam celebrioris perſanata, per totam æſtatem, ſequentemque autumnum, rectiſſime valuit.

Verum currentis anni menſe Januario, hora prima meridiana, ſumto prandio, ſimul & ſemel de torminibus ac puncturis ventriculi, ad dextrum hypochondrium excurrentibus conqueri cœpit, iiſque per horæ circiter quadrantem, juncta vehementi nauſea, horrendum in modum diſcruciabatur. Hæc adfectio per tres inhærebat hebdomades, adeo, ut ſemper circa dictum meridianum tempus invaſerit; qua remittente, per integrum diem ſatis bene habebat, niſi quod per intervalla vomendi conatus perſentiſceret. Dabantur laxantia, à quibus movebantur excrementa duriora, globiformia, brunoque colore tincta. Remittebat inde prior affectus: ſed brevi poſt ſuccedebat ſingultus, qui eam mane expergefactam adoriebatur, & cum proclivitate advomendum interdum complicabatur, brevi vero conquieſcebat. Jungebatur, præterea aliquot elapſis diebus, moleſtior

adffi-

adflictio, & per intervalla, quæ quotidie ſepties, quin novies repetebant, hisce notis invalebat: Prævüs oſcitationibus, oculi fortiter claudebantur, ut nulla arte potuerint aperiri, tum ſequebatur inſignis primum abdominis, mox totius corporis tremor; atque his per horæ quadrantem vexata, oſcitabat iterum, & ad ſe redibat; valens cæterum, donec novus accederet paroxyſmus.

Noviſſime vero per tres circiter hebdomades, ita ſe habet malum: Expergefacta mane, pandiculationibus & oſcitationibus vexata, claudit oculos, mox contremiſcit abdomen, totumque corpus, tum emittit copioſos ructus, & ſub horum exploſione aperit oculos, quos iis ceſſantibus, illico rurſus comprimit; atque horrendis dolorum in abdomine, & circa femora tormentis cruciata, miſerandos edit planctus. Hos dolores ſolvunt denuo ructus, apertis ſemper oculis emiſſi; quos iterum tormina ſequuntur, & hi dolores cum ructibus aliquoties alternant: cuncta vero hæc ſymptomata, quæ ſolvuntur oſcitationibus, intra horæ quadrantem primum, jam vero intra aliquot minuta terminantur. Inceſſat hic paroxyſmus tredecim, & jamjam duodecim tantum quotidie vicibus; ſub quo nec rationis, nec ſermonis uſus aboletur, tantum abeſt, ut, oculis præſertim apertis, ad cuncta rite reſpondeat quæſita; & cum oſcitationes comitantur frequentiores, probe tamen determinare poteſt illas, quibus præciſe terminatur malum. Neque vero in hoc rerum ſtatu collabuntur vires; ſed ægra extra paroxyſmum integro adpetitu, & bona gaudet valetudine. Urina plerumque tenuis mingitur, & à ſanorum haud diſſidet; interdum vero cocta, & lactis inſtar alba adparet, cum ſedimento ſimili.

Suſpicabantur vermes quidam medicorum; ſed datis variis antihelminticis, non niſi unicus excernebatur. Injiciebantur clyſteres, & adhibebantur balnea, ex aqua fluviatili, furfuribus, & ſapone confecta; at nihil ferebant levaminis, niſi quod ab eorum uſu, multi exploderentur per anum flatus. Nec denique ignorari oportet, puellam paucis ante horum malorum primam invaſionem diebus, ex incendio in ea domo, ubi degebat, ſuborto, ſed mox ſedato, inſigni perculſam fuiſſe terrore; qui num malo dederit originem, in dubio relinquitur.

*Conſultatio.*

Si mali, cujus hiſtoria mecum eſt communicata, primam cauſſam ac originem indagemus; vero videtur ſimillimum, illam à febre potiſſimum per medicamen merito ſuſpectum inopportune ſuppreſſa eſſe derivandam. Ea quippe tinctura, quam chirurgus pro ſolutione ſalis abſynthii venditavit, talis neutiquam fuit; ſiquidem hæc nec febrem ſupprimit, nec nauſeam, nec vomendi conatum movet; ideoque juſtiſſima remanet ſuſpicio, ne forſan mercuriale fuerit remedium; quod nervoſas partes vehementer vellicare, debilitare, & ad motus ſpaſmodico-convulſivos utique diſponere potuit. Quicquid vero ſit, præter hancce cauſſam, quæ adhuc dubia exiſtit, occurrunt adhuc binæ, quæ huic malo inducendo ſatis opportunæ, atque efficaces deprehenduntur. Prior eſt inſignis, quam puella ex incendio in ſuo conclavi ſuborto, brevi ante mali acceſſum, percepit terror, qui ad motus ſpaſmodicos, quin epilepticos ſuſcitandos, ſolus, teſte experientia ſufficit. Alteram præbent vermes; quorum præſentiam partim ex facta jam lumbrici excretione, partim ex ſedimento urinæ lacteo, dubio procul colligere licet. Terror primum effectum in partem inteſtinorum inferiorem egiſſe, eamque contraxiſſe videtur; unde puella protinus de vehementi dolore in dextro hypochondrio, & alvi obſtructione conqueſta fuit: illum enim dolorem à flatibus, per conſtricta inferius inteſtina, ſurſum actis, partesque nervoſas inteſtinorum valde diſtendentibus derivandum eſſe duco. Vermibus vero in inteſtinorum canale, aut, quod pejus eſt, ipſo ventriculo hoſpitantibus debentur reliqua ſymptomata, veluti ſunt nauſea, ructus, & rejectio muci limpidi ex ore, tormina inteſtinorum, tremor abdominis, & totius corporis, ac contractiones muſculorum, qui palpebras claudunt: hæc enim omnia non niſi motibus ſpaſmodicis abſolvuntur, & frequenter à vermium colluvie ſuos mutuantur natales.

Quod itaque curationem attinet; hanc ad binos potiſſimum dirigendam eſſe ſcopos arbitror: nimirum, ut ſordes acres, atque bilioſas, nec non colluviem verminoſam ex canale inteſtinorum eliminemus; & ſubinde motus partium nervoſarum ſpaſmodico-convulſivos, per demulcentia, relaxantia, & antiſpaſmodica conſopiamus. Quo nomine operæ pretium facturos puto clyſteres, ex lactis unciis quatuor, mellis drachmis tribus, & nitri drachma una paratos; quos per octo ſucceſſive dies, mane pariter ac veſperi infundendos ſuadeo; ſiquidem non modo conſtrictas partes demulcendi ac emolliendi, verum etiam vermes evacuandi, flatuſque diſcutiendi, inſigni pollent virtute. Ad hæc, bis quavis hebdomade, mane poſt adplicatum clyſma, ſorbillare conveniet potiunculam laxantem, cujus hæc ſit formula: Recipe mannæ electæ unciam, rhabarbari, cremoris tartari ana drachmam, coque & ſolve leni calore in unciis quatuor aquæ graminis, colaturæ adde olei amygdalarum dulcium unciam. M. D. pro duabus doſibus.

Reliquis diebus mane ſumantur duo vel tria cochlearia olei amygdalarum dulcium ex juſculo avenaceo; & interjecto horæ ſpatio, alternis diebus, capiantur octo pilularum, quæ ſic habent: Recipe aloes roſatæ drachmam, ſagapeni, aſæ fœtidæ, myrrhæ electæ, mercurii dulcis, extracti panchymagogi Crollii ana ſcrupulum, extracti croci, caſtorei, ſalis ſuccini ana grana quatuor, olei tanaceti guttas tres. M. F. pilulæ, ex ſcrupulo uno no. XXIV. parandæ. Illis vero diebus, ubi non adhibentur pilulæ, veſperi immittendi ſunt pedes in pediluvia ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis & ſapone veneto concinnata, atque tum petendus lectus. Denique ſub epulis aſſumantur quindecim guttæ de hac mixtura: Recipe eſſentiæ tanaceti, myrrhæ, ſantonici ana unciam ſemis, extracti abſynthii, gentianæ rubræ ana grana duodecim. M. D.

Quod ſi ab horum uſu intra quatuor hebdomades non ceſſaverint motus convulſivi; tunc abs re fore ſtatuo, ut acidulæ Selteranæ, cum dimidia lactis parte commixtæ in uſum vocentur.

---

## CASUS CLIII.

### *De affectu ſpaſmodico-convulſivo diris ſymptomatibus ſtipato.*

PUer duodecim annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ingenii admodum floridi, parentibus hæmorrhoidariis natus, binis abhinc annis febre corripiebatur tertiana. Hæc per integrum ſemeſtre variis remediorum generibus oppugnata, omnium vim eluſit; donec tandem, excretis multis aſcaridibus, ſenſim remitteret, & vires cum adpetitu redirent. Cæterum per totam fere vitam à morbis gravioribus immunis manſit, niſi quod variolas cum convulſionibus ſtipatas olim ſuſtinuerit; & trimu-

trimulus exiſtens ob vehementiorem terrorem, per aliquot dies epilepſiam paſſus fuerit. Elapſo vero anno rurſus ingenti, eoque iterato percellebatur terrore; & inde ſtatim commotionibus febrilibus, doloribus dorſi & capitis, gravitate artuum, convulſionibus, delirioque prehendebatur. Datis quibuſdam medicinis, & excretis denuo aſcaridibus, remittebant hæ truculentæ affectiones: ſed brevi poſt, ex matris gravi, & cum vitæ periculo conjuncto morbo, valde contriſtatus, adpetitus defectum, & vehementes faucium conſtrictiones, cum deglutitionis impedimento perſenſit. His cum novus, iſque gravis accederet terror; incidit in veras, atroceſque convulſiones, ad hanc uſque diem inhærentes. Invadebant nempe decies, quin & vigeſies quotidie, & ſic habebant: Artus primum externi diſtorquebantur, ita tamen ut alternatim mox dextrum, mox ſiniſtrum brachium, nec non pedes huc vel illuc traherentur; corporis truncum mox antrorſum, mox retrorſum flectebat; tum ſaxo immobilior obrigeſcebat, incurvatis pedibus; mox ſpaſmus maxillas cum ore diſtorquebat; fauceſque cum ſuffocationis metu conſtringebat; brevi poſt pondus à ſummis faucibus ad abdomen devolvi videbatur; ſequutiſque ructibus, ſolvebatur paroxyſmus.

In caſſum contra hunc affectum uſurpatis, varii generis ſpecificis & antepilepticis; medicus, purgato prius ſupra infrave corpore, malum oppugnavit antiſcorbuticis, anthelminticis, aperitivis, nervinis, antepilepticis, roborantibus, cephalicis, interpoſitiſque clyſmatibus ac laxantibus remediis: neque minus ex topicis linimenta nervina, ſpiritus ac balſama adplicavit, eo effectu, ut efflorеſcente per totum corpus purpura, puer verſus ſolſtitium currentis anni æſtivum convaleſceret, & quum antea, pedibus inniti haud poſſet, quin ſtatim obrigeſceret, poſt hanc curationem, ambulandi perfectam recuperaret facultatem, ſcholam vegetus frequentaret, corpuſque ſedulo moveret.

Reverſa itaque ſanitate, accedebant hæmorrhoides fluentes; quarum jam ſeptem annos natus quædam exhibuerat indicia; quæ, ſi impeditius promanabant, aut plane ſilebant, dolores in dorſo, & inteſtino recto poſt ſe trahebant. Neque vero ulla his opponebantur medicamina, præter pulveres antiſpaſmodicos interdum datos. Dum hæc fiebant, ad ſtudia rurſus indefeſſus incumbebat, memoriamque valde fatigabat; & præterea cibis incongruis, dulcibus, panificiis, placentis, cum lardo præſertim confectis, pomiſque immaturis delectabatur. Hinc, cumulatis denuo in primis officinis cruditatibus, accidit, ut quinque circiter abhinc hebdomadibus, febre quadam corriperetur, quæ quotidianæ intermittentis inſtar, ingenti frigore, per unam alteramve horam durante, quotidie impetebat, & nullum fere æſtum, nec aliud ſymptoma inſequens habebat. Quo facto hæmorrhoides non amplius profluebant, ſed vanis duntaxat moliminibus vexabant; jungebatur iterum ſcorbutica cutis efflorеſcentia, cito diſparens, & tandem ex improviſo recrudeſcebant priſtini motus convulſivi.

Aſpernabantur hac vice cuncta, licet præſtantiſſima ſubſidia; tantum aberat, ut verſus noviſſimum autumnale æquinoctium inſigniter exacerbarentur, lunaque increſcente magis invaleſcerent, & adhuc inſiſtant contumaciſſimi. Paroxyſmi enim ſæpe trigeſies quotidie recurrunt, &, quod notatu dignum eſt, matutinis horis breviores ac mitiores; ſumtis vero epulis, aut animo vehementius commoto, & frequentiores, & acerbiores obſervantur. Antecedunt ineffabiles præcordiorum anxietates, ſequuntur faucium conſtrictiones, & in externo collo tumor conſpicitur, tumque excipiunt convulſivæ agitationes, ſub quibus, miſerando ſpectaculo, flet, ridet, commordet dentibus, vociferatur, manibuſque adſtantes percuſſurus petit. Solvuntur paroxyſmi copioſis ructibus, & relinquunt inſignem corporis laſſitudinem: ſalvo tamen permanente rationis uſu.

Cæterum noctem tranquillo tranſigit ſomno; nec niſi expergefactus, affectu ſuo corripi incipit; pulſus fertur ſemper æqualis, atque durus; urina mingitur ſanorum ſimillima abſque ullo ſedimento; adpetitus eſt integer, quin paullo avidior; alvus autem non, niſi dato laxante, aut infuſis clyſteribus, vel globulis moſchatis ſolicitata reſpondet, tumque ſtercora reddit indurata, ſtupenda quantitate.

Et hæc eſt diri, quo vexatur, morbi idea: qui, quoniam veremur, ne in habitum tranſeat, ac conſuetudinem; convenientem flagitamus medelam, deque illius indole ac cauſſis informari cupimus.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Aſpectu atrox quidem, & horrendum eſt malum; quod puerum bonæ indolis ac ſpei immaniter habet: verum neutiquam tam grave, quin multam ſanationis ſpem relinquat. Referri nimirum meretur ad affectus ſpaſmodico-convulſivos, qui ex membranis ſpinalem medullam amplectentibus, primario pullulantes, omnes ſubinde nervos, ac nervoſas inde proficiſcentes partes, quin ipſius cerebri tunicas, in truculentorum motuum conſenſum rapiunt. Atque harum membranarum ſpaſmodica conſtrictio, formalem eorum morborum rationem conſtituit; ita tamen, ut, ſicuti illa ſtrictura, ſi primario cerebri membranas occupaverit, veram producit epilepſiam; ita eadem, ſi in medulla ſpinali, fixam ſedem obtinuerit, convulſivos artuum externorum motus, jactationes, tractiones, diſtenſiones, cum extremorum refrigerationibus, alvi obſtructionibus, ac præcordiorum anxietatibus ſtipatas, progeneret. His in præſenti caſu jungi videtur cerebelli, nervorumque inde prodeuntium ſtrictura; ex qua riſus, fletus, ac vociferationis rationem derivare licet.

Quod vero cauſſas ſævarum harum paſſionum attinet; ex iis præcipua eſt, crebrior ille terror, quo perculſus fuit puer; qui ad inducendos ejuſmodi affectus, inſigni pollet facultate. Deinceps in cenſum cauſſarum veniunt vermes, in canale inteſtinorum ſtabulantes, quos, rodendo horum nervoſas tunicas, vehementiſſimas convulſiones excitare poſſe, quam plurima ſcriptorum teſtantur monumenta. Accedit porro ſenſibilior, & ad motus irregulares proclivior cerebri & nervoſarum partium in noſtro ægrotante conſtitutio; quam vivax, quo puer gaudet, ingenium, & nimia ad animi affectus, terrorem, & excandeſcentiam promptitudo ſignificant. Nec ſilentio prætermittenda eſt, nativa ad fluxum hæmorrhoidalem diſpoſitio, ejuſque præmatura eruptio: quæ clariſſimum præbet documentum, interiores abdominis partes, maximeque inteſtina ſpaſmodicis patere affectionibus. Tum quoque attentionem meretur, inconveniens victus ratio, qua puerum edulia dulcia, poma immatura, atque panificia in delitiis habere percepi; unde cruditates acidæ, bilioſæ atque flatus, ſpaſmorum nutritores, copioſius ingenerantur. Et denique concurrit, ingenii, memoriæque nimia fatigatio; quæ magnam vim, hoſce affectus & revocandi & exacerbandi, teſte experientia locuplete, poſſidet. Quum itaque tot, tantæque cauſſæ, ad immanem hunc in noſtro puero morbum contribuerunt; atque hic plus una vice recruduit: non mirum profecto eſt, ſi ſolidæ nervoſæque partes, harum irregularium motionum tantam habitudinem acquiſiverint,

ut à leviſſimis cauſſis, illæ protinus repullulaverint. Quamvis vero ejuſmodi affectiones nervoſi generis perquam difficilem admittant medicationem, quin ab iis, quæ vulgo opponi ſolent, medicaminibus, maxime ſi calidiora fuerint, ac fortiora, magis contumaces reddantur: attamen crebra compertum habeo obſervatione, quod in tam tenera ætate, uſurpatis blandis & diæteticis remediis, temporis beneficio adjutis, omnino profligari queant.

Quamobrem votis nos potituros confido; ſi hac utemur medendi ratione. Primum quidem experientia pariter, ac probatiſſimorum medicorum teſtimonia docent, non ullum in hiſce nervorum vitiis fructuoſius eſſe præſidium, quam quod ex loci aërisque mutatione deſumitur. Hanc igitur ante omnia commendo; & ut æger ad talem locum transferatur, in quo ſimul ab animi pathematibus, timore, terrore, iracundia, nec non ſtudiorum exercitiis vacuus ſit, etiam atque etiam hortor. Deinceps convenientem ſeligere oportet potum; quo fine omne vinum, omniſque cerevisia, ſive ſit lupulata, ſive triticea exſulare debet, & pro potu ordinario ſequenti decocto uti juvabit: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ ana uncias tres, radicis pœoniæ, cichorei ana unciam ſemis, ſeminis fœniculi drachmas duas. Conc. D.S. ſpecies, quarum uncia una cum binis aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquatur. Non minus à cibis ſalitis, acidis, flatulentis, & omni placentarum genere ſtudioſe cavere, epuliſque parcioribus uti expediet.

Præterea ex uſu in his morbis mihi eſt lac aſininum, hac ratione uſurpandum: Lac ex aſina, cujus purum ſit pabulum, recens mulſum, quantitate dimidiæ menſuræ, cum quarta fontis Selterani parte permixtum, & aquæ ferventi, ut incaleſcat, impoſitum, mane intra lectum, ſucceſſivis hauſtibus ſorbilletur, fugiendo omnem per tres horas ciborum uſum. Quod ſi vero hæc duo medicamina, haud in promptu fuerint; illis ſerum lactis caprini ſubſtituere licet, quod paraturus, lactis caprini, recens mulſi menſuram dimidiam, in patina ſtannea, ſub continua, ne aduratur, agitatione, leni calore ad conſiſtentiam pulveris flavi evaporet, pulveri huic aquæ puræ fontanæ menſuram dimidiam affundat, & ebullire invicem ſinat, ut pulvis ſolvatur, tum percoletur, quo caſeoſa remaneat ſubſtantia, & percolatum ſerum eadem ratione, ac lac aſininum ſingulo mane potetur. Quæcunque ſint hæc medicamina, per ſex vel octo hebdomades illis uti oportebit; ita tamen, ut eorum initium capiatur à ventris purgatione, quæ ſumtis primo mane mannæ uncia una & dimidia, cremoris tartari drachmæ uni nupta, & in lacte, vel ejus ſero ſoluta, commode obtinebitur.

Ad hæc non levem præſtabunt opem pediluvia tepidiora, ex aqua pluviatili, furfuribus triticeis, ſacculo incluſis, & lacte vaccino concinnata; in quæ ſingula veſpera ad ſuras uſque pedes ægroti immittantur pueri. Ex pharmacis primum, quod commendo, eſt pulvis nervinus, ſic parandus: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum, cornu cervi ſine igne ana drachmam unam & ſemis, cinnabaris nativæ, ſuccini præparati ana ſcrupulum unum, nitri purificati grana decem, caſtorei grana octo. M.F. pulvis, cujus drachma dimidia, ex aqua fiorum tiliæ, vel primulæ veris, alternis veſperis aſſumatur. Reliquis, ubi hic pulvis haud adhibetur, diebus, hora pomeridiana quarta capiantur decem guttulæ, ſpiritus, quem ſimul mitto, nervinum, antiſpaſmodicum, flatuſque diſcutientem. Extrinſecus, ſemel vel bis quotidie, ſpinæ dorſi in loco calido inungatur linimentum nervinum, hac ratione componendum: Recipe axungiæ humanæ uncias duas, olei lavendulæ, balſami Peruviani, olei nuciſtæ deſtillati ana drachmam unam, olei rutæ guttas viginti. M.D. Denique conſervetur corpus in moderato calore ac perſpiratione; ac crebro moveatur: nec enim dubito, quin horum debitus uſus, exoptatiſſimam ſit allaturus medelam.

Reſpondit etiam votis eventus; ſiquidem relatum mihi eſt, adhibitis, quas propoſui, medicinis, paroxyſmum ſenſim mitigatum, primum vigeſies tantum de die, mox decies, tum quater reverſum, tandem prorſus evanuiſſe, puerumque plane conſanuiſſe.

---

## CASUS CLIV.

### *De ſingulari quodam affectu ſpaſmodico-convulſivo.*

Generoſa ac valde formoſa virgo, ſolitudinis & vitæ ſedentariæ amantiſſima, ſeptemdecim annorum, & avidiori ciborum adpetitu gaudens, ſpaſmodico-convulſivo morbo obnoxia, potavit hoc anno acidulas Schwalbacenſes; & poſthæc Francofortum ſe conferens, male rurſus habuit, atque ideo medicum accerſi curavit. Is eam paroxyſmo convulſivo, quem plus ſimplici vice erat paſſa, occupatam deprehendit: ſub quo omnes totius corporis artus alternatim ſpaſmo torquebantur, caput retrorſum trahebatur, oculi obrigeſcebant, os hiabat, linguam exſerebat, & memoriæ vis penitus languebat, adeo, ut eorum, quæ in paroxyſmo agebantur, hoc finito, reminiſci non potuerit. Quum præterea ſanguine turgebat, & menſtrua periodus imminebat; vena in pede tundebatur, & dabantur pulveres, ex nitro, cinnabari, caſtoreoque parati, non ſine fructu egregio.

Exploratis quibuſdam antecedentibus momentis, referebat ægrota, hunc affectum plerumque circa menſtruum tempus recruduiſſe, ſenſim atrociorem. Affirmabat, ſe juniorem ſimiles ferme inſultus, ſub lypothymiarum nomine ſuſtinuiſſe; & jamjam acceſſiones illas antecedere atroces dorſi, & inteſtinorum, maxime circa umbilicalem regionem, nec non capitis, & oſſis ſacri dolores, extremorum frigus, oculorum caliginem, ſenſumque formicationis, qui in digitis pedum æque ac manuum incipiens, ſenſim per umbilicum, cordiſque ſcrobiculum ad caput aſcenderet; tumque ſubſequutis pandiculationibus, excipere paroxyſmum.

Præterea vero notatu dignum erat, quod, ſicuti in ejuſmodi morbis plerumque ſuppreſſio, vel inordinatus minimum menſtruorum ſucceſſus jungatur, ita è contrario in hoc caſu, ea ferantur copioſa. In paroxyſmo, more epilepticis ſolito, neutiquam in pugnum colligit pollices: à gravi autem terrore, iracundia, cibiſque dulcibus, & vinoſis potibus ille valde exacerbatur; quid? quod eo tempore, quo adfligit malum, ab omni carne, & juſculis inde paratis, majorem iſtius vehementiam perſentiſcat. Neque ipſi ſuppetias aut ullum levamen attulerunt acidulæ Schwalbacenſes, hunc in finem potæ: & denique inſigni obſtructioni alvi vexatur, adeo, ut vix ſingulis octo vel decem diebus reddatur.

Dictum itaque eſt, ægram miſſo ſanguine, & dato pulvere melius habuiſſe; vix autem unus vel alter dies effluxit, cum menſtrua prorumperent, more conſueto admodum copioſa, quorum fluxum mox comitabantur motus convulſivi; adeo ut quam diu uterus cruorem funderet, tam diu hi adfligerent; & ceſſante fluore, hi quoque remitterent, ægrotanſque præter capitis, dorſi lateriſque dolores non haberet, de quo conquereretur. Redibant quoque ſomnus & adpetitus, neque vero adeo ceſſabant motus

motus convulſivi, quin leves membrorum ſubſultus, maximeque opiſtotonæ agitationes, licet momentaneæ tantum, quotidie recurrerent; alvi ſegnities dicto modo perſiſtebat, & calor conclavis illico ſanguinis orgaſmum, & præcordiorum anxietates excitabat.

Verſus inſtantem igitur menſtruorum fatalem periodum, propinabat medicus blanda laxantia, nec non pulveres ex ſpecifico cephalico, nitro, caſtoreo, & limaturæ chalybis granis octo concinnatos, bis quotidie ſumendos, & Elixirium aperitivum Clauderi, cum tinctura caſtorei remixtum inter epulas porrigebat. Infundi quoque ano jubebat clyſteres, qui licet primum ſpem votis facerent, tamen excitabant abdominis tormina, & præcordiorum anxietates; unde his omiſſis, ob turgentem ſanguinis abundantiam, vena in pede ſecabatur. Hinc factum eſt, ut virgo ægra, binis ſucceſſive menſibus cruorem ex utero redderet ſatis quidem copioſum, motiones vero, quæ junctæ erant, convulſivæ leviſſimæ fuerint, & illa intermedio tempore integra ſanitate gauderet.

Poſtquam autem, omiſſo chalybis uſu, tertium inſtabant menſtrua; caput & reliquum corpus doloribus iterum agitari cœperunt, & erumpente ſanguine, priſtina illico revertebantur convulſiva ſymptomata, eaque vehementiſſima. Jungebatur inſuper paroxyſmis, anxia & lamentabilis vociferatio, qualis eorum eſt, qui ſævis cruciantur tormentis, tanta quidem atrocia, ut inde ſanguinis è pulmonibus timeretur eruptio: cujus tamen, finito paroxyſmo, prorſus erat inſcia. Ipſæ acceſſiones invadebant cum ingenti circa cordis ſcrobiculum dolore, quem ſequebatur ſpirandi anguſtia, ſenſim invaleſcens, & tandem in vociferationem illam deſinens, cujus comes erat inſignis totius corporis tremor.

Cum ſilente menſtrua purgatione, ſilebant cuncta ſymptomata; dabatur iterum pulvis ex ſolo ſpecifico cephalico, nitro nupto paratus; ſed accedente quarto lunaris tributi termino, priſtina ludi cœpit ſcena. Tum in uſum vocabatur pulvis catholicus purgans Glauberi, qui tribus pro doſi granis, ſpecifico cephalico nuptus, & primum ſemel, paullo poſt bis quotidie propinatus, id commodi ſecum ferebat, ut jam alvus alternis diebus ſolveretur, & convulſivæ agitationes externarum partium inſigniter remitterent; hæ vero magis ad interna ruerent, adeo, ut per aliquot horas, gravis inſtar ſyncopes, ſine ſenſu, motu, ac vix notabili reſpiratione, moribundæ ſimilis jaceret.

Ab hoc tempore adeo defecta eſt viribus, ut ipſam lecto perpetuo inhærere oporteret; abhinc quoque tam diverſa paroxyſmorum erat facies, ut eos ordine recenſere, videatur impoſſibile; quare præcipua tantum notabimus momenta. Ingens vociferatio, dicta brevi ante ratione, per intervalla adfligit. Interdum, ceſſante, minimum vix notabili pulſu & ſpiratione, evaneſcit omnis vis ſentiendi, obrigeſcit totum corpus, mox calidum, mox frigidum, gelidoque ſudore perfuſum, hiant oculi ſaxo immobiliores; mox lingua exſeritur, variiſque motitationibus agitantur artus; brachia mox contorquentur, mox cum digitis recta intenduntur, ut vix flecti queant, mox pollicem pugno includit. Nonnunquam alternis manibus aërem quatit, inanibus ictibus; iiſdemque abdomen vehementer percutit, cum paroxyſmi ſolutione; quæ etiam non raro ſubito clamore fit. Quandoque ſingultiens motus ægram corripit, auditu quidem haud percipiendus, ſed viſu in faucibus adnotandus: quem primum raucedo excipit, tum vox perit, & ſenſim reſtituitur; ita tamen, ut ſi germanica lingua loquatur, ea minus ſit articulata; contra ſi gallicam ſtrepat, expeditior obſervetur ſermo. Sæpius utrumque brachiorum reclinat, & dorſo ſupponit, ut manibus inſidere videatur: atque his, aliiſque innumeris modis atrox malum triſtem ludit tragædiam.

Ipſum quoque paroxyſmorum initium variis modis ſe habet; mox inter amicas collocutiones, vegeta, ac incolumis, ab uno ad alterum latus corpus ſubito movere, & adeo vacillare incipit, ut lapſus in terram immineat; tum ſupina in lectum recidit, atque violentis motibus prehenditur. Mox taciturna fit, de dolore in vertice capitis conqueritur, & vel formicationis ſenſum in digitis manuum, ſenſim ad præcordia ac caput aſcendentem percipit, vel motum undulatorium, à pedibus per abdomen, ac uterum, quem dolore atroci infeſtat, ad caput aſpirantem perſentiſcit. Hunc ſequuntur præcordiorum anxietas, ac dolores compreſſorii, ſpiratio ſenſim fit anguſtior, obnubilatur caput, rigent oculi, viſus tamen facultate privati, & ipſa ſaxo immobilior per aliquot horas decumbit: vel loco hujus rigoris tetanodei, artus torquentur, diſtorquentur, variiſque miris modis agitantur. Tum excipit ſudor atque tremor omnium membrorum, & ipſa ad ſe redit, inſcia eorum, quæ ſunt acta. Attamen mirabile eſt, & ſuſpicionem non abolitæ omnis penitus ſenſationis movet, quod iis, qui durante paroxyſmo minus grata ipſi præſtant officia, inimicum, vindictæque plenum, variis ſignis teſtetur animum. Finito paroxyſmo dolores in vertice ac dorſo patitur; &, cum antea noctes placido ſomno tranſegerit, per noviſſimum trimeſtre eas inſomnes experitur, recurrente paroxyſmo, mox leviori, mox graviori moleſtas, maxime priuſquam obdormiſcat.

Cæterum adpetitu jam fruitur imminutiori, calorem, olim ipſi infenſum, commodius fert, animus ad varios adfectus valde proclivis eſt, ipſaque mox ſine manifeſta cauſſa triſtis, mox hilaris conſpicitur, mox ſacris devota indulget meditationibus, precibus atque cantationibus. Non minus diſtincte prænunciare valet, quonam die immineat mali acceſſio, anne gravior, vel mitior ſit futura. Extra lectum commorari nequit, tantum abeſt, ut, ſi modo pedes ex eo propendeant, graviſſimos patiatur dolores: idcirco, pedibus ſub corpus inflexis ſuperſedendo, miſeram tranſigere oportet vitam.

*Conſilium Medicum.*

Affectus ſpaſmodico-convulſivus, quo atrocem in modum virgo generoſa moleſtatur, totum quidem nervorum genus occupavit; inprimis autem eos, qui ex ſpinali medulla ad artus exteriores feruntur, nervos nec non intercoſtalem ramum, qui ex pari quinto, octavo, atque nono ſubortus, per plurima porrigitur viſcera, pro ſævarum motionum objecto habet. Unde non ſolum externi artus violentis motibus agitantur; verum etiam caput, os, lingua, oculi, & ſpiritales partes, in triſtem eorum ſocietatem rapiuntur. Atque primam immanis hujus affectus originem, ex nimis ſenſibili, quam à nativitate traxiſſe videtur, partium nervoſarum diſpoſitione repetendam eſſe ſtatuo: cui, cum acceſſerint temperamentum ſanguineum, copioſi ſanguinis ferax, & paſſionum hypochondriacarum, concurrente vita ſedentaria adauctarum rudimenta; teſtantibus alvi obſtructione, ſpaſmis & flatulentiis imi ventris, & inſigni animi mobilitate; non fieri potuit, quin malum indies majores ceperit vires. Namque morbo hypochondriaco vexatis, humores generantur ſpiſſi pariter ac impuri, & acriores, qui

ſpaſ-

ſpaſmorum abdomen obſidentium ope, ad ſuperiora atque caput magis compelluntur, & per nervoſas membranas circulantes, has ad graves proritant ſpaſmos. Quum vero partium infernarum ſpaſmi, eo potiſſimum, quo menſtrua fluunt, tempore exaſperantur, quoniam ipſe menſium fluor ſpaſmo abſolvitur: facile patet, cur in noſtra quoque ægrotante, hoc maxime tempore malum infeſtaverit; dum ſcilicet ſpaſmi in plexibus meſaraicis incipientes, per dorſi ſpinam aſcenderunt, & in univerſales tandem abierunt convulſiones. In tali rerum ſtatu non mirum eſt, quod acidularum Schwalbacenſium potationem ſiniſter exceperit effectus: hæ enim naturali, quo pollent frigore, curſum humorum ſpiſſiorum per minima vaſcula eo magis retardant, tranſpirationis pleniorem ſucceſſum remorantur, & iis, qui nervorum laborant imbecillitate, ſemper ſunt inimicæ.

Opus itaque eſt, ut huic quam ocyſſime medeamur malo; quoniam illud, terroris tædiique plenum, non omni vacat periculo. Siquidem ob impetuoſum craſſi ſanguinis ad caput raptum, ille facile minima cerebri vaſa perrumpere, ac extravaſatus lethalem apoplexiam inducere poteſt. Neque vero negandum eſt, quin affectus ejuſmodi firmius radicati, & in tantum habitum degenerati, ut a facillima revocari poſſint cauſſa, curationis ſpem valde anguſtam reddant, & præſtantiſſima remedia valde eludant: attamen neutiquam deſperandum eſt; quoniam, ſi debita adhibeatur medela, omnino niſi prorſus exſtirpari, ſaltem inſigniter ſublevari poſſunt.

Ut autem in præſenti caſu votis noſtris potiamur; ad binos præſertim ſcopos dirigendam eſſe curationem arbitror. Primus eſt, ut effrænes partium externarum convulſiones perinde, ac graves internarum ſpaſmos apte conſopiamus; alter, ut tonum atque robur ventriculi & inteſtinorum reſtauremus: quo digeſtio fiat rite, generoſus chylus elaboretur, ſordium excrementitiarum colluvies debite eliminetur, atque ſic fomes motionum præternaturalium removeatur. Perpetuæ enim regulæ inſtar habendum eſt, quod ſpaſmodicæ partium internarum, maxime ventriculi ac inteſtinorum conſtrictiones, protinus turbent, atque ſufflaminent ſalutares excretiones, tam quæ per alvum ac tranſpirationem fiunt, quam ſanguineas, quæ per uterum aut hæmorrhoides contingunt. Retentis ergo ſordibus cumulatur acre impurum ſerum, idque cum reliqua humorum maſſa per corpus progreſſum, novam ſpaſmodicis affectibus præbet occaſionem.

Obtinendis vero præfixis curandi ſcopis, hæc medicamina ſatis eſſe factura confido. Primum videlicet valde commendo ſequentem pulverem: Recipe pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachmam unam, cinnabaris factitiæ drachmam ſemis, nitri purificati ſcrupulum unum, extracti caſtorei grana tria. M. F. pulvis div. in 4. doſes. Hunc pulverem vel ſolum, vel cum lumbricis terreſtribus permixtum, bis terve quotidie, ex aqua chamomillæ vulgaris, vel primulæ veris, vel liliorum convallium, cum cereviſia Lœbeginenſi deſtillata exhibere conveniet. Deinceps ſingulo mane quædam vaſcula infuſi theiformis, quod ex herba meliſſæ, betonicæ, ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ vulgaris, ſalviæ, tiliæ, & aniſo ſtellato paratur, ſorbere expediet. Veſperi vero aſſumantur quinquaginta guttæ liquoris mei anodyno-mineralis, cujus tres partes, cum una liquoris bezoardici ſint permixtæ. Egregium hoc eſt remedii genus, non in ſiſtendis modo ſpaſmodicis motibus, verum etiam facilitanda diaphoreſi: quippe quod veſperi ſumtum, ægrotos mane leniter ſudare facit.

Ad roborandum autem tonum ventriculi ac inteſtinorum, inſignis uſus deprehendi has pilulas: Recipe extracti millefolii, florum chamomillæ, herbæ cardui benedicti ana drachmam unam, theriacæ veteris, corticis chinæ ana drachmam ſemis, croci grana duodecim, olei chamomillæ veri guttas octo. M. F. pilulæ, ex ſcrupulo uno numero viginti, quæ pro una doſi, alternis circiter diebus deglutiantur. Externe ſpinam dorſi ſequenti linimento inungendam ſuadeo: Recipe unguenti martiati, axungiæ humanæ ana unciam unam, olei ſalviæ, lavendulæ, majoranæ, nuciſtæ deſtillati ana drachmam unam. M. D. Nec ſine peculiari fructu adhibebuntur pediluvia, ex aqua fluviatili, floribus chamomillæ, & furfuribus tritici parata; & veſpertino tempore uſurpata. Et ad alvinam non minus, ac menſtruam excretionem facilitandam, operæ pretium facient pilulæ balſamicæ, ad Stahlii vel meam mentem confectæ; quas bis quavis hebdomade, ſumto præcedente veſpera, pulvere præcipitante ex nitro, ac lapidibus cancrorum parato, mane numero quatuordecim devorare decet.

Cæterum cane pejus & angue fugienda ſunt cuncta volatilia, calidiora, vaporoſa & ſuaveolentia, quæ humores exæſtuando, augent ſpaſmodicos motus. Quare etiam cautum omnis vini atque cereviſiæ uſum eſſe oportet; cujus in locum commendarem decoctum, ex radice chinæ, viſco quercino & paſſulis compoſitum. Cœna ſit parcior; fugiatur frigus, maxime pedum, & imi ventris, & omnes ſedulo evitentur cauſſæ, quæ animum ad graviores invitant commotiones. Quæ, niſi ſuffecerint, motus corporis, mutatio cœli, & conveniens balneorum, maxime Tœplicenſium uſus, omnem curandi abſolvent paginam.

## CASUS CLV.

### *De ſingulari generis nervoſi affectu ſpaſmodico-convulſivo.*

Matrona generoſa, viginti octo annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus corporis tenerioris, animi vero affectibus, quod mirum eſt, parum obnoxia, bis peperit cum ſucceſſu feliciſſimo. Secundum vero puerperium, quo ſex abhinc annis perfuncta eſt, excepit menſium inordinatus, & nimius fluor, per octo integras hebdomades inhærens; tandemque ſopitus, atroces imi ventris dolores reliquit, per quatuordecim dies moleſtos, tumque ope balneorum ex aqua dulci profligatos. Tum rurſus utero cœpit gerere, debitoque tempore, felici partu puellam excluſit. Abhinc valuit, per integrum annum, quo elapſo, menſes denuo ſilentes, novæ impræagnationis ſuſpicionem movebant. Poſt decem autem hebdomades, ſubito prehendebatur doloribus oſſis ſacri, qui parturientium ſimiles erant; quibus per aliquot horas vexata, ad alvum ſentiebat ſtimulum, atque hanc exoneratura, præter opinionem ex utero reddebat concrementum carneum, cum inſequente enormi hæmorrhagia. Hac ſedata, menſtrua per integrum annum, nimia ac inordinata fluebant; tandemque, ope variorum medicaminum, maxime acidularum Schwalbacenſium, in ordinem redibant.

Menſe Novembri anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi noni, bis ſucceſſive febre catarrhali benigna laboravit: qua ſuperata, cruor uterinus adhuc ſemel profluebat, tumque penitus ferri deſinebat. At ſuccedebant graves mox dentium, mox dorſi dolores, vomendi crebri urgebant conatus, ipſæque vomitiones, & abdomen gravidarum more gran-

grandeſcebat: quin poſt aliquot menſes, manu ventri impoſita, perſentiſcebat motum, qui magis magiſque invaleſcens, præcordiorum anxietatem, ſpirandique demum difficultatem inducebat moleſtiſſimam. Dabantur pulveres antiſpaſmodici cinnabarini, & ex vena in brachio tuſa, tres cruoris unciæ detrahebantur; ſed nondum conquieſcebat ille motus, tantum aberat, ut potius novus affectus, per intervalla tandem accederet, qui hunc in modum habebat.

Abdomen, maximeque regionem epigaſtricam, tremula obſidebat motitatio, quæ ſenſim ſuperiora verſus aſcendens, pectus cum ſcapulis elevabat; caput antrorſum torquebatur; pharynx conſtringebatur, ut nec cibi, nec potus quidpiam admitteret; fauces peculiarem tremulum exhibebant ſonitum, qualis ſingultientibus eſt, os, maxillæque variis modis diſtrahebantur, atque palpebræ celerrimo motu agitabantur. Neque vero ſub ejuſmodi paroxyſmis, qui vix tertiam minuti partem explebant, & ſæpiſſime recrudeſcebant, ſumtoque potu calidiori ſtatim revocabantur, pollices in manum comprimebantur, nec ſpumæ os obſidebant, nec ulli urgebant dolores, nec rationis, ſenſuumque uſus turbabatur. Arteriarum pulſus erat parvus, debilis, ac æqualis; urina mox ſanorum ſimilis, mox turbida, cum copioſo ſedimento, & alvus aperta.

Hoc in rerum ſtatu conſultus medicus, porrigebat pulveres antiſpaſmodicos, cum pulvere lumbricorum terreſtrium, Marchionis, nitro, cinnabarique mixtos; infuſa ex herba millefolii, cum floribus chamomillæ; mixturam tonico-nervinam Stahlii, eſſentiæ caſtorei extractoque caſcarillæ nuptam; Elixir uterinum Crollii, & oleum amygdalarum dulcium; extrinſecus vero, præter crebros clyſteres, atque veſicatoria pedibus adplicata, linimentis, balſamiſque nervinis, nec non ſacculis reſolventibus ac diſcutientibus dimicabat. Neque horum fruſtranea erat efficacia, ſiquidem malum, fracta ſenſim vehementia, intra paucos dies prorſus conquieſcebat.

Verum elapſis binis hebdomadibus, atrocius revertebatur; & ab extero, qui vocabatur, medico anthelminticis oppugnabatur, quoniam illud à vermibus derivabat. Ordinabat eo fine, & mixturam, quæ ex gummi ammoniaci granulati drachmis duabus, in aquæ meliſſæ unciis ſex ſolutis erat confecta, & pulverem, qui habebat ſeminis ſantonici drachmas duas, corallinæ drachmam unam, mercuriique dulcis grana duodecim, & in quatuor dividebatur partes. Illam ſequebantur non modo alvinæ dejectiones, verum etiam moleſtiſſimæ vomitiones; hunc ſanguinis per alvum fluxus; & ab utroque remedio, ingraveſcebat morbus, ac paroxyſmi, breviſſimis intervallis, invicem excipiebant.

Iſtis ergo, ne gravius inducerent periculum, omiſſis, ad oleum animale Dippelii deſcendebatur; quod ad tres vel quinque guttas, inter paroxyſmorum remiſſiones datum, tam felicem præſtabat effectum, ut gravis affectus ſenſim remitteret, ac ceſſaret, ægrotaque ejus vacuitate per integrum menſem gauderet, cum ſomni, adpetituſque integritate reſtituta. Brevi vero poſt idem recidebat, eodem ac antea modo; & eodem animali oleo in uſum revocato, intra quatuordecim dies iterum evaneſcebat. Sextus tum agebatur menſis, ex quo gravida videbatur; nec fallebat ſpes; ſiquidem conſopita convulſiva ac tremula motitatione, diſtinctior jam evadebat embryonis motus, & ipſa, recuperatis viribus, egregie habebat, niſi quod de inſolita artuum, maximeque pedum laſſitudine, atque gravitate conquereretur. Tranſigebat tamen reliquum geſtationis tempus, à ſuo malo vacuum; donec tandem adventabat pariendi neceſſitas. Invadebant ad partum dolores, & cum his malum, quod per tres conquieverat menſes, recurrebat, per crebros paroxyſmos, fœtus excluſionem inſigniter retardantes. Neque tamen minus poſt quatuor horarum decurſum, puer excludebatur, ad hanc uſque diem integra fruens ſanitate: Lochia fluebant rite, & affectus ille moleſtiſſimus, ſpaſmodico-convulſivus, non niſi prioribus puerperii diebus infeſtabat, reliquis ſilebat.

Sic ſana ac incolumis viſa mulier generoſa, dum aliquando animi laxandi cauſſa, rheda ſe in rus vehendam curaret; ingentem capitis, & inprimis dentium rheumatiſmum, cum vehementi cordis palpitatione ſtipatum incidebat. A quo liberata, lunare rurſus perſolvere cœpit tributum, larga ſatis quantitate, ſed huic ceſſanti, illico ſucceſſit malum convulſivum, quod huc uſque, cuncta eludens remedia inhæret. Paroxyſmi prioribus per omnia ſimiles ſunt, niſi quod ſub illis atroces dextrum hypochondrium circa lumbos diſcrucient dolores, & index manus dextræ digitus ita moveatur, ac ſi quempiam vocare vellet. Præterea, loco laſſitudinis, relinquunt gravem vertiginem, cum inſigni oculorum caligine, veluti ſudario obducti eſſent, conjunctam, adeo ut ſæpius, inſtar animo defectarum jaceat. Menſtrua debito promanant tempore, ſatis copioſa; quibus fluentibus, ſilent convulſivi motus; iiſdem vero ceſſantibus, hi triſtem ſcenam agere incipiunt.

A noviſſimo puerperio contra has affectiones, nullis fere, præter pilulas Stahlianas, & liquorem quendam acidulum, qui phlegmati ſpiritus vitrioli analogus, ad quindecim quotidie guttas ſumitur, uſa eſt remediis: ſub quorum uſu convulſivi motus mitiores quidem & breviores; at gravativa artuum laſſitudo, vertigo, & oculorum caligo acerbiores pariter, ac diuturniores obſervantur. Balnea aquæ dulcis, cum furfuribus triticeis, malum exacerbare videntur. Et quoniam præter coryzam, quam à noviſſimo capitis rheumatiſmo perpetuam patitur, cum primario morbo nondum penitus in gratiam rediit, tantum abeſt, ut graviores illius vereatur recurſus: anhelat omnino ſalutare judicium, malorumque, quibus premitur, cauſſam, originem, & convenientiſſimam medelam cognoſcere cupit.

## *Conſultatio.*

Affectus præter naturam, quocum mulier quædam generoſa, non modo ſub noviſſima graviditate per ſex menſes, verum etiam poſt partum huc uſque, immaniter conflictata fuit, non ſane alius eſt, quam morbus generis nervoſi ſpaſmodico-convulſivus. Illius primaria ſedes in abdomine, maximeque inteſtinis tenuibus hærere videtur; ſiquidem incipiendo à plexu ſuperiori meſenterico, qui circa primam lumborum vertebram ſitus eſt, & à pari nervorum intercoſtali conformatur, ad reliquas thoracis, capitiſque partes, quæ à pari vago & intercoſtali ramo, nerveas ſuas propagines mutuantur, ut ſunt muſculi cervicis, atque pharyngis, propagatur. Cerebri vero membranæ ab hoc ſpaſmo omnino adhuc liberæ ſunt; unde non modo rationi, ſenſibuſque ſua manſit integritas, verum etiam epilepticæ nondum acceſſere motiones.

Quod cauſſam mali attinet; eam haud ſine ratione in utero collocare licet, quippe cujus vitium, irregularis, qui hactenus fuit menſtruorum, moxque nimius, mox plane ſuppreſſus fluor, nec non polypoſum concrementum, olim excretum ſignificant. Verum enim vero, quum generoſa fœmina ſub hoc affectu utero concepit, felicemque excluſit partum; non dubito ſane, quin cum altero medicorum, concurren-

currentes lumbricos, anguſtiis inteſtini ilei implicitos accuſem. Plures enim mihi innotuerunt caſus, quod gravidæ ex vermibus, ejuſmodi graves motuum affectiones paſſæ fuerint: quibus etiam demortuis forſan, ac intra inteſtina in putredinem abeuntibus, febrem catarrhalem, qua bis laboravit noſtra ægrotans, deberi exiſtimo. Confirmant præterea hanc ſententiam, peculiaria, quibus moleſtata fuit ſymptomata; utpote quæ à ſola paſſione hyſterica omnino deprehenduntur aliena. Neque vero minus imbecillitas nervoſi generis, ad augendam mali ferocitatem multum contribuiſſe videtur: licet enim mulier illa ad animi excandeſcentiam minus proclivis obſervetur; attamen illi forſan magis ſuppreſſæ indulget; atque hac majorem ſibi noxam contrahit. Et ſi præſertim ea, quibus jam infeſtatur, ſymptomata, veluti ſunt languor corporis, vertigo, obſcuratio viſus, atque catarrhales defluxiones, mecum perpendam: hæc ſane non ab alia cauſſa originem trahunt, quam à nimia nervoſi generis atque ventriculi debilitate, vitiataque digeſtione; cum primis, ſi verminoſa inteſtinorum amurca concurrat.

Sed his non immorabor ulterius; id duntaxat jam proſequuturus, cujus ope curatio inſtitui poſſit. Adaptanda hæc potiſſimum erit, verminoſæ putredini è corpore proſcribendæ: cui ſcopo fortiora, & quæ vulgo adhiberi ſolent anthelmintica, neutiquam convenient. Commendarem potius fontes Selteranos, quantitate menſuræ unius quotidie potandos, adeo, ut eorum tepefactorum dimidia portio mane, altera hora pomeridiana quinta hauriatur; & ſingulis quinque diebus pilularum Stahlianarum undecim deglutiantur. Ante horum uſum, bis quotidie aſſumantur octoginta guttæ Elixirii balſamici, quod hunc in modum conficitur: Recipe extracti cardui benedicti, gentianæ rubræ, myrrhæ electæ, ſuccini ana drachmas duas, ſalis tartari drachmas tres, olei menthæ deſtillati, de cedro ana guttas viginti. M. cum una vini Sect vel Hiſpanici libra leni calore digerantur: quod remedii genus etiam, abſoluta acidularum potatione, per aliquod tempus, ter quotidie uſurpari poteſt. Præterea corpus moderata, ſed frequenti exercitatione movere, ab animi affectibus probe cavere, omne frigus arcere, ciboſque dulces pariter ac acidos ſedulo vitare expediet. Et denique, his per quoddam tempus adhibitis, nervoſo generi confortando apprime convenient balnea, ex aqua, lacte, & triticeis furfuribus conficienda, & tepida tantum in uſum vocanda. Neque paucam foveo ſpem, quin ex horum prudenti uſu, inſignemulier generoſa ſit conſequutura allevamentum.

---

## CASUS CLVI.

### *De affectu ſpaſmodico-convulſivo chronico.*

*Prior morbi hiſtoria.*

FOEmina, duos & triginta annos nata, temperamenti melancholico-cholerici, ſtaturæ mediocris, infirmam à teneris paſſa eſt valetudinem. Superatis enim anno ætatis ſecundo copioſis æque ac valde malignis variolis, gravem tulit exulcerationem capitis, pone aurem ſiniſtram, cum largo, & quantitate libram unam ſuperante puris effluxu, diu inhærentem: quam oculorum lippitudo, narium gravedo, aliæque catarrhales exceperunt deſtillationes. Anno ætatis octavo ex febre acuta, cum purpura complicata; undecimo diuturna aurigine; & decimo quarto periculoſa febre petechiali, non ſine vitæ periculo laboravit. Poſtquam vero menſtrua proruperunt; non modo oculorum defluxiones ceſſarunt, verum ipſa quoque, ad conjugium uſque, egregia ſanitate eſt gaviſa. At quum primo perfungeretur puerperio; fluor uterinus imminui, & ægra flatulentis, febrilibuſque infeſtari cœpit moleſtiis.

Nihilo tamen minus, finito puerperio, Deo grates redditura, more conſueto, ſatis incolumis templum ingrediebatur; ſed ibidem, ex graviſſimo tonitru, tanto percellebatur terrore, ut abhinc ſpaſmodicis ac convulſivis obnoxia fuerit affectibus. Interim altera poſthæc, quin & tertia vice peperit feliciter: quo in puerperio, ob graſſantem tunc epidemice purpuram, calidius juſto regimen obſervare jubebatur: unde factum eſt, ut in ſummam debilitatem, viriumque collapſum incideret, atque convulſivi motus, cum animi deliquiis ſtipati magis invaleſcerent.

Novem jam elapſis annis, gravi ac peculiari prehendebatur capitis dolore, ad cervicem & humeros uſque excurrente: cui tanta jungebatur imbecillitas, ut caput in erecto ſitu continere neutiquam potuerit. Ab hoc quoque incommodo, divina favente gratia, liberata, per ſubſequentes annos, vitam tranſegit, ſub recurrentibus per intervalla capitis doloribus, animi deliquiis, ſpaſmodiciſque ac convulſivis affectibus, ſatis incolumem; adeo, ut ante biennium fonticulum, quem dextro brachio inflictum diu geſſerat, coaleſcere permiſerit, abſque morboſis conſectariis. Præterea hoc tempore duorum ſucceſſive liberorum felix facta fuit mater: quorum primum cum utero gereret, per priores geſtationis menſes, tantum muci ſeroſi, cruore permixti ex utero ploravit, ut abortus eſſet ſuſpicio. Noviſſime gravida, tam inſignem crurum imbecillitatem ſenſit, ut, niſi innixa ancillæ, non incedere potuerit; neque ab hac moleſtia, puerum, convulſivis motibus paullo poſt denatum enixa, immunis fuit; donec ſucceſſu temporis ſponte remitteret.

Verum enim vero, ante tres circiter menſes, ex improviſo graviſſimas incidit convulſiones, crebris paroxyſmis per quatuordecim dies, recurrentes, qui ſic ſe habebant: Sentiebat primum formicationis ſenſum, mox dextrum, mox ſiniſtrum latus, atque brachium occupantem, ſequebatur ſermonis impotentia, atque tum prehendebant animi defectiones, perſiſtente integro rationis uſu: aut in harum locum ſuccedebant præcordiorum anxietates, oculi claudebantur, lacrymaſque copioſas plorabant, ore à ſpuma libero exiſtente. Externi artus convellebantur alternatim; brachia extendebantur, obrigeſcebant, crura gravativo dolore afficiebantur; atque ſic ea per unum vel alterum horæ quadrantem detenta, ſolvebantur paroxyſmi, relicta totius corporis laſſitudine.

Noviſſime liberata quidem eſt ab hoc malo; quod ſi vero animi affectum ac excandeſcentiam, ad quam valde proclivis eſt, patiatur, mox illo prehenditur: & præterea ſapore ſemper ſalſo moleſtatur, maxime ſi mucum ſcreatu reddat. Cæterum ipſi rite fluunt menſtrua.

*Altera morbi hiſtoria.*

Matrona, trigeſimum ſecundum ætatis annum egreſſa, temperamenti ſanguineo-melancholici, ſex liberorum mater, ſuperatis in juventute variolis, purpuratiſque morbis, ad primum uſque puerperium, ſatis integra gaviſa fuit valetudine. Ab hoc vero, dum præter ſuetudinem multis in re domeſtica curis indulgeret, male habere cœpit; & de præcordiorum anxietate ac compreſſione, ſenſu globi, ex abdomine ad fauces devoluti, cum metu ſtrangulationis,

lationis, animi defectionibus, cordis palpitationibus, capitis doloribus, maxime hemicranicis, nec non dolorificis circa cordis ſcrobiculum moleſtiis conquerebatur. Hæc ſymptomata per longos annos, mox mitiora, mox graviora inhæſerunt; & pro hyſtericis habita, ob accedentes crebras graviditates, non niſi anodynis, & antiſpaſmodicis oppugnata fuere remediis. Noviſſime vero majora ſumſerunt incrementa; ſiquidem poſt levem excandeſcentiam, vel terrorem, protinus invadunt vehementiores ſpaſmi, ad externos quoque artus excurrentes, cum rigida brachiorum extenſione, adpetitus jactura, & tanta artuum, maximeque pedum laſſitudine, ac imbecillitate, ut vix ambulandi gaudeat facultate. Cæterum ſubtriſtis eſt animus, & ſolitudinem amat; alvus ſuo non fungitur officio, niſi paſſulis admoneatur; urina meitur coloris aurantii, cum nubecula, chryſtalliſque tartareis; & menſtrua naturali ſuccedunt ordine.

Conſultus noviſſime medicus, qui malum hypochondriaco-hyſtericum eſſe autumat, ordinavit nodulum aperitivum, ex incidentibus, & attenuantibus, radice cichorei, caryophyllorum, apii, polypodii, herbis capilli veneris, fumariæ, ſcordii, foliis ſennæ, rhabarbaro, fibris hellebori nigri, elixirio proprietatis, liquore terræ foliatæ tartari, confectum; nec non temperantia ex nitro, tartaro vitriolato & magneſia parata: ſub epulis dedit tincturam corticum aurantiorum, cum ſpiritu nitri dulci permixtam; ſcopo tonico propinavit tincturam vitrioli martis aperitivam Ludovici: & denique mane potandum præbuit infuſum theiforme, ex ſalvia, meliſſa, radice pimpinellæ, floribus chamomillæ, ac millefolii concinnatum.

*Conſultatio.*

Quantum ex binis morbi hiſtoriis, invicem collatis, & probe ponderatis judicare licuit: atrox ille, ac diuturnus, quo fœmina quædam agitatur affectus, omnino eſt ſpaſmodico-convulſivus, qui totum partium nervoſarum tam internarum, quam externarum ſyſtema occupavit. Et ab internorum quidem viſcerum ſpaſmodica conſtrictione natales ſuos mutuantur cardialgiæ, faucium ſtrangulatus, loquelæ impotentia, atque alvi obſtructio: externarum vero partium convulſivæ agitationi debentur ſubſultus brachiorum, eorumque rigidæ extenſiones, palpebrarum conſtrictiones, nec non pedum inſignis torpor. Sub tam irregularibus partium ſolidarum motibus, non quoque fieri potuit, quin primæ, & ciborum digeſtioni tributæ officinæ labefactatæ fuerint: unde loco generoſi chyli, minus laudabilis generatur, nec reſtitantes à cibis ſordes per congruas rite eliminantur vias. Hinc tota ſanguinis & humorum maſſa impuris, acribus, ſcorbuticiſque imbuitur ſalibus; & fluidum illud ſubtiliſſimum, tenue, lymphaticum, nerveum, iners redditur, partibuſque ſolidis & nutriendis & movendis minus fit idoneum, hæ langueſcunt, & ſuis functionibus obeundis ſunt impares. Neque paucæ ſunt, quæ ad hæc motuum vitia contribuerunt, cauſſæ: quas inter in hoc corpore, tam gravibus à pueritia morbis debilitato, ingens terror, à primo puerperio ſuperveniens, præpoſterum & juſto calidius poſt tertium partum regimen, ipſa puerperia, crebro invicem excipientia, animi pathemata, erroreſque diætetici, præcipuum ſibi vindicant locum.

Quæ cum ita ſint, & cauſſæ morborum ejuſmodi, vetuſtate corruptorum, neutiquam in mole materiæ, vel craſſitie humorum, vel viſcerum infarctu, ſed potius ſolo motuum vitio hæreant: facile patet, quod in iis expugnandis non ſufficiant conſueta, aperientia, martialia, carminativa, & cuncta, quæ malo hypochondriaco, vel hyſterico opponi ſolent. Neque in præſenti caſu acidulæ vel thermæ operæ facient pretium: quippe quarum potatio ſupponit integrum adhuc ventriculi ac inteſtinorum robur, quo ſcilicet aquarum moles è corpore ſufficienter proſcribi poſſit. Meo potius arbitrio, ea abs re futura ſunt remedia, quæ ex alimentorum & rerum non naturalium recto uſu deſumuntur; nec aliæ reſtant indicationes, quam ut horum ope, conjunctis ſedativis, roborantibus, laxantibuſque medicinis, impuros ſuccos corrigamus, excretioni maturos eliminemus, & ſolidis nervoſiſque partibus debitum inſtauremus robur.

His ſatisfacturus ſcopis, etiam atque etiam hortor, ut alvi procuretur lubricitas, eoque fine infuſum ex paſſulis minoribus, rhabarbaroque, cum aqua vino nupta, additoque ſub finem cinnamomo paratum, bis quavis hebdomade adhibeatur. Deinceps non levem præſtabit uſum mixtura, quæ ſedativa non minus, ac diapnoretica atque diuretica pollet virtute, & ſic concinnatur: Recipe tincturæ antimonii acris, liquoris anodyni mineralis ana unciam dimidiam, eſſentiæ caſtorei, ſuccini, ſpiritus bezoardici Buſſii ana drachmam unam. M. D. Hæc ad quinquaginta guttas bis terve quotidie ſumenda erit; ſorbendo deſuper mane infuſum theiforme, quod habet herbam meliſſæ, flores tiliæ, & liliorum convallium. Veſperi temperante ſcopo capiatur pulvis Marchionis, cum nitro, cinnabari, & aliquot olei macis guttis permixtus; & loco potus ordinarii bibatur decoctum, ex raſura cornu cervi, & radice ſcorzoneræ compoſitum.

Ex topicis egregiam laudem meretur linimentum quoddam nervinum, dorſi ſpinæ, manuumque juncturis inungendum, cujus hæc ſit formula: Recipe axungiæ humanæ unciam unam, olei nuciſtæ expreſſi, balſami Peruviani ana drachmas duas, olei rutæ, lavendulæ, caryophyllorum, roriſmarini ana guttas triginta. M. D. Pertinax vero victus obſervatio, utramque curandi paginam, abſolvet; cujus regimen præſentibus quidem medicis ordinandum relinquo; id vero ſedulo injungendum eſſe duco, ut ægra tantum motui corporis moderato ſtudeat, quantum è contrario mentis conſervandæ tranquillitati; curæ impendere ipſam oportet. Nihil quoque majorem ipſi noxam minatur, quam corporis refrigeratio non minus, ac potus ſpirituoſiores, cibique calidiores: idcirco horum providum eſſe decet uſum, nec ſine fructu veſcetur brodiis, ac juſculis, quæ ex carne gallinarum, vel vitulina, additis acetoſa, aſparago, naſturtio, cancriſque contuſis parantur. Cæterum his uſurpatis, ſi ſanitatis læta ſpes nondum affulſerit, commendarem fontis Selterani, cum lacte vaccino aut aſinino permixti internum, & balneorum Hirſchbergenſium externum uſum: quibus omnibus ut annuat divina clementia, ex animo precor.

---

## CASUS CLVII.

*De affectu ſpaſmodico-convulſivo, cum commotionibus epilepticis.*

GEneroſus puer, duodecim annorum, tenerioris corporis conſtitutionis, animi ſenſibilioris, ingeniique perquam vivacis, ciborum dulcium, ſaccharo conditorum, placentarum, panificiorum, atque pomorum amantiſſimus, per noviſſimum ſemeſtre gravi infeſtatur morbo, cujus paroxyſmi ſic habent; Corripitur ex improviſo nauſea, præcordiorum

rum anxietate, & inteſtinorum torminibus; tum expalleſcit, concidit, lingua perit, interdum pollices in manum comprimit, caput, maxillæque huc vel illuc violenter diſtorquentur; mox pectus magno impetu attollitur, moxque os & nares humorem ſeroſum fundunt. Per incertos temporum circuitus redit hoc malum, & nunc per aliquot ſucceſſive dies, ſemel biſque quotidie recurrendo invadit, nunc per unam alteramque ſeptimanam ceſſat; & nullas habet ſui prænuncias notas. Eluſit quoque cuncta, utut præſtantiſſima remediorum genera: quare generoſi parentes, de periculi plena unici filii conditione admodum ſolliciti, ad Te, Vir Experientiſſime, confugiunt, & ſcire cupiunt, anne ſalutis adhuc ſuperſit ſpes, & qua ratione votis potiri queant.

*Conſilium Medicum.*

Atrox, tædiique plenum, quo puer quidam, unica parentum ſpes, miſere cruciatur, malum, non niſi ſpaſmodicis nervoſarum, maxime cerebri partium abſolvitur motibus; quorum primariam ſedem, in ventriculo ac inteſtinis hærere, nauſea, præcordiorum anxietates, & inteſtinorum dolores, paroxyſmum antecedentes, omnino ſignificant. Extra omne enim poſitum eſſe videtur dubium, quod, niſi verminoſa colluvies, huic ætati perquam familiaris, tamen amurca viſcida, bilioſa, acris, in primis præſto ſit regionibus: unde hæ vellicatæ vehementer conſtringuntur, atque ſic comprimendo ſanguinea, quæ in imo ventre ſunt, vaſa, humores vitales majori ad caput compellunt copia. Hi ergo impeditius per cerebrum, ejuſque membranas progredientes, has diſtendunt, & ad gravem proritant ſpaſmum: qui per reliquas capitis ac faciei nervoſas muſculoſaſque partes propagatus, capitis diſtorſiones, maxillarum convulſiones, aliaſque epilepticas machinatur commotiones. Atque hinc adparet, cauſſas horum affectuum non tam in humorum vitio, aut nimia mole, quam potius in partium ſolidarum inordinatis motibus quærendas eſſe; qui crebris recurſibus, ac vetuſtate in habitum utique degenerant ac conſuetudinem: uti in præſenti quoque caſu factum eſſe, vero eſt ſimillimum.

Quamvis vero hi partium nervoſarum firmius radicati morbi, valde ſint refractarii, & à pharmacis, vulgo adhiberi ſolitis minime expugnari ſoleant; tantum abeſt, ut ab iis, accedentibus præſertim animi pathematibus, magis exaſperentur: attamen crebra docet experientia, quod in junioribus corporibus illi non raro exſtirpari poſſint, ſi tam recta vivendi ratione, quam convenientium medicinarum ope, cauſſæ materiales tolluntur, nervorum ſyſtema, maximeque ventriculus confortatur, roburque naturale ipſis reſtituitur. Nec ullus dubito, quin, ſi in præſenti caſu hiſce ſcopis adaptetur curatio, nos votorum futuri ſimus compotes.

Et quum irrita erit omnis medicamentorum opera, niſi prudens ac providus rerum, quas non naturales vocamus, acceſſerit uſus: de hoc primum quædam præcipiemus. Præcipua igitur cura eſto, ut puero cuncta objecta, omneſque occaſiones, quantum eſt poſſibile, removeantur, à quibus ad terrorem, mœrorem aut iracundiam excitari poſſit: cui etiam ſcopo conveniet aëris mutatio, ac peregrinatio, ex eo, in quo malo ſuo affectus eſt, & jam degit, ad alium locum, qui puro ſerenoque gaudeat aëre. Tum ciborum recta habeatur ratio: omnes enim, qui flatus gignunt, & qui nimias in primis viis relinquunt cruditates, veluti fructus horæi, poma, legumina, omne placentarum genus, cuncta ſalita, fumo indurata, & aceto condita &c. cane pejus & angue fugiantur, & quæcunque comederit, probe maſticentur, neceſſe eſt. Oportet etiam rectum aëris ſervare regimen: ille enim & nimium frigidus, & juſto calidior valde nocivus eſt; neque ideo fortiori ſaltatione corpus exagitare, nec etiam nimium ſtudiis indulgere conveniet. Cumprimis cavendum erit, ne corpus ſudore madidum & nimis calefactum, ſubito frigori liberius committatur; nec pedes ipſi exponantur. Et præterea nihil magis diſſuadeo, quam promiſcuum remediorum, arcanorum, atque ſpecificorum, quæ his morbis vulgo opponi ſolent, uſum: multa enim experientia doctus, aſſeverare poſſum, quod loco deſideratæ opis, inſigne inferant damnum.

Idcirco pauca etiam ſunt, quæ ex pharmacis profutura exiſtimo; & quidem primum loco potuum calidorum Thée vel Coffée, hoc infuſum ſorbillandum commendo: Recipe herbæ meliſſæ, betonicæ, florum tiliæ, chamomillæ vulgaris, ſummitatum millefolii ana manipulum unum, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmam unam. M. C. D. Hoc infuſum, nec nimis ſaturatum ſit, nec cum fontana, ſed potius fluviatili infundatur aqua: atque ſic, cum tertia parte lactis caprini mixtum, mane intra lectum ad quinque vel ſex potetur vaſcula, tumque lenis expectetur ſudor. Præterea omnem quoque vini, ac cereviſiæ potum improbo; & in eorum locum ſequens ſubſtituendum ſuadeo decoctum: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, ana uncias tres, radicis pœoniæ, cichorei ana unciam unam, ſeminis fœniculi drachmas duas, nitri purificati, tartari vitriolati ana drachmam unam. M. D. S. ſpecies, quarum uncia cum binis aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquatur; eique decoctioni interdum vini Burgundiaci, quantum ſexta menſuræ pars capit, addatur.

Tum vero, ad genus nervoſum corroborandum, vimque digeſtivam ventriculi reſtituendam, non ſine fructu adhibebitur Elixir meum viſcerale, ad triginta guttas, hora pomeridiana quinta, propinandum. Et quoniam verminoſa, vel quæcunque alia ſaburra, in ventriculo, vel potius inteſtinis ſtabulatur: non ludetur opera, ſi circa quodvis & plenilunium, & novilunium, bis circiter alternis diebus deglutiantur duodecim pilularum, quas in hiſce caſibus longo uſu comprobatas habeo, & ſic parandas doceo: Recipe aloes roſatæ, extracti rhabarbari, myrrhæ electæ, mercurii dulcis ana drachmam ſemis, aſæ fœtidæ grana quindecim, olei tanaceti guttas ſex. M. F. pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti: ſub quarum uſu oleo amygdalarum dulcium recenti large erit utendum.

Quod ſi denique paroxyſmus immineat; operæ erit pretium, pedes ad genua uſque protinus imponere pediluviis tepidioribus, quæ ex aqua fluviatili, lacte & furfuribus triticeis parari, & affuſione calidioris aquæ in æquali tepore conſervari debent; bis terve quotidie eorundem uſum repetendo. Eodem tempore, ad avertendam non minus, ac mitigandam mali acceſſionem, omnino proderit liquor meus anodynus, ad duodecim guttas, cum pulvere præcipitante exhibendus; nec temere ventriculi regio, præcordia, atque nucha balſamo meo vitæ inungentur. Quæ ſi ex præſcripto per aliquod tempus fuerint adhibita; non dubiam foveo ſpem, quin egregium ſint allatura levamen.

*Judicium de commendata à medico ordinario medendi ratione.*

Poſtquam deſiderarunt generoſi parentes, ut de ſententia, ac medendi ratione, quam medicus ordinarius

dinarius propoſuerat, meum ferrem judicium: non alienum erit, datum ab ipſo conſilium hiſce præmittere.

Morbus, inquit, quo generoſus vexatur puer, ad convulſivos pertinet, & originem ſuam trahit à ſpaſmo fibrarum membranoſarum ac nervearum, in nucha circa nervorum principium ſitarum; qui præterea ad nervos, capiti, ſenſibuſque potiſſimum externis dicatos extenditur: unde oculi obrigeſcunt, loquendi potentia perit, ipſumque caput huc vel illuc diſtorquetur. Quum autem vi horum ſpaſmorum vaſa ſanguinea, per collum aſcendentia ſimul comprimuntur: cruor in aſcenſu præpeditus, ad præcordia regurgitat, & horum anxietates, cum gravi cordis palpitatione parit. Et horum quidem ſymptomatum cauſſas vermibus deberi, lumbrici per alvum, datis laxantibus, excreti teſtantur: hinc flatulentiæ & ſpaſmi inteſtinorum generantur, atque nauſeam, imique ventris tormina progenerant. Idcirco duo ſunt curandi ſcopi, quorum prior motionum præternaturalium ſedationem, alter amurcæ verminoſæ excretionem reſpicit. His potiturus commendo venæ ſectionem, veſicatorium, laxantemque pulverem, cujus hæc eſt compoſitio: Recipe maſſæ pilularum alocphanginarum ſcrupulum unum, mercurii dulcis grana ſeptem, reſinæ jalappæ granum unum. M.F. pulvis, qui per tres priores menſes, biduo ante quodvis novilunium aſſumatur. Proinde ter quotidie viginti guttas ſequentis mixturæ capiendas ſuadeo: Recipe eſſentiæ abſynthii compoſitæ, elixirii proprietatis cum rhabarbaro ana drachmas duas, eſſentiæ caſtorei, ſalis volatilis oleoſi Sylvii ana drachmam unam. M.D. Et deniquc quavis veſpera pedes in pediluvia, ex aqua dulci, lacte vaccino, furfurum manipulis quatuor, florum malvæ, & chamomillæ Romanæ ana manipulis duobus parata immittendos hortor.

His præmiſſis, conſentientem me habet medicus ille, quod verminoſa colluvies, convulſivum in puero malum, niſi induxerit, ſaltem foveat atque ſuſtentet: quare etiam comprobo purgantis, quem commendavit, pulveris uſum, eumque non circa novam ſolum, verum etiam plenam lunam, puero exhibendum ſuadeo; neque habeo, quæ contra laudatum pediluviorum uſum moneam. Verum, quod attinet venæ ſectionem, ac veſicatorium; ea neutiquam arrident mihi: neque enim ad ſpaſmos ſopiendos, nec ad colluviem verminoſam expurgandam quicquam contribuent; tantum abeſt, ut ab iis ſpaſmorum vehementiam in tam tenera ætate magis exacerbatum iri arbitrer.

Mea quidem ſententia, malum hoc, quod tam atrox videtur, increſcente ætate ſponte exſpirabit; & ad illud mitigandum ſufficient utique commendata à me præſidia; quibus adjungendum eſt pulveris ante dicti uſus. Ad hæc, ut adventante vere, balnea Tœplicenſia adhibeantur, & interne tam Sedlicenſes, quam Selteranæ aquæ, lacti caprino vel aſinino nuptæ potentur, auctor ſum ſuaſorque: utpote his binis remediorum ſummis generibus, ad exſtirpandos motus ſpaſmodico-convulſivos, non unquam certius deprehendi, ac fructuoſius. Cæterum adhuc laudo atque hortor, ut imminente paroxyſmo, puer illico in balnea ex aqua dulci, & triticeis furfuribus confecta deſcendat, iiſque per horam inſideat, & egreſſus collum ac cervicem balſamo meo vitæ inungendum curet. Nec denique ludetur opera, ſi ad confortandum nervorum principium emplaſtrum, quod ex gummi elemi, benzoës, maſtichis, ſuccini ana uncia dimidia, therebinthinæ venetæ unciis duabus, olei nuciſtæ expreſſi drachmis duabus confici poteſt, nuchæ, magnitudine palmæ ſingulo octiduo recens imponatur: & ſi alvi obſtructio irrepſerit, ea clyſteribus reſeretur.

---

## CASUS CLVIII.

### *De affectu ſcorbutico.*

Trigeſimum octavum ætatis annum, cœlebs emenſus vir quidam generoſus, ſanguine plenus, temperaturæ cholerico-ſanguineæ, judicii acutiſſimi, floridoque vultus colore præditus, qui nunquam ſanguinem ex venis ſibi detrahi permiſit, ſed non raro crapulis vinoſis indulſit, ſanus videtur ac incolumis, niſi quod affectu dextri pedis diuturno vexetur. Namque egregia fruitur ciborum adpetentia, eoſque, qualeſcunque ſint, optime digerit, pro potu cereviſia tenuiori, atque vino generoſo uſus: neque minus naturali alvi libertate gaudet, & per noviſſimos annos perpetuo cruorem hæmorrhoidalem cum ſtercoribus, abſque moleſtia reddere ſuevit. Verum aliquot à nativitate annis externam in dextro pede paſſus eſt violentiam, qua ille ſiniſtro brevior factus, ambulandi potentiam valde difficilem moleſtamque reddidit. Decem abhinc annis, in ſuperiori oſſis femoris regione, varia efflioruerunt ulcuſcula: quibus ope naturæ conſolidatis, eo uſque vix habuit, de quo conquereretur; donec ante tres menſes, denuo dolor, tumor atque durities ipſum prehenderent. Quando enim paullo diutius ſedit, in poplite tenſivum ac obtuſum perſentiſcit dolorem, qui, ubi ſurgens pedi innititur, ad plantam uſque excurrit: tendines obrigeſcunt, adeo, ut niſi adjutus baculo, eundi careat potentia. Præterea glandulæ inguinales, in flexura femoris ſitæ, jam intumuerunt, rubore tamen adhuc vacuæ.

Neque pauca ſunt, quibus tam medicorum, quam chirurgorum multi hoc vitium, ſed fruſtra oppugnarunt, remedia interna, pariter ac externa, balnea, unguenta, & emplaſtra: & ego tandem conſultus, id à negotio hæmorrhoidali inordinato derivandum eſſe duxi. Credo enim, naturam ſalutari conſilio, humoribus acribus impuris, ſcorbuticiſque non modo per venas ſedales eliminandis, verum etiam, minus ſufficiente hac excretione, eoſdem nd muſculos, nervos, ac tendines oſſis femoris compellendis ſtudere; atque valde metuo, ne accumulatis in eo loco impuritatibus, longe gravius tandem ſequatur periculum. Quod ut præcaverem, pugnavi hactenus medicinis antiſcorbutico-tonicis, & interne dedi tincturam vitrioli martis, eſſentiæ trifolii fibrini nuptam, nec non infuſum theiforme, ex radice ſarſaparillæ, chinæ, ſcorzoneræ, polypodii, atque ſemine fœniculi concinnatum; & extrinſecus unguentum reſolvens ac roborans, ex balſamo Peruviano, cum vitellis ovorum ſoluto, cumque ſpiritu vini camphorato permixto commendavi. At quum hæc votis nondum ſatisfecerint; tuum, Vir Illuſtris, anhelamus auxilium.

### *Reſponſio Conſultatoria.*

Ægre percepi ex datis ad me litteris, virum generoſum dolorifico ac diuturno pedis dextri tumore vexari. Neque enim à veri tramite aberravit medicus ordinarius, dum id vitii à fero ſcorbutico, motu quodam critico, ad eam partem, tanquam imbecillem compulſo; ibidemque intra partes nervoſas ac membranaceas ſtagnante, & acrimonia ſua dolorem, copia tumorem excitante pendere autumavit. Et præcavendum utique omni jam erit ſtudio, ne increſcat hic feri decubitus, & ſucceſſu temporis plane

ñe in ulcus tranſeat; quoniam ulcera in hiſce locis moleſta, diuturna, & valde rebellia eſſe ſolent. Sed quoniam hyemale, in quo jam vivimus, tempus curationi hujus morbi minus opportunum exiſtit: operæ tamen erit pretium, ut illius incrementa hac potiſſimum ratione præpediamus.

Primum rectam vivendi rationem obſervare oportet; in qua cœna ſit parcior, cibi acidi, crudi, ſaliti fugiantur, fumus Nicotianæ parce ſugatur, pes affectus in perpetuo calore conſervetur, potus ſpirituoſi, vinoſi non minus ac cereviſiarii vitentur, & in potus ordinarii locum, hoc potetur decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, cichorii, glycyrrhizæ ana uncias duas, corticis ligni ſaſſafras unciam ſemis. M. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ, in tribus aquæ menſuris decoctæ, ad uſum aſſerventur. Conſultum ſubinde judico, ut ſingulo menſe, ſuræ affecti pedis binæ cucurbitulæ cum ſcarificatione imponantur; & alvus, ſi fuerit obſtructa, ſumtis mannæ binis unciis cum rhabarbari drachma dimidia mixtis, & in infuſo calidiori herbæ Theæ, vel Coffée ſolutis, liquetur. Alternis quoque veſperis, capiendam ſuadeo drachmam pulveris bezoardici ac temperantis, qui ſic habet: Recipe antimonii diaphoretici drachmas duas, lapidum cancrorum drachmam, cinnabaris rite paratæ, nitri depurati, ſalis tartari ana drachmam ſemis, extracti croci grana tria. M. F. pulvis. Hoc ſumto, altero mane ſequetur lenis ſudor, quem promovere conveniet ſorbitione infuſi theiformis, hunc in modum conficiendi: Recipe herbæ veronicæ, ſalviæ, ſcordii, cardui benedicti ana manipulum unum, florum ſambuci, ſummitatum millefolii ana pugillos tres, ſeminis fœniculi drachmas duas. M. D. Et denique adventante vere, ad aquarum thermalium, maximeque Carolinarum potationem deſcendendum erit.

Brevi autem poſt nunciavit mihi vir generoſus, uſurpatis per tres hebdomades, quas commendavi, medicinis, tumorem pariter ac dolorem affecti pedis, una cum reliquis ſymptomatibus, prorſus fere evanuiſſe. Hinc ad confirmandam ſanitatem, ſuaſi, ut inchoatam medendi rationem adhuc continuaret.

---

## CASUS CLIX.

### *De ſcorbutica humorum impuritate cum nervoſarum partium debilitate.*

SEreniſſima Princeps, annorum quadraginta quatuor, temperamenti ſanguineo-cholerici, tenerioris conſtitutionis, ſuperatis in juventute febre tertiana, efflorescentiis ſcorbuticis ſtipata, & aliquot interjectis annis, acuta ſatis gravi, Bataviam ſe contulit, ibidemque ſub aëre marino, victu craſſiori, multis mœroribus, curis ac terroribus, nec non crebris, & decies iteratis puerperiis, ſatis integra per longos annos gaviſa eſt valetudine. Namque, ſi exceperis tubercula inflammatoria, furunculis ſimilia; quæ ante quinquennium per corpus effloruerant copioſa, & febrem intermittentem epidemicam, qua elapſo biennio, prehenſa, per quinque anni quadrantes laboraverat, tandemque ope infuſi vinoſi cum china facti, ab ea vindicata erat: nullas profecto habuit, unde conquereretur, ægritudines. Tranſacto autem jam anno, huc redux, incipiente æſtate, per totum corpus partim puſtulis purpuraceis, partim furunculis minoribus contaminabatur; ſed uſurpatis pulveribus diaphoreticis, ac præcipitantibus, cinnabari, & nitro nuptis; tinctura antimonii tartariſata, eſſentia lignorum, pimpinellæ albæ, nec non laxantibus rhabarbarinis, ab iis liberabatur, relicta ultra ſemeſtre corporis laſſitudine. Verum ſex abhinc hebdomadibus ex improviſo de doloribus, ac inſigni torpore languoreque ſiniſtri lateris, querula eſſe cœpit; idque vitii refrigerationi corporis deberi exiſtimabat. Namque ſcire licet, non modo arcem, in qua degit Princeps gratioſiſſima, in altiſſimo monte exſtructam, libero undique patere aëri, verum etiam ipſius cubiculum ventis Africis, & ex auſtro flantibus adverſum tenere, adeo ut non raro totum corpus perfrigeſcat.

Conſultus ego, affectum potius pro rheumatico catarrhali habui, eumque propinata eſſentia ſuccini feliciter profligavi. At idem interjectis paucis diebus, refrigerato, quod ſudore madebat, corpore protinus recrudeſcebat: & data rurſus eſſentia ſuccini, more his adfectibus ſimili, ad dextram ſcapulam, caputque decumbebat, cum moleſta gravedine. Hanc ope pulveris ſternutatorii, in coryzam, ipſi familiarem commutatura, votis huc uſque potiri nondum potuit, tantum abeſt, ut adhuc, efflorescentiis corporis & extremorum ſcorbuticis ſtipata, adſligatur. Ipſa præterea, à hominum conſortio remota, ſubtriſtes fovet ideas, terroribus obnoxia eſt, & à quibuſcunque adverſis objectis, non modo animi perturbationes, verum in corpore quoque varias patitur moleſtias. Quam ob cauſſam ſuaſi, ut infuſum fabarum Coffee, quod nimis ſaturatum potare ſolet, omitteret, ex cubiculo, in quo, tranſpirationi minus opportuno, dormiebat, in aliud ſe conferret; accedente æquinoctio, venam tundendam præberet, corpus frequentius moveret, & omni ſtudio, ab animi pathematibus ſibi caveret. Non minus in uſum propoſui ſerum lactis, vel decoctum lignorum, cum radicibus ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, atque chinæ paratum; pulveres bezoardicos; tincturam antimonii tartariſatam; & mane ſorbillandum commendavi vel juſculum quoddam, vel æſtivo præſertim tempore aquam frigidam.

De his vero, atque num lentæ vel hecticæ febris metus immineat, tuam, Vir Experientiſſime, ſcire avemus ſententiam. Neque vero Te ignorari oportet, ſereniſſimam matronam nimium remediorum uſum, inſigniter abhorrere, & aquæ potum reformidare; ſed ea vino nupta in potus vicem uti. Cæterum menſtrua ipſi fluunt inordinata; pulſus fertur languidus, & debilis; appetitus mox proſtratus, mox juſto avidior eſt. Vires ſunt adeo dejectæ, ut extra lectum commorari nequeat; dolores rheumatici in ſiniſtrum maxime capitis decumbunt latus; oculi lympham acrem plorant; nares plerumque ſicciſſimæ & obturatæ ſunt; flatulentiæ imi ventris vexant; & ad ſomnum perpetuo inclinat.

### *Conſultatio.*

Ex litteris, quibus de adverſa ſereniſſimæ Principis valetudine, me certiorem reddidit medicus ordinarius, probe percepi totam morbi hiſtoriam; eaque ſedulo mecum perpenſa, intellexi, cuncta, quibus vexatur, ſymptomata, impuritati ſanguinis ac lymphæ ſcorbuticæ, cum inſigni generis nervoſi debilitate complicatæ deberi. Scorbuticam humorum diatheſin atteſtantur efflorescentiæ, ſcorbuticæ, ac purpuraceæ, furunculi, dolores rheumatici artuum, maximeque ſcapularum & capitis, virium jactura, & acres oculorum deſtillationes. Nervorum vero imbecillitatem ſignificant nimia ad terrorem, timorem, triſtitiam, ac melancholiam proclivitas, & præternaturalis ad ſomnum propenſio. Utrique vitio remotiores præbuerunt cauſ-

ſas, clima marinum, in quo diutius degit, nimius infuſi ſaturatioris fabarum Coffée uſus, febris intermittens diuturna, perverſe tractata, habitatio in loco frigido, ventis minus ſalubribus patulo, & hinc dependens impeditior tranſpirationis ſucceſſus. Quæ cum ita ſint, & fluidæ non minus, quam ſolidæ partes, à naturali receſſerint temperie; non injuſtus ſane eſt metus, ne tandem major virium corporiſque conſumtio, atque calor lentus & hecticus ſuboriatur.

Quare principiis obſtare decet: neque parum eo fine laudis merentur commendata à medico ordinario medicamina, veluti fuerunt ſerum lactis dulce, venarum in pede circa æquinoctia celebranda ſectio, decocta temperata, potui ordinario ſervientia, pulveres bezoardici, temperantes ac leniter nitroſi, nec non tinctura antimonii tartariſata &c. quippe quæ his affectibus apprime quadrant. Verum enim vero ſola non præſtabunt deſideratum effectum: quamob cauſſam commendarem præterea fontium Selteranorum, cum dimidia lactis parte remixtorum potationem, per quinque vel ſex hebdomades protrahendam. Huic autem præmittendum erit lene laxans, quod tale ordinare ſoleo: Recipe mannæ electæ unciam, rhabarbari electi ſcrupulos duos, terræ foliatæ tartari ſcrupulum, aquæ ceraſorum nigrorum uncias quatuor, coque & ſolve leni calore, & colatis adde olei de cedro guttas quatuor. M. D. Neque ludetur opera, ſi illud ſub ipſa acidularum potatione, ſingulo adſumatur octiduo, & curationi imponat colophonem. Fontis dicti, cum lacte maritati, ſingulo mane menſuram unam in lecto, ſub blanda tranſpiratione potare conveniet; ſumto veſperi pulvere temperante ac nervino, hunc in modum præſcribendo: Recipe pulveris Marchionis drachmam, antimonii diaphoretici, ſuccini præparati ana drachmam ſemis, nitri purificati, cinnabaris nativæ præparatæ ana grana viginti duo, extracti croci grana duo. M. F. pulvis. Pro potu non improbarem hauſtum vini Rhenani veteris, ſub epulis adhibendum; ſed reliquo tempore, in vicem cereviſiæ commendarem decoctum temperans, & lymphæ acrimoniam demulcens, quod ex radicis ſcorzoneræ, chinæ, ſarſaparillæ, cornu cervi raſpati ana unciis quatuor, radicis glycyrrhizæ, cichorii ana uncia una cum dimidia, ſeminis fœniculi uncia dimidia parari poteſt.

Prius vero, quam hæc curandi via ineatur; nimiam ſanguinis molem, detractis ex vena in pede tuſa, ſex circiter cruoris unciis, imminuere juvabit. Non minus conſultiſſimum erit, ut ægra ſereniſſima mane intra lectum, menſuram dimidiam aquæ frigidæ fontanæ, inque ea liquoris mei anodyni quadraginta guttas hauriat, atque tum, corpore probe tecto, leniter ſudet: veſperi vero libram tantum dimidiam ejuſdem aquæ potet, & in ea, vel dictum liquorem, vel ſupra commendatum pulverem alternatim capiat.

Cæterum ſtudendum ſummopere erit, ut corpus in aſſidua conſervetur tranſpiratione; cui ſcopo lenis corporis motus egregie inſerviet: carbonum vero fumo frigus arcere velle, periculoſum, & nervis noxium eſt. Loco potus calidioris Coffée, majori fructu, hauſta prius aqua, mane decoctum ſuccoladæ potabitur; & quo denique frequentius juſculis, ex carne vitulina, ſucco aurantiorum, radice ſcorzoneræ & cichorei confectis Princeps gratioſiſſima veſcetur, eo majus inde percipiet allevamentum.

## CASUS CLX.

### *De malo ſcorbutico inveterato.*

Vir, munere eccleſiaſtico, nimium laborioſo functus, annorum quinquaginta ſex, animi ad mœrores facillimi, corporis ſpongioſi, & ſatis floridi vultus coloris, puerilem ac juvenilem ætatem, ob rem valde anguſtam, tenui victu, crebriſque corporis refrigerationibus tranſigere debuit. Hinc præter omnem evidentem cauſſam, decem annos natus, moleſtis vigiliis noctes inſomnes ducere incipiebat; & abhinc mox malo hypochondriaco, cum dolore obtuſo ſiniſtri hypochondrii ſeſe exſerente, mox febre acuta, moxque ſcabie humida, furunculis, & exanthematibus ſcorbuticis vexatus fuit. Poſthæc à vigeſimo quinto ad octavum ætatis annum, atroces per intervalla capitis paſſus eſt dolores; hiſque cum herba Nicotianæ in fumo uti cœpit, mitigatis; ad trigeſimum octavum annum, crebro incidit colicam ſpaſmodicam. Gravi quoque ſæpius laboravit vertigine; nec non febre tertiana intermittente, ſumto emetico quidem profligata, ſed ſequenti anno vehementius recurrente infeſtatus fuit. Non minus à teneris ipſum excruciarunt catarrhales ac rheumaticæ capitis affectiones, auriumque ſuſurrus; quos inuſtus ſiniſtro brachio ante aliquot annos fonticulus, inſigniter mitigavit: & interdum maculæ ſcorbuticæ, rubicundæ, abſque ullo pruritu, dolore ac ardore moleſtæ, cum ſeceſſione cuticulæ dorſum obſederunt.

Tanto morborum agmine à teneris preſſus, deprehendit, quod à quinquageſimo per ſequentes ætatis annos, ſudor pedum, qui antea fœtidiſſimus, & tam acris fuerat, ut arroderet pedes, ſenſim quaſi exareſceret, & quod notatu dignum erat, primum calcaneum, mox plantam, & demum extremos deſereret digitos. Ab hoc tempore ilias ægritudinum habet ipſum ſollicitum. Primum enim, quod ex ceſſante hoc pedum ſudore, reſultabat incommodum, erat eorundem rigor, ſtupor atque tumor. Hic jamjam ad ſuras uſque aſcendit, cum dolore crurum tenſivo, & maculis rubicundis, in ſura ſiniſtra conſpicuis junctus: noctu quidem ex tibia diſparens, extremo vero pedi nunquam non contumaciter inhærens. Neque vero œdematoſus, ſed ventoſus magis eſſe videtur, & impreſſas digito foveas relinquit. Circa malleolos, cum primis ſiniſtri pedis, qui ob tarſi luxationem, ante triginta annos toleratam, ſemper dextro fuit debilior, humores inſigniter ſtagnant, & adeo infarciunt venas, ut hæ in externa cute, retis inſtar diſperſæ conſpiciantur. Atque hoc in caſu oculis cerni poteſt ſtaſium generatio; ſanguis enim, dicta vaſa irruens, ab initio rubicundior, ſucceſſive vero magis ater adparet. Non minus ſuras pedum copioſi varices occupant; & eundi potentia magis magiſque redditur impeditior.

Præterea multam crucem figit dolor tenſivus, qui abſque omni tumore ac rubore, à cordis ſcrobiculo ſub coſtis ſpuriis ad dextrum hypochondrium tendit, ſpatiumque ſpithamæ longitudine duntaxat obſidet: quid? quod noviſſime totum abdomen interdum grandeſcat. Per aliquot menſes, nocturno potiſſimum tempore, ex capite, pectore, atque brachiis, abſque ulla virium jactura, ſudor copioſus promanat: & autumnali tempeſtate catarrhalis defluxio oculis incumbit, cum viſus obſcuratione; cui pilulæ quædam, & veſicatoria opem tulerunt. Non raro vexatur ardore ventriculi, tanquam vitio hæreditario; quippe qui parentem diu moleſtavit, cui etiam

non

non minus ac ægrotanti fratri familiaris fuit podagra. Soror illius dyſcraſia humorum ſcorbutica diu cruciata, & ſalivatione demum curata eſt.

Ad hæc noſter ægrotus fluori hæmorrhoidali, ſed impeditius ſuccedenti obnoxius eſt; adpetitu integro, & ſomno placido fruitur, & alvi perpetua gaudet lubricitate. Si legumina ac olera comederit, hæc, oborto ventris profluvio, indigeſta egeruntur; contra vero cibos coctu difficiliores, fumoque induratos, facilius digerit ventriculus. Quæ momenta quum ſpem facerent, fore ut recenſitæ adflictiones convenienti obſecundarent medelæ: variorum medicorum conſiliis uſus eſt ægrotans, & ex eorum præſcripto non modo ſanguinem per phlebotomias pariter ac ſcarificationes, utraſque ſæpius iteratas, ſibi detrahendum curavit; verum etiam varii generis remedia purgantia, diaphoretica, diuretica, mundificantia, balnea decoctumque Viennenſe antipodagricum &c. adhibuit. Verum horum omnium vim eluſit malum, vel potius malorum cohors; nihilo tamen ſecius, omni nondum dejectus eſt ſpe, vir auxilio dignus; ſed à Te, Vir Excellentiſſime, adhuc flagitat conſilium.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Omnibus morbi, mecum communicati momentis rite exploratis, luculenter perſpexi, affectum, quo ægrotans infeſtatur, valde chronicum, corruptum, & in habitum quaſi converſum eſſe. Namque ille, debile partium nervoſarum ac ſolidarum genus, à parentibus ſpaſmodicis affectionibus divexatis per jus quaſi hæreditarium nactus; multis refrigerationibus corporis, aliiſque diætæ erroribus, quos puer committere coactus fuit, non modo robur ſolidorum, maximeque ventriculi, ac inteſtinorum valde deſtruxit, verum etiam humores impuros ſcorbuticoſque ſibimet contraxit. Et ex hiſce cauſſis dependent quam plurima, quibus per totum fere vitæ tempus ſuccubuit, mala; nimirum affectiones catarrhales, ſuſurrus aurium, paſſio hypochondriaca, colica ſpaſmodica, vertigo, febris tertiana ſæpius recurrens, ſcabies humida, furunculi, ſudor acris, & fœtidus pedum, & hunc repreſſum excipiens dolor, imbecillitas, ac tumor eorundem varicoſus: quibus natura per fluxum hæmorrhoidalem conſultura, non valuit ſufficientem illius ſucceſſum procurare.

Tantis vero vitiis, quæ ſolidarum non minus ac fluidarum partium labe nituntur, perarduum profecto eſt mederi; & ſi adhuc ſpes ſalutis reſtiterit, eam neutiquam à nimia remediorum, cumprimis potentiorum farragine, ſed non niſi temperatis, magiſque alimentis obtinere licebit; adeo, ut ante omnia roborando primarum viarum tono, & inſtaurandæ digeſtioni ſtudeamus; quo laudabilis generetur chylus, & inde reliqui ſucci, temperati, benigni, ac ſpirituoſi fiant. Qua intentione potus primum habenda eſt ratio; cui nulla his in morbis convenit cereviſia; ſed ſuaderem, ut in hujus locum, decocto uteretur, quod humores depurandi facultate polleret, & hunc in modum confici poſſet: Recipe radicum ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ ana uncias quinque, cichorii, liquiritiæ, corticis ligni ſaſſafras ana unciam dimidiam, Conc. Cont. irrorentur cum olei tartari per deliquium drachmis duabus. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ, cum tribus aquæ menſuris, in vaſe probe clauſo per tres horæ quadrantes decoquantur. Neque erit alienum, hujus infuſi potationi, ad confortandum ſtomachum, ſub epulis hauſtum vini veteris Rhenani interponere. Matutino autem tempore, loco conſuetorum hodie potuum, majori cum fructu intra lectum ſorbillabit juſcula, quæ ex jure carnis vitulinæ, vel gallinarum, radice cichorei, ſcorzoneræ, petroſelini, aſparago, & ſucco citri vel aurantiorum, non nimis pinguia conficiuntur. Et quamvis ventriculus edulia duriora, fumoque indurata bene ferre videatur; hortarer tamen, ut ab iis prorſus abſtineat; niſi majora mali incrementa inde velit expectare.

Deinceps non ſatis collaudare poſſum, aquæ ſimplicis, frigidæ, fontanæ uſum; cujus, quantum quarta menſuræ pars capit, ab eo cubitum ituro, ſucceſſivis hauſtibus capiatur. Hæc enim in ſaburra primarum viarum acida, & bilioſa præcipitanda, humorum acrimonia diſtemperanda, perque lenem, quem movet, ſudorem eliminanda, virtute pollet præſtantiſſima. Ad hæc conſultiſſimum judico, ter minimum quotannis ſanguinem ex tuſa in pede vena, aut, ſi magis placuerit, per pedum manuumque ſcarificationem, detrahere. Neque etiam leve cunctorum ſymptomatum levamen pollicetur, hæmorrhoidum ad ordinatum ac ſufficientem ſucceſſum perductus fluor: quem procul dubio aſſequetur ægrotus ſi corpus ſedulo, & temperate moverit; ſique imminente fluoris termino, per aliquot ſucceſſive dies, undecim mearum pilularum devoraverit. Præterea ſibi commendatum habeat Elixir meum viſcerale balſamicum; idque ad quinquaginta guttas & mane ex commendato juſculo, & inter prandium ex hauſtu vini capiat, auctor ſum ſuaſorque: atque ut ab omni frigido, humidoque aëre, nec non animi affectibus ſtudioſe ſibi caveat, etiam atque etiam hortor.

Quod attinet denique dolorificum pedum tumorem, ex ſuppreſſo horum fœtore enatum: non dubito, quin, hoc revocato, ille omnino ſit exſpiraturus. Operæ pretium hoc fine facient pediluvia temperata, ex aqua fluviatili, lacte, & furfuribus triticeis confecta, & veſpertino tempore, in crebrum uſum vocata. Atque ſi acceſſerit vernalis tempeſtas; totum curationis cardinem, acidulæ Selteranæ, cum lacte aſinino potæ abſolvent.

---

## CASUS CLXI.

### *De affectu ſcorbutico cum effuſione ſeri acris in humeris & dorſo.*

Generoſus ſenex, duos ultra ſeptuaginta annos natus, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, ſtrictioris corporis habitus, diætæ exactiori ſtudens, cibos duriores in delitiis habens, eoſque ſine moleſtia ferens, caloris autem externi impatiens, inque frigidis magis degens locis, præter venæ ſectiones, bis quotannis inſtitui ſolitas, eo uſque circa ſingula æquinoctia, ſanguinem è naribus fundere conſuevit, atque, ſi exceperis animi defectiones, ad quas proclivis eſt, ſanus vixit ac incolumis. At elapſa una vel altera ſeptimana, flantibus ventis borealibus, primum levi faucium raucedine, brevique poſt rheumatiſmo corripiebatur, qui mane ſcapulam obſidebat, ſumtis epulis invaleſcebat, accedente lypothymia, ad pectus deſcendebat, & veſperi ſecum trahebat quaſdam ſpontaneas alvi dejectiones. Sumebat eadem veſpera, quem hic loci uſitatiſſimum, ac ex nitro, tartaro, & ſulphure antimonii paratum, panaceam vocant, pulverem: unde noctu largus promanabat ſudor, qui dorſum inprimis arrodebat, ac ſi aqua forti perfuſum eſſet. Poſtridie, adhibito mane ſale Anglicano, quod vix ſemel movebat alvum, vi muneris in publicum prodibat; atque circa ſomni tempus deglutiebat doſin pilularum, ex aloë, myrrha correcta, croco, theriaca, lapide bezoardico, coralliis, & perlis confectarum. Tranſacta ſub leni ſudo;

ſudore nocte, mane bis alvum deponebat: ſed rheumaticus dolor in ſiniſtrum hypochondrium atrociter incumbebat, & flatulentiis magis exaſperatus, ad dorſum uſque excurrebat. Datis partim mixtura reſolvente, leniter carminativa, ac diapnoica, partim panacea ſuperius dicta, ſudor egregie profluebat, ſed in dorſo ſemper acerrimus erat, a deo, ut illud inter ſcapulas excoriatum, ſerum copioſum ploraret, inſtar eorum cutis, qui impoſita habuerunt veſicatoria. Præterea in pectore toto, ac ſiniſtro brachio efflorescebant complures puſtulæ, ad levem contactum ruptæ, & ſerum acre profundentes. Accedebant pungentes capitis dolores, uti olim, ita jam profluvii è naribus cruenti præcurſores, & inſequuto fluxu remittentes. Sed cum reliquæ rheumaticæ affectiones, cum ſcorbutica illa dorſi, humerique efflorescentia, adhuc inhæreſcant; ſalubre petit conſilium.

## *Conſultatio.*

Quantum ex iis, quæ de moleſtâ Viri generoſi valetudine mihi perſcripta ſunt, judicare licuit: non modo ſolidæ, cumprimis nerveæ partes, inſigni debilitate affectæ; verum humores quoque, præſertim ſeroſi, impuritatibus ſcorbuticis referti eſſe videntur. Neque etiam mirum; ipſa enim ſenectus, in qua Vir ægrotans vivit, ob languentes ſenſim excretiones, ad generanda in ſanguine ſalia, proclivis eſt: cui cum accedant vita motus expers, potus parcior, ciborumque craſſorum, ſalitorum, & fumo induratorum frequens uſus, majores utique vires ſumſit cacochymia. Et in tali rerum ſtatu, ubi præter ætatem provectiorem, ſeri peccat acrimonia, omnis conſervandæ ſanitatis ratio in eo conſiſtit, ut legitimus tranſpirationis ſucceſſus, vitando liberioris aëris acceſſionem, perpetuo conſervetur: eo, quod hac cohibita, ſerum impurum intus remaneat, nervoſiſque partibus incumbens, rheumaticos, arthriticos atque ſpaſmodicos pariat dolores.

Idem in noſtro caſu contigiſſe, morbi docet hiſtoria; in quo critico quodam motu materia acris, intus acta, ad corporis habitum in puſtularum forma iterum fuit expulſa. Quamobrem non quoque aliæ in hoc affectu ſunt indicationes, quam ut ſalia ſcorbutica per diluentia, humectantia, & ſanguinem edulcorantia attemperemus; eaque, conſervata perpetua diaphoreſi, per cutim eliminemus. Neque enim conveniunt hoc in paſſu ſalina remedia, veluti fuit Anglicanum ſal, utpote quæ ſalia ſalibus augent: nec conferunt aloëtica, quippe quæ humores nimium ſiccant, exæſtuant, & à ſuperficie ad inteſtina invitant.

Ex remediis igitur, quibus exſtirpatum iri hunc affectum confido, primum eſt emulſio, quæ hunc in modum conficiatur: Recipe amygdalarum dulcium unciam ſemis, ſeminum quatuor frigidorum majorum, papaveris albi ana drachmam, aquæ florum ſambuci, acaciæ, tiliæ, primulæ veris, ceraſorum nigrorum ana uncias duas. M. f. l. a. emulſio; adde lapidum cancrorum, matris perlarum præparatæ ana drachmam ſemis, julepi roſarum drachmas tres. M. D. de qua, prout placet, bis terve largior capiatur hauſtus. Juvabit ſubinde mane infuſo theiformi, quod ex veronica, radice glycyrrhizæ, ſemineque fœniculi poteſt parari, & præterea loco cereviſiæ, decocto quodam uti. Nec ſine ſingulari fructu, veſperi viginti liquoris mei anodyni guttæ adhibebuntur, quippe cujus virtus, & in confortando ſtomacho, & in attemperanda ſanguinis acrimonia eſt præſtantiſſima.

Si vernum acceſſerit tempus; hortor, ut acidulæ Selteranæ lacti aſinino nuptæ potentur. Quantum enim lac illud humanis corporibus adferat emolumenti, non ego ſolum in diſſ. haud ita pridem de excellenti uſu lactis aſinini habita demonſtravi; verum cum primis GUIDO PATINUS *Epiſt. Tom. II. p.* 312. comprobavit, & complura in medium adduxit exempla hominum, qui hoc lacte utentes, vitam ultra octoginta, quin nonaginta protraxerant annos. Quod Panaceam illam, de qua ſermo fuit, attinet; ea, prout ex illius examine chymico colligere licuit, adprime convenit cum ſale illo polychreſto, quod ex nitro ac ſulphure vivo parare ſoleo; hoc enim ſulphur idem cum ſulphure antimonii mihi videtur eſſe. Referri meretur ad neutra & digeſtiva ſalia, nec in alvo pariter, ac urina ſudoreque movendis, ſua caret laude.

Cæterum operæ erit pretium, juſculis, quæ ex carne gallinarum, oſſibuſque vitulinis contuſis coquendo extrahuntur, crebro veſci: & alvi, ſi acceſſerit, ſegnitiem vel ope clyſterum, vel ſumta ex infuſo theiformi mannæ uncia reſerare. Atque ſi ſenex generoſus externum frigus ſimul vitaverit, nec nimium meditationibus indulſerit: de felici curationis eventu nullus dubito.

---

## CASUS CLXII.

### *De affectu ſcorbutico male tractato cum pedis rigiditate.*

Vir annorum quadraginta ſeptem, temperamenti ſanguineo-cholerici, aulico, eoque moleſto functus munere, cujus ratione non modo variis itineribus, ſub iniqua ſæpius, ac nebuloſa tempeſtate inſtitutis, corpus fatigare, verum etiam victu inordinato, & ut id vitæ genus fert, crebris compotationibus indulgere debuit; impuros & ſcorbuticos jam diu ſibimet contraxit ſuccos. Ante viginti enim annos, multis ulcuſculis corpus contaminari cœpit: quæ fruſtra datis varii generis & purgantibus, & vomitoriis diu inhæſerunt. Trigeſimo ætatis anno, hæmorrhoides ſatis larga promanarunt quantitate; ſed à conſulto medico, fluxum hunc in hac ætate præmaturum eſſe rato, ſupprimebantur. Abhinc nunquam recte valuit; ſed perpetuam ſanguinis ebullitionem paſſus eſt.

Elapſis ſex annis, cum poſt vehementem excandeſcentiam frigidum ingurgitaſſet potum; circa ſiniſtri pedis malleolum ſenſit tumorem dolorificum: qui aqua Hungarica, ex conſilio medici inunctus, evanuit quidem, ſed ad genu dicti pedis, majori moleſtia junctus decubuit. Namque præter hujus tumorem, atque dolorem, obrigeſcebat totus pes, cum omnibus tendinibus, ut nec inter eundum rite flecti potuerit; non minus tremore ac ſpaſmodica motitatione, ad artus quoque ſuperiores excurrente, afficiebatur, & gravis humorum per totum corpus vexabat ebullitio. Quæ affectiones, cum magis invaleſcerent; uſus eſt balneis tam Tœplicenſibus, quam Radebergenſibus; ſed malum majora in dies cepit incrementa. Quare undique conquirens opem, ad Chirurgum tandem, natione Gallum deveniebat; qui ſe malum ſalivatione per inunctionem adminiſtrata, exſtirpaturum pollicitus, hanc ſuſcepit curationem: Primo die venam in pede ſecavit; altero pilulas, numero quinque propinavit, quæ ter ſubduxerunt ventrem, tertio in pede adhuc integro venam tudit, eodemque die ano clyſterem infudit; quarto laxans dedit, idque, cum mane alvum haud moliretur, à meridie iteravit, unde æger ſemel dejecit alvum, & quinquies vomuit. Quinto, ac ſequen-

ſequentibus decem diebus, bis quotidie ipſum per duas horas balneis ex aqua dulci tepidioribus inſidere juſſit, ſimulque exhibuit morſulos, ex pulvere viperarum, & confectione alkermes completa confectos, eorum doſin quotidie augendo. Tum dato iterum laxante, quod alvum tredecim vicibus movit, mercurio juncturas artuum inungere cœpit, ac inſimul bis quotidie duas tantum pro doſi pilulas ordinavit.

Verum, hac medicatione per tres duntaxat dies continuata, cum vires ægrotantis incredibilem in modum proſternerentur, ipſe Chirurgus animum deſpondere incepit, atque medicum advocari juſſit. Hic de ſalute prorſus deſperavit; graviter advertens, quod ægro, ante mercurialem inunctionem, ultra octo cruoris libræ fuerint detractæ. Præſcripſit equidem quaſdam medicinas; ſed omnium irritus erat effectus: neque enim hanc gravem valetudinem ſolabantur ulcera bina magna, quæ brevi poſt circa nates efflореſcebant, & copioſum pus fundebant; donec poſt decem hebdomades vires ſenſim inſtaurarentur.

Alter chirurgorum conſultus, iterandam ſuaſit inunctionem mercurialem: at eam abhorrens æger, admittere recuſavit. Interim pes ille ſiniſter adhuc eſt rigidus, & totum illud latus atonia quadam, veluti paralytodea afficitur: noctu atroces ſpaſmi utrumque pedum graviter diſcruciant, & mane inſigni tremore uterque concutitur. Inter ambulandum, vehementes ſubſultus affectum pedem exagitant; & ſæpenumero totum corpus contremiſcit, ut æger mercurium in corpore reſiduum, horum ſymptomatum cauſſam eſſe ſuſpicetur. Extremum pedem non raro ingentes dolores, ad tempeſtatis conſtitutionem vel leviores vel graviores vexant; appetitu fruitur integro, ſed ubi ſpirituoſos cibos vel potus aſſumſerit, ingraveſcunt affecti pedis tormenta. His ergo incommodis medela flagitatur; quæ num forſan ex balneis Wolckenſteinenſibus expectari queat, doceri cupimus.

*Conſilium Medicum.*

Pedis ſiniſtri rigiditas, dolor, tumor, reſolutio ſiniſtri lateris paralytodea, & reliqua, quibus ægrotum infeſtari percepi ſymptomata, partim à nervoſarum partium debilitate, partim dyſcraſia humorum ſcorbutica, accedente, tanquam occaſionali cauſſa, potu frigido in corpus iracundia commotum, ingeſto, natales ſuos mutuantur. Namque crebra docemur experientia, eam eſſe iracundiæ indolem, ut nervoſas partes conſtringat, & humorum curſum pervertat, ac irregularem reddat: cui cum acceſſerit frigidus potus, non omnino fieri potuit, quin humores adhuc magis coagulati, & in libero ſuo curſu præpediti, in pedibus, tanquam remotis & ad fovendas ſtaſes aptiſſimis partibus, ſtagnationem ſubierint, ac tumores produxerint. Huic autem ægritudini, quam nulla prorſus venerea, ſed ſcorbutica tantum ſuſtentavit impuritas, perverſo plane ac perniciali conſilio oppoſita fuit cura mercurialis: ſiquidem mercurialia ſcorbuticis propinata, veneni inſtar ſe habent, quoniam ſalia humorum acria, vi quaſi cauſtica ac venenata imbuunt, quæ ſolidis nervoſiſque partibus profundius inſinuata, eas partim debilitant, partim ad ſtricturas ſpaſmodicas proritant. Atque ſi mercurius in his impuris corporibus non ſufficienter rurſus expellatur: adauget ille mirum in modum ſanguinis dyſcraſiam, quemadmodum præſentis caſus teſtimonio amplius confirmatur.

Neque vero ullum eſt dubium, quin ægrotans noſter per longos jam annos, ſcorbutica ſuccorum vitalium laboraverit diatheſi: quippe cujus teſtimonium non modo ulcuſcula, corpus ante viginti annos obſidentia præbent, verum inde quoque adparet, quod nulla nec externa nec interna ferre queat ſpirituoſa, quæ ſcorbuticis ſemper ſunt inimica. Et hanc ob cauſſam curatio iis abſolvetur indicationibus, ut humores edulcorentur, & ab omni vindicentur impuritate; ac nervoſæ partes corroborentur, earumque inordinatæ motiones conſopiantur.

His ſcopis convenientiſſima erit medicatio, quæ cum lacte, aquis mineralibus nupto inſtituitur. Nimirum acidulas Egranas, quarum binæ partes cum una lactis caprini ſint permixtæ, eaſque tepefactas per tres hebdomades ita potandas ſuadeo, ut binis prioribus diebus earum menſura una, reliquis una cum dimidia mane hauriatur. Curæ initium capiendum erit à laxante mannato, quod & ipſi potationi interponi, & ſub ejus finem adhiberi, ſicque parari poteſt: Recipe mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari drachmam, aquæ florum acaciæ uncias ſex; coque & ſolve leni calore, colaturæ adde olei de cedro guttas tres. M. D. pro una doſi. Sub epulis ex ultimo hauſtu capiantur quinquaginta guttæ mixturæ, ex eſſentiæ gentianæ rubræ, corticum aurantiorum recentium, tincturæ tartari ana uncia dimidia, ſpirituſque ſalis ammoniaci drachmis duabus compoſitæ; & veſperi circa ſomni tempus ſumatur drachma dimidia pulveris temperantis, ſic conficiendi: Recipe antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum præparatorum ana drachmas duas, nitri puri, cinnabaris rite paratæ ana drachmam ſemis. M. F. pulvis, qui ex aqua florum acaciæ propinetur. Extrinſecus vero juncturæ artuum, maxime pedis affecti, probe perfricentur cum unguento, quod habeat axungiæ humanæ uncias duas, olei ſpicæ, balſamique de Copaiva ana drachmas duas.

Quæ ſi votis nondum ſatisfecerint; operæ tum erit pretium, balneis Wolckenſteinenſibus, conjuncto intrinſecus ſeri lactis dulcis potu, uti. Hoc paraturus, lactis caprini, aut hoc deficiente, vaccini menſuram unam, leni calore, ſub continua agitatione, ad conſiſtentiam pulveris evaporet, huic aquæ puræ menſuram affundat, & ebullire rurſus permittat, tum percolet, ac percolato addat naſturtii conciſi manipulum unum, idque rurſus leniter coquat, ac percolet. Quæ portio mane vel tota ſorbeatur, vel ejus tertia pars, hora pomeridiana quarta hauriatur, ſemper tepefacta. Atque hæc curatio per tres vel quatuor protrahenda eſt ſeptimanas, hac ratione, ut alternis diebus commendatus pulvis aſſumatur, & quavis hebdomade, ad ſolvendam alvum, binæ mannæ unciæ, in eodem lactis ſero ſolutæ capiantur.

---

## CASUS CLXIII.

### *De affectu ſcorbutico-ſpaſmodico.*

QUinquagenarius vir, ſanguineo-cholerici temperamenti, perverſo vivendi indulgens generi, nec cibis ſolum durioribus, ſalitis, fumoque induratis delectatus, verum etiam Baccho, venereque liberaliter uſus, & animi affectibus valde deditus, per multos jam annos tormenta à calculo renum illata paſſus, & noviſſimis menſibus de artuum capitiſque doloribus, nec non rheumaticis ac catarrhalibus defluxionibus, ac oculorum lippitudine conqueſtus fuit. Neque enim fonticuli, ob dictas moleſtias, brachiis inflicti, opem tulerunt, tantum abfuit, ut potius hemicranicæ dextri capitis affectiones, & graves odontalgiæ acceſſerint. Notari vero meretur,

hæc incommoda guttam roſaceam faciei, ope epithematis ex aqua ſpermatis ranarum, mucilagine ſeminis cydoniorum, ſucco citri, & floribus ſulphuris parati, retropulſam preſſo pede excepiſſe. Verum non ita multo poſt ſponte remiſerunt ea pathemata; ſed morbum poſt ſe traxerunt longe atrociorem: qui abſolvitur dolorifico, ſpaſmodicoque dextri faciei lateris affectu. Oritur ille circa dextram aurem, in regione glandulæ parotidis; & abhinc per maxillam protenſus, ad ſuperiorem narium partem, eo in loco, ubi nervi olfactui tributi, ex oſſe ethmoideo egrediuntur, defigitur, ibidemque graviſſimum ardorem & dolorem conſtrictivum atque tenſivum, ac ſi caput in ea regione fune conſtrictum eſſet, infert. Brevi poſt rumpi videtur ille funis, tumque ſubito dolor è dicto loco evaneſcit, & in oculum irruit dextrum, cujus externas non minus, ac interiores partes atrociter adfligit, atque tandem ad ſuperiorem narium partem devolvitur. Senſim majora cepit incrementa, & totum dextrum faciei latus in conſenſum rapuit: ſiquidem non ſolum maxilla inferior, eo præſertim loco, quo nervoſus ex quinto pari ramus eam intrat, immani torquetur dolore; verum ad muſculos quoque labiorum in dextro duntaxat latere, extenditur, eorumque tremebundam inducit motitationem.

Neque pauca ſunt, quæ complures Medicorum huic malo oppoſuerunt medicamina: ex quibus laxantia, purgantia, antiſcorbutica, pulveres abſorbentes, præcipitantes, decocta lignorum pro potu ordinario, decoctum chinæ cum liquiritia, venæ ſectiones, ſcarificationes, hirudines, pediluvia, veſicatoria, externa emplaſtra, unguenta, quin & ipſa mercurialia, ſed incaſſum, fuerunt adhibita. Quamobrem ad Te, Vir Illuſtris, confugimus, Tuoque auxilio ſpinoſum hunc affectum iri debellatum ſperamus.

## *Reſponſum Medicum.*

Affectus præter naturam, cujus cauſſa conſultus ſum, non alius eſt, quam ſpaſmodico - convulſivus partium nervoſarum, atque muſculoſarum, quæ in dextro faciei latere ſunt ſitæ, motus. Meretur ille ad rariſſimos referri morbos; & ſedem ſuam procul omni dubio, in nervoſis iſtis partibus, quæ muſculos faciei inveſtiunt, & à pari nervorum quinto ſuos natales mutuantur, habet. Neminem enim rei anatomicæ peritum fugiet, quod par illud quintum quamplurimis ramificationibus per externas capitis partes diſpergatur: ſiquidem ab eo ad nares, muſculos oculorum, palpebras, maxillam ſuperiorem ac inferiorem, genas, glandulam parotidem, muſculum temporalem, pericranium, & quod oſſa faciei tegit, perioſtium quamplures tendunt propagines. Quam ob rem ratio quoque diſpaleſcit, cur tam arcto hæ partes invicem gaudeant conſenſu, ut vix poſſibile ſit, quin una earum præternaturaliter affecta, reliquæ omnes, mali fiant participes. Earum itaque partium ſpaſmodica ac partim convulſiva agitatio, formalem præſentis morbi conſtituit rationem: quæ primum ſuperiori tantummodo capitis regioni inhærens, hemicraniam effecit, tumque magis ad inferiora faciei deſcendens, illum, quo jam æger laborat, produxit affectum.

Quod ſi vero materialem hujus ſpaſmodicæ torturæ perquiramus cauſſam: ea certe minime in craſſo humore, aut hujus nimia mole, quippe quem tenera membranarum ſtructura, ſinu ſuo fovere neutiquam poteſt, ſed potius in materia ſubtili, activa, acri quærenda eſt. Namque attenta compertum habemus experientia, quod quo ſubtilior ac volatilior eſt materia peccans, eo pernicioſiorem, quin & venenatam in ſolidas, nervoſaſque partes exſerat potentiam. Et hujus quidem virulentæ quaſi materiæ originem, in noſtro caſu, guttæ roſaceæ, per adſtringentia intus actæ deberi, extra dubium eſt; præprimis cum eandem cauſſam graves & ophthalmias, & hemicranias inſequi, quamplurimæ teſtantur obſervationes. Retropulſa enim, quæ ſub hoc exanthemate externæ cuti inſidet, materia, protinus nervoſarum partium texturam penetrat, inque iis corporibus, quæ vel nervoſi generis debilitate, vel univerſi ſanguinis ſcorbutica diatheſi jam laborarunt, longe majorem exercet tyrannidem, quam quidem in aliis. At vero, qui conſideraverit, noſtrum ægrotantem perverſo victus generi, crebris crapulis ac vinoſis compotationibus, nimio veneris exercitio ac fortioribus animi affectibus admodum indulſiſſe: is facile perſpiciet, quod & humorum impuritatem, & nervoſi generis inſignem imbecillitatem ſibimet contraxerit; neque ideo mirabitur, quod accedente imperita guttæ roſaceæ repreſſione, omnium maxime, affectum, quem patitur, incidere, eodemque diutius infeſtari debuerit.

Præterea ipſi quoque medicationi, qua malum hocce eo uſque oppugnatum legi, quædam debetur animadverſio: quippe quæ, cum medicinis vehementioribus & ipſis mercurialibus peracta fuit, nullum omnino levamen ferre potuit, tantum abeſt, ut potius nervoſarum partium debilitatem, ipſiuſque mali vehementiam longe magis adauxerit. Neque enim ulla, quæ adhibita percepi medicamina, cauſſæ morbi reſponderunt; ſed non niſi quantitati humorum imminuendæ deſtinata videntur; id quod de laxantibus, purgantibus, ſudoriferis, veſicatoriis, venæ ſectionibus, ſcarificationibus, hirudinibus, aliiſque nemo eſt, qui negabit. At vero dicta ſuperius ratione, pauca moles materiæ, hujuſque veluti venenatæ ac cauſticæ, hoſce tumultus excitavit: cui corrigendæ ac eliminandæ, craſſa evacuantia neutiquam conveniunt.

Ut itaque rectam curandi viam proſequar; monendum prius duco, ad ejuſmodi male feriatis artibus plane corruptum morbum debellandum, magna patientia, temporis diuturnitate, atque iis potiſſimum ſubſidiis opus eſſe, quæ ex recto rerum non naturalium uſu deſumuntur, veluti ſunt victus ſalubris, aëris mutatio, corporis exercitatio, & ſtudioſe conſervata animi tranquillitas. Cum primis omni ſtudio in id incumbendum erit, ut ſicuti totum corpus, ita maxime affecta pars in perpetuo calore, lenique tranſpiratione conſerventur: ac præterea debilitatæ partes blande corroborentur. Ad conſervandam tranſpirationem adprime quadrabit pulvis diaphoreticus, hac ratione parandus: Recipe pulveris Marchionis, ceruſſæ antimonii, ſuccini ana drachmam unam, cinnabaris præparatæ drachmam ſemis, ſalis volatilis ſuccini, ſalis volatilis cornu cervi bene depurati ana grana decem, extracti caſtorei grana tria. M. F. pulvis, cujus drachmam dimidiam alternis diebus mane in lecto ſumat ægrotus, tumque ſorbillato infuſo theiformi, quod ex herba meliſſæ, floribuſque tiliæ paratur, ad lenem ſe componat ſudorem. Neque ſubinde pro potu ordinario ſalubris eſt cereviſia, in ejuſmodi morbis, & commendare potius in ejus locum ſoleo decoctum, ex radice chinæ, ſcorzoneræ, corticibuſque citri recentibus cum aqua paratum, cujus menſuræ uni tartari vitriolati, vel arcani duplicati drachma addi poteſt. Porro alvi habenda eſt ratio, pro qua reſeranda, has cumprimis pilulas bis quavis hebdomade capiendas ſuadeo: Recipe extracti cardui benedicti drachmam unam, cinnabaris nativæ, mercurii

rii dulcis, extracti rhabarbari, extracti agarici ana ſcrupulum unum, ſalis ſuccini grana octo, miſce fiant pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti, conſpergantur pulvere ſuccini. Ex topicis uſui commodiſſimum erit vel balſamum vitæ meum, vel hoc linimentum, cum linteis calidis ad affecta loca probe inungendum: Recipe aquæ Anhaltinæ unciam unam & ſemis, ſpiritus lumbricorum volatilis, eſſentiæ croci, nuciſtæ ana drachmas duas, camphoræ drachmam ſemis. M. D.

Multis autem paraſangis cuncta hæc remediorum genera ſuperabit recta vivendi ratio, maximeque cœli mutatio: quo nomine vehementer laudarem, ut vernali, eaque ſerena exiſtente tempeſtate, iter ad alium locum inſtituatur. Hoc enim ſubſidio, in confirmanda morborum, qui atonia partium ſolidarum nituntur, ſanatione, non quidquam eſt fructuoſius; quemadmodum in quadam diſputatione, de peregrinationibus ſanitatis cauſſa inſtituendis, fuſius demonſtravi. Ab humido & frigido aëre cumprimis cavendum erit; quippe qui relaxando ſolidorum tonum, & incraſſando humores, nervoſarum partium morbos inſigniter ſuſtentare ſolet. Idem de animi pathematibus, nimioque veneris exercitio valet; quæ perinde, ac potus ſpirituoſiores, nec non cibos fumo induratos, alioſque duriores, maxime marinos, omnino vitare expediet. Cæterum non abs re erit, cœlo exiſtente amico, mane in balnea ex aqua dulci, cum herbis nervinis, & ſale alcalino parata deſcendere, & ab his leniter ſudare.

---

## CASUS CLXIV.

### *De affectu ſcorbutico-ſpaſmodico.*

Vir triginta annorum, temperamentique ſanguineo-phlegmatici, alvi obſtructionibus obnoxius, per aliquot annos circa utriuſque æquinoctii tempora, moleſta gravedine, capitiſque ſæviſſimis doloribus agitatus; à multis medicorum, utut fruſtraneam quæſivit opem. Tandem ex medici cujuſdam conſilio, ſal volatile cornu cervi naribus admovit, pulveremque ſternutatorium adhibuit, eo effectu, ut copioſiſſimus mucus, non modo è naribus ſtillaverit, verum è pulmonibus quoque tuſſi ejectus fuerit. Hinc, recto ſervato regimine, lene ſumſit laxans, & infuſum theiforme crebro potavit: unde quidem melius habere, ſimul autem vertigine cruciari cœpit. Quæ, à ſtagnatione pituitæ viſcidæ primum derivata, quum invaleſceret, & præterea excretio per nares æque ac pectus ceſſaret; reus agebatur ventriculus, & ex hujus vitio, concurrente, qua olim æger laboraverat, paſſione hypochondriaca, per conſenſum naſci dicebatur. Quamobrem, præter Elixir aperitivum Clauderi, quod aliquoties movebat alvum, magneſia nitri, & aquæ Sedlicenſes, nec ſine effectu adhibebantur. At vertiginis eadem permanſit vehementia per totam æſtatem; cui, tuſa circa autumnale æquinoctium, quæ antea in pede ſecabatur, ex præſcripto medici in brachio vena, protinus tenſivi ac tractorii nuchæ dolores, capitiſque temulentia jungebantur. Dabat medicus pulveres præcipitantes; & fore ut mutato cœlo, quod tum temporis ventoſum erat, ac pluvioſum, remitteret malum, aſſerebat. Obtemperans æger, in patientia quærebat levamen; & facto quadraginta milliarium itinere, ob ſervatam ſub eo inordinatam vitam, priſtinis non modo incommodis, ſed ad hæc præcordiorum anxietatibus, auriumque tinnitu preſſus, ad ſuum redux denuo confugiebat medicum. Hic exhibebat magneſiam nitri, pilulas balſamicas, & clyſteres iterato ano immitti jubebat; ſed ne alvi quidem ſolutio ſequebatur, tantum aberat, ut increſcerent & ejus obſtructiones & flatulentiæ. Et ingraveſcebant quoque reliqua ſymptomata, adeo, ut matutino præſertim tempore expergefactus æger, præter capitis temulentiam atque vertiginem, ſenſationem auræ ex nucha ad caput adſpirantis, inque tinnientem aurium moleſtiam deſinentis perciperet: unde medicus flatuum ad caput regurgitationem ſuſpicatus, eſſentiam corticum aurantiorum, ſpiritum de tribus, nitrique dulcem ordinabat, & venæ ſectionem in pede, ſed in caſſum adminiſtrandam curabat.

Viribus itaque, ſomno & adpetitu magis magiſque defectus, & jam lecto affixus Vir ſpectatiſſimus, implorabat alterius medici opem, qui morbum eſſe hypochondriacum, ſpaſmodicis motibus, ad fluxum hæmorrhoidalem tendentibus, ſcorbutoque ſtipatum ratus, ordinabat pro infuſo theiformi herbam ſalviæ & millefolii, pro decocto ordinario, radicem ſarſaparillæ, ſcorzoneræ &c. & pulverem, qui habebat oculos cancrorum, ſal Sedlicenſe, nitrum fixum, ſpecificum cephalicum, & extractum caſtorei: ſed ſpes non reſpondebat votis. Siquidem non modo priora ſymptomata, mox mitiora, mox graviora perſeverabant; ſed accedebant quoque artuum vagi dolores, & præſertim crurum inſignis torpor, atque tremor, quin etiam ſubſultus extremorum; cum plenaria ſomni abolitione.

Hinc tertius, iſque exterus in conſilium vocabatur medicus; qui materiam mali hypochondriaci, uti ajebat, melancholicam, humorum dyſcraſiam, generiſque nervoſi debilitatem accuſabat; & præter ordinata ſal Anglicanum, pulvereſque ac tincturas reſolventes, ad ſtomachum confortandum, curandi intentionem dirigebat. Horum uſum ſequebatur, copioſa muci lividi, tenaciſſimi, & fere vitrei per nares excretio, cum aliquali ſymptomatum remiſſione. Tandem & ego accitus, malum hoc inveteratum, à ſanguinis & humorum partim dyſcraſia ſcorbutica, partim craſſitie, vaſa obſtruente, & æqualem circuitum præpediente, natales ſuos mutuari atque hinc ſudorem graveolentem, ipſumque pectoris catarrhum, pendere autumavi. Medendi itaque ſcopos hos mihi præfixos habui, ut viſcerum obſtructiones reſerarem, humores craſſos attenuarem, impuroſque temperarem. His me ſatisfacturum putavi, ſi propinarem pulveres nervinos reſolventes, cremori tartari nuptos; eſſentiam cordialem, cum ſpiritu ſalis ammoniaci, & eſſentia ſuccini maritatam, pulveres aperitivos, nec non ptarmicos ex herbis cephalicis; infuſa theiformia, ex ſemine fœniculi, & herba ſaniculæ; atque ordinarem pediluvia cum ſpeciebus reſolventibus, floribuſque lavendulæ parata.

Quibus per aliquod tempus uſurpatis; accidebat primum tinnitus, ſuſurruſque aurium, & hunc excipiebat copioſa pituitæ tam per nares, quam per tuſſim è pulmonibus rejectio. Quo facto flatulentæ moleſtiæ, præcordiorum anxietatem inferentes, nec non vertiginoſa incommoda evaneſcebant, & æger alacrior, ſuiſque muneribus obeundis idoneus reddebatur. Attamen remanebat capitis temulentia, dolores circa crurum juncturas inſiſtebant, & ipſe conquerebatur, quod corpus grave, pedes vero illi ferendo minus pares, ac debiliores eſſent. Interim circa noviſſimum, idque vernale æquinoctium venas in pedibus tundendas, atque cutim, quoniam puſtulis, & inſigni pruritu afficiebatur, ſcarificandam præbuit: ex quo, præter dictam largiorem muci per nares æque ac tuſſim excretionem, egregie habuit, ciborumque adpetentia cum ſomno integra

tegra gaviſus eſt. Neque igitur hoc tempore aliud quicquam, præter infuſum theiforme, ex raſura ligni ſaſſafras, corticibus aurantiorum, citri, ſemine fœniculi, radice pareiræ bravæ, liquiritiæ, polypodio querno, ſummitatibus hyperici, herba fumariæ, ſaniculi, trifolii fibrini, hedera terreſtri, & prunella confectum adhibuit; unde & tormentorum quoddam levamen ſenſit; & ſudor criticus ſingulo mane erupit. Quum autem integra valetudo nondum redierit: ad Te, Vir Illuſtris, confugimus, teque rogamus, velis nos docere, qua ratione mali reliquiæ penitus exſtirpari queant.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Graves, quibus æger adficitur, ægritudines, partim humorum impuritatibus viſcidis, ſcorbuticiſque imbutorum, partim primarum viarum, atque digeſtionis vitio deberi, extra dubium poſitum eſt. His enim labefactatis, & à tono roboreque naturali dejectis, uber eſt cruditatum acidarum, viſcidarum & bilioſarum proventus, generantur copioſi flatus, & ſpaſmodicæ inteſtinorum torſiones inducuntur. Inde languet alvina excretio, & ſucci vitales acres ac impuri, vi ſpaſmorum ac flatulentiarum majori cum impetu, ad ſuperiores partes, maximeque caput compelluntur. Ibidem ob accumulatam copiam, impeditius per vaſa ac membranas cerebri feruntur, inque glanduloſis ac vaſculoſis partibus, à nimia mole relaxatis ſtagnant. Hinc dependent vertigo, temulentia capitis, auriumque tinnitus ac ſuſurrus: quæ ſymptomata, oborta muci per nares, ac pulmones excretione, omnino levari ſolent.

Neque igitur improbare auſim remediorum, eo uſque à medicis præſcriptorum uſum, quippe quæ ad reſerandam alvi obſtructionem, diſcutiendos flatus, & incidendos reſolvendoſque viſcidos, impuros, ac acidos humores fuerunt accommodata. Verum enim vero, quum in hoc malo firmius radicato, & humores corrupti, & nervoſæ maxime capitis partes debilitatæ ſint, & hinc digeſtionis, alvinæque excretionis negotium langueat: nulla pharmaca ſufficient, funditus exſtirpando malo; ſed unicum auxilium à recto aquarum mineralium potu expectari debere arbitror. Quamobrem meum eo collineat conſilium, ut æger inſtante vere, acidulis Egranis, cum tertia parte lactis caprini mixtis, per quinque ſeptimanas utatur, adeo, ut earum quatuor libras ſingulo mane ſorbeat. Neque enim in ſcorbuticis ſpaſmodiciſque affectibus, qualis noſter eſt, his aquis præſtantius deprehendi ſubſidium, cumprimis ſi lacti fuerint nuptæ. Namque juxta vulgarem medicorum opinionem, minime acidum, quod cum lacte coagulum ſubiret, principium; ſed potius alcalinum, cum acidis efferveſcens, lactiſque coagulationem præpediens fovent elementum.

Hæc autem curatio, ut recte inſtituatur; purgandæ prius ſunt primæ regiones. Quo ſcopo prima die, potiunculam mannatam, blande & ſufficienter laxandi munere functuram, mane capiendam ſuadeo, hauſtis deſuper juſculi avenacei, vel infuſi calidioris Thée vel Coffée aliquot vaſculis. Altera die circa ſomni tempus capiantur quindecim pilularum; & tertia inchoëtur potus acidularum, adeo, ut primum tres duntaxat earum libræ, poſt quatuor hauriantur. Huic potationi, quovis ſeptimo die interponatur dictus pilularum uſus; eademque per quinque hebdomades protracta, ſumto infuſo mannato finiatur. Ad hanc autem ſecundandam, operæ erit pretium, omnem cereviſiæ uſum vitare, nec niſi vino veteri Rhenano parce ſub epulis uti, reliquo vero tempore hoc decoctum pro potu ordinario adhibere; Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias quatuor, cichorei unciam unam, aniſi ſtellati, ſeminis fœniculi ana drachmas duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ, ex tribus aquæ menſuris per horæ dimidium coquantur. Ex eodem quoque decocto, inter epulas quinquaginta guttas Elixirii ſtomachici adſumere expediet, quod ſic paratur: Recipe eſſentiæ corticum aurantiorum recentium, gentianæ rubræ, tincturæ tartari ana unciam unam, olei de cedro Italici guttas viginti. M. D. Veſperi in pediluvia, ex aqua pluviatili & furfuribus triticeis parata, eaque tepida, pedes paullo profundius immittere juvabit; & ad roborandum caput, mixturam ſpirituoſam quæ ex aquæ reginæ Hungariæ unciis duabus, balſami Peruviani, oleique lavendulæ ana drachma una confieri poteſt, naribus crebro admovere conveniet. Nec abs re erit, ad demulcendam humorum acrimoniam, & ebullitionem, pulverem nitroſum ac præcipitantem ex laudato decocto interdum propinare. Cumprimis vero diætæ habenda ratio, in qua animi vehementiores affectus, mœrores, inquietudines, labores cum meditatione junctos, potus ſpirituoſiores, refrigerationes corporis, cibos coctu difficiliores, cane pejus & angue vitare; cœna parciori uti; & crebris, tamen moderatis corporis exercitationibus ſtudere oportebit. Neque ullus dubito, quin his rite uſurpatis ac obſervatis, deſiderata valetudo ſit inſequutura: quam eo certius ſperare licebit, ſi vel fluxus hæmorrhoidalis, vel podagra, vel efflorescentia purpuracea acceſſerit.

---

## CASUS CLXV.

### *De affectu ſcorbutico, rheumaticis & arthriticis ſymptomatibus ſtipato.*

Generoſiſſimus Liber Baro de L. Vir triginta octo annorum, cholerico-ſanguinei temperamenti, patre arthriticis ac calculoſis affectibus divexato natus, alvique obſtructioni, velut hæreditariæ obnoxius, juvenis ob fortiores corporis commotiones, copioſum ſanguinem è naribus crebro reddidit, & poſt hæc febribus intermittentibus ſæpenumero laboravit. Novemdecim annos natus, venereas pudendorum affectiones incidit; quibus ope pilularum, ex mercurio dulci, jalappaque confectarum, maximam partem profligatis, retinuit tumorem teſticuli ſcirrhoſum, ante octo demum annos, per ſalivationem mercurialem ſublatum. Superato venereo morbo, nomen dedit militiæ; atque multis corporis defatigationibus, ſtudioſe tamen à nimio Bacchi, veneriſque exercitio ſibi cavendo, obnoxius fuit. Nec obſtante ab erroribus diætæ temperantia, anno ætatis vigeſimo ſeptimo, de vitiata digeſtione conqueri cœpit; & abhinc mox alvi profluvia, mox febres intermittentes, pati debuit, quin ſequentibus annis, maxime circa æquinoctiorum tempora, dolores in oſſe ſacro, magis magiſque invaleſcentes, atque cum inſigni lumborum atque crurum gravitate ſtipatos perſenſit. Interdum quoque ſanguis, cum gravi teneſmo, ſtercoribus intermixtus adparuit, ſed pauciſſimus: neque vero hæmorrhoides, de quibus ſuſpicio erat, unquam legitime fluxerunt.

Triginta emenſus annos, in rus ſe contulit; ibidemque inter crebras venationes, frequenter corporis refrigerationes, multumque ciborum ſalitorum, ac fumo induratorum uſum, pingueſcere videbatur: ſed ante biennium febre tertiana corripiebatur. Hac, ope ſalium digeſtivorum, alcalinorum, & aliorum antifebrilium remediorum, non omiſſis

blandis laxantibus, brevi tempore profligata; & ciborum rediit adpetentia, & eorum robuſtior digeſtio; ut ſe optime valere putaret. Sequenti anno præter opinionem ſtranguria, cum imminuta mictione prehendebatur; ſed ab hac quoque moleſtia, ſumtis nitroſis pulveribus, paullo poſt convaleſcebat. Tum in itinere, quod juſſu principis ipſi ſuſcipiendum erat, ex improviſo gravis pruritus dorſum, & ſiniſtrum brachium, in quo ante aliquot annos tuſa fuerat vena, obſidebat; cum capitis doloribus, præcordiorum anxietatibus, æſtu volatico, & imi ventris flatulentiis conjunctus. Data vomendi ſcopo radix Ipecacuanhæ, nullam ferebat opem; ſed venæ ſectio circa autumnale æquinoctium in pede inſtituta, ſolamini erat.

Currentis anni menſe Januario, longo rurſus itinere fungi jubebatur; & in illo tam vinoſis nimium indulſit potibus, quam corpus intenſiori expoſuit frigori. Hinc primum adpetitu deſtitui cœpit, corpus contabuit, vireſque perierunt: & quum venæ ſectione ſibi conſulturus, octo cruoris uncias ex pede detrahendas curaret, magis magiſque vacillavit valetudo. Conſulti medici, ad unum omnes paſſionem hypochondriacam accuſantes, ordinabant pilulas ex gummi ammoniaco, ſale polychreſto, & rhabarbaro paratas, aliudque laxans ex manna, rhabarbaroque confectum; illæ bis, hoc decies alvum movebant. Præſcribebant quoque infuſum theiforme ex ſalvia, meliſſa, ac veronica concinnatum; & apparentibus in ano tumoribus, admoveri jubebant hirudines: ſed tantum aberat, ut inde ſolamen perciperet, ut potius alvi pertinax obſtructio, flatulentiæ, ac vertiginoſæ accederent moleſtiæ. Commendata martialia, verens ne noxam inducerent, tribus duntaxat capiebat vicibus, eo effectu, ut excrementa cruore tincta adparerent, & adpetitus paullisper rediret. Somnus autem parcior erat, & ſi forſan evigilaret, acutiſſimum dolorem, à nucha ad frontem excurrentem perſentiſcebat, qui cum redeunte ſomno ſopiebatur: at interdiu hemicranici dextri capitis dolores atrociter urgebant.

His ſenſim plura jungebantur ſymptomata; quorum jamjam adfligentium hæc eſt idea: Sumtis epulis cutis vehementi ardore prurit, maxime, quæ brachia, juncturaſque digitorum inveſtit; tum peculiaris dolor in certum duntaxat humeri ſiniſtri ſpatium irruit; ſpaſmodici & tractorii cruciatus ſcapulas, cervicem, totamque dorſi ſpinam diſcruciant, adeo, ut ſi vel leviter loco moveatur, ſtrepitus quidam in dictis partibus audiatur. Cum primis volas manuum moleſtus ardor vexat; qui, erumpente in iis udore, evaneſcit. Interdum intercoſtales muſculi vagis torquentur doloribus. Alvus non reſpondet, niſi vel pilulis balſamicis Hoffmanni, vel clyſteribus ſolicitetur: flatus multam crucem, præſertim noctu figunt; & circa utraque hypochondria ſub ſpuriis coſtis tenſio quædam, licet jam mitior, ac antea, inhæret. Saliva acidulum ſaporem ori ſemper exhibet; qui num à fumo herbæ Nicotianæ, quem juſto copioſius, cum multa ſputatione fugit, anne potius à prava digeſtione, & hinc pendente nimia ſucci pancreatici aciditate dependeat, in medio relinquitur. Interim integro frui incipit adpetitu; nec viribus adeo defectus jam eſt, quin equitando, & ambulando diutius, abſque laſſitudine, corpus movere poſſit; nec ſudores nocturni amplius vexant; nec ſomnus, nec pulſus arteriarum à ſtatu naturali recedunt; & nihilo ſecius corpus haud proficit. Urina, quam mane mingit, copioſa, & ex albo citrina eſt; ſed quæ decima circiter matutina hora fertur, parcior adparet & rubicundior; atque poſt duarum horarum quietem, largum deponit ſedimentum, inſtar rubicundi ſabuli, firmius vitri lateribus adhærens.

Noviſſime præter ardorem brachiorum, atque manuum, rubor quidam, lancinanſque dolor articulos occupat, ad ipſa femora extenditur; & nonnunquam ex improviſo, inſignis rigiditas collum obſidet, nocturno præſertim tempore, quæ ſuborto ſudore exſpirat. Non raro tenſivus dolor ad genam dextram, ipſumque oculum cum rubore protenditur. Omnis abeſt ſitis, nec tuſſis moleſta eſt, niſi quod per illam interdum ſalſa exſcreetur pituita: excrementa quandoque alba redduntur; & ad ſudorem magna eſt proclivitas. Inter eundum, ſpiratio ſæpe fit difficilior; at, exploſis ructibus levatur: nec non coagula muci tenacis ex pectore nonnunquam excernuntur.

*Conſultatio.*

Quæ hactenus Virum generoſiſſimum male habuerunt affectiones, ita ſunt comparatæ, ut ſi eas ab humorum acrimonia ſcorbutica, ad membranoſas nerveaſque partes decumbente derivarem, me à vero haud aberraſſe exiſtimem. Quando enim ſubtilis & acris ejuſmodi humor, membranis muſculorum, & ligamentis articulorum inſinuatur; vellicat has partes, eaſque ad ſpaſmodicas conſtrictiones proritando, ardorem gravemque dolorem infert. Et prout variant partes, quibus incumbit hoc acre ſerum; ita moleſtiæ dictæ mox brachia & ſcapulas, mox digitos & manus, mox dorſum, mox intercoſtales muſculos, mox etiam caput occupant, & vehementer diſcruciant. Quoniam vero ventriculus & inteſtina, ex membranis valde nerveis ac ſenſibilibus conſtruuntur: à decubitu ſeri acrioris ad illa, graviores eorundem ſtricturæ propullulant. Unde imi ventris ſpaſmodica ac flatulenta pathemata, & ſtomachi graves diſtenſiones, præcordiorum anxietatem inferentes, ſolutiſque ructibus allevatæ ſuam trahunt originem. Et ſi verum fatear, totum nervoſarum partium ſyſtema ſub ejuſmodi caſibus præter naturam afficitur: ſiquidem illæ regiones, quibus non actu inhæret inimica materia, per conſenſum in motuum irregularium ſocietatem rapiuntur; atque hinc omnes ſecretiones pariter ac excretiones, ad ſanitatem conſervandam perquam neceſſariæ pervertuntur. Sic mox cutis, perſpirationis organon, ſpaſmo vehementius conſtringitur, nullumque ſudorem tranſmittit; mox nimium relaxatur, & copioſum, magiſque delaſſantem effundit ſudorem. Pari ratione urinoſi ductus, ſi contrahuntur; urina mingitur pallidior: quæ, remittente ſtrictura, rubicunda, craſſa, multoque ſedimento tartareo referta excernitur. Idem fit cum ductibus in hepate biliferis, qui ſpaſmo coarctati, bilis in inteſtinum duodenum remorantur aditum; unde ſtercorum albedo dependet; ſi autem, ſequuta eorundem relaxatione, bilis copioſior in primas regiones irruit; vomitus, alvi profluvia, & inteſtinorum tormina ſuboriuntur.

Non vero ſolum ſpaſmodicorum motuum genetrix eſt ea, quam dixi, ſeri atque lymphæ acrimonia; verum reliqua etiam, quibus æger premitur ſymptomata, exinde ſuos mutuantur natales. Primum enim ipſi debetur corporis contabeſcentia; ſiquidem ejus incrementum ac nutritio ſuccum lymphaticum dulcem, roſcidum, atque temperatum requirit. Et quum ſucci illi lymphatici ac ſalivales, qui ex glandulis œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum, maxime duodeni ſecernuntur, & ad intimiorem alimentorum diſſolutionem multum contribuunt, vitiati ſunt; non mirum eſt, ciborum digeſtionem

ſtionem languere, chylum generari minus laudabilem, & ideo humorum impuritatem ſenſim accreſcere. Hinc porro ratio ſalivæ ſalſæ ac acidæ, quæ in ſtatu naturali inſipida eſt, nec non ſalium ſcorbuticorum, ac tartareorum, quæ cum urina redduntur, erit derivanda.

Quæ cum ita ſint, inquirendæ jam veniunt remotiores illæ, quæ ad dictam impuritatem contribuerunt, cauſſæ. Hæ generatim conſideratæ, in glandularum atque tubulorum organa colatoria conſtituentium, conſtrictione & obſtructione, ac hinc perturbato ſecretionum & excretionum negotio quærendæ ſunt. Cumprimis accuſari meretur & cohibita tranſpiratio, & impedita ſucci bilioſi in hepate ſecretio: hæc vero primam plerumque originem à difficiliori ſanguinis per hepar circuitu, tanquam fœcunda ſcorbuti matre, trahit. Quando enim cunque cruor vitalis per ramulos venæ portæ ac cavæ, per hepatis ſubſtantiam diſſeminatos, impeditius progreditur, & in iis ſtagnat: non ſatis à particulis ſulphureis, ſalinis ac excrementitiis, quæ bilem conſtituunt, depuratur, ſed illas ſecum revehit, & cum tota humorum maſſa communicat. Deinceps idem ſanguis, in ſuo per hepar itinere retardatus, majori ad lienem ruit impetu: unde infarctus & aggravatus lien munere ſuo, quod in attenuando ſanguine conſiſtit, fungi prohibetur, & hinc increſcit humorum impuritas. Non minus ſtagnans in venis portæ ac meſaraicis cruor, copioſius ad inteſtina fertur; inque iis ſtagnando, mora temporis craſſior ac impurior redditur: unde porro vaſa hæmorrhoidalia, circa inteſtini recti finem valde infarciuntur, diſtenduntur, & vel tumores in ano dolentes, doloremque in lumbis & oſſe ſacro gravativum exhibent, vel rupta ſanguinem plorant. Hæc ita in generoſo ægrotante contigiſſe, conatus, quos diu ad fluxum hæmorrhoidalem ſenſit, luculenter atteſtantur: quippe qui ſemper impeditiorem ſanguinis per viſcera imi ventris, maximeque hepar circuitum, impuritatum ſcorbuticarum cauſſam certiſſime indicant. Concurrunt inſuper plura momenta, quæ ad id vitii genus inducendum ſuam contulerunt ſymbolam; ex quibus primum eſt temperamentum, quo Vir generoſus pollet, ſanguineum: quippe quod generandæ ſanguinis nimiæ moli inſigniter favet, eaque ipſa viam ſternit ad difficiliorem circuitum. Accedunt aëris, in quo vivit noſter ægrotus, frigidior, minuſque ſalubris conſtitutio, ciborum fumo induratorum & coctu difficiliorum uſus, potus calidiores, animi pathemata, crebræ refrigerationes, crapulæ vinoſæ, & mox vehementiores corporis defatigationes, mox vita ſedentaria: quæ cauſſæ occaſionales ſatis magnam vim poſſident, impuram humorum diatheſin & generandi & adaugendi.

Hinc igitur non ſolum indoles mali rheumatico-ſcorbutici adparebit; verum clariſſime etiam perſpici poterit, quam ardua, tantorum vitiorum, ſolidas æque ac fluidas partes corrumpentium cohortem debellaturo, impoſita ſit provincia. Plures enim ſcopi ipſi præfixi ſunt, quos aſſequi difficillimum erit: Namque primum vias atque glandulas, quæ in organis ac viſceribus colatoriis obſtructæ ſunt, reſerare; dein ſalia impura ac ſcorbutica, ex humoribus, quibus intime permixta ſunt, ſeparare; tumque impuritatum colluviem, quæ ſolidas atque nervoſas partes jam penetraſſe videntur, rite eliminare oportebit. Nihilo tamen minus omni nondum dejectus ſum ſpe; ſed multa experientia confirmatus non dubito, quin, accedente præſertim vegetiori ætate, & ægrotantis perſeverantia, temporis diuturnitate, & accommodatorum præſidiorum uſu, votorum futuri ſimus compotes.

Curationem vero, quam ad exſtirpanda ejuſmodi mala convenientiſſimam arbitror, à recto aquarum mineralium uſu inchoare ſoleo; atque hoc fine vel thermas Carolinas, conjunctis extrinſecus balneis, ex aqua dulci paratis; vel aquas Egranas, aut nonnunquam Sedlicenſes, cum externo balneorum Tœplicenſium uſu, ſæpius feliciſſimo cum ſucceſſu commendavi. Hæc generoſa præſidia, quæ verno adhibere decet tempore, licet neutiquam omnem curandi paginam abſolvant; attamen, cum primas vias non minus, ac totam humorum maſſam egregie liberent à cunctis ſordibus, ſanguinemque reddant fluxiliorem; viam medenti ſternunt, qua ad obtinendum prorſus finem, certius incedere poteſt. Tum enim ex uſu mihi eſt lac aſininum, vel ſolum, vel cum aquis Sedlicenſibus æquali pondere mixtum, quod per quatuor vel quinque ſeptimanas, conjunctis laxantibus, ac recta vivendi ratione, potari jubeo. Et denique venæ ſectiones, circa ſingula æquinoctia iterandas, blanda laxantia, fixiora diaphoretica, ſtomachica, diluentia, ſanguinem depurantia, & accuratum in rebus non naturalibus regimen ordinare ſolitus; atque horum ope, Deo ſint grates, votis meis ſemper potitus ſum.

Verum enim vero ſi propoſitum ſpecialius conſideravero caſum; eo reſpiciendum erit, ut quoniam præſens autumnale tempus potationi aquarum mineralium minus eſt opportunum, aliis ſubſidiis cauſſæ morbi, quantum poſſibile eſt, detrahamus, atque corpus ita præparemus, ut futuro thermarum potui magis aptum evadat. Quo nomine rectum vivendi ordinem eo curatius obſervare conveniet, quo minus abſque illius ope boni quicquam obtinere licebit. Cumprimis itaque animi tranquillitati ſtudere, omneſque illius commotiones ſedulo vitare decet; quum exinde, præſertim mœroribus ac ſolicitudinibus, irreparabile damnum in morbos ejuſmodi diuturnos redundat. Deinceps aër ita moderandus eſt, ut corpus in æquali ac temperato calore conſervetur: nihil enim eſt, quod ad generandum æque ac fovendum ſcorbutum efficacius contribuat, quam ſubitanea aëris frigidi in calidum, & calidi in frigidum mutatio; quæ cum in locis ſeptemtrionalibus familiaris ſit, cauſſam quærentibus offert, cur ejuſmodi in regionibus ſcorbuticæ affectiones & frequentiores, & pertinaciores obſerventur. Ex cibis fugiendi ſunt, qui craſſum chylum pariunt, ac ſaburram viſcidam in primis relinquunt officinis: contra vero ad temperandos ſuccos crebro veſcendum juſculis, parum ſalitis, quæ ex carnibus mollioribus vitulinis, vel gallinarum, additis radice ſcorzoneræ, cichorei, petroſelini, fœniculi, aſparagi, & ſucco citri vel aurantiorum coquuntur; & reliquis cibis immiſcendum ſæpius naſturtium.

Potui ordinario plane non quadrat cereviſia, ſed potius decoctum quoddam conveniet, hac ratione conficiendum: Recipe radicis ſcorzoneræ, chinæ ana uncias duas, raſuræ ligni ſaſſafras uncias quatuor, radicis pimpinellæ albæ unciam unam, liquiritiæ, aniſi ſtellati ana unciam ſemis. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ cum quatuor aquæ menſuris, in vaſe clauſo per horam dimidiam, addita ſub finem ſalis aperitivi drachma dimidia, decoquantur. Neque vero improbaverim, ſi præter hoc decoctum, inter epulas, ad roborandam vim digeſtivam, vinum vetus Rhenanum, vel Gallicum hauriatur. Et denique inſigniſſimam opem ſpondet corporis exercitatio, quæ vel matutino tempore, vel tribus ab epulis horis, aut equitando, aut ambulando poterit inſtitui.

Pharmacorum autem uſum ſic adornandum hortor; ſumat primum Vir generoſiſſimus laxans, quod inte-

inteſtinorum canalem ab inhærente ipſi amurca expurget, & ſic paretur: Recipe mannæ electæ uncias duas cum dimidia, cremoris tartari, rhabarbari ana drachmam unam. Coque & ſolve leni calore in aquæ florum acaciæ unciis quinque; colaturæ adde olei de Cedro Italici guttas tres. M. F. potio, quæ pro una doſi, ſucceſſivis hauſtibus, interpoſita juſculi avenacei ſorbitione, adhibeatur. Poſtridie capiat cum aqua ſambuci mixturam, ex liquoris anodyni guttis viginti, ſpiritus cornu cervi ſuccinati guttis ſex, & tincturæ antimonii acris guttis decem paratam; tum ſorbeat ſex infuſi theiformis vaſcula; abhinc ad lenem ſe componat ſudorem, & hoc finito, corpus blande moveat. Sub prandio quadraginta guttas tincturæ corticum aurantiorum; veſperi vero duos ſcrupulos pulveris bezoardici, cum caſtorei, atque nitri ana granis quinque maritati capiat; & ſingula hebdomade, circa lunæ mutationem, ejuſdem pulveris bezoardici quindecim grana, cum totidem pulveris lumbricorum terreſtrium, mane aſſumat.

His per octo dies continuatis, interponatur uſus potionis mannatæ, ſupra deſcriptæ; tum repetatur reliqua medicatio; & eadem, ſumto tertium laxante, ſi opus fuerit, tertia vice iteretur. Tandem, hac abſoluta, etiam atque etiam hortor, ut ſingulo mane Elixirii mei viſceralis polychreſti octoginta guttæ, cum aqua frigida fontana hauriantur, & deinde infuſum herbæ Théebois ſuperbibatur: quæ remediorum genera, hora quoque quarta pomeridiana uſurpari poſſunt, quoniam in confortandis ventriculo ac viſceribus, & promovendo hæmorrhoidum fluore, egregiam præſtabunt opem. Hujus enim ſanguineæ excretionis legitimus ſucceſſus quocunque modo ſecundari debet: quo fine vapor lactis cum floribus chamomillæ decocti, per ſellam perforatam ano admittere; aut hæmorrhoidibus, ſi cœcæ intumeſcant, hirudines admovere juvabit. Non minus circa æquinoctia ac ſolſtitia venam in pede tundere, & octo circiter cruoris uncias detrahere, ſimul autem illo tempore ſedulo ab aëre frigido, ac largioribus epulis cavere expediet. Omnis pilularum uſus ſtudioſe vitandus eſt, quoniam ſuccos vitales nimium exagitant: quod ſi vero alvus obſtructa fuerit, illam vel ope clyſterum, ex decocto avenæ, oleo chamomillæ, amygdalarum, & ſale communi confectorum, vel ſalis Epſomenſis uncia dimidia ex hauſtu aquæ fontanæ ſumta reſerare præſtabit. Et certam utique foveo ſpem, fore, ut ex recto commendatorum ſubſidiorum uſu, quamplurimum emolumenti ſit percepturus vir generoſiſſimus.

---

## CASUS CLXVI.

### *De malo ſcorbutico pathematibus hypochondriaco-ſpaſmodicis ſtipato.*

Generoſus vir, trium & quadraginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, corporis robuſti, ſanguineque pleni, & ad iracundiam facillimus, juventutem ſuam, quam diu caſtra ſequeretur, multis licet percuſſus vulneribus, ab omni morbo ſartam tectamque tranſegit. Quum vero ante octodecim annos, militiæ valedicens, privatam magis ac ſedentariam eligeret vitam; accidit ex improviſo, ut peculiari corriperetur affectu, quo vehementes dolores, ad utrumque lumborum, maximeque juncturas femorum, genuumque irruebant, cum contractura pedum ſtipati. Excitato in ſuris fonticulo, remittebant hæc incommoda; & licet octo poſt annis redierint, hauſta tamen aqua frigida, iterum acquieſcebant; niſi quod muſſitantes in dorſo dolores hyemali potiſſimum tempore per intervalla adfligerent. Ab his liberari geſtiens, varios conſuluit medicos, multaque uſurpavit remedia; quæ inter hæ fuerunt pilulæ: Recipe gummi ammoniaci puri ana drachmas duas, millepedum præparatorum drachmas tres, ſalis abſynthii, cardui benedicti, ammoniaci puri, myrrhæ rubræ ana drachmas duas, aloes lucidæ drachmam unam & ſemis, olei deſtillati caryophyllorum, cumini ana guttas ſex. M. F. cum ſpiritu trifolii aquatici pilulæ. Quotannis etiam acidulas Pyrmontanas, quanquam ſine convenienti ordine ac regimine potavit; & ex his, dictiſque pilulis aliquale dolorum quidem levamen ſenſit, nec non cruorem per venas hæmorrhoidales ſemel protudit; at perfecta eorum vacuitate potiri nequivit. Ante tres demum annos tormenta hæc dorſi præter opinionem ſponte levabantur; at in horum locum flatulentæ imi ventris moleſtiæ, mox flexuras coli occupantes, mox ventriculum diſtendentes atque præcordiorum anxietates, ardentemque ſtomachi dolorem inferentes ſuccedebant, quas vomendi conatus, quin ipſæ vomitiones, atque crebriores alvi dejectiones plerumque cum levamine excipiebant.

Neque vero paucas contra hæc mala uſurpavit medicinas, à quibus non niſi breviores ſymptomatum inducias interdum ſenſit. Hinc ad me quoque confugit, & cum deprehenderem, ægrum nimia pharmacorum cupiditate ſimul laborare, interdixi eorundem, maxime calidiorum & carminativorum, copioſiorem uſum, nec niſi nitroſis & abſorbentibus pugnavi. Ipſum vero malum ſic habebat: Noctu ſæpius præcordiorum anxietates, cum ſomno interrupto patiebatur; per diem mens dejecta, ideiſque turbulentis imbuta erat; facies pallida, torva, pulſus tardus & debilis; mox hic citatior ferebatur, illa rubebat, & oculi venæ tumebant. Superius ventriculi orificium acuto quandoque torquebatur dolore; quem ſedaturus, citra verum adpetitum, ciborum quidpiam capiebat, & inde mox melius habebat, mox vero majori vexabatur angore. Nonnunquam cum levi ani teneſmo, deſidendi crebro conatu, & moleſta ſtranguria paroxyſmus incipiebat, tumque exoneraturus alvum emiſſo flatu ſolamen percipiebat, & modo copioſa, modo pauca, modo nulla reddebat ſtercora.

Per paroxyſmos redeunt hæc ſymptomata; à quibus nulla dies vacua eſt. Si jucundis amicorum intereſt conſortiis; ſano videtur ſimillimus, neque habet, de quo conqueratur, niſi quod pedum perpetuum frigus vexet, & interdum ſubitus dolor, pollicem pedis prehendat, brevi rurſus evaneſcens tempore. Octodecim effluxerunt hebdomades, cum per totam diem rectiſſime valens, ſumta poſt cœnam eſſentia carminativa, immani circa ſiniſtram coli flexuram dolore, cum inquietudine, alvo obſtructa, atque vomitionibus ſtipato, repente corriperetur. Fruſtra datis interne carminativis & antiſpaſmodicis, externe vero unguentis diſcutientibus in caſſum adplicatis, pilulæ Stahlianæ, conjuncto enematum emollientium uſu, propinabantur, eo effectu, ut alvus cum euphoria liquaretur: qua inſignis muci quantitas repetitis dejectionibus excernebatur, & inde cuncta ſilebant ſymptomata. Sed brevi poſt priſtina ludi cœpit, & adhuc luditur tragœdia.

Cæterum diætæ regulas, præſertim paroxyſmorum tempore, contumaciter ſervat: mane quatuor infuſi theiformis vaſcula ſorbet, panemque bis coctum adſumit; prandio pariter ac cœna, vitatis, quæ flatus gignunt, eduliis, ſatis liberaliter utitur, & ſub iis, præter cereviſiam bonæ notæ, vinum rubrum

pota-

potare ſolet. Interdum in cereviſiæ locum ex meo conſilio, aquam puram haurit; ſed ex ejus potu diutius protracto, vertiginem patitur. Motui corporis, muneris ratione interdictus, haud ſufficienter ſtudet; meditationibus vero ac lucubrationibus juſto magis indulget. Alvus ſi paroxyſmos exceperis, plerumque reſpondet, redditis, quæ naturalis ſunt conſiſtentiæ, excrementis. Urina ordinario ſanorum meitur ſimilis; ſed non raro rubrum ſedimentum, & mucoſam deponit materiem. Somno fruitur inconſtanti, mox placido, mox vero, præſertim verſus diluculum turbulento: nec ſine fructu illum capit meridianum.

Haud ita pridem ex largiori vini Campanienſis potu, ardor circa ani ſphincterem ſequebatur, tumque hæmorrhoides intumeſcebant, ſed illico rurſus diſparebant, relicto circa os coccygis moleſtiſſimo pruritu. Paullo poſt à ſomno meridiano ſtimulum ad matulam forſan ſentiebat; quem ex improviſo tantus corporis languor comitabatur, ut & gelidus ſudor cuncta membra perfunderet. Refocillatus per inſequutam noctem ingentem in pedibus dolorem, cum ardore ſtipatum, ſponteque ſolutum percipiebat. Binis abhinc diebus gravativo ventriculi ſenſu, & tanta afficiebatur nauſea, ut vomendo ſibimet conſulturus, digitum intruderet faucibus, & inde pituitam tenaciſſimam, quæ ſpirabat odorem acidiſſimum, vomitu eructaret. Tam vagis variiſque modis malum ſuam hactenus tyrannidem exercuit.

Collatis igitur omnibus morbi momentis, generoſum ægrum ex mutato mobiliori in ſedentarium vitæ genere, nimiam contraxiſſe ſanguinis molem; ejuſque nervoſum ſyſtema ob crebram iracundiam, errores diæteticos, & immodicum fortaſſe veneris exercitium valde debilitatum eſſe judicavi. Hinc vero factum eſſe putavi, ut humores circa imi ventris viſcera, maxime quæ à vena portæ ſua vaſa accipiunt, ſtagnaverint, & inde ſpaſmodici in inteſtino colo, viciniſque partibus ſequuti fuerint motus, quibus conſultura natura, hæmorrhoidalem fluxum intendit. Cui promovendo ego etiam ſtudens, venam in pede ſecandam curavi, nitroſa, maximeque pulverem antiſpaſmodicum Stahlii ordinavi, & pilulas ex galbano, caſtoreo, aſa fœtida, & ſale volatili ſuccini confectas, ad roborandum inteſtinorum tonum præſcripſi. Sed his ob vanum adſtrictionis metum uti recuſavit. Idcirco, cum aliquando colici dolores, cum multa muci excretione accederent, ſuaſi, ut ſingulo menſe per aliquot dies pilulis Stahlianis uteretur. Præterea non neglexi abſorbentium, ſuccino nuptorum uſum; atque præter ſtatas venæ ſectiones, pediluvia, & motum corporis, valde commendavi.

*Reſponſum Medicum.*

Morbum, quo Virum generoſum diu vexatum fuiſſe percepi, non niſi pro ſcorbutico, cum hypochondriaco ſpaſmodica paſſione complicato habendum eſſe reor; quo ſicuti totum nervorum genus, ita ſpeciatim ventriculus cum primis regionibus adeo debilitata videntur, ut iis vehementiori ſpaſmo agitatis, liber ſanguinis circuitus per totum corpus valde ſit perturbatus. Hanc enim ſubeſſe cauſſam, clariſſime teſtantur conjuncta morbo ſymptomata; veluti ſunt ingens dorſi dolor, flatulentæ hypochondriorum & ventriculi diſtenſiones, anxietas, ardenſque & preſſoria circa præcordia ſenſatio, nauſea, vomitiones, ſomnus turbulentus, animus dejectus, pulſus mox tardus & debilis, mox fortis & celer, urina mox tenuis, mox craſſa cum ſedimento, vultus mox pallidus, mox rubicundus color, teneſmus ani, deſidendi, mingendique crebra cupiditas, tumor ardens venarum ſedalium, pedum refrigeratio, ſudor gelidus &c. quæ omnia malum hypochondriaco ſpaſmodicum nunquam non comitantur. Ipſum vero, quo æger pollet, cholericum temperamentum, nimia ad iram propenſio, & forſan juſto crebrior vinorum calidiorum uſus, non modo impedimento fuerunt, quo minus à ſuis incommodis liberari potuerit, verum etiam iiſdem augendis & exacerbandis inſigniter faverunt. Præterea tota humorum maſſa, impuritatibus ſalinis ſcorbuticiſque ſcatere videtur, unde dolores circa juncturas femorum & genuum moleſti, pedumque fere contracturam inducentes, repetunt originem. Neque enim dubito, quin quædam in noſtro ægrotante ad podagram præſto ſit diſpoſitio; quæ ſi ad actum deveniret, permultum totius mali levamen pollicetur.

Quanquam igitur, more hypochondriacis, præſertim ſi activioris animi fuerint, communi, multis æger & medicis & medicaminibus uſus ſit: attamen, cum pauci eorum veram mali hypochondriaci indolem perſpectam habeant, idque potius, purgantium, ſtomachicorum, & carminativorum remediorum ope debellari poſſe credant; non mirum eſt, quod inde loco ſperati ſolaminis, majus redundaverit damnum. Profecto non præſtantius hiſce ſubjectis conſilium ſuppeditari poteſt, quam ut & medicos, & medicamenta fugiant; eoque potius reſpiciant, ut recto vivendi genere, vitando ſcilicet nimium frigus, animi vehementiores affectus, potus ſpirituoſiores, & corporis commotionem, ſuæ conſulant ſaluti. Atque hæc etiam ſunt, quæ in præſenti caſu ante omnia commendo. Ad hæc vero ſuadeo, ut æger aquis Spadanis utatur, ita quidem, ut primo menſe eas ſolas, altero cum dimidia lactis aſinini parte maritatas, pondere unius cum dimidia menſura ſingulo mane hauriat.

Ante harum uſum vena in pede ſecanda; atque ſumto laxante, corpus ab omni ſaburra repurgandum eſt; quod hoc fine ipſi potationi bis vel ter interponere, & ſub ejus finem iterare decet. Ex laxantibus vero ſequens inſigni cum fructu ſemper adhibere ſolui: Recipe mannæ electæ uncias duas, cremoris tartari drachmam, aquæ florum acaciæ uncias quinque, ſolve leni calore, colaturæ adde olei de cedro guttas tres. M. F. potio, quæ pro una doſi ſucceſſivis hauſtibus, interpoſita infuſi theiformis ſorbitione, aſſumatur. Præſtantiſſimæ hoc laxans eſt utilitatis, dum abſque ulla moleſtia alvum ducit, ſaburram acrem, acidamque primarum viarum demulcet, & inteſtinorum membranas, ſpaſmo conſtrictas, egregie relaxat: quæ virtutes, ab aliis purgantibus neutiquam expectari poſſunt, tantum abeſt, ut humores magis exagitent; quemadmodum de ipſis Stahlii pilulis, quas tamen aliis in caſibus maximeque mulierum morbis proficuas deprehendi, prædicare auſim.

Præterea potus ordinarii rectam habere convenit rationem; cui accommodatiſſimæ erunt acidulæ vel Selteranæ, vel Tœnſtadienſes, vel Spadanæ, cum quarta parte vini Moſellani permixtæ: vina enim rubra, ob vim adſtrictivam, nociva ſunt. Non minus cum inſigni fructu potari poſſunt infuſa theiformia ex ſummitatibus millefolii, floribus ſambuci, & chamomillæ confecta: interdum pulverem abſorbentem nitroſum adhibere, & ſub epulis ex ultimo hauſtu eſſentiam corticum aurantiorum, cum æquali pondere ſpiritus nitri dulcis, tincturæque tartari maritatam capere expediet. Et hæc ſunt, quibus ſaluti Viri generoſi conſulendum eſſe duxi.

CASUS

## CASUS CLXVII.

*De catarrhis in veram podagram terminatis.*

GEneroſiſſimus quidam Vir, natione Gallus, tres ultra ſexaginta annos emenſus, ſanguineo-cholerici temperamenti, opiparo victui adſuetus, variiſque itineribus, ſub inimiciſſimo ſæpius cœlo, perfunctus, multis ſemper rheumaticis ac catarrhalibus patuit defluxionibus. Præſertim adhuc juvenis dolores vagos, preſſorios, atque gravativos, mox pectus, mox ſcapulas obſidentes, & in malum denique iſchiadicum deſinentes paſſus eſt. Hoc uſurpatis fontibus Amaſianis, eorumque balneis, ſiluit quidem; at vix tranſacto triennio, poſt vehementiorem corporis equitando concuſſionem, denuo recruduit dextrumque potiſſimum latus, cum antea in ſiniſtro ſæviiſſet, occupavit; ſed adhibitis iiſdem aquis, rurſus conquievit. Interjectis aliquot annis, redierunt fluxiones rheumaticæ, doloreſque vagi, dorſum maxime & cervicem diſcruciantes; qui tandem anno ætatis trigeſimo quarto, in veram mutati podagram, pollicem utriuſque pedis cumprimis atrociter adflixerunt. Sequenti anno idem dolor in pedes irruit; hiſque admota moxa uſtis, evanuit quidem; at ulcuſculum inde ſubortum valde rebelle fuit, atque ob perpetuum ſeri acrioris adfluxum, vix intra binos menſes conſolidari potuit.

Tum in Italiam profectus, ibidemque per tres annos commoratus, ab omni moleſtia immunis vixit; reverſus vero hyemali tempore in Germaniam, priſtina in ſcapulis tormenta per longum tempus percepit. His paullo conquieſcentibus, bellum ſequutus, per integrum nycthemeron in loco udo ac paludoſo degere debuit, & inde protinus podagricum denuo incidit inſultum. Idem ex eadem occaſione ſequenti anno adflixit, cum tam dolorifico cervicis ſpaſmo, qui nec leviſſimum perferebat attactum. Et hæc rigida colli detentio, ob crebras, quibus poſtea obnoxius fuit, corporis & refrigerationes & humectationes, magis magiſque crevit, & adhuc omnem fere ejus motum præpedit.

Ultra viginti igitur jam annos podagræ ſævitiam, ſenſim invaleſcentem expertus eſt; quæ nunquam ſine febre quadam ſymptomatica infeſtavit. Novem abhinc annis nephritis calculoſa acceſſit; atque ſub hac paroxyſmi podagrici, excretis per urinam ſabulo, vel lapillis plerumque remiſerunt. Neque vero ſoli pedes dolorum tyrannidi ſuccubuerunt; verum illi vago circuitu per totum corpus oberrarunt, & ſæpius tophos atque nodos, quorum adhuc quidam digitorum articulos obſident, poſt ſe traxerunt.

In tali rerum ſtatu, præter victus pertinacem obſervationem, ſtatas & phlebotomias, & ſcarificationes inſtituit vir generoſiſſimus, crebra ſumſit laxantia, pedibus moxam adplicari permiſit, variiſque remediis, etiam ſympatheticis uſus eſt. Adhibuit quoque ſic dictum ſyrupum polychreſtum, quem ad longam vitam collaudant; & inde per aliquod tempus rariores quidem podagræ recurſus obſervavit; at eadem paullo poſt & crebrior & vehementior rediit.

Ante binos circiter annos cum ſub paroxyſmi podagrici declinatione, vehementi excandeſceret iracundia, illo repente remittente, colicam incidit flatulentam, cum præcordiorum anxietate, æſtu febrili, & vomendi conatibus ſtipatam. Ego conſultus ſuſpicabar retrocedentem podagram; qua datis pulveribus nitroſis cinnabarinis, ac digeſtivis, revocata, cuncta cedebant ſymptomata. Brevi poſt ex improviſo, atrox lumborum & ſiniſtri renis dolor, ſpirandi difficultate, vomitionibus, torminibus inteſtinorum, alvi obſtructione, mictione imminuta, adpetituſque dejectione conjunctis invadebat. Monebam, ut cuncta pellentia, & ſic dicta lithontriptica remedia ſtudioſe vitaret, quoniam majorem ſanguinis ad renes adfluxum concitarent, ſabulique excretioni magnam injicerent remoram. Neque tamen minus curæ cujuſdam medici ſe committebat, qui pellentibus, carminativis, caſtorinis ac opiatis malum oppugnabat. Imminebat jam periculum; at datis emulſionibus ac potionibus diapnoicis avertebatur, adeo ut levi dolore redderetur calculus, fabam magnitudine adæquans. Verum paucis poſt diebus inſultus accedebat gonagrico-podagricus, cum calore præternaturali ad delirium aucto; & denuo ab uſu pulverum abſorbentium, nitroſorum, ac cinnabarinorum evaneſcebat. Excipiebat, brevi tempore interjecto, dolor dextri renis nephriticus; nec cedebat, niſi excreto rurſus calculo. Et hæc eſt ægritudinum, quæ adfligunt ægrum, idea; quarum medelam & præſervationem flagitat.

### *Conſultatio.*

Inveteratus, & firmius radicatus affectus, quo Vir generoſiſſimus ſollicitatur, in tam provecta ætate, anguſtam quidem perfectæ ſanationis ſpem relinquit: neque vero dubium eſt, quin ſi ſalubribus conſiliis aures dederit, permagnum mali levamen ſit percepturus, & ad minimum à gravioribus periculis poſſit præcaveri. Non immorabor pathologicæ illius diſquiſitioni; ſed ea proponam remedia, quæ ipſi exſtirpando convenientiſſima reor. Et hunc in finem à recto potus genere ordiar; cui nec vinum Gallicum, Franconicum, aut Rhenanum, nec cereviſia inſerviet. Præſtabit potius ſub epulis vino Hungarico uti, & in locum potus ordinarii hoc ſubſtituere decoctum: Recipe radicis ſcorzoneræ uncias tres, chinæ, ſarſaparillæ ana uncias duas, caryophyllatæ, corticis chinæ ana unciam unam, ſeminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmam unam & ſemis. Conc. D. S. ſpecies pro decocto.

Deinceps alvi rationem habere, ejuſque perpetuam lubricitatem conſervare juvabit. Hoc ſcopo utilis eſt manna, ſi ejus una cum dimidia uncia, ex infuſo veronicæ, ad temperandam acrimoniam, lacti nupto mane ſumatur, & pridie hora quinta pomeridiana lapidum cancrorum drachma una, cum ſcrupulo magneſiæ permixta capiatur; hæcque medicamina bis quavis hebdomade iterentur. Tum ſingulo menſe circa novilunium, loca podagræ patentia ſcarificare, quovis altero menſe dorſo pedibuſque cucurbitas admovere, atque ſic venæ ſectionem prorſus omittere expediet; hauſto ante inſtitutam ſcarificationem infuſo, quod veronicam, carduum benedictum, & ſemen fœniculi habeat. Ad acidas vero, quæ in primis forſan ſtabulantur viis, cruditates attemperandas, juvandamque vim digeſtivam, operæ pretium faciet Elixir noſtrum balſamicum, amarum, quod valde temperatum eſt, nec cum ſpirituoſo paratur menſtruo, & ad octoginta guttas inter prandium adhibeatur.

Ipſe ſi acceſſerit paroxyſmus, præter crebriorem decocti commendati, ejuſque tepidioris potationem, interne propinandus pulvis cinnabarinus, ex croco, caſtoreo, & pulvere Marchionis confectus; & extrinſecus, ad demulcendos dolores, linimentum ex liquore meo anodyno, nitro artificiali nupto, pedibus inungendum eſt. Hæc ſane ſufficient ad

ad levandum malum; cumprimis, ſi rectum vivendi genus, & ab omni, quæ mentem turbare poteſt, occaſione ſedula abſtinentia acceſſerint: id quod ex animo precor.

---

### CASUS CLXVIII.

*De podagra adoleſcentis.*

Studioſus annorum viginti quatuor, temperamenti ſanguinei, habitus corporis tenerioris, patre podagrico genitus, perque puerilem ac juvenilem ætatem lauto victu & cumprimis vino Hungarico uſus, per totam fere vitam à morbis gravioribus immunis fuit, niſi quod olim circa utrumque anni æquinoctium, ſpontaneo, eoque critico laboraverit vomitu. Octodecim autem annos natus, vera vexari cœpit podagra; quæ, adhibitis externe Landbergenſibus in Sileſia thermis, ſiluit quidem: at ſequenti anno menſe Aprili recruduit. Revocatis in uſum iiſdem thermis, rurſus ab ea liberatus; ſed ab iis redux, tuſa in dextro brachio vena, ferociſſima tuſſi, ultra binos menſes inhærente correptus eſt. Ingreſſus vigeſimum ætatis annum, petiit Academiam; ibidemque, tranſacto ſub inordinato ac perverſo vivendi genere ſemeſtri, cum æſtate incunte incidit in tanta pedum æque ac genuum tormenta arthritica, ut per binos menſes lecto affixus miſere fuerit. Accedente autumnali æquinoctio venam in pede ſecandam præbuit; idemque, integra per totam hyemem gaviſus ſanitate, vernali iterandum curavit. Neque tamen minus media æſtate, podagrici dolores, utut mitiores, priſtinum repetierunt locum; & abhinc, celebrata circa ineuntem autumnum, rurſus venæ ſectione, tota hyeme conquieverunt. Verum eadem circa ſequens vernum tempus neglecta, gravibus, & terrorum, angorumque plenis inſomniis exerceri cœpit; quæ, ſumto purgante, unde alvum decies reddidit, preſſo pede ſequebatur podagra. Uſus hinc iterum eſt balneis ſupra dictis; ſed ab his reverſus, magnam præcordiorum anxietatem, ſpirandi anguſtiam, tuſſim, inflationem abdominis, tormina inteſtinorum, tumorem dextri hypochondrii circa jecur duriorem, ejuſque dolorem gravativum, ad ſiniſtrum quoque latus excurrentem, & ſub inſpiratione, vel quocunque corporis motu acerbiorem, ſomnumque turbulentum ſenſit. Et hiſce ſymptomatibus, cum intercurrente per intervalla podagra, cuncta remediorum genera eludentibus, hac adhuc die valde diſcruciatur.

*Conſilium.*

Arthritica, podagricaque, quibus egregius juvenis torquetur, tormenta, vitio hæreditario, omni procul dubio debentur: quoniam per ætatem juvenilem, cui neutiquam familiaris eſt hic morbus, inciderunt. Omnes equidem arthritici, & podagrici affectus, ſi inveteraverint, & altiores egerint radices, nituntur partium ſolidarum imbecillitate, per morbi vetuſtatem acquiſita; qua fit, ut ciborum languidior ſit digeſtio, & hinc impuri, ac acres generentur humores; qui per certos temporum circuitus, ad artus valde infirmos delati, ibidemque ſtagnantes, nervoſas ac tendinoſas regiones vellicant, ſtimulant, & in iis tumores doloreſque inflammatorios pariunt. Verum ubi hæreditarium ſubeſt vitium; accuſanda potiſſimum venit nativa membranacearum, & motricium partium debilitas; quæ non modo curationi rebellior, verum etiam in producendis gravioribus ſymptomatibus longe fœcundior eſt. Quamobrem affectiones ejuſmodi, quæ à parentibus trahuntur, delicatiorem & victus obſervationem, & medicationem poſcunt, & quæcunque debilitatem partium ſolidarum augere valent, cane pejus & angue fugiantur, neceſſe eſt. Ex iis largiores epulæ, crapulæ, potus ſpirituoſiores, mœrores, immoderatus amor, nimiæ meditationes, purgantia, crebræ venæ ſectiones, anodyna improvide adhibita, opiata, & immodicum frigus veneni inſtar ſe habent: quin etiam thermæ in balneorum forma uſurpatæ, niſi earum vel acidularum internus conjungatur uſus, in perſonis præſertim, quæ extenuato corpore, & ſanguine ſicciori ac calidiori ſunt præditæ, tonum partium relaxando, majus damnum, quam commodum ferre deprehenduntur.

Quod ſpeciatim præſentem attinet caſum; in eo podagrici dolores non pedes ſolum, aut genua occupant; verum ad præcordia etiam extenduntur. Spaſmi enim & flatulentiæ, quæ tantam in hypochondriis & pectore exercent tyrannidem, ut ferocitate ſua podagricos fere ſuperent cruciatus, præter humorum in imo ventre ſtagnationem, non aliam agnoſcunt cauſſam, quam materiam arthriticam, nervis earum partium incumbentem. Quibus omnibus ſi conveniens medela eſt adplicanda; ea his potiſſimum abſolvetur indicationibus, ut totum nervorum ſyſtema, maxime ventriculus & inteſtina corroborentur, & naturales per alvum, cutim & urinam excretiones in legitimo ſucceſſu conſerventur: quo demum reddito ſanguinis & humorum æquabili circuitu, eorum ſtagnatio, & materiæ vitioſæ, acris, tartareæque generatio, conſequenter dolorum arthriticorum fomes præſcindatur.

Nec ſpe hos ſcopos obtinendi falletur Vir juvenis, ſi ante omnia aërem mutaverit, ac cœlum purius ac temperatius ſibimet elegerit. Dici enim vix poteſt, quantum hæc locorum mutatio, ad curandos ejuſmodi morbos conferat momentum: adeo, ut quamplurimos, iis morbis obnoxios noverim, qui facta in Italiam, vel Galliam peregrinatione, reduces ſuis prorſus caruerunt ægritudinibus. Ipſum ſubinde oportet frequenti, ſed moderato corporis exercitio ſtudere; & circa utriuſque æquinoctii tempora venam in pede ſecandam dare. Tum in vini ac cereviſiæ, his in morbis noxiæ, locum, hoc commendo decoctum; Recipe radicis chinæ, cichorei, ariſtolochiæ ana drachmas duas, M. C. D. S. ſpecies, quæ cum una & dimidia aquæ fontanæ menſura, per horæ dimidium, addito ſub finem cinnamomo decoquantur. Hæc decoctio cum menſura una aquæ puræ frigidæ permiſceatur, ejuſque liberalior hauſtus, mane pariter, ac hora pomeridiana quarta ſorbilletur; cæterum addita vini Moſellani veteris menſura dimidia, pro potu ordinario adhibeatur.

Præterea operæ facient pretium pilulæ meæ balſamicæ, numero ſeptemdecim, ſingulis quatuordecim diebus deglutiendæ; nec levem in roborando ventriculo, totoque genere nervoſo operam præſtabit hoc electuarium: Recipe corticis chinæ unciam ſemis, ariſtolochiæ longæ, coſti veri, caryophyllorum, florum chamomillæ vulgaris, corticis caſcarillæ, nucis moſchatæ ana drachmas duas, julepi roſarum uncias quatuor, ſpiritus vitrioli guttas triginta, olei de cedro, menthæ, macis ana guttas decem, balſami Peruviani drachmam ſemis. M. F. electuarium, cui etiam addi poteſt crocus, vel quoque theriaca. Hujus remedii drachma una, vel ſi hæc æſtum faciat, dimidia, bis terve quavis hebdomade, vel mane, hauſto deſuper infuſo theiformi, vel veſperi, ſuperbibendo commendatum decoctum capiatur. Ipſi pedes ab omni frigido perinde, ac humido munien-

di

diſunt aëre, & balſamo meo vitæ nonnunquam inungendi; rectoque vivendi genere ſtudioſe utendum.

### CASUS CLXIX.

*De podagra ſanguinea hæmorrhoidali.*

VIr generoſus, trium ultra triginta annorum, temperamenti ſanguinei, carnis ſpongioſæ, Bacho, venerique nimium indulgens, in juvenili ætate ob clima, in quo tunc degebat, impurum, ſcorbutique ferax, in ſcabiem incidit ſcorbuticam. Quam, fruſtra adhibitis varii generis remediis, ſalivatione mercuriali tandem expugnaturus; tres turpethi mineralis doſes ſumſit; eoque ſpem fallente, unguenta mercurialia extrinſecus adhibuit; & nec his voto reſpondentibus, curæ cujuſdam chirurgi ſe tradidit. Dedit ille quoddam electuarium, quod veſperi ſumtum, primo ſudorem movit, poſt mediam noctem alvum duxit, eo effectu, ut brevi tempore a malo ſuo liberaretur. Sed ſenſit paullo poſt dolores gonagricos; quibus tandem evaneſcentibus, cruentum è pectore ſputum ſucceſſit, neque vero alia reliquit confectaria, niſi quod ſicca tuſſis paullulum infeſtaret; ab uſu autem axungiæ humanæ brevi ſopiretur.

Verum enim vero, ante quatuor circiter annos, poſt vehementes corporis fatigationes, tam acutis circa genua corripiebatur dolorum tormentis, ut ad leviſſimum contactum acerbas emitteret querelas. Et elapſis inde quatuor hebdomadibus, prævia gravi excandeſcentia, erumpebant veri dolores podagrici, totum pedem occupantes, & dextri genu contracturam inferentes. Ab eo tempore uti cœpit decocto, ex lignis, radicibuſque reſolventibus confecto; & ſub ejus potatione ſenſit quidem mali inſultus, per intervalla recurrentes; ſed illud non niſi dictum genu, extremique pedis malleolum, atque pollicem diſtorſit. Haud ita pridem balſamum quoddam, longævitati deſtinatum, & Dreſda ipſi miſſum adhibuit; ſed cum adpetitus proſtrationem inde ſentiret, illius uſum omiſit. Ante tres annos potavit acidulas Egranas; easque ſequenti anno iteravit; eo effectu, ut præter levem ventriculi debilitatem, inde ſubortam bene habuerit, & abhinc ſanguinem ex venis hæmorrhoidalibus interdum reddiderit, cum egregio podagræ levamine. Parcior quidem ille fluor eſt; attamen, cum pronuper per tres integros ſileret menſes, vehementior podagræ inſultus infeſtavit, & utraque genua pariter ac pedes occupavit: quin redeunte ſanguinea excretione, rurſus conquievit. Ab eo quoque tempore, podagra correptus, pilulas Immanuelis Norimbergenſes ſumere ſoluit, unde tinctis cruore excrementis à ſuo malo protinus liberatur. Ipſe hic fluor noviſſime ſingulis quatuordecim diebus abſque ulla moleſtia redit; quem plerumque faciei quædam intumeſcentia, & inteſtinorum tormina antecedunt. Hoc vero ceſſante fluxu, ſubito invadunt flatulentia, & præcordiorum anxietates: alvus plerumque libera eſt, at ſi clauditur, mali atrociam auget.

Ceterum haud ignorari oportet, ægrum juniorem narium hæmorrhagiis obnoxium; & decem abhinc annis hæmoptyſin paſſum fuiſſe: hinc ſemel biſve quotannis venam tundendam præbuiſſe; hujuſque ſectionem poſt hæc intermiſſam, excepiſſe dolores podagricos. His ergo vexatus, in uſum revocavit phlebotomiam, quam largiori copia inſtitutam, tantum non ſemper ſequutus eſt fluxus hæmorrhoidalis. Ipſe æger contabeſcit; & ob languidam digeſtionem, hauſtu vini Rhenani ſub epulis uti ſolet: appetitus ipſi eſt dejectus, ſomnus turbulentus, terroriſque plenus. Ad hæc de paroxyſmis podagricis notandum eſt, quod vernali gravius infeſtent, quam autumnali tempeſtate; hac enim ab æſtu præternaturali immunes, illa calore, ardoreque vehementiſſimo, cum intercurrente rigore, ac ſubſequente ſudore ſtipati urgent; ac noviſſime, cum cutis in pedibus manibuſque ſeceſſione, nodiſque digitorum ſolvuntur. Quorum igitur cauſſa medelam flagitat, & num ſibi profuturæ ſint thermæ Carolinæ, doceri avet.

*Conſilium.*

DE gravi affectione, quæ virum generoſum atrociter diſcruciat, ſentio, quod à partium nervoſarum totius corporis inſigni debilitate, & ad motiones ſpaſmodicas proclivitate, maxime ventriculi, ejuſque digeſtivæ virtutis imbecillitate, primam repetat originem. Proximum, quod inde reſultat, incommodum eſt chyli, ac reliquorum ſuccorum vitalium impura diatheſis & acrimonia; quæ languente ventriculi tono, in vicem generoſorum humorum producitur, & anſam præbet, ut vernali potiſſimum tempore, quo inſignis in toto corpore confit mutatio, ad externos compellatur artus, inque iis vagos pariat dolores. Accedit inſuper temperamentum ægri ſanguineum, quod ad generandam ſanguinis nimiam molem, valde exiſtit opportunum. Inde enim factum utique eſt, ut juventutis annis ſuperflui humores per nares pariter, ac paullo poſt per pulmones fuerint excuſſi. Quæ excretiones, quum increſcente ætate ceſſaverint, atque debilitas ventriculi ac inteſtinorum magis increverit; ſtagnans in ramis venæ portæ cruor, fluori hæmorrhoidali cauſſam præbuit. Quemadmodum vero hic fluxus, ſi rite ſuccedat, egregium eſt ſubſidium, quo graves ſpaſmodicæ, aliæque affectiones præcaveri poſſunt: ita ab eodem impedito, ac difficilius eveniente, graviſſima in corpus redundant damna. Tum enim retentus cruor infarcit vaſa imi ventris maximeque inteſtinorum ſanguinea, hæcque diſtendendo, nervoſarum partium graves parit ſtricturas. Harum ope ſucci vitales ad loca ſuperiora majori impetu, & copia compelluntur: qui in capite dolores, vertiginem, ac temulentiam; in præcordiis anxietatem, ſpirandique difficultatem; & in externis artubus, ſi acriores fuerint, podagrica, & arthritica progenerant tormenta.

Cuncta vero hæc ſymptomata nervoſi generis debilitati in acceptis potiſſimum ſunt ferenda; quæ in noſtro ægrotante, niſi à nativa diſpoſitione ſuos mutuetur natales, tamen varias agnoſcit cauſſas, à quibus introduci potuit. Has inter primum locum occupant, vinoſæ compotationes, & veneris exercitia, quibus juvenis nimium indulſit: unde etiam ſcabiem, quæ dicitur ſcorbuticam, profectam fuiſſe reor. Deinceps accuſanda venit ſalivatio, tam per turpethum minerale, quam externas inunctiones tentata, quæ, præſertim cum imprudenti regimine inſtituta, magnam nervorum debilitatem, & hinc pendentes artuum externorum graviſſimos poſt ſe trahere ſolet dolores. Et denique multum debetur animi affectibus, cumprimis excandeſcentiæ; quibus in pervertendo partium motricium robore, nihil fere potentius.

Sed ad medendi jam tradendam, cujus cauſſa conſultus ſum, rationem devenio; atque quod præſertim thermas Carolinas, vel acidulas attinet, earum uſui non ſubſcribo; quoniam ſpem omnino fallunt, ſi robur primarum regionum, & nervoſarum partium

partium haud integrum fuerit. Mea potius ſententia eo jam reſcipiendum erit, ut convenientibus alimentis, blandisque medicaminibus, vires dejectæ reſtaurentur: atque iis demum reſtitutis, non alienum fore arbitror, ut in uſum vocentur thermæ Carolinæ.

Primum itaque ſuadeo, ut bis quotannis, circa ſingula nimirum æquinoctia, cœlo exiſtente ſereno, vena in pede tundatur, & octo circiter cruoris unciæ detrahantur. Dum enim ſanguis in hac perſona generoſa nimium abundat, nec ſufficienti per venas hæmorrhoidales potitur exitu: metus utique juſtiſſimus, ne in vaſis imi ventris ſtagnando, graviorum auctor fiat ægritudinum; niſi ejus molem dictis venæ ſectionibus depleamus. Deinceps potus recta ratio habenda eſt; pro quo nulla nec cereviſia, nec vina, minime acidula, conveniunt. In ejus ordinarii locum commendarem decoctum, quod ex radicis chinæ, & ſcorzoneræ ana uncia dimidia, corticis ligni ſaſſafras, ac cinnamomi ana drachma, cum tribus aquæ menſuris, per horæ dimidium decoctis parari poteſt; & ad ventriculum roborandum concederem uſum vini Hungarici vel Burgundiaci parce ſub epulis adhibendi.

Tum cum blando regimine mane intra lectum, ſex circiter vaſcula infuſi theiformis, ex herbæ meliſſæ, ſalviæ, betonicæ, veronicæ ana manipulo uno, corticumque citri recentium drachmis tribus compoſiti, ſorbillanda ſuadeo; brevi vero ante prandium ſexaginta guttas Elixirii viſceralis balſamici, ex laudato decocto, vino nupto ſumendas; & veſperi, alternis diebus drachmam unam pulveris mei bezoardici capiendam hortor. Præterea quavis hebdomade deglutire expediet ſedecim pilularum mearum balſamicarum; quæ & alvum blande movent, & robur inteſtinorum reſtaurant. Circa æquinoctiorum vero, & illa tempora, quibus hæmorrhoidalis fluor imminet, easdem pilulas, quinque ſucceſſive vicibus, alternis diebus, ad promovendas hæmorrhoides devorare conveniet.

Ceterum rectæ victus rationi ſtudere juvabit. Epulæ, cumprimis cœna, ſint parciores; cibi nimium pingues, acidi ſalitique fugiantur, & potius aſſi comedantur, quam elixi; nimius quoque herbæ Nicotianæ, decoctique fabarum Caffée uſus evitetur; omnes, quæ animum ad graviores commotiones irritare valent, occaſiones ſtudioſe caveantur; & potius crebræ, ſed moderatæ corporis exercitationes inſtituantur. His per inſtantem hyemem adhibitis, futuro vere thermarum Carolinarum uſus, cum ſucceſſu feliciſſimo ſubjungetur.

Neque vero ſpes fefellit hanc curationem; ſiquidem, ea per binos menſes protracta, victusque recto ſervato ordine, valere cœpit generoſus æger; atque thermis Carolinis ſuperſedens, ab illa ſola conſanuit.

---

## CASUS CLXX.

### *De topicis, imprimis camphoratis in podagra & eryſipelate noxiis.*

Vir quidam generoſus, in eximia dignitate conſtitutus, & ætate provectior, ante aliquot hebdomades, tumore inflammatorio dextri pedis, qui antea exulceratione contaminatus erat, prehendebatur; adeo ut in ſuperiori tibiæ parte prægrande tuberculum ſuboriretur, & hoc ſubita totius pedis inflammatio ſequeretur. Poſtridie ſiniſtrum pedem, in calcaneo pariter ac tarſo obſidebat tumor atque dolor podagricus. Conſultus chirurgus utrique pedum adplicabat ſpiritum vini camphoratum, croco tinctum, & creſcente inflammatione, camphoram in pulvere admovebat: unde quarta circiter die, & inflammatio evaneſcebat & dolor remittebat. Verum paullo poſt excipiebant inſignis præcordiorum anxietas, ſumma ſpirandi difficultas, inquietudo, æſtus intenſior, & ſitis ferme inexplebilis, adpetitus dejectio, contumax alvi obſtructio, & flatulentæ moleſtiæ. Injecti clyſteres, ſumptique pulveres antiſpaſmodici Stahlii, levabant quidem paullulum ea ſymptomata; ſed non expugnabant: donec hauſta potio laxans, ad mentem Illuſtris Hoffmanni cum manna parata, tantum ferret levamen, ut generoſus æger extra lectum commorari potuerit. Tandem copioſus, iſque criticus erumpebat ſudor; & hæmorrhoidum ſolitus fluor accedebat: cum inſequente totius mali remiſſione. Quum vero his eryſipelaceis, ac podagricis incommodis ſæpius infeſtari ſoleat; quomodo ab iis præcaveri poſſit, ſcire cupit.

### *Conſultatio.*

Moleſtiſſima, quæ virum generoſiſſimum graviter exercuerunt ſymptomata, præcordiorum nempe anxietas, inquietudo, diſtenſiones imi ventris, calor præternaturalis, ſitis, & alvi obſtructio, debentur omnino materiæ arthriticæ, ac eryſipelaceæ, per camphorata remedia, in ſicca pariter ac liquida forma adplicata factæ repulſioni. Ampliſſimus enim æger, cujus conſtitutionem ſatis perſpectam habeo, præter cacochymicam ſuccorum vitalium, qua pollet, defœdationem, fluori hæmorrhoidali obnoxius eſt. Quo haud legitime ſuccedente, non modo humorum moles, ac copia creſcit; ſed accedente præſertim vita ſedentaria, in qua conſtitutus eſt, eorumdem quoque impuritas majores acquirit vires. Et in hoc rerum ſtatu, ſalutari plane conſilio, & critico quodam motu, qui ſæpius ſimul eſt febrilis, ſerum acre & impurum, ad habitum & externas corporis partes compellitur, inque iis mox eryſipelaceas inflammationes, mox podagricos athriticoſque dolores, mox etiam ulcera producit. Hiſce in affectionibus autem eo à prudenti medico reſpiciendum eſt, ut humores diluantur, eorumq; motus ad corporis ſuperficiem, datis diaphoreticis, promoveantur, & alvus infuſis clyſmatibus lubrica conſervetur; quo demum corpus ab excrementitiis ſordibus liberetur. Quod ſi vero quidam dolorum impatiens, hos una cum conjuncto rubore, ac tumore, adplicatis extrinſecus topicis repellentibus, improvide conſopiverit: grave profecto & irreparabile ſanitatis damnum, teſte perpetua experientia incurret. Namque ſerum illud acre, quod à ſanguinis maſſa ſeparatum, & ad externas partes depoſitum fuit, ibidem ſtagnando, cauſticam ac virulentam induit naturam; qua imbutum, ſi retro agitur, internis, quæ nervoſæ ſunt, partibus incumbit; veluti ſunt membranæ ventriculi, inteſtinorum, maximeque coli, tendinea diaphragmatis pars, pulmonum bronchia, & ipſa cerebri involucra: unde earum partiũ ſpaſmi, dolores, inflammationes, febres, deliria, & niſi tempeſtivæ ferantur ſuppetiæ, longe graviora, quin mortifera proficiſcuntur ſymptomata.

Quod ſpeciatim attinet camphorata; vix ullus eſt, qui de illis credat, quod extrinſecus admota, materiam arthriticam ac eryſipelaceam intus agant; ſed plerique ipſis vim diſcutientem, ac obſtructos poros reſerantem attribuunt. Non equidem negaverim, quin hoc remedii genus, in certis ſubjectis ac circumſtantiis, ſtagnantis materiæ diſcuſſionem ſæpius adjuvet: verum non raro obſervavi, quod illud tam in pulveris, quam ſpiritus forma, externe adhibitum, in podagricis æque ac eryſipelaceis affectibus

tibus, noxium & repellentem exſerat effectum. Haud ita pridem curæ meæ ſe tradiderat matrona quædam generoſiſſima, quæ podagrico inſultu, quo ſæpius exercita fuerat, prehenſa, tertio die camphoram, minio permixtam pedibus adplicuerat. Conquieſcentibus inde doloribus; in magnam præcordiorum anxietatem, inſignem corporis laſſitudinem, æſtum febrilem, ad deliria auctum, inquietudines, vomitus, & alvi obſtructionem inciderat. Accitus ego dabam pulverem nitroſum præcipitantem, cui camphoræ, quantum quarta grani pars capit, permiſcebam; & inſimul emulſionem ex ſeminibus quatuor frigidis, cum juſculo avenaceo, crebro exhibebam: unde expulſo rurſus podagrico motu, convaleſcebat.

Quod vero damnum camphora externe adhibita excitavit; id ab ejus interno uſu reſarciri, ſæpiſſime deprehendi, haud ſecus ac de ſulphure, quod in ulceroſis, ac ſcabioſis affectibus inter topica uſurpatum, repellendo materiam peccantem, inſignem noxam parit, interne vero datum, eandem cum magno ſanitatis commodo, ad corporis depellit ſuperficiem. Quamobrem in ejuſmodi affectibus, ab omni topicorum uſu abſtinere; nec niſi ſub morbi declinatione ad roborandas partes debiles, iis uti ſoleo: id quod vir generoſus in poſterum ſibi habeat commendatiſſimum, etiam atque etiam hortor.

Quibus præmiſſis, ad tradendam methodum, qua ab hoc moleſto affectu præcaveri queat vir graviſſimus, deveniens; ſuadeo, ut bis quotannis, circa utraque nimirum æquinoctia, venam ſibi tundendam curet; & paullo poſt per aliquot dies potione illa laxante ac mannata utatur, quam ſibi jam utilem deprehendit: ſiquidem in morbis ſpaſmodicis præſertim inteſtinorum, mannatis non tutiora ſunt laxantia. Deinceps operæ erit pretium, menſe Maio acidulas Selteranas potare; ante, ſub, & poſt quarum potationem idem mannatum laxans capiendum eſt. Nec pro potu ordinario convenit cereviſia; ſed huic ſubſtituere juvabit conveniens decoctum, cum quarta vini Moſellani parte permixtum; quod ſic parari poteſt: Recipe radicis ſarſaparillæ, ſcorzoneræ ana uncias quatuor, radicis cichorei unciam unam, herbæ cardui benedicti manipulum unum, aniſi ſtellati drachmas duas. Conc. Cont. D. S. ſpecies, quarum unciæ duæ cum tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes decoquantur. Nec ludetur opera, ſi nonnunquam circa ſomni tempus, pulvis meus bezoardicus, præcipitanti nuptus ex aqua florum ſambuci, vel ceraſorum nigrorum aſſumatur. His ſi acceſſerit prudens rerum non naturalium uſus, & ſtudioſa à nimiis meditationibus, vita ſedentaria, animi pathematibus, corporis refrigeratione, cibiſque acidis, ſalitis & coctu difficilioribus abſtinentia: non dubito, fore, ut dictorum malorum vacuitate vir generoſus in poſterum gaudeat.

---

## CASUS CLXXI.

### *De pertinaci ulceratione femoris.*

IMploravit quondam tuam, Vir Experientiſſime, opem vir quidam generoſus, eo quod tum temporis, carcinomatoſo oris ulcere laborabat; quod præſcriptis à Te, decoctis, blandis laxantibus, lenemque ſudorem ducentibus, nec non recta vivendi ratione, prorſus coaleſcebat. Verum idem vir ante quinque annos, in ſuperiori, & externa oſſis femoris ſiniſtri parte, inſignem primum ſentire cœpit pruritum, qui paullo poſt, immoderatius ſcalpendo, in latam degeneravit ulcerationem. Hæc inuncto balſamo Peruviano, inſperſoque ad perficiendam conſolidationem pulvere quodam, intra quatuordecim dies equidem coaluit; ſed paullo poſt nova in eodem loco, numeroque plura efflorueiunt ulcuſcula. Atque his etiam conſolidatis, factum eſt, ut ab eo tempore quovis & vernali, & autumnali tempeſtate dictum locum quædam ulcerationes occuparent. Suboriuntur enim primum tubercula, attactu duriora, pruritu moleſtiſſimo ſtipata; quæ poſt aliquot dies, veluti ſanguine ſuffuſa conſpiciuntur, nigreſcunt, tumque finduntur, & ſaniem fundunt, carnem ſubjectam profundius depaſcentem: ſiquidem hæc filamentorum inſtar abſcedit; donec excreto copioſius pure, mundificetur ulcus, & inducat cicatricem. Conjuncti præterea vehementes ſunt & pruritus, & dolores; ac interdum ipſe ſincerus cruor, cum pure excernitur. Conſueto hoc more, circa elapſum noviſſime vernale tempus, iterum eruperunt dicta ulcuſcula; verum præter opinionem, tanta pertinacia per totam inhæſerunt æſtatem, ut uno exſiccato, alterum effloreſceret, & hæc ſcena ad hanc uſque diem ludatur. Quum itaque veretur generoſus ægrotans, ne hoc malum majora capiat incrementa; & graviora poſt ſe trahat pericula: petit conſilium, quo funditus illud exſtirpari poſſit.

### *Conſultatio.*

Generoſiſſimus Vir, cujus adverſa valetudo mecum eſt communicata, humoribus impuris, ſalſis, acribus, viſcidis atque ſcorbuticis, pollere videtur. Horum documentum non modo à carcinomatoſo, quod ante aliquot annos labia obſedit, ulcere; verum etiam illo, quod per integrum quinquennium, quovis ſemeſtri in femore effloruit, & per noviſſimam æſtatem, cuncta remedia eludens, pertinaciter inhæſit, omnino deſumi poteſt. Hinc ſimul curandi patet ratio, quod ſolis externis remediis neutiquam adminiſtrari debeat; ſed ea ſimul introrſecus data requirat medicamina, quæ totam humorum maſſam ab omnibus depurare valent impuritatibus. Atque talem adornaturus curationem, ante omnia ſanguinis convenientem ſuadeo miſſionem. Quum enim innotuit mihi, Virum ægrotantem per multos jam annos venæ ſectionibus ſuperſediſſe: non dubito, quin ex cumulata inde humorum mole, & conſequenter tardiori eorundem circuitu, multum augmentum dyſcraſiæ ſcorbuticæ acceſſiſſe ſtatuam. Tundenda igitur circa utrumque æquinoctiorum in pede eſt vena; &, quo impetus humorum eo derivetur, aliquot ante diebus tepidiora uſurpanda ſunt pediluvia. Conſulo præterea, ut per aliquot menſes omnis & vini & cereviſiæ potus fugiatur, & hoc in ordinarii potus locum adhibeatur decoctum: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias duas, chinæ, ſcorzoneræ ana unciam unam, ſeminis fœniculi drachmam ſemis. Conc. Conf. D. S. ſpecies, quarum una & dimidia uncia cum binis aquæ menſuris per horæ dimidium in vaſe clauſo decoquatur: quo etiam decocto calido mane uti licebit.

Tum vero hæc inſtituatur medicatio: Parentur ſpecies ex foliorum ſennæ, radicis polypodii, rhabarbari ana drachma una, ariſtolochiæ rotundæ, agarici trochiſcati, arcani duplicati, aniſi ſtellati ana drachma dimidia. Harum drachma una, in petia ligata, cum decocti ſuperius laudati ea, quam ſexta menſuræ pars capit, quantitate, decoquatur; & hæc decoctio, pro una doſi mane hauriatur, continuando per tres ſucceſſive dies. Ducet per alvum hoc remedii genus, omnes craſſas ac viſcidas impuritates, neque ullas movebit moleſtias. Hinc repurgatis primis

primis regionibus, per proximum ſeptiduum, decoctum ſuperius ſolum, cui herbæ cardui benedicti tres pugilli ſint incocti, mane capiatur calidum, & inde ſudor expectetur. Et hæc duo medicamina, tribus vicibus alternatim adhibeantur, ita ut laxans per triduum, & infuſum diaphoreticum per ſeptem ſorbilletur dies. Dum hæc fiunt, veſperi aſſumatur drachma una pulveris; qui ſic ſe habet: Recipe ceruſſæ antimonii, lapidum cancrorum, ſuccini præparati ana drachmam unam, cinnabaris antimonii bene præparatæ drachmam ſemis. M.F. pulvis, div. in quatuor partes. Cæterum à cibis pinguibus, ſalitis, acidiſque, potibus vinoſis, fumo tabaci, & vita motus experte, nec non venere cavendum, & corporis exercitationi probe ſtudendum. Extrinſecus ſequens mixtura, cum linteo, repetitis de die vicibus ulceri admoveatur: Recipe aquæ calcis vivæ, ſolani, arquebuſadæ ana unciam unam, ſacchari ſaturni, mercurii dulcis ana drachmam ſemis. M. D. Et hæc medicatio non ſolum præſenti ulcerationi exſtirpandæ convenientiſſima erit; verum etiam, ſi quovis ſemeſtri repetatur, virum generoſum ab omni in poſterum præcavebit moleſtia.

## CASUS CLXXII.

### *De abolitione motus pedis ex prava curatione poſt lapſum.*

FOEmina quædam generoſa, meam aliquando requirebat opem, eo, quod moleſtum pedis affectum per tres anni quadrantes paſſa fuerit. Quum enim ante dictum tempus, gravi lapſu in ipſum femoris os præceps ageretur; ſurgens in eo latere, quod ſiniſtrum fuit, maximeque circa tendines muſculi tricipitis, in anteriori oſſis ſacri parte, tenſivum percepit dolorem; adeo tamen levem, ut eadem die, licet non ſine moleſtia ſaltare potuerit. Sequenti vero nocte tanta dolorum tormenta, in affectum locum, ad tibiam uſque protenſa irruerunt; ut nullus eſſet, quo ſemet ſolari potuerit, corporis ſitus. Scire tamen licet, fœminam generoſam ante hujus mali invaſionem, non ſolum gravi exarſiſſe iracundia, verum ſcorbutico in manu exanthemate, brevi ante per topica intus acto, contaminatam fuiſſe.

Interim ea jam dolorum levamen quærens, incidit in manus Chirurgi cujuſdam caſtrenſis; qui in pede dextro, tanquam integro, venam ſecavit, & affecto loco ceratum impoſuit: unde dolores magis creverunt, & tendines in regione pubis, quaſi contractura affecti comparuerunt. Tandem conquieſcentibus poſt balneorum vaporoſorum uſum tantiſper doloribus; conſultus quidam balneator, femori læſo veſicans adplicuit emplaſtrum: at abhinc tanta ferocitate recruduerunt dolores, ut omnem ſomnum, omnemque fere patientiam adimerent, nec ullis balneis, unguentis, atque topicis depelli poſſe viderentur. Verumtamen ſucceſſu temporis exſpirarunt; & ſymptomata, quæ jam ſolicitant pereximiam matronam, hæc fere obſervantur. Femur affecti lateris magis eminet, & ipſe pes ſiniſter, dextro brevior eſt, nec ipſi valet inniti; nec eundem extendere, nec extrorſum movere; ſiquidem muſculorum, maximeque tricipitis tendines contracti, ac quaſi indurati conſpiciuntur. Neque etiam caput oſſis femoris, ſine inſigni dolore, moveri aut contrectari ſe patitur. Cæterum menſtruorum fluor inordinatus ſuccedit, & ideo hyſtericæ paſſiones, cumprimis animi deliquia, & cordis palpitationes per intervalla vexant; ſique dulces aſſumſerit cibos, male habet.

His præmiſſis, ſi in cauſſas horum malorum inquiramus; non ſane ſolus in femur lapſus accuſandus venit. Quamvis enim huic debilitatem tendinum, femoriſque ſubluxationem deberi, extra dubium ſit poſitum: attamen ad rheumaticum humorum verſus has debilitatas partes decubitum, maximopere reſpiciendum eſt. Namque huic in acceptis ferendi ſunt dolores, qui factæ læſioni ſupervenerunt, iſchiadici; qui cum incongruis topicis, & præſertim veſicatoriis tractati fuerunt; non mirum eſt, quod humorum acrium ad hanc partem adfluxus magis auctus ſit, & ſubluxatio increverit. Unde tandem callus in acetabulo generatus, & muſculi, tendines, nervique pedem introrſum flectentes, indurati contractique fuerunt; ut nulla eundem extrorſum movendi, quin & ambulandi imminuta ſit facultas.

Quæ cum ita ſint; vix fieri poterit, ut id vitii & internis & externis medicaminibus funditus perſanari, aut pes in naturalem ſitum reponi queat; quoniam calli, in acetabulo generati diſcuſſio, nullum amplius locum habere videtur. Neque tamen minus certiſſimam foveo ſpem, fore, ut convenientibus medicinis, pedem & movendi, & extendendi liberior obtineri queat potentia. Quum vero malum à ſcorbutica humorum diatheſi, quam exanthemata in manibus effloreſcentia, & fluor, quo generoſa mulier detinetur, albus indicant, foveri vero ſit ſimillimum: eo curationem ſimul dirigendam arbitror, ut ea acrimonia contemperetur, & edulcoretur.

Huic ſatisfacturus ſcopo, ſequens in uſum propono remedii genus: Recipe radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ ana uncias ſex, liquiritiæ, cichorei, ana uncias duas, corticis ligni ſaſſafras, unciam ſemis. C.C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ cum tribus aquæ menſuris per tres horæ quadrantes, addito antimonio crudo, unciæ dimidiæ pondere pulveriſato, & in petia ligato, decoquantur. Decocto vero hoc mane calido, in vicem potus Théebois; reliquo tempore frigido in locum potus ordinarii uti juvabit. Deinceps pulveris mei bezoardici drachmam unam alternis diebus veſperi capere; & pilularum balſamicarum quindecim, quovis tertio die devorare conveniet. Non minus balnea vaporoſa, circa ſomni tempus adhibenda, operæ facient pretium; tum enim ægrotans ſellæ perforatæ inſidere, & vaporem decocti ſuppoſiti, quod ex floribus chamomillæ, ſambuci, aqua & lacte paratur, pedibus probe velatis, ad affectam partem admittere debet.

Ex topicis hoc unguentum commendo: Recipe axungiæ humanæ uncias tres, balſami de Copaiva, olei ſpicæ veri ana drachmas tres. M. D. & mane non minus, ac per reliquam diem aliquoties parti læſæ illinatur. Nec denique abs re erit, veſicam vitulinam, oleo lini tepidiori plenam, circa pubis regionem, intra femora geſtare; eandemque, ubi refrixit, in aquam fervidam imponendo, rurſus calefacere. Non enim dubito, quin ex his præſidiis egregium mali levamentum ſit inſequuturum.

### *Epicriſis.*

Quamvis ex gravi, cujus in hiſtoria morbi mentio fit, in os iſchion lapſu, non protinus ſuborta fuerit vera femoris luxatio; id quod vel exinde patet, quod ægrotans paullo poſt ſaltare adhuc potuerit: attamen, accedentibus aliis cauſſis, enaſci tandem ſubluxationem poſſe, præſens confirmat hiſtoria. Dum enim anteceſſit exanthematum in manu ſcorbuticorum improvida repulſio: factum eſt, ut humores illi impuri, data per lapſum occaſione, ad juncturam femoris, tanquam partem debilem decubuerint;

buerint; ibidemque tormenta pepererint iſchiadica. Hic humorum adfluxus, accedente perverſa medicatione, & inconvenienti ceratorum, & veſicatoriorum uſu, magis omnino eſt confirmatus, adeo, ut inde caput oſſis femoris è ſede ſua excuſſum, & partes muſculoſæ, tendinoſæque quadam contractura affectæ fuerint. Mea quidem ſententia hæc mala utique præcaveri potuiſſent, ſi ab initio interne mixtura diſcutiens, ex aqua cardui benedicti, chærefolii, aceto deſtillato, mixtura ſimplici, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, & ſyrupo croci propinata; extrinſecus vero pars læſa ſpiritu vini camphorato, cum eſſentia croci, atque nuciſtæ permixto probe fricata, & in naturalem ſitum perita manu repoſita fuiſſet. Verum generato jam & inveteraſcente acetabuli callo; morbus eſt immedicabilis.

---

## CASUS CLXXIII.

*De impotentia ambulandi ex lapſu in regionem iſchiadicam, oſſe femoris nec fracto, nec luxato.*

VIr ſexagenario major, temperamenti ſanguineo-cholerici, vitæ genere ſedentario & motus experte uſus, fluori hæmorrhoidali moderato, bis vel ter quotannis circa ſolemnes ut plurimum cœli mutationes obnoxius, & hernia ab inteſtinis ex dextro inguine in ſcrotum prolapſis ſatis grandi affectus, ante ſeptem hebdomades in plana pavimenti ſuperficie, ex improviſo in regionem iſchiadicam dextri lateris graviter concidebat. Surgens, & per aliquot paſſus abſque ullo incommodo progreſſus, tanto repente dolore in eo loco, prehendebatur, ut ſtandi pariter ac ambulandi potentia deſtitutus, lecto imponi debuerit. Viſitato curatius loco, nulla oſſis femoris nec in collo, nec in medio corpore fractura, nec ejus luxatio; ſed ingens tantum contuſio, & muſculorum, tendinumque vehemens contorſio deprehendi poterat. Quamobrem ad præcavendum tumorem inflammatorium, externe ſpiritus bezoardicus camphoratus adhibebatur; interne propter graviorem, qui junctus erat, terrorem, tam eſſentia blande bezoardica, quam pulvis temperans bezoardicus è chelis cancrorum, ſpecifico cephalico Michaëlis, nitro depurato paratus dabatur. Neque tamen minus ſex à facto lapſu diebus, calore præternaturali, & contumaci alvi obſtructione corripiebatur. Præter dicta remedia, & aquas diapnoicas circa ſomni tempus, ad promovendam tranſpirationem propinatas, admovebatur læſo femori emplaſtrum è nervino, ſantalino, & oxycroceo, nonnihil camphorato confectum. Alvus autem per integrum octiduum clauſa manebat, quo elapſo, datis crebrius dictis pulveribus, tartaro vitriolato nuptis tandem ſolvebatur. Lentus tamen calor adhuc moleſtiam creabat; & ipſi dolores per intervalla modo graviores, modo tam mites erant, ut iterum ſtare, & utraque crura abſque ullo moleſtiæ ſenſu movere valeret; urina exiſtente ſaturata, & quandoque craſſa ac turbida.

Elapſis tribus ſeptimanis, alvi profluvium accedebat copioſiſſimum, non modo muco tenaci, in fruſtis excreto, verum ipſo etiam cruore permixtum. Quo circa vigeſimum ſextum morbi diem ſedato, urina mejebatur citrina, ciborum adpetitus redibat, ſomnus erat tranquillior, niſi quod flatulentiæ ipſum nonnunquam turbarent; & æger, miniſtro innixus, in conclavi, abſque doloribus ambulare valebat. Quum vero femur circa genu exareſcere videbatur; chirurgus ipſi mox unguentum nervinum, mox ſolum ſpiritum vini camphoratum, mox dictum ſupra emplaſtrum, cum oleo lumbricorum terreſtrium ſubactum, non ſine levamine adplicabat. Cœpit etiam bene habere ægrotus vir, adeo ut ſexta à facto lapſu hebdomade, lectum deſerens, pede à frigore munito, ſellæ inſideret. Hinc vero utriuſque, maxime læſi pedis tumor œdematoſus, ad genu uſque excurrens accedebat: qui externe ſacculis paregoricis, cum floribus ſambuci, & camphora paratis, interne diureticis ac diapnoicis oppugnatus, ſenſim detumeſcebat; neque vero, licet pedes continuo udore madeant, eos prorſus reliquit. Jungebantur etiam crebra ſternutamenta, levior tuſſicula, & raucedo quædam; ſed brevi poſt evaneſcebant.

Et in hoc rerum ſtatu per ſeptem jam vivit hebdomades æger; adpetitu neutiquam deſectus, tantum abeſt, ut eandem, quam ſanus ſumſit, capere ſoleat ciborum quantitatem; nec viribus adeo privatus eſt, quin non modo in ipſo conclavi ſe circumgeſtari, ſed ope lecticæ in ædes ſacras vehi curet. Ipſe cæterum errores diætetices ac crapulas, nec non cibos coctu difficiliores ſtudioſe fugit; nec potibus calidioribus Thée, Coffée, vel Succoladæ, nec aliis quibuſcunque decoctis utitur: ſed inter epulas præter cereviſiam Naumburgenſem, unum vel alterum vini Hungarici hauſtum aſſumere ſolet; quoniam ab aliis & vinis, & cereviſiis, quandam in primis officinis naſci ſentit cruditatem. Venam nunquam ſecandam præbuit; ſiquidem omnes ſanguinis miſſiones inſigniter averſatur. Nec ignorari oportet, parentem ejus quinquaginta annos natum, hydrope, toti familiæ familiari, periiſſe; poſtquam tribus ante mortem annis, eodem ac noſter, lapſu percuſſus fuerat.

Quam ob cauſſam dubius quoque hæſit medicus, num junctum œdema pedum ab ipſo lapſu, & facto ſubinde gravi terrore derivaret, anne potius diuturniorem decubitum, & hinc generatum ſuccorum vitalium lentorem, ac conſequentem in viſceribus imi ventris, maximeque hepate ſtagnationem accuſaret, indeque futuram metueret cachexiam. Idcirco cum reliquis medicaminibus ordinavit etiam aperientia, roborantia, atque viſceralia: ſed quum malum nulla adhuc medicatione prorſus debellari potuit; ad Te, Vir Illuſtris, confugimus, tuamque ſententiam de his potiſſimum anhelamus momentis.

1. Num recte judicaverit medicus, quod caput oſſis femoris nec fractum, nec luxatum ſit; anne commendata ab ipſo topica ſine noxæ metu potuerint adhiberi?

2. Utrum tumor œdematoſus, quo jam ante aliquot annos, utut leviori laboravit, hac vice, continuante nequicquam perſpiratione, inhærens, à ſolo terrore, & facta per lapſum membranarum nervearum, ac muſculorum contuſione ſit derivandus; anne potius humorum quandam acrimoniam, ac incipientem cachexiam ſignificet, inprimis, cum tuſſis, raucedo, alvi fluxus, & ſternutatio ſupervenientes huic opinioni favere videantur?

3. An conſultum ſit, uſum ſacculorum paregoricorum externum continuare, omiſſa tamen jam camphora, quippe quæ partibus mucidis & gelatinoſis ſpiſſioribus, in poris & fibrillis pedum, tanquam partium à fonte caloris remotiſſimarum reſtitantibus, majorem ſtagnandi occaſionem præbere animadvertitur? anne ſit convenientius, pedum tranſpirationem, ſolis integumentis calidioribus adjuvare?

4. Utrum ſpiritus nervinus, cum euphorbio deſtillatus, emplaſtro huc uſque uſurpato ſit præferendus?

5. Num liceat, geſtationem in lecticis, cœlo exiſtente ſereno continuare?

6. Anne tam ad depellendum pedum œdema, quam promovendas hæmorrhoides, ſit proficuum, ſingulo menſe, luna decreſcente, ventrem leni laxante ſubducere? Et

7. Num denique recurrentes interdum dolores, vel ſanguinis in acetabulo ſub lapſu factam ſtaſin, vel plane occultam adhuc oſſis innominati læſionem ſignificent?

*Reſponſio Conſultatoria.*

Cuncta morbi, cujus cauſſa conſultus ſum, momenta ſedulo perſcrutatus; ad quæſtionum adnexarum primam reſpondeo, quod mea quidem ſententia, nulla omnino nec luxatio, nec fractura oſſis femoris, ejuſque capitis præſto ſit. Primum enim lapſus ille in planam pavimenti ſuperficiem, non tam violentus eſſe potuit, ut in ægro, qui non valde carnoſus eſſe videtur, ipſam femoris vel luxationem, vel fracturam produxerit. Deinceps ſubilkatis femori violentiis ejuſmodi, omnis ambulandi potentia protinus aboleri ſolet; quam noſtro poſt lapſum relictam fuiſſe, morbi docet hiſtoria: ut taceam, capitis, quod in oſſe femoris eſt, luxationem eſſe rariſſimam. Credo potius, quod ligamenta illa tendinoſa, nervea, ac glanduloſa, quæ oſſibus iſchii, ilei, atque femoris connectendis tributa ſunt, à gravi illo lapſu læſa, compreſſa ac contuſa fuerint: unde humores in libero per vaſa contuſarum partium circuitu retardati, ibidem ſtagnaverunt, & doloris pariter ac tumoris auctores exiſtunt. Hiſce vero ſtagnantibus ſuccis diſcutiendis, ſtatim ab initio non convenientius fuiſſet ſpiritu vini camphorato remedium, quem in ejuſmodi caſibus cum eſſentia croci & caſtorei remiſcere ſoleo. Emplaſtro oxycroceo, quod ob vim, qua pollet, attractivam & exagitantem minus proficuum arbitror, majori cum fructu, emplaſtrum miraculoſum Barbette ſubſtitui potuiſſe cenſeo; quippe quod egregia reſolvendi, doloreſque ſopiendi virtute gaudet, nec tranſpirationis ſucceſſum remoratur. Nec ludetur opera, ſi adhuc dicta topicorum genera in uſum vocentur. Reliqua vero, quæ lapſum exceperunt, ſymptomata, veluti alvi obſtructio, calor præternaturalis, febris ſymptomatica, & adpetitus proſtratio &c. non niſi ſuborto in parte affecta dolori debentur: ea enim eſt partium nervoſarum indoles, ut ſi gravi ſpaſmo ac dolore afficiantur, hunc cum vicinis non ſolum, verum etiam remotis partibus communicent, pulſumque durum & celerem, cum urina ſaturatiori, & æſtu intenſiori poſt ſe trahant.

Cumprimis juxta alteram quæſtionem, œdematoſus pedum tumor attentius conſiderari meretur. Non negaverim, quin ipſe lapſus, & inde ſuborti dolores, nec non diuturnior decubitus, & vita ſine motu deſes, ad illum generandum magnum contulerint momentum: verum cum non læſum tantum modo, ſed alterum quoque adhuc integrum pedem obſedit, & jam ante aliquot annos præſto fuit, hacque demum vice præſtantiſſima remediorum genera eluſit; omnino inducor, ut ipſius originem in ipſis imi ventris viſceribus quæram. Quare ſi conſideravero, ægrum vitam agere motus fere expertem, epulis largis uti, ſanguinis miſſionem prorſus abhorrere, hæmorrhoidum fluori obnoxium eſſe, ejuſque parentem hydrope periiſſe; non vana ſuboritur ſuſpicio, ne cachexiæ prima rudimenta jam locum occupaverint; quæ, ſi hæmorrhoides in poſterum parcius ſucceſſerint, & animi curæ ac ſolicitudines intervenerint, majores utique acquirent vires, quibus omni ſtudio jam erit præcavendum. Huic ſcopo ea, quæ hactenus uſurpata ſunt, & externa, & interna medicamina, apprime reſpondere cenſeo, eaque ſummo cum fructu continuari poſſe credo; maxime ſi animi tranquillitas ſtudioſe conſervetur, & corpus moderate, ſi vel vectione fiat, moveatur. Ego præterea ejuſmodi in caſibus, multa doctus experientia, à prudenti thermarum Carolinarum uſu, conjuncta peregrinatione, magnum polliceri poſſum auxilium; num vero hæc remedia in noſtro ægrotante locum inveniant, præſentium medicorum dijudicationi relinquo. Quod ſi non arriſerint, eodem cum ſucceſſu illis ſubſtitui poterunt ſalia, quæ ex thermis paranda docui, & in cachecticis, quin hydropicis affectibus utiliſſima deprehendi. Hanc vero curationem ita adornandam ſoleo, & ſuadeo: Salis mei aperitivi ſcrupulus unus, vel drachma dimidia, mane ex aqua vino nupta capiatur, deſuperque juſculum medicatum ſorbilletur. Sub epulis quinquaginta guttæ Elixirii balſamici viſceralis aſſumantur; & alternis diebus decem pilularum balſamicarum devorentur. His per dies quatuordecim uſurpatis, exhibeatur per aliquod tempus tinctura martis pomata; ejuſque uſui & largus potus, maxime juſculorum & ſufficiens corporis motus conjungatur.

Quod ſpeciatim tertiam attinet quæſtionem: conſultiſſimum utique mihi videtur, camphoræ externum uſum jam prorſus omittere; & potius totum pedem convenientibus ligaturis, nec nimis laxis, nec juſto ſtrictioribus vincire, atque cum lectulis mollioribus probe munire. Hæ enim ligaturæ, dum ſanguinis regreſſum, qui in pedibus, ob ſitum eorundem perpendicularem, eſſe ſolet difficillimus, egregie juvant, abſque omnis noxæ metu in uſum vocari poſſunt. Nec ludetur opera, ſi tumidi pedes ſæpius igni camini admoveantur: ſiquidem & inde ſtagnantium humorum quandam diſcuſſionem, & laxatarum partium corroborationem ſperare licet.

Quartæ ſatisfacturus quæſtioni; non ſane video, qua ratione nimius exſiccantium, ſpirituoſorum, quale eſt commendatus nervinus ſpiritus, cum euphorbio deſtillatus, votis ſit reſponſurus uſus. Meo arbitrio ex topicis ſufficient emplaſtrum miraculoſum Barbette, loco affecto prius cum mixtura, quæ ex eſſentia croci, caſtorei, & ſpiritu vini camphorato paratur, probe perfricato admotum. In more etiam mihi poſitum eſt, tumidos pedes pelle leporino circumdare: ſed diſpiciendum erit, an in præſenti caſu, ejus adplicatio perferatur; ſiquidem non omnes illius uſum ferre poſſunt.

Motum corporis, per geſtationem factum, de quo quinta agit quæſtio, maxime commendo; id tamen monendum duco, ut ſi fiat ſub libero aëre, non niſi cœlo ſereno, temperateque calido exiſtente inſtituatur. Neque juxta ſextam quæſtionem, alienum judico, ut luna decreſcente, blando laxante alvina promoveatur excretio. Præterea vero urinæ fluxum omni modo ſecundare juvabit: cui ſcopo magis alimenta inſervient, quam remedia pharmaceutica. Sic utiliſſima eo fine ſunt brodia, quæ ex jure carnis bovinæ, vel gallinarum, cum radice graminis, aſparagi, petroſelini, fœniculi, & cremore tartari coquuntur, ſub epulis frequenter ſorbillanda. Cumprimis optarem, ut fluxus hæmorrhoidalis ad juſtum ordinem ac ſucceſſum reduci poſſet: tum enim ab omni metu futuræ cachexiæ, tutos, ſecuroſque eſſe liceret.

Ad ſeptimam denique quæſtionem reſpondere,

eo

eo minus erit neceſſarium, quo magis prolatæ in ea opiniones nullo gaudent fundamento; & ex ſupra dictis innoteſcet, cuncta morbi ſymptomata à nervis male affectis, & inde ſubortis doloribus pendere. Neque dubito, quin ſi ex præſcripto vixerit æger, & commendatis remediis rite uſus fuerit, à malo ſuo perfectam ſit conſequuturus curationem.

## CASUS CLXXIV.

### *De impotentia ambulandi ex imbecillitate naturali.*

IMploravit aliquando meam per litteras opem, matrona quædam generoſa: eo quod ipſius filius, puer optimæ indolis, ac ſpei, ambulandi quodam vitio, eoque naturali laboraret; & in tarſo utriuſque pedum quoddam emineret tuberculum, quod inter eundum extrorſum verſus malleolum vergeret, ibidemque, cum ipſius pedis diſtorſione, greſſum fallente, frequentique refrigeratione, promineret. Ipſe puer erat temperamenti phlegmatici, corporis ſpongioſi, ſuccorumque pituitoſorum, valde pleni; & partes ſolidæ, nervoſæ, ac membranaceæ, præſertim artuum externorum, valde debiles, laxæque adparebant. Cumprimis juncturæ, ac ligamenta, quæ oſſibus pedis extremi connectendis inſerviunt, admodum relaxata videbantur; adeo, ut pedes ob eorundem infirmitatem, geſtando totius corporis oneri, minus pares fuerint, ſed ſub quovis greſſu extrorſum ceſſerint, cum tuberculi cujuſdam circa malleolos eminentia, & ideo ambulandi difficilem reddiderint facultatem. Quum vero hoc vitium nativa debilitate, & mala pedum conformatione nitatur: ei radicitus exſtirpando, nulla utique ſufficient pharmaca. Idcirco, quod forſan reſtiterit auxilium, à ſolo ætatis progreſſu expectandum eſſe reor; cum cujus incremento partium quoque ſolidarum robur augeri deprehenditur.

Verùm nec omnis vis arti denegari debet, ſed omni ſtudio proſpiciendum eſt, ut convenienti ratione nimiam ſeroſorum, & pituitoſorum humorum molem imminuamus, ejuſque generationem præpediamus. Et hoc fine nos potiri poſſe cenſeo, ſi primum victus recta habeatur ratio. Quare ante omnia monendus eſt æger, ut epulis ſenſim adſueſcat parcioribus; juſculis pinguioribus, oleribus, leguminibus, carnibuſque elixis parum utatur; contra vero aſſi, juſculiſque tenuioribus, ex aqua vino nupta; ſemine cymini, cruſtaque panis; vel baccis cynosbati confectis; vel iis, quæ ex jure carnium, cum radice petroſelini, apio, chæreſolio & acetoſa parantur; atque carnibus aſſis, cum vino, baccis juniperi, & ſucco citri maceratis, eo frequentius veſcatur. Deinceps omni cereviſia interdicendus eſt, cujus in locum pro potu ordinario, decoctum bibat, cujus hæc ſit formula: Recipe radicis ſarſaparillæ uncias quatuor, raſuræ ligni juniperi, ſaſſafras, radicis cichorei, liquiritiæ, chinæ ana unciam. M. C. D. S. ſpecies, quarum unciæ binæ cum tribus aquæ menſuris per horæ dimidium coquantur. Alternis quoque diebus hujus decocti calidioris aliquot vaſcula mane ſorbillare, & abhinc blanda exercitatione corpus agitare conveniet; quæ nec reliquo intermitti debet tempore. Veſperi capiatur interdum drachma dimidia pulveris mei bezoardici; & circa imminentes lunæ mutationes, ad liquandam alvum, ſumantur per duos ſemper dies, pilularum balſamicarum quatuordecim.

Extrinſecus ad roborandas partes, inſigniſſimi uſus erit hoc linimentum: Recipe axungiæ humanæ uncias duas, ceræ albæ, ſpermatis ceti ana unciam ſemis, balſami Peruviani drachmas duas, olei juniperi, ſpicæ, caryophyllorum ana drachmam. M. F. unguentum, quo cum calidiori juncturæ pedum bis quotidie inungantur. His per binas circiter hebdomades uſurpatis, cum egregio fructu adhiberi poterunt balnea Lauchſtadienſia, menſe Maio potiſſimum; quippe quæ ob terram, quam fovent, ſubtilem ſulphureo-martialem, roborandi fine, his in adfectibus ſunt præſtantiſſima. Et ſi quid opis adhuc reſtiterit; ea profecto non niſi dicta ratione erit obtinenda.

## CASUS CLXXV.

### *De tumore cruris ſanguineo.*

VIr generoſus, ſeptuagenario major, robuſti, & ſubpinguis habitus corporis, pro ætatis ratione ſatis vegetus, & quovis verno tempore, venam tundendam præbere ſolitus, haud ita pridem, noctu urinam miſſurus, ex lecto ſurgens præter opinionem in gypſeum concidebat pavimentum; & gravi terrore perculſus, lectum denuo petebat, de magno in dextro crure circa genu conqueſtus dolore. Poſtridie in eadem regione tumor ſuboriebatur, qui intra paucos dies ad magnam molem, & capitis humani magnitudinem increſcebat. Perterritus æger medicum æque ac chirurgum accerſi jubebat, qui tumorem doloris, ardoriſque expertem, ſed levi rubore circa genu inveſtitum animadvertebant. Idcirco ipſi adplicabant emplaſtrum de ſapone, largiter camphoratum, eique lintea triplicata, decocto ex herbis ſcordii, rutæ, cardui benedicti, floribus ſambuci, chamomillæ Romanæ, baccis lauri & juniperi, cum vino Rhenano, & ſub finem decoctionis addita ſpiritus ſalis ammoniaci uncia dimidia parato, madefacta ſuperimponebant. Interne ordinabant tincturam bezoardicam camphoratam; & lapides cancrorum ex vino capiendos; verum nullum inde ſequebatur levamen, tantum aberat, ut tumor magis increſceret, cum inſigni totius corporis laſſitudine junctus.

Ego demum conſultus, ut tumor facta inciſione protinus aperiretur, ſuaſi; eo quod conjicere poteram, humorem extravaſatum, cutim inter ac ſubjectos muſculos fluctuari. Inciſa cute, effluebant fere binæ libræ ſinceri cruoris, quem purulenta ſanguine remixta ſequebatur materia. Concidebat tumor, ejuſque cavitas, candela cerea explorata, magnum occupaſſe ſpatium deprehendebatur. Huic injiciendum curavi liquorem traumaticum, qui ex ſpiritu vini rectificato, myrrha, aloë roſata, gummi elemi, tacamahaca, floribus hyperici, roſarum, millefolii, & balſamo Peruviano, leni calore digeſtis, & melle roſato permixtis, erat confectus. Præterea dicti emplaſtri, & cataplaſmatis uſum continuari juſſi; & interne pulverem meum bezoardicum, ac Elixir viſcerale propinavi, atque ob adpetitus ſummam proſtrationem, hauſtum vini Hungarici commendavi. Ipſum ulcus bis quotidie deligandum curavi, quod prioribus diebus ſaniem adhuc, cruore permixtam, deinceps vero ſolum pus, colore æque ac conſiſtentia bonum ſtillabat, & intra quinque menſium decurſum prorſus coaleſcebat, redeunte perfecta ſanitate.

Non alienum hoc loco erit, caſum quendam allegare, qui haud ita pridem meæ curæ traditus erat, & in tumore ſanguineo conſiſtebat; ſed à priori partim ratione originis, partim reſpectu decurſus, multum

tum diſcrepabat. Nimirum vir quidam ſexagenarius, ſiccæ & melancholicæ temperaturæ, vitæ motus experti, ac ærumnarum plenæ deditus, & à longo tempore arthriticis podagriciſque tormentis obnoxius, ex improviſo tumore totius brachii dextri dolorifico, & ſenſim cœruleo lividoque corripiebatur. Oppugnatus ille variis topicis, relicta in brachio quadam duritie, priſtinoque colore, inde diſcedebat, & dextrum pectoris latus circa mamillam obſidebat. Ibidem magis magiſque invaleſcebat, durior & ex cœruleo rubicundus adparebat, virium defectu, adpetitus proſtratione, moleſta tuſſi, ſpirandi difficultate, & tumore utriuſque pedis œdematoſo ſtipatus.

Acciti medicus & chirurgus, in eo conveniebant, ut imminenti periculo, non niſi prudenti tumoris inciſione conſuli poſſet. At æger huic conſilio aures dare recuſans, meam implorabat opem: quare exploratis & ejus conſtitutione, & tumoris indole, operationi calculum addere non potui. Namque non pus ſubeſſe, ſed humorem acrem, corruptumque, qui ſubſtrata vaſa jam exederat, deliteſcere animadverti; ideoque judicavi, fore ut ſub accedente inter inciſionem aëre liberiori, corruptio illa majores ſumeret vires, atque mortem acceleraret.

Neque vero minus, me abſente, hic tumor aperiebatur, & ex illo loco putati puris, ſincerus ſanguis, cum acri ichore maritatus, ultra menſuræ quantitatem detrahebatur; injecta ſubinde eſſentia myrrhæ aquoſa, quæ etiam interne propinabatur. Poſtridie eadem ſanies profluebat; & tertio die purus cruor tanto flumine effundebatur, ut vix compeſci potuerit. Fractis hinc magis magiſque viribus, poſt aliquot dies vitam cum morte commutabat. Secato corpore, interna abſceſſus cavitas tota ſiderata, pectus & abdomen intus humore putri fœtidoque repleta, & ſiniſter pulmonum lobus, ab inhærente ſanie corruptus ac putridus adparebant.

*Epicriſis.*

Varii generis tumores in quacunque fere corporis humani parte enaſci ſolere, in vulgus notum eſt; nec ullus, rei medicæ peritus facile negabit, quin à variis cauſſis ſuam trahant originem. Hinc vero certiſſima ſequitur concluſio, quod medicus æque ac chirurgus id vitii genus curaturus, diverſas cauſſas ab invicem probe diſcernere, atque cuivis peculiarem tribuere debeat curationem: quum per crebram proh! dolor experientiam compertum habeamus, ejuſmodi tumores, minus perita manu tractatos, non modo periculoſos, verum non raro lethiferos eſſe.

Cumprimis vero tumores, qui in allegatis caſibus occurrerunt, rariores ſunt, ac peculiarem ſpeciem conſtituunt, utpote qui, dum à cruore ſtagnante, ac extravaſato, poſt inciſionem magna copia in conſpectum prodeunte, ſuos natales mutuentur, omni jure ſanguinei merentur adpellari. Probe diſtinguendi ſunt ab apoſtemate vel abſceſſu, qui inflammationes ſequitur, verum pus fovet, & abſque convenienti apertura vix curari poteſt. Tumor ejuſmodi apoſtematodeus, cum naſcitur, magno dolore, rubedine, æſtu præternaturali, atque fortiori arteriarum vicinarum pulſatione ſeſe prodit, & intra certam temporis periodum ſuppuratus, tumque attactu valde mollis, & inſtar veſicæ aqua repletæ eſt. Contra vero tumores ſanguinei plerumque contuſioni, aut externæ cuidam violentiæ debentur, & abſque ullis inflammationis notis brevi tempore ad ingentem increſcunt magnitudinem. Quidam eorum benigni merentur vocari, qui abſque ullo periculi metu ſcalpello aperiri, & facili negotio conſolidari poſſunt. Infeſtant fere ſanguinei temperamenti ſubjecta, quorum exiliora quidem, ſed multa, & ſanguine turgida ſunt vaſcula. Quæ ſi à violenta quadam externa cauſſa contundantur, vel dilacerentur; effundunt ſuum cruorem intra ſpatium, quod muſculos & cutim intercedit; qui ibidem accumulatus, conſtituit tumorem, magis magiſque increſcentem. Neque enim alia ratione, quam circumſpecta apertione ſanari poſſunt; quoniam extravaſatus cruor libero tunc potitur exitu. Quando autem hoc ſubſidium, quod in ſectione conſiſtit, omittitur; ſtagnans ea materies, mora temporis, gravem ſubit corruptionem; tumque non ipſum modo ulcus curationi fit rebellius: verum etiam putredinoſa ramenta ad humorum maſſam ſpargit, unde virium languor, corporis contabeſcentia, & hecticodea conſumtio proficiſcuntur.

Idcirco hoc in caſu quam ocyſſime inſtituere convenit inciſionem; namque facta per eam cavitas, maxime ſi ſana fuerint ſubjecta, & blandis temperatiſque gaudeant ſuccis, facili coaleſcere ſolet negotio: quo etiam ſine liquores balſamicos, & ſpirituoſos injicere expedit, qui non tantum corruptioni ac putredini reſiſtunt, verum etiam conſtringendo dilacerata vaſcula, totam egregie adjuvant conſolidationem.

Longe vero aliter res ſe habet cum ſanguineis tumoribus, quos malignos adpellare placet; & quorum ſpecimen ſiſtit, ſecundus brevi ante recenſitus caſus. Malignitatem ſuam tumor ille in pectore ſubortus prodit eo, quod primum ſubjectum, ſuccis impuris & ſcorbuticis plenum, at variis morbis, mœroribuſque fere confectum occupavit; deinceps in eo differt à benigno, quod à cauſſa magis interna originem traxit, quæ procul dubio in humore acri, extravaſato, & fibroſas, vaſculoſaſque partes colliquante quærenda eſt. Neque hi tumores ſimul & ſemel, ſed lentis incrementis ſuboriuntur; & non raro ſuam malignitatem ad vicinas ſpargunt partes; quod utrumque momentum in noſtro caſu deprehenditur. Quum enim impuri noſtri corporis ſucci, quo diutius ſtagnaverint, eo acriores evadunt, & ipſam denique ſubeunt putredinem: facile patet ratio, cur putredinoſa ejuſmodi corruptio, quæ nunquam non ulterius ſerpit, ad partes ſolidas adjacentes propagetur. Et hi tumores inſignem plerumque duritiem exhibent; quæ quo major fuerit, eo minus ſectionem admittit: indicat enim, ſtagnantem humorem firmius impactum, ac induratum, partiumque ſolidarum graviorem ſubeſſe læſionem.

Eventus horum malignorum tumorum nunquam non infauſtus eſt, mortemque prænunciat, eo celeriorem, ſi præmatura fiat apertio. Hæc enim variis modis noxam infert: dum vel tali ratione externus aër ad affectum locum irruit, qui & humoribus extravaſatis majorem imprimit corruptelam, & ſolidis partibus ſphaceloſam affricat putredinem; vel remoto per inciſionem ſtagnante cruore, denudantur arroſa vaſa, tumque ſanguinis inducunt profluvium vix coërcibile, atque mortiferum. Quo in caſu, ſi ulla ſalutis ſpes reſtiterit; ea meo quidem arbitrio ex omni parte, in liquoris balſamici ſpirituoſi injectione collocanda eſt. Namque neminem in arte chirurgica verſatum fugiet, quod tam in conſtringendis, quæ lacerata ſunt, vaſculis, & hinc compeſcendo fluxu ſanguineo, quam in abarcenda ſphaceloſa putredine, ipſo ſpiritu vini, & ſolo, & cum balſamicis remixto, non ullum ſit præſtantius remedium.

Ex

Ex his clariſſime perſpici poterit, quæ curatio tumoribus ſanguineis & benignis & malignis adaptanda ſit: hi enim tantum abeſt, ut inciſione aperiri cum fructu poſſint, ut potius ad illos morbos pertineant, qui pro ſymbolo habent: Noli me tangere. Nihil fere ſupereſt medico, quam ut convenientibus medicinis externis æque, ac internis, inſtantem ſiderationem atque mortem omni ſtudio arcere annitatur. Patet etiam ex binis caſibus, quam neceſſarium ſit, cuncta morborum momenta penitius explorare: quoniam in iis, qui nullam admittunt medelam, recta prognoſis ad conſervandam medici famam, plurimum conferre poterit.

---

## CASUS CLXXVI.

### *De efficacia olei caryophyllorum in ſphacelo ex cauſſa interna nato.*

Vir generoſus, quinquaginta annorum, temperamenti ſanguinei, caſtra ſequutus à teneris, ante aliquot annos vitam elegit quietiorem; & ſub hac, accedentibus hæreditaria diſpoſitione, multo vini Hungarici, ciborumque acidorum, ſalitorum, & fumo induratorum uſu, nec non diuturnis animi affectibus, in morbum incidit articularem. A quo, ut liberaretur, interne thermis Carolinis, acidulis Egranis, externeque balneis Tœplicenſibus, non ſine fructu, uſus eſt. Tribus autem abhinc annis accidit, ut dextro pede in lignum impegerit, & inde levem paſſus ſit excoriationem, quam impoſito chartæ fruſto, nihil æſtimavit. Poſtridie, cum ſub fervidiſſimo cœlo, corpus fortiori motu exagitaret; prævio horrore, æſtu vehementi, cum magna totius corporis laſſitudine prehendebatur. Acciti medicus & chirurgus, pedem profunda inflammatione contaminatum deprehendebant, cui paucis poſt diebus ipſe ſphacelus, ſpatium imperialis occupans accedebat. Neque vero, more conſueto, latius ſerpebat; ſed debitis mundificantibus ac conſolidantibus medicinis rite adplicatis, ulcuſculum illud intra ſeptimeſtre tempus penitus coaleſcebat.

Abhinc autem per aliquot menſes adverſa valetudine fruebatur æger; & cumprimis catarrhoſis ac rheumaticis affectionibus, ventriculi debilitate, flatulentis imi ventris moleſtiis, tormentis arthriticis, podagricisque, vertigine, capitiſque doloribus atrociter vexabatur. Quæ incommoda debellaturus, menſe præcedentis anni Maio, decrevit Egranis uti acidulis. His per octiduum circiter potis; ex improviſo fiebat, ut famulus tibialia detrahens ægrotanti, in dextro pede inter quartum & minimum digitum aliqualem obſervaret excoriationem. Ab omni vero dolore vacuum erat ulcuſculum; quare, illo cum linteo deligato, cubitum ibat vir generoſus, nihil mali ſuſpicatus. Verum poſt aliquot dies minimus ille digitus, colore plumbeo imbutus adparebat, quin tandem, multis topicis fruſtra adplicatis, abſque ullo doloris ſenſu, forcipe exſtirpari debebat. Tum malum ulterius ſerpere cœpit, & plantam pedis in ulcerationis conſenſum rapuit; quæ adeo rebellis fuit, ut ſpretis efficaciſſimis & internis, & externis remediis, adhuc dum inhæreſcat. Acceſſit inſuper non modo glandularum inguinalium tumor; verum etiam febris quædam ſymptomatica, per quam rigor maximus, ſubſequente mitiori calore, incidebat. Hac ſuperata, magis invaluit pedis corruptio: cui, ut ferantur ſuppetiæ, eſt, quod obnixe rogamus.

### *Conſilium.*

Vidi & intellexi ex datis ad me litteris, quæ virum generoſum infeſtent affectiones: neque enim ulla me ſubit admiratio, quod externis, hactenus adplicatis remediis nondum obſecundaverint. Namque illæ, præſertim ſphaceloſa pedis corruptio, non externam agnoſcunt cauſſam; ſed ab interna, nimirum inſigni atque tanta lymphæ corruptione originem trahunt, quæ non modo totam humorum maſſam, verum etiam ſolidas, nervoſaſque partes, ac ima oſſium penetralia contaminavit, & depaſcitur. Quod ſi vero cauſſas hujus corruptionis diſquiram, varia occurrunt momenta, quibus aliqua debetur animadverſio.

Primum quidem, cum vir ægrotans ſub vita, quam olim egit, militari, ſufficienti corporis motu gaviſus fuit; non aliter fieri potuit, quin tum temporis illibatam præ ſe tulerit valetudinem. Poſtquam vero, miſſo hoc vivendi genere mobiliori, elegit magis ſedentarium; neque tamen minus gulæ & adpetitui indulſit: nimiam ſibimet acquiſivit ſanguinis & humorum abundantiam, inprimis cum ſanguineum temperamentum, cujus notæ ſunt habitus corporis ſpongioſus, & anguſtia vaſorum, accedat. Magnam autem ſanguinis molem, junctis præſertim vita deſide, & largis epulis, ſuccorum vitalium impuritatem poſt ſe trahere, notiſſimum eſt. Namque illi juſtam quantitatis proportionem excedentes, debilitant partium ſolidarum, per quas vehuntur, tonum, & ad retardandam circulationem, efficaciſſimum conferunt momentum. Hinc in imi ventris præſertim viſceribus ſtagnantes, inepti fiunt legitimæ per organa colatoria depurationi: quare remanent varii generis ſordes, & univerſalem lymphæ pariunt corruptionem. Quæ omnia eo certius ac facilius fiunt, quo magis corporis debitæ, & antea conſuetæ exercitationes intermittantur; quippe quæ ad promovendas omnes excretiones deprehenduntur & utiliſſimæ & efficaciſſimæ.

Sic enata humorum dyſcraſia, accedente victu perverſo, majores omnino cepit vires. Uſus enim vir generoſus eſt multis vinis calidioribus Hungaricis, cibis ſalitis, acidis, fumoque induratis: unde generata ſalia ſcorbutica, concurrente diſpoſitione hæreditaria, arthriticis cauſſam præbuerunt doloribus. Intervenerunt animi diuturniores affectus, quibus expoſitus fuit. Hi vero illius ſunt indolis, ut robur partium ſolidarum, ac nervearum, maximeque digeſtionis negotium inſigniter deſtruant, & labefactent; hinc æquabilem humorum circuitum remorentur, omnes ſalutares excretiones ſufflaminent, atque ſic ſcorbuticæ diatheſi novum præbeant pabulum. Et denique, uti innotuit mihi locus, in quo degit ægrotans, non parum adjumenti malo dedit. Ille enim multis ſtagnis, paludibuſque refertus, & hinc aër, udis, impuris ac putredinoſis exhalationibus plenus eſt: unde partes ſolidæ magis relaxantur, tranſpiratio impeditur, & impuri humores accumulantur.

Quemadmodum vero hæ recenſitæ cauſſæ, generando ſanguinis ac lymphæ impuritatem, eminus ad ulceroſam pedis affectionem contribuerunt; ita, ſi ſpectemus hujus proximiorem cauſſam, hæc meo arbitrio in minus convenienti aquarum mineralium uſu quærenda eſt. Quam enim amplum eſt emolumentum, quod in depuranda humorum maſſa illæ aquæ prudenti ratione adhibitæ exſerere ſolent: tantum eædem à ſenibus, aut per varias ægritudines nimium debilitatis, abſque corpore rite præparato, aut decenti vitæ regimine potæ, damnum inferre deprehen-

prehenduntur. Neque ideo pauca mihi innotuerunt exempla, quod ætate provectiores, ſcorbutici, & arthritici, aquis mineralibus, maximeque acidulis utentes, accedente gravi mœrore, brevi poſt illam potationem, in ſphacelofas artuum externorum ulcerationes inciderunt. Dum enim multo aquarum potu, ſpirituoſæ humorum partes magis diluuntur, atque diſſipantur; hi evadunt ſpiſſiores, & in extremis partibus difficilius circulantur; hinc in iiſdem ſtagnant, dimittuntque ſeroſam portionem, quæ deficiente in ſenibus calore nativo, tumores progenerant, in ſphacelum abeuntes.

Eadem in noſtro ægrotante contigiſſe, vero eſt ſimillimum; quoniam ille acidulas & corpore minus recte præparato, & eo tempore potavit, quo ad corruptiones ſphaceloſas aliqualem jam ſenſit proclivitatem. Eo facilius quoque hoc malo corripi potuit, quo magis ab antecedentibus morbis, crebra arthritide, catarrhis, imbecillitate ventriculi, flatulentiis, vertigine, capitis doloribus, & ulcere pedis per ſeptem menſes tolerato, debilitatum præ ſe tulit corpus. Quum itaque ex his internis cauſſis in pede, tanquam loco, qui magis ex nervoſis ac membranaceis, quam muſculoſis conſtruitur partibus, ſubortus fuit ſphacelus: non mirum quoque eſt, quod tam ſubito, abſque prævia inflammatione acceſſerit. Sic enim id vitii genus, ab interna cauſſa natum generari, confirmant medicorum obſervationes; ex quibus REMB. DODONÆUM. *obſ. XXX. pag. 68.* EUGALENUM *de ſcorbut. pag.* 124. & BARBETTE *in chirurg.* allegaſſe ſufficiat. Idem quoque malum ſine doloribus invadere, teſtantur FERNELIUS *Lib. II. de abd. rer. cauſſis cap.* 15. & HILDANUS *Lib. de gangræna & ſphacelo cap.* 5. Febris eryſipelacea, & tumor glandularum inguinalium critico quodam motu, putredinoſæ iſti ſupervenerunt corruptioni; neque vero alium poſt ſe traxerunt effectum, quam ut corrupti humores ad affectam partem majori irruerint quantitate.

Quæ cum ita ſint; facile patet, tres potiſſimum hoc malum curaturo eſſe indicationes, ut nempe primum totam ſanguinis & humorum maſſam ab inhærentibus impuritatibus depurare, deinceps chyligeneroſi, hincque ſuccorum laudabilium generationem adjuvare, & denique corruptioni obicem ponere annitatur. Hiſce ſcopis ſequentem medicationem convenientiſſimam fore reor: In locum potus ordinarii adhibeat æger decoctum ex radice chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, ſemineque fœniculi paratum; & eodem calidiori mane loco infuſi theiformis utatur. Mane ex eo quadraginta guttas ſpiritus mei bezoardici ſumat; ſub epulis viginti guttulas balſami mei vitæ, & veſperi pulverem bezoardicum capiat. Alvus, ſi obſtructa fuerit, miſſo purgantium uſu, clyſteribus emollientibus liquari; & extrinſecus affectum locum oleo caryophyllorum, cujus drachma una, in ſpiritus vini rectificatiſſimi uncia ſit ſoluta, inungi curet.

*Relatio curationis.*

Poſtquam hoc conſilium acceperat vir generoſus; ipſe Halam venit, meæque ſe tradidit curationi. Gravem profecto, cum illum prima viſitarem vice, deprehendi valetudinem, tantumque virium collapſum, ut, dum alvum, quæ obſtructa erat, infuſo clyſmate aperiendam curarem, mox animi deliquium paſſus fuerit. Ad hæc ciborum adpetentia penitus proſtrata, & ſomnus fere nullus erant. Pes affectus magnum fovebat ulcus, à quarto digito per totam plantam extenſum, & circa malleolos tumor adparebat lividus: qui poſtridie nigredine obductus, fœdum ſpargebat odorem, & omni carebat ſenſatione. Jubebam protinus peritum vocari chirurgum, &, ne ſideratio latius ſerperet, tumorem illum incidi. Facta inciſio, nullam plane dolorem inferebat; at fœtor inde nares feriebat intolerabilis. Neque vero conſultum reputabam, omnem ſphacelatam carnem ſcalpello reſecare; ſed quæ ſponte abſcedebat, blande removendam, & ulcus linteo carpto, quod oleo caryophyllorum in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluto erat imbutum, adimplendum curabam.

His per aliquot dies, conjuncto internorum uſu, rite adplicatis, ſiſti videbatur corruptionis progreſſus; & læſi nervi, tendineſque multam nobis adhuc figebant crucem. Namque circa malleolos, in poſtica pedis parte, inter os & magnum illum, quem chordam Achillis vocant, tendinem ampla patebat cavitas, integram fere manum recipiens: ſiquidem non cutis tantum, ſed omnis caro muſculorum peronæi poſtici & antici putredine conſumta erat. Hinc primum occurrebat capacior nervus in eo loco ſitus, quem, cum ſervari nequiret, in ſuperiori & integra parte, non ſine quodam doloris ſenſu, reſecandum imperavi; inferior autem ipſius portio, quæ multis ramulis pedem ſubintrabat, perfectamque coalitionem admodum retardabat, forcipe evellebatur, abſque ullo dolore. Deinceps, quum ſinus ulceris à digito ad malleolos uſque, protenderetur, & injectus plantæ liquor, juxta malleolos, eo in loco, cui muſculus pollicis flexor, & flexoris longi digitorum, & tibiæi poſtici tendines inſeruntur, rurſus efflueret; nova in plantam pedis fiebat inciſio, ut hac ratione ulcus eo facilius purgari poſſet. Tum quoque tendinum, qui muſculis peronæi antici poſtici, ac extenſoris tertii digitorum internodii adhæreſcunt, & putredine jam affecti erant, ſuppuratio ac plenaria ſeparatio felici cum ſucceſſu adjuvatur. Videbatur quidem corruptio ipſi oſſium ſubſtantiæ, maxime in calcaneo, & proceſſu oſſis peronæi imminere; ſed ab uſu dicti ſuperius liquoris, omnino arcebatur.

Sic fracta putredinis vi, purgatoque probe ulcere, permiſcui balſamicum, quem ſæpe nominavi, liquorem cum pauxillo balſami Peruviani, & quibusdam extractis vulnerariis; tandemque ad inducendam cicatricem, ſarcotica ex myrrha, & ſuccino potiſſimum parata, adplicanda curavi. Succreſcens caro ſenſus erat expers; neque mirum, quoniam nervis carebat. Cæterum chirurgus, primo trimeſtri bis quotidie, ſequenti tempore ſemel tamtum, ulcus deligabat: & ad muniendas vicinas à putredine partes, aquam arquebuſadæ, aut ſpiritum vini rectificatiſſimum camphoratum iis admovebat. Non minus cataplaſmata loco adfecto impoſita, aqua calcis vivæ, cum vino, herbiſque vulnerariis decoctæ humectabat; & omnem aëris acceſſum ſummo ſtudio arcebat. Atque tali ratione intra paucum tempus coaleſcebat vulnus, adeo, ut æger abſque ullo impedimento ambulare, & ſcalas aſcendere potuerit. Nihilo tamen ſecius ſuaſi, ut in affecto pede parvum, fonticuli inſtar ulcuſculum ſervaret apertum: ne ex eo præcocius conſolidato nova pullularent incommoda.

## CASUS CLXXVII.

*De febre tertiana male curata, ſæpius recidiva; inque eryſipelas cum moleſtis ſymptomatibus tranſeunte.*

SEreniſſimus quidam Princeps, annum ætatis ſexageſimum ſextum egreſſus, ſuperiori anno, adulta æſtate, inter acidularum Egranarum potationem, incidit

incidit in febrem tertianam, tum temporis epidemiam; quæ pulvere quodam ex reguli antimonii medicinalis, antimonii diaphoretici martialis ana ſcrupulo uno, ſalis abſynthii, centaurii minoris, ammoniaci depurati ana granis quatuor, extracti caſcarillæ granis ſex parato, & quovis vacuo die quater exhibito, profligata fuit. Sed elapſis novem diebus febris revertitur; quæ tamen ope electuarii, quod corticem chinæ, cum ſalibus habebat, iterum prompte debellata eſt. Jamque ſereniſſimus æger nihil timebat valetudini, quum ex improviſo, aliquot poſt diebus, ſiniſtram tibiam occuparet eryſipelas: non illud ſane recens malum, ſed vetus omnino, ac familiare, quod jam multoties hanc partem exercuit. ſiquidem ante annos octodecim ipſi juncta erant multa ſupra talum ulcuſcula, quæ fonticulus in tibia excitatus ad ſanitatem perduxerat.

Ceſſit quidem hæc cutanea inflammatio, intus datis diaphoreticis, & foris inſperſo pulvere contra eryſipelas ſpecifico, quod ad Mynſichtum auctorem refertur; ſed hyeme ſeneſcente tertiana recruduit, quam pariter vicit commemoratum ſuperius electuarium. Hac depulſa ſacer ignis denuo eandem partem urere cœpit, eoque extincto ter rediit febris, eodem ſemper ſopita auxilio; cujus abitu revocata eſt pedis inflammatio, concurrentibus deſuper variis ſymptomatibus, quorum potiora erant vertigo frequentior, præcordiorum anxietas, moleſtaque hypochondriorum inflatio.

Qui ſequutus eſt annus, is menſe ſeptembri poſtliminio quaſi reduxit febrilem impetum, acuto potius, quam intermittenti propiorem; quoniam non penitus intermittere, ſed quodammodo ſaltem remittere videbatur acceſſio; ſimulque adjunctum habebat ingens corporis incendium, una cum vomitu bilioſo, & quadam virium proſtratione. Deferbuit tamen & hic æſtus, ſumtis diaphoreticis, & conſueto electuario; ſed more ſuo tranſitum fecit in priſtinum pedis eryſipelas, quod etiamnum immoratur, & ſolemni ſymptomatum adparatu corpus excruciat. Hac igitur malorum viciſſitudine fatigatus ſereniſſimus Princeps, anxie anhelat auxilium, & cupidiſſime conſilium expetit, quibus præſidiis ad priſtinam redire queat valetudinem.

*Epicriſis cum conſilio.*

Contumax & refractarium malum eſt, quo cum ſereniſſimus Princeps conflictatur, quod non omni vacat periculo, aut certe metum facit, ne ſi in vetuſtatem incidat, vim ac pertinaciam induat inexpugnabilem. Nam longæ ejuſmodi, atque in ſpatium protractæ paſſiones, quæ frequentius, & parvis intervallis, cum febrili impetu, & exanthematica humorum deſpumatione repetunt, haud ambiguis notis declarant, morbi fomitem non fluctuare in ſuccis vitalibus, ſed altius defixum eſſe in partibus ſolidis, ibique tam firmiter inhæreſcere, ut non niſi ægerrime evelli & exſtirpari queat. Accedit, quod morbo toties, totieſque recurrente fractæ & attritæ vires mali impetum non amplius tam fortiter ſuſtinere, neque cauſſæ ejus obnixius repugnare, vel materiæ nocenti ad ſumma corporis exturbandæ ſufficere poſſint. Quamobrem non ſine ratione metuendum eſt, ne forſan vitioſa materia intus retenta, vel variis ex cauſſis retroverſa, in ipſæ vitæ penetralia graſſetur, & maxime membranaceas partes, puta nervoſas cerebri, ventriculi & inteſtinorum tunicas funeſta inflammatione accendat, quæ in provectiori ætate promptum ac paratum affert exitium.

Optandum vero eſſet, ut enarrata morbi hiſtoria pluribus expoſitis momentis ad pleniorem & uberiorem tam corporis affecti, quam cauſſæ morbificæ notitiam nos deduceret; quo ſane efficeretur, ut altius poſſemus inſpicere morbi indolem, & accuratius de eo ferre judicium. Nam ſcire haud parum refert, quis vitæ cultus, quæ diætæ ratio in uſu fuerit afflicto Principi, quæ ſit virium conditio, quales eorum, quæ toto corpore exeunt, ſucceſſus; inprimis, quomodo alvus reſpondeat, an ſanguis ſtato & ſolemni tempore miſſus fuerit, & qualis ejus circuitus, an febre diſcuſſa, venæ naturaliter ordinatæ ſint, quem colorem & habitum urina præ ſe tulerat, & qui potiſſimum motus animum laceſſant Inſuper cognoviſſe, ad rem pertinet, utrum vertigo, præcordiorum anxietates, & moleſta quæ hypochondriis inhærent, ſymptomata, perpetuo & continenter adfligant, an potius quieta ægro relinquant tempora. & ſaltem febre exæſtuante vel decumbente ad ſummum pedem eryſipelate, ægrum ſolicitent. Quarum rerum cognitione deſtituti ſatis habeamus, quæ in tradita morbi hiſtoria exponuntur, penſitare exactius, eaque ad formandum de hoc malo judicium, atque ad inveniendam medendi rationem traducere.

Multis abhinc annis laboravit ſereniſſimus æger ulceribus, in ſiniſtra tibia ſponte ſubortis, una cum eryſipelate eidem parti infeſto: quæ mala luculenter oſtendunt, ejus ſanguinem & humores multis refertos eſſe impuritatibus, ſalino-ſulphureis, quas impeditæ, quæ ex naturæ inſtituto fiunt, vacuationes intus in corpore accumularunt. Febris igitur ea anni tempeſtate, qua fere per univerſum Germaniæ ambitum ſæviebat, accedens, & quidem eo ipſo temporis articulo, quo ſereniſſimus æger uſui acidularum vacavit, expediendo infarctus viſcerum, & occluſa emunctoria reſerando, plurimum omnino potuiſſet valere ad tollendam humorum pravitatem, inſtaurandamque valetudinem; ſed quoniam hæc ipſa ſiniſtro adſtringentium, & corticis chinæ uſu nimis mature fuit cohibita; hinc natura provido admodum conſilio non ſolum ſopitam febrem reſuſcitavit, ſed etiam ſalutari conatu nocentem humorem ad corporis extrema compulit. Quum autem aliquoties reverſa febris acceſſio ſimili ſemper adſtringentium auxilio ſuppreſſa fuerit; ſane non mirum eſt, quod moleſta quædam excitaverit ſymptomata, quæ etiam num ſpem recipiendæ ſanitatis longius extrahunt.

Habent enim id omnia febribus pellendis peculiariter deſtinata, in quibus etiam corticem chinæ numeramus, ut impetuoſis illis, partium motricium ſolidarum commotionibus moram injiciant ſpaſmoſque compeſcendo, febriles paroxyſmos prompte, & efficaciter ſuſpendant. Dum vero id agunt, minime pro ſanitate ſunt, neque illam præſtant integram, quia cauſſam morbi effectricem, & materiam, quæ in vitio eſt, non deſtruunt, neque eam foras è corpore amoliuntur. Adſtringente enim, quam habent facultate, tubulos viſcerum, jam per ſe male affectos, anguſtiores & ſtrictiores efficiunt, quorum coarctatio impedimento eſt, quo minus corruptus humor, à ſinceri ſanguinis commercio dimovendus, commodam exeundi viam inveniat. Quapropter niſi ante & poſt uſum corticis chinæ obſtructi viſcerum canales, quos humorum depurationi natura dicavit, denuo aperiantur, & ſaluberrimæ, quæ ex inferioribus partibus, & per extimum corpus fiunt, vacuationes per diluentia, ſalia abſterſiva, & mitiora laxantia reſtituantur, ac denique bilis & ſalivalis fermentativi laticis in volumine inteſtinorum ſecretio redintegretur: non poteſt profecto aliter fieri, quam ut materia, quæ febrem peperit, intus retenta, febrem ſubinde aliam ſuper aliam, eamque nonnunquam pejorem regeneret, vel magis metuenda ſymptomata in ſce-

nam producat. Atq; hæc præmatura febris cohibitio in noſtro etiam caſu naturam eo induxit, ut materiam nocentem ſub ſpecie inflammationis eryſipelaceæ ad habitum corporis amandaret, qua quieſcente iterum exarſit febrile incendium.

Quæ igitur in tam perplexo, tamque difficili ſtatu ineunda ſit medendi ratio, & quæ potiſſimum remedia commodum locum obtineant; illud utique res eſſe videtur altioris indaginis. Quid nobis hac in re placeat, breviter ſtrictimque, candide tamen & luculenter exponemus. Judicare in facili eſt, minus hic quadrare emetica, purgantia, & quæ vehementiorem ſudorem movent, vel acri & ſtimulante elemento naturam ad perverſas commotiones irritant: ſed potius, quod in quibuslibet rebellibus & diuturnis paſſionibus obtinet, blanda & ſuſpenſa manu agendum eſt. Ac primo quidem nobis ſolemne eſt in ejuſmodi caſibus commendare thermas vel acidulas, & hoc loco maxime Schwalbacenſes, clauſo vaſe in ferventiſſimam aquam immiſſo calefactas; quarum uſus ita eſt inſtituendus, ut ſingulis diebus mane in lecto, vel extra eum, minimum quatuor libræ medicæ ſenſim paullatimque, & quidem per duas ſeptimanas, vel etiam ultra hauriantur. Ante earum uſum alvus ducenda eſt miti laxante, quod habet mannam cum tamarindis, paſſulis, ſale Ebshamenſi, & magneſia, idque in media, vel etiam ceſſante cura repetere convenit. Ad juvandum digeſtionis negotium, quæ ſub aquarum mineralium potu paullulum labefactatur, ante vel poſt prandium ſumere ſuadeo cochlear unum, de elixirio noſtro balſamico, hunc in modum præparando: Recipe corticum aurantiorum recentium unciam unam, extracti gentianæ, centaurii minoris, cardui benedicti, ſalis tartari ana drachmas duas; hæc omnia in mortario probe contuſa invicem miſceantur, & inſtillentur olei de Cedro guttæ viginti; poſtea diluantur affuſa vini Tockavienſis libra medica; fiat in balneo Mariæ digeſtio, & denique liquor placide decantetur. Inſuper monendum habeo, non reformidandum eſſe uſum aquarum mineralium tempore autumni vel hyemis: nam ſancte adfirmare poſſum, acidulas tepefactas, his ipſis anni temporibus à bene multis maximo cum fructu fuiſſe uſurpatas: cavendum modo eſt, ut ne frigidioris auræ afflatus tranſpirationem impediat.

Expedita hac cura id agere oportet, ut omnia corporis emunctoria ſerventur aperta, ut obſtructa reſerentur, ut liberior fiat excretionum ſucceſſus, & denique materia foras eliminanda ad exitum præparetur; quod iis, quæ ſequuntur remediis obtineri poterit: Quovis mane cum juſculo, potu Coffée, vel alio conveniente vehiculo ſumatur drachmæ dimidium de hoc ſale: Recipe nitri antimoniati, vel arcani duplicati, lapidum cancrorum, ſolutionis oculorum cancri, terræ foliatæ tartari, nitri depurati ana drachmam unam. M. F. pulvis. Quarta vel quinta poſt prandium hora, vel circa lecti introitum propinetur ad drachmam ſemis, vel ſcrupulos duos infra poſitus pulvis diaphoreticus: Recipe ceruſſæ antimonii, ſeu matris perlarum Crugneri, cornu cervi ſine igne, lapidum cancrorum, ſuccini præparati ana drachmam unam, cinnabaris nativæ vel antimonii bene præparatæ drachmam ſemis, croci ſolaris purpurei grana duodecim, olei cinnamomi guttas tres M. F. pulvis.

Potui ordinario hoc decoctum inſervire poterit: Recipe ſarſaparillæ electæ uncias tres, radicis chinæ unciam unam ſemis, ſeminis fœniculi, corticis ligni ſaſſafras ana drachmam unam cum dimidia. Conc. Cont. D. Harum ſpecierum uncia una coquatur in aquæ puræ quinque, vel ſex libris medicis in vaſe clauſo, ad tertiæ partis conſumtionem. Ex vinis maxime amplectendum eſt Burgundiacum, non ita recens, idque cum aqua Tennſteinenſi permixtum. Præterea ſervandæ ſunt leges diæteticæ, & cum cura inſtituendum vitæ regimen, non intermiſſa exercitatione corporis, quæ ad vincendos chronicos affectus multum confert adjumenti. Cæterum commendata remediorum genera per menſem, imo ultra continuare oportet: quæ utique tantum valent, ut materiam febrilem & eryſipelaceam corrigere, eamque à corpore amoliri, ac denique novos horum malorum inſultus averruncare poſſint.

---

## CASUS CLXXVIII.

### *De febre tertiana male curata ſpaſmi hypochondriaci cauſſa.*

Vir ſex & triginta annorum, annuo elapſo tempore, febre tertiana corripiebatur; quæ cortice chinæ profligata, poſt decem dies recruduit. Sed eodem medicinæ genere denuo ſuppreſſa, rurſus rediit; & hac ratione quinquies mox reverſa, mox eodem remedio ſopita eſt. In ejus vero locum ſucceſſit dolor quidam circa coſtas ſpurias in dextro hypochondrio gravativus, & ab eo ad ſiniſtrum per intervalla protenſus. Qui licet quamplurimis antihypochondriacis, martialibus, & carminativis oppugnaretur remediis, conquieſcere tamen noluit, tantum abfuit, ut cordis palpitationes, ſpirandi difficultas, præcordiorum tenſivi cruciatus, alvi obſtructio, magnaque ad vomendum proclivitas ſenſim accederent. Quam primum ita exarſerit, mirum in modum exaſperantur hæc incommoda, & adhæc cum æſtu præternaturali, vertigine, torpore capitis, & oculorum, maxime dextri caligine, & obnubilatione, ac ſi maculæ illis obverſarentur, complicantur. Urina plerumque tenuis, abſque ſedimento meitur; & crebræ vigiliæ, cruoriſque è dextra nare ſtillicidium quandoque vexant. Et hæ moleſtiæ etiamnum per vices infeſtant, & ſic habent. Suboritur à dextro hypochondrio dolor, moxque ad dorſum atque lumbos pergit, qui tum velut inflati rigidique videntur. Junguntur extremorum refrigerationes, & multæ imi ventris flatulentiæ; quæ, excretis flatibus, una cum reliquis ſymptomatibus, miteſcunt, tumque lotium turbari incipit. Cæterum contuſorio pedum dolore afficitur; atque ſalivam percipit mucoſam, ſaporeque ſalſam.

### *Epicriſis.*

Videntur nobis graviora illa, quibus æger exercetur, ſymptomata, haud aliunde ſuam traxiſſe originem, quam ab intempeſtiva febris cohibitione per adſtringentia, in quibus cortex chinæ principem fere locum obtinet. Quemadmodum enim ſpecifica, ut vocant, antifebrilia, quæ inter hic cortex maxime eminet, convenienti ordine ac tempore uſurpata, ſalutari effectu non ſunt deſtituta: ita ſi empirice, id eſt, nulla habita ratione ſubjecti, temporis, & cauſſæ febrilis exhibeantur, in maximam corpus perniciem præcipitare poſſunt, quotidiana id confirmante experientia. Nam quum ejuſmodi ſpecifica antifebrilia non niſi partium fibroſarum & nervearum conſtrictione ſuam operationem perficiant; facile liquet, nullum iis locum eſſe tribuendum, ubi febrili motu impuri humores nondum ſatis ſecreti, ac evacuati, nec vaſorum obſtructiones reſeratæ ſunt, & quando corpus vehementia ſpaſmorum, qui omnes

exere-

excretiones intercipiunt, adhuc adſtrigitur. Ita nimirum videmus circa tempus paroxyſmi minus convenire, imo nocentiſſima eſſe hæc remedia; quoniam tunc temporis totum nervorum & vaſorum ſyſtema ſpaſmo quaſi univerſali afficitur. Ex quo etiam adparet, hæc ipſa non præſcribenda eſſe, urina adhuc cruda; & ſine ſedimento prodeunte; & quando tranſpiratio die etiam vacuo nondum liberior, aut alvus liquidior evadit. Imo licet quoque hinc perſpicere, quantum damni inferant hæc remedia, ſi ante exhibeantur, quam ſordes primarum viarum expurgatæ fuerint, ſalibus potiſſimum aperitivis, aliiſque, quæ evacuationibus per alvum & tranſpirationem velificantur.

Hiſce autem præmiſſis, utiliſſimus ſane illorum uſus eſt, dum febriles iſtos inanes motus, nulla inſequente recidiva, nulliſque ſupervenientibus ſpaſticis ſymptomatibus, funditus, ac ex toto tollunt, & à moleſtis illis inſultibus, quorum diuturnitas & viribus, & nutritioni corporis valde adverſatur, homines egregie liberant. Quamobrem ſi in ullo morbo, certe in intermittentium curatione medici judicium & prudentia practica, quæ anima curationis eſt, clariſſime manifeſtatur: ſiquidem hæ febres convenienti modo facile ſanari, perverſa autem medicatione ad funeſtum converti poſſunt exitum.

Quod partem affectam præſenti in morbo attinet, eſt ea maxime inteſtinum colon, cujus tonus, robur, & ut veteres loqui amabant, vis retentrix, imprudenti adſtringentium uſu valde deſtructa ſunt: unde vel ejus nimiæ à flatibus diſtenſiones, vel vehementiores ſpaſticæ conſtrictiones fiunt; à quibus plura ſymptomata, nimirum inæqualis ſanguinis tranſitus, nimiæ humorum ad alias partes congeſtiones, moleſti dolores, ac denique ſuppreſſiones excretionum producuntur. Patitur enim in malo hypochondriaco hoc maxime inteſtinum, quia valde nervoſum, amplum, & ligamentis nerveo-tendinoſis cinctum eſt, utraque hypochondria occupat, ac ſupra umbilicum infra ſtomachum fertur, hinc ejus læſiones ſæpius hepar, lienem vel ventriculum affectum mentiuntur. Et quoniam hoc inteſtinum præ reliquis majoribus vaſis inſtructum eſt, ideo ejus tono ac motu periſtaltico deſtructo, vel periculoſæ ibi fiunt ſanguinis ſtagnationes, vel perverſæ humorum ad alias partes tranſlationes. Ad hoc igitur inteſtinum male affectum omnia referenda ſunt ſymptomata, quibus ægrotans noſter adfligitur, nimirum aſthma, palpitatio cordis, ſpaſmus præcordiorum, torpor capitis, oculorum hebetudo cum cataracta ſpuria, ſanguinis è nare dextra ſtillicidium, nimia vigilia, dolor lumborum gravativus, urina tenuis, & aquoſa, languor artuum, ac denique frequens ad vomitum inclinatio.

Totius igitur curationis cardo in eo vertitur, ut deſtructio toni ab imprudenti medicatione, & præpoſtero adſtringentium uſu, huic potiſſimum inteſtino inducta emendetur, ipſique pariter ac reliquis, priſtina vis, tonus ac motus reſtituantur: quo peracto cæterorum ſymptomatum impetus & vehementia ſponte concidet, & expirabit. Dedimus hoc effectum in præſenti ægro ſequenti ratione:

1. Sub alvi duritie frequenter injiciendum curavimus decoctum ex floribus chamomillæ, ſummitatibus millefolii, baccis juniperi, ſemine aniſi & oleo amygdalarum dulcium, adjecto pauxillo ſalis communis & nitri, cum aqua ſimplici paratum, cujus vim ante injectionem triginta vel quadraginta guttis balſami noſtri vitæ roboravimus. Nihil enim eſt præſtantius ad tonum inteſtinorum reparandum, bene præparato clyſtere, quoniam immediate partem affectam attingit, inque eam vim & efficaciam ſuam exercere poteſt. Quemadmodum vero clyſteres fortiter purgantes ac ſtimulantes, vel ex meris emollientibus parati, ejuſmodi in caſibus parum utilitatis afferunt: ita eos, qui partes nerveas blande roborant, flatus diſcutiunt, & ſpaſmo rigentes fibras emolliunt, præſtantiſſimam hic opem ferre deprehendimus.

2. Imperavimus pediluvium, ante lecti introitum quotidie uſurpandum, cujus uſus in omnibus affectibus ſpaſmodicis, & ſanguinis turbulentis motibus, atque congeſtionibus vix ſatis laudari poteſt. Hæc tamen adhibenda eſt obſervatio, ut pedes in aquam non valde calidam, ſed tepidam, ſale communi, & herbis nervinis imprægnatam, ſatis profunde, & quidem per horæ dimidium immittantur.

3. Interne commendavimus pilulas noſtras balſamicas, bis in ſeptimana circa noctem aſſumendas. Altero mane doſis ſalis noſtri aperitivi uſurpata fuit, cum ſubjuncto uſu alicujus infuſi, quod hiſce ſpeciebus conſtabat: Recipe ſummitatum millefolii, florum chamomillæ vulgaris ana pugillos ſex, aniſi ſtellati, corticum aurantiorum recenter exſiccatorum, corticis ligni ſaſſafras ana drachmas tres. M. D. F. ſpecies, ex quibus parata decoctio octo circiter patellis ſumatur, & inde lenis expectetur diaphoreſis.

4. Exhibitus eſt pulvis, una hora ante prandium uſurpandus: Recipe radicis pimpinellæ drachmam unam, radicis ari, ſalis abſynthii, lapidum cancrorum, corticum aurantiorum recenter exſiccatorum ana ſcrupulos duos, olei cinnamomi, macis ana guttas ſex. M. F. pulvis, cui interdum, urgente præcordiorum interno ardore, aliquot nitri grana adjiciantur. Loco hujus pulveris eſſentia corticum aurantiorum balſamica noſtræ præparationis, mixta cum liquore noſtro minerali anodyno ex ultimo hauſtu inter cibos ſumta, ad juvandam digeſtionem, & blandam chyli ſpirituaſcentiam promovendam, egregie profuit.

5. Injuncta ægrotanti fuit equitatio, vectio in curru, & accuratum in diæta regimen. Quibus remediis per duos integros menſes uſurpatis, æger pleniſſime convaluit. Cæterum notandum eſt, quod in ejuſmodi affectibus hypochondriorum ſpaſmodicis, à perverſa adſtringentium, & opiatorum exhibitione ſubortis, aliis præſidiis nihil juvantibus, unice & velut ad ſacram anchoram refugiendum ſit ad decentem internum thermarum Carolinarum, atque externum Tœplicenſium uſum, ſubjuncto per aliquod tempus exactiori vitæ regimine. His enim, teſte experientia, magna vis ineſt, deſtructum ventriculi & inteſtinorum tonum reparandi, viſcerum & emunctoriorum obſtructiones reſolvendi, omniſque generis excretiones adjuvandi. Balneo autem aquæ Tœplicenſis, leviſſimæ & valde ſubtilis, nihil in relaxandis fibrarum conſtrictionibus, partiumque tubulis ampliandis datur excellentius. Præſtant etiam hoc ejuſmodi balnea, ut ſanguinis & humorum motus ab internis partibus ad externas, & habitum corporis, reducendo liberum & æquabilem ſanguinis circuitum, quo ſanitas potiſſimum continetur, corpori reſtituant.

---

## CASUS CLXXIX.

*De tertiana duplici cum purpura in gravida.*

Illuſtris fœmina, viginti quinque annos nata, temperamenti melancholico-cholerici, nimia turget ſanguinis, & humorum mole; ſiquidem ipſi adhuc

adhuc virgini non modo menſtrua fluxerunt copioſiſſima, verum etiam vultus tanta cruoris quantitate ſæpius fartus adparuit, ut atro rubore tinctus conſpiceretur. Quamobrem crebris adſueta eſt venæ ſectionibus, eaſque ob acutæ febris metum, repetitis nonnunquam vicibus celebrare debuit. Ad hæc valde ſenſibilis exiſtit, inſignique ad vehementiores animi affectus pollet proclivitate; ac diætæ victuſque regulas neglectui habet, cibis acidis, lacticiniis, atque pomis nimium indulgens. Viro nupta, & prima vice utero gerens, expletis jam ſex geſtationis menſibus, male cœpit habere, meque protinus accerſi jubebat. Quum itaque VIto Cal. Julii accederem, & ipſa de tenſivo gravativoque pectoris dolore, tuſſi fere ferina, adpetitus jactura, ſomnique defectu conquereretur, urina exiſtente rubicunda: ordinabam præter decoctum raſuræ cornu cervi, pulvillum ex matris perlarum, concharum citratarum, nitri depurati ana granis tribus, & antimonii diaphoretici granis duobus concinnatum. Verſus veſperam, animi laxandi cauſſa, rheda ſe vehi curabat; redux vero in vehementem incidebat horrorem, quem poſt horæ dimidium æſtus præternaturalis excipiebat, per binas horas urens, tandemque ſudore ſolutus. Per noctem, quæ inſomnis erat, gelatinam cornu cervi, & pulverem, qui nitri depurati grana duodecim, antimonii diaphoretici grana ſex, & cinnabaris nativæ tria grana habebat, tribus exhibui vicibus; quo ſumto, verſus diluculum, ventrem dejiciebat, & abhinc per quinque horas placido fruebatur ſomno.

Deſiderabat etiam illuſtris fœmina, ut ipſi vena ſecaretur; nec erant pauca momenta, quæ phlebotomiam indicabant. Quamvis enim febrem ſuſpicarer intermittentem, & probe ſcirem, hanc venæ ſectione non temere eſſe oppugnandam, multo minus in paroxyſmo inſtituendam: attamen cum eximia ſanguinis abundantia minaretur abortum; ægra ante aliquot menſes ardore vehementi, artuum gravitate, purpura ſcorbutica atque Scarlatina, tenſivo præcordiorum dolore, tuſſique ferina divexata, ſuaſu medicorum, venam cum inſigni fructu tundendam præbuiſſet; eadem crebris ſanguinis miſſionibus adſueta, & per aliquod tempus de lancinantibus ac ſpaſmodicis crurum femoriſque tormentis, ſenſu preſſorio circa inteſtinum rectum, rubore faciei & æſtu volatico conqueſta eſſet; nullus dubitavi, quin ſanguinem detrahendum curarem. Quare V. Cal. Julii, cum hora decima matutina, à ſuavi expergefacta ſomno, ad meliorem valetudinem inclinare videretur, ac pulſus æque ac urina naturali ſimiles eſſent, protinus duodecim circiter ſanguinis uncias, interpolatis vicibus, ex vena inciſa mitti jubebam; & elapſa hora, quindecim guttas mixturæ, quæ eſſentiæ alexipharmacæ drachmas tres, & mixturæ ſimplicis rectificatæ drachmam unam fovebat, ex juſculo propinabam, inſequente leni madore. A meridie quavis tertia hora pulverem citratum cum antimonio diaphoretico, pauxillo nitri, & unico arcani duplicati grano paratum aſſumebat; atque hinc egregie habebat, cœna utebatur largiori, & plenum per totam noctem capiebat ſomnum.

Poſtridie, ſumtis dictæ bezoardicæ mixturæ guttis quindecim, non quidem habebat, de quo conquereretur; at adpetitus minus ſibi conſtabat, & circa veſperam febrilis paroxyſmus anticipando revertebatur. Frigus per duas inhærebat horas, tum vomitus ter infeſtabat, & tandem tribus horis moleſtus erat æſtus, in largum deſinens ſudorem, & accedente inſuperabili excandeſcentia, purpuram ſcorbuticam relinquens. Inſiſtebam uſui dictorum remediorum, & cum timerem, ne ob animi pathemata, quibus etiam invita indulgebat, graviora ſupervenirent ſymptomata, accerſendum adhuc ſeniorem quendam medicum curabam. Accedens ille uſurpatis à me præſidiis adplaudebat; quæ etiam, cum illuſtris ægra ſub leni madore bene haberet, continuabantur.

Nihilo minus III. Calend. Julii hora pomeridiana tertia redibat febrilis acceſſio, & poſt quatuor horas largo ſudore finita, noctem poſt ſe trahebat placidam. Die ſequenti cum meliori valetudine, accedebant crebra ſternutamenta, parcum ſanguinis è naribus ſtillicidium, & moleſta tuſſis. Hinc clyſterem ex floribus chamæmeli & ſaccharo Thomæo adplicari jubebam. & ſoluta per illum alvo memoratæ mixturæ quindecim guttas ex juſculo propinabam; ſumtis epulis, lapidum cancrorum, ſucco citri ſaturatorum drachmam dimidiam, & poſthæc quavis tertia hora, pulvillum exhibebam, qui ſic habebat: Recipe lapidum cancrorum citratorum, concharum citratarum ana grana quinque, nitri depurati grana tria, arcani duplicati grana duo, reguli antimonii martialis granum dimidium. M. D. pro doſi. Adpetitus erat exiguus; & cum vino Moſellano plus, quam par fuit, uſa fuiſſet, accidit, ut verſus veſperam æſtu volatico, ardore ruboreque faciei, narium obſtructione, & rheumatiſmo dextri capitis lateris quaſi hemicranico, tuſſi ſtipato per ſex infeſtaretur horas, & inſequutam noctem ſomno minus tranquillo tranſigeret.

Ipſis Julii Calendis febris iterum invadebat, & præviis ingenti horrore, atque calore, illo per unam, hoc per duas horas durante, copioſo ſudore ſolvebatur; tumque permittebat, ut & cœna cum adpetitu, & ſomno placidiſſimo frui potuerit. Repetebantur pulveres, noviſſime nominati cum levamine. Sequenti, qui erat intercalaris, die crebræ vexabant ſternutationes, cum narium quadam hæmorrhagia, pulſu exiſtente æquali ac temperato. Subducto per clyſterem rurſus ventre, largis indulgebat epulis, & licet interdiu perquam ſana videretur; accedente tamen veſpera præter opinionem vultus manuſque expalleſcebant, mox ſequebatur ardor cum tuſſi, & ipſa illuſtris matrona humorem tenuem ſalſumque ex capite ad fauces deſtillare, naribus obſtructis, querula enunciabat. Ego metuens, ne die intermedio febris quædam catarrhalis jungeretur, ad corrigendam ſcorbuticam humorum diatheſin, conſenſu dicti ſenioris medici, bis exhibebam pulverem, ex matris perlarum, lapidum cancrorum citratorum, ana granis octo, antimonii diaphoretici granis quatuor, & reguli antimonii medicinalis grano uno compoſitum.

Tranſacta ſub quietiori ſomno nocte, V. Nonar. Julii circa undecimam meridianam horam febris impetebat magno horrore; quem vomitus materiæ mucoſæ ac bilioſæ tenaciſſimæ ter repetitus, excipiebat; tum ſequebatur æſtus vehementior, atque hunc ſolvebat ſudor, accedente iracundia primum interruptus, & novo vomendi conatu turbatus, mox vero iterum largo ſuccedens flumine. Præter dictos pulveres, finito paroxyſmo, catarrhalem defluxionem præcavere tentabam, dato pulvere, qui ex lapidum cancrorum citratorum drachma una cum dimidia, coralliorum rubrorum præparatorum ſcrupulo uno, antimonii diaphoretici ex regulo parati ſcrupulo dimidio, reguli antimonii medicinalis granis tribus erat concinnatus, & in ſex partes diviſus. Somnus minus tranquillus ſequebatur, & IVto Nonarum, poſt ſalſas ex capite in fauces deſtillationes, hora pomeridiana tertia ſubito expalleſcebat, tum frigore percellebatur, mox æſtu urebatur, tandemque ſudore ferme diffluebat; adeo, ut ſuppoſitam hactenus ca-

catarrhalem febrim, in quotidianam degeneraſſe adpareret.

Quæ cum ita ſint, quatuor potiſſimum reſultant momenta, quorum diſcuſſionem abs Te, Vir Illuſtris, enixe rogo. Prima enim quæſtio eſt, quibusnam tutis evacuantibus ſaburram ex primis viis eliminare jam liceat? Sal enim Ebshamenſis, ſalia, quibus humores ſcatent, ſcorbutica adaugere, radix Ipecacuanhæ in tam tenero ſubjecto, juſto vehementior, pilulæ vero Becherianæ minus ſufficientes eſſe videntur. Quamobrem doceri cupio, anne conſultius ſit, vomitum, qui ſub acceſſionum initio ſponte ſuboritur, hauſto largius tepidiori infuſo promovere? Deinceps ſcire aveo, quibusnam remediis ipſa febris oppugnari queat; & num denique hactenus uſurpata remedia, cumprimis ad abortum præcavendum inſtituta venæ ſectio, legibus artis reſponderint?

*Conſultatio.*

Illuſtris perſona, cujus adverſa valetudo mecum per litteras communicata eſt, non modo ex febre intermittente tertiana, eaque omnino duplici, verum etiam impuritate ſanguinis, atque feri ſcorbutica, acri & purpuracea male habere videtur. Huic enim ſuccorum acrimoniæ, nervoſis potiſſimum inhærenti partibus, in acceptis ferenda ſunt multa ſymptomata, maximeque tenſivi & preſſorii in pectore dolores, defluxio rheumatica dextrum capitis latus obſidens, crebra ſternutamenta, tuſſis, ardor narium, & copioſa ſudatio. Quamobrem ea medicamina, quæ alias febres intermittentes egregie ſolantur, veluti ſunt ſalia abſtergentia, laxantia, vomitoria, eſſentiæ amaræ, & alexipharmacæ, cum ſpiritu vini paratæ, cortex chinæ, aliaque, in præſenti cum malo purpuraceo complicata febre, minus ſalutarem pollicentur opem, imprimis cum illuſtris fœmina nimium ſenſibilis, & ad animi, ſanguiniſque fortiores commotiones valde prona exiſtat. In tali enim caſu recenſita remedia materiam acrem peccantem magis exæſtuant, & in vehementiorem motum agunt: unde graviora proficiſcuntur ſymptomata, & febres malum morem ac indolem acquirunt.

Quapropter omnino ad convenientiora reſpiciendum eſt, quæ inter febris æque ac purpura ſufficientem, ſed blandam ſordium viſcidarum & bilioſarum ex primis viis evacuationem indicant. Cuncta vero acria & purgantia & emetica, & quæ humorum ebullitionem concitant, cane pejus & angue vitare convenit; atque potius decocta ex manna, tamarindis, corticibus citri vel aurantiorum parata adhibere juvabit. Quod ſi vero hæc ob ventriculi imbecillitatem haud arriſerint; operæ pretium facient pilulæ balſamicæ, ad Stahlii, Becheri, vel meam mentem concinnatæ: quarum undecim vel quatuordecim veſperi deglutire, & brevi ante pulverem abſorbentem, cum aliquot nitri ac tartari vitriolati granis remixtum aſſumere expediet. Ejuſmodi enim pilulas in purpuraceis affectibus vim evacuantem ſufficienter præſtare, docet experientia; & licet etiam haud ſatis reſpondeant votis, ſumta tamen altero mane ex infuſo theiformi mannæ uncia, utique ſufficient, biſque ſingula hebdomade tutiſſime poterunt uſurpari. Neque enim, ut ad alteram quæſtionem reſpondeam, opus erit, vomitum, ſub paroxyſmo febrili ſponte ſubortum, potu calidiori herbæ Théebois, copioſius hauſto, magis promovere; cum potius ſordes, in primis regionibus ſtabulantes, per alvum eliminare conveniat. Et ſi verum fatear, ad nauſeam vomitumque provocandum pura aqua fontana, eaque tepidior magis opportuna mihi videtur, quam quidem infuſa calidiora theiformia: quippe quæ metum omnino faciunt, ne, ſi bilioſa ſalſaque ventriculum obſederit ſaburra, agiliores ac ſubtiliores impuritatum particulæ, majori quantitate in ſanguineam inde rapiantur maſſam.

Sufficient itaque vacuandi fine, brevi ante commendata præſidia; & deinde, juxta tertiæ quæſtionis tenorem, conjungenda ſunt ea, quæ tranſpirationem, atque ſordium ſubtiliorum per cutis poros promovere poſſunt excretionem. Hoc nomine inſignem laudem merentur pulveres bezoardici fixiores, leniter nitroſi, ac cinnabarini, qui cum aquis diapnoicis, & ſyrupo acetoſitatis citri in potionum redigi queunt formam. Nec levem efficaciam præſtabit infuſum florum chamomillæ, cum ſemine fœniculi mane loco potus Théebois ſorbillandum; cujus præſtans, & utique ſpecifica virtus non modo in purpuraceis, ſed & febrilibus morbis deprehenditur. Non minus præclaro cum fructu adhibebitur ſpiritus nitri dulcis, aut quod ſatius eſt, liquor anodynus mineralis, qui ad quadraginta guttas per intervalla eſt capiendus. Cæterum diætæ recta potiſſimum habenda eſt ratio, & in primis omnis cereviſia pariter ac vinum ſummo fugiendum ſtudio; quippe qui potus in purpuraceis adfectionibus plane ſunt inconvenientes. Eminent præ iis decocta temperata, quale hoc in caſu ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, ſuccoque citri parari poteſt. Neque minori induſtria vitare convenit cibos crudiores, coctuque difficiliores, piſces, lacticinia, poma, ova, omneque placentarum genus; à quibus præſertim verſus imminentes paroxyſmos abſtinere juvabit. Denique non habeo, quæ circa uſurpata hactenus remedia, atque venæ ſectionem moneam; niſi quod illa ad penitus eradicandum malum minus fuiſſe ſufficientia arbitrer. Verum haud exiguam foveo ſpem, quin commendatæ jam medicinæ, ſi rite adhibeantur, operæ facturæ ſint pretium.

---

## CASUS CLXXX.

### *De febre quartana in gravida cum judicio de venæ ſectionis & corticis chinæ uſu.*

FOEmina generoſa triginta annorum, vitæ motus experti dedita, potuque parciori ſemper contenta, tempore matrimonii, quo admodum felici per decem jam perfungitur annos quatuor infantes, adhuc vivos peperit incolumeſque. Et licet à teneris illibatam præ ſe tulerit ſanitatem; tria tamen jam excurrerunt ſemeſtria, ex quo male cœpit habere. Namque hoc tempore gravativum ardentemque in ventriculi regione dolorem, æſtumque volaticum, & delaſſantem, maxime ſumtis perſenſit epulis. Non raro tantis præcordiorum anxietatibus correpta eſt, ut animus defecerit; quæ autem, inſequuto vomitu, remiſerunt. Preſſorius quoque dolor circa cordis ſcrobiculum nonnunquam ſæviit, & abhinc ad dorſum excurrit. Et in tali rerum ſtatu gravida facta, prioribus menſibus crebros toleravit vomitus; tertio autem, ex animi adfectibus, corporiſque refrigeratione, prævio ingenti frigore, in calorem incidit præternaturalem. Idem paroxyſmus aucto rigore circa quartum diem revertebatur; & abhinc vera fiebat quartana, quæ jam tres complevit menſes, & adhuc adfligit. Frigus quo cum incipit acceſſio, per duas ad minimum inhæret horas, æſtus per ſex vel ſeptem, tum excipit ſudor. Ipſe paroxyſmus magnis præcordiorum anxietatibus ſtipatur; atque tunc

tunc aſſumta quævis vomitu rejiciuntur. Diebus à febre vacuis, in conclavi ob ambulare valet, viribus tamen, ac adpetitu defecta; & urina nunquam caret ſedimento. Sumſit varii generis medicamina, laxantia, eſſentias amaras, antifebriles, atque ſalia: ſed febris, licet ſemel, bisve ſileret, mox tamen recruduit & perdurat adhuc contumaciſſima. Quæ cum metu abortus terreat; tuum, Vir Excellentiſſime, pro ea debellanda petimus conſilium, & num conſultum ſit venam in pede ſecare, doceri cupimus.

*Reſponſum Medicinale.*

Quæ mihi perſcripta ſunt de febre quartana, matronam generoſam gravidam per tres jam adfligente menſes; ſedulo mecum perpendi, atque volutavi. Et ſi præſertim illa conſideravero incommoda, quibuſcum ante geſtationis tempus conflictata fuit; ea à ſpaſmo & hinc ſuborta inflatione ventriculi ſuam traxiſſe originem facile pervideo. Namque ſub tali ſpaſmo utrumque orificiorum, quæ ventriculo terminos ponunt, conſtringitur; hinc vapores flatulenti, ab alimentorum fermentatione enati, ſuo potiri nequeunt exitu, qui diſtendentes ventriculum, nerveaſque illius partes, anxietates præcordiorum, doloremque in ſcrobiculo cordis gravativum pariunt; & conſtrictionem harum partium efficientes, ad humorum majorem verſus caput raptum, indeque pendentem æſtum diſponunt volaticum. Ejuſmodi cardialgici ſpaſmi familiares ſunt fœminis plethoricis, in quibus ob difficiliorem ſanguinis per hepar, quod totum vaſculoſum eſt, tranſitum, cruor ſtagnat, inque vaſis ventriculi præcipue ſubſiſtit. Præ reliquis autem hiſce moleſtiis opportunæ ſunt illæ, quibus menſtrua fluunt inordinata, vel ſanguinis miſſiones inſuper habentur, vel ſanguis nimis ſpiſſus & viſcidus exiſtit, qualis in noſtra etiam ægrotante ob parcum potum, vitamque ſedentariam judicandus eſt.

Et iiſdem cauſſis debetur febris quartana; quæ meo quidem arbitrio plerumque à difficiliori ſanguinis per viſcera imi ventris, maxime hepar ac lienem circuitu ſuos mutuatur natales. Quando enim humores per vaſa, à portarum vena producta tardius circulantur; primum omnium in meſenterio, ventriculo, ac toto inteſtinorum canale ſtagnant. Hinc in locum liquoris ſubtilioris, fermentativi ac digeſtorii ſecernitur ſerum impurum, digerendis penitius alimentis minus idoneum: unde generantur acidæ, viſcidæque cruditates, quæ cum maſſa ſanguinea per totum abripiuntur corpus, adque ſenſibiles medullæ ſpinalis tunicas delatæ, ſpaſmos motuſque producunt febriles. Quum vero graviditatis tempore menſtrua excretio ſit cohibita; facile patet, qua ratione humores in abdomine cumulati, per viſcera tardius progrediantur, ſicque dicta ratione inducendis viam pandant febribus.

Quarum ſi perpendamus curationem, maximeque perſcrutemur, num eo fine venæ ſectiones ſint profuturæ? non omnino negandum, quin egregium inde liceat expectare emolumentum, ſi extra paroxyſmum, detractis ſex cruoris unciis, inſtituantur. Multa enim mihi innotuerunt exempla, ubi diuturnæ febres quartanæ, tuſa in pede vena, protinus conquieverunt, utique ſi convenientes medicinæ fuerint conjunctæ. In more quoque poſitum mihi eſt, gravidis, ſi cruor in abdominis viſceribus ſtagnaverit, ex pedum venis ſanguinem detrahere; licet vulgaris opinio id vetet maximopere. Neque ideo ſtatuerem, ac ſi venæ ſectio tam in gravidis, quam in aliis perſonis, ad morbos præſervandos ſemper, atque generatim in pede ſit celebranda. Quandocunque enim à congeſtione humorum circa caput pectuſque morboſa propullularunt ſymptomata; parum certe venarum in pedibus, qui tum plerumque frigidi, ſpaſmoque contracti obſervantur, inciſio feret adjumenti. Atque his in caſibus magis proficiet ſanguinis è brachio facta detractio; quemadmodum in ægritudinibus à terrore, & hinc pendente humorum ad ſuperiora congeſtione productis, plus ſimplici vice obſervavi. Neque porro venæ ſectiones in pede commendare ſoleo, ſi venis exilioribus, & ſanguine fere privatis exiſtentibus, ſpaſmodicæ affectiones magis à nervorum debilitate, aut acri ſubtilique humore, tunicis nervoſis inſidente, quam à nimia humorum mole originem traxerunt: non enim raro mihi adnotare licuit, quod factam in hiſce adfectibus ſanguinis miſſionem, major ſpaſmorum exceperit vehementia. Et denique generatim ſciendum eſt, in ipſis morborum paroxyſmis, non niſi cum ſummo periculi metu, detrahendum è venis eſſe cruorem. Contra vero, ubi ſanguis nimius, ſpiſſus, viſciduſque præſto eſt, & in imi ventris viſceribus potiſſimum ſtagnat, venæque pedum inſigniter fartæ ſunt; harum inciſio permagnum pollicetur fructum: neque ideo quicquam eſt, quod ab illa in noſtra ægrotante adminiſtranda nos deterrere queat.

His autem præmiſſis, eo dirigenda eſt omnis intentio, ut moleſtam febrem percuremus, atque ſic abortus metum diſcutiamus. Quamobrem hortor primum, ut cuncta calidiora, ſanguinemque exæſtuantia medicamina, & præſertim eſſentiæ, cum ſpirituoſo paratæ menſtruo, ſedulo fugiantur, quoniam anxietates, inquietudinem & æſtum febrilem magis exacerbant; ſed potius eo reſpiciatur, ut ſpaſmodicæ ventriculi diſtentiones, quas adhuc præſentes crebri teſtantur vomitus, decenter leniantur, atque conſopiantur. Et hoc fine, experientia doctus, commendo liquorem meum anodyno-mineralem, cujus ſex partes, cum una balſami mei vitæ, ſine ambra moſchoque parati commiſcere decet. Hoc remedii genus mane pariter, ac veſperi, nec non tribus ante febris invaſionem horis exhibere; tumque protinus infuſum theiforme, ex floribus chamæmeli, ſummitatibus millefolii, ſemineque fœniculi confectum, intra lectum ſorbere, & blandam inde diaphoreſin expectare juvabit. Idem balſamum, paullo tepefactum, chartæque bibulæ infuſum, epigaſtricæ regioni adplicandum, impoſitis deſuper linteis calidis, maximopere ſuadeo. Nec præterea quicquam commendo, expectaturus, quid hæc remedia, tulerint adjumenti.

*Relatio.*

Tuſa quoque ex meo præſcripto, tempore à febre vacuo, in pede eſt vena, eo effectu, ut febriles acceſſiones ſtatim conquieverint; & uſurpato ſubinde liquore anodyno, per quatuor vices, cum egregio adflictæ levamine, ceſſaverint. Verum enim vero, cum ſuperatum omnem recidivæ metum arbitrata, itinere quodam ſub gelidiſſimo cœlo perfuncta, cibiſque minus ſalubribus uſa eſſet: rediit malum, utut priori mitius. Ego iterum conſultus, veſperi novem balſamicarum, quæ meæ ſunt compoſitionis, pilularum, mane ſalis aperitivi drachmam, ut ſumeret, imperavi. His per aliquod tempus adhibitis, electuarium ordinavi, ter quotidie capiendum, quod corticem chinæ, pulverem florum chamomillæ, atque Roob Sambuci habebat; & hoc per ſex uſurpatum dies penitus fugavit febrem. Qua profligata, iterum quavis veſpera novem dictarum pilularum, mane drachmam dimidiam ſalis aperitivi, & hora pomeridiana quinta octoginta guttas Elixirii mei viſceralis propinavi, eo effectu, ut prorſus

ſus ſileret febris, & generoſa mulier felici ſubinde fungeretur partu.

Non hoc loco erit alienum, commemorare, magnum eſſe medicorum errorem, ſi corticem chinæ è foro medico prorſus relegaturi, generatim eum pro veneno habent. Quamvis enim minime negaverim, quin improvidus ipſius uſus, magna ſæpius ſanitatis detrimenta, & noxiam ad morbos chronicos diſpoſitionem inferat; attamen non paucis quoque exemplis habeo comprobatum, quod recto iſtius corticis uſu nihil ad exſtirpandos, qui refractarii ſunt, febriles affectus, ſit efficacius. Ille enim, præmiſſis congruis & evacuantibus, & alterantibus, non ſolus, ſed cum antiſpaſmodicis & diaphoreticis mixtus, diebus à febre vacuis propinandus eſt; & conſopita ſic febre, remediis incidentibus, evacuantibus, ſtomachicis, & quæ corpus in debita conſervant tranſpiratione, per aliquod adhuc tempus inſiſtendum. Conſuevi igitur hunc corticem heroicis accenſere remediis; quibus provide adhibitis, feliciſſimus ſuccedit effectus, incongrue vero uſurpatis, accedit irreparabile damnum. Quamobrem in uſum vocaturum hoc medicinæ genus, non modo rationalem pathologiam, verum quoque therapiam, & medicaminum operandi modum probe callere oportet; & ſatius utique eſt, ut qui hac ſcientia inſtructus non eſt, cortici huic plane ſuperſedeat, ſoliſque temperantibus, diaphoreticis ac diluentibus pugnet, ac reliquum naturæ committat negotium.

---

## CASUS CLXXXI.

### *De febre bilioſa intermittente.*

QUum per menſem Maium Juniumque currentis anni menſem frigida, humida, & pluvioſa tempeſtas terris incumberet; accidit, ut ſequentibus Julio & Auguſto menſibus febres bilioſæ intermittentes tam ſimplices, quam cum continua complicatæ, nec non tertianæ duplices, admodum incertæ popularem ederent ſtragem. Ex reliquis vero, qui meæ ſe mandarunt curæ, ægrotantibus, erat mulier quædam generoſa, ſex ultra triginta annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, obeſa, ſuccorum plena, animique ſenſibilioris, & ad iracundiam proni. Hæc ſub finem menſis Julii circa veſperam ingenti rigore prehendebatur, quem per aliquot horas durantem, vehemens excipiebat æſtus. Et hæc acceſſio per primam ſeptimanam alternis invadebat diebus, deinceps anticipabat, atque tum intra nycthemeron bis incidebat. Paullo poſt magis continuæ ſpeciem referebat; ſiquidem uno die aſperior erat paroxyſmus, altero levior, neque calor præternaturalis cum paullo celeriori pulſu unquam remittebat. Cæterum hæc exhibebat ſymptomata: Per tres priores hebdomades moleſtæ vexabant vomitiones, die præſertim febrili, qua non tantum aſſumta quævis, ſed & ſaburram bilioſam viridem, mucoſamque rejiciebat, atque non raro vanis, laborioſiſque conatibus, cum alvi obſtructione adfligebatur. Quarta ſeptimana vomitibus jungebatur alvi fluxus, fæces reddens virideſcentes, & vix ægram in cubili conquieſcere permittens, & hunc ſequenti hebdomade tanta excipiebat obſtructio, ut ope pilularum balſamicarum reſerari debuerit. Præterea ipſi paroxyſmi tanta ſpirandi anguſtia erant ſtipati, ut ſuffocari videretur; jungebatur inſignis corporis languor, ac maxima inquietudo, ut vix in lecto potuerit contineri. Non minus vehementes & capitis & dorſi dolores multam figebant crucem; noctesque ſine ſomno, at bene multis ſudoribus moleſtæ tranſigebantur. Urina mingebatur parciſſima, & rubicunda cum ſedimento. Pulſus, accedente paroxyſmo, ferebatur inæqualis, varius, celerior, & quandoque intermittens. Potus etiam ad extinguendam ſitim aſſumti vomitu ſtatim reddebantur; & conſtrictus quaſi videbatur ventriculus.

Vocatus medicus nihil utique omiſerat, quod ejuſmodi febribus plerumque ſolet opponi; dederat enim ſalia digeſtiva, abſorbentibus, oculiſque cancrorum citratis nupta, nec non leniora vomitoria; ſed febris cum recenſitis ſymptomatibus contumax inhærebat. Putabant etiam, rem eſſe conclamatam, & me tandem in auxilium accerſebant. Ego perſcrutatus, affectum hunc febrilem ab excandeſcentia gravi ortum fuiſſe, eademque adhuc foveri, & magnam ſubeſſe generis nervoſi debilitatem; primam curandi intentionem ad compeſcendas & vomitiones & alvi fluxiones direxi: quum facile perviderem, hac excretionum vehementia perdurante, nec data remedia felici potiri effectu, nec generoſos ad ſanguinem deduci poſſe ſuccos, virium inſtauratores. Jam vero in quæſtionem veniebat, quænam medicamina ad ſiſtendum hunc ventriculi motum, nervoſumque genus roborandum, tuto poſſent adhiberi? Neque enim opiata, leniter adſtringentia, martialia, & calidiora ſtomachica, interne pariter ac externe uſurpata votis feciſſent ſatis; & multiplex potius experientia docet, ſedatas ope horum medicaminum vomitiones, inſignes cardialgicas poſt ſe trahere anxietates, quæ ſumtis vel cibo, vel potu, vel medicinis, mirum in modum invaleſcere, nec prius mitigari ſolent quam rejectis denuo omnibus. Quamobrem, exploratis jam egregiis, quas in compeſcendis ſpaſmodicis affectionibus liquor meus anodyno-mineralis poſſidet virtutibus, eundem in noſtro caſu adhibendum ſuaſi, ſi ejus uncia dimidia cum tribus olei caryophyllorum, & ſex olei cinnamomi guttis fuerit remixta. Atque hoc remedium ad viginti guttas ſingulis quatuor horis ex aqua ceraſorum nigrorum propinavi; & externe, finita acceſſione, balſamum vitæ, ambra moſchoque deſtitutum cum linteis ad ventriculi & abdominis regionem adplicari juſſi. Unde factum eſt, ut intra nycthemeron vomitus conquieſcerent, & ægra potus atque juſcula abſque incommodo retinere potuerit. Nihilo tamen minus ad confirmandam hanc excretionum vehementiorum quietem, dicta remedia, licet parcius, continuanda curavi; pro potu vero aquam ceraſorum nigrorum, & decocta ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ, ſucco citri, & aliquot olei de cedro guttis confecta ordinavi.

Sic ſedatis, quæ reliquis moleſtiora videbantur, ſymptomatibus, reſtabant adhuc calor præternaturalis, magna laſſitudo, pulſus inæqualis ac intermittens, continuæ vigiliæ, & præterea crebri horrores, cum ſubſequente æſtu incidebant, metumque injiciebant, ne febris viſcerum inflammatoria, tanquam anguis ſub herba lateret. Neque vero minus, multa perſpectum habebam experientia, febres ejuſmodi epidemias, ac incertas, in ſubjectis omnino ſenſibilioribus, & ad irregulares nervoſi generis motiones proclivibus, gravia exhibere ſymptomata, quæ periculi quidem terrere videntur metu, re autem vera, non adeo infauſtum ominantur exitum, cumprimis, ſi convenientibus oppugnentur medicinis. Quum itaque mea ſententia febres referri mereantur ad adfectus generis nervoſi, & febriles motus nihil ſint aliud, quam univerſales ſyſtematis vaſculoſi nervoſique ſpaſmi: conſultiſſimum fore putavi, nervinis ac roborantibus uti medicinis, quæ

roborando membranaceas nervoſaſque partes, earundem nimiam ad motus ſpaſmodicos proclivitatem debellare valent. Quo quidem nomine in omnibus, quæ ægris quieta aliqua tempora, ac intermiſſiones præſtant febribus, exceptis continuis, & inflammatoriis, poſt purgatas primas officinas, & rite adjutas excretiones, hoc electuarium probatiſſimæ fidei, ac excellentiſſimæ virtutis deprehendi: Recipe roob ſambuci unciam unam cum dimidia, pulveris chinæ drachmas ſex, pulveris florum chamomillæ drachmas duas, extracti centaurii minoris drachmam unam, pulveris caryophyllorum ſcrupulos duos, julepi roſarum uncias duas. M. F. Electuarium, quod in quovis acceſſionum intervallo quater, pondere drachmæ unius, interpoſito nonnunquam pulveris digeſtivo nitroſi uſu, exhiberi poteſt. Genus certe hoc remedii tantæ eſt efficaciæ, ut niſi inflammatorii, vel hectici quidpiam deliteſcat, per quatuor duntaxat dies uſurpatum, pleraque inſigniter ſopiat ſymptomata: æſtus enim remittere, pulſus æqualis fieri, appetitus cum viribus inſtaurari, urina copioſior, ac naturali ſimilis reddi, ac denique ipſi febriles paroxyſmi ſenſim conquieſcere obſervantur. Idcirco idem remedium in noſtra ægrotante uſurpavi, divinaque favente gratia obtinui, ut inde cuncta ſilerent incommoda, neque quidpiam moleſtiæ præter ventriculi inflationem, ſumtis potiſſimum epulis infeſtam, æſtum volaticum, laſſitudinem, ac ſudores nocturnos reſtaret.

Quas adfectiones, cum ex ventriculi debilitate, indeque pendente digeſtionis vitio ſuam traxiſſe originem, facile cognoſcerem; omni ſtudio in id fore incumbendum putavi, ut lenta febris præcaveretur. Quamobrem in more mihi eſt poſitum, ut ſopitis poſt nervinorum & roborantium uſum, febrilibus paroxyſmis, vim digeſtivam ventriculi reſtaurare, omneſque evacuationes promovere annitar. Hoc fine alternis veſperis pilulas meas balſamicas, alteroque mane vel drachmam ſalis Sedlicenſis, vel drachmam dimidiam ſalis mei aperitivi exhibere ſoleo; ut tali nimirum ratione cruditates ac impuritates humorum ab æſtu febrili relictæ, blande, tamen ſufficienter eliminentur. Et denique moderatam frequentemque corporis exercitationem, atque Elixirii mei viſceralis ante prandium uſum commendare ſuevi. Hæc igitur in noſtra etiam ægrotante, ſummo cum fructu, & perfecta febris ſublatione, adhibui.

---

## CASUS CLXXXII.

### *De febre lenta ex male curata tertiana.*

Vir viginti ſex annorum, ſanguineæ temperaturæ, crebris oculorum congeſtionibus atque rubore in pueritia, nec non multis doloribus capitis diſcruciatus, deinceps vero nimimiis lucubrationibus, victuſque inordinato generi deditus, elapſa proxime æſtate, cum intermittentes febres popularem ederent ſtragem, & ipſe ſub cœlo fervidiſſimo inter caniculares dies, & perverſa diæta, variis perfungeretur itineribus, eundem incidit morbum. Per aliquot enim dies atroci capitis dolore, ciborum faſtidio, atque delaſſante corporis torpore adfectus, vero febrili prehendebatur paroxyſmo. Accitus quidam celebris medicus, dato laxante pulvere, ut ſuæ valetudini nihil timeret, ſed in publicum prodiret, ægrum perſuadebat: unde hic febrili adhuc die, finita acceſſione, amicorum conſortium frequentabat, & inter vini pocula, tutus ibidem degebat. Domum reverſus, magnaque exardeſcens iracundia, protinus magno calore, capitiſque dolore corripiebatur; qui per noctem, ſequentemque totam diem continuatus, tertia in verum intermittentis febris paroxyſmum, multis vomitionibus ſtipatum deſinebat. Abſente medico priori, alter vocabatur; qui præter varia remediorum genera, quavis intercalari die vel purgantem, vel etiam emeticum propinabat pulverem; licet vir adflictus ſub ſingula vomitione ſponte vomeret, viribuſque defectus eſſet. Transactis ſeptem circuitibus, dabatur ipſi electuarium, cum cortice chinæ permixtum, quod larga quantitate ex vino Hiſpanico capiebat, eo effectu, ut febris conquieſceret. Verum non multo poſt, inſtitutis quibuſdam itineribus, recidebat; & oppugnata rurſus purgantibus, ſudoriferis, dictoque electuario, poſt quatuor paroxyſmos denuo remittebat. Incerta tamen erat valetudo, ſiquidem febrile incendium, nunquam à vomitibus vacuum, utut bis ope corticis Peruviani exſtingueretur, bis tamen urere rurſus cœpit; & demum caninam veluti adpetentiam comitem eſt ſortitum. Quamobrem ad priorem refugiebat medicum, & ſumtis ex ejus præſcripto quibuſdam pulveribus, ac obſervata recta vivendi ratione, brevi tempore plane convaleſcere videbatur.

Interim cum ob diuturnam ægritudinem, ſanguinis miſſiones, quas antea quotannis bis terve celebrare ſueverat, per integrum neglectui habuiſſet annum; ſtillabat primum ex naribus cruor, deinceps autem, ceſſante eo profluvio, œdematoſa totius fere corporis intumeſcentia, ingenti capitis dolore, artuum torpore, & ciborum faſtidio male habebatur. Credebat ſibi venæ ſectione conſultum iri, quam etiam pronuper, non obſtante medicorum diſſenſu, detractis octo unciis, inſtituendam curavit. Abhinc ad meliorem quidem ſanitatem inclinare videtur, & tumor œdematoſus evaneſcit; neque tamen ſecius ad hanc uſque diem crebris humorum ebullitionibus, capitis quadam temulentia & veluti oblivione nunquam non ſtipatis moleſtatur. Præterea ſæpius horror, cum æſtu ſubſequente incidit, maxime ab epulis; junguntur corporis languores, gravia ac terroris plena inſomnia, & inſolitæ præcordiorum ſub ſomno anxietates. Quibus malis preſſus, tuum, vir Illuſtris, expetit conſilium.

### *Epicriſis cum conſilio.*

Propoſita morbi enarratio aliquot præclaras obſervationes, iis potiſſimum, qui in artis operibus verſantur, apprime utiles, ac proficuas nobis ſuppeditat:

1. Satis aperte ac luculenter oſtendit, quam leve & anceps auxilium ferant evacuantia, eaque validiora, ut fere ſunt emetica & purgantia, in expugnandis intermittentibus, quæ populares habent circuitus, & quam parum impediant, quo minus febres hæ præcipiti, & feſtinato adſtringentium uſu cohibitæ, iterum iterumque revertantur. Quod nemini mirum videri poteſt, qui harum febrium cauſſam non tam in noxia humorum quantitate, quam potius in prava illorum temperie & mixtura quærendam eſſe intelligit. Quemadmodum enim omnes morbi, qui populariter graſſantur, ita etiam hujus notæ febres ortum ac natales ſuos referunt ad perverſam aëris & tempeſtatum conſtitutionem, qua excretio ſordium, quæ per cutim diffiari ſolent, mirifice perturbatur. Intercepta autem liberior harum ſordium evaporatio ſubtilem acrimoniam inducit humoribus, quam utique hiſce in febribus magis, quam nocentem copiam, accuſandam eſſe arbitramur.

bitramur. Unde in proclivi eſt judicare, ea remedia, quæ humorum acrimoniam demulcent, ac temperant, quæ tonum cuti reſtituunt, ac denique cutaneam ſordium diſflationem promovent, his in morbis plus ferre adjumenti, quam alia, quæ vi quadam & vehementia copiam humorum tam per os, quam per alvum evacuant.

2. Hac obſervatione evertitur vulgaris illa, multorumque conſenſu roborata opinio, chinam chinæ in curatione intermittentium valde utilem eſſe, planeque innoxiam, ſi remedia, ut vocant, univerſalia illi præmiſſa fuerint. Nullum enim ex his in præſenti caſu prætermiſſum eſt, nec tamen conſociata eorum virtus tantum valuit, ut iis præpedita eſſet toties repetita febris acceſſio. Nec vero hic diffiteri oportet, hujus generis remediis locum aliquem eſſe tribuendum; quando exuberans impurorum humorum copia evacuationem ſui imperat. Tunc ſane cum bonis ægri rebus inſtituitur affluentium impuritatum expurgatio, quoniam verendum eſt, ne intus retentæ ſordes, & inquinamenta humorum, longius trahant febrientes, omnemque adſtringentium uſum ſuſpectum reddat.

3. Commemorata medendi ratio planum ac teſtatum facit, quantæ in febribus calamitati ſint improvide, & parum opportune data emetica; quorum vis tantam ventriculo inducit debilitatem, ut ſub quolibet febris acceſſu ſe offerat vomitio, aut certe ingens ad eam proclivitas.

4. Inſigni eſt documento, febrium reditus pejoris eſſe indolis & majori ſymptomatum vehementia ſtipari, quam primas earum acceſſiones, unde etiam longe aliam medendi rationem, quam qua medicus in præſenti caſu uſus eſt, deſiderant, quæ ſi negligitur, facile febris ægrum repetit, novoque inſultu eum excruciat.

5. Perſpicimus inde, intermittentes maturius, quam earum cauſſa penitus evicta & ſuperata ſit, cohibitas, ſi non recidivas pariant, graviora tamen relinquere ſymptomata. Hinc enim cooriuntur lentus calor, totius corporis debilitas, artuum languor, & intumeſcentia, appetitus proſtratio, ſomni turbulentia, ſpaſmi & anxietates præcordiorum; quibus etiam in ſubjectis, quæ hæmorrhagiis adſueverunt, graves & acerbi dolores ſubinde ſolent aſſociari. Quod curationem harum febrium attinet; ea in præſenti ægro hunc in modum eſt inſtituenda. Primo diſpiciendum, ut abdominis viſcerum infarctus reſolvatur: deinde oportet viſcidam & bilioſam primæ regionis colluviem clementer educere, ac denique ventriculi, omniumque viſcerum tonum corroborare. Huic ſcopo ea, quæ ſequuntur, accommodata arbitramur:

1. Recipe terræ foliatæ tartari, arcani duplicati, nitri purificati, ſalis ammoniaci ana drachmam unam, lapidum cancrorum, drachmas duas, Miſce fiat pulvis, de quo drachma dimidia ſingulis diebus mane, & circa quintam pomeridianam cum ſufficiente vehiculo ſumenda eſt.

2. Recipe extracti cardui benedicti drachmas duas, ſuccini, myrrhæ electæ, extracti rhabarbari ana ſcrupulos duos, extracti agarici, florum ſalis ammoniaci martialium ana ſcrupulum unum, M. F. pilulæ ex ſcrupulo uno numero quindecim, quæ alternis diebus circa lecti introitum devorari debent.

3. Recipe herbæ veronicæ, meliſſæ, herbæ Thée ana manipulum unum, corticum aurantiorum recenter exſiccatorum drachmam unam & ſemis, M. F. ſpecies, irrorentur guttis quadraginta olei tartari per deliquium, & fiat infuſum omni mane cum aqua calida hauriendum.

4. Recipe Elixirii ſtomachici Michaelis, eſſentiæ gentianæ rubræ ana unciam ſemis, extracti corticis chinæ drachmam unam, olei ligni ſaſſafras, olei caryophyllorum ana guttas quatuor: quod medicamentum ſtomachicum inter cibos cum cereviſia uſurpari poteſt.

---

## CASUS CLXXXIII.

### *De febre lenta cum cachexia ſuccedente malæ curationi febris intermittentis.*

Non infimæ dignitatis vir, quinquaginta, & quod excurrit annorum, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, & habitioris corporis, nec non hæmorrhoidum fluori obnoxius, æſtate noviſſime elapſa, in qua ob ſummum ſolis fervorem, & inſignem ſiccitatem, dyſenteriæ pariter, ac febres quotidianæ mali moris populariter graſſabantur, in copioſum incidit alvi profluvium. Brevi ante curam, quam avenaceam, vulgo *die Haber-Cur* vocant, adhibuerat, ſub qua & corpus inconſiderate frigori expoſuerat, & diætæ, quam nunquam rite obſervavit, erroribus indulſerat, ciboſque ſalitos, fumo induratos alioſque crudiores largius comederat, & potuum nimiam ingeſſerat quantitatem. Fluor hic alvinus per ſex circiter inhærebat dies, atque tum à medico, ne forſan nimis debilitaretur æger, theriacalibus & conſtringentibus ſiſtebatur. Vix autem octo inde effluxerunt dies, cum febre quotidiana, tunc temporis epidemica, magiſque continua prehenderetur: quamvis enim veſpertino tempore febrilis invaderet acceſſio, & mane demum ſudore finiretur; pulſuum tamen frequentia, lotii perpetua rubedo, & viſum in eo nunquam non ſedimentum oſtendebant, virum ſpectatiſſimum ad apyrexiam haud redire. Conſultus denuo medicus, hunc affectum, nec evacuantibus, nec aperientibus præmiſſis, protinus chinato oppugnavit electuario; quod æger aliquot librarum pondere, abſque ullo levamine, majorique potius damno, devoravit. Neque enim cohiberi potuerunt acceſſiones, tantum aberat, ut, licet æſtus mitior eſſe, & horror evanuiſſe videretur, quemvis tamen paroxyſmum narium & extremorum perfrigeratio antecederet, pulſuſque ſemper debilior, celeriorque eſſet, cum ſumma virium jactura. Alvus inſuper ſub toto morbi decurſu contumaciter adſtricta erat, nec niſi laxante, vel clyſtere ſolicitata, reſpondebat; urina craſſa atque rubicunda, copioſum deponebat ſedimentum; ſitis vix notabilis obſervabatur, & ſomnus tantum non omnis eripiebatur. Ipſi quoque paroxyſmi permagnis anxietatibus cardialgicis ſtipati, alterniſque potiſſimum diebus acerbiores erant, & parciores ſudationes habebant pediſſequas.

Et hoc in rerum ſtatu, lecto nunquam non affixus, bene multos miſer tranſegerat menſes; tandemque meum flagitabat conſilium. Quum itaque percepiſſem, tantam corticis Peruviani molem aſſumtam fuiſſe; ordinabam pilulas balſamicas Hoffmanni, ejuſdem ſal aperitivum, pulveri bezoardico nuptum, infuſa theiformia, liquorem anodyno-mineralem, cum Elixirio viſcerali maritatum, & eſſentias amaras, arcano tartari remixtas. Inde redibat quidem cum viribus, ciborum aliqualis adpetentia; at inſiſtebat calor gliſcens, urina manebat turbida, & miſſis laxantibus, ſalibus aperitivis, aut clyſteribus, alvus clauſa, ac abdomen flatibus diſtentum moleſtabat. Quamobrem ad ſuperandam febris contumaciam ſale ammoniaco depurato tanquam efficaciori ape-

aperiente, & à Muyſio, celebri medicorum inſigniter commendato uti, illudque pondere dimidiæ drachmæ bis quotidie propinare cœpi. Neque tamen minus calor ille lentus, cum pulſuum frequentia ac debilitate rebellis inhærebat, licet acceſſionum vis paullulum fracta videretur.

His ergo remediis per ſex hebdomades incaſſum adhibitis, tentavi virtutem pulverum, ex cortice chinæ, caſcarillæ, nitro, arcano duplicato, & oleo caryophyllorum confectorum, eoſque ter quotidie per quatuor ſucceſſive dedi dies. Hinc urina minus rubicunda, & parciori ſedimento prædita adparebat, nec ulla ferme paroxyſmorum remanebant veſtigia. Verum circa horum tempus, arteriæ movebantur juſto celerius; præcordiales anguſtiæ invaleſcebant, & accedebat tenſivus dolor, ac quædam quaſi rigiditas tibiarum, crurumque, ut nec ſtare, nec rite ambulare potuerit. Miſſis igitur iſtis pulveribus, uſurpavi liquorem bezoardicum anodyno nuptum, ſub epulis eſſentiam gentianæ dedi, & mane fotum vaporoſum ex herbis appropriatis, abdomini admittendum curavi. Sed nec his ambulandi potentia, nec reliqua valetudo reſtitui potuit: uſtus interno potius calore, adpetituque plane defectus, ſenſim contabuit & vultus expalleſcere cœpit. Urina ſatis copioſa, cum ſedimento mingebatur, & cum aliquando, melius habere viſus, in conclavi obambulare moliretur, ob nimiam pedum imbecillitatem in terram lapſus, tantoque ſimul terrore perculſus eſt, ut abhinc pedibus inniti prorſus nequiverit, nec ſemet erigere potuerit.

His per ſex menſes preſſus incommodis, incepit denuo cruorem, cujus excretio hactenus ſiluerat, per hæmorrhoides effundere; ac ſubinde inſignem ſalivæ, atque tantam ex ore rejicere quantitatem, ut præ nimia fluxione ſomnus oculis eriperetur. Cruentum ex ano profluvium crebrius infeſtavit, omneſque penitus proſtravit vires: & ſi vel vini, vel potus ſpirituoſi quidpiam aſſumeret, vel etiam ad roborandam partium inferiorum infirmitatem, dorſum unguento martiato, oleis nervinis remixto inungendum curaret, protinus copioſiorem cruoris ſenſit effluxum. Neque vero ullam circa hypochondria, aut in abdomine duritiem, vel tenſionem adnotare licuit præternaturalem; &, quod notatu dignum erat, cibos crudos craſſoſque, quibus adſueverat, cum adpetitu comedere, & ſine ulla moleſtia concoquere potuit; licet molliorum, maxime carnium ſummo urgeretur faſtidio. Interim ſalivæ fluxus, lentuſque calor cum virium debilitate aſſidue perſeverabant, eo magis, cum ob hæmorrhoidalem fluxum per aliquod tempus ab omnibus & medicis, & medicaminibus abſtineret. Tandem ad hunc compeſcendum uſus eſt tinctura martis Ludovici, cum eſſentia amara, & aliquot balſami vitæ guttis maritata: unde & cruenta, & ſalivalis excretio conquieverunt.

Verum paullo poſt continuis agitari vigiliis, mentis uſu deſtitui, raptibuſque furibundis vexari cœpit. Quare omiſſo dicto remedii genere, clyſteres ano infundebantur, ipſique ſalia nitroſa, & aperitiva porrigebantur. Hinc in altum ſoporem, per viginti horas durantem incidit; à quo expergefactus, rationis integritatem ſimul & ſemel recuperavit: inſuperque hæmorrhoidalis, utut parcior, rediit excretio, cum reliquis ſymptomatibus. Horum itaque medelam anxius cupit, & præſertim ſcire geſtit, num uſus thermarum Carolinarum, aut acidularum Wisbadenſium ipſi ſit profuturus.

*Conſultatio.*

Affectus præter naturam, quo cum vir ſpectatiſſimus per tria conflictatur ſemeſtria, meo arbitrio non alius eſt, quam cachecticus, cum lenta febre junctus, ex viſcerum abdominis, maxime lienis atque hepatis oppletione ac obſtructione ſuam trahens originem. Cujus ergo cauſſa, quum magis in ipſa viſcerum ſubſtantia, quam fluidis partibus ſit radicata: omnis perit admiratio, quod nullis hactenus remediis obſecundaverit, ſed eo uſque inhæreſcat. Generatim enim eſt ſciendum, omnes morbos ex viſcerum labe, eorumque vel obſtructione, vel nimia relaxatione propullulantes, maxime diuturnos eſſe, neque parum & medentis & ægroti patientiam exercere ſueviſſe. Et ſi altiores jam radices egerit malum, ſpes perfectæ curationis certe eſt in anguſto; nec quicquam medico ſupereſt, quam ut recta vivendi ratione, & convenientibus medicinis vitam adhuc protrahere annitatur. Quæ practica atque prognoſtica regula in omnibus hypochondriacis, cachecticis & ſcorbuticis affectibus, iiſque inveteratis memori tenenda eſt mente.

Jam vero non pauca ſunt momenta, quæ teſtatum faciunt, præſentem, cujus cauſſa conſultus ſum, morbum altas in imi ventris viſceribus egiſſe radices. Hujus rei primum fluor hæmorrhoidalis, quibus à multis annis obnoxius fuit æger, præbet argumentum. Quum enim hoc profluvium, licet ſit criticum ac ſalutare, ſemper nimiam humorum molem, ac difficiliorem per abdominis vaſculoſas partes circuitum ſignificat: tanto magis, ſi ſymptomaticum, nimium, ac inordinatum fuerit, vitium viſcerum abdominis, vel nimis relaxatorum, vel obſtructorum, & hinc præpeditam per ea ſanguinis circulationem indicabit. Cumprimis hic fluxus fieri ſolet, ſi vaſcula ſanguifera, quæ hepar vel lienem tranſeunt, fuerint obſtructa: ſic enim humores majori copia ad vaſa meſaraica vel hæmorrhoidalia regurgitant, ea diſtendunt, & data leviſſima vel interna vel externa cauſſa, ex iis vi quadam erumpunt: unde conſtans docuit experientia, fluxus hæmorrhoidalis nimii cauſſam, vel in liene vel hepate obſtructo, tantum non ſemper reſidere.

Deinceps retardatum cruoris per abdomen in noſtro ægrotante curſum, teſtatur nimius ſalivæ fluxus. Hoc enim incommodum à diuturniori ſanguinis in vaſis majoribus, vel viſceribus ſanguineis ſtagnatione ſuos mutuatur natales: Nam ſub ea mora fluxilior ac ſeroſa ſanguinis portio à reliqua craſſiori ſecedit, & vel in lymphatica vaſa atque tubuloſam poroſamque corporis ſubſtantiam effunditur; vel ad vaſa lymphatica excretoria, qualia ſunt ſalivales ductus, majori copia rapitur. Priori in caſu tumores oriuntur œdematoſi; poſteriori copioſior fit ſalivæ ſputatio, quæ licet ſit moleſta, eo tamen reſpectu, quo œdemata antevertit, ſalutaris, ac veluti critica dici meretur.

Et ſi corporis habitum, quo noſter pollet, ſpongioſum, flaccidum, vaſis copioſis, exilibus tamen refertum conſideremus; in eo ipſo diſpoſitionem ac miram aptitudinem ad concipiendam viſcerum labem deprehendemus. Quum enim in ejuſmodi corporibus curſus humorum per exiliora vaſcula ſit difficilior, & nimia eorundem moles partium ſolidarum, atque motricium robur mirifice debilitat: facile patet ratio, cur ea ad ſanguinis excretiones, morbos chronicos, & præſertim œdematoſos præ aliis inclinent. Accedit in noſtro ægrotante perverſa vivendi, cui indulſit, ratio: dum enim cibis multis, iiſque coctu difficilibus, crudis, ſalitis uſus fuit, & vitam ſine motu deſidem egit, non abundantiam ſolum,

ſed etiam craſſitiem ac ſpiſſitudinem humorum ſibimet contraxit, quo illi ad progreſſum per minimos tubulos ineptiores, & ad inducendam obſtructionem magis idonei fuerunt redditi.

Et ſi verum fatear, perverſæ affectionum, quibus infeſtatus fuit, curationes inſigne ad viſcerum obſtructiones inducendas contulerunt momentum. Namque primum magnam meretur cenſuram, quod alvi fluxus, qui à ventriculi per potum avenaceum antea debilitati refrigeratione originem traxit, crudis adſtringentibus fuerit cohibitus. Neque etiam perverſa febris tractatio excuſari poteſt. Quemadmodum enim ejuſmodi febres generatim, maxime ſi convenientibus oppugnentur, vel potius ſecundentur medicinis, in reſerandis viſcerum infarctibus, atque reſolvendis humorum coagulis, mirificam, ſuffragante experientia, præſtare ſolent virtutem: ita cumprimis in noſtro caſu accedens ille febrilis motus, non alium quam ſalutarem habuit finem. Idcirco abſurdiſſimum utique fuit, illum abſque præmiſſis aperientibus, reſolventibus, diluentibus, & evacuantibus, dato protinus electuario chinato ſuppreſſiſſe. Quamvis enim illud electuarium ob corticem chinæ, cum corrigentibus & diaphoreticis maritatum, reliquis, quæ febribus opponi ſolent, ſpecificis præferri mereatur, & convenienti tempore ac ordine uſurpatum præclaram ferre deprehendatur opem: attamen in hoc caſu, qui materiæ noxiæ præparationem ac evacuationem indicavit, non niſi magno potuit eſſe damno. Cumprimis ſcire licet, eas intermittentes febres, quæ corpora ſpongioſa, ſanguinis ſuccorumque plena, & fluori hæmorrhoidali obnoxia infeſtant, cautiſſime, & levi manu oppugnandas, nec niſi, evacuata omni materiæ febrilis colluvie, ad ſpecifica, & motus febriles cohibentia deſcendendum eſſe medicamina; quoniam ex his præpoſtere datis, cachectici & hydropici ſequi ſolent affectus. Et ſæpiſſime adnotare mihi licuit, quod poſt febres male feriatis artibus cohibitas, in fœminis menſtruorum, in viris hæmorrhoidum tantæ exceperint ſuppreſſiones, quæ per totum vitæ tempus reſerari nequiverunt, & ob eam cauſſam perpetuis miſeros expoſuerunt ægritudinum calamitatibus.

Quæ cum ita ſint; nulla ratione mirandum eſt, quod adhibita hactenus efficaciſſima remedia, nullum tulerint levamen. Ubi enim viſcerum quædam præſto eſt labes, vel nulla, vel minimum ægerrima locum habet medicatio. Et dictæ quidem viſcerum obſtructioni ſontica, quæ ægrotantem per tantum temporis tractum male habuerunt, ſymptomata debentur, qualia ſunt virium inſignis proſtratio, vultus livor, ac pallor, carnoſæ ſubſtantiæ conſumtio, mala ventriculi digeſtio, oris ſiccitas, lentus calor, & pulſus languidi celereſque. Ad hæc, cum præſertim hepar obſtructum, & ideo ſanguinis difficilior per illud regreſſus, & inde producta in vaſis inteſtini coli ac hæmorrhoidalibus ſtagnatio, præſto videatur eſſe; facile adparet ratio, cur ægrotus noſter nimio jam hæmorrhoidum fluore laboret, eumque vel vino, vel etiam calidioribus medicinis ſumtis, vel linimento nervino lumbis adplicato, largiorem experiatur. Neque etiam obſcura eſt ratio, quare cohibitum per balſamicam & adſtringentem medicinam, hæmorrhoidalem pariter ac ſalivalem fluxum, mentis quædam exceperit abalienatio: dum enim retentus tali ratione cruor, & majori copia cumulatus, imi ventris vaſcula nimium diſtendendo, horum ſpaſmodicam induxit diſtentionem; compreſſis abdominis viſceribus, ſucci vitales majori copia ad caput compulſi, raptum illum produxerunt melancholicum; qui, redeunte cruento fluxu, iterum exſpiravit.

Quibus ita diductis, reſtat jam, ut medendi huic malo proponamus rationem. At non caret hæc difſicultatibus: ſiquidem amara, aperientia, carminativa, & ſtomachica remedia, quæ cachecticis vulgo opponi ſolent affectibus, partim hoc in caſu ad nauſeam uſque, nullo ſalutis effectu ſunt uſurpata; partim à nimio hæmorrhoidum profluvio prohibentur. Quamobrem, multiplici doctus experientia, hiſce in caſibus commendare ſoleo, ut ægri per aliquot hebdomades ab omni remediorum uſu abſtineant, & ſolis decoctis, quæ ex carne gallinarum, cum radice graminis, aſparagi, fœniculi, cichorei, petroſelini, & ſucco aurantiorum, atque pauciſſimo ſale & butyro parantur, crebro veſcantur. Horum mane pariter, ac pomeridianis horis menſura dimidia erit capienda; ita tamen, ut alternis inſimul diebus circa ſomni tempus drachma ſalis mei aperitivi dimidia aſſumatur. Præſtans ſane horum decoctorum virtus eſt, utpote quæ non modo impura illa ſalia, quæ ob præpeditam humorum in hepate ſecretionem, in maſſa ſanguinea generantur, involvunt ac obtundunt; verum etiam generoſis ſuccis materiem ſuppeditant, & excretiones per urinam promovent, longe feliciori effectu, quam qui à remediis calidioribus, & activioribus, quæ ſulphureis, amaris atque ſalinis ſcatent particulis, expectari poteſt. Hæc enim medicamina his in morbis omnino ſunt inutilia: nam dum activiores ac ſulphureæ, quas poſſident, particulæ, ob vaſa hepatis obſtructa, non rite ab humorum maſſa ſecerni poſſunt; augent omnino acrem ac ſulphuream eorundem acrimoniam, qualis in cachecticis atque ſcorbuticis ſemper peccat.

Præterea vero operæ erit pretium, ut ſpectatiſſimus æger exercitationi corporis, quantum fieri poteſt, ſub cœlo ſereno, ſive geſtatione in lectica inſtituendæ ſtudeat: aëris enim mutatio, & conveniens corporis motus, omnem ſæpenumero remediorum in morbis chronicis efficaciam longiſſime ſuperat. Aliter ſe res habet, ſi de aquarum mineralium, vel thermæ fuerint, vel acidulæ, uſu loquamur. Quamvis enim ad reſerandas viſcerum obſtructiones, hiſce aquis & externe & interne adhibitis non præſtantius reperiatur ſubſidium: attamen haud ignorari oportet, integrum has uſurpaturis ventriculi ac inteſtinorum, nec non reliquorum viſcerum robur eſſe debere, quo ſcilicet per corporis emunctoria commode progredi queant. Quapropter in ſubjectis, à morbi vehementia nimium debilitatis, impuro ſanguine præditis, & ad ejus excretiones pronis, ab hoc alias excellenti remedio plus damni producitur, quam emolumenti. Studendum igitur primum eſt, ut vires, atque vis digeſtiva noſtro reſtaurentur ægrotanti; tumque, ſi pulſus, calor ac tranſpiratio ſecundum naturam ſucceſſerint, acidulæ vel Amaſianæ vel Selteranæ tepefactæ, conjunctis ſtomachicis, atque ſalibus aperitivis, in uſum poterunt vocari. Opus autem judicio erit, ut hæc curatio viribus ac conſtitutioni ægrotantis accommodetur; quæ etiam determinabunt, an externis quoque uti liceat balneis.

*Appendix.*

Neque ſpem feſellit commendata medendi ratio; poſtquam enim laudatis juſculis rite fuit uſus vir ægrotans; ad meliorem inclinare viſus eſt valetudinem; & non modo muneribus præeſſe, verum etiam itineribus quibuſdam cum inſigni levamine fungi valuit.

CASUS

## CASUS CLXXXIV.

### *De febre lenta deſperata per lac aſininum curata.*

MAtrona generoſiſſima, conſiſtentioris ætatis, tenerioris ſtrictioris ac debilioris conſtitutionis, per aliquot jam annos cardialgiis hyſtericis, poſt epulas potiſſimum, ſumtis licet boni ſucci cibis, cum ructibus, nauſea, quin & vomitu, infeſtantibus, crebro ſoluit adfligi: quibus plerumque enormes præcordiorum anxietates, inquietudines, calores volatici, ſudores gelidi, & capitis dolores fuerunt juncta. Hos quoque ſolos, cum gelida in vertice ſenſatione ſtipatos per aliquot ſæpe dies paſſa eſt: at cardialgicæ acceſſiones, ab epulis invadentes, poſt quaſdam horas inſequuta vomitione ſemper remiſerunt. Interim ſub hoc rerum ſtatu corpus ſenſim langueſcebat; ciborum adpetentia erat exigua, & vel paucis eduliorum ſumtis, ſtatim ſatiabilis. Adhæc alvi perpetua urgebat obſtructio; pulſus ferebatur naturalis, ſed paullò debilior, & ſub paroxyſmo celerior; & menſtrua debito ordine ac quantitate fluebant.

Ego judicavi, mulierem generoſiſſimam, præter connatam, & à teneriori corporis conſtitutione magis ſuſtentatam, generis nervoſi debilitatem, ob crebra, quibus perfuncta eſt puerperia, majorem viſcerum imi ventris, maxime ventriculi, inteſtinorum ac uteri, nec non vaſorum, nervorumque ad dictas partes tendentium ſibi contraxiſſe infirmitatem. Quum enim hanc ob cauſſam nec legitima ciborum concoctio, nec generoſi chyli generatio fieri potuit; humores etiam vitales ſordibus mucoſis, acribus, atque ſcorbuticis fuerunt referti. Hinc autem obſtructiones, in vaſculis minimis uteri, hepatis, vel etiam aliorum viſcerum ſubortas eſſe, vero videtur ſimillimum. Atque ſic ex copioſo, ventriculum & inteſtina obſidente muco, flatulentas derivarem moleſtias; ex earundem vero partium debilitate, & collecta in ſinu ventriculi acri acidaque ſaburra, cardialgiæ ac cephalalgiæ hyſtericæ repeterem originem.

Neque vero mirum eſt, quod generoſa mulier, per noviſſimum geſtationis tempus ab omni moleſtia vixerit immunis, omneſque cibos pariter ac potus impune potuerit aſſumere. Namque ſub graviditate obſtructa antea uteri vaſcula, extenduntur, reſerantur, atq; liber ſanguinis per ea curſus reſtituitur: non minus nimia humorum copia reliquis viſceribus, antea præter naturam repletis detrahitur, & ad uteri ampliatam ſubſtantiam devolvitur; unde fit, ut remota cauſſa, effectus quoque ceſſet, & moleſta remittant hoc tempore ſymptomata. Hinc etiam plerumque fieri obſervamus, ut excluſo fœtu priora recrudeſcant incommoda. Namque poſt partum coarctantur iterum expanſa huc uſque uteri vaſa, eaque propter ſanguis copioſius in illis cumulatus, revehitur denuo ad alia imi ventris viſcera, & priſtinam ludere incipit ſcenam: quæ non raro moleſtior priori eſt, cum per puerperium major uteri & nervoſarum partium inducta fuit imbecillitas.

Et hæc eadem in noſtro contigerunt caſu. Poſtquam enim generoſa ægrotans, ſuperato feliciter partu, more ſolito per uterum cruorem copioſum, conſiſtentia acriorem, atque graveolentem, clariſſimum dyſcraſiæ humorum ſcorbuticæ teſtem, reddidit: finito hujus purgationis tempore, priſtinas calamitates, majori ferme ac antea, collapſu virium ſtipatas pati cœpit. Abhinc enim corpus mirum in modum contabuit, adpetitus ciborum penitus eſt dejectus, & ſi vel pauxillum aſſumſerit, protinus invadunt ſpaſmi cardialgici, hoſque per crebra intervalla atroces capitis comitantur dolores. Præterea febriles nonnunquam, admodum tamen incerti, incidunt motus horripilatione, & inſequente æſtu conſpicui; quos à vitiata digeſtione, natales ſuos mutuari credo. Hos plerumque mictio urinæ pallidæ, magiſque virideſcentis, & copioſæ, cum doloribus urethræ ac veſicæ antecedit. Noctu copioſis afflicta mulier fere diffluit ſudoribus, nec placido, nec reficiente fruitur ſomno, & interdiu præ nimio corporis languore extra lectum commorari nequit. Veſpertino potiſſimum tempore, major fit inquietudo, majorque laſſitudo; urina mingitur varia, mox citrina mox pallida, moxque mucoſa; & noviſſime tuſſis ſicca, abſque ulla muci rejectione, cunctiſque pectoris doloribus deſtituta acceſſit. Non minus ab ultimo puerperio relicti ſunt dorſi dolores aſſidui, qui pungendo, lancinando, atque preſſorio ſenſu moleſti, ad inguina protenduntur; cum menſtruis ab eo tempore ſuppreſſis. Qui dolores meo quidem arbitrio, à ſanguinis ſub vehementioribus in partu laboribus facta in dorſo ac utero ſtagnatione, ſuam utique repetunt originem.

Contra has itaque moleſtias, varii, iique celeberrimi medicorum conſulti fuerunt; neque vero ulla ab illis commendata ſubſidia votis fecerunt ſatis. Commendaverant enim mixturas tonicas roborantes, ac carminativas, ex amaris extractis, corticibus aurantiorum, radice gentianæ rubræ, carduo benedicto, trifolio fibrino, centaurio minori, liquore terræ foliatæ tartari, eſſentia ligni aloes, alexipharmaca Ludovici, carminativa Wedelii, caſtorei, ſuccini, tinctura corallorum, ſpiritu bezoardico, liquore cornu cervi ſuccinato, elixirio uterino Crollii, ſpiritu carminativo de tribus, eſſentia martis tartariſata Ludovici, eademque cum ſucco pomorum parata, nec non aliis uterinis, ſtomachicis, & antiſpaſmodicis parata remedia. Veſperi ordinarunt vel abſorbentes, digeſtivos, antiſpaſmodicos, & leniter carminativos pulveres, vel etiam pilulas tonicas, uterinas & gummatoſas. Alvi obſtructioni liquore terræ foliatæ tartari, oleo amygdalarum dulcium, potiunculis laxativis, ſalibus digeſtivis, atque rhabarbarinis ſuccurrerunt; variis quoque topicis & cardialgiam, & cephalalgiam oppugnarunt, & venam denique noviſſimo vere in pede tundendam curarunt. Verum omnium irritus, aut ſaltem breviſſimus fuit effectus; niſi quod thermarum Carolinarum potus inſigne malo tulerit levamen.

Non minus etiam ſub noviſſimo puerperio, ad præcavendas puerperio ſolemnes adfectiones, variis uſa eſt medicaminibus. Interdiu nimirum mixturas reſolventes, quæ eſſentiam alexipharmacam Ludovici, ſuccini, caſtorei & mixturam ſimplicem habebant, aſſumſit, & veſperi pulveres præcipitantes ex lapidibus cancrorum, cornu cervi ſine igne, antimonio diaphoretico, unicornu marino, matre perlarum, cinnabari, ſuccino, borrace, ſale abſynthii, caſtoreo, & zedoaria paratos adhibuit; cereviſiam cum floribus chamomillæ decoctam, tepidamque potavit; & ſæpius oleum amygdalarum dulcium ſorbillavit. Præterea ob accedentes febriles commotiones, cum dictis pulveribus, mixturam ex extractis cardui benedicti, centaurii minoris, gentianæ rubræ, & corticum aurantiorum, in liquore terræ foliatæ tartari ſolutis concinnatam uſurpavit; atque dorſum, ob atroces iſtius dolores, unguentis nervinis, oleoque ſuccini illinendum curavit. Adhæc, ceſſante lochiorum fluore, infuſo laxante, quod ſimul amarum, & uterinum, cum aqua vinoque paratum

ratum erat, purgata, & balneis aquæ dulcis uſa eſt. Inde febriles quidem acceſſiones penitus conquievérunt: nihilo tamen ſecius ſomnus fuit turbulentus, copioſa ſudatione ſtipatus, ſitiſque horis vexabat antemeridianis. Et quum præter hæc, dicta jam ſuperius ratione, cuncta recruduerunt ſymptomata, atque menſtruorum ſubinde ſilet excretio: malam utique uteri conſtitutionem, à partu relictam ſuſpicatus, metui, ne hectica demum accedat.

Quamobrem pro potu ordinavi decoctum, ex raſura cornu cervi, eboris, viſco querno, radice chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, caryophyllatæ, & lapide pumicis cum aqua paratum; dedi pulverem antihecticum, qui lapides cancrorum ſaturatos, matrem perlarum, unicornu verum, antihecticum Poterii, ſal abſynthii, & cinnabarim habebat; ante prandium ad inſtaurandum adpetitum exhibui mixturam, quæ fovebat extracta amara in aqua ſoluta; & ſub finem epularum, trageam carminativam, ſtimulo ſalino ad liquandam alvum nuptam propinavi. A quorum uſu ſi vires aliquantulum receperit mulier generoſa; haud abs re futurum exiſtimo, ut temperatis antihyſtericis, ac menſes provocantibus ipſi ſuccurratur remediis.

*Conſultatio.*

Qui matronam generoſiſſimam per ſatis longum tempus graviter habuit morbus, tædii æque ac periculi plenus eſt. Quum enim vetuſtate, & ſonticis ſymptomatibus corruptus, perſonam valde ſenſibilem infeſtavit, nulliſque remediorum hactenus obſecundavit: non à vero aberrare mihi videor, ſi veram lentam febrim, niſi ipſa jam inceperit hectica, ſubeſſę ſtatuero. Hujus autem originem partim ex ſanguinis ſpiſſi & impuri in viſceribus abdominis, meſenterio, & uteri vaſis ſtagnatione, partim ex humorum vitioſorum colluvie in primis viis arceſſendam eſſe autumo. Poſſem quoque de eventu hujus mali quædam præſagire, ſi in communicata mecum morbi hiſtoria, curatius adnotatum fuiſſet, qualis in ægrotante ſit arteriarum pulſus, anne frequens, & quo potiſſimum tempore, num matutino, num meridiano, aut veſpertino talis obſervetur: quæ ſola obſervatio, ad tradendam in ejuſmodi morbis prognoſin, egregium confert ſymbolum.

Quicquid vero ſit, eo jam in curanda hac gravi adfectione erit reſpiciendum, ut, reſtaurata vi digeſtiva generoſus producatur chylus, quo inde laudabilis generetur ſanguis, & vires pariter ac nutrimentum corpori accedat. Quum autem hoc ſcopo in ejuſmodi caſibus nec medicamentis, nec conſuetis alimentis potiri liceat: non ſane convenientius, ac efficacius unquam deprehendi ſubſidium, quam lac aſininum, ab aſina non nimis vetula, & in pratis medicarum herbarum, ut ſunt hedera terreſtris, urtica mortua, ſcabioſa, millefolium, tuſſilago, veronica, pulmonaria, ſcordium &c. feracibus, enutrita mulſum. Atque idem ut in noſtra etiam ægrotante adhibeatur, hac potiſſimum ratione ſuadeo: Laxandi primum fine aſſumat mulier generoſa mannam, pondere unius & dimidiæ unciæ, cum binis cremoris tartari ſcrupulis mixtam, & in juſculo avenaceo ſolutam. Deinceps per ſeptem ſucceſſive dies dicto utatur lacte, ita, ut illius recens mulſi, & adhuc calidioris, mane libram unam, quarta vero pomeridiana hora dimidiam hauriat. Quo ſub potu ab omni vino & cereviſia abſtineat; inque horum locum decocta ex hordeo, ſcorzonera, aniſo ſtellato, citrique corticibus confecta potet; & ſub epulis, juſcula ex carne gallinarum contuſa, radicibus fœniculi, cichorei & graminis, ac ſucco aurantiorum parata ſorbillet: veſperi vero circa ſomni tempus, pulvillum ex matris perlarum granis quindecim, nitri purificati granis quinque concinnatum, ex aqua ceraſorum nigrorum capiat. Elapſo ſic ſeptiduo, dicti ſupra laxantis interponatur uſus; tumque lactis potatio eadem ratione per ſeptem rurſus repetatur dies. Quo tranſacto tempore, ſi mulieris generoſæ valetudinem, ac effectum commendati lactis reſcivero; quæ ulterius è re futura arbitrer, lubens ſignificabo.

*Relatio curationis.*

Elapſis decem diebus, nunciavit mihi Vir generoſiſſimus, ægrotantis maritus, hanc, ſumto laxante, ex præſcripto lac aſininum potare cœpiſſe, & vix per triduum continuaſſe, cum non modo dolorum in abdomine inferiori, atque dorſo ſævientium vacuitate gaviſa, verum etiam placidiore, & ſudorum experte ſomno fruita eſſet. Protracta ſubinde ulterius ea potatione, ſenſim ad meliorem inclinaſſe valetudinem, interdiu in conclavi obambulare potuiſſe, nec amplius de æſtu præternaturali, nec de tam gravi, ac ante, cardialgia conqueſtam fuiſſe; ſed & vires, & ciborum, quin & carnium adpetentiam recuperaſſe. Quamobrem omnino ſuaſi, ut hæc medendi ratio per quatuor adhuc continuaretur hebdomades: quod tam felici eventu factum fuiſſe, poſt hæc percepi, ut ægra, majus in dies ſymptomatum levamen experta, recuperatis viribus, prorſus tandem convaluerit.

Quo ex caſu clariſſime perſpici poteſt, quanta lacti aſinino virtus, & à reliquis prærogativa debeatur. Illud enim alvum lubricat, quam reliquorum animantium lac magis obſtructam ſolet reddere, urinam movet, humores ſiccos, ac ſulphureos humectat, ac virium inſtaurat robur. Quare inſignem cum Hippocrate vetuſtiſſimi medicorum merentur laudem, quod nominatum lac in variis morbis valde commendaverint, multiſque extulerint encomiis.

---

## CASUS CLXXXV.

*De febre lenta cum nimio menſium fuxu.*

Matrona generoſa, quinquagenaria, temperamenti ſanguinei, aliquantum cholerici, habitus ſpongioſi, multis ſed exilioribus vaſis inſtructi, ſuperatis anno ætatis tertio feliciter variolis, ad undecimum uſque ſub illibata vixit ſanitate. Hoc autem anno febre continua maligna per octo hebdomades infeſtata, inſignem virium ſenſit jacturam; atque paralyticam fere dextri pedis reſolutionem retinuit, adeo, ut per integrum annum, non niſi fulcris innixa ſubaxillaribus obambulare potuerit. Qua frequenti balneorum, cum formicis potiſſimum confectorum, atque nervinorum linimentorum uſu tandem percurata, nihilo tamen ſecius per plurimos abhinc annos in eodem pede percepit quandam formicationis ſenſationem, frictioni cum pannis calidioribus, ſtatim cedentem.

Annos duodecim nata, menſtruum cruorem jam fundere cœpit; cujus excretio per binas periodos ſuccedens, poſt per integrum ſiluit ſemeſtre, abſque ulla ipſius moleſtia. Deinceps ope domeſticorum medicaminum revocata, ſtatis terminis, ad decimum uſque tertium ætatis annum fluxit; tumque per quartanam febrim qua corripiebatur, cohibita fuit. Febris hæc per integrum cum dimidio perſeverabat annum, nec ullis cedebat remediis, donec dato tandem infuſo vinoſo amaricante, quod corticem chinæ fovebat, exſpiraret. Succedebat autem lenta, ſub

ſub qua medentis intentio ad reſtituenda potiſſimum menſtrua ferebatur, & eo fine præter varia emmenagoga, vena plus ſimplici vice tundebatur; quo factum eſt, ut fluor ille uterinus rediret, & lenta febris poſt ſemeſtre tempus conquieſceret.

Abhinc rite menſtruata, rectiſſime valuit; nec niſi catarrhoſis quandoque correpta affectibus fuit, annoſque ſedecim nata morbillos feliciter ſuperavit. Paullo poſt viro ſeni, & fere ſexagenario nupta, jucundoque per triginta annos gaviſa eſt conjugio. Sub hoc novem infantes vivos excluſit, ter abortivit, biſque carneas concretiones, quas molas vocant, poſt cohibita per trimeſtre tempus menſtrua, utero reddidit. Ipſi pariendi labores ſemper fuerunt graviores, ſed lochia nunquam non legitime fluxerunt. Cumprimis autem ſecundum puerperium multam ipſi crucem fixit; quum enim brevi ante illud longo itinere perfuncta, & poſt triduanos labores, robuſtum enixa eſſet fœtum; incidit in diuturnam valetudinem per quam licet uterinus cruor rite excerneretur, tamen æſtu præternaturali, ſiti, vehementibus dorſi doloribus, crebro vomitu, alvique profluvio per tres ultra viginti ſeptimanas diſcruciata eſt. Dolores illos dorſi à nimia ligamentorum uteri ſub partu facta extenſione medici derivarunt, & adhibitis variis medicaminibus, tandem perſanarunt.

Reſtituta igitur valetudo, per multos annos ſarta fuit tectaque, adeo, ut quotannis cum dilectiſſimo marito, itineribus quinquaginta, quin ſeptuaginta milliarium perfungi potuerit. Nihilo tamen minus ante viginti circiter annos fluore albo laborare cœpit, qui licet nullas fere moverit moleſtias, efficaciſſima tamen ſprevit medicamina, nec niſi ſuborta rurſus graviditate ceſſavit. Abhinc quoque ſæpius, maxime poſt graviora animi pathemata recruduit; ſed ſemper ſponte iterum conquievit. Poſtquam parere deſiit, menſtrua ſolito quidem tempore, at larga fluxerunt quantitate; & elapſo ſexennio, quum maritus ſubitanea extingueretur morte, febrim incidit acutam, eaque per integrum menſem graviter laboravit.

Præterea non ignorari oportet, generoſiſſimam fœminam, ob nimiam, qua abundat, ſanguinis molem, bis quotannis, Maio nimirum & Septembri menſibus venam, olim in pedibus, per noviſſimos autem annos, propter crebras, quæ ipſam infeſtarunt, præcordiorum anxietates, ſpirandi difficultate, æſtuque volatico ſtipatas, in brachiis ſecandam præbere conſueviſſe. Ex cibis omnes, qualeſcunque fuerint, egregio cum adpetitu comedere, inque primis placentis ac panificiis delectari ſoluit: ſub epulis vino, vel Hungarico, vel generoſo Gallico, vel eo, quod Pontac dicunt, vel veteri Rhenano; & pro potu ordinario cereviſia tenuiori uſa fuit. Ad hæc mentis affectibus, præſertim iracundia facile commoveri; ſed eoſdem quoque ſtatim refrænare potuit.

Et in hoc rerum ſtatum degens, tribus potiſſimum abhinc annis, vacillare paullulum ſenſit valetudinem, dum menſes inordinati fierent, moxque parciores, mox juſto copioſiores, nullo temporis ſervato ordine fluerent. Nihilo ſecius autem ab omni dolore immunis, & placido ſomno frui, & integra ciborum adpetentia gaudere potuit; niſi, quod ſumtis eduliis, coctu difficilioribus, aliqualem alvi fluxum paſſa fuerit. Verum ſub auſpiciis elapſi proxime anni, præter omnem ſpem ac opinionem, ingens cruoris uterini, variis fruſtis permixti profluvium incidebat; quo intra unius diei ſpatium ſponte ſedato, tranſactis vix tribus hebdomadibus, nova, priori copioſior, & vix intra octiduum compeſcenda ſequebatur ſanguinis eruptio. Et abhinc omnis ordinis expers fuit lunare tributum, ſiquidem ſingulis vel octo, vel decem diebus, mox majori, mox minori copia promanavit ſanguis, magnis ſemper coagulis, ad ovi anſerini magnitudinem interdum accedentibus intermixtus. Præterea omni mane vehementer nauſeavit, magnoque corporis languore affecta, noctu pariter ac interdiu aſſidue ad ſomnum inclinavit; ciborum cupiditas ſenſim periit, horror cum ſubſequente æſtu per vices infeſtavit, & quemvis vel leviſſimum corporis motum, magna laſſitudo ſpirandique anguſtia excepit.

Interea orthoſtadia ſemper manebat ægra generoſa; donec dicti anni menſe Junio ex improviſo, cum ſcribendis vacaret litteris, magno rigore, tenſiviſque dorſi doloribus corriperetur; quos brevi poſt ſequebatur intenſus calor, elapſis duodecim horis, copioſo cedens ſudori. Ejuſmodi febrilis acceſſio bis adhuc, alternis ſemper diebus invadebat, priori tamen longe mitior: & datis à quodam medico quibuſdam remediis, mox remittebat. Notari vero meretur, ſub prioris paroxyſmi rigore tantam ſimul ſanguinis, una cum magnis fruſtis cruentis ex utero profluxiſſe quantitatem, quantam vix puerperæ ſolent effundere; intra horæ autem ſpatium hunc fluxum ſponte conquieviſſe. Et ab eo tempore tam varia, tamque diverſis ſymptomatibus turbata fuit valetudo; ut ordine recenſere, vix poſſibile videatur. Mox uterinus cruor per aliquot dies promanavit, mox iterum ſiluit, tumque albus ſucceſſit fluor, qui fundebat liquorem acrimoniæ primum plane expertem, & nec ardorem, nec dolorem vaginæ inferentem; ſenſim vero acriorem, & graveolentem. Ad hæc ægra viribus ſenſim deſici, adpetitu ſomnoque deſtitui, corpore magis magiſque contabeſcere, vultu expalleſcere, atrocibus dorſi lumborumque doloribus agitari, veſpertino tempore inhorreſcere, & alvi cœpit eſſe ſegnioris.

Quamobrem curæ celebrioris cujuſdam medici ſe tradidit, qui uterinam potiſſimum hæmorrhagiam cohibiturus, præter pilulas adſtringentes, numero novem quavis quarta hora capiendas, dedit tincturam corallorum; rhabarbarum cum aqua calida infuſum, bis ſingulo menſe laxandi fine ſumendum ordinavit, & externe fuliginem pulveriſatam, & cum aceto vini in pultem redactam, poplitibus adplicari juſſit: nec non pilulas quaſdam, cœleſtes ipſi dictas, quæ opium, & extractum ſolani habebant, exhibuit, earumque binas, urgentibus nimium dorſi tormentis, veſperi devorandas ſuaſit. His per triduum, cum inſtituta in brachio venæ ſectione, uſurpatis, ceſſavit quidem uteri hæmorrhagia; at fluor albus magis invaluit, & dorſi lumborumque dolores, ad femora uſque protenſi, adeo increverunt, ut omnem prorſus ſomnum oculis eriperent. Inſuper quavis veſpera, prævio frigore, calor quidam, utut mitis incidebat; perque noctum atrociſſima colica, ingenti nauſea, ac vomendi conatu ſtipata ſæviebat. Non minus perpetua & moleſtiſſima deſidendi pariter, ac mingendi vexabat cupiditas; quum tamen urinæ pauciſſimum redderetur & alvus, niſi clyſteribus ſolicitata, minime reſponderet; vireſque in dies magis dejicerentur. Conſulebat igitur alterum non minus celebrem medicum; qui propinatis infuſo theiformi, pulveribus, & eſſentiis, id quidem efficiebat, ut colica remiſerint tormenta; reliqua vero ſymptomata, cum prorumpente denuo per aliquot dies ex utero cruore, in eodem permanebant vigore.

Sub finem demum anni ego vocabar in auxilium, licet invitus tam ſpinoſo manum admoverem malo.

malo. Nam vires penitus proſtratæ, corpus inſigniter conſumtum, & alvus ſemper obſtructa erant, imi ventris perpetua murmura, & flatus vexabant, mingendi conatus aſſidue urgebant, ægrumque non ſinebant conquieſcere, nauſea, vomendi conatus, crudeleſque dorſi dolores, cum adpetitus jactura, multam figebant crucem, continuæ infeſtabant vigiliæ; verſus noctem, prævio frigore, calor lentus, cum cutis ſumma ſiccitate invadebat; idemque volis potiſſimum manuum, plantiſque pedum, cumprimis poſt ſumtas epulas inhærebat; bibendi vix notabile erat deſiderium. Fluor albus adfligebat copioſiſſimus, quo imminuto, dorſi tormenta mirum in modum invaleſcebant. Non minus cruor incertis intervallis, mox quovis triduo, mox ſingulis octo diebus ex utero profluebat; quem nunquam non cruentorum fruſtorum, fere fibroſorum, inſtar polypoſarum concretionum comitabatur excretio. Ejuſmodi hæmorrhagias antecedebant crebriores mingendi cupiditates, urinæque ſtillicidium; quæ moleſtiæ, erumpente ſanguine, niſi penitus ceſſent, egregie tamen mitigabantur. Lotium recens ſero lactis ſimile erat, aurantii magis pallidi coloris, graveolens; poſt quietem vero ſedimentum leve, mucoſum, inſtar materiæ per album fluorem excretæ deponebat; & pulſus denique debiles ferebantur & celeriores.

Quo in rerum ſtatu ordinabam primum pulvillum, ex æquali pondere lapidum cancrorum, matris perlarum præparatæ, ſolutionis oculorum cancrorum, tartari vitriolati Tachenii, & nitri antimoniati confectum; veſperi triginta guttas liquoris anodyni mineralis ex aqua quadam analeptica propinabam; quem etiam ob flatulentas moleſtias ſub epulis, cum eſſentia millefolii, & corticum aurantiorum remixtum exhibebam. Mane ſorbillandum ſuadebam infuſum theiforme, ex herba meliſſæ, veronicæ, ſcolopendrii, ſummitatibus millefolii, floribus chamomillæ, hyperici, & aniſo ſtellato paratum; quod cum generoſa mulier averſabetur, ſolas millefolii ſummitates, cum aqua infundi, & bibi jubebam; hocque cum juſculis tenuioribus, quibus radices cichorei, ſcorzoneræ, & fœniculi incoctæ erant, alternari permittebam. Præterea ad reſerandam alvum, primum bis, deinceps ſemel quavis hebdomade porrigebam duodecim pilularum Stahlianarum, quæ unam alteramve movebant ſedem. Tinctura enim rhabarbari Rolfinckii, ipſum rhabarbarum cum aqua calida infuſum; & potio laxativa ex mannæ calabrinæ uncia una cum dimidia, rhabarbari, & terræ foliatæ tartari ana drachma dimidia, in aqua florum acaciæ ſolutis & cum binis guttis olei de cedro permixtis concinnata, alvum neutiquam ducebant. Quare præter dictas pilulas, alvinæ ſiccitati non niſi clyſteribus, qui habebant decoctum avenæ tenuius, flores chamomillæ vulgaris, oleum chamæmeli coctum, atque ſal commune, ſuccurrere licebat. Ad uteri porro coërcendas hæmorrhagias, illumque roborandum ſacculos ex herba meliſſæ, chærefolii, floribus lavendulæ, anthos, ſambuci, roſarum rubrarum, ſeminibuſque quatuor carminativis, vino rubro incoctis, tepidos ad pubis regionem adplicari jubebam; qui vero, cum ardorem inferre viderentur, omittebantur. Et ad mitigandos denique dorſi dolores, veſica decocto ex lacte, & herbis diſcutientibus confecto plena dorſo admovebatur; nec ſine levamine, utut breviori fotus ex ſemine fœnugræci cum aqua decocto admittebatur.

His per aliquod tempus uſurpatis, referebat mulier generoſa, nauſeam atque vomendi conatus plurimum evanuiſſe; reliqua vero atrociter adhuc infeſtare ſymptomata. Idcirco mutato paullulum medendi ordine, ad roborandum uteri & inteſtinorum tonum, ſub epulis pariter ac hora quinta pomeridiana ſumendas præſcripſi quinquaginta guttas Elixirii, quod ſi habebat: Recipe extracti cardui benedicti, centaurii minoris ana drachmas duas, pulveris corticis chinæ, corticum aurantiorum recentium ana unciam ſemis, ſalis tartari drachmas duas cum dimidia, affunde vini Canarienſis libram unam: M. digerantur. Veſperi capiendum ſuaſi pulverem, cujus hæc erat formula: Recipe lapidum cancrorum ſcrupulos duos, matris perlarum præparatæ drachmam unam, ſuccini præparati, tartari vitriolati, nitri purificati ana drachmam ſemis, corticis caſcarillæ grana duodecim. M. F. pulvis. Mane continuanda imperabam vel dicta juſcula, vel infuſum millefolii: doloribus dorſi liquorem anodynum opponebam, & ventriculi regionem balſamo vitæ dicto inungi jubebam.

Quæ quidem remedia ventriculi robur aliquantulum inſtaurare videbantur, adeo ut ægra juſculis, carnibus gallinaceis vel vitulinis elixis, ac perdicum aſſis abſque faſtidio veſci poſſet: verum reliquorum ſymptomatum eadem perſiſtebat vehementia. Quin noviſſime, poſt præviam urinæ ſuppreſſionem, & inde ſubortam vehementem inquietudinem, magno rurſus impetu, magnaque quantitate promanabat uterinus cruor, concrementis polypoſis paſſim intermixtus. Ad hæc corporis contabeſcentia admodum invaleſcebat; per album fluorem materia ferebatur fœtidiſſima, adpetitus iterum evaneſcebat, lentus calor, verſus noctem potiſſimum, & ſumtis epulis exacerbatus, ſenſim creſcebat; urina præter dictas ſuperius notas, exhibebat ſubpinguem cuticulam, & puncta oleaginoſa ipſi internatantia; atque, ut uno verbo dicam, deſperata aderat lenta febris, quam pro penitus deplorata omnino haberem, ſi vel ſudores nocturni, vel œdematoſi pedum tumores eſſent juncti.

Et hæc eſt graviſſimi, quocum adhuc conflictatur mulier generoſiſſima, morbi idea; cujus cauſſam in fluidis æque ac ſolidis partibus eſſe quærendam ſtatuo. Ex ſolidis nimirum, uterum præſertim ac inteſtina à naturali tono dejecta puto: humores autem vitales juſto ſpiſſiores, acriores, & ad legitimum per vaſcula tranſitum minus idonei videntur. Hinc enim illos non modo in meſenterii & inteſtinorum, verum etiam uteri vaſis ſtagnare, hæc infarcire, varicoſa reddere, tandemque perrumpere, & cum concrementis polypoſis, à cruoris diuturniori ſtagnatione progeneratis effundi credo. Eidem quoque ſanguinis in utero ſtagnationi atroces dorſi dolores, ac aſſiduam alvi ſegnitiem deberi; &, quoniam ſanguineæ profuſiones abſque ſpaſmodicis conſtrictionibus fieri nequeunt, his per conſenſum ad veſicam propagatis, difficilem mictionem, & perpetuam illius cupiditatem in acceptis ferendam eſſe autumo; niſi forſan præternaturale vitium in ſphinctere veſicæ deliteſcat. Præterea, quum ob dejectum adpetitum, & vitiatam digeſtionem, nec cibi rite concoqui, nec inde laudabilis generari queat chylus; non miror, ſi humores, accedente præſertim febrili incendio, ſenſim acriores & ſpiſſiores facti, febrem lentam, & plenarium virium collapſum induxerunt. Cæterum doleo, quod ægrotans hactenus pro potu ordinario decoctis uti recuſaverit; nonque niſi conſuetam ſibi cerevíſiam, licet flatulentas excitare videatur moleſtias, potare voluerit. Quamvis enim interdum decoctum hordei, cum contuſis ceraſorum nigrorum nucleis paratum, bibere cœperit; ob majorem tamen, quam inde percipere putat, ventriculi debilitatem, mox rurſus deſiit. Quicquid vero ſit, malo majora indies capiente incrementa, & omnes remediorum vires eludente, ad Te jam confugimus,

Vir Illuſtris; atque ut nos doceas, quæ abs re futura ſint præſidia, enixe rogamus.

## *Reſponſio Conſultatoria.*

Quæ mihi de adverſa generoſiſſimæ matronæ valetudine ample ſatis, ac eleganter ſunt perſcripta, ita cōparata cenſeo, ut ſpem recuperandæ ſanitatis jam reddant arctiſſimam. Quanquam enim irregularis ac nimius menſium fluor, qui plerumque fœminis ſanguineis, plethoricis, & à ſolvendo hoc tributo circa quinquageſimum ætatis añum liberatis evenire ſolet, per convenientium medicinarum uſum ſtatim ab initio mitigari, & in ordinem reduci potuiſſet: attamen uſurpatis adſtringentibus, opiatis, ac ſedantibus, ille jam adeo rebellis & contumax videtur eſſe redditus, ut efficaciſſima etiam remedia longiſſime ſuperet & aſpernetur. Melius vero cauſſam morbi, ejuſque totam indolem introſpexiſſe noviſſimum medicum, ex præſcripta ab illo medendi ratione clariſſimum eſt, quæ malo adeo conveniens & accommodata exiſtit, ut non dubitem, quin ſi in principiis morbi adhibita fuiſſet, certam induxiſſet ſanitatis reſtitutionem. Jam vero corruptiſſimus, ac fere deſperatus eſt morbi ſtatus: Namque atonia partium ſolidarum, cumprimis uteri, ejuſque vaſorum adeo invaluiſſe videtur, ut legitimo ſanguinis & humorum per uterum æque, ac alia imi ventris viſcera curſui perpetua, & immedicabilis injiciatur remora, neque hinc aliter fieri queat, quin cruor vitalis variis locis ſtagnet, inque corruptionem fere abeat: unde cuncta ſymptomata, maximeque febris lenta, cum virium collapſu, & appetitus deſtructione ſtipata ſuam repetunt originem. Ubicunque enim robur partium motricium deſtructum, legitima chyli generoſi præparatio labefactata, & debitus excretionum per alvum præſertim ac ſudorem ſucceſſus inhibitus eſt: ibi vitales quoq; ſucci à naturali temperie deflectunt, & omnes animales pariter ac naturales univerſi corporis functiones inſigniter vacillant. Quo in rerum ſtatu à remediis, utut præſtantiſſimis, parum adjumenti poteſt expectari.

Quæ in noſtra ægrotante forſan reſtiterit ſalutis ſpes; ea ex vigore naturæ, quo ipſa pollere, & multas, licet graves, in juventute toleratas ægritudines ſuperaſſe ſcribitur, capienda eſt: qui ſi tantus adhuc fuerit, quantus ad ſecundandas remediorum vires ſufficit, boni quidpiam ſperare licet. Ipſam vero medendi rationem à recta victus obſervatione capiendam eſſe autumo, qua monenda erit generoſa mulier, ut omni ſtudio cunctas occaſiones, quæ mentem ad graviores incitare poſſunt commotiones, evitet; & ipſum corpus in æquali calore, & aſſidua requie conſervare nitatur, nec niſi in lecticis ſe nonnunquam geſtari patiatur. Cereviſiam penitus abolere convenit, & in ejus locum pro potu ordinario decoctum quoddam grati ſaporis adhibere, quale hoc fere eſt: Recipe radicis chinæ, ſarſaparillæ, ligni ſaſſafras, raſuræ cornu cervi ana uncias ſex, raſuræ ligni ſantalini citrini, rubri, radicis cichorei, glycyrrhizæ ana unciam & ſemis. Conc. Cont. D.S. ſpecies, quarum unciæ binæ in tribus cum dimidia aquæ menſuris per tres horæ quadrantes, additis, ſi ventriculus dulcia tulerit, paſſulis Corinthiacis, aut aliquot olei de cedro guttis, decoquantur. Quod decoctum mane calidum, loco potus Thée; reliquo tempore frigidum pro ordinario potu uſurpari poteſt.

Deinceps ad aperiendam alvum, & firmandum inteſtinorum robur eſt reſpiciendum, quo fine commendo pulverem, qui ex rhabarbari electi drachma dimidia, nitri antimoniati granis octo, olei de cedro, vel macis guttula una confici, & alternis diebus circa ſomni tempus ex aqua frigida fontana, hauſto altero mane decocto avenæ, cum paſſulis, fœniculo vel aniſo parato, aſſumi poteſt. Neque enim paucis mihi innotuit exemplis, quod aqua frigida pura, & terræ calcareæ expers, veſperi pota, in affectibus hæmorrhagicis & blandum ſudorem movendo, & ſomnum conciliando, præclaram ediderit virtutem. Fovet quippe elementum ſpirituoſum, roborans, æthereum, quod accedente calore in auras abit; & feliciori cum ſucceſſu adhibetur, ſi ejus menſuræ dimidiæ quindecim, vel viginti liquoris mei anodyni guttæ addantur, eaque ſucceſſivis capiatur hauſtibus; quam etiam matronæ generoſæ iis, qui ab uſu pulveris rhabarbarini vacui ſunt diebus, propinandam ſuadeo.

Præterea frequentem in uſum commendo mixturam roborantem, cujus hæc ſit formula: Recipe aquarum menthæ, meliſſæ, cinnamomi ſine vino, ceraſorum nigrorum ana uncias tres, ſucci citri recentis unciam unam, coralliorum rubrorum drachmas duas, hæmatitis præparatæ drachmam ſemis, ſyrupi balſami Peruviani q.ſ. ad gratiam. Hunc vero ſyrupum, qui nervinum atque egregie roborans conſtituit medicamen, paraturus, balſami Peruviani unciam, cum binis decocti hordei libris mixtam, ex cucurbita ad dimidiæ partis conſumtionem deſtillet; & reſiduum magma, una cum liquore deſtillato, & ſacchari libra una cum dimidia, ad ſyrupi conſiſtentiam evaporare ſinat. Nec contemnendam opem præſtabunt juſcula carnis vitulinæ vel gallinarum, ſi cum herbis vulnerariis ſaniculæ, hederæ terreſtris, vincæ pervinca, chærefolii coquantur, & ſucco aurantiorum permiſceantur.

Ex topicis probatæ fidei, & excellentis virtutis erit epithema, quod ex aceti vini, & aquæ ana libra una, florum ſambuci, rutæ ana manipulis duabus, & corticis caſcarillæ uncia una, in vaſe probe clauſo, leni igne coctis parari, & cum linteis frigide abdomini pariter ac cervici, veſperi ſub lecti introitum atque mane adplicari debet. Et hæc ſunt, quæ pro ſalute generoſæ mulieris proponenda duxi; quorum legitimus uſus pro ratione circumſtantiarum à præſenti medico erit dirigendus.

Verum enim vero malum tantas jam egerat radices, ut exſtirpari haud potuerit; tantum abeſt, ut generoſiſſima ægrotans vix inchoato præſcriptorum remediorum uſu, vitam cum morte commutaverit.

---

## CASUS CLXXXVI.

### *De metu febris lentæ poſt catarrhalem & purpuratam.*

Vir annos duo de triginta natus, temperamenti cholerico-melancholici, elapſo anno menſe Novembri, poſt diuturnum mœrorem, febre, ſicut videbatur, catarrhali benigna corripiebatur: quam ſeptimo morbi die efflorеſcentia comitabatur purpuracea. Hac intra quatuordecim dies feliciter ſuperata, vix octiduo interjecto, iterum prehendebatur; accedentibus vomitibus bilioſis, & purpura: ſed ſpatio trium hebdomadum, exſiccata, ac furfurum inſtar ſecedente purpura, rurſus evaneſcebat. Quum vero ex dolore gravativo, quem æger in præcordiis pariter ac hypochondriis interdum perſentiſcebat, ipſe nimia humorum ſpiſſitudine laborare judicaretur, vena in pede tundebatur: quo facto, triduo poſt, redibat tertium dicta febris, vomitibus, purpuraque ſtipata, & intra ſex rurſus dies, retrocedente

cedente abſque ulla moleſtia exanthemate, diſparebat. Eadem ſcena elapſis binis hebdomadibus, quarta vice ludebatur; tumque conquieſcenti ſeptima die febri ſuccedebant hæmorrhoides cœcæ indolentes, & brevi tempore iterum evaneſcentes. Et abhinc tranſactis ſub ſatis bona valetudine tribus ſeptimanis, ex improviſo febris pariter ac purpura invadebant rurſus; ſed intra biduum ægrum deſerebant.

Neque ignorari oportet, per totum recenſitarum adfectionum tempus, alvum fuiſſe laxam, ſtercoraque mucoſa, cruentis interdum ſtriis remixta: ex quibus accedentibus in inteſtino recto crebris morſicationibus, æger ſe hæmorrhoidibus ſic dictis mucidis ac decoloratis laborare credebat. Præter purpuram quoque maculæ hepaticæ, bruni coloris, totum corpus, maximeque dorſum obſederant, & haud ita pridem diſparuerunt. Urina ſub febrili paroxyſmo pauca, coloris ſaturati aurantii mingebatur; & ſedimentum roſeum, cum innatante pingui cuticula exhibebat: reliquo tempore reddebatur quidem juſto ſaturatior, ſed cuticula pariter ac ſedimento vacua, & potius intermixta filamenta, quaſi bilioſa oſtendebat; taliſque adhuc dum cernitur. Adhibuit in hoc rerum ſtatu eſſentiam alexipharmacam Stahlii, pulveres temperantes leniter nitroſos, atque decoctum ex radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, raſura cornu cervi, paſſulis minoribus, & corticibus citri recentibus paratum. Et horum ope recuperavit quidem aliqualem valetudinem, adeo, ut vires, adpetentia, & ſomnus integræ jam ſint, & ipſe muneribus ſuis commode præeſſe queat: nihilo tamen minus perpetuus adhuc corporis pruritus urget, & alvus non modo lubrica, ſtriis ſanguinolentis permixta redditur, verum cibos quoque non rite digeſtos interdum egerit. Præterea corpus ſenſim contabeſcit, licet poſt tuſam pronuper in pede venam, & detractum, qui craſſus, & obſcuri erat coloris ſanguinem, paullulum pingueſcere videretur. Interim à calore præternaturali, ſudoribuſque nocturnis immunis, ſub perennante levi tranſpiratione bene habet; & quum propter corporis contabeſcentiam, febrem vereatur hecticam, conſtituit, proximo menſe Maio, curam, quæ cum ſero lactis peragitur, in uſum vocare. Nihilo ſecius tuum prius, Vir Illuſtris, expectat atque flagitat judicium.

*Conſilium Medicum.*

Vidi & intellexi ex præmiſſa morbi hiſtoria, Virum quendam ob relictam poſt febrem catarrhalem purpuratam ſæpius recidentem, ventriculi imbecillitatem, & corporis conſumtionem metu lentæ vel hecticæ incipientis terreri. Verum enim vero, ſi cuncta momenta curatius mecum perpendero, nullas nec febris lentæ, multo minus hecticæ deprehendo notas; ſed omne vitium in humoribus, acrimonia ſcorbutica imbutis reſidere autumo. Et ſi ad primam mali originem reſpiciam; hanc à malo hypochondriaco, utut incipiente, quo laborare credo ægrotantem, & hinc pendente digeſtionis vitio, ſaburra ventriculi acida, atque ſanguinis tardiori per hepar ac meſenterium circuitu repetendam eſſe duco. Neque vero his ample perſcrutandis immorabor; ſed paucis docebo, qua ratione reſtantia adhuc incommoda radicitus exſtirpari, & metuendæ purpuratæ febris recidivæ præcaveri queant. Atque impetratum iri hunc ſcopum confido, ſi æger inſtante vere, acidulis Selteranis primum per tres hebdomades ſolis, integram omni mane lagenam ſorbillando, utatur. Ante hanc potationem pariter, ac ea finita, nec non inter eam quovis quinto die, quatuordecim mearum balſamicarum pilularum devoret; atque ſub epulis pro potu decoctum quodam, conjuncto vini generoſi uſu, adhibeat; aut in vini locum, ex ultimo hauſtu ſexaginta guttas ſequentis aſſumat Elixirii: Recipe eſſentiæ gentianæ rubræ, corticum aurantiorum, tincturæ tartari ana unciam ſemis, eſſentiæ ſuccini, caſcarillæ, liquoris anodyni mineralis ana drachmas duas. M. D. His per tres hebdomades dicta ratione uſurpatis, eædem acidulæ cum una parte lactis vel caprini, vel aſinini permixtæ, ſorbendo quotidie unam cum dimidia menſuram, uſumque pilularum & Elixirii continuando, per quatuordecim potentur adhuc dies. Præterea ab omnibus animi adfectibus, cumprimis mœrore & iracundia, nec non aëre veſpertino ſtudioſe cavendum, corpuſque vel ante prandium, vel ſumtis epulis, & abſoluta digeſtione, & equitatione & vectura ſedulo movendum erit. Cæterum, ſi forſan purpura iterum erupetit; operæ erit pretium, pulverem meum bezoardicum, æquali pondere præcipitanti nuptum, cum viginti guttis anodyni liquoris adhibere: neque enim dubito, quin his rite adhibitis, priſtina ſit reditura valetudo.

---

## CASUS CLXXXVII.

### *De hectica cum pathematibus hypochondriacis.*

Vir annum ætatis quadrageſimum egreſſus, corpulenti olim, jam ſtrictioris corporis habitus, victui lauto, vitæ ſedentariæ, ideoque paſſioni hypochondriacæ obnoxius, à multis jam annis gravi ſpirandi difficultate, & per intervalla vertigine, capitis temulentia, & ſcorbutica dextræ manus effloreſcentia agitatus fuit. Variis contra has adfectiones remediis, quamvis in caſſum uſus, bis demum thermas Carolinas potavit, non ſine inſigni levamine. Inde vero quædam movebantur hæmorrhoidalia molimina, quorum denegato ſucceſſui cuncta tribuebantur ſymptomata. Quæ cum juxta illuſtris Stahlii methodum, ope aquarum Egranarum atque Sedlicenſium, ad ipſum fluorem redigere ſtuderet; nec ſuis potiretur votis: conſtituit vernali currentis anni tempore Carolinas tertium adire thermas. Tempeſtas autem, quæ vere ſicciſſima, & æſtate calidiſſima erat, mutabat hoc propoſitum. Ergo inter ſuos degens, menſe Junio præter omnem ſpem ac opinionem prehendebatur magno rigore, quem paullo poſt gravis æſtus, oppreſſione pectoris, & ſpirationis anguſtia ſtipatus excipiebat; ſed datis convenientibus medicinis, intra triduum ab hoc affectu reſtitutus, ad derivandum pituitæ à pectore adfluxum, potiunculam mannatam egregio cum effectu ſumebat. Neque vero aliam hujus repentinæ afflictionis fuiſſe cauſſam, quam cohibitum fluxus hæmorrhoidalis ſucceſſum ſtatuo; ſiquidem paullo poſt cœcæ hæmorrhoides, magnum inferentes dolorem adparebant. His medicus ſacculis paregoricis, atque ſanguinis ex pede miſſione ſuccurrebat; &, ardore doloreque non remittente, ſed potius majori virium collapſu, animique deliquiis accedentibus, tuberculis admoveri hirudines, anoque infundi clyſteres jubebat. Inde ſopitis aliquantulum doloribus, remanebat tamen ſuſpecta corporis contabeſcentia, & peculiaris continui frigoris in cruribus ſenſatio. Idcirco me in conſilium vocabat, qui cum tenſa inſuper hypochondria, & alvum clauſam deprehenderem; famæ convenienti prognoſi conſulturus, metum tympanitidis, vel maraſmi omnino ſignificabam, præſertim, cum me non fugeret, ægrum nativa viſcerum labe, & atonia laborare. Quam ob cauſſam ad reſolvendam viſcerum

cerum obſtructionem, curandi dirigebam nervum; & quum non niſi motus ſpaſmodicos ac flatulentos impedimento eſſe, quo minus fluor hæmorrhoidalis obtineri potuerit, judicarem, tonicis pugnabam medicinis. Præterea obſervabam, ægrum ob ſcorbuticam humorum dyſcraſiam, non niſi temperatiſſima ferre remedia; quare nullis nec eſſentiis, nec tincturis ſpirituoſis utebar. Acceſſit quidem noviſſime cruoris è venis ſedalibus eruptio; alvus eſt liquidior, molliora hypochondria, & placidior ac antea ſomnus: ſed quum corpus ſenſim contabeſcat, anxius vir ægrotans, ſalutare flagitat conſilium.

*Conſultatio.*

Quæ de viri cujuſdam adverſa valetudine, poſt noviſſimum thermarum Carolinarum uſum in pejus ruente, ex datis ad me percepi litteris, ita ſunt comparata, ut vel jam præſentem, vel certe imminentem ſignificent febrem hecticam; cumprimis ſi pulſus celerior, urina rubicunda, ſitis, & oris ſiccitas ſimul præſto fuerint. Præterea vero ſucci vitales ſcorbuticis impuritatibus ſcatere, & primæ regiones ſpaſmis, & flatulentis moleſtiis, multorum ſymptomatum cauſſis, agitari videntur. Nec profecto certius his incommodis expugnandis foret præſidium, quam legitimus fluxus hæmorrhoidalis ſucceſſus. Verum niſi ipſa natura ad id excretionis genus inclinaverit; arte parum præſtabimus; & multis potius mihi innotuit obſervationibus, quod nimio pilularum Becherianarum vel Stahlianarum, aut etiam venæ ſectionis uſu minime votis potiri licuerit; tantum abſuit, ut inde cœcæ duntaxat acceſſerint hæmorrhoides, & flatulenta cum reliquis ſymptomata magis adhuc increverint. Et ejuſmodi adfectiones quo fuerint diuturniores; eo magis robur ventriculi, & totius ſyſtematis nervoſi labefactare, curamque reddere difficiliorem obſervavi. Quod noſtrum attinet caſum; non equidem inſtitutam eo uſque medendi rationem ad examen revocare placet; attamen id monendum utique duco, ut in poſterum à promiſcuo ſicut omnium medicaminum, ita præſertim purgantium, ipſorumque ſennæ foliorum uſu ſedulo ſibi caveat ægrotans. Nam meo arbitrio rectum vivendi genus, conjunctis pauciſſimis, iiſque probatæ fidei remediis, utramque curandi abſolvet paginam. Atque primum egregia virtus eſt juſculorum ex carne vitulina paratorum, quorum libris circiter duabus radicis ſcorzoneræ uncia una, cichorei drachmæ binæ, & quidpiam ſucci citri, vel aurantiorum recentis incoquantur. Hoc enim remedii genus & in demulcenda dyſcraſia humorum ſcorbutica, & in nutriendo corpore cunctis palmam eripit; & matutino potiſſimum tempore loco potus Thée large ſorbillari poteſt. Deinceps pro potu ordinario his in morbis commendare ſoleo decoctum quoddam, cujus hæc ſit formula: Recipe radicis ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi ana uncias quatuor, radicis cichorei, liquiritiæ ana unciam, paſſularum minorum uncias duas, ſeminis fœniculi drachmas tres. Conc. cont. M. D. S. ſpecies, quarum uncia una cum dimidia ex quatuor aquæ menſuris per horæ coquatur dimidium. Nec alienum erit, vinum vetus Rhenanum inter epulas ſimul haurire; Hungaricum vero juſto eſt calidius. Ex cibis, qui ſunt nimis ſaliti, acidi, ac flatulenti, vitare, nec non ab animi affectibus ſtudioſe cavere; contra vero pedes cum toto corpore in æquali calore ſemper conſervare expediet.

Inter pharmaca tria potiſſimum commendo; nimirum pilulas meas balſamicas, quarum undecim bis quavis hebdomade vel mane vel veſperi, ob vim, qua pollent, & alvum liquantem, & ſimul roborantem, ſummo cum fructu ſumentur. Alterum eſt pulvis præcipitans, cujus ſcrupuli duo alternis diebus circa ſomni tempus ex aqua ceraſorum nigrorum, vel florum acaciæ capiantur; & ſi anguſtiæ præcordiales, flatulentæque moleſtiæ nimium urgeant, cum quindecim liquoris anodyni guttis permiſceantur: quo in caſu infuſum quoque clyſma, operæ faciet pretium.

Quod ſi vero ex impedito fluxu hæmorrhoidum, atrociora ad anum & imum ventrem decubuerint tormenta; utiliſſimum erit, venam in brachio ſecare, & extrinſecus loco affecto liquorem, qui habeat aquam florum ſambuci, calcis vivæ, roſarum, arquebuſade, & ſaccharum ſaturni, tepide adplicare. Ipſo autem cruore ex venis ſedalibus ſtillante quidem, ſed non rite ac ſufficienter promanante, non ludetur opera, ſi ad illum promovendum, dictæ pilulæ per aliquot ſucceſſive dies, conjuncto infuſi theiformis ex herba meliſſæ, floribus chamæmeli, & ſummitatibus millefolii parati uſu, adhibeantur. Nec ſine fructu ſingulari uſurpari poterunt pediluvia; quæ ex aqua fluviatili parata, & tepida duntaxat eſſe, in æquali vero tepore, affuſa ſenſim calidiori conſervari debent. Et, ſi ex horum præſcripto vixerit æger; ſpem adhuc foveo, fore, ut cum morbo ſuo in gratiam redire queat.

---

## CASUS CLXXXVIII.

### *De febre hectica poſt partum.*

Generoſa mulier, quæ eſt triginta, & quod excurrit annorum, conſtitutionis ſanguineo-cholericæ, rarique ac tenerioris habitus, vacuam quidem à gravioribus morbis tranſegit juventutem; at, quum viro nupta, & ſex circiter fœtus enixa, per decem jam annos, vigilias diutius protraxit, nimiiſque lucubrationibus indulſit, ægrotare, & hypochondriacis agitari cœpit affectionibus. Cumprimis vero per noviſſimum quinquennium, ſuperatis tum variolis, & paullo poſt abortu, crebro de catarrhalibus capitis defluxionibus, & faucium doloribus conqueſta fuit. Decembri anni proxime elapſi menſe, laborioſum paſſa partum, ab eoque tempore adeo eſt debilitata, ut nunquam rite valuerit; donec menſe demum Aprili currentis anni, Viennæ degens, moleſta tuſſi, primum ſicca, deinceps humidiori corriperetur, quæ huc uſque noctu præſertim multam figit crucem. Paullo poſt locum mutavit, menſeque Junio Pragam devenit; ubi prioribus poſt iter, quod ipſi ſemper fuit ſaluberrimum, hebdomadibus egregie valuit: ſed quum, ceſſante ſubinde menſtruorum fluxu, ſanitas denuo vacillare inciperet, meam implorabat opem. Accedens ægram valde extenuatam, pallidamque, continuis capitis doloribus, caloreque lento, qui rigorem quendam, & refrigerationem extremorum, ac ſpinæ dorſi exceperat, jam à menſe Aprili moleſtari percepi. Præterea pulſus erat parvus, juſto celerior, veſperique frequentior; noctu vexabat tuſſis, eaque mox ſubtilis, & veluti vitrea pituita, mox ſpiſſus, tenax, ac lividus, puri ſimilis, fœtoris tamen expers exſcreabatur mucus; ſumto prandio, rigores corporis quotidie fere incidebant, quos ſemper phlogoſes, magnum totius corporis languorem, viriumque collapſum inferentes ſequebantur. Urina, quam copioſam reddebat, mox tenuis & limpida, mox paullo ſaturatior adparebat; ſudor largius, & fere colliquativus promanabat; adpetitus

tus plane dejectus, ſed ſitis inexplebilis, & alvus aſſidue ſegnis erat. Noviſſime pedes veſpertino tempore intumeſcebant; & interdum ſuffocationes uterinæ, junctis animi deliquiis infeſtabant.

His rite penſitatis, vero mihi videbatur ſimillimum, generoſam fœminam febre lenta, aut plane hectica, ad minimum incipiente laborare; ejuſque cauſſam non modo in lymphæ dyſcraſia, verum etiam vitio glandulofarum partium, & labe cujuſdam viſceris eſſe quærendam. Neque me erraſſe credo, ſi tuſſim, qua laborat, & ad quam perpetuam in larynge ſentit irritationem, primum ſtomachalem ſiccam fuiſſe, jam vero pulmonalem pronunciavero. Hujus autem originem tam à lympha acri, ex glandulis pharyngis, laryngis, & pulmonum ſtillante, harumque nervoſas tunicas vellicante, quam à tuberculis, pulmonum ſubſtantiam occupantibus, & à ſtagnante ſucco nutritio prognatis repetendam eſſe cenſeo. Quæ licet nondum ſubiiſſe videantur ipſam ſuppurationem; nullum tamen eſt dubium, quin increſcente malo, tandem in vomicas, ulcera, veramque pulmonalem tabem ſint tranſitura.

Quamobrem ad mitiganda primum ſymptomata, pulveres abſorbentes, nitroſos, phlogoſin ac æſtum humorum temperantes; mixturas pectorales vel ſolas, vel anodyno cuidam nuptas; tincturaſque ſtomachico-pectorales, cum aqueo paratas menſtruo præſcripſi. Deinceps pro ipſa morbi radice exſtirpanda, ægram fonte Selterano, cum aſinino lacte maritato per octodecim dies ſub convenienti regimine uti juſſi: unde mictio quidem melius ſucceſſit; ſed capitis ſævi dolores haud remiſerunt. Finita potatione punctorius lateris dolor, cum uterinis ſuffocationibus, & moleſta ſanguinis ad caput congeſtione ſtipatus, generoſam prehendebat fœminam; adeo, ut ſuppreſſis ſimul menſtruis, venam in brachio aperire, & inde octo cruoris uncias detrahere decreverim. Emiſſus ſanguis ſpiſſus & ater, pauco innatante ſero, erat: cui attenuando, atque reſolvendo convenientiſſimum fore judicabam, ut lac aſininum ſolum per octo circiter ſorberetur dies. Verum quum ægrotans, itinere præpedita, huic curationi vacare non poſſet: ſuaſi, ut in ejus locum per ipſum iter brodiis ex capone & vipera paratis, veſperi autem pulveribus temperantibus, cum aliquot corticis caſcarillæ granis remixtis uteretur. Neque dubito, quin ab ipſa aëris mutatione aliquod levamen ſit perceptura.

*Conſilium.*

Poſtquam generoſa mulier, cujus morbus præmiſſa hiſtoria continetur, Praga huc Halam venerat; me accerſi jubebat, & ut ipſi, longum adhuc iter proſequuturæ, meam de rite tractanda valetudine aperirem mentem, deſiderabat. Erat illa tam teneræ, ſenſibiliſque conſtitutionis, ut & fluidæ & ſolidæ partes à leviori cauſſa, animi adfectu, tempeſtatis mutatione, errore diætetico, fortiori corporis motu & refrigeratione, ad vitioſos & præternaturales facillime proritari potuerint motiones. Quamvis enim in juventutis periodo integro corporis vigore ac robore gaviſa eſſet: attamen per bene multos annos tam crebris vigiliis, & inordinato, qualis in aulis principum eſſe ſolet, victu, quam variolis, quas gravioribus ſymptomatibus ſtipatas, una cum inſequente abortu ante quinquennium pati debuit, inſignem partium ſolidarum atque motricium, ſpeciatim ventriculi & inteſtinorum debilitatem ſibimet contraxerat. Hinc etiam diu de flatulentiis, ructibus, pectoris oppreſſionibus, nauſeis, phlogoſibus, ſanguinis ebullitionibus, ſpaſmodiciſque affectionibus conqueſta fuit; & ab odore ſuaveolentium peſſime ſemper habuit. Poſt noviſſimum autem, quod difficile admodum, largoque cruoris profluvio ſtipatum fuit, puerperium, increverunt omnino recenſitæ moleſtiæ; quoniam videlicet eo ipſo tonus ſolidarum partium magis labefactari ſolet; & hinc potiſſimum accedens diuturna, mox ſicca, mox humida, noctemque verſus gravior tuſſis, ſuos mutuatur natales. Tandem, cum tribus abhinc menſibus lunare perſolvere deſiiſſet tributum; amplior inde morboſarum affectionum propullulavit cohors: ſiquidem ab eo tempore febre quotidiana, lentæ ſimili, veſperi plerumque, vel etiam à meridie cum refrigeratione extremorum, maxime digitorum, & narium, & ſubſequente æſtu, ſudore copioſo, pulſu celeriori, magnoque virium languore ſeſe exſerente, nec non graviori tuſſi, cum multa muci rejectione infeſtata fuit.

At vero hæc cuncta mala in prima, ut dicunt, herba ſuffocari potuiſſent; & operæ omnino feciſſet pretium, ſi poſt cohibita menſtrua, vena protinus in pede tuſa, & ſic humorum adfluxus ad inferiora & conſueta loca revocatus fuiſſet. Quum autem aliquot demum poſt ſeptimanis in brachio celebrata eſt venæ ſectio; ea vix ſine ægrotantis damno fieri potuit: utpote humorum raptum ad pectus magis invitavit eorumque ſtagnationem in pulmonibus adauxit. Neque etiam convenientem fuiſſe fontis Selterani, cum lacte aſinino maritati uſum arbitror; eo, quod ad ejuſmodi curationes integrum ventriculi robur requiratur, quod in noſtra ægrotante labefactatum, atque hinc digeſtio deſtructa, & primæ regiones ſaburra mucoſa, acri, & vaporoſa imbutæ videntur. Idcirco morbum hunc rebellem oppugnaturus, eo cunctos medendi nervos intendere debet, ut ope remediorum temperatiſſimorum, magiſque diæteticorum, quam è pharmacia deſumtorum, labefactatum generis nervoſi, maximeque ventriculi robur inſtauret, æſtum contemperet, adfluxum humorum à pectore derivet, & legitimum menſtrui fluxus ſucceſſum reſtituat.

Quibus indicationibus ſatisfacturus; primum ad purgandum ventrem, & educendas cruditates propinavi potiunculam laxantem, quæ ex mannæ electæ drachmis quinque, cremoris tartari drachma dimidia, in aquæ veronicæ unciis quinque ſolutis, & aliquot guttis olei aniſi permixtis erat concinnata, & ſexies movebat alvum. Deinceps, cum venæ cruore turgidæ conſpicerentur, & pulſus arteriarum ſimul magnus eſſet; non alienum putavi, ut ad derivandum ſubinde humorum ad uterum & partes inferiores adfluxum, vena in pede tunderetur: ex qua etiam ſecata conſulto quatuor cruoris, qui à naturali temperie haud multum recedere videbatur, niſi quod innatans ſerum ad ignem facile coagularetur, uncias curavi detrahendas. Auctor quoque fui ſuaſorque, ut, niſi accedat uterinus fluor, ſingulis binis menſibus circa iſtius excretionis tempus, binæ vel tres ſanguinis unciæ, ex vena in pede ſecata mitterentur.

Præterea ad demulcendum calorem internum, humores acres diluendos, & ſpiſſos attenuandos, parteſque ſtrictas humectandas, pro potu ordinario præbui ſerum lactis; idque ex lacte vaccino recenti ad lenem ignem calefacto, & poſt additum citri ſuccum, percolato, tumque cum oculis cancrorum & ſaccharo cantho permixto parandum docui. Sub epulis Elixirii mei viſceralis quadraginta guttas, ex ultimo hauſtu ſumendas; mane, pectoris vitio conſulturus, infuſum veronicæ, additis herba virgæ aureæ & hederæ terreſtris cum lacte, vel ejus floribus ſorbillandum; & veſperi circa ſomni tempus, ad ſopiendam ſanguinis ebullitionem, drachmam dimidiam pulveris præcipitantis, una cum duodecim liquoris anodyni

dyni guttulis, ex aqua fontana, & ceraſorum nigrorum capiendam ſuaſi. Denique commendavi, ut uſum rerum non naturalium ita dirigat, ne quid inde ſanitas caperet detrimenti.

Atque hanc medendi rationem, tanquam naturæ convenientiſſimam, ut ſibi haberet valde commendatam generoſa mulier; & inſuper cuncta pharmaca, præſertim nimium dulcia, pectoralia, emulſiones refrigerantes, anodyna, opiata, nitroſa, nec non balnea & aquas minerales vitaret, etiam atque etiam ſum hortatus. Neque vero prohibui, quo minus, alvo exiſtente lubrica, pulverem quandoque ex cornu cervi ſine igne, ſuccino præparato, & cortice caſcarillæ confectum, vigente dolorum impetu aſſumeret. Conſului quoque, ut ad roborandum genus nervoſum, hoc interdum pulvere uteretur: Recipe pulveris Marchionis drachmas duas, ſuccini albi præparati, nitri purificati ana ſcrupulos duos, olei deſtillati macis guttas tres. M. D. Atque tandem ſuaſi, ut, ſi demum menſtruæ purgationis adparerent veſtigia, quotidie circa ſomni tempus quinque duntaxat pilularum deglutiret balſamicarum, & mane infuſum theiforme ex herba meliſſæ & croco potaret.

Verum morbus remediis major fuit; ſiquidem ægrotans domum redux, in caſſum adhibitis cunctis remediis, hectica demum febre infeſtata, placidaque morte extincta eſt.

---

## CASUS CLXXXIX.

### *De maraſmo ſenili.*

MUlier generoſa, quinque & ſexaginta annorum, ſtaturæ mediocris, temperamenti ſanguineo-cholerici, conſtitutionis ſenſibilioris, in juventute crebris perfuncta itineribus, vino Rhenano, & aqua pura pro potu uti ſolita, & alvi obſtructionibus obnoxia, ſtirpe quadam prognata eſt, in qua agnatorum plurimi, arthriticis, & apoplecticis affectibus infeſtati, & præmatura morte extincti fuerunt. Hæc poſtquam viginti ſex abhinc annis elapſis, marito orba, parere deſiit, crebras paſſa eſt hyſtericas pariter, ac hypochondriacas paſſiones; ſolo ſæpius odore grave vel ſuaveolenti excitatas. Nihilo tamen minus menſtrua ſub his paſſionibus debito & tempore & quantitate profluxerunt; quæ per ætatis demum rationem ſilentia, nephritidem poſt ſe traxerunt calculoſam. Verum ſuccedente hæmorrhoidum copioſiori fluxu, hæc quoque penitus conquievit moleſtia. Ante duodecim annos rheumaticis, atque tantis humeri dextri doloribus laboravit, ut incideret exinde in moleſtam totius brachii contracturam; qua ope balneorum Tœplicenſium percurata, per incerta temporum intervalla, acceſſere pedum œdemata. Et per noviſſimum præſertim quadriennium, ſanitas atque vires mirum in modum vacillare cœperunt; ſiquidem poſt leviſſimum in victu errorem, ſtatim vomitibus bilioſis, mucoſiſque, præcordiorum anxietatibus, flatulentiis, ructibus, torminibus, frigore extremorum, ac ſummo virium collapſu corripiebatur. Quibus moleſtiis conſultura binis abhinc annis felici cum ſucceſſu adhibuit balnea Tœplicenſia; ſed quum paullo poſt notabilem in victu committeret errorem, protinus non recenſita ſolum recrudeſcebant ſymptomata, ad uſque animi deliquium exacerbata; verum lenta etiam accedebat febris per bimeſtre tempus ægram affigens lecto. Abhinc ad meliorem inclinare viſa valetudinem, per elapſam proxime æſtatem, ruri ſub ſatis proſpera degit ſanitate. Verum eadem, ineunte autumno, quo aſperior erat tempeſtas, & ipſa mulier generoſa ſingulo mane aquam primum frigidam, poſt potum Succoladæ ſorbere ſolebat, deſtrui adeo cœpit; ut illam jam laborare ſenili maraſmo, videatur vero ſimillimum. Nulla enim ciborum gaudet adpetentia, ſumma urget virium proſtratio, facies interdum expalleſcit, oculi caligant, rigidique ſæpius redduntur; & corpus ſenſim contabeſcit. Noviſſime tumor phlegmonoſus dextrum occupabat pedem, & ab hoc ad imum aſcendebat ventrem; ſed accedente fluxu hæmorrhoidali, mox iterum evaneſcebat. Quæ ſymptomata cum gravioris periculi metu terreant; nec præſidia à variis huc uſque medicis commendata quidpiam opis tulerint: ad Te confugimus, Vir Experientiſſime, tuumque conſilium flagitamus.

### *Conſultatio.*

Morbus, quocum conflictatur fœmina generoſa, tam altas egiſſe videtur radices, ut nullum utique perfectæ curationi ſupereſſe locum arbitrer. Illum enim pro hectica ſive maraſmo ſenili habendum eſſe reor; ubi partim ſuccorum vitalium temperies ac textura à naturali receſſit ſtatu, partim ſolidarum & motricium robur partium adeo eſt debilitatum, ut langueſcat digeſtio, functiones corpori propriæ labefactentur, ejuſque carnea ſenſim contabeſcat ſubſtantia. Quo quidem in rerum ſtatu ſpes ſalutis in anguſto ſane verſatur; & ex ejuſmodi radicatis affectibus clariſſime diſpaleſcit, quam arcti ſint ſalutaris artis limites, quantoque jure medici naturæ miniſtri potius, quam domini mereantur adpellari. Quæcunque enim propoſuero, & adhibeantur medicamina; ab omnibus tamen non alium expectare licebit effectum, quam ut mitigentur paullo ſymptomata, & miſera aliquantulum protrahatur vita. Et ad hos ſcopos conſequendos, pharmaceuticis omnino convenientiora erunt præſidia diætetica; ex quibus, ſi tulerit ventriculus, lac aſininum commendo, ejuſque tepefacti menſuram unam quotidie per octo circiter dies ſorbillandam hortor. Quod ſi vel non arriſerit, vel non in promtu fuerit; operæ pretium faciet ſerum lactis; quod ex lacte, quantitate menſuræ unius, cum ſucci citri, quantum cochlear capit, permixto, decocto & percolato parari, & ſi juſto acidius fuerit, cum ſyrupo papaveris albi temperari poteſt. Præterea ex uſu mihi eſt, in talis modi morbis pro potu ordinario exhibere potionem, & analeptica & temperante, & anodyna virtute inſignem, qualis paratur, ſi ex cornu cervi raſpati, panis ſecalini triti ana libra una, corticum citri recentium, & caſcarillæ unciis duabus, cum ſex aquæ puræ fontanæ menſuris, invicem leni calore digeſtis, ex veſica quatuor circiter liquoris menſuræ deſtillentur. Nec ludetur opera, ſi veſpertino potiſſimum tempore, pulvis Marchionis, cum uno vel altero nitri grano permixtus, ex emulſione analeptica, cum ſeminibus quatuor frigidis majoribus conficienda, nonnunquam capietur. Et denique conſultum erit, alvinam obſtructionem reſerare; quod commodiſſime fiet ope clyſmatum, quæ ex lactis & aquæ æquali portione, floribus chamæmeli, rhabarbaro in aqua ſoluto, manna, ſale communi, & nitro parari, & crebro infundi debent. Cæterum ſummum precor languorum noſtrorum medicum; ut, quibus perficiendis noſtra ars haud ſuffecerit, ille ex alto clementer ſupplere velit.

CASUS

## CASUS CXC.

*De maraſmo ſenili funeſto.*

PRinceps noſtra ſereniſſima, temperatura ſanguineo-cholerica prædita, annum ætatis ſeptuageſimum primum egreſſa, ad hanc uſque ſenectutem cibis durioribus, ut carnibus ſale conditis, vel fumo induratis, & braſſica muria condita, aliiſque delectari ſoluit; neque ullam inde ſenſit moleſtiam, niſi quod à flatuum retentione, qua dextrum maxime hypochondrium occupante, nec niſi emiſſis ructibus ſublevata adhuc laborat, ſæpius male habuerit. Verum per quatuor abhinc annos crebro alvi profluvio infeſtari cœpit; quippe quod primum non niſi poſt uſum fructuum horariorum, fragorum, cucumerum, melonum incidebat, perque unam vel alteram, quin ſæpius quatuor hebdomades inhærebat. Quum igitur, accedente virium collapſu, robur ventriculi nimis debilitatum videretur: ad illud reſtaurandum extrinſecus balſamum vitæ Hoffmanni, interne eſſentia corticum aurantiorum mox ſola, mox eſſentiæ trifolii fibrini, mox etiam ſali volatili oleoſo nupta, & olea quædam carminativa in uſum vocabantur. Inde reſtituto iterum ventriculi tono, ceſſabat per aliquod tempus diarrhœa, & ſereniſſima Princeps cibos coctu difficiliores abſque moleſtia rurſus comedere valebat: ſub quo victu metuendam humorum acrimoniam, datis præcipitantibus, præcavere ſtudebant medici. At vero ſub finem elapſi proxime anni recrudeſcebat ex improviſo alvi fluxus, priori moleſtior, & cum doloribus inteſtini recti ſtipatus; nec ullis remediis, nec clyſteribus ſæpius iteratis penitus extirpari ſe ſinebat, tantum aberat, ut cibi ſimul periret cupiditas, & vires inſigniter proſternerentur, ipſaque lectum præ nimio languore deſerere non poſſet.

Conſultus quidam celebris medicus, ordinabat primo mixturam, quæ ſic habebat: Recipe aquæ fœniculi uncias tres, florum ſambuci unciam ſemis, cinnamomi drachmas tres, pulveris bezoardici ex globulis ſcrupulos duos, lapidum cancrorum præparatorum ſcrupulum ſemis. M. f. mixtura, cujus unum vel alterum cochlear, ter vel quater quotidie erat capiendum, & hac per aliquot dies adhibita, præſcribebat tincturam, ex eſſentiæ pimpinellæ albæ drachmis duabus cum dimidia, lignorum drachma una cum dimidia, Elixirii proprietatis ſine acido drachma dimidia concinnatam, & ter quotidie ad viginti quinque guttas aſſumendam. Noviſſime per duodecim circiter dies, fracta dejectionum frequentia, ſemel duntaxat vel bis de die egeritur alvus, & adpetitus cum ſomno rediit: ſed ſumtis epulis, calor in volis manuum præternaturalis ſentitur, lotium turbulentum, ſalinis recrementis plenum mingitur, mane inſignis faucium ariditas, & plus minus copioſus vexat ſudor; atque vehementiſſimus dolor rheumaticus in dextrum incumbit brachium. Hinc ob febris hecticæ metum, ſequens præſcribebatur emulſio: Recipe gelatinæ cornu cervi, rhinocerotis citratæ ana uncias tres, aquæ florum tiliæ unciam unam, ſeminum quatuor frigidorum majorum, papaveris albi ana drachmam unam. M. F. l. a. emulſio: colaturæ adde coralliorum rubrorum præparatorum ſcrupulum unum, perlarum orientalium grana duodecim, ſacchari parum. M. F. emulſio, aliquoties per diem ſorbillanda.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Quantum ex communicata mecum hiſtoria morbi, qua perſona quædam ſereniſſima, ætate provecta, & huc uſque egregio ventriculi vigore gaviſa premitur, percepi: ille ante quatuor annos cum alvi fluxu, cibos coctu difficiliores inſequente, noviſſime vero vehementius infeſtante, & cum doloribus in inteſtino recto, cibi faſtidio ac virium languore ſtipato incepit. Quem convenientium remediorum ope debellatum, exceperunt oris ſiccitas, & ſudor copioſus mane potiſſimum erumpens, atque calor in volis manuum poſt paſtum; unde hecticam metuerunt medici imminentem. Neque vero aliter ſentire poſſum, nec habeo, quæ circa medicamina moneam; tantum abeſt, ut potius emulſionis, noviſſime ordinatæ uſum frequentem, maxime verſus nocturnum tempus, vehementer ſuadeam. Deinceps vero, licet calidiora, ac vulgata ſtomachica ſint fugienda remedia, omni tamen ſtudio, eo erit reſpiciendum, ut ad inſtaurandum ventriculi robur, reficiendas vires & æſtum contemperandum, convenientibus pugnetur medicaminibus. Ex iis longo uſu comprobatum commendo liquorem meum anodynum; cujus triginta guttæ ex quatuor unciis aquæ puræ ſimplicis, vel ex ceraſis nigris deſtillatæ, alternis veſperis erunt capiendæ. Cum hoc remedii genere alternari poteſt pulvis quidam temperans, quem ex pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachmis duabus, nitri depurati drachma dimidia, olei de cedro Italici guttis quatuor conficiendum, & pondere duorum ſcrupulorum ex commendato vehiculo veſperi aſſumendum ſuadeo. Ad hæc, ſi alvi fluxus cum flatulentis moleſtiis rurſus invaleſcat; auctor ſum, ut abdominis regio cum balſamo vitæ dicto inungatur. Præterea vero ciborum quoque habenda eſt ratio; quos inter frequentem uſum juſculorum ex carne gallinarum, cum ſucco citri vel aurantiorum confectorum admodum laudo; quippe quæ matutinis etiam & pomeridianis horis ſummo cum fructu poterunt ſorbillari. Quum porro humores ſalibus ſcorbuticis inquinati videantur, & metus ſit, ne inde calor hecticodeus augeatur: operæ erit pretium pro potu ordinario acidulis uti Selteranis, ſi quatuor earum partes cum una vini veteris Rhenani fuerint permixtæ. Cæterum optaſſem, ut certior eſſem, num gratioſiſſima Princeps, venæ ſectionibus olim adſueta fuerit, illaſque forſan neglectui habuerit: quoniam quam plurimis conſtat obſervationibus, eas in ſenibus intermiſſas, multarum ægritudinum matrem eſſe fœcundiſſimam.

*Relatio ulterior.*

Priuſquam accederet conſilium illuſtris Hoffmanni medicum, hæc erat ægritudinis in Principe ſereniſſima idea. Ad nonas Februarii, ſumtis epulis æſtu quodam prehendebatur, qui cum pulſu celeriori, & præcordiorum anxietate ſenſim increſcens, veſperi exploſis per anum flatibus, & ſoluta ſponte alvo, remittebat, noctemque quietam relinquebat. Poſtridie eodem tempore invadebat calor præternaturalis, utut mitior; & tertio die cum dictis proxime ſymptomatibus, & inſigni virium proſtratione vehementius adfligebat, nec niſi dejecta iterum circa ſomni tempus alvo ceſſabat. Abhinc per aliquot dies mitiſſimus fuit æſtus, anxietates evaneſcebant, & alvus conſueto more, ſemel bisve reddebatur quotidie. Interim noctes turbulento tranſigebantur ſomno, eumque matutino tempore ſueti excipiebant ſudores; nec ciborum ſibi rite conſtabat adpetu-

adpetentia, adeo ut ad eam invitandam, mane alternis diebus balſami de Mecha guttulæ octo, & eſſentiæ abſynthii compoſitæ triginta nonnunquam caperentur guttulæ. Tum per duos treſve dies adhibebantur remedia, à medico quodam extero miſſa; quæ erant ſal volatile oleoſum, eſſentia menthæ criſpæ, aqua carminativa, pulvis quidam ſalinus, coralliis permixtus, & ſacculus radice zingiberis plenus, quem ſpiritu vini Franconico, eoque tepidiori madefactum, ad ventriculi regionem imponi jubebat. At vero, cum horum uſum non modo majus caloris incrementum ſequeretur; verum etiam diarrhœa rurſus excitari videretur; illis miſſis, Xmo Calend. Martii, aſſumebat ſereniſſima Princeps pulverem, qui ex lapidum cancrorum, coralliorum rubrorum ana drachma dimidia, terræ Lemniæ granis quindecim, & theriacæ cœleſtis grano uno cum dimidio confectus, & in tres partes diviſus erat. Quo diarrhœam nondum compeſcente, poſtridie uſurpabat pulverem, qui habebat pulveris Marchionis, lapidum cancrorum, coralliorum rubrorum, terræ Lemniæ ana ſcrupulum, theriacæ cœleſtis grana duo, & quatuor ſumebatur vicibus. Hoc etiam votis haud faciente ſatis, addebantur ipſi olei deſtillati maſtiches quatuor guttulæ; & extrinſecus ventriculo emplaſtrum nervinum imponebatur, quod emplaſtri de tacamahaca drachmas ſex, cum olei ſtillatitii menthæ ſcrupulo uno malaxatas fovebat. Et quum inſignis mœror ob obitum Principis cujuſdam ſereniſſimi accederet; iis omnibus omiſſis, ſolus Marchionis pulvis guttæ olei ſtillatitii menthæ nuptus, porrigebatur, conjuncto balſami de Mecha uſu.

Hoc tandem in ſtatu rerum, Hala miſſæ ad noſtras manus perveniebant medicinæ; quibus adhibitis, alvi profluvium remittebat, & melius habebat ſereniſſima Domina. Verum non multo poſt ingenti virium languore adeo proſternebatur, ut ſpes vitæ in anguſto eſſet, & ipſa ſacro viatico inſtructa, extremum expectaret ſpiritum. Cæterum pulſus jam varius admotam ferit manum, moxque celerior, mox languidior eſt; & ſumtis mane vel juſculis, ſtatim intenditur. Poſt prandium non volas tantum manuum, verum totum corpus urere incipit vehemens æſtus; bronchia pulmonum tenaci obſidentur muco; interdum lancinantes ſiniſtrum capitis latus adfligunt dolores; urina mingitur turbulenta, coloris ſaturati, & ſuſpenſam, bulluliſque permixtam exhibet nubeculam: adpetitus plane proſtratus eſt, vires incredibilem in modum imminuuntur, corpus contabeſcit, & noviſſime inexpugnabilis dormiendi neceſſitas acceſſit. Nec denique ignorari oportet, ſereniſſimam ægrotam hactenus pro potu ordinario partim juſculis, partim cereviſia tenuiori, partim vino Rhenano ſolo, utut in parciſſima quantitate, partim etiam dicta ſuperius emulſione, noctu præſertim uti conſueviſſe, nec perſuaderi potuiſſe, ut vinum acidulis Selteranis nuptum adhiberet. Neque venam unquam ſecandam præbuit; tantum abeſt, ut ſanguinis miſſiones, magno averſetur tædio. Meo quidem arbitrio, maraſmus ſenilis, iſque immedicabilis adeſſe videtur.

*Ulterius Conſilium.*

Percepi ulterius, quinam ſit valetudinis, in qua degit ſereniſſima Princeps, ſtatus; & doleo, quod ille tam corruptus, ac deploratus ſit, ut nihil fere fauſti prænunciare liceat. Quod ſi enim ætatem valde ſenilem, & præſentes adfectiones, maximeque nimium decrementum corporis ac virium conſideravero; non niſi veram hecticam, quam veteres maraſmum ſenilem dixerunt, & quæ à ſumma viſcerum atonia & labe proficiſcitur, ſuſpicari poſſum. Ad eam vero inducendam, ſanguinis intermiſſam vacuationem multum contuliſſe credo; quippe quæ decenti ordine ac tempore inſtituta, præſtantiſſimum morbi id genus in ſenibus præcavendi exhibet præſidium. Quum autem altas jam radices egiſſe videtur malum; optarem, ut ab uſu remediorum calidorum, quale eſt balſamus de Mecha, abſtinuerit gratioſa Domina, quippe quæ non minus ac omnia adſtringentia, minime ventriculum roborandi, & alvi fluxum his in caſibus ſiſtendi virtute pollent, tantum abeſt, ut calorem præternaturalem magis exaſperent. Juxta meam potius ſententiam, non aliæ reſtant indicationes, quam ut æſtus temperetur, & vires inſtaurentur: quibus ſcopis diætetica præſidia præ aliis facient ſatis. Atque hoc cumprimis nomine excellentem pollicentur efficaciam tenuiores gelatinæ, quæ ex cornu cervi raſpati libra dimidia, cum menſura una aquæ, & quarta parte vini Rhenani per tres horæ quadrantes decocta, tum albuminis ovorum ope deſpumata, & ad gratum saporem conciliandum, ſaccharo & pomis Sinenſibus permixta confieri poterunt. Non minus præſtantiſſimæ virtutis ſunt emulſiones analepticæ; quarum hæc eſto formula: Recipe amygdalarum dulcium unciam ſemis, ſeminum quatuor frigidorum majorum ana drachmam unam, aquæ florum tiliæ, ceraſorum nigrorum, roſarum ana uncias duas, cinnamomi cydoniatæ unciam ſemis. M. F. l. a. emulſio, adde matris perlarum ſcrupulos duos, nitri purificati grana octo, julepi roſarum drachmas duas. M. D. Operæ porro pretium facient potiones nervinæ, per vices ad unum alterumque cochlear ſumendæ; qualis ſic parari debet: Recipe aquæ roſarum, ceraſorum, meliſſæ, rubi idæi, florum acaciæ ana uncias duas, cinnamomi cydoniatæ unciam unam, ſucci citri, ſyrupi acetoſitatis citri ana drachmas tres, matris perlarum drachmam unam. M. D. Ex hac quoque potiuncula interdum capiendas ſuadeo quindecim guttas liquoris mei anodyni, cum oleo macis maritati; & ad coërcendam, ſi urgeat, alvi fluxionem, balſamum vitæ abdomini inungendum, iterum iterumque commendo. Et hæc ſunt, quæ in tam gravi malo proponenda duxi: non enim decet multa variaque remedia exhibere, eaque quotidie cum aliis alternare; ſed quæ abs re ſunt. cum patientia continuare: quorum effectum Deus jubeat eſſe ſalutarem, ex animo precor.

Verum firmius in tanto ſenio radicatus morbus omnem ſprevit medelam: namque in ſereniſſima noſtra, hecticus calor, ac virium collapſus tantas ſumſere vires, ut quatuor à dato conſilio ſeptimanis, animam placide exſpiravit.

## CASUS CXCI.

*De purpura contumaci chronica.*

Vir ſexaginta tres annos natus, vitæ ſedentariæ & motus experti addictus, multiſque mœroribus & ſolicitudinibus confectus, alvo ſemper lubrica, & ſomno quieto, ſed adpetitu minus integro gaviſus, per ſedecim jam annos purpura laboravit; eamque per totam plerumque æſtatem, in corpore efflorescentem, licet orthoſtadius pati; verno autem & hyemali potiſſimum tempore, lecto affigi, & graviter non ſine vitæ periculo cruciari ſoluit. Poſtquam vero ante aliquot annos Hala ex noſtra, in qua hactenus degit, Friſiam occidentalem ſe contulit, ibidemque & animi à mœroribus liberioris eſſe & motum corporis frequentiorem exercere potuit: immunis quidem ab ipſa purpuræ fuit effloreſcentia, ſed hujus in vicem ibidem locorum malum ſucceſſit iſchiadicum.

dierum. Hilari tandem redux, in purpuraceam totius corporis incidit rurſus efflorecentiam; quæ, ſi forſan retrocedebat, ingentes in femore, oſſe ſacro, & tibia dolores relinquebat. Ante biennium inſolito plane è loco erumpebat humor ille exanthematicus; ſiquidem cum ineunte æſtate, ulcuſculum in capite prope tempora, ſerum acre ſtillans exſurgebat, nonque niſi accedente autumno coaleſcebat. Elapſo vero anno circa æſtatis initium recrudeſcebat; ſed paucis hebdomadibus, ſuto quodam ſero, præter omnem ſpem & opinionem, ſponte exſiccatum coibat. Paucis poſt diebus, quam plurimæ, & ultra viginti quinque in fronte, collo, ac pectore efflorescebant puſtulæ, inſtar piſorum; quæ digito preſſæ, ſaniem fundebant purulentam, inſignemque pruritum pariter ac ardorem inferebant. Verum menſe Auguſto, cum forſan juſto diutius ſub aëre veſpertino, paullo frigidiori commoraretur; accidit, ut uno impetu omnes illæ puſtulæ retroactæ diſparerent. Unde vix tranſactis aliquot diebus mediam circa noctem, præfocantem incidit catarrhum, cum roncho in pulmonibus & copioſiſſima muci rejectione ſtipatum; ut ſe ſuffocari crederet. Et huic ope venæ ſectionis, pediluviorum ac clyſterum percurato; menſe Septembri novus ſuccedebat paroxyſmus, ſuffocationis omnino terrens metu. Quo denuo ſuperato, ſæpius quidem per totum illum annum, præfocantes ejuſmodi acceſſiones invadebant; adeo, ut per noctes non potuerit in lecto decumbere, quin protinus dicto malo corriperetur: at omnes erant prioribus mitiores; cum à medico ipſi porrigeretur remedium quoddam, quo ſumto ſtatim remittebat morbi vehementia.

Circa currentis demum auſpicia anni melius habere cœpit, ſomnumque in lecto decumbens rurſus capere potuit. Inſimul vero purpurata exanthemata inter nocturnos ſudores, qui primum copioſi, & fœtidiſſimi jam parciores, matutinis horis erumpentes obſervantur, iterum efflorescebat. Sub quibus ſatis quidem bene valebat; at haud ita pridem ex improviſo affectu ſuo catarrhoſo præfocante, horis meridianis, cum olim nocturnis incideret, prehendebatur. Ille licet prioribus binis paroxyſmis paullo benignior eſſet, vehementem tamen in pectore ronchum, magnamque ſanguinis ebullitionem habebat comites, & tandem bis ſumto ſuperius dicto remedio, cujus formulam & nomen ignorat, in profundum definebat ſomnum; à quo expergefactus, ad priorem redibat ſanitatem. Hoc autem aſthma, purpuraceæ ſtatim ſequebantur excretiones; quæ duo morbi genera ita invicem alternabant, ut retrocedens exanthema mox exciperet aſthmatica ſuffocatio, & hæc viciſſim, foras acta purpura, ſolveretur. Omnis hanc ob cauſſam vel leviſſima refrigeratio ipſi eſt infenſiſſima; quippe quæ intus vertendo materiam purpuraceam, ſubito inducit præfocantem catarrhum; qui nunquam non cum majori pulſus celeritate invadit, ægrumque decumbentem ſtatim ſurgere cogit. Sudor præterea, qui purpuram comitatur, tam acer tamque corrodens eſt, ut cutim non modo excoriet, verum quoque lintea exedat, quæ inſtar eorum, quæ cum ſpiritu vitrioli imbuta ſunt, ad leviſſimum dilacerari poſſunt contactum. Cæterum nullas unquam fluxus hæmorrhoidalis ſenſit notas; nec niſi dolores in oſſe ſacro nonnunquam percepit: & denique bis quotannis venas in pedibus tundendas, detractis ſemper decem cruoris unciis præbere ſolet.

*Judicium Medicum.*

Origo ac fundamentum cunctorum ſymptomatum, quibuſcum vir conflictatur ampliſſimus, unice dyſcraſiæ & acrimoniæ ſeroſorum & lymphaticorum debetur humorum. Quando enim in tali corporis conſtitutione ſerum acre beneficio naturæ, aut quod idem eſt, vigore partium motricium internarum ad exteriores, maximeque ſubcutaneos devolvitur tubulos; emergit inde purpura. Quod ſi vero per externas cauſas, quas inter refrigeratio ampliſſimum locum occupat, ſerum iſtud excrementitium, ad interiora reprimitur; incumbit ad nervoſa & tendinoſa juncturarum ligamenta, eaque vellicando, acutiſſima producit dolorum tormenta. Neque raro fit, quod noxia ejuſmodi materia, intus verſa, ſenſibiles ventriculi & inteſtinorum tunicas obſideat, & tum ſontica machinetur mala, velut ſpaſmos, atroces dolores, flatulentias cum ſumma anxietate, inquietudines, alvi vel adſtrictiones, vel etiam immoderata profluvia, quin & periculoſas febres æque ac inflammationes.

Quemadmodum igitur dolorum iſchiadicorum, & qui femora, atque crura poſt retrocedentem purpuram, in noſtro occuparunt ægrotante, ratio ex proxime dictis clariſſime perſpici poterit: ita nec difficile erit, affectionum aſthmaticarum, quas nocturno tempore pati ſoluit, & nomine catarrhi præfocantis exprimit, cauſſam perſcrutari. Quando enim cunque acre purpuraceum ſerum, intus actum ad tunicas bronchiorum, quæ ſunt exquiſite ſenſibiles, irruit; ſpaſmo illas reddit opportunas; quo conſtrictæ, ſanguinis per vaſa pulmonum liberiori circulo remoram injiciunt. Stagnantibus autem in pulmone ſuccis, ſpirandi difficultas & præcordiorum anxietates protinus ſuccedunt; & ob diuturniorem cruoris moram, ſeroſa & ſubtilior portio ab eo ſecedit, & per glandulas bronchiales in tubum bronchiorum & aſperæ arteriæ ſtillat, ronchumque ac copioſiorem muci exſcreationem cauſſatur. Adhæc in noſtro caſu eſt obſervatione dignum, purpuram per annos jam ſe lecim inhæſiſſe, cumque illa per cutim tam cauſticum fundi humorem, qui & cutim excoriat, & lintea corrodit, ſimulque inſignem ſpargit fœtorem.

Quæ cum ita ſint; merito jam meretur diſquiri, undenam & ipſa lymphæ ſerique acrimonia, & hinc enata purpura, tanta ægrotantem occupans vetuſtate, ſuam traxerit originem. Hæc ut innoteſcat, ſcire primum licet, quod particulæ ſalſæ, ſulphureæ & omnes excrementitiæ, quæ partim ex ipſis alimentis cum corpore communicantur, partim in ipſo ſanguine, ob ejus continuum motum & attritum generantur, circulo humorum expedito ac libero exiſtente, aſſidue per organa colatoria ſecernantur, & è corpore proſcribantur. Quod ſi vero difficilis ac impeditus ſit dictus ille ſuccorum vitalium circuitus; & inde ſubortæ fuerint ſanguinis ſtaſes, & vaſorum excretoriorum obſtructiones; non fieri poteſt, quin ſordes illæ recrementitiæ intus retineantur, atque ſic totam ſanguinis & humorum maſſam contaminent, ac nutritioni reddant ineptam. Cumprimis autem retardatus ſanguinis per viſcera imi ventris, maximeque hepar & lienem circulus, ad generandam ſcorbuticam dyſcraſiam, permagnum conferre poteſt ſymbolum. Namque per principia conſtat medica, hepatis in œconomia vitali non alium eſſe uſum, quam ut per vaſcula ſeam ipſius ſubſtantiam, partes impuræ, ſalſæ, & ſulphureæ, quæ bilem conſtituunt, ſecernantur; lienis autem functionem in attenuando, & ad tranſitum per vaſa minima adaptando ſanguine eſſe poſitam. Quandocunque igitur vitalis cruor, cujus per venam portæ, & hujus ope per hepar atque lienem tranſitus in naturali etiam ſtatu exiſtit difficilior, accedentibus variis cauſſis ægrius per hæc viſcera progreditur, & impeditius; retentis per brevi ante dic-

tas

tas rationes biliofis & ſulphureis ſordibus, generatur humorum dyſcraſia, nec prius, quam reſerentur obſtructa hæc viſcera, & liber fluidorum curſus reſtituatur, radicitus exſtirpari poteſt.

Adhæc impuritas ejuſmodi humorum, ab ipſa eorundem ſtagnatione & efficitur, & adaugetur. Sicut enim cuncta in toto macrocoſmo fluida, ſi careant motu, vi externi caloris inſignem corruptionem ac putredinem ſubire, conſtans & perpetua docet experientia: ita illud idem eo certius corporis animalis humoribus accidit, quo illi ex ſua eſſentia ad putredinem ſunt opportuniores. Quamobrem permultis mihi innotuit obſervationibus, quod morbi, ex ſero impuro atque ſalſo oriundi, veluti ſunt variarum partium exulcerationes, ſcabies, tinea capitis, defluxiones ſeri ſalſi oculorum &c. ſi cum tumoribus glandularum ſubcutaneis fuerint complicati, non niſi diſcuſſis hiſce tuberculis ſanari potuerint: nec obſcura videtur ratio; ſi enim glandulæ cutis, quæ depurandæ lymphæ ſerviunt, ſunt obſtructæ; nec lymphæ depuratio, nec etiam mali exinde ſuborti curatio obtineri poterit. Subinde mihi ſæpius adnotare licuit, à lochiorum, vel menſium, vel quoque hæmorrhoidum fluxu cito ſuppreſſo, & purpuram & aliam humorum impuritatem protinus progeneratam; ſed reſtitutis cruentis excretionibus, iterum exſtirpatam fuiſſe: ubi cauſſa non niſi in ſtagnatione ſanguinis per imi ventris viſcera eſt quærenda. Verum chronicæ purpuræ cauſſa tantum non ſemper in contumaci viſcerum, aut glandularum majorum & nobiliorum obſtructione reſidet; & ob hancce rationem medicationem haud adeo facilem admittit.

Quibus præmiſſis, luculenter diſpaleſcit, contumaciſſimæ illius ac diuturnæ purpuræ, qua noſter ſollicitatur ægrotans, proximam cauſſam, non modo in ſtagnatione humorum circa abdominis viſcera, ſed potius obſtructione organorum depurationi ſanguinis tributorum hærere. Cujus ſi primos proſequamur natales; occurrunt vita ſedentaria, diuturni mœrores, neglecta ſanguinis miſſio, & impeditus hæmorrhoidum fluor: quippe quorum omnium ea eſt indoles, ut generandæ ſanguinis moli, labefactando partium ſolidarum robori, & hinc retardando humorum per abdominis viſcera circulo, mirifice patrocinentur. Neque dubitabit, quin ex dictis cauſſis purpura, de qua ſermo potiſſimum eſt, ſuam traxerit originem; qui conſideraverit, eam mutato vitæ genere, animoque à mœroribus liberato, protinus velut exſpiraſſe.

Sed jam docere, operæ erit pretium, quanam ratione ſpinoſum hoc ſit adgrediendum malum? Et ex hac quæſtione binæ propullulant aliæ, quarum prima ſymptomatum noxiorum illi junctorum convenientem tractationem, altera totius mali plenariam reſpicit exſtirpationem. Quod primum attinet momentum, votis omnino potiemur, ſi quæ jam humoribus ineſt, acrem ac noxiam materiem per congrua emunctoria è corpore proſcribemus. Quo nomine conſultiſſimum erit, ut omni refrigeratione ſtudioſe vitata, corpus in æquali & perpetuo conſervetur calore: quem in finem mane loco potus Thééboís in lecto ſorbillare præſtabit decoctum calidum, ex radice chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, & ſemine fœniculi confectum; quo etiam frigido in vicem potus ordinarii uti licebit. Quod ſi autem purpuraceum illud miaſma, intus actum ad nervoſas vel pulmonum vel inteſtinorum tunicas decubuerit; temperata diſcutientia & diaphoretica in uſum vocare conveniet. Hæc inter meritis ſuis extollendus eſt ſpiritus bezoardicus Buſſii, præſertim, ſi cum binis liquoris noſtri anodyni partibus remixtus, ad quinquaginta guttas intra lectum mane capiatur. Nec minoris virtutis ſunt pulveres bezoardici, ex antimonio diaphoretico, vel antimonii ceruſſa, cornu cervi ſine igne, cornu cervi uſto, lapidibus cancrorum & cinnabari nativa præparata componendi; quorum efficacia eo præſtantior erit, ſi iis unum vel alterum ſulphuris aurati antimonii, ultimæ præcipitationis addatur granulum. Hoc idem illud eſt remedium, quo ampliſſimus æger, ad mitigandas aſthmaticas acceſſiones ſæpius felici cum ſucceſſu uſus fuit; & inſignem profecto meretur commendationem: ſiquidem draſtica, quæ competit antimonialibus medicinis, vi orbatum, nec vomitum amplius, nec alvum movet; ſed flatus duntaxat pellendi, ſudoremque egregie promovendi, pollet facultate. Habenda deſuper alvinæ excretionis eſt ratio; ſed ſicuti perniciosiſſima in morbis purpuratis habetur alvi obſtructio; ita etiam, hanc moliri ſtimulantibus remediis, nihil aliud eſt, niſi oleum camino addere. Quicquid enim inteſtina ad ſpaſmum proritare valet; illud quoque corticis cutanei conſtrictionem inducendo, & legitimum tranſpirationis ſucceſſum impediendo, ad ſordium excernendarum retropulſionem diſponet. Idcirco ex laxantium farragine his in morbis, rhabarbarinis, mannatis, clyſteribuſque demulcentibus & emollientibus nec ſunt tutiora, nec præſtantiora.

Si itaque ad alteram noſtrarum quæſtionum progrediamur, quæ, quomodo radicitus exſtirpandus noſter ſit morbus, quærit: ardua ſane provincia, ejuſmodi in ſubjecto ætate provectiori firmius radicatum affectum curaturo, imponitur. Neque tamen penitus eſt deſperandum; ſiquidem, ſi temporis diuturnitas, & ægrotantis patientia remediorum vires ſecundaverint, ſæpius votorum nos reddi compotes obſervamus. Et ego quidem in chronica tali purpura, acidulas Selteranas tepefactas, vel ſolas, vel tertia lactis aſinini parte maritatas, non ſine ſingulari fructu ſæpiſſime adhibitas fuiſſe notavi. Hæ enim aquæ alcalinum fixum poſſident principium, vique hujus urinam potenter movent; atque cum lacte permixtæ, egregia dyſcraſiam humorum ſalſam & acrem temperandi pollent virtute, nec ſine ampla utilitate in doloribus arthriticis, & tuſſi pulmonali poſſunt uſurpari. Deinceps ad ſecundandam mali purpuracei curationem multum facit ſtudioſa ab omni vino & cereviſia abſtinentia; cujus in locum laudatum ſuperius decoctum ſubſtituendum ſuadeo. Neque parum emolumenti expectare licet à corporis frequenti exercitatione, & aëris mutatione: quorum ſcoporum uterque inſtitutis itineribus poterit obtineri.

Ex pharmacis, quæ noſtro fini reſpondent, efficaciſſima ſunt antimonialia, & cinnabarina, nec non tartariſata; quæ inter eminent regulus antimonii medicinalis, ſulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis, panacea Glauberiana, ſulphur auratum ex ſcoriis tartareis, cum ſolutione auri præcipitatum, ceruſſa antimonii, cinnabaris antimonii, tinctura antimonii acris &c. Excellens enim ac peculiaris, quam in glandularum obſtructionibus reſerandis, & progreſſu lymphatici laticis promovendo exſerunt, eſt virtus; ob quam in morbis ex magna ſeri atque lymphæ impuritate ſubortis, conjuncto decoctorum aperientium uſu, omnium remediorum vim longiſſime ſuperant. Verum interponenda ſunt laxantia, ne ſordes acidæ, ac biliofæ, quæ per alvum eliminari debent, hac obſtructa ad ipſam humorum maſſam retrolabantur. Quo ſcopo ſalina neutiquam convenire, ſed potius rhabarbarum cum manna & cremore tartari in aqua communi infuſum, exhibendum eſſe ſupra diximus.

Ut denique ſpecialius methodum proponam, quam in noſtro ægrotante opportuniſſimam arbitror: ſuadeo, ut ille vernali potiſſimum ac autumnali tempo-

re,

re infuſum quoddam laxans rhabarbarinum, atque decoctum ſupra commendatum cum antimoniali remedio maritatum, per aliquod tempus adhibeat; ita tamen, ut illo per tres, hoc per quinque ſucceſſive dies cum regimine diaphoretico utatur; eorumque alternantem uſum per tres vel quatuor vices repetat. Neque pauci ſunt ex impuritate lymphæ ſuborti, & purpuracei affectus, quos hac medendi ratione, divina favente gratia, feliciter expugnavi: quam ut in præſenti etiam caſu Deus reddat felicem, ex imo pectore precor.

## CASUS CXCII.

### *De pertinaci purpura ſcorbutica.*

Nobilis proſapiæ fœmina, annorum quadraginta ſex, temperamenti ſanguineo-cholerici, naturæ admodum ſenſibilis, anno ætatis decimo demum octavo menſes experta, ſexto autem & triceſimo iiſdem per vehementem animi adfectum prorſus orbata, varia exinde ſanitatis incommoda, maxime ſanguinis ebullitiones, ventriculi debilitatem, flatulentias, & catarrhales adfectus ſenſit, iiſque mitigandis venæ ſectiones æquinoctiales, & aquas Selteranas quotannis fere magno cum emolumento oppoſuit. Cumprimis autem præterita nuper æſtate variis animi motibus, ſpeciatim mœrore diuturno ob filiam cariſſimam variolis defunctam agitabatur; ubi notatu erat dignum, audita filiæ morte ipſam contremuiſſe, huncque tremorem ſingulis diebus eadem mortis hora rediiſſe, & tandem ſponte ceſſaſſe. Decernebat itaque vacillantem ægritudin aquis Selteranis oppugnare; ſed conſultus medicus loco earum ſerum lactis herbis, antiſcorbuticis & refrigerantibus, præſertim multa acetoſa & portulaca alteratum, & quidem ad duas quotidie libras, nullis vel præmiſſis vel conjunctis laxantibus, nec ſtomachicis, bibendum ſuadebat. Mox autem primis potationis diebus peſſime habebat inde, atque de ventriculi, hypochondriorum, & abdominis inflationibus dolorificis, inadpetentia, artuum rigida tenſione, & ſubtili ſpaſtica undulatione, ut quieta ſedere non poſſet, ſed hinc inde ambulare & diſcurrere cogererur, articulorum in manibus & pedibus tumore &c. conquerebatur. De quibus admonitus medicus, potationis urgebat continuationem, & omnia ſponte diſparitura ſpondebat. His freta ægrotans, in quartam hebdomadem protrahebat curam; ſed incommoda neutiquam cedebant; tantum abeſt, ut indies potius invaleſcerent: unde perterrita, medicum denuo conſulebat, & ab illo eſſentiam quandam nervinam, ſapore cochleariam, odore ſal volatile prodentem accipiebat. Sumta hujus unica doſi, lecto protinus adfigebatur, de artuum tremore, frigore tamen vacuo, cordis & præcordiorum anguſtiis, ſudoreque frigido per biduum querula. Tertio die tremor ille concuſſorius artuum adeo revertebatur vehemens, ut lectus ſimul quateretur, ſubſequente præcordiorum anxietate, ſudoreque tamen calido. Et hæ adfectiones incerto circuitu per aliquod tempus inhærebant, adeo, ut per duos treſve dies quotidie recurrerent totidemque diebus conquieſcerent.

Quæ ſcena cum per binas duraſſet hebdomades, alter medicus per litteras in conſilium vocabatur; qui miſſa mixtura, ex aquis diapnoicis & antiſpaſmodicis, abſorbentibus citratis, nitro depurato, ſpeciebus de hyacintho, cinnabari antimonii, ſpiritu nitri dulci confecta, ſub paroxyſmo aſſumenda; nec non pulvere digeſtivo nitroſo, atque eſſentia ex ſcordio, pimpinella millefolio, & gentiana rubra parata, id effecit, ut ſingula mitigarentur, cordis angor & artuum tremor plane ceſſaret, nec niſi per intervalla calor cum ſequente ſudore invaderet, eaque acceſſione finita ægrotans è lecto ſurgere, atque cibum cum adpetitu capere poſſet. Tandem medicus ad explorandum coram & curatius morbi ſtatum accitur, qui accedens ægram extra lectum, bono cum adpetitu comedentem, & ſatis alacrem deprehendebat; ſed poſt quemvis finitum ſudorem, bis vel ter de die redeuntem, linteamina corporis cum recentibus in conclavi frigidulo permutantem, ſimul autem purpuram, brachia & manus obſidentem, adque tergum & pectus ſemet extendentem animadvertebat. Unde judicabat, purpuram per linteorum mutationes ſæpius retroceſſiſſe, & per paroxyſmos iterum expulſam fuiſſe. Namque per biduum tribus quotidie paroxyſmis, cum oris ſiccitate, calore & ſiti incipientibus, & poſt horæ decurſum in copioſum ſudorem deſinentibus corripiebatur, intercedente unica tantum die intercalari, quam rurſus bini una duntaxat acceſſione, eaque leni, poſt meridiem infeſti excipiebant. Hinc ſpem plenariæ euphoriæ quidem concipiebat, ſed inanem; ſiquidem paucis poſt diebus paroxyſmus denuo cum præcordiorum anguſtia, vehementi calore, præſertim pedum, ultro citroque curſitante, cum enormi ſudore ingruebat, qui ſudor, niſi linteis calidis ſæpius detergeretur, facile per cutem refrigeſcebat, & dolores artuum poſt ſe trahebat. Hanc acceſſionem ſequenti die hora quarta matutina ſequebatur nova, tanto artuum tremore, & præcordiorum anxietate infeſta, ut adſtantes de vita metuerent; quæ per totam diem inhærens, circa veſperam demum nonnihil remittebat, poſtridie bis, tertia vero die ſemel reverſura, tumque cum interno horrore & tanta cordis oppreſſione invadens, ut fuſis per integram horam lacrymis, nonnihil ſolatii demum perciperet. Fuit autem obſervatione dignum, quod ante ingruentem paroxyſmum excretio illa purpuracea in brachiis penitus diſparuerit, ſub eo ipſo vero ad cutim, cum levamine, & redeunte animi antea dejecti alacritate, expulſa rurſus fuerit.

Hæc tragica vehementium acceſſionum ſcena ludebatur ab ultima Auguſti, ad quartam uſque ſeptembris diem. Circa hoc tempus aliud quoddam ſymptoma reliquis accedebat, quo ægrotans, ſi vel unicum juſculi, vel cremoris hordei ac avenæ ſumeret cochlear, protinus ſputum limpidæ, tenacis tamen pituitæ incidebat; comeſto autem ſolidiori cibo ab hac immunis erat moleſtia. Ab hoc quoque tempore purpura, parvis hinc inde furunculis intermixta, conſtantius & pertinacius per aliquot dies in cute comparebat, cum ſudoribus, ſine tamen præcordiorum anguſtia permanentibus. Verum levamen, quod in hoc rerum ſtatu percipiebat, haud diu durabat: ſiquidem paucis poſt diebus retrocedente per noctem ex improviſo purpura, febriles paroxyſmi cum cordis palpitatione, membrorum laſſitudine, ſomnolentia, & utriuſque hypochondrii flatulenta ac dolorifica tenſione ſtipati recrudeſcebant. Urina per totum morbi decurſum, admodum varia reddebatur, mox aquæ inſtar limpida, & aſſumto potu copioſior, mox rubicunda cum ſimili ſedimento.

Oppoſita huic polymorpho malo medicamina fuerunt abſorbentia ſimplicia, & ſucco citri nupta, antimoniata fixa, leniter nitroſa, antiſpaſmodica, diapnoica, tonica, velut lapides cancrorum citrati, mater perlarum, cornu cervi ſine & cum igne præparatum, pulvis Marchionis, corallia rubra, ſpecies de hyacintho &c. Mixtura ex ſpiritu nitri dulci, eſſentia pimpinellæ, ſcordii & mixtura ſimplici parata, in expellenda, ſi retroceſſerat, purpura, egregiam locabat operam. Uſurpatæ porro ſunt emulſiones, cum aquis cordialibus, diapnoicis & antiſpaſmo-

paſmodicis; interpoſito per vacuos à febre dies, laxantium leniſſimorum, ex rhabarbaro, manna, & tartaro ſolubili confectorum, nec non clyſterum, ex floribus chamemæli cum cremore avenæ coctis, oleo olivarum, ſale culinari vel nitro præparatorum uſu. Non minus crebro ſorbillata fuerunt juſcula medicata, cum radice cichorei, ſcorzoneræ, fœniculi, & ſucco aurantiorum alterata; & pro potu denique decoctum cornu cervi, cum radice ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, liquiritiæ & ſemine fœniculi confectum inſerviit.

Quæ cuncta ſubſidia, quum nec purpuræ ſubigendæ, nec immoderatis & perpetuis fere ſudoribus coërcendis, nec avertendis paroxyſmis ſufficerent: aquas Selteranas, quas ægra quotanis ſummo cum levamine potare ſueverat, in uſum vocare conſultum putabat medicus; eaſque per primum, octidunm ad eluendam ex ventriculo & inteſtinis pituitam ſolas, deinceps cum lacte aſinino temperatas adhiberi jubebat. Præmiſſo igitur blando laxante, bibendi fiebat initium, ad quatuor uſque libras aſcendendo, & in ea doſi per aliquot dies ſubſiſtendo: quum vero nec per alvum, nec urinam ſufficienter excernerentur aquæ, ſed potius cum ſubſequentibus ventriculi flatulentiis, & hypochondriorum doloribus reſtitarent; mox more ipſi afflictæ mulieri alias ſueto, ad duos nimirum urceos, qui ad minimum ſeptem libras continebant, potandæ decernebantur, addita pro ſubducendo ventre alternis diebus mannæ uncia. Tum deſideratum edebant effectum; utpote, iis per alvum pariter ac urinam promte redditis, cibi cupiditas, ſomnus, atque vires redibant, hypochondriorum moleſta inflatio evaneſcebat, atque purpura, cum ceſſantibus ſudoribus, ſquamatim decidebat. Neque vero omnem deliteſcentis cujuſdam mali metum detrahebant, perſeverantes adhuc febriles motus, qui hora pomeridiana quarta cum pedum quadam refrigeratione, & ſubſequente ſanguinis ebullitione adfligentes, ad ſextam veſpertinam quotidie durabant. Et, quod notatu dignum erat, fontem iſtum cum lacte aſinino confuſum, morbi ſequebatur exacerbatio; ſolum vero illud lac, experimenti cauſſa ſumtum, lactis alias impatiens, optime ferebat, adeo, ut per eam diem febrilis etiam acceſſio dederit inducias.

Interim ſpes manebat firma, fore, ut ex continuato harum aquarum, per quatuordecim jam dies potarum uſu, malum adhuc ſuperaretur. Verum præter omnem ſpem & opinionem tum recidebat conſuetus paroxyſmus; corporis languore, ſomnolentia, frigore, ſudore, ſiti, oris ſiccitate, pedum refrigeratione, continua præcordiorum ſudantium anguſtia, ac difficili ſpiratione ſtipatus; quo lecto prorſus affigebatur ægrotans. Circumſtantes, conſilii inopes, propinabant ſtatim pulverem ita dictum vitalem Halenſium, quem ſudor excipiebat copioſus. Conſultus mox per litteras medicus mittebat pulverem ex antimonii diaphoretici, nitri depurati, cinnabaris nativæ ſcrupulis duobus, pulveris Marchionis ſcrupulis quatuor, caſtoreique ſcrupulo uno paratum, & in decem partes diviſum. Quarum una veſperi ſumta, major ſanguinis ebullitio, ſomnum turbans, & dolores cardialgici inde ſequi videbantur; neque alteram alius excipiebat effectus. Quid multis? antiqua ſymptomatum ſcena ludi incipiebat: nam ſudores immodici, cordis tremor & anxietas, cum meticuloſitate quadam, terroribus, pavoribuſque conjuncta, capitis dolores, ſitis, oris ſiccitas, & inadpetentia turmatim recurrebant; neque ſudores iſtos, punctorium cuti ſenſum inferentes, ulla purpuræ comitabatur effloreſcentia. Scire quoque refert, pedes continuo ſudore, eoque frigidulo maduiſſe, ſuperiori corpore haud æque inſudante.

Hoc in rerum ſtatu ad coërcendos potiſſimum ſudores, porrigebatur pulvis ex lapidum cancrorum, coralliorum rubrorum, nitri depurati, pulveris Pannonici rubri ana ſcrupulis duobus, ſpecierum de hyacintho drachma dimidia, croci martis antimoniati Stahlii ſcrupulo compoſitus; dabatur mixtura ex tincturæ coralliorum, martis tartariſatæ Ludovici, ſpiritus nitri dulcis, & ſyrupi papaveris rhœados æquali portione concinnata. Nec his vero operæ pretium facientibus, pilulæ, quæ habebant extracti cardui benedicti, centaurii minoris, trifolii aquatici, antimonii diaphoretici martialis Ludovici ana grana quindecim, mane deglutiendæ; à meridie tinctura martis Zwœlfferi capienda, & veſperi aſſumendus pulvis, ex coralliorum rubrorum, matris perlarum, eboris ſine igne parati ana drachma, ſpecierum de hyacintho, & antihectici Poterii ana drachma dimidia concinnatus exhibebatur.

Sub horum uſu, ad meliorem inclinare videbatur valetudinem, adeo, ut paroxyſmis extra lectum perfungi potuerit; hi vero ſingulis diebus per horam anticipabant, & pedes, adhibitis in caſum frictionibus, frigore pariter ac dolore continuo infeſtabantur. Verum enim vero infidum illud malum paullo poſt ſummo cum impetu recruduit, & ægram huc uſque, recenſitis ſymptomatibus immerſam detinet. Illa cæterum valde eſt ſenſibilis, & medicamenta calidiora, caſtoreum, volatilia, myrrhata, aloëtica, pilulaſque Becherianas minime ferre poteſt. Quæ quum ita ſint, & periculum in mora videatur poſitum; expetit ſibi conſilium curatorium, præſervatorium, & diæteticum.

*Conſultatio.*

Ferox, tædiique plenus morbus, quo cum fœmina generoſa, corpore teneriori, animo ſenſibiliori, & ſuccis ob cohibita menſtrua impuris prædita, per longum tempus conflictatur, purpuræ ſcorbuticæ nomen meretur. Cujus quidem materialis cauſſa, quæ eſt acre ſerum, in nervoſis ac motricibus potiſſimum reſidet partibus, quas ſtimulando, atque vellicando ad præternaturales, & ſpaſmodicas proritat commotiones, atque ſic cauſſam præbet, quo omnes œconomiæ vitalis functiones turbentur ac deſtruantur. Quemadmodum vero hæc in pleriſque purpuratis contingere ſolent affectibus; ita in noſtro ſpeciatim caſu adhuc quædam occurrunt momenta, quæ cuncta ſymptomata ut graviora, ſic & diuturniora reddunt. Ut enim ſenſibiliorem ac debiliorem generis nervoſi conſtitutionem, ſilentio prætermittam, qua præditi præ aliis decumbunt gravius: ipſa remediorum, quibus uſa eſt, farrago, nec non animi vehementiores affectus, regimen inordinatum, & frigus corpori liberalius admiſſum, atque hinc intus verſa purpuracea materia, peculiarem merentur conſiderationem. Nam ſicut nimius medicaminum uſus magno reconvaleſcentiæ eſt impedimento: ita miaſma illud exanthematicum, ſi ſæpius retropellatur, longe deteriorem & virulentam velut acquirit indolem; qua non ſolum truculentiora machinatur mala, verum tam fixam quoque ſedem occupat, ut ægerrime poſſit eliminari. Non igitur mirum eſt, quod adhibita huc uſque artis præſidia, quæ corrigendæ pariter ac excernendæ materiæ peccanti à medicis, laude digno conatu deſtinata videntur, temperantia, diaphoretica & antiſpaſmodica, votis nondum reſponderint. Nec improbarem commendatum fontis Selterani tam ſolius, quam lacte aſinino nupti uſum; ſed optaſſem, ut prius ope blandorum laxantium, & clyſterum primæ regiones, curatius fuiſſent purgatæ.

Quicquid vero ſit, in eo jam cardo rei vertitur, ut oſtendam, qua ratione malo huic firmius

radica-

radicato liceat mederi. Et hoc ſine primam eſſe oportere curam arbitror, quo materia ſubtilis purpuracea ex vitæ penetralibus ad corporis ſuperficiem expellatur; quod impetraturos nos eſſe confido, ope pulveris hunc in modum conficiendi: Recipe pulveris Marchionis drachmas duas, antimonii diaphoretici, ſuccini præparati, cornu cervi uſti ana drachmam, nitri depurati ſcrupulos duos, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrupulos. M. F. pulvis, div. in 8. part. & bis terve quotidie aſſumatur. Huic crebro juvabit interponere unum vel alterum cochlear potionis analepticæ, & leniter diaphoreticæ, quæ ſic habet: Recipe aquæ florum ſambuci, cardui benedicti, meliſſæ citratæ, ceraſorum nigrorum, ana uncias duas, matris perlarum drachmam, ſucci citri, ſyrupi papaveris albi ana drachmas duas. M.D.

Deinceps commendo liquorem meum anodyno-mineralem, cujus cum ſpiritu bezoardico Buſſii mixti, triginta guttæ vel mane vel veſperi capiantur: pollet enim vi præſtanti, ſpaſmos ſedandi, lenem tranſpirationem promovendi, & materiam exanthematicam ad corporis corticem dejiciendi; majorique his in morbis cum fructu uſurpatur, quam ſpiritus ille nitri dulcis, cujus in hiſtoria morbi ſit mentio, & quem ex ſpiritu inflammabili, & vini rectificatiſſimo, in obſervationibus meis chymicis parandum docui. Neque erit alienum, decocto jam deſcripto, & ex raſura cornu cervi, radicibus ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, liquiritiæ, & ſemine fœniculi confecto, ulterius & pro potu ordinario, & pro remediorum vehiculo uti.

Ad alvum porro liquandam, & ſordes è primis regionibus vacuandas, egregiam virtutem præſtabit pulvis rhabarbari, qui veſperi ad ſcrupulos duos ex aqua frigida fontana bis quavis hebdomade propinari poteſt; ſpecies autem de hyacintho, ob vim, quam obtinent adſtrictivam, illi pulveri addere ineptum eſt. Neque minus huic ſcopo reſpondent clyſteres, ex juris gallinacei libra una, olei amygdalarum dulcium, & florum chamomillæ unciis duabus vel tribus parati; quippe qui tenſas ſpaſmo fibras emolliunt, & impuritates blande ſubducunt.

His denique recta vivendi ratio conjungatur, neceſſe eſt; in qua cumprimis calor conclavis, in quo degit, moderate calidus ac æqualis eſſe debet: & conſultius erit, ante purpuræ eruptionem, in lecto ſe continere, & linteaminum mutationem differre, aut cautiſſime inſtituere. Victus ſit facilis, nec confert multis veſci carnibus, ſed potius juſculis avenaceis, vitello ovi permixtis, vel gallinaceis, cum radice ſcorzoneræ, cichorei, & ſucco citri vel aurantiorum alteratis, frequenter uti. Cæterum ſi vernalis acceſſerit tempeſtas, auctor ſum ſuaſorque, ut ægra fontem Selteranum vel ſolum, vel lacti aſinino, ſi tulerit ventriculus, nuptum adhibeat, eoque bis quotannis, conjuncta duplici venæ ſectione, utatur.

---

## CASUS CXCIII.

*De purpura alba & rubra, cum ſumma generis nervoſi debilitate conjuncta.*

DUos ultra triginta annos nata fœmina, vegeta quidem ſanitate, & acuto hilarique ingenio à natura inſtructa fuit; at per varios in tenera jam juventute caſus fracta, morborum vi omnino ſuccumbere debuit. Nam juvencula adhuc, ob matrem, quæ noverca erat, cancro mammarum affectam, non ſolum curis domeſticis ſola præeſſe, verum etiam matri ægrotæ, non ſine inſigni faſtidio, aſſiſtere cogebatur: unde ipſa quoque parum valuit, & cumprimis febrem aliquando intermittentem incidit, quæ conſulto ſuppreſſa, futuris procul omni dubio primam cauſſam præbuit ægritudinibus. Matre defuncta, pater cœpit ægrotare; cui iterum à manu eſſe debuit, licet purpura per tres menſes admodum gravi, & calidioribus medicinis oppugnata laboraverit. Tandem hoc quoque morte extincto, multis mœroribus oppreſſa, valetudinariam egit vitam; & hujus cauſſa fontem Selteranum potavit, eo effectu, ut finita potatione, critica ac ſalutari corriperetur diarrhœa.

Paullo poſt, annus ætatis erat vigeſimus ſextus, mihi nupta, & brevi ante nuptias graviſſimis ob cauſſam coram judicio gerendam, ſolicitudinibus, aliiſque animi adfectibus agitata, indeque capitis horrendis doloribus, quin pridie nuptiarum magno rigore ac frigore correpta, ac ipſa denique feſtiva die ſaltando vehementer exæſtuata, poſtridie lunare tributum, licet debitum nondum adeſſet tempus, perſolvere cœpit. Huic fluori ſtatim inſignis jungebatur ſitis, quam nec Selteranis acidulis ſolis, nec iiſdem cum vino maritatis explere valebat. Interim ego, negotiorum cauſſa per duos treſve dies peregre factus, redux uxorem meam, purpura maligna rubra & alba per totum corpus occupatam, magnoque pectoris ardore & oppreſſione, nec non vigiliis infeſtatam deprehendi. Purpura in cruribus ac abdomine hinc inde exulcerationes producebat; neque tamen minus datis emulſionibus, pulveribuſque nitroſis, ac fixis bezoardicis, exſiccabat, & cum reliquis ſymptomatibus, Deo ſint gratiæ, evaneſcebat.

Verum cum ſequenti, qui erat Auguſtus, menſe utero inciperet gerere; vacillabat rurſus valetudo, quamvis geſtationis tempore bis ſanguis è pede mitteretur, ſiquidem primum ardorem præcordiorum, & alvinam obſtructionem; progrediente graviditate œdematoſum pedum tumorem, & brevi ante partum eryſipelas pedum, crudeliſſimis doloribus ſtipatum pati debuit; quæ fœtu in lucem edito omnia conquieſcebant. Sed in puerperio purpura denuo efflorescebat; & purgatio uterina larga quidem ſuccedebat quantitate; fundebatur autem ſeroſus duntaxat humor, inſigni acrimonia imbutus, & intolerabili fœtore nares feriens. Præterea corpus adeo contabeſcebat, ut febre eam hectica extenuari crederes: & denique infans, quarta poſt partum ſeptimana, morte raptus, vehementem creabat mœrorem. Quamobrem finito puerperio, fontem Selteranum ipſi ad ſcatebram bibendum ordinavi; unde factum eſt, ut per unum alterumve annum, accedente legitimo menſtruorum fluxu, licet extenuata, ſatis bene valeret. Verum ante quatuor annos rurſus imprægnata, variiſque ſimul ægritudinibus, præſertim febre tertiana, affecta fuit; quæ ope pilularum balſamicarum oppugnatæ & mitigatæ, non impedierunt, quo minus debito tempore felicem ederet partum.

Abhinc vero parere deſiit; vitamque multis adfectionibus immerſam, miſera traxit, quales hucuſque fuerunt vehementes capitis dolores, perpetua pedum refrigeratio, contumax alvi obſtructio, aſſidua ſitis, ardens circa cordis ſcrobiculum ſenſatio, corporis contabeſcentia, & moleſtus languor, adpetitus inconſtantia, & menſtruorum parcior fluxus. Ante aliquot annos poſt gravem cardialgiam, vomitus patiebatur, & per illos fruſta ſebacea magnitudine nucis juglandis reddebat: quos ſecundaturus, lene exhibebam vomitorium, quod tantus artuum extremorum tremor, inaniſque vomendi conatus excipiebat, ut blandum anodynum ex aqua liliorum

rum convallium ſpirituoſa ipſi propinare deberem, quo ſumto parum bilioſi humoris magno cum impetu eructabat. Hinc abſtinui à vomitoriorum exhibitione, & laxantibus pugnavi; ſed hæc qualiacunque, ſive ſal Sedlicenſe, ſive aperitivum Hoffmanni, ſive potiunculæ mannatæ, ſive pilulæ balſamicæ per aliquot dies cōtinuatæ fuerint, nunquam reſpondebant rite votis; quid? quod mannatas potiones, quas abhorrebat, ſtatim vomitu reddiderit. Calidioribus ac reſinoſis medicaminibus uti, ob debiliorem generis nervoſi conſtitutionem, neutiquam auſus fui; & quod peculiari dignum eſt animadverſione, omnes orthoſtadia averſatur medicinas, lecto autem per auctum morbi impetum affixa, eas cum voluptate pariter ac egregio fructu capit. Liquor anodyno-mineralis uti ſemper, ita adhuc etiam, ſi præcordiorum anxietates, & ſpaſmodicæ motiones nimis urgeant, levamen infert; ſed eo ſumto, plerumque moleſtiſſimi ſuboriuntur ructus, & ultra duodecim horas atrociter infeſtant. Suaveolentia, inque primis balſamum vitæ, utut ambra privatum, ſummo faſtidio averſatur. Ex cibis viliores amat, delicatioribus non delectatur; vino licet parcius, utitur; nonnunquam tamen rarius potum calidum Théebois vel Coffée, lacti nuptum ſorbet, frequentius autem loco fabarum Coffée, ex amygdalis toſtis ſibimet decoctum parat, quippe quæ ob unctuoſum, quod fovent principium, alvo lubricandæ inſervire perhibentur. Hujus etiam lubricitatem ope humectantium, ac ſeri lactis ad mentem Illuſtris Hoffmanni parati adjuvare, ſed incaſſum tentavi. Sub epulis porro ad juvandam vim digeſtivam, Elixir viſcerale Hoffmanni propinavi; nec non aquas Selteranas, balnea ex aqua dulci, & tepidiora pediluvia, à quibus tamen capitis dolores exacerbari putat, in uſum vocavi.

Omnium vero irritus huc uſque fuit effectus; alvus quotidie quidem reſpondet, ſed arte liquari non poteſt; urina plerumque aquoſa, interdum turbulenta inſtar ſpiſſioris cereviſiæ, abſque coctioni ſignis mingitur; pulſus citatior ſemper & parvus, quandoque micans fertur; ſomnus eſt turbulentus; ſanguis è vena detractus, olim ſiccior ac ſpiſſior adparuit jam laudabili conſiſtentia præditus videtur; & animus, à prima juventute ſemper hilaris, magis moroſus ac dejectus redditur. Ad hæc per integrum qui noviſſimus eſt, annum, quavis veſpera ingenti corporis frigore percellitur, quod calor pungens & mordax excipit, & hunc rariſſime levis mador ſequitur; quo exhalante, bene habere videtur, ceſſante vero ſpirandi ſuboritur anguſtia, & pectoris oppreſſio. Quo in ſpaſmodico, qualis mihi videtur, affectu conſilii ſum inops, & licet ex mente cujuſdam medici thermas Carolinas, quas uxori meæ proficuas ipſe judico, adhibere vellem; metuo tamen, ne, cum corpus nulla arte purgari, neque ideo ad hanc curationem præparari poteſt, majus exinde propullulet damnum. Quare abs te peto, Vir Experientiſſime, ut me doceas, quæ in morbo hoc intricato ſint profutura.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Quæ mihi, Vir Prænobiliſſime, de gravi & diuturna amantiſſimæ Tuæ uxoris perſcripſiſti ægritudine, luculenter teſtantur, eam inſigni generis nervoſi debilitate laborare; qua præſertim magnus ille alimentorum canalis, ventriculum puto & inteſtina affecta, & hinc ſpaſmodicis pariter ac flatulentis obnoxia videntur affectionibus. Ubicunque vero ſolidæ & motrices partes à vigore & robore ſuo naturali dejectæ ſunt; ibi ſuccorum quoque vitalium legitimus curſus admodum retardatur, ſalutares ſe- & excretiones imminuuntur, & hinc dyſcraſia humorum ſcorbutica, infelix multorum malorum mater, progeneratur. Atque ſi omnes caſus, quos à teneris annis lectiſſimæ fœminæ ſuſtinendos fuiſſe percepi, rite conſideravero; hac in mea ſententia inſigniter confirmor. Namque quo ſenſibiliorem ac teneriorem à natura nacta fuit corporis conſtitutionem; eo majori ad irregulares motiones promptitudine nervoſum ſyſtema inter duriorem, quam ſub matris novercæ regimine ſuſtinuit, educationem imbui debuit. Cohibita ſubinde febris intermittens, & hinc intus acta materies morbifica, primum dyſcraſiæ humorum dedit pabulum; quæ, aucta, per inſequentes ob parentis ægritudinem mœrores, partium ſolidarum debilitate, & hinc retardato fluidorum motu, nec non excretionum libero ſucceſſu, mirum in modum omnino crevit, & in purpuratam tum temporis deſiit efflorefcentiam. Qua forſan non radicitus perſanata, laudabili quidem inſtituto, nec infelici cum effectu adhibitæ fuerunt aquæ Selteranæ: verum inſequuta animi graviora pathemata, peſſumdederunt ſperatam ſalutem. Commotis enim inde ſolidis æque ac fluidis partibus, febriles primum exceperunt moleſtiæ, quæ, exagitato ſub iis per fortiorem ſaltationem corpore, rubram & albam poſt ſe traxerunt purpuram. Cujus noxia materies, cum ob imbecillitatem partium motricium, haud ſufficienter è corpore fuit proſcripta, accedente graviditate, & hinc labefactato magis robore, novam affectavit eruptionem; qua neutiquam potita, ardentem in ſcrobiculo cordis dolorem, nec non eryſipelaceum in pede produxit tumorem. Quamobrem rectiſſime ſub finem puerperii adhibitas credo acidulas Selteranas; quippe quæ acrimoniam ſuccorum vitalium temperando, motum eorundem progreſſivum facilitando, & uterinum fluxum reſtituendo, permagno utique ſanitati fuerunt præſidio. Verum enim vero, quum legitimum partibus ſolidis nondum rediiſſe videatur robur; non mirum eſt, quod inſequuta nova impraegnatione, & accedente forſitan in victu errore, tertiana febris, eaque ſuperata, poſt enixum fœtum, varia propullulaverint ſymptomata: quorum ad hanc uſque diem adfligentium potiſſima ſunt capitis dolores, aſſidua ſitis, continuum extremorum, maxime pedum frigus, ardens circa cordis ſcrobiculum ſenſus; inſignis virium languor, dejectus ciborum adpetitus, & vomitus, iique ſebacei. Mea quidem ſententia omnes hæ adfectiones nimiæ ſyſtematis nervoſi, maxime ventriculi ac inteſtinorum debilitati, & hinc pendenti ad motus irregulares promptitudini, maximam partem debentur. Nam ſi primæ regiones ſpaſmo obſidentur, oriuntur primum ſebacei vomitus; deinceps ſanguis in libero per imum ventrem circuitu præpeditus, majori ad caput ruit quantitate, ejuſque vaſa diſtendendo, cephalalgiam parit. Idem cruor copioſius ad præcordia verſus, horum vaſa nimium infarciendo, pectoris oppreſſionem, & anxietates inducit; eminus autem, minori copia & impetu per exteriores artus progrediens, ad eorundem perpetuum frigus multum diſponit. Quemadmodum vero ſpaſmos plerumque atonia ſequitur; ita hac in ventriculo ac inteſtinis locum occupante, perit ciborum adpetitus, legitima digeſtio, vegeta ſordium per alvum excretio, & inde multæ generantur cruditates; quæ accumulatæ, vellicando novam ſpaſmorum præbent occaſionem.

Quo facilius vero fuit, pathologicam præſentis mali explicationem ſuppeditare; eo erit difficilius, illud temporis vetuſtate corruptum, & in habitum degeneratum in tam ſenſibili ſubjecto debellare. Ipſa profecto pharmacomania, qua ejuſmodi ægrotantes ſimul laborare deprehenduntur, & per quam varietate medicorum æque ac remediorum delectantur, ipſis magno cedit impedimento, quo minus deſi-

deſideratam morbi medelam aſſequantur. Nam nimio remediorum, cumprimis ſi minus convenerint, uſu nihil ſane ad labefactandum partium ſolidarum robur, & hinc protrahendam morbi diuturnitatem, ferme opportunius occurrit. Non equidem circa uſurpata in præſenti caſu hactenus ſubſidia, quidpiam monendum habeo; tantum abeſt, ut ea morbi cauſſæ ex omni parte congrua fuiſſe arbitrer; neque vero præſtantiſſimarum medicinarum accumulatum uſum prodeſſe ſtatuo. Quamobrem ſuadeo, ut jam mittantur cuncta pharmaca; nec niſi diæteticis potiſſimum pugnetur præſidiis. Ex his omni laude major eſt cœli, aërisque mutatio; quam ut lectiſſima mulier, conjuncta corporis moderata exercitatione, ſibi habeat commendatam, etiam atque etiam hortor. Deinceps potationem lactis aſinini, cum acidulis Selteranis æquali pondere maritati, admodum ipſi proficuam æſtimo, cujus quotidie tres menſuras ſorbillare expediet. Non minus ſuis meritis extolli meretur creber uſus juſculorum medicatorum, quæ ex carnibus vitulinis, vel bovinis potiſſimum aſſis, additis radice graminis, cichorei, fœniculi, aſparagi, petroſelini, ſuccoque citri vel aurantiorum parari poſſunt. Sub epulis denique capiendas ſuadeo quinquaginta guttas Elixirii balſamico-viſceralis, quale in Notis ad Poterium cum vino Hungarico conficiendum docui. Reliqua tuæ, vir Prænobiliſſime, dijudicationi relinquo; & ut ſummum Numen inſtituendam curationem clementer ſecundet, ex imo pectore precor.

---

## CASUS CXCIV.

### *De febre purpurata puerperarum pro novo & incognito morbo habita.*

Puerperis per aliquod tempus infenſum fuit malum quoddam, quod eas ſequenti potiſſimum adoritur ratione. Secundo videlicet vel tertio à partu die percelluntur ex improviſo quodam horrore, quem protinus ingens calor, cum ſumma pectoris oppreſſione, crebris ſuſpiriis, & lochiorum retentione ſtipatus inſequitur. Poſt aliquot dies puſtulæ miliares per totum corpus maxime per præcordia, conjunctis deliriis, nervorumque ſubſultibus effloreſcunt; quarum malignitate, plus minus majori, pleræque oppreſſæ, vel circa quintam, vel etiam decimam morbi diem exſtinguuntur.

Habitus eo uſque hic atrox affectus pro febre miliari maligna; & efficaciſſimis alexipharmacis, regimine quieto, & temperate calido, adplicatione veſicatoriorum æque ac ſiccarum cucurbitularum oppugnatus fuit; ſed fruſtraneus omnium fuit effectus, & ſemper docta arte plus valuit malum. Idcirco doceri avemus, anne illud exſtirpandi ac ſuperandi nullum occurrat remedium?

*Conſilium celebrioris cujuſdam medici.*

Difficultas purpuræ rubræ pariter ac albæ, quæ puerperas potiſſimum occidit, medendi, meo arbitrio in eo conſiſtit, quod rigor, quem vocant lacteum uno cum ea maligna purpurata febre incidat tempore. Quemadmodum vero utriuſque mali cauſſa magis in humorum ſeroſorum, quam ipſius purpuræ ſanguineæ vitio quærenda videtur: ita neutri eorum venæ ſectiones, nec ſudationes conveniunt. Illæ enim tranſpirationis inſenſibilis ſucceſſum remorantur; hæ tenuiſſimum ſecum vehendo ſerum, ſpiſſius una cum maligno miaſmate relinquunt. Hinc ſequenti via tutiſſime licet incedere, qua fœminis adhuc gravidis, inſtanti puerperii tempore ea porriguntur remedia, quæ lympham atque ſerum depurandi virtute pollent. Quo quidem nomine magnam laudem merentur ſalina, antiſcorbutica, velut eſt carduus benedictus, angelica, contrajerva &c. cum abſorbentibus marinis ut matre perlarum, oſtreis, conchis, dente hippopotami, coralliis, & cornu cervi maritata. Neque in ſubjectis quibuſdam alienum eſt, balneis ſiccis, ac vaporoſis uti; in quibus cutim vel fricare, vel etiam ſcarificare nonnunquam expedit; eo, quod tali ratione, multum impurioris ſeri cum ſanguine detrahitur.

Poſt enixum vero fœtum, operæ pretium exhibet pulvis Anglicanus, de Kent dictus, cujus vel ſolius, vel cum pulvere Marchionis remixti ſexaginta grana ſingulis tribus horis vel ex aqua florum ſambuci & fragorum, vel emulſione quadam ſunt propinanda. Veſperi mixtura ex diaſcordio Fracaſtorii, Theriaca, nitro, ſucco citri, & aceto rutaceo conflata cum aqua cinnamomi ſine vino porrigenda eſt. Quod ſi vero hyſtericæ jungantur commotiones; abs re erit, miſſa illa mixtura, ne lochia cohibeantur, caſtoreum camphoræ nuptum, in pulvere exhibere. Ubicunque etiam immodicæ alvi fluxiones accedunt; pulveres ex coralliis, theriaca cœleſti, bolo & terra ſigillata parati, egregiam pollicentur utilitatem.

Contra vero ab omnibus eſſentiis, & aliis quibuſcunque ſpirituoſis medicinis cavendum; quoniam humorum ebullitiones exacerbant, & motrices partes ad ſpaſmodicas proritant commotiones. Sicuti enim non decet humorum impetum adjuvare: ita quoque eo reſpicere oportet medicum, ut excretio malignæ materiæ per cutis ſpiracula, non in ſudoris, quin potius madoris forma, in perpetuo conſervetur ſucceſſu. Quem in finem regimen temperate calidum, tam ratione conclavis, quam lectorum & integumentorum ſervari debet: nec in potus ordinarii, qui largior ſit, vicem quidquam decocto cornu cervi, cum ſucco citri permixto commodius exhibetur. Reliqua, quæ forſan pro varia ægrarum conſtitutione occurrunt, ſymptomata, cujuſvis medici præſentis judicio oppugnanda relinquuntur: in quibus omnibus id adhuc monendum duco, ne ea remedia, quibus febri purpuratæ ſuccurritur, rigori ſic dicto lacteo ſint contraria. Sic enim nullum foveo dubium, fore ut divina favente gratia, prudens medici manus malo plus valeat.

*Reſponſio Conſultatoria.*

Purpuratæ febres noſtris in regionibus, Miſnia potiſſimum ac Saxonia, per multos jam annos, puerperis, ut familiares, ita ſæpius quoque lethales ſunt. Quum enim ante quinquaginta adhuc annos in noſtris oris incognitæ prorſus eſſent; tum temporis Lipſiæ primum puerperis infenſæ cœperunt eſſe, & ideo febres purpuratæ Lipſienſium vocabantur. Poſt ad vicinas quoque urbes, Halam Saxonum, Leucopetram, Naumburgum, & alias devenit malum; atque ſenſim latius ſerpendo, circulo tandem Saxoniæ inferiori inhæſit. Neque vero puerperæ duntaxat, ſed & aliæ mulieres, quin viri etiam hujus morbi tyrannidem experiuntur, adeo, ut quoſdam cito jugulet, alios ad plures menſes diſcruciet. Hinc nata eſt purpuræ in chronicam & acutam diviſio; quarum illa periculi expers, nec febre ſtipata, diuturnitate duntaxat moleſta eſt; hæc febre, & vitæ diſcrimine nunquam caret. Utrumque purpuræ genus, pro ſubjectorum, quæ adoritur, varietate, aut tempeſtatis diverſitate, plus minus periculoſa machinatur mala. Quemadmodum enim chronica, ſi ſcorbutica invadit corpora, & longior & atrocior obſervatur: ita quoque acuta, ſi per tempeſtatum incongruas ac ſubitaneas mutationes, in ſubjectis, quæ ex malo vivendi genere, impuris ſcatent ſuccis, incidit, malignior & pe-

periculoſior deprehenditur. Omnis quoque purpura vel rubra eſt, vel alba; hæc ut plurimum mali moris exiſtit, & perniciofior, quam illa: ſiquidem ubi febribus acutis, variolis, morbillis, uti ſæpiſſime fit, conjungitur; funeſtum tantum non ſemper prænunciat eventum.

Cauſſam atrocis hujus mali in lymphæ vappidæ, ac velut corroſivæ vitio hærere; vero eſt ſimillimum. Namque notiſſimum eſt, lymphaticum illum rorem diuturniori in tubulis & diverticulis glanduloſis mora ac ſtagnatione, acerrimum reddi & cauſticum: qui, ſi cum maſſa ſanguinis ad interiora rurſus vehatur, & ad nervoſas partes decumbat; introducit ea ſymptomata, quæ purpuram antecedunt, atque comitantur. Hæc ſunt inſignes præcordiorum anxietates, pectoris oppreſſiones, angores, inquietudines, tenſivi ac ſpaſmodici artuum dolores, ſumma laſſitudo, ſpirandi anguſtia, horrores, animi deliquia, & inexplebilis cutis pruritus: quæ omnia, expulſa ad cutim iterum purpuracea materia, protinus conquieſcunt. Et ſicut miaſma purpuraceum ejus eſt indolis, ut ſubitaneas mutationes ſubeat, & mox ad corticem cutaneum decumbat, mox vero ad vitæ penetralia inſidioſum recedat: ita quoque pro hac varietate ſymptomata plus minus obſervantur ferocia.

Quod ſubjecta attinet purpuræ chronicæ; eam familiarem adnotavi fœminis, quæ vel per naturæ ordinem quinquageſimum ætatis annum emenſæ lunare tributum ſolvere deſierunt, vel fluore albo improvide cohibito laborarunt, quo revocato, purpura rurſus evanuit. Non minus tædii pleno huic affectui obnoxii reperiuntur, qui vitam motus expertem amant, animi adfectibus, iracundiæ ac terrori nimis indulgent, lacticiniis, panificiis, dulcibuſque cibis multum delectantur, & ſimul ſegnem habent alvum: contra vita mobili gaudentes, tenuique victu utentes raro habent, cur à tali malo ſibi metuant. Præterea mihi ſæpius adnotare licuit, febres continuas, variolaceas, morbillaceas, aliaſque, ſi vel alvus ſub iis ſtrictior, vel juſto liquidior, & tum adſtringentium ope compreſſa fuerit, purpuram excipere: quum enim per alvum ſordes ſubtiliores, ſalſæ ac ſulphureæ una cum craſſis excernantur; hæ, illa non reſpondente, intra corpus retinentur, & ad maſſam revertuntur ſanguineam. Cumprimis vero hic morbus puerperis & frequentior, & periculoſior deprehenditur: namque ſcire licet, illis tempore prægnationis, ob cohibita menſtrua, præter nimiam molem, dyſcraſiam quoque humorum plerumque generari, utique, ſi inordinatum vivendi genus, vita ſine motu deſes, & ſomnus diutius protractus acceſſerit. Tum, ubi pepererunt, vel cum ipſa febre lactea, vel brevi poſt eam toleratam purpuracea erumpere ſolet effloreſcentia; eo, quod per dictum rigorem lympha impura, hactenus quieta, in motum cietur, & ex glandularum, quibus eo uſque inhæſit, latibulis, ad reliquam humorum maſſam compellitur. Quod ſi vero in cauſſam inquiram, cur ſæpius memoratus affectus, noſtro potiſſimum ſeculo, & præſertim ſexui ſequiori communis ſit; nulla certe ſe alia mihi offert, quam nimius, & bis terve quotidie iterari ſolitus decocti fabarum Coffée potus. Quamvis enim huic infuſo ſuas laudes, ob vim, quam exhibet, alvum liquantem, minime derogavero: attamen certis rationibus fultus credo, quod illud, ſi crebro & large potetur, alvuſque ſimul officio ſuo haud rite reſpondeat, omnino noxarum ferax ſit: ſiquidem non modo novas particulas, quæ œconomiæ vitali, non adeo amicæ ſunt, in corpore relinquit, verum etiam ope caloris latentes jam in primis viis ſordes acres, bilioſas, impuras commovet, & deficiente legitima alvi ſolutione, ſecum in ſuccos rapit vitales.

Quibus præmiſſis, facilius fore exiſtimo, præſervandi pariter ac curandi hanc affectionem, proponere methodum. Præſervandi quidem finis partim ſub graviditatis decurſu, partim ipſo puerperii tempore habendus erit. Et quod imprægnationis ſtatum attinet; hæc eſto princeps medentis cura, ut propullulantes ſenſim humorum impuritates, malignitatis purpuraceæ cauſſas, in prima, ut vocant, herba ſuffocet, nec increſcere ſinat; id quod decenti ſanguinis miſſione, & ventris purgatione obtineri poterit. Venæ ſectio in fœminis, quæ ſanguineæ, ſuccorum plenæ, gulæ largius indulgentes, & otio ſunt deditæ, bis vel ter durante graviditate, quarto, ſcilicet, ſextoque prægnationis menſe adminiſtrari, & in quibuſdam brevi ante partum tertia vice iterari debet. Alvum vero ſemper oportet eſſe lubricam, cui ſcopo præter alimenta humectantia, pilulæ balſamicæ Becheri, vel ſal Anglicanum, aut Sedlicenſe, vel denique potio laxativa, ex manna, rhabarbaro, cremoreque tartari confecta, admodum accommodata ſunt. Adhæc tranſpirationis, qua in depurando ſanguine, nihil præſtantius eſt, legitimum ſucceſſum omni ſtudio adjuvare expedit: quem in finem ſufficiens corporis motus, victus humectans, & potus tenuis commendari merentur. Contra vero cibi nimium dulces, acidi, fructus horæri, poma, omne placentarum genus, & quæcunque ſpiſſos viſcidoſque generant humores, dum remorantur madoris excretionem, ſedulo vitanda; & ex eodem fundamento à largiori cœna, ſomno diuturniori, & animi pathematibus ſtudioſe cavendum. Eidem ſcopo dicata ſunt diaphoretica, quæ ſicuti calidiora, qualia pleræque radices alexipharmacæ ſolent eſſe, nimis exæſtuando humores, certam minantur noxam; ita temperatiora potiſſima ſint, ex quibus pulveres bezoardici, nitro & præcipitantibus nupti eminent. Nec minorem ſpondent operam balnea tepida ex aqua dulci parata, quæ ſiccis & vaporoſis longiſſime præferenda eſſe ſtatuo.

Excluſo feliciter partu, purpuram præſervandi ratio in eo conſiſtit, ut altero mox die, quo humorum à puerperio inductus orgaſmus, pulſuſque celer conquievit, portio pilularum ad Stahlii, Becheri, vel meum exemplar paratarum exhibeatur, eademque poſtridie, ſi impeditior fuerit lochiorum fluxus, repetatur: quippe quæ primas regiones ab inhærentibus ipſis ſordibus repurgandi, fluxumque lochialem promovendi, virtute pollent egregia. Tertio die, quo lactea plerumque invadit febris, operæ eſt pretium, pulveris mei bezoardici, cum præcipitante æquali pondere maritati, drachmam dimidiam, exhibere.

Quod ſi vero his neglectis, aut in caſſum adhibitis, purpura effloreſcat, circumſpiciendum ante omnia ſuadeo, num uterinus fluxus vel parcior, vel plane cohibitus ſit; tumque, præmiſſo pediluvio, protinus quatuor vel quinque cruoris ex vena in pede ſecanda uncias detrahere juvabit. Deinceps cavendum ut à remediis, ita regimine calidioribus; nec non ab omni refrigeratione, & refrigerantibus medicinis. Unde nitroſorum quoque cautum oportet eſſe uſum, nec temere iis utendum, niſi pulſuum celeritas, & ſanguinis ebullitio urgeant. Nec denique alvi obſtructio deſuper habenda; ſed nec ſtimulantibus, nec ſalinis ſolutio molienda. Medendi ratio, qua in hoc affectu ſummo cum fructu uti ſum ſolitus, in exhibitione pulveris bezoardici, cum præcipitante remixti, nec non caſtorini & cinnabarini, ac liquoris mei anodyni mineralis unice conſiſtit. In more etiam mihi poſitum eſt, ut, ſi præſertim anguſtiæ præcordiales nimium adfligant, mixturam, quæ ex tribus partibus liquoris dicti anodyni, una ſpiritus bezoardici

dici Buſſii, & dimidia eſſentiæ caſtorei componitur, una cum pulvere, ex pulveris bezoardici granis quindecim, cinnabaris nativæ præparatæ granis quinque, & pulveris caſtorei granis duobus concinnato, puerperis exhibeam. Ad ducendam alvum non niſi clyſteribus ex floribus chamæmeli, ſale communi, & nitro paratis uti; & pro potu ordinario ſequens commendare ſoleo decoctum: Recipe raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, ſarſaparillæ ana uncias duas, Conc.cont.decoquantur in tribus aquæ communis menſuris. Infuſum denique herbæ Théebois parcius, nec nimis calidum ſorbillare decet: qua methodo multas puerperas, aſſiſtente divina gratia, & à purpura præſervatas, & curatas novi.

---

## CASUS CXCV.

### *De purpura alba puerperis plerumque funeſta.*

FAmiliaris admodum noſtris in locis eſt purpura alba, qua pleræque puerperarum, maxime primiparum infeſtantur, quin & jugulantur. Illas enim ſecundo circiter, vel tertio à partu die ingens horror, cum ſequente continuo calore, adoritur; & nonnullas ſumma pectoris, & præcordiorum anxietas diſcruciat. Quarto vel quinto die efflorescunt primum per ſcapulas & collum, mox per totum corpus pellucidæ veſicæ; & ſeptimo, interdum nono, deliria, ac convulſivæ agitationes junguntur, vitamque pleriſque eripiunt. Quam diram luem ut præcaverem, circa medium prægnationis tempus, & brevi ante partum, cruorem ex tuſa primum in brachio, altera vice in pede vena, larga quantitate detrahendum curavi; & noviſſimo ante partum menſe, ad obtundendas æque ac è corpore proſcribendas ſordes impuras, quibuſdam pilulas Stahlianas cum pulvere abſorbente nitroſo mixtas, alternis diebus dedi; aliis drachmam magneſiæ albæ cum aqua florum acaciæ quotidie propinavi: pertinacem victus obſervationem injunxi, atque pro ordinario potu decoctum ex hordeo, radice ſarſaparillæ, ſcorzoneræ & ſemine aniſi paratum exhibui.

Quum accederent partus dolores; illis facilitandis, & alvo ſimul liquandæ me conſulturum putavi, ſi præberem pilulas balſamicas: nec ſpes vota fefellit. Excluſo ſubinde fœtu, vitatis ſedulo ſpirituoſis, ac calidioribus medicamentis ac alimentis ex juſculo gallinaceo dedi drachmas duas olei amygdalarum dulcium recentis. Tum alvinam non minus, ac lochialem excretionem conſervaturus, pilulas Stahlianas quotidie devorandas ſuaſi; & ad ſecundandam tranſpirationem, purpuræque efflorescentiam commendavi pulveres præcipitantes nitroſos, qui habebant antimonium diaphoreticum, cornu cervi ſine igne, lapides cancrorum, conchas marinas, ſuccinum album, matrem perlarum, nitrum, arcanum duplicatum, & cinnabarim antimonii. Potum eſſe tepidiorem, & vel theiformem, vel decoctum hordei cum radice ſcorzoneræ & raſura cornu cervi compoſitum juſſi: atque, ut uteri & partium genitalium inflammationem anteverterem, ſacculos paregoricos, camphora permixtos, ad abdomen & affecta loca curavi adplicandos; hiſque ſub divina gratia effeci, ut cruenta ex utero fluxio rite ſuccederet, purpura ſufficienter efflorescceret, & ægræ à præcordiorum anxietatibus aliiſque gravioribus immunes eſſent ſymptomatibus. Neque vero minus plurimas accedente ſeptima vel nona die, poſt retenta ſubito Lochia, ex improviſo, animi defectiones, deliria, atque mors rapuerunt.

Quamobrem in aliis alia uſus ſum medendi ratione: Propinatis enim proxima à partu die pilulis Stahlianis, per reliquum tempus magneſiæ albæ drachmam dimidiam, cum aqua florum acaciæ exhibui; unde aliquot ſemper ſedes ſequutæ ſunt. Deinceps Lochia & purpuram ſudoriſque excretionem promovendi fine, ex decocto ſupra memorato vel ſpiritum nitri dulcem, vel urgentibus præcordiorum anguſtiis, eundem cum ſpiritu bezoardico Buſſii, & liquore anodyno Hoffmanni permixtum, vel etiam ſequentem dedi emulſionem: Recipe aquæ florum ſambuci, tiliæ, ſcorzoneræ, ceraſorum nigrorum ana unciam, amygdalarum dulcium unciam dimidiam, ſeminis cardui mariæ drachmas duas. M. F. l. a. emulſio; adde pulveris bezoardici Sennerti, matris perlarum, cornu cervi ſine igne, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum ana ſcrupulum unum & ſemis, julepi roſarum q. ſ. M. D. Veſpertino nocturnoque tempore, quo febrilis æſtus inſignior erat, lapidem de Goa vel ſolum, vel cum pulvere præcipitante ſine nitro mixtum propinavi; per ante meridianas vero horas, mixturam ſimplicem, aut ſi metus convulſionum eſſet, liquorem cornu cervi ſuccinatum porrexi. Non minus denique ad præoccupandam purpuratam febrim, pulverem Stahlii antiſpaſmodicum, camphora permixtum adhibui: ſed omnium irritus fuit effectus; adeo, ut licet quædam mulieres, ex mortis eriperentur faucibus, plurimæ tamen, cumprimis primiparæ, fuerint extinctæ.

Dubii igitur tædiique plenus ſum, eo magis, cum hoc in rerum ſtatu famæ periculum ſubire videar. Quare tuam, vir Experientiſſime, reſcire cupio mentem, maximeque doceri geſtio: 1. num medici culpa factum fuerit, ut purpurata febris hactenus pleriſque vitæ periculum attulerit? 2. quæ cauſſa tam atrocis ſit mali, quod ne iis quidem pepercit puerperis, quæ præter obſervatum tempore graviditatis rectum vivendi genus, ſanguinem ſibi detrahendum curarunt, & lochiorum ſufficientem experiuntur fluxum? & 3. anne nullus medelæ ſit locus?

*Conſilium Medicum.*

Non miror, Vir ampliſſime, Te non parum eſſe perturbatum, cum non obſtantibus variis, quæ & præſervandi, & curandi fine tam diætetica, quam pharmaceutica adhibuiſti, remediis pleræque puerperarum purpura alba correptæ, & accedentibus periculi plenis ſymptomatibus extinctæ fuerint. Verum bono eſto animo: ea enim, quæ ſumma cum cura ordinaſti, medicamina ita omnino comparata eſſe cenſeo, ut morbo, ejuſque cauſſæ adprime reſponderint, & cenſura digni ſint, qui famæ tuæ, quæ tamen ſalva eſt & integra, quicquam detrahere ſtudent. Funeſti enim exitus, quem purpura puerperarum, maxime primiparum hoc anno (erat autem poſt Chriſtum natum milleſimus ſeptingenteſimus vigeſimus ſeptimus) ſortita eſt, cauſſam non niſi in ſubitaneas tempeſtatum mutationes conjiciendam eſſe arbitror. Namque dum hactenus aër mox calidiſſimus fuit, mox eundem gelidiſſimus ac humidus excepit; non ſane fieri potuit, quin in puerperas quoque gravis exinde noxa redundaverit: quippe quibus, cum utero adhuc gerunt, ob retenta tum menſtrua impeditiorem eſſe tranſpirationem & ideo magnam impuritatum colluviem, humores ad corruptionem diſponentem generari, conſtans docuit, & adhuc dum docet experientia. His ſi tempeſtatum, eæque communes injuriæ accedant; non mirum eſt, quod aucta impuritatum mole, in ipſo puerperio ſonticis exponantur ægritudinibus; eo minus, cum eædem dicti anni ſubitaneæ aëris mutationes, in ſanis etiam ſubjectis graves morbos, purpuram, diarrhœas, dyſenterias, febres tertianas & quartanas concitaverint pertinaciſſimas. Neque enim paucis innotuit obſervationibus,

bus, quod certa annorum tempora gravidis ac puerperis præ aliis ſint periculoſa; dum vel crebro abortus, vel difficiles partus, vel alias graviſſimas patiuntur adflictiones. Præterea veſtris in regionibus, ipſæ forſitan aquæ, & inde coctæ cerevifiæ vitium quoddam ex aëris inimica conſtitutione contraxerunt: nam adnotare mihi licuit, quod dyſenteriæ atque febres malignæ, populariter graſſantes, iis in locis, quæ ſpiſſas & craſſas fovent cerevifias, graviorem ediderint ſtragem, quam illis, ubi potulenta leviora ſunt ac tenuiora. Accedit denique & illud, quod primiparis periculoſius plerumque ac difficilius ſit puerperium, quam aliis: ſiquidem uterus, & reliquæ partui dicatæ partes ab inſueto labore majorem in iis patiuntur violentiam, & ipſe uterinus cruor, ob viarum anguſtiam parcius & difficilius promanare ſolet.

Quæ cum ita ſint, facilius utique erit, illud malum præcavere, quam eidem jam præſenti mederi. Præſervatricem autem curam ita inſtituendam reor, ut gravidis bis terve pro ratione plethoræ, quam poſſident mittatur ſanguis; & alvi perpetua conſervetur lubricitas; quam mannatis ac rhabarbarinis, cum cremore tartari maritatis, tutius quam pilulis moliri licebit. Si ſpiſſior, ac minus ſalubris fuerit cerevifia; hujus in locum ſummo cum fructu ſubſtitui poterit decoctum, ex ſcorzonera, ſarſaparilla, raſura cornu cervi, hordeo mundato, & corticibus aurantiorum vel citri confectum. Poſt partum ſi cunctetur lochialis fluxus, vena protinus in pede ſecanda; & cæterum diaphoreticis temperatioribus, ex cornu cervi philoſophice præparato, lapidibus cancrorum, matre perlarum, antimonio diaphoretico, cum vel ſine ſucco citri paratis, nec non decocto cornu cervi citrato erit utendum. Denique, ſi debitum acceſſerit regimen, puerpera in lecto magis decubuerit, quam erecta ſederit, & ſudore madida à linteorum improvida mutatione abſtinuerit; non dubito, quin optatus curandi eventus ſit ſequuturus.

---

## CASUS CXCVI.

### *De variolis.*

JUvenis generoſus, octodecim annorum, obeſus, ſanguinis ſuccorumque plenus, facie cruore turgida præditus, nec unquam venarum ſectionibus adſuetus, ante aliquot menſes, iter fecit, ſub quo, nulla diætæ ratione habita, & vinis calidioribus indulſit, & à ſolis fervore nimium exæſtuatus fuit. Domum redux crebris venationibus, Octobri menſe, mane pariter ac veſperi inſtitutis, corpus inſigniter fatigavit; & noſtram demum Halam accedens, victu rurſus inordinato uti, & cumprimis vino Gallico Pontac dicto multiſque oſtreis delectari cœpit. Unde ex improviſo de laſſitudine corporis, alvi obſtructione, & capitis, dorſique doloribus conqueſtus; altero mox die circa veſperam magno calore prehenditur; facies rubebat, verba ſine ordine movebat, arteriæ durius & celerius ferebantur, & præcordiales anguſtiæ cum ventris murmuribus vexabant. Vocatus medicus, infuſo protinus ob alvi ſegnitiem per quatuor jam dies inhærentem, clyſtere emolliente, exhibebat pulveres, ex lapidibus cancrorum, nitro & antimonio diaphoretico confectos: quo facto æger bis alvum deponebat una cum multis flatibus, ſomno tranquillo fruebatur, & integram recuperabat rationem. Nihilominus pulſus erant citatiores, & per faciem maculæ quædam rubicundæ, ac aſpretudines efflorefcebant; ut ideo ſtatim ſuſpicio variolarum emergeret. Dabantur itaque pulveres bezoardici & diaphoretici nitro nupti, ex aquis cardui benedicti, ceraſorum nigrorum, florum tiliæ, & ſambuci: à quorum uſu quinta circiter morbi die variolæ primum per faciem erumpebant, ſeptima vero totum corpus ſpiſſo obſidebant agmine; ſomnus ſimul erat turbulentus & pulſuum celeritas uno vigore continuabat. Ad hæc ardorem faucium, & ſummam deglutiendi difficultatem perſentiſcebat; quæ inſpectæ, non niſi levem exhibebant ruborem. Alvus inſuper bis terve quotidie reddebatur, lotium colorem naturalem aurantium abſque ſedimento referebat; & demum copioſior ex ore ſaliva promanabat, tuſſiſque moleſta jungebatur. Redigebantur præſcripti pulveres, cum ob deglutiendi impedimentum haud commode aſſumi poſſent, in emulſionis formulam: ſed nihilo ſecius æſtus cum pulſu celeri remittere nolebat. Cæterum ipſæ variolæ non niſi circa nares elevabantur; in reliquo corpore depreſſæ magis, in medio foveam oſtendebant, nec facies turgeſcebat; ſed cutis inflammata, in manibus exulcerata, ineffabilem ac igneum veluti ardorem exhibebat. Accedebant ſenſim inquietudines, jactitationes, deliria; ſpiritus difficulter trahebatur; arteriæ micabant celeres, debiles ac inæquales; oculi rubicundi copioſas fundebant lacrymas; perpetui ad matulam urgebant ſtimuli, perſiſtente ſalivæ continuo fluxu. Tandem brevi ante mortem, ſumtus liquor anodynus cum ſpiritu bezoardico mixtus, quem ſæpius abſque moleſtia adhibuerat, ardoris in ventriculo ſenſationem inferebat; & poſtquam per unum alterumque momentum extra lectum in ſella erat commoratus, mox habebat pejus, ſpirandi invaleſcebat anguſtia; rationis uſus cum loquendi potentia peribat, pulſus quaſi evaneſcebat, & denique die morbi undecima vitam cum morte commutabat.

*Epicriſis.*

Variolarum morbus in ſe quidem periculi expers, nec adeo malignus eſt; ſed multum periculi & malignitatis à corporum, quæ invadit, diſpoſitione recipit. Eſt enim cauſſa hujus febris exanthematicæ materia quædam ſubtilior, acris cauſticæ & inflammatoriæ indolis, quæ ſub ſanguinis & humorum involucro diu deliteſcit, & quadam quaſi interna fermentatione ſeſe extricat, primumque ad partes nervoſas delata illa, quæ incipienti huic morbo accedunt, ſymptomata, nimirum horrorem cum frigore, dolores artuum, dorſi & capitis, vomitus vel etiam alvi adſtrictiones, deliria, in quibuſdam motus epilepticos, ſummaſque anxietates & inquietudinem, non ſecus, ac ſi venenum aſſumtum fuiſſet, efficit; donec tandem ipſa hæc acris cauſtica materia temperata, atque ad habitum corporis expulſa, exteriores partes deſerat, quod circa quartum diem ordinaria naturæ lege evenire ſolet. Tunc vero non tam remittere, quam intermittere conſueverunt gravia illa ſymptomata, pulſus ad ſtatum fere naturalem redit, calor fit mitior, ceſſat mentis alienatio, neque amplius anxietas præcordia tenet. Quicunque igitur primis diebus moriuntur variolis, illi ante iſtam criticam excretionem, vel in ejus actu decedunt.

Quamobrem ſi variolæ corpus offendunt, puris ac temperatis humoribus inſtructum, cauſtica illa inflammans & exulcerans materia ad cutim excreta facile mitigatur, & tubercula pure bene cocto plena, ſive parva apoſtemata enaſcuntur, ita tamen, ut ante ſuppurationem dolores, vigiliæ, & calor præternaturalis cum anxietate denuo ſævire incipiant; & quando hæc febris ſecundaria doloribus & ſuppurationi ſuperveniens, nimis vehemens eſt, & cum gravioribus ſpaſmis conjungitur; certe non parum periculi imminet, & plures die undecimo, vel decimo quarto febre inflammatoria jugulantur.

Quo

Quo impuriora ergo ſunt corpora, quo teneriorem, & exquiſitius ſentientem texturam obtinent, ut fere ſunt homines in ætate juvenili conſtituti, temperamenti cholerici, ad affectuum vehementiam diſpoſiti, habitus corporis ſpongioſi, vaſisque copioſis & exilibus præditi: eo minus etiam materia acris cauſtica temperatur, & ad habitum corporis expellitur; ſed potius majorem induit acrimoniam, ſalium multorum acceſſione, intuſque remanet, & partes nervoſas laceſſendo, mortem facile inducit.

Summam vero materiæ varioloſæ acrimoniam, atque adeo infelicem morbi eventum divinare licet, ſi ſtatim in principio morbi vehemens dolor dorſum, os coxendicis, vel lumbos excruciat, ſi mens alienatur, & caput multo ſanguine turgidum adparet, ſi ſumma virium debilitas jungitur, & ſecundo ſtatim die maculæ erumpunt non rubicundæ, ſed purpureæ, quæ ſpeciem purpuræ mentiuntur cum aſperitate. Præterea ægrum in malis eſſe indicatur, ſi facta plenaria variolarum eruptione pulſus perſiſtit frequentia, licet reliqua ſymptomata mitiora evadant, & anxietates deſinant. Periculum quoque portenditur, ſi univerſum corpus hiſce exanthematibus obſeſſum eſt, ſique non ſatis elevantur, nec pure albo replentur, ſed in medio foveam, vel punctulum nigricans oſtendunt, aut ad colorem lividum nigricantem accedunt. Non minus ſpes boni eventus valde dubia eſt, ſi facies non turgeſcit, nec urina ſedimentum deponit, licet alvus fluida ſit, nulliſque torminibus infeſtetur.

In cura igitur nihil aliud agendum eſt, quam ut in principio, ſi ſpaſmi cum febre univerſum nervorum & vaſorum ſyſtema nondum occupaverint, in ſubjectis ſanguine abundantibus vena aperiatur; ſique prima regio copioſis ſordibus repleta fuerit, emeticum cum infuſo laxante mannato exhibeantur: ita enim ſublatis impedimentis, & onere, quo premitur natura, ſubtracto, ejus auxilium in curando adjuvatur. Secundo vel tertio die, ubi jam omnia ſpaſmo, æſtu & dolore fervent, præſtat abſtinere ab evacuantibus; ſed potius nimium æſtum ac fervorem, qui eruptionem antecedit, ſedare oportet pulveribus bezoardicis nitroſo-cinnabarinis, & tincturæ refrigerantes florum bellidis, vel roſarum, cum clyſſo antimonii, aut ſpiritu vitrioli paratæ, potui ſunt immittendæ. Poſtea totum curationis tempus tranſigi debet diluentibus, humectantibus, & leniter diaphoreticis fixioribus pulveribus, quæ peccantis materiæ acrimoniam demulcent, temperant, & motus humorum ad habitum corporis deducunt. Atque in his laudem merentur pulveres ex ceruſſa antimonii diaphoretici, cornu cervi philoſophice præparato, lapidibus cancrorum, matre perlarum, unicornu foſſili compoſiti; quibus ſi nimius æſtus urget, circa tempus ſuppurationis aliquid nitri poteſt addi; commodiſſime autem cinnabaris præparata ipſi adjicitur. Poſſunt etiam cum his concinnari mixturæ ex aquis florum ſambuci, tiliæ, acaciæ, ceraſorum nigrorum cum ſyrupo acetoſitatis citri. Ad potum vero decoctum hordei cum radice ſcorzoneræ, ſemine fœniculi, & ficubus, vel decoctum avenaceum amygdalinum magnopere commendamus. Maximum periculum imminet ab ardore illo flagrantiſſimo, qui partes externas, inprimis manus ac pedes ſub actu ſuppurationis excruciat, præſertim ſi copia adeſt variolarum, eæque profundius cuti inſident, & magna conjungitur humorum acrimonia, ubi periculoſiſſima ſymptomata exſurgunt, nimirum dolores, anxietates, inquietudines, ſpaſmi, febris, vigiliæ, extremorum refrigeratio, pulſus inæqualitas, ſique delirium accedit, mors in propinquo eſt. Quamobrem non ſemel, ſed ſæpius magno cum fructu ſuaſimus externis partibus imponere epithema leniens, ex albumine ovorum cum oleo lini conquaſſato, mucilagine ſeminis pſylli, vel cydoniorum paratum, qualia etiam partibus igne ambuſtis utiliter adplicari ſolent. Ita enim mitigantur ardor & dolor, qui hiſce in partibus ob tendinum ac nervorum copiam univerſum fere nervoſum genus in conſenſum trahit, & hac ratione plures ſervari poſſunt, alias certiſſime perituri.

Ad ſuppurationem promovendam ſolutio croci & myrrhæ cum aqua pura facta, & in emulſione cum lapidibus cancrorum adhibita, cum mitigando dolores, tum acrimoniam temperando, egregium ſane præſtat officium. Remittente febris ſuppuratoriæ impetu, alvus, ſi per tres vel quatuor dies nihil reddiderit, ducenda eſt clyſtere emolliente: quod ſi negligitur, à diuturna ejus adſtrictione faucium exulcerationes, vel capitis torpores, & ſoporoſi affectus ſuccedunt, aut ſeminium purpuræ, ſive rubræ, ſive albæ, quam noſtris in regionibus non raro variolas ſequi videmus, progignitur.

Quando ſub exſiccatione alvus non reſpondet, eam movere oportet non purgantibus, ſed lenientibus: quam in rem rhabarbarum & manna cum ſalibus neutris ſufficiunt, quorum uſus etiam poſt exſiccationem repetendus eſt. Ita enim gravia illa mala quæ variolæ & morbilli in corpore relinquunt, & quibus potiſſimum corpora impura & infantilia infeſtantur, ut ſunt febres lentæ, exulcerationes partium tam externarum, quam internarum, præſertim pulmonum, facillime averti poſſunt. Si tamen tale quid incidat, temperata balſamica, inprimis myrrhata, in ſyrupum redacta, præſtantiſſimam opem ferunt.

His in præſidiis, eorumque convenienti uſu prudens ac tutiſſima ejuſmodi febribus exanthematicis medendi ratio conſiſtit, quæ non facile medentem fallit, niſi hic morbus corpus offendat valde impurum, viribuſque dejectum, vel morbo jam occupatum, quo caſu certe conſilium præſervatorium magis locum habet; unde ii, qui ex variolis periculum metuunt, eo tempore, quo illæ graſſantur, corpus bene præparare debent. Quem in finem ſequentem commendamus methodum: In adultis & juvenibus ſanguis, ſi copia peccat, ex vena inciſa emittendus eſt. Deinceps per aliquot dies ea, quæ primas vias leniter expurgant, porrigenda ſunt, inprimis decocta ex manna, rhabarbaro, polypodio, agarico, fumaria, & ſalibus neutris, vel etiam pilulæ ex mercurio dulci, extracto rhabarbari & fumariæ conficiendæ. His ſubjungere oportet pulveres bezoardicos & diaphoreticos ex ceruſſa antimonii, cinnabari, lapidibus cancrorum, cum decoctis diaphoreticis, ex radicibus chinæ, ſarſaparillæ & ſcorzoneræ parandis. Poteſt etiam ſudor moveri cum liquore noſtro anodyno, & liquore bezoardico invicem mixto, & loco potus ordinarii ſuperius decoctum uſurpari. Horum remediorum uſus, ſi per aliquot ſeptimanas continuatur, variolæ vel non infeſtabunt corpus, vel leniſſime & ordinate ſuccedent. Eſt denique diætæ, omniumque rerum non naturalium habenda ratio, eaque ſedulo obſervanda, quæcunque ad ſanguinis benignam indolem cuſtodiendam, & excretiones promovendas conferunt.

---

## CASUS CXCVII.

### *De Comite variolis extincto.*

COmes quidam illuſtriſſimus, XVIII. Calend. Febr. hora veſpertina ſexta ex improviſo dolore circa ſiniſtrum femur acutiſſimo, ſenſim ad coſtas uſque ſpurias protenſo, & ſub fortiori inſpiratione

tione totum pectus pervadente corripiebatur. Cui licet nec calor, nec pulſus frequentia, nec capitis dolor, nec inſolita corporis laſſitudo jungerentur: attamen his prævenire cupiens, præſcripſi protinus mixturam ex aquis deſtillatis diſcutientibus, pulvere abſorbente, & diaſcordio Fracaſtorii confectam; eamque ad unum vel alterum cochlear per noctem dedi, eo effectu, ut maximam partem dolor remitteret. Verum poſtridie eodem veſpertino tempore priſtinum occupavit locum, tumque pulveribus bezoardicis tantillo theriacæ cœleſtis nuptis fuit oppugnatus. Nox paullo inquietior erat, & ſequenti tertia die præter illos in femore cruciatus, per intervalla tantum adfligentes, accedebant capitis dolores, utut mitiſſimi; atque ſub his puncta rubicunda per frontem ac genas prorumpebant.

Periculo vacuæ primum videbantur hæ moleſtiæ, cum innoteſceret, illuſtriſſimum ægrum tribus jam, dum hic degeret, vicibus, ſimiles femorum dolores paſſum eſſe, qui obortis per faciem inſtar varorum tuberculis ſemper ceſſerunt. Exhibebam igitur mixturam ſimplicem refracta doſi; at quum quarto die dicta exanthemata non ſolum copioſius in facie adparerent, verum artus quoque ſuperiores occuparent, valetudine reliqua ſatis quidem mediocri exiſtente; inſiſtebam rurſus uſui bezoardicorum temperatiorum, eaque vel cum aquis diſcutientibus, vel in emulſionis forma porrigebam. Accedente noctu mens leviter turbari videbatur; ſiquidem æger ſolito hilarior erat, & ſe male habere neutiquam credebat. Neque tamen minus, admoto capiti epithemate ſpirituoſo, prorſus evaneſcebat delirii metus; ſed nox reliqua turbulento ſomno tranſigebatur, & ab eo tempore febrilis moleſtabat æſtus; cui temperantibus & alexipharmacis moderatiſſimis proſpiciebam. Præterea copioſa muci exſcreatio ex ſolis faucibus, pulmone libero, & ab omni tuſſi immuni exiſtente, multam figebat crucem; ſiquidem ad nonam diem continuata, non modo ſomnum oculis eripiebat; verum per continuam, quam inducebat, corporis erectionem, virium jacturam magis adaugebat.

Neque vero alia, quæ periculum minarentur, accedebant ſymptomata, & varioloſa exanthemata ſufficienter per cutim efflorеſcebant; verum depreſſa manebant, in medio foveam oſtendebant, nec niſi limpidam ac crudam materiam, fruſtra expectata ejus concoctione, continebant. Interim remediis cordialibus, alexipharmacis ac temperantibus ſedulo ſuccurrebam, nec ulla, quæ metu periculi terrerent, obſervabam ſymptomata; tantum aberat, ut à nono potius die facies & artus ſuperiores cum rubore intumeſcerent, crura vero gracilia manerent. Ardens quoque ſub cute ſenſatio per vices tantum infeſtabat, & ſomnum ſatis tranquillum relinquebat. Quare ſpes adhuc ſalutis affulgebat, eo magis cum in facie ſuppurari viderentur variolæ; quarum concoctionem datis bezoardicis pulveribus adjuvare ſtudebam.

Verum undecimo, qui fatalis erat morbi die, tranſacta propter ardentem cutis pruritum inquieta valde nocte, ſumtoque mane juſculo, nauſea & præcordiorum anguſtiis prehendebatur, mox omnes langueſcebant ſenſus, rubor inflammatorius ſubito diſparebat, corpus tetano affectum obrigeſcebat, & eodem tandem die mors ſequebatur placida.

Diſſectum corpus cuncta viſcera ab omni inflammatione vacua, & ne unica quidem varioloſa puſtula obſeſſa exhibebat. Verum vena cava aſcendens, omneſque meſaraicæ, cruore atro quidem, ſimul tamen ſpumeſcente farctæ ac diſtentæ adparebant; contra vena cava deſcendens, & uterque cordis ventriculus parum ſanguinis, ſed coagulati continebant; & non ignorari oportet, proxima poſt mortem nocte cruorem ex ore ac naribus ſtillaſſe. Lien, qui colore & conſiſtentia à ſtatu naturali minime diſcedebat, juſto major, & in lobos quaſi diviſus conſpiciebatur. Pulmones à ſpumido cruore paulo expanſi, ſuperius circa claviculas cum pleura concreti, ibidemque macula quadam plumbei coloris notati, intus fovebant multum muci viſcidi, tenaciſſimi, & lapideæ ſubſtantiæ; & circa divaricationes aſperæ arteriæ tubercula ſcirrhoſa numero plura cernebantur; quæ exterius rubicunda, intus alba, & lapillis, ſemen lini vel milii vix adæquantibus referta erant.

Ex quibus adparet, Comitem illuſtriſſimum, licet à febre variolacea convaluiſſet, procul omni tamen dubio phthiſi pulmonali correptum fuiſſe; inprimis cum per valetudinem adhuc integram, ſicca nonnunquam affligeretur tuſſi. Eo citius quoque tabis acceſſio fuiſſet pertimeſcenda, quo magis ille arthriticorum motuum præcocem jam expertus fuit inſultum.

*Appendix.*

Non videtur hoc loco alienum, aliam juvenis generoſi variolis peremti ſectionem recenſere; eo quod multa exinde momenta occurrant, quibus peculiaris debetur animadverſio. Aperta nimirum externa pectoris abdominiſque cute, loco panniculi adipoſi, qua prorſus carebat, ſtamina duntaxat fibroſa, pauco adipe cincta; ſed muſculi abdominis grandiores, turgidi, & rubicundi in conſpectum prodibant. Adacto igitur per eos muſculos, & peritonæum cultro, omentum omni pinguedine vacuum, nec niſi ex teneris membranis atque vaſculis conflatum cernebatur: quid? quod nulla ſubinde pars, nullumque viſcus ne tantillum quidem adipis exhiberet.

Ventriculus ab orificio ſiniſtro ad ſic dictum uſque fundum inflammatus, & punctulis rubicundis notatus erat, quæ digito preſſa tenuem plorabant ſanguinem: ſed à ſiniſtro ad dextrum orificium ſuper dorſum adparebat tractus, latitudine quatuor digitorum, ſphacelo adfectus & ater. Inteſtina, lien, & hepar omni carebant vitio; at veſicula fellea ſecundum longitudinem inteſtino duodeno tam firmiter adhæreſcebat, ut cultro ſeparari debuerit. Ipſe etiam bilioſus humor extravaſatus, non modo paucis guttis externæ cyſtidis ſuperficiei incumbebat, verum vicinas quoque partes, maxime inteſtina, flavo imbuerat colore. Ductus cholidochus, qui perforat duodenum, externe anguſtior, attactuque durior deprehendebatur, & intus adeo obturatus erat, ut ne guttula quidem bilis per ipſum ad inteſtina deferri potuerit: quare contenta inteſtinorum ab omni amaritie libera, & fæces albæ conſpiciebantur. Diſſectus ille ductus bilem atram, ſpiſſamque, inſtar roob ſambuci fovebat; quæ variis experimentis chimicis ſubjecta, multis mucoſis, viſcidis, ac terreſtribus particulis, fundum vaſis petentibus prædita reperiebatur. Reliqua denique viſcera nihil alebant monſtri; niſi quod renum ſiniſter, multum ſanguinis, intra tubulos & ſiphunculos iſtius hærentis monſtraret.

*Epicriſis.*

Docemur ex caſu priori; falſam eſſe opinionem, qua aſſeritur, quod variolis correpti, iiſdem circa internas quoque partes & viſcera obſideantur. Deinceps notamus, variolas, in iis, qui antea doloribus arthriticis ac iſchiadicis diſcruciati fuerunt, mali plerumque moris eſſe, & minus fauſtum ſortiri eventum. Eo magis illud in noſtro ægrotante contingere debuit, cum ille non ſolum patre podagrico genitus, verum ipſe quoque vini nimio potu delectatus fuerit. Enim vero ſi ſucci vitales ſero tartareo, acri,

atque

atque ſalino ſcatent; non poſſunt commode ſuppurari variolæ, neque ideo curari; quoniam ad ſuppurationem affluxus humoris dulcis ac gelatinoſi requiritur.

Notatu porro dignum, ſalivationem, ſive muci ex faucibus & ore exſcreationem, ſi nimia ſit, præcocius incidat, & diutius perſiſtat, nihil portendere boni. Ut enim taceam, quod ejuſmodi copioſior fluxio à ſero acri glandulas faucium vellicante originem ſuam trahat: id tantum commemorabo, quod per illam ſerum ſimul benignum, quod ad cauſticam variolarum materiam corrigendam ſumme eſt neceſſarium, profundatur, atque hinc vires proſternantur, ſomnuſque perturbetur.

Perpetuæ etiam obſervationis eſt, varioloſos, ſi ſuppuratio minus legitime ſuccedat, ſed ardens cutim urat dolor, undecimo morbi die tantum non ſemper extingui; eoque citius, ſi ægri inquieti vel erecti ſedere, vel extra lectum commorari ament. Ex hoc erecto ſitu id reſultat incommodi, ut cruor ex inferioribus partibus in tam infirmo corpore, haud rite per venas aſcendere queat; & cordis motus debilitatus, ſanguini ad caput & penetralia cerebri propellendo neutiquam ſufficiat. Hinc frequentiſſimum eſt, ut nauſea, animi deliquia & extremorum refrigerationes ſuboriantur, cutis externa conſtringatur, expalleſcat, exanthemata retrocedant, ſanguis autem in capite ſubſiſtat, & lethales inducat convulſiones: unde ratio quoque patet, cur in noſtro caſu vaſa imi ventris cruore fuerint turgida. Sed ex his ſimul innoteſcit, quanta in morbis acutis & exanthematicis, ex ſitu corporis, maxime circa ſtatum, erecto damna ſint expectanda.

Alterum quod attinet caſum, & corporis ſectionem; notabile exinde eſt, quod defunctus, qui per vitam fuit melancholicus, omni adipe privatus extiterit. Idem mihi adnotare licuit in viro ſumme melancholico, qui ſceleſta manu ipſe vitam laqueo finiverat, & diſſectus, vaſtos quidem, ac multa carne præditos muſculos, nullam vero per totum corpus exhibebat pinguedinem. Nec ſilentio prætermitti debet peculiaris veſicæ felleæ ſtructura, & bilis ſpiſſa & atra conſiſtentia; qualem in aperto maniaci cadavere aliquando obſervavi. In hoc vero defuncto, ob defectum dulciorum, oleoſorum, aqueorum ac tenuiorum ſuccorum, nulla quoque variolarum ſuppuratio contingere potuit: & ſi conſideravero, quod fatalis huic familiæ morbus ille fuerit, & eodem decem liberorum perierint; vero videtur ſimillimum, quod vel pinguedinis defectus, vel præternaturalis partium conſtitutio à nativitate contracta, huic funeſto cauſſam dederit eventui.

---

## CASUS CXCVIII.

*De virgine inflammatoria febre defuncta.*

Virgo novem & triginta annorum, corpore ſpongioſo, vaſis exilioribus inſtructo, facieque à cruore, cujus abundantia laborabat, turgida ac rubicundiori prædita, in lauta vinoſaque diæta vivens, nec corporis motui nimium tribuens, in humili quoque ac paludoſo loco degens ac dormiens, per aliquod jam tempus rheumaticis ac catarrhoſis affectionibus, dentium præſertim, & cervicis doloribus infeſtata fuit. Hinc bis quotannis venam tundendam præbere ſuevit; detracto ſemper gelatinoſo, ac levius rubicundo ſanguine. Verum per aliquot noviſſime vices menſtrua retinebantur, quibus defecta ob matrem gravi morbo affectam, curis domeſticis vacare debebat; ſub quarum adminiſtratione, & venæ ſectionem circa proximum autumnale æquinoctium negligebat, & vehementioribus animi adfectibus indulgebat. Inter hæc, toleratis per aliquot dies rheumaticis artuum, dentiumque doloribus, IVto. Nonar. Octobris, poſtquam hoc & antecedente die pilulas ſic dictas cephalicas aſſumſerat, ex improviſo, hora pomeridiana ſecunda ingenti per tres horas afficiebatur frigore; quo finito tantus pedem dextrum obſidebat ſpaſmus, ut ipſi vix potuerit inniti. Poſtridie vena in pede ſecabatur, pauco cruore detracto: ſed paullo poſt vehementes dorſi, & oſſis ſacri dolores, artuum, maximeque pedum contracturæ, præcordiorum anxietas, imi ventris tormina, agrypnia, & alvi excipiebant obſtructio. Quarto morbi die datam à medico purgandi fine eſſentiam, moxque pulverem ſumebat; ſed alvus neutiquam movebatur; nec eam adhibitæ quinto die pilulæ ſolvebant. Clyſterum infuſionem recuſabat, & tandem ex uſurpatis eodem die foliis ſennæ, quorum drachma una cum binis paſſularum minorum unciis erat permixta, bis rejiciebat materiam inſtar minutal conciſam. Nihilo tamen minus ſummæ pectoris anguſtiæ, oppreſſiones, & puncturæ infeſtabant: quæ demum partim pulvere ex bezoardico Sennerti, pulvere Marchionis, nitro & caſtoreo parato, partim liquore anodyno, bezoardico nupto, alternatim datis oppugnabantur.

Verum perſiſtebant ſymptomata, velut anguſtiæ præcordiales, puncturæ dextri lateris, ad dorſum uſque protenſæ vomitiones, vigiliæ, & intumeſcentia extremorum inflammatoria: atque ſeptimo tandem morbi die purpura in ſolo dorſo effloreſcebat. Sub hac ſorbillare jubebatur decoctum avenæ tenuius, vel ſolum, vel cum floribus chamæmeli maritatum, vel oleum amygdalarum dulcium: unde cum redeunte ſomno, plurima mitigari videbantur ſymptomata, alvus ſponte reddebatur, & ſudor per totum corpus promanabat. Inſiſtebat igitur dictorum medicaminum uſui, & cumprimis allegatum pulverem, omiſſo caſtoreo, ſed majori nitri doſi acuatum crebro capiebat.

Octavo morbi die, comeſtis veſperi prunis coctis altero mane alvum reddebat; ſed circa ſomni tempus calor cum pulſus celeritate increſcebat, & nono novus iterum horror corpus percutiebat: quo finito, dolores ex pedibus uno quaſi ictu evaneſcebant, tumore eorundem imminuto, ut ſola ex uno in alterum tranſire poſſet lectum; ſed ſuſpecta pulſus celeritas continuabat. Medicus in uſu pulverum bezoardicorum, nitroſorum, & cinnabarinorum pergebat, eoſque cum aqua cardui benedicti exhibebat. Accedebant nihilo ſecius deliria, increſcebant anguſtiæ præcordiales, manuum inquietæ jactitationes, ſitis inſigniter urgebat, & aſſumtum potum rugitus & murmura imi ventris excipiebant. Admovebantur capiti epithemata diſcutientia; naribus intrudebatur ſtylus, ad proritandum ſanguinis fluxum; dabatur mixtura ex aqua cardui benedicti, ſpiritu cornu cervi ſuccinato, nitri dulci, ſyrupo acetoſitatis citri, cum pulvere ſupra dicto bezoardico, ſed omnium irritus erat effectus. Superveniebant potius decimo morbi die continuæ mingendi cupiditates, ſed urina reddebatur pauca, rubra, abſque ſedimento: invaleſcebant deliria, languor, & ſummi angores, & hos inter undecima die, animam exſpirabat.

Cadaver brevi poſt mortem valde intumeſcebat, & coeruleo colore, maxime circa caput ſuffundebatur; nec non ſanguis ex dextra nare copioſius profluebat.

*Judicium.*

Delata ad me fuit hæc morbi hiſtoria, ut meam de ejus genere ſententiam aperirem: varia enim ipſi nomina medici impoſuerant. Quidam febrim accuſarunt

runt malignam; ſed huic opinioni non poſſum addere calculum. Quamvis enim ingens corruptio ac putrefactio corpus poſt mortem obſederit; eam tamen magis ſanguini, in externis partibus ſtagnanti, & inde in putredinem abeunti deberi crederem, quam à miaſmate quodam maligno fermentativo, humores colliquante derivarem. Et præterea hæc eſt omnium malignarum febrium indoles, ut ægros ſubito cum ſumma virium proſtratione adoriantur: quod de noſtro caſu prædicari nequit. Neque pro rheumatica febri præſentem morbum haberi poſſe judico; licet dolores dentium & artuum rheumatici, ejus invaſionem fuerint comitati: nam his affectibus neminem facile perire, experientia conſtat. Meo pòtius arbitrio morbus pro febre continente, quam Græci ſynocham vocant, cum inflammatione partium internarum complicata eſt habendus. Hæ vero febres à ſanguinis nimia mole, ſtagnatione, & impedita tranſpiratione ſuboriuntur; invadunt potiſſimum ſubjecta, ſanguine plena; cum horrore incipiunt, quem calor continuus, ac mentis alienationes ob raptum humorum ad caput excipiunt: nec raro ſanguinis è naribus fluxu ſolvuntur, aut hic certe poſt mortem inſequitur.

Hæc ſi cum noſtro caſu contulero; occurrit primum ipſum morbi ſubjectum, inſigni cruoris mole abundans. Etenim hanc habitus corporis ſpongioſus, vaſis ſanguineis, utut exilioribus turgidus, facies rubicunda, diæta lauta vinoſa, vita ſedentaria, menſtruorum defectus, & neglecta venæ ſectio non modo luculenter ſignificant, verum etiam tanquam mediatæ cauſſæ progenerarunt. Quum vero ob nimiam ſanguinis abundantiam ſalutares corporis excretiones, maxime quæ per cutim fiunt, cohibeantur; & inde ſordes impuræ, bilioſæ ac ſulphureæ intra corpus retineantur: emergit in plethoricis magna plerumque ſeroſorum humorum colluvies, ac impuritas, quam Græci cacochymiam dixerunt. Quam in noſtra quoque præſto fuiſſe ægrota; adfectus catarrhoſi, rheumatici, dolores dentium & cervicis, quibus cum & ante noviſſimum morbum, & ſub eo ipſo conflictata fuit, ſatis teſtantur ſuperque. Accedit & illud, quod defuncta variis mœroribus, excandeſcentia, aliiſque animi adfectibus ante diri morbi invaſionem agitata fuerit. Quum vero hi vehementes animi motus, in debilitandis partibus ſolidis, & corrumpendis humoribus, inſigni polleant potentia: id quoque, teſtante perpetua obſervatione, poſt ſe trahunt periculi, ut iis nimium indulgentes, ſi acutis corripiantur morbis, & gravius decumbant, & ad anceps vitæ diſcrimen deducantur. Quibus cauſſis concurrentibus, non eſt mirum, quod præſens morbus tam infauſto potitus ſit fine: ſiquidem non dubito, quin eidem ventriculi potiſſimum ac membranarum cerebri inflammatio acceſſerit quæ tandem ob tantam plethoram in totius externi corporis ſiderationem, teſtante corporis poſt mortem intumeſcentia, & materiæ cruentæ fœtidæque per nares effluxu, deſiit.

Quod ſi vero penitius in cauſſam, quæ ad generandam illam lethalem febrim contribuerunt, inquiram: ex iis ſe primum mihi offert intermiſſa venæ ſectio; quæ ſi vel præſervandi fine ante ipſam morbi invaſionem, vel ſaltem in hujus principio, detracto copioſius ſanguine, fuiſſet inſtituta, magnam profecto intuliſſet opem; præſertim cum in ejuſmodi morbis & ſubjectis, vena non ſemel, ſed bis, ſæpius ter, ſummo cum fructu ſoleat incidi. Generata igitur ex neglecta phlebotomia ingens ſanguinis moles, ad ſubeundum febrile incendium per accedentem vehementiorem excandeſcentiam diſpoſita fuit. Hujus enim ea eſt indoles, ut non modo maſſam ſanguineam vehementer commoveat, & exæſtuet; verum etiam ſolidas ac nervoſas partes, maxime ventriculum & inteſtina, ad graves ſpaſmos, & irregulares motus proritet; qui, niſi tempeſtive ſuccurratur, in periculoſam dictarum partium ſæpenumero tranſeunt inflammationem. Et idem in noſtro contigit caſu; enatus enim ab iracundia primarum viarum ſpaſmus, per temperantia, nitroſa, antiſpaſmodica, & ſedativa remedia, debellari debuiſſet, & forſan potuiſſet. Quum vero loco horum pilulæ ſic dictæ cephalicæ, quæ aloëtica, colocynthiaca, & helleborata foverunt ingredientia, repetitis ſint propinatæ vicibus, non aliter potuit fieri, quam ut confirmata ſpaſmorum vehementia, ingens ad inflammationem inducta fuerit diſpoſitio. Hinc porro factum eſt, ut propagato vi conſenſus hoc primarum viarum ad alias plus minus remotas partes ſpaſmo, exceperint dolores dorſi & oſſis ſacri, rigiditas artuum, maxime inferiorum contracturæ ſimilis, anguſtiæ præcordiales, oppreſſiones pectoris, tormina imi ventris, & alvi obſtructio. Et eidem ſpaſmodicæ ventriculi ſtricturæ in acceptis ferendum eſt, quod data ſubinde laxantia nullum edere potuerint effectum; ſed majorem ſymptomatum intulerint exacerbationem.

Summam denique perniciem poſt ſe traxit ingens ille corporis horror, qui nono morbi die, ſubitanea dolorum & tumorum in pedibus ceſſatione ſtipatus ſupervenit. Hoc enim inverſo & ad interiora acto partium externarum ſpaſmo, qui in acutis febribus circa dies judiciales accedens certum minatur interitum, ſucci vitales ad interna copioſius aguntur viſcera, & vitæ penetralia; & in iis fontica mala, vehementiores præcordiorum anxietates, motus convulſivos, atque deliria, cum aucta pulſuum celeritate machinantur.

Superſunt adhuc quædam momenta, peculiari digna animadverſione. Ex iis primum eſt, quod defuncta aſſumtis vel cibis, vel potibus, majores illico præcordiorum anguſtias & puncturas in pectore perceperit: unde clariſſime confirmatur, læſum fuiſſe ventriculum. Deinceps rugitus ac murmura ventris, hauſta potulenta preſſo pede inſequentia, anſam nobis ſuppeditant, ut ſignificemus, ejuſmodi liquidorum fluctuationes cum murmure & ſonitu, in morbis acutis, certiſſimum præbere indicium mortis; eo quod à ſumma œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum paralyſi proficiſcantur. Docemur denique ex hoc triſtiſſimo caſu, graviores animi commotiones in plethoricis, eo magis, ſi fuerint ſimul cacochymici, ad magnos & peracutos diſponere morbos: hiſque certiſſimum adferre exitium, ſi vel convenientes ſanguinis omittantur miſſiones, vel validiora purgantia ac vacuantia improvide adhibeantur.

---

## CASUS CXCIX.

### *De febre maligna petechiali.*

VIr annorum triginta ſex, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſtrictioris habitus, multis in juventute morbis, crebris compotationibus, & nimio veneris legitimæ uſu defatigatus, vitam traxit valetudinariam. In qua, commiſſo forſan ante quatuor hebdomades exceſſu, laſſitudine quadam, capitis dolore, horripilationibus, cum vago æſtu alternantibus corripiebatur; & ſecundo die lectum prorſus petere cogebatur, in quo die quarto punctula rubicunda per totum corpus efflorеſcebant. Conſulebat igitur medicum, qui datis, neſcio quibus remediis id efficiebat, ut maculæ retrocederent, & in harum locum ſum-

ſummæ præcordiorum anxietates, mentis abalienationes, mingendique inſignis difficultas, aut ſaltem crudelis ſub mictu dolor ſuccederent. Quare ſexta morbi die ego vocatus, non ſolum brevi ante recenſita ſymptomata, verum etiam pulſum ordinis plane expertem, æſtum magnum, urinam multo ſedimento præditam, inſigniorem ſitim, perpetuas vigilias, & crebram deſidendi cupiditatem in ægroto obſervavi. Præterea vehementer vociferabatur, caput manibus ſcalpebat; & quæſitus, quomodo haberet? pectus tantum valide percutiebat, nihil reſpondens; cumprimis lotium non niſi inter magnos clamores, ab oris tamen ſpuma, & pollicum in manus compreſſione liberos, reddere valebat.

Quo in rerum ſtatu pro potu ordinavi infuſum theiforme, ex floribus chamomillæ, millefolii, ſemine aniſi & fœniculi confectum; ſingulis tribus horis dedi mixturam, quæ habebat mixturæ ſimplicis, eſſentiæ alexipharmacæ ana drachmas duas, ſyrupi papaveris rhœados drachmam unam, & circa ſomni tempus pulverem bezoardicum, eſſentia caſtorei irroratum exhibui. Quibus per tres dies uſurpatis, non modo quietior reddebatur æger; verum etiam maculæ illæ rubræ, veſiculis albis, pellucidis, quæ preſſæ ſerum plorabant fœtidiſſimum, intermixtæ per totum rurſus adparebant corpus. Sub his vociferatio, difficilior mictus, nimia ſitis evaneſcebat; & reſtabant præcordiorum anxietates atque deliria, cum pulſu languidiori: ſed & hæc ſymptomata, adplicato fronti epithemate, quod acetum roſaceum, ſpiritum roſarum, in quo camphora erat ſoluta, nitrum purificatum, & oleum ligni Rhodii fovebat, remittebant, reſtituto iterum ſomno. Urina hactenus rubicunda, deponebat jam copioſum, velut limoſum ſedimentum; neque quidpiam majorem figebat crucem, quam intolerabilis totius corporis pruritus.

Præſcripſi porro mixturam ex tinctura bezoardica, ſpiritu nitri dulci, ſyrupo papaveris rhœados confectam; veſperi propinavi pulverem bezoardicum, temperantem, nitroſum; & pro potu decoctum ex radice ſcorzoneræ, raſura cornu cervi & hordeo mundato paratum exhibui. Verum decimo quarto morbi die, prævia quadam refrigeratione, recrudeſcebant præcordiorum anxietates: ſed imperato regimine temperato, & continuato dictorum remediorum uſu, punctula nigra rurſus eflloreſcebant, & in maculas latiores confluebant, cum inſigni levamine; & quod ſubſidebat in urina, tenuius ſenſim reddebatur. Redibat igitur læta valetudo, niſi quod eximius corporis languor adhuc reſtaret; aſſumtos cibos, dolor ventriculi gravativus exciperet, & erectum corporis ſitum, animi deliquia comitarentur. Sed ab his quoque moleſtiis liberatus, adplicato extrinſecus roborandi fine ſpiritu vini, in quo oleum nucis moſchatæ, lavendulæ & caryophyllorum erat ſolutum; interne dato Elixirio ſtomachico, & purgato per pilulas balſamicas tandem ventre, prorſus convaluit. Quum vero febris hæc popularem in noſtra civitate edat ſtragem; doceri cupio, cujus illa ſit generis, quam medelam expoſcat, & num inſtituta in præſenti caſu medicatio artis reſpondeat legibus?

*Conſultatio.*

Poſtquam per noſtras terras autumnali elapſi proxime anni tempore, febres varii generis tam intermittentes, quam continuæ, eæque petechizantes, epidemiam in mortales exercuerunt tyrannidem: illæ ſub præſentis anni auſpiciis, maximeque per Februarium menſem, in quo venti ex Euro & Auſtro ſpirarunt, hyememque humidiorem ac calidiorem efficiebant, aliam prorſus induerunt faciem. Namque intermittentes prorſus fere exſpirarunt febres, & in harum locum contagioſæ exanthematicæ ſucceſſerunt. Illæ primum mitiores ac benigniores, accedente vernali tempeſtate perquam malignæ, & contagioſæ evaſerunt; corporibuſque, quorum viſcera non fuerunt integra, aut quæ diuturnis animi affectibus, vel iracundiæ ac terrori vehementiori indulſerunt, certam intulerunt perniciem. Habebant autem hunc in modum: Per aliquot dies de inſolita laſſitudine, dolore artuum gravativo, pallore vultus, ſomno turbulento, adpetitu proſtrato conqueſti ægrotantes, ſubito horrore, magnis dorſi capitiſque doloribus ſtipato prehendebantur. Hunc excipiebat æſtus, cum pulſu debili, & anguſtiis præcordialibus; alvus mox fluidior, mox adſtricta erat: quæ ſymptomata ſecundo die ſæpius remittebant, & febrem mentiebantur intermittentem. Tertio autem die cuncta invaleſcebant, & abhinc in continua vehementia, cum urina rubicunda, & paullulum turbida perſiſtebant: quarto maculæ per dorſum pectus, atque manus potiſſimum eflloreſcebant, quæ magnitudinem lenticulæ referentes, ex rubro pallidiores, petechias ſimulabant, & ſymptomatum remiſſionem habebant comitem.

Intra biduum diſparebant hæ maculæ, & mali exacerbationem poſt ſe trahebant; vires nimirum inſigniter proſternebantur, pedes ingentibus torquebantur doloribus, capitis dolores, aurium tinnitus, continuæ vigiliæ, largi ſudores, & intenſa ſitis vexabant, cum pulſu celeriori, ſed vix notabili calore. Circa ſeptimam diem purpura miliaris totum corpus obſidebat; quæ, ſi rubra eſſet, ſalutem promittebat, alba vero ſpem vitæ admodum anguſtam reddebat. Puſtulæ videlicet à collo, dorſo, pectore, quæ primum occupabant, per univerſum corpus cum magna cutis aſperitate extendebantur; in quibuſdam majores erant inſtar piſorum, & apertæ ſerum fœtidum fundebant, quod certiorem prænunciabat ſalutem, quam ſi ſero tenui plenæ cernebantur. Facta purpuræ rubræ eflloreſcentia, morbus reddebatur mitior, ſpiratio liberior, inquietudo & præcordiales anguſtiæ remittebant; ſed pulſuum celeritas cum ſiti, ſudore, & obſtructa alvo adhuc continuabant, ingens totius corporis pruritus accedebat, & ægri circa undecimam demum diem ad meliorem inclinare videbantur valetudinem; ſiquidem urina adparebat cocta, pulſus fiebat moderatior, ſudor cum ſiti imminuebatur, alvus reſpondebat, & ita ſenſim convaleſcebant.

Verum ubi poſt excretam purpuram, virium decrementum increſcebat, pedes moleſto ardore urebantur, erectum corporis ſitum animi deliquia comitabantur, & perpetuæ urgebant vigiliæ: factum plerumque eſt, ut nona vel decima morbi die exanthemata diſparerent, anxietates præcordiorum & inquietudines increbeſcerent, deliria cum pulſus inæqualitate jungerentur, ipſaque tandem mors vitam clauderet. Cumprimis funeſtus obſervabatur morbus, ſubjectis, quæ diuturno mœrore, aliiſque animi pathematibus confecta erant, fœminis ex inordinato menſium ſucceſſu valetudinariis, & viris perverſo vivendi genere, crebris compotationibus, ac nimio veneris uſu defatigatis, & plerumque junioribus. Generatim infeſtabat illa febris homines, diætæ erroribus immerſos, fructibus horæis, cibiſque ſalitis ac acidis nimium delectatos, ac corpus frigori liberiori exponentes. Quibuſdam præter ordinarium exanthema purpuraceum, circa decimam quartam morbi diem poſt prævium calorem, & pectoris oppreſſionem, aliud excretionis ſubcutaneæ genus per corpus erumpebat; quod in tuberculis, variis ſimilibus, rubore ardoreque ſtipatis conſiſtebat. Quæ priuſquam ſuppurarent, ingentes dolores, cutis ardores, & agrypniam inducebant, nec datis decoctis

ſanguinem diluentibus, ac temperantibus cedebant; ſed non niſi poſt adplicatum exſiccans unguentum, quod ex floribus ſulphuris, ceruſſa, camphora, ſaccharo ſaturni, & unguento pomato conſtabat, ſenſim exſiccata diſparebant.

In oppugnando hoc malo, ſequenti medendi ratione non ſine fructu uſus ſum: Abſtinui ab omnibus vacuantibus, ſudoriferis, laxantibus, & ipſa venæ ſectione; nec niſi diaphoretica fixiora, cum cinnabari remixta, & ex aquis analepticis, ac leniter diaphoreticis, addito vel ſucco citri, vel ſyrupo acetoſitatis citri propinata adhibui. Æſtum nimium ope nitri, pulveribus additi, temperavi; & interpoſui uſum liquoris anodyni, bezoardico nupti, vel tincturæ bezoardicæ, cum ſpiritu nitri dulci permixtæ. Alvum obſtructam, vitatis & ſalinis, & purgantibus, per clyſteres alternis diebus injectos reſerandam curavi; & loco potus ordinarii decoctum ſarſaparillæ, ſcordii, ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi, cum ſucco citri, vel ejus corticibus recentibus maritatum exhibui.

Quibus præmiſſis, facile perſpici poterit, quod febris, cujus cauſſa conſultus ſum, ejusdem cum iis per noſtras regiones graſſantibus naturæ ſit ac indolis: neque enim puncta illa rubicunda, quarto morbi die efflorescentia, pro veris habenda ſunt petechiis. Non etiam mirum eſt, quod noſter ægrotans, cum perverſo vitæ genere corpus debilitatum præ ſe geſſit, gravius ac perículoſius expertus fuerit malum. Præſertim vero ex ſymptomatibus ipſum infeſtantibus notari meretur, inſignis mingendi difficultas, ipſaque mictio dolorifica, cum ingenti ſemper vociferatione juncta; quippe quæ ab acrimonia ſanguinis & humorum ſalina & ſcorbutica ſuos mutuatur natales: quemadmodum eidem ſero acri plura ſymptomata, quibus ſolicitatus fuit, veluti difficillima ſpiratio, intenſus capitis dolor, corporis laſſitudo, delirium, alvi fluxus, anxietas, & inquietudo corporis, & inexplebilis bibendi cupiditas, omnino debentur; quæ excreto per tranſpirationem ſero acri mox conquieverunt.

Neque habeo, quæ circa inſtitutam medendi rationem moneam; utpote quæ artis legibus ex omni parte fuit accommodata. Quum enim morbus noſter à miaſmate ſalino, cauſtico, volatili, in maſſa humorum diutius deliteſcente, tandemque per ipſam ſanguinis fermentationem extricato, cujus generatio intemperiei hyemis tepidæ ac humidæ, tranſpirationem impedienti, & partium motricium tonum relaxanti debetur, ſuam traxit originem: facile judicare potuit prudens medicus, ineptum valde eſſe acrium, ſalinorum, humores commoventium, & ſolidas partes ſtimulantium remediorum uſum; nec alias relinqui indicationes, quam ut acrimonia peccantis materiæ ſalina cauſticaque diluatur, ac temperetur, eaque cocta, & excretionibus opportuna, circa criticos dies è corpore proſcribatur. Non quoque negligenda ſunt, morbo declinante, blanda laxantia; ut eorum ope, ſordes impuræ, viſcidæ, bilioſæ, quæ ſub æſtu febrili in primis viis generari ſolent, rite eliminentur. Quod ſi enim hæc omittantur, & impuritates illæ ad maſſam rurſus rapiantur ſanguineam; frequentiſſimum eſt, ut vel lentus calor, cum corporis languore & contabeſcentia, vel dolores cardialgici, vel ſpaſmodici ac arthritici affectus ſuboriantur.

## CASUS CC.

### *Hiſtoria febris epidemicæ per annum 1720. graſſantis.*

Febres anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi epidemicæ, revera non aliæ fuerunt, quam intermittentes: ſæpenumero autem ſub acutarum, quas in principio mentiebantur, larva impoſuerunt ægro pariter ac medico, tumque perverſa medicatione oppugnatæ, adflictos ad vitæ perduxerunt diſcrimen. Quarum has proponendas duxi obſervationes; incipientes horrorem, & totius corporis refrigerationem movebant, quem dolores ac tenſiones artuum, maximeque dorſi, anguſtiæ præcordiales, pectoris oppreſſiones, nauſea, vomendi conatus, ipſæque in quibusdam vomitiones ſequebantur. Tum vehemens æſtus, pulſu celeriori, magna ſiti, capitis doloribus, inquietudine, ac virium proſtratione ſtipatus, toto accendebatur corpore; & ciborum cupiditas prorſus concidebat. Sed non eadem ſymptomatum in omnibus erat facies: æſtus uno die aſperior infeſtabat, quam altero, neque tamen per quatuor vel ſex priores dies à calore præternaturali prorſus vacua ſinebat eſſe corpora. Horror poſt primam invaſionem per primos ſex dies non revertebatur; ſed alternis duntaxat diebus, circa acceſſionis primæ tempus, levis refrigeratio corpus percutiebat, quam protinus tenſivi artuum dolores, anxietates præcordiorum, capitis dolores, inquietudo, ſitis, ac tantum caloris incrementum excipiebant, ut quidam delira loquerentur: tandem ſudoribus ſolvebatur acceſſio, & mitis tantum calor inhæreſcebat. Quicunque quieti hos morbi inſultus perferebant, ſudoresque convenientibus ſecundabant medicinis; iis in veram intermittentem, quæ quietiora præſtabat tempora, mutabatur febris: in aliis vero, qui perverſo regimine utebantur, in acutam, ſæpius exanthematicam vel petechialem, vel purpuraceam tranſibat.

Malum præterea frequentius infeſtabat juniora corpora, quæ quintum & vigeſimum exceſſerant, & quadrageſimum nondum attigerant ætatis annum; nec non vilioris ſortis, ac durioris vitæ generis homines, qui & matutino & veſpertino ſeſe liberius exponebant aëri, ut fere milites erant. Quicunque febre tertiana ſimplici detenti, vel perverſo regimine, vel medicinis inconvenientibus, febrim irritabant; protinus eam reddebant irregularem ac malignam. Sic in pago quodam, prope noſtram urbem ſito, magna erat ſuſpicio graſſantis ibidem febris contagioſæ, ac fere peſtilentialis; quæ tamen penitius examinata, non niſi tertianam ſimplicem male feriatis empyricorum artibus, in malignam petechialem ac purpuraceam tranſeuntem exhibebat.

Cumprimis pernicialem morbi vim ſunt experti, qui febrim epidemicam ſub acutæ ſpecie primum imponentem, calidioribus alexipharmacis ac ſudoriferis potentioribus oppugnari permiſerunt; aut ſudoris legitimum ſucceſſum, improvida refrigeratione perturbarunt, aut venas ſub febre, licet ſimplici tertiana, ſecandas præbuerunt. Sic binos mihi adnotare licuit caſus, ubi ſubjecta febre noſtra correpta, quibus ſanguis erat miſſus, omnino, & quidem cum prima paroxyſmi invaſione perierunt: quippe quæ, ſatis bene antea habentia circa acceſſionis novæ tempus, velut attonito morbo proſtrata, inter gelidos ſudores animam exſpirabant. Alii haud æque plethorici poſt inſtitutam venæ ſectionem gravius decumbebant, & æſtu, inquietudine, præcordiorum anxietate atque deliriis longe vehementioribus agitabantur. Contra vero, qui ſanguinis nimia abundabant mole, ex phlebotomia non quidem perículoſiorem, ſed longiorem ſibi contrahebant morbum; qui tandem vel critico alvi profluvio, vel metaſtaſi ad aures facta, qua ad aliquod tempus obſurdeſcebant, ſolvebatur. Qui denique calidiora diaphoretica, præſertim urgente acceſſionum impetu ſumebant; in acutam certiſſime incidebant, vel petechiis, vel purpura maligna complicatam.

Scire

Scire porro refert, quod, ubi lotium turbari, & ſedimentum dimittere incipiebat, ſpes ſalutis ad minimum futuræ intermiſſionis in propinquo eſſet. Eandem ſignificabant accedentes alvi fluxus, & ſudores calorem ſolventes. Qui hos vero, disjiciendo hinc inde, vel nudando corpus, reprimebant, haud ſecus ac ii, qui calidiori regimine, vel ſpirituoſis alexipharmacis illos cogere ac vi promovere ſtudebant; in diuturnam, ac graviſſimam ſe præcipitabant valetudinem. Nec minorem ſibi contrahebant noxam, qui cibis crudis, coctu difficilibus, ſalitis, flatulentis, fumo induratis, fructibus horæis, vel potibus ſpirituoſis, vinoſis æque ac cereviſiariis, maxime frigidis, ſub febre utebantur.

Hanc itaque periculi plenam affectionem curaturus, eo potiſſimum medendi intentionem direxi, ut naturam ſequerer, ejusque motus convenientibus ſecundarem medicaminibus, ac moderato regimine. Quem in finem iis, quos vomendi conatus vexabant, primis morbi diebus tempore intermiſſionis, aliquot ante imminentem paroxyſmum horis, ſummo cum fructu lene propinavi vomitorium; quo plerumque effeci, ut exquiſita redderetur intermittens tertiana, quæ conſueta methodo facillime potuit expugnari.

Sub ipſo paroxyſmo, vigente caloris vehementia, ad exſtinguendam ſitim, potum tepidiorem crebris, ſed parcioribus aſſumendum ſuaſi hauſtibus; & pro potu præſcripſi decoctum hordei, raſuræ cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, & corticum citri, cum liquore acidulo, velut eſt clyſſus antimonii, diſtemperatum. Non minus pulverum præcipitantium, nitro, & diaphoretico fixo nuptorum; vel mixturarum, ex dictis pulveribus, & aquis diapnoicis confectarum, aut juleporum uſum interpoſui.

Declinante paroxyſmo, ad promovendum tranſpirationis ſucceſſum, eſſentiam quandam alexipharmacam, vel tincturam bezoardicam, vel mixturam ſimplicem propinavi. Tempore intermiſſionis pulveres dedi temperantes, ex abſorbentibus, & ſalibus digeſtivis confectos; nec non ſtomachica ac blanda laxantia felici cum ſucceſſu ſubjunxi. Et hac ratione oppugnatæ hæ febres nunquam fere non ſeptimo vel nono circuitu ſolvebantur. Quod ſi vero nihilo ſecius perſiſterent, tempore intercalari decocto ex roborantibus, ſtomachicis & laxantibus parato uſus ſum; & ne hoc quidem votis ſatisfaciente, motuum tantum modo, vitium, evacuata omni materia, ſubeſſe perſuaſus, tutiſſimo ac feliciſſimo cum effectu corticem chinæ convenienti ordine adhibui. Superata febri, ad ejus recurſum præcavendum, & ventriculum roborandum, antifebrilia atque ſtomachica remedia per unam alteramve ſeptimanam adhuc continuanda ſuaſi, rectumque vivendi ordinem imperavi: quo factum, ut plerique evaderent. Hæc vero Tibi, Vir illuſtris, perſcribenda, tuoque judicio ſubjicienda duxi.

*Epicriſis, & ulterior præmiſſæ hiſtoriæ illuſtratio.*

Febres, quæ per elapſum proxime annum toti fere Germaniæ fuerunt epidemicæ, intermittentes quidem, ſed ſimul malignæ merentur adpellari; & ſub finem dicti demum anni in continuas mutabantur malignas. Priores voco intermittentes, eo quod in ſanis ſubjectis legitime tractatæ, typum tertianæ ſimplicis, vel duplicis exhiberent, tumque curatu eſſent faciles. Eaſdem quadam malignitatis labe ſimul fuiſſe notatas, tria potiſſimum ſunt, quæ teſtantur momenta. Primum eſt, quod ab initio continuarum inſtar adorſæ, quieta neutiquam ægris præſtiterint tempora; ſed quaſdam tantum modo remiſſiones exhibuerint, à pulſuum frequentia, & præternaturali corporis languore nunquam penitus immunes. Alterum argumentum præbent humorum ſub iis febribus ad caput factæ congeſtiones, mox enim graves capitis dolores, mox infomnia, temulentia ac quædam mentis alienatio, mox ſoporoſi affectus, mox ſurditas, & intumeſcentia glandularum vel parotidum, vel ſalivalium; mox inſultus apoplectici, iique ſæpius lethales ſuperveniebant, multamque figebant crucem. Nec denique minus ſtarum febrium malignitatem innuit delicata earundem indoles, qua levi valde brachio oppugnari volunt: namque purgantia, ſanguinem exagitantia, adſtringentia, cortex chinæ, ſanguinis miſſiones, improvide adhibita, eaſdem vel in exanthematicas, purpuraceas, miliares, petechizantes, vel lentas & hecticas commutant; vel ipſum vitæ periculum inferunt; quod cum exquiſite intermittentibus longe ſit aliter.

Quibus expoſitis, ſi perſequamur febrium noſtrarum cauſſas; ipſa profecto illarum frequentia, qua tantam hominum multitudinem, nullo nec ſexus, nec temperamenti, nec, ſi juxta meas obſervationes fatear, ætatis reſpectu habito invaſerunt, docet clariſſime, illas neutiquam ex perverſo tantum vivendi genere, aut quodam diætæ errore, ſed ex aliquo potius vitio omnibus communi eſſe derivandas. Cujus natales ſi in aëris & tempeſtatum per dictum annum obſervatarum inſolita plane conſtitutione quæſiverimus; à veritatis tramite nos minime aberraturos eſſe confido. Namque vernali tempore, & ſub æſtatis auſpiciis cœlum ſemper humidum ac pluvioſum erat, & eodem etiam die frequenter mutabatur, adeo ut mox calidiſſimum, mox rurſus frigidum obſervaretur. Verum non perpetua modo conſtat experientia, ſed ego quoque in diſputatione de ſalubribus anni temporibus ample demonſtravi, ea potiſſimum & loca & anni tempora, quæ terra per copioſas pluvias humidiori exiſtente, brevi poſt ardorem ſolis fervidiſſimum exhibent, producendis fovendiſque pernicioſiſſimis morbis, & præſertim febribus eſſe opportuniſſima. Hinc enim corrumpuntur ſtagnantes aquæ, & exhalant putrida ac œconomiæ vitali inimiciſſima effluvia; quæ per inſpirationem, veſpertino maxime, ac matutino tempore, aut occidente vel oriente ſole, corporibus animalium inſinuantur, ſuccoſque vitales corrumpunt.

Deinceps ſubitaneæ illæ frigidi & calidi cœli mutationes in ipſa hominum corpora vim exſerunt pernicialem; dum mox ad relaxationem, mox conſtrictionem corticis cutanei diſponendo, ſaluberrimum tranſpirationis ſucceſſum remorantur. Unde fit, ut humores recrementitii, plus minus acres ac impuri, qui per cutis ſpiracula debent eliminari, intus retineantur, & peregrinis non raro putridiſque permixti miaſmatibus ad maſſam retrolabantur ſanguineam. Cum hac autem per nervoſas, motriceſque totius corporis partes feruntur & ſi demum ad ſenſibiles, quæ cerebrum ac medullam ſpinalem cingunt, membranas perveniant, has ſtimulando, univerſalem totius nervoſi ac vaſculoſi ſyſtematis ſpaſmum, in quo conſiſtit eſſentia motus febrilis, introducunt. Et hæc eſt noſtrarum febrium geneſis, quæ quo impuriora fuerint corpora, eo periculoſiora in iis machinantur mala. Quemadmodum enim ipſa venena, fortioraque, & quæ draſtica vocant, remedia, pro varia corporis, cui propinantur, diſpoſitione, varios quoque ac diverſos exſerere ſolent effectus: ita etiam res ſe habet cum noſtra febrili materia, quæ revera exiſtit virulenta. Nam febres, quæ exinde in ſubjectis per omnia ſanis ac integris generantur, mitiſſimo ac placidiſſimo gaudent decurſu; contra quæ impuris ſuccis, corporeque per quaſcunque cauſſas debilitato ſunt prædita, graviſſimis immerguntur ſymptomatibus, & in vitæ verſan-

verſantur periculo. Ita novi fœminas, quæ menſtruorum defectu laborantes, cum hanc febrim inciderent, circa illius declinationem ſopore, & apoplexia lethali correptæ perierunt; nonnullas, quæ antea chloroſi vel albo fluore fuerant contaminatæ, purpura rubra & alba ſub hac febre affectas fuiſſe vidi; nec paucas utriuſque ſexus adnotavi perſonas, quæ mœroribus, aliiſque diuturnis animi pathematibus immerſæ, febrim cum petechiis, ſopore, & ſpaſmo oris canino complicatam debuerunt ſuſtinere.

Clariſſimum ex his fore ſpero, ut cognoſcamus, quæ noſtrarum febrium natura, indoles ac origo fuerint: neque vero ignorari oportet, ſequentis dicti anni æſtatis, præſertim adultioris conſtitutionem, ad fovendas illas, quin & maligniores reddendas fuiſſe aptiſſimam. Fuit enim illa calidiſſima, & hinc præter noſtras, aliaſque quotidianas febres, alvi quoque bilioſos fluxus & dyſenterias populares movit. Nec obſcura eſt ratio: per nimium enim & perpetuum ſolis fervorem ſucci vitales reſolvuntur, à blanda & naturali temperie deflectunt, & multis acribus ac bilioſis imbuuntur ſordibus; quas in hominibus vilioris ſortis, tenuis ac impurus victus, mirum in modum accumulavit; unde his frequentiſſimæ fuerunt illæ febres. Et quum denique inſequuta hyems tepidior, ventos non niſi ex Euro vel Auſtro ſpirantes exhibuerit; factum eſt, ut relaxato magis fibrarum ac partium ſolidarum tono, auctaque humorum impurorum, ſtagnando putridorum colluvie, ſub finem dicti ſuperius anni, deſcriptæ hactenus intermittentes, in acutas tranſierint malignas.

Tandem vero operæ adhuc pretium erit, quæ in curandis noſtris intermittentibus obſervare licuit, in medium proferre. Illæ nimirum, calidioribus oppugnatæ remediis, in magna deliria ac furibundos raptus degenerarunt; contra inopportunis adſtringentibus cohibitæ, vel crebris ac gravioribus infeſtarunt recidivis, vel in lentas diuturnas, multis ſudoribus ſtipatas deſierunt. Data ſub morbi initio purgantia graviſſima excitarunt ſymptomata; magnumque malignitati attulerunt augmentum. Ego potius miſſis omnibus purgantibus, vomitoriis, & ſanguinis miſſionibus, ſolis diaphoreticis, præcipitantibus, ac bezoardicis pugnavi, & pulveribus ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, cornu cervi uſto, & philoſophice præparato, cinnabari & nitro confectis uſus ſum; hiſque decocta humectantia, quæ raſuram cornu cervi, radicem ſcorzoneræ, hordeum mundatum, radicem chinæ, & poma citri habebant, interpoſui. In juvanda præſertim diaphoreſi egregiam collocavit operam extractum cardui benedicti, in ſpiritu vitrioli temperatiori ſolutum, idque tempore remiſſionis, vel intermiſſionis uſurpatum. Eſſentias alexipharmacas, & ſic dictas bezoardicas, quum ex radicibus calidioribus, & ſpiritu vini ſint concinnatæ, exæſtuando humores, pulſuumque celeritatem adaugendo, noxias deprehendi. Ad liquandam alvum ſummo cum fructu vel pilulas meas balſamicas interne dedi, vel clyſteres emollientes, ex oleo florum chamomillæ vulgaris, oleo amygdalarum dulcium, melle, ſale Epſomenſi, & tantillo nitri confectos, ano curavi infundendos. Verum à nitroſorum nimio uſu ſtudioſe abſtinui, ſi accederent petechiæ, vel purpuracea exanthemata, maxime in declinatione morbi: ea enim virtute nimium refrigerante, humorum ab ambitu motum revocando, ad ſphacelum diſpoſuiſſe animadverti. Si retrocederent exanthemata, & ſoporoſi, temulenti, ac deliri affectus jungerentur; veſicatoria nuchæ, vel brachiis impoſita, inſignem tulerunt opem.

Qui à febribus illis, præſertim continuis convaleſcebant; à præmaturo alimentorum nutrientium uſu cavere ſibi debebant: inde enim cardialgiam moleſtiſſimam, eamque periodicam propullulaſſe animadverti; quæ laxantium & antiſpaſmodicorum ope debellanda erat. Qui porro in continuis illis decimam diem ſuperarunt, omnes fere evaſerunt. In febribus vero intermittentibus, non præſtantiora fuere remedia ſalibus neutris, cum nitro & extractis amaris maritatis; quippe quæ viſcidos, tenaceſque humores reſolvendo, & ad excretiones diſponendo, niſi immoderatiori adhiberentur quantitate, utramque curationis abſolverunt paginam.

INDEX

# INDEX RERUM LOCUPLETISSIMUS CONSULTATIONUM MEDICARUM.

A.


de ABORTU, ejuſque cauſſis.307. ex terrore.50. crebro ex utero minus purgato, ejuſque cura. 306. crebro cum continua ciborum per vomitum rejectione. *ibid.* cum molarum excretione. 253
- Abſceſſu muſculorum abdominis à retropulſa podagra.205. muſculorum abdominis & dorſi ex tumore glandularum inguinalium.156. oſſis femoris. 245. occulto muſculorum hypochondrii ſiniſtri. 155. differentia abſceſſus à tumoribus ſanguineis. 382
- Aceto ſaturnino hemicranicos dolores minus tuto repellente. 6
- Achorum capitis per oleum amygdalarum & evulſionem pilorum repulſione, epilepſiæ cauſſa. 55
Acida primarum viarum ſaburra quæ in corpore exſerat damna. 167
Acidulæ juſto copioſius hauſtæ nocent. 373. disſuadentur in affectibus idiopathicis capitis. 10. frigidæ disſuadentur in pectoris affectibus.127. in eroſione inteſtinorum. 238. conveniunt in corporibus ſtrictioris habitus.215. cur in cruditatibus primarum viarum, arthriticiſque morbis præ thermis ſint adhibendæ. 304. num hyeme potari queant. 386. vid. aquæ minerales.
de Acuſtico Deckeri inſtrumento. 67
- Acuta febri. vid. Febris acuta.
Adipis defectus quid notet. 418. & 419
de Adſtringentium noxa in febribus & hæmorrhagiis. 301. in hæmoptyſi. 104
Aër, qualis corpori conferat.167. ejus ſubitaneæ mutationes multum faciunt ad generandum ſcorbutum. 370
Affectus animi. vid. animi pathemata.
Allium dicitur calculi augmentum impedire. 262
de Alvi obſtructione contumaci. 502. ſub menſium fluxu.336. à largis venæ ſectionibus ac largis ſudationibus.40. à ſanguinis in abdomine ſtagnatione. 305. capitis morbos inducente. 70
- - laxitate perpetua ſub paroxyſmo hyſterico.225 228
Amaſianæ thermæ commendantur in aridura pedis. 246
de Ambulandi impotenti.445. ex febri acuta.86. imbecillitate naturali. 381. ex lapſu in regionem iſchiadicam, oſſe femoris nec fracto, nec luxato.379. 380. in febre lenta. 393
- amoris effectibus. 335
- amuletis ad hæmorrhoides cœcas. 264
- ani excreſcentia cum generis nervoſi debilitate. 197
Animus circulo humorum irregulari exiſtente, male afficitur.229. ſecundum ejus conſtitutionem, omnes corporis motus ſe habent.40. pathemata illius, quæ corpori damna inferant. 62.383.420. maxime ſumto mox cibo vel potu.143. exacerbant motus epilepticos.50. à generis nervoſi diſpoſitione dependent. 135
Anni temporum mutationes certos pariunt morbos. 107
Antepilepticus pulvis. vid. pulv. antepil.
de Antifebrilium uſu & noxa. 386
- antimonii tincturæ uſu in promovendo urinæ fluxu.34. in ſeroſis adfectibus capitis. *ibid.*
- antimoniali cura rite inſtituenda. 290. 327. 378. 409
Antiſpaſmodicus pulvis. vid. pulv. antiſp.
Antiſpaſmodicæ pilulæ. vid. pil. antiſp.
de Anxietatibus præcordiorum. vid. præcordia.
- apoplexiæ gradibus.23. cauſſis ac prognoſi. *ibid.* levioris ſpecie.11.25. illius cauſſa.12.28. cura. *ib.* præſervatione.24. effectu camphoræ in illa.26 27. ſpaſmodicæ exemplo.334. lethalis epilepſiæ ſupervenientis caſu. 48
- apoplectico inſultu peculiari.278. à diuturno mœrore. 318. partium atoniam relinquente. 318. poſt inflictum capiti vulnus remittente. 197. an in eo thermæ Carolinæ conveniant. 23
De diſpoſitione ad *apoplexiam.* 25
- apoplectica febri. 281
- apoſtemate. vid. abſceſſus.
- appetitus vehementioris cauſſa.19. canini exemplo. 97
- aquæ levioris notis. 238. 57
- - frigidæ præſtanti uſu. 237. ſpeciatim in nimiis hæmorrhagiis.400. in malo ſcorbutico.363. in epilepſia.57. in melancholia hyſterica. 236
Aquæ minerales integrum ſupponunt robur viſcerum. 358.395. inepte adhibitæ quas edant noxas. 383. quo in caſu ad hydropem diſponant.16. commendantur in affectibus hæreditariis ſeroſis.320. in morbis ſpaſmodicis chronicis.341. diſſuadentur in affectibus epilepticis. 49. in aſthmate convulſivo. 137. ejuſque præſertim paroxyſmo.136. in tinnitu aurium.67. in gutta ſerena.81. in debilitate ventriculi. 376.229
- - martiatæ ad conjugium fœcundum commendantur. 313
Aqua ex pane quomodo deſtillanda. 93. 110
De ardoris in lingua ſenſu chronico. 216
- ardore ventriculi. vid. Soda.
- aridura pedis ex ſcorbutica humorum dyſcraſia. 246
- arteria aorta deſcendente cartilaginea. 259
- arteriarum pulſu. vid. pulſus.
- arthritidis origine. 322. natura. 135. cauſſis.136. præſervatione.321.313. diæta. 322
- arthritide lumbari.324. rheumatica.324. hemiplexiam relinquente.35. vaga. 323.321
De arthritide cum peculiari manuum calloſitate.322 in calculum tranſeunte. 323
- arthriticis doloribus ſudore diſcuſſis. 216. præſertim febrili.373. & cum hoc efflorescentibus ulcuſculis. 216
- - motibus ceſſantibus hemicraniæ cauſſis. 6. aliorum morborum fundamentis. 4. præſertim pulmonis læſionum.398. & affectuum aſthmaticorum.136. vid. podagrici dolores.

Artuum agitationes infantum ſub ſomno cui debeantur cauſſæ. 43
De aſa fœtida nervorum debilitatem relinquente. 226
- aſcite ſpaſmum primarum viarum excipiente. 257 cum tympanite juncto. 256
- aſthmate. 65. à motu corporis. 125. defuncti ſectione. 140
- - cachectico ab exſiccato ulcere ſcroti. 251
- - chronico. 331
- - convulſivo ex purpura. 407. ejuſque medela. 408 cum purpuratis exanthematibus alternāte. 407. ope Egranarum curato. 138. ejus natura. 334. 141. quomodò hydropem poſt ſe trahat. *ibid.* cur poſt partum remittat. 138. cur à diætæ erroribus mitigari videatur. 350. commendantur in eo thermæ Carolinæ. 134. balnea. 137. lac aſininum cum Selteranis. *ibid.* diſsuadentur aquæ minerales frigidæ. *ibid.* illius paroxyſmi deſcriptio. 135. 139
De aſthmate flatulento. 128. 129. cum colica. 130. ejuſque cauſſa. 129. 130. in eo commendantur thermæ Carolinæ & acidulæ Egranæ. 129
- - humido. 126. ejus cauſſa. 126. 127. prognoſi. 126 cura. 126. 127
- - hypochondriaco. 134
- - ſpaſmodico à potu poſt iram ſumto. 142. cum tumore teſtis ſiniſtri. 137. à ſtagnatione ſanguinis in pulmonibus. 129. hirudinum adplicatione ſublato. 36. cum hydrope perperam curato. 139
- - - convulſivo. 133. 339
- - - flatulento ex polypo cordis. 131. cum tuſſi ex polypo cordis, & tuberculis pulmonum. 132. 133
- - - & hypochondriaco. 134
- atonia partium poſt inſultum apoplecticum. 318
- - œſophagi. vid. œſophagus.
- - pharyngis. vid. pharyngis aton.
De atonia ſiniſtri lateris ex lapſu ab equo. 40
- - ventriculi. vid. ventric. atonia.
- atrophia cum febre lenta. 243. luxationem femoris ſequente. 245. in atrophicis morbis commendatur ſerum lactis. *ibid.*
- auditu difficili à nimia relaxatione. 68. à nimia ſiccitate. 69. à gypſeo cerumine. 67. cum fluxione ſeroſa. 67. ad variam aëris conſtitutionem mutato. *ib.*
- - gravi cum variis ſymptomatibus. 69. ab alvi obſtructione. 70. à ſerena tempeſtate exacerbata. 69
- aurantiorum eſſentia. vid. eſſ. cort. aurant.
- aurium fluxione ſeroſa. 67. 68
- - tinnitu. vid. tinnitus aurium.
Autumnus & hyems non favent curationi morborum chronicorum. 34. nervorum. 47. inprimis epilepticorum. 56
Axungia gallinæ pollet vi caliginem viſus diſſipandi. 77

B.

Balnea ex aqua dulci commendantur ad præcavendum abortum. 37. in calculo renum. 307. in colicis doloribus. 178. 185. in fluore albo. 298. in genitalium partium imbecillitate. 296. in malo hypochondriaco. 212. in mania. 64. in tumore teſtis duro. 292. in veſicæ dolore. 277
Balnea ex aqua cum lacte in hyſtericis affectibus cum corporis conſumtione commendantur. 339
Balnea artificialia parandi modus. 314. *ibid.*
- humida puerperis præ vaporoſis conveniunt. 414
- mineralia diſſuadentur in cacochymia. 345. lue venerea. 286. in ſpaſmis partium internarum. 105. commendantur in morbis ſpaſmodicis externis. 229. in calculo veſicæ felleæ. 233
- thermarum num in podagra & arthritide ſemper conveniant. 374
- vaporoſa quomodo inſtituenda. 292. commendantur ad ariduram pedis. 246. in tumoribus tympaniticis. 257
Balſamum ad paralyſin. 32
- Peruvianum commendatur in aurium fluxione. 68. ejus ſyrupus quomodo ſit parandus. 400
- vitæ ad diarrhœam commendatur. 406
Bilis acrimonia unde naſcatur. 19
Telioſa intermittente febri. 391
Burbonienſes aquæ dicuntur ſulphureæ & antiparalyticæ. 80. diſſuadentur in affectibus cerebri. 81
Burrhi emplaſtrum regium. 53

C.

de Cachexia ex atonia ventriculi & inteſtinorum. 247. à ſilente podagra. 255. ex infarctu hepatis, numque in ea proſint martialia, & venæ ſectio. 189. ex diuturna ſoda. 249. cum aſthmate & tumore hydropem minante. 351. cum lenta febri. 393. 394. cum ſcirrhoſo uteri tumore & fluxione doloriſica in pede. 247. cum tympanitico affectu. 253
Cachecticis cur familiaris ſit hydrocele. 241
De Cacochymia. 530. ejus cauſſa. 668. in ea commendantur aquæ Pyrmontanæ. 533. vid. Humorum dyſcraſia.
De calculo hæreditario. 116
- - pulmonum, ejuſque generatione. 147
- - renum. 228. ejuſque ſignis. 192. cum podagra. 263. abſque dolore in hemiplectico excreto. 37. inveterato cum hernia ſcrotali. 264. in arthritidem tranſeunte. 323. in ureteres ingreſſo rite tractando. 265. ejuſque cura. 263. 192. 193. præſervatione. 262
ad Calculum renum diſpoſitio in quo conſiſtat. 262. qualis in eo conveniat cereviſia. *ibid.* commendantur acidulæ Schwalbacenſes. 263
De calculoſis colicisque doloribus præſervandis & curandis. 192
- calculo veſicæ felleæ. 189. dato emetico per alvum excreto. 243. icterum inducente. 243. vicinas partes ad ſpaſmum proritante. 232. cura per balnea. 230. per acidulas Selteranas. *ibid.*
- - veſicæ urinariæ cum incontinentia urinæ, ſtranguria, dyſuria ac hernia ſcrotali. 278. cum ſpaſmo & exulceratione veſicæ. 280. ejuſque ſignis. 271. 281. cura per Carolinas, vel Spadanas. 271
- calculorum. 261. excreti[illegible] 267
- calloſitate manuum peculiari. 322. 323
Camphora operatur vi ſulphuris anodyni. 28. eſt antiſpaſmodica. 28. [illegible] affectibus. 92. nec alvo exiſtente ſegni prodeſt. 28. quando externe uſurpari poſſit. 377. *ibid.* quando interne, præſertim cum nitro permixta. 28
De camphoræ ad duos ſcrupulos ſumtæ effectu in apoplexia hypochondriaco-ſpaſmodica. 26. 27.
- camphoratis in podagra & eryſipelate externe noxiis. 376
Cantianæ aquæ qualia foveant principia. 174
De Capillorum defluvio ſub febre acuta. 335. ex cephalalgia diuturna. 1
De capitis adfectu cum efflorеſcentia in pede. 92
- - debilitate. vid. debil. Cap.
- - doloribus: vid. cephalalgia.
Capitis morbi foventur ab alvi obſtructione. 70. debentur plerumque ſanguinis turbato per illud circulo. 218. num in iis conferat cauteriorum uſus. 30 idiopathici reſpuunt uſum Carolinarum. 34. ſymptomatici a[illegible]levantur. 93. ſeroſi levantur ab urinæ promotione. 34. ſpaſmus peculiaris. 346
De carcinomate linguæ à retrocedente podagra. 91
- cardialgia, ejuſque ſede, cauſſis & præſervatione. 170. ſignis. 165
- - ſpaſmodica cum colica flatulenta. 169. ejus cauſſa. 175. *ibid.* in qua commendantur Carolinæ. 176. Egranæ cum lacte. 171. 176
- - - flatulenta hypochondriaca. 171
- - ſuſ-

- - ſuffocativa inter venæ ſectionem ſuborta. 226
Carolinæ thermæ binos fovent fontes 22. cujus utriuſque elementa ac virtutes deſcribuntur. 22. ſeq. 163. quibus vaſis ſint excipiendæ. 187. quomodo adhiberi debeant. 164. 187 248 ante eorum uſum in plethoricis vena ſecanda. 264. ſub potatione quæ ſint obſervanda. *ibid.* qualis victus ſeligendus. 188. poſt earum potum quænam ſint in uſum vocanda. 164. 338. in corpore ſubſiſtentes quomodo promovendæ. 187. quæ iis ſubſtitui poſſit curatio. 380. an Selteranæ ſurrogari queant. 342
Carolinæ num proſint in apoplectico inſultu. 23. in ſoporoſis affectibus. 21. commendantur in abdominis morbis. 24. ad abortum frequentem. 308. in arthritico rheumaticis affectibus. 324. qua cautela. 688. in aſthmate convulſivo ab humorum dyſcraſia. 134. flatulento hypochondriaco. 129. ad calculum veſicæ. 271. cardialgiam. 176. capitis morbos ſymptomaticos. 22. chronicos morbos ex viſcerum obſtructione. 323. in colica chronica. 185. ad hæmorrhoides reſtituendas. 187. ad hydropem ex hæmorrhoidum obſtructione præcavendum. 257. in malo hypochondriaco. 212. & inde ſubortis capitis affectibus. 93. cur in his malum interdum exſerant effectum. 304. laudantur ad menſium obſtructionem reſerandam. 101. 165. 210. 303. in nephritide calculoſa. 266. ſcorbuto. 361. Soda diuturna. 250. ſpaſmodicis morbis. 337. ſpaſmo ventriculi hypochondriaco. 163. *ib.* in urinæ ardore. 24. præcavent chronicos morbos. 189. polypum cordis. 138. exacerbant calculoſos & podagricos dolores. 188. per caput difficilius progrediuntur. 74. hinc diſſuadentur in capitis affectibus idiopathicis. 4. 34. 74. in atonia partium ſolidarum. 199. debilitate nervoſi generis. 24. in eroſione partium ſolidarum. 408. in pectoris affectibus. 105. in morbis ex ſolo motuum vitio. 237. in infantibus. 289
Carolinæ cum balneis aquæ dulcis in ſcorbuticis affectibus. 370. cum Tœplicenſibus in hypochondriacis affectibus. 387. lienteria. 238. in ſpaſmodicis inteſtinorum morbis commendantur. 202
Carolinarum externus in balneo uſus quibus noceat, quibuſve proſit. 164
Caryophyllorum maſticatio commendatur ad roborandum ventriculum. 126. vid. oleum caryoph.
Catalepſeos cum ſingultu exemplum. 55
Cataplaſma diſcutiens in oculorum adfectibus. 76. in gonorrhœa. 287. ad tuberculum præputii. 160
De Cataracta 82. an remediis curari queat. 83. 84. quo tempore operationi ſit opportuna. 83. 84. an in dubiis caſibus deponi queat. 83 an tuto in ſenibus deponatur. *ibid.* an periculoſa ſit depoſitio 84. an dolorem exhibeat. *ibid.*
- catharris in veram podagram terminatis. 373. capitis partium inferiorum ſtricturas poſt ſe trahentibus. 4. 320. pectoris refractariis. 110. in iis nec vinum nec cerevisia prodeſt. 108
- catarrhalibus diuturnis defluxionibus ex hæreditaria diſpoſitione. 319
- catarrhali febre, ejuſque ſubjectis, & malis conſectariis. 106
- - purpurata febri quinquies recidiva cum metu lentæ. 401
- Cauteriorum uſu in magnis capitis affectibus. 30
- cephalæa periodica. 13
- cephalalgia rebelli. 2. diuturna cum dolore artuum vago. 1. vehementiſſima. 244. atrociſſima poſt uſum ſtupharum ſudatoriarum 287. poſt ſeminis largam excretionem. 65. ejus cauſſis. 159. ab extremorum refrigeratione incipiente. 320. in anteriori capite à ſero in ſinubus frontalibus ſtagnante. 2. in poſtico, magiſque externo capite. 3
- cerebri conſenſu cum teſtibus. 293
- cereviſiæ mutatione melioris valetudinis cauſſa. 112. effectu in revocanda hæmoptyſi. 15. noxa in morbis chronicis. 16
De cereviſiæ triticeæ uſu in calculoſis affectionibus. 262
- Cerumine gypſeo auditus difficilis cauſſa. 67. inſpiſſato rite emolliendo. 69
- Chelidonii effectu in morbis hydropicis. 256
- Chinæ cortice legitime adhibendo. 386. 391. 393. ejus virtutibus. 386. noxa in febribus intermittentibus. 48. 301. & hæmorrhagiis. 301
- Chloroſi poſt matrimonium in album fluorem deſinente. 94. ejuſque ſubjectis. 94
Cibus & potus qualis conferat hypochondriacis. 167. 168.
Cinnabarina commendantur in morbis à ſtagnatione lymphæ. 71
Cirſocele. vid. hernia varicoſa.
De Claudicatione ex luxato oſſe femoris. 245
- Climate. vid. cœlum.
- Clyſtere. 291. 405. 387. in purpura. 411. in convulſionibus verminoſis. 351. balſamico temperante. 195. carminativo. 131. uterino. 299. lacteo in eroſione inteſtinorum profícuo. 196
Clyſteres commendantur in flatulentis moleſtiis 333 ad reparandum inteſtinorum tonum. 387. in ſpaſmis inteſtinorum. 227. in metu hydropis. 258
De cœcitate ſubito oborta, ejuſque cauſſa ac curatione. 70
- cœli mutatio in melancholico-maniacis morbis. 63. nervorum affectibus. 60. in podagra commendatur. 374
- Coffée potus efficacia ad purpuram excitandam. 221 414
Colica in ſene lethali. 178. calculum mentiente. 176. cum nephritide & moliminibus hæmorrhoidalibus complicata. 177. cum purpura alternante. 184, cum alvi obſtructione & aſthmate flatulento. 130. cum ictero ſæpius recidente. 256. ex hernia. 239. ex podagra per iram retropulſa. 373. ex ſtagnatione & acrimonia ſuccorum. 176. ex hauſtu aquæ frigidæ poſt corporis exæſtuationem. 184
- - flatulenta. 170. 318. cum dolore nephritico. 191
- - hæmorrhoidali. 178. 186. ex obſtructo hæmorrhoidum fluxu. 182. an ſit ileos hæmatites Hippocratis. 178. ejuſque vera curatione. *ibid.* venæ ſectionem requirente. 182. inepta tractatione. 199. infelici curatione. 181
- colica nephritica ex calculo ureteribus impacto. 191. 192
- - ſpaſmodica cum ſubſequente ictero. 184. ex podagra retropulſa. 183. ex defectu fluxus hæmorrhoidalis rite tractanda. 179. 181
De colica ſpaſmodica convulſiva cum tumore & dolore pedum per Carolinas ſanata. 186
Colici dolores oriuntur ab acri purpuracea materia. 178. nec non à ſtagnante in inteſtinis ſanguine. 185. quomodo ſint tractandi. 192. 193. an iis conferat venæ ſectio. 183
De colli ſingulari dolore ex vitio ventriculi. 95
- collyrio ad oculos. 75
Colon inteſtinum in malo hypochondriaco maxime patitur. 387
Concubitus cum fœminis menſtruatis an noceat 284 creber quomodo ad uteri hæmorrhagias diſponat. 300. poſt illum menſes ſupprimi, abdomen & mammæ ſine graviditate turgeſcere poſſunt. 282
De condylomatibus ani. 197
Conjugium fœcundum qualem conjugum requirat conſtitu-

conſtitutionem.312.an epilepticis ſit ſuadendum. 52. ſterile cum quæſtione: num ſpes ſit prolis. 312
Contabeſcentia corporis unde oriatur. 369
Continens febris. vid. febris continens.
Continua febris. vid. febris continua.
Contorſio artuum paralyticorum quomodo differat à ſpaſmodica. 33
De Contractura manuum atque pedum. 344.*ibid.*
Convulſiones fieri poſſunt à doloribus. 154.cur meditationibus excitentur. 48. peculiares. 350. 49. atoniam paralyticam relinquere ſolent 44.menſes fluentes duntaxat comitantes. 353. 355. genuum. 35. oculorum ſub ſomno. 37. palpebrarum oculi peculiares.351. hyſtericæ. 233
De Convulſivo epileptico affectu.46. eoque rariſſimo. 58 57
- - ſpaſmodico affectu. vid. ſpaſmodico-convulſivus affectus.
Convulſivi paroxyſmi cur circa menſtruam periodum incidant. 52. cur retardentur ab erroribus diætæ. 350
De Cordis palpitatione. vid. palpitatio cordis.
Corium oleo betulæ inunctum, *Juchten Leder* commendatur pro odore in hyſtericis affectibus. 226
De Cornachini pulvere. 192
- Corporis contabeſcentia ſuſpecta.252. infirmitate ex nimia profuſione ſeminis. 294
- Cretæ noxio in ſoda uſu. 250
- Cucupha ad capitis dolores.165. confortante.20 ad hemicraniam. 6. roborante. 67. Wepferiana. 9
Cucurbitulæ commode ſubſtituuntur venæ ſectioni. 230.quo in caſu ipſi anteferendæ ſint. 138
Cuticula ſanguinem è vena detractum inveſtiens unde fiat. 116
Cutis efflorefcentiæ rebelles quomodo oppugnandæ. 317
De Cynosbati effectu in calculo. 262

D.

de DAuci hortenſis uſu in vertigine. 9
- debilitate capitis, variarum congeſtionum cauſſa. 1
- - nervoſi generis. vid. Nervoſi generis debilitate.
- Deckeri inſtrumento acuſtico. 67
- Decocto pro potu. 10. 15. 18. 24. 62. 68.73.86. 108. 148. 115. 118. 120. 133. 135. 187. 190. 193. 196.205.209 217 218. 219. 221. 223. 228. 235. 267. 276. 278. 285. 295. 305. 319. 321. 344. 341. 359. 363. 368 370. 374. 377. 381. 386. 400. 402. 415
- Decocto antimoniali. 76.78
- - antivenereo. 288.290.315
- - Managetæ laxante. 31
- - mundificante. 92 94.160
- - ad gonorrhœam. 286.290
- - ad pollutiones. 294
Deglutitio quomodo fiat & impediatur 97.difficilis. 19 102 233.352. potulentorum.10.ex atonia pharyngis 98.99.100. cum metu ſuffocationis.100.in ſedendo impedita, in ſtando libera.229.ejus peculiaris difficultas.26 qualis ſit in hemiplexia.30.111. in paralyſi. 97
De Deinacenſium aquarum elementis ac viribus. 12
- Delirio breviori cum epilepſia poſt male curatam intermittentem. 48
- - diuturno à terrore ſub ſomno, largis venæſectionibus curato. 109. poſt febrem acutam. 222. cum febre tertiana. 62. ex hæmorrhoidibus cohibitis. 395. hecticæ ſuperveniente lethali. 340
- periodico cum motibus epilepticis à menſium retentione. 64
- Dentitione difficili. 152. epilepſia ſtipata funeſta. 149. rariſſime paralyſin poſt ſe trahente. 43
- Diabete ex calculo in uretere. 119
- - defuncti ſectione. 275
Diætetica in morbis inveteratis optima ſunt præſidia. 126
Diaphragmatis vulnus. vid. vulnus diaphragmatis.
De diarrhœa in ſene. 405. ex potu aquæ Sedlicenſis. 6. variis ſymptomatibus ſtipata, menſtruum ſemper præcedente fluxum. 49. 52. cum paralytico affectu in infante inter ſudores aëri liberiori expoſito. 43. cohibita cauſſa tumorum inguinalium. 158
Digeſtio vitiata diſponit ad cephalalgiam. 2
De dolore tenſivo fixo in hypochondrio ſiniſtro. 156. tenſivo lateris dextri calculum mentiente. 321. preſſorio in regione pubis. 305. ſingulari colli ex vitio ſtomachi. 95. per ſternum aſcendente.125. dorſi ad ventriculum excurrente. 335
Dolores abſceſſus occultos comitantes non ſolvuntur niſi adplicatis emollientibus. 156. artuum atroces cum eorundem exulceratione. 315. vid. arthritis.
De doloribus capitis vid. cephalalgia.
- doloribus circa ſinus frontales. 320
- duodeni inflatione. vid. inflatio duodeni.
- dyſcraſia humorum. vid. humorum dyſcraſia.
- dyſuria cum ſtranguria alternante. 278. cum affectu ſemi-paralytico. 45. cum teneſmo & materiæ flavæ excretione per anum. 274. ex menſium fluxu irregulari. 46

E.

EBrii parentes generant imbecillos infantes 63
De efflorefcentiis corporis pertinacibus. 316. faciei ex potu frigido. 324. in pede. 92. puſtularibus epilepſiam tollentibus. 47
De Egranis acidulis, eaſque potandi ratione. 368. illæ commendantur ad aſthmatico-ſpaſmodicum affectum. 126. in aſthmate flatulento hypochondriaco. 129. in cardialgia. 176. colica chronica cum cachexia. 189. in defluxionibus oculorum acribus.74. ad hæmorrhoidum irregularem ſucceſſum. 200. in hypochondriaco malo. 217. in melancholia. 59. eaque hypochondriaca ex retenta purpura ſuborta. 220. & hyſterica. 234. in ſpaſmodico-epileptico affectu à menſium retentione. 66. præcavent morbos chronicos. 189. in colicis affectibus præ Selteranis laudantur, 192. ad reſerandas viſcerum obſtructiones Carolinas ſua ſuperant virtute. 191
Egranæ cum lacte commendantur in acrimonia humorum ſcorbutica. 46. 365. 368. in cardialgia. 171. in colicis doloribus. 178. cum balneis Tœplicenſibus commendantur in affectibus ſcorbuticis. 370
Electuarium antifebrile. 392. confortans. 319. nervinum. 374. roborans in debilitate generis nervoſi. 12. ad tuſſim ferinam. 110
Elixir balſamicum. 20. 55. 163. 209. 246. 298. 309. 331. 339. 347. 357. 401.
- - ſtomachicum, 212

- diure-

- diuretico antiſpaſmodicum. 256
- nervinum. 8
- pectorale. 112. 117
- ſtomachicum. 228. 368. 386
- - laxans. 108
- viſcerale Hoffmanni commendatur ad ciendos menſes. 55

De emetica potione, vid. potio emetica.
- emeticorum uſu in ictero diuturno. 243. improvide adhibitorum noxa in intermittentibus. 392

Emmenagoga morbos ſpaſmodic-oconvulſivos exacerbant. 54. hinc iis nondum ſanatis haud ſunt adhibenda. *ibid.*

Emplaſtrum anodynum. 196. Burrhi regium in dolore cervicis proficuum. 53. ad calculum veſicæ felleæ. 233. ad dolores oſſis ſacri. 110. pubis & dorſi. 305. ad flatulentiam. 95. ad gonorrhœam. 386. mictum cruentum 268. nervinum. 360. ad oculorum defluxionem. 74. oxycroceum eſt nimis attractivum. 380. ſaponatum Barbette commendatur ad infarctus viſcerum. 227. ſtomachale. 225. 308. ad tophos venereos. 290. ad tubercula pulmonum. 113. ad tumores nodoſos. 315. tumorem pedum eryſipelaceum. 207. ad tumorem teſtium. 292. ad tuſſim ferinam. 132. rheumaticam. 145. veſicans. vid. veſicatorium, ad viſus obſcurationem. 77. in vomica pulmonum. 120

De emproſtothoni exemplo. 147
- empyemate feliciter curato. 143. an per anum ejici queat. 147

Emulſio. 364. analeptica. 406. ad gonorrhœam. 286. ad maraſmum. 405

Enterocele. vid. hernia ſcrotalis.

De Epidemicæ febris per annum 1720. graſſantis hiſtoria, cauſſis, & cura. 422
- - febris hiſtoria ac cura. 421. *ſeq.*
- Epilepſia ab achoribus retropulſis. 55. ex male curata ſcabie. 46. cum brevi mentis alienatione à male curata febri intermittente. 48. in lipothymiam deſinente. 58. 65. inveterata cum lipothymia. 55. cum vermibus. 49. ſalivatione exacerbata. 46. à copioſis venæſectionibus retardata. 47. *ibid.* per efflorescentias puſtulares ſublata. 47. ejus notis antecedentibus. *ibid.*

Epileptici motus ſpiritu ſalis ammoniaci præferuntur. 10. venæſectionibus largis exaſperantur. 56. frequentiores redduntur. 51. & invitantur 334 ab animi pathematibus exacerbantur. 50 ſed à fluxu menſtruo levantur. *ibid.* circa pubertatis annos ſponte cedunt. 56. reſpuunt aquas minerales. 49. num in iis aqua frigida. 57. & conjugium. 52. ac qualis victus conferat. 53

Epithema ad nimias hæmorrhagias uteri. 400

Errhinus pulvis. vid. pulvis ſternutat.

Eryſipelas. vid. Tumor eryſipelaceus.

Eſſentia balſamica. 94. carminativa. 247. corticum aurantiorum quomodo paranda. 3. euphraſiæ. 82

De Excoriatione veſicæ. 275. & renum ſubita à ſuppreſſis hæmorrhoidibus. 260
- excrementis globoſis. 300
- excreſcentia ani. vid. ani excreſcentia.
- excretionum ſuppreſſione à ſpaſmis. 369
- exulceratione veſicæ. 276. cum calculo. 280. ejuſque ſignis. 281
- faucium cum ingenti ſalivæ fluxu. 94

F.

de FAme avidiſſima ſub paroxyſmo hyſterico. 73
- faucibus pali ſenſationem exhibentibus. vid. ſenſatio pali.

De faucibus puſtulis obſeſſis. 5
- faucium exulceratione. vid. exulceratio.
- febrilibus motibus. 391
- febribus acutis ex levi refrigeratione ſpaſmodicos affectus poſt ſe trahentibus. 87. earum typus dato laxante pervertitur. 87
- febri acuta continente. 419. eaque inflammatoria. *ibid.*
- - - continua. 117. convulſionibus ſtipata ex ſuppreſſa tertiana. 343. cum ſpaſmo muſculorum maxillarium. 87
- - apoplectica. 281
- - bilioſa. vid. bilioſa febris.
- - intermittente, tertianam mentiente cum polypo cordis lethali. 95. convulſivis motibus ſtipata. 332. ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus per Carolinas ſanata. 205. ſine æſtu. 352. arthriticos dolores ſolvente. 323. *ibid.* male curata epilepſiæ cauſſa. 48

Febres intermittentes quem habeant uſum. 385. 395. quibus in ſubjectis cautius ſint tractandæ. 395. ante paroxyſmum cur nihil cibi ſumendum. 145. ſuppreſſæ poſt ſe trahunt excretionum ſanguinearum anomaliam. 395. hemicraniam. 5. quomodo tractandæ. 386. 387.

De febri intermittente bilioſa. 391

De febri intermittente epidemica, ejuſque cauſſa. 392. inflammatorias febres mentiente. 391. evacuantia validiora non ferente. 392
- - lenta, vid. lenta febris.
- - maligna. vid. maligna febris.
- - peculiari *ein Fuſs-Fieber* dicta. 115
- - quartana vid. quartana.
- - quotidiana. vid. quotidiana.
- - tertiana. vid. tertiana.

Febrifuga qua polleant virtute. 385

De Femorum conſenſu cum pedibus. 248
- flatulento malo per purgantia in hydropem mutato. 258. flatuum copioſiſſimo proventu. 237. flatibus intra membranas œſophagi aſcendentibus, inque collo tumorem exhibentibus. 95
- flatulentia uterina. 248. 310. ejuſque generatione. 248
- fletus involuntarii exemplo. 278
- fluore albo. 338. ejuſque ſubjectis. 94. cauſſis. 307. nativo. 282. ex ſuppreſſis lochiis. *ibid.* ex menſium obſtructione. 297. cum hæmorrhoidibus cœcis. 296. cum hæmorrhagia uteri alternante. 398 cum hyſtericis ſymptomatibus. 225. cum menſtruis alternante. 310. non niſi ſuborta graviditate curato, nec felicem impediente partum. 398. cohibito tumorum uteri cauſſa. 248. ejus cura. 298. *ibid.*

De fluxione aurium ſeroſa. 67. dolorifica pedum. 248.

Fœminæ cur præ viris ſint obnoxiæ morbis. 368

De fœtus mortui ſemeſtris variolis putrefacti excluſione. 223. ſimultanea cum vivo excretione. 29
- fonticulorum effectu in vitiis oculorum. 114
- fonticuli pedum exſiccatione per nimiam ſputationem facta. 17
- Freyenwaldenſis aquæ uſu. 168

Frictiones in paralyticis affectibus præ aliis externis nervinis conferunt. 43
De frigidi potus noxa. 185
- frigore pedis ſiniſtri. 227
- Furunculo in inguine. 205

G.

de GAlbaneto Paracelſi correcto. 208
- Gargariſmate nervino. 99
- Gelatinarum nutrientium præparatione. 406
- Genitalium partium affectu ſingulari. 295. atonia & impotentia ad generandum, ejuſque notis. 312. conſenſu cum oculis. 295. debilitate, ejuſque cauſis & cura. 214. 215. inflammatio gangrænodea ſub paroxyſmo febrili. 281. relaxatione nimia ac eroſione ulceroſa. 289. ſpaſmo. 269. peculiari cum generis nervoſi debilitate. 159. *ibid.* ulcere gangrænodeo lethali. 289
In glandularum obſtructionibus quæ proſint remedia. 408
Glandularum tumores repreſſi ad phthyſin & hecticam diſponunt. 113
- totius corporis induratione extincti Sectio. 114
- inguinalium tumores. 158. à terrore. 160. ex menſtruis terrore ſuppreſſis. 159. *ibid.*
- ſubaxillarium tumores. 408
- ſubcutanearum tumores. 112
- Gonorrhœa ſimplici benigna ex immodica venere. 283. ejuſque cauſſa. 284. *ibid.* num à balneis enaſci queat. 285. utrum proſint injectiones. *ibid.*
- - cum exulceratione renis dextri, colli veſicæ & proſtatarum. 291
- - diuturna cum inflatione ventriculi. 290
- - inveterata cum variis ſymptomatibus. 287. ab ulcere ſcirrhoſo proſtatarum. 285. ex veneris intempeſtivo uſu. 286. num in ea thermæ & balnea conveniant. 286
- - virulenta cum tophis. 289
- - - per adſtringentia male curata. 291
Gravidæ cur præ aliis morbis ſint opportunæ. 11. cur feroſæ adfectiones in iis invaleſcant. 94. cur ſub venæ ſectione in animi deliquia incidant. 310. quomodo illis vena ſecanda, *ibid.* quale regimen conferat ad obtinendum feliciter partum. 309
de Graviditate falſo imputata. 234. cur ſub ea ceſſent pathemata hyſterica. 396
- Gulæ inferioris ſpaſmo. 27
Gummata gallica quomodo differant à tophis oſſeis. 326
Gummi guttæ, ejuſque vires. 141
Guttæ roſaceæ repreſſio hemicraniæ cauſſa. 366. *ibid.*
de Gutta ſerena ex nimia venere. 295. à potu frigido in corpus calefactum ingeſto. 316. cum turbatione humorum oculi. 72. unius & obſcuratione periodica alterius oculi. 77. ejus ſignis. 83. cauſſa. 80. ſententia St. Yves de illa. 79
in Gutta ſerena commendantur mercurialia ac cinnabarina. 92. 81. ſulphur antimonii auratum. 81. aquæ Selteranæ cum lacte. *ibid.* nocent vomitoria & validiora vacuantia. *ibid.* num conveniant veſicatoria. 81. & aquæ minerales. 81

H.

de HÆmatophobia inſigni. 308
- Hæmoptyſi. 302. ejus cauſa ac præſervatione. 103. origine. 107. tanquam juvenili morbo. 106. in plethoricis facile contingente. 108. ex obſtructo viſcere. 147. ex vaſis aſperæ arteriæ. 14. 104. ex male curata ſcabie. 46. cum febre lenta poſt tuſſim graviorem. 105. 106. cum metu hecticæ. 106. cum pulmonum labe. 109. hypochondriaca. 13. 104. 105. ejuſque cauſſa. 14. à phthyſi præcavenda. 104. adſtringentibus tractata in phthyſin abeunte. 147. potu cereviſiæ revocanda. 15. nec non potu vini. 17. præcavenda per pediluvia. 103. 105. & venæ ſectionem. 105
Hæmorrhagiæ omnes abſolvuntur motibus ſpaſmodicis. 104. in iis nimiis commendatur aquæ frigidæ potus. 400
de Hæmorrhagia palati. 3
- - uteri. vid. uteri hæmorrhag.
Hæmorrhoidales venæ externæ quem habeant ſitum. 196
de Hæmorrhoidali affectu. 178
- Hæmorrhoidibus quid indicent. 394. cum menſtruis conſentientibus. 198. earumque ſuppreſſionem excipientibus. 197. cum podagra conſpirantibus. 375. *ibid.* loco fœtus nono ab impræ-gnatione menſe prorumpentibus. 282. colicam tollentibus. 185. hemicraniam levantibus. 6. in puero ſeptem annorum fluentibus. 352
de Hæmorrhoidibus albis. 277. veſicæ. 283
- - cœcis, earumque generatione. 32. cum fluore albo. 165. curatione. 198
- - inordinatis in fœmina. 198
- - nimiis. *ibid.* in virgine. 243. tinctura quadam provocatis. 222. earum cauſſis. 394. 395. cura. 223. num proſint Carolinæ. 199. commendatur venæ ſectio in brachio. 199
- - palati. 115
- - ſuppreſſis à refrigeratione. 199. à tertiana male curata. 395
- - - ſanitati labem inferentibus. 182. 281. ſoporoſi affectus cauſſis. 21. ſpaſmi ventriculi cauſſis. 98
- - ſymptomaticis. 175. 273. 369. an in malo hypochondriaco ſemper ſint accuſandæ. 175
- - veſicæ ex male tractata purpura ſcorbutica. 277
- - per urinam. 89
Hæmorrhoidales motus ſæpius inducunt morbos paralyticos. 43
Hæmorrhoidalia ſpaſmodica pathemata an à pilulis Becheri, reſinæ jalappæ nuptis prognaſci queant. 201
Hæmorrhoidum fluor an arte promoveri queat. 6. *ibid.* 189. 180. 368. 401. quo ſcopo commendantur Carolinæ. 187. Egranæ. 201
Hæreditarii morbi per periodos recurrunt. 320. curatu ſunt difficiles. 320 per aquas minerales commodiſſime oppugnantur. 320
de Hectica lethali poſt partum. 402. cum pathematibus hypochondriacis. 401. cum vomitibus & diarrhœa. 110. ejus metu poſt hæmoptyſin. 106
- Hemicrania variis ſymptomatibus ſtipata. 164. & ſeq. pertinaci cum febre continua invaleſcente. 319. ab arthriticis doloribus ceſſantibus. 3. ſuppreſſis. 5. ex coryza ſuppreſſa. 4. ex gutta roſacea repulſa. 3. periodica. 365. cujus fomes

fomes in primis plerumque viis hæret. 6. rara, ejuſque cauſſis ac cura. 3. tertianæ febri ſuccedente. 5. cum hemiplexia. 31. cum ophthalmia. 5. faucium puſtulis ſanata. 159. mercuriali cura tractata, hemiplexiæ cauſſa. 4
- Hemiplexia variis medicaminibus fruſtra oppugnata. 29. 34. ex cura mercuriali in hemicrania. 5. ex affectu rheumatico-arthritico. 35. cum hemicrania. 31. qualis in ea ſit deglutitio. 30. 37. an conferat venæ ſectio repetita. 29. vomitoriorum uſus. 30. vinum, aquæ minerales ac balnea. 38. ſpecificum ex ſale culinari ad eam. 31
ad Hepatis vitia ſapo balſamicus. 190
de Hepatis vulnere. vid. vulnus hepatis.
- hernia inguinali. 271. peculiari. 239. ex vomitorio. 278. ex equitatione. 287
- - inteſtinali paſſionem iliacam minante. 238. ejuſque cauſſis & curatione. 239
- - ſcrotali. 264. & præcavendi illius incrementum ratione. 265
- - ſcroti aquoſa. vid. hydrocele.
- - varicoſa. 311. ejus cauſſa. 312. cura. 314. an ad ſterilitatem contribuat. 312
Heurnii pulvis contra hæmoptyſin. 28
de Hirſchbergenſium aquarum effectu. 45
- hirudinum ſelectu & modo adhibendi 281. 325. uſu ad hæmorrhoides promovendas. 238. cœcas. 224. ad ſpaſmum pectoris & cervicis. 35. an ipſis venæ ſectio præmitti debeat. 261
- horrore corporis circa nonum diem in febribus acutis contingente, mali ominis. 420
Humorum circulus retardatur ab atonia partium ſolidarum. 318
- - per uterum quot modis queat turbari. 304
- commotiones verno potiſſimum fiunt tempore. 74
Humorum diatheſis venerea tenaciſſima qua ratione poſſit oppugnari. 287
- dyſcraſia quomodo generetur. 134. 162. 227. 263. 346. 407. 420. à raritate variolarum poteſt proficiſci. 82. qua ratione ad calculum & podagram contribuat. 263. quæ pariat damna. 369. commendantur ad eam acidulæ Pyrmontanæ. 346
Humorum dyſcraſia ſcorbutica dolorum arthriticorum & podagricorum eſt cauſſa. 321
- impuritas quomodo à potu frigido repente queat generari. 317
- raptus ad caput quæ inducat ſymptomata. 349
- vitium non ſemper in morbis eſt accuſandum. 142
Humores oculi. vid. oculi humores.
Hydrocele, ejuſque ſingulari ſpecie. 240. quotuplex ſit. 241. ejus generatio. 241. curatio. *ibid.* cur in ſiniſtro latere ſit frequentior. 241. num ſuadenda in illa ſit exſtirpatio teſticuli. 241
de Hydrope ex aſthmate reſultante. 141. 257. ex podagra retrocedente. 256. ex podagra repreſſa, & cohibitis hæmorrhoidibus. 141. ex impedito per hepar ob cohibitas hæmorrhoides circulo. 257. cum aſthmate complicato & perperam curato. 139. hæreditario. 21. ejuſque ſubjectis. 251. defuncti ſectione. 258. 140. præcavendo per Carolinas. 257. 258. num conferant purgantia. 141. peritonæi, ejuſque generatione. 241
de Hydrope pectoris, ejuſque origine. 136
- hydropico tumore cum metu tympanitidis. 255. ejuſque ſignis. 259. 255. in quo neceſſaria eſt potentior alvi vacuatio. 253
Hyems. vid. autumnus.
de Hypochondriaca paſſione. 202. 205. 273. in fœmina cum fluore albo. 206. cum hæmoptyſi & vertigine. 13. cum tumore eryſipelaceo pedis. 206. cum vertigine. 19. ex dyſenteria adſtringentibus cohibita. 328. ex hæmorrhoidum anomaliis. 200. 205. num iis ſemper debeatur. 116. à crebris purgantibus. 152. quæ ejus ſit proxima cauſſa. 204. 210. 217. 7. quæ remotiores. 104. 204. 210. 219. medicorum variæ opiniones de ea. 204. quæ vera ſedes. 167. 219. in ea maxime inteſtinum colon patitur. 387. qua ratione hæmoptyſin producat. 15. & quomodo ſpirandi anguſtia inde naſcatur. 126. cur in ea omnes actiones corporis afficiantur. 210
- - hyſterica paſſione ex ſuppreſſis ſubito menſtruis. 207. cum calculo veſicæ felleæ. 231
de Hypochondriaca ſcorbutica paſſione, in qua commendantur acidulæ Selteranæ cum lacte. 214. nec non Spadanæ. 372
- - ſpaſmodica paſſione. 210. 371. in qua commendantur Carolinæ. 212. balnea aquæ dulcis. 212
- - - cum debilitate vaſorum ſpermaticorum & partium genitalium. 214. cum febrili commotione, & intercurrente purpura. 212
- - - flatulenta paſſione. 215. 217. functiones animales turbante. 218. in qua commendantur Egranæ. 217
Hypochondriaci paroxyſmi cura. 204. 212. 291. qualis conveniat victus. 168. num venæ ſectiones, purgantia, aquæ minerales ac theriacalia conferant. 168. *ibid.* & vomitoria. 168. 204. cur hypochondriaci thermas Carolinas vomitu reddant. 204
de Hypochondriaca melancholia. vid. melancholia hypochondriaca.
- hyſterica paſſione. 223. circa menſtruum tempus invadente. 310. ſub menſium fluxu infeſtante. 227. ſub graviditate ceſſante. 396. cum motibus convulſivis, ac epilepticis ſtipata. 233. cum fluore albo. 225. quo in caſu Pyrmontanæ cum lacte commendantur. 226
- hyſterici paroxyſmi deſcriptione. 358
- hyſtericis & hypochondriacis affectibus ex crebro partu & abortu. 308
- hyſterico ſcorbutico malo. 226
- - ſpaſmodico affectu. 227. ex lochiorum menſiumque retentione. 229. cum corporis conſumtione. 338. cum tumore pedis œdematoſo. 230. vid. ſpaſmi hyſterici.
- - melancholia. vid. melancholia hyſterica.

I.

JAlappæ reſina fovet ſal acre ſubtiliſſimum. 151. cum ſalibus mixta potentius operatur. 152. qua doſi ſit propinanda. 152. in corpore facile coagulatur. 152. quod non fit, ſi cum amygdalis fuerit trita. 202
de Ictero ex ductuum biliferorum ſpaſmo. 143. 142. 185. 242. ex iracundia. 243. ex atonia ductuum biliferorum. 243. ex calculo veſicæ felleæ. 243. 189. brevi ante partum invadente. 309. cum colica alternante. 189. eique ſuperveniente. 185. diuturno emeticis feliciter oppugnando. 242. 243
- - nigro ex repulſo circa regionem hepatis eryſipe-

ſipelate lethali. 313
Ileos hæmatites Hippocratis num ſignificet colicam hæmorrhoidalem. 178
de Imaginibus ante oculos obverſantibus. 74
- impræ gnatione præcoci vires corporis proſternente. 211
- incontinentia urinæ ex dyſuria. 278. ex tumore pedum præpoſtere tractato. 269
- incubi exemplum. 26
- infantum lactentium natura. 153
- inflammatione inteſtinorum ex cohibitis hæmorrhoidibus. 182. quæ præcaveri venæ ſectione poteſt. *ibid.*
- inflammatoria congeſtione renum. vid. Renes.
- - febri lethali. 419
- inflatione ventriculi Carolinis ſanata. 163
- - - cardialgica cum hemicrania. 164
- - - & duodeni hypochondriaco ſpaſmodica. 166
Infuſum theiforme. 24. 48. 49. 66. 105. 112. 124. 161. 183. 208. 209. 215. 219. 247. 252. 263. 283. 349. 361. 387. in epilepticis affectibus. 359. in nephritide. 267. in oculorum adfectibus. 74. in veſicæ adfectu. 275
Infuſum vinoſum. 298. aperiens. 191. ad corrigendam humorum acrimoniam. 46
de Injectionum noxis in gonorrhœa benigna. 285
Inſecurum quid dicatur in medicina. 153
Intermittens febris. vid. febris interm.
de Inteſtinorum conſenſu cum pedibus. 178. eroſione acidularum frigidarum potum haud ferente. 238. ſpaſmo. vid. ſpaſmus inteſtin.
- iracundiæ effectibus in corpus. 365. 420. præſertim in vias biliferas. 233. unde fit icterus. 242. & ſiſtendo menſium fluxu. 64
- iſchuria peculiari. 333. *ibid.* à relaxatione ureterum. 333. ab atonia veſicæ. 334. ejuſque cura. 334
- juſculis medicatis. 15. 249. 402. eorumque utilitate in cachecticis morbis. 395

L.

LAc quomodo corrumpatur in nutricibus. 152. infantibus. *ibid.* non convenit in deſtructo ventriculi tono. 229
de Lacte aſinino, ejuſque viribus. 364. præſtantia præ reliquis lactis generibus. 341. 397. eo utendi ratione. 397. illud commendatur in corporis infirmitate ex nimio veneris uſu. 295. in lenta febre. 397. hyſterico malo cum conſumtione corporis ſtipato. 339. melancholico affectu. 62. in ſcorbuticis morbis. 370. ſenibus. 92. in tuſſi phthyſica. 120. disſuadetur in cachexia invaleſcente. 142
Lac aſininum acidulis Selteranis nuptum commendatur in aſthmate convulſivo. 137. ſpaſmodicis. 341. & convulſivis affectibus. 353. 358. vid. Selteranæ.
Lac caprinum levat tuſſim. 109
Lactei liquoris ex mammis effluxus in fœmina ſterili unde derivandus. 100. 101
Lactantes fœminæ in puerperio melius habent quam aliæ. 2
Lactentium infantum natura. 153. an iis conveniat purgans acre ex reſina jalappæ & mercurio dulci. 149. 153
Lauchſtadienſia balnea corpori nimis debilitato nocent. 42
Laxantia typum febrium acutarum pervertunt. 87. vid. pulvis & potio laxans.
de Lentæ febris origine. 397. diagnoſi ex pulſu. *ibid.* ætiologia. 399. 400. *ibid.* curatione. 397. 393. præſervatione. 392
- lenta febri ex hæmorrhoidibus male ſuccedentibus. 201. ex intermittente male curata. 392. 393. cum atrophia. 243. cum hæmoptyſi. 105. cum nimio menſium fluxu. 397. à redeuntibus menſtruis exſpirante. 398. per lac aſininum curata. 396. ejus metu poſt catarrhalem & purpuratam. 400
de Lichenibus. 285
- Lienteria cum malo ſpaſmodico-flatulento ab eroſione tunicarum inteſtinalium. 237
de Ligaturarum uſu. 380
- Linguæ peculiari refrigeratione. 138. 137. cum ore concretione. 86
Linimentum antiſpaſmodicum. 36. balſamicum. 163. 26. ad debilitatem pedum. 246. nervinum. 53. 87. 209. 353. ad imbecillitatem ventriculi. 84. in paralyticis affectibus. 31. niveum ad membra paralytica. 33. roborans. 355. 358. ſpirituoſum 330
de Lippitudine ſeroſa. 75
Liquor anodyno-mineralis commendatur in quartana. 390. purpura chronica ſcorbutica. 411. ejuſque peculiaris effectus. 412
- balſamico-traumaticus. 195
Litus ad paralyſin. 34
Lixivium ad paralyticos affectus. 33
de Loquendi impotentia naturali. 86
- lochiis non ſuccedentibus fluoris albi cauſſis. 298
- lumbrico vivo è naribus excreto. 51
Lumborum dolor cur omnes fere ſpaſmodicos ac convulſivos antecedat morbos. 136
de Lunæ potentia in corpus humanum. 350
- luxatione femoris ex cauſſa interna. 246. & hinc pendente atrophia. 245
Lymphaticorum intra duplicaturam peritonæi hærentium vaſorum ruptura diſponit ad hydrocelem & hydropem peritonæi. 241
de Lypothymia rara. 20. epilepſiam excipiente. 65. cum epilepſia inveterata. 55. ejusque cauſſis & origine. 20. 202. unde gravidis ſub venæ ſectione eveniat. 310

M.

de MAculis totum corpus occupantibus. 316
- Magneſiæ albæ effectu. 328. ſiniſtro. 194
- malignis febribus, earumque ſignis. 419
- maligna petechiali. 420
- manageti decocto laxante. 31
Mannata in morbis ſpaſmodicis ſunt tutiſſima laxantia. 377
de Mania ex terrore in puerpera feliciter curata. 64. in qua valde commendantur balnea aquæ dulcis. *ibid.* per venæ ſectionem exacerbata. 62
- Maniaco melancholico affectu. 62
- Maraſmo ſenili. 404. funeſto. 405
Martialia an in cachecticis affectibus. 189. ac menſium ſuppreſſione adhiberi queant. 301
de Maſticatorio Wepferiano. 9
de Meditationibus morbos convulſivos excitantibus. 350
- Melancholico affectu. 58. 59. ab inſigni triſtitia. 61. peculiari à nimia nervorum tenſione. 60. cum ſpaſmodicis affectibus complicato, ejusque cauſſa.

cauſſa. 572. ejus paroxyſmi deſcriptione. 59. in eo commendatur aëris mutatio. 63. fons Egranus. 59. lac aſininum. 62. Succoladæ potus præ infuſo Thée & Coffée. 61
- - maniaco affectu. 62. in quo commendantur balnea Tœplicenſia. 61. Selteranæ cum lacte. 62. 64
- Melancholia hypochondriaca. 119. à retenta purpura. 220. eaque ſub potu Egranarum rurſus efflorescente ſanata. 202. à cauſtica materia nervis inſidente ſæpe generata. 221. cum nimiis hæmorrhoidibus ſtipata. 222. in ea commendantur fontes Spadani vel Schwalbacenſes. 220
- - hyſterica. 234. ex menſium imminutione. 235. 236. in qua commendatur aqua frigida. 236. & fons Selteranus lacti nuptus. 236
- Meliſſa nervis amica. 238. memoriam confortante. 293
Memoria cur à nimio veneris uſu labefactetur. 295
de Memoriæ debilitate poſt fonticulum exſiccatum. 6. ex terrore. 7. à vertigine. 10. ob largas venæ ſectiones epilepſiæ accedente. 56
Menſes magnum cum hæmorrhoidibus habent conſenſum. 198. rite fluentes ſublevant inſultus epilepticos. 50. cur circa illorum tempus ſpaſmodici affectus exacerbentur. 304. quot modis queant irregulares eſſe. 304
de Menſium ceſſatione cauſſa variorum morborum. 230. 323. 333. *ibid.* ſpeciatim plethoræ & cacochymiæ. 2
- - imminutione. 331. *ibid.*
- - inordinato fluxu. 305. 398. à ſuppreſſis intermittentibus. 395. ab uteri vitio poſt puerperium relicto. 342. graviſſimis ſymptomatibus ſtipato. 303
- - nimio fluxu cum frequenti abortu & molarum excretione. 305. cum febri lenta. 398. cum grumorum ſanguineorum excretione. 398
- - obſtructione diuturna male tractata. 301. à male curata tertiana. 301. poſt febrim quartanam. 100. poſt febrim malignam. 302. 101. cum virium languore. 302. ejus cauſſis. 301. quomodo fluor albus inde naſcatur. 297. multorum morborum cauſſa. 302. 304. facto itinere reſerata. 32. an ad eam referandam poſitiva dentur remedia. 302. quomodo molienda reſeratio. 236. 332. quo fine commendantur Carolinæ. 101. 210. 303
- Menſium ſuppreſſione ex iracundia. 64. ſubitanea ex terrore. 197. 240. per potum frigidum calenti corpori ingurgitatum. 227. multorum malorum cauſſa. 227. 65. poſt partum hecticæ cauſſa. 403. delirii periodici & motuum epilepticorum cauſſa. 64
cum Menſtruatis factus concubitus an ſit noxius. 284
Mercurius pro ſalivatione excitanda num interne an externe ſit adhibendus. 287
- dulcis quomodo paretur. 151. caute eſt uſurpandus. 151. alias ſontica machinatur mala. 40. movet ſalivationem & alvi fluxum. 151. præſertim ſi nubatur ſalibus. *ibid.* hinc ſcorbuticis neutiquam convenit. *ibid.*
Mercurialia remedia commendantur in gutta ſerena. 81. & morbis à ſtagnatione lymphæ oriundis. 71. maxime ſi cum diaphoreticis maritata fuerint. 317. ubinam contra indicentur. 4. diſſuadentur in ſcorbuticis. 365. ſine regimine adhibita ſunt ſemper pernicioſa. 82. 316
de Mictu cruento nativo cum peculiaribus ſymptomatibus ſtipato. 267. ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis. 261. potum Pyrmontanarum excipiente. 271. 272. cum incontinentia urinæ ex tumore pedum præpoſtere tractato. 269. rariori ex ramo venæ hæmorrhoidalis externæ hypogaſtricæ. 269. ſeq.
- - difficili ſub alvo impeditius ſuccedente. 260. à calculo veſicæ. 270. à caruncula urethræ innata. 287. in maligna petechiali. 421. 422
de Mictu dolorifico. 271. 283
- Mingendi ſtimulo. 277. *ibid.* cum teneſmo ex ſpaſmo veſicæ. 273. ex vitio ſphincteris veſicæ. 271
Milii ſemen cum lacte commendatur ad tumores ſcirrhoſos. 248
Milleſolium vi pollet antiſpaſmodica. 172
Minerales aquæ. vid. aquæ minerales.
Mixtura antepileptica. 51. antihyſterica. 234. antiſpaſmodica. 340. bezoardica. 36. ad cardialgiam. 166. diaphoretica. 44. 299. diaphoretico ſedativa. 358. roborans. 400. ſimplex præſtantior eſt, quam reliqua alexipharmaca in acutis febribus. 28. topica ad ulcera ſcorbutica. 378
Mœror proſternit vires corporis. 210. 211. quæ damna excitet. 332
Mola quibus indicetur ſignis. 282. ejus excretio. 305. 337
- nutritionis quid ſit. 259. unde oriatur. 259. cur poſt ſe trahat pedum œdemata. *ibid.* ab initio venæ ſectione arceri poteſt. *ibid.* fruſtra oppugnatur purgantibus. *ibid.* quomodo curanda. 320
Molares thermæ. vid. Carolinæ.
Morſus vehementioris exemplum in epileptico. 47
Motus corporis quo tempore ſit inſtituendus 167. 322. quem habeat uſum. 181. præſertim in chronicis morbis. 346. ejuſque neglectus quæ moveat damna. 383. ipſius aſthma & ſpaſmum præcordialem inducentis exemplum. 125

N.

de NAuſea nocturna. 288
- Nephritide ſimplici. 265. ejuſque cauſſa & cura. 266. 321. quomodo generetur poſt menſium ceſſationem. 334
- - calculoſa. 266. poſt menſium ceſſationem. 404. num in ea conferant thermæ Tœplicenſes. 267
- Nephriticis paroxyſmis rite oppugnandis. 192. 193. 267
Nervina potio. vid. potio nervina.
Nervorum cerebri induratio locum non habet. 80
- morbi quotuplices ſint. 80. in iis commendatur aëris mutatio. 63
- obſtructio non datur. 80
- opticorum paralyſis. 79. unde ſuboriatur in gutta ſerena. 81
- par quintum per quæ loca diſtribuatur. 366
Nervorum tenſio quos in corpore producat effectus. 60
Nervoſi generis debilitas unde cognoſcatur. 312. unde contrahatur. 163. quorſum corpora diſponat. 312
de Nervoſi generis debilitate, & apoplexia præcavenda. 24. cum auditu gravi. 69. cum excreſcentia ani. 197. cum purpura alba & rubra,

bra. 411. 412. cum ſpaſmo variarum partium. 159
Nicotianæ uſus num noceat hypochondriacis. 205
Nigri vomitus. vid. vomitus.
Noxium quid dicatur in medicina. 153
Nux moſchata cum ſaccharo in tuſſi commendatur. 148

O.

OBeſi ad hydropem minus proclives dicuntur. 251
ad obeſitatem imminuendam commendatur potus Thée. 310
Obſtructio nervorum non datur. 80
- viſcerum. vid. viſcera.
de Oculorum conſenſu cum partibus genitalibus. 295. convulſione ſub ſomno. 37. dolore cum ſuffuſione. 74. humoris aquei turbatione. 73. *ibid.* vitrei ac cryſtallini turbatione cum gutta ſerena. 72. maculis, earumque cauſſa. 73. ad quas pinguedo viperarum commendatur. 74. morbis ex nimio veneris uſu. 294. *ibid.* nubeculis. 93. obnubilatione peculiari. 244. *ibid.* panno ex nativa ſuccorum impuritate. 114. prominentia extra orbitam. 73. varicibus. 79
de Oedemate. vid. tumor œdematoſus.
- œſophagi atonia in acutis. 420
- - obturatione ab excreſcentia, ejuſque ſignis. 97. à fruſto carnis. *ibid.*
- - repletione à copioſa pituita. 102
- - ſpaſmo. vid. ſpaſmus œſophag.
in Oeſophago ſubſiſtentia ciborum à tumore glandularum. 113
de Olei animalis Dippelii effectu. 51. 356. ejuſdem cum eſſentia aſæ fœtidæ permixti effectu. 58
- - caryophyllorum virtute in ſphacelo à cauſſa interna. 383
- Ophthalmia cum hemicrania. 14. ſcorbutica diuturna. 75
- Opiſthotono affectu. 353
- Oris diſtorſione in hemiplexia. 29
- Oſſis ſacri doloribus. 110. & emplaſtro ad illos. *ibid.*

P.

de PAlpebrarum oculi peculiari convulſione. 351
- palpitatione cordis vehementi cum aſthmate. 137. à polypo cordis. 138. à terrore. 338. à decubitu in latus ſiniſtrum exacerbata. 337. poſt paſtum. 219. poſt ſomnum. 21. cum ſenſu reniſus inter umbilicum & epigaſtricam regionem. 135. & ſeqq. cum ſenſu roſionis in ſcrobiculo cordis. 231
Paracenteſis num conferat in tympanitide. 254
de Paralyſi in infante à repulſis ſudoribus. 43. in puero. *ibid.* ſæpius recurrente. 42. cum purpura. 41. leviori cum dyſuria. 45. lateris dextri. 38. ſiniſtri. 39. dentitionem rariſſime excipiente. 43. diſpoſitione ad illam. 25
- - faciei. 69
- - nervorum opticorum. 79
- - pharyngis. 98. ex ſolo terrore nata & cum ſpaſmo œſophagi complicata. 99. cito curata. 36
Paralytici affectus ſæpius ex hæmorrhoidum anomaliis. 43. nec non purpuracea materia ſuboriri poſſunt 43. in iis viſcera quoque interna à tono ſuo ſunt dejecta. 117. & pulſus in læſo brachio debilior, quam in ſano. 33. 37. in infantibus temporis diuturnitate ſponte cedunt. 44. eorum curatio cur ſit difficilis. 38. quæ ſint fugienda. *ibid.* qualis potus conferat. 39. in iis melius eſt ſcarificare, quam crebro venam ſecare. 43. præſtant frictiones. 43. ad illos balſamum. 32. linimentum. 33. litus. 34. lixivium. 33
Partus cur primiparis ſit difficilis. 415
Paſſulas rhabarbarinas parandi modus. 245. 309
Pectoralia nocent in hæmoptyſi. 104
Pectoris vitiis quinam ſint obnoxii. 148. commendantur in iis pediluvia. 139. num conferant acidulæ. 127. 123. thermæ Carolinæ. 105
Pediluvia commendantur ad hæmoptyſin præcavendam. 104. 105. in pectoris vitiis. 139. in ſpaſmodicis affectibus. 387. ſomnum conciliant. 60. de illorum ſiniſtro effectu. 331. præſertim in vertigine. 17
de Pedum aridura. vid. aridura. conſenſu cum femore. 248. cum inteſtinis. 189 contabeſcentia. 334. debilitate paralytica. 44. peculiari. 227. ſumma. 246. frigore peculiari. 327. motus abolitione ex prava curatione poſt lapſum. 378. rigiditate. 364. ſudoribus. vid. ſudores. torpore. 347. ratione in omnibus morbis habenda. 304
- penis erectione ſub paroxyſmo ſpaſmodico. 160. unguentoque ad ejus erectionem juvandam. 290. retractione peculiari. 295. vid. genitales partes.
Periculoſum quid dicatur in medicina. 153
Periodici morbi fomitem ſuum in primis viis habent. 78
de Petechiali febre. vid. Maligna petech.
Phantaſia quomodo turbetur. 223
de Pharyngis deſcriptione anatomica. 97. atonia. 96. ſumma. 100. paralyſi. vid. paralyſis pharyngis. ſpaſmo vid. ſpaſmus pharyngis.
- Phtyſi ex hæmoptyſi adſtringentibus tractata. 147. pulmonali funeſta. 118. cum delirio defuncti ſectione. 110
Pilulæ anodyno-catharcticæ. 108. anthelminticæ. 351. 359. antiſpaſmodicæ. 18. 58. 96. 138. 158. balſamico conſolidantes. 278. Becherianæ nimis exſiccant. 244. quod averti poteſt, ſi brevi ante prandium ſumantur. 3. eædem cum reſina jalappæ mixtæ num pathemata ſpaſmodico-hæmorrhoidalia producere queant. 201. laxantes. 53. 67. 75. 367. 393. ad menſtrua promovenda. 342. polychreſtæ dictæ in nervorum morbis ſæpe ſunt noxiæ. 213. earundem, & quæ contra obſtructiones audiunt nimius uſus eſt noxius. 58. purgantes. 87. 288. 290. 292. 315. roborantes. 169. 355. de ſtyrace commendantur in tuſſi ſicca. 168
de Pituitæ nimia ex ore rejectione cum pathematibus hypochondriacis. 88. ejuſdem poſt paſtum infeſtantis cauſſa. 123
Plethora quæ damna corpori inferat. 179. 336. quomodo in gravidis præcavenda. 309. augmento corporis præcavetur. 180. plethoricis qualis eſſe debeat victus. 180
de Pleuritide ſpuria, ejuſque cauſſis. 146. una cum vera feliciter expugnata. 145. vera vitium primarum viarum excipiente. 146. anodyna non ferente. 147. dolore hypochondriorum ſtipata. *ibid.*
- Podagra cum hæmorrhoidibus conſentiente. 375. ex hæmorrhoidibus perturbatis. 6. ex ſudoribus pedum ceſſantibus. 263. ex catarrhis. 373. cum calculo renum alternante. 263. adoleſcentis. 374. hæreditaria, ejuſque natura.

natura.374. ſanguineo-hæmorrhoidali. 375. inveterata, ejuſque natura.374. ejus eruptione à ſaburra inteſtinorum retardata.183. topicis exacerbata.377. infuſo purgante retropulſa.161. repulſa colicæ cauſſa. 183. œdematis cauſſa. 139. ſpaſmorum vagorum cauſſa. 329. ulceris linguæ cancroſi cauſſa.91. in paroxyſmo rite tractanda. 373
- Pollutione nocturna. 293. moleſta. 213. crebra. 294. 295. cum excretione ſeminis involuntaria. 423. & noxis exinde reſultantibus. 493
de Polypo cordis aſthmatis cauſſa. 131. ejus origine. 133. ſignis. 138. facili generatione in plethoricis. 125. præſervatione per Carolinas. 138
Potio analeptica. 120. 276. 404. contra calculum Abelii. 261. diaphoretica. 411. mannata. vid. laxans. nervina. 62. 406. laxans. 22. 46. 76. 78. 102. 103. 105. 106. 115. 118. 124. 164. 170. 184. 187. 196. 209. 218. 220. 245. 253. 257. 276. 286. 289. 295. 297. 325. 326. 345. 347. 351. 362. 365. 371. 403. laxativo-emetica. 5
Potus qualis conferat hypochondriacis. 168. frigidus ſub fluxu excretionum ſanguinearum noxioſiſſimus. 304. ad repentinam humorum impuritatem contribuit. 317
de Præcordiorum anxietate à teneris infeſtante. 55. inflativa. 204. ejusque cauſſa. 65. & remedio. 204.414.
- Præputii tuberculo, & cataplaſmate ad illud. 160
Primiparis cur ſit difficilior partus. 416
*Printzens Tropfen* quidnam ſint. 172
de Proſtatarum ulcere ſcirrhoſo, gonorrhœæ diuturnæ cauſſa.286. & ſeq. & curatione.
de Pruriginoſo puſtulari affectu. 317
- Pruritu pedum demulcendo. 36
- Pſoræ curatæ exemplo. 13
- Puerorum morbo. 113
Puerperis cur ſit familiaris purpura.414. purpura alba.415. purpurata febris. 413. infenſus eſt terror. 64
de Pulmonum infantis vivi deſcenſu in aquam.121. ejusque cauſſa. 121. calculis, eorumque generatione.147. labe cum hæmoptyſi. 109. ejusque ſignis & cauſſa. 110. ex tuberculis ſcirrhoſis. 117. ſcirrhis eorumque generatione. 148. tuberculis. 147. iisque medendi ratione. 114. in pulmonum vitiis commendantur Selteranæ lacti nuptæ. 105. vulnere. vid. vulnus pulmonum.
Pulſus in paralyticis affectibus læſi brachii debilior eſt, quam in ſano. 37.33
Pulvis antepilepticus Stahlii. 54. Hoffmanni, ejusque egregia in epilepſia virtute. 49. antiſpaſmodicus. 11. 161. 229. ejusque nimio uſu noxio. 89. bezoardicus. 76. 361. contra calculum Abelii. 261. cephalicus. 219. Cornachini commendatur in hemiplecticis affectibus.38. diaphoreticus. 367. 386. ad gonorrhœam. 290. 292. Heurnii contra hæmoptyſin. 28. incidens. 387. laxans.73. 284. 297. 346. in oculorum affectu. 74. in ſenibus. 70. laxans rhabarbarinus. 6. 10. 19. ad motus irregulares. 309. ad nephritidem præcavendam. 267. nervinus. 39. 344. 353. 362. nervino antepilepticus. 53. in phtyſi. 113. præcipitans. 63. 87. reſolvens. 73. 82. roborans. 78. 93. 238. ad genitalium partium affectum. 295. ad gonorrhœam. 286. ſternutatorius in auditus difficultate. 68. in capitis ſeroſis affectibus.34. in epilepticis morbis. 49. in viſus obſcuratione. 77. ſternutatorio-cephalicus. 3. ſtomachicus. 71. 84. 98. 348. temperans. 129. 225. 219. 365
Purgans ex reſina jalappæ & mercurio dulci num lactentibus ſit propinandum. 149 153
Purgantia fortiora ac crebro data varia machinantur mala. 141. 152. inducunt malum hypochondriacum. 152. evacuant ſerum ac lympham laudabilem. 154. relinquunt alvum pigram. 59. inducunt icterum. 242. febrem. 154. in perverſo hæmorrhoidum ſucceſſu uſurpata hydropem accerſunt. 254. poſt iram ſunt inſtar veneni. 143. num conveniant in hydrope. 435. in malo hypochondriaco. 142
de Purpuræ origine. 414. ſubjectis. 414. ſymptomatibus, eorumque ætiologia. 221. 414. cauſſis. 414. diſtinctione in albam & rubram. 413. in acutam & chronicam, *ibid.* puerperis familiari. 414. in hemiplecticis per affectum latus copioſius erumpente. 31. cum colica alternante. 184. ejus cura ac præſervatione. 414. 416. commendantur Selteranæ & Egranæ. 221. diſſuadentur Sedlicenſes. 111
- - alba puerperis funeſta. 415. alba & rubra cum ſumma generis nervoſi debilitate. 411
- - chronica contumaci. 406. ejusque cauſſis. 407. 408. 221. cura. 408. cur ſit contagioſa. 221. in ea commendantur Selteranæ cum lacte. 408 411.413
- - ſcorbutica pertinaci. 409. 410. peculiaribus ſtipata ſymptomatibus. 145. paralyſi juncta. 41
- - urticata cum ſpaſmis hypochondriorum alternante. 213
- Purpurata puerperarum febre. 413
in Purpuratis morbis noxium eſt regimen calidius. 41.42
Purpuracea materia ſæpius fovet morbos paralyticos. 43. haud ſatis foras truſa quomodo expellenda. 2
de Puſtulari pruriginoſo affectu. 317
Pyrmontanæ ſupponunt integrum ventriculi robur. 25. hinc non conveniunt ſenibus. *ibid.* nec in morbis capitis ac pectoris. 117. movent calculos. 24. commendantur in cacochymica humorum dyscraſia. 328
- cum lacte commendantur in humorum dyſcraſia. 346. in ſcorbuticis ac ſpaſmodicis affectibus. 314. in paſſione hyſterica cum fluore albo. 226

Q.

de QUartana cum hæmorrhoidibus cœcis. 214. cum obnubilatione ſenſuum. 98. in gravida impune tolerata. 225. 389. ejusque cauſſis. 390. & cura. & ſeqq. menſium ſuppreſſionem poſt ſe trahente. 303. an corpori inferat utilitatem. 186. an conveniat in ea venæ ſectio. 390
- quotidiana intermittente. 244
- - continua poſt cohibitam diarrhœam. 393

R.

de RAdmansdorffenſibus aquis. 194
- raucedine, ejusque cauſſa. 102. ſingultum excipiente. 354. tuſſi phtyſicæ ſuperveniente. 120. diuturna cum tuſſi & copioſa pituitæ lentæ excretione. 101. illius remedio. 102
- Recti inteſtini eroſione ulceroſa. 195. ſpaſmo. 194

de Regiminis calidioris noxa in morbis purpuratis. 41. 42. circa venæ ſectionem. vid. venæ ſectio.
Remediorum continuus ſub tempeſtate calidiori uſus num ſit proficuus. 16
de Renum calculo. vid. calculus renum.
- - ac veſicæ exulceratione ſubita à repreſſis hæmorrhoidibus. 260
- - ſiniſtri inflammatoria congeſtione. 8
in Renum vitiis commendantur Selteranæ lacti nuptæ. 265
de Rhabarbari anima. 190
Rheumatiſmi quibus familiares ſint ſubjectis. 106
de Rheumatiſmo lumbari, ejuſque cauſſis. 324. 325
- - pulmonali. vid. tuſſis rheumatica.
- - ſcorbutico. 342. 344. 345. 346
- - ſpaſmodico. vid. ſpaſmod. rheum.
Riverius præſtans fuit medicus. 28
de Roſione peculiari circa cordis ſcrobiculum. 231. 231. 232.
- - ventriculi perpetua potu ſeri lactis ſublata. 174
- Ructuoſo morbo ex impedito hæmorrhoidum fluxu. 199. periodico, diriſque ſymptomatibus ſtipato. 129

S.

SAbulum num ſemper indicat præſentiam calculi. 178
Sacculus ad debilitatem partium genitalium. 215. ad gonorrhœam. 285
Sal aperitivum. 57. 220. 386. ejusque virtutes. 130
- volatile Anglicanum parandi ratio. 76
de Salivatione ſpontanea. 162. cum faucium exulceratione. 94. hemicraniæ ſuperveniente. 4. copioſa poſt uſum nimium pulveris ſternutatorii. 249. in cachectica, ejuſque cauſſis & curatione. 89. ſeq. nimia unde oriatur, & quomodo præſervet pedum œdemata. 407. in variolis quid portendat. 419. violenta. 365
Salivatio mercurialis commendatur in gutta ſerena. 73. obſcuratione viſus. 81. tumore teſtium. 292. diſſuadetur in epilepſia. 46. ſine regimine noxia eſt. 375
Sanguis coagulatus quo experimento cognoſci queat. 166. ejusdem è pulmonibus rejecti fœtor ſcorbuticus. 14. circulus irregularis animum quoque afficit. 229
Sapo balſamicus. 190. laxans. 48
Saporis quæ ſit cauſſa. 85. amari quæ ſit cauſſa. 85. corrupti quæ ſit cauſſa. 84. 85. 86. quæ cura. 84. 85. putridi ac faſtidioſi quæ ſit cauſſa. 85. ſalſi cum affectibus ſpaſmodicis capitis conjuncti quæ ſit cauſſa. 84
de Scabie contumaci. 161. 349 ex prohibita tranſpiratione. 81. circa menſium tempus effloreſcente. *ibid.* humida ex contagio inducta. 52. rebelli rite debellanda. 317. ſicca pruriginoſa rebelli. 18. cum viſus difficultate. 81. male curata hæmoptyſeos & epilepſiæ cauſſa. 46. repulſa ad vertiginem contribuente. 10
Scarificatio an venæ ſectioni ſubſtitui queat. 347. ad podagram commendatur. 373
Schwalbacenſes acidulæ commendantur in calculo renum. 263. in febribus ſuppreſſis. 386. in hypochondriaco malo, cum vertigine ſtipato. 20 in melancholia hypochondriaca. 220. in menſium obſtructione. 303. ad roborandas partes. 199. in ſpaſmodicis morbis. 341. in veſicæ quibusdam vitiis præ Selteranis. 284
de Scirrhi ventriculi ſuſpicione. 161
- - uteri cancroſi exemplo. 195
- ſcorbutico affectu. 360. ejusque ſignis. 317. 361. cauſſis. *ibid.* 370. cura. 362. 370. cura ſpeciali. 371
de Scorbuto hæreditario. 14. cum effuſione ſeri acris in humero & dorſo. 363. inveterato. 362. diu deliteſcente. 317. male tractato cum pedis rigiditate. 364
- ſcorbutico malo cum ſpaſmis hypochondriorum ſtipato. 371. rheumaticis & arthriticis ſymptomatibus conjuncto. 368
de Scorbutico ſpaſmodico affectu. 365. 367
Scorbuticis noxioſiſſima ſunt mercurialia. 365. noxia quoque ſalina & aloëtica remedia. 364
de Scorbutica humorum dyſcraſia cum debilitate partium ſolidarum. 361. vid. humorum dyſcraſia.
- Scotomia ex ophthalmia. 75
- Scroti ulcere. vid. ulcus ſcroti.
Sedlicenſes aquæ ubi noceant. 40. non conveniunt in purpura præſenti. 42. 111. in quibusdam movent diarrhœam. 6
Selteranæ acidulæ quomodo bibendæ. 229. quibus caſibus aliis acidulis ſint præferendæ. 16. qua ratione Carolinis poſſint ſubſtitui. 342. in pituitoſis ſubjectis, cum minus ſufficiant, cum Sedlicenſibus ſunt alternandæ. 117. commendantur in arthritide. 322. in debilitate generis nervoſi. 24. ad podagram & calculum præcavendum. 274. ad pectoris & renum vitia. 25. ad pulmonum affectus. 332. in ſpaſmo veſicæ. 279
- - cum lacte commendantur ad temperandam humorum acrimoniam. 16. 46. in convulſionibus verminoſis. 360. in calculo veſicæ ſelleæ. 233. in debilitate partium ſolidarum. 318. in epilepticis morbis. 57. præſertim ſymptomaticis. 54. in febre lenta cum hæmoptyſi. 106. in gonorrhœa ſimplici. 284. in hypochondriaco malo cum hæmoptyſi ſtipato. 14. in hypochondriaco ſcorbutico malo. 214. in incontinentia urinæ. 279. in melancholia hyſterica. 236. in melancholico maniaco affectu. 62. 64. in pulmonum vitiis. 105. 110. purpura chronica. 408. 411. 413. ſcorbutica. 42. ad renum ulceroſam corruptionem coërcendam. 264. ad ſcorbuticos affectus. 278. 362. 363. 364. in ſeroſis diuturnis affectibus. 320 in tuſſi nativa. 115
de Seminis excretione denegata, membro tamen erecto. 8
Senes ad ſcorbutum ſunt proclives. 364. animi laboribus indulgere non debent. 21. quale iis conferat vinum. 21
de Senſatione perpetui frigoris. 329. pali faucibus infixi. 96. 173. 230. 335. oſſi ſacro infixi. 261. umbilico infixi. 172. peculiari in utero fluorem album antecedente. 225
Senſuum ac rationis integritas unde dependeat. 62
de Serum lactis parandi ratione. 36. 45. 91. 245. 249. 261. 270. 279. 280. 281. 322. 353. 365. 403. 404. commendatur illud in acrimonia humorum. 35. in arthriticis. 322. & atrophicis affectibus. 245. in hectica & maraſmo. 405. ad inflammationem præcavendam. 261. ſpaſmum veſicæ. 280. 382. in ſpaſmodico-convulſivis affectibus. 353
Serum lactis dulce quomodo parandum. 24. 110. 268. 276. commendatur in ſcirrho pulmonum. 46
de Serpigine in brachio ſub morbillis. 114
- Singultu. 350. cum ructibus. 335. in paroxyſmo hyſterico. 226. in melancholico affectu. 222. in melancholia hyſterica. 235. ejusque cauſſa. 236. in paroxyſmo epileptico. 49
- Siti ſero lactis cum tamarindis temperanda. 228. inextinguibili poſt uſum gummi guttæ. 140
- Situs erecti noxa in morbis acutis. 419. 420

- So-

- Soda diuturna cachexiæ cauſſa.249. num ab uſu cretæ tutum levamen accipiat. 250.ſeq.
- Solaribus tincturis. 142
- Somno tuto conciliando.61. per pediluvia.60.levi à nimia nervorum tenſione.60.concubio reficiente. 61
- Somnolentiæ in hemiplexia cauſſa. 94. poſt paſſum oborientis cauſſa. 73

de Sonitu in abdomine ſub alvi dejectione edito. 196. peculiari columbino ſimili. 235
- Sono in auribus, quomodo fiat. 66
- Sopore alto febres acutas excipiente. 20
- Soporoſo affectu poſt hæmorrhoides adſtringentibus cohibitas.21. ejuſque cauſſa proxima.21. & num in eo conferant Carolinæ. 21

Spadani fontes quo in caſu Selteranis ſint præferendi.283.commendantur ad calculum veſicæ.271.in debilitate generis nervoſi cum dyſcraſia humorum. 79. in debilitate partium ſolidarum. 199. ad excoriationem veſicæ inveteratam.275.in melancholia hypochondriaca. 220. in ulcere veſicæ & proſtatarum. 289. cum lacte in hypochondriaco ſcorbutico affectu. 372

de Spaſmo cervicis. 373
- - cynico ex dyſcraſia humorum ſcorbutica. 85
- - faciei dextri lateris peculiari. 365
- - genitalium partium. vid. genitales partes.
- - gulæ inferioris. vid. gula.
- - hypochondriorum ex incerta graviditate.282. ex male curata tertiana. 386
- - labiorum peculiari. 203

de Spaſmo œſophagi.97. ejusque ſignis.253. ex ſuppreſſa quartana. 331
- - inteſtinorum, in quo Carolinæ cum Tœplicenſibus commendantur. 202
- - inteſtini recti ac uteri cum ſanguinis ſtillicidio. 194
- - manuum. 25
- - muſculorum maxillarium, febri continuæ ſupervenienete. 87
- - pedum. 162
- - pharyngis. 26.95. 230.233.356. & maxillarum. 333
- - præcordiorum à motu corporis. 125
- - ventriculi.97. ex difficili ſanguinis per hepar circuitu.163. ejusque cura. 161.& noxis. 390. eo defuncti ſectione. 161
- - - chronico. 160
- - - hypochondriaco. 161
- - - inteſtinorum, partium genitalium, veſicæ ac ureterum. 159
- - veſicæ.279. ejusque ſymptomatibus.279.cauſſa. 281. cum ejus calculo & exulceratione. 280. ægre curando. 281
- - - & hypochondriorum ex incerta graviditate. 282
- Spaſmis vagis ex repulſa podagra. 329
- Spaſmodico affectu gravibus ſymptomatibus ſtipato. 335. ex menſtruis male ſuccedentibus. 368. ex relicta generis nervoſi debilitate cum iſchuria & apoplexia.333. cum purpura. 332

de Spaſmodico affectu abdominis ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus. 197
- - - chronico. 331
- - - hæmorrhoidali inteſtinorum. 178 an à pilulis Becheri cum reſina jalappæ acuatis prognaſci queat. 201
- - - inflativo ventriculi, & uſu Carolinarum & Tœplicenſium in eo. 163
- - - totius inteſtinorum voluminis. 202
- - - per Selteranas cum lacte curato. 334

Spaſmodici affectus per totum plerumque corpus extenduntur.369. facile abeunt in habitum.368. cur circa menſtruum tempus exacerbentur. 304. cur circa vernale æquinoctium recrudeſcant.136. in iis diuturnis commendantur Selteranæ cum lacte aſinino. 309. in iis infernas partes afficientibus nocent balnea mineralia.105. in paroxyſmo nocet venæ ſectio. 65

de Spaſmodico convulſivo affectu.347.349.350 351. 354.ſingul.in gravida.353.355.chronico.357.cum epilepticis commotionibus. 358.à plexu meſenterii incipiente. 356. ejusque cauſſa proxima. 348. 349.352.cauſſis remotioribus, nimirum animi pathematibus.348. terrore.351.352.358. vermibus. 357.351.352.diæta perverſa.362.vitio primarum viarum.348.352.355.ſcabie retropulſa.603 cauſſis externis leviſſimis.350. curatione. 349.350.351. 352.355.357.358.commendantur in eo Selteranæ lacti aſinino nuptæ. 353
- - epileptico affectu à menſium retentione, & Egranarum, balneorumque Tœplicenſium in eo uſu. 66
- - flatulento.339.poſt puerperium. 342. per lac aſininum & Selteranas curato. 340
- - hypochondriaco. vid. hypochondr.
- - hyſterico. vid. hyſtericum malum.
- - ſcorbutico. vid. ſcorb. ſpaſm.
- - rheumatico. vid. rheumatico.
- Spaſmodicis rheumaticisque pathematibus febribus acutis ex levi refrigeratione ſupervenientibus. 87
- Specifico ad hemiplexiam.31.ſpecifica certa num dentur. 16
- Sphacelo ex cauſſa interna. 383. ejusque cauſſa. 383.& cura.384. ſeq. citra præviam inflammationem ſuboriente. 383

de Sphacelationis interiorum in vulnere peremti cauſſa. 124.125
- Spiritu ſalis ammoniaci epilepticas acceſſiones remorante. 10
- - vini perperam in obſtructas nares injecto. 3
- ſputatione muci copioſiſſima poſt inſultum apoplecticum.318.nimia peculiari. 17
- ſtagnatione ſanguinis in inteſtinis colicæ cauſſa. 178
- ſtaſium ſanguinearum generatione oculis cognoſcenda. 362
- ſternutatione peculiaribus ſtipata ſymptomatibus. 319. ex conſolidatis capitis ulceribus. 320. ſpaſmodicas affectiones ſolvente. 203
- ſterili conjugio.310. debetur inæqualitati conjugum.312. contra eam commendantur aquæ martiatæ.313 pilulæ balſamicæ.313.& remedia ſuccinata. *ibid.*
- ſtranguria cum dyſuria alternante. 278
- ſtrepitu oſſium ſub corporis motu.85 369. circa taleolos pedum.246. vertebrarum colli. 99
- ſubluxatione oſſis femoris ex cauſſa interna. 379. quomodo ab initio rite ſit tractanda. *ibid.*
- ſuccino,egregio remedio contra ſterilitatem.313. in veſicæ morbis.284. capiti inſperſo ad illud roborandum.227. memoriamque confortandam utili.8.cujus eſſentia in debilitate partium genitalium commendatur. 214

Succoladæ potus quomodo à melancholicis cum fructu ſit bibendus. 61

de Sudore acerrimo.407.acido.240. catarrhales ſeroſos affectus ſolvente.320. copioſo potu vini rubri debellato. 263. ſomnum comitante.260. alvi obſtructionem inducente.40.cutim arrodente.363 particulari abdominis & pedum. 15. pedum ſuppreſſo multorum malorum cauſſa. 362

Sudores repreſſi quos inducant morbos.43.in infante

te pariunt diarrhœam. 43. quomodo revocentur. 6
de Suffimigio ad rheumatiſmum lumbarem. 325
- ſuffocati infantis ſectione. 121
- Suffuſione oculorum incipiente. 74
- Sulphuris antimonii aurati uſu. 408. in gutta ſerena. 81. in hemiplexia. 37
Sulphura mineralium commendantur ad curandos morbos contumaces ex lymphæ vitio ſubortos. 317
de Suſurru aurium. 81. vid. tinnitus.
- Synocha febri. vid. febris continens.
de Syrupo balſami Peruviani parando. 400

T.

TAbacus. vid. Nicotiana.
de Teinacenſium aquarum elementis. 51
- Teneſmo moleſtiſſimo. 196. 277. cum excretione materiæ flavæ. 274
- Tentigine cum nocturnis pollutionibus. 284
- Terroris indole. 7. inſigni noxa in epilepticis morbis. 49. 51. 54. in puerperis. 64. circa menſtruum tempus. *ibid.* & inde pendentibus ſpaſmodicis affectibus. 335. vires corporis proſternit. 210. maniam in puerpera inducit. 64. memoriam debilitat. 7
- Tertiana æſtiva, ejuſque origine. 301. cum delirio. 62. duplici cum purpura in gravida. 387. ejuſque curatione. 389. male curata in eryſipelas & moleſta ſymptomata abeunte. 384. in lentam degenerante. 392. menſium obſtructionis plenariæ. 301. & ſpaſmi hypochondriaci cauſſa. 386
- Teſtium conſenſu cum cerebro. 293. dolore valde tenſivo. 294. exſtirpatione quo caſu inſtituenda. 292. num ea in hydrocele ſit ſuadenda. 241. tumore, vid. tumor teſtium.
de Tetanode ſpaſmo. 332. rigore ab uſu tincturæ adſtringentis. 282
Thée potus commendatur ad imminuendam obeſitatem. 310
Thermæ conveniunt perſonis ſucculentis. 215. fœminis. 337. quibus in caſibus acidulis ſint præferendæ. 88. nocent in gonorrhœa inveterata. 286. in ſubjectis venerea labe inquinatis. *ibid.* cur excitent interdum purpuraceas effloreſcentias. 304
- Carolinæ. vid. Carolinæ.
de Tincturis ſolaribus. 142
- Tinea capitis catarrhales defluxiones ſolvente. 320. in plicam fere Polonicam tranſeunte. 319
- Tinnitu aurium pertinaci. 66. ejuſque origine & cauſſis. 12. 66. 68. curatione. 12. 67
- - - cum effluxione ſeroſa ex auribus. 328
Tœplicenſes thermæ quas poſſideant virtutes. 267. commendantur in hypochondriaca paſſione. 387. in melancholico-maniacis affectibus. 61. 63. in nephritide calculoſa. 267. in nervorum affectibus. 187. disſuadentur in infantibus. 44. irritam in hemiplectico affectu edunt virtutem. 32
de Topho in fronte curato. 289. & emplaſtro ad illam. 290. tophis oſſeis à gummatibus Gallicis diſcernendis. 326
de topicis ad pollutionem nocturnam. 294. ad podagram. 263. ad ulcus linguæ cancroſum. 91. 92
- Traumatico liquore. 381
- Tremore manuum. 130. peculiari periodico. 409
- Triburgenſium acidularum uſu. 207
- Tuberculis totum corpus obſidentibus. 316. fungoſis in vagina uteri. 300. in pulmonibus. 117
- Tumore abdominis raro. 259. gelido poſt uſum aquarum Sedlicenſium. 41. interno, ejuſque cauſſa. 254. hydropem minante. 251
- - aquoſo à tardiori ſanguinis circulo proveniente. 241
- - colli à flatibus. 95
- - eryſipelaceo cum paſſione hypochondriaca. 207. ejuſque cauſſa & cura. *ibid.* faciei crebro recurrente. 302. pedum ex tertiana male curata. 384
- - glandularum. vid. glandulæ.
- - globoſo in inguine. 239
- - hydropico. vid. hydrops.
- - hypogaſtricæ regionis à puerperio remanente. 248
- - linguæ ab improvido mercurii dulcis uſu excitato. 40
- - mammæ cum obſtructione menſium. 100. 101
- - nodoſo frontis ex ulceribus præpoſtere conſolidatis. 315
de Tumore œdematoſo à podagra retrocedente. 428. ſalivatione ſpontanea præſervato. 388. ejuſque ſubjectis. 395. manuum ac faciei. 331. 332. pedum. 404. 230. vitio uteri accedente. 260. ex vitio viſcerum imi ventris. 380. ſub paroxyſmo febris intermittentis retrocedente mali ominis. 95
- - pedum aſthmati ſuperveniente. 407. diuturno à dyſcraſia humorum ſcorbutica. 360. à prohibita tranſpiratione. 270. eique medendi ratione. 270. à potu Carolinarum orto, ſed poſt balneorum uſum cedente. 74. tuſſim levante. 406. num in eo liceat ſpirituoſis uti. 188
- - phlegmonoſo pedum per fluxum hæmorrhoidalem ſublato. 404
- - pectoris dextri. 232
- - ſanguineo, ejuſque differentia ab apoſtemate. 382. & diſtinctione in benignum & malignum. 382. cruris. 381. pectoris. 381
- - ſcirrhoſo glandularum ſubaxillarium. 112. ovarii quo indicetur ſigno. 305. commendatur ad illum cataplaſma ex ſemine milii & lacte. 248
- - ſubcutaneo artuum, quid indicet. 301
de Tumore teſtis ſiniſtri cum aſthmate convulſivo. 137. ejuſque cura. 295. teſtis dextri ex gonorrhœa improvide ſuppreſſa. 292. indurato ſalivatione curando. 292. ſcirhoſo rite ſanando. 292. 293
- - venereo. 326
- - ventris poſt partum. 296. *ibid.*
- - uteri. vid. uterus.
- Tuſſi poſt hæmoptyſin. 106. ex atonia pulmonum. 116. ex aſſumtione liquidorum cum cochleari facta. 8. cum calculo renum alternante. 115. à paſtu invaleſcente ejuſque cauſſa. 108. lacte caprino levata. 109
- - catarrhali ejuſque deductione pathologica. 107. cur noctu ſit mitior, quam de die. 107
- - chronica. 270
- - convulſiva hyſterica. 233
- - diuturna ſine pulmonum labe. 115. purgantibus potentioribus expugnata. 33
- - ferina ab irritatione laryngis. 114. cum aſthmate. 132. & ad illam electuario. 110. ac emplaſtro. 132
- - habituali ex nativa ſuccorum impuritate. 114
- - humida habituali poſt retrocedentem manuum ac faciei tumorem ceſſante. 331
- - nativa, in qua Selteranæ cum lacte commendantur. 115
de Tuſſi phthyſica. 118. funeſta. 112. defuncti ſectione. 114
- - rheumatico-ſcorbutica. 144. ſeq.
- - ſicca à ſcirrhis pulmonum. 113. ab eorundem vomicis. 120. cur à lacte Selteranis nupto exacerbetur. 120. in ſenibus pilulas de ſtyrace pro egregio agnoſcit remedio. 168

- - ſto-

- - ſtomachali. 250. ejusque notis. 108. ex vitio œſophagi & ventriculi. 102
- Tympanitide. 253. cum cachexia complicata. 252. cum aſcite conjuncta, numque in ea conveniat paracenteſis. 254

V.

de Varicibus oculorum. 79
- Variolis. 416. arthriticis infenſis. 418. earumque cauſſis. 416. ſubjectis. 417. malis ſignis. 417. 419. cura. 417. præſervatione. 418. defuncti ſectione. 418. num obſideant interna viſcera. 418. earum hæreditaria pernicie. 419. raritate humorum dyſcraſiam generante. 82
- Venarum raninarum ſectione lethali. 27
- Venæ ſectione ſub debita cautela ac regimine inſtituenda. 40. 180. 204. 308. 322. 325. 341. ejuſque noxa. 8. ſpeciatim in acutis nono die. 87. in maniacis. 62. 63. in paroxyſmis ſpaſmodicis. 65. uſu in cachexia. 189. in apoplexia leviori. 20. in quartana gravidarum. 390. in plethoricis ante uſum Carolinarum. 164. in colica curanda. 189. præſervanda. 188. in avertenda hæmoptyſi. 105. in præcavendis inflammationibus. 181. in febribus continuis. 420. in hypochondriaco ſpaſmodicis affectibus. 168. hyſterico-ſpaſmodicis. 234. convulſivis. 350. in maniacis & melancholicis morbis. 218. in gravidis. 310. 390
de Venæ ſectione in brachio, ejusque noxa in menſium ſuppreſſione. 304. utilitate in ſtagnatione humorum circa partes corporis inferiores. 194
- - copioſa & crebra, ejusque damnis. 321. in debilitando corpore. 110. in retardandis quidem, ſed exaſperandis paroxyſmis epilepticis. 56. 47
- - intermiſſa in ſenibus ad maraſmum contribuente. 406
- - ſæpius iterata, ejusque damno in epilepticis. 52. hemiplecticis. 30. & paralyticis affectibus. 43. hirudinum adplicationi præmittenda. 261
Venæ ſectioni num ſubſtitui poſſint cucurbitulæ. 230. ſcarificatio. 347
de Venereo malo. 325. mulieres, & cachectica ſcorbuticaque ſubjecta gravius adfligente. 316. diu in corpore deliteſcente. 290. ejusque damnis. 289. reliquiis. 326. curatione. 290. 287. 326
de Veneris nimio uſu ad epilepſiam contribuente. 47. gonorrhœæ ſimplicis. 284. & inveteratæ cauſſa. 286. infirmitatem corporis inducente. 294. memoriam deſtruente. 295
- Ventriculi atonia ex abuſu dulcium. 112. multorum morborum. 247. 368. & ſpeciatim cachexiæ cauſſa. 221
- - debilitate, ejusque cauſſis. 193. malis conſectariis. 193. ad quam commendatur vinum Hungaricum præ Rhenano. 108
- - induratione. 161
- - inflatione hypochondriaca, à gonorrhœa perverſe tractata. 290
- roſione cum vehementi adpetitu, matutino duntaxat tempore infeſtante. 202. 203
- - ſcirrhi ſuſpicione. 161
- - ſpaſmo. vid. ſpaſmus ventriculi.
- Vermibus, eorumque ſignis. 51. 351. noxis in gravidis. 357. cura. 359. cum epilepſia junctis. 49
- Vertigine. 367. ejuſque origine ac generatione. 116. 78. cum animi deliquiis, & ſumma ſpirandi difficultate à terrore. 57. cum fluxu auris ſeroſo alternante. 328. cum nephritide. 9. cum hæmoptyſi in hypochondriaco. 13. cum hypochondriaca paſſione. 19. cum viſus vitio ex gravi lapſu. 77. à deſcenſu per ſcalas ſuboriente, ejuſque cauſſa. *ibid.* 69. excretione pituitæ per nares & pulmones ſoluta. 367. pediluviis exacerbata. 17. motitatione corporis arcenda. 11. maſticatione corticum aurantiorum mitiganda. 14. temulentiam inferente, horiſque tantum antemeridianis adfligente. 41
de Vertigine caduca cum peculiaribus ſymptomatibus in gravida. 10. levioris apoplexiæ ſpecie. 11. ejusque cauſſa proxima. *ibid.*
- - idiopathica cum inflammatoria circa renem ſiniſtrum congeſtione. 8. ejusque ſignis. 9
- - periodica, peculiaribus ſtipata ſymptomatibus. 16 & ſeq.
- - ſtomachali. 18. ejusque cauſſis. 19. temulenta. 93
- Veſicatorio. 57. ejusque uſu in acutis 84. in auditu difficili cum fluxione ſeroſa. 68. in oculorum vitiis. 80
- Veſicæ felleæ ſtructura præternaturali. 419
- - calculo. vid. Calculus.
- - excoriatione, ejusque ſignis. 275
de Veſicæ ac renis exulceratione ſubita à ſuppreſſis hæmorrhoidibus. 260
- - exulceratione cum intercurrente mictu cruento. 276
- - hæmorrhoidibus albis. 283
- - hæmorrhoidali affectu ex male tractata purpura ſcorbutica. 277
- - raro affectu. 283
- - Spaſmo. vid. ſpaſmus veſicæ.
in Veſicæ affectibus commendatur ſuccinum. 283. ſpadanæ & Schwalbacenſes. 283
de Veteraquenſium acidularum effectu. 45
- Vigiliis diuturnis humorum tenuitatem augentibus. 60
- Vino à ſenibus rite bibendo. 21. ſpeciebus nervinis imbuto, calido, ad membra paralytica adplicando. 44. hæmoptyſin revocante. 17
Vinum Hungaricum præ Rhenano in ventriculi debilitate commendatur. 108
- laxativum. 250
- Rhenanum Selteranis diſtemperatum inter curam lactis tuto pro potu poteſt adhiberi. 16
- Tockavienſe morbis capitis vertiginoſis eſt inimicum. 19
Viperæ gaudent virtute antiſpaſmodica. 142. earum pinguedo in maculis oculorum. 74. in viſus obſcuratione laudatur. 79
Viſcerum obſtructiones unde proficiſcantur. 252. ex eorum labe profecti morbi curatu ſunt difficillimi. 394
de Viſus acie majori poſt ſomnum. 77
- - caligine axungia gallinarum diſſipata. 77
- - difficultate cum ſcabie. 81
- - dimidiati exemplo. 115. ſubjectis & cauſſa. 116
- - duplicati exemplo in hemicrania. 3. vertigine. 8 hirudinibus ano admotis cedente. 8
- - imbecillitate ex turbatione humorum oculi. 73. 74
- - imminutione ex turbatione humoris aquei. 71 72
- - obſcuratione ex vitio tunicæ retinæ. 77. *ibid.* ejusque origine. 78. ex paralyſi nervi optici. 79. à pellicula tunicam corneam obducente. 75. periodica. 73. 77. ſanguinis miſſione ſuble-

levata. 73. in qua commendatur pinguedo viperarum. 79
de Ulcere capitis fœdo. 319. corporis venereo. 315. faucium cum ingenti ſalivæ fluxu. 94. femoris pertinaci. 377. labii ſuperioris maligno. 91. contumaciore ulcere labii inferioris. 92. linguæ cancroſo. 90. mali moris. 92. inteſtini recti lethali. 93. 195. pedum. 196. ſponte ſuborto in affectu hemiplectico. 35. Scroti fœtidiſſimo. 325. ſcroti ſerpiginoſo exſiccato variorum malorum cauſſa. 251. ſphaceloſo ex incongruo aquarum mineralium uſu. 384. veſicæ. vid. exulceratio. uteri. vid. uterus.
Unguentum ad callum oſſis femoris. 378. ad colicos dolores. 193. ad emplaſtri diaſulphuris Rulandi imitationem. 325. ad excreſcentias ani. 197. nervinum. 38. 44. 234. ad penis erectionem juvandam. 290. roborans. 381
de Vomendi conatuum cauſſa. 349
- Vomitorio leni. 220
- Vomitoriis icterum inducentibus. 242. num conveniant in gutta ſerena. 81. hemiplexia. 30. hypochondriaco malo. 168
- Vomitu convulſionum ſpecie. 307. ejuſque in gravidis cauſſa. 307. à largis hæmorrhagiis orti cauſſa. *ibid.* ciborum perpetuo. 306. ſpirandi libertatem inferente. 203. materiæ acidiſſimæ vertigini juncto. 19. materiæ ſaporis vitriolacei corrodentis. 165. critico. 374. in febre intermittente continua. 391. prius compeſcenda, quam febris. *ibid.* hyſterico. 207. nigro ex potu ſuccoladæ in hypochondriaco. 169. ſub puerperio. 304. ſebaceo. 411. 412. ſpontaneo. 166. tuſſi ſupervenienté. 108. cum tuſſi phtyſica juncto. 112
de Uretere mirifice expanſo in diabete defuncta. 275
- Urina chyloſa. 271. 272
- - gelatinoſa. 283. 287
- - lactea. 288. vermes indicante. 351
- - purulenta, 271. 277
- - tenui ſpaſmodicos. 237. & hyſtericos paroxyſmos prænunciante. 224
- Urinæ imminutione clyſtere therebinthinato ſublata. 31
- - incontinentia. vid. incontinentia.
- - retentione. vid. iſchuria.
- - promotione in affectibus capitis ſeroſis utili. 34
- Utero membrana adipoſa carente. 248. ejusque vaſis ſanguineis. 300
- Uteri atonia, ejusque ſignis. 312. cauſſis. 304. damnis. 296
- - hæmorrhagia. 299. enormi cum fungoſa in vagina excreſcentia. 299. diuturna cum fluore albo alternante. 398. 367. à coitu crebro eveniente. 300. in gravidis raro abſque abortu contingente. 282. ejusque ſubjectis. 300.
de Uteri ſpaſmo cum ſanguinis ſtillicidio. 194
- - tumore ſcirrhoſo à cohibito fluore albo. 248 cancroſo. 195
- - ulcere. 298
- Vulnere diaphragmatis & hepatis cum ſequuta morte. 122. & ſectione. 123. tendinoſi lethali. 124. muſculoſi non ſemper lethali. 123. 124. 125
- hepatis, ejusque magnitudine cognoſcenda. 122 123. 124. an ſit lethale. 123. 125. cito ſanando. 124
- - pulmonum. 121. an ſit lethale ſemper. 122. periculoſo ſanationem admittente. 122

W.

WEpferi cucupha & maſticatorium. 9
Wildungenſes aquæ commendantur ad excoriationem veſicæ inveteratam. 276
Wisbadenſes, quo caſu reliquis ſint præferendæ. 341

Y.

D. de St. YVes ſententia de gutta ſerena. 79

FRIDE-

# FRIDERICI
# HOFFMANNI.
# OBSERVATIONUM
## PHYSICO-CHYMICARUM
## SELECTIORUM
*LIBRI TRES.*

IN

## QUIBUS MULTA CURIOSA
EXPERIMENTA ET LECTISSIMÆ
VIRTUTIS MEDICAMENTA EXHIBENTUR,

*AD SOLIDAM ET RATIONALEM*
*Chymiam ſtabiliendam præmiſſi.*

ILLUSTRISSIMÆ SOCIETATI
AD PROVEHENDA OMNIUM
SCIENTIARUM INCREMENTA
REGIIS AUSPICIIS IN MAGNA
BRITANNIA CONDITÆ,
VIRIS NATALIUM SUBLIMITATE,
MUNERUM SPLENDORE, MERITORUMQUE
IN REM PUBLICAM ET LITERARIAM
AMPLITUDINE EMINENTISSIMIS,
EXCELLENTISSIMO PRÆSIDI,
CÆTERISQUE SOCIIS PRÆSTANTISSIMIS
IN GRATISSIMÆ MENTIS DOCUMENTUM, QUOD ME TALE
QUID NON COGITANTEM IN VENERABILEM
SUUM ORDINEM COOPTARE DIGNATI SINT,
HAS OBSERVATIONES PHYSICO-CHYMICAS
D. D. D.
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

AD
CONSUMMATÆ ERUDITIONIS

# MEDICUM PERILLUSTREM

MAGNIFICUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM
VIRUM,

## DN. PIUM NICOLAUM DE GARELLI,

Regii Ordinis Chriſti in Luſitania Equitem, Sacræ Cæſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis Conſiliarium ac Perſonæ Medicum primarium,

# PRÆFATIO EPISTOLARIS AUTORIS.

Quemadmodum, Vir Illuſtris, Magnifice, & Excellentiſſime, Patrone plurimum venerande, per omnem ætatem nihil mihi magis curæ cordique fuit, nihilque animo meo majorem attulit voluptatem, ac ſi quod veri meditatus ſum, & quod uſu ſeſe commendat, id in publici ſalutem atque commodum enixe conferrem; ita jam ſub hoc ætatis meæ quaſi flexu cogitavi maxime ea, quæ longo uſu & experientia, attenta obſervatione & aſſiduo labore ad rem medicam illuſtrandam conſecutus ſum, tanquam maturiores ingenii atque induſtriæ meæ fœtus publicæ luci exponere. Et cum ſuperioribus annis duos tomos medicinæ rationalis totidemque medicinæ conſultatoriæ ediderim; non incongruum jam, ſed valde æquum judicavi, obſervationum ſelectarum Phyſico-Chymicarum penum in publicam cognitionem proferre, eo quod nihil magis ad ſcientiam & phyſicam & medicam perficiendam, quam philoſophiam experimentalem, ad quam chymiæ ſtudium pertinet, conferre exiſtimem.

Dolendum certe eſt, excelſam & pene divinam hanc philoſophiam, qua ſapientiſſimam Dei artem in operibus ſuis manibus quaſi palpamus, ipſiſque oculis intuemur, noſtris etiam temporibus neque ſatis excoli, neque, ut decet, ſed potius neglectius magiſque perfunctorio ſtudio tractari, quam quidem ejus præſtantia, dignitas atque incomparabilis ad provehendum artis incrementum & ad multas res præclare inveniendas utilitas poſtulant.

Nulli propemodum libri tot verborum monſtris, tot perplexis & confuſis terminis, &, quod pudet dicere, tot figmentis pleni ſunt, quam quidem chymicorum & alchymicorum opera. A medicis agitata hæc nobiliſſima doctrina nil niſi innumeros proceſſus & medicamenta ancipitis ac dubiæ operationis peperit, à quibus, ceu validioribus, cum in manus imperitorum, idque eo tempore, ubi nondum medicina ad ſolidam theoriam & rationem reduci cœpit, inciderent, annon major pernicies & damnum, quam levamen, miſeris ægrotantibus acceſſerit, ego certe dubito. Fuerunt quidem nonnulli, qui indefeſſo labore corpora igne exercuerunt, & egregia ſane tentarunt experimenta, nobiles effe-

effectus producendo, ſed rerum naturalium ſcientia vix leviter tincti, cum ad hæc ſacra acceſſerint, experimenta hæc nec ſatis commode explicare, neque ad uſum ſcite transferre potuerunt, quo ex veteribus Paracelſi, Iſaaci Hollandi, Baſilii Valentini, ex recentioribus Glauberi, Beccheri & Kunckelii labores ſpectant. Plures, qui ſecretiorem chymiam ſuperciliofo faſtu profitentur, non niſi arcana, ad medicinam atque ad metallorum tranſmutationem ſpectantia, pariter & radicales corporum ſolutiones, metallorum, ex quibus componuntur, mercurios, ſulphura, ſalia & id genus alia non entia jactitant, vel ſpeculationibus ſuis inanibus eo deveniunt, ut prima rerum naturæ principia atque elementa demonſtrare allaborent.

Pauciſſimi fuerunt, qui accuratas obſervationes & experimenta circa omnium regnorum corpora cum induſtria inſtituerunt, & cultioris phyſices fundamentis imbuti phænomenorum & effectuum cauſas elicere, luculenter explicare, atque ad uſus in aliis ſcientiis transferre potuerunt. Illuſtre illud Angliæ decus, Robertus Boyle, unicus fere eminet, qui chymiam paulo ſubtilius excolere eamque rationalem reddere in operibus ſuis auro cedroque dignis allaboravit. Chymiæ ſtudium certe univerſale eſt, & mirifice ejus uſus ad omnes artes & ſcientias perficiendas ſe extendit; imprimis vero is, qui ad ſolidam in arte noſtra ſalutari ſcientiam adſpirat, eo carere nullo modo poteſt, id quod in gratiam tyronum medicinæ paulo fuſius excutere, cum Excellentiæ Tuæ venia, non alienum à ſcopo erit. Et primo quod attinet ad uſum chymiæ in phyſicis, is plane mirabilis eſt. Genuinos philoſophiæ naturalis profeſſores noſtra ætate corporum vires, operationes atque potentias à ſola partium variarum, quibus conſtant, textura, natura atque ſtructura, ſive, ut appoſite loquuntur, mechaniſmo, rectiſſime derivare ecquis, niſi plane rudis ſit, ignorat. Jam vero in univerſo diſciplinarum ambitu præter chymiam nulla eſt, quæ tam facile oſtendat artificium, quo corpora mixta diſſolvi, eorumque textura transformari, & proprietates inſitæ in alias atque alias mutari ac detorqueri poſſunt. Dictu incredibile eſt, quantum in poteſtate habeat chymicus, & quam mirabilia ipſi præſtare licet. Velificantibus enim variis ſolutionum & combinationum artificiis ex volatili fixum, ex fixo volatile, ex ſapido inſipidum, ex ſuaveolente fœtidum, ex ſolido fluidum, ex frigido ignem, ex corroſivo temperatum, ex temperato valde ſpirituoſum & activum effingere poteſt. Præterea chymicis experimentis id beneficium debemus, quod ignis, caloris, lucis, frigoris, colorum, nec non ſaporum, item motuum terræ, igniſque ſubterranei naturam & cauſas rectius in phyſicis intelligamus.

Deinde rationalis chymiæ doctrina philoſophiæ ſani & vivi corporis, quam phyſiologiam Græci appellant, longe clariſſimam affundit lucem. In hac bene multa ſe offerunt, quibus explanandis non alius, niſi chymica ſcientia imbutus, idoneus eſt. Intima alimentorum in primis viis ſolutio, ſucci chyloſi & lactei inde proventus, ſanguinis color & calor, ſucci lymphatici & alibilis temperies, bilis natura & generatio, ortus ſalium & partium ſulphurearum in ſanguine ex alimentis pene inſipidis, excrementorum fœtor, nutritionis actus, ſuccorum omniumque partium corporis ſumma ad putredinem pronitas, & quare ſub continuo ambitu aëris calidi & humidi corpus vivum in putredinem non delabatur, ſed potius ſalvum ac integrum perſiſtat, parum intelligenter & expoſite explicantur, niſi quis rationes ex chymica doctrina depromere ſciat.

Præterea rationalis chymiæ adjumento id quoque adſequimur, ut plures difficultates, quibus morborum doctrina laborat ac premitur, felicius eluctari poſſimus. Ecquis de mirabili illa ſalium morboſorum in ſcorbuto, arthritide, lue venerea generatione, de perpetuo iſto copioſi acidi prima in regione proventu in hypochondriacis, de calculorum in cyſtide fellea, renibus & veſica urinaria, concretionibus tartareis, de polyporum conglutinatione, de veneni & ſalium cauſticorum ac morboſorum actione in partes membranaceas & nerveas aliquid ſolidi, niſi chymiæ ſubſidio, afferre poterit. Quomodo humores ſtagnantes ac quieti acres, & corroſivi fiant, vel etiam in ſummam putredinem abeant, egeſta & excrementa alvi multifariam colorentur, item qua ratione venena in corpore humano generari poſſint, & miaſmata morborum operentur, nemo niſi chymiæ præſidio inſtructus facile intelligit.

Inſuper peculiarem uſum atque utilitatem ſcientiæ diæteticæ ſtudium chymiæ fœnerat. Medici potiſſimum eſt, morbos à corpore humano avertere; hinc eorum natales atque origines ex rerum externarum cognitione, uſu atque abuſu probe derivare & intelligere debet. Quare ſecundum præclarum HIPPOCRATIS effatum, aëris, aquarum, ventorum, tempeſtatum, eſculentorum, cerevifiarum & vinorum naturam & proprietates paulo perveſtigatius ſcrutari debet, ut penitus perſpiciat, quomodo corpus alterent & ad morbos

bos diſponant. Cæterum non mediocrem chymica doctrina ſemioticis lucem accendit, utpote cujus miniſterio in ſtatu ſano & corrupto quæ & ſub qua forma, quantitate ſecedunt & excernuntur, veluti ſunt urina, ſudor, alvi purgamenta, & quæ tuſſi ejiciuntur, lac quoque nutricum, ſalivalis humor, exactius poſſunt examinari. Neque de nihilo illud eſt, quod ad examen ſanguinis è vena emiſſi, vel qui aliis ex locis præter naturam protruditur, accuratius inſtituendum atque ad indolem & mixtionem ejus explorandam confert; hac enim ratione de morboſa conſtitutione eo certius judicium ferre licet.

Porro chymia nobis januam aperit ad cognoſcenda elementa & principia, quibus medicamenta ſuas in corpore humano operationes exercent, quibus una cum morborum cauſis cognitis facile eſt illorum uſum ad incognitas & parum obvias ægritudines transferre, eorumque effectus quodam quaſi augurio prædicere. Profecto acidularum, thermarum & aliorum fontium medicatorum, in quibus magna perſanandi morbos vis atque potentia eſt, ingredientia atque elementa non manifeſtius & clarius, quam chymiæ adminiculo, deteguntur. Validiorum remediorum ut emeticorum, purgantium, mercurialium, opiatorum, martialium, naturam, vires, uſum & noxam nemo melius, quam chymiæ peritus, explicare poteſt. Is quoque ſcit, quomodo acidi & corroſivi humores invertendi & contemperandi ſint, quomodo terrea vim laxantem acquirant, mercurialia in aliis medicamentoſam, in aliis veneni indolem contrahant; quorum remediorum præſidio particulæ ſanguinis ſalinæ & ſulphureæ, nimium æſtuante febris impetu exaltatæ, ne vires & corpus plane conſumant, contemperandæ ſint. Hæc in aprico ponit, qua ratione putredo vitæ inimiciſſima arceri, humorum tenacitas diſſolvi, & calculorum generatio anteverti poſſit. Dilucide etiam commonſtrat, quemadmodum juvandum ſit digeſtionis negotium, quibus remediis excitanda ciborum cupiditas, vel nimia humorum fermentatio ſiſtenda, ac denique, ut multa alia ſilentio prætereaam, quibus præſidiis veneni maxime corroſivi vis & vehementia in corpore humano plane enervari poſſit.

His accenſenda venit peculiaris chymiæ utilitas, qua ſeſe in conficiendis electiſſimæ virtutis medicamentis commendat. Certe chymicorum laboribus plura remediorum genera, antiquis plane incognita, quæ tamen magnæ efficaciæ ſunt, debemus; utpote beneficio chymiæ ex vegetabilibus olea nobiliſſimæ virtutis deſtillantur, ex animantibus igne chymico ſalia volatilia eliciuntur, ex ſalibus per ignis vehementiam ſpiritus acidi extorquentur, & vegetabilia in ſalia alcalina comburuntur: quibus omnibus vis ineſt maxima. Ex metallis, præſertim marte, mercurio, argento, plumbo, auro, item ex mineralibus ſulphure, antimonio, quam non egregia ad uſum internum & externum chymica ars produxit? quæ profecto in medicina inſignem præſtant utilitatem, & quorum variam mixtionem ac præparationem ſola chymia docet.

Cæterum ad chymiæ inſignem laudem illud etiam pertinere videtur, quod ad cognoſcenda ab aliis inventa medicamenta viam nobis ſternat planiſſimam. Nam chymica ſcientia qui inſtructus eſt, is nullo negotio intelligit, ex quo naturæ regno ea ſuas ducant natales, an ad animalium, vegetabilium vel mineralium aut metallorum claſſem referenda ſint. Nam ſedula ac diuturna hujus artis tractatio omnium corporum naturalium, maxime mineralium & metallorum, eſſentiales notas & proprietates magis magiſque manifeſtas reddit, quarum notitia non flexuoſo itinere, ſed recta & ſimplici via ad ingredientium, quæ medicamentis inſunt, cognitionem deducimur. Nimirum ex notis & apertis ad ignota philoſophus progreditur, factaque comparatione illud facile invenit, quod ſibi quærendum propoſuit.

Nec vero ſolum in eam ſcientiam, quæ vitam tuetur & ſanitati proſpicit, ex chymiæ cultu magna & præclara redundant commoda; ſed hæc etiam per alias artes, imprimis mechanicas, ſuam diffundit utilitatem. Ejus ſane fundamento omnis ſuperſtructa eſt metallurgia, in qua maxime purior & magis ſincera pars metallorum à peregrinis minerarum recrementis ſeparatur. Hæc magnam perfectionem conſequuta eſt, poſtquam aſſidua chymiæ tractatio novam & compendioſam methodum cum lucro & fœnore mineras depurandi, atque aurum & argentum à ſe invicem per ſolutiones ſeparandi commonſtravit. Non enim aliunde, quam ab arte chymica nobile illud inventum profectum eſt, quo auri portio in magna argenti mole, v. g. auri uncia libris quinque argenti comprehenſa, per fuſionem in igne citra inſignes impenſas ſeparatur. Pariter hujus artis beneficio ſtannum purum & molle induratur & argenteo colore imbuitur. Neque ſolum dealbatio cupri, ſed etiam artificioſa aurichalci ex cupro & lapide calaminari præparatio chymiæ in acceptis ferenda eſt.

Hæc inſuper ad expediendos quoſdam aurifabrorum labores plurimum adjumenti affert, ſiquidem nullum metallum ſine ejus opera auro vel argento obduci poteſt. Eadem quoque colo-

colorum, qui auri ſplendorem exprimunt, inventionem ſibi vindicat. Similiter omnis argenti cupellati vel monetæ dealbatio non ſine ſolutionibus chymicis & decoctionibus perficitur. Præterea per tot annorum circuitus continuata chymiæ exercitatio multis iiſque elegantiſſimis pigmentis locupletavit artem pictoriam. Ultramarinum, mineralis proſapiæ, quod pulchritudine excellit & pretio eminet, opus chymiæ eſt, quale pigmenti genus noſtra ætate a quibuſdam chymicis non ſine inſigni lucro ex animali regno præparatur, quod melius ætatem fert, atque ad minerale illud ultramarinum quam proxime accedit. Soboles identidem chymiæ eſt pigmentum illud purpureum carmin dictum. Si reſpicimus artem tinctoriam, ea utique chymiæ beneficio pulcherrimis inventis aucta eſt; nam ſcarlatini coloris inventio adſcribitur Trebelio, celebri in Batavia chymico, qui ſolutionem granorum cochinellæ inſtituit cum aqua forti, & ne hæc pannos corroderet, illam additione aquæ & limaturæ ſtanni attemperare quæſivit. Exaltatio quoque colorum mixtura ſalium, v. g. aluminis vel cinerum clavellatorum, imprimis perficitur. Et quis neſcit, chymiæ partum eſſe artem vitrariam, dum ex ſale alcali & ſilicibus calcinatis vel arena alba per fuſionem præparatur corpus pellucidum, fragile & fixiſſimum, quod tamen ſub ignis tortura facile diffluit. Ex iiſdem fontibus fluxit illud vario vitra colore tingendi artificium; neque ignotum eſt, quod celebris ille chymicus & vitrariæ artis ſcientiſſimus, Kunckelius, rubinei coloris vitrum invenerit, dum ex auro & ſtanno pulverem ſeu potius crocum confecit. Neque prætereundus eſt uſus, quem chymia præbet in pyrotechnicis; ſolam pyrophori inventionem hoc loco nominaſſe ſufficiat.

Ecquis igitur ex hiſce non intelligit, quam late pateat chymiæ uſus, & quam larga inventorum ubertate quaſvis fere artes ditaverit. Speramus igitur fore, ut ſi improbo labore ac pertinaci induſtria amplius hæc excolatur, non tantum optimæ quævis artes majoribus adoleſcant incrementis, ſed imprimis etiam artis noſtræ ſalutaris doctrina ad inſignem perfectionis gradum evehatur. Profecto juſta cauſa dolendi eſt, adeo paucos inveniri, qui philoſophiam experimentalem in pretio habeant, inque ea plenius atque uberius proficere geſtiant, quum tamen vera & genuina clavis ſit, qua totum illud admirabile, quo ſummus rerum opifex & architectus hoc univerſum, ejuſque præſtantiſſimum opus, hominem, effinxit, artificium recluditur. Ego ſane jam inde à puero nobilem & excelſam hanc philoſophiæ partem in delicias uſque amavi, in quam incredibili & inſita quadam ferebar cupiditate, quam vernantibus adhuc annis in academia Jenenſi variis ibi habitis collegiis ac diſſertationibus me planam ac teſtatam feciſſe arbitror. Procedente ætate in multis experimentis inſtituendis meam verſavi operam, omnes, quotquot eorum extant, pene excuſſi libros & chymicos & alchymicos, & quid veri vel falſi huic ſcientiæ inſit, multis tentaminibus diſquiſivi. In hac academia à bibliopola quodam rogatus, Poterii opera notis quibuſdam illuſtravi, & paucas ſaltem conſcripſi chymici argumenti diſſertationes, quum plurimum temporis in exquiſitiori theoriæ & praxeos medicæ cultura conſumſerim, ea imprimis ductus ratione, ut artem hanc, omnium principem, ex qua pretioſiſſima corporis integritas dependet, & qua vita & ſpiritus tot hominum trahitur, ab inanium terminorum farragine, multis erroribus, hypotheſibus ac præjudiciis, quibus plures etiamnum occupatos video, liberarem, damnaque penitus irreparabilia, quæ ſubinde ex medicorum imperitia in ægrotantes redundant, quanta licet induſtria, præcaverem. Quicquid vero ſolidi laboribus & ſcriptis meis perfeci, id utique, ſi à divina gratia diſceſſero, philoſophiæ, à quibuſdam fere ex medicina ejectæ, naturali, nempe per chymiam, anatomiam & mechanicam à me diligentius excultæ, neque minus accuratioribus obſervationibus & experimentis practicis me debere, ingenue profiteor.

Cum vero ſuperiori anno, Vir illuſtris, ex me intelligeres, me in colligendis obſervationibus chymicis nunquam non fuiſſe atque adhuc eſſe occupatum, benigne me adhortatus es, ut adverſaria mea tandem aliquando excuterem, ſparſimque ibi & quaſi per ſaturam congeſtas obſervationes has publicæ cognitioni ſubjicerem, non dubitans, quin talis labor pluribus medicorum præclaro futurus ſit concitamento ad præſtantiſſimam hanc artem magis magiſque perficiendam, ſi nimirum fructus, qui exinde pleno alveo fluunt in artem noſtram, uberrimos perſpexerint. Tuo itaque, Vir Excellentiſſime, boni communis tam provido conſilio obtemperavi, & quum primus mihi auctor & ſuaſor ad laborem hunc maturandum extiteris, tuo etiam ſolido & limatiori judicio has obſervationes meas committere volui. Satis favoris mihi conciliatum putabo, ſi leve hoc ſcriptum Tuo, Vir acutiſſime, calculo probari intelligam, quippe cujus ſuffragium mihi inſtar omnium erit.

Equidem jam inde à longo tempore ex commercio literario haud obſcure perſpexi ſolidam tuam eruditionem; ſed poſtquam præterito anno Tecum in thermis Carolinis ad inſtauran-

ſtaurandam Auguſtiſſimæ Imperatricis valetudinem familiarius vivere mihi contigit, altius omnino inſpexi incomparabilem illam notitiam, quam non ſolum in phyſicis, chymicis, botanicis, medicis veterumque monumentis, ſed variis etiam exoticis linguis conſequutus es. Nihil ad gratiam loquor, ſed candide & ſincere dico, ſummum & Auguſtiſſimum Monarcham præter Te non digniorem comparare ſibi potuiſſe medicum, quippe qui ſpartam, quam nactus eſt, egregie ornas.

Si per divinam gratiam viridis ac vegeta ſenectus mihi contingat, ſique tomo tertio medicinæ rationalis extremam manum impoſuero, non deſiſtam varios adhuc labores chymicos in boni publici conferre emolumentum. Cæterum ut propenſam illam, Vir illuſtris, voluntatem ac benevolentiam, quam abs Te pariter, ac honoratiſſimo Tuo Parente, cultiſſimæ eruditionis viro, & Archiatrorum Cæſareorum Seniore, jam inde à longo tempore cumulatiſſime expertus ſum, mihi conſtanter ſerves, illud eſt, quod enixiſſime Te rogo & obſecro. Servet Te Deus ſalvum florentemque in commune orbis medici bonum, Teque ſuperſtitem eſſe ſinat quam diutiſſime. Vale. Dab. in academia Fridericiana, d. XX. April. CIↃ IↃCCXXII.

# IN ILLUSTRIS AUTORIS
## PRÆSTANTISSIMUM OPUS
### CHYMICUM.

ARs, inter reliquas princeps, regina ſororum,
Perfortis rerum domitrix, operoſa miniſtrat
Lemniaci cui dextra dei, cui militat æther,
Cui ſervit tellus, ignis famulatur, & unda
Obſequitur, cujus ſeſe pars maxima rerum
Submiſit devicta jugo, flammantibus armis.
Quæ triplex regnum naturæ & fœdera mundi
Aggrederis magnoque auſo ſuperare laboras,
Tolle ſupercilium, nunc te jactantius effer,
Inſolitis evecta modis, age læta triumphos,
Atque expectati præcelſum culmen honoris
Admiſſo conſcende gradu, tua ſumma poteſtas
Non enarrandis HOFFMANNO vindice creſcit
Auctibus, excelſæ qui mentis acumine fines
Imperii amplificare tui, vaſtoque labore
Naturæ ingenium & cœcos evolvere mores
Ac labyrintheos rerum penetrare receſſus
Grandi contendit niſu, paſſiſque ſubacti
Ingenii velis atque auxiliante laboris
Remigio infeſſi per tot tentamina rerum
Naturæ oceanum felix trajecit: apertos
Jam laxat natura ſinus, veloque remoto
Hic nudam ſine veſte deam ſpectamus, & intra
Limen inacceſſum tectamque admittimur aulam,
Qua rerum effectrix reſidet, qua corpora fingens
Artificem exercet dextram, qua ſemina rerum
Diſſimili genio & variis pugnantia formis
In certam ſignat ſpeciem. Vos, artis amantes
Sublimi laude & lætis applaudite votis
Illuſtri Autori, cujus jam gloria complet
Solis utramque domum, cujus memorabile nomen
In tritoniaco præfulgens purpurat oſtro.

LICHTENHAHN. M. D.

# CONSPECTUS OBSERVATIONUM.


Obſerv. Libr. I.

I. DE oleis deſtillatis inque eorum deſtillatione obſervanda encheireſi.
II. Oleorum deſtillatorum adulteratio.
III. Oleum Juniperi, ligni ſaſſafras verum atque caryophyllorum.
IV. Olea deſtillata rariora.
V. Oleum Roſarum & myrrhæ verum, cum aqua per deſtillationem paratum.
VI. Oleum ex balſamo de Copahu deſtillatum.
VII. De variis cautelis in oleorum deſtillatione & conſervatione adhibendis.
VIII. Gravitas ſpecifica oleorum.
IX. De differentia oleorum deſtillatorum, quæ per mixtionem cum oleo vitrioli apparet.
X. Experimenta inſtituta cum ſpiritu nitri fumante & variis deſtillatis oleis, ad eorum indolem rectius detegendam.
XI. Solutio oleorum deſtillatorum in alcohol vini.
XII. Deſtillatio oleorum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutorum.
XIII. Peculiaris camphoræ natura & virtus.
XIV. De peculiari oleorum, quæ ex regno animantium petuntur, indole ac virtute.
XV. Qua demonſtratur, reſinam ex oleoſo & acido conſtare principio.
XVI. De ſolutione & extractione corporum balſamicorum & reſinoſorum.
XVII. Eſſentia ſuccini præſtantiſſima.
XVIII. Vera & rara Eſſentia Ambræ.
XIX. De Balſamo liquido prodeunte ex ſantalo flavo.
XX. Reſinæ duæ rariores, altera rubicundiſſima, altera odoratiſſima.
XXI. Singularis reſina errhinæ facultatis.
XXII. Spiritus & balſamum liquidum Maſtiches, item Camphoræ.
XXIII. De Medicamentis ex balſamo Peruviano nobiliſſimis.
XXIV. Hiſtoria Vini Tockavienſis Hungarici cum ejus indole, geneſi ac virtute.
XXV. Anatomia vinorum chymica.
XXVI. De cylindro ſtatico, quo ſpiritus vini bonitas exploratur.
XXVII. Docetur ſeparatio omnis phlegmatis à ſpiritu ſine igne.
XXVIII. De excellente balſami liquidi ſpirituoſi virtute.

Obſerv. Libr. II.

I. HIſtoria & anatomia nitri phyſico-chymica cum obſervationibus rarioribus.
II. Animadverſiones & experimenta circa magneſiam albam tutũ & gratum inſipidum pulverem laxantem.
III. Spiritus nitri fumans & inflammans.
IV. Spiritus corroſivus nitri flammificus dulcificatus & medicinalis redditus.
V. Animadverſiones de ſolutione ſalium in ſpiritu vini rectificatiſſimo.
VI. De Salium diverſorum celeriori & faciliori ſolutione in aqua.
VII. De modo examinandi aquam communem.
VIII. Animadverſio, qua demonſtratur corporum ſolutionem non fieri per receptionem in poros menſtrui.
IX. De variis & rarioribus effervefcentiæ ſpeciebus.
X. Experimenta cum calce viva inſtituta.
XI. De differentia ſpiritus ſalis Ammoniaci cum calce viva & ejus, qui cum ſale alcali paratus eſt.
XII. Animadverſio circa oleum vitrioli ejuſque effectus, quos producit, ſi variis ſalibus & mineralibus admiſcetur.
XIII. De vero oleo vitrioli dulci.
XIV. De Sulphure vitrioli fixo anodyno.
XV. Demonſtratur, vim cauſticam ſalium eorumque virulentiam in ſumma partium tenuitate conſiſtere.
XVI. Animadverſiones Phyſico-chymicæ de Sale communi.
XVII. De ſumma ſubtilitate & ſpecifica virtute ſpiritus ſalis.
XVIII. De Lixivio à coctione ſalis communis relicto & ex eo prodeunte terra laxante, ſive magneſia, & ſale ſic dicto Ebſonienſi.
XIX. De Salium mediorum natura & uſu.
XX. Examen ovorum phyſico-chymicum.
XXI. Examen Sanguinis humani chymicum.
XXII. De panis groſſioris Weſtphalorum, vulgo Bompournickel, natura, elementis chymicis & virtute.
XXIII. De Succino, ejus generatione in terra & varia ſolutione.
XXIV. De Carbonibus foſſilibus & eorum vapore non adeo noxio.
XXV. Per experimenta origo atque generatio calculorum renalium oſtenditur.
XXVI. Sal volatile ſiccum Anglicanum.
XXVII. Methodus, ſalia volatilia oleoſa in forma ſicca præparandi.
XXVIII. Spiritus bezoardicus volatilis ad exemplum Buſſii.
XXIX. De differente ſalium fixorum alcalinorum indole & virtute.
XXX. Acidorum valde diſſidens natura & virtus demonſtratur.
XXXI. Tinctura ſulphuris volatilis.
XXXII. Examen aquarum mineralium.

Obſerv. Lib. III.

I. EXperimenta curioſa de Auripigmenti natura & viribus.
II. De Antimonio ejuſque ſulphuris natura ac virtute & variis illud præparandi modis.
III. De mirabili virtute Antimonii virulenta & medica & quomodo facile una in alteram tranſmutari poſſit.
IV. Medicamenta aliaque curioſa experimenta circa Regulum Antimonii.
V. Experimenta cum ſale reguli Antimonii martialis cauſtico inſtituta.
VI. De Medicamentis ex antimonio ſelectioribus.
VII. Experimenta quædam circa Vitriolũ ejuſq; oleum.
VIII. De Alumine ejuſque geneſi ac natura.
IX. Experimenta, quæ ſulphuris vulgaris naturam, mixtionem, ac generationem clarius exhibent.
X. De cauſis fœtoris in ſulphure minerali delitefcentis.
XI. Diverſi effectus ſulphuris in mineralia & metalla.
XII. De calcinationis ac reductionis fundamento & cauſis.
XIII. Experimenta circa mirabilem carbonũ virtutem.
XIV. Experimenta circa Phoſphorum Anglicanum.
XV. De Balſami ſulphuris Terebinthinati vi exploſiva.
XVI. Experimenta circa colorum geneſin.
XVII. Obſervationes & experimenta circa colores, qui ex metallis & mineralibus proveniunt & iis quaſi proprii ſunt.
XVIII. De liquoribus, qui per deſtillationem prodeunt colorati.
XIX. Experimenta circa ſolutionem Cupri.
XX. Experimenta, quæ auri naturam atque proprietates declarant.
XXI. Medicamenta ex auro parata & de iis judicium.


OBSER-

# OBSERVATIONUM PHYSICO-CHYMICARUM

## LIBER PRIMUS.

### OBSERVATIO PRIMA.

*De oleis deſtillatis inque eorum deſtillatione obſervanda encheireſi.*

PINGUE & inflammabile, quod Chymici ſulphur vocant, principium omnibus mixtis, quæ faciie immutationem ac deſtructionem admittunt, ineſſe, materiamque inflammabilitatis & cauſam præcipuarum, quas habent, virtutum præbere, res extra dubitationem poſita eſt. Id tamen mixtorum elementum non unius ejuſdemque, ſed valde diffidentis, imo alienæ indolis eſſe, varia ſane phænomena & multiplices effectus ſatis clare teſtantur. Nam in quibuſdam principium hoc ſulphureum fixioris valdeque temperatæ eſt naturæ, adeo, ut citra calorem in corpus agat, quemadmodum obſervamus in oleis, quæ maxime ex ſeminibus exprimuntur, vel in pinguedine & axungia animantium, quæ omnia ut ut inflammabilia ſint, tamen quoniam volatili & æthereo illo elemento deſtituuntur, parum calefaciunt vel corpus noſtrum alterant. Longe autem aliter ſeſe res habet cum illis oleis, quæ forti odore & ſapore imbuta ſunt, atque admoto paulo vehementiori calore in auras effugiunt, vel deſtillantur, quæ omnino exigua etiam quantitate uſurpata calore & motu ſat valido corpus exagitant. Atque ejuſmodi olea dantur maxime in regno vegetabilium, ſiquidem ex animantibus eorumque partibus hujus generis olea calida ætherea ſubtilia, odoris fortioris, ſolo calore haberi, vel ex iis cum aqua maceratis per veſicam vel aliud inſtrumentum elici nequeunt. Eodem prorſus modo comparata ſunt ea corpora, quæ regnum minerale nobis ſuggerit; nam ex iis etiam rebus bituminoſis, ut ſuccino, aſphalto, item ſulphure vulgari per deſtillationem humidam nullum oleum ſubtile evocari poteſt. Sed potius hæc olea calida, volatilia, odora, tantum ſunt fœtus regni vegetabilis, ita tamen, ut non omnes plantæ vel vegetantia tale oleum exhibeant, ſed ea tantum, quæ forti & conſtanti, non vero levi vel ſaltem ſuperficiali odore, quo plurimi ex floribus gaudent, inſtructa ſunt. Nam inſtar regulæ chymicæ id tenere oportet, omnia ex vegetabilibus, quæ attritu & calore fortem odorem ſpargunt, per deſtillationem humidam oleum fundere ſubtile, ita, ut quo conſtantior & validior ſit odor, eo majori in copia oleum proveniat, & quo ſuavior & fragrantior ſit odor, eo gratius & ſuaveolentius fiat oleum, quod etiam ex adverſa parte valere animadvertimus.

Qua de cauſa ex odoris penetrantia recte ad olei deſtillati quantitatem & ex hac etiam ad gradum odoris argumentari licet. Stat igitur & magis magiſque in aprico ponitur illud axioma Chymicorum: Sulphur eſſe matricem & principium odoris. Notandum vero hoc loco illud occurrit, quod complura dentur corpora, quæ forti & valde acri ſapore linguam feriunt, quia vero odore carent, parum vel nihil olei humida deſtillatione largiuntur; cujus aſſerti veritatem luculenter in radice ari, zingibere, pipere, zedoaria, ſinapi, naſturtio, quæ omnia fortiſſimi ſaporis ſunt, demonſtrare licet. Nam hæc deſtillationi ſubjecta parum vel nihil olei ſuggerunt, claro teſtimonio, aliud eſſe ſaporis, aliud odoris principium, quum hujus materia magis ſit volatilis, mobilis, illius vero magis fixa, penetrans tamen. Ex quo etiam illud fluit, quod fortioris quæ ſunt ſaporis ſine odore medicamenta vel mixta, non ita corpus calefaciant ejuſque humorum motum exagitent, quod videmus in pipere, zingibere, ſinapi, ut quidem ea, quæ forti odore inſtructa multum olei in deſtillatione fundunt. Hinc recte colligitur, aromata fragrantia, ut caryophyllos, cinnamomum plus calefacere, quam zingiber vel piper, quæ odore plane vacant.

Datur vero in quibuſdam vegetabilibus triplex fere diverſum oleum: primum eſt temperatius, quod plerumque ex eorum ſeminibus exprimitur; ſecundum eſt, quod per deſtillationem humidam habemus; tertium eſt, quod deſtillatio ſicca ſive combuſtio producit. Ita v. g. ex herbis cephalicis nervinis haberi poteſt ejuſmodi triplex oleum Nam ex earum ſeminibus, v. g. meliſſæ, origani, hyſſopi, exprimitur oleum temperatius, pauco odore imbutum; ex harum herbarum foliis & floribus deſtillatur cum aqua per veſicam oleum odoris ſuaviſſimi: poſtea quod relinquitur in veſica, quando exſiccatur, & ſicco modo igne ſubdito deſtillatur, adhuc oleum empyreumaticum acris ſaporis, fœtidique odoris prodit. Nam probe diſtinguendum eſt inter ea olea, quæ facile levi igne & ſolo calore fortiori per exhalationes tantum habentur, & inter ea, quæ forti

forti & ſicco igne è mixtis eliciuntur. Illa conſtituunt magis partes fluidæ, quæ plantam nutriunt, & per ejus canales circulantur; hæc vero ex ipſis ſolidis plantæ partibus, quarum mixtio longe arctior eſt, educuntur, unde etiam fortiori caloris gradu ſive igne vivo opus habent. Circa deſtillationem oleorum ſubtilium æthereorum certæ encheireſes, quæ jam ſequuntur, obſervandæ ſunt:

Ex floribus & herbis, leni calore aëris paululum & ſenſim ſiccatis, plus elicitur olei, ac ſi humidæ & ab agro adhuc recentes deſtillantur. Ita florum ſpicæ ſiccatorum libræ duæ dant olei deſtillati unciam unam, cum ſi recenter deſtillantur, non facile ſupra unciam dimidiam largiantur, id quod de meliſſa, ſalvia, majorana, mentha identidem valet. Ratio in eo poſita eſt: per exſiccationem leniorem perit tantum humiditas aquea, ſub qua diſperſæ erant particulæ reſinoſæ, quæ, hac abſumta, magis uniuntur & promtius coëunt. Et quia ex libris duabus plantæ humidæ non ultra libram unam ſiccæ obtinemus, & parum de oleo ſubtili evaporat, ſequitur, ut plus olei ex ſicca, quam humida planta acquiri debeat. Enim vero id hoc loco obſervandum eſt, quod ſi nimio & diuturniori æſtu herbarum fiat exſiccatio, oleum, quod producitur, parciori quantitate non modo, ſed & craſſiori ſubſtantia & ſaturatiori colore prodeat, eam ob rationem, quia immoderatiori & diuturniori æſtu utique partes ſubtiliores olei copioſius exhalant atque in auras feruntur. Deinde hæc obſervatur differentia inter olea, quæ ex plantis & floribus recentibus, & quæ ex ſiccatis parantur: illa odoris ſunt temperatioris & ſuavioris, coloris magis diluti, licet parcior ſit quantitas, quum ex ſiccatis olea ſint penetrantiora, ſaturati magis coloris & odoris non tam grati.

Ante deſtillationem maceratio eorum, quæ deſtillanda ſunt, fiat neceſſe eſt cum aqua, hac nempe ratione, ut aqua ſumatur fluviatilis, non fontana, nimis aſpera, nec nimis tenuis, ut eſt aqua pluvialis vel putealis, quia illa ſolutioni & extractioni eſt ineptior, hæc vero in putrefactionem valde prona eſt. Inſuper notandum venit, quod partes tres aquæ ad unam partem rei deſtillandæ ſumi debeant.

Adjiciendi ſunt aliquot manipuli ſalis communis v. g. ad decem menſuras aquæ tres vel quatuor manipuli ſalis, idque valde neceſſarium eſt, quia ſal commune non modo extractionem partium oleoſarum juvat, ſed & impedit putrefactionem, & quia aqua gravior redditur, prohibet deſcenſum rei deſtillandæ, ne in fundo veſicæ combuſtioni exponatur. Atque etiam noſtra opinione ſal commune ad olei depurationem confert, efficiendo, ut non turbidum, ſed clarius deſtillet. Alii adjiciendum ſuadent ſal alcali, cineres clavellatos, vel tartarum. Verum ego id non ſuaſerim, quia tartarus ægre ſolvitur & ſal alcali ad putrefactionem, quæ utique in deſtillationibus avertenda eſt, diſponit.

Maceratio non nimis diu, ſed tempore æſtivo ſaltem per viginti quatuor horas inſtituenda eſt, quoniam mixtura ſi diutius ſtat, putrefactioni proxima eſt, quæ intenditur in herbis oleo penetrante turgidis, ut ſunt præſertim mentha, majorana.

Oleorum deſtillatio ita eſt adornanda, ut tres partes veſicæ impleantur, una ſaltim vacua relicta. Nam ubi nimium ſpatium vacuum fuerit, ægerrime oleum aſcendit, ſique urgetur magno æſtu, ſuavem ſuum odorem exuit, neque etiam tam facile, ut vulgo putant, oleum elevatur. Si vero nimium repleta fuerit veſica, facillime accidit, ut ſub majori igne vel mixtura alembicum tranſcendat, vel particulæ herbarum limoſæ ſimul eleventur, unde olea quaſi à limo injecto turbida fiunt. Et ut ut in principio majori ignis gradu opus ſit, ut aqua in coctionem ſeu ebullitionem effervеſcat, utpote ſine qua difficilis eſt olei aſcenſio; tamen poſtea moderatiori igne tractanda eſt deſtillatio, ne oleum inſtar fumi ex ipſo canali, per quem deſtillatur, exhalet inque auram abeat. Porro in igne adminiſtrando obſervandum, ut primo ignis flammæ ſupponatur, poſtea is ſufficit, quem carbones ſubminiſtrant. Tandem deſtillatio abſolvi poteſt intra quatuor vel quinque horas, neque eam diutius protrahere juvat, quia oleum, quod deſideratur, primum aſcendit, quo elicito ſequitur tandem aqua, odoris tamen & virtutis non penitus expers, quam novæ deſtillationi adjicere expedit.

Quemadmodum olea deſtillanda ratione texturæ, gravitatis, ſubtilitatis, valde inter ſe differunt; ita etiam ſingula quandam in deſtillando obſervationem deſiderant. Nam quæ gravia ſunt & fundum petunt, ut oleum caryophyllorum, cinnamomi, ligni ſaſſafras, item quæ in frigore condenſantur, ut oleum aniſi, quod etiam gravitate ſuperare alia olea, v. g. lavendulæ, majoranæ, vel ex eo apparet, quia inſtrumentum noſtrum ſtaticum, quod in aliis oleis deſcendit, in hoc ſurſum fertur, ea ex veſica non adeo alta & majori ignis gradu deſtillari debent præ oleis ſubtilioribus & levioribus.

Quia olea differunt ratione penetrantiæ & fortioris odoris & validioris virtutis, oleum majoranæ & roriſmarini propter ſal, quo pollet, volatile copioſum acre, longe temperatiori calore deſtillari debet, quam oleum menthæ, hoc etiam præ oleo ſpicæ, idque præ oleo lavendulæ, quod longe ſubtiliſſimum; alias ſi intenſiori ignis gradu urgentur, à naturali ſuo odore ſuavi & ſapore etiam genuino valde deſciſcunt, & ſaporem non tantum acrem atque odorem fortem acquirunt, ſed & colore magis flavo & bruno imbuuntur. Dici enim vix poteſt, quantam ſolus ignis gradus mutationem texturæ oleorum inferat.

Ingens etiam differentia notanda venit in deſtillatione oleorum ratione coloris, conſiſtentiæ, majoris vel minoris copiæ, quam res deſtillandæ proferunt. Nam ratione coloris oleum caryophyllorum albiſſimum prodit, it. oleum ligni ſaſſafras, cinnamomi, quæ tamen ſenſim paulatimque, præſertim ſub aëris in non pleno vitro acceſſu, colorem mutant, & flaveſcere & demum rufeſcere ſolent. Oleum lavendulæ valde limpidum eſt, ſpicæ ex viridi flaveſcit, oleum menthæ flavum eſt, una cum oleo majoranæ, ſed acrius deſtillata rubeſcunt; oleum rutæ bruni eſt coloris, oleum abſynthii ex viridi nigreſcit; illud vero, quod ex floribus chamomillæ ſine additione aliorum, ut vulgo ſolet, paratur, elegantiſſimum coeruleum colorem refert, quod etiam fit in oleo, quod ex floribus milleſolii prolicitur, qui color tamen jucundus ſaphirinus cum tempore, præſertim ſub liberiori aëris aditu, immutatur & plane perit, atque in obſcuro-flavum degenerat.

Differunt etiam olea ratione conſiſtentiæ, dum quædam non liquida & tenuia prodeunt, ſed inſtar butyri coagulati ſupernatant, quod maxime valet de oleo roſarum, vel inſtar craſſioris magmatis adhærent parietibus vitri, vel canalibus plumbeis, per quos tranſeunt, firmius inhæreſcunt, ita ut difficulter, nec niſi ope ſpiritus vini rectificati infuſi exinde abſtergi poſſint, quod in oleo abſynthii, in oleo ſummitatum milleſolii maxime animadvertere licet. Et niſi cautela hæc adhibeatur, ut ante aliarum rerum deſtillationem tubuli, per quos deſtillatum fluit, probe eluantur, alia olea vel ſpiritus, quorum deſtillatio iiſdem in vaſis inſtituitur, colore, odore & ſapore alieno ut inficiantur neceſſe eſt.

Non

Non mediocris etiam differentia ratione quantitatis, quæ in deſtillatione obſervatur, oleorum eſt; nam quædam vegetabilia ingentem copiam ſuggerunt, alia mediocrem, alia valde exiguam largiuntur quantitatem. Ex omnibus, quæ ex terra naſcuntur, non mihi notum eſt ullum ſimplex, quod majorem copiam olei exhibeat, quam præter terebinthinam ipſa ſabina, cujus libra una in veſica fere uncias tres præbet, hinc ex libris duabus deſtillatione recte peracta commode unciæ quinque haberi poſſunt. Hanc ſequitur nuciſta, cujus una libra dat unciam unam olei, quod per deſtillationem in veſica evehitur, relicto adhuc oleo copioſo in ipſo fundo veſicæ, quod non transſcendit, ſed ex ipſa nuciſta exprimi ſolet; ut adeo pateat, hanc nucem abundare copioſo oleo, temperatiori nimirum ac fixiori, quod per expreſſionem obtinetur, & ſubtiliori etiam, quod deſtillatione haberi poteſt.

Ex floribus maxime flores ſpicæ oleo abundant, hinc libræ quatuor ſiccatorum commode uncias tres olei ſuppeditant. Parcior vero quantitas ineſt floribus lavendulæ, nam quatuor libræ vix unciam unam olei præbent, quod tamen odoris gratia oleo ſpicæ longe prævalet. Menthæ folia leviter ſiccata ad quatuor libras ſumta dant olei unciam unam cum dimidia. Ex majorana vix uncia obtinetur. Ex calami aromatici quinquaginta libris duas tantummodo uncias accepimus. Serpilium etiam pauciſſimum dat oleum. Parciſſimum quoque oleum ineſt rutæ, quæ licet ſapore acri & penetrante etiam odore polleat, tamen ex decem libris ſaltem uncia dimidia vel duæ aut tres drachmæ producuntur. Unde apparet, ſalinum principium præpollere oleoſo in hoc ſimplici.

Flores chamomillæ vulgaris & Romanæ parciſſimum etiam oleum fundunt, & ob id, ſi genuina ſunt, caro vendi debent pretio. Nam quæ vulgo venduntur, fere omnia fuco infecta ſunt. Calamus aromaticus licet valde acris ſit, tamen parum olei largitur.

Ex ſeminibus aniſum & anethum, carvum etiam & fœniculum, uno verbo quatuor ſemina carminativa multo oleo luxuriant, idque liberaliter fundunt, ſed tamen ea, quæ vulgo venduntur, plerumque fiunt adulterata.

Notandus etiam eſt ſpecificus quorundam oleorum ſapor & odor; ita oleum thymi & Saturejæ acerrimum nares arrodit. Oleum abſynthii amariſſimum, vapore graveolente implet caput, & probe notandum eſt, hoc oleum ex viridi herba deſtillatum, viride eſſe, ex veteri vero bruno-flavum colorem acquirere. Oleum chærefolii ſapore æmulatur oleum fœniculi; Oleum Tanaceti odorem herbæ ſuæ quam proxime refert.

Perquam dignum notatu eſt, plantas earumque partes, ſive ſemina, ſive flores, ſive folia ſint, non omni tempore & quavis ætate, inſignem olei, per deſtillationem proferre quantitatem. Enim vero ſi e. g. mentha, thymus, ruta, meliſſa, majorana, adhuc recentes & teneriores, ſub prima quaſi ætate deſtillationi committuntur, parum vel nihil olei ſuppeditant, ſed opus eſt, ut ad juſtam & virilem quaſi ætatem, ſive ad perfectionem & robur virium adoleſcant, quale eſt, ſi in capitula vel flores ſurgere cœperint. Et quemadmodum in animantibus annoſioribus vires decreſcunt atque emoriuntur; ita etiam plantæ feneſcentes plurimum virium amittunt, & pauxillum olei largiuntur. Saltim ergo hinc conſtat, plenum & perfectum in plantis robur atque maturitatem in olei abundantia conſiſtere, quæ per ætatem creſcit & decreſcit.

Inſuper quoque memorabile eſt, anni tempora eorumque conſtitutionem ad meliorem olei proventum plurimum conferre. Nam obſervatum mihi ſæpius eſt, ſi ver vel æſtas nimis humida vel pluvioſa fuerit, herbas earumque flores, v. g. ſpicæ aut lavendulæ, non tantam copiam olei elargiri, quam ſi juſta & naturali ſua temperie gaudent, & moderatus cum ſiccitate calor regnat. Ex quo diſcimus, convenientem aëris & cœli temperiem atque puritatem & ſiccitatem multum efficere, ut vegetantia ad debitam ſuam maturitatem & perfectionem perveniant.

---

## OBSERVATIO II.

*Oleorum deſtillatorum adulteratio.*

Turpe dictu eſt, ſed veriſſimum, vera & genuina plantarum olea rarius ex officinis haberi & pura proſtare, ſed ut plurimum adulterata divendi, quum alias vilioris pretii res, pinguedines, inter deſtillandum admiſcent, vel etiam purioribus oleis alia levioris notæ, ut pondus & pretium augeant, adjiciunt. De oleis aromaticis carioribus, quæ ex Belgio ad nos afferuntur, certiſſime conſtat, ea fere omnia adulterata vendi, quod maxime in oleo cinnamomi, caryophyllorum, macis & nuciſtæ conſpicitur, quæ tamen fraus in momento detegi poteſt, modo alcohol vini ſive ſpiritus vini rectificatiſſimus iis ſuperfundatur; ſiquidem hic ſtatim ſolvit & imbibit olei purioris corpuſcula, relicta olei expreſſi ſive amygdalini ſive fructuum Been notabili in fundo quantitate. Verum enim vero Chymicorum ſagaciores hanc fraudem ſatis artificioſe occultare ſciunt; diſſolvunt nempe oleum cinnamomi vel caryophyllorum purius æquali ſpiritus vini rectificatiſſimi portione adjecta, utpote ita præparari alcohol vini poteſt, ut una pars unam partem olei abſorbeat, remanente ſapore & odore ſatis forti & penetrante, ut ægrius dignoſci queat. At vero & hic fucus ſtatim manifeſtatur, ſi in aquam ſimplicem hæc olea infunduntur, tunc enim mox lacteſcit aqua, quod non evenit ab oleo puro, ſibi relicto, aquæ frigidæ immiſſo. Præterea adhuc alius olea plantarum, quas noſtræ regiones abundanter proferunt, adulterandi peſſimus mos eſt, dum nempe fraudulenti artifices oleum terebinthinæ vel pini herbis deſtillandis admiſcent, idque maxime efficiunt, ſi olea præparant cephalica ex plantis, quæ reſina balſamica abundant, cujus generis ſunt mentha, origanum, ſalvia, roſmarinus, majorana, ſatureja, thymus, ſerpillum, flores ſpicæ & lavendulæ, baſilicum, quibus rebus adjectis utique copioſius acquirunt oleum, ſed ignobilius & virtute valde inferius, ut ut ſaporem & odorem, ſi recentia fuerint, plantæ retineant ſpecificum. Sed fraus facile a peritis detegi poteſt; nam ſi diutius olea iſta aſſervantur, gratus ille odor facile evaneſcit, & ingratus terebinthinatus manifeſtatur. Expeditior vero eſt via hanc fraudem quoque cognoſcendi, modo linteum probe in ejuſmodi oleo maceratum calido loco vel fornaci calefactæ admoveatur; ſubtilis enim mox fragrantia avolat, & odor terebinthinaceus ſe manifeſtat.

Deinde quoque olea cephalica cum terebinthina vel oleo pini infecta limpidiora ſemper ſunt quam olea pura, quæ magis colorata. Tum etiam alia ratio expiſcandi hanc fraudem nota eſt, quando videlicet literæ, quibus ſignatura in orificio vitri fit, ſucceſſive palleſcunt & delentur, quod non fit in genuinis & veris. Nam effluvia terebinthinæ ſubtile in

in ſe reconditum habent acidum, quod atramenti colorem, ex tempore extinguit. Nonnulli loco terebinthinæ ſub deſtillatione horum oleorum, ſemina, multum pinguedinis quæ alunt, ut eſt papaveris, adjiciunt, atque hac ratione oleum illud craſſius, quod alias exprimi ſolet, & difficulter tranſcendit alembicum, à portione olei ſubtilis ætherei ſimul in ſublime fertur & deſtillat, & hunc in modum oleum rutæ maxime ſolent adulterare. Nam quantumvis ruta validi ſit ſaporis & penetrantis odoris, præter hanc tamen nulla planta eſt, ex qua parcius oleum elicitur. Veruntamen oleum rutæ purum ab impuro hac ratione diſcernitur: oleum rutæ purum non modo fragrantius eſt, ſed & in frigore non conglaciattur vel ſpiſſeſcit, quod vero fit, ſi oleum quoddam expreſſum in ſinu ſuo fovet. Præterea mentio etiam eſt facienda oleorum florum chamomillæ vulgaris & ſummitatum millefolii, quæ olea ſi pura & quam diu recentia ſunt, eleganti cœruleo oculis blandiuntur colore, qui vero poſtea perit inque brunum mutatur. Enim vero, ſi diutius & ultra annum hic color olei florum chamom. pulchre cœruleus perſiſtit, certi mangonii ſiſtit indicium: nam oleum terebinthinæ, quod à cupro ſaturate cœruleum fit, immiſcere illis oleis ſolent. Multum vero refert, ut medicus olea pura ab impuris & adulteratis probe dignoſcere & diſcernere ſciat; nam profecto olea illa balſamica & cephalica de ſpecifica ſua virtute & viribus multum inde amittunt, & longe alienam & non deſideratam efficaciam acquirunt. Neque enim ignotum eſt, omnia terebinthinacea maſſam ſanguinis & humorum vehementer exagitare, & intenſiorem æſtum corpori conciliare.

---

## OBSERVATIO III.

*Oleum Juniperi, ligni ſaſſafras verum atque caryophyllorum.*

JAm inde à multo tempore nihil vulgatius eſt oleo juniperi, quod in magna copia ex ſylva Thuringica advehitur & vili venditur pretio; aſt ſi recte ponimus calculum & ad chymicum examen illud revocamus, nihil hoc oleo juniperi rarius, & quantumvis ingens arboris juniperi in ſylva Thuringica ſit proventus, tamen non purum illud relinquunt, ſed in deſtillatione oleum pini admiſcent, quare etiam non mirum eſt, vulgare ejuſmodi juniperi oleum virtute ſua genuinu & propria eaque ſatis in medendis corpoporis malis celebrata non ſine ſanitatis detrimento privari.

Opera itaque danda eſt, ut qui medicinam dextre facere vult, hujus olei deſtillationem ipſe inſtituat atque adornet, & certe tunc animadvertet, has baccas non tam copioſum, ut vulgo creditum eſt, fundere oleum, quod tamen à vulgari & ſapore & colore & viribus longiſſime diſtat.

Sequentem vero in modum præparatio adornanda eſt: Recipiuntur libræ octo baccarum juniperi, quæ quo recentiores & ſucculentiores, eo ad noſtrum negotium aptiores ſunt, affunduntur menſuræ duodecim aquæ pluvialis; ſtent per aliquot dies in loco calido, poſtea in veſica cuprea majori fiat deſtillatio, ita obtinemus circiter olei uncias tantum tres, fragrantiſſimi odoris & flavi coloris. Quod relinquitur in veſica decoctum tranſcolatur per pannum & leni calore inſpiſſatur: ita habemus Rob ſpiſſioris conſiſtentiæ, coloris ex flavo bruni, ſaporis amaro dulcis balſamici, quod laborem & expenſas egregie compenſat. Nam hoc ipſum medicinam præbet ad roborandum imbecillem, ad tonum reſtituendum dejectum inteſtinalem in alvi fluxibus ad præſervationem à calculo, ab hydrope, præſtantiſſimum. Commode ſolvitur in vino Hiſpanico, vel alio dulci & potente & cochleatim offertur poſt cibum ſumtum vel ante lecti introitum. Hoc medicamentum juvat ſenes, quibus veſicæ vitia & in urinæ emiſſione difficultates, nec non imbecillitates ventriculi & inteſtinorum valde familiares ſunt, & noſtra opinione hoc Rob ſupergreditur vires olei deſtillati, quoniam illud magis temperatum, hoc vero valde calidum eſt. Magna eſt differentia inter odorem puri olei & adulterini; hic in vero ſubtilior eſt & ſe magis diffundit, & baccarum odorem ſortius ſpirat quam in adulterato, qui quodammodo gravem ſpargit odorem, & parum de odore fructuum horum continet. Secundo, ſi quatuor guttulæ olei veri in aquam puram immittuntur, oleum ſupernatat limpidum nullo colore tinctum, adulteratum vero lacteſcit.

Quando anatica portione miſcetur oleum adulteratum cum oleo vitrioli concentrato, fortiſſima cum magno æſtu & vapore fit ebullitio ad vitri uſque rupruram, & mixtura picea nigra evadit. Verum autem nec tantum calorem concipit, nec tantum ſumum concitat, neque tam craſſam & piceam conſiſtentiam acquirit, ſed mixtura flavidior & rubicundior etiam fit.

Oleum verum juniperi difficillime ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo; impurum vero facillime propter oleum templini, quod facile ſolvitur in ſpiritu vini. Hæc adducta experimenta nos docent, quanta ſit utriuſque olei, ratione naturæ, mixtipnis & virtutis differentia, & quod certe in ſanando oleum verum longe majorem efficaciam promittat, quam adulteratum, quod calore & æſtu valde exagitat humorum maſſam, neque tam amicas ſulphureas balſamicas partes, quæ intimæ admiſſinis & penetrationis ſunt, in ſe cuſtodit, quam purum & omnis adulterii expers. Eſt vero oleum verum, præſertim ſolutum in ſpiritu vini rectificatiſſimo diureticum, emmenagogum & carminativum, quod vel cum infuſis, herbæ Thée vel cum vino Hiſpanico ſumi, vel etiam in elæoſaccharum converti, aut in aquam vitæ ſive ſpiritum juniperi redigi poteſt, affundendo ſpiritum vini vulgarem bonæ notæ & pauxillum ſacchari.

Ex ligno ſaſſafras duplex in pharmacopoliis proſtat oleum, unum, quod empyreuma redolet, fœtidum, aperto igne factum, nullius fere uſus: alterum deſtillatum per veſicam, quod eſt gratius & magis ad uſum expetendum. Sed quia plerumque hoc adulteratum venditur, quare hujus olei genuinam præparationem conficiendam curavimus. Sumſimus libras ſex raſuræ ligni ſaſſafras, & ſuperaffudimus menſuras duodecim aquæ fluviatilis, per quatuor dies in conclave calido facta eſt maceratio, poſtea ampliori veſicæ cupreæ omnia hæc immiſimus, & obtinuimus unciam integram & drachmas ſex olei, inſtar aquæ, limpidi & elegantiſſimi, puriſſimi, quod non in ſuperficie more aliorum oleorum natabat, ſed fundum petebat in aqua. Hoc oleum ligni ſaſſafras verum ex toto in rectificatiſſimo ſpiritu vini diſſolvitur & aquæ infuſum totum petit fundum; cum adulteratum non totum ſolvatur & ex parte tantum in fundum aquæ deſcendat.

Hoc oleum in affectibus pectoris, in lenienda tuſſi, in demulcendis doloribus & ſpaſmis, inque vitio impuritatum lymphaticarum deliniendo & delicatiſſimum & præſtantiſſimum eſt. Poteſt per ſe ſumi vel in elæoſaccharum redigi, vel aliis eſ-

ſentiis

ſentiis admiſceri v. g. pectoralibus, aut una vel altera guttula pulveribus ſtomachicis & temperantibus adjici. Solvitur optime hoc oleum in duabus partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi, & hac ratione commodius cum aliis miſcetur. Si ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus cum adjectione aliquot guttularum hujus olei roboratur, ſpiritus oleoſus conficitur magnarum omnino in cachexia vel in lymphæ vitiis corrigendis virium.

Decoctum, quod poſt olei deſtillationem in veſica remanet, tranſcolatum, inſpiſſandum eſt leni calore, ita conficitur extractum certe præſtantiſſimum, quod ſaporis eſt ſubamaricantis & ſubadſtringentis, ex partibus reſinoſis & ſubtilioribus terreſtribus compoſitum, & cum id mihi proxime accedere viſum fuit ad extractum Corticis Chinæ, quod decoctione cum aqua ſalis lixivioſi aculeis armata præparatum fuit, feci experimentum, & hoc ipſum pro doſi ad ſcrupulum unum in Cachexia ad roborandum viſcerum tonum, in declinatione etiam intermittentium chronicarum febrium, ad compeſcendos etiam ex hypochondriorum vitio ortos ſpaſmos, non ſine inſigni fructu, non ſemel, ſed ſæpius obtuli. Et cum hujus extracti præparatio & uſus num hactenus cognitus fuit, neſciam, volui mentionem ejus hoc loco injicere.

Ex aromatibus, quin imo omnibus vegetabilium partibus & ſeminibus non tanta copia olei ſubtilioris per deſtillationem artis lege educi poteſt, quam ex ipſis caryophyllis. Siquidem ex libris duabus, ſi ignis recte adminiſtretur, unciæ quinque olei obtineri poſſunt, hinc turpe eſt, hoc oleum vix genuinum proſtat in officinis, nec ex Belgio ad nos afferri purum, ſed cum oleo expreſſo adulteratum vendi, cujus hoc eſt indicium, ſi non totum ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo, cum prompte alias & fere æquali portione ab eo recipiatur. Notum enim eſt, ſpiritum vini rectificatiſſimum nullum ingreſſum habere in olea expreſſa v. g. olivarum, amygd. dulc. vitellorum ovorum, & ita olea adulterata à veris optime diſcerni poſſunt. Deſtillatio vero ita inſtituatur: Sumimus Caryophyllorum pulveriſatorum libras duas & affundimus ad minimum menſuras ſex aquæ pluvialis, & uncias duas ſalis communis, per 5. vel 6. dies ſtent in loco calido, ut maceratio & extractio melior fiat; poſtea deſtilletur ex veſica; ita prodit oleum ſtatim in principio albiſſimum & pellucidum, omnis coloris expers in fundo recipientis conſpicuum.

Additur ſal comm. ante deſtillationem (1) ut ejus ſpiculis contextus & involucrum, ſub quo latitat oleum, eo melius diſcerptum illud dimittat. (2) ne aqua putreſcat; nam aqua communis, præſertim pluvialis aromaticis ſpeciebus infuſa, ſi paulo diutius ſtet in digeſtione, fœtorem & putredinem facile induit, quam adjectum ſal impedit.

Hoc oleum illud peculiare in deſtillatione habet, quod paulo fortiori igne opus habeat, quia eſt valde grave & in aqua ſubſidet. Deinde etiam non in nimis alto vaſe debet deſtillari, neque nimia portio ſimul & ſemel deſtillationi ſubjicienda eſt, ne proportione caloris & ignis inæquali vel deficiente, magna pars in fundo maneat.

Oleum Caryophyllorum prodit albiſſimum, omnis coloris expers, ſed ſi paulo diutius ſtet in vitro, ad quod liber aëris aditus patet, ſi nempe dimidium ejus oleo repletum eſt, colorem ſucceſſu temporis induit primo flaveſcentem, qui poſtea ſaturatior evadit, id quod etiam de oleo L. Saſſafras obſervamus. Patet inde, aëris magnam vim eſſe in mutanda corporum textura & colore ab ea dependente. Nam ſi vitrum penitus oleo repletum eſt, beneque obturatur, ut aër penitus arceatur, diaphanum manet & non tingitur. Ultimo & illud attendi meretur, quod ſi omne ex caryophyllis oleum prolicere velimus, opus ſit reiterare bis deſtillationem, ſuperfundendo denuo aquam, à qua oleum ſeparatum fuit. Ita in deſtillatione ſecunda ſæpius adhuc unciam & ſemiunciam, in tertia dimidium unciæ acquirimus. Ubi notandum, quod oleum prodiens in ultima deſtillatione craſſius & ponderoſius ſit eo, quod prima deſtillatio concedit.

---

## OBSERVATIO IV.

### *Olea deſtillata rariora.*

Ingens eſt oleorum, quæ in officinis proſtant & vulgo venduntur, farrago eorum, quorum magna quantitas per deſtillationem haberi poteſt, ſed exiguus valde eſt proventus, & quantitas valde rara illorum, utcunque præſtantiſſimorum, quæ parum olei largiuntur, unde etiam utique cariori vendant pretio neceſſe eſt. Nihilo minus quia ſanitate nihil eſt pretioſius, peritus & ſagax medicus nullum pretium timere debet in comparandis iis remediis, quibus magna juvandi potentia ineſt.

Jam igitur de oleis rarioribus, præſertim quæ ligna nobis ſuppeditant, quædam commentari placet. Inter ea ſe primum offert ſantalum citrinum, quod propter ſaporem & odorem, quo pollet ſuavem, & reſinam, qua præditum eſt, copioſam, plus utique meretur recipi in uſum medicum, quam quidem hactenus factum eſt. Siquidem id non tantum elegantiſſimam tincturam cum ſpiritu vini rectificatiſſimo dat, ſed etiam hoc ipſum lignum raſpatum & paulo diutius in aqua, ſale communi adjecto, maceratum, oleum nobis præbet elegantiſſimum, ſapore & virtute maxime commendandum, ut pote cum ambræ odorem referre videatur, indicio, magnam virtutem in eo eſſe confortantem. Solvitur commode in Spiritu quodam rectificato, v. g. roſarum aut libiorum alborum, qui ſpiritus roborantibus, cephalicis & ſtomachicis remediis utiliſſime admiſcetur.

Ex ligno aloës valde odorato & ſuaveolente paratur oleum craſſioris conſiſtentiæ, coloris albicantis inſtar camphoræ, paulo majori ejus quantitate ad libras nimirum decem adſumta, & tritu ac raſpatura comminuta, quod, poſt longiorem macerationem in aqua, ſi deſtilletur per veſicam valde capacem noſtro experimento paucam quantitatem corporis oleoſi ſeu potius reſinoſi fragrantiſſimi & delicatiſſimi exhibet, ita ut ex decem libris non ultra unciam dimidiam obtinere poſſimus. Hoc oleum promtiſſime vires in alkohol ſolvitur, & medicamentum, quod vires tam egregie reparet, quod languenti ventriculo & viribus proſtratis ſuccurrat, vix ullum ſibi ſimile habet.

Ex oleis raris & pretioſis, oleum cochleariæ & mari Syriaci primum fere tenent locum; illud, quod valde parcum ex magna cochleariæ copia prodit, eſt primo ſumme volatile, adeo ut valde difficile ſit, illud in vitris cuſtodire & per varia obturamenta impedire, ne in auras exhalet, quare nonnulli vitra bene obturata in ipſam aquam ponunt, partim ut calor, partim ut aëris aditus arceatur.

ceatur. Deinde tam penetrantis ſaporis & odoris eſt, ut una guttula integram unciam ſpiritus vini forti ſapore impleat, vel una guttula ſoluta & menſuræ vini infuſa, ex tempore vinum imbuat odore & ſapore cochleariæ, fortiter etiam nares ferit, & omnes capitis partes interius afficit: poſtea valde grave eſt, nam in aqua deſcendit ut oleum caryophyll. & cinnamomi. Conſtat etiam caro pretio, nam in Anglia, ubi ingens eſt ejus proventus, unica uncia octo imperialibus venditur.

Huic proximum eſt oleum mari veri, plantæ etiam ſale volatili & oleo acerrimo imbutæ, hinc penetrantia ſaporis & odoris, cochleariæ oleo vix cedit nec pretio inferius eſt. Inter olea rariora & minus cognita pertinet etiam oleum baſilici, quod ob penetrantem ſuam fragrantiam & virtutem cephalico-nervinam, oleo majoranæ longe eſt ſuperius, licet ob majorem raritatem herbæ carius.

Oleum etiam meliſſæ verum, quod hodienum cum oleo ſchœnanthi ob ſimilem odorem valde confunditur, inter nobiliora & rariora eminet, propter eam cauſam, quia ingens hujus herbæ cumulus exiguam olei fundit portionem: ſed pretium compenſat excellens illa in morbis capitis & genere nervorum roborando virtus.

Huic non poſtremum eſt oleum canellæ albæ, *vveiſſer Zimmet*, non adeo in officinis notum, ſed quia non multum hic cortex olei concedit, hinc etiam carius æſtimandum eſt.

Denique parum cognitis etiam annumerandum eſt oleum ranunculi eſculenti, herbæ domeſticæ & culinaris, cujus oleum ſubtili & penetranti ſapore, nec ingrato odore imbutum eſt, & quemadmodum aqua hujus herbæ in aſthmate humido imprimis magnis gaudet virtutibus, ita magis eæ conſpicuæ ſunt in ejus oleo, ſi beneficio ſacchari intime miſceatur & propinetur.

Ex ſemine cumini nigri, vulgo *ſchvvartz Kummel*, conficitur oleum non adeo vulgare, ſed profecto, ſi ullum aliud, certe hoc carminativum eſt.

Oleum origani cretici, cui ſubſtituere ſolent oleum thymi vel ſaturejæ, acri ſapore & odore ſuo nares valde afficit & errhinam, pituitam liquantem, vim exerit. Quidam ceu arcanum illud ad odontalgiam curandam magni faciunt.

Superſunt plura alia rariora olea, quæ ex Indiis afferuntur, ad quem cenſum pertinent oleum florum canangæ, caieputi oleum aromaticum, oleum de cedro, culilabani, hypericonis Africani, kikekunemali Indicum, ſpicæ nardi, ſquinanti, oleum malabathri, camphoræ cinnamomiſatum, quorum quodvis ſuo ſplendet uſu & virtute.

Tandem oleum cort. aurantiorum, quod ex corticibus recentibus per expreſſionem paratur, it: oleum macis etiam per expreſſionem elicitum, oleum neroli, ſive ex floribus aurantiorum debita encheireſi deſtillatum, inter rariora, delicatoria, neque minus uſu præſtantiora non infimum tuentur locum.

## OBSERVATIO V.

### *Oleum roſarum & myrrhæ verum, cum aqua per deſtillationem paratum.*

OLea inter pretioſa, & quæ raritate pariter ac virtute ſe commendant, eminet maxime oleum ex floribus roſarum ſine additione alienæ rei paratum verum: neque memini ejus præparationem officinis cognitam vel Solemnem eſſe. Ego ſemel id ipſum integrum & purum ſed valde delicatum ex Florentino Italiæ laboratorio obtinui, cujus duæ guttulæ in drachma dimidia ſpiritus vini rectificatiſſimi ſolutæ, ſuavi ſapore ſacchari aliquot uncias infecerunt. Brevi tempore cum hoc oleo & ſpiritu vini tartariſato fragrantiſſimus roſarum ſpiritus conficitur, qui ad ambram ſolvendam eamque in eſſentiam redigendam, commodiſſime uſurpatur. Dolendum vero id maximè eſt, quod hoc oleum delicatiſſimum ex ingenti florum roſarum mole perexigua admodum quantitate prolectetur. *Tackenius* in quodam ex ſcriptis ſuis refert, ſe ex centum florum roſarum libris vix ſemiunciam habere potuiſſe. Nos faciendo experimentum, libras ſumſimus florum duodecim, qui prius in mortario cum ſale probe comminuti & macerati erant, affudimus duodecim aquæ menſuras, & prævia digeſtione altero die ſuſcepimus deſtillationem, prodiit ſtatim mitiori igne aqua fragrantiſſima, cui oleum inſtar butyri coagulati ſupernatabat, quod exemtum vix drachmæ dimidiæ pondus æquabat, aqua vero propter oleoſas intime admixtas partes fragrantiſſima, tantæ erat efficaciæ, ut ejus una uncia integræ aquæ communis libræ affuſa, totam eam odore roſaceo imbueret.

Et quia in roſarum floribus eximia & pene mirabilis virtus quæ vires recreat erigitque, citra excitationem caloris, recondita eſt, ſuaſor ſum, ut nec Medicus nec Pharmacopœus tam ſuavi ac fraganti ſubtili delicato oleo careat: pauca enim ejus doſis ſufficit ad confortantem, ſuavem & analepticam virtutem medicamentis conciliandam.

Referendum adhuc eſt aliud oleum, quod, uti rarum, ita delicatum & præſtantiſſimæ virtutis eſt, idque deſtillatur ex ipſa myrrha: haud ſcio an unquam adhuc tentata fuerit hujus præparatio ex veſica cum aqua, neque memini ullibi ejus mentionem in ſcriptis medicis & chymicis factam fuiſſe. Hoc vero obtinuimus ſequentem in modum: accepimus nempe puræ & electæ myrrhæ libram unam, hanc in minutiſſimum pulverem comminuimus, cui aliquot libras aquæ communis ſuperaffundi curavimus, poſtea ex veſica deſtillationem adornavimus, ita ſubjecto igne prodiit aqua albicans, cui plures globuli oleoſi ſupernatabant, horum etiam ingens copia in fundo aquæ conſpiciebatur. Odor & ſapor erat tam olei quam aquæ ſuaviſſimus, exquiſite myrrham redolens, hanc aquam quieti per aliquot dies commiſimus, & receſſit oleum in fundum, aqua reddita limpidiore, ſed vix drachmæ duæ haberi poterant, ſed hoc eſt tam delicati ſaporis & odoris, ut ſingulari modo reficere & vires recreare videatur. Cum ſaccharo comminuto ſi aliquot guttulæ commiſcentur, elæoſaccharum balſamicum & pectorale conficitur, quod vel per ſe vel cum infuſo veronicæ aut coffée ſumtum in chronicis pectoris vitiis, in tuſſi inveterata, aſthmate humido, eximiam & magnam meretur laudem. Neque mediocrem ab eo efficaciam promittimus, ſi ad arcendum putridum aërem, ubi cœlum nubilum eſt, & epidemico morbo urbs confiictatur, mane cum juſculo vel infuſo ſuccoladæ aut Coffée unam vel alteram guttulam in uſum adhibeamus.

## OBSERVATIO VI.

### *Oleum ex balſamo de Copahu deſtillatum.*

BAlſamum Copahu ſive Copaif eſt liquor oleoſus limpidus, conſiſtentia ad terebinthinam accedens, ſaporis penetrantis & odoris non ingrati, ſtillans ex Americana arbore, quam Braſilia profert: æſtate ex inciſo arboris cortice profluit & colligitur,

colligitur, & ad nos ex Portugallia adportatur. Duplicis vero generis eſt, alterum limpidius & odoratiſſimum, alterum conſiſtentiæ paulo craſſioris, neque tam ſuavis odoris. Prius eſt deſideratiſſimum, interno & externo uſu ſeſe commendans. Interne ſi ſolvitur per tincturam tartari, in fluore albo, gonorrhœa inque affectibus renum & veſicæ cum fructu adhibetur, externe ad conſolidanda vulnera & ulcera, ad roborandas ex morbo imbecilles nervoſas partes, inter linimenta ejus uſus eſt ampliſſimus & virtutem ſuam exſerit maxime propter abundans quod ineſt oleum, ut hoc ſequens experimentum oſtendit. Nobilioris nempe balſami libram unam ſumſimus & ſuper affuſis quatuor menſuris aquæ, ex veſica, convenienti igne abhibito, oleum prolicuimus, ſaporis & odoris valde penetrantis & jucundi, coloris viridicati, formæ paulo conſiſtentioris ad uncias nempe ſex. Haud memini num deſtillationi ſubjectum unquam hoc balſamum fuit, admiratus ſum tantam olei ætherei ſubtilis in hoc balſamo reconditi copiam, maxime cum ex balſamo de Peru nigro valde exigua olei portio per deſtillationem cum aqua ex veſica proliciatur, quod non inevidens indicium præbet virtutis quæ huic balſamo ineſt valde calefacientis. A deſtillatione in fundo veſicæ maſſa reſinoſa ſpiſſa relinquitur, quæ carbonibus injecta non ingratum odorem diffundit, eam in emplaſtra nervoſis partibus roborandis dicata commode recipi exiſtimamus, & ut ut ſimplex balſamum eximiis gaudeat virtutibus, tamen his eminentiores in hoc oleo deſtillato obſervavimus. Miſcuimus id cum dupla portione axungiæ, quod linimentum partibus paralyſi tactis, & tono, ſenſu & motu deſtitutis eximium attulit robur.

Neque minus partibus ex podagrico dolore imbecillioribus redditis & ad motum minus idoneis egregiam & commodam opem adfert. Præterea ex eo balſama vulneraria & pectoralia ad uſum internum confici poſſunt egregia, ſi v. g. id ipſum cum oleo hypericonis bene præparato, cum ſpermate ceti, oleo vitellorum ovorum miſceatur, adjectis aliquot guttulis olei ligni ſaſſafras, macis, fœniculi veri, ſique cum emulſione vel lacte aſinino vel caprino balſamum ſumitur. Hoc balſamum in pulmonum apoſtematibus, in ulceratione renum, veſicæ atque proſtatarum, ſi cum adhibita prudentia uſurpetur, evidens auxilium & fructum non contemnendum inde ægrotantes percepturos non dubito.

Hoc oleum balſamicum promte per alcohol vini ſolvitur, ſed hujus partes quatuor ad unam partem olei, ut commodior fiat ſolutio, requiruntur. Si loco ſpiritus vini tinctura tartari vel antimonii acris adhibeatur, & ſpiritus nitri dulcis admiſceatur, medicamentum, quod potenter urinam movet, naſcitur, quod in affectibus rheumaticis, cachecticis præſtantiſſimæ eſt efficaciæ. Elæoſaccharum ex eo paratur plane balſamicum ſaporis jucundioris, quod in atonia ventriculi, in tuſſi ſtomachali & inteſtinorum nimia laxitate & flatulentia, in paralyticis quoque affectibus cum vino Hiſpanico vel Hungarico ſumtum magno præſidio eſt.

Verum adhuc alium hujus balſami uſum recenſere debeo, cum deprehenderim tam copioſo & ſuavi oleo id abundare, feci experimentum, & ejus libram dimidiam adjeci floribus lavendulæ, itemque herbæ roſmarini deſtillandis, & obtinui hac ratione longe majorem copiam horum oleorum, quæ odore & gratia parum ab oleis iſtis puris diſcedebant, ſaltim inde conſtat præ terebinthina id balſamum longe commodius ad augendam oleorum æthereorum copiam aſſumi poſſe, neque tamen id eo fine atque conſilio adduco, ut illud imitandi auctor ſuaſorque exiſtam.



---

## OBSERVATIO VII.

### *De variis cautelis in oleorum deſtillatione & conſervatione adhibendis.*

SÆpius accidit, ut olea & acriora & ſaturatioris coloris ſub deſtillatione prodeant, præſertim, ſi hæc ipſa nimis forti igne urgentur, idque maxime conſpicimus, ſi herbæ ſale acri copioſo fœtæ, è quarum numero ſunt thymus, ſatureja, majorana, mentha, origanum Creticum, deſtillationi ſubjiciendæ ſubjecto paulo fortiori igne ſi deſtillatio acceleratur, olea non modo ſuavem ſuum odorem amittunt, ſed & brunum ac rubicundum colorem acquirunt, quod tamen non accidit, ſi moderato igne tractantur.

Ex hac chymica mechanica diſcimus, nimium etiam calorem in immutanda oleorum textura magna pollere potentia. Placet hæc ad negotium corporis noſtri vitale applicare, cum videamus, intenſiori in febribus æſtu temperatas ſanguinis & humorum ſulphureas partes ſupra modum acui atque intendi, quare non mirum eſt, oleoſum & temperatum ſanguinis elementum converti in materiam valde ſalſam ſulphuream, quæ per urinam & alvum ſecedens, feces valde bilioſas flavas & urinam intenſe rubicundam reddit.

Quæſtio nunc incidit, an non illa olea, quæ ſub adminiſtratione acrioris in deſtillando caloris gratiam ſaporis, fragrantiæ & coloris magna ex parte amiſerunt, per rectificationem perfici & ad priorem gratiam reduci poſſint? Neque dubium eſt, quin hoc obtineri poſſit, modo negotium recte conficiatur. Si quis vero rectificationem moliri ita velit, ut hæc ipſa olea retortæ vitreæ committere & ex arena ea ipſa deſtillare cupiat, is valde decipietur. Nam hoc modo tractata hæc olea, fœtorem empyreumaticum ingratiſſimum acquirunt & longe acriora redduntur, tantum abeſt, ut priſtinam gratiam & ſuavitatem induant. Igitur alio modo res perficienda eſt: miſcela nempe horum oleorum fiat cum ſale communi, cum quo fortiter triturentur, tribus partibus ſalis ad unam olei ſumtis, poſtea ſufficiente quantitate aquæ affuſa, rectificatio per veſicam inchoanda eſt, ita profecto exſtillat oleum longe clarius, gratiori etiam colore imbutum; in fundo veſicæ, quod mirabile eſt, reperitur maſſa ſpiſſa, nigra, tenaciter manibus adhærens, cujus proventus eo copioſior eſt, quo craſſiora & intenſioris coloris aſſumta fuerint olea. Abundare vero ejuſmodi reſinoſo corpore maxime oleum majoranæ præ aliis oleis, ſæpius à nobis obſervatum eſt, nam plerumque ejus uncia drachmam unam reddit. Olea menthæ, ſpicæ, lavendulæ ita tractata non tantam copiam reſinæ relinquunt, thymus vero & ſatureja abundanter eam exhibent. Deinde quoque deprehendimus, olea vetuſtiora, & quæ craſſioris ſunt conſiſtentiæ, ingentem quantitatem hujus reſinæ largiri.

Hoc experimentum clare confirmat, olea non niſi reſinas eſſe liquidas & ſubtiliores, arctius cum phlegmate & ſpiritu quodam æthereo unitas, eaque eſſe præ aliis calidiora, quæ ingentem reſinæ copiam alunt. Quapropter ejuſmodi olea majori ſemper adhibita prudentia & cautione interne à medico propinanda eſſe judicamus, quod omnia oleoſa tenuiora intenſiorem & diutius perſe-

verantem æſtum humani corporis humoribus inferant.

Inſuper id ſciendum eſt, quod olea limpidiora hac rectificatione reddita, non tam promte à rectificato ſpiritu vini ſolvi, quam antea, poſſint, ſed rectificatiſſimum deſiderent, alias in innumeros coeunt globulos & cum ſpiritu ægerrime uniuntur.

Deinde conſtantis eſt obſervationis, olea ætherea limpida & ſuaveolentia nimiam per ætatem ſpiſſiora effici, & non parum de ſuavitate ſua amittere; hanc ſi reſtituere velimus, opus eſt, ut recentioribus herbis & foliis ea infundamus, & deſtillationem per veſicam reiteremus, quo efficitur, ut ſubtili, ſuavi & ſpirituoſo ſuo elemento, quod ipſis per vetuſtatem detractum fuit, rurſus impraegnentur.

Quo experimento diſci poteſt, præter ſulphureum, ſalinum, terreum aut aqueum elementum etiam adhuc aliud dari in oleis, quod ſpiritum veteres vocarunt, qui ſumme agilis & tenuiſſimæ aëreo-æthereæ ſubſtantiæ ad tuendam naturalem craſin & texturam mixti neceſſarius eſt.

Hic ſpiritus maxime omnium per calorem aeris ad fugam paratus eſt, quo poſtea deperdito, liquidum in ſua conſiſtentia, odore, ſapore pariter & viribus non parum immutari comperimus. Si igitur velimus olea ſervare integra, oportet, non tantum obturaculis ea probe munire, ſed & in locis frigidioribus detinere ac cuſtodire, ita ſpiritu intus coercito, ſalva manebit eorum textura.

Quoniam oleorum naturam & mixtionis oleoſæ indolem vix aliud ullum fortius alterat atque immutat, quam aër, præſertim calidus, dum diuturniori appulſu ea privat genuino ſuo grato odore ac ſapore iiſque conſiſtentiam craſſam ac ſpiſſam infert, expreſſis ad rancorem, deſtillatis vero ad terebinthinaceam naturam vergentibus, colore quoque in quibuſdam non leviter immutato, ſequitur omnino, ipſa olea, quoad fieri poteſt, omni ſtudio eſſe à calidioris aëris acceſſu defendenda; quod fit, ſi vaſa, quibus continentur, tota repleantur, pauco ſpatio propter rarefactionem relicto, ne facile acceſſu caloris rumpantur, deinde obturacula probe muniantur, atque frigidioribus & ſiccioribus locis exponantur.

Quidam ad conſervanda olea adjiciunt aquam v. g. roſarum deſtillatam, quod optime fit, ſi deficit quantitas olei ad implendum totum vitrum, aqua utpote exhalatione ſua oleum in conſiſtentia ſua tenuiori conſervat, ne ſucceſſu temporis ſpiſſeſcat.

Tandem per experientiam clarum eſt, olea perpetuo intimum cum aqua reſpuere conjugium: nihilo minus hæc duo plane aliena haud difficili negotio arctius inter ſe copulari & ſine ulla ſeceſſione ſociari poſſunt, idque optime perficitur beneficio ſacchari, cui ſi inſtillantur aliquot guttulæ olei aromatici, & hoc ipſum poſtea cum aqua miſcetur, tunc prævia conquaſſatione in momento omne oleum aquæ poros prorſus ſubit, & hac encheireſi ex tempore fieri poſſunt aquæ cinnamomi, de cedro nuciſtæ, menthæ, meliſſæ, hyſſopi, quæ alias paulo ægrius & non ſine labore ignis adminiculo per deſtillationem habentur: inſuper adjecta pauca quantitate ſpiritus vini rectificati, tranſeunt hæ aquæ in ſpirituoſas. Ratio in eo conſiſtit; oleum ob ramoſas ſuas partes poros aquæ ingredi nequit, vinculum vero amicitiæ præbet ſal, quod quia facile ac promte in poros aquæ admittitur, atque aqua ramoſis olei partibus facilius adhæret, eaſque dividit & disjungit, hinc hujus ope oleum copulam aquæ non reſpuere videmus.

Hæc ſimplex Mechanica non parum ſervit explicationi multarum rerum phyſicarum. Nam quia ſaccharum eſt ſal temperatum & naturæ non inimicum, idque virtute oleoſas pingues partes intime cum aqua conjungendi gaudet, apparet omnino ratio, quare ad pinguefacienda animalia, antiquis æque ac noſtris temporibus quidam cibis admiſcuerunt mel, ſaccharum, ficus & uvas exſiccatas. Nam pingues alimentorum partes, quæ immerſæ intimius aqueis, lac & chylum conſtituunt, hoc modo promtius diſſolvuntur, cum his uniuntur, & copioſum chylum, qui cum ſanguine ad omnes partes diffunditur, conſtituunt.

Porro etiam ex hac obſervatione apparet ratio, quare mel vel ſaccharum lacti admixtum prorſus elaborationem butyri impediat, ſiquidem ſaccharum oleoſas, quæ ſunt in cremore lactis copioſæ, partes plus adhuc cum phlegmate conjungit, à quo ad conficiendum butyrum potius erant ſeparandæ, ut in unam maſſam colligantur.

Diſcendum inde etiam eſt, ſaccharum non adeo inimicum eſſe mixtioni humorum vitalium, ut vulgo creditum eſt, quia nec ullam alterationem ſanguini, lacti vel ſero, ſi ipſis miſceatur, infert, ſed ſtimulando inteſtinales fibras, alvinam excretionem potius facilitat, &, quod connubium partium oleoſarum, quæ inſunt alimentis, cum corpuſculis aqueis multum promovet, hinc ad chyli majorem copiam generandam plurimum conferre utique credibile eſt. Ex quo apparet, facilis ille ſaginandi animantia arctius incluſa, v. g. capones, anſeres, modus, quo parum mellis vel ſacchari vel etiam ſalis farinæ triticeæ hordeaceæ addendo, brevi ad pinguedinem perducuntur.

---

## OBSERVATIO VIII.

### *Gravitas ſpecifica oleorum.*

Olea æthérea ſubtiliora & deſtillata multum inter ſe non modo differunt ratione texturæ, indolis atque virtutis, ſed & ratione ipſius gravitatis, quum alia aliis ſint leviora, alia graviora. Quin imo in ſingulis ſpecificam quandam gravitatem, ſi ad lancis examen ea accuratius vocemus, deprehendimus, & quum quævis liquida naturalem quandam lancem, qua ſolida non minus ac aliena fluida in iis ponderari poſſunt, conſtituant, fecimus etiam cum oleis experimentum & ſumſimus ſpiritum vini non adeo rectificatum, qui olea non diſſolvit, & illi infudimus olea & obſervavimus, quæ in eo deſcendunt, ſpecie eo graviora, quæ ſupernatant, ſpecie leviora eſſe. Ita e. g. oleum terebinthinæ infuſum ſpiritui vini mox petiit fundum, cum oleum de Cedro eidem ſpiritui admixtum ejus ſuperficiem conſtanter occupaverit; inde recte colligitur oleum terebinthinæ gravius eſſe oleo de Cedro, quod etiam experti ſumus cum lance artificiali, cum hæc duo ponderavimus.

Tum oleis deſtillatis imponendo cylindrum ſolidum ex ſuccino paratum, quo cum ſpiritus vini bonitatem explorare ſolemus, fecimus quædam tentamina & notavimus inter alia idem inſtrumen tum v. g. in oleo aniſi vel carvi ſuperficiem ejus occupare, in oleo lavendulæ aliiſque deſcendere. Fecimus porro alio modo cum variis oleis ſequentia experimenta: replevimus nempe vitrum, cujus Tara fuerunt drachmæ duæ & grana 42., oleo cinnamomi & ponderavit in lance accuratiſſima drachmas ſex & grana 51. Poſtea idem vitrum replevimus oleo cinnamomi adulterato, quod fieri ſolet

cum oleo quodam expreſſo, & ponderavit drachmas ſex & grana 48. Inque eodem vitro per lancem examinatum oleum caryophyllorum habuit drachmas ſex & grana 52. Oleum canangæ Indicum præter drachmas ſex 47 grana. Schœnanti grana 33. De cedro grana 20. Majoranæ grana 30. Lavendulæ grana 30. Spicæ grana 37. Saſſafras grana 53. Menthæ grana 40. Terebinthinæ per veſicam cum aqua deſtillatum grana 32. idem per alembicum in arena ſicco modo prolectum grana 37. Philoſophorum grana 37. Olivarum grana 40. Spiritus vini rectificatiſſimus grana 32. Ol. carvi grana 51. Aniſi, item fœniculi grana 50.

Ex quibus omnibus id ad uſum noſtrum referendum putamus, omnium leviſſimum oleum eſſe, quod elicitur ex corticibus citri & cedro vocatur; hinc etiam fit, ut, quia levius eſt ſpiritu vini, illi ſupernatet. Et quia ſpiritus rectificatiſſimus vini olivarum oleo & terebinthinæ multo levior eſt, hæc in ipſo in fundum deſcendere.

Inter alia experimenta notatu occurrit dignum, oleum ligni ſaſſafras omnium eſſe graviſſimum, imo pondere oleum caryophyllorum ſuperare, quod ponderoſiſſimum ſemper habitum fuit. Quare etiam non miramur, id ipſum in aqua communi deſcendere & affuſo noſtro ſpiritu fumante in apertam flammam exſurgere.

Semina carminativa carvi, aniſi, anethi cæteris fere omnibus pondere prævalent; unde etiam fit, ut exiguæ eorum guttulæ per ingentem aquæ molem ſuum odorem largiſſime diffundant, quemadmodum etiam id obſervamus ab oleo ligni ſaſſafras, quod etiam fieri in maſſa ſanguinis & humorum, ſi intus ſumantur, non ſine ratione judicamus. Oleum etiam menthæ, cujus odor latius ſpargitur, notabilis ponderis eſt, & oleum, quod ex ſicca terebinthina per alembicum ex arena producitur, gravius eſſe eo, quod ex veſica cum aqua effertur, notabilis obſervatio eſt. Apparet exinde, leviora & ſubtiliora olea reddi, ſi in humido deſtillatio inſtituatur, forſan quod ab aqua calida ſubtile æthereum elementum ipſis intime admixtum diutius inhæreſcat: quod probabile nobis ex eo videtur, dum advertimus olea vetuſtiora, è quibus ſpirituoſum ſubtile hoc elementum cum tempore avolat, graviora recentibus fieri.

Præterea hæc ſpecifica ſingulorum oleorum, quæ per deſtillationem habentur, gravitas non parum explicationi & phyſicarum & medicarum rerum velificatur, atque fere univerſalem ex hiſce regulam eliciendam eſſe puto, quæ ita ſe habet: Quæcunque olea fortis & penetrantis ſaporis ſunt & cæteris ſunt ponderoſiora, ea majori calefaciendi ſanguiniſque motum inteſtinum augendi & exagitandi vi pollent præ iis, quæ leviora ſunt & minus penetrantis ſaporis. Ex quo illud perquam utile conſectarium practicum fluit: Ubi intenſus in morbo quodam eſt calor, pulſus frequens & validus, ibi ab ejuſmodi oleis calidioribus non niſi periculum metuendum eſt.

Quare probe hoc loco monendum eſt, non omnia gravia olea intenſe calefaciendi vim poſſidere, uti oleum ligni ſaſſafras, quod pondere oleum caryophyllorum & cinnamomi exſuperat, manifeſtum præbet exemplum, cum id ipſum non tam potenti & valido calore afficiat corpus, quam unum ex illis. Quare ſi recte de eorum calefaciendi efficacia judicii calculum ponere velimus, opus maxime omnium eſt, ut præter pondus ad penetrantiam ſaporis, quæ à ſale copioſe inſito proficiſcitur, reſpiciamus. Quod quia in oleo caryophyllorum & cinnamomi præ reliquis tenet prædominium; ideo etiam intenſiorem corpori inferunt calorem. Sic quoque oleum aniſi, fœniculi ſpecifice gravius eſt oleo lavendulæ, cum tamen hoc virtute calefaciente longiſſime illis cedat.

Præterea oleum terebinthinæ levius eſt oleo aniſi & fœniculi, quantumvis ſit longe calidius: ratio eſt, quia in oleo terebinthinæ principium illud æthereo-inflammabile præ terreo quod copioſius ineſt oleo aniſi, prædominium obtinet, quod vel ex eo liquet, quia terebinthinæ oleum ſpiritui nitri fumanti infuſum, validiſſima cum efferveſcentia inflammatur, quod tamen minime accidit cum oleo aniſi vel fœniculi. Quare regulam illam ex mechanicis hic applicandam eſſe merito putamus: Ubi maſſa ſive pondus cum celeritate jungitur, ibi motus & impetus duplicatur. Si itaque activa principia ſal & ſulphur cuidam oleo ita inſunt, ut etiam pondus augeant, nullum dubium eſt, illa habere præ aliis, quæ ex copioſiori humido & terreo conſtant elemento, majorem vim calefaciendi.

## OBSERVATIO IX.

### *De differentia oleorum deſtillatorum, quæ per mixtionem cum oleo vitrioli apparet.*

Vulgaris & ſolennis jam inde à longo tempore, præſertim qui alchymicis artibus addictos tenet, error eſt, dari oleum vitrioli album & rubicundum; hoc ſulphure vitrioli martiali & venereo imbutum eſſe, atque ideo ad labores alchymicos præ albo maximi æſtimandum arbitrantur. Sed falluntur admodum omnes, qui ex vitriolo deſtillari oleum ſeorſim album & rubicundum putant, ſiquidem vulgaris experientia eorum, qui quotidie in hoc labore verſantur, contradicit; quandoquidem vitriolum, extremo igne uſtum, liquorem acidiſſimum dat valde concentratum, qui improprie chymicis ob conſiſtentiam dicitur oleum, inſtar aquæ limpidum, modo, quod bene notandum eſt, nihil de luto, quo vas recipiens conglutinari ſolet, deſcendat vel ex improviſo immittatur; & manet hoc oleum etiam limpidiſſimum inſtar aquæ fontanæ, ſi in vitro probe obturaculo vitreo muniatur. Si vero pauxillum tantum accedat ipſi, quod pinguedinis vel phlogiſti quippiam habet ſecum v. g. lignum, cera, pix, vel tantillum papyri, mox mutare ſuum colorem, & flaveſcens, poſtea rubicundum evadere incipit. Succeſſive etiam ejuſmodi oleum, præſertim ſi paulo major quantitas inflammabilis principii accedit, craſſius evadit, quum antea fuerit fluidiſſimum. Hinc quod vulgariter emitur à laborantibus vitrioli oleum, craſſum & bruno colore tinctum eſt, quia illud conſervant in lagenis terreis, quæ ordinario mixtura ex cera & pice obturatæ ſunt. Si itaque ejuſmodi craſſum obſcurum oleum quis velit limpidum & fluidum reddere, opus eſt rectificatione, quæ fit per retortam vitream in arena, ignem ſubmittendo fortiſſimum, alias non adſcendit, & prodit primo liquor phlegmaticus, valde tamen adhuc acido-ſaturatus, guttis majoribus, qui removendus eſt, poſt ſtillat oleum parvis guttulis acidiſſimum & limpidiſſimum, quod ſeorſim ſervandum. Magno opus eſt calore, quia oleum vitrioli eſt omnium liquidorum graviſſimum, unde gradus ignis auctus compenſat hic gravitatem; nam omnia gravia ad exhalandum requirunt validum caloris gradum, qui quo major eſt, eo celerior eſt inteſtinus ætheris motus: quod vero celeritas æqualem effectum cum gravitate corporum habeat, ex

ex mechanicis notum eſt. Etiam ſine deſtillatione, ſi ſaltim in ferventiſſimo calore detineatur craſſum rubicundum vitrioli oleum, limpidiſſimum depoſito omni colore & craſſitie evadit. Ratio procul dubio hæc eſt: uti nullum corpus in natura eſt, quod à tam exili mole ſulphureæ ſubſtantiæ admixta in colore ſuo exaltando mutetur & rubicundum induat, quam oleum vitrioli; ita etiam veriſimillimum eſt, ſi diſſipetur illud, quod eſt ſulphureum, tanquam cauſa inducti coloris, inque auras igne ejectum ſit, perite hunc colorem, & priſtinam limpiditatem reſtitui.

Varia vero inſtitui poſſunt cum oleo vitrioli claro & limpido, admiſcendo illi olea varii generis, experimenta, ubi diverſa utique obſervantur phænomena, ex quibus etiam nonobſcure horum oleorum diverſa indoles, mixtio & virtus indagari & cognoſci poteſt. Quando oleum vitrioli, rectificatione limpidum & acerrimum factum, cum oleo deſtillato lavendulæ miſcetur, mixtura mox flammeum colorem acquirit, cum fumo ſulphureo eructante; liquida vero manet, nec ſpiſſam conſiſtentiam acquirit. Idem fit, ſi cum oleo majoranæ mixtio adornetur, hac tantum cum differentia, ut hic dilutus magis ſit color, conſiſtentia etiam fluidior. Oleum menthæ acquirit colorem obſcuriorem ſubnigricantem, fumus vero magis penetrans ſulphureus eſt. Oleum de Cedro, de pergamotto, non valde efferveſcit, mixtura manet diluta, flavi ſaturati coloris.

Oleum caryophyllorum purum ſi miſceatur huic oleo in æquali quantitate, intenſus excitatur calor, fortiter ſulphur mixtura olet, & color fit ſaturate ſanguineus, & mox coagulatio fit in corpus reſiniforme. Cum oleo ligni ſaſſafras puro & per aquam deſtillato idem oleum mixtum mox etiam coagulatur in piceam nigricantem maſſam, calore intenſo & fœtore comite. Oleum juniperi verum flaveſcit, & ſpiſſioris fit conſiſtentiæ, nec adeo fortis excitatur calor & fumus, ſed ſi idem experimentum cum adulterino, cui plerumque templinum immixtum eſt, inſtituitur, intenſiſſimus cum copioſo vapore graveolente excitatur calor ſub conſiſtentia facta ſpiſſiori. Si vero ſimiliter oleum juniperi ex ligno paratum tractetur, mox facta agitatione vitri mutatur color in nigricantem, & ebullitio ingenti calore ſtipata oritur, quæ ad orificium uſque vaſis aſcendit. Oleum terebinth. à mixtione hujus olei & facta commotione maximam cum bullulis & acerrimo calore ebullitionem efficit, copioſo vapore ſulphureo in auras ſublato.

Balſamum de Copaiva facit cum hoc oleo magnam ebullitionem præcedente agitatione vitri calidam, cum colore obſcure rubicundo, ſubnigricante & fumo fœtido. Cum balſamo Peruviano emergit mixtura rubicundiſſimi & coccinei coloris, ſine ullo calore, conſiſtentia eſt inſtar ſyrupi.

Vitrioli oleum concentratum ipſam etiam camphoram, quæ eſt oleum quaſi deſtillatum in forma ſicca, aggreditur, eamque ſolvit in liquorem craſſum, ex flavo rubicundum.

Olea expreſſa raparum, olivarum, amygdalarum dulcium ad mixturam hujus olei rubeſcunt quidem, ſed ſine calore & ebullitione.

Ex his apparet phænomenis emergentibus valde diverſis, mixtionem & texturam horum oleorum vel corporum reſinoſorum differentem admodum eſſe. Primo videmus eadem phænomena, quæ fiunt cum oleo caryophyllorum & oleo ligni ſaſſafras, quæ reliquis graviora ſunt & in aqua deſcendunt, utpote quæ mox coagulum craſſum ſubeunt reſiniforme, manifeſto indicio, olea hæc eſſe imbuta majori copia principii phlogiſti, parciorem vero in mixtionem ſuam aquæ portionem admittere, hinc etiam dubio procul hæc olea cum ſpiritu noſtro fumante ardentiſſimam flammam eructant, conſequenter etiam magna calefaciendi corpus humanum pollent præ aliis oleis efficacia. Secundo notabile eſt, quod olea illa, quæ ex floribus, corticibus, v. g. citri, aurant. herbæ majoranæ deſtillantur, minoris ſint facultatis calefacientis, quia non tam promte coëunt & ebulliunt cum vitrioli oleo, neque tam ſaturatum colorem & craſſam conſiſtentiam acquirunt, quam oleum terebinth. vel oleum juniperi cum templino adulteratum, quorum utique virtus in commovenda humorum maſſa longe eſt præ aliis vehementior.

Oleum menthæ mediæ fere eſt naturæ, nec nimis temperatæ, nec nimis calidæ, quia ad mixturam cum oleo vitrioli calor ſuccedit cum fumo major.

Balſamum de Copaiva videtur ex hoc experimento calidius ipſo Peruviano, quod etiam non eſt de nihilo. Nam ex ſuperioribus conſtat, hoc ipſum, ſi deſtilletur, fere dimidiam partem olei ætherei ſubtilioris elargiri.

Quia vero oleis expreſſis parum ſulphuris & olei volatilis ſubtilioris ineſt, hinc etiam nulla excitatur calida ebullitio, hinc etiam plane non timendus eorum uſus eſt internus calefaciens. Nam quo vegetabile plus olei volatilis continet, eo majorem calorem corpori fœnerat. Ex his regula univerſalis naſcitur: *Olea, quo majorem calorem, ebullitionem, fumum & ſaturatiorem colorem & conſiſtentiam craſſiorem ad mixturam olei vitrioli rectificati producunt, eo calidiora habenda ſunt, & contra.* Tertio, hæc experimenta etiam faciunt ad detegendam fraudem, quam falſarii committunt, qui olea deſtillata adulterant, ut vulgaris mos eſt, oleo templino, vel oleo terebinthinæ. Nam ſi tale quid accidit, protinus efferveſcentia vehementior, ſtipata magno calore & fumo, obſervatur. Quarto notabile eſt illud phænomenon, dum parum cujuſdam olei admixtum oleo vitrioli tam intenſam ipſi rubedinem inducit; quo patet, acidum & quidem fortiſſimum, quale eſt oleum vitrioli, magnam potentiam habere intimam mixtionem oleorum ſubeundi, & mirifice partes iſtas phlogiſtas inflammabiles exaltandi & explicandi. Quare non mirum eſt, à floribus leviter ſaltem tinctis, v. g. cyani, lavendulæ, violarum, bellidis, roſarum, tunicæ, affundendo ipſis aquam ſpiritu vitrioli imbutam, elegantiſſimam rubicundam produci tincturam. Patet etiam hinc ratio, cur omnes ſpiritus deſtillati acidi & oleoſi procedente tempore vel etiam ſub digeſtione valde rubicundi fiant, cum limpidi prius eſſent, ut id fieri ſolet cum ſpiritu tartari, mannæ, ſacchari, mellis, lignorum.

Quinto, quod color rubicundus dependeat à mixtione acidi vitrioli cum particulis ſulphureis oleorum, ex eo concluditur, quia, ſi rubicundiſſimæ mixturæ, quæ fit cum oleo vitrioli & oleo caryophyll. affunditur ſufficiens quantitas aquæ calidæ, acidum diſſolventis, mox perit ille color, quod etiam fit, ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus affunditur, qui acidum vitrioli infringit; multo vero adhuc magis id evenit, quando oleum tartari admiſcetur, quia hoc in momento acidum extinguit.

OBSER-

## OBSERVATIO X.

*Experimenta inſtituta cum ſpiritu nitri fumante & variis deſtillatis oleis, ad eorum indolem rectius detegendam.*

Spiritus nitri fumans eſt nihil aliud, quam aqua fortis generoſior, phlegmate ſuo valde orbata, ex nitro puriſſimo & oleo vitrioli acerrimo debita adhibita encheireſi deſtillata, quæ aëre admiſſo fumat, cujus mentionem infra ampliorem faciemus. Cum hoc itaque acido nitri liquore fortiſſimo, non ſecus ac cum oleo vitrioli concentrato & rectificato, olea deſtillata ætherea varii generis miſcuimus, notando, quæ inde emergebant, phænomena. Ex quibus utique probe perpenſis & diſſidens inter ſe multum oleorum deſtillatorum indoles & acidi vitriolici ac nitroſi diverſa natura & operatio magis magiſque in aprico ponitur.

Primo itaque caryophyllorum oleum genuinum accepimus ad drachmam unam eamque vitro, infra anguſtiori, ſupra vero latiori (*ein Wein-Glaſſ*) infudimus, & deſuper æqualem portionem ſpiritus hujus fumantis immiſimus, ita in momento maſſa in lucidiſſimam flammam cum concitatiſſimo ebullitionis motu, ſine ullo vaporum volumine, in totum exardeſcebat, in vitro nil niſi ſiccis cineribus relictis.

Secundo, idem tentavimus cum oleo ligni ſaſſafras vero, quod ex veſica per deſtillationem cum aqua habetur, miſcendo æqualem utriuſque portionem in ſimili vitro: exſurgebat mox apertiſſima flamma, cum ea tamen differentia, ut non cum tanto impetu ſimul & ſemel flamma erumperet, ſed maſſa diutius arderet, parciori cinere lateribus vitri inhæreſcente, in cujus fundo liquor craſſus rubini coloris remanſit.

Tertio, cum oleo terebinthinæ ſimile fecimus experimentum, atque in vitro capaciori, vulgo *Zucker-Glaſſ*, hæc duo confudimus liquida, & lucidiſſima etiam, exiguo fumo ſtipata, oriebatur flamma; ſed diutius hæc durabat & nihil fere in vitro relinquebat cinerum, neque tam cito, ut cum prioribus, ab affuſo ſpiritu ſurgebat flamma, ſed demum exacto quodam temporis ſpatio.

Quarto, oleum carvi verum ſimili modo tractatum flammam etiam eructabat ſatis luculentam, cinere non adeo ſicco in fundo vitri remanente.

Quinto, ſumſimus oleum juniperi, quod vulgo venditur & ex Thuringia aſportatur, & hoc pariter ab affuſione hujus ſpiritus lucidam exhibuit flammam; poſtea vero idem tentavimus cum oleo juniperi vero, quod ex baccis non ita pridem deſtillavimus, nulla vero apparuit flamma, ſed loco hujus denſiſſimus & flavus erumpebat ex vitro vapor, una cum validiſſima liquorum intra vitrum ebullitione, qua ſedata, & cineres & rubicundum craſſum crama remanſerunt. Quo experimento clariſſime diſci poteſt, venale illud juniperi oleum adulteratum eſſe, id quod maxime fit cum oleo abietino, vulgo *Kühn-Oel*; nam hoc ipſum ſi miſceatur ſpiritui noſtro fumanti, perinde ac oleum terebinthinæ, poſt validiſſimam ebullitionem mox ignem concipit lucidiſſimum.

Sexto, oleum ſuccini, item petroleum, cum noſtro ſpiritu confuſum nullam exhibuit flammam, ſed loco hujus intenſa admodum ebullitio cum copioſo & tetro vapore oriebatur; petroleum vero paulo tardius confligebat, ab utroque autem crama quoddam reſiniforme remanebat, vitri fundo adhæreſcens.

Septimo, olea nuciſtæ, de cedro, lavendulæ, majoranæ, menthæ, rutæ, thymi ad mixturam hujus ſpiritus validiſſimam quidem efferveſcentiam edebant, quam tamen nulla ſequebatur flamma, neque ſicci quippiam, ſed craſſus rubicundus fluor in vitro remanebat.

Octavo, experimentum hoc ipſum inſtituimus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, & ſumſimus hujus drachmam unam, deſuper idem pondus ſpiritus noſtri affundendo; intenſa inde orta eſt efferveſcentia cum copioſo, rubro, tetro vapore; ſed à diutius durante calidiſſima efferveſcentia nihil remanſit liquidi, ſed omne in auras ſublatum fuit.

Nono, oleo caryophyllorum genuino æquam quantitatem olei olivarum admiſcuimus, poſtea noſtrum ſpiritum flammificum affundi curavimus, & ſtatim in momento flamma ſatis lucida prodiit; ſed quod in vitro relinquebatur, non erat tam ſiccum, uti fit, ſi experimentum cum ſolo oleo caryophyllorum adornatur, ſed fluida & ſpumoſa maſſa.

Pulvis pyrius, oleo caryophyllorum genuino probe imprægnatus, affuſa noſtri ſpiritus convenienti quantitate, mox flammam concepit, vitro in aliquot fruſta diffracto.

Ex his experimentis perſpicitur, olea, quæ parum humiditatis & viſcoſitatis terreæ in mixtione ſua admittunt, plurimum vero ſubtiliorisætherei & ſulphurei principii cuſtodiunt, ut oleum ſive ſpiritus terebinthinæ, oleum carvi, oleum abietinum, in apertiſſimam flammam reſolvi, quæ eſt partium tenuiſſimarum celerrimus motus, totius mixti craſin & unionem ſubito & cum impetu diſſolvens. Quia vero oleum corticum citri, nuciſtæ, olea herbarum cephalicarum multum humiditatis & viſcoſitatis ſecum ferunt, quæ impetuoſiſſimo igneo motui reſiſtunt, hinc ſine flamma fit horum oleorum cum ſpiritu noſtro commixtio. Ex quo illud ad uſum medicum traduci poteſt, olea terebinthinæ & abietinum eſſe ambo calidiſſima, à quibus valde intenſa ebullitio & exagitatio humorum calida in corpore noſtro fieri ſolet, quum ab iis oleis, quæ reſpuunt flammam, non tantus æſtus ſit metuendus, quin potius propter oleum & ſulphur temperatum virtutem ſedativam in gravioribus ſpaſmis exerunt. Hinc patet, quam noxia ſint hæc olea cephalica, ſi non pura relinquantur, ſed cum oleo terebinthinæ vel templino, quod vulgo peſſime fit, adulterentur. Atque ideo oleum illud juniperi, quod vulgo venditur levi pretio, non ſine noxa exhiberi ſolet corporibus ſanguineis, germanum vero ob virtutem balſamicam, magnam meretur laudem, ſi juſta methodo adhibeatur.

Deinde notabile eſt, quod olea, quæ fundum petunt in aqua, aromatica, præſertim caryophyllorum, cinnamomi, ligni ſaſſafras cum noſtro ſpiritu inflammentur, procul dubio, quia parum humiditatis aqueæ in mixtionem ſuam admittunt, ſed terra ſubtiliori copioſa intime mixta cum particulis ſulphureis oleoſis gaudent, quæ gravitatem ipſis conciliant, quæ etiam terra poſt conflagrationem ſatis copioſa remanens in vitri fundo cernitur, in ſicciſſimos cineres converſa. Hæc terra ſulphurea concentrata, ob majorem reſiſtentiam vehementiſſime confligens cum ſpiritu acido nitroſo flammam ſuſcitat: idem fit cum oleo carvi. Quæ experimenta nos docent, in his oleis gravibus & flammam concipientibus, non ingratis, ratione tamen odoris magnam vim eſſe corpus noſtrum calefacien-

faciendi, neque calorem & æſtum, quem concitant, ſubito perire, ſed diutius perſeverare, quia ejus particulæ oleoſæ & ſulphureæ diutius permanent in ſanguine, nec tam cito diſſipantur, ſicut fit in aliis oleis, præſertim camphora, quæ eſt oleum coagulatum ſubtiliſſimum, cujus effectus in corpore non diutius permanet.

Quod vero oleum ſuccini & petroleum, olea calidiſſima, reſpuant flammam, mixtione facta cum ſpiritu noſtro, hæc videtur ratio: eorum partes ſulphureæ, ut ut ſint acres, non tamen ita volatiles ſunt ad motum celerrimum ſubeundum, qualis requiritur ad ignem formandum, ac olea deſtillata ex vegetabilibus hinc à ſpiritu vini rectificatiſſimo non bene diſſolvuntur, ſecus ac fieri ſolet cum oleis aromaticis ex regno vegetabili. Spiritus vini rectificatiſſimus non inflammatur, quia hic ipſe in ſua mixtione multum aquæ habet; nam nihil aliud eſt, quam oleum vegetabilium, per fermentationem in phlegmate ſolutum & cum eo intime unitum.

## OBSERVATIO XI.

*Solutio oleorum deſtillatorum in alcohol vini.*

GEnuinum & ſolenne oleorum deſtillatorum eſſe vini ſpiritum menſtruum, per reiteratam deſtillationem à phlegmate ſuo penitus liberatum, quem chymici alcohol vini appellare ſolent, extra dubium eſt; utpote qui ſeſe intime cum oleis æthereis unit, eaque in ſimilem & inteſtinum fluiditatis motum abripit & circumvolvit, ita tamen, ut quo magis hic ipſe ſalis lixivioſi aculeis armatus ſit, eo facilior & expeditior fiat ſolutio.

Quum vero, ut ſupra memoravimus, non eadem, ſed aliquantum diſſidens oleorum deſtillatorum ſit natura atque indoles, cum alia aliis ſint ſubtiliora, graviora ac penetrantiora; non mirum eſt, ratione eorum ſolutionis ſi quis differentiam quandam advertat.

Primo itaque deprehendimus, olea illa, quæ ex plantis aromaticis, oleo valde turgidis, ſive earum flores, folia, aut fructus aſſumti fuerint, eliciuntur, longe lubentius & facilius ſeſe cum alcohol vini unire atque miſcere, ita prorſus, ut una pars ſpiritus æqualem partem olei in ſe promtiſſime recipiat, quod maxime in oleo caryophyllorum, cinnamomi, ſi pura & incorrupta fuerint, in oleo majoranæ, menthæ, lavendulæ, baccarum juniperi, meliſſæ Turcicæ, florum chamomillæ vulgarium, rutæ cernimus, quæ ſingula ita ſunt comparata, ut una eorum pars v. g. drachma, ab una drachma ſpiritus vini promtiſſime ex toto diſſolvatur.

Aliter vero ſeſe res habet cum oleo corticum citri, ſive de cedro, quod ex Italia adfertur, & multum aqueæ humiditatis, quia per expreſſionem parari ſolet, in mixtionem ſuam recipit; hoc ipſum tres partes ſpiritus vini deſiderat, antequam ejus una pars ſolutionem intimamque mixtionem ſubeat.

Tertio attenta obſervatione deprehendimus, olea illa, quæ per deſtillationem ex arboribus, earum lignis, corticibus vel radicibus expelluntur, non tam facile & promte à rectificatiſſimo ſpiritu inflammabili diſſolvi inque eundem fluiditatis motum cum ipſo abripi, quam quidem cum plantis aromaticis & balſamicis evenit. Quapropter olei ligni ſaſſafras pars una partes minimum tres ſpiritus ad intimam ſolutionem exigit; oleum vero terebinthinæ non niſi partibus hujus ſpiritus quatuor obtemperat. Oleum, ex radice ligni Rhodii quod proiicitur, etiam non niſi cum quatuor ſpiritus partibus copulam init: oleum ex balſamo de copaiva, cujus præparationem ſupra dedimus, ex veſica deſtillatum, tres etiam hujus ſpiritus partes expoſcit. Deſtillavimus etiam ante aliquot annos ex balſamo Peruviano cum aqua per veſicam oleum delicatiſſimum, quantitate licet exigua, quam tamen eximia ejus utilitas compenſat: hoc ipſum duodecim partes ſpiritus deſiderat, antequam ejus una pars diſſoluta videatur.

Longe difficiliori modo conficitur hujus ſolutionis negotium cum oleis, quæ ex gummatibus & varii generis bituminibus, via ſicca & igne acriori eliciuntur; nam oleum, quod ex ſuccino parari ſolet, quantumvis etiam ſit rectificatum, vix octo partibus ſpiritus rectificatiſſimi, antequam iis intime ſocietur, obſecundat, quod etiam obſervavimus in oleo, quod ex carbonibus foſſilibus, ex bitumine Judaico fortiori ignis gradu exprimitur. Ita etiam gummi ammoniacum, galbanum, myrrha largiuntur deſtillatione ex arena ſatis inſignem olei quantitatem, cujus tamen diſſolutionem valde etiam difficilem cum alcohol vini deprehendimus.

Hæc ſolutionum hiſtoria ad meliorem oleorum indolem indagandam utique nobis viam ſternit, & ſolutionis etiam rationem ac explicationem nos aliquanto clarius docet. Conſtans adhuc inter chymicos ea fuit ſententia, ſolutionem non niſi per partium corporis ſolidi in fluidi ſolventis poros receptionem fieri: quum vero drachma olei ab una parte ſpiritus promtiſſime ſolvatur, ecquis tam copioſos & amplos poros in ſpiritu vini ſibi imaginari poterit, ut tantam tamque æqualem portionem alterius corporis in ſe recipere queant.

Deinde & facilioris & difficilioris oleorum ſolutionis ratione inter illa ingentem differentiam comperimus & diſcimus, herbas non tantum tenerioris texturæ eſſe, ac frutices & arbores, ſed & illarum reſinoſas & oleoſas partes longe majori ſubtilitate & teneritudine donatas eſſe, quam quæ arboribus earumque corticibus, lignis & radicibus ineſt.

Tertio bitumina, ut aſphaltum, ſuccinum, quemadmodum non ſunt ex proſapia vegetabilium, ſed ſubterranei fœtus; ita etiam eorum partes oleoſas & ſulphureas craſſioris & rudioris naturæ eſſe, neque ad tantum ſubtilitatis gradum aſcendere poſſe, quam vegetabilium olea, rectiſſime concluditur.

Quarto, praxis nos docet medica ſolertior, ea olea, quæ difficilioris ſunt ſolutionis, plus calefacere & intenſiorem calorem humano corpori conciliare, ac olea ſubtiliora, expeditioris quæ ſunt ſolutionis. De oleo ſuccini, terebinthinæ, balſami de copaiva, res eſt indubia, perinde ac virtus olei ligni guajaci, myrrhæ, gummi ammoniaci intenſiſſime calefaciens nota eſt. Neque hujus rei ratio deficit; nam oleorum partes, quo ſunt tenaciores, eo diutius remanent in ſanguine, & ægre rurſus ab ejus connubio divulſæ, per corporis poros exſpirant.

Quinto, ut ut arborum aromaticarum & balſamicarum ligna, earum cortices & radices olea paulo craſſioris texturæ & fixioris naturæ ſuppeditent, tamen aliter ſeſe res habet cum earum fructibus, uti videmus in caryophyllis, nuciſta, baccis juniperi, lauri, quarum olea non tam craſſa, ſed valde ſubtilia ſunt, ut etiam in unionem ſpiritus promtiſſime admittantur. Enimvero ſucci illi, qui nutriendis fructibus & ſeminibus etiam impenduntur, longe delicatioris naturæ ſunt, quam qui in corticum & radicum tubulis circumvehuntur.

OBSER-

## OBSERVATIO XII.

### *Deſtillatio oleorum in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutorum.*

TRita ac pervulgata eſt eorum, qui in laboribus chymicis & pharmaceuticis occupati ſunt, ſententia, ſpiritum vini aliquanto generoſiorem, ſpeciebus aromaticis & oleoſis ſuperfuſum, prævia digeſtione & maceratione, oleoſas & balſamicas earum partes imbibere & ſecum poſtea facta deſtillatione per alembicum evehere. Sed in hac re plures committi hallucinationes, ſequentia clare oſtendunt.

Quod ſi oleum quodvis ſuave & aromaticum ſolvitur in rectificatiſſimo vini ſpiritu, & ſufficiens quoque hujus quantitas affunditur, ita nempe, ut ad unam unciam olei ſpiritus vini libra dimidia adhibeatur & hæc invicem ſoluta vel per veſicam vel per cucurbitam ex arena deſtillationi ſubjiciantur, exſtillat quidam ſpiritus odore & ſapore ejuſdam olei impraegnatus, ſed tres ejus partes manent in fundo, quæ adhibito fortiori ignis gradu aſcendunt quidem, ſed cum ingrato empyrevmate, idque ſuccedit cum omnibus oleorum ſolutionibus.

Ex quo experimento clariſſime apparere arbitror, quam inepte & perverſe ii agant, qui ad deſtillationem ſpiritus lavendulæ, roriſmarini, menthæ, cinnamomi, corticum citri, aurantiorum rectificatum ſpiritum affundunt, eumque ab iſtis abſtrahunt; prodit quidem hac ratione ſpiritus, qui ſaporem & odorem ſpecificum harum ſpecierum præ ſe fert, ſed præcipua & deſideratiſſima oleoſi corporis pars in fundo ſive capite ſic dicto mortuo relinquitur.

Simile judicium eſto de ſpiritibus apoplecticis, aquis cephalicis ſpirituoſis & embryonum balſamis, ſi deſtillatio eorum cum ſpiritu vini adornetur, in quibus ſpiritus, qui primo prodeunt, potentes quidem admodum ſunt, ſed parum de oleoſa illa, cujus gratia inſtituitur deſtillatio, ſubſtantia participant. Quapropter ſi hanc obtinere velimus, opus eſt, ut vinum vel ſpiritum vini valde phlegmaticum aſſumamus, & abſtracto ſpiritu, ignem urgeamus, ita demum cum phlegmate oleum prolectatur*, quod poſtea ſpiritui addendum eſt. Vel ſi generoſior ſpiritus vini in deſtillatione aſſumtus fuerit, demum capiti mortuo, à prolecto ſpiritu quod remanſit, ſufficiens aqua adjicienda & deſtillatio reiteranda eſt, quæ utique eximiam olei portionem elargitur.

Quo vero miniſterio aquæ melius, quam cum liquore ſpirituoſo, oleum ex ſpeciebus ſuis, in quibus occluſum latitat, eliciatur & per alembicum tranſcendat, ratio hæc eſt: Spiritus inflammabiles ex partibus longe ſubtiliſſimis & leviſſimis conſtant, & cum facile diſſocientur, levi etiam caloris acceſſu in fugam ſunt promtiſſimi; quum contextus oleorum longe ſit firmior, arctior, ut difficulter in minimas atomos, quæ ob levitatem calori facile obſecundant & ſurſum feruntur, à calore diſcerpi queant; ſed ſpiritus vini propter levitatem avolat, & oleum, quod contextu valde intricato & gravi conſtat, relinquit. Egent itaque oleoſa corpuſcula, ut adſcendant, majori ignis gradu, egent etiam vehiculo quodam, quo ſuſtententur & cujus beneficio ſurſum impellantur, graviori, cujus generis eſt aqua, quæ ad aſcenſum longe fortiorem ignis gradum deſiderat ac ipſe ſpiritus vini; hinc fit, ut cum aqua oleum melius, quam cum ſpiritu adſcendat.

Et quum olea quædam dentur valde gravia, quæ etiam in aqua fundum petunt, ut ſunt maxime oleum caryophyllorum, cinnamomi, ligni ſaſſafras, liquido patet, hæc difficilius adſcendere, & fortiori ignis gradu & majori quantitate aquæ adjiciendæ opus habere. Ex quo liquet clariſſime, perperam & inaniter plane deſtillationem ſpiritus ex cinnamomo, ligni ſaſſafras & caryophyllis ſuſcipi, quia pauxillum eſt, quod hac ratione aſcendit. Quapropter ſi velimus poſſidere ſpiritum hiſce oleis vel etiam aliis probe ſaturatum, conſultius utique eſt, hæc olea aromatica vel alia ſolvere pro lubitu in rectificatiſſimo ſpiritu vini, ita ex tempore ſpiritus apoplectici, cinnamomi, corticum citri, aquæ Reginæ Hungariæ præparari poſſunt. Et ſi quis aquas ſpirituoſas in uſum expetere velit, ex tempore etiam eæ fieri poſſunt, modo ſufficiens aquæ puræ quantitas iſtis ſpiritibus, oleo ſuo probe imbutis, adjiciatur.

## OBSERVATIO XIII.

### *Peculiaris camphoræ natura & virtus.*

QUod attinet ad camphoræ originem, eſt ipſa fœtus arboris glandiferæ, quæ ſponte & copioſiſſime creſcit in Japonia, in Sumatra, in inſula Borneo Indiæ Orientalis, cujus deſcriptionem *Breunius in cent. 2. exoticar. plantar.* accuratam exhibet. Tota arbor ejuſque folia, cortex & radix ac lignum quoque oleoſo humore turgida, fragrantiſſimum camphoræ odorem emittunt: dicitur ad quercus altitudinem quandoque aſſurgere. Hic oleoſus humor ex arborum cortice folis æſtu vel ſponte transſudat, vel ex fiſſo aut inciſo ligno prolicitur & paulo rarior eſt. Japonenſes radices, lignum, ramos ac folia diſſecta imponunt vaſi deſtillatorio, & ſufficientem aquæ quantitatem iis affundunt, & poſtea impoſito alembico, quod capitulo lato & collo longo ac anguſto inſtructum eſt, deſtillationem adornant, & ita in capitello collectam & concretam camphoram inveniunt: in Belgio purificationem ex arboris ſegmentis ex India allatis per ſublimationem inſtituunt.

Jam quæſtio incidit, cujus naturæ ac indolis ſit ipſa camphora, ſive ad quam claſſem rerum referenda ſit. Communis eſt ſententia, camphoram eſſe reſinam arboris, eo quod ex ejus cortice inciſo ſuccus elicitur, qui mox in reſinam concreſcit inflammabilem. Plura vero ſunt, quæ ſcrupulum movent, cur ad reſinarum genera referri debeat; ſiquidem nulla in rerum natura datur reſina, quæ accenſa tota avolet, nullo cinere vel terra quadam remanente, neque ulla reperitur reſina, quæ tota in ſpiritu rectificatiſſimo vini ſolvatur. Deinde nulla extat reſina, quæ in vaſe clauſo tota beneficio ignis in ſublime feratur, ſiquidem haud obſcura eſt ea reſinarum indoles, ut vehementiori igne in vaſe clauſo combuſtæ & phlegma ſpiritumque acidulum & oleum copioſum largiantur.

Itaque camphora inter reſinas vix commodum invenit locum, hinc quidam ex recentioribus in eam deſcenderunt ſententiam, camphoram ſal quoddam eſſe volatile oleoſum ſiccum, maxime, quia inſtar ſalis volatilis oleoſi ſub mitiori etiam ignis gradu tota in auras avolat, atque vaſe clauſo in ſublime agitur. Verum & hæc opinio multis premitur difficultatibus; ecquis enim invenire poterit ſal, oleo etiam valde imbutum, quod in flammam abeat, & quod cum rectificatiſſimo inflammabili ſpiritu tam promtam & intimam ineat ſocietatem, ut tota

in

in eo diſſolvatur. Et cum hæc ipſa ſolutionem cum aqueis menſtruis penitus averſetur, quomodo ſalibus camphora annumerari poſſit, ego quidem non video.

Noſtra vero hæc eſt ſententia: camphora nihil niſi oleum volatile tenuiſſimum eſt, at coagulatum, non liquidum, idque multis iiſdemque firmiſſimis rationibus corroborabimus. Primo enim multæ dantur ſpecies fragrantis odoris & ſaporis penetrantis, quæ ſubtile oleum, quod etiam promtiſſime ſub deſtillatione in veſica cum aqua fundunt, in ſe cuſtodiunt. Hac ratione non modo ex omnibus fere aromatibus, ſed etiam ex plantis, oleo ſubtiliori & ſuaviori turgidis, oleum deſtillatur; quare non mirum eſt, ex arbore Indiæ orientalis, quæ regio propter caloris exundantiam iis, quæ ex terra naſcuntur, copiam oleoſæ & reſinoſæ ſubſtantiæ ingenerat, ejuſmodi ſubtile oleum profundi.

Secundo, quemadmodum omne per deſtillationem prodiens oleum, admotum flammæ, mox accenditur, & totum in ea ſolvitur, copioſa ac atra fuligine in auras emiſſa; ita etiam fit cum camphora, quæ protinus & longe adhuc celerius quam ipſum oleum, in flammam abripitur, copioſo fumo nigro comitante.

Tertio, ſicut oleum æthereum promte à rectificatiſſimo ſpiritu reſolvitur, adeo, ut ejus una pars olei partem in ſe recipiat; ita etiam idem ſuccedere cum camphora videmus, dum unam unciam ſpiritus rectificatiſſimi quam commode ſex drachmæ olei ingrediuntur.

Quarto, ſolutiones oleorum in ſpiritu phlogiſto factæ affuſa aqua præcipitantur, ſecedentibus nempe ab unione ſpiritus corpuſculis oleoſis, quæ conſortium aquæ plane reſpuunt. Simili ratione ſolutio camphoræ, infuſa aquæ, ſtatim ex poris ejus præceps fertur inque album coagulum ſatiſcit.

Quinto, olea deſtillata, paucis exceptis, aquæ propter levitatem & ſubtilitatem ſupernatant, quod etiam in camphora, quæ in ſuperficie aquæ hæret, obſervatur.

Sexto, camphoræ cum oleis deſtillatis una eademque in eo eſt indoles, quod hæc prius ſoluta ſpiritu, poſtea ex arena per alembicum deſtillata, non tota tranſeant, ſed maxima ex parte in fundo cucurbitæ relinquantur. Atque id identidem fit cum camphora, prius in ejuſmodi ſpiritu ſoluta, quæ deſtillationi commiſſa potiorem ſui partem in fundo relinquit.

Hæc omnia & ſingula tentamina ſatis ſuperque oſtendunt, maximam inter olea deſtillata & camphoram affinitatem & ſimilitudinem intercedere, ita, ut non ſatis mirandum ſit, quam inani & plane fruſtraneo conatu non infimæ famæ chymici in oleum ex camphora eliciendum tantum laboris ac operæ impenderint, & nobiliſſimum hoc ſimplex ſuaque ingenia ſupra modum torſerint atque ſollicitaverint; ignorabant quippe, camphoram non niſi oleum volatile, ſed coagulatum eſſe. Sicuti vero ridiculum eſſet, ex oleis oleum elicere velle; ſimili modo, ſi quis ex camphora tale producere vellet, peritorum riſui ac ludibrio ſe exponeret: decepti vero maxime in eo ſunt, quod camphoram reſinam crediderint, quæ abundanter ſemper oleum ſuppeditet.

Verum enim vero, ut ut valde gemina & conformis ſit oleorum deſtillatorum & camphoræ natura, tamen in quibuſdam etiam adhuc quædam differentia notatu eſt digniſſima. Nam differunt primo in eo, quod camphora ſit ſolida & ſicca, olea vero pinguia & fluida. Deinde quando oleum ſubtile denuo ex arena in retorta vitrea deſtillatur, prodit quidem oleum ſubtilius, ſed craſſiuſcula quædam ſapa in retorta relinquitur, cum camphora tota, ne particula quidem ſuperſtite, ſublimetur. Tum camphora flammæ admota ſubito incenditur, quod vero non ita evenit cum oleis deſtillatis, quæ diutius flammæ admovere oportet, antequam accendantur. Denique omnia olea deſtillata ætherea, cum ſpiritu fumante nitri mixta, vehementiſſime cum copioſiſſimo ſuſcitato fumo & intenſiſſimo æſtu ebulliunt, ut etiam quædam in flammam abripiantur: camphora vero eidem ſpiritui immiſſa ſine ullo ſtrepitu, ſine notabili agitatione interna aut incaleſcentia, imo ſine ullo vapore placidiſſime ſolvitur. Poſtremo aqua fortis, oleis deſtillatis affuſa, ea in reſiniformem ſubſtantiam cogit, camphoram vero, quod mirum videri poteſt, in oleum convertit, & ex ſolido fluidum efficit. Et quemadmodum aqua fortis ſeſe intime unit cum aliis oleis; ita vero id minime accidit cum camphora: nam licet ſeſe inſinuet particulis oleoſis camphoræ, ut ambo in unum coëant, tamen ne minimum quidem acidum ſpiritus nitroſi inde alteratur, quod vel ex eo patet, quoniam ſi ſolutioni camphoræ, quæ oleum refert, denuo argenti vivi quippiam adjicitur, ſtatim illud ſolvitur & liquor fit viridis; idem oleum ſic dictum camphoræ ipſi argento adhuc ſolvendo idoneum eſt.

Ratio vero differentiæ oleorum fluidorum & olei ſicci camphoræ in eo poſita videtur, quod in camphora major ſit tenuitas partium oleoſarum, quam in ipſis oleis, quorum partes inflammabiles ſub involucro & contextu quodam viſcoſo irretiuntur. Hinc etiam fit, ut ſub moderate calido aëre tota camphora in auras ſucceſſive avolet & evaporet, nullo remanente ejus veſtigio. Contra vero deſtillata olea non tam promte in auras diſſipantur, ſed dimittunt tantum tenuiorem ſuam ſubſtantiam, viſcidioribus partibus relictis, unde olea vetuſta craſſeſcunt, ut ad terebinthinæ conſiſtentiam accedant. Et cum camphora longe citius avolet ipſis oleis, idcirco pharmacopœi perperam ſuis rebus conſulunt, quod camphoram citra exquiſitam clauſuram libero aëri committant, falſa traditione & opinione occœcati, quod adſperſio ſeminis lini ejus evaporationem impediat, cum tamen parum vel prorſus nihil huic ſcopo inſerviat.

Hæc ſumma partium ſulphurearum tenuitas, viſcido pingui involucro explicita, efficit quoque, ut camphoræ virtus ab olei cujuſdam deſtillati viribus longe multumque differat; nam utut camphora ex toto inflammabilis ſit, tamen in corpore noſtro calorem haud quaquam efficit, adeo, ut potius intenſiorem corporis fervorem ſiſtat, quo circa etiam à veteribus non calida, ſed frigida habita fuit. Etenim viſcidiores & ſecundum Carteſii doctrinam ramoſæ olei deſtillati partes ſulphur tenuiſſimum & inflammabile quibuſdam quaſi vinculis ligant & adſtringunt, ut minus promte per poros corporis evolare poſſit, ſed diutius in corpore maneat, unde etiam intenſiorem inteſtinum ſanguinis partium motum melius ſuſtinet atque tuetur.

Qua de cauſa omnia olea deſtillata, gummata quoque, quæ inſignem olei quantitatem cuſtodiunt, ut ſunt gummi ammoniacum, myrrha, balſamum Peruvianum, ſagapenum, galbanum, ſanguinis & humorum maſſam atque univerſum corpus mire exagitant, magnumque æſtum atque fervorem accendunt, ſiquidem particulæ ſulphureæ, æthereæ, quæ omnis inteſtinæ calidæ agitationis cauſa ſunt, anfractuoſo, viſcido & gummoſo contextui involutæ,

volutæ, per majus temporis intervallum remanent, & quia non tam facile ab involucro hoc ſe poſſunt emancipare quare effectus diutius perſiſtit. Secus fit in camphora, cujus partes per poros citiſſime avolant, hinc etiam una guttula olei cinnamomi plus calefacit, quam decem grana camphoræ. Quod vero viſcoſa, pinguis & ramoſa olei ſubſtantia volatilitatem impediat, vel ex eo liquidiſſime patet, quoniam camphora, in oleo amygdalarum dulcium expreſſo, vel in oleo de cedro aut lavendulæ ſoluta, ſub liberiori quoque aëris acceſſu, non facile in auras abeat, ſed ſub tegmine hoc oleoſo diutius ejus ſubſtantia contineatur. Et hæc forte fuit ratio, quare veteres ſemen lini, ceu vale oleoſum, camphoræ adjici curarunt, quo minus ejus volatiles partes in aërem ſecedant, quamvis hic effectus longe felicius obtineri poſſit, ſi modo camphoræ ſuperficies oleo amygdalarum dulcium inungatur, quod ad tutelam partium ſubtiliſſimarum plus, quam talismodi ſemen adjectum, facere poterit.

Hæc igitur partium ſulphurearum tam incomparabilis in camphora tenuitas cauſa eſt, quod in univerſa fere remediorum claſſe nullum detur diſcutiens, quod cum hac comparandum ſit, ſiquidem humores in tubulis hinc inde ſtagnantes prompte diſſolvit, ut vel exhalent vel in motum redigantur, unde ſummo cum fructu non modo in omnibus doloribus ac tumoribus, ſed & in omnibus inflammatoriis eryſipelaceis affectibus ſpiritum vini camphoratum adhiberi, longo uſu atque experientia compertum exploratumque eſt. Nec talis diſcutiens & roborans efficacia in mitiganda dolorum & inflammationum ſævitia ab ullo alio deſtillato oleo, in ſpiritu vini ſoluto, expectanda eſt.

Hæc quoque corpuſculorum, quæ inſunt camphoræ, tenuitas cauſa eſt, quod internum ejus uſum minime reformidare ſolers & peritus medicus debeat, ut quidem vulgo fieri ſolet; plures enim ea ſunt in ſententia, quod intenſum motum inteſtinum camphorata efficiant. Quare hæc ipſa in omnibus febribus, doloribus, ſpaſmis, inflammationibus damnant & pro valde inſecura medicina habent; ſed tamen citra manifeſtam experientiam & citra ſolidam & ſufficientem rationem, ſiquidem camphora ad ſcrupulum unum in oleo amygdalarum vel ſpiritu vini ſoluta & ſano homini cum copioſo vehiculo exhibita, uti experimentum ſæpius iterumque fecimus, corpori nec ſenſibilem æſtum infert, neque auctiorem pulſum, qui intenſioris circuli ſanguinis index eſt, efficit, ut potius manifeſtum refrigerium, maxime circa præcordia, non pauci inde perſentiant. Neque etiam ſitim movet aut urinam reddit coloratiorem, quod ab omnibus aliis calidioribus fit. Quin imo obſervamus, unam unciam ſpiritus vini generoſioris ingeſtam plus æſtus & caloris, quam unam camphoræ drachmam inferre: nam propter partium tenuitatem, qua pollet, citius è corpore per ejus corticem, cutim, avolat, atque animando inertes ac relaxatas fibras & expeditius ſanguinis iter curſumque efficit & labaſcentem perſpirationem egregie adjuvat, atque alienam & peccantem materiam propellit. Qua de cauſa etiam jure meritoque camphora alexipharmacorum princeps dici & haberi meretur, id quod fuſius *in diſſert. de interno camphoræ uſu* celeberrimorum practicorum experientia nixus deduxi.

Tandem ſilentio non prætereundam eſſe exiſtimo peculiarem vim anodynam & ſoporiferam, qua camphora, ſi cum prudentia in doloribus, in mania, in motibus etiam ſpasmodicis compeſcendis offeratur, ſe mirabilem oſtendit, qualem virtutem in oleis deſtillatis vix reperire licet, niſi plane peculiari methodo elaboratio inſtituatur.

---

## OBSERVATIO XIV.

### *De peculiari oleorum, quæ ex regno animantium petuntur, indole ac virtute.*

In omnibus, quæ è terra naſcuntur, non tantum pinguis, oleoſa & inflammabilis reperitur ſubſtantia, ſed & ea ſatis copioſa in omni animantium genere invenitur, & nullum animal eſt, quod non pinguedinis portionem in internis partibus cuſtodiat: in omnibus quoque eorum ſolidis partibus, carnibus, oſſibus, & fluidis decenter exſiccatis inflammabile illud principium ſeſe oſtendit, cum in flammam concipiendam prona ſint & deſtillatione etiam ingentem olei quantitatem largiantur. Id tamen intercedit diſcriminis, quod olea ex animantium partibus ſubtiliora non deſtillatione humida per aquam, ut in vegetabilibus fit, ſed ſicca, id eſt, combuſtione demum obtineamus; quare etiam omnia, quæ ex animantium familia prodeunt, olea empyrevma redolent & ingrato quodam odore nares feriunt.

Deinde omnia ex penu & regno animantium depromta pinguia & olea in eo multum differunt ab iis, quæ vegetabilia ſuppeditant, quod hæc ipſa in intimam mixtionem ſubtile acidum, illa vero alcalinum quoddam principium recipiant. Et primo acidum in oleis ex ſeminibus & fructibus expreſſis ſe manifeſtat, dum ex cupreis vaſis, ſi paulo diutius in iis detineantur, viridem colorem extrahunt, quod non niſi ab acido proficiſcitur. Pinguedines vero animantium, ſi in cupreis vel argentis vaſis detinentur, colorem pulchre cœruleum induunt, qui non niſi principio alcalino in acceptis ferendus eſt.

Præterea quod acidum quoddam ſal in ſinu ſuo olea vegetabilium ætherea foveant, vel ex ſequenti ſatis evidenter diſcere poſſumus experimento: lævigetur nempe ſubtiliſſime ſal tartari ſuper marmore tam diu, donec fiat pulvis ſubtiliſſimus, huic ſucceſſive oleum quoddam deſtillatum, v. g. juniperi, terebinthinæ vel etiam lavendulæ inſtilletur, continuando triturationem per aliquot horas, ut minimæ oleoſæ cum ſale lixivioſo miſceantur particulæ, maſſaque appareat pultoſa, nulla amplius conſpicua pinguedine: hæc maſſa in marmore paulo diutius libero aëri, præſertim æſtatis tempore, exponenda eſt, donec exſiccatum ſal denuo lævigari & exſiccari poſſit, & tunc de novo impregnanda eſt oleo; continuetur hic labor tam diu, donec duæ libræ olei ad minimum ab una ſalis tartari abſorptæ fuerint. Hæc maſſa exſiccata ſolvenda eſt aqua communi, & poſtquam hæc filtrata fuerit, abſtrahatur aqua, & remanet ſal mediæ, ut arcanum tartari vel tartarus vitriolatus, naturæ. Nullum dubium eſt, quin acidum hoc, quo in mediam naturam tranſiit alcali, ab oleo infuſo ſuam petat originem, cum ſolus aër id præſtare neutiquam poſſet, ut ut non negemus, ſal illud in aëre hoſpitans univerſale acidum ſuum etiam ſymbolum huc conferre.

Quod vero acidum ad mixtionem etiam oleorum ſubtiliſſimorum concurrat, infra claro experimento docebimus, quo ſpiritum vini rectificatiſſimum additione olei vitrioli acidiſſimi in penetrantiſſimum & ſubtile oleum converti poſſe adſtruemus.

In oleis vero animantium deſtillatis res utique ſeſe aliter habet, turgida enim hæc ſunt ſale volatili, quod

quod altius illis inhæreſcit, atque etiam ex ipſis oleis copioſe elicitur: quin imo ipſa olea animantium deſtillata v. g. cornu cervi, eboris, ſi diutius cum ſale lixivioſo digeruntur, in ſalia volatilia transformantur.

Sal igitur volatile alcalinum efficit, ut olea ex animantibus longe ſubtiliora & penetrantiora ſint ipſis oleis vegetabilium deſtillatis, & majorem etiam in commovenda ſanguinis maſſa efficaciam exſerant. Notabile enim eſt, quod ſpiritus vini rectificatiſſimus olea ex animalibus v. g. eboris, lumbricorum, vel cornu cervi, promte imbibat atque reſolvat, ita tamen, ut paucæ eorum guttulæ ingentem admodum hujus ſpiritus quantitatem non modo colore, ſed & ſapore & virtute eximia imbuant, ſiquidem tres vel quatuor guttulæ horum oleorum minimum unciis tribus ſpiritus vini bruno colore tingendis ſufficiunt.

Ex quo apparet, quanta ſit horum oleorum tenuitas & quam ſtupenda exiguitas partium, quæ ſuam texturam & naturam integram conſervant: quandoquidem duæ guttulæ olei cornu cervi, in uncia dimidia ſpiritus vini rectificatiſſimi ſolutæ, tantum valent, ut quatuor hominibus ſeorſim datæ copioſum ſudorem elicere poſſint. Ex quo diſcimus, quam circumſpecte medici in exhibendis hisce oleis agere debeant, præſertim ſi corpora ſint juvenilia, ſique intenſior æſtus morbos comitetur. Liquet etiam exinde, quanta ſit oleorum in diſcutiendis ac reſolvendis duris tumoribus, qui alia remedia plane ſpernunt atque eludunt, potentia.

Præterea illud maxime omnium meretur attentionem, quod deſtillata ex omnibus animantium partibus olea, crebra & repetita rectificatione, ad tantum ſubtilitatis gradum evehi poſſint, ut aliquanto majori doſi exhibita, graviſſimis & inveteratis morbis radicitus exſtirpandis apta evadant.

Præparatio hoc modo concinnanda eſt: Sumatur quodcunque oleum ex partibus animantium deſtillatum; v. g. ſanguinis humani, lumbricorum, eboris vel cornu cervi, & ſine ullius rei adjectione ex retorta vitrea eo usque abſtrahatur & rectificetur, donec nihil fecum nigrarum & aduſtarum amplius in fundo relinquatur, quod vix duodecim deſtillationibus reiteratis obtinetur. Hoc oleum, antea ſatis craſſum & ingrati, fœtidi odoris, paulatim & ſucceſſive odore ſuavius & penetrantius ſapore efficitur.

Ejusmodi oleum, ad viginti & ultra guttas jejuno ſtomacho, ſex horis ante acceſſionem febrium intermittentium datum, dulcem & placidum inducit ſomnum, ac mirifice febres profligat; in inveterata quoque & chronica epilepſia perſananda & motibus convulſivis compeſcendis præſidium eſt generoſiſſimum, præſertim ſi ante conſuetum invaſionis tempus propinetur, eaque præmittantur remedia, quæ nimiæ humorum quantitati evacuandæ dicata ſunt.

Operationem ſuam exerit blanda & ſecura virtute anodyna & ſomnifera: tantum enim abeſt, ut dulcem & quietum ſomnum, per viginti ſæpius horas durantem, cum metu ſoporis, torporis aut debilitatis inferat, ut potius corpus alacrius & hilarius reddat; provocat inſuper blandum ſudorem, nec ſanguinis æſtum auget. Præſtat id remedium hanc virtutem ſuam ſumma tenuitate partium ſulphurearum, quam crebra & reiterata rectificatio ipſi conciliat; & cum partes ejus ſulphureæ propter ſubtilitatem per omnes, etiam anguſtiſſimos, partium meatus penetrent, & per totam maſſam humorum ſeſe diffundant, tonus & elater duræ matris & totius generis membranoſi ac nervoſi, à cujus perverſo & præternaturali motu ſpaſtico & febrium intermittentium & motuum epilepticorum eſſentia atque cauſa dependet, mirifice alteratur & minuitur, ut ad ejusmodi ſpaſticos motus amplius ſuſcipiendos inhabilis fiat.

Hac obſervatione chymica & practica edocemur, in ſumma partium ſulphurearum & oleoſarum tenuitate magnam vim medicinalem eſſe reconditam, eamque maxime poſitam eſſe in eo, quod ejusmodi medicamentum ad intimos partium ſolidarum, præſertim nervearum & membranoſarum, receſſus pertingat, à quarum motu & tono omnium fere motuum & functionum corporis noſtri conditio proficiſcitur.

Hoc quoque experimentum & obſervatio practica ſatis clare confirmat, medicamentum calidiſſimum, quod exili etiam doſi univerſam ſanguinis maſſam in celerrimum motum conjicit, tam mite atque ſecurum reddi poſſe, ut majori doſi exhibitum motum non amplius intendat, ſed potius eundem ſedet & componat moderatamque inducat quietem, idque tantummodo ſola texturæ immutatione fieri animadvertimus, quando videlicet craſſum, tenax & viſcidum oleum ſubtiliſſimum redditur.

Tandem & hoc experimentum genuinam ſubminiſtrat explicationem & cauſam virtutis anodynæ & ſoporiferæ, qua ſplendet camphora, quæ non niſi tenuiſſimum oleum coagulatum eſt, modo, circumſtantiarum habita ratione, prudenter in uſum vocetur.

---

## OBSERVATIO XV.

### *Qua demonſtratur, reſinam ex oleo & acido conſtare principio.*

Sumſimus unam partem olei lavendulæ & duas partes aquæ fortioris generoſæ, eaque ambo in vitro amplioris orificii confudimus: primo nec ullius commutationis aut conflictus ediderunt ſignum; deinde vero, quum calidæ fornaci vas eſſet impoſitum, non ita multo poſt ingens cum ſpumeſcentia & tetro vapore exeunte coorta eſt efferveſcentia, atque mixtura, antea liquida & diaphana, ſubflaveſcens, turbida & ſpiſſa evaſit, ejusque ſuperficiei reſinoſus & ſpiſſus liquor, *als vie ein Harz*, ſupernatavit: affudimus ſufficientem aquæ quantitatem ad acidum illud, ab aqua forti relictum, eluendum & abſtergendum, atque hinc reſina facta fuit purior, glutinoſa tamen. De hac portionem in cochleari argenteo flammæ candelæ admovimus; ita, propter aqueas poris reſinæ adhuc inhærentes partes, primum orta eſt cum ſpumeſcentia ebullitio, poſtea vero, expulſa parte humidiori, reſina ſicca, ſolida & rubeſcens evaſit, quæ cuſpide cultri excepta, ad ignem flammam exhibebat luculentiſſimam, quam fumus & copioſus & ater, qualem olea accenſa ſemper emittunt, comitabatur; in cultro autem inſignis copia terræ fixæ remanebat.

Poſtea iteravimus experimentum & ſpiritum vini fortiter alcaliſatum miſcuimus cum priori reſina, adhuc liquida, inde quidem facta eſt ſolutio, ſed hæc tantam linguæ exhibebat amaritiem, quali propemodum colocynthis ipſi infeſta eſt; reſina vero poſterior ſiccior, in eodem ſpiritu reſoluta, colorem ſaturate rubicundum, ſed ſaporem non adeo amaricantem præ ſe ferebat.

Ceterum id memorabile circa hoc experimentum eſt, quod ſuavis ille, qui lavendulæ proprius eſt, odor

odor per mixturam aquæ fortis prorſus perierit; neque enim reſina inde reſultans, neque ejus cum alcohol vini ſolutio, neque accenſio ejus jucundi lavendulæ odoris indicium oſtendebat.

Plura notatu ex hoc experimento digna in uſum maxime phyſicum depromere licet; nam clare inde docemur:

1. Reſinas non niſi eſſe olea ſubtiliora, ab acido admixto in coagulum denſata; inde enim fit, ut omnia gummata & reſinæ per ſiccam deſtillationem acidum ſtagma largiantur: hinc etiam dependet ratio, quare ſalia lixivioſa, cum gummatibus probe mixta, eorum ſubtile oleum à compedibus ſuis, quibus involutum hærebat, liberent, ut hac ratione etiam commodiſſime in ſpiritum vini tranſeat.

2. Præfatum quoque experimentum, olea deſtillata ex inſigni terræ copia mixta eſſe, liquido confirmat; hæc terra, ſi olea accenduntur, per flammam volatilis fit, & ſub forma vaporis denſi & nigricantis in auras fertur. Si vero ab acido admixto hæc ipſa terra ligatur & figitur, & tum reſina inflammatur, non avolat, ut antea, ſed in fundo vaſis relinquitur.

3. Si ullum, certe hoc experimentum ad cognoſcendam geneſin ſaporum & odorum januam nobis patefacit, dum animadvertimus, quod hi ipſi à ſola inverſione texturæ partium ſalinarum & ſulphurearum dependeant, & quod ad producendam amaritiem acidum nitroſum, ſi miſceatur cum partibus oleoſis, plurimum conferat. Peti hinc ſtatim poterit ratio, quare alcalina, probe cum amaris mixta, ingratam illam amaritiem multum minuant; deinde quia acidum ingentem infert oleis deſtillatis mutationem, non mirum eſt, ſi ſuavitas odoris, quæ ex mixtione olei ſubtiliſſimi cum valde ſubtili terra emergit, penitus immutetur.

---

## OBSERVATIO XVI.

### *De ſolutione & extractione corporum balſamicorum & reſinoſorum.*

Per balſama intelligimus reſinas liquidas & ſpiſſiores, quæ ex arboribus calidiorum regionum inciſis exſudant, vel etiam ex aromaticis & balſamicis arborum partibus coctione & inſpiſſatione parantur. Ad priorem claſſem pertinent balſamum de Mecha, de tolu, de copaiva, terebinthina Veneta; ad poſteriorem balſamum Peruvianum, ſtorax liquida & ſolida. Reſinæ vero balſamicæ differunt in eo à balſamis, quod ſolidiores & ſicciores ſint, tales redditæ à ſolis æſtu in ferventiſſimis terræ regionibus, dum liquor oleoſus, ex arboribus inciſis exſtillans, ab eo induratur. Inter quas reſinas maxime eminent maſtiche, ſandaraca, olibanum, benzoe, & differunt à gummatibus reſinoſis, dum hæc præter ſpirituoſum etiam aqueo menſtruo obtemperant; illa vero omnia aquea ad ſolutionem reſpuunt & tantum ſpirituoſa menſtrua deſiderant. Inter gummata balſamica myrrha, gummi ammoniacum, ſagapenum, galbanum, bdellium merito referri poſſunt.

Enimvero non tantum è terra naſcuntur & proveniunt balſama & reſinoſa corpora; ſed & in ſubterraneis locis hæc ipſa gignuntur; ita ambra, ſuaviſſima illa reſina, non niſi partus ſubterraneus eſt, quem ipſi maris fluctus ex terræ utero projiciunt atque exturbant. Eadem conditio eſt ſuccini, quod terræ Pruſſicæ fœtus eſt, & identidem per maris fluctus ex imis terræ latebris eliditur. Inter balſama liquida ſubterranea referri etiam debet petroleum, cujus uberem proventum Italiæ debemus.

Videntur balſama, tam liquida, quam ſolida & reſinoſa gummata eſſe ex ſubtili oleo, ſale acido & principio terreo mixta. Oleoſa & inflammabilis eorum ſubſtantia promtæ deflagrationis nota ſeſe profert, ſique ſingula deſtillationi ſubjiciuntur, utique ingentem olei quantitatem fundunt: acidum vero concurrere ad eorum mixtionem, vel inde elucet, quia hæc ſingula igne tractata, in principio præter phlegma acidum liquorem exſtillant. Acidum autem ad reſinas, ſi concurrat cum oleo, formandas plurimum conferre, ſuperiori obſervatione ſatis oſtenſum eſt: principium vero terreum atro vapore & relictis cineribus non poteſt non in ſenſus incurrere. Neque humidum excludendum eſt elementum, quod gummatibus, quæ multum mucilaginis habent, & liquidis etiam balſamis utique inſitum videtur.

Ex varia itaque horum principiorum, ratione qualitatis & quantitatis, commixtione varietas illa corporum reſinoſorum & gummatum, quæ multum & conſiſtentia & ſapore & odore atque virtute diſſident, etiam dependet. Nihil enim eſt dubii, quin ſicciora plus terræ & acidi ſalis, quam olei & aquæ poſſideant, liquidiorum vero mixtionem plurimum oleoſæ & aqueæ ſubſtantiæ, minimum vero terrei & acidi principii ingrediatur.

Gratus, qui iis ineſt, ſapor & odor procul omni dubio à puritate & ſubtilitate partium ſulphurearum, quæ magis excoctæ, digeſtæ & maturatæ ſunt, proficiſcitur; cum ingratus à crudo potius & rudiori ſulphure & ſale, ad alcalinam & volatilem magis ac ad ſubtilem acidam naturam vergente, proveniat.

Quum vero reſinoſa ex valde activis, & ex parte quoque naturæ amicis conflata ſint corpuſculis; non amplius dubitandi cauſam habemus, quin in medicina illa præcipuum ſibi vindicent locum. Quoniam vero ignis ea eſt natura, ea vis atque potentia, ut rapidiſſimo & celerrimo motu contextum & temperiem corporum invertat, penitusque deſtruat, omnia inter ſe mirifice confundendo, ac denique gratum & naturæ acceptum ſaporem & odorem in ingratum & fœtidum commutet, neque minus eorum facultates temperatas, ut naturæ hoſtiles fiant, detorqueat; hinc facile apparet, ſi quis corporum balſamicorum vires, quas indigenas poſſident, ſalvas ac integras ſervare atque ad medendi uſum transferre velit, igne acriori hæc ipſa minime eſſe exercenda ac torquenda. Ambra, ſuccinum, benzoë, ſtorax, peruvianum balſamum delicatiſſimo & ſuaviſſimo oleo, quo plena ſunt, labaſcentes vires egregie erigunt, quum ex adverſa parte combuſtio deſideratiſſimam illam virtutem prorſus ipſis detrahat.

Præſtat itaque citra texturæ per ignem deſtructionem ipſa balſama aut reſinas aptiſſimo menſtruo diſſolvere, ut eo commodius cum aliis miſceri & interne uſurpari poſſint; vel etiam expedit, nobiliorem ſulphuream & balſamicam partem ab aliis heterogeneis ſeparare & extrahere, ut præſtantiſſimi uſus eſſentiæ inde conficiantur.

Quod attinet ad ſolutionem balſamorum, v. g. Peruviani, de Mecha, de copaiva, quæ quam promte menſtruis obſecundant ſpirituoſis, modo ſint omni phlegmate orbata & ſpiculis ſalis lixivioſi probe armata, promte hæc peragitur, æquales partes ſpiritus & balſami ſumendo. Ex gummatibus vero reſinoſis myrrha, benzoë, maſtiche, pars tantum ſulphurea & oleoſa extrahitur; terebinthinam

vero Venetam & ſandaracam penitus alkoholiſati probe ſpiritus diſſolvunt.

Succinum vero ſpiritus inflammabiles paulo difficulter aggrediuntur; extrahunt quidem mediante digeſtione teneriores ſulphureas partes, ſed tamen reſinoſæ & bituminoſæ ſubſtantiæ portio intacta relinquitur. Ratio, cur hoc reſinoſum corpus ſpirituoſis ſolventibus ita reſiſtat, hæc eſſe videtur: Succinum non eſt fœtus regni vegetabilis, ſed in viſceribus terræ progignitur, adeoque ejus oleoſa pars, licet tenerrima ſit, tamen acido fixiori & rudiori terræ tam arcte eſt immixta, ut ab hiſce divelli poſſit. Quapropter alia eſt ineunda via, ut ſubſtantiam delicatiſſimam è ſuccino depromamus.

## OBSERVATIO XVII.

### *Eſſentia ſuccini præſtantiſſima.*

Quia in ſuccino, ceu reſina ſubterranea, ſuave & tenerum ejus oleum, quod naturæ valde conveniens & amicum roboranteque & balſamica virtute donatum eſt, tam firmiter & arcte partibus terreſtrioribus & acidis innexum & illigatum eſt, ut ægerrime inde divelli queat, opus eſt utique clave, quæ clauſtra hæc reſeret, & involucra, quibus irretitæ hærent partes illæ ſulphureæ, diſſolvat, atque hæc reperitur maxime in ſale alcalino fortiter calcinato. Si itaque una pars ſalis tartari exquiſite miſceatur cum æquali parte ſuccini electi atque in minutiſſimum pulverem contriti, & ad eminentiam quatuor digitorum ſufficiens ſpiritus portio affundatur, & prævia digeſtione per vitream cucurbitam ex arena deſtillatio adornetur, omnino ſpiritus oleo ſuccini ſubtiliori & fragrantiori imbutus exſtillat, & per ſe virtute egregia roborante eminet; longe melius vero tincturæ præſtanti conficiendæ inſervire poterit.

Recipiendum eſt ſuccinum pellucidum præ fuſco & quod bruno ac obſcuro colore tinctum eſt, utpote ex teneriori ſubſtantia ſulphurea compoſitum, idque in mortario in minutiſſimum pulverem trituretur & lævigetur, poſtea ſuper marmore inſtillatio fiat olei tartari per deliquium & exactiſſime hæc invicem miſceantur, ut maſſa pultacea evadat, leniter exſiccanda; huic poſtea ſpiritus jam laudatus ſuccini ſufficienti quantitate ſuperfundendus eſt, fiat in vaſe vitreo clauſo, ſive phiola, ſub mitiori calore digeſtio. Ita obtinemus generoſam & præſtantiſſimæ efficaciæ eſſentiam ſuccini, virtute ſaporis & odoris gratia plurimum commendabilem. Commodiſſime ſumitur, ſi ejus aliquot guttulæ inſtillentur ſaccharo, vel ſyrupo florum tunicæ, vel acetoſitatis citri, & mane ad roborandum ſtomachum, caput & imbecille nervoſum ſyſtema ſumitur, aliquot calices potus calidi v. g. coffée vel ſuccoladæ deſuper bibendo; poteſt etiam cum vino dulci inter prandium ſumi. In mulieribus menſium negotium promovet, fluorem album coërcet, & affectibus rheumaticis egregie ſuccurrit.

Notabile eſt, quod hæc eſſentia aquæ infuſa non ita præcipitetur, ut aliæ eſſentiæ ſive ſolutiones oleorum & reſinarum efficiunt. Deinde paucæ ejus guttulæ, ſi ingenti quantitati aquæ inſtillantur eam totam grato ſuccini odore replent; haud inevidenti teſtimonio, ejuſmodi medicinam, quæ tam late per minimas aquæ partes ſeſe diffundit, tenerrimæ naturæ, atque adeo in corporis noſtri fluida ſolidaque intimæ admiſſionis eſſe, ut inde à parva doſi etiam non mediocris ſit expectanda efficacia.

## OBSERVATIO XVIII.

### *Vera & rara eſſentia ambræ.*

Diu multumque adhuc inter medicos & rerum naturalium ſcrutatores quæſtio de origine ambræ agitata fuit. Nonnulli fœturam regni animantium, alii vegetantium eam eſſe contendunt. Illi, ambram eſſe ſtercus cujuſdam avis peregrinæ orientalis, aſſerere non erubeſcunt, ea ratione in hanc ſententiam devoluti, quia ſæpius ungues vel etiam fruſtula roſtri occultata ibi reperiuntur, quæ igni commiſſa odorem ſalis volatilis empyreumatici emittunt, quod fere proprium ſolet eſſe corporum, quæ ex animantium familia ortum ſuum habent. Alii contra aſſeverare conantur, ambram eſſe ſpeciem mellis, quod apes rupibus maris apponunt, quod poſtea à calore ſolis attenuatum & digeſtum ejuſmodi ſubſtantiam fragrantem exhibeat. At vero experimentis chymicis protinus hic error manifeſto detegi poteſt; nam ſtercus omne & mel quoque ſolvuntur in aqueis menſtruis, ſed plane reſiſtunt ſpiritui vini rectificatiſſimo. Recentiorum quidam exiſtimarunt, ſingularem eſſe ſpeciem reſinæ, ſive lacrymæ, quæ ex arboribus adhuc incognitis orientalibus exſtillet, & in mare transferatur, ubi ulterius & ſolis calore & ſale marino excocta ejuſmodi reſinoſum corpus conſtituat.

Verum, præter multas alias rationes, ea maxime huic opinioni repugnat, quia omnia reſinoſa vegetabilium corpora levi labore in ſpiritu vini rectificatiſſimo phlogiſto ſolvuntur & extrahuntur, cum tamen id ipſum non fiat cum ambra, quæ difficillimæ eſt ſolutionis in ejuſmodi ſpiritu. Et quia obſervamus, corpora inflammabilia, quæ ex terra naſcuntur, ut ſuccinum, bitumen Judaicum, carbo foſſilis, etiam difficilioris eſſe ſolutionis, neque tam lubenter conjugium inire cum liquore valde ſpirituoſo; hinc ſubſcribimus eorum ſententiæ, qui ſtatuunt, ambram ad bituminis genus eſſe referendam, cujus natales ſunt in terra, & ex cujus viſceribus fluctuum maris impetu ac vehementia evellitur & defertur in mare. Reperitur autem illud maxime in mari circa inſulam Madagaſcar, quia hujus regionis tractus ſubterraneus procul omni dubio prægnans eſt ejuſmodi bitumine.

Quum igitur tam difficilis ſolutionis ſit ambra, hinc certe nullam adhuc genuinam ambræ ſolutionem in officinis conſpicimus. Nam eam plerumque parare ſolent cum moſcho, cum oleis cinnamomi, roſarum vel etiam zibetho, & ita poſſidemus quidem ſuaviſſimi odoris eſſentiam, quæ etiam non caret ſua virtute & uſu; at parum participat de ambra, quæ potius intacta remanet. Quapropter hos genuinæ eſſentiæ characteres ponimus:

1. Parari debet ex ſola ambra, nulla alia re ſolvenda admixta;

2. menſtruo fere totam reſolvi oportet:

3. ſi inſtilletur hæc eſſentia aqueo liquori, more omnium oleorum & reſinarum ſolutarum lacteſcat neceſſe eſt.

Paratur vero ſequentem in modum: Spiritus roſarum penitus dephlegmatus non ſemel, ſed minimum bis, abſtrahatur à ſale tartari, forti igne uſto & calcinato, ita prodit ſpiritus, qui ſua penetrantia intimam mixtionem ambræ invadit ejuſque oleoſum contextum diſcerpit ac reſolvit.

Hæc ſolutio ſeu eſſentia ambræ inter remedia confortantia, & quæ debilitatum nervorum ſyſtema roborant, adeoque inter medicamenta, quæ morbis,

ex

ex deficiente robore nervoſarum partium oriundis, dicata ſunt, facile principem locum obtinet, neque vapore ita replet caput, vel commotiones atque agitationes in debili corpore provocat, ut quidem ea, quæ vulgo ex ambra, admixto moſcho vel zibetho, præparatur; ſiquidem ejuſmodi fragrantia debiles viros & fœminas, ſpaſmis obnoxias, minus commode ferre ex practicis notum eſt.

## OBSERVATIO XIX.

### *De balſamo liquido prodeunte ex Santalo flavo.*

Lignum ſantali flavum eſt arboris Timorenſis bacciferæ, ſarcante dictæ, medulla ſolida, denſa, colore flaveſcens, ab integumentis, cortice nempe & ligno, ſeparata, ſaporis ſubamaricantis & aromatici, odoris fragrantis. Affertur ex China & Siam, arbor eſt excelſa inſtar juglandis, fructus fert inſtar ceraſorum. Santalum album eſt ejuſdem arboris medulla ſolida pallidior, odoris debilioris & ſaporis minus aromatici: quando arbores exſiccantur, ſola medulla eligitur, quæ, ſi non ſatis eſt odorata, ſantalum album appellatur. Mutuatur flavum ſantalum fragrantiam ſui odoris & ſaporem aromaticum à reſina, qua conſtat, teneriori, quæ etiam ſpiritu vini rectificatiſſimo promte extrahitur, ſi ipſe ejus raſpaturæ convenienti in quantitate infunditur. Per digeſtionem elicitur tinctura admodum flava, quæ leniori igne, abſtracto prius ſpiritu, inſpiſſata, balſamum liquidum, coloris bruni & odoris grati conſtituit, quod conſiſtentia & colore ad Peruvianum propemodum accedit. Hoc balſamum ſi rurſus ſolvitur in rectificatiſſimo ſpiritu, eſſentia eximiæ virtutis balſamica inde emergit.

Experimentum hoc balſami Peruviani, item balſami de copaiva, de Mecha, naturam atque geneſin clare manifeſtat, quippe nihil aliud ſunt balſama hæc, quam reſinæ liquidiores. Nam ſi reſinoſum ſantali principium in ſpiritu rectificatiſſimo ſolvitur & ſolutio inſpiſſatur, balſami conſiſtentiam induit, neque in ſolidam amplius reſinam convertitur; utpote cum in intimam ejus mixtionem particulæ quædam humidæ ſeſe inſinuaverint.

Quoad vires eſſentia flavi ſantali ad virtutem ambræ analepticam & ſedativam quam proxime accedit, atque in morbis, qui ex debilitate & atonia nerveo-membranoſarum partium naſcuntur, vel per ſe, vel peropportune cum eſſentia ligni aloës vel ſuccini miſceri poteſt.

## OBSERVATIO XX.

### *Reſinæ duæ rariores, altera rubicundiſſima, altera odoratiſſima.*

Ex ſantalo rubro, quod arboris ſiliquoſæ & ſpinoſæ, quæ naſcitur in Malabra & Coromandel, medulla ſolida, ponderoſa & rubicunda eſt, cum ſpiritu vini colorem rubicundum extrahi, res vulgata admodum eſt, ſed novum & haud vulgare illud videtur, quod ex hoc ligno parari poſſit reſina obſcuri rubicundi coloris, quæ in exigua admodum doſi aliquot uncias ſpiritus vini colore ſanguineo elegantiſſimo tingit. Præparatur vero non alia ratione, ac vulgo confici ſolent reſinæ; ſuperfunditur nempe ligno raſpato non communis, ſed rectificatiſſimus ſpiritus, leni digeſtione extrahitur eſſentia; ſique ejus inſignem adepti ſumus quantitatem, ſpiritus abſtrahitur, & quod remanet liquidum, mitiori calori ad inſpiſſandum committitur; ita pulvis remanet ex atro rubicundus, cujus particula, in ſpiritu vini ſoluta, ingentem quantitatem ſpiritus eleganti & ſaturate rubicundo colore imbuit.

Hæc reſina id habet peculiare, quod primo omnis ſaporis & odoris expers ſit, adeo, ut licet accendatur, nullus tamen plane odor percipiatur; ſecundo, quod accenſa quidem ardeat, ſed mirifice ſpumeſcat & magnam terræ copiam relinquat: tertio, quod ſpiritum vini elegantiſſime coloret, minime vero ullum oleum, ſive expreſſum, ſive deſtillatum ſit, tingat, neque etiam ſolvatur ab iis, quod eam ex terreſtri ſubtiliori ſubſtantia magis, quam ex oleoſa & pingui conſtare luculenter oſtendit. Uſus ejus poterit eſſe ad tingenda & occultanda medicamenta, & quoniam ſaturato colore rubineo tingit ſpiritum, ad injectiones vaſorum arterioſorum in capite, ſi ſanguine deſtituta fuerint, in rebus anatomicis commodiſſime uſurpari poteſt.

Altera reſina, minus, quod ſciam, nota, vel unquam deſcripta, eſt tam fragrantis odoris, ut illi ſimilem vix reperire liceat, & præparata à nobis eſt ex cortice, in omnibus officinis proſtante, cujus tamen natales una cum viribus medicis & pharmacopœis incogniti ſunt. Eſt vero hic ipſe cortex Thymiamatis, qui accipit nomen ſuum à vocabulo θυμίαμα, quo Græci omne ſuffimentum appellarunt. Hic cortex videtur relictum quoddam magma compreſſorum foliorum & corticum ex arbore. Noſtra quidem ſententia videtur eſſe cortex arboris ſtoracis, ex qua liquida ſtorax exprimitur, & arbor eſt Aſiæ minoris Siliciæ, cui etiam ſententiæ favet Serapion, qui pro cortice ſtyracis arboris eum habet, expreſſæ & excoctæ liquidæ ſtyraci ſuperſtite, præſertim cum ejus odor cum odore ſtyracis liquidæ quam maxime conveniat. Veteres thus Judæorum appellabant, quia Judæi frequenter eo ad ſuffimigia uſi dicuntur.

Fecimus cum eo experimentum, affundendo ſpiritum vini rectificatiſſimum, qui ſtatim extraxit eſſentiam valde nigram, eſſentiæ balſami Peruviani æmulam, quæ ſi infunditur aquæ communi, protinus lacteſcit. Abſtractus ſpiritus odoris eſt fragrantiſſimi, & ita diffundit ſuum odorem, ut à drachma una aliquot menſuræ aquæ odorem fragrantem mutuentur. Relinquitur reſina ſatis copioſa atque ex libra una corticis unciæ duæ ad minimum reſinæ haberi poſſunt. Hæc reſina identidem ſuavem & fragrantem odorem exhibet, & commodiſſime extracto ſtoracis, benzoë & balſamo Peruviano, ad efformandam maſſam odoratam, calidæ fornaci illinendam, poteſt admiſceri.

Uſum & vires quod attinet, deprehendi tum in reſina, tum in eſſentia & ſpiritu peculiarem virtutem anodynam, quæ levat dolores & ſomnum infert; quare non ſine fructu in tuſſi compeſcenda convulſiva hocce medicamento me uſum fuiſſe recordor.

## OBSERVATIO XXI.

### *Singularis reſina errhinæ facultatis.*

Reſidet hæc ipſa & extrahitur ſingulari encheireſi ex ligno guajaco, quod ex India occidentali in noſtras regiones adfertur. Lignum eſt ſolidum, & ob copioſam reſinam, qua ſcatet, ponde-

roſiſſimum; nam aquæ injectum fundum petit, quod aliis lignis negatum eſt. Hujus arbor naſcitur in Mexico & valde ſimilis eſt noſtræ juglandi; eſt arbor hæc hexapetala, nucifera, & binas nuces in putamine habet incluſas: tota ſucco reſinoſo, valde acri, cum quadam amaritie, copioſiſſimo referta eſt: cortex ejus eſt valde gummoſus, ex quo inciſo exſtillat gummi, quod acredine ſua linguam valde afficit. Medulla hujus arboris ſolidiſſima, nigri vel etiam variegati coloris maculis ſtipata, maximaque ex parte reſinoſa eſt; ſiquidem ex ejus libra una miniſterio ſpiritus rectificatiſſimi vini minimum unciæ duæ reſinæ haberi & extrahi poſſunt. In hac reſina vel exſiccata, vel in ſpiritu vini adhuc liquida reſidet ſummum adverſus luis venereæ virus præſidium alexipharmacum, ſi ſecundum medendi leges recte uſurpetur.

At vero præter reſinam hanc, quæ beneficio ſpiritus vini elicitur, adhuc alia reſiniformis ſubſtantia, non parum ratione ſaporis & virtutis à priori diſſidens, ex hoc ligno poterit obtineri, idque non per macerationem cum menſtruis ſpirituoſis, ſed per ſimplicem & paulo longiorem coctionem cum aqua communi; quando nempe ligni guajaci decoctum leni inſpiſſatur igne, tunc in fundo vaſis reſiduum manet ſpiſſamentum quoddam reſiniforme, quod balſamici & grati odoris eſt, ſaporis acriuſculi, quod in pulverem tenuem redactum & naribus admiſſum, ſtimulando glanduloſas illas, quæ narium oſſa inveſtiunt, tunicas pituitam ibi hærentem potenter colliquat atque educit, adeo, ut omnibus à multo jam tempore notis & expertis errhinis, propter eximiam, quam exſerit, efficaciam, mihi reſina hæc præferenda videatur. Nam præter vim errhinam & ſtimulantem ſimul quandam poſſidet facultatem roborantem, nervoſis capitis partibus amiciſſimam.

Differentia inter reſinam hanc, quæ decoctione cum aqua paulo diuturniori extrahitur, & inter eam, quæ menſtruo ſpirituoſo educitur, hæc eſt: illius exigua admodum, reſpectu hujus, portio eſt, ſapor vero eſt ſalino-acris, qualis in altera copioſa non obſervatur, quæ etiam, ſi accenditur, non tantam quantitatem terræ relinquit, quam quæ per decoctionem parata fuit.

Hoc experimentum nobis perſpicue aperit modum, quo ligni guajaci decoctum ex aqua operationem ſuam in lue Gallica ſananda exſerit. Quilibet enim facile hic perſpicit, in decoctum non niſi hanc reſinam acrem, errhina facultate donatam tranſire, relicta in ligno copioſiori & magis oleoſa illa reſiniformi ſubſtantia. Quemadmodum itaque reſina hæc ſpiculis & ſtimulis ſuis ſalino acribus vellicando glanduloſas narium tunicas, fundit & liquat tenacem pituitam; ita nullum dubium eſt, quin ligni Guajaci decoctum ſpiculis iſtis ſalino-reſinoſis roboratum, dum accedit ad partium ſolidarum glanduloſos tubulos, eos eadem ratione vellicando & ad validiorem conſtrictionis motum invitando, corruptos & tenaces, qui ibi hærent, humores colliquet, eoſque è latibulis ſuis excuſſos ad expulſionem è corpore idoneos reddat, quæ primaria in hoc morbo ſanando medentis debet eſſe intentio.

## OBSERVATIO XXII.

### *Spiritus & balſamum liquidum maſtiches, item camphoræ.*

Sumitur maſtiches electæ albiſſimæ libra dimidia, pulveriſata cum æquali pondere ſalis tartari exacte miſcetur in mortario, poſtea ſpiritus vini rectificatiſſimus in cucurbita affunditur ad eminentiam quatuor digitorum, leniori ſubmiſſo calore ſolvitur reſina in ſpiritu & obtinetur eſſentia valde reſinoſa, quæ loco vernicis uſurpari poteſt; calore aucto deſtillat in receptaculum ſpiritus, oleo ſubtili balſamico hujus reſinæ imbutus, & ſaporem & odorem maſtiches exacte referens.

Notandum in hac deſtillatione eſt, quod leniſſimo igne peragi debeat, alias paulo majori admoto, omne, quod eſt in cucurbita, tranſcendit alembicum, ut denuo deſtillatio ſit inſtituenda. Rationem hujus phænomeni hanc damus: Solvitur maſtiche fere tota in ſpiritu, ſique calor accedit paulo fortior, ſpiritus vini, partibus gummeis & tenacibus irretitus, molitur avolare, ſed quia propter involucrum illud, quo tegitur, impeditur, hinc in ſpumam glomeratur tota maſſa, quæ attollitur, & quam facile ſic alembicum ſuperaſcendit. Simile obſervatur, ſi ad vernicem ſaturatam conficiendam ſolutio ſandaracæ, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo facta, arenæ calori committitur in vaſe vitreo vel cucurbita, ubi paulo fortiori igne admiſſo, totam ſolutionem extra vaſa emiſſam fuiſſe obſervavimus. Hinc in deſtillandis vel evaporandis iſtis ſolutionibus opus eſt, ut regimen ignis curioſius obſervetur, leniori calore adminiſtrato.

In deſtillatione hujus ſpiritus illud notabile occurrit, quod reſiduum hujus ſolutionis ab abſtracto ſpiritu perfectum balſamum liquidum, inſtar terebinthinæ vel balſami de copaiva, quoad conſiſtentiam repræſentet, & rectiſſime etiam balſamum maſtichinum vocari mereatur.

Hoc balſamum promtiſſime totum ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo, non ſecus ac terebinthina vel Peruvianus balſamus, vel balſamus de copaiva, & nihil aliud eſt, quam maſtiche in formam liquidam redacta. Quare vero non amplius ſuam priſtinam ſolidam naturam aſſumat, ratio hæc eſt: reſinæ ex principio oleoſo, terreſtri & acido concretæ ſunt, atque ab horum elementorum connubio ſolidam conſiſtentiam accipiunt. Quando igitur particulæ rudiores & magis terreæ per ſolutionem ſeparantur, & acidum etiam per additum alcali infringitur, perit ſoliditas, corpuſque fluidum ſeu liquidum evadit.

Eodem etiam modo ex ſuccino ſoluto in ſpiritu vini rectificatiſſimo mediante ſale alcali per lenem abſtractionem balſamum reſinoſum liquidum parare licet, quod etiam ſimili ratione cum benzoë, ſandaraca, gummi elemi, animæ &c. fieri poſſe deprehendimus.

Ex hac mechanica chymica clariſſime innoteſcit, balſama illa, quæ ex India utraque & calidis regionibus ad nos feruntur, ut balſamum de Mecha, Peruvianum, liquidambra, de copaiva, non niſi reſinas liquidas eſſe, ob acidi, quod coagulationis principium eſt, parciorem in mixtione admiſſionem; ſiquidem dubio procul ab ardore ſolis, qui his regionibus graviter incumbit, acidum deſtruitur.

Pari ratione camphora, quæ eſt oleum coagulatum ſubtiliſſimum, quod à calore totum avolat, in mixtionem ſuam etiam recipere videtur ſubtilius quoddam acidum, à quo ſolideſcens ejus forma petenda eſt. Si itaque hanc ipſam auferre velimus, poteſt id fieri, ſi miſceatur cum ſale tartari & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo inſtituatur deſtillatio, tunc ſpiritus prodit, camphoræ corpuſculis valde ſaturatus, ſapore & odore teſte. Id vero non vulgare & maxime notatu dignum eſt, quod hic ſpiritus aquæ infuſus non lacteſcat, nec camphoræ quicquam præcipitetur, uti cum ſpiritu vini camphorato

phorato id evenit. Deinde, quod remanet ab abſtractione ſpiritus, ſolutio camphoræ valde ſaturata eſt, ſed coloris bruni, quæ magnopere camphoram ſapore æmulatur, ſi vero in aquam inſtillatur, non ut ſpiritus vini camphoratus in craſſum coagulum abit, ſed commode cum aqua miſceri poteſt. Nam ſal tartari, mixtionem hujus corporis intimam ingrediens, oleoſas craſſas partes reſolvendo & ſubtiliores acidas invertendo, efficit, ut in ſubtiliſſimas partes, non amplius coagulabiles, hoc corpus reſolvatur, & mutatus etiam albus color in brunum evolutioni ſulphuris ſive principii phlogiſti, per alcali factæ debetur.

Tractatio camphoræ ita inſtituta inſervit in medicina & chirurgia egregiis uſibus: notum quippe eſt, cum aqueis vehiculis & menſtruis camphoram non poſſe miſceri, ſed ſtatim ferri præcipitem, hac vero ratione intima mixtio obtineri poteſt: hinc commodiſſime ita miſcetur cum collyriis, cum epithematibus ad caput, cum cataplaſmatibus & gargariſmatibus. Ad inflammationem oris & faucium utiliſſimum eſt gargariſma, ſi v. g. aquæ flor. ſambuci vel ſalviæ aut roſarum portio nitri & pauxillum hujus ſolutionis admiſcetur.

## OBSERVATIO XXIII.

### *De medicamentis ex balſamo Peruviano nobiliſſimis.*

Balſamum illud Americanum, ex Peru allatum, præſtantiſſimarum eſſe virium, & odoris fragrantia & ſapor aromaticus manifeſte declarant. Primo ejus uſum tantummodo inter remedia externa admiſerunt, procedente vero tempore etiam interne quidam medicorum & chymicorum hoc balſamum uſurpare cœperunt, dum partim pilulis illud admiſcuerunt, partim etiam ejus ſolutionem, in ſpiritu vini rectificatiſſimo factam, miſcendo illam cum ſaccharo vel aliis mixturis, in uſum vocarunt.

At vero longe efficaciora remedia inde depromi poſſunt, ſi chymica arte tractetur. Haud igitur abs re fore putamus, ſi quæ cum eo tractavimus, hoc loco diligentius perſequamur.

Primo, deſtillando illud cum aqua ſimplici ex veſica, nacti ſumus oleum fragrantiſſimum, rubrum, omnis empyreumatis expers, ſed ex libra ejus dimidia vix ſemiunciam obtinuimus. Diffluit quidem hoc oleum in rectificatiſſimo ſpiritu, ſed inſignem ejus quantitatem deſiderat, quia paulo difficilius ſolvitur. Hoc oleum, in ſpiritu rectificatiſſimo roſarum ſolutum, eſſentiæ ſuccini, ambræ, ligni aloës commode admiſceri poteſt, quum eorum balſamicam roborantem virtutem in morbis, ex generis nervoſi debilitate ortis, non parum augeat atque intendat.

Secundo, ex Peruviano balſamo elegantiſſimum ſpiritum præparari curavimus ſequentem in modum: duas partes hujus balſami cum una parte ſalis tartari trituratione & lævigatione exquiſitiſſime miſcuimus, addita ſpiritus roſarum optimi ſufficienti quantitate, & debita encheireſi ex arena madefacta inſtruximus deſtillationem per alembicum, & gradus ignis bene ſervando omne liquidum ad ſiccitatem uſque abſtraximus. Hac ratione obtinuimus ſpiritum, & ſaporis & odoris gratia, multo magis vero virtute analeptica & roborante commendabilem. Obſervatum quoque nobis eſt, eum efficaciter urinam pellere, & hac ratione calculorum in renalibus tubulis concretioni occurrere. Tranſit mox in ſyrupum eximiæ virtutis balſamicum, ſi ejus drachma una unciis tribus julepi roſarum admiſceatur, qui ſyrupus merito omnibus aliis ob gratiam, quam conciliat medicamentis, ſingularem præferendus videtur.

Tertio, à plurimis jam inde annis in uſu nobis fuit frequentiori ſpiritus volatilis balſamicus, quem ex ſale volatili eboris, ſale tartari & balſamo Peruviano, æquales horum partes inter ſe miſcendo, affuſione ſpiritus rectificatiſſimi vini præparavimus. Spiritus hic propter vim, quam exſerit diſcutientem & diaphoreticam, neque minus tonicam & roborantem in morbis, ubi maſſam ſanguinis & humorum in corporibus frigidioribus in motum excitare & tranſpirationem augere convenit, cum ſummo profectu uſurpatur, eumque longe multumque ſpiritui ſic dicto Buſſii, æque balſamico, antehabendum eſſe, non ſine ratione affirmamus.

## OBSERVATIO XXIV.

### *Hiſtoria vini Tockavienſis Hungarici cum ejus indole, geneſi ac virtute.*

Corpora, quæ ignem facile concipiunt, oleoſa & reſinoſa, ad examen chymicum hactenus revocavimus, eorumque ſalutares vires ſatis perſpicue deteximus. Jam vero ad ea, quæ multum affinitatis cum iis habent, & ejuſdem fere progeniei ſunt, ſpiritus nimirum inflammabiles nos accingemus examinandos, ut, quas facultates alant, & quid ad uſum chymicum & medicum conferre poſſint, aliquanto clarius perſpiciamus.

Quum vero ejuſmodi ſpiritus phlogiſti inque flammam concipiendam promtiſſimi, fructus ſint vinoſæ fermentationis; placet maxime omnium vinorum nobiliſſimum Hungaricum, & quidem Tockavienſe, ratione originis & indolis ſuæ paulo accuratius hoc loco deſcribere.

Eſt vero vinum Tockavienſe partus ſuperioris Hungariæ, & naſcitur in civitatibus maxime ſubmontanis, in comitatu Zemplenienſi ſitis, quæ vocantur Mad, Tolezua, Benye, Talya, Schadan, Kereſtur, Tarzal, Serenſch & Tokacy. Solenne vero eſt, omnia, quæ circa ſubmontana iſta loca ſuccreſcunt, vina per excellentiam Tockavienſia appellare; ſiquidem in eo præjudicio mercatores verſantur, quod circa Tockay provenit vinum, illud reliquis ſubmontanis eſſe præferendum, cum tamen omnia fere ſint æqualia: quamvis non negare liceat, quod certa hujus promontorii pars, ex 600. paſſibus conſtans & ad meridiem ſpectans, excellentiſſimi vini genitrix ſit.

Deinde celebris eſt ille diſtrictus vinearum in territorio civitatis ſubmontanæ Tarzal, qui ſeſe extendit latitudine ad 3000. paſſus, in longitudine vero circiter 9000. paſſus habet. Hæc duo loca vicina vocantur *der Zuckerberg*; & quamvis vina, quæ in *Zuckerberg* Tockavienſi & Tarzalienſi proveniunt, ſint præſtantiſſima, tamen eorum non tam parva ſuppetit quantitas, ut ſecundum communem opinionem Auguſtiſſimi Imperatoris menſæ tantum inſerviat.

Quod autem in hiſce locis ex omnibus Europæ vinis ibi creſcat præſtantiſſimum, digniſſimum utique eſt, ut hujus rei cauſæ inquirantur. Primo vero Hungaria alit præſtantiſſimas uvarum ſpecies, inter quas quædam vocantur *Augſter* à tempore maturationis, quod plerumque in principium menſis Auguſti incidit. Incolæ has uvas ſemipaſſas vocant *Manckler*, iiſque utuntur loco paſſularum ma-

majorum, quarum ſimilitudinem exprimunt. Ad nobiles uvas, præſtantioris vini genitrices, pertinent etiam moſchatellinæ, quæ nomen ſuum debent ſucco delicatiſſimo, qui & ſapore & odore nucem moſchatam æmulatur. Ad has proxime accedunt eæ, quas dicunt *Mayer-Weintrauben*, quoniam ſucci, quem intus fovent, ſapor & odor herbæ majoranæ perquam ſimilis videtur. Sequuntur uvæ, quas vocant *Geiſſ-Dutten-Trauben*, quarum baccæ craſſa & virideſcente teguntur membrana, & formam habent papillæ caprillæ ſimilem, ſucco abundant, qui maxime uſui dulciariorum inſervit. Inter uvas nobiliores dantur etiam quædam vilioris notæ, albæ, pallidæ, rubicundæ, quæ etiam ſuccum fovent copioſum, ſubdulcem, virtute tamen debiliorem.

Recenſitis iſtis nobiliſſimarum uvarum ſpeciebus, quas Hungaria ſuperior, partim & inferior alit; proximum jam eſt, ut quomodo variæ vini ſpecies ex iſtis elaborentur, paulo clarius exponamus; præſertim cum perpaucis hoc cognitum eſſe ſciam, nos vero à popularibus fide dignis id accepimus.

Primum & delicatiſſimum præparant ex uvis, quas vocant *Augſter-Trauben*, quod ab incolis vocatur Eſſenz. Colligunt ſigillatim uvas, ultra conſuetum maturationis gradum excoctas & ſemipaſſas, quas etiam interdum, ſi ſolis calore non ſatis ſiccatæ fuerint, mitiſſimo furni calori committunt, ut magis flacceſcant, easque à racemis revulſas torculari ſubjiciunt, cujus forti preſſione ſuccus elicitur, nectaris ſuaviſſimi æmulus, qui exacto deſpumationis tempore vinum præbet generoſiſſimum, oleoſum, quod diu dulce manet, & ſpatio unius anni demum defecatur, caroque venditur pretio, & magnatum menſis inſervit, quod mercatores pro aliis vinis perficiendis emunt.

Secundum genus dicitur *Ausbruch oder Beer-Wein*, quod paratur ex uvis nobilioribus invicem collectis, ex quibus, ſeparatis racemis, torculari identidem exprimitur ſuccus dulciſſimus, cui poſt aliquot dies fervefacto adjiciunt uvas ſemipaſſas; ita fervente muſto dulcedo uvarum paſſarum extrahitur: vinum fit dulciſſimum, oleoſum, ſaporis gratiſſimi, cujus dulcedo valde diu immutata durat.

Tertium genus eſt, quod conficitur ex puro muſto nobilium uvarum, quod fermentatum dat vinum valde ſpirituoſum, minus dulce, limpidum.

Sequitur poſtea quartum genus, quod ex diverſis uvarum ſpeciebus, nobilibus & ignobilibus, parant, & ſic muſtum copioſum acquirunt, quod peracta fermentatione vinum quoque nobile præbet, ſed non adeo generoſum.

Hæc vina Hungarica in eo aliquid ſingulare præ aliis vinis habent, quod quædam ex iis, præſertim *Ausbruch und Beer-Wein*, diutius fervent ſuam dulcedinem: deinde quod aromatico ſapore & odore prædita ſint; tum, quod vim habeant diaphoreticam & liberalius etiam hauſta nullum dolorem in capite, nullum languorem in artubus relinquant: denique quod vappam non facile contrahant, etiam ſub aëris liberioris admiſſione, & per multos annos conſervari poſſint.

Eſt vero Hungariæ regio ad optima vina gignenda opportuniſſima, quia in illo terrarum ſpatio ſita eſt, quod gradu elevationis poli quadrageſimo & quinquageſimo deſcribitur. Nam conſtans eſt obſervatio, has regiones, quæ hunc elevationis poli gradum habent, ad vinum generoſum progignendum eſſe aptiſſimas. Hæc lætiſſima cœli regio ſibi ſubjectam habet Portugalliam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, magnamque partem Germaniæ, Auſtriam, Styriam, Carinthiam & fere totum tractum Rhenanum, Hungariam, Tranſylvaniam & eximiam partem Græciæ, quæ terræ continuo & cohærente tractu exporrectæ, vina omnium præſtantiſſima proferunt. Eſt enim his in regionibus efficacior ſolis operatio, quam in reliquis, neque enim nimia & perpetua ſiccitas ibi eſt, ſed abundantia roris præſertim nocturni: hic ad nutritionem, ſolaris vero calor ad ſucci meliorem coctionem, digeſtionem & maturitatem utique multum confert. Naſcuntur porro Hungarica vina in ſummis montibus, ſolem orientem vel meridianum reſpicientibus: hæc autem locorum poſitura generoſo vino maxime favet. Spirat enim in ejuſmodi montibus aër puriſſimus, nullis effluviis peregrinis contaminatus, ſuntque illi ab omni ventorum ſeptentrionalium injuria immunes, dumque præruptis jugis vividiores ſolis radios excipiunt & verſus ſe invicem reflectunt, calorem augent, conceptumque diutius retinent. Aër autem purus, vegetus & ſolis calore extenuatus ſucco nutritio uvarum ſe intime miſcet atque inſinuat, ipſique ſubtilitatem & quandam ſpirituaſcentiam conciliat, vinaque maxime ſalubria reddit, ut promtius minimos etiam corporis humani tubulos tam ſecretorios, quam excretorios tranſeant.

Deprehendimus inſuper, ad præſtantius vinum generandum loca montoſa & declivia, ubi in eorum radicibus flumina feruntur, eſſe aptiſſima. Nam ſi loca natalia eorum vinorum, quibus naturæ benignitas Germaniam noſtram fortunavit, conſideramus, obſervare licet, nobiliſſima vina in tractibus montanis, maxime ſoli orienti vel meridiano oppoſitis, circa flumina, quæ infra tranſeunt, prognaſci, & aliis etiam propter nobiliſſimam virtutem vulgo præferri.

Quis eſt, qui neſciat, in Franconia vinum Würtzburgenſe, Wertheimenſe, Klingenbergenſe, quæ omnia in montibus Mœno vicinis proveniunt, cæteris eſſe ſuperiora? Quorſum etiam ſpectant vinum Nierenſteinenſe, Hochheimenſe, Muchelbachenſe, Cochheimenſe, quæ non procul à Mœni fluvio producuntur. In montibus circa fluvium Rheni poſitis prodeunt Bacheracenſe, Rudelsheimenſe, Laubenheimenſe, Johannesbergenſe & hujus generis plura. Circa fluvium Moſæ quæ creſcunt, ex his celebrantur Duſemundenſe; circa fluvium Kocher proveniunt etiam nobiliſſima Neccarina; in montibus, quos transfluit fluvius Albis, optima vina, quæ ſuppeditat Bohemia & Miſnia, proferuntur. Eodem modo ſeſe res habet cum vinis Auſtriæ, quorum præſtantiora in locis montanis circa Danubium extant. Patet hinc etiam ratio, quare vinorum circa lacum Neoſidlenſem optimorum ſit proventus, & loca illa ſuperioris Hungariæ ſubmontana, ubi generoſiſſimum & Tockavienſe vinum abundat, ſuperius enumerata, in confinio fluviorum, præſertim Teyſſe, poſita ſint.

Nam præter ſolis efficaciam vinorum præſtantia nutrimento uvarum teneriori & ſubtiliori plurimum debetur. Jam vero quia montes expoſiti ſunt nocturnis roribus, qui circa confinia fluviorum ſunt abundantiſſimi, ac ſubtiliſſimam & æthereo principio intermixtam aquam fovent, non mirum eſt, rorem optimum eſſe nobiliſſimarum vitium nutrimentum. Fatendum quidem eſt, rorem nocturnum per ſe ad nutriendas vites non ſufficere, ſed pluviæ ut accedant neceſſe eſt, quæ plenius nutrimentum toti vitium compagi afferant. In eo tamen poſita eſt differentia, quod copioſæ pluviæ, in locis planioribus collectæ & diu ſtagnantes, putredinem facile contrahant, valdeque craſſum & minus digeſtum nutrimentum reddant. Ubi vero poſt humectationem terræ, quæ vites alit, citius delabuntur, nulla harum ſtagnatio locum invenire poteſt.

Quod

Quod vero etiam plantæ ſolo rore & humido in aëre contento ſuccreſcere & diu durare poſſint, abunde teſtantur ea, quæ ſolidis ſaxis, quæ arenis & exſiccis terris innaſcuntur. Telephia, ſedorum ſpecies, vermicularis illa, & quæ majoribus ſedis acceſeri ſolet, aloë, facile oſtendunt, ſe fluidi aërei eſſe progeniem.

Poſtremo etiam ſoli natura atque indoles ad nobilioris vini proventum utique multum facit; conſtantis enim obſervationis eſt, nobiliſſima vina, ubi creſcunt, ſolum habere non valde pingue, lutoſum, craſſum, nigrum, ſed potius ſaxeum, arenoſum & ex ſciſſili lapide compoſitum. Videtur quidem primo intuitu ejuſmodi terra valde infœcunda & ſterilis, & progignendis ac fœcundandis plantis & fructibus minus idonea; ſed tamen res aliter ſe habet cum vitibus, quæ ſi nobiliſſimum ſuccum ferre debent, utique talis terræ indoles huic rei aptiſſima eſt, & quidem eas ob cauſas, quia arenoſæ, calcariæ & ſaxoſæ ejuſmodi terræ diutiſſime retinent ſolares radios, qui hic concentrati radices blando ſuo calore fovendo efficiunt, ut nutrimentum per omnes ejus poros facilius tranſeat. Deinde dum per hujus generis terras, quaſi per cribrum, innumeris poris pervium, humiditates & pluviales aquæ tranſmittuntur, has ipſas non modo attenuant, inque minimas partes diſſolvunt, ſed & craſſiores & rudiores partes ſeparant ac detinent, ut longe ſubtilior ſuccus nutritius evadat.

In diverſiſſima igitur ſoli natura, & quidem non ſine ratione, diverſi ſaporis, ſalubritatis & inſalubritatis vinorum cauſas poſitas eſſe exiſtimamus. Neque enim ignotum eſt, mirifice inter ſe ratione ſaporis & odoris differre vina Rhenana, Franconica, Hungarica, Moſellana, & alia etiam aliis eſſe ſalubriora; quam differentiam ſolo natali ſi quis adſcribere velit, is utique neutiquam errabit. Dici enim vix poteſt, quam diſſidens planeque diverſa ſit natura atque indoles ſoli & terræ, quod vel ex colore, odore, textura, conſiſtentia, poroſitate, craſſitie, imo ex deſtillatione aliiſque laboribus mechanicis & chymicis ſatis ſuperque cognoſcimus. Mirum itaque eſt, quod vineæ, quæ habent eundem ſolis adſpectum, quæ etiam in ejuſdem altitudinis montibus poſitæ ſunt, & ejuſdem generis vites alunt, vina tamen ratione præſtantiæ, ſalubritatis, ſaporis ac penetrantiæ admodum diverſa proferant. In cujus rei illuſtrationem ut ſaltem unicum adducamus exemplum, notum eſt, vina, quæ circa pagos Hochheim; Kochheim & Caſſel, è regione urbis Moguntiæ, producuntur, naſci ex unius generis vitibus, quæ etiam eodem modo tractantur, eodemque prorſus ſole foventur; nihilo minus præſtantia mire inter ſe differunt, ut longe etiam cariori pretio Hochheimenſe præ Kochheimenſi, & hoc præ Caſſellano ematur.

Quum vero nihil fiat ſine ratione, valde credibile eſt, hujus differentiæ cauſam referendam eſſe ad ſoli diverſitatem, quæ non adeo aperte in ſenſus incurrit. Et quum etiam vinum Hungaricum ratione ſaporis & odoris aliquid habeat præ aliis vinis peculiare ſibique proprium, & ſpiritus etiam ex eo deſtillatus ſaporem & odorem exhibeat ſingularem, nullum ſane dubium eſt, quin hoc ſoli natalis peculiari naturæ ſit adſcribendum.

Id vero hoc loco non intactum prætermittere poſſumus, quod ſalubris & præſtantiſſima vini Hungarici, præſertim ſuperioris, indoles communiter, imo ab ipſis incolis etiam ſolo, ubi vites creſcunt, aurifero adſcribi ſoleat, eo quod terra Tockavienſis roborans in ſe ſulphur copioſum contineat. Quin imo variæ circumferuntur hiſtoriæ & literis etiam mandatæ ſunt, de quibus legi poſſunt *Jacobi Tollii epiſtolæ itinerar.* in ipſis botris & acinis compactas ſæpius auri atomos, mire ſplendentes, fuiſſe repertas, ita ut etiam membranulæ exteriores auro quaſi obductæ fuerint. Et aiunt, in Tockavienſi tractu, ubi generoſiſſima naſcuntur vina, videri non raro aurum inſtar funiculi rotundi ſimul è terra enaſci; quas tamen hiſtoriolas in medio relinquimus, ut non de earum fide dubitandi prægnantes habeamus cauſſas. Id ſaltem dicimus, nec aurum, nec alia metalla ad fœcunditatem terræ, multo minus ad ſuccos vegetabilium nobilitandos, & ſalubres reddendos, quicquam conferre poſſe.

Nunc erit ſolvenda quæſtio, quare vina generoſa Hungarica tam diu dulcedinem ſuam retineant, cum Italiæ & aliarum regionum calidarum potentia vina eam facile deperdant. Supra jam memoravimus, diverſis modis tractari & præparari vina Hungarica, ex qua peculiari tractatione erit etiam petenda ratio durantis illius dulcedinis. Nam ubi ſuccus ex uvis nobilioribus & maturis ſemipaſſis & exſiccatis elicitur, qui eſſentia dicitur, diutiſſime manet dulcis. Deinde quando muſto ſubdito calore ferventi immittuntur uvæ paſſæ vel aliæ adhuc recentes, dulcia identidem vina emergunt, quorum dulcedo diutiſſime durat. Quæ vero non ex ſiccatis uvis vel ex muſto fervefacto proveniunt vina, ea utique, non ſecus ac alia vinorum genera effervefcentia, gratum ac dulcem ſuum ſaporem amittunt; idque etiam fit in noſtris regionibus. Nam ſi quis muſta recentia calori vel igni admoveat, ut ex parte ebulliant, quemadmodum additis herbis, vina v. g. cochleariæ, enulæ, abſinthii, meliſſæ parantur, non amplius ita effervefcunt, ſed dulcedine diutius linguam afficiunt. Eadem encheireſi in inſulis Canarienſibus vina, quæ dicuntur *Sect*, item Hiſpanica, vina de Tint, de Alicante incolæ parare ſolent. Cauſa igitur durabilis illius dulcedinis non eſt à natura, ſed dependet ab artificio, ab igne nempe & calore, qui hunc peculiarem effectum producit, eo quod fermentationis actum præpediat, qua unio dulcium diſſolvitur ac deſtruitur, ingenſque mutatio ipſi muſto ratione qualitatis inducitur.

Fermentatio vero eſt nihil aliud, quam motus inteſtinus aëris & ætheris partiumque aquearum in muſto contentarum, qui partes, quæ mixturam dulcium corporum conſtituunt, diſſolvit, particulaſque acidas & ſulphureas terreaſque, quæ inter ſe commixtæ dulcedinem formant, à ſe invicem ſeparat, adeo, ut acidum incipiat in ſulphureum ac terreum principium agere, unde fit ebullitio, ſpumeſcentia & evaporatio partium ſulphurearum, nec non dejectio partium craſſiorum terrearum in fundum, qui motus ebullitionis dum diu durat, acidum cum ſubtiliori ſulphure & phlegmate ſeſe arctius conjungit rurſus, & vinum inde ſurgit, ſive liquor acido-ſpirituoſus.

Quodſi vero per calorem muſtum fervefit, & ex parte ebullit, particulæ aëreo-æthereæ & ſubtiliores aqueæ, quæ prima ac præcipua motionis illius inteſtinæ fermentativæ cauſa efficiens ſunt, ex intimis muſti poris exturbantur atque aufugiunt; unde neceſſario ſequitur, ut partium liquoris dulcis ſalva & integra maneat textura ac diſpoſitio, & inimica earum ſeparatio impediatur.

Quum vero non omne principium aëreo-æthereum & ſubtile humidum per fervefactionem evaporet, ſed quædam pars ejus remaneat, impeditur quidem vehemens fermentationis actus, ſed tamen remiſſior & lenior ſpecies fermentationis adhuc manet, à qua etiam defecatio ſucceſſiva & ſpiri-

ſpirituaſcentia blandior horum vinorum dulcium producitur.

Ultimo loco, unde vinorum Hungaricorum tanta præ aliis vinis proficiſcatur ſalubritas, explicandum erit; cujus cauſam ſi à ſubtilitate & teneritudine nutrimenti, quo uvæ aluntur, & copioſo, quod earum ſuccis immixtum eſt, ſubtili aëreo & æthereo elemento derivemus, non fallemur: eſt enim hoc illud ipſum, quod alimentis æque ac medicamentis ingentem ſalubritatis vim conciliat.

Aquæ quo ſubtiliores & leviores ſunt, fontanæ & materia aëreo-ætherea repletæ, eo utique majorem ſalubritatem præſtant præ aliis. Acidulæ & thermæ, ad ſanandos morbos efficaciſſimæ, non niſi ſalibus & ſpirituoſo æthereo elemento, quod copioſius fovent, ſuas vires atque dotes debent, quo ſi per calorem & aëris liberum acceſſum privantur, mox earum ſalubris virtus exſpirat ac elangueſcit. Simili ratione ſpiritus ille aëreo-elaſticus in vinis impellit & promovet non modo ſolidorum, ſed & fluidorum motum, fibraſque motrices ad blandas contractiones animat, ut ſanguinis & humorum circuitus, neque minus ſecretionis & excretionis negotium, quod vitæ conſervandæ admodum inſervit, facilitetur atque promoveatur, in quo præcipua ſalubritatis ratio & natura continetur. Et hanc ob cauſam, quia vina Hungarica ex partibus admodum ſubtilibus & ſpirituoſis conſtant, vires deficientes erigunt atque reficiunt, & blandam movendo diaphoreſin, crudos & inutiles ſuccos è corpore exterminant.

---

## OBSERVATIO XXV.

### *Anatomia vinorum chymica.*

Principia vinum conſtituentia ſunt: 1. ſpiritus inflammabilis, 2. phlegma, 3. ſal acidum tartareum, 4. ſulphurea quædam oleoſa ſubſtantia.

Pro varia igitur & multiplici horum elementorum mixtura & proportione vina inter ſe, ratione ſaporis, odoris & virtutis, mirifice differunt. Quæ copioſum ſpiritum inflammabilem poſſident, facile inebriant, & corpus fortiter calefaciunt. Ubi vero prædominantur partes phlegmaticæ & tartareæ acidulæ, hæc virtutem laxantem & diureticam habent, nec facile caput feriunt. Quæ multum ſubſtantiæ oleoſæ ſulphureæ obtinent, ut ſunt vina antiqua, ea ſaturato colore aureo, fortique odore & ſapore imbuta ſunt, neque tam facile per corpus tranſpirant, ſed diutius manent in ſanguine, corpuſque exſiccant.

Eſt adhuc aliud inſitum vinis elementum, quod eſſentiam eorum ingreditur, nimirum ſubſtantia quædam dulcis, oleoſa, temperata, viſcida, quæ in vinis ſufficienter fermentatis vel leviter coctis ſeſe prodit; ac tale quidem maxime obſervatur in vinis Sect, Frontiniac, & Hungaricis nobilioribus. Hoc vinis gratum conciliat ſaporem & vim nutritivam demulcentem ipſis fœnerat.

Utut omnis generis vina in ſua principia reſolvi poſſint, ſpiritum nempe, oleum, phlegma, ſubſtantiam dulcem, & acidum tartareum; tamen in eo adhuc diſcrimen eſt, quod aliud ſulphur ſubtilius & ſuave, aliud vero paulo craſſius, nec adeo acceptum obtineat.

Ita vina Rhenana & Hungarica præ Franconicis, Thuringicis, Miſnicis, longe gratiorem ſpiritum & ſubtilius ſuaveque ſulphur habent, quod in hiſce paulo peregrinum & naturæ grave exiſtit. Hinc etiam fit, ut ſolus odor vini Rhenani vetuſti & optimi vires mirifice reficiat, quod ab aliis non expectandum eſt. Differt etiam in vinis principium tartareum: quædam enim copioſum ac rudem tartarum habent, ut vina provincialia, quædam ſubtiliorem, ut Rhenana; quibuſdam, veluti Moſellanis, ſal tartareum nitroſum paululum amaricantis ſaporis ineſt, hinc etiam eorum virtus laxans & diuretica dependet.

Ad analyſin vinorum recte inſtituendam, qua detegi poſſunt eorum principia, utique rite & ordine facta deſtillatio plurimum confert.

Libræ tres vini Rhenani optimi, in cucurbita vitrea deſtillatæ, exhibuerunt uncias XIII. ſpiritus, quibus tamen prope dimidia pars phlegmatis admixta fuit.

Libræ tres vini Franconici dederunt uncias octo ſpiritus ſimilis cum ſuperiori conditionis. Vinum Hungaricum ſatis potens (*Ausbruch*) ad libram unam cum tribus quadrantibus deſtillationi ſubjectum in cucurbita vitrea dedit ſpiritus uncias octo cum dimidia longe potentioris priori, ita, ut vix tertia pars phlegmatis admixta fuerit.

Fecimus etiam experimentum cum vino Burgundico, ſumtis ejus libra una & ſex unciis, ac ſimili facta deſtillatione obtinuimus uncias octo ſpiritus, qui dimidiam adhuc phlegmatis partem continebat. Ex quibus patet, Hungaricum longe ſpirituoſius eſſe Burgundico, hoc vero prævalere ratione ſpiritus vino Rhenano, id vero etiam generoſius eſſe Franconico.

Abſtracto à vino per deſtillationem ſpiritu, quod remanet in cucurbita, ſaturatiorem acquirit colorem, & ſapore valde acidum eſt, hac tamen intercedente diſcrepantia, quod remanentia vini Hungarici ſaporis ſit acidi, pauliſper dulcis, Burgundici acido-adſtringentis, Rhenani vetuſti acidioris, ſed Franconici acidiſſimi.

Quandocunque ſpiritus abſtractus à vino, v. g. Rhenano, rurſus affunditur parti à deſtillatione reſiduæ, ſive phlegmati acido-tartareo, hujus ſapor quidem penetrans acidus per hanc mixtionem valde temperatur atque infringitur, ſed tamen priſtinus odor & ſapor vini Rhenani non revertitur, & quidem ob hanc rationem, quia ſpecificus cujuſdam rei ſapor dependet à ſpeciali mixtione, unione & textura partium, quæ deſtillatione ſolvitur ac diſſuitur, & quia per novam & mutuam confuſionem liquorum non ita, ut antea, uniuntur particulæ, hinc etiam ſapor mutatur.

Quum ſpiritus vinoſus acidum temperandi & infringendi egregia vi polleat, & vinum Hungaricum æque ac Burgundicum cætera vinorum genera ſpiritus abundantia & plenitudine ſuperet, recte argumentari licet, hæc vina maxime eſſe idonea iis, qui copioſum in ventriculo generant acidum, ut fere ſunt hypochondriaci, quartanarii, ſenes, & quod maxime eo tempore proſint, quando chylificatio peracta eſt, multæque cruditates acidæ ex alimentis digeſtis remanent.

Quum reſiduum vini Burgundici phlegma ſit acido-auſterum adſtringens, recte concluditur, hoc vinum ad roborandum tonum ventriculi & inteſtinorum, & ubi alvus eſt ſupra modum facilis & fluida, magis conferre, quam ubi hæc nimis dura atque adſtricta eſt.

Color vini dependet à ſulphureo-oleoſo principio, quod vinis ineſt, per inteſtinum fermentationis motum intime reſoluto & cum partibus vini mixto; quo ſaturatiori itaque colore vina ſunt imbuta, eo copioſius oleum continent. Quando igitur ſpiritus à vino abſtrahitur, tum pars ſpirituoſa aquea & acida ſecedit & relinquitur in vaſe maſſa

ſpiſſa

ſpiſſa, coloris fuſci & valde ſaturati, cui ſi affunditur inſignis aquæ portio, hæc ſtatim tingitur colore eodem, quo vinum antea præditum fuit, manifeſto documento, à maſſa illa ſulphurea & oleoſa craſſa, quæ remanet in deſtillatione, vinum colorem ſuum mutuari.

Vina rubicunda accipiunt ſuum colorem ab ipſis rubicundis uvarum pelliculis, dum nempe diutius iſtis ſtant ſuperfuſa. Acidum ergo, quod in muſtis eſt, extrahit & exaltat etiam colorem illum, qui in iſtis pelliculis continetur; atque ideo ille color eſt mere adventitius. Omnia vina rubicunda & ſapore & virtute adſtringente prædita ſunt, ob hanc rationem, quia non modo ipſis uvarum tunicis rubicundis, ſed etiam acinis earum, qui manifeſti adſtringentis ſaporis ſunt, diu ſuperfuſa ſtant; hinc ex his principium adſtringens etiam extrahunt & in ſe recipiunt.

Vina rubicunda, præſertim Burgundicum, deſtillata & poſtea leni evaporatione in vitro, ut vocant, conſervali ad ſpiſſam conſiſtentiam redacta, colorem exhibent ſaturate rubicundum & ſaporem fortiter conſtringentem, cujus portio infuſa inſigni aquæ copiæ, eam non modo rubicundo colore, ſed etiam adſtrictivo ſapore imbuit.

Quando vel vino rubicundo vel ejus extracto, quod remanet ab evaporatione, affunditur debita quantitas olei tartari per deliquium, tunc perit gratus ille rubicundus color, & in brunum mutatur, mixtura turbida fit & ſedimentum quoddam ad fundum dimittit, claro teſtimonio, colorem iſtum elegantem rubicundum ab acido, colorem rubicundum exaltante, maximam partem proficiſci.

Color aureus, quo vina Rhenana fulgent, etiam ſoboles eſt principii ſulphurei oleoſi, & ſicuti ſulphura, quæ matrices ſunt colorum, à ſalibus alcalinis admixtis exaltantur, ita etiam id accidit in vinis v.g. Rhenano, Franconico, in quibus ab oleo tartari per deliquium, vel ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo, ſufficienti in quantitate affuſo, flavus color in brunum degenerat.

Quando liquor alcalinus miſcetur cum vinis, quæ eminentis ſaporis acidi ſunt, non modo color mutatur, ſed etiam lenis cietur efferveſcentia, & acidum vini, congrediens cum ſale alcali, tranſit in ſal neutrum tartareum, cujus naturæ eſt tartarus tartariſatus, vel etiam terra foliata tartari, quæ ex aceto vini & ſale tartari parari ſolet.

Quum ſalia neutra, ex ſubtili acido & ſale alcali conflata, ut ſunt terra foliata tartari ſic dicta ſicca, vel arcanum tartari, quod non niſi hæc terra tartari ſoluta eſt, eximiam vim habeant abſtergentem, aperientem, reſolventem, & excretiones alvinas atque urinarias ſtimulantem, ad tollendas chronicas paſſiones mirifice proſunt. Et cum ex optimo vino Rhenano, cum oleo tartari per deliquium mixto, idem ſal ex tempore & per compendium parare liceat, facile patet, vinum hac ratione ſimpliciſſima valde reddi poſſe medicamentoſum.

Quod remanet ab abſtractione & evaporatione vini Rhenani acidum, ſi miſcetur cum oleo tartari per deliquium, inſignis exurgit ebullitio cum maxima ſpuma, oras vitri etiam altioris tranſiliente, mixtura fit ſaturate bruni coloris & aliquot horis poſt ſpuma illa concidit & evaneſcit, ac liquor, arcano tartari tam ſapore ſalſo, quam colore & virtute ſimillimus, in fundo vitri ſubſidet. Ratio, quare etiam tam copioſa ſpuma ſub efferveſcentiæ actu elevetur, hæc nobis probatur: Extractum vini præter acidum copioſum ſulphur & principium viſcidum habet, hinc affuſum alcali magnam conciet efferveſcentiam, à qua exurgunt copioſæ particulæ vaporoſæ, aëreo-æthereæ, quæ ſub contextu & involucro principii viſcoſi irretitæ libere in auras avolare nequeunt, ſed particulas viſcoſas in bullas convertunt.

## OBSERVATIO XXVI.

### *De cylindro ſtatico, quo ſpiritus vini bonitas exploranda.*

PRæparandus eſt cylinder ſtaticus ex ſuccino, ebore vel etiam vitro, ita, ut æquilibrium habeat cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, eo nimirum, à quo omne phlegma abſtractum eſt. Poſtea ad duodecim v.g. partes hujus ſpiritus affundatur una pars aquæ communis, quæ cylindrum ex ſuperficie aquæ adducet ad certum ſpatium, quod linea diſtinguendum eſt. Deinde adhuc una pars aquæ adjiciatur, & ſic altius aſcendet inſtrumentum ad definitum ſpatium, quod iterum lineola eſt deſignandum. Et hunc in modum ſucceſſive plures aquæ partes adjiciendæ ſunt, ita ut ad duodecim partes ſpiritus vini rectificatiſſimi octodecim partes aquæ affundantur, ſemper poſita nota ſpatii, quod cylinder occupat. Præparato ejuſmodi cylindro, qui ad explorandam quantitatem ſpiritus in aqua maximæ utilitatis eſt, facile inveniri poteſt proportio ſpirituoſi inflammabilis principii reſpectu phlegmatis, ſive aquæ, in omnibus liquoribus ſpirituoſis, inprimis vero in ſpiritu frumenti, qui emitur, vulgari. Ita enim ſtatim cognoſcitur, quot libræ ſpiritus vulgaris requirantur in deſtillatione ad libram unam rectificatiſſimi obtinendam: ubi ille ſpiritus frumenti vulgaris ſatis eximius & bonus habendus eſt, cujus tres partes vel libræ largiuntur unam ſpiritus, ab omni phlegmate liberati.

## OBSERVATIO XXVII.

### *Qua docetur ſeparatio omnis phlegmatis à ſpiritu ſine igne.*

INfunditur certa quantitas ſpiritus inflammabilis vitro anguſtioris orificii, ut digito claudi poſſit, & dimidium tantummodo vitri repleatur: poſtea injicitur ſal tartari probe calcinatum & aduſtum, in pulverem redactum, quod bene cum ſpiritu manuum agitatione conquaſſandum eſt, ita ſolvitur hoc ipſum ſal in liquorem craſſum, qui fundum vitri petit. Tam diu vero continuanda eſt injectio hujus ſalis & fortis vitri agitatio, donec ſal intactum maneat, ſive ulteriorem ſolutionem reſpuat. Deinde reponitur vitrum, & ſupernatans ſpiritus effunditur, qui non modo ab omni phlegmate liberatus eſt, ſed inſuper etiam alcaliſatus & tartareus redditus; unde ad ſolutionem oleorum, reſinarum, balſamorum aptiſſimus evadit & longiſſime præferendus eſt illi, qui ſale alcalino non eſt imbutus. Ratio præparationis verſatur in eo: notum eſt ex chymicis experimentis jam inſtitutis, aquam promtiſſime ſolvere ſalia, præprimis alcalina, rectificatiſſimum vero ſpiritum vini omni facultate deſtitutum eſſe ſolvendi ſalia, ſed illa prorſus intacta relinquere. Si itaque liquido, quod ex ſpiritu inflammabili & aqua compoſitum eſt, ſal alcali adjicitur, hoc ipſum, exquiſitiori facta mixtione, ſolvitur ab aqua, in ſpiritu vini contenta, quæ ſolutio, quoniam eſt ſpecifice gravior ſpiritu vini, in fundum ſecedit. Quantum itaque aquæ in ejuſmodi ſpiritu vini continetur, tantum etiam imbibit

bibit ſufficiens adjecti quantitas, relicto ſpiritu puriſſimo.

Primo, experimentum hoc inſignis uſus eſt, quando quis igne & apparatu deſtillatorio deſtitutus ex tempore præparare vult ſpiritum vini rectificatiſſimum, qui maxime ad olea deſtillata, ad corpora reſinoſa, & gummata ſolvenda, pro conficienda vernice, laccam nempe, ſandaracam, maſtichen &c. eſt aptiſſimus.

Secundo, hic proceſſus oſtendit, quomodo ſpiritus inflammabilis, omnis prorſus phlegmatis expers, haberi poſſit, cum ſola deſtillatione, etiam repetita, difficulter talis obtineatur; & hanc quidem ob rationem, quia per calorem cum particulis ſpirituoſis facile etiam avolant aqueæ, ut ut numero pauciores.

Tertio, habetur vulgo hoc experimentum certiſſimum ad cognoſcendum ſpiritum inflammabilem rectificatiſſimum, ſi nempe in cochleari pulveri pyrio affuſus & accenſus deflagret, & poſtea etiam pulverem hunc accendat; vel etiam ſi charta bibula, ejuſmodi ſpiritu madida, accenſa una cum ſpiritu conflagretur. Verum quod etiam adhuc ejuſmodi ſpiritui quidpiam phlegmatis inſit, noſtrum experimentum, quo cum ſale tartari miſcetur, evincit, nam id ipſum adhuc aliquid humiditatis ex eo abripit, adeo, ut pauxillum hujus ſalis inde ſolvatur.

## OBSERVATIO XXVIII.

*De excellente balſami liquidi ſpirituoſi virtute.*

Quemadmodum quæ ex aromaticis & balſamicis ſpeciebus leni igne, miniſterio deſtillationis per aquam, proliciuntur olea, in generoſis & magnæ efficaciæ remediis primum ac principem tuentur locum: ita dolendum eſt, quod medici ſatis dignum pretium his ipſis ſtatuere neſciant, quippe quum eorum uſum haud parum multis magis magisque eviloſcere videamus. Servantur quidem paſſim in officinis pharmaceuticis olea varii generis deſtillata; ſed ſi ad lancem chymicam expenduntur, ea rarius ſincera & integra, ſed potius alienarum rerum offuciis deturpata deprehendimus.

Plerique medicorum exquiſitiſſimas horum oleorum, quibus tam in præſervandis, quam ſanandis morbis excellunt, vires ac facultates ſciunt cum ignariſſimis, & ſane perpauci ſunt, qui in iis paulo perveſtigatius explorandis gnavam ac ſolertem ponunt induſtriam. Maxima pars hac ducitur levitate, ut olea, quæ fragrantia & ſuavitate odoris admirabili naribus blandiuntur, uſui ſaltem externo deſtinanda exiſtimet; alii vero ad ſummum paucas guttulas admiſcere ſolent medicamentis, quæ laborantibus facile faſtidium movere poſſunt, ut quandam ſaporis gratiam ipſis concilient.

Non deſunt quidem chymicorum libri, in quibus ejuſmodi oleorum virtutes analepticas, nervinas, cephalicas, magnis præconiis decantatas, & propemodum graphice expoſitas invenimus; ſed tamen eorum uſum ad ſanandas vel avertendas ægritudines admodum raro transferri, quotidiana medicorum praxis ſatis abundeque teſtatur. Mihi vero ſemper perſuaſum fuit, magnam planeque inſignem oleis ineſſe ad medendum efficaciam, eo quod principio valde activo, & motibus, qui vitæ negotium abſolvunt, tuendis inſtaurandiſque perquam idoneo polleant, quale quidem eſt tenue & ſulphureum illud elementum, quod delibatiſſimam & efficaciſſimam plantarum partem conſtituit.

Jam viginti & aliquot anni defluxerunt, quum experimentum inſtituerem, ſolvendo olea pura atque à me ipſo diligenti opere elaborata in ſpiritu vini rectificatiſſimo, quæ poſtea pluribus ægrotantium, qui meam opem implorarunt, maximo cum fructu obtuli. Hic tam felix tamque fortunatus ſucceſſus haud levem mihi movit admirationem, qui antea perſuadere mihi non poteram, tam præclaras facultates in hiſce oleis æthereis bene præparatis, & cum alcohol vini in eſſentiam transformatis, eſſe reconditas.

Ex eo tempore meliora edoctus, hæc medicamenta majori in pretio habere cœpi, exhibendo ea frequentius, quandocunque commoda ſeſe mihi obtulerit occaſio.

Natum hinc mihi eſt, quo jam inde à multis annis uſus ſum, balſamum ſpirituoſum liquidum, quod ex balſamis, oleis cephalicis, aromaticis ſelectiſſimis, purioribus & ſuaveolentibus eſt compoſitum. Hæc ſolvuntur certa ſpiritus vini rectificatiſſimi quantitate, atque adeo hujus balſami, quod vulgo vitæ vocant, arcana præparandi ratio in oleorum puritate, inque definita eorum proportione & convenienti miſcendi modo unice continetur.

Ut igitur procedente ætate ſelectiora ex chymicis parata remedia, & quæ in his maxime excellunt, olea deſtillata majori ſint dignitate, haud alienum fore arbitror, ſi hujus medicamenti vires, per multorum annorum proceſſus curioſe à me obſervatas, paulo fuſius & explicatius hoc loco commemorem.

Ob blandum illud & naturæ amicum, quo inſtructum eſt, elementum ſulphureum non modo ſanguinis ſulphur, cujus attenuatio & evolutio robur & vires corpori noſtro maxime fœnerat, ſuaviter alit, mirifice inſtaurat & inſigniter perficit; ſed mitioribus etiam ſuis effluviis ſeſe in intimos muſculoſarum & nervearum partium receſſus inſinuat, eaſque vi, robore & movendi potentia inſtruit. Qua de cauſa uſus ejus maxime eſt commendabilis corporibus, gravitate ætatis, præcedente morbo, corporis & animi fatigatione, aut immodica ſanguinis profuſione multum debilitatis, ſi nimirum bis vel ter de die, mane vel ante cibum, aliquot ejus guttulæ ſumantur. Profecto, quod bona fide dixerim, incredibile viribus inde accedit incrementum.

Quoniam ejuſmodi balſamica medicamenta maxime accommodata ſunt iis morbis, qui ab atonia nervorum & lentiori ſanguinis humorumque circuitu ſuam habent originem, hinc plane eximia eſt efficacia, quam balſamicus hic liquor præſtat in affectibus, à capitis & nervorum debilitate oriundis, & quidem ſigillatim in paralyſi eamque comitantibus aphonia, memoriæ decremento, gutta ſerena, auditus gravitate mentiſque ac ſenſuum hebetudine, qui ad unum omnes ad nervorum atoniam & reſolutionem ortum ſuum referunt. Sequitur effectus optatior, præmiſſis iis, quæ pro diverſa morbi ratione minuendæ humorum quantitati iiſque à ſuperioribus ad inferiores partes derivandis inſerviunt.

Exterius in iiſdem affectibus fronti & temporibus cum duplicato linteo crebrius applicandum eſt; qua ratione naſcentem guttam ſerenam feliciter non ſemel propulſavi & memoriam pene abolitam favente Numine reſtitui. In vertigine, gravi & diuturna cephalalgia, hemicrania, præſertim ſi cauſa & radix mali primis viis inhæreſcit

earumque

earumque habetur convenienti medicina ratio, & externo & interno uſu ſuppetias fert exoptatiſſimas. In atroci etiam ex dentibus dolore, ſi à carie & ſeri acrioris affluxu provenit, non ſine fructu cum goſſypio applicatur. Nihil vero æque fatiſcentes cordis vires reficit, ejuſque & arteriarum motum in lipothymia deficientem reſtaurat, ac ipſum hoc balſamum, externe cordis regioni applicatum & interne quoque ad aliquot guttas datum.

Deinde nec ullam fere medicinam facile invenies, quæ tam egregie ventriculi & inteſtinorum morbis ſuccurrat iiſque levamen afferat, quam hoc medicamentum balſamicum; ſunt enim hæ partes nervoſæ & membranaceæ, quæ exquiſito motu & ſenſu gaudent, quibus, ſi tonus eſt dejectus, ſi robur vacillat, amiciſſimum eſt remedium.

Idcirco ſi nauſea incidit, appetentia eſt proſtrata, gravitas circa præcordia ſentitur, ſi vomitus urget, ſi flatus, in inteſtinorum volumine concluſi, dolores & diſtenſiones pariunt, & alvus nimiis dejectionibus exercetur, præſentaneum ſane auxilium in hac medicina poſitum eſt, ſi nimirum repetitis vicibus ad decem vel viginti guttas propinetur.

Exterius quoque ſi regioni ventriculi applicatur, in ejus inflatione, quæ frequentiſſimum hypochondriacorum ſymptoma eſt, cum calido panno ſuperimpoſito, mox levamentum percipiunt ægri præſentiſſimum.

In gonorrhœa, ſive benigna, ſive ex contagio venereo nata fuerit, nullam novi medicinam, quæ hiſce nervoſis & membranaceis partibus corroborandis & languori corporis, qui ut plurimum ejuſmodi mala comitatur, ſublevando hocce noſtro balſamo magis idonea deprehendatur.

Modus vero utendi hic eſt: aquæ menthæ ſpirituoſæ ſumatur libra una, & guttæ hujus balſami quadraginta circiter inſtillentur, edulcoratio fiat cum julepo roſarum; ita conficitur aqua vitæ balſamica, quæ ter vel quater per diem ad duo vel tria cochlearia ſumta, malum hoc, modo non ſit nimis inveteratum, feliciter tollit.

Præterea ejus ſingularis uſus in avertendis morbis eſt, præſertim chronicis, qui ex tranſpiratione prohibita, circulatione ſegniori & humorum ſtagnatione proveniunt, ut ſunt cachexia, ſcorbutus, hydrops, renum & veſicæ calculus, colica flatulenta, aſthma humidum.

Nam dum reſtaurat ſanguinis imminutum ſulphur & labaſcentem circulum erigit atque adauget, excretiones impurorum humorum adjuvat, & prohibet, quo minus ii in corpore accumulentur.

Si epidemii & putridi morbi ex cœli nimis humidi ac nebuloſi intemperie metuendi ſunt, tutiſſime mane ad aliquot guttas ſumitur. Externe vel per ſe, vel cum unguento digeſtivo mixtum, ſingulariter confert ad conſolidanda ulcera putrida, quæ ſæpe gingivas exedunt, vel aliis partibus diutius inhæreſcunt & ægerrime ſanationem recipiunt, dum non modo putredini reſiſtit, ſed & ad ſanationem ulcera perducit feliciſſimam. Si impotentia motus artus occupat eaque à rheumaticis vel arthriticis affectibus proficiſcitur, inunctione crebra debiles partes roborat iiſque motum reſtituit.

Gravidis quoque fœminis, ſi hoc balſamo moderatius utuntur, egregiam affert opem, iis medendo ſymptomatibus, quæ alias eas graviter exercere ſolent: ad partum quoque juvandum, ſi vires deficiunt & non alia ejus uſum prohibent, pluribus experimentis hoc balſamum deprehendi efficaciſſimum.

Atque ut faciam rei compendium, non dubito aſſerere, eum, qui hujus balſami copiam tenet & ejus uſum exactius intelligit, non egere ullo balſamo apoplectico, aquis cephalicis vel apoplecticis, balſamo embryonum, aquis carminativis, ſtomachicis, vel aliis analepticis medicamentis; in hoc enim omnium harum virtutum quaſi complementum inveniet. Quo circa non ſine ratione, ſed conſilio ſtudioque, paulo diutius in ſuperioribus huic nobiliſſimæ de oleis deſtillatis materiæ immoratus ſum; cum mihi perſpectum ſit, quam paucis eorum vires ſint notæ & cognitæ.

Ultimo loco circa ejus uſum quaſdam cautelas adjiciendas eſſe exiſtimavi: nam ſicut nulla præſtans & valida datur medicina, quæ non abuſu & neglecto diſcrimine noxam inferre poſſit; ita etiam damno non vacabit noſtrum remedium, ſi non cum ratione atque prudentia exhibeatur. Obſervationes vero circa ejus uſum ſequentes ſunt adhibendæ:

1. Ubi corpora ſanguine abundant eaque juvenilia temperamentique calidioris ſunt, & arteriæ fortiter moventur, ibi parcius vel nunquam medicamentum hoc dari oportet.

2. Quibus in morbis nimius æſtus & ſitis urget, pulſuumque adeſt frequentia & febrilis calor corpus exurit, ac urina rubicunda fertur, ibi perperam & inconſulto data ejuſmodi medicina plus damni, quam emolumenti afferet.

3. Qui in ſanguinis profluvia proni atque ad iracundiam, ad cordis palpitationem, conjunctam cum ſpirandi difficultate, proclives ſunt, vinis ſpirituoſis utuntur faciemque turgidam & rubicundam habent, neglecta venæ ſectione, iis etiam tutius hujus medicamenti uſus circumciditur.

4. Tempore vernali & æſtivo timidius, autumno vero & hyeme audacius eo uti licet. Nam ſub vere ſanguinis maxime fiunt commotiones, & qui à plethora naſcuntur morbi, tunc magis corpora invadunt. Æſtas vero propter ferventiſſimam aëris conſtitutionem ad morbos, qui ex bile proveniunt, corpora diſponit.

OBSER-

# OBSERVATIONUM PHYSICO-CHYMICARUM

## LIBER SECUNDUS.

### OBSERVATIO PRIMA.

*Hiſtoria & anatomia nitri phyſico-chymica, cum obſervationibus rarioribus.*

§. I.

OBſervationem meretur illud, quod nitrum veterum diverſiſſimum ſit à noſtro, ſiquidem noſtrum inflammabile, quod in cryſtallos, ſtrias & haſtas coit, veteribus plane fuit incognitum. Neque etiam conſtat, quo tempore hoc noſtrum artificiale fuerit inventum: nullum eſt dubium, quin ejus inventio plurimum occaſionis ad inveniendum pulverem pyrium dederit. Differentia autem veteris & noſtri in eo poſita eſt:

1. Illud eſt nativum foſſile atque è terra effoditur, non quidem purum, ſed elutriatum è terra. Noſtrum vero eſt artificiale, & ipſius aëris fœtus, unde errant ii, qui ſtatuunt, cereviſias quaſdam ex aquis nitroſis coqui, quod maxime de Serveſtana & Numburgenſi dicitur.

2. Nitrum veterum eſt naturæ alcalinæ, abſterſivæ, unde loco cinerum clavellatorum commode uſurpari poteſt, ad vitrum vel ſaponem conficiendum. Naſcitur vero in Ægypto, & dicitur Natron. Effoditur etiam terra Smyrnæ pure alcalina, ex qua coquitur ſal alcali, quod copioſe advehitur Lutetias Pariſiorum loco cinerum clavellatorum. Et *Carol. Cluſius de Exotic. L. II. obſervatione Bellon. cap.* 73. *p.* 131. ſcribit, in Cairo nitrum veterum adeo vulgare eſſe, ut ejus libræ decem vix uno meyden (eſt monetæ genus) æſtimentur. Varius apud illos hujus eſt uſus, nam & vaſa eo inducunt, & ſiliquis acaciæ admixtis coria parant. Rariſſimum vero apud nos eſſe nitrum veterum ſcribit *Bellonius L. II. obſervat. cap.* 21. & confidenter aſſerit, in Europa ne micam quidem nitri veri veterum extare, in Ægypto vero vulgatiſſimam viliſſimamque rem eſſe. Nitrum vero noſtrum eſt ſal ſalſum, neque acidum, nec alcalinum, ſed medium, neque enim cum acido, neque cum alcali effervescit.

3. Nitrum veterum non erat combuſtibile & inflammabile, ut noſtrum, adeoque ad conficiendum pulverem pyrium detonantem plane ineptum. Poſita hac differentia, facile liquet, ſi in veterum monumentis, *Hippocratis*, *Plinii*, *Dioſcoridis*, *Galeni* &c. de nitro ejuſque viribus agitur, non noſtrum vulgare, ſed nativum alcalinum ſal intelligendum eſſe.

Ut ut vero Bellonius neget, in Europæ locis ne micam quidem ſalis hujus alcalini ſeu nitri veterum dari; tamen ſum hujus ſententiæ, quod licet non in tanta copia in noſtris regionibus nitroſum alcalinum ſal, vel ſal alcali in terris cuſtodiatur, ut in *Ægypto*, producatur tamen ex terræ viſceribus etiam ſal pure alcalinum fixius, cineribus clavellatis, vel ſali tartari aut nitro veterum per omnia ſimile, quod fontes medicati, thermæ & acidulæ luculenter teſtantur. Nam ex plurimis ſal puriſſimum alcalinum excoquitur, uti fit cum aquis Selteranis, Antonianis, in Bohemia *Buchſäuerling*, Wildungenſibus, quæ puriſſimum ſal alcali largiuntur, it. cum thermis Carolinis, Emſenſibus: vel alcali & ſimul medium ſal, ut fontes Schwalbacenſes, Egrani, fovent, atque adeo in noſtris etiam terris ſal fixum alcalinum dari, quod aquæ elutriant, vix amplius dubitare licet. Et hoc ipſo etiam refellitur illa vulgaris chymicorum noſtri ſeculi ſententia, ſal fixum alcali eſſe ſaltem artis, imo ignis productum, neque aliunde quam ex regno vegetabilium depromi poſſe, quando nimirum hæc ipſa in cineres comburuntur.

II. Nitrum noſtrum artis tantum opus eſt, & paratur duplici elemento: alterum eſt ſal univerſale acidum primogenium, ſimpliciſſimum, quod in ipſo aëre hoſpitatur, & quod, ut veteres dixerunt, ventus in ventre ſuo portat: alterum eſt elementum terreæ, alcalinæ & ſulphureæ pinguis indolis, quod veluti matrix eſt, & inſtar magnetis ad ſe trahit ac imbibit univerſale illud acidum, quod aërem incolit. Neque vero omnes cujuſque indolis terræ, libero etiam aëri expoſitæ, gignendo nitro aptæ ſunt, ſed tantum eæ, quæ ſunt naturæ alcalinæ, & quæ pinguem ſulphuream ſubſtantiam habent. Hinc deprehendimus, omnes illas terras, quæ ex incenſis ædificiis relinquuntur, (*Brandt-Erde*,) producendo nitro omnium eſſe accommodatiſſimas, quod etiam valet de calcariis, ſi nempe lutum, terra vel argilla cum calce miſcetur, & libero aëri exponitur, tunc facile effloreſcit inſtar ſpumæ ſal nitri; imo calx viva, vel etiam cineres ſaponariorum, vel lignorum, ſale alcali adhuc turgidi & cum terra mixti, proventum nitri egregie adjuvant.

Nec vero tantum alcalina terra ad nitrum gignendum requiritur, ſed pingue etiam ſulphureum, imo volatile alcalinum principium accedat, neceſſe eſt, hinc omnis putrefactio nitro in terris generando velificatur. Quapropter nihil datur in rerum natura, quod geneſin nitri tantopere promoveat, quam excrementa animantium, ſtercus & urina, ſi hiſce purgamentis terræ imbuantur. Unde nitri coctores ex ſtabulis ovium, equorum, vel aliorum animantium, vetuſtiorem ſituque & ætate ſqualentem terram diligenter eruunt & aſſervant, atque etiam illam, quæ circa latrinas effoditur, ſale & ſulphure excrementorum feracem & turgidam, magno opere ſibi comparant, utpote nitro producendo maxime accommodam.

Pingues etiam terras è cœmeteriis, ex ſtagnis, paludibus, & veteribus muris, ex terra pingui & ſtramine putrefacto conſtructis, ad hoc opus ſeligere, & præſertim ad profunditatem unius digiti abradere ſolent, quia hæ diutius expoſitæ vento & aëri jam nitroſum ſal conceperunt, guſtu

acri

acri & amaricante dignoſcendum. Ex quibus ſequitur, quo major putredo & ſal volatile ſulphureum induci poſſit terris, eo illas producendo nitro eſſe aptiores.

Terræ, quæ nitrum largiter exhibere debent, ita ſunt tractandæ: collectæ nempe in cumulos coacervantur & urina animantium, in qua calx viva cocta eſt, frequentius imbuuntur vel conſperguntur, ita brevi tempore nitroſum ſal ex libero aëre pertranseunte concipiunt. Ubi vero illud notandum, quod nec nimius æſtus ſolis, præſertim qui immediate has terras adurit, neque nimium frigus, neque aër nimis humidus, multo minus tempeſtas pluvioſa, ſed potius aër temperatus, ventoſus, cum cœlo ſereno & maxime tempus vernum & autumnale ac nocturnum productioni hujus ſalis faveat. Fervor quidem ſolis ad exſiccandas terras, è quibus nitrum antea eductum fuit, multum valet, ſed nitrum ipſum plane non ingenerat.

Neque intenſum frigus id efficit, aut meridionalis vel occidentalis ventus, ſed qui ex oriente & borea ſpirat, ſal primogenium æthereo-acidum in ſinu ſuo recondit. Sub nimiis vero pluviis nitri elaboratio plane non ſuccedit, quia his ipſis illud è terra eluitur.

III. Notatu dignum eſt, quod ex aquis, nitroſo ſale turgidis, per elixiviationem cum aqua, nullum verum nitrum, quod in cryſtallos coëat, & flammam concipiat, ſine additione cinerum, quibus ſal alcali ineſt, & ſine admixtione calcis vivæ, aut etiam ſine illo, quod à cryſtalliſatione in coctione remanet, præparari poſſit. Nam ſi lixivium, è terris nitroſis eductum, per ſe incoquitur, magma ſalſum obtinetur, quod nec in cryſtallos ſiccos abit, multo minus inflammabiles, neque facile exſiccatur, ſed in aëre præſertim humido deliqueſcit. Hinc ſatis recte infertur, ex ſale acido, alcali fixo & principio ſulphureo ſal nitri inflammabile eſſe compoſitum.

Et ut ſalia media optime cryſtalliſantur, ita contra neque acidum, neque alcali, nec ſulphureum acidum cum terra alcalina mixtum, cujus naturæ videtur eſſe illud lixivium, è terris nitroſis eductum, ad cryſtalliſationem diſponitur.

Quod vero tale alcali fixum in ipſo nitro ſit, non modo ex ejus geneſi jam propoſita conſpicuum fit, ſed & eo ipſo demonſtratur, quia ſolus carbonum pulvis, nitro in crucibulo fuſo adjectus, illud in ſal pure alcalinum convertit, quod nitri fixi nomine venit, utut à ſale tartari vel alio alcalino plane non differat: deinde quia, ſi hoc ipſum ſal alcali denuo combinetur cum ſpiritu nitri acido vel aqua forti, nitrum ſtatim regeneratur.

IV. Neque tantum in Europa & Germania terræ nitroſo ſale impraegnatæ extant, ex quibus nitrum conficitur, ſed nullum quoque eſt dubium, quin ubique terrarum inflammabile nitrum parari poſſit, quoniam materia nitri, ſive ejus matrix, terra nimirum per putrefactionem alcaliſata & ſulphurea reddita, ubivis locorum haberi poteſt. Deinde non dubitandum eſt, quin acidum illud univerſale & primordiale, quod cum terra ſulphurea alcalina in nitroſum ſal coaleſcit, in atmoſphæra, quacunque patet, contineatur.

Unde etiam jam certo conſtat non modo in India, calidiſſima regione, ſed etiam in frigidiſſima Moſcovia ingentem nitri copiam parari & ad nos afferri; quin imo id ipſum noſtro præſtantius, & conficiendo pulveri pyrio longe aptius deprehenditur. India vero favet generationi nitri, quia per multos menſes ſæpe non cadunt pluviæ, quæ nitroſum ſal è terra facile abluunt & abſtergunt. In ſeptentrionalibus vero regionibus non modo aër eſt valde ſerenus, ſed & elaſtica expanſiva ejus portio frigore compreſſa & condenſata: ſiquidem nitroſum ſal non modo ex acido ſulphureo & alcalino principio conflatum videtur, ſed & ipſum aërem, in aqua condenſatum, ingrediens nitri præcipuum eſſe, admodum credibile eſt. Etenim nullum fere ſal datur, ut ſal commune, vitriolum, alumen, cujus internam compoſitionem aqueum principium, quod phlegma vocatur, & quod deſtillatione largiſſime educitur, non ingrediatur: adeoque ipſum nitroſum ſal & aqueum & aëreum elementum conſtituere, idque ſub contextu ſulphureo maxime delitescere, nihil dubii eſt.

Poteſt vero etiam hoc ipſum multis iiſque eximiis rationibus adſtrui: ſiquidem mirabile eſt, quod quum nulla flamma ſine aëris immediato concurſu & acceſſu ſubſiſtere poſſit, nitroſum ſal occluſum & ab aëris acceſſu munitum in apertiſſimam flammam conflagret. Hinc ratio patet, cur in locis ſeptentrionalibus & à ventis borealibus flantibus nitri proventus abundantior fiat, quam ubi aër nimis rarefactus vel humidus eſt. Noctu etiam plus concipi nitri in matricibus ſuis, quam interdiu ſub ſolis æſtu, nitri coctoribus eſt notiſſimum.

Porro etiam ipſa inflammabilitas & ſumma illa expanſiva rarefactio, quæ in nitro accenſo obſervatur, & quæ ignis & flammæ impetum auget, deducenda mihi videtur à particulis aqueis & aëreis, intra poros pinguium & ſulphurearum ac ſalinarum partium concluſis, quæ igne ſubdito ſummam rarefactionis & expanſionis vim acquirunt, & quaſi in ventum reſolvuntur, non ſecus ac fit in æolipila, ubi aqua incluſa & igne rarefacta in ventum ſicciſſimum magno cum impetu per anguſtum canalem tota reſolvitur, qui ventus frigidiſſimus, ex aqua calidiſſima proveniens, mirifice flammæ vim & impetum intendit. Hinc nitrum jure meritoque appellari poteſt ſal aëreum, quia non modo ex aëre producitur, ſed & ipſe condenſatus in humido, in ejus mixtionem intime admittitur.

V. Curioſum eſt, quod nitrum varias heterogeneas ac ſalino-terreas partes in ſe habeat reconditas, à quibus ſeparari & depurari debet. Continet vero, præter terreſtres & pingues ſulphureas, purum ſal commune vel etiam alumen, à quibus alienis rebus utique oportet nitroſum puriſſimum & inflammabile ſal ſeparari. Nam hæc ipſa peregrina admixta non modo deflagrationem ejus impediunt, ſed & impetum & expanſionem igneam minuunt; hinc omne nitrum, quod emitur ex officinis, antequam ad uſum pyrotechnicum, chymicum & medicum transferri poſſit, probe depurandum eſt.

Depuratio hunc in modum inſtituitur; ſolvitur illud leni coctione in aheno per aquam additam, quæ tamen non in nimia, ſed convenienti quantitate, qua nitrum fluidum reddi poſſit, adjicienda eſt; poſtea lixivium transcolatur, & in tecto vaſe frigido loco reponitur, ita in ſuperficie & ad latera vaſis à circumferentia ad centrum quaſi ſtriæ longæ, pyramidales, inſtar radiorum, coëunt, inque cryſtallos dilucidos concreſcunt, qui eximendi & ſolis calore ſiccandi ſunt. Poſtea humor reſiduus lixivioſus denuo leni calore incoquendus, transcolandus & ad cryſtalliſationem reponendus eſt, ita rurſus nitri eximia portio circa fundum & latera vaſis concreſcit, & hoc tertia vice repetendum. Poſtremo autem lixivium, quod nihil nitri amplius habet, adhuc ulteriori coctione inſpiſſandum eſt; ita ſal commune, tam ſapore & figura cubica,

cubica, quam viribus etiam & proprietatibus ſali marino exquiſitiſſime ſimile, concreſcit & fundum petit. Lixivium vero reſiduum inſpiſſatum coagulatur in maſſam ſaporis amaricantis, fulvi coloris, particulas multas admixtas terreas & pingues ſulphureas habens; atque ſic optima fit nitri depuratio.

Nitri igitur præſtantia multum differt pro diverſa quantitate impuræ ſalinæ terreæ, quam admixtam habet, materiæ, & una etiam regio præ altera purius nitrum profert. Nitrum Indicum & Moſcoviticum habetur pro optimo, quia ejus centenarius ſub depuratoria cryſtalliſatione libras VII. tantum amittit, nitrum vero Polonicum libras XV; quod vero in principatu Halberſtadienſi & Ducatu Magdeburgico paratur, illud ad libras XXV. decreſcit, antequam ad pulverem pyrium conficiendum aptum evadat. Cæterum id ſciendum eſt, quod omne nitrum, modo ſit à ſordibus penitus depuratum, viribus & effectu non diſtet; hinc quidam aliquoties depurationem & cryſtalliſationem inſtituunt, & ut purius illud evadat, aquæ, in qua ſolvi debet, acetum vini admiſcent. Nam ſicut unum ſal commune datur in univerſa natura, ita etiam tantum unum nitrum, utriuſque vero differentia ab alienis & impuris rebus ac ſordibus, inter ſe ratione quantitatis & qualitatis differentibus, dependet.

VI. Jam vero id maxime in quæſtionem venire debet, unde ortus ſalis communis, quod ubique nitro aſſociari ſolet, deducendus ſit. Plures chymicorum putant, ad urinas animantium, quæ ſale veſcuntur communi, ejus natales eſſe referendos, quia artifices urinis animalium frequenter terras, ut nitrum lætius germinet & effloreſcat, eas inſpergendo vel affundendo, imbuunt. Verum enim vero pluribus hæc ſententia difficultatibus obſeſſa mihi videtur. Nam 1. rarius animantia veſcuntur ſale, & rarius etiam urina inſpergitur muris & cumulis terræ nitroſæ. 2. Ex urina hominis, qui largiſſime utitur ſale, nullo artificio ſal, per omnia communi ſimile, impetrari poteſt, ſiquidem hoc cum cibis ſumtum & variis ſuccorum particulis in ventriculo & inteſtinis, ſanguineque & ſero in vaſis permixtum, plane immutatur, & craſis ejus diſſolvitur, ut adeo ex animantium excrementis id ipſum ſincerum & integrum ægerrime rurſus obtineri poſſit.

Quam ob rem probabile potius illud mihi videtur, quod ſal commune, in nitro contentum, etiam ſit productum ex univerſali acido aëris & ſpecifica quadam terra, quam ſal commune in mixtionem ſuam admittit. Nam ſicut alumen, vitriolum, nitrum & ſal medium ſulphureum, quale ex cineribus clavellatis diu aëri expoſitis elicitur, peculiarem matricem & terreum hoſpitium, in quod acidum illud univerſale aëris ſimpliciſſimum & ad nullam formam determinatum ſeſe inſinuet, expoſtulant, quo præſente etiam eoque inſipido ex ipſo aëre reviviſcunt & regenerantur: Ita etiam, ſi in terra nitraria ejuſmodi terra ſalis communis ſpecifica contineatur, non mirum eſt, eam ab acido univerſali imprægnatam in ſal commune tranſire. Differt tamen hoc ipſum ſal aliquantum à communi, quo veſcimur, 1. majori acrimonia, 2. ſoliditate, 3. quod affuſo oleo vitrioli poſt efferveſcentiam non modo fumum penetrantem, qualis è ſale communi prodit, ſed & ingratum inſtar aquæ fortis exhalet. Ut adeo hac methodo aqua regis per deſtillationem obtineri poſſit, quæ ex ſpiritu nitri componitur, aurum diſſolvens.

VII. Denique & illud obſervabile eſt, quod ſal commune, cubicam figuram in cryſtalliſatione ſervans, in principio præparationis nitri, ſi illud ex terris nitroſis, cineribus & calce viva eductum lixivium inſpiſſatur, fundum petat; in ejus vero depuratione ſuperius tradita per aquam in ultimo lixivio remaneat, quo incocto tandem in cryſtallos ſecedit, hac tamen ſimul adhibita cautione, quod non multum aquæ ad depurationem ſumi debeat, alias nimia quantitate aquæ adita etiam ſal commune, quod nitro gravius eſt, primum fertur in fundum. Nam illud notatu dignum, quod ſalia diverſæ indolis, in aqueo menſtruo ſoluta, facile à ſe invicem ſeparentur & mutuo uniantur per cryſtalliſationem: ita particulæ ſalis communis invicem coëunt, & corpus cubicæ figuræ, nitri vero partes junctæ, pyramidalis figuræ ſal conſtituunt.

Characteres eſſentiales & proprietates nitri, quibus hoc ſal mirabile ab aliis diſcernitur, ſequentes ſunt:

1. Nitrum igne in crucibulo facile funditur ſine ulla inflammatione, ſimul ac vero corpus oleoſum ſulphureum & inflammabile adjicitur, ſtatim detonat & inflammatur, quod non modo fit à ſulphure communi, ab antimonio, puod ſulphure ſcatet, à carbone, item tartaro, utpote oleo feraci, nec non parte quadam animantis, ſanguine, oſſe; ſed etiam à metallis ſulphure imbutis, ut ſtanno, ferro, zinco, & ex ſalium familia à ſale ammoniaco, quia hoc ex urina principium quoddam oleoſum ſulphureum obtinet.

2. Nitrum cum ſale vitriolico vel acido vitrioli oleo permixtum & deſtillatum, ſpiritum ſuum acidum, peſſimi odoris & fulvi coloris, valde volatilem dimittit, ut apparet in confectione ſpiritus noſtri fumantis & aquæ fortis. Et quoniam etiam omnis argilla vitriolici ſalis quidquam habet, hinc nitrum, ad tres partes cum illa mixtum atque in globulos formatum & exſiccatum, deſtillatione per ignem apertum etiam dimittit ſuum acidum ſpiritum, in forma rubicundi vaporis, & quia aluminis acidum ejuſdem naturæ eſt cum eo, quod vitriolo ineſt, hinc cum alumine, non ſecus ac cum vitriolo, ex nitro ſpiritus ejus acidus, ſive aqua fortis, deſtillari poteſt. Hoc loco notari velim, quod aliud acidum, præter vitriolicum, ut ſpiritus ſalis, nullo modo ex nitro elicere poſſit ejus acidum, ſed paulo fixius & fortius requiratur, quale in vitriolo & alumine continetur.

3. Nitrum in crucibulo fuſum, fere totum in ſal alcali vertitur, idque fit primo additione tartari crudi, quando nempe una pars tartari & una pars nitri miſcentur & tigillo ignito immittuntur, tunc hac ratione fit pulvis ille niger fuſorius, *der ſchwvartze Fluſſ*, quo metallurgi ad ſeparanda è mineris ſuis metalla uti conſueverunt. Deinde nitrum in puriſſimum alcali vertitur, ſi cum pulvere carbonum miſceatur & detonetur, fortiori calcinatione fit ſal ſumme cauſticum cœrulei coloris, quod nitri fixi nomine venit. Denique curioſa eſt obſervatio, quod totum nitrum in cauſticum alcali converti poſſit ſaporis acerrimi, & quod affuſione aquæ vehementiſſime incaleſcat, ſi æquali portione cum regulo antimonii miſceatur, & in candente crucibulo in maſſam fluat: idem cum zinco & ſtanno fieri dicitur.

4. Nitrum eſt ſal, cui nullum datur ſimile, quod ipſo ſenſu teſte non modo linguam guſtu, ſed etiam totum corpus interne ſumtum refrigeret, imo aquæ injectum, frigus ejus augeat.

5. Nitri ſolutio infuſa ſanguini, è vena miſſo, coagulato & nigricanti, eum non modo fluidiorem reddit, ſed & floridum & miniatum colorem pulcherrimo ſpectaculo ipſi conciliat, quod à nullo ſale medio, ut nitrum eſt, expectari poteſt. Quo experimento ejus operationes in corpus noſtrum

&

& effectum refrigerantem explicare quadantenus licet. Nam nitrum tale ſal eſt, quod ob principium aëreum virtutis elaſticæ, intus contentum, igneum ætheris motum in ſanguine & humoribus, qui incarceratus vehementior fit, expanſiva ſua virtute ſedat ac ſiſtit; atque aëreo iſti principio etiam tenuitas cum florido colore, quem affert ſanguini, tribuenda eſt. Deinde majori fluxilitate humoribus inducta, ſtaſes & obſtructiones reſerantur, & pori cutis, quibus particulæ igneæ exhalant, aperiuntur. Et quia nitrum principio ſuo ſalino tubulos & glandulas ſtimulando efficit, ut lymphaticum humorem majori in copia plorent, hinc etiam corpus humectat, conſtrictasque ſpaſmo partes relaxat & emollit.

6. Id etiam habet, ut cum ſulphure, vel re inflammabili detonatum, totum abeat in fumum, & ita tota craſis nitri, quæ tamen ex ſale acido, alcalino, & pingui ſulphurea ſubſtantia conflata eſt, & tota quaſi ejus ſubſtantia deſtruatur. Nam pulvis pyrius, in retorta tubulata accenſus, nec in ſpiritum acidum, neque in ſal alcali transformatur, ſed acidulum ſaltem phlegma ſuppeditat.

7. Nitro etiam hoc proprium eſt, quod regulum antimonii, zincum, biſmuthum, arſenicum & regulum cobalti, ſtannum quoque & plumbum, igne calcinatorio admiſſo, in crucibulo in calces convertat, & hac ratione metalla puriora, ut aurum & argentum, ab eorum connubio disjungat. Quare ſi velimus aurum per antimonium fuſum citiſſime ſeparare, id ipſum commode fieri poteſt per calcinationem & fuſionem cum nitro, quum alias tardus ac tædii plenus labor fit, antimonialem & regulinam ejus ſubſtantiam forti igne & fumigatione per auram ſecernere. Et quum hæc mineralia maxima ex parte virulenta ſint, eorum calcinatio cum nitro efficit, ut exuant non modo ſuum virus, ſed & ex parte in medicinam ſalutarem tranſeant.

8. Aquam fortem diſſolvere argentum, non vero aurum, chymicis notum eſt; id vero nondum exploratum habent, ipſam aquam fortem, abſtractione ſuper nitrum vulgare deſtillatam, argentum non ſolvere, ſed in calcem vertere, contra vero auri corpus promte aggrediendo diſſolvere. Mirabile forſan hoc illi id videbitur, qui aquam fortem nitri fœtum eſſe, eamque per omnia cum acido nitri ſpiritu convenire conſiderat. Sed definet mirari, quicunque perpenderit, in omni nitro vulgari non depurato deliteſcere multam portionem ſalis communis, quæ etiam lege artis ſeparanda eſt, & poſtea conſideraverit, aquam fortem, à ſale communi abſtractam, in aquam regis, quæ aurum ſolvit, converti; nam aqua fortis, ſi vel decies abſtrahitur à nitro depurato, à ſale communi non mutabitur, ſi vero adhuc commixtum eſt ſal commune nitro, aggreditur hoc aqua fortis, & à compedibus ſuis, quibus detinebatur, liberatus tenuiſſimus ſpiritus ſalis aſcendit. Atque is ſpiritus tenuiſſimus, ob ſubtilitatem ſuam penetrantiſſimam, arctiſſimos auri poros ſubit, & mediante nitri ſulphure elaſtico nexum partium, aurum conſtituentium, diſrumpit.

9. Curioſum eſt, quod, ſi ſpiritus nitri, vel aqua fortis, ſuper ſal commune abſtrahatur in convenienti proportione, in fundo maneat ſal, quod inſtar nitri deflagrat, ſiquidem acidum nitri ſeſe intime aſſociat terræ ſalis communis alcalinæ, inque nitrum degenerat, ſpiritum vero ſalis expellit, ſive extorrem facit.

## OBSERVATIO II.

### *Animadverſiones & experimenta circa magneſiam albam, tutum & gratum inſipidum pulverem laxantem.*

Quam noxia, imo virulenta ſæpius vis draſticis illis purgantibus inſit, non modo crebrior experientia circumſpectos & peritos medicos docet, ſed & ob hanc cauſam diu quæſitum eſt tale remedium, quod tuto & innoxie, id eſt, ſine ulla læſione excrementitias & alvinas ſordes ſufficienter expurgare poſſit. Et quum pleraque ex purgantibus, ob principium acre ſalino-ſulphureum, nec odore, nec ſapore grato prædita ſint, ſed nauſeam quandam creent, inter deſideria medicorum ſemper etiam fuit tale purgans, quod gratia ſeſe commendet, neque ſaporem, neque odorem offendens. Hinc *Helmontius* animadvertens, in vegetabilium regno niſi ingrata & vehementia dari purgantia, vehementer optavit, ut ex regno minerali tale poſſit obtineri.

Sed diu ejuſmodi medicina fruſtra & inerti conatu quæſita fuit, donec ante viginti fere annos Romæ primum innotuerit pulvis coloris candidiſſimi, ſaporis expers, nullius odoris, ſubſtantiæ valde teneræ & levis, qui ad unam drachmam datus, non modo aliquot ſedes ſine omni incommodo aut virium deſtructione movit, ſed etiam, id quod maximum eſt, hypochondriacos & quorum prima regio acidis ſuccis ſcatebat, quæ difficillime alias obtemperat purgantibus, commodiſſime laxavit, acidum ſimul deſtruendo & evehendo. Hic pulvis nomine magneſiæ albæ inſignitus fuit, quoniam quis primus & verus auctor fuerit, nondum recte conſtat. Romæ nominatus fuit pulvis Comitis de Palma. Plures putant, ex Germania ejus præparationem tranſmigraſſe in Italiam.

Ego ſaltem hoc loco, quid mihi de hoc pulvere conſtet, commemorabo. Ante quatuordecim annos Archiater Epiſcopi Magdeburgenſis hoc in loco fuit *Joh. Siboldus*, rerum chymicarum & alchymicarum inſignis patronus, & amicus *Helvvigii*, qui auctor Phyſices inſtauratæ inauditæ fuit. Hi duo ſpiritum, ſeu menſtruum univerſale, ex terra nitroſa, teſtante id *D. Katſchio*, Phyſico Halenſi, hujus Archiatri amanuenſi, variis modis eliciendum curabant, unde non modo terras, ex quibus nitrum extrahitur, diu ſoli expoſitas, per retortam igne aperto deſtillabant, prodeunte ſpiritu urinoſo volatili, ſed & aqua ſolvebant has terras, & lixivium inde paratum incoquebant, ac maſſam, quæ relinquebatur, per retortam deſtillabant; ita ſpiritus rubicundus prodibat, & fortiori igne adminiſtrato relinquebatur caput mortuum, coloris candidiſſimi, inſipidum, leve, quod magneſiam nitri vocabant. De ejus vero viribus, quod facultatem purgantem contineret, nihil tunc temporis notum fuit.

Facile jam exinde quivis intelligere poterit, natales hujus pulveris, quem dicunt magneſiam, illi, qui ex lixivio nitri, vulgo *Mutter-oder Heck-Lauge*, paratur, non eſſe diſſimiles, ſed unius ejuſdemque naturæ. Nam hæc fide digna hiſtoria luculenter demonſtrat, & præparationem & nomen hujus pulveris dudum in Germania, antequam ad alias regiones notitia pervenerit, fuiſſe cognitum, verique videtur ſimile, ab Helwigio illo, qui Indias & Italiæ provincias poſtea peragravit,

vit, forſan hanc medicinam cum aliis fuiſſe communicatam.

Ut autem de hujus medicamenti natura & viribus rectum judicium feramus, ſciendum eſt, hunc pulverem prorſus inſipidum candidique coloris, naturæ valde alcalinæ eſſe, dum quovis cum acido vehementer non modo effervefcit, ſed acidum quoque eam terram ſolvit. Solutio inde emergens ſapore valde amaricante, acri ſalſoque imbuitur, manifeſto documento, eſſe hunc pulverem naturæ alcalinæ terreæ ſolubilis & ſimul ſulphureæ, quia ſolutio valde amaricans eſt. Contra alia alcalina, ut cancrorum lapides, ovorum teſtæ, conchæ præparatæ, affuſo ſpiritu vitrioli etiam fortiter ebulliunt, ſed ſolutionem minime amaricantem, vel manifeſto ſalſam, ſed leviter ſale imbutam imo prorſus inſipidam relinquunt. Calx viva autem pulveriſata, utut propemodum ab omnibus pro terra alcalina habeatur, tamen affuſo ſpiritu vitrioli, nec effervefcentia excitatur, ut cum jam dictis aliis fit, neque ſapor ſalinus manifeſto producitur, ſed adjecta etiam magna pulveris quantitate, liquor vitrioli acidus remanet, pauliſper ſaltem ejus corroſivitate mitigata.

Deinde conſtat, pulverem magneſiæ, ad unam vel duas drachmas cum quovis vehiculo ſumtum, potenter ſatis exercere alvum, in quibuſdam quinque vel ſex ſedes movendo, quum in aliis eadem doſi exhibitus, nihil præter conatum egerendi efficiat. Cujus diverſi effectus ratio ex iis, quæ modo dicta ſunt, haud obſcure apparet: Luculenter nimirum hinc perſpicitur, hunc pulverem terreum minime in ſe recondere principium quoddam catharticum, quale, præter ſalinum penetrans acre, ego quidem non aliud agnoſco, ſed demum in ipſo corpore, pro diſpoſitione humorum ibi hoſpitantium, virtutem ejus reſultare purgantem, quia nempe, ſi offendit acidos humores in cavitate ventriculi & inteſtinorum, in ſal neutrum demigrat, acris ſalini ſaporis & ſtimulantis effectus, quemadmodum videmus manifeſto, ſal valde acre exſurgere, ſi hæc medicina cum ſpiritu acido v. g. vitrioli miſceatur. Salia vero media, quæ ſaporis amaricantis ſunt, liberalius data, alvum ad aliquot ſedes ſollicitare, experientia confirmatum habemus, idque etiam à nobis latius deductum eſt in *Diſſert. de ſalium mediorum excellente & purgante virtute.* Non itaque mirum eſt, interdum hunc pulverum carere effectu cathartico, ſi videlicet prima regio non acidi copia, ſed pituita viſcida ſcatet, quæ impedit, quo minus ſolvi & in ſal ſtimulans converti poſſit.

At vero in contrarium quoddam dubium contra hanc ſententiam moveri poſſe intelligo, quum nempe alia terrea, quæ promte ſolvunt & abſorbent inhæreſcens primis viis acidum, neutiquam effectum laxantem exſerant. Sed his regerere licet, quod interdum à pulveribus abſorbentibus vel bezoardicis utique alvus fluidior fiat, ſi multum acidi primam regionem incolit: vis tamen eorum purgandi non tanta eſt, quanta magneſiæ, quia ſolutiones illorum cum acidis liquoribus factæ, non tam eminente ſalino acri, ſed moderate ſalſo ſapore imbutæ ſunt, quam quidem ea, quæ ex magneſia & acidis liquoribus conficitur. Atque adeo ex eo apparet, præter alcali terreum aliud adhuc eſſe in magneſia principium, quod ad mixturam acidi in materiam ſtimulantem & purgantem tranſeat.

Ut autem veras cauſas & rationes purgantis principii in hac terra evolvamus, opus eſſe videtur, ut in illam materiam, è qua conficitur, diligentius inquiramus. Eſt vero hæc ipſa nihil aliud, quam lixivium, à cryſtalliſatione nitri reſiduum, quod in officinis nitrariis vocatur *Mutter-oder Heck-Lauge*, quia ſine additione ejus nulla fit nitri in cryſtallos coagulatio, utut ex hoc ſolo nulla ratione nitrum cryſtalliforme parari poſſit. Hoc lixivium, inveſtigata ejus natura,

1. eſt valde grave ac ponderoſum; nam libra una medica ejus, reſpectu aquæ, ad quinque uncias plus ponderat. Proportio vero hujus lixivii ad oleum vitrioli eſt ut X. ad XIIX: nam libra una medica olei vitrioli eſt octodecim unciis dimidiis aqua gravior. Continet igitur libra una medica lixivii quinque uncias materiæ ſolidæ.

2. Lixivium hoc eſt ſaporis valde amari & ſalſi, ac facta evaporatione plane non ſiccari poteſt, & mox etiam in aëre deliqueſcit.

3. Non effervefcit cum quovis acido leniori, ut ſpiritu vitrioli, cum oleo vitrioli autem fortiter ebullit, & præcipitatur cum utroque in fundum pulvis candidi coloris, & quod bene notandum, oleum vitrioli affuſum non modo excitat ſtrepitum, ſed & fumum rubicundum emittit, qui teſtatur de ſpiritu nitri intus adhuc recondito. Odor vero teſtatur etiam de ſpiritu ſalis, nullumque eſt dubium, quin ex hoc lixivio cum oleo vitrioli aqua regia præſtantiſſima parari poſſit, qualis ex acido ſalis & nitro componi ſolet. Quin imo ex eo patet, particulas & nitri & ſalis communis in lixivio hoc ſub ſchemate & habitu partium ſulphurearum pinguium contineri.

4. Utut oleum vitrioli, ceu acidum inſigniter forte, mixtum cum hoc lixivio, vehementer effervefcat, tamen mirum eſt, ſpiritum noſtrum fumantem nitroſum, perinde acidum fortiſſimum, mixtura facta ne minimum effervefcentiæ ſignum edere, quod phænomenon inter alia mirifice differentem acidorum naturam & virtutem adſtruit.

5. Hoc lixivium mixtum cum liquore alcalino volatili vel fixo, v. g. ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo, cum aqua parato, vel oleo tartari per deliquium, nullam ebullitionem ciet, inſignis tamen pulveris terrei albicantis ſequitur præcipitatio.

6. Id lixivium, cum æquali portione ſpiritus vini rectificatiſſimi mixtum, ſeſe intime conjungit cum eo, niſi quod terrea quædam materia in fundo maneat.

7. Lixivium hoc ignis ope coagulatum, & crucibulo ignito immiſſum, valde ebullit & ſpumeſcit; deinde igne aucto, ſpiritum inſtar aquæ fortis, quem etiam nonnulli excipiunt, emittit, ſub fumo rubro, odoris fœtidi, poſtea ſub majori igne remanet ille pulvis magneſiæ. Et hic eſt vulgaris modus parandi magneſiam.

8. Compendioſior modus, & quidem via humida, parandi hunc pulverem eſt, per præcipitationem lixivii, ſive hæc cum acido vitrioli, ſive lixivio cinerum clavellatorum, vel oleo tartari per deliquium adornetur; poſtea cum aqua fluviatili hæc terra elutrianda & ſiccanda eſt.

Ut autem clarius innoteſcat, cujus indolis ingredientia hoc lixivium cuſtodiat, id merito repetendum hoc loco putamus, quomodo & ex qua materia vulgare illud inflammabile nitrum conficiatur. Jam vero ſupra mentio facta eſt, quod ad elaborationem nitri terræ putrefactæ ex ſtercoribus animantium, ut & terræ antiquæ ex muris & ædificiis exuſtis, quæ diu ventis ſolique expoſitæ fuerunt, & valde tenues redditæ, neque minus cineres lignorum una cum calce viva, ex quibus omnibus cum aqua nitri lixivium paratur, quod in ſal cryſtallinum abit, & cujus reſiduum noſtrum lixivium eſt, recipi debeant.

His

His ſuppoſitis jam clarius poterit intelligi, cum nec ſulphureum, nec terreum principium ad cryſtalliſationem concurrat, hæc ipſa principia in lixivio nitri ex dictis ingredientibus præcipue contineri, & reſidua manere *in derſo genanten Mutter-Lauge.* Conſtat hoc lixivium ex ſale quodam, ad acidi & ſalis communis naturam accedente, quod cum partibus ſubtilioribus terreis alcalinis & ſulphureis pinguibus mixtum, conſtituit ejuſmodi lixivium ſaporis ſalſi amaricantis, ex quo etiam memorati effectus ac phænomena promanant. Et videtur mihi hoc lixivium valde ſimile illi, quod parari ſolet ex calce viva & ſale ammoniaco, dum nempe caput mortuum ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce viva parati, ſolvitur in aqua, lixivium inde emergit amaricans acre, quod inſpiſſatum cum ſpiritu ſalis ammoniaci, vel etiam oleo tartari per deliquium, ſine effervefcentia ſub ſpecie pulveris terrei in fundum fertur, atque etiam cum oleo vitrioli, non vero cum acido alio, ſive leniori ſive fortiori, ut eſt ſpiritus noſter fumans, ſtrepitum vel ebullitionem concitat; utut ab omni acido affuſo ad ima dejiciatur.

Atque adeo jam natales magneſiæ in ſolem & lucem protulimus, ita ut amplius obſcurum eſſe nequeat, ortum ipſi dare terram ſubtiliorem calcis vivæ & aliorum nitri ingredientium, variis modis ex lixivio, per ſeparationem partium ſalinarum, eductam. Nihilominus hæc ſubtilior terra differt à calce viva cruda & rudiori.

Nam calx viva, quamvis alcali terreum ſit valde acris ſaporis, tamen cum acido liquore neque confligit, neque in ſal ſalſum amaricans coaleſcit, quale quidem ex commixtione pulveris magneſiæ & Spiritus acidi, ut vitrioli, fieri animadvertitur. Eſt itaque alcali longe tenerius & ſubtilius ipſa aduſta calce, neque remedium contemnendum, modo quis recte eo pro corporum & circumſtantiarum ratione uti ſciat. Neque enim tantum abſorbentem & catharticam, ſi acidum prima in regione ſtabulatur, virtutem exſerit; verum etiam ſi in remiſſiori doſi ad grana XV. vel XX. uſurpatur, diaphoreticum & diureticum effectum ſequi, non ſemel obſervavimus.

Neque tamen præterire poſſumus, id incommodi nos quandoque ab hoc magneſiæ pulvere deprehendiſſe, quod flatulentias & morſicationes in imo ventre reliquerit, ſi videlicet frequentius in uſum trahatur, primaque regio progignendis corroſivis ſuccis, ut in hypochondriacis fieri ſolet, expoſita ſit.

Commodiſſimum, quo cum ſumitur, vehiculum lac eſt amygdalinum, quod deliniendæ humorum in ventriculo ſtagnantium acrimoniæ ſimul inſervit.

---

## OBSERVATIO III.

### *Spiritus nitri fumans & inflammans.*

SÆpius in lectione librorum chymicorum occurrit de flamma, ex commixtione liquorum prodeunte, experimentum. *Becherus in phyſica ſua ſubterranea* meminit, oleum vitrioli, cum oleo terebinthinæ mixtum, intenſiſſimum cum flamma calorem excitare, ſed effectum non reſpondere promiſſis, quiſque facile, etiamſi acerrimum oleum vitrioli aſſumſerit, experietur. Simile experimentum, ubi duo liquores, tactu frigidi, invicem confuſi flammam ediderunt, deſcriptum reliquit *Olaus Borrichius in Actis Hafnienſibus, anno* 1671. *obſ.* 71. & hoc ſequentem in modum ſe habet: Recipe ſpiritus terebinthinæ Venetæ recens profecti, ad frigus tamen nativum redeuntis, uncias quatuor, quibus in ampliori vitro affunde aquæ fortis generoſæ itidem recentis, ſed & frigidæ uncias ſex, & agitando quaſſandoque vas ſub dio relinque, & intra horæ mediæ ſpatium inter craſſa fumi volumina flammam conſpicuam emittet maſſa, & ſupra oras vitri ſtrenue erumpens conflagrabit.

Tentavi olim aliquoties id experimentum, commiſcendo aquam fortem ſatis eximiam cum ſpiritu vel oleo terebinthinæ, & ebullitionem quidem inde intenſiſſime calidam cum copia fumorum eructantium, nunquam vero flammam obſervavi. Nihilo minus de fide clariſſimi *Borrichii*, cujus autoritas ſemper apud me multum valet, nunquam, neque hoc loco dubitandum eſſe, facile ex iis, quæ jam ſequuntur, quiſque ſuſpicari poterit.

Nos ante viginti & aliquot annos, cum in collegio experimentali chymico varia tentaſſemus, facta olei vitrioli optimi commixtione & deſtillatione cum ſale communi, ſecundum modum Glauberianum, tandem etiam loco hujus ſumſimus nitrum purum probeque exſiccatum, & deſtillando miti ignis regimine ex retorta vitrea per arenam, ſpiritum ex flavo rufeſcentem fortiterque fumantem obtinuimus, qui ob ſubtilitatem vix poterat intra vitri limites coërceri.

Varia cum eo inſtituimus experimenta, miſcendo eum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo & oleis, quæ in promtu atque ad manum erant, deſtillatis, & ſuborta fuit intenſiſſima cum ſummo calore & copia fumorum rubrorum ex vaſe erumpentium & male olentium ebullitio. Poſtea caſu exili quantitati olei caryophyllorum, ut venale eſt, in vitro relicti eum affudimus, ita poſt effervefcentiam è veſtigio conſpiciebatur exſurgere flamma, quæ tamen exigua & ſaltem momento apparuit. Aliquot elapſis diebus idem experimentum tentare & oſtendere rei chymicæ addictis volui, ſed noluit effectus ex voto ſuccedere, procul omni dubio, quia vitrum non ſatis tectum, ſed cera ſaltem erat munitum, quam ſpiritus ex toto fere conſumſerat. Itaque denuo ſpiritum hunc deſtillari & includi curavimus vitro, quod epiſtomio vitreo bene polito obturavimus, ut volatilitas fumans inque auras facile penetrans eo melius cuſtodiretur. Poſtea feliciſſime ceſſit experimentum, flamma nimirum luculentiſſima, vix ullo vapore ſtipata aſſurgebat, quandocunque hic ſpiritus oleo caryophyllorum infundebatur.

Hujus rei fama Lipſiam ac Berolinum perlata, acceſſerunt ad me eodem anno duo illuſtres viri *Leibnitius & Tſchirnhauſen*, qui cum admiratione hoc experimentum ſpectarunt. Intexui etiam id demonſtrationibus meis phyſico-chymicis; poſtea vero legi in *Actis eruditorum*, Excell. Dn. *Slare*, præcipuum Collegii ſcientiarum Anglicani membrum, retuliſſe Pariſiis: *Hombergium* præparare ſpiritum, qui oleis aromaticis & Aſiaticis admixtus apertam flammam efficiat. Poſt etiam à Domino *Slare* in ſocietate Anglica propoſitum hoc experimentum eſt & recenſitum quoque in *Actis Eruditorum*. Quæ quamvis ita ſe habeant, tamen ſancte ac bona fide teſtari poſſum, atque etiam, ſi quis à me id exigat, ſat claris documentis oſtendere, me nullo antea docente, ſed caſu ita ferente hujus experimenti fuiſſe inventorem. Hinc etiam illuſtris *Leibnitius*, hujus rei gnarus, non dubitavit in *Theodicea* ſua ſpiritum hunc *Hoffmanni* appellare, & exiſtimavit, quoſdam ex meis diſcipulis Pariſiis arcanum hoc revelaſſe. Forſan etiam uno eodemque tempore inventio facta eſt in diverſis regionibus, ſed nec ego inde laudem quandam aucupari volo, nec ex ea re quæro laureolam, nam

res non tam utilis, quam curioſa eſt, quippe quæ naturam & geneſin flammæ tantum in aprico ponit.

Præparatio fit ſequentem in modum: Accipimus nitri optimi, bene depurati, quale eſt Ruſſicum, quod à contagio ſalis communis immune eſt, libram dimidiam, idque leni calore probe exſiccandum curamus: poſtea æqualem portionem olei vitrioli rectificatiſſimi in retorta vitrea affundimus, adhibito leniſſimo calore in arena facta deſtillatione, ita paucis horis elicitur hic ſumme volatilis & ſulphureus ſpiritus.

Si nitrum non bene ſiccatum eſt, ſique impurum & ſalinis terreis partibus inquinatum ſumitur, ſpiritus primo prodit ſatis fortis, qui ſeparandus eſt, nam is, qui ſuccedit cum phlegmate, minus huic negotio idoneus eſt, utut ad conficiendum ſpiritum nitri dulcem utiliſſimus ſit. Id etiam ſcire oportet, quod ſpiritus hic ſemper penetrantior & fortior fiat, quando non ſub flammeo colore in recipiente prodit, ſed ſub flaveſcente, quia rubicundus is color admixtas multas heterogeneas nitro partes eſſe indicat.

In retorta ſubſidet ſal in ſolidiſſimam formam compactum, albiſſimi coloris, figuræ convexæ, quam à concava retortæ parte induit. Hoc ipſum ſal ſapore eſt acidiſſimum, & ſolutionis cum aqueo menſtruo difficillimæ. Hoc vero imprimis videtur mirabile, quod tam levi arenæ calore, hæc duo ſalia, ſal nempe vitrioli & nitrum, quæ difficillime liquantur, forti etiam igne tractata, ambo in maſſam ſolidiſſimam colliquata fuerint; quod dubio procul adſcribi debet igneis iſtis ſpiritibus, ex mutuo horum duorum corporum connubio exſuſcitatis, quorum beneficio intima unio & mixtio, imo colliquatio omnium partium facta fuit.

Fecimus cum hoc ſpiritu varia experimenta, admiſcendo eum oleis deſtillatis, quæ jam ſupra *Lib. I. Obſ. X.* retulimus, ubi maxime notabile eſt, quod cum oleis aromaticis gravioribus, ut ſunt caryophyllorum, cinnamomi, ligni ſaſſafras, hic ſpiritus commixtus celerrime & in momento ea accendat, ut lucidiſſima flamma ſine ullo fere viſibili vapore emergat. Cum ſpiritu terebinthinæ ſi miſceatur idem ſpiritus in vitro inferius anguſtiori, neque in adeo notabili quantitate uterque ſpiritus adhibeatur, fortem quidem & calidiſſimum fumum, neutiquam vero flammam emerſiſſe annotavimus. Quod ſi vero de utroque liquore uncia una ſumatur, inque vitro amplioris orificii & ſuperficiei, vulgo *Zucker-Glaſſ*, experimentum inſtituatur, & mixtura crebrius agitetur, certe flamma erumpit tam vehemens, ut periculum incendii minetur.

Ex hoc igitur experimento probe inſtituto didici, mitius judicium de experimento Borrichiano ſupra allato ferendum, neque de eo amplius dubitandum eſſe, ſi nempe eæ cautiones, quas ibi propoſuit, obſerventur, ut nimirum aqua fortis recens & valde generoſa uſurpetur, inque ampliori vitro unciæ aliquot de utroque liquore confundantur. Et quia ſpiritus ille fumans & inflammans nihil aliud eſt, quam generoſior, ſed facili methodo deſtillata aqua fortis, quod & color & odor & virtus teſtatur, non eſt, quod dubitemus, aquam fortem, communi more ex nitro & vitriolo præparatam, ſi ſpiritus primum prodiens ſeorſim colligatur, & probe in clauſis vitris cuſtodiatur, ſimilem edere poſſe effectum.

## OBSERVATIO IV.

*Spiritus corroſivus nitri flammificus dulcificatus & medicinalis redditus.*

SI ullus liquor ſumme penetrans & corroſivus invenitur, qui omnibus corporibus ſeſe inſinuans ea corrodat, diſſolvat, earumque craſin & mixtionem immutet vel deſtruat, certe hic eſt noſter ſpiritus acidiſſimus valde concentratus, omni phlegmate orbatus, flammificus, & totus volatilis, quo, debita facta applicatione, in corpore humano excreſcentiæ, verrucæ, tumores præternaturales arte chirurgica commodiſſime poſſunt abſumi & eradicari. Nihilominus hic ſpiritus primum adjecto ſale volatili ſalis ammoniaci, vel etiam ſale tartari, omni corrodendi facultate poſt factam efferveſcentiam privatur, mixtura degenerante in ſal nitroſum, quod ſolutum in aqua liquorem dat potenter diureticum, ad movendam urinam in affectibus ſeroſis & cachecticis utiliſſimum. Deinde etiam corroſiva hujus ſpiritus indoles à ſpiritu vini rectificatiſſimo egregie attemperatur, ſi ejus partes octo minimum cum una parte hujus ſpiritus miſceantur, atque igne arenæ ex alembico fiat deſtillatio; ita prodit ſpiritus odoris fragrantis, ſaporis acris penetrantis, vi corrodente penitus deſtitutus, cujus virtus interna diſcutiens viſcidoſque humores reſolvens atque adeo carminativa commendatiſſima eſt. Præterea ob ſulphur vaporoſum cuſtodit etiam hic ſpiritus dulcificatus virtutem anodynam & ſedativam, in graviſſimis doloribus & ſpaſmis valde proficuam, ejuſque uſus longe eſt in praxi ipſo ſpiritu nitri dulci vulgari excellentior.

Rationem proceſſus hanc habet: quia nil niſi oleum tenuiſſimum, intime ſolutum cum phlegmate, eſt ſpiritus vini rectificatiſſimus, ideo congreditur & ſe intime miſcet cum ſpiritu hoc corroſivo, & ambo, facta conjunctione, migrant in tertium quoddam mixtum, quod reſolutum in ſpiritu inflammabili tranſcendit alembicum & ſpiritum dulcificatum conſtituit. Notabile vero eſt, quod minimum 5. 6. vel 8. partes ſpiritus vini rectificatiſſimi ad unam partem hujus ſpiritus adjungi debeant, alias ſi ſaltem 2. vel 3. partes ſpiritus ſumantur, oritur maximus conflictus, & vis corrodens acida non penitus infringitur. Eſt vero hæc encheireſis obſervanda in præparatione hujus ſpiritus, quod ſcilicet ſpiritus vini non ſit infundendus ſpiritui corroſivo, alias conflictus ſit cum vapore denſo rubro maximus, ſanitati hoſtilis, quem etiam vitri fractura interdum ſequitur; ſed potius ſpiritus corroſivus pauca portione & ſucceſſive admiſceri debet ſpiritui vini, ita omnia hæc impediuntur.

Spiritus hic dulcificatus, cochleari argenteo infuſus & inflammatus, relinquit in eo maculam viridiuſculam, indicio ſalis nitroſi ſubtilioris aciduli; hinc tali in caſu præſtat hunc ſpiritum magis dulcificare, ejuſque virtutem acuere, affundendo portionem ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi, ita contemperato hoc acido nulla amplius macula relinquitur, & virtus ſedativa atque anodyna potius augetur.

Differt hic ſpiritus nitri dulcificatus à vulgari, in pharmacopœis venali, dum hic præ illo & ſapore & odore longe eſt penetrantior, eidemque virtute etiam antecellit. 2. Differt præparatione, dum pharmaceuticus ex ſpiritu vel aqua forti, noſter

ſter vero cum ſpiritu plane dephlegmato, vitriolico ſulphure onuſto concentratiſſimo conficitur; 3. noſter ſpiritus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo confligit & effervefcit vehementer, vulgaris vero minime, hinc etiam non intima unio fit acidi nitri cum partibus oleoſis, quæ ſpiritu vini rectificatiſſimo continentur, quod in noſtro ſpiritu concentratiſſimo accidit. 4. In præparatione noſtri ſpiritus nihil remanet in cucurbita, ſed omne liquidum aſcendit, in vulgari autem præparatione ſpiritus nitri dulcis liquor acidus corroſivus nitri poſt deſtillationem remanet.

Spiritus hic noſter dulcificatus, adjecta parte ſalis tartari, omnem fere deponit acrimoniam, quæ nimirum adhuc ſubeſt, acidam, & hac ratione commode cum aqua vulgari miſcetur pro potu in febribus ardentibus, ſi drachmæ ejus duæ libris circiter duabus aquæ fontanæ junctæ fuerint; ſitim potenter ſedat, urinam non ſegniter promovet, atque etiam ad ſomnum conciliandum mirifice confert. In inflammationibus faucium anginoſis nihil eſt præſentius, quam ſi hic ſpiritus miſceatur cum ſaccharo, & pauxillum ſpiritus camphoræ addatur, poſtea hoc in aqua communi ſolutum loco gargariſmatis adhibeatur; vel etiam ſaccharum ipſum, quantitate pauciori ſumtum & deglutitum, inflammatis faucium partibus egregie ſuccurrit.

Hic ſpiritus cum refracta doſi ſpiritus cornu cervi volatilis rectificati mixtus, acquirit virtutem bezoardicam & diaphoreticam, unde in omnibus febribus malignis, ubi ſudore opus eſt, admirabilem virtutem exerit.

---

## OBSERVATIO V.

### *Animadverſiones de ſolutione ſalium in ſpiritu vini rectificatiſſimo.*

CHymicorum axioma huc uſque firmo talo ſtetit & veriſſimum habitum eſt, ſpiritus phlogiſtos, ſive inflammabiles, commodiſſima quidem eſſe menſtrua oleorum & corporum reſinoſo-ſulphureorum, minime vero ſalium, quorum genuina ſolutio per menſtrua aquea celebretur. Atque hoc etiam confirmare videtur experientia, qua diſcimus, ſpiritum vini rectificatiſſimum, id eſt, omni phlegmate orbatum, nec ſalibus neutris, nec fixis alcalinis affuſum, eadem ſolvere & imbibere, ſed plane intacta ea relinquere. Verum axioma hoc non tam univerſale eſſe, ut vulgo putatur, ſed plures pati exceptiones, non paucis, ſed ſane multis experimentis, quibus ad oculum oſtendi poteſt, ſpiritum vini rectificatiſſimum non reſpuere omnis generis ſalia, ſed lubentiſſime ea admittere in conſortium, hoc loco adſtruere nobis propoſitum eſt. Primo enim quod attinet ad ſalia alcalina fixa, obſervamus in abſtractione ſpiritus rectificatiſſimi ſuper ſal tartari, imprimis aliquoties repetita, multum de hoc ſale fatiſcere & abire in ſpiritum, qui inde valde alcalinus & acris evadit, oleorum ſolutionibus aptiſſimus, idque patet ex eo, dum ſumſimus uncias decem ſalis tartari probe calcinati, & menſuras duas ſpiritus vini rectificatiſſimi ab eo leni calore abſtraximus, ita obtinuimus ſpiritum ſale tartari probe impraegnatum penetrantiſſimum; cum vero ſal tartari multum humiditatis, quod ſemper fieri conſuevit, à ſpiritu rectificatiſſimo adhuc ſeparaverit, hinc illud formam liquidam in fundo cucurbitæ induit, quam humiditatem convenienti evaporatione abſtraximus, & poſtea rurſus in tigillo calcinavimus, & pondere examinato deprehendimus, nos perdidiſſe tres uncias, quia tantum ſeptem unciæ remanſerunt. Iteravimus cum hoc experimentum, eundemque ſpiritum denuo ipſi affudimus, leni calore abſtrahendum, id vero factum eſt tantum ad dimidiam ejus partem, tunc in ipſa cucurbita remanentem obtinuimus liquorem duplicem, quorum alter, qui ſupernatabat liquori ſalis tartari, flavo colore erat tinctus, ſapore valde acris & ſale alcalino plenus, quem chymici vocant tincturam tartari; alter inferior, non niſi ſolutio à phlegmate rurſus relicto ſpiritus ipſius ſalis tartari erat, quod ſiccandum & rurſus calcinandum juſſimus, pondere inſigniter rurſus decreſcente.

Ex hoc proceſſu ſatis clare diſcimus, ſal tartari, utut vim ignis & aëris ſuſtineat, ita ut nihil prorſus de ejus ſubſtantia exhalet, tamen per ſpiritum inflammabilem crebriori abſtractione non modo volatile, ſed & ſolubile in ipſo hoc ſpiritu reddi poſſe.

Deinde etiam hoc circa ea, quæ modo diximus, memorabile eſt, quod ſal tartari fortiter igne exuſtum, etiam à rectificatiſſimo ſpiritu, qui omni humido privatus eſt, facta digeſtione & abſtractione ſemper adhuc aliquid phlegmatis, quo deinde deliqueſcit, ſeparet, manifeſto ſane indicio, ſpiritum phlogiſton ſive vinoſum nihil aliud eſſe, quam oleum earum rerum, quæ fermentationem ſubierunt, ipſo motu inteſtino fermentativo in phlegmate reſolutum, quod etiam aliis adhuc experimentis infra ad oculum demonſtrare atque evincere nobis propoſitum eſt.

Porro color ille flavus, quo tinctura tartari ſplendet, non aliam habet cauſam, quam quod oleum ſpiritus vini, cum ſale tartari jam intime mixtum, tingendi facultatem habeat, quod etiam compluribus experimentis, præſertim in elaboratione tincturæ antimonii acris, confirmari poteſt.

At vero non tantum ſunt alia alcalina fixa, quæ hac methodo in ſpiritu vini rectificatiſſimo liquida & ſolubilia effici poſſunt, ſed habemus etiam ex noſtra inventione in promtu alia experimenta, quibus evidentiſſime demonſtratum ibimus, dari etiam ſalia neutra & media, quæ longe adhuc promtius, quam ſal quoddam fixum alcali, à ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvuntur, ita ut ſex partes ſpiritus unam partem ſalis in pororum ſinus & diverticula recipere firmiterque etiam retinere valeant.

Sunt vero hæc ſalia duo artificialia; alterum ita paratur: accipimus ſal volatile ſalis ammoniaci purum, ſiccum, pro lubitu ratione quantitatis, cui in vitro conſervali admiſcemus leniter inſtillando aquam fortem vel ſpiritum nitri, tam diu, donec punctum ſaturationis inventum fuerit, quo media natura hujus ſalis exquiſite indagari debet: liquorem hunc, qui eſt nitroſi & acris ſaporis, ad evaporationem furno calido imponimus, ita habemus ſal albiſſimum, ſiccum, ſaporis valde nitroſi & acris, quod etiam carbonibus adjectum inflammatur, pauciſſimis interdum particulis terreſtribus relictis. Alterum ſal hunc in modum conficitur: recipimus ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, idque ſaturamus loco aquæ fortis ſpiritu ſalis, ita emergit ſal tertium, ammoniacali exactiſſime ſimile, quod etiam in ſpiritus vini rectificatiſſimi unionem & amplexum promtiſſime ruit.

Quando vero idem ſal volatile cum ſpiritu vel oleo vitrioli in ſal tertium, ammoniacali ſimile, convertitur, hoc ipſum neutiquam ſuſcipitur in ſpiritum, ſed penitus fugit ejus unionem. Quare etiam, ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus ſolutioni hu-

jus cum aqua factæ affunditur, ſtatim decidit ad fundum ſal volatile, quod vero minime evenit, ſi idem ſpiritus prioribus ſalibus ſolutis affundatur; ſiquidem & horum ſolutiones cum alcohol vini intimam & exquiſitiſſimam unionem ineunt.

Ratio differentiæ hæc nobis probatur, quod videlicet ſpiritus vitrioli acidum ſit valde fixum, ſpiritus vero ex nitro & ſale communi deſtillatus naturam habeat admodum volatilem ſubtiliſſimam, hinc etiam arctior fit cum iis hujus ſalis volatilis tenuiſſimi unio, minus autem cum acido fixiori. Eandem ob rationem, ſi ſal illud, quod ex oleo vitrioli & ſale volatili ſalis ammoniaci paratum eſt, paulo fortiori igne in vitrea cucurbitula urgetur, ſal volatile avolat & acidum vitrioli relinquitur; quod vero non accidit cum duobus ſuperioribus ſalibus, quæ fortiori igne tractata prorſus in auras avolant, ſuique nullum relinquunt veſtigium.

Salia hæc neutra in alcohol vini ſolubilia, & in medicina & in ſecretiori chymia inſignem nobis promittunt efficaciam. Nam quoad medicinam nitrum hac ratione ſolutum in ſpiritu noſtro bezoardico, vel etiam liquore anodyno, aut camphorato, medicamentum evadit in inflammationibus internis arcendis & diſcutiendis, inque moderanda exanthematum expulſione deſideratiſſimum.

Notum quoque eſt, quod nitrum in inflammationibus, quæ cutim obſident, eryſipelaceis diſcutiendis ſit valentiſſimum, ſi cum ſpiritu vini camphorato, qui ſolus ac ſibi relictus nimis ardens & calidus eſt, combinetur. Quia vero nitrum vulgare hanc unionem detrectat, hinc commodiſſime illud cum noſtro nitro volatili artificiali poteſt perfici.

Quod vero attinet alterum ſal ammoniacale, in ſpiritu vini ſolutum, id ipſum evehi & exaltari poteſt in medicinam ſummæ virtutis ſtomachicam, ſi nempe affuſo ſpiritu ſalis acuatur; ita enim ad guttas 20.30. datum in debito vehiculo, emortuæ ciborum cupiditati reſuſcitandæ & cruditatibus, quæ multorum morborum fomitem ſuppeditant, reſolvendis valde idoneum eſt, utiliſſime ſufficiendum in locum tincturæ aperitivæ Mœbii, cujus virtutes fere ſuperat. Non enim ignotum eſt, hunc medicum multum lucri feciſſe tinctura ſua aperitiva, quam confecit ex ſpiritu ſalis rectificato pauliſper infracto, additione ſalis tartari, ideoque ejus virtutis ratio partim à ſpiritu ſubtiliori acidi ſalis, partim etiam à medio, quod ex ſpiritu ſalis & ſale tartari proveniebat, ducenda eſt. Quum vero nos loco ſalis tartari aſſumamus ſal volatile ſalis ammoniaci, longeque major virtus in corrigendis ventriculi vitiis ſit hujus ſalis, quam ſalis communis, certiſſime eo fluit, tincturæ ita paratæ majorem tribuendam eſſe efficaciam. Quod vero tincturæ nomine hanc medicinam auctor inſigniverit, id ideo factum putamus, quia floribus bellidis vel roſarum, arcani tegendi cauſa, hunc liquorem tingere conſuevit.

## OBSERVATIO VI.

### *De Salium diverſorum celeriori & faciliori ſolutione in aqua.*

Salia in rerum natura diverſiſſimi eſſe generis, dum alia naturæ opera, alia artis producta ſunt, quædam acida, alia alcalina, nonnulla vero inter utrumque genus ambigunt & mediam quaſi naturam obtinent, horumque ſingula diverſiſſimarum eſſe virium, tam notum eſt, quam quod notiſſimum, eaque omnia ſolvi in aqua, quæ ſpecificum quaſi eorum eſt menſtruum, identidem res pervulgatiſſimæ cognitionis eſt. Illud vero dubitandum mihi videtur, num plures id habeant cognitum, quod eorum ſolutio non perinde æqualis eademque ſit, ſed longe multumque differat; ſiquidem alia facilius & celerius inque longe majori quantitate aquæ ſubeunt interſtitia, liquidaque fiunt, alia tardius, & ægrius inque minori portione in aquam recipiuntur. Hac de re igitur experimenta fecimus ſequentia:

Una libra medica aquæ promte & ſubito ſolvit uncias quatuor cum dimidia ſalis communis, & libra una mercatoria aquæ aſſumit ſex uncias ſalis communis.

Libra medica aquæ recipit, ſufficienti agitatione præcedente, ſaltem ſex drachmas nitri, & tantum etiam vitrioli aquam ingreditur, ex fluvio deſumtam.

Alia ratio eſt aluminis, cujus ſaltem duæ unciæ à libra una medica aquæ diſſolvi poſſunt; quod vero magis mirandum, non ultra uncias duas arcani duplicati in aquæ libra una liquefiunt.

Inter ea vero, quæ facillime ſolvuntur, ſalia, & quibus tota quaſi aqua ſaturatur, eſt maxime ſal illud artificiale Ebſonienſe purgans, quod ab æquali portione aquæ promtiſſime diffluit, ita ut libra una medica aquæ fluviatilis commode duodecim uncias hujus ſalis capiat.

Præterea ſal alcali, v. g. tartari, eſt etiam facilis ſolutionis; nam in unam aquæ libram novem fere unciæ hujus ſalis ſe inſinuant. Hæc experimenta, utut prima fronte levia videantur, tamen profecto non vulgaris ſunt conſiderationis in rebus chymicis. Nam ex his

1. diſcimus, quantum aquæ requiratur, ſi ſalia hæc impura diſſolvere & depurare velimus.

2. Ex ſolutione ſalis communis id defluit in notitiam noſtram, nullas dari ſalinas, quarum libra mercatoria, quæ ſedecim uncias continet, ultra ſex uncias ſalis in ſinu ſuo fovere poſſit.

3. Inſerviunt hæc experimenta multum ſeparationi ſalium, ſi cum aqua varii generis fuerint mixta, v. g. ſi alumen ſolutioni ſalis fuerit additum, tunc coctione & inſpiſſatione præcedente primo in cryſtalliſatione ſecedit alumen in aqueo menſtruo, relicto ſale communi, quod continuata inſpiſſatione demum in forma cryſtalliſationis haberi poteſt. Ratio ex eo petenda eſt, quod alumen majus ſpatium requirat aquæ ſi in ea contineri debeat, quam ſal commune, hinc ſpatio arctato ſecedere poriſque elabi cogitur. Porro notum eſt, nitro adhærere fere ſemper ſal commune, quod ſedulo ab eo ſeparari oportet, præſertim quia inflammabilitatem ejus non modo impedit, ſed & aquæ fortis bonæ præparationi reſiſtit, ſiquidem cum inſignis pars ſalis nitro adhæreſcat, aqua regis potius obtinetur, non lunam, ſed aurum ſolvens. Separationis autem modus talis eſt: ſolvitur nitrum in debita quantitate aquæ, & facta leni coctione aëri temperate frigido vas committitur, ita nitrum deſcendit in forma cryſtallorum pyramidalium, & nihil de ſale in fundum demittitur; poſtea rurſus fit inſpiſſatio & cryſtalliſatio, ſic denuo ſecedit nitrum & in reſiduo liquore remanet ſal commune. Ratio ex faciliori ſolutione & retentione ſalis communis in ipſa aqua præ nitro deducenda eſt.

Quem fugit, arcanum duplicatum, ex nitro & vitrio-

vitriolo parari, ſi hæc duo ſalia igne probe calcinata fuerint; neque tamen ſemper adeo accurate coeunt hæc duo ſalia, ut duplicatum ſal inde emergat, ſed remanent ſæpius vitriolicæ & nitroſæ partes ſibi relictæ. Si igitur ab iis ſeparare velimus arcanum duplicatum, quod ſal eſt medii generis, opus eſt, ut lixivium convenienter incoctum exponamus cryſtalliſationi, ita mox illud petit fundum, remanente vitriolo & nitro in lixivio. Nam ex ſupra relatis conſtat, libram unam medicam aquæ vix poſſe unam hujus ſalis unciam comprehendere.

4. Si velimus ſalia diverſi generis mixta à ſe invicem ſeparare, id fieri per ſolutionem cum aqua debet. Nam quæ ſalia majori copia feruntur in aquæ poros, ea etiam celerius, id eſt, breviori tempore ſolvuntur, longiori vero, quæ ægre ſolutionem admittunt; v. g. ſi arcanum duplicatum ab alio ſale medio, nitro, vitriolo, aut ſal ammoniacum à ſale communi vel nitro velimus ſeparare, aqua communis infundi debet, ita hæc ſal commune vel nitrum imbibit, in fundo relicto ſale duplicato. Pari ratione ſi velimus arcanum duplicatum, vel tartarum vitriolatum, à ſale alcali vel cineribus clavellatis ſeparare, id etiam fieri debet affuſione aquæ, quæ ſolvit celerrime alcali, relicto medio illo ſale. Ita etiam alumen à vitriolo ſeparatur, nam vitriolum illo promtius ſolvitur.

5. Quum nihil fiat ſine ratione, profecto etiam cauſa, quare hæc vel illa ſalia promtius vel iniquius ſolutioni obtemperent, in ipſa aqua mihi quærenda videtur, quam paulo altius jam eruemus. Salia, quæ facile ſolvuntur, ex particulis valde ſubtilibus & diviſis, ſummæ exiguitatis, quæ vero ægrius ſolvuntur, ex craſſioribus, rudioribus, minus diviſis, firmiter cohærentibus, adeoque etiam fixioribus partibus terreſtribus conſtare videntur. Nam corpuſcula ſubtiliſſima etiam minima & arctiſſima pororum interſtitia ſubire poſſunt, à quibus excluduntur craſſiora. Ex ſupra dictis jam patet, ſubtiliſſimum ſal eſſe debere Ebſonienſe, quia ejus uncia ab uncia aquæ recipitur, quod certe mirabile eſt & nunquam ab ullo notatum invenitur. Idcirco etiam fit, ut ſpiritus vini rectificatiſſimus ſaturatæ ejuſmodi ſolutioni affuſus, protinus eam coagulet in maſſam ſtabilem, firmam, inſtar glaciei, quia nempe ſpiritus vini rectificatiſſimus facilem in aquam habet aditum, unde neceſſe eſt, ut ex aquæ poris ſubito exturbentur ſalis ſolidæ particulæ, quæ invicem conjunctæ ejuſmodi ſtabilem maſſam formant. Hæc ſubtilitas inde proficiſcitur, quod parcior terra fixa ipſi inſit, ſiquidem memorabile eſt, quod hoc ſal cum pulvere carbonum mixtum in crucibulo totum avolet, cum fumo ſulphureo totum conclave replente, & ob tenuitatem hoc ſal etiam præ aliis ſalibus mediis dejectionem movet & alvum ſollicitat, eo quod in poros tunicarum inteſtinalium altius ſe inſinuet, quam aliud quoddam ſal, ut arcanum duplicatum, vel nitrum, aut ſal commune. Et quia ſal commune ſubtilius eſt nitro, etiam plus movet alvum, quam nitrum. Aluminis vero valde difficilis & operoſa eſt ſolutio, hinc etiam poros ob terram copioſam valde obſtipat, & adſtrictivæ virtutis eſt fortioris, quam vitriolum, quia in illo major copia terræ hoſpitatur, teſtante hoc ſalium uſtione, ubi alumen majorem quantitatem capitis mortui, quam vitriolum ſuggerit. Quod vero ſal commune tam facile patiatur ſolutionem, ejus rei ratio inde dari poteſt, quia ad putrefactionem avertendam & conſervationem carnium, præter ſalubritatem, utiliſſimum eſt, dum poros ingreditur carnis conſervandæ & humidum extrahit, quod cum aliis ſalibus non æque promte fit; atque ego quidem cum ſale Ebſonienſi modum conſervandi cadavera adhuc præſtantiorem eſſe, quam cum aliis ſalibus, facile crediderim.

---

## OBSERVATIO VII.

### *Animadverſio de modo examinandi aquam communem.*

Sicut aqua à philoſophis non ſine ratione inter elementa relata fuit, ita profecto ejus uſus ampliſſimus per omnia fere naturæ opera patet, ſiquidem aqua eſt univerſale illud ſolvens, quod omnis generis ſolidas partes dividit, diſcerpit, imbibit & ſecum vehit atque tranſportat. Unde variarum in natura mutationum cauſa exiſtit, ſiquidem ſine aqua nulla generatio, fœcundatio, nutritio vel auctio in omnibus naturæ regnis celebrari poteſt. Sine aqua nullum animal vivit, nullaque humorum vel ſanguinis progreſſio in vaſis, vel ſecretio, aut inutilium excretio perficitur. Si ſolida corpora, ut metalla, mineralia vel lapides, ſunt diſſolvenda, id ope aquæ fiat, neceſſe eſt. Nulla putredo aut corruptio ſine humido conſpicitur, neque remediorum in corpora humana operatio, aut liquidi in ſolidum actio ſine aquæ adminiculo contingit. Alimenta ſicca & ſolida ſine fluidis & humidis omni utilitate & uſu deſtituuntur. Tacemus in artibus mechanicis, œconomicis, arte tinctoria, re coquaria uſum aquarum eſſe ſumme neceſſarium.

Cum itaque tanta utilitas ſit aquarum, ut in vita iis plane non carere poſſimus, & magna inſuper earum, ratione indolis, contentorum & virium, deprehendatur differentia; hinc utique medico & rerum phyſicarum gnaro incumbit, exactius harum naturam intelligere, earumque differentiam paulo perveſtigatius inquirere, quod ſane præſertim medico ad vitæ & ſanitatis tutelam utiliſſimum judicamus. Probe enim notari velim, elementum aquæ hoc in univerſo non exiſtere ſimpliciſſimum vel puriſſimum, ſed quia eſt activum elementum, hinc nunquam vacat actione in aliud corpus, quod diſſolvit & cujus partes ad ſe arripit. Quare nulla datur aqua uniformis, quæ non heterogeneas quaſdam partes, ſolidas præſertim, ſecum vehat; & ob ſolidas has partes, quas in majori vel minori quantitate complectuntur, aquæ multum ratione gravitatis & levitatis inter ſe differunt, adeo, ut quo gravior aqua ſit, eo majorem quantitatem partium alienarum contineat; ſicut ex adverſa parte, quo levior eſt, eo purior, & minorem in ſinu copiam peregrinarum partium fovet. Princeps itaque & prima phyſici ac medici cura eſſe debet, ut ratione ponderis omnis generis aquas atque in his præſertim communem examinet, quo de ſalubritate & inſalubritate earum ſolidum & exquiſitum ferre poſſit judicium.

Ingenue vero hoc loco fatendum eſt, quod accuratior modus aquas inter ſe diſtinguendi & examinandi nondum fuerit ſatis cognitus; neque enim inſtrumenta illa ſtatica, ex vitro confecta, ſcopo huic ſatisfaciunt, quia minorem in pondere differentiam plane non indicant. Novum itaque inſtrumentum ſtaticum, quod ſphæram cavam æneam refert, à mechanico peritiſſimo confectum fuit, non quidem ad aquas examinandas, ſed ut ſalis com-

communis in aquis contenti portionem exploraret. Nihilominus cum accuratiſſimum ſit inſtrumentum, alius ejus uſus iſque longe præſtantiſſimus & diu deſideratus, à nobis fuit inventus, videlicet ut mediante hac ſphæra exactiſſime aquarum differentiam, etiam minimam, exploraremus; quod nobis tentamen feliciſſime ceſſit. Nimirum aqua pluvialis examinata hoc inſtrumento, nullum pondus habuit, ſed æqua lance cum ipſo conſtitit. In aqua vero fontana domeſtica ultra ſextam lineam inſtrumentum aſcendebat, in alia aqua fontana ad lineas tantum 4. ſurſum ferebatur. In aqua paludoſa, ex foſſis ſuburbanis deſumta, ad 7. lineas evehebatur, indicio, hanc eſſe graviſſimam. Cum alia etiam aqua, quæ in cella diu ſtagnaverat, experimentum fecimus, ubi notavimus $6\frac{1}{2}$. lineas. Aqua vero deſtillata pari pondere fuit cum pluviali. Aqua fluvialis Salana unam lineam & aqua ſalubris Halenſis duas lineas ſignabat. Quia vero ſedecim lineæ, ad unam menſuram, ſeu duas aquæ libras, relatæ, unciam ſemis materiæ ſolidæ in aqua contentæ denotant; hinc facile calculus ratione contentorum in ſuperius allatis experimentis poni poteſt.

Duodecim unciis aquarum paludoſarum ſtagnantium in patina ſtannea ad evaporationem fornaci calidæ admotis, inſignis materia ex albo flaveſcens, terrea, calcarea, cum ſale communi mixta, relicta fuit, exigua vero remanſit ab aqua noſtra fontana. Huic ſolidæ materiæ aqua fortis affuſa inſignem excitavit efferveſcentiam, haud obſcuro indicio, principium hoc ſalinum eſſe naturæ alcalinæ, ſicuti etiam ſapor ſal alcali manifeſtat, præſertim in aqua, quæ ex foſſis fuit educta, in qua illud quoque notabile viſum, quod ingens copia vermiculorum, fundum vaſis petentium, ſeſe in conſpectum dederit.

Datur vero adhuc alius modus aquarum puritatem examinandi, quando videlicet liquor ſalis tartari ad notabilem quantitatem aliquot unciis aquæ infunditur, ubi notandum, quod, ſi lactea inde evadat, indicium ſit impuritatis ſalino-terreæ, adeo, ut quo turbida & lactea magis fiat, eo major quantitas terrei principii in ea contineatur & vice verſa; quod ſi vero aqua clara & pellucida ſine omni turbatione permanet, nota eſt inſignis puritatis. Quapropter experimentum fecimus hac ratione cum aqua pluviali, quæ, inſtillato hoc liquore, integrum & nativum colorem ſine ulla turbatione retinuit; idem quoque factum cum aqua ſalubri Halenſi, valde autem turbida evaſit cum ſedimento craſſo aqua foſſarum ſtagnans. Reliquæ aquæ fontanæ Halenſes identidem lacteſcebant, ſed una magis præ altera. Aqua fluvialis Halenſis ab omni etiam præcipitatione & turbatione fuit immunis.

Nulla vero methodus exquiſitior eſt, puritatem & ſimplicitatem aquæ examinandi, quam ſi ſolutiones metallorum, videlicet plumbi & argenti, inſtillentur, quæ exinde ſemper fere turbidæ fiunt, una tamen magis præ altera. Neque aqua pluvialis ſemper eſt ſincera & intemeratæ puritatis, evidenti argumento, nullam aquam eſſe puriſſimam, quæ non à contagio terreo, ſalino aut alio infecta ſit, niſi exceperis aquam deſtillatam, quæ ab ejuſmodi turbationibus maxime immunis deprehenditur.

---

## OBSERVATIO VIII.

*Animadverſio phyſico-chymica, qua demonſtratur, corporum ſolutionem non fieri per receptionem in poros menſtrui.*

SOlutionem corporum, cujus in arte chymica excellens uſus eſt, pororum maxime beneficio perfici, conſtans huc uſque fuit atque etiamnum inter artis chymicæ profeſſores viget ſententia. Aſſerunt videlicet, ſolida corpora ob diverſam partium, quibus conſtant, ſtructuram atque connexionem, varios poros atque meatus acquirere, quæ interſtitia minimas menſtrui partes ingredi & hunc nexum ſolvere exiſtimant. Hos poros credunt eſſe diverſæ magnitudinis ac figuræ, atque inſuper affirmant, non minus in liquidis, quam ſolidis, ejuſmodi diverſa dari foraminula, quæ non niſi congruentes ſimileſque rei ſolvendæ particulas ſuſcipiant; quare concludunt, diverſa corpora diverſa identidem menſtrua deſiderare.

Quam vero ſubtiliter & argute hæc excogitata videtur ſententia, tam lubrico infirmoque, ſi penitius eandem inſpicias, inſiſtit fundamento, quod hunc in modum demonſtramus:

Primo lubenter concedimus, omnibus compactis & duris corporibus ineſſe quoſdam meatus ſeu loculamenta, non ejuſdem, ſed diverſæ figuræ, quæ partim fluidum aëreo-æthereum ſubit, partim eo expulſo aliud conveniens liquidum ſive aqueum, ſive ſpirituoſum, intrare poteſt. Hæc pororum in corporibus diverſitas ſpecificæ quoque gravitatis corporum cauſa eſt, quippe quæ efficit, ut nonnulla graviora, quædam leviora ſint. Id tamen ſcire oportet, quod, ſi fluida poros corporum ſolidorum occupant, horum non tam figura, quam ipſorum diameter, ſive amplior, ſive anguſtior, ſpectari debeat. Nam ex mechanicis notum eſt, quod fluidum poros, cujuſcunque figuræ fuerint, ingrediatur, modo ita ſit comparatum, ut ratio diametri nihil impedimenti objiciat. At vero ſicuti ejuſmodi poros in ſolidis non penitus negamus: ita eoſdem in fluidis ut admittamus, nulla nos cogit ratio. Nam etſi quidem in ſolidis partes inter ſe firmius cohæreant atque quieſcant; tamen id minus evenit in fluidis, quorum partes jugi perennique motu ab interfluente æthere agitantur & quarum ſitus perpetuo commutatur. Atque adeo, cum ne quidem conſtans pororum diſpoſitio in ipſis concipi poſſit, facile apparet, in ſolutione minime ſtatuendam eſſe diverſam partium in fluidis collocationem; nam quando ſolidorum poros liquidum aliquod occupat, diſcedit ex ipſis levius atque ſubtilius fluidum, quod antea ipſis inſederat. Hoc vero minus evenit in fluidis, quæ exturbato ex ipſis æthere, qui ad continuum motum fluida impellit, motu deſtituuntur inque ſolidum ut concreſcant, neceſſe eſt. Ita quando ex aqua ſubtilis ætherea materia ab incumbente frigidiſſimo aëre exprimitur, ea in duram ac compactam ſubſtantiam congelatur. Accedit, quod fluida, quando majorem ætheris copiam admittunt, amplius ſpatium affectent, ſicut accidit per calorem, ſolida vero non perinde afficiantur.

Deinde quum ignis metalla & lapides liquefaciat, mercurius metalla amalgamet & emolliat, uncia una acidi tantundem ſalis alcalini ſolvat, & ſpiritus vini rectificatiſſimi uncia una unam unciam olei deſtillati puri v. g. caryophyllorum aut laven-

dulæ vel camphoræ recipiat, non video, qua ratione hic ſolidorum receptio in poros fluidi locum habere poſſit, nam pori menſtrui, quod diſſolvit, non poſſunt majores vel æquales eſſe toti corpori.

Neque etiam ulla ratione aſſequi poſſumus, quare cuprum ſolutioni argenti, vel ferrum cupri ſolutioni injectum, metalla hæc ſoluta præcipitet, quia ſolida hæc corpora nullo modo menſtrui poros ingredi poſſunt. Neque ex hac hypotheſi explicari poteſt, quare ſpiritus vini rectificatiſſimus, affuſus ſaturato ſpiritui ſalis ammoniaci, ejus ſal volatile in fundum dejiciat, vel quare aqua ſolutam in ſpiritu vini camphoram ad fundum deturbet.

At vero nonnulli difficultatibus hiſce preſſi, aliam explicandi viam ingrediuntur, & ſimilitudinem partium, quæ ſolventi cum ſolvendo corpori intercedat, allegant. Verum neque hæc hypotheſis extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, eo quod animadvertamus, heterogenea vel plane ſibi diſſimilia facile invicem coire, & unum alterum promtius ſolvere, quam quidem homogenea ſolent. Cui enim ignotum eſt, acidum quodcunque promtiſſime diſſolvere ſal vel corpus alcalinum, atque aquam terram imbibere, ut videmus in decocto calcis vivæ inſipidam aquam omnis generis ſalia recipere, & menſtrua quoque alcalina ad ſulphura diſſolvenda maxime eſſe idonea.

Nil itaque ſupereſt, quam ut alias & genuinas cauſas inquiramus ſolutionum, quæ fiunt à menſtruis. Videtur autem nobis res veriſimillima & conceptu facilis, ſi ſtatuamus, ſolutionem fieri, quando fluidum movens corporis ſolvendi partes in ſimilem rapiat fluiditatis motum adeoque hac ratione ſeſe cum ipſo uniat. Ita videmus, aquam in ſimilem fluiditatis motum conjicere omnis generis ſalia, cumque ipſis uniri.

Porro omnia olea deſtillata, omnia reſinoſa balſamica ſolvuntur à ſpiritu vini rectificatiſſimo ſulphureo, adeoque invicem copulantur & coaleſcunt. Pleræque vero ſolutiones fiunt, quando principium activum, maxime ſalinum, cum corpore ſolvendo ſeſe intime conjungit, ita, ut ambo unum tertium, neutrum ſal nempe, conſtituant, quo facto deinde hoc ipſum neutrum ſal facile ac expedite aquæ motui obſecundando ſolvitur. Ita menſtrua acida, quæ nihil aliud ſunt, quam ſal acidum in phlegmate ſolutum, dum alcalina, ſive terrea ſive ſalina, ſolvunt, abeunt in ſal neutrum, quod more omnium ſalium in phlegmate colliqueſcit. Pari ratione, quando metalla ſolvuntur à menſtruis acidis, v. g. aqua forti vel aqua regis, dum ſalia hæc acida cum metallorum particulis ſeſe ſociant, in ſal quoddam tertium tranſeunt, quod evaporatione menſtrui facta conſpicitur, hoc vero in aqua, quam continet menſtruum, promte ſolvitur.

Ex his omnibus facile evincitur, menſtruum, quod cum corpore ſolubili non poteſt uniri, nullam quoque præſtare ſolutionem. Ita ſpiritus vini rectificatiſſimus non uniri poteſt cum ſale communi, quia ſulphur φλογιςὸν renuit hujus ſalis unionem: hinc etiam fit, ut ſal commune & omnia ſalia à ſpiritu rectificatiſſimo ſolvi nequeant. Simili ratione oleoſa & alcalina menſtrua non ſolvunt metalla, quia nec ſal alcali, nec oleum in intimam partium metalla conſtituentium unionem influere poteſt. Neutiquam vero ratio hæc eſt, quod poris & figura partium contraria gaudeant; contra ſpiritus vini rectificatiſſimus deſtillata olea & reſinas, quæ non niſi olea ſubtiliora ab acido coagulata ſunt, promtiſſime amplectitur, quia hæc invicem amice coëunt, atque aqua cum aqua vel aqua cum glacie ſe promte miſcet.

Quemadmodum igitur ſolutio unione ſolventis & rei ſolubilis fit; ita, quando hæc unio rurſus diſſolvitur, & ſolvens ſolutum deſerit, ſive unum ab altero divellitur, ipſa etiam fluiditas ceſſat, ſed ſeparatur ſolutum à menſtruo, quod chymici præcipitationem vocant. Quapropter eorum opinio à veritate longius recedit, qui exiſtimant, præcipitationem hac ex cauſa fieri, quod pori menſtrui, qui continebant rem ſolutam, ab alia materia occupentur, unde neceſſum ſit, corpus ſolutum ex menſtrui poris dimitti. Sed potius præcipitatio nihil aliud eſt, quam nova ſolutio, ſive nova unio menſtrui cum alio corpore, dum videlicet præcipitans ſeſe jam conjungit arctius cum eo menſtruo, cum quo prius corpus erat unitum.

Quare vero menſtruum, cum quo prius corpus fuit unitum, novo & quidem præcipitanti corpori ſe applicet & cum ipſo ſe uniat, hæc videtur eſſe ratio, quod menſtruum propter majorem convenientiam partium, quam fovet cum præcipitante, ſeſe lubentius illi, quam priori corpori, aſſociet, quæ res meretur quibuſdam confirmari experimentis. Igitur cuprum injectum ſolutioni argenti, factæ cum aqua forti, illud deorſum facit deſcendere: ferrum injectum ſolutioni cupri, identidem cum aqua forti factæ, mox hoc ad fundum devolvit. Zincum, quandocunque adjicitur ferri ſolutioni, cum aqua forti adornatæ, ſtatim dimittit ferrum in fundum: ſique zincum rurſus dejicere velimus, ſale tartari injecto præſtari id commode poteſt.

Ratio diverſarum præcipitationum hæc eſt: quia ſal acidum nitri, quod aquæ forti ineſt, magis appetit ſalis tartari, quam zinci, conſortium, hinc zincum dimittit, & quia ſal acidum nitri longe facilius ſocietatem init cum zinco, quam ferro, hinc ferrum præceps fertur, & quoniam idem ſal acidum cupidius in ferri, quam cupri, amplexus ruit, ideo ferrum cupri ſolutioni injectum hoc ad inferiora depellit, & ſic quoque in cæteris ſeſe res habet. Ita etiam porro notatu digna obſervatio eſt, quod acidum fortius corpora, in acido ſubtiliori ſoluta, ad fundum divertat: ſic ſpiritus vitrioli affuſus ſolutionibus corporum terreſtrium alcalinorum, v. g. matris perlarum, coralliorum, oculorum cancri, teſtarum ovi cum aceto vini confectis, ſubito eas deorſum proſternit. Ratio in promtu eſt, quia fortius acidum ſeſe arctius copulat cum particulis alcalinis terreſtribus, quam acidum lenius, unde hoc ex unione dimotum promtiſſime fugam capeſſit. Quare quandocunque ſaccharo ſaturni, quod ſal eſt ſaturno & aceto deſtillato præparatum, affunditur ſpiritus vitrioli, identidem contingit præcipitatio ſaturni: ſed quando hæc invicem deſtillantur, tunc ſpiritus aceti deſtillati, non vero ſpiritus vitrioli, adſcendit & deſtillatur, relicto ſpiritu vitrioli in fundo, unito cum corpore ſaturnino. Idem fit cum aliis jam memoratis ſolutionibus alcalinorum cum aceto confectis.

Inſuper aqua in præceps dat ſolutiones corporum reſinoſorum cum ſpiritu rectificatiſſimo factas, non eam ob rationem, quod ſpiritus hic poros aquæ ingrediatur, ſed quod hic facilius ac lubentius cum aqua, quam cum reſinis, unionem recipiat. Idem ſpiritus vini rectificatiſſimus ex ſpiritu ſalis ammoniaci, qui fit cum aqua, ſal volatile ad fundum depellit. Denique ſolutio ſalis tartari ſolutioni perlarum, item lapidum cancrorum cum aceto factæ, præcipitationem inducit,

quia

quia ſalis tartari facilior ac fidelior eſt copula cum iſtis acidis, quam cum corporibus terreis, unde etiam lapides cancrorum, ſolutioni ſalis tartari adjecti, hujus non tollunt unionem. Notum quoque eſt, quod ſal commune argento per aquam fortem ſoluto injectum, hoc in magiſterium album præcipitet, vix ob aliam rationem, quam quod acidum nitri valde penetrans cum terra ſalis communis, quæ alcalinæ eſt naturæ, ſe conjungat, deſerta conjunctione, quam habuit cum argento.

Ex hiſce omnibus in medium adductis illud evincitur, ſyncriſin & diacriſin, ſeu unionem & ſeparationem, eſſe magna naturæ inſtrumenta & ſimpliciſſima opera, quibus ea utitur ad tot & tantos effectus præſtandos, ſiquidem nulla nutritio, nulla generatio, nulla virtus, nulla accretio, immutatio formæ atque texturæ, ſolutio, coagulatio ſine hiſce fieri vel intelligi, neque etiam explicari poteſt. Quo liquidius apparet, refugium illud chymicorum & phyſicorum ad variæ figuræ poros & particulas nullius eſſe uſus, neque ipſa etiam in re certo niti fundamento, quum multa & magna naturæ phænomena ex hiſce fundamentis, unione nempe & disjunctione, longe facilius & enodatius explicari atque evolvi poſſint.

## OBSERVATIO IX.

*Animadverſio de variis & rarioribus effervescentiæ ſpeciebus.*

Effervescentia chymicis audit motus inteſtinus, ex duobus corporibus invicem mixtis cum ſpuma, bullularum excitatione, & rarefactione proveniens.

Hic motus, qui cauſa effervescentiæ eſt, inteſtinus vocatur, quia is interne in minimis, quæ corpus conſtituunt, partibus celebratur, ipſaſque etiam partes vehementiſſime circumagit, disjungit & commovet.

Nuſquam eſt ſine bullularum copioſiſſimarum aſcenſione, quam ab aëre & æthere, ex minimis corporum interſtitiis ſeu poris expulſo, fieri phyſici affirmant. Nam aëris & ætheris ſubtilioris expulſio non modo format in liquido bullulas, ſed & in altum ſimul abripit ex liquido partes, ut ſalientes quaſi particulæ appareant, atque ipſam maſſam corporis rarefaciendo efficit, ut amplius ſpatium repleat; & quoniam ex motu inteſtino partium præſertim ſulphurearum naſcitur calor ſive incaleſcentia liquidi, facile apparet, quare rarius effervescentia ſine comite incaleſcentia fiat, quæ eo intenſior eſt, quo corpora, quæ invicem miſcentur, plus inflammabilis & ſulphureæ materiæ obtinent, ut videmus, quando olea deſtillata cum oleo vitrioli vel ſpiritu acido noſtro fumante commiſcentur.

Chymicorum alias tritum ac vulgare eſt axioma, acidum & alcali tantum inter ſe effervescere, cum ob plane diſſimilem valdeque adverſam pororum figuram ac texturam mutuum conflictum & attritum exerceant, poſtea vero unum alterum recipiat, & ambo in neutram & temperatam mixtionem tranſeant. Utut vero illud certiſſimum ſit, omne acidum, cujuſcunque generis fuerit, effervescere cum alcali, ſive ſit volatile ſive fixum, ſive ſalinum ſive terreum, & utraque ad convenientem mixtionem in neutrum ſal vel medium corpus transformari; id tamen à vero alieniſſimum eſt, à ſolo acido & alcali proficiſci effervescentiam. Nam

1. conſtat, extreme calcinata terrea alcalina fortiter confligere cum aqua affuſa communi, quod familiariſſimum calcis vivæ, ſi hæc aqua extinguitur, experimentum docet, ubi nullum acidi præſentis veſtigium deprehendere licet; idem prorſus obſervatur, ſi marina, ut corallia, conchylia, oſtreacea, acri igne in calces comburuntur.

2. Notum eſt, acidos liquores valde concentratos & phlegmate ſuo orbatos, ut eſt oleum vitrioli, vel etiam oleum ſalis ſive ſpiritus ſalis valde concentratus, affuſa aqua frigidiſſima in debita proportione, cum intenſiſſimo calore fortem producere effervescentiam, ubi ne ullum momentum alcalini principii reperire licet. Quin etiam frigidiſſima glacies oleo vitrioli injecta igneum quaſi motum producit. Hanc tamen obſervationem in excitando ex hiſce rebus calore tenere oportet, quod, ſi nimia quantitas aquæ oleo vitrioli adjiciatur, valde imminuatur calor, quum is vehementer intendatur, tantoque fiat validior, quando non adeo magna portio aquæ admiſcetur, quod etiam valet de effervescentia cum calce viva & aqua affuſa. Nam ſi ad unciam ſemis olei tantum drachma aquæ affunditur, non tantus calor nec tanta ebullitio & ſpumeſcentia fit, quam ſi duæ drachmæ admixtæ fuerint, neque cum duabus drachmis tantus gradus æſtus provenit, ac ſi dimidium unciæ fuerit adjectum, imo major adhuc, ſi ad oleum concentratum uncia integra affunditur. Si vero major quantitas fiat, ita ut ad unciam dimidiam olei vitrioli unciæ duæ vel quatuor aquæ adjiciantur, valde languida fit effervescentia.

Rationem phænomenorum hanc ſubeſſe credo: Oleum vitrioli valde concentratum acidum eſt ſal, vi acerrimi ignis in fluorem redactum omnique acido phlegmate deſtitutum. Quapropter materiam æthercam, igneam, mobiliſſimam huic ſali intime eſſe admixtam, nullum eſt dubium. Nunquam enim calor vel ignis ſine materia quadam eaque ſubtiliſſima, in motu vehementiſſimo exiſtente, concipi debet. Ignis itaque & calor ſemper materiam illam cœleſtem, caloris effectricem, corporibus inſinuant, quæ, quamdiu ibi ſine vehementi motu detinetur, omnis caloris expers eſt, ſi vero conjicitur in motum eumque inteſtinum, calor ſe manifeſtat.

Calces itaque fortiter exuſtæ intra pororum cancellos multum materiæ illius æthereæ igneæ continent, quæ aqua affuſa, poros corporis calcinati occupante, celerrime aufugit, & cum impetu ex corporibus ejicitur, quo modo fit aquæ cum fumo & vapore ebullitio. Exſurgit vero ingens æſtus ſimiliter, quando aqua affunditur oleo vitrioli; nam hæc ipſa conjungit ſe cum acido ſale, quod ſolvit, & hac ratione ex poris hujus ſalis acidi copioſa materiaætherea ignea, qua antea repleti erant, cum impetu exitum molitur facitque ebullitiones cum bullulis atque intenſum æſtum, qui vires in tantum ſumit, in quantum ſufficienti & proportionata copia aquæ ſimul & ſemel omnis deliteſcens ignea materia, facta concuſſione vitri debita, expellitur. Si vero nimium aquæ admiſcetur, ita ut ad unam partem olei concurrant quatuor partes aquæ, mitior fit calor, quia motus materiæ ætherea, in quo eſſentia caloris eſt, à copia aquæ temperatur atque infringitur.

3. Videmus etiam ſpiritum vini rectificatiſſimum, cum oleo vitrioli ſi miſceatur, æſtum producere, licet ſine ſingulari ebullitione & cum mutatio-

tatione coloris, dum mixturæ roſeum colorem inducit, neque tanta æſtus vehementia obſervatur, ac ſi aqua fuerit adjecta. Ratio eo recidit, quod ſpiritus vini rectificatiſſimus ſit nil niſi oleum per actum fermentationis in phlegma reſolutum; phlegma igitur ſimiliter, ut aqua, exturbat ex oleo vitrioli igneam materiam, & oleum congreditur cum ſale acido vitrioli, qua ratione etiam efferveſcentia, unde color roſeus purpureus dependet, cum æſtu augetur. Notum enim eſt, omne oleum deſtillatum cum fortiori acido, ut eſt oleum vitrioli vel ſpiritus nitri fumans, fortiter ebullire non ſine magno æſtu & coloris mutatione, qua de re in ſuperioribus obſervationibus fuſius actum eſſe recordamur. Eundem in modum efferveſcentia fit calidiſſima cum ſpiritu nitri acido & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, item cum oleis deſtillatis. Neque tantum corpora terrea fortiter uſta, aqua affuſa incaleſcunt, ſed & ſalia media; idem corpora aluminoſa extremo igne tractata efficiunt. Ita caput mortuum ſpiritus ſalis ammoniaci valde exſiccatum, aqua affuſa cum efferveſcentia incaluiſſe animadvertimus. Simile phænomenon in conſpectum prodit, quando capiti mortuo olei ſuccini aqua affunditur.

4. Neque vero tantum acida & alcalina vel corpora ſulphurea cum efferveſcentia inter ſe quaſi pugnant, ſed & dantur quædam ſalia media, quæ cum acido fortiori & præſertim oleo vitrioli mixta, cum magno fumo, ebullitione & æſtu inter ſe invicem arietant & confligantur. Quod obſervamus, ſi oleum vitrioli ſali communi vel ammoniaco admiſcetur, ita mox albus penetrantiſſimus fumus prodit, quum ex mixtura hujus olei & nitri ſiccati denſus, ex flavo rubeſcens vapor ſurgat, fortiter nares feriens: ubi notandum, quod vitrioli oleum arcano duplicato vel tartaro vitriolato aut nitro antimoniato, quæ etiam mediæ naturæ ſalia ſunt, admixtum, neutiquam id perficiat, ſed ſalva & integra mixtura maneat.

Quærentibus nobis hujus rei rationem, ea ſeſe offert veritati convenientiſſima: non efferveſcunt ſalia media cum acido, ut media, ſed quatenus ex terra alcalina vel ſale alcalino conſtant, quod fortius & fixius acidum aggreditur, & ſe cum eo uniendo efficit, ut acidum ſubtilius & volatile deſerendo prius corpus in aërem feratur. Quia vero in ſalibus iſtis mediis, ut eſt nitrum antimoniatum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal alcali jam eſt unitum cum acido vitrioli fixo; hinc non poteſt fieri, quin oleum vitrioli ſeſe copulet cum ſale alcali, quod jam idem acidum occupavit. Nam leviora acida, ut ſuccus citri, ſpiritus nitri, ſpiritus ſalis, nunquam efferveſcunt cum ſalibus mediis, ſed neceſſe eſt, ut valde forte acidum ſit, cujus naturæ eſt oleum vitrioli.

Ad infringendam doctrinam acidi & alcali, eo quod non omnis efferveſcentiæ ratio ab iis petenda ſit, ſuperiori tempore nonnulli ex ſolertioribus chymicis in medium adduxerunt hoc experimentum, quod ſpiritus nitri acidus cum butyro antimonii acidiſſimo conflictum edat, atque ex eo voluerunt inferre, acidum cum acido efferveſcere. Sed hujus experimenti falſam explicationem & applicationem ante 40. annos admodum juvenis in *diſſertatione de cinnabari antimonii* clariſſime deduxi, cum monſtraverim, nullo modo hic acidum cum acido efferveſcere, ſed efferveſcentiam, quæ exoritur, adſcribendam eſſe ipſi antimonii ſubſtantiæ, qua butyrum antimonii turgidum eſt. Jam vero quem latet, quod antimonium ab aqua regis, quæ ex ſpiritu nitri & ſalis communis acido paratur, cum intenſo calore diſſolvatur. Itaque dum nitrum, vel ſpiritus nitri, aut aqua fortis additur butyro antimonii, quod nihil aliud eſt, quam ſpiritus ſalis concentratus, in quo antimoniales partes ſolutæ fuerunt, ex ſolutione hujus acidi & nitri aqua regis emergit, quæ aggrediendo particulas ſtibiatas, in butyro antimonii latentes, efferveſcentiæ turbas concitat.

Verum longe adhuc aliud obſervatione dignum eſt experimentum, quo paulo luculentius demonſtrari poteſt, acida pura confuſa inter ſe conflictum & efferveſcentiam exercere, eſtque id ipſum minus notum, & caſu nobis non ita pridem ſe obtulit, videlicet quod ſpiritus ſalis fumoſus valde concentratus, qui ex ſale ammoniaco & oleo vitrioli, ſecundum deſcriptionem alibi traditam, conficitur, cum vitrioli oleo vehementem ebullitionem cum ſtrepitu & adſcenſione fumorum albicantium excitet, quum, quod mirum videtur, nullum aliud acidum præter hoc, & ne quidem ſpiritus nitri fumans, eundem effectum exhibeat.

Ratio hujus phænomeni non tam facilis eſt, ſed tamen hæc nobis videtur veritati proxima: Obſervavimus nempe ex hoc ſpiritu, quo dimidium ſaltem vitri, leviter tantum occluſi, repletum fuit in hujus orificio circa ſuperficiem & ſuper obturaculum intra aliquot ſeptimanas pulverem candidum, levem, ſaporis manifeſto ſalſi, accedentis ad ſal ammoniacum, collectum fuiſſe, haud ullo veſtigio acidi relicto, licet ex ſpiritu acidiſſimo ſubnatus fuerit. Hic pulvis, oleo vitrioli inſtillato, poſt vehementem ebullitionem, ingentem fumorum albicantium, quales oriri ſolent, quando ſal ammoniacum vel commune cum oleo vitrioli confunditur, projecit copiam.

Ex quo conjicere licet, non ipſo ſolum in acidiſſimo ſpiritu, ſed etiam in vapore ejus ac fumo ſumme volatili, veram, ſive ut cum philoſophis loquar, formalem ſubſtantiam ſalis ammoniacalis, ex quo hic ſpiritus paratus fuit, ſalvam & integram contineri, & ad ſummum tenuitatis gradum evectam fuiſſe. Oleum igitur vitrioli, huic ſpiritui affuſum, potentiſſimi acidi aculeis particulas ſalinas ammoniacales earumque texturam aggreditur, & ſeſe cum alcalino volatili vel etiam terreo principio uniendo, non modo efferveſcentiam, ſed etiam fumorum evaporationem efficit.

Ex hoc curioſo experimento hoc elicere poſſumus theorema, ſub tenuiſſimo in auras abeunte fumo, indolis penetrantiſſimæ, ſtupendæ exiguitatis particulas ſalſas, ſalva ſua textura, contineri poſſe, adeoque ſub effluviis corporum non unam, ſed varias ſpecies particularum deliteſcere, quod clariſſime hoc experimento evincitur, dum pulvis mediæ & ammoniacalis naturæ vitro adhæſit, iſque in ſatis notabili portione, cum ultra decem grana obtinuerim.

Porro etiam inde diſcimus, magnam eſſe differentiam, ratione effectus, inter acidum forte olei vitrioli, & inter illud, quod ineſt nitro, quia ſpiritus nitri fumans non efferveſcit cum hoc ſpiritu ſalis. Igitur explicatione ſic facta hujus experimenti, clariſſime patet, falſum eſſe illud axioma, quod acidum cum acido, ut pure tali, efferveſcat.

Perquam curioſa quoque eſt hæc efferveſcentiæ ſpecies, quando ſpiritus noſter fumans & inflammans cum ſpiritu urinoſo ſalis ammoniaci, cum aqueo menſtruo deſtillato & probe ſaturato, in vitro amplioris orificii confunditur, tunc cum efferveſcentia fumus denſiſſimus & albiſſimus ſpectaculo jucundiſſimo exſurgit. Si ſpiritus hi ad punctum ſaturationis miſcentur, emergit liquor ſalſo-nitroſus, qui cum liquore noſtro minerali, additis croco & cam-

camphora, remixtus medicinam, in podagricis affectibus demulcendis externa applicatione ſumme proficuam, conſtituit.

Singularis quoque ſpecies efferveſcentiæ datur frigidæ, quæ conſpicitur, ſi ſal volatile ſalis ammoniaci, vel in forma ſicca, vel liquida retentum, miſceatur vel cum ſpiritu ſalis vel vitrioli aut ſpiritu nitri fumante; nam ebullitio ſatis valida fit, ſed in mixtura tota loco caloris, qui fere indivulſus efferveſcentiæ alias comes eſt, inſigne frigus ſeſe manifeſtat. Ut adeo ex hiſce appareat, non omnem motum inteſtinum calorificum eſſe, ſed dari etiam quendam frigoris effectorem.

Rationem hujus phænomeni ſi velimus inveſtigare, ea vix alia eſt, quam hæc, quod in ſale volatili ſumma ſit partium tenuitas & levitas; quo vero major eſt corporum levitas & tenuitas, eo minus cohærent, eoque laxiores habent poros, per quos fluidum æthereum quaſi tranſpirat, neque ibi concluſum tenetur. Unde etiam addito acido, ſine colliſione, ſine compreſſione, reverberatione pertenue corpus ſalis volatilis ſtatim aufugit, & quidem motu rectilineo, non verticoſo, aut circulari, qui ad calorem requiritur, & qualis prodit, ſi corpora ſunt duriora, ſolidiora, compactiora, ex quibus non poteſt non æther magna cum difficultate & alliſione expelli.

Concludere inde poſſumus, ſal volatile purum nulloque oleo imbutum, uti eſt ſal volatile ſiccum ammoniacale, ad æſtum concitandum etiam in corpore humano minus aptum eſſe, quum potius experientia ſuffragante una guttula olei deſtillati plus caloris corpori fœneret, quam integra drachma ſalis volatilis. Nam particulæ volatiles ob ſummam tenuitatem mox evolant & exſpirant, poroſque aperiunt & materiam æthercam calidam, in tenacibus ſulphureis partibus intra corpus retentam, potius ad exhalationem invitant, ut hinc, niſi cutis ſpaſmo ſit occluſa, magis expectanda ſit refrigeratio à ſale volatili, quam caloris incrementum.

Notabilis etiam ſpecies efferveſcentiæ eſt, ubi oleum deſtillatum, v. g. lavendulæ aut aliud cum aqua forti efficaciori miſcetur. Primum quidem nullus obſervatur conflictus aut reactio, ſed oleum ſupernatat aquæ ſtygiæ. Quando autem pauco temporis ſpatio in calido collocantur loco, ingens cum gravi fumo oritur efferveſcentia, & mixtura, ante clara & diaphana, jam craſſa & ſpiſſa flaveſcentis coloris redditur. Tandem ambo coaleſcunt in reſinam, quæ elota aqua communi inflammabilis eſt.

Supereſt adhuc alia eaque valde curioſa efferveſcentiæ ſpecies, quæ oritur in aëre, ex fumis liquoris acidi & alcali inter ſe concurrentibus, quo fit, ut orificiis vitrorum invicem ſibi admotis, nebula & albicans craſſus vapor exſurgat. Nam quemadmodum acidum cum alcali mixtum ingentem mutationem ſubit ratione coloris, virtutis, odoris; ita etiam horum vapores acidi & alcalini volatiles id efficiunt, quum vapor ex ſpiritu progrediens nihil aliud ſit, quam ipſum ſal, mediante calore & aëre in tenuiſſimum vaporem converſum.

Exinde argumentari poſſumus, varii generis effluviis refertum eſſe aërem, quæ ſi diſſimilis fuerint naturæ, occurſu invicem facto facile alterari & immutari poſſunt, adeo, ut quæ naturæ animantium ſumme hoſtilia fuerunt, mixtione & confermentatione cum aliis, omni noxa privari queant.

Cæterum perquam curioſa eſt ſpecies efferveſcentiæ, cujus meminit *Olaus Borrichius in Actis Hafn.obſ.*79.*ann.*1671. Experimentum hoc eſt: Recipe reguli antimonii optimi uncias quatuor, eaſque in mortario vitreo marmoreove in tenuiſſimum redige alcohol (niſi in alcohol abierint, fruſtra hoc experimentum ſollicitabis) quod ſeorſum in charta munda repone. Mox in eodem mortario, ſed prius expurgato, mercurii ſublimati uncias duodecim itidem comminue in pulviſculum ſubtiliſſimum, tandem pollinem utrumque in charta, crebra bacilli querni vel fagini, (neque enim magni intereſt) agitatione conjunge, ut minima minimis probe & intime remiſceantur. Nullus adhuc calor vel fumi graveolentis veſtigia, itaque pulveres hos vitro quadrato minuſculo ſtrictioris orificii immitte, immiſſoſque bacilli frigidi extremitate latiori continuo & valide comprime, ut ſuperficies pulveris ubique preſſa in arctum cogatur, inſiſte premendo ad quadrantem adhuc unum, bacillus, qui ante ſuperficiem tantum lambebat, mox ſubit altius maſſam ad fundum uſque, quo viſo dictum factum, craſſi fumi cooriuntur, vitrum incaleſcit, materia, quæ vitro continetur, extra oras ejus ſeſe evolvit, ſpumat, efferveſcit, funditur, & totum cubiculum gravi vapore confundit, unde mature libero aëri exponendum vaſculum, ut operationis cataſtrophe eo ſecurius conſpiciatur.

---

## OBSERVATIO X.

### *Experimenta cum calce viva inſtituta.*

Materiam calcis vivæ non modo ſubterranea loca, lapides videlicet poroſiores & qui multum ſulphureæ ſubſtantiæ poſſident, ſuppeditant; ſed & ex regno animali omnes ovorum teſtæ, cochleæ, & ex marinis omnia conchylia, oſtreacea, in terram calcariam, quæ cum aqua efferveſcit, & ſumma acredine imbuta eſt, interſiori igne comburi poſſunt. Quo etiam ſpectant teſtæ cancrorum eorumque lapides & ex marinis corallia.

Lapides calcarei id habent peculiare, ut aqua, præſertim pluvialis, per tractus ſubterraneos hoc lapide refertos tranſcolata, multum de hac teneriori, terrea & lapidea ſubſtantia ſecum abripiat imbibatque, quæ poſtea ex aqua ſecedens lapidificationis admirandæ ſæpius propter figuras & imagines, quas exhibet, cauſa exiſtit, uti jucundiſſimo ſpectaculo apparet in ſpecubus, cavernis & præſertim in ſpecu Baumanniana, ubi in aqua, ex lapidoſis fornicibus deſtillante admirandæ imagines conſpiciuntur; ubi vero ejuſmodi aquæ lapide calcario turgidæ inſtar fluminis tranſeunt loca, ibi in fundum mittunt lapidoſam, tophaceam, in aqua molliuſculam, ſed quæ in aëre valde indureſcit, materiam, quam Germ. *Tuffſtein* vocare ſolent. Hinc etiam fit, ut omnes illi lapides, qui concreverunt ex aquis decidentibus, ſi acri igne urgentur, in calcem acerrimam comburantur.

Calx viva, humido aëri diu expoſita, non modo multum remittit de acrimonia ſua, ſed & non amplius, aqua affuſa incaleſcit, nec poſtea, ſi miſceatur cum arena, indureſcit. Calx vero recens uſta affuſione aquæ fortiter ebullit, & poſtea admixtione arenæ in duram ſolidam maſſam cogitur.

Aqua calci vivæ affuſa & ſoluta notabili acri ſapore imbuitur, qui leni igne tota avolat, omni volatili acri principio ſe in auras proripiente, ſique acidum ejuſmodi aquæ calcis vivæ affunditur, in ſal tertium amaricans quidem abit, aſt non coagulatur, ſed in deliquio perſiſtit, quod etiam fit, ſi calx viva ſalibus acidis affunditur.

In-

Interim tamen aqua calcis vivæ ſolvit promte ſulphur minerale, & ex antimonio illud extrahit, idque quodam modo figit, & ſolutionem cum acidis præcipitat.

Calx viva cum albumine ovi mixta, in ſtabilem firmam maſſam coagulatur, quod etiam fit cum caſeo. Conficiuntur hac ratione luta, in laboribus chymicis ad coërcendos ſpiritus minerales ſub eorum deſtillatione utiliſſima.

Inſervit autem calx viva multis rebus, etiam œconomicis & mechanicis perficiendis; nam non modo ex ea admixta arena, debita adjecta aquæ portione, item cum argilla, ſi mixtura paulo diutius ſtet, fiunt præſtantiſſima coementa, quibus firmiſſime lapides coagmentantur & fiſſurarum hiatus occluduntur, ne aqueus illabatur humor; ſed & tinctores ea utuntur ad colores exaltandos, præſertim cœruleum, qui ex indigo paratur. Metallurgi eam ſolent miſcere cum mineris ad detinendum ſulphureum acidum atque impura mineralium recrementa, quo portio metallica purior ſecedat. Agricolæ ad incrementum vegetationis promovendum non ſine fructu eam adhibent; mixta enim cum terra ſulphurea nimis pingui & humida, attenuando & rarefaciendo eam, uberiorem ſucci nutritii proventum efficit. Quin etiam nonnulli curioſiores ex fimo vaccino, oleo raparum vetuſto, calce viva & aqua pluviali, prævia fermentatione, liquorem conficiunt, in quo ſemina macerant, & hac ratione ingens fœcunditatis incrementum expectant.

Ad conſervationem vinorum dulcium, Hiſpanicorum, Sect &c. œnopolæ utuntur calce viva, ut acidum, quod cauſa fermentationis potiſſima eſt, abſorbendo, fermentationem, quæ deſtructrix dulcedinis eſt, prohibeant; felicius tamen res ſuccedit, ſi levi igne coquuntur.

In calce viva deliteſcit duplex principium, unum valde fixum terreum, alterum eſt valde ſubtile, volatile, penetrans, igneæ quaſi naturæ: quamdiu hoc cum illo connexum manet, tantum abeſt, ut ignis etiam vehementiſſima tortura ſeparetur, ut potius firmius adhuc conglutinetur. Quando vero beneficio aquæ, accedente præſertim coctione, volatile à fixiori terreo elementum ſejungitur, tum volatilem ſuam indolem eo oſtendit, quia levi calore totum in auras vibratur. Hinc aqua calcis vivæ, utut ſit valde acris ſaporis, tamen tota evaporat, ne particula quidem fixæ materiæ relicta. Si vero aqua calcis vivæ ſaturata coquitur cum ſale tartari bene calcinato, valde cauſticam ſive corroſivam penetrantem virtutem acquirit, adeo, ut non tantum fortiter adurat & morſu afficiat linguam, ſed etiam loco cauterii, quia carnem exedit, potentialis uſurpari poſſit. Fit ex ejuſmodi ſale cum ſpiritu vini tinctura, ut vocant, calcis vivæ ſeu ſalis tartari acerrima, potentis ad urinam movendam virtutis. Paratur etiam ita lixivium ex calce viva & ſale tartari, quod ſolutioni & extractioni ſulphuris vulgaris vel antimonialis aptiſſimum eſt. Spiritus etiam ſalis ammoniaci, cum calce viva paratus, penetrantia odoris & acrimonia ſaporis, imo volatilitate eum, qui paratur ex cineribus clavellatis & ſale ammoniaco, longiſſime ſuperat.

Hæc omnia clare demonſtrant, ineſſe calcibus uſtis principium non quidem ſalinum, ſed ſubtiliſſimum tamen quaſi terreo igneum volatile, quod ſalibus tam fixis, quam volatilibus urinoſis, ſummam acrimoniam & vim cauſticam etiam addere, corpora pinguia & oleoſa diſſolvere, & volatiles acidas præprimis partes figere & continere optime poteſt,

Calx viva in aqua ſoluta, tota evaporat, cum acidis vero nec efferveſcit, nec coagulatur, neque etiam à ſpiritu ſalis in præceps fertur, à ſpiritu vero ſalis ammoniaci, item ab oleo tartari per deliquium lacteum colorem concipit.

Habet vero præterea virtutem figendi, hinc ſulphur antimonii ſola larga decoctione in fixam ſubſtantiam redigit. Et quando ſpiritus ſalis affunditur aquæ calcis vivæ, nulla quidem fit efferveſcentia, acidum tamen ſalis à partibus terreis alcalinis calcis vivæ in neutrum mutatur, quod facta evaporatione in fundo vitri albiſſimum remanet, neque aliter, quam inſtar ſpumæ nitri ſub flocculorum forma apparet, qui pulvis amaricantis eſt paululum ſaporis, ſed indolis fixæ, nam nec fluit in igne, neque etiam acidus ſpiritus facile dimittitur, niſi per adjectionem olei vitrioli, quod calcareum principium aggrediendo, dum ſe cum illo intime unit, ſpiritum acidum ſalis ex nexu ſuo ejicit.

Curioſa inter alias etiam eſt obſervatio, quod oleum vitrioli cum calce viva ſi miſceatur non in mediocri quantitate, & aqua affundatur, ebullitio quidem fortis promte ſequatur, ſed aqua ſupernatans nullo manifeſto ſapore ſalſo, qui tamen ex acido affuſo & terra alcalina gigni debebat, impprægnetur, non levi teſtimonio, terram calcis vivæ alcalinam imbibere quidem avide ac liberaliter acidum, non vero cum tam fixo acido in ſal ſalſum coaleſcere. Ut adeo inde appareat, ex acido & terra alcalina non ſemper provenire ſal medium, quin imo hoc experimentum docet, terras exuſtas & in calciformem ſubſtantiam redactas, ut conchas, corallia, matrem perlarum &c. ingentem virtutem habere acidi deſtructricem, eaque non ſine inſigni fructu, ubi acidum in primis viis luxuriatur, ut ſæpe fit in intermittentibus & malo hypochondriaco, adhiberi.

Sunt adhuc plura inter labores chymicos ab uſtis calcibus beneficia expectanda, inter quæ non infimum illud eſt, quod ſalia volatilia, ex regno animali petita, non modo facilius à compedibus oleoſis, quibus irretita ſunt, liberet, ſed & puriora & defæcatiora ea exhibeat. Ita commodiſſime urinæ inſpiſſatæ, ad ſpiritum urinæ volatilem eliciendum, lumbricis exſiccatis, ad ſal volatile eorum urinoſum deſtillandum, ſanguini etiam humano exſiccato, ad ſal volatile ejus purius & copioſius efficiendum, ante deſtillationem calx viva adjicitur. Hoc enim corpus, dum imbibit oleum nimiamque abſorbet humiditatem, & ſpiritum urinoſum & ſal volatile ex animantium partibus candidius & copioſius producit. Quidam etiam vivam calcem, cum tartaro crudo mixtam, ex retorta igne aperto deſtillant, & ita ſpiritum urinoſum tartari ſale ſuo volatili ſæpe turgidum obtinent.

Eſt adhuc alius calcis vivæ uſus valde eximius, oleorum rectificationi inſerviens, dum ejus ope olea empyreumatica ex animalibus, v. g. cornu cervi, eboris, fuliginis, & limpidiora & nobiliora ratione virtutis redduntur.

Eadem encheireſi adhibita etiam pinguedines vel olea expreſſa ad majorem ſubtilitatis & penetrantiæ gradum perduci poſſunt.

Calx viva ea gaudet quoque natura, quæ ipſum volatile principium minerarum & maxime ſulphur minerale figit & à fuga vindicat, quod patet ex eo, quia ſi æquali portione calx viva & ſulphur miſcentur & in igne aperto comburuntur, pondus calcis vivæ increſcit, & quod ſulphur in eo adhuc contineatur, exinde manifeſtum fit, dum ſolutio calcis in aqua cum tempore fœtorem ſulphureum acquirit.

Terra etiam alcalina calcis vivæ multum confert ad copioſiorem ſalis volatilis proventum ex fecibus vini, ex urina exſiccata, lumbricis terreſtribus, ſi ipſis admiſceatur & deſtillatio fiat; oleum enim empyreumaticum arripit & imbibit, & cum eo tandem per igneum motum accedentem in ipſum ſal volatile tranſire, valde eſt credibile.

## OBSERVATIO XI.

### *Animadverſio de differentia ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva & ejus, qui cum ſale alcali paratus eſt.*

SAl ammoniacum ex urinoſo volatili ſale, cum acido & ſale communi ligato, compoſitum eſſe, idque inter ſalia neutra referendum, & ſal volatile rurſus ſui juris fieri per additionem ſalis vel corporis alcalini, acidum abſorbentis, nemo dubitabit. Adeoque non modo ex ſale tartari & ſale ammoniaco, ex lapide calaminari, ex limatura martis, hæmatite per mixtionem cum ſale ammoniaco, ſed quoque ex calce viva producitur ſpiritus volatilis; at nullus eſt, qui ceteros omnes volatilitate & peculiari virtute vincat, quam qui per miſcelam cum calce viva fuerit paratus. Quæ res quum haud levis momenti ſit, nos hoc loco differentiam ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci cum calce viva, & ejus, qui cum ſale alcali confectus fuit, cum ſpecificis notis & proprietatibus exhibere conſtituimus.

1. Etenim nunquam ſal volatile ſiccum, album & ſolidum, ſi deſtilletur cum calce viva, in alembicum tranſit, ſicut fit, ſi loco ejus ſal fixum alcalinum fuerit aſſumtum.

2. Spiritus cum calce viva factus & odore & ſapore & penetrantia longe fortior eſt, quam qui ex ſale tartari & ſale ammoniaco prodit.

4. Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viva deſtillatus prompte unit ſe cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, nullo coagulo vel præcipitatione ſubſequente, cum alter hac ratione ſtatim coaguletur, & in offam albam fatiſcat.

4. Notabile eſt, ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viva nullam pati ebullitionem ab ullo acido, quod quaſi paradoxum videtur, & vulgari axiomati contrarium, quo aſſeritur, omnia acida efferveſcere cum alcali, nihilo minus tamen inde ſal neutrum emergit.

5. Spiritus ſalis ammoniaci acris cum calce viva vehementius diureſin movet, quam alter ex cineribus clavellatis factus. Præterea etiam excellentem virtutem diſcutiendi habet, unde in tollendis tumoribus, ac doloribus mitigandis & abigendis multum valet.

6. Externe in affectibus ſoporoſis, apoplexia, ad excitandum non ſine inſigni commodo naribus applicari poteſt, & quia cum ſpiritu vini rectificatiſſimo amice jungitur, quod non ſit cum ſpiritu ſalis ammoniaci, ex cineribus clavellatis vel ſale alcali & ſale ammoniaco parato, maxime inſervit ad extemporaneam ſalis volatilis oleoſi, ſecundum Sylvii methodum, præparationem.

7. Porro etiam cum hoc ſpiritu ſolvi & extrahi poſſunt ſulphura mineralium, ſi nempe flores ſulphuris cum eo digeſtioni exponuntur, vel antimonii regulus medicinalis cum aqua calcis vivæ exaltata hoc ſpiritu tractatur, & quoad partem ſulphuream diſſolvitur.

8. Linimentis etiam & unguentis hic ſpiritus inſignem vim penetrandi conciliat, ut eo melius ſubire poros, parteſque laborantes afficere & ſolari poſſint.

Rationem proceſſus ſi inquiramus, hæc maxime in mentem venit: latet in calce viva principium admodum tenue volatile, igneæ & penetrantiſſimæ indolis, ineſt etiam ipſi terra alcalina fixior, quæ ſalis ammoniaci acidum prompte abſorbet, & dum ſeſe cum eo intime conjungit, volatile illud calcis vivæ principium ſeparatur, & conjunctum cum ſale volatili ſalis ammoniaci urinoſo illud exaltat, acuit, ſummamque ipſi penetrantiam & volatilitatem fœnerat. Ut enim ſal fixum alcali ab unione principii volatilis calcis vivæ valde acuitur, & acrius ac penetrantius evadit, ita ſimiliter id fieri cum ſale urinoſo volatili, præſenti experimento docemur.

Quod vero non ſub ſicca forma, ſed liquida in deſtillatione prodeat, hæc videtur ſubeſſe cauſa: ſal alcali quando additur ſali ammoniaco, in libertatem ſeſe vindicat ſal volatile urinoſum, quod quaſdam adhuc fixas ſalinas alcalinas partes ſecum abripit, ſimulque in altum elevat, unde ſiſtitur ſal volatile in forma ſicca. Quia vero in calce viva non ineſt ſal alcali, ſed principium ſaltem terreum, valde fixum & ſimul volatile, relinquit illud, hoc vero ſecum auffert, quod ob igneam & mobiliſſimam ſuam naturam potius ejus coagulationem impedit, tantum abeſt, ut eam promoveat.

9. Denique vero illud meretur conſiderari, quod hic ſpiritus cum calce viva paratus, addito ſpiritu vini rectificatiſſimo, non coaguletur, ſed vehementer appetat ejus connubium, quod alias cum ſalium natura pugnare videtur, quorum intimam unionem ſpiritus inflammabiles penitus reſpuunt.

Videmus inde, quod ſal volatile magnam alterationem in intima ſua mixtione ab admixto è calce viva principio volatili ſuſtinuerit, dum à ſubtili mobiliſſima materia ſalis rigidiores partes valde diviſæ & in tenuiſſimas minutias redactæ fuerunt, ut ſeſe facilius poris ſpiritus inſinuare poſſint.

## OBSERVATIO XII.

### *Animadverſio circa oleum vitrioli ejuſque effectus, quos producit, ſi variis ſalibus & mineralibus admiſcetur.*

OLeum vitrioli eſt omnino inter inſtrumenta chymiæ & rerum naturæ magnalia primum & præcipuum maximique æſtimandum. Nam certe hoc ipſo varia & curioſa non ſolum adornari poſſunt experimenta, ſed medicamenta quoque præſtantiſſimæ virtutis ex eo parare licet. Maxime omnium vero ſecretioris chymiæ ſtudioſi ac profeſſores, & qui alchymiſticam atque tranſmutatoriam artem paulo ſubtilius & altius excolere volunt, oleum vitrioli inter ea præcipuo loco habent, quibus ad ſuas artes perficiendas uti ſolent. Atque ut verum fateamur, magnæ omnino virtutes ac vires in ipſo reconditæ ſunt, quæ evidentiſſime ex ipſis effectibus, quos producit per varias mixtiones, evincuntur.

Eſt vero oleum illud nil aliud, quam liquor craſſus, ponderoſus, fixus, acidiſſimus, extrema ignis tortura ex vitriolo calcinato expreſſus, ſique recens deſtillatus fuerit, inſtar aquæ diaphanus eſt, facillime vero ad mixturam corporis cujuſdam

ſulphurei, ſive quod oleoſi quicquam & inflammabilis principii ſecum recondit, ſaturata rubedine coloratur. Circa hoc oleum illud inprimis mirabile videtur, quod efferveſcat cum aqua & intenſiſſimum æſtum producat, adeo, ut etiam glacies ipſi injecta tantum æſtum accendere poſſit, ut vitro fracturam minetur, ſemper tamen obſervata juſta proportione, ad felicius inſtituendum experimentum neceſſaria: quod ſi enim plus aquæ, quam olei vitrioli miſcetur, æſtus mitior ſurgit, ſi parcior aquæ portio recipitur, æſtus quoque lenior evadit, optime vero res ſuccedit, ſi æqualis pars olei & aquæ ſumitur. Et certe ſimile phænomenon tota rerum natura non oſtendit, quod acidum liquidum efferveſcat & intenſiſſimum calorem cum aqua procreet.

Cauſa hujus phænomeni non ſine ratione quæritur, quæ nulla eſſe alia poteſt, quam quod acidum vitriolicum ſit vehementiſſimo igne colliquatum, ſed omni phlegmate privatum, unde particulæ igneæ copioſiſſimæ, huic acido intermixtæ, illius interſtitiis inhærent idque liquidum efficiunt: quandocumque vero aqua admiſcetur, tunc hæc gravitate ſua occupat illa interſtitia, quæ antea ſtipabat ætherea, ignea materia; hæc vero dum vi & impetu egreditur, motu inteſtino calorem producit, non ſecus ac calx extreme uſta, diſſipato omni humido, poros refertos habet materia ignea, ubi aqua affuſa hanc cum impetu protrudens inſignem æſtum parit.

Deinde cum cura illud conſiderandum venit circa oleum vitrioli, quod non aliter, quam alia alcalina fixa fortiſſime calcinata, humidum ex aëre attrahat; nam ſi oleum vitrioli, pondere prius examinatum, diutius aëri exponitur, & poſtea rurſus ad lancem pondus exigitur, illud dupla vel tripla quantitate increviſſe deprehendimus, eaque propter, cum oleum vitrioli quaſi magnes ſit humidi aërei, humiditas atmoſphæræ hoc ipſo indagari poteſt. Sed tamen ejuſmodi oleum, quod ex aëre imbibit humiditatem ſufficientem, non amplius cum aqua æſtum profert. Idem obſervatur in calce viva, quæ diutius aëri expoſita non amplius in aqua affuſa ebullit vel æſtum producit.

Hoc quoque ſingulare phænomenon eſt, quod oleum vitrioli, vehementi ignis tortura ex calcinato vitriolo expreſſum, & demum per retortam vitream igne arenæ rectificatum, limpidum ac pellucidum ſit inſtar aquæ, omnis coloris expers; nihilo minus facili negotio tam ex aëre, quam etiam adjectione aliarum rerum, quæ pauxillum principii inflammabilis continent, colorem ſaturate rubicundum contrahat, cujus rei ratio merito diſquirenda eſt.

Deinceps diverſos effectus atque phænomena oleum vitrioli exhibet, prout iſtud cum varii generis ſalibus, mineralibus, metallis vel etiam vegetabilium ſuccis commiſcetur.

1. Cum ſale tartari ſoluto ſi miſcetur ad punctum ſaturationis, tunc prodit ſpiritus, per retortam leni igne deſtillandus, inſipidus quidem, nihilo minus indolis ſubtiliſſimæ, quia longe citius leni calore avolat in auras, quam aqua communis, atque etiam ad cochlear unum ſumtus, ſudorem & tranſpirationem movet. Et hic ſpiritus magni nominis medico, Niednero, ſpiritus mundi fuit, quo ſe auctor in famam dedit multumque argenti lucratus eſt. Cum hoc liquore egregie poſſunt extrahi extracta, item ſpecies ad elixir proprietatis, atque opium ſolvi in extractum. Quod vero remanet in retorta, hoc ſolutum & filtratum conſtituit lixivium, quod leni calori expoſitum, dimittit ſal neutrum, quod tartari vitriolati nomine venit, & virtutem habet inſignem aperitivam, diureticam, reſolventem, laxantem, ſi in majori copia cum aqueo vehiculo offertur.

2. Oleum vitrioli limaturæ martis puræ & à rubigine liberatæ in phiola affuſum, adjecta convenienti aquæ quantitate, ingentem æſtum atque efferveſcentiam excitat, ita, ut vapor valde ſulphureus exhalet, qui, poſtquam orificium pollice prius fuit obturatum, & deinde recluſum, candelæ flammæ admotus, cum magno ſtrepitu accenditur, & quaſi fulgur emittit, quinimo in ipſo tubuli orificio ardet, manifeſto indicio, per hanc efferveſcentiam ſulphur tenuiſſimum ferri cum ſulphure vitrioli volatili, quo ſcatet, mixtum exhalare, & ſiccam exhalationem hanc ſulphuream poſtmodum accendi, relicto acido vitrioli fixiori cum terra martiali alcalina, ex qua poſtea, debita facta aquæ affuſione, vitriolum martis elici poteſt.

3. Quod ſi oleo vitrioli adjicitur ſal commune, ita, ut æquali pondere invicem in cucurbita miſceantur, v. g. ad libræ dimidium, tunc protinus fumus exſurgit, ſeu vapor copioſus, albus, ſubtilis, penetrantis acidæ indolis; alembico applicato, ſi igni committitur arenæ, prodit ſpiritus & ſuperaſcendit alembicum, (quod rarius viſitur in acidis mineralibus ſpiritibus) acidiſſimi ſaporis, valde concentratus atque volatilis, nam ſubtilem vaporem calore admoto emittit. Atque hic eſt genuinus ſpiritus ſalis, qui levi labore ac brevi compendio paucis ſumtibus deſtillatur ex arena, cum alias laborioſa methodo & magna ignis tortura ex globulis argillaceis, cum ſale communi mixtis, vulgariter elici ſoleat.

Hic ſpiritus ſubtiliſſimus acidus omnibus aliis acidis mineralibus merito præferendus eſt, partim quod ſal commune, ex quo deſtillatur, præ omnibus ſalibus corpori noſtro valde ſit amicum, partim quod ſit volatilis naturæ, quæ alias non cadit in acida, ſiquidem nec acetum vini ita tranſſcendit alembicum. Nec vero ſolum hic ſpiritus refrigerat, ſitimque & æſtum, qui præter naturam eſt, extinguit, ita ut optime ingrediatur julapia refrigerantia cum ſyrupis grati odoris & ſaporis; ſed & præterea appetitum excitat, cruditates bilioſas præcipitat, alvum & urinam movet, inque morbis & corporibus calidioribus medicinam præbet æſtimatiſſimam. Hic ſpiritus primo aqua dilutus & poſtea ſale tartari quodammodo infractus, ita tamen, ut acidus ſapor emineat, & colore rubineo tinctus, v. g. floribus papaveris rhœados, bellidis, tunicæ, conſtituit famigeratiſſimam tincturam Mœbii aperitivam.

4. Quandocunque oleum vitrioli nitro optimo, quale eſt Ruſſicum vel Indicum, prius exſiccato, in retorta vel etiam cucurbita affunditur, tum fumus ſtatim exſurgit ruber copioſus: in arena ſi adornatur deſtillatio, ſpiritus prodit, qui & alembicum & vas recipiens ſaturato flammeo colore obducit, concentratiſſimus, acidiſſimus, qui nil niſi aqua fortis eſt ſaturatiſſima, leniſſimoque igne elicitur.

Ratio proceſſus eo referri debet: Nitrum ex ſpiritu acido valde ſulphureo & terreo alcalino principio eſt compoſitum; quandocunque itaque oleum vitrioli admiſcetur, tunc illud, ceu fixum acidum valde concentratum, aggreditur terram nitri fixam alcalinam, quæ ſpiritus acidiſſimi hoſpitium quaſi & domicilium eſt, & invicem uniuntur, ſpiritus autem acidus nitri extricatur ſuique fit juris, & facili negotio avolat inque auras disjicitur, & quoniam nullum phlegma conjunctum habet, fortiterque concentratus eſt, hinc admiſſo aë-

re libero fumat: in fundo vaſis relinquitur ſal coagulatum duriſſimum, inſtar glaciei diaphanum, ſed acidiſſimum.

Spiritus hic, quando recte fuerit præparatus, non modo cum omnibus oleis deſtillatis & ſpiritu vini rectificatiſſimo vehementiſſimam ſuſcitat effervescentiam, copioſo rubicundo vapore ſtipatam, ſed & ipſa olea deſtillata graviora aromatica, quæ fundum in aqua petunt, luculenta flamma accendit inque cineres ſiccos ea convertit, qua de re ſupra fuſius actum eſt.

5. Experimentum notatu digniſſimum eſt, quod oleum vitrioli auripigmento, in pulverem contrito, affuſum, ex retorta vitrea quando deſtillatur in arena, liquor prodeat glaciatus craſſus, inſtar butyri antimonii, ſed penetrantiſſimi odoris ſulphurei, qui intus ſuſceptus inſpiratione, fere ſuffocationem minari videtur; brevi tamen tempore vapor hic penetrantiſſimus in auras avolat, & relinquitur acidum ſtagma, inſtar ſpiritus vitrioli, omnis ſaporis expers, cui lamellæ ſulphureæ innatant. In collo vero retortæ conſpiciuntur flores flavi, qui odore perfectum ſulphur vulgare redolent, & hi ſatis quidem copioſi, adeo, ut ex unciis quatuor auripigmenti & unciis tribus olei vitrioli ad minimum uncia una florum poſſit obtineri.

Hi flores fere ſunt inſipidi, & intus dati potenter movent ſudorem, ut nec facile ulla medicina ſudorifera cum ipſis poſſit comparari. Differunt tamen in eo à ſulphuris vulgaris floribus, quod vapor, quem emittunt, ſulphureus albus ſit, indicio, latitare adhuc intus principium quoddam arſenicale, quod tamen involutum ſulphureæ texturæ, virulentiam maxima ex parte deponit. Caput mortuum ex atro brunum relinquitur, omni ſapore privatum, flammæ vero admotum quodammodo ardet.

Quæſtio hic non immerito moveri poteſt, quomodo olei vitrioli vis maxime corroſiva extincta fuerit, ſiquidem nec flores, nec caput mortuum quicquam iſtius arguunt, qui prodiit vero liquor, tantum acidulus eſt? Verum enim vero nullum eſt dubium, quin oleum vitrioli, cum parte ſulphurea inflammabili auripigmenti combinatum, in ſulphuream coiverit ſubſtantiam; ſiquidem non ignotum eſt, ſulphur vulgare eſſe materialem ſubſtantiam & vitrioli & olei ejus acidiſſimi, quod ex vitriolo paratur, nam ejus accenſi fumus concentratus acidiſſimus eſt.

Docemur ex hac mechanica chymica, quod acidiſſimum liquidum idque corroſivum ſola mixtione, cum terra nempe phlogiſta, inſipida, in inſipidum converti poſſit, quod ſane mirum videtur. Deinceps & hoc experimentum analyſin chymicam ſulphuris nobis exhibet, quod nempe ex acidiſſimo ſale & terra phlogiſta ſive inflammabili illud compoſitum ſit.

6. Oleum vitrioli, opio crudo in fruſtula diſciſſo ſuperfuſum, ſi mixtura retortæ vitreæ committitur atque deſtillatio per ignem adornatur, ita, ut ambo minimum ſex uncias expleant, præbet liquorem fœtidiſſimum, ſaporis acidi ingrati, pellucidum, circiter ad uncias duas; remanet in retorta caput mortuum nigri coloris, levis & ſpongioſæ materiæ, fere inſipidum, quod flammæ admotum odorem ſulphuris vulgaris exſpirat.

Experimentum hoc chymicum, admodum curioſum, altiorem exigit diſquiſitionem; videlicet admiratio non mediocris capere debet quærentem, quorſum ſeceſſerit illud corroſivum, quod oleo vitrioli ineſt, acidum valde ſaturatum, ejuſque ponderoſitas, & quomodo ſubtracta fuerit ſubſtantia illa gummoſo-reſinoſa opii, ſaporis amaricantis & odoris graveolentis vaporoſi, cujus nec veſtigium in capite mortuo vel in liquore apparet. Dignum præterea diſquiſitione eſt, unde pondus duorum ingredientium decreverit, cum vix dimidium in liquore, qui prodiit, & in capite mortuo conſpiciatur.

Noſtra igitur de hac re eſt ſententia, quod oleum vitrioli actione, quam exſerit in ſubſtantiam gummoſo-reſinoſam opii, non modo plane aliam texturam ratione ſaporis, coloris & odoris acquirat, ſed maxime omnium in gas ſive vaporem tenuiſſimum ſulphureum tetri odoris reſolvatur, qui ob tenuiſſimam indolem facile avolat atque in auras disjicitur.

Quod attinet ad uſum medicum, is quoad caput mortuum notus eſt; cum enim conſtet ex ſubſtantia ſulphurea vitrioli fixiori & terra opii, exſerit utique virtutem quandam ſedativam in compeſcenda dolorum, convulſionum & ſpaſmorum atrocia, hinc à B. Cramero, Profeſſore & Chymico Erfurtenſi, pro ſulphure vitrioli anodyno habitum eſt.

## OBSERVATIO XIII.

### *De vero oleo vitrioli dulci.*

DEſtillatio olei dulcis ex vitriolo jam à primis inde temporibus, quibus ars chymica excoli & incrementa ſumere cœpit, innotuit. *Baſilius Valentinus* ipſeque *Paracelſus* jam ejus faciunt mentionem. Nam ſicuti antiquiſſimorum chymicorum labor eo collineabat, ut præter ſua arcana etiam medicinam pro metallis ignobilioribus in verum aurum tranſmutandis ſecretiſſimam quærerent; ita hujus ipſius materiam in vitriolo, ex quo arte elici debeat, quærendam eſſe ſibi perſuadebant, adeoque hoc ipſum ſal variis modis & artificiis ignis exercebant, variaque inde præparabant, ſicuti ex clariſſimorum Chymicorum monumentis id eſt perſpicere. Et quod hoc ſimplex pro veri lapidis philoſophici materia habuerint, canon ille πολυθρ λλητος, Alchymiſtis maxime uſitatus, ſatis ſignificanter declarat;

*Viſita Interiora Terræ, Reperies Ibi Occultum Lapidem Verum Metallorum.*

Literæ initiales, in unum collatæ, vitrioli nomen exprimunt. Hos miris modis exercuerunt & varias ex eo concinnarunt præparationes, inter quas maxime commemorabilis eſt proceſſus, quo oleum vitrioli dulce reddi queat. Meminit jam hujus *Valerius Cordus*, primus iſque diligentiſſimus materiæ mineralium ſcrutator, ex quo deſumſit *Conradus Geſnerus* proceſſum, qui in *theſauro Evonymi de remediis ſecretis L. II. Tiguri impreſſo anno* 1552. hunc in modum enarratur: *Recipe vini ardentis acerrimi & ter ſublimati uncias quinque, olei vitrioli auſteri tantundem, miſce in venetiano vitro & pone in cucurbitam parvam anguſto orificio, & luto optimo orificium claude, dimitte ita per integrum menſem aut duos. Deinde effunde in cucurbitam, cui ſit immediate annexum alembicum, hoc eſt,* ein Kolb mit einem angeſchmeltzten Helm, *cujus figuram ſubjiciemus, pone deinde in parvam fornacem ac dimidiam ejus partem cinere obrue, poſtea applica recipientem & luto juncturam claude diligenter, & extrahe uncias ſex vini ardentis, quas infudiſti. Ut vero tutius hoc fiat, pone in balneum Mariæ, ſic ſolum vinum abſque oleo aſcendet. Cum extraxeris*

*autem*

*autem per balneum infuſas uncias ſex vini uſti, pone id, quod reſiduum eſt, in fornacem, ut arena mediam cucurbitæ partem attingat, ac novo & vacuo recipiente eoque non magno applicato, luto juncturam diligenter claude. Accende deinde modeſtum ignem, & ſenſim extrahe omnem humiditatem, quæ relicta eſt in cucurbita, donec nihil humidi amplius in fundo appareat, adhibita ſemper maxima cura & diligentia, ut ignem ita modereris, ne ebulliat uſque ad alembici canalem. Nam ſi hunc ebullitio attigerit, ſedare non potes, neque prohibere, quin in receptaculum egrediatur ac totum oleum perdat, ſolet enim facillime ebullire. Tum videbis duo contineri in eo, aqueum videlicet humorem ac pinguem; ſegregabis vero unum ab altero ſtatim, ita ut nihil aqueum in oleo relinquatur, nam aqua illa oleum corrumpit, ſegregatum oleum uſui reſerva.* Et porro ſcribit: *diligenter reſervandum eſt, nam modicum fit ex libra una olei auſteri, & facile propter aëream virtutem evaneſcit.* De uſu id addit: *Valet ad omnes in corpore putrefactiones & præcipue ad peſtem, ad educendum è pulmone in pleuritide & peripneumonia & difficili tuſſi pus & craſſos viſcoſoſque humores. Tuto enim & abſque ullo periculo intra corpus ſumitur, calculum neque in renibus, neque in veſica coaleſcere ſinit, exulceratam veſicam ſanat, doſis eſt ejus una vel altera guttula aut tres in vino modice temperato. Crollius in Baſilica chymica pag. 346. hunc in modum præparationem olei vitrioli dulcis inſinuat: Recipe olei vitrioli rectificati partem unam cum partibus quatuor ſpiritus vini alcoholiſati, in balneo rorido per aliquot menſes digere, & poſt deſtilla, ſic habebis oleum vitrioli ſupernatans aquæ ſuaviſſimi odoris & ſaporis, in uſu medico maximæ efficaciæ.*

Hi ſunt duo illi proceſſus, quos in vetuſtiſſimis chymicorum monumentis reperi. Jam quæſtio ſine injuria moveri poſſe videtur, num res ſucceſſui reſpondeat, cum hunc proceſſum *Geſneri*, quem *Valerio Cordo* alias tribuunt, nunquam ego me ullo in ſcripto repetitum legiſſe meminerim, præſertim cum circumſtantiis & cautelis munitum. Inde veriſimile eſt, inſequutæ ætatis chymicos vel eum non præparaſſe, vel eum non pro genuino habuiſſe, cum tamen ſit veriſſima deſcriptio.

Quem *Crollius* deſcribit, eſt ipſe ſpiritus vitrioli dulcis, & quum omiſerit in præparatione hac præcipuas circumſtantias, quas tamen addidit *Geſnerus*, nobis dubitare omnino licet, an unquam præparaverit tale oleum vitrioli dulce, eam maxime ob rationem, quia ſcribit, quod oleum hoc ſupernatet aquæ, cum tamen ob gravitatem potius fundum petat. Dubitavit etiam de hoc proceſſu *Hartmannus in notis ad Crollium*, & ſubſtituit aliud oleum dulce vitrioli, quod ita ſe habet: *Oleum vitrioli in ſartagine ferrea nova cum aqua communi tam diu coquatur, donec ſal corroſivum ad fundum ſartaginis collectum fuerit, & tunc reliquum oleum vitrioli dulceſcit. Idem facit ferrum candens, in oleo vitrioli aliquoties extinctum, ſed ab illa* ἐγχειρήσει *virtutes olei valde immutantur, nec effectus medici inde ſperantur.*

Ecquis hic non perſpicit, oleum vitrioli cum ferro mixtum, amittere quidem corroſivitatem ſuam, ſed degenerare in liquorem vitriolicum, qui etiam ad fundum ex parte ſecedit, ſed hoc non eſt oleum vitrioli dulce, nam verum inſtar olei olivarum apparere debet, inflammabile, odoris fragrantiſſimi, ſaporis aromatici, nulla aciditate in lingua relicta, & debet etiam in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvi, vireſque habere anodynas & ſedativas. *Clariſſim. Autor diſſert. de vitrioli elogiis, de vitrioli oleo dulci pag. 33. ſcribit: Jactat Paracelſus hinc inde ſpiritum, aut potius oleum dulce aut ſubdulce viridis coloris, quo epilepſiam edomare aſſeverat. Torquet hoc artificium ſollicitatiſſimos artifices, dum nullus, quod ſciam, aut meminerim, producti talis compotem ſe factum aſſeverare auſus ſit.* Sed ante duo ſecula *Geſnero & Valerio Cordo* hujus olei præparationem cognitam fuiſſe, ſupra dixi, & clarius veritas ex ſequentibus elucebit. Ego ante viginti aliquot annos, Geſneri proceſſu mihi plane incognito, cum præparaſſem ſpiritum vitrioli dulcem, inveni hoc oleum fragrantiſſimum. Proceſſum fideliter meo more communico: Sumitur una libra olei vitrioli, per rectificationem ab omni phlegmate liberati, & libræ ſex ſpiritus vini rectificatiſſimi, qui nec veſtigium aquæ continet, hiſce affunditur oleum vitrioli, quod fit non ſine incandeſcentia ac ſtrepitu, non ſecus ac ſi ferrum candens in aquam frigidam injicitur, mixtura incaleſcit, colorem acquirit rubineum odoremque gratum, poſt aliquot dies deſtillatio fiat per arenam in cucurbita ſatis alta, ita prodit primo ſpiritus vini fragrantis ſaporis, poſtea ſequitur fragrantior. Si mixtura in offam nigram incipit in fundo cucurbitæ abire, ſpiritus hic amovendus eſt, & aliud receptaculum apponendum, leniſſimo igne adminiſtrato. Quæ cautela ſi non obſervetur, omnis illa maſſa nigra ſubito & ex improviſo totum transſcendit alembicum, & ſic omnis perit labor. Si vero leni igne inſtitutum proſequamur, phlegma exſtillat ſulphurei odoris cum oleo, quod fundum petit & minimum drachmæ quinque vel ſex haberi poſſunt. Aqua ſulphurea decantatur, & ita obtinetur oleum æthereum, ſaporis & odoris gratiſſimi ac penetrantiſſimi aromatici, quod probe cuſtodiendum eſt in phiola.

Quod hoc oleum vitrioli dulce ingrediatur acidum, exinde judicare licet, quoniam ſi inditur cochleari argenteo & apponitur ardenti candelæ, rubedinem contrahit acidumque evadit, & cochleare atro imbuit colore, *friſſet tieff und machet einen ſchwartzen Fleck*.

2. Si hoc oleum aromaticum per aliquot menſes in vitro detinetur, veſica ſuilla operto, eam ſucceſſive arrodit exeditque, & quod in phiola manet, rubedinem induit ſaporemque acidum contrahit.

3. Si admiſcetur argento vivo in phiola, accedente coctione, illud aggreditur.

4. Hoc oleum aromaticum recens exquiſite ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo ipſique ſaporem, odorem & virtutem confert anodynam ac ſedativam, in omnibus doloribus & ſpaſmis utiliſſimam.

5. Hic ſpiritus oleo vitrioli dulci impregnatus, ſi pauca quantitate miſcetur ſolutioni auri, flavam efficit tincturam, quæ ferro inſtillata illud aureo colore inficit.

6. Quando ſolutio hæc auri per duodecim horas ſtat, pulvis niger in fundum dimittitur, indicio, ſulphur vitrioli coire cum pulvere ſolis, & ambo præcipitari in fundum.

Hic proceſſus valde curioſus & obſervatione digniſſimus geneſin oleiætherei & deſtillati aromatici clare manifeſtat. *Glauberus* quidem in ſuis ſcriptis gloriatur, ſpiritum vini rectificatiſſimum converti poſſe in oleum, ſi ipſe combinetur cum oleo ſalis, quod concentratum fuerit cum lapide calaminari; fecimus quidem experimentum, ſed nihil olei præter ſpiritum ſalis dulcem obtinere po-

potuimus, beneficio autem hujus encheireſeos propoſitæ, ejuſmodi oleum accepimus, ex cujus productione utique diſcimus abunde, ſpiritum vini rectificatiſſimum nil aliud eſſe, quam oleum æthereum, per fermentationis motum in minima reſolutum & cum phlegmate intime mixtum. Cum vero oleum vitrioli ſeſe intime uniat cum particulis oleoſis, in ſpiritu vini disjunctis, rurſus fit olei coagulatio.

Hinc liquido patet, oleorum deſtillatorum mixturam ingredi poſſe acidum, idque ſub olei & ſulphuris ſchemate & involucro occultari poſſe ſine acido ſapore. Accedit vero pingui & oleoſæ materiæ ſpiritus vini à ſulphure vitrioli acido (cum totum oleum ſit ſulphureum) admixto novus jam & penetrans ſapor, & hac ratione optime deſideratiſſimum ſulphur vitrioli anodynum haberi poteſt in liquida forma, cujus virtutes in medendo mihi ſunt notiſſimæ, & quas ego non ſatis deprædicare poſſum.

Ultimo loco adjiciendum hic putavi, quæ de vitriolo & ejus oleo, coque dulci *Baſilius Valentinus* prodidit in operibus *p.* 295. qui aurum potabile ſequentem in modum præparavit: *Merck fleiſſig und vergiſs nichts, denn dieſe Rede haben einen vveiten Umgriff, und ein jedes Wort hat mehr denn einen Centner im Gevvichte. Der vveiſſe* Spiritus *iſt ſauer, und machet annehmlich zu eſſen, machet auch dem Magen eine gute Dáuung. Der rothe* Spiritus *iſt noch ſaurer, auch im Gevvichte ſchvverer, als der vveiſſe, darum muſs lánger Hitze gebrauchet vverden in ſeiner* deſtillirung, *denn er iſt fixer in ſeinem Grad; aus dem vveiſſen kan durch die* deſtillation *des* ſulphuris lunæ *eine* luna potabilis *gemachet vverden, deſgleichen ſo das Gold im Geiſte des gemeinen Saltzes zerbrochen und geiſtlich gemachet vvird durch dieſe* deſtillirung *und ſein Schvvefel ihm benommen und dem rothen* Spiritu *nach ſeinem gevviſſen Gevvichte zugefúget vvird, daſs er ſich* ſolviren *móge, alsdenn* purificiret *eine Zeitlang mit* ſpiritu vini *ihme zugeſetzt, vveiter* digerirt *gelinde, und ſo óffters davon gezogen, biſs nichts mehr im Grunde bleibt, ſo kanſt du ein* aurum potabile *machen, davon viel Búcher voll geſchrieben ſind, die vvenigſten aber recht befunden vverden, mercke aber, daſs der rothe* Spiritus *von ſeiner Schárffe muſs* corrigirt *und in eine Súſſe gebracht vverden,* ſubtil, *durchdringend, lieblichen Geſchmackes und am Geruch vvohlriechend.*

---

## OBSERVATIO XIV.

### *De Sulphure vitrioli fixo anodyno.*

Circa proceſſum ſuperiorem jam deſcriptum conſiderandum venit magma nigrum, quod in deſtillatione in fundo relinquitur. Huic ſi ſufficiens aquæ communis quantitas affunditur, diluitur acidum & liquor fit bruni coloris, qui debita evaporatione ita concentratur, ut verum oleum vitrioli rurſus exhibeat, cum quo additione ſpiritus rectificatiſſimi denuo præparatio ſpiritus & olei vitrioli dulcis adornari poteſt. Omni vero aciditate per aquam communem elota, remanet in filtro pulvis ſubtiliſſimus atri coloris, qui ſiccatus ſi injicitur vivis carbonibus, totus avolat cum ſulphureo, ſed non fœtido odore. Si vero crucibulo impoſitus forti igne urgeatur, candeſcit & bona ejus pars auras petit.

Deinde ſtratum, ut vocant, ſuper ſtratum, confecimus ex hoc pulvere & laminis argenti, ſed hæ ipſæ non inde tactæ vel ſolutæ fuerunt, quemadmodum cum ſulphure minerali fieri ſolet. Tandem vero ſalis tartari drachmas duas injecimus crucibulo, ut liqueſcerent, poſt drachma ſemis adjecta, maſſam alcalinam rubicundi coloris, inſtar hepatis ſulphuris, quale ex ſale tartari, arcano duplicato & pulvere carbonum eodem modo tractatis obtinetur, accepimus.

Ex his argumentari licet, terram eſſe fixam, cujus origo utrum ex oleo vitrioli, an ex ſpiritus vini oleoſa ſulphurea parte petenda ſit, res adhuc altioris indaginis eſt, maximeque indagandum, an in ea latitet vis peculiaris medica anodyna & ſedativa, & an forſan ſulphur vitrioli anodynum in ea ſit reconditum?

Vulgaris eſt opinio, in deſtillatione ſpiritus vitrioli una cum acido, per rapidiſſimum ignis motum, partes quaſdam ſubtiliores martiales aut venereas elevari atque aſcendere. Quare etiam veteres atque in his maxime *Baſilius Valentinus* oleum vitrioli rubrum albo præferendum duxerunt, quoniam hic in illo ſulphur martis & veneris, à quo color dependeat, contineri exiſtimat. Sed quod illud falſum ſit, partim demonſtrat olei vitrioli rectificatio, qua mox limpidum inſtar aquæ evadit, nulla colorata parte relicta, partim etiam limpidi & albi ejuſmodi olei momentanea in rubrum converſio, ſi quicquam olei vel portio rei inflammabilis vel papyri injiciatur, luculenter oſtendit.

Plures etiam novi, qui terram illam, quæ relinquitur à deſtillatione ſpiritus vini rectificatiſſimi & olei vitrioli, pro terra metallica martiali agnoſcunt. Sed fecimus experimentum, & terram illam vitro cauſtico prægrandi ſubjecimus, ubi mox in auras ſublata fuit, nec ulla ignea ebullitio, qualis ſemper fieri conſuevit ſub fuſione ferri beneficio ignis ſolaris, apparuit. Neque etiam ſpiritus ſalis ammoniaci affuſus quidpiam veneris extrahit, quod abſentia coloris cœrulei teſtatur, qui ſemper ad mixturam ſpiritus urinoſi in cupro conſpiciendum ſe exhibet.

Ego itaque non à veritatis via cum deflectere exiſtimo, qui hanc terram nigerrimam & pondere levem, à deſtillatione olei vitrioli dulcis in cucurbita relictam, & affuſione aquæ edulcoratam, pro parte phlogiſta ipſius ſpiritus rectificatiſſimi & vitrioli habeat, quod ita poſſe demonſtrari puto: Nullum datur oleum, etiam ſubtiliſſimum æthereum, quod accenſum fumum nigrum non exhalet, qui collectus, pulverem nigrum combuſtibilem conſtituit, vulgo *Ruſs*. Jam vero omnes ſpiritus inflammabiles eſſe non niſi olea ſubtiliora, per motum fermentationis cum phlegmate unita, identidem clarum ac perſpicuum eſt. Sicut vero olea deſtillata, cum oleo vitrioli mixta, primo rubeſcunt, deinde poſt deſtillationem & evaporationem, multum terræ phlogiſtæ relinquunt; ita etiam non mirum eſt, ſi ſpiritus inflammabilis, cum oleo vitrioli eodem modo mixtus, per intimam unionem non ſolum contrahat rubedinem, ſed & multum terræ concremabilis relinquat & ſulphuris inſtar odorem de ſe ſpargat, ſiquidem odor iſte fœtidus, quem fumus accenſus exſpirat, à particulis acidis cum terra ſulphurea mixtis exſurgit.

In noſtro experimento id maxime notatu videtur dignum, quod picei coloris materia craſſa, ſulphuris accenſi fumum redolens, & phlegma acidi ſaporis non ante in conſpectum veniant, ſenſibuſque offerantur, quam peracta fere deſtillatione, ſuperfluo ſpiritu inflammabili prius abſumto,

ſumto, & relictis particulis terreis ſpiritus vini & olei vitrioli. Atque hæ etiam volatiles oleoſæ particulæ, cum fixioribus acidis mixtæ, leni igne ſeparari debent, alias paulo fortiori igne adminiſtrato, totam illam ponderoſam maſſam celeriter in altum evehunt, ut per cucurbitam etiam altiorem & alembicum tranſcendat. Ex quo diſcitur, parum etiam volatile ingentem quantitatem fixæ ſubſtantiæ, cui admixtum erat, calore accedente, in altum poſſe evehere.

---

## OBSERVATIO XV.

### *Qua demonſtratur, vim cauſticam ſalium earumque virulentiam in ſumma partium tenuitate conſiſtere.*

PAradoxa forte videbitur jam proponenda obſervatio illis, qui primo intuitu in eam incidunt, iidem tamen experimentis attentius, quæ ſequuntur, conſideratis, rei veritatem facile agnoſcent. Primum ſcilicet in phyſicis æque ac chymicis fundamentum eſt, diverſam & pene mirabilem mixtionis indolem, qua gaudent corpora, cognoviſſe, ſiquidem ex hac diverſa phænomena variæque operationes, quæ fiunt à corporibus, reſultant. Exemplo poſſunt eſſe fontes minerales, veluti Pyrmontenſes, cæteris omnibus penetranti ſalſo ſapore facile ſuperiores: nihilominus intra viginti quatuor horas, ſi in ampliori vaſe libero aëri exponantur, omnem ſaporem, omnemque vim plane amittunt, ut inſtar aquæ vulgaris nil niſi inſipidum quiddam relinquant, omni ſalſa ſpirituoſa & medicamentoſa parte in auras ſubducta. Memorabile etiam eſt, quod, ſi hæ aquæ deſtillationi ſubjiciantur in vaſe clauſo, vapor & aqua deſtillata nullius ſit ſaporis, neque quicquam ſalini aut vitriolacei ſive in capite mortuo, ſive in aqua ſe repræſentet.

Merito quis mirabitur, quomodo efficax illud ſal evaneſcat; ſed mirari deſinet, qui ex chymicis & phyſicis didicit, ſalia etiam acerrima, nedum clementiora alcalina, acida fixa elixa ſimili modo ex vapore tenui volatili & inſipido eſſe compoſita. In cujus rei teſtimonium venit calx viva, quæ inter cauſtica primum ſibi locum vindicat; hæc affuſa aqua acerrimum acquirit ſaporem, per coctionem tamen omni acri ſapore & virtute ſpoliatur. Eadem calx viva adjectis cineribus clavellatis ſoluta & cocta cum aqua, mox inſpiſſata, tam potens cauſticum præbet, quod contactu ſolo coria, chartas & veſtimenta & alia exedit atque in mucilaginem convertit. Nihilo ſecius ſi unciæ aliquot hujus ſalis, in aquæ menſura ſolutæ, coquantur & inſpiſſentur, poſtea nova addita aqua coctio & inſpiſſatio aliquoties repetantur, tandem quarta pars terræ inſipidæ remanet. Idem accidit omnibus ſalibus alcalinis fixis atque ipſi quoque ſali communi, quæ ſi diſſoluta coquantur, & rurſus coagulata in igne calcinentur & de novo ſolutio & coagulatio aliquoties iterentur, nil niſi terra inſipida remanet.

Hoc vero naturæ ſcrutatoribus non æque obvium eſt, quod nempe hic loci circa coctionem ſalis accidit: nimirum ſi aquæ, quæ ſalis elementa & ſemina vehit, fortiori ebullitione facta, non lenior ignis, ſubinde per quoſdam veluti gradus decreſcens, ſed flagrantior flamma ſuggeritur, quarta pars ſalis perit, adeo, ut hac ratione ingens ſalis quantitas in auras diſſipetur; neque dubium eſt, quin ſalia reliqua elixa, v. g. tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſi forti igne coquantur, parem effectum ſint præſtitura.

Quod vero identidem acidum corroſivum in ejuſmodi materiam inſipidam degeneret, ſi recte tractetur, illud imprimis etiam obſervabile eſt. Ita oleum vitrioli, quod fixiſſimum & potentiſſimum cauſticum eſt, in terram inſipidam ac nigram & phlegma acidulum odoris ſulphurei faciſcit. Oleum vitrioli & concentratiſſimum & fixiſſimum eſſe acidum res tam nota eſt, ut nulla egeat demonſtratione; Veruntamen ſi abſtrahitur à corporibus ſulphureis, ſive ex vegetabilium ſive animantium claſſe fuerint, v. g. ab opio, ab auripigmento, & antimonio, igniſque adminiculo deſtillatio adornetur, fixum illud vehementiſſimum acidum in fumum ſumme volatilis indolis, evaporabilem, omnis fere aciditatis expertem, reſolvitur tantum exiguo relicto in capite mortuo acidi veſtigio. Ex quibus experimentis apparet, ex partibus agiliſſimæ & tenuiſſimæ indolis hoc fixum acidum eſſe compoſitum, quam mox aſſumunt, exigua tantum admixtione corporis cujuſdam pinguis ſulphurei.

Spiritus noſter, qui infuſus oleis deſtillatis flammam profert, ſumme corroſivus eſt, adeo, ut brevi temporis intervallo metalla ſolidiſſima corroſione ſua adoriatur, ea diſſolvendo; attamen totus exſpirat in auras, inque fumum reſolvitur, qui vix ac ne vix quidem firmis obturaculis compeſci poteſt, luculento indicio, tenuiſſimas eſſe partes, ex quibus componitur.

Neque amplius obſcurum eſſe poteſt illud Glauberi experimentum, quo ſal culinare, admixta debita quantitate olei vitrioli, in tenuiſſimum vaporem, qui etiam totum conclave implere poteſt, diſſolvit; hic vero ſi concentretur, in ſpiritum acidiſſimum, vehementer corroſivum, colligitur.

Regnum vegetantium ſi ſpectemus, non pauciora nobis occurrunt, quæ ex tam tenuibus partibus, arcto invicem nexu cohærentibus, ſunt contexta, & tamen efficacia ingenti pollent. Demonſtrant id liquido ex valentioribus purgantia & emetica, quæ ſale tenuiſſimo acri cauſtico ſuam vim exſerunt, ut helleborus albus, aſarum, quæ ſumma vomitum & alvum ciendi facultate pollent; ſed tamen cum aqua infuſa & diutius cocta, omnem ſuam draſticam vim exuunt. Tabacus eſt herba, quæ potenter & vomitus & ſedes movet, & virulento modo in corpus noſtrum agit; nihilo minus ſi decenti aquæ affuſione coquitur, omnis ejus vehementia concidit, & inde extractum paratur inſons, cujus vires in diſſolvendis tenacibus humoribus, qui ſuffocationem minantur & expectorationem deſiderant, nonnulli medicorum plurimi faciunt. Aloe licet non ſit ex draſticorum purgantium claſſe, attamen ejus vis & ſatis purgat & ſanguinis maſſam vehementer commovere ſolet, ut pauca etiam pro doſi grana ſufficiant. Quodſi vero cum aqua v. g. pluviali ſolvitur & decoquitur paulo longius, enervatur vis ejus cathartica, ut plane inefficax fiat, niſi doſis intendatur. Scammonium una cum colocynthide identidem per coctionem purgante ſua vi orbari poteſt.

De mineralibus res difficilior videtur, quod etiam eorum vis, quæ vomitum ciet, quæ vehementer alvum ſollicitat, per coctionem infringi atque in auras disjici poſſit; ſed veritatem hujus rei hoc confirmat experimentum, cum tartarum emeticum ex croco metallorum & cremore tartari paramus, ubi, quando infuſum diuturniori

coctioni

coctioni ſubjicitur, animadvertimus, longe imbecilliorem fieri hujus remedii efficaciam, ita, ut pro doſi grana decem ſumi debeant, cum alias duo vel tria multum valeant.

Hæc omnia experimenta ſatis abundeque docent, non modo ſalium acrimoniam, ſed & vim acerbiorem ac virulentam corporum vehementiam partibus tenuiſſimis & mobiliſſimis eſſe imputandam, quæ arcto nexu junctæ, corroſivam & acrem virtutem exſerunt, quam vero ipſis à ſe invicem disjunctis, aër, aqua & calor detrahunt. Neque mirum eſt, ſalia ex tenuiſſimis partibus conſtare, quia, quo tenuius eſt corpus, eo celeriorem motum concipit propagatque, quod in æthere, aëre, & aqua conſpicimus.

Omnem autem eroſionem ac diſſolutionem non niſi motu intenſiori perfici, teſtantur eorum effectus: quo itaque concentratior vis commovens, eo valentior & nobilior eſt effectus. Sic ſpiritus fumans concentratus acrius rodit, quam ſpiritus ſalis, hic gravius mordet, quam oleum vitrioli, quia ſpiritus nitri tenuioribus partibus inſtructus eſt, quam ſpiritus ſalis, hic vero præ oleo vitrioli.

Ex quibus omnibus colligendum eſt, omnia ſalia non niſi ex materia quadam tenui, penetrantis & æthereæ quaſi ſubſtantiæ eſſe compoſita, eademque cum terra ceu vinculo juncta & unita, potentem acrem & corroſivam vim præſtare, diſunita vero & ſeparata omni virtute præſtantiaque deſtitui. Quæ res optime declarari poteſt ſpeculo cauſtico: ſicuti enim ſolis radii, hujus beneficio in anguſtum coacti, calorem efficaciſſimum efficiunt; ita in latius diffuſi, ſegniorem ac languidiorem vim exſerunt.

---

## OBSERVATIO XVI.

### *Animadverſiones phyſico-chymicæ de ſale communi.*

Sal commune vel ſolidum & durum è terræ viſceribus eruitur, & dicitur foſſile, vel ex mari coquitur, quod ferax ſalis communis eſt, vel ex fontibus ſale plenis, qui ſalinæ vocantur, coctione debita elicitur. Ingens copia ſalis foſſilis eruitur in Polonia Bochniæ, quæ quatuor milliaribus diſtat Cracovia, item Veliske, quæ non procul jacet Cracovia. Plura de hoc ſale legi poſſunt *in deſcriptione noſtra ſalinarum Halenſium.* Datur quoque ſal foſſile in Transſylvania in comitatu Coloſſi, prope Terenburg, item prope Tardan & Rees, in montibus Hungariæ ſuperioris Carpathicis, in Ruſſia prope Aſtracan, in Syberia *zu* Parma in provincia Uffi, it. in Tartaria.

In Germania & quidem in comitatu Tyrolenſi Halæ *im Innthal* non procul ab Inſpruck ſal foſſile proſtat in profundis fodinis, quod tamen non extrahitur, ſed in fruſta comminuitur, atque in foſſas conjectum ab aqua affuſa ſolvitur, quæ ita eo impraegnatur, ut hujus libra una uncias ſex ſalis recipiat, poſtea hæc aqua ſalſa extrahitur & incoquitur, & ita præparatur hoc ſal, quod dicitur *Scheiben-Saltz*, atque in diſſitas regiones transportatur. Eodem modo in Epiſcopatu Saliſburgenſi *zu Halleim* procedunt; ſal divendit Elector Bavariæ.

Quod attinet ad ſal marinum, illud ſuppeditat maxime mare Mediterraneum, Hiſpanicum ac Gallicum, ſiquidem libra una aquæ marinæ unciam unam ſalis largitur: in mari vero Septentrionali, Baltico & Sinu Finnico libra una aquæ tantum unciam ſemis ſalis continet.

Optimum præparatur in Hiſpania *zu* Cadix, *zu* St. Luca, in Portugallia *zu* Sedubal *und* St. Hubes, in Gallia *zu* Rochelle.

Ex fontibus ſalinis præſtantiſſimum in Germania ſal coquitur Luneburgi, quod ſoliditate & durabilitate aliis ſalibus antecellit; ſequitur poſtea in Haſſia Allendorfenſe & noſtrum Halenſe, in Thuringia Franckenhuſanum, & quod in Ducatus Magdeburgici urbibus *zu Staſsfurth, Groſſ-Saltza*, &c. præparatur.

Quoad coctionem ſalis noſtri Halenſis hoc obſervatu dignum eſt, quod

1. non in conſiſtentiam ſolidam redigi poſſit, niſi addatur in coctione portio ſanguinis bovini, tunc ſpumeſcit, & ita depuratur;
2. in coctione nihil accedere debeat, quod pinguedinem habet, alias ad ſolidam formam non poteſt facile reduci.
3. Quod fortis ignis non debeat ſubſterni, ſi ad cryſtalliſationem ſive ſolideſcentiam diſpoſitum eſt, alias vehementiori igne inſignis ſalis quantitas in auras disjicitur & deperditur.

Notæ bonitatis ſunt:

1. durities ſeu ſoliditas, quo firmius enim & ſolidius ſal, eo efficacius eſt.
2. Ejus duratio in aëre humido, ut non deliqueſcat.
3. Candor, qui teſtatur de puritate, quod heterogeneæ partes, præſertim pingues, non admixtæ fuerint.
4. Puritas, quæ exinde dijudicatur, quando in aqua ſolvitur & ſolutio clara apparet, neque in fundum aliquid impuri ſecedit.
5. Sal quo majorem copiam cryſtallorum largitur, eo efficacius & melius habendum eſt. Ex bonitate vero & puritate dependet corporum melior conſervatio & minor quoque in uſu domeſtico quantitas.

Gaudet inſuper ſal commune ſpecificis quibuſdam proprietatibus, & hæ ſunt

1. figura cubica, quam recipit in cryſtalliſatione.
2. Quod igni vel carbonibus ignitis injectum, crepitum edat.
3. Quod ſal commune ſingularem ingreſſum habeat in poros auri, adeo ut ſine ſale communi nunquam aurum ſolvi poſſit.
4. Quod hoc ſal omni animantium generi, præſertim homini, maxime amicum ſit, ejuſque ſanitatem conſervet.
5. Spiritus ſalis ab aliis ſpiritibus acidis in eo eſt diſtinctus, quod, ſi miſceatur cum ſale tartari vel ſale quodam alcali, ſal commune regeneretur, quod non ſuccedit, ſi negotium inſtituatur cum aliis acidis ſpiritibus.
6. Libra una aquæ communis commode uncias ſex ſolvere poteſt ſalis communis, quod aliis ſalibus, ſolo Ebſonienſi excepto, non conceſſum eſt: ideoque illa ſpecies ſalinarum, cujus libra una uncias ſex ſicci ſalis poſt evaporationem præbet, omnibus aliis ante habenda eſt.
7. Denique peculiaris hæc ſalis communis digna obſervatione virtus eſt, quod illud ignitis carbonibus injectum eorum ignem non parum adaugeat, ita ut is quaſi folle admiſſo animetur, omni procul dubio eam ob rationem, quod aërea & aquea portio, intra ejus poros concluſa, ignis flabello quaſi in ventum, non ſecus ac in æolipila fieri ſolet, diſſolvatur; ſublimatur ſal carbonibus

bonibus vivis injectum in fumum album, qui ſolido corpore exceptus & collectus ſalſum refert ſaporem.

8. Neque præterire oportet non adeo notam cognitamque ſalis communis virtutem, ferrum convertendi in chalybem, & hoc ipſum fit, ſi bonæ notæ ferrum in bacilli formam excuſum inter vivos carbones, quibus multum ſalis communis adjectum fuit, fortiter igniatur atque ſuper incude mallei ictibus contundatur, & ſcoriæ inde ſeparentur, idque aliquoties repetatur.

9. Præterea ſi plumbo vel ſtanno in crucibulo fuſis adjicitur ſal commune, & maſſa bacillo ferreo probe agitatur, metalla hæc in ſubtiliſſimum pulverem inſtar cinerum comminuuntur; ſal commune etiam, ſine ulla re alia adjecta, in crucibulo funditur, disjectoque in auras acido ſpiritu alcaliſatur, unde etiam accidit, ut ſal fuſum facile in aëre deliqueſcat; hoc cum aqua ſolutum, in fundo plurimum terræ relinquit, quæ in filtro eſt exſiccanda. Sal aliquoties fuſum tandem adjecto pulvere carbonum, in maſſam ſulphuream, quaſi quippiam ſulphuris mineralis additum fuerit, tranſit.

10. Poſtremo ad depurationem oleorum uſus ſalis communis plane egregius eſt. Nam hæc quodam modo adusta, craſſa ac vetuſtatis injuria ſuavitate odoris orbata, non modo limpidiora reddi, ſed & ſuaviori odore imbui poſſunt, ſi cum æquali portione ſalis communis in mortario probe miſcentur, & ſufficienti aqua communi affuſa per veſicam deſtillantur; craſſiores enim & rudiores terreæ reſinoſæ olei partes ſic detinentur. Eadem ſubeſt ratio, quare, ſi velimus ſal ſuccini depurare, & facta ab oleo ſuo empyreumatico ſeparatione candidius reddere, illud à ſale communi, prius cum eo probe mixto, per ſublimationem abſtrahi debeat.

11. Tum etiam in ſale communi ejuſque ſpiritu acido peculiaris præcipitandi argentum ex ejus ſolutione cum aqua forti deliteſcit virtus. Equidem non ſum neſcius, plura ex metallis & ſalibus idem præſtare, ſed tamen non ſimili effectu. Nam argentum cum ſpiritu ſalis vel ſale communi præcipitatum, probe facta edulcoratione, non modo pondere creſcit, ſed & in igne plane volatilem induit naturam, ut crucibulo ignito impoſitum ex parte in auras aufugiat, ex parte etiam poros crucibuli penetret: quæ volatilitas tamen ſtatim perit, ſi cum pinguedine vel cineribus clavellatis præcipitatum illud lunare fundatur. Quo experimento diſcimus, ſummam tenuitatem partium & terrearum & ſalinarum in ſale communi latitare, quæ cauſa ſit, quod argentum, alias in igne fixiſſimum, ad volatilitatis ſtatum perducatur.

---

## OBSERVATIO XVII.

### *De ſumma ſubtilitate & ſpecifica virtute ſpiritus ſalis.*

SAl commune eſt ſal neutrum, ex acido & alcali conflatum, quod ex artificiali ejus compoſitione, quæ fit ex ſpiritu ſalis & ſale tartari, debita pro portione ad ſaturationem mixtis, ſatis clare pateſcit. Hoc acidum vero è nexu ſalis communis non commodiori & faciliori ratione exſolvi poteſt, quam additione olei vitrioli, quod cum ipſo anatica propemodum portione mixtum non modo fortem ebullitionem excitat, eo, quod acidum vitrioli fortius in principium ſalis alcalinum agat, ſed & valde denſus & albus miræ penetrantiæ vapor acidus aſcendit, qui concentratus, fumantem ſpiritum acidiſſimum præbet, adeo, ut in vitris, bene obturaculo vitreo clauſis, eum conſervare neceſſe ſit. Si is valde ſaturatus eſt, perinde fere ac oleum vitrioli, aqua affuſa incaleſcit.

Deſtillatio hujus ſpiritus cum oleo vitrioli optime peragi poteſt ex cucurbita vitrea per alembicum; nam propter ingentem efferveſcentiam & ſpumam non commode ex retorta poteſt fieri deſtillatio, quoniam non ſine ratione metuendum eſt, ne ſpuma tranſcendat. Additur portio aquæ communis, quæ ingreſſum acidi vitrioli in ſalis communis interiora adjuvat, atque adeo efficit, ut ſpiritus majori copia prodire poſſit.

Ex retorta poteſt fieri rectificatio; ita ſpiritus profluit ex flavo viridis, qui genuinus ejus color eſt, & partes craſſiores ex acido vitrioli in fundo remanent, cutim tingit roſeo colore.

Quanta penetrantia & ſubtilitas hujus acidi ſit, vel ex eo cognoſcere licet, quia leni calore, etiam Mariæ balneo tranſcendit alembicum, & ex apertis vitris ita exhalat, ut brevi totum conclave repleat. Atque etiam hujus acidi ſalis penetrantiam adhuc ſuperare eam, quæ eſt in nitro, ego quidem ob has rationes facile crediderim, quia in arctiſſimos auri poros præ nitroſo acido, quo alias omnia metalla ſolvuntur, aditum atque ingreſſum habet, ſiquidem ſine ſalis communis additione firmiſſima auri compages diſſolvi vix poteſt.

Deinde acidi hujus tenuitas tanta eſt, ut, ſi intra corpus ſumatur, ad diſſitas etiam partes, præſertim membranaceas, vim atque operationem ſuam diffundat: maxime vero aggreditur pulmonum nerveas & ſenſu præditas membranas, quas ſtimulando concutiendoque tuſſiculam movet, quare cautius acidum ex ſale communi uſurpari oportet. Ad urinarias quoque vias, ſalſa ſua textura, vigente ſtimulo penetrat, nam ad urinæ fluxum ciendum vix datur eo præſtantius medicamentum.

Qui fonticulos gerunt in corpore, & frequentius ſpiritu ſalis cum brodio carnis utuntur, punctiones & dolores pungitivos in iis percipiunt, eademque hujus ſpiritus ſubtilitas cauſa eſt, quod præ omnibus acidis & mineralibus ſpiritibus in nerveam ventriculi tunicam agendo, appetentiam ciborum excitet.

Id vero peculiare habet ſpiritus ſalis communis fortiter concentratus, ut non perinde, ac alia corroſiva & valde concentrata acida, cujus generis ſunt oleum vitrioli & ſpiritus noſter fumoſus, addita ſufficiente ſpiritus vini rectificatiſſimi quantitate, acidum ſuum ſaporem deponat & in gratum dulcem ſaporem atque odorem tranſeat, ſed acidum etiam fortiſſimum ſalis communis in fundo cucurbitæ maneat integrum. Non enim inter labores chymicos ignotum eſt, quod totum oleum vitrioli, adjecta ſufficiente per repetitas vices quantitate ſpiritus vini rectificatiſſimi, per deſtillationem in penetrantiſſimum ſpiritum, odoris & ſaporis gratiſſimi, converti poſſit.

Ita etiam ſpiritus flammifluus noſter ad duodecim partium ſpiritus vini rectificatiſſimi admixtionem dulcis evadit, odoris & ſaporis gratiſſimi; quia nempe oleoſis & ſulphureis ſpiritus vini partibus ſpicula acida contemperantur, quæ quibuſdam quaſi involucris obvelata in longe aliam naturam, texturam & virtutem degenerant. Id vero

ro non deprehendere licet in ſpiritu ſalis, qui conjugium & unionem hanc intimam ſpiritus oleoſi phlogiſti reſpuit, nam aciditatem ſuam ſervat integram, niſi quod ejus pars tenuior ſulphurea, cum ſpiritu inflammabili unita, ejus odorem quodammodo mutet, eum gratiorem reddendo.

Deinde peculiare etiam quippiam ſpiritus ſalis in eo habet præ ſpiritu vitrioli & nitri, quod non tam promte & tam celeriter diſſolvat limaturam martis, hæmatitem vero & crocum martis etiam ſubtiliſſimum intactum relinquat, cum tamen ſal commune, vel adhuc melius ſal ammoniacum longe promtius & potentius in mineras martiales, item hæmatitem, & limaturam martis agat eaque ſolvendo in vitriolum fortiter adſtringens fatiſcat, modo invicem mixta in crucibulo per tempus detineantur in igne, quod neque cum vitriolo, neque cum nitro contingit.

Tandem nullum acidum ſulphur, quo copioſo imbutum eſt ferrum, tam expedite extrahit, quam acidum ſalis communis; ſive enim ſolutio martis cum ſpiritu ſalis facta inſpiſſetur, ſive ſal ammoniacum cum limatura martis tractetur igne clauſo, vitriolum obtinetur, coloris flavi, ſaporis adſtringentis, odoris grati, quod non patitur cryſtalliſationem, ſed in aëre libero deliqueſcit. Et ſpiritus vini, omni phlegmate deſtitutus, ſi ſuperfunditur, ſtatim ſulphurea martis & tenuior portio ſalis vitrioli in eum ingreditur, & ſic paratur tinctura martis, aurei coloris, fragrantis odoris & ſubadſtringentis ſaporis, quæ in labaſcente partium tono reſtituendo non habet ſibi ſimile; commode enim hac encheireſi optima, magni uſus in medicina, ſulphurea ſubſtantia in marte ſeparari poteſt.

Tandem adhuc unum ſupereſt plane mirabile, quod ſpiritus ſalis valde concentratus præ omnibus aliis ſpiritibus acidis, cum oleo vitrioli mixtus, vehementer efferveſcat, qua de re jam ſupra fuſius à nobis actum eſt.

---

## OBSERVATIO XVIII.

### *De Lixivio à coctione ſalis communis relicto & ex eo prodeunte terra laxante ſive magneſia, & ſale ſic dicto Ebſonienſi.*

Dictum eſt ſuperius eo loco, ubi de nitro actum fuit, à cryſtalliſatione nitri remanere craſſioris conſiſtentiæ & ſaporis acris amari lixivium, quod artifices vocare ſolent *Mutter-Lauge*, ex quo lege artis famigeratiſſima noſtri temporis magneſia, quæ pulvis terreus, ſubtilis, candidus eſt, conficitur. Non diverſæ, ſed ejuſdem fere per omnia naturæ eſt lixivium illud, quod ex ſalinis à coctione ſalis communis in ferrea ſartagine remanet, & à ſalis coctoribus appellari ſolet *Mutter-Soole*.

Hoc ipſum differt à ſolutione ſalis communis in eo, quo convenit cum lixivio nitri, quod ſit aurei coloris, craſſioris conſiſtentiæ, ſaporis vero valde acris & amari, ac ratione ponderis grave: hoc nihil amplius dimittit ſalis communis & ægerrime abit in coagulum, ſi vero ad ſiccitatem continuato igne fuerit redactum, intra exiguum temporis ſpatium in liquorem rurſus convertitur: neque enim ullum ex ſalium familia mihi notum eſt ipſi ſimile, quod tam ſubito ex aëre recipiat humiditatem & ex toto deliqueſcat, cum tamen neque ſal alcali ſit, nec acidum purum, ſed mediam naturam obtineat.

Celebris olim hic loci fuit medicus, qui beneficio magnetis, quem præparabat ex creta & ſpiritu nitri, humidum ex aëre attraxit, & liquorem abſtractum pro ſpiritu mundi caro pretio venditavit. Poſſet hoc ſal longe commodius ejuſmodi magnetem aëris ſuppeditare, eidemque uſui deſtinari, quam modo adductus, qui non tam expedite & promte in aëre liquatur & funditur.

Lixivium ſalis inſpiſſatum, non ſecus ac lixivium nitri, promte in unionem & amplexus ruit ſpiritus vini rectificatiſſimi, haud inevidenti argumento, ſal illud valde ſulphureum eſſe, ſive ex corpuſculis pinguibus, ſulphureis, ſubtilioribus compoſitum.

Deinde, ſi lixivio ſalis oleum vitrioli affunditur, mox vehemens cum exhalatione ſpiritus ſalis ſubtiliſſimi efferveſcentia concitatur, & liquor, non ſecus ac id evenit cum lixivio nitri, in album coagulum vertitur, cui ſi ſufficiens aquæ communis quantitas affunditur, pulvis candidus copioſus in fundo ſubſidet.

Tum, quando ſumme amaricans lixivium ſalis, à quo primo omne ſal commune per evaporationem & cryſtalliſationem ſeceſſit, cum ſolutione ſalis alcali, ſive oleo tartari per deliquium miſcetur, eodem modo, ac cum lixivio nitri, ſtatim fit ingens coagulum, & liquor in craſſam albam offam convertitur, ex qua, affuſa aqua communi, pulvis candidus ſubtilior fundum petit. Quando liquor ſupernatans, ex adjectione ſalis alcali & hoc lixivio proveniens, inſpiſſatur, & ad cryſtalliſationem in ſubfrigido loco reponitur, ſal emergit, ſali communi exacte ſimile, ſaporis tantummodo acrioris, quod ad aërem non liqueſcit, ſed ſolidam ſuam conſiſtentiam ſartam tectamque conſervat.

Ex quo colligere licet, in noſtro ſalis lixivio acidum adhuc deliteſcere, quod cum partibus terreis ſulphureis mixtum ipſiſque intricatum, admixto ſale alcali, unionem deſerat, & novam conſtituat. Præterea ex unciis tribus ſalis lixivioſi inſpiſſati & cum oleo tartari per deliquium præcipitati, facta ſufficienti elutriatione cum aqua, ſex drachmas pulveris ſubtilioris, terrei, candidi obtinemus, qui non aliter, ac magneſia ex lixivio nitri educta, cum affuſo ſpiritu nitri fortiter confligit inque ſal neutrum ſubamaricans reſolvitur.

Denique hic pulvis terreus ſimili modo, quo magneſia, ad unam vel ultra drachmam ſumtus, tres vel quatuor, imo ultra ſedes clementer & ſine incommodo movet, atque ut nobis videtur, meliorem operationem exerit, quam magneſia nitri, quæ magnum jam in medicina nomen & famam conſequuta eſt.

Hiſce omnibus ſatis clare poſitum eſſe in aprico arbitror, magnam utriuſque lixivii, tam nitroſi, quod poſt cryſtalliſationem nitri, quam ſalini, quod à coagulatione ſalis remanet, omnino dari convenientiam; quum omnia phænomena & effectus, quos ambo exhibent, ſint ferme ex toto ſimiles ſibique plane reſpondeant. In utroque nimirum lixivio deliteſcit calcarea quædam terra, cum ſale acido intime mixta. In confectione nitri calcem vivam & cineres lignorum adhiberi, notiſſimum eſt: pauci etiam neſciunt, in coctione ſalis culinaris in fundo ſartaginis ferreæ, ubi coquitur, ſeſe in inſigni quantitate apponere terram quandam calcaream, quæ ab artificibus vocatur *der Schäb*.

Veri

Veri itaque ſimillimum eſt, ſalinas, præſertim noſtras Halenſes, per ingentem terræ calcariæ tractum intra loca ſubterranea transfluere, & ſubtilem quandam ex lapidibus calcariis portionem in ſe recipere, quæ partim poſt coctionem deſcendit in fundum ſartaginis, ex parte etiam cum acido ſalis communis juncta, quum ad ſolidam conſiſtentiam redigi nequeat, in lixivio remanet, quod etiam à partibus calcis vivæ ſulphureis amaritiem mutuatur.

Hoc ſal calcarium, ubi paulo majori quantitate ſalinis eſt immixtum, vel per coctionem non ſeparatum, efficit, ut ſal culinare in aëre præſertim humido non firmum & ſolidum perſiſtat, ſed attracta ex aëre humiditate diffluere ac deliqueſcere incipiat. Dici enim vix poteſt, quam cito hoc ſal calcarium ex lixivio ſalis, convenienti igne ad ſiccitatem redactum, in aëre præſertim humido deliqueſcat. Si ſal foſſile in aqua ſolvitur ſolutumque filtratur, ex una ejus libra uncia una terræ nigræ & lapidoſæ in filtro remanet. Hæc ſolutio bene ſaturata, & fornaci calidæ in patina ſtannea impoſita, ſal valde durum & ſplendidum, *wie Boyen-Saltz* figuræ cubicæ, ad fundum dimittit, neque lixivium flavum aut amaricans, ut fit in coctione & cryſtalliſatione ſalinarum, relinquit. Ex quo patet, ab aquis calcariis, quæ ſal foſſile in terra ſolvunt, utique petendam eſſe partium lixivioſarum, quæ in fontibus ſalinis continentur, originem.

Cæterum hoc loco non prætereundum eſſe arbitror, quod ſal ſic dictum Ebſonienſe ſeu potius Ebshamenſe, quod in Anglia arte paratur, & vili pretio in ingenti copia ad nos affertur, neque eximio deſtituitur fructu, ex ſalis communis lixivio certa encheireſi, additione aliorum ſalium, conficiatur. Quod vero ſal commune illud ingrediatur, experimenta, quæ ſequuntur, luculenter declarabunt:

1. cum oleo vitrioli ſi miſcetur, exurgit cum fumo albo tenuiſſimo, non ſecus ac cum ſale communi contingit, efferveſcentia.

2. Solutio hujus ſalis, non ſecus ac ſalis communis, argenti ſolutionem in pulverem album præcipitat atque in fundum dejicit.

3. Sal quoque illud arte factum facile ſolvitur in aqua communi, quæ majorem ejus quantitatem, quam ſal commune, in ſinum ſuum recipit; indicio haud inevidenti, hoc ſal à terra ſua fixiori liberatum & ſale communi adhuc eſſe ſubtilius.

---

## OBSERVATIO XIX.

### *De ſalium mediorum natura & uſu.*

Salubrem & naturæ humanæ amicam ſalium mediorum indolem ac virtutem vel inde imprimis manifeſtari arbitror, quod hæc ipſa ne ullam quidem animantium ſuccis, cujuſcunque etiam generis ſint, mutationem vel turbationem inferant, quemadmodum id promte fieri conſpicimus ab aliis ſalibus acidis vel alcalinis, ſive fixa, ſive volatilia fuerint. Sanguini enim è vena emiſſo ſi quis acidus liquor, ut ſpiritus ſalis, vel vitrioli, aut ſolutio ſalis, vel aliud quoddam exceſſive acidum, ut aluminis vel vitrioli, infunditur, mox color & conſiſtentia ejus perit, dum color purpureus in lividum & luridum protinus mutatur, & ſanguis fluidus tenuis coit inque coagulum ſpiſſatur, quod etiam fieri conſuevit, ſi hæc ipſa cum lympha, ſero, chylo, lacte vel ovorum albumine contunduntur.

Neque ignota ſunt illa experimenta, quæ olim, ad demonſtrandam ſanguinis transfuſionem, varia liquida in venas animantium ſiphone injiciendo, adornata fuerunt, ubi à liquoribus acidis injectis non ita multo poſt mortem ſecutam eſſe obſervatum fuit, ſanguine in vaſis majoribus coagulato reperto.

Quando vero ſanguini, recenter è venis educto, alcalinus liquor, v. g. oleum tartari per deliquium vel ſpiritus ſalis ammoniaci bene ſaturatus admiſcetur, non minorem inde mutationem animadvertimus, dum color purpureus intenditur & valde coccineus fit, ac major fluiditas ſanguini conciliatur. Simili modo hæc ipſa alcalina addita lacti, ſero, albumini ovi, ea reddunt fluidiora.

Quamvis vero coloris intenſio & tenuitas, quam alcalini liquores ſanguini afferunt, vitali ejus progreſſivo inque circulum per tot vaſculorum myriades abeunti motui non adeo adverſa videatur; purum tamen alcali, paulo largiori doſi cum ſuccis nuptum, vitalem ſanguinis & humorum craſin, temperiem ac mixtionem invertere, vel ex eo liquido conſtat, quod ab injectione alcalini liquoris in venas animantium lethales convulſiones fuerint ſequutæ, quod minime evenit à ſalibus, quæ mediæ ſunt naturæ.

Salium enim mediorum indoles ita eſt comparata, ut ne minimam quidem alterationem ſanguinis & humorum vitalium texturæ & mixtioni inferant. Nam ſive ſolutio ſalis communis & ſalis ammoniaci, ſive arcani duplicati, terræ foliatæ tartari, aut nitri antimoniati, fluido ſanguini vel lacti admixta fuerit, ne ullam quidem mutationem inde in hiſce ſequi deprehendimus. Nitrum, quod etiam ſal mediæ naturæ eſt, mixturæ ſanguinis ejuſque motibus vitalibus plane non eſſe adverſum, teſtatur inter alia experimentum *Malpighii Libr. de Polypo cordis*, dum ab infuſo cani robuſto per venam jugularem nitro ad drachmas ſex, nulla præter copioſiorem urinæ fluxum obſervata fuit mutatio.

Ex omnibus vero, quæ mediam naturam habent, ſalibus vix ullum eſt, quod natura ac corpora animantium melius ac tutius ferre poſſint, & ſine quo non diu conſtet valetudinis integritas, vel quod majorem in juvanda digeſtione & excretionibus promovendis præſtet utilitatem, quam ſal commune; ſique univerſalis medicina, quæ maxime præſervet à morbis, datur, profecto eam reperiri in hoc ſale crediderim.

Quamvis autem ſalia nunquam humorum vitalium mixtionem ingrediantur, atque hanc ob rationem in alimentorum numerum recipi nequeant; tamen ob medicinalem vim, quam exerunt & præſtant corpori, maximi ſunt æſtimanda.

Eorum operatio maxime eo abſolvitur, ut fibras motrices & ex iis contextos tubulos excretorios blande ſtimulando, vegetiorem ſanguinis & humorum circuitum promoveant, cujus beneficio partes ſanguinis craſſiores per continuam colliſionem & jugem attritum non modo fluidiores redduntur, ſed & ſalutares admodum rerum alienarum, imo ipſorum ſalium, quæ utique in ſanguine non manere, ſed per emunctoria propelli debent, excretiones felicius ſuccedunt.

Atque ideo ſi remediorum, quæ promta in auxilium ſunt, claſſem eorumque vires probe intueamur, profecto principem in his ſalia media obtinere locum animadvertimus. Virtus medica, quæ à plurimis & præſtantiſſimis plantis expectanda eſt, profecto ſali, quod in earum infuſis vel extractis latet, partim tartariformi, quod eſſen-

tiale Chymici appellant, partim nitroſo, debetur, quo fibras motrices & tubulos, qui vacant excretionibus, blande ac molliter ſtimulando, humores craſſos attenuant, vaſorum infarctum expediunt, & alienarum ſordium excretiones adjuvant.

Quam incomparabiles & pene divinæ in ſale nitri ſulphureo & inflammabili lateant virtutes, peritis Medicis non obſcurum eſt, nam ſi ab hoc diſceſſeris, vix ullum datur in rerum natura ſimile, quod tam late pateat tamque univerſale & polychreſtum ſit remedium. Nam ſi ſolvenda eſt alvus, ſi urinæ promovendus fluxus, ſi tranſpiratio, à ſpaſmo cohibita, liberior reddenda eſt, ſi inflammatio ſolvenda & fibræ ſpaſmo conſtrictæ relaxandæ ſunt, ſi partes aridæ & exſuccæ humectari debent, ſi denique virulenta vel acris cauſtica volatilis humorum indoles contemperanda venit, certe ea omnia optime per nitroſa poſſe præſtari, certa & indubia experientia confirmatum habemus.

Quam magnificæ famæ ſint remedia, & quanto uſu & utilitate excellant acidulæ, thermæ aliique fontes ſalutares, & quid in praxi medica per eas tam in morbis præcavendis, quam ſanandis præſtari poſſit, nemo niſi imperitiſſimus harum rerum negare poterit. Sed ſi harum medicinalium & naturalium aquarum, probe inſtituto chymico examine, elementa & ingredientia, à quibus vires earum proficiſcuntur, diligentius exploremus, non alia omnino ſe nobis offerunt, quam hæc duo, aqua nempe & ſalia, quæ partim alcalina, partim neutra vel mediæ naturæ ſunt, à quibus efficacia illa diluens, aperitiva & per omnis generis emunctoria evacuans & roborans quoque promanat. Vel ſal commune, aut amaricans, quale ex terra alcalina calcaria & acido ſulphuris fit, & quod cum ſale tartari & carbonibus tractatum, maſſam fortiter ſulphuream, quam Chymici hepar vocant ſulphuris, exhibet, in ſe recondunt. Ex pluribus per evaporationem certæ aphronitri ſpecies haberi poſſunt.

Si quis itaque ejuſmodi fontium ſalubrium, quos ipſius naturæ benignitas profert, præſidio deſtitutus, eorum vires artis ope imitari velit, is non inutilem locabit operam, ſi hujus generis ſalia alcalia & media, cum aquis fontanis, præſertim martialibus, probe permiſcere noverit. Quæ ſalia imprimis media quo majori copia ingrediuntur aquas, eo magis earum per ſedes & urinam evacuans virtus creſcit.

Ecquis hodienum ſalis Glauberiani vel Ebſomenſis, quod per artificium ex muria & vitriolo martiali Anglicano paratur, eximias eaſque purgantes vires ignorat; ſiquidem ejuſmodi ſalis dimidia vel etiam una uncia, ſufficienti aqueo vehiculo ſoluta & epota, ſine ulla ventriculi ſubverſione vel nauſea, appetentiæ viriumque offenſa & ſine ulla ebullitione, quinque, ſex vel ultra, ſedes movet.

Quantum auxilii à ſale ammoniaco, inter ſalia media non poſtremo, ſi humores craſſi viſcidi incidendi ſunt, ſi una cum primis viis cruſta inteſtinorum villoſa ab amurca & glutine obſtruente expedienda eſt, in intermittentibus febribus, in ſtomachi vitiis, expectari poſſit, nemo, niſi plane hoſpes in medicina, ignorabit.

Cæterum plurima ex medicamentis, quæ terreæ, inſipidæ & alcalinæ naturæ ſunt, ut pulveres bezoardici, præcipitantes, abſorbentes, niſi ab acido, in primis viis ſtabulante, in ſal neutrum degenerent, nullius fere commodi & efficaciæ ſunt, ita prorſus, ut, ſi ſub acidi, quo ſolvuntur, defectu, in prima, ut vocant, corporis regione, majori in copia adminiſtrentur, ſaburram viſcidorum & tenacium humorum augendo, non parum mala, quibus ægrotantes afficiuntur, exaſperent. Pulvis ſubtiliſſimus calcarius nitroſus, qui magneſiæ nomine venit, virtutis deterſivæ & purgantis plane expers eſt, niſi ab acido in ventriculo vel inteſtinis per ſolutionem in ſal amaricans & ſtimulans fuerit converſus.

Equidem non tantum ſalia media, ſed & acida & alcalia, tam fixa, quam volatilia in uſum medicum recipiuntur. At vero non facile ſalutaris ab iis ſperandus effectus eſt, niſi talis adſit humorum præſertim in primis viis conſtitutio, ut in ſal tertium, naturæ partium ſolidarum & fluidarum amicum & blandum mutentur. Nam quando copia bilis, præſertim alcalinæ oleoſæ indolis, in flexura duodeni collecta & ſtagnans, genus nervoſum male afficit, & hac ratione ſæpe vomitus bilioſi, nauſeæ, appetitus proſtrati, caloris lenti, cephalalgiæ, febris etiam ardentis, aut inexhauſtæ ſitis cauſa eſt, tunc certe acidula, ut ſunt julapia, refrigerantia vel alii ſpiritus minerales acidi dulcificati, egregium plane ferunt præſidium.

Ubi porro intenſus febrilis æſtus, à fortiori motu inteſtino partium ſanguinis ſulphurearum ortus, ipſam ſanguinis temperati texturam nimium deſtruendo, corpus & ipſas vires penitus exhaurit, ibi acida plus proficient, quam ſalia media, alcalina, vel alia remedia, quia particulas ſulphureas, à quarum motu fit calor, figendi & enervandi facultate gaudent.

In morbis malignis, qui ex interna humorum putredine naſcuntur, ab acidis ſane plus auxilii, quam ab ullo alio remedio expectare poſſumus, & quidem ob hanc cauſam, quia per putredinem gignitur alcali, & à copioſo etiam alcali putredo provenit, quod quum protinus ab acido cicuretur, putredinis incrementa cohibentur. In ſcorbuto & arthritico inveterato malo ingens copia ſalium in maſſa ſanguinis generatur, quæ certe magis ad alcalinam lixivioſam, quam mediam naturam pertinent. Hinc etiam eorum, qui ſic ægrotant, ſanguis è vena ductus tenuis & floridus ſubinde apparet, & urina plerumque valde rubicunda & ſalſo-lixivioſa emingitur. Plus ſæpe tunc præſtare acida temperata, quam alcalina urinoſa & volatilia, aut calida ſpirituoſa, minus peritos fideliſſima rerum magiſtra, experientia, certiſſime docebit.

---

## OBSERVATIO XX.

### *Examen ovorum phyſico-chymicum.*

NOn puto quemquam fore, qui me perperam ſentire exiſtimet, quod non tantum medicamentorum, ſed & alimentorum naturam, mixtionem vireſque medico explorandas eſſe ſtatuam. Nam quemadmodum alimenta ad tuendam vel etiam reparandam valetudinem plurimum valent, ita etiam ad procreandas morborum materias apta nata ſunt. Quum vero inter ea, quæ humoribus noſtris admodum congrua iiſque alendis inſtaurandiſque idonea ſunt, animantium ova & maxime gallinacea ſe commendent, & omnium ſaluberrima haud injuria habeantur; utile me ſequi inſtitutum, atque etiam operæ pretium me facturum puto, ſi ad evolvendam eorum naturam examen inſti-

inſtituam inſuperque provideam, ut facta de iis experimenta & obſervationes in aliorum cognitionem perveniant.

Primo igitur ſcire licet, quod ratione ponderis gallinarum ova multum differant; nam alia ſunt majoris, alia minoris magnitudinis & ponderis; quod medio modo ſe habet, ordinario uncias duas pondere æquat. Cortex plerumque ad drachmæ unius & aliquot granorum pondus accedit. Vitellus gravitate par eſt unciæ dimidio, albumen vero unciam unam & dimidiam habet, quod triplo gravius eſt vitello.

Secundo, ſi ovum recens, quod lancis examini commiſſum duas uncias pondere ſuo ſuſtinet, in aqua fervente ad duritiem coquitur, id obſervatione dignum occurrit, quod ejus gravitas ad drachmam unam & dimidiam decreſcat, haud incerto indicio, ipſa coctione portionem ſubtiliſſimi principii, quod fluiditatis cauſa eſt, per corticis poros exhalaſſe.

Tertio, ovum recenter editum & coctum non tam ſubito totum indureſcit, ſed inſtar lactis fluidi portio albuminis apparet, id quod indicat, ſubtiliſſimam & fluidiſſimam materiam in ovo contineri, quæ cum tempore tranſpiret, quod vel etiam exinde cognoſcitur, quoniam ova vetuſtiora non modo exſiccantur & concidunt, ut quædam intus pateat cavitas, ſed & facilius in putredinem ruunt, maxime æſtivo tempore, quo ob vehementiorem calorem liberalior eſt hujus materiæ tranſpiratio. Ex quo colligere licet, ova recentia, præſertim tempore æſtivo, in loco frigido vel melius in aqua frigida ſalita detinenda eſſe, ſi quis ea integra atque à ſitu & ſqualore immunia ſervare velit.

Quarto, ſi ovum ante coctionem immediate prunis, ſed non adeo candentibus imponitur, liquorem per corticis poros transſudare, liquido apparebit; ſiquidem calor elaterem fluidi in ovo valde auget, ut vi aperiat poros & liquidum protrudat. Quapropter clare diſcimus ex hoc experimento, valde perſpirabilem eſſe ovorum corticem.

Quinto, ovi albumen leniſſimo igne vel calore ſtatim ſolvitur & diffluit, quo magis vero calor augetur, eo magis illud ſpiſſeſcit. Ova itaque incubata ſi examinemus, albumen valde attenuatum & liquidum, minime vero ſpiſſum, deprehendimus. Et hic effectus diverſiſſimus gradui caloris aucto vel imminuto adſcribendus eſt, quia albumen ovi, ſi calor auctior eſt, quam in ſano homine, ſpiſſitudinem induit, unde non inepte colligitur, in febrili incendio ova ſorbilia minus eſſe utilia. Diſcimus etiam exinde, temperatum calorem in emolliendis duris tumoribus longe efficaciorem eſſe, quam nimium fervorem, quem cataplaſmata vel alia topica corpori inducunt. Nimius enim calor, ſive internus ſive externus, corporis noſtri humoribus minus utilis eſt, quia ad craſſitiem eos diſponit.

Sexto, ſi ex retorta vitrea albuminis per coctionem inſpiſſati in arena debito calore adornatur deſtillatio, prodit primo ingens phlegmatis quantitas, quod odoris & ſaporis expers, nec acidum, nec alcalinum eſt, poſtea aucto igne exſtillat ſpiritus coloris flavi, qui rectificatione dat aquam, ſal volatile & denique oleum tenue, fœtidum, grave, & in retorta remanet terra ſpongioſa, inſipida, fixo alcalino ſale orbata, quæ igne aperto levis & ſpongioſa inſipida evadit. Ex quo diſcimus, quam varios effectus diverſus ignis gradus in uno eodemque proceſſu exercere poſſit, & quanta opus ſit cautione in eo recte applicando.

Septimo, ovi albumen ad mixturam ſpiritus rectificatiſſimi intenſum abit in coagulum, quod etiam cum albumine, oleo vitrioli admixto, imo à quovis acido contingit. Quum igitur ſuccus animantium nutritius ad naturam hujus albuminis, quod etiam in primum pulli gallinacei cedit nutrimentum, exquiſita ſimilitudine accedat, ecquis inde non intelligit, quantum noxæ à ſpiritu vini ejus potatoribus metuendum ſit. Nihil enim vitæ & ſanitati hominum æque ac animantium magis eſt adverſum, quam illud, quod humoribus vitalibus, qui perenni curſu per innumera vaſa ire ac remeare debent, coagulum inducit, eorumque fluxilitatem auffert. Ita enim fœcundæ morborum cauſæ gignuntur, vaſa & viſcera ad obſtructiones, ad indurationes, ad ſcirrhos proclivia fiunt, unde graves & longæ paſſiones naſcuntur, ita, ut hinc phthiſis, hydrops, cachexia, concretiones polypoſæ, calculoſæ principium & augmentum capiant. Diſcimus quoque in praxi, ſpirituoſa, ut ſpiritum vini camphoratum, non ſemper utilia eſſe ac proficua in tumoribus ac doloribus articulorum diſcutiendis, quippe experientia monſtrat, nihil facilius in podagricis contingere, quam ut ex frequenti ſpirituoſorum applicatione tophaceæ concretiones naſcantur.

---

## OBSERVATIO XXI.

### *Examen ſanguinis humani chymicum.*

Sanguis omnino vitæ theſaurus eſt, quamdiu convenienti qualitatis & quantitatis temperamento gaudens per tubuloſam corporis ſubſtantiam circumvolvitur; quare ut medicus ejus naturam, indolem & variam pro diverſitate corporum & morborum mixtionem omnibus indaget veſtigiis, utique neceſſarium eſſe arbitror. Nihil vero eſt, quod compendioſiori via nos perducere poſſit ad interiorem ejus cognitionem, quam examen mechanico-chymicum.

Primo itaque expedit ſcire proportionem ſolidi & liquidi, quod ineſt ſanguini, in ſano vel etiam morboſo ſtatu, quæ pondere utique exploranda eſt. Ita vero experimentum facere oportet: exigendus ad lancem eſt ſanguis è vena emiſſus, poſtea in patinam ſtanneam immittendus, quem levi fornacis calore exſiccare convenit, ubi pulvis remanens ſiccus iterum librandus eſt, ita exacte quantitas ſolidi & liquidi manifeſtatur. Quo plus itaque ſolidæ materiæ obſervatur, eo craſſior & tenacior ſanguis eſt, qui progignendis obſtructionibus mirifice velificatur.

Docet nos hæc mechanica, tres partes humidi & unam ſaltem ſolidi ex alimentis ad ſanitatem tuendam eſſe neceſſarias. Hinc etiam recte infertur, quod eſculentorum & potulentorum æqualis debeat eſſe proportio, ſiquidem, quos aſſumimus, cibi minimum æqualem partem humidi jam complectuntur.

Deinceps in commemorato experimento id notabile occurrit, quod aquea pars ſanguinis longe citius avolet, quam quævis aqua, in eodem loco atque eadem quantitate, inque ſimili vaſe poſita, id quod indicat, non rude & crudum, ſed admodum tenue & volatile eſſe illud humidum, quod ſanguinis ac humorum vitalium mixtionem ingreditur. Nihilo minus tamen ſanguis humanus ſpecie gravior eſt aqua propter ſolidum, quo repletum eſt, elementum; nam quandocunque vas aqua repletum unciis novem & drachmis ſex pondere reſpondet, tunc ſi eidem vaſi ſanguis humanus infunditur,

ditur, ejus pondus ad uncias decem & drachmas duas increviſſe obſervabitur. Sanguis ergo plus quam dimidia uncia aquæ gravitatem ſuperat.

Serum, quod ſanguini è vena ducto ſupernatat, ſi cochleari argenteo exceptum carbonibus ignitis admovetur, non ſecus ac albumen ovi, in durum ſciſſile corpus compingitur, certo indicio, hoc ipſum ſucco nutritio copioſo eſſe turgidum. Neque etiam more albuminis ovi acidæ vel alcalinæ naturæ eſt, quia nec cum acido, nec cum alcali effervefcit; non igitur mirum eſt, quod à ſolutione aluminis, atque ab oleo vitrioli, item à ſpiritu vini rectificatiſſimo coaguletur. Adeoque etiam ex his apparet, quantum hæc ſanguinis vitali texturæ ac motui detrimentum afferant.

Deinde ſanguis, recenter ex vena emiſſus, totus reſolvitur in ſerum, ſi moderato calori ſive tepori exponitur, qui ſubinde coagulum ſenſim paulatimque plus reſolvit, tantum abeſt, ut illud ſolidius reddat. Si diutius tepor hic continuatur, ſanguis adhuc tenuior redditur ac incipit putreſcere, non ſecus ac albumen ovi, & non modo tunc fœtorem ſpirat, ſed & cum acidis commixtus effervefcit; nonne igitur in propatulo eſt, ſal alcali partum eſſe putredinis? Quapropter illud in uſum noſtrum ex hoc experimento depromimus, ſanguinem & ſerum calore naturali tandem in excrementa, quale eſt urina & ſudor, fatiſcere, & novi chyli acceſſione ſemper ipſi eſſe ſuccurrendum, alias diuturna inedia cauſa mortis eſſe poteſt.

Deſtillationi ex vitreo vaſe ſi ſubjicitur ſanguis ſub leni calore, aqua prodit ſatis copioſa, quæ nec naturam acidi, nec alcali præ ſe fert, nec quicquam ſpirituoſi principii exhibet. Hinc patet, ſpirituoſum ſanguinis elementum eſſe quidem mobiliſſimum, nullo autem modo ſulphureum, phlogiſton, aut alcalinum volatile.

Abſtracto ex cucurbita per leniſſimum calorem phlegmate, ſi relicta in ejus fundo coagulata maſſa retortæ vitreæ indatur, igne intenſiori reddito, primo elicitur ſpiritus flaveſcens cum oleo flavo, poſtea parietibus vitri ſeſe apponit ſal volatile album, quod varias figuras æmulatur, poſtea aucto igne oleum prodit craſſum, fundum petens, & aſcendit ſal volatile copioſum.

Ex capite mortuo nullum emergit ſal fixum, niſi forſan ſal commune, quod fieri conſuevit, ſi homo copioſius eo uſus fuerit; igne aperto pauca terra candida remanet.

Si calx viva ante deſtillationem ſanguini additur portione æquali, tunc ſal volatile magis purum obtinetur, vel præſtat potius rectificationem omnium eorum, quæ prodierunt, cum calce viva inſtituere.

Maxime omnium vero defigendus eſt animus in conſideratione illius experimenti, quo citra ignem, qui texturam priſtinam deſtruit & novam producit, per ſolam ſimplicis aquæ calidæ affuſionem in ſua elementa purpureus hic humor reſolvitur. Nam ſi ſanguis ſiccatus & in pulverem tritus in aquam calidam immittitur, evadit hæc rubicunda, & remanet materia tenax, fuſci coloris, quæ diſſolutionem cum aqua plane reſpuit, & hæc duas partes habet, ſi ponderatur, cum unam partem æquet ſolubilis præ parte glutinoſa indiſſolubili. Si exſiccatur, pulvis remanet obſcuri coloris, qui flammam facile concipit, quo ſignificatur, eum ex parte ſubtiliori ſulphurea conſtare, quum reliqua portio ex terreſtriori ſulphurea parte conflata ſit.

Hæc duplicis naturæ ſubſtantia in ſanguine etiam ad oculum patet, ſi ipſe ex ſecta vena immittitur in aquam tepidam, quæ brevi tempore colore rubicundo imbuitur, in fundo autem vaſis hærent albi flocci, ex telis quaſi aranearum contexti, qui nulla aqua ſolvi poſſunt. Talem vero ſanguinem, ſubſtantia hac craſſa paulo liberalius onuſtum, polypoſis concretionibus gignendis & vaſis occludendis idoneum eſſe, nemo facile dubitabit.

---

## OBSERVATIO XXII.

### *De panis groſſioris Weſtphalorum, vulgo* Bompournickel, *natura, elementis chymicis & virtute.*

Animantium corpora, jugi motu calidi & fluidi interni continenter & variis modis exagitata, partes aliquas ſui continuò amittere, hinc congruam earum reparationem requirere, res eſt certiſſima.

Illud ipſum jam commode perficitur alimentis, quæ in humorum abſumtorum locum ſuccedere, atque in eorum naturam inque ſuccum ac ſanguinem converti, & corpus noſtrum tam alere, quam augere debent. Ex horum genere primas obtinet panis, *Iſidoro* à πᾶν dictus, quod omne quaſi alimentum abſolvat. Hic baſis quaſi ciborum eſt, & alimentum univerſale, naturæ admodum conſentaneum, ventriculo acceptum, citra ullum faſtidium, omnibus ferme gentibus jam inde à prima mundi ætate per multorum temporum proceſſus familiare, totque ſeculorum ac nationum longo uſu comprobatum, hinc alimentorum facile princeps. Etenim frumentum omne & ex eo confectus panis elementa complectitur valde affinia ſuccis noſtris vitalibus, negata cæteris rebus alibilibus.

Conſtat nimirum, fluida noſtræ machinæ ex diverſiſſimis ratione figuræ & molis, corpuſculis eſſe compoſita, variaque elementa ibi contineri, chymico igne eruenda, nimirum ſulphur, oleum & ſal volatile, mucilaginem, terram, aquam & quæ ſunt hujus generis alia. Similia quoque reconduntur in pane: nam deſtillatus fundit ſpiritum acidulum, oleoſum, qui præter alia & coralliorum ſubſtantiam promte ſolvit & rubineam tincturam digeſtione prævia conſtituit, medicamentum non contemnendæ virtutis. Deinde magnam olei inflammabilis largitur copiam, nec non terram fixam, nigram, à deſtillatione reſiduam præbet; mucilaginoſa ejus & lenta ſubſtantia ad ipſum ſenſum patet. Spirituoſas ſubtiles partes & vim confortantem ipſi ineſſe, præter teſtimonium ſacri codicis, & odor panis reficiens, & aqua ex pane præcipue groſſiori parata, virtutis analepticæ, à medicis mirum laudata, nec non quotidianus ejus uſus, vires firmans atque ubertim nutriens, comprobant. Præterea ventriculus hoc alimenti genere apprime delectatur, propter acidum ſubtile & blandum, quo gaſtrici menſtrui vis & activitas diſſolvens egregie adjuvatur & exaltatur.

Plura in hanc rem de panis natura, viribus, variiſque generibus, veteribus jam cognitis, commentari poſſemus, ſi inſtituti noſtri ratio id permitteret: poſſunt autem evolvi *Hippocr. L.2. de vict. rat. ſect.4. pag.22. 23. Athenæus l.3. cap.17. & 18. Pollux L.7. cap.11. & Plin. L.18. cap.7.*

Placet ſaltem impræſentiarum panem illum groſſiorem, quo Weſtphali pro victu quotidiano utuntur, à Gallo peregrinante denominatum Bonpourni-

pournickel, paulo penitius examinare ejuſque naturam ac vires breviter ſtrictimque evolvere, atque uſum ejus à multorum contemtu vindicare.

Priſcis jam tum gentibus panis hic cognitus fuit, dictus furfuraceus, quoniam à furfuribus non repurgatus eſt, teſte *Gellio L.2. cap.9.* it. impurus *vid. Hipp. Athenæus L.3. p.125.* ſyncomiſtum vocat, ex farina in cerniculo non excuſſa ſubactum; It. coliphium ἀπὸ τῶ κώλων membrum & ἰσχὺ robur, quaſi robur membrorum appellavit. *vid. Petr. Faber Agoniſtices L.III. cap.III. Coelio Rhodigino L. 9. c. 16.* dicitur cibarius & gregarius, *Terentio* ater.

Hoc panis genus magno ſemper in pretio habitum fuit ad alendum & firmum ac robuſtum corpus reddendum: hinc furfuracei panes πολυτροφώτεροι h. e. multum nutrimenti habentes, & qui ex polline ſeu farina puriſſima confecti ſunt, ὀλιγοτροφώτεροι, ſeu minus alimenti dantes, dicti ſunt, teſte *Athenæo l.c.* Hanc ob rationem olim athletæ, qui robuſtiſſima membra & nimio ſanguine atque adipe quaſi luto involutas animas habebant, coliphium duntaxat ſumebant in prandio; in cœna vero carnem ſuillam non elixam, ſed igne paululum aſſatam, & aquam calidam bibebant, ut alimentorum duritie & craſſitie non modo uberius nutrirentur, ſed etiam vim ciborum ſaturantem diutius perciperent. vid. *Petrus Faber l. c. p.231. it. Galenus de alimentis & Arrianus L.3. Verrius apud Plinium* autor eſt, populum Romanum furfure tantum è frumento per trecentos annos uſum fuiſſe. vid. *Fulvii Urſini Append. pag.316.* Durus quippe & firmus hic victus minus corruptibiles generat ſuccos, duplo plus nutrit, fami magis reſiſtit & generat corpora firma, perferendis laboribus injuriiſque tolerandis idonea, & à morbis maxime, qui à diſſolutione maſſæ ſanguineæ calida proveniunt, immunia.

Hujus aſſerti veritatem ſufficienter corroborat tota Weſtphalica gens, egregie robuſta atque ad graviſſimos labores & injurias tolerandas validiſſima. Notabile eſt, populum illum raro infeſtari febribus acutis, & morbis, ab humorum ebullitione & ſanguinis ejuſque elementorum diſſolutione quadam maligna ortis, ſed magis ibi regnare & graſſari morbos frigidos & chronicos, quod utique craſſo victui & diuriori diætæ adſcribendum eſt. Cum enim pauciora alimenta, in corruptionem promta & parata, aſſumuntur, tardam nec tam acrem ſubeunt humores fermentationem, unde & calor nimius viſcoſarum partium impedimentis obtunditur, & humores texturæ firmioris non tam facile divelli & deſtrui à fermento morboſo poſſunt. Præterea ingeniorum dignitatem, morum conſtantiam ſolidumque in rebus gerendis judicium, quo Weſtphali præ aliis nationibus pollent, quas etiam ob dotes ad Eccleſiæ & rerum publicarum gubernationem in peregrinis locis præ indigenis adhibentur, meo quidem judicio partim educationi, partim victus rationi adſcribendum eſſe exiſtimo. Laboris, cui à puero adſueſiunt, ſunt patientiſſimi: ut autem homines nihil agendo male agere diſcunt; ita rurſus honeſtis laboribus multæ pravæ cupiditates & vitia reprimuntur. Victus autem hic magnum contribuit ſymbolum. Pulchre docet Philoſophus *Lib.I. Pol.3. victus alimentique diverſitatem diverſas ac diſpares hominum vitas efficere*; nec ſine ratione: perpetuum enim corporis & animi commercium & ſtrictiſſimum utriuſque vinculum eſt. Qualis habitudo eſt ac motus ſpirituum, ut vocant, animalium, tales quoque inclinationes, cogitationes animæque actiones moreſque exſurgunt, id quod firmiſſimis rationibus adeo eſt manifeſtum, ut fruſtra operam poneremus, ſi rem in medicorum trivio notiſſimam hic amplius vellemus exponere.

Nec obſtat hic craſſum victum craſſos procreare ſpiritus; utpote labore & motu viſcidæ particulæ ſatis dividuntur, & quaſi præparantur, ut non tantum propiori alliſione ad tubulos corporis in augmentum ſolidi cedant, verum etiam ſpiritus progenerent ſatis firmos, ingenii æque ac corporis laboribus perficiendis ſuſtinendiſque idoneos, quamvis non fluxiles inconſtantes. Et utut ſanguine præditi ſint frigidiori, ſufficiente tamen gaudent ſpirituum animalium activitate. Notiſſimæ ſunt obſervationes, quod quæ ſpiritu gaudent inteſtino & pariter per liquidi poros diviſo, preſſione rigidorum craſſiorum, in medium ſe recipiant & ad difflationem minus apta ſint, ut ſic in centrum coactæ & unione fortiores particulæ ſpirituoſæ magnam habeant vim & potentiam.

Non tamen negandum eſt, victum hunc craſſiorem minus tutum eſſe illis, qui imbecilles ſunt, quiete ac otio fruuntur, nec laboribus aſſueti. Hinc ſapienter ſcribit *Hippocrates de Medicina Priſc. Sect. I. p.14. Valentiora alimenta hoc habent, quod à natura ſi ſuperentur, nutriant egregie, ſi non, dolores & morbos frigidos producant. Et Celſus* dicit *p. 106. Valentiora minus facile concoqui, ſed ſi concocta ſint, plus alere.* Labore itaque & motu hic opus eſt. Corpora athletica, i. e. quæ exercentur laboribus, nutritionem recipiunt ſolidiorem, quam tranquilla & otioſa, ubi ſuſpecta magis omnis nutritio & pinguedo eſt. Motus enim eſt & ſanguinis circuitus, qui interiori attritione & vi ſua elaſtica craſſas alimenti particulas reſolvit, ſubigit, digerit & in ſubſtantiam corporis noſtri convertit: quies autem omnem nutritionem ſufflaminat, & lentas obſtructiones, morborum genitrices, atque ingenium tardum ac fluxile parit.

Ex hiſce jam liquido conſtare exiſtimo, plurimam alibilem qualitatem eſſe in pane Weſtphalorum, & quidem tantam, ut ſecurius & meliori fato laboribus aſſueti firmiſſimo hoc nutrimenti genere utantur, & corpora illorum ac ingenia inſtaurentur, quam nos delicatiori ac tenuiori victui & otio adſueti. Sique porro rem paulo accuratius ad juſtæ rationis momenta exigere velimus, plurima hic ſeſe offerunt, quæ panis Weſtphalici præſtantiam demonſtrant. Multum enim diſtat natura & indoles panis groſſioris furfuracei ab illo, qui ex farina puriſſima coquitur. Weſtphalicus ſi deſtilletur, copioſiſſimum empyreumaticum & inflammabile præbet oleum: mediocrem quantitatem panis medius; minimam, ſeu potius nullam, panis ex tritici farina puriſſima factus, ſeu ſimilagineus. Imo deſtillati furfures copioſum ſemper fundunt oleum, cujus proventus mea ſententia cortici externo duriori, quem aëris calor jugiter atterit, debetur. Notum autem jam eſt, quam activum principium, naturæ noſtræ & mixturæ ſanguineæ conſentaneum & humorum quaſi balſamum, ac fidelis temperiei nativæ cuſtos ſit oleum deſtillatum. Ipſe ſanguis abit in oleum & inflammabilis eſt, & quo magis de hoc principio participat, hoc firmiores ſuppeditat vires, ſanitatis & vitæ noſtræ conſervatrices. Oleum deſtillatum mineram ac matricem eſſe ſalis volatilis, quo mire gaudet regnum animale, rerum chymicarum gnaris compertum eſt.

In facili jam eſt ex his colligere, quantam prærogativam hic panis habeat præ aliis ſui generis. Alimentum vere dici poteſt medicamentoſum, quoniam præter qualitatem corpori noſtro ſimilem, habet & aliam, qua inſigniter reficit, tempe-

temperiem humidam emendat, exſiccat, à putredine defendit & ſpiritus recreat, quare loco medicamenti, ubi virium jactura incidit, ubi ſanguinis robur deficit & diſſipatio ſpirituum metuenda, adhiberi poteſt, ſive in juſculis, quæ cum vino, ſaccharo & cinnamomo parata ſunt, vel etiam in aqua ejus deſtillata ſaporis ſuaviſſimi, in phthiſi, hectica & virium defectu egregia. Taceo ejus uſum externum, in capitis dolore, & ubi diſſipatione humorum ſtagnantium opus eſt, eximium.

Tandem panis hic craſſior ſingularem quoque fovet virtutem, aliis panibus non conceſſam, quod licet ſit craſſioris texturæ, alvum tamen ſubducat. Notata hæc virtus jam olim fuit ab *Hippocrate*, dum ſcribit *L.*2. *Sect.*4. *pag.*23. *panem ex farina integra non excuſſa alvum ſubducere*, *purum vero minus*, *ſed magis illam conſtipare*. Hanc virtutem maxime derivandam eſſe exiſtimo ex furfuribus rigidioris texturæ ac figuræ, qui tenuiſſimas inteſtinales fibras ad motum excretorium promtius ſollicitare & irritare continuo poſſunt, furfures enim teſte *Galeno* virtutem habent deterſoriam. Hinc artis opera tractantibus obſervare licet, talia juſcula ad alvum laxam ſervandam eſſe accommodatiſſima.

Quod concernit medicamenta, ex pane hoc Weſtphalico concinnanda, ex illis laudem eximiam meretur ad vires reſtaurandas & humidum homogeneum corporis in fervore hectico refarciendum aqua, quæ paratur ſequenti modo: Sumatur libra una panis contuſi, ſucci cancrorum fluviatilium libra ſemis, roris majalis libræ quatuor, aquæ roſarum unciæ quatuor, nuciſtæ uncia dimidia, croci drachma una, deſtillentur hæc invicem in balneo, ut vocant, Mariæ moderato calore, ſic prodit aqua egregie confortans, ſuaviſſimi odoris, ſtomacho grata & ad reſtinguendum æſtum hecticum eximia, ſi quotidie ad menſuram dimidiam ſumatur vel ſola, vel cum pulvere cornu cervi philoſophice præparato.

Porro ſi aqua ſpirituoſa ſtomachalis expetitur, deſtillandus panis hic eſt cum vino Rhenano, adjecta nuciſtæ & cinnamomi ſufficiente quantitate; fit exinde aqua ſtomachum corroborans, in nimia ejus laxitate, vomitu, appetitu dejecto ſumme proficua. Præterea ſpiritus ex pane ſicco in retorta deſtillatus & ab oleo ſuo fœtido probe purgatus, medicamentum ſudoriferum eſt naturæ non adverſum, atque ad ſanguinis impuritatem tollendam utiliſſimum. Si radiis ſolis per aliquod tempus exponitur, tincturam induit rubineam. Fuſius hujus ſpiritus laudes recenſet *Joh. Tackius in Chryſog. anim. p.*76.

---

## OBSERVATIO XXIII.

### *De ſuccino, ejus generatione in terra & varia ſolutione.*

Tellus, ampliſſimum illud naturæ promtuarium, non tantum varii generis metalla, mineralia, lapides, terras ac ſalia in viſceribus ſuis habet recondita, ſed inſuper etiam benigno ſinu fovet corpora ſulphureæ indolis, pinguia, unctuoſa, tenacia, quibus bituminum appellatio contigit.

Non communis eſt bitumini natura cum ſulphure vulgari & minerali: hoc enim per deſtillationem neutiquam in oleum vel ſpiritum diffluit; bitumina vero in vaſe vitreo deſtillata oleum & ſpiritum cum terra effœta & inerti largiuntur. Sulphuris vero mineralis tam vapor, quam odor plane diſſimilis eſt illi, quem corpora bituminoſa exſpirant.

Numerantur vero duo imprimis bituminum genera: alia enim ſunt nobiliora, alia ignobiliora, utraque vel ſicca vel fluida. Nobiliorum cenſu comprehenduntur ambra & ſuccinum: ignobiliorum claſſem ducunt lithanthraces, carbones foſſiles, terra ampelites atque aſphaltum, quæ tamen conſiſtentia & bonitate multum à ſe invicem diſſident. Pertinent huc etiam naphtha & petroleum, quæ tamen fluidam habent ſubſtantiam, qua diſtinguuntur à reliquis, in ſolidiorem maſſam coalitis.

Quod ſpeciatim ſuccinum attinet, uber & affluens ejus proventus eſt in Pruſſia, quæ regio genuina ac propria ſuccini patria celebratur. Quamvis autem ſit terræ fœtus, datur tamen ejus copia in mari Baltico ad litus Sudavicum, ubi ſummis undis innatat interque fluctus fertur, quod inde retibus expiſcari ſolent. Loca ſuccini feracia imprimis ſunt pagi *Fiſchhauſen*, *Groſsdúckſtein*, *Wernichen und Palmonick*. Nec vero eſt hoc bitumen maris progenies; nam mare vento ac tempeſtate commotum illud ſaltem ex terræ viſceribus eluit, & impetu fluctuum ſecum abripit, tandemque litoris confinio admovet. Longe rectius autem bituminoſum hoc corpus mineralium claſſi accenſetur, ſiquidem terræ ſoboles eſt, & pariter ac carbones foſſiles, vel reliqua mineralia, proprias intra venas colligitur.

Illi venarum tractus ante aliquot annos juſſu Potentiſſimi Regis Friderici hunc in modum detectæ ſunt. Fodiendo nimirum primo in conſpectum venit arena, qua ſublata ſtratum ſeſe obtulit argillaceum; poſt terra profundius ſubruta ſtratum aperuit ligneum, ex ligno quaſi vetuſto, flammam tamen concipiente, coagmentatum, ſub cujus fundo plerumque deprehenſa eſt minera vitrioli, ex qua libero aëri expoſita, non ſecus ac ex minera martis Haſſiaca, vitriolum, omnis venerei contagii expers, effloruit.

Denique terra altius ſuffoſſa inventum eſt ſtratum arenaceum, idque bono admodum omine, ex hoc enim convenientibus inſtrumentis dives ſuccini copia variis in locis extracta fuit. Nam digna res obſervatione eſt, quod arena matrix ſuccini eſſe ſoleat, hinc ubi intra terræ ſinus offenditur arenæ copia, ibi interdum ſpes ſuccini reperiundi oſtenditur. Hac ratione in Marchia prope Küſtrinum, item in tractu Stolpenſi & Dantiſcano ex arena eruitur. Reperitur etiam certos in cumulos collectum, quod germanice exprimi ſolet: *Klumpen-oder Neſter-Weiſe.*

Ex quo arguitur omnino fabuloſus error, ſuccinum eſſe arborum reſinam, quæ ex earum cortice deſtillet in mare ibique ſolis calore in ejuſmodi corpus digeratur.

Modus, quo generatur hoc bitumen, talis nobis eſſe videtur: Ex ligno illo bituminoſo foſſili, cujus mentionem paulo ante injecimus, accedente calore ſubterraneo oleum deſtillatur, naphthæ vel petroleo admodum ſimile, quod per ſuppoſita ſtrata per mineras vitrioli trajectum, ab admixto ejus acido in corpus reſiniforme coagulatur; quam quidem ſententiam ea, quæ ſequuntur, reddunt confirmatiorem.

1. Naſcens ſuccinum fuiſſe liquidum, inde evinci poteſt, quoniam illud ſæpius ab ipſa natura in formam rotundam conglobatum conſpicitur.

2. Fru-

2. Fruſtis ſuccini interdum varii generis inſecta incluſa hærent, quod neutiquam fieri potuiſſet, niſi materia, qua circumvolvuntur, fuiſſet liquida.

3. Quod ex oleo, petrolei æmulo, ſuccinum concreverit, ex eo colligere licet, quia oleum, ex ſuccino paratum, & odoris & virtutis ſimilitudine proxime accedit ad petroleum, dum hoc æque difficulter, ac ſuccini oleum, à rectificatiſſimo ſpiritu diſſolvitur.

4. Autor eſt Charleton, ſagax, ſi quis alius, rerum naturalium obſervator, in *tractatu de foſſilibus pag.*287. ſæpius inventa eſſe fruſta hujus bituminis, quæ naphtham ac petroleum intus concluſum tenuerint.

5. Sal acidum ſuccini admodum fixæ eſt indolis, ſuaque virtute non cedit vitrioli acido.

6. Magno hujus rei documento eſt experimentum illud phyſicum, quo animadvertitur, olea deſtillata ad unum fere omnia, inque iis etiam aromatica cum oleo vitrioli vel aqua forti generoſiori commixta, in maſſam denſari reſiniformem, quæ igni admota ad flammam concipiendam promta ac parata eſt.

7. Ligna inſuper foſſilia & carbones foſſiles, prævia deſtillatione & rectificatione, fundunt oleum, oleo ſuccini & petroleo ſimillimum.

8. Denique magnam probationis vim habet ipſa, quam ſupra commemoravimus, ſtratorum diſpoſitio, quorum primum eſt ligneum, alterum vitriolaceum, & tertium ex arena conflatum, in cujus ima parte ſuccinum, & quidem per fruſta ſparſum, offenditur.

Ingens ſuccini ubertas eſt in litoribus maris Sudavici, eo imprimis tempore, quando Borealis venti vehementia fluctus & procelloſas tempeſtates concitaverit. Vero enim ſimile videtur, quod mare, dum per loca illa ſubterranea, quæ alunt ſuccinum, cœco lapſu fertur, ex iis vi atque impetu concuſſis fruſta hujus bituminis divellat, & ſecum auferat.

Succinum, ſi color ſpectetur, varium ac multiplex eſt. Optimæ notæ habetur pellucidum, omnis maculæ expers, idque pretioſiſſimum, cui par auro pretium Chinenſes ſtatuunt, ex quo etiam idola ſua affabre & eleganter efformant. Ex hoc pellucido non ſecus ac ex vitro confectum nuper vidi ſpeculum cauſticum convexæ figuræ, quod Sereniſſimus Landgravius Haſſiæ in rarithecio ſuo inſtructiſſimo poſſidet. Hoc tranſparente inferius eſt album, ſequitur poſtea flavum ac denique brunum, omnium utique viliſſimum. Neque unum idemque eſt ſuccini pretium; nam quo majora ac puriora fruſta ſunt, & quo magis pellucent, eo etiam carius venduntur.

Cæterum vulgaris ſermo circumfertur de ſuccino nigro, quale tamen nuſquam eſt obvium, atque adeo ſaltem precario creditur. Venditur autem hujus loco bitumen foſſile nigrum & ſolidum, quod ſpecies aſphalti eſt, atque in Anglia ex mineris carbonariis effoditur, ex quo incolæ varia utenſilia parare ſolent.

De cætero ſuccinum in pulverem ſi comminuitur, & cum æquali portione arenæ miſcetur, per deſtillationem in arena ex retorta vitrea inſignem olei quantitatem largitur, adeo, ut ex libra una unciæ ſex olei minimum haberi poſſint. Intenſiori ignis gradu ſub finem adminiſtrato, ſal ſaporis acidi, craſſiori oleo immixtum, in collum retortæ fertur, quod ab oleo ſeparatum & rurſus ſublimatum ſal ſuccini volatile vulgo vocari ſolet, tametſi non adeo volatilis ſit naturæ, utpote non niſi intenſiori igne in ſublime elevatur. Nomen vero forſan adeptum eſt ob ſubtilitatem, quam in eo habet cum ſale volatili, ex partibus animantium deſtillato, quod demum prolectato prius oleo auctiori igne in conſpectum venit.

De oleo hoc ſuccini id videtur notatu dignum, quod non, ut alia olea deſtillata, tam amicum cum rectificatiſſimo ſpiritu ineat conjugium; ſiquidem totum neutiquam ſolvitur, ſed quædam ſubtilioris olei pars tantummodo in ſpiritum ſecedit, indicio, multum mucilaginoſæ ſubſtantiæ, quæ etiam leni facta ſuper carbones in vaſe aperto evaporatione & agitatione cum baculo, in conſpectum venit, ipſi eſſe immixtum. Succini oleum ſi cum aqua miſcetur & denuo ex veſica deſtillatur, multo evadit penetrantius, quod cum aliis in emplaſtrum redactum in diſcutiendis duris & inveteratis glandularum tumoribus deſideratam ſuam non ſemel nobis probavit efficaciam: quod à deſtillatione in veſica relinquitur, craſſum & mucilaginoſum crama eſt.

De ſolutione ſuccini quædam etiam dicenda veniunt. Equidem optaverim, talis nobis eſſet cognitus modus, ut nonnulli jactitant, quo parva ejus fruſtula ſine deſtructione ejus texturæ in ingentis molis maſſam colliquari poſſint; ſed tamen, quia non ſine ratione dubito, utrum talis præparandi modus exiſtat, ea, quæ nobis circa ejus ſolutionem perſpecta ſunt, hoc loco exponere animus eſt.

Primo ſuccinum totum fere ſolvitur cum forti lixivio, ſi cum eo decoquatur, id vero paratur ex ſale reguli antimonii cauſtico, quod, dum duæ partes nitri cum parte una reguli antimonii forti igne in crucibulo fluunt, emergit, idque æquali pondere ſi miſcetur cum ſuccino & ſufficiens aqua affunditur, decenti decoctione, ſuccinum fere totum diſſolvit, &, quod obſervatione dignum eſt, lixivium, quod antea valde erat cauſtici ſaporis, acredinem ſuam non parum deponit ac temperatius fit, forſan eam ob cauſam, quod ſal lixivioſum ab acido, in ſuccino deliteſcente, infractum & cicuratum fuerit. Succinum hac ratione in liquorem redactum, eſt ſane medicina in infarctibus viſcerum diſſolvendis & omnis generis excretionibus promovendis, atque adeo in chronicis paſſionibus exoptatiſſima.

Deinde mentio quoque liquationis ſuccini, quæ ad uſus mechanicos & parandam vernicem præſtantiſſimam expetitur, inque ſecretis habetur, injicienda eſt. Recipiunt ſuccini pulveriſati libram unam, quæ in tigillo fictili convenienti carbonum igne colliquatur, & hæc liquida maſſa in laminam ferream infunditur, rurſus comminuitur in pulverem atque in tigillo fictili, addito primum oleo lini, quod cum lithargyrio prius coctum & præparatum fuit, & poſtea ſpiritu terebinthinæ, totum diſſolvitur, quo vaſa lignea & metallica lege artis obducuntur, & dextre facta prius exſiccatione, poliuntur.

Ex hoc proceſſu facile colligere licet, ſuccinum multum humiditatis aqueæ & mucilaginoſæ in ſinu ſuo recondere, quod prius liquefactione cum igne auferendum eſt, quo facto, tum demum oleum lini cum oleo terebinthinæ aditum & ingreſſum in ejus gummeo-reſinoſam mixtionem habet. Neque enim oleum ſubtilius & deſtillatum ad ejus ſolutionem ſolum aptum eſt, ſed & oleo expreſſo temperatum ſit, neceſſe eſt, id quod luculenter ſubindicare videtur, ſuccini ſubſtantiam, præter reſinoſam, etiam mucilaginoſam eſſe.

Ultimo non poſſum, quin perquam curioſum,

 quod

quod ante aliquot annos inſtitui cum ſuccino, experimentum recenſeam: indidi nempe pulveriſatum ſuccinum vitro conſervali, & olei amygdalini duas partes affudi, poſtea hoc vitrum impoſui machinæ Papinianæ accurate elaboratæ, cujus tertia pars aqua repleta erat, operculum exactiſſime clauſi & ſubdidi per horam & ultra moderatiorem ignem; vas cum refrigeratum erat, ſuccinum inveni in gelatiniformem & pellucidam maſſam colliquatum, pauco oleo liquido ſupernatante. Quo experimento clare diſcimus, expreſſa olea magna pollere facultate, firmam illam, quæ in ſuccino deprehenditur, texturam ac compagem diſſolvendi, id quod maxime perficitur, quando adaucto aëris & ætheris elatere, corpuſcula olei ingenti vi in ſuccini tenuiſſimos poros per hanc machinam impinguntur.

## OBSERVATIO XXIV.

*De carbonibus foſſilibus & eorum vapore non adeo noxio.*

PRimo carbonum foſſilium elementa chymico igne ad oculum demonſtrare volumus. Ii ipſi igni aperto commiſſi & deſtillati per retortam, fundunt primo phlegma, poſtea ſpiritum ſulphureum, paululum acrem, ſuccedit oleum ſubtile, poſtea craſſius, fundum petens, denique vehementiori ignis tortura exprimitur acidulum quoddam ſal, inſtar ſalis ſuccini: relinquitur nigra terra levis, quæ ignita non amplius inflammatur, nec flammam, aut fumum emittit. Horum indolem explorandi cauſa, quæ inſtituerim experimenta, breviter ſtrictimque proponam.

Spiritus, qui deſtillatur, prodit albus, temporis ſucceſſu rubicundo bruno colore tinctus apparet, quod phænomenon in ſpiritibus lignorum, tartari, myrrhæ & quæ ſunt hujus generis alia, etiam obſervare licet. Affuſo ſpiritu acido ſalis, bullulæ ſtatim plurimæ fundo vitri adhærebant, quæ deinde velut ſcaturientes ſenſim ac ſucceſſive ad ſuperficiem liquoris aſcendebant, ſine notabili tamen mixturæ perturbatione: Inſtillato ſpiritu nitri, major conflictus majorque apparuit liquoris turbatio.

A calce viva, ſpiritui huic ſufficienter injecta, protinus ſpiritus volatilis nares forti odore compungebat. Admoto mixturæ huic ſpiritu nitri, ſtatim denſus albus fumus prodibat, quod jucundo ſpectaculo ſemper obſervavimus, quando adjunximus ſpiritum nitri ſalibus vel ſpiritibus volatilibus. Oleum fœtidum, mixtura & impaſtatione intimiori cum ſale tartari, identidem odorem ſalis volatilis exſpirabat: deſtillatione mixtura hæc largiebatur ſpiritum alcalinum, volatilem, oleoſum, qui ſyrupo violarum viridiſſimum ſtatim induebat colorem, more omnium alcalinorum; cum acido commixtus hic ſpiritus promtius effervefcebat, & ſtatim tingebatur colore exacte rubicundo.

Oleum craſſum carbonum empyreumaticum, quod prima deſtillatione obtinebatur, ſulphureum odorem exſpirabat. Argenteo cochleari injectum, mox leni accedente calore, illud obſcuro nigricante colore obducebat, luculento indicio, ſulphur verum minerale in illo ſolutum latere; namque ſulphur vulgare, in terebinthinæ oleo reſolutum, eodem colore imbuere ſolet vaſa argentea.

Sal illud acidulum illi, quod ex ſuccino deſtillatur, ad mixturam olei tartari per deliquium valde affine fit. Spiritus ſalis ammoniaci bullulas excitabat per latas copioſiſſimas, in fundo vitri ſeſe colligentes: mox autem mixtura, antea limpida, rubineum colorem induebat, ſuperfuſo acido recipiebat ſuum priſtinum limpidum nitorem.

Rarum viſu hoc phænomenon eſt, quod acidum ab alcali ſic tingi conſpicitur. Ut igitur cauſam hujus phænomeni altius explorarem, ſal ſuccini ſic dictum volatile, quod homogeneum noſtro ſali cenſebam, ſolutum miſcebam eodem modo cum ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, ſic prævio conflictu, mixtura pauco elapſo tempore elegantiſſimum ex bruno rubicundum colorem concipiebat, exſurgente medicamento laudatiſſimarum virium, cum ipſo ſpiritu cornu cervi ſuccinato certantium.

Hæc ſunt præcipua, quæ ad evolvendam naturam lithanthracum inſtituebam experimenta; ex quibus liquido conſtare arbitror, nullum hic reperiri deleterium principium, nullum mixturæ ſanguinis vel partibus tenuiſſimis corporis noſtri infeſtum, nihilque arſenici vel aliquid minerale noxium hic eſſe reconditum.

Sulphur minerale quod concernit, non tam nocivum illud eſſe, ut vulgo creditur, teſtantur illi homines, qui præparationi, fuſioni & coctioni ſulphuris Goslarienſis operantur, qui ſatis firmi ac vegeti reſpectu aliorum metallicolarum degunt. Neque etiam noſtris carbonibus tanta ineſt copia hujus ſulphuris, alioquin facile ſicco modo in forma florum per ſublimationem prodiret. Sunt nimirum carbones hi minerales terra rara & ſpongioſa, ſucco bituminoſo ſubterraneo copioſiſſime & intime impraegnata. Bitumen anima illorum eſt, quo orbata nec flammam concipiunt, nec fumum exhalant. Bitumen autem, non ſecus ac omnes bituminis ſpecies, ad quas ſuccinum ſpectat, ex partibus oleoſis, ſulphureis, acidulis, nec non alcalinis tenuibus conſtat; uti chymica reſolutio ſuccini, bituminis Judaici, naphthæ, petrolei & omnium reſinoſorum corporum, id luculenter teſtatur.

Cernimus igitur manifeſto, tantum abeſſe, ut hæc principia ullo modo ſuccis noſtris vitalibus infeſta ſint, ut potius nimias humiditates exſiccando ſanguinem & corpus à corruptela & putredine poſſint defendere. Vi tus quippe balſamica, teſte *Galeno*, propria eſt omni bitumini. Inſuper bituminoſa omnia accenſa, aëris vitia emendare & humiditates nimias diſſipare, ab omnibus ferme medicis creditum hactenus eſt. In ipſa peſte morbiſque contagioſis, ad depurandum aërem, pice, ſulphure, aſphalto veteres uſi fuerunt.

Quibus in locis atmoſphæra valde humida eſt, & vaporibus aqueis repleta, qui ejus elaterem vividum infringunt atque inertem reddunt, ea non adeo ſalubria ſunt, eo, quod ſegnior atque impeditior ab ea facta tranſpiratio, excrementitias ſalſas ſordes intus detineat, quæ pravam & ſcorbuticam ſic dictam ſanguini & humoribus inducunt intemperiem, à qua longæ & graves corporis afflictiones proveniunt. Ejuſmodi itaque in locis, quibus vappidus & iners aër incumbit, magnam imo pene incomparabilem medicinam eſſe ſulphureum carbonum foſſilium vaporem, extra omne dubium eſt; idque exemplo hujus urbis Halenſis confirmare licet.

Immenſa vaporum aqueorum copia non modo ex Salæ fluvio, in multa brachia diffuſo, ſed potiſſimum etiam ex ſalis coctione, dum ſingulis diebus vel centum centenarii aquæ evaporare debent, in atmoſphæram, quæ urbem hanc cingit, tranſmittitur, quo fit, ut, niſi adſit venti ex oriente vel ſeptentrione flatus, qui tantam vaporum copiam disjiciat, & ab urbe hac depellat, mane & veſperi tota urbis regio nebulis obſi-

obſideatur; id quod minus pro ſanitate eſſe, quilibet facile dijudicare poterit. Sique ullo loco olim malum ſcorbuticum, phthiſis, febres purpuratæ & mali moris regnarunt, iis certe hæc urbs fuit obnoxia. Poſtquam vero ante viginti annos carbones foſſiles ad ſalis coćturam uſurpare cœperunt, ſane horum vapore ita purgata eſt atmoſphæra, ut ſublato hoc aëris vitio omnes huic loco familiariſſimi morbi fere penitus ſiluerint. Nullum olim incidiſſe morbum, cui non quippiam ſcorbutici conjunctum fuerit, perpetua & conſtans medicorum querela fuit. Plurimos juvenes phthiſis jugulavit, dyſenteriæ, febres petechizantes & ſcorbuticæ maculoſæ crebrius hunc locum infeſtarunt, qui omnes & ſinguli hactenus morbi tantummodo ſparſim viſi ſunt.

Verum enim vero contra hæc quoſdam inſurgere audio, non ſalubrem, ſed potius ſanitati infenſum eſſe foſſilium carbonum vaporem, quod ipſa metalla, præſertim ferrum & plumbum, in feneſtris adoriatur eaque conſumat, & ubi denſis hortis incumbat, arbores & frutices ſteriles atque exſuccas reddat. Porro illud objiciunt, quod in Anglia peculiaris morbus, Londino proprius, conſumtionem quem vocant, qui ex nimia aridura & conſtrictione pulmonalium veſicularum naſcitur, inde excitetur: denique, quod vapor hic quippiam à natura alieni & fœtidi ſpiret.

Quibus tamen ſingulis reponendum eſſe ducimus, fumum, ex ſulphure minerali & ex aceto prodeuntem, longe majori leviora illa & poroſa metalla, ut ferrum & plumbum, conſumendi facultate pollere, & tamen ad depurandum in peſte aërem & humida loca exſiccanda ipſo nihil inveniri excellentius. Quin imo fumum hunc minime offendere ſanitatem eorum, qui ædificia quaſi infumata, & in quibus plumbum, quo cohærent feneſtræ, corroſum apparet, incolunt, quotidiana experientia edocemur, cum nec in pectore aliquid ſentiant incommodi.

Nihilo minus vaporem hunc nimia copia & denſitate nocere poſſe, equidem firmiter mihi perſuadeo. Nam ſicut exhalatio ex gummi balſamico, naturæ amico, v. g. maſtiche, benzoë, balſamo Peruviano valde copioſa ingrata eſt: ita multo magis denſus bituminis non adeo gratus vapor incommoda creare poteſt, quod tamen non tam vapori ejuſque naturæ, ſed potius ejus nimiæ quantitati adſcribendum videtur. Quare non mirum eſt, quod Londini, ubi præter aëris craſſioris uſuram, ciborum & potuum, præſertim vini ſpirituoſi, ingurgitatio morbidam humorum diſpoſitionem ingenerat, nimia vaporum ex accenſis carbonibus foſſilibus copia noceat & pulmonibus ariduram quandam inferat.

Quod attinet vero ad illud dubium, tetrum hunc eſſe vaporem, à quo nimirum ipſa natura abhorreat, & qui nervis & membranoſis partibus minus ſit amicus, atque etiam iis, qui nervorum & capitis debilitate laborant, minime conveniat: hinc regerendum eſſe exiſtimamus, fœtida, licet delicatioribus naribus non ſemper ſint accepta, tamen non ſtatim ſanitati eſſe infenſa, exemplo ſpiritus fuliginis, lumbricorum, cornu cervi, qui omnes ſunt fœtidiſſimi. Quantum vero hi præſtent in erigendis viribus, in ſanguinis & humorum integritate ſervanda & depuranda ſanguinis maſſa, vel vulgo medicorum non ignotum eſt. Porro etiam non omnibus accepta ſunt ſuaveolentia, ſed mire ab iis læduntur, id quod maxime imbecilli generis nervoſi fœminæ teſtantur, quæ magis ferunt graveolentia, imo à tetris vaporibus ſolamen accipiunt.

## OBSERVATIO XXV.

*Qua per experimenta origo atque generatio calculorum renalium oſtenditur.*

Curioſa admodum obſervatione digna ſunt experimenta, quæ cum calculis humanis renalibus inſtituimus, quare operæ pretium nos facturos duximus, ſi ea hic recenſeremus. Sumſimus nempe calculos diverſæ figuræ, coloris, magnitudinis, ſoliditatis & ponderis, ex diverſis ſubjectis, & ſequentia phænomena atque effectus obſervavimus.

Primo calculum, qui circiter tria grana ponderabat, carboni ignito & flatu animato impoſuimus, qui mox mutavit colorem flaveſcentem, & nigricans factus, ſtatim odorem ſalis volatilis fortem ſine viſibili ſingulari fumo exſpiravit, & totus fere conſumtus fuit, pauca ſaltem nigra materia relicta, quæ guſtu explorata inſipida nullum ſalis veſtigium prodidit, neque injecta ſpiritui ſalis efferveſcentiæ notam exhibuit. Deinde aliquot calculos in mortario in formam pulveris ſubflavi redegimus, de quo ſumſimus, quantum cultri cuſpis capit, idque carbonibus vivis injecimus, unde mox totum conclave volatili fœtido odore, qualis ex cornibus combuſtis exhalat, repletum fuit, relicta parva & exigua materia.

Sumſimus poſtea grana decem pulveris calculoſi & adfuſa aquæ pluvialis uncia ſemis coctio inſtituta fuit, ita aqua turbida, ſubalbida, quæ ſupernatabat, apparuit, quam effudimus & aliam igne paulo acriori ſubdito adfuſam coximus, quæ parum inde mutabatur, pulvere, qui diſſolutionem ulteriorem reſpuebat, in vaſe remanente. Aquam iſtam albidam & turbidam leni calore inſpiſſavimus, ita remanſit albicans ſicca materia, ſaporis paululum amaricantis ſalſi: hæc ſalina materia, candenti carboni impoſita, nullum diſpergebat odorem, neque etiam cum illo ſpiritu acido efferveſcebat, neque cum pauxillo ſalis tartari mixta, odorem ſalis volatilis, ut ammoniacum ſolet, prodebat: relictus vero à ſolutione ac coctione pulvis ſiccatus priſtinum volatilem fœtidum odorem in nares adſtantium diffundebat.

Adfudimus porro integris lapidibus aliquot, qui magnitudinem ſeminis coriandri æquabant, ſpiritum vitrioli, in alio vitro ſpiritum ſalis, ſed nulla inde orta fuit ſolutio, exiguis tantum bullulis in altum elevatis. Aqua autem fortis bonæ notæ, in alio vitro calculis integris adfuſa, alium plane exhibuit effectum, ſiquidem mox cum intenſa efferveſcentia ſolutio fuit ſequuta, adeo, ut drachma una menſtrui ſcrupulum unum calculorum levi accedente calore penitus diſſolverit: ſolutio turbida albicans paulo ſpiſſior apparebat. Inſtillavimus huic ſolutioni oleum tartari per deliquium ad ſaturationem uſque, exorta fuit efferveſcentia, & quod mirabile, nulla præcipitatio cujuſdam materiæ ſolidæ in fundum, ſed mixtura flaveſcens & pellucida fuit, nitroſo ſapore imbuta. Vehementius vero confligebat cum calculis humanis ſpiritus fumans, qui totam compagem calculi ſolvebat, nulla etiam præcipitatione poſt affuſum liquorem alcalinum ſequuta.

Ex hiſce experimentis diligenter inſtitutis plura in uſum noſtrum elicienda eſſe exiſtimamus. Primo clarius exinde adparet, in lapidibus, quos renes gignunt, nullum ſal fixum alcalinum, neque terram alcalinam manifeſtam contineri, quia nec

nec integri, nec in pulverem contriti, neque etiam combuſti effervefcunt, nec ſolvuntur à liquoribus acidis, quod alias omnibus alcalinis, ſive fixa ſint terrea, ſive ſalina, proprium eſt.

Secundo, luculenter inde perſpicimus, non compoſitos eſſe eos ex ſale tartareo vel ammoniacali medio, quia ad mixturam tartari nec effervefcentia, nec odor ſalis volatilis excitatur, neque ſal ex ſolutione cum aqua inſpiſſatum, igni impoſitum, odorem ſalis volatilis exhibet.

Tertio, illud quoque clare atque evidenter deducendum ex hiſce experimentis videtur, humanos calculos non, uti fert opinio vulgaris, ex terra lapidoſa, fixa & calcaria eſſe coalitos, quia nempe tota ſubſtantia calculi igni impoſita avolat, & in fumum volatilem ſalinum, qualis in animantibus eorumque partibus datur, reſolvitur, id quod omnibus lapidoſis fixis & calcariis terris negatum eſt.

Quarto, nullam pinguedinem, vel oleoſum aut ſulphureum principium eorum mixtionem ingredi, ex eo colligimus, quod non flammam concipiunt, nec craſſum vaporem emittunt, neque etiam per deſtillationem, quod ab aliis novimus tentatum, quidquam olei largiuntur. Quum vero ſubſtantia eorum maxima aqueo, acido ſpirituoſo & alcalino liquore indiſſolubilis ſit, ex mucoſa & glutinoſa quadam materia paulo fixiori eos compoſitos eſſe, recte concludimus, quam tamen mucoſitatem, quoniam combuſtibilis eſt, rectius animalis, quam mineralis regni partem habendam eſſe arbitramur. Quapropter vero ſimillimum eſt, calculorum, qui in partibus animantium concreſcunt, materiam à glutinoſa & terreſtri parte ſanguinis, lymphæ vel ſeri eſſe derivandam, utpote quum animadvertamus, à ſanguine exſiccato atque in aqua fervente ſoluto remanere materiam mucidam fuſci coloris, quæ nullis menſtruis, ſeu aqueis, ſeu ſpirituoſis & acidis, præter ſpiritum vitrioli, diſſolvitur; igne vero combuſta cum odore ſalis volatilis avolat: idem fit cum caſeo, qui non niſi lactis craſſior & mucoſior eſt portio coagulata, qui omnem reſpuit ſolutionem, igni autem injectus odorem urinoſum volatilem largiter ſuppeditat. Id vero maxime inter noſtra experimenta obſervatione dignum videtur, quod ſolus ſpiritus nitri acidus, ſeu aqua fortis, jus & potentiam habeat horum calculorum compagem & coagulum ex toto diſſolvendi, qua alii minerales ſpiritus, fortius adhuc concentrati, plane deſtituuntur.

Ex quo id diſci poſſe arbitramur, calculos, qui in partibus corporis hic inde inveniuntur, non mineralis vel fixioris terreæ, ſed animalis eſſe proſapiæ, ſiquidem ſpiritus ille volatilis, penetrans, acidus, qui in nitro continetur, hanc maximum præ aliis acidis prærogativam habet, ut animantium partes ſiccas, membranas, carnes, oſſa, humores ſiccatos concretoſque diſſolvat. Quod vero ſolutio calculi renalis facta cum aqua forti, adfuſo ſale tartari ſoluto, non turbetur, vel in fundum ſolutam materiam deponat. id manifeſto etiam arguit, non terreum fixum lapidoſum vel calcarium ineſſe hiſce calculis elementum, ſed in minimas partes diſſolubile, quæ intimam cum partibus alcalinis unionem non detrectant.

---

## OBSERVATIO XXVI.

### *Sal volatile ſiccum Anglicanum.*

HOc præparatur ex ſale ammoniaco ſequenti encheireſi: Sumitur libra una ſalis ammoniaci albiſſimi optimi & libra una cinerum clavellatorum in aqua communi prius ſolutorum. Hæc in cucurbita longiori invicem miſcentur, affunditur menſura ſemis ſpiritus vini rectificatiſſimi, & leni ignis gradu in arena deſtillatio adornatur. Ita aſcendit ſal volatile ſiccum in alembicum copioſum & valde ſolidum ſuccedit poſtea ſpiritus vini, qui valde ſaturatus hoc ſale volatili & intime mixtus cum eo exſtillat in vas recipiens: adeoque una deſtillatione habemus ſal volatile ſiccum & ſal volatile liquidum.

Siccum ſal volatile, ſi bonæ notæ aſſumtum fuerit ſal ammoniacum, obtinemus ſatis inſigni copia, & quidem ad libram ſemis. Præter ſal illud, quod in liquore ſpirituoſo continetur, ſatis notabilem quantitatem ſalis volatilis ſpiritum rectificatiſſimum in ſe recipere poſſe, hic ſpiritus, in deſtillatione hujus ſalis volatilis prodiens, liquide demonſtrat, ſi nempe huic admiſcetur oleum vitrioli, tunc illud effervefcit cum ſale volatili, & ambo junguntur in ſal tertium ammoniacale, quod facta leni evaporatione ſiccum fit.

Ex quibus experimentis elucet, tres fere partes ſalis alcalini urinoſi ex ſale ammoniaco haberi poſſe.

Spiritus, qui prodit in deſtillatione, valde urinoſus, fortiſſimi eſt ſaporis & odoris, neque à ſpiritu vini rectificatiſſimo admixto præcipitatur, quemadmodum fit cum ſpiritu ſalis ammoniaci cum aqua parato. Ex quo diſcimus, ſal volatile ſalis ammoniaci in aqua ſolutum minus promte ingredi ſpiritum vini rectificatiſſimum, ac ſi deſtillatio cum ſpiritu vini facta fuerit. Tunc enim ſal volatile à particulis ſulphureis ſpiritus vini exaltatum & attenuatum amicum jam magis conjugium init cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, ſine ullo coagulationis vel præcipitationis actu aut veſtigio.

Ex hoc experimento etiam id fluit conſectarium, errorem eſſe chymicorum, ſpiritum vini rectificatiſſimum non poſſe in ſe recipere ſalia, ſive eundem nullum ingreſſum habere in corpora ſalina. Videmus hic omnino contrarium, ubi ingentem quantitatem ſalis volatilis, quod ſpiritu vitrioli affuſo in ſal ammoniacum abiit, in ſinum ſuum recepit, adeoque id tantum valet de ſalibus rudioribus, non vero de ſubtiliſatis, ſive portione ſubtiliori inflammabili admixta præparatis & nobilitatis.

Quando tres partes ſpiritus vini rectificatiſſimi affunduntur uni parti ſalis volatilis liquidi, tunc commodiſſimum fit menſtruum ad ſolvenda cujuſque generis olea eaque aromatica, ut ſic ex tempore ſecundum exemplar ſpiritus oleoſi Sylvii ſpiritus volatilis aromatiſatus vel oleo aromatico eſſentificatus, & ad multos uſus idoneus, confici queat.

Notatu dignum experimentum eſt, quod liquidum hoc ſal volatile ſive ſpiritus vini rectificatiſſimus valde ſaturatus ſale volatili cochleari argenteo affuſus, flammæque admotus candelæ, difficulter eam ſuſcipiat, ſed mox extinguatur. Quando vero rurſus admovetur immediate flammæ, iterum mixtura inflammatur, ſed mox flamma deſinit, quod aliquoties fit. Ratio in promtu eſt: renuit enim ſal volatile copioſum, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo

tiſſimo copulatum, inflammari, ut potius inflammabilitatem ſpiritus minuat atque impediat. Sed quandocunque tres partes ſpiritus rectificatiſſimi aſſociatæ fuerint uni parti ſuperioris ſpiritus, tunc flamma continuatur, neque deſiſtit, donec omnia fere fuerint deflagrata, ſale volatili etiam igneo motu in auras dejecto; idque eam ob cauſam contingit, quia tres partes ſpiritus ſulphurei facile vincere reſiſtentiam poſſunt unius partis ſalis volatilis, minus inflammabilis.

Liquor cum ſalina ſubſtantia, quæ relinquitur à deſtillatione in cucurbita, quam caput mortuum vocare ſolent, plane mediam naturam induit, ita prorſus, ut ſapor inter ſal gemmæ vel commune & inter hoc ipſum ſal nullam reperire poſſit diſcrepantiam. Nullus jam ſapor alcalinus lixivioſus eſt, utut hujus dupla major portio ſale ammoniaco ad præparandum ſal volatile ſumatur.

Hoc ſal ſolutum in aqua communi & filtratum, ut à fuliginoſa terreſtri rudiori ſubſtantia liberetur, poſtea leni calore in tigillo inſpiſſatum, largitur ſal neutrum fortis ſaporis, ſali communi æmulum, quod Sylvius digeſtivum vocavit, quia cruditatibus viſcidis, quæ prima in regione hærent & digeſtionis negotium turbant, abſtergendis aptiſſimum eſt. Et novi medicos, qui unico hoc ſale intermittentes à vitio digeſtionis & ventriculi productas febres expugnare non ſine ſucceſſu ſciunt.

Productio hujus ſalis, quod exacte naturam medii & communis refert, nos docet, minimum unam partem ſalis acidi à ſale communi, quod ad confectionem ſalis ammoniaci uſurpatur, profecto ineſſe ſali ammoniaco, eamque quatuor fere partes ſalis alcalini, nempe in cineribus clavellatis contenti, ſaturare, inque medium ſal convertere poſſe, unde refutatur eorum error, qui ſtatuunt, non acidum ex ſale communi, ſed ipſum ſal commune vel marinum in ſubſtantia compoſitionem ſalis ammoniaci ingredi, quod ſi eſſet, non potuiſſet ſane ſal alcali in ſal neutrum degenerare.

---

## OBSERVATIO XXVII.

*Methodus ſalia volatilia oleoſa in forma ſicca præparandi.*

PErvulgatæ cognitionis res eſt, quod ex omnibus partibus animantium, præſertim durioribus, nimirum oſſibus, ungulis, dentibus, igne fortiori adurente, præter phlegma, ſpiritum & oleum, ſal etiam volatile elici poſſit, non mediocri in copia, quod tamen multum olei adhuc in ſinu fovet, & inde etiam ſaporem & odorem ſuum mutuatur, uti videmus in ſale volatili cornu cervi, eboris, dentis apri, unicornu animalis, ungularum alcis, viperarum, ubi omnia harum partium ſalia volatilia in eo quidem conveniunt, quod ſint ſalinæ alcalinæ volatilis naturæ, differunt vero ratione ſaporis, odoris & quodammodo etiam coloris, quia has proprietates ab oleo harum partium ſpecifico & proprio quodam nanciſcuntur.

Quando igitur harum rerum copia ex animali regno & inſtrumentorum etiam, quæ ad deſtillationem hujus ſalis volatilis requiruntur, apparatu deſtituti, compendio atque etiam cum lucro per artem velimus producere hæc ſalia volatilia, v. g. ſal volatile cornu cervi, eboris, tartari, vel fuliginis, tunc aſſumendum eſt tantummodo ſal ammoniacum idque miſcendum cum debita portione ſalis alcali, poſt ad libram unam hujus maſſæ uncia una adjici debet olei, v. g. cornu cervi fœtidi, ſi velimus producere ſal volatile cornu cervi, vel ſi expetimus ſal volatile viperarum aut fuliginis, olei empyreumatici viperarum vel fuliginis uncia una, affundendo ſpiritum vini rectificatum ad menſuram circiter unam, & inchoanda eſt deſtillatio eodem modo, ut ſupra docuimus in præparatione ſalis volatilis ſicci. tunc aſcendit in alembicum ex eo eximendum ſal volatile, quod omnes proprietates, ſali volatili cornu cervi & reliquis ſimiles habet, imo longe pulchrius, albicantius, neque tam fœtidum, ut genuinum, eſt.

Proceſſus hac nititur ratione: datur tantummodo unum ſal volatile purum in univerſo animalium regno, quod non niſi ab ipſo oleo admixto ſuam ſpecificam accipit cum ſapore & odore virtutem. Hinc quia ex ſale ammoniaco ſal volatile puriſſimum, omni oleo privatum, haberi poteſt, id accipi debet, quod poſtea pro lubitu cum oleo quodam empyreumatico imbui & ſublimatione eſſentificari poteſt. Nam quandocunque ſal volatile cornu cervi genuinum affuſione ſpiritus rectificatiſſimi tractatur, & repetita affuſione oleoſa ejus pars extrahitur, & poſtea illud, quod relinquitur, cum cornu cervi uſto vel ſale tartari miſcetur, & denuo ſublimatur, ut omnis oleoſa portio ſeparetur, tunc videmus, ſal aſcendere, nullius fere odoris vel ſaporis, & quod cum ſale volatili ſalis ammoniaci per omnia convenit.

Sal volatile ſalis ammoniaci ſi habetur purum, ex tempore mixtum cum quovis oleo cephalico v. g. florum laverdulæ, meliſſæ, majoranæ, roriſmarini acquirit odorem gratiſſimum & virtutem etiam imbibit ab hoc oleo cephalicam & nervinam, adeoque exterius naribus oblatum, in morbis capitis, qui ex nervorum debilitate & atonia naſcuntur, in coryza etiam & catarrhis, naribus obſtructis, dolore capitis gravativo, oculorum etiam vitiis & viſus imbecillitate, item ad excitandum in epilepſia, ſyncope, affectibus ſoporoſis, efficaciam edit exoptatiſſimam.

Notandum hoc loco eſt, quod mixtio olei cum hoc ſale commodiſſime inſtituatur, ſi prius illud in aliquot partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi fuerit ſolutum.

---

## OBSERVATIO XXVIII.

*Spiritus Bezoardicus volatilis ad exemplum Buſſii.*

HIc ſpiritus nomen gerit ab inventore Buſſio, archiatro Dreſdenſi, & medicamentum eſt valde polychreſtum in Saxonia, neque laude ſua defraudandum. Nam potenter ſudorem pellit atque urinam movet, debito adhibito regimine, & antiſpaſmodica egregia virtute pollet, præſertim ſi cum liquore noſtro anodyno miſceatur. Præterea etiam gratia ſe commendat, cum faſtidioſo illo empyreumatico odore ſit deſtitutus.

Fundamentum præparationis in eo poſitum eſt, quod nempe ſpiritus urinoſi & oleoſi animantium volatiles, præſertim cornu cervi, eboris, cum rectificatiſſimo ſpiritu vini miſceantur & additis ſpeciebus balſamicis deſtillatio debito igne inſtituatur, ita prodit ſpiritus ſale volatili & oleo empyreumatico ac reſinoſis ſulphureis balſamicis particulis imbutus, non ingrati odoris & ſaporis.

Utus

Utut vero multæ & variæ hujus ſpiritus extent præparationes, tamen juxta ejus exemplum & fundamentum nos ſequentem in modum eum conficimus.

Accipimus ſpiritum eboris, oleo ſubtiliori & ſale volatili ſaturatum, circiter ad uncias duas, ſalis ammoniaci uncias quatuor, cinerum clavellatorum aqua prius ſolutorum uncias duodecim, ſuccini bene pulveriſati libram ſemis, olei de cedro vel juniperi veri unciam ſemis, ſpiritus vini rectificati menſuram unam cum dimidia. Hæc omnia exquiſite in cucurbita vitrea mixta deſtillationi per ignem arenæ ſunt committenda. Ita elicitur ſpiritus jam dictis viribus imbutus: ſal volatile primo aſcendit alembicum, poſtea ſucceſſive à ſpiritu ſolvitur.

Notandum hoc loco eſt, quod etiam balſamum Peruvianum vel etiam cortices citri vel aurantiorum recentes, item baccæ juniperi, vel aliæ ſpecies balſamicæ & aromaticæ loco priorum, ſi placet, in deſtillatione admiſceri poſſint.

Hic ſpiritus limpidus inſtar aquæ exſtillat, ſed quo diutius in vaſe admiſſo aëre ſervatur, eo magis flaveſcit, colorque intenditur, adeo ut ad rubedinem etiam inclinet. Si vero vitrum hoc ipſo repletur, & obturaculo tegitur, tunc perſiſtit ſpiritus claritas, neque mutationem coloris ſuſcipit, haud levi documento, ipſo in aëre eſſe cauſam hujus coloris mutati quærendam; & mea quidem ſententia videtur acidum illud aëris primordiale ſimpliciſſimum, de cujus exiſtentia & viribus egimus in *Diſſertatione de generatione ſalium*, concurrere, cujus in exaltando colore ſulphuris & olei mirifica vis eſt.

Hic ſpiritus valde eſt turgidus ſale volatili oleoſo, nam quo ſal volatile oleo magis eſt imbutum, intimeque cum eo ſubactum, eo etiam facilius & promtius cum ſpiritu vini rectificatiſſimo unitur. Statim vero ex hoc ſpiritu ſal illud præcipitari poteſt, modo ipſi aliquot guttulæ olei vitrioli admiſceantur, ita ſtatim coagulatur & in fundum dejicitur, ubi ſe lateribus vitri firmiter adjungit. Notatu dignum eſt, quod hic ſpiritus volatilis Buſſii virtute polleat fere incredibili, omne acidum, etiam fortiſſimum, invertendi & cicurandi, & quidem cum diverſis ſubſequentibus circumſtantiis & eventibus. Nam ſi ſpiritus nitri vel aqua fortis affundatur, pars nempe una ad ejus partes tres, citra ebullitionem ſingularem mox omnis aciditas perit, & nihil præceps fertur ad fundum; nitroſus oritur ſapor temperatus, & hæc mixtura cochleari argenteo immiſſa, ſi ſubdito candelæ igne evaporet, relinquitur ſal, nitri ſaporem exquiſite referens. Hæc mixtura ob nitrum volatile, quod continet, virtute medicamentoſa inſtruitur excellenti. Nam ubi ob nimium, efferatum ac præcalidum ſanguinis motum in acutis volatile medicamentum locum non habet, ibi hic ſpiritus cum ſpiritu nitri mixtus & temperatior redditus, placide movendo in expellendis ſcoriis morbificis opem fert deſideratiſſimam.

Si cum ſpiritu ſalis fortiter concentrato hic ſpiritus Buſſii mixturam ineat, ebullitio priori major oritur, ſed mox etiam omne acidum invertitur, & liquor ſalſus evadit, qui in vitiis ſtomachi, appetitu emortuo, ad cruditates viſcidas diſſolvendas non ſine fructu adhiberi poteſt. Quando cum oleo vitrioli etiam deſtillato fit commixtio noſtri ſpiritus, tunc ſtatim ſurgit effervescentia, mixtura fit turbida, & omne ſal volatile præceps deſcendit in fundum, ſapor mixturæ eſt ſine omni acido & odore grato imbuitur.

Quod vero ad mixtionem olei vitrioli concentrati concretio & præcipitatio ſalis volatilis fiat, non autem cum reliquis acidis, ratio hæc videtur:

Oleum Vitrioli, ceu fortiſſimum acidum, cum inflammabili ſpiritu vini ſubſtantia oleoſa ſe unit, hinc ſal volatile, quod continebat, præcipitatur. Quum vero reliqui ſpiritus acidi languidiores ſint, nec tam intimum in ſpiritum vini inflammabilem aditum & ingreſſum habeant, nulla ſequitur præcipitatio.

Ex his experimentis hoc poriſma ſequitur in praxi utiliſſimum, ſpiritum hunc, ſale volatili oleoſo turgidum, majori etiam copia ſine omni incommodo dari poſſe in iis morbis, præſertim chronicis, ubi forte & copioſum acidum in ventriculi & inteſtinorum ſinu hæret & moleſtias creat, quod maxime fit in affectu illo hypochondriaco.

---

## OBSERVATIO XXIX.

### *De differente ſalium fixorum alcalinorum indole atque virtute.*

Non diſſimilem, ſed eandem ſalium, quæ per calcinationem vel incinerationem parantur, lixivioſorum eſſe indolem paremque ad uſus medicos æque ac mechanicos virtutem, hactenus firmiter à rerum chymicarum gnaris creditum fuit; & quidem in eo utique ratione virium conveniunt omnia, quod ad mixturam cujuſvis acidi fortiter confligant, efferveſcant, & demum facta ſufficiente ſaturatione in ſal ſalſum atque neutrum mutentur. At vero non eandem eſſe omnium texturam, craſin atque virtutem, ſed peculiarem & ſpecificam inter ea differentiam obſervari, iis, quæ ſequuntur, experimentis clarius atque illuſtrius oſtendere licet.

Primo enim nitrum fixum, ex nitro cum carbonibus præparatum, affuſo vitrioli oleo vehementer ebullit, & odorem inſtar aquæ fortis tetrum exhalat, quod tamen minime accidit, ſi experimentum cum ſale tartari vel cinerum clavellatorum ſale inſtituatur.

Secundo, ſi ſal tartari, vel ſal alcali, (quo nomine κατ᾽ ἐξοχὴν veniunt cineres clavellati) in crucibulo funditur, eique fuſo pulvis carbonum ad dimidiam fere ſalis partem injicitur, tunc maſſa effuſa rubicundi eſt coloris, odoris fœtidi ſulphurei, cujus ſimilitudo parum abludit ab hepate ſulphuris, quod ex ſale tartari & ſulphure vulgari parari ſolet. Quod ſi vero nitrum fixum, vel ſal illud cauſticum, quod cum regulo antimonii & nitro paratur, funditur & pulvis carbonum ipſi in fuſione adjicitur, ne minimam inde coloris, odoris vel ſaporis ſuſcipit mutationem, ſed album & puriſſimum manet.

Tertio, ſi ſali tartari, quod ex duabus partibus nitri & una tartari per accenſionem, labore quaſi extemporaneo, parari ſolet, paulo acrior ſpiritus vitrioli admiſcetur, identidem cum ebullitione odor inſtar aquæ fortis exſurgit, quod minime accidit cum puro ſale tartari, vel cum ullo ſale lixivioſo, per incinerationem ex vegetabilibus parato.

Quarto, inter ſal tartari, quod ex tartaro crudo cum vel ſine admixtione nitri paratum fuit, & ſal lixivioſum, inſignem obſervamus differentiam in eo, quod, ſi illi oleum vitrioli ſenſim paulatimque affunditur, odor fœtidus, minus gratus exſurgat, & ejus ſuperficies ſubnigricante cuticula veſtia-

ſliatur, una cum ſpuma ſublata, & liquor ſubnigricans fiat, quod plane non evenit cum cineribus clavellatis.

Quinto, ex ſale tartari & arena minime confici poteſt vitrum clarum, ſed ex eo, quod ex tartaro & nitro paratur, atque etiam ex cineribus clavellatis vitrum eleganter pellucidum conficitur.

Sexto, ſal ſumme cauſticum & alcalinum ex duabus partibus nitri & una parte reguli antimonii, ſi forti igne liquentur, parari poſſe, chymico ſtudio addictis obſcurum amplius eſſe non poteſt. Hoc affuſione aquæ communis & ſolutione à corpuſculis heterogeneis liberatum & exſiccatum, quando miſcetur cum vini ſpiritu rectificatiſſimo, colorem intenſe rubicundum digeſtionis beneficio ipſi conciliat. Si vero ſali alcali cauſtico, ex duabus partibus nitri & una tartari parato, & ſolutione cum aqua depurato, idem ſpiritus ſuperfunditur, nihil ſalis in ipſum tranſit, neque ulla tinctura aut color rubicundus conſpicitur. Et licet ex ſale tartari, quod ex ſolo tartaro paratum eſt, per affuſionem ſpiritus vini rectificatiſſimi præſtantiſſimæ virtutis & aurei coloris tinctura parari poſſit, minime tamen id evenit, ſi cum cineribus clavellatis vel etiam cum ſale tartari, ex nitro & tartaro præparato, experimentum inſtituatur.

Septimo, plurimi ex fontibus medicatis ſive frigidis, qui acidulæ vulgo vocantur, ſive calidis, qui thermæ appellantur, facta leni evaporatione, in fundo ſal lixivioſum, quod exquiſite cum aliis ſalibus convenit, relinquunt; in eo tamen à nobis quoque obſervata eſt differentia, quod hæc ſalia lixivioſa fontium fuſa adjectione pulveris carbonum in hepar ſulphuris convertantur, quod non fieri cum ſale cauſtico reguli antimonii, nitro fixo, vel ſale alcali, ex nitro & tartaro parato, animadvertimus.

Quæ experimenta plenius uberiuſque oſtendunt, ſal tartari vulgare à ſale alcali, quod nitrum ingreditur, multum diſſidere, dum illud affuſione olei vitrioli odorem fœtidum naribus exhibet, in vitrificatione minus tranſparens vitrum largitur, & in rectificatiſſimum ſpiritum vini affuſum ex parte tranſit & tincturam conſtituit, id quod neque cum nitro fixo, neque cum ſale tartari, ex tartaro & nitro parato, accidit; quum ex adverſa parte ea alcalia, quæ nitrum ingreditur, confuſione cum oleo vitrioli fœdum aquæ fortis odorem exhalent.

Hinc ſatis recte infertur, in extreme fixis ſalibus & corporibus adhuc deliteſcere poſſe partes volatiles, ſulphureas & oleoſas, quæ etiam vehementiſſimo igne ab illorum contextu ſeparari nequeunt, poſtea tamen per immutationem texturæ ab aliis rebus admixtis ſui juris fiunt inque conſpectum veniunt.

---

## OBSERVATIO XXX.

*Qua acidorum valde diſſidens natura & virtus demonſtratur.*

IN eo quidem omnis generis acida inter ſe conveniunt, quod cum alcali, ſive lixivioſo, ſive terreo, poſt fortiorem conflictum in ſal temperatum mediæ naturæ convertantur: atque omnia etiam alcalina id habent commune, ut quodvis acidum imbibant, & quandam ipſi inducant temperaturam; ſed tamen ex ſingulorum inter ſe invicem commixtione non eadem, ſed diverſa ſæpe prodeunt phænomena, quæ ſatis abundeque declarant, præter virtutem communem, qua acidum in alcali agit, peculiarem adhuc texturam, indolem atque virtutem in hoc vel illo deliteſcere, quod ſequentibus, non quidem adeo notis, experimentis confirmabimus.

Primo ſpiritus vitrioli neque cum ſale communi, neque cum ſale ſic dicto Ebſonienſi effervescit; oleum vero vitrioli hiſce ſalibus admixtum vehementem concitat effervescentiam, unde manifeſtatur, ingentem differentiam ratione operationis chymicæ inter acidum ejuſdem generis concentratum & dilutum intercedere.

Secundo, oleum vitrioli affuſum ſali communi, circumſpecte facta deſtillatione & adminiſtratione ignis, ſpiritum ſalis, penetrantis & gratiſſimi odoris, elargitur: ſi vero ſpiritus vini rectificatiſſimus, aliquoties ab oleo vitrioli abſtrahitur, & hoc decenti facta evaporatione, ad eundem, ut antea, concentrationis gradum reducitur, & poſtea id ipſum ſali communi admiſcetur, primo neque ebullit, ut antea, neque vaporem edit copioſum, nec ſpiritum gratum deſtillatione fundit; ſed prodit ſtagma acidum, valde fœtidum, quaſi oleum empyreumaticum fuerit admixtum, quod experimentum altiori utique dignum eſt indagine & inquirere jubet, unde fortis ille & teter odor, empyreuma redolens, productus fuerit? Non aliam certe hic invenire licet rationem, quam quod ad rectificatiſſimum vini ſpiritum hæc ipſa mutatio referenda ſit. Cum vero ſpiritus vini rectificatiſſimus nil niſi ſit oleum ſubtiliſſimum, in phlegmate ſolutum & intime cum eo mixtum, & acidum concentratum præ aliis hac gaudeat prærogativa, ut cum oleo ſe conjungat, idque à phlegmate ſuo ſeparet; in promtu jam erit judicare, ab oleo ſpiritus vini, in liquore acido vitrioli contento, produci hoc empyreuma, quatenus nempe per mixturam ſalis communis, interveniente calore, quaſi comburitur ejuſque textura immutatur.

Tertio, quando calx viva confunditur cum ſpiritu ſalis, facta invicem ad ſaturationem uſque combinatione, liquor inſtar olei craſſus, tenax, flavus emergit, cui ſi oleum vitrioli, aqua pauliſper dilutum, affunditur, protinus mixtura coagulatur & odor ſpiritus ſalis penetrans nares ferit: ſi vero eidem ſolutioni calcis vivæ, cum ſpiritu ſalis factæ, loco ſpiritus vitrioli fortis ſpiritus nitri admiſcetur, nec ullum coagulum, nec præcipitatio aut ſpiritus ſalis vapor obſervatur. Hinc patet quanta ſit inter ſpiritum vitrioli & nitri differentia.

Quarto, ſi limatura martis ſolvitur in ſpiritu ſalis, & ſolutio inſpiſſatur, vitriolum flaveſcens, valde adſtringentis ſaporis, ægre ſiccandum producitur: ſi vero ſpiritus vitrioli in phiola limaturæ martis affunditur, vapor exſurgit ſulphureus, qui flammæ admotus ardet, & ſolutio in vitriolum virideſcentis coloris, durum & ſtabile inſpiſſatur, quod in aëre non, ut ſuperius, diffluit. Tentata vero cum ſpiritu nitri vel aqua forti ſolutione, protinus quidem intenſa oritur cum tetro rubicundo vapore effervescentia, ſolutio tamen manet ſpiſſa, flava, ſaporis auſteri, nec ullo modo ſal ſiccum obtineri poterit.

Quinto, ſpiritus ſalis ſi miſcetur cum corporibus alcalinis, veluti ovorum teſtis, conchis præparatis, cancrorum lapidibus, calce viva, & ejus ſubtiliori parte, quam magneſiam hodie vocant, ſolutio fit cum ebullitione flava, valde amari & ſalſi ſubadſtringentis ſaporis. Si vero hæc jam dicta ſeorſim etiam miſcentur cum ſpiritu vitrioli ad ſatura-

ſaturationis uſque punctum, nec amarities, nec ingratus ſalſus vel calcarius ſapor percipitur, & nulla fere ſalſedo linguam afficit, amboque in mixtum ſubadſtringentis & paulisper ſalſi ſaporis degenerare videntur.

Sexto, ſpiritum ſalis ſolutionem argenti præcipitare atque in fundum inſtar pulveris albi lunam detrudere, notiſſimum eſt, qui pulvis edulcoratus & igni commiſſus ob volatilitatem aufugit non modo in auras, ſed tigilla etiam penetrat. Si vero loco ſpiritus ſalis ad præcipitationem ſpiritus vitrioli adhibetur, in fundum etiam decidit pulvis candidus, ſed ſubtilior; hic vero ſubtilitatis volatilis expers haud difficulter in argentum reducitur.

Nec vero ſolum ſpecifica & plane peculiaris virtus in acidis liquoribus diverſi generis occultatur, ſed in terreis alcalinis ea ipſa quoque deprehenditur. Ita notabilem obſervationem exhibet ſolutio corporum terreſtrium, ut lapidum cancrorum, teſtarum ovi, concharum, oſſis ſepiæ, cum ſpiritu ſalis celebrata, tunc enim conſpicimus unum præ altero lubentius ſolvi. Os ſepiæ facilius ſolutionem admittit, quam concharum pulvis, ſequuntur ovorum teſtæ, & denique cancrorum lapides. Atque etiam differentia ſaporis in iis obſervatur; nam minus amaricans eſt ſolutio concharum, quam ſolutio oculorum cancri: valde autem amaricant teſtæ ovorum ſolutæ, & omnium amariſſima eſt oſſis ſepiæ ſolutio.

Poſtremo alcalina terrea non unius ejuſdemque indolis ac virtutis eſſe, vel ex eo clariſſime cognoſcitur, dum ovorum teſtæ, aperto igne combuſtæ, odorem fœtidiſſimum & ſalis volatilis valde copioſum emittunt, qualem etiam os ſepiæ de ſe ſpargit eodem modo tractatum, præterquam quod fœtor paulo mitior ſit, & ſalis volatilis odor oleoſo empyreumatico prædominetur. Lapides vero cancrorum, conchæ & oſtreæ, aperto igni immiſſæ, leniſſimum, vel plane exiguum, ſine ullo olei empyreumatici veſtigio, vaporem volatilem emittunt. Eſt quoque in horum cineribus quædam differentia: nam os ſepiæ combuſtum eſt inſtar carbonis ſpongioſi, ſaporis ſubſalſi alcalini, & vehementer ebullit cum acido vitrioli, ſimilemque odorem fœtidum, qualis in præparatione lactis ſulphuris obſervatur, naribus exhibet: ovorum vero teſtæ, forti igne calcinatæ, ſaporis ſunt expertes & effervefcunt quidem cum acido, ſed ſine tetro ſulphuris odore. Lapides autem cancrorum, fortiori igni commiſſi, cineres præbent albos ſubtiliores & calciformes, oſtreæ vero & corallia in calcem convertuntur, quæ viva adhuc acrior videtur.

Ex adductis experimentis non parum fructus & utilitatis in ipſam medicam praxin redundare poſſe exiſtimo, cum clare exinde diſcere poſſimus, quod quædam ex alcalinis corpori humano ſint ſalubriora, alia vero minus talia. Ego quidem exiſtimaverim, alcalina ex animantium claſſe petita, quæ in terra vivunt, præferenda eſſe iis, quæ in mari degunt & ibi reperiuntur, vel ſub terra latitant, & quidem ob hanc rationem, quoniam illa ſunt texturæ ſubtilioris, minus adſtringentis, & propter ſal & oleum copioſum ad diureſin & diaphoreſin excitandam longe promtiora ſunt marinis, quæ calcariam crudiorem terram obtinent, ut ſunt corallia, conchæ, oſtreæ, quæ licet cum acidis ebulliant, tamen interveniente muco in coagulum fatiſcunt. Quapropter ego ſemper in praxi uſum concharum & oſſis ſepiæ commendavi aliiſque abſorbentibus præpoſui. Proximum locum tenent lapides cancrorum, hiſce propter teneriorem texturam præferendi. Quod vero ſaporis valde amaricantis ſint ſolutiones alcalinorum cum ſpiritu ſalis celebratæ, minime vero illæ, quæ cum ſpiritu vitrioli fiunt, ratio hæc ſubeſſe videtur, quod acidum ſpiritus ſalis longe ſubtilius & magis ſulphureum ſit præ acido vitrioli, hinc etiam ſolutiones teſtarum ovi & oſſis ſepiæ multo amaricantiores ſunt ſolutionibus concharum & coralliorum, utpote cum illa, ut ſupra oſtendimus, multum olei tenuioris in mixtionem ſuam admittant.

Ex quibus demum clare conficitur, amaritiem à ſulphure valde ſubtili, cum partibus terreis & acidis mixto, tanquam ſuis parentibus pronaſci.

De ſolutionibus vero terreorum v. g. concharum, matris perlarum aut lapidum cancrorum, quæ cum ſpiritu vitrioli inſtituuntur, & omnis ſaporis ingrati, amaaicantis, expertes ſunt, notari velim, quod illæ non tam ſtimulante & aperiente, quam potius roborante & leniter adſtringente virtute gaudeant, atque in æſtu temperando in hecticis, in malignis quoque febribus, ubi diſſolutio ſanguinis putredinoſa metuenda, ubi alvus nimis mollis cohibenda & ſanguinis quoque ad partes impetus & congeſtio refrenanda eſt, plane eximiam exerant efficaciam.

---

## OBSERVATIO XXXI.

*Tinctura ſulphuris volatilis, ſive ſpiritus ſalis ammoniaci ſulphureus, aurei coloris.*

Antiquis jam nota fuit ſpiritus ſulphuris volatilis præparatio, quæ in *Beguini Tyrocinio Chymico* ita deſcribitur: Recipe ſulphuris triti libram unam, calcis vivæ libram ſemis, ſalis mercurialis uncias quatuor, miſce & per retortam deſtilla, ad vulnera utiliſſima. Addit *Hartmannus*, quod ſal mercuriale nihil aliud ſit, quam ſal ammoniacum, quod inſtar mercurii ſublimatur. Nos hanc tincturam ita parare conſuevimus: ſumuntur tres partes calcis vivæ, duæ partes ſalis ammoniaci atque una pars ſulphuris vivi. His invicem mixtis repleatur dimidia pars retortæ vitreæ, & igne arenæ paulo fortiori adminiſtrato inſtituatur deſtillatio; ita prodit ſpiritus, ſumme volatilis, aurei coloris, urinoſus, ſed propter admixtum ſulphur fœtidiſſimus, in vitro circumſpecte cuſtodiendus, quoniam aëre admiſſo fumum ſpargit, & facile in auras abripitur.

Varius & multiplex ejus uſus eſt, ſiquidem egregia cum eo inſtitui poſſunt experimenta, quorum potiora hic enarrabimus.

1. Confici cum eo poteſt atramentum, ut vocant, ſympatheticum hoc modo: recenti calamo, ſolutione clara ſacchari ſaturni imbuto, pinguntur literæ in charta, quæ ſimul ac ſiccatæ fuerint, ex toto evaneſcunt: deinde pagella intra ſcapum chartarum, quo viginti quatuor folia continentur, repoſita & ſpiritu fumante admoto, brevi tempore literæ in conſpectum redeunt nigræ & ſplendentes.

2. Quando ſpiritus vitrioli vel aliud quoddam acidum cum hoc ſpiritu commiſcetur, poſt effervefcentiam mixtura primo viridi, deinde albo colore tingitur, & poſtea ad fundum ipſum ſecedit ſulphur, quod ob luteum colorem lac ſulphuris vocari ſolet.

3. Hic

3. Hic ſpiritus promte jungitur cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, hinc ſi partes tres uni parti admiſcentur, emergit inde medicina interne & externe ſumme efficax. Nam ſi ullum aliud ſudorem fortiter provocat, certe hic ſpiritus eſt, ad 30. vel 40. guttas exhibitus; unde ubi proliciendus ſudor eſt, ibi commodiſſime hac medicina uti licet. Deinde etiam liquor antipodagricus, qui inſtar incantamenti dolores mitigat, concinnari poteſt, ſi quid camphoræ admiſceatur, & laborantes pedum partes eo crebrius inungantur. Utile etiam eſt admiſcere opium, crocum & caſtoreum.

4. Quando mercurius vivus injicitur huic ſpiritui ſulphureo, facta leni agitatione, protinus color mutatur in viridem, poſtea in nigricantem, & continuata ſucceſſione ipſe mercurius vivus in pulverem gryſeum ſolvitur, & perit ſucceſſive ingratus ille ſulphureus odor. Pulvis quoque primo gryſeus, leni accedente calore, in pulverem rubicundiſſimum poſt aliquot dies convertitur, adeo, ut hac ratione cinnabaris via humida parari poſſit.

5. Obſervavimus etiam, ſi hic ſpiritus in vitro concluſus diutius ſervetur, eum deponere ad fundum verum ſulphur vulgare, flavum colorem cum fœtore perire, eumque limpidum evadere.

Ratio horum phænomenorum ita elicienda eſt: ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, cum calce viva acrior redditus, ſulphur commune aggreditur, idque diſſolvit & ſecum in altum elevando efficit, ut deſtilletur, adeoque hic ſpiritus nil aliud eſt, quam ſolutio ſulphuris vulgaris in ſpiritu fortiſſimo ſalis ammoniaci. Hinc uti lixivium ſulphuaris, cum calce viva & ſale tartari paratum, acido affuſo effervefcit, & cum tetro vapore in fundum demittit ſulphur ſub niveo colore; pari modo id evenit cum noſtro ſpiritu.

Ratio vero atramenti ſympathetici hæc eſt: vapor, qui exit è ſpiritu, eſt plane ſulphureus, particulis nempe minimis ſubſtantiæ ſulphureæ mineralis refertus. Sicut vero ſolutio ſaturni, cum ſolutione mercurii mixta, atrum colorem exhibet, ita etiam id accidit hiſce literis, ubi cum partibus ſaturni ſeſe intime ſulphur unit. Et quia etiam argentum vivum promte in unionem recipit ſulphur, hinc mercurius, noſtro ſpiritui injectus, in gryſeum nigrum pulverem mutatur.

Tandem vero hic ſpiritus ſe promte conſociat cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, quoniam eandem amicam conjunctionem admittit ſpiritus urinoſus cum calce viva paratus, multo magis vero id præſtat ſulphure ſaturatus, quia ſpecificum ſulphuris menſtruum eſt ipſe ſpiritus vini inflammabilis; nam ſulphur à ſulphureis menſtruis diſſolvi, regula chymicorum eſt.

Cæterum docemur hoc experimento, ſpiritum valde ingratum ſuum fœtorem mutuare à ſulphure, alcali volatili exaltato, utpote alcalia, tam volatilia, quam fixa, cum ſulphure combinata, ſummum fœtorem producunt, uti clare videmus in hepate ſulphuris, vel in pulvere pyrio combuſto, ubi nitrum per combuſtionem in alcali vertitur.

---

## OBSERVATIO XXXII.

*Examen aquarum mineralium.*

QUam mirifica vis & incomparabilis efficacia ad perſanandas graves eaſque longas paſſiones aquis inſit mineralibus, tam frigidis, quæ aci-



dulæ, quam calidis, quæ thermæ vocantur, res in propatulo atque extra omnem dubitationem poſita eſt, quippe quam infinitis experimentis longiori uſu & experientia ſatis ſuperque confirmatam habemus. Unde vero minerales aquæ ſuam in medendo trahant efficaciam, non omnibus æque notum eſt, & ſane perpauci ſunt, qui harum aquarum elementa & ingredientia, quibus tanta agendi potentia ineſt, chymico examine eruere ſciunt.

Non datur vero melior modus indagandi aquarum medicararum elementa, quam ſi liquidum teni calore vel in aëre aperto in vaſe ſtanneo, ſuper candentes prunas, vel rectius adhuc in cucurbita vitrea evaporet, probe cuſtodito liquore, per alembicum prodeunte, ut ratio proportionis ſolidi ad liquidum habeatur. Si itaque evaporatio ad ſiccitatem facta fuit, & hæc ipſa ſiccata, quæ relinquuntur in cucurbita, lance examinantur, habemus utique verum pondus ingredientium, quæ fixioris naturæ ſunt, quæ utique examinare, etſi diverſæ ſunt indolis; oportet.

Primo itaque ſolutio debet fieri cum aqua pura deſtillata, qualis ſemper ad accuratius rerum chymice præparatarum examen requiritur, utpote plures aquæ fontanæ multum habent terreſtris & ſalini elementi: hac ipſa ſolvitur ſal & relinquitur terra, minus in aqua ſolubilis. Hoc ſal num ſit alcalinum, facile judicare licet ex mixtione ejus cum acido, ita enim in ſal tertium tranſit, vel cum ſale ammoniaco, quo odor urinoſus volatilis ſe manifeſtat, quod etiam exinde liquet, quando ſolutio mercurii ſublimati, facta cum aqua, hujus adjectione, flavum pulverem ad ima demittit: vel etiam, ſi viridis color ſyrupo violarum à ſale hoc admixto fuerit inductus.

Paulo vero difficilioris cognitionis res eſt, ubi ſalia ab evaporatione relicta non ſunt unius ejuſdemque, ſed diverſi generis, ſi v. g. ſalia alcalia cum ſalibus neutris, ut eſt ſal commune, vel ſal calcarium, quale eſt aphronitrum, vel ſal ſulphureum, quod ad naturam arcani duplicati vel tartari vitriolati accedit, invicem mixta & confuſa fuerint. Hinc merito quæritur, quomodo hæc à ſe invicem ſeparari debeant? Id vero agendum eſt ſequenti modo; affunditur remanentiæ aqua communis, & facta agitatione leviori effunditur, ita remanet pulvis ſalinus, minus diſſolubilis, qualis eſſe ſolet omne ſal medium, nam celerrimus in aquam tranſitus eſt ſalis alcalini. Vel adhuc alia ratione ſeparanda eſt portio ſalis medii à ſale alcalino, videlicet per cryſtalliſationem, qua debito modo inſtituta, primo deſcendit in forma cryſtallorum ſal cujuſcunque medii generis, ad ſolidam figuram recipiendam aptiſſimum, remanente lixivioſo liquore, qui ſupernatat, & ægerime ſolidam formam recipit.

Alia vero jam incidit quæſtio, quomodo ejuſmodi ſalis, quod mediæ naturæ eſt, genuina & propria indoles explorari poſſit? Scire igitur oportet, ex ſinu terræ cum aquæ vehiculo nulla alia prodire ſalia, quam vel ſal commune, vel ſal quoddam neutrum, vitriolicæ & ſulphureæ indolis, mixtum nempe ex acido ſulphuris vel vitrioli & ſale quodam, ſive terra alcalini generis: illud, ſal nimirum commune, partim ex ſapore & cubica figura, quam cryſtalliſatio ipſi fœnerat, partim etiam ex fumo copioſo albo, penetrantiſſimi odoris, qui ad mixturam olei vitrioli ex eo elicitur, optime dignoſci poteſt. Alterum ſal, quod ab acido ſulphureo univerſali ſubterraneo ſuam originem ducit, hac ratione cognoſcitur, ſi nempe ejus

Xx 2 par-

partes duæ cum una parte ſalis tartari & parte una pulveris carbonum miſcentur, atque invicem in crucibulo, igne fuſorio adhibito, colliquantur, tunc maſſa prodit coloris rubicundi, ſaporis alcalini ſulphurei, hepati ſulphuris ſimilitudine proxima, ex qua, affuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo, vera tinctura ſulphuris flava, argentum colore obfuſco tingens, extrahitur.

Atque ex hujus maſſæ ſolutione cum aqua per acidum liquorem præcipitatur verum lac ſulphuris, manifeſto indicio, ſulphur minerale, quod ex principio phlogiſto & acido univerſali compoſitum eſt, hac encheireſi reſuſcitari. Idque verum eſſe deprehendi non modo in ſalibus omnibus, per artem paratis, quorum mixtionem acidum vitrioli vel ſulphuris ingreditur, ſed etiam ex omnibus ſalibus mediis, ſale communi excepto, quæ in acidulis & thermis reperiuntur, beneficio hujus encheiriſeos maſſam ſulphureo-alcalinam produxi, ea tamen interveniente differentia, quod, ſi ſal medium illud ex ſale alcalino & ſulphuris acido compoſitum fuerit, facilior fiat fuſio in igne, longe vero difficilior, ſi cum terreo vel gypſeo calcario elemento hoc acidum junctum fuerit, quale ſal in ſic dicto aphronitro ſaxis adhæreſcente offenditur.

Præter ſalia media & alcalina, plurimis acidulis etiam ineſt ſal vitriolicum, raro naturæ fixioris, plerumque ſubtilis & volatilis. Id ipſum in omnibus aquis vel liquidis non tam ex ſapore, quam potius ex purpureo obſcuro & nigricante colore cognoſcitur, quem, gallarum vel corticum granatorum tenui pulvere injecto, vel ſolutione florum balauſtiorum addita, oculis exhibet. Volatilitas vero ſpiritus hujus vitrioli ſive potius acidi hujus mineralis, quod particulis martialibus ſive ochreis junctum, ſubtile vitrioli ſal conſtituit, quam maxime ex eo apparet, quod aquæ minerales, quæ ad mixturam pulveris gallarum nigreſcunt, & potæ fæces reddunt nigras, ſi paulo diutius aëri aperto in loco calido exponuntur, protinus & vitriolicum ſaporem & tingendi facultatem amittant: quod longe adhuc citius ſub levi ſaltim coctione & ebullitione contingit.

Reſtat adhuc aliquid examinandum in aquis mineralibus, videlicet earum elementum valde ſubtile ſpirituoſum, quod aëreo-æthereæ naturæ & elaſticæ indolis eſſe videtur. Hujus præſentia & copia ſeſe maxime non modo per vaporem, qui nares ferit, ſed & per potum, qui quadam quaſi eructationis ſpecie caput ſumma tenuitate replet, manifeſtat. Huic principio etiam id adſcribendum eſt phænomenon, quod aquæ minerales, præſertim acidulæ, ex uno vaſe in aliud transfuſæ, copioſiſſimas excitent bullulas, quæ copioſius parietibus vitri inhæreſcunt.

Major vero adhuc copia ejuſmodi bullularum majorique cum impetu & celeritate ex harum aquarum interſtitiis egreditur, & ad earum ſuperficiem emergit, quando æquali proportione cum vino Rhenano vel Moſellano, aut alio, quod ſubtilius acidum fovet, permiſcentur & pauxillum ſacchari adjicitur. Ita enim & jucundum oculis ſpectaculum & delicioſus ſapor ipſis conciliatur: nam tanta copia exeunt vapores, ut fumi quaſi ſpeciem referant. Hæc efferveſcentia, ſub qua maxime hæ bullulæ excitantur in motum, à conflictu ſalis alcalini, in mineralibus aquis prævalentis, cum ſubtili vinorum acido dependet.

Hoc ſpirituoſum quoque principium, aquis inſidens, cauſa eſt, quare vaſa vel vitra firmiter occluſa, ſub calore, magna cum vehementia diffringantur, certo indicio ingentis virtutis expanſivæ, qua ſubtiliſſima hæc materia pollet.

Præterea hujus ſpirituoſi elementi, quod minerales fontes nobilitat, exiſtentia quam commode in vacuo, beneficio pneumaticæ antliæ explorari poteſt, in quo tanta bullularum ad ſuperficiem vaſis exſurgit quantitas, ut quaſi liquor vehementi fervore & ebullitione agitari videatur.

In quibus itaque fontibus examine inſtituto ejuſmodi phænomena & effectus non reperiuntur, illi etiam longe inferioris virtutis judicari debent: nam profecto mineralis ille ſubtiliſſimus ſpiritus ingentem ipſis aquis & aquarum ingredientibus addit virtutem, ut non modo citius corporis intimos receſſus & emunctoria ſubeant & penetrent, ſed & majus robur & movendi potentiam partibus ſolidis & fibris motricibus impertiant, ut promtior per tubuloſam corporis noſtri compagem aquarum fiat tranſitus, quo obſtructiones & infarctus vaſorum non modo expediuntur, ſed partium quoque inutilium ſecretiones & excretiones egregie adjuvantur.

Quemadmodum vero nulla aqua fontana eſt, quæ non poſt evaporationem quippiam terreæ & minus ſolubilis exhibeat materiæ; ita etiam & in acidulis & in thermis atque in aliis fontibus, qui ſalubritatis celebritatem habent, id ipſum reperitur. Cujus vero illud ſit naturæ & virtutis, etiam exquiri oportet. Variæ enim terrarum, per quas aquæ feruntur, ſunt ſpecies, quarum pars facile in aquas tranſit, propter inteſtinum earum motum.

Sunt vero potiſſimum, quæ poros aquæ ſubeunt, terræ calcariæ, ochreæ & argillaceæ, vel etiam lapidoſæ. Calcariæ proſapiæ materia partim ex efferveſcentia cum acido; partim etiam ex uſtione, qua ſummam acquirit acredinem, innoteſcit. Si ingens hujus calcariæ terræ copia aquas incolit, præſertim calidas, mox ſub aëre frigidiuſculo ſecedit & ſeſe apponit vaſis & canalibus, quibus aqua continetur, & lapidoſa cruſta brevi quidem tempore injecta obducit; quemadmodum id in Carolinis luculentiſſime apparet, quæ tanta alcalinæ & calcariæ terræ copia ſcatent, ut ingentis magnitudinis lapides vaſis & tubulis, quibus continentur, ſeſe apponant. Si ſedimentum ſive præcipitatum, quod poſt evaporationem & cryſtalliſationem ſalium in filtro manet, flavi eſt coloris, qui ſub calcinatione in rubrum vertitur, indicium eſt materiæ martialis ſive ferreæ, quæ nunquam non virtute ſubadſtringente & roborante eximias in corpore humano exerit operationes.

Non vero ochrea hæc ſubſtantia, licet à marte ſuum petat colorem, ab acido ſolvitur, quia lutoſæ & argillaceæ eſt naturæ. Ejuſmodi terra bolari & martiali multæ aquæ, ſine ullo alio ingrediente ſalino & ſpirituoſo, refertæ ſunt, & inde quoque non mediocrem vim medicam in perſanandis longioribus morbis, interne & externe ad balnea uſurpatæ, mutuantur. Ad quam claſſem recte fontem Freyenwaldenſem in Marchia, Bibranum in Thuringia, & Lauchſtadienſem in Miſnia referre licet, quorum virtus roborans, exſiccans & diaphoretica, quæ maxime in balneo apparet, non ſatis celebrari poteſt.

Si vero in ejuſmodi fontibus quippiam lapidoſi contineatur, id ſeſe optime per elutriationem factam cum ſufficienti aquæ affuſione, qua omne terreum ſubtile ſolvitur, manifeſtat; hoc enim ob gravitatem in fundo reſidet, nec facile è loco ſuo dimovetur.

Præ-

Præter thermas & acidulas, in quibus utriſque ſemper alcali prædominium habere prima noſtra aſſertio fuit, dantur etiam fontes medicati, qui nec cum acido, nec alcali ebulliunt, nec ſyrupum violarum tingunt, ſed ſal mediæ naturæ tantummodo cuſtodiunt, quod per evaporationem optime haberi poteſt. Hujus generis maxime ſunt fontes aliquot abhinc annis primum à nobis detecti in Bohemia in pago Zetliz, duobus milliaribus ab urbe Tœpliz ſito, quæ aquæ ſunt amariſſimæ, laxantes, & inſignem ſalis medii, quod ad aphronitri vel ſalis Ebshamenſis artificialis indolem ac virtutem accedit, copiam cuſtodiunt.

# OBSERVATIONUM PHYSICO-CHYMICARUM LIBER TERTIUS.

## OBSERVATIO PRIMA.

### *Experimenta curioſa de Auripigmenti natura & viribus.*

NOTARI meretur, quod auripigmentum antiquioribus medicis & phyſicis jam notum, & paſſim pro veneno habitum fuerit, imo hodienum pro arſenico venditetur, quum tamen nullius virulentiæ particeps ſit. Caret enim ſapore, caret etiam erodente ſeptica facultate, ſi cuti admovetur, niſi calx viva adjiciatur; neque etiam purgante & emetica facultate, intus exhibitum, corpori infeſtum eſt, multo minus venenatam interficientem vim habet, nam tutiſſime ad magnam quantitatem canibus ſine omni noxa offerri poteſt. Quod ſi vero ignem experiatur, tunc nulli dubitamus, quin ſepticam & venenatam induat naturam; quemadmodum etiam id conſpicimus cum antimonio fieri, quod crudum & ſibi relictum potius medicina, quam venenum eſt; ſimul ac vero ad ignem liqueſcit, protinus vehementem emeticam vim edit. Liquatum vero in concluſo vaſe auripigmentum rubeſcit inſtar granati, & ſubſtantiam cinnabarini coloris exhibet, atque hoc dicimus eſſe ſandaracam, ſive arſenicum rubrum, aut realgar veterum, quod inter erodentia retulerunt.

Hæc rubra cinnabarina realgaris maſſa, ad ſcrupulos duos cani ad devorandum cum pane à nobis oblata, nihil incommodi ipſi attulit, ſalvo eo ac vegeto permanente: flores vero crocei coloris, qui vehementiori igne ad collum cucurbitulæ ſublati fuerunt, ad unum ſcrupulum dati, enormes vomitiones excitarunt quidem, nihilo minus vitæ ipſius nullam vim intulerunt.

Ex quibus experimentis diſcimus, latitare utique in auripigmento volatile quiddam, ad arſenici indolem accedens virus, quod ſeparatum acriori igne relinquit maſſam terreo-ſulphuream, rubicundam, innocentis plane facultatis.

Pertinet huc etiam experimentum cum auripigmento & oleo vitrioli inſtitutum, cujus in ſuperiori obſervatione, quæ agit de oleo vitrioli ejuſque effectibus, quos producit, ſi variis ſalibus & mineralibus admiſcetur, mentionem fecimus.

Porro auripigmentum cum ſale communi mixtum & crucibulo candenti inditum, totum abit in flammam lucidiſſimam copioſam, relicto ſale. Quod ſi vero unciæ tres ſalis communis cum æquali portione auripigmenti, in pulverem triti, miſceantur, & in retorta vitrea vehementiſſimo & ſuppreſſorio quoque igni ſubjiciantur, prodit 1. phlegma acidulum, 2. flores flavi inſtar croci in retortæ collo, 3. facto igne acriori, rubicundi attolluntur, qui in maſſam, inſtar rubini ſplendentem, coeunt, & ubi vehementia ignis fuerunt fuſi, inſtar vernicis pellucidi, flavi, lateribus vitri adhærent. Remanet caput mortuum ſalis communis, cum particulis fixioribus & terreſtribus auripigmenti mixtum, unde ejus pars flava apparet, altera alba & cinericea.

Arguit hoc experimentum falſam huc uſque receptam chymicorum ferme omnium, quorum quaſi claſſem ducunt *Matthiolus, Agricola, Schrœderus*, ſententiam, arſenicum album præparari ex auripigmento & ſale communi, invicem ſublimatis, cum tamen veteribus arſenicum noſtrum album, quod mere factitium eſt, & ex floribus cobalti fuſis paratur, fuerit incognitum. Arſenicum vero rubrum veterum nil eſt aliud, quam auripigmentum, clauſo igne fuſum in maſſam rubicundam, cinnabarini coloris. Sunt vero nonnulli, qui etiam nativi arſenici rubri cognitionem veteribus tribuunt, ſiquidem quandoque ipſis auripigmenti fruſtis ſubſtantia quædam rubinea, quæ accenſa ſulphur olet, admixta deprehendatur.

Circa auripigmentum illud præterea notandum eſt, quod hoc ipſum æquali portione cum ſale ammoniaco mixtum, inque cucurbita vitrea fortiori igne ſublimatum, triplicis generis flores præbeat elegantiſſime rubicundos, neque minus in ſpeciem croci flavos: in ſuperiori vero cucurbitæ parte dilutioris flavi ſunt coloris, remanet caput mortuum ex bruno rubicundum, leviſſimum. Hi flores ſunt inflammabiles, inque igne fluunt, & flavum vaporem ſpargunt, odorem vero fortem fœtidum ſulphureum exhibent.

Planiſſime evincit hoc experimentum, *Georgium Agricolam* & plures, qui ejus veſtigiis inſiſtunt, vehementer erraſſe, dum ſcribunt, arſenicum album, cryſtallinum, deleterium, ex auripigmento & ſale ammoniaco ſublimato olim fuiſſe præparatum. Sed potius ſal ammoniacum ſulphuream auripigmenti ſubſtantiam ſecum elevat, & à mercuriali terrea parte auripigmenti ſegregat, ſiquidem hoc ſal lubentiſſime ſeſe conjungit cum ſulphuribus, ipſaque ſecum in altum vehit, quemadmodum id cernitur in capite mortuo vitrioli, hæmatite, limatura

martis, antimonio, ubi ſulphuream partem ex ipſis extrahit & ſecum in altum rapit. Notandum, quod flores in inferiori ſede poſiti rubicundi, tanquam magis ſulphure imbuti, ſi accendantur, in flammam exardeſcant.

Veteres, teſte *Celſo L. V. c. 5. p.* 260. auripigmentum arſenicum vocarunt, & *Galenus L. IX. Simplic.* illi erodentem & pſilothram facultatem tribuit, quod *Dioſcorides* etiam *L. VI. cap.* 28. confirmat; ipſe quoque *Celſus l. c.* inter externa, quæ vulnera purgant, erodunt & cruſtas inducunt, illud reponit. Quamvis vero antiquiores phyſici ac medici paulo mitius de ejus virulentia interna ſenſerint, qui pro ſeculi illius ingenio alias faciles erant in amplificando venenorum numero; à recentioribus tamen non ſine admiratione conſpicimus, auripigmentum arſenicum citrinum, & ſandaracam arſenicum rubrum vocari ac venenorum numero accenſeri, ita ut celebriorum medicorum collegia in reſponſis ſuis hoc ipſum contentius aſſerere non dubitaverint.

Extat reſponſum celebris collegii medici in *Valentini Pandectis p.* 384. ubi auripigmentum arſenicum citrinum vocatur, & ſolenniter pro veneno declaratur. Idem factum eſt ab eodem collegio in reſponſo, quod in *Zittmanni medicina forenſi, Cent. I. caſu* 62. relatum legimus. Inſuper *Cl. Ammannus in medicina critica caſu* 98. auripigmentum ſandaracam vocat, idque pro veneno à medico collegio habitum fuit. Neque ita pridem etiam à collegis celebris cujuſdam Academiæ auripigmentum arſenicum citrinum nativum foſſile in reſponſo vocatum, & venenum minerale corroſivum, quod cauſa proxima mortis fuerit, pronunciatum fuit.

At vero re accuratius penſitata, libere hic & aperte, pace tamen omnium & ſine ullius injuria, profitemur, auripigmentum nullo modo in venenorum cenſu locum mereri, & minus recte arſenicum citrinum vocari, id quod etiam de veterum ſandaraca valet, cujus eadem vis eſt, *Celſo l. c.* teſte, cum arſenico, quæ ex auripigmento ſola fuſione per ignem in olla obturata, recte id notantibus *Plinio, Agricola, Matthiolo & Wormio,* præparata fuit, qua ſaturatiorem rubrum colorem acquirit.

Non quidem negandum eſt, à veteribus auripigmentum arſenicum, & ſandaracam realgar & arſenicum rubrum dicta fuiſſe, toto tamen coelo hæc veterum arſenica differunt à tribus ſpeciebus arſenici, flavi, rubri & albi, quæ noſtro jam tempore præparantur, & vehementiſſima venena ſunt, utpote quæ omnis generis animantia & ipſos quoque homines tam mirifica celeritate, quam ingenti ſymptomatum atrocitate brevi tempore interimunt. Jam vero obſervamus, inter auripigmentum & arſenicum citrinum, interque ſandaracam & arſenicum rubrum à recentioribus magnam factam fuiſſe confuſionem, quum hæc pro ſynonymis habuerint.

Hujus magni erroris occaſio procul omni dubio inde mihi enata videtur, quod plures ex ſcriptoribus medicis ſuperioris ſeculi, ut *Georgius Agricola in libro de re metallica, Matthiolus in Commentario in Dioſcoridem L. 5. cap. 81. Schroederus in Pharmacopoea pag.* 498. *Olaus Wormius in muſæo pag.* 29. ex recentioribus *Wepferus in libro de cicuta aquatica pag.* 290. *& D. Barckhuſen in Chymia pag.* 260. aperte & confidenter aſſerunt, ſummum illud venenum arſenicum cryſtallinum ex auripigmento & ſale communi, invicem aliquoties ſublimatis, parari, quod tamen à veritate longiſſime abeſt. Et quoniam *Georgius Agricola,* Miſiniæ incola, qui ſuo tempore ſagaciſſimus rerum naturalium ſcrutator æſtimabatur, in opere ſuo hoc primum affirmavit, exteri huic fidem habentes errorem ab eo acceptum poſteris per manus quaſi tradiderunt.

Veteres enim arſenicorum illæ venenatæ tres ſpecies plane latebant, quæ non ultra duo ſecula orbi innotuerunt. Neque etiam adeo multi ex recentioribus auripigmenti & ſandaracæ veterum, arſenicalium venenorum noſtri temporis, naturam, originem, & vires cognitas perſpectaſque habuiſſe videntur.

Ut vero arſenicorum illorum, quæ veteribus nota fuerunt, & quorum cognitio noſtris demum temporibus patuit, ingens differentia omnibus quaſi ante oculos ponatur, ſingulorum proprietates breviter ſtrictimque enarrare commodum nobis viſum fuit, eo, quod res non parvi momenti ſit, hanc confuſionem evitare, quia ſalus ſæpe ac vita hominum ex ea periclitatur.

Auripigmentum eſt minerale aurei coloris, ſulphureum, ex tenuibus cruſtis, tanquam ſquamis, inſtar lapidis ſpecularis, fiſſilibus compoſitum, quod in Græcia, Myſia nempe Helleſponti, ex montibus eruitur & ad nos advehitur, & tempore *Galeni ac Dioſcoridis* jam cognitum fuit. Hoc in pulverem contuſum & flammæ admotum, accenditur flammamque emittit, cum fumo albo, ſubflavo, qui fœtidi ſulphuris odorem habet, atque etiam cultrum ſuperpoſitum albo luteo & ſubrubro colore, pulchro ſpectaculo, obducit, relictis in fundo arenoſis & lapidoſis particulis.

Arſenicum vero album, flavum & rubrum noſtrum eſt factitium, & patriam habet Miſniam, ubi tantummodo inque nullis aliis terris, & quidem non procul à pago *Ehren-Friedrichsdorff auff der Geuersbergiſchen Hütte* in ſylva conficitur ex minera gryſei coloris, quæ vocatur cobaltum, germ. *Fliegen-Pulver*, quia muſcas hujus pulvere enecare ſolent. Proceſſus autem ſequentem in modum ſe habet: Miſcetur cobaltum cum calcinatis ſilicibus & cineribus clavellatis, qui invicem fortiſſimo igne in vitrum ſaturati coerulei coloris tranſeunt, quod in minimum pollinem redactum dicitur ſmaltum, *die blaue Farbe*, cujus ingens quantitas quotannis in exteras regiones tranſmittitur.

In præparatione hujus vitri copioſiores fumi albi, ſeu potius flores, in ſublime feruntur, qui fornacis parietibus appoſiti & collecti pulverem præbent album, qui vocatur *Gifft-oder* Arſenical-*Mehl*, qui fortiſſimo igne in crucibulo tecto liquatus in maſſam ponderoſam albam duram, compactam vitream fatiſcit. Et hoc eſt arſenicum illud album, cryſtallinum, ſummum omnino venenum, compluribus funeſtis exemplis infamatum. Quando vero ad partes decem pulveris prioris albi una additur ſulphuris vulgaris, & ſimili fuſione tractatur, tunc arſenicum prodit citrinum. Si vero duæ partes ſulphuris cum decem partibus pulveris miſcentur, igne fuſionis rubicunda maſſa emergit, quæ nomine arſenici rubri venit.

Et hæ tres ſpecies arſenici veteribus plane incognitæ fuerunt. Unum ex illis in cochleari vel tigillo igni impoſitum totum evaneſcit, ut nec in fundo veſtigium ejus ſuperſit. Album denſiſſimum fumum ſpargit, & laminam ferream floribus albis denſis obducit, nunquam vero flammam concipit, qualem exiguam dat arſenicum rubrum propter ſulphur admixtum; fumi etiam non penitus albi, ſed leviter colorati exſurgunt, odorem vero ſpargunt alliaceum fœtidiſſimum, totum conclave occupantem. Unum quoque ex hiſce ſpeciebus in retorta vel

vel cucurbita vitrea vehementa ignis tractatum, totum in altum ſublimatur, neque quicquam in fundo relinquit.

Quod ad uſum auripigmenti attinet, eo utuntur pictores ad aureum colorem conficiendum, ut & mechanici ad plumbum colliquandum in globulos duros, vulgo *Schroot*, neque à materialiſtis pro veneno habetur, hinc etiam cuivis petenti venditur. Arſenicum vero cryſtallinum ad pelluciditatem vitris conciliandam à vitriariis, ad porcellanam albo vitro obducendam, pariter & ab aurifabris ad metalla vitro ſubtiliori incruſtanda, vulgo [illegible], utiliſſime uſurpatur. Flavo vero & rubro identidem pictores utuntur ad flavum colorem exprimendum.

Quod vero uſum internum & vires auripigmenti attinet, nullum proſtat luculentum & fide dignum exemplum in medicorum, cum veterum, tum recentiorum monumentis, quod funeſta ſymptomata vel mortem intulerit. Sed potius *Dioſcorides L. V. cap.* 22. ejus uſum internum contra inveteratam tuſſim, & empyema cum mulſo ſuadet, cujus etiam ſententiæ eſt *Avicenna, qui L.III. tradition. I. pag.* 262. hæc prodidit: *Ex medicinis fortibus eſt arſenicum*, (per quod indigitat auripigmentum) *ex quo cum gummi pini fiant pilulæ ad aſthma, aut detur in potu cum aqua mellis.* Ejus ſuffitum in lue Gallica inſigniter laudat *Fallopius cap.*72.*de morbo Gallico.* Quam graviter itaque errarunt quidam non mediocris famæ medici, affirmantes, peſſimo & nefario uſu Arabes pro ſuffitu arſenicum, quod ſummum venenum eſt, commendare, cum tamen arſenicale venenum iis plane fuerit incognitum.

Ex hiſce omnibus jam clariſſime intelligitur, auripigmentum ex ſulphure, quod plane analogum eſt minerali & mercuriali, valde volatili ac terra quadam minerali eſſe compoſitum, adeoque magnam convenientiam habere cum ipſo antimonio, licet ob magis volatilem naturam ſubſtantia illa mercurialis ægrius à ſulphurea portione ſeparetur atque in regulum faceſſat. Nam ſicut nitrum cum antimonio accenditur & fumum album odoris ſulphuris fortiori igne tractatum emittit, ejuſque ſulphurea pars per lixivium decoctione ſeparatur, & cum mercurio ſublimato mixtum, debita & convenienti adhibita encheireſi & deſtillatione, cinnabarim conſtituit, & per ſal ammoniacum in flores rubicundos ſublimatur; ita etiam hæc experimenta feliciſſime procedunt ſimili modo inſtituta cum auripigmento, & ſicuti etiam porro antimonium crudum, quod ignem nondum expertum eſt, intus ſi ſumatur, nocendi facultate caret, quam ſtatim recipit, ſi ſulphurea ejus pars igne ſeparatur vel in auras disjicitur, eundem etiam in modum crudum auripigmentum ſine noxa aſſumitur, quam ſtatim exſerit, ſimul ac ejus ſulphurea pars ab arſenicali fuerit ſive per ignem ſive per ſalia diſſociata.

---

## OBSERVATIO II.

### *De antimonio ejuſque ſulphuris natura ac virtute & variis illud præparandi modis.*

Antimonium minerale eſſe ex ſulphure & mercuriali ſive arſenicali quadam ſubſtantia conſertum, res extra omnem dubitationem inter chymicos poſita eſt. Cujus vero naturæ ſit illud ſulphur, non omnes æque perſpectum habent. Communis fere eſt opinio veterum, ad auri naturam id ipſum proxime accedere, præſertim quum aurum depurandi & ſplendidius reddendi, ſi cum ipſo aliquoties fundatur, peculiari gaudeat virtute, & quum huic antimoniali ſulphuri ob hanc rationem ſingularis & plane eximia confortans æque ac ſanguinem depurans virtus adſcribi ſoleat, hinc chymici omni tempore in eo occupati fuerunt, ut purum illud ſulphur extraherent varioſque eo fine modos excogitarunt, dum vel via ſicca vel humida uſi fuerunt, vel enim tincturas variis artificiis ex eo concinnarunt, vel ſublimationibus aut præcipitationibus illud elicere conati ſunt.

Quare ſulphuri, quod auratum dixerunt, floribus etiam antimonii, quos tincturam ſiccam appellarunt, ex ſale ammoniaco & vitro paratis, & cinnabari antimoniali, utpote quæ ſulphur antimonii purum in ſe contineat, atque tincturis antimonii, mirabilem ac pene divinam in medendo gravibus & chronicis paſſionibus virtutem adſcripſerunt.

Verum enim vero ex ignorantia veræ ſcientiæ chymicæ illi errores nati, atque infeliciter etiam ad medendi artem traducti ſunt. Nam ſulphur, quod ineſt antimonio, ejuſdem naturæ, indolis ac texturæ eſt cum ſulphure minerali vulgari, neque virtute atque efficacia ab eo diſcriminatur, id quod jam variis experimentis & argumentis demonſtrare allaborabimus.

Primo omnium vero dicendum eſt, non eſſe illud verum ac purum ſulphur, quod ex antimonio, debito ignis gradu adminiſtrato, inſtar florum in alembicum adſcendit & ſublimatur; nam utut flammam concipiat more ſulphuris, fumum tamen emittit ex flavo albicantem inſtar auripigmenti; præterea vehementem emeticam hi flores cuſtodiunt virtutem, haud inevidenti argumento, una cum ſulphure puro minerali in hac operatione ſimul elevatam fuiſſe arctiſſimo ipſi cohærentem regulinæ ſive draſticæ ſubſtantiæ quandam portionem, id quod præter alia etiam rubicundus color teſtatur.

Nam ſi arſenicum album, ſummum illud venenum, cum dimidia parte ſulphuris vivi miſcetur, & maſſa inde emergens ſublimatur, flores etiam rubicundi, virtutis draſticæ, & qui ardent & fumum rubicundum & album præbent, in ſublime feruntur. Ineſt enim ſulphuri minerali vis ſeſe intime jungendi cum corpuſculis arſenicalibus eaque ſecum in altum evehendi.

Hujus rei clariſſimum documentum ipſa cinnabaris tam antimonii, quam vulgaris præparatio ſuppeditat, utpote mirabile eſt, quod vix quarta pars ſulphuris, corporis ſua natura valde levis & ſpongioſi, tres partes mercurii, ceu corporis poſt aurum graviſſimi, in altum evehere & ſecum abripere queat.

Ac licet etiam antimonium cum ſale ammoniaco mixtum, quod mira quoque efficacia pollet corpora gravia ſurſum tollendi, beneficio ignis fortioris ſublimetur, tamen flores inde producti non purum & à conſortio regulinarum partium alienum ſulphur, quod ex emetica eorum virtute conſtat, comprehendent.

Sequitur jam, ut ad vulgare illud, & in officinis pharmaceuticis notiſſimum ſulphur, quod auratum dicitur, meditationem noſtram convertamus, cujus naturæ illud ſit, indagaturi. Præparatur hoc ipſum, ſi antimonium cum nitro & tartaro, vel etiam cum ſolo tartaro aut ſale ejus, vel cineribus clavellatis, mixtura debita proportione facta, funditur, & facta fuſione regulus à ſcoriis ſeparatur, in quibus ſulphur antimonii à ſale alcali reſo-

lutum & cum eo mixtum contineri, conſtans eſt chymicorum ſententia, ob hanc maxime rationem, quia ſalia alcalina in diſſolvendo ſulphure minerali magnam præſtant efficaciam. Affunditur ſcoriis aqua communis & coctione elicitur lixivium, & ſulphur infuſo liquore acido cum tetro odore in forma pulveris, coloris aurantii in fundum dejicitur, & partim ob colorem, partim etiam, quia creditur naturæ ſolaris eſſe, auratum vocatur.

At vero illud non eſſe genuinum & integrum antimonii ſulphur, ſed corpuſculis etiam virulentis ſubſtantiæ arſenicalis & regulinæ confertum, primo ex colore illo aurantio, qui à miſcela partium mercurialium & ſulphurearum ordinario provenit, deinde ex fumo illo, ſi accenditur, partim rubicundo, partim etiam albo, qui inſtrumentis ferreis ſe apponit, & denique ex virtute ſumme draſtica & emetica hujus ſulphuris aurati id colligere clariſſime licet.

Accedit & ille error, qui plures hodieque tenet, ac ſi in ſcoriis reguli à ſalibus alcalinis ſulphurea ſaltem antimonii portio extracta contineatur, quam opinionem falſam eſſe, & præter ſulphur etiam regulinam ſubſtantiam ibi occultari, ſtatim ad oculum oſtendere in proclivi eſt. Siquidem quando illud, quod à decoctione ſcoriarum cum aqua relinquitur, ſiccatur, & ejus quatuor partes cum una parte carbonum & duabus partibus nitri funduntur in crucibulo, inſignis quantitas reguli ſecedit inque fundum fertur.

Nam probe notandum eſt, quod ſalia alcalina, pura & integra, neque per coctionem, neque per fuſionem in igne, metalla, quæ mercurialis proſapiæ ſunt, ut aurum, argentum, plumbum, vel regulum antimonii aut mercurium aggrediantur ac diſſolvant: at vero ſi ſal alcali cum ſulphure vulgari miſcetur, emergit inde maſſa, quæ omnia indiſtincte metalla, ſive mercurialis, ſive ſulphureæ indolis ſint, aurum nempe, argentum, plumbum, & ita etiam regulum antimonii fuſione per ignem adoritur, inque calcem vel crocum convertit. Nam regulus antimonii cum hepate ſulphuris, quod ex ſale tartari & ſulphure conficitur, in crucibulo fuſus ſtatim amittit ſuum ſplendorem, & quaſi in ſcorias convertitur. Lixivium exinde paratum, & affuſo liquore acido præcipitatum, non amplius pulverem album, ſive lac ſulphuris, ut fieri ſolet cum ſolutione ſulphuris communis in forti lixivio, ſed pulverem aurei coloris & virulentæ virtutis in fundum dimittit.

Ex quibus experimentis manifeſto cognoſcitur, non genuinam eam eſſe methodum ſulphur per ſalia alcalia mediante fuſione ſeparandi à regulo, ſed alium eſſe inquirendum modum, quo ſulphur antimonii purum & à contagio regulinæ ſubſtantiæ immune haberi poſſit, eumque jam paucis exponere animus eſt.

Primo regulus antimonii ex limaturæ martis parte una, & partibus duabus antimonii parteque dimidia nitri lege artis elaborandus eſt, qua ratione inſignis quantitas reguli obtinetur, adeo, ut ex libra una antimonii medica circiter ſeptem, imo octo unciæ haberi poſſint, quum vix tertia pars ejuſdem ponderis, cum ſalibus ſi negotium conficiatur, haberi poſſit. Poſtea ſcoriæ à regulo ſeparentur, quæ nil niſi ferrum cum ſulphure antimonii & partibus terreſtribus mixtum complectuntur, hiſce ſpiritus vitrioli generoſus ſufficienti quantitate affundi debet, qui dum aggreditur & ſolvit ferrum atque cum ipſo in vitriolum fatiſcit, ſulphur antimonii in fundo vaſis relinquitur, quia ſpiritus vitrioli nullum ingreſſum in mixturam ſulphuris habet.

Hoc ſulphur ſiccatum, non ſecus ac vulgare, ardet, fumumque ſulphuri proprium emittit, ſolutum in lixivio ab acido album præcipitatur, & conjunctione debita cum argento vivo in cinnabarim convertitur.

Secundus modus præparandi purum & ſincerum antimonii ſulphur cum cinnabari ejus inſtituitur, quæ ſine omni dubitatione ex mercurii & ſulphuris antimonii intimo per ignem connubio enata fuit. Hæc cum æquali portione limaturæ martis miſcenda & retortæ vitreæ committenda eſt, facta deſtillatione in arena; ita validiori ignis gradu ſubminiſtrato mercurius in forma currente prolicitur, & ſulphur adhæret limaturæ martis. Mixtura itaque in retortæ fundo relicta eximenda eſt, cui ſi affunditur ſufficienter ſpiritus vitrioli, mars ſolvitur, & ſulphur ab ejus amplexu divellitur.

Datur porro alia via ex antimonio ſulphur educendi, ſi nempe ipſi affunditur aqua regis, tunc cum impetuoſa effervefcentia ſolvitur ejus pars regulina, ſulphur vero ejus, quum intactum maneat, partim in fundo colligitur, partim lateribus vitri adhæreſcit, aqua elutriandum.

Reſtat inſuper alia adhuc non ſilentio prætereunda ſulphur ex antimonio parandi ratio, quod à nobis ſequentem in modum præparatum fuit. Sumſimus æquales partes olei vitrioli & antimonii crudi, ac deſtillatione cum igne arenæ in retorta peracta, vidimus prolectum ſpiritum acidum, ſed decuplo mitiorem oleo vitrioli; in retortæ autem collo ſulphur colore, ſapore, conſiſtentia & inflammabilitate vulgari exacte ſimile, ſublimatum invenimus, in recipiens etiam vas deſcendit pulvis ſulphurei rubicundi coloris. Maſſam in retorta reſiduam aqua communi elutriavimus, quæ inde ſaporem contraxit non adeo fortem acidum, & pulvis ex gryſeo albicans in igne quodammodo fixus, virtutis diaphoreticæ, relictus fuit.

Hoc loco quæſtio maxime ſolvenda incidit, ubi tantus olei vitrioli acor corroſivus manſerit? At vero non tantum cum oleo vitrioli educitur, quod ineſt antimonio, ſulphur, ſed etiam novum producitur, dum acidum vitrioli cum terra minerali phlogiſta, qua procul dubio etiam abundat antimonium, conjungitur & combinatur; quod vero ex acido vitrioli, juncto cum terra ſulphurea, ad motum igneum concipiendum aptum & verum ſulphur generari poſſit, infra pluribus oſtendemus.

Id præterea circa hoc experimentum notatu dignum eſt, periiſſe hac ratione vim illam virulentam draſticam, quæ in regulo latitat, qua non modo ſulphur ſublimatum, ſed & pulvis gryſeus, in fundo retortæ relictus, penitus caret. Ratio ſi reddenda eſt, hæc nobis occurrit. Obſervamus nempe, ipſum antimonium crudum, leniori facta in aëre aperto calcinatione & agitatione, converti poſſe in calcem gryſeam, ex qua fortiori fuſione per ignem vitrum antimonii conficitur, vehemens utique, ſi ullum aliud, venenum. Hæc calx vero ante fuſionem omnis vehementiæ expers & ſine ullo vehementis operationis metu offerri poteſt, neque mediocrem in medendo, ſi quis ea recte uti ſcit, habet utilitatem.

Hæc calx ex acido ſulphuris antimonii reguli texturam invertente conficitur utique, dum exterius ſaltem ejus poris adhæret; ſimul ac vero per fuſionem partim aufertur, partim intro vertitur, alia textura & alia etiam virtus emergit. Veri eſt igitur ſimillimum, in noſtro experimento regulinam antimonii ſubſtantiam in fundo retortæ à commixtione

tione ſulphuris antimonii in calcem innoxiam converſam fuiſſe.

Sulphur itaque, ex antimonio hoc modo extractum, quoad omnes proprietates ſulphuri minerali ſimile eſt; ſiquidem illud, cum ſale tartari ſi liquatur, tranſit in maſſam rubicundam, ex qua affuſo rectificatiſſimo ſpiritu, tinctura, quæ à tinctura ſulphuris non differt, extrahitur rubicunda. Pariter ſi hepar ſolvitur in aqua, & ſolutioni acetum inſtillatur, lac ſulphuris præcipitatur; cum argento vivo ſi miſcetur, in cinnabarim quoque ſublimatur.

Quum itaque evinci poſſit, quod ſulphur antimonii, à ſulphure vulgari, ratione indolis & virium, nullo modo differat, recte ex hiſce colligitur, cinnabarim antimonii, quæ cum magno labore & pretio etiam non mediocri præparatur, cinnabari vulgari, quæ ex depurato argento vivo & ſulphure vulgari ſtillatitio facili & compendioſo labore conficitur, non præſtantiorem ratione uſus & virium eſſe & huic optime ſubſtitui poſſe, quod etiam ipſa experientia atque attenta obſervatio multis abhinc annis mihi confirmavit. Taceo, quod cinnabaris vulgaris pulchriori colore etiam ſeſe commendet, quam cinnabaris antimonii.

## OBSERVATIO III.

### *De mirabili virtute antimonii virulenta & medica & quomodo facile una in alteram tranſmutari poſſit.*

NUllum in rerum natura mihi cognitum eſt antimonio ſimile corpus, ex quo tam vehemens venenum & tam efficax medicina parari, & medicamentum faciilimo modo in venenum & hoc rurſus in illud tranſmutari poſſit.

Ipſum antimonium crudum virtutis omnis draſticæ plane expers cernitur, tantumque abeſt, ut vel vomitum vel ſedes excitet, ut potius convenienti quantitate aſſumtum, medicinam in hominibus æque ac brutis non contemnendam præbeat.

Jam tum *Baſilius Valentinus* olim ad ſues pinguefaciendas ejus uſum commendavit, & quis neſcit, antimonium equis commodiſſime dari cum aliis ad avertenda ipſis familiaria vitia. Novi etiam non ſine ſingulari fructu atrophia laborantes & artuum doloribus vexatos antimonio crudo, cum ſaccharo mixto, uſos fuiſſe, neque ullum inde percepiſſe incommodum.

Nihilo minus quando crudum antimonium igne tantummodo funditur, vel adjecta dimidia parte nitri accenditur, protinus innoxia alias ejus virtus in venenum detorquetur. Deinde ſi antimonium vel ejus regulus cum parte una ſalis communis miſceatur, & leni igne per aliquot horas, ſpatula continuo agitando, calcinetur & poſtmodum cum aqua communi edulcoratio fiat, remanet pulvis cinericei coloris, qui non modo fixus eſt, ita ut fuſorium etiam ignem ſuſtineat, ſed & omni emetica & virulenta virtute orbatur, quæ potius in blandam & diaphoreticam convertitur.

Porro ſi pulvis reguli in phiola vitrea in crucibulo, arena repleto, circulari, ut loquuntur, igne per aliquot dies continuato tractatur, in pulverem etiam tranſit gryſeum diaphoreticum, quem ſtatim in venenum ſi quis tranſmutare velit, tantum ejuſmodi calcibus, quod etiam cum bezoardico minerali, ceruſſa antimonii, utroque medicamento antimoniali, accidit, pulverem carbonum cum nitro & pauxillo pinguedinis admiſcere & igne fundere debet, ita mox regulina ſubſtantia reſurget, ſumme virulenta.

Denique antimonium in patina figulina ſi ſub dio leni igne calcinatur, potiori ſulphuris inflammabili parte deflagrata, remanet calx, quæ difficulter liquatur, & omni virulenta facultate caret; ſimul ac vero vehementi igne funditur in vitrum, tantam virulentiam acquirit, ut ejus pauca grana, vel in ſubſtantia, vel in infuſo cum vino aſſumta, vehementes vomitus ac ſedes moveant, adeo, ut ſub paulo grandiori doſi lethales ſpaſmos & convulſiones, funeſtis id compluribus exemplis teſtantibus, excitare poſſit.

Neque obſcurum amplius eſſe chymiæ ſtudioſis poterit, quomodo regulus antimonii medicinalis valde ſalutaris medicina effici poſſit, ſi modo antimonii partes quatuor cum parte una ſalis tartari, etiam ſine adjectione ſalis communis, fundantur & in cono fuſorio ſplendidior & gravior maſſa à ſcoriis ſeparetur, quæ contuſa in pulverem rubicundum & valde ſalutarem convertitur, quam materiam latius *in diſſert. de regulo antimonii medicinali* olim deductam vide. Quodſi vero loco unius partis ſalis tartari duæ vel tres ſumuntur, & hæc invicem funduntur, loco medicinæ venenum acquirimus, quod in ſcoriis æque ac in regulo, qui hac methodo ſeparatur, offendere licet.

Si una pars nitri cum æquali portione antimonii accenditur, crocus metallorum fit, ex quo cum tartaro per ſolutionem famigeratiſſimus ille tartarus emeticus conficitur: ubi vero loco unius partis nitri tres partes cum una antimonii miſcentur & hæc in tigillo deflagrant, calx alba, quæ antimonii diaphoretici nomine venit, & tuto ad aliquot drachmas ſumi poteſt, præparatur, quæ mox veneni indolem recipit, ſi modo cum una parte nitri, carbonum pulvere & pauxillo pinguedinis adjecto, fundatur.

Denique notabile eſt, quod, ſi ad depurationem reguli antimonii, ſive ſimplicis, ſive martialis, ad quatuor uncias reguli unciæ duæ nitri ſumtæ fuerint, & inſtituta fuſione ſcoriæ prius ſeparentur, poſtea affuſa aqua communi elixivientur, pulvis remaneat, qui ad grana decem vel ultra ſumtus vomitiones inſigniter concitat. Si vero æqualis nitri & antimonii quantitas fuerit aſſumta, neque maſſa nimis diu in igne detineatur, ne regulus ſecedat, ſed omnia abeant in ſcorias, tunc pulvis, ex illis aqua elutriatus, non amplius movebit vomitus, ſed potius diaphoreticam exhibebit virtutem.

Rationem horum diverſiſſimorum phænomenorum reddere non tam difficile eſt, ſiquidem antimonium eſt minerale ſui generis, ex ſulphurea inflammabili & mercuriali terrea quadam ſubſtantia compoſitum, quarum altera ſulphurea naturæ amica & blanda eſt, mercurialis vero, quæ in regulo viſitur, inimica, à qua illa vehemens antimonii vis derivanda eſt. Nam hæc intra corpus, vel extra illud, acido tartareo ex parte ſoluta, inſtar veneni cauſtici ſubtiliori ventriculi & inteſtinorum tunicis altius ſeſe inſinuat & has partes, ſæpius etiam univerſum nervorum genus, in motus ſpaſticos convulſivos conjicit atque percellit, à qua virulentia ſulphur antimonii eſt plane alienum.

Quam diu igitur pars ſulphurea antimonii cum arſenicali ſeu regulina intime eſt mixta & conjuncta, tamdiu etiam hæc virulentiam ſuam minus exercere poteſt, quia ſulphur contextu ſuo viſcoſo & quaſi ramoſo implicat, involvit atque obtundit

tundit particulas mercuriales, eaſque defendit ab ipſis ſalibus, impediendo, ne hæc cum illis copulentur, quippe quæ alias regulum diſſolvendi potentiam habent, & cum eo juncta virulentam naturam adſciſcunt. Venena enim ex mineralibus neſciunt agere, neque adeo poſſunt nocere, niſi fuerint prius ſoluta.

Quod vero ſulphur minerale gaudeat virtute venenum corrigente, nos dubitare amplius omnino non ſinit illud experimentum, quo oſtenditur, arſenicum album, maximum venenum, cum æquali parte ſulphuris mineralis leni igne liquefactum, in maſſam verti omnis virulentiæ fere expertem. Imo ipſe regulus antimonii, ſi cum æquali portione ipſius ſulphuris mineralis funditur, ſtatim draſtica ſua virtute exuitur.

Quodcunque igitur poteſt craſin antimonii deſtruere, ſive ſulphuream ejus innoxiam partem à noxia, nempe regulina, divellere, ut hæc ſui juris fiat, id etiam antimonio venenatam virtutem tribuit. Jam facile reddi poterit ratio, cur, ſi calcinatur antimonium igne vel cum pauca portione nitri, virus exſurgat, ſiquidem igne & comburitur & etiam avolat principium ejus phlogiſton; ſale alcali vero hoc ipſum exſolvitur è nexu regulinæ partis, quia omnibus ſalibus alcalinis fixis in oleoſa & inflammabilia corpora facilis patet aditus atque ingreſſus, ita, ut facile ſe cum ipſis conjungant eaque diſſolvant.

---

## OBSERVATIO IV.

### *Medicamenta aliaque curioſa experimenta circa regulum antimonii.*

PRimo notatu dignum eſt, quod regulus antimonii, præſertim martialis, ſi operatio rite fuerit inſtituta, elegantiſſima ſæpius ſtella in ſuperficie non modo ornatus ſit, ſed & radii & ſtriæ ubique ejus lateribus adhæreant, cujus phænomeni indagatio varias & ex parte etiam ineptas peperit opiniones, utpote cum non ſemper ex voto effectus reſponderet, ad certos ſiderum poſitus, conjunctiones & influxus, vel etiam ad temperiem cœli & aëris cauſam retulerunt.

Verum enim vero ſi rem paulo attentius conſideramus, unice hujus ſignaturæ cauſam atque originem ſalibus & maxime nitroſo, quod ad confectionem vel etiam depurationem reguli adhibetur, adſcribendam eſſe comperimus. Opus vero maxime omnium eſt, ut hoc miraculum alchymicorum obtineamus, certa encheireſi, quæ in eo conſiſtit, ut non adeo diu maſſa in igne relinquatur, ſed vividior ignis adminiſtretur & celerrime effundatur, ita omni humido ex ſcoriis ſalinis diſſipato, atmoſphæra frigidior ſpicula ſalina fortiter comprimendo unit, eorumque figuram ipſi regulinæ maſſæ imprimit, & quoniam hæ ſcoriæ nitroſæ non modo altiori & ampliori reguli parti, ſed & omni ejus laterali & ſuperiori ſuperficiei inhæreſcunt, hinc variæ priſmaticæ, à circumferentia ad centrum coactæ figuræ apparent.

Secundo, ſingularis obſervationis res eſt, quod beneficio hujus reguli, qui prorſus volatilis eſt in igne naturæ, nitrum, quod flamma totum in auras diſſipatur & fere totum in acidum corroſivum convertitur, in alcali ſumme cauſticum, omnis inflammationis expers, converti poſſit, hac ſaltem adhibita encheireſi, ut æqualis nitri & reguli portio, ignito crucibulo injecta, fortiter calcinetur & igniatur: ita, quod mirabile eſt, perit volatilis & inflammabilis natura, & acidum, quod nitro ineſt, refrigerans & coagulans, in ſal, acido è diametro contrarium, alcali fixum, ſed acerrimum & igneum tranſmutatur, adeo, ut etiam calcem vivam & extreme uſtam quoad igneam naturam longiſſime ſuperet. Nam quando aliquot grana hujus maſſæ, ex regulo & nitro conſtantis, etiam frigefactæ, volæ manus immittuntur, tunc aliquot guttulis aquæ inſperſis tantus oritur ardor, ut inſtar ignis cutis aduratur, ſique hujus maſſæ particula linguæ admovetur, eam tam vehementer combuſtionis quodam ſenſu corrodit, ut ingens inde ſequatur dolor: quin imo cum hujus maſſæ pulvere fonticuli celerius, quam cum ullo alio cauſtico, excitari poſſunt.

Tertio, ſuperiori cauſticæ maſſæ, præſertim adhuc calidæ, ſi ſpiritus rectificatiſſimus vini affunditur, is intra aliquot horas, mitiori & digeſtivo calore arenæ accedente, non modo rubicundiſſimo tingitur colore, ſed & ſaporem acerrimum cauſticum contrahit.

Quarto, ſi hæc tinctura accenditur, deflagrat quidem ſpiritus vini, ſed liquor lixivioſus acerrimus remanet, qui leni evaporatione relinquit alcali, coloris ex flavo-rubicundi, cauſticum, quod totum in aqua ſolvitur, & lixivium valde acre rubeſcens præbet.

Quinto, pulvis regulinus, qui ab extractione tincturæ & ſolutione cum aqua relinquitur, omnis virulentiæ & draſticæ virtutis expers eſt, neque ἄνω vel κάτω purgat, ſed potius corpus ad diaphoreſin diſponit.

Sexto, obſervatum nobis eſt, quo plures partes nitri v. g. tres ad partem unam reguli antimonii ſumantur & calcinentur, & breviori tempore maſſa fluida in igne detineatur, uti in præparatione ceruſſæ antimonii fieri ſolet, eo minus nitrum immutari, vel acrimoniam alcalinam contrahere: cum diuturno autem & valde vehementi igne alcaliſatur.

In hoc proceſſu plura indagine & meditatione haud indigna occurrunt: primo, quod nitrum à regulo antimonii ſine ulla deflagratione, ſicuti fit in præparatione nitri fixi, ſolo igne in acerrimum lixivioſum ſal convertatur, cum tamen experimentis evinci poſſit, plus quam tres partes corroſivi acidi & unam partem terræ alcalinæ deliteſcere. Secundo utique notatu dignum eſt, ſub majori nitri doſi & ſub minus diuturno & mitiori igne nitrum fere integrum, textura ſua vix immutata, permanere.

Hoc certe experimentum, ſi ullum aliud, nos ad cognoſcendam generationem ſalis lixivioſi perducit, cujus elementum præter ſal acido ſulphureum & terram alcalinam ignea materia eſt, quæ intima unione & combinatione ſal lixivioſum progignunt, uti alio loco pluribus argumentis demonſtrabimus. Ergo etiam in hoc proceſſu adeſt in nitro ſal acido-ſulphureum, adeſt etiam in ipſo terra alcalina, ſed exigua quantitate, quæ tamen, cum regulus antimonii in calcem mediante acido nitri mutatur, copioſior fit, forti itaque ſubminiſtrato igne, materia ejusætherea rapidiſſimo ſuo motu nitri acidas partes ita invertit atque cum terra miſcet, ut alcali fiat.

Nam à particulis igneis ſive materia ætherea concitatiſſimi motus, & quæ à Carteſio primi elementi dicitur, copioſius ſali huic interjecta & inhabitante, corroſiva non modo & acerrima ejus qualitas, ſed & penetrans ab affuſa aqua calor dependet.

Mira-

Mirabile porro eſt, quod vini ſpiritus rectificatiſſimus non modo hujus ſalis cauſtici inſignem copiam abripiat, ſed & rubicundum colorem & corroſivum ſaporem acquirat; qui effectus identidem ſali huic igneo adſcribi debet. Nam ab igneis partibus, in calce viva reſidentibus, ſalia lixivioſa penetrantem & corroſivam qualitatem accipere notiſſimum eſt. Neque obſcurum, ſalia hac ratione ad ſumme penetrantem acredinem redacta, cum rectificatiſſimo ſpiritu miſceri ejuſque oleoſam partem exaltando, rubineum colorem ſpiritui vini inducere. Etenim non parvi momenti error eſt, ſi quis exiſtimat, tincturam antimonii acrem rubineum colorem à ſulphure, cujus plane expers eſt regulus, mutuari, cum nec quicquam ſulphuris ex hac tinctura per præcipitationem vel per aliud artificium obtineri poſſit; ſed color unice eſt adſcribendus ſalibus cauſticis, quæ ſpiritum vini ita exaltant & tingunt. Quod vero hæc ipſa cum oleoſa & inflammabili, quæ per ſpiritum diffuſa eſt, materia ſeſe intime conjungant & miſceant, hoc inter alia experimenta documento eſſe poteſt, quia multum phlegmatis ſpiritus, ante ab omni phlegmate liberatus, ſub digeſtione, imo deſtillatione dimittit.

Tinctura hæc antimonii fortiter alcaliſata inter remedia primæ claſſis præcipuum ſibi vindicat locum, quippe potenter humorum craſſitiem reſolvendo, & emunctoria, præſertim id, quo ſerum urinoſum evacuatur, ſtimulando, impurum ſalſum ſerum magna in copia è corpore exturbat; ut hinc in affectibus rebellibus, tumoribus hydropicis, ſuppreſſione urinæ & lue quoque venerea non ſine inſigni fructu uſurpari poſſit. Nemo vero ſibi perſuadeat, hanc efficaciam deberi antimoniali ſubſtantiæ, quæ potius ab ipſis ſalibus ſubtiliſatis & igneis repetenda eſt. Commodiſſime etiam miſcetur hæc tinctura cum ſale volatili v. g. ſalis ammoniaci, vel ſpiritu cornu cervi volatili, item liquore noſtro anodyno minerali, adjectis aliquot guttulis olei aromatici, ut eſt oleum ligni ſaſſafras, nuciſtæ, de cedro vel carvi: habemus ſic medicamentum antiſpaſmodicum præſtantiſſimæ virtutis, & quod materiam, flatuum matricem, diſcutit atque reſolvit.

Denique mentio facienda eſt egregii medicamenti, quod ex nitro & regulo præparatur hunc in modum: calcinentur duæ partes nitri cum una parte reguli antimonii ſatis forti & diuturno igne, poſtea hæc maſſa cum aqua decoquatur, donec nihil ſalis reſiduum ſit, decantetur lixivium, & pulvis albus, qui remanet, exſiccandus eſt, qui à chymicis ceruſſa antimonii vocatur. In lixivium vero infundendum eſt oleum ſive ſpiritus vitrioli generoſior, ita oritur efferveſcentia cum fumo, aquam fortem redolente, & liquor valde ſpiſſus & albus fit, poſtea pulvis albus ſubtiliſſimus in eximia admodum quantitate ſecedit in fundum, qui edulcoratus & ſiccatus, materia perlata à *Krügero*, chymico quodam, vocatur, quibuſdam magiſterium antimonii diaphoretici audit.

Creditur poſſidere majorem vim diaphoreſin movendi præ ceruſſa antimonii vel antimonio diaphoretico: id tamen in proceſſu mihi notabile occurrebat, quod uncias quinque hujus materiæ perlatæ & ex lixivio præcipitatæ ab unciis 12. reguli antimonii & libris duabus nitri acquiſiverim, quæ moles materiæ non tam ſubſtantiæ regulinæ, ſed maxima ex parte terræ, in quam nitrum per calcinationem & mixtionem cum acido vitrioli tranſiit, adſcribenda eſſe videtur. Hæc materia ſic dicta perlata non ſecus ac ceruſſa antimonii, omni caret vehementia; ſi vero cum borace, tartaro & nitro vehementi igne funditur, vitrum flavi coloris conficitur, quod infuſione facta cum vino, vomitum, mitiorem tamen, quam vulgare antimonii vitrum, concitat.

---

## OBSERVATIO V.

*Experimenta cum ſale reguli antimonii martialis cauſtico inſtituta.*

SUmſimus reguli antimonii martialis uncias decem, nitri purificati libras duas, ambo in pulverem comminuta & crucibulo candenti indita ſteterunt ſub acriori paulo igne in fuſione per dimidium horæ, poſtea maſſa valde cauſtica cum cochleari ferreo exemta, aquæ calidæ injecta fuit: ſolutione facta, lixivium leni calore inſpiſſatum ſalis albi, alcalini, cauſtici & ardentiſſimi libram unam & ſemis exhibuit.

Hujus ſalis portioni in vitro adjecimus oleum vitrioli, & vehementer efferbuit cum prodeunte vapore rubicundo, qui tetrum aquæ fortis odorem exhibebat; adjecta aqua pulvis nivei coloris in fundum ſecedebat, qui materiam illam jam dictam perlatam largitur; liquor ſupernatans ſalſus & ad punctum ſaturationis redactus, præbuit nobis, leni præcedente evaporatione & cryſtalliſatione, ſal duplicato ſic dicto arcano ſimile.

Hoc experimentum nos clare docet, acidum nitri, quod in ſe eſt ſumme volatile, integra & ſalva ſua textura, quod mirabile videtur, ſub alcali fixo deliteſcere poſſe, ita ut vehementiſſimo igne non extorqueri poſſit. Nam quemadmodum in aceto forti vini ſpiritus inflammabilis ſub jugo quaſi partium acido-tartarearum prædominantium coërceri poteſt; ita nitri acidum ſulphureum ſub alcali fixo terreo occultari poſſe, commemoratum experimentum luculenter oſtendit.

Deinde portionem ſalis cauſtici antimonialis injecimus crucibulo candenti, eique fuſo dimidia pars pulveris carbonum addita fuit, ſed longe alia phænomena, ac ſi ſali tartari admiſceatur carbonum pulvis, in conſpectum veniebant. Nam ſicuti ab hoc maſſa rubicunda, alcalina & ſulphurea, inſtar hepatis ſulphuris, effunditur; ita à noſtro ſale cauſtico maſſa ſolida, ſed candida, ſine ullius ſulphuris veſtigio emerſit: ſecuta etiam eſt ab injectis carbonibus inflammatio, quod minus accidit cum ſale tartari. Huic poſtea maſſæ adjecimus oleum vitrioli, inde quidem oborta eſt efferveſcentia, ſed non odor aquæ fortis, uti ante mixtionem cum pulvere carbonum, neque etiam tam acri cauſtico ſapore prædita erat. Quæ omnia ſatis aperte indicare videntur, acidum nitri, ſub hoc ſale alcali adhuc deliteſcens, cauſtici ſaporis & odoris tetri, qualem aqua fortis ſpargit, cauſam eſſe, quippe quo per pulverem carbonum expulſo, hæc omnia ceſſant.

Denique mixtum à nobis eſt ſal cauſticum eodem pondere cum antimonio crudo in crucibulo; unde maſſa provenit flava, ſolida, odoris ſulphurei, cui globuli regulini hinc inde erant interſperſi.

Idem ſal cauſticum, cum antimonio crudo in mortario bene trituratum, aqua pauca adjecta, protinus aggrediebatur ſulphur antimonii, maſſæ autem ſiccatæ flaveſcenti, quæ ſulphuris odorem ſpira-

ſpirabat, infudimus ſpiritum vini rectificatiſſimum, ita ex tempore tincturam ſulphuris antimonii obtinuimus.

Tandem ſumſi æqualem portionem recentis reguli antimonii & hujus cauſtici ſalis, ac fuſione per ignem maſſa prodibat albicans ſolida, ubi effuſione in conum dimidia reguli pars petiit fundum, ſcoriæ vero ſupernatantes multum ſaporis cauſtici amiſerant.

Ultimo loco illud non ſilentio oportet prætermittere, quod ſpiritus vini ſubtiliſſime alcaliſatus haberi poſſit, ſi hic ipſe ab omni phlegmate privatus ſali cauſtico affundatur, hujus ſumendo unam & tres partes ſpiritus, & deſtillatio adornetur per alembicum, ita exſtillat ſpiritus & ſapore & odore fragrantiſſimus, quod ad promtius diſſolvenda reſinoſa corpora, ſuccinum etiam & ambram, non dari excellentius menſtruum, ego contentius affirmaverim; utpote ſub deſtillatione ſpiritus tenuiſſima ſalinæ & igneæ naturæ corpuſcula ſecum evehit, quibus armatus tantam ſolvendi vim acquirit.

Huic ſpiritui quando vitrum, aqua forti vel aqua regis plenum, admovetur, non ſecus ac ſi ſpiritus urinæ applicatus fuerit, fumus exſurgit, non levi argumento, ſal alcali fixum per deſtillationem hanc volatilem naturam induiſſe. Et quia ſal cauſticum multum adhuc phlegmatis à ſpiritu vini, rectificatiſſimo etiam, qui pulverem pyrium accendit, ſeparat atque imbibit, ſpiritum prolectum priori longe ſubtiliorem & ad varios uſus aptiorem eſſe clare jam intelligitur.

## OBSERVATIO VI.

### *De Medicamentis ex Antimonio ſelectioribus.*

EX mineralium penu ac promtuario nullum datur, quod tam magnificis laudibus in medicina extollitur, quod chymicorum laboribus ita exercetur, & ex quo tanta remediorum copia educitur, quam antimonium. Vulgaris enim eſt opinio, prima metallorum, ex quo coaleſcunt, principia, ſal, ſulphur & mercurium, quæ alias à metallis ægerrime ſeparantur, ibi nuda & explicita reperiri. Mercurium, ex regulo eductum, mercurium metallorum & ſulphur ejus ſulphur auri appellare non erubeſcunt. Acetum, ſive potius ſpiritum acidum antimonii, pro metallorum genuino menſtruo univerſali plures habent. Sed uti pleraque, quæ veteres chymici, vera chymia experimentali & rerum naturalium ſcientia deſtituti, in libris ſuis ſtatuerunt, ſunt ſuavia inſomnia; ita etiam ea, quæ jam diximus, hiſce annumeranda eſſe quis dubitet?

Nam quod attinet ad medicamenta, quæ arte chymica varia & numero plura ex ſtibio eliciuntur, ea partim vulgaria eſſe, partim ſpem medentum & expectationem promiſſarum virium inflare non minus, quam fallere, certa experientia confirmatum habemus.

Quid enim tincturæ antimonii, tam ſollicite & operoſe ex hoc extractæ, aliud ſunt, quam tincturæ ſulphuris vulgaris, facili negotio cum ſalibus ex illo parandæ? Neque balſamum, quod cum ſale, ex ſcoriis reguli ſimplicis educto, & oleis deſtillatis paratur, ratione virtutis quicquam prærogativæ præ balſamo ſulphuris vulgari, ſi ex ejus hepate præparatio adornatur, poſſidet.

Neque in cinnabari antimonii, etiam crebriori ſublimatione rectificata, præſtantior ullus effectus, quam in cinnabari vulgari, offenditur. Bezoardicum ſic dictum minerale, tanto labore & pretio ex butyro antimonii confectum, item ceruſſa antimonii ejuſque materia perlata, antimonium quoque diaphoreticum, calces fere effœtæ ſunt, & profecto parum, niſi ratione terræ alcalinæ, ex calcinatione nitri enaſcentis, præſtant, neque aliquid ſingulare, ſi crebrius ſola nec cum aliis mixta in uſum vocantur, efficiunt.

Neque rationis fulcro hæc ſententia deſtituitur, ſiquidem mineralia & metalla æque, ac ſalia, non agunt in corpus, niſi fuerint ſoluta; hæ calces vero nec facile ulli menſtruo extra corpus obſecundant, nec intra corpus liquorem ſolventem offendunt, unde quid ſtatuendum jam ſit de earum virtute, ex facili judicare licet.

Hæc vero medicamenta, quæ regulinæ adhuc integræ proſapiæ ſunt, & quæ ab acido ſubtiliori ſolvuntur, validiſſime ſpaſmos & convulſiones nervoſarum partium atque vomitus & ſedes cum torminibus excitando, operantur, ut videmus in vitro antimonii, croco metallorum, mercurio vitæ, pulvere ſcoriarum reguli, qui pulvis Monckii appellatur, item ſulphure antimonii aurato, cujus vis regulinæ in eo contentæ portioni debetur.

Jure itaque meritoque quæſtio incidit medica: quænam ſint ex antimonio ſelectiora & ſingularis efficaciæ, quibus aliquid in medendo præſtari poſſit, medicamentorum genera?

Nos jam hic ingenue & libere profitemur, horum efficaciam in arctiori connubio ſulphurearum & mercurialium partium unice quærendam & expectandam eſſe. Eſt utique in antimonio, & quidem ejus mercuriali ſubſtantia, validiſſima agendi vis, ſed hæc per ejus conjunctionem cum ſulphure cicurari & manſuetior reddi debet. Ineſt enim ſulphuri minerali eximia & pene ſingularis virtus draſticam & virulentam mineralium vim caſtrandi ac temperandi: ita videmus, mercurium omnem præcipitatum, vehementis qui eſt operationis, in pauca etiam doſi, ſola junctione vel etiam ſublimatione cum ſulphure vulgari caſtrari, ut tuto ad ſcrupulum aſſumi poſſit. Summum venenum, arſenicum, cum ſulphure in vaſe clauſo fuſum, ita enervatur, ut ad drachmam unam à canibus ſine ulla noxa devorari queat.

Jam in aprico poſita eſt ratio, quare, confirmante experientia, antimonium crudum, in pulvere vel etiam decocto adhibitum, plus virtutis & efficaciæ, quam ullum aliud ex eo medicamentum oſtendat, & quam inepte chymici illi agant, qui partem antimonii regulinam variis artificiis à ſulphure ſeparare ſtudent.

Antimonialia igitur medicamenta ſine dubio aliis præſtant, in quibus ſulphurea & mercurialis ſubſtantia intime adhuc juncta & unita, nec diſſociata eſt. Ac tale quid in regulo antimonii medicinali, à Leydenſi Chymico, Marggraffio, invento, cujus virtus potius laudanda, quam contemnenda eſt, & deprehendere licet. Ejus præparandi modus ita ſe habet: ſumuntur quinque partes antimonii, quatuor partes ſalis communis & una pars ſalis tartari, hæc in crucibulo invicem mixta liqueſcant, poſtea maſſa in conum fuſorium infundenda eſt, pars inferior & ſolidior, quæ politi chalybis ſpeciem oſtendit, à ſcoriis ſeparanda eſt: quæ maſſa in pulverem tenuiſſimum ſi conteritur, colorem obſcure rubicundum acquirit. Hic pulvis citra vomitum vel vehementem operationem agit, & blande glanduloſos ductus & fibras motrices ac nerveas ſtimulando, lympham maxime ſtagnantem, à qua ſæpius rebelles & ab impuritate oriundæ affectiones naſcuntur, in ordinem & circulum redigit.

digit, & emunctoria, inque iis præcipuum & quaſi univerſale, cutim, aperiendo ſalutaris excretionis negotium promovet atque ſecundat.

Peculiares hujus medicamenti virtutes ſali communi, quod in præparatione adjicitur, vulgo adſcribi ſolet, ſed ego jam ante plures annos publice & ſatis expoſite demonſtravi, id medicamentum etiam ſine ſale communi, quod nil niſi expeditiorem fuſionem efficit, præparari poſſe, ejuſque virtutem tantummodo refractæ ſalis tartari portioni deberi, quia hoc ſulphur antimonii quodammodo extrahitur & extra vertitur, non vero à regulina ſubſtantia ſejungitur, ut qui lem fieri ſolet, ſi ſal tartari vel aliud alcali æquali vel dimidia parte cum antimonio adhibetur; ita enim ſtatim ex bono medicamento evadere poteſt peſſimum venenum.

Verum enim vero objicere hic quiſpiam poſſet, in ſulphure aurato, quod ex lixivio ſcoriarum præcipitatur, portionem ſtibii ſulphuream cum ejus regulina invicem unitam & mixtam eſſe; nihilo minus medicamentum hoc eſſe valde draſticæ indolis?

Quibus reſpondendum eſſe ducimus: eſſe quidem utramque antimonii ſubſtantiam in ſulphure aurato intima commiſſura junctam, ſed quoniam acidum, nempe acetum, ad præcipitationem uſurpatum fuit, inde accidit, ut acidum cum alcali congrediens, atque adeo in tartari ſimilitudinem transformatum, paulo altius ſeſe inſinuaverit mercurialibus ſive regulinis ſtibii corpuſculis, ut ægerrime inde divelli poſſit. Arctiſſimus enim ſalium in magiſteriis & præcipitatis nexus eſt, quod videmus in auro fulminante, calce lunari per ſpiritum ſalis facta, ita ut aquæ affuſio ægerrime ea edulcoret: quare etiam à reſiduis ſalinis intra eorum poros particulis ipſorum medicinalis efficacia promanat.

Quamobrem ſi velimus in ſolutione antimonii, per ſalia alcalina facta, vehementem & draſticam vim infringere, opus eſt, ut præcipitatio vel ſine acido inſtituatur, vel cum tali, quod arſenicalem antimonii partem enervat. Inductus hac ratione *Glauberus* loco aceti vini ad præcipitationem uſus eſt temperatiori acido, nempe ſolutione tartari crudi, & ita obtinuit ſulphur paulo mitius ſulphure vulgari aurato, cujus virtutes mirifice in ſuis operibus extollit, & panaceam vocat, quo etiam in praxi ſua feliciter uſi ſunt *Conerdingii*, & proſtat in officinis Brunſuicenſibus pulvis, cui titulus panacea Conerdingiana, quæ nil niſi ſulphur eſt antimonii, methodo Glauberi paratum; hoc minori & refracta doſi uſurpatum & mixtum cum pulveribus terreis, alcalinis, bezoardicis, ſudorem ſubinde movet ſatis potenter, & ſine ulla vehementia operatur.

Nos in *notis ad Poterium* alios modos docuimus corrigendi & perficiendi hoc ſulphur, maxime per liquores varii generis præcipitantes, dum loco aceti ſumſimus ſolutionem limaturæ martis cum ſpiritu nitri, vel etiam ſolutionem auri cum aqua regis factam, & hac ratione quidem non purum ſulphur, ſed particulis vel martialibus vel ſolaribus imbutum acquiſivimus, effectus tamen longe nobilioris, quia hæc metalla quoque, naturæ non inimica, peculiari virtute pollent virus mineralium corrigendi & caſtigandi.

Alius ſupereſt modus ex lixivio antimoniali ſulphur ſine additione ullius acidi in fundum dejiciendi, idque fit hac ratione: ſumi debet antimonium crudum, ſeu melius regulus antimonii ſic dictus medicinalis, ipſique adjungi æqualis portio ſalis tartari vel nitri fixi fortiter calcinati, quæ mixtura per aliquot horas coquatur ex aqua communi ſubtiliori, nempe pluviali, poſtea decantatæ ſolutioni affundenda eſt aqua calcis vivæ probe ſaturata, quæ etiam non ſecus, ac acidum quoddam, ſulphuream ſubſtantiam ex vinculis antimonii extricat, eam dimittit in fundum, ſimulque terreum ex calce viva principium, dum ſeſe unit cum ea, vim quandam corrigentem draſticam ſulphuris efficaciam communicat.

Hoc ſulphur longe eſſe præferendum panaceæ Glauberianæ exiſtimo; vix enim vomitum, niſi ſub majori doſi, ciere ſolet.

Reliquus eſt adhuc alius modus, ſine ulla additione cujuſdam liquidi, ex lixivioſo menſtruo ſulphur antimoniale ſolutum dejiciendi, iſque jam in Gallia celebratiſſimus & ita ſe habet: ſumi debet antimonii crudi, in pulverem probe attenuati libra una & unciæ quatuor alkaheſt Glauberi, qui ex nitro fixo in aëre deliqueſcente componitur, addendæ ſunt duæ libræ medicæ aquæ communis. Hæc omnia duarum horarum ſpatio in vaſe argillaceo bene decoquantur, poſtea duæ tertiæ limpidæ & liquidæ ſolutionis cochleari ligneo effundendæ ſunt, quarta parte relicta, cui de novo tres unciæ liquoris alkaheſt adjiciendæ, denuo inſtituta coctione, poſtea rurſus duæ tertiæ effundendæ, denique unciæ duæ liquoris alkaheſt cum libra una aquæ affundi debent, coctione iterata, & poſtea ſeparetur limpidus liquor. Hæ ſolutiones in vaſe amplioris orificii paulo diutius in aëre detinendæ ſunt aperto, ita paulatim pulvis rubri coloris decidit in fundum, qui aqua pluviali probe elutriandus, ac ſpiritu vini rectificatiſſimo ſuperaffuſo & accenſo depurandus eſt.

Hæc medicina maximam in Gallia jam habet celebritatem, interque arcana nomen tuetur præcipuum, neque dubium eſt, quin in morbis à ſanguinis impuritate & dyſcraſia ortis, obſtructa emunctoria reſerando, atque humores ſtagnantes reſolvendo, egregie ſubveniat. Nam ſi ulla medicamenta excretoriis aperiendis & evacuationibus, quæ ex naturæ ſolemni inſtituto celebrantur, promovendis accommodata ſunt, certe ſunt ea, quæ ex regno minerali petuntur, ſulphureæ indolis. Doſis non ultra grana tria vel quatuor extenditur, & datur commodiſſime cum aqueo vehiculo calido, tempore matutino, ut eo melius transſpiratio ſuccedat. Scire autem juvat, hoc ſulphur amicam copulam inire cum cinnabari antimoniali, item cum ſolaribus, auro fulminante, & auri croco purpureo. Nam hæc ſingula ejus virtutem magis nobilitant atque exaltant, tantum abeſt, ut minuant atque extenuent.

Poteſt etiam ex ipſo regulo antimonii medicinali, beneficio lixivii ex calce viva & ſale tartari parati, per coctionem eximiæ virtutis magiſque ſufficienti copia ſeparari ſulphur, quod etiam ſine quadam adjecta alia re ſua ſponte ſe præceps dat probe prius elutriandum, cujus virtutes *in notis ad Poterium* jam olim expoſuimus.

Dubitare hoc loco quiſpiam poſſet, beneficio lixiviorum per coctionem tantummodo ſulphureum principium antimonii extrahi, relicta ſubſtantia mercuriali, adeoque non tam eximiam ſecundum noſtram ſententiam in hiſce remediis efficaciam contineri. Verum, quod non tantum ſulphurea, ſed & regulina pars antimonii in forte lixivium cedat, hujus rei id clariſſimo poteſt eſſe documento, quia tam ex regulo antimonii medicinali, quam pulvere rubicundo, ex lixivio antimonii vel ex calce viva vel ſua ſponte dejecto, additione carbonum & nitri beneficio fuſionis regulus ſatis copioſus

pioſus adhuc haberi poſſit. Commendamus itaque majorem in modum & de meliori omnibus ac ſingulis, qui efficaciſſima remedia expetunt & deſiderant, frequentem & cum prudentia conjunctum horum antimonialium uſum. Multiplici ſumus experientia edocti, ejuſmodi ſulphure antimonii bene præparato & correcto contumaces & chronicas paſſiones, præſertim, quæ ex ſtagnatione & corruptione lymphæ proveniunt, glandularum etiam rebelles tumores, ulcera antiqua aliaſque fœdas impuritates cutis, pertinacem quoque epiphoram, interpoſito ſimul decocti diluentis & ſanguinem depurantis uſu, dexterrimo cum ſucceſſu fuiſſe ſublata. Inſuper etiam convulſivum aſthma, hemicraniam quoque & pertinaces intermittentes, ſcabiem inſtar lepræ malignam, & prava ex lue venerea incommoda, hiſce antimonialibus convenienti doſi exhibitis, profligata fuiſſe reminiſcimur.

## OBSERVATIO VII.

### *Experimenta quædam circa vitriolum ejuſque oleum.*

Vitrioli minera in nulla regione tam copioſe & redundanter intra ſubterranea viſcera recondita eſt, quam in monte illo metallico, ab antiquiſſimis jam jam temporibus cognito, vulgo *Rammelsberg*, non procul à Goslariæ urbe ſito. Ex hac minera coquitur & præparatur ibi vitriolum in tanta copia, ut ſingulis ſeptimanis 82. centenarii conficiantur. Germanice hæc minera vocatur *Kupffer-Rauch*, & hanc pro vero Miſy veterum induſtrius ille mineralium diſquiſitor *Valerius Cordus* habet, *vid. ejus libr. de Foſſil. cap. 2. pag. 81.* ubi hunc in modum ſcribit: *Verum Miſy in maxima copia inveni Goslariæ, cum in metallicas fodinas ibidem deſcendiſſem, omnino in facie colore, ſubſtantia & facultate, quibus à Dioſcoride, Galeno & Plinio deſcribitur, cujus magnam quantitatem mecum Witebergam attuli, ſperans fore poſſe, ut rurſus in uſum recipiatur.*

Conficitur vero vitriolum ex hac minera Goslariæ ſequenti modo, quem inſinuare hoc loco non alienum, ſed commodum nobis viſum eſt. Dicta ſcilicet minera uncis ferreis diſcerpitur & rudiores ejus partes malleo contunduntur, ac tota maſſa in vas peculiariter huic præparationi deſtinatum infunditur, addita ſufficienti quantitate aquæ calidæ, ac poſtea à ſervis operariis aliquoties per diem uncis ferreis agitatur, alteroque die lixivium in aliud vas transfuſum depuratur. Illud quod à depuratione remanet, ſi minera nondum ex toto colliquata fuerit, iterum iterumque eluitur, quod poſtea altero die identidem vaſe quodam depuratorio excipitur; atque hoc lixivium artifices vocare ſolent *die Kern-Lauge*. Peracta depuratione lixivium infunditur in vannum plumbeum, & per 24. 27. vel etiam 30. horas coquitur, novo ſubinde ſuperaffuſo lixivio. Finita propemodum coctione tenuis lixivii portio effunditur in receptaculum ligneum, ubi quædam vitrioli cryſtalli coëunt, quod ſufficientem lixivii coctionem indicat. Deinde lixivium refrigeratur, inque dolia lignea, quæ vocant *die Setz-Fäſſer*, infunditur cum ſuperpoſitis lignis quaqua verſum perforatis, per quæ foramina tam profunde trajiciuntur tubuli arundinei, ut propemodum fundum dolii attingant. Hiſce tubulis arundineis, intra quatuordecim dierum ſpatium, ſenſim paulatimque ſeſe apponit vitriolum in ſpeciem ſacchari candi, quod inde detricatum & exſiccatum in doliis aſſervatur, *und dieſes vvird rein Guth genennet.*

Omne vitriolum ab acido, quod proſapiæ eſt ſulphureæ, in terra martiali vel venerea aut utraque ſimul coagulato conflari, res extra omnem dubitationem poſita eſt, quandoquidem cum ſpiritu vitrioli acido-martiali virideſcentis coloris, cum cupro cæruleum, cum ferro & cupro ex viridi cæruleum lege artis præparari, & ex vitriolo extremo igne aduſto, ſive capite mortuo, maxime cum vitro grandiori cauſtico, hæc ipſa metalla facili negotio reduci poſſunt. Id vero jam maxime video venire in quæſtionem, an vitriolum, cujus acidum, ejuſdem proſapiæ atque ingenii eſt cum acido ſulphuris mineralis, per ſe ſubſiſtat & purum in ſubterraneis locis reperiatur, an vero ex ſulphure minerali demum aëris miniſterio producatur ac generetur?

Poſteriori ſententiæ favere videntur ea,

1. Quod cuprum vel ferrum, cum ſulphure per fuſionem coalitum, per leniorem calcinationem in libero aëre, facile in vitriolum faceſſat, diſſipata nempe vel disjuncta ſic unctuoſa illa & phlogiſta parte, relicta acida, quæ metallum diſſolvens degenerat cum eo in ſal vitriolicum.

2. Quia mineræ illæ ſulphureæ martiales, quæ in nonnullis locis, præſertim in Haſſia, copioſe etiam intra argillam, figura ovorum, reperiuntur, & mineræ martis ſolaris nomine chymicis veniunt, aëri paulo diutius commiſſæ, in puram vitrioli mineram fatiſcunt, quod poſtea facili methodo per ſolutionem & coctionem cum aqua ſeparari poteſt, quum tamen, antequam aëri liberiori exponantur, per deſtillationem purum ſulphur minerale, nec quicquam ſpiritus vitrioli acidi, largiantur.

3. Vitriolum, quod in Anglia conficitur, omne eſt pure martiale, & non niſi ex ejuſmodi mineris ferreo-ſulphureis, quarum magna ibi eſt abundantia, hunc in modum præparatur: Congerunt in acervos vitrioli mineram, & ſuper arenam vel argillam, ex qua foſſæ ſunt formatæ, ſub dio per ſex menſes reponunt, ſubindeque vertunt: deinde per aliquot dies macerant in aqua, quam claram effundunt, ubi excrementa ſubſidere ſinunt. Poſtea coquunt in plumbeis lebetibus, quibus ferrum immiſſum fuit, tandemque ligneis lamellis ſuperpoſitis exſiccant.

Igitur nonnulli dubitant, an in terræ viſceribus, recenter jam apertis, ſine diuturno aëris vel humiditatis acceſſu libero, prognatum vitriolum verum reperiatur, & an non potius illud, quod ut minera, vel etiam nonnunquam ut purum vitriolum eximiæ craſſitiei & longitudinis in parietibus minerarum ſulphureo-ferrearum & venerearum in profundo & vetuſtiſſimo illo, per varios cuniculos excavato monte Goslarienſi, *Rammelsberg*, invenitur, ex mineris ibi latitantibus ſulphureo-cupreis & martialibus, beneficio aëris & humiditatis tranſeuntis, demum prognatum & productum fuerit, quod etiam veri eſt ſimillimum.

Quod vero magna ſit acidi, quod in vitriolo & ſulphure eſt, ratione virium, convenientia, id infra pluribus argumentis corroborabimus.

Utcunque vero omne vitriolum ex acido ſulphureo & metallo ſulphureo, marte ut plurimum, ſit conflatum; non tamen eandem ſingula, ſed quædam propriam naturam atque energiam poſſident. Sic utrumque vitriolum, tam Goslarienſe, quam Salisburgenſe, martiale & venereum eſt, & ſapore ambo

ambo conveniunt, ſed tamen Salisburgenſe ad uſum tinctorium Goslarienſi longiſſime præfertur, & inde etiam caro venditur pretio; nam ejus centenarius 24. imperialibus, Goslarienſe vero tribus conſtat. Deinde quoque inſignem vitriolorum differentiam deprehendimus, ubi prius leniſſime ſi fuerint calcinata, eorum certa quantitas in aperto vaſe libero aëri per menſes aliquot exponitur, tum jucundo ſpectaculo inſignem varietatem in colore, neque minus in ponderis incremento comperiemus: id quod etiam videre licet, ſi eorum ſolutiones in vitro aperto fornaci calidæ paulo diutius imponuntur.

Vitriolum pure martiale medicamentis conficiendis melius inſervit, quam id, quod particeps eſt veneris, idque facile cognoſcitur, modo pauliſper humefactum vitriolum vaſi ferreo affricetur, ità mox macula cuprei coloris in conſpectum venit.

Antequam venereum in uſum medicum ducatur, & ex eo præparentur medicamenta, expedit pro tutiori uſu illud ſolvere in aqua, & cum lamellis ferreis injectis probe decoquere, quibus magnetice quaſi, quicquid eſt cuprei, adhæreſcit.

Oleum vitrioli fortiſſimo igne ſequentem in modum paratur: centenarius vitrioli, qui tribus imperialibus venditur, retortæ inditur fictili, in furno huic ſcopo accommodato, per tres dies & noctes ignis ſubjicitur acerrimus, ita viginti libras phlegmatis & decem libras olei accipimus. Caput mortuum poſtea cum æquali parte nitri mixtum, de novo deſtillatur per retortam terream, & tum ex libris duodecim maſſæ ſex libræ aquæ fortis proliciuntur. Ex hoc vero capite mortuo, per calcinationes prius probe à cupro depurato, famigeratiſſimum illud arcanum duplicatum ſub eleganti cryſtallorum figura parari poteſt.

Præterea ſcire licet, majorem adhuc quantitatem olei vitrioli, igne diutius continuato, quod per ſeptimanam fieri poteſt, extorqueri poſſe, ſed ita caput mortuum iners fere redditum aquæ forti præparandæ minus inſervit.

In rectificatione olei vitrioli per arenam, ut ignis gradus probe obſerventur, opus eſt: difficillime & non niſi fortiſſimo igne ſequeſtratur phlegma, quo ſubtracto celerius ſub parvis guttulis oleum exſtillat limpidiſſimum.

Oleum vitrioli leniter & ſuperficiali ſaltem contactu cuti manus inunctum, ingenti cum roſione & igneo ardore adfert dolorem; quando vero ſub majori portione & paulo preſſius applicatur, nullus fere dolor vel eroſio percipitur. Rationem hanc ſubeſſe judico: Oleum vitrioli acerrimum in fibrillas cutaneas nihil agere & efficere poteſt, niſi humido prius fuerint ejus corpuſcula ſoluta & ſejuncta, quod ſubtiliori fit illitu, ubi aër humidum ſuum facile ipſi inſinuat; ſub denſitate vero non tam cito ſolutum ſal ad cutim pertingere poteſt; oleum enim vitrioli acidiſſimum humiditatem mirifice imbibit. Nuper olei vitrioli unciam unam & ſcrupulos duos aëri aperto in patina vitrea expoſuimus, quo facto intra quatuordecim dies uncias duas pondere æquabat.

Spiritu vitrioli non aurum, optime vero argentum præcipitari poteſt, ſolutio autem vitrioli & auro & argento præcipitationem inducit. Martialis terra ex ſoluto vitriolo cum pulvere cretæ promte dimittitur, flaveſcente materia partim in ſuperficie, partim in fundo vaſis hærente: mixtura vero inde aluminoſum ſaporem linguæ imprimit.

Acidum vitrioli, cum vegetabili alcali concretum, in igne fluere recuſat, licet alcali ſua indole abſolute ſit fuſile, cum alcali vero ſalis communis, ut videmus in Sale Glauberiano, facillime funditur, quo alcali, quod ineſt ſali communi, ab alcali vegetabili non parum adhuc differre intelligitur.

Notatu perquam dignum eſt, quod oleum vitrioli omnis generis ſalia acida, ſive ſint ex vegetabilium, ſive mineralium claſſe, ſi fuerint cum ſale alcali in ſtatum neutrum redacta, debita mixtione & deſtillatione poſſit reſuſcitare, uti videmus in ſpiritu ſalis, aqua forti, aceto deſtillato & ſpiritu ſacchari Saturni. Ipſum vero in ſale alcali coagulatum, nullo alio ſale in priſtinum ſtatum reduci poteſt. Ex quo diſcimus, nullum ſal eſſe fortius & penetrantius, & quod ſeſe intime & arctiſſime uniat cum particulis ſalis alcalini, quam acidum vitrioli.

Ut ut oleum vitrioli certa encheireſi omnia poſſit ſolvere metalla, tamen nullum promtius, quam ferrum, deinde cuprum aggreditur, & quia cuprum longe facilius ſolvit, quam ipſum argentum; hinc moneta, quæ ex cupro & argento eſt conflata, pure argentea reddi poteſt, ſi oleum vitrioli affunditur, quod admoto calore incaleſcit & antea limpidum, obſcure nigrum & inſtar picis evadit, eminentis venerei ſaporis: quando moneta aqua eluitur, argenteum ſplendorem habet.

---

## OBSERVATIO VIII.

*De alumine ejuſque geneſi ac natura.*

Quemadmodum vitriolum ex minera ſulphurea pura ſive compoſita, martiali nempe & venerea, naſcitur; ita alumen, quod quaſi vitrioli albi ſpecies eſt, etiam ex minera ſulphurea, partim bituminoſa, partim lutoſa progignitur. Acidum itaque, quod ex alumine educitur, ejuſdem indolis atque proprietatis eſſe videtur cum eo, quod vitriolum elargitur, differente ſaltem terra ſive hoſpitio, in quo utrumque hoc ſal acidum eſt coagulatum. Nam vitrioli caput mortuum metallicæ, martialis nempe & venereæ, indolis eſt: aluminis vero terra valde ſpongioſa, ſubtilis, bolaris ſui generis videtur.

Inſignem vero acidi aluminoſi & vitriolici convenientiam inter alia, quæ ſequuntur, experimenta luculenter commonſtrant.

Primo cum ſpiritu aluminis & marte, non ſecus ac cum ſpiritu vitrioli, conficitur vitriolum martis, deinde cum alumine identidem ac cum vitriolo ex nitro aqua fortis præparatur. Tum acidum aluminis ſi cum ſale alcali in ſal neutrum convertitur, idque cum pauxillo ſalis tartari & pulvere carbonum in crucibulo fluit, maſſa, inſtar hepatis ſulphuris, rubicunda, & quæ verum ſulphur minerale continet, emergit, non aliter ac fieri ſolet, quando acidum vitrioli vel ſulphuris cum ſale tartari vel ſale alcali, quod eſt in nitro, vel in ſale culinari, figitur atque in ſal neutrum mutatur.

Ut cunque vero vitriolum & alumen ex una quaſi materia & matrice ſulphurea proveniant: tamen quodvis horum ſalium peculiari ſua indole atque virtute dotatum eſt. Nam aluminis & vitrioli ſapor valde differens eſt, utpote in vitriolo vulgari non tam adſtringens ſapor, quam in alumine obſervatur. Deinde aluminis ſolutio nec aurum, nec argentum ſolutum turbat vel præcipitat, quod tamen cum ſolutione vitrioli contingit. Neque decoctum gallarum aut florum balauſtiorum ad

ad miſcelam ſolutionis aluminis nigreſcit inque atramentum vertitur, ſicuti cum ſoluto vitriolo fieri animadvertimus. Denique ab alumine ſubito per ignem acidum à principio ſuo terreo, cui inhæret, ſeparari poteſt, uti videmus in alumine, quod non ita evenit cum vitriolo.

Porro in alumine ejus acidum valde eſt in terra ſua ſaturatum: nam uncia una & dimidia aluminis vehementer calcinati, drachmas ſex aluminoſæ terræ, prorſus inſipidæ, elargitur: minor vero acidi in alumine præ vitriolo portio vel hoc experimento cognoſci poteſt, quo nempe acidum vitrioli cum ſolutione cinerum clavellatorum ſaturatum, longe majorem ſalis enixi quantitatem profert, ac ſi ſolutio aluminis cum eodem lixivio ſaturata fuerit.

Præterea ſal hoc modo ex alumine paratum felicius alvum ſolvit ac purgat, quam illud ex vitriolo ſecundum methodum Tackenii confectum. Et memoratu non indignum phænomenon mihi non ita pridem occurrit, cum id ſal tractarem & comminuerem in mortario, tunc copioſiſſimas ſcintillulas ſpargebat, quas nunquam in ullo alio ſale vidi.

Non prætereundum hoc loco eſt elegantiſſimum Hombergii experimentum, qui cum tribus partibus aluminis & parte una rei cujuſque combuſtibilis & quæ in carbones vertitur, prævia calcinatione, deſtillatione & ignitione in vaſe clauſo, pyrophorum, ſive materiam ſulphuream, quæ acceſſu aëris liberi ſtatim inflammatur, præparavit, qualis tamen materia ſulphurea inflammabilis neque cum acido vitrioli, neque cum ſpiritu ſalis aut nitri produci poteſt, ut adeo ex hiſce pateat, acidum aluminis ſubtilius faciliorem in terram phlogiſtam habere ingreſſum, quam ipſum acidum vitrioli.

Quo magis vero alumen notum eſt fere omnibus, eo minus ejus minera & præparatio rerum naturæ contemplatoribus perſpecta eſt. Quamobrem operæ pretium duco, modum hoc loco proponere, quo aliquot mille centenarii in pago Schwenzel prope urbem Tieben, quæ quinque milliaribus Hala diſtat, ex immani ibi exiſtente minera conficiuntur.

Prope hunc pagum immenſæ latitudinis ſtrata terræ bituminoſæ, quæ hujus ſalis matrix eſt, duarum vel trium ulnarum profunditate reperiuntur, ubi terra eruitur, quæ nigricantis eſt coloris & saporis adſtringentis aluminoſi. Hæc minera ſi in ignem injicitur, non tantum accenditur, ſed & fortem ac fœtidum, inſtar ſulphuris mineralis accenſi, odorem de ſe ſpargit. Ab accenſione maſſa ſpongioſa, cinericei coloris, & ſaporis expers relinquitur.

Minera recens in ingentes congeritur cumulos, qui libero aëri per menſem exponuntur, poſtea hæc immittitur in dolia, & aqua affuſa ſal per aliquot dies extrahitur, tum lixivium per canales in lebetes plumbeos laboratorii ducitur ac derivatur, & coctio inſtituitur. Poſtea cum jam ad dimidiam partem inſpiſſatum fuit, ſolutio cinerum clavellatorum admiſcetur; ita mox vehemens cum ſpumeſcentia oritur ebullitio, & pulvis granulatim copioſus in fundum ſecedit. Poſtquam omnia refrigerata fuerunt, liquor ſupernatans flaveſcens removetur, & farina alba aluminoſa in fundum dejecta ſolvitur in aqua, ac denuo coquitur, & aqua probe ſale ſaturata in magna dolia infunditur, quæ occluſa per aliquot ſeptimanas in uno loco perſiſtunt; vaſis apertis eorum lateribus ingentis magnitudinis & figuræ octoedriæ cryſtalli appoſitæ cernuntur.

Præterea memorabile eſt, quod acervi iſti minerarum aluminis immenſæ magnitudinis accedente ſolis æſtu ſponte accendantur, & apertam flammam eructent, quam aqua affuſa omni cura & labore extinguere debent. Quando enim à pluviis ſal aluminis ſolvitur, incipit agere in terram ejus bituminoſam, ita non tantum calor & fumus, ſed & flamma, motu inteſtino rapidiori facto, naſcitur. Eodem fere modo id accidit, ſi maſſa, ex æquali portione ſulphuris & limaturæ martis conflata, aqua humectatur, ubi inter aliquot horas oritur ebullitio, maſſa turgeſcit, fumum emittit, & in libero aëre ſulphuris flamma erumpit. Quæ experimenta utique ad caloris ſubterranei & montium ignivomorum naturam & cauſas explicandas nos recta via deducunt.

Inſuper notatu dignum eſt, quod mineræ iſtæ, ſale ſuo orbatæ, ſi denuo in acervos colliguntur, iique per integrum annum diu aëri libero exponuntur, de novo ſale aluminoſo imprægnentur, ut præparationi aluminis denuo & quidem per tres annos inſerviant.

Ex quo clariſſime apparet, ex aëre regenerari ſal aluminoſum, inque eo dubio procul omni acidum quoddam univerſale hoſpitari, quod cum partibus inflammabilibus bituminoſis, terreis conjunctum ſal aluminis conſtituit. Neque enim ullum ſal novi, quod tam cito ex terra ſua minera exhauſta in aëre poſſit regenerari, quam hoc ipſum. Nam ſi alumen crudum igne vehementiori ita calcinatur, ut in terra ejus ſpongioſa ne ullum quidem ſalis veſtigium remaneat, ac tum hæc terra per aliquot dies libero aëri exponitur, non modo pondere augetur, ſed & aluminoſus ſapor reſuſcitatur, & inſtillato oleo tartari per deliquium efferveſcentia exſurgit.

In coctione aluminis illud quoque occurrit indagine haud indignum, quod ex ejus lixivio, ſine additione cinerum clavellatorum vel ſalis cujuſdam alcali, alumen non in ſolideſcentem formam redigi, multo minus in cryſtallos reduci poſſit. Cujus ſingularis effectus atque phænomeni ratio in eo poſita eſſe videtur; lixivium mineræ nimis acidum & nimis ſulphureum eſt: quia vero liquor ſulphureus in quo acidum prædominatur, ægerrime in ſolidam ſalinam conſiſtentiam cogitur, neceſſe eſt, ut alcali accedat, quod partim acidum nimium ſaturat, partim etiam pinguem & ſulphuream, quæ cryſtalliſationem impedit, materiam imbibit atque abſorbet, quo ſpicula eo arctius coire & melius coaleſcere poſſint. Olim & hodienum in aliis locis, ubi alumen coquitur, loco cinerum clavellatorum urinam humanam putrefactam adjiciunt, ob ſal urinoſum volatile, quo etiam acidum nimium temperari ſolet: ſed parabiliori hac encheireſi inventa, jam urinæ uſus exolevit.

Non ignotum erit chymicæ artis peritis, quanta olim cura atque induſtria quæſitum fuerit, ut ſal tartari fixum volatile reddatur, quum *Helmontius* huic ſali mirabilem in perſanandis morbis tribuerit efficaciam. Factum hinc eſt, ut celebris alias medicus & chymicus, *Daniel Ludovici*, in peculiari ſcripto *de volatiliſatione ſalis tartari*, modum, quo id præſtari poſſit, publico communicaverit, dum nempe alumen crudum cum ſale tartari mixtum deſtillavit, ita ſpiritus prodiit urinoſus volatilis. Credidit integerrimus hic vir, fixum hoc ſal redditum fuiſſe volatile; ſed ignoravit, alumen vulgari modo additione urinæ humanæ præparari, & inde ſal volatile ſuam ducere originem. Nam quando acido aluminis ſal volatile figitur, & poſtea ſal alcali accedit, id non ſecus, ac cum ſale ammoniaco evenire ſolet, rurſus fit ſui juris. Quare idem experimentum ſi cum alumine inſtituatur, cui in coctio-

coctione non urina humana, ſed ſal alcali admixtum fuit, nullum ſal vel ſpiritus volatilis ſe manifeſtat.

Ultimo loco hoc inſerendum putavi, ſal ſic dictum Ebſonienſe, quod ex Anglia maxima in copia in multas regiones fertur, & certe elegantiſſimum & tutiſſimum purgans eſt, ex alumine & ſale communi præparari poſſe. At vero ex alumine crudo & ſale communi, quale proſtat in officinis, ſi quis hujus ſalis præparationem moliri velit, minus ſuccedet negotium. Si vero quis experimentum cum ſolutione mineræ aluminis & lixivio, quod in coctione ſalis communis remanet & vocatur *Mutter-Soole*, inſtituerit, & debitam encheireſin adhibere voluerit, is certe ſuo voto non facile fruſtrabitur.

---

## OBSERVATIO IX.

### *Experimenta, quæ ſulphuris vulgaris naturam, mixtionem ac generationem clarius exhibent.*

IN chymicorum ſcholis ſulphur pro principio omnium in rerum natura mixtorum corporum haberi, res trita atque in vulgus nota eſt; quid vero ſit ſulphur illud, quod in corporibus cauſa & principium fundamentale eſt caloris, inflammabilitatis, coloris & ſpecificarum, quibus gaudent, virium, id ſane non ſatis unquam definitum aut explicatum eſt. In ſulphure vero minerali id principium abundantiſſime reperiri, communis fere eſt ſententia.

Utcunque autem materia illa ſulphurea inflammabilis pinguis & oleoſa in omnibus non modo naturæ regnis, ſed in quibuſvis fere corporibus mirum inter ſe differat, & ægerrime quoque in ſua principia prima reſolvi poſſit: nullo tamen in corpore verum inflammabilitatis principium melius planiuſque, quam in vulgari demonſtrari poſſe deprehendimus. Siquidem ex hujus corporis reſolutione artificiali ejuſque compoſitione clare intelligitur, hoc corpus non ſimplex eſſe, ſed ex acido & materia teneriori terrea, ad rapidum materiæ cœleſtis & æthereæ motum concipiendum & continuandum apta compoſitum.

Acidum hoc, ſi accenditur ſulphur & ejus vapor colligitur, ad oculum ſiſti poteſt: ſubſtantia vero illa altera phlogiſta ex ejus ſolutione in oleo tam expreſſo, quam deſtillato, ſe ſenſibus offert. Neque vero rectius & clarius hæc principia ſulphur conſtituentia, quoad ſuam naturam & indolem, quam per artificialem ſulphuris, quod ſibi per omnia ſimile ſit, compoſitionem oſtendi ac demonſtrari poſſunt.

Ne vero in judicando & cognoſcendo decipiamur, num illa arte producta ſubſtantia ſulphurea ejuſdem proprietatis ſit cum ſulphure minerali vulgari, notas ſpeciales & ſulphuri minerali quaſi proprias primum exponere non incommodum nobis viſum eſt.

1. Itaque ſulphur minerale accenſum peculiariter fœtidum & gravem ſpirat odorem, qui valde ſeſe diffundit, non modo naribus moleſtus, ſed & reſpirationi infenſus, qui magna in copia admiſſus ſuffocationem infert.

2. Solvitur facile in lixivio, & cum acido ſummo cum fœtore, *wie faule Eyer*, in pulverem lividum præcipitatur.

3. Ejus in alcali ſolutio nigredinem inducit argento & ejus ſplendorem obfuſcat.

4. Cum ſale alcali mixtum & liquatum in igne in maſſam convertitur ſanguinei coloris, quæ tamen mox acceſſu aëris nigricans fit gravemque ſpirat odorem, & ſpiritu vini rectificatiſſimo affuſo, tincturam flaveſcentem, quæ argentum colore nigro inficit, largitur.

Taceo jam illas ſpeciales vires, quas vulgare ſulphur in ſingula metalla inque argentum vivum habet.

Hiſce expoſitis jam variis experimentis & mixtionibus corporum, illa phænomena, vires & effectus, qui ſulphuri vulgari proprii & genuini ſunt, conſiderabimus, ut deinde eo melius ex hiſce invicem collatis principia ſulphuris conſtitutiva eruere atque evolvere liceat.

Primo ſpiritus vitrioli ſive oleum ejus aqua dilutum in vitro rotundo longioris colli quod vulgo phiola vocatur, affunditur limaturæ martis, vehemens fit ebullitio cum vapore, & ſi obturatum pollice orificium fuerit aliquamdiu, cum ſtrepitu & accenſione vulgaris ſulphuris: quod experimentum cur non cum aliis metallis, ſed cum marte tantum ſuccedat, ejus rei cauſa utique in hoc ipſo metallo quærenda eſt. Multum vero inflammabilis materiæ in eo contineri, vel ex eo liquet, quia ejus limatura nitrum in igne liquefactum accendit, & ferrum in tenuiſſimum pulverem comminutum ac flammæ candelæ inſperſum, innumeras ſcintillulas ſpargit. Denique vehementiori igne vel vitro cauſtico fuſum cum ingenti copia ſcintillularum, quas evibrat, ebullit & quaſi efferveſcit. Acidum itaque vitrioli, cum tenuiſſimis & ſulphureis ferri corpuſculis commixtum, vaporem dat per efferveſcentiam, qui flamma accenditur & ſimilem odorem ſpargit, qualem vapor accenſi ſulphuris.

Secundo, quando oleum vitrioli miſcetur cum corporibus oleoſis & reſinoſis, ut terebinthina, balſamo peruviano vel etiam oleis deſtillatis aromaticis, poſt fortiorem incaleſcentiam, ingratus, inſtar ſulphuris accenſi, vapor nares afficit, qui valde augetur, ſi horum mixtura deſtillationi committitur.

Tertio, quia ſpiritus vini rectificatiſſimus nil niſi oleum ſubtilius, per fermentationem in phlegmate reſolutum eſt; quare ſi hujus ſex partes cum una parte olei vitrioli miſcentur, & leniori calore in arena deſtillatio ad ſiccitatem uſque inſtituitur, non tantum in fundo maſſa inſtar picis remanet, ſed & remoto alembico, fœtor ſulphuris accenſi tam moleſtus nares ferit, ut ſpiritum intercipere & ſuffocare videatur. Hic odor ſulphureus cum picea in cucurbita relicta maſſa non aliunde provenit, quam quod oleoſa ſpiritus vini rectificatiſſimi pars cum acido vitrioli fortiſſimo intima copulatione coaluerit.

Quarto, viginti & aliquot anni defluxere, quum in collegio chymico experimentali ſpiritum vitrioli generoſiorem opio in fruſtula diſſecto ſuperfudi, & per retortam vitream in arena deſtillationem inſtruxi, eo quidem conſilio, ut ſulphur anodynum *Cramerianum* obtinerem: exſtillavit liquor craſſus graveolens, refrigerata retorta maſſa parietibus colli adhæſit, quæ ſpeciem genuini mineralis ſulphuris referebat, & accenſa in luculentam quoque exardeſcebat flammam, cum fœtore ſulphuri proprio. Miſcui hujus partem cum ſale tartari, & tincturam inde extraxi genuinam ſulphuris, in qua tamen meliorem virtutem anodynam obſervavi. Primus, quod ſciam, hoc experimentum tentavi ejuſque commemorationem demonſtrationibus meis phyſico-chymicis intexui. Nam ut ut illuſtris

*Boyleus* artificiale ſulphur commune præparandi modum cum oleo vitrioli & oleo terebinthinæ ſcriptis ſuis inſeruerit, tamen felicem ſucceſſum obtinere non potui. Quod experimentum luculentiſſime evincit, ſulphur vulgare ex oleoſa inflammabili ſubſtantia mixtum atque conflatum eſſe.

Quinto, ex omnibus chymicis primus & præcipuus fuit *Glauberus*, qui experimento quodam monſtravit, ex carbonum pulvere & ſale ſuo mirabili, quod ex ſale communi & oleo vitrioli, abſtracto prius ſpiritu, præparatur, verum ſulphur, quod cum vulgari per omnia conveniat, poſſe confici. Proceſſus deſcriptus legitur in ejus opere concentrato *pag.* 780. *experiment*: 60. 61. 62. 63. 64. 65. Hunc vero quomodo inſtruxerit, hoc loco enarrare non inopportunum putamus. Fluant in crucibulo ſalis mirabilis unciæ duæ, injice fruſta carbonum, tigillum tegatur & per horæ dimidiæ ſpatium fiat liquefactio, maſſa effundatur, ita acquiritur lapis coloris rubicundi ſulphurei, ſalini & alcalini ſaporis, qui ſolutus in aqua viridem exhibet colorem, & guttula una tingit argentum aureo colore. Si huic liquori infunditur acetum deſtillatum, vel ſpiritus ſalis, ſucceſſive præcipitatur ſulphur in forma pulveris albi, qui aqua edulcoratus & ſiccatus ut minerale ſulphur ardet illique in omnibus ſimilis eſt. Addit poſtea: Si priori ſolutioni adjiciatur ſal ammoniacum & fiat deſtillatio, tunc prodit ſpiritus aurei coloris, ſulphur olens, vel ſi lapis prior non ſolutus cum ſale ammoniaco miſcetur, ſulphur in altum ſublimat rubicundum.

Porro adjicit hoc experimentum; ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus lapidi priori ſulphureo alcalino affundatur, facta in arena digeſtione, tinctura fit inſtar ſanguinis rubicunda, quæ per abſtractionem ſpiritus concentrata relinquit liquorem rubicundum, mirifici in medendo effectus. Suggerit ultimo, quod omne vegetabile, hac ratione tractatum, in ejuſmodi rubicundum lapidem converti poſſit.

Hæc eſt *Glauberiana* illa in præparatione ſulphuris artificialis methodus: ex omnibus vero hiſce experimentis patet, quod hac ratione verum minerale ſulphur paraverit; unde etiam dicit *in* §. 60. quod omnia cum eo perfici poſſint, quibus præſtandis ſulphur minerale idoneum eſt. In eo tamen cum *Sendivogio* hallucinatus eſt, quod ſulphur minerale irretitum carbonibus, eique educendo ſal ſuum mirabile tantummodo eſſe idoneum crediderit.

Monſtravit porro *Cl. Stahlius* paſſim in ſcriptis ſuis chymicis, hoc ſulphur non educi ex carbonibus, ſed denuo regenerari ex materia quadam carbonum inflammabili & acido vitrioli, quod in terra ſalis communis, cum quo *Glauberus* ſal ſuum confecit, concentratum latitat, idque non tantummodo cum ſale hoc mirabili, ſed cum omni etiam acido ſulphuris vel vitrioli, ſi additione cujuſdam alcali in ſal enixum converſum fuerit, præſtari poſſe, videlicet cum arcano duplicato, tartaro vitriolato, nitro antimoniato. Quia vero hæc ſalia enixa difficulter in igne fluunt, ſemper adjiciendum aliquid ſalis alcalini, ut liquefactio promoveatur.

Itaque operam me non perditurum exiſtimavi, ſi ad ſtabiliendam hanc veritatem, & ad nonnullorum ſalium naturam indagandam, ſimili modo cum variis aliis experimenta inſtituerem.

Primum igitur aphronitrum Jenenſe, prius à limoſis & lapidoſis recrementis probe per ſolutionem cum aqua & inſpiſſationem depuratum, cum ſalis tartari & pulveris carbonum debita quantitate in crucibulo igne liqueſceci: maſſa liquida effuſa præbuit lapidem, coloris ſanguinei & fortis ſulphurei alcalini ſaporis, ut in ſingulis hiſce hepati ſulphuris omni ex parte reſponderit. In aëre, præſertim humidiori, mox liqueſcere, colorem ſuum ſanguineum amittere, & nigricans fieri cœpit, cum fœdo ejuſmodi odore, qualem pulvis pyrius combuſtus ſpirat, qui crama ſulphureum identidem relinquit. Hæc maſſa tingebat ſpiritum vini rectificatiſſimum aureo colore, & cum oleis deſtillatis balſamum rubinei coloris evaſit. Neque minus hæc maſſa ſoluta dedit lixivium, quod affuſo acido, ſulphur in forma pulveris albi dimittebat in fundum.

Simili modo à me tractatum fuit ſal, quod ex thermis Carolinis leni calore inſpiſſatur, item ſal illud enixum, quod ex fontibus Setlizenſibus in Bohemia per inſpiſſationem confeci: inſuperque ſal illud novum catharticum Hungaricum Schemnizenſe, & ſal acidularum Egranarum, ubi eandem maſſam alcalinam, quæ ſulphur complectitur, iiſdem inſtitutis experimentis inveni.

Ex hiſce itaque conjeci, in his mineralium fontium ſalibus vitrioli vel potius ſulphuris acidum quoddam latitare, licet in thermis Carolinis ſal alcali prædominetur.

Præterea translatum à me eſt hoc experimentum ad ſal illud purgans Anglicanum, quod vocatur Ebſonienſe, idque valde diverſum inveni. Miſcui etiam illud cum debita proportione pulveris carbonum & ſalis tartari, ſed reſpuebat omnem fuſionem, & pene totum in auras avolabat cum ingenti fœtore ſulphuris, qui totum conclave implebat, maſſa dura & nigra in fundo ſuperſtite.

Pariter cum borace tentavi experimentum, ſed nullam admittebat fuſionem noluitque in maſſam hepatis ſulphuris converti: cum ſale vero illo medio, quod ex ſolutione aluminis & olei tartari per deliquium, facta prius ſaturatione, emergit, optime atque ex voto ceſſit experimentum. Ex quibus didici, in ſale Ebſonienſi & borace alius naturæ ſal, quod cum acido ſulphuris non conveniat, latitare; id vero, quod alumini ineſt, magnam præ ſe ferre vitriolici ſalis ſimilitudinem.

Verum enim vero notabile imprimis illud eſt, quod non tantum ſalia media, ex acido ſulphuris, vitrioli vel aluminis & alcali confecta, additione combuſtibilis cujuſdam materiæ, miniſtrante fuſione, verum ſulphur minerale exhibeant & illud quaſi regenerent, ſed ex ſalibus etiam alcalinis, ſale tartari recenti, cineribus clavellatis recentibus, ſi hæc in tigillo fluant & pulvis carbonum adjiciatur, maſſa rubicunda ſulphurea, alcalini ſaporis, haberi poſſit, ex qua identidem beneficio ſpiritus vini rectificatiſſimi tinctura rubicunda extrahitur.

Quamvis autem ſolutio hujus maſſæ & argentum tingat, & ingentem etiam fœtorem facta affuſione acidi ſpargat, atque aureo colore ſpiritum rectificatiſſimum imbuat, verum tamen ſulphur inflammabile, quod cum cæteris jam memoratis ſalibus fit, in forma pulveris albi, ex ſolutione non præcipitari poteſt. Quo experimento docemur, fœtorem illum, qui maſſæ huic adhæret, itemque colorem illum nigrum, quo argentum tingitur, oleoſæ illi & inflammabili, quæ carbonibus ineſt, ſubſtantiæ eſſe adſcribendum.

Si vero ſupra dictum experimentum cum ſale alcali nitroſo, quale eſt nitrum fixum, vel cum ſale

ſale tartari, quod cum tartaro & nitro invicem deflagrato conficitur, inſtituitur, res plane non ſucceſſit, neque maſſa rubicunda, ſulphur olens, multo minus ſulphuris mineralis cujuſdam veſtigium producitur, manifeſto indicio, acidum, quod in nitro eſt, ad mixtionem ſulphuris plane non concurrere. Id vero in ſulphure delitеſcere, ſupra ſatis demonſtravimus.

Ex his jam ad liquidum perductis vero mihi videtur ſimillimum, ipſum illud vulgare ſulphur, quod Goslariæ quotannis ad 1200. centenarios præparatur, & poſtea in tabernis venditur, maxima ex parte eſſe productum artificiale. Nam ſi perpendimus, rariſſimum eſſe ſulphuris nativi in mineris proventum, neque alibi, niſi in exigua quantitate in montibus Neapolitanis circa Veſuvium efflorеſcere, & admodum etiam parce ex thermis Aquisgranenſibus ſublimari & adhæreſcere ligneis receptaculis; inde magna omnino probabilitate infertur, rariſſime purum etiam reperiri in iis locis ſubterraneis, ubi mineræ ſulphuris in immenſa copia luxuriant.

Porro illud conſiderandum eſt, quod ex mineris ſulphureis, per deſtillationem in vaſe clauſo, multum quidem phlegmatis acidi, ſed parum ſulphuris in forma florum ſublimetur, qua de re ut rectius judicare poſſimus, antea utique proceſſum & modum, quo ſulphur vulgare minerale producitur, examinare oportet. Præparatur autem Goslariæ ſequentem in modum:

Sub dio rogus, germ. *ein Roſt*, conſtruitur, cujus ſingula latera aliquot viginti pedes longitudine æquant, area, ad altitudinem pedis, minera tegitur, quæ non niſi marcaſita ſulphureo-venerea ac valde ſolida eſt, vulgo *Kupffer-Kieſſ*, & è monte *Rammelsberg* eruitur: poſtea ligna arida debito ordine ad aliquot pedes alta imponunt, inque eorum centrum ingentem palum, qui aliquot pedes ſuper ſtruem lignorum eminet, infigunt, eumque iſtis mineris obruunt, ut ejus vertex adæquet acervum. Rogus hoc modo conſtructus in ſuperficie per candentes ſcorias allatas accenditur, ita ſubjecta ligna intra aliquot dies comburuntur; lapides incumbentes propter inhabitans ſulphur ignem etiam concipiunt, quem per dimidium fere annum ſervant, & ingentem fumum ſulphuris longe lateque in diffitum ſpargunt. Ab ignitione ita emolliuntur, ut in eorum ſuperficie multæ profundæ foveæ imprimi queant, in quas ſulphur ex ipſis mineris fuſum tanquam in fontes prolabit, ex quibus mediante ferreo cochleari exemtum furnis immittitur.

Hoc crudum factitium ſulphur vulgo *ungeläuterten Schwefel* vocant, atque ab admixtis lapidoſis ſordibus ita depurant: In magno nempe ferreo aheno liquеſcit, hinc partes graviores & lapidoſæ fundum petunt, poſtea in vas cupreum defertur & accuratius adhuc purgatur, dum graviores partes cadunt in fundum, & leviores ſupernatantes deſpumatione auferuntur. Depuratum ſic ſulphur in ligneas formas infunditur, ubi figuram accipit inſtar arundinis vel baculi, & hoc conficiendo pulvere pyrio maxime idoneum eſt. In fundo quæ relinquitur maſſa, gryſei eſt coloris, & vocatur *grauer Schwefel*, ex quo jam per deſtillationem in aliquot cucurbitis ferreis ſulphur igne per ſublimationem ſeparatur, & per roſtra in vaſa recipientia penetrat, atque ex his inſtar ceræ in aliquod vas defluit, ut in baculos mutetur. Impurum vero quod remanet, vocatur *Roſſ-Schwefel*.

Ecquis hic non videt, mineras has ſulphureo-cupreas, quæ in vaſe clauſo ejuſmodi ſulphur, ut vulgo venditur, neque per deſtillationem, neque alio modo fundunt, cum rebus combuſtibilibus, quæ multum ſubſtantiæ oleoſæ & inflammabilis & multum quoque terræ phlogiſtæ ſecum habent, igne miſceri? unde non inepte judicatur, ex commixtione acidi illius, quod in mineris latitat ſulphureis, & materia oleoſa pingui & inflammabili, in quam ligna per ignem reſolvuntur, formam & conſiſtentiam ſulphuris vulgaris demum formari & produci, quia in tali mixtura, craſi & conſiſtentia, ſine admixtione combuſtibilis materiæ, non obtineri poteſt.

Cæterum in atmoſphæra verum ſulphur, minerali quoad omnia ſimile, generari, & tonitru ac fulminis materiam præbere, meo quidem judicio ſatis recte ſtatuitur. Nam circa loca, quæ à fulmine tanguntur vel accenduntur, tam gravis & fœdus, ſulphur vulgare redolens, odor nares ferit, & tam copioſus atmoſphæram replet, ut fulmen non alia ratione, quam ſuffocatione per hunc fumum, homines & animantia enecet. Huic ſulphuri accenſo ac concentrato rarum illud phænomenon adſcribendum videtur, quod fulmine ſæpius fuſam eſſe gladii partem in vagina perhibeant.

Communis alias eſt ſententia, ſulphur, quod fulminis cauſſa eſt, ex profunda terræ abyſſo exhalatione quadam in auras ferri, & cum ſale aëreo ibi commixtum perque glaciales nubes concentratum & concluſum motu inteſtino accendi, & ſic inſtar pulveris pyrii in flammam & tonitru prorumpere. At vero neque nitrum inflammabile formaliter dari in aëre, neque evaporationem ſulphuris mineralis ex imis terræ viſceribus locum habere poſſe, plura ſunt, quæ hujus rei certitudinem nobis confirmant.

Neque enim unquam ſal nitroſum ex aëre educere licet, niſi terra pinguis & putrefacta ceu minera & matrix adſit: neque purum ſulphur, ut antea oſtendimus, in terræ latebris continetur, multo minus vero ipſum tam volatilis & ſubtilis eſt naturæ, ut vel igne ſolari vel calore quodam ſubterraneo ex tam abſtruſis terræ receſſibus inſtar vaporis in altum elevari poſſit, utpote cum fornaci calidæ ſulphur vivum inſperſum nullos halitus ſulphureos in aërem diſpergat, ſed fortiori opus ſit igne, ſi quis illud in flores ſublimare velit. Tacemus plurima ſubterranea loca, ubi frequens fulminis & tonitru eſt proventus, quæ tamen mineris ſulphureis prorſus carent. Quum vero materia fulguris & tonitru, quæ accendit, ratione odoris & virtutis ſuffocativæ ſulphuris mineralis naturam exhibeat, res utique poſcere videtur, ut hujus materiæ cauſam atque originem indagemus.

Jam vero in ſuperioribus ſatis à nobis deductum eſt, ſulphur commune ex acido quodam ſubtili ſale & principio quodam oleoſo & inflammabili per intimam unionem generari. Videbimus jam, an ejuſmodi principia, ex quibus ſulphur tale gigni poſſit, atmoſphæra complectatur.

Acidum itaque tale, quod principium ſulphuris conſtitutivum ſit, in aëre hoſpitari, ex eo clare liquet, quia, ſi ſal alcali, ut ſal tartari, aut cineres clavellati diu aëri exponuntur, ſal neutrum inſtar arcani duplicati vel tartari vitriolati in eo producitur, quod etiam facillime beneficio aquæ affuſæ, quæ ſuperfluum alcali diſſolvit, in fundo hærens ſeparatur. Jam vero ejuſmodi ſal ſi cum carbonum pulvere vel alia combuſtibili materia igne funditur, maſſa fit inſtar hepatis ſulphuris, ex qua verum ſulphur poſt præcipitationem facili negotio elici poteſt. Habemus itaque in aëre aci-

acidum, ad ſulphur commune conſtituendum idoneum.

Deinde plurima pinguia oleoſa & combuſtibilia ex vegetabilibus, quæ copioſam reſinam & ſulphur alunt, calore ſolari forma vaporum in atmoſphæram tranſire, res extra dubium poſita eſt.

Quod ſi itaque ſulphureæ hæ evaporationes cum particulis acidis beneficio frigoris, quod in ſuprema aëris ſuperficie ſemper obvium eſt, per nubes & ventos invicem uniuntur ac combinantur, non modo ſulphur generari verum, ſed & illud mutua particularum inter ſe actione ac reactione accendi, clarum ac evidens videtur.

Quantam vero vim atque potentiam aërem concutiendi & ſtrepitum efficiendi ignis concluſus habeat, pulvis pyrius luculentum nobis exhibet teſtimonium: unde tonitru à ſulphure accenſo enaſci, non tam probabile, quam verum eſt.

Dictum & demonſtratum in ſuperioribus eſt, ſulphuris mineralem ſubſtantiam ex acido & inflammabili quadam materia eſſe conflatam. Nunc vero monendum eſſe duco, non omnis generis acidum ad ſulphur conſtituendum ac producendum aptum eſſe: quandoquidem neque cum acido ſalis communis, nitri, tartari, aut quocunque alio cum alcali coagulato & cum combuſtibili materia per ignem commixto, ſulphur prolicitur; ſed ſpeciatim tale acidum, quod ſulphureæ proſapiæ eſt, vel ex ipſo accenſo ſulphure vel ex vitriolo aut alumine, tanquam ſalibus ex mineris ſulphureis elicitis, prodiit, requiritur. Et ut ut ex ſale communi & oleo vitrioli ſal Glauberianum præparetur, tamen in deſtillatione omne acidum ſalis communis aufugit & nil niſi terra, in qua oleum vitrioli figitur, relinquitur.

Nihil vero magis texturæ ſulphuris adverſum eſt, quam ipſum nitrum ejuſque acidum. Nam quemadmodum ad regenerationem ſalis communis non quodvis, ſed acidum ſalis communis, & ad nitrum artificiale ſpiritus tantum nitri & ſal tartari, & ad reſuſcitandum vitriolum ſpiritus vitrioli requiritur; ita ad regenerationem ſulphuris communis ſpecificum ſulphuris acidum, vel quod valde homogeneam cum eo naturam habet, quale forſan eſt illud, quod in atmoſphæra continetur, concurrere debet. Ex quo jam illud eliciendum eſſe puto, phlogiſton illud non eſſe præcipuum & fundamentale ſulphuris mineralis elementum, ſed matricem tantum ac hoſpitium præbere, ut acidum ſulphuris in eo figatur.

---

## OBSERVATIO X.

### *De cauſis fœtoris in ſulphure minerali deliteſcentis.*

SUlphur non modo coloris, ſed & odoris eſſe principium materiale præcipuamque cauſam, conſtans fere chymicorum eſt aſſertio, ſed quid ſpecifice per tale ſulphur intelligant, res nondum ad liquidum perducta eſt. Interea tamen in ſulphure minerali fœtidiſſimi odoris materiam deliteſcere, ſenſuum teſtimonio ſatis ſuperque conſtat: quomodo vero hic fœtor in corpore, odoris ferme experte exſurgat, & unde ſuam cauſam atque originem mutuetur, paulo perveſtigatius monſtrare expedit.

Primo, exigua ſulphuris communis pars ſi accenditur, ampliſſimum penetrante ſuo fœtore conclave replet & nares moleſte ferit.

Secundo, quando ſulphur cum ſale tartari, vel alio lixivioſo, debita proportione, in crucibulo funditur, maſſa hepatici coloris emergit, quæ admiſſo aëre liberiori incipit liqueſcere in fœtidum atrum liquorem, ubi, ſi affunditur acidus liquor, mox ingraveſcit fœtor & ova putrida redolet, latiuſque diſpergitur.

Tertio, ſulphur commune cum calce viva & ſale ammoniaco deſtillatur in liquorem flavum fumantem, ſed fœtidiſſimum. Auripigmentum & antimonium quoque, ceu mineralia valde ſulphurea, ſi eodem modo cum alcali volatili tractantur, graveolentia exſurgit.

Quarto, ſi ſal tartari ſine admixto ſulphure in crucibulo funditur, & dimidia pulveris carbonum pars adjicitur, identidem maſſa coloris ſanguinei, ſaporis valde lixivioſi & ſulphurei gignitur, quæ etiam in aëre liqueſcit & fœtidiſſimum, non ſecus ac hepar ſulphuris, ſpargit odorem.

Quinto, ſpiritus vitrioli, nullius fere odoris, ſi guttatim carbonibus vivis inſtillatur, fumus, inſtar ſulphuris mineralis, teter exſurgit.

Sexto, ſi ſpiritus ſulphuris urinoſus volatilis, ingratiſſimi odoris, in vaſe aperto aëri libero exponitur, intra aliquot dierum effluxum fœtor is deperit: quod etiam accidit, ſi lixivium ſulphuris, ſive ſolutio hepatis ejus, vel ſalis lixivioſi cum carbonibus in igne fuſi, paulo diutius liberiori aëris acceſſui pateat, tunc enim fœtor maxima ex parte perit, color etiam niger in cinericeum tranſit, & ſapor lixivioſus infringitur.

Septimo, quandocunque ſali alcali cum ſulphure minerali, vel cum pulvere carbonum in igne fuſo, portio quædam nitri adjicitur, protinus hoc inflammatur & materia effunditur, omnis graveolens odor perit.

Ex hiſce itaque propoſitis experimentis cauſas fœtoris, qui in ſulphure minerali hæret, jam facilius invenire integrum erit. In ſuperioribus videlicet ſatis ſuperque demonſtratum eſt, ſulphur illud vulgare ex acido ſpecifico & inflammabili quadam materia, ſeu terra pingui, ſubtiliori componi. Jam in quæſtionem venit, quodnam in hiſce principiis tetri odoris materiam & cauſam præbeat, ubi non dubitamus aſſerere, non acidum, ſed potius inflammabilem illam materiam, eſſe principium fœtoris, quippe quæ per ſalia, ſive acida, ſive alcalina fixa, motu inteſtino attenuata & reſoluta, talem odorem efficit. Nam oleum vitrioli, odoris ingrati expers, non modo carbonibus injectum, ſed & mixtum cum oleis deſtillatis, etiam ſuaveolentibus, aut cum terebinthina vel balſamo Peruviano, gravem ſulphuris odorem acquirit. Et quia carbonum pulvis, in quo copioſior phlogiſta ſulphuris materia continetur, cum ſale tartari in igne liquefactus, ſine miſcela acidi ſulphurei, eundem fœdum odorem acquirit, nil dubii eſt, quin eadem materia fœtoris cauſam conſtituat.

Porro cum aër primogenio ſuo & puriſſimo acido, quod continet, ſalia alcalina, quæ ſulphuris materiam inflammabilem valde exagitant, temperet, & præterea etiam reſolutum à ſalibus ſulphur, quod fœtoris cauſa eſt, elaſtica ſua & expanſiva virtute ſecum auferat, in aëre aperto fœtorem perire, omnino non mirum eſt. Hinc etiam, quia nitrum accenſum & vividiſſima flamma & acido ſuo, in quod per flammam reſolvitur, phlogiſton & inflammabile principium potenter diſſolvit & diſſipat, non difficulter peri poterit ratio, quare hepar ſulphuris, fœdi quod eſt ſaporis, nitro plane aboleatur.

Verum enim vero reponere hic quiſquam poteſt, à pulvere pyrio, qui ex pulvere carbonum, nitro

nitro & ſulphure compoſitus eſt, accenſo relinqui maſſam ſulphuream alcalinam fœtidiſſimam, quæ valde convenientem cum hepate ſulphuris habeat indolem, & affuſo acido fœtorem augeat, adeoque nitri flammam potius producere fœtorem, tantum abeſſe, ut eum deſtruat vel auferat.

Sed ad hæc regerendum eſſe puto: nitrum cum carbonibus deflagratum converti ex parte in ſal alcali, id vero cum ſulphure mixtum degenerare in maſſam alcalinam fœtidam, & hac ratione à pulvere pyrio accenſo veram materiam, quæ cum hepate ſulphuris conveniat, produci. Aliud vero jam eſt, ſi ejuſmodi producta & ſulphureæ ſubſtantiæ materia cum nitro mixta accendatur, tunc longe alius & contrarius effectus ſequetur.

Ex quibus omnibus jam demum concludendum eſſe videtur: principium illud, quod mixtis materiam, ad ignem vel flammam concipiendam, ſubminiſtrat, fortiter ſalium actione agitatum, fœtoris non modo in mineralibus, ſed & in vegetabilibus & maxime in animantibus, ſi ea putreſcunt, cauſam eſſe, dum ſalia ſubtiliora, pingue & inflammabile principium adorientia, motu inteſtino illud exagitare incipiunt.

---

## OBSERVATIO XI.

### *Diverſi effectus ſulphuris in mineralia & metalla.*

QUicunque ſulphur illud inflammabile & minerale pro elemento ſive principio metallorum conſtitutivo habent, ii mirum hallucinantur: ſiquidem nullum corpus datur, metallorum puritati, fluxilitati & ſplendori magis adverſum, quam vulgare illud ſulphur, & nulla metalla, niſi rariſſime & exigua quantitate, in terræ viſceribus pura reperiuntur, ſed cum ſulphure multiſque ſcoriis & heterogeneis partibus commixta, ſine omni ductilitate & ſplendore, è terra eruuntur, quæ ad ſuum ſtatum reduci nequeunt, niſi heterogeneæ partes, & maxime ſulphureæ, circumſpecto & prudenti regimine ignis ac mixtura & additione aliorum ſeparentur, *und alſo zu gute gemacht werden.*

Nunquam enim mineræ in purum faceſſunt metallum, niſi adhæreſcens ſulphur ſeparetur, & quo felicius hæc ſeparatio contingit, eo copioſior proventus fit puri metalli. Neque id ſeparationis negotium à fortiter ſubminiſtrato igne petendum eſt, utpote hoc ipſo interior ſulphuris cum metallo ex parte fit combinatio, ex parte etiam ſulphur ſic igneo motu in auras dejectum quicquam metalli ſecum abripit.

Auro liquato in igne ſi adjicitur ſulphur, hoc inde nullam accipit mutationem: ſi vero argentum cum ſulphure miſcetur, luna, quæ alias eſt difficillimæ fuſionis, ſtatim liquatur, & in crama nigricans, quod ſcindi & etiam in pulverem converti poteſt, mutatur. Ferrum fortiter ignitum admoto ſulphure ſtatim fluit, maſſa inde prodiens ſub leni calcinatione largitur vitriolum, quod aqua elutriandum eſt.

Cum cupro ſi fluit, fit friabile, & leni calcinatione inſtituta vitriolum veneris, elegantiſſimi cœrulei coloris, debita encheireſi conficitur.

Plumbum cum ſulphure ſi miſcetur, & in tigillo clauſo cæmentatur, non liqueſcit, ſed in maſſam friabilem convertitur, *ſieht aus wie Bley-Ertz*, quæ vehementiſſimo igne non fluit. Idem phænomenon accidit, ſi ſtannum cum ſulphure, faciendo ſtratum ſuper ſtratum accenditur, ita enim fluxilitas quoque perit. Atque adeo metalla difficillimæ fuſionis, ut argentum & cuprum facile fluidificat, contra iis, quæ ante ignitionem fluunt, ut plumbum & ſtannum, facilitatem liquefactionis prorſus fere auffert.

Magna itaque vi & potentia ſulphur minerale pollet, non modo texturam & ſtructuram intimam metallorum, à qua omnes eorum proprietates fluunt, alterandi & immutandi, ea tamen non deſtruendi. Ferrum cum ſulphure tractatum vertitur in crocum, qui nec à magnete attrahitur, nec cum acidis confligit. Argentum cum ſulphure mixtum amplius aquæ forti non obtemperat, nec ſolvitur. Aurum ſi cum ſulphure fluxerit, ab aqua regia non tangitur. Argentum vivum cum ſulphure mixtum abit in pulverem gryſeum, qui ſublimatus tranſit in cinnabarim, & tunc virulentam ſuam naturam amittit, non amplius ſalivam movet, neque ab acido in corroſivum venenum tranſit.

Exercet vero ſulphur vim ſuam, qua agit in metalla, maxime per acidum, dum ea in calces vertit, ductilitatem auffert, ferrum & cuprum in vitriolum convertit, & ex omnibus fere metallis, facta cæmentatione, mineras efficit.

Eſt itaque ſulphur magis metallorum deſtructor, tantum abeſt, ut ad ea perficienda & conſtituenda quicquam conferat, idque efficit ſuo acido, quo ipſa in ſcorias, mineras quædam etiam in vitriola convertere, aliis fluiditatem demere, aliis conciliare, eorumque naturam atque proprietates & ſpecificas vires plane immutare videmus.

Ceterum in minerali ſulphure peculiare arcanum reconditum eſt aurum à magna mole argenti, cui immixtum eſt, compendioſa methodo & citra magnas impenſas, ſine menſtruis, ſed ſolo igne, via ſicca, non abſque inſigni emolumento ſeparandi. Neque enim à longo tempore alius cognitus eſt modus, aurum ab argento ſeparandi, quam ſolutione per aquam fortem, quæ argentum tantummodo ſolvit, relicto auro, in quod nullum habet aditum: ſed quando in decem libris argenti v. g. uncia una auri continetur, labor cum aqua forti nimis pretioſus eſt, nec compenſat laborem.

Longe itaque minori ſumtu huic ſcopo inſervit ſulphur, ſi in pultem beneficio aquæ redigitur, & hac ipſa argentum granulatum, quod complectitur auri portionem, miſcetur, & in majori crucibulo clauſo liquefactio fit, ita ſulphur ſolvit argentum & ſe intime cum eo conjungit intactis auri corpuſculis, quæ collecta gravitate ſua deſcendunt in fundum, & regulum conſtituunt, qui ſeparandus eſt. Poſtea ab argento ſulphur leniori in igne calcinatione & adjectione cinerum clavellatorum reducendum. Pars vero inferior eodem modo tractata maſſam præbet, quæ præter aurum etiam argentum facta reductione conſtituit, ex qua deinde, adhibita aqua forti, aurum ab argento ſeparandum eſt. Hac methodo non ſine inſigni lucro aurum in argento diffuſum educi poteſt.

Igitur ſulphur commune in omnia metalla & mineralia, quæ mercurialis proſapiæ ſunt, magnam ea immutandi obtinet potentiam, ſolo auro excepto, quia perfectiſſimæ mixtionis eſt, quæ nec vehementiſſimo igne deſtrui, neque in calcem & rubiginem converti poteſt. Nihilominus ſi ſulphur cum ſale quodam alcali in igne liqueſcit in talem maſſam, quæ hepar ſulphuris vocatur, & poſtea auro in igne fuſo admiſcetur, hoc utique non modo diſſolvitur, ſed & in crocum, ſive pulverem aqua eluendum, fatiſcit; omne enim ſal

alcali

alcali ſulphureum promte metalla, etiam mercurialia, aggreditur, eaque diſſolvendo immutat, fragilia reddit inque pulverem convertit.

## OBSERVATIO XII.

### *De calcinationis ac reductionis fundamento & cauſis.*

Calcinatio dicitur, quando metallum vel minerale ex ſuo ſtatu, videlicet diſpoſitione ad liquefactionem, ſplendore, colore, ductilitate atque virtute dejicitur, atque ad tempus aliam plane naturam, texturam & facultatem induit. Et quoniam plurima ex metallis & mineralibus in pulverem album hoc modo fatiſcunt, operatio à potiori dicitur calcinatio.

Hæc variis modis inſtruitur, atque potiſſimum fit miniſterio ignis, vel cum ſalibus neutris, aut ſale acido, ſive nitroſo, ſive ſulphureo, vel etiam ſalis alcalini adjumento.

Ignis maxime hanc habet efficaciam, ut metalla calcinet eaque in ſolideſcentem minusque fluxilem materiam convertat. Ita velificante ignis flamma ſaturnus vertitur in cineres, in lithargyrium, in pulverem flavum atque etiam in minium. Ignis quoque eſt, qui totum ſtanni corpus in cineres convertit. Ferrum per ignem comburitur in ſcorias, inflammabili ejus portione abſumta. Fluidum hydrargyri corpus ſola diuturniori digeſtione in vaſe vitreo clauſo in pulverem rubicundum, quem præcipitatum vocant, redigitur. Simili quoque modo regulus antimonii, vehementis indolis, in pulverem gryſeum convertitur, diaphoreticæ virtutis. Mineralia volatilia, ut antimonium, arſenicum, zincum, biſmuthum, in ſublime igne feruntur, & flores, qui nihil aliud ſunt, quam calces, nde emergunt.

Præter ignem vero acida virtutem eximiam poſſident mineralia & metalla immutandi, ut in pulveres, crocos vel calces abeant; ita omnis generis acida ferrum corrodunt in rubiginem, ex cupro efficiunt crocum, viridis aut cœrulei coloris: plumbum corrodunt in ceruſſam, ſimilique modo ſtannum in calcem transformatur.

Oleum vitrioli, vel ſpiritus nitri, ſive aqua fortis, abſtracta à mercurio efficiunt, ut hic abeat in pulverem flaveſcentem aut rubrum, ut videre eſt in arcano ſic dicto corallino & mercurio præcipitato rubro. Oleum vitrioli ſi abſtrahitur ab antimonio vel ejus regulo, calx paulo fixioris naturæ relinquitur: multo magis vero id fit, ſi metalla ſolvuntur ab acido, & poſtea præcipitantur. Hunc in modum aurum in aqua regis ſolutum, affuſo oleo tartari vel ſpiritu urinoſo, fit pulvis flavus, fulminante virtute imbutus.

Solutio argenti per cuprum, aut ſal commune, vel ſpiritum ejus, aut oleum tartari per deliquium, præcipitatur in calcem albam, quod etiam fit, ſi ſtannum, ferrum, cuprum, biſmuthum, zincum, antimonium, cobaltum, regulus antimonii ſpecificis menſtruis ſolvantur, & convenienter ab iis per alia adfuſa rurſus disjungantur.

Acidum, quod inhæret ſulphuri, calcinat quoque metalla, & hac ratione ipſum antimonium leni igne & crebriori agitatione à ſulphure deflagrato in cineres reſolvitur. Ita etiam ferrum, cuprum, ſtannum, plumbum cum ſulphure mixtum & fuſum in pulveres rediguntur. Ipſum argentum vivum cum ſulphure tritum & ſublimatum dat pulverem rubrum, qui nomine cinnabaris venit.

Nitrum eadem quoque pollet efficacia, ut metalla & mineralia admixta in calces vertat, quemadmodum id videmus in antimonio diaphoretico, in ejus ceruſſa, item ſi nitrum cum ſtanno, plumbo, aut regulo cobalti, vel biſmutho fluat. Pari modo ferrum cum nitro in elegantiſſimum crocum vertitur.

Ipſum ſal commune, ſi miſcetur plumbo vel etiam ſtanno fuſo, ſpeciem cinerum exhibet. Antimonii quoque regulus cum ſale communi mixtus & calcinatus in cineres redigitur. Inſuper ſalia fixa alcalina eadem pollent potentia, ut in crocos & calces quædam ex mineralibus & metallis convertant. Si quinque partes antimonii cum parte una ſalis tartari miſcentur & funduntur, regulina ejus pars fundum petit, ſed inſtar chalybis politi apparet, quæ in minutiſſimum pulverem contrita exhibet pulverem rubicundum, qui reguli medicinalis nomen gerit.

Multo vero magis id faciunt ſalia alcalina, ſi cum ſulphure prius liquefiant; ſic formam adſciſcunt maſſæ rubineæ, quæ hepar ſulphuris dicitur, quod omnia metalla, ne quidem auro excepto, in pulveres diſſolvit.

Jam vero notandum eſt, quod metalla & mineralia calcinata & ſic tractata à priſtina forma, natura & proprietatibus & viribus admodum deflectant. Nam primo deponunt ſuam fluiditatem, exuunt colorem, reſpuunt liquefactionem, ex veneno degenerant in medicamentum, ut videmus in regulo antimonii medicinali, ceruſſa antimonii, antimonio diaphoretico; vel acquirunt vim virulentam & vehementem, ſicuti animadvertimus in mercurialibus: aut plane peculiarem aſſumunt virtutem, ut fulminantem in auro, vel metalla difficillimæ fuſionis jam inſtar ceræ fluunt, ut videmus in luna cornua.

Ferrum in crocos redactum non amplius attrahitur à magnete, neque ab acidis menſtruis tam facile ſolvitur, neque calces metallorum præcipitatæ, ut aurum fulminans, diſſolvitur ab aqua regis, neque calx lunæ, vel etiam ſtanni, ab aqua forti, aut calx antimonii ab aqua regis.

Cum itaque tanta facta fuerit harum rerum mutatio, neceſſe eſt, ut jam aliquid ipſis acceſſerit, quod talem iis induxerit mutationem. Quæſtio igitur non immerito oritur, quodnam illud ſit? deinde quomodo tantæ cataſtrophes cauſæ removendæ ſint, ut hac demta calces priſtinam ſuam naturam, formam, omnes proprietates & vires recipiant; quam operationem chymici reductionis nomine efferre ſolent.

Quoniam vero antea dictum fuit, quod præter materiam celerrimi motus igneam, acidum maxime ſal ſit hujus mirabilis mutationis præcipua cauſa, facile apparet, omnia ea, quæ efficaciam habent, hoc acidum blande & ſine vehementia, aut ſine nova texturæ alteratione immutandi vel abſumendi, id optime præſtare poſſe. Hæc vero ſunt duplicis generis, vel alcalina terrea, vel ſulphurea terrea, vel ſalia accommodata. Ad primam claſſem ſpectant omnes cineres vegetabilium probe edulcorati, item ovorum teſtæ, oſſa animantium calcinata, nec non calx viva. Ad ſecundam vero claſſem pertinet ferrum, quod terreæ & alcalinæ eſt naturæ, lithargyrium cum cineribus mixtum, vulgo *Heert*, item omnia vegetabilia, in carbones vel cineres converſa ſine extrema calcinatione; porro fuligo lignorum, quæ multum olei habet, nec non pinguia, præſertim cum alcali mixta, veluti ſapo eſt.

Si

Si vero cum ſulphure minerali facta fuerit calcinatio, idque adhuc ipſis calcinatis inhæreat, nitrum huic negotio quadrat, quia nihil eſt, quod ſulphur tam ſubito penitus abigit & deſtruit. Tandem quoque ſalia alcalina, præſertim nitrum fixum, ſive nitrum cum carbonibus remixtum, huic negotio conficiendo apta ſunt.

Hæc itaque ſunt omnia ea corpora, quæ reductioni calcium inſerviunt, quæ etiam ad metalla è ſuis mineris, quæ nihil aliud ſunt, quam calces metallorum, à ſubterraneo & univerſali ſulphuris acido confectæ, reducenda accommodata deprehenduntur. Ita v. g. mineræ mercurii dimittunt per limaturam martis aut ovorum teſtas additas convenienti deſtillatione hidrargyrum. Omnes calces ex antimonio & ſaturno, eorum etiam vitra cum carbonum pulvere & limatura martis dimittunt ſuum metallum. Pariter omnes mineræ, propter ſulphuris, quo ſcatent, acidum, pulvere nigro, ex tartaro & nitro confecto, *durch den ſchwartzen Fluſſ*, item fuligine, marte, nec non carbonum pulvere reducuntur.

Cum vero oleoſa & pinguia reſiſtant acidis eorumque ſpicula maxime involvant, temperent & imbibant, hinc etiam ſapo vel ſevum multum confert ad metallorum calces in priſtina metalla reducendas, ſiquidem hoc modo luna cornua item cineres jovis, commodiſſime in argentum & ſtannum vertuntur. Borax, cum multum terræ ſecum habeat alcalinæ, & liquefactionem etiam promoveat, metallis reducendis aptiſſima eſt. Aurum vero fulminans ſingulari encheireſi opus habet, ut priſtinam formam recipiat: demenda primo eſt vis fulminans per ſulphur admixtum, poſtea borace adjecta totum negotium conficitur.

---

## OBSERVATIO XIII.

### *Experimenta circa mirabilem carbonum virtutem.*

OMnia, quæ deſumta ſunt ex vegetabilibus, ligna præſertim, ſi ſuppreſſo igne tractantur, abeunt in carbones, qui ſunt corpora poroſa, levia, nigra, figuram prioris corporis retinentia, quæ facile ignem concipiunt, atque etiam, fortiori ignis tortura, partim in auras abeunt, partim in cineres reſolvuntur.

Carbones, quorum frequens uſus eſt, ita parantur: ſtruitur acervus ligni, tegitur terra, ſubjicitur ignis, ita flamma aperta impeditur, & ignis ſaltem gliſcens ex ipſis lignis ſuperpoſitis intime extrahit omne humidum, nec non acidum & ſubtile oleum, reliquum craſſius extrahitur quidem, poſtea vero altius harum partium poris ſe implicat.

Ratione hujus olei extricati facile ignem concipiunt, quemadmodum etiam videmus, lintea leviter combuſta, ut non omne oleum evocetur, fomitem & pabulum quaſi ignis præbere, quibus ordinarie ſcintillulæ igneæ ex chalybe & ſilice excuſſæ excipiuntur. In ejuſmodi itaque carbones, ad ignem ſuſcipiendum aptos, non modo omnia vegetabilia, ſed & omnes ex animantibus deſumtæ partes, nigredine ſua conſervata, etiam abeunt.

Notatu vero perquam digna eſt obſervatio, quod nullum carbonum genus, etiam extrema adhibita ignis tortura, in vaſe clauſo comburi, vel in cineres albos converti poſſit, quod tamen ſub libero & aperto aëre facillime fit, ubi in tenuiſſimum fumum reſolvuntur, cineribus relictis, qui elixiviati, ſi carbo fuerit ex vegetabilibus, ſal alcali præbent. Hi cineres, ſale adhuc pleni, ſi decoquuntur in aqua, ſal magis cauſticum evadit, quod etiam fit, ſi cum aqua ex iis formantur globuli iique exſiccati denuo flammæ ſubjiciuntur. Horum carbonum vulgaris licet ſit uſus ad ignem alendum, tamen is ipſe longe excellentior eſt, latiuſque patet ad varias res perficiendas in mechanicis æque ac chymicis & metallurgicis.

Uti vero magna eſt vegetabilium, ita etiam carbonum, qui ex iis proficiſcuntur, differentia. Lignum faginum reliquis omnibus ad alendum ignem præfertur, & carbones ex eo parati præſtantioris uſus ſunt, aliiſque præcellunt; quare etiam ad commutandum ferrum in chalybem præ ceteris eliguntur. Nam quo ſolidiores & ponderoſiores ſunt carbones, eo aptiores quoque ſunt ad hoc artificium. *Becherus in phyſica ſua ſubterranea* mentionem facit experimenti, quo carbones in ſpiritum inſipidum inflammabilem redigi poſſint, qui miſcela cum aceto deſtillato in ſpiritum inflammabilem mutetur. Sed cum exigua fides hujus auctoris experimentis, ubertim in ejus ſcriptis propoſitis, meo quidem judicio, habenda ſit; etiam de hujus ſucceſſu dubitare licet.

Id vero certiſſimum eſt, quod carbones, flamma vividiori & alacriori in tenuiſſimum & minus viſibilem vaporem diſſoluti, ſine ullo odoris ſenſu in auras abeant, cum tamen mox is viſibilis appareat, ſi modo per mundam pennam ſolutione aluminis vel etiam ſpiritu vitrioli in charta pingantur literæ, eæque ſiccentur, poſtea, quando charta fumo carbonum apponitur, mox literæ nigerrimæ ſeſe oculis ſiſtunt, ut nullum atramentum tam ſaturate nigrum colorem melius poſſit exprimere.

Si aër in conclavi, præſertim demiſſiori, tenuiſſimo hoc vapore ab accenſis inibi carbonibus, præſertim ſub tempeſtate valde frigida, fuerit repletus, is animantibus, maxime homini, æque ac venenum infenſus eſt, adeo, ut ſtuporem & ſoporem apoplecticum hominibus incautis inferat, ſique auxilio deſtituuntur, brevi eos ad mortem deducat, quemadmodum innumera exempla paſſim occurrunt, ſi hyeme, præſertim algida, ignitabula incautius in hypocauſta inferuntur. Et hic infenſus vitæ carbonum vapor ab antiquiſſimis æque ac recentioribus medicis multifariam notatus & hiſtoriis illuſtratus legitur; quemadmodum etiam ipſe hanc rem excuſſi in peculiari germanico tractatu, & in parte prima *medicinæ rationalis ſyſtematicæ*. Adduxi enim exempla ex *Livio*, *Plutarcho*, *Hieronymo*, & inter medicos, ex *Galeno*, *Cælio Aureliano*, *Joh. Matth. de Gardis*, *Chriſtophoro à Vega*, *Rumlero*, *Welſchio*, *Hieronymo Reuſnero*, *Foreſio*, *Loſſio*, & inter recentiores ex *hiſtoria Acad. ſcient. Pariſienſ. ann.* 1710. *p.*21. *Lanciſio*, *Rammazzino*, *Nicol. Cheſneau*, item *Reinero Solenandro*, *Amato Luſitano*, quæ ſatis luculenter funeſtum carbonum vaporem demonſtrant.

Quamvis vero pernicialis ille fumi, ex carbonibus vivis prodeuntis, effectus valde frequens & vulgo etiam à longo tempore, propter funeſta plurima exempla, notiſſimus ſit; mirum tamen eſt, hæc plurimis noſtri temporis medicis ita prorſus eſſe incognita, ut vix ulla quidem in eorum ſcriptis de fumo carbonum, vitæ & ſanitati infenſo, & quod inde homines ab eo ſibi circumſpectius cavere debeant, mentio reperiatur. Multo vero minus uſ-

quam

quam in hujus noxii effectus cauſas inquiſitum fuit, quare nempe ab hoc fumo improvide hauſto homines mox in altum ſoporem, ſenſuum ſtuporem, paralyſin, hemiplexiam, & niſi mature ſuccurratur, ipſam mortem incidant.

Cum vero idem fere effectus in fumo ſulphuris vulgaris animadvertatur, dum pauca ejus accenſi portio protinus aliquot animantia, anguſtiori loco concluſa, enecare ſolet; videndum eſt, num carbones & ſulphur minerale habeant principium ſeu cauſam communem, à qua mirabilis ille celer, funeſtus tamen, effectus dependeat.

Perpauca ſulphuris grana accenſa tam tenuem & copioſum tetrique odoris fumum ſpargere, ut ſpatioſum etiam conclave repleat, non ignotum eſt. Igne tota fere ſubſtantia carbonum in auras quin diſſipetur, nullum dubium eſt, per tenuiſſimam & inviſibilem exhalationem, quæ etiam ad oculum patet, quando literæ, ſoluto alumine in alba charta ſcriptæ, & carbonum fumo admotæ, nigro admodum colore tinguntur, ut ſupra monuimus.

Vapor igitur tam tenuis & ſubtilis, in aërem evectus ibique concluſus, utique mediante inſpiratione per nares in caput, & per aſperam arteriam admiſſus in pulmones, propter ſummam ſuam tenuitatem partium ſolidarum vaſorumque poris ſeſe intime inſinuat, inque minimos nervorum, cerebri & meningum poros penetrat, ubi illud fluidum ſubtiliſſimum, quod ſenſibus & motibus præeſt, inquinando actiones ſic dictas animales ſubito perturbare atque invertere valet. Accedit, quod aër etiam, copia horum vaporum imbutus atque in pulmones ſuſceptus, de vi ſua elaſtica expanſiva in expandendis vaſis & veſiculis pulmonalibus multum amittat.

Cum vero ſulphur minerale, cujus vapor non ſecus ac is, qui ex carbonibus vivis exſpirat, infeſtus eſt, ex duplici ſubſtantia, altera acida, altera pingui terrea, quæ ignem concipit, conflatum ſit, in ſpiritu vero acido talis virtus ſoporoſa & narcotica non reſideat, neceſſe eſt, ut in vaporoſa illa ſulphurea ſive phlogiſta ſubſtantia, qualis etiam in ipſis carbonibus reperitur, utpote ex hiſce mediante acido ſulphur arte produci poſſe, jam notiſſima res eſt, cauſa quæri debeat. Atque adeo inde fit, quod vapor carbonum eundem effectum eademque ſymptomata animantibus inferre poſſit, quæ fumus ſulphuris, ſiquidem phlogiſta, quæ in carbonibus eſt, ſubſtantia ſulphuris mineralis, quod tam tetrum vaporem emittit, præcipuum eſt principium. Ecquis vero neſcit, vim omnem ſedativam, anodynam & narcoticam à ſulphure, in tenuiſſimos vapores reſoluto, deducendam eſſe, quemadmodum id crocus, opium, ſolanum, ſtramoneum, papaver, mandragora ſufficienter teſtatum faciunt. Neque obſtat, quod vapor carbonum non odore percipiatur, quandoquidem odoris ſenſus non tam à ſolo ſulphure, quam à ſulphure cum ſale, qui illud exaltat, mixto, proficiſcitur.

Sequitur jam, ut varia illa ſpectemus atque recenſeamus phænomena, quæ à diverſi generis ſalibus vel mineralibus, in ardentes carbones injectis, proveniunt. Primo nitrum, vehementiſſimo igne in vaſe fuſum, non accenditur, injectis vero carbonibus vivis ſtatim flammam concipit, quæ etiam ipſum carbonum ignem valde auget, non ſecus ac ſi ventus per folles admiſſus fuerit.

Sal commune, quando carbonibus ignitis immittitur, decrepitat non tantum, ſed & eorum ignem animat & vividiorem reddit, aſcendente albo vapore, qui ferro vel aliis vaſibus appoſitus manuum opera abſtergi poteſt, & lenem ſapore præ ſe fert ſalſedinem.

Vitriolum, cupri particeps, pulchre cœruleam flammam exhibet. Alumen ſi injicitur, primo valde ebullit & in ſpumam ſe attollit albam, aucto igne omni ſapore privatur, & corpus terreum, ſpongioſum, candidum remanet. Oleo vitrioli ad aliquot guttas in carbones inſperſo, protinus vapor ſulphur olens attollitur.

Borax injecta primo in ſpumam albam convertitur, poſtea intenſiori per flatum reddito igne in mucilaginem confluit, quæ tamen vitream pellucidam maſſam mox conſtituit.

Experimentum etiam fecimus cum ſale Ebſonienſi, Glauberiano, aphronitro Jenenſi depurato, item ſale Setlizenſi Bohemico & Schemnicenſi Hungarico nativo, & eo, quod ex fontibus Egranis coquitur, atque hæc ſeorſum flammæ injecimus, expectando odorem ſulphuris, ſed is non ſecutus eſt, ſed potius primo illa in ſpumam ſpiſſam ſublata ſunt, quæ poſtea diſſlato omni humido concidit, & demum in albam terream maſſam abiit, ſaporis ſalini ſubadſtringentis, quæ cum ſpiritu vitrioli neque ebulliit, neque ſingularem vaporem emiſit. Horum vero ſalium inſignem differentiam conſpicimus, ſi non immediate in ignem carbonum mittuntur, ſed cum eorum pulvere miſcentur, & poſtea in crucibulo ignis adminiſtratur. Ita utique partim inſtar fumi ſulphuris in auras feruntur, partim etiam maſſam ſulphuream alcalinam relinquunt.

Quo unico experimento clare edocemur, quam differens ſit ille effectus, dum immediate nonnulla corpora vel mineralia flamma carbonum tractantur, & ſi cum pulvere eorum mixta, in vaſe quodam concluſa, ignem experiuntur.

Arcanum duplicatum & tartarus vitriolatus omniaque neutra ſalia, quibus acidum vitrioli junctum eſt, vivis carbonibus immiſſa, lenius prius decrepitant, poſtea ſine omni vapore viſibili & odore in auras avolant, vix veſtigio ſui relicto, cum hæc ipſa in crucibulo cum carbonibus mixta, & igne tractata, pauca ſaltem portione ſalis alcalini accedente, in hepar ſulphuris migrent.

In metallurgicis laboribus res notatu digna eſt, quod mineræ joviales, item ferreæ, cupreæ & plumbeæ, calces quoque antimoniales, item ſcoriæ & vitra metallorum, non in purum metallum vel minerale ſuum liquari poſſint, niſi carbones immediate accedant & miſceantur, ac demum ſubminiſtrato aperto igne fundantur. Utrum hac ratione, quæ nonnullorum eſt ſententia, quippiam iſtius, quod in carbonibus latet, phlogiſti, in ipſam metallicam mixtionem ſimul tranſeat, & id, quod igne vel additione aliarum rerum in calcinatione abſumtum eſt, reſtituat, an potius tantum hoc modo ſeparetur illud, quod eorum fluxilitatem impedit, res non tam clara atque evidens eſt, quin accuratiorem adhuc mereatur inquiſitionem.

Nos alias rem ita explicavimus: inhæreſcit mineris metallicis ſulphuris acidum, quia per leniorem præcedentem calcinationem pars oleoſa & inflammabilis avolat; metallorum quoque ac mineralium calces ac vitra identidem acido, quod intime poros penetrat & particularum figuram & ſitum immutat, debentur: hoc acido ſale, tanquam cauſa, ſublato, reditus fit in priſtinum corpus. Indicantur itaque ea, quæ intime penetrant & quæ acidum abſorbendi potentia pollent, quo ſpectant maxime carbones, qui in flammam redacti, corpo-

ribus

ribus reducendis non modo immediate ignem ſubminiſtrant, ſed & ſimul oleoſo & rarefactivo alcalino-volatili ſuo principio intimos poros, ubi acidum occultum eſt, ingrediuntur, illud abſorbent, & ſic metallum reſtituunt. Quod vero ſolus carbonum vapor valde penetrantis & acidum temperantis virtutis ac indolis ſit, inter alia *Cl. Stahlii* obſervatio declarat, qui annotavit, ex vitriolo non poſſe fixum & acidum ejus oleum haberi, ſi retorta fiſſuras acceperit, per quas penetrans carbonum fumus acidum vitrioli vaporem penitus immutat & deſtruit, ut ſpiritus valde volatilis loco acidi corroſivi prodeat.

Ad ſulphuris artificialem compoſitionem quid carbones conferant, ſupra jam deduximus: illud vero curioſum eſt, phoſphorum illum Anglicanum ſolidum, lucidiſſimum, non in tanta copia præparari poſſe, niſi urinæ putrefactæ & inſpiſſatæ pulvis carbonum addatur.

Ad fœcundanda ea, quæ ex terra naſcuntur, pulvis carbonum mirabilem præſtat opem, id quod optime norunt hortorum cultores, qui carbonum pulvere cum terris ſtercoreis & luto veteri ex muris deſumto utuntur. Dici vix poteſt, quam feliciter & læte inde citri & aurantiorum arbores, caryophyllorum etiam flores ſuccreſcant.

Terram vero humidiorem ita fœcundant, ut fragorum fructus longe majores fiant, & omnes plantæ mirabile incrementum capiant. Alcali enim illud terreum & ſulphureum, quod cuſtodiunt, aqua & ſolari calore reſolutum, terram ita efficit fertilem, ut ſuccus nutritius, per hanc tranſcolatus, non modo minimos vegetantium tubulos eo promtius ſubeat, ſed & facilius in eorum ſubſtantiam cedat.

Ex hoc experimento clariſſime elucet, præcipuum illud fœcundationis principium à ſulphurea magis ſubſtantia, quam ſalina petendum eſſe, quæ, ſi alcalinæ eſt naturæ, nil aliud efficit, quam ut ſulphuream illam materiam magis attenuet atque reſolvat, acidumque, quod vegetationi valde reſiſtit, immutet atque abſorbeat.

Uti vero pulvis carbonum, ita multo magis oſſa animantium, in clauſo vaſe in cineres nigros combuſta, terræ macræ quandam fœcunditatem tribuunt, eo quod plus ſubſtantiæ pinguis, quam ipſi carbones, cuſtodiant: adeo ut commode etiam ad fœcunditatem vegetabilium ſecundandam cum aliis adhiberi poſſint.

De virtute carbonum anodyna in affectibus ſpaſmodicis & convulſivis non eſt, quod dubitemus, cum carbones tiliæ præcipuum ſint pulveris antepileptici Saxonici nigri ingrediens, qui præclaris effectibus magnam famam & laudem conſequutus eſt. *M. Rulandus in theſauro Medico à Carolo Reigero edito p.4. 7.* carbones tiliæ ab epilepſia, torminibus, colica & ventris fluxu liberare prodidit.

---

## OBSERVATIO XIV.

### *Experimenta circa Phoſphorum Anglicanum.*

Per phoſphorum hic non intelligimus materiam, quæ tantummodo noctu vel in tenebris lucem ſpargit, cujus generis eſt phoſphorus à *Balduino* inventus, qui ex creta in ſpiritu nitri ſoluta conficitur, aut lapis Bononienſis, vel talcum ſciſſile viridis coloris, quod mineræ ſmaragdi nomine venit, leni igne calcinatum, ſed potius ſubſtantiam non tantum lucentem, ſed etiam fumantem, & quæ attritu paulo fortiori adhibito etiam flammam concipit, cujus prima inventio Germano inſigni Chymico, *Crafftio*, debetur, quem poſtea *Kunckelius & illuſtris Boyle* in Anglia multum perfecerunt. Hic phoſphorus conficitur ex capite mortuo ſpiritus urinæ, ſi illud cum duabus partibus carbonum & dimidia parte aluminis miſcetur, inque retorta figulina probe lutata, igne acerrimo, ſive extremo ejus gradu, per aliquot horas urgetur, ita ex retortæ collo, cui vas recipiens aqua plenum ſic adaptatur, ut aqua tectum ſit, vapores ignei & lucidi in aquam tranſeunt, qui inſtar butyri coagulati ſupernatant, quæ materia collecta beneficio aquæ calidæ in unam maſſam coaleſcit.

Eſt igitur phoſphorus nihil aliud, quam corpus ſulphureum ſubtiliſſimum, cujus partes, ex quibus componitur, motu rapidiſſimo intus agitantur, qui motus dum per lineam rectam ferit oculi tunicam retinam, ideam luminis excitat, ſi vero per fortiorem attritum is motus augetur, in apertiſſimam lucidam & ſplendentem flammam convertitur.

Materiam hujus ſulphureæ ſublucidæ ſubſtantiæ præbet acidum aluminis & ſalis in urina humana communis, quod cum oleoſa & phlogiſta urinæ & carbonum ſubſtantia intime permixtum efformat corpus ſulphureum, quod, dum ejus partes per ignis vehementiam in rapidiſſimum motum conjiciuntur, volatile evadit & perpetuo fumos eructat.

Notabilia ſunt ea, quæ cum phoſphoro inſtituimus experimenta:

1. Ejus particula ſi accuratiori microſcopio adſpicitur, continua ebullitio internarum partium obſervatur.

2. Si ejus fruſtum cochleari argenteo imponitur & igne ſubſtrato accenditur, flamma erumpit lucidiſſima, atque in cochleari macula relinquitur rubicunda, ſatis denſa, acidi corroſivi ſaporis, quæ pauxillo aquæ adjecto, reſolvitur in liquorem acidum, qui cum oleo tartari per deliquium confligit.

3. Quando cum phoſphoro accenſo in cute humana ambuſtio fit, hæc tam gravis eſt, ut non tantum profundius penetret, ſed & difficillime conſolidetur, dubio procul propter acidum mixtum corroſivum, quod ignis vim adurentem auget.

4. Sumſimus nitri puri exſiccati unciam dimidiam, idque in mortario vitreo in pulverem comminuimus, cui poſtea decem grana phoſphori, in exigua fruſtula conciſi, adjecimus; hinc nitri accenſionem & flammam expectavimus, quia phoſphorus ſolo attritu accenditur; ſed exquiſita etiam adhibita trituratione nulla ſecuta fuit flamma, nitrum potius lucidiſſimum factum, phoſphori lumine per totam ejus ſubſtantiam diſperſo.

5. Si phoſphorus limaturæ martis, in tenuiſſimum pollinem redactæ, vel ejus croco admiſcetur, & hæc in mortario teruntur, celeriter à phoſphoro accenſo flamma ſpargitur lucidiſſima.

6. Phoſphorus licet ſit verum & vivum ſulphur, perpetuo igneo motu agitatum, tamen neque in rectificatiſſimo ſpiritu ſimplici, neque cum ſale volatili acuato diſſolvitur; ſed tamen, quod in ſpiritum vini tranſiverint quædam ſulphureæ partes, vel ex eo colligitur, quia ſi ejuſmodi ſpiritus in loco tenebricoſo in aquam infunditur, leve quoddam lumen obſervatur.

7. Multo autem magis mirum eſt, olea deſtillata, ut cinnamomi, caryophyllorum, ad compagem phoſphori diſſolvendam minus promta & idonea

idonea eſſe, ut ut tenues lucidas partes imbibant atque arripiant.

8. Id vero adhuc magis mirandum & prodigio ſimile eſt, quod, ſi camphora, quæ non niſi æthereum ſubtiliſſimum oleum coagulatum eſt, ad decem partes cum una phoſphori parte miſcetur, fortiſſima tritura accedente, nec phoſphorus, nec camphora accendatur, ſed tota camphora fiat lucida, ut phoſphori lumen hac ratione mirifice propagetur.

9. Hæc camphora oleo caryophyllorum optime ſolvitur, & phoſphorus antea ſolidus, hac encheireſi fluidus redditur, & oleum lucem concipit, quo citra combuſtionis periculum crines, manus & veſtes inungi poſſunt.

10. Quando phoſphorus cum camphora cochleari argenteo inditur, igne ſubdito, non prius phoſphorus in flammam conjicitur, quam camphora penitus fuerit flamma conſumta. Idem fit, ſi phoſphori v. g. grana decem oleo caryophyllorum immittuntur, & ſpiritus nitri inflammans affunditur, tum protinus oleum accenditur, phoſphorus vero neutiquam, qui non niſi oleo flamma conſumto inflammatur.

Hæc ſingula experimenta accuratiorem utique evolutionem & explicationem exigunt; ſiquidem non tam facile & obvium eſt, horum phænomenorum cauſas tam promte enucleare. Etenim notandum venit, quod phoſphorus, cum nitro vehementer trituratus, reſpuat accenſionem. Si non vera, tamen veri ſimilis hujus rei cauſa eſt, quod in texturam & mixtionem nitri aqueum & aëreum quoque fluidum ingrediatur idque intime cum eo unitum ſit. Licet itaque in nitro occultata ſit ignea materia; tamen hæc neque in motum cietur, neque extricatur, niſi per adjectam materiam, quæ in motu igneo jam conſtituta eſt. Nam in nitro partes aëreæ extricatæ prædominium habent, quæ etiam refrigerium ſenſibus inferunt, & motui igneo, qui jam ineſt phoſphoro, potius reſiſtunt, tantum abeſt, ut illum intendant atque promoveant. Quia vero ferrum eſt metallum admodum ſulphureum, cujus partes facile igniuntur, & quod ſola percuſſione candens fit; hinc non mirum eſt, id ipſum phoſphori accenſionem per fortiorem trituram minime impedire.

Quamvis vero phoſphorus ſit ſulphur quaſi vivum, cujus partes perpetuo inteſtino, rapido & actuoſo motu circumaguntur, tamen alia hujus ſulphuris eſt interior ſtructura & textura, quam corporis oleoſi & reſinoſi, in quo manifeſtum acidum non reperitur. Quare etiam non mirum eſt, ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus, vel oleum quoddam, hunc ipſum diſſolvendi potentia caret, utpote cum nec ſulphur minerale pariter à ſpiritu vini rectificatiſſimo, vel oleo quodam deſtillato affuſo, facile ſolvatur. Camphora vero ſi trituratur cum phoſphoro, ejus inflammationem impedit, quia quando viginti partes camphoræ ad unam phoſphori ſumuntur, hæc ipſa nimis disgregata, diſperſa & disjuncta, ob intermixta tam plura camphoræ corpuſcula, flammeum motum non accipere, & hinc quoque camphoram non accendere poteſt. Quod vero phoſphorus, oleo caryophyllorum injectus, à ſpiritu flammifero non prius accendatur, quam oleum conſumtum ſit, ratio eſt, quia petit fundum, flamma vero ſuperiorem locum occupat, adeoque hæc eum non prius tangere poteſt, quam ad ima pervenerit.

## OBSERVATIO XV.

*De balſami ſulphuris terebinthinati vi exploſiva.*

Quam ſtupendis effectibus non ſolum pulvis pyrius, atque is, qui dicitur fulminans & ex tribus partibus nitri, duabus ſalis tartari & una ſulphuris vulgaris conficitur, ſed ipſum quoque aurum fulminans polleat, in tanta chymicæ artis cultura non amplius ignotum eſt. Illud vero novum quid & forſan inauditum videtur, quod oleum deſtillatum, præſertim terebinthinaceum, in quo ſulphur vulgare ſolutum eſt, vitro incluſum & forti igne tractatum, vim tam ſtupendam exerat, ut ſi non ſuperet, certe æquet pulveris pyrii vehementiam. In cujus rei confirmationem hoc loco enarrare placet commemorabilem hiſtoriam, quæ anno 1698. die 7. Novembris Zellerfeldæ, quod oppidum eſt in tractu Hercyniæ, in maximam incolarum admirationem accidit.

Quidam rei pharmaceuticæ præfectus balſamum ſulphuris terebinthinatum in ſatis firma retorta vitrea arenæ committit, & orificio vaſis recipientis fortiter occluſo, ignem paulo vehementiorem ſubminiſtrat. Brevi poſt horrendus auditur fragor, ut omnes, qui domum incolunt, ſæviſſimum turbinem, qui tectis ruinam minetur, obortum eſſe exiſtiment. Tyro quidam pharmaceuticus, ſtans juxta mortarium in area, non procul ab officina, in qua labores chymici confici ſolent, ſubito & quaſi cum mentis emotione parieti alliditur, alius vero intra januam, quæ aream aperit, plane attonitus & quaſi fulmine tactus in terram concidit, collectis tamen denuo viribus animoque recepto odorem percipit fœtidum, valde ſulphureum, indeque conjiciens, has turbas perverſa illius medicamenti tractatione concitatas fuiſſe, quanta poteſt feſtinatione cum vicino quodam, qui ad explorandam tanti ſtrepitus cauſam ſubito advolaverat, decurrit in laboratorium, ubi dimidiam retortæ partem in arena ſuperſtitem, reliquam vero cum collo retortæ per feneſtras culinæ diffractas & excuſſas in aream longius projectam inveniunt.

Nec vero intra hos effectus ſubſtitit, ſed latius vim ſuam diffudit turbulentiſſimus ille fragoris impetus. Nam præterea perfregit fores cellæ cibariæ, eaſque una cum aliquot ollis & patinis ex culina deturbavit in aream. Effregit quoque aliam januam, quæ ex cella iſta ducit in laboratorium, indeque validiſſimam feram avulſit; & quoniam ex eadem cella per ſcalam tortilem atque in ſpeciem cochleæ conſtructam ad aliud conclave adſcendere licet, ibi etiam fores clauſtris emovit, ſimulque loculamenta, in quibus vaſa Batava, excipiendis confectionibus adaptata, repoſita erant, in pavimentum proſtravit, inque eodem conclavi aliquot ſimilis generis vaſa, ex medio reliquorum ſublata, ad imum dejecit, & ambo feneſtras marginibus excuſſas in aream detruſit. Inſuper poſitas prope januam, qua in plateam itur, feneſtras, ſalvis tamen marginibus, diverberavit, atque in anguſtiori conclavi infima aſſamenta dirupit, revulſosque, quibus januæ latera veſtiuntur, aſſeres una cum clauſtro & cardinibus devolvit in pavimentum, non illæſis vitreis feneſtrarum orbibus, quarum tamen oras intactas reliquit. Denique etiam januam illius conclavis, ubi aquæ deſtillatæ aſſervabantur, aliamque, quæ ex eo aditum in officinam concedit, vi & impetu

petu aperuit. In ipſa vero officina non niſi feneſtrarum vitris ſtragem intulit, cum laxatis earum repagulis, quæ tamen non ſecum abripuit.

Proxime habitantes ſerio & aſſeveranter dixerunt, prorupiſſe eodem temporis articulo, quo fragor exauditus eſt, ex camino ingentem fumi denſioris copiam, ſeque talem percepiſſe ſtrepitum, qualem exploſa tormenta edere ſolent, cumque totum pervaſiſſe oppidum, ita ut omnia fere ædificia, quodam quaſi terræ motu, concuſſa fuerint.

Hæc mirabilis relatio, cui eo major fides habenda eſt, quoniam incredibiles iſtos effectus his meis oculis vidi, clariſſime demonſtrat, qualis indoles, natura & quanta vis ſit fulguris ac tonitru, & quomodo eorum percellens & concutiens vehementiſſima vis à ſola fortiori percuſſione aëris dependeat, dum nempe is ipſe per igneam expanſivam ſummam virtutem elaſticam cum magno impetu agitatur, ac de loco ſuo dejicitur, adeo ut tota columna aëris valde gravis varios & mirabiles effectus in corporibus obviis, duris maxime & reſiſtentibus, ea concutiendo, diffringendo & varie agitando exerceat. Nam profecto ſtupenda etiam pulveris pyrii accenſi virtus non materiali cauſæ ſulphuris vel nitri adſcribi debet, ſed potiſſimum columnæ aëreæ, per vehementem ignis rarefactorium & expanſivum motum è loco ſuo impetuoſe propulſæ; hinc videmus, ſine nitro à ſolo ſulphureo corpore incluſo & inflammato proficiſci poſſe ejusmodi effectus, qui à fulgure & tonitru alias producuntur.

Neque dubium eſt, quin motus, qui in terra, ſeu locis ſubterraneis, ſæpius cum tremore & concuſſione fiunt, ab eadem materia ſulphurea, quæ copioſiſſime inibi luxuriat, accenſa & reſoluta ſuam trahant originem. Nam ſub terra nullum ſal nitroſum gigni, nec ibi erui poſſe, ſed aëris partum hoc ipſum eſſe, certiſſimum eſt.

Porro etiam hoc experimentum quaſdam utiliſſimas cautiones nobis ſuppeditat, maximeque docet, omnia corpora inflammabilia, olea etiam, imo ſpiritus, præſertim ſi in concluſis vaſis ſubſiſtunt, caute & circumſpecto igne tractanda eſſe, ne exploſivam ejusmodi pernicialem vim, quæ magno detrimento & ædificiis & hominibus eſſe poteſt, proferant. Nam novimus etiam ante aliquot annos Lipſiæ idem fere magno cum damno quoſdam chymicos, ſub deſtillatione ſpiritus vini rectificati in veſica cuprea, expertos fuiſſe, dum nimis forti igne adminiſtrato vaſa diſrupta ſunt, & ſpiritus in apertam flammam exarduit.

Meretur etiam in hujus experimenti illuſtrationem adduci notabilis obſervatio, quam *Cl. Mauchardi Dec. I. M. N. C.* publicæ luci expoſuit, ubi vietor in novum dolium tredecim amphorarum, ad delendum novi ligni ſaporem, aliquot menſuras ſpiritus vini dephlegmati injecit, & deſuper ſulphuratum incendit, & occluſis omnibus ex ignorantia foraminibus tantus fuit exortus fragor, ut vicini terræ eſſe motum crederent. Ab hoc fragore dolii poſterior fundus totus non ſolum bis per transverſum aſſularum in medio erat diffractus, ut ut ad trium pollicum ſpiſſitudinem accederet, & quidem tanta vi ad murum, quatuor pedibus diſtantem, alliſus, ut fragmenta penitus eſſent obtuſa, ſed & exterior ejus margo totus in fovea, quam *die Gorgel* vietores vocant, remanſerit, ſimulque repagulum, *eine Stange*, quod obſtiterat, removerit, clavosque ferreos id firmantes tam fortiter aſſulis impegerit, ac ſi fortioribus graviſſimi mallei ictibus eſſent impulſi.

## OBSERVATIO XVI.

### *Experimenta circa colorum geneſin.*

Corporum colores ex varia luminis reflexione, refractione, ſuffocatione, pro diverſa particularum, ex quibus conſtant, diſpoſitione, textura & diverſo opacitatis gradu naſci, res eſt inter phyſicos notiſſima, & ab Illuſtri *Nevvtono* claris ac evidentibus argumentis demonſtrata, quam tamen experimenta chymica luculentius illuſtrant atque confirmant. Nam omnia, quæ ſtructuram internam partium in corpore immutandi potentiam habent, ut alius fiat luminis ingreſſus, tranſitus & egreſſus, ea quoque inducendis atque immutandis diverſis coloribus idonea ſunt.

Cum vero ignis, aër, aqua, ſalia & ſulphura præ omnibus aliis valeant tanta potentia, ut ingentem mutationem texturæ & ſtructuræ corporum intimæ inferre poſſint; non mirum eſt, ſi ea in mutatione & exaltatione colorum omne fere punctum ferant. Quamvis vero ſint innumera experimenta ab aliis jam tacta & propoſita, non incongruum tamen in præſentia erit quædam adjicere non adeo vulgaria, nec ubivis obvia, quæ ad doctrinam hanc plenius illuſtrandam plurimum conferre poſſunt.

Eruitur ex terra ſpecies lapidis ſciſſilis, qui talcum vocatur, nigro colore imbutum: hoc, quando carbonibus vivis imponitur, ut candeſcat, non modo ſpongioſum fit, inque ſquamas abit, ſed & aureum accipit colorem, ſolo ignis motu id præſtante.

Deinde quando arcanum ſic dictum corallinum paratur ex argento vivo per ternam ſpiritus nitri ab eo abſtractionem, pulvis fit flavus, crocei coloris, qui ſuper laminam ferream carbonibus vivis impoſitus, colorem ſuum mutat, & rubicundo-purpureum induit, inſtar elegantis croci martis, qui color, quamdiu eſt ignitus hic pulvis, manet, ſimul ac vero refrigeratur, ſtatim priſtinum flavum colorem recipit.

Quemadmodum aëris eſt magna vis atque potentia immutandi corporum texturam, ita etiam color, qui ejus productum eſt, aëre multum alteratur.

Flores vegetabilium, qui colorem purpureum, coeruleum & rubicundum habent, ſiccati, aëri quando paulo diutius exponuntur, eum penitus amittunt: cujus generis ſunt flores violarum, cyani, ſalviæ, roſarum, calcatrippæ, bellidis, lavendulæ & id genus plures. In coloratis ex ſerico confectis pannis idem obſervamus, præſertim qui ad cœruleum, violaceum & roſeum vergunt, quem aër calidior facile immutat atque alterat.

Dantur vero colores conſtantes, qui & melius ætatem ferunt, & ne ullam quidem mutationem ab externo aëris vel ætheris acceſſu patiuntur, ſed ſemper perdurant, ut ſunt color purpureus & coccineus, ex granis cochinellæ eductus, & rubro-brunus ex ſimplici, quod dicitur *Krapp*, & color niger ex vitriolo & terreis adſtringentibus vegetabilium elicitus, item coeruleus, qui ab indigo provenit.

In genere id ſciendum eſt, colores eos durabiliores eſſe, qui ſaturate ſunt rubicundi vel cœrulei, eo quod plus opacitatis contineant, quæ à principio terreſtri, non adeo mutabili, proficiſcitur, quam ii, qui valde ſunt diluti, ut roſei, cœrulei, violacei, qui

qui à teneriori principio dependent ſulphureo & evaporabili.

Oleum ex floribus chamomillæ vulgaris, item ex comis millefolii deſtillatione per aquam paratum, elegantiſſime cœruleo colore nitet, qui tamen intra aliquot menſium ſpatium, præſertim ſi continetur in vaſis vitreis non repletis, vel ſi aëri aperto exponitur, plane perit, & in viridem brunum convertitur.

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus ex cortice radicis alcannæ rubro pulchre coëruleum mox extrahit colorem, qui tamen brevi tempore in violaceum, poſtea in amethyſtinum mutatur.

Deinde tinctorum obſervatione conſtat, quod ſub aëre ſereno longe elegantiores, quam quidem ſub cœlo turbido, emergant colores.

Multum quoque intereſt ad colorum exaltationem vel eorum immutationem, cujus naturæ & generis aquæ, præſertim in artificiis tinctoriis, adhibitæ fuerint. Nam ſicut aquæ raro puræ, ſed terreo, vel ſalino, aut ſulphureo principio fœtæ inveniuntur; ita non quævis coloribus pulchris genuinis inducendis & retinendis aptæ, ſed aliæ aliis opportuniores ſunt. Quo puriores vero vel leviores illæ ſunt, eo melius tingendis rebus inſerviunt. Aquæ ſtagnantes per putrefactionem valde leves fiunt, & ſi per arenam filtrantur, uti fit in Batavia ſeptentrionali, *zu* Sardan, eo majorem ad colores extrahendos eoſque aliis rebus inferendos habitudinem acquirunt.

Calor quoque in coctione non parum ad immutationem colorum conducit, cujus rei clarum exemplum exhibet ſyrupus violarum, cujus purpureus color ſi ſervari debet, tantum pars una florum cum una parte aquæ infundenda eſt, ad unam partem infuſi duas partes ſacchari ſumendo, lenior fiat coctio in vaſe ſtanneo; fortiori vero adhibita coctione inque vaſe cupreo vel æneo, elegans ille violaceus color perit, & in viridiuſculum mutatur.

Omnes flores vegetabilium, ſive ſint violacei, cœrulei, incarnati, roſei, ſive bruni rubicundi, ad mixturam liquoris acidi, elegantem induunt rubedinem; ſi vero infundantur liquido, quod ſale vel fixo vel volatili impprægnatum eſt, color eleganter viridis exſurgit.

Quæ experimenta eximium atque inſignem uſum habent in detegendis aquarum mineralium principiis, num ſcilicet de acido vel acalino principio participent, vel etiam vegetabilium & animantium ſuccis examinandis, cujus indolis ſalia foveant, egregie inſerviunt.

Deinde lixivioſa colorem rubicundum in floribus, ut videmus in floribus balauſtiorum, tunicæ, papaveris rhœados, immutant in viridem, ita colores florum, imo radicum & corticum, qui ad flavum vergunt, intendunt & ad rubicundum diſponunt: videmus id in curcuma, rhabarbaro, in ſucco kermes, in radice rubiæ tinctorum, quæ ſpiritui ſalis ammoniaci vinoſo elegantem rubedinem largitur.

Id vero ſingulare eſt, quod cortex radicis alkannæ vini ſpiritum atque omnia olea, ſive deſtillata, ſive expreſſa fuerint, rubicundo colore inficiat, ſpiritum vero ſalis ammoniaci vinoſum pulchre cœruleo tingat, qui tamen mox, ut ſupra diximus, in amethyſtinum convertitur. Hic color vero, quod notabile eſt, rubicundus ab acido non intenditur, ſed potius deprimitur; unde tinctura ejus, cum acido facta, flava fit, & ſpiritus quoque vini cum ſpiritu ſalis acido commixtus & huic radici affuſus flaveſcit. Ex quo apparet, acidum non ſemper rubedinem extrahere, multo minus intendere, quod etiam aliis poſſumus confirmare exemplis. Nam color ille purpureus, quem grana cochinellæ fovent, ab alcali quodam exaltatur, obſcuratur vero & diluitur ab acido.

Denique notatu dignum eſt, quod infuſiones omnium fere herbarum ab admixto liquore alcalino intenſiorem accipiant vel viridem vel flavum colorem, qui non parum ab acido minuitur & deprimitur.

Neque etiam circa colorum doctrinam eorumque ætiologiam id prætermittendum eſſe arbitror, ſulphur, ut chymicorum eſt ſententia, ſemper fere eſſe cauſam colorum, & quia ſalia, tam acida, quam alcalina, in texturam ſulphurum ingentem habent actionem & ingreſſum, non mirum eſt, ſalia utraque hæc in corporibus oleoſis & ſulphure fœtis, coloribus, præſertim rubicundis, explicandis & exaltandis valde eſſe accommoda, ſiquidem diſcimus id clare experimentis chymicis: nam omnes ſpiritus acidi & oleoſi, ut tartari, mannæ, lignorum, mellis, recentes ſi ſint, pellucidi & flavi, digeſtione mox inſignem contrahunt rubedinem, ob acidum evolvens oleoſum principium. Spiritus etiam omnes vinoſi & valde oleoſi, v. g. ſpiritus cochleariæ concentratus, ab inſtillatione ſpiritus vitrioli rubeſcunt. Neque etiam tantummodo olea deſtillata ab admixto oleo vitrioli in rubicundiſſimam maſſam vergunt, ſed & ſi in ſpiritu vini ſoluta fuerint, accedente digeſtione, idem efficitur.

Verum enim vero ſicut acida ſalia in ſulphuream maſſam penetrant & colorem explicant, ita ſalia alcalina, quæ etiam agunt in ſulphurea corpora, idem efficiunt. Sic videmus, ſolutionem myrrhæ à quovis alcali rubicundum contrahere colorem, & ſpiritus oleoſos & urinoſos, ut cornu cervi, urinæ, ſanguinis humani, recentes pellucidos, temporis diuturnitate rubeſcere. Olea deſtillata ſi ſolvuntur in ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, in colore mirum exaltantur.

## OBSERVATIO XVII.

*Obſervationes & experimenta circa colores, qui ex metallis & mineralibus proveniunt & iis quaſi proprii ſunt.*

Etſi, ut jam ſupra monuimus, plurimorum cognitioni pateat, variorum colorum generationem ex diverſa luminis ad oculum ſpectatoris pro varia ſuperficierum & pororum, quos attingit, diſpoſitione & textura, refractione fieri; hoc tamen phænomenon non æque omnibus conſtat, colores pro diverſitate regnorum, ex quibus materiæ coloratæ proveniunt, magis vel minus eſſe durabiles, adeo, ut ii, qui ex metallis proveniunt, diutius permaneant, nec tam facile permutentur, quam ubi colorum cauſæ ex animantibus vel vegetabilibus fuerunt deſumtæ.

Cujus rei etiam ratio non tam difficili eget indagine; nam ſicuti textura metallorum non tam facile à quovis mutari vel deſtrui poteſt; ita etiam eorum color, qui ſtructuræ eſt productum, non tam proclivis ad mutationem eſt. Ita non ignorant pictores, colorem cœruleum, ultramarinum, cujus materia ex lapide lazuli & argento paratur, inter purpureos carmin, quod ex cochinella & ſolutione jovis conficitur, inter virides viride æris & flavus, qui ex auripigmento depromitur, omnium con-

conſtantiſſimos eſſe, nec ab aëre, vel calore facile ullam pati mutationem.

Id vero hoc loco maxime proponere voluimus, certos quibusdam metallis proprios eſſe colores. Aurum, omnium metallorum ſolidiſſimum, elegantem purpureum colorem largitur, eoque non modo cutim humanam tingit, ſi digiti ejus ſolutione inunguntur, ſed &, ſi debita encheireſi, accedente nempe aqua ſufficiente, ſolutio ejus miſcetur cum ſolutione jovis, crocus eleganter purpureus præceps in fundum cadit, qui vitro puriori & cryſtallino per debitam fuſionem elegantiſſime rubineum colorem conciliat.

Argentum, ab omni contagio venereo immune adeoque puriſſimum, videtur omni colore eſſe orbatum, ſed tamen ſi ſolvitur in aqua forti, & ejus ſolutio affunditur cretæ, eaque ſolvitur, tunc amethyſtino eleganti imbuitur colore, præſertim ſi aëri libero & radiis ſolaribus exponitur. Idem color etiam fit, ſi ſolutio argenti in vaſe aperto paulo diutius ſtet & aliquid chartæ bibulæ adjiciatur.

Cuprum in aqua forti viridem, in alcalino vero vel urinoſo menſtruo ſolutum pulchre cœruleum exhibere colorem, notiſſimum eſt. Magiſterium veneris, cum aqua forti & ſalis communis adjectione factum, vitro albo, quod ex antimonio diaphoretico, pyrite & nitro paratur, largitur colorem ſaturate cœruleum, *vvie ein Türckis.*

Stannum omnis coloris expers apparet, nihilominus ſi cum antimonio miſcetur, & poſtea nitro debite detonatur, fit inde calx cœrulea, quæ in medicina antihectici Poterii nomine venit. Porro ſtanni ſolutionem ad ſcarlatinum colorem exprimendum & conſtantiorem reddendum neceſſariam eſſe, artis tinctoriæ gnari optime norunt. Eandem ad productionem coloris purpurei ex auro multum conferre, jam ſupra dictum eſt. Cæterum calx jovis, fortiori igne in vitrum converſa, id imbuit opalino colore.

Nullum vero ex metallis tam ferax coloris eſt, quam plumbum, cujus calx cum acidis facta candore ſe commendat, ut apparet in ceruſſa, item in magiſterio ſaturni. Plumbum igne tractatum flaveſcit, ut videmus in lithargyrio, quod vitrum imbuit hyacinthino colore. Et magiſterium ſaturni, cum aqua forti & ſale communi paratum, lactei coloris vitrum exhibet: reverberatorio igne plumbum tractatum in minium convertitur, quod eleganti rubicundo colore ſe commendat.

Si literæ pinguntur cum ſolutione ſaturni, ſive ſaccharo ſaturni in aqua diſſoluto, eæque exſiccantur & charta admovetur ſpiritui ſulphuris volatili, vel auripigmenti, aut ſulphuris vulgaris ſolutioni cum forti lixivio factæ, & adhuc magis, ſi quid aceti deſtillati adjiciatur, ſtatim literæ pictæ, quæ antea erant non viſibiles, atro colore imbutæ apparent. Cineres plumbi, quando in vaſe terreo flamma lignorum, quæ eorum ſuperficiem ambiat, igniuntur, primo album, deinde flavum, poſtea rubrum colorem acquirunt atque in minium convertuntur.

Argentum vivum, cum ſulphure mixtum & ſublimatum, conſtituit concretum coloris eleganter rubicundi quod vocant cinnabarim.

Mercurius pro diverſa cum ſalibus tractatione varios induere conſuevit colores. Nam ejus ſolutio præcipitata per ſal commune, aut alcali urinoſum, pulverem dejicit nivei coloris. Mercurius præcipitatus albus, vel etiam dulcis, ſi cum ſulphure vulgari teritur, niger evadit, qualem etiam colorem acquirit mercurius præcipitatus albus, ſi cum magiſterio ſaturni teritur. Si ſpiritus nitri aliquoties abſtrahitur à mercurio, ſatiſcit in pulverem flavum, ab oleo vero vitrioli abſtracto colorem rubrum accipit, aurantium vero à præcipitatione ſoluti mercurii ſublimati per oleum tartari per deliquium.

Sequitur jam ferrum, cujus etiam varii ſunt colores: ſi ſublimatur cum ſale ammoniaco, crocci flores exſurgunt; ſi vero ſolvitur acidis, ut in vitriolaceam naturam degeneret, & poſtea miſcetur cum ſolutione gallarum, florum balauſtiorum aut corticum granatorum, color ater exſurgit. In rubicundiſſimum vero mars vertitur crocum, ſi ſuper limaturam ejus aqua fortis abſtrahitur. Magneſia, quæ minera ferri eſt, vitrum Venetianum adjectione boracis eleganti amethyſtino colore tingit.

Inter mineralia eminet maxime cobaltum, quod igne fuſorio cum vitrea maſſa tractatum, ſapphirino colore eam imbuit.

Antimonium obſcuro rubicundum colorem largitur, ſi ejus partes quinque cum una parte ſalis tartari funduntur: ejus calx vitrificata hyacinthinam pelluciditatem acquirit. Regulus vero, cum nitro calcinatus, ceruſſa dicitur antimonii, ob colorem, quem cum ea communem habet, candidum. Eadem ceruſſa cum duabus partibus tartari ſi funditur, pulvis fit viridis: à regulo autem martiali pulvis remanet cinnabarini coloris.

Sulphur cum alcali & oleo deſtillato ſolutum rubineo colore imbuitur: Zincum cum cupro fuſum ipſi colorem aureum inducit.

Vitrioli tincturæ nigricantis, quam infert ſolutionibus vegetabilium adſtringentium, mentio jam facta eſt, id tamen monendum, quod, ſi levior affuſio ejus ad ſolutionem gallarum fiat, purpureus producatur color; ſi vero extremo ignis gradu ab eo acidum extorquetur, caput mortuum rubrum relinquatur. Ejus autem oleum poſt rectificationem limpidum, mox additione cujusdam materiæ inflammabilis oleoſæ, rubeſcere incipit.

Nitrum in ſpiritum flammei coloris reſolvitur & extremo ignis gradu cum pulvere carbonum calcinatum, in colorem ex viridi cœruleum abit.

Atque hi fere ſunt colores, quos varia mineralia & metalla per varias mixtiones, ſubactiones ac tractationes cum igne ſuppeditant.

---

## OBSERVATIO XVIII.

### *De liquoribus, qui per deſtillationem prodeunt colorati.*

Colores ex certa unione & diſpoſitione diverſæ naturæ partium, quæ variam lucis refractionem efficit, ſuam habere originem, veritas in phyſicis ſatis perſpecta atque innumeris experimentis & rationibus firmata eſt. Cum vero deſtillatio, quæ non immediato igne, quem reverberatorium chymici vocare ſolent, ſed mediato potius ignis calore, aquam vel cineres tranſeunte, inſtituitur, magnam potentiam habeat ſeparandi & auferendi volatile & evaporabile ab eo, quod eſt immobilioris naturæ, ſtatim patet, in immutandis vel auferendis coloribus multum valere hanc operationem.

Experimenta nos docent, valde coloratos deſtillationi ſubmiſſos liquores eundem colorem non ſecum

ſecum evehere. Balſamum ſulphuris mineralis vel antimonii terebinthinatum vel aniſatum rubicundiſſimum eſt, ſi vero deſtilletur, olea prodeunt limpida, nec quicquam ſulphuris arripiunt.

Tinctura antimonii acris, nec non ſcoriarum reguli antimonii communis eleganti ſplendet rubedine. Si vero deſtillatione ſpiritus abſtrahatur, prodit is rectificatiſſimus pellucidus, limpidus, ſuavi tamen ſapore & odore ſulphuris impraegnatus. Oleum quoque vitrioli valde rubicundum exſtillat limpidum, ſi per arenam aut ex capella vacua fortiori igne rectificetur.

Omnia corticum, radicum & herbarum infuſa aut decocta in aqua vel ſpiritu vini varii coloris deſtillatione aquam vel oleum fundunt, coloris plane expertia.

Neque minus ſolutiones mineralium, ſive cum acidis ſpiritibus, ſive cum alcalinis menſtruis paratæ fuerint, ex cucurbita vel retorta ſi deſtillentur, color in fundo remanet.

Omnes inſuper ex vegetabilibus vel earum partibus aut reſinis extractæ tincturæ, etiam ex rebus valde coloratis, croco, rhabarbaro, nec quicquam coloris reddunt in deſtillatione.

Hæc omnia & ſingula experimenta nos clare docent, materiam & cauſam illam, quæ coloris phænomena producit, in principio non tam ſubtili, & quod per vaporem colorem aufferre poſſit, ſed magis in conjunctione partium, quæ paulo immobilioris ſunt indolis, terreſtrium, ſalinarum & ſulphurearum conſiſtere.

Nihilo minus tamen dari etiam deſtillationes quaſdam, ſub quibus liquores colorati partim prodeunt, partim ſub ipſa deſtillatione generantur, identidem experientia chymica edocemur, eo quod ex principio & mixtione valde ſubtili oriantur.

1. Quod attinet ad olea deſtillata, res plane mirabilis videtur, quod ſummitates & flores millefolii & chamomillæ vulgaris, in quibus ne veſtigium quidem coloris cœrulei ſenſibus deprehendere licet, maceratione facta prius in aqua ſalſa deſtillatione per veſicam largiantur oleum elegantiſſimi & valde ſaturati cœrulei coloris, ſed opus eſt, ut recentes deſtillationi ſubjiciantur. Nam ſi millefolii flores paulo diutius ſiccati deſtillentur, nihil plane olei adeoque nihil coloris obtinemus.

Plures chymicorum fuerunt hac in opinione, colorem hunc cupro eſſe adſcribendum; ſed dubium hoc ſtatim eluditur, ſi horum deſtillatio fiat per vaſa ſtannea vel vitrea, item quando conſideramus, ſpiritum vini rectificatum, floribus chamomillæ affuſum, & per cucurbitam vitream deſtillatum, eleganti colore cœruleo tingi, qui repetita abſtractione ſuper novos flores adhuc intenſior fit. Quidam in hac falſa verſantur opinione, oleum chamomillæ cœruleum, ſi colorem ſuum procedente tempore mutet & deponat, non eſſe genuinum, cum verum ejus oleum conſtantis ſit cœrulei coloris. At contrarium potius aſſeritur; nam & olea millefolii & chamomillæ cœrulea ſi paulo diutius in clauſo vaſe conſiſtunt, jucundus ille color mutatur & in obſcuro-viridem vergit. Si vero à venere eſt introductus in oleum chamomillæ cum terebinthina adulteratum, tunc utique color hic conſtans & durabilis eſt.

2. Aliud oleum, quod per veſicam colore ſaturate viridi tingitur, eſt abſynthii verum, quod non modo craſſioris eſt conſiſtentiæ atque ſaporis amaricantis, odoris quodammodo graveolentis, & quod caput dolore replet, ſed & viridis obſcuri coloris, neque ejus copia adeo magna eſt. Hujus olei drachma ſoluta in uncia ſpiritus vini rectificatiſſimi conſtituit eſſentiam amariuſculam, colore nigricante imbutam, valde ſedativam in mitigandis doloribus in placido inferendo ſomno & ſpaſmodicis partium contractionibus componendis: ad ſedandum etiam vomitum non ſine fructu adhibetur, cujus virtus intenditur, ſi æquali portione cum liquore noſtro anodyno miſcetur.

Id præterea notabile eſt circa colores oleorum quorundam deſtillatione prolectorum, e. g. menthæ, majoranæ, rutæ, quod, ſi valde moderato igne adminiſtrato deſtillentur, limpida, clara & ſuaveolentia tranſeant, maxime ſi in veſica probe ſtanno obducta inſtituatur deſtillatio. Si vero urgentur igne paulo fortiori, & veſica cuprea eſt, tranſcendunt obſcure rubicunda, odoris non adeo grati.

Ex quo diſcimus, calorem paulo fortiorem hunc habere effectum, ut mutationem in intimam partium oleoſarum mixtionem inducat; unde coloris & odoris dependet diverſitas & immutatio. Et quia vaſa cuprea longe fortius incaleſcunt & calorem diutius detinent, quam ſtannea; qua de cauſa fit, ut quævis deſtillata in vaſis cupreis vel aurichalceis mitiori igne tractanda ſint, ne à fortiori concepto calore in ſua textura alterentur.

Multo majorem vero ignis poteſtatem habet, ſi magis immediate adminiſtretur, eorum texturam plane immutandi, quod videmus, dum animantium vel vegetabilium partes aperto igne vel ſine aqua in retorta vitrea deſtillantur, unde empyreuma concipiunt, à quo ſuum odorem fœtidum & colorem flavum vel nigricantem accipiunt. Spiritus nitri, ſive potius aqua fortis, cum oleo vitrioli ſi deſtillatur, flavo colore tinctus in vas recipiens effertur, ob ſulphur, quod nitro ineſt, valde expanſum & reſolutum.

Simili modo ex calce viva cum ſale ammoniaco & nitro ſpiritus ſulphureus fumans & fœtidus elicitur, flavedine imbutus, quod etiam fit à ſulphure vulgari per vaporem urinoſum valde volatilem, qui exit ex calce viva & ſale ammoniaco, valde expanſum & in minimas atomos reſolutum, quod vel exinde clare innoteſcit, quia, ſi hic ſpiritus diu detineatur in vaſe, albicans evadit, & verum ſulphur in fundum deponit, dum temporis diuturnitate ſal volatile per rimas non adeo exacte clauſas evaporat. Et cum ſulphur, quod copioſe ineſt ferro, vel potius ejus mineris inque primis hæmatiti, per mixturam ſalis ammoniaci ſicco modo deſtilletur ſive ſublimetur, primo ſpiritus urinoſus aurei coloris exſtillat, poſtea ſequuntur flores flaveſcentes, qui colorem croceum habent, fragranti odore imbuti, quia ſalis ammoniaci ea eſt indoles, ut mártiale ſulphur mirifice expandat, dividat, & ſecum in altum vehat, quod etiam fit, ſi antimonium ſimili modo cum ſale ammoniaco tractetur, ubi flores aſſurgunt flavi vel etiam rubicundi.

Hæc omnia ſatis ſuperque docent, ſulphur utique eſſe matricem colorum, modo quippiam adjiciatur, quod in ejus texturam agere, eamque in minima reſolvere ſive explicare poſſit.

Ex vegetabilibus præter flores chamomillæ nullum ſimplex notum mihi eſt, quod colore imbuat abſtractum ſpiritum, excepta pimpinella nigra, quæ in Marchia creſcit in abundantia. Hæc conciſa cum ſpiritu vini rectificatiſſimo maceratur, & deſtillatur, ſpiritus inde paratur coloris dilute cœrulei. Hæc radix maxime provenit Fürſtenwaldæ, item Francofurti ad Oderam, Frevenwaldæ; & radix eſt ſubtilior, exterius nigricans, intus alba.

*OB-*

## OBSERVATIO XIX.

*Experimenta circa ſolutionem cupri.*

TOta rerum natura in ampliſſimo, quo patet, ſinu nullum fovet corpus vel ullum aliud metallum, quod tam facile & promte ſolutionem patiatur à quovis fere menſtruo, quam quidem cuprum, unde etiam veteribus venus metallorum meretrix vocata fuit. Non enim ſolum à quovis acido, ſive vegetabili, ſive minerali, languido vel forti, ſed & ab iis menſtruis, quæ acidis contrariam plane fovent naturam, ut ſunt alcalina tam fixa, quam volatilia, ſolvitur. Quod cum curioſa animadverſione dignum ſit, tum vero illud ad obſervationem multo inſignius videtur, atque adhuc majus eſt, quod olea expreſſa & pinguedines animantium, ſolutio calcis vivæ, imo ipſa aqua communis & ex ſalibus mediis ſal commune, ſal ammoniacum & tartarus ingreſſum & admiſſionem habeant in hoc metallum, adeo ut illud ſucceſſive diſſolvant.

Deinde circa has ſolutiones notare licet, quod elegantiſſimum viridem & coeruleum colorem exhibeant, cum nempe alcalia elegantiſſime coeruleam, acida vero pulchre viridem tincturam extrahant.

Tum etiam illud altiori contemplationi ſubjiciendum venit, quod, ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus ſi limaturæ cupri affunditur, & vitrum totum repletur, firmiterque embolo vitreo clauditur, nullus color in hoc menſtruo appareat, ſed illud clarum ac limpidum remaneat, quamdiu nempe à nudi aëris admiſſione liberum eſt. Quamprimum autem epiſtomio aperto aëri aditus conceditur, vel ſi dimidium liquoris in aliud vas vitreum transfunditur, ut eo liberior aëri pateat ingreſſus, protinus coëruleus color incipit apparere, qui ſenſim increſcit, & elapſo quodam tempore fit ſaturatiſſimus.

Rationem hujus phænomeni invenire minus, quam pro opinione, obvium aut expeditum eſt. Alii enim ſolutionem haud quaquam fieri poſſe ſine aëre contendunt, utpote qui virtute ſua elaſtica ingreſſum hujus menſtrui in poros promoveat. Alii aliam tuentur ſententiam, affirmantes: in aëre principium quoddam hoſpitari materiale, quod ſali volatili admixtum virtutem ipſi concilíet colorantem coëruleam.

At vero ut ad hæc pauca reponamus, dicendum primo eſt, utique ſolutionem corporum à menſtruis fieri etiam in vaſis clauſis & penitus repletis, ut ut non ſemper ſine periculo rupturæ. Deinde etiam à menſtruis alcalinis non ita ſolvitur cuprum per ebullitionem, quam ab acidis. Et quia porro ſubſtantia hæc, quæ aëri ſit inſita colorativa, cujus naturæ ſit, nequit determinari, quare etiam nihil ſolidi vel veri hac de re poſſumus affirmare. Pertinet ergo hæc obſervatio ad ea, quorum ratio reddi difficulter poteſt, ſicuti plurima occurrunt in rebus chymicis, ubi phænomenorum & effectuum, qui incurrunt in ſenſus, nulla ratio vera inveniri poteſt.

Præter hæc occurrit adhuc aliud perquam curioſum circa hanc rem experimentum. Nimirum notum eſt, quod ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, calidiori loco expoſitus, totus avolet: nam nulla fixitas in ſpiritu vini puriſſimo, nec ulla in ſale volatili reperitur. Nihilominus quando ſolutio coërulea cupri, cum hoc ſpiritu confecta, in vitro capaciori debito ſubminiſtrato calore exhalat, relinquitur maſſa ſalina coërulei coloris; ſaporis vehementer cuprei, conſtringentis, ſicca, quæ flammæ admota eam non facile ſuſcipit.

Quando vero cum pauca quantitate ſevi miſcetur, mox inflammatur, & flammam dat pulchre viridem, cinis, qui relinquitur, eſt rubicundus inſtar cupri, cui ſi denuo affunditur ſpiritus urinoſus volatilis, rurſus apparet tinctura ſumme coërulea. Præterea maſſa, quæ relinquitur ab exaltatione ſpiritus, in aqua communi ſolvitur, indicio, concretionem factam fuiſſe ſalinam fixam cum cupro, vel ad minimum ejus ſulphurea parte. Jam non ſine ratione quæſtio oritur, unde cupro illud accedat accrementum ſalinum fixioris & igni reſiſtentis naturæ.

Nihil igitur aliud dici poteſt, quam quod tenuior pars ſulphurea cupri, ſoluta ab alcali volatili, ſeſe cum eo per intimam mixtionem jungat; ita ut ex hac conjunctione principii utriuſque inflammabilis, nempe ſulphuris, cupri & ſalis volatilis, fixum quoddam corpus fiat.

Si ſolvitur cuprum in aqua forti, ſolutio fit viridis, quæ affuſo ſpiritu ſalis ammoniaci, ſive vinoſo, ſive aqueo, præcipitatur, inque coagulum viride coëruleum abit, quia ſal volatile congrediens cum acido nitri dejicit ex poris ſuis cupreas particulas antea ſolutas. Si vero in majori copia ſpiritus urinoſus adjicitur, tunc coagulum illud ab eo diſſolvitur, & prorſus colliqueſcit; & mixtura antea turbida vertitur in claram & diaphanam, pulcherrime coëruleam.

Hoc experimentum docet, eundem liquorem, qui præcipitat, poſſe etiam ſimul virtutem diſſolventem habere in uno corpore & uno actu, ubi diverſitas in ſola quantitate liquoris poſita eſt.

Si ſolutio cupri iſta coërulea, quæ ex ſolutione ejus cum aqua forti facta & ſale volatili emerſit, leni calori exponitur, tum vitri fundo apponuntur poſt ſufficientem evaporationem cryſtalli ſplendentes, elegantiſſimo colore tinctæ, quæ in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvuntur in tincturam, ſapphiri colorem æmulantem, cujus virtus in chronicis morbis, qui à viſcoſitate humorum fiunt, expertiſſima eſt. Stiſſerus eam maximopere laudat in epilepſia infantili chronica, item ad expellendos vermes. Nonnulli etiam in quartana hanc magni æſtimant: majori doſi data vomitus & ſedes movet, doſi minori colliquat ſerum & ſalivalem laticem fundit.

## OBSERVATIO XX.

*Experimenta, quæ auri naturam atque proprietates declarant.*

PRæcipui & proprii quaſi, quibus aurum ab aliis corporibus & metallis diſtinguitur, characteres ſunt:

1. ejus gravitas, qua omnia in rerum natura corpora ſuperat; duplo enim gravius eſt ipſo ferro, inque argento vivo, cui omnia reliqua metalla ſupernatant, fundum petit.

2. Neque ignis, neque ullum ſal, aut ſulphur quoddam, aut ſpiritus, aut menſtruum vim & potentiam habet aurum diſſolvendi vel immutandi, præter ſolum argentum vivum & aquam ſic dictam regis, quæ ſpiritus duplicatus eſt, ex acido nitri & ſalis communis compoſitus.

3. Aurum in aqua regis ſolutum & cum liquore alcalino præcipitatum vim acquirit mirabilem exploſivam, qualis in tota rerum natura non obſervatur.

4. Aurum firmiſſime adhæret ſtanno, ut ægerrime ab eo divelli poſſit.

5. Antimonium fuſum cum metallis ea in ſcorias & calces redigit auro excepto.

Hi ſunt genuini & præcipui auri characteres & proprietates, quibus ejus natura, eſſentia & operandi virtus continetur & abſolvitur: ubi itaque illæ deficiunt, certo auri præſentiam negare licet, & viciſſim, ubi hæ deprehenduntur, aurum adeſſe adſtruendum eſt.

Omnes vero inter hos characteres atque ſingulares proprietates eminet maxime ejus ſpecifica gravitas, qua maxime intima ejus eſſentia determinatur atque deſcribitur. Hæc enim tam neceſſaria eſt, ut, ſi quoddam corpus omnibus reliquis affectionibus & viribus imbutum ſit, & idem cum auro pondus deficiat, certo & confidenter pronunciandum eſſe exiſtimem, hoc non eſſe verum aurum: quandoquidem ex ſpecifica hac gravitate, tanquam ex fundamento & prima cauſa ſive eſſentia auri proprietates & ſpecificæ facultates provenire videntur, ut etiam ex ejus indole bene intellecta, harum cauſa & ratio non incongrue explicari poſſit.

Gravitatis vero duplex eſt cauſa: altera externa & communis, motus nempe fluidi ætherei vorticoſus circa globum noſtrum terraqueum, verſus centrum terræ corpora comprimens; altera interna & cuivis corporum ſpecifica, quæ à diſpoſitione & ſtructura partium mixtum conſtituentium proficiſcitur, & quæ variis modis impulſum fluidi determinat. Jam vero obſervamus, quo arctior & firmior nexus eſt partium in corpore, ut anguſtiſſimi inde & minimi emergant pori, ſubtilioris fluidi minus capaces, eo corporis pondus plus increſcere: cum viciſſim, quo laxior corporis nexus porique ampli & fluido æthereo plus repleti ſint, eo minoris ponderis ac gravitatis corpus eſſe animadvertamus.

Cum itaque aurum ex omnibus, quæ in rerum natura deprehenduntur, ſit ponderoſiſſimum, neceſſe etiam eſt, ut arctiſſima in eo partium, quibus componitur, ſit connexio. Jam vero quæſtio incidit: à qua cauſa arctior vel laxior partium, quæ mixtum conſtituunt, nexus dependeat?

Nos in ſumma ſubtilitate ſive ſtupenda exiguitate partium, arctioris nexus & majoris gravitatis, in majori vero mole partium ejus laxioris cohærentiæ & levitatis cauſam reponimus. Nam quo tenuiores & minores ſunt partes, eo arctius ſe tangunt, ſibique incumbunt, unde longe minores & anguſtiores fiunt pori atque ſpatiola; contrarium accidit, ubi partes ſunt craſſiores, quæ non intime ſeſe conſociant atque hinc majora ſpatia relinquunt.

Quod vero ex minimæ molis corpuſculis aurum ſit conflatum, non levis momenti argumentis itemque experimentis adſtruere in proclivi eſt. Videlicet unum auri puri granum quando in ſufficiente quantitate aquæ regis ſolvitur, & hæc ſolutio in unam ſpiritus vini rectificati libram medicam infunditur, protinus metallico ſapore & flavo colore imbuitur, ſicuti unica ejus guttula guſtu examinata id ſatis luculenter docet. Si affunditur liquor alcalinus, procedente tempore mixtura fit turbida, & pulvis ſecedit in fundum, cujus vel minima pars integram ac ſalvam ſuam texturam atque naturam retinet. Porro ſi unicum ſaltem auri granum, ab aqua regis ſolutum, aliquot menſuris aquæ communis, in quam prius infuſa fuerit ſolutio duorum granorum ſtanni puri, inſtillatur, tota aquæ maſſa obſcure purpureo colore imbuitur, ex qua beneficio quietis admodum pulvis, purpurei coloris, in fundum vaſis deſcendit, cujus minima etiam atomus adhuc aurum eſt.

Hæc adducta experimenta ſatis, ut puto, mirabilem & incredibilem corpuſculorum auri parvitatem demonſtrant. Jam vero mihi probandum incumbit, quomodo reliquæ, quibus aurum ſplendet, proprietates à principali hac proprietate tanquam fonte & cauſa, videlicet ab arctiſſimo partium nexu & graviſſimo pondere, deduci ac derivari debeant.

Primo ab arctiſſimo partium auri nexu dependet ejus ſumma ductilitas, quæ omnia metalla, ipſumque argentum, exſuperat. Secundo ob ſummam exiguitatem pororum eſt non modo fixiſſimum & durabile in igne, ſed & neque ſal ullum, neque mineralis ſpiritus, neque ſulphur, neque ullum menſtruum in illud agere & mutationem texturæ, in colore & viribus, inferre vel illud in calcem aut rubiginem redigere poteſt, quia hæc omnia nullum ingreſſum in auri poros inveniunt. Unicum excipitur argentum vivum, quod, uti fluidorum graviſſimum eſt & ſimpliciſſimum, ita in omnes metallorum poros & interſtitia non modo ſeſe inſinuat, ſed & ſe cum ejus partibus unit, unde fit ejuſdem metalli fluiditas ſicca, ſive amalgamatio. Solum tamen eſt ferrum, cum quo propter partes terreſtres mercuriale fluidum ſe unire nequit.

Præter argentum vivum etiam in auri corpus ejusque minima ſpatiola invenit ingreſſum liquidum, ex duobus ſalibus, nitro & ſale communi, compoſitum: ubi tamen notandum, quod acidum ſalis communis præcipua ſit ſolutionis auri cauſa, & quidem propter hanc rationem, quia nullum acidum ex tam tenuibus & ſubtilibus partibus, quam hoc ipſum eſt compoſitum, quæ tenuitas ad oculum monſtrari poteſt ex vapore, quem ſpargit, ſi oleum vitrioli cum ſale communi miſcetur, qui tam copioſus & tenuis aſſurgit, ut non modo nares feriat & fibrillas nerveas irritet, ſed & totum conclave repleat.

Ut ut vero acidum ſalis ſit omnium tenuiſſimum & poris auri arctiſſimis penetrandis valde accommodatum, tamen ſolum illud non ſolvit, niſi de ſulphureo nitri principio quicquam accedat, quod ſolum & ſibi relictum ob craſſiores ſuas partes plane ad auri ſolutionem ineptum eſſe, ut ut omnia metalla, biſmuthum quoque, zincum, cobaltum diſſolvendi facultate polleat.

Cauſa itaque jam inquirenda venit, quare metallorum adeoque etiam auri ſolutiones ſine nitro non tam expeditæ & faciles ſint. Ego exiſtimaverim, in nitro, præter acidum, multum materiæ elaſticæ ſulphureæ expanſivæ, quod in ejus accenſione manifeſtatur, latitare, cujus adjumento partium nexus & cohæſio fortius diſcerpitur & partium in minimas ſit diviſio.

Inter proprietates auri genuinas refertur etiam ea, quod omnia alia metalla, cum antimonio fuſa, in ſcorias & calces abeant, ſolo auro excepto, quod fundum petit, neque ullam ab antimonio, ſi rurſus ſeparetur, alterationem accipit: cujus effectus & phænomeni cauſa identidem ab auri textura & ſtructura & inde orta gravitate deduci debet. Sulphur enim, quod antimonio ineſt, in reliqua agit & operatur metalla inque eorum poros ampliores admiſſum in textura inſignem efficit mutationem. Quia vero in auri intima non penetrat, ejus textura & gravitas ſalva manet, quare etiam hoc fundum petit.

Jam

Jam explicandum etiam venit ex eodem texturæ, quæ in auro eſt, fundamento, cur ſtannum, leviſſimum metallorum, tam firmiter adhæreſcat auro, ut etiam ægerrime inde poſſit divelli; nam neque per fuſionem cum antimonio, neque per capellam in furno docimaſtico, neque beneficio aquæ regis hoc ipſum ab auro facile ſeparatur, niſi ſingularis encheireſis adhibeatur, & mixtum cum cupro prius fundatur, & poſtea cum ſufficiente quantitate plumbi in capella tractetur. Quare igitur aurum tam firmiter cum ſtanno uniatur atque tam promte in ejus amplexus ruat, id non tam facilem explicatum habet; illud vero, quod tam ægre ab ejus particulis divellatur, poſtquam ſemel iis acceſſerit, inde provenire videtur, quia nullum facile invenitur corpus, quod ingreſſum in corpus auri, ubi ſtanni particulæ hærent, habeat, quod fieri debet, ſi ex iis expellendum ſit.

Sequitur jam illa mirabilis & ſtupenda vis fulminans in auri magiſterio conſideranda, quod ex præcipitatione ſolutionis auri cum liquore lixivioſo, ſive volatili, ſive fixo, conficitur, in quo pulvere illud maxime attentionem meretur, quod paulo fortiori in mortario attritu, vel ſub ejus exſiccatione in fornace calida, ſine ullo immediate accedente igne & ſine excitatione flammæ tam horrendum in aëre fragorem violentamque in corpora ambientia vim & conquaſſationem exercere queat, ut vix quiſpiam id effari & concipere poſſit, præſertim ſi paulo major quantitas in effectum deducatur. Peculiaris hæc & fere mirabilis fulminandi virtus multorum ingenia exercuit, qui in ejus cauſa exquirenda deſudarunt.

Communis adhuc fuit hæc ſententia, aquam regis præparari ex aqua forti, quæ non niſi ſpiritus nitri ſit, & ſale communi; ſi itaque aurum ſolvatur in tali menſtruo & poſtea cum liquore alcalino præcipitetur, verum regenerari nitrum, quemadmodum ab aqua forti, cum liquore alcalino ad punctum ſaturationis confuſa, per inſpiſſationem id ſtatim fieri poſſit. Hujus nitri regenerati particulas multas in poris auri etiam poſt edulcorationem remanere iiſque inhæreſcere perhibent. Deinde in auro eſſe ſulphur ſtatuunt, & præterea aurum firmioris admodum eſſe compagis. Jam hujus auri fulminantem vim ex pulvere fulminante & tonitruante, qui ex una parte ſalis tartari, duabus ſulphuris & tribus nitri componitur, explicari poſſe contendunt, quum ejuſdem naturæ adſint ingredientia, nimirum loco ſulphuris vulgaris ſulphur auri, loco nitri communis nitrum regeneratum, loco ſalis tartari compages auri fixior; & quemadmodum ſuperior pulvis in cochleari ſuper carbonem poſito ingentem ſtrepitum edit; ita etiam ſimili modo cum auro fulminante fieri affirmant.

Verum enim vero plurimis adhuc difficultatibus hæc explicatio premitur. Nam primo falſum eſt, quod in eo liquore, in quo aurum ſolvitur, nitrum prævaleat, & quod ex præcipitatione auri cum liquore alcalino nitrum regeneretur; idque hunc in modum demonſtratum ibo.

Præparavi aquam regis ex libra dimidia ſalis foſſilis Polonici depurati & libra una & dimidia aquæ fortis, deſtillavi hæc invicem ex arena in retorta vitrea, ita prodiit ſpiritus, qui odore & ſapore partim aquam fortem, partim ſpiritum ſalis referebat, qui liquor aurum promtiſſime, etiam ſine calore ſingulari accedente, diſſolvebat. Facta ejus præcipitatione cum ſpiritu ſalis ammoniaci ſimplici, obtinui pulverem per frequentem edulcorationem inſipidum (nam aurum adhibitum fuit puriſſimum,) ochrei coloris, inſigni virtute fulminante inſtructum.

Sumſi poſtea eandem aquam regis, cum qua auri ſolutio inſtituta erat, & huic ad ſaturationis uſque punctum oleum tartari per deliquium inſtillavi; facta decenti evaporatione remanſit ſal, quod ſaporis parum nitroſi erat, ſed magis ſal commune æmulabatur: injeci id vivis carbonibus, non deflagravit, ut nitrum, ſed decrepitavit.

Deinde caput mortuum, à deſtillatione aquæ Regis relictum, ſolvi in aqua & ejus ſolutione filtrata impetravi ſal fortiter nitroſum & paulisper ſalinum; hoc injectum carbonibus, promtiſſime totum deflagravit.

Quo experimento clariſſime intelligitur, regenerari utique nitrum, ſi aqua fortis cum ſale communi miſcetur, dum hujus acidum ſeſe intime miſcet cum terra ſalis communis alcalina; contra ſpiritum ſalis acidum ex ſale communi hac unione exterminari & hac ratione in liquorem, qui deſtillatione prodit, converti. Quibus communis hic error, regenerati nitri inflammabilis particulas in poris auri adhuc retineri, refutatur.

Quis porro eſt, qui ſulphur, quod analogum ſit ſulphuri minerali vulgari, in auro auſit demonſtrare? Profecto ſi ſulphur cujusdam metalli cum ejus terreo fixo principio & nitro hujus virtutis in auro fulminantis cauſa eſſet, longe faciliori methodo ex ferro, ſi ſolvatur in aqua forti & præcipitetur cum oleo tartari per deliquium, ejusmodi fulminans magiſterium parari poſſet; quod tamen minime accidit. Nam ferrum eſt valde ſulphureum metallum, quod facile ignem concipit, & ex cujus ſolutione cum aqua forti etiam nitrum regeneratum obtinemus. Aurum inſuper fulminans ſolo attritu, ſine ſubminiſtrato igne, fulminare poteſt, quod ſecus accidit in vulgari illo tonitruante pulvere.

Ex quo ſequitur, aliam longe, præter jam datam, fulminantis energiæ ſubeſſe cauſam adhuc inquirendam, quæ, ut mea quidem fert ſententia, ex ſimilibus, qui in rerum natura fiunt, effectibus detegenda erit. Jam vero clariſſimo experimento conſtat, humidum quodvis, ſive aqua, ſive ſpiritus vini ſit, item ſolum aërem in firmiſſimo clauſo vaſe contentum, accedente paulo fortiori calore, tantam vim ac vehementiam expanſivam exſerere, ut cum maximo impetu ac ſtrepitu vaſa etiam compactiſſima in minimas partes diffringat, idque abunde in globulis vitreis ſemi repletis aqua vel ſpiritu vini, in lacrymis vitri, in globulis æneis, ſolo aëre vel pauca aqua impletis & in ignem jactis, it. lagenis vitreis liquore fermenteſcibili repletis & arctiſſime clauſis conſpicimus; quidni etiam in compactiſſimi auri poris & interſtitiis ex ſolutione & præcipitatione provenientes humidæ aëreæ & elaſticæ ſalinæ partes incluſæ, & calore ſimul & ſemel fortiter expanſæ, hunc effectum præſtare poſſint?

Nam ſicuti in nitri & ſalis communis mixtionem aqueæ & aëreæ partes ingrediuntur, quæ partim ex decrepitatione, partim etiam elaſtica & expanſiva flamma in nitro ſatis elucent: ita, cur non etiam beneficio ſolutionis & præcipitationis & regenerationis ſalis communis aërea & humida corpuſcula in poros auri intrudi & firmiſſimis repagulis includi poſſint, ego quidem non video.

Auri itaque fulminantis pulvis videtur mihi conſtare ex innumeris tenuiſſimis compactiſſimisque auri globulis, ſubtiliſſima humida & elaſtica materia repletis, quia accedente calore, propter fortem expanſionem ſimul & ſemel cum impetu diffringuntur: quæ diffractio etiam exinde patet, dum una drachma auri fulminantis ita ceu fulmen disjicitur

citur in auras, ut ne minimum hujus veſtigium appareat.

Ex quibus omnibus clariſſime elucet, eximias illas, quibus præ aliis metallis gaudet aurum, proprietates ex ejus intima partium ſtructura, quæ quaſi ejus eſſentiam conſtituit, commode explicari poſſe, cujus ſtructuræ externus character eſt ſpecifica gravitas. Quare deficiente hac, aurum exiſtere nequit: quo argumento ego ſæpius uſus ſum adverſus alchymiſticæ & transmutatoriæ artis patronos, qui talem quærunt, ſeu potius fingunt, lapidem, ſive tincturam, cujus beneficio mercuriale quoddam metallum, ut plumbum vel argentum aut argentum vivum, in aurum tingatur & transmutetur. Et quoniam maxime ad colorem & tincturam in hoc negotio reſpiciunt; hinc lapidem hunc ex ſulphure auri volatili, penetrante digeſtione fixato, præparari debere ſaniorum eſt ſententia. At vero nec color auro ſimilis, nec ſplendor, neque fixitas in igne, aut perſeveratio in capella, auri naturam & eſſentiam abſolvit, ſed ſpecifica gravitas ipſi eſſentialis & inſeparabilis eſt, qua præſente & cæteræ auri proprietates facile aderunt.

Jam vero quæſtio oritur, num in rerum natura inanimati unius corporis gravitas ſpecifica in exquiſite alteram, conſequenter etiam in ſtructuram & texturam ſimilem partium per exiguam corporis poſſit? Et cum ne ullum quidem in aliis rebus hujus generis occurrat exemplum, ſine injuria etiam de impoſſibilitate hujus artis, quæ uti omnium vetuſtiſſima, ita etiam figmentitia eſt, dubitamus, donec tale experimentum occurrat, quod nullam amplius dubitationem in facto admittat, quo quamdiu caremus, tamdiu demonſtratio nondum confecta eſt.

---

## OBSERVATIO XXI.

### *Medicamenta ex auro parata & de iis judicium.*

A Longo jam inde tempore, & maxime eo, quo chymica ars paulo diligentius à medicis agitari & excoli cœpit, inter remedia naturam humanam confortantia, & quæ omnibus fere morbis perſanandis accommodata ſint, ea, quæ ex auro præparata fuerunt, maximo ſemper in pretio habita fuiſſe, haud obſcurum eſt. Exiſtimarunt enim veteres, planetas ſingulare cum viſceribus corporis humani, item cum metallis in terræ gremio peculiare & amicum commercium habere eaque ſuo influxu animare. Quare metallis planetarum nomina aſſignarunt, cumque ſolem in macrocoſmo calorem, vigorem, vitam & fœcunditatem omnibus & vegetantibus & animalibus largiri conſpicerent, ex metallis aurum quoque ſimilem edere effectum putarunt. Et hæc communis fere traditio, ſive potius fictio, non modo vulgum, ſed & eruditos plures, præſertim medicos, invaſit & conſtanter tenuit, ut medicamenta ex auro rite præparata aliis longius antecellere & inſtar univerſalis cordialis & confortantis eſſe firmiſſime credant.

Verum enim vero hæc dulcis de auro in ſanandis morbis opinio, partim ex ignorantia veræ phyſices & theoriæ medicæ modique agendi medicamentorum, partim etiam ex lucri faciendi ingenti cupiditate, prima ſua initia & incunabula traxit. Nam ſi ad veræ chymiæ & accuratioris praxeos examen hæc tam magnifice laudata ex auro parata remedia revocantur, certe hæc parum ſolidi præſtare poſſe, ut potius plus damni, quam emolumenti inde proveniat, luculenter apparebit. Nam primo in ſubſtantia medicamenta ex auro, ſive in croco, ſive pulvere data, nihil plane efficiunt, quia, ut ſupra diximus, nihil in rerum natura reperitur, quod auri corpus ſolvere poteſt, præter aquam regis. Cumque metalla non in corpus agere poſſint, niſi prius ſoluta, ut ingreſſum in eorum poros habeant, & nullus liquor vel menſtruum interne reperiatur, quod id efficere poſſit, facile patet, aurum in ſubſtantia relinqui intactum & omni carere in humano corpore effectu.

Jam vero quando aurum ſolvitur, id non alia ratione præſtari poteſt, niſi per aquam regis, aut per ſalia, ſal commune & nitrum. Hæc adjecta ſufficienti quantitate aquæ probe cum foliis auri decoquuntur: utroque modo ſic inſtituta ſolutio ſeptica & corroſiva evadit, quanquam ſub priori modo ſit eminentior. Nam quemadmodum mercurius, item cuprum & argentum, ſi per ſalia vel eorum ſpiritus ſolvuntur, vehementiſſimam ac virulentam naturam ac vim acquirunt, ut tunicas nerveas ventriculi & inteſtinorum arrodendo, tormina & ſpaſmos atque ſummas anxietates excitent, & ſedes quoque ac vomitus moveant; ita etiam id accidit cum ſolutione auri, quam ad aliquot guttas cum vehiculo aqueo interne datam tormina & ſpaſmos cum anxietatibus præcordiorum excitaſſe, aliquoties expertus ſum.

Quamobrem id hoc loco monendum putavi, cum medicamentis metallicis, ſive ſint ſolaria, ſive lunaria, cautiſſime & ſumma cum prudentia mercandum, adeoque intutiora hæc aliis tutioribus longiſſime eſſe poſtponenda.

Verum enim vero cum plures medicorum & chymicorum animadverterent, aurum, ſi cum ſalibus vel ſpiritibus acidis corroſivis tractetur & ſolvatur, vehementem & naturæ potius infeſtam, quam amicam induere virtutem, tantum abeſt, ut vires incomparabili modo reſtauret, eam ducti ſunt in ſententiam, aurum eſſe radicaliter ſolvendum, & ſic deſideratiſſimam & quaſi univerſalem naſci medicinam. Per radicalem vero & intimam ſolutionem intelligunt eam, qua auri corpuſcula ex craſi, unione & textura ſua prorſus divelluntur, ut nulla arte amplius in verum aurum coeant vel reduci poſſint: & huic negotio conficiendo non ſufficere putant vulgaria menſtrua, ſed requiri inſipidum ſubtiliſſimum, quod poros & intimum nexum pervadere poſſit.

At vero, ut ingenue, citra ullius contemtum, in honorem veritatis meam exponam ſententiam, hæc chymicorum aſſerta ſunt partim ſuavia inſomnia & figmenta, partim fraudes, quibus famam & lucrum aucupantur. Etenim ſupra jam expoſui, incomprehenſibilem fere eſſe corpuſculorum auri ſubtilitatem & interiorem nexum, dum unum granum auri ſolutum ingentem aquæ molem ſapore metallico & colore rubro imbuere poteſt. Ut itaque horum minimorum corpuſculorum intima mixtio diſſolvatur, fluidum illud, quod hoc præſtare debet, ex longe ſubtilioribus partibus, quo penetrare poſſit in anguſtiſſimos hos poros, compoſitum ſit neceſſe eſt. An vero ejusmodi materia in tota rerum natura extet, ex qua tale menſtruum præparari poſſit, res dubii pleniſſima eſt. In mercurio vivo eſt fluidum inſipidum, valde ſubtile, quod poros auri penetrat, ne ullam tamen corpuſculi aurei texturam deſtruere poteſt, quin ſublato mercurio ſuam priſtinam formam & naturam retineat.

Et ſane mirari ſubit, cur ejusmodi arcani poſſeſſores de alius metalli, argenti, mercurii vel cupri

radi-

radicali ſolutione ne hiſcant quidem, quum tamen tale menſtruum omnibus metallis intime diſſolvendis reſpondere debeat, quoniam in metallis ignobilioribus partium nexus longe laxior eſt, quam in ipſo auro: ſed quis unquam verum experimentum, quomodo mercurii aut plumbi radicalis ſolutio præſtari poſſit, publico intelligentium judicio ſubjicere auſus eſt?

Deinde ſi detur hoc, exiſtere in natura, vel etiam per artem parari poſſe ejuſmodi menſtruum, quod aurum in prima ſua principia ſic reducat, ut ex iis aurum confici non amplius poſſit, tunc utique quæſtio oritur, an diſſoluto nexu auri, amplius aurum maneat, ſive an non jam in longe aliud corpus, quod ab auri natura differt, tranſierit: cum notum ſit, eſſentiam & formam corporum pororum conſtitutione & partium nexu contineri, atque ex hoc ceu fonte omnes vires & operationes profluere. Quia itaque ex eorum hypotheſi auro tam ingens virtus analeptica & ſalutaris adſcribitur, quod ſymboliſmum cum corde & ſpiritibus vitalibus foveat, auri vero textura deſtructa ſincerum non amplius eſt aurum: ergo hinc recte infertur, ſi hac ratione medicina paratur, ejus virtutem auro, ut auro, non poſſe aſſignari, ſed alii mixto, ex auri deſtructione proficiſcenti, eam eſſe adſcribendam. Quamobrem tale medicamentum non recte dici poteſt aurum potabile.

Sed quicquid etiam eſt, ſufficeret, ſi modo talem medicinam ex auro parari poſſe, ſatis certo conſtaret. Primo enim neque ullus extitit, qui de effectu, poſſibilitate & veritate ejuſmodi radicalis ſolutionis unquam exemplum, quod exceptione & dubitatione careat, produxerit. Nos ſæpius iis, qui tale quid jactitant, diximus, nos prorſus negare, dari inſipidum menſtruum, quod metalla, multo minus aurum ſolvat, miſſa ſolutione radicali, & centum thaleros me velle ipſis ſolvere, ſi me præſente ejuſmodi experimentum adornare velint, neque unquam nos deſiderare hujus arcani præparationem; ſed nunquam potuimus & nunquam etiam poterimus id obtinere. Nihilominus ſolenne eſt hiſce artiſtis illud ingenioſum & lepidum effugium, quod, ſi eorum aurum potabile ad examen chymicum vocetur, ac ne ullum quidem hujus metalli veſtigium reperiatur, magna contentione & fiducia dicant, aurum radicaliter eſſe ſolutum atque ideo neutiquam reduci poſſe.

Ego vero ſum hujus ſententiæ, me ejuſmodi medicamentum, ex quo aurum poſſit reduci, modo virtute eminenti & eximia ſe commendet, præ illo, ex quo id non poſſit reparari, & quod non adeo ſingulari virtute polleat, pluris æſtimare. Ceterum tamen non adfirmaverim, omnibus, quæ pro auro potabili venditantur, medicamentis, licet nihil in ſe habeant, omnem detrahendum eſſe effectum, qui utique à menſtruis & ingredientibus aliis dependere poteſt. Sed quod pro univerſali medicina venditent, & quod tam caro pretio conſtent, id non poteſt non ægre ferre, qui veritatem colit, & ſalvum vult veritatis honorem.

Sæpius ejuſmodi medicinæ univerſales, quæ ex auro paratæ venditantur, ita eſſe dicuntur comparatæ, ut in quocunque morbo tuto poſſint adhiberi, quod ego etiam crediderim, at vero, an peritis hoc poſſit demonſtrari, quod peculiaris efficaciæ ſint, res altioris eſt quæſtionis.

Ego tamen facile etiam adducor, ut credam, plures, ad parandas ſuas medicinas univerſales, recipere aurum, ſed quia theoriæ chymicæ non ſatis gnari ſunt, ſemet ipſos fallunt, dum perperam putant, efficaciam horum medicamentorum ab auro eſſe petendam; nam totum aurum & integrum facile haberi poteſt, ſi quis artificium reductionis recte callet. Sed nemo mihi vitio vertere poterit, quod meam ſententiam ingenue de hiſce medicamentis expoſuerim.

Examinanda jam venit tinctura illa ſolaris confortans, quæ ex auro præparatur cum oleo cinnamomi ſequentem in modum: auri puriſſimi ſolutio probe ſaturata inſpiſſetur quodammodo, poſtea olei cinnamomi puri drachma una in drachmis tribus ſpiritus rectificatiſſimi ſolvitur, & hujus ſolutionis partibus tribus pars una ſolutionis auri admiſcetur in cucurbitula, quæ arenæ calidæ exponenda eſt, ita ambo hæc coëunt in maſſam reſiniformem, picei coloris, quæ cum ſpiritu rectificatiſſimo ſolvitur, unde exſurgit eſſentia, ſaturate bruni coloris, grati, ſed amaricantis & ſubadſtringentis ſaporis, quæ ubi roborandæ vires ſunt, non ſine fructu adhiberi poteſt.

Hoc vero in quæſtionem venit, num hujus medicamenti vires ab auro hac ratione ſoluto dependeant. Nos id plane negamus, eo quod in hac tinctura, ſi paulo diutius ſtet, pulvis reſideat niger, qui cum ſpiritu vini elotus & exſiccatus ab aqua regis promtiſſime rurſus ſolvitur in flavum liquorem, qui cuti admotus, non ſecus ac ſolutio auri, eam non multo poſt purpureo colore imbuit.

Ratio vero proceſſus in eo poſita eſt: aqua regis in ſolutione ſolis concentrata cum ſoluto oleo cinnamomi, per calorem externum, intime ſeſe uniens, conſtituit reſinoſum corpus, in quod minime tranſeunt ipſa auri corpuſcula: in ſpiritu vero rectificatiſſimo ſolvitur hæc reſina cinnamomiſata, & auri particulæ hac ratione ſejunctæ in fundum vitri deſcendunt.

Simili modo de auro etiam parum participat tinctura, quæ parari ſolet ex ſaccharo, cum foliis auri probe triturato, & poſtea ſub debito calore calcinato: nam ſacchari acidum utut quodammodo aurum aggrediendo mutationem illi inferat, tamen tinctura, quæ cum ſpiritu vini extrahitur, non niſi extractio ſacchari leniter combuſti eſt, quemadmodum etiam fieri ſolet tinctura coralliorum. Nec vero tinctura hæc levi negotio confecta penitus defraudanda eſt laude ſua, utpote principium oleoſum ſulphureum, per combuſtionem ſacchari extricatum, ſanguinis & humorum maſſam paulo vegetiorem in motum concitandi facultate pollet, quod in morbis, ubi virium adeſt debilitas, & nimis calida non proficiunt, ſua non caret utilitate. Nihil vero virtutis ex auro huic medicamento accedit, quoniam aurum integrum ex liquido ſaccharo facile haberi poteſt.

Alii aurum cum antimonio & ſale tartari miſcent, maſſam fundunt, & huic poſtea ſub finem certum pondus ſacchari adjiciunt, & mixturæ huic in pulverem redactæ ſpiritum tartariſatum affundunt, ita extrahitur tinctura coloris bruno-rubicundi, odoris & ſaporis non ingrati, quam veram auri eſſentiam eſſe exiſtimant. Equidem aurum hac ratione tractatum cum ſale alcali ſulphureo in pulverem convertitur; ſed de hoc parum vel nihil in ſpiritum vini tartariſatum recipitur, ſed tinctura, quæ extrahitur, partim ſaccharo debetur, & ex parte etiam tinctura ſulphuris eſt, utilitate non penitus privanda.

Nunc vero indagandum videtur, an ex auro præſtantiſſimæ virtutis medicina plane non poſſit præparari? Nos ita ſentimus: aurum, ceu metallum firmiſſimæ compagis, & quod à ſalibus vim corroſivam accipit, parum virtutis in medendo promittit: nihilo minus utilitatem adhuc præbet peculiarem, perpaucis cognitam, ſi quis illud cum mercurio vel

regulo

regulo antimonii, qui mercurialis indolis eſt, recte tractare novit. Siquidem argenti vivi vis valde penetrans & activa validaque ſeri ac lymphæ commotrix in corpore humano ſatis abundeque perſpecta eſt, neque reguli antimonialis activa ac vehemens emetica efficacia incognita, utpote hæc mineralia ſumma tenuitate partium, facile à quovis ſale admixto ſolubilia, ad ſyſtema maxime nervoſarum & membranacearum partium penetrant, idque in motus vehementiores concitando in functionibus ſecundum naturam ingentes turbas excitant, atque cum prudentia uſurpata in chronicis rebellibus morbis magna pollent potentia.

Jam vero illud, quod in argento vivo vel regulo antimonii, ob nimiam volatilitatem partibus corporis noſtri, quæ ſenſibus & motibus præſunt, infenſum eſt, non aptius corrigi, temperari & caſtigari poteſt, quam auro paulo intimius hiſce mineralibus admixto; ſiquidem hac ratione non modo à fixiori auri ſubſtantia nimia partium tenuitas in argento vivo & regulo coërcetur, ſed & infenſa ad mixturam ſalium ſolutio in corpore impeditur. Et quia etiam ipſum aurum non niſi mercurius valde fixus eſt, hinc accidit, ut à mercurio volatiliori addito is in motum actuetur atque medicamentum adornari poſſit, quod in pauca doſi blandius genus nervoſum roborando, languentes motus reſtituit, id quod in multis tam chronicis, quam acutis paſſionibus deſideratiſſimum eſt.

Quo vero argentum vivum purius & à phlogiſto & heterogenea ſua ſubſtantia per varias amalgamationes cum luna & regulo antimonii, per triturationes, lotiones, ſublimationes magis liberatum eſt, eo facilius & promtius auri copulam admittit, & in medicinam coquitur exoptatiſſimam. Indicium vero mercurii purioris & animati eſt, ſi pauciores partes, nempe quatuor vel quinque ad amalgama auri ſufficiunt, ſique ipſe mercurius mixtus cum auro incaleſcit, qua de re legi poteſt obſervatio *in M.N.C.*

Deinde optima fit medicina ex auro, ſi duæ partes reguli antimonii martialis cum una parte auri in igne miſcentur, & pulvis in phiola vitrea ignis circularis temperamento in calcem purpuream convertitur, qui pulvis bene præparatus omnibus aliis medicamentis ſolaribus, ob vim diaphoreticam, quam efficit, anteferendus eſt.

Ultimo loco illud adjiciendum putavi, ſi quis velit ex auro medicamenta parare, aurum debere aſſumi puriſſimum, id eſt, immune ab omni conſortio argenti & cupri, quibus, termino technico, ligari ſolet. Falſum enim eſt, aurum, ex quo ducati cuduntur, puriſſimum eſſe, ſed potius inter viginti quatuor partes auri una argenti & cupri continetur. Quum vero cuprum cum auro in aquam regis ſimul tranſeat ejuſque virulenta vis in minimis etiam particulis haud ſit incognita, multum inde qualitatis infenſæ ſolaria medicamenta accipere, quis non intelligit?

Aurum fulminans, ſi non ex puro, ut communiter fieri ſolet, præparatum fuerit, vehementia tormina excitat, nec ſeptica facultate caret, præſertim ſi non cum aqua pluviali elotum fuerit, cum talis infeſtus effectus à bene edulcorato & puriſſimo auro confecto non metuendus ſit.

Non vero melior auri purificatio datur, quam per illam encheireſin, quam vocant quartam, qua auri una pars cum tribus argenti partibus liquatur, deinde in aqua forti ſolvitur, ſic auri puri portio manet in fundo: poſtea aurum hoc in aqua regis, qualis præſtantiſſima fit, quando aqua fortis à ſale communi vel ammoniaco abſtracta fuerit, diſſolvitur, donec nihil amplius auri recipere poſſit, ita enim hæc probe ſaturata eſt.

INDEX

# INDEX RERUM
# OBSERVATIONUM
# PHYSICO-CHYMICARUM.


A.

*ABSINTHII* oleum obſcuri nigricantis eſt coloris. 542. egregium eſt ſedativum in doloribus. *ibid.*
*Abſorbentia* cur ſæpius alvum moveant. 480
- niſi inveniant acidum in primis viis, plus nocent, quam proſunt. 502
- degenerant in corpore humano in ſal tertium. *ibid.*
- differunt natura & virtute. 514
- terrea alcalina aduſta diverſæ naturæ caput mortuum relinquunt. *ibid.*
- quænam aliis præferenda & cur. *ibid.*
*Acida* noxia ſunt corpori animantium, niſi in ſal medium vertantur. 502
- temperant bilem alcalinam. *ibid.*
- quomodo nimium corporis calorem ſiſtant. *ibid.*
- cur maxime proficua ſint in morbis malignis. *ibid.*
- differunt natura & virtute. 513
*Acidum* nimium ad quos morbos diſponat. 503
- aluminis multum convenit cum acido vitrioli. 527
- vitrioli quomodo differat à nitri acido, experimentis docetur. 489
*Acidulæ* quomodo per artem parari poſſint. 502
- earum ſalia alcalina cum pulvere carbonum in igne mixta convertuntur in hepar ſulphuris. 513
*Alcali cauſticum* ex nitro & regulo antimonii præparatur. 522
- eſt igneæ naturæ & vehementer corrodit. *ibid.*
- ex eo quomodo tinctura antimonii acris præparetur. *ibid.* vid. *Sal cauſticum.*
*Alcalina* ſalia non congruunt oleorum deſtillationi. 450
- fixa differunt indole & virtute. 512
- ingentem copiam oleoſi & ſulphurei principii in ſe cuſtodiunt. 513
- non modo ſulphur ex antimonio, ſed quoque partem ejus regulinam extrahunt. 520
- terrea alia aliis ſalubriora. 514
- cur præcipitent terrea in acido ſoluta. 487
*Alimenta* valentiora ſunt optima, ſi à natura ſuperantur. 505
*Aloë* per coctionem enervatur ratione virtutis catharticæ. 497
*Aloës* ligni oleum ſuaviſſimum. 453
*Alumen* naſcitur in minera ſulphurea. 527
- quomodo differat à vitriolo, experimentis oſtenditur. 527. ſeq.
- cum ſale alcali mixtum conſtituit ſal medium laxans. *ibid.*
- quomodo copioſe præparetur in urbe Düben. 528
- ex mineris ſuis reviviſcit. *ibid.*
- regeneratur in aëre. *ibid.*
- non cryſtalliſatur ſine additione ſalis alcalini & quare. *ibid.*
*Aluminis* acidum multum convenit cum acido vitrioli. 527
- acidum eductum ex mineris cum ſale communi conſtituit ſal inſtar ſalis Ebshamenſis. 529
- minera in acervum congeſta non raro in apertam flammam exardeſcit. 528
- præparatio quæ notabilia phænomena exhibeat. 527
*Amaritiei* cauſa & geneſis. 464
*Ambra* cujus naturæ ſit. 466
- bituminis genus eſt. *ibid.*
- difficillime ſolvitur. *ibid.*
- quomodo tota ſolvatur. *ibid.*
- ejus eſſentiæ genuinæ characteres. *ibid.*
*Antimonium* cujus naturæ ſit & quibus conſtet principiis. 519
- quomodo in calcem vertatur. 520
- in venenum & medicinam aptari poteſt. 521
- crudum draſticæ virtutis expers eſt. 521. egregium in nonnullis morbis uſum præſtat. *ibid.* igne fuſum vel ſalibus tractatum fit venenum. *ibid.* quare non ſit venenum. *ibid.* eximiæ virtutis eſt. 524
- cum nitro tranſit in venenum & medicamentum. 521
- ejus texturam quæ deſtruunt, ea venenum ex illo efficiunt. 522
- ex eo parata medicamenta non tantæ virtutis ſunt, ut vulgo putatur. 524
- quomodo ex eo ſelectiſſima remedia præparari poſſint. 524
- ex eo quomodo panacea Conerdingiana præparetur. 525
- quos foveat colores. 541
*Antimonii* calx non eſt draſticæ virtutis. 520
- flores non tantum de ſulphurea, ſed etiam regulina ſubſtantia participant. *ibid.*
- regulus quomodo in majori quantitate parari poſſit. 522. ſolo igne mutatur in pulverem gryſeum diaphoreticum. 521. quomodo ſtellatus efficiendus & quæ hujus ſtellæ cauſæ ſint. 522. ejus ſal cauſticum & cum eo inſtituta experimenta. 523
- regulus medicinalis quomodo parandus. 521. 524. unde ſuas habeat virtutes. 525. quæ falſo adſcribuntur addito ſali communi. *ibid.*
- reguli tinctura acris unde habeat colorem rubineum. 523. ejus uſus & quibus cum medicamentis commode poſſit miſceri. *ibid.*
- ſulphur ad naturam auri non accedit. 520. ejusdem naturæ eſt cum ſulphure minerali vulgari. *ibid.* purum quomodo parari poſſit ex ſcoriis reguli antimonii martialis vel cinnabari antimonii. 522. vel ex antimonio & oleo vitrioli. 520. bene correctum in quibus morbis proficiat. 526. quomodo jam præparetur in Gallia & quas habeat virtutes. 525. quomodo ex eo præparetur tinctura extemporanea. 523. 524
- ſulphur auratum quomodo præparetur. 519. non eſt purum ſulphur, ſed cum regulina virulenta ſubſtantia mixtum. 520. unde habeat vim ſuam emeticam. 524. ejus virtus quomodo exaltetur. 525.

525. præcipitatur cum aqua calcis vivæ. *ibid.*
- ſcoriæ ex regulo ejus ſimplici poſſunt adhuc converti in regulum. 520
- tinctura rubicunda non habet colorem ab antimonii ſulphure. 522
- vitrum quomodo præparetur. 520

*Aqua* ad omnes generationes concurrit. 485
- quem uſum habeat. *ibid.*
- ſemper heterogeneis partibus eſt commixta. *ibid.*
- ejus gravitas & levitas unde. *ibid.*
- cur melius extrahat & ſuper alembicum vehat olea ex ſpeciebus, quam ſpiritus vini. 461
- ſolvit ſalia alia celerius, alia tardius. 484
- magnam vim habet colores immutandi. 540
- quomodo examinanda. 485. per inſtrumentum ſtaticum ab autore inventum. *ibid.*
- paludoſa accuratius examinata. 486. habet ſecum aliquid alcalini. *ibid.*
- pura quibus experimentis exacte cognoſci poſſit. *ibid.*

*Aqua* fortis abſtracta ſuper nitrum vulgare non ſolvit argentum. 479
- regis quomodo præparari poſſit & quod de acido ſalis plus, quam de nitri acido participet, experimentis demonſtratur. 545. ejus caput mortuum largitur nitrum verum per regenerationem. *ibid.*

*Aquæ* communis pars una ſolvit partem unam ſalis Ebshamenſis. 484. libra medica ſolvit ſex uncias ſalis communis, & novem uncias ſalis alcalini. *ibid.*
- aromaticæ quomodo ſine deſtillatione ex tempore parandæ ſint. 456
- minerales quomodo examinandæ. 515. ſi alcali continent, quomodo id detegi poſſit. *ibid.* quo ſeparationis modo ſalia ſua diverſæ naturæ dimittant. *ibid.* continent ſalia media, quibus ſulphur ineſt. *ibid.* fovent vitriolum volatile. 516. item ſpirituoſum elementum, quod variis experimentis oſtenditur. *ibid.* maximam ſuam virtutem habent ab hoc ſpirituoſo elemento. *ibid.* multas quoque terras calcareas & lapidoſas complectuntur. *ibid.*

*Arcanum* duplicatum à nitro vel vitriolo quomodo ſeparandum. 485. quomodo à ſale alcali ſeparari debeat. *ibid.*
- corallinum colorem ſuum mutat in igne. 539

*Argentum* non ſolvitur ab aqua forti ſuper nitrum vulgare abſtracta. 479. varios colores induit. 541. ſolutum præcipitatur à ſpiritu ſalis. 499
- vivum multifariam coloratur pro diverſa tractatione cum ſalibus. 541

*Aromata* odora plus calefaciunt, quam ſapida. 449

*Arſenicum*, venenum quas habeat notas characteriſticas. 518. ab auripigmento quomodo differat. *ibid.*
- album non præparatur ex auripigmento & ſale communi. 517. cum ſulphure vivo mixtum venenata orbatur virtute. 519. quem habeat uſum. *ibid.* rubrum veterum eſt auripigmentum. 517

*Arſenici* tres ſpecies, album, flavum & rubrum, quæ venena ſunt, veteribus fuerunt incognitæ, nec ultra duo ſecula innotuerunt. 518. quomodo præparentur. *ibid.*

*Artis* transmutatoriæ exiſtentia negatur ſolidiſſimo argumento, ex gravitate auri ſpecifica deducto. 546

*Atramentum* ſympatheticum quomodo præparetur. 515

*Auripigmentum* cujus naturæ & virtutis ſit. 517
- quibus conſtet principiis. 519
- non eſt ſepticæ facultatis, neque purgat vel emeticum eſt. 517
- igne tractatum rubeſcit & dicitur ſandaraca. *ibid.*
- per ignem degenerat in venenum. *ibid.*
- cum ſale communi mixtum & candenti crucibulo inditum totum abit in flammam lucidiſſimam. *ibid.*
- deſtillatur cum ſale communi. *ibid.*
- dictum fuit veteribus arſenicum. 518
- falſo declaratum pro veneno à collegiis medicis. *ibid.*
- quem habeat uſum. 519
- ſine noxa uſurpatum fuit veteribus. *ibid.*
- cum oleo vitrioli mixtum abit in liquorem glacialem craſſum ſulphureum. 494
- artificiale per oleum vitrioli. *ibid.*
- ejus flores cum ſale ammoniaco. 517. vehementer ſudorem pellunt. 494

*Aurum* quos habeat colores ſibi proprios. 541
- potabile Baſilii Valentini. 496
- in pulverem & crocum vertitur mixtum cum ſulphure & ſale tartari. 533
- graviſſimum ſuum pondus debet ſummæ partium tenuitati. 544
- ex ſtupendæ exiguitatis corpuſculis conſtare, experimentis demonſtratur. *ibid.*
- cum antimonio fuſum cur non abeat in ſcorias. *ibid.*
- ipſi ex falſa hypotheſi adſcribitur peculiaris vis confortans. 546
- in ſubſtantia non poteſt ſolvi in corpore humano & quare. *ibid.*
- ſolutum fit ſepticum. *ibid.*
- cum mercurio vel regulo antimonii mixtum & convenienti encheireſi præparatum egregiam præbet medicinam. 547
- ex eo quæ præparentur medicamenta & quid de iis ſentiendum. 546. cum iis circumſpecte agendum eſt in medicina. *ibid.*

*Auri* characteres eſſentiales. 543. quorum præcipuus eſt ſpecifica gravitas. *ibid.* ex qua omnes ejus proprietates optime deduci poſſunt. 544
- eſſentia ex antimonio & ſaccharo parata & quid de illa judicandum. 547
- fulminans virtus mirabilis deduci poteſt ex particulis nitri regenerati. 545. ejus verior cauſa detegitur. *ibid.*
- ſolutio cur ſine ſalis communis acido fieri nequeat. 544. radicalis quid ſit. 546. 547. per naturam videtur non fieri poſſe. 546. eſt lepidum chymiſtarum effugium in auro potabili colorando. 547
- tinctura ex ſaccharo. *ibid.* ex oleo cinnamomi & ſolutione auri parata examinatur. *ibid.*


B.


*Baccarum juniperi* oleum quomodo deſtillandum. 452. ab adulterino quomodo dignoſcendum. *ibid.* difficulter ſolvitur à ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ibid.* verum quas habeat virtutes. *ibid.*
- roob optima eſt medicina in morbis chronicis. *ibid.*

*Balſama* ſunt reſinæ liquidæ. 465
- quam habeant naturam & geneſin. 467
- unde gratum ſaporem & odorem mutuentur. 465
- quomodo in optimas medicinas diſſolvi debeant. *ibid.*

*Balſamica* igne perdunt ſuam virtutem. *ibid.*

*Balſamum* de copaiva adjicitur in deſtillatione herbis aromaticis. 455. cum oleo vitrioli mixtum fortiter ebullit. 458. ex eo parata reſina. 455. ejus oleum copioſum quomodo præparandum. *ibid.* hujus olei vires & uſus. *ibid.*

- liquidum ſpirituoſum ex oleis quomodo præparandum. 474. quibus ſplendeat virtutibus. *ibid.* quibus agat principiis. *ibid.* quibus in morbis uſu interno vel externo conveniat. 474. 475. circa ejus uſum quænam cautiones obſervandæ. 475
- Peruvianum dat oleum difficillimæ ſolutionis in alcohol vini. 460. ſed fragrantiſſimum. 469. largitur etiam ſpiritum præſtantiſſimi uſus. *ibid.*
- ſuccini liquidum quomodo præparandum. 468
- ſulphuris terebinthinatum quam mirabilem habeat vim exploſivam, confirmatur hiſtoria. 538. *ibid.*
- vulnerarium præſtantiſſimum. 455

*Baſilici* oleum. 454

*Borax* non tranſit in hepar ſulphuris, ſi funditur cum ſulphure carbonum. 530

*Buſſii* ſpiritus bezoardicus ejusque vires. 512

C.

*Calces* metallorum quomodo reducantur per alcalina terrea, ferrum, carbones. 535. item adjuvantibus oleoſis & pinguibus. *ibid.*

- fiunt ex metallis & mineralibus per ſal commune, ſulphur, omniaque acida & alcalina. 534
- uſtæ inſerviunt depurationi oleorum. 491

*Calcinatio* metallorum & mineralium quot modis fiat. 534

*Calculus renalis* quomodo concreſcat. 509

- cum eo inſtituta experimenta. *ibid.*
- igne in auras abit & ſal volatile exſpirat. 509
- ſolvitur ex parte aqua communi. *ibid.*
- non ſolvitur ſpiritu ſalis vel vitrioli, ab aqua forti vero ſolvitur & efferveſcit. *ibid.*
- nullum ſal fixum alcalinum, neque terram alcalinam habet. *ibid.*
- non eſt compoſitus ex ſale tartareo urinæ. 510
- neque concreſcit ex terra calcaria. *ibid.*
- nullum oleum vel pinguedinem fovet. *ibid.*
- concreſcit ex glutinoſa & terreſtri parte ſanguinis & ſeri. *ibid.*
- non eſt proſapiæ mineralis, ſed fixioris terreæ & animalis. *ibid.*

*Calor* intenſus oritur ex commixtione olei vitrioli cum glacie. 488

- valde immutat colores, quod confirmatur experimento ſyrupi violarum. 540

*Calx viva* non confligit cum acido, neque in ſal ſalſum cum eo degenerat. 481

- cur efferveſcat cum aqua. 488
- cum ea varia inſtituta experimenta. 490
- acrimoniam habet plane volatilem. *ibid.*
- ejus aqua ſolvit ſulphura. 491
- cum albumine ovi mixta denſatur in coagulum. *ibid.*
- quem præbet uſum œconomicum & metallurgicum. *ibid.*
- fœcundat terram. *ibid.*
- ad ſervandam vinorum dulcedinem uſurpatur. *ibid.*
- duplex habet principium. *ibid.*
- ſummum præbet cauſticum. *ibid.*
- cum oleo vitrioli mixta non tranſit in ſal tertium. *ibid.*
- ſalia volatilia pura reddit. *ibid.*
- oleis empyreuma auffert. *ibid.*
- pinguedini ſummam penetrantiam conciliat. *ibid.*
- inſervit copioſe præparandis ſalibus volatilibus ex animantibus. 492
- cur ſpiritui volatili ſalis ammoniaci aliam plane naturam conciliet. *ibid.*
- cur non forma ſicca producat ſal volatile. *ibid.*
- non coagulatur à ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ib.*

*Camphora* quomodo præparetur. 458

- ejus ſolutio cum oleo vitrioli. *ibid.*
- ad reſinas male refertur. 461
- neque eſt ſal volatile oleoſum. *ibid.*
- ſed eſt oleum tenuisſimum coagulatum & quare. 462
- ejus oleum eſt non ens, quia ipſa eſt oleum. *ib.*
- cum aqua forti in oleum vertitur & ex ſolido fit fluidum. *ibid.*
- quomodo differat ab oleis deſtillatis. *ibid.*
- non adeo calida eſt, ut vulgo putatur. *ibid.*
- eſt egregium diſcutiens & roborans. 463
- it. egregium antiſpaſmodicum & contra inflammationes remedium. *ibid.*
- alexipharmacorum princeps. *ibid.*
- quomodo in balſamum liquidum redigi poſſit. 468. qualem hoc habeat uſum in medicina & chirurgia. 469
- ejus uncia una ſolvitur ab uncia una ſpiritus vini rectificatiſſimi. 486

*Carbones* quomodo præparentur. 535

- extremo igne in vaſe clauſo non poſſunt converti in cineres albos, ſed in aëre aperto. *ibid.*
- multum differunt pro varietate lignorum. *ibid.*
- vehementius inflammantur adjecto ſale communi. 536
- eorum fumus vel vapor eſt odoris expers & inviſibilis, ſed certo experimento mox viſibilis redditur. 535. ejus virulentia adſtruitur multis autoritatibus & exemplis. *ibid.* unde proficiſcatur. 536. narcoticum habet effectum & quare. *ibid.*

*Carbones* peculiarem exerunt virtutem in metalla & mineralia, ſi includantur vaſibus & ſi in libero aëre relinquantur. *ibid.*

- pulvere ſuo egregie fœcundant terram & quare. 537.
- vivi quænam producant phænomena & effectus, ſi varia ſalia ipſis injiciantur. 536

*Carbones foſſiles* deſtillati dant ſpiritum, oleum & ſal acidum, terramque non amplius inflammabilem. 508

- eorum ſpiritus albus cum tempore fit rubicundus. *ibid.*
- quomodo ex iis ſpiritus volatilis parari poſſit. *ibid.*
- cum eorum oleo & ſale acido inſtituta experimenta. *ibid.*
- eorum oleum tingit argentum nigro colore. *ib.*
- eorum ſal acidum cum ſpiritu ſalis ammoniaci efferveſcit & valde conforme eſt ſali ſuccini. *ibid.*
- eorum vapor vel fumus non adeo noxius. *ibid.* morbis contagioſis contrarius eſt. *ibid.* quomodo nocivus fiat. *ibid.* corrigit atmoſphæram nimis humidam. *ibid.* defendit, ſi non nimius eſt, urbes à ſcorbuto, & morbis ex putredine oriundis. 509. valde copioſus ſanitati infenſus eſt & exſiccat pulmones. *ibid.*

*Caryophyllorum* oleum recens debet eſſe albisſimum. 450. quomodo deſtillandum. 453. ejus uncia una ſolvitur ab uncia una ſpiritus vini rectificatisſimi. 486

*Chamomillæ* oleum cæruleum prodit. 450. diuturnitate temporis colorem cæruleum amittit. 452. quem etiam perdit in aëre. 540
*Cinnabaris* in forma liquida quomodo præparari poſſit. 515
- vulgaris unam partem ſulphuris & tres partes mercurii continet. 519. idem præſtat, quoad uſum medicum, ac vulgaris. 521
*Citri* oleum omnium leviſſimum. 457
*Cobaltum* ſapphirinum colorem in ſe habet. 541
*Cochleariæ* oleum ejusque vires. 453
*Colocynthis* diuturna coctione vim ſuam purgantem amittit. 497
*Color* cœruleus ſtanni. 541
- niger ex vitriolo. *ibid.*
- oleorum mutatur aëris acceſſu. 453. ſub deſtillatione intenditur fortiori ignis gradu. 542
- qualis producatur ex antimonio, ferro, plumbo. 541
- rubicundus ab acido & oleoſo principio invicem mixto. 458. ex cortice rad. alkannæ variis modis mutari poteſt, non vero intenditur ab acido. 540. in quibusdam floribus per ſalia alcalina mutatur in viridem. 540. cur in digeſtione accedat ſpiritibus oleoſis & acidis. *ibid.*
- ſapphirinus cobalti. 541
- ſubcæruleus ex radice pimpinellæ nigræ tranſcendit alembicum. 542
- viridis & cæruleus cupro proprius eſt. 543
*Colores* quam habeant geneſin & cauſam. 539
- eorum materiale principium non adeo ſubtile, ſed fixioris eſt indolis. 542
- varie modificantur & immutantur ab aqua, igne, aëre, ſalibus & ſulphuribus. 539
- extrahuntur ab aëre ex floribus vegetabilium. *ibid.*
- magnam vim patiuntur ab aqua. 540
- conſtantiores & durabiliores quinam ſint. 539
- valde immutantur à calore. 539. 540.
- ex metallis & mineralibus varii proveniunt, & certi iis proprii ſunt. 540. ex metallis ſunt valde conſtantes & quare. *ibid.*
*Colorati* liquores per deſtillationem quinam prodeant. 541. 542.
*Crameri* ſulphur anodynum. 494
*Creta*, ex ea cum ſpiritu nitri poteſt parari magnes aëris. 500
*Cumini* oleum nigrum carminativum eſt. 454
*Cuprum* quos producat colores. 541. in quibus viridis & cæruleus ipſi proprius eſt. 543. cæruleus à ſpiritu urinoſo volatili non extrahitur in vaſe clauſo, niſi accedat aër externus. *ibid.*
- ab omnibus menſtruis ſolvitur. *ibid.*
- ſolutum ſpiritu ſalis ammoniaci in ſubſtantiam ſalinam mutatur fixioris naturæ. *ibid.*
- à quonam menſtruo ſolvatur & præcipitetur. *ibid.*
- ab oleo vitrioli difficilius ſolvitur, quam ferrum, ſed facilius, quam argentum. 527

D.

DEſtillatio oleorum quas requirat encheireſes. 450. præviam habere debet macerationem. *ibid.* per veſicam certam aquæ quantitatem deſiderat. *ibid.* qualem poſtulet ignis gradum. *ibid.*
*Duben* urbs Miſniæ eſt, ubi coquitur alumen. 528

E.

EFferveſcentia, ejus rariores ſpecies. 488
- cur ſemper bullulas producat. *ibid.*
- non omnis fit ab acido & alcali. *ibid.*
- ex duobus acidis, oleo nempe vitrioli & ſpiritu ſalis. *ibid.*
- calida olei vitrioli cum aqua certam utriusque proportionem requirit. 488
- cum ſpiritu ſalis cur fiat. 489
- olei lavendulæ cum ſpiritu nitri. 490
*Efferveſcentia* ſicca calidisſima reguli antimonii & mercurii ſublimati. *ibid.*
- cur oriatur ex ſpiritu nitri & butyro antimonii. 489
*Effluvia* noxia in aëre aliis effluviis facile alterari & corrigi poſſunt. 490
- corporum varias particularum ſpecies in ſe habere poſſunt reconditas. 489
*Emetica* amittunt ſuam virtutem fortiori coctione in aqua. 497
- ex antimonio. 524
*Extractum* ligni ſaſſafras in medicina utilisſimum. 452

F.

FErrum præcipitat ſolutionem cupri & quare. 487
- ſolutum præcipitatur à zinco & quam ob cauſam. *ibid.*
- ejus crocus non amplius attrahitur à magnete. 534. intactus relinquitur à ſpiritu ſalis. 499
- ejus limatura tardius ſolvitur à ſpiritu ſalis. *ibid.*
- ejus ſulphur optime extrahitur ſpiritu ſalis & ſpiritu vini rectificato. *ibid.*
*Flamma* prorumpit ex commixtione ſpiritus nitri fumantis cum oleo caryophyllorum, ligni ſaſſafras, terebinthinæ, carvi, non vero cum oleo juniperi veri. 459
- naſcitur ex ſpiritu nitri & ſpiritu terebinthinæ invicem mixtis. 481
*Flamma* exſurgit ab efferveſcentia ſpiritus vitrioli cum limatura martis una cum maximo exploſivo ſtrepitu. 493
- nulla fit ex commixtione olei vitrioli & olei terebinthinæ. 481
*Flammifer ſpiritus* quomodo præparandus. 482
- cum eo inſtituta experimenta. 481
- in ejus præparatione quænam ſint obſervandæ cautiones. 482
- cum oleis aromaticis gravioribus it. cum ſpiritu terebinthinæ flammam excitat. *ibid.*
- eſt ſummum cauſticum. *ibid.*
- admixto ſale alcali omnem erodentem vim amittit. *ibid.*
- dulcificatur ſpiritu vini rectificatisſimo. *ibid.* cujus proceſſus ratio proponitur. *ibid.*
*Fluida* non ſolvunt ſolida ratione diverſæ figuræ, quam eorum partes habent. 486
*Fontes* Freyenwaldenſes quænam habeant ingredientia. 516
- Lauchſtadienſes & Bibranæ quibus conſtent elementis. *ibid.*
- minerales quidam copioſum ſal medium continent. 517
*Fumus* carbonum noxius. 535
- ſulphuris mineralis non adeo nocivus eſt, ut vulgo creditur. 508
- ex effluviis diverſorum ſalium productus. 490

G.

GLauberiani ſalis virtutes purgantes. 502
*Gravitatis* ſpecificæ cauſa eſt pororum diverſitas. 486
- cauſa duplex aſſeritur, externa & interna. 544
*Guajaci* ligni ortus. 468
- ex eo parata reſina errhinæ virtutis. *ibid.*
- ejus decoctum quomodo operetur. *ibid.*
*Gummata* balſamica quænam ſint. 465

H.

HÆmatites non ſolvitur à ſpiritu ſalis. 500
*Humida* magis ſunt homini neceſſaria ad conſervandam ſanitatem, quam ſolida. 503

I.

INflammabiles ſpiritus nil niſi olea ſunt, in phlegmate reſoluta. 523. quod demonſtratur. *ibid.*
*Juniperi baccæ* non copioſum fundunt oleum. 452
- earum oleum quomodo deſtillandum. *ibid.* verum quomodo dignoſcendum ab adulterino. *ibid.* difficulter ſolvitur ſpiritu vini. *ibid.* quas habeat virtutes. *ibid.*
- earum rob eſt optima medicina in morbis chronicis. *ibid.*

K.

KRugneri materia perlata quomodo præparetur. 523. eſt magiſterium ceruſſæ antimonii. *ibid.* unde fiat augmentum ponderis ejus. *ibid.* quomodo reducatur in regulum. *ibid.*

L.

LApidificationis cauſæ. 490
*Liquores* colorati quinam per deſtillationem prodeant. 541
*Lixivium* non modo ſulphur ex antimonio, ſed & partem regulinam ſolvit. 525
- nitri magnam convenientiam habet cum lixivio ſalis communis. 500
- ſalis communis à coctione remanens examinatur. *ibid.* inſpiſſatum ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ibid.*
*Lixivioſa* ſalia quomodo generentur. 522. cur præcipitent lixivium ſalis communis. 500

M.

MAgnes non attrahit crocum martis. 534
*Magneſia* quibus conſtet principiis. 480
- quomodo vulgariter præparetur. *ibid.*
- quomodo compendioſius conficienda. *ibid.*
- ſoluta cum acidis dat ſal ſalſum amaricans. *ibid.*
- unde habeat ſuam vim purgantem. *ibid.*
- diureticæ & diaphoreticæ eſt virtutis. 481
- in hypochondriacis ſæpius flatulentias parit. *ibid.*
- lactis vehiculo commodiſſime ſumitur. *ibid.*
- nitri optimum eſt purgans. 480. ejus hiſtoria & inventio. 479. quomodo præparetur. *ibid.*
- ſalis communis non ſecus purgat, ac magneſia nitri. 500
*Majoranæ* oleum ingentem copiam reſinæ poſt rectificationem relinquit. 455
*Mari* ſyriaci oleum ejusque vires. 453
- veri oleum valde penetrans. *ibid.*
*Marina* non exſpirant igne odorem ſalis volatilis. 514
*Mars.* vid. ferrum.
*Maſtiches* balſamum liquidum quomodo præparetur. 468. totum ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ib.*
*Materia perlata Krugneri* quomodo præparetur. 523. eſt magiſterium ceruſſæ antimonii. *ibid.* unde ponderis augmentum acquirat. *ibid.* quomodo reducatur in regulum. *ibid.*
*Medicamentum* antipodagricum externum egregium. 489. 490
*Medicamenta* ex antimonio. 524
- ex auro ac de iis judicium. 546
*Menſtrua* quæ ſolvunt metalla, debent ſe unire cum ejus particulis, ut ſal conſtituant. 487
*Millefolii* oleum diuturnitate temporis cœruleum colorem amittit. 452
*Miſy* veterum quid ſit. 526
*Mœbii tinctura aperitiva* quomodo præparetur, & quas habeat vires. 484
*Motuum terræ* cauſa experimento explicatur. 527
*Myrrhæ* oleum quomodo deſtillandum. 20. ejus virtutes. *ibid.*

N.

NAturæ maxima inſtrumenta ſunt unio & ſeparatio partium. 488
*Niedneri* ſpiritus mundi. 493
*Nitrum* veterum quomodo differat à noſtro. 476. eſt naturæ alcalinæ & reperitur in fontibus mineralibus. *ibid.* noſtrum inflammabile artis opus eſt. *ibid.*
- quibus conſtet principiis. *ibid.*
- ex qua materia præparetur. *ibid.*
- quomodo conficiatur. 477
- ejus ſal maxime continetur in aëre. *ibid.*
- ejus principium præcipuum vehit ventus boreas. *ibid.*
- non bene poteſt præparari ſine ſale alcali & calce viva. *ibid.*
- ut in cryſtallos coëat, quænam ſint obſervanda. *ibid.*
- ſal alcali in ſe recondit. *ibid.*
- Indicum & Ruſſicum optimum & cur. *ibid.*
- ejus inflammabilitas expanſivæ virtutis unde. *ibid.*
- quomodo depurandum. 477
- aliud differt ab alio. 478
- quodvis cur cuſtodiat ſal commune. *ibid.* quomodo id differat ab alio ſale communi & quomodo à nitro ſeparandum. *ibid.*
- ejus characteres eſſentiales. *ibid.*
- per acidum vitrioli dat aquam fortem. *ibid.*
- ſanguini admixtum eum fluxilem reddit. *ibid.*
- quomodo operetur in ſanguinem. *ibid.*
- totum diſſlatur in fumum. 479
- calcinat plurima metalla & mineralia. *ibid.*
- quomodo ex eo præparandum ſal alcali. 478
- inflammabile parari poteſt ex ſpiritu nitri & ſale commun. 479
- regeneratum ſolvitur ſingulari modo ſpiritu vini rectificatiſſimo. 483
- cur ſit ſaluberrimum. 501
- urinæ fluxum adjuvat. *ibid.*
- omnes excretiones corporis promovet. 502
- cauſticam & volatilem humorum indolem domat. *ibid.*
- fixum quomodo differat ab aliis ſalibus lixivioſis. 512

- non deflagrat cum regulo antimonii mixtum. 522
- non eſt aëris fœtus. 531
- calces reducit in priſtinum metallum. 535

*Nitri* lixivium examinatur. 480. cum eo inſtituta experimenta. *ibid.* vehementer effervеſcit cum oleo vitrioli, non autem cum alcalino. *ibid.* intime ſe unit cum ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ibid.* magnam habet convenientiam cum lixivio ſalis communis. 500
- magneſia optimum eſt purgans. 479. juvat maxime hypochondriacos. *ibid.* ejus hiſtoria & inventio. *ibid.* quomodo præparetur. *ibid.* paratur ex lixivio nitri. 480

*Nitri* ſpiritus quomodo conficiendus. 478
- ſpiritus dulcis quomodo vulgariter & autoris methodo præparetur ejusque differentia. 482. quas habeat virtutes. 483. cum ſpiritu bezoardico mixtus virtutem acquirit diaphoreticam. *ibid.*
- ſpiritus fumans fortiter effervеſcit cum ſpiritu vini rectificatiſſimo. 459

O.

ODor fortis in vegetabilibus teſtatur de olei abundantia. 449. eo imbuta vegetabilia multum olei fundunt. *ibid.*
- gratus balſamorum unde. 465
- ſuavis quomodo oleis reddendus. 456

*Oleum* abſinthii obſcuri nigricantis eſt coloris. 542. egregium ſedativum eſt in doloribus. *ibid.*
- baccarum juniperi quomodo deſtillandum. 452. quomodo dignoſcendum ab adulterino. *ibid.* difficulter ſolvitur in ſpiritu vini. *ibid.* quas habeat virtutes. *ibid.*
- balſami de copaiva quomodo præparandum. 455. Peruviani difficillime ſolvitur alcohol vini. 460
- baſilici. 454
- caryophyllorum recens debet eſſe albiſſimum. 450. quomodo deſtillandum. 453

*Oleum* chamomillæ cæruleum prodit. 450. ſed diuturnitate temporis cæruleum colorem amittit. 452
- citri omnium eſt leviſſimum. 457
- cochleariæ ejusque vires. 453
- cumini nigri carminativum eſt. 454
- majoranæ copiam reſinæ poſt rectificationem relinquit. 455
- mari ſyriaci ejusque vires. 453
- mari veri valde penetrans eſt. 454
- myrrhæ quomodo deſtillandum. *ibid.*
- origani cretici errhinæ virtutis. *ibid.*
- ranunculi eſculenti ejusque vires. *ibid.*
- roſarum inſtar butyri coagulati prodit. 450. quomodo deſtillandum. 454
- ſantali citrini. 453
- ſaſſafras ligni duplex. 452. quomodo præparandum. *ibid.* in quibus affectibus utile. *ibid.* omnium ponderoſiſſimum eſt. 457
- ſchœnanthi falſo venditur pro oleo meliſſæ vero. 454
- ſuccini difficillime ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. 460. cum ſpiritu fumante mixtum cur flammam reſpuat. 460
- terebinthinæ diverſa quantitate prodit, prout deſtillatur ex veſica cum aqua, vel ex ſicca terebinthina. 457
- triplex datur in vegetabilibus. 449
- vitrioli eſt album inſtar aquæ limpidæ. 457. quomodo reddi poſſit rubicundum. *ibid.* quomodo rectificari debeat. *ibid.* reliqua vid. ſub tit. *vitrioli oleum.*

*Olea æ243therea* non ſunt rectificanda ex arena ſine additione aquæ. 455. rectificata difficulter ſolvuntur. *ibid.*
- quibus conſtent principiis. 496
- *deſtillata* animantium ſal volatile cuſtodiunt. 463. ſeq. ſpiritu vini ſoluta magnam habent efficaciam. 464. crebriori rectificatione valde ſubtilia redduntur & præſtantiſſimam medicinam contra epilepſiam & febres præbent. *ibid.* repetita deſtillatione rectificata vim habent anodynam & quomodo operentur. *ib.* quomodo differant ab oleis deſt. vegetabilium. 463
- diuturnitate temporis qualem colorem acquirant. 450
- diverſa quantitate prodeunt pro differentia vegetabilium. 451. it. pro diverſa temperie aëris ac temporis conſtitutione. *ibid.*
- quomodo adulterentur. 453
- eorum adulteratio quomodo cognoſcenda. 451. per mixtionem cum oleo vitrioli. 458
- cum oleo terebinthinæ adulterata valde noxia ſunt. 459
- rariora. 453
- colorem ſuum mutant acceſſu aëris. *ibid.*
- quomodo integra ſint ſervanda. 456
- quomodo cum aqua intime unienda. *ibid.*
- carminativa valde gravia. 457
- gravia non ſemper fortiter calefaciunt. *ibid.* cur flammam exhibeant cum ſpiritu nitri fumante mixta. 459
- quænam aliis ſint calidiora & quare. 457. 458
- quænam fortiter effervеſcant ſine flamma cum ſpiritu nitri fumante. 459
- quænam cur flammam emittant cum ſpiritu nitri fumante mixta, alia non. *ibid.*
- ſolvuntur optime in alcohol vini. 460
- nonnulla cur difficilius ſolvantur ſpir. vini rectificatiſſimo. *ibid.*
- quæ difficulter ſolvuntur, cur ſint aliis calidiora. *ibid.*
- ex corticibus & radicibus difficilius ſolvuntur à ſpiritu vini rectificatiſſimo, quam quæ ex floribus & herbis aromaticis eliciuntur. *ibid.*
- cum aqua melius deſtillantur, quam cum ſpiritu vini. 461
- deſtillantur majori copia ex herbis ſiccatis. 450
- vegetabilium quomodo differant ab oleis animantium. 463. ſubtile acidum fovent. *ibid.*

*Oleorum deſtillatio* quas requirat encheireſes. 450. eam præcedere debet maceratio. *ibid.* per veſicam certam aquæ quantitatem deſiderat. *ibid.* qualem poſtulet ignis gradum. *ibid.*
- color & odor valde deſtruitur nimio calore. 455
- gravitas ſpecifica & quomodo exploranda ſit cylindro ex ſuccino. 456. indicat vires in corpus humanum. 457
- mixtio cum oleo vitrioli quæ notanda præbeat theoremata. 458
- ſapor & odor differens. 451
- odor ſuavis quomodo pereat ſub deſtillatione. 455. quomodo is reparandus. 456
- mixtionem ingreditur acidum. 496

*Opii* deſtillatio cum oleo vitrioli & quæ inde producantur. 494

*Origani* cretici oleum errhinæ virtutis. 454

*Os ſepiæ* in igne exſpirat odorem ſalis volatilis. 514 *ibid.*

*Ova* chymice examinata. 502
- cur optime nutriant. *ibid.*
- ratione ponderis multum differunt. 503
- eorum corticis, albuminis & vitelli pondus. *ibid.*
- nimio calore cur indureſcant. *ibid.*
- cor-

- corticem habent valde poroſum, quod demonſtratur experimento. *ibid.*
- eorum albumen leni calore diſſolvitur, nimio inſpiſſatur. *ibid.* à ſpiritu vini rectificatiſſimo & ſpiritu acido coagulatur. *ibid.*
- in febribus cur noceant. *ibid.*
*Ova* ſal volatile ac tenue oleum per deſtillationem fundunt. *ibid.*
- eorum teſtæ, veluti os ſepiæ, igne exſpirant odorem ſalis volatilis, marina vero non. 514

P.

*PAnis* deſtillatus fundit ſpiritum acidulum & oleoſum & magnam quantitatem olei ac terræ fixæ. 504
- cur ventriculo gratus ſit. *ibid.* varia genera veteribus cognita. *ibid.*
- groſſior veteribus familiariſſimus. 505. robur dat corpori. *ibid.* quam habeat prærogativam præ aliis. *ibid.* alvum ſubducit & quare. 506
- groſſior Weſtphalicus chymice examinatus. 504. ex eo præparari poſſunt medicamenta, aqua ſpirituoſa & optimus ſpiritus panis. 506
*Phosphorus* Anglicanus à quonam inventus. 537
- ex qua materia conficiatur. *ibid.*
- nihil aliud eſt, quam ſulphur, cujus partes rapidiſſimo motu agitantur. *ibid.*
- cum eo inſtituta experimenta. *ibid.*
- cum nitro trituratus non inflammat nitrum. *ibid.*
- non ſolvitur Spiritu vini rectificatiſſimo. *ibid.* neque in oleo deſtillato. 537. ſeq.
- non accendit camphoram, ſi cum eo trituratur. 538
- camphora interveniente ſolvitur in oleo caryophyllorum & ſic fit phosphorus liquidus. *ibid.*
- experimentorum cum eo inſtitutorum ratio inquiritur. *ibid.*
*Pinguedo* animantium ob alcali intus contentum extrahit colorem cæruleum ex cupreis vaſis. 463
*Polypi* in corpore humano ex qua materia concreſcant. 504
*Præcipitatio* fit nova unione menſtrui cum alio corpore. 487
- ſolutionum cum acido cur fiat ab acido fortiori. *ibid.*
- ſolutionis oleoſæ & reſinoſæ cur fiat ab aqua. *ibid.*
*Purgantia* amittunt ſuam virtutem fortiori coctione in aqua. 497
*Pyrophorus* paratus ex alumine & corpore ſulphureo. 273

R.

*RAnunculi* eſculenti oleum ejusque vires. 454
*Reductio* metallorum quomodo fiat. 534
- quomodo fiat per alcalina, terrea, ferrum, carbones. 534. it. adjuvantibus oleoſis & pinguibus. 535
*Reſinæ* ex acido & oleoſo principio conflatæ ſunt, quod experimento demonſtratur. 464
- multum terræ alunt. 465
- earum differentia in quo conſiſtat. *ibid.*
*Reſina* ex balſamo de copaiva. 455
- ſantali rubri rubicundiſſima quomodo paranda. 467
- ejus proprietates & uſus. *ibid.*
*Rob* baccarum juniperi optima eſt medicina in morbis chronicis. 452
*Roſarum* oleum inſtar butyri coagulati prodit. 450. pretioſum & rarum quomodo deſtillandum. 454

S.

*SAccharum* conjungit aquam cum oleo. 456
- lacti admixtum quomodo impediat confectionem butyri. *ibid.*
- pinguefaciendis animalibus inſervit. *ibid.*
*Salia* alia celerius, alia tardius ſolvuntur ab aqua. 484
- cur non ſolvantur à ſpiritu vini rectificatiſſimo. 487
- cauſticam naturam habent à ſumma partium tenuitate. 497
- quibus conſtent principiis. 498
- crebriori ſolutione & coctione mutantur in terram inſipidam. 497
*Sal acidum* unum ab altero differt natura & virtute. 513
- animantium venis injectum ea necat & quare. 501
- aluminis multum convenit cum acido vitrioli. 527. eductum ex mineris cum ſale communi conſtituit ſal Ebshamenſe. 502
- vitrioli quomodo differat à nitri acido. 489
*Salia alcalina* non congruunt oleorum deſtillationi. 450
- venis animantium injecta ea jugulant. 501
- fixa differunt indole & virtute. 512. ingentem copiam oleoſi & ſulphurei principii cuſtodiunt. 513
- non modo ſulphur ex antimonio, ſed quoque partem ejus regulinam extrahunt. 520
- cur præcipitent terrea in acido ſoluta. 487
*Sal ammoniacum* egregium eſt antifebrile. 502
- regeneratum ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. 483
- tres fere partes ſalis volatilis urinoſi continet. 510
- ejus ſpiritus omnium penetrantiſſimus eſt & cur. 492. cum calce viva paratus quomodo differat ab eo, qui cum ſale tartari factus. *ibid.* ſponte ingreditur ſpiritum vini rectificatiſſimum. *ibid.* non effervescit cum ullo acido. *ibid.* ejus virtutes in medicina uſusque externus in affectus ſoporoſis. *ibid.* cum aqua paratus coagulatur à ſpiritu vini rectificatiſſimo, non autem, ſi paratus fuerit cum ſpiritu vini. 510
*Sal cauſticum* reguli antimonii & cum eo inſtituta experimenta. 523. mixtum cum oleo vitrioli odorem aquæ fortis exhibet. *ibid.* quomodo differat ab alio ſale lixivioſo. *ibid.* cum antimonio crudo mixtum quid conſtituat. 523. 524. cum regulo antimonii denuo fuſum multum amittit de ſapore cauſtico. 524
*Sal commune* quos habeat natales. 498
- ejus ſex unciæ ſolvuntur in libra medica aquæ communis. 484
- igne vehementiori quoad potiorem partem in auras diſſipatur. 498
- depuratur ſanguine bovino, ſub coctione adjecto. *ibid.*
- non poteſt in ſolidam formam concreſcere adjecta pinguedine. *ibid.*
- optimum eſt durum, candidum, purum & conſtans in aëre. *ibid.*
- ad auri ſolutionem neceſſario requiritur. *ibid.*
- animantibus valde amicum. *ibid.*
- quomodo regeneretur. *ibid.*
- igni injectum ejus vim auget. *ibid.*
- fumo ſuo vertit ferrum in chalybem. 499
- plumbum & ſtannum mutat in cineres. *ibid.*
- olea optime depurat. *ibid.*

- ſuccini depurationi inſervit. *ibid.*
- argento volatilem naturam tribuit. *ibid.*
- ex eo magneſia præparari poteſt. 500. quæ non ſecus ac magneſia nitri vim purgantem habet. *ibid.*
- ex lixivio ipſius reſiduo coctum brevi rurſus in liquorem diffluit. *ibid.*
- calcaream terram ſecum habet. *ibid.*
- cur deliqueſcat in aëre. 501
- ex eo & foſſili præparatur ſal gemmæ cryſtalliſatum. *ibid.*
- ingreditur ſalis Ebshamenſis mixtionem. *ibid.*
- non mutat ſanguinis craſin & conſiſtentiam. *ibid.*
- omnium ſaluberrimum eſt, vitamque & ſanitatem hominis conſervat. *ibid.*
- non ingreditur vitalium ſuccorum texturam. *ibid.*
- quomodo præparetur ex ſale ammoniaco. 511
- cum auripigmento mixtum flammam dat lucidiſſimam. 517
- ex ejus lixivio terra præcipitatur ab oleo vitrioli. 500
- ejus ſpiritus acidus adhuc continet integram ſalis communis texturam. 489. omnium ſubtiliſſimus eſt. 493. quomodo cum oleo vitrioli compendioſa methodo præparetur. 493. 499. quas habeat virtutes. 492. argentum ſolutum præcipitat. 499. ſumme volatilis eſt. *ibid.* pulmones, ventriculum & renes maxime afficit. *ibid.* in fonticulis pruritum ac dolorem excitat. *ibid.* ſpiritu vini rectificatisſimo addito non penitus dulceſcit, ut ſpiritus nitri. *ibid.* limaturam martis tardius ſolvit. 500. hæmatitem & crocum martis intactum relinquit. *ibid.* cum oleo vitrioli, ſuper quod aliquoties ſpiritus vini abſtractus fuit, paratus valde fœtidus eſt & empyreumaticus. 513. cum calce viva mixtus liquorem conſtituit inſtar olei craſſum & flavum, ex quo certa encheireſi ſpiritus ſalis reſuſcitari poteſt. *ib.* quomodo differat à ſpiritu vitrioli in ſolutione martis & variorum terreorum. *ibid.* alio modo præcipitat argentum, quam ſpiritus vitrioli. 514

*Sal Ebshamenſe* ex ſubtilisſimis corpuſculis compoſitum eſt. 485. in ſua mixtione habet ſal commune. 501. cum pulvere carbonum mixtum quid conſtituat. 530
- *Glauberianum* virtutes posſidet purgantes. 502
- *lixivioſum* præcipitat lixivium ſalis communis & quare. 500. quomodo generetur. 522
- *marinum* ubi præparetur. 498
- *media* maximum habent uſum in medicina. 501
- *neutra* ſecundum autoris inventionem ſolvuntur ſpiritu vini rectificatisſimo. 483. ſoluta in ſpiritu vini rectificatisſimo medicinam præbent præſtantisſimam. 483
- *volatile* unum ſaltem datur in tota rerum natura. 511. purum non valde commovet ſanguinem & quare. 490. quomodo copioſe parari posſit ex animantibus cum calce viva. 492. quomodo præcipitetur ex ſpiritu oleoſo volatili. 512. cephalicum & nervinum quomodo ex tempore parari posſit. 511. cornu cervi conficitur ſine prævia cornu cervi deſtillatione. *ibid.* oleoſum quomodo in forma ſicca præparandum. *ibid.* ſiccum Anglicanum quomodo elaboretur. 510

*Salinarum* libra non ultra ſex uncias ſalis continere poteſt. 484

*Sanguis humanus* chymice examinatus. 503
- quam habeat fluidi & ſolidi proportionem. *ibid.*
- ſpecie gravior eſt aqua. *ibid.*
- ejus ſerum & albumen multum inter ſe conveniunt. 504
- leni calore diſſolvitur ac putreſcit. *ibid.*
- deſtillatus dat ſpiritum, ſal volatile & oleum flavum. *ibid.*
- copioſum ſal fixum largitur. *ibid.*
- ejus elementa optime deteguntur ſine igne adhibito. *ibid.*
- ſiccatus & in aqua ſolutus principia ſua optime manifeſtat. *ibid.*

*Santali* citrini oleum. 453
- flavi natales. 467. tinctura & balſamum liquidum. *ibid.* eſſentia ejusque virtutes. *ibid.*
- rubri ortus. *ibid.* rubicundisſima reſina quomodo præparari debeat. *ibid.* hujus reſinæ proprietates & uſus. *ibid.*

*Sapida* inodora nullum dant oleum. 450

*Sapor* gratus balſamorum unde. 465

*Saſſafras* ligni extractum in medicina utiliſſimum. 453
- oleum duplex. 452. quomodo præparandum. *ibid.* quibus in affectibus utile ſit. *ibid.* omnium ponderoſiſſimum eſt. 457

*Schœnanti* oleum falſo venditur pro oleo meliſſæ vero. 454

*Sepiæ* os igne exſpirat odorem ſalis volatilis. 514

*Solutio* ab acido facta cur præcipitetur acido fortiori. 487
- argenti præcipitatur à ſpiritu ſalis. 499
- corporum non fit per ſuſceptionem in poros. 486
- cupri cur præcipitetur à marte. 487
- martis cur præcipitetur à zinco. *ibid.*
- metallorum per menſtrua non poteſt fieri, niſi illa degenerent in ſalia. 486. cur non fiat ab oleoſis. 513
- oleorum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo non fit per receptionem in poros menſtrui. 460
- oleoſa & reſinoſa cur præcipitetur ab aqua. 487
- ſalium diverſorum celerior vel tardior. 484. quem habeat uſum. *ibid.* unde fiat. 485. crebrior cum coctione ipſa vertit in terram inſipidam. 497

*Spiritus* antipodagricus egregius. 515
- balſamicus volatilis quomodo præparandus. 469. quibus excellat virtutibus. *ibid.*
- bezoardicus volatilis ad exemplum Buſſii. 511. hujus præparationis fundamentum. *ibid.* quomodo optime conficiatur. 512. quibus polleat virtutibus. *ibid.*
- cinnamomi, caryophyllorum & ligni ſaſſafras. 460. perperam deſtillantur cum ſpiritu vini. 461

*Spirit.* inflammabilis nil niſi oleum eſt in phlegmate reſolutum. 496
- mundi Niedneri. 493
- ſalis ammoniaci vid. *ſal ammoniac.*
- ſalis communis vid. *ſal commune.*
- vini oleo olivarum & terebinthinæ levior eſt. 457. abſtractus ſuper ſpecies aromaticas potiorem olei partem in vaſe relinquit. 461. ejus bonitas quomodo exploranda inſtrumento ſtatico. 473. quomodo ſeparetur à phlegmate ſine igne. *ibid.*
- vini rectificatus incluſus & accenſus ingentem vim exploſivam exerit, quod hiſtoria confirmatur. 527
- vini rectificatisſimus quomodo præparandus. 474. vehementer efferveſcit cum ſpiritu nitri fumante. 459. non bene ſolvit oleum de cedro. 460. ſolvit æqualem partem olei caryophyllorum puri. *ibid.* item camphoræ. 487. ſolvit ſalia contra vulgarem opinionem. 483. ſal tartari vehit ſuper alembicum. *ibid.* quod phlegma in ſe contineat, experimentis demonſtratur. *ibid.* ſolvit nitrum & ſal ammoniacum regeneratum ſingulari modo. *ibid.* ingentem copiam ſalis volatilis ammoniaci recipit. 510. ſale volatili ammoniaci ſaturatus difficulter flammam concipit. *ibid.* fortisſimus fit abſtractus à ſale cauſtico reguli antimonii. 523


- vitrioli

- vitrioli vid. *vitrioli ſpiritus.*
- volatilis ex mixtione ſalis tartari cum oleo vitrioli productus. 493. volatiles oleoſi cur induant cum tempore rubedinem. 512. non efferveſcunt cum acidis. *ibid.* volatilis oleoſus Sylvii quomodo ex tempore parandus. 510

*Succinum* cur difficulter ſolvatur. 466
- patriam habet Pruſſiam. 506
- eſt fœtus terræ. *ibid.*
- in quibus Pruſſiæ locis maxime reperiatur. *ibid.*
- ejus venæ ante aliquot annos in Pruſſia detectæ. *ibid.*
- non eſt arboris reſina. *ibid.*
- quomodo generetur in terra. *ibid.*
- principio eſt liquidum. *ibid.*
- varia intus habet inſecta. 507
- varii generis eſt, & quod optimum. *ibid.*
- album inſervit vitro cauſtico præparando. *ibid.*
- deſtillatum quænam proferat. *ibid.*
- nigrum eſt bitumen foſſile & ſolidum. *ibid.*
- totum fere ſolvitur in lixivio per decoctionem. *ib.*
- an in unam maſſam colliquari poſſit. *ibid.*
- reſolutum in lixivio egregia eſt medicina. *ibid.*
- cum oleo caryophyllorum in machina papiniana tractatum abit in mucilaginem. *ibid.*
- ex eo quomodo vernix præparari poſſit. *ibid.*

*Succini* balſamum liquidum quomodo præparetur. 466
- eſſentia præſtantiſſima quomodo confici debeat. *ibid.* quomodo ſit miſcenda & uſurpanda. *ibid.*
- oleum difficillime ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. 460. 507. cum ſpiritu fumante mixtum cur flammam reſpuat. 460 quomodo rectificandum. 507
- ſal acidum eſt fixæ naturæ. *ibid.*

*Sulphur* eſt principium odoris. 449. ſtatuitur fundamentale principium omnium corporum. 529. quomodo præparetur ex mineris cupri Goſlariæ. 531. quomodo generetur in aëre ex mixtione variæ materiæ. 531. 532. ejus texturæ nihil magis adverſatur, quam nitrum. 532. diverſos habet effectus in metalla & mineralia. 533 quomodo per artem præparetur ab autore ex oleo vitrioli & opio. 530. artificialem ejus præparationem ex carbonibus & ſale ſuo mirabili primus docuit Glauberus. *ibid.* non ex omni acido & inflammabili materia, ſed ex ſpecifico acido parari poteſt. 532. nativum rariſſimum eſt. 531
- *minerale* virtute gaudet caſtrandi venena mercurialia. 522. ex acido & phlogiſta materia eſt compoſitum. 529. quæ ſint ejus notæ characteriſticæ. *ibid.* variæ dantur ejus ſpecies. 531. ejus præparatio etiam artis opus eſſe videtur. *ibid.* verum generatur in aëre. *ibid.* eſt tonitru cauſa. *ibid.* omnibus mineris inhæret. 541. auro nullam mutationem infert, omnino autem reliquis metallis, quod variis experimentis oſtenditur. 533. eſt metallorum deſtructor. *ibid.* ejus miniſterio aurum ab argento via ſicca ſeparari poteſt. *ibid.*
- *fœtor* ejus excitatur à ſalibus, tam acidis, quam alcalinis, quod experimentis demonſtratur. 532. ejus cauſa eſt materia phlogiſta. *ibid.* à nitro & diuturno aëris acceſſu abigitur. *ibid.*
- *fumus* ejus non adeo nocivus eſt, ut vulgo creditur. 508. copioſus cur enecet animalia. 536. inflammabilis paratur ex oleo vitrioli & limatura martis. 537

*Sulphur* anodynum Crameri. 529. vitrioli fixum anodynum. 496

*Sulphuris balſamus* terebinthinatus quam mirabilem habeat vim exploſivam, adſtruitur hiſtoria. 538
- hepar quomodo paretur ex aphronitro & pulvere carbonum, it. ex ſale thermarum Carolinarum. 530. it. ex ſale fontium Sedlicenſium. *ibid.* ex quibus ſalibus alcalinis & quomodo confici poſſit, & quænam ſit hujus maſſæ differentia. *ibid.*
- *tinctura* volatilis. 514. Beguino jam fuit nota *ibid.* quomodo præparetur. *ibid.* cum ea conficitur atramentum ſympatheticum. *ibid.* præcipitatur per ſpiritum vitrioli. *ibid.* promte conjungitur cum ſpiritu vini rectificatiſſimo. 515

T.

*Tabacus* coctione omni vehementia privatur. 497
- extractum ejus promovet expectorationem. *ibid.*

*Talcum* igni impoſitum mutat ſuum colorem. 510

*Tartarus* emeticus debilior fit coctione. 497. ſeq. quomodo præparetur. 521
- ſal volatile ejus, ex alumine & ſale tartari paratum, debetur urinæ in præparatione aluminis adjectæ. 528
- tinctura ejus unde habeat ſuum colorem. 483. non ex quovis ſale fixo parari poteſt. 513

*Terebinthinæ* oleum diverſa quantitate elicitur, prout deſtillatur ex veſica cum aqua vel ex ſicca terebinthina. 457. inſervit oleorum adulterationi. 452. cum ſpiritu nitri fumante mixtum flammam excitat. 459. non vero cum oleo vitrioli. 481
- ſpiritus cum ſpiritu nitri mixtus flammam parit. 481. it. cum ſpiritu flammifero. 482

*Teſtæ* ovorum. vid. *Ovum.*

*Thermæ* & acidulæ operantur ſale alcalino & ſalibus mediis. 502
- Carolinæ copiam ſalis & terræ alcalinæ continent. 516

*Thymiamatis* cortex quid ſit. 467
- ex eo parata reſina præſtantiſſimi uſus. *ibid.*

*Tinctura* aperitiva Mœbii quomodo præparetur & quas habeat virtutes. 484
- auri. 547
- tartari. vid. *tartarus.*

*Triticum* deſtillatum parum olei fundit. 505

V.

*Vapor* vid. *fumus.*

*Venena* mineralia non agunt niſi ſoluta. 522

*Vernix* ex ſuccino quomodo præparandus. 507

*Victus* multum confert ad ingenia & mores hominum. 505

*Vina* chymice examinantur. 472. quæ habeant principia conſtitutiva. *ibid.* cur inter ſe differant. *ibid.* quomodo differant virtute & uſu. *ibid.* cur optima creſcant in Hungaria. 470. quare optima naſcantur ad fluvios. *ibid.* multum debent ſoli naturæ. 471. omnia admixtum habent acidum. 472. unde mutuentur ſuum colorem. *ibid.* rubicunda quo referant ſuam originem. 473. eorum rubicundus color quomodo poſſit immutari. *ibid.* eorum extractum quibus conſtet principiis. *ibid.*

*Vinum Burgundicum* quantam ſpiritus portionem per deſtillationem largiatur. 472
- *Hungaricum*, imprimis Tockavienſe, quale habeat natale ſolum. 469. quodnam ſit præſtantiſſimum. 470. ex quibus uvis conficiatur. *ibid.* quam diverſis modis præparetur. *ibid.* eſt virtutis diaphoreticæ. *ibid.* an ab auro ſuam trahat virtutem. 471. cur dulcedinem diutius retineat. *ibid.* ejus ſpiritus & hujus quantitas. 472
- *Moſellanum* ſal tartareum nitroſum fovet. *ibid.*
- *Rhenanum* cur aliis ſit præſtantius. *ibid.* deſtillatum quantum præbeat ſpiritus. *ibid.*


Vi

*Vitriolum* quomodo præparetur Goslariæ ex ejus minera. 526. quomodo ex mineris diu aëri expoſitis elaboretur. *ibid.* ejus differentia quomodo cognoſcenda. 527
- *Anglicanum* quomodo præparetur. 526
- martis cum ſpiritu ſalis factum flaveſcit: inque deliquium abit, & adſtringentis fit ſaporis. 500
- nativum copioſe provenit Goslariæ. 526
- *Salisburgenſe* optimum. 527
- venereum quomodo ſit reddendum martiale. *ibid.*

*Vitrioli* oleum eſt album inſtar aquæ limpidæ. 457. quomodo reddi poſſit rubicundum. *ibid.* quomodo rectificari debeat. *ibid.* cum aqua mixtum cur intenſum calorem excitet. 488. cum oleis deſtillatis & ſpiritu vini rectificatiſſimo efferveſcit & quare. *ibid.* item cum ſale communi. 489. cum arcano duplicato cur non efferveſcat. *ibid.* cum ſpiritu ſalis cur efferveſcat. *ibid.* maximi uſus eſt in chymia & medicina. 492. chymicis eſt neceſſarium. *ibid.* quam habeat naturam ac virtutem. *ibid.* attrahit humidum ex aëre. 493. rubrum rectificatione fit limpidum. *ibid.* facillime rubrum fit ab admixta portione minima rei inflammabilis. *ibid.* corroſivum ſuum acidum amittit mixtione cum ſulphure. 494. it. oleis deſtillatis. 497. vel deſtillatione cum antimonio. 494. materia lapidis philoſophici fuit credita. *ibid.* ex ejus terra cum ſale tartari parari poteſt maſſa ſulphurea. 496. non datur album, nec rubrum. *ibid.* non abripit ferrum in deſtillatione particulas martiales vel venereas. *ibid.* ex lixivio ſalis communis terram præcipitat. 500. quomodo præparetur. 527. quomodo cutim erodat. *ibid.* incrementum capit in aëre. *ibid.* lubentius ſolvit ferrum, quam cuprum, & cuprum lubentius quam argentum. *ibid.*
- oleum dulce. 494. inventum eſt Valerii Cordi. *ibid.* quomodo ſit præparandum. 494. 495. quem habeat uſum *ibid.* quam inepte præparatum fuerit ab Hartmanno. 495. ejus præparatio hactenus non credita fuit. *ibid.* quomodo præparetur ab autore. *ibid.* experimenta cum eo inſtituta. *ibid.* eſt ſaporis ſumme aromatici & odoris fragrantiſſimi. *ibid.* aggreditur argentum vivum. *ibid.* ſolvitur ſpiritu vini rectificatiſſimo. *ibid.*
- ſpiritus non efferveſcit cum ſale communi, optime vero oleum vitrioli. 513. non aurum, ſed argentum ſolutum præcipitat. 527. nullo modo reſuſcitari poteſt per aliud acidum additum ex tartaro vitriolato. *ibid.*

*Vitrum* cauſticum parari poteſt ex ſuccino albo. 507. clarum non præparari poteſt ex ſale tartari & arena. 513. pellucidum conficitur ex ſale tartari, nitro & arena. *ibid.*

W.

W*Eſtphali* quibus morbis maxime tententur, & qua de cauſa. 505

Z.

Z*Incum* cur præcipitet ferrum ſolutum. 487

FRIDE-

FRIDERICI HOFFMANNI

# DISSERTATIONUM PHYSICO-CHYMICARUM TRIAS.

## DISSERTATIO PRIMA.

### *De generatione ſalium.*

§. I.

*Acidum & Alcali à multis pro Principiis Chymicis habita.*

IN quantum faſtigium bina hæc Salia, acidum & alcali, ante aliquot annos evecta fuerint, & quanto auſu haud obſcuri Nominis Viri in Principiorum cenſum ea referre, & ex illis rerum omnium naturalium motus ac phænomenorum cauſas deducere allaboraverint, Medicis pariter ac Phyſicis notiſſimum eſt. Uti autem res humanæ omnes & ſurgunt & cadunt, & quæ cecidere reſurgunt: ſic idem quoque fatum Sententiæ & Opiniones mortalium experiuntur, & dicta quoque de Acido & Alcali hypotheſis paſſa eſt, quæ, multo prius applauſu excepta, radices non egit, ſed ubique jam exiſtimatione excidit, monſtrata à Clariſſimis Ingeniis horum Salium pro ſtabiliendis Principiis infirmitate.

*Ex quibus etſi alterum eorum tantum eo nomine dignum ſit; ex utroque tamen pleríque in Naturalibus effectus deduci poſſunt.*

§. II. Quantumvis autem bina hæc Salia minime in numerum Elementorum recipi poſſint, utpote quæ non primæ & ſimpliciſſimæ corporum, ſed primariæ potius corpuſculorum, ipſis adhuc ſimpliciorum, concretiones ſunt: ingenue tamen fatendum eſt, doctrinam de hiſce ſalibus magnam lucem accendiſſe ac fœneraſſe rebus Chymicis pariter & Medicis, ita ut fundamentum variarum Chymicarum operationum & modus agendi Medicamentorum intricatus & incognitus longe felicius detectus & explicatus hiſce fuerit. Utut enim explicationes iſtæ intellectui plene ſatisfaciant, in quibus effectus productio per primarias ac radicales materiæ affectiones (intelligo figuram, magnitudinem & motum) demonſtratur; non contemnenda tamen ſunt illa, ex quibus, ceu manifeſtioribus, & in ſenſus magis incurrentibus (quales ſunt gravitas, fermentatio, Sulphur, Acidum, Alcali, elater &c.) effectus particulares deducuntur: quanquam à tribus Superioribus catholicis corporum affectionibus dependeant. Quocirca Medici longe felicius à proximioribus ac magis familiaribus mixtorum corporum proprietatibus, ſeu principiis ſic dictis principiatis cauſas & pharmacorum vires deducunt, quam ex atomiſticis principiis, quæ magis theoretica quam Practica ſunt.

*Nec dantur in Natura corpora, ex quorum proprietatibus melius rectiusque explicari poſſint dicti effectus, quam Salia. Unde & Argumentum Diſſertationis hujus erit Salium Generatio.*

§. III. Inter ea vero corpora, in quibus ſecundariæ hæ, magisque proximæ proprietates præ reliquis conſpicuæ ſunt, eminentiorem locum merito ſibi vindicant Salia, quippe quæ univerſalia rerum quaſi fundamenta & inſtrumenta naturæ ſunt, quibus plurimæ mutationes ac rerum alternationes perficiuntur. Veſtigia Salium circumquaque conſpiciuntur, & tota rerum œconomia illis abundat. Nulla pene in arte Chymica & Docimaſtica peragitur operatio, ubi non ſalia baſes & fundamenta ſunt. Morbificæ cauſæ ſine cognitione ſalium minus ſufficienter explicari poſſunt; & quicquid à Medicamentorum activitate exſpectandum eſt, id ante omnia derivandum à ſalibus. Verbo, tota quaſi natura ſeu univerſalis rerum omnium materialium motus ad Salium geneſin tendit, ſalinasque particulas principaliores corporum mixtorum eſſe partes, illorum reſolutio artificialis ſive fermentatione ſive igne peracta, ſatis ſuperque arguit. Uti autem doctrina de Salibus ſumme neceſſaria & utilis Medico ac Phyſico eſt & fuit, ſic minus exculta hæc ipſa, & revera neglecta huc uſque fuit. Nullus, quod memini, emerſit hactenus, qui exactam tradiderit Salium doctrinam, vel ipſorum monſtrans eſſentiam, multo minus illorum transmutationem ac generationem. Plerique Chymicorum hæſerunt tantum in cortice, ſuperficiaria cognitione Salis Acidi & Alcali, illorumque efferveſcentia contenti. Verum enim vero, cum exquiſitior Salium doctrina, ejusque nobilior uſus latiſſime diffundatur in rerum & effectuum naturalium

lium Scientiam, & explicationi plurimarum intricatarum in Phyſicis ac Medicis difficultatum ſatisfaciat: inſtituti noſtri eſt, paulo accuratius Salium Originem ac Geneſin evolvere, illorumque eſſentiam declarare. Quoniam vero ſemper credidi admirabilem Conditoris Sapientiam res naturales ita inſtituiſſe, ut paucis multa gerantur, ita ſufficere cenſeo, ſi ex uno principio, ſimpliciſſimo, activo liquidiſſimo tamen, uno nimirum Sale Acido, terreſtri elemento, omnium Salium Varietatem ac Generationem variasque ſalium ſpecies, ſtatus ac effectus deducantur.

*Definitio Salis in genere.*

§. IV. Placet vero, quoniam omnis diſputatio, ut verbis Tullii utar, de Salibus futura eſt, ante definire, quid ſint Salia. Omnis enim, ut idem graviſſimus Auctor habet, quæ ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur. Operæ ergo pretium erit indicare non tantum quid nomine Salis in genere, ſed & quid nominibus Acidi, Alcali, Fixi, & volatilis intelligamus, & quem formalem conceptum verba hæc menti exhibere debeant. Sal itaque Subſtantia eſt Sapida, & in liquido aqueo ſolubilis. Quo ipſo jam non excludimus Salia intrinſeca, quæ particulis aliis, terreis nempe ramoſis, vel oleoſis involuta & incarcerata ſunt: qualia deliteſcunt in corporibus etiam ſenſu inſipidis, v. g. Mercurio dulci, Ligno, Sanguine, phoſphoro ſolido &c. quanquam de extrinſecis & extricatis ab involucris ſuis terreſtribus, activitatem, penetrantiam ac diſſolutionem remorantibus, præcipue nobis ſermo ſit. Removemus autem corpora terreſtria inſipida, poroſa, minus ſolubilia, alcalina dicta, quæ acidum quodvis facile in acceſſum admittunt, uti ſunt omnia teſtacea, marina, terrea, lapides cancrorum, calx viva &c.

*Explicatior ejus Deſcriptio.*

Cum autem à poſteriori & effectu hæc ſalis cognitio magis petita ſit, eſſentiam illius minus exprimens, ſalia dicemus conſtare, ut omnia corpora, non tantum certa magnitudine ac figura particularum, ſed eſſe quoque inprimis congeries punctorum minimorum terreſtrium rigidorum, quæ ratione figuræ plus minus acuta, conica, vel cylindrica, vel priſmatica, & pro diverſitate pororum & magnitudinis ſ. ſuperficiei magis vel minus plana, lata, variant, & in diverſas ſpecies abeunt, & ratione volatilitatis, fixitatis ac effectuum differunt, & varia ſortiuntur nomina.

*Ejus Diviſio in Acidum & Alcali. Quid Acidum ſit exponitur.*

§. V. Commode Sal diſpeſcitur in Acidum & Alcali: per Acidum vero non ſolum intelligimus Subſtantiam, quæ in guſtatorio incolentes Spiritus afficiendo menti talem ideam & ſenſum acidi exhibet; nec id tantum acidum nobis eſt, quod confligit cum alcali, quoniam & aqua cum oleo vitrioli, & quodvis liquidum, citra ullius additamentum, in vaſe aëre vacuo, talem ebullitionis motum ſubire poteſt: Sed acidum vocamus, quod figura & mole tale eſt, nimirum, quod ex punctis oblongis, rigidis & acutis conſtat, & poros conſtantiores, materia aërea repletos habet.

*Varii effectus acidi.*

Ex quo & acidum magis grave ac denſum eſt, & preſſuram ſuam in corpora obvia magis exercet, illa dividendo, diſcontinuando, ac reſolvendo, adeo, ut ex his facile poſſit dari ratio, cur acida attenuent, incidant viſcidos humores; cur clauſtra metallorum ac mineralium ſumma cum activitate reſerant; cur facilem cohæſionem in fluidis v. gr. Lacte, Sanguine &c. efficiant, dum nimirum particulis ſuis oblongis, figura ad motum minus apta gaudentibus, fluidorum particulas, figuræ Sphæricæ ad motum aptiſſimæ in motu ſuo inteſtino ſiſtunt, & motum converſionis circa ſuum axem facile impediunt, ſicque ad implicationem & cohæſionem anſam ſuppeditant.

*Ratio, cur acida ſanguinem & lac coagulent.*

Ex quibus facile colligi poteſt ratio, quare acida Sanitatis conſervationi ac vitæ (quæ in æquali ac jugi partium machinæ noſtræ fluidarum ac temperatarum motu ac circulatione per minutiſſima capillaria vaſcula facta conſiſtit) adeo infenſa ſint.

*Quare ſanitati noxia ſint.*

Cæterum prout figura acidorum variat, cuſpidibus magis minusque prominentibus, ſcindentibus, rigidis aut prouti magis minusque particulas ſibi admixtas habet terreas; variat quoque ipſum Acidum ratione effectuum ſuorum ac virium.

*Quid Alcali ſit, declaratur.*

§. VI. Salis Alcalini nomine nobis venit non ſolum Subſtantia ſolubilis, lixivioſo ſapore linguæ organon imprægnans, & cum acido edens conflictum (quod & Spiritus vini rectificatiſſimus, in quo nulla arte alcali reperire datur, cum Spiritu nitri forti mixtus præſtat) ſed tale corpus, quod conſtat particulis ratione ſuperficiei levibus, tenuibus, latis, & poris copioſiſſimis, in quibus ſubtilis ætherea deliteſcit materia & ratione figuræ obtuſe angulatis, & acuminatis, ut ex eo ad impetum acidi ſuſtinendum aptum ſit alcali.

*Salis hujus effectus, eorumque rationes.*

Ex hoc, quo gaudent Salia alcalina contextu, facile peti poteſt ratio, cur in reſolvendis Sulphureis ſubſtantiis, quæ fere ſemper Sal acidum innexum fovent, tam egregia præſtent: item, quare aëri humido, & libero expoſita in facile abeant deliquium, & cum acido confuſa tantum impetum & eructationem aëris concitent. Dum enim acida ceu graviora, & aëre plena, preſſione quadam occupant alcalinorum poros, non poſſunt non particulæ æthereæ, in porulis latitantes, cum impetu propelli, quæ propulſæ in liquido talem impetuoſum excitant motum, quem dicimus efferveſcentiam.

*Et inprimis quare fluiditatem & colorem purpureum concilient.*

Liquidiſſime porro ex dictis patet, cur alcalina infuſa fluidis v. gr. Sanguini non ſolum majorem fluiditatem ac tenuitatem concilient, ſed & colorem exaltent, adeoque in conſervanda ſanitate ac profligandis morbis præſentiſſimam locent operam. Omne enim hoc præſtat æther copioſus in pororum illorum interſtitiis hærens, qui uti omnium motuum naturalium, & omnis fluiditatis, ſic horum quoque effectuum, ob ſummam, qua pollet, & ſubtilitatem & celeritatem cauſa exiſtit.

*Quid Sal neutrum.*

§. VII. Sal neutrum dicitur illud, in quo Sal acidum & alcali dominantur, & ita ſeſe contemperant, ut illud aptum reddatur, neutram, ſeu ab acrimonia & aciditate diſtinctam ſenſationem, Salſedinem dictam, producere. Unde fit, ut ſalſum, ſive neutrum Sal nuncupari ſoleat. Hujus generis eſt Sal commune, Sal marinum, Nitrum, Ammoniacale &c.

§. VIII.

*Quid Sal volatile; quid fixum & illius diviſio.*

§. VIII. Per Sal volatile denotamus tale Sal, quod conſtat particulis in ſuperficies ac moleculas minutiſſimas diviſis: Quo enim quid ſubtilius eſt, eo magis diviſum. Hinc minima ætheris agitatione in igne vel aëre calido in altum elevatur & avolat. Eſtque illud vel alcalinum ſeu urinoſum & potiſſimum reperitur in regno animalium, quod ſalium volatilium fœcundiſſimum eſt: vel acidum, quale eſt in ipſo aceto deſtillato, Spiritu viridis æris, Spiritu nitri. Fixum Sal dicitur, quod habet particulas minus ſubtiles & diviſas, ſed magis craſſas, ut ſive vorticoſo ætheris circa globum noſtrum terreſtrem motu, ſive ignis noſtri uſualis vi in aërem difficile vel plane non rapiatur. Huius generis Salia dicuntur alcalia, & extrahuntur ex combuſtis vegetabilibus.

*Diviſio Salium in naturalia & artificialia, horumque ſubdiviſio.*

§. IX. Tradito ſic generali ac formali conceptu Salium, qui pro definitione ſufficere poteſt, recenſitisque præcipuis eorum ſpeciebus, ulterius in ipſorum varietates, & ſpecies elementaque inquiramus neceſſe eſt. Animadvertimus autem Species Salis commode diſtingui poſſe in Sal naturale & artificiale ſeu factitium. Naturale eſt, quod ordinario naturæ curſu, nulla hominis accedente induſtria & arte producitur, quale eſt Sal commune, nitrum, vitriolum, alumen, quæ ex ſuis mineris effodiuntur: Quanquam hæc omnia etiam artis ope produci queant. Ex vegetabilibus huc referenda ſunt Salia eſſentialia tartarea, quibus plantæ nonnullæ ſcatent, ſucci fructuum acidi. ex animalibus ſpectant huc Salia Ammoniacalia neutra, quæ in excrementis, Urina, Sudore ſe manifeſtant. Artificiale eſt, quod fit ex potentiis naturalibus: quæ tamen non concurrerent, niſi voluntario animalium motu activa paſſivis applicarentur. Hujus generis ſalia viciſſim diſtingui poſſunt in ea, quæ jam materialiter inexiſtunt corporibus miſtis, & ex illis igne aut fermentatione proliciuntur; & in ea, quæ mutua corporum commixtione demum emergunt. Prioribus annumeranda ſunt omnia ſalia volatilia, quæ debita Vulcani adminiſtratione ex quibusvis animalium partibus exſurgunt, ut & omnia ſalia lixivioſa fixa vegetabilium, quæ combuſtionis beneficio in cineres redacta ejusmodi ſalia fundunt. Hujus generis quoque ſunt omnes ſpiritus ac liquores corroſivi acidi, ex variis ſalibus vehementi ignis tortura artis legibus expreſſi.

*Salia artificialia in corporibus naturalibus non niſi materialiter dantur: cujus aſſerti rationes adjiciuntur.*

§. X. Omnia hæc ſalia artificialia formaliter non inexiſtunt mixtis, ſed propenſive tantum & materialiter. Quamvis enim urgeri poſſit, ſalia hæc etiam formaliter exiſtere in ipſis corporibus, implicita & incarcerata tantum involucris terreſtribus, à quibus mediante igne extricentur ac liberentur: ingenue tamen fatendum eſt, ignem non verum eſſe corporum analyſiam, uti id fuiſſe demonſtrat *Celeberrimus Boyle in Chym. Scept.* ubi acute & copioſe deducit, ignem formas inexiſtentes non tam educere, quam novas prorſus producere. Nec ratio eſt inevidens. Compertum enim eſt ac notiſſimum ex Mechanica chymica, motum eundem efficientem eſſe omnium formarum ac qualitatum quatenus corpuſcula ratione figuræ & magnitudinis mirum in modum dividit, alterat, mutat & novum ſitum, ordinem ac nexum ipſis inducit à qua textura deinde omnium formarum, qualitatum ac virium origo dependet. Jam autem in flamma & igne rapidiſſimum materiæ æthereæ, ceu ſubſtantiæ mobiliſſimæ, flumen eſt, ut mirum non ſit, ignem alias ex miſtis producere ſubſtantias, quæ antea non inexſtiterunt. Ex quo apparet, falſum eſſe illud pronunciatum, quo quid ex iis conſtare dicitur, in quæ per ignem fuerit ſolutum. Arguit hanc rem ſatis unicum experimentum. Notum eſt, ſaponem conſtare ex miſtura ſebi & ſalis lixivioſi: quodſi autem ſapo deſtilletur, nunquam ingredientia iterum prodibunt, ſed longe quid diverſum ab illis, nempe oleum ſubtile volatile, cujus unica guttula aliquot aquæ amphoras odore inficere poteſt. At hæc ignis, prout varie adminiſtratur, vel in aperto aëre, vel in vaſe clauſo, ex corporibus longe diverſa elicit. Exempla habemus in camphora, ſuccino, ſulphure & aliis. Pari ratione nec fermentatio aptum inſtrumentum eſt eliciendi ex miſtis principia conſtituentia, quatenus motu ætheris ſitum & texturam corporis varie alterare ſolet.

*Salia illa [illegible] regenerari poſſe.*

§. XI. Ex illis autem artificialibus, quæ prævia præparatione ex corporibus producuntur, ſunt vitriolum, alumen, nitrum &c. Sic notum eſt, mineram ſic dictam martis ſolarem, ſeu potius marcaſitam ſeu mineram ſulphuris, [illegible] diuturna expoſitione in aëre libero largiri copioſam quantitatem vitrioli ſubtiliſſimi: eodem modo terræ petroſæ, item nitroſæ, omni ſale exhauſtæ diutius autem libero aëri commiſſæ, inſignem ſalium quantitatem iterum in ſe recipiunt. Notum quoque porro eſt, ſalia (v.g. vitriolum,) commiſcendo limaturam martis cum ſpiritu vitrioli, nitrum, combinatione ſpiritus nitri, cum ſale tartari ſal commune, miſcendo ſpiritu ſalis cum liquore alcalino, artificialiter reparari ac regenerari poſſe, ſic quoque *Monteſ. [illegible] in Tr. de Metamorph. Planet.* curioſum communicat proceſſum, dum ex omnibus metallis, quæ prius mixta cum regulo antimonii & pulvere detonante [illegible] in cineres, elici poſſe vitriolum ſubtiliſſimum, ac virtute nobiliſſimum & pro diverſitate metallorum varium, edocet. Tacemus jam innumerabiles ſalium artificialium ſpecies uſui medico inſervientes, quæ ex mutua corporum & liquorum mixtione reſultant, qualia ſunt: nitrum fixum, ſal Glauberi, borrax, vitriolum lunæ, ſaccharum ſaturni, ſal veneris, tartarus tartariſatus, vitriolatus, nitrum vitriolatum, ſal oculorum cancri, & ſexcenta alia, quæ omnia ex combinatione variorum liquorum & corporum emergunt.

*[illegible] corpora mixta ſunt [illegible].*

§. XII. Dicta hæc omnia ſalia tam naturalia, quam artificialia, non corpora ſimplicia & homogenea, ſed mixta & maxime compoſita ſunt. Quamvis enim acida, item alcalia volatilia & fixa prorſus uniformia & homogenea videantur propter ſaporem communem, & effectum ratione mutuæ deſtructionis & repugnantiæ eundem, certo tamen certius eſt, ſalia hæc variorum corpuſculorum & particularum eſſe congeries, & valde diverſa complecti principia & elementa. Hinc acetum præter particulas acidas, etiam ramoſas volatiles ſulphureas continet: in ſale tartari quippe hoc coagulatum & deſtilla-

tum copioſum ſpiritum alcalinum, multumque olei fundit. Spiritus nitri in ſale volatili vel fixo alcalino concretus conſtituit ſal inflammabile figuræ prismaticæ, indicio ſulphuris, in ſpiritu latitantis. ſp. vitrioli cum ſpiritu vini rectificatiſſimo deſtillatus magnam terræ quantitatem in fundo retortæ relinquit. Taceo effectus horum acidorum quoad uſum mechanico-chymicum longe diverſiſſimum. Sic ſp. nitri vel aqua fortis, quæ nil niſi ſpiritus nitri per fermentationem cum vitriolo exaltatus eſt, ſolvit argentum, intacto auro, quod ſaltim aggreditur ſpiritus ſalis vel aqua regis, & vice verſa lunam relinquit ſalvam. Notabile eſt oleo vitrioli ſolvi poſſe omnia metalla: quem effectum non aliud ſal etiam ſumme concentratum præſtat. Vitriolum, quod ex martis corpore cum ſpiritu nitri, ſalis & vitrioli ſeorſim præparatum eſt, mirum diſcrepat ſapore, colore, conſiſtentia & ipſo effectu. Idem etiam contingit circa ſalia volatilia & fixa, quæ licet in deſtructione acidi conſpirent, diverſiſſima tamen ſunt ratione effectus & operationis. Hinc quantum ſalia volatilia urinæ, ſanguinis humani, cranii humani, fuliginis, tartari, lucii piſcis, viperarum, quoad diverſos in debellandis morbis effectus, inter ſe differant, ſaniores Practicorum optime norunt. Sal volatile cantharidum veſiculas adhuc excitaſſe obſervatum fuit ab *Olao Borrichio in Act. Haffniens. anno* 37. *obſ.* 63. manifeſto argumento: ſpecificam indolem corporum ſalia volatilia retinere poſſe. Quod ſp. urinæ & ſalis ammoniaci à ſe invicem differant patet, quia ille ſolutionem mercurii ſublimati rubicundam, hic vero albam efficit: quem ſimiliter cum ſpiritu urinæ effectum etiam præſtat ſpiritus alcalinus volatilis ex carbonibus foſſilibus extractus. Quoad ſalia fixa illa compoſita eſſe, non ſolum illorum reſolutio in terram inſipidam, ſed & alia patefaciunt, dum nimirum in vitrificatione diverſimode ſeſe exſerunt, & unum præ altero nitidius largitur vitrum: ſic ſal filicis elegantiſſimum omnium facere cryſtallum ſcribit *Kunckelius in arte vitriaria pag.* 17. *In miſcellaneis curioſis an.* 6. *&.* 7. *ob.* 199. exſtat ſingularis caſus, dum civi, qui abſynthium plane averſabatur, Pharmacopœus aliquis ſalis abſynthii fixi aliquot grana propinavit, quibus aſſumptis non minus conſueta ſymptomata, deliquium, ſtomachi ſubverſionem paſſus eſt. Porro notum eſt in arte docimaſtica ſal fixum unum præ altero longe eximiores præſtare effectus. Sic maſſa illa, quam dicunt Plagma, ex mixtura ſulphuris & lunæ conſtans, non bene ſale tartari, optime autem nitro fixo reduci poteſt.

§. XIII. Ex hiſce jam omnibus ſuppoſitis varia conſectaria eliciuntur, 1. Salia, quæ ordinario curſu producuntur, magis media, ac neutra eſſe. 2. Acida & alcalina exceſſive talia, item volatilia, & fixa magis artis eſſe producta. 3. in regno minerali magis regnare ſalia acida, in regno vegetabili acido-ſalſa, & alcalina fixa, in animali autem urinoſa volatilia. 4. Salia omnia non corpora eſſe ſimplicia, ſed ex diverſis elementis eſſe compoſita.

*Illorum ſalium principia;*

§. XIV. Reſtat jam ut diſpiciamus elementa & principia ipſorum ſalium, ex quibus maxime tam naturalia, quam artificialia componantur. Ut autem conſtitutiva illa principia eruamus, neceſſe eſt, ut circumſpiciamus, quænam principia omnibus ſalibus ſint communia, ſive anne aliquid deprehendi poſſit in ſalibus, quod omnibus competat, & quod omnia poſſideant, ſive quod inſeparabile ab ipſis ſit, quod nuncupabimus, materiam. Si itaque rem bene expendamus deprehendimus in omnibus ſalibus primo puncta & corpuſcula rigida, & acuta ſcindentia, quæ ſenſibus ſeſe offerunt & maxime ex effectu patent, deinde particulas terreas obtuſas, quæ quaſi domicilium ac hoſpitium præbent moleculis, illis figura tali ſcindente præditis. Puncta rigida acuta, ſeu principium activum ſalium ipſi effectus & ſenſus ſatis teſtantur; terram autem, ſive corpora dura ſolida, in omnem dimenſionem extenſa, ad motum per ſe inertia, ſeu principium paſſivum ſalium naturalium reſolutio & artificialium compoſitio patefacit. Sic *Dn. Olaus Borrichius in Tr. de Ortu & progreſſu Chymiæ p.* 82. experimentum inſinuat, quo demonſtrat, ſal commune crebriori calcinatione, & ſolutione pene totum abiiſſe in terram. Idem tentavimus cum ſale ſic dicto Sylvii, illudque crebriori ac ſæpius repetita calcinatione ſolutione, filtratione, ac coagulatione tractando, in materiam quandam pinguem, argillaceam, in filtro remanentem, redegimus; cujus uſum in fluidificatione metallorum & aliis ſecretis operationibus admirati ſumus. Sic notum quoque eſt, nitrum, vitriolum ac alumen, prævia crebriori calcinatione ac ſolutione faceſſere in terram copioſam & plures inſolubiles graves particulas dimittere. Facilius res ſuccedit cum ſalibus vegetabilium fixis, quæ aliquoties ignita & reſoluta magnam quantitatem ſuppeditant terræ inſolubilis. Difficilius magis eſt, terreſtres talismodi craſſas particulas monſtrare in ſalibus fluidis & volatilibus, utpote quæ vehementiſſimo ætheris motu ac circulatione, vel in igne, vel fermentatione, qua tractata fuerunt, exiſtente, ab involucris illis terreſtribus majorem in partem liberata ſunt: Sufficit tamen monſtrare, etiam in illis latitare particulas craſſioris & terreſtris texturæ. Notum eſt camphoram, quæ nil niſi puriſſimum ſal volatile oleoſum eſt, totam per combuſtionem reſolvi in fuliginem nigerrimam inſipidam. Salia volatilia animalium, in forma ſicca apparentia, nil niſi terræ ſubtiliores ſunt, ſale æthereo, fluido volatili particuliſque ſulphureis, ramoſis impræegnatæ. Hinc patet ratio, cur ſp. ſalis ammoniaci, cum calce viva & hæmatite paratus, non aſcendat in forma ſicca, bene autem cum ſale quodam alcalino fixo, quippe quod ſubtiliorem terreſtrem texturam facile ſublimabilem cuſtodit, quam fixa corpora terreſtria. Soliditas itaque ſalium volatilium dependet à ſolidiori terra, quæ domicilium præbet ipſis particulis æthereis, volatilibus, ſalinis, fluidis. Liquores ſalium acidi corroſivi, ex ſalibus vehementiſſima ignis tortura expreſſi, quamvis in ſtatu fluido ſint, & à terræ ſolidiori nexu liberati, tamen ſubtiliores particulas terreſtres adhuc recondunt, quod palam fit experimento: dum nimirum ſpiritus vitrioli, vel ſalis, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo miſcetur & deſtillatur ad ſiccitatem, magma quoddam terreum remanet. Oleum vitrioli & ſalis, quæ non niſi ſpiritus horum mixtorum concentratiſſimi ſunt, majorem

*quorum alterum activum: alterum paſſivum eſſe dicitur. Demonſtratur id ipſum experimentis Salis communis & Sylvii.*

jorem quantitatem terræ quod contineant patet, ſi aqua communis affundatur, tunc enim non ſolum præcipitatio & dejectio ad fundum plurimarum terrearum particularum contingere ſolet, ſed & ingens calor exſurgit. Tandem quod terra principium conſtitutivum ipſorum ſalium ſit, patet ex illorum artificiali compoſitione, dum nimirum in & ex terris varii generis omnis ſalis expertibus, aëri expoſitis, varia naſcuntur ſalia, & unus liquor acidus diverſis corporibus terreſtribus affuſus, innumeras ſalium formas induere aptus eſt, uti id infra clarius ac fuſius tractabitur.

*Principia ſalium conſtituentia duplicis generis, terra & Sal æthereum; ab hoc omnium Salium Virtus pendet; & natura ejus in Acido conſiſtit.*

§. XV. Ex hiſce jam clariſſime intelligitur, ſalium principia eſſe duplicis generis, ſeu illa conſtare ex duplici materia, nimirum una ſubtiliſſime diviſa in minutiſſima puncta, rigida, mobiliſſima, à quibus omnis activitas, motus & effectus ſalium dependet; altera materia ſalium eſt, ipſa terra, quæ hoſpitium ac domicilium præbet ipſis punctis minutiſſimis ſalinis, ita ut non amplius inſtar minimorum disjunctorum agant corporum, ſed in terra unita & concentrata longe efficacius in corpora agere poſſint. Jam autem in hac diſſertatione demonſtrandum activum illud ſalinum principium, ex quo omnium ſaliũ virtus, activitas & velociſſimus corporum motus dependet, ſaltim unicum eſſe nimirum ſal univerſaliſſimum hujus mundi, æthereum ſimpliciſſimum ac ſpirituoſiſſimum, ad naturam acidam prorſus accedens. Hoc ſal primogenitum totius naturæ inſtrumentum, omniſq; motus ac fluiditatis caloris, lucis primaria cauſa, originem ſuam habet ab ipſo ſole, qui quaſi mare abundantisſimum eſt ſalis hujus ætherei ſimplicioris ac ſolidioris. Hoc itaque ſal varie motum, modificatum, varieque concentratum, pro diverſitate terræ, ratione extenſionis & figuræ ejusque ſuperficiei, varias producit ſpecies ſalium. Statuendum itaque eſſe videtur, omnem ſalium varietatem dependere à varia, admixta terra, utpote hæc & varius ejus mechanicus ſitus ſalis illius ætherei nimium progreſſum retardare, illius ſpicula inviſcare, inflectere ac ordine hoc illove diſponere poteſt, adeo, ut particulæ iſtæ ætheræ ſalinæ terreis junctæ, non aliter ac acies pungentes, differenti nexu & ordine diſpoſitæ, in ſuis quaſi manubriis & cellulis longius, latius aut declivius ſitis, diverſæ actionis & penetrationis inſtrumenta proferant mechanica. Prout itaque ſal hoc æthereum in majori vel minori copia terræ, ratione molis figuræ ac ſitus diverſæ, vario ſitu & ordine mixtum eſt, exſurgit vel ſal volatile vel fixum, vel ſal alcali, vel ſal ſalſum, acidum, acre, &c.

*Varietas ſalium terræ debetur.*

*Experimenta quædam, quibus hæc de Salibus doctrina innititur, in generatione Nitri & Aluminis conſpicua.*

§. XVI. Hujus jam dictæ hypotheſeos veritas ut eo clarius emergat ac eniteat, experimentis, rationibus innixis, totam rem illuſtrabimus. Notum eſt, ſalium actiones, & effectus dependere à ſolo motu, dum nimirum ſcindunt, pungunt, dividunt & diſcontinuant corpora illorumque particulas: quæ effecta ſine motu fieri nequeunt. Motus autem eſſentia conſiſtit in preſſura obviarum ſuperficierum, quas atterendo dividit & in varias figuras ac formas reducit. Jam autem omnis motus, qui in tota rerum natura celebratur, deberi circulationi ætheris, videtur circa & per globum noſtrum terraqueum, uti id ingenioſe *Vir præter omnigenam eruditionem acutiſſimus in philoſophia mathematica Dn. Leibnizius* in hypotheſi *ſua phyſica nova* deducit. Nullum hinc quoque dubium eſt, quod etiã effectus ſalium, dum preſſura acierum ſuarum reſolvunt, penetrant, atterunt, attenuant minima corporum, dependeant à fortisſima ætheris, qui tam elaſticitate, quam gravitate ſua ubique ſe manifeſtat, actione. Deinde notisſimum eſt, aërem nil niſi aquam eſſe ſubtilem & vehiculum quaſi ſalis penetrantisſimiætherei. Quod enim aqua reſolvi poſſit in aërem, & aër in aquam, ex Torricelliano inſtrumento & Æolipilæ experimẽto ſatis abundeque conſtat. Sal autem illud æthereum, quod aër in ſinu ſuo fovet & recondit, ſufficientisſime probant ſalium variorum ex aëre productiones & regenerationes. Nitrum ſoli aëri deberi quotidiana evincit experientia. Terræ enim ſulphureæ & excrementis animalium fœcundatæ, ac rite præparatæ, ſi aëri libero trananti diutius exponantur, largiuntur ſal copioſum, quod aqua communi eluitur & deinde coagulatur, & nitrum nuncupatur. Simili modo ſi minera aluminis (quæ nil niſi terra quædam petroſa, & nonnunquam bituminoſa eſt, ut in nonnullis locis, in Miſnia, ex carbonibus foſſilibus alumen extrahatur) calcinata, & libero tranantiaëri, commiſſa, ſuggerit copioſum alumen. Et notabile hoc eſt, quod terræ hæ elutriatæ, & omni ſale orbatæ, ſi denuo in aërem ponantur, de novo fœcundentur ac ſale imprægnentur, manifeſto indicio: ex aëre ſal illud ortum habere, & varias illas terras ſaltim ſal illud univerſale modificare, & ipſi hoſpitium præbere.

*Idem in Vitriolo & Sale communi videre licet.*

§. XVII. Non autem ſolum nitrum & alumen ſali huic aëris ætheréo debetur, ſed & alia ſalia nimirum vitriolum, & ſal commune ex ipſo aëre extrahuntur. Nempe ſi caput mortuum ſpiritus vitrioli bene exuſtum, omnique ſale denudatum, diutius ſtet in aëre, regeneratur, ut de novo magna quantitas ſpiritus vitrioli exinde prolici poſſit. Item ſuccedit cum capite mortuo ſpiritus ſalis. Nil autem promtius manifeſtat regenerationem ſalium ex aëre, quam hoc ipſum experimentum, dum nimirum alumen injicitur in ignem apertum & extreme calcinatur, ita ut nullum ſalis veſtigium remaneat, ſed ſaltim terra ſpongioſa, levis ac prorſus inſipida evadat. Hæc enim ſi ponderetur & aëri committatur, per aliquot dies, mox videbimus mirum incrementum, ut cum antea drachmam unam ſaltim ponderabat, jam drachmas duas cum inſigni aluminoſo ſapore, & adhuc elapſis aliquot diebus, drachmas duas cum ſemiſſe ponderet, & magna quantitas ſalis aluminoſi extrahi poſſit. Quod ſi autem eadem terra aluminoſa, ſale ſuo orbata, in vaſe ex quo per antliam omnis aër exhauſtus fuerit, ſervetur, nullum prorſus incrementum experitur. Et quamvis materia ætherea in vaſe illo exhauſto relicta fuerit, inſufficiens tamen nimisque exigua illius quantitas eſt, ad terram ſale hoc imprægnandam.

*Sal iſtud æthereum [illegible] eſſe probatur certis experimentis.*

§. XVIII. Quod autem ſal univerſale & ſeminale æthereum per totum aërem diſſeminatum ad acidi naturam accedat, ſequentia experimenta videntur evincere. Nimirum ſi cineres clavellati diu ſtent in aëre, in ſal quaſi medium nitriforme abeunt. In ſcoriis antimonii turgidis ſale alcalino fixo, à diuturniori aëris acceſſu efflorеſcere incipiunt nitroſi floſculi, qui etiam in flammam injecti inflammabilitatem ſuam produnt. Sic quoque *Elzholzius* ex ſilicibus calcinatis, & nocte per æſtivos menſes ſub tecto expoſitis, ſalinum liquorem elicuit.

cuit. *vid. Miſcell. Curios. anno 6. obſerv.* 18. Ratione hujus acidi univerſalis, marcaſitæ aëri expoſitæ, fundunt liquorem acidum, penetrantem, qui ſolvit ipſum martem in vitriolum martis, uti in Anglia id fit, & proceſſum fuſius deſcribit *Becherus in minera arenarum*. Et quod in aëre talis modi ad acidi naturam accedens ſal hoſpitetur, patet ex mutatione corporum, quæ fit ab acceſſu aëris. Notum enim eſt oleum tartari per deliquium affuſum ſyrupo violarum ipſi conciliare intenſe viridem colorem. Quod ſi hæc mixtura per aliquot dies ſtet in libero aëre, viridis ille color mutatur in obſcure brunum; qualis etiam emergit, ſi huic mixturæ addatur ſpiritus acidus, non tamen ad plenariam ſalis tartari ſaturationem. Quod ſi autem in vaſe, ex quo aër evacuatus fuit, ponatur, diutius color ille viridis remanet.

*Spiritus mineralis naturæ itidem acidæ exiſtit; cum in omnibus mineralibus, quæ producit, acidum contineatur.*

§. XIX. Deinceps ſpiritum mineralem, qui in cœcis glocoſmi uteris ac ſubterraneis pyrophylaceis, primus motor exiſtit, omnesque lapides & terras fœcundat, inque varia mineralia & metalla transmutat, etiam acidæ naturæ eſſe & ex ſale æthereo originem ſuam petere, judicandum eſſe videtur. Notabile eſt, quod ex omnibus mineris marcaſitis talco, lapide calaminari, cryſtallo, ſilicibus per deſtillationem ex retorta fortiori igne factam, ſpiritus acidus obtineatur, de quo conſule *Glauberum p.* 1. *furni philoſophici p.* 86. Sic quoque *Becherus loco citato p.* 87. ſcribit, ex arena & ſilicibus vehementi igne, ſe deſtillaſſe ſpiritum acidum, in febribus ardentibus ſumme proficuum. Quinimo omnes mineræ è terra extractæ ſal vitriolicum & ſulphureum acidum cuſtodiunt.

*Quod ipſum & in vitriolo nativo & ſale foſſili per ſe u- [illegible].*

§. XX. Vitriolum nativum & ſal foſſile ſufficienter ſal acidum in terra demonſtrant. Et quod ſpiritus ille mineralis, qui per totum globum terraqueum ejusque ſinuoſos & anfractuoſos meatus circumgyratur ac circulatur, ſulphureæ acidæ naturæ ſit, cognoſcitur etiam ex vaporibus ſubterraneis *die Witterungen* qui ipſos lapides penetrant, & fœcundant & mineras jam perfectas ſi copioſus in illas irruant corrodant, & in calces vertant, maxime ſi non ſub aquis hæc metalla poſita fuerint, unde nomen exſurgit, *vervvitterte Ertze*. Talis autem effectus non alio, niſi acido principio adſcribendus eſt, uti videmus ſimilem effectum in talis modi corporibus ab acidis penetrantibus ſpiritibus.

*Ex dictis infertur ſal æthereum in omnibus idem eſſe, naturamque ſpecificam illius à natura terræ proficiſci. Ubi obiter magnetica exhalationum attractio refutatur, & objectioni contra ſal æthereum reſpondetur.*

§. XXI. Ex quibus jam clariſſime efficitur, ſal illud ſeminale æthereum puriſſimum primum acidæ indolis eſſe, deinde pro diverſitate terræ, varie ſpecificari ac determinari. Errare itaque illi videntur, qui putant in atmoſphæra ſive circulatione aëris circa globum terreſtrem varias exhalationes ſalinas, nimirum nitroſas, vitriolaceas aluminoſas, & congeneres contineri & ex terris vi quaſi magnetica attrahi. Non quidem negandum, atmoſphæram ratione exhalationum pro diverſitate terræ & in illa contentorum mineralium ac ſalium variare; illud tamen falſiſſimum eſt, ſalia in terris mortuis regenerata deberi his particulis ſeu exhalationibus. Magnetica enim talis ſympathia, merum Peripateticorum figmentum eſt. Deinde ſalia hæc in omni aëre generari poſſunt, non autem omnis terra hæc ſalia in ſinu ſuo fovere poteſt, & ubi non reperiuntur in terra talia ſalia, ex aëre tamen ſemper producuntur hæc ipſa, beneficio terrarum ſpecifi[illegible]rum. Porro errare videntur illi, qui putant in ipſis terris & capite mortuo, & marcaſitis latitare adhuc tale ſal, & quod ſolum aër laxiores poros reddat, & aqueis atomis junctis, ipſas particulas ſalinas reſiduas, quæ cum terreis intime compactæ ſunt, aptas efficiat, ut in aquæ poros recipi & ſub forma ſpirituum, igne ſubdito, prodire poſſit.

*Varietas ſalium à particulis terreſtribus eſſe oſtenditur.*

§. XXII. Quod autem varietas ſalium tantum dependere poſſit, à mole terreſtri, quæ ratione ſitus, figuræ, extenſionis, magnitudinis varia, & particulis ſulphureis ramoſis, aqueis magis vel minus imprægnata, unum acidum ſpiritum varie determinat, & diverſa ſalia producit, inter alia probat experimentum chymicum ſequens: Tribus corporibus diverſis v. g. plumbo, ferro, argento, affunditur aqua fortis, ſicque varia ac plane diverſa ſalia, ratione coloris, odoris, ſaporis, conſiſtentiæ, & effectus emergunt, nimirum in plumbo, miram dulcedinem acquirit, in marte, ſummam auſteritatem, ponticitatem, ſine omni corroſivitate; in argento autem mirum amareſcit & ſumme corroſiva evadit. Deinde quod etiam ipſa fixitas & volatilitas ſalium, à terreſtri nexu & mole efficiatur, patet, quando conſideramus ſulphur commune in flammam reduci acidam, quod ſi autem calci metallorum cum antimonio diaphoretico mixtæ, ſulphur commune addatur, ſtatim figitur, & ejus inflammabilitas tollitur, & quando lunæ difficulter fuſibili adjicitur ipſum ſulphur, prævia calcinatione facta, abit non ſolum in maſſam friabilem, & quæ ſtatim in igne liqueſit; è contra ſi ſulphur addatur ſaturno facile alias fuſibili, & cum ipſo calcinetur, difficulter fuſibilis evadit ſaturnus, ut etiam vehementiſſimum ignem eludere ſoleat.

*Reſpondetur objectioni.*

§. XXIII. Et quamvis reponi poſſit, metalla quidem ratione terreſtris mixturæ admodum differre, terras tamen alias effœtas & ſteriles non adeo ratione figuræ & molis differentes eſſe; facile tamen hic nodus ſolvitur, adducendo experimentum, quo liquidiſſime patebit, etiam terras ubi ſenſibus non poteſt dijudicari diverſitas, ratione figuræ, ſtructuræ & texturæ admodum eſſe diverſas. Nimirum notum eſt, miniſtros artis docimaſticæ ad capellas, in quibus nobiliora metalla ab ignobilioribus ſeparari debent, armandas, uti pulvere ex combuſtis oſſibus v. g. bovinis, cervinis quem dicunt *kladr*. Notabile autem eſt cineres ex combuſtis oſſibus porcorum prorſus ad hunc uſum eſſe inutiles. Tacemus quanta ſit differentia inter bolum Armeniæ, terram ſigillatam, cretam, argillam, lutum, arenam, uti partim chymicis & mechanicis, partim etiam medicis notiſſimum eſt.

*Colligitur ex præcedentibus quod initio propoſitum.*

§. XXIV. Ex hiſce jam deductis liquidiſſime conſtare arbitror, ſal unicum tantum eſſe in natura, quo, ceu aptiſſimo inſtrumento, ad varias operationes perficiendas utitur, nimirum acidum æthereum & hoc principium eſſe reliquorum omnium & pro diverſa modificatione particularum terreſtrium diverſas larvas aſſumere. Ut autem hypotheſeos noſtræ veritas magis appareat, inſtituti noſtri ratio requirit, originem ac generationem cæterorum ſalium tam fixorum, quam volatilium & alcalinorum ulterius perſcrutari & quomodo ex ipſo acido ceu primo hæc propullulent.

§. XXV. Jam dudum Medicorum & Chymicorum haud vulgarium ſententia fuit, ſalia fixa no[illegible]

non inexiſtere ipſis vegetabilibus formaliter, ſed fieri demum ex intima unione particularum terreſtrium cum particulis urinoſis volatilibus in ipſa concrematione, qua omnia ſalia fixa conficiuntur. Certum quidem eſt, quod nunquam ſine igne & concrematione, tale ſal fixum ex vegetabilibus & aliis corporibus produci poſſit; falſum tamen hoc, quod, uti nonnulli id probare conantur, hæc ſalia debeantur ſalibus volatilibus, particulis terreſtribus quaſi incarceratis, & incuneatis. Si enim hoc eſſet, ſemper revocari, ac ſiſti iterum poſſent ſalia volatilia ex ipſis fixis, quod tamen omni experientiæ reclamat. Nunquam enim ſal volatile ita adjunctione particularum terreſtrium vel acidarum figi & inverti poteſt, ut vel iterum revocari poſſit, vel ſaltim volatilitatis veſtigia remaneant; ſed potius ſtatuendum eſſe exiſtimo, ſal acidum quod in vegetabilibus eſt intime combinatum, ac unitum cum ipſis particulis terreſtribus, in calcinatione & concrematione induere ſchema tale & conſtituere ſal fixum, utpote quævis planta, orbata ſale tartareo acido nunquam fundit ſal fixum; & contra quo copioſius tartareum eſſentiale ſal, vegetabilia poſſident, eo largiorem ſuppeditant copiam ſalis fixi; & in quibus corporibus ſal acidum paucum & ſal volatile copioſum, uti in antiſcorbuticis herbis & in toto regno animali, illa pauciſſimum dant concrematione, ſal fixum. Et porro quod ex hiſce elementis nimirum terra & ſale acido omnia ſalia fixa producantur, ſequentia experimenta patefaciunt.

*Generatio ſalium fixorum.*

Notum nempe eſt, ſpiritum ſalis vel nitri affuſum cretæ calcinatæ, ſtatim induere alcalinam fixam naturam, dum tam arcte ibi incarceratur, ut ægerrime divortium admittat; Deinde etiam ſal eosdem præſtat effectus in præcipitationibus ac ſolutionibus, quam ipſa ſalia alcalina. Compertum quoque eſt, nitrum, quod pene totum abit in ſpiritum acidum, ſi cum carbonibus detonetur & calcinetur, evadat ſumme fixum & alcalinum: porro oleum vitrioli ſumme corroſivum, adjectum ipſi nitro, conſtituit ſal intenſe acidum, quod mixtum cum decenti quantitate carbonum, & in crucibulo calcinatum, evadit ſal potentiſſimum alcalinum fixum, cum acido quovis effervescens. Tandem ſal Glauberi, quod conficitur ex ſale communi, & oleo vitrioli, ſi cum carbonibus mixtum in crucibulo igniatur, evadit pure alcalinum fixum ſal, quo ſulphur mineralium ſolvi, & omnes ſolutiones cum acido inſtitutæ, præcipitari poſſunt. Ex hiſce jam videmus, ſal acidum & alcali non diverſas eſſe ſpecies, ſed potius varios ſalium ſtatus, hinc, qui acidum & alcali pro principiis rerum habent, mirum falluntur.

*Salium volatilium.*

§.XXVI. Quod attinet productionem ſalium volatilium urinoſorum, & quo pacto illa ex acido ſuum habeant ortum, res ſubtilioris indaginis eſt. Facile autem & difficultates hic occurrentes expedire poterimus, modo conſideremus, ubi, & in quibusnam corporibus, illorum generatio fiat, & quid hic accidat, facile enim ſic productionis cauſa ſeſe pandet. Animadvertimus autem regnum animale horum ſalium eſſe fœcundiſſimum, ita ut nullum animal detur, quod non igne combuſtum, magnam quantitatem olei ſalis volatilis fundat. Poſt hæc ſuccedunt vegetabilia, inter quæ, pauca parvam quantitatem hujus ſuppeditant. In regno minerali prorſus nullum datur ſal volatile, niſi quod ex terris ſulphureo-nitroſis putrefactis velimus accerſere.

*Quid cauſa ſit, quare non volatilia dentur in animalibus.*

§.XXVII. Hiſce jam ſuppoſitis placet inquirere cauſas, cur animalia in tanta copia poſſideant ſalia volatilia, non autem fixa, cum tamen ipſa animalia in magna copia aſſumant alimenta acida, ſeu in ſe acidum recondentia, uti accidit in pane, cereviſia, in vino, & omnibus vegetabilibus, & tamen deſtituantur ſale acido; facile primo intuitu patet, quoniam alimenta acida ab animalibus copioſius aſſumpta, nec in illorum partibus, & fluidis & ſolidis, nec in excrementis iterum reperibilia ſunt, quod transmutari debeant illa ipſa acida, in alcalia volatilia, quomodo autem id accidat, jam diſpiciendum eſt.

*Quomodo in animalibus acida transeant in alcalina.*

§.XXVIII. Statum ac firmum eſt ex principiis phyſico-mechanicis, quo ſuperficies corporum in exiliora puncta reducuntur, eo magis eſſe ad motum, & per conſequens ad ſubtilitatem, & mobilitatem aptas. Jam autem in viventibus deprehendimus concitatum & vehementiſſimum fluidi motum, tam circularem, quam inteſtinum; fluidi motus in vegetabilibus propter nutritionis neceſſitatem etiam quadantenus obſervatur, in mineralibus autem pauciſſimus. Liceat itaque definire ac concludere beneficio motus, ſalia acida tranſire in alcalina & ex fixis fieri volatilia: quomodo hoc procedat, doctrina de motu nobis ſufficientiſſime demonſtrabit. Nimirum omnis motus fit ab impulſu & preſſura materiæ gravioris ac ſubtilioris. Quo enim ſubtiliora ſunt corpora, eo facilius & celerius ad motum incitantur, & alia corpora movent. Hoc motu & hoc impulſu in corpora, quæ majorem habent molem, continua fit particularum diviſio, attritio, ſolutio & ſubtiliſatio, hinc calor, cujus eſſentia in motu conſiſtit, dividit, attenuat, rarefacit ac volatiliſat corpora craſſiora. Et hoc modo quoque in corpore noſtro peragitur volatiliſatio & alcaliſatio ſalium acidorum terreſtrium. Nimirum dum alimenta aſſumuntur, quæ ex ſuperficiebus craſſioribus conſtant, motu fermentativo in ventriculo & primis viis non ſolum illorum centra recluduntur, & particulæ ſubtiliores in chylum mutantur, ſed & hæ in ſanguinem translatæ, continua ac rapidiſſima ætheris, per ſanguineorum corpuſculorum poros, trajectione, magis evolvuntur ac particulæ irregulares acidæ atteruntur & magis fiunt obtuſæ. Acidum enim, quod conſtantioribus poris gaudet & irregulare & acutum, ac rigidum magis corpus eſt, motu diviſum magis fit obtuſum, poroſum, & majores ſuperficies acquirit. *Vide. Carthesſ. Princip. part. 3. paragr. 50.* Hiſce autem requiſitis omnibus gaudet ipſum ſal alcali, quod poris minutiſſimis conſtat, & ſuperficiebus majoribus donatum eſt, hinc fluida facile imbibit & illorum impetum ſuſtinere poteſt.

*Modi illius ratio-nis.*

§.XXIX. Ut autem veritas hæc, quod nimirum motu vehementiſſimo ætheris, ex ſale acido, alcali volatile fieri poſſit, ulterius dilucidetur, experimenta in medium adducenda ſunt. Nimirum, fermentatione, quæ conſiſtit in vehementiſſima ætheris trajectione per poros corporum fluidorum irregulares, ex particulis terreſtribus fixioribus, acidis, tartareis, fieri ſpiritus ſulphureos inflammabiles, tritiſſimum eſt, tartarus crudus, qui nunquam dabit ſal volatile, in motum autem fermentativum cum ipſo ſale tartari

tartari fixo adactus & deſtillatus ; ſpiritum præbebit ſale alcalino volatili abundantiſſimum: ſic quoque per putrefactionem ſalia acida v. g. tartarus ſolutus abit in ſal volatile, hinc tartari putrefacti meminit *Helmontius tract. progymn.* Aqua pluvialis in vaſe quercino diutius detenta, aëre exiſtente calido, putreſcit, & dejicit materiam putridam in fundum, quæ deſtillata, ſpiritum volatilem alcalinum fundit. Et genuinus quoque ſalis tartari volatiliſationis modus latitat hoc in experimento. Nimirum ſi ſal tartari aquæ pluviali immittatur, & in vaſe quercino inſtituatur putrefactio, debita adhibita diligentia, facile ſal tartari volatile obtineri poterit. Aqua communis ſola deſtillatione ſæpius repetita, eo penetrantiæ redigi poteſt, ut metalla adoriatur. Spectat hic quoque experimentum egregium, dum nimirum lixivio alcalini ſalis ſolvitur ſulphur commune, & in vaſe ligneo quercino diutius digeſtioni exponitur, fit præcipitatio particularum ſulphurearum rubicundarum, & enaſcitur inſignis fœtor urinoſus: liquor ſi deſtilletur, præbet perfecte alcalinum volatilem ſulphureum ſpiritum, qui omnes effectus communes habet cum ſale volatili urinoſo. Uno verbo, omnis putrefactio & fermentatio ſalia volatiliſat, & ex acido alcali ex fixo, volatile facit. Salia autem volatilia in ſe non differunt, niſi ratione ipſius oleoſi ſulphurei principii, quod intime in illorum poris hæret, facile autem per ſublimationem cum corporibus terreſtribus ſeparari poteſt.

*Concluditur acidum conſtitutionem omnium ſalium ingredi: cujus doctrinæ oſtenſa utilitas finem diſſertationi imponit.*

§. XXX. Ex hiſce itaque omnibus, clariſſime monſtratis, colligitur tam diverſi generis ſalia in rerum natura, originaliter ab uno nimirum ſale æthereo univerſali acido dependere. Manifeſtum inde, quantum uſum ac fructum ex iis experiatur ipſa chymica & phyſica ſcientia, cum illorum ortum, nunquam antea detectum, clarius jam introſpicit, & ad alias plures inventiones adornandas modos invenit. Nec obſcurum quantum commodi redundet in ipſam medicam artem, dum jam intimius & apertius ſalium morboſorum, excrementitiorum generationes, ſicque ipſas cauſas morbificas cognoſcimus, & modum agendi medicamentorum, quæ maximam partem ſalinæ proſapiæ ſunt, planius intuemur. Uno verbo, doctrina ſalium, rite ac ſolide ſic ſtabilita, magnam lucem accendit toti philoſophiæ naturali, ac medicinæ: quod ſuo loco ac tempore reſervamus declarandum.

## COROLLARIA.

*I. Ex ignorantia veræ & ſolidioris Philoſophiæ naturalis, omnes in Medicina Sectæ ortæ ſunt.*

*II. Medicus, qui philoſophia corpuſculari & experimentali imbutus non eſt, vel empiricum vel oratorem agit.*

*III. Qui neſcit naturam fluidi & ſolidi, in rebus phyſicis, chymicis & medicis prorſus rudis eſt.*

*IV. Quaternio elementorum Peripateticorum magnam ſterilitatem rebus medicis & phyſicis attulit.*

*V. Cum extenſio primum materiæ conceptum ingrediatur, identificari cum ea recte adſeritur.*

*VI. Ex poteſtate materiæ omnes formæ reſultant.*

*VII. Nulla datur attractio in tota rerum natura, ſed omnis motus fit pulſione.*

*VIII. Ignis non recte dicitur calidus, aut calorem in ſe habere; eſt enim nil, niſi motus materiæ ætheræ in particulis ſulphureis rapidiſſimus.*

*IX. Frigus non tantum caloris privatio eſt, ſed & aliquid poſitivi.*

*X. Diſtinctio coloris in apparentem & verum ſibi plane non conſtat & ridicula eſt.*

*XI. Omne corpus in ſe grave, nullum autem abſolute leve eſt.*

*XII. Scientia Botanices Phyſico magis quam Medico neceſſaria eſt.*

---

## DISSERTATIO II.

### *De analyſi Chymico-Medica reguli antimonii medicinalis.*

### PRÆFATIO.

*Traditur biga judiciorum perverſorum, de uſu medicamentorum chymicorum.*

Cum perpendimus ſententias illas, judiciaque, quæ *de uſu medicamentorum*, ut dici ſolent, *Chymicorum*, tum ab ipſis medicis, tum etiam ab earum rerum in expertibus ferri ſolent: tum occurrent nobis *duo* inprimis *ineptarum opinionum genera*; *unum* eorum, *qui* ita abhorrent ac *deteſtantur* illorum pharmacorum uſum, ut in internecionem potius hominum producta, quam in eorum ſalutem inventa eſſe, 1. aſſerere haud vereantur; *alterum* eorum, *qui* omnia ea, quæcunque ſaltim è culina ipſorum chymica ſunt profecta, tanquam de cœlo delapſa *venerantur*, ita, ut iis nulla tutior, nulla præſtantior medicina queat inveniri. 2.

*Rejicitur utrumque α. in genere.*

*Utrumque* vero modo recenſitum opiniotum genus, quorum alterum *exceſſu*, alterum *defectu* à vera via *deflectit*, & ab uno extremo, ut dici ſolet, in aliud ruit, neminem inter æquos, rerumque earum expertes æſtimatores fore arbitror; qui non vel maxime *improbandum*, & ut ab ignaris profectum, rejiciendum putet. Quadrat in hos ſapientiſſimi *Hippocratis* effatum, quo imperitiam & inſcitiam, artem Medicam exercentium reprehendit, ſimulque ex iis profluentem effectum exprimit, dum ſc. ita *in lege* diſſerit: ἡ ἀπειρίη κακὸς θυσαυρὸς ἐειλιης καὶ θρασυτητος, τιθήνη: δειλίη γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δ' ἀτεχνίην.

*β. in ſpecie* 1.

Quid enim inanis illa *timiditas* & ſtolida abhorreſcentia (ubi tamen omnimodo neceſſariam in eorum uſu circumſpectionem excludimus) aliud *indicat*, quam rerum ipſarum *inſcitiam*, ἀδυναμίαν, &c, quæ hujus mater eſt, ἀπειρίαν? Quod ſi *enim* medicamenta talia, ab imperito artifice uſurpata, ob minus felicem effectum, rejicere vellemus; idem ageremus, ac ſi gladium, quo furioſus nocuit, puniremus. Verum de hac ſententia, cum vulgi ſit, & eorum Medicorum, qui illius indolem ſequuntur, aut gratiam ejus aucupari ſtudent, ſupervacaneum erit multa verba facere.

Altioris autem indaginis, nec ita facile rejicienda videtur *altera opinio*, maxime, quod 2. *eorum* dicatur, *qui præſtantiam* aliquam in arte Medica Chymicaque *adepti* eſſe putantur. At vero, ſi & hanc accurata mentis indagine evolvere, & ex quonam fonte ſcaturiat, quid ſecum ducat, ſcrutari velimus; intelligemus profecto,

eam

eam *parem*, imo graviorem *cenſuram mereri*. Quid *enim* viro, in arte Chymica Medicaq; verſato, indignius eſt, imo quid *inanius* quam, *quicquid focum chymicum oleat*, obſtupefacto animo *admirari*, ſummisque laudibus in cœlum extollere? Imo vero, quid à Medico bono doctoque magis alienum, quam eadem illa monſtra chymica *ſummis titulis mactare*, *aliosque decipere*? Id *enim* inprimis indicare videntur, *hyperbolicæ* illæ *denominationes* quibus efficaciam *arcanorum* ſuorum colorare, atque ita magno conatu aliis obtrudere ſolent, cum tamen ſæpiſſime ne pharmaci quidem nomen mereantur. Et hæc ſane eſt inſignis κακοτεχνίης illius, Hippocrati notatæ, ſpecies filia ſcilicet ἀπειρίας: imo vero nihil aliud demonſtrat, quam plenariam chymico-medicam ἀτεχνίην.

*Tranſitus ad præſens negotium.* Sed quorſum hæc? Fatum hoc, remediis chymicis commune, de quo modo verba fecimus, expertus etiam eſt REGULUS ANTIMONII, MEDICINALIS dictus. Scilicet antimoniale hoc medicamentum ante pauca demum luſtra in lucem prodiit, & initio quidem pro magno arcano, præcipue in Belgio, habebatur. Huius *inventor* quisnam ſit, adhuc ſub judice lis eſt. Alii enim *Cranium* afferunt; alii *Mætſium*, qui & ipſum regulum A.C. *Leid.* & *chymiæ* ſuæ *rationali* inſeruit. Reperitur etiam apud *Viganum in med. chym.* Hic itaque regulus, duplici illo judicio eſt tentatus. Multi fuerunt, & adhuc ſunt, qui eum inter myſteria referunt. Multi contra, qui nullum uſum tribuant, imo etiam pro noxio & venenoſo habeant.

*Ratio propoſiti.* Quo circa operæ pretium eſſe duxi, paucis, *quid de ejus natura ſentiendum ſit*, *explicare*, præſertim cum illud nondum ab alio expreſſe fuerit factum: unde, ſi rem minus acu tetigero, veniam eo facilius me impetraturum eſſe confido. Quare, prælibatis breviter *reguli* hujus *principiis*, trademus primus in ejus *præparationem*, tum *ætiologiam chymicam*, ac denique diverſum *uſum*. Antequam vero ad opus ipſum nos accingamus, benigniſſimum NUMEN ſupplices veneramur, ut mentem noſtram almæ ſuæ vitrutis ſplendore, ſpiritusque claritate illuſtret, quo veritatem videamus & aſſeramus, indeque in divini nominis ſui gloriam, utilitatem aliquam afferamus.

---

## PARS GENERALIS

### *De principiis reguli medicinalis.*

### MEMBRUM PRIMUM.

#### *De antimonio.*

*Notatur in ANTIM.* 1. *Synciſis & elementa ejus, quæ ſunt:* PRincipio itaque, cum diſſertatio de regulo medicinali, tanquam compoſito artificiali, futura ſit, neceſſum eſt, ut quædam *de ejus principiis*, quæ ad rei noſtræ illuſtrationem facere videbuntur afferamus. Horum præcipuum eſt *antimonium*, quippe quod materiam reguli conſtituit. Eſt vero hoc *compoſitum* minerale, conſtans *ex ſulphure* communi & metallicorum *regulina ſubſtantia*. Addunt alii tertiam partem, nimirum portionem quandam *arſenicalem*; quam vero nos ad regulum referemus. Cæterum, an in hoc minerali lateant *tria principia chymica*, disquiſivit jam dudum *Exc. Dn. Præſes in diſſert. de cinnab. ant. c.* 11. Unde hanc controverſiam noſtram non faciemus.

Diximus vero *Sulphur antimonii*, quod cum regulo laxa & ſuperficiali compoſitione confuſum eſt, *eſſe ſulphur commune*, ſiquidem tale quid & *ſynthesis* & *analyſis* antimonii ſatis abunde *oſtendit*. Per *illam* enim patet, ex fuſione reguli antimonii cum ſulphure communi, idem ſpecie antimonium, ac naturale eſt, imo durius, impetrari. *Hæc* vero ſc. analyſis idem demonſtrat, modo nota methodo, pars regulina, acido ſalis communis ſoluta, legitime abſtrahatur, & ita ſulphur purum, pauciſſimo regulo adhuc infectum, ſublimabitur. Plura de hoc negotio diacriſeos videri poſſunt apud *Boyl. in chym. ſcept. Tachen. hipp. chym.* aliosque. Quare merito *rejicimus* eorum opinionem, qui magnam hic agnoſcunt *differentiam*, & ſulphur antimoniale ad ſulphuris *auri naturam* accedere dictitant, & propterea magna arcana in illo quærunt. Neque enim aurifabrorum experimentum *depurationis auri* per antimonium, huc quadrat, ac ſi poſitive quid de ſulphure antimonii auro communicetur, quod ipſi rutilantem colorem reſtituat, cum potius aurum, *inquinamentis* ſuis metallicis à ſulphure privetur, ut ita colorem ſuum nativum, fulgidum recuperet. Neque etiam quicquam huc facit *differentia ſulphuris* antimonii vulgaris, quod *auratum* dicunt à ſulphure *communi*, tum quoad colorem, tum etiam quoad alia attributa, quippe quæ à particulis *regulinis* proficiſcuntur. Unde *ſulphur* antimonii, quod eodem modo *ex antimonio artificiali*, cum ſulphure ſc. puro parato, producitur, *à ſulphure aurato* vulgari *non differt*, niſi minori efficacia emetica. Idem ergo ſpecie ſulphur eſt in antimonio, quale eſt ſulphur vulgare, ſc. mixtum illud ex acido vitriolico univerſali & φλογιςῷ pariter univerſali conſtans, quod unum eſt principium antimonii conſtitutivum.

*1. Sulphur commune. argumentis a priori. à poſteriore.* — *Rejicitur differentia.* — *Objectio 1. cum ſolutione.* — *Objectio 2. cum ſolutione.*

Alterum eſt *ſubſtantia regulina* metallica, quam alii mercurialem nuncupant, exiſtimantes, regulum nihil aliud eſſe, quam *mercurium* vivum, *vaporibus arſenicalibus coagulatum*. Adducunt etiam *argumenta*, quod 1. *mercurius ex antimonio* produci poſſit, quale artificium *Baſilius*, *Valentinus*, *Becherus*, *Langelottus* aliique chymici tradidere: 2. quod ſingularis *convenientia* ſit ſolutionis & *imbibitionis* utriusque *à ſale communi* & *ſulphure*. 3. quod *cohæſione cum auro* inaurandis metallis conveniant, itemque *volatilitate*, & quæ alia ſunt experimenta, quæ refutavit *Exc. Dn. Stahlius in obſ. chym. menſe Decembri*, ubi aſſerit, *eſſe quidem regulum antimonii mercurialis diſpoſitionis*, *ſi ita intelligatur*, *quod in mercurium poſſit redigi*, *an vero hæc actu inſit regulo*, *neque poſteſi potius aliqua*, *quam aphæreſi coagulantis principii opus habeat*, *dubium eſſe*.

*2. Regulus, cujus principia non ſunt Mercurialia.*

Eſt ergo *regulus* antimonii ſingularis ſpecies *mixti* metallici, è ſubſtantia *terreo*-vitreſcente ac materia *inflammabili*, ſive ſulphure metallico conflata.

*Sed*

Manifeſtat ſeſe *terrea ſubſtantia* in varii generis *vitris* antimonii, exuſtione ac conſumtione ſulphureæ partis per diuturnam calcinationem confectis.

*1. Subſtantia terrea.*

2 *Sulphur metallicum cujus natura in metallificatione.*

*Sulphureum* vero *principium* ad reguli formationem maxime neceſſarium eſt, ita ut ab eo ſolum nitida illa & *metallica conſiſtentia* proficiſcatur. Præclare enim *Excell. Dn. Præſes in notis ad Pot.pharm.ſpag.c.*11.hac de re loquitur: *Sulphureum*, ait, *principium fluidum per totum terræ ambitum circulatur perque omnes mineras diſperſum eſt,& prout terra metallica differt in terris & lapidibus,varias metallorum ſpecies producit,adeo,ut ſulphur & terram fluxilem pro veris metallorum principiis agnoſcam.* Quare hoc ipſum principium *ad reguli*, ut metallici concreti,*conſtitutionem* ſummopere *neceſſarium* eſt. Quod *ſi enim* hoc quocunque modo,vel per ſalia,vel per nudum ignem *auferatur*: *perit* ſubinde prior *metalleitatis*, ut ita dicam, *forma*, & in terram calcariam vitreſcibilem fatiſcit.Quã primum vero huic terræ abſumtum ſulphur *reſtituatur*: *recuperat* nova mixtione ac regeneratione quaſi, priorem,ſplendidam,*metallicam, faciem.* Cui fundamento innititur artificium *revificationis reguli* antimonii è ſuis calcibus, uti & *aliorum metallorum*, quod reſtitutione ſulphuris metallici,vel ex carbonibus, vel alia re commoda inflammabili,peragitur. Hæc itaque ſunt elementa reguli.

2. *Diacriſis inſtituta*

*Separatur* autem hæc regulina ſubſtantia à ſulphure,*interventu* corporis *ſalini*,vel *metallici*,quod ſulphur imbibendo, nexum antimonii diſrumpit.

1. *Per ſalia.*

*Ex priori genere* uſitatiſſima methodus eſt quæ *pulvere fuſorio* nigro peragitur.Prodit ita *regulus* in mediocri quantitate copioſiores adſunt *ſcoriæ*,quæ non ſolum ſulphuream, ſed & regulinam ſubſtantiam continent. *Inſerviunt* itaque variis *præparationibus*, vel *calcis* antimonialis, vel *tincturæ balſamique*, vel *florum*, cum ſale ammoniaco ſublimandorum, vel *ſpiritus fumantis*, mediante calce viva & ſale ammoniaco deſtillandi, vel *ſulphurum* antimonialium, diverſis acidis præcipitandorum,vel ipſius *reguli reductioni*.

2. *Per metalla.*

*Altero* vero *modo*,qui interveniente *metallo* fit,copioſior *regulus* prodit,prout nimirum metallum adjectum,magis vel minus ſulphur ſaturat.Igitur omnium *copioſiſſimus* dejicitur à *ferro*, modo dimidia ejus quantitas acceſſerit, quippe quod ob denſam conſiſtentiam multum ſulphuris ad ſui ſolutionem requirit.Non vero ita *largiter* prodit regulus acceſſione *veneris*, niſi anatica vel major ejus portio aſſumatur. *Plus* vero reguli acquirimus à *ſtanno*, ubi tamen regulus impurior,ſtanno immixto,prodit, maxime,ſi juſto major quantitas acceſſerit.Denique non præterire debemus, quod *mercurius minimum* horum de ſulphure imbibat, ita, ut ejus partes ſex vix partem unam ſulphuris ſaturent. Docet hoc non ſolum *analyſis cinnabaris*, mediante reguli antimonii quarta parte peragenda,ſed vel maxime *ſyntheſis*,& cinnabaris *vulgaris*, & *antimonii*, quæ ad partes quatuor mercurii ſublimati, unam tantum partem antimonii requirit.Et hæc de diacriſi.

3. *Arſenicale accrementum quod abſumitur.* 1. *cum ſulphure.* 2. *à nitro.*

Infectum vero regulum eſſe diximus *arſenicalibus inquinamentis*, quod multa probant experimenta.vid.*D.Stahlius menſe Decemb.*Magna vero ejus pars ſimul *cum ſulphuris* ablatione *divaporat. Plus* vero abſumitur, ſi regulus cum ſexta vel quarta parte *nitri* aliquoties funDatur, *unde* regulus magis *depuratus* prodit, quod & *ſtella* ejus indicat, qua tali tractatione conſignatur,de quo artificio poſteriore videatur *Philal.&c.*,qui hujus hyeroglyphicas expreſſiones explicat, *Becherus in ſupl. II. ad Phyſicam ſubt.*itemque *Dn.D.Stahlius l.c.*ubi totum negotium accurate delineavit. Abſumitur itaque portio arſenicalis per nitrum, quod etiam regulum in calcem exurit. Ubi tamen notandum,quod dubium ſit,omne *arſenicale* inquinamentum abſumi,cum calx talis facile ſine arſenici acceſſione regulinam conſiſtentiam recuperet. Exiſtimant ergo *remanſiſſe portionem*,fixatam tamen. Atque ita palam conſtare arbitror, quæ ab initio dicta ſunt de principiis antimonii, nimirum eſſe hoc compoſitum ex ſulphure communi & ſubſtantia regulina,cui multum arſenicalis materiæ conjunctum eſt.Et hæc quidem ſunt elementa antimonii.

*Uſus* ejus latiſſime ſeſe *extendit*, tum *in chymiam*, tum in *pharmaciam* & ipſam *therapiam*. 4. *Uſus.* Teſtimonium hujus rei præter alia exhibet *regulus* noſter *medicinalis*, præcipue, quod inter calces antimoniales pigriores quaſi, & alia regulina draſticotera, *medium* tenere exiſtimetur, de qua re poſtea dicemus.

---

## MEMBRUM II.

### *De ſale communi.*

*Inter affectiones ſalis communis occurrit.*

ORdinis jam ratio poſtulare videtur, pauca quædam de altero reguli medicinalis principio ſc.ſale communi diſſerere.Ubi tamen lubens prætereo, quæ de *principiis* acidi *hujus ſalis* exponi poſſent; ſed paucas ejus affectiones, pro noſtro ſcopo facientes, commemorabo.

I. *Subtilitas ac volatilitas, Experimentum.*

Primum itaque *ſalis hujus acidum magnæ tenuitatis ac volatilitatis* eſt. Ita vulgare experimentum eſt, ſal commune *ex iteratis* ſolutionibus & *evaporationibus* in auras abripi, ut nihil niſi *inſipida terra remaneat*. Fecit tale experimentum *Dn. Præſes in diſſertatione de ſalium generatione* cum *ſale polychreſto Sylvii*, quod crebriori ſolutione, evaporatione ac fuſione, in materiam pinguem argillaceam redegit. Eãdem volatilitatem demonſtrat *ſal ammoniacum*, ubi cum particulis urinæ & fuliginis oleoſis totum volatile redditur. Unde eſt, quod non incommode *ſalis volatilis geneſis* in animalibus *à ſale communi* derivari poſſit.Probant hoc *cryſtalli, ſali communi* ſimiles, qui *ex urina* leviter *inſpiſſata* prodeunt, cum tamen ne veſtigium quidem eorum appareat, ſi *putrefactio* præceſſerit, ubi potius nova mixtione *in ſal volatile* tranſiere. Idem hoc oſtendit *ſimilitudo efficacia* ſalis volatilis & ſalis communis,quam *in actibus ſolutoriis* exercere ſolent. Ita *ſal volatile*, ſpiritum nitri eadem facultate, *in ſolvendo auro*, imbuit, ac facit ſpiritus ſalis communis. Ex quibus utique, uti & aliis, magna ſalis hujus tenuitas,volatilitas, penetrantia cognoſcitur. Eſt enim *inter* reliqua *acida* mineralia, *tenuiſſimum*: Unde *à quovis*, ſive vitriolo & alumine, ſive nitro, ſive terris argillaceis inhærente, acido *liberatur*, ut commode à terra ſua alcalina ſecedere poſſit. Ad oculum hoc *patet*, ſi ſali communi, in arena calida collocato, affunditur *ſpiritus nitri*, ubi ſubito acidum *ſalis* communis *expelli* odore deprehendimus. *Acidum* vero *nitroſum*, terræ ſalis communis involutum eſſe, licet cryſtalli inde prodeuntes cum cryſtallis ſalis communis figura conveniant, patet,

ſi

ſi *ſpiritus vitrioli* inſtilletur: unde acidum nitri in forma vaporum flavorum divaporat.

*II. Efficacia ſulphur diſſolvendi. Experimentum 1.* Ex hac vero ſalis hujus facultate pendet alia ejus ſumme notabilis efficacia, quam in ſulphureorum corporum diſſolutione exſerit. Id vulgare docet experimentum, ſi hoc ſal *carbonibus* candentibus injiciatur, tum *flammam* magis *augeri*, ut carbones longe citius conſumantur. Eadem ejus vis manifeſtat ſeſe in *antimonio*, ubi, ſi fortiori acido fuerit liberatum à terræ vinculo, valide *ſulphuris exuſtionem adjuvat*, uti id in productione *magneſiæ opalinæ*, ita dictæ, ex antimonio, nitro, & ſale communi paratæ, videre eſt.

*III. Facultas imbibendi 1. Mercur. Experimentum 1.* Denique etiam hic notari meretur vis acidi hujus ſalis in ſolutione ac imbibitione mercurii & reguli antimonii. *Illum* enim prompte arripit, &, interpoſitione ſpiculorum intra globulos mercuriales, motum fluiditatis impedit, ut mercurius ſolideſcentem & *ſicceſcentem conſiſtentiam* nanciſcatur. *Secedit* vero rurſus, *ſtanni interventu*, unde, deſtillatione fortiori, forma *ſpiritus* craſſi, in aëre libero *fumantis*, prodit. Eadem hæc prompta coalitio acidi ſalis communis cum mercurio, occurrit etiam in actibus præcipitatoriis; ſiquidem, ſi ſolutioni mercurii, cum ſpiritu nitri factæ, affundatur ſpiritus ſalis, ibi coit cum mercurio, cum eo fundum petit, ac concretum pulverulentum, mercurio dulci ſimile, conſtituit. Quodſi vero, ſecundo, hæc acida conjungantur, contrarium his accidit, & ſolutio promptius ſuccedit. Simile quid obſervatur in ſale urinoſo volatili, quod martem vel tutiam, è ſolutione cum ſpiritu ſalis facta præcipitat, in compoſitione vero cum ſale communi ſolutionem non impedit, quin potius ſecedendo à ſale communi, eam promovet. Inde videmus habitudinem hujus ſalis in ſolvendo mercurio.
*2. Regulum antimonii: experimentum 1.* Multo *promtius* vero *regulum* antimonii *aggreditur*, quod maxime *reſuſcitatio mercurii* currentis è mercurio ſublimato, mediante regulo, declarat. Patet hoc etiam in *præparatione cinnabaris* antimonii, ubi acidum ejus ſecedens à mercurio ſolvit regulum, & butyroſa conſiſtentia transſtillat.

## MEMBRUM III.

### *De ſale alcali.*

*Notatur in ſale alcali. I.* Tranſeo ad *ultimum principium*, ſcilicet ſal alcali, cujus vim in ſulphurea concreta paucis pro noſtro ſcopo tangemus.

*Geneſis ex acido experimentum 1.* Scilicet (ut duo ſaltim verba de ſalis hujus *geneſi* dicam) originem debet *ſali acido nitroſo* ſimili, quod, diſſipatis exuſtione particulis oleoſis, reſiduis terreis corpuſculis innectitur. Unde, quo plus ſalinæ terreæque ſubſtantiæ continent vegetabilia, eo plus etiam alcali largiuntur, contra vero minus prodit, ſi materia oleoſa volatilis exſuperet. Patet inde, hoc ſal, uti alcali volatile in animalibus, *ignis* eſſe *productum.*

*II. Efficacia in diſſolutione ſulphureorum, ubi 1. Mineralium* Notanda vero in hoc ſale eſt, efficacia ejus in corpora ſulphurea, & quidem primo mineralia. Quod ſi enim cum *ſulphure* communi fundatur, *dirimitur* ejus *mixtio*, ut φλογιςὸν, avulſo acido, ſenſim accedente libero aëre evaporet, quod etiam nitrum accelerat. Interea hæc duo ſalia *firmiſſime uniuntur*, ita, ut non niſi ſulphuris regeneratione *ſeparari* queant. *2. Metallicorum*
Dum vero alcali ita ſulphure impraegnatum eſt, *deſtruit* alia *metallica* corpora, quæ ſimilem aduſtibilem ſubſtantiam in mixtione ſua continent. *3. Animalium* Efficacia vero hujus ſalis in ſulphureo oleoſa animalia & vegetabilia occurrit in vulgari experimento ſaponario, & ſimilibus concretionibus, ad imitationem illius inſtitutis, ex balſamicis, reſinoſis, oleoſis, balſamo Peruviano, oleo ligni rhodii, jasmini, lavendulæ &c. *4. Vegetabilium experim. 1.* *Hæc* vero coalitio cum ejusmodi oleoſis *ſuperficialis* ſaltim *confuſio* eſt, cum facile unio hæc iterum diſſolvi queat. *Intimior* vero illa eſt, quæ juxta *methodum Starckianam* peragitur, ubi *olea* ſubtilia *deſtillata*, juniperi, aniſi, &c. longiori temporis ſpatio, ſali lixivioſo imbibuntur, ut cum eo in deliquium abeant.
Similis combinationis ejusmodi modus traditur ab *Exc. Dn. Præſide in notis ad Poterium*, 3.
quo docetur, quomodo drachma una olei deſtillati, mediante ſpiritu vini, ſolvat drachmas duas ſalis tartari. Cui fundamento innititur præparatio *ſalis volatilis oleoſi, Dn. Præſidi* uſitata, quod ex ſpiritu ſalis ammoniaci ſale tartari, ſpiritu vini, oleis deſtillatis cinnamomi, cardamomi, lavendulæ &c. conficitur per longam digeſtionem. Quibus etiam ex pharmaceuticis 4.
accenſeri poteſt facultas alcali in reſolutione reſinoſorum ſulphureorum aromatum v. g. myrrhæ, ſuccini, maſtiches, balſami Peruviani &c. Pro præparatione ſpirituum, eſſentiarum, 5.
balſamorum &c. Demonſtrat hoc pariter *methodus extrahendi eſſentias* per alcali, in cujus lixivio concoquitur vegetabile, & in extractū convertitur, ex quo ſine tanto ſpiritus ardentis diſpendio eſſentiæ ſaturatiores parantur.

## PARS SPECIALIS.

### *De regulo medicinali.*

## MEMBRUM PRIMUM.

### *De præparatione.*

*In præparatione reguli medicinalis occurrunt 1. Autores.* Cum ex præmiſſis hisce parentes quaſi reguli medicinalis pernoverimus: ſequitur, ut jam ipſam prolem conſideremus, ubi primum de ejus ortu, ſcilicet præparatione, agemus. Quanquam enim hæc à diverſis auctoribus, deſcribatur, ex quibus ſunt *Mætſius in chymia rationali* & *Act. Curioſ. Leid. Koenigius in regno min. Barckhyiſen in pyroſophia &c.* noſtrum tamen erit eandem pariter delineare. Accipiuntur antimonii puri partes V. ſalis communis partes IV. ſalis tartari pars I. (Alii ingredientium proportionem mutant & aſſumunt antimonii partes VIII. ſalis communis partes VII. ſalis tartari partem I. Plerique tamen in priore conveniunt.) *2. Proportio ingredientium* Hæc contuſa invicem miſcentur, & ſucceſſive crucibulo candenti ingeruntur. *Ignis* vis tantum intendatur, ut materia ſufficienter & tenuiter fluere queat, id eſt ſit *fuſorius* mediocris. *3. Fuſio & ignis regimen.* Poſtquam autem materia ſatis fluxit, quod fit intra quadrantis horæ ſpatium, ſi legitime procedatur, effundatur in conum, ſebo aut fuligine candelæ imbutum, qui, ut regulus à ſcoriis probe ſeparetur & ad fundum ſecedat, pro more, qui in aliis regulorum fuſionibus obſervari ſolet, concutiatur ſuperne. *4. Effuſio juſta.* Neceſſariam enim nonnulli hanc encheiriſin ducunt,

ducunt, præſertim quod, cum levior ſit, quam alii reguli antimonialis, ægrius à ſcoriis ſeparetur & ad fundum ſecedat. Itaque, ſi concuſſio illa negligatur, mixturaque quaſi ebulliens è crucibulo candenti ſubito in conum frigidum infundatur, accidit non raro, ut ſub ebullitionis continuatione ſcoriarum portio, regulo interfundatur, & vice verſa pars reguli in ſcoriis remaneat, atque ita impurus, & aliis inquinamentis conſpurcatus, aut ad minimum non ita nitidus ſplendensque prodeat.

5. *Reguli diverſus color.* Regulus à ſcoriis ſeparatus chalybem aut ferrum refert lævigatum. Quod ſi vero in mortario vel porphyrite, cum, vel ſine aquæ acceſſu, in tenuiſſimum pollinem redigatur, ita, ut micantes particulæ penitus diſpareant: nanciſcitur colorem ruffeſcentem, vel potius purpureum. Cæterum cum in toto negotio parum difficultatis occurrat: nolo plurium encheiriſium perquiſitione & recenſitione occupari.

6. *Selectus alca i. rejicitur.* Circa alcalici vero ſalis additionem notandum, quod aliqui, qui magnam differentiam inter alcalia agnoſcunt, ſtrictius ſali tartari adhæreſcant, neque alterius ſubſtitutionem admittant, ſive propter majorem puritatem, ſive propter alios præſtantiores effectus, aut occultas qualitates.

*Objectio.* Suſpicor equidem occaſionem hic dubitandi præbuiſſe obſervationem *Vigani*, qui *in med. Chym. p.* 20. experimentum affert pro alcalium diſcrepantia adſtruenda: Afferit nimirum, ſe ex tractatione antimonii cum ſale communi & ſale tartari conſecutum eſſe regulum ruffeſcentem. Aſt vero è ſimili fuſione antimonii cum *ſale cardui benedicti* loco ſalis tartari adhibiti, *regulum ſimplicem* prodiiſſe.

*Reſponſio.* Sed fateor, licet experimenta hæc ſatis circumſpecte aliquoties inſtituerim, minime tamen differentiam tantam regulorum productorum potuiſſe obſervare, ſed eundem à ſale cardui benedicti aliiſque alcalicis accepi, quam qui alias juxta vulgarem methodum, mediante ſale tartari provenit. Suſpicor itaque regulum illum ſimplicem à carbonum alteriuſque ſulphurei concreti fortuita interfuſione prodiiſſe. Quare uti in genere ſalium alcalium differentiam nondum vel à priori vel à poſteriori percipere poſſum: ita neque hic ſcrupuloſos eſſe opus eſt, modo alcali ſubſtituendum purum ſit, legitime præparatum, neque alienis heterogeneitatibus inquinatum.

7. *Selectus ſalis communis.* Magis vero ſuperflua eſt ſelectio ſalis communis, an nimirum huc magis marinum, vel gemmæ, vel fontanum utile ſit, cum utique pro præſenti ſcopo obtinendo nulli præ altero prærogativa tribuenda videatur, quod ex poſtmodum dicendis patebit.

8. *Aliorum reguli medicinalis præparatio.* Atque ita quidem ſeſe habet *methodus vulgaris* & uſitata regulum medicinalem conficiendi. *Immutari* autem *ſolet* à nonnullis, ita, ut nunc aliquid adjiciant, nunc omittant, nunc ponderum proportionem varient. 1. Sic alii *ſal alcali* omittunt, & ei *tartarum crudum ſubſtituunt*, majori tamen in quantitate. Jubent itaque recipere antimonii partes VIII. ſalis communis partes VII. tartari partes VI. Mixtura crucibulo candenti ad fuſionem ingeritur, quæ quidem difficilius, quam in regulo medicinali vulgari, ſuccedit. Prodit regulus medicinalem referens, & ſpecie omnino eundem eſſe judico, licet non adeo nitidus externa facie, ſed obſcurior & poroſior, appareat. Pulveriſatione autem pariter ut regulus medicinalis colorem purpureum acquirit. Scoriæ vero leves ſunt, poroſæ, & battituram ferri referunt. Alii, qui in productione reguli medicinalis nimium forte tribuunt ſali communi, *omittere* jubent *ſal tartari*, & hujus portionem decedentem ſali communi adjicere. 2. Præcipit hoc *Barckhyiſen in pyroſophia libro* 3. *ſectione* 3. *capite* 2. ubi ex antimonio cum ſalis communis anatica portione legitime fuſo, eundem regulum medicinalem promittit; ſed tantum abeſt, ut inde promiſſus effectus ſuccedat, quin ulla notabilis alteratio antimonio à ſale communi inducatur. 3. Denique adnumerari hujusmodi regulis poteſt illa methodus, qua ad correctionem croci metallorum Rulandi addunt ſal commune & inde ſimilem regulum medicinalem quoad effectum promittunt. Aſſumunt itaque antimonii partes III. nitri partes II. ſalis com. part. I. conf. *Le Mort in Actis Curioſis Leidens.* Rejiciunt alii hanc proportionem, & anaticam præferunt. Illa vero ingredientia, contuſa & commixta, crucibulo candenti injiciuntur & ad legitimam fuſionem, quæ brevi conciliatur, perducuntur. Poſtea effunditur materia in conum, aut, quod Le Mort loco citato inſinuat, in crucibulo relinquitur, ex eoque refrigerato eximitur. Regulus hinc prodiens croco Rulandino non valde diſſimilis eſt: conſiſtentia eſt poroſa, non ita lævis, nitida, uti regulus medicinalis; pulveriſatus autem acquirit colorem obſcure rubicundum inſtar boli rubræ. Scoriæ leves ſunt ſubflavæ, ſuccineæ, illis ſimiles, qui ex depuratione reguli antimonii cum nitro prodeunt.

---

## MEMBRUM II.

### *De productionis ætiologia.*

*In ætiologia mixtioni, proponuntur.* Perpauci adhuc fuere, qui regulum hunc in examen vocarint, & fundamentum operationis inquiſiverint; ſed eam curam ſibi ſolum curæ habuere, ut vires ejus hyperbolicis encomiis inveſtirent. Illos vero, qui aliquid hac de re tradidere, commode in 2. vel 3. *genera* diſpeſcere poſſumus; *unum* eorum, qui totum fundamentum *in ſale communi* ponunt; *alterum*, qui *alcali* effectum tribuunt: *poſtremum* denique qui mediam prementes viam *ab utriuſque* ſalis concurſu geneſin iſtius cramatis regulini deducunt. (1. *Sententia aliorum*)

1. *Eorum, qui omnem rem tribuunt ſali communi ubi* 1. *Barckhuſii, ſal commune regulum friabilem reddere.* Ex *primo genere*, ut unum atque alterum producamus, eſt *Barckhuſius*, qui *in pyroſophia* ætiologiam reguli à muriatico ſale unice pendere judicat, ubi tamen, quam vel qualem alterationem antimonio inducat, non definivit, ſed differentiam ſaltim ſalis alcalici & communis tanquam à poſteriori deduxit. Verba ejus hæc ſunt: *In regulo medicinali ſalium diverſum operandi modum contuemur. Ab alcalicis enim in regulum albicantem, durum, metallo ſimilem, à muriatico autem in rubrum & friabilem convertitur, & qui quoad effectus valde diſſimiles ſunt. Hic enim ſudorem, ille emeſin & catharſin ciet.* Unde etiam ad præparandum regulum alcali omitti jubet; & recte quidem ex hypotheſi. Si enim ſal alcali ad reguli productionem nihil confert: ſequitur nos absque eo regulum medicinalem poſſe conſequi & vice verſa. Sed valde dubito, an unquam experimentum

mentum hoc inſtituerit, magis vero an ſucceſſerit. Ego enim, uti jam dixi, nunquam quidpiam exinde prodire deprehendi, quod à prima materia fuiſſet alienum. Quod vero ab alcalicis regulum ſimplicem obtineri aſſerit, indeque diſcrepantiam ſalium deducit: res ſane eſt, ubi & experientia valde deficit, & theoria etiam multorum chymicorum mirum appingit. Contrarium enim aſſeverare non dubito, quod ſi operatio legitime cum puro alcali ſuſcipiatur: regulum vel pauciſſimum, vel plane nullum, quod ſæpiſſime fit, proditurum; ſed potius ſcorias graves, regulum poſtea tractatione cum carbonibus largientes. Et hæc de opinione Barckhuſii.

(2) *Aliorum in genere: ſal commune ſecernere ſulphur arſenicale à regulo. Confutatur argumentum II.*

Non deſunt vero, qui jam ante ipſum hanc ſententiam foverunt, imo adhuc dum eandem tuentur, aſſerentes, ſal commune ſingularem habere vim virulentiam antimonii corrigendi, cicurandi, immutandi. Præſtare vero hunc effectum putant, ſecernendo regulum antimonii à ſulphure arſenicali, idque corrigendo. Unde ſulphure correcto & abſumpto, vim emeticam in diaphoreticam tranſire. Hæc vero ſententia pariter non arridet. Primo enim univerſam hanc theoriam dejicit unicum illud experimentum, de vi ſalis communis in antimonium, quod, uti modo dictum, plane nihil alterat. Poſtea
1. cum ſulphur antimonii à *vulgari nullo modo*
2. *diſcrepet*: nefas etiam eſſe videtur, alienas ab hoc vires, maxime convulſivas, vomi-
3. torias ipſi tribuere. Hæc enim competunt arſenicali ſubſtantiæ, quæ antimonio ita arcte adhæret, ut ægerrime ſemoveri queant. Si tamen quis per artem & encheiriſin chymicam ſulphur hoc legitime à regulo ſeparet: habebit idem, ſpecie, ſulphur, uti eſt
4. vulgare. Deinde *negatur regulum medicina-*
α. *lem ſulphure* antimoniali eſſe *exutum*. Teſtatur hoc ejus tractatio cum nitro, unde detonationis ſtrepitus & inflammatio conſpicitur, uti fit, ſi crudum antimonium cum ni-
β. tro tractetur. *ſal*, quod ex hac tractatione exſurgit, acido ſulphureo imprægnatum eſt, & in ſal medium arcano duplicato ſimile
γ. converſum. Probat etiam præſentiam ſulphuris in regulo medicinali, fuſio ejus cum limatura martis vel cupri. Unde ſulphur antimonii metallum aggreditur, & regulum
δ. ſimplicem dimittit. Hujus ſcoriæ ſi leviter uſtulentur, inflammabilis portio evaporat, & acidum ſulphureum metallo arctius innectitur, ut exinde per ſolutionem & inſpiſſationem cryſtalli vitrioli prodeant, non aliter, ac ſi metalla illa ſulphure fuiſſent trac-
(5) tata. Patet ergo, ſulphur omnino adhuc regulo medicinali inhærere. *Neque etiam omni arſenicali portione privatus eſt regulus medicinalis.* Facile enim regulus ſimplex, fine nova mixtione, ſeparari poteſt, qui utique arſenicali inquinamento ſcatet, quod fit præ-
(6) dicto modo per metalla. Nam falſum ſane eſt, omnem arſenicalem materiam cum ſulphure antimonii ſimul avelli, licet aliquam ejus partem deflagrare non negem. Indicat enim hoc regulus ipſe, vitrum antimonii &c. quæ ſulphure antimoniali deſtituta, non tamen omne arſenicum amiſere. Tantum vero de primi generis ſententia.

2. Tranſeamus jam ad alterum, ubi quidem vix ullus adhuc ſcriptis proſtat, qui tantum ſali lixivioſo tribuat, ut penitus ſalis communis efficaciam in noſtro negotio neget. Poſſent huc referri ea, quæ *Kerkringius in commentario ad currum triumph. antimon. Baſilii Valentini*, de ſale tartari aſſerit. Scilicet. *Baſilius Valentinus* tradidit ibi, pro extractione tincturæ & balſami antimonialis, præparationem hepatis alicujus antimonii, ex antimonio & tartaro. Tribuit *Kerkringius* alterationem hanc antimonii tartaro, quatenus deflagratione in ſal tartari convertitur. Inde ſubſtitui jubet ſal tartari, ne nimis diu fundendum ſit, donec tartarus in alcali exuratur, uti ipſe hanc addit rationem.

*Eorum, qui fundamentum in alcali quærunt. ubi indirecte Kerkringii.*

Idcirco, ut hæc ad noſtram rem applicemus, videmus *Kerkringium* non fine ratione mutationem illam antimonii, à tartaro inductam, (quæ videlicet ſimilis eſt ei, quæ fit in regulo medicinali) à ſale alcali deduxiſſe. Certum enim eſt tartarum, qua talem, id eſt ſubſtantiam acido-oleoſo terream, nullam vim in antimonium habere, aut actu exercere, ſi cum ipſo fundatur; ſed præſtare illud, quatenus igne & appulſu ſimul particularum ſulphurearum exhalantium exuratur & inde ſal alcali generetur, quod poſtea quoad τὸ ὅτι & διότι ulterius perſcrutabimur.

*confirmatio.*

Reſtat poſtremum genus eorum, qui rationem præparationis ab utroque ſale derivant. Inter hos numeramus primum *Mætſium*, qui *in Chymia rationali* ita de hac re loquitur *p.* 63. *Regulus medicinalis eſt ſudoriferum ex antimonio tutiſſimum, in quo principia activa non ſolum conſervata, ſed etiam cicurata ac temperata ſunt, ut nullius corroſivi ſibi ſint conſcia. Ex occurſu enim ſalis tartari & communis, ſales corroſivi antimonii infringuntur, obtunduntur & quodammodo figuntur.* Verum utut hæc ætiologia τὸ διότι non tangat: locum tamen habere poſſet, ſi certum foret, quod ſal commune & potentia & actu infringat vim arſenicalem, & quod hoc ex occurſu duorum illorum ſalium fieri poſſit, cum potius contrarium tum ex jam dictis, tum etiam ex mox ſubjungendis colligi queat.

*3. Illorum, qui ab utroque ſale effectum deducunt. ubi. (1.) Mætſii. Ab utroque ſale, ſales corroſivos antimonii infringi. Quantum hæc valeat.*

Ejuſdem fere ſententiæ eſſe videtur *Kœnigius in regno minerali cap.* 9. Ubi, rationem productionis hujus reguli reddens, aſſerit: *corroſivum antimonii per ſal tartari infringi, per ſal commune vero ſalis & ſulphuris volatilis in antimonio figi, ſicque conſervari principia activa, nec in auras pelli, ut in aliis calcibus antimonialibus accidit.* Verum uti deductiones mere abſtractivæ in demonſtrationibus phyſicis chymicisque parum aut nihil ſignificant, ita etiam in præſenti negotio, cum utique *Kœnigii* ſententia talis ſit, neutiquam modum fiendi explicat.

*(2) Kœnigii: ſal tartari corroſivum infringere; ſal commune vero activum conſervare. Qualis hæc ſit?*

Placet etiam huc referre, quæ *Medicus doctiſſimus Dn. Apinus in tract. de febr. epid. Herſpr.* 67. hac de re inſeruit. *Videtur*, ait, *regulus hic eſſe concretum quoddam cinnabarinum, ſale communi, regulinam antimonii ſubſtantiam, igne cæteroquin comburendam, tam diu conſervante, donec cum evoluto interim, ope ſalis tartari, ſulphure antimoniali firmius coire poſſit.* Ex qua quidem ætiologia illud percipio, quaſi ſal commune compoſitionem antimonii dirimat, ſal tartari vero eam reſtituat. Ubi vero dubium remanet, an ex tali antimonii ſimpliciore diacriſi & ſyncriſi

*3. D. Apini: ſal commune diſſolvere antimonium, & alcali rurſus componere examinatur.*

*dubium 1.*

criſi ſequatur eſſentialis principiorum antimonii alteratio. Cum enim antimonium conſtet ſubſtantia regulina & ſulphurea: ſequitur ex harum combinatione nihil aliud prodire, quam purum antimonium, eſſentia *dubium 2.* ab alio naturali non diverſum. Quod vero ſal commune compoſitum antimoniale diſſolvere nequeat, paulo ante innuimus. Magis *dubium 3.* vero dubium videtur, an alcali novam compoſitionem antimonii ex parte regulina & ſulphurea efficiat aut promoveat. Contrarium enim monſtrat experimentum ex his tribus ſubſtantiis inſtitutum, ubi regulus potius una *dubium 4.* cum ſulphure diſſolvitur ac deſtruitur, quam in antimonium transformatur. Cæterum, ut exinde concretum cinnabarinum proveniat, pro uſu medico optandum foret.

*12. Sententia noſtra proponitur.* Ita igitur attulimus aliquot opiniones, quæ de reguli hujus genealogia foventur. Nunc vero, ne ἀσύμβολος diſceſſiſſe videar, paucis meam de modo fiendi explicationem ſubnectam. Ubi tamen ante omnia notare debemus experimenta quædam, quæ ad rei præſentis dilucidationem facere videntur. *1. Fundamentum experimentale: tractando. α. antimon. cum ſale communi. alcalino.* 1. Si antimonium cum ſale communi fundatur, prodit antimonium parum vel nihil alteratum. 2. Neque regulus antimonii alteratur, ſi pari modo cum ſale communi fundatur. 3. Ipſum etiam ſal commune ſub tali tractatione nullam ſenſibilem in mixtione ſua patitur alterationem. 4. In præparatione reguli med. ſi omittatur ſal com. & alcali ſolummodo in priori portione accedat; habetur productum quoddam regulo medicinali in eſſentia ſua & virtute diaphoretica ſimile. 5. Ubi tamen differentiam, licet magis accidentalem, non diſſimulo, nimirum, quod in hoc poſteriore regulo pauca portio obſervatur, quæ nitidam illam & inſtar chalybis politi, ſplendentem faciem referat, ſed reliquum ejus magis poroſum fit, magisque pulveriſatione ruffeſcentem colorem habeat. Cæterum an eſſentialiter vel Chymice vel Medice etiam à regulo med. diſcrepet nondum deprehendere potui. 6. Regulus med. cum nitro, vel à candelæ flamma per tubulum, vel in crucibulo accenſus, eun- *β. Reg. med. cum nitro* dem motum detonationis & inflammationis edit, quam qui ab antimonio puro cum nitro tractato ſuccedit. 7. Unde ſi cum partibus III. nitri tractatur, abit in *calcem* antimonialem. Si vero cum portione anatica fundatur, prodit regulus gryſei coloris, obſcuri. 8. *alcali cum* Regulus medicinalis cum ſale alcali tractatus non dimittit regulum ſimplicem, ſed in materiam nigram pulverulentam, calcaream, *tartaro* convertitur. 9. Neque regulus ſimplex præcipitatur, ſi cum tartaro & nitro, æqualiter adjecto, regulus idem tractetur. 10. Prodit vero aliquid, ſi minus nitri acceſſerit. 11. *carbonibus metallis.* Paulo plus, ſi cum carbonibus & pauco alcali fundatur. 12. Plus vero reguli ſecedit, ſi cum metallo aliquo v. g. ferro, cupro &c. proportionate addito fundatur. 13. Quomodo vero ex ſcoriis hiſce, elutriata parte alcalina, ad promptiorem fuſionem adjecta, parari poſſit vitriolum, ſupra jam tetigimus. Cæterum in multis operationibus vicem ipſius antimonii ſupplere poteſt. Unde nolo plura experimenta brevitatis gratia recenſere. Ex iis vero, quæ allata ſunt, ſi conferantur & perpendantur, patere puto, tum *quid regulus medicinalis non ſit*, tum etiam *quid ſit, & cujusnam productum.*

Ut prius luſtremus, facile intelligimus, *2. Præoccupatur regulum med. non eſſe.* non eſſe purum, crudum, nec quidquam immutatum antimonium. Indicat enim hoc vel externa ſaltim conſtitutio, & facies quaſi, nullas ſtrias & particulas metallicas, ſed *calciformem* potius *concretionem* exhibens. Idem etiam docet, quod unionem cum antimonio *1.) Antimon. experim.* reſpuit per experimenta 13. Confunderentur autem ſine difficultate, ſi omnibus eſſentialibus & accidentalibus circumſtantiis convenirent. Præterea non poteſt dici regulus antimonii ſimplex. Comprobat enim hoc priva- *(2.) Regulum antimonii experim.* tio quaſi & *abſentia* nitidæ, denſæ, & *metallicæ conſiſtentiæ*, à quo ille regulus ſimplex denominationem ſuam mutuatur. Deinde regulus medicinalis *ſulphur continet*, per experimenta, 6. 7. 12. 13. *Neque* etiam *cum ſulphure in* purum *antimonium redit*, uti regulus ſimplex. Ex quibus cognoſcimus regulo medicinali, ſi accurate loqui velimus, reguli nomen neutiquam competere. Retinemus tamen vocabulum, ne alterius productione confuſionem & obſcuritatem creemus. Si vero cui novum nomen arrideat, poterit appellare etiam crocum antimonii diaphoreticum &c.

Quanquam autem regulus medicinalis neque antimonium in priore ſua mixtione ſalvum, neque partialiter, vel regulus antimonii vel ſulphur ejus ſit: utraque tamen hæc *compoſitionis antimonialis principia in regulo medicinali ſalva continentur.* Ergo neceſſe eſt *immutationem acceſſiſſe antimonio*, eamque vel univerſalem vel partialem. Cum vero ſali communi potentiam hanc detraxerimus: neceſſe eſt eam primario *ab alcali* eſſe inductam. Ab hoc enim forma quaſi & eſſentia reguli medicinalis, qua talis, pendet. Nam ſal hoc, in tali proportione cum antimonio fuſum, aggreditur ſulphur antimoniale, & maxime ejus acidum arripit, ita, ut ſubſtantia inflammabilis liberata, & motu ignis celerrimo expanſivo exagitata, ipſius reguli metallicum ſulphur in ſimilem motum ſuſcitet, & partim diſſolvat, partim ita diſcerpat cum particulis regulinis, ut hæ in unum colligi nequeant, ſed cum illis, quæ exuſto ſulphure metallico, in materiam calcaream ſunt converſæ, per ſulphur reliquum diſpergantur. Prodit itaque hinc præparatum antimoniale, ex ſubſtantia regulina ſemi calcarea & ſulphure antimoniali conſtans, quod ope alcali eſt productum. *3. Ipſa productionis ætiologia proponitur quæ procedit a ſale alcali*

Ætiologia hæc aſſenſum ſpero inveniet *Confirmatur.* non ſolum ex ſupra propoſitis experimentis, 1. 2. 4. &c. ſed magis clara evadet, ſi vim *(1) quoad τὸ ὅτι.* alcali ſalis ſulphurati, quam in diſſolutione omnium fere metallicorum corporum exerit, conſideremus. Ita ſane quotidianum ex- *declarando vim alcali in corpora metallica. 1. in antimonium. 2. in regulum* perimentum eſt, ubi antimonium cum alcali puri parte æquali fuſum penitus diſſolvitur & mixtio regulina deſtruitur, qui, pulveris ſubflavi forma ſcoriis interfuſus, nunquam in regulum redit, niſi abſumptum ſulphur metallicum reſtituatur.* Idem fit, ſi regulus cum alcali ſulphurato tractetur: Ubi prima ſtatim fuſione multum ejus abſumitur. Si vero operatio iteretur, regulus plane deſtruitur ac perit. Patet hoc etiam, ſi pari mo- *3. in ferrum.*

do

do limatura martis tractetur, cujus mixtio diſſolvitur & in crocum ruffeſcentis coloris convertitur, quod cum crudo ſulphure longe tardius ſuccedit. *4. in aurum & alia metalla.* Exerit talem effectum alcali in alia etiam metalla, imo ipſum aurum, teſte *Joh. de Monte Schnyder*, qui propterea artificium hoc metalla deſtruendi mirum celebrat *die Metallen durch ein mineraliſches Saltz zu zerſtören und den metalliſchen Schvveffel durch ihren* (loquitur de ſulphure com.) *feurigen* ſpiritum *anzuzünden* &c. uti talibus expreſſionibus paſſim in ſcriptis ſuis utitur. Ex quibus utique ſummam efficaciam ſalium alcalium ſulphuratorum in metallis & vel maxime antimonio deſtruendis haurire poſſumus.

2. *quoad τὸ διότι ſive Rationem ſiendi*

Non immerito autem hic quæritur, *quomodo ſal alcalinum hoc agat*, an poſitive, an vero magis privative. *α. Poſitivam experim.* Poſitiva actio in metallica concreta, utut dubia videatur, non incommode tamen adſtrui poteſt. Indicat enim hoc *intimior* confuſio & *cohæſio cum metallo*, *ut actio ſulphureæ* ſubſtantiæ in individualiter ita diſcerpta corpuſcula eo *magis pateat*.
1. Innuit etiam hoc vis alcali in *fluxilitate metallorum* promovenda,
2. quæ eſſe non poſſet, niſi ejus particulæ intime ſeſe particulis metallicis inſinuarent, easque ex aggregatione dimoverent. Huc etiam facit experimentum *Baſilii Valentini* cum
3. regulo antimonii & alcali inſtitutum, ubi *fuſione*, *regulus* paulatim imminutus, *depuratus* & *ſtellatus* prodit.
*β. Privativam. In genere* Privative autem hoc ſal agere evidentius patet. *Acidum* enim *abſorbendo*, mixtionem ſulphuris dirimit, ut ſubtilis ſubſtantia aduſtibilis, ſecedens ab acido, & motu inteſtino intenſius agitata, ſulphur metallicum ſimul commoveat, abripiat, & ita mixtionem metallicam deſtruat: Unde nil niſi terreum vitreſcens principium remanet; quod metalleitatem recipit, ſi ſulphur ſuum metallicum reſtituatur, id quod multa demonſtrant experi-
*experim.* menta.
1. Ita jam ſuperius quodammodo tetigimus, quod omnes *calces antimoniales*, quibus materia inflammabilis vel per ſimplicem calcinationem, vel per nitrum, vel per alcali ſublata eſt, uti antimonium diaphoreticum, vitrum antimonii, &c. conſiſtentiam regulino metallicam non recuperent, niſi ablatum ſulphur metallicum reſtituatur. Et vulgare experimentum eſt fabrorum ſtannariorum, qui *ſtannum* in calcem exuſtum pinguedinis adjectione reviſi-
2. cant. *Plumbum* in vitrum vel calcem conver-
3. ſum, redit in metallum, ſi ſulphur ſuum è carbonibus recipit. Cui fundamento innititur ar-
4. tificium productionis & eductionis plumbi, ferri, cupri, è mineris ſuis, quod nunquam fieret, niſi per carbones funderentur. Taceo alia experimenta. Ex quibus itaque patet veritas illius axiomatis chymici ex notis *Dn. Præſidis ad Poterium* allati, *ſulphur eſſe verum principium metallorum, formam metalleitatis conſtituens*. Et hæc quidem de concretis metallicis, quatenus nimirum interitum ſui à ſublatione ſulphurei principii patiuntur.

*In ſpecie reg. med. ubi oſtenditur eſſe hujus reg. in calcem converſum exper.*

Quanquam vero plenaria deſtructio mixtionis metallicæ in regulo medicinalis non contingat: evenit tamen quoad partem, ubi nimirum ob minorem quantitatem alcalini ſalis omne ſulphur antimoniale imbibi nequit, indeque regulus diſſolvi. Teſtatur vero in regulo medicinali, hanc, reguli in ſubſtantiam ſemi-calca-
1. riam converſionem 1. *calciformis conſiſtentia* externo intuitu conſpicua, & à regulina denſitate longe diverſa.
2. 2. Quod *unionem cum antimonio* & ipſo regulo ſimplici *recuſet*.
3. 3. Quod *ſulphur* illum *non aggrediatur*, & in antimonium permutet
4. 4. Quod pulvere *carbonum* adjecto *regulus præcipitetur*. Unde neceſſe eſt aliquid ipſi defuiſſe, quod è carbonibus recepit, ſcilicet ſubſtantiam ſulphuream, cujus abſentia calcaream conſiſtentiam regulo conciliavit. *Non tamen omnem experim.* Quod vero non omnis regulus in calcem ſit exuſtus, probat 1. *Solideſcens* conſiſtentia, qua calces cæteri antimoniales deſtitutæ ſunt, 2. *1.* facilis *ſeparatio reguli* ſine nova mixtione per metalla, 3. *præſentia* ſulphuris communis. Ex his itaque effectus alcali in regulo medicinali cognoſcitur.

4. *Quæſtiones & objectiones quædam ſolvuntur.*

Quæritur vero, an aliquid huc conferat ſal commune, & quodnam illud ſit? Ad hujus quæſtionis ſolutionem notandum eſt, quod ſal com. in ſtatu compoſitionis cum terra alcalina, teneram *fluxilitatem* corporibus *metallicis conciliet*, *nihil* tamen in illis *alteret* vel abſumat.
1. *Quid conferat ſal. com.?* Do exemplum. Si *minera ſaturni*, ſulphureo-arſenicalibus inquinamentis infecta, funda-
*α. generatim* tur cum ſale communi, tum quidem utrumque prompte ac tenuiter fluit, mineræ vero nihil mutatur, vel quidpiam de accrementis abſumitur, ut plumbum purum inde haberi poſſit, uti tale quid nitrum præſtat. Idem accidit in *antimonio* & *regulo ejus*, ſi cum hoc ſale fundatur, uti jam antea dictum
*β. ſpeciatim.* eſt. Dicam itaque quid mihi de hujus ſalis efficacia in hoc negotio videatur. Quando regulum medicinalem ſine illius acceſſu conficio, dixi 1. prodire crama magis poroſum neque ita nitidum, uti eſt regulus medicinalis vulgaris, 2. materiam non ita tenuem & fluxilem evadere, quam ſit acceſſione ſalis communis, 3. regulum hunc pulveriſatum non ita obſcure ac ſaturate ruffeſcentem colorem acquirere, uti regulum medicinalem vulgarem. Quare ex his colligere licet 1. *ſal commune promovere* tenuem *fuſionem*, 2. adjuvare intimiorem ſalis *alcalici* cum antimonio *incorporationem*, 3. *cohibere nimiam ſulphuris exhalationem*. An vero hoc ſal ad eſſentiam quaſi hujus reguli quid conferat: neque à priori neque à poſteriori adhuc intelligere poſſum.

2. *An in reg. med. arſenicale quid remanſit? Affirmatur. Objectio. Solutio.*

Altera quæſtio eſt, an regulo medicinali inſit adhuc portio arſenicalis? Hujus affirmativam ſuperius jam tuebamur. Dices ergo, ſi corroſivum quid remanſit, *cur non effectus convulſivus vomitorius inſequitur?* Reſpondeo vero, ineſſe antimonio inquinamentum arſenicale, ubi tamen hujus efficacia non ita ſeſe exerit. Unde ſecure in lue venerea, epilepſia, hydrope, & aliis affectibus, ubi lymphæ vitia corrigenda, & ſanguis mundificandus, ab autoribus *Zvvölffero, Ludovico, Schrœdero, Hartmanno, Michaëlis &c.* adhibendum commendatur. Cauſam hujus rei reddit *Dn. Præſes in annotationibus ad Pot. p. 559. Quamdiu regulus cum ſulphure arctiori vinculo eſt unitus, nulla obſervatur virulentia. Particulæ enim arſenicales, ſubtiles, penetrantes, corroſivæ à ſulphuris ramoſitate involvuntur, quo minus effectum ſolitum edere poſſint.* Ex quibus perſpicimus, quare uſum reguli med. in quo & arſenicalis & ſulphurea ſubſtantia hæret, virulentia illa non ſequatur, neque vomitus ſemper ſuccedat. Non ſemper hoc evenire dico, cum non raro ſatis graves vomitus poſt ſe trahat. Unde multi

multi ejus uſum, ut dubium & ancipitem, rejicere ſolent.

3.
*An alcali inſit regulo? Affirmatio. experimentum*

Exoritur alia quæſtio, an portio ſalis alcalici, acido ſulphuris innexa, regulo medicinali ſit illiquata? Affirmativam innuunt ſequentia. Regulo medicinali affundebam aquam. Stetit ita in loco tepido per aliquot dies; Inveni poſtea paucum *ſalis amaricantis*, tartaro vitriolato ſimilis, lateribus vitri adhærentis. Cum enim alcali partem acidi ſulphurei abſorpſit; diſſipatum eſt φλογιϛὸν & ita nova geneſis ſalis medii producta. Probat hoc etiam, quod ipſe regulus aëri diu expoſitus humiditatem admodum ſenſibilem contrahat.

4.
*Undenam color?*

Poſtrema quæſtio eſt phyſica magis, undenam pendeat color ille purpureus ruffus? Ubi quidem *materialem cauſam* utique *in ſulphure* quærendam eſſe exiſtimo. Neque etiam inficias ibimus, ſymbolum ſuum *conferre alcali* ad ſulphur ſolvendum, evolvendum, exaltandum, & portionis ejusdem abſumtione, colorem clariorem reddendum. Quid etiam *ſal commune* conferat jam innuimus. Qualis vero configuratio pororum ac ſuperficiei, & inde pendens modificata luminis reflectio ſit vel refractio, phyſicis enodandum relinquimus.

5.
*Ætiologia reguli medicinalis vicariorum.*

Sed, ne juſto longiores ſimus, ætiologicæ tractationi finem imponemus. Ex hiſce enim facile & cæterorum quaſi vicariorum medicinalium regulorum, quos ſupra recenſuimus,
1. fundamentum & ratio peti poteſt. In illo enim,
2. ubi loco ſalis tartari tartarus crudus ſubſtituitur, eadem fere ratio eſt, quæ in ſale alcali eſt notata. *Barckhuſiana* vero methodus disquiſitione plane non indiget, cum inter experimen-
3. ta non ſuccedentia numeranda ſit. Denique in poſtrema methodo, quæ ope nitri & ſalis communis peragitur, diverſa fiendi ratio occurrit. Primo enim nitrum, oblato ſulphure antimoniali, in motum igneum vehementiſſimum conjicitur, ejus acidum disjicitur ac diſſolvitur, quod acidum ſulphuris adjuvat, dum, ut fortius, terram nitroſam arripit, & acidum exturbat. Cum vero acidum nitroſum propellitur: acidum ſalis communis tanquam tenuius ſimul liberatur, quod per ſubtilitatem ſuam motum igneum promovet, atque ita plus ſulphuris & arſenicalis ſubſtantiæ abſumit. Videmus ergo regulum hunc à croco Rulandino non niſi gradu, minoris ſcilicet virulentiæ, differre. Aſſerit hoc *Le Mort. A.C. Lugd. c.* 32. *Mitior*, inquit, *hic crocus eſt Rulandino, propter majorem quantitatem ſalis additi, quod detonando plus ſulphuris antimonii ſecum in auras rapit.* Ejusdem ſententiæ eſſe videtur *Exc. Dn. Stahlius Menſe Jul. obſerv. Chym.* ubi hunc regulum, ſimilis cum Rulandino croco proſapiæ eſſe edocet.

---

## MEMBRUM III.

### *De uſu reguli.*

*Uſus triplex.*

Uſus reguli medicinalis trium generum eſſe poteſt, 1. chymico-phyſicus, 2. pharmaceuticus, 3. medico-therapeuticus. De ſingulis horum pauca quædam adferemus.

I.
*Chymicus in pernoſcenda natura & vi.*

Chymicus uſus ex ætiologica inquiſitione percipi poteſt. Primo enim cognoſcimus efficaciam ſalis alcalici, in *metallicorum corporum deſtructione* ac diſſolutione poſitive ac privative promovenda. 2. Deprehendimus etiam; *falſum* eſſe multorum Chymicorum ubivis fere inſinuatum axioma, *alcalia* ſulphur antimonii abſorbere, & ex illo *regulum præcipitare* ac liberare. Contrarium enim monſtrat inſignis paucitas reguli, qui ex tali tractatione minus ſæpe accurata prodit: Si enim caute ac provide proceditur, nihil plane habetur. 3. Videmus etiam alcalium promptiſſimam *unionem* & arctiſſimam cohæſionem *cum acido vitriolico.* Pendet hinc ſulphuris mineralis è mixtione diſſolutio, itemque ratio præcipitationum metallorum, v. g. martis, cupri &c. hoc acido ſolutorum. Alcali enim acido huic vitriolico ita tenaciter adhæret, ut non niſi nova ſulphuris geneſi, ab eo ſeparari queat. 4. Deprehendimus pariter, quantum illa ſententia locum habeat, *alcalia ſulphur figere.* Nam acida tantum ſulphuris abripiunt, & à ſubſtantia inflammabili avellunt. Decedit itaque hæc, niſi, acceſſu liberi aëris denegato, elaſtica hujus expanſio & exhalatio impediatur. 5. Intelligimus pariter, quomodo id, quod in motu eſt, facile quietum, in motum excitare poteſt, quod ad ſimilem motum ſuſcipiendum aptum eſt. Ita enim, ſi in ſulphure minerali inflammabilis materia, acido per ſal alcali ligato, libere ſecedat, & inteſtino elaſtico motu exagitetur: commovet ſimul metallicum ſulphur, quod ejusdem indolis & aptitudinis ad motus eſt, idque ſecum abripit, atque ita mixtionem metallicam deſtruit. 6. Denique falſum eſſe videmus, quod communiter de vi ſalis communis figente ac depurante antimonium tradere ſolent. Licet enim acidum ſalis hujus regulum ſolvat: hunc tamen effectum exerere nequit, cum terræ alcalicæ ſit innexum. An vero occulta aliqua ratione ſingularem potentiam in antimonium & maxime regulinam arſenicalem materiam habeat: pariter per experientiam non liquet. Et hæc aliaque pro uſu chymico ex præſenti negotio deſumi poſſunt.

*1. Salis alcalini. 2. Principii ſulphurei. 3. Salis communis.*

II.
*Pharmaceuticus.*
1.
*Sulphur*

Pro altero vero ſcilicet pharmaceutico, obtinendo, licet huc usque Chymici minus ſolliciti fuerint, ut alia medicamenta ex hoc regulo elicerent, paucis tamen, quæ proſtant, recenſebimus. Propoſuit *Exc. Dn. Præſes in notis ad Poterium pharm. c.* 12. præparationem ſulphuris antimonialis, ex regulo medic., cum aqua calcis vivæ cocto, præcipitandi cum ſpiritu vitrioli. De hoc ſulphure ſimilem panaceæ Glauberianæ efficaciam promittit. Præfert etiam ipſi regulo, *quia*, ut ait, *virulentia arſenicalis jam correcta à ſpiritu vitrioli magis enervatur.*

2.
*Tinctura*

Tradidit etiam ibidem præparationem tincturæ antimonialis, ex regulo medicinali cum alcali fuſo mediante ſpiritu vini tartariſato, vel ſuper ſcorias antimoniales abſtracto, extrahendæ.

3.
*Tinctura anodyna*

Item ex eodem regulo parare docet tincturam anodynam, ſi nimirum in decocto reguli med., cum aqua calcis vivæ facto, ſolvatur opium, & ex ſolutione inſpiſſata, mediante vino malvatico, vel ſpiritu vini, eſſentia extrahatur. De hujus *viribus* ita ſentit. *Præſtantiſſimum hoc in doloribus compeſcendis & ſomno conciliando eſt remedium. Lixivio enim calcis vivæ, ſulphure antimoniali imbuto, optime corrigitur vis opii narcotica ſtupefactiva, atque ita ſymptomata, ab opii uſu accedere ſolita, præpediuntur, dum vis reſolutiva ſulphuris antimo-*

timo-

*timonialis, ſimulque anodyna, ſpirituum impetuoſum motum cohibens, quaſi in æquilibrio ſtant.*
4. *Tinctura & balſamus.* Huc etiam referri poſſunt, quæ *Baſilius Valentinus in curru triumph. antim.* de extractione tincturæ & balſami antimonialis ex cramate hepati formi, regulo medicinali ſimili, quod ex antimonio & tartaro conficitur, commemorat.
5. *Calx diaphoretica.* Præterea quomodo calx antimonialis, ceruſſa antimonii &c. ſimilis, è regulo medicinali paretur, res facilis eſt, quam ſuperius jam oſtendimus.
6. *Vitrum.* Poteſt etiam ex eo vitrum parari, ſi, elutriata portione alcalina, levi calcinatione tractetur, & ita ſulphur abſumatur, unde reſiduum calcareum facile in vitrum funditur. Et hæc pro uſu altero attuliſſe ſufficiant. Poſſet quidem latius extendi, ſi ulterius rem ipſam exponere liceret. Repeto tamen, quod in multis præparationibus pharmaceuticis vicem antimonii ſupplere poſſit.

III. *Uſus therapeuticus.* Poſtremus denique uſus eſt medicus practicus, paucis etiam tangendus. Ubi ante omnia illos rejicimus, qui regulum hunc multis hyperbolicis encomiis pro *univerſali* & divina panacea venditare ſtudent. Magis enim illis, qui medium tenent, aſſenſum præbere poſſumus.
1. *In chronicis.* Laudatur vero ejus efficacia maxime in morbis chronicis, & qui ex diuturna viſcerum obſtructione naſcuntur. Unde *Exc. Dn. Præſes in annotationibus ad Poterium p.* 560. in *hydrope, epilepſia, ſcorbuto, febribus &c.* commendat. Hi enim affectus, cum contumaciores ſint, requirunt medicamentum tale, quod non ita celeriter operationem ſuam, uti vegetabilia, abſolvat, ſed diu perſiſtat in corpore & materiam tenacem ſæpius impellendo tandem ſubigat. Idcirco intelligimus qua ratione regulus hic in chronicis non levis momenti eſſe poſſit, ad pertinaciam eorum infringendam.
*in febribus, in lymphæ vitiis.* Multi ſunt, qui efficaciam ejus antifebrilem mirifice dilaudant. *Specificum*, inquit *Maëtſius in Chymia rat. & Actis Curioſ. Lugd.* eſt *diaphoreticum in febribus quibuscunque.* Idem auctor commendat *in omnibus affectibus; ubi*, uti loquitur, *ſudores deſiderantur, quia non, ut vegetabilia, ſanguinem accendit.* Cognovi ex aliis, qui cum ipſo, dum viveret, verſabantur, regulum hunc quotidiani ipſi uſus fuiſſe. Teſtatur hoc etiam *praxis* ejus *chymiatrica.* Nam *omnibus fere morbis* judicat *proficuum, ubi nimirum lymphæ motus cum inſenſibili tranſpiratione promovendus.* Ita commendat in arthritide, apoplexia &c. Specialiter vero, ut dixi, vires laudat antifebriles, quod etiam in *actis curioſ. Lugd.* fecit, ubi cum regimine diaphoretico uſurpari jubet. Convenit cum hiſce Maëtſianis aſſertis *Barkhuſius*, qui efficaciam ſudorificam in febribus & aliis cutis affectibus mirifice extollit. Paria facit *Kœnigius in regno minerali c.9.* ubi etiam formulam propoſuit, ex regulo medicinali cum cortice chinæ & theriaca in bolum redigendo, qui ante paroxyſmum febrilem ſit exhibendus. Licet vero autor hic tantopere hanc medicamenti formulam laudet: nulli tamen autor fuerim, ut in pertinacioribus febribus quartanis maxime in uſum vocet, cum raro talium adſtringentium & vehementer commoventium pharmacorum uſum hydropica & alia mala ſubſequantur. Præterea laudant alii hujus uſum in lymphæ affectibus, hydrope, anaſarca &c. prout hujus
*in anaſarca.* rei jam mentionem fecimus. Specialiter in anaſarca hujus rei jam me certiorem reddidit, *Medicus doctiſſimus Dn. Doct. Hennike, Celſiſſ. Com. ab Hoenl. Archiater*, qui eo, cum mercurio dulci mixto, ſummo cum emolumento uſus eſt.
Inter initia malignorum, variolarum, dyſenteriæ, &c. refracta doſi cum pulveribus bezoardicis exhiberi jubet *Dn. Præſes in notis ad Poterium. Unde*, inquit, *levis ſalivatio cum ſudore procuratur, & muco primarum viarum diſſoluto præcordiorum anxietates diſſipantur.* 2. *In acutis malignis.* Memini etiam, cum in patria febres malignæ ſæpius graſſarentur, *Exc. Chymiatrum D. D. Rolfincium* eundem regulum in frequenti uſu habuiſſe ſummo cum fructu. Concinnavit ex hoc cum aliis, abſorbentibus, terreis, pulverem alexipharmacum, qui adhuc hodienum quotidiani uſus eſt. Accuratius hunc deſripſit *D. D. Apinus in tractatu de febribus epid. Herb.* ubi ſimul uſum ejus, & ſpeciatim reguli in febribus malignis epidemicis propria experientia comprobat. Scio etiam, eo in hiſce morbis uſum fuiſſe modo allegatum *Excell. D. Hennickium:* Omiſit vero poſtmodum crebriorem uſum propter aliqua incommoda, à negligenti præparatione, profecta, ejusque loco ſubſtituit bezoardicum joviale, ſeu antihecticum Poterii. Pro uſu externo commendat *Maëtſius* lixivium ſcoriarum in ſcabie. Imo ipſe recordor, me antehac uti & alios multos ſimili malo affectos, lixivium hoc Dn. Parentis mei conſilio cum ſumma efficacia adhibuiſſe. Succurrit hic etiam ipſum regulum cum terreis mixtum in ſcabie uſurpatum, & quidem cum regimine ſudorifero, tumores œdematoſos maxime pedum, accerſiiſſe. Unde deprehendere poſſumus efficaciam hujus reguli in motibus humorum intendendis, qui ne ad ſcopum plenarium pervenirent, terrea adſtringentia ſimul adjecta impedivere. Et ita quidem pauca quædam de uſu medico produximus.

Addere his quædam libet de modo operandi. *Modus operandi duplex.* Cum itaque effectus reguli medicinalis duplex quaſi ſit, dum nempe & ſudores movet, & humorum lentori ſuccurrit: tum utique & modus operandi duplicis generis eſſe videtur; 1. qui fundatur in motuum promotione; 2. in materiæ correctione, qui tamen minus præ priori ſeſe exerit. Priori modo operatur, & propter ſulphuream partem, & propter regulinam. De *ſulphure* in genere notum eſt, tum quod ipſam materiam ignis, ad motus celerrimos ſuſcipiendos aptam, contineat, ac propterea ſatis potens ſit *motus intendendi*; tum etiam quod ex mixtione ſua [illegible] cum acido vitriolico habeat vim *tonicam* (id quod vel quotidiana ſatis experientia in retropulſione ſcabiei &c. edocet) qua efficitur, ut viæ relaxatæ naturalem tonum recuperent, atque ita ſanguis, fortius jam motus, dum per arctiores vias transprimitur, majorem fluiditatem ac ſubtilitatem nanciſcatur. Quoad *regulinam* vero ſubſtantiam notandum eſt, 1. quod ab arſenicalibus accrementis vim habeat ſtimulantem, atque ita ſpiritus ad fortiores motus capeſſendos ſuſcitantem; 2. quod ob mercurialem indolem efficaciam habeat penetrandi, diſſolvendi craſſitiem ac viſciditatem humorum, tum in primis viis hærentium, tum ipſi maſſæ ſanguineæ interſuſorum, ejusque motum progreſſivum & inteſtinum remorantium. Unde videmus, quomodo poſſit lymphæ vitia corrigere, viſcera ejusmodi cruditatibus infarcta reſerare,

ſecretiones promovere, & materiam ad motus aptam reddere. Quæ poſteriora & alterum operandi modum declarant, qui in materiæ alteratione conſiſtit.

*Modus adhibendi in forma pulveris.* Reſtat modus adhibendi paucis tradendus. Exhibetur itaque commode in forma pulveris, ſiquidem & in parva doſi offertur, neque per ſe nauſeoſus eſt. Cum vero gravior ſit, miſceri poteſt cum levioribus, abſorbentibus ſic dictis præparatis, matre perlarum, lapidibus cancrorum &c. Imo etiam alia adjungi poſſunt pro affectuum diverſitate. Ita *Exc. Dn. Præſes* in affectibus hydropicis adhibendum ſuadet cum martialibus lenioribus, in epilepticis cum cinnabarinis, in febribus intermittentibus cum ſalibus digeſtivis, abſorbentibus, &c. In anaſarca magno cum emolumento adhiberi poſſe cum mercurio dulci, ſuperius ex obſervatione atque commendatione *Doctiſſ. Dn. Hennickii*, percepimus. Inde enim ſcrupulus ſemis mercurii dulcis plus efficaciæ exſeruit, quam alias ſcrupuli duo edere ſolent. *potionum.* Alii emeticis ſtimuli loco & tanquam digeſtivum adjungunt. In forma potionis commiſceri poteſt cum aliis diaphoreticis, anodynis &c. diaſcordio Fracaſtorii, theriaca cœleſti, tinctura bezoardica, tinctura opii cum ſale tartari correcta, aquis diapnoicis ſcordii chærefolii ceraſ. &c. quales formulas propoſuit *Maëtſius in chym. rat. Apinus de febribus epidem. Hersbr. &c.* *pilularum* In forma denique pilulari uſurpari poteſt cum gummis reſinoſis, reſolventibus, extractis aperientibus, amaris, abſynthii, cardui benedicti, ſcordii, fumariæ, cochleariæ, croci, gummi ammoniaci, ſagapeni, hederæ, myrrhæ, aloës &c. Cum talibus itaque prudenter commixtus regulus evadit medicamentum in menſium vitiis, viſcerum infarctu &c. non contemnendum. Doſis ejus à granis ſex aſcendit ad ſcrupulum unum & ultra pro ſubjecti & aliarum circumſtantiarum conditione. Antequam vero in uſum trahatur regulus hic, probe triturandus eſt & in porphyrite in tenuiſſimum pollinem redigendus, donec omnes micantes quaſi ſcintillulæ, diſparuerint. Neceſſaria enim eſt ſubtilis talis pulveriſatio ob faciliorem ſolutionem & celeriorem operationem. Alias enim diu in inteſtinis hæret, & graviora poteſt excitare ſymptomata: Imo etiam cum fœcibus rejicitur, uti de cinnabarinis ſæpius contingit.

Sed plura hac de re diſſerere, temporis anguſtia prohibet. Quæ itaque deſunt (deſunt autem multa) aliis ſupplenda relinquo. Ante omnia vero in medicis obſervationibus, circa hanc rem inſtituendis, diligentiam & prudentem circumſpectionem commendamus & à vana agyrtarum ſimili pollicitatione dehortamur. Nobis enim ſuffecerit hac vice, quid chymice de hoc negotio ſentiendum ſit, explicaſſe. Pedem ergo hic figo & DEO T. O. M. pro gratia ſua, quam in labore hoc pertexendo pro infinita bonitate atque clementia eſt largitus, humillimas ago habeoque gratias, precorque ſupplex, ut & in poſterum per *divini ſpiritus* virtutem atque auxilium curſum ſtudiorum ita ducat; quo tandem aliquando verum eorundem finem quam feliciſſime queam obtinere.

---

## DISSERTATIO III.

### *De mercurio & medicamentis mercurialibus ſelectis.*

### PROOEMIUM.

IN luſtrandis veterum monumentis, qui vel mediocrem poſuerit operam, deprehendet abunde, nullum pharmacum his magis fuiſſe exoſum & inviſum hydrargyro, cujus vim infenſam & corpori animantium omnino deleteriam adeo operoſe & ſidenter propoſuerunt *Dioſcorides* & *Galenus*, & in eodem errore verſantes cæteri Græciæ medici: ut ex eorum aſſeclis per longiſſima temporis intervalla, exſtiterit nemo, qui accommodare ad medicinæ uſum eſſet auſus pharmacum adeo infamatum. Donec ante duo circiter ſecula exoriens nova lues, uti tetra & immanis, ita remedia Galenicorum conſtanter eludens, novum medicationis genus expoſceret. Primus itaque eo tempore in ſcenam prodit *Johannes Carpus*, qui, ſive parum medicamentis Galenicis fidens, ſive Arabum quorundam exemplo inductus, vivum iſtud metallum, ejusque ope excitatam ſputationem, luis virulentiæ cœpit opponere. Stupuere quidem ad hanc rem primum Scholæ Medicæ; at vero nequidquam exoſum tacere conabantur medicationis genus, cujus felix ſucceſſus mitiorem mox extorſit ſententiam; imo ipſis contemtoribus ad ſimiles conatus exemplo fuit. Qua re factum, ut numeratus olim in deleteriis mercurius, jam per conſtantem aliquot ſeculorum obſervationem, feliciaque experimenta, inter præſentanea ſæviſſimorum morborum præſidia reponatur à viris peritiſſimis. Salivatio vero ejus ope excitata, quæ unice vix lui ſatis ſidenter opponebatur olim, hoc noſtro ævo morborum chronicorum, tantum non omnium, & quantumvis rebellium, unicum fere cenſetur præſidium: eoque nomine à viris editis ſcriptis celeberrimis, ſatis abunde commendatur. At vero cum hoc remedium valentiſſimum, quod multum motus, imo turbæ, humoribus corporis humani addit, inſignem circumſpectionem & prudentiam medentis, uti & conſiderationem ſpecialium circumſtantiarum expoſcat exquiſitiſſimam: nos quidem exiſtimamus, adeo prolixe, & generalibus commendationibus, ad quorumvis fere morborum chronicorum curationes, promiſcue, non poſſe extendi. Præſertim cum videamus iſta ſalivæ profuſione, quæ utplurimum eſt largiſſima, quandoque non tam vires morbi, quam robur corporis labefactari, & non infrequenter ita deſtrui, ut periculo non parvo inde exponantur ægroti. Propterea igitur optima certe ratione cogitarunt Chemiatri quidam experti, quo modo mercurius, draſtica, eaque ſæpe ſumme noxia vi, convenientibus artificiis ita poſſit orbari, ut citra virtutis penetrantis jacturam, reſultet remedium, quod ſimili efficacia, ſine tamen ſalivæ profuſione tædioſa, & gallicum morbum, & atroces alios congeneres curet atque perſanet. Et hoc etiam meum erit inſtitutum, ut nempe, cum ſpecimen

meorum

meorum profectuum in arte ſalutari, publice edendum eſt, his pagellis depromam medicamenta ex mercurio tutiſſima: quæ, ſine turbulento impetu & exhaurientibus ſputationibus, medelam præſentaneam ſpondeant morbis illis refractariis, quibus deſtinata promiſcue eſt ſalivatio. Uberioris autem demonſtrationis & ordinis concinnioris gratia, de mercurii natalibus & elementis ex quibus conſtat, quibusque pollet proprietatibus (quoad fieri in tanta rei difficultate poterit) adhæc ſalivationis incongrue adhibitæ noxis, pauca, uti inſtituti ratio poſtulat, præmittam. Hæcque ſingula meis equidem meditationibus dabo: at ex iis fundamentis, quæ mihi ſuppeditavit candidiſſima doctrina Inclyti *Dn. Præſidis*, Viri Excellentiſſimi, quem ut Patronum & Præceptorem Optimum & maxime ſuſpicio, & debita pietate colere nunquam deſiſtam. Tu igitur, quisquis es Lector! meis conatibus ut faveas & de iis (ſiquidem res videbitur Tui judicii) candide judices, à Tua humanitate contendo.

## THESIS I.

Auſpicaturus itaque, Dei fretus auxilio, admirandi metalli perquiſitionem, operæ pretium, (vel ſaltem receptæ conſuetudini congruum) fore exiſtimavi, ſi cognitio nominis, rerum inveſtigationi præmittatur. Videtur autem nomen, quo unquam inſignitum, à Græcis Latinisve ſcriptoribus, legitur, eſſe deſumtum à præcipuis concreti metallici proprietatibus, videlicet ſplendore argenteo, fluiditate & mobilitate vivida, & aquæ ad inſtar undante. Τȣ̓δράργυρον igitur vel ὑδράργυρος *Dioſcoridi*, quaſi dicas, *argentum aqueum*, vel *aqueæ fluiditatis*, notione Græca ut plurimum appellatur; *Ariſtoteli & Theophraſto* ἄργυρον χυτὸν, item ἄργυρον κινητὸν, *argentum fuſum*, *mobile* audit. Quarum notionum ſiniſtra interpretatione, lapſum eſſe *Plinium*, notant critici: dum *Hiſtoria Naturali*, *Lib.XXXIII. cap.VI.* ſingularem conſtituit differentiam, inter argentum vivum, & hydrargyrum, quaſi hoc ſit factitium, è minii nativi (cinnabaris) vena excoctum; illud purum & nativum ex ſcaptenſulis collectum. Hujus vero erroris convincitur Plinius ex *Dioſcoride* & aliis Græcis ſcriptoribus, qui promiſcue utraque notione uſi fuerunt. Propterea igitur *argenti vivi* nomine, quævis metalli noſtri mobilis ſpecies recte venit. Illaque notio forte magis congruit cum rei proprietate, quam ſpecioſum *mercurii* nomen, quo decorare metallum hoc lubuit, ob neſcio quam analogiam imaginariam, diſciplinæ Chemicæ Auctoribus. At, cum ex præcepto *Quintiliani*, ſermone plane utendum ſit, ut nummo, cui publica forma eſt; nos quoque de vocabulis nimium utique non ſoliciti, mercurii nomen, ut uſitatiſſimum, merito retinemus: & cætera *Arabica, Chaldaica, Myſtica*, & ipſa barbarie terribiliora, nomina iis relinquentes, *Oedipum* quibus agere & licet & lubet: pergimus potius ad inquirendum natale ſolum noſtri mercurii.

## THES. II.

Curioſæ autem conſiderationis res eſt, nullum omnino in rerum univerſo reperiri minerale, cujus parcior ſit proventus, atque eſt mercurii; nam in paucis oppido locis reperiuntur ejus mineræ, quæque præterea adeo ſteriles ſunt, ut erutæ operæ vix pretium rependant. Hinc computum inſtituere ſi cui foret lubitum, facile deprehenderet, quinquagies plus reperiri, & ex terra erui, auri, quam mercurii. Unde mirari ſubit, qui fiat, ut, cum omne rarum ſit carum, mercurio adeo exiguum, reſpectu auri, conſtitutum ſit pretium. Univerſa utique *Oriens*, quantum quidem in hunc usque diem innotuit, deſtituta plane eſt mercurii venis: ejuſque non niſi pauca ramenta in *Japaniæ* quibuſdam fluviis reperiuntur. Dives quidem olim fuit mercurii mineris *Hiſpania*: quæ tamen hodierno tempore, aut exhauſtæ, aut, ob inertiam incolarum, ſunt neglectæ. Vide *Pufendorfium in introductione ad hiſtor.* In *Bohemia* prope *Hartenbergam* & *Heilbergam*, oppida: in *Hungaria* ad oppidum *Cremnitz*; item in *Germania*, interioribus præcipue ejus tractibus, *Greifenthalii*, ut & *Walckenriede*, (quæ ſunt Thuringiæ oppida) colliguntur quidem ſparſim mineræ cinnabarinæ, vel puræ, vel cum terra calciformi aut lapidea mixtæ, quæ partim in fontibus, partim ſub terræ involucris reperiuntur: at vero adeo exiguus eſt ex his omnibus mercurii proventus, & præterea adeo eæ ſunt infrequentes, ut tantummodo inſerviant exornandis raritheciis, & curioſitati eorum, quibus abdita Dei opera intueri jucundum eſt. Nullibi igitur locorum abundantius reperitur atque effoditur, quam in *Carinthia*, ad vicum *Hydriam*; indeque diſtrahitur quæſtu uberrimo, per omnia fere Europæ emporia.

## THES. III.

Omnis vero qui in fodinis deprehenditur mercurius, duplici ſub ſchemate eſt conſpicuus. Alter in fodinis omnino purus, oppido tamen raro reperitur, ejusque nonniſi aliquot guttæ, dum mineræ eruuntur, foſſoribus ſubinde occurrunt. Paulo tamen frequentius provenit æque purus mercurius, ex mineris coloris cinerei vel murini, quibus ſub guttularum vel globulorum nitidiſſimorum forma inhæret, ſola lotione, vel mallei ictibus facili negotio eliciendus, ſine ulla vi ignis; unde etiam *Virgineus* appellatur. Cujus mineram, inter cæteras variarum regionum curioſiſſimas, videre mihi contigit, in *raritheciо Excell. Dn. Præſidis* inſtructiſſimo. Perhibent de hoc mercurio virgineo Chemici, ſpecie eſſe leviorem illo, qui, ex mineris impurioribus collectus, ignis violentiam paſſum eſt: Adeoque ſuſpicantur forte non perperam, ſubtiliorem & magis ſpiritualem eſſe, ac propterea ad opus Alchemiſtarum magnum accommodatiſſimum. Sed de hoc videant quorum intereſt. Altera mercurii ſpecies, vulgaris, immixta deprehenditur mineris ſolidis, compactis, colore vario, plerumque tamen rubro, hepatico, aut ſpadiceo conſpicuis. Quæ conſiſtentia ſolida, una cum coloris varietate, à ſulphuris & ſubſtantiæ terreæ vel lapideæ diverſimoda miſcela dependet. Sulphur enim eſt, quod mercurium, metallum mobile, inſpiſſat, coagulat & rubro purpureo colore inſignit: uti vel notiſſimo experimento, in confectione cinnabaris conſtat. Hinc etiam fit, ut mineræ mercurii igni expoſitæ, exhalent ſulphuris vaporem penetrantiſſimum. Quin imo in ſeparatione & ſemotione hujus ſulphureæ ſubſtantiæ totum conſiſtit artificium mercurium ex mineris vivum producendi: quem in finem per vulgarem encheireſin ex retortis ferreis, elotis prius inquinamentis terrenis, ſublimationem metallurgi adornant, cum vel ſine additamento calcis vivæ: cujus, ut & ipſius ferri ope, abripitur & detinetur minerale ſulphur, adeoque ab involucris illius & compedibus liberantur mercuriales globuli, mobiles & vivi in vas recipiens promte expellendi. Plura qui ſcire cupit de variis artificiis, quæ in eruendis & excoquendis iſtis mercurii mineris metallurgi adhibent: is adeat *Georgium Agricolam* peritiſſimum rei metallicæ ſcriptorem. *Acta Societ. Reg. Angl.* Ann. 1665. menſe Aprili. *Browns itinerarium* &c.

## THES. IV.

Brevi hinc minerarum, indeque collecti mercurii recenſioni, merito adjungimus notas, quibus de

de puritate iſtius & bonitate conſtare poſſit : cum quidem mercurius ita ſit fraudulentorum impuris technis ſæpe *adulteratus & coinquinatus*, ut vel ob hanc cauſſam peregrina & infenſa inferre poſſit ſymptomata. Communis fere, at à paucis præter *Quercetanum in Conſilio de Lue Venerea* animadverſa fraus eſt, argentum vivum inquinare plumbo : quod, interventu biſmuthi, ita apte cum illo miſcetur, ut poſſit plumbum (ſi quidem incongrua mole non excedat) una cum mercurio per corium exprimi, ſine ullo obſtaculo, adeo fluidum ac mobile, ut ne fraudis quidem oboriatur ſuſpicio; & vel hinc conſtet planiſſime quam futilis ſit & ſuperficiaria, mercurii per ſolam hanc expreſſionem depuratio. Quos vero intus aſſumtum plumbum pernicioſos pariat cruciatus, pluribus hic non commemoro, cum id cuivis ex illa *Fernelii*, quam in *tract. de Lue Venerea* recenſet, *hiſtoria* patere ſatis poſſit; plane autem deleteriam vim, minore mole idem poſſe exſerere, ſi certo modo, eoque non multum diſſimili, uti à mercurio fit, ſubigatur, curioſioribus ex deteſtandi illius veneni (*poudre de S****) diris effectibus conſtet. Cæterum vero, quod ſcribitur à plerisque, mercurium vivum allicere, ſibique conſociare inquinamenta metallica, ex mineris plumbi, antimonii, arſenici &c. id niti nullo fundamento videtur : ſiquidem in illis locis ubi copioſe eruitur argentum vivum, illius generis mineræ, mercurialibus vicinæ non ſunt; adhæc diverſa omnino eſt ratio mercurii vivi, qui quidem commiſcetur ex facili quibusdam corporibus metallicis, mineris vero adhuc inhærens, & ſulphuris vapore coagulatus, admittere neutiquam poteſt metallorum aliorumve inquinamentorum intimiorem miſcelam. At his nihil obſtantibus, ex aliis fit cauſſis, ut ſingulis mercurii ſpeciebus non eadem ſit puritas, partiumve ſubtilitas, hinc alia illius ſpecies aliis ſæpe deprehenditur longe præſtantior. Abunde bonus, & plerisque operibus ſatis congruus is eſt mercurius, qui igni expoſitus, promte & penitus exhalat, ut nil quidquam relinquatur: qui præterea per digeſtionem, neque pulverulentum crama, nigrum aut fuſcum (biſmuthi utplurimum ſobolem) in ſuperficiem rejicit, neque cuticulam in eadem contrahit: metalla denique promtiſſime aggreditur, eorumque cohæſionem promte divellit. Vulgaris quidem at veritati non reſpondens opinio eſt, mercurium genuinum & bonæ notæ poſt evaporationem ex vaſe argenteo, flavam maculam relinquere. Id quod tamen nunquam facile obſervabitur, niſi mercurius aliquoties cum auro amalgamatus & hinc denuo abſtractus fuerit: vel ad methodum *Philalethæ* depuratus & animatus; de quo infra.

## THES. V.

Ut ordini nobis propoſito inſiſtamus, illis præmiſſis, pergimus ad conſideranda principia, ſive elementa mercurium conſtituentia. Eſt autem res hæc tantæ difficultatis, & ſubtilibus Atomiſtarum hypotheſibus adeo non exhauſta, ut, præter ſpeculationes generaliſſimas, quod ſit ullius momenti ſuppeditent nihil. Probabiliora utique & magis utilia, ex ſaniorum Chemicorum principiis huc poſſunt peti; at ne his quidem, ad hunc uſque diem ſpecialis plane dilucidatio (uti res eſt omnem induſtriæ humanæ conatum fere eludens) obtineri potuit. Hoc tamen certum & experimentis variorum, præſertim *Becheri* comprobatum abunde eſt, cuncta metalla componi ex terra quadam ſolida & compacta, quæ baſin & corpus illorum conſtituit; terrarum vero cum duo tantum ſint ſumma genera: alterum complectens terras fuſiles, quæ in vitream ſubſtantiam igne colliquari aptæ ſunt, *vitreſcentes* hinc dictæ: alterum *calcareas* continens, id eſt, ejusmodi terras, quæ igne vehementiſſimo liquari non poſſunt, ſed in calcem, ſeu ſubſtantiam poroſam & levem exuruntur. Hinc ſequitur, cum prioris generis terra unice metallorum proprietatibus, ponderoſitati, fuſilitati, malleabilitati &c. congruat, hanc quoque eorum mixturam ingredi. Ejusmodi igitur terra ſolida, fuſilis & vitreſcens, ſubſtantia unctuoſa, plus minus acida, intime & per minima ætheris ope, in pyrophylaciis ſubterraneis commixta, metallicorum corporum conſtituit materiam. Quorum varietas dependet unice à diverſa puritate & proportione illius terræ, reſpectu ſubſtantiæ unctuoſæ, hincque reſultante mixtione diverſimoda. Quod quidem à *Bechero induſtrio* in *Phyſica ſubterranea*, & *aliis* hujus veſtigiis inſiſtentibus *viris expertiſſimis*, tanto eſt experimentorum numero comprobatum, ut de rei veritate conſtet planiſſime. Nihil ergo impedit, quo minus ſtatuamus, mercurium, licet fluiditate à cæteris metallis diſcrepet, eandem tamen cum his agnoſcere originem & quidem molem corpoream, cum inſigni gravitate, debere terræ illi ſolidæ & compactæ: minorem tamen ſubſtantiæ iſtius unctuoſæ recipere copiam, ideoque in ſolidam conſiſtentiam, uti cætera metalla non compingi, ſed agili ætheris motui, unde fluiditatem accipit, magis obſecundare. Et quidem ſi rem, uti meretur, paullo conſideremus attentius, facile conſtabit, ſequi omnino debere, ut, cum terra illa ſolida, quæ mercurii baſin conſtituit, jugi & celerrima ætheris motione interna circumagitetur, ſingulas illius portiunculas minimas, hac agitatione circa axin rapida, rotundam induere figuram, & in tot globulos, ſtupendæ & indefinitæ exiguitatis, maximeque lævigatos efformari. Qua partium globoſarum exilitate ſumma & mobilitate, proprietates mercurii, ejusque effectus, quos & in cætera corpora metallica, & animata organica exſerit, reſultant, indeque merito ſunt deducenda.

## THES. VI.

Siſtimus igitur primo inſignem illam fluiditatem, quæ ita ſoli mercurio propria eſt, ut ſimilis vix reperiatur in rerum univerſo; humiditatis enim expers eſt: unde mercurius Chemicis *fluor ſiccus*, *manus non madefaciens*, audit. Quæ res tantæ admirationis viſa *Fallopio*, ut mercurium naturæ diceret miraculum. Eſt autem præcipua hujus fluiditatis cauſſa ſubtilis æther, minimis mercurii globulis copioſe interſperſus: cujus agitatione vivida & non interrupta, ita inter ſe aſſiduo & ſituali motu volvuntur, & disjunguntur, ut facile cedant aliorum corporum attactui: in quo eſſentiam fluiditatis conſiſtere, omnibus Phyſicis in confeſſo eſt. Humiditatem vero adjunctam ideo non habet hæc fluiditas, quia corpuſcula, ex quibus componitur mercurius, lævigata omnino ſunt & exiliſſima, adeoque non facile in ſuo motu ſiſti, & aliis corporibus adhærere poſſunt, quemadmodum fit, ubi fluida partibus ramoſis & viſcoſis, vel magis flexilibus componuntur, uti oleum, aqua &c. Æthercam autem illam ſubſtantiam eſſe fluiditatis in mercurio auctorem, præter hypotheſes Phyſicorum, vel id documento eſſe poteſt, quod mediante fermentatione & ebullitione, ſalibus diverſi generis inſtituta, operationum Chemicarum peritiores, ex plumbo vel antimonii regulo, conficere ſciant fluentem mercurium; quod fit partim, quia ſalia, quæ ad artificium hoc adhibentur, disjungunt horum metallorum cohæſionem, ſicque in fluorem adigunt: partim quod ſalium conflictu, eorumque mutua reactione producatur vel colligatur inſignis copia fluidiætherei, & in motum cieatur rapidiorem, quo aſſidue circa axin circumgyrantur obſequentes, & ad motum antea pronæ metallo-

metallorum particulæ, ſicque mercurii naturam & proprietates omnino aſſumunt. A vivida porro illa ætheris in mercurii minima actione, dependet quoque mercurii volatilitas, qua pollet adeo inſigni, ut vel caloris blandi acceſſu, copioſa diſpergat effluvia, uti ex effectu amuletico (de quo ex *Hercule Saxon. Wedelius in tract. de medendorum facult.*) notum eſt. Quod ſi autem externo ignis calore paullo intenſiore, ætheris in mercurio intendatur elaſticitas & expanſio, ita ſenſim elevantur mercurii atomi, ut ſub vaporis, fere inſenſilis, ſpecie penitus exhalent.

THES. VII.

Volatilitati & fluiditati accedit tanta mercurii gravitas, ut, ſi aurum excipias, hac, cætera metalla excedat omnia. Hujus materiam, ſine dubio, ſuppeditat terra illa ſolida, unde mercurius ſuam habet conſiſtentiam; cujus portiones ſingulæ etſi exiliſſimæ, adeo tamen denſæ ſunt, adeo arcte ſibi accumbunt, ut non niſi anguſtiſſima inter ſe conſtituant ſpatiola, ſolius ætheris aditum, excluſo aëre craſſiore (ut ex variorum & præcipue *Torricelli* barometro notum eſt) admittentia. Hinc, non obſtante vivida ſingularum particularum agitatione inteſtina, cui continuandæ ſubtilis æther abunde ſufficit, ita comprimitur, à circumambiente univerſali fluido, mercurii denſa moles, ut corpus gravitatis inſignis neceſſario conſtituat. Fluiditatem vero & mobilitatem alicujus corporis, gravitati nihil derogare, ſed eam potius intendere, res prima fronte videri poſſet abſona, experimentis tamen, & quidem vulgaribus illis, facile comprobanda: etenim videmus metalla igne liquefacta, ſolidis eſſe ſpecie graviora: hinc verbi gratia argentum ſolidum, fuſo, ſi injicitur, ſupernatat. Id quod etiam deprehenditur in glacie, quæ ſpecie levior eſt, & majus ſpatium acquirit, aqua fluida.

THES. VIII.

Ex deductis hactenus, quoad poſcere inſtituti noſtri ratio videtur, præcipuis mercurii proprietatibus, ejus effectus in alia corpora exponi facile poſſunt, & ceu ex principio ſimpliciſſimo & demonſtrabili, omnino debent. Et quidem inſignis illa metallorum ſolutio, quam mercurius in ſic dicta amalgamatione præſtat, adſcribenda unice eſt exiliſſimis mercurii globulis, qui, externo præcipue calore magis exagitati, omnium metallorum, præter ferri, poros promte ſubeunt, & motu gravitatis ſingularum partium cohæſionem ita divellunt & disjungunt, ut ſub minima mole mercurii globulis innatent, & corpus cereæ quaſi ductilitatis exhibeant. Sed præter hæc potens ſane eſt, & nullis pharmacis æque datus, mercurii in corpus humanum effectus. Etenim, dum aut vivus, pinguedine convenienter diſperſus, extus corpori, & quidem partibus tendinoſis, inungitur, aut præcipitatus dulcis &c. repetitis doſibus intus aſſumitur; ejus portiones minimæ, calore corporis ſuſcitatæ, tum propter figuram globoſam & lævigatiſſimam, tum ſpecificam gravitatem, motum promte continuant: ideoque omnes corporis receſſus, quantumvis anguſtos & remotos, facile ſubeunt; humores viſcidos, & immobiles iis inhærentes perrumpunt, fibraſque motrices ſua gravitate exagitando, ad frequentiores ſyſtoles animant, ſicque celeriorem humorum per ſingula vaſa progreſſum efficiunt. Hæcque omnia ſine violentia peraguntur. At vero, ſi in humoribus ſalium acriorum abundet copia, hæcque mercurii globulis accedant & intricentur, iſti violentiæ antea expertes, inſigniter hinc exaſperantur, & rodentem naturam induunt: ideoque fibris motricibus nerveis alliſi, has non ſolum vehementer commovent, verum etiam ad contractiones arctiores ſtimulant, unde interſperſa vaſa ſanguifera ſimul comprimuntur, & ſanguinis uberior & ordinarius per hæc tranſitus intercipitur: qua re inæqualis fit humorum diſtributio, & ad partes laxiores, easque conſtrictioni non adeo obnoxias, congeſtio uberior. Cæteris autem partibus laxiores multæ ſunt glandulæ lymphaticæ (falſo pro conglomeratis habitæ, cum potius ex veſicularum vel cellularum laxe inter ſe cohærentium compage conſtent) & quidem præcipue tunica illa faucium ſpongioſo-glanduloſa, tonſillæ cum cæteris glandulis ſalivalibus, ad quas dum copioſe congeritur, & quaſi ex cæteris partibus derivatur mucoſus & ſalivalis latex, turgent eæ primum inſigniter, & ita, ut ſi linguæ tumor, (qui ſubinde valde intenſus eſt) accedat, non leve ſuffocationis diſcrimen inde enaſcatur. Perrupto vero iſto tumore, ſive mercurii gravitate, ſive ulcuſculis, quæ ex inſigni fœtore colliguntur affatim, & producuntur à mercurio, ſalium acrium maſſæ humoralis acceſſu, corroſivo facto, poſtea larga fit, & ſi conveniens regimen non negligatur, in aliquot hebdomadas continuata ſalivæ profuſio. Fieri autem in hac ſputatione, ad ſalivæ vaſa, ex cæteris partibus, copioſam congeſtionem, vel exinde conſtat, quod durante ſalivationis actu, habitus corporis inſigniter fit collapſus vel potius conſtrictus, & venæ ſub hoc antea turgidæ & ſatis conſpicuæ, aut plane diſpareant, aut exiles admodum conſpiciantur, ita ut homines ſatis ſucculenti, appareant marcidi & luridi. Manifeſto indicio, cutem, ceu partem membranoſo tendinoſam, & una cum hac ſubjacentia vaſa, inſigniter eſſe conſtrictam, adeoque ſanguinis cæterorumque humorum ad hæc acceſſum eſſe imminutum: quod & fieri in cæteris quoque partibus membranoſis, cum eædem ſint circumſtantiæ, veriſimile eſt. Præterea ſalivæ fluxus, ſi ſit immoderatus, cohiberi, vel plane ſiſti & diverti, exhibitis ſudoriferis cum regimine calidiore, vel purgantibus poteſt, dum per illa æqualis denuo redditur humorum per univerſum corpus diſtributio; per hæc vero ad alias partes, inteſtina videlicet, concitatur congeſtio.

THES. IX.

Liquido conſtare nunc poteſt, qui mercurii in corpus humanum actio ita queat exacerbari, ut, motibus vitalibus omnino incongrua & contraria, veneni naturam induat. Siquidem, cum, ut modo vidimus, ex agilitate & gravitate partium globoſarum mercurii non adeo vehementes & turbulentæ concitentur commotiones; ideo etiam, ſi quæ noxæ ex illa mercurii crudi proprietate conſequantur, eæ demum iis in caſibus ſuboriuntur, qui concitatiorem iſtam commotionem non ferunt, v. g. ſi humorum ſpiſſiorum inſignis ſit abundantia, hi quidem valida commotione ita poſſunt impelli in viſcerum, vel aliarum partium nobiliorum ſubſtantiam, ut, cum æque facilem non inveniant tranſitum, gravis infarctus, cum ſubſequente inſigni noxa, inde ſæpe veniat metuendus. Quæ tamen humorum vitio, & medici inconſiderate agentis imperitiæ magis, quam mercurio ſunt imputanda. Si vero cauſis externis mercurii intendatur impetus, facile inde turbulentæ & noxiæ poſſunt concitari humorum commotiones; quod præcipue ſuffimentis mercurialibus fit: quorum violentiam & aurifabri ſæpius ſuo damno experiuntur, & pluribus funeſtis exemplis Auctores varii confirmant. Præterea ſi mercurio acidum potentius, nitroſum vel ſalis communis arcte immiſceatur, reſultat inde concretum, (uti ex mercurii ſublimati confectione ſatis conſtat) cujus etiam exigua doſis venenum eſt longe graviſſimum. Etenim quamvis horum neutrum corpori æque ſit infenſum, tamen, cum ſalia illa, mercurii globulis conjunguntur, ſpiculis,

culis, quibus pollent rigidis, politam & lævigatam eorum ſuperficiem mire exaſperant, & ita efficiunt, ut ſcabra jam mercurii corpuſcula facile poſtea (quod ante æque fieri non poterat) fibris partium adhærеant, iisque, aucto jam gravitatis motu, altius imprimantur, ideoque & illas graviter erodant, & ſimul in motus inordinatos, ſpaſmodicos, genus nervoſum inſtigent, certa aſſumentis pernicie. Inquinamentis vero ſalinis humorum corporis humani, etſi exaſperari lævigati mercurii globuli poſſint, hincque præſertim, quæ præpoſterum mercurii crudi uſum excipiunt, noxiæ & turbulentæ humorum commotiones, reſultent; tamen violentiam corrodentem ſimiliter induere nequeunt, niſi plane ſit enormis humorum intemperies, adeoque iis in affectibus, qui ab ejusmodi humorum vitio procedunt, adhibeatur crudus, & prævia correctione iis non ſatis accommodatus. Hinc igitur colligi ex facili poteſt, providum & circumſpectum mercurii uſum, imo & ſalivationem ejus ope excitatam, per ſe nullo modo corpori eſſe pernicialem, ſed potius multum ſpondere auxilii, ad expugnandos varios, eosque rebelles morbos chronicos, enatos præcipue ex inſigni humorum lentore & immobilitate, nimia ſpiſſitudine, hincque variarum partium, præſertim glanduloſarum excretoriarum infarctu &c. His enim ut plurimum tanta eſt pertinacia, ut minime reſpiciant medicamenta mitiora, ex vegetabili vel animali regno laborioſe conquiſita. Illa enim ſive reſinoſa ſint, ſive ſalino-ſulphurea, facile primarum viarum colluvie vitioſa ita obtunduntur & præcipitantur, ut non niſi halitum in ſanguinem transmittant, in illa fluidi peccantis copia mox obruendum. Quæ vero ex ſalinorum genere ſunt, etſi de cætero utilitatis non ſpernendæ, tamen debellandæ morborum chronicorum pertinaciæ non æque ſunt paria. Etenim quæ ex volatilium ſunt numero, dum humores celeri impetu exagitant, incongruas ſæpe turbas excitant, & præſertim humores, ſi antea nondum ſatis fuerint mobiles, in excretoria, imo viſcera nobiliora, violenter & moleſte intrudunt, ex quibus cum non eadem facilitate poſſint exprimi, diſſipato medicamenti fugacis impetu; hinc fit, ut graviter illa infarciantur, & malis longe graviſſimis ſic pandantur fores. Fixioria vero ſi fuerint ſalia, alcalina, ſive alcalino-vitriolica, vel tartarea, aut quæcunque demum ea ſint, efficaciam ſuam abſtergendi & incidendi ultra primas vias aut non extendunt, aut ſi omnino ad ſanguinis maſſam aliquid illorum accedit, id prius per excretoria (diureſin) elabitur, quam edere poſſit alicujus momenti effectum. Iſtis ergo ſingulis, imo forte cæteris quoque metallis, efficacia longe præſtat mercurius, qui modo ſupra expoſito, humores torpidos & immobiles excitat, viſcidos divellit & attenuat; infarctus glandularum cæterarumque partium expedit, & particulas miaſmatis venerei ſalino-ſulphureas, aliaque inquinamenta, ſub his latitantia, & remotiſſimis glandularum imo oſſium tabulis, non ſine corruptionis omnimodæ diſcrimine inhærentia, evellit & abſtergit, poſteaque per profuſum ſalivæ profluvium ſecum è corpore eliminat.

## THES. X.

De nihilo igitur minime ſunt, aut frivolæ habendæ, tot ac tantæ ſalivationis, ad expugnandam luis venereæ pertinaciam commendationes: præſertim cum conſtanti duorum ſeculorum obſervatione ita ſint confirmatæ, ut ad hunc uſque diem exſtiterit nemo, qui omnino elevare, prudentem & circumſpectum illius uſum, aliquo cum ſucceſſu eſſet conatus. Quinimo fuerunt, & ſuperioribus jam, & his noſtris temporibus medici periti, & ſcriptis celebres, qui hoc medicationis genus ad aliorum chronicorum, & mitioribus medicamentis omnino reluctantium, morborum curationes, ſuis encomiis extenderunt. Quod cum ex illorum ſcriptis, quæ in omnium fere manu ſunt, cognoſci abunde poſſit, pauca ex præcipuis huc transferre exempla, nobis ſufficiet. Et quidem ad *ſcabiei ferocioris* imo & *elephantiaſis* ſanationem, jam olim, & ante enatam *venuſtam* illam *luem*, hydrargyri cum unguentis illitus Arabibus in uſu fuit: commendatus præcipue à *Meſue* in Antidot. & *Serapione*; uti vel ex *Sennerto* conſtat, qui *in Praxi Lib. VI. part. IV. Cap. XXI.* hac de re agit explicatius. *Sylvius* vero in *Meth. Medend. p. m.* 112. ſalivationis uſum, ad fœdam & rebellem ſcabiem, omnino præcipit, & poſſe, imo debere ad alios quoque refractarios affectus adhiberi, adſeverat. In *ſcorbuto* inveterato, & ſic dicto *frigido*, non inutile eſſe hoc medicationis genus, ſed quibusdam auxilio fuiſſe præſentaneo, præter cæteros confirmat *Williſius de ſcorbut. cap. ultimo*: & hujus veſtigiis ſtrenue inſiſtens *R. Lentilius Miſcell. Pract.* locis variis, & præcipue *Parte* 2. *p.* 560. exemplo atrophiæ ſcorbuticæ perfecte, (at non ſine ſummis moleſtiis) ſalivatione ſanatæ. Imo *hydropicæ, ſcorbutico-cachecticæ*, & quid non? feminæ, ſalivatione curatæ, legitur exemplum in *Miſcel. Naturæ Curioſ. decade* 2. *Anno* 3. *obſerv.* 173. Ad *febrem quartanam* commendat magnopere *Ballonius epidem. lib.* 2. *p.* 131. & *Williſius tract. de febb. Cap. VI. p. m.* 101. febris quartanæ, ſalivatione feliciter curatæ, exemplum annotat. Cui curationi forte occaſionem dedit obſervatio Hippocratis *Lib.* 1. *ſect.* 3. *epidem.* ſcribentis: febres intermittentes contumaces terminari ſæpius ſalivatione critica; cujus rei veritas, ad hunc usque diem, Practicorum circumſpectiorum obſervationibus conſtat. In *arthritide*, abundantibus humoribus viſcidis, ſalivationem, extra paroxyſmum, utilem fore, arbitratur *Sylvius in Praxi Med. append. VIII. p. m.* 787. Et *podagræ* cruciatus ſalivatione fuiſſe expugnatos, ita tamen ut poſt triennium denuo ingruerent, *Wedelii* in *Tr. d. M. F.* obſervatio eſt. In *mania* & *melancholia* ceu divinum remedium extollunt *Rolfinckius epit. cognoſc. part. aff. Lib. I. p.* 2. *Cap.* 12. item *Williſius Path. Cereb. Part.* 11. *Cap. XII.* qui ſputo copioſe & diu perſiſtente, quosdam inſanos perfecte ſanatos vidit. In *dolore capitis refractario* modo laudatus *Rolfinckius Meth. M. Sp. Lib. VI. ſect. III. Cap. I.* ſalivationem magni facit; ubi & mentionem facit *epileptici*, lue venerea infecti, ſalivatione, ab utroque graviſſimo morbo liberati. Et *Williſius loco allegato Cap.* 3. in Herculeo morbo, poſt incaſſum adhibita cathartica & ſpecifica, ad magnum & Herculeum iſtud remedium deveniendum eſſe præcipit. In *ſuffuſione*, & hinc nata *cæcitate* perfecta, ſalivationis encomiaſten ſe præbuit *Riverius Prax. lib.* 2. *Cap. V.* & *Boyle de util. Ph. Exp. p.* 346. Quin imo obſtructionem nervi optici, & inde natam *amauroſin*, poſt alterantia, & alia medicamenta ocularia, incaſſum adhibita, ſalivatione fuiſſe diſcuſſam, annotat *Rhodius* in Analect. ad Septal. Ad ulcerum denique inveteratorum ſanationem, heroicam hanc pertractam videas medicationem, commendatoribus præcipue *Cardilucio, in offic. ſanitat. p.* 303. & *Mortono*, qui cacoëthicorum ultimum aſylum deprædicat, *Phthiſiolog. Lib. I, Cap. V.*

## THES. XI.

Ita autem tantis encomiis increbuit ſalivationis gloria & ſtrenua efficacia, ut præter Medicos, Chirurgos videas, imo tonſores de hac crepare undique magnifica. Verum enim vero, adeo res hæc nondum videtur expedita, neque ita eſſe comparatum Virorum Expertiſſimorum obſervationibus, ut ſibi eas poſſit quivis in exemplum temere proponere. Etenim, niſi plane explorata ſit morbi indoles, & particularium circumſtantiarum exquiſitiſſime habeatur ratio,

ratio, nullum eſt dubium, quin violenta iſta medicatio, æqua poſſit promtitudine nocere, atque prodeſſe unquam obſervata fuit. Sæpe vero adeo abditæ & in occulto ſunt, quæ perpendi ante ſalivationis uſum omnino debent circumſtantiæ, ut indagari & in notitiam protrahi nullo modo queant; unde fit, ut ægri eadem hac medicatione, qua in iisdem morbis, alii, præſens experti ſunt auxilium, aut fruſtra exerceantur ſummis moleſtiis, aut, quod ſæpius fit, periculis exponantur non eluctandis. Qua propter candide fatetur *Williſius in Ph. Rat. p.*11.*ſ.*3. *Cap. VIII.* impetiginem cujusdam virginis ſe quidem oppugnaviſſe repetito *ſputationis*, ut vocat, *curſu*, ſed eo adeò non expugnaviſſe, ut quamvis exactam victus habuerit rationem, corporis tamen defœdatio eadem pertinacia repullulaverit. Iſto igitur curationis curſu incerto non navigaſſet Williſius, ſi circumſtantias, quibus hujus impetiginis pertinacia fota eſt, in numerato habuiſſet. Ob ſimilem plane rationem febris quartana ſalivatione (alias feliciter expugnata) præter opinionem excitata fuit, ut in *Act. Hafn. Vol. V. obſ. LXVI.* legitur. Imo funeſtum plane inunctionis mercurialis ſucceſſum in arthritide, prodit *Wedel.* in *Miſcel. Naturæ Curioſ. decade* 2. *anno* 4. *obſ.* 120. Totque ſalivationis infeliciter ſuccedentis exempla proſtant ubique, ut his compilandis bonas horas male impendere pigeat. Et, ſi quidem contrariis obſervationibus ſalivationis gloria eſſet oppugnanda, crederem utique prolixiorem, vel ſaltem æque diffuſam, exemplorum infauſtorum & funeſtorum poſſe congeri ſeriem, atqueglorioſas felicis ſucceſſus enarrationes. Sed diffamare hac ratione medicationem, fidis Virorum Expertiſſimorum obſervationibus ſtabilitam, nefas eſſet. Hoc tamen tot infauſtis ſalivationis eventibus evinci poſſe arbitror, majorem moderationem in illius encomiis eſſe adhibendam; ejusque diſcrimine ægrotos ante non temere eſſe exponendos, quam de neceſſitate urgente, & omnino inevitabili, conſtet planiſſime: cum equidem interdum, ex præcepto *Celſi*, ſatius ſit anceps remedium experiri, quam nullum. Dubia namque ſpes, certa deſperatione potior. Sed abſit ubique temeritas, neque præpoſteris auſibus commaculetur ars innocentiſſima, in ſanitatem proximi nata & comparata unice.

## THES. XII.

Utilitatem ſalivationis, ſummamque efficaciam, quam in venerea, etiam inveterata lue ita præſtat, ut ejus cenſeatur præcipuum alexipharmacum, quis temere vocabit in dubium? Nihilo minus tamen nemo facile ibit inficias, multas, & eas non infrequenter, ingruere circumſtantias, quæ ſalivationem in *venuſta* hac *lue* aut plane non admittant, aut, ſi his neglectis inconſiderate fuerit adhibita, ſumme periculoſam efficiant. Et quidem cum hæc res ita explorata paullo peritioribus eſt, ut prolixioris demonſtrationis non indigeat, omnino ſufficiet, incommoda quæ ex præcipuis ſunt, hic indigitaviſſe. Inter frequentiſſima, luis paullo progreſſæ, ſymptomata merito referuntur, variæ palati inde perpeſſæ injuriæ, v. gr. uvulæ, tonſillarum &c. eroſiones & exulcerationes, ita ſæpe ferocientes, ut, edacis cancri ſpecie, ad ſubjectas partes profunde ſerpant, & ante plenariam morbi impuri, unde foventur expugnationem, deleniri aut conſolidari nullo modo poſſint. Hoc igitur in caſu, ſi usquam, certe locum omnino habet, illud methodi medendi generale præceptum, materiam peccantem non eſſe adducendam ad partem affectam, neque per hanc evacuandam. Siquidem aliter fieri vix poteſt, quin ex ſalivæ æruginoſæ (quæ guſtu ſalivantium ſatis percipitur) & virulentæ, mercurio inſuper mirifice exaſperatæ accumulatione, gangræna, & hanc mox excipiens ſphacelus, has in partes concitetur funeſtus: cujus præter cæteros, *Hildanus* exempla proponit *Cent. III. Obſ. XCII.* Præterea ſalivationis uſum prohiberi video plerisque, ubi præter inſignem humorum lentorum abundantiam, & ſpiſſitudinem viſcidam, vires ægroti non ſatis conſtant. Et quidem jure; ſiquidem ob languorem univerſi corporis, hincque virium motricium & debiti toni defectum, cum ſingulæ partes imo viſcera nobiliora plus juſto ſint flaccida, ideo fit ut lenta humorum colluvies, medicamenti violentia commota, facile & confertim his intrudatur, ſed ob fibrarum motricium infirmitatem æqua facilitate poſtea expelli non poſſit: hinc accumulati vitioſi iſti humores ſtagnant, & ſic varii generis ſymptomata truculentiſſima producunt. Etenim, ſi ad faucium glandulas, ſublinguales, maxillares, tonſillas, imo & linguam confertim adigantur, adeo hæ partes inde intumeſcunt, ut, cum deglutitione, ſpiritus intercipiatur omnimode. De quo præter *Sennert. in Praxi Medica Parte IV. Lib. VI. Cap. ſupra citat.* & *Fallopium Tr. de Lue Vener. c.*76. nonnulla monet *Sylvius Meth. Med. Lib.*2. *Cap. XI. p. m.*112. Certior vero & immedicabilis pernicies eſt, ſi ad cerebrum, prægreſſa aſotia infirmatum, adigatur vitioſa iſta colluvies, unde paralyſis, apoplexia, vel alii graves ſoporoſi affectus non poſſunt non ſubito inferri. Cum autem lue venerea paullulum progreſſa, altiusque humoribus infixa, ut plurimum ſit vitioſorum humorum proventus uberrimus & vires adhæc, aut morbi violentia aut prægreſſa intemperantia, crapulis, Venere &c. utplurimum exhauſtæ ſint maxime: hinc utique ſæpius in hac lue, quamvis unicum à multis cenſeatur alexipharmacum, plane non congruet ſalivatio; adeoque de alia medicatione æque efficaci, & magis his circumſtantiis accommodata, Medicus rerum ſuarum ſatagens erit ſollicitus, præſertim cum *decocta lignorum* in paullo progreſſa lue languere notorium ſit. Sunt quidem plurimi, qui præſentibus iſtis circumſtantiis, corpus aptari poſſe ad ſuſtinendam ſalivationem, exiſtimant: ſi ante illius uſum imminuatur vel emendetur humorum vitioſorum abundantia & nimia ſpiſſitudo, venæ ſectionibus, purgantibus, & ſudationibus iterato inſtituendis, ſed quo ſucceſſu videant. Mihi placet judicium Experientiſſimi *Sydenhamii in tract. de Lue Ven.* ſcribentis: non magis ejusmodi præludiis præparari ad ſuſtinendam ſalivationem ægros, quam inciſis nervis, eos qui pugnam parant. Atque hæc ex præcipuis ſalivationis in lue venerea difficultatibus commonuiſſe ſufficiant.

## THES. XIII.

Si vero cæterorum morborum, quibus deſtinari ſalivationem ſupra vidimus, generalis inſtituatur cenſus: duplex fere eorundem animadvertetur ſtatus & conditio: ita quidem ut aut habituales ſint, & cauſſis corpori altius irradicatis foveantur; aut in humorum tantum vitio (motus ſcilicet vel qualitatis) conſiſtant. Si prioris ſint generis, v. gr. exulceratione, vel corruptione alicujus viſceris, ad continuandos motus vitales omnino neceſſarii, aut ſcirrhoſis oppilationibus, tartareisve concrementis, in quibusdam partibus copioſe accumulatis & ſolideſcentibus, foveantur, aut ſint hæreditarii &c. neque ſalivatione, quantumvis repetita, neque ulla ope poterunt perfecte expugnari;

*Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas.*

Præſtat itaque, cum priſtina ſanitas nullis medicationibus redimi poterit, id potius agere, ut mitigentur graviora morbi ſymptomata, ita ut minori-

bus moleſtiis, quod eſt reliquum vitæ ſpatium æger facilius tranſigat. Etenim, ſi obtorto collo, ad ſalivationis ſupplicium rapitur ejusmodi miſer, aut fruſtra excruciabitur infinitis moleſtiis, aut, quod mihi magis ſit veriſimile, multum accelerabitur ejus interitus. Cum quidem dura hæc & exhauriens medicatio, quidquid inconcuſſum à vehementia morbi reſtat virium, aut ſtatim penitus exſolvit, aut ſaltem efficit, ut eæ non facile poſſint recolligi: quoniam exhauſta aliquot hebdomadum decurſu ſaliva (præcipuo corporis humani menſtruo) aut mercurii acceſſu, æruginoſo coinquinata nidore, & perverſa omnimode, non poteſt non alimentorum digeſtio & chyli confectio, à qua dependet virium conſervatio, labefactari maxime. Quod ſi vero ſine inſigni viſcerum labe, humorum tantum vitio procedant morbi illi chronici, aliis equidem medicationibus, æque valentibus, ſine tantis turbis, & adeo effuſe exhaurientibus ſputationibus, quæ ipſo morbo ut plurimum ſunt graviores, curari & poſſunt, & re vera ſanantur ſæpius. Præterea expenſis, quoad fieri potuit, omnibus rationibus, neceſſitatem reperio nullam, quæ in plerorumque, ſi non omnium chronicorum morborum curationibus, adeo copioſas ſalivæ profuſiones requirat. Etenim ſi de *quantitatis* vitio ageretur (quod tamen raro contingit) hocque uti debet, evacuationibus eſſet emendandum, minoribus utique moleſtiis poſſent fieri vacuationes, per loca magis congrua, venæ ſectione, purgantibus, diureticis &c. At vero ſi ſui emendationem urget *qualitas* noxia, quæcunque demum ea ſit, v. gr. humorum nimia lentaque viſciditas, & ſub hac accumulata varia inquinamenta tartarea, ſalino-ſulphurea, acria &c. res quidem optime ſine largis iſtis & deprædantibus ſputationibus, aliisve evacuantibus, & poteſt, & merito deberet tranſigi. Et quidem hujus generis humorum vitia ejusmodi medicamentis congrue emendantur, quæ conſtanti, at non adeo concitata & impetuoſa impreſſione, fibras motrices partium in validiores cient commotiones, & ſyſtoles frequentiores quarum ope humores repetitis concuſſionibus, & transpreſſionibus expeditioribus, per poroſam & muſculoſam corporis ſubſtantiam ita atteruntur & attenuantur, ut delitescentia ſub illorum involucris inquinamenta ſalina evolvantur, & apta hoc modo reddantur, qui per convenientia excretoria, ſine ulla violentia, poſſint ſenſim & ſine ſenſu eliminari, dummodo per conveniens regimen ſatis iſta conſerventur pervia.

THES. XIV.

Hujusmodi igitur medicatio, cum ſit omnino jucunda & tutiſſima, ſatis tamen efficax, merito in vicem ſalivationis tædioſiſſimæ eſt ſubſtituenda: præſertim cum in circumſtantiis, quæ ut ſupra vidimus admodum frequenter ſalivationis uſum non admittunt, omnino opus ſit tale remedii genus, quo ſine incommodis & periculoſis turbis, expugnari queant diuturni corporis humani morbi, mitiora regni vegetabilis & animalis medicamenta fere eludentes. Mercurium itaque iſti intentioni, præ cæteris omnibus, judicaverunt accommodatiorem Chemiatri; ita tamen convenientibus artificiis correctum, ut exuta vi draſtica, ſine ſalivatione, ſuam poſſit in corpus humanum transferre efficaciam. Qua de cauſſa natæ ſunt variorum mercurii præparationes variæ; quarum quidem plurimæ, promiſſis non reſpondentes, hodierno die jure ſunt exploſæ: cæteræ vero experimentis frequentibus comprobatæ, cum ex *Armamentariis Pharmaceuticis*, & ejus furfuris vulgo tritis libellis depromi æque non poſſint, paucis in uſum veniunt, & innoteſcunt non niſi iis, qui in *Chemia Medica* paullo ſunt verſatiores: ita ut vel hinc videas hujus artis utilitatem, quam adeo eſſe neceſſariam medico, ut ſine accurata illius ſcientia, *Gratioſi* nomen aut fruſtra quis ambiat, aut ſuo merito non ſuſtineat, candide & cordate judicavit *Sylvius, quem in artis medicæ decus & emolumentum produxiſſe, jure gloriatur mea Patria*. Ut autem aliquod nobis conſtet fundamentum, quo niti judicium de innumeris medicamentorum mercurialium compoſitionibus poſſit, non præter rem erit ex ſupra deductis perpendere illas proprietates, quibus efficitur mercurii vis draſtica. Eæ autem ſunt globulorum, ex quibus componitur, mobilitas nimia, & promtitudo aſſumendi acriora humorum ſalia: quorum acceſſu præcipuæ turbæ, quæ mercurialium crudorum uſum conſequuntur, reſultant. Optima igitur ratione inſtituitur mercurii correctio addita ejusmodi ſubſtantia, quæ per ſe violentiæ expers, apte poteſt per minimos mercurii globulos ita diſpergi, iisque ita immiſceri, ut hujus interventu excludatur nimis conferta ſalium acriorum adhæſio: ſimulque ita cohibeatur repentinus globulorum mercurialium impetus, ne tamen figatur penitus illorum agilitas & penetrans vis; ſed poſſit impreſſione conſtantiore, eaque adhuc ſatis valida, fibras motrices ad motus expeditiores, ſine violentis & noxiis exagitationibus, adigere.

THES. XV.

Correctionem mercurii ſatis convenientem poſſe obtineri admixtione & ſublimatione cum ſulphure, multorum fuiſſe ſententia videtur. Hinc producta *cinnabaris* ejusque variæ, revera tamen parum vel nihil inter ſe diſcrepantes ſpecies. Siquidem ſingulas effici argenti vivi commixtione cum ſulphure minerali, notorium eſt. Sulphur autem ſive ſit vulgare & foſſile, idque in ſubterraneis locis mercurio accedat; ſive artis ope addatur; ſive denique ex antimonio eliciatur, poſtquam ſalibus mercurii ſublimati fuerit diſſoluta ſubſtantia regulina; unum tamen, idemque ſulphur eſt, & proinde unius ejusdemque indolis ex ſingulis producitur cinnabaris. Cujus vires ad expugnandos morbos rebelles, præſertim epilepſiam, ita ſunt ubique decantatæ, ut novis res non indigeat præconiis. Certe ſecuriſſimum eſt remedium, & ita inſons, ut vel poſſit cujuscunque ætatis temperamentique hominibus, & in cunctis fere morbis, tam chronicis quam acutis, ſine ullius diſcriminis metu, fidenter exhiberi. Sulphur enim, quod per minima mercurio commiſcetur, eique aſſociatur tenaciſſime, ſubſtantia qua pollet unctuoſa & intricata, non ſolum inteſtinum globulorum mercurialium motum ſiſtit, eorumque impetum plane coercet, verum etiam impedit, quo minus externa ſalia agere in mercurium, eique adhærere poſſint. Unde etiam ſit, ut cinnabaris acidis liquoribus, quantumvis acerrimis, neque ſolvatur, nec auſterum virulentum ſaporem acquirat: quod accidit tamen facile ſi mercurio vivo illa affundantur. Imo ita arcte ſulphur mercurio immixtum eſt, ut quamvis coquatur cinnabaris cum lixivio, eoque fortiſſimo, tamen præter opinionem vulgarem, plane non diſſolvatur ejus mixtio. Adeoque nimium ſane & fruſtra verentur nonnulli cinnabaris uſum, iis in morbis, ubi cum humorum ſpiſſitudine nimia ſalino-acris intemperies conjuncta eſt, v.g. in ſcorbuto &c. unde nullo utique modo immutari cinnabaris poterit. Ab hæc ſua ſponte corruit illorum opinio, qui cinnabarim anodynis demulcentibus & abſorbentibus adnumerant, horumque catalogum, jam ſatis prolixum, illa augent nequidquam. Blande potius ſtagnantem in nervis ac cerebro lympham effuſumque ſanguinem diſcutiendo, quidquid in iſtorum vel cerebri morbis ſpondent auxilii, præſtant.

THES. XVI.

At vero cum mercurius in cinnabari adeo ſit fixatus,

tus, ſuaque agilitate nimium fere privatus, certe ad hunc modum uſurpata cinnabaris, ut communis mos fert, rariſſime vel plane nunquã effectum alicujus momenti præſtabit. *Grana* enim *duo* vel *tria* quibus tingitur potius, quam exaltatur, diffuſa alicujus pulveris abſorbentis doſis, quid quæſo poterunt? Si ex modo deductis judicare licet: omnino nihil. Et ſi quod commodum ita tinctum medicamentum ferre viſum fuerit, id ſine dubio, cæterorum debebitur ingredientium efficaciæ. Quod tamen cinnabaris virtutibus nihil derogat: quibus utique ſatis foret conſpicua, ſi ejus plus daretur una doſi, prætereaque conveniens præparatio non negligeretur. Etenim procul omni dubio eſt, cinnabarim olim, cum ab *Hartmanno, Michaële* &c. uſurpabatur frequentiſſime, ſatis laudatos effectus præſtitiſſe: ceu ex monumentis Virorum Expertiſſimorum, fide omnino dignis conſtat liquido. Quare non erit de nihilo obſervaſſe, illis non veniſſe in uſum cinnabarim, ſemel tantum vel bis, uti hodie fere fit, ſed ſexies ad minimum ſublimatam; neque ut arbitror, ſine ratione: ſiquidem vehementiſſimo ignis, ſive ætheris motu, cinnabarim inter ſublimationem exagitante, ſubſtantia mercurialis magis dividitur, attenuatur, magisque ſpiritalis fit, & hinc cinnabaris magis exaltatur, & quaſi excoquitur. Præterea opus omnino eſt, ut cinnabaris per diuturniorem tritum, vel potius elutriationem artificioſam redigatur in ſuperficieculas minimas, ſeu pulverem longe ſubtiliorem, atque vulgo in pharmacopoliis præſtat. Hoc enim niſi ſit, cinnabaris moles graviſſima, & à ſuccis corporis noſtri minime ſolvenda, iners & ceu inutile pondus in primis viis jacebit, & in maſſam humorum (ad quam accedere adeo groſſus pulvis nequit) efficaciam ſuam nullo modo transferet. Denique id præcipue erit obſervandum, ut, ſi quid in ſanandis morbis gravioribus lymphæ aut generis nervoſi moliendum foret cinnabari, ejus exhibeatur doſis ſatis congrua, & multo uberior, atque vulgo fit: ita quidem ut ad minimum grana XV. ſcrupulus I. ad drachmam dimidiam, imo & ultra, propinentur una vice, vehiculo aqueo, prius apte diſſoluta; repetatur vero hæc doſis pro ratione circumſtantiarum, bis vel ter de die, quod ſine ullo diſcrimine fieri poteſt, etſi per pluſculos dies continuentur doſes ejusmodi: dum modo alvus ſingulis diebus reſpondeat, & intemeratum ſit primarum viarum robur. Fecit id ſæpius, inuſitato in hunc usque diem exemplo, at ſucceſſu feliciſſimo, *Experientiſſ. D. Præſes*, uti ex Notis ad Poterium p. 574. conſtare poteſt cuivis: mihi vero adhæc abunde innotuit variis exemplis, quæ benevole, pro ſingulari ſua humanitate, mecum communicavit *Vir, mihi pro meritis nunquam ſatis laudandus*. Et quidem præcipue Clausthalii, ſylvæ Herciniæ oppido, metalli fodinis celebri, curatio iſthæc cinnabarina, in epilepſia & convulſionibus truculentiſſimis metallurgorum, ex plagis capitis (quæ infauſto lapſu in fodinis ſæpe contingunt acerbiſſimæ) multis præſens tulit auxilium, & hinc miraculi inſtar paſſim celebrata. Similem effectum cinnabaris, doſi ſupra determinata exhibita, præſtitit in curatione viri ſexagenarii Halberſtadienſis, qui poſt graviſſimam capitis contuſionem, per X. dies mutus, & plusquam tricies de die paroxyſmo epileptico convulſus, ſine omni rationis uſu jacuit, ſola tamen cinnabari, eaque ad ſcrupulum unum ſingulis diebus ter aſſumta, decem continuos dies, ſine ullis aliis medicamentis, ita reſtitutus in priſtinam ſanitatem eſt, ut ad hunc uſque diem vivat incolumis. Præſentiſſimam medelam, quam ita exhibita cinnabaris, vertigine caduca laborantibus, aliquoties præſtitit, propterea pluribus non commemoro, ut ne nimius videar in cinnabaris encomiis: quæ doſibus ſufficientibus iisque pro re nata repetitis, propinata in caſibus congruis, ſua nunquam deſtituetur efficacia. Hac tamen occaſione, non poſſum non poriſmatis loco ſubjungere, plurimorum timiditate præpoſtera, præcipue in determinandis medicamentorum doſibus, fieri, ut morborum chronicorum pertinacia adeo raro devincatur medicamentorum efficacia (quæ quidem, adeo parce datis, utplurimum nulla eſt) ſed potius obtundatur & defatigetur *expectatione* artificioſa, & blandimentis officioſis &c. quibus tamen frequentiſſime, niſi ad pugnæ partes re peracta deveniatur, obtinetur id, ut citius pariat elephas, imo mula, quam reſtitutos in priſtinam ſanitatem videas, *ægrotos* re vera *patientes*. Sed de his ſatis.

THES. XVII.

Uti vero cinnabaris, non niſi larga manu & doſibus ſæpius repetitis exhibita, ſuam præſtat efficaciam; ita hanc, iſta ſub mole, ferunt non niſi ii, quibus primarum viarum robur ſatis conſtat: etenim ſi atonia vel flacciditate langueant ventriculi & inteſtinorum fibræ, adeoque periſtalticus motus ſit imminutus, accumulata *cinnabaris*, & lateribus harum partium accedente muco adhærens, preſſione gravat inſigniter. Præterea cum adeo fixatus ſit mercurius ſubſtantia ſulphuris, quæ ignis vi intime reſoluta, ei arctiſſime & per minima commiſcetur, languidioris paullo eſt, ad morbos rebelles chronicos, effectus. Adeoque non immerito *cinnabari* præferri videas medicamentum illud, quod extemporanea commixtione ſulphuris cum mercurio confit, & ob coloris convenientiam *æthiops mineralis* dicitur. Etenim ſulphur quod ejusmodi commixtione ſingulis mercurii globulis interſpergitur, abarcet quidem ſalium acriorum acceſſum; at vero quoniam illis non ita firmiter immixtum aut colliquatum eſt, mobilitatem & penetrandi vim mercurii non adeo ligat & infringit. Proptereaque ſuo merito à Celeberrimis Angliæ Medicis, *Mayernio*, *Harriſio* &c. iſtud medicamentum magni ſit, non ſolum ad enecandos lumbricos, verum etiam in cachexia, ſcorbuto frigido, imo & lue venerea, aliisque affectibus, qui reſolvendi vim mercurialium expoſcunt; ubi ſub minori doſi, id, quod majore cinnabaris vix poteſt, re vera præſtabit. Præſertim ſi ad illius confectionem adhibeatur *ſulphur* purum & *vivum*, ex antris ſubterraneis exſtillans, quod populari ſermone *tropffſchvveffel* vocari ſolet: idque prius abundante acido privetur, adeoque ſubtilius fiat, repetitis cum *calce viva* ſublimationibus; quibus adeo corrigi & exaltari poteſt, ut per ſe edat effectum reſolventem & ſudoriferum, præ communi & impuriore ſulphure longe præſtantiorem. Mercurio igitur probe depurato (coctione ex *cera* & ſublimatione cum multa *calce viva*) admixtum, medicamentum conſtituet, efficaciæ re vera præſtantis tutiſſimæque.

THES. XVIII.

Cæteræ Mercurii *præparationes, correctiones, perfectiones*, aliaque molimina, variis, iisque magnifici quid ſpirantibus jactata nominibus, & commendata promiſcue, adeo ſunt numeroſa, ut vix *præcipitatorum* ſingulas ſpecies complecti hæ pagellæ queant. Præterea adeo pauca ex iſtorum ſunt confluge, quæ auctorum ampullantium promiſſis ullo modo faciant ſatis, ut plurimis longe præſtet crudus & vivus *mercurius*, & quidem cum *ſaccharo mixtus*, aut cum unguentis corpori illitus; quo modo minus noxæ & draſticæ violentiæ, utilitatis vero plus, utique ſæpe præſtat. Singulas igitur illorum ſpecies operoſe hic diſcutere, noſtrum quid intereſt? Subſtructo fundamento, quid de quavis cenſendum ſit dilucebit. Pleræque medicamentorum mercurialium, interno uſui deſtinatorum, compoſitiones, quæ quidem ad hunc

uſque

usque innotuere diem, in præcipuis circumſtantiis plane coincidunt: & in eo continetur totius rei ſumma, ut mercurius aut ſolitarius, aut cum aliis corporibus metallicis ante *amalgamatus*, acidis corroſivis menſtruis diſſolvatur, & poſtea vel *præcipitatione* per ſalia contraria, vel corroſivorum menſtruorum *abſtractione*, ſua mobilitate privetur, & in conſiſtentiā vertatur pulverulentam. Sed hoc utique modo neutri intentioni, quæ præparatione eſſet obtinenda, ex æquo ſatis fit. Siquidem mercurius hoc modo adeo non privatur illa promtitudine ſalia externa amplectendi, ut potius iis inſuper armetur inſigniter. Spicula enim menſtruorum cauſticorum intime immiſcentur mercurii globulis, adeo ut poſtea nullis *elutriationibus*, quantum vis frequentibus, aut *ſpiritus vini deflagrationibus* denuo poſſint penitus auferri, adeoque corrodentem & draſticam vim, quam inde acquirit mercurius, ſatis exuere; Is igitur, hoc modo inquinatus potius quam correctus, ſi intus aſſumatur, ſalivationem repentinam, aut purgationes aut vomitiones impetuoſas, aut roſiones in primis viis aliisque partibus excitet, non ſine diſcriminis inde ſecuturi metu. Iſtis autem turbulentis commotionibus opportunæ ſunt plurimæ, tot laboribus ſudoribusque conquiſitæ, mercurii compoſitiones. Quæ vero ab his alienæ, uti paucæ oppido ſunt, ita ſi quid uſu interno boni præſtant, id utique menſtruorum ſaliumque cauſticorum efficacia non præſtant, unde non poteſt non concitari vis draſtica; ſed quod ejusmodi corporibus ſint conjuncta, quæ, dum ſeſe interponunt minimis mercurii globulis, eorum impetum refrænant, ſaliumque combinationem inſuper abarcent, ſicque præpediunt ne in corpore humano turbas concitent.

## THES. XIX.

Corpora autem quæ illud præſtant, & convenienti mixtione cum mercurio coëunt, ſunt metalla iſta puriſſima, nulloque modo corpori infenſa: *aurum* videlicet & *ſtannum* purum: quæ optime mercurii violentiam cohibere & frequenti obſervatione, & ſæpe experta efficacia *mercurii diaphoretici Jovialis*, ſatis conſtare poterit: is vero ſic optime conficitur: ex laminis ſtanni Britannici puri, cum mercurio probe depurato fit lege artis & ſine ignis acceſſu *amalgama*; à quo ſ. q. *ſpiritus nitri* ex *retorta vitrea, arenæ igne* abſtrahitur; pulvis poſt abſtractum ſpiritum in retortæ fundo relictus albicans, aqua pluvia, quoad fieri poteſt, edulcoratur: quod ut aptius fieri poſſit, *ſpiritus vini* ſuper pulverem aliquoties deflagratur, ut hoc modo eo melius in ſuperficiem proliciantur infixa menſtrui ſpicula, in aquam calidam poſtea facile recipienda. Ut vero penitus invertantur, quæ elotione auferri nequeunt, menſtrui corroſivi ſpicula, pulvis cum affuſo *nitri fixati* liquore, per aliquot horas, impigra manu ſuper porphyrite teritur; idque exſiccato prius pulvere, ter repetitur. Ultimo vero exſiccata materia in aquam calidam effunditur, & ſubſidens pulvis ad uſus colligitur. Qui utique raro admodum ſalivationem excitat, imo nunquam fere, niſi ejus exhibeatur doſis nimia, eave ultra modum continuata, utplurimum vero tranſpiratione inſenſibili paullulum aucta; vel prolicitis ſudoribus, ſi conveniens adhibeatur corporis regimen, ſuam efficaciam, quæ certe eſt egregia, exſerit: doſi longe minori atque cinnabaris. *Stanni* enim *ſulphur* (cujus exiſtentia vel ſola *accenſione* cum *nitro* ſatis patet) multum partium ſubtilitate excedit *vulgare*, vel *antimonii* impurius, quod ad cinnabaris confectionem aſſumitur, & hinc cohibet quidem nimium globulorum mercurialium impetum, ſaliumque acriorum acceſſum præcludit: at vero non adeo figit & obtundit penetrandi vim, uti quidem illud facit in cinnabari ſulphur craſſius.

## THES. XX.

Quod ſi vero in vicem *ſtanni* ſubſtituatur *aurum*, vel ejus ſaltem portio ſtanno adjungatur, mercurioque convenienti encheireſi apte & intime commiſceatur; medicamentum fiet, modo deſcripti efficaciam multis intervallis excedens. *Aurum* enim, uti propter ſubſtantiam homogeneam ex facili & intime commiſcetur cum mercurio, ita ſingulari partium minimarum, quæ mercurio interſperſæ ſunt, gravitate, facultatem mercurii deſideratam multum intendit: dum nimis repentinum globulorum mercurii in fibras motrices impetum, quem alias in corpore humano excitat, in magis conſtantem, propterque gravitatis motum, penetrantiorem actionem commutat. Adhæc cum aurum non niſi omnino potenti attingatur & ſolvatur menſtruo, cujus modi eſt *aqua* ſic dicta *regia*, propterea illud mercurio conjunctum, arcet omnium ſalium acriorum acceſſum, qui alias in ſuccis corporis humani promte contingit, hocque concitandas turbulentas commotiones admodum opportune præcavet. Vario autem modo quæſita eſt talis auri cum mercurio commixtio, ut cum hoc in pulverulentam conſiſtentiam poſſit redigi. Ex iis laboribus, qui minori fiunt impendio, iſte cenſetur optimus, quo ſic proceditur: *aurum Hungaricum*, vel aliud purum, ſolvitur in *aqua regis*; ſolutioni poſtea inſtillatur ſenſim congrua mercurii vivi & bene depurati portio; quo facto, illico in fundum dejicitur aurum, una cum parte mercurii, ſub forma pulveris ſubtilis, qui effuſo menſtruo collectus, & addito *liquore alcalino* inverſus, crebris elotionibus & vini ſpiritus deflagrationibus, quantum fieri poteſt, edulcoratur. Si vero *auri fulminantis*, aut quod præſtat *pulveris* illius *rubicundi*, ex ſolutione *auri* & *ſtanni*, interventu aquæ *præcipitati*, & ad confectionem *vitri rubinei* utplurimum uſurpati, congrua & ſufficiens quantitas cum *mercurio præcipitato albo*, probe antea eloto, tritu diuturniore & aquæ aſperſione commiſceatur, obtinetur medicamentum, modo deſcripto efficacia par, & minoris ſæpe diſpendii. Verum enim vero, etſi medicamentis ita confectis ſua conſtet laus, & ſi congrue adhibeantur, efficacia ſatis inſignis, tamen cum his præparationibus aurum cum mercurio intimam non ſubeat mixtionem, ſed ſuperficietenus ei tantum aggregetur (cujus rei vel id evidens argumentum eſt, quod mercurius, igne non admodum intenſo, denuo poſſit auferri) & adhæc menſtrui corroſivi acore penitus privari nequeant ejusmodi medicamenta: ideo fit, ut ſubjectis tenerioribus non ſatis congrua, ſalivationem ſæpe excitent, quamvis mitem, &, præ crudis mercurii compoſitionibus, multo placidiorem. Qua de re deſiderarunt Chemiatri talem mercurii correctionem, quæ ſine additis menſtruis corroſivis, ſola ignis convenienter moderati actione procederet, & in illius intima cum auro commixtione conſiſteret. Id quod methodo protinus exponenda ita apte poteſt fieri, ut mercurius, immutata inſigniter priſtina textura, convertatur in pulverem coloris ex rubro purpurei, maxime fixum, & vi ignis in partes conſtituentes non facile reducendum. Non autem eſt quod quis objiciat, pulverem hunc adeo fixum non poſſe ullius momenti effectum in corpore humano exſerere. Siquidem, etſi ignis vim is eludat, & auri (quod ad illius confectionem adhibetur) compages adeo ſit firma, ut renitatur vel menſtruis corroſivis: tamen nihil obſtat, quo minus à mercurio, convenienti artificio prius exaltato, & ſpirituali magis facto, poſſit intime diſſolvi auri firmiſſima cohæſio, ejusque portiones minimæ, per ſubſequentem digeſtionem, mercurii globulis ita uniri, ut ex mutuo hoc coalitu emergat concretum, uti

uti blandiſſimo corporis calore promte exagitandum, ita & inſignitum efficacia omnino ſingulari, & aliis mercurii correctionibus neutiquam obtinenda. Id quod pro more, ingenioſiſſime demonſtratum dedit *Excell. D. Præſes in Notis ad Poterium p.* 582. cujus verba huc pertinentia, omnino merentur hic perpendi. *Quamvis* inquit, *ex auro pauciſſima expertæ virtutis remedia prodeant, ſingularem tamen præſtat uſum, & concurrit ad efficaciſſimi medicamenti compoſitionem, ſi cum mercurio qui abundat ſpiritu minerali actuoſiſſimo, in temperamentum feliciſſimo connubio redigatur. Fixum enim auri corpus partes tenuiſſimas mercurii in poros ac ſinum recipit, ut æquabilis harmonia & proportio exſurgat; unde nihil magis mea opinione mercurium corrigere poteſt quam aurum, & ex adverſo, nihil aurum exaltare, actuare, & virtute medicamentoſa magis imbuere, quam ipſe mercurius.* Et quidem hactenus Vir Excellentiſſimus.

THES. XXI.

Ut itaque intimam & ſtabilem mercurius cum auro ſubire poſſit mixtionem, omnium primo opus erit, ſejungere à mercurio terram illam mineralem, qua abundat, & aggravatus quaſi eſt, ita ut poſtea æthereum fluidum majorem vim in puriores & ſubtiliores mercurii globulos acquirat, eosque in auri poros penitius adigendo, cum puriore hujus terra intimius poſſit conjungere. Ejusmodi mercurius, efflictim expetitus à Chemicis, variis inſignitur nominibus, modo *virgineus*, modo *animatus*, imo *philoſophicus* audit, & diverſimodis laboribus impenſe quæſitus eſt; de quibus tamen quid ſit cenſendum, meum non eſt judicare. Multis experimentis comprobatus, adeoque peritioribus merito ſuo celebratiſſimus eſt, qui Auctore *Anonymo Philaletha*, in *introitu aperto ad occluſum regis palatium*, myſticis verborum involucris eſt deſcriptus; & ab eodem, uti Doctorum ſententia eſt, in tractatu, qui inſcribitur *Riplæus redivivus*, dilucidius paullulum, at pro more iſtorum hominum, expoſitus eſt; adeo ut ſenſus verborum myſticorum facilius quidem, at non ſine penſitatione acri, poſſit quis aſſequi. Remotis itaque involucris, de rei veritate experimentis confirmatus, *animati mercurii* deſcriptionem communicatam à Dn. Præſide expromam; ita tamen ut arceantur fuci. Auctoris laudati mens eſt, ut mercurius vivus vulgaris amalgametur cum antimonii regulo vere martiali (qui enim vulgo fiunt ne micam ferri trahunt) mediantibus *Dianæ binis columbis*. De quibus duplex eſt Myſtarum ſententia: *duas partes argenti* intelligunt plurimi, aut inducti aliquali, longe tamen petita analogia notionis hieroglyphicæ, aut forte commoti auctoritate *Alexandri Suchtenii*, qui jam olim ejusmodi mercurii correctionem ſuſcepit, uti videre eſt ex *tractatu de antim.*2. Alii vero, quos inter princeps eſt *Becherus in ſupplementis Phyſicæ ſubterr.* binis illis columbis ſignificari *duo ſalia, alcalinum & ammoniacum*, aſſeverant. Utraque ſententia neque ratione probabili, neque ſucceſſu deſtituitur. Expeditius vero ſuccedet negotium, ſi reguli antimonii pars una, & argenti duæ, igne colliquentur, huicque concreto poſtea addatur mercurius, una cum determinata portione dictorum ſalium, ſicque amalgamatio inſtituatur: quæ utique encheireſin expoſcit accuratam, pluribus tamen hic non exponendam: cum quidem à quovis, ſi lubet & commodum eſt repetita experimenta facere, ſolerti indagatione poſſit addiſci. Illis igitur confectis, amalgama in mortario vitreo valida manu eſt triturandum, inter affuſam ſucceſſive aquam pluviam, quæ nigredine inde inficitur & effuſa pulverem ejusdem coloris exhibet, qui accenſus, odorem ſpirat omnino fœtidum, licet ſalia ad amalgamationem non fuerint adhibita. Continuandus autem hic tritus inter frequentes novæ aquæ affuſiones eſt, donec ſub pulverulenta illa conſiſtentia ita ſit elotus omnis regulus &c. ut præter amalgama purum nihil relinquatur; quo facto inditur hoc retortæ vitreæ, & arenæ igne mercurius abſtrahitur; relinquitur ſic in retortæ fundo argentum purum: quod eodem modo cum regulo commixtum, additis ſalibus denuo amalgamatur, poſtea ſimili trituratione depuratur, & denique ſublimatur. Quo labore ſepties ad minimum aut novies repetito, argentum vivum multo purius & ſubtilius prodit, majorisque hinc in metalla energiæ, & efficaciæ in corpus humanum præſtantioris. Et quidem ſic procedit mercurio exaltatio, ad conficiendum medicamentum deſideratum maxime idonea. Quæ res etſi inventa unice & perfecta experimentis, tamen rationibus congrua omnino eſt, iisque facile illuſtranda. Etenim dum *regulus antimonii martialis* colliquatione intime & per minima cum argento commiſcetur, hujus ſubſtantia antea polita & lævigata ita immutatur partibus *reguli* anguloſis & irregularibus, ut ſingulæ illius (argenti) portiones minimæ non ſolum aſperam & inæqualem ſuperficiem acquirant, verum etiam arctiora & magis tortuoſa contrahant ſpatiola, in quæ, cum mercurius congrua encheireſi in amalgamatione adhibita, ſaliumque mutuo conflictu, violenter & cum impetu intruditur, evolvitur quaſi & annexu cæterarum partium divellitur, terra illa mercurii craſſior & impura, poſtea (dum globuli mercurii exiliores tortuoſos & arctiores ſubierunt poros) frequenti tritu & elotione, una cum partibus reguli heterogeneis abſtergenda & auferenda. Ex hac itaque ſollicita præparatione reſultans mercurius, poſtea additur auro puro: ita quidem ut hujus parti unæ, illius partes tres vel quatuor, aut ex mente *Philalethæ*, duæ tantum per amalgamationem, vulgari enchireſi inſtituendam, conjungantur. Quo confecto, inditur amalgama phiolæ vitreæ, cui planum ſit fundum, ut in latiorem ſuperficiem major ſit caloris effectus, deinde phiola exhauſto prius aëre craſſiore, (ne eo calore expanſo vitrum diſrumpatur) Hermetice eſt ſigillanda, & in furno Athanor digeſtioni congruæ, per ſeptem, imo novem ſubinde menſes ſolidos, exponenda: ita ut à gradu caloris & ignis minori, ad majorem ſenſim procedatur. Qua in digeſtione, uti tota res agitur, ita ſi convenienter hæc fuerit inſtituta, vertetur ſenſim amalgama in pulverem rubicundum: qui primis quidem menſibus ita nondum ſubigitur, quo minus aut alvi fluxum, aut ſalivationem excitet, exhibitus præſertim tenerioribus. At vero, continuata digeſtione, ita perficitur, omnique draſtica vi ita privatur, ut pulvis inde emergens fixus tutiſſime poſſit exhiberi, ſub granorum II. III. vel IV. doſi, ſicque in aliquot dies continuari, adeo quidem, ut ne ſenſibilioris texturæ homines habeant, quod metuant de ſalivatione inde concitanda, aliisve violentis commotionibus, quæ conſequi mercurialium crudorum uſum ſolent.

THES. XXII.

Optima igitur, & fundamentis Chemiæ accuratioris omnino congrua eſt, hæc mercurii exaltatio & correctio: quæ uti in Eleuſinis abſtruſis ſacris numerata, ita tanti à viris induſtriis habita eſt, ut etiam ad arcanum Philoſophorum opus, mercurium ita animatum plane judicaverint congruum: de cujus tamen rei ſucceſſu, quod promittam, nihil habeo: conſtabit forte tentanti: me terrent veſtigia: adeoque intra ſepta me continens, relicta aliis illa Philoſophia, uſum medicum ita perfecti mercurii tantum conſidero; qui utique plane eſt inſignis, & aliis medica-

dicamentis æque non datus: hinc etiam ad varios morbos refractarios, aliis medicationibus omnino reluctantes, à viris Expertiſſimis, maximo profectu eſt adhibitum præſtans illud remedium; Et quidem frequenter à feliciſſimo Angliæ Medico, D. *Crelles*, uti benevola Excell. D. Præſidis relatione accepi. Ejuſdem *mercurii animati ſolaris* ſumma efficacia, cum multorum ægrorum ſalute, ſæpius quoque eſt experta hic olim Halæ, à Chemico dexterrimo D. *Hochgræff*; prætertim (alia lubens tranſeo) ad expugnanda illa mercurii ſcandala, *febrem quartanam* & *podagram*: ita quidem ut illa refractaria diu detentos, & inter hos aliquem per quadriennium illius moleſtias jam ſuſtinentem, aliquot medicamenti laudati doſibus reſtituerit plenarie. Inter *podagricos* vero, eodem hoc medicamento expedite curatos, jure referri poteſt vir hic locorum notiſſimus, quinquagenarius, qui *arthritidis fixæ* doloribus, cum *artuum contractura*, miſere afflictus, ita in priſtinam ſanitatem reſtitutus eſt, ut conſtanter poſtea à cruciatibus his immunis omnino vixerit. Quid *Cnoeffelius mercurio* ejusmodi *fixo* præſtiterit in ſananda podagra, ex *append. Miſcell. Naturæ Curioſ.* & teſtibus omni exceptione majoribus, ægris videlicet hujus ope reſtitutis, colligi abunde poteſt: qua de re omnino meretur legi elegantiſſima illa *epiſtola* de *curata podagra* per *D. Andr. Cnœffelium, Gorlitzii* 1644. edita. Hæc itaque ſingula evidenti ſunt argumento, vanas non eſſe, neque ſterilibus ex ſpeculationibus enatas, *mercurii* expoſito modo *animati* & *fixati* commendationes, ſed fida experientia ſatis eſſe ſuffulta ſingula theoremata; adeo ut nullum ſit dubium, quin ſine ullius noxæ diſcrimine id poſſit hoc medicamento præſtari, in ſanandis morbis rebellibus, revera tamen ſanabilibus, quod aut aliis regni animalis & vegetabilis remediis hucusque quidem cognitis, tentatur fruſtra: aut ſperari ullo modo poteſt de ſalivatione mercuriali, dura ſane medicatione, tot turbulentis & periculoſis commotionibus conjuncta frequenter, quot tædiis procedit ut plurimum. Tanto magis autem præ hac, expetenda eſt illa, per *mercurium animatum ſolarem* inſtituta medicatio: quoniam ſuaviſſime poteſt hoc medicamentum exhiberi vel perſonis delicatiſſimis, ſub modo definita doſi exigua, dum modo aſſumatur hæc ſingulis diebus ſemel vel bis, & pro re nata ita continuetur; quod omnino jucunde poteſt fieri, ſi medicamenti doſis ſubigatur roſarum, vel alia æque grata conſerva, ſine ulteriori, eoque ut plurimum moleſte continuando, medicamentorum acceſſu; ſi modo ante illius uſum primæ viæ à colluvie vitioſorum humorum, qui retardare poſſunt promtam medicamenti efficaciam, ſint liberæ aut deterſæ abſtergentibus ſalinis, levi purgantis reſinoſi ſtimulo acuatis, (cum quidem purgantia draſtica, ut raro admodum, ita nunquam in curationis principio ſatis congruunt) aut pro re nata vomitorio, præmiſſis tamen ſalinis incidentibus exhibendo. Aſſumto autem, poſt præmiſſam hanc corporis præparationem, medicamento, vehiculum aliquod aqueum calidum apte ſuperbibitur; quod pro more ſeculi, ex infuſo foliorum Thée, baccarum Coffé, herbæ veronicæ &c. aut, ſi aliquid conſuetudini eſſet dandum, ex decocto ſarſaparillæ, chinæ, cortice ligni ſaſſafras exaltando, poteſt confici. Quæ dilutæ potiones ſuo calore in actum *deducunt medicamenti* efficaciam, perſpirabile præſtant corpus, recipiuntque medicamenti vi extricata inquinamenta ſalina, ſub illorum diſperſa vehiculo, per congrua excretoria, præcipue cutis ſpiracula, ſine violentia è corpore eliminanda; dum modo illa ferventur ſatis pervia, eo regimine, quo aptis veſtimentis, ſine æſtuoſo & turbulento calore excludatur externum frigus, adeo ut habitus corporis molli & humidulo calore conſtanter uveſcat. Siquidem effuſos ſudores, in morborum chronicorum, tantum non omnium, curationibus, adeo nulla expoſcit neceſſitas, nullumve conſequitur commodum, ut potius, ſi ſint largiores, vires, in morbi lenti progreſſu jam ſatis proſtratas, magis exhauriant, ſi vero fuerint coacti & violenter quaſi extruſi (uti in ſtuphis ſic dictis ſudatoriis ſæpe fit) maxima incommoda, quæ infarctus viſcerum, hoc modo facile contrahendi, pariunt, omnino veniunt metuenda. Qua de re videndus *Sylvius, Praxi Med.* locis variis, in primis *appendice tract. III. p. m.* 677. *& ſeq.* Abſit itaque ubique turbulentus & repentinus impetus: quo cum expers penitus ſit noſtrum medicamentum, utique non unis alteriſve doſibus, quæ Medicaſtrorum Thraſonum gloriatio eſt, exturbetur & everretur morbi lenta materia, continuata medicamenti actione per motus conſtantes ſubigenda. Adeoque etſi *Lucas Tozzi, Innocentii XII. Pontif. Archiater, in Praxi Med.* adſeveret, ſe mercurio ejusmodi fixo, non ultra ſepties repetito, & luem veneream, & febrem refractariam expugnaviſſe plenarie: tamen (utut minime mihi ſit ſuſpectus viri candor) non temere crediderim in his noſtris climatis frigidioris regionibus, in tanto humorum vitioſorum ſub morbis chronicis lentore, tantaque ut plurimum abundantia, æqua promtitudine, & paucorum dierum circuitu, ſimilem poſſe obtineri effectum; Qui tamen multum accelerabitur, ſine ulla violentia, ſi poſt repetitum aliquot dierum uſum noſtri medicamenti, intercalentur balſamica ſalino ſulphurea: quæ inter eminet *Elixir Balſamicum Exc. D. Præſidis,* aut ſpiritus oleoſus, ad Sylvii methodum, morborum circumſtantiis accommodandus. Quorum certe mediocris doſis, inter cibandum quotidie aſſumta, in expedienda morborum chronicorum curatione, continuato uſu *tranquilla poteſtate efficiet, quod violenta nequit.* Etenim dum languens digeſtio ſic promovetur, chylus non ſatis antea ſubactus, ſuoque lentore humores infarciens, emendatur, & partibus iſtis balſamicis quaſi conditur: ſuppreſſa antea, & ſub humorum lentore fere ſuffocata, vitalis humorum turgeſcentia, novo vigore ita animatur, ut ulterior fomes morbi pertinacis reſcindatur admodum opportune: præſertim ſi diæta congrua, medicationis ſecundentur molimina.

### THES. XXIII.

At vero utut facile ſuſtineant neceſſariam continuationem hujus medicationis, mercurio ſolari inſtituendæ, ditiores, tamen fortunæ non ferunt eorum, quibus eſt res anguſta domi: adeoque his proſpici poſſe, minori impendio, ſimili tamen medicatione, per mercurium diaphoreticum Jovialem ſupra deſcriptum, omnino judico, commotus & experimentis virorum peritiſſimorum, & confirmatus fundamentis, quibus nititur medicamenti compoſitio, mercurii proprietatibus omnino congruis. Et licet repentina aliquantum magis ſit hujus medicamenti actio, quam mercurii animati ſolaris, adeoque, ſi luxuriat doſis iis in affectibus, ubi intenſior eſt humorum intemperies, in lue venerea, ſcorbuto &c. ſalivæ aliquale profluvium moveat, id tamen, niſi doſibus medicamenti plane incongruis concitetur, adeo placidum eſt, ut vix percipiatur ab ægrotis, aut ſaltem ſine incommodis facile ſuſtineatur; in cæteris vero caſibus, ubi humorum acriorum tantus proventus non eſt, ſed potius immobilitatis, & lentæ ſpiſſitudinis vitium eſt, ſine ulla ſalivatione, quod ſuæ eſt conditio-

ditionis, tranſigit. Quin imo ſalivæ fluxus, quo minus ab hoc medicamento concitetur, præcaveri fere ubique poterit, ſi cognitis cauſſis, unde iſte procedit, mature eatur obviam; Et quidem cum acrimoniæ intenſioris acceſſu unice poſſit ita exacerbari medicamentum, ut aliqualem ſalivationem excitet: illud utique fieri non poterit in maſſa humorum, ubi non adeo extricata & intenſa eſt acrimonia, ut mercurii globulos, ſtanni puriore ſulphure obvolutos, poſſit adoriri iisve immiſceri; ſed potius, ſi id usquam, certe in primis alimentorum viis continget, quæ in pleriſque chronicis morbis, præter cætera inquinamenta, inſignem ferunt humorum acidorum copiam: quibus, cum medicamentum diutius inhæreat, facilius poterit, quam in maſſa humorum exacerbari. Hoc igitur ut præcaveatur, ſordes illæ primarum viarum, quoad ejus fieri poterit, ante medicamenti uſum, erunt ſubducendæ blandis & accommodatis catharticis: quæ deſumuntur optime ex gummi-reſinis, in primis *galbano*, *ammoniaco*, *bdellio*, *maſtiche*, cum proportionata doſi *myrrhæ rubræ*, & tantillo *extracti aloëtici Ludov.* exſtimulatis. Siquidem hæc partibus gummoſis & mucilaginoſis, acidum primarum viarum excipiunt, ejusque ſpicula ita obvolvunt & obtundunt, ut poſſit ſine torminoſis ſymptomatibus (quæ quidem hoc in caſu excitant reſinoſa acriora) blande expurgari. Præmiſſo autem ejusmodi cathartico, eoque pro rei conditione aliquoties repetito, exhibeatur poſtea medicamentum cum *temperantibus terreis* mixtum; quæ cum longe majori promtitudine arripiunt acidum, quam mercurius ſtanni ſulphure correctus, efficiunt, ut hic omnis peregrinæ acrimoniæ expers, ſuam poſſit exſerere blandam efficaciam. Si vero additis *pulveribus abſorbentibus* moles medicamenti, hujusque proinde continuatio neceſſaria foret moleſta, facile erit ſic illius exhibitione procedere, ut horis matutinis, (imo pro re nata & veſpertinis) adhibeatur doſis mercurii diaphoretici, quæ à granis VI. ad X. ultra temere non eſt extendenda; noctu vero, cum itur cubitum, asſumatur pulveris abſorbentis terrei ſufficiens doſis, id eſt ſcrupuli duo, ad drachmam unam, ex vehiculo aqueo domeſtico. Tãtò magis autẽ blanda medicamenti actio ſecundabitur, ſalivæque profuſio õnimode præpedietur, ſi regimine convenienti, ſupra jam expoſito, corpus foveatur, vel in caſibus congruis actualis ſudor, (isque blandus equidem, at vero ad aliquot horas continuatus) eliciatur, exhibitis ſubinde *ſudoriferis*, ſic dictis *mediis*, quales ſunt *ſpiritus alexipharm. Buſſii correctus*, *liquor cornu cervi ſuccinatus*, *tinctura bezoardica ſine acido*, *&c.* Quibus medicamento mercuriali opportune interpoſitis, unico utplurimum, eoque blando ſudore plane poteſt diſcuti jam inchoata ſalivatio (uti ex variis practicorum accuratiorum obſervationibus mihi innotuit) multo magis itaque impediri poterit ſi, qua eſſet futura ex uſu mercurii diaphoretici Jovialis, medicamenti utique ſatis correcti. Id igitur ad præſcriptum modum uſurpatum, cum ſit omnis violentæ commotionis expers, exhiberi fidenter poſſet, vel in ipſa ſcorbutica intemperie, quamvis ea foret paullulum intenſior, multo equidem ſecurius, atque cruda mercurialia; quæ tamen, ut & ipſam ſalivationem, in ſcorbuto fuiſſe innoxia, imo ſalutaria, exemplis Williſii & Lentilii ſupra allegatis (non tamen temere imitandis) vidimus. Nihilo minus tamen, ſi quis hoc in caſu vereatur mercurii modo laudati diaphoretici uſum, is, quamvis forte nimium ſcrupuloſus, habeat ſibi alterum, illi quidem efficacia non par, at vero non inefficax medicamentum mercuriale, quod ſub *æthiopis mineralis* nomine expoſitum eſt; & quidem adeo contra aciei acceſſum munitum eſt, ut aceto deſtillato vel æruginis ſpiritu, quamvis is aliqua ſpiritus vitrioli portione acuetur, peregrinum & auſterum ſaporem (ut alia mercurialia cruda) non concipiat. Propterea etiam omnis draſticæ turbulentiæ adeo eſt expers, & adeo blandum eſt medicamentum, ut ferant ſine ullo incommodo, repetitum illius uſum, eumque ſubinde largum, verminoſi pueri. Hujus igitur grana X. vel XV. mediæ ætatis homini ſecuriſſime poſſunt exhiberi: & ſi in morbis refractariis paullo ſit languidius, exaltari ſingulæ illius doſes apte poterunt uno vel altero grano *ſulphuris antimonii Conerdingiani*, aut alterius magis *diaphoretici*, quod ſine *liquoris præcipitantis* acceſſu, ſolet confici; cujus partes regulinæ, ſubſtantiæ ſulphureæ intime immixtæ, ſicque optime temperatæ, convenienti ſtimulo ita intendunt illius medicamenti efficaciam, ut minoribus doſibus id expedite præſtet, quod alias de auctioribus fruſtra ſperaretur. Ex univerſo itaque medicamentorum mercurialium numero, qui equidem eſt uberrimus, ſeligimus pro noſtro ſcopo tria hactenus propoſita medicamenta, eoque judicamus præ cæteris magis correcta imo & efficaciora; hæc tamen cum diſtinctione, ut ſingulis præferamus *mercurium animatum ſolarem*: in hujus autem defectu ſubſtituamus *Jovialem*; & ſubjectis tenerioribus reſervatum velimus *mineralem æthiopem*, exigui equidem laboris medicamentum, at multis laborioſis compoſitionibus præferendum.

## THES. XXIV.

Generali huic medicamentorum noſtrorum recenſioni, ut ſpecialem ſubjungam deductionem, morborumve chronicorum prolixum catalogum, ubi, quibus, & quo modo, & quo tempore ſint adhibenda, nemo facile à me exiget, qui conſideraverit rem hanc adeo eſſe operoſam & diffuſam, ut expediri ſpatio harum pagellarum anguſto non poſſit. Sufficiet igitur in unam ſummam hic colligere, quæ ſparſim hactenus propoſita & in generali curatione morborum, quibus deſtinamus noſtra medicamenta, peragenda ſunt. Res à Pathologis cum veteribus, tum recentioribus confecta abunde eſt plurimorum, ſi non omnium, morborum chronicorum materiam & fomitem eſſe humorum lentorem, muciditatem, ſpiſſitudinem, tenacem viſciditatem, & quibuscunque demum nominibus immobilitatis vitium efferre ſingulis auctoribus placuit. Immobilitatis dico: uti enim expedita partium fluidarum per ſolidas transpreſſione & circuitu æquali earundem conſervatur fluiditas, & recrementorum per congrua excretiora ſecretio, unoque verbo, univerſi corporis vigor: ita languente hoc motu (ſimpliciſſimo & præcipuo naturæ inſtrumento) humores eo deſtituti brevi concreſcentes, ſpiſſeſcunt; inquinamenta ſalino acida, ſulphurea, aut quæcunque demum ex quotidianorũ alimentorũ recrementis maſſam humorum accedunt, ſatis evolvi neutiquam poſſunt, multo minus per congrua colatoria excerni, languente humorum ad hæc impulſu, & hac de cauſſa ſæpe contingente illorum infarctu. Motus igitur defectus, & languor uti univerſalis eſt & præcipua plenorumque morborum chronicorum cauſſa, ita reſtituto in integrum motu, emendari, via ſimpliciſſima poſſunt, quæ hujus defectu ſubnata ſunt humorum vitia. Cum autem concitato & repentino impetu (cujus noxas variis locis indicavi) profici nihil commodi poſſit, & hinc motu magis conſtanti & violentiæ experte opus ſit, qualem promittimus, & fieri poſſe demonſtravimus à medicamentis noſtris mercurialibus: ſatis utique erit exploratum, quid hæc poſſint in pleriſque morbis chronicis, & eorum quidem principibus, *cachexia* puta & *ſcorbuto frigido*, & ex his

his natis variarum partium infarctibus dolorificis aut ad corruptionem tendentibus, lymphæque accumulationibus variis: adeoque *febribus chronicis* & refractariis, doloribus *podagricis*, præcipue ſic dictis frigidis, & cum tumore ſeroſo partis affectæ conjunctis; *cephalalgia* diuturna, *&* *clavi* ad inſtar uni capitis regioni pertinaciter inhærente. Variis item cutis inquinamentis, *lue venerea*, *ſcabie ferociente*, *impetigine*, *elephantiaſi*: *ictero nigro*, ſine tamen concrementis lapideis cyſtidis aut meatuum bilis, enato. *Hydropis* porro variis ſpeciebus, & *œdematoſis* tumoribus, præſertim ſi poſt obſtructiones menſium diuturniores, aut alias conſuetas evacuationes ſuppreſſas &c. ſine inſigni viſcerum labe aut oppilationibus ſcirrhoſis procedant: hæc enim cum expediri nulla arte poſſint, ſanationem conſtantem omnino reſpuunt. Plus utique præſtant, & auxilium expeditum ſpondent in affectibus cerebri & nervorum, ex accumulata & ſtagnante lymphæ ſerive colluvie enatis: *ſomnolentis affectibus chronicis*, *vertigine caduca*, *paralyſi* &c. Qua de re conferri poterunt quæ ſupra de cinnabari, experientia *Exc. D. Præſidis* ſuffultus, prolixius commemoravi. Quin imo infantum & puerorum morbis, quibus luunt miſeri addephagiæ noxas & pulmentorum lactisve internecinas oppletiones, medicamenta noſtra omnino accommodata judico: præcipue ad expediendos glandularum meſenterii infarctus, & hinc natos affectus atrophicos; qui utique parum plerumque reſpiciunt medicamenta mitiora, & exacerbantur ſæpius *tincturis martis vitriolicis*, aliisque minus apte ita dictis aperientibus: poſcentes hinc medicamenta conſtanti impulſu loca infarcta urgentia, ſine durioribus commotionibus, quæ utique plane non ferunt tenera tenellorum corpuſcula. Quid igitur & his in caſibus ſpondeat providus noſtrorum mercurialium uſus, ex ſupra dictis erit perſpectum: &

*dictis dabit ipſa fidem res.*

Quare, ut fit, pluribus in encomia noſtrorum medicamentorum me non diffundam, ne videar rebus diffiſus, phalerata oratione aliisve Rhetoricationibus, velle lectoris animum offundere, & ad conſenſum frivolum adducere. Quod equidem à ratione meorum ſtudiorum omnino eſt alienum. Id potius edico & adſevero, medicamentis ejusmodi, quamvis ſint uſu frequenti probata, conſtare non poſſe ſuam efficaciam, niſi exhibeantur à medico ſuæ artis perito, morbique indolem acri circumſpectione prius probe explorante, temporaque accurate diſcernente, quibus ejusmodi medicamenta adhiberi conveniat. Prætereaque, niſi attente perpendatur, an aliqua evacuatione, una cum univerſali materiæ noxiæ correctione, opus ſit, & ſi illa revera requiratur, ſolicite conſideretur, quæ loca ſpecialia ad peragendam hanc evacuationem præ cæteris magis ſint idonea, ut poſſit per aptum corporis regimen, interpoſitaque ſudorifera, diuretica aut purgantia, materia ad iſta loca convenienter adigi. Quæ quidem, ut & ejus generis alia, quæ in compendium conferri vix poſſunt, ſollicite in morborum chronicorum curationibus ſunt obſervanda, & præcipuam Prudentiæ medicæ partem conſtituunt: ſimul ita prolixa ſunt, ut ſi ſingulis dilatandis per omnes morborum ſpecies evehi vellem, arctis diſſertationis Academicæ cancellis intercluderer. Hæc igitur quæ reſtant (ea autem ſunt plurima) in opportunius tempus tractanda mihi reſervo, ubi ſecundante meos conatus Deo O. M. inſtructus ego experimentis ſpecialioribus, quæ cruda perſtant, forte magis excocta dabo. Tantum nunc eſt!

# FINIS.